Universidad de Puerto Rico
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

MAESTRO
COMENTARII
IN
EVANGELIUM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNIS

MALDONATI ANDALVSII

SOCIETATIS IESV THEOLOGI

FACULTAD DE TEOLOGIA
Univ. de Deusto
BILBAO

COMMENTARII IN QVATVOR EVANGELISTAS.

In hac Secunda editione, ex duobus in vnum Tomum redacti, ac magna diligentia excussi.

AD SERENISSIMVM LOTHARINGIÆ DVCEM.



BIBLIOTHECÆ CAMPENSIS SOCIETATIS JESU
IHS

LVGDVNI,
Sumptibus Ioannis Baptistæ Buysson.
M. D. XCVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERENISSIMO PRINCIPI CAROLO III.

CALABRIAE, LOTHARINGIAE, BARRI, AC GELDRIÆ DVCI, &c.

Mussipontana Academia Theologi Societatis IESV *Salutem, & æternam felicitatem.*

VETVS illud magni, doctíque Epiphanij admodum scitum, verúmque est, PRINCEPS SERENISSIME, infidelitate peiorem esse hæresim. Χείρων, inquit, ἡ κακοπιστία τῆς ἀπιστίας. Vt enim alias huiusce rei causas silentio prætereamus certè hoc præcipuè inter Paganismum, & hæresim interest, quòd ille quidem diu Ecclesiam grauissimis, & atrocissimis persecutionibus vexauit, & dilacerauit; est tamen funditus aliquando tandem euersus, sic vt hodie nullum prope eius superstit vestigium: hæresis verò, tanquam infestum agro Dominico zizanium, sic semper dormientibus hominibus vna cum bono veritatis semine succreuit; vt non facilè, nisi eo pene simul euulso, potuerit euelli. Et quanquam vna fortasse hæresis aut sopita, aut extincta statim fuerit; altera tamen è vestigio ex prioris quasi cineribus adhuc calidis reuixit. Immo sæpe factum est, vt vna resciſſa, quasi Lernææ hydræ amputata ceruice, plures alię pullularint; vt nullum vnquam Ecclesię sęculum hęresi sua, quasi nulla hominis ætas suo proprio morbo caruerit. Sic populum illum Hebręum verum Dei veri cultorem memorię proditum est Palęstinam ingressum gentes quidem cęteras domuisse, & internecione deleuisse; Iebusæum tamen habitatorem Ierusalem è medio tollere non potuisse, sed secum habuisse semper inimicum, & infestum. Verumenimuerò Christus dominus, qui idololatriam semel profligauit, & sub iugum Ecclesiæ misit, non semel etiam de hæresi victa, & subacta triumphauit, immo sicut hostes noui subinde diuersis temporibus prodierunt, ita nouos identidem athletas, & propugnatores submisit, qui de ipsis post longa, & laboriosa certamina glorioſas victorias retulerunt. Hinc tot varijs sęculis sanctitate, doctrináque prestantes viri in istum campum, aciémque descenderunt; in Oriente Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Epiphanij

In Ancorato.

Matt. 13.

Ioſ. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cyrilli, Damaſceni, qui contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Valentinianos, Apollinariſtas, Sabellianos, Neſtorianos, Eutychianos, Iconoclaſtas; in Occidente Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Hilarij, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, Proſperi, Optati, Leones, Gregorij, qui aduerſus Marcionitas, Manichæos, Donatiſtas, Heluidianos, Iouinianiſtas, Pelagianos, aliáque iſtiuſmodi hęreticorum monſtra, & portenta veram, & orthodoxam fidem, & religionem fortiter defenderunt; & omnes libris pereruditis, aliqui etiam ſuo ſanguine cõſignatam veritatem poſteritati tranſmiſerunt. Noſtro quidem ſæculo poſt hominum memoriam flagitioſiſſima & pernicioſiſſima, hæreſis exorta eſt, in quam videlicet omnium priorum hæreſum videntur ſordes, quaſi in ſentinam quandam, & cloacam confluxiſſe. Hi nimirum illi ſunt nouiſſimi dies, in quibus venit diabolus habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet. Vt verò peſſima hæreſis eſt, ita peſſimos habuit auctores, fautoréſque. Deus immortalis, quales! Religioſos apoſtatas, excucullatos monachos, ſacerdotes nupturientes, perditorum examina, deſperatorum greges, fæcem, & colluuiem Cleri, & Monachiſmi: cæteroquin homines loquentiæ multum, parum eloquentiæ; ſcientiæ modicum, conſcientiæ nihil quidquam habentes; ad fingẽdum, mentiendum, fallendum, conuiciandum, audendum, tumultuandum omni arte, impudentia, fraude, procacitate, audacia, improbitate pariter inſtructos. At è contrario qui non dormitat, neque dormit, cuſtos Iſrael, magnos etiam, & fortes veritati defenſores, hæreſíque aduerſarios excitauit, qui primum in Oecumenico Tridentino Concilio, poſt in diuerſis Europæ prouincijs nefarios hæreticorum impetus grauiter repreſſerunt, impioſque aduerſus Eccleſiam conatus fregerunt, & irritos reddiderunt. Nihil verò illuſtres viros commemorare attinet, quos ex omni natione Italos, Gallos, Germanos, Hiſpanos Eccleſia in aciem eduxit, qui linguas, calamoſq; aduerſus hęreticos fortiter ſtrinxerunt, & eorum errores ad incudem veritatis diuini verbi malleo contuderunt. Omnes enim numerare longum eſſet; pauci verò recenſeri ſine multorum, qui prætermitterentur iniuria, atq; adeo cõtumelia non poſſent. Noſter certè Ioannes Maldonatus non inter poſtremos eſt numerandus; qui ſcilicet non primus quidẽ, ſed ex primis tamen nondũ mortuo Caluino ex illa celebri Pariſienſis Academię ſpecula bellicũ cecinit, in campũ deſcendit, in aciem prodijt, manũ cum hoſte conſeruit. Nempe ſingulari Dei prouidẽtia, & beneficio eo miſſus eſt, vbi magnis eloquentiæ, ingenij, doctrinæ viribus exſultantem, & quaſi triumphantem paucis adhuc reſiſtẽtibus Caluiniſmum erat repreſſurus; quod vt conſequeretur, nullis ipſe vnquam laboribus, & vigilijs pepercit. Itaque quamdiu vires corporis ſuppeditarunt, docuit ipſe maximo auditorum concurſu, vt vox ipſius ex illo celebri Pariſienſis Academiæ theatro per vniuerſam Galliã quamlatiſſimè exaudiretur, & vix doctus eſſet quiſpiam, Epiſcopus, Abbas, Concionator, Parochus, qui non ad eius ſcholam ventitaret; ne ipſi quidem Caluiniſtæ, & Caluiniſtarum

Apocal. 12.

Mart. Luther. Bern. Ochinus. Petrus Martyr. Io. Oecolãpadius. Mart. Bucerus. Andr. Caroſtadius. Theod. Beza. Pe. Boquin⁹.

Miniſtri

Miniſtri ipſius prælectionibus abſtinerent, cùm præter eximiam, & reconditã eruditionem ſummà eius eſſet in docendo grauitas, prudentia, modeſtia, quæ omnes ad ſe facile raperet, & ſtudio veritatis incenderet. Poſtea verò quàm fractis viribus corporis longo docendi vſu attritus eſt, ad ſcribendum ſe contulit, & aliquot præclara ſui ingenij, iudicij, eruditionis monumenta reliquit, quæ ſuo quidem tempore depromentur: hoc verò opus præ cæteris ſtudioſiùs elaborauit, & quaſi primogenitum partum ſuum carius habuit, primóque loco edere cogitauit, niſi illum noctu, diúque dimicantem agonotheta Chriſtus ex huius vitæ ſtadio ad brauium cæleſtè priùs euocaſſet. Poſt eius obitum de ipſo Romæ, Pariſijs, Antuerpiæ edendo conſilium ſæpe capiebatur, ſed huic incœpto variæ temporum, & negotiorum difficultates moram non dierum, & menſium, ſed annorum iniecerunt. Nunc non ſine Deo prodit in lucem expectatum diu à multis, & in tua Lotharingia, & Muſſipontana Academia prodit, & in tuo nomine prodit, Dux Sereniſſime. Cui enim potius offerri, & conſecrari debuit? Primum enim tam nobilis Academiæ tuæ tibi debetur fructus, & partus, cuius tu nempe parens es, & conditor. Tu enim ante annos tres & viginti id agente apud Gregorium XIII. Optimo, & ſapientiſſimo piæ memoriæ Cardinali Lotharingo eam feliciter primùm condidiſti, liberaliter deinceps auxiſti, ornamentis, quibus licuit, decoraſti, priuilegijs magnis donaſti. Tu non ſolùm in ea tres linguas, Philoſophiam, Theologiam, ſed & Ius Canonicum ac Ciuile diligenter doceri voluiſti, & doctos viros ad id magnis ſtipendijs euocaſti, Medicinæ Profeſſionem, quæ ſola ad perfectam omnium artium, & ſcientiarum ἐγκυκλοπαιδέιαν reſtat, propediem additurus. Quod verò caput eſt, tu eam ſic publicã, & liberã omnibus etiam exteris nationibus eſſe ſtatuiſti, vt tamen nullus in ea, nec diſcipulus, nec Profeſſor eſſet non probè Catholicus. Vnde cum pleræque Ciſalpinæ Academiæ hæreticorum plenæ, & refertæ ſint tua tota Catholica eſt, & multis alijs decreſcentibus in dies magis, magíſque creſcit, viríſque doctis abundare incipit. Mouit nos deinde beneuolentia illa tua ſingularis, qua tu Ioannem Maldonatum, dum viueret, proſecutus es, quem in Lotharingia anno M. D. LXXVIII. non ſolùm libenter vidiſti, ſed etiam auidè audijſti, cum hominem peregrinum aliena lingua concionari voluiſti. Indicaſti denique ſæpius tibi fore gratiſſimum, ſi hoc opus in tua Lotharingia ederetur: Nempe res omnes honeſtas, & Reipublicæ, ac religioni in primis vtiles amare ſoles. Quod efficit tuus ille ſpectatus erga Deum, & Eccleſiam zelus, ac conſeruandæ religionis ſingulare ſtudium in quo profecto clariſſimos illos, & ſanctiſſimos maiores tuos imitaris, quorum vel præcipua laus illa eſt, quod magna ſemper conſtantia, & ardore incredibili veram religionem fouerint, Eccleſiam defenderint, fidem propagarint. Longi eſſemus, ſi omnes commemorare vellemus: Nam ſi Eccleſiaſticos Principes recenſeremus, qui ex hac antiquiſſima tua familia prodierunt, hæc nobis Epiſtola in hiſtorię molem

exſurgeret, cùm ſpatio ſeptingentorum annorum dederit Galliæ viginti Epiſcopos, quinque Archiepiſcopos, Germaniæ quattuor Archiepiſcopos, & Imperij Electores, ipſi Romanæ Eccleſiæ Cardinales octo, vnum Pontificem Maximum Stephanum IX. antea Federicum, qui Legatus Conſtantinopolim miſſus periculoſum Eccleſiæ Orientalis ſchiſma ſuſtulerat. Longiùs autem proueheremur, ſi eorum omnium, à quibus hæreditarium tum ditionis imperium, tum pietatis exemplum accepiſti, res piè, fortitérque pro Deo geſtas narraremus. Duo ergo ſeliguntur à nobis, quorum prior Godefridus Bullonius, tanquam verus Chriſti diſcipulus patriam, propinquos, amicos, familiam reliquit vt Chriſti crucem ferret, atque adeo in felices illas terras Chriſti veſtigijs impreſſas, & ſanguine rigatas inferret, eámque à Sarracenorum poteſtate eriperet: quod feliciter ipſe conſecutus eſt, & communi Principum Chriſtianorum, qui in ea expeditione erant, ſuffragio, tanquam omnium optimus, fortiſſimus, ſapientiſsimus primus è Chriſtianis Hieroſolymorum Rex eſt appellatus: vnde Regium nomen illud poſt annos demum trecentos ad proauum tuum Renatum hæreditario iure peruenit. Poſterior verò auus tuus Antonius Renati F. ob pietatem, integritatem, manſuetudinẽ Boni cognomen adeptus ardenti, quo erga Religionem flagrabat, zelo primus pene Europæorum Principum in hæreticorum ſignum ſuſtulit, ac Lutheranos Ruſticos Furia illa Vuittembergenſi bellicum canente aduerſus Principes Chriſtianos magnis copijs armatos profligauit, ac magna ſtrage ad ſexaginta nimirum millia tribus prælijs concedit. Horum tu zelum imitaris apprimè, tantorum Principum vera, & germana proles, & pro virili hoc infelici tempore, quo tot aliæ prouinciæ hæreticos perferunt, tu eos in tua Lotharingia hærere non pateris, ſed longè à tuis finibus amoues. Quod tamen ita prudenter, ac Chriſtianè ſemper agis, vt quotquot fere apud te reperti ſunt hæretici, mentem potiùs conſilio, quàm ſolum exilio verterint, ſcientes non ſe, ſed hæreſim ſuam tibi diſplicere: vnde nunc eam neceſsitatem, quæ ad meliora coëgerit, ſibi gratulantur impoſitam. Nec fidem tantùm, ſed mores etiam curas: dum ex vna parte quotidie per Lotharingiam ad meliorem frugem Chriſtianis legibus populus per te traducitur, ex alia ordo Eccleſiaſticus diligentia, & vigilantia filij tui Illuſtriſsimi Cardinalis Lotharingi S. Sedis Apoſtolicæ Legati ex recta Tridentinę reformationis Cenſura, & regula ad priſtinum decus, & ſanctitatẽ magis magíſque reuocatur. Hinc fit, vt omnia tibi feliciter eueniãt: vt res tuas ſecundet Deus: vt tu affinitatibus, amicitiis, fœderibus, opibus, honoribus quotidie creſcas: populus te amet: nobilitas te obſeruet: Clerus te continuis apud Deum precibus, votíſque proſequatur: Filij tui ſicut nouellę oliuarum ſint in circuitu menſę tuę, & videas filios filiorum tuorum. pacem ſuper Iſraël. Ecce ſic benedicitur homo, qui timet Dominum. Tu nempe res illius curas, ipſe tuas: tu regnum illius auges, ille tuum: tu Eccleſiam ipſi tueris, ipſe tibi Prouinciam: tu populum fidelem illi

Sigebertus Vaſſeburgus. S. Genius.

Guillelmus Tyrius.

Io. Tilius. Matt. Belluacus, Em. Bolanus.

Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincent.

Pſal. 127.

præbes, ille tibi obſequentem, tu vis illum amari, & coli à ſuis, ille te à tuis, in qua denique menſura fidelis ſeruus ipſi metiris, ille tibi pius remetitur Dominus. Hæc ſunt præcipuè, Sereniſſime Princeps, quæ nos permouerunt, vt tibi hoc in præſentia munus offerremus, quod eſſet deinceps, quaſi perenne pietatis tuæ erga Deum, ſtudij erga religionem, amoris erga hanc Academiam, beneuolentiæ erga nos teſtimonium. Tu nobis, noſtríſque incœptis fauere perge. Fauebis verò, ſi more tuo fouebis. Nos viciſſim ad extremum Dauidicum illud ab Eccleſia Principibus Chriſtianis concini ſolitum tibi ex animo precamur, Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob, Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te, Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet. Muſſiponti Cal. Septemb. anno Domini. M. D. XCVI.

Pſal. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MVSSIPONTANI

THEOLOGI SOCIETATIS IESV LECTORI S.

NONNVLLA sunt, Lector optime, quæ te, nescius ne sis, monendum duximus. Primum est, vt ne penitus huius operis auctorem ignotum habeas, Ioannem Maldonatum patria fuisse Baticum, genere nobilem, professione Theologum, vitæ statu Societatis nostræ Sacerdotem. Is primam ætatem in Academia Salmanticensi exegit doctissimis, & celeberrimis vsus præceptoribus, præcipuè Dominico à Soto Ordinis S. Dominici, & Francisco Toleto tunc sæculari, postmodum Societatis nostræ Theologo, nunc S.R.E. Cardinali. Posteaquàm se absolutis studijs Societati nostræ addixit, Romam profectus aliquod menses Theologiam docuit: sed dum Collegij nostri Parisiensis scholæ primùm aperirentur, singulari Dei consilio, & instinctu Lutetiam est missus, vbi primus è nostris Theologiam docuit totos annos decem magna laude, & celebritate, ingentíque frequentissimorum auditorum concursu, qui nimirum quotidie duabus, tribúsque horis, antequàm scholam ingrederetur, subsellia certatim implerent. Quia verò se in ijs locis docere animaduertebat, vbi hæreses vigerent plurimùm, varijque errores in dies increbrescerent, priscos illos, sanctósque Patres imitatus, qui ad refellendos potissimum ætatis suæ hæreticos studia sua omnia referebant, in id maximè docendo incubuit, vt Lutheri, Zuinglij, Caluini, aliorúmque hæreticorum huius sæculi nefariam, & sceleratam doctrinam conuelleret, verámque & orthodoxam fidem corroboraret. In quo sanè profecit plurimùm. Nam ex eius schola prodierunt viri eruditi quamplurimi, Episcopi, Doctores, Concionatores, Parochi, & vix postea fuit quisquam in Gallia, qui cùm eius auditor esse non potuisset, quæ in schola dictauerat, sibi descripta domi non haberet. Vir sanè fuit multis, magnísque à Deo donis cumulatus, ingenij subtilis, iudicij admirabilis, memoriæ excellentis, diligentiæ incredibilis, indefessi studij, laboris supra corporis vires assidui, quæ cùm initio firmæ essent paulatim tamen lectione, scriptionéque continua exhaustæ sunt. Legendis enim libris continuò vacabat, sic vt nullum probatum in Theologia Græcum, Latinúmve auctorem prætermiserit, quin totum peruolutarit, legerítque diligẽter, ac notarit. Et hæc, quæ plurimis nota erant, laudabantur palam, immò prædicabantur à multis. Sed alia sine dubitatione maiora, laudéque digniora, quæ minus oculis paterent, accipe. Virtus in eo planè fuit eximia, sanctitas potiùs appellanda. Testes aliqui sumus, qui cum eo familiariter viximus. Magna in eo rerum humanarum despicientia, magna laudis, & auræ popularis contemptio, humilitas, & modestia incredibilis, vt tam doctus doctum se nesciret, tam in ore hominum positus homines sperneret, tam apud Prin-

cipes, Præsules, primarios viros carus, & honoratus, maiorem in modum eorum aditum conspectúmque declinaret, vt id etiam à nonnullis morositati tribueretur, dum ne inuitatus quidẽ ad eos accederet, ardens, & iuge orationis, ac meditationis diuinarum rerum studium, summa in cibo potúque parcitas, paupertatis Euangelicæ rigida obseruatio, vt qui præter cæteros nihil quidquam haberet, retinerétve, cum ex vno loco in alium abiret, nisi vestẽ, quam humeris gestaret vilem potiùs, quàm simplicem, & aliqua eorum, quæ legisset, obseruasséve, manu sua exarata Aduersaria. In summa, vt multa paucis complectamur, vir fuit mundo, sibíque crucifixus. Atque hoc esto verum ipsius elogium, & præcipuum quasi Epitaphij præconium. Excessit è vita ætatis suæ vix dum quinquagesimo, ineunte anno M.D.LXXXIII. Romæ, quò fuerat è Gallia à Gregorio XIII. euocatus ad editionem Græcam septuaginta interpretum, quæ post eius obitum in vulgus exijt.

Secundum est, Ioannem Maldonatum plurimum ætatis suæ in schola docendo, disputandóque posuisse, exiguum in cubiculo, & secessu scribendo. Docuit ille multos annos Lutetiæ, cúmque primùm totam Theologiam quattuor annis per Compendium tradidisset, iterum eandẽ vberiùs tradere erat aggressus, iámque longè proiectus erat, & post tractatas de Deo, Deíque attributis, Trinitate, prouidentia, prædestinatione, Angelis, homine, hominísque creatione, peccato originali, libero arbitrio, iustificatione, meritis operum quæstiones, & disputationes, ad eam se demum partem, quæ de Christo est, eiúsque incarnatione, & generis humani redemptione, transferebat, cum ecce alienissimo sanè tempore, certè magno multorum damno à nonnullis Lutetiæ zelo partim præpostero, partim non secundùm scientiam hæresis arcessitus est. Res acta est vtrinque grauiter, tandémque auctoritate summi Pontificis Gregorij XIII. ab æquissimo, & integerrimo Iudice Illmo. D. Petro Gondio tunc Parisiensi Episcopo, nunc insuper S.R.E. Cardinali amplissimo secundùm eum sententia lata est, quæ ne quem lateat, néve apud posteros litis illius exitum ignorantes tanti viri nomini, famaque labes aliqua aspergi possit, tota hîc à nobis, vt typis fuit excusa, publicéque proposita ad verbum subiicietur.

PETRVS GONDIVS Dei, & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Parisiensis Episcopus, vniuersis præsentes litteras inspecturis Salutem in Domino. Notum facimus, quòd cum nuper vir venerabilis, & discretus Magister Ioannes Maldonatus, Presbyter Societatis nominis IESV, Theologiæ professor in Collegio Claromõtensi in Academia Parisiensi fundato apud nos delatus fuisset, quòd in suis prælectionibus aliquid aduersus fidem Christianam dixisset, & suis auditoribus dictasset, ac de ea re à quodam declamatum diceretur: Nos super eo testes per Promotorem Curiæ nostræ audiri, ac informationem fieri mandauimus; & subinde eundem Maldonatum coram nobis accitum, & comparentem interrogauimus, & audiuimus. Denique postquã nobis visi sumus de ea re satis instructi, ac cum doctis, & peritis viris negotio communicato: Die datæ præsentium sententiam nostrã in hunc, & sequentem modũ protulimus, & pronunciauimus. CHRISTI NOMINE INVOCATO, visis informationibus per Promotorem Curiæ nostræ Episcopalis Parisiensis de ordinatione nostra factis super his, quæ contra venerabilem virum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Magistrum Ioannem Maldonatum Doctorem Collegij Societatis nominis IESV publicè dicta, & declamata sunt, quòd hæreticè docuisser, & super his audito eodem Maldonato, adhibitóque virorum proborum, & peritorum consilio: Nos dictum Maldonatum nihil hæreticum, nec à fide, & religione Catholica alienum docuisse dicimus, & pronunciamus. In cuius rei fidem, & testimonium præsentes litteras per Magistrum Ludouicum Ioysel dictæ Curiæ nostræ actuarium, & scribam iuratum fieri, & signari, sigillíque eiusdem Curiæ iussimus, & fecimus appensione communiri. Datum Parisijs anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, die decimaseptima mensis Ianuarij.

Verumenimuerò etsi hac sententia satis eius innocentia, & fides probata, testatáque esset, satius tamen fore putauit, si, præsertim ingraueſcente ætate, paucorum æmulationi cederet, lucémque illam hominum fugeret, nihilo enim se minus posteritati seruiturum, si animum ad scribendum appelleret, & silente lingua calamo loqueretur. Ita quippe non vni Prouinciæ solùm, sed pluribus, non huic tantùm sæculo, sed consequentibus profuturum. Quamobrem in Collegio nostro Bituricensi abditus hos primùm commentarios edidit, alioſque in Prophetas maiores, quorum duos, qui ad manus nostras peruenerunt, propediem sumus edituri. Cogitabat & omnes Scripturæ libros commentarijs illustrare, & Idiotismos, Phrases, Sap. 12. *Hebraismos, aliaque ejusmodi edere ad intelligendam sacram Scripturam peropportuna: sed cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentia nostræ. Romam enim accersitus, ibíque non multum temporis versatus, laborum suorum à Deo præmia consequuturus ad meliorem vitam commigrauit.*

Tertium est, hoc opus Ioannem Maldonatum ad annum M.D.LXXVIII. perfeciſſe quidem, sed non limasse, ipsum enim iterum illud incudi redditurum, & perfectius, limatiusque editurum fuisse si superstes diutius extitisset: quam ob causam nonnulla suppleuimus. Nam in pleriſque Scripturæ, & auctorum veterum locis nec liber, nec caput adscribebatur, quod sine dubio erat facturus, nos ad marginem adscripsimus. Annotatiunculas etiam passim adiecimus, quæ summam rerum tractatarum, & illustriores locos, digressionesve indicarent. Indicem pariter texuimus vtriusque Tomi duplicem, ipsumque opus in duos Tomos distribuimus, vt citiùs per partes prodiret.

Quartum est, quibusdam in locis textum Euangelij ab eo dissentire, quem in commentarijs habet. Tunc enim, cum opus hoc scriberet, non exstabat hæc vltima vulgata editio auctoritate Sanctissimi D. nostri Clementis VIII. nouissimè edita, quare Plantiniana, quæ tunc erat vulgatior, perpetuò est vsus. Nos verò decernente Summo Pontifice, vt hæc vltima editio in omnibus retineatur, eam prætermittere maius incommodum duximus, quàm si inter Euangelij, & commentariorum textum aliquid cerneretur discriminis, quod tamen infrequens admodum est.

Quintum est, horum Commentariorum editionem deberi in primis Reuerendo P. Claudio Aquauiuæ Societatis nostræ Generali Præposito, qui eos sibi ab auctore paulò ante decessum oblatos tanquam magni pretij depositum curauit diligenter seruari, recognosci, à mendis scripturæ repurgari, & hîc tandem excudi.

Multum etiam ad id operæ contulit Ioannes Porcelletus à Malliana Ballituus Metensis, vir nobilis, pius iuxta & eruditus, supra Theologum miles, supra militem Theologus, qui & Romæ nomine Ill^mi Cardinali à Lotharingia, & suo magnopere instítit, vt ederentur, & hîc ad Typographiæ sumptum mutuam pecuniam liberaliter contulit. Nos denique non diffitemur aliquid ad hoc ipsum attulisse opis, & adiumenti, dum præter superiora, quæ à nobis nauata indicauimus, & manu scriptum exemplar passim vitiosum emendamus, quòd cum autographo Romæ remanente propter itinerum pericula conferri non posset, & operas vrgemus, earúmque negligentiam nostra diligentia supplemus. Tu Lector optime his omnibus habeto gratiam, & hoc erit nouæ gratiæ, & beneficij prouocatio Sic nullus præteribit annus, quin tibi is aliquid à nobis nouum afferat, quod ex vsu tuo siet. Vale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGIAE.

VM sacra Theologiæ Facultas iussu R. D. Rectoris congregata esset audita relatione quattuor Doctorum, qui ex prædictæ Facultatis decreto IOANNIS MALDONATI COMMENTARIOS IN QVATTVOR EVANGELISTAS examinarunt, & testati sint in ijs se nihil erroneum, & fidei orthodoxæ contrarium obseruasse, immo multa ad scripturam intelligendam, & hæreses nostri sæculi refellendas, verámque doctrinam Ecclesiæ confirmandam vtilissima reperisse: Permisit eadem Facultas, vt prædictus liber typis excuderetur. Mussiponti XXIII. Maij. CIↃ. IↃ. XCVI.

De mandato R. D. Rectoris,

BAGVE.

FACVLTAS PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV IN PROVINCIA FRANCIAE.

EGO Clemens Puteanus Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ potestate ad id mihi facta per R^dum. P. Claudium Aquauiua Societatis nostræ Præpositum Generalem permitto, vt Commentariorum in quattuor Euangelistas IOANNIS MALDONATI Societatis nostræ Theologi, à doctis, & grauibus Societatis nostræ Theologis diligenter examinati, & approbati typis excudantur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro obsignatas dedimus. Mussiponti Cal. Septembr. an. D. CIↃ. IↃ. XCVI.

Clemens Puteanus.

IOANNIS

MALDONATI SOCIETATIS IESV THEOLOGI COMMENTARII IN QVATTVOR EVANGELISTAS.

PRÆFATIO.

QVÆ *de quattuor communiter Euangelistis quæri posse video, antequam ad singulorum explanationem aggrediar, breuiter exponam. Ea autem omnia ad sex capita referuntur. Quid Euangelij & Euangelistæ nomen declarat. Quantam Euangelistæ & non vnde authoritatem habeant. Quot, & quam ob rem plures quattuor, non pauciores sint. Quo quisque tempore scripserit. Quo lingua. Qua consilio.*

CAPVT PRIMVM.

Euangelij variæ significationes.

EVAΓΓΕΛΙΟΝ faustum iucundúmque nuntium significare: & εὐαγγελίζειν aut, quod frequentius vsurpatur, εὐαγγελίζεσθαι eiusmodi afferre nuntium; adeo iam vulgò notum est, vt non tam dicendum fuerit quàm non prætermittêdum. Illud minus vulgare; hæc duo verba etsi apud profanos etiam auctores aliquando reperiuntur; propriè tamen esse Ecclesiastica. Auctoribus enim septuaginta interpretibus Ecclesia, quasi ciuitate, donata sunt. Nam alij quidem Græci etiam in faustissimis nũtijs, communi potius nuntiandi verbo ἀγγέλλειν, quàm proprio εὐαγγελίζειν vti solent. Hebræi verò summa religione in rebus lætis verbi בשר proprietatem seruant, in aliis verbis communibus vtuntur תשמיע הגיד, & si quæ sunt alia. Eorum verborum diserimẽ intelligitur. 2. reg. c. 4. 10. & c. 18. 19. 25. 26. 31. & 4. Reg. 7. 9. Duo sunt loci, vbi verbum בשר dici videtur de rebus tristibus; alter, 1. reg. 4. 17. vbi qui captam à Philistæis arcam Domini, cæsum ac fugatum populum Israël, mortuos duos filios Heli patri nuntiabat, vocatur מבשר euangelista. Alter. 2. Reg. 1. 20. vbi Dauid Saulis & Ionathan mortẽ lugẽs ait אל תגידו בגת אל תבשרו *ne ista euangelizetis in plateis Ascalon.* Sed in his etiam locis verbi proprietas seruata est. In priore quidem, nõ quia bonus erat nuntius, vt nonnulli interpretantur, malos sacerdotes occisos esse. Nã etsi id vtile erat, tamen patri, cui id nũtiabatur, iucundũ non erat: certe non erat bonus nuntius, cõcisum esse populum, captam esse arcam: quo audito Heli exanimatus concidit: & fracta ceruice interiit: sed quia auctor eius libri vsus est verbo non accommodatè ad rem & veritatem; sed ad opinionẽ & expectationem hominũ, qui cum arcam Domini in castris esse scirent, certum victoriæ nũtium opperiebantur. Nisi ironiá esse malis, quæ haud scio, an in tanta calamitate populi Dei narrãda, fuerit opportuna. Calamitosum enim hominem insuper rideri, duplex calamitas est. Posteriore vero loco etsi mors Saulis & Ionathæ Dauidi dolorem, tamen Philistæis lætitiam afferebat. Quorum respectu dicit, *Ne euangelizetis hoc in ciuitatibus Philistinorum,* vt statim exponit, *Ne exultent filiæ incircumcisorũ.* Itaque in his etiam locis & Hebræus verbo בשר, & Sept. verbo εὐαγγελίζεσθαι propriè sunt vsi. Dũ ergo conantur Sept. æmulatione quadam linguæ, Hebraici verbi vim exprimere, verbum εὐαγγελίζεσθαι sic vsu triuerunt; vt iam non tam Græcorum, quam Ecclesiæ esse videatur. Nam ab Hebræis Sept. per imitationem: à Septuaginta, Apostoli, ab Apostolis Ecclesia omnis non Græca modò, sed Latina etiam accepit, quæ euangelizare, sicut baptizare, ita dicit, vt qui nimis religiosè ab ijs abstinent; parum religiosi habeantur, meritòque putẽtur Ciceronianum potius spiritum, quam Ecclesiasticum habere. Significat etiam εὐαγγέλιον donum, quod bonum afferenti nuntium dari solet. Notum est carmen Græci poëtæ. Sicut apud Hebræos בשורה. 2. Reg. 18. 20. 22. quamquam Septuag. duobus illis locis non εὐαγγέλιον, sed altero εὐαγγελισμὸν, altero εὐαγγελίαν reddiderũt. Item q; sacrificium, quod bono accepto nuntio in gratiarum actionem offerebatur, vt à multis notatum, nescio an ab aliquo ignoratum est.

Homeri ὀδυσσ. ξ.

εὐαγγέλιον.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eadem prorsus ratione qua diuinum nostrum sacrificium εὐχαριστίαν Græci primũ Christiani, deinde etiam Latini vocauerunt. Sed hæ duæ posteriores significationes à nostro instituto alienæ sunt. Nobis enim Christianis nomen εὐαγγελίου Euangelij, nihil aliud quam bonum optatúmque nuntium significat; nec eum quidem omnem: sed illum quo nullus melior, nullus optabilior, neque hominibus afferri, neque à Deo mitti potuit, filium Dei procurandę salutis nostræ causa hominem factum, nósque morte sua, id est, gloriosissima victoria è crudelissimi hostis manibus, certáque & nunquam moritura morte eripuisse; Plúsque honoris in Ecclesia, vbi quodam modo peregrinatur, quam in Græcia patria sua hoc nomen consecutum est. Id enim aliarum significationum, quas secum attulerat, oblitum, κατ' ἐξοχὴν solum declarat, quod est præstantissimũ. Nec aliud iam quam Christum, salutem hominum, cælum, vitámque beatam loquitur. Itaque recte veteres Theologi Ambrosius, aut potius Remigius in cap. 1. ad Rom. & in cap. 1. ad Galat. & Eusebius lib. 1. de præp. Euang. c. 1. Euangelium definire solent bonum nuntium, quo peccatores ad indulgẽtiam vocantur. Si addas per Christum, non solum perfecta, sed etiam magis explicata erit definitio. Sed ne hoc quidem sensu dicũtur hæc, de quibus dicere aggredimur. Animaduerto enim nomen Euangelij in nouo Testamento quattuor modis accipi solere. Primò pro re ipsa læta, quæ nuntiatur, vt Matth. 4. 23. & Matt. 9. 35. & Marc. 1. 14. Secundò pro doctrina Christi, Matth. 24. 14. & Matth. 26. 12. Mar. 1. 15. & 8. 35. & 10. 29. Tertiò pro prædicatione, quæ significatio apud D. Paulum est frequentissima. Rom. 1. 1. & 16. 25. & 1. Corint. 4. 15 & 9. 24. & Gal. 2. 2. Quartò pro historia, qua Euangelium, id est Christi ad nos aduentus & vita narratur. Marc. 1. 1. ac nescio an alibi vsquam in hac significatione reperiatur. Nam quod ait D. Paulus de Luca loquens, *Cuius laus est in Euangelio*, licet multi, & in ijs grauis auctor Hieronym. de viris illust. in Luca, de Euangelio à Luca scripto interpretentur; & alij putent, quoties D. Paulus Euangelium suũ nominat, quod sæpe facit, de Lucæ Euangelio intelligendum: interpretatio non constat: & est probabilius D. Paulum, laborem in prædicando Lucæ magnum, diuturnum & eum multis coniunctum periculis: quàm scribẽdi nec ita magnum, & perbreuem, periculiq; expertem commendare. Hoc igitur sensu hæc quattuor, de quibus agimus, Euangelia vocantur; vt definire Euãgelium liceat, historiam, Christi ad nos aduentum, actaque continentem, Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, tanquam dictatam ab Spiritu sancto approbatam. Nec enim omnis de Christo historia, etiam vera, est Euangelium, nisi illi Ecclesiæ auctoritas accedat, vt secundo præfationis capite dicemus.

Vide Oecumenii Act. 1. 1.

2. Cor. 8. 18.

Euãgelij definitio

Euangelista quis dicatur.

Euangelistæ autem & si ab Euangelio nomen habent; tamen quantum nunc quidẽ memini esse queo, nusquam dicuntur in scripturis sacris, qui Euangelicam historiam scribunt; sed qui prædicant Euangelium. Isai. 41. 29. quanquam eum locum Septuag. Græcè non vertunt, & Act. 21. 8. Ephes. 4. 11. 2. Timot. 4. 5. vsus tamẽ Ecclesiasticus obtinuit, vt qui in sacris litteris Euangelistæ vocantur, ij vulgo nunquam: & qui in sacris litteris nunquam, ij vulgo semper Euangelistæ vocentur. Nec ideo contemnendus mattis nostræ sermo est, sed imitandus. Nam & in ciuitate ij optimè loqui censentur, qui eo sermone vtuntur, quem à matre vel à nutrice, modo non rustica, sed vrbana benèque instituta, didicerunt: quod illis clarissimis Romanorum oratoribus contigisse legimus. Et vt in ciuitate verbis vti con ciuilibus olet barbariem; ita in

Ecclesiastic. verbis vtendum.

A Ecclesia verbis vti non ecclesiasticis olet hæresim. Euangelista igitur nobis sit, qui Euangelicam Spiritu sancto dictante scripsit historiam, & ab Ecclesia Catholica vt eiusmodi, probatus est.

CAPVT II.

Auctoritas Euangelistarum.

QVantam autem auctoritatẽ Euangelistæ habeant, mirabitur à nobis quæri quisquis ecclesiasticam non legit historiam; quisquis autem legit, recordabitur multos olim hæreticos extitisse, qui ipsis etiam quattuor Euangelistis, de quorum nefas esse videtur auctoritate quærere, auctoritatem detraxerint: intelligẽrque nos minimè dubitantes, ne alij dubitent, pro aliis dubitare. Ebionæi solum ex omnibus Euangelistis Matthæum recipiebant, quod vnus dum in humana Christi natura fere totus occupatur, minus aduersari ipsorum impietati videretur. Auctor Irenæus lib. 1. cap. 26. Alij solum Marcum, quos non nominatos idem Iren. lib. 3. c. 11. reprehendit. Alij solum Lucam, vt Marcionistæ, & Cerdoniani, quemadmodum Tertullianus libr. de præscript. & libr. 4. contra Marc. Iren. lib. 3. cap. 11. Philastrius c. 45. & Epiphanius hæresi 42. scribunt. Alij solum Ioannem, vt Manichæi, sicut indicat Augustinus. Alogiani Arianorum genus omnes, præter Ioannem, nec enim illud cæleste tonitru audire poterãt, quo penitus ipsorum hæresis, quasi de cælo tacta, dissiciebatur: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. & Deus erat verbum.* Testis est Epipha. hæresi 51. Neque vero illos ipsos quos recipiebant, totos integrósque: sed mutilatos, & vt Irenæus loquitur, circumcisos recipiebant. Nempe similes alienigenis illis mulieribus, diuinos putabant Euangelistas, quas captas in bello aliter, quàm tonso capillo, resectísque vnguibus lex antiqua duci prohibebat. Dispiciebant enim diligenter, ecquid esset, quod suæ aduersari hæresi videretur; idque non erat Euangelium, & delentes, quasi correpturi corrumpebant. Itaque coargui à Catholicis non poterant nisi ex iis locis, quos aut obliuione, aut inconsiderantia, aut confidentia non deleuissent. Ridet Tertullianus lib. 5. contra Mar. Marcionis spongiã, quòd non satis diligenter omnia, ex quibus Marcion reuinci poterat, induxisset. Alij ne impij, sed religiosi viderentur, Euangelistas ab hæreticis corruptos fuisse querebantur; & ne omnino mentirentur, per religiosam speciem emendandi, ipsi corrumpebant; fictaque librorum corruptio, materia illis erat vera corruptionis. *Humanæ temeritatis* (inquit Tertullianus libr. contra Marcionem 4.) *non diuinæ auctoritatis est hæresis, quæ sic semper emendat Euangelia, cum vitiat.* In quo impudentiæ genere cum omnes hæretici versati sunt, tum maximè Manichæi excelluerũt, Itaque vix poterat Augustinus epist. 19. contra illos disputans stare, & in vllo scripturæ loco pedem figere, quin locus ipse subtractus à Manichæis pedem falleret antiquum hæreticorum artificium. Nam & illis primis Apostolorum tẽporibus, vt ait Ignatius 1. epistola ad Philad. nonnulli erant, qui adeo suspecta haberent omnia, vt negarent se Euangelia, nisi in Ecclesiæ archiuis inuenirent, creditúros, Manichæi alia non minore impietate negabant hæc, quæ habemus, Euangelia ab eis auctoribus scripta, quorum nomina prę se ferunt: sed ab alijs longè posterioribus scripta dicebant, qui nec vidissent ea, quæ narrarent, nec ab ijs, qui viderant, accepissent. Sic apud August. lib. contra Faustum 33. cap. 3. Faustus ipse Manichæorum princeps loquitur, & tamen habebant Manichæi suum purum & incor-

Hæretici scripturas pro arbitrio admittunt.

ruptum Euangelium, quod Manichæo Spiritus sanctus tradidisset. Mos nimirum omnium hæreticorum scripturas non admittere, sed facere; Euangelium non recipere, sed dare. Nam & hodie, nisi Caluino placuisset, quattuor Euangelia non haberemus. Potuit enim eadem temeritate, qua alios ab Ecclesia probatos libros reijcit, ista reiicere. Habent ergo quattuor Euangelistæ tantam auctoritatem, quantam habet Spiritus sanctus, cuius in scribendo tantum fuerunt amanuenses. Nec enim litteræ nostræ auctoritatem habent, quia à seruo scriptæ; sed quia à nobis dictatæ sunt.

Scripturæ auctoritas quomodo ab Ecclesia.

Offendi solent hæretici, & quasi audita impietate cohorrescere, cum dicimus Euangelistas & cæteros scriptores sacros ab Ecclesia auctoritatem habere, quasi Deo Ecclesiam anteponamus. Nec enim intelligunt homines, valde, vt sibi videntur, acuti, nos ita dicere Ecclesiam scripturis auctoritatem dare, quod à Deo data declaret; & eas ab ipso dictatas esse confirmet. Cur eos non reprehendunt, qui vulgo dicunt litteras regias à Nomophylace, qui sigillum adhibuit auctoritatem habere, quasi Domino seruum præponãt? & Dei sigillum Ecclesia profecto, non Caluinus habet, illum ipsum spiritum qui non Caluino, sed Ecclesiæ promissus ac datus est, vt cum illa maneret in æternum; quique suam manum scripturámque haud paulò sane melius, quàm Caluinus recognoscit. hic est qui quattuor Euangelia primum dictauit, deinde nobis ea à se dictata fuisse per Ecclesiam declarauit; nosque idem docet spiritum istum Caluini, quo has scripturas, probat, illas improbat hæreticum esse Cum ergo omnes scriptores sacri tantam habeant auctoritatem, quantam possunt habere maximam, tamen quattuor Euangelistæ, si maxima maior esse potest, maiorem habent maxima. Nemo enim Christianus est, quin ductu quodam religionis, cum omnibus sacris auctoribus quantum potest tribuat, quattuor Euangelistis quam aliis tribuere videatur, & quia ij ipsa dicta factáque Christi commemorant, vt cum eos legimus Christum ipsum intueri, audireque videamur, vt D. Basilius hom. in Euangel. Ioan. *In principio erat verbum.* adnotauit, & quia Euangelia finis sunt veterum scripturarum, nouarum fons, omnium vt Origenes tom. 1. in Ioan. vocat, primitiæ, & quia eadem à quattuor testibus dicta, quæ testium multitudo etsi fidei non est necessaria, humanæ fragilitati est vtilis.

Cap. 3. Quot Euangelista.

PLures etiã Euangeliũ scripsisse vnus ex his quattuor, qui indubitatã fidẽ meruerũt, D. Lucas cap. 1. indicat, & ex antiquis scriptoribus clarius distinctiúsque cognoscimus. Nã apud Clemen. Alex. l. 2. & 3. Strom. Origenẽ. Tract. 8. in Matth. Irenæum libr. 1. c. 31. Athanasium in Synopsi, Epiphanium hær. 26. & 46. Chrysostomum, & Hieronymum in prol. in Matth. Ambrosium lib. 1. in Luc. cap. 1. Euangelium Hebræorum, Ægyptiorum, Nazaræorum, Ebionitarum, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Thomæ, Matthiæ, Iudæ etiam traditoris, & duodecim Apostolorum legimus. Scripserunt & multi hæretici, aut finxerunt Euangelia, Apelles & Basilides apud Epiphanium. Ex tam multis solos quattuor mystico, vt creditur, numero Ecclesia probauit. Hæretici quattuor veris repudiatis multa receperunt falsa, vt rectè elegantérque Origenes & Ambrosius ibidem dixerunt: *Ecclesia cum quattuor tantum Euangelij libros habeat, per vniuersum mundum redundat: hæreses cum multa habeant, vnum non habe nt.*

Cur quattuor tantum Euãgelista.

Cur autem plures, cum tam multi scripserunt, Ecclesia nõ receperit, iam olim quæritur. Sed in prõptu ratio est, quia nõ plures inuenit diuino scripsisse spiritu, quod ipsum codẽ spiritu auctore factũ creditur:

A Eiúsque rei multæ à nonnullis causæ afferuntur. Mihi illa maxime placet quam vetustissimi illi auctores reddiderunt, Irenæus, lib. 3. c. 11. Anastas. q. 65. in scripturam, Hieronymus in prolo. in Matth. & August. lib. 1. de consensu Euangelistarum c. 2. quòd quattuor sint orbis terrarum plagæ, per quas deferendum esset Euangelium. Habet enim Deus in Ecclesia sua administranda rationem huius numeri, vt accommodatè ad hominum cõsuetudinem, & rerum naturam agat atque loquatur. Sic videmus Christum, Matt. 24. 31. dicere tum cũ finiendum erit Euangelium, & eius, vt ipse vocat, messis colligenda, missurum se angelos (vt opinor quattuor) in quattuor ventos terræ, vt vbi seminatum est, ibi metatur, & quadripartito æqualiter agro par metentium atq; seminantiũ numerus sit. Sic in Apoca. c. 7. 1. quattuor angelos quattuor vẽtos cohibere. Sic apud Ezech. 1. & Ioan. Apocal. 4. 6. illustré illum currum, cui diuina insidet maiestas, à quattuor animalibus trahi. Et Euangeliũ currus Dei est, in quo diuina majestas maxime lucet. *Virtus enim Dei est*, vt loquitur D. Paul. *in salutem omni credenti*, à quattuor igitur animalibus trahẽdum erat. Itaq; cum multis in veteri testamento figuris quattuor Euãgelistas significatos fuisse veteres auctores dixerint, quattuor Paradisi fluminibus, quattuor annulis quibus arca Domini gestabatur, vt Hierony. in prol. in Marc. scribit, quattuor illis animalibus Ezechielis; reliquæ figuræ & eleganter adaptatæ mihi videntur, & esse probabiles, hæc nõ probabilis modo, sed certa etiã ac necessaria, in hoc ipsũ à spiritu sancto institutа, vt quattuor futuros Euãgelistas prẽmõstraret. Nec enim dubiũ est quin quatuor animalia idẽ in Ezechiele, & in Apocalypsi significent: in Apocalypsi autem cum viginti quatuor seniores qui thronũ circunstant, viginti quatuor illas columnas Ecclesiæ, duodecim Patriarchas, totidemq; Apostolos significate manifestũ sit; quis dubitet 4. quæ thronũ gestãt, animalia 4. Euang. declarare? Itaq; nec sine causa, nec sine diuino, vt arbitror, afflatu factũ est, vt cũ veteres Theolog. alij alias 4. Euang. figuras inuenerint, in hac cũcti Iren. l. 3. c. 1. Hier. in prol. in Matt. Anast. q. 6. Eucherius q. 1. in nou. Test. consenserint. Rarò autẽ solẽt sine spiritu Dei humana consentire ingenia.

Figura Euangelistarum 4. animalia.

Cur autem illis quattuor animalibus homini, boui, leoni, & aquilæ potius, quàm aliis Deus insideat & in commentariis in Ezechielem aliquot causas attulimus; & hic illam vnam attingere satis est, quod iidem illi Theologi veteres attulerunt, quòd hæ animalium formæ ad exprimendos quattuor Euangelistarum mores aptissimæ viderentur. Nam Ioannes primò statim impetu vsque ad Christi diuinitatem volans similis est aquilæ, Lucas ab officio sacerdotis exorsus similis boui animali sacrificiis apto. Marcus à voce clamãtis in deserto initiũ sumẽs rugiẽté in mõtibus leonẽ refert. Matthæus ab humana Christi generatione incipiẽs se ipse vna cũ Christo quodãmodo hominẽ facit. Ita ferè omnes auctores 4. animaliũ figuras ad 4. Euang accõmodarunt. Nõnulli paulo aliter. Nã omniũantiquissimus Iren. Ioann. Leonẽ, Marcum aquilã facit, quod Ioannes fortiter & efficaciter aggrediatur. *In principio erat verbũ & omnia per ipsum facta sunt*; & Marcus Spirito prophetico sublatus sic ordiatur, *Vox clamantis in deserto.* Sed hęc varietas fidẽ figurę nõ detrahit. Sedulius poeta Christianus 4. Euang. numero vniuersitatẽ tẽporum significari putat. Nã 12. Apostolos 12 anni mẽses, 4. Euang. 4. anni tẽpora per quæ sol Euãgelij decurrat, designare ait.

Cap. 4. Quo tempore Euãgelista scripserint.

DE tempore autem quo suum quisque scripserit Euangelium, in eo omnes prorsus auctores conuenire video, eo ordine temporis scripsisse eos, quo ordine inter se collati sunt. Nã vt in publicis consessi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus fieri solet. Sua cuique ætas locum dedit. Itaque dubium non est, quin primus Matthæus, secundus Marcus, tertius Lucas postremus Ioannes scripserit. Scio nostro tempore hæreticum quendam affirmasse Lucam primum omnium scripsisse, idque ex eius præfatione probare voluisse. Sed si hæreticis crederemus, nihil in ipsa etiam religione certum, stabileque haberemus. Quo autem quisque præcisè tempore, & quo loco scripserit, incertum. Matthæum plerique tradunt anno tertio Caligulæ, id est octo post Christi ascensionem annis, Romæ Petro & Paulo (vt bona cum venia dicamus hæreticorum) Euangelium præpicantibus, in Iudea suis potissimum populariciis scripsisse. Sic ferè Irenæus lib. 3. c. 1. etsi tempus Caligulæ non notat, sic Athanasius in Synop. sic Eusebius lib. 5. hist. Eccles. cap. 8. & in Chron. sic Chrysostomus, sic Augustinus lib. 1 de consens. Eua. c. 2. & Theophylactus in procœmio comment. in Matth. quasi ex maiorum traditione docuerunt. Etsi ex illis nonnulli dicunt Petrum etiam tum Antiochiæ fuisse, vt Eusebius, & Athanas. Theophylactus affirmat Marcum decem post annis, Lucam quindecim, Ioannem triginta duobus suum Euangelium edidisse. Vindicet auctor suam fidem. Ioannem Euangelium in Pathmo insula scripsisse. Theophylact. in eius prologo, Nicephorus lib. 2. c. 42. Prochorus in vita Ioannis c. 36. Dorotheus, Simeon Metaphrastes. Ephesi scripsisse post reditum ab exilio, Irenæus lib. 3. c. 1. Eusebius lib. 5. cap. 8. Augustinus, aut quisquis auctor est prologi eius in Ioann. Hieronym. Isidorus, Gregorius Turon. in lib. de gloria martyrum c. 3. Isidorus in lib. de sanctis noui Testam. Beda, Euthymius, Theophylactus item & Nicephorus scripsisse ante excidium Hierosolym. anno post ascensionem Christi trigesimo secundo; aut tertio: idemque necesse est senserint auctores illi, qui in Pathmo insula scripsisse putauerunt. Hieronymus, & alij post excidium annis post ascensionem 68. & Beda. 65.

Beza in Lucam.

CAP. V.

Quæ lingua Euangelistæ scripserunt.

Pro Archia poeta.

COnstantissima autè apud omnes vetereis auctores fuit opinio cæteros quidè Græcè, quæ tùc lingua, vt paullo ante Cicero dixerat, *Latissime per omnes ferè gètes audiebatur*: Matthæũ vero Hebraico scripsisse sermone. Quod & illi scriptores, quos paullo ante nominaui, & præterea Origenes, & Papias vetustissimus auctor apud Eusebium lib. 3. hist. c. 36. & Epiphanius hæres. 30. & Chrysostomus homil. 1. in Matthæum, & Hieronymus lib. de viris illust. & in prologo in Matthæum, & quicumque de hac quæstione mentionem fecerunt, tradunt. Quis autem ex Hebraico in Græcum sermonem verterit, pauci dicunt. & qui dicunt inter se non consonant. Nam Athanasius Iacobum fratrem Domini, Theophylactus Ioannem transtulisse scribit. Augustinus incertum putat, cuius ego sententiam credo esse certissimam. Hieronymus Hebraicè se vidisse testatur, hodieque inter Iudæos reperitur, prodiitque ante non multos annos typis excussum, quod an illud idem sit, quod Hieronymus viderat, constare non potest: mihi valde suspectum est, quod per Iudaicas primum manus, deinde per hæreticas acceptum est, vtrasque minime sanè fideles. Negare autè Matthæum Hebraicè Euangelium edidisse, quod quidam non indocti nostro tempore fecerunt, nescio an aliquam temeritatis notam mereatur. Ego quidem certè negauero. Plus enim apud me perpetua antiquitatis opinio, & omnium veterum scriptorum auctoritas, quàm illorum quamuis subtiles rationes valent. Nam quod dicunt non potuisse Matthæum Hebraicè scribere, cum nomina Hebraica sæpe interpretetur, vt *Emmanuel, id est nobiscum Deus. Eli, Eli lamma sabacthani, id est Deus meus, Deus me vt quare me dereliquisti?* non tanti est vt confirmatam tot sæculorum antiquitate sententiam de screre debeamus. Minus etiam illud, Cur potius hæc duo nomina Hebraica quàm alia omnia interpretabatur, si omnia scripta erant Hebraicè? Et quia lingua interpretabatur Hebraica, non opus erat: alia? Non poterat, cum alia non scriberet lingua. Isto enim modo probare possent, nec vetus testamentum Hebraicè, neque Græcè nouum scriptum esse. Nã & in veteri aliquando Hebraica Græcè, sæpe verò Latinè; & in nouo Latinè Græca interpretata legimus. 1. reg. c. 7, 12. ויקרא את שמה אבן העזר *Et vocauit nomen eius Ebenazer.* Septuaginta verterunt addentes nomina propriꝰ interpretationem καὶ ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτῆ Αβενέζερ, ὃ σημαίνει λίθος τῆς βοηθείας, & Gen. 31. 48. *appellatũ est nomẽ eius* גלעד Latinus addit. *id est tumulus testis.* Et Ge. 35. 18. *Et vocauit nomen eius* אבי בן *Benoni* Latinus addit. *id est filius doloris mei,* & rursum, *Pater verò vocauit eum* ימין בן *Beniamin*, addit Latinus, *id est filius dexteræ meæ* Exodi 16. 15. 31. *vocauit nomen eius* הוא מן *Manhu*, Latinus adiecit. *eius quod significat. Quid est hoc.* Et in Apocalypsis c. 9. 11. ὄνομα αὐτῷ ἐβραϊστὶ, Ἀβαδδών, ἐν δὲ τῇ ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει Ἀπολλύων. *Nomen illi Hebraicè Abaddon & Græce nomen habet Apollyon.* addit Latinus interpres. *& Latinè habens nomen Exterminans.* Si Moses Hebraicè scribebat, quomodo Hebraica; si Ioannes Græcè, quomodo Græca nomina Latinè interpretabatur; Istæ igitur interpretationes non auctoris, sed interpretis sunt. Adde quod non est absurdum Hebraica verba Hebraicè scribentem aliis Hebraicis verbis interpretari. Id enim cum aliquot compositum verbum est aut minus vsitatum etiam vernacula loquentes lingua facere solemus. Quale erat nomẽ עזבני quod etiam Hebraicè non solum exponi potest, sed etiam opus est. עזבתני aut עזבני אל &, Eli, Eli lamma sabacthani quod cum Syriacum sit, Hebraicè verti poterat. Quanquam in eo Euangelio quod nunc extat Hebraicè non additur eorum nominum interpretatio; nec hoc dico quòd factũ: sed quod fieri potuisse credã. Probabilius enim esse arbitror huiusmodi etimologias, & explicationes nominum interpretem adhibuisse. Nec id quicquã de scripturæ auctoritate minuit.

CAP. VI.

Cur Euangelistæ scripserunt.

QVo autem consilio, & quibus causis Euangelistæ ad scribendũ adducti fuerint, partim ipsi indicãt, partim nos ex veterum auctorũ lectione cognoscere, & partim cõiectura cõsequi possumus. Lucas c. 1. 1. significat se ad scribẽdũ impulsum quòd videret conatos esse multos Euãgelium scribere, qui parum fideliter id præstitissent. Quod postremum et si apertè non dicit, velle tamen videtur intelligi. Cùm enim dicit se à principio assecutum diligenter omnia ad scribendum accedere; obscurè indicat eos, de quibus loquebantur, nondum satis veritatem assecutos, aggressos scribere. Sed vir nimirũ sanctus maioris esse modestiæ indicauit diligentiam fidémq; suam ad scribẽdam historiã necessariã profiteri, quàm alienã negligentiã, infidelitatemq; reprehẽdere, illo etiã verbo quo vtitur initio ἐπεχείρησαν *conati sunt*; significat eos quos tacitè sub accusat, conatos quidẽ fuisse; sed qꝰ conati essent, minimè perfecisse, vt

vereres

veteres auctores Origenes. homil. 1. in Luc. Ambrosius in Lucæ c. 1. & Augustinus lib. 4. de consen. Euangel. cap. 8. adnotauerunt. Eandem etiam causam cæteros Euangelistas, vt scriberent, impulisse, quamuis non dicant, ex Luca, qui dicit, intelligẽdum est. Aliam causam Ioannes affert, quam etsi alij non afferunt, tamen quia eadem omnium erat mens, cor vnum & anima vna eadem sanctitas credendum est omnibus fuisse communem. *Hæc*, inquit Ioan. 20. 31. *scripta sunt vt credatis, quia Iesus Christus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Tertia causa videtur fuisse, vt auditores, quibus Euangelium prædicauerant, scripto haberent, quæ viua voce loquentes Apostolos audiuerant, ne aut obliuiscerentur, aut secus interpretarentur, quàm dicta fuerant. Nam hanc etiam causam reddit Lucas c. 1. 4 *Vt cognoscas eorum verborum, de quibus, eruditus es, veritatem.* Quod expressius Græcè dixit περὶ ὧν κατηχήθης eorum, quæ viua voce audiuisti. Quarta, vt quod præsentibus prædicauerant, absentibus quoque per scripturam prædicarent. Hoc enim modo. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, vt D. Paulus interpretatur Rom. 10. 18. quum eorum vox breuissimo terræ spatio terminaretur. Quinta vt non solum iis hominibus, qui tunc erant, sed iis etiam omnibus qui futuri aliquando erant, ipsi nõ solum viui, sed etiam mortui Euangelium annuntiarent. Vt quemadmodum mortuis prædicatum erat (dabit enim nobis hãc veniam hæreticus interpres) ita etiam per mortuos prædicaretur. Adeo eius cognitio erat necessaria, vt omnibus in locis, omnibus tẽporibus, omnibus hominibus, & per omne hominum genus esset annuntiandum. Hæ communes sunt causæ, potuerunt tamen singuli alias præterea habere priuatas. Nam Ioannem omnes veteres auctores tradunt hæreticorum causa compulsum scribere. Cum enim Ebionæi Cerinthiani, & Nicolaitæ diuinitatẽ Christi iam negarent, viderétque cæteros Euangelistas minus in ea confirmãda operæ posuisse, ad eam potissimum probandam Euangelium scribendum sibi esse iudicasse. Ita Hieron. lib. de vir. illust. in Ioannẽ, Epiphan. hæres. 51. Augustin. in procœm. in Ioann. Quod quidem cõsilium præter quam quod prisci scriptores docent, non solum ex initio, sed ex toto etiam opere manifestum apparet. Vbique enim Christi diuinitatem sequitur. Et alios Euangelistas suas etiam proprias scribendi causas habuisse existimat, & exponit Epiphanius hæres. 50. & Euseb. lib. 3. Eccles. hist. cap. 24.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHÆVM.

CAPVT PRIMVM.

LIBER generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. 2. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. 3 Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. 4 Aram autem genuit Aminadab Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. 5 Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regem. 6 Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. 7 Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. 8 Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. 9 Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. 10 Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. 11 Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis. 12 Et post transmigrationem Babylonis: Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. 13 Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. 14 Azor autẽ genuit Sadoc. Sadoc autẽ genuit Achim. Achim autẽ genuit Eliud. 15 Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. 16 Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. 17. Omnes ita

Luc. 3. c. 31. Genes. 22. d. 3. Genes. 25. d. 26. Gen. 29. d. 35. Gen. 38. g 29. 1. Par. 2. a 5. Ruth. 4. d. 24. Num. 7. b 12. 1. Reg. 16. 1. Ruth 4 d 1. 1. Reg. 11. f. 24 3. Reg. 11. g 43. 3. Reg. 15. b 5. 2. Par. 26 d. 23. 2 Par. 27 d 9. 2. Par. 28 d. 27

Universidad de Deusto
Biblioteca

que generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quattuordecim: & à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quattuordecim: & à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, generationes quattuordecim. 18. Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. 19. Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam. 20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. 21. pariet autem filium: & vocabis nomen eius IESVM: *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. 22. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: 23. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. 24. Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam. 25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius Iesum.*

2 Par. 32. d. 33.

2 Par. 33. d. 20. & 25.

2 Par. 36. a. 1. 2.

Luc. 7. c. 27.

Luc. 1. c. 31 Act. 4. b. 12.

Isa. 7. c. 14.

IN CAPVT PRIMVM.

Euangeliorum tituli.

EVANGELIVM *secundum Matthæum.*) Hic idem titulus mutato tantùm Euangelistæ nomine omnibus præfigitur Euangeliis. Sunt qui ab ipsis Euangelistis appositum putent, vt libro auctoritatem conciliarent. Et quidem Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Marcionem reprehendit, quod Lucæ Euangelio, quod solum recipiebat, titulum non apponeret. *Marcion* (inquit) *Euangelio scilicet suo nullum adscribit auctorem. Quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus euertere. Et possem hic iam gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat; nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, & professione debita auctoris.* Et perspicuum est semper hunc titulum omnia Euangelia habuisse. Additum autem fuisse ab Euangelistis apud nullum veterem auctorem inuenio, quia Tertullianus superiore loco indicat apponi solitum ab Ecclesia, cum Marcionem reprehendit, quòd non apponat; Et non est sacrorum scriptorum consuetudo, vt ante initium librorum titulos ponant, sed vt vel omittant, vel prima libri verba titulum faciant, Vt, *Visio Isaiæ Prophetæ, Apocalypsis Iesu Christi.* Et titulos illos omnes qui extra libros sunt. *Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Libri Regum, Psalmi Dauid,* & quicunque sunt similes? omnes confitentur non à librorum auctoribus positos, sed à scriptoribus additos. Quod idem credibile est in quattuor Euangeliorum libris accidisse. Certè si Marcus præposuisset hunc titulum *Euangelium secundum Marcum*, non adiecisset statim aliud. *Initium Euangelij Iesu Christi.* Nam hic etiam titulus est. Ipsa quoque titulorum similitudo indicat non ab Euangelistis, sed ab Ecclesia appositos fuisse. Nam si ipsi adhibuissent, non ijsdem omnino verbis vsi fuissent, *Euangelium secundum N.* quemadmodum in alijs etiam cum idem narrant, non ijsdem vtuntur verbis. Indicat etiam Græcorum & Latinorum titulorũ dissimilitudo. Nam Græcè hic titulus est εὐαγγέλιον κατὰ *N.* Latini vero in plerisque codicibus, *Sacrosanctum Iesu Christi Euangelium secundum N.* quòd Græcum titulum Græca; Latinum Latina adiecerit Ecclesia. Nec propterea libri minus habent auctoritatis, quam si titulos ipsi Euangelistæ posuissent. Nam ne ipsis quidem affirmantibus sehos scripsisse libros crederemus, nisi nos Ecclesiæ commoueret auctoritas. Adiuncti autem tituli sunt

A non solum ad adhibendã libris auctoritatem ex auctorum nominibus; sed etiam ad discernenda ipsa inter se Euangelia. Hoc enim est κατὰ ματθαῖον *secundum Matthæum*, id est, prout scriptum est à Matthæo. Quare significatur & alios scripsisse, & non eodem modo. Itaque illud καλὰ non diuersam doctrinam atque sententiam, vt cum Græci Philosophi dicunt, κατ' Ἀριστοτέλην, & κατ' Πλάτωνα, sed diuersos tantum auctores, & modum scribendi diuersum declarat.

1 *Liber generationis.*) Quidam putant non esse hunc totius libri titulum, sed initium solius genealogiæ Christi, quæ sequitur. βίβλον enim librum interpretantur narrationem, vt Hebraicè סֵפֶר Genes. 5. 1. תולדת אדם זה ספר *hic est liber generationum Adam*, id est, hæc est narratio genealogiæ ductæ ab Adam, sicut dicitur תולדת *Liber iustorum, liber Dei*, in quo iustorum nomina notantur factáque recensentur. Exodi 32. 33. Iosue 10. 13. 2. Reg. 1. 18. Alij existimant titulum esse libri, sed sumptum ex eo quod initio narratur, id est, ex Christi genealogia, sicut librum Genesis, id est generationis omnium rerum appellamus, cum solo primo capite agatur de rerum generatione. Hæc interpretatio plures ac meliores auctores habet, in quibus Augustinum lib. 2. contrà Faust. c. 6. Alij & titulum esse dicunt, & non vnam tantum partem, sed totum libri argumentum declarare. Esse enim Hebraismum, quomen תולדה Græcè γένεσις significat non solùm generationem, sed totum etiam vitæ cursum, & vt Hebræi dicunt מקריח quicquid homini accidit in vita quemadmodum Gen. 6. 9. Noë dicitur *perfectus in omnibus generationibus suis*, id est omnibus partibus vitæ suæ: Vt perinde sit, *Liber generationis Iesu Christi*, ac si diceret liber de vita Christi. Quæ interpretatio ideo mihi magis placet, quòd Hebraismo consentanea est, & plenior. Faustus vero Manichæus, qui hoc Euangelium esse negabat, quod non Euangelium, sed *Liber generationis* inscriberetur non solum impius, sed etiam imperitus erat: non intelligẽs totã Christi vitã generationẽ appellari. Cur autem generationis, non generationum dixerit, à nonnullis quæritur, quorum alij respondent, causam esse, quòd cum duas Christus generationes diuinam & humanam habeat, de sola humanitate ageret Euangelista. Nam de diuina sciebat dictum esse Isa. cap. quinquagesimo tertio, 8. *Generationẽ eius quis enarrabit*: sed hoc subtile est. Melius Hieronymus,

quòd quamuis multas Euangelista generationes numerare vellet, vnam tamen quæreret Christi. Adde quod nomen γένεσις singulari numero sæpe sumitur pro plurali γενέσεων septuaginta interpretum more. Nam Genes. 5. 1. vbi Hebræus dixit סֵפֶר תולדת *Liber generationum*, Septuaginta verterunt γενέσεως βίβλος, eodem prorsus modo, quo Matthæus hîc dicit & quod Matthæus hîc dicit βίβλος γενέσεως Hebræus quisquis fuit dixit סֵפֶר תולדת *Liber generationum.*

IESV CHRISTI.) Etsi nomen & cognomen proprium hoc sit Christi, tamen videri potest initio positum vim habere nominis appellatiui, quo excitentur auditorum animi. Nam cum Iesus seruatorem, & Christus vnctum; id est Messiam illum significet, quem tanto Iudæi expectabant desiderio, videtur eorum animos erigere & attentionem beneuolentiamque conciliare, dicens se illius iam optati seruatoris, tamque expectati Messiæ texere historiam, vt apparet ex conclusione. vers. 16. & c. 2. 4. & 16. 16. 20. & 27. 17. 22. & Lucæ 3. 15. & 4. 41. & 22. 67. & 24. 2. 35. 39.

Filij Dauid, filij Abraham.) Tres hîc quæstiones sunt. Prima cur hos potissimum duos ex tam longa parentum Christi serie Euangelista nominauerit? Secunda, cur Dauidem Abrahamo, iuniorem seniori anteposuerit; Tertia, ad quem referatur secundus genitiuus *Filij*, ad Christum, an ad Dauidem;

Ad primam omnes auctores respondent causam fuisse, quod h is potissimum duobus promissio nasciturus ex ipsis Christi facta esset; Abrahamo Genes. 12. 13. & 22. 18. *In semine tuo benedicẽtur omnes gentes.* Quod D. Paulus de Christo intelligendum esse docet Gal. 3. 17. Dauidi vero 2. reg. 7. 12. 1. Par. 17. 11. Psal. 88. 4. & Ps. 131. 11. *Iuranit dominus Dauid veritatem, & nõ frustrabitur eũ de fructu ventris tui ponã super sedẽ tuã.* Nã cõditio quæ sequitur, *Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea quæ docebo eos.* non pertinet ad Christum: quasi Christus regnaturus non esset, si filij Dauid Dei mandata non seruarent; Sed sensus est, si custodierint testimonia eius, fore vt soli regnent, vt euentus interpretatur. Nam quia non seruauerunt, regnum scissum est 3. Reg. 12. 20. & in maiore parte, id est decem tribubus Ieroboam regnare cœpit. Quo minus autem totum regnum à familia Dauidis alienaretur, nasciturus impediuit Christus, *Ne auferretur sceptrum de tribu Iuda, & dux de femore eius, donec veniret qui mittendus erat*, Gen. 49. 10. Et radix Iesse penitus excinderetur, de qua flos ille pullulaturus erat, qui merito Nazaræus vocaretur Isai. 11. 1. Et virga illa quæ ex Sion mittenda erat, vt dominaretur in medio inimicorũ suorũ. Psalm. 109. 2. 3. Reg. 11. 36. & 15. 4. 2. Cor. 1. 20. Et ne parua illa lucerna Dauidis extingueretur, ex qua iustitiæ solem accendi oportebat. Vtẽ omnes promissiones in Christo sunt Amen, inuersúsque est ordo naturæ, & non radix ramum, sed ramus radicem portauit. Nominati igitur sunt initio Dauid & Abraham, quibus Iudæi sciebant factas de Messia promissiones, quas volebat Matthæus docere in Christo completas esse: hoc enim erat Euangelium id est bonum nuntium, quod illis afferebat, Sic Iren. lib. 8. c. 8. & Ambros. lib. 4. com. in Luc. c. 3. & Chrysost. homil. 2. in Matth. & Hieron. in hunc locum.

Ad secundam verò quæstionem, non eandem omnes rationem afferunt. Nam alij causam fuisse dixerunt, quòd cum Euangelista Christum nominasset vellétque ad primum fontem Abrahamum ascendere, Dauidem tanquam fõtem alterum, vnde Christus aqua viua manasset, ascendendo necessario nominauit. Quam opinionem Chrysost. hom. 2. in Matth. recitat, ac refellit, quòd ista ratione eodem modo Matthæus atque Lucas Christi generationem ascenden-

do narrasset, cum constet contrariam eum rationem tenere voluisse. Sed nescio quàm merito. Nam Lucas à Christo vsque ad Deum ascendit; non vt rursus descenderet; sed vt ibi staret. Matthæus à Christo ad Dauidem, & à Dauide ad Abrahamum non numeratis gradibus; sed duobus veluti saltibus ascendit; vt inde rursus ad Christum non saltando, sed gradiendo descenderet. Contra quàm Moses, qui cum è cœlo in terram, quasi saltu vno descendisset dicens, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, rursum à terra in cœlum pedetentim per singularum rerum generationem ascendit, *Terra autem erat inanis & vacua, &c.* Hieronymus ideo factum esse dicit, ne si prius Abrahamum quàm Dauidem nominaret, ei rursus nominandus esset Abrahamus, vt ab eo generationis series duceretur, & iterum à Dauide ad Abrahamum, & ab Abrahamo rursum ad Dauidem redire cogeretur, Filij Dauid. Abraham autem genuit &c. Hæc ratio multis placuit, nec mihi quidem displicet. Sic enim Hebræos loqui solere scio, vt cum res multas numerant, eam, vnde volunt incipere, vltimo loco ponant, vt Gen. 1. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem.* Sed alia ab aliis auctoribus melior affertur, in primisque à Chrysostomo, Theophylacto & Euthymio, quòd etiam si vtrique promissio facta esset: promissio tamen Dauidis, & recentior, & specialior, & honorificentior esset, ideóque Iudæis gratior, magisque omnium ore celebrata. Promissa enim erat Abrahamo filiorum multitudo, quam consequuti iam Iudæi contemnere videbantur. Dauidi verò perpetuum regnum in quod voluenda die rex ille regum succederet, & dominus dominantium, qui saluum faceret populum suum: gentes autem regeret in virga ferrea; & tanquam vas figuli confringeret, quòd in eorum animis tenaciter hærebat. Itaque omnes etiam vulgo sciebant Messiam filium Dauidis esse oportere, Matth. 22. 42. Interrogati à Christo Pharisæi, *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est?* incunctanter respondent, *Dauid.* Turba ipsa populares visis admirabilibus Christi factis dicebat, *Nunquid hic est filius Dauid.* Mat. 12. 23. Et eo Ierosolymitanam vrbem ineunte acclamauit, *Osanna filio Dauid.* Populares etiam homines erant, qui dicebant: *Nonne scriptura dicit quia de semine Dauid, & de Bethelehem castello vbi erat Dauid, venit Christus?* Illud etiam animaduerto, omnes qui à Christo beneficia petebant, solitos eum prius Dauidis filium appellare; vt significarent eum illum esse Messiam, qui populum suum beneficiis esset cumulaturus. Huc illæ spectabant voces, *Miserere mei fili Dauid.* Matth. 9. 27. & 15. 22. & 20. 30. 31. & Mar. 10. 47. 48. & Luc. 18. 38. 39. Hæc eadem causa est, cur quoties Deus promittit se non penitus populum suum deleturum, non propter Dauidem, sed propter Abrahamum, qui radix erat populi, cui perpetuum germen promissum erat, id se facturum dicat, vt Isai. 51. 2. Cum autem regnum se non extincturum dicit; non propter Abrahamum; sed propter Dauidem facturum testetur 3. Reg. 11. 12. 13. 32. 34. & 15. 4. & 4. Reg. 8. 19. 34. & 20. 6. Vocauerat ergo Euangelista Iesum Christum, subiecit statim filium Dauid vt ostenderet se non de quouis Christo sed illo vnico tam expectato agere, qui & filius successor in perpetuum regnum Dauidis futurus erat.

Christus cur filius Dauid.

Ad tertiam quæstionem plerique respondent, secundum genitiuum, *Filij*, ad Christum referri, quemadmodum si Matthæus diceret, Liber generationis Iesu Christi, qui fuit filius Dauid & Abraham. Et quidem ita Hieronymus intéllexit, vt ex eius ad superiorem quæstionem responsione colligitur. Sed quo minus assentiar Hebræorum obstat consuetudo, quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

dubium non est Matthæum hoc loco imitari voluisse
Solent enim illi in recensendis genealogijs vltimum
genitiuum filij ad proximum referre. Cuius rei docti
exemplis non egent. Alij legant exempla Reg. 1. 1. &
1. paral. 4. 37. & 5. 8. 14. & 6. 34. vsque ad versum 50.
At quorsum Dauidem Abrahami filium esse diceret,
cum non Dauidis, sed Christi generatio quæreretur?
Respondeo, factum id esse necessariò, quia cum à Da-
uide ad Abrahamum vellet ascendere, non potuit, nō
dicere Dauidem Abrahami fuisse filium, ne extra
viam ascendere videretur.

1. *Abraham autem genuit Isaac.*) Nec Ismaëlis filij
item Abraham nec Esau filij Isaac factam esse men-
tionem ideirco nonnulli arbitrantur, quòd prauis fue
rint moribus; quos merito Chrysostomus hom 3. in
Matthæum reprehendit, cum in eadem genealogia
etiam adulterarum & mererricum mentionē fieri vi-
deamus. Prætermissi igitur sunt, vt idem Chrysos. &
Theophylact. ait, quia Christus ab illis non descen-
dit. Cur igitur statim inter filios Iacob non solum Iu-
das, à quo Christus genus duxit sed omnes etiam eius
fratres & inter filios Iudæ non solus Phares, sed etiam
Zaram nominati sunt? Summa vtrumq; ratione factū
est, Nam fratres Iudæ ideo nominandi fuerunt, quia
Patriarchæ suæ quisque fuerūt tribus, & quasi duo-
decim populi Iudaici & regni Christi columnæ. Ita-
que in Apocalypsi throno eius adstant. Nominantur
ergo non tanquam Christi parentes, sed tanquam
regni eius & Reipu. conditores. Ideoque non nomi-
natim, vt Iudas, sed generaliter & quasi Iudæ
comites nominantur, vt Chrysost. hom. 3. in Matth.
adnotauit. Zaram autem ideo cum Phares Iudaici
populi mysterium significaretur, quia Phares & Za-
ram vno partu editi sunt. Gen. 38. 27. At ista ratione
etiam Esau cum Iacob fuerat connumerandus. Cry-
sost. Euthym. & Theophylactus propter mysterium
duorum populorum Iudaici atque gentilis, aut sub
duplici lege Mosaica & Euangelica viuentis factum
putant. Sed eadem ratio in Iacob & Esau locum ha-
buisset, eo etiam magis quod hoc mysterium fuisse
scriptura declarat. Genes. 25. 22. 23. Illud autem
non declarat. Veram igitur arbitror fuisse causam,
quod in partu Thamar prior Zaram extra vterum
manum protulit, qua retracta Phares prior exiit. Cō-
tendere enim iam tum in vtero gemelli infantes vide-
bantur, vter primogenitus & Christi parens futurus
esset, vt dubium fuisse videatur vter primogenitus
habendus esset. Itaque voluit Euangelista honorem
illis quodam modo partiri, ita Phares in Christi ge-
nealogia numerans, vt Zaram non penitus exclude-
ret; sed suum illi quod habuisse videbatur ius, quo
vno poterat modo, declarando reseruaret. Magna
enim laus fuit; quin parens esset Christi tam parum
abfuisse. Accidit in Iacob & Esau, simile quiddam.
Nam & Iacob in vtero matris plantam Esau exeuntis
tenuit, quasi prior nasci conaretur; sed non vicit; sicut
Phares, Nec aut naturæ iure aut viribus suis: sed ma-
tris industria Dei gratia, fratris culpa primogituram
obtinuit. Accedit alia ratio cur potius Zaram, quam
Esau fuerit nominandus, quod Esau non solum, quod
ad Christi genealogiam ius habebat; temere vendi
derit; sed etiam se corpore Christi, quod erat Eccle-
sia, magis temerè seiunxerit, & alium populum à
populo Dei, quasi aliam Ecclesiam, hæreticorum mo-
re constituerit.

De Thamar.) ex Thamar. Obseruauit Hieronymus
in tota Christi genealogia, excepta sanctissima eius
matre, quæ necessariò fuerat nominanda, nullam san-
ctarum assumi mulierum: sed eas solum, quas scrip-
tura reprehendit: nominari. Thamar quæ se Iudæ ha-
bitu meretricis exposuit, Rahab, quam scriptura ipsa
meretricem appellat Ruth, quæ ante legitimas nup-
tias Boos ambiuit amplexum, Bersabee, quæ cū Da-
uide adulterium admisit. Cuius rei causam Hieron y-
mus, Ambrosius, Chrysostomus, Eutl ymius fuisse
putant; vt appareret voluisse Christum qui propter
peccata veniebat, de peccatoribus nasci. Quod quo-
modo conueniat cum eo quod paullo infra ver. 8. idē
Hieronymus, & alij omnes auctores docent, no n vi-
deo, Ideo Euangelistam tres Reges. Ochosiam, Ioam
& Amasiam silentio præterisse, quod impietatem Ie-
zabel secuti essent. Quare aliam ego rationem fuisse
arbitror, quòd cæteræ: mulieres & Iudææ, & legitimę
vxores fuerint, ideóque opus non fuerit eas nomina-
ri; quia nemo dubitare poterat, filios quos Euangeli-
sta recensebat, ex illis fuisse procreatos. De Rahab
autem dubitari poterat, quia fuerat meretrix & alie-
nigena, de Bersabee, quia adultera; de Ruth, quia
Moabitis; de Thamar, quia extrà legitimum coniu-
gium conceperat, Prætermisit igitur Euangelista,
quod ordinarium erat, quódque per se intelligi pote-
rat; quod autem singulare ac dubium erat, exposuit,
quod aliis quoque locis ab eo factum animaduerti-
mus, vt infra ver. 25.

5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab.*) An hæc
fuerit Rahab illa Ierichontina, quæ Hebræorum ex-
cepit exploratores Iosue. 2. 1. 2. an alia nominis eius-
dem, auctor operis imperfecti, qui falsò Chrysostom.
dicitur, non audet affirmare, & Theophylactus du-
bitat. Alij omnes, quos legerim, illam eandem fuisse
affirmant: nec ego vllo vllo modo dubito. Nec enim
nominata fuisset, nisi quia alienigena, quia meretrix,
quia de populo dei bene merita. An autem fuerit
meretrix: veterum auctorum nemo quod sciam du-
bitauit, quia constanter omnes meretricem & appel-
lant, & re vera fuisse docent. Nonnulli tamen Hebræi,
vt R. Silon Ios. 2. non meretricem, sed hospitam fuis-
se dicunt, qua cauponariam faceret, ideoque ad eam
exploratores diuertisse. Id enim nomen זונה etiam
significare. Itaque Chaldæum vertisse מבקירתא quod
hospitem declarat. Quam sententiam Lyranus do-
ctus sanè & laboriosus interpres pio, & arbitror, stu-
dio secutus est, vtinámque nostri temporis nouatores
eodem animo secuti essent. Nos, quid de ea re senti-
remus, copiosius eo loco diximus. Nunc hoc tantùm
me nullo prorsus modo dubitare, quin verè fuerit
meretrix, & quia nomen זונה id semper significat,
nunquam verò hospitam Non enim citatur, nisi hic
locus, & alter Ioel. 3. 3. vbi pro hospita accipi videa-
tur. Doctissimi verò inter Hebræos existimant, rēs-
que ipsa declarat, etiam duobus illis locis meretricem
significare. Et quia septuaginta nusquam nisi πόρνην
meretricem vocant, & quia ita D. Paulus Hebræ. 11.
13. & Iacobus c. 2. 25. etiam appellant, & quia Chal-
dæus paraphrastes, cuius isti auctores versionem se-
quuntur, non reddit hospitam, sed meretricem. Nam
apud illum מגדרתא quemadmodum annotauit R.
Dauid, meretricem significat, vt Iud. 11. 1. & 16. 1. & 3.
Reg. 4. 16. & quia vt sæpe iam diximus vna ex causis,
cur hic fuerit appellata, fuit, quòd fuisset meretrix.
At quis credat exploratores ad publicum scortum
potius quàm ad hospitam diuertisse? Respondet Kim-
hi, hospitas meretrices esse solere. Certe meretrices
recipiebant hospitio. Sed alia hinc nascitur quæstio
quomodo, Salmon vnus vt creditur è principibus
populi sui Rahab & alienigenam & meretricem du-
xit? vtrumque lege prohibitum, Exod. 34. 16. Deut.
7. 3. 3 Reg. 11. 2. Deut. 23. 17. Rectè ab alijs responsum
est fuisse quidem meretricem, sed esse desijsse. Alieni-
genas autem non fuisse lege prohibitum vxores du-

Rahab an mere trix.

cere. quod

re, quod alienigenæ essent; sed quod idolatræ, hæc
enim legis ratio redditur. Exod. 14. 16. *ne postquam ip-
sa fuerint fornicata, fornicari faciant & filios tuos in Deos
suos.* Qua sublata causa alienigenas vxores ducere li-
cebat. Nam & Dauidem virum sanctum Maacham
filiam Regis Gessur sine vlla scripturæ reprehensione
duxisse legimus. 2. Reg. 3. 3. quia etsi scriptura non di-
cit, tamen non gentilem adhuc; sed factam prius reli-
gione Hebræam duxisse credendum est. Multo verò
magis credendum Rahab relicto prius falsæ religio-
nis errore à Salmone ductā fuisse cùm id scriptura
non obscurè significet. Hæc enim est confessio con-
uersæ Rahab. Ios. 2. 11. *Dominus Deus vester, ipse est
Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum.* Est autem ve-
ro simillimum, mulierem quamuis prius meretricem
bene tamen meritam de populo Dei, principis viri
coniugio honoratam fuisse. Quodque de Rahab Ie-
rechontina diximus, id etiam de Ruth Moabitide, &
ipsa alienigena intelligendum est, quam etiam scrip-
tura piam fuisse docet. Sic enim respondet socrui. *Po-
pulus tuus, populus meus; & Deus tuus, Deus meus,* Ruth.
1. 16.

Obed autem genuit Iesse.) Hic est pater Dauidis. Ita-
que merito est à quibusdam dubitatum quomodo in
ter Dauidis. Itaque merito est à quibusdam dubita-
tum, quomodo inter Salmonem & Dauidem non ni-
si tres viri Booz. Obeb, & Iesse numerentur, cum
constet trecentos sexaginta sex annos intercessisse.
Templum enim cœptum est ædificari quadrin-
gentesimo octogesimo anno postquàm populus ex-
cesserat ex Ægypto, quarto vero anno regni Salo-
monis. 3. Reg. 6. 1. Deme quatuor annos, quos iam Sa-
lomon post Dauidis mortem regnauerat. 3. Reg. 2. 10.
& septuaginta, quos Dauid vixerat. 2. Reg. 5. 4. & qua
draginta annos, quos populus antequam caperet Ie-
richo in deserto versatus fuerat. (Nam statim vt
Iordanem traiecit Ierichontem cœpit Iosu. 6. 1.) inu-
enies reliquos trecētos sexaginta sex annos. Lyra-
nus, vt hunc nodum solueret, tres Booz eiusdem no-
minis alium continenter post alium fuisse dixit; me
rito ab alijs reprehensus, non solum ex scriptura non
probat; verum etiam quia contrarium scriptura pro-
batur. Nam Ruth. 4. 18. genealogia à Phares vsque ad
Dauidem texitur, at vnus tantum Booz, sicut hoc lo-
co, numeratur. Idem fit. 1. paral. 11. 12. præterquā quòd
si tres fuissent nomine Booz, non iam quatuordecim
in hac tessara decade, sed sexdecim fuissent, generatio
nes. Itaque melius alij respondent, non esse incredi-
bile quatuor homines, eius præsertim temporis, quo
humana vita, siue natura, siue temperantia longius
tendebatur; trecentorum sexaginta sex annorum nu-
merum æquasse. Nam si Salmonem numeres, quem
vero simile est, cum Rahab vxorem duxit, fuisse ado-
lescentem inuenies singulos infra centum vixisse an-
nos, cum illo eodem tempore centum viginti im-
mensis licet laboribus exercitus Moses vixerit. Deut.
34. 7.

6. *Iesse autem genuit,* (Humilis conditionis fuisse Ies-
se constat. Nam Saul opprobrij causa Dauidem fi-
lium Iesse solebat appellare. 1. Reg. 20. 17 10. 31. & 22.
7. 8. 9. 12. & 25. 10. Electus tamen est vt esset radix re-
gni Christi. Exiturus enim erat flos de radice Iesse.
Isai. 11. 1.

Dauid regem.) Dauid, cum multi alij reges nume-
rentur; solus rex cognominatur, quia primus, & quia
perpetui regni promissio illi facta est. 2. reg. 7. 12. &. 1.
par. 17. 11. & Psal. 88. 3. & 131. 11. Nam etsi Saul ante, re-
gnauerat, tamen nec ac Christi genus pertinebat ne
que diuina voluntate, sed intemperati populi studio
electus est: vt non regni Dei, sed Iudæorum rex fuis-
se videatur, quasi ad tempus à Deo concessus, dum
Dauid adoleseceret, quem Dominus sciebat secun-
dum cor suum futurum fuisse; & vt Iudæi sibimetipsi
non ipsis Deus regis iugum imposuisse videretur.

Ex ea, quæ fuit Vriæ. (Mirum statim legenti videtur,
cur Bersabee Euangelista suo nomine non appella-
uerit, sed circumlocutione descripserit. Quod qui-
dam ideo factum fuisse dicunt, quòd Bersabee notior
ex marito, quam ex nomine, suo esset. Quod non ita
est nam Vrias in scriptura rarò, Bethsabee sæpe no-
minatur. Præterquam quod non poterat regis vxor
priuato milite non esse celebrior. Alij quod conscia
fuerit homicidij mariti sui; vt Remigius. Quod neque
credibile est, & ea potius de causa fuisset nominata.
Alij refricare voluisse putant Euangelistam memoriā
adulterij Dauid, sicut supra meretrices nominauit.
Verum causam fuisse existimo, quòd voluerit Euan-
gelista rem, vt erat fideliter narrare, Salomonem sus-
ceptum ex Bethsabee; quæ quamuis vxor ante fuisset
Vriæ, tamen nō erat tum. Sed legitima Dauidis vxor,
cum ex ea Salomon procreatus est, Ne quis Salomo-
nem ex adulterio natum putarer. Itaque ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου
clarius quidam vertendum existimarunt; ex ea quæ
fuerat (vxor) Vriæ Quanquam quod noster dixit in-
terpres, idem significat. Nam si dixisset, ex ea quæ
erat Vriæ, tum, cum ex ea Salomon conceptus est.
Cum vero dixerit, ex ea quæ fuit: satis ostendit fuisse
quidem ante; sed non fuisse tunc cum Salomonem
concepit. Itaque non video cur fuerit à quibusdam
vetus interpres reprehendendus. Etsi vt ante dixi, non
diffiteor clarius esse Fuerat.

8. *Ioram autem genuit Oziam.*) Ioram non Oziam;
sed Ochoziam; Ochoziam autem Ioam; Ioam, Ama-
siam; Amasiam demum Oziam genuisse eum, qui hoc
loco à Ioram genitus fuisse dicitur, ex historia regum
manifestum est. 4. Reg. 8. 24. & 11. 2. & 12. 21. & 14. 21.
& primo par. 3. 11. & 2. par. 26. 1. Ozias autem alio no-
mine Azarias vocabatur. 14. Regum. 14. 21. & par. 3.
11. par. 16. 1. Itaque duæ hinc difficiles quæstiones exi-
stunt: vna, cur Euangelista tres reges Ochoziam,
Ioam, Amasiam in recta genealogiæ linea prætermi-
serit? altera quomodo dicat Ioram Oziam genuisse,
cum Ozias non à Ioram; sed ab Amasia genitus fue-
rit? Ad priorem quæstionem aliqui respondent, ideo
hos tres reges prætermissos, quia propositum erat
Euangelistæ tribus tessaradecadibus totam Christi
genealogiam comprehendere. Quod si eos numera-
set, in hac secunda tessaradecade, non quatuordecim,
sed septemdecim fuissent generationes. Hos autem
potius quam alios prætermisisse, quòd peccatores
fuerint, quippe qui semini Achab regium Iudæ san-
guinem miscuissent. Hæc primum Hilarij & Hiero-
nymi, deinde multorum sententia est. Quæ vtinam
mihi ita probari posset, vt opus non esset meliorem
quærere. Sed vix mihi persuadere possum, Euange-
listam tantum numeri misterio (si quod est tamen
mysterium) tribuisse, vt ob eam causam tres reges pre
terire debuisset. Nam isto quidem modo non tribus
solum tessaradecadibus, sed tribus etiam decadibus,
ac minore etiam numero comprehendere totam ge-
nealogiam potuisset, nec enim peccatores defuissent,
quos merito prætermisisse videretur. Præterquàm
quod nec isti tam mali fuerunt, vt præteriri; nec alij
tam boni vt recenseri mererentur. Nam Ioas & Ama
sias inter bonos reges in scriptura numerantur, qui
rectum fecerint coram Domino. 4. Reg. 12. 2. & 14. 3.
& Salmon puto peiora fecit, idololatriam non solum
vt isti, nō deleuit; sed primus inuexit. 3. Reg. 11. 6. 7. &
4. Reg. 23. 13. Quod autem isti cum domo Achab cō-
ugia copulauerint, male fecerunt; peius tamen fecit

se Salomonem

Universidad de Deusto
Biblioteca

se Salomonem fatendum est, qui non ex familia Achab, qui etsi malus, tamen eiusdem erat populi, & peccati pœnitentiam egit. Tertio Regum 21. 29. sed ex alienigenis, idololatris, non vnam vt isti; sed multas vxores, duxerit, quarum est impietatem imitatus. 3. Reg. 11.2. Neque verum est istos tres reges ex domo Achab vxores duxisse. Nam Ochozias duxit vxorē ex Bersabee, ex qua genuit Ioam. 4. Reg. 12.1. Ioas autem vxorē habuit Ierosolymitanā. 4. reg. 14.2. Amasias similiter ex Ierusalē vxorē habuisse dicitur. 4. Reg. 15.2. Itaque si ob affinitatem coniunctam cum domo Achab aliquis à genealogia excludendus erat; Iosaphat potius erat excludendus, qui primus omnium Achab affinitate dicitur fuisse coniunctus. 2. par. 18.1. & eius filius Ioram, qui filiam Achab vxorem accepit. 4. Reg. 8.18. Malim ergo idcirco exclusos dicere, quod nati essent ex semine Achab. Nam Ioram ex filia Achab Ochoziam; Ochozias deinde Ioā; Ioas vero Oziam genuit. Itaque non propter sua, nec propter patrum suorum, sed propter Achab peccata ex catalogo parentum Christi deleti sunt. Et vt dicam melius, non tam propter impietatem Achab, quam propter promissionem Dei, qui per Eliam Prophetam comminatus illi fuerat se omnem eius posteritatem penitus deleturum. 3. Reg. 21.21. quod vsque ad quartam generationem intelligendum erat, quæ in Amasia terminata est. Nam vxor Ioram filia Achab: prima erat generatio: Ochozias, secunda: Ioas tertia: Amasias, quarta. Quemadmodum è contrario Iehu, quamuis malo etiam regi, quia tamen iussu Domini Achab posteritatem deleuit, Deus posteritatem promisit, quæ vsque ad quartam pro eo generationem regnaret. 4. Reg. 10.30. & 15.12. Non ergo sunt tres isti reges numerati, quia etsi vixerunt atque regnarunt, tamen capite minuti erant; & diuina sententia condemnati, quodammodo ciuiliter mortui. Sic ego interpretor, hac contentus interpretatione, dum meliorem inuenio. Vnum tantum in eo nodum video: quem nemo, quod sciam, hoc loco attigit, nedum soluit: Quod Ochozias non dicatur in scriptura filius filiæ Achab, sed Athaliæ filiæ Amri regis Israel. 4. Reg. 8.26. & 11,1. & 2. par. 22.2.10. Quod si ita est, neque Ochozias, neque qui post eum consecuti sunt Ioas, & Amasias ex Achab genus dixerunt itaque non propterea fuerant de catalogo regum expungendi. Respondeo me existimare Athaliam matrem Ochoziæ, quamuis filiam Amri scriptura vocet, non fuisse eius propriè filiam; sed Achab: vocari autem filiam Amri, id est neptem, Hebræorum non ignorata consuetudine. Nam Achab filius erat Amri tertio Reg. 19.29. Vt autem ita sentiam, his rationibus adducor. Primùm, quod scriptura diserris verbis dicat Ioram accepisse in vxorem filiam Achab. 4. Reg. 8.18. nec legamus illum aliam vxorem habuisse, ex qua Ochoziam susceperit. Deinde, quòd Iehu dum Domini mandato extinguit posteros Achab, inter eos Ochoziam regem Iudæ etiam occiderit 4. Reg. 9.27. minime profecto occisurus, nisi nepos fuisset Achab, cùm nullas cum illo gereret inimicitias. Noluit autem fortasse scriptura Athaliam filiam Achab, sed Amri potius appellare propter execratam memoriam Achab; & ne sibi contradicere videretur, cum doceret omnem eius posteritatem fuisse deletam. Deleti enim erant omnes, qui erant in Samaria. Athalia autem, quæ erat in Ierusalem, per Iehu deleri non potuit. Quæ tamen ipsa sententiam Dei non effugit nam paullo post, cum Ioas eius filius regnum inisset, occisa est 4. Reg. 11. 6. Vt sit, meæ certe sententiæ Hebræos diligentes harum rerum inuestigatores, suffragatores habeo R. Dauid, & R. Le-

A ui B. G. 4. Reg. 8.26. Vnus adhuc hoc loco scrupulus reliquus est; Quomodo dicatur Ioram Oziam genuisse; cum non ipse; sed Amasias eum genuerit? Respondeo verbum gignendi hoc in loco non esse propriè & physicè; sed vulgariter accipiendum. Vulgò autem ita loquimur, Adam genuit omnes homines quamuis non ignoremus non ipsum per se; sed per filios & posteros suos genuisse.

11. *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius.*) Maior est obscuritas huius loci, vt mihi quidem videtur quàm multis videri solet fidem aduersarij nostri faciunt. Nec enim sine causa Porphyrius olim Christianis hunc locum, tanquam inextricabilem obijciebat; vt Hieron. scribit Dan. 1. Iosias rex ille fuit, qui 4. reg. c. 22. & 23. & 2. Par. c. 34. & 35. tantopere laudatur vt dicatur fecisse, quod placitum erat coràm Domino, ambulasseq; in omnibus viis Dauidis patris sui, non declinasse neque ad dexteram neque ad sinistram. 4. reg. 22. & 2. Par. 34. 2. qui templum Domini restauravit. 2. par. 35. 20. legitimum Dei cultum restituit; idololatriam aboleuit, librum legis negligentia superiorum regum perditum per Helciam Pontificem inuenit, 4. reg. 22. 8. & 2 par. 34. 14. Ob cuius mortem tradunt Hebræi lamentationes à Ieremia fuisse compositas, vt eo loco diximus. Huic ergo quatuor fuerunt filij 1. par. 3. 15. Iohanā & Ioachaz appellabatur. 4. reg. 23. 30. 31. Ioacim, Sedecias, qui ante Mathanias dicebatur 4. re. 24. 17. Sellū. Vnde nascitur 1. quæstio quomodo dicatur hoc loco Iechoniam genuisse; cum nemo fuerit inter eius filios; qui Iechonias appellaretur. Multi, ijque graues auctores Ambr. lib 3. com. in Lucam, Epiphan. lib 1. de hære. in secta Epicuræorum, August. lib. 2. de cons. Euang. c. 4. Euthym. hoc loco existimarunt Ioacim filium Iosiæ secundum alio nomine vocatum fuisse Iechoniam: eamque sententiam omnes, quos me legisse memini nostri temporis interpretes & Catholici, & Hæretici secuti sunt; quibus facile assentior, si probassent. At in canonicis scripturis non legimus Ioacim, Iosiæ filium vocatum vnquam fuisse Iechoniam. Vocabatur quidem ante Eliacim. Quartò Regum 2. 4. Sed Nechao rex Ægypti occiso prius Iosia eius patre, deinde vincto Ioachaz fratre primogenito, & Ægyptum ducto, Eliacim regem Iudæ constituit, nomen que illi mutauit Ioacim. Hic filium habuit eiusdem nominis Ioacim, nisi quod nomen patris scribatur per ף & ם סופית Ioacim, nomen filij par ף & ן יוֹיָקִים 4. reg. 24. 6. Atq; hic vocatus est alio nomine Iechonias 1. Par. 3. 16. Ier. 22. 24. 28. & 24. 1. & 27. 20. & 28. 4. & 29. 2. & 31. 1. sed fratres nullos habuit. Nam propterea Nabuchodonosor rex Babylonis, cum eum Babylonem transtulisset, constituit regem Iudæ patruum eius Mathan am, vocans alio nomine Sedeciam. Quarto Regum 24. 17. aliquem potius eius fratrem constituturus, si quem habuisset. Quæ duæ res non solum persuadent; sed etiam impellunt, vt credam, legendum esse hoc loco, *Iosias autem genuit Ioacim & fratres eius*, Nam cum plerique confiteantur corruptum esse locum vnamque, vt post dicemus, generationem desiderari: prudentiæ simul & religionis esse arbitror nomina ad corrigendum locum non fingere, sed ea ex sacris litteris accipere. Fateor libro tertio Esdræ, capite primo, vers. trigesimoquarto. Ioacim Iosiæ filium etiam Iechoniam appellari. Nam & eo loco Euthymius vsus est: ex quo constat eum librum illum Græcè, quo nos caremus, habuisse: nisi fortasse homo Græcus Latina legit, sicut nos aliquando Latini legimus Græca, Sed nec liber Ecclesiasticam habet auctoritatē, & in omnibus codicibus

vitiosè scribitur Iechonias pro Ieconias. Nam si dilatandum nomen fuit, sicut ex Ioachim factus est Iechonias, ita ex Ioacim Iechonias, aut potius Ieconias faciendus erat. Et hoc vitium nominis irrepsit; ita illud potuit irrepere, vt pro Ioacim Iechonias scriberetur. Omnia igitur rectè conuenient, si legamus, *Iosias autem genuit Ioacim & fratres eius*. Quod ex secundæ quæstionis explicatione, quæ hinc oboritur, magis manifestum erit. Meritò igitur omnes auctores mirantur, quî factum sit vt cum Euangelista versiculo decimo septimo dicat se tertiu quattuordecim, id est quadraginta duas ab Abraham vsque ad Christum generationes recensuisse, non nisi quadraginta vna reperiantur.

Itaque secunda quæstio est an aliqua desit generatio. Sunt qui nullā deesse putant; quod non omnes eodem modo probant. Alij enim existimant Dauidem bis repetendum vt sit finis primæ tessaradecadis, & principium tertiæ; itemque Iosiam finem secundæ, initium tertiæ: quod si fiat, & Christus non numeretur, nulla deerit generatio. Euangelistam enim non. 42. personas, sed 42. generationes numerasse. Alij Christum numerant, sed Iechoniam bis numerandum dicunt, patrem qui finis est secundæ, & filium qui principium est tertiæ tessaradecadis, vt Aug. lib. 2. de consensu Euang. c. 4. Idemque Hieronymus videtur significare Dan. 1. Alij ipsam captiuitatē pro vna persona numerandā esse putauerunt, vt refert Theophylactus, itaque nullam deesse. Itaque magis mihi Epiphanij, Ambrosij, Euthymij, & aliorum auctorum ingenuitas placet, qui vnam deesse generationē libere confitentur. Sed quia in prima tessaradecade, quæ ab Abrahamo vsque ad Dauidem texitur, certum est non deesse, & iacturam eius, quæ deest generationis in angulo, quo secunda tertiaque connectuntur, factam esse constat.

Tertia quæstio est, vtrinam, secundæ desit, an tertiæ. Nam si secundam tessaradecadem à Salomone vsque ad Iechoniam illum numeremus, qui hoc loco pater fuisse dicitur Salathielis, tertiæ tessaradecadi vna deerit generatio: si vero Iechoniam patrem Salathielis in tertia tessaradecade numeremus, deerit secundæ. Plerique igitur interpretes in tertia tessaradecade generationem illam vnam deesse putant. Quod eò videtur probabilius, quòd manifestum sit Euangelistam tribus tessaradecadibus, triplicé populi statum, sub iudicibus, sub regibus, sub ducib. comprehendere: Iechonias autem pater Salathielis sub regibus & rex ipse fuit, ad secundam ergo, non ad tertiam tessaradecadem pertinet. Alia vero ex parte, si Iechonias in secunda tessaradecade ponatur, non iam quatuordecim in ea; si Ioacim & fratres eius numeremus, generationes erunt. & Iechoniam patrem Salathielis in tertia numerandum putat. Quare alij non in tertia, sed in secunda tessaradecade generationē illā vnā desiderant. Nam etsi Iechonias rex fuit, tamen post Ioacim patrē, aut potius post Iosiā auum eius tres reges Ioacim, Iechonias, & Sedecias ita regnarūt, vt non reges, sed captiui & serui regis Babylonis esse viderētur. Et nō est necesse vt oēs, qui in prima tessaradecade, sub iudicibus; & oēs qui in secunda sub regibus; & qui in tertia numerātur, sub ducibus fuerint. Nam tēpore Abrahā, Isaac, Iacob, & Iuda iudices nondum erant; & ad primam tessaradecadem imprimis pertinent. Placet mihi media sententia, nec in secūda, nec in tertia; sed in vtriusque confinio deesse. Nam si à Salomone vsq; ad Iechoniam, aut potius Ioacim & fratres eius numeras quattuordecim; etsi à Iechonia patre Salathielis vsque ad Christū alias quattuordecim generationēs inuenies, sed inter vtramq; tessaradecadem desunt hæc verba.

A *Ioacim autem genuit Iechoniam*, quæ ideo ad neutram tessaradecadem pertinent, quia iam Ioacim (aut Ieconias) in secunda numeratus fuerat; & Iechonias statim in tertia numeratus.

Hinc quarta oritur quæstio, qua ratione desit ista generatio: an de industria ab Euangelista prætermissa, an similitudine nominis insinuata, an mysterio, an vitio scribentium præterita? Quot enim quæstionis membra feci, tot opiniones inuenio. Nam aliqui sciēter putāt Ioacim ab Euangelista prætermissum; quòd non à populo, sed à Nechao rege Ægypti regnū accepisset. 4. reg. 23. 34. & 2. par. 36. 4. Ita Pseud. Chrysostomus hom. 1. in Matth. Alij ideo fuisse prætermissum q. cum Iechonias & pater, & filius vocaretur, bis erat à B lectore idem nomen repetendū. Itaque etsi non apparent, tamen duo homines pater & filius sub vno latēt nomine Iechoniæ. Sic Aug. lib. 2. de cons. Euang. c. 4. Addit commodè id quasi in angulo secundæ & tertiæ tessaradecadis factū esse: cum enim alicuius ædificij lapides numeramus, cū ad angulum peruenimus eum lapidem, qui angulū facit, bis solemus numerare. Hoc non nullis placuit, & mihi tanti auctoris nomine cōmendatū non displicet. Tertiam interpretationē idem Aug. affert, mysterium in ea re fuisse, vt Iechonias bis numeraretur; significari enim per Iechoniam factam esse quasi in angulo quandā veluti ad extraneas gentes deflexionem. Epiphan. in secta Epicuræorū, quem recentiores interpretes fere sequuntur, scriptorū vitio C & ignoratione factum affirmat, vt postea hæc verba, *Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis*, hæc interciderint; *Ieconias autem genuit Iechoniam*. Cum enim Iechoniæ nomen quater repeteretur, scriptores ignorantes patrem & filium vocari Iechoniā, putantésque redundare, prætermiserunt. Epiphanio in hoc assentior, vt existimem scriptorum vitio aliqua verba intercidisse, quibus significetur, Ioacim filium Iosiæ genuisse Iechoniam. In eo non assentior, quod non existimo deesse hæc, *Ieconias autem genuit Iechoniam*. (Sed hæc: *Ioacim autem genuit Iechoniam*.) Nam, vt supra probauimus, Ioacim filius Iosiæ nunquam in scripturis canonicis vocatur Iechonias. Itaque totum locum sic restituendum puto. *Iosias autem genuit Ioacim, & fratres eius in transmigratione Babylonis* (quemadmodum Stapulensis affirmat se in antiquo quodam Græco codice. leg. *Ioacim autem genuit Iecboniam*.

Et fratres eius.) Fratres eius nominat, quia etsi non ex illis propagatus est Christus, tamen omnes ferè Christi regnum tenuerunt. Nam Ioachas, quem & Iohanam paullo ante vocatum fuisse diximus, tres regnauit menses. 4. reg. 23. 30. 31. & 2 par. 36. 1. 2. Et Mathanias, cui & Sedeciæ nomen fuit, regnauit vndecim 4. reg. 24. 17. 18. & 2. par. 36. 11. Solus non regnauit Sellum, quia antequam regnare posset, regnum defuit. 4. reg. 25. 7. & Ier. 52. 11. Adde quod & Sellum regnasse indicat Ier. c. 22. 11. vt in com. eius loci adnotauimus.

In transmigratione Babylonis.) Instante transmigratione Babylonica. Nam cum Iosias genuit Ioacim & fratres eius, nondum populus Dei Babylonem migrauerat. Transmigratio enim facta est tertio mense regni Iechoniæ filij Ioacim. 4. reg. 24. 12. & 2. Par. 36. 10. Itaque inter natalem diem Ioacim & transmigrationem triginta sex anni & tres menses interfuerunt. Nam vigintiquinq; annorū erat Ioacim cū regnare cœpisset, & vndecim annos regnauit. 4. re. 23. 36. & 2. par. 36 5. sed totū hoc spatiū vocatur tempus transmigrationis; siue quia cōparatione regni breue est, siue quia regnū Iuda nondū concideratʒ nutabat tamen atque hoc proprie, vt arbitror, est ἐπὶ τῇ μετοικεσίᾳ sub transmigratione, id est paullo ante. Itaq; qui hoc loco vertunt; *In exilio Babylonico*, vt ferè omnes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæretici faciunt; non solum tanquam nouitatis amatores: sed tanquàm mali etiam interpretes reprehendendi mihi videntur. Exilium enim tempus illud significat, quo quis exulat. Itaque in exilio Babylonico Ioachim genitum esse, est genitum esse dum Iudæi exularent, cum Euangelista non tempus exilij, sed ante exilium voluerit designare: quod multo profecto melius nomine transmigrationis intelligitur, quod solum, vt ita dicam, transmigrandi actum significat: & apud bonos Latinitatis auctores: Liuiũ & Tranquillum repetitur. Illud etiam etsi leue est, non tamen prætermittendum non dixisse Euangel. ἐπὶ τῆς αἰχμαλωσίας in captiuitate: sed ἐπὶ τῆς μετοικεσίας in transmigratione. Quia cum bis duæ tribus, ex quibus regnum Iuda constabat, in exilium Babylonicum translatæ fuerint primùm sub Iechonia. 4. Regum. 24. 12. & 2. paralyp. 36. 10. Deinde sub Sedecia. 4. Reg. 25. 8 & Ierem. 39. 7. & 52. 4 prior propriè dicitur Hebr. שבית Græcè μετοικεσία, Latinè transmigratio: non כולה αἰχμαλωσία captiuitas. Secunda vero dicitur, נשבי αἰχμαλωσία captiuitas? Quia in priore Iechonias cum toto populo sponte se dedidit suasu Ierem. Proph. & Babylonem abiit. 4. Reg. 24. 12. In posteriore vero, in qua regnum penitus deletum est: non sponte dediti Iudæi, sed vi capti Babylonem ducti sunt. 4. Regum. 25. 8. & Ierem. 39. 7. quemadmodum Ierem. 29. 1. & Ezechiel. 1. 1. adnotauimus. Quanquam hoc discrimen non semper obseruatur. Nam Esdr. 2. 1. vtrumque coniungitur ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας τῆς ἀποικίας, quia rationem Euangel. seruare viderur voluisse non debuit hæreticus interpres deportationem vertere.

12. *Et post transmigrationem Babylonis.* Tempore exilij in ipsa captiuitate, facta iam populi transmigratione.

Iechonias genuit Salathiel. 1. paralyp. 17. 18. Iechoniæ octo filij numerantur, quorum natu secundus dicitur Salathiel. Alits quoque multis locis Salathiel Iechoniæ filius appellatur. Agg. 1. 1. 2. 14. & 2. 3. 24. & libr. 1. Esdræ. 3. 2. 12. 1. Scrupulum tamen iniicit, quod legimus apud Ierem. cap. 22. 30. *Hæc dixit Dominus Scribe virum istum sterilem* (loquitur autem de Iechonia. *Virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Sed iam eo loco respondimus, non vocari Iechoniam sterilem, propterea quod nullos liberos habuerit, cum ex eodem Ieremiæ capite versiculo vigesimo octauo, filios habuisse constet; sed quia nemo ex eis regnauit, quod attinet ad regni successionem, perinde fuit, ac si fuisset sterilis. Alius restat scrupulus, quomodo potuerit Iechonias in ipsa captiuitate filios procreare, cum in carcere vinctus fuerit. Respondeo Euilmerodach filium Nabuchodonosoris mortuo patre eduxisse è carcere Iechoniam; & regio habitu habuisse. 4. Regum. 25. 27. 28. & Ierem. 52. 31. trigesimo septimo anno transmigrationis, quo tempore liberos genuit, qui ideo in terram, quam ignorabant, proiecti fuisse dicuntur Ierem. 2. 28. quia in ea captiui nati sunt. Nam tempore transmigrationis Iechonias vxorem habebat. 4. Regum 24. 15. tamen credibile est nondum filios habuisse. Alioqui Nabuchodonosor non Matthaniam eius patruum: sed aliquem potius ex eius filiis regem pro ipso constituisset. 4. Reg. 24. 17. & 2. paralyp. 36. 19. Hæc etiam ratione fieri potuit, vt eius nepos Zorobabel filius Salathielis vsque ad templi restaurationem vixerit, & rediens ab exilio princeps fuerit. 1. Esdræ. 3. 2. & 5. 1. & 1. 2. 12. 1. Ita omnis benè constat historia.

16. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ.*) In hunc locum totam de Christi genealogia disputationem, & quæ de concordia duorum Euangelistarum Matthæi & Lucæ dici solent, reseruauimus. Cuius summa nos difficultas, si paullo longiores fuerimus excusabit. Hoc enim consilio solemus res faciles aut præterire, aut leuiter attingere, vt liceat nobis in difficilibus esse longiores. Premebant olim hoc loco Christianos non tantum Iudæi, verum etiam gentiles, qui aliquam sacrarum litterarum cognitionem delibauerant, Celsus apud Originem libr. 2. Iulianus, Augustinus apud Cyrillum Alexan. libr. aduersus illum. 8. Prima quæstio quæ sese statim lectori offert, est illa quæ ab illis Ecclesiæ hostibus obiiciebatur. Si Christus non fuit filius Ioseph (vt re vera non fuit) quid attinet ad illum Ioseph genealogia iam inde ab Abrahamo & Dauide deducta? non enim Ioseph, sed Christi genealogia quærebatur. Omnes veteres Theologi vno ore respondent Ioseph & Mariam Christi matrem eiusdem fuisse tribus atque familiæ: itaque dum Euangelistæ Matthæus & Lucas Ioseph genealogiam recensent, Mariæ quoque ac proinde Christi recensent. Ita Iren. libr. 3. capit. 18. Tertullian. libro contra Iudæos. Athanas. in epist. ad Epictetum aduersus hæreticos, Ambros. lib. 2. de pœnit. cap. 8. & lib. 3. comment. in Lucam, Augustin. in qq. in lib. Iud. q. 47. & in qq. ex nouo Test. q. 86. & lib. 23. contra Faustum. c. 3. & 4. Hieron. hoc loco, Gregor. Nyss. in oratione de sancta Christi natiuitate, Iuuencus poëta, Eucherius in qq. in nouum Test. Damasc. 4. lib. de fide. cap. 15. Id aduersarij Iudæi, Iulianus, Celsus, Porphyrius, Faustus negabant rationemque afferabant, quòd Mariam Dei matrem ex tribu Leui fuisse constet. Erat enim cognita Elizabeth vxoris Zachariæ, Lucæ 1. 36. quæ erat ex filiabus Aaron. Luc. 1. 5. non ergo erat ex tribu Iuda, multóque minus ex familia Dauidis, ex qua erat Ioseph. Nostri contrà certissimis testimonijs B. Mariam Christi matrem ex familia Dauidis, exque tribu Iuda esse demonstrabant. Ipse enim Euangelista Matthæus, qui c. 1. 18, 20. docet Mariam nõ ex Ioseph sed ex Spiritu sancto Christum concepisse ver. 1. vocat eum filium Dauidis, *Liber generationis Iesu Christi filii Dauid*; non poterat autem filius esse Dauidis, nisi per matrem, cum patrem hominem non haberet: erat ergo mater ex domo Dauid. Præterea Lucas cap. 1. ver. 35. dicit Christum ex virgine Maria sine viro ex Spiritu sancto conceptum; & c. 3. 23. putatum fuisse, id est, non fuisse filium Ioseph, versu vero. 32. eiusdem 1. cap. dicit idem Angelus, *Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris sui.* sit ver. 69. Zacharias canit, *Et erexit cornu saluetis nobis, & in domo Dauid pueri sui.* Et c. 2. 4. scribit Ioseph & Mariam ascendisse ex Galilæa in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, & ibi describerentur, quòd essent ex familia Dauid. In cæteris vero libris noui Testamenti passim non à turba populari, sed ab Apostolis dicitur filius esse Dauidis. Rom. 1. 3. 2. Timoth. 2. 8. Apocal. 22. 16. Quo ergo modo Maria cognata erat Elizabethæ ex filiabus Aaron? rectè respondet August. quæst. 47. in lib. Iud. aliquem ex tribu Iuda & familia Dauidis aliquam ex tribu Leui vxorem duxisse, vnde Beata virgo Maria originem traxerit. Nam ne illi quidem ipsi, qui Beatam Virginem non ex tribu Dauid, sed ex tribu Leui fuisse dicunt; negare possunt illam nupsisse Ioseph, quem ex tribu Dauid fuisse non negant. Quo autem modo fieri potuerit, vt inter diuersas tribus coniugia miscerentur, paullo post dicam. Hactenus constet Euangelistas, dum Ioseph genealogiam narrant, etiam Maria genealogiam recensere.

Cur S. Ioseph genealogia dicta caiur.

B. Maria ex tribu Dauid.

Itaque

Itaque restat secunda quæstio, cur non potius ad Mariam, quàm ad Ioseph genealogiam deduxerint; cum id fuisset nihilo difficilius, & ad genus Christi intelligendum multo clarius. Qui respondent, Euangelistas multorum opinioni seruire voluisse, qui vt ait Lucas. c. 3. 2. Christum filium Ioseph esse arbitrabantur & iniuriam Euangelistæ faciunt; & non videt non debuisse eum ista ratione de Spiritu sancto non ex Ioseph conceptum dicere. vers. 18. 20. 25. Veteres ergo illi eius rei duas rationes reddiderunt. Alteram, quòd non fuerit Hebræorum consuetudo genealogias per mulieres ducere. Quod vt est certum, ita ad soluendam quæstionem non satis est. Poterat enim genealogia vsque ad Mariam per viros de more duci: Maria vero sola quia præter consuetudinẽ ex Spiritu conceperat, præter consuetudinem numerari. Itaque hanc rationẽ, quæ sola non sufficiebat, altera ratione corroborabant, legem fuisse. Numer. 36. 6. 7. vt ex sua quisque tribu vxorem duceret, ne hæreditates ab vna tribu in aliam auerterentur; quam legẽ à Ioseph, cùm vir esset iustus, fuisse seruatam. Sic Hieron. Ambros. August. Eucherius, Damasc. iis locis quos supra designauimus. Iudæi tamen & qui hoc tempore, quo maximè incredulitas regnat ingenij magnitudinem incredulitate metiuntur in hac ratione non acquiescunt. Eam enim legem ne à iustissimis quidem hominibus seruatam fuisse. Nam parentes Mariæ sanctissimæ Christi matris iusti erant tamen cũ ipsi essent ex tribu Iuda, cum tribu Leui connubia iunxerunt, & Iud. 21. 1. vndecim tribus iurant se tribui Beniamin filia suas nuptui non daturas propter insigne facinus, quasi & tũc inter se, & antea illi publicè aliæ aliis darent. Iustus etiã erat Dauid, tamen cum ipse ex tribu esset Iuda & Saul ex tribu Beniamin. 1. reg 9. 1. Michol. filiã eius duxit. 1. reg 8. 27. Iustus Ioiada sacerdos ex tribu Leui, filiam tamen Ioram regis ex tribu Iuda in matrimonium accepit. 2. par. 22 11. Adde quòd ea lex non intelligebatur, nisi de mulieribus, quæ cum fratres non haberent, in hæreditatem succedebant. vt Ambr. etiã interpretatur lib. 3. in Luc. tunc enim non licebat illis alterius tribus viro nubere, ne paterna hereditas in aliã tribum traduceretur. Hæc enim ratio redditur legis. Quare non satis est legem allegare & Ioseph ac Mariæ parentes probare iustos, sed necessarium præterea est docere Mariã Virginem hæredem fuisse, vt non potuerit extra tribũ suam nubere. Quod ex sacris quidẽ litteris non constat: si constaret, tamen non satis esset, vt ea in qua versamur, quæstio solueretur. Quid enim? sit B. M. ex eadem tribu; an propterea sequitur ex eadẽ esse familia? q, tamen video multos interpretes non animaduertere. Itaq; respondeo, legẽ illam eiusq; interpretationem verã esse, ideoq; coniugia illa, quæ proferuntur ab aduersariis, inter diuersas tribus fuisse copulata, quòd in illis ratio legis locum nõ haberet, sed adeo notũ vulgo fuisse Ioseph & Mariã non ex eadẽ modo tribu, sed ex eadẽ prorsus esse familia, vt Euangelistæ non dixerint. Illud etiã addo, existimare me B. Virginem Ioseph tanquam maximè omniũ propinquo, non solum sponte, verũ etiam necessitate legis traditã fuisse. Credo enim legem illam Num. 36. 6. 7. non solum de eadẽ tribu, sed etiã de eadẽ familia intelligi debere; vt, cũ mulier aliqua paternæ hæreditatis sola hæres esset, non posset nisi eiusdẽ familiæ viro, & quidẽ propinquissimo nubere. Adducor autem ratione legis, quæ propterea prohibebat extra propriã tribum nubere, ne hæreditates, quæ Dei arbitrio inter eas tribus æqualiter fuerant distributæ, Ios. 19. perturbarẽtur. At eadẽ ratio in singulis familiis locum habebat, quę in eadẽ quoque tribu equales terrę portiones acceperant. Hoc enim est, quod tam sæpe dicitur. Ios. 10. per cognationes suas. Certe Hilar. can. in Matt 1. Mariam ex lege Ioseph nupsisse affirmat, & Eucher. 9. 2. in Matth. & Theophyl. & Euth. in comm. legem non de eadem tantum familia interpretantur. Sed quid opus est coniecturis, aut testibus, cum scriptura ipsa vtrumque doceat? Sic enim est Hebraicè

כבישראל לאחדמשפחת משה אבות תחו וגבל בת ישית
לשבן לאשת ירש בני ישראל איש בחלת אבתיו נחלת ממשות

Omnis filia hæres hæreditatis ex tribubus filiorum Israël, vni ex familia tribus patris sui erit in vxorem, vt possideat filij Israël vnusquisque hæreditatem patrum suorum.

Nullos enim eam fratres habuisse, non ex traditione tantum; sed ex sacris etiam litteris manifestum est, quæ eius, si quos habuisset, fratres non tacuissent. Hæc igitur omnia fecerunt, vt Euangelistæ contenti fuerint Ioseph genealogiam demonstrasse, quam certum ac notum erat eandem esse Mariæ. Atque in hac re Matthæus Lucásque consentiunt. Veniamus nunc ad ea, in quibus videntur dissentire. Quæ multa sanè sunt. Primum, quòd Matthæus Ioseph filium Iacob, Lucas Heli fuisse dicat. Secundum, quod à Ioseph vsque ad Zorobabel Lucas diuersos prorsus Christi parentes numerat atque Matthæus. Tertium, quòd Matthæus à Ioseph vsque ad Zorobabel non numerat, nisi nouem, Lucas vero duodeuiginti. Quartum, quòd Matthæus dicat Salathielem filium fuisse Iechoniæ; Lucas Neri. Quintum, quod à Salathiele vsque ad Dauid alios rursus Lucas, quam Matthæus recenseat; & Matthæus per Salomonem, Lucas per Nathan ad Dauidẽ perueniat. Sextum, quòd Matthæus consistat in Abraham; Lucas ad Adam & ad Deum vsque perueniat. Octauum, quòd Matthæus à parentibus ad filios descendendo; Lucas ad filiis ad parentes ascendendo progrediatur. Quod ad primum discrimen attinet, August. lib. 2. qq. Euangel. q. 5. & lib. 2. de consensu Euang. cap. 2. & 3. tribus modis respondeti putat posse; primo, Heli apud Lucam patrẽ dici Ioseph, non quòd pater, sed quòd socer esset, patérque B. Virginis. idem qui Ioachim alio nomine vocari soleat: Iacob autem, quod verè pater esset. Quæ responsio nec Augustino displicet: & nonnullis aliis valde placuit, vt auctori libelli de ortu B. Virginis falsò inscripti Hieronymo, & recentioribus valde multis. Mihi quoque placeret, nisi viderem Euangelistas verum Iosephi genus describere voluisse. Illam subtilitatem probare non queo, qua vir quidam ætatis nostræ sanè per quàm eruditus scribit, cum Lucas dicit de Christo; *Filius, vt putabatur, Ioseph qui fuit Hely*; relatiuum, *qui*, non ad Ioseph. sed ad Christum referendum; vt sit sensus, qui Christus fuit filius, id est nepos Heli. Quod si verum esset, nullus quæstioni locus relinqueretur; sed quis non videt esse coactum. Secunda igitur Augustini responsio est, Ioseph vnius quidem natura, alterius autem adoptione filium fuisse. quemadmodũ Ephraim & Manasses cum natura filij essent Ioseph illius patriarchæ; adoptione tamen filij fuerunt Iacob, ideoque suam quisque tribum, sicut cæteri eius filij effecerunt. Genes. 48. 56. Probabile hoc est. pro que vero teneri potest, si aliud repertum non esset probabilius. Tertia est, Ioseph filium fuisse alterius naturalem; alterius legalem; Iacob enim & Heli fuisse fratres. quorum alter ducta vxore sine liberis decessisset; alter vt lex iubebat Deuteron. 25. 5. ex ducta vidua Iosephum suscepit; qui propterea nunc illius, qui verè ipsum genuit; nunc illius. ex cuius vxore genitus est, filius appelletur. Hæc interpretatio ab ipsis, vt ait Africanus, Christi cognatis accepta & ab eodem Africano in epistola ad Aristidem exposita summo ab omni antiquitate consensu probata est, à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iustino.q.ad orthodox.66.ab Eusebio lib.1.hist. Eccleſiaſt.c.7.ab Hieronymo in comment.in hunc locum,ab Ambroſ.lib.3. in Lucam, ab Eucher.q. 3. in Matthæum.à Damaſceno,lib. 4. de fide.c.15. à Beda in Lucam cap.10. à Theophylacto in Lucam.c.3.quo magis mirum eſt vni non fuiſſe probatam Aug.lib.2. qq Euang.q.5. Quanquam is ipſe eam quoque ſub finem vitæ doctior probauerit lib.1.retract.c.7. Nemoque de ea poſtea dubitauerit donec Euangelium noſtri inuenerunt,quia omnia,quæ in Euangelio eſſent,quaſi altioris ingenij homines in dubium reuocarent. Eorum enim quidam hanc totius antiquitatis opinionem ſomnium,delirium, monſtrum appellat. Legem enim illam non niſi de fratribus eodem patre natis, ſimulque habitantibus intelligendam; Iacob autem & Heli diuerſos conſtat patres habuiſſe,Iacob enim patrem habuit Nathan, Matthæi.1.15.Heli verò Natthat Luc.3.24. Non ſolere legales filios legalium parentum; ſed naturaliũ filios appellati,debuiſſe,qui ea lege ex fratre natus eſſet,demortui fratris nomen gerere. At nos ſcripturæ credimus, quæ & verbis,& exemplis docet legales filios legalium parentũ nomine cenſeri. Quid enim Deuteronomij lege clarius? *Quando habitauerint fratres ſimul,& vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit,vxor defuncti non nubet alteri; ſed accipiet eam frater eius,& ſuſcitabit ſemen fatri ſuo,& primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit,vt non deleatur nomen eius ex Iſrael.* Quid illo manifeſtius exemplo Gen.38.9.*Onam autem ſciens non naſci ſibi filios introiens ad vxorem fratris ſui ſemen fundebat in terram,ne liberi fratris nomine naſcerẽtur.* Quid quòd ipſi quoque Saducæi ſeptem,id eſt quotquot eſſent fratres eandem vxorem ducere debere intelligebant, quoad primogenito liberos procrearent?Matt.12.22. Quid quòd Booz non frater, ſed cognatus,diues & ſenex,nec ſimul habitans,tamen legem ſeruet,Ruth mulierem alienigenam,& pœnè mendicam vxorem ducit?Ruth.4.10.& qui inde natus eſt filius nõ Booz, non Ruth,ſed Noëmi matri defuncti natus eſſe dicitur?Ex quo vno exemplo intelligimus,neque neceſſarium fuiſſe,vt fratres eodem patre nati eſſent,nec vt omnino propriéque fratres eſſent;ſed frattum nomẽ ad cognatos omnes extendi,qui ad defuncti hæreditatem ius aliquod haberent;quã adire niſi eius vxore ducta non poterãt.Ruth.4.5. Intelligimus etiam non fuiſſe neceſſarium,vt ſimul,id eſt in eadem domo,aut eodẽ etiam oppido habitarent;primus enim maritus Ruth longè à patria vxorẽ duxerat,ac mortuus erat: ſed vt hæreditates ad eandem familiam pertinerent; non debuiſſe natũ filium legalis patris nomen gerere, quod Auguſtinum aliquando fefellit,nec enim filius Ruth helion vt legalis, nec Booz vt naturalis pater; ſed Obed vt neuter appellatus eſt: ſed iubetur frater primogenitũ filium demortui fratris nomine nuncupare,id eſt non ſuum,ſed fratris ſui cenſere filiũ quod tandẽ animaduertit Auguſt.in lib.quæſt.in Deut.q.4. & lib.2.retr.c.7.Quiſquis ergo tot tãtorumq; auctorum non contentus ſententia aliã quærit, videat ne peiorẽ inueniat.Nos quidẽ in ea penitus conquieſcimus. Quæri autẽ ſolet vternam Iacob an Heli Ioſephi fuerit naturalis pater.Nonnulli Heli naturalem,Iacob legalem patrẽ fuiſſe dicunt,vt inter veteres Ambroſius.& alij quorũ Augu.meminit.in qq.nou.teſt.q.56. inter poſteriores multi;ſed maioré partẽ hæretici,qui à via regia libenter deflectunt. Omnes alij iis locis, quos paullo ante demonſtrauimus, Iacobũ naturalẽ, Heli legalẽ patrẽ fuiſſe putãt. Nathan enim,qui apud Matthæum patet Iacob,& Matthat,qui apud Lucam pater Heli fuiſſe dicitur,eandẽ vxorem habuiſſe,quã vno mortuo viduã,aut ab eo adhuc viuente repudiatã alter duxerit: ex qua Nathan Iacob; Matthat Heli ſuſceperit. Itaque Iob & Heli fratres eadem matre, (quam Heſtam vocatam tradunt) non eodem patre natos fuiſſe; Heli ducta vxore ſine liberis mortuum, Iacob ex lege ex vidua Ioſephum genuiſſe.Quam ego ſententiam, & quia plures.& quia meliores auctores habet, & quia firmioribus rationibus nititur, longè probabiliorem duco. Manifeſtum enim eſt voluiſſe Matthæum facta ſtatim in exordio mentione Dauidis continuationem regij generis vſque ad Chriſtum demonſtrare. Quod multo melius probabitur, ſi Iacob naturalis,quàm ſi legalis pater ſit.Deinde,quia vt Africanus & Auguſtinus adnotauerunt, Matthæus de induſtria gignendi verbo vſus; Lucas de induſtria videtur abſtinuiſſe. Quod etſi neceſſarium non eſt argumentum probabile tamen eſt,quia Matthæus prior ſcripſit, neget licet hæreticus interpres: & credibile eſt, qui prior ſcripſerit,naturalem patrem: qui vero poſterior legalem naturali iam nominato,nominare voluiſſe. Secundi autem inter duos Euangeliſtas diſcriminis tres rationes afferri ſolent.Nam alij propterea Lucã à Ioſeph vſque ad Zorobabel diuerſos quàm Matthæum Chriſti parentes nominaſſe videri putant, quòd binomij fuerint; & vnum Matthæus nomen; Lucas alterum expreſſerit quod & Philonis auctoritate confirmant. Ego,vt non negauerim multos fuiſſe binomios, ita omnes fuiſſe ægrè, repugnantéque iudicio conceſſerim: quod tamen concedat neceſſe eſt, quiſquis Euangeliſtas vult iſta ratione conciliare, cùm non pauci aliquot, omnes diuerſi nominentur. Alij reſpondent ideo diuerſos à diuerſis Euangeliſtis recenſeri; quòd Matthæus regale Chriſti genus, Lucas ſacerdotale narret. Sic exiſtimat Auguſtinus lib. 83.qq.q.61.& lib.1.de conſenſ.Euangeliſtarum c. 2. & Ambr. lib.3. in Lucam, & Iulianus Pomerius & libro aduerſus Iudæos. 3. multique hodie. Quorum mihi ſententia ideò non probatur, quia non conſtat Chriſtum ex tribu Leui ſacerdotalis aliquid generis habuiſſe: quin viri nonnulli inſigniter docti atque Catholici id noſtro tempore præcisè negauerunt; quòd Diuus etiam Paulus toto ſeptimo capite epiſtolæ ad Hebræos negare videatur. Quod autem dicitur Luc.1.36. Beatam Virginem cognatam fuiſſe Elizabethæ, quæ erat ex genere Aaron verſiculo 5. facile probabilitérque interpretantur patrem aut auum aliquem Elizabethæ ſacerdotem ex tribu Leui vxorem aliquando duxiſſe ex tribu Iuda & familia Dauid, ex quo coniugio nata fuerit Elizabetha cognata Beatæ Virgini ea ex parte qua ex familia Dauid; non ea qua ex tribu Leui genus ducebat, & quidem Ambroſius non alia ratione Elizabetham Mariæ cognatam fuiſſe interpretatur lib. 3. in Lucam, quam quòd ex tribu Iuda vtraque eſſet. Deinde quia ex omnibus iis, quos Lucas parentes enumerat, neminem ſacerdotem fuiſſe legimus. Quod ſi ſacerdotale genus recenſebat; ſacerdotes in primis debuit nominare. Alij ergo propterea diuerſos parentes numerari putant, quod vnus Euangeliſta naturalem, alter legalem Chriſti originem enarret. Quorum etſi genere vna videtur eſſe ſententia, ſpecie tamen & explicatione eſt tripartita. Nam ex illis alij dicunt. Matthæum naturalem, Lucam legalem originem exponere, quod ille eam per Salomonẽ naturalem Dauidis filium,hic per Nathan adoptiuum ducat.Quam opinionem vnde Lyranus hauſerit non intelligo. Nam ſcriptura Nathan non legalem,ſed maximè naturalem filium Dauidis facit.2.Reg.5.14. & 1.par. 3.5. Nec monerem Nathan illum, cuius Lucas mentionẽ facit,non illum fuiſſe prophetam à quo Dauid ob patratum adulterium & homicidium correptus eſt.

Elizabetha ex eadem tribu & familia cognata Beatæ Virgini.

2.reg.12.2. niſi ſcirem ita locutum aliquando Auguſtinum lib.83.quæſt.q.59.& l.2.de conſen. Euang.c.4. vt eundem hominẽ fuiſſe colligere ex eo quis poſſit: quod tamen alio loco idem admonuit,nempe l.1. Retract.c.26.& l.2. cap.16. Alij contra Lucam naturales, Matthæum legales patres numerare putant ideoque pauciores apud Matthæum eſſe,quam apud Lucam; quod legales pauciores ſemper, quàm naturales eſſe ſoleant. Legales autem parentes, quos Matthæus commemorat,dici volunt,quòd ſucceſſio Salomonis in Ochozia rege defecerit 4.reg.9.27. Ioas enim,qui poſt eum regnauit 4.regum.11.12.& 2.par.23.11.quamuis filius dicatur Ochoziæ,non fuiſſe tamen eius filium,verum quia ex genere Dauid per Nathan originem trahebat, & Ochoziam proximo attingebat gradu,eius vocati filium: In Hebræorum commentariis memoriæ proditum eſſe Dauidem,quaſi teſtamento,conſtituiſſe, vt ſi quando Salomonis ſoboles extingueretur; ad poſteros Nathan regnum deuolueretur. Ita hæreticorum ſentit magiſter abſurdámque ſententiam abſurdioribus probat argumentis; Probabile eſſe, Athaliam mulierem dominandi cupidam ideo regnum ludæ occupaſſe, ne in ordinem redacta in alienam domum tranſlatum videret; quod ſi Ioas filius fuiſſet Ochoziæ,id eſt nepos.Athaliç,libenter eam eo prætextu vſuram fuiſſe,vt regnum nepotis nomine gubernaret. *Ecquis,* inquit,*mediocri iudicio præditus credat naturalem regis filium potuiſſe à ſacerdote Ioiada abſcondi,vt non magis ſolicite eum auia quæreret?* Hæc,vt dixi, ſententia non ſolum, quia minimè bonos habet auctores; verum multò magis quia ſacris litteris repugnat, abſurda mihi ſemper viſa eſt. Si enim Ioas ſemel tantum filius regis appellaretur, poſſemus interpretari filium regis appellari, quòd ex regio Dauidis genere originem duceret; ac ius haberet ad regnum; nunc autem cum tam ſæpe non regis,ſed ipſius Ochoſiæ filius appelletur.4.reg. 11.2.& 13.1.& 14.13.& 2.par.22.11. quis non credat filium fuiſſe Ochoziæ, niſi Caluinus? Quid quod 1. par.3.11.vbi poſteri Dauidis per Salomonem recenſentur,Ioram genuiſſe dicitur Ochoziam, ex quo ortus eſt Ioas? Quod ergo dicit. *Athaliam dominationis cupidam propterea hæredes regni extinxiſſe, ne in ordinem redacta regnum in alienam domum tranſlatum videret:* falſum omnino eſt. Tantæ enim ambitionis & crudelitatis eam fuiſſe ſcriptura ſignificat; vt proprios Ochoziæ filios,id eſt nepotes ſuos trucidauerit; non ne in ordinem redigeretur,ſed vt regnaret. Nec enim nepotis nomine contenta fuit ambitioſa mulier Iezabelis filia regnum adminiſtrare; ſed ſuo ipſa nomine regnare voluit. *At quis credat regis filium à ſacerdote Ioiada occultari potuiſſe?* Reſpondeo, quis credat hæredem regni,cùm Athalia omne ſemen regium delere vellet, occultari potuiſſe? Nam ſcriptura certè Ioam eiuſdem generis & gradus facit cũ cæteris,qui occiſi ſunt.4.reg.11.1.& 2.par.22.10. *Tollens autem Ioſaba filia regis Ioram ſoror Ochozie Ioas filium Ochoziæ furata eſt eum de medio filiorum regis,qui interficiebantur,& nutricem eius de triclinio,& abſcondit eum a facie Athaliæ,ne interficeretur.* Fingamus eos, qui occiſi ſunt,non Ochoziæ filios; ſed tamen hæredes regni. Quomodo eos Athalia occidit; Ioas verò,qui eodem erat gradu,non occidit, niſi quia aut falſo rumore nuntio cum aliis occiſum putauit; aut quia quantumuis magna quærens diligentia inuenire non potuit? Quis credat infantem Moſem crudeliſſimi Pharaonis edictum matris occultatione effugere potuiſſe? At Moſes priuatus erat. Quis credat Chriſtum regni hæredem,& futurum Magorum prædictione regem,Herode retinendi regni cauſa omnes infantes trucidante,latere potuiſſe? At id diuina factũ eſt prouidentia. Quaſi vero Dauidis regnũ ſine diuina prouidentia; ac non potius Dei fide & veluti tutela conſeruatum ſit.3.reg 11.12.& 13.32.34.& 15.4.& 4.reg. 8.19.& 18.34 & 40.6. Sed iſti, vt opinor profanis ſcriptoribus Remum & Romulum primos Romani imperij conditores,& Cyrum Perſarum atque Medorum futurum regem latuiſſe vſque ad multam ætatẽ affirmantibus credunt: ſcripturæ vero filium regis latuiſſe dicenti non credunt. Reliqua igitur eſt tertia ſententia, quæ mihi maximè probatur; Matthæum naturales; Lucam legales patres recenſere,non quod omnes,quos Lucas commemorat,legales ſint Id enim abſurdum profectò mihi videtur;ſed quod Matthæus Iacob,qui naturalis; Lucas Heli, qui legalis Ioſephi pater erat maiores numeret.

Caluinus in Harmonia.

Tertium inter Euangeliſtas diſcrimen variè eriam à diuerſis auctoribus explicatur. Illis quos paullo ante refutauimus facile reſpondent,ideo pauciores à Matthæo plures à Luca progenitores Chriſti numerari; q Lucas naturales, Matthæus legales numerer, qui pauciores quàm naturales eſſe ſoleant. Sed hæc ſolutio quamuis facilis ſit, quia falſo nititur fundamento ſtare non poteſt. Multo minus Ambroſ.lib.3. com.in Lucam & Aug.lib.1. quæſt.in Gen.q.121.credibile eſſe eos,quos Matthæus,quàm eos,quos Lucas enumerat, longioris fuiſſe vitæ. Præterquam quod Matth.tres reges ver.8.conſilio prætermiſit. Quartũ diſcrimen à paucis admodũ interpretibus attingitur. Eorum verò,qui attingunt.vt Lyrani,communis interpretandi ratio eſt; Salathielem Iechoniæ natura; Neri vero adoptione fuiſſe filium. Malim credere Iechoniam, quamuis ſcriptura non declaret, filiam Neri,qui ex Dauide per Nathan genus ducebat,vxorem habuiſſe, ex qua Salathielem procreauerit, qui Iechoniæ propriè filius,quia ab eo genitus,Neri vero minus proprie, quia filiæ eius erat, filius appellatur; quemadmodum verſ. 8. Athaliam docuimus filiam Amri, quia neptis eius erat, appellari. Lucas ergo cum Matthæum vidiſſet Chriſti originẽ à Dauide per Salomonem ductam diligenter explicaſſe;voluit eiuſdem originẽ per Nathan ipſe deducere,vt probaret modis omnibus filium eſſe Dauidis,vtrumque regni eius ſucceſſorem. Cum autẽ veniſſet ad Salathiel, qui materno tãtum genere ex Nathan ortũ trahebat; noluit eius matrẽ propter ſcripturarum conſuetudinẽ,de qua paullo ſupra diximus,ſed eius auum patris loco numerare. Ad quintum diſcrimen eodẽ modo, quo ad ſecundum. Ad ſextum vero eodem,quo ad tertium reſponderi debet. Cur autem Matthæus conſiſtat in Abraham,Lucas autem vſque ad Adamum, Deũmque progrediatur; quod erat ſeptimum;aliqui reſpondent voluiſſe Lucam oſtendere Chriſtum non alium habuiſſe patrem,niſi Deum,ideoque ad Deum vſque perueniſſe. Matthæum verò rationem habuiſſe promiſſionum, quæ Dauidi & Abrahamo factæ fuerant.vt diximus verſ.1.Ambroſ.lib.1.in Lucam,& Theophylact.in hunc locum. Aliæ præterea tres mihi occurrunt cauſæ. Prima,voluiſſe Lucam in ſcribenda hiſtoria diligentiam ſimul & fidem ſuam probare. Nam & diligentia fuit ſingularis Chriſti originem ab ipſa mundi origine deducere; & ea ipſa diligentia fidem auget hiſtoriæ. Secunda, reſpexiſſe primam promiſſionem de venturo Chriſto factam, *Ipſe conteret caput tuum.* Geneſ.3.15.voluiſſeque ad Adamum peruenire, qui primam cauſam aduentus Chriſti peccando præbuerat; quique antitheſi quadam Chriſto reſpondebat. *Primus enim homo de terra terrenus: ſecundus homo de cœlo cœleſtis.*1. Corin. 15.47.& vt ait Epiphanius hæreſ.51. vt oſtenderet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quem Christus nascendo perditum quærebat. Nescio an modum etiam generationis vtriusque respexerit, vt nō malis placet auctoribus. Adam enim ex virgine formatus terra, Christus ex virgine Maria, solū vterque Deum patrem habuit. Tertia, voluisse Christi aduentum non ad causas naturales; sed ad æternam Dei prædestinationem reuocare. Hoc est, *Qui fuit Dei.* Prædestinatus enim ab omni æternitate erat filius Dei Rom. 1. 4. & ab origine mūdi agnus occidebatur Apocal. 13. 8. In octauo discrimine non existimo magnopere esse laborandum, vt alias quæramus causas, cùm sciamus consuetudinem esse Hebræorum, vt in recensendis huiusmodi genealogiis ab eo incipiant, quod postremū in ore fuit. Exempla sunt multa; sed vnum caput quintum lib. 1. Par. vtriusq; generis exemplum suppeditabit. Matthæus ergo cum Abraham ob eas causas, quas ver. 1. exposuimus vltimo loco nominasset; ab eo vsque ad Christum processit. Lucas verò cum dixisset; *Ipse Iesus erat incipiens, quasi annorū triginta*, ab eo exorsus, *Filius, vt putabatur, Ioseph, qui fuit Heli, &c.* vsque ad Deum ascendendo progressus est.

17. *Omnes itaque generationes.*) Duo sunt hoc loco explicanda, vt mens Euangelistæ intelligatur. Alterum, cur diuiserit omnes generationes in tres tessaradecades. Alterum, cur id admonuerit, cùm quiuis lector facile posset animaduertere numerando. Diuisionis vna ab omnibus; deinde aliæ ab aliis causæ afferuntur. Ab omnibus illa, quòd voluerit Matthæus triplicem populi statum, sub iudicibus, sub regibus, sub ducibus, & sacerdotibus designare, simplex & minime quæsita ratio, eoque probabilior, quòd tam diuersa in eam incurrerint ingenia. Sed aliæ contemnendæ non sunt, quas diuersas diuersi auctores repererunt. Augustinus mysterium esse putat, quo totum vitæ nostræ tempus quadragenario numero significatur. Nam si Christus non numeretur; & Iechonias (quem bis eundem numerari putat) semel tantum numeretur, quadraginta personæ reperientur. Vero aliquanto similius Origenes homil. 27. in Numer. & Hieronymus in epistola ad Fabiolam has quadraginta duas generationes quadraginta duabus mansionibus, quibus filij Israël ex Ægypto vsque ad terram promissionis peruenerunt, respondere. Totidem enim generationibus, quasi gradibus filij Abraham vsque ad Christum promissum salutis portum peruenerunt. Proximè autem ad similitudinem veritatis mihi videtur Chrysostomus accedere homil. in Matthæum 4. Euangelistam significare voluisse Deum, antequam filium suum mitteret, omnes tentasse vias, vt populum suum per iudices, per reges, per duces & sacerdotes; cumque nihil profecisset, misisse filium suum. Conuenit Euangelica parabola Matth. 21. 33. & Luc. 20. 9. vbi Dominus ille vineæ triplices ad repetēdum fructū misit seruos, qui cum nihil effecissent, misit ad extremum filiū suum. Non amo in sacris litteris Philosophari, colligo tamen si quid ex philosophia sponte cadat. Medici quartumdecimum diem criticum vocant, & omnium in morbis periculosissimum esse dicunt. Videtur igitur Deus congruenter naturæ decimoquarto quoque seculo populi sui statum mutare voluisse, vt vna Repu. quodammodo mortua alia nasceretur melior. Cur autem Euangelista generationum summam expresserit, duas potissimùm causas fuisse arbitror: Alteram, vt intelligeremus aliquid in ea re subesse mysterij, nec inconsiderantes præteriremus: Alteram, ne quis existimaret se errore, aut obliuione tres illos reges vers. 8. prætermisisse. Voluit quoque fortasse cauere, ne quis posset generationis Christi seriem, aut minuendo, aut augendo numero corrumpere.

18. *Christi autem generatio sic erat.*) In multis Græcis codicibus est Ἰησοῦ χριστοῦ, Iesu Christi. Sed neque noster interpres legit nomen Iesu, neque Græci auctores Chrysostomus & Theophylactus, quamuis Euthymius legat. Lectionem autem nostri interpretis magis probo; & quia antiquior est, & quia, vt quidam ante me notauit, proximè præcesserat, *A transmigratione Babylonis, vsque ad Christum generationes quatuordecim*; est verosimile & Euangelistam nomen Christi in proximo repetiuisse. *Christi autem generatio.* Quidam verò nariuitatem, quàm generationis reddere maluerunt, quòd generationis nomen nō ad partum, sed ad cōceptum pertinere videatur; quibus ego minimè assentior. Manifestum enim est voluisse Euangelistam eandem rem, quam noster interpres generationem vocat, tribus nominibus ab eadem origine paululum deflexis appellare γένεσιν v. 1. γενεὰν v. 17. & γόνον hoc loco. Itaque cum isti ipsi verterint ver. 1. *Liber generationis Iesu Christi*, & vers. 17. ab *Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim, &c.* similiter hoc loco vertere debebant *Christi autem generatio sic erat.* Præterquàm quòd hoc loco non solum de partu, sed multò magis etiam de conceptu agitur, de quo potius quàm de partu poterat dubitari. ὅτος δὲ præteritum imperfectum pro perfecto ex linguæ proprietate, quod & Latine accidit aliquando; *ad hunc modum se habuit.* Quod Remigius existimauit posse hæc verba ad præcedētia pertinere, quasi sensus sit, Hactenus autem de Christi generatione prorsus alienum puto. Cur autem hoc addiderit Euangelista, coniectura est facilis; Quia generationem Christi cum aliorum generationibus connumeraverat; ne quis existimaret eodem modo atque alios genitum fuisse, modum quo genitus est singularem explicauit. *Sic erat*, id est non sicut aliorū generationes, *sed cum esset desponsata mater eius.* Eodem pertinet quod matrem eius vocat, significans patrē non habuisse, eadē prorsus cautione, qua dixerat ver. 16. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

Cum esset desponsata) μνηστευθείσης ϑ. noster interpres non legit ϑ causalem particulam, nec ego legendā arbitror, quòd sensum non iuuet, & impediat. Nonnulli hærentes in proprietate verbi μνηστεύω existimant B. Virginem cum Christum concepit, nondum fuisse nuptam, sed desponsam. Eodem enim modo differre apud Græcos μνηστεύω & γαμέω, quo apud Latinos desponderi & nubere. Itaque nondum illam Iosephum domum duxisse; Atque hoc esse, quod paullo post ver. 20. dicitur, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, quasi nondum accepisset, id est duxisset; in qua sententia magnos etiam auctores Origenem hom. 1. in diuersos Euangelistas, Hilarium hoc loco, Basiliū in homil. de humana Christi generatione, & Epiphanium hær. 78 fuisse video. Sed pluribus auctoribus Chrysostomo homil. 4. in Matthæum, auctori operis imperfecti hom. 1. Ambrosio libr. 2. in Lucam, Theophylacto in commentariis, & omnibus ferè Theologis subscribo, verè iam tum fuisse nuptam. Præcipua enim causa cur Spiritus sanctus voluerit Christum ex nupta nasci, hæc ab omnibus fuisse creditur, vt virginis honori consuleretur; atqui non est consultum, si desponsa tantum, nondum nupta concepit, & ver. 19. Ioseph vocatur ἀνὴρ αὐτῆς vir eius, non νυμφίος sponsus. & ver. 20. vocatur γυνὴ vxor Ioseph, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Nam quod hæreticus interpres exponit εἰς τὸ εἶναι γυναῖκά σου vt sit vxor tua, aut quæ desponsa tibi est pro vxore, coactū est. Nam si Hebraismum, vt ille putat imitari voluisset; dixisset μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν τὴν μαριὰμ εἰς γυναῖκά σε aut potius ου. *Ne timeas accipere Mariam in coniugē tibi*; & exemplū quod profert Mat. 12. 23. illi aduersatur maximè οἱ γὰρ ἔσχον αὐτὴν γυναῖκα *septem enim habuerunt eam vxorem.* Non enim significat eam futuram fuisse; sed fuisse reuera vxorem. Quod autem dicit eam esse vim verbi μνηστεύω non ignoramus; sed scimus etiam non semper obseruari. Nam Lucas c. 2. 5. eandem Mariam iam domū ductam à Iosepho vocat μεμνηστευμένην. vocat ergo Matthæus Mariam μνηστευθεῖσαν sponsam non quòd ducta non esset; sed quòd non magis à viro cognita, quàm sponsæ, quæ nondum nuptæ sunt, vt rectissimè Chrysostomus admonuit. Nolo tamen eiusdem Chrysostomi & Bernardi in hom. in illa verba Lucæ 1. 26. *Missus est*, vti suffragiis, qui consuetudinem. Hebræorum fuisse dicunt, vt generi etiam ante nuptias in sponsarum domibus habitarent. Nam generos Loth, quorum vtuntur exemplo, scriptura docet in domo Loth non habitasse, Gen. 19. 14. Teneamus ergo quod aut omnes, aut optimi Theologi tenent, verum fuisse iam tum, cum Christus cōceptus fuit, inter Iosephum & Mariam matrimonium; quod aduersus Iulianum Pelagianum, qui concubitu matrimonium definiebat, probat August. lib. 5. c. 9. & lib. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 11. Cur autem ex nupta Christus nasci voluerit, præter alias, quas facile per se quisque excogitare potest; quinque causas veteres Theologi tradiderunt. Ignatius in epistola ad Philadelph. Origenes homil. 1. in diuersos Euangelistas, Hilarius can. 1. in Matth. Chrysostomus hom. 4. Basilius in homil. de humana Christi generatione, Ambrosius lib. 2. in Lucam, & in lib. de institut. virg. c. 6. Theophylactus hoc loco, Bernardus hō. in illa verba *Missus est Angelus.* Prima est, ne Maria si innupta peperisset, stupri rea putaretur: maluit enim Christus filius Ioseph, quàm impudicæ fœminæ videri. Et, vt scitè Ambrosius; *maluit aliquos de sua generatione, quam de matris pudore dubitare, nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam.* Secunda, ne ipse spurius videretur, ideóque tanquā verus Messias non reciperetur à Iudæis. Nam si, cum ex legitimo matrimonio procreatum putarent; tamen ideo contempserunt, quòd fabri filiū esse crederent Matt. 13. 55. & Mar. 6. 3. quid facturi erant, si spurium dicere potuissent? Tertia, vt Ioseph & Mariæ, & infanti adiumento esset atque custodiæ. Itaque cum aliquid agendum est, non ad Mariam, sed ad Ioseph Dei mandata mittuntur Matth. 2. 13. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, vsque dum dicam tibi*, & ver. 19. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, surge, accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël.* Cumque puer perditur, quæritur à Ioseph Luc. 2. 48. Quarta, vt Ioseph testis esset virginitatis Mariæ. Nemo enim in eius assereda incastitate, tam dignus esse poterat fide, quàm qui custos illius erat, qui maximè & scire debuit, & potuit; quemque credibilius erat naturali maritorū zelotypia impudicitiæ crimen, vbi non esset, suspicaturū, quā vbi esset defensurū fuisse. Quia Bernardi verba imitari non possum recitabo. *Sicut*, inquit, *Thomas dubitando, palpando, consilij fuit plenus factus est Dominicæ confessor resurrectionis, ita & Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusq; conuersationem tempore custodiæ studiosius coprobando factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra vtriusque rei conuenientia, & dubitatio Thomæ & dispēsatio Mariæ. Poterant quidē simile erroris laqueum nobis iniicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa veritatem in suspicionē adducere. Sed valde prudenter & piè factum est per contrarium, vt vnde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam & de filij resurrectione*

Cur Christus ex nupta natus.

citus quidē ego (qui infirmus sum) crediderim Thomæ dubitāti & palpanti: quam Cephæ audienti & credenti, & de matris continentia facilius sponsi eius custodienti & experienti, quàm ipsi quoque virgini de sola sua cōscientia se defendēti. Additur ferè ab omnibus quinta, vt hac ratione mysterij nati Christi diabolo celaretur, ne infanti strueret insidias; quàm malo liberè fateri me non intelligere quā temere reprehendere. Non inquā intelligo, quo modo diabolus Mariæ virginitatem, si modo animaduertit, potuerit ignorare, cum integrum & incorruptum corpus, quamuis nuptæ videre posset.

Antequam conuenirent.) Hoc loco Hilarij interpretatio est, *antequā transiret in coniugis nomen*; quasi conuenire significet simul habitare: quam interpretationem, non quia vera; sed vt opinor quia noua videbatur, nonnulli nouitatum sectatores hæretici secuti sunt; nescio an secururi, si Hilarij fuisse cognouissent. Sed iam ante probauimus, iam tum veram fuisse coniugem; & ex consequentibus manifestum est conuenire hoc loco significare rem matrimonij, vt Hieronymus loquitur, exercere, esseque vt Græci vocant ὑπανδρευθῆναι, quo res inhonesta honesto declaratur verbo. Voluit enim Euangelista rationem reddere, cur voluerit Ioseph occultè Mariam dimittere, quia inuenta est in vtero habens, antequam conuenirent, id est cum eam non cognouisset, vt loquitur ver. 25. Nemini non statim occurrit obiectio: Ergo postea conuenerunt. Hoc enim potissimum argumento nonnulli quondam hæretici, vt Antidicomarianistæ apud Epiphan. hæret. 78. Iouinianus apud Augustinum in lib. de hæresib. Heluidius apud Hieronymum in libro aduersus Heluidium adducti sunt, vt post Christi partum Mariam à Ioseph cognitam fuisse crederent, ex eoque coniugio natos fuisse eos, qui in scripturis Domini fratres appellantur Matth. 12. 47. 47. & 13. 55. Mar. 13. 31. 33. Lucæ 8. 19. 20. A quorum impietate nonnulli ex nostris hæreticis non procul adfuerunt. Sed hunc errorem & scripturis & exemplis ita Hieron. fregit, vt si quis refutare velit, actum agat: & nos non disputationes nunc scribimus, sed commentarios. Summa rei est, non quoties dicitur aliquid non ante factum esse; significari factum esse postea. Cum enim dicimus hæreticos non acturos pœnitentiam, priusquam moriantur (vt Hieronymi vtar exemplo) non significamus eos pœnitentiam post mortem acturos: sed tacemus quod est certum, dicimus quod est dubium. Certum est post mortem neminem posse agere pœnitentiam; Quia, *in inferno quis confitebitur tibi?* sed dubium est an ante mortem acturus sit. Certum quoque erat post Christi partum Ioseph Mariam non cognouisse, cū non alium, quàm Christum filium habuisset. Certè de eo non erat quæstio. An autem Christus ex Ioseph, an ex Spiritu sancto conceptus esset, & dubitari poterat, & necessariò erat explicandum. Hoc ergo explicauit Euangelista, quod dubium, quodque necessarium erat; illud prætermisit, quod neque quærebatur, neque dictu erat necessarium. Quo autem modo fratres Christi quidam sint appellati dicemus Matth. 12. 46.

Maria virginitas post partum.

Psal. 6. 6.

Inuenta est) Origenes hom. 1. in diuersos Euangelistas, & Hieronymus in commentariis multa ex illo mutuatus, à Ioseph inuentam esse dicunt, qui penè licentia maritali futuræ vxoris omnia nouerat, quod nisi me tantorum auctorum reuerentia retineret, minus reuerenter dictum dicerem, satis habeo illis non assentiri. nam ἐυρίσκειν Græcè non significat quærendo, scrutandóque, sed potius non quærendo, non cogitando, præter opinionem expectationémque aliquid inuenire, vt Chrysost. idoneus Græci sermonis

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

testis adnotauit Non ergo Ioseph vestigando,sed non quærendo; nec tactu,sed visu eoque purissimo, miniméque curioso Mariam prægnantem inuenit. Nec significatur ab eo potius, quàm ab alio inuentam fuisse: sed vis verbi εὑρίθη est eam subito & inopinato ita tumido apparuisse vtero,vt quiuis,qui modo oculos adiiceret,videre posset eam fuisse grauidam.

In vtero habens) prægnans,grauida,vterum gerens. Illa anima Græca,hæc Latina est phrasis.

De spiritu sancto.) Sunt qui hæc verba cũ superioribus ita iungant,vt hæc sit sententia,Ioseph non solũ prægnantem Mariam deprehendisse; sed etiã eam de Spiritu sancto concepisse;vt Basilius in hom. de humana Christi generatione,vt Theophylactus in cõmentariis,idémque videntur Origenes hom.1.in diuersos Euangelistas,& Bernardus hom. in illa verba *Missus est*, immo etiam Hieronymus in hunc locum existimare. Auctor autem operis imperfecti nõ incerto cognouisse,sed dubitasse ait, an diuinitus concepisset.Sed ex consequẽtibus manifestũ est,eum ignorasse vnde virgo sacra concepisset, propterea enim voluit dimittere ver.19.propterea ab angelo docetur ver.20. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est,de Spiritu sancto est.* Atque ita omnes alij auctores interpretantur.

Christus quomodo de Spiritu sancto cõceptus.

De Spiritu sancto) non quod Spiritus sanctus pater fuerit Christi,quemadmodum ait Hieronymus nonnullos olim existimasse; sed quod Spiritus sancti virtute factum sit, vt sine viro virgo conciperet. Nec enim Spiritus sanctus ad modũ viri cum Maria concubuit, vt quendam nostro tempore dicere non puduit: sed quod virile semen facturum erat, ipse sine semine multo perfectius fecit; sicut Adamum olim Deus fecerat; nisi quod Adamum ex limo terræ,qui quasi terræ semen est; Christum ex sanguine Mariæ. Neque de Spiritu sancto conceptus dicitur Christus, quod solus Spiritus,non etiam Pater,& ipse,qui gignebatur filius, eius generationem affecerint. Vera enim illa regula est ab omnibus antiquis Theologis tradita, & ab Scholasticis retenta: Omnia opera Trinitatis extra ipsam omnibus personis esse communia. Sed dicitur Christus ex Spiritu sancto conceptus per illam vsitatam in sacris litteris attributionem; qua quod tribus personis commune est, propter officium,aut proprietatem vni tribuitur;vt quod potentiæ est & gubernationis,patri;q; sapientiæ,filio; quod benignitatis,beneficij liberalitatis,fœcunditatis, Spiritui sancto. Duabus ergo de causis Christi cõceptio Spiritui sancto tribuitur,& quia summum fuit erga homines beneficiũ,omniũq; beneficiorũ caput; & quia fœcunditatis ac viuificationis opus fuit. Est enim Spiritus quasi diuinũ quoddam semẽ,quo omnia fœcundantur,quemadmodũ illud Gen.1.2.interpretati sũt multi; *Spiritus domini ferebatur super aquas*, & quasi anima,qua animantur & viuificantur omnia. *Spiritus enim est,qui viuificat,& Emitte spiritũ tuum & creabuntur,& renouabis faciem terræ.* Quod Plato aliiq; Philosophi,& hos secuti poëtæ,tanquã in tenebris alucinãtes,Deum animã mundi esse dixerunt.Per quã elegans est inter Christum & Christianos, id est inter caput & membra cõparatio,quam oẽs fere auctores veteres Ambrosius,Augustinus, Leo,obseruauerunt. Christus ex Maria virgine natus est;Christiani ex virgine Ecclesia nascuntur. Ecclesia virgo & mater sine macula & ruga,vt Maria. Ephes.5. 27. fons baptismi vterus;aqua semen Ecclesiæ,quæ producit animã viuentem,Spiritus sanctus supplet semen viri. Itaque vt Christus ex semine virginis & Spiritu sãcto natus est, sic Christianus,id est mẽbrũ Christi oportet ex aqua & Spiritu sancto renascatur.Ioan.3.5. *De Spiritu sancto* Ἐκ πνεύματος ἁγίου.ex Spiritu sancto. Animaduerto nostrum interpretẽ particula, De, cum posset dicere. Ex,mirificè delectari,vt supra ver. 3.5. 6.& infra.ver. 20.& c.19.11. Nec ignoramus clarius fuisse,Ex,quod, De,materiam videatur significare,sed explicanda fuit versio,non euertenda.

Ioseph autem vir eius) Vir eius appellatur,non quia corpore sed quia vero illi cõiũctus erat matrimonio.

Cum esset iustus) δίκαιος ὢν,& Græca & Latina verba duplicẽ intellectũ admittunt; vel quãuis esset iustus, vel quia erat iustus. Hæreticus interpres aduersatiuè accipiendũ putat;quasi sensus sit,quamuis Ioseph vir esset iustus,tamen sinistra aduersus beatam virginem suspicione non caruisse.Clarius si ausus esset,dixisset, Ioseph merito de sanctissimæ Virginis castitate dubitasse At quis non videt non aduersatiuè,sed causaliter Græcũ participiũ accipiendum? Causa enim redditur eorum,quæ sequuntur.Vtrius autẽ causa reddatur,cũ duo sequãtur,alterum,quod noluerit eam traducere; alterum,q; voluerit occultè dimittere.de eo poterat merito dubitari.Aliqui ergo existimarũt,secundi mẽbri causam reddi: vt Chrysost. hom.in Matth.4. Propterea enim voluisse dimittere,quod iustus esset nolletque;quã adulterã suspicabatur,retinere.Fuit enim Chrysost.Hieronymus,& nonnulli alij graues auctores in ea sententia,vt putauerint non licere vito adulterã vxorem retinere. Idque ne fierer,fuit aliquando ecclesiasticis decretis constitutũ. Alij causam prioris membri reddi dicunt,vt Hieronymus, Ambr lib.2.in Lucã, Theophyl.quod ego multo probabilius esse arbitror.Videntur enim hæc verba.*Et nollet eã traducere* apposita esse ἐξηγητικῶς expositionis loco quasi dicat, quia erat vir iustus,ideoq; nolebat eã traducere,cœpit aliã dimittendi ratione honorabiliorẽ cogitare Et illa Chrysostomi sententia non solũ à Theologis;sed à tota etiã Ecclesia deserta est.Lex enim adulterã dimittere permittebat,nõ iubebat; Chryst. etiã interprete. Matth.19.8.Mat.10.5.Dicet aliquis,si lex permittebat, licebat ergo adulteram accusare; quare & Ioseph. quãlibet iustus,salua iustitia id facere potuit Respondeo Ioseph vocari iustũ,non q; iustitia vna ex quatuor virtutibus moralibus præditus esset.sed q; omni virtutum genere cumulatus,vt Chrysostomus adnotauit.Eiusmodi autẽ quisquis est,D.Paulum imitatus dicit; *Omnia mihi licent;sed non omnia expediunt.* Itaq; potuit quidem traducere;sed nõ debuit,quia maioris fuit caritatis occultè dimittere. Quia ergo vir erat iustus, id est magna præditus caritate, in qua, vt ait Aug.omnis Christiana iustitia consistit; noluit facere quod iustitia vna priuata virtus permittebat.sed quod caritas omnium virtutum regina postulabat.

Traducere παραδειγματίσαι publico exemplo puniendã curare,ignominiosè accusare,ad verbũ,exemplare,vt alicubi Augustinus epist.59.vertit. Quamquam idem alias vertere solet,diuulgare,vt epist 54.& serm.16.de verbis Domini. Idautẽ Ioseph fecisset si in iudicium vocasset,& omnium oculis,tanquam adulterij ream, proposuisset.Vsus est eodem verbo D.Paulus ad Hebræos.6.6. *Iterum crucifigentes filium Dei,* καὶ παραδειγματίζοντες & publicæ ignominiæ exponẽtes,vbi noster interpres vertit;*ostentui habentes.*Quod Hispani significantissimo verbo dicerẽt:*Sacandolo otra vez a la verguenza*, qua phrasi non sola Christi crucifixio; sed tota eius passio probris plena significatur.Simili prorsus significatione idem verbum septuaginta interpretes vsurparunt.Num.25.4.& Esther.14.8.

Voluit occultè dimittere eam) Quare? Nonnulli existimarũt ideo dimittere voluisse,q; videret eã de Spiritu sancto cõcepisse,seq; eius cõsortio indignũ iudicaret. Eodẽ prorsus modo,quo Petrus dixit Christo,*Exi a*

me Domine,quia homo peccator sum. Luc.5.8.& Cẽturio ille.*Domine nẽ sum dignus,vt intres sub tectũ meũ.* Mat.8. 8.Sic Orig hom.1.in diuersos Euãgelistas,& Bernard. hom.in illa verba.*Missus est angelus*:&, si bene intelligo,Hieron.in com.interpretantur. Quæ interpretatio, etsi loco non conuenit,eorum tamen auctorũ pietati maxime cõuenit. Alij prorsus contrariam sequuntur opinionẽ,ideo dimittere voluisse;quod adulteratã suspicaretur,vt Chrysost.hoc loco & in hom. de sancta Susanna.& Aug.epist.54.&serm.16.de verb.Domini, & serm.18.de temp.si tamen illius est.Theophylact.& Euthym.in comment. Quorum sentẽtiam sequentia verba cõfirmant;*Noli timere accipere Mariã coniugem tuam,quod enim in ea natũ est,de Spiritu sancto est*,quasi Ioseph non de Spiritu sancto,sed de adulterio natum putaret,ideoq; timeret accipere,ne probare adulteriũ videretur;aut quia factam,vt putabat,sibi ferre nolebat iniuriam. Sentẽtia Pseudochrysostomi media inter has duas nec à veritate,nec à pietate discedit, non iudicasse Ioseph ex adulterio virginem cõcepisse. sed vnde aut quomodo cõcepisset dubitasse,& quia non ex se cõcepisse certo sciebat,dimittere voluisse. Quæ autem fuerit illa ratio,quã cogitabat,occultè eam dimittendi;incertum est;& quod Abulensis dicit cogitasse illi occultè dare libellũ repudij, mihi nõ videtur conuenire.Nam quãuis occultè dedisset, omnis scriptura natura sua publica est. Præterquàm quòd non poterat diuortium infamiaq; latere: si,cum in eadem domo cœpissent habitare,fuissent priuato iudicio separati,eo præsertim tempore[1], quo Mariæ vterus apparebat. Itaque credibilius quod alij dicunt,esse arbitror, voluntarium in aliam regionem secessum cogitasse,vt per speciem peregrinationis ita dimitteret,vt non vitio aliquo repudiasse;sed necessitate deseruisse videretur.Hoc mihi videtur non solũ aduerbio λάθρᾳ occultò:sed ipso verbo ἀπολῦσαι significari,q; Gallicè diceretur,*s'en desfaire*;eodẽ omnino sensu quo ille dixit amicitias non disrumpendas esse, sed dissuendas.

Cicer. de amicit.

Hæc eo cogitante) Quo modo eam occultè dimitteret,antequam aut consilium inueniret, aut inuentum exequeretur? Videtur enim Euãgelista significare voluisse, Deum expectasse opportunũ temporis articulum, vt angelũ mitteret. Si enim ante misisset, quàm Ioseph grauidam Mariam animaduertisset;fortasse Ioseph Angelo; sicut Zacharias non credidisset. Hanc enim Chrysost.& auctor imperfecti rationẽ reddũt, si post quã ab ea discessisset,nimis serò misisset. Mittit ergo Deus ad ægrotum medicum, nec antequàm incipiat, nec postquã mortuus desinat ægrotare. Aliã ijdem auctores rationẽ reddunt,q; Ioseph minus idoneus virginitatis Mariæ fuisset testis,si,antequã de illa dimittenda cogitaret, ab angelo fuisset admonitus. Quis enim marito non credat de sponsæ integritate testanti?& illi marito,qui eo vsque processerit, vt suspicatus sit adulterium,& de diuortio cogitauerit: Diuina est prouidentia,quæ ægrotare vnũ permittit hominem,vt multis ex eius morbo medicinam faciat.Ea fuit quæ Petrum & Thomam permisit circa fidẽ cadere;ne nos caderemus.Ea expectauit donec Ioseph de Mariæ virginitate dubitaret, ne ipsi dubitaremus, vt ver.19.ex verbis Bernardini recitauimus. Cur ergo ad Mariam,antequam cõcipiat,angelus mittitur? Luc. 1.26.Causa,vt opinor,fuit,quod à Maria,vt esset spõsa Spiritus sancti,ex eoque cõciperet, consensus requirendus fuit.Deinde quod nõ decebat ignorare virginem,quem in vtero gereret,& vnde cõcepisset. Prius enim, vt Augustin. lib.de sancta virgin. & Leo serm. de Natali Dom.dixerunt,Christum fide, quàm carne concepit, quam non admonita habere non poterat. Illud etiam à quibusdam quæri solet,cur Mariæ vigilanti,Ioſepho dormiẽti missus sit angelus. Cur Mariæ vigilanti,ex ijs quæ paullo ante diximus,apparet,erat enim ab ea fides,cõsensusque requirẽdus. Cur autem Ioſepho dormiẽti,difficilius est dictu.Probabiliter tamen mihi videtur hom 4.Chrysost respondere, quod Ioseph vir iustus & fidelis fuerit,quem satis erat dormientẽ admonere.Deinde;quod iam vterum viderat, &,vnde impletus fuisset,dubitabat;itaque paullo momento inclinari poterat,vt ab Spiritu sancto impletũ crederet. Nam facilius, quæ facta sunt, diuinitus & præter naturæ leges fieri potuisse; quã quæ faciendã, fieri posse credimus.Mirum e tiam videri potest; cur sanctissima virgo,quid sibi angelus de Christo cõciendo nuntiasset;sponso suo non dixerit,vt & se infamiæ periculo.& illum siniſtra suſpicione liberaret. Verosimiliter etiam ad hoc idem Chrysost. respõdit, Ioſephum maritũ de sponsæ castitate solicitũ, virgini quamuis sanctæ pro se loquẽti non fuisse crediturum. Et verò quis maritus nisi à Deo monitus credidisset?

Noli timere) μὴ φοβηθῇς ,ne timeas;ne dubites accipere.acceptam retinere,vt probauimus ver.18.

Quod enim in ea natum est) conceptum,genitum.

De Spiritu sancto est non,vt suspicaris, ex adulterio. vide ver.19.Omnia eò pertinent,vt tristem Ioseph, & incertum consilij cõsoletur: & vt persuadeat non doloris, sed lætitiæ eum materiam habere; quòd ex eius sponsa Messias ille tam diu expectatus virgine nasciturus sit: propterea vocat filium Dauid,non solum quia honorificus erat titulus,sed etiam vt significet eum; qui ex virgine eiusdem familiæ conceptus erat,illum esse Messiam,qui filius Dauid futurus erat. Vide ver.1.Propterea dicit,De Spiritu sancto est; vt reuocet illi in memoriã Isaiæ testimoniũ, quod paullo post sequitur,*Ecce virgo concipiet,& pariet filium*, vt credat, & gaudeat id in sua sponsa fuisse perfectum. c.7.14.

21. *Pariet autem filium.)* Τέξεται δὲ. δὲ videtur poni pro γὰρ enim,vt Matt.23.5.& aliàs sæpe. Videtur enim afferri hoc ab angelo tanquam certum signum & argumentum ad faciendam eius,quod dixerat,fidẽ. Eodem modo,quo dixerat Isaias: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium,& vocabis nomen eius Emmanuel*,Perinde ac si diceret;sponsa enim tua nõ est adultera, sed virgo illa integerrima de qua Isaias dixit;*Ecce virgo concipiet,& pariet filium.* Pariet enim filium,non filiam; quod cum videbis,nõ dubitabis quin ex Spiritu sancto conceperit.Cum enim videris,quæ futura prædixi,vera esse:credes.quæ dixi præterita vera fuisse. c.7.14.

Et vocabis nomen eius Iesum.) Eodem hac pertinet, tribuit enim illi hunc honorẽ, vt infanti nõ ex se,sed ex Spiritu sancto nato,tanquam proprio filio,nomen imponat.Adnotarũt quidam,nõ matres,sed patres solitos fuisse filijs nomẽ imponere. Quod etsi credibile est vsitatũ fuisse;cõstat tamen non fuisse perpetuum. Nã & Rachel vocauit filium suũ *Benoni*.Gen.35. 18.& Labes non pater,sed mater nomen dedit,quòd maximo eum cũ dolore peperisset 1.par.4.9. & quẽadmodum hoc loco Iosepho;ita Luc.1.31.Mariæ dicitur.

De nomine Iesv.

Et vocabis nomen eius Iesum,) Hoc est certum voluisse angelum Ioſephum officio patris honorare, simulque probare, quod dixerat, de cœlo conceptum cui de cœlo nomen imponeretur. Obseruamus enim diuinitus conceptis nomina quoque, antequam nascantur,diuinitus dari;Isaac Gen.17.19.Ioanni Luc.1. 13. & ex nomine ipso doceri, qualis sit, qui conceptus est infans,ille nimirum Missus qui populũ suum à peccatis liberaturus erat. Hoc enim est Iesus יהושע seruator. De quo nomine vt multa omittam quæ à quibusdam obseruata sunt.certum est illud nomen יהושע Iesus à Græcis Latinos,ab Hebræis Græcos accepisse.Nam vbicunque fere est in veteri testamento

Universidad de Deusto
Biblioteca

יְשׁוּעָה nomen proprium. Septuaginta verterunt Ἰησοῦς, Hebraicum vocabulum ad Græcam, vt potuerunt, aut vt sciuerunt, formam reducentes. 1. tamen par. c. 7. 21. vertunt Ἰωσέ. Significat autē id nomen salutem, aut seruatorē. Quo etsi multos appellatos fuisse legimus, vt Iesum filium Naue, Iosue 11. & filiū Iosedech sacerdotē Agg. 1. 1 12. 14. illis tamen casu, Christo, consilio, eoq; non humano; sed diuino hoc datū est nomen; & illi non erant, quod hoc nomine significabatur, verè Seruatores; Christus plus est, quàm hoc nomine significatur. Itaque aliis nomen erat quodammodo cōmune, & certè vulgare; Christo, proprium, & vt propheta prædixerat, nouum & singulare; quia eo modo, quo de Christo dicitur, nemini præterea cōuenit, quia non est in aliquo alio salus. Quod autem recentiores Iudæi non יְשׁוּעָה sed יֵשׁוּ vocare soleāt, partim ex sono vulgarium linguarū, quem illi solum audiunt; partim irritione & malignitate faciunt, significantes Christū nō esse יְשׁוּעָה seruatorem, sed Iesu, quod illis nihil nisi vulgarem aliquem hominem significare videatur. Sed bene est, quòd non tam facile possunt suā Christo diuinitatem detrahere; quam facile eius nomini syllabas detrahunt. Hoc ergo proprium Christi nomen est, quo & eius diuina simul humanaque natura, & præstantissimum redemptoris officium declaratur. Hoc *datum illi est nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur terrestrium, & cœlestium, & infernorum.* Itaque rectè à quibusdam adnotatum est; Euangelistas, cum Seruatorē nostrum proprio nomine appellare volunt, non Christum, sed Iesum appellare, vt hoc loco. & cap. 2. 2. & Luc. 1. 31. & 3. 23. & 4. 1. Christus enim nomen est officij, Iesus naturæ atque personæ. Dubitabit autē aliquis, quo modo angelus Iesum vocari iubeat; cum Isaias dixerit vocandū Emmanuelem. Id nobis Iudæi, vt probent illam in Christum prophetiam non conuenire, solent obiicere. Sed satis copiosè pro nobis iam diu veteres auctores responderunt. Iustinus, q. ad orthodoxos. 131. Tertullianus aduersus Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem, Lactantius lib. 4. de vera sap. cap. 11. Chrysostomus lib. de incarn. cap. 2. Prophetam, non quī vocandus Christus, sed quī futurus; Euangelistam, qui vocandus & qui futurus esset, declarare voluisse. Noluit enim dicere Propheta fore, vt proprium Christi nomen esset, Emmanuel, sed vt res eo nomine significata illi conueniret, ideoque merito Emmanuelem vocari posse. Quemadmodum idem Isaias. cap. 1. 26. prædixerat de Ierusalem, *Post hæc vocaberis ciuitas iusti vrbs fidelis:* non quod eo vnquam nomine vocāda esset; sed quod talis futura, vt ita merito vocari posset. Eadem ratione dixit, cap. 60. 14. *Vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israel*, cum nunquam tamen eo nomine vocata sit. Similia exēpla sunt Iere. 3. 17. & Zachar. 8. 3. & de Christo ipso idem Isaias dixit. c. 9. 6. fore vt vocaretur nomen eius, *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*, non quòd tot nomina, sed quòd tot res habiturus esset. Et Iere. c. 23. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eū, Dominus iustus noster.* Verè enim Christus dominus iustus noster fuit. Verè quoq; *Emmanuel*, quod est, nobiscum Deus. Ita Euangelistam locū Isaiæ intellexisse ex eo manifestū est, quòd cum dixisset, *Vocabis nomen eius Iesum*, quasi vt probaret ita vocati debuisse, Isaiæ locum induxit. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Idem ergo est Iesus & Emmanuel, non sono, vt ait Tertull. sed sensu. Esse enim Deum nobiscum, quod Emmanuelis, est Deum seruatorem esse nostrum, quod nomine Iesu significatur.

Philip. 2. 10.

c. 7. 14.

22. *Hoc autem totum.*) Chrysostom. homil 5. Theophyl. & Euthym. in cōm. hæc verba adhuc loquentis angeli esse putāt, sed nō dubium esse, quin sint Euangelistæ volentis iis, quæ narrauerat ex Propheræ testimonio fidem adhiberi.

Totum.) Quòd virgo conceperit, quòd Iesus infans nondum natus appelletur. Auctor imperfecti.

23. *Ecce virgo.*) Huius versus explicatio ex cōmentariis in ca. Isai. 7. peti potest. Transferam inde in hūc locum, quæ necessaria esse videbuntur. Iudæi autem quinque potissimū argumentis hunc nobis locum è manibus eripere conantur. Primum est, quòd apud Isaiam non בְּתוּלָה quæ propriè virgo est; sed עַלְמָה legatur, quod non virginem, sed puellam; non conditionem, sed ætatem significat: cui argumento nemo potest melius, quàm Hieronymus in traditionib. Hebraicis in Genesim, & lib. 1. contra Iouinianum, & in comment in 7. c. Isaiæ respondere עַלְמָה apud Herbr. non solum virginem, sed plus etiam quam virginem, id est puellā absconditam & diligenter custoditā significare, quæ ne virorum quidem oculis pateat, quæque non solum corpore; sed etiam aspectu casta sit. Idque nominis originem indicare; dictam enim ab עָלַם quod est abscondere, quasi inclusam & reconditam virginem: nec in scripturis vspiam, nisi pro virgine poni, vt Genes. 24. 16. Rebecca virgo pulcherrima & incognita viro, ver. 43. vocatur עַלְמָה itemque Maria soror Mosis Exod 2. 8. lingua quoque Punica, quæ ex Hebraica originem habet, virginem, עלמה vocari. Itaque בְּתוּלָה solam virginitatem עַלְמָה & ætatem & virginitatem simul coniunctam significare. Atque hunc esse Prophetæ sensum, vt ita dicam ἐμφατικῶτερον, virginem adhuc teneram, & ne virorū quidem oculos expertam concepturam esse. Addunt quidam nomini הָעַלְמָה eo loci adiunctam esse ה emphaticam apud Hebræos particulam, qualis apud Græcos est articulus ἡ, quod & Chrysost. ad eum locum adnotauit, quasi virgo non vulgaris; sed præstantissima & maximè virgo significetur. Vnum nobis Iudei locum obijciunt. Prouerb. 30. 19. *Tria sunt difficilia mihi, & quartū penitus ignoro. Viā aquilæ in cœlo, via colubri super petrā, via nauis in medio mari, & via viri in adolescētula* בעלמה vbi non tantùm Hebræi verumetiam Christiani nonnulli, idque nostro iam tempore contendunt, nomen עלמה pro muliere corrupta positum esse. Id enim loci circunstātiam postulare. Ego vero ex eo maxime loco probari posse existimo, nomen עלמה nunquā nisi virginem significare. Nam vt alias, quas alienas iudico, interpretationes omittā, manifestū est Salomonē dicere voluisse, difficilius esse cognoscere, an fœmina quæ φ recondita semper fuerit, maximè virgo putatur, virgo sit; quàm cognoscere, an aquila per aëra coluber super petrā, nauis per mare transierit. Hoc enim est, & quartum penitus ignoro. Hoc autem vt significaret per ὑπέρθεσιν vsus est nomine עלמה, quod & ætatem, & conditionem perfectissimæ virginitatis declarat. Secundum argumentum est, non esse sensum, fore, vt virgo, manens virgo. sed vt quæ ante virgo erat, posteà viro nupta ex eo concipiat. Hoc non modò, vt falsum; sed etiam, vt absurdum atque ridiculum veteres auctores reiecerunt; nullum hoc esse miraculum, nullum signum. Propheram autem signum, idque inauditum, & maximè mirabile præbere voluisse, vet. 10. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Et vers. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet.* Sic Iustinus contra Tryph. Tertul. aduersus Iudæos & lib. aduersus Marcionem. 3. Basilius in hom. de humana Christi generatione, Epiphanius aduersus Ebionitas, Cyrillus Alex. & Chrysostomus in cap. Isaiæ responderunt. Tertium erat, quod Isaias dicat vocandum esse nomen nascituri filij Emmanuelem, quod nomen Christus non habuerit; quomodo

antiqui

antiqui auctores respōderint, diximus ver. 21. Quartū ergo erat, ex loci circunstantiis apparere, dictum hoc esse de vxore Regis Achaz. & de filio Ezechia, quem erat paritura Quod multo magis Epiphanius & Hieronymus meritò rident. Edita enim est hæc prophetia regnante iam Achaz: ad eum enim, tanquam regem, dirigebatur. Fingamus primo anno regni eius editam fuisse, iam Ezechiam nouem & minimùm annos natum fuisse constat. Regnauit enim Achaz sexdecim annos. 4. Regum 16. 2. & 2. Par. 8. 1. quo mortuo statim regnauit eius filius Ezechias. 4. Reg. 16. 20. Erat autem vigintiquinque iam annorum cum regnare cœpit. 4. Reg. 18. 2. & 2. Par. 29. 1. Nihilo plus coloris habet, quod alij dicebant id esse de vxore Isaiæ intelligendum. Nam neque virgo erat, neque filium vllum peperisse constat, qui Emmanuel aut fuerit, aut vocatus sit. Quintum recētiores Iudæi nobis obiiciunt, quod & prisci scriptores vix attigerunt, & maiorem habet speciem difficultatis: non potuisse dari signum Achaz, quod videre ipse non posset, quippe quod non nisi octingentis post annis esset euenturū. Quomodo respondēdum sit, Chrysost. in com. ad eum locum videtur indicare: signū nō dari Achaz, sed domui Dauid, quæ non solū vsque ad Christum permansura: sed ipsum quoque Christum paritura erat. Principio quidem propheta regi Achaz petendi quodcunque vellet, signi conditionem obtulerat, ex quo intelligeret Deum sibi contra regem Assyriorum affuturum. ver. 11. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Quod quia contemnēs petere noluit; cōmutata oratione propheta aliud maius signum, quàm quod petere nō auderet, maioris liberationis argumentum Deum nom iam Achaz, sed domui Dauidis daturum prędicit. vers. 13. 14. *Audite domus Dauid, numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propterea ecce Dominus ipse dabit vobis signum.* q. d. quia vos petere negligitis ipse vltro dabit, non iam quale regi obtuli, fore. vt Deus populum suum à rege Assyriorum liberet; sed longè maius, fore, vt liberet à peccatis & diaboli tyrannide. Itaque à maiore probat minus.

Et vocabunt.) Quod quidam mirātur apud Isaiam esse vocabis; & Euangelium dixisse καλέσουσι vocabūt, nullam admirationis habet causam, quia vt ait Hieronymus, sæpe Euangelistæ sententiam, non verba citare solent: sed & nihil hoc loco, quomodo Euangelista diceret, καλέσουσι, vt Septuaginta verterunt: an καλέσουσι, vt Chaldæus; an καλέσουσι, referebat.

Quod est interpretatum Emmanuel nobiscum Deus.) Quo autem modo Deus nobiscum esse per hoc nomen significetur, quæri solere video. Quorumdam non probo sententiam, qui spiritualiter tantum interpretantur Deum esse nobiscum, id est nobis reconciliatum. Col. 1. 20. Quod antè iniquitates nostrę nos ab illo disiungerent Isaiæ. 59. 2. Melius Chrysostomus, & alij nonnulli patres, ipsam filij Dei incarnationem declarari putant. Est enim Deus nobiscum, non solum quia auxilium præstat, & peccata remittit, quo modo etiam cum antiquis illis Iudæis erat: sed quia *verbum caro factū est, & habitauit in nobis*, Ioan. 1. 14. quia *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus*, Baruc. 3. 38. quia *communicauit carni & sanguini*. Hebr. 2. 14. Quod autem ex hoc loco quidam colligunt Matth. Hebraicè non scripsisse, refellimus in præfatione. c. 5.

25. *Et non cognoscebat eam.*) Hilarius cognoscere, interpretatur, pro vxore habere, nam ante, inquit spōsa erat; postea in nomen transiuit vxoris, non quòd marito cōiuncta fuerit, sed quòd peperit, vt faciunt vxores. Epiphanius vero aduersus Ebionæos prius dicit non cognouisse, post partum verò cognouisse non eius quidem corpus; sed animum, virtutem, sanctitatem. At iā monitus ab Angelo, non poterat eius ignorare virtutem, quam sciret de Spiritu sancto cōcepisse; & nemo non videt Hebraicam esse phrasim, quæ honestè vsus matrimonij significatur, vt Genesis 4. & 19. 8. Num. 31. 35. & 3. Reg. 1. 4. Illud verò quod quidam adnotarunt hoc verbum non dici, nisi cum primum virgo defloratur, falsum esse constat, Gen. 4. 25. & 18. 26. & 1. Reg. 1. 19. Arripiebant hic Iouinianus, Heluidius, Ebionistæ, &, vt ait auctor imperfecti Eunomiani ansam de B. Mariæ post partum virginitate male sentiendi, vide ver. 18. tantum admonēdum est, quemadmodum has particulas (*Antequam*) & *priusquam*: ita has *donec* & *vsque*, & si quæ sunt aliæ similes, nō semper affirmationem post tempus, quod notatur, si negatio præcessit: nec semper negationem, cum præcessit affirmatio, significare, vt Hieronymus aduersus Heluidium, & Chrysostomus hoc loco multis exemplis demonstrarunt. Matth. 18. 20. *Ecce ego vobiscū sum vsque ad consummationē sæculi*; non indicat postea cum illis non futurum, sed multo magis futurum. 2. Reg. 6. 26. *Michol filia Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ*: non significat eam post mortem peperisse. Psal. 109. *Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, non significat postea nō sessurum. Matth. 5. 19. *Donec trānseat cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*, nō indicat fore. vt postea prætereat. Ergo in his omnibus, id dicitur quod est dubium. id tacetur quod est certum.

Donec, vsque, antequam, quo modo accipienda in scriptura.

Filium suum primogenitum.) Hoc aliud erat hæreticorum argumentum, qui de Mariæ virginitate male sentiebant quod Christum Euāgelista Mariæ primogenitum appellet, quasi post eum alios genuerit: vbi enim secundo genitus nullus est; ibi nec primogenitum esse posse. Epiphanius videtur vim argumenti declinasse. Negat enim hæres. 78. Christū Mariæ primogenitum appellatum, Nec enim Euangelistam dixisse, donec peperit filium primogenitum suum; sed filium suum primogenitum, vt significaret filium esse Mariæ, primogenitum autem Dei. *Ipse namque est primogenitus omnis creaturæ.* Colos. 1. 15. & *primogenitum ex mortuis.* vers. 18. & Rom. 8. 29. *primogenitus in multis fratribus.* Melius & fortius Hieronymus aduersus Heluidium, primogenitum Mariæ Christum dici, non quod post eum alius: sed quod ante eum nemo genitus sit. Hūc enim scripturarū esse vsum, vt vnigeniti etiam primogeniti dicantur: quia qui vnigenitus est, necessario ante omnes alios, id est nemo ante cum genitus est. quod est esse primogenitum. Exod. 4. 22. Deus vocat populum Israël primogenitū suum, cum alium non haberet. Et c. 12. 29. dicitur percussisse omnia primogenita terræ Ægypti: inter quos non dubium, quin aliqui vnigeniti fuerint. & c. 13. 2. & 22. 29. Iubet omnem primogenitum sibi sanctificari: consuetudo autem legis interpres, etiam vnigenitos docet intelligendos. alioqui expectandū erat, donec alij posterius geniti nascerentur. D. etiam Paulus Hebr. 1. 6. primogenitum Dei, pro vnigenito Christum appellauit. Cur ergo Euangelista addidit epithetum, *Primogenitum*? ideo, vt opinor, vt significaret Mariam non solum concepisse virginem, sed etiam peperisse. Nam de cōceptu dixerat, ver. 18. *Antequam conuenirent, inuenta est habēs in vtero de Spiritu sancto.* De partu nunc dicit: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitū*: id est cum eam non cognouisset, peperit filium suum: qui ideo solus maxime propriè primogenitus dicitur, quia cum primogenitus diceretur, qui vuluam aperiebat, Exodi. 13. 2. & 34. 19. solus ille aperuit, qui solus clausam inuenit, vt Tertullianus docuerat. Aperuisse autem interpretator, non verè aperiendo, sed quēadmodum si aperuisset, verè nascēdo.

Vsus nominis primogenitis.

CAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT II.

Luc. 2. a. 1.

CVM ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, 2. dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. 3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. 4. Et congregans omnes principes sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. 5. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ, sic enim scriptum est per Prophetam: 6. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. 7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligẽter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: 8. & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. 9. Qui cum audissent regem, abierunt, & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer. 10. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde. 11. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. 12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. 13. Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicã tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. 14. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & recessit in Aegyptum: 15. & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum. 16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis. 17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiã Prophetã dicentem. 18. Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. 19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto: 20. dicens, Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. 21. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israel. 22. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ, 23. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur.

Mich. 5. a. 2. Ioan. 7. f. 42.

Psal. 71. b. 10.

Osee 11. a. 2.

Ierem. 31. Id. 5.

IN CAPVT SECVNDVM.

CVM ergo.) τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος, δὲ recte vertit noster interpres, ergo, quia magis conuenit huic loco vt continuatiua sententia, vt Grammatici vocant, quàm vt aduersatiua sit.

A

In Bethlehem. Seruans Euangelista) leges historiæ, locũ, tempus, euantáque describit. Locũ *in Bethlehem*, tẽpus, *in diebus Herodis*: euenta, *Ecce Magi ab Oriente venerunt*. Cur autem natus sit in Bethlehem, ratio est facilis: primum quòd Michæas Propheta prædixisset. c. 5. 2. & oportebat eum etiam ex natali solo probare se eum esse ducem, de quo Prophera loqueretur. Deinde, quia eodem loco natus erat Dauid 1. reg. 17. 1. & 17. 12. Cuius ipse successor & restaurator regni veniebat, oportebatque inde de radice Iesse florem ascendere, vbi erat radix. Itaque vix dum natus, ex loco natalis sui aduersarios suos principes sacerdorum, & Scribas populi conuincit; si non vt se Christum esse credant, vt quodam modo profiteantur ver. 5. Ita-

Cur Christus in Bethlehem natus.

B

que cum Ioseph & Maria non in Bethlehem: sed in Nazareth habitarent, occasione imperati ab Augusto census veniunt in Bethlehem, Luc. 2. 4. quasi non alia de causa totus describeretur orbis, quã vt ne totius orbis dominus extra patriam suam nasceretur: coëgit Deus Imperatoris edictum prophetiæ veritati seruire.

Iuda.) Plerique codices habent τῆς Ἰουδαίας, Iudææ, atque ita videtur Chrysostomus & Euthymius legisse: multique ita legendum censent, consensione, vt opinor, plurium codicum adducti. Ego Hieronymo potius assentior, qui & hoc loco, & in comment. in cap. Michææ 5. Iudææ pro Iuda vitiosè legi contendit. Iudæam enim totam terram duodecim tribuum Iuda verò solam sortem tribus Iudæ appellari. Cum autem constet duas fuisse Bethlehem: alteram in tribu Iuda vbi Dauid & Christus natus est: alteram in tribu Zabulon. Iosue. 19. 15. & Iud. 12. 8. manifestum esse voluisse Euangelistam, eam quæ in tribu Iuda, ab ea,

quæ in tribu erat Zabulon explicatione tribus separare. Atqui minime separasset, si dixisset, *In Bethlehem Iudæ*, cum in Iudæa, sed non in Iuda vtraque esset. Neque; quodquidam à Hieronymo dissentientes respondent, mihi probatur, etiam terrã tribus Iudæ & Beniamin (simul enim habitabant) Iudæam appellari, vt infra ver. 22. Nam etsi id verum est, tamen ita appellari cœpta non est, nisi postquam à Romanis factũ est regnum, qui Latina forma à Iudæis Iudæam vocauerunt. Itaque nunquam, nisi cum de regno agitur, ita vocatur. Nobis autem non Romanorum: sed scripturarum sequendus est vsus, quæ cum hanc Bethlehem ab illa distingũt, nũquam Bethlehem Iudææ, semper Iudæ vocare solent Iud. 19. 1. Mich. 5. 1.

In diebus.) Hebraismus בימי Hebr. ferè semper dicunt, *In diebus*, pro tempore, præsertim in historia. 4. Reg. 23. 29. & 24. 1. Herodis non illius Tetrarchæ Galilææ. Luc. c. 1. 3. qui Antipas cognomẽto vocabatur, qui Ioannem Baptistam interemit, Christum irrisit, nec illius qui Iacobũ occidit, Petrum vinxit: sed patris illius & aui huius, qui Herodes primus, Magnus, Ascalonita, Antipatri dictus est, cui primo populus Romanus regis Iudææ titulũ dedit. Iosephus lib. 14. ant. c. 18. Hegesippus lib. 1. c. 30. Euseb. lib. 1. c. 6. Cœptum iam erat tum annos per Cæsares numerare, quod & Lucas fecit. c. 3. 1. & Act. 11. 28. sed Matthæus, quia de regno Herodis agebat, cuius vero successorem natum dixerat, eius potius, quàm Cæsaris mentionem fecit.

Mat. 14. Luc. 21. 11. Act. 12. 2.

Regis) vt distinguat à Tetrarcha, de quo. c. 14. 1. Videtur Euangelista autem indicare voluisse tempus fuisse maturum, vt Christus nasceretur. Cũ enim prædictum esset, *non auferendum sceptrum de tribu Iuda, donec veniret qui mittendus erat*, Genes. 49. 10. dum dicit Herodem hominem alienigenam regnasse, indicat sceptrum de tribu Iuda defuisse, exactúmq; fuisse tempus, quod ex prophetia Iacob Christus vẽturus erat. Genes. 49. 10. vt Chrysostomus & Theophylactus adnotauit.

C

Ecce) Hæc particula duplicem hoc loco vim habet. Significat enim statim nato Christo venisse Magos, vt paullo post exponemus; & inopinatò venisse, quod ciuitatis tumultuatione declaratur. ver. 3.

Magi ab Oriente venerũt) Quatuor de Magis quæstiones esse possunt; Qui fuerint? quot? vnde venerint? quo tempore profecti? Nam de stella qualis fuerit, & quomodo ex ea Christum natum cognouerint, postea dicemus, Prima quæstio ex altera pendere mihi videtur; Num Hebraicè, an Græcè, Matthæus scripserit. Nam si Hebraicè significatio nominis מגשמים sequenda erit: si Græcè, nominis μάγοι. Hebraicè autem scripsisse diximus in præfationis cap. 5. Vidẽdum ergo qui sint qui Hebraicè vocantur מגשמים quod hoc loco legimus. מגשמים igitur vocãt Hebræi, quos Latini præstigiatores, vt apud Plautum legimus, id est, qui incantationibus, aut alia qua arte rerum species immutant, vt aliæ sint, aliæ videantur, vt ait R. Abraham. Quales illos Pharanonis fuisse legimus, qui diabolica arte diuinam Mosis artem in transformandis rebus imitabantur. Exod. 7. 12. 22. & 8. 7. At istos nec noster interpres, nec Septuaginta Magos solent vertere: sed ille vbique maleficos: hi φαρμακοὺς aut φαρμακεῖς, vt Exod. 7. 11. & 22. 18. Deuter. 18. 10. & 2. par. 33. 6. Iere. 27. 9. Daniel. 2. 2. Malac. 3. 5. Magos vero & noster interpres, & Septuaginta eos vocare solent quos Hebræi מגשמים, id est, qui inspectione siderum futura prædicunt, sagacitate naturæ somnia interpretãtur, vt Dan. 1. 20. & 2. 2. 10. 27. & 4. 4. & 5. 17. 11. 15. vertit etiam Magos vetus interpres, quos Hebræi vocant אבות Pythones, Septuaginta verò solẽt reddere ἐγ-

1. quæst. de Magis

Magi Hebraice, qui vocati. In Aululatia.

D

E

γαστριμύθους, vt Leuit. 19. 31. & 20. 6. & 1. Reg. 28. 3. 6. Hos autem de quibus Matthæus loquitur, credibile vix est fuisse מגשמים præstigiatores, nomen apud omnes gẽtes infame; cum eos Euangelista magos honoris causa nominare videatur. Vnde me suspicio aliqua subit, aut totum Euangelium, quod Hebraicè nunc habemus, aut hoc certe verbum nõ à Matthæo: sed à Mustero scriptum esse, qui scripturæ consuetudine parum animaduersa, quos מגשמים Magos vocare oportebat מגשמים præstigiatores appellauerit: Itaque, quia Hebraica fides fefellit nos, Græcam sequamur μάγους. Magos ergo tribus modis appellatos inuenio. Nam & qui nefariis magiæ non naturalis, sed diabolicæ artibus vtebantur, Magi dicti sunt Leuit. 19. 31. & 20. 6. & Act. 8. 9. & 13. 6. & apud Herodotum lib. 3. & Strabonem 15. non artis, aut conditionis sed nationis nomen est, inter quinque, enim gentes, quæ Mediam incolebant, Magos cõnumerat, quod idem facit Epiphanius in Epitome fidei Catholicæ, nisi quòd aliam illis originem, & regionẽ aliã assignat. Scribit enim filios fuisse Abraham ex Cethura concubina, qui cum eiecti à patre essent, in Magodiam Arabiæ regionem venerint, ibique sedes fixerint; vnde & nomen vt videtur, putat accepisse. Magis vero vsitata huius nominis significatio est, vt magi apud Persas patrio sermone Sapientes appellẽtur: vt apud Græcos Philosophi, apud Italos Hetruriæ aruspices atque Pontifices apud Indos Brachmanes, aut Gymnosophystæ; apud Babylonios Chaldæi, apud Ægyptios Hierophãtæ, apud Gallos Druidę vocabãtur, vt Cicer. lib. 1. de diuinat. & Strabo lib. 16. tradiderunt, & noster Tertullianus lib. aduersus Marcionem. 1. quo sensu & verosimile est, & creditum à plerisque Magos hoc loco nominari: & quia ab Oriente venerunt, vbi celebre Magorũ nomen erat: & quia stella sunt ducti, quasi homines, qui omnem vitæ cursum stellarum obseruatione gũbernarent, in qua omnis tunc Magorum sapientia versabatur; & quia Euangelista honoris causa videtur Magos appellasse.

Magi à Matthæo cur appellati.

Illud minus est certum an fuerint reges. Ridet Ecclesiam Catholicam hæreticus interpres, quod Reges fuisse credat; quasi locum Psalmi 71. 10. male de illis interpretetur, Reges Tharsis & insulæ munera offerent; & ex Meridie, & Occidente Orientem fecerit. Rideat ergo Tertullianum in lib. contra Iudæos. & lib. contra Marcionem tertio; Rideat Cyprianũ in sermone de baptismo Christi; Rideat Chrysostomum homil. 6. in Matth. Rideat Hilarium lib. 4. de Trinit. Rideat Basil. hom. de hum. Christ. gener. Rideat Idacium ad Varim. Rideat Hieronymum, aut Hieronymo æqualem ætate auctorem. Psal. 21. Rideat Augustinum, aut vetustum certè, quisquis est, auctorem lib. 3. de mirabilibus sacræ scripturæ. Rideat Isidorum, Bedam, & Strabum, vt alios non nominem, quos liberiore fortasse impudentia ridebit. Hi enim omnes reges fuisse credunt, & illo psalmi loco fidem faciunt. Non quod credant reges fuisse Tharsis; sed quod reges Tharsis pro quibusuis Gentilium regibus, quasi exempli loco à Dauide positos putent, vt Tertullianus exemplis etiam scripturarũ docet, eodémque sensu Ecclesia in festo Epiphaniæ illum psalmi locũ vsurpat. Solet enim sæpe, quæ de vna persona dicta sunt, ad aliam propter similitudinem non ignoranter, sed prudenter accommodare. Nec enim ignorat quod scriptum est. Luc. 10. 42. *Maria optimam partem elegit*, non de Maria Christi matre; sed de Maria Lazari sorore dictum esse; tamen ad Christi matrem in eius festo prudenter accommodat, quia ipsa Maria est, & verè optimã partem elegit. Præterquam quod Ecclesia Magos fuisse reges non certa &

Magi an reges. Beza in annot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Catholica fide,sed probabili opinione credit. Licuit enim Christiano poëtæ patrum nostrorum memoria salua religione dicere; *Nec reges vt opinor erant.* Licuit multis nostro tempore Catholicis,& eruditis Theologis idē scribere, suāque opinionem,non vt illi risu, sed magnis argumentis confirmare;non fuisse Euangelistam silentio nomen regū,si reges fuissent,præteriturum ; cum id ad honorem adorandi Christi magnopere pertineret ; maiore apparatu excipiendos ab Herode reges à rege. Ista nos non ignoramus, & malumus tamen credere fuisse reges ; non illos quidem Persarum nobilissimos , sed tamen principes qui regum aut regulorum nomen nierererentur , sicut ille Ioan.4.46.49. & sicut amici Iob, qui ad consolādum eum venerant,Tob. 2.1.3.reges appellātur,& vt Marcus cap.6.14. Herodem magni Herodis filium regem appellauit, cum non rex,sed Tetrarcha esset Galilææ Matt.14.1. & Luc.3.1. Certe poeta Iuuencus primores gentis suæ , & proceres appellat. Coniecturæ sunt, quòd ab Oriente, vsque veniant;vnde priuati profecto philosophi tam longo suscepto itinere non venissent; quòd regem natū adoraturi: quod facere soli principes solent : quòd thesauros habuerint ver.11. quòd ab Herode simul vt venerunt comprehensi non sint,& in crucē acti;quòd ipse Herodes dicat,se quoque adorādi causa,cum,vbi sit,intellexerit,iturū esse, Simulatè : quis neget?tamen veritatem certè simulabat, quasi omnes reges deberent Magorum exemplo nouum regem adorare , quòd priuati homines nunquam ausi fuissent coram tyrāno profiteri,legitimum Iudæorum regem natum esse. At cur Euangelista reges non appellauit? Cur auctor libri Iob amicos eius reges non appellat? Tobię verò libri auctor,appellat? Si alius Euangelista illam eandem scripsisset historiā, quam Ioannes cap. 4. 46. scripsit, illum fortasse , quem Ioannes regulum vocat,alio nomine vocauisset. Neque ratio quærenti omnino deerit , cur Matthæus Magos potius quam reges,cū vtrumq; essent,appellauerit. Voluit enim tacite rationem reddere, cur ex stella Christum natum esse cognouissent. Hoc enim Magorum non regum fuit.

Matthæus in Fastis.

2. quæst. quot fuerunt Magi. Calvin. in Harm.

De numero minus constat.Hîc etiam tidet nos hæreticorum interpres,quod tres fuisse credamus , inde in errorem ducti,quod tria fuerint munera , Quasi singuli singula.non cuncti cuncta communiter obtulerint. Ipse quattuordecim fuisse nescio apud quem auctorem legerit,certè non nisi apud Catholicos legit. Vnde potuit facile cognoscere nos nō certò fuisse tres.sed probabiliter credere. Auctor operis imperfecti ex apocrypha quadam scriptura, quam suo tempore nomine Seth extitisse dicit,duodecim fuisse tradit. Strabus plures tantum fuisse ex modo loquendi Euangelistæ colligit. Communis non solùm vulgi,sed veterum etiam auctorū opinio est fuisse tres, August. serm.29.& 33.de tēpore. Leo.serm.1.4.5.6.7.8.de Epiphania,Ruperti in comment. eaque multo est cæteris probabilior. Illud enim certum est plures fuisse , cum Euangelista numero semper multitudinis Magos appellet,& probabile est plures fuisse duobus. quia non duali vt vocant ; sed plurali vsus est numero. Fuisse autem tres,etsi non certa, tamen probabili cōiectura ex duorum numero colligitur. Credibilius enim est diuersa , quàm eadem omnes munera dedisse , quòd id magis sit vsitatum,& gratius accipientibus honorificentius dantibus esse soleat. Certè hæc opinio aliqua,aliæ nulla ratione probari possunt.

3. quæst. Vnde Magi venerint.

Vnde autem venerint,quæ tertia erat quæstio, etsi magna ex parte Euangelista declarauit;relictus tamē est diuersis opinionibus locus. Multi enim veteres auctores ex Arabia venisse putant.Iustinus in Tryphone,Tertullianus aduersus Iudæos, & lib.3.contra Marcionem , Cyprianus in serm. de stella & Magis, Epiphanius in Epitome. Nec tamen ex Occidente,vt hæreticus putat,Orientem fecerunt. Est enim Arabia ad Palestinam inter Orientem & Meridiem;& solent regiones mediæ nunc Orientales,nunc Meridionales appellari,sicut Regina Saba Regina Austri,id est Meridionalis dicta est.Matth.12.42.Luc.11.31. Moti sunt non immerito hi auctores Prophetia Dauidis.Psalm. 71.10.Reges Arabū & Saba dona adducent.Ipsa quoque munera patriam produnt.Nam Arabiam totam auro, & Sabæorū regionem thure odoribúsq; abundare adeo certum est,vt his ipsis rebus eæ regiones apud poëtas celebrentur. Alij Chaldæos fuisse dicunt.quod aliquādo Chrysostomo placuit. Scribit enim,quod mirum est, à Septentrione venisse.Idemque Strabus auctor Glossæ, quam vocant,ordinariæ; & nonnulli nostro tempore viri sanè eruditi senserūt, quorum potissimum est argumentum , quod neque ex Perside,neque ex Arabia tredecim dierum spatio venire potuissent. Horum ego minime assentior opinioni.Nam etsi Chaldæam mediam inter Septentriones & Orientem esse scio,tamen consuetudo scripturæ est vt Septentrionalis appelletur. Notæ sunt illæ prophetarum voces, Chaldæam significantes , *Ab aquilone pandetur omne malum.* Ierem. 1.14. & 4. 6. & 25.9 Communis mihi placet opinio ex Perside venisse;& quia plures habet auctores,Chrysost. hom.7. Auct.operis imperfecti,hom.2.Cyrillum Alex. lib.4. in Isaiam,Iuuencum poetam, Theophylactum,& omnes fere posteriores : & quia nomen ipsum Magorum Persicum est; & quia Euāgelista dicit ab Oriente venisse,& quia Persicos præ se mores ferūt. Reges enim adorare,& non sine munere adire Persica lex erat, vt omnes eius gentis scriptores tradunt. Quo autem modo tredecim diebus venire potuerint, paullo post explicabimus.

4. quæst. Quando Magi venerint.

Quarta supereſt quæstio, quādo nam venerint, & quando profecti sint ; duas enim has partes quæstio habet.Epiphanius duobus post natum Christum annis venisse affirmat, & omni ope contendit hær. 30. & 31 propter illa verba. ver.16. *Occidit omnes pueros à bimatu,& infra secundum tēpus quod exquisierat à Magis.* Idemque ante eum Eusebium Cæsariensem senisse ex eius apparet Chronico.Multo verior est Ecclesiæ sententia decimotertio die post natum Christum venisse;quod veteres etiam auctores tradiderunt,Augustinus serm.1.2 & 3.de Epiphania. Leo octo sermonibus.Certè illud constat.non multis post diebus aduenisse.Hoc enim Euangelista significat , cum dicit, *Cum natus esset Iesus, ecce Magi venerunt.* Nam & connexio verborum,& particula illa, ecce , indicat post Christi natalem statim Magorum aduentū secutum fuisse,vt Gen.29.9. *Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum omnibus patris suis.* Et Genes.24.15. *Necdum intra se verba compleuerat,& ecce Rebecca egrediebatur ;* & quia certum est.Ioseph & Mariam nō mansisse in Bethlehem supra quadraginta dies purificationis,qui ex lege præscripti erant ; Leuit.12.2. Statim enim venerunt in Ierusalem vt sisterent eū Domino Lucæ 2.22.& statim reuerterunt in Galilæam ver.39.Magi autem Christum in Bethlehem inuenerunt Matth.2.9.ergo ante quadragesimū à natali diem Magi venerunt.Quod enim Epiphanius ait Ioseph & Mariam singulis annis eo die ex Ægypto in Behlehem venire consueuisse;cumque post duos annos redijssent , Magos eos inuenisse : mirum videri potest tam erudito viro in mentē venire potuisse,quis enim credat Ioseph & contra naturalem caritatem.& contra mandatum Dei,Matth.2.13.infantem in illū ipsum

locum

Libr. de Land.

locum,vbi à tyranno quæri sciebat,reducturū fuisse? cum etiam mortuo tyranno,& à Deo admonitus,vt reuerteretur,ausus non fuerit in Iudæam redire;sed in Galilæam diuertit ver.22. Aliquod etiā est argumentum,q Ioseph & Maria adeo incommodè in Bethlehem habiti fuerint,vt credibile non sit diu iacente in præsepi Christo eos manere voluisse.Quādo ergo ex patria profecti sunt? Quidā duobus ante natalē Christi annis profectos putant iisdē impulsi verbis,ver.16. *à bimatu & infra secūdū tempus,q exquisierat à Magis.* Ad quam sententiā auctor operis imperfecti hom.2. & August.ser.7.de Epiphania accedere videtur. Mihi vero incredibile videtur,Magos duos integros annos in itinere posuisse,etiā si totū terrarū orbem pedibus peragrassent.Nam nostra ætate Magallanius duobus annis multis superatis impedimētis,in multis diu locis cōmutatus vna naui totū circum orbem terræ nauigauit. Aiunt quidā stellam quidem ante duos annos Magis apparuisse;nō tamē statim profectos fuisse eos; prius disputandū fuisse diu,quid stella portenderet;re vero explorata adorandam profectionem. Hoc etiam postea,cum de stella agemus,refutabimus. Fingamus tamen ita esse.nimis adhuc longum erit tempus.Mihi Augustini sententia valde placet ser.32.de tēpore,eos non nisi nato iam Christo ex patria discessisse. Hanc enim vim habet, *Vidimus stellam eius in Oriente*,i. quæ natum significabat. Cum autē 13. post die credantur adorasse;reliquum est non vltra octo aut nouem dies in itinere posuisse.Nec enim eodem die,quo stellā viderunt,discessisse credendū est.& Ierosolymis Herodes eos interrogat,dum Scribas & sacerdotes cōsulit, duos vt minimum mansisse dies valde est vero simile. Quo magis mirum est eos tantillo tēpore vt Perside vsque venire potuisse.Duæ tamen res admirationem tollent ; altera quòd credibile sit eos non ex vltimis, sed ex proximis Persarum finibus venisse,qui ab Ierusalem vix vltra ducentas leucas distare reperiuntur. Altera , quòd verosimile sit camelis vsos esse , qui quamuis onerati quadraginta quotidie leucas conficere dicuntur. Nam quod Remigius vult diuina id factum virtute ; vt fieri potuisse credendum est, ita factum fuisse non est necessarium, nisi probetur.

Cur Magi Ierosolymā venerunt.

Ierosolymam.) Mirum cur Ierosolymā venerint,cum in Bethlehem ab stella ducerentur. Sunt,qui putent stellā prope Ierosolymam disparuisse,vt Magi natum regē in vrbe regia nuntiarent,ne Iudæi ignorare possent,quod Gentiliū testimonio didicissent.In qua sententia Ambrosius est lib.2.in Luc.c.2.& Aug.ser.30.31. & 35.de tempore,& Chrysost.hom.7.in Matth.Basil. in hom.de hum.Christi gen.Theoph.Bern.in senten. Quod eo est probabilius,quòd Ierosolymitani stellā non viderint. nec enim Euangelista videtur prætermissurus fuisse.Quod si non disparuisset,omnes vbique eam vidissent.Id etiam indicat Euangelista ver.9. *Qui cum audissent regem,abierunt,& ecce stella quā viderāt in Oriente antecedebat eos,vsque dum veniens staret supra vbi erat puer.* Quasi dum fuissent Ierosolymæ, non vidissent,& simulatque inde discessissent,iterum videre cœpissent. Bernardus existimat prius Magos Ierosolymā venire voluisse,vt de nato interrogarent regē.ideoq; stellam sese occultasse ; vt qui humanum quærebant consiliū, diuinum amitterēt ducem. Mihi non tam eorū curiositate,quam diuino consilio factū videtur,vt Ierosolymam venerint : partim vt Iudæi inexcusabiles essent,vt Hieronymus ait : partim vt prius à gentibus , quam à Iudæis Christus rex natus annuntiaretur.ne Iudæorū de suo rege testimonium suspectū haberetur,vt Basil.hom.de hum.Christi generatione.Humana etiam postulabat ratio,vt qui natum quærebant regem,in regiam vrbem venirent.

2. Qui natus est.) Notanda Magorum asseueratio;nō enim dubitantes interrogant, an natus sit ; sed certi, tanquam à Deo docti,natum esse asseuerant. Videntur etiam ita loqui,quasi omnes natum esse sciant.Et verò quis crederet Iudæorum natum regem Persas scire , ignorare Iudæos ? Credibile etiam est eos de nouo rege interrogasse;de quo cum nihil cognoscere potuerint,Ierosolymam venerint;quasi in vrbe regia sciturī,quod in aliis scire non potuissent.

Rex Iudæorum.) Duobus modis hæc verba iungi possunt,vel Rex Iudæorū qui natus est,vel qui natus est Rex Iudæorū.vterque sensus probabilis,secundus tamen mihi videtur probabilior , quia ἰμαλλοπρεπέστερος. Nec enim ignorare Magi poterant Herodē legitimū & naturalē nō esse regem : sed factitium,& à populo Romano datū.Factitio ergo regi naturalē opponunt.

Vidimus enim stellā eius indicē natalis eius. Quinque de hac stella quæri possunt:qualis fuerit? quando primum visa ? Vbi ? quomodo ex ea Magi cognouerint natū esse Christū? Cur per eam potius,quàm alia ratione docti fuerint? Verā fuisse stellā vnā de numero cæterarū,quæ ad præstandū Magis obsequiū descenderit,Greg.Nyssenus existimat in homilia de Christi incar.Alij fere oēs non verā stellam ; sed stellæ similitudinē fuisse putant.Chrysost.hom.in Matt.6.Basil.hom. de humana Christi generatione,Ambr.lib.2.in Luc.c. 2.Aug.ser.30.de tempore.Fulgentius in hom.de Epiphan.Auctor librorū de mirabilibus sacræ scripturæ , qui nomine Augustini circunferūtur,lib.3.c.4.Quod multis probant argumentis:quòd nunquā antea visa, quòd nunquā post,quòd non fuerit in cœlo,alioqui viā monstrare non potuisset,quòd ab Oriente in Occidentem contra naturalē cursum venerit,quòd non solum noctu,sed etiam interdiu luxerit,quòd se se aliquando occultauerit,vt diximus ver.1.q sterserit supra domū vbi erat puer.Quæ omnia probabilia,non necessaria argumenta sunt.Nam qui fecerat aliquādo,vt sol staret,aliquando vt retrorsum reuerteretur;facere potuit vt vera stella statione naturali relicta isthæc præter naturā suā officia præstaret:sed quia miracula Deus sine necessitate facere nō solet,nec à nobis nisi probentur,pro miraculis habēda sunt ; credibilius est verā non fuisse stellam,cum stellæ similitudo esse potuerit,&ad docendos ducendosque Magos satis esset, stellā apparētem Euangelista propter similitudinem, non propter veritatem appellauit.sicut nos cometam stellā vocamus. Quid autem fuerit,magna inter scriptores dissentio est. Nonnulli Spiritum sanctū fuisse putant,qui,vt post baptismū specie columbæ;ita nunc specie stellæ ad demonstrandum Christum descenderit.Ita auctor ille librorū de mirabilibus sacræ scripturæ lib.3.c.4.Alij fuisse angelum,qui stellæ speciem induerit. Nam & angelos stellas appellari Apoc.1.20. hanc opinionem auctor ille,quem paullo ante nominauimus, probabilem, Theophylactus veram existimat. Plerique alij cometam fuisse dicunt. Ego aut cometam, aut angelum dixerim.

1. quæstio de stella Magorū an vera fuerit.

Quando autē sit visa,non conuenit. Quidā duobus annis,antequam Christus nasceretur visam dixerunt propter illa verba ver.16. *A bimatu & infra,secundum tempus,quod exquisierat à Magis*,vt refert Euthym. Et quidem auctor operis imperf. hom.2.ita sentit.& Nicephorus lib.1.13.Idemq; aliquando sensit August.vt apparet ex ser.36.de tēpore:quanquā sententiā postea correxit.Alij vno ante anno,vt idē refert Euthymius. Alij aliquanto ante,vt Chrysost.Euthymius & Theophylactus. Alij eo ipso die quo natus est Christus. vt Augustinus serm.4.de Epiphania. quod ego probabilissimum puto. Hanc enim vim in illis verbis animaduerto, *Vidimus stellam eius in Oriente*,i. quæ eum

2. quæstio quando stella apparuit.

natum

Universidad de Deusto
Biblioteca

natum significabat:& in illis *Vbi est qui natus est?* quasi ex stella non nasciturum Christum; sed iam natum certò cognouissent. Cum ergo Herodes à bimatu,& infra pueros occidit,secundum tempus quod exquisierat à Magis: ver.16.dicemus.

3. quæstio vbi stella apparuit.

Vbi viderint,nõ constat.Hæc enim verba ambigua sunt,*Vidimus stellã eius in Oriente.* Sensus enim duplex esse potest;aut eos cũ in Oriẽte essẽt.stellã in Occidẽte vidisse,aut videsse stellã quæ apparuerit in Oriẽte, vt 2.reg.11.2. *Viditq; mulierẽ ex aduerso se lauantẽ super solariũ suum:* Dubiũ enim est,an viderit mulierẽ, quæ super solariũ suum lauabat.an ipse ex solario suo eam viderit. Nõnulli ergo nõ in Oriente.sed in Occidẽte stellã apparuisse putãt.quod auctor lib.de mirab.sac. scripturæ lib.3.c.4. affirmat. Strabus in medio relinquit.Sed non videtur mihi dubitandum,quin in ipso illis Oriẽte primũ apparuerit,& viæ dux fuerit.Cum enim dicũt,*Vidimus stellã eius in Oriẽte*,non tam vnde, quã qua ratione mori venerint,dicere volunt; quòd stellã nimirũ eius viderint.Sẽsus ergo est eã in Oriẽte apparuisse; quia nõ agebatur,vbi ipsi essẽt,sed vbi eã vidissent.Deinde si in Occidẽte,i. in Iudæa apparuisset,vtiq; visa fuisset à Iudæis;q Euãgelista non tacuisset.Præterea quãuis Euãgelista non dicat stellam per totã viã Magos anteceſſisse tamẽ quia dicit ver.9.anteceſſisse eos,postquã exierũt ex Ierusalẽ,vsq; dũ veniens staret supra vbi erat puer;credendũ est idẽ eã ante officiũ de Oriente vsq; in Occidentẽ præstitisse.

4.quæstio quomodo ex stella Magi Christum cognouerunt.

Quo autẽ modo Magi visa stella Christum natum esse cognouerint,difficile dictu est.Auctor operis imperfecti historiã apocryphã recitat in stella similitudiné pueri fuisse,qui Magos allocutus Christũ natum docuerit,& vt eũ adoraturi proficiscerentur imperauit.Alij naturali astrorũ scientia eos coniecisse. quod videntur Priscillianistæ existimasse.sæpe de hac re ab Augustino,Chrysostomo,Leone,& Gregorio reprehensi.Enim vero certũ est naturali scientia nõ solum Deũ,sed ne hominẽ quidẽ vllum natũ esse cognosci posse.Reliquũ ergo est,vt reuelatione cognouerint. Quo autẽ modo,aut quando ea facta sit,de eo dubitatur.Hieron.in caput.Isaiæ 19. per dæmones factam putat. Idemq; scripsisse lib.1.contra Celsum videtur Origenes,qui sicut alia,sic etiam hoc adiurati Magos docuerint,quid stella significaret. Nec improbabile omnino est voluisse Deũ filij sui ortũ per dæmones declarari,cũ videamus eos Christum negantibus Iudæis confiteri Matth.8.29. & consentaneum videbatur,vt pastores,qui cœlũ perpetuo contuebantur,per angelos à cœlo; Magi.qui ab inferno scientiam hauriebant,ab inferno per dæmones docerentur.Alij per angelos factã malũt,vt Aug.ser.de Epiph.Alij intrinsecus à Deo hoc mysteriũ eorum animis inspirando, vt Leo ser.1.de Epiph.quod & August.videtur approbare ser.34.de tempore.Constantissima vero omnium ferè veterum auctorũ opinio est Magos ex Prophetia Balaam iam diu cognouisse Christo nascente stellã orituram Nũ.24.17. *Orietur stella ex Iacob.* Magos enim aut posteros fuisse Balaam.aut ex eius posteris qui vicini fuerint,eam Prophetiã traditionẽque accepisse, Origenes hom.13.in Num.Ambr.lib.2.in Lucam.c.2. Chrysost.ho.1.in varios Euangelistas. Epiphanius in epitome,Basil.hom.de humana Christi generat.Auctor imperfecti ho.2. Hieron.hoc loco.Quod ego & propter tot tantorumque testiũ auctoritatem.& propter verisimilitudinẽ valde probabile iudico.Videntur que Magi,cũ dicunt,*Vidimus stellam eius in Oriẽte*, ita loqui quasi de re,quæ Iudæis nota esset,existimantes Iudæos eam prophetiam.quam ipsi Gentiles scirent,ignorare nõ posse.Non em dicunt,*Vidimus stellã quandam in Occidente*;sed *vidimus stellam eius*,quia de illa loquebantur,quã omnes sciebant nascente Christo apparituram;quemadmodum si quis nunc diceret, Antichrist' venit,& vt Andreas Petro fratri suo dixit; *Inuenimus Messiã*,Ioã.1.45.Auget probabilitatẽ, quòd Herodes crediderit per eam stellã natum significari Christum,quasi id vulgo notũ esset. Nec enim rogat principes sacerdotũ,an Christo nascente stellã apparitura sit,sed vbi Christus sit nasciturus. Quod autem quidã obiiciunt in illa prophetia Balaam stellã Christum ipsum appellari,cum ex Iacob dicatur oritura; non nego.Sed nouum nõ est,vt vnum verbum præsertim in prophetiis,& Christum & Christi figuram significet,vt infra ver.15 *Ex Aegypto vocaui filium meũ*, Illud certum esse arbitror,Magos præter stellam,aliquam,siue per hanc prophetiam. siue aliunde, diuinam reuelationem habuisse, asseueranter enim, & tanquam à Deo docti loquuntur; *Vbi est qui natus est rex Iudæorum?*

5. quæ cur Magis stella apparuerit, ges Deum docuerit.

Postrema quæstio erat;Cur Deus Magos per stellã docuerit? Non est difficilis conrectura; & Gregorius docuit voluisse Deũ accommodarè ad eorũ scientiã eos erudire.vt,qui in stellarũ obseruatione versabantur, ex stellis Christum cognoscerent. Omnibus in rebus & quærere & inuenire possumus Deum.

Et venimus adorare eum.) Qui hoc loco non aliam quàm vrbanitatis adorationem intelligunt,nimis mihi videntur vrbani. Cur enim tot alios Iudæorum natos reges nemo peregre adoraturus venit,vt Athanasius in libr. de incarnatione argumentatur? Quo modo in stabulo,& in præsepi iacentem adorant; si nihil nisi hominem cogitant? Quomodo Herodes se quoque adoraturum dicit? Frustra profecto Deus tam inusitato eos miraculo docuisset,vt solum hominem,non etiam Deum adorarent.19.

Calid. in Harmon.

4. Et congregans oẽs principes.) Vnum tantum fuisse principem sacerdotũ ex multis locis perspicuum est. Matth.16.59.61.vsque ad ver.65.Mar.1.44.& 2.26.Lucæ 22.50.54.Act.4.6.& 5.17.21.27.& 7.1.& 9.1.& 22.5. & 23.2.& 24.1. Itaq; merito quæritur,quo sensu,quasi multi fuerint,principes sacerdotũ appellentur. Quod non hoc tantũ loco,sed multis etiã aliis fieri animaduertimus,vt Matth.16.21.& 20.18.& 21.15.23.45. Sunt, qui dicant principes sacerdotum appellari omnes,qui summi aliquãdo fuissent sacerdotes:erãt enim annui, & venales,Ioan.11.49.& 18.13. ex quo Pompeius vrbẽ expugnauerat.& vestẽ sacerdoralem in suã,populiq; Romani potestatẽ redegerat,vt Iosephus scribit li.18. ant.c.6.& Euseb.lib.1.hist.eccles.c.6.Ita Chrysost.& Euthym.infra.c.26.5.& Thoph. interpretantur; Mar. 14. quorum opinio inde refellitur, quòd antequam annui essent summi sacerdotes,cum ea dignitas non ante finem vitæ finiretur,plures tamen principes sacerdotum dictos legimus 2.par.6.14. Vnus ergo erat, & multi.Vnus summus,qui absolutè princeps sacerdotum.aut Pontifex vocabatur. Multi.qui erant ראשי אבות capita familiarũ sacerdotaliũ.vt apparet 1.par.15. ver.6.vsq; ad 12.& c.24.6.Vocat ergo Herodes sacerdotes,quia eorũ erat officiũ de lege respõdere Mal.2. 7.nõ oẽs,quia infinitus fuisset numerus.sed principes, qui & pauciores,& doctiores erãt,& quia erãt ex numero Sanhedrim ordinariorum iudicum, & quasi consiliarij,vt intelligitur 1.par.23.4. Matth.26.3.Mar. 11.18.Act.4.26. & multis aliis locis,vbi sine principibus sacerdotum nullum concilium cogitur.

Quinam fuerint.

Et scribas populi.) Scribæ סופרי proprie erant publici notarij; quorum officium erat non solum publica instrumenta conficere, sed etiam sacras scripturas incorruptas seruare, earumque sensum interpretari,vt constat 4.reg.22.8.9.10.& 1.Esdræ.7.10.11. & Matth.7.29.& 17.10.& 23.2.& 1.Cor.1.20. Itaque

iidem νομικοὶ id est legis periti vocabantur Luc.7.30.& 11.46.Non item νομοθέται legislatores,vt quidã putant. Horum enim maior erat dignitas. Quemadmodum apud Græcos Grammatici primũ dicti sunt,qui litteratores nouerant.id est legere & scribere;deinde qui auctores corrigebant,& interpretabantur;qui in omnibus quæstionibus,quæ de historiis,fabulis,auctorum sensu incidebant.iudices erant.Theophylactus: Ideo ab Herode etiam vocantur,& quia pars magna Concilij erant Mar.14.53.& 15.1.Lucæ 22.66.

Vbi Christus nasceretur.) Hebraismus,id est vbi nasciturus esset, ילד.

6. Et tu Bethlehem.) Hunc locũ dissensio,quæ prima specie magna videtur esse inter Euangelistã atq; Prophetam,difficilem facit.Quattuor autẽ rebus videtur dissidere.Quòd Euangelista dicat,*& tu Bethlehẽ terra Iuda*; Propheta verò,*& tu Bethlehem Ephrata*; Quòd Euãgelista,*Nequaquã minima es*,Propheta צעיר להיות minima es,vt sis; quod Euangelista ex te exiet dux; Propheta ducẽ non nominet.Quod Euãgelista dicat, *Qui regat*,aut,ὅστις ποιμανεῖ,qui pascat; Propheta רועה, qui dominetur.Deniq; Euangelista,vt Hieron.ait.neque cũ Propheta,neque cum Septuaginta vllo modo videtur conuenire.Quidã nimis facile respondent Euangelistas memoria læpe lapsos testimonia scripturarũ non aliis tantũ verbis,sed alio etiã,contrarioque sensu recitare. Cuius sententiæ magnũ auctorem in epist.ad Pammachium Hieronymum citant. Euangelistas contrario sensu scripturas citare dictu impium iudico:neque id vsquã Hieronymus dixit.Nam q̃ ait in epistola ad Pammachium de hoc ipso loco agens sensum esse contrariũ:non significat totius loci Euãgelistæ sensum totius loci Prophetæ sensui: sed vnius verbi Euangelistæ sensum vnius verbi Prophetæ sensui,si per se consideretur,contrariũ esse.Nam,*minima es*,& *non minima es*,per se considerata contraria profecto sunt;vt autẽ ab Euangelista,& Propheta dicũtur, non cõtraria,sed idẽ sunt,vt paullo post exponemus. Memoriæ autem lapsum,qui Euangelistis tribuunt, quorum ore Spiritus sanctus loquebatur, etsi rem, quasi humanũ sit,extenuant.videant an in Euãgelistis excusent,quod in se siquis excusaret,rideri se putarẽt. Ego id aut impium etiam esse,aut prope ab impietate abesse arbitror. Cautior Hieronymus;qui sacerdotes potius & Scribas,quàm Euangelistã accusare maluit. Putat enim in commentariis in c.5.Michææ Euangelistam,non quid propheta dixerit,sed quid sacerdotes & Scribæ respondérint narrare voluisse,vt scripturarum in illis ignorantiam notaret.Sed neque credibile est sacerdotes,quantumuis indoctos,Prophetæ verba infideliter recitasse; præsertim cùm vero simile sit in re tam seria librum ipsum in mediũ protulisse; & Euangelista potius laudandi,quàm reprehendẽdi causa videtur eorũ responsum recitasse; vt ex aduersariorũ etiam sententia probaret Christum in Bethlehẽ fuisse nasciturum.Alij interrogatiuè locũ Prophetæ legendum putãt;vt idem sit,*An minima es?* apud Prophetã; & *nequaquam minima es*,apud Euangelistã;quod non esset credibile si probaretur.Alij צעיר apud Prophetã neutro genere positum dicunt; vt sit sensus, parum est,vt sis in millibus Iuda.id est maxima es.vt sis inter principes Iuda,quod Euangelista dixit, *Nequaquam minima es*. Hæc interpretatio cum mihi ipsi,sicut & illa superior,ante quam apud vllum auctorem legerem,venisset in mentem,vix inuenta displicuit; quod Hebræi non soleant eo sensu dicere צעיר,sed מעט vt Gen.30.15.Isai.7.13. Credo ego huius rei explicationem ex alia quæstione pendere,an hæc verba sint sacerdotum & Scribarum, an Euangelistæ. Nonnulli enim interpretes Euangelistæ esse putant, qui haud scio quo modo explicare quæstionem possent, sed eos connexio, contextusque verborum videtur redarguere. Sunt ergo sacerdotum verba ab Euangelista fideliter recitata. Quare sic existimo Euangelistam non verba propheræ,sed sacerdotum Scribarúmque interpretationem recitare voluisse: quæ eiusmodi fuit. *Et tu Bethlehem Ephrata*,id est terra Iudæ. Hæc enim Bethlehem olim Ephrata vocata fuerat.Gen 35.16.19.& 48.7.Quia ergo alia erat Bethlehem in tribu Zabulon Iosue.19.15.& Iud.12.8. quæ Ephratha non cognominabatur, addidit Propheta hoc epithetum,vt hanc Bethlehem,ab illa distingueret: sacerdotes vero epithetum prophetæ, alio clariore epitheto explicare voluerunt. *Et tu Bethlehem Ephratha*,id est quæ est terra Iuda.non Zabulon; vt doceant sensum Prophetæ esse,non in ea Bethlehem, quæ erat in tribu Zobulon; sed in ea quæ in tribu erat Iudæ Christum nasciturum. Id enim Herodes magnopere putabat sua interesse.vt sciret. Quod autem sequitur, *Minima es vt sis*,sic exposuerunt,quasi Propheta ironicè locutus fuisset, Minima quidem videris,si murorum tuorum spectetur ambitus; at nequaquam minima es; *Ex te enim exiet dux,&c.* In millibus אלפים interpretati sunt, in ducibus, id est inter duces, aut prouentu ducum. Nomen enim אלפים vtrumque significat & duces, & mille, quia duces mille plerumque hominibus præerant, inde χιλίαρχοι à Græcis appellati. Fuisse autem populum in chiliadas distributum, & nemo nescit; & Exod. 18.25.& 1.Paralyp.23.4. manifestum est. Quod idem in vetere Græcorum Rep. factum fuisse apud Aristotelem,& Platonem legimus. Dubium autem non est, quin Propheta non solum ad ortum futurum Christi prospexerit; sed etiam ad præteritum Dauidis alluserit; significans paruum oppidum vnum iam præstantissimum ducem Dauidem protulisse; alterum verò longè præstantiorem Christum prolaturum: & quia de Christi ducis ortu agebatur,apposite sacerdotes interpretati sunt ומושה באלפים in ducibus Iuda. Quod autem pro ירעה dominetur,interpretati sunt ποιμανεῖ pascet, regendi modum declarare voluerunt: futurum significantes, vt Christus non in virga ferrea,vt gentes: sed in pedo benigni pastoris,cuius oues essent propriæ, populum suum regeret: simulque,vt opinor,ad Dauidem Christi figuram alludunt,qui à pascendis ouibus ad pascendum populum Dei traductus est. *Nam de gregibus ouium assumpsit eum,de post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum,& Israel hæreditatem suam*, Psal.77.76.77. sicut Petrus & Andreas allusione ad præteritum officium piscatores hominum facti dicuntur Matth. 4. 19. Melius tamen mihi nostet interpres vertisse videtur,reget, quàm alij nonnulli vertunt, *pascet*: quia non vocauerant Christum ποιμένα pastorem, sicut reges Homerus vocare solet: sed ἡγεμόνα, ducem cum quo melius regendi, quàm pascendi cohæret verbum. Chrysostomus, & auctor operis imperfecti sacerdotes reprehendunt, quod non integrum Prophetæ testimonium produxerint. Sequebatur enim: *Et egressus eius à diebus æternitatis*,quod illi tacuerũt. Sed non tam malignitate:quã prudentia mihi videtur tacuisse, quod ad quæstionem ab Herode propositam, *Vbi Christus nasciturus esset*, nihil attinebat.

Iulián. β

7. *Clam vocatis magis.)* Clam vocat,quia Christo insidias parat.

Tempus stellæ,τὸν χρόνον τοῦ φανέντος ἀστέρος,tempus, quo apparuerat stella,id est, quo illis tempore primum cœpisset apparere.

10. *Videntes autem stellam.)* Qui hunc colligunt stellam non fuisse Magis totius ducem viæ, quod quasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nouo nunc eius officio lætentur,non videtur animaduertere,eadem ratione probari posse,ne visam quidē illis antea fuisse;quòd ita núc,quasi ante nō vidissent, ea visa lætentur. Quod absurdum profecto est. Iam enim dixerant; *vidimus stellam eius in Oriente.* ver.2. Non id ergo,sed illud potius colligitur,eā ad tempus, cū Magi Ierosolymis essent,disparuisse,vt ver.1. Ambrosium,Chrysost.Basilium,Augustē.Bernardū,Theophylactum diximus docuisse. Neque mihi videntur horū verborum sensum penitus intelligere. Nec enim significat,vt ego quidem arbitror,Euangelista Magos aspectu stellæ, quæ paullo ante euanuisse videbatur, lætos fuisse.id enim si dicere voluisset,non hoc loco, sed ante dixisset,*Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos,&*:*gauisi sunt gaudio magno valde*; sed significat eos gaudios fuisse videntes stellā (sicut proximè dixerat) stantem supra vbi erat puer. Lætantur enim,non quod stellā viderint; quam sæpe iam viderant; sed ϕ Christum, quem quærebant, inuenerint.

Gaudio magno valde גילה גדולה מאוד,id est maximo.Notus & frequēs Hebraismꝰ,Ier.24.3. *ficus bonas bonas valde*, i optimas,*Et ficus malas malas valde*,id est pessimas.

11. *Et intrantes domum.)* Quia domum,nō stabulum intrasse dicuntur Magi,nata quæstio est,an adhuc in præsepi iacentem Christum inuenerint. Epiphanius hæres.31.hinc argumētatur Magos duobus post Christum natū annis venisse;quod non in stabulo vbi natus fuerat,sed in domo eū dicantur inuenisse;idemq; Theophylactus affirmat. Alij fere omnes in præsepi à Magis inuentū & adoratum fuisse tradunt. Iustinus in Tryph. Chrys.hom.in Matth.7.auctor. imper.hom.2. Aug.ser.1.& 2.de Epiphania. Immò veto Euthymius dubitat,vtri prius Magi,an pastores adorauerint,patiterquè vtrumque putat esse probabile. Quamquam ego de eo non existimo dubitandū,cùm eadē nocte, qua Christus natus est,pastores constet adorasse Luc. 2.11.16. Magos autem,etsi tertiodecimo venerunt die, non iam in præsepi;sed honestiore loco Christum inuenisse mihi probabile videtur. Quod enim in præsepi repositus fuerit,partim mysterio,partim necessitate factum est,quia cōfluentibus vndique in Bethlehem descriptionis causa,qui ex familia Dauidis genus ducebant,non erat locus in diuersorio Luc.2.7. Mysterio iam erat satisfactum. Necessitatem cessisse credendū est;& Mariam aut Ioseph omni diligētia commodiorem locū quæsiuisse suadet ipsorum pietas. Auctores vero illi superiores concionando fortasse,magis quàm interpretando in præsepi adoratum dixerunt, quòd id & mysteriū, & admirationem, & Magorum fidē augere videretur:sed quia illa superior fere communis est Patrum sententia,non facile est reiicienda.

Cum maria matre eius.) Quòd Iosephi mentio non fiat,aut casu,quòd forte domi tūc nō esset;aut mysterio factum est,vt Ioseph à Magis non inueniretur,ne forte Christi patrem putarent. Nam pastores puerum cum Ioseph & Maria dicuntur inuenisse,Luc.2.16.

Obtulerunt ei munera aurū,thus,& myrrham) Quibus Orientales abundant,quamquam nolim mysterium excludere,ϕ omnes hic veteres auctores tanto consensu cognouerunt,vt Regi aurum,Deo thus,homini myrrha data sint. Minus enim mysterij esse videbatur, quòd mulier illa vnguento Christū perfudisset,quod nihilo minus erat apud Orientales vsitatum; tamen Christus ad significandam suam sepulturam, de qua nihil fortasse mulier cogitabat,factū dixit Mat.26.12. Huius autem mysterij etsi non Christum, quia nihil eum de Magis locutū legimus; tamen omnes veteres auctores interpretes habemus,Irenæū lib.3.c.10.Cyp. ser.de stella & Magis,Orig.lib.1.contra Celsum,Basil. hom.de humana Christi generatione,Greg.Nyss.hō.

Munerū Magorū significatio.

de Christi natiuitate,Chrysost.hom.1.in varios Euangelistas,Ambr.lib.1.de fide.c.2.Aug.ser.1.de Epiph.& ser.37.Hieron.in comment. Iuuenecum,& Sedulium, quorū nota sunt carmina. Solis in sententiis Bernardus cum totus alias mysticus esse soleat & hoc ipsum mysterio tribuat ser.2.& 3.de Epiph.nullū hîc mysterium agnoscit;sed aurum pauperi,myrrham consolidandis infantilibus mēbris,thus loci fœtori mitigādo datum putat. An autem singuli singula,an cuncti cōmuniter cuncta obtulerint dona,ϕ Srabus incertum relinquit,diximus ver.1. Aliā hîc nonnulli quęstionem mouent,quā vt curiosam, præteriissem, nisi aliquā ad explicandū alium scripturæ locū lucē afferre posse iudicassem: Qua in re tantū thesaurum Ioseph & Maria consumpserint? Nec enim vero simile est reges qui ex Oriente vsq; venisse,& thesauros aperuisse dicuntur, parum quiddā obtulisse auri;& videmus tamen Mariā Purificationis die agnū,vt præscriptum in lege erat, emere non potuisse,ideoq; par turturū,aut duos pullos columbinos obtulisse. Luc.2.24. Respondeo non constare ex eo loco,vtrū Maria agnum,an par turturum vel duos pullos columbarū obtulerit:tamen quia probabiliter inde colligitur;& ita oēs sentiunt; placet mihi,quod à quibusdam dictum est thesaurum illum Deo fuisse ab illis consecratū. Nam quod alij dicunt ad peregrinationem Ægypti seruatum fuisse,ideo minus credo,quòd & auaritiam redoleat;& quādo puer præsentatus in templo est,nihil dum de ea peregrinatione Iosephus cogitauerat,quo tempore thesaurum consumptum iam fuisse probauimus.

13. *Surge & accipe)* ἔγερθεὶς παράλαβε,expergefactus accipe,id est expergiscere statim,& accipe,vt affectus interpretatur.

14. *Qui consurgens)* ὁ δὲ ἐγερθεὶς. Ille vero expergefactus,id est cum statim post visum euigilasset,accepit puerum,& de nocte fugit. Credibile est prope fuisse carnifices;qui puerum quærebant,quādo intempestā nocte fugere iubetur. Fugerūt autem non ex Bethlehem,nec ex Ierusalem; sed ex Nazareth,quæ erat in Galilæa,vt perspicuum est ex Luca c.2.39. Cur autem in Aegyptum,prōpta est causa,vt essent extra Herodis imperium. Aliam Euāgelista reddit,vt impleretur quod dictū fuerat per Prophetam,*Ex Aegypto vocaui filium meum.* quamquā ibi nō tam causa,quā euentus significatur. Erat Aegyptus in rebus aduersis Iudæorum confugiū. Nam fame olim impulsi in Aegyptum confugerūt. Gen.46.6.& bello longe post à Chaldæis vexati,qui ex calamitate reliqui erant,eodem sese cōtulerunt 4.reg.25.26. Videtur Aegyptus schola esse filiorū Dei,quia adolescere non possunt,nisi vexentur.

Et erat ibi vsque ad obitū Herodis. Quādiu Christus manserit in Aegypto,aut quo loco,quidve ibi egerit, nec expressit Euangelista,nec aliunde certò constare posse arbitror. Qui septē annos fuisse dicunt, auctorē secuti eum,qui Scholasticam;vt vocant;scripsit historiam;non probant. Neq; qui tres,vt Niceph lib.1.c.14. Omnium fere sententia est duos fuisse annos: quod Epiphanius hær.51. videtur approbare. Res fortasse non ita magni refert, sed si volumus,quod in ea est probabilissimum,perquirere,tria nobis principia sequenda sunt; quæ ex Euangelista facile probantur. Vnum est,hanc fugam eodem anno contigisse, quo Christus à Magis adoratus est;& quidem non multò post adorationem. Hoc enim verba illa significant: *Tunc Herodes videns quòd illusus esset à Magis,*& hæc ver.13.*Qui cū recessissent,ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph,*quæ quāuis,vt diximus,non significent statim;tamen certe significant non multò post Magorum abitum & Ioseph,vt fugeret,admonitum;& Herodem pueros occidere cœpisse. Alterum est,eodem

Quando Christus ab Ægypto reuersus sit in Mariā Magdalē auersus.

Quando Christus in Ægyptum profectus sit.

anno

anno,quo Herodes mortuus est,Christū ab Ægypto reuertisse. Hoc enim illa indicant verba, vers.19.20. *Defuncto autem Herode,ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens; Surge & accipe puerum,& matrem eius,& vade in terram Israel.* Tertium est,Magos paucis post natalem Christi diebus aduenisse,vt vers.1.à nobis probatum est. Quibus tribus principiis,etsi alia duo ex profanis addamus historiis,quot annos Herodes regnauerit,& quoto regni eius anno Christus natus sit;facile spatium temporis,quo moratus fuerit in Ægypto,reperiemus. Ex his ergo duobus postremis principiis alterum est certum. Herodem triginta septē regnasse annos,Iosepho lib.1.de bello Iud.c.21.& Eusebio in Chronico certissimis testibus. De altero duobus annis inter se auctores dissentiunt. Nam alij anno quadragesimo primo imperatoris Augusti Christum natū scribunt,vt Irenæus lib.3.c.25.& Tertullian.aduersus Iudæos; alij quadragesimo secundo, vt Eusebius lib.1.hist.Eccl.c.5.& in Chronico,& Epiphanius hær.51.Rursus autem quis annus Augusti in quem Herodis annum inciderit altero dissidēt anno. Nam alij quadragesimum primum Augusti, trigesimum primum Herodis,vt Eusebius; alij tricesimum secundum,vt Epiphanius fuisse dicunt. Si ergo Irenæi & Tertulliani sententiam in eo sequamur,vt dicamus Christum quadragesimo primo Augusti anno natum fuisse:Eusebij verò in eo,vt eum annum tricessimum primum Herodis fuisse credamus, necesse erit Christum in Ægypto sex integros mansisse annos,aut etiā septem, si illum ipsum quo fugit, id est tricesimum primum Herodis numeremus. Quæ est illa prima,& vt apparet,vetus opinio. si verò Irenæum,& Tertullianum in Augusti; Epiphanium in Herodis sequamur annis,restabunt anni quinque,aut si primum numeremus sex,quos fuerit Christus in Ægypto: totidemque secundum Eusebij computationem erant anni.si eum solum & in Augusti & in Herodis annis sequamur.Sin autem Eusebio in annis Augusti; Epiphanio in annis Herodis credimus; Christus fuit in Ægypto,vt plurimum quinque,si primum numeremus;vt minimum quattuor,si primum non numeremus;vt minimū quattuor,si primum nō numeremus, annos. Itaque hoc tantum certum est, neque plures septem,neque pauciores quattuor in Ægypto annos commorari potuisse. Quare opinio illa vulgaris.per duos; & altera illa Nicephori per tres in Ægypto fuisse annos, nihil habet prorsus probabilitatis; nisi dicamus Magos duobus annis natum Christum adorasse,quod ver.1.refutauimus.In qua autem vrbe Ægypti manserit,quidve ibi egerit,monendum lectorem iudico,vt non solum in inquirendo minimè curiosus,sed etiam in credendo,si quid inuenerit,cautus sit. Multa enim de Christi in Aegypto miraculis obscuris vulgo auctoribus circumferri video, quæ haud scio,an ex Alcorano Mahumeti,manauerint,vbi eadem inter fabulas lego; & non decet Christianos à Mahumeto spurcissimo, & mendacissimo auctore Christi discere miracula. Euangelistā habemus Ioannem,qui Christum affirmat primum in Cana Galilææ conuersa in vinū aqua miraculū edidisse c.2.11. Quod etsi scio ad ea,quæ post reditū ab Aegypto fecit,posse restringi; tamen cum nihil sit,quod restringi cogat, multo est probabilius vniuersè intelligendum esse, quod vniuersè dictum est.Nec volo,cum hæc dico, bonis auctoribus fidem abrogare;qui Christo in Aegyptum ingrediente idola corruisse tradūt,vt Hieronymus in c.19.refert,nec reiicit; quodque tam multi dixerunt,vt merito traditio videri possit,Palladius in Lausiaca hist.Credatur sanè Sozomeno lib.5.c.20.veterem famam referenti,Christo infanti Hermopolim Aegypti vrbem ingredienti præcelsam arborem acclinatam; Mahumeto tamen, & nescio cui de infantia Saluatoris libro toties ab Hieronymo aliisque Patribus repudiato.ne credatur.

In Aegypto Christus un miracula fecerit.

15. *Vt adimpleretur.)* *Vt*,hoc loco non videtur mihi causam,sed euentum significare; quod Chrysosto.& Damascenus multis locis fieri obseruauerunt,vt infra c.5.16.Ioan.9.39.1.Cor.11.19. Nec enim propterea fugit in Aegyptum,vt prophetia adimpleretur;sed cum vitandi Herodis causa eò fugisset,factū est vt prophetia propriè impleri videretur. Quæ phrasis,quia frequētissimè occurrit,explicanda semel est. πληρωθῶσι impleri prophetiam est fieri,quod per Prophetā prædictū est.phrasi propria quidē scripturarum,sed minimè.vt quidam putant.barbara Nam & Cicero implere,quod professus sis,dicit;& promissa cōplere,& compleri rem,ad exitumque perduci. Quæ omnia eodem sensu,quo in sacris litteris prophetias impleri, manifestū est dici. Dicitur autem propheria,quantum equidem obseruare potui, quattuor modis impleri. Primū,quum id ipsum fit,de quo propriè & litterali vt dicitur sensu intelligebatur,sicut c.1.22. Matthæus dixit impletam in Maria Isaiæ propheriam fuisse;*Ecce virgo concipiet,& pariet filium.* Secundo,cum fit non id de quo propriè intelligebatur prophetia;sed id quod per illud significabatur,vt 2.reg.7.14.*Ego ero illi in patrem,& ille erit mihi in filium*, quod propriè de Salomone dictū esse perspicuum est,Dāmen Paulus de Christo,cuius Salomon figura erat,interpretatur Hebræ.1.6.quasi in eo impletū esset,& quod Exod.12.46. dictum est;*Os non comminuetis ex eo*,certū est intelligi de agno; tamen Ioannes c.19.36. in Christo,qui per agnum significabatur,impletum dicit. Tertiò,cū nec id fit de quo propriè intelligitur prophetia,nec id ϕ per illud significatur; sed quod illi simile est,& omnino eiusmodi, vt prophetia non minus aptè de eo, quā de quo dicta est,dici potuisse videatur. Nam *Populus hic labiis me honorat*,de Iudæis qui tempore Isaiæ erāt.Deus dixerat Isai.29.13. Christus autem in iis,qui suo erant tempore,impletum significat Matth.15.7.8. Simile est exemplū Matth.13.14 & Act.28.26. Quarto cum id ipsum,quod per prophetiam,aut scripturam dictum erat,quamuis iam factum fuerit,tamen magis ac magis fit. Tunc enim scriptura impleri dicitur, id est quod per eam dictum erat,cumulatissimè fieri. Obseruamus enim in scripturis sæpe fieri dicta non solum,quod fieri incipit,sed quod magis ac magis fit; sicut Ioan.2.11.dicuntur discipuli Christi viso miraculo aquæ in vinum conuersæ credidisse,quia magis ac magis crediderunt; nam iam certè ante crediderant. Quemadmodum locum difficillimum Iacob.2.23.sumus Deo volente explicaturi. Illa ergo Oseæ prophetia *ex Aegypto vocaui filium meum*,propriè de populo Israël,quem Deus filium primogenitum suum appellare solet Exod.4.22 intelligebatur.vt ex verbis prophetæ manifestum est, *Quia puer Israel,& dilexi eum & ex Aegypto vocaui filium meum.* Dicitur autem nunc impleta secundo ac tertio modo.Nam & populus ille in Aegypto exulans Christi ibidem exulaturi figura dici potest,sicut nūc corpus mysticum Ecclesiæ corporis naturalis Christi figura est;& Christus populo in eo est similis; quòd vterque Dei filius appellatur. Significat autem Euangelista illam prophetiam propriè ac perfectè in populo,qui propriè filius non erat,impleri non potuisse;in Christo autem,qui propriè & naturaliter filius erat,perfectissimè impletam esse;quemadmodum si quis diceret illa verba,*Ego ero illi in patrem,& ille erit mihi in filium*,propriè de Salomone,qui propriè non erat filius,dicta non esse; de Christo autem proprio & naturali filio propriè dicta

Vt quomodo in scriptura accipitur

Impleri prophetia quomodo in scriptura dicitur.

Pro Cluēt de inuēt.

cap.7.14.

cap.11.1.

2.Reg.7.14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse. *Ex Aegypto vocaui filium meum* Septuaginta verterunt τὰ τέκνα αὐτοῦ filios eius, aut quia pro בנו filium meum legerunt בניו filios eius vnius adiectione litteræ; aut quia sensum magis consentaneum esse iudicauerunt, si ita legerent, sicut re vera fuisset, nisi cōstaret Euangelistā legisse בנו filium meum. Itaque imperitè Iulianus hūc Christianis locū obiiciebat, quasi Euangelista, mala fide Prophetæ testimonium retulisset, non animaduertens Euangelistam nō Græcam Septuaginta versionem, sed Hebraica prophetæ verba secutum fuisse, Hieronymus in c. Osee 11.

16. *Tunc Herodes.)* Tunc hoc loco non existimo punctum temporis significare, quasi statim, vt Magi discesserunt, infantes occiderit. Nam inter Magorū discessum & puerorum cædem aliquantum intercessisse temporis necesse est; & quia vicesimo septimo post adorationem die, Christus est in templo Ierosolymæ repræsentatus, Lucæ 2.22. & quia post aliquādiu mansit in Nazareth Lucæ 2.39. & quia credibile est Herodem, quamuis cruentū & crudelem tyrannum, prius tentasse an Christum inuenire posset, vt solū occideret; quàm omnes infantes trucidaret; quod se sine magno totius populi in se odio facere nō posse nō ignorabat; cùm ex Iosepho intelligamus eum omnibus modis gratiam populi venari solitum, ne tanquā peregrinus de regno deturbaretur. Quæsito igitur prius Christo nec inuēto, ne vnus euaderet, omnes inuadit, quod sine aliquanto tempore fieri non potuit.

Et mittens.) Hebraismus שלח solent Hebræi vti verbo שלח & Græci ἀποστέλλειν absolutè non expressa, sed intellecta persona patiente; quo Latini au nunquam aut rarò admodū faciunt. Ea phrasi vsus est hoc loco Euāgelista. *Mittens* sub. carnifices, vt infra c. 14. 10. *Misit, & decollauit Ioannē in carcere*, sicut Hispani simili phrasi dicunt. *Embio acortar la cabeça*, & c. 27. 19. *Misit ad eum vxor eius dicens, nihil tibi & iusto illi*, Psal. 56. 4. *Misit de cœlo & liberauit me*, sub. angelos, & Psal. 104. 19. *Misit rex, & soluit eum: princeps populorum, & dimisit eum.* Similia sunt exempla Mar. 3. 31. & 6. 17.

Cur Herodes bimos infantes occidit.

A bimatu & infra) Locus propter obscuritatē historiæ, & propter opinionum varietatē difficilis. Quidā dixerunt duobus post Christi natalem annis venisse Magos, ideoque Herodem bimos infantes occidisse. Alij vno anno aut circiter altero post, Magos venisse. Qui omnes, si veræ de stella & Magorū aduentu eorū essent opiniones, facillimè sese expedirent ex hoc loco; sed eas ver. 1. & 2. refutauimus. Alij non statim Herodem post Magorum discessum, sed duobus annis post infantes occidisse: eo enim tempore vocatum fuisse Romā, vt de morte filiorū causſam diceret. Sed ij etiam & contextu verborū Euangelistæ, quæ non tam longum patiuntur spatium, & historia refellūtur. Apparet enim ex Chronico Eusebij eū ante quinque annos filios suos occidisse. Nobis vero, qui neq, stellam ante natalē Christi apparuisse, nec Magos multis post diebus venisse credimus, non licet istis fugere diuerticulis. Valde mihi Strabi & Euthymij placet interpretatio, quā & nonnullis nostro tempore viris doctis placuisse gaudeo. Herodē ad illud tēpus, quod exquisierat à Magis, duos præterea adiecisse annos. Itaque illa verba. *Secundum tempus, quod exquisierat à Magis*, non significant occisos esse omnes pueros qui nati essent duobus annis post quam stella Magis apparuisset; sed eos qui nati essent duobus antequā apparet annis. Dices, cur duobus annis ante, non duobus post? Respondeo primùm quia non erant duo anni post; sed pauci admodum dies, vt ver. 1. ac 2. probatum est. Deinde quia Magi, vt ver. 2. diximus, non nascitur-rū; sed iam natū esse Christū affirmauerant: at quanto ante tempore natus esset, neque affirmauerant, neque fortasse sciebant. Stella enim iam natum non quando natus esset, significabat. Voluit ergo Herodes cautionis & securitatis causā omnes, qui duobus annis ante quàm stella apparuisset, nati essent, occidere; sicut non solum eos, qui in Bethlehem vbi Christū sacerdotes nasciturū dixerant, sed etiam omnes, qui in omnibus finibus eius nati essent, occidit. & non solum loco, sed etiam tempore pluſquàm necesse erat, crudelitatem extendit. & ne forte erraret, errorem auxit.

17. *Tunc adimpletum est.)* Eodem modo hæc prophetia tunc impleta fuisse dicitur, quo illa Osee ver. 15.

cap. 3.

18. *Vox in Rama audita est.)* Hunc locum in commentariis in Ieremiam copiosius tractauimus, summam huc transferemus. Hebræi de abductione duarum tribuum Iudæ & Beniamin interpretātur 4. reg. 24. 1. & 25. 4. Nec dubium est ex circunstantiis Ieremiæ, quin de illis intelligatur, & per Rachelem tota regio duarū tribuum significetur duplici metonymia, altera qua per personam locus, altera qua per vnam vrbem tota regio intelligitur. Rachelem in Bethlehem fuisse sepultam, Genes 35. 19. scriptum est. Vnde factum vt per Rachelem, Bethlehem intelligatur. Cur autem non simpliciter dixerit Bethlehem plorans filios suos; sed Rachelem, quæ iam mortua erat, maluerit appellare, cum mortui plorare non soleant, causam esse arbitror quòd Rachel fœmina fuerit. fœminarum autem est in eiusmodi plorare calamitatibus. Nescio etiam an Propheta ad eius partum alluserit. Maximo enim cum dolore Beniamin peperisse dicitur Gen. 35. 18. & solent matres eos filios amissos magis flere, quos maiore cū dolore pepererunt. Illud etiam quod admirabile videri potest, Rachelem iam mortuam plorantem induci, non solum elegans; sed magni quoque affectus, & significationis plenum est. Indicat enim, nisi me coniectura fallit, ea re Propheta tantam futuram calamitatem, vt ne vna quidem mulier superstes sit, quæ plorare possit, & necesse sit ad plorandum ipsos quoque mortuos excitare. Videmus in tragœdiis simile quiddam fieri, cum mortuorum manes, aut euersarum vrbium vmbræ lamentantes inducuntur. At cur per fletum Rachelis, Iudaici regni casus significatur, cum Rachel non Iudæ sed Beniamin Gen. 35. 18. mater fuerit. Quia regni caput erat Ierusalem dicta prius Iebus, quæ in tribu erat Beniamin Iosue 18. 28. 1. Paral. 11. 4. Quod ergo tunc propheta de captiuitate dixit, Matthæus ad cædem infantum accommodauit iudicans illam prophetiam, quamuis de infantibus dicta non fuerit, multo tamen aptius de illis, quàm de captiuis Iudæis dici potuisse. Et quia illi viri, hi infantes; illi meriti, hi immerentes innocentésque; illi capti, hi crudeliter trucidati sunt; illi Iudæi, hi propriè Bethlehemitæ erant, vt meritò Rachel. id est Bethlehem magis hos, quàm illos plorare debeat. Ploratus autē vehemens & grauis significatur, & accumulatione verborum θρῆνος, κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς lamentatio & ploratus, & eiulatio. Quanquam noster interpres duo tantū legit, melius vt opinor, quia apud prophetam duo tantum sunt בכי נהי, nisi dicamus Euangelistam hoc loco Septuaginta interpretes secutum esse, qui duo Hebraica nomina his tribus, quæ recitauimus, Græcis reddiderunt; & epitheti additione πολὺς multus, id est magnus. quod Hebraicè est תמרורים amari. Sensus tamen est idem. Nam & Latinè dicimus amarè id est multum, flere; & loco, vbi flebilis clamor auditus sit. *In Rama*, in cuius explicatione nominis putāt aliqui nomen appellationis esse, non proprium, quod Hebraicè excelsum significat, quasi dicat vocem vsque ad cœlos peruenisse, & vt Iuuencus Christianus poëta dixit.

Horrendis grauiter cœlum pulsasse querelis.

Innocentes vere martyres

Ipse quoque apud Ieremiam Hieronymus ita vertit. Sed multis mihi rationibus persuadeo nomen esse proprium, primùm quòd potius propheta Hebraicè dixisset, ברמה, aut במרום quàm ברמה, vt Isaias in simili sententia dixit c. 58. 4. & Dauid Psalm. 9. 14. Deinde quia & Chaldæus paraphrastes, & Septuaginta interpretes nomen proprium fecerūt. Postremò quia quisquis Euangelium Matthęi ex Hebræo in Græcum sermonem vertit; itémque Latinus noster interpres, si nomen proprium esse non existimassent, nō ipsum Hebraicum nomen integrum reliquissent; sed vterque sua lingua resoluisset, ille ἐν τῷ ὑψίστῳ, aut ἐν τοῖς ὑψίστοις, hic in excelsis, vt Mat. 11. 10. Nemo negat Rama nomen esse vrbis, sed quia nec est in tribu Iuda, nec propè Bethlehem; sed in tribu Beniamin, & iuxta Gabaon, Iosue 18. 25. & Iud. 4. 5. & 19. 13. non putarunt interpretes de ea loqui posse Prophetam. Ego vero propterea existimo Prophetam eam vrbem nominasse, quòd non in tribu Iuda; sed in tribu esset Beniamin, voluit enim significare luctum vtrique tribui communem futurum fuisse, quia vtraque tribus in captiuitatem ducenda erat, ideoque vnam vrbem Bethlehem ex Iuda; alteram ex Beniamin Rama nominauit. Quod autem obijcitur Rama à Bethlehem longè distare, vt fingamus ita esse; tamen cœlum longius certe distabat, & tamen omnes interpretantur ploratum Rachelis ad cœlū peruenisse. Præterquàm quod Rama non ita longe à Bethlehem distare potuit; cum constet Bethlehem à Ierusalem non longè distare, & Rama adeo vicina Ierosolymæ fuerit, vt vir ille Leuita asinis & vxore impeditus potuerit à Ierosolyma occidēte pœne sole profectus, Rama ante noctem peruenire Iud. 19. 10. 13. Immo non alia opus est coniectura, quàm quòd idem ille adeo impeditus & bene pransus, inclinato iam ad vesperum die, profectus ex Bethlehem, Rama potuerit peruenire, vt ex eodem loco constat, ver. 1. 9. 13. Cur ergo Prophera, Rama potius quam aliam vrbem nominauit? quia, vt ex eodem loco perspicuum est, Rama in confinio tribus Beniamin & Iudæ erat, & voluit Propheta significare planctum Iudæ adeo futurum magnum, vt vsque ad tribum Beniamin exaudiretur. Nescio etiam, an Propheta situs & nominis eius vrbis rationem habuerit. Credibile tamen est eam in excelso fuisse loco, vnde & nomen fortassis acceperat.

Quia non sunt.) Hic etiam Euangelista, aut eius Græcus interpres non Hebraica Prophetæ verba, sed Septuaginta versionem secutus est. Propheta enim dixerat כי איננו, quia non est, id est, quia nemo eorum remanserat, omnibus aut occisis, aut in captiuitatem ductis. Septuaginta verò, quia plurali numero filios suos Propheta dixerat, obscuritatem fugientes plurali etiam numero verterunt ὅτι οὐκ εἰσί, quod multis aliis locis eos fecisse animaduertimus. Est autem Hebraismus, quo significatur eos, qui antea fuerint, penitus ac subito mortuos, vt euanuisse derepente videantur, vt Genes. 5. 24. de Enoch dictum est, ואינכנו & *nō fuit*, id est non apparuit vltrà, *quia transtulit eum Dominus*. & Psal. 36. 36. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui* (aut potius transiuit) *& ecce non erat*, ואינכנו. Significatur ergo hoc loco Iudæos Babylonem, infantes in sinum Abrahæ translatos esse. Incredibili enim consensu omnes veteres auctores hos infantes verè martyres faciunt. Nam etsi nec baptizati, nec sponte liberāque voluntate pro Christo mortui sunt; suo tamen fuisse sanguine baptizatos & quod in infantum baptismate aliena fides facit; hoc in his peruersam tyrāni voluntatem pro Christo eos occidentis effecisse, quantúmque ipse obfuit; tantum illis Herodis crudelitatem profuisse. Iren. lib. 3. cap. 8. Iustinus q. 13. ad Orthod. Cyprian. lib. 4. epist. 6. Orig hom. in Matth. Hilarius in comment. Chrysost hom. 2. in varios Euangelist. Eusebius Emissen. August. lib 3. de expositione symb. c. 4. & lib 13. de ciuitate cap. 7. Prudentius in hymno de Epiphania, Fulgentius de Epiph. & lib. 1. de fide ad Petrum c. 3. & 39. Leo serm 1. de Epiphania. Bernardus in serm. de Innocentibus. & hom. in cantica. 66.

19. *Defuncto autem Herode.)* Quo morbo extinctus fuerit scribit Iosephus lib. 17. ant. c. 8. & lib. 1. de bello Iud. c. 21. & Hegesippus lib. 1. c. 45. & Euseb. lib. 1. hist. eccles. 1. 8. qui & illud addit ob nefariam cædem infantum tam infami genere morbi fuisse confectum.

20. *Surge & accipe.* Vide ver. 13.

Defuncti sunt enim) Syllepsis est, qua de vno loquēs vtitur numero plurium. Vnus Herodes mortuus erat, sed multi carnifices eius iussu quærebant animā pueri. Animā ab Hebræis pro vita poni notius est, quàm vt quisquam possit ignorare.

Herodis magni liberi.

22. *Audiens autē quod Archelaus regnaret.)* Nouem Herodes vxores habuit. Ex duabus, altera consobrina, altera fratris filia, nullos suscepit filios. Ex aliis nouem filios procreauit. Alexandrum, Aristobulum, Antipatrum, Herodem, Antipam, qui & ipse postea Herodis cognomentum accepit. Archelaum, Herodem alterum, Philippum, Phasellum, filias tres, Roxanem, Salomem, & Olympiadem. Iosephus lib. 17. ant. c. 1. & lib. 18. c. 7. & lib. 1. de bello Iudaico c. 18. Ex filijs, duos primos strangulauerat lib. 16. ant. c. 17. & lib. 1. de bello Iud. c. 17. Tertium Antipatrum, quinque ante mortem suam diebus occidit, lib. 17. ant. c. 9. Alij mortui erant. Tres patri Herodi superstites fuerunt Archelaus, Antipas, & Philippus. Duo autem testamenta Herodes fecerat. In priore Antipam regni hæredem scripserat; in posteriore mutata subito voluntate Archelaum Iudææ regem, Antipam Galilææ & Perææ Tetrarchā; Philippum Tetrarcham Trachonitidis, Gaulonitidis, Batanææ, & Paneadis regionis. Ea tamen conditione, vt nec Archelaus regis nomen assumeret, nec quicquam quod testamento mandasset, nisi approbante Cæsare, ratum esset. Ioseph. lib. 17. ant. c. 10. & lib. 1. de bello Iud. c. 21. Quamuis autem Cæsar Archelao Regis nomē dare noluerit, sed Ethnarcham eum Iudææ. Idumææ, & Samariæ fecerit lib. 17. ant. c. 1. tamen quia regia vtebatur potestate, & milites eum statim post mortem patris regem conclamarunt lib. 17. ant. c. 10. rex vulgo dicebatur, quam appellationem hoc loco Euangelista vsurpauit. Mirum autem videri potest, cur Ioseph tanquam rem nouam existimauerit, quòd audierit Archelaum regnare, ideoque timuerit in Iudæam venire; cum audita Herodis morte facile credere debuisset aliquem eius in regnum filium successisse. Respondeo esse credibile Ioseph existimasse, aut neminem fuisse successurum, cùm regnum nullo ab Herode iure fuisset occupatum, aut Antipam successurum, quem priore testamento regem pater designauerat; quemque mitioris esse sciebat ingenij. Nam hæc vna potest esse causa, cur in Galilæam, vbi ille dominabatur, ab Angelo diuertere iubetur. Etsi altera est certior quòd cum de rege Iudæorum Christo ageretur, plus ab Archelao rege quam ex Antipa Tetrarcha timendum erat. Hæreticus interpres. Philippum placidissimi hominem ingenij, Galilææ Tetrarcham imperito errore facit. Sed cui licet facere Ministros, cur Tetrarchas facere non liceat?

Calum. in Harmonia.

23. *Vt adimpleretur.)* Hoc testimonium nusquā in sacris litteris ijsdem verbis reperitur. Quæ res occasionem interpretibus varias quærendi interpretationes præbuit. Chrysostomus homil. 9. Theophylact. & Euthymius nullum ex ijs, qui nunc extent, sed ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quem ex ijs, qui perierint prophetam citari dicunt, qualis fuit Nathan & Esdræ Propheta, & aliorum, quorum scripta, & Chrysostomus, & Athanasius in Synopsi, & res ipsa periisse docent. At difficile creditu est prophetias, quæ non extarent, Euangelistam sine vlla, vt videtur, necessitate citasse, quamuis à Iuda prophetiam Enoch, quæ non erat, alia prorsus occasione citari videamus. Alij putant Euangelistam proferre testimonium ex prophetiis, quæ extarent quidem tunc, sed in canone ecclesiastico non essent, vt auctor operis imperf. Alij citari Prophetas, id est Prophetarum interpretes, qui ex canonicis prophetiis, licet expressum non esset, hunc tamen sensum elicerent. fore, vt Christus Nazaræus appellaretur; tria Prophetarum fuisse genera, alios quibus semper Spiritus sanctus adesset, quales maiores fuerint; alios quibus non semper quidem; sed sæpe tamē adesset, quales minores; alios qui Propheræ dicerentur, nō quod futura prædicarent, sed quòd, quæ à Prophetis dicta essent, Spiritu Dei interpretarentur, qui in vetere testamento filij Prophetarum. 3. Reg. 20. 35. & 4. Reg. 2. 3. 5. 7. 15. & 4. 38 & 5. 22. & 6. 1. & 9. 1. in nouo Prophetæ etiam appellentur 1. Cor. 11. 28. & 14. 29. 31. 37. Quæ in hac sententia de triplici Propheratum genere dicuntur, nunc in quæstionem adhibere non vacat. Illud tamen dico mihi hos interpretes non probare Euangelistam de huiusmodi tertianis Prophetis loqui, quorum testimonium nemo vnquam produxerit Apostolorum. Alij librū Iudicum c. 13. 7. citari putant, vt dicitur, *Erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua*, quod quamuis de Samsone dictum sit; tamen in Christo, cuius Samson figura erat, Euangelista impletum esse dicat, sicut cæteras prophetias, ver. 15. & 14. ideoque non dixisse per Prophetam; sed per Prophetas, quòd liber ille non ab vno, sed à multis sibi alijs post alios succedentibus Prophetas scriptus sit. Repugnat huic interpretationi, quod Christus nō sit dictus נוצרי Nazarçus, vt Sāson; sed נצרי Natzarçus aut Natsaræus, vt & ex crucis titulo, & ex veterum Hebræorum commentarijs apparet. Alij ad Isaiam referunt c. 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Heb. נצר germen, surculus, vnde nomen נוצרי Natsaræus dictum sit. Quam sententiam Hieronymus, & auctor operis imperfecti probabilem putant. Alij nullum ex vno, sed vnum ex omnibus Prophetis testimonium afferri; omnes enim Prophetas Christum sanctum, immo sanctum sanctorum appellare. Daniel. 9. 24. quod nomē נזיר Nazaræus, id est separatus. Deoque consecratus significat. In qua tandem sententia Hieronymus conquiescit. Ego, si quid tamē meum valet iudicium, sic existimo voluisse Euangelistam odium huius nominis in honorem conuertere; & vnde Christus ridebatur, inde probare verum illū esse Messiam. Vocabatur Christus à Iudæis per contemptū Nazaræus, sicut olim omnes Christianos à Gentilibus eodē contemptu vocatos fuisse constat; sicut & hodie נוצרים ab Hebræis appellantur, idque multos impediebat, quo minus eum Messiam esse crederent. *Nūquid a Nazareth potest aliquid boni esse?* Ioan. 1. 46. *Et nūquid a Galilæa venit Christus? Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid?* Ioan. 7. 41. 42. & rursum. *Numquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & vide, quia a Galilæa Propheta non surgit.* ibid. ver. 5. ergo voluit docere Euangelista id impedimento esse nō debere, quo minus Christus Messias crederetur. Nam etsi scriptura non ex Nazareth Galilææ; sed ex Bethlehē Iudæ venturū testatur, Christum tamē non vocari Nazaræum, quòd in Nazareth natus esset; sed quod in ea habitauerit, natum enim fuisse, vt antea dixerat, in Bethlehē Iuda; quin potius nomen Nazarei argumēto esse eum esse Messiam, cùm eum Isaias Propheta נצר id est Nazaræum appellauerit. Tres contra hanc interpretationem obiectiones occurrunt. Prima, quod alio sensu Christus apud Prophetā נצר germē, aut flos; alio à Iudæis נצר Nazaræus ab vrbe Nazareth vocatus sit. Respondeo id Euangelistam nō ignorasse, sed contērum fuisse docere illud ipsum nomen quod Christo à Iudæis per contemptū tribui solebat, à Propheta illi honori causa tributū fuisse; & eorum in ipsos calūniam retorquere. Secūda est, quòd Nazareth non per ץ sed per צ id est non per *s.* sed per ז litteram scribit. נצר autem id est Nazaræus apud Isaiam, per *s.* scriptum sit. Respondeo Græcos *s* in *z.* facile mutare. Deinde nomen huius vrbis in vetere Testamēto scriptum nō reperiri, vt inde iudicare liceat, quibus Hebraicis litteris scribi debeat. Postremò ex titulo crucis, & ex Hebræorum scriptis manifestum esse hanc vrbem ab Hebræis נצרית Natsareth vocatam fuisse, cum inde Christū נצרי Natsaræum appellarint; Græcos verò & Latinos asperitatem litteræ fugiētes Nazareth & Nazarenum appellasse. Tertia est, quòd Euangelista non dicat dictum esse per Prophetam; sed per Prophetas, quasi fixum, vt ait Hieronymus, de scripturis testimonium non proferens. Respondeo non esse nouum, vt, cum vnius tantùm Prophetæ testimonium producitur, per Prophetas scriptum dicatur. Cuius rei exempla sunt apud hunc ipsum Euangelistam, c. 26. 56. & Ioan 6. 45. & Act. 13. 40. & 15. 15. Similemq; syllepsim paullo ante obseruauimus ver. 20. vbi defuncti esse dicuntur, qui quærebant animam pueri, cum solus Herodes defunctus significetur.

Vnde Christus Nazaræus appellatus.

CAPVT III.

Mar. 1. a. 4. Luc. 3. a. 3. Isa. 40. a. 3. Mar. 1. a. 3. Luc. 3. a. 4.

IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, 2. & dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. 3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius. 4. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre. 5. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, 6. & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. 7. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. 9. Et ne velitis dicere intra vos:

Ioan. 8. c. 39.

Patrem

Patrem habemus Abraham. dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 10. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. 12. Cuius ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 13. Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. 14. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? 15. Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. 16. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua. & ecce aperti sunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. 17. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Mar. 1. a. 8. Luc 3. d. 16. Ioan. 1. d. 26. Act 1. b. 5 Mar. 1. b. 9. Luc. 3. c. 21.

Luc. 9. c. 35. 2. Pet. 1. d. 17.

IN CAPVT TERTIVM.

IN diebus autem illis venit.) Totos viginti tres & amplius annos, quibus Christus in Nazareth creditur habitasse, Matthæus, Marcus, & Ioannes, prætermittunt, quia totum illud tempus silentio ferè transegit expectans, dum triginta annorum, quæ doctoris ætas erat, accederet. Solus Lucas de eius pueritia pauca quædam attigit. c. 2. 40. 42.

In diebus.) Manifestum est triginta post aut circiter annorum tempus significari, vt colligitur ex Luca, c. 3. 1. qui hoc anno quinto decimo Tyberij Cæsaris factum scribit. Certum autem est Christum quadragesimo primo, aut quadragesimo secūdo Augusti anno natū fuisse, vt ver. 13. c. 1. docuimus, & constat ex omnibus historijs Augustum sex & quinquaginta annos imperasse. Itaque merito aliquis quærat, cum Matthæus dicat *in diebus illis*. בימים dies apud Hebræos accipi pro anno perspicuum est Gen. 24. 55. Exod. 13. 10. Leuit. 25. 29. Iud. 19. 2. 1 Reg. 1. 3. Amos. 4. 4 Itemq; pro tempore quamlibet etiam longo, Iud. 18. 1. Ezech. 38. 17. Itaque idem valet hoc loco, *In diebus illis*, ac si diceret, post aliquot annos, aut aliquanto post tempore, quod Chrysostomus hom. 10. & Strabus videntur indicare, aut, vt ait Theophylactus aliud seculum significatur, quam in quo hæc scribebat Euangelista, vel, quod mihi magis placet, significatur tempus, quo adhuc in Nazareth Christus habitabat. Sic enim melius Euangelistæ verba cohærēt. Dixerat namque c. 2. 25. *Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth*, & addit, *in diebus illis*, id est eo ibi habitante.

Aetas doctoris apud Iudæos.

Venit.) Cur non ante venit? quia nondum triginta natus erat annos, antequam ætatem nemini sacerdotis, doctoris aut prophetæ officium fungi licebat, vt, & Hebræi tradunt. & ex 1. par. c. 23. 3. colligitur. Hæc enim eadem ratio fuit, cur Christus ipse ante tricesimum ætatis annum docere non cœperit. Neque verò significat Euangelista tunc primum Ioannem in desertum venisse; sed tunc primum in deserto sese ostendisse, pœnitentiamque cœpisse prædicare, vt paullo post docebimus.

Cur Ioannes appellatur Baptista.

Ioannes Baptista.) Risi, cum in hæreticorum legerem commentarijs Ioannem ideo Baptistam cognominatum, quòd per eius ministerium sacramentum baptismi Deus instituisset, quasi alius quam Christus aut per alium quàm per se ipsum sacramenta nobis instituerit. Verum istum & impium & absurdissimum errorem ver. 11. refutabimus. Sciamus nunc Baptistæ cognomentum, vel quòd primus baptizare cœperit, vel quòd Christum baptizauerit illi datum esse. Apparet autem eum honoris causa ita vocatum: omnibus enim persuasum erat, eum, qui baptizaret, virum esse sanctissimum. Ideo illi inferunt *quid ergo baptizas, si tu non es Christus, nec Elias, neque Propheta?* Ioan. 1. 25,

Deserta Ioannis quale fuerit. Beza in annot. Bucerus in Matt.

Predicans in deserto.) Multò verò magis ridicula est eorundem in hunc locum hæreticorum interpretatio Ioannem non loco prorsus solo desertóque habitasse, sed in ciuitatibus, quæ erant in deserto iuxta Iordanem. quod non ideo desertum appellabatur, quòd nullo modo; sed quòd minus frequenter habitaretur quemadmodum si hodie Hercyniam syluam aut Vogesos montes desertum appellemus, & vt Heluetiam olim terram non incultam nonnulli scriptores Heluetiorum eremum vocauere, sicut Ioab *in deserto* mortuus esse dicitur, cum domi suæ mortuus sit. 4. Reg. 2. 34. Et vt Idumæa *desertum* vocatur. 4 reg. 3. 8. & Psalm. 1. & vt Iosue. 14. 61. tribui Iudæ sex ciuitates cum suis villis in *deserto* assignatæ fuisse dicuntur. Sic B. Virgo concepto Christo in montana ad domum Zachariæ abijsse dicitur Luc. 1. 39. Denique si istis credimus interpretibus, Ioannis desertum paterna domus fuit, quæ in montana erat ciuitate. Valde scilicet de Ioannis honore soliciti id vnum vel repugnantibus scripturis agunt, ne Baptista monachus fuisse videatur; & tamen fuerunt ijdem isti aliquando monachi. Sed ne violatæ religionis rei esse videantur nōlunt fuisse Ioannem, quod ipsi esse noluerunt. Falsas eorum & absurdas de hac re sententias vir nostro tempore eruditus, & nō eadem modo fide, sed ijsdem etiam vitæ rationibus mihi coniunctus iusto opere doctè, copioseq; refutauit. Nos commentarios scribimus, quibus satis erit ostendere istos Euangelicos interpretes neque hunc locum, neque eos, vnde hic pender, intelligere. Fontem primum petamus. Manifestum est Euangelistam alludere ad locum Isaiæ. c. 40. 3. quem & paullo post ver. 3. producit. *Vox clamantis in deserto.* Itaque necesse est, vt nomen deserti eodem modo hic & apud Isaiam accipiatur. At apud Isaiam quisquis dicit desertum locum minus frequenter habitatum significare, prophetæ sensum penitus ignorat. Agebat enim de reditu filiorum Israel ex Babylonica captiuitate, in quam præcedente capite ducēdos prædixerat; alludensq; ad exitū ex Ægypto, vnde eos Deus per inuiam solitudinem infinitis difficultatibus superatis eduxit, & in Palæstinam intulit, viam illis per Iordanem, per desertum, per mare faciens; significat Deum eodē modo, quo eos ex Ægypto in terram

Petrus Canis. de corruptelis verbis Dei.

Israel

Universidad de Deusto
Biblioteca

Israel induxit, ex Babylone reducturũ, nihil Deo, quominus id faciat impediméto esse posse. Eum enim populo suo per inaccessas solitudines, per mõtes, per rupes planissimam straturũ viam, & vt de Annibale Alpes transituro poëta quidã dixit, *Est cœlo qui pandat iter.* Hic litteralis sensus est. Mysticus ille, quo populus sub Diaboli tyrãnide cõstitutus populo sub rege Babylonis captiuo comparatur, Christus cum Cyro, qui populũ ad libertatem inuitat, 2. par. 36. 22. 23. & 1. Esdr. 1. 1. 2. Isai. 44. 28. & 45. 1. Ioannes cum præconib. Cyri, qui Iudæos ad reditum in patriam inuitant, & omnia necessaria ad superandas omnes viæ difficultates pollicẽtur. Hoc est, *parare viam Domino & rectas facere semitas eius.* Hoc est, *erunt prava in directa & aspera in vias planas:* vt & plana & recta via Deus cum populo suo transeat. Desertum autẽ, in quo Ioannes fuisse dicitur, deserto de quo Isaias loquitur, respõdet. Isaias autem non de Heluetia aut de Hercynia loquitur syluaſsed de aspera & inaccessa penitus solitudine, quo magis miraculum, & Dei erga populum suum beneficium eluceat. In simili igitur solitudine, nõ in paternis ædibus Ioannes habitabat. Quod Lucas c. 1. 80. declarat *Puer*, inquit *crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Indicat enim ideo in desertis locis ab omni hominum conuictu remotum habitasse, vt vná cum ætate spiritu cresceret, qui in hominum frequẽtia rarò augetur, sæpe minuitur, & c. 3. 1. 2. 3. *verbum Domini ad eum, in deserto factum fuisse* dicit, indeque prædicandæ pœnitentiæ & baptizãdi causa in omnem circa Iordanem regionem venisse. Atqui isti ciuiles interpretes illam ipsam circa Iordanem regionem desertum, vbi Ioannes habitauerit, fuisse dicunt. Non enim cæci vident Euangelistam disertis verbis dicere eum ex deserto, id est, ex intima solitudine in hanc regionem prodijsse. Quod si nihil vllus Euãgelista significasset; ipse victus atque vestitus, istos, si quid iudicij habuissent, docere potuit, in quo deserto Ioannes habitasset. Quid enim? an sacerdotis filius, isque vnicus, à parentibus tot expetitus votis, in paterna id est nobili & locuplete domo, non alio vestitu, quàm pilis camelorum, non alio cibo, quàm locustis, & melle syluestri vsus fuisset? ipsa epitheta vestis & cibi locum habitationis indicant. Cur enim camelorũ potius, quàm ouium pellibus; nisi quia in loco, vbi cameli, non oues erant, id est longe ab vrbibus habitabat? Cur locustis, nisi quia in locis maxime desertis maxime versantur? Cur cum dixisset mel, addidit syluestre, nisi quia domi non erat, vbi domestico melle vti posset; sed in solitudine, vbi non alium haberet cibum, quàm mel, quod apes in rupibus, & truncis arborum confecissent, quale illud erat, quod inter petrarum fissuras Ionathas inuenit. 1. Reg. 14. 27. Neque rationem isti intelligunt, cur in deserto Ioannes habitauerit, ideoque nec quale desertum fuerit, possunt intelligere. Data lex Mosi fuerat in deserto, & quidẽ in monte prorsus inaccesso totos dies quadraginta ieiunanti. Mori quodammodo in deserto eandem oportebat, & nouam dari. Veniebat Ioannes in spiritu & virtute Eliæ Matth. 11. 4. Luc. 1. 17. oportebat exemplo Eliæ in deserto versari. 3. Reg. 19. 4. Veniebat, vt tantam præ se sanctitatem ferret, vt Messias videri posset, quo facilius crederetur neganti se; affirmanti Christum esse Messiam, oportebat ab oculis hominum remotum viuere, oportebat & cibo, & potu, & vestitu, & habitationis loco, qualis esset, ostendere. nam & ille philosophus eos, qui in solitudine viuerent, supra homines posuit. oportebat monachum esse. Nam & quidam istorum inde monachorum institutum natum scribit, quòd voluerint homines externis rebus opinionem de se sanctitatis excitare. Successit euẽtus. Inde enim factum est, vt integræ ciuitates, simul atque sese cœpit ostendere, ad eum tanquam ad mõtanum aliquem Deum visendum effunderentur. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Matth. 11. 7. Luc. 7. 24. Hic etiam arundo desertum ostendit. Cur enim arundinem cum deserto coniunxit, nisi quia in desertis locis, non domi nasci solet? Hinc factum, vt Christus, aut certe Elias putaretur. Ioannis. 1. 21. Hinc, vt illud Christi mereretur testimonium. *Inter natos mulierum nõ surrexit maior Ioanne Baptista.* Matth. 11. 11. Oportebat, antequam ad docendos populos accederet, ipse sese in solitudine, veluti in monasterio, doceret. Notum enim est antiquum apud Augustinum prouerbium, Qui non fuit bonus monachus, non erit bonus clericus. Nam & Christus ipse, vt Hieronymus obseruauit, antequam doceat, sese in deserto modo quodam exercet. Matth. 4. 1. & multo ergo melius veteres illi, quàm noui isti interpreres scripturam intellexerunt. Omnes enim docent Ioannem totam à prima pueritia vsq; ad tricesimum annum ætatem in remota solitudine transegisse. Origen. hom 11 & 15. in Lucam. Euseb lib. 9. de demonstrat. cap. 5. Chrysost. hom 10. & 39. in Matth. & hom. 15. in Ioann. & in hom. de natiuitate Ioannis Baptistę. Cyrill. lib. 2. thesaur. c. 4. Hieron. contra Lucifer. & in epistola ad Rusticum Monachum, Prudent. in hymno ieiunantium.

In deserto Iudææ.) Multa deserta in scripturis legimus. Desertum Ziph 1. Reg. 23. 15. quod erat inter Occidentem & Meridiem longe à Ierusalem. Desertum Maon illi vicinum. 1. Reg. 23. 24. Desertum Engaddi. 1. Reg. 24. 2. Desertum Pharan. 1. Reg. 25. 1. Desertum Idumææ ad Meridiem. 4. Reg. 8. Cum autem absolutè desertum nominatur, desertum Iudææ intelligitur, vt Matth. 4. 1. & 11. 7. & 15. 33. Mar. 1. 3. 4. 12. 13. Luc. 1. 80. & 3. 2. nisi ex circunstãtiis aliud intelligatur. vt Ioã. 3. 14. Addit tamen Matth. epitheton Iudææ, vt ab alijs discernerer. Erat autẽ hoc inter Orientem & Septentrionem citra Iordanem secundum fluuium. In extrema parte erat Ænnon & Salim, vbi Ioannes baptizare solitus dicitur Ioan. 3. 23.

2. *Pœnitentiam agite.)* Hoc est, *parate vias Domini, rectas facite semitas eius.* Relinquite errores, & sequimini veritatem; discedite à malo & facite bonum.

Appropinquauit enim regnum cœlorum.) Quidã hoc loco regnum cœlorum gratiã, fidem, renouationémque spiritus interpretantur, quod inter nos ipsos esse dicitur Luc. 17. 21. Quod etsi non reprehendo, illud tamen magis probo vt cœlum ipsum significetur, vt Matth. 25. 34. & Luc. 13. 28. 29. & 23. 41. Est enim, vt mihi quidem videtur, tacita quædam allusio & antithesis ad exitum filiorum Israel ex Ægypto, & reditum ex Babylonica captiuitate in terram Chanaan, quæ illis promissa fuerat, quámque non dubium est cœli figuram fuisse. Perinde ergo est ac si dicat. parate vos per pœnitentiam, id est nolite Pharaoni, & Regi Babylonis, hoc est Diabolo seruire, nolite libertati seruitutem, regno captiuitatem anteponere, quod quosdam olim ignauos & degeneres Iudæos fecisse legimus. 1. Esdræ. 1. 5. Appropinquauit enim iam tempus, quo in cœlum, qui volent, ingrediantur. Simili oratione Iosue ad populum vsus est. cum in terram Chanaan post longam peregrinationem ingressus esset. *Sanctificamini*, inquit, *eras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*, Iosue 3. 5. Appropinquare autem regnum cælorum dicitur, quia cum ante clausum fuisset, paullo post mortem Christi erat aperiẽdum. Credimus enim, licet hæretici negent, neminem ante mortem Christi in cælũ ingressum: quod non vetere,

Cur Ioannes in deserto viuit.

Aristi. 1. Pol. 3.

Ezech. 40. ad Ioan. 8. etiam.

Luc. 1.

solum auctores; sed D. etiam Paulus tam prospicuè docet, Hebr. 9. 8. & 11. 39. 40. vt miret istos aut tam esse cæcos, vt non videant; aut tam obtusos, vt non intelligant; aut tam impudentes, vt videntes, intelligentéque negare audeant. Quin Christus ipse docet. Cum enim dicit. *Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei*, Matth. 26. 29. & Luc. 22. 18. quid aliud significat, quàm regnum Dei sua morte resurrectionéq; patefactum? Latro melius, quàm isti Euãgelic ihomines intellexit. *Memento*, inquit, *mei, cum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. 42. quasi nondum vtique veniisset, neque ante eum quisquam ingredi posset. Nempe crux Christi arca fuit testamenti, qua Iordanis vndæ diuisæ sunt, & ad promissam terram aditus patefactus. Ios. 3. 16. Nam & nos per Iordanem. id est, per baptismum in cælum ingredimur. Cur autem *regnum cælorum* potius, quàm patriam aut cælestem Ierusalem, vt D. Paulus, appellauerit, facilis ratio: voluit enim ad Iudæorum de futuro Christi regno expectationem alludere; volénsq; eam superare, addit *cælorum*, quasi dicat. vos terrenum expectatis regnum; ego cæleste appropinquare confirmo.

3. *Hic est.)* Euthymius hæc verba Ioannis esse putat. Esse autem Euangelistæ volentis Isaiæ prophetiam more suo ad Ioannem accommodare constat ex Mar. 1. 1. & ex Luca. 3. 4. *Vox clamantis*, hominis aut vox clamans Hebraismo. Nam קורא etiam Hebraicè ambiguum est. Intelligitur, audietur. Non solum Matthæus, Marcus, & Lucas hoc Isaiæ testimonium ad Ioannem accommodarunt; sed ipse quoque Ioannes testatur vocem esse clamãtis in deserto, Ioan. 1. 23. Quem locum & in commentariis ad Isaiam, & supra ver. 1. explicauimus. Nunc non explicandus, sed ad rem propositam applicandus est. Quod apud Isaiam dicitur de via in deserto paranda; hic dicitur de Iudæorum animis, qui cum inculti, & lapidei essent, iubentur eos pœnitentia colere, & emollire, humilitate explanare, fide dirigere, vt Christus per eos transeat, & secum in cæleste regnum ducat.

4. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.)* Miro studio tres Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas Ioannis personam exprimunt, partim opinor, vt viri sanctitatem commendent, partim vt rationem tacitè reddant, cur tantam de se Iudæorum opinionem concitauerit, vt ad eum visendum omnes vndique confluerent. ver. 5.

De pilis camelorum.) Hæreticis, hominibus scilicet elegantibus, omnia in Ioanne forent, locus, vestitus, victus. Ideoque omnia in illo permutant, vt olim in Ioseph Pharaonem fecisse traditur, vt dignus sit, qui in ipsorum conspectu appareat. Ex eius solitudine vrbes fabricantur: ex pilis camelorum, pretiosam illi vestem contexunt; locustas in marinos cancros conuertunt: reperti enim inter illos sunt, qui vestem ex pilis camelorum scutulatam, vndulatámq; vestem interpretarentur; qua reges olim vsos legimus. Diuino factum consilio, vt omnes cognoscerent, quantum isti, qui sibi videntur sapere, haberent cerebri. Qui paullo inter eos prudentiores sunt, vestem ex crudis camelorum pellibus confectam fuisse dicunt, minimè tamen singularem, quali monachi & eremitæ vti soleant; sed vulgarem & vsitatam, eum enim fuisse pauperum eius regionis communem habitum. Qui sapientissimi, singularem fuisse vestem negare non audent, rideri quippe nolunt, docent tamen Ioannem ea veste non vlla religione, sed sola necessitate vsum fuisse. Omnes istorum interpretationes minimè obscuris Euangelistarum verbis consensúque refelluntur. Cur enim omnes Ioannis habitum describunt, nisi quia singularis, quia nunquam visus, nunquam auditus erat? Cur nisi, vt viri sanctitatem commendarent? Cur populi ad eum confluunt, nisi vt & virum & sanctum audiant, & monstrosum habitum videant, suo nimirum concursu istorum stultitiam refutantes? Cur signatè dicunt Euangelistæ vestem ex pilis camelorum, zonam autem pelliceam fuisse, nisi quia vestis pellicea non erat? Erat quidem zona singularis. sed minus singularis; minusque aspera & horrida; quàm vestis; nam etsi ex cruda & pilosa pelle fuisse credendum est; tamen notum erat Eliam similem aliquando gestasse, 4. Reg. 1. 8. & consuetudini congruebat, vt paullo melior esset zona, quam vestis. Omnes enim homines pretiosore zona, quàm veste vti solent. Zona igitur cum ex cruda pilosaque pelle fuerit; qualem fuisse vestem credẽdum est, nisi horridum, aculeatúmque cilicium? Quem habitum semper pœnitentiæ fuisse scimus. Genes. 37. 34. 2. Regum 21. 10. 3. Reg. 21. 27. 4. Reg. 6. 30. 1. Par. 21. 16. Iudith 4. 9. Psalm. 34. 13. Iere. 4. 8. & 6. 26. & 48. 37. & 49. 3. Postea in Ecclesia tanquam arma, vt ait Hieronymus, pœnitentiæ vsurpatum. Isti quid sit non intelligunt. Sponsionem enim fecerim neminem vnquam neque Lutheranum, neque Caluinianum, ex quo à Domino illuminati sunt, cilicio vsum fuisse. Multi certè & graues auctores vestem Ioannis cilicium interpretantur, Emissenus homilia prima, de Ioanne Baptista, & Anselmus in hunc locum; ratióque ipsa persuadet. Conueniebat enim vt qui pœnitentiam prædicabat, pro veste pœnitentiæ habitu vteretur.

Esca autem eius erat locustæ.) Græcè ἀκρίδες, quæ locustæ Latinè propriè dicuntur, genus notum insecti, humiliter plerumque & saltando volitans, vnde & Gallicè nomen habet. Nonnulli, vt dixi, hæreticorum marinos cancros interpretantur, quos captos cum aliis piscibus piscatores ad Iordanis ripam ejicerent, quòd, quia lege immundi erant Leuit. 11. vendere non possent, Ioánes vero colligeret, eisque, quamuis repugnante lege, vteretur, vt Euangelicam iam tum libertatem doceret, quæ nullum ciborum discrimen admitteret. Quis enim dubitat Ioannem Baptistam Lutheranum aut Caluinianum fuisse? Miror equidem tam ingeniosos homines non Phasianas potius ex locustis aues, quàm marinos fecisse cancros; cum eadem vtrumque facilitate, eadémque impudentiæ arte fieri potuissent. Et verò nomen Græcum ἀκρίδες non magis cancros, quàm perdices aut Phasianos significare potest, & illis vetcens Ioannes, neque legem violasset, & minus eremita esse videretur, quod isti solum volunt. Illud etiam miror homines impudentes qui tantopere quadragesimam nostram exhorescunt, non timuisse, ne pro vna quadragesima duas, alteram ex Christi ieiunio, alteram ex Ioannis cancris faceremus. At non omnes Catholici locustas insectum animal interpretantur. fateor; sed quia non malo, vt isti scripserunt animo, vt Ioannis sanctitatem extenuarent; sed quòd cibum nobis inusitatũ & horrendum esse scirẽt, digni sunt excusatione. Nec enim ignoro quosdam iam olim auctores herbas, nescio quales, interpretatos Euthymio & Theophylacto referentibus; alios pyra syluestria; alios arborum frondium q; summas partes, quæ ἀνὸ τῶ ἄκρας εἶναι, quod extremæ sint ἀκρίδες appellentur, vt Nicephoro placuit lib. 1. c. 14. Sed hi ipsi, si legissent locustas animalia insecta apud Orientales vilissimo quidem, sed tamen esui fuisse, quod Plinus lib. 11. c. 29. & Plutarch. in symp. scribunt, & ex Aristophane poëta colligitur; de illis hunc locum exposuissent. Certè si in cibo non fuissent. non eas Moses, Leuit. 11. 22 inter munda

Vestimẽtũ Ioannis quale fuerit.

Ioannes cilicio vsus.

Lutherani & Caluinistæ hostes cilicij.

Quales locutæ quibus Ioannes vescebatur. Sauterelle. vide Canis. loco citat.

in Achar

Universidad de Deusto
Biblioteca

animalia, quibus vesci licebat numerasset. Nos quia non vidimus, abhorremus, æquè profectò, si non vidissemus, ab esu limacum, fucorum, & formicarum abhorremus. Et tamen alicubi vix alium in hospitio cibum, quàm limaces, inuenias. Et fucis qui vescerentur, sæpe ego vidi & apud Indos formicas in delicijs esse. & Plinius scribit, & ex nostrorum, qui illic sunt, litteris intelligimus. Atque ita hunc locum omnes ferè veteres auctores sunt interpretati, Origenes hom. 11. in Lucam. Hilar. can. 2. Ambr. lib. 2. in Luc. c. 3. Chrysostom. homil. 2. in Mat. Auctor imperfecti. homil. 3. August. lib. 3. confess. cap. 31.

Quale mel Ioānis.

Mel syluestre.) In regionibus calidioribus tanta apum copia esse solet, vt cum aluearibus capi non possint, in syluas auolent, & aut in arborum truncis, aut in rupium fissuris mellificent. Vidi ego in Bætica homines pauperes, qui hoc ex syluis colligendo, vendendóque melle quæstum facitarent. Id in Palæstina multum fuisse credendum est, & quia calida & fertilis erat regio, & quia Deus sæpe vocat terram lacte & melle manantem. Exod. 3. 8. 17. & 13. 5. & 33. 3. & Leuit. 20. 24. Num. 13. 28. & 14. 8. & Deut. 6. 3. & 11. 9. & 16. 9. 15. & 27. 3. & 31. 20. Iosue. 5. 6. & quia ex facto Ionathæ, 1. Reg. 14. 27. manifestum est mel è rupibus re vera fluxisse. Quod autem quidam boni etiam auctores tradiderunt mel fuisse amarum, & ori insuaue, expertus non credo. sapit quidem plerunque naturam florum, quibus apes pascuntur, & arborum, in quarum truncis confectum est, semper tamen est mel, id est dulce. Minus etiam probabile est, quod Suidas, & alij nonnulli auctores putauerunt hoc nō mel, sed nescio quem rorem fuisse, quo Ioannes, sicut olim in deserto populus, alis sit.

Caluin. in Har. & alij.

6. Et baptizabantur ab eo in Iordane.) Absurdissima hoc loco est hæreticorum interpretatio, baptizabantur, id est docebantur: prædicabat enim, inquit, baptismum pœnitentiæ. Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. Baptizare enim illis est docere verbum Dei, pœnæ oblitus sum addere, purum putum. Sic isti boni doctores septem sacramenta in duo, duo in verbum, verbum in fidem, fidem in hæresim, hæresim in atheismum, id est in nihil resoluunt. Fallor, nisi propterea in Iordane, & in Ænon, vbi aquæ multæ erant, Ioannes baptizabat, quia loqui sine aqua non poterat. Et propterea D. Paulus dicit se non esse missum ad baptizandum; sed ad euangelizandum, quia baptizare & euangelizare idem est, & tamen istos asinos mundus hodie audit, & admiratur. Alij aqua quidem baptizasse concedunt, & quidem ita, vt verum baptismi sacramentum instituerit, nulla re à Christi baptismo distinctum. Recte Tertullianus dixit semper Christum inter duos latrones, id est inter duos hæreticos crucifigi. Nescíut hæretici tenere medium. Sed hunc posteriorem errorem, ver. 11. refutabimus. 4.

Neua hæreticorū alchym.

1. Cor. 1. 17.

Hæresis inter duas veritates.

Qualis erat confessio peccator. apud Io. Baptist.

Confitentes peccata sua.) Hic nō refutandi, sed deridendi hæretici sunt, qui longissimis hoc loco cōmentariis in Ecclesiasticam cōfessionem inuehantur, quasi ex hoc à nobis potissimum loco probetur. Fortes sine aduersario viri; & Andabatarum more irrito in tenebris ictu vires fatigātes. Quis enim vnquam Catholicus tam fuit indoctus, vt ex hoc loco Confessionis probaret sacramētum? Illud affirmamus eos, qui ad baptismum Ioānis veniebant, non generaliter solum, vt isti putant, sese peccatores esse cōfessos fuisse. Quis enim se peccatorem non cōfiteretur? sed specie etiam sua quemque peccata, vt veniam & remedium peteret, declarasse. Hoc enim est confiteri peccata sua. Quod Euāgelistæ, non tanquam rem vsitatam, quæ ab omnibus fieret se peccatores esse dicentibus, sed tanquam nouam, singularem, & admirabilem narrāt. Verè namque nouum & admirabile fuit, vt homines arrogantes non solum sese peccatores; sed tales etiam aut tales peccatores esse confiterentur. Quod si vellemus istorum in interpretandis scripturis licentiam imitari: multo profecto melius ex hoc loco confessionem nos, quàm illi sacramentum baptismi probaremus. Nam si Ioannis & Christi baptismus idem est, necesse est, vt qui Christi baptismum accipiunt, confessionem etiam adiungant. Sanè quidem, inquiunt illi; sed ante baptismum, quemadmodum in vetere Ecclesia factum accipimus. Nam qui à Ioanne baptizabantur, non post, sed ante baptismum confitebantur. Nos quidem id credimus, sed vos boni viri non probatis, & si vellemus captare verba, contrarium ex verborum contextu probaremus. Nam & hoc loco, apud Mar. c. 1. 5. prius est, *Baptizabantur*, deinde, *Confitentes peccata sua*. Nec est ἐξομολογούμενοι, confitentes, cùm ante cōfessi essent: sed ἐξομολογούμενοι confitentes, quasi post baptismum cōfiterentur. Sed malumus fideles & simplices; quàm subtiles & contentiosi videri interpretes.

7. Videns autem multos Phariseorum & Sadducæorū.) Duo hominum genera, qui plurimum apud Iudæos gratia, & auctoritate valebant. Quibuscum perpetuum Christo bellum fuisse animaduertimus, simulque cum scribis infra. c. 5. 20. & 16. 11. & 22. 23. & 23. 13. De his nihil in veteri testamēto legimus. Genus enim erat non officij & potestatis, quales sacerdotes & Scribæ; sed hæresis non multo ante Christi tempora introductæ, vt ex Iosepho illo antiquo, & ex illo altero Ben-Gorionis colligitur; quales hodie sunt Ministri & Superuigilantij, & similia nomina nuper inuenta eorum, qui nulla vocati auctoritate docendi regēdique populi officium vsurparūt. Vtrosque inter alias Iudæorum sectas Iosephus describit lib. 13. ant. c. 9. & 23. & lib. 17. c. 1. & 18. c. 1. & lib. 1. de bello Iudaico c. 7. & Epiphanius lib. 1. Panar. Pharisæos quidā quasi expositos oculis hominū, id est conspicuos & illustres dictos putant, quod phylacteria sua dilatarent. Matth. 23. 5. & amarent salutationes in foro, ibidem ver. 7. & Luc. 20. 46. Nam פרש exponere, explicare, expandere significat. Alij quasi פרושים את תורה exponentes legem, quod ex Iosepho colligunt, qui eos scripturarum interpretatione nobiles fuisse tradit. Meliusque possent ex altero Iosepho Ben-Gorionis colligere lib. 4. c. 6. sed hos Grammatica refellit. non enim vocantur ab Hebræis פרושים expositores, sed פרושים expositi, aut separati. Itaque Hebræis potius credo, qui, vt ait Baal Haruc, homines docent Pharisæos dictos esse, quasi à cæteris hominibus ob insignē eruditionem & sanctitatem separatos. Hoc enim significat etiam פרש sicut Nararæi olim à נזר quod est, separare, dicti fuerant. Et à Latinis, qui aliqua re insignes & nobiles sunt, viri egregij, eximij, & singulares appellantur. Sadducæos à צדק iustitia, quasi homines iustos, Epiphanius hæres. 14. & Hieron. in comm. in c. 23. Matth. dictos putāt. Pharisæi quasi Catholici à Iudæis habebantur. Itaque publicè debendi munus, & auctoritatem habebant Christi etiam testimonio cōfirmatam. *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi*, Matth. 23. 2. Obserue semper Scribas Pharisæis anteponi, fortasse quòd antiquiores, & diuinæ institutionis essent. Nam Pharisæi humano instituto introducti fuerant. Sadducæos, tāquam hæreticos, Iudæi habebāt vt Act. 23. 6. manifestum est, eosq; Iosephus Lutheranis & Caluinistis simillimos facit, superbos, seditiosos, principum gratiam captantes, incredulos. Nam neque resurrectionem, neque animorum immortalitatem, neque spiritum credebant. Neque aliud quidpiam, quod non sensu, aut ratione manifesta compre-

henderent. Mar. 12. 18. Act. 5. 17. & 23. 8. In eo etiam similes, quòd nullas admitterent non scriptas traditiones; & ex sacris ipsis libris quos vellent, approbarent; quos vellent rei cerent. Itaque solum Mosis Pentateuchum, tanquam à Deo dictatum, recipiebant; cæteros homines fuisse, errāréque potuisse. Quæ causa fuisse creditur, cur eos Christus de resurrectione disputans, non alijs testimonijs, quàm Pentateuchi, cum alia clariora essent, coarguerit Matth. 22. 31. 32. Qualescunque tamen & Pharisæi & Sadducæi, fuerint, mirum videri potest tam asperis à Ioanne exceptos verbis, vt progenies viperarum appellauerit. Ratio, quæ à nonnullis affertur, quòd voluerit Ioannes eorum mores populo audiente grauiter reprehendere, vt Christum potius, quàm illos minimè bonos magistros sequereturs; mihi non placet. Alio enim tempore id erat agendum, non tum cum vt ab eo baptizarentur confitentes peccata sua supplices veniebant. Melius Origenes tom. 6. in Ioannem, Chrysostom. hom. 11. Auctor imperf. hom. 3. & Theophylact. in commentarijs respondent cognouisse Ioannem eos non sincero, sed ficto simulatóque animo venisse. Quod & eorum moribus valde congruit, qui etiam à Ioanne reprehensi simulatè vbique & tentandi causa Christum interrogant, vt infra. c. 16. 1. & 19. 3. & 22. 15. 18. 35. Mar. 7. 5. & 19. 2. & Luc. 20. 20. 21. 23. Ioan. 8. 6. & ex hoc loco facile quoque colligitur. Addit enim, *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*, quasi dicat, ostendite rebus ipsis vos non simulatè, sed simpliciter huc accedere. Cur ergo accedebant, si simulatè? Respondet. Origenes tomo. 6. in Ioannem, ne impij & veluti hæretici à populo haberentur, cuius magna de Ioanne, erat opinio. Id confirmatur ex c. 21. 26. Vbi propterea non audent dicere baptismum Ioannis ex hominibus esse, *quia timebant turbam. Omnes enim sicut prophetam habebant Ioannem*. Eodem prorsus metu, quo nonnulli hodie, maximè hæretici Catholicam frequētant Ecclesiam, ne, quod sunt, esse videantur.

Cur Ioannes insectatus Pharisæos inuectus.

Hæreticorū in religione simulatio.

Cur Pharisæi cum Sadducæis pericompararī.

Progenies viperarum.) Ambros. lib. 2. in Lucam. c. 3. non tam reprehensionem, quàm laudem hanc esse putat; quasi laudet, quòd cùm viperarum filij sint, parentes tamen suos non imitentur; sed ad pœnitentiam veniant. Sed & ex verbis & ex modo dicendi, & ex simili phrasi, qua Christus c. 23. 33. non laudando, sed reprehendendo vsus est, perspici potest non laudem, sed reprehensionem esse eamque grauissimam. Est autem Hebraismus ילדי תאשים *filij viperarum*, id est viperæ quia enim filij parentibus plerumque similes sunt, vt viperas appellat filios viperarum vocat, *Et vos*, inquit Christus. *implete mensuram patrum vestrorum*. Matth. 23. 32. Alienum esse arbitror multa hoc loco de vipera philosophari, cùm sensus appareat. Viperam omnium bestiarum venenosissimam esse certum est. Act. 28. 4. 6. Nam cum Paulus extremo digito à vipera morsus, non statim inflatus concidisset, pro Deo ab incolis habitus est. Summam ergo Pharisæorum, Sadducæorúmque malitiam nocentissimo animali comparat, eam præsertim, quæ in calumniandis, & quasi mordendis sanctis viris consistit; quæ Pharisæis & Sadducæis tam propria, quàm viperæ venenum erat, quemadmodum Hieronymus in 30. cap. Isaiæ, & Greg. hom. 20. in Euang. interpretantur. Quamquam Ambrosius, & alij ad prudentiā referūt. Nūc hæretici sunt viperæ.

Quis demonstrauit vos fugere a ventura ira?) Quis docuit vos huc venire, vt remedium ad fugiendā futuram iram quæreretis, cum viperæ potius, quam homines sitis, quasi dicat, id non ex vobis, sed ex diuina gratia prouidentiáque profectum est. vt Chrysost. & Ambrosius interpretantur. vel, quis demonstrauit vos fugere à futura ira; nisi conscientia ipsa vestra; quę vos intus damnat. & cogit remedium quæreres; quis enim docere vos potuit, qui omnes docetis, à nemine docemini: sicut Adamo Deus dixit, *Quis indicauit tibi quod esses nudus?* Gen. 3. 11. Aliqui Latini codices legunt, *Quis demonstrabit?* quæ lectio si Græcorum codicum auctoritate confirmari posset, valde mihi quidem placeret. Quia & sensus esset melior, quasi diceret, Militibus quidem, & publicanis, & turbis salutis à me remedium simpliciter petentibus, ostendi. Luc. 11. 12. 14. vocabit autem hypocritis, qui simulato animo petitis, quis demonstrare poterit? Nemo. Nec enim qui morbū celat, curari à medico potest? & quia Christus c. 23. 33. eadem vsus sententia, per futurum loquitur, *Quo modo fugietis?* Et quamuis nihil existimem temerè corrigendum, tamen ὑπέδειξεν pro ὑποδείξει facile legi, aut scribi potuit.

Aventura ira? Bernardus ser. 10 in psal. & ser. in c. Matt. 19. per iram pœnitentiam videtur intelligere, quasi sensus sit: Quis docuit vos pœnitentiam refugere. Alij excidium Ierosolymitanum intelligunt. Sed non dubito, quin æternam damnationem futuram iram appellet. Et quia saluti & regno cælorum, quod appropinquare dixerat, opponitur, & quia quòd hic Matthæus venturam iram vocat, Christus c. 23. 3. iudicium gehennæ appellat.

8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Græca constructio καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας id est ostendite vos non simulatè venire. Fructus pœnitentiæ dignos appellat omnia externa signa, ex quibus vera animi pœnitentia cognosci potest, quales sunt lacrimæ, præteritorum peccatorum detestatio, bona opera præcedentibus contraria.

9. Et ne velitis dicere intra vos.) Facilius est hoc loco sensum interpretari, quàm verba. Nam sensum quidem hunc esse constat. Nolite cōtenti & securi esse, quòd filij sitis Abrahæ, quasi id satis vobis ad salutem futurum sit. Operibus vobis opus est. Et si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Ioan. 8. 39. Verba autem Græca sunt obscura μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, Ne existimaueritis dicere. aut ne visi fueritis dicere in vobis ipsis. Quod inusitatum dicendi genus est. & de medio, vt opinor, sumptum; sicut & illud Lucæ. 3. 8. μὴ ἄρξησθε λέγειν *ne cœperitis dicere*; quod idem valet, ac si diceret, desinite dicere: sicut Gallicè. *ne vous mettez point à dire* & *laiſſez de dire*: & Hispanicé, *Dexaos de dezir*. Credendū est autem, idem hoc loco Matthæum alio verbo dicere voluisse, Ne videamini dicere, id est, ne ostendatis vos dicere, filij Abrahæ sumus. Ne ostēdatis vos contentos esse, quòd vos filios Abrahæ dicere possitis, Ne sitis contenti nomine, sed digna nomine opera factáque adhibite, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*. Hanc vim habent tria illa verba magno, vt mihi videtur, delectu ab Euangelista vsurpata, δόκειν videri λέγειν dicere: vtrumque enim verbum opponitur veritati, & ἐν ἑαυτοῖς in vobismetipsis, id est non rebus & factis, sed opinione & verbis docentes vos filios esse Abrahæ. Eodem sensu D. Paulus videtur verbum δοκεῖν vsurpasse ad Heb. 4. 1.

Potens est Deus de lapidibus.) Veros significat lapides ex quibus nō minus potest Deus filios Abrahæ sus scitare, quàm potuit Adā ex terra, Heuā ex latere Adā Genes. 2. 22. filium Abrahæ Isaac ex mortua iam vulua Saræ Gen. 15. 4. 5. & Rom. 4. 19. Eo enim Euāgelista videtur alludere. Simul tamen spectat ad vocationem gentium, ex quibus Deus, quasi ex rudibus & impositis lapidibus filios Abrahæ, id est fideles facturus erat, vt Hieronymus, & omnes veteres auctores interpretantur. Nihil magis distat à vira & ratione, quàm lapis. Nihil difficilius, quàm ex lapidibus ho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mines,aut simile quidpiam facere. Vsus ergo est in exemplum re omnium difficillima,vt doceret, nihil Deo esse difficile,vt c. 4. 3. *Si filius Dei es,dic, vt lapides isti panes fiant*; Et Luc.19.40.*si hi tacuerint,lapides clamabũt*; Et Deut.32.13. *vt sugeret mel de petro, oleumque de saxo durissimo*. Quod autem Remigius refert dixisse quosdam Ioannem hæc dicentem eos demõstrasse lapides,quos olim Hebræi Iordanẽ traijcientes in sempiternũ monimentũ erexerunt Iosu.4. 7.nõ est creditu necessariũ,& nimis sententiã restringit.Illud malim obseruari,suscitare filios,Hebraicam esse locutionem הקים בנים quę plusquam gignere significat,nempe,gignere,vnde videntur gigni nõ posse. Sic frater viuus fratri mortuo semen suscitare dicebatur,quòd mortuus quodam modo gignere videretur Genes.38.8.Deut.25.5.7.Ruth.4.10.

10.*Iam enim securis ad radicẽ arboris posita est.*Quinque hoc loco sunt verba translata,ideóque difficilia. Securis radix,arbor.excindi,in ignem mitti. Arborem hominem significare manifestum est, vt infra. c.12.33. *aut facite arborem bonam,& fructus eius bonos, aut arborem malam,& fructus eius malos*, & Luc. 13. 6. quid cætera significent,non ita est facile.Nam securim quidam verbum Dei, & virtutem Euangelij, radicem vniuscuiusque fidẽ interpretantur vt Iren. lib. 5.c.17.& Hieronym.in comment.Alij securim mortẽ,radicẽ,vitã, vt Athan.q. 43.& alij, quorũ Euthymius meminit. Alij securim Christum,vt Greg.hom. 20. in Euangelia. Mihi facilis videtur esse sensus. Securim vocat diuinum iudicium,quod omnia ad viuum resecat, vt ex circunstantijs apparet,*Omnis arbor quæ non facit fructũ bonũ,excindetur,& in ignẽ mittetur.* Securis ergo vocatur terribilis,& præcisa illa sententia, *Ite maledicti in ignem æternum* c.25.41. Arbor hoc loco est Iudæus,de illis enim loquitur; radix est Abraham, ex qua omnes Iudæi,tanquam diuersæ arbores,erant propagati. Probat enim Ioannes nõ debere eos contẽtos esse, quòd filij essent Abrahæ, neque in radice sua cõfidere,quæ paullo post excindẽda sit. Confidant in Christo & bonis operibus,quæ excindi non possunt. Hæc aptè ad hunc locum hærent. Atque ad hunc ferme modũ Hilarius,Chrysostomus,& Theophylactus intelligũt.Illud tamen videtur esse difficile, quomodo Abraham excindendus esse significetur Respondeo Ioannem non dicere,ipsam radicẽ excindendam esse,sed arborem,quæ non fecerit fructũ bonum.Cur ergo securis ad radicem ponitur? non vt ipsa radice,sed vt ab radice,hoc est radicitus arbores præscindantur,quo sensu ipsa etiam radix quodã modo præscinditur.Dicuntur autem Iudæi ab Abrahamo,quasi à radice sua,præscindi, quando diuina sententia declarantur non esse verè filij Abrahæ, quod non eius fidem, operaque fuerint imitati. *Non enim qui semen sunt Abrahæ,omnes filij,sed in Isaac vocabitur tibi semen,id est, non qui filij carnis; ij filij Dei, sed qui filij sunt promissionis* Rom.9.7.8.& Gal.4. 28. Cur igitur nunc securis ad radicem posita dicitur, quasi ante non esset?Nam & ante, qui fidem & opera Abrahæ non imitabantur, non minus quàm nunc excindebantur.Testes sunt Dathan & Abiron Numer.16. 31 testes tot millia in deserto prostrata. Num.26.65.1. Cor.10.5.Respondeo propterea nunc excindi, non ante,quoniam ante aliquid iuuabat Iudæos esse filios Abrahæ secundum carnem, quia propterea lex illis data est,quę alijs gentibus non est data, & poterant facilius per legem,quàm sine lege salui esse, vt docet D.Paulus Rom.3.1.2.*Quid ergo amplius Iudeo est aut quæ vtilitas circoncisionis? Multum per omnem modum.Primũ,quia creditæ sunt illis eloquia Dei* Post Christi autem aduentum nihil prorsus iuuat, quia Euangelium non magis illis,quàm cæteris gentibus prædicatur. *Lex & prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam* post Ioannem autem Baptistam *regnum cælorum vim patitur,& violenti rapiunt illud* c.11.12.Itaque si Abrahamum non imitentur,excinditur à radice,& in ignem mittuntur,id est non magis filij Abrahæ,quam gentes iudicantur. Gentes autem excindi non dicũtur,quia nunquam in radice fuerunt;id est nunquam filij Abrahę secundum carnem.

11.*Ego quidem baptizo vos in aqua.*)Ego, qui homo tantũ sum,aqua vos tantũ baptizo,& corpora solũ lauo.

In pœnitentiam.) Vt pœnitentiam agatis, per eamq; præparati eum recipiatis, qui me post venturus est. Monet enim vos baptismus meus,vt quemadmodum aqua corpus abluit,ita vos curetis animos vestros à peccatorum maculis abluere.

Qui autem post me venturus est.) ὁ ἐρχόμενος, qui post me venit;significat enim iam natum esse, propèque aduentare, id est Christus.

Fortior me est.) ἰσχυρότερος potentior,maiorisque virtutis est,ita prorsus,vt dignus ego non sim eius calceamenta portare,id est vel vilissima in re illi seruire. Eandem sententiam alij Euangelistæ Nar.c.1.7. Luc c.3.16.& Ioan.c.1.26.27.diuersa phrasi expresserunt; nec enim ipsa Ioannis verba,sed sensum recitare voluerunt. Sensus autem idem est,quia vtraque phrasi abiectissimũ declaratur ministeriũ; quemadmodũ si Gallicè quis diceret,nõ sum dignus portare tibi librũ; alius vero,nõ sum dignus ingredi in scholam tuam, vterque diuersa phrasi idem significaret, se non esse dignum, qui discipulus eius sit.Ea phrasis, qua Matthæus vtitur portare calceamenta,aut ὑποδήματα sandalia,aut soleas,sumpta est ex Hebræorum consuetudine, qui sacratiorẽ locum ingressuri calceos ponebant,quod nunc Turcæ & Africani faciunt,vt Exod. 3.5.& Iosue.5.15,perspicuum est. Qui ergo illustriores erant,puerum habebant,qui calceos,cum posuissent, portaret,quemadmodum nunc apud nos post viros paullo nobiliores vilissimus puer crepidas portat.Ad eam consuetudinem Matthæus allusit.Alij vero Euangelistæ ad formam calciatus;nam in calidioribus regionibus calcei soleis tantùm infernè constabant, supernè ligabantur vinculis, quæ à Grecis ὑποδήματα à Latinis crepidę dicebantur.Itaque soluendę erãt,antequam extrahi possent. Ex parte igitur totũ significatur,id est ex vinculorum solutione tota excalceatio; sicut Galli dicunt,non sum dignus illum excalceare.Itaque quod Cosmas Græcus auctor scribit,quemadmodum in Græca Catena citatum inuenio, corrigiam illam', quam Ioannes se soluere non posse dicit, coniunctionem humanæ diuinæque in Christo naturæ esse,quam nemo soluere,nemo coaptare,nemo explicare possit;generationem enim eius quem posse enarrare? magis mysticum, quam litterale est.Hic ergo tanto me fortior,ac maior,quia non homo tantùm,sed etiam Deus est,baptizabit vos Spiritu sancto & igne,id est non solum corpora, vt ego aqua;verum animos etiam vestros effuso Spiritu sancto purgabit,diuinoque inflammabit igne.Hic huius loci verus & simplex sensus est, quemadmodum, vt postea dicemus,omnes auctores veteres explicarunt. Neque longiore opus fuisset commentario, nisi nonnulli hæretici,sicut alia multa,ita etiam hunc locũ peruersissima interpretatione deprauasset, Ioannes,inquiunt, baptismi sacramentum instituit, à Christi baptismo nulla re diuersum, nisi quod alia dabatur manu,vterque ex aqua,vterque ex Deo, vterque in pœnitentiam,vterque in remissionem peccatorum, vterque in nomine Christi vterque eandem fidei cõfessionem requirebat,vterque eadem doctrina tradebatur

batur,neq; à Ioanne.Christus alium baptismũ,quam suum recipere voluisset.Vtinã possemus tam breues esse,quàm cupimus,sed cũ de fide agitur genus quoddã perfidiæ est,aut hæreticis parcere, aut nimis esse breuem. Si certi essemus fore,vt breui tẽpore scholas Theologicas in lucem ederemus,ad eas lectorem mitteremus,vbi iã diu satis,vt arbitror copiosè, hũc errorẽ refutauimus. Qui eundẽ Ioannis & Christi baptismũ fuisse putant, neque quid hoc loco Ioannes dicat,neque cur dicat vllo modo videntur intelligere.Quorsum enim de baptismo Christi mentionẽ inferret,nisi vt ex diuersa baptismi conditione diuersam personæ suæ,& Christi conditionem probaret? Persuasum habebant Iudæi fore,vt Christus cũ veniret,baptizaret.Ioan.1 25.videbant baptizare Ioãnem, incipiebant dubitare an esset Christus.Propterea mittunt ad eum sacerdotes & Leuitas,vt interrogent,*Tu quis es?* & de baptismo cum eo disputent Ioan.1.19. 25. *Existimante autem populo* (inquit Lucas)*& cogitantibus omnibus in corde suo de Ioanne,ne forte ipse esset Christus*, *respondit Ioannes dicens omnibus;ego quidem aqua baptizo;veniet autem fortior me,cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius, ille vos baptizabit Spiritu sancto & igne* c.3.15.16.Probat vtique ex effectu baptismi se non esse Christũ;quod ipse sola aqua, Christus Spiritu sancto,ipse corpora, Christus animos lauet.Non loquitur,inquiunt hæretici,de Christi in aqua baptismo; sed de effusione Spiritus sancti die Pẽtecostes.Esto de illa loquatur, negari tamen, nisi impudẽter,nõ potest de Christi quoque in aqua baptismo loqui,de quo Christus ipse dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto,non potest introire in regnum Dei.*Ioan.3.5 Nã quod istorũ quidã negant eo loco agi de baptismo,tam est absurdum,vt refutari non debeat.Baptismus Christi ex aqua & spiritu sãcto,sicut homo ex corpore & animo constat.Ioannis baptismus ex sola aqua cõstat,neq; enim, vt ipse testatur,cõfert Spiritũ sanctũ;nõ igitur idẽ est.Præterea cũ Ioannes dicit,*Ille vos baptizabit Spiritu sancto & igni* manifestum est ex Ioannis c.3.5. intelligendũ esse,*non tantùm aqua*,q d. Ille vos baptizabit nõ tantùm aqua;sed etiam Spiritu & igne;ergo è contrario cum dicit,*ego baptizo vos aqua*,eadem particula,*tantùm* intelligenda est.Quod si ita est,baptismum suũ Christi baptismo longe inferiorem facit. Hanc etiam vim habet illud epitheton *ἰσχυρότερός μου fortior ac potentior me*;cur enim potentiorem potius,quàm meliorẽ,sanctiorem,maiorem appellauit;nisi quia probare volebat se non posse per baptismum suum facere quod ille facturus erat.Præterea Ioannes dicit se baptizare in pœnitentiam Mar.1.4 Luc.3.3. Acto.19.4. ideoque baptismus pœnitentiæ vocatus est, quod de Christi baptismo nusquam legimus.Quia nimirum baptismus Ioannis non iam acta,sed vt ageretur;baptismus Christi non vt ageretur, sed iam acta pœnitẽtia conferebatur.Ioannes non dicitur prædicare pœnitentiã & baptismum,sed baptismum & pœnitentiam &,aut quod idem est,baptismum pœnitentiæ, quia baptismus præcedebat,pœnitentia sequebatur: de Christi autem baptismo Petrus non dicit, baptizetur vnusquisque vestrum & pœnitentiam agat;sed, *pœnitentiã agite,& baptizetur vnusquisque vestrum*, Act.2.38. quia Baptismus sequebatur,pœnitentia præcedebat.Non idem igitur erat.Quod autem clarius potest testimonium esse,quàm quòd ij,qui Ioannis baptismum acceperant,iubentur iterum à Paulo baptizari. Act.19.5. Negant nonnulli ex istis bonis interpretibus Ephesios,quos Paulus denuò baptizari iubet, Ioannis baptismum accepisse.At illi affirmant.Vtris magis credemus? Interrogati enim à Paulo, *In quo ergo baptizati estis?* Respondent.*In Ioannis baptismate.*Interpretantur homines acuti baptizatos fuisse baptismo Ioannis,id est doctrina Ioannis imbutos;baptizari enim est illis docere.Primum quidem ab illis exigimus vt aliquo exemplo doceant baptismum accipi pro doctrina;nec enim illis,tantis scilicet sectatoribus verbi Dei, nisi verbo Dei, nouam istam Grammaticam probãtibus volumus credere; quod hactenus non fecerunt.Perissent à nobis vnum illis locum obtulissemus,quem si animaduertissent,magna nobis confidentia iam diu obiecissẽt.Interrogat Christus principes sacerdotum Matt.21.25.26.*Baptismus Ioannis vnde erat,ex cœlo,an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes si dixerimus è cælo dicet,nobis,quare ergo non credidistis illi?* De baptismo interrogati,quasi baptismus & quidẽ ille Ioannis,de quo disputamus, & doctrina idem essent; de de doctrina respondent.At homines cauti non quid Christus interrogaret,sed quorsum intenderet,considerarunt.Sciebant enim doctrinam non quidẽ eandẽ,sed coniunctam cum baptismo esse oportuisse.Nã cũ intelligerent neminẽ,nisi à Deo missum baptizare potuisse,esseque baptismum diuinum doctrinæ testimonium,videbant se baptismum probare non posse,doctrinam repudiare.Babtismum in sacris litteris pro igne, pro morte, pro afflictione positum legimus pro doctrina nõ legimus. Si Ambrosium legissent,magnum se auctorem sententiæ suæ habere existimarent.Sic enim lib.1.de Spiritu sancto c.3.loquitur, *ergo isti* (Ephesij)*quia nec in Christi nomine,nec cum fide spiritus sancti baptizati fuerant;non potuerant accipere baptismatis sacramentum.Baptizati sunt itaque in nomine Iesu Christi;nec iteratum est in his baptisma,sed nouatum* At Ambrosius non negat illos fuisse baptismo Ioannis baptizatos, sed baptismi sacramentum accepisse,quod iterari non potest. Vnde potius sequitur Ioannis baptismum, quem accepisse illos confitetur,cum sacramentum non fuerit,à Christi baptismo quod sacramentum erat, fuisse diuersum, vt paullo post ex eodem Ambrosio demonstrabimus. Alij baptizatos baptismo Ioannis concedunt;iterum vero baptizatos negant. Quos non minus quàm alteros Lucæ verba redarguunt. *His* (inquit Act.19.5.)*auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu.*Iam dixerat se Ioannis baptismate baptizatos.His autem auditis non in nomine Ioannis; sed in nomine Iesu; id est non Ioannis sed Christi baptismum recipiunt. Quid clarius dici potuit?quid vero est *His auditis*? cum audissent ex Paulo alium esse Ioannis,alium Christi baptismum,nec baptismo Ioannis homines Christianos, sed pœnitentes,& catechumenos fieri,*Ioannes* (inquit ver.4.)*baptizauit baptismo pœnitentiæ populum dicens,in eum,qui venturus esset post ipsum vt crederent,hoc est in Iesum.His auditis baptizati sunt in nomine Iesu.* Interpretatur hæreticus baptizatos in nomine Iesu,id est Christi doctrina iustructos fuisse. Sed etiam probauimus baptismum nunquam accipi pro doctrina, & ex ipsorum opinione,atque ex hoc ipso loco manifestum est.Si enim baptizari fuit doceri,non potuerunt Ioannis baptismum sine baptismo Christi recipere, quia,vt isti dicunt,baptismus Ioannis & Christi ideo idem erat,quia eadẽ in vtroque doctrina tradebatur. Deinde si idẽ fuisset doceri,ac baptizari,non dixisset Lucas,*his auditis baptizati sunt*, Audire enim fuit doceri & si doceri fuit baptizari,perinde est ac si dixisset, baptizari baptizati sunt, ridicula prorsus ταυτολογία. Deinde si doceri fuit baptizari, ergo cum illi Ephesij secundo baptizati dicũtur,à Paulo sunt baptizati.Nam ab illo docti sunt,at Lucas manifeste indicat non fuisse à Paulo baptizatos. *His auditis baptizati sunt,& cum imposuisset illis manus Paulus,venit Spi-*

Nõ idem Christi & Ioãnis baptismus.

Baptismus in sacris literis nusquam pro doctrina posita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritus sanctus super eos. Si à Paulo baptizati fuissent, non dixisset, *Baptizati sunt, & cum imposuisset illis manus Paulus:* sed cum illos Paulus baptizasset, & manus eis imposuisset. Denique cum eodem loco bis baptizati fuisse dicantur, primùm Ioannis baptismate, dein in nomine Iesu, cuius est iudicij idem verbum in eodem loco positum diuersa significatione interpretari? Error sua ipse arguitur nouitate. Nam antequam noui isti Euangelistæ venirent, nemini in mentem venerat dicere Ioannis & Christi eundem fuisse baptismum: contra verò non interrogati, non vlla coacti disputatione omnes, quotquot fuere veteres auctores negauerunt, Iustinus q. ad Orthod. 37. Tertullian. in lib. de bapt. Origen. lib. 5. in epist. ad Romanos c. 6. & tom. 6. in Ioann. Optatus lib. 5. aduersus Parmenianum, Chrysost. hom. 10. in Matth. & hom. 1. in Mar. Auctor imperfecti hom. 3. Ambros. lib. 2. in Luc. c. 3. & in præfat. in Psal. 37. & serm. 16. in Psal. 118. Athan. q. 134. Gregor. Nazian. in oratione in sancta lumin. Basil. in exhortatione ad baptismum, & in oratione de baptismo Ioannis, Hieronym. aduersus Lucifer ianos, Cyrill. Alexand. lib. 2. in Ioan. c. 57. August. sexcentis pœne locis, illustriores indicabo, lib. 2. contra literas Petiliani c. 37. & lib. 3. c. 56. lib. 5. de bapt. contra. Donat. c. 9. 10. 15. in Enchir. c. 49. epistola 48. Gregor. hom. 20. in Euang. vt posteriores Bedam, Theophylactum. Oecumenium, Anselmum prætermittam. Poëtas nobis Prudentium & Iuuencum aliquis obijciat, qui vterque baptismum Ioannis Christi baptismo videntur aquiparare. Peccata enim remisisse dicunt. Possem respondere non subtiliter, sed poëticè locutos: sed non opus est poëti sententiam excusare, cùm possimus in bonam partem interpretari. Multi enim veteres auctores eodem modo locuti sunt, qui ijdem tamen negant eundem Christi atque Ioannis fuisse baptismum, in quibus Basilius in hom. de baptismo Ioannis, Chrysost. homilia 1. in Matth. August. lib. 5. de bapt. contra Donat. c. 10. Gregor. hom. 20. in Euangel. Beda in 3. c. Luc. Theophylact. hoc loco. Dicunt enim baptismum Ioannis datum fuisse in pœnitentiam in remissionem peccatorum Luc. 3. 3. non quòd per illum peccata remitterentur; sed quòd ad pœnitentiam excitaret: per pœnitentiam verò aut tunc, aut pòst Christi accedente baptismo remitterentur. Propterea non legimus Ioannis baptismum remissionis peccatorum, sed baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum appellatum, quia non per illum, sed per subsequentem, aut præcedentem pœnitentiam peccata remittebantur. Nec opus est cæteris hæreticorum argumentis respondere, & quia non scholas, sed commentarios scribimus; & quia adeo infirma sunt, vt ipsa per se confirmata veritate concidant. Eodemque consilio illas quoque quæstiones, quæ à Theologorum potius scholis petendæ sunt, prætermittimus. Num Ioannis baptismus fuerit sacramentum, num certa verborum forma datus, num ad veterem, an ad Euangelicam legem pertineret, & si quæ sunt similes,

Et igni.) Sunt qui ignem hoc loco purgatorium interpretentur, quo homines post mortem quodammodo baptizantur, id est à peccatorum maculis, si quas adhuc habent, abluuntur, vt Origen. tract. 9. in Matth. & hom. 24. in Luc. & Hilar. & Hieronym. hoc loco. Sed dubium non est, quin per ignem Spiritus sanctus significetur. Coniunctio enim, &, hîc non est coniunctiua; sed explicatiua. Addita autem est explicatio, vt non qualiscumque Spiritus Sancti communicatio, sed illa illustrissima, quæ die Pentecostes specie ignis facta est, significaretur. Argumentum est, quòd cum Christus de solo baptismo aquæ agit Ioan. 3. 5. hanc explicationem non addit.

13. *Tum venit Iesus à Galilæa in Iordanem.*) Cur Christus à Ioanne, dominus à seruo baptizari voluerit, vnam ipse ver. 15. rationem declarat, vt iustitiam omnẽ impleret; alias valde probabiles antiqui Theologi tradiderunt. Primam, vt hac ratione testimonium Christo de cælo præberetur. vt Hieronymus ait. Hac enim potissimum de causa Ioannes iussus est baptizare, vt confluentibus vndique ad eum populis Christum illis ostenderet. Secundam, vt Ioannis baptismo auctoritatem daret. Tertiam, vt ea re ad suum baptismum homines alliceret, & vt ait Augustinus, ne homines grauaretur ad baptismum Domini venire, cùm non grauarentur Dominus venire ad baptismum serui. Quartam, vt aquas suscipiendo baptismo sanctificaret. Epiphanius in Anchor. Addere possumus voluisse Christum, antequam doceret, quodammodo initiari, & (vt ita dicam) se ipsum Christum docturus, Christianus fieri, si quo modo Ioannis baptismus facere Christianum poterat, quia viâ ad Christum præmonstrabat. Illud certũ, non necessitate vlla agendæ pœnitentiæ baptismum accepisse eum, qui peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius; sed potius, vt peccata nostra in desertum, sicut olim hircus, deportaturus, in pœnitentiæ & peccatorum baptismo peccatoris personam indueret.

14. *Ioannes autem prohibebat eum.*) Prohibebat, quia sciebat eum baptismo non indigere, & quia, si non indigens baptizari vellet, se tamẽ, vt illũ, baptizaret, merito indignum iudicabat. Hoc est *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* ex quo perspicuũ est Ioannem Christum, quis esset, cognouisse. Quod manifestius ex Ioanne est c. 1. 29. 30. *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait, ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est.* Vnde nascitur quæstio, quomodo idẽ Ioãnes ver. 33. dicat, *Et ego nesciebã eum sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum ille est qui baptizat in Spiritu sancto & igni.* Nostri hæretici pænè hæreticum D. Ioannem faciunt, quasi antequam descensu Spiritus sancti doceretur, non satis firmam de Christo opinionem habuerit. August. quem Strabus & Lyranus secuti sunt cognouisse quidem ante esse Christum; sed non cognouisse eum sibi potestatem in igne baptizandi soli reseruaturum, donec Spiritum super eum vidit descendentem. At iam dixerat, *Ille vos baptizabit Spiritu sancto & igni.* Itaque melius, vt mihi videtur, Chrysostom. homil. 16. in Ioannem, Euthym. & Theophylactus, Ioan. 1. 33. semper eum redemptorem, Deumque, & quicquid erat cognouisse, cum ad eius aduentum in vtero etiam matris exultasset, sed de facie non cognouisse, antequam ad baptismum veniret, cùm Christus in Nazareth, & in Ægypto, ipse in solitudine totam ante vitam transegisset. Simul autem atque vidit, diuino afflatu cognouit illum ipsum esse, quem natum sciebat, quem post se venturum, & in Spiritu & igne baptizaturũ prædicauerat, quemadmodum olim Samuel. vt ait Rupertus auctor meliore sanè dignus tempore, certò sciebat inter filios Isai vnum esse, qui in regem vngẽdus erat, cum neminem eorum de facie cognouisset, & simul atque Dauidem vidit Deo inspirante eum esse cognouit 1. reg. 16. 12. nam eorum non probo sententiam qui columbam super Christum, antequam baptizaretur, venisse dicunt, Euangelistarum, vt mihi videtur, verbis repugnantibus. Quorsum ergo Ioanni à Deo dictũ est *super quem videris Spiritum descendentem ipse est?* Respondet Hilarius lib. 6. de Trinit. id non Ioanni propter ipsum, sed propter adstantem popu-

Cur Christus à Ioanne baptizari voluerit.

lum dictum esse, vt diuino testimonio illum Christũ esse doceret, quem antequàm cognouisset, prædicauerat, ne quis vt ait Chrysostomus, existimaret solius Ioannis testimonium diuino testimonio non confirmatum, aut cognitioni, aut familiaritati & gratiæ datum esse. Quid ergo Ioannes ex descensu Spiritus sancti, & ex voce cælitus audita cognouit? nihil noui, sed ea cognitio, quam ante habebat, & perfecta, & confirmata est, vt ait Beda & Rupertus in 1. cap. Ioannis.

Ego à te debeo baptizari.) Mihi opus est a te baptizari. Nam quod quidam proprius ad verba verterunt, necesse habeo, plus quidam mihi videtur significare. Colligunt nonnulli auctores ex hoc loco Ioannem postea à Christo baptizatum fuisse, tum ex illis etiam quę sequuntur, *Sine modo.* Chrysost. Hieronym. Auct. imperfect. ho. 4. Euthym. & Theophyl. hoc loco.

Ioannes à Christo baptizatus.

15. *Sine modo.*) Modò, cum nondum sum descensu Spiritus sancti, & voce de cælo missa Christus declaratus, non tanquam Christus; sed tanquam vnus de cæterorum hominum numero, homo priuatus accedo; ideoque non debes recusare mihi, quòd maior te sim, baptismum sicut cæteris, impendere, Chrysost. Euthym. Theophylact. quòd verò auctor imperfecti 4. interpretatur, *Sic*, id est, prius faciendo, quam docendo, *cœpit enim facere, & docere,* Act. 1. 1. subtile. Ego accommodatè ad personas & rem subiectam interpretor *Sic*, id est, dum maior à minore, dum dominus à seruo baptizatur.

Decet.) Quamuis non necessarium sit; tamen conuenit. Opera, vocant, supererogationis.

Nos.) Quidam exponunt, *nos* id est omnes homines, qui docendi munus suscipimus. Malim sic, *Nos*, id est me suspiciendo, te dando habtismo.

Implere.) Nihil prætermittendo, non solum ex ijs, quæ necessaria; sed etiam ex ijs, quæ factu vtilia, & decora sunt. Hæc enim vis est verbi.

Omnem iustitiam.) Sunt, qui legis iustitiam interpretentur, quæ in varijs, vt loquitur D. Paulus baptismatibus, & cæremonijs externis consistebat, Hebr. 9. 10. quam Christus implere voluerit, sicut circuncidi voluit, quia non venit soluere legem, sed adimplere, Matth. 5. 17. vt Hieronym. & Euthym. quibus necesse est dicere baptismum Ioannis veteris legis sacramentum fuisse, quod multi de schola Theologi magistrum secuti suum, docuerunt. Melius D. Thomas, qui vnus instat est omnium, neque sacramentum fuisse, neque cæremoniam legis, sed mediam inter legem & Euangelium, à Deo quidem, sed ad breue tempus institutam, vt Christus eiusque baptismus introduceretur, sicut Ioannes ipse inter legem & Euangelium; inter Prophetas & Christum medius fuit. Nomen ergo iustitiæ hoc in loco nec vllam partem veteris legis, neque virtutem vllam præcepto positam, quamque obseruare necesse esset, significare arbitror; sed quicquid sancti viri virtuti & officio consentaneum est, etiam si non facere sine peccato liceat. Hoc enim omnia indicant verba, dixerat Ioannes, *Ego à te debeo baptizari*, quasi dicat, tu à me non debes, id est nõ indiges ὰ χρείαν ἔχεις Respõdet Christus, etsi non oportet, tamen decet me abs te baptizari, vt impleamus omnem iustitiam, id est, vt non solum, quæ præcepta, sed etiam quæ honesta & sanctitati consentanea sunt, faciamus. Cur autem decuerit baptizari Christum diximus ver. 13.

Ioannis baptismus nõ fuit sacramentũ veteris legis.

16. *Et baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua.*) Aduerbium confestim non temere, sed significanter additum esse constat ex Mar. c. 1. 10. qui & ipse addidit. Quod Euthym. scribit ideo Euangelistam dixisse Christum statim ab aqua ascendisse, vt inter Christum & Ioannem alios homines, quid interesset, significaret; solitum quippe fuisse Ioannem cæteros in Iordano collo tenus immersos manu capiti imposita detinere, donec peccata sua confiterentur; Christum verò, quia peccatum, quod confiteretur, non habebat statim ascendisse, ab eo creditum ac dictum miror. Quod autem ait Chrysostomus; ideo statim ascendisse, vt significaret eos, qui babtizantur statim à peccatis, quasi in nouam vitam, ascendere, morale est, & nos litteralem quærimus sensum. Existimo igitur traiectionem esse, quales multas in nouo præsertim testamento animaduertimus. Et illud *statim*, aut *confestim*, non ad verbum, ascendit, sed ad id, quod sequitur, referendum, *& ecce aperti sunt ei cæli*, aut sic esse verba copulanda; statim vt baptizatus est, ita vt vix è flumine ascendisset; aperti sunt ei cæli. Hunc esse sensum apparet ex Marco, *& statim*, inquit, *ascendens ex aqua* vidit cælos apertos, id est statim, vt ascendit, vidit. Ratio quoque docet hunc esse sensum. Nam, vt diceretur Christus statim post acceptum baptismum à flumine ascendisse, nulla causa erat. Quis enim dubitasset? aut quid iam baptizatus Christus in flumine fecisset? vt autem diceretur statim post baptismũ & excessionem è fluuio apertos vidisse cælos, non solum vtilis; sed etiam necessaria causa erat. Voluit enim Euangelista docere cæleste illud diuinùmque testimonium ita cum baptismo nulla interposita mora fuisse coniunctum, vt nihil aliud expectasse videatur Deus vt testimonium de Christo suum exhiberet, nisi vt baptismus, & Ioannis præcederet testimonium. Debuit enim hominis Deus, non Dei homo testimonium confirmare. Qui autem quærunt, cur Euangelistæ ascendendi potius, quam exeundi verbo vsi fuerint, ignorare videntur terram altiorem esse, quàm flumina. Lucas orante Christo cælos apertos & columbam descendisse narrat; itaque credendum est eum simul atque in terram euasit sese in genua prouoluisse, vt reuerenter patris testimonium exciperet. Nam & filij bene instituti, dum ipsos parentes alloquuntur, caput aperiunt.

Cap. 1. 10.

Et ecce aperti sunt ei cæli.) Ei id est Christo, vt ex huius loci contextu, & ex Mar. c. 1. 10. manifestum est. Credendum est omnibus, qui adstabant, apertos fuisse, id est ab omnibus tanquam apertos visos fuisse, cum propterea vero simile sit apertos fuisse vt omnes illigerent & Spiritum sanctum, & vocem de cælo descendisse. Sed Christo tantùm aperti dicuntur, quia propter eum aperti sunt. An autem re ipsa, an sola specie aperti fuerint, magni non refert; sed quia quæri solet, dici debet. Chrysostomus de cœlis vbique non aliter, quàm de cæteris corporibus sentiens, indicare videtur, apertos re ipsa fuisse. Auctor vero operis imperfecti hom. 4 & Hieronym. hoc loco, & in cap. 1. Ezechiel. non re vera, sed vsu, quorum est sententia probabilior, & quia ad id, quod agebatur, efficiendum nihil referebat, vtrum re ipsa, an sola specie aperirentur, & quia non est credibile cælorum soliditatem fuisse non necessariò violatam, & quia similiter alijs locis aperti fuisse dicuntur, vbi re ipsa apertos non fuisse constat Genes. 7. 11. & Act. 7. 56. vbi si re vera aperti fuissent, non solus Stephanus sed omnes, qui aderant apertos vidissent, cùm solus Stephanus vidisse referatur: & quia vb. è contrario claudi dicuntur; non re vera clauduntur, cum aperti ante non essent, vt Deut. 11. 17. 3. reg. 8. 35. 2. par. 6. 26. & 7. 13.

Cæli in baptismo christi quo modo aperti.

Et vidit.) Plerique referunt ad Ioannem, quia Ioannis 1. 33. dicit, *& ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit super quem videris spiritum descendentem, & manentẽ super eum, ille est, &c.* quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

valde mihi coactum, videtur, cùm post initium ver. 14. Ioannes non fuerit nominatus, & omnia, quæ præcedunt, verba ad Christum referantur; & Marcus Matthæi interpres c.1.10. dicat, *& statim ascendens de aqua vidit cælos apertos, & Spiritum, tanquam columbam, descendentem super ipsum.* Quod autem dicitur Ioan.1.33 non est contrarium, quia, vt paullo ante diximus, non solum Christus, & Ioannes; sed omnes etiam qui aderant, apertos cœlos. & Spiritum descendẽtem viderunt: Christus, quia propter ipsum, Ioannes, quia hoc illi à Deo datum erat signum: alij, vt eo signo Ioanni crederent. Sed nimirum non omnes Euangelistæ omnia dicere voluerunt. Matthæus & Marcus, quia de Christo agebant, dixerunt eum Spiritum descendenteum vidisse: Ioannes de Ioanne agens Ioannem vidisse dixit. Turbam, quæ aderat, vidisse nemo dixit, quia de illa agebat nemo.

An vera fuerit columba in baptismo Christi.

Sicut columbam.) Tertullianus lib. de carne Christi veram putat fuisse columbam, idemque D. Augustinum sensisse in lib. de agone Christiano c. 22. plerique existimant: quod ideo non credo, quia nec eo loco quicquam aliud Augustinus probat, quàm verum fuisse corpus, quod longè aliud est, quàm veram esse columbam, & multis alijs locis non veram columbam, sed columbæ speciem fuisse docet, quemadmodum omnes alij auctores, quos legere memini, docuerunt, Ambros. in præfat. lib. 3. de Spiritu sancto, Augustus. aut quisquis est. lib. 3. de mirabilibus sacræ scripturæ c. 5. Quod eo est probabilius, quòd omnes Euangelistas, quasi de industria, particula similitudinis vsos esse videamus, & quòd ad id, quod agebatur necessarium non fuerit veram esse columbam, Vtrum autem verum fuerit corpus columbæ speciem prę se ferens, an ne corpus quidem re ipsa fuerit, sed quasi corpus esset, ita ab adstantibus visum; diuersa est quæstio. In qua Augustini probo sententiam, verum fuisse corpus, quia, si verum non fuisset, aut non ab omnibus visum esset, aut tot fuissent facta miracula, quot homines fuerunt, cùm miraculum non in columbæ corpore sed in oculis hominum fieret, quod non est temere concedendum. Illud tamen cauendum, quod D. Augustinus admonuit, ne existimemus sic Spiritum sanctum cum corpore columbæ; sicut filium Dei cum natura humana hypostaticè vnitum fuisse, quod videtur Tertullianus existimasse; sed sicut angelos, vt ab hominibus viderentur, humana sæpe corpora sumpsisse legimus. Non sine causa à nonnullis quæsitum est, cur hoc loco Spiritus sanctus specie columbæ descendat; die autem Pentecostes specie ignis atque linguarum, Act. 2.3. facilis ratio. Nunc in Christum descendit, non vt ascendat, quia ipse Deus erat, Deus autem ignis consumens est; non vt loqui doceat, quia diffusa erat gratia in labijs eius, sed vt testimonium de illo perhibeat. Qui autem testimonium perhibet, debet personæ, de qua loquitur, naturam, proprietatésque declarare. Dictum erat de Christo, *arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*, & quidem eo loco dictum erat, vbi de descensu in eum Spiritus sancti agebatur, Isai. 42.1.2.3. *Dedi Spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Dicit ipse de se Christus. Discite à me, quia mitis sũ & humilis corde Matth. 11. 29. Columba mitissimum est animal, &, vt ait Cyprianus, sine felle amarum, sine morsibus sæuum. Credo etiam specie columbæ naturam, &, vt ita dicam, habitum Spiritus sancti declaratum; omnium largitor gratiarũ Spiritus est, *diuidens singulis, prout vult* 1. Cor. 12.11. Columba gratiam, mansuetudinémque signi-

Tertulliani error de Spiritu sancto cum colũba hypostaticè vnito.

Cur Spiritus sanctus specie columbæ apparuit.

cat; amorem quoque patris in Christum declarari suspicor, vt columbæ species vóxque audita consentiant, *Hic est filius meus dilectus.* Est enim colũba amantissimum animal, carmen semper amatorium immurmurans. Itaque sponsa illa Dei amantissima columba sæpe, quasi dilecta, appellatur. *Columba mea formosa mea*, Cant. 2.10.14, *Soror mea, columba mea* Cant. 5.2. *Vna est columba mea* Cant. 6.8. Apostolis verò datus est Spiritus sanctus, quia indigebant, vt eos caritate inflammaret, & varijs linguis loqui doceret, ideo specie ignis atque linguarum datus est.

Et venientem super ipsum) Christum ἐπ' αὐτὸν super ipsum, pro ἐφ' ἑαυτὸν super se. Solent enim aliquando Græci, sæpe vero Septuaginta, & Latinus interpres pronomina demonstratiua pro reciprocis ponere, quia eadem apud Hebræos vox עליו vtrumque significat. Vide 1. reg. 17.39. & 23.6. Cur Spiritus sanctus super Christum recens baptizatum descenderit, difficilis non est coniectura. & veteres Theologi Irenæus lib. 3. c. 19. Iustinus in Tryphon. Ambrosius in præfatione lib. 3. de Spiritu sancto, & Hieronymus. q. 2. ad Algasiam scriptum reliquerunt. Dixerat Isaias c. 11. 1. 2. *Egredietur virga de radice, Iesse & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus.* Dixerat. c. 42. 1. *Dedi super eum spiritum meum, iudicium gentibus proferet.* Dixerat. c. 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit, me, ad annunciandum mansuetis misit me vt mederer contritis corde, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem.* Debuerunt impleri Prophethiæ. Debuit Spiritus sanctus super Christum venire, & vt ait Ioannes c. 1. 33. super ipsum manere, hoc est requiescere, & quidem tunc, cum, vt annunciaret mansuetis, & mederetur contritis corde, prædicarétque captiuis indulgentiam & clausis apertionẽ, baptismo, quasi magisterio quodam initiabatur, vt omnes eum esse Christum intelligerent, de quo fuisset Isaias tam longo ante tempore vaticinatus. Itaque ipse Christus cum secundum illum Isaiæ locum in Synagoga legisse, addidit, *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Luc. 4. 21. Aliam rationem Hieronymus, Chrysostomus. Euthymius & Theophylactus afferunt, vt inde intelligeremus etiam nobis Spiritum sanctum, quamuis minimè videamus, babtizatis dari. Sed hæc ratio minus conuenit, quia nos non per Ioannis, sed per Christi baptismum Spiritum sanctum recipimus. Certè altera melior, quia illud præcessit, hoc secutum est.

17, *Hic est filius meus dilectus.*) Marcus c. 1. 11. & Lucas c. 3. 22. dicunt, *Tu es filius meus.* Quæ ideo contraria non sunt, quia credendum est alios Euangelistas verba, alios sensum retulisse. Vtri autem verba, incertum; vero simile tamen est Marcum & Lucam verba recitasse, & quia plures sunt, & quia consentaneum fuit, vt in quem Spiritus sanctus descendebat, ad eum vox dirigeretur. Sicut in transfiguratione quia vox dirigebatur ad Apostolos, non dixit, Tu es filius meus: sed *hic est filius meus dilectus* Luc. 9. 35. οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός. Hic est filius ille meus, ille inquam carissimus. Ostendit enim gemino articulo se non de quouis, sed de naturali, de vnico, de æterno, de sibi æquali filio loqui. Nam cæteri adoptione tantum filij sunt. ἀγαπητὸν dilectum, aut quod amplius est, carissimum Athanasius in oratione aduersus Arianos, quòd Deus ex Deo sit verbum, vnigenitum interpretatur. Hoc enim epitheto non apud Homerum solum, sed etiam in sacris litteris vnigenitos filios solitos appellari, Genes. 22. 2. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis*, sicut ẽ contratio Ioan. c. 3. 16. & 1. epistola 4. 9. *vnigenitum* posuit pro carissimo, *Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ*

suum vnigenitum daret.

Significatio verbi complaceo in scriptura.

In quo mihi bene complacui.) ἐν ᾧ εὐδόκησα, ad verbum, In quo placui. Sed noster interpres explendæ sententiæ causa, dandi casum addidit. Verbum est valde in sacris litteris vsitatum, sicut & nomen εὐδοκία. inde deriuatiuum. Noster interpres εὐδοκεῖν solet vertere, sibi complacere, vt Matth. 12. 18. & 17. 5. Mar. 1. 11. Luc. 3. 22. & 12. 32. ad Colos. 1. 19. 2. Petr. 1. 17. εὐδοκίαν autem beneplacitum, vt ad Ephes. 1. 9. aliquando bonam voluntatem, vt Lucæ 2. 14. De quibus duobus verbis multa ab interpretibus disputantur, quæ etsi vera sunt, tamen non videntur eorum vim prorsus exprimere, sensúmque complere. Græcum verbum à Septuaginta interpretibus introductum est, qui vbicunque ferè Hebraicè erat רעה verterunt εὐδοκεῖν vt psal. 49. 14. 43. 4. & 149. 4. nec memini eos vspiam aliter vertere. nisi Isai. 42. 1. Quare ex verbo Hebraico רעה Græci verbi εὐδοκεῖν vis intelligenda est. רעה autem Hebraicè cum multa signi ficat, tum etiam aliquando placari, reconciliari, in gratiam redire, vt psal. 76. 8. *Nunquid in æternum proiciet DEVS, & non apponet vt complacitior sit adhuc.* H. לרצות עוד vt iterum reconcilietur. G. ἢ εὐδοκήσει ἔτι, & psal. 84. 1. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob.* H. רצית יהוה ארצך placatus es (aut reconciliatus) terræ tuæ, id est populo tuo, vt Hebræi interpretantur, & quæ sequuntur. verba confirmant, Auertisti captiuitatem Iacob. G. εὐδόκησας κύριε τὴν γῆν σου, ergo hoc loco ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo complacui*, vt nostri interpretis versionem, retineam, non significat, quem vnicè amaui, neque quo valde delector, neque, in quo conquiesco. vt noui quidam vertunt interpretes; sed, in quo, id est, perquem placatus ac reconciliatus sum mundo, hoc est, placari & reconciliari decreui. In quem cum intueor, omnem iram & offensionẽ pono. Voluit enim pater per vocem illam cœlitus missam declarare non tantum filium esse suum; sed quorsum etiam mitteret, vt libentius ab hominibus reciperetur. Alludit autem ad prophetiam Isai. 42. 1. *Ecce seruus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in eo anima mea* רצתה נפשי Cur autem hæc vox cælitus missa sit, non est difficile rationem reddere. Colũbæ species res erat muta, quæ multa significare poterat, addita vox est, quæ symbolum declararet. Sicut *accedit verbum*, inquit Augustus. *ad elementum, & fit sacramentum*, quia quod elementis obseurè. id aperté verbis significatur. *Filius Dei* (inquit Hilar. can. 2.) *auditu confectuque monstratur plebique infidæ & prophetis inobedienti testimonium de Domino suo mittitur & contemplationis, & vocis. Fide dignus est testis qui & audiuit & vidit.* Simile quiddam in transfiguratione factũ est Mat. 17. 5. & Luc. 9. 35. sed alia ratione, vt Apostolorum principes, qui vt ait D. Paulus, quasi Ecclesiæ columnæ futuri erant, stabilirentur. Omnes veteres auctores, ijque maximè, qui aduersus Arianos disputarunt, aliam causam reddiderunt, vt Trinitatis mysterium declararetur, Patris loquentis, Filij testimonium recipientis. Spiritus sancti columbæ specie descendentis Qualis aut quo modo facta vox, obscurum non est, potuit Deus qui omnes humanas voces aëre in humano ore formare solet humanam vocem eodem aëre sine ore formare, vt Mar. 9. 7. & Ioan. 12. 28. Exodi. 3. 4. Act. 10. 13. 15.

Cur vox missa in baptismo Christi.

Tract. 80 in Ioan.

CAPVT QVARTVM.

VNC *Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* 2 *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* 3 *Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* 4 *Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* 5 *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi,* 6. *& dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* 7 *Ait illi Iesus: Rursum scriptũ est: Non tentabis Dominũ Deũ tuũ.* 8 *Iterum assumpsit eum diabolus in montẽ excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum,* 9. *& dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* 10 *Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* 11 *Tunc reliquit eum diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabãt ei.* 12 *Cum autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam:* 13 *& , relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim:* 14. *Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam:* 15. *Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium* 16 *populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* 17. *Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* 18. *Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores)* 19. *& ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* 20 *At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* 21 *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocauit eos.* 22. *Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* 23. *Et circuibat Iesus totam Ga-*

Marc. 1. b. 12. Luc. 4. a. 1.

Deut. 8. a. 3.

Psal. 90. c. 11. Deut. 6.

Deut. 6. b 13.

Mar. 1. c. 14. Luc. 4. c. 14. Ioan. 4. f. 43. Isa. 9. a. 1.

Mar. 1. b. 15.

Mar. 1. b. 16. Luc 5. a. 1

Universidad de Deusto
Biblioteca

lilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. 24. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: 25. & secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

Mar.3.a.7. Luc.6.c.17.

IN CAPVT QVARTVM.

1 IVNC) statim, vt expressit Marcus c. 1. 12.

Ductus est.) ἀνήχθη subductus, aut abreptus. Marcus τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει *expellit eum Spiritus*. Credibile est non peraëra raptum, vt Habacuc, Daniel. 14. 35. & Philippum Act. 8. 39. quia id Euangelistæ non tacuissent, sed pedibus ductum, nõ coactum, sed libentem. Dicit tamen Matthæus subductum, Marcus expulsum; non vt vim illatam Christo, sed vt efficientiam & impulsum Spiritus sancti significaret, sicut cum D. Paulus dicit, *Qui spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*, Rom. 8. 14. vt Hilarius, Hieronym. & Auctor imperfecti obseruarunt. Nec significatur ante non fuisse actum ab Spiritu: sed tum maximè vim Spiritus apparuisse.

Laus vitæ solitariæ.

In desertum.) In locum tentationi, & singulari aptum certamini, *Væ enim soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Eccles. 4. 10. Nec ideo damnãdi, qui in solitudine vitam agunt. Quod genus vitæ & Ioannes Baptista primus, & multi post viri sanctissimi exemplo virtutis singulari, & Chrysostomus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Theodoritus homines experti, quàm diuinum esset, integris voluminibus testati sunt. Illis potius, quam hominibus aut hæreticis, aut ambitiosis, & delicatis credendum est. Cùm illi ipsi, qui subleuare debent, deijciunt, præstat solum esse, & solum contra solum dæmonem, quàm cõtra dæmones, hominésque pugnare. Solus non est, qui Deum sequitur ducem, cuius auxilium tanto magis in solitudine, quàm in ciuitate? quanto minus ab hominibus impeditur; apparet. Desertum autem hoc loco Iudææ intelligendum est, vt diximus c. 3 1. illud ident. vbi Ioannes Baptista vitam egerat, & quia prope Iordanem erat, vt illic explicauimus, & quia absolutè desertum appellatur. Ductus ergo est à Iordane in intimam solitudinem, vbi inter bestias agebat, vt ait Marc. c. 1 13.

Aquo spiritu Christus in desertũ ductus.

A Spiritu.) Paullo post ver. 5. & ver. 8. & apud Lucam c. 4. ver. 5. & 9. dicitur ductus à diabolo, qui & ipse aliquando spiritus appellatur, vt infra c. 8. 16. & 10. 1. & 12. 43 sed hoc loco Spiritus sanctus intelligendus est, & quia in proximo de eo Euangelista locutus fuerat. c. 3 & quia cum articulo, & quia absolute Spiritus dicitur, quod nunquam fit nisi cum Spiritus sanctus significatur, vt Didymus & Hieronimus, obseruarunt.

Tẽtare varijs modis accipitur.

Vt tentaretur.) Tentare aliquando est ad peccandum incitare, vt Act. 5. 3. & 1. ad Cor. 7. 5. & 1. Thes. 3. 5. Iacob 1. 13. Apoc 3. 10. Hoc modo Diabolus tentare dicitur. Inde nomen habens Satan, apud Hebræos aduersarius, Diabolus apud Græcos calumniator & insidiator, qui circuit quærens quem deuoret. Homines etiam, tanquam Diaboli ministri, sic alij alios tentare solẽt. Deus nequaquam. *Intentator enim malorum est.* Iacob, 1. 13. Quanquam Caluiniani hæretici hoc etiam modo Deum, & quidem in primis tentare dicunt, Diaboli scilicet officium Deo tribuentes. Tentare etiam est cognoscendi causa inquirere & explorare; quomodo & Diabolus & homines & Deus tentat.

Deus quo modo tentat & non tentat.

A Aliter tamen Deus, aliter homines, & dæmones. Hi vt cognoscant quod ignorant; ille vt quod scit, scire etiam videatur, quemadmodum si explorando experiendóque didicisset, aut non, vtipse, sed vt ij quos tentat, sese cognoscant, vt D. August. interpretatur. Ita Genes. 22. 1. Exod. 16. 4. & Deut. 8. 2. & 13. 3. Sapient. 3. 5. Heb. 4. 15. & 11. 17. 37. Apoc. 2. 2. Tentare etiam est ad iram prouocare, vt cum dicimur tentare Deũ, quia eius potentiam experiri volumus infra ver. 7. & Exod, 17. 2. 7. Num, 14. 22. Psal. 77. 18. 41. & 94. 9. & 105. 14. Christus non poterat, nisi secundo & tertio modo tentari, tamen credibile est, in desertum abijsse, vt se diabolo omnibus modis tentandum præberet; & ad peccandum etiam solicitaretur, vt posset dicere, *venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Ioan. 14. 30. Id ex facto diaboli manifestum est, qui illum, vt se præcipitem daret, seque adoraret eum, incitauit, quod vt tunque grauissimum peccatum erat. Hac enim ratione an filius Dei esset, vt dicebatur, experiri voluit. Sciebat enim, si ad peccandum trahi posset, filium Dei esse non posse.

B *A diabolo.*) Nomen proprium, aut potius cognomen est Luciferi principis dæmoniorum, ex calumniandi, insidiandique excellentia desumptum, vt Matt. 25. 41. & Apoc. 12. 9. & 20. 2. 10. Voluit enim Christus hominum princeps diabolum principem dæmoniorum ad singulare certamen prouocare, & vt suis parceretur militibus, & vt hostium primo conflictu victo duce totus in fugam exercitus verteretur. Atque hæc vna causa ab Euangelistis reddita est, cur Christus in desertum abierit. Quia aduersarius aggredi non audebat, obuiam illi procedit. & quodammodo irritat, quem scit non pugnaturum, nisi lacessitum, Hilar. can. 3 Ambros. lib. 4. in Luc. c. 2. Auctor imperf. ho. 5. Alias quoque fuisse causas. cur in desertũ Christus secesserit, licet ab Euangelistis non exprimantur, incredibile nõ est. Moses antiquus legislator, antequam à Deo legem accipiat, quadraginta dies solus in monte versatur. Ioannes antequam ad prædicandum & baptizandum prodeat, in eadem solitudine vitam agit. Quod enim ex solitudine profiscitur, non ex hominibus, sed ex Deo profectum putatur, maioréque excipitur reuerentia. Voluit ergo Christus etiam ex solitudine Euangelum afferre. Voluit eum se esse ostendere, cuius Moses figura fuisset; cuius præcursor Ioannes, quẽ ijsdem vestigijs per solitudinem sequeretur. Voluit nos exemplo docere, vt cum de vitæ rationibus, vel de re alia graui deliberamus, turbam relinquamus hominum, & nos in solitudinem colligamus nostra cum Deo consilia communicaturi, quæ frequentia hominum impediuntur, solitude iuuantur, Nam & Comicus ille dixit. Medratus venis alicunde ex solo loco. Cur autem tentari Christus voluerit, multæ ab interpretibus causæ afferuntur. Prima illa est, quòd oportuerit nouum militem in ipso clarescere tyrocinio; & grauiorem pugnam leuioribus durari velitationibus. Secunda, vt tentatus ipse per omnia, vt ait D. Paulus tentatis nobis maiore commiseratione opem ferret. *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus potens est, & ijs, qui*

C

D

tentantur, auxiliari. Heb. 2. 18. vt Pontificem haberemus, *qui scir et compati infirmantibus nostris* Heb. 4. 15. rertia, vt exemplo doceret nos, cum accedimus ad seruitutem Dei, præparare animas nostras ad tentationem Eccles. 2. 1. quam Hilar. & Chrysost. indicarunt. Quarta, vt deuicto statim hoste nos redderet securiores, *Confidite* (inquit) *ego vici mundum* Ioan. 16. 33. Nam, *nisi ille certasset, non mihi iste vicisset*, vt ait Ambr. lib. 4. in Luc. c. 2. Quinta, vt nos quoque illo vincente, vinceremus, August. in Psal. 60. *Agnesce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem. Petra erat Christus. Propterea petra illa, in qua ædificati sumus, prior percussa est ventis, flamine, pluuia: quando Christus à diabolo tentabatur. Ecce in qua firmitate te voluit stabilire.* Et in Psal. 90. parte. 2 *Ideo tentatus est Christus, ne vincatur à tentatore. Christianus.*

2. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta hostibus.*) id est quadraginta integros dies. Sic enim Hebræi loqui solẽt. Aut ideo diebus Euangelista noctes adiecit, vt indicaret eum non Iudæorum more ieiunasse, qui per diem nihil cibi potúsue sumentes noctu vescebantur, sed ita vt totos quadraginta dies totidemq; noctes nihil gustauerit. Quod Mosem ante Exod. 24. 18. & 34. 28. & Eliam 3. reg. 19. 8. fecisse legimus Obseruarunt veteres auctores mysticum hunc esse numerum, vt Basil. in ho. in quadraginta martyr. Ambr. ser. 34. de quadragesima, & lib. 4. in Luc. c. 2. Hieron. in 3. c. Ionæ, August. lib. de Genes. ad litterã. c. 169. & lib. 2. de consens. Euang. c. 4. Quod non ab illis excogitatum sed à Deo declaratum fuisse multis sacrarum litterarum exemplis perspicuum est. Nam non solum Christus, Moses, & Elias, quasi numeratis ad calculum quadraginta diebus ieiunarunt, quod ipsum, erat satis, vt aliquod inesse huic numero mysterium intelligeremus; sed multa etiam alia hoc numero videmus facta quæ casu facta esse non possunt. Quadraginta dies ac noctes pluit, cum aquarum inũdatione mundum Deus purgare voluit Genes. 7. 12. Quadraginta dies mortui aromatibus cõditi asseruantur, antequam sepulturæ mandentur, Genes. 50. 3. Quadraginta dies exploratores illi à Mose missi Chanaan promissam à Deo terram perlustrant Num. 13. 26. Quadraginta dies Goliath diabolum acuersarium nostrum significans. stat exprobrans contra populum Dei. 1. reg. 17. 16. Quadraginta annos filij Israel in deserto morantur Exod. 16. 35. Quadraginta dies Ezechiel iubetur in dextrum latus cubare, vt portet iniquitates domus Iuda Ezechiel. cap. 4. vers. 6. Quadraginta annos Ægyptus deserta cogitur quodammodo agere pœnitentiam Ezech. 29. 11. 12. Quadraginta dies Christus post resurrectionem, antequam in cœlum ascendat, in terris versatur. Non potest fortuitò fieri, quod tam sæpe fit. Quadragenarius ergo numerus totum (vt ait Augustin. (præsentis vitæ significat cursum, tempus pœnitentiæ, peccatorumq; expiationi destinatum. Ieiunium autem pars est pœnitentiæ. Valde Caluiniani vellent aut quadraginta dies non ieiunasse Christum aut id Euangelistas non commemorasse; aut Ecclesiam Christi exemplum in vtilitatem Christianorum, vsumque pœnitentiæ non conuertisse, vanam esse superstitionem, quia semel Christus hoc numero dierum ieiunauit, singulis annis totidem dies ieiunare, magnam arrogãtiam Christum imitari velle, intolerabilem illi fieri iniuriam, quòd in ordinem nobiscum redigatur, rescindi Euangelium cuius Christi ieiunium sigillum fuit. Homines tam soliciti de honore Christi quàm Iudas de pauperibus alendis, cum fur esset, & loculos haberet. Si quadraginta dies ieiunare superstitionem putant; ieiunent quinquaginta. Si quod semel Christus fecit,

Cur Christus 40. dies ieiunauit.

Quadragenarius numerus mysterium.

De ieiunio Quadragesimæ cõtra hæreticos.

Io. 12. 6.

A non est à nobis singulis annis repetendum, ne celebrent octauo quoque die Dominicam resurrectionẽ. Christus enim non nisi semel resurrexit. Si arrogantia est Christũ imitari arrogans Paulus, qui se Christi imitatorem vocat, & ea quidem in re, quæ illi fuit maximè propria, vt pro Ecclesia sua moreretur, *adimpleo*, inquit, *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia*; arrogantes nos Christus esse iubet, qui vult nos esse perfectos, sicut pater noster cœlestis perfectus est, qui vult esse vnum sicut ipse & pater vnum sunt. At in his rebus non ad æqualitatem; sed ad facultatem nostram imitamur. Nec in ieiunio; nam ille quadraginta dies, nec edit, nec bibit, nec esuriuit, aut sitiuit; nos & edimus, & bimus, & tamen esurimus ac sitimus. Imitamur, quia sequimur, quamuis non assequamur. Sequimur autẽ quam proximè possumus, homines Deum. Nam satis est, vt eandem teneamus viam. Non facimus illi iniuriam, quia non comitem, sed ducem facimus. Quid, quod nonnullos Christianos legimus totos quadraginta dies sine vllo cibo & potu ieiunasse? in quibus Deus singulari miraculo & ipsorum in imittãdo Christo pium probauit studium; & istorum hæresim, insaniamque refutauit. Legant grauissimum auctorem Theodoritum exempla reperient. Et, si Christi ieiunium Euangelij sigillum appeller, quasi nõdum scripto, neque prædicato Euangelio sigillum Christus ad hibuerit. Non ergo sigillum, sed exordium est Euangelij; quo se Christus parat, vt prædicet, nos vt recipiamus, hoc inquam. Euangelium Christi quod ieiunio inchoatur, ieiunio finitur; non illud Caluini, quod tantopere ieiunia reformidat. At Christus non præcipit, qui scitis; scriptũ est diei Dominicæ obseruationem præcipisse? Esto, non præcepit, certè fecit. Et fecit mysterio, quòd quadraginta, non plures, non pauciores dies ieiunauerit; vt hoc numero, quemadmodum Hieronymus scribit, quadragesimæ nobis ieiunium consecraret. Nec ille solus, sed omnes etiam illi antiquissimi, doctissimi, sanctissimi Ecclesiæ doctores aut Christum, aut Apostolos Christi imitatos exemplum quadragesimæ ieiunium constituisse docuerunt, Ambros. ser. de quadragesima. 23. 25. 27. 36. 38. & Leo ser. 6. & 9. Hieronym. quia quam vos superstitionem vocatis, Christi hæreditatem vocat. Horum qui scripta legit, & cum vestris confert, si non videt eorum spiritum esse Christianum, vestrum diabolicum hæreticum, cæcus est.

Coloss. 1. 24.

Matth 5. 48. Io. 17. 21.

In histor. Theophil.

Caluin. in Harm.

Postea esuriit.) Indicat ante spatio quadraginta dierũ non esurijsse. De Mose & Elia vtrũ vel antè vel post, vel nunquã esurierint, nõ dicitur, ideoq; credendum est nõ esurijsse, cùm hoc de Christo, tanquã singulare, dicatur. Eadẽ enim virtus Dei, quę cõseruabat, satiabat. Cur ergo Christus esurijt? vt timido hosti; & quasi Deũ aggredi nõ audẽti, ostendẽs se hominẽ esse ad aggrediendũ animũ addat; & quia ad armatũ accedere timebat, arma quodam modo diuinitatis ponit, & quasi nudus & inermis homo cõtra luctatorũ. morẽ esuriens in arenã descẽdit, & aduersarium non virtutis, vt fieri solet, iactatione; sed infirmitatis ostentatione prouocat, Iren. lib. 3. c. 32. Chrys. ho. 13. in Matt. Auctor imperf. ho. 5. Hieron. in commẽt. Ambros. lib. 4. in Lucã. c. 2. Cuius acuta est & scita sententia, *Fames Domini pia fraus est, vt in quo diabolus maiora metuẽs iam cauebat, famis specie lactatus tentaret, vt hominem.*

Cur Christus esurierit post 40. dies ieiunij.

3. *Et accedens.*) Quomodo, aut qua forma accesserit Euangelistæ non dicunt. Potuit aut inuisibiliter accedere, sicut nos quotidie tentare solet; aut sumpta aliqua visibili forma. Oës auctores forma corporea, eaque humana accessisse putant quod est valde probabile, & quia cum Christo multa est collocutus, &

quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diabolus forma serpentis Christum tentauit.

Quia se adorari voluit,& quia si alia accessisset forma,Euangelistæ non tacuissent.Nam cum Euam specie serpentis tentauit,q uia minus vsitata forma erat, scriptura non tenuit Genes.3.1.

Tentator) ὁ πειράζων ille tentare solet nomen officij omnium dæmonum:sed per attributionem proprium diaboli dæmoniorum principis. Nam quem modo diabolum appellauerat, nunc tentatorem appellat,quasi dicat,accessit luctator accessit pugnator, vt1. ad Thes.3.5.Ne forte tentauerit vos is,qui tentat, ὁ πειράζων tentator.Notatio est Hebraici nominis שטן Satan, & Græci διάβολος diabolus,vt infra ver.10.& c.16.23.& Luc'22.3.31.& Act.5.3.& 1.Co.7.5.& Apocal.12.9.& 20.2. vbi ille ipse dæmoniorum princeps proprio nomine Satan appellatur.Nescio quid fuerit in causa,cur noster interpres in vetere testamento semper Satan,in nouo duabus adiectis litteris semper Satanam vocauerit,nisi forte,quia vetus testamẽtum ex Hebraico sermone vertit,in quo שטן Satan; nouum ex Græco in quo placuit Septuaginta σατανᾶν Satanam potius,quam σατὰν Satan appellare.Diabolus etiam eiusdem principis nomen est proprium Psa. 108.6.Ephes.6.11.1.Petri 5.8.Apocal.12.9.& 20.2.

Si filius Dei es.) Audierat fortasse cœlestem vocem, *Hic est filius meus dilectus*,aut ex Ioannis prædicatione, vel fama cognouerat.Credibile autem est non per modum dubitantis,aut negantis , aut irridentis hoc diabolum dixisse,sicut illi eius ministri dixerunt, *Si filius Dei est,descendat nunc de cruce* c. 27. 42. sed per modum potius credentis,& affirmãtis,& bene Christo consulere volentis, quasi dicat, quandoquidem filius Dei es,ne famem patiare,sed quia potes,& aliũde non suppetit cibus, dic,vt lapides isti panes fiant. Hoc enim illius serpẽtis callidirati magis cõueniebat ita tẽtare,vt nõ tẽtare,sed bene consulere videretur.

Dic.) Etsi non ignoro,quod hæretici interpretes adnotauerunt,dicere apud Hebræos idem sæpe esse atque iubere;tamen in eo eorum leuitatem accuso,iudiciumque desidero.quod pro,*dic*,verterint,*iube*, non intelligentes etiam si idem vtrumque verbum significet,tamen maiorem habere vim dicere,quàm iubere,ideoque & Hebræos & Euangelistas ita loqui.Plus enim est,*Dicit fiat lux,& facta est* lux,Genes.1.3.quàm si dixisset *iussit*; plus est *verbo Domini cœli firmati sunt* Psal.32.6,quam si dixisset *iussit*.Significat,enim tantũ os Deũ aperuisse.omniaque facta fuisse similiter hoc plus est,*Dic*, quàm, *Iube*:loquitur enim de filio Dei, tanquam de eo verbo, quo mundum fabricatum fuisse sciebat,qui eodem verbo, quo cælum terramque fecisset;posset & ex lapidibus panes facere.

Vt lapides isti.) Lapides potius quam terram, quam aërẽ,quam arbores ostẽdit,&quia res erat ante pedes posita,& quia difficilior,& quia aliquã cum pane lapis habet similitudinẽ,cũ sit pani maximè contrarius qua ratione Christus dixit,*Quis est ex vobis homo , quem si petierit filius eius panem,nunquid lapidem porriget ei?* infra c.7.9.

Panes fiant.) Quod Theophylact.& alij quidã diaboli curiositate factum putant, vt *panes* non panem dixerit non alia de causa factum arbitror,quàm quod pluraliter lapides dixerat:nam Lucas.c.4.3. singulari numero dixit,*panis fiat*. Itaq; non cõstat vtro modo diabolus dixerit,quia alter Euãgelista verba,alter sensum recitauit;vter verò hunc,vter illa,nescimus.

4.Scriptum est.) Quia diabolus ad scripturam Genes. 1.& Psal.32.6 , allusisse videbatur , scriptura refellit, quod in alijs quoque tentationibus facit.

Non in solo pane.) Panem vsitatum, vocat , sed Hebræorum more per panem omnis consuetus cibus intelligitur.

Viuit.) ζήσεται viuet,id est viuere potest. modus , vt vocant Grammatici potentialis apud Hebræos, יחיה vt Exod.33.20 *non videbit me homo,& viuet*, id est nemo qui me viderit,viuere poterit.

Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei) על כל מוצא פי יהוה *in omni egrediente ore Dei*,ad verbum, Deut.8. 3. Septuaginta vero & Latinus interpres sententiam magis , quàm verba reddere volentes, nomen *verbi* addiderunt.Quod multis aliis fecisse locis in Idiomatibus adnotauimus.Id etiã siue imitatione , siue proprio consilio fecit Euangelista:sensus est Deum non indigere vsitato cibo,vt seruos suos alat, posse enim vno verbo nouum formare cibum.Id enim de Manna dictum est, *Afflixit*,inquit,*te penuria, & dedit tibi cibum Manna,quod ignorabis tu,& patres tui,vt ostenderet tibi,quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo,quod egredietur de ore Domini*.Non respondet Christus se esse, aut non esse filium Dei, quia quamuis id maximè diabolus auebat scire, minimè tamen interrogabat, quin se credere fingebat.Tantùm volebat videri dare consilium, *Dic,vt lapides isti panes fiant*. Christus ergo ad id respondet,quod dixerat, non ad id,quod tacuerat. Optima ratio eos deludendi , qui fallaciter consulunt.

5. *Tunc,)* id est,secundò : non enim significat id statim post primam tentationem factum esse.Credibile enim est aliquanto tempore quieuisse.Cum verò dico,secundò , non certa sed probabili opinione dico. Nam Lucas.c.4.9. hanc tentationem non secundo, sed vltimo loco ponit , secundo verò illam, quam Matthæus vltimo. Nec enim solent Euangelistæ,sicut nec cæteri scriptores sacri in narratione rerum ordinem seruare temporum.Probabile tamen est Lucam eo ordine,quo occurrerunt: Matthæum eo quo acciderunt tentationes Christo cõmemorasse quia vero simillimũ videtur esse, diabolũ illis Christi verbis tertium victũmque discessisse *vade post me Sathanas*, hæc autem verba nõ sunt à Christo dicta, nisi in monte ,cùm diabolus Christo dixisset. *Hæc omnia tibi dabo,si cadens adoraueris me*,& quia id narrat Euangelista, & quia diaboli postulatio eam responsionem postulabat.Itaque Strabus nulla mihi videtur probabilitate contrarium affirmare. Sunt qui apud Lucam scriptorum negligentia tentationem ordinem mutatum putent,quòd Ambrosius lib. in Lucam.4.eodem ordine quo Matthæus narrat,tentationes exponat.Sed potius colligendum erat, Ambrosium, quamuis Lucam interpretaretur; tamen tentationes non quo ordine à Luca narrabantur ; sed quo ordine accidisse putabat,narrare voluisse.Quod meã quoque confirmat opinionem Matthæum ordinem, quo acciderant,secutum esse.Et si alteruter corrigẽdus,esset,Ambrosius potius quàm Euangelista corrigendus esset.Etsi scio esse,qui se vidisse Lucæ codices affirment,vbi eodem ordine, quo apud Matthæum tentationes narrarentur.

Assumpsit.) παραλαμβάνει assumit.Quomodo Christum diabolus assumpserit. Euangelistæ non exponunt,& potest varias in partes probabiliter dispurari. Illud certum inuitum non assumpsisse.Nec enim cogere potuit,quem ne aggredi quidem,nisi volentem, seseque ingerentem potuisset. An autem visibiliter, an inuisibiliter:& si visibiliter , an per aëra raptum deportauerit,vel pedibus ingredientem duxerit, incertum.Cyprianus in sermone de ieiunio & tentationibus Christi,quem alij nonnulli secuti sunt,omnes Christi tentationes putat inuisibiliter cõtigisse,quẽadmodum ea,quæ de Prophetis legimus vt Ezechielem raptum fuisse ex Chaldæa in Ieruſalem , vt vrbẽ metiretur,Ezechiel.40.1.& alia sim lia.Quib us ego

magnis

magnis licet auctoribus,ideo,non assentior,quod dictu absurdum videatur diabolum Christo eodem modo,quo Prophetis Deum visiones animo iniecisse. Præter quam,quod illa,quæ prophetis acciderunt,nõ re ipsa,sed v isione accidisse Prophetæ ipsi declarant Ezechiel.40.2.etsi non declarassent ex eo ipso, quòd Prophetæ erant,intelligi poterat. At Euangelistæ non solum non declarant Christi tentationẽ per visionem accidisse,sed etiam indicant accidisse re vera.Quo enim modo sese per visionẽ præcipitasset,aut quomodo cum non re vera,sed falsa opinione præcipitatum angeli custodissent,& quod rem maximè continet, quomodo falsa opinio præcipitationis Christi animum subire potuisset? Alij volentem per aëra raptum existimant.Quod videtur assumendi verbum παραλαμβάνειν significare,vt Hieronym.auctor operis imfecti,Gregorius, & Strabus. Alij ductum pedibus. vt Euthymius in commentarijs in 4. c. Lucæ, quibus ideo potius,subscribo,quod parum mihi videatur vero simile,tantum diabolo Christum erga se permississe, vt ab eo deportaretur. Præterquam quod si id permittẽte Christo diabolus fecisset, nimium se,quis esset,declarasset,quod ille cum tentat facere non solet,potius transfigurat se in angelum lucis. 2.Cor. 11. 14.Accedit quòd Lucas non dixit παρέλαβεν sed ἤγαγεν duxit,& illud ipsum verbum παραλαμβάνει non semper significat ita assumere,vt portes ; sed aliquando ita,vt ducas,vt supra.c.1.20.24.& c.2.14.20.

In Sanctam ciuitatem.) In Ierusalem, quæ sancta dicebatur ciuitas, quòd in ea Deus propter arcam & templum,quod ibi erat,habitaret.2.par.6.2.18.& 7.16.Ps. 9.12.& 21.4.& 67.17.& 7..2.& 134.21.Itaque sic vulgò vocabatur Matth.27.53.Apocal.11.2.& 21.2.10. & Daniel.3. 28. Prophetæ post Christi aduentum & propter eius præsentiam ita vocandam prædixerant, Isaiæ.52.1.& 60.14.& Zachar.8.3.

Super pinnaculũ templi. ἐπὶ τὸ πτερύγιον super alã,aut super pinnã templi. Quidã fastigiatam & acuminatã turrem fuisse tradunt,in qua lamina esset ad ventorũ mutationẽ versatilis,quę ob alæ similitudinẽ πτερύγιον vocaretur, quales nũc in tẽplis nostris, & principum Basilicis videmus.At nihil eiusmodi in tẽplo Ierosolymitano fuisse legimus.Theophylactus locum δῶμα fuisse dicit,id est fastigiatum tectum , ex cuius dorso vtramque in partem pluuia defluere , qualia sunt in Gallia adeo acuminata,vt duas habere alas, volareq; domus videantur.Sed scimus neq; templũ, neq; ceras in Palæstina domus eiusmodi tecta habuisse,quin supernè plane erãt,vt in illis cœnandi,apricandi,ambulãdi,confabulãdi cõmodus locus esset.vt intelligitur Ios.2.6.& Iud.16.27.& 1.re.9.25.26.& 2.re.11.2.& 16.22.& 4.re.23.12.Isa.15.3.Matt.10.27.& 24.17.Mar. 13.15.Luc.12.3.& 17.31.Itaque melius sentiũt, qui pinnam templi vocari existimant peribolum,qui circum summũ tectũ erat.ne quis ibi ambulãs caderet,qualẽ Deus omnibus in tectis fieri iusserat Deut.22.8.Latini podium,vt opinor,appellãt.Id πτερύγιον pinna vocatur,quia ab ædificiis extabat, & veluti in aëre pendere,vt alæ similis.videbatur,quales sunt, quos Galli in turribus *creneaux* vocant.Cur autem eò Christum diabolus duxerit,in promptu est ratio,quia persuadere volebat,vt se præcipitem mitteret,conueniebat eius consilio,vt in etuditissimum locum duceret.Erat autem Ierusalem in loco edito,templũ autem in editissimo totius vrbis in monte Moria. 2. Par.3.1.pinna autem locus erat totius templi altissimus.Nam quod Remigius, multique alij auctores tradiderunt, id circo eum in tectum templi duxisse quòd ibi solerent Pharisæi,legisque doctores ad populum concionari,vt doctoris inflatus opinione facilius se præcipitè iacerent;mihi nõ probatur,qui nusquã legere memini in tecto tẽpli docere legis peritos cõsueuisse.Cõtra vero lego in porticu Salomonis conciones habitas Ioan 10. 23.

6.Si filius Dei es.) Hoc diabolum vrebat, vt sciret, an filius Dei esset. Credibile tamen est affirmando dixisse, sicut ante ver.3.

Et in manibus tollent te.) Quidã de industria illã partẽ testimonij à diabolo prætermissã putãt, *vt custodiant te in omnibus vijs tuis*,quod hæc verba diabolo aduersari videretur.Vias enim interpretãtur viã,quã homo ire debet,nõ quam præcipitẽ agi.& omnes actiones nõ impia temeritate,qualis erat sese præcipitarijsed pio prudẽtique cõsilio susceptas.Quod si nõ est verũ,est argutũ,& diaboli congruũ ingenio.Illud dubiũ nõ est,diabolũ si nõ verba,certè tamẽ verborũ sententiã corrupisse.Nec enim voluit Spiritus sanctꝰ significare fore,vt,quidquid iustus,siue iure siue iniuria aggrederetur,bene succederet:sed vt in ijs,quę vt,vir iustus ageret,etiã si totus aduersaretur mũdus tã præsens tamen Dei experiretur auxilium.vt angelorum manibus gestari videretur. Quod autẽ dixit.*in manibus*,potius quàm in humeris,allusit ad consuetudinẽ,qua,qua carissima nobis sunt,ne perdamus,nẽue quis furetur,in manibus gestamus , sicut Hispani dicunt,gestat illũ supra palmas manuum suarum, id est valde amat, diligẽtissimẽq; custodit. Ideoque malè mihi vertisse videtur hæreticus interpres,in manus tollẽt te,vt detracta verbis;quod autẽ illo Psalmo 90. de omni viro iusto dictũ erat,diabolus,quasi à minore ad maius argumentando ad Christum,qui non vir modò iustus,verùm etiam filius Dei vocatus fuerat, accommodauit. *Bezain annot.*

7. *Rursum.)* Etiã scriptũ est.Est enim hoc aduerbium cum sequentib. non cum præcedentibus copulãdum. *Non tentabis.)* Quod hoc loco significet tentare, vide vers.1. 8. *Iterum assumpsit.)* Vide vers.5.

In montem.) Quis hic fuerit mons, quia Euangelistæ non dicunt, neque scire possumus, neque curiositatis vitio licet inquirere. Illud scimus Ierosolymã montibus fuisse circundatam. *Fundamenta* enim *eius in montibus sanctis* Psal. 86.1.&, *montes in circuitu eius*. Psal.124.2. Illud autem etsi nescimus,tamen valde simile vero est diabolum in aliquem propinquum Ierosolymæ montem duxisse. Quòd verò Origenes, Ambrosius,Hieronymus & Theophylactus de superbia interpretantur, in quam diabolus homines ducit; non sensum,quem nos quærimus litteralem.sed allegoriam explicare voluerunt.

Omnia regna mundi) Quomodo potuerit ex vno mõte omnia mundi regna diabolus ostendere,quæri inter interpretes solet. Sũt,qui id sola animi visione factum velint,vt Cyprianus & Strabus, quẽadmodum ver.5.docuimus,quod ibidem etiã refutauimus. Melius auctor operis imperfecti,& Euthym.reipsa ostendisse.non ita vt viderit; sed ita vt cuiusque regni plagam digito designauerit. Adde quòd non est necesse, vt singula prorsus ostenderit regna. Sæpe enim ita scriptura loquitur, vt totum dicat pro maiore parte Matth.9.26.&.27.45.

Et gloriam eorum.) Hebrahismus,id est qua quodque re maximè præstaret,quoc verbis,non manu ostendisse credendum est.

9 *Hæc omnia tibi dabo.)* Lucas c.4. 6. scribit diabolum addidisse,*quia mihi tradita sunt,& cui volo , do illa* Nempe quia à Christo,an filius Dei esset extorquere non potuit,fingit se filium esse Dei, qui solus verè potuit dicere,*Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*.Dicitur quidem diabolus princeps huius mundi Ioan.12.31.&14.30.&16.11.non quòd mundi , sed *Matt.28. 18.*

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd vitiorum. quæ propria sunt mundi, dominus A
sit. Itaque nec regna dare, nec auferre potest, quod
proprium est Dei. Prouerb. 8.15. Daniel. 2.21. Nec re-
gna solum, sed nec alia bona, nisi permissu Dei, aut da-
re potest aut eripere; argumentum est Iob. 1.11.12. nec
illa ipsa vitia, quibus maximè dominatur, nisi nobis
volentibus dare potest. *Funibus enim peccatorum suorũ*
quisque constringitur Prouerb. 5. 22.

10. *Vade Satana.*) Multi Græci, Latinique codices
legunt, *Post me*, aut, *Retro me* ὀπίσω μου, vt Matthæus. 16.
23. & Mar. 8 33. Satanam autem suo vocat nomine,
quem Euangelista ver. 3. tentatorem vocauerat, vt o-
stendat se scire illum non esse filium Dei, quem se es-
se simulabat, sed diabolum, quem dissimulabat. Est
hæc vox imperantis simul & increpantis. B

Dominum Deum tuum adorabis.) Non citat Chri-
stus verba, sed sensum. Non enim est נתנשׁ adora
bis, sed תירא timebis. Sed apud Hebræos timere Do-
minum est illum adorare & colere, & timor Domi-
ni significat omnem diuinum cultum, sicut homines
religiosi, castique Deum colentes timentes Deum ap
pellantur Iob. 1.1.8.9. & 2.3. & Psal. 21.24.25.26. & 24.
14. & 32.8.18. & 65.16. & 113.11. & 117.4. & 127.1.4. &
fere vbique de ijs dicitur, qui ad populum Dei perti-
nebant. Nec est *illi soli seruies*, sed, *illi seruies*. Septuagin-
ta tamen interpretes & Latinus addiderunt *soli*, vt sen-
tentiam exprimerent. Cum enim Deus iubet adora-
re se sibique seruire, vetat alios adorare Deos & ser-
uire illis. Itaque idem est, *Dominum Deum tuum a-*
dorabis, & illi seruies, ac si dixisset, Dominũ Deũ tuum
solum adorabis, illique soli seruies. Has tantùm tenta-
tiones Christi tres Euangelistę exposuerunt, non est
tamen opinor existimandum his tantum tribus modis
fuisse tentatum, cum ideo in desertum exijsset, vt ten-
taretur, & Marcus scribat. c. 1. 13. *Et erat in deserto*
quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentaba-
tur à Satana, quasi totos quadraginta dies tentatus es-
set. Certe auctor operis imperfecti homil. 5. & Aug.
lib. 2. de consensu Euangelistar. c. 4. Beda, & Remigius
ita senserunt. Cur ergo Matth. dixit ver. 3. *Accessit*
tentator, quasi ante non accessisset? Interpretari possu-
mus, accessit, vt exploraret, an filius esset Dei; aggres-
sus est aperto Marte, cum videret se nihil per cuniculos effecisse & Euangelistæ noluerunt bellum, & sin-
gulas pugnas, sed prælia narrare. Hoc tamen non pro
vero, sed pro simili vero haberi volumus.

Pluribus modis tentatus Christus à diabolo.

12. *Cum autem audiuisset.*) Hæc non statim post Chri
sti tentationes acciderunt. Aliquanto enim tem-
pore, antequam in vincula Ioannes conijceretur,
Christum baptizasse, & Euangelium prædicasse: Io-
anne etiã baptizante atque prædicante, & ita quidem,
vt inter vtriusque discipulos æmulatio aliqua nas-
ceretur, manifestum est Ioan. 3. 22. 23. & 4. 1.

Secessit in Galilæam.) Causa secessus Christi facilè ex
verbis Euangelistæ colligitur, qui ideo indicat secef-
sisse, quod Ioannes traditus esset, ne videlicet & ipse
traderetur. Quo autem modo in Galilæam secesserit,
cum Ioannes in Galilæa traditus fuerit, meritò potest
non exercitatus in scripturis lector dubitare. Ioannem
in Galilæa traditum fuisse certum est. Traditus enim
est ab Herode infrà. 14. 3. & Mar. 6. 17. Luc. 3. 19. Erat
autẽ Herodes Galilææ Tetrarcha, Luc. 3. 1. Omnes hę-
reticorum interpretes hoc loco pueriliter errarũt exi-
stimantes eandem esse Galilęam, in quam Christus se-
cessit, & ex qua prius venerat, vt à Ioanne baptizare-
tur supra c. 3. 13. ideoque ἀνεχώρησεν vertũt, *redijt in Ga-*
lilæam. Atqui Galilęa, vnde antea venerat, illa ipsa erat,
in qua Ioannes traditus est. Venerat enim ex Naza-
reth. Mar. 1. 9. Nazareth autem in ea fuisse Galilæa, vbi
Tetracha erat Herodes, quis ignorat? Propterea enim
enim iussus est Ioseph cum infante Christo eò diue r-

Errorpue rilis hæreticorum.

tere supra. c. 2. 22. Itaque Christus non fugisset pericu-
lum in eam Galilæam secedens, sed in periculũ con-
iecisset. Secessit ergo ex Galilæa Iudæorum, cuius Te
trarcha Herodes, quæ inferior dicebatur, in superio-
rem Galilæam, quæ extra Herodis iurisdictionem
erat, & Galilæa gentium vocabatur, quod magna ex
parte à gentibus habitaretur. In ea enim Salomon Hi-
ram Tyriorum regi viginti vrbes olim dederat 3. reg.
9. 11. quod non solum ex Strabo vulgari nostro auctore
sed ex ipso etiam Euangelista intelligere potuerunt.
Addit enim ver. 13. Christum discessisse ex Nazareth,
quæ, vt diximus, erat in Herodis Galilæa, & venisse,
vt habitaret in Capernaum, quam in finibus alterius
Galilææ esse constat, & ver. 15. *Terra Zabulon & terra*
Nephthalim via maris trans Iordanem Galilææ gentium.
Itaque melius noster interpres vertit, *Secessit*, quam
isti noui, *redijt*; quamuis verbum vtrumque significet.
Ex his perspicuum est non esse eandem historiam, quã
hoc loco Matthæus, & quam Lucas. c. 4. 14 commemorat: sed Lucam illic agere de reditu Christi statim
post ieiunium, & tentationes in Galilæam Herodis;
Matthæum verò hic de eius, secessu ex Galilæa Hero-
dis in Galilæam gentium; quod non alios solum
minores auctores; sed magnum etiam Augustinum
videtur latuisse lib. 1. de consensu Euang. c. 18. C

14. *Vt adimpleretur.*) Prophetiam Isiæ, quam de li-
beratione trium tribuum Zabulon, Nephthalim, &
Aser, quæ eam partem incolebant, quidam interpre-
tantur, suo more ad Christum accommodat, vt alias.
c. 2, 15. 18. & c. 3. 3. Locus est apud Isaiam d fficilis, quia
Hebræi non solum alium sequuntur sensum; sed alia-
ter etiam legunt aliter que verba coniugunt. Illic do-
cuimus veram lectionem, vtramque esse sententiam,
quam & noster interpres, & Euangelista secutus est.
Nec enim illam prophetiam ante Christi aduentum
& prædicationem propriè legimus impletam.

15. *Terra Zabulon & terra Nephthalim via maris.*) re-
gio tribus Zabulon & tribus Nephthalim: hæ enim
duæ tribus in superiore Galilæa sortem acceperant
Iosue. 19. 10. 33. regio maritima. Erant enim tres illæ
tribus vicinæ mari Phœnicio, vbi Tyrus dominaba-
tur. Græcus dixit ὁδὸν θαλάσσης viam maris accusatiuo
aduerbialiter posito, id est versus mare, imitatione, vt
opinor, Septuaginta, qui ita solent vertere, quod He-
bræi dicunt דרך via, id est versus, vt 2. par. 6. 38. D

Trans Iordanem.) Terram Zabulon, & terrã Neph-
thalim non esse trans, sed citra Iordanem respectu Ie-
rosolymæ nemo ignorat. Quo maiorem hic locus dif-
ficultatẽ interpretibus peperit. Ego quod sentio, bre-
uiter dicam aliorum non aspernatus sententiam, sed
breuitatem secutus. Solebant Hebræi ex Aegypto ve-
nientes, antequam Iordanem traiicerent, terram Cha-
naan, quæ vltra Iordanẽ erat, vocare עבר הירדן
terram trans Iordanem, Nu. 32. 19. Deu. 3. 20. 25. & 11. 30.
Quam consuetudinem etiam in Palestinã ingressi re-
tinuerũt, ita loquentes, quemadmodũ ante loquebã-
tur, cum essent vltra Iordanem, sicut è contrario, ante-
quam Iordanem traiecissent, regionem, quæ illis cis
Iordanem erat trans Iordanem appellabant, ita lo-
quentes quemadmodũ si iam essent in terra Chanaan.
Cuius veriusque rei in libro Iosue sunt exempla, quæ
facilius lector reperire poterit, quam ego notare. Hoc
si non placet, breuius veriusque dici potest Hebraica
phrasis עבר הירדן tam citra, quàm vltrà significare, vt
2. par. 20. 2. מעבר לים à regione quæ est citra mare.

17. *Appropinquauit regnũ cælorũ.*) Quid sit regnũ cælo
rũ appropinquare, diximus. c. 3. 2. Hic tantũ notandũ
ijsdẽ verbis Christũ & Ioannẽ Euãgelij prædicationẽ
inchoare; vt intelligamus Ioannẽ legatũ fuisse Chri-
sti, qui non suis; sed eius, à quo missus fuerat, verbis
vsus fuerit, & exordium Euangelij esse pœnitentiam.

15. *Iuxta mare Galilææ.*) Non erat mare, sed lacus, quẽ
Iordanis in humiliorẽ locum incidens efficiebat. Vo-
catur autem mare Hebræor. more, qui vt Hieron. ait
omnẽ aquarum congregationẽ mare appellant Gen.
1. 10. Galilææ vero dicitur, quia in finib. vtriusque Ga-
lilææ situs erat, olim Tarichea. vt auctor est Plinius,
& mare Tiberiadis propter Tiberiadẽ vrbem in eius
ora sitam, quã non multo ante Herodes ædificauerat,
& ambitione gratiæ Imperatoris Tiberij de eius no-
mine vocauit, vt Iosephus scribit libr. 18. antiq. c. 3 &
stagnum Genesareth, quia tota regio, vt Hegesippus
ait, Genesaris vocabatur. Lacum describunt Strabo
lib. 16. Plinius lib. 5. c. 15. & Hegesippus lib. 3. c. 26. A

De Apostolorum vocatione.

Petrum & Andream.) Petri & Andreæ vocationem
diuersi Euãgelistæ diuersis modis narrant. Marc. c. 3. 3.
& Luc. c. 6. 13. videtur significare oẽs Apostolos simul
vocatos fuisse; Ioan. c. 1. 40. 41. Andream prius, deinde
Petrum vocatum. Præterea Lucas c. 5. 2. 10. alia ratione
Petrum vocatum scribit: non enim Christum præter-
euntem, sed in Petri nauicula concionantem, & incre-
dibili piscium multitudine capta obstupescentẽ Pe-
trum vocauisse, nulla de Andrea facta mentione. Pri-
ma illa dissensio facile explicatur, Marc. c. 3. 13. & Luc.
c. 6. 13. non agere de Apostolorum vocatione, vt Chri-
stum sequerentur, sed vt Apostoli fierent. Prius enim
discipuli. deinde Apostoli ex discipulorũ numero, id
est magistri, vt alios docerent, electi sunt; sicut nũc ex
presbyterorũ numero Episcopi eliguntur. Secunda
quæstio paullo est difficilior, quam qui semel tantum
Petrum & Andream vocatos fuisse contendunt: non
video qua ratione probabiliter explicare possint. Cõ-
tendit autẽ hæreticus interpres timens ipse apostata,
ne Apostoli, si semel vocati ad piscationis dicantur of-
ficium redijsse, apostatæ fuisse videantur. Facile verò
explicant, qui duas fuisse dicunt Petri & Andreæ vo-
cationes, alteram, qua, non vt discipuli & comites, sed
vt familiares auditores admissi sunt de qua Ioan. c. 1.
40. 41. agat; alteram, qua vocati sunt ita, vt omnibus
relictis rebus Christũ perpetuò sequerentur vt Aug.
tract. in Ioan. 7. Chrysost. hom. 14. in Matth Euthym.
& Theoph. interpretantur. Facilius, qui tres primam,
quam Ioannes; secundam, quam Lucas, tertiam, quam
hic Matthæus describit. Sed duas priores non ad per-
fectum discipulorum officium, sed ad familiaritatem,
tertiam ad discipulorum & Apostolorum officium
factam esse. In qua sententia Lyranus fuit: quam ego
vehementer probo, tantum aliter loqui velim. Nec
enim credibile mihi videtur quenquam alia de causa
à Christo vocatum fuisse, quàm vt verus esset disci-
pulus, seque relictis omnibus sequeretur. Itaque duas
priores nolim vocationes, sed admonitiones & quasi
futuræ vocationis præparationes appellare, ne duo
maximi Apostoli parum obsecuti vocanti Christo
fuisse videantur; cum cæteros Apostolos ad primum
Christi se vocantis verbum omnia reliquisse, ipsi in-
que secutos legamus. Et quidem nemo Euangelista-
rum duas priores vocationes appellat. Nam apud E
Ioan. cap. 1. 42. tantum prædicit Christus Petro, quod
futurum erat, *Tu*, inquit, *vocaberis Cephas*. Lucas. c. 5. 11.
non dicit à Christo vocatos fuisse; sed viso miraculo
captorum piscium subductis ad terram nauibus, re-
lictis omnibus secutos fuisse Christum, quod inter-
pretari possumus non relictis id est abdicatis, quem-
admodum cùm à Christo vocati sunt, abdicatis abie-
ctisque omnibus rebus Christum secuti sunt, vt Pe-
trus postea dixit Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus om-*
nia, & secuti sumus te; sed relictis omnibus, id est de-
sertis nauibus & retibus; sicut mulier illa Samarita-
na relicta hydria abiit in ciuitatem, dixitque popu-
laribus suis, *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi om-*
nia, quæcunque feci, numquid ipse est Christus? Ioan. 4. 28.
29. Matthæus autem hic vocatos fuisse dicit, quia ve-
ram narrat vocationem, qua omnibus abiectis rebus
Christum secuti sunt. B

19. *Venite post me.*) Hebr. אחרי 125 id est, sequi-
mini me, vt Deu. 6. 14. & 11. 28. & 1. reg. 7. 2. & 4 reg. 23. 3.

Piscatores hominum.) Alludit ad præteritũ officium,
sicut in Dauide. psal. 77. 70. 71. *Sustulit eum de gregibus*
ouium, de post fœtantes accipi eum, pascere Iacob seruum
suum, & Israël hereditatem suam. Simúlque Apostolo-
rum describitur officium homines piscari, & ad Chri-
stum summum piscatorem trahere. Ille enim est, qui
sagenam mittit in mare, ex omni genere piscium con-
gregantem, infra c. 13. 47. Illius verbo atque virtute pi-
sces capiũtur, sine eo frustra tota nocte laboratur. Lu-
cæ 5. 5 Christiani sunt pisces, nam propterea in baptis-
mi aqua nascuntur. Propterea Christus à veteribus
illis ἰχθὺς piscis appellabatur, cuius anagrámatisinus
erat, ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ. Iesus Christus Dei filius
saluator, de qua re extat carmen Erythræe Sibyllæ,
Tertullianus lib. de baptismo, August. lib. 18. c. 23. Pro-
sper lib. de promissionẽ & prædict. par. 2. c. 39.

23. *Totam Galilæam.*) Galilæam gentium, in quam
secesserat, supra ver. 12. & 15.

In Synagogis.) Hebræi à congregando locum vbi
cõciones habentur vocant בית כנסת congregationẽ, Græci
συναγωγὴν, Synanogogam, proprium vocabulum Se-
ptuaginta interpretum Exodi 34. 31 & Num. 16. 2. &
31. 13. Psal. 7. 8. & 81. 1. ex quibus Apostoli mutuati sunt,
cum Hebræorum congregationem, aut congregatio-
nis locum significant. Nam Christianorum differen-
tiæ causa ἐκκλησίαν Ecclesiam appellant infra. c. 18. 17.
quod nomen non solum congregationem, vt noui
hæretici erecto supercilio dictitare solent, ridentes
nos homines indoctos, quòd templa Ecclesias ap-
pellemus: sed locum etiam vbi ecclesia congregatur,
quem admodum synagoga significat, non tantum
apud Eusebium & cæteros Theologos Græcos. sed
etiam apud D. Paulum. 1. Cor. 11. 16. 18. & 14. 28. 34. 35.
Erat autem apud Iudæos synagoga, sicut apud nos
Ecclesia locus ad docendum designatus Act. 15. 21. *Synagoga & Ecclesia nomẽ.*

Euangelium regni.) bonum nuntium, quo prædica-
bat regnum cælorum appropinquare vers. 17. Vide
præfationem c. 1. & supra c. 2. 3.

Et trans Iordanem, repetẽda est τοῦ κατὰ τὸν præpositio,
de, Et de omni regione, quæ erat trans Iordanem, id est ci-
tra vt ver. 15. Quod ante distributè dixerat, dicit nunc
vniuersè. Simili phrasi vsus est Seneca li. 5 de benef.
c. 16. Trans Alpes accitus hostis, id est è regione, quæ
trans Alpes est.

CAPVT V.

Luc. 6. d. 20. Psal. 36. a. 11. Isa. 61. a. 3.

VIDENS autem Iesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt
ad eum discipuli eius, 2. & aperiens os suum docebat eos dicens: 3. Beati
pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. 4. Beati mites: quo-
niam ipsi possidebunt terram. 5 Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

E

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psa.23.a.4.

6. Beati, qui esuriunt,& sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. 7. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. 8. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. 9. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur 10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. 11. Beati estis cum maledixerint vobis,& persecuti vos fuerint,& dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me: 12. gaudete,& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. 13. Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras,& conculcetur ab omnibus. 14. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. 15. neque accendunt lucernam,& ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona,& glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. 17. Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. 18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. 19. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis,& docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. 20. Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum,& Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. 21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. 22. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit frati suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. 23. Si ergo offers munus tuum ad altare,& ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: 24. relinque ibi munus tuum ante altare,& vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. 25. Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici,& iudex tradat te ministro: & in carcerem mittaris. 26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. 27. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. 28. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. 29. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum,& proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorũ tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam,& proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorũ tuorum, quam totum corpus tuũ eat in gehennam. 31. Dictũ est autem: Quicũque dimiserit vxorem suam, det ei libellũ repudij. 32. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. 33. Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis: reddes autẽ Domino iuramenta tua. 34. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: 35. neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ieroſolymam, quia ciuitas est magni regis: 36. neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnũ capillum album facere, aut nigrum. 37. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autẽ his abundantius est, à malo est. 38. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo,& dentem pro dente. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: 40. & ei, qui vult tecum iudicio contendere,& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. 41. & quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. 42. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris. 43. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum,& odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orare pro persequentibus,& calumniantibus vos: 45. vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos,& malos: & pluit super iustos & iniustos. 46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? 47. Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? 48. Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est:

1. Petr.2. d.20.& 3. c.14.& 4.d.14.

Mat.9.g.59.

Luc.14.g.34.

Mat.4.c.21.

Luc.8.c.16.& 11. c.33.

1.Petr.2. c.12.

Luc.16.d.17.

Iac.2.b.10.

Luc.11.c.39.

Exod.20. c.13.

Deut.5. b.17.

Luc.12.g.58.

Exod.20. c.14.

Inf.18.b.9.

Mar.9.g.47.

Deu.24. a.1.

Inf.19.b.7.

Mar.14. a.4.

Luc.16.d.18.

1.Cor.7. b.10.

Leuit.19. b.11.

Exod.20. b.7.

Deut.5. b.11.

Iac.5.ca.12.

Exod.21. d.24.

Deut.19. d.21.

Leui.24. d.20.

Luc.6.d.29.

1.Cor.6. b.7.

Deut.15. b.7.

Leui.19. d.18.

Luc.6.d.27.

Re.12.d.20.

Act.7. g.60.

Luc.23. c.34.

IN CAPVT QVINTVM.

1. *VIDENS autem.)* Non potest benè hic locus intelligi, nisi prius intelligatur, an eadem sit cõcio, quæ hîc à Matthæo, & à Luca.c.6.17. narratur. Multis enim in rebus in eius narratione videntur Matthæus, Lucásque dissidere. Matthæus significat Christum concionandi causa in montem subiisse; Lucas ascendisse dicit, vt oraret; Matthæus non dicit orasse; sed docuisse; Lucas dicit totam orando noctem duxisse: Matthæus non dicit Christum post orationem discipulos vocasse, & ex iis duodecim Apostolos elegisse: quin eorum electionem, quasi longè post factam, narrat.cap.10.1. Lucas dicit: Matthæus hanc à Christo concionem in monte habitam scribit; Lucas in loco campestri.cum ex monte iam descendisset: Matthæus octo, vt vocant, beatitudines ab eo explicatas tradit, Lucas non nisi quattuor. Quibus rebus magni auctores adducti sunt, vt existimarent non eandem hic à Matthæo, & illic à Luca concionem recenseri, sed Christum, vt solet concionatoribus accidere, eadem in diuersis concionibus, vel additis, vel detractis paucis repetiuisse. In qua sententia fuit Augustinus libr. 2. de consensu Euangel. cap.19. & Auctor imperfect. hom.9. Chromatius in hunc locum, & Gregorius hom.9. in Ezechiel. Alij eandem putant esse concionem, vt Tatianus in harmonia, Hieronymus in commentariis, Chrysost hom. 15. Origen.tractat.in Matth.24. Euthymius & Theophyl. in commentariis. Quorum propterea iudico probabiliorem esse sententiam, quia vterque Euangelista ita beatitudines à Christo explicatas narrat, non quasi pauca quædam præcepta ex aliqua superiore concione repetita; sed quasi totum concionis argumentum, in quo omnis eius consumpta sit oratio. Et ita quidem narrat, vt vterque à paupertate exordium sumpsisse dicat. Quod autẽ obiicitur multis eos rebus dissidere; non est tam difficile soluere, quàm videtur. Dicit quidem Lucas Christum orandi causa in montem ascendisse; Matthæus non dicit, at non negat. nec dicit qua occasione ascenderit, sed quid ibi fecerit; nec quicquid fecit; sed quòd ad suum pertinebat institutum; institutum autem eius erat agere de Christi doctrina; ideo orationem tacet, concionem exponit; eademque de causa Apostolorum electionem prætermittit, de qua postea agit.cap.10.1. non seruato.vt sæpe admonuimus, ordine temporis. Ille difficilior est nodus, quòd Matthæus in monte, Lucas in campo hanc concionem habitam dicat. Sed is etiam multis modis libr. 2. de consensu Euangelistarum.cap.19. soluitur ab Augustino. Fieri enim potest, vt Christus ascenderit in montem, vt vterque Euangelista dicit.orandi causa, quod solus Lucas dicit, inibique Apostolos elegerit, vt idem solus dicit, deinde descenderit.quod Matthæus tacet, Lucas dicit, & concionatus fuerit.vt vterque dicit, nisi quòd Lucas campestrem locũ expresit, Matthæus suppressit. Quanquam hæc explicatio mihi parum verisimilis videtur, minus etiam altera quam affert, non descendisse penitus Christũ de monte, sed ex summo montis fastigio in aliquem eiusdem montis planum locum, quem Matthæus montem, Lucas campum appellet; quia non videtur hæc concio ad omnem, quæ Christum sequebatur turbam, sed ad solos discipulos habita esse primùm, quia materia ipsa postulat, vt ad solos discipulos habita credatur. Nec enim omnibus Christus Euangelicam perfectionem proponebat, sed turbæ dicebat; *Pœnitentiam agite.c.4.17. &, nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Luc.13.3.5. perfectis autem esse volentibus perfecta proponebat, *si vis,* inquit, *perfectus esse, vade, vende vniuersa quæ habes,& da pauperibus,& veni, sequere me,* Matth.19.21. Deinde, quia vterque Euangelista docet Christum ad solos discipulos orationem conuertisse, *Et cum sedisset,* inquit Matthæus, *accesserunt ad eum discipuli eius,& aperiens os suum docebat eos dicens. Beati pauperes spiritu;* Lucas verò, *& ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat, Beati pauperes,* & quia Christus vers.13. 14. solos discipulos alloquitur, *vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.* Vnde perspicuum est, hanc concionem non in campo, sed in monte habitam esse, in quem soli discipuli relicta turba cum Christo conscenderũt, vt paullo post dicemus, nec esse ex Luca Matthæum, sed ex Matthæo Lucam interpretandum. Lucas ergo non de eadem in montem ascensione, de qua Matthæus agit; sed de alia, qua ideo ascenderit, vt oraret, & Apostolos elegerit. Quod autem addit, postquam descendisset, copiosam vndique multitudinem hominum secutam eum fuisse, & ipsum eleuatis oculis in discipulos suos dixisse, *Beati pauperes,* non est intelligendum statim & in loco campestri factum esse, sed longè post, & alio loco, id est in monte, in quem iterum ascendit, vt Matthæus dicit, Lucas tacet, quia res, non loca, & tempora coniungit. Quod autem Matthæus octo, Lucas quattuor tantùm referat beatitudines, leue est; nec enim propositum fuit Euangelistis omnia, sed summam omnium recensere. Itaque de hac ipsa concione, non solum Matthæus quædam narrat, quæ Lucas prætermittit; sed quædam etiam Matthæus prætermittit, quæ narrat Lucas, vt illa antitheta, *Væ vobis diuitibus, væ vobis, qui ridetis, væ vobis, qui saturati estis, væ cum benedixerint vobis homines.*

Videns autem Ieſus.) Iesus in Græcis exemplaribus non legitur, neque Theophylactus, & Euthym. legunt, & quidem adeo est oratio cum c.4. postremo, vbi de Christo agitur, copulata vt frustra additum videri possit. Sed tamen Chrysostomus, Auctor imperfect. Augustlib.1. de serm. Domini in monte, & Bernardus sermone. 1. de omnibus sanctis legunt. Cum autem Euangelista dicit, *Videns autem Iesus turbas ascendit in montem,* dubium non est causam, cur in montem ascenderit significare voluisse quod copiosam vidisset turbam. Cur autem propter turbã ascenderit, incertum. Potuit enim propter turbam ascendere, id est vt eam in superiore doceret, loco, vt auctor operis imperfecti interpretatur, quasi dicat, videns tantam auditorum copiam, quæsiuit commodum ad concionandum locum. Potuit etiam propter turbam ascendere id est, vt turbam fugeret, vt exponit Augustin.lib.1. de sermone Domini in monte, & Chrysost.homil.15. Hieron. in comment. Euthym. Theophylactus. Leo in hom. de omnibus sanctis, & Remigius, qui & illud obseruauit triplex à turba effugium Christum solitum quærere, desertum.cap.4.1. nauem Luc.5.3. montem hic, & infra.c.14.23.& 15.26. & 17.1.& Mat.3.13.& 6.46.& 9.2.& Luc.6.12.& 9.28. & 21.37.& Ioan.6.3.15. & 8.1. Atque hunc arbitror verum esse sensum, quia, vt paullo ante diximus, hanc concionem non ad turbam, sed ad discipulos habitam fuisse constat, & quia non solet Christus, cùm turbam quærit, sed cùm fugit, in montem exscendere, vt ex Ioanne cap.6.3.15.& 8.1. manifestum est. Auctor imperfecti & Chromatius aliam reddunt causam, vt Isaiæ prophetiam impleret.c.40.9. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion exalta in fortitudine vocem tuam tu, qui euangelizas Ierusalẽ.* Sed nec Euangelista eam causam, si verã existimasset,

Universidad de Deusto
Biblioteca

silentio prætermisisset, qui tam diligens in quærendis & accommodandis ad Christum prophetiis esse solet; & alius est prophetæ sensus; non enim iubet, vt in montem reuera conscendat; sed vt ita loquatur, vt longè latèque Euangelij prædicatio exaudiri possit, vt eorum vox, qui de summis montium cacuminibus clamant. Quis autem mons fuerit, in quem tunc Christus ascenderit, scire non possumus. Refert Hieronymus Christianos aliquos simplices existimasse fuisse montem oliuarum, non animaduertentes Christum tunc in superiore fuisse Galilæa, montem autem oliuarum Ierosolymæ vicinum esse. Ipse Hieronymus probabile putat fuisse Thabor.

Et cum sedisset,) Hieronymi & aliorum interpretationes, quia allegoricæ sunt, prætermitto. Quod autem Augustinus lib. 1. de ser. Domini in monte adnotauit sedere ad magisterij pertinere dignitatẽ, quodque alij hoc loco tradiderunt morem fuisse sedendo docendi Marth. 26. 55. Luc. 4. 20. & Ioan. 8. 2. dubium non est; nescio tamen an propterea hoc loco sederit Christus, cũ prius sedisse dicatur, quàm ad eum discipuli accessissent. Neque verosimile est semper Christum sedendo docuisse. Nam cum in medio campo concionatus est, non, vt opinor, sedebat.

Quid sit Christum aperuisse os suum.

2. *Et aperiens os suum.)* Prætermissem tanquam facilem hunc locum, nisi omnes fere interpreres obseruassent, quòd Christus os suum, dicatur aperuisse; non solum non pleonasmum, sed aliquid etiam esse mysterij. Mysterium autem quod sit, non omnes consentiunt. Augustl. lib. 1. de serm. domini in monte, & Greg. lib. 3. in Iob. c. 5. significari putant Christum, qui prius prophetarum aperiebat ora, nunc tandem os suum aperuisse, id est ipsum per se locutum esse, vt ait D. Paulus Hebr. 1. 2. Alij os quodam modo manibus, id est verba factis opponi putant, vt indicet Euangelista Christum antea exemplo, tum etiam verbis docuisse. *Cœpit* enim *prius facere, deinde docere.* Act. 1. 1. Ita Chrysost. Euthymius & Theophylactus exponunt. Alij longum fuisse sermonem indicari oris apertione dicunt, quod etiam Augustinus probat. Alij res magnas dixisse atque diuinas, sic enim dictum esse *aperuit os suum*, vt si dixisset Euangelista, aperuit abyssum omnis scientiæ, & sapientiæ suæ. Sic Hilar. & Strabus. Alij simplicem esse putant Hebraismum. q. d. exorsus est loqui. Hebræis enim aperire os est loqui incipere. Ego aliquam hoc loco maiorem vim arbitror messe. Igitur, vt multa alia prætermittam, quæ apud Hebræos hæc phrasis significat, tantum dicam, quæ ad rem maximè videntur pertinere. Os aperire est aliquando liberè & clara voce loqui Ezechiel. 29. 21. *In die illo pullulabit cornu Domini Israel, & tibi dabo aperturam os in medio eorum, & scient, quia ego Dominus.* Ecclesiastici. 15. 5. *In medio Ecclesiæ aperiet os eius*, id est, coram omnibus liberè loquetur, loquetur in conspectu regum & non confundetur, Psalm. 118. 46. Hoc modo Christum os aperuisse, verum est; sed satis non est. Quis enim dubitabit eum liberè locutum, nisi significare Euangelista voluerit, non Scribarum & Pharisæorum more, sed liberè & tanquam potestatem habentem docuisse. vt infra cap. 7. 29. sed hic sensus melius conueniret, si Christus hanc concionem non ad solos discipulos: sed ad promiscuam multitudinem habuisset. Aliquando aperire os est post longum, diuturnumque silentium in verba prorumpere, vt Iob. 3. 1. *Post hæc aperuit Iob os suum & maledixit diei suo, & locutus est, pereat dies.* Antea enim dictum fuerat. *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis neque stultum quid contra Deum locutus est.* c. 1. 21. Sic mihi videtur Christus hoc loco os suum aperuisse, non quòd ante locutus, aut etiam concionatus non esset; sed quòd nunquam ante sublimem illam de Euangelica perfectione doctrinam proposuisset. Tunc ergo aperuit os suum, id est diuina mysteria, vt ait Hilarius, quæ ante tacuerat, patefecit; sicut magnus ille apud Ciceronem Orator Brutus, cum multa de Oratore perfecto disputasset, victus ad extremum precibus, & auditores nactus idoneos, *dicam*, inquit, *quod semper tacui, semperque tacendum putaui. Mihi quique optime dicunt, quique id facillime facere possunt, nisi initio dicendi contremiscant, pœnè impudentes videntur.*

3. *Beati.)* Exorditur Christus ab eo, quod omnes expetunt sicut Dauid, aut is, qui eius in vnum volumen psalmos colligauit; *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Psal. 1. 1. Beatitudinem enim non solum nemo non appetit; sed nemo quicquam, nisi propter eam appetit. Beatos vero Christus in hac tota concione vocat non eos, qui re iam ipsa, sed qui spe beati sunt, & qui per gradus, quibus ad beatitudinem itur, ascendunt. Nec beati dicuntur, quòd certi sint ad beatitudinem se peruenturos, sed quòd recta ad eam incedant via, & nisi quod vitium impediat, peruenturi sint. Vno verbo beati pauperes appellantur, quantum ex parte paupertatis est, quia ad currendum ad beatitudinem, vt ait Gregorius, leues & expediti sunt, potest tamen morbus, poterit aliquod peccatum currentes impedire. Nec desiderare in interprete prudens debet lector, vt plura hoc loco de beatitudine disputet, sumat ab Schola.

Qui pauperes spiritu.

Pauperes spiritu.) Pauperes spiritu maior pars auctorum humiles interpretatur. Hilarius can. 4. Chrysost. homil. in Matth. 15. Auctor imperfect. homil. 9. Ambros. lib. 5. in Lucam. Augustin. lib. 1. de serm. Domini in monte. Gregorius Nyssenus lib. de beatitudinibus. Epiphan. hæres. 66. Leo in homil. de omnibus sanctis, Gregorius magnus lib. 36. in Iob. cap. 20. Itaque quamuis facultatibus diuites, modò humiles sint, pauperes spiritu vocari putant. Alij pauperes spiritu esse dicunt eos, qui siue pauperes, siue diuites sint, non habent tamen diuitiis addictum animum, nec ibi cor ipsorum, vbi thesaurus ipsorum est, vt sæpe etiam Augustinus exponit. Alij re vera pauperes, qui opes non habent, significari sentiunt, vt Tertullianus lib. aduersus Marcionem. 4. Cyprian. libr. de duodecim abusionibus, Hieronym. in commentariis. Nec mihi dubium est, quin verè pauperes significentur, & quia nomen πτωχοί. quo vtitur Euangelista, non solum pauperes, sed quod amplius quiddam est, mendicos significat, quemadmodum Tertullianus vertendum putauit; & quia de humilibus paullo infra ver. 4. dicit, *Beati mites*; & quia illis regnum cælorum, quasi pauperibus opes promittuntur, & quia Lucas veros illis diuites, non superbos opponit, *Væ*, inquit, *vobis diuitibus.* cap. 6. 24. Cur autem addat spiritu, varia opinio. Qui humiles intelligunt, ideo additum putant, vt non vera paupertas, sed humilitas, quæ paupertas spiritus est, significetur. Alij, vt non quælibet etiam vera paupertas, sed voluntaria paupertas declaretur. Paupertas enim coacta, virtus non est, sed miseria. Hanc ego veram arbitror esse sententiam. Spiritum enim sæpe pro voluntate poni animaduerto, vt Matth. 26. 41. & Mar. 14. 38. *Spiritus quidẽ promptus est, caro autem infirma* Rom. 1. 9. *Cui seruio in spiritu meo*, id est in animo. 1. Cor. 7. 34. vult Paulus virginem esse sanctam, non solum corpore; sed etiam *spiritu*, id est castam & facto, & voluntate. Ephesios monet. cap. 4. 3. *Vt soliciti sint seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, id est, voluntatum, animorumque consensionem. Nec omnem voluntariam paupertatem significari putandum est: sed eam,

quæ

quæ propter regnum cælorum aut sponte suscipitur, aut patienter toleratur. Itaque Basilius in breuioribus regulis interrog. 205. *Pauperes spiritu*, id est propter spiritum interpretatur. Pauper spiritu est, qui vendit omnia quæ habet, & dat pauperibus, vt pauper ac nudus, pauperem ac nudum sequatur Christum. Atque hic primus Euangelicæ paupertatis est gradus. Secundus eorum qui non quidem vendiderunt, sed ne Christum amitterent, amiserunt. Tertius eorum, qui bona sua non prorsus amiserunt, sed vt Christum Ecclesiamque Catholicam sequerentur; deseruerunt. Quales multos nunc habet Anglia peregrinis regionibus exulantes, & pauperem trahentes vitam, quia signum bestiæ accipere noluerunt. Quartus eorum, qui cum diuites malis artibus esse possint, timorem tamen Dei perituris opibus anteponentes pauperes esse malunt, & illud dicunt, Tob. 4. 23. *pauperem quidem vitam gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Quintus eorum, qui nec sunt, nec possunt, nec volunt diuites esse panem à Deo petentes quotidianum, & habentes victum & vestitum his contenti sunt. Sextus eorum, qui vellent, si possent, sine cuiusquam iniuria diuites fieri, sed cum non possint, æquo propter Christum animo paupertatem ferunt. Quærit Ambrosius lib. in Lucam. 6. cur Christus pauperes beatos appellet, cum & paupertas, & diuitiæ res sint indifferentes, quæ natura sua nec bonæ, nec malę sint. Responsio est, Christum non de paupertate natura sua considerata, sed de paupertate spiritus, quam declarauimus disputare. At cur ab ea exorsus est Christus, cum aut per se virtus non sit, aut non maxima certè virtutum? Nolo de virtutum comparatione disserere, & cum aliarum inuidia paupertatem extollere. Tantum dico voluisse Christum rectissimam, & expeditissimam ad cœlum viam ostendere. Nihil autem esse, quod magis quàm diuitiæ euntem impediat. Impossibile enim est diuitem intrare in regnum cœlorum; propterea Christum paupertatem primo loco posuisse.

Paupertatis Euangelicæ varij gradus.

Apoc. 16. 2. & 19. 20.

Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.) Qui regnum cælorum hic pro Euangelij prædicatione sumunt, quòd pauperibus potissimum Euangelium prædicetur. vt Christus ait Matth. 11. 5. *pauperes euangelizantur*, & Isai. 61. 1. vt Hebræi legunt, *Euangelizare pauperibus misit me*; non animaduertunt regnum cælorum, tanquam paupertati diuitias opponi. sicut in sequentibus semper contraria contrariis opponuntur, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur.*

4. *Beati mites.)* Hic est apud Græcos versus quintus, quæ autẽ versu quinto dicuntur, *Beati qui lugent*, ponuntur hoc loco. Et quidem Leo auctor Latinus hom. de omnibus sanctis Græcorũ more legit, vt non temere videri possit verba in Latinis codicibus per amanuenses fuisse transposita. Mites dicuntur, qui humiles sunt & mansueti, Christoque similes Matt. 11. 29. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* itaque non possunt non esse beati. Basilius in regulis breuior. incunt in bono malum Rom. 12. 17. 21.

Quoniam ipsi possidebunt terram.) G. κληρονομήσουσι. hæreditate possidebunt. Quam autem terram intelligat non satis constat. Alij istam, in qua viuimus, terram interpretantur, vt Chrysost. hom. in Matt. 15. Aug. lib. 1. de ser. Domini in monte, Euthym. & Theophylactus. Solere enim Christum non modò cælestia & futura, sed etiam terrena & præsentia bona polliceri, vt Matth. 6. 33. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*, & Marc. 10. 29. 30. *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc, in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.* Alij per terram cælum intelligunt, quæ terra viuentium vocari solet Psal. 26. 13. & 141. 6. Sic Origen. homil. 26. in Numer. Basilius in comment. in Psalm. 33. Cyrillus in cap. Isaiæ. 58. auctor imper. homil. 9. Gregor. Nyssen. in. lib. de Beatitudinibus, Hieronym. in hunc locum. Quorum ego sententiæ magis accedo, & quia in tam seria concione verosimile non est eam Christum promisisse terram signum despiciendam docebat, & quia in aliis beatitudinibus nihil eum terreni videmus polliceri, & quia sententia vera non esset; nec enim solent mites terram hanc possidere: sed de eius potius possessione deturbari. At neque domos & agros possidere solent, qui propter Euangelium domos agrósque reliquerunt, & tamen Christus illis Mar. 10. 19. etiam in hoc mundo pollicetur. Respondeo illic Christũ non domos & agros, sed spiritualia dona, quæ domibus & agris meliora sunt, polliceri. Cur ergo domos & agros appellat? vt domibus & agris sponte relictis opponeret. Quod hoc loco, cum terram ante non nominauerit, dici non potest. Cur igitur terram potius quam cælum appellauit? Primum varietatis causa, quia iam prius cælum appellauerat. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Deinde, vt terrenæ, vt ita dicam, terræ cælestem opponeret, doceretque mites, qui huius terræ possessione excludi solent, aliam meliorem possessuros terram, sicut D. Paulus & Apostolus Ioannes cælum Ierusalem appellare solent, vt terrenæ Ierusalem opponant, cuius habitatione Iudæi maximè gloriabantur, Gall. 4. 26. Hebræor. 12. 22. Apoc. 3. 12. & 21. 2. & 10. Nescio etiam, an ad terram Chanaan Christus alludere voluerit, in quam cum omnes contenderent Hebræi, non nisi pauci mites & patientes ingressi sunt.

5. *Beati qui lugent.)* Non omnes, qui lugent, beatos esse manifestum est. Itaque merito quæri potest, quos lugentes beatos appellet. Quidam eos dicunt, qui peccata sua lugent. vt Chrysost. hom. 15. Ambr. lib. 6. in Lucam. & Cyrillus lib. 5. in Isaiam. & Hilarius can. 4. Alij, qui vel sua, vel aliena, sicut Christus luxit Ierusalem Lucæ. 19. 41. & vt Samuel luxit Saul. 1 reg. 16. 1. Auctor imperfecti hom. 9. Hieronym. in comment. & Leo in hom. de omnibus Sanctis. Alij, qui earum rerum amissione lugent, Aug. lib. . de ser. Domini in monte, & Greg. Nyssen in lib. de beat. Potest sensus esse, vt lugentes Christus appellet eos, qui propter regnum cælorum oppressi lugent, quod aliis verbis dicit vers. 10. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Omnes enim qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur.* 2. ad Tim. 3. 12. *vos*, inquit Christus, *plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit.* Et rursum, *In mundo pressuram habebis*, Ioan. 16. 33. *Gloriamur, ait* D. Paulus, *in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio autem spem; spes autem non confundit.* Rom. 5. 3. 4. Hunc autem esse sensum intelligitur ex Luca c. 6. 25. vbi lugentibus ridentes, quasi oppressis oppressores, victis victores opponit. *Væ*, inquit, *vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.*

Quia ipsi consolabuntur.) Gaudebunt, ridebunt. G. παρακληθήσονται, consolationem accipient, vt Augustl. aliquando vertit. Noster interpres, vt verbum vnum Græcum vno altero Latino redderet, præter Latini sermonis consuetudinem locutus est. Hoc est, quod Christus dixit Ioan. 16. 20. *Plorabitis & flebitis vos,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

minidus autem gaudebit; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, & Ioan in Apoc.c.7.17. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,* & 21.4. *& mors vltra non erit, neque luctus neque dolor erit vltra.*

6. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.*) Luc.c.6.21. absolutè dicit, *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Matthæus *iustitiam* addens sententiam, non, vt plerique putant, explicauit; sed longè difficiliorem reddidit. Ex hoc enim verbo ansam omnes interpretes acceperunt, vt hunc locum de siti, id est ardenti desiderio consequendæ iustitiæ intelligendum putarent. Ambr. lib. 6. in Luc. Hieron in comm. Chryso hom. 15. auctor imperf. ho. 9. Aug. lib. 1. de ser. Domini in monte, Hilarius can. 4. Leo ho. de omnibus Sanctis, Greg. Nyss. lib. de beat. Cæsarius Arelat. ho. 21. Bernard. ser. 1. de omnibus Sanctis. Euthy & Theoph. in comment. videturque eorum fauere scriptura sententiæ, quæ per sitim vehemens solet desiderium significare, Psal. 41.1.2.3. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontē viuum,* & Psal. 62.2. *Sitiuit in te anima mea.* Eccl. 24.29. *Qui bibunt me, adhuc sitient.* Isai. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Hos auctores tot ac tantos & honestum & tutum est sequi; sed mihi si liceat secundum eos meam dicere sententiam, fateor probabilius videri Christum non de metaphorica, sed de vera fame, sitique loqui: & quia & si vehemens desiderium sitis in sacris litteris appellatur, fames tamē, quantum equidem minimi, nusquam appellatur. Hic autem non solum, qui sitiunt, sed etiam qui esuriunt, beatos Christus pronunciat; deinde quia Christus hoc loco nō agit, nisi de certis quibusdam, & priuatis virtutibus. quæ maius, quàm videntur, adiumentum ad beatitudinem habent. qualis est paupertas. humilitas. patientia. Desiderare autem & appetere iustitiam, non specialis; sed generalis est virtus, nihilque noui aut magni dixisse videretur Christus, si eos, qui iusti esse vellent, beatos appellasset. Præterea, quia manifestum est voluisse in tota hac concione Christum mundi opinionem coarguere iis extollendis rebus, quas ille maximè contemnit, propterea paupertatem, propterea humilitatem, propterea patientiā tantopere commendat; at velle iustum esse mundus non damnat, sed laudat, quamuis iniustus; famem autem, & sitim veram maximè refugit, eamque tolerare putat insaniam: de ea igitur loquitur Christus. Postremò Lucas esurientibus, ac sitientibus saturos opponit. *Væ,* inquit, *vobis, qui saturati estis.* Saturos autem non vocat eos, qui iustitia satiati sunt: non enim eos miseros, sed beatos appellaret; ergo nec esurientes & sitientes dicuntur ij, qui iustitiam desiderant. Propius videtur mihi Rupertus ad sensum accessisse, vt esurire, & sitire iustitiam dicantur, quibus iustitia non administratur, quales sunt pauperes, viduæ, & pupilli, quorū iudicium à Deo tam sæpe: tamque diligenter commendatur, Psal. 9.18. *Iudicate pupillo, & humili, vt non apponat amplius magnificare se homo super terram,* & Psal. 81.3. *Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate.* Isai. 1.23. *Pupillo non iudicant, & causſa viduæ non ingreditur ad eos.* Ier. 5.28. *Causſam viduæ non iudicauerunt, causſam pupilli non direxerunt, iudicium pauperum non iudicauerunt.* Hi ergo dicūtur esurire & sitire iustitiam, quia cum iustitia. id est iuris administratione indigeant, eamque petant; nemo tamen illis præbuit. Sicut panem esuriunt, qui eum petant. nemo illis porrigit. Nihil esset. quod in hac interpretatione desiderarem. si Lucæ verba cum ea conuenirent. Sed quia videtur Lucas de fame panis & siti aquæ loqui; aliter explicari potest; *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam,* id est. qui propterea esuriunt & sitiunt, quòd ius illis suum non tribuatur, quales sunt qui iniustè damnati bona sua perdiderunt, aut qui quod suum est, quia pauperes sunt, recuperare non possunt. aut quia iusti sunt. Vt, *Iustitiam, δικαιοσυνην,* dictum sit. pro, *propter iustitiam διὰ τὴν δικαιοσυνην,* & propter iustitiam intelligamus; quia illis iustitia non indicatur, aut vt iustitiam sequantur. Sic enim Matthæus, Lucasque conuenient. Sed Lucas solam famem, Matthæus autem & famem & causſam famis exposuit. At non quicunque ita etiam esuriunt & sitiunt, beati sunt, sed qui id propter regnum cœlorum patiuntur: multi enim fame moriuntur; quia ius illis non administratur, qui non idcirco beati sunt. Beati autem erant illi (ad quos hæc verba diriguntur) qui dicebant, *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus.* 1. Cor. 4.11. &, *in labore & ærumna & vigiliis multis, in fame, & siti, in nuditatibus multis, in frigore & nuditate.* 2. Cor. 11.27. &, *egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus,* Hebræor. 11.37.38.

Quoniam ipsi saturabuntur. (*Satiabor cum apparuerit gloria tua,* Psal. 16.15. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Luc. 14.15. *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Luc. 22.29.30. His enim rebus accōmodatè ad hominum opinionem, qui cibum & potum magnam felicitatem putant, vita beata & regnum cælorum significatur. quod D. Paulus escam & potum esse negat. Similis sententia Isai. 49.10. *Non esurient, neque sitient, nec percutiet eos sol. quia miserator eorum reget eos & ad fontes aquarum potabit eos,* & Isai. 65.13. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibēt, & vos sitietis,* Et Apoc. 7.17. *Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet illos ad vitæ fontes aquarum. Qui ex ea bibit aqua, non sitiet in æternum.* Ioan. 4.13.14.

7. *Beati misericordes.*) Hoc de omni misericordiæ genere potest intelligi. vt Hieron. Chrysa auctor imperf. & Theoph. existimant, exemplo est Euangelica parabola Matth. 18.28.32.33. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum?* Gregorius tamen Nyss. in lib. de beat. Augusti. lib. 1. de ser. Domini in monte, & Leo in hom. de omnibus sanctis propriè de eleemosyna intelligendum putant: ea enim homines verè beatos facit. Matth. 25.34.35. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi, quia esurui, & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere,* Luc. 16.9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Psal. 40.1. *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus,* Psal. 111.5. *Beatus vir, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur,* Prouerb. 14.21. *qui miseretur pauperis, beatus erit,* Prouerb. 19.17. *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, vicissitudinem suam reddet ei.* Iob. 4.7. Matth. 7.2. Iacob. 2.13. Mihi, quia hæc Apostolis dicta sunt, misericordes propriè videntur appellari non solum, qui in dandis eleemosynis liberales sunt, quas Apostoli relictis omnibus dare non poterant; sed multo magis, qui iniurias facile condonant, quas Apostoli sæpe erant accepturi, vt per illam parabolam Matth. 18.21. significatur.

8. *Beati mundo corde. τοῖς καθαροῖ τῇ καρδίᾳ* mūdi corde, aut, vt Augustinus & alij veteres Latini sæpe loquuntur, mundicordes, vel puricordes. Quidam mundos corde vocari putant, qui pura sunt conscientia, quos nullius peccati conscientia redarguit. vt Hilar. can. 4. Basil. in regul. breuiorib. inter. 280. Greg. Nyssen. lib. de beat. Hier. in comment. auctor operis imperfecti

hom.

hom. 9. Leo hom. de festo omnium Sanctorum, Bernardus in serm. de conuer. c. 21. & in serm. de omnibus sanctis. Hoc licet à multis & magnis dictum auctoribus difficultate non caret: quia nemo est, quem conscientia non accuset; *Quis enim gloriabitur mundum se habere cor, & purum esse a peccato?* Prouerb. 20.9. Deinde, quia non est priuata, sed generalis virtus, &, vt iam diximus, Christus hîc de priuatis agit virtutibus Alij per puritatem cordis simplicitatem intelligunt. vt August. lib. 1. de serm. Domini; quod ideo mihi magis placet, quòd ea virtus minimè in mundo est vsitata, qui *totus in maligno positus est.* 1. Ioan. 5.19. & quia Apostolis erat maximè necessaria, qui mundum in sapientia sua non astutia, sed simplicitate capturi erāt. Ideoque cum eos Christus ad prædicandum mitteret, simplicitatem illis in primis commēdauit, *Estote prudētes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ,* Matt. 10.16. *Si oculus,* inquit? *tuus fuerit simplex, totū corpus tuū lucidum erit.* Matth. 6.22. Sæpe autem monuimus agi hic de virtutibus, quas maximè mundus despicit. quæque Apostolis maximè erant necessariæ. Laudat Deus simplicitatem. Iob. 1. 1. 8. *Et erat vir ille simplex, & rectus.* Vxor tamen eius, id est mundus, & sapientia carnis irridet, *Adhuc tu permanes in simplicitate tua.* Iob. 2.9. Accedit, quòd mundis corde visionem Dei Christus promittit, quemadmodum si cæcis lumen ignorantibus scientiam, eamque beatissimam promittat. Mundus enim simplices cæcos & ignorantes appellat. Interpretatio tamen Chrysostomi, Euthymij, & Theophylacti mihi non displicet, qui per cordis puritatem castitatem intelligunt: nam & eam virtutem mundus vix nouit: Christus à suis discipulis maximè requirit, *Sunt Eunuchi,* inquit, *qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Matth. 19.12.

Quoniam ipsi Deum videbunt.) Accommodata redditio. Nam, vt, qui purioribus sunt oculis, melius colores vident; sic qui puriore sunt corde melius Deum videbunt. Vnde sequitur Deum non oculis, sed corde à nobis esse videndum, vt August. argumentatur.

9. *Beati pacifici.*) Pacificos plerique intelligunt, qui dissensionum auctores nō sunt. Alij. qui iniurias facile condonant, vt Hilarius in comment. Alij, qui in seipsis pacem habent, id est nullis conscientiæ fluctibus agitantur, vt Augustinus. Alij, quod affine est, qui nullas cum Deo gerunt inimicitias, vt Leo. Alij, qui & ipsi quieti. & pacati sunt, & alios, quantum in ipsis est, reconciliant. & vt vno dicam verbo, qui pacis studeut, vt Chrysostom. Auctor imperfect. Euthym. & Theophylact. Hæc mihi interpretatio magis placet, & quia Græcum verbum *εἰρηνοποιοὺς* eos propriè significat, qui pacem conciliant, & quia aliæ interpretationes nimis sunt generales. Nam habere vel in se, vel cum Deo pacem communis est virtus; & quia mundus pluris facere eos solet, qui fortiter & prudenter bella gerunt, quàm qui pacem componunt. & quia hęc virtus maximè erat Apostolis commēdanda, quia non armis, sed mansuetudine mundum erant expugnaturi. *In quamcumque,* inquit, *domum intraueritis, primum dicite, pax huic domui.* Luc. 10.5. & quasi sequitur *Quia filij Dei vocabuntur,* id est, quia similes Deo erunt, duplici Hebraismo, altero in verbo *Filij,* quod apud Hebræos conformationem, similitudinemque significat. vt infra vers. 44. & 45. *Diligite inimicos vestros benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij,* id est similes, *patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos;* altero in verbo *bitur tibi semen,* quod D. Paulus per verbum substantiuum interpretatur Rom. 9.7.8. *Non qui filij carnis sunt filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine,* & quod Isaias dixerat. c. 56.7. *Domus mea domus orationis vocabitur.* Lucas. c. 19.46. dicit *domus orationis est.* Plus etiam quiddam mihi videtur, vocari, quàm, esse, significare; nempe ita aliquid esse, vt appareat. vt omnium ore celebretur; itaque beati pacifici, quia nō solum filij Dei erunt, sed ita erunt, vt mundus ipse. qui eos ante stultos reputabat. filios Dei confiteri cogatur & appellare. *His sunt, quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios dei.* Sapient. 5.3.4. Proprium autem est Dei pacem facere. Non enim est Deus dissensionis; sed pacis. 1. Cor. 14. 33. ideoque Deus pacis appellari solet, Rom. 15.33. & 16.20. & 2. Cor. 13.11. ad Philip. 4.9. 1. ad Thess. 5.23. 2. ad Thessal. 3.16. ad Hebr. 13.20. Chrysostomi autē Euthymij. & Theophylacti interpretatio bona est, propterea pacificos filios Dei appellari. quòd Christū filium eius naturalē imitentur, cuius officium est homines Deo reconciliare Rom. 5.10.2. Cor. 5.18. ad Colos. 1.20. ad Ephes. 2.14.17. quam mundus dare non poterat.

10. *Propter iustitiam.*) Propterea quòd iusti, propterea quòd iustitiam sequūtur, quòd Christiani sint Act. 5.41. *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* & 1. Petr. 4.15.16. *Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem, vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine,* & 1. Petr. 2.20.21. *Quæ enim est gratia, si peccantes, & colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in in ore eius:* & cap. 3.14. *Sed etsi quid patimini propter iustitiam, beati.*

Ipsorum est enim regnum cælorum. (Propter iustitiam patientibus, tanquam pugnantibus, regnum ipsum, pro quo pugnant, pollicetur. Communis in scripturis consolatio Iere. 31.16. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo.* 2. ad Tim. 4.8. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* 1. Cor. 15.58. *Itaque fratres mei stabiles estote, & immobiles abundantes in opere bono semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.*

11. *Vos estis sal terræ.*) Salis duas esse proprietates & saporem rebus insipidis dare, & eas conseruare, ne corrumpantur, notum est. Quod est in cibis sapor, est in hominibus ab eodem verbo dicta sapientia: quod in rebus alijs conseruatio, est in hominibus in bonis moribus cōfirmatio. quam diuinæ litteræ ædificationem vocant. Apostoli ergo sal terræ vocantur, quia homines, & sua sapientia docere debent, & suis moribus ædificare. Quare autem hoc dicat, causam Augustinus reddit lib. 1. de serm. Domini. Excitauerat Christus Apostolos paullo ante ad summam vitæ perfectionem, *Beati pauperes spiritu, &c.* Vult nunc probare eos tales esse oportere, quia sal terræ futuri sunt. Per terram autem homines intelligi, & D. Augustinus adnotauit, & certum est, & in scripturis vsitatum. Illud magis necessarium, quod Chrysostomus & Theophylactus obseruauerunt, propterea Apostolos sal terræ dictos esse, vt non vnius aut paucorum hominum, sed totius orbis terræ magistri futuri intelligerentur, Matth. 16.15. *Ite in mundū vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.* Mar. c. 9.50. & Lucas cap. 14.34 alia occasione narrant Christum hanc

Universidad de Deusto
Biblioteca

similitudinem vsurpasse. Sed facilis est, & probabilis solutio, credendum esse non semel tantum Christum, sed sæpe, prout res postulabat, eadem similitudine vsum fuisse, quod nobis etiam sæpe docentibus vsu venit.

Quod si sal euanuerit.) G. μωρανθῇ infatuatum fuerit, ad verbum; id est saporem, & acrimoniam amiserit. Infatuatur autem doctores cum aut malè docent, aut malè ædificant.

In quo salietur?) Ipsum sal. Mar. 9. 50. Non enim sal salis est. Si doctor; malè docuerit, à quo doctor ipse docebitur? si male vixerit, à quo corrigetur? non enim doctor doctorum est. Non quòd doctor & doceri, & emendari non possit, sed quòd fieri non soleat, aut difficile possit.

Nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.) Abhominibus præreuntibus, sicut, quæ in publicam viam eiiciuntur, conculcari solent. Hebraismus: dicunt enim Hebræi איש virum aut hominem, id est quemlibet. Itaque Septuaginta, vbi Hebraicè est איש, aliquando vertunt ἕκαστος vnusquisque, vt Iud. 21. 25. Latini dicerent, vt vulgò conculcetur. Significat alias res, etiam si naturalem vsum amittant, ad aliquid tamen vtiles esse. Fractus est nummus aureus; non erit nummus, sed erit aurum: non seruiet commercio; sed seruiet aurifici. Corruptus est cibus, non dabitur homini; sed dabitur cani. Trita est vestis, in sterquilinium mittetur; hominem fouere non potest, terram fouebit, id est sal, si à natura sua degenerauerit, ne in sterquilinium quidem aliquid valet, terram non fœcundat; sed sterilem reddit. *Posuit*, inquit Dauid, *terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Psal. 106. 34. Hoc Lucas explicauit cap. 14. 35. *Nec enim in terram, nec in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur.* Solent, quæ vtilissima sunt, cum à natura sua discedunt, inutilissima fieri. Sarmentum ad fructum ferendum vtilissimum, si aruerit, nihil inutilius Ezech. 15. 2. 3. 4. *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum? Numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus? aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat ex eo quodcunque vas. Ecce igni datum est in escam.* Quod illic de vite, hîc de sale dicitur. Vtriusq; sententiæ summa est, degeneres doctores, quales imprimis hæretici sunt, ad nihilum vltra quicquam valere, nisi vt pœnas luant, nisi vt conculcentur, nisi vt crementur. Peiores etiam quàm sal infatuarum, quámque aridum sarmentum, hæretici cimicibus, vt ait Augustinus, similes sunt. Viui mordent; mortui fœtent.

Hæretici sale infatuato & cimicib. similes.

14. *Vos estis lux mundi.*) Qui vniuersum mundum doctrina, & exemplo debetis illuminare. Nullos bonos præter vos mundus habet magistros. Quam vim habere diximus superiore versu nomen terræ, eam hoc loco mundi nomen habet, vt ijdem auctores Chrysostomus, & Theophylactus obseruauerunt. Quod autè auctor operis imperfecti adnotauit Apostolos sali comparari respectu Iudæorum: luci vero respectu gentilium, quòd Iudæos veritatem iam cognoscentes in eodem statu cõseruare deberent, quod proprium est salis: Gentiles autem docere, quod proprium est lucis; vereor ne & nimis argutum sit, & non satis verum. Probabilius, voluisse Christum tribus similitudinibus salis, lucis, & ciuitatis rem vnam eandemq; declarare. Hanc enim Syrorum, quorum vtebatur lingua, consuetudinem fuisse alibi Hieronymus admonuit. Itaque non hoc tantum loco, sed multis quoque alijs videmus Christum, vt eandem rem exprimat, multas similitudines alias super alias accumulare, cuius rei exempla vnum caput Matthæi 13. multa suppeditabit. Illud obseruandum solum Christum veram esse lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ Ioan. 1. 9. & Ioan. 3. 19. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, & Ioan. 8. 12. *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, & cap. 9. 5. *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* & cap. 12. 35. *Ambulate, dum lucem habetis.* & vers. 36. *Dum lucem habetis, credite in lucem.* Lux autem vera dicitur Christus, quia summam & ex seipso lucem habet; cum quo, si non modo Apostoli cæterique viri sancti atque doctores; sed ille quoque Baptista Ioannes, quo inter natos mulierum maior non surrexit, comparetur; verè alter Ioannes dicit. *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Et tamẽ de eodem illo Ioan ille idem Ioannes scribit cap. 5. 35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Sicut hoc loco Apostoli lux appellantur. Omnes etiam Christiani lux vocari solent, Philpi. 2. 15. *vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, siue reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo*, & Ephes. 5. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: sicut filij lucis estis, & filij diei, non sumus nobis, neque tenebrarum.* Christus lux natura sua; alij eius beneficio, quia ab eo illuminati sunt; Christus, quia non solum extrinsecus doctrina exemploque illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sed etiam per gratiam intrinsecus: Apostoli, quia extrinsecus non solum exemplo alijs lucent.

Inc. 18. Matth.

Non potest ciuitas abscondi.) Deest prima pars similitudinis; vos estis ciuitas, aut similes ciuitati supra montem positæ. Per mõtes solere Prophetas, & Apostolos significari multis Hieronymus locis obseruauit, quia edito in Ecclesia loco positi ab omnibus cõspiciuntur. Significantur etiam per turres, vt ait Auctor operis imperfecti. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Psal. 121. 7. Quanquam hic sensus mysticus est, litteralis alius. Eadem ratione hic ciuitati, aut potius vrbi comparantur.

Non potest.) Illa non potest; vos non debetis. Non enim monet eos, vt bene viuant, ne quem offendant, quòd eorum exemplum, quasi vrbs suprà montem sita latere nõ possit; sed exhortatur ne lateant, vt paullo post apparebit.

16. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.*) Quid verba significent, manifestum est: quorsum dicta, difficile. Hieronymus propterea Christum dixisse putat, vt Apostolis fiduciam ad liberè prædicandum Euangelium, & animum adderet; quemadmodum si pugilem exhortaretur, vti strenuè & fortiter pugnet; omnium enim oculos in eum esse conuersos. Alij monere eos voluisse, vt cautè viuerent; ne quid facerent, quod quemquã posset offendere; non enim vrbem supra montem sitam latere posse; nec eos similes esse lucernæ sub modio, sed supra cãdelabrum positæ (nec enim sub modio poni solere quæ non possit non ab omnibus videri; quemadmodum Philippenses D. Paulus admonuit cap. 2. 15. *Vt essent sine querela & reprehensione in medio nationis prauæ atque pernersæ, inter quos lucerent sicut luminaria in mundo.* & Petrus 1. epist. cap. 3. 16. *cum modestia & timore conscientiam habentes bonam, vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* Ad hunc modum Chrysostomus, & Theophylactus exponunt. Vera mihi ratio, cur hoc Christus dixerit, videtur esse; vt Apostolos exhortaretur, vti grauiter, & verbis, & exemplo lucerent, ne labori parcerent. Propterea se eos tanquam lucernam, accendisse id est Apostolos constituisse; propterea supra alios, tanquam vrbem supra montem, posuisse, vt appareant, vt luceant, vt doceant; non vt lateant. Nec

enim vrbs supra montem ædificatur, vt non videatur, sed vt non videri non possit; nec accenditur lucerna, vt sub modio abscondatur; sed vt supra cãdelabrum posita, & luceat omnibus, & cernatur ab omnibus, eadem prorsus sententia, qui alibi Christus dicit, *Ignẽ veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur*, Lucæ. 12. 49. & qua D. Paulus Timothæum exhortatur. Tim. 4. 2. *Predica verbum, institã oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Confirmant hanc rationem verba, quæ sequuntur, *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Quod autem dicit, *& ponunt eam sub modio*, aut aliam causam sub modio potius, quàm sub alia re dixisse arbitror, nisi quia modius res erat apta, vt sub eo lucerna cõderetur. Itaque Lucas. c. 8. 16. paullo aliter dixit, *lumen autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit.* Vnde satis apparet Hilarij, & Augustini interpretationes, qui in modio aliquid putant esse mysterij, quasi Apostoli largiter & sine mensura suam deberent doctrinam impertiri, mysticas esse, non litterales.

17. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*) Contrarium videtur Christus alibi docere, infra cap. 6. 1. 2. 5. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*, & alia in hanc sententiã eodem loco multa. Facilis solutio, *vt*, hoc loco non causam; sed consequentiam significare, vt Ioan. 9. 39. & 1. Corinth. 11. 19. Chrysost hom. 10. in epistolã ad Rom. & hom. 27. in 1. ad Cor. & hom. in illud Pauli dictum, *oportet hæreses esse*, & Damascenus, alijq; Græci Theologi solent dicere non esse αἰτιολογὸν, sed ἐπεξηγητικὸν. Non enim iubet eos propterea bene agere, vt ab hominibus videantur: quod cap. 6. fieri vetat: sed ita viuere, vt quisquis eorum actiones considerauerit, glorificet non ipsos, sed patrem, qui in cælis est; cuius est gratia, vt bene viuant, quod. c. 6. fieri non vetat. Quid ergo, an non licet aliquid aliquando boni agere, vt ab hominibus videare. quod facturus alioqui non esses? licet, si modo non propter te, sed propter Deum videri velis. Licet eo fine, sed non vltimo bene agere. Licet eò peruenire, sed non ibi stare. Ad gloriam Dei tenendus est animus, qui ante quàm ad Deum perueniat, stetit; non sterit, sed cecidit. Qui ab hominibus bene agens videri vult, non vt ipse, sed vt pater qui in cælis est, glorificetur; non se, sed Deum videri vult. Nemo enim, vt videatur; sed, vt visus aliquid consequatur gloriæ, videri cupit. Si autem gloriam non quærit, aut non sibi, sed Deo quærit; etiam si videri cupiat, videri non cupit. Hoc sensus Petrus 1. epistola. cap. 2. 12. Christianos bene viuentes vult à Gentilibus velle videri, *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Hoc sensu videtur etiam mihi dixisse Christus, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera*, quo loco, *vt*, non solum euentum & consequentiam, sed finem etiam, causamque significat. Lucernæ enim Apostolos comparauit. Lucerna autem eo animo accenditur, vt videatur. Sed vt diximus, non ibi Christus insistit, porrò progreditur, *vt glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.*

1. Cor. 11. 19.

Quomodo coram hominib. opera bona facienda.

18. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem.*) Primum videndum, quorsum hoc nunc Christus dicat; aut quomodo cum superioribus ista sententia cohæreat. Plerique putant ideo hoc Christum addidisse, quod iam tum à Iudæis accusatum iri sciret: quod videmus Matth. 7. 29. & 15. 9. & Ioan. 9. 16. euenisse. Alij, quia ad perfectiorem legis interpretationem transitionem faciebat; monere voluisse, vt vel ex eo intelligerent se non venisse, vt legem solueret; sed vt impleret, id est, vt magis astringeret & magis ad mẽtem legislatoris interpretaretur. *Audistis* inquit, *quia dictũ est antiquis, ego autem dico vobis.* Ita Chrysostomus, & Theophylactus. Veram mihi videtur causam, quisquis fuit auctor operis imperfecti. homil. 10. tetigisse. Dixerat Apostolis Christus, *Vos estis lux mundi*, & *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, quod de vita simul, & de doctrina intelligendum esse diximus: docet nũc eos suo exemplo, quomodo viuere, & docere debeãt; debere eos legem melius seruare, quàm hactenus seruata esset; melius interpretari, quàm Scribæ, & Pharisæi interpretarentur, ne existimarent licere sibi, quòd Christi, id est ipsius legislatoris discipuli essent, legem violare; sicut solent, qui ex familia principis sunt, omnibus pœnæ legibus soluti esse. Ego ipse qui legem condidi, non veni vt soluerem legem, sed adimplerem. &, *nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, nõ intrabitis in regnum cælorum.* Sic sententiam sententia consequitur. Nunc de verborum sensu disputandum. Quomodo Christus dicit se non venisse, vt legem solueret, sed vt adimpleret, cum re ipsa soluerit, & abrogauerit? Nam *lex & Prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam*, Matth. 11. 13. & *translato sacerdotio necessarium fuit & legis translationem fieri*, Hebr. 7. 12. Adeoque legi contrarius est Christus, vt legem seruantibus Christus nihil profit, Galat. 5. 2. Qui respondent ideo dixisse Christum se non venisse, vt legem solueret, quia etiam si soluturus erat, non per se, sed per Apostolos post reditum in cælum soluturus erat, quemadmodum dixit se non venisse, *nisi ad oues, qui perierant domus Israel*, Matth. 15. 24. non quòd non propter alias etiam venisset; sed quòd alias non per se, sed per Apostolos suos ad fidem adducturus esset: ij, inquam, non videntur animaduertere, quorsum Christus hoc dixerit. Voluit enim, vt paullo ante diximus, Apostolos exhortari, vt legem perfectè seruarent; quemadmodum ipse non venerat, vt legem solueret, sed vt adimpleret. Eodem ergo modo, quo ipse seruauit, Apostolos seruare voluit; eo modo quo abrogare voluit, non per Apostolos, sed per se ipsum abrogauit. Verus igitur sensus est Christum venisse, non vt legem solueret, sed adimpleret. Primùm, quia quamdiu lex vigere debuit, ipse eam, licet nulla Deus lege teneretur, diligentissimè seruauit &, vt Apostoli seruarent; ascendunt quotannis ad diem festum, Ioan. 7. 8. Pascha celebrant. Marc. 14. 12. Quòd enim accusatur, quòd sabbata non seruet, quòd eius discipuli in sabbato spicas vellant. Matth. 12. 1. 2. quòd manus pransuri non lauent. Matth. 15. 2. calumnia erat Pharisæorum legem non ad legislatoris mentem; sed ad suam voluntatem & traditiones interpretantium, vt iisdem locis Christus coarguit. Secundò legem dicitur non soluisse; sed adimplesse, quia benè interpretando perfecit. Cum enim dixisset, *Non veni legem soluere, sed adimplere*, quasi declarare volens, quomodo impleuisset, addidit seueriores illas legis interpretationes, *Audistis, quia dictum est antiquis, ego autem dico vobis.* Ita Gregorius Nyssenus, aduersus Iudæos, & Euthymius, & Theophylactus in commentariis. Tertiò legem impleuit, quia gratiam, per quam impleri posset, nobis attulit. Prius enim, vt solet Augustinus dicere, iubebat, sed non iuuabat. Post Christi aduentum, & iubet, & iuuat. Ante corpus erat graue, sine anima pondus; Christus gratiam, & Spiritum quasi animam indidit, qua mouetur, & agit. *Lex enim per Moysem data est: gratia autem per Iesum Christum facta est.* Ioan. 1. 17. Sic Augustinus libro. 17. contra Faustum. cap. 5. & libro. 19. cap. 7. & Chrysostomus homilia. 16. Quartò, quia, quæ in lege promissa erant, exhibuit; quæ cæremoniis, & figuris adumbrata re-

Matt. 5. 20.

Legem quo modo Christus impleuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsentauit: quemadmodum omnes ferè veteres auctores interpretati sunt. Irenæus lib.4 cap.27 & 67.& Tertull in lib.de patientia. Hilarius cap.4. Athanas. in sermone contra omnes hæreses, Cyril. libro de adoratione in spiritu & veritate, August. in quæst. noui testamenti quæst.69. Conuenit, quod Christus dicit. Luc.24.44. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me.* Hoc est, quod tam sæpe solent Euangelistæ, maximèque Matthæus dicere, *Vt adimpleretur, quod dictũ est per Prophetas.* Sunt, qui addant quinto etiam alio modo legem impleſſe Christum, quia pro temporalib. supplicijs, & præmijs, quæ lex proponebat, æterna proposuit. Itaque cum in lege & Prophetis quatuor essent partes, promissa, & vaticinia; præcepta decalogi; ceremonialia; iudicialia; Christus omnia compleuit. Promissa, & vaticinia, exhibendo, quæ promissa, quæque prædicta erant; præcepta decalogi moralia, melius interpretando; ceremonialia, quæ per ceremonias significabantur exhibendo, vt pro circumcisione carnis baptismum & circumcisionem cordis; iudicialia, quia præmia & supplicia corporea, & temporalia in spiritualia & æterna commutauit. Quo ergo modo legem abrogauit? nõ soluendo, sed implendo, non violando, sed perficiendo, sicut pictor (vt Theophylactus ait) inchoatæ, & extremis tantùm lineamentis adumbratæ imagini dum extremam apponit manum, & colores adhibet, priorem imaginem abolet; nouam inducit. Abolet autem non dissoluendo, sed absoluendo, non delendo, sed perficiendo. Quo autem sensu dicatur lex vsque ad Ioannem tantùm Baptistam durauisse; alia est quæstio, non hoc loco; sed infra cap.11. 13. explicanda. Nunc satis est scire legem vsque ad Ioannem tantùm Baptistam durauisse, non quia per Ioannem abrogata, aut statim; vt ille prædicare cœpit, mortua est: sed quia ægrotare tunc cœpit, non multo post Christi mortem moritura. Abrogata lex est, quia per Euangelium perfecta, eodem tempore abrogari cœpit, quo Euangelium prædicari: quò magis Euangelium vigebat, eò magis illa languebuat; cum Euangelium est penitus prædicatum; illa est penitus abrogata.

Christus quomodo legẽ abrogauit.

Lex quo tempore abrogata.

18. *Amen.)* אמן Hebraicè veritatem significat, Isai.65. 16. Itaque *Amen dico vobis*, idem est, atque, In veritate dico vobis, vt Luc.4.25 Ioan.16.7. Duplicem habet vsum: alterum, vt sit confirmatio eorum, quæ à nobis, vel ab alio ante dicta sunt, vt Num.5. 22. Deuteron.27.26. 1.Cor.14.16. alterum, vt sit affirmatio eorum, quæ dicturi sumus, vt hoc loco, & alijs pœne innumerabilibus. Prior vsus in vetere testamẽto frequentissimus; in nouo rarus: Posterior frequentissimus in nouo; aut nullus, aut rarissimus in veteri. Causam esse arbitror, quòd veteris testamenti scriptores Hebraicè loquerentur, non Syriacè. Hebraicè autem אמן potius confirmantis, quàm affirmantis: Syriacè potius affirmantis, quàm confirmantis sit. Græci, Latinique interpretes Hebraicam dictionem vsu notam retinuerunt. Quanquam Aquila ἀπεσταγμένως, Septuaginta ἀληθῶς aliquando verterunt, vt Hieron. in epistola ad Sophronium, & in secunda ad Marcellam scribit.

Significatio & vsus vocis Amen.

Donec transeat.) Donec pereat Psal.101. donec dissoluatur. 2.Petr.3.10. id est donec immutetur. Hebraismus עד sæpe etiam in nouo testamento vsurpatus G. παρέρχεσθαι Matth.24.35. & 26.39. 42. Marci 13.31. Luc. 21. 33. sicut παρελθεῖν transferre pro hithpael עבר Marc.14.36. Luc.22.42. & μεταβῆναι ad Herb.7.12.

Cælum & terra.) Totus mundus, qui firmissimis fundamentis creditur stare. Hilarius, *Cælum quidem & terram maxima, vt arbitrantur, elementa esse soluenda, cæterum ne minimum quidem posse esse de mandatis legis infectum.* Solet scriptura similibus vti comparationibus Psal.71.5. *permanebit cum sole, & ante lunam in generatione & generationem.* & ver.7. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.* & Psal. 88.38. *Thronus eius, sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* Ierem. 33. 20.21. *si irritum poterit fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies, & non sit nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo.*

Iota vnum, vel vnus apex.) Quidam interpretantur, Iotam minimã esse litterarum, apicem minimam eius particulam in capite eius expressam, quasi dicat, ne minima quidem legis mandata, aut minimam minimi mandati partem solutum iri. Sed hæc interpretatio in Græca, & Hebraica lingua, qua Euangelium hoc scriptum est, itemq; in Syriaca, qua Christus loquebatur, locum non habet, quia supra *Iota* apex nõ inscribitur. Apicem ergo vocat minimam litterarum partem, vt caput aut caudam ipsius *Iod*', rem scilicet minutissimam. Nam puncta tunc apud Hebræos & Syros non fuisse nemo nescit. Genuit ex hoc loco littera Iota, licet omnium minima, maximam hæresim apud Irenæum lib.1. c.1. lege.

19. *De mandatis istis minimis.)* Quidam veteres auctores per minima mandata mortem volunt & crucem Christi intelligi; quòd mors & crux res abiecta contemptaque videatur, quam tamen qui erubescit, saluus esse non possit. Ad hunc modum Hilarius, & alij, quorum Theophylactus meminit. De cruce hic non agi manifestum est; quæ autem mandata Christus minima vocet, dubium. Quidam enim ad præcedentia referunt, vt August. lib 1.de sermone Domini in monte, quasi dicat, qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, quæ ego veni non soluere, sed adimplere. Videtur enim pronomen, *Istis*, illa, de quibus Christus locutus fuerat, demonstrare. Alij ad sequentia, vt Chrysostomus hom.19. Auctor imperf. homil. 10. & Theophylactus, quod est probabilius, quia minima legis veteris mandata erant cæremonialia & iudicialia, quæ nolebat Christus post Euangelij prædicationem seruari; sed aboleri; & quia sequitur, *nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, &, audistis, quia dictum est antiquis, ego autem dico vobis.* Ergo pronomen illud, *istis*, non eadem, de quibus locutus Christus, erat, demonstrat, sed similia; similia autem, quia vtraque minima videbantur. Minima verò mandata, de quibus dicturus est, vocati non quòd re vera, sed quòd Pharisæorum opinione minima, aut potius nulla essent, qui, vt ab oculis hominum toti pendebant, homicidium, quod oculis videbatur, peccatum putabant; homicidij patrandi voluntatem, quæ non videbatur, forte non putabant.

Et docuerit sic homines.) *Sic* vna est syllaba, sed magnam continet difficultatem, in eaque tota huius loci sententia versatur. Hieronymus & nonnulli interpretes noui exponunt, *& docuerit sic*, id est quemadmodum ego dico, atque præcipio, quasi dicat, qui vnũ ex mandatis hisce minimis non seruauerit, quamuis doceat alios ea esse seruanda; tamen minimum futurum in regno cælorũ. Cum qua interpretatione conuenit, quod idem Christus dicit. cap.23. 2. 3. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite secundum autem opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Eosdem enim hic Scribas & Pharisæos notare voluit. Sed ideo hic sensus videtur minus proprius, quia hoc loco Christus non solum Pharisæorum

vitam,

vitam, sed etiam doctrinam reprehendit, *Audistis, quia dictum est antiquis, ego autem dico vobis.* Itaque melius omnes alij interpretes, vt Chrysostomus homil. in Matth.16. & auctor imperf.hom.10. & August. lib. 1.de serm.Domini, & Gregor.lib.19 in Iob.c.5. exponunt. *Sic*, id est quemadmodum ipse facit, qui nec ipse seruat, & alios docet non esse seruanda.

Minimus vocabitur.) Minimũ nonnulli nullum interpretantur, vt Chrysostomus, & Theophylactus, ideo, vt opinor, quòd absurdum iudicarent eum, qui hæc Christi mandata non obseruasset, aliquem in regno cælorum locum habere. Alij nonnullum, sed minimum in regno cælorum futurum dicunt, quia non magna, sed minima mandata violauit, quorum transgressio veniale peccatum est. Quæ interpretatio inde refutatur, quòd quæ Christus Pharisæorum opinione vocat minima, re ipsa maxima sunt. Nam qui homicidium non fecit, voluit tamen facere; & qui adulterium non admisit, vidit tamen mulierem ad concupiscendum eam, quia eius iustitia non abundat plus quam Scribarum & Pharisæorum, in regnũ cælorum non intrabit. Tota sententia ex eo pẽdet, quid vocetur hic regnum cælorum, quod paullo post sumus explicaturi. Interim minimum vltimum, non nullum interpretor, ne emphasis huius nominis pereat, quam de industria videtur Christus adhibuisse; qui ideo non nullum, sed minimum fore dixit, quia minima violauit mandata, vtens elegante paronomasia. *Vocabitur* autem dixit pro erit, vt supra ver.9. nisi malimus interpretari, vocabitur, id est pronuntiabitur, iudicis Christi sententia declarabitur, qua, quantus quisque sit, apparebit.

In regno cælorum.) August lib.1.de serm.Domini, & Gregor.lib.19.moral.c.5. & alij ferè omnes regnũ cælorum hoc loco Ecclesiam vocati dicunt. ne, si verum regnum cælorum accipiatur, illud sequatur absurdè, vt qui aliquod ex his violauerit mãdatis, aliquo in regno cælorũ loco sit; cum paullo post dicat, *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarũ, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Melius, vt mihi quidem videtur Chrysost. & Theopyl. regnum cælorum resurrectionis & vltimi iudicij tempus vocari putant. Tunc ergo, qui vnum de mandatis istis minimis non seruauit, minimus vocabitur, id est sententia iudicis declarabitur. Nec erit nullo loco, quia & ipse resurget, & iudicabitur; sed erit vltimo, quia eijcietur in tenebras exteriores. Quæritur à quibusdam, cur de ijs qui magna mandata nec faciunt, nec docent; & de ijs, qui docent, sed non faciunt; & de ijs, qui faciunt, sed non docent, & de ijs qui minima docent, & nõ faciunt; aut faciunt, & non docent, Christus mẽtionem non faciat. Respondeo causam eius rei fuisse, quòd de solis Pharisæis quæstio esset, qui ista, quæ minima putabant, nec faciebant, & sic homines docebant. Si ergo, qui vnum ex mandatis istis minimis non seruauerit, vltimo loco erit, id est minimus vocabitur; qui non seruauerit maiora, vbi erit? & ipse vltimo loco. Erunt igitur pares, & impares: pares, quia vterq; minimus, vterque vltimo loco, id est in inferno: impares quia in illo vltimo loco, sicut & in primo, quod est, cælum, mansiones multæ sunt; & alij maioribus, quàm alij supplicijs afficiuntur: sicut qui in primo loco, id est in cælo erunt, omnes erunt pares, quia eundẽ omnes denarium accepturi sunt Matth.20.10. & impares quia *in domo patris mei mansiones multæ sunt*, Ioan.14. 2. & quia *alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, & stella ab stella differt in claritate.* 1. Cor.15. 41.42. pares honoris genere, impares specie: sicut oẽs reges pares dignitate, & impares opib. atq; potentia.

20. *Dico enim vobis.)* Reddit causam cur dixerit, *qui soluerit vnum de mandatis istis minimis*, quasi idem sit soluere & non abundare eius iustitiam, plus quàm Scribarum & Pharisæorum.

Nisi abundauerit.) nisi maior fuerit. Græcismus ἐὰν μὴ περισσεύσῃ, aut Hebraismus אם לא רבה.

Iustitia vestra.) Legis obseruatio, quam Christus ipse iustitiam appellat, quia obseruatione mandatorum Dei iustificamur.

Quam Scribarum & Pharisæorum.) Qui ista minima esse dicunt. Nominat Scribas & Pharisæos, quia & doctores erant, & cæteris multo sanctiores habebantur, vide c.3.7.

21. *Audistis.)* Quæ sequuntur vsque ad finem capitis intelligi non possunt, nisi illud prius intelligatur, de quo magna hoc loco inter interpretes vertitur quæstio; num Christus veteri legi, an Pharisæorum tantùm interpretationi aliquid addat, cum dicit, *ego autem dico vobis.* Omnes hæreticorum interpretes pro comperto habent (Spiritus enim sanctus illis opinor reuelauit) Christum non legẽ, sed Scribarum & Pharisæorum traditiones, interpretationésque corrigere; eaque de re impudenter veteres auctores, quòd aliter senserint, reprehendunt. Idem scilicet olim alij hæretici Pelagiani docuerunt, vt lib. aduersus illos primo Hieronymus scribit, Catholicus nescio an quisquam præter Arrabum, & nostro tempore nonnullos, qui minore, quàm Catholicos decet, cautione hæreticorum legerunt commentarios. Nec inficior aliqua esse argumenta huius sententiæ, quæ aut minus doctum, aut minus constantem lectorem mouere possint. Primum ponderant illud in singulis mandatis repetitum verbum, *Dictum est*, quasi ideo dictum, non autem scriptum dixerit, quia non de lege; sed de Pharisæorum traditione, explicationéq; loquebatur. Deinde quòd se illis Christus opponat quasi peruersis interpretibus bonum legislatorem veteri legislatori neutiquam oppositurus; siue ipse, siue Pater fuerit, qui Mosi veterem legem dedit. Præterea quòd hæc, quæ hoc loco Christus addit, vetere lege continebantur. Non enim solum adulterium, sed etiam concupiscentia prohibebatur. *Non concupisces*, inquit, *vxorem proximi tui.* Exodi 20.17. Testis D.Paulus, *Concupiscentiam*, inquit, *nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Rom.7.7. non ergo Christus legi quicquam, sed interpretationi Pharisæorum suam interpretationem addit. Præterea lex non iubebat odio inimicos habere. sed potius amare Exod. 23. 4. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublenabis eum.* Præterea cùm Christo ab adolescente illo interrogatur, *quid faciendo vitam æternam possideboꝰ* nihil aliud respondet, quàm, *serua mandata.* Luc.18. 18. nihil ergo quòd Christus adijceret, in legis mandatis desiderabatur. Denique nulla in Euangelio perfectio maior est, neque verò potest excogitari, quàm diligere Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus; atqui idipsum lex præcipiebat Deuter.6.5. Accedit quod Christus dixit ver. 20. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum,* quasi indicans se non legem; sed Pharisæorum interpretationem velle corrigere. Multa etiam Christus dicit dicta fuisse antiquis, quæ in lege non reperiuntur, vt illud ver.11. *Reus erit iudicio*, & illud ver.43. *Odio habebis inimicũ tuum.* Viderant ista, & opinor, vetereς auctores, incredibili tamen omnes consensu docuerunt Christum legem ipsam veterem correxisse adiunctis ijs, quæ ad perfectionem Euangelicam desiderabantur, non quòd lex in suo genere perfecta non fuerit; sed

Christus an veteri legi, an Pharisæorũ interpretationi quippiã hic addat.

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd minus perfecta,quàm Euãgelium, pædagogum enim fuisse Iudæis, tanquam pueris ruditer erudiendis adhibitum, donec melior magister Christus firmioribus iam ingeniis perfectiora proponeret. Atque ad hunc modum præter alios,de quibus ver.18. diximus Christum legem impleſſe; quia addit, quæ in illa desiderabantur. Sic Irenæus lib.4 cap.27. Tertullian. lib.de patientia,Clemens Alexandrinus lib.6 Strom. Hilarius. can. in Matth. 4 Epiphan. aduersus Ptolomaitas hær. 33. Basil.homil.in Psal.14,Chrysost.hom. 16. in Matth. Auctor imperfect. hom.11. Ambrosius ser. 5 in Psal.118.Hieronym.in epist.ad Gerũtiam de monogamia,Chromatius,Theophylactus.& Euthym.in commentarijs ad hunc locum. Quorum sententiam non solum eorum fractus auctoritate;sed maioribus etiam in hanc partem argumentis impulsus verissimã iudico.Primùm, vt hæretici expendunt verbũ illud, *dictum est*,ego cõtrà expendo,quod sequitur, *antiquis*, id est illis, quibus Moses legem dedit, quasi Mosaicis & legalibus hominibus Christianos & Euangelicos opponat,*ego autẽ dico vobis*.Enim vero si de solis Pharisæorum traditionibus, interpretationibusque loqueretur, non diceret, *audistis, quia dictum est*, quasi ipsi ab eo, qui dixit non audiuerint, sed ab alijs, qui adiuerant,acciperint. Sed dixisset simpliciter, *Audistis,non occides*, aut, dictum vobis est non occides,qui autem occiderit reus erit iudicio. Nec nomini Scribarum, & Pharisæorum eos reprehendens pepercisset;sed disertè dixisset,audistis à Scribis & Phariſæis. Hac enim libertate semper vsum videmus Christum. *Cauete*(inquit)*à fermento*, id est doctrina, *Phariſæorũ & Sadducæorum*,Matth.16. 6,11.12. Nec antiquos vocare potest eos, qui paullo ante fuerant; nec enim Phariſæi multo ante Christi tempora, vt ex Iosepho colligitur, extiterunt. Deinde quia multa Christus corrigit hoc loco,quæ constat non à Phariſæis introducta; sed in lege expressa esse,quale est illud ver.31. *Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij*.Deuteronom.24.1. quid,quæso, hîc Phariſæi corruperant? Christus tamen corrigit, *ego autem dico vobis*.& illud ver.33.*non peierabis*. Lex enim dicit Leuit. 19.12.nec id Phariſæi corrumpebant. Nam quod dicunt solitos docere Phariſæos non peccare, qui per cælum aut terram iurarẽt, ver.13.refutabimus.Quod autem Christus. Matth.23.16. Phariſæos reprehendit, quòd dicerent, *qui iurat in templo, nihil est: qui autem iurat in auro templi, tenetur*, diuersum est. Nec enim Christus falsam in illis legis interpretationem reprehendit; quod si facere voluisset, non illo, sed hoc loco vtique dixisset. Nec enim lex per templum iurare prohibeat; Christus pius prohibuit; sed reprehendit auaritiam, qua, qui per templum iurabant, absoluebantiqui per aurum, damnabant,quasi magis auro, quàm Dei honore tangerentur. Præterea, vbi lex dicebat, vt, si quis te in vnam maxillam percuteret,illi alteram verteres, aut quæ Phariſæorum culpa erat, quòd non ita, cùm lex non diceret, interpretarentur; cum nunc Christo ipso docente vix capere possimus? Vbi scriptũ erat,vt tollenti nobis tunicam & pallium dimitteremus? Non ergo legem tantùm interpretatur Christus, sed nouam condit legem,nouam affert doctrinam.Præterea illud, *Diligite inimicos vestros*,vbi lex dicit?Nam quod affertur ex Exod. 23, 4. *Si occurreris boui inimici tui*; nihil est, loquitur enim de Iudæo, cum quo Iudæus inimicitias gerere prohibebatur.Itaque, qui illic inimicus dicitur, Deuteronom.22. 1. frater appellatur, *non videbis bouem fratris tui aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces*. Cũ autem de veris loquitur inimicis, non solum odio habere, verum etiam delere iubet. *Delebis nomen eius sub cælo,caue ne obliuiscaris*, Deuter.25.19.In Euangelio neminem omnino odisse licet, neminem priuata auctoritate delere.Denique videmus Christum hoc loco præmia, suppliciaque veteris legis amplificasse. Quam ob rem, nisi quia perfectionem legis auxit? Ex ijs quæ diximus,qui aliquo sunt ingenio,quo modo contrarijs argumentis respondere oporteat, non difficulter colligent; non pigebit tamen rudioribus respondendi modum ostendere.Quod obijcitur primo loco non dixisse Christum scriptum est, sed *dictũ est*, nimium est leue.Nam aut nihil in eo verbo mysterij est;cum videamus Euangelistas his duobus verbis sine discrimine vti; *sicut dictum est per Prophetas*,& *sicut scriptum est*, aut si quid est in eo verbo mysterij; non id est, quod hæretici putant; sed quod Chrysost. & Theophylactus adnotauerunt;ne si patrem, à quo id dictum erat, nominaret, se illi aut opponere, aut etiam anteponere videretur; si se, qui etiam veterem legem dederat; inuidiam in se auditorum concitaret; aut,vt ego suspicor,non se sibi, aut patri, sed Mosi tacitè opponit.Nam etsi lex vetus à Deo data erat, tamen quia populus non à Deo, sed à Mose eam acceperat,eius auctor Moses videbatur. *Lex*, inquit, *per Moysem data est*, Ioann. 1.17. &,*nonne Moyses dedit vobis legem,& nemo ex vobis facit legem?* Ioan.7.19 Denique Lex Mosis appellatur,Luc.2.22.& 24.44.& Ioan. 7.23.Act.15 3 .& 15 5.& 28.23.& quæ in lege scripta atque præcepta erant; Moses scripsisse, ac præcepisse dicitur Ioan.8 5.& 1.45. Se igitur Christus tacitè opponit Mosi. cum dicit, *ego autem dico vobis*,sed noluit eum ad ad vitandam inuidiam nominare. Atque hac ratione non solùm primũ;sed secundum etiam argumentum facilè soluitur. Tertium sic, non dubium est quin concupiscentia in veteri lege prohiberetur,sed multò minus expresse atque præcisè,quàm à Christo hoc loco prohibetur.Lex quippe tãtum dicebat, non concupisces vxorem proximi tui; sed non dicebat eum, qui impudicis oculis aspiceret, adulterij teneri. Quartum paullo ante aliud agentes obiter soluimus. Docuimus enim legem præcepisse quosdam publicos non solum odisse hostes; sed penitus etiam abolere. Atque eò hoc loco Christus alludit, cum dicit, *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos*, ver. 4 In quinto, solùm probatur non omnia, quæ ad legem Christus adiecit, esse præcepta; quod negandum non est; pleraque enim, vt suo dicemus loco, consilia sunt Euangelica;ideoque Christus ab illo adolescente tantùm exigit, vt mandata seruet;si tamen Euangelicam perfectionem sequi velit, vendat vniuersa,quæ habet,& det pauperibus se,que sequatur, hoc est quod hoc loco dicit, pallium etiam dimittere, vt nudum Christum,nudus sequãre.At quæ maior perfectio, quàm Deum ex toto corde diligere? respondeo magis ex toto corde diligere. Nam qui sit diligit, vt nullius rei amori, Dei præponat amorem; ex toto corde Deum diligit; qui propterea relinquit omnia, quæ habet, & Christum sequitur, quemadmodum Apostolos fecisse legimus, magis ex toto corde diligit.Vno dicam verbo, diligere Deum ex toto corde est eum ita diligere, vt non etiam idola, non aliud quidpiam ei contrarium diligamus vt Deuteron. 6. 5. & exposuimus & probauimus.Hanc perfectionem Deus ab Abrahamo requirebat, cum dicebat, *Ambula coram me, & esto perfectus*,Genes. 17.1.Quod autem Christus dicit, *Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*; non ideò dicit, vt eorum doctrinam, sed vt eorum vitam reprehendat, cùm alio loco dicat, *super cathedrã Moysi sederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis*

vobis seruate & facite:secundum autem opera eorum nolite facere:dicunt enim & non faciunt. Matth. 23. 2. Ideò etiam dicit, quia Phariſæi adeo se legi addictos esse profitebãtur, vt si quid melius atque perfectius Christus doceret,longè reiicerent.Neque verò nego Scribas, & Phariſæos multis in rebus malè interpretatos fuisse legem. Scio enim monuisse discipulos suos alibi Christum, vt ab eorum fermento,id est doctrina,cauerent.Matth.16 12.Tantum dico Christum hoc loco non id agere, vt Phariſæorum traditiones, aut interpretationes reprehendat;sed,vt additis partim præceptis, partim consilijs Euangelicis legem perficiat. Quod postremo loco obiectum est, multa hîc, quasi antiquis dicta,à Christo recitari,quæ in lege non reperiantur,ver.21.33. & 43.refutabimus.

Tria apud Iudæos tribunalia.

Reus erit iudicio.) Adnotarunt quidam ex Thalmudicis traditionibus tria fuisse apud Hebræos tribunalia:Primum Triumuirum,in quo de minutissimis disceptaretur causis.Secundum,in quo viginti tres iudices de causis maioribus, itemque capitalibus cognoscebant. Tertium,in quo vnus & septuagint.lecti viri de rebus grauissimis,maximèque publicis,vt de pace, de bello,de falso propheta,de summo sacerdote iudicabant. Primum vocatum fuisse שלשה iudicium; secundum, סנהדרים συνέδριον concessum voce à Græcis vsurpata;tertium magnum concessum,sicut Galli magnum regis consilium appellant. Verum id quidem, quod de triplici tribunali tradunt;quod autem de nomine, & causarum cognitione, non omnino verum. Nam perspicuum ex hoc loco est capitalium causarum cognitionem ad iudicium pertinuisse,cùm homicida reus dicatur esse iudicij. Itaque alterutrum necesse est,aut in primo tribunali etiam capitales causas fuisse tractatas, aut quod est vero similius,primũ & secundum tribunal iudicium;tertium סנהדרין συνέδριον Synedrium appellatum. Confirmat hanc opinionem, quod postquam Christus Synedrium nominasset, quasi id esset apud Iudæos vltimum tribunal, non habens aliud,quod præterea nominaret.Gehennam ignis nominauit. Quid autem sit reum esse iudicij,interpretes non consentiunt.Quidam idem esse putant,quod dignum esse,vt in iudicio eius exploretur causa,vt August.lib 1.de ser. Domini in monte,& Gregorius lib.21.in Iob.c.4. Alij melius,vt Euthym. & poëta Iuuencus reum esse pœnę capitalis,quæ contra homicidas in iudicio decernebatur. Hanc interpretationem ideo priori præfero,quia capitalis homicidæ pœna non iudicum decernebatur arbitrio; sed iure constituta erat,quã iudices mutare non poterant Leuit. 24. 21. & Numer. 35. 16 17 30. Et quia videtur Christus significare voluisse eum, qui in Euangelio sola occidit volun tate,nõ minore dignum esse pœna; quàm qui re ipsa occidebat in lege,leuissimámque Euangelij pœnam grauissimæ,id est capitali pœnę legis æqualem esse.Vbi scriptum erat in lege,*Reus erit iudicio*? Respondeo Christum non legis verba; sed sensum recitare. Scriptum autem erat,vt paullo antè indicauimus,vt homicida moreretur.

22. *Qui irascitur.*) Constat non omnem iram esse peccatum; nam non modo alij viri sancti,verũ etiam D.Paulus Act.23.3.& Petrus Act.8.20.& Christus ipse Matth.15.7.& 22.18.& 23.1.13.14.15.23.29. fuisse videtur irati. Quæ res effecit,vt interpreteş varias huius sententiæ explicationes quærerent. Quidam Græci codices legunt εἰκῆ,temerè sine causa,quam lectionẽ qui secuti sunt,facile respondebunt.non omnẽ iram, sed eam quæ iustitia,quæ causa,quæ ratione caret esse peccatum; Christum verò,& Apostolos iratos quidẽ fuisse,sed non sine causa. Sequuntur autem Irenæus lib.4 cap.27. Iustianus in epistola ad Zenam & Serenum de vita Christiana,Chrysost.hom.7.Auctor imperf.hom.2 Aug.lib.1.de ser.Domini,Theoph Euthy. in comment.Sed eam lectionem neque noster interpres secutus est,& meritò mihi videtur Hieron.reprehendere.Primùm quia non esset vera sententia. Sicut enim memini iusta etiam de causa priuata auctoritate licet occidere; ita nemini,quamuis iusta de causa licet irasci. Deinde quia etiam si sententia fuisset vera, Christus tamen hoc loco non dixisset. Nec enim locus erat aptus moderandæ hac adiectione sententiæ, vt maximè volebat iræ culpam exaggerare. Deinde, quia,si qua erat adhibenda moderatio,potius ad illud verbum superioris versus *non occides*.adhibenda erat; quàm ad verbum irascendi, quia grauius peccatum est sine causa occidere, quàm sine causa irasci. Alij sic respondent, cum ratione irasci nullum; sine ratione,veniale peccatum esse. At Christus dicit eum, qui sic irascitur,reũ esse iudicij,id est capitalis pœnæ, quam certè non meretur veniale peccatum. Res ita expediri potest. loquitur Christus accommodatè ad homicidium,de quo agebatur,& iram vocat non omnem appetitionem vindictæ, quemadmodum à philosophis diffinitur; sed eam propriè, quæ tendit ad homicidium.Voluit enim dicere non solum eum,qui re ipsa,sed eum etiam, qui sola occidisset voluntate, reum esse iudicij,sicut ver.27.& 28. dicit non solum eum qui re ipsa adulterium patrauit; sed etiam,qui patrare voluit,adulterum esse. Voluntatem igitur occidendi iram vocat,quæ siue cum causa,siue sine causa sit; in priuata persona sine grauissima nunquam est culpa. Neque hoc modo Christus,aut Apostoli vnquam irati sunt. Nam quòd Petrus videtur Saphiram iratus occidisse Act.5.9. non ira,sed religione,non vt priuatum hominem, sed vt Dei ministrum fecisse credendum est.

Reus erit iudicio.) mortis æternæ, quam iudicium vocat,vt conuenienter loquatur Iudæorum consuetudini, qui חייב מיתה dignum,aut reum iudicij appellabant eum,qui morte dignus erat;sed illi de corporis, Christus de animæ morte loquebatur. Auget enim Christus peccatorum supplicia non augendo; sed declarando.Nec propterea Euangelicum iugum legis iugo grauius.Quia nec peccata magis auget,se maiora,quàm in lege putabantur,esse declarat,nec minoribus peccatis maiores minatur pœnas; sed peccatorum exposita grauitate grauiores,quàm apparebant, pœnas exposuit:Quin multò leuius,quia etsi peccata magis indicat, tamen indicata curat; Lex minus indicabat,nullo modo curabat Rom.8.3.

Qui autem dixerit fratri suo raca.)Ignoratio linguæ varias hoc loco interpretationes peperit. Quidam graues etiam auctores Chrysostomus, & Theophylactus docent *raca* Syriaca lingua idem esse, quod *Tu*, nihilque aliud hic significari, quam parum honorificam & asperam locutionem, vt cum seruo dicimus,Abi tu. Idem Euthymius dicit, nisi quòd non Syriacam; sed Hebraicam dictionem facit. Hoc nec in Græcis auctoribus, qui ab Hebraica, & Syriaca lingua fuerunt alienissimi, mirandum est; nec imprudenter credendum.Scimus enim neque Hebraicè, neque Syriacè eiusmodi esse pronomen. Nihilo verò similius quod August.lib.1, de serm. Domini scribit nonnullos docuisse *raca* vocem esse Græcam, hominemque pauperem & pannosum significare. *Ἐῤῥάκωσαν* enim Græcis pannum esse Matth. 9. 16. Probabilius, quod idem eodem loco dicit Augustinus se ab Hebræo quodã,quem ea de re consuluerat, accepisse non nomen, sed irascentis interiectionem esse, qualem apud Latinos,*Hem*, quòdque Gregorius lib. in Iob. 21. c. 4. & Rupertus in comment. probauerunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòdque & Græcus & Latinus interpres videntur existimasse quia vt Augustinus adnotauit, propterea credibile est eos ipsam dictionem integram reliquisse, quasi nihil aliud, quàm naturalem vocem ira commoti hominis significantem. Hoc, inquam, probabilius; sed illud quod alij tradunt, meo iudicio probabilius רקא Chaldaicam aut Syriacam esse vocem, quę ab Hebraica tantùm lingua manauerit. ריק enim Hebræi leuem & inconstantem hominem appellant Iud.11.3.2.reg.6.20.2.par.13.7. Vnde factum, vt רקא homo minimi iudicij à Thalmudicis, vt quidam obseruauerunt, vocari soleat; quod propriè quidem hominem vacuum & inanem significat. qui quamuis idem esse atque stultus multis videatur; tantùm ab illo distat, quantum Latinè leuis. Ita sententia bene cohæret. Certum enim est Christum peccatorum, & pœnarum gradus tres distinguere voluisse, quorum primo secundus; secundo tertius maior esset. Primus est ira in verba non erumpens; secundus contumeliosum verbum ex ira proficiscens, quo frater leuis; tertius magis contumeliosum, quo fatuus, aut stultus appellatur. Quòd autem interpres Syriacam dictionem non conuerterint, non ideò factum esse existimo, quòd interiectio sit. Nam & interiectiones solent vertere vt הא a.a. Ierem.1.6.& 14.13. Ezech.4.14.& 20.49. & Ioel.1.15. sed, aut quòd locutio esset vulgo tunc adeò visitata, vt, si verteretur, vim & gratiam amitteret; quemadmodum si vertissent. Amen, aut quod nõ satis certi de eius significatione noluerint præiudicium lectoribus afferre. Quod Septuaginta sæpe interpretes, Latinum aliquando fecisse in eorum Idiomatis adnotamus.

Reus erit concilio.) τῷ συνεδρίῳ, tertio tribunali, quod concilium aut consilium potest appellari; ad verbum autem concessus: per cõcilium autem capitalem pœnam, quæ in eo statui solebat, intelligit, vt ver. 22. per ciuilem autem capitis pœnam sempiternam animæ mortem intelligit; sed, vt, antè monuimus, loquitur ac commodatè ad consuetudinem iuris. Dubitabit aliquis, quomodo per iudicium, & per concilium capitalem pœnam intelligat; cum manifestum sit tres pœnarum gradus velle distinguere. Respondeo gradus quidem distinguere, non genus. Nam vtrobique capitalem; sed in iudicio leuiorem, in concilio grauiorem iudices pœnam constituebant, quemadmodum grauiores ad consilium, quàm ad iudicium causæ deferebantur. Scitum est quatuor apud Iudæos capitalium pœnarum fuisse genera, strangulationem, gladium, lapidationem, combustionẽ, vt in libro סנהדרין notatum est. Sic etiam Christus & eum, qui irascitur, & eum, qui fratrem suum leuem, & eum qui stultum appellat, eadem inferni pœna; non eadem pœnæ grauitate dignum docet. Mirantur, vt ait Chrysostomus, multi hominem, qui fratrem leuem aut fatuum appellauerit, sempiternæ mortis condemnari; cùm tertio quoque verbo alij aliis id dicere soleamus. Primùm non debet consuetudo peccandi pœnæ admirationem affere. Nam & eos, qui temere iurant, damnari non miramur. Quid autem tam vsitatum? Augere non, leuare consuetudo peccandi pœnam debet: quæ auget non leuat culpam. Deinde non omnis qui irascitur, & qui fratrem suum leuem, aut stultum appellat continuò damnatur; sed qui ita irascitur, & appellat, vt his veluti gradibus ad homicidium ascendit. De iis enim, non tanquam de affectu & verbis, sed tanquam de initiis homicidij loquitur Christus, *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides, ego autem dico vobis.* Non ergo, qui loco, non qui subita animi commotione sine cædis apperitione, & sine voluntate grauem inferendi contumeliam fratrem stultum appellat, continuò æternæ mortis tenetur reus.

Quatuor pœnarũ capitalium genera apud Hebræos.

Reus erit gehennæ ignis.) Gehennõ id est vallis Ennom, vt Ben Ennon filij Ennom locus erat amœnus, & fontis Saloe aquis irriguus iuxta Ierosolymam ad radicẽ montis Moria, vt Hieron. scribit, & cõstat Ios. 15.8 & 18.16. vocabatur autem גי בן הנם vallis Hennom à possessore. Et loco, vel quia amœnus erat, vel quia impium habebat dominum factus est locus ad colendum Moloch nobile Ammonitarum idolum, quem nonnulli Saturnum fuisse putant; eo primumque infantes crudeli impietate cremare. 4.reg 16.3.& 17.17.31.& 23.10. & 2.par.28.3.& 33.6. Vocatus est postea locus Thopheth. 4.reg.23.10.Isai.30.33.Ierem.7.31.32.& 19.6.11.12.13. à ritu, vt quidam putant sacrificandi, quòd interim dum infantes cremabantur, tympana pulsarentur, ne parentes eorum audientes vagitus dolore tangerentur. Tympanum enim Hebraicè תף appellari. Inde factum creditur, vt infernus gehenna vocaretur, quòd ignibus in ea sempiternis damnati crementur. Credibile iam Christi ætate vsitatum fuisse, vt ita vocaretur; vtitur enim Christus eo nomine, tanquam vulgò noto, etsi, vt Hieronymus in cap. Matth.10. obseruauit; neminem in sacris litteris auctorem ante Christum vsum legimus. Addidit autem epitheton ignis; & vt pœnarum qualitatem declararet, & vt ad grauissimam omnium, quas apud Iudæos esse diximus, pœnarum cremandi homines alluderet; cum aliàs gehennam simpliciter vocare soleat, vt infra ver.30.& c.10.28.& 23.15.33.& Mar.9.43.& Luc.12.5.

Ibi recordatus fueris.) Magnam emphasim habet *ibi*, *Ibi* in ipsa ara. *Ibi* stans coram Deo. Non solũ inter Iudæos, sed etiam inter cæteras gentes imperfectum relinquere sacrificium magnum piaculum habebatur; adolescẽtem nescio quem Valerius laudat, quòd cùm sacrificanti Alexandro acetram teneret, brachiũ sibi exuri passus sit, ne interrupti sacrificij reus esset.

Habet aliquid aduersum te.) Sententia postulare vi debatur, vt diceret: Et ibi recordatus fueris, quod habes aliquid contra fratrem tuum. Si enim frater meus habet aliquid aduersum me, id est si me odit; non ego illi, sed ille mihi reconciliari debet. Nonnulli hæc verba vicissitudinem significare putant, quemadmodum si diceret, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te. & tu aduersus illum. Euthym. Alij maiorem profectionem præscribi, vellèque Christum, vt non solùm, cum alios læsimus; sed etiam cum ab illis læsi sumus, relicto sacrificio priores reconciliationem quæramus. Melius Chrysostomus hom.17.& Auctor imperf. Augustin. & Hieronym. fratrem habere aliquid aduersum nos esse habere iustam contra nos querelam, quòd à nobis iniuriam aliquam acceperit, quemadmodum in Apocalypsi Ioannes loqui solet cap.2.4. Iubet ergo prius iniuriæ satisfacere, deinde sacrificium offerre, & Deũ placato prius fratre placare. Referuntur enim hæc ad ea, quæ paullo antè dixerat, *Qui dixerit fratri suo raca, & qui dixerit fatue*, quasi dicat, si ibi recordatus fueris, quòd dixeris fratri tuo raca, aut fatue, aut aliquam aliam feceris iniuriam, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, reconciliare prius fratri tuo: quod, vt Augustinus ait, non ita intelligendum est, quasi semper ad fratrem ire debeamus. Sanctum id quidem consilium, &, cum caritas aflagitat, præceptum etiam necessarium: plerumque tamen affectibus potius, aut affectibus, quàm pedibus ire debemus.

Affectu,

Affectu, iniuriam, si quam nos ab illo accepimus, condonantes odiumque remittentes: effectu, iniurias, si quam ille à nobis accepit, satisfacientes. Hoc est præceptum; illud consilium. Loquitur autem Christus de veteribus Iudæorum sacrificiis, quæ tunc etiam vigebant; sed quod de illis dictum est, multò magis de Eucharistiæ sacrificio intelligendũ; quod & vnionem cum fratribus significat; & reconciliationem cum Deo facit. Vnum enim corpus multi sumus, quicumque de vno pane participamus. 1.Cor.10.17.

Esto consentiens.) ἴνθεων, beneuolus. Tertullianus in libr. de patientia, beneuolentiam habeto, Hilarius. can.4. beneuolentia reconciliare.

Aduersario tuo.) Quis hic aduersarius intelligatur, multas Hieronymus in commentariis opiniones recitat: nec omnes tamen enumerauit. Carpocratiani hinc suam μετεμψύχωσιν, id est animarum in idem corpus remigrationem probabant. Carcerem enim corpus, aduersarium bonum angelum interpretabantur, qui in hoc officium à Deo creatus esset, vt animas, quæ officio suo in corpore benè non essent functæ, in corpus reuocaret, quoad omnes officij partes explerent. Auctor Tertullianus lib. de anima, & Epiph. hæres. 27. Hæc somnia opus non est refutare. Alij malum angelum intelligunt; duos enim cuique datos homini; bonum alterum, qui ad bene; alterum malum, qui ad male agendum solicitet. Orig. hom. in Lucam 35. Alij carnem, quæ repugnat aduersus spiritum. Athanasius. q. 62. & Iuuencus poeta. quod & Hieronymus videtur approbare. Alij conscientiam, quæ nos tanquam grauissimus aduersarius accusat. Athanasius eodem loco. Alij diabolum, vt Tertullianus in libro de anima. Alij Deum, aut eius legem, quę nos apud eum accusat, vt August. lib.1.de ser. Domini & in quæst. noui Testamenti q.7. & Nouatus in lib. de humilitate & patientia. Alij eum, qui conatur nobis aliquid adimere, quia sequitur, *dimitte ei & palliũ*, Basilius in regul. breuiorib. int. 222. Alij eum, de quo paullo ante dixerat, *vade prius, reconciliare fratri tuo.*) Hilar. can.4. Ambros. lib.7. in Lucam, c.12. Auctor imperfecti hom 11. Hieron. in comment. Atque hic verus est sensus; id enim postulat consequentia sententiæ, vt aduersarius appelletur is, qui habet aliquid aduersum nos. Aduersarius igitur noster est ille, quem læsimus, quem raca, aut stultum appellauimus, qui actionem apud Deum contra nos habet. Via est huius vitæ tempus, iudex Christus, qui dicturus est, *quod vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis*: ministret dæmon malus, qui in torquendis damnatis Deo ministerium præbet; carcer infernus; quadrans minima culpa. Erat enim quadrans minimus nummus, duo continẽs minuta: itaque ad vltimum quadrantem soluere, pro, summo iure puniri, prouerbio dicebatur. Poterit aliquis dubitare, quomodo frater à nobis læsus, sit nos iudici traditurus; cùm & ipse sit iudicandus. Hæc vna ratio mouit Augustinum, quò minus hanc interpretationem sequeretur, sed non debuit meo iudicio mouere. Loquitur enim Christus accommodatè ad hominum morem, & forensem consuetudinem, vbi, qui iniuriam accepit, aduersarium coram iudice sistit; non quòd nos affectus iniuria frater apud Christum sit accusaturus. Tradet etiam nos iudici, quia eius causa trademur; tradet non ipse; sed pro illo diabolus, qui etiam condonatam nobis à fratre refricabit iniuriam. Quod autem dicit nos inde non exituros, donec vltimum quadrantem persoluamus, non significat, vt ait Augustinus, exituros posteà; sed nunquam exituros, quia, qui in inferno sunt, cùm semper debitas pœnas soluant, quia pro quolibet mortali peccato infinitas pœnas debent, nunquam persoluunt. Itaque eodem sensu hoc loco dictio illa, *donec*, accipienda est, quo supra. c.25. Lucas c.12.59. pro quadrante minutum dixit, quæ quadrantis media pars erat; sed sententia eadem est; vtraque enim phrasi minimum debitum significatur. Cætera etiam paullo aliter narrat, sed facilis solutio; non eadem erat concio.

Matt.25.40.

28. *Qui viderit)* ὁ βλέπων, qui aspicit: non enim significatur, qui casu in mulieris vultum oculis incurrit, sed qui impudico in eam animo oculos iniecit.

Mulierem) vxorem alterius, quia sequitur μοιχευθῆναι, mœchatus est. quod non simplicem, vt vocant, fornicationem, sed adulterium propriè significat. Quanquam per vnam speciem totum genus intelligit.

Iam mœchatus est.) Iam adulterium commisit, minus tamen peccauit, quàm si rem ipsam patrauisset.

29.30. *Si oculus tuus dexter.)* Quia si oculus & manus propriè sumantur, & absurda & crudelis videtur esse sententia, pleriq; veteres interpretes metaphoricè sumpserunt. Quid autem per oculum dextrum, quid per sinistrum; quid item per manum dextrã, quid per sinistram intelligatur, ipsis inter se non conuenit. Alij oculum dextrum mentem; sinistrum corporis sensum; manum dextram voluntatem; sinistrã carnis appetitum interpretantur. Non solùm igitur corporis sensum, appetitumque refrænandum; sed superiores quoque animæ partes mentem & voluntatem, si rectæ non sint, quodam modo resecandas, & à nobis abiiciendas esse, Auctor imperf. homil. 11. Alij per oculum dext. & manum dexteram idem significari, mulierem amicam; quia paullo antè dictum est, *qui viderit mulierem ad concupiscendũ eam*. Chrysostom. 17. Alij oculum dextrum dilectum amicum, manũ dexteram coadiutorem, & necessarium ministrum, August. lib.1.de ser. Domini, & Euthym. in hunc locum. Alij tam per oculum, quàm per manum dexteram eos omnes intelligunt, qui nos arctissima, aut cognationis, aut familiaritatis coniunctione contingunt, quos debemus, si nos à Deo alienant, à nobis repellere. Hilarius can.4. Athan. q.70. Pacianus epist.3. aduersus Nouatianos, Cyrill. lib.12. in Ioan. c.28. Anast. q.74. Salui anus lib.3. de prouidentia, Theophylact. hoc loco. Probat Pacianus ex simili sententia, quæ legitur Deu. 13.6.7.8. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam, clam dicens, eamus & seruiamus dijs alienis, quos ignorasti tu & patres tui, ne acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt misereatis & occultes eum, sed statim interficies, sit primũ manus tua super eum.* Alij animæ affectus intelligi volunt, quos D. Paulus ad Colos. 3.5. quia ex corpore proficiscuntur, membra corporis appellat, *mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, auaritiam*. Hiero. in comment. Mihi perire videtur sensus, & energia, gratiaque locutionis; si aliud, quàm verum oculum, veramque manum intelligamus. Est enim elegans exaggeratio, à chirurgorum arte desumpta, qui, cùm per vnum membrum totum periclitatur corpus, vt corpus conseruent, membrum exscindunt. Propterea duas partes corporis, & nobis carissimas, & maximè necessarias oculos & manus, & ex iis dexteram potius, quàm sinistram, quam magis amamus quàque magis indigemus, Christus nominauit. Nec absurda sententia est. Non enim vult, vt manus ipsi nobis amputemus, aut oculos eruamus; sed, vt in exaggerationibus fieri solet, intelligatur exceptio, si fieri posset aut liceret. Quemadmodum dixit D. Paulus ad Gal. 4.15. *Testimonium enim perhibeo vobis, quoniam si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Potuit

enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim vtique,sed non licuit. Significat ergo Christus quoduis potius damnum debere nos subire, quàm culpam. Eò quidem vsque,vt vel oculum dextrum, dextramq; nobis manum rescindamus,si aliter peccatum effugere non possumus; sed quia semper possumus nefas est aliquam nobis corporis partem amputare. Origenem & alios, qui sese seruandæ castitatis causa exlecuerunt,ab Ecclesia damnatos legimus.

31. *Quicunque dimiserit.*) Quod apud Theologos disputatur, num in veteri lege vxorem, quæ grata non esset viro,dimittere, præceptum,an priuilegium fuerit,ex his paucis verbis finiri potest. Non enim dicit dimittat vxorem;sed,si dimiserit,det illi libellum repudij; ne ipsa libertatis causa maritum fugisse videatur;& vt alteri sine ignominia possit nubere. An autem repudium,tanquam bonum,concessum;an, tanquam minus malum,ad vitandum maius permissum fuerit c.19.8. commodiore dicemus loco. Libelli autem repudij exemplum Deuter.24.1. ex Hebræorum traditionibus exscripsimus,& multi hoc loco ponũt.

32. *Exceptâ fornicationis causâ.*) Non concedit Christus etiam fornicationis causa libellum repudij dare, quemadmodum & verba ipsa,& perpetuus Ecclesiæ vsus declarat. Nam neque Christus dicit det illi libellum repudij,quam fornicationis causa dimittit;quod imprimis dicendum fuerat, vt repudiandi licentiam frænaret; si quidem voluisset,fornicationis causa dimissam nubere posse,vt noui docent hæretici: cum lex quæ in concedendis diuortiis multo erat liberior hoc in ipsum licentiæ frænum iniiceret,vt multi graues auctores adnotauerunt. Et Ecclesia libellum repudij non nouit;vt quæ de Iudæis audiuit,*ad duritiem cordis concessit hoc vobis Moyses.* Sed nunc Lutheranorum, & Caluinistarum errorem c.19.9. refutabimus. Illud hoc loco disputandum, num sola fornicationis causa vxorem dimittere Christianis liceat? Quidam ob omnia peccata,quæ in scripturis fornicatio vocari solent,licere putant,vt sentire videtur Origen tract. in Matth.7.& Aug.lib.1.de serm. Domini & Strabus hoc loco. Sed istud est nimis dilatare sententiam,quam videmus Christum maximè restringere voluisse; & maiorem pæne Christianis dimittendarum vxorum, quàm Iudæis dare licentiam; omnia enim ferè peccata fornicatio vocãtur,quia per ea à Creatoris auertimur amore. & ad creaturarum amorem conuertimur. Quare & ipse August,lib.1. Retract.c.19.hoc retractasse visus est,saltem de eo dubitasse. Quid ergo? nonne multæ sunt causæ, quibus iustius, quàm ob adulterium vxor dimittatur? sunt planè; peius enim est hæreticam, aut parricidam, quàm adulteram esse. Id etiam ex D. Paulo haud obscurè colligitur: cum enim iubet,vt si mulier infidelis consentit habitare cum marito fideli, retineatur.1.Cor.7.12. vult etiam, vt,si non consentit,eiiciatur. Non consentit autem, quæ non vult cum marito salua religione habitare. Tunc igitur eruendus oculus, tunc dextra manus resecanda, proculque reiicienda, vt Pacianus interpretatur; sed ne liberum cuique esset causas fingere dimissionis, tres potissimum Ecclesia distinguit; primam, si vxor Sodomitica esset,c.maritus. de adulter: secundam, si hæretica, c. quæsiuit. de diuortiis: tertiam, si maritum ad aliquod graue peccatum trahere conetur.eodem cap. Cur ergo Christus solam excepit fornicationem? Tribus,vt opinor,de causis,prima,quòd propter solam fornicationem absolutè, & in perpetuum vxor dimittatur,ita vt etiam si sese dimissa correxerit; maritus,si nolit,resumere non debeat. Non enim dimittitur, ne faciat; sed quia fecit iniuriam; non vt culpam corrigat; sed, vt toto vitæ tempore culpæ pœnam luat. Cum autem aliis de causis dimittitur,non absolutè,non in perpetuum; sed ad tempus dimittitur; dum se dimissa & afflicta corrigit; dum insipiens resipiscit,vt ad maritum redeat,si ad mentem redierit. Secunda, quia adulteram volentem etiam cum marito manere,seseque corrigere,dimittere tamen maritus potest; quia,vt diximus in pœnã violatæ coniugalis fidei,non in correctionem dimittitur: aliis verò vitiis deditam, emendari tamen volentem,marito dimittere non licet,id antiquæ eruditionis auctor Rupertus animaduertit. Tertia, quòd aliæ dimittendæ vxoris causæ propriæ nõ sint matrimonij,sed omnis communes cõsortij. Nam siue vxor, siue familiaris,siue cognata,siue soror,siue mater sit;si auctor nobis peccãdi est,longè est à nobis remouenda; adulterium causa est vxoris dimittendæ propria matrimonij,quia coniugalem fidem violat,quæ basis quodammodo matrimonij est,itaque quia contractus ciuilis est,matrimonium soluit. Ius enim est maximè naturale; vt ei,qui contractus conditiones non seruat,contractus rescindatur. Restat,vt ait Aug. sacramenti maius vinculum,quod non adulterium;sed sola mors soluit. Quid, ergo dicet aliquis, Christus hoc loco addidit legi? Multa omnino. Primum, quod in lege propter adulterium vxor non dimittebatur; sed aut comburebatur veteri exemplo Gen.38.24. aut lapidabatur Leuit.20.10. Ioan.8.5. certè tollebatur è medio Dan.13 41. Hoc Christus sustulit: veterem enim abrogans legem non iussit adulteram mori:sed dimitti permisit In quo Caluinistæ,dum se seueros impudicitiæ vindices volunt ostendere; & se hæreticos,& vxores suas sæpe adulteras ostendunt. Addidit præterea,quòd noluit etiam adulterij causa dimissæ libellum repudij dare,quo segniores in dimittendis vxoribus essent viri.si scirẽt nec sibi,nec vxori licere alias tentare nuptias; sed solis, dum vterque viueret, esse viuendum. Addidit,quòd innumerabiles causas,quibus in lege vxorem dimittere licebat, resecuit. nam quacunque ferè de causa vxor viro non placuisset, dimittere licebat Deut.24.1.solámque fornicationem excepit. Addidit, quòd cum in lege semel dimissam vir reuocare non posset; in Euangelio reuocari non quidem iussit; sed optauit. *Maneat*,inquit Paulus,*innupta,aut viro suo reconcilietur*.1.Cor.7.11. Addidit,quòd cum in lege vxorem viro,non virum vxori dimittere liceret;in Euangelio parem viri,& vxoris causam esse voluit. Quod etsi ipse hoc loco non expressit,expressit tamen pro illo D. Paulus 1.Cor.7.10.11.

33. *Non periurabis.*) Frustrà à nonnullis laboratur, vt rationem inueniant,cur à præceptis secundæ tabulæ ad præcepta primæ reuertatur; nec enim ordinem in dicendo seruare voluit; sed res dicere,vt occurrebant. Quærunt hæreticorum interpretes, vbi hoc in lege scriptum sit, cum totidem scriptum verbis non inueniant,Pharisæorum interpretationem,non legis sententiam fuisse dicunt. Scilicet non animaduertunt Christum non verba,sed sensum legis recitare. Quod enim quidam hæc ipsa verba *non periurabis* ex Leuit. c.19.12. sumpta esse putant; nec ipsi animaduertunt Hebraicè non esse לא תשבע שקר non periurabis;sed לא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא non iurabis in vanum, vt Exod.20.7.& Deut.5.11.dicitur nõ assumes nomen Dei tui in vanum:assumere autem nomen Dei in vanum est peierare,quia שוא apud Hebræos,sicut vanũ apud Latinos vtrumque significat.& quod non necessarium,& quod falsum est. Atque ita non solum R. Abraham Exod.20.7.sed etiam noster interpres Leui. 19.12. & Christus hoc loco interpretatur.

Reddes autem Domino iuramenta tua.) Hanc etiam putant hæretici additionem esse Pharisæorum; sed verba ipsa præ se ferunt sententiam esse legis; quia

Ob quas causas vxor à Christiano dimitti possit.

tanquam antithetum præcedentium verborum legis recitantur,& in Num.c.30.3 eodẽ sensu,quamuis plutibus verbis,scriptum est,*Si quis virorũ votum Domino vouerit,aut se constrinxerit iuramento,non faciet irritum verbum suum; sed omne,quod promisit,implebit.* Hoc est illud Psal.23.4.*Qui non accepit in vanum animam suam* (eius Dei,id est qui falsum per Deũ viuentẽ non iurauit)*nec iurauit in dolo proximo suo.* Cũ autẽ duæ sint iuramentorum species,altera qua præterita cõfirmamus,altera qua futura promittimus,vnã pro toto genere posuit speciem,vt versu etiam.29. adnotauimus.

An liceat aliquãdo iurare.

34. *Non iurare omnino.*) Multo hæc verba non intellecta fefellerũt,vt existimarent nunquam omnino Christiano licere iurare;vt hodie Anabaptistæ docẽt, & patrũ nostrorum memoria Vviclefistæ docuerunt. Error antiquus. Nam & Hilarius Syracusanus ille in epistola ad Augustinum, quæ inter Augustini epist. 88.est,narrat quosdam Syracusis in ea hæresi fuisse, vt nunquam per Deum iurandum putarent;Pelagianorum genus fuisse & ex aliis ipsorum erroribus,qui simul in ea epistola recitantur;& ex Augustini respõsione epist.89.q.5 colligitur. Quin & Origen.tract.in Matth.35.prope ab eo errore videtur abesse. Errandi causa fuit,quòd non animaduerterint illud aduerbiũ *omnino*,non genus,sed formam significare. Non enim prohibet vllo tempore,aut vllo casu; sed vllo modo vlláque forma iurare,neque per Deũ,neque per cœlũ, neque per terrã:neque per sanctã ciuitatẽ,neque per caput nostrum iurare, vt statim addidit explicans,q dixerat,*omnino*. Eodemque modo Iacobus c.5.12. exponit,*Ante omnia,fratres mei,nolite iurare,neque per cælum,neque per terram,neque aliud quodcumque iuramentum.* Aliam quoque vim habet, *omnino*, quam paullo infra explanabimus. Licere autem Christianis vbi, quando,& qua ratione oportet iurare, & perpetuus Ecclesiæ vsus,& sanctorum docent exempla. Iurauit enim Paulus Rom.1.9.2.Cor.1.23. Philipp.1.8.1.Thess. 2.5.10.iurat angelus Apoc.10.6.Quod enim Pelagiani illi dicebant non iurasse Paulum,quia non dixit per Deum;sed coram Deo,aut testis est mihi Deus.quem ipsi,vt putabant,imitantes omnibus modis Dei nomẽ polluebant,maximèque iurantes non iurabant,modo ab vna syllaba, per, linguam,abstinerent; ridendum potius est,quàm refutandum.Quid ergo Christus addidit legi? Quidam id,quod hic dicitur addidisse,crediderunt,vt per Deum quidem,cum ratio, æquitásq; postularet;per creaturas,per quas Iudæis,ne per Deũ iurarent,iurare licuisset,nullo modo, nullo tempore iuraremus, Hilarius.can.4. Cyrillus lib. 5. in Isai.c.65. Chrysost.homil. 17. Hieronym. & Theophylactus in commentariis. At non probatur id Iudæis licuisse. Itaque multi recentiores interpretes, non lege, sed Pharisæorum opinione, interpretationéque licitum fuisse dicunt. Quod & ipsi nihilo magis probant, & nos ver.21. confutauimus. Credibilius non licitum, sed consuetum Iudæis fuisse per cælum,per terram, per sanctam ciuitatem,per templum iurare,vt colligitur ex c.23.16. Qui autem per templum iurauerit, nihil est. Nihil igitur hoc loco aliud Christus legi addidit,nisi quòd expressit,quæ in lege expressa non erant. In lege enim tantum dictum erat. *Non assumes nomen Dei tui in vanum*,Christus addit,non solum nomen Dei; sed neque nomen cæli & terræ,aut alterius illis legis verbis. *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, iurium,sed verum etiam,non tamen necessariũ prohibuit iuramentum. Cur autem prohibuerit sine necessitate, licet verè iurare; non prætermittenda hoc loco quæstio est. Plerique veteres auctores videntur in ea fuisse sententia, vt existimauerint non propterea præcipuè prohibuisse, quòd sine necessitate verum iurare peccatum sit;sed ne sæpe iurando verum, aliquando falsum iuraremus,vt ait Sapiens Eccl.23.9. *Iurationi non assuescat os tuum: multus enim casus in illa,* & ver.11.*Vir multum iurans replebitur iniquitate,& non discedet à domo eius plaga.* Sicut prohibetur garrulitas & multiloquium,quia *in multiloquio non deerit peccatum* Prouerb. 10. 19. Sic Clemens Alexandrinus 7. Stron. Chrysost. homil. in Matth. 17. Auctor imperfecti hom.12.Basil. hom.in psal.14. Ambros. serm.14. in psal.118.August.lib.1.de serm.Domini & in psalm. 88.& 109. Hieron. Zachar.8. viderutque ea sententia ex verbis Iacobi.c.5.12.confirmari. *Sit sermo vester est: est,non,non; ne sub iudicio decidatis*, G. ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε,ne in iudicium (id est condemnationem)incidatis; quasi dicat,ne sæpe iurando,aliquando peieretis,& in peccatum,quo condemnemini, incidatis.verum enim verò contrarius est sensus Ecclesiæ, & ex hoc ipso loco manifestum est Christum non ad vitandum maioris peccati periculum, sed quia ipsum per se peccatum est,iuramentum non necessarium vetuisse: cur enim neque per cælum,neque per terram iurare nos velit, rationem reddit; non ne frequenter iurando aliquando peieremus: sed quia ille thronus Dei est; hoc scabellum pedum eius; & irreuerentiæ culpa est ponere in cælum os nostrum, & linguam nostram transire per terram, vt, quod psalmo.72.9. alio sensu dictum esse non ignoramus, in hanc sententiam accommodemus. Atque hæc mihi videtur esse vis illius aduerbij, *omnino*,quasi dicat, *Audistis, quia dictum est antiquis, non periurabis*,id est, non iurabis falsum: *Ego autem dico vobis non iurare omnino*, id est, ne verum quidem iurare; intelligitur autem sine necessitate, quia alludit ad alteram significationem verbi שוא in vanum, id est frustra, sine causa,sine necessitate.

Deu.5.11

Deu.5.11

Christus cur omnino iurare prohibuerit.

Neque per cælum,quia thronus Dei est.) Colligitur ex hac ratione Christi, etiam creaturis,quatenus ad Deum referuntur,aliquem non solum vrbanitatis,vt noui dicunt hæretici; sed etiam religionis honorem deberi. Nam sicut iurare per aliquem,quãdo,& quomodo non oportet,actus est religioni contrarius: ita quando oportet,& quomodo oportet iurare,actus est religionis. Propterea iussit Deus non per nomina falsorum Deorum,sed per nomen suum iurare Deut.6. 13. propterea *Laudabuntur,qui iurant in eo* Psal.62.12. Si ergo per cælum & terram iurare religio est,quia illud thronus, hæc scabellum pedum Dei est, quanto magis per Petrum,per Paulum, perque cæteros sanctos,& beatos viros,qui templum Dei sunt? Quòd si hic illis religionis debetur honos; & cæteri eiusdem generis debentur,vt eos veneremur,vt infra Deum,vt Dei seruos, templumque colamus; nam neque cælo & terræ religionis honorem tribuimus, quòd Deus, sed quòd aliquid Dei sint. Impius igitur & imperitus Lutheranorum,& Caluinistarum error est, nullum, nisi Deo religionis honorem tribuentium.

35. *Neque per Ierosolymã,quia ciuitas est magni regis.*) Dei,qui est *rex regum,& Dominus dominantium*.1.Tim. 6.14.Apoc.19.16. vocat autem regẽ potius,quàm Dominum aut Deum, quia alludit ad regem Iudæ, qui Ierosolymæ regiam habebat. Addit, *magni*, vt ab eo distinguat.q.d.quia ciuitas sancta est.vt supra c.4.5.

36. *Neque per caput tuum iuraueris,quia non potes vnũ capillum album facere,aut nigrum.*) Quia de cælo dixerat,*quia thronus Dei est*,de terra, *quia scabellum est pedum eius*,de Ierosolyma,*quia ciuitas est magni regis*; ne putaremus saltem per caput nostrum iurare licere, quia nostrũ est; addidit,*neque per caput tuum iuraueris.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reddit autem aliam quam in cæteris rationem. Nam per alia iurare prohibuit, quia aliquid habent ex ministerio, quod Deo exhibent, sanctitatis: per caput, quia quamuis nostrum sit, nostrum non est, nostrum, quia à Deo quasi vtendum accepimus, & ad tempus possidemus; non nostrum, quia non solum ipsum non fecimus; sed ne vnum quidem eius capillum aut album aut nigrum facere possumus. Alio etiam sensu per caput, quàm per cælum & terram iurare vetat. Nam cum per cælum & terram iuramus, tanquam per res aliquas sanctitatem habentes iuramus; cum per caput nostrum iuramus, non propriè iuramus; sed tanquam rem nostram deuouemus. Hoc ipsum Christus prohibet, quia quod nostrum esse putamus; minimè est nostrum, cùm nequaquam in nostra sit potestate, & iniquum omnino est rem alienam deuouere. Est verosimile Iudæos per caput suum iurare ex Græcis & Latinis, quibuscum versabantur, didicisse. Nam apud illos illa iurandi forma vsitata erat νὰ τὸν κεφαλήν; apud hos, Per caput hoc iuro, vt ille apud poëtam ait. Christiani nunc, O impietatem, non per suum, sed per Dei caput, perque omnia eius membra iurare solent. Scilicet capiti suo parcunt, Dei capiti non parcunt.

Virg. 9. Aeneid.

37. *Sic autem sermo vester Est, Est, Non, Non*, G. ναὶ, ναὶ, οὒ, οὔ. Etiam, Etiam, Non, Non. Quod quidam noui dixerunt interpretes per interrogationem & responsionem legendum esse, vt sensus sit, cum aliquis interrogauerit vos, sit ne aliquid, nihil aliud respondeatis, quàm, Est. Cum interrogauerit, an non sit; nihil aliud quàm non; hoc, inquam, ego nullo prorsus modo probare possum. Quid enim si id, de quo interrogor, an sit, non sit? an mentiens respondebo, Est? D. August. in Enchiridio, c. 17. & 22. *Sensum*, inquit, *esse dicamus, id est, vt semper vera loquamur.* Alij, quod promiseritis vos facturos facite; quod non facturos, ne facite, vt loquitur D. Paulus. 1. Cor. 1. 17. 18. *nunquid leuitate vsus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me Est, & Non. fidelis autem Deus: quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, Est, & Non.* Sed hæ duæ interpretationes ex materia sermonis refutantur. Non enim id hoc loco Christus agebat, vt aut vera semper loqueremur, aut constantes in promissis præstandis essemus; sed illud, vt ab omni iuramenti specie abstineremus. Itaque necesse est, vt hæc verba *Est, Est, Non, Non*, iuramento, non mendacio, aut leuitati opponantur. Sensus ergo est, cùm dicendum erit, *Est*, id est affirmandum, ne affirmeris iuramento, sed simplici affirmatione dicentes, ita est. Cùm aliquid negandum, ne iuretis non ita esse; sed simpliciter dicite, *non*, id est non ita esse. Ita Chrysostom. in hunc locum, & Hieronymus in epistola ad Celantiam de institutione matris familias, & Rabanus apud D. Thom.

Quod amplius est, à malo est.) Quid hic appellet malum, magna etiam est interpretum dissensio. Alij à malo est, id est ab eo proficiscitur, qui simpliciter affirmanti non credit, itaque incredulitatis eius vitiũ à loquente iuramentum extorquet, August. libr. 1. de ser. Domini in monte. Alij à malo, id est ab infirmitate Iudæorum, quibus, ne per Deum iurarent, per creaturas iurare concessum erat, Chrysost. Hanc opinionem vers. 34. confutauimus. Alij à malo, id est à Diabolo, qui iurandi consuetudinem induxit. Theophyl. Atque hic mihi videtur germanus esse sensus, & quia non dicit ἐκ τοῦ κακοῦ, sed ἐκ τοῦ πονηροῦ à maligno, quo nomine diabolus vocari solet, vt infra c. 6. 3. & c. 13. 19. & quia addidit articulum, quasi dicat, quod amplius est, à maligno illo introductum est. & quia tacita inter se & diabolum vtitur antitheſi. Dixerat, *ego autẽ dico vobis non iurare omnino*; sed simplici vti sermone, *Est, Non. Quod enim amplius est*, id est iuramentum, q̃ ad simplicem affirmationem, vel negationẽ adiungitur, non ego dico, non ego doceo adiungere, diabolus est qui docet, quique ad iurandum instigat, eius hoc est inuentum tam sæpe, tamque temere iurandi.

38. *Oculum pro oculo.*) Reddat, qui alterius oculum eruit. Ipsa verba sunt legis Exod. 21. 24. Leuit. 24. 20. Deuter. 19. 21. Sed non recitat nisi legis initiũ, quòd cætera nota essent, quod & hodie iuris periti faciunt. Erat autẽ lex talionis maximè, vt Philosophi docent, naturalis, & omnium gentium opinione iustissima, vt quod quisque fecisset, idem pateretur. Itaque inter leges illas duodecim tabularũ, quæ quasi naturæ erant documenta, vna huic erat similishis concepta verbis, *Si membrum rupit meum, ex pacto talio esto.* Extat de hac re apud Aristotelem, 5. de moribus ad Nichomachum libro, & apud Gellium lib. 20. inter Sextũ Cæcilium Iureconsultum & Phauorinum Philosophum subtilis, & bene longa disputatio. Hic etiam hæretici falluntur, quòd existiment Scribas & Pharisæos docuisse licere vnicuique suarum priuatim iniuriarum apud iudicem vltionem persequi, cũ hæc talionis lex non priuatis hominibus, sed magistratibus, ne pœnæ modum aut excederent, aut non attingerent, quasi regula data esset. Nam priuatis quidem hominibus contrà, dictum esse Leuit 19. 18. *nõ quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* At neque probari potest hoc Pharisæos docuisse; nec, si docuissent, non licuisse priuatis hominibus ius suum apud iudicem persequi. Si enim ius erat, iustum erat, & vnicuique licet, quod iustum est, iuris ordine apud iudicem postulare. Nam & in Euangelio licet. Nec lex illa talionis solis iudicibus, vt regula; sed multo magis priuatis hominibus, vt pœna, qua ab homicidio & cæde deterrentur, data erat, vt recte Chrysost. & August. adnotauerunt. Quid ergo Leuit. 19. prohibetur? non ius, sed vltionem quærere. *Mihi enim vindicta, & ego retribuam.* Quid igitur Christus adiecit legi? primùm hoc ipsum, q̃ talionem sustulit, quæ hominem solo pœnæ metu continebat, ne aliis manus inferret, vt Hilarius, Chrysost. hom. 8. auctor imperf. hom. 12. Euthym. & Theophylactus obseruarunt; voluit enim nos non metu, tanquam seruos, sed amore, tanquam filios, bene agere. *Non enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei.* Rom. 8. 15. Lex namque *iram operabatur* Rom. 4. 15. Euangelium gratiam, quia *gratia per Iesum Christum facta est.* Ioan. 1. 17. Præterea addidit, quòd non solum docuit nos non exterere vindictam; verùm etiam patienter iniurias tolerare; nec tolerare modo, sed optare, sed illis gloriari; denique percutienti nos in vna maxilla alteram obuertere; volenti tunicam nobis tollere, & pallium relinquere. *Non solum*, inquit D. Paulus, *sed & gloriamur in tribulationibus nostrum* Rom. 5. 3. vt obseruauit Hilarius. Addidit, quia cum lex tantùm ramos, ipse vitiorum etiam radices excidit. *In lege*, inquit Hieronymus, *retributio est; in Euangelio gratia. Ibi culpa emendatur; hic peccatorum auferuntur exordia.*

39. *Non resistere malo.*) Hoc etiam loco Chrysostomus homil. 18. Theophylactus, & Euthymius per malum diabolum intelligunt. puto quòd & eodem vtatur nomine, πονηρῷ, & τῷ articulum adiungat. Quid ergo? docet ne nos non resistere diabolo, cui Iacobus. cap. 4. 7. & Petrus. 1. epistola. capit. 5. 9. iubent, vt fortes in fide resistamus? Respondent resistendum quidem, sed non hoc modo; non vltionem quærendo: hoc enim non est resistere, sed manus illi dare. *Ignis*, inquiunt, *non igne extinguitur, sed*

Deut. 32. Rom. 12. Leo Ser. 9. de Christi Iubilæo

sed aqua. Alij interpretantur malo, id est iniuriam facienti. Alij putant malum non personam, sed rem malam significare. Et ex ijs alij sextum esse casum, quasi dicat, ne malum pro malo reddamus; sed vincamus in bono malum Rom. 12. 17. 21. & 1. Petr. 3. 9. Alij tertium, quod ego iudico probabilius. Malum enim vocat iniuriam, quæ nobis infertur; cui iubet non resistere; sed nos potius illi excipiendæ paratos exhibere; & cum in vna maxilla plagam, aut colaphum accipimus, alteram vertere. Disputat Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte neque Christum, neque quamuis perfectos Apostolos hoc seruasse. Nam neque Christus vnam percutienti coram iudice maxillam, alteram vertit; sed si non manu, lingua tamẽ restitit. *Si bene locutus sum, quid me cædis? si autem male, testimonium perhibe de malo*, Ioan. 18. 23. & Paulus etiam iussu iudicis percussus non solùm alteram malam non præbuit; sed, quantum potuit, vtique restitit, & iniuriam insuper addidit, *Percutiet te Deus paries dealbate*, Act. 23. 3. Cæsus autem virgis, & in vincula coniectus ius suum minaciter persecutus est, Act. 16. 37. *Cæsos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem: & nunc occultè nos eiciunt? non ita sed veniant, & ipsi nos eiciant.* His exemplis intelligimus, aut quod hoc loco Christus docet, non esse præceptum, aut non esse ita, vt verba sonant, intelligendum. Nam si, aut præceptum esset, aut ad verbum intelligendum, & Christus, & Paulus ad verbum vtique seruassent. Partim ergo præcepti, partim consilij est. Præcepti hæc sunt; primum, vt vindictam non quæramus. Deinde, vt potius alteram maxillam re ipsa vertamus, id est alteram accipiamus iniuriam, quàm acceptam vlciscamur. Præterea, vt animo parati simus ad remittendum de iure nostro, quandocunque id caritas, & Dei gloria videbitur postulare. Consilij autem est, vt quamuis neque caritas, neque Dei gloria id à nobis exigat; mortificationis tamen nostræ causa ad verbum hæc omnia faciamus, non quidem irritantes aduersarium ad inferendam iniuriam, sed nos ipsos ad excipiendam inuitantes. Sic Laurentium dixisse traditur, *assatum est iam, versa, & manduca.*

Ambros. lib. 1. Offic. ca. 41.

Sed si quis te percusserit in dexteram.) Quòd dexteram potius maxillam, quàm sinistram nominauerit, cùm colaphus in sinistram prius, quæ ad dexteram cædentis manum est, quàm in dexteram impingi soleat, vt disputat Augustinus, nullum videtur aliud esse mysterium, quàm quod cum veller dicere, si quis te percusserit in vna maxilla, verte illi & alteram; pro vna, & altera, dextram, & sinistram expresso manus nomine dicere maluit; & quia prius dexteram, quàm sinistram solemus nominare; non cædendi, sed loquendi consuetudinem secutus est. Sicut scriptura loqui soler, *Non declinabitis ad dexteram, neque ad sinistram*, Numer. 20. 17. & 22. 26. Deuteronom. 2. 27. & 5. 32. & 17. 11. & 28. 14. Neque vspiam legimus, ad sinistram & dexteram. Itaque Lucas. c. 6. 29. simpliciter dixit, *& qui te percussit in maxillã, præbe ei & alteram.* Notanda autem est Christiana & elegans antitheſis; legi enim talionis, oculum pro oculo, patientiæ, vt ita dicam, talionem opponit, vt pro accepta iniuria iniuriam alteram accipiamus. *Ego autem dico vobis, si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Hoc scilicet erat, quod Ethnici olim non intelligentes dictitabant hãc legem Christi omnem Rempublicam euertere; impunitatem enim peccandi datis hominibus. Quam scribit epistola 4. Quasi verò Respublica non firmius stet patientia, quàm vi; virtute, quàm legibus. Præterquàm quòd Christus non ligat hoc loco iudici manus, quo minus in homicidas & cæteros scelerates homines animaduertat; nec ita legem illam abrogat, vt ea iudex vti non possit; sed vt non cogadentem pro dente exigunt, cùm homicidas mori cogunt. Sed priuatis hominibus velut manicas injeit; ne, dum sua manu iniuriam repellere conantur, duplicent iniuriam; nec puniendi potestatem tollit, sed peccandi occasionem præcidit.

41. *Et quicunque te angariauerit.*) ἀγγαρεύσει. neque hoc Græcum, neque illud Latinum genere suo verbum est, vtrumque à Persis, vt nonnulli adnotauerunt, originem traxit, apud quos publici nuntij, aut cursores angari vocabãtur. Ijs publica potestate quoscumque homines ad ferenda onera cogere, quosuis equos, quasuis naues licebat vsurpare. Vnde factum, vt & Græci & Latini angariare dicerent, id est aliquem cogere soluta mercede, vel ad onera portanda; vel ad viam præmonstrandam, quemadmodum Simonem illum Cyrenæum ad gestandam Christi crucem angariatum legimus cap. 27. 32. Itaq; merito id Christus numerat, aut inter beneficia, quæ alijs præstamus; si sponte facimus; aut inter iniurias, quas ab illis accipimus, si coacti.

Vade cum illo & alia duo.) ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο, abi cum eo duo, sub. millia passuum. Nostrer interpres fortasse legit ἄλλα δύο, *alia duo*, quæ efficiunt tria millia. Nisi, vt nonnulli suspicantur, aut ipse aut alius quispiam addidit postea illud *alia*. Melius sententia constabit, si non legatur; manifestum enim est Christum dicere voluisse duplicem accipiendam iniuriam, vt cum dixit, *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.*

42. *Qui autem petit à te da ei.*) Id est, quisquis sit, qui petit à te, da ei, vt apparet ex Luca. 6. 30. *Omni petenti te tribue.* Quibus verbis non iubemur nullum inter pauperes habere discrimen; præferendi enim sunt, qui magis egent. Neque bona nostra in omnes, qui quacumque tatione petierint, effundere; neque facultatum nostrarum rationem nõ ducere, nec amicos inimicis; cognatos alienis patres facere. Habet caritas ordinem suum, qui postulat, vt parentibus potius, quàm alienis, vt amicis, quàm ignotis subueniamus. Quem ordinem perficere haud dubiè voluit Christus, non euertere. Tantum ergò prohibetur, προσωποληψία personarum, vt vocatur, acceptio, quæ iniustitiæ, non caritati contraria est. Occurrit pater, & ignotus homo æqualiter egens; non possum vtrique dare; dabo patri, altero præterito. Id enim à me caritas exigit. Occurrit dives notus, & pauper ignotus, idem à me petentes. ille, vt ludat, hic vt viuat; verat Christus diuiti dare, negare pauperi. Id illa parabola declaratur, quæ apud Lucam est. cap. 14. 12. *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte ipsi te reuocent, & fiat tibi retributio: voca pauperes, cæcos claudos, & debiles.* Summa est; nõ personarum; sed paupertatis, sed caritatis habendam esse rationem. Habetur autem, vt Theologi docent, personarum ratio, cùm in danda eleemosyna considaratur aliqua personæ qualitas, quæ aut eleemosynæ cõtraria est, vt cùm do, quia dives est, quia potest mihi reddere; aut certè non propria, vt cùm do, quia Græcus natione, aut Latinus est. Non enim nationi, sed paupertati eleemosyna datur.

In eleemosyna dãda ea uẽda per sonarum acceptio

43. *Audistis.*) Vbi hoc dictum fuerit, ver. 21. disputauimus. *Proximum tuum* רעך amicum tuum, id enim Hebraicum verbum propriè significat, πλησίον σου, qui te aliqua, aut sanguinis, aut amicitiæ necessitudine attingit. Is etiam, non, vt multi putant, Barbare: sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Latinè proximus dicitur; sic enim non alij solum auctores, bonè Latini, sed ipse etiam Cicero sæpe loquitur. Sensus ergo illius præcepti in lege erat, *Diliges proximum tuum*, id est amicum tuum, vt ex vi verbi ἀγαπᾶν, & ex antithesi qua Christus vtitur, manifestum est. Amicus autem in lege vocabatur non solum, qui erat, sed qui debebat esse: esse verò debebat is, qui Iudæus erat. Itaque quod à quibusdam obijcitur, præsertim hæreticis, etiam Iudæis in lege præceptum fuisse, vt inimicos diligerent, quòd Exod 23. 4. scriptum sit, *Si occurreris bovi inimici tui: aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non prætereibis, sed subleuabis cum eo*: hoc inquam, alienum abs re est. Ille enim ipse, qui illic inimicus vocatur, amicus erat. Amicus, quia Iudæus; inimicus, quia priuato odio alterum prosequebatur. Itaque idem ille Deuteron. 22. 1. frater appellatur. Illud difficilius, quòd Christus apud Lucam cap. 10. 29. aliter videatur, quis proximus esset, interpretari. Sed illa interpretatio non legalis, sed Euangelica est: qua voluit Christus disrupta iam maceria discrimen tollere nationum, quia in illo neque Iudæus, neque Græcus est, sed noua creatura; neque Iudæorum populus illi iam peculiaris; sed erit vnum ouile, & vnus pastor. Præterquàm quòd, si subtiliter vellemus de illa Christi parabola disputare; inde potius probaremus Pharisæos in eius præcepti interpretatione non erasse; & nomine proximi solos amicos, & eos, qui benè de nobis merentur, intelligendos. Nam legis ille peritus idem, vt opinor; Scriba, vel Pharisæus, aut Scribarum certè & Pharisæorum opinionibus imbutus, rectè à Christo dicitur iudicasse, quòd non Sacerdotem & Leuitam, sed Samaritanum, qui amici erga illum, qui in latrones incidetat functus erat officio, proximum appellauerit. Sed scimus aliò intendisse Christum. Hoc tantum tenere volumus, ex eo loco probari non posse proximum in illo legis præcepto quemlibet hominem appellari.

44. *Diligite inimicos vestros.*) Hoc, vt omnes auctores antiqui tradiderunt, & nos, ver. 21. & 24. probauimus, proprium est Euangelij. In quo, sicut in cæteris, quæ legi Christus adiecit, quædam præcepti, quædam consilij sunt. Præcepti hæc, ne odio habentes nos odio habeamus, ne reddamus malum pro malo, ne quid illis optemus mali, vt eos generali, vt Theologi docent, charitate complectamur, vt communibus orationibus, eleemosynis, beneficijs, quę in omnes fiunt non excludamus. Consilij, vt eis etiam non ad extremam necessitatem indigentibus, benefaciamus; vt eos nominatim salutemus, vt familiariter alloquamur. Sed hæc à Theologis copiosè disputantur; nobis propter huius explicationem loci attingenda modò fuerunt. Verba autem illa, quæ in Græcis nunc leguntur codicibus, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς benedicite ijs, qui maledicunt vobis, nostèr non legit interpres; nec sunt ad implendam loci sententiam necessaria: conueniunt tamen, & eo quidem magis, quod B. Paulus huc videri possit allusisse. *Maledicimur, & benedicimus*, 1. Cor. 4. 12.

45. *Vt sitis filij.*) Plerique sic interpretantur, *vt sitis*, id est vos esse filios declaretis. Quod vt non improbo, sic illud magis probo, vt Hebraissmus sit, quo qui alteri similis est, eius filius esse dicitur, sicut Hispani sua lingua solent dicere, videtur illum genuisse, id est adeo illi similis est, vt eius filius esse videatur. Hic sensus multo magis conuenit, quia dicere esse filios patris sui tautologia est; dicere autem esse similes vsitata locutio; & quia statim declaratur, quomodo patris sui filij, id est similes, si bene omnibus fecerint, erunt, quia Deus *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*; & quia ver. 48. dicitur, *Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester, qui in cælis est, perfectus est*, vbi non quomodo filij, sed quomodo similes esse possimus, declaratur. Non nego tamen datam esse potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine Christi, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt. Sed quis huius loci sit sensus, expono.

46. *Quam mercedem habebitis.*) Non negat mercedem habituros quicumque amicos diligunt, cum amicos diligere caritatis sit. Sed negat mercedem habituros, si, vt publicani, tantùm id faciant, id est, si non propter Deum, sed aut propter naturalem in amicos propensionem, aut propter vtilitatem suam faciant. Quisquis autem inimicos non diligit, satis declarat se amicos non propter Deum, sed propter se diligere. Si enim propter Deum diligeret, etiam diligeret inimicos, qui non minus, quàm amici imago Dei sunt. Qui ergo amicos, non inimicos diligit, quia non propter Deum diligit, vt ab amicis mercedem non habet. Qui non solùm amicos, sed etiam inimicos diligit, nō solùm caritatis erga inimicos: sed etiam erga amicos suæ mercedem habebit; quia Deus non naturam, sed gratiam remuneratur.

Nonne & publicani hoc faciunt.) Publicani à Latinis, τελῶναι à Græcis, מוכסים ab Hebræis dicebantur, qui publica pro principe vectigalia colligebant, auarum hominum genus, & omni odiosum populo, eo præsertim tempore, quo Christus ista dicebat, cùm Iudæi non suæ gentis regi, sed Romano Imperatori tributa pendere cogebantur. Inde enim illa nata est quæstio, an liceret tributum Cæsari dare Mar. 12. 14. Luc. 20. 22. Publicanos pro publicis & perditis peccatoribus habitos fuisse constat Matth. 9. 10. 11. & 11. 19. & 18. 17. & 21. 31. 32. & Luc. 3. 12. 13. Cui opinioni congruenter loquitur Christus. Fuit & noster Matthæus aliquando publicanus; & in telonio sedit. cap. 6. 9. sed ex publicano filium Dei, Apostolum, Euangelistam gratia dei fecit.

48. *Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester.*) Sicut, non æqualitatem, sed qualitatem, similitudinem, declarat; & eam quidem similitudinem, quę inter Deum & hominem, non quæ inter hominem & hominem esse potest. Sicut Christus orat Ioan. 17, 21. *vt simus vnum, sicut ipse cum patre vnum est*: nec enim illam: quæ inter patrem & filium est naturalem vnitatem æquare possumus; sed possumus tamen imitari. Proponit nobis Christus signum ad collimandum, quò scit nos peruenire non posse; vt, quò possumus, perueniamus. Non vult nos eò vsque progredi; sed non stare. Vult autem nos omnibus in rebus quàm simillimos esse patri, sed in ea maximè, quæ illi maximè propria, misericordia. Itaque quod Matthæus dicit, *Estote perfecti*; Lucas. c. 6. 26. dicit, *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est*.

CAPVT

CAPVT VI.

1. ATTENDITE ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. 2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam: 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. 4. vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculu tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. 7. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici. Putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. 8. Nolite ergo assimilari eis: scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum. 10. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. 11. Panem nostrum persubstantialem da nobis hodie. 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 13 Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen. 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cælestis dicta vestra. 15. Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. 16. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. 17: Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, 18. ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi erugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. 20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. 21. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. 23. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? 24. Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. 25. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca: & corpus plus quam vestimentum? 26. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? 27. Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? 28. Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent: 29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. 30. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit quanto magis vos modicæ fidei? 31. Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? 32. hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. 33. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. 34. Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi. sufficit diei malitia sua.

Tuc. 11. n. 2.

Inf. 12. d. 33. Mar. 11. c. 21. Eccl. 28. a. 3 4.5.

Luc. 12. c. 33. 1. Tim. 6. d. 19.

Luc 11. c. 13.

Luc. 12. c. 22. 1. Pet. 5. b. 7. Psal. 54. d. 23. Philip. 4 b. 6. 1. Tim. b. 7.

IN CAPVT SEXTVM.

ATtendite.) Cauete. Dubitari potest, an hæc eadem sit concio, quam Christus in monte habuit, quamque Euangelista superiore capite inchoarum, nunc prosequatur. Eandem enim esse contextus orationis; non eandem, argumenti dissimilitudo arguit. hoc probabilius: quia illa superioris

capitis

Universidad de Deusto
Biblioteca

capitis ad solos, vt probauimus, Apostolos in monte dirigebatur; hæc ad omnes in campo. Illic de Euangelica tantùm perfectione Apostolis, hîc de communium fuga vitiorum agitur omnibus necessaria; ita prorsus, vt si propiùs vtramquam intueamur, ipsa orationisque materia de monte in vallem descendisse videatur.

Ne iustitiam.) Omnes Græci codices pro iustitia ἐλεημοσύνην, eleemosynam legunt, quemadmodum Chrysostomus homil. 19. Auctor imperfecti, hom. 13. Theophylactus, & Euthymius legit. Latini auctores omnes iustitiam, Hilarius, Hieronymus, Augustinus tract. 6. in epistolam Ioan. & serm. 49. de tempore, & lib. 2. de serm. Domini & Gregor. lib. 8. in Iob. cap. 30. & in Pastor. 3. p. admonit. 36. & poëta Iuuencus. Etiam inter Græcos Origenes hom. 2. in Exod. Credibile est Græcum aliquem non intelligentem, quid hoc loco iustitiæ nomen significaret, legentémque proximo versu, ὅταν οὖν ποιῇς ἐλεημοσύνην, *Cum ergo facis eleemosynam*, mendum putasse. & pro iustitia *eleemosynam* posuisse. Ego nostram lectionem multo magis probo. & quia nostri interpres, & veteres illi auctores Latini, qui eius versione non vtebantur, ita legunt, & quia vt pro eleemosyna scriptorum ignoratione iustitia poneretur, nulla fuit ratio; vt autem pro iustitia poneretur eleemosyna, potuit esse ea quam diximus, & quia vis dicendi postulat, vt primo loco generalis iustitia, deinde specialis eleemosyna ponatur, & quia iusti. iæ nomen צדקה apud Hebræos sæpe pro misericordia, & eleemosyna vsurpatur, Psalm. 102. 18. *Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum, & iustitia eius in filios filiorum vs, qui seruant testamentum eius.* Repetitionem enim eiusdem esse sententiæ perspicuum est, & quod priori loco חסד misericordia dicitur, posteriori צדקה iustitiam appellari. & Psal. 111. 9. *Dispersit dedit pauperibus iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Dispergere enim & dare pauperibus, hoc est eleemosynam, vocat צדקה iustitiam eius, quem Hebraismum etiam D. Paulus imitatus est. 2. Cor. 9. 10. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Fruges enim iustitiæ vocat eleemosynas, de quibus agebat, quia sicut fruges in arua, sic illæ in pauperes seminatæ multiplicantur. Sic enim exponit, *dispersit*, & *dedit pauperibus*, id est seminauit in pauperes. Hinc factum, vt Septuaginta interpres non solum vbi Hebraicè est צדקה iustitia pro eleemosyna δικαιοσύνην, id est iustitiam conuerterint; sed sæpe etiam, vbi est חסד misericordia, perinde ac si nomen צדקה iustitiæ communi vsu misericordiam, & eleemosynam significare vt Genes. 20. 13. & 21. 23. & Deuter. 24. 13. Sic & hoc loco δικαιοσύνην, iustitia pro eleemosyna ponitur; vt statim explicatur. *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Quomodo hæc sententia conueniat cum illa, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*, cap. 5. 16. disseruimus.

Iustitia pro eleemosyna in scriptura.

Alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum.) Quasi dicat, habebitis quidem apud homines, quorum respectu facitis, sicut infra dicit ver. 2. & 5. receperunt mercedem suam, id est inanem gloriam apud homines, quam quærebant; apud patrem autem vestrum non habebitis, cuius causa non facitis, quia æquum est, vt cui quisque laborat, ab eo mercedem accipiat; & vt vnius laboris non duplex, se vna sit merces.

2. *Noli tuba canere.)* Quod Euthymius refert dixisse quosdam, quodque Strabus probabile, Lyranus verum putat, cõsuetudinem aut communiter Iudæorum, aut priuatim Pharisæorum fuisse, vt cum eleemosynas daturi erant, tuba pauperes conuocarent; nullo mihi testimonio, nullo probante exemplo & vanos quidem fuisse scio, tam liberales fuisse nescio. Contrà certè Chrisostomus hom. 19. auctor imperf. hom. 13. & Theophylactus in commẽtarijs sentit. Potiùs credo ad consuetudinem congregandi tuba populum. cùm aliquid publicè, aut faciendum, aut adicẽdum erat. Christum alluisse, vt Ioel. 2. 15. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes, congregate parvulos sugentes vbera*; aut ad tragœdiarum & comœdiarum morem, quarum initio tubis canitur, vt populus admoneatur histrionem exire, oculósque & aures attendat. Nam & hoc loco, quasi tragœdiã, aut comœdiam, aliquam Pharisæorum Christus inducit. Primum nomen ipsum ὑποκριτὴς hypocrita, quo vtitur, histrionem propriè significat, qui, alia persona cum sit aliam agit; vt D. etiam Augustinus adnotauit. Deinde verbum quo superiore versu vsus est πρὸς τὸ θεαθῆναι vt spectemini, theatrale est; nam & theatrum ipsum ab eodem dictum est verbo, & tuba canere proprium est etiam theatri. Significat igitur nihil in hypocritis esse veræ, solidæque virtutis; quicquid agunt, simulationem, laruam tragœdiam & comœdiam esse, ideoque spectari velle; nos solidam debere sequi virtutem, nec alios spectatores, quàm Deum desiderare.

In Synagogis.) vide cap. 4. 23. Hæreticorum interpretes fere omnes conuenticula, aut conciliabula hoc loco reddunt nimis eleuata exaggeratione sententiæ. Voluit enim Christus significare solere hypocritas loca quærere maximè frequentia, vt á pluribus videantur, qualis erat Synagoga, in quam, sicut nunc ad templa nostra, omnis populus conueniebat. Sensum minuit quisquis de Synagoga conciliabulum aut cõuenticulum facit; quod minus esse, quàm Synagogam, vel ipsa vocabulorum indicat diminutio.

3. *Nesciat sinistra tua.)* Quia sinistra nec scire potest, nec ignorare, dum metaphoram interpretes quærunt, incredibilem interpretationum varietatem pepererunt. Nonnulli dexteram intentionem seruandi præcepta diuina; sinistram delectationem humanæ laudis intelligunt, vt Augustinus lib. 3. de serm. Domini & serm. de tempore 60. & Gregor. 3. Ip past. cap. 21. Alij dexteram superiorem voluntatem; sinistram inferiorem appetitum, auctor imperfecti hom. 13. Alij dexteram populum Christianum; sinistram Gentilem; quemadmodũ idem auctor scribit fuisse in quodam Apostolorum canone declaratum. Alij dexteram te ipsum, sinistram vxorem tuam; quam etiam interpretationem Augustinus memorat. Alij dexteram nos ipsos; sinistram coniunctissimum quemque & familiarissimum amicum, Ambrosius libro 1. de officiis cap. 30. & Euthymius in hũc locum. Rem mihi Chrysostomus hom. 19. & Theophylactus ita videntur tetigisse, non metaphoricam, sed hyperbolicam esse locutionem qualem illam superiorem cap. 5. 29. 30. esse diximus. si oculus tuus scandalizat te, &c. sensus ergo est, adeo debere nos iustitiæ nostræ testes effugere, vt si sinistra manus nostra oculos haberet videre tamen non posset quid dextera boni faceret. Quod autem contra consuetudinem, quam cap. 5. 39. explicauimus, prius sinistram quàm dexteram nominauit; & dexteræ actionem sinistræ cognitionem tribuit; ideo factum est, quòd eleemosynam, de qua loquebatur, non sinistra, sed dextera corrigere soleamus; & cætera opera quæ manu fiunt dextera faciat: sinistra illi tãquam adiutrix assistat, ita, vt si oculos haberet, quidquid dextera faceret, ignorare non posset. Eleemosynam ergo Christus ita vult fieri, vt ne sinistra quidem manus,

quæ omnium operum dexteræ non modo conscia, sed adiutrix etiam esse solet, scire possit. Quod cùm in omnibus rectè factis intelligẽdum est, tum in danda eleemosyna ideò potissimum commendatur, quòd nec vlla magis in re gloriam homines quærere soleãt; nec in vlla minus quærere debeãt. Eleemosyna, quãuis parua magnum beneficium est pauperi; maius, si latet: si nemo, nisi qui accipit, nouit. Qui laudem hominum intuens dedit; sibi, non pauperi dedit. Aut si quid dedit, vendidit, non donauit. Non potuit pauper pretium soluere; sed pro illo alij soluunt; cum dantem laudant, cum tantum spectant. Pretium est illi videri. Apud Ecclesiasticum cap. 29. 15. similis est omnino sententia, *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & illa exorabit pro te ab omni malo.* Non est culpa benefacientes videri; sed velle videri. Nec omnino videri velle; sed propter colligẽdam humanam laudem videri velle: hoc tantùm hoc loco Christus prohibet. Nam velle propter Deum videri, non prohibet; sed iubet, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* cap. 5. 16.

4. *In abscondito.)* Deo. & tibi soli cognita.

Reddet tibi.) Græci codices addunt ἐν τῷ φανερῷ in aperto, in propatulo. E contrario tempore Augustini Latini codices legebant, Græci non legebant, vt ille lib. 2. de serm. Domini scribit. Itaque suspicio mihi est primos illos codices Græcos. ex quibus translatio Latina, qua Ecclesia ante Hieronymum vtebatur, facta fuerat, hæc verba legisse; pòst scriptorum vitio in Græcis abolita, in Latinis conseruata. Hieronymus verò, cùm iam ipsius tempore in Græcis non legerentur; quia ad Græcorum, vt ipse ait, codicum veritatem Latinam editionem corrigebat, expunxisse de Latina, quod non inuenit in Græca. Nam legenda quidem esse ipsa indicat antithesis: In abscondito & in propatulo, & quòd Lucas. cap. 14. 14. pro ἐν τῷ φανερῷ in propatulo dicat, *in resurrectione*, id est in vltimo iudicio coram omnibus hominibus, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. Postulat etiam æquitas, atque sententia, vt hoc credamus dixisse Christum nos multò maiorem etiam apud homines gloriam habituros, si clam eleemosynam faceremus, quàm qui non alia de causa faciunt, quàm vt gloriam apud homines habeant; quia illi non nisi in paucorum hominum conspectu facere possunt, quorum gloria in iudicio coram omnibus hominibus maximæ erit ignominiæ. Nos, qui, cùm facimus, à nemine videri volumus; etiam si nolimus, ab omnibus tunc videbimur, ab omnibus laudabimur. Solet se, & alios ita consolari, D. Paulus, vt ad Philippenses. 2. 16. *Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, nec in vacuum laboraui*, & 2 ad Tim. 1. 12. 18. *Sed non confundor: scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem*, & c. 4. 8. *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Deus in illa die iustus iudex.*

5. *Qui amant.)* G. ὅτι φιλοῦσιν, quia amant. Itaq; aut noster interpretes pro ὅτι legit οἱ, aut aliquis in eius versione pro *quia* scripsit *qui*. Facilius fuit ex *quia* facere *qui*, quàm ex ὅτι οἱ. Itaque hoc quidem loco norigedam: φιλοῦσιν autem secuti, vertunt *solent*. Melius siae affectione nata esse poterat, sed multo magis studium gloriæ Christus reprehendit, vt. cap. 23. 6. *Amãt autem primos recubitus in cœnis, & cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocare ab hominibus Rabbi.*

In Synagogis.) Vide ver. 2.

Et in angulis.) Non significat hoc loc angulus abditum & secretum locum, vt solet plerumque significare, quemadmodum cum dicimus, abdere se in angulum, vt Act. 26. 26. *Scit enim de his rex, ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror: nec enim in angulo quicquam horum gestum est*; sed potiùs significat locum maximè publicum, maximè conspicuum, maximè frequentem propter adiũctum, quod sequitur *platearum*. Plateas enim vocat vicos, & publicas vrbis vias; angulos, biuia, & triuia, vbi maior hominum concursus diuersis venientium vijs esse solet; sicut Thamar, cum se meretricem esse fingeret; quæ à quamplurimis inueniri velle videretur, sedit in biuio. Genes. 38. 14.

Stantes.) Sunt, qui putent Iudæorum morem fuisse, vt stantes orarent, quòd pluribus in locis, qui orant, dicantur stare Mar. 11. 25. *Et cum stabitis adorandum, dimittite: si quid habetis aduersus aliquem.* Luc. 18. 11. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat.* Non assentior, quia ex alijs locis perspicuum est consuetudinem fuisse flexis genibus orandi. Act. 7. 40. *Petrus autem ponens genua oravit dicens, Tabitha surge*, Act. 20. 36. *& cum hæc dixisset*, Paulus, *positis genibus oravit cum omnibus illis.* & cap. 21. 5. *& positis genibus in littore oravimus.* Christus etiam flexis genibus orasse dicitur Luc. 22. 41. Natura quoque ipsa flexo genu orare docet; nec est verosimile Pharisæos, qui maximè volebant videri sancti, aliter orasse. Stantes igitur hoc loco interpreror, manãtes, fixi, immobiles, quasi homines animo in cælũ rapti, vt infra c. 20. 3. 6. & Mar. 3. 31. & 11. 25. & Lu. 18. 11.

Oratio in publicis laudabilis.

Mercedem suam.) qua sola digni erant, aut quàm quærebant, Hieronym. & August.

6. *Intra in cubiculum tuum.)* Multas interpretationes, quas Augustinus, & Hieronymus, alijque multi auctores afferunt, quia allegoricæ sunt, prætermitto; & per cubiculum, verum cubiculum intelligo cum Chrysost. homil. 8. in 1. epistolam ad Timothæum, & Theophylact. in hunc locum. At non iubet nos ingredi re vera in cubiculum, & ostium claudere; sed tantùm inanem hominum laudem fugere. itaque, qui in publico orat, nolens ab alio quàm à Deo audiri, aut videri, aut si ab hominibus audiri & videri vult, non propter suam, sed propter Dei laudem vult, is in cubiculo clauso ostio orat; quia non magis laudem suam quærit, quàm si in cubiculo solus oraret. Contrà, qui in cubiculo clauso ostio solus orat, volens cæmen, vt homines id sciant, is in plateis orat, & tuba ante se canit. & quo se magis abdit, magis prodit auctor imperfecti. Non abrogat ergo Christus morem in publico orandi laudabili & Iudæorum, & Christianorum vsu firmatum. 3. Reg. 8. 19. Act. 1. 24. & 3. 1. & 4. 24. & 6. 6. & 12. 12. Tantùm intentionem animi corrigit. D. Paulus vult in omni loco nos orare leuantes puras manus. 1. Timoth. 2. 8. Nostra factum est negligentia, vt oratio, quæ in publico fit, humanam laudem venari possit. si enim omnes, & vbique oremus; singulare non esset in publico quẽquam orare. nec eo, quòd ab omnibus fieret, laus vlla quæreretur, maioréque oratio haberet vires, nec humanæ expectatione laudis impedita; & simul orantium precibus adiuta. *Quasi facta manu*, inquit Tertullianus in Apol. *oramus, hæc vis Deo grata est.* De qua re Origenes hom. 7. in Iosue, & Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura disputarunt.

7. *Nolite multum loqui.)* μὴ βαττολογήσητε, ne nimiũ loquamini, ne vtamini supernacaneis repetitionibus. Verbum est, aut à Batto quodam poëta, qui ineptis repetitionibus vsus dicitur quibusdam; aut à Batto nescio quo homine balbo, vt alijs placet, deriuatum. illud probabilius. Non enim loquendi in orand

Universidad de Deusto
Biblioteca

balbutiem & celeritatem Christus reprehendit, quam uis ea etiam merito sit reprehendenda; sed superuacaneam, & inanem studio affectatam verborum copiam; vt constat ex sequentibus verbis, *Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur*, quod & Greg. Nyssen. in lib. de oratione adnotauit. Nec prohibet longas Christus orationes, qui alibi perpetuas imperauit, Luc. 18.1. sicut & D. Paulus 1. ad Thes. c. 17. & ad Colos. 4.2 neque loqui, cùm oramus; neque repetitionibus uti, cùm & ipse orando locutus sit, & rer eundem sermonem repetiuerit infra c. 26. 44. & Mar. 14. 39. sed prohibet eo animo multùm loqui, vt hominibus bene orare videamur, de hoc enim agebat, & existimantes facilius Deum multa, quàm pauca auditurum verba, vt statim expomit: Putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nec Euchitæ propterea hæretici habiti sunt, quòd multum orarent apud Epiphanium hæres. 80. & apud August in lib. ad Quodvult. c. 57 sed quòd existimarent neminem, nisi continenter oraret, saluum esse posse, nó intelligentes, quod Lucæ 18.1. Christus dicit, *oportet semper orare, & nunquam deficere*; quod non significat debere nos perpetuò, & sine vlla intermissione orare, quod sciebat Christus à nobis fieri non posse; sed cum semel aliquid à Deo postulauimus, nec obtinuimus, non debere propterea fatigari, aut fiduciam abiicere, iterum atque iterum nullo definito modo idem orãdum; hac enim ratione fore, vt tandem quod petimus, obtineamus. Hoc illa. quæ sequitur, parabola significatur, *Index quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. &c.*

Oratio prolixa, an prohibita.

Ethnici.) Errorem Ethnicorum fuisse, vt existimarent, quò plura, clarioréque voce loquerentur, facilius se à Deo exaudiri, ex 3. Reg. 18. 27. colligitur, vbi Elias alludens ad Ethnicorum ritum, quem decem tribus Israël imitabantur. *Clamate*, inquit, *voce maiore Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur.*

In multiloquio.) Hebraismus, In quo propter, ἐν pro διὰ, vt Mar. 9. 38.

9. *Sic ergo vos vocabitis.*) Incertum vtrùm bis an semel tantùm Dominicam orationem Christus docuerit. Dubitandi causa est, quod Lucas c. 11. 2. scribat eum à discipulis rogatum, *Domine doce nos orare, sicut Ioannes docuit discipulos suos*, respondisse: *Cùm oratis dicite, Pater sanctificetur nomen tuum*, &c. Matthæus autem hoc loco non rogatum, sed sponte significare videatur eum concionantem hanc orationem tradidisse. Vix quisquam veterum auctorum hãc quæstionem attigit; &. qui attigit, Rupertus bis putat Christum eandem orandi formam diuersa occasione docuisse. Contrarium tamen mihi videtur probabilius. Quorsum enim eosdem discipulos bis eandem orationem docuisset? Nisi forte dicamus, quod mihi omnino non displicet, apud Lucam solos discipulos, à quibus rogatus fuerat; hîc omnem turbam auditorum, quæ eam orationem nondum audiuerat, docuisse. Si semel tantum traditam dicamus, dicendum erit Matthæum non vnam solum Christi concionem recitare; sed quæ ille diuersis temporibus, multisque concionibus docuisset, in vnum locum conijcere voluisse, vt omnem fere eius doctrinam sub vnum poneret aspectum.

Sic ergo vos,) vos, qui laudem apud Deũ non apud homines, vt illi, quærere debetis. Vos, qui melius docti à me estis Deum non multitudine verborum, sed magno animi affectu, nihil nisi iustũ, & ad eius gloriam conducentia petentis exorari.

Sic.) Non his necessariò verbis, sed hac aut simili sententia Augustinus lib. de magistro, cap. 1. & in epistola ad Probam. 121. cap. 12. & Beda in hunc locum. Nam nec Apostolos orando his ipsis verbis vsos fuisse legimus; Aliis legimus Actor. 1. 24. *Tu Domine, qui corda nosti omnium ostende, quem elegeris ex iis duobus vnum.* Sed dum id ad propagandum Euangelium, & gloriam Dei illustrandam faciunt si non verbis, re tamen ipsa dicunt, *Sanctificetur nomen tuum.* Et cum Dei voluntatem electionemq; volunt cognoscere, quid aliud dicunt, quàm *fiat voluntas tua?* Neque Christus his vnquam verbis orasse dicitur: in eandem tamen sententiam orauit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo: sed sicut tu vis*, Matth 26. 39. Luc. 22. 42. Sed ramen paucis verbis omnia, quæ in hac oratione docuerat, dicit, exceptis ijs, quæ dicere non poterat. Nam & ipse patrem appellat, sicut nos appellare docuit; &, vt eius nomen sanctificetur, petit, cùm eius quærit gloriam, *si possibile*, inquit *est*, id est, si salua gloria tua fieri potest; absolutè namque fieri posse non ignorabat. & vt eius voluntas fiat, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, & panem suum quotidianum petit, cum vitam petit. Solum non petit, vt debita sibi remittantur, quia *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, &, vt in tentationem non inducatur, qui cadere non poterat, &. vt à malo liberaretur, quem singulari certamine iam vicerat. cap. 4. 1. Neque voluit Christus, vt quotiescunque oramus, ista omnia, quæ hac oratione continentur, peteremus, sed vt omnia, aut aliqua, aut nihil certè his contrarium peteremus. Ipse pro crucifigentibus se orauit; non erat vnum ex ijs; sed consentaneum vni ex ijs, vt Dei nomen etiam in inimicorum salute sanctificaretur. Merito tamen Ecclesia rãtum huic orationi tribuit, vt non solum sententia, sed ipsis etiam Christi verbis vteretur. *Amica* (inquit Cyprian. in lib. de orat.) *& familiaris est oratio, Deum de suo rogare, ad aures eius ascendere Christi orationem. Agnoscat pater filij sui verba, cum qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce.* Meritò illi inter omnes & priuatas & publicas preces primum locum dedit. Dixerat Christus paullo ante, *nolite multum loqui*; præscribit nunc breuissimam, qua vtamur, orationis formam. Tamen *breuitas ista*, ait Tertullianus in libr. de oratione, *magna ac beatæ interpretationis substãtia fulta est, quantumque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Qualia sunt* (inquit Cypria.) *fratres dilectissimi, orationis Dominicæ sacramenta quàm multa, quam magna breuiter in sermone collecta: sed in virtute spiritualiter copiosa, vt nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus, atque orationibus nostris cælestis doctrinæ compendio comprehendatur.* Itaque rectè Tertullianus hanc orationem Euangelij breuiarium appellauit. D. Augustinus, lib. 2. de serm. Domini in monte, & húc omnes deinceps Theologi secuti septem petitiones continere docuerunt; primam, *Sanctificetur nomen tuum*; secundam, *Adueniat regnum tuum*; tertiam, *fiat voluntas tua*; quartam, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; quintam *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; sextam, *& ne nos inducas in tentationem*; septimam, *sed libera nos à malo.* Recentiores quidam sex tantum: nam ex duabus vltimis vnam faciunt. De qua re non est operæpretium disceptare. Illud non prætermittendum, quod à multis indicatum est, tres primas petitiones ad honorem Dei, reliquas ad vtilitatem nostram pertinere; quemadmodum Decalogi præcepta in duas diuisa sunt tabulas; in priore erant, quæ ad Deum; in altera, quæ ad proximum pertinebant. Hoc est quod vers. 33. dicitur, *Quærite ergo primùm regnum Dei.* Non vult Deus nostram vtilitatem ab honore suo esse disiunctam: quia nec vtile nobis esse potest, quod ipsi honorificũ non est. Ideoque honorem suum vtilitatis nostræ regulam facit, quam nec, qui sequitur, errare potest; nec, qui non sequitur, non errare.

Pater.) Quòd à nomine patris exordiri iubet; non ideo tantùm facit, vt fiduciam nobis Deum alloquendi, præbeat, quemadmodum Tertullianus, Cyprianus, Chrysost. hom. 20. aliique multi interpretes voluerũt; sed multò magis, vt blando nomine Dei beneuolentiam captaremus, & ad concedendum. quod postulamus, patris eum appellatione moueremus, vt August. lib. 2. de ser. Domini placuit. Habet oratio Dominica Rethoricam suam. Huc spectat, quod c. 7. 11. Christus dicit, *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cælestis dabit bona petentibus se?* Nomen ipsum patris pro nobis orat; quia patris est filiis necessaria prouidere, patris est filiis ignoscere. Eodem exordio perditus ille adolescens ad se rediens vsus est, *Pater peccaui in cælum, & coram te*, Luc. 15. 18. Adnotauit Tertullianus in lib. de oratione, & August. lib. 2. de ser. Domini, Deum in veteri testamento non patrem, sed Dominum vocari voluisse; quia illi serui erant, nos filij sumus, *nec enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.* Rom. 8. 15. An autem hoc loco solam primam Trinitatis personam, an totam ipsam Trinitatem patrem appellemus; in vtramque partem disputari potest. Plerique ad solum patrẽ hæc verba dirigi putant, vt Cyprianus, Chrysost. & Rupertus sensisse videntur. Argumento est, quòd Christus eundem suum, atque nostrum patrem, quamuis non eodem modo vocare soleat; *Ascendo*, inquit, *ad patrem meum, & patrem vestrũ*, Ioan. 20. 17. Magis aliorum probo sententiam, qui totam hîc Trinitatem patrem à nobis vocari dicunt. Cur enim Deum patrem appellamus? primùm, quia creauit; at non solus pater, sed tota nos Trinitas creauit. Deinde, quia conseruat; at non solus pater, sed tota Trinitas conseruat. Tertiò, quia redemit; at non solus pater, sed tota redemit Trinitas tota Trinitas agendo; solus filius patiendo. Itaque respectu quidem redemptionis solus potius filius, quàm solus pater, pater nobis est appellandus. Quartò, quia per gratiam regenerauit; at tota Trinitas regenerauit.

Noster.) Vt non suum quisque priuatim, sed nostrum communiter patrẽ appellaremus Christus ideo iubet, quia non priuata, sed publica totius Ecclesiæ oratio est, & cùm Deum oramus tanquam vnum Ecclesiæ membrum oramus. Qui aliter orat, orare fortasse potest, exorare certè non potest. Hoc non à me primùm, sed à Cypriano libr. de oratione Dominica, ab Ambrosio lib 5. de sacr. c. 4. ab auctore operis imperfecti. hom. 14. ab Augustino lib. 2. de ser. Domini, à Theophylacto, & Euthymio notatum est. Illud etiã à nonnullis illorum notatur indicati his verbis differentiã, quę est inter nos & Christum; nos Deum non patrem meum, sed nostrum; Christum non patrem nostrum, sed meum appellare, quia eo modo, quo pater noster est; omnium communiter pater est; omnes enim creauit, omnes conseruat, omnes nutrit, omnes, quantum in ipso quidem fuit, etiam redemit. Eo autem modo, quo Christi pater est, non alterius est pater. Pater enim illius, non quia creauit, sed quia ex sua substantia genuit; ideo patrem peculiariter (inquit Ambrosius lib. 5. de sacram. c. 4.) suum appellat; nos verò patrem communiter nostrum appellamus; quia illum genuit, nos creauit. Alia magis propria videtur. esse ratio, cur & Deum patrem, & nostrum appellemus, quòd illi regenerati per Christum simus. Manifestum enim est eos, qui nec baptizati sunt, nec in Christum crediderunt, hanc orationem pronuntiare non posse, & tamen à Deo creati & tamen cõseruati, & tamen redempti sunt. Non ergo hoc loco ideò Deũ patrem appellamus; quia tantum nos creauit, quia cõseruat, quia redemit; sed etiam quia per fidem & gratiã baptismi regenerauit. *Dedit* enim *potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius*; aliis ergo non dedit; ab aliis pater vocari non potest. Hoc etiam Tertul & Cyprianus in lib. de orat. Dominica obseruarũt. Quare cum dicimus nostrum, non solum à Christo; sed etiam ab infidelibus hoc verbo distinguimur & Deũ patrem nostrum, id est credentium, nõ infidelium appellamus. Quid? an non est pater omnium? est enimuero. Ephes. 4. 6. sed eorum peculiari ratione, qui in Christum credentes vnum cum illo corpus facti sunt. Nos igitur inter Christum, & infideles medij sumus, Christus naturalis Dei filius, infideles quodam modo spurij, quia ab eo creati, quia ad eius imaginem facti sunt, ex natura, quasi ex ancilla, non ex gratia, quasi ex libera geniti; sicut Ismael naturali virtute, non sicut Isaac supernaturali gratia. Nos filij nec naturales, vt Christus, nec spurij vt infideles, sed tamen adoptiui, sed tamen legitimi, alioqui hæredes non essemus Dei & cohæredes Christi; Rom. 8. 17.

Qui est in cælis.) Quod multi hæretici, cælestis, vno verbo dicere maluerunt, minimè probo; non solum, quia mali sunt auctores, & quia non tam breuitatis, quàm nouitatis studio facere videntur; sed etiam quia veram horum verborum sententiam corrumpunt. Primum quidem, si Græca verba, vt noster interpres, secuti fuissent, vt ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς verterent, *qui est in cælis*, errare non potuissent; & cælestis dicitur non solùm, qui in cælo habitat; sed qui ex cœlo originem ducit, aut qui de cælo venit, vt Christus. 1. Cor. 15. 48. 49. & qui cælesti constant materia, cælestes globos appellamus. Hîc autem certum est Dei habitationem significari, qui ideo in cælis habitare dicitur, quòd quamuis vbique sit, ibi tamen eius gloria potissimum eluceat, quia *in sole posuit tabernaculum suum*, Psal. 18. 6. Sic Psal. 2. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos*, & Psal. 112. 5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat*, & 122. 1. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Scribit Aristoteles omnium gentium quasi à natura insitam opinionem fuisse, Deum in cœlo habitare, vnde illud tam frequens apud Græcos poëtas natum sit, ὃς ὑπέρτατα δώματα νάϊεν ὑπερίσχων ἁπάντων Ὄλυμπον. Ambrosius & Augustinus cælos, sanctos interpretantur, in quibus Deus peculiariter dicitur habitare; sed iste allegoricus, non litteralis sensus est.

1. de cæloc. 9.

Hesiod. in Operib.

Sanctificetur nomen tuum.) Nomen Dei dicitur non hoc solum Deus; quo eum appellamus sed hominum de illo existimatio, & quidquid ad illũ quoquo modo pertinet, ꝙ tunc ab hominibus sanctificari dicitur, cũ ab illis timetur, amatur, colitur, cum eius augetur gloria, cum bonitas cum sanctitas, cùm maiestas celebratur. Hebræi enim קדש sanctificare dicere solent, id est celebrare, vt sanctificare sabbatum. Ezechiel. 44. 24. sanctificare ieiunium, Ioëlis. 1. 14. Aut sanctificari Dei nomen dicitur, cùm tanquam sanctum colitur, & honoratur, sicut è contrario blasphemari dicitur, cùm sine debita ab hominibus reuerentia tractatur, Isai. 52. 5. & ad Rom. 2. 24 & pollui, cum tanquam vile & sordidum habetur. Ezechi. 20. 39. & 22. 26. & 36. 20. & 39. 7. & 43. 8. & Hierem. 7. 30. Atque ad hunc sensum Hieron. in commentariis, & Augustinus lib. 2. de sermon. Domini interpretantur. *Non sic petitur*, inquit August. *Sanctificetur nomen tuum, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctum, quod magis offendere timeant*, In eandem ferè sententiam Gregorius Nyssen. in lib.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de oratione Dominica. Chrysost. hom. 20. auctor imperfecti hom. 14. Thoph. & Euthy. Paullo longius à sensu Ambrosius discedit lib. 5. de sacr. c. 4. *Sanctificatos*, inquit, *nos dicit in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri: hac sanctificatio, vt in nobis permaneat, oramus.* Cum autem non dicimus à quibus Dei nomen sanctificari velimus: ab omnibus sanctificari velle significamus. Ideo, inquit Tertullianus in lib. de oratione, *suspensa enuntiatione, non dicentes sanctificetur in nobis; in omnibus dicimus.*

10. *Adveniat regnum tuum.*) Quid hoc loco regnum Dei appelletur, & quid sit aduenire, variæ sententiæ. Nonnulli regnum illud intelligunt, quo Deus in iustorum cordibus regnare dicitur; sicut è contrario in corpore iniustorum peccatum dicitur regnare, Roman. 6. 12. & sicut dicitur, *regnum Dei intra vos est.* Lucæ 17. 21. Ad hunc modum Ambrosius libr. 5. de sacramentis. c. 4. Auctor imperfecti. hom. 14. Hieron. in commentariis, & lib. contra Pelagianos. 3. Gregorius Nyssen. in lib. de orat. Dominica. & Euthymius. Alij de illo regno accipiendum putant, quo in beatis regnat; quasi petamus illud, quod iam aliis beatis aduenit, nobis etiam aduenire; quasi petamus *dissolui, & esse cum Christo*, Philippens. 1. 23. sicut dicuntur fideles diligere aduentum Christi. 2. ad Tim. 4. 8. & ad Tit. 2. 13. & sicut animæ illæ, quæ subtus altare sunt, petunt, vt vindicetur sanguis fratrum suorum, & corporibus suis iterum indutæ regno fruantur. Apocal. 6. 9. 10. Ita Tertullianus, & Cyprianus in libr. de orat. Chrysostom. hom. 20. auctor etiam imperfecti hom. 14. & Augustin. in epistola ad Probam 121. Alij *Regnum tuum adueniat*, id est gloria tua manifestetur hominibus, vt idem August. libro. 2. de serm. Domini. Verus sensus mihi videtur esse, quem Theophylactus & Rupertus breuiter indicarunt, vt regnum Dei vocetur illud, quo Deus positis omnibus inimicis suis in scabellum pedum suorum, vbique regnaturus est, & vt loquitur D. Paulus, *erit omnia in omnibus.* 1. Cor. 15. 28. Nam etsi nunc etiam vbique regnat, tamen quia non pacificè & sine hoste, ac bello regnat, & quia multi illi quasi rebelles resistunt, regnare non dicitur. Tunc autem subiugatis hostibus, & amicis liberatis, inimicis damnatis plenè regnare dicetur. Hunc esse sensum ex illo loco D. Pauli, quem notauimus, non obscurè colligitur; tum etiam ex hoc ipso. Manifestum enim est nos hic non nostrum, sed Dei regnum postulare. Nam tres primæ, vt diximus, petitiones ad Deum; reliquæ ad nos pertinent. Non est ergo sensus, vt Deus regnet in cordibus nostris; aut vt nos cum beatis regnemus; hoc enim ad nos maximè pertinet; sed vt Deus absolutè, & sine aduersario regnet. Sic enim dicimus, *Adveniat regnum tuum*; quemadmodum si filij patri regi pacificum regnum, & victoriam contra hostes precaremur; non vt nos; sed vt ille regnet. Aduenire autem optamus; sicut illi diligunt aduentum Christi. 2. Tim. 4. 8. & ad Tit. 2. 13. & animæ illæ Apocal. 6. 9. 10.

Fiat voluntas tua.) Alias Cypriani, Augustini, & Gregorij interpretationes quia allegoricæ sunt, prætermittendas puto. Inter litterales illa communis est, vt petamus fieri Dei volũtatem in terra, sicut in cælo, id est vt ita illi homines obediant, sicut Angeli obediunt, Hieron. Chrysost. hom 20. auctor imperf. hom. 14. August. lib. 2. de ser. Domini, Theoph. & Euthym. Alij paullo aliter, *Fiat voluntas tua in terra sicut in cælo*, id est pacificetur terra; sicut olim cælum pacificatum est. Nam, vt aliquando in cælo inter bonos & malos Angelos bellum fuisse dicitur Apoc. 12. 7. deiectóque in terram diabolo pax in cælo consecuta est; ita nunc in terra inter diabolum & hominem bellum est petimus, vt victus à terra in abyssum deiiciatur, &, vt aut Christus, vt eiiciatur foras, Ioan. 12. 31. vnde illa cõsequatur pax quam Angeli nato Christo hominibus annunciarunt, Luc. 2. 14. Sic Ambr. lib. 5. de sacr. c. 4. Tertullianus vero promptum in nobis, & paratum animum significari putat; vt quidquid calamitatis, quicquid boni, vel mali Deus nobis immittat, patienter feramus, sicut Iob dicebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, sita factum est, sit nomen Domini benedictum*, 1. 21. Verùm non videtur restringenda esse generalis sententia, quod istæ omnes interpretationes faciunt. Nam de sola præceptorum obseruatione, aut de sola pace, vel patientia interpretari parũ est. Ex omnibus si vna confletur, æqualis erit. Petimus ergo, vt omnibus in rebus voluntas Dei fiat, non solum à nobis, sed etiam in nobis; sicut Christus, cum peccare non posset, dicebat, *tamen non mea, sed tua voluntas fiat*, Luc. 22. 42. vtique non tantùm à se, sed etiam in se.

Sicut in cælo.) Vbi nihil est, quod Deo resistat, nihil quod non ad nutum obediat, Psal. 102. 20. 21. *Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute, qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius, &, Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.*

11. *Panem nostrum quotidianum.*) Fructuosus locus agitur enim de pane nostro; sed & verborum obscuritate difficilis; & interpretationum varietate implicatus. Plerique veteres auctores piè & religiosè, atque ad Ecclesiæ vsum accommodatè dixerunt panem nostrum quotidianum Christi corpus appellari. Nam & verus panis est, qui de cælo descendit, & quotidianus, quia aut à singulis, aut à tota quotidie sumitur Ecclesia. Tertullianus libr. de oratione. Cyprianus de oratione Dominica. Ambros. libr. 5. de sacram. cap. 4. Marius Victorinus lib. 3. aduersus Arium. Athanas. in lib. de incarn. Iuuencus. Hieronymus in comment. & lib. 3. aduersus Pelagianos. Est in hanc sententiam non minimum argumentum, quòd verosimile esse videatur Christum in tam perfecta diuinaque oratione nihil nos terrenum, nihil non diuinum petere docuisse. Obstat tamen quod sequitur, *da nobis hodie*, quasi in crastinum petere prohibeamur, vt vers. 34. explicatur. Obstat, quod tanquam rem quotidie singulis nobis necessariam postulare videamur; corpus autem Christi quotidie sumere perquàm vtile est; non est tamen necessarium nec, vt ait Augustinus, ab Orientalibus Christianis eius tempore sumebatur. Quæ res eundem impulit Augustinum lib. 2. de serm. Domini. vt panem quotidianum nostrum Dei voluntatem interpretaretur. sicut Christus dicebat Ioan. 4. 34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei*, & Ioa. 6. 27. *Operamini non cibum, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam.* Quam interpretationem & Origenes hom. in Ezech. 14. ante illum adhibuerat. At istum cibum non in hodiernum tantùm diem; sed in omnem omnino vitam petere Christus docuisset; sicut illi dixerunt *semper da nobis hunc panem*, Ioan. 6. 34. & illa, *da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Ioan. 4. 15. Itaque probabilius est, quod idem Augustinus libr. 1. locut. in Genes. c. 39. & epistola ad Probam. 121. c. 12. Basilius in regu breu. inter. 252. Chrysostom. hom. 20. auctor imperfect. homil. 14. Gregor. Nyssen. in libr. de oratione, & Theodoritus in comment. in capit. 4. epistolæ ad Philippenses dixerunt, panem hoc loco nostrum & quotidianum omnem necessarium cibum appellari; panis autem appellatione omnia ad sustentandam vitam necessaria intelligi debere, id ex omnibus huius loci circunstantiis manifestum est. Nam & quòd nostrum, id est nobis

necessa

necessarium; & quòd quotidianum, id est non superuacaneum; & quod in hodiernum, non in futurum petimus; & quòd vers. 34. eodem sensu prohibemur in crastinum esse soliciti; omnia indicant de cibo corporis agi. At non est verosimile (dicunt quidã) Christum in tam cælesti precatione quidquam terrenum postulare docuisse. Respondeo non fuisse Christi cõsilium, vt panem rẽsque necessarias quærere iuberet, quod terrenum est quodque idem Christus ver. 25. facere prohibet; & ad quod satis sumus natura nostra procliues; sed vt doceret vnde, & quatenus quærere deberemus. Non enim à terra, vt pecudes; sed à Deo, vt homines; non in omne tempus; sed in præsentem tantùm diem petere docet. Hoc autem cæleste præceptum non terrenum est. Eo quidem vsque, vt etiam Christo docente pauci admodum faciant. Illud magis mouere potest credibile non videri Christum, quantumuis moderatam corporis curam animæ curæ prę posuisse. Id autem fecit, si inter ea, quæ nobis ipsis petimus, primo loco panem, secundo remissionem peccatorum; tertio liberationem à tentatione petere docuit. Respondeo Christum non tam ordinem dignitatis rerum; quàm naturæ & infirmitatis nostræ sequi voluisse. Natura prius vult viuere, deinde bene viuere. Huius rei Christus rationem habuit. Adde quòd cum panem docet petere, non tam corporis, quàm animæ curam habet. Exscindit enim maximum & vehementissimum affectum, ex quo maior peccatorum pars proficiscuntur; & vt dicam breuiter, hac petitione cauet, ne peccata fiant, sequente, quomodo facta remittantur.

Nostrum.) Qui panem Christi corpus intelligunt, ij nostrum id est fidelium. non infidelium interpretantur, vt Cyprianus. Alij nostrum, id est, qui nobis à te dari solet; Greg. lib. 33. moral. c. 5. *Ecce & nostrum dicimus, & tamen vt detur oramus; noster quippe fit, cum accipitur, qui tamen Dei est, cum ab illo datur. Et Dei ergo est ex manere, & noster fit veraciter per acceptionem.* Alij nostrum, id est hominum, non pecudum. Alij volunt nostrum vocari illum etiam ipsum, quem iam habemus; quem nihilominus à Deo petere iubemur, quia cum Dei potius, quàm noster re vera sit, nõ debemus eo prius vti, quàm vtendi à Deo petamus facultatem. Sic auctor imperfecti: quod verum quidem & pium, sed alienum esse arbitror. Vult enim Christus prauam hominum consuetudinem corrigere, qui nullũ auaritiæ suæ modum ponunt, vt ex ver. 19. & seq. perspicuũ est. Non solent autem homines, quæ habent, aut industria sua quærere, si mali; aut à Deo petere, si boni sunt: cùm igitur panem petimus, quem non habemus, cur qui diuites sunt petunt? Mouit quæstionem, idemque explicauit Augustinus pauperes petere, vt habeant; diuites, vt non amittant. *Et quid eget*, inquit, *diues? audeo dicere ipso pane quotidiano eget diues quare enim abundãt illi omnia? vnde? nisi quia Deus dedit? Quid habebit, si Deus subtrahat manum suam? nonne multi dormierunt diuites & surrexerunt pauperes?* Sic igitur interpretari possumus, vt noster dicatur panis, qui nobis est necessarius. Hoc enim cum Christi consilio bene conuenit, qui tantùm nobis vult potestatem facere in præsentem diem necessaria petendi.

Quotidianum.) Græcum verbum τὸν ἐπιούσιον magnam difficultatem peperit. Vetus interpres quotidianum reddidit, vt ex Hieronymo in hunc locum manifestum est. Atque ita omnes veteres auctores Latini legunt. Hieronymus supersubstantialem vertit, quanquam in eo veterem versionem noluit corrigere. Itaque incautè quidam nostro tempore in vulgata editione pro quotidiano supersubstantialem posuerunt: quod corporis cibo, quem à nobis peti probauimus, minimè conuenit. Alij consubstantialem, id est eiusdem nobiscum substantiæ reddiderunt, vt inde ὁμούσιον, de quo tantopere aduersùs Arianos disputabatur, confirmarent, vt Marius Victorinus lib. 3. aduersus Arium. Hieronymus scribit se in Hebræorum Euangelio pro ἐπιούσιος legisse מחר crastinum quasi inter crastinum & hodie antithesis quædam sit; & hodie in diem crastinum necessarium petamus panem. Et quidem verborum antithesis rectè congruit; sententia verò non congruit: non enim docet, sed prohibet Christus in crastinum esse solicitos. vers. 34. Alij exponunt ἐπιούσιον substantiæ nostræ alendæ accommodatum, id est panem cibarium non delicatum, non superuacaneum; quod non prorsus malè conuenit. Sed nihil æquè mihi videtur conuenire, atque vt noster vertit interpres, *quotidianum*; vt intelligitur ex eo, quod sequitur, *da nobis hodie.* Non enim est verborum antithesis, quam quidam, vbi nõ est, quærunt; sed cognatio: similitudóque sententiæ, quemadmodum si coniugatis etiam dixisset verbis, panem nostrum hodiernum, id est nobis in hodiernum diem necessarium, da nobis hodie. Sed vocauit potius quotidianum quàm hodiernum, vt generalior esset sententia, significarétque Deum singulis diebus seruis suis necessarium cibum dare solere. Diarium Latini vocant. Petimus ergo à Deo, vt ne patiatur diarium nostrum nobis hodie deesse. Loquimur enim tanquam filioli, qui mane in scholam proficiscentes primo loco eius diei statutam panis portionem postulant. Consonat huic sententiæ Syriaca translatio, quæ pro pane quotidiano legit לחמא דסובכנן יומנא panem indigentiæ nostræ. Vnus adhuc tangere potest scrupulus, quòd ἐπιούσιος non à participio ἔσαι, sed à nomine ἐσία, sicut ὁμούσιος & ὁμοιούσιος Græcè linguæ consuetudine cadere debeat. Quod si ita est, non præsentis diei cibum, sed subsstantialem, aut supersubstantialem, aut ad subsstantiam denique, quæ ἐσία dicitur pertinentem significare potest. Respondeo Euangelistam, aut Euangelistæ interpretem nouo vocabulo, aut veteri noua significatione vti potuisse. quemadmodum sæpe Apostoli vti solent. Deinde nisi me coniectura fallit, Hebraismum sapere. Dicunt enim Hebræi יצא היום hodie subsstantiam diei huius, pro hunc ipsum diem, vt Genes. 7. 13. & Leuit. 23. 14. Sic ergo vocare potuit Euangelista ἐπιούσιον panem, qui ad subsstantiam præsentis diei pertineret, id est portionem panis nostri, quæ præsenti diei respondet. Nolo tamen meam valere coniecturam; nisi, qui doctiores sunt approbauerint.

12. *Et dimitte nobis debita nostra.*) Peccata nostra debita vocamus, quia illis tanquam ære alieno obstricti tenemur Deo. Id constat ex Luca c. 11. 4. qui pro debitis peccata dixit; & ex parabola, quæ est infra. c. 18. 27. quid autem sit peccata remitti. ad Roman. 4. 8. disputauimus: nunc sine disputatione, ne forte lector erret, admonemus dimitti esse non solùm non imputari, non solùm dissimulari, non solùm tegi, non solùm non puniri, vt noui hæretici fabulantur, sed penitus etiam tolli, penitus deleri, & in profundum mare proiici, vt scriptura loquitur. Ioan. 1. 9. Isai. 43. 25. Mich. 7. 19. Probantur ex hoc loco veteres Catholici aduersus Pelagianos neminem in hac vita sine peccato esse, quando omnes dicere iubemur, *Dimitte nobis debita nostra.* Hieronym. lib. 3 aduersus Pelagianos, Augustinus lib. 2. contra ep. Parm. cap. 10. & lib. 3 contra duas ep. Pelag. c. 5. & lib. 3. de peccat. mer. c. 13. & epist. 89. & homil. 42. Duobus modis Pelagiani respondebant; primùm viros sanctos, cum hæc dicunt verba non pro se, sed pro aliis orare August. lib. 2. de peccator. mer. c. 10. Deinde non ex veritate, sed

Nemo sine peccato.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex modestia & humilitate dicere. Aug. libr. 2. contra duas ep. Parm. c. 10 quibus iisdem locis respondet.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.) Periculosam nobis videtur Christus regulam tradere. Malè enim omnino nobiscum agetur, si non aliter nobis Deus, quàm nostris nos debitoribus peccata dimittat. At non est regula, sed conditio. Non esse regulam manifestum est; quia Deus nobis & multo plura, & multo & maiora, & multo liberalius, & multo minus merentibus remittit; quàm nos debitoribus nostris, aut remittere soleamus, aut etiam possimus. Itaque si regula esset, non salutem, sed damnationem potius nostram à Deo peteremus. Hoc per illam, quàm diximus, parabolam c. 18. 24. 28. significatur, vbi Dominus seruo decem millia talenta remisit; seruus conseruo centum denarios noluit condonare; nec Dominus proprerea dimisit, quòd seruus debitori suo prius dimisisset, quasi eius exemplo prouocatus; sed prius Dominus dimisit, postea seruus dimittere noluit. Denique regula est, quam imitamur; non autem Deus nos, sed nos Deum in remittendis peccatis imitamur; non ergo nos illi, sed ille nobis regula est. Nos illi conditio sumus, quia si nos debitoribus nostris non remittamus, neque nobis ille remittit, vt supra c. 5. 23. 24. significatur, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersùs te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuũ*, & Mar. 11. 25. *Cum stabitis ad orandum dimittite, si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.* Et Luc. c. 11. 4. non dixit, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: sed, *siquidem nos dimittimus omni debenti nobis.* Cur ergo Christus hanc non iam regulam, sed conditionem adiecit, cum potius impedire rei, quam petimus impetrationem, quàm iuuare videatur? Respondeo. duabus de causis appositã fuisse; & ad corrigendam orationem nostram, ne nobis à Deo peteremus, quod aliis ipsi nollemus dare; & ad commonefaciendos nos, vt quod à Deo petimus, id nos aliis concedamus. Reliquum est, vt videamus, quo modo sit intelligenda. Nescio qui olim hæretici ita intelligebant, quasi quantumcunque homines peccarent, & quacunque ratione viuerent, modo acceptas iniurias condonarent, certi essent fore, vt peccata sibi à Deo remitterentur, vt scribit Augustinus libr. 21. de ciuit. c. 22. & 27. quibus respondet, non vt fiant, sed quia fiunt peccata, ideo dicitur, dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non ergo est sensus fore, vt hac sola conditione nobis Deus debita nostra dimittat, si nos debitoribus nostris dimittamus; sed, vt nisi dimiserimus aliis, nec ille nobis dimittat. vt ver. 15. *Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*, quare quod paullo antè ver. 14. dictum est, *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester delicta vestra*, non absolutè, vt Augustinus admonuit. intelligendum est. sed si cætera accedant, quæ sunt necessaria, si nos peccasse pœniteat, si animus sit non iterum peccandi. & si quid est aliud, quod ad peccatorum remissionem requiratur. Nam, vt semel dicam, hoc inter negantes, & affirmantes promissiones, aut conditiones differt: quòd negantes absolutè, & sine alia superaddita conditione; affirmantes nunquam absolutè, sed cum exceptione, nisi quid aliud impediat, intelligunturVnus & idem locus Mar. 16. 16. illustre vtriusque regulæ præbet exemplum. *Qui*, inquit, *non crediderit, condemnabitur.* Hæc enim promissio, quia negans est, absolutè, & sine vlla conditione est intelligenda. fore, vt quisquis non crediderit, quantumuis bene viuat, & quidquid aliud faciat, condemnetur. Quod autemibidem dicitur, *qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*; quia affirmatio est, non absolutè, & sine exceptione intelligendum, sed si cætera habeat necessaria. Sic hoc loco, quod dicitur ver. 15. quia per negationem pronuntiatur, absolutè; quod vero vers. 14. quia per affirmationem, non absolutè, sed cum exceptione intelligendum est. Alteram huius conditionis explicationem, nimis tamen angustam Augustinus affert, vt nostris debitoribus debita remittamus, id à nobis petentibus, sicut nos à Deo petimus, vt nobis nostra dimittat; & sicut seruus ille conseruum suum rogabat, *patientiam habe in me* Mat. 18. 29. Hæc, inquã, interpretatio & sensum nimis stringit, & conscientiam nimis laxat. Iubemur enim Mar. 11. 25. non solum rogati, sed nostra etiam sponte, cum stamus ad orandum dimittere, si quid aduersus aliquẽ habemus: quanquam & generaliter ac sine restrictione de omnibus intellexisse videtur ipse Augustinus libr. 2. de serm. Domini in monte. Illa difficilior est quæstio, quatenus debitoribus nostris remittere debeamus, vt nobis Deus debita nostra dimittat. De ea re copiosè Theologi disputant: ad eorum scholam auidum lectorem mittimus. Nos hîc ea tantum, quæ ad huius explanationem loci necessaria iudicamus, dicturi sumus. Hoc ergo non de omnibus debitis, sed de priuatis iniuriis intelligendum. Mille aureos nummos mihi debes; an, nisi condonauero Deus mihi peccata mea non condonabit? nequaquam ita est. Si enim condono, beneficium confero; si non condono, peccatum non admitto. Nec illa obstat parabola Mat. 18. 24. quòd de pecuniæ debito loquatur. Nam per pecuniam peccata sunt significata. Patrem meum occidisti; an necesse est, vt nihil à te exigam. si volo, vt nihil à me exigat Deus? minimè. Honorem mihi falsa criminatione detraxisti; an mihi repetere coram iudice non licebit? licebit. Quid ergo? iniuriam, non damnũ remittamus necesse est. si volumus, vt nostræ in Deum iniuriæ ab eo nobis remittantur. Iniuriam enim à damno subtiliter Theologi distingunt. Cum patrem meum occidisti. & fecisti iniuriam. & damnũ attulisti. Iniuriam, quia offendisti animum meum, quia contempsisti me; damnum, quia eum mihi eripuisti. qui me alebat, qui docebat, qui tuebatur: damnum repetere possum; iniuriam condonare debeo, ita vt nihil propterea velim mali; vt nullas tecum geram inimicitias, & vindictam non quæram. Idem in aliis exemplis intelligendum.

Quid inter affirmantes & negantes conditiones in scriptura intersit.

13. *Et ne nos inducas in tentationem.*) Duo hîc explicanda sunt verba; quid sit tentatio, & quid in tentationem inducere. Pelagiani hoc loco non peccatorum contra nos pugnam, quam tentationem scriptura solet appellare; sed humanos casus, quos ipsi per nos, nisi Deus auertat, effugere non possumus, intelligebant. Auctor Augustinus epistola 94. Nempe, quia in eo errore versabantur, vt existimarent in nostra esse potestate, vt nulla Dei adiuti gratia omnia peccata vitaremus; & à Catholicis hoc loco premebantur, quòd à Deo petamus ne nos in tentationem inducat, quasi non possimus sine eius auxilio superare, vt Hieronymus libro aduersùs eos, 3. & Augustinus multis locis argumentantur; hanc interpretationem tanquam diuerticulum, quà euaderent, quæsiuerunt. Sed ex proximo verbo facile refelluntur; *sed libera nos a malo*, vbi per malum, vt paullo post docebimus, non potest. nisi diabolus intelligi, tum etiam ex c. 26. 41. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem: Spiritus enim promptus est, caro autem infirma*, vbi certum est de peccatorum tentatione agi: quod ergo illic iubet exercere hic docuerat. Quomodo autem

nos

Deus quo modo tentat.

nos Deus in tentationem inducat; facile Caluinistæ respondent, quia nos ad peccandum impellit. Facile enim est hæreticum esse. Sed stat Iacobi sententia, quam nulla poterit hæresis abolere, *Nemo, cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse verò neminem tentat. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* c. 1. 13. 14. Vera ac firma omnium semper Catholicorum sententia fuit, Deum, cum de peccatis agitur non impellendo, non incitando; sed permittendo tentare vt Tertul. & Cypr. in lib. de orat. Dominica, & Aug. serm. 124. de tempore, & sæpe alias interpretatur. Hoc constat. Quid autẽ sit Deum non permittere, vt in tentationem inducamur, id nõ constat. Nam nonnulli interpretantur, non ne in tentationem incidamus, quod dum carnem circumferimus, fieri non putant posse; sed ne, cùm inciderimus, ab illa superemur, vt Aug. lib. 2. de ser. Domini, & epist. 121. & Theoph. in comment. in hunc locum. Melius, vt mihi videtur, idem D. August. in lib. de bono perseuerantiæ c. 6. Tertul. Cypr. de orat. Dominica. Chrysost. homil. 20. auctor imperf. 24. & Euthymius in hunc locum putant nos rogare, vt non incidamus in tentationem. nostræ enim infirmitatis memores, non solum, vt vincamus, petimus; sed etiam ne in certamen descendamus, ne forte vincamur. Hunc sensum Christus c. 26. 41. prorsus expressit, *Vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in tentationem. Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Pugnam ergo, sicut Christus detrectemus; sed nos cum diabolo, ille cum morte, *pater si possibile est transeat à me calix iste.*

Matt. 26. 39.

Sed libera nos à malo.) Cyprianus omne generaliter malum intelligit; siue peccatum; siue quiduis aliud, quod detrimentum nobis afferat. Alij ad tentationem referunt, quasi sensus sit, ne nos inducas in tentationem; sed libera nos ab illa, vt August. lib. 2. de peccatorum meritis c. 4 & lib. 2. de serm. Domini in monte & auctor imperfecti homil. 14. quod cum altera Augustini opinione, de qua vers. 9. diximus, qui septem esse putat orationis Dominicæ petitiones, non satis bene consistit. Idem enim esset, *ne nos inducas in tentationem* &, *libera nos a malo*; nisi forte in priore rogamus ne in tentationem incurramus; in posteriore, vt si incurrerimus ab ea liberemur, quod perexiguum & subtile discrimen est. Magis mihi Tertulliani placet interpretatio, vt per malum diabolus intelligatur: *Ipse* (inquit lib. de orat.) *à diabolo tentatus præsidem, & artificem tentationis demõstrauit.* quod & Chrysostomo homil. 20. & Chrysostomi sectatoribus Euthymio & Theophylacto placuisse video. Iuuat nomen πονηρὸς, quo diabolus vocari solet, vt supra. cap. 5. 37. & infra. c. 13. 19. & additus articulus, quasi malignum illum digito demonstrans. Adnotauit Augustinus libr. 2. de peccatorum merit. c. 4. quod ante eum Tertullianus indicauerat, eo artificio has petitiones esse dispositas, vt prima rogemus præterita nobis dimitti peccata; in secunda, vt ne in futurorum irritamenta prolabamur; in tertia, vt à præsentibus, quibuscum conflictamur, liberemur. Adiecit (inquit Tertul.) ad plenitudinem tam expeditæ orationis, vt non de remittendis tantum; sed etiam de auertendis in totum delictis supplicaremus.

Quia tuum est regnum.) Hæc verba in Græcis codicibus adduntur ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν, *quia tuum est regnum, & potestas, & gloria in secula. amen*; quæ, quia in nostra versione non legimus, nec in precibus dicere solemus; clamant hæretici, & nobis partim ignorantiã, partim falsi crimen obiiciunt; quasi alias de nostro cõmenti Dominicam mutilauerimus orationem. Sed, vt alij ante me monuerunt; non nos hęc verba detraximus; sed Græci solemni precationi addiderunt; vnde credibile est, in Euangelistæ cõtextum fuisse translata: quemadmodũ Angelicæ salutationi addiderunt ὅτι σὺ εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, quia in peperisti seruatorẽ nostrum, & Psal. *Gloria patri, & filio, & Spiritui sancto.* Estq; id Græcorum ingenio & moribus valde consentaneum, qui ad finem concionum solent adiungere, ὅτι σοῦ ἐστι κράτος, καὶ δόξα, καὶ βασιλεία, aut aliquid simile, vt apud Chrysostomum, & alios Græcor concionatores sæpe legimus. Confirmat coniecturam, quòd vetustissimi auctores non legant. Et solebant tamen Tertullianus & Cypr. Græcis potiùs vti exemplaribus, quàm Latinis, maximèque cum Græca Latinaque dissidebant, & Hieronymus Latinam editionem ad Græcam corrigens veritatem, tamen nec vertit. nec in commentariis exponit. Nec verosimile est Christum in tam breui præcisaq; oratione non necessaria addidisse verba. Fateor Græcos auctores Chrysostomũ, auctorem imperfecti. Theophylactum, & Euthymium legere: fateor & in Hebraico. & in Syriaco Euangelio reperiri. Sed Græci legunt ex consuetudine Ecclesiæ suæ; Hebræus, quia Græcè legit; quantum enim auctoritatis Hebraicum illud habeat Euangelium, in præfatione diximus. Syrus verò, quia credibile est eum ex Græco Euangelium transtulisse; nisi fortè & Syri ex simili precandi consuetudine addiderunt.

14. 15. *Si enim dimiseritis hominibus.*) Quidquid est in his duobus versibus difficultatis supra ver. 12. explicauimus. Nunc antithesis tantum inter homines & Deum notanda est. *Si*, inquit, *dimiseritis hominibus*, id est æqualibus vestris, conseruis vestris, vt in parabola debitorum c. 18. 28. 29. Magis enim debet homo homini, seruus conseruo, quàm homini Deus, seruo dominus iniurias condonare, quia mortalis cùm sit, non debet immortales gerere inimicitias, & quia minus æqualis ab æquali; quàm ab inferiore superior, præsertim ab infimo summus offenditur. Iubemur ergo facere quod est minus, vt obtineamus quod est maius; & centum conseruis nostris denarios remittere; vt decem millia nobis talenta à domino remittantur. Hanc vim habet, *hominibus.* Similis sententia Eccles. 28. 1. 2. 3. 4. 5. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo quæritmedelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit a Deo? quis exorabit pro delictis illius?*

16. *Sicut hypocritæ.*) De hoc nomine diximus ver. 2. *Tristeis.* σκυθρωποὶ, qui tristi sunt vultu: quod non de vera tristitia, sed de seueritatis sanctitatisque, vt ait Hieronymus, simulatione est intelligendum.

Exterminant. ἀφανίζουσι. sic vertit non Hieronymus, sed vetus ante illum interpres. vt ex Hilario can. 5. & August lib. 2. de ser. Domini perspicuum est. Nam Hieronymus, demoliuntur, reddendum putat, veterem subreprehendens interpretem, quod nec ipsum est proprium. Melius Hilarius, conficiunt, & Chrysostomus διαφθείρουσι corrumpunt, propriùs alij, obscurant. Sensus est, hypocritas, vt ieiunare videantur, natiuum & vegetum colorem, aut tristitiæ simulatione, aut alicuius medicamenti artificio in pallidum tetricumque conuertere: contra quàm mulieres faciunt, vt pulchriores appareant.

Mercedem suam.) quam quærunt vt ver. 1. 2. 5.

Tu autem.) mutatio numeri, vt ver. 21. ex Hebræorum consuetudine 4. Reg. 17. 29. Solebant Palæstini, vt ait Hieronymus hoc loco, diebus festis vngi. Nec solùm Palæstini, sed omnes Orientales in læti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia,& rebus prosperis vngebantur,vt ex his locis intelligimus Ruth.3.3.2.reg.12.20.& 14.2.& 4.reg.4.2. & Iudith.10.3.& 16.10.& Esther.2.12.Quomodo autē intelligendum sit,quod Christus iubet caput vngere, cum ieiunamus, Chrysost. hom.21.& auctor imperf. hom 15.Hieron.Theoph.Euthym.Rupertus rectè exposuerunt; non iubere,vt re vera caput vngamus,sed vt ieiunij fugiamus ostentationem,& hilaritatem potiùs atque lætitiam, quemadmodum qui caput vngunt,quàm tristitiam præferamus; sicut intelligitur quod supra dictum est ver. 3. *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*; & vers. 6. *intra in cubiculum tuum.* Aliæ interpretationes, quas partim iidem auctores, partim Origenes,Hilarius,Basilius,Augustinus,& Beda afferunt, allegoricæ sunt.

Liberum arbitrij assertio.

19. *Nolite thesaurizare.)* μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν,ne thesaurizetis vobis,vt hoc vtamur verbo. Vetus interpres in huiusmodi imperandi modis, qui per negationem dicuntur, addere solet verbum, *nolite*; sententiam exprimens,non verba,vt infra ver.34.& c.7. 1. 6. Quòd autem quidam Augustinum traducunt, quòd ex similibus locis in lib. de gratia & lib.arb.liberum hominis arbitrium confirmat.parum benignè faciunt. Nam & in nonnullis locis est μὴ διάλεκτος & si non esset, nihilo minus ex illis liberum probaretur arbitrium; quia nemo, præter hæreticos, tam est insanus,vt Deum nobis præcipere dicat, quæ facere non possumus. Et multo profectò illi magis ridiculè & imperitè ex aliis locis ad tollendam, quàm Augustinus ex iis ad asserendam libertatem arbitrij, argumentantur. Quid Christus per thesaurum intelligat, non satis compertum est. Hilarius humanam laudem intelligi putat, quam vers. 2. 5. & 16. mercedem appellauit, quam qui consectantur, ij thesaurum non in cœlo apud Deum,sed in terra apud homines ponunt. Melius alij omnes auctores,quos legisse memini, de terrenis opibus interpretantur. Quod ex ver.24 confirmatur, *non potestis Deo seruire & mammonæ.*

21. *Thesaurus tuus.)* Græcè ὑμῶν vester,sicut paullo infra καρδία ὑμῶν cor vestrum. Melius mihi videtur legisse noster interpres: nam & Chrysost. & auctor imperf. Græci scriptores ita legunt; & hæc muneri mutatio in concione maiorem habet vim, vt supra ver.17. Apparet autem hoc fuisse prouerbium sumptum de medio; qualia multa & in hoc,& in sequente capite reperiuntur,vt illud ver.24. *nemo potest duobus Dominis seruire.*

22. *Lucerna corporis tui.)* Græci non legūt tui. Quod quidam maiorem vim habere putant. Ego contra eo pronomine vehementius auditorem feriti arbitror, præterquàm quòd versu præcedenti iam cœperat secundam alloqui personam; & versu hunc proximè sequenti addit, ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου πονηρὸς ᾖ, *si oculus tuus fuerit nequam.* Atque ita legit Hilarius, & Ambrosius in lib.de dignit.sacerdotali cap.6. & Augustinus lib.2. de ser. Domini, & inter Græcos auctor operis imperf.Dubitare autem aliquis poterit,quorsum hæc verba pertineant, & qua consequentia superioribus adhæreant.Chrysos.& auctor imperf.ita coniungunt. Dixerat paullo ante, *vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuū*; cor est in animo, quod oculus in corpore: declarat ergo ex similitudine oculi corporis non posse se animum benè habere, cum cor est in thesaurum intentum,& auaritia obcæcatum.

Si ergo.) οὖν ergo hoc loco non est, vt grammatici loquuntur, illatiua coniunctio, sed incœptiua, aut continuatiua sententiæ.

Oculus tuus fuerit simplex.) Purus, mundus, non prauis infectus humoribus.

Totum corpus tuum lucidū erit.) Erit veluti oculatum. Nā oculus perexiguus orbiculus ita toti corpori necessariū lumen præbet,vt cum oculus purus est,totum omnino corpus oculus esse videatur: omnia enim membra ad fungēdas actiones suas per oculū vident.

23. *Si autem oculus tuus fuerit nequam.)* πονηρὸς, malè affectus, vitiatus, immundus. Opponit enim simplici,id est mundo.Si *ergo*,οὖν pro γὰρ *enim*: redditur enim causa.

Lumen,quod in te est,tenebræ sunt.) Quomodo lumen tenebræ esse possunt? aut si tenebræ sunt,quomodo lumen vocat? non quia est; sed quia esse debuit; vt, *filij autem regni eiicientur foras* Matth.8.12.id est,qui filij regni esse debuerunt. Et, *iustificata est sapientia à filiis suis.* id est ab iis, quos filios sapientiæ esse oportebat,Luc. 7.35.

Ipsa tenebræ quantæ erunt?) Reliqua corporis membra,quæ natura sua tenebræ sunt,quia nullum nisi ex oculis lumen habent.

24. *Non potestis duobus dominis seruire.)* Quorsum hoc? Respondet Chrysost. hom.22. & auctor imperf. 16. quia dixerat ver.19. *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, quod probat non esse faciendum,quia non possumus Deo seruire,& mammonæ. Probabile est, vt ante diximus,vulgare hoc fuisse prouerbium quale illud apud Latinos est, *nemo potest simul sorbere, & flare.* Quo autem modo intelligendum sit,Chrysost. hom.22 & Theoph.exponunt, neminē posse duobus dominis seruire cōtraria præcipientibus,quales Deus & mammona esse solent, quod etsi verum est,tamen aliam Christus rationem affert. *Aut enim vnum odio habebit,& alterum diliget; aut vnum sustinebit,& alterū contemnet*; quibus verbis significat neminem duobus dominis non solum contraria,sed etiam diuersa præcipientibus seruire posse;quia natura ipsa prohibet,vt amor serui in diuersos distrahatur dominos;quemadmodum si dixisset nullam mulierem duos maritos habere posse; non modo quia contraria præcipiunt;sed quia coniugalis amor natura sua eiusmodi est,vt non nisi vnius esse possit.Sic vnus dominus multos seruos habere potest, vnus seruus multos dominos habere non potest,quia domini est seruum non amare, sed regere.serui dominum non regere.sed amare;& imperium diuidi potest,amor non potest. Itaque indicat Christus diuitias non solùm,cùm iniquè parantur,& iniustè dispensantur; sed etiam cùm non iniquè, non iniustè; si tamen amantur, ab amore Dei hominem auocare,quia nemo potest duos amare dominos,sicut alibi dixit.*Impossibile est diuitem intrare in regnū cælorū* c.19.26.Obseruauit auctor imperf.hom.16.nō dixisse, nemo potest duos dominos habere; sed *nemo potest duobus dominis seruire.* Dominum autem vocat omnē rem,cui nimis dediti sumus,cui quodammodo seruimus.vt Rom.6.16. *nescitis,quia cui exhibetis vos seruos ad obediendum,serui estis eius,cui obeditis;siue peccati ad mortem,siue obeditionis ad iustitiam.*& 2.Petr.2.19.à quo enim quis superatus est,huius & seruus est. Sic Basilius in moralibus regulis 2.c.1.

Aut enim vnum odio habebit.) Cum sententia sit facilis, locus est difficilis: videtur enim opponere vnum vni, alterum alteri; & cum dicit in secunda parte, *aut vnum sustinebit, & alterum contemnet*; incipere à posteriore membro prioris partis. & vnum dicere,quem ante alterum dixerat; hoc videtur oratio & consuetudo loquendi postulare. Quod si ita est, apparet inanem esse repetitionem, quemadmodum si diceret, aut Petrum odio habebit, & Paulum diliget: aut Paulum sustinebit, & Petrum contemnet.& ita plerique acceperunt: quod cum alij absurdum esse animaduerterent, dixerunt, vnum non

certum,sed vnam aliquam,quam designare velis personam demonstrare;alterum alteram.Mihi facilis huius rei explicatio videtur esse, adeo vt pigeat alias interpretationes fine operæ prętio recitare. Vnus enim hoc loco accipitur pro primo,altero pro secundo.notissimo omnibus etiam, qui Hebraicè nesciunt, Hebraismo. Itaque nomina duos, quos velis, dominos, Petrum & Paulum,aut vnum,id est primum Petrum odio habebit,& alterum id est secundum Paulum diliget:aut vnum id est primum Petrum sustinebit; & alterum,id est secundum Paulum contemnet. Vno dicam verbo non opponit persona personæ: sed odium personæ eiusdem amori.Similis est locutio apud Lucam.cap.16.13.

Non potestis Deo seruire & mammonæ.) Mammon Chaldaicè, mammona Syriacè diuitiæ dicuntur, vt Hieronymus hoc loco, & Elias in Thesb. docent. Consonat Punica lingua,quæ Hebraicæ affinis atque Chaldaicæ,lucrum mammon appellat,vt August.lib. 2.de serm.Domini, & serm. 35. de verbis Domini secundum Lucam adnotauit.

25. *Animæ vestræ.)* Animam hoc loco pro altera hominis parte positam esse ex alterius partis oppositione manifestum est,*nec corpori vestro, quid induamini*: sed quia ea parte viuimus, anima pro vita ponitur Hebræorum consuetudine,vt etiam August. admonuit, vt infra cap.10.39.& 16.25.Ioan.10.11.& 12.25.& 13.37. 38.& 15.13.& alijs locis pœne innumeris.

Neque corpori vestro.) Nominauit duas res homini charissimas, & de quibus maximè solet esse solicitus, quia tota in illis vita consistit: vetatque etiam de illis solicitudinem habere. Non autem omnem prohibet solicitudinem;sed eam,quæ ex diffidentia erga Deum proficiscitur, vt apparet ex ver. 26. 28. & 30. & eam quæ à Dei seruiture hominem distrahit, vt constat ex ver.24. *non potestis Deo seruire, & mammonæ.*Denique non omnem improbat solicitudinem; sed eam,quam seruus erga Dominum habet, loquitur enim conuenienter ijs, quæ ver.24. dixerat, *nemo potest duobus dominis seruire.*

Nonne anima plus est,quàm esca?) Meritò dubitari potest quorsum spectet hæc ratio.Hieronym.August. lib.2.de serm.Domini, Ghrysost.hom.22. auctor imperfecti.16.Beda,Theophylactus,Euthymius,& Strabus huiusmodi argumentum esse putant,*nonne anima plus est quam esca,& corpus plus quam vestimentū?* Quis vobis animam & corpus dedit, nisi Deus? qui ergo quod maius est dedit, & quod minus est, dabit. Sic vult Petrus, vt omnem in illum nostram solicitudinem proijciamus, certi nos illi curæ esse epistola 1. cap.5. 7. Confirmatur hæc ratio ver.26.27. 28. 29. 30. Quòd autem nonnulli quondam monachi hoc loco ad otium & desidiam abutebantur;ideo non laborantes, vt victum quærerent, quòd Dominum omnem corporis solicitudinem prohibuisse dicerent; ex ijs, quæ paullo ante docuimus, non omnem solicitudinem prohiberi, refutari potest; & diuus Augustinus integro libro de opere monachorum copiosius refutauit.

26. *Respicite volatilia.)* Quidam olim per volatilia angelos intellexerunt.vt in commentarijs refert Hieronymus.Contrà Hilarius, immundos spiritus intelligit, fortasse allegoricè. Sed perspicuum est aues intelligi debere,nisi velimus non solum vim argumenti,sed omnem etiam sententiam prorsus perire. Cur autem aues potius, quàm alia animalia nominauerit, tres potissimùm causas fuisse arbitror: Primam, quòd voluerit in toto quodammodo mundo exempla nobis diuinæ prouidentiæ proponere. Incipit ergo à cælo, *respicite volatilia cæli*; & desinit in terram,

ver.28. *considerate lilia agri.* Secundam,quòd cum in sublimi aëre versentur, longius à cibo absint; & tamen Deus pascit illa. Tertiam; quòd terrestria animalia plus in quærendo, & recondendo cibo habere soleant industriæ; itaque Salomon, vt prouidi & laboriosi esse discamus, mittit nos ad formicam, Prouerb.6.6.& 30.25.*formica*,inquit, *populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.*

Cæli. Eodem hoc epithetum pertinet; sunt enim & domesticæ aues,quæ hominum aluntur prouidentia; cælestes autem solus Deus alit. Lucas. cap.12. 24. coruos nominatim dixi,ideo,vt quidam putant, quòd coruorum pulli simul, vt exclusi sunt, à patre & matre deseruntur; ita vt ex Dei sola pendeant prouidentia; ideo de coruis nominatim dictum esse, *qui præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes eò quod non habeant cibos*, Iob. 39. 3. & *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*, Psal.146.9.

Et pater vester cælestis pascit illa.) Non dicit pater eorum;sed pater vester, quasi dicat, si Deus illa, cum & vilissima sint animalia, & eorum ipse pater non sit; tamen prouidentissimè pascit; quanto magis pascet vos, qui & homines,& eius filij estis? Poterat,inquit, Chrysostomus hom.22. in Mose, in Elia, & Ioanne diuinæ prouidentiæ exempla proponere, quorum Moses quadraginta dies à Deo sine cibo sustentatus est, Exod.24.18.Elias & per coruum alitus auium voracissimam. & quæ maximè cibo eget. 3.Reg.17.4.6. Ioannes in solitudine sine vlla victus & vestitus solicitudine vitam egit,supra.cap.3.4. Sed voluit ostendere diuinam prouidentiam ad minimas quasque atque viliissimas etiam res pertinere,nec.vt stulti illi dicebant,cælo claudi, Iob.22.14.

Nonne vos magis pluris estis illis?) Maluit noster interpres à Latini sermonis cōsuetudine, quàm à Græcis verbis discedere οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; nonne vos longè illis estis præstantiores?

27. *Quis autem vestrum cogitans.)* Quantumuis intendat neruos ingenij,quantumuis sese cogitando discrutiet μεριμνῶν.

Cubitum vnum.) Quorsum hoc dicat,non facile dictu est. Hieronymus, Augustinus libro de sermone Domini: Beda & Strabus in commentarijs existimant; sicut paullo ante probauit animam pluris esse, quàm escam; ita none probare velle corpus pluris esse, quàm vestimentum; & Deum, qui istam nobis corporis staturam dedit,conueniens illi vestimentum daturum esse;nos,qui staturam facere non possumus; nec vestimentum illi accommodatum, nisi Deo concedente, reperire posse. At id non hoc loco, sed vers. sequenti facit. *Et de vestimento quid solliciti estis?* quasi nondum cœpisset de vestimento disputare. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. Si non potestis, quantumuis edatis & bibatis, ad staturam corporis vestri vel vnum cubitum adiicere, nisi Deus augeat, quid de cibo & potu soliciti estis? *neque enim qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* 1.Corinth.3.7.Hunc non esse sensum constat ex Luca.cap.12.26. *si ergo, quod minimum est, non potestis, quid de cæteris soliciti estis?* Ex quo loco necesse est, vt hunc, si rectè volumus intelligere, interpretemur. Ex Luca autem manifestum est, voluisse Christum ab eo,quod erat minus, ad id quod maius erat, argumentari. Vocat ergo minimum, cubitum vnum ad staturam corporis adiicere, non comparatione indumenti, aut cibi, aut potus. Nec enim dubium est, quin maius sit, atque difficiliùs, non dico vnum cubitum, sed vel vnum pilum corpori nostro addere, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

victum & vestitum inuenire. Sed vocat minimum comparatione totius corporis & animæ, vt rectè auctor imperfecti animaduertit. Probat igitur Christus his verbis minorem superioris argumentationis propositionem, quam suppresserat. Sic enim argumentatus fuerat: Anima plus est quàm esca, & corpus, quàm vestimentum. sub. sed animam & corpus non vos, sed Deus facit; ergo escam & vestimentum non vos debetis quærere, sed Deus. Illam autem partem minoris propositionis, animam & corpus vos facere non potestis, nunc probat. Non potestis vnum cubitum facere; ergo multo minus totum. Quod autem quidam Euthymium secuti putant, ideò potius cubitum, quàm palmum, aliámue mensuram nominasse, quòd cubitus propria humani corporis mensura sit; vniuscuiusque enim hominis corpus quattuor eiusdem hominis constare cubitis; iudicent alij. Ego hoc tantùm compertum habeo Christum, cùm minimam corporis partem, vt argumentationis vis requirebat, dicere vellet, cubitum appellasse. non quòd non alia mensura minor sit; sed quòd ea vna sit ex minimis. In his enim rebus non subriliter, sed vulgariter loqui consueuimus: quemadmodum qui dicit se ne vnum quidem assem habere, vt significet nullam se prorsus habere pecuniam; non ideo assem nominat, quòd minima pecunia, sed quòd ex minimis vna sit. Itaque qui Gallicè dicit, ne vnum quidem assem habeo, & qui dicit, ne vnũ quidem denarium habeo, quamuis asse denarius minor sit; idem tamen dicit. Simile exemplum supra notauimus, cap. 5. 26. Nam quod Matthæus dixit, *non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem*, Lucas cap. 12. 59. dicit, *donec soluas nouissimum minutum*, quod quadrantis media pars erat; idem tamen dicunt, id est donec omne prorsus debitum soluas. Sic quod hoc loco Matthæus dicit, *quis vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum*, id est vel minimam partem; supra. cap. 5. 36. dissimili argumento, simili sententia dixit, *non potes vnum pilum album facere, aut nigrum*. Quòd autem Hilarius ad staturam corporis Christi, hoc retulit, de qua loquitur. D. Paulus Ephes. 4. 13. satis apparet non esse litterale.

28. *Lilia agri.*) Eadem ratione, qua paullo ante non dixit, volatilia tantùm, sed volatilia cæli; nunc non tantum dicit respicite lilia, sed lilia agri; vt ab hortensibus distinguat, quæ hominum cura & plantantur, & aluntur. Videtur autem Christus hoc exemplo docere voluisse Deum non solùm necessitatis, sed etiam elegantiæ, & pulchritudinis nostræ curam habere, vt ne eius quidem causa solicitos nos esse oporteat. Quemadmodum patres non solùm prouident, ne quid liberis suis ad vitam, & studia; sed etiam ne quid ad vsitatam elegantiam, & honestam recreationem desit. Huc spectat quod dicit, *nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum existis*. Porro quod hîc verbis docet, iam olim re ipsa docuerat. Hebræos enim per quadraginta annos in solitudine vestiuit Deut. 8. 4. *vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est*.

29. *Nec Salomon.*) Proposuit Salomonis potius, quàm alterius regis exemplum, quia & opibus, & potentia, & sapientia omnibus, qui ante, quique post ipsum fuerunt, antecelluit. 3. Reg. 3. 13. quibus rebus & excogitari, & parari solent ea, quæ ad ornamenta corporis pertinent.

In omni gloria sua.) Quod quidem noui interpretes vertunt, ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ cum omni gloria sua, vt ἐν pro σύν, sicut apud Hebræos, accipiatur, probare non possum; quia & à propria verborum significatione nulla coacti necessitate discedunt; & vim sententiæ non exprimunt. Non enim est sensus, ne Salomonem quidem, quantumuis inclytus & gloriosus fuerit, tam eleganter vestiri potuisse; vt isti videntur existimare; sed ne Salomonem quidem, etiam tum, cum in summo fastigio gloriæ suæ erat, ita potuisse vestiri. Est enim δυξοις, quia ex regibus maximum nominat Salomonem; ex Salomonis verò temporibus, illud, quo eius gloria atque potentia maximè vigebat. Itaque melius noster vertit interpres.

30. *Si autem fœnum.*) Duo oportuit contraria in liliis exaggerare, summam pulchritudinem, & infimam vilitatem. Pulchritudinem, vt eam Salomonis anteponeret elegantiæ; vilitatem, vt ostenderet nihil tam vile, nihil tam abiectum esse, cuius Deus summam non habeat curam. Cum de pulchritudine agebat, lilia, cum de vilitate χόρτον fœnum appellauit. Solet scriptura, quæ vilissima, & breuissimæ vitæ sunt, fœno comparare Psalm. 36. 2. & 71. 17. & 91. 8. & 101. 5. 12. & 101. 15. & 128. 6. & Ecclesiast. 14. 18. Isai. 37. 27. & 40. 6.

33. *Quærite.*) Soliciti estote de regno Dei; sicut dixerat ver. 25. *nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, nec corpori vestro, quid induamini*, & ver. 28. & *de vestimento quid solliciti estis?* & 31. *nolite ergo solliciti esse*. Illi enim solicitudini hanc opponit, superuacaneæ necessariam, malæ bonam. Ergo, G. *Si* autem, id est, quærite non illa, sed regnum Dei.

Primum.) Non videtur dicendum fuisse primùm, sed, tantùm; non enim significat illa secundo loco quærenda, cùm paullo ante omnino quæri prohibuerit. Scio quosdam aliter respondere, ego tamen ita respondeo, Christum non omnino vetuisse cætera quærere: sed ita quærere, vt eorum solicitudo à Dei regno quærendo nos auertat; ita quærere, vt illis seruire videamur: non enim possumus duobus dominis seruire, ver. 24. Quærere autem secundo loco, id est propter regnum Dei, non vetuit; sed docuit. Nam in oratione Dominica, postquàm præcepit dicere, *adueniat regnum tuum*; præcepit etiam, vt diceremus *panem nostrum quotidianũ da nobis hodie*, quasi re ipsa ostendens, quid esset, quod hoc loco dicit, *primum quærite regnum Dei*, vt Chrysost. hom. 23. & Euthym. obseruarunt. Obijcitur, quod statim sequitur, *& hæc omnia adijcientur vobis*, quasi non quærentibus, quasi non solicitis, quasi non petentibus. Respondeo adijci, quia non primo loco quæruntur; quod autem non primo loco, ac propter se, sed secundo, & propter Deum quæritur, quæri non videtur, quia nõ ipsum, sed Deus in ipso quæritur. Tum etiam, quòd hæc sæpe etiam à Deo non quærentibus, neque cogitantibus adijciantur, vt paullo infra dicemus.

Regnum Dei.) Quidam illud regnum intelligunt, de quo ver. 10. dixit, *adueniat regnũ tuum*, vt Chrysost. & Euthym. quod perbellè quidem conueniret, nisi constaret hîc non agi de ijs, quæ Deo, sed de ijs, quæ nobis ipsis petimus; & nisi sequeretur statim, *& iustitiam eius*, quam certum est, nobis quærere debere, non Deo. Alij beatam vitam interpretantur, quasi dicat, studete primum ad regnum Dei peruenire, vt auctor imperf. hom. 16. & Beda, idemque Euthymius in commentarijs. Possumus etiam regnum Dei Dei gratiam accipere, quam in primis tanquam animarum nostrarum vitam quærere debemus, sicut Luc. 17. 21. dicitur, *regnum cælorum intra vos est*.

Et iustitiam eius.) αὐτοῦ Dei, quod hæreticorum patriarcha Caluinus non animaduertens, scripsit hunc genitiuum vel ad Deum, vel ad regnum referri posse, quod, si puerilis erroris est, tacitè præterijssem, sciens eiusmodi potius incõsiderantiam, quàm igno-

rationem

rationem in viros quamuis doctos cadere posse; nisi certus essem illum, si quis id dixisset Catholicorum, insolenter more suo fuisse risurum. Vocatur autem Dei iustitia, quam Deus nobis præscripsit, quasi dicat, curate imprimis Dei facere voluntatem; curate eius obseruare mandata, sicut Zacharias & Elisabeth dicuntur in omnibus iustificationibus, id est mandatis Dei ambulasse. Lucæ 1. 6. Possumus etiam intelligere ipsum regnum Dei, per expositionem *iustitiam eius appellari*; sicut ait D. Paulus Rom. 14. 17. *non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, gaudium, & pax in Spiritu sancto*.

Hæc omnia adijcientur vobis.) Videtur mihi metaphora esse sumpta à rebus vilibus, quæ in rerum pretiosarum emptione, non computãtur in pretium; sed dantur pro corollarijs. Illustre Salomonis exemplum est, qui cùm non opes, non gloriã non potẽtiam; sed sapientiam ad regendũ populũ Dei, id est solũ Dei regnum quæsuisset; cætera etiã illi, quæ non petiuit, data sunt. 3. Reg. 3. 13. Similes sententiæ sæpe in Psalmis occurrunt Psal. 33. 11. *Inquirentes autẽ Dominũ non minuentur omni bono*, & 110. 5. *escam dedit timentibus se*.

34. *Nolite ergo.*) Hanc vim habet, volatilia cæli, & lilia agri solicita non sunt, & tamen Deus pascit, ac vestit ea; non ergo vos, qui eius estis filij, debetis esse solliciti; aut, cùm hæc, de quibus vos maximè estis soliciti, etiam de illis non solicitis, sed tantùm regnum Dei quærentibus adijciantur, nolite pro illis esse soliciti, nolite vos sine vlla necessitate solicitudine cruciare, parcite vobis ipsis. *Sufficit enim dies malitia sua*.

In crastinum.) Indicat in hodiernum aliquam nos solicitudinem habere posse, sed petendi potius à Deo, quàm industria nostra quærendi: videtur enim alludere ad illud, quod ver. 11. docuit petere, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Lucas. cap. 12. 29. dixit μὴ μετεωρίζεσθε, ne sitis longa futuri solicitudine suspensi, ne philosophemini apud vos de rebus longè remotis. sicut Mathematici cùm de cælo disputant; vt illi qui apud Iacobum cap. 4. 13. dicunt, *hodie, aut in crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annũ, & mercabimur, & lucrum faciemus*. Crastinum pro futuro accipi ex Hebræorum consuetudine Hilarius & Hieronymus admonuerunt, vt Gen. 30. 33. *& respondebit mihi cras iustitia mea*.

Crastinus enim dies, solicitus erit sibi ipsi.) μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς, solicitus erit de ijs, quæ ad ipsum pertinent; id est satis vobis solicitudinis afferet ad quærenda ea, quæ cùm venerit, erunt in ipso necessaria: loquitur, vt ait Chrysostomus hom. 23. de die re inanimata per prosopopœiam, quasi solicitus esse posset; aut, vt ego arbitror, eadem metonymia, quæ mors dicitur pallida, quia homines pallidos facit. Sic enim dies dicitur pro rebus suis esse solicitus, quia nos pro illis solicitos reddit.

Malitia sua.) Solicitudo, de qua agebat, quam κακίαν, id est malitiam. id est afflictionem & vexationem appellat, vt Tertul. lib. 2. contra Marcion. Hieronym. in commentarijs, Chrysost. hom. 23. August. lib. 2. de serm. Domini, Euthymius, & Theophylactus exponunt κακίαν autem dixisse pro κάκωσιν, Hieronymus monuit. Superest quæstio de veritate sententiæ, quomodo nos in crastinum solicitos esse prohibeat, cùm Christus ipse loculos habens Ioan. 12. 6. & 13. 29. vtique non solum in crastinum, sed in plures etiam dies solicitus fuisse videatur. Certè Ioseph Euangelicæ vir sanctitatis in septennium magna etiam laude prudentiæ solicitus fuit Genes. 41. 35. 48. & Apostoli ad futuram famem annonam parãdam curauerunt Act. 11. 29. & Salomon nos, vt discamus de futuro soliciti esse, ad formicam mittit prouerb. 6. 6. & 30. 25. & si in crastinũ solicitos esse non licet; neque plantare, neque serere licebit, quæ non nisi solicitudine futuri fiunt. Respondet Aug per crastinũ bona temporalia intelligenda, quæ quærere non debeamus: at de bonis temporalibus nos solicitos esse posse, aliquãdo etiam debere, superioribus probatur exemplis. Auctor imperfecti in crastinũ esse solicitum interpretatur pro rebus non necessarijs solicitudinem gerere. At etiam loquitur Christus de necessarijs, de victu, atq; vestitu, *respicite volatilia cæli*. ver. 26. *& de vestimento quid solicitis estis?* ver. 28. & *nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*. ver. 31. & *scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis*. ibidẽ. Est superioribus ergo eliciendus est sensus. Non omnem in futurũ solicitudinẽ prohiberi superiora docent exempla; quæ autem prohibeatur, ex his, quæ toto capite dicta sunt, colligendum est. Primum ea prohibetur, quæ impedit, quominus quæramus regnum Dei. ver. 33. Deinde ea, quæ nascitur ex diffidentia aduersus Deum; *si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei*. ver. 30. postremò ea, quæ non sequitur, sed præcedit solicitudinẽ regni Dei, quod primo loco quærere debemus; & quæ tanta est, vt illi seruiamus, qui a duobus dominis seruire non possumus. ver. 24.

Quæ vera sint solicitudo prohibetur.

CAPVT VII.

1. NOLITE *iudicare, vt non iudicemini.* 2. *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?* 4. *Aut quomodo dicis fratri tuo: sine eiiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs in oculo tuo?* 5. *Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* 6. *Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* 7. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* 8. *Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* 9. *Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?* 10. *Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?* 11. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* 12. *Om-*

Luc. 6. f. 37. Rom. 2. a. 1. Mar. 4. c. 24.

Inf. 21. c. 22. Mar. 11. c. 24. Luc 11. b. 9. Ioan. 14. b. 13. 1. Ioa. 3. a. 6.

nia ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc. 6. f. 31. Eccl. 4. c. 26. Luc. 13. c. 24 Luc. 6. g. 44.

nia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ. 13. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. 14. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam! 15. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: 16 à fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: 18. mala autem arbor malos fructus facit.

Sap. 3. c. 10.

Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere: 19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. 21. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. 22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? 23. Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem. 24. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, 25. & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. 26. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: 27. & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. 28. Et factum est: cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. 29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.

Inf. 25. a. 1.

Act. 19. c. 13.

Psal. 6. c. 9. Inf. 25. d. 41. Luc. 13. f. 27. Luc. 6. g. 48. Rom. 2. c. 13. Iac. 1. d. 22. Mar. 1. e. 21. Luc. 4. e. 32.

IN CAPVT SEPTIMVM.

A

NOLITE.) Primùm hoc loco quærendum, quo vinculo hæc cum superioribus copulentur. Augustin. lib. 2. de sermone Domini existimat, propterea quòd superiore capite temporalium rerum solicitudinem Christus prohibuerat; nunc eos, qui eas non quærunt, commonefacere; ne malè de quærentibus iudicent. cum benè & malè quæri possint; & existimare debeant eos, qui quærunt, bono animo quærere; sicut D. Paulus cum idolothytis vesci prohibebat. 1. Cor. 8. tamen non vult, vt qui illis non vescuntur, de vescentibus malè iudicent: quia possunt, aut per ignorantiam, aut bono animo vesci. *Quis*, inquit, *non mandducat, mãducantem ne iudicet.* Rom. 14. 3. Auctor imperfecti vult cum oratione Dominica iungi. Dixerat enim c. 6. 12. *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, & ver. 14. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester cælestis peccata vestra; nolite ergo iudicare & non iudicabimini.* Ego iam monui non esse anxiè quærendam in Euangelistis sententiarum connexionem, quia res non eo ordine scribere voluerunt, quo factæ à Christo, vel dictæ sunt. Quod præcipuè in eius concionibus obseruatur, in quibus nec omnia, quæ dixit, nec eo, quo dixit, ordine recensent, contenti præcipua eius doctrinæ capita commemorare. Quòd si quam nobis licet ex argumenti similitudine coniecturam ducere; credibile est hæc verba non in cõmuni ad populum cõciones; sed in illa ad Apostolos priuata, quam Matthæus 5. cap. recitauit, dicta fuisse, esseque cum ver. 48. capitis quinti iungenda, *Estote ergo perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est*; & quia hoc modo sententia sententiæ; verba verbis hæc cohærent; & quia Lucas. cap. 6. 36. 37. ita coniungit.

B

C

Iudicare.) Interpretatio est Hilarij can. 5. Ambrosij lib. de paradiso cap. 5. nolite iudicare de iudicijs & promissis Dei, ne ab eo iudicemini; sicut Iacobus. c. 4. 11. ait, *qui detrahit fratri, iudicat legem; si autem iudicat legem, non es factor legis; sed iudex.* Alij interpretantur, *nolite iudicare*, id est seueri esse in proximos, & iniurias ab illis acceptas animo conseruare, vt auctor imperfecti hom. 17. *Alij iudicare*, pro condemnare accipiunt, vt Euthymius & Theophylactus. Alij non condemnationem tantùm aliorum, sed etiam iudicium prohiberi putant, August. lib. 2. de sermone Domini, & serm. 102. de tempore. Basilius in reg. breu. 164. Hieronym. in commentarijs, Chrysostom. hom. 24. Anastas. q. 83. Beda. & Rupertus. Quod ego etiam verum putoscredo tamé non solum iudicium, sed etiam curiositatem in alienos mores inquirendi prohiberi, quia sic condemnationi iudicium, sicut sententiæ iudiciali inquisitionem anteponit. Nam quod sequitur, *nolite condemnare, & non condemnabimini*; vt paullo post docturi sumus, non eiusdem, vt multi existimant, expositio sententiæ, sed alia sententia est. Quærit Hieronymus, Chrysostomus, Anastasius, Augustinus, Beda, & Euthymius, quomodo Christus de alijs iudicare prohibeat, cum aliquãdo adeo manifesta eorum peccata sint, vt non possimus de illis non malè iudicare. Video patrem cædem, video alienam vxorem contrectantem, an non iudicabo peccare? Legimus etiam D. Paulum non iudicasse modò, verum etiam Corinthium illum condemnasse. 1. Cor. 5. legimus quosdam alios Satanæ tradidisse, vt discerent non blasphemare. 1. ad Timot. 1. 20. Legimus Petrum Ananiam & Saphiram interemisse. Act. 5. 1. Legimus Christum Apostolis iudicandi de peccatis tradidisse potestatem infra. c. 16. 19. & c. 18. 18. Ioann. 20. 23. & 21. 15. Legimus nobis omnibus præcepisse, vt rectum iudicium iudicaremus, Ioan. 7. 24. Argumentatur etiam Hilarius, si omnino iudicandum non est, quomodo

dicit,

dicit, *in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini?* Rectè Hieron. respondet; non prohibuit Christus iudicare, sed docuit Primum certum est non prohibuisse eos, qui non solum publicam potestatem, sed publicam etiam habent obligationem de alijs iudicandi; quales sunt iudices & magistratus, cuiusmodi & Apostoli fuerunt. Illud etiam certum, non prohibuisse de apertis iudicare, de quibus D. Paulus dicit, *quorundam peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium.* 1. Timot. 5. 24. Præterea neq; de dubijs, modo non vltra, quàm, quò nos ducunt indicia, iudicemus. Quæ omnia rectè sunt à Theologis diffinita. De alijs, quæ benè & malè interpretari possumus, malè iudicare prohibuit id enim à nobis caritas exigit, quæ *non cogitat malum*, 1. Cor. 13. 5. Sic Basilius. August. & Beda ijs locis; quos paullo ante designauimus; nisi quod August. nimium videtur sensum restringere, *hoc*, inquit, *loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Nõ enim de animo solum alterius, sed etiam de rebus ipsis dubijs iudicare prohibemur. Rom. 14. 4. 10. 13. & 1. Cor. 4. 5. Iacob. 4. 11. 12. Illud autem maximè vetat Christus, ne cum ipsi ijsdem, aut maioribus forte peccatis obstricti simus, curiosè de aliorum minoribus iudicemus. Hoc enim sequitur ver. 3. *quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Et Rom. 2. 1 *Propter quod, ô homo, inexcusabilis es, omnis qui iudicas: in quo enim alterũ iudicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas*, vt Basilius, Chrysostomus auctor operis imperfecti, & Euthym. monuerunt. Multò verò magis, ne de alijs detrahendo iudicemus: duplicem enim illi de quo detrahimus, facimus iniuriam, & quòd ipsi bonam de illo, vt caritas postulat, opinionem non habemus, & quòd quam alij habent, denigramus, Iacob. c. 4. 11. *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi.*

A

B

C

D

E

Et non iudicabimini.) ἵνα μὴ κριθῆτε, vt non iudicemini. Noster interpres videtur legisse νῦν μὴ κριθήσεσθε eodem sensu, sed Hebraismo νῦν & pro νι, & futuro tempore indicatiui pro præsenti coniunctiui. Quidã, & non iudicemini, ad homines referunt, quasi dicat, si vultis, vt alij de vobis non iudicent, ne iudicetis de illis; sicut dicit ver. 12. *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis*, & c. 26. 52. *conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, & Isai. 33. 1. *væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? væ qui spernis, nonne & ipse spernêris?* Videtur hunc sensum confirmare verbum hoc loco, & apud Luc. c. 6. 38. sine certa persona positum, *qua mensura mẽsi fueritis, remetietur vobis.* Alij melius, vt mihi videtur, ad Deum, vt Chrysost. hom. 14. & auctor imperf. 16. August. lib. 2. de serm. Domini, Beda, & Euthymius. Credibile enim est Christum iudicium potiùs Dei, quàm hominum iis qui de aliis temerè iudicant, comminari voluisse; multo enim est terribilius. Hoc ipsum postulat antithesis, nolite de hominibus iudicare, ne à Deo iudicemini. Adde quòd vt docuimus, hæc sententia cum fine quinti capitis hęret. *Estote ergo misericordes: sicut pater vester cælestis misericors est*; ubi autem ver. 7. dictum erat, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, non dubium, quin à Deo; aut, vt alij putant, cum c. 6. ver. 15. *si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*; vbi non hominum, sed Dei iudicium nobis proponitur.

Nolite condemnare, & non condẽnabimini.) Hæc verba nunc Græci non legunt; nec videtur veteres Latini legisse. Tertull. lib. de patientia, Hylar. in com. Ambr. lib. de paradiso. c. 11. August. lib. de serm. Dom. 2. Beda, Strab. Ruper. Chrysost. certè hom. 24. auctor imperf. 17. Euthym. & Theophyl non legunt. & putãt recentiores interpretes ex margine, vbi forte aliquis, vt illa verba *nolite iudicare*, exponeret, scripserat; *nolite condemnare*; in contextũ fuisse translata. Ego mihi legẽda esse certò persuadeo, nosterq; mihi interpres imitãr omnium auctorũ est. Magnum etiam argumẽtum. quod apud Lucã. c. 6. 37. eadem verba legantur, & credibile non sit idem vtroque loco vitium accidisse. Accedit, quod singuli versus singulis cõstant sententiis. & fere pares sunt; si autem hæc verba tollãtur, mutilus remanebit versus, & tam breuis quàm nescio an vllus alius in toto nouo testamento reperiatur. Condemnare autem alios non idem est hoc loco, quod iudicare, vt Theophylact. & Euthym. existimant; sed iudicando condemnare. Hoc enim sententiæ gradus postulat, quæ ex cõmuni consuetudine sumpta est, qua iudiciũ condemnationẽ antecedit. At quomodo possumus nos, dicet aliquis, cùm publicã non habeamus auctoritatem, alios cõdemnare? Respondeo, solere nos quãtum in nobis est, damnare alios; id est, æterna aut temporali pœna dignos iudicare, quod Christus vetat facere. Sic Simon ille Pharisæus mulierem illã peccatricẽ damnauit Lucæ. 39. Christus absoluit, *remittuntur tibi peccata tua*, ver. 48. Sic Phariſæi publicanos damnabant. & extra omnem spẽ salutis ponebãt Matt. 9. 11. Christus autẽ ex illis Apostolos fecit ver. 9. Denique prohibemus his verbis Dei, qui solus verus est iudex, officium occupare, vt 1. Cor. 4. 5. *Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

2. *In quo enim iudicio.* Hebraismus במשפט תשפטו pro משפט secundum iudicium, quo de aliis iudicaueritis, de vobis iudicabitur. Quod Hilarius argumentatur, quomodo in quo iudicio iudicabimus, iudicabitur de nobis, si omnino non licet nobis iudicare? explicari potest; non enim omnino, sed malè iudicare prohibemur. Quod si fecerimus, malè quoque, id est seuerè de nobis iudicabitur. Illud difficilius quod multis locis August. quærit, vt lib. 2. de serm. Domini, & epist. 29. q. 4. & lib. 2. qq. Euang. c. 8. & Beda, Chrysost. & Euthym. in hæc verba; quomodo, in quo iudicio iudicabimus, de nobis iudicabitur? an si nos de aliis temere, iniustèque iudicauerimus, temere de nobis Deus, iniustèque iudicabit? Augustin. & Beda respondent sensum esse, non Deum, sed iudicium ipsum nostrũ temerarium, & iniustum de nobis iudicaturum, id est causam futurum, vt de nobis iudicetur. Respondẽdum potius videtur non spectari hic omnes iudicij qualitates, sed solam curiositatẽ, seueritatemq; iudicandi. Qua enim curiositate atque seueritate de aliis iudicauerimus; eadem de nobis Deus iudicabit. Cum autem eadẽ dico, non re, sed proportione eandem intelligos nam eius misericordia & bonitas infinitis semper partibus maior est nostra; sed tamé proportione quadam, quo nos erga alios seniores fuerimus, hoc etiam erga nos seuerior ille erit.

Et in qua mensura mẽsi fueritis. Videtur Lucas. c. 6. 38. significare, non eadem nobis qua mensi fuerimus, sed maiore mensura remetiendum. *Mensuram*, inquit, *bonam & confertam & cogitatã, & supereffluentem dabit in sinum vestrum.* Verumque verum est. & eadẽ, & maiore mensura nobis remetiendũ. Eadẽ. si proportione; maiore, si rem datam consideres. Quomodo proportione eadem, iam expositum; quomodo re maiore, facile intelligitur. Nam siue futurã gloriam, siue pœnam quam nobis Deus adiudicat spectemus, multo maior est, quàm qua nos alios condemnando dignos iudicamus. *Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. 18. & *quod in præsenti est momentaneum & leue tribu-*

lationis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 1. Cor 4.17. Eodem modo Gentilium obiectioni respondendum est, qui hanc olim sententiam calumniabantur, quasi non eadem mensura futura esset, cum altera esset æterna altera tēporalis, vt scribit August epist. 48. & 49 & lib. 21 de civit. c. 11. quāquam aliter Augustinus illis respondet. Et hanc, & pleraſq; alias ex ijs, quæ sequuntur, prouerbiales fuisse sententias opus non est lectorem admonere, quia & ipsum per se manifestū est, & multi iam interpretes monuerunt.

6. *Nolite dare sanctum canibus.*) Quorsum hoc? Auctor imperf. hom. 17. refert ad c. 5. ver. 44. 45. vbi Christus dixerat, *diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*; adhibere nunc eius sententiæ moderationem, ne ita diligant, vt sine iudicio & discrimine dent canibus sanctū, & margaritas porcis proijciant. Alij, quia proximo versu quinto de aliorū correctione mentionem facerat; *ecce prius trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucis de oculo fratris tui*: admonere nunc ne dent sanctum canibus, porcisq; margaritas, id est ne vbi nulla proficiendi spes est, correctionem adhibeant, quæ nunc Theologorū regula est; sic Strabus. Alij; quia c. 6. 23. simplicitatem docuerat, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*; nunc prudentiam docere, *nolite sanctum dare canibus, nec proijciatis margaritas ante porcos*, sicut alio loco dicit, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. c. 10. 16. sic August. lib. 2. de serm. Domini. Ego partem sermonis in monte ad Apostolos habiti esse arbitror, quia ad eos propriè pertinet, qui alios docturi sunt; sed, vt sæpe diximus. Euangelista Christi sententias non quo ordine ab illo dictæ fuerāt, sed quo sibi in mētem veniebant, recitauit. Quid vocet sanctum, quid margaritas, quos canes, quos porcos appellet, difficile non est; non cōuenit tamen omnibus. Quidā sanctum baptismum, Eucharistiam, cæteráque sacramenta, margaritas Euangelicæ prædicationis mysteria vocari putāt: nam indignis nec Ecclesiastica sacramenta conferenda, nec fidei nostræ mysteria patefacienda sunt, auctor imperf. hom. 18. Hinc consuetudinem natam esse, vt ijs qui babtizati non essent nec videre, nec audire corpus & sanguinē Christi, cum nominabatur licitè reputarentur, vt multis locis Chrysostomus, & Augustinus indicare solēt. Canes etiam, & porcos pleriq; distingunt. Nam quidam, vt hoc loco Hieronymus scribit, porcos infideles; canes Christianos, qui post receptam fidem ad vomitum reuertissent, dixerunt appellari. Contra Chrysost. & Euthymius canes infideles, porcos carnales Christianos intelligunt. Nam & Christus infideles canes vocat, cum dicit, *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, cap. 15. 26. Mihi Augustini placet opinio, idem per sanctum & margaritas per canes & porcos significari; sicut apud Petrum epist. 2. c. 2. 22. idem duplici metaphorico prouerbio altero canis, altero porci significatur, *tanquam canis reuersus ad vomitum suum, & tanquam sus lota in volutabro luti*. Aut si quid est differentiæ; per sanctum omne mysterium; per margaritas quæ inter mysteria maxima, & quasi pretiosissima sunt intelligi oportere. Per canes autē, & porcos duo hominum siue fidelium, siue infidelium genera notari, quibus tradenda mysteria non sunt; eos, qui tātum contemnunt, vt canes nihil inter sanctū & prophanum discernentes; & eos, qui non solum contemnunt, sed insuper irritantur, & magis nocēt, vt porci. Cur autem illi per canes, hi per porcos significentur; postea docebimus. Quærit Chrysost. hom. 24 & August lib. 2. de serm. Domini, quomodo vetet Christus diuina mysteria indignos docere, cum aliis locis omnes sine discrimine doceri iubeat, vt cap. 10. 27. *quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in auremauditis, prædicate super tecta*. Et marci 17. 15. *prædicate Euangelium omni creaturæ*. Respondent in hanc ferè sententiam, illic agi de Euangelio ipso per se, quod cum omnibus ad salutem sit necessarium, omnibus est sine personarum acceptione prædicandum; hic autem de idoneis auditoribus, & prudentia Euangelij cum illis communicandi; quod si aut nulla spes vtilitatis, aut timor etiā certus damni sit, prædicandum illis non est, ne nō solum operæ pretium, sed ipsa etiam opera perdatur. Sic Christus Apostolis dicit Ioann. 16. 12. multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Sic Paulus, 1. Cor. 3. 1. 2. quæritur se non potuisse Corinthiis tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus loqui, & vt paruulis in Christo lac, non solidum dedisse cibum. Sic ad Hebræos 5. 12. scribit, *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt doceamini, quæ sint elementa sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit non solido cibo*. Sic Paulus & Timoth. prohibentur à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia, quia non erant auditores recepturi Act. 16. 6. Sic Iudæis Antiochenis, quia non modo verbum Dei non recipiebant; sed pedibus etiam conculcabant, id est contitiis afficiebant, & conuersi Apostolos discerpere conabantur; id est mortis illis periculum concitato populo creabant, Paulus & Barnabas dicunt, *vobis quidē oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vitæ, ecce conuertimur ad gentes*. Act. 13. 46. Sic Hymenæum & Alexandrum, qui verbum Dei conculcabant, idem Paulus Satanæ tradidit, vt discerent non blasphemare. 1. Tim. 1. 20. Sic eos fugiendos, non docendos monet, qui quemadmodū Iamnes & Mambres restiterunt Mosi, ita ipsi veritati resistebant 2. Tim. 3. 8. Sic Alexandrū æramium vitare iubet, quia valde ipsius verbis contradicebat. 2. Tim. 4. 15. Ioannes Diotrephem 3. Ioan. 9. & 10. Denique non vult Christus canibus & porcis sua proiici mysteria, id est animalibus hominibus, qui non percipiunt, ea quæ sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2. 14. Obiici potest Iudas, cui quamuis indigno, quamuis cani ac porco, corpus & sanguinem suum omnium mysteriorum maximum Christus tradidit, vt maior veterum pars existimauerunt. Sed primum, Christi consilia, quia eorum nos sæpe latent causæ, non semper nobis imitāda sunt. Deinde Iudas peccator quidem erat, sed occultus, nec negato singulariter sacramento indicandus, ne mors Christi omnium mysteriorum caput impediretur. Cur sanctum, non margaritas canibus; margaritas, non sanctum porcis dari vetuerit, quæstio est quæ non omnino caret operæ pretio. Puto cum sanctum dicit, ad vetera respicere sacrificia, quorum carnes sanctæ erant, nec licebat canibus dare aut in alium, quàm in Dei, & sacerdotum, eorumque qui sacrificium obtulerāt vsum conuertere. Carnes autem non solent porcis, sed canibus dari; qui inter sanctas & profanas minimè discernunt. Propterea dicit, *nolite dare sanctum canibus*. In porcis & magaritis contraria est ratio; non enim propterea dicit, *nolite proijcere margaritas ante porcos*, quòd porcis margaritæ proiici soleant; sed quòd minimè soleant nihilque porco fœdissimæ, & spurcissimæ pecudi minus, quàm margaritæ pretiosissimus conueniat ornatus. *Circulus*, inquit, *aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua* Prouerb. 11. 22. Nisi forte alludit ad consuetudinem glandes porcis proiiciendi, quemadmodum in calidioribus sit regionibus; & respicit similitudinem quę inter glandes & margaritas videtur esse; quasi dicat, videte ne porcis pro glandibus margaritas

Euangelia sola videntur non prædicanda.

Cur non semper imitemur quod à Deo petimus.

proiiciatis, sicut vers. 9 & 10. dicit, *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius eius panem, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei?* Lapis enim pani, serpens pisci similis est. Alia superest dubitatio, cur de porcis dixit, & conuersi disrumpant vos, de canibus non dixit? cum non porci soleant disrumpere, sed canes. Respondeo ingratā porcorum stoliditatem notare voluisse, qui in eum, qui cibum porrigit, impetum solent facere, & nisi iaciat, disrumpere. Fideliores canes, qui non mordendo, sed blandiendo; non dentibus, sed cauda cibum petunt. Porcis ergo stupidi quidam homines similes sunt, qui conculcata vera doctrina falsam vt artmorum exigunt.

7. *Petite & dabitur.*) Sæpe monuimus, cum Euangelistæ Christi conciones recitant, non esse laborandum, quo modo inter se sententiæ cohæreant. Sed non sunt bonorum auctorum interpretationes contemnendæ. Hilarius. can 6. Chrysost. hom. 24. auctor imperfect. 18. Euthymius & Theophylactus existimant propterea nunc Christum hæc dicere, quia supra valde difficilia docuerat, vt ostendat; qua ratione teneri possint. Alij hunc sensum esse putant. Si feceritis quæ hactenus dixi, petite & accipietis, quemadmodum Ioannes ait 1. epistola. c. 5. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo*; quam sententiam idē auctor operis imperfecti refert ac probat. Augustin. autem lib. 2. de ser. Domini sic, *Potuit auditor suæ ignorantiæ, conscius dicere, quid sanctum me dare canibus vetas, cum adhuc ea me habere non videam; ideo opportune subiecit, petite, & accipietis.* Ego cum oratione Dominica coniungendum hoc membrum existimo: & quia de oratione agitur, & credibile est Christum tum, cū Apostolos orare doceret, ista dixisse; & quia Lucas c. 11. 9. cum illa coniungit. De sensu nunc disputandum. Quo modo olim hæretici ad probanda sua, vt ipsi putabāt, mysteria; vt res erat, deliria, hoc loco abusi fuerint, scribit Irenæus lib. 2. c. 18. & 26. & 53. Augustinus hæc tria petere, quærere, pulsare, non idem putauit significare lib. 2 de serm. Domini; sed lib. 1. retract. c. 19. sententiam doctior correxit. Exageratio igitur est, quæ fit accumulatione verborum. Maior quæstio est, quo modo sententia vera sit, cum experiētia quotidiana doceat multa nos quæ petimus, non accipere Cap. 6. 12. docuimus affirmantes promissiones nunquam esse simpliciter, & sine exceptione intelligendas; ad eam regulam hic locus explicandus est. Non enim omnis, qui petit accipit; sed qui ita petit, vt debet. Primum non accipimus, cum mala, id est non petenda petimus. Iniuriam enim Deo facit, qui ab eo, quod malum est, petit, quasi mali cum auctorem faciat. Deinde non accipimus, cum non mala, tamen in malum finem petimus Iacob. 4. 3. *petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis.* Non accipimus, cum ipsi, qui petimus, mali indignique sumus; *Deus* enim *peccatores non audit*, Io. 9. 31. Non accipimus cum aut nulla, aut infirma, & vacillante fide petimus Iacob. 1. 5. 6. 7. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur: non ergo existimet homo ille, quòd accipiat aliquid a Domino.* Non accipimus, cū id quod petimus, quamuis aut non malū, aut etiam bonum sit, tamen quia maius impedit bonum, salua Dei gloria fieri non potest. Non accipimus aliquando quia vult Deus, vt sæpe petamus, vt duabus illis parabolis, altera importuni amici panes intempesta nocte ab amico mutuò petentis Lucę 11. 8. altera iudicis & viduæ Lucæ 18. 3. declaratur. August. serm. 5. de verbis Domini secundum Matth. *Cum ei quando (inquit) aliquid dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur, cuo autem data vilescunt, sæpe, quare, nisi petendo, & quærendo crescis, vt capias. Seruat tibi Deus, quod non vult cito dare, vt tu discas magna magne desiderare.* Non accipimus aliquando, vt meliora, quam petimus accipiamus. August. lib. 2. de ser. Domini & epistola 24. ad Paulinum *bonus autem Dominus, qui non tribuit sæpe, quod volumus, vt quod mallemus, attribuat.*

9. *Aut quis est.*) G. n. an quisquā est? ex vobis homo id est non Deus, vt pater vester cælestis: opponit enim hominem Deo, & ex vobis; qui maligni estis.

Quem si petierit &c. nunquid.) Durities orationis Latinis auribus insolens Hebræis vsitata. Filio panē petenti dicit patrē lapidem nō porrecturū, quia vna ex parte nihil pani lapide magis est simile; altera nihil dissimilius. Nihil similius colore & forma; nihil dissimilius natura & vsu, sicut. c. 4. 3. Diabolus dixit, *dic, vt lapides isti panes fiant*. Eadem ratione pisci serpentē opposuit. Dubitari potest, quam ob rē Christus hoc dicat; plus enim videtur respondisse, quàm opus erat. Ita omnino est; non enim solum probat Deum nobis petentibus opē laturū esse; sed bona etiā daturū, panē nō lapidē, piscē non serpentē porrecturū. Chrysostomus hom. 24. auctor imperfect. 18. & Theophylactus.

11. *Si ergo vos cum sitis mali.*) Non natura, sed Dei cōparatione Hier. Chrys. Euthym. vel naturali procliuitate Genes. 8. 21. *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malū prona sunt ab adolescentia sua*, vt idem etiam Hieronymus interpretatur; aut quod ego magis credo, non solum comparatione Dei, quod nihil esset dicere, cū & in angelis suis reperiat prauitatē, & stellæ non sint mundæ in conspectu eius; nec sola naturali propensione; sed vol ūtate etiā, & moribus malos appellat; quia videtur eos obiter perstringere voluisse. *Nostis.*) id est consueuistis; vt *sol cognouit occasum suum* Psal. 103. 19.

Iob. 4. 17. 18 & 25. 5

Quanto magis pater vester.) Comparat patrem patri cælestem terreno, Deum homini, bonitatem nequitiæ; vt à minori ad maius argumentetur. Non absimile illud est, Isai. 49. 15. *numquid obliuiscetur mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui:*

12. *Omnia ergo.*) Eadem hoc loco, quæ in multis superioribus quæstio est; quorsum ista pertineant Chrysostomus hom. 24. Euthymius, & Theophylactus cō pendium, & quasi epilogum omnium, quæ tribus hisce capitibus dicta sunt, esse existimant. Alij referūt ad ver. 1. *nolite iudicare*, quasi cætera parenthesi dicta sint, vt auctor imperf. hom. 18. non omnino malè. Alij ad ver. 7. *petite & accipietis*, quasi modum doceat, quę petimus impetrandi, ii alijs fecerimus. quod nobis ab illis fieri velimus, vt August. lib. 2. de serm. Domini. Alij ad c. 6 22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, quasi doceat eadem erga alios simplicitate vti, qua erga nos alios vti volumus, vt idem quoque Augustinus exponit. Ego hæc verba post illa capitis quinti ver. 42. Christum dixisse arbitror, *qui petit à te, da ei, & volenti à te mutuare, ne auerseris.* & quia cum illis bene ista cohærent, *Et omnia, quæ vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* & quia Lucas c. 6. 31. cum illis ista cōiungit. Lucā ergo dictorū Christi in hac re ordinem seruasse: Matthæū verò non seruasse & quæ apud illū est, cohærētia; &, quæ apud hunc, indicat dissonantia.

Hæc est lex & prophetæ.) Id est hoc principio summa omnium, quæ in lege & prophetis præceptā sunt, cōtinentur; legem autem, & prophetas totum vetus testamentum appellat; legem quinque libros Mosis; prophetas reliquos omnes, Hebræorum more, qui etiam libros Regū, Paralipomenon, & Psalmos, prophetarum nomine vocare solent, vt infra. 11. 13. & 22.

Cur non semper imitemur quod à Deo petimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

40.& Luc.16.16.& Act.24.14 & 28.23. Quærit Augustlib.2.de ser.Domini,& lib.8.de Trinitate,c.7.& Euthymius in commentarijs, quo modo dicatur hæc esse lex.& prophetæ;cum c.22.40.non in hoc vno, sed in duobus illis præceptis consistere dicatur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& proximum tuum sicut teipsum.* Augustlib. 2. de sermone Domini respondet hic non dici totam legem, sed legem in hoc principio sitam esse; illic autem dici hanc totam esse legem, quasi hic vbi de solo diligendo proximo agebatur; alteri mandato de diligendo Deo locus sit reseruatus. Melius lib.8.de Trinitate etiam hîc, quamuis non dicatur, totam legem intelligi, quia qui diligit proximum, non potest non ipsam diligere dilectionem; dilectio autem est Deus, quia *Deus caritas est* 1.Ioan.4.16. Facilius dixerimus nõ de quacũque proximi dilectione hoc loco agi; sed de ea, qua proximũ nec propter nos, nec propter illum, sed propter Deũ diligimus. Sic enim præceptum de diligẽdo proximo intelligitur. Qui autem propter Deum proximum diligit, Deum magis diligit. Nam & Aristotelica illa regula scripturæ seruit. Quapropter D. Paulus vnico præcepto de proximo diligendo totam dicit legem contineri, Rom.13.8. *Qui diligit proximũ legem implevit* & *plenitudo legis est dilectio* ibid.ver.10. loquitur autem de proximi dilectione. Et ad Galat.5.14. *Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum, sicut teipsum,* & ad Gal.6.2. *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Simile quiddam est apud Tobiã, c.4.16. *quæ ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquãdo alteri facias.* Meritò philosophi hoc primum naturæ, & moralis philosophiæ principium esse putauerunt. Lego in Romanorum historijs Alexandrum Seuerũ Imperatorem, qui animo ad Christianam religionem propensus fuisse creditur, solitum dicere, ideo Christianos sibi placere, quòd, quæ sibi fieri vellent, alijs id ipsi facerẽt. Non dixisset fortasse, si nostra vixisset ætate; neq; mores nostros, sed legẽ laudare potuisset.

Propter quod vnũ quodque. l.1.poster Analy. c. 2.

13. *Intrate per angustam portam.*) Illi ipsi auctores quos superiore versu nominauimus, variè ista cum præcedentibus nectunt. Videat qui volet. Me enim iam piget in re non magnopere necessaria tot opinionibus recitandis immorari. Ego hæc post illa, quę capite quinto de beatitudinibus tradita sunt, dicta esse suspicor. Ea enim angusta est porta; aut certè nõ concionando; sed cum à quodam admirante præceptorum ipsius seueritatem interrogatus fuisset Chrystus, *Domine si pauci sunt, qui saluantur,* respõdens dixit *contendite intrare per angustam portam:* sic enim Lucas narrat.c.13.23.24. qui in recensendis Christi sententijs plus ordinis seruare solet. Quærunt Chrysostomus & Euthymius, quo modo præceptorum suorum viã arctam & portam angustam esse dicat, cum c. 11. 30. iugum suum suaue esse doceat, & onus suum leue. Caluinistæ facile ista conciliabunt, qui suaue & leue importabile, &, vt ipsorum etiam vtar verbo, impossibile interpretantur. Sed nos, qui tam subtiles non sumus artifices scripturas interpretandi, alium quærere debemus explicationem. Respõdet igitur Chrysostomus, & Euthymius iugum Christi durum esse carnalibus & terrena quærentibus; suaue & leue spiritualibus, & prospicientibus in futura. *Non enim sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis,* Ro.8.18. *Et quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2.Cor.4.17. Sic D. Paulus illa, quæ veteres illi sancti perpessi sunt, gladios, ignes, & cætera quæ narrat eiusmodi, quamuis per se grauia, leuia tamen illis fuisse dicit, quia *aspiciebant*, inquit, *in remunerationem* Heb.11.26. Sic ipsemet cum plus ceteris Apostolis laborasset: *in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* 2.Cor.11.23. omnia tamen propter Christum leuissima duxit, quia quæ retro erant oblitus, in anteriora sese extendebat Philip.3.13. Angustam ergo Christus portam, & arctã viam vocat, partim quia natura sua difficilior virtutis quam vitij via est; illa enim ardua hæc prona, illa vna; hæc multiplex; illa vix vllis & notabilib⁹, hæc multis & altè impressis calcata vestigijs, τὰς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, dixit Græcus ille poëta partim etiam, quia nostra eam segnities difficiliorem reddit. Nihil enim est non conantibus facile.

Mandata Dei non impossibilia.

14. *Quàm angusta.*) Gὅτι στενὴ, quoniam angusta est, vt suspicio esse possit in nostra versione pro, *quam*, quoniam esse legẽdum, aut quod quidam putant nostrum interpretem ὡς pro ὅτι legisse. Neutrum credo. Potius legisse τί στενὴ, quemadmodum Euthymius & Theophylactus legunt, illud etiam monentes τί accipi pro ὡς quam, vt noster vertit interpres. Est autem, vt ego, quidem opinor, Hebraismus מה quod idem significat τί quid, &, ὡς quàm vt Psal.8.1.10. *quam admirabile est nomen tuum* מה אדיר שמך & Psal.30. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine* מה רב & Psal.83.1. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum* מה ידידות. Quæri potest, an idem per angustã portam, & per arctam viam intelligatur. Ita Chrysostomus existimat. Sed verosimilius mihi videtur esse, vt viam præcepta, portã præceptorũ finem, id est ingressum in regnũ cælorũ intelligamus. Est enim porta finis viæ.

15. *Attendite à falsis prophetis.*) Quidam hæc referunt ad c.6.1. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis,* quasi hypocritas illos, qui iustitiam suam coram hominibus faciunt, falsos nunc prophetas appellet, vt fugiendos esse doceat auctor imperf.hom.19. maiore verborum, quàm sententiæ similitudine in hãc opinionem inductus. Melius Augustinus, li.2.de serm.Domini, cum proximo copulat vers. Dixerat arctã esse viam, quæ ducit ad vitã; solemus autem, cũ arcta & obscura via est, qui monstret, aut ducẽ, aut indicẽ quærere; monet Christus, ne omni duci, ne omni indici fidẽ habeamus; multos esse falsos prophetas, qui fallẽdi cã duces sese, aut indices præbeãt, vestimẽtis ouiũ, quasi viatorũ induti habitu.

A falsis prophetis.) Fallos prophetas non omnes hypocritas, vt nonnulli putant, sed falsos tantùm doctores. id est omnes hæreticos intelligit, quos ideo prophetas vocat, quia prophetarum apud Iudæos officium fuit non tantùm futura prædicere, sed etiam ex lege Dei populum docere, & salutis illi viam indicare. Agitur enim de arcta via monstranda. Quamquam & prophetas etiam veros possumus intelligere veros inquam, quia vera prædicunt, qualis fuisse traditur Balaam; falsos tamen, quia nec à Deo missi sunt, & quia vera prædicendo falsa suadent. Nam ver.22. de huiusmodi prophetis, agitur, *multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* Qui veniunt ad vos sponte sua, non missi à Deo quales illi apud Ier.23.21. *ipsi currebãt, & ego nõ mittebã eos.*

In vestimentis ouium.) Sensus est facilis: vestimenta vocat quidquid extrinsecus apparet, verba, & opera, eleemosynas, omniaque officia caritatis, vt ait auctor imperfecti hom.19. Cur autem dicat ouium, incertum vtrum velit dicere eos habitu ouium venire, id est veras se oues esse fingentes, quo minus timeantur; quemadmodum lupum aliquando se ouina indutum pelle veram esse ouem simulasse traditum est fabulis, siue habitu pastorum, quod mihi magis placet: agi rut enim de populo docendo, quod Ecclesiastici pastoris officium est, & solet Christus illos, qui docent, pastores appellare, *Pasce* inquit, *oues meas.* Et, *Ego sum*

pastor bonus. Ideo autem dicit in vestimentis ouium venire, quia solent pastores ouinis vestiri pellibus. Falsi prophetæ sunt omnes hæretici, omnium verò maximè Caluinistæ. Primum, quia non missi venerunt. Deinde quia ouina induti pelle; nihil enim in eorum erat ore, nisi Dominus, nisi Pater noster cælestis, nisi Christus, nisi fides, iuramentum inauditum; nihil in eorum factis apparebat, nisi eleemosinę, nisi temperantia, nisi modestia. Quo habitu pastores ementiti magnam in grege Domini fecerunt stragem; fecissentque multo maiorem; nisi homines eos ex ipsorum tandem fructibus cognouissent, vidissentque istam non natiuam, sed appositiam fuisse pellem.

Caluinistæ falsi prophetæ.

16. *A fructibus eorum.*) Quia dixerat à falsis prophetis esse cauendum, necesse fuit tradere ad eos dignoscendos aliquod indicium. Certum tradere non potuit, quia magna esse solet eorum simulatio, & solus Deus humani scrutator est cordis: tradidit ergo probabile, quódque ad humanum ingenium accommodatum est, quod non potest, nisi ex fructibus hominem noscere, & plerumque verum esse solet. *A fructibus,* inquit, *eorum cognoscetis eos.* Lucas c.6.43. in alium sensum, & alio loco dictum hoc fuisse, videtur significare. Coniungit enim cum illa sententia, quam ver.5. Matthæus commemorauit. *Hypocrita ejce prius trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejcere festucã de oculo fratris tui; non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos:* quasi sensus sit, hypocrita, quid vis arborem te bonam simulare, cum facias fructus malos? quãtumcunque enim malitiam tuam dissimules, ex fructibus cognosceris, quia nõ est arbor bona, quæ facit fructus malos, & omnis arbor ex fructu suo cognoscitur. Quo etiam sensu Matthæus c. 12.33. eandem à Christo similitudinem vsurpatam scribit, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum; ex fructu enim arbor cognoscitur:* quasi dicat, si vultis boni videri, ne simuletis bona, sed facite. Simulatio folia sunt, opera fructus, non ex folijs, sed ex fructibus arbor cognoscitur. Quare manifestum est Christum non semel hac similitudine vsum fuisse, itaque Lucas aut non eandem, quam hîc Matthæus, recitat, aut dictorum ordinem connexionemque non seruat. Nam apud Matthæum quidẽ tam aptè adhæreret proximæ sententiæ, vt diuelli ab illa nõ possit, nisi altera, aut vtraque rumpatur. Videdum nunc, quid arborem, quid fructus appellet. Tertullianus lib.1.contra Marcionem fidem putat arborem appellare. Quod eatenus bene conuenit, quia de dignoscenda vera & falsa agitur fide. Augustinus verò in Enchirid.c.15.& lib.1.contra Iulian.c. & eda in hunc locum arborem humanam voluntatem terrã hominem faciunt. Nam, vt ex eadem terra bona & mala arbor nasci potest, ex eadem autẽ arbore bonus & malus fructus nasci non potest; sed bonos ex bona, malos ex mala; sic ex eodem homine nunc bona, nũc mala voluntas gigni potest: ex eadem autem voluntate bona & mala opera proficisci non possunt. Impulit in hanc sententiam Augustinum studium Manichæos refutandi. Timuit enim, ne si diceret hominem arborem esse, quemadmodum dicebant Manichæi, primum eorum loqui more, deinde eorum errorem confirmare videretur, apos esse homines naturã bonos, qui malè; alios natura malos, qui benè agere non possent. Has duas, alteram Tertulliani alteram Augustini sententias illud refellit quod ver.19 sequitur, *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittitur.* Non enim fides aut voluntas mala, sed homo malus est, qui mittitur in ignem. Idem Augustinus lib.1.de gratia Christi c.18.& 19. auctor imperfecti hom.19. Chrysost.homil.24. Theophylactus & Lyranus, hominem bonam habentem voluntatem arborem bonam; malam habentem malam esse dicunt. Quorum sententia per se vera huic loco conueniret, si non de vera fide, sed bona voluntate cognoscenda ageretur; at de fide agitur, *Cauete,* inquit, *a falsis prophetis.* Arborem ergo hominem bonam aut malam fidem habentem appellat; arborem quidem bonam, si bonam; malam, si malam fidem habet. Objici potest, sæpe qui bonam habet fidẽ, malos fructus facere, id est malè viuere. Non nego, & qui negant, hæreticos puros; sed Christus non dicit, quid aliquando; sed quid plerunque; neque quid hominum peruersitate, sed quid natura fide soleat accidere. Fides autem natura sua neque mala bonos, neque bona malos generat fructus. Fructus verò nostri tẽporis hæretici non solum opera, sed etiam doctrinã intelligunt; ita, vt opinor, doctrina confidentes sua, vt ex ea fidem probari velint; nihil enim nisi purum, & vt ipsi solent dicere putum, vt ego, putidum verbum Dei docentisiic Ioannem admonere, ne omni spiritui credamus, sed vt probemus spiritus vtrum ex Deo sint 1. Ioan.4.1. At hîc de fide, id est de ipsa falsorũ prophetarum doctrina cognoscenda agitur; & absurdum dictu est, doctrinam ex doctrina probari. Omnes igitur veteres auctores per fructus opera intelligũt, quę doctrinã natura sua malã mala, bonã bona cõsequuntur.

18. *Non potest.*) Quia videtur his verbis experientia quotidiana repugnare, dũ multos ex malis bonos aut ex bonis malos fieri videmus, multæ quæsitæ sũt in hunc locum interpretationes. Quidã sic exposuerunt, arborem bonã dum bona est, non posse malos; & arborem malã, dum est mala, non posse bonos fructus facere, vt Augustinus, Chrysostomus, auctor imperfecti, & Beda ijs locis, quos paullo ante notauimus. Alij viderũt nõ satis hac ratione veritati, experiẽtiæque satisfieri. Nã etsi bona arbor, id est homo iustus, manens bona non posset malos fructus facere, tamen mala; manens mala, bonos aliquos fructus facere potest. Nec enim sequenda illa opinio est, quam Tridentinum Cõcilium nuper meritò dãnauit, omnia peccatorũ, aut etiã infidelium opera esse peccata, quãuis maximũ auctorem D. Augustinũ lib.4.cõtra Iulianũ c.3. & li.3 cõtra duas epistolas Pelag.c.5. & Prosperũ sentẽ. 06. habuisse videatur; & ex Catholicis aliquãdo Theologis suos habuerit defensores; ideoque dixerũt nõ posse arborẽ bonã quatenus bona est, malos; nec arborẽ malã quatenus mala est, bonos fructus facere, quod & ego aliquãdo approbaui ac docui. Sed postea animaduerti nõ posse hac ratione arborẽ bonã, malãque cognosci. quod hîc in primis agitur. Quomodo ergo nõ potest arbor bona malos; neque mala bonos fructus facere? Ego quid sentiã, priuatim dicã; quid probabilius sit, doctoribus iudicandũ relinquã. Non solum arbor mala potest aliquos bonos, sed & arbor bona & manens bona potest aliquos malos fructus facere. Arbor enim bona hoc loco, vt ante probauimus, nõ est vir bonus, sed vir fidelis, id est nõ qui bonam voluntatem; sed qui veram fidem habet; posse autem, qui bonam habet fidem mala habere opera, non est huius loci probare; sed & experientia, & ipsa de se fides docet. Non ergo dicitur arbor bona malos; aut mala bonos fructus facere non posse. quod omnino non possit; sed quòd natura sua non possit; & quòd non semper bona malos; aut mala bonos facere soleat; sicut c. 12.34. cum paullo ante Christus dixisset, *aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut arborem malam & fructum eius malum;* addidit; *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Non enim significat omnino non posse. Nam Scribæ & Pharisæi; de quibus dicit c.23.2.3. *super cathedram Moy-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

si fecerunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, facite; ſecundum autem opera eorum nolite facere, certè mali erant, quia mala faciebant; & bona loquebantur, quia quæ dicebant facienda erant: ſed tantum ſignificat contra naturam fieri, & fieri non ſolere. Natura enim ſua *ex abundantia cordis os loquitur*, Matthæi 12.34. & *bonus homo de bono theſauro profert bona*, verſ. 35. Obiiciet aliquis: ſi & bona arbor malos, & mala bonos fructus facere poteſt, quomodo docemur ex fructibus arborem dignoſcere? Obijciam & ego idem, ſi Phariſæi, cum malos fructus facerent bona tamen arbor, id eſt non falſi propheræ, ſed veri doctores erant, quomodo ex fructibus cognoſci potuerunt; Nam ſi auditores hanc Chriſti ſecuti regulam ex eorum moribus de doctrina iudicaſſent; tanquam falſam reieciſſent. Ergo reſpondeo Chriſtum hoc loco non certum indicium; ſed probabile tantùm ſignum tradere voluiſſe; docereque non poſſe falſos prophetas; qui ſimulatione ſanctitatis falſam doctrinam probant, diu ſe ita ouina pelle tegere, quin aliquando, qui ſub ea latet lupus, appareat. Non enim poteſt diu ſimulatio veritatem imitari. Hoc in Caluiniſtis ſumus experti, agni nati ſunt, lupi moriuntur. Mirum quàm multi errores ex hac bona & mala arbore nati ſint. Primùm ille abſurdiſſimus Manichæorum, alios homines natura bonos, qui nunquam mali; alios natura malos eſſe, qui nunquam boni eſſe poſſint, quem Hieronymus in commentariis ad hunc locum, & Auguſtinus libro 1. contra Iulianum cap. 3 & in diſputatione ſecunda contra Fortunatum, & libro 1. contra aduerſar. leg. & prophet. cap. 22, multis ſacrarum litterarum exemplis refutarunt. Deinde ille Pelagianorum, qui ideò peccatum tollebant originale, quòd dicerent coniugium, quæ bona vtique arbor eſt, non poſſe malos fructus facere, id eſt peccatum originale generare, vt ſcribit Auguſtinus libro ſecundo, de nuptiis & concupiſcent. cap. 26. & ille alter eorundem, liberum arbitrium quaſi radicem quandam in nobis eſſe, quæ poſſit ipſa per ſe, aut arborem bonam, id eſt bonam voluntatem, aut arborem malam, id eſt malam voluntatem generare. Auctor Auguſtin. libro 1. de gratia Chriſti cap. 18. Quartus quorundã etiam ex Pelagianis, quan quam Donatiſtarum potiùs hæreſi conueniebat; neque bonum ſacerdotem malè, neque malum benè baptizare poſſe, ſed ſimilem eſſe baptizatori baptiſmum, quia non poteſt arbor bona malos, neque mala bonos fructus facere, vt refert Auguſtinus lib. 1. contra lit. Petiliani c. 44. Noluerunt minus ingenioſi videri Caluiniſtæ: nam & ipſi hinc cum Manichæis liberum tollunt arbitrium, Hoc etiam ſubtilius, quòd illi in vtranque pariter partem; hi in bonum, non in malum tollunt; non videntes homines errore ſuo cęci non ſolum malam arborem bonos; ſed nec bonam malos fructus facere poſſe. Itaque ſi ad bonum, cùm mali ſumus, liberum propterea non habemus arbitrium, quia mala ſumus arbor. & non poteſt arbor mala bonos fructus facere: neque ad malum, cum ſimus boni, liberum poſſumus arbitrium habere: quia bona ſumus arbor: & non poteſt arbor bona malos fructus facere; neque illud conſiderantes, quod idem Chriſtus dicit cap. 12. 34. *aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum*, quaſi in noſtra vtique ſit poteſtate vel bonam, vel malam arborem facere. Nec ergo tantum hinc colligitur, quantum Pelagiani, nec tam parum, quam Caluiniſtæ colligi volunt. Nam non ſolùm in malum, ſed etiam in bonum liberum habemus arbitrium, contra quàm Caluiniſtæ; & non æqualiter in vtrumque, ſed in malum ſatis forte, in bonum, niſi Dei gratia adiuuetur, infirmum cõtra quàm Pelagiani ſentiebant. Alterum hinc Caluiniani non minus abſurdum errorem hauſerunt; nõ poſſe operibus hominem iuſtificari; ſed iuſtum declarari, atque cognoſci, quia non fit arbor bona, quia facit fructus bonos, ſed quia bona eſt, bonos fructus facit. Nam vt arborem fructu, ita bonam arborẽ bono fructu priorem eſſe neceſſe eſt. Nec arbor bona ex fructu bono bona fit; ſed bona eſſe cognoſcitur. Valde ſibi illi, cùm hoc dicunt, placere ſolent; valde ego, cùm audio ridere ſoleo: & argumentum in illos, qui irrito contorſerunt impetu, efficaci retorquere. Si iuſtis operibus non efficimur iuſti, ſed declaramur, quia arbor bona non fit ex fructu bono bona, ſed bona eſſe cognoſcitur; ergo iniuſtis operibus non efficimur iniuſti, quia arbor mala non fit ex fructu malo mala, ſed mala eſſe cognoſcitur. Ita' efficitur iſtorum argumentatione Adamum, qui bona à Deo arbor factus erat, peccare non potuiſſe, quia non potuit arbor bona malos fructus facere & ſi peccauit, non fuiſſe tamen iniuſtè agendo factum iniuſtum: quia arbor ex malo fructu mala eſſe cognoſci poteſt, mala fieri non poteſt. Ita homines improuidi foderunt ante faciem noſtram foueam, & inciderunt in eam. Nec intelligunt imperiti, quod in noſtris cholis etiam pueri docent, quid inter naturales & morales cauſas interſit. Naturales enim non ex bono vel malo effectu bonę vel malæ fiunt; ſed quia bonæ vel malæ ſunt, bonum vel malum effectum habent. Morales verò non ſolum quia bonæ, vel malæ ſunt, benè vel malè agunt: ſed etiam, quia benè, vel malè, agunt, bonæ vel malæ fiunt. Nec enim tantùm, quia temperantes ſumus, viuimus temperanter; ſed etiam temperanter viuendo, temperantes efficimur. Arbor cauſa naturalis eſt, propterea nec ex bono fructu bona, nec ex malo mala fit: ſed quia bona vel mala eſt, bonum vel malum gignit fructum: homo moralis, propterea non ſolùm, quia bonus vel malus eſt, benè vel malè agit, ſed etiam quia benè vel malè agit, bonus vel malus, fit. Neque requirendum eſt, vt omnibus in rebus arboris ſimilitudo homini conueniat, ſed in ea tantùm, qua de agebatur, & arborem ex fructu; & hominem ex moribus iudicari.

Caluiniſtæ agni nati, lupi moriuntur.

Contra Caluiniſtas liberũ arbitrium tollentes.

21. *Non omnis, qui dicit mihi.*) Quidam hæc omnibus à Chriſto dicta fuiſſe putant, quia Lucas c. 6. 46. poſt illa verba. *Hypocrita eyce priùs trabem de oculo tuo & non eſt arbor bona, quæ facit fructum malum, & bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala*, hæc adiungit, *quid autem vocatis me Domine Domine, & non facitis, quæ dico?* Melius Hilarius, & Hieronymus in commentarijs, & auctor imperfecti homil. 19. & Auguſtinus libro 2. de ſermone Domini ad ſolos falſos prophetas referri dicunt: quia & generalis ſententia eſt, & in omnibus malis Chriſtianis locum habet; tamen hic de ſolis falſis prophetis internoſcendis agebatur, qui non ex verbis, quamuis nomen Domini ſemper in ore habeant, ſed ex factis iudicandi ſunt; quaſi dicat, nolite credere omnibus, qui dicunt mihi Domine, Domine; multi enim mihi dicunt, qui non intrabunt in regnum cælorum, quia falſi prophetæ ſunt. Lucas ergo quid, non quibus, aut qua ratione Chriſtus dixiſſet, commemorauit, & quia concionem narrabat, concionatorum more per ſecundam perſonam loquentem induxit, *quid vocatis me Domine, Domine?* Fieri etiam poteſt vt bis, aut ſæpius diuerſis perſonis, & in diuerſam ſententiam idem dixerit, & Matthæus quod de falſis prophetis, Lucas quod de præſentibus auditoribus dixerat, recenſuerit.

Domine Domine.) Hanc repetitionem non ſolùm ex

linguæ Hebraicæ, vt quidam volunt, conſuetudine adiectam puto, vt illam apud Ieremiæ 7. 4. *templum Domini, templum Domini*; ſed multò magis ad ſignificandam conſuetudinem, quaſi dicat, non omnis, qui dicere ſolet, non omnis, qui dicitat mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Nam & apud Ieremiam geminatio illa *templum Domini, templum Domini*, frequentem loquendi apud Iudæos conſuetudinem exprimit. Poteſt etiam hoc loco ſimulatum falſorum prophetarum in loquendo, vel orando affectum declarare. Solet enim vehemens affectus erumpentia verba geminare, vt infra c. 25. 11. *Domine, Domine aperi nobis*. Quod autem dicunt falſi prophetę, *Domine, Domine*, plerique ad preces referũt; quòd orantes Chriſtum Dominum vocare ſoleant. Alij ad fidem quaſi idem ſit vocare Chriſtum Dominum, & credere, velitque ſignificare, non omnes qui fidem habent ſaluos futuros, vt Hieronymus, Euthymius, & Theophylactus interpretantur. Alij ad verba, & conſuetudinem eorum loquendi, quòd de Chriſto ita loquantur, vt quaſi in illum credant, Dominum appellent, vt auctor imperfecti. Hoc probabilius. Iam enim docuimus agi hic de falſis prophetis, qui veram non habẽt, ſed habere ſe ſimulant, fidem. Et quidem cum hæc ſcriberem, quidam ad me ex Caluiniſtis falſus propheta venit, qui nunquam aliter Chriſtum inter loquendum, quàm Chriſtum Dominum noſtrum appellabat, fecitque vt melius hunc locum intelligerem.

In regnum cælorum.) Multi hæreticorum interpretes errant exiſtimantes Eccleſiam hoc loco regnum cælorum appellari; quaſi dicat, non omnis qui dicis mihi Domine, Domine, in mea Eccleſia cenſendus eſt, neque meus diſcipulus habendus. Multò prudẽtius omnes veteres auctores de beata vita intelligendum putauerunt. Nam quamuis Eccleſia regnum aliquan do cælorum appelletur; tamen cùm dicitur, *intrare in regnum cælorum*, nunquam Eccleſia, ſed vita ſemper beata ſignificatur. Et hoc loco manifeſtũ eſt agi de præmio quod non in Eccleſia, ſed in cælo datur; quaſi dicat, non ituros ad cælum verbis, ſed factis. Et ex verſu ſequenti de vltimo iudicio agi conſtat, cùm alij in cælum admittendi, alij ab eo excludendi ſunt. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus?*

Sed qui facit voluntatem patris mei.) Videtur dicere de buiſſe, ſed qui facit voluntatem meam; ipſum enim non patrem Dominum appellabant, & eius voluntatem facere debebant, quem dominum ſuum confitebãtur, ſicut dicit apud Lucam c. 6. 46. *quid vocatis me Domine, domine, & non facitis, quæ dico?* Reſp. Chryſoſt. & Theoph. hinc colligi eandem eſſe patris, & filij voluntatem, cùm filius; vbi ſuam dicere debuit, pro ſua, patris ſui dixerit voluntatem. At ſi eadem erat vtriuſque, cur patris potiùs quàm ſuam dixit? Reſpondent quod id auditoribus gratius futurum eſſet; & minus ſibi conflaturum inuidiæ. Aliam ego rationem adiungo, quòd patri vbique legiſlatoris perſonam tribuat; ipſe verò ſe, quaſi eius legatum, gerat; ideoq; ſeſe in ijs numeret, qui patris ſui voluntatem faciunt, vt c. 26. 42. Ioan. 4. 34. & 5. 30. & 6. 38. propterea ſemper ſolet dicere volũtatẽ patris mei, nõ meã vt inf. c. 12. 50.

22. *In illa die.*) terribili, & celeberrima; hanc enim vim habet pronomen demonſtratiuum *illa*, quaſi de dicis fama, metũque inſigni ſermo ſit, vt infra c. 24. 36. & Mar. 13. 32. Luc. 21. 34. 1. ad Theſ. 5. 4. 2. ad Timot. 1. 12. 18. & 4. 8. Nominat autem illam diem, quia *in igne revelabitur, & vniuſcuiuſque opus, quale ſit ignis probabit* 1. Cor. 3. 13. & quia tùm *illuminabuntur abſcondita tenebrarum, & manifeſtabuntur conſilia cordium* 1. Cor. 4. 5.

Prophetauimus.) Ineptè Calumus interpretatur, *prophetauimus*, id eſt docuimus. Nam vt demus id aliquando hoc verbum ſignificare, ſicut ver. 15. falſos doctores, falſos prophetas appellauit, tamen debuit animaduertere hic falſos illos prophetas allegare miracula, *nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Prophetare igitur non eſt docere, ſed futura prædicere. Hoc enim miraculum eſt, illud non eſt, Atque hanc vim habet illud, *In nomine tuo*, id eſt, virtute tua. Nõ enim in nomine Chriſti, ſed Chriſtũ docere dicimur: prophetare autem non Chriſtum ſed in nomine Chriſti.

Caluins reprehenſio.

Virtutes multas.) Miracula multiplicis generis, aut ſæpe. Quod enim ante per partes, & diſtributè dixerat, nunc in genere concludit, quemadmodum ſi diceret nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & alia multa fecimus miracula? Exiſtit ex hoc loco de miraculis quæſtio, num etiam per malos fieri poſſint. Illud certum, cùm duo miraculorum, alia vera, alia falſa, genera ſint, falſa etiã per malos fieri poſſe. Nam Antichriſtum falſa editurum eſſe prodigia teſtatur 2. Theſ. 2. 9. D. Paulus. Et Magnos illos Pharaonis, quamuis verãne an falſa miracula fecerint, diſputetur, tamen manifeſtum eſt, ſaltem falſa feciſſe. De veris igitur, an per malos fieri poſſint, quæſtio eſt. Hic etiam adhibenda diſtinctio. Nam vera miracula per malos, aut cùm mali ſunt, aut antequàm incipiant, aut poſtquàm deſinunt mali eſſe, fieri poſſunt. Ante, vel poſt fieri poſſe dubium non eſt. Nam Saulem ante quàm malus fieret, cùm filius vnius anni eſſet, propheraſſe legimus 1. Regum 10. 10. 11. & Matthæus publicanus noſter, poſtea quàm publicanus, id eſt publicus peccator eſſe deſijt; multa, vt cæteri Apoſtoli, fecit miracula. De ijs, qui mali ſunt; quamdiu mali ſunt, magis eſt dubium. Alia turſus adhibenda diſtinctio. Nam aut de malis, ſed fidelibus; aut de malis, & infidelibus quæri poteſt. De malis, qui fidem habent, ſcriptura docet vera eos miracula feciſſe. Prophetauit enim Caiphas homo iniquus, quia Pontifex erat anni illius. Fecit Iudas miracula, dum in Chriſtum credebat; nam & poteſtatem cum alijs Apoſtolis accepit Matth. 10. 1. & cum alijs gloriatus eſt, quòd ſibi dæmonia ſubijcerentur Luc. 10. 17. & tamen fur erat, & loculos habebat Ioan. 12. 6. Saul poſtquam ab eo Dominus diſceſſerat, in cuneo prophetarum medius, vt cæteri prophetauit 1. reg. 19. 24. De ijs, qui fidem non habent, propterea quòd miracula fide potiſſimùm fiunt; non an faciant, quia id ſcriptura teſtatur: ſed an vera faciant miracula, dubitari poteſt. Chryſoſt. ho. 25. Hieron. Euthym. & Theophylact. multis probant exemplis etiam per homines infideles vera miracula facta eſſe. Nam Balaam falſus alioquin, & infidelis propheta verã prædixit Numer. 24. 17. & ex hoc ipſo loco facilè colligitur falſos iſtos prophetas, de quibus loquitur Chriſtus, vera miracula facturos, verè propheraſſe, verè dæmonia eieciſſe; nec enim reſpondet Chriſtus mentiri eos ſed ſe eos, quamuis; iſta fecerint, non noſſe, & ſententia poſtulat, vt Chriſtus ſignificet vera eos miracula facturos; non enim mirum eſſet, ſi illis, qui non vera; ſed falſa miracula feciſſent, reſponderet ſe non noſſe eos, valde autem mirum, vt ijs, qui vera fecerũt miracula, ita reſpondeat. Nec magnum eſſet, ſi moneret nos; ne falſa facientibus miracula crederemus; magnum omnino, & admirabile, quòd moneat, ne falſis prophetis credamus vera etiam miracula facientibus; nec ex ſolis miraculis, ſed etiam ex fructibus id eſt ex moribus ipſorum veros falſoſque prophetas diſcernamus. Nullum ergo, dicet aliquis, ad probandam

Miracula an per malos fieri poſſint, et quomodo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo per miracula fides confirmatur, & vera Ecclesia probatur.

dam veram doctrinam ex veris miraculis argumentum sumi potest. Non sequitur omninò nullum, sed non omninò necessarium sumi posse. Scimus enim Christum ad confirmandam doctrinam suam potestatem faciendi miracula Apostolis tradidisse. Scimus vi miraculorum totum penè terrarum orbem ad fidem fuisse perractum. Quod qui negant, vt disputat aduersus Gentiles Augustin⁹. malus ipsi miracula tollendo miraculum faciunt. Incredibilius enim miraculum est totum orbem terræ, id est tot Philosophos, tot sapientes viros, tam paucis Apostolis, tam imperitis, tam incredibilia humanæ rationi, prædicantibus, sine vllis miraculis credidisse, quàm illa ipsa miracula, quæ per eos facta narrantur. Probile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur, quia per fidem sæpe, sine fide rarò admodum fieri solent. Et cum fiunt, non ab probandam eorum, qui faciunt; sed eorum, qui veram fidem habent, fieri solent. Nec enim Balaam futura prædicendo suam ipsius; sed populi potius Dei, aduersus quem conductus fuerat, fidem confirmauit; & ferè omnia miracula, quę per hæreticos facta fuisse legimus, quæ paucissima sunt, huiusmodi, esse constat; qualia ea, quæ in ecclesiasticis historijs, & apud Anastasium in quæstionibus scripturæ recenseretur. Est etiam argumentum à miraculis ductum; si non omni, vna saltem, aut duabus etiam ex partibus necessarium. Nam etsi non necessariò sequitur, eum qui miracula faciat, veram habere fidem, tamen necessariò sequitur, eam in qua frequentia, & quasi ordinaria miracula fiant, veram esse Ecclesiam; quia etsi aliquando Deus per priuatos extra Ecclesiam suam homines miracula fieri permittat, sicut & per asinam fecit Balaam, quę in Ecclesia certè non erat: tamen nulli generaliter hominum societati, nisi Ecclesiæ suæ ordinariam faciendi miracula concessit potestatem. Magis etiam necessarium est, quod altera ex parte per negationem ducitur, in qua miracula nulla fiant, eam veram Ecclesiam esse non posse, quia scimus Christum Ecclesię suæ potestatem ad faciendа miracula dedisse. Itaque rectè hinc probare possumus Caluinistarum, Lutheranorum, Anabaptistarum & cæteras eorum, qui hodie regnant hæreticorum congregationes non veras Ecclesias, sed synagogas esse Satanæ. quia in nulla earum vllum vnquam miraculum visum est. Obijciunt hoc loco Hieronymus & Augustinus neminem posse dicere *Iesus. nisi in Spiritu sancto* 1. Cor. 12. 3. Quomodo ergo possunt non solùm dicere *Domine, Domine*, sed etiam nomine Christi miracula facere, qui Spiritum sanctum non non habent? Respondent dicere Iesus eo in loco non significare verbis dicere; sed factis; id est Christum non solùm fide confiteri, sed moribus etiam exprimere, quod manifestum est neminem sine Spiritu sancto facere posse.

Hæretici nostra ætatis sine miraculis.

Et tunc.) In illa die, de qua dixerat versu præcedenti, coram omnibus hominibus, quando reuelabuntur abscondita tenebrarum, quasi dicat vsque ad illam diem patiar, ac dissimulabo, & quasi paleas granis in area mixtas relinquam; tunc discernam, tunc ventilabo. Hieronym. auctor imperf. & Beda.

Confitebor.) Auctor imperfecti hom. 19. pro ὁμολογήσω, confitebor videtur legisse ὁμόσω iurabo, quod bene admodum congruit. Iurare autem intelligit dicere, *Amen, Amen dico vobis, nescio vos*, vt c. 25. 12. Alij interpretantur *confitebor*, id est publicè profitebor me eos non nosse, vt Hieronym. videtur autem simulatæ eorum confessioni veram suam confessionem opponere, quasi dicat illi me coram hominibus fictè confessi sunt; ego eos coram patre meo verè confitebor sed me eos minimè cognoscere; sicut è contrario de ijs, qui verè eum, sinceréque confitentur, dicit. c. 10. 32. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.*

Nunquam noui vos. (Theophylact. ne tum quidem cũ miracula faceretis. Omnes veteres auctores obseruauerunt, imprimisq; Origenes in c. 8. ad Rom. cognoscendi verbum hoc loco, alijsque similibus non cognitionem, sed affectum approbationémque significare, vt *ego cognosco oues meas* Ioan. 10. 14. &, *Cognouit Dominus qui sunt eius* 2. Tim. 2. 19. &, *nescio vos*. Matth. 25. 12. & Lucæ 13. 25. Omnes enim Deus cognoscit, sed non omnes pro suis approbat. Sensus ergo multiplex huius loci esse potest, aut, *nunquam noui vos*, id est nũquam vos pro meis habui, nunquã in prædestinatorũ numero posui, aut, nunquam pro veris habui Prophetis, quales vos esse simulabatis, quod videtur ad hunc locum vbi de dignoscendis falsis Prophetis agitur, magis accommodatum.

24. *Omnis ergo.*) Disputauerat propriè de falsis Prophetis, concludit generaliter de omnibus hominibus.

Qui audit verba hæc.) Quidam ad ea referunt, quæ supra tribus capitibus dicta sunt, vt auctor imperf. Certius est generaliter de omnibus Christi verbis intelligere, itaque interpretor *verba hæc*, id est huiusmodi, hæc & similia, aut hæc, id est mea, quia illa, quæ ante dixerat ipsius erant verba, & solet ex vno aliquando indiuiduo totum genus significari.

Qui ædificat.) Ædificare est in Christum credere 1. Cor. 3. 10. Huius ædificij duplex esse dicit fundamentum, arenam, & petram. Arenam vocat solam fidem operibus vacuam, vers. 26. *& omnis qui audit verba hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificauit domum suam super arenam.* Petram vocat bona opera vers. 24. *Omnis ergo qui audit verba hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram.* Vnde duo contra duos Caluinistarum errores colliguntur. Alterum solam fidem ad salutem non satis esse; alterum, bona opera, quæ adiuncta sunt fidei non solùm iustificare, & ad salutem plurimum valere, sed firmissimum etiam salutis nostræ esse fundamentum. Neque huic sententiæ illa contraria est 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus* Multi enim in eodem fundamento lapides sunt, summus & primus solus est Christus, & præter illud fundamentum aliud nemo potest ponere. Super illum autem alia etiam sunt, quę eo nituntur fundamẽto; nam & Apostoli & Prophetæ fundamentum appellantur, sed *ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. Ephes. 2. 20. & Apoc. 21. 14. Sic etiam fides & opera duo sunt fundamenta, vtrúmque primo ac firmissimo fundamento niritur Christo. Sed sola fides arena super petram posita est, quæ quauis stante, quamuis inconcussa petra, facilè per se ipsa dilabitur, & quidquid super ædificatum est, in ruinam trahit; opera petra super petram, quæ nulla pluuia, nullo vento, nullius impetu fluminis labefactatur. Pluuiam autem, ventum, & flumen, nonnulli ita distinguunt, quasi tribus rebus tres res aliæ significentur. Probabilius Christum tribus rebus, quibus potissimum ædificia labefactari solent eandem diem iudicij, quasi terribilem quandam tempestatem describere voluisse, vt Psal. 49. 3. *Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit; ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Docet ergo Christus eos, qui bona habuerint opera firmiter in iudicio, staturos esse; alios quantumcunque fidem habuerint, causa casuros. Non enim resurgent impij in iudicio Hebr. יקומו non stabunt, sicut orator ille Latinus loquitur, cum in lenaea pulcherrimè staremus.

CAPVT VIII.

CVM autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: 2. & ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine si vis, potes me mundare. 3. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. 4. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses: in testimonium illis. 5. Cum autem introisset Capharnaum accessit ad eum Centurio, rogans eum, 6. & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. 7. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. 8. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus, 9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit, & seruo meo, Fac hoc, & facit. 10. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. 11. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum. 12. filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. 13. & dixit Iesus Centurioni: Vade & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. 14. Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem: 15. & tetigit manum eius & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis. 16. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eijciebat spiritus verbo: & omnes malè habentes curauit: 17. vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. 18. Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit ire tarns fretum. 19. Et accedens vnus scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris. 20. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. 21. Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. 22. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 23. Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: 24. & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. 25. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. 26. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperauit ventis, & mari, & facta est tranquilitas magna. 27. Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? 28. Et cùm venissent trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam 29. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? 30. Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. 31. Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eijcis nos hinc, mitti nos in gregem porcorum. 32. Et ait illis: Ite At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis. 33. Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nunciauerunt omnia, & de his, qui dæmonia habuerant. 34. Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu: & viso eo rogabant, vt transiret à finibus eorum.

Mar. 1. d. 40. Luc. 5. c. 12. Leuit. 14. a. 2. Luc. 7. a. 1.

Luc. 7. a. 5.

Mal. 1. c 11.

Mar. 1. d. 32.

Isa. 53. a. 4. 1. Pet. 2. d 24.

Luc. 9. g. 54.

Mar. 4. d. 36. Luc. 8. d. 22.

Mar. 5. a. 1. Luc. 8. d. 32.

Mar. 5. b. 17. Luc. 8. 37.

IN CAP. VIII.

CVM autem descendisset.) Hieron. Chrysost. hom. 26. auctor imperfecti 21. ita hoc interpretantur, quasi omnia, quæ tribus superioribus capitibus dicta sunt in monte à Christo tradita fuerint. Id non ita esse c. 6. 1. probauimus. Dicit ergo Matthæus *cum descendisset de monte*, non quòd omnia superiora in monte dixisset; sed quòd cum c. 5. 1. scripsisset, eum, vt turbam hominum fugeret, in montem ascendisse, ibique ad Apostolos concionem habuisse; eiusque concionis occasione alias quoque eius conciones recitasset, volens nunc exponere, quid postea sequentibus iterum fecisset turbis, necesse habuit dicere cũ de monte descendisse. Nec enim cum turbæ, nisi in campo, sequi poterant. Dicet aliquis cur tum cùm. c. 6. & 7. eas conciones retulit, quas ad easdem turbas Christus habuerat, non dixit Euangelista de monte descendisse, neque turbas eum secutas esse. Rel-

Universidad de Deusto
Biblioteca

spondeo non fuisse necessarium dicere eum de monte descendisse, nisi vt redderetur causa, cur eum turbæ secutæ essent. nec dicere turbas eum concionantem secutas esse, quia non referebat, quos auditores, aut doctrinæ suæ testes, cum concionaretur, habuisset. Referebat autem scire, quot habuisset miraculorum suorum testes, ne quis supprimere, aut obscurare vellet. Propterea cùm Euangelista, posteaquam de eius egisset doctrina, cuius etiam, vt ait Hieronymus, facta narrare vellet, dixit, *secutæ sunt eum turbæ*. Qua in re alium Matthæus, quàm cæteri Euangelistæ, secutus est ordinem. Nam alij prius Christi miracula, quàm doctrinam exposuerùt, quasi ex miraculis, doctrinæ facturi fidem.

2. *Et ecce leprosus.*) Marcus c. 1. & Lucas 5. alia quædam miracula prius narrant. Itaque incertum est, vtrùm hoc post illa, an post hoc illa facta sint. Nisi quod Matthæus dicens, *Et ecce leprosus*, videtur significare hoc statim, vt Christus de monte descêdit, factũ esse. Hanc enim vim habet illud, *& ecce*, vt c. 2. 1. exposuimus. Commodè autem Leontius monet ideo, dum in monte esset, ægrotos illi oblatos non fuisse, ne eius conciones, quas in monte habebat, impedirentur.

Adorabat.) προσεκύνει, flectebat genua, prouoluebat se ad eius pedes Mar. 1. 40. γονυπετῶν αὐτὸν, vt si Gallicè diceres, *luy faisant tout plein de reuerences*, Lucas 5. 12. πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, *cadens in faciem* Hebraismum secutus, נפל פנים, quod multi vrbanitatem Christo, tanquam Prophetæ, aut viro sancto exhibitam, interpretantur. Ego verò religionem fuisse puto, quia ideo videntur omnes Euangelistæ tanto studio hanc circunstantiam exprimere voluisse, vt eius leprosi fidem declararent; quæ minima protectò fuisset, si Christũ nihil supra quàm Prophetam, aut virum sanctum credidisset. Deum ergo credidit; neque alij, quàm Deo dicere potuit, *Si vis, potes me mundare*. Non enim dixit, si patrem orauetis, sed si vis, significans æqua em ipsum cum patre habere potestatem, vt Chrysostom. hom. 26. Theophylactus, & Euthymius obseruauerunt. Magna omnino fides, & ratio orandi singularis, quæ nihil petit, sed necessitatem ostendit, fidem prætendit.

Ordis ratio singularis.

Cur Christus leprosum tetigerit.

3. *Et extendens Iesus manum.*) Quid opus erat extendere, præsertim ad tangendum leprosum, cuius contactus in veteri lege immundus habebatur? Notarunt ex hoc loco, & aliis similibus veteres auctores, in quibus Cyrillus Alexandrinus, ideo Christum contactu carnis suæ aliquos ægrotos curare voluisse, vt ostenderet etiam carnem suam propter coniunctionem cum diuinitate vim salutiferam, & viuificam habere. Ambrosius libro 5. in Lucam aliam rationem affert, vt humanæ naturæ, quam habebat probaret veritatem. Alij, vt ostenderet se veteri lege non teneri, quæ lepram tangere prohibebat Leuit. 14. 46. sed tanquam legislatorem superiorem esse lege, Chrysost. ho. 26. in Matt. & hom. 27. ex variis locis Matthæi, auctor imperf. hom. 21. idem quoque Ambrosius eodẽ loco, Euthym. & Theophylact. Alij, vt ostenderet se esse non alium qui curauisset, cùm ipse non alius retigisset, quod apud D. Thomam ex Chrysostomo citatum lego. Alij, vt doceret legem, quæ lepræ contactum prohibebat, ne contingens contaminaretur, in se non habere locum, qui nec contaminari poterat, & leprosum non contaminandi, sed curandi causa tetigisset, vt Tertullianus ait libr. aduersus Marcionem 4. Eodem modo nunc Euangelica, & Ecclesiastica lex intelligenda, qua cum hæreticis agere prohibemur, 2. Tim. 3. 5. & 2. Ioan. 10. Non enim prohibemur cum illis agere, vt eos cõuertamus; sed ne nos ipsi peruertamur, quia malitia eorum, sicut cancer serpit. Ergo qui Christus est, qui nec peruerti potest, & conuertere potest. & Ecclesiæ doctores, qui Christi personam gerunt, hæreticos tangant, confiderantes tamen seipsos, ne & ipsi tententur; cæteri quàm longissimè fugiant, maximè verò Calumnistas, quorum & pernicioſissimus, & maximè contagiosus est morbus.

Quibus & quomodo conuersandũ cũ hæreticis.

Volo, mundare.) Respondet ijsdem duobus verbis, quibus leprosus vsus fuerat, vt eius fidem effectu confirmet. Ambrosius libro 5. in Lucam, Chrysostomus homilia 17. ex varijs locis Matth.

Mundare.) Non esse infinitum, sed imperandi modum Hieronymus & Chrysostomus monuerunt. Quod Hieronymum hominem Latinum fecisse non miror, quia Latinum verbum vtriusque modi esse poterat, Chrysostomum Græcum fecisse miror, cùm Græcum verbum κάθαρίσον non nisi imperandi modi esse possit. Quæ res facit, vt suspicer id Chrysostomi interpretem addidisse. Rectè ex hoc loco veteres auctores Christi diuinitatem probauerunt quòd quasi propria non aliena vsus potestate volendo, imperandóque curauerit, Iustinus in expositione fidei, Tertullianus libro 4. contra Marcionem, Athanasius in libro de communi essentia. Patr. & Fil. & Spiritus sancti. Idacius Clarius libro 3. contra Varimadum, Ambrosius libro 5. in Lucam Chrysostomus homilia 26. & quidam diuinitatem simul & humanitatem probauerunt, vt Tertullianus, Cyrillus, & Ambrosius cuius hæc verba sunt, *Volo ergo dicit propter Photinum; imperat propter Arium; tangit propter Manichæum.*

4. *Nemini dixeris.*) Dignum est quæri, cur Christus tantum beneficium prædicare, vetet, & quodammodo eum, qui accepit, ingratum esse iubeat. Respondet Hilarius can. 7. vt salus hæc non offerretur, sed quæreretur, id est, ne ideo hoc miraculum, quasi iussu Christi, iactari videretur, vt alij etiam ægroti ad quærendam venirent curationem; & fidei meritum amitterent, si non sponte, sed miraculo impulsi venirent, quam etiam rationem indicauit Ambrosius. Hieron. ideo prohibuisse, quia necessarium non erat, vt sermone iactaret, quod toto corpore præferebat. Alij, ne gloriam suam quærere videretur. Ambrosius libro 5. in Lucam, Chrysostomus homilia 26. Beda, Euthymius. Theophylact. Mihi sententia auctoris operis imperfecti valde placet, non omninò vetuisse Christum, ne quid vnquam diceret; sed ne diceret; antequàm se sacerdotibus ostenderet; ne si sacerdotes vulgata fama factum cognouissent, calumniarentur non esse verè mundatum, cuius mundities, sicut lex Leuit. 14. præcipiebat, nõ esset ipsorum iudicio comprobata. Propterea dicit statim, *ostende te sacerdoti* quod cur præceperit, etiam inter interpretes disputatur. Plerique respondent ideo præcipisse, vt ostenderet se legem seruare, vt Tertullianus libro 4 contra Marcionem, Chrysostomus hom. 26. Hieron. & Euthym. Alij, ne, si se sacerdoti non ostendisset, extra ciuitatem secundum legem manere cogeretur, nec accepto beneficio frueretur, quia curatis à lepra redire non licebat in ciuitatem. priusquam à summo sacerdote de eorum esset curatione iudicatum, Theophylactus. Alias præterea rationes duas Hieronymus affert; alteram, vt humilitatem suam doceret, alteram, quam & Bedam probasse video, & ego omnium maxime probo, vt inexcusabiles essent sacerdotes, si in ipsum non crederent, cuius miracula probassent. Hoc enim est, quod statim addit. *in testimonium illis*, quod, vt paulò post dicam, non solùm ad oblationem, muneris; sed etiam ad ostensionem spectat.

In testi-

In testimonium illis.) Quidam hoc referunt ad verbum, *præcepit*, vt sit sensus, & offer munus tuum, quod præcepit Moses. vt esset in testimonium illis curationem non ex sacerdotibus, aut omninò ex hominibus; sed ex Deo profectam esse, ad quem ferè modum Hilarius interpretatur. Nonnulli ad verbum, *offer*, vt auctor imperf. ho. 21. & Theophylact. quasi dicat, offer illis munus, ne si non obtuleris, curationem tuam calumnientur, & vt muneris acceptio perpetuum contra illos verè curationis tuæ testimonium sit. Nec enim dicere potetunt non verè fuisse curatum. pro eius cognita, approbataq; curatione munus acceperint. Alij ad vtrumque, & ad verbum, *ostende*, & ad verbum *offer*, vt Tertul. Chrysost. & Ambros. iis locis, quos antè designauimus, quod ego verissimum iudico. Reddit enim rationem non solùm cur munus illum offerre iubeat; sed etiam cur ad sacerdotes mittat, & cur quicquam prius dicere prohibeat. Sensus ergo est, *nemini quicquam dixeris, sed ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyses*, vt illi ipsi, qui maximè mihi aduersantur, primi meorum miraculorum testes sint, & proprio ipsorum testimonio eorum incredulitas arguatur. Quale autem munus offerendum esset, scribitur Leuit. 14. 4.

5. *Accessit ad eum Centurio.*) Hominem fuisse Gentilem vel ex ipso nomine manifestum est; nec enim tum cùm Iudæi Romani imperij tyrannide premebantur, Centuriones ex ipsis factos fuisse credendum est, vt Chrysostomus & Augustinus admonuerunt: & ex versic. 10. & Lucæ 7. 3. colligitur. Disputant autem interpretes an idem hic Centurio sit, & ille de quo Lucas scribit. Dubitandi multis causam attulit, quòd magna videatur inter Matthæum & Lucam in historiæ narratione esse discordia. Matthæus dicit Centurionem ad Christum accessisse; Lucas misisse ad eum primùm seniores Iudæorum, deinde amicos suos, excusasseque, quòd ad eum ipse non venisset, nec enim se, vt veniret, dignum iudicasse. Matthæus dicit Centurionem rogasse Christum, ne in domum suam veniret; nec enim se dignum esse; Lucas rogasse, vt veniret. Quibus rationibus adducti nonnulli fuerunt, vt diuersam historiam esse dicerent, vt Chrysostomus homil. 27. & Euthymius meminerunt. Sed omnes veteres interpretes eandem esse putant. Et verò quis credat duo miracula tam similia esse potuisse, vtrumque in Capernaum, vtrumque eodem tempore, vtrumque in seruo Centurionis, vtrumque in seruo paralytico, vtrumque Centurionem dixisse, *non sum dignus, vt intres sub tectum meum*. Illi ergo, qui contra sentiunt, inconsideratè faciunt, quòd dissimilia, non similia considerent. Quod autem Matthæus Centurionem accessisse, Lucas seniores Iudæorum misisse dicat, quidam respondent, vtrumque fecisse & principio seniores Iudæorum, & postea amicos suos cum audiuisset, Christum aduentare, ad eum misisse, quod Lucas; & ad extremum ingrauescente morbo ipsum etiam accessisse, quod Matthæus exposuit, vt Chrysostomus hom. 27. Theophylactus, & Euthymius. Alij per alios tantum non per se accessisse; accedere enim dicitur non solum qui per se, sed etiam quia per alios accedit, vt compa rere coram iudice, non solum qui per se; sed & qui per procuratorem comparet. Sic Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 20. & lib. 33. cont. Faustum. c. 7. & 8. & Beda & Leontius hoc in loco. Nec obstat, quod Matthæus dicit ver. 8. Centurionem respondisse, *Domine non sum dignus*, & ver. 9. *Nam & ego homo sum*. Nam quemadmodum quis per alium accedit, accessisse; ita qui per alium respondet, respondisse dicitur. Illud maius est argumentum, quod verosimile esse non videatur seniores Iudæorum, qui apud Lucam rogant, vt veniat, hic rogare ne veniat. Sed facile respondeti potest id apud Lucam seniores Iudæorum de suo addidisse. Nam centurionem non dixisse illis, vt rogarent Christum ad se venire, ex eodem Luca perspicuum est, ver. 6. 7. *Domine noli vexari non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres, propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt ad te venirem, sed dic verbo, & sanabitur puer meus*. Ergo seniores Iudæorum minus quàm Centurio fidei, plus verò habentes vanitatis non sunt functi fideliter legatione; sed partim non credentes posse Christum solo verbo absentem curare paraliticum, partim, vt ait Chrysostomus, ostendere volentes tantum se auctoritate valere, vt possent Christum adducere, contra quàm in mandatis habebant, rogarunt, vt veniret Sicut & illud de suo addiderunt. *Dignus enim est, cui hoc præstes; diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis*. Non enim Centurio illis mandauerat, vt se dignum esse dicerent, sed potius indignum. Vnus igitur Euangelista, quid Centurio mandasset; alter quid Iudæi dixissent, exposuit. Illud ego credo, ea verba quæ ver. 8. & 9. sequuntur, à Iudæis dicta non fuisse, nec enim tantum habebant fidei, vt tam plenis fidei verbis vti possent, præsertim cùm, vt ex Luca constat, ante rogassent, vt venirent; sed dicta fuisse ab amicis Centurionis, quos, vt ait Lucas, cùm audisset aduentare Christum, ad eum misit. quósque credibile est Gentiles fuisse, quia eos Euangelistas non Iudæos, vt priores, sed amicos vocat. Eos ergo tanquam magis familiares, videns priores infideliter mandata sua peregisse, melius instruxit; vt se hominem esse dicant sub potestate constitutum, tamen, dicere huic militi vade, & vadere; alteri fac hoc, & facere, quod vt erant fideliores, ijsdem quibus acceperant verbis, recitauerunt. Fuerunt, & qui dicerent hunc Centurionem illum fuisse regulum, de quo Ioannes scribit cap. 4. 46. & miraculum, quod hoc & illo loco narratur idem. Leontius hic, & apud Ioannem, itemque apud eundem Ioannem Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius referunt, eorúmque opinionem meritò refellunt, nósque illic refutauimus. Itaque abs re est, quòd ad marginem huius loci locus notatur 10 annis, quasi eadem sit historia.

6. *Puer meus.*) Seruus meus, vt constat ex Luc. ca. 7. 3, 8. *Non sum dignus.*) ἱκανὸς sufficiens, id est dignus, vt supra, c. 1. 11. & 1. Cor. 15. 6. & ad Colos. 1. 12.

Vt intres sub tectum meum.) Non probo, quod quidam dicunt propterea se Centurionem indignum appellasse, quòd Gentilis esset, & non liceret Iudæis in Gentilium domos ingredi. Id enim non minus facile dixisset; & non solum dicit se indignum, vt in domum suam intret, sed etiam, vt ipse ad eũ adeat Luc. 7. 7. Non ergo, quia Gentilem, sed quia peccatorem se esse sciebat; non superstitione, sed fide dixit se indignum esse, vt sub tectum suum intraret sicut Petrus Luc. 5. 8. *Exime a me Domine, quia homo peccator sum* Beda.

Sed tantum dic verbo.) Hebraismus אמר *dic*, id est iube, *verbo*, vnico verbo; non enim solum opponit verbum facto, sed longo etiam sermoni, vt cum dicit, *verbo Domini cœli firmati sunt*. id est vnico ac breuissimo verbo. *Fiant & facti sunt* Psal. 32. 6. Credibile est audiuisse Centurionem, quomodo Christus leprosum non multo antè vnico verbo curauisset, *volo mũdare*; indéque tantam concepisse fidem, vt idem in suo seruo facere posse non dubitaret. Refert Leontius dixisse quosdam propterea Centurionem seruum ad Christum non adduxisse, quia iam agebat animã ita que timuisse, ne in via agitatus moreretur, quod ille

Centurionis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Centurionis fide indignum putat. Qui enim credidit solo verbo morientem sanare potuisse, & illud existimandum est credidisse posse Christum efficere, ne per viam moreretur.

In edict. 1559.

9. Nam & ego homo sum.) Theodorus Caluinistarum interpres pro ὑπὸ ἐξουσίαν *sub potestate* legendum putat ἐπ' ἐξουσίαν, in potestate sensu prorsus contrario, quasi ita Centurio argumentetur, non opus est, vt venias, nam & ego homo sum sicut tu, quamuis minore, in aliqua tamen potestate constitutus, & solo imperio facio, quæ volo, deabusque in hanc opinionem ductus, est coniecturis, altera, quòd non dicat, ἐγώ εἰμι, ego enim homo sum, indicans Christum plus esse quàm hominẽ; sed καὶ γὰρ ἐγώ *nam & ego homo sum*, quasi dicat, vt tu. Altera, quòd statim adijciat, *& habeo sub me milites*, quasi volens explicare, quod dixerat se esse in potestate constitutũ. Nolo, testis mihi mea cõscientia est aduersarium inuidia grauare, sed lectorem moneo eam fuisse Arianorum interpretationẽ: sic enim auctor operis imperfecti, homo, vt ex multis locis commentatorum ipsius manifestum est, Arianus. Quo consilio non solemus eum, vt multi faciunt, Chrysostomi nomine citare, ne sanctissimi & eruditissimi viri auctoritatem spurij & hæretici operis attributione polluamus; nec omnino citaremus, nisi hanc illi & antiquitas, & eruditio, & subtilitas interpretãdi auctoritatem tribuisset; vt etiam hæreticus à Catholicis citari posset, sicut Tertullianum, & alios nõnullos quos hæreticos fuisse scimus, sæpe citamus. Sensus igitur est omnino contrarius. Non enim à pari, sed à minori ad maius argumentatur. Si ego homo cum sim sub alterius potestate, id est sub Chiliarcho, & sub Imperatore constitutus, tamen quia sub me milites habeo, dico huic vade, & vadit, & alteri veni, & venit, quanto magis tu, qui sub nullius es potestate, poteris solo tuo imperio ferum meum curare? id est per alios facere, quod per te facere potes, vt omnes veteres auctores Catholici exposuerunt, Augustinus ser. 6. de verb. Domini, secundum Matth. Chrysost. hom. 27. Beda, Strabus in commentarijs. omnium autem optimè Leontius ὑπὸ ἐξουσίαν interpretans ὑπὸ βασιλέα sub rege; cuius interpretationis, si aliud non haberemus argumentum, quàm quòd hic sensus vberior est, & illa tanta Centurionis fide magis dignus: hoc vnum satis esse magnũ existimare deberemus. Quis enim non videt, non esse tantæ illi Centurionis fidei cõsentaneum, vt se & natura, & officio quodam modo æquaret Christo, quod etiá si fingamus eum verè facere potuisse, tamen profecto non fecisset. Mali omnino fuisset orator is se illi, à quo beneficium peteret, æquare. Potius sed, quamuis superiorem duceret, inferiorem diceret. Et contrariæ coniecturæ non modò leues, sed etiam falsæ sunt. Nec enim est Græcè ὅτι κἀγὼ nam & ego, vt esse oportebat, vt ille, quem isti putant, esset sensus, sed ἐγὼ δὲ ἐγώ, etenim ego, quod sensum habet omnino contrarium. Etenim ego, cum nõ sim Deus, vt tu, sed homo vt cæteri; quibus impero, tamen quia sub me milites habeo, dico huic vade, & vadit, & alteri veni, & venit. Quod autem dicit se milites habere, non ideo dicit, vt probet se in potestate esse constitutum, sed vt reddat causam, quamobrẽ dicit huic vade, & vadat; illi veni & veniat, lego quidem apud Danielem c. 3. 21. τοὺς ὑπ' ἐξουσίαν genus quoddam militarium præfectorum in Theodotionis editione nominari, qui κατὰ Chaldaicè vocantur, sed illos ipsos à potestate, sub qua, non in qua essent, sic appellatos puto, tanquam si sub præfectos dicas.

10. *Admiratus est.*) Admirationem nemo ignorat ex antegressa ignoratione, & confecuta cognitione proficisci. Admiramur enim, quæ videmus, aut audimus aliáve ratione cognoscimus cum ante nõ solùm ignoraremus; sed nec cogitaremus quidem. Itaque hoc ipsum admiratum fuisse Christum, cùm nihil ignoraret, multo vero minus illam ipsam Centurionis fidem, quam mirabatur, cùm, vt ait Augustinus, ipse eã fecisset; meritò miraremur. Quod quidam respõdent miratum, vt hominem, non probo. quia ne homo quidem fidẽ illam ignorabat. Nihilo probabilius, quod alij dicunt, non propter nouã cognitionẽ, sed propter nouam experientiam fuisse miratum. Ponunt enim Theologi scientiam quandam in Christo, quam experimentalem vocant, quàmque illum nouis rebus acquirere posse dicunt, quemadmodum ait D. Paulus *didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam* Hebræ 5. 8. Cæterum experientia non potest admiratione m afferre ijs, qui quidquid experiuntur, animo præsumpserunt; cuiusmodi Christum fuisse certum est. Multo probabilius Augustinus non fuisse reuera miratũ; sed vt nos miraremur, quasi admirando dixisse, *non inueni tantam fidem in Israel*, lib. 1. contra aduer. leg. & proph. c. 7. *Quisquis* (inquit) *miratur, secundum consuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatum atque improuisum sibi esse significat, quod miratur. Sed Iesus, qui omnia præscibat, quod mirandum aliis commendabat, mirando laudabat.* & libr. 1. de Genes. contra Manich. capit. 8. *Quis autem in illis fecerat ipsum fidem, nisi ipse, qui eam mirabatur? quod si & alius eam fecisset, in quid miraretur, qui præscius erat? quod mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic mireri. Omnes igitur tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri.* Credo ego ita Christum mirari dici, sicut irasci dicitur Deus, non quòd reuera iraseatur, sed quòd puniat. quod homines irati facere solent. Sic Christus miratus dicitur, non quòd miratus, sed quòd ad modum mirantis hominis locutus sit. *O mulier, magna est fides tua* c. 15. 28.

Non inueni tantam fidem in Israel. G. οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ

ne in Israel quidem tãtam fidẽ inueni. Quidam, vt ait Chrysostom hom. 27. ex hoc loco, & ex illo Luc. c. 7. 5. *& synagogam ipse ædificauit nobis*, collegerunt hunc Centurionem Israelitam non Gentilem fuisse. Ex quo vtroque loco contrarium colligere debuerunt. Nam & hic cum dicit Christus se ne in Israel quidem, vbi plus fidei esse oportebat, quòd filius esset Abrahami qui pater fuit omnium credentium, tantam inuenisse fidem, non obscurè significat Centurionem fuisse Gentilem; & apud Lucam eò magis seniores Iudæorum eum commendant, quòd cum Iudæus non esset Iudæos tamen amaret, & Synagogam illis ædificasset. Quo autem modo dicat Christus se ne in Israel quidem tantam fidem inuenisse, cum in Prophetis & Apostolis, certè in Beata Virgine credendum sit fuisse maiorem, meritò quæritur. Quidam Patriarchas & Prophetas excludunt, vt Hieronymus, & Beda qui a non dicit non fuit, sed *non inueni*, id est non fui expertus in Israel, ex quo homo factus sum. Sed quid de Apostolis, & de Beata Virgine dicemus. Putat etiam Hieronym. non vnius Centurionis cum singulorum Israelitarum, sed Ecclesiæ Gentilium, quæ per vnum Centurionem significatur, fidem cum totius Ecclesiæ Iudæorum fide comparari, illique præferri. Sed vt hic sensus anagogicus sit, non est certè litteralis; nam ipsius etiam Centurionis fidem Christus miratur. Auctor imperfecti hom. 22. duas interpretationes non incommodas affert. Alteram re vera maiorem in Centurione, quàm in Apostolis fuisse fidem. Nec id existimandum absurdum, cùm Christus Centurionis fidem tantopere laudet, Apostolorum incredulitatẽ tantopere sæpe reprehendat, infra ver. 26. & cap. 14. 31. & 16. 8. & 17. 20. & Mar. 16. 14. Alteram non

Alteram, non simpliciter, sed proportione personæ fidem Centurionis Apostolorum fide maiorem fuisse, quia Apostoli Iudæi Centurio Gentilis erat. Itaque maior erat in illo medioeris, quàm in Apostolis summa fides, sicut hominem rusticum, si quid ex philosophia delibauerit, magnum dicimus esse philosophũ & Aristotelibus atque Platonibus anteponimus. Memini legere Traianum Imperatorem magnum habitum fuisse pictorem, quia quantuscunque pictor esset, magnus tamen Imperator magnus pictor esse non debuit. Sic homines sumus, vt quidquid præter debitum & opinionem accedit, pro magno habeamus. Duobus ergo modis interpretor, altero, vt Christus non comparet Centurionis fidem cum singulorũ etiam Apostolorum; sed cum populi fide; sic enim solemus aliquando, generaliter loqui, vt eos de quibus dubium non est, excipiendos intelligamus. Dicimus aliquando coram doctissimo viro, illum vel illum omnium, quos vnquam nouerimus, doctissimum esse, nimirum eo excepto, quo cum loquimur, cum quo inuidiosum & inurbanum esset alterum comparare. Dicit rex illum, aut illum esse hominem totius regni sui potentissimum, haud dubiè se ipsum excipiens, quem longè scit esse potentiorem. Dicit Christus inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista infra c. 11. 11. non comprehendens se ipsum, qui & ex muliere natus, & longè maior erat. Sic hoc loco, cùm dicit se in Israel tantam fidem non inuenisse, familiam suam, id est Beatam Virginem, & Apostolos non comprehendit. Altero modo sic, vt non de ipsa fide, sed de externis signis fidei Christus loquatur, quasi dicat non inueni, qui ita mihi respõderit, qui tantam præ se fidem ferret. Priorem tamen interpretationem magis probo.

11. *Ab Oriente & ab Occidente.*) à toto orbe terrarũ extra regnum Iudæ; posuit enim duas remotissimas partes pro omnibus, Augustin. ser. 6. de verbis Dom. secundum Matth. venient autem vocati: loquitur enim de gentium vocatione de qua Isaias c. 43. 5. 6. 7. 8. 9. vaticinatus fuerat, & de qua tota epistola ad Romanos, maximè vero 11. cap. latè disputat D. Paulus.

Et recumbent.) ad mensam, metaphora sumpta de conuiuio: solet enim regnum cælorum per conuiuium significari, quia satiabimur, cum apparuerit gloria eius, Psal. 16. 15. vt Lucæ 14. 15. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*, & Lucæ 22. 29. 30. *Ego dispono vobis, vt disposuit mihi pater regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo* & Apocal. 19. 9. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Hoc ipsum per illam parabolam de nuptijs, & inuitatis significatur Ma. 22. 2. Luc. 14. 16. Non solebant Gentiles nec licebat illis prius cum Iudæis ad mensam discumbere; docet Christus in cælo cum ipsis Iudæorum Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, discubituros, & Iudæis ipsis anteponendos.

Cum Abraham Isaac, & Iacob.) Cur hos tres potissimum nominauerit, multas causas interpretes afferũt. Prima est, quòd Deus eorum, Deus vocabatur. Exodi 3. 6. 15. 16. Hier. Secunda quòd illis promissio terræ Chanaan, per quam regnum cælorum significabatur, facta esset, Genes. 12. 7. & 15. 13. Theophylact. Tertia propter fidem, quæ in illis maximè eluxit, eiúsque imitatione gentes in bonam oliuam insertæ seruantur, quam etiam Hieronymus indicat. Mihi videntur hi tres tanquam Reipublicæ Iudæorum fundatores nominari, qui veluti in capite mensæ sessuri sint vt significetur gentes cum illis, id est proximè illos, sessuras esse, Iudæisque præferendas, sint illius Centurionis fides, cuius occasione hæc dicta sunt, propius ad fidem Abraham, Isaac & Iacob, quàm Iudæorum fides accessit, sicut sinus Abraham vocatus est, illud veluti conclaue, vbi Abraham cælestium delitiarum gustu quodam expectatione fruebatur, Luc. 16. 22.

12. *Filij autem regni.*) Filios regni, quasi filios regis, id est Dei, & proinde hæredes nõnulli vocari putant. Non approbo; cur enim non potius filios regis appellasset? Alij, in quibus Deus ante regnauerat. *Notus enim in Iudæa Deus*, Psal. 75. 1. Hiero. & Beda. Alij quod mihi magis placet, quibus regnum cælorum promissum erat, & qui in eius quadammodo erant possessione; propterea enim dicũtur eijci foras, quasi iam prius intus fuissent, vt ille, qui in cœnaculo sine veste nuptiali inuentus est c. 22. 12. sic ferè Theophylactus. Dicuntur ergo filij regni Hebraismo, quia ad regnum nati destinatique erant: sicut filius mortis qui ad mortem est destinatus, aut filius mortificationis, Psal. 78. 11. בני תמותה quos noster interpres reddit *filios mortificatorum*. Non displicet tamen, quod nonnulli dicunt, filios regni vocari, quòd in regno Iudæorum nati essent, quod veluti vmbra quædam & exordium erat regni cælestis, vt opponantur Iudæi gẽtibus, quasi indigenæ alienigenis, & vt Galli dicunt, naturales, subiecti externis; & quod alij, filios regni appellari, non quòd essent, nec enim foras eiecti essent, sed quòd esse debuerunt, suáque non fuerunt culpa quemadmodum filij sapientiæ vocati sint, non quia erant, sed quia maximè debebant esse sapientes, Luc. 7. 35. *iustificata est sapientia a filijs suis.*

In tenebras exteriores.) Infernũ significari dubium non est, etsi Origines tractatu in Matth. 23. Purgatorium, quod extra infernũ sit, interpretatur. Dubium tamen, cur tenebræ, & cur exteriores appellentur, cum & ignis illic sit, & maximè internæ, & abditæ esse videantur. Certum enim est ita Christum de inferno, sicut de carcere aliquo loqui, qui vt tenebrosus sit; tamen tenebræ internæ sunt, non externæ; & eò quidem magis internæ, quò maiores sunt. Cur tenebræ vocentur, multi rationem alij aliam reddiderunt; cur exteriores admodum pauci. Hieronymus in commentarijs, & Augustin. epistola ad Honoratum 120. c. 22. & Ambrosius lib. 7. in Lucam, propterea damnatos in tenebras mitti dicũt, quòd à Deo vero lumine discedant. Nescio an hoc, etsi verum est, potius sit allegoricũ. Sicut & illa altera interpretatio, quam affert Augustinus in commentariis in Psal. 6. exteriores tenebras, extremam, & quæ vltra sanari nõ possit, cæcitatem appellari; in quam omnes damnati mittuntur, quia nullam in inferno agere possunt pœnitentiam. Alij tenebras quidẽ dici, quod locus ille inferni luce careat, vt ait Iudas vers. 6. *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium ad iudicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Nam etsi in inferno verus est ignis tamen, vt Basilius & Damascenus docent, calidus est, lucidus non est, quia non solo calore damnatos, sed etiam obscuritate torquet; exteriores autem appellari non omnes, quæ in inferno sunt; sed eas, in quas dicuntur ejiciendi esse Iudæi. Multos enim illic esse pœnarum gradus, omnium grauissimas tenebras exteriores nominari; ita Theophilactus. Quod eo videtur magis conuenire, quò plenior est inter Gentiles, & Iudæos antithesis, vt quemadmodum dixerat Gentiles cum Abraham, Isaac, & Iacob, id est primo loco in cælo discubituros; ita nunc dicat Iudæos vltimo in inferno loco futuros esse. Sed aliter tamen interpretari possumus: cũ enim agatur de regno cælorum, ex quo, qui excluduntur, in tenebras exteriores ejici dicantur, ratio postulat, vt inde causa petatur, quare locus, in quem mittuntur, & tenebræ, &

Purgatorium.

Infernus per tenebras exteriores significatur designetur.

exteriores

Universidad de Deusto
Biblioteca

In scriptu rarum de aeterna cur potius cœnæ quam prandio.

exteriores appellentur. Agitur autem hoc loco, sicut multis alijs, de regno cœlorum sub figura & similitudine conuiuij; nec prandij, sed cœnæ, quia antiquus mos est, vt conuiuia ad cœnam potius, quàm ad prandium celebrentur, quia positis tunc negotiorum curis longius in noctem, quàm in diem trahi possunt, itaq; rectè dixit D. Paulus, *qui ebry sunt, nocte ebry sunt* 1. Thessal. 5. 7. Quam ob rem semper videmus cœnam nunquam prandium appellari Matth. 22. 2. Luc. 14. 16. Apocal. 19. 9. solent autem conuiuiales cœnæ, quia de nocte fiunt, copioso tædarum lumine celebrari, quod non solum ad necessitatem, & vsum, sed etiam ad celebritatem, & ambitionem adhibetur. Itaque qui in cœnaculo sunt, in magno sunt lumine; qui extra, in magnis versantur tenebris. Ideo, qui ex regno cælorum extruduntur, in tenebras exteriores eijci dicuntur, quia quidquid tunc extra regnum cælorum erit, si cum eo comparetur, tenebræ erit. Nam qui in eo erunt, *non egebunt lumine solis, neque lumine lucernæ, quoniam Dominus Deus illuminabit eos, & regnabunt in æternum*, Apocal. 22. 5.

In inferno, cur fletus & stridor dentium.

Ibi erit fletus & stridor dentium,) Quidam hæc duo ita distinguunt, vt duo suppliciorum genera alterum ignis, alterum frigoris significentur, vt apud Iob. 24. 19. *ad nimium, calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatū illius*, Beda hoc loco, & Hieronymus aut, si quis alius est auctor, in commentarijs in c. 24. Iob. Duplicem enim esse Gehennam, alteram caloris, alteram frigoris, ideoque solere aliquādo addito epitheto *Gehennam ignis* appellari, quasi vt ab ea altera; quæ nimis est, distinguatur, Matth. 5. 22. & 18. 9. Non disputo, an duplex Gehenna sit, nec quo modo locus ille Iob intelligatur, quia huius loci non est. Tantùm dico eā opinionem non esse aliorum auctorum approbatione receptam, & Christum hoc loco, & alijs similibus, non ideo fletum & stridorem dentium nominasse, vt duo suppliciorum genera notaret, quasi calor, & fumus; stridorem frigus effecturum sit: sed vnam & eandem rem, id est maximam tormentorum vim fletu, & stridore dentium significasse, quia vtrumque qui vehementissimè torquentur, facere solent, & flent, & dentibus stridٍent. An autem & fletus & stridor dentium verus futurus sit, an per hæc duo, quæ apud nos in suppliciis fieri solent, maxima illa inferni supplicia, per metaphoram declarentur, nihil ausim in vnam, vel alteram partem affirmare; malim tamen verum fletum & stridorem, quàm metaphoricum, & quia ita Hieronymus sentit, hinc futurā corporum resurrectionem probans; & quia quod propriè interpretari possumus, per figuram interpretari incredulorum hominum est, & quasi fidei diuerticula quærentium.

Fides vnius alteri prodest.

13, *Vade,*) Hebraismus est hominis concedentis, quod rogabatur, vt Iud. 11. 38. & 1. reg. 17. 37. & 2. reg. 14. 8. & Mar. 5. 34. Luc. 7. 50. & 8. 48. & Ioan 4. 50. *Vade filius tuus vuit*; quemadmodum Galli dicunt, vt significent se, quod petitur, liberaliter & hilarè concedere, *allez vous l'aurez*. Collegerunt veteres auctores, & hoc ex alijs consimilibus locis, vt infra. c. 9. 2. & Mar. 2. 5. & Luc. 5. 20. fidem vnius alteri prodesse. Nā seruus Centurionis, aut fidem non habebat; aut si habebat, nec enim constat, non propter suam, sed propter Centurionis fidem sanatus est. Ita Cyrillus Hierosolymitanus catechesi. 5. Chrysost. hom. 28. Ambros. libro 5. in Lucam.

14. *Cum venisset.*) Accidit hoc simul atque Christus in synagoga Capernaum concionem illam habuisset, propter quā miratæ sunt turbæ, c. 7. 28. vt constat ex Mar. 1. 22. & ex Luca 4. 32. & postquam dæmoniū illud eiecisset, de quo Mar. 1. 24. & Luc. 4. 34. scripserunt de quo Matthæus mentionem non fecit. Differtur autem tota hæc historia distinctius à Marco, vt Chrysost. hom. 28. & August. lib. 2. de consen. Euang. c. 21. admonuerunt, narrat enim quattuor tātùm Apostolos Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem fuisse cum Christo, cum venit in domum Petri, eorumque indicio monitum fuisse Petri socrum ægrotare, rogatumque curasse.

In domum Petri.) Duplex ex vno verbo oritur quæstio, altera quomodo tunc Petrus domum haberet, cùm omnia iam reliquisset. c. 19. 27. Hæretici eorum interpretes respondere solent, non omnino Apostolos omnia sua reliquisse, sed curam administrationemq; suorū bonorum, quam Christum sequentes, & Euangelio seruientes, gerere non poterant; solitos tamen ad sua redire, cum Euāgelij prædicatio non impedebat. Vellent, vt opinor, boni isti viri Apostoli videri, sed quia similes Apostolis fieri nolunt, volunt sibi Apostolos similes facere. Nonnullos miror Catholicos interpretes, dum eorum commentarios minus cautè legunt, in eundem errorem abductos. Respondeo ergo Petrum domum non habuisse; nec enim mentitus dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, cap. 19. 27. Nec interpretari possumus reliquisse curam; quia dubium non est eo modo dicere voluisse se & cæteros Apostolos omnia reliquisse, quo Christus paullo ante illi adolescenti dixerat vers. 21. *Si vis perfectus esse, vade: vende vniuersa, quæ habes & da pauperibus, & veni, sequere me.* Ad hæc enim verba Christi alludens Petrus dicit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te quid ergo erit nobis?* Domus ergo Petri vocatur, non quia tunc erat, sed quia aliquādo Petri fuerat, quam credibile est, quia pauperes erant, vxori & socrui suæ reliquisse; nisi ipsarū forte se erat, & Petri vocabatur, quia Petrus in ea, antequā Apostolus esset, habitabat. Sed quia Mar. 1. 29. dicit fuisse domum Simonis & Andreæ, credibile est neutrius fuisse, sed patris eorum, quæ eorum dicitur, sicut domus parentum dicitur etiam filiorum. Altera quæstio est, quomodo Petrus in Capharnaum domū habere, cum Bethsaidæ ciuis esset. 1. 44. Nā in Capharnaum facta esse constat Mar. 1. 21. Luc. 4. 31. Hæretici interpretes fingunt eum duplicem habuisse domum, alteram Bethsaidæ, vbi natus erat; alteram in Capharnaum, vbi propter piscationis commoditatem habitabat. Erat enim Capharnaum ad oram Genesareticī lacus piscatione nobilissimi; aut certè quia Christus in Capharnaū solebat habitare, eò domum suam transtulisse; scilicet non errore vno contenti, quòd Petrum bona sua negassent reliquisse, errorem alterum addiderunt, vt Petrum iam factum Apostolum altero tanto, quam vnquam priuatus piscator fuerat, locupletiorem facerent. Catholicos sanè laudare non possum, qui hac in re hæreticorū, quam Catholicorum interpretationem sequi maluerunt, quasi non esset Deus in Israel; & viri docti, atque Catholici ad hanc quæstionem multò ante melius respondissent, hanc domum Petri non fuisse in Capharnaum, sed Bethsaidæ, quæ vicinissima erat, ita vt Christus exiens ex synagoga Capharnaitarum Bethsaidam pransum, aut cænatum ire potuerit.

15. *Et tetigit.*) vt apprehenderet manum eius, ac leuaret, vt exponit Marcus c. 1. 31.

17. *Vt adimpleretur.*) vide c. 2. 15.

Ipse infirmitates nostras accepit.) ἀνέλαβε accepit, direxit, pro, ἤνεγκεν, tulit, portauit, vt est apud Isaiam נשׂא Hieronymus vertit ad verbum, *infirmitates nostras ipse portauit*. Septuaginta sensum nō verba reddiderunt, ὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, ipse peccata nostra portat, more Sept. qui λαμβάνειν accipere solent dicere pro φέρειν portare, vt Leuit. 17. 16. & 22. 9. Quod à Propheta de peccatis dictū erat, Euangelista ad morbos corporis accommodat, siue quia Christus corporis morbos non nisi propter morbos animi curabat: siue, vt ait homil. 28. Chrysost. quia morbi corporis peccati pœna sunt, & plerumque ex morbis animi nascuntur; siue quia ita solet Matthæus prophetias non ad eundem, sed ad similem sensum accommodare. vt c. 2. 15. 18.

18. *Videns autem turbas.*) Reddit tacitè causam, cur stagnum traiecerit, nempe vt fugeret multitudinem vt cap. 5. 1. *Videns autem Iesus turbas ascendit in montem*, Marc. c. 1. 35. *diluculo valde surgens*, Luc. c. 4. 42. *& die facta*, id est prima luce, vterque significat Christum clam subfugere voluisse, ne se hominum turba sequeretur, vt Ioseph. c. 2. 14. *Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum.* D. Augustinus libr. 2. de consensu Euangelistarum c. 21. putat non accidisse hoc postridie, quàm concionem illam c. 7. habuisset, & socrum Petri curauisset, quia Marcus & Luc. scribunt eum tunc in desertum secessisse. Sed intelligendum est secessisse in desertum traiecto lacu; nam vltra lacum desertum, & montes fuisse constat ex Marco 5. 11. & ex Luca c. 8. 32.

20. *Et dicit ei Iesus.*) Cur Christus istum Scribam volentē eius esse discipulum tam asperè reiecerit, mirum videri potest. Sed ex circunstantia personæ, & ex Christi responso non est difficilis coniectura cognoscere Christum eum non tam perfectionis, quàm lucri, aut gloriæ causa venire, ideoque proposita paupertate terruisse, sicut filios Zebedæi, qui honoris eū causa sequi volebant, exposita crucis ignominia deterret, *potestis bibere calicē quem ego bibiturus sum?* infra. c. 20. 22. & illum, qui satis sibi bonus esse videbatur, paupertatis propositā perfectione, *si vis perfectus esse, vade, & vende vniuersa, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me*, Chrysost. hom. 28. Hilarius, Hieron. in comment. Augustin. sermon. 7. de verbis Domini secundum Matthæum, Theophylactus, & Euthym. in hunc locum.

Cur Christus filius hominis appellatus.

Filius hominis.) ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Hinc olim Gentiles probare conabantur Christum virili semine natum fuisse, quod non ὁ υἱὸς τῆς ἀνθρώπης id est filius hominis fœminæ; sed ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου id est filius hominis maris diceretur, auctor Iustin q. 66. ad Orthodoxos. Quorum ille argumento, non tam respondet, quàm ex aliis scripturæ locis probat Christū ex viri semine natū non fuisse. Sed non est difficilis responsio, filium hominis Hebræorum idiomate nihil aliud, quàm hominem significare. Nam cum omnes filios hominum generaliter scriptura nominat, Adamum etiam primū hominem comprehendit, qui neque hominis maris, neque fœminæ filius fuit; sed tamen, quia homo fuit, filius hominis appellatur. Nisi si quis malit dicere vocari filium hominis eo modo, quo eum filium Abraham, & filium Dauid scriptura vocat. Illa maior & difficilior est quæstio, cur solus Christus in nouo solus Ezechiel in veteri testamento ita vocetur. Nec enim memini alium quem præter hos duos, aut certè tam frequenter & propriè ita vocari. licet communiter, & in genere omnes homines filium hominum appellentur. Nam quod Dan. c. 7. 13. dicit; *& ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat*, omnes de Christo interpretantur, nec dubium est, quin de illo sit intelligendum. Cur Ezechiel ita vocatus sit, diximus in eius comment. c. 2. 1. cur Christus, hîc dicendum. Delitia veterum hæreticorum prætermitto, quæ, si quem scire iuuat, Irenæum legat lib. 1. c. 7. aliorum tantum opiniones recitabo. Quidam ergo sic appellari voluisse dicunt, vt ostenderet se eum esse, quem prophetæ humanam naturam sumpturum prædixerant, quémque filium etiam hominis appellauerant. Dan. 7. 13. Hæc est Epiphanij sententia aduersus Noetianos hæres. 57. & Theodoreti in comment. in c. 7. Danielis. Alij filium hominis quasi Adami vocari putant, vt ostendat se patrem hominem non habere, sed per virginem ex Adamo vsque genus traxisse. Hæc Gregorij Nazian. orat. 4. de Theol. Alij, vt ipso nomine incarnationis suæ magnum erga nos beneficium declaret, Aug. lib. 2. de consens. Euang. c. 1. *Commendans*, inquit, *nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis.* Aliam aliis locis rationem affert, quia erat etiam filius Dei, voluisse humanam naturam ea appellatione à diuina distinguere. vt indicat epist. 174. & tract. 25. in Ioan. Alij simpliciter dicunt voluisse se verum esse hominem significare, vt Tertull. in lib. de carne Christi. Mihi vera ratio. cur sese ita vocauerit, duabus ex rebus petenda esse videtur; altera, quòd solus ipse & Ezechiel ita vocetur, vt Irenæus libr. 3. c. 18. notauit; altera quòd solus ipse se ita vocet. Nam alij in nouo testamento nunquam eum filium hominis appellant. Ex priore re intelligimus posse eadem, aut simili de causa, qua Ezechielem filium hominis appellari. Cur autem Ezechiel ita vocatus sit, cum multas illic opiniones recensuerimus, illam R. Abraham maximè probauimus, vocari eum filium hominis, quia semper cum Angelis loquebatur. qui eum, vt à se, qui homines non orant, sed videbantur distinguerent, filium hominis appellabant. Nec enim ipse se, sed eum Angeli ita vocant. Simili fortasse ratione Christus quia Deus erat, & filius Dei, quasi antithesi quadam cum de se, vt homine, loquitur, filium hominis vocat: non quòd alius, sed quòd aliter filius Dei, quia Deus, & filius hominis, quia homo esset, quemadmodum Augustinus indicauit. Ex posteriore probabilem coniecturam ducimus eum se non honoris, sed abiectionis causa ita vocare, sicut apud propheram vermem, & opprobrium hominum appellat Psalm. 21. 7. Nisi enim abiectionis nomen esset, alij etiam eum aliquando eodem modo vocauissent. Sed obseruamus Ezechielem nunquam à se, sed ab aliis; Christum nunquam ab aliis, sed à se filium hominis appellari. Ideo ergo se filium hominis appellat, vt significet se, cum in forma Dei esset, nec rapinam arbitraretur se esse æqualem Deo, exinaniisse tamen semetipsum, formámque serui accepisse, & habitu inuentum, vt hominem Philip. 2. 6. 7.

Cur Ezechiel filius hominis appellatus.

21. *Alius autem.*) Prius Christus illi dixerat, *sequere me*, quod Matthæus tacet, Lucas dicit c. 9. 59. ideo petit à Christo facultatem patrem prius sepeliendi.

Permitte me primum ire & sepelire patrē meum.) Sunt qui putent nondum fuisse mortuum; sed sensum esse permitte me ire, & adesse patri meo iam seni, donec moriatur; eo mortuo & sepulto te sequar, quemadmodum & Lyranus interpretatur. Multò magis opinionem probo veterum interpretum Chrysost. hom. 28. Basil. in lib. de const. monastic. c. 21. Theophylacti. & Euthymij, iam eius patrem fuisse mortuum. Mortuum enim fuisse nomine sepulturæ declaratur; mortuum autem non fuisse, non declaratur. Et verisimile non est eum, quem Christus cognoscens vocabat, tam longi, támque incerti temporis inducias petiuisse. Nec mirandum esset Christum illi respondisse, *sine mortuos sepelire mortuos suos*, quia meritò reprehendendus erat, si tam longo à Christo tempore iam vocatus abesse voluisset. Mirandum autem, quòd Christus eum ne ad sepeliendum quidem iam mortuum patrem ire permiserit; & manifestum est Christum cum ita respondit, rem maximè mirabilem, & præter humanam opinionem dicere voluisse. Itaque qui hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtuntur ratione, vt probent nondum illius patrem
fuisse mortuũ, quòd verosimile non putent tam cru-
delem fuisse Christum, vt tantillum temporis ad se-
peliendum iam mortuum patrem concedere nolue-
rit, non mihi videntur satis Christi consilium intelli-
gere, qui proculdubio docere voluit, cum ab eo vo-
camur, ne vnius quidem diei, aut horæ moram etiam
pietatis causa, etiam ad sepeliendum iam mortuum
patrem interponere debere, quominus è vestigio vo-
cantem sequamur. Nullam maiorem esse posse pie-
tatem quàm ipsum sequi; cum ne patrem quidem,
nisi propter ipsum, sepelire debeamus.

22. *Sine mortuos.*) Manifestum est Christum eleganti
eiusdē nominis ambiguitate vti voluisse. Cum enim
bis nominet mortuos, dubium non est, quin eodem
vtrobique modo nō accipiatur. Aut enim vtrobique
mortuos, aut vtrobique viuos, sed metaphoricè mor-
tuos appellaret. Quod vtrumque fieri nō potest; quia
neque mortui mortuos, neque viui viuos sepelire
possunt. Mortuos ergo priore loco quidam infideles
vocari putant, vt Hilarius, Chrysost. homil. 28. Hieron.
Ambr. in Psal. 48. Alij, quibus magis assentior, omnes
peccatores, qui non de Christo, sed de huius mundi
rebus cogitant, vt Augustin. lib. 4. de Trinitate c. 3. &
lib. 20. de ciuit. c. 6. & q. 6. in Matth. vt ad Ephes. 2. 1.
Et vos conuiuificauit cum esseti mortui delictis, & pecca-
tis vestris, in quibus aliquando ambulastis; & ad Ephes.
5. 14. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis*; *illuminabit*
te Christus; & 1. Tim. 5. 6. *nam quæ in deliciis est, viuens*
mortua est.

Mortuos suos.) Hic vocat mortuos, qui verè mortui
sunt. Cur autem vocet *suos*, quæstione non vacat. Hi-
larius, Chrysost. & Euthymius colligunt hinc patrem
eius, quem Christus vocauerat, Gentilem fuisse, ideo-
que suum appellare, quasi dicat, sine Gentiles sepelire
Gentiles suos; credibile nō est Christum hominem,
qui Iudæus non esset, ad prædicandum Euangelium
vocauisse; cùm etiam ad prædicandum gentibus non
Gentilem; sed Iudæum vocauerit D. Paulum. *Suos*
ergo vocat, qui sicut illi mortui sunt. *suos* id est sibi
similes, quia vtrique, quamuis nō eodem modo mor-
tui sunt. Aut *suos*, id est suum quemque patrem, suum
filium, suam vxorem, vt loquitur Abraham Gen. 23. 4.
date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum
meum, & ver. 13. *dabo pecuniam pro ago, suscipe eam, & sic*
sepeliam mortuum meum.

24. *Et ecce motus magnus factus est in mari.*) In lacu
Genesareth. Itaque Luc. c. 8. 22. stagnū appellat. Nemo
enim nescit & illum, & Asphaltitē lacum mare pro-
pter magnitudinem vocari. Tria autem videntur hīc
non casu, neque natura; sed consilio, & prouidentia
Christi facta esse. Primum, quòd Christus solus cum
discipulis nauim vnam conscenderit, vt explicatur à
Luc. c. 8. 22. vt posset liberius eorum reprehendere dif-
fidentiam. *quid timidi estis modicæ fidei?* ver. 26. Secun-
dum, vt tempestas exorta sit; excitat enim nobis ipse
aliquando Deus tempestates, vt probet, sicut excitauit
Iob. Tertium, vt Christus dormiret, quem etsi verum
& naturalem; non simulatum, vt quidam putant, som-
num fuisse putandum est, tamen est credibile fuisse
etiam voluntarium & procuratum; vt tempestas eo
dormiente, & quasi sine eius consilio oriretur.

26. *Imperauit.*) Fortè legendum imprecauit, ἐπετίμησεν, vt
Mar. 4. 3. & Luc. 4. 39 & 8. 24. Sic enim aliis
locis solet vertere, & propius abest à Græco. Loquitur
autem Christus ventis, tempestati, & morbis, aliisque
rebus similibus, perinde atque si malis spiritibus lo-
queretur. Neque enim res naturales, sed rationales
increpamus, vt infra c. 17. 18. & Luc. 4. 35. 41. & 9. 42.
Ideo, vt opinor, quia morbi, & tempestates sæpe per
malos spiritus immittuntur, vt ait Dauid, immissiones
per Angelos malos, Psal. 77. 49 & sicut Satan immisit
ventum validum à regione deserti, & concussit quat-
tuor angulos domus, vbi filij filiæque Iob conuiua-
bantur, ita vt eos domus obruerit, Iob. 1. 19.

27. *Porro homines mirati sunt.*) Qui homines? Hiero-
nymus Apostolos intelligit. Beda alios, qui in eadem
erant naui. Sed nec Apostolos miratos fuisse creden-
dum est tot iam Christi miraculis assueros: & alios
in naui non fuisse ver. 24. probatum à nobis est. Quare
reliquum est, vt alios homines intelligamus, qui in
aliis erant nauibus. Nec enim tam etiam Christus po-
tuit discedere, quin multi etiam consensis nauibus
sequerentur, vt scribit Marc. c. 4. 36. Est autem, vt ego
arbitror, Hebraissimus, quo nomine hominum vulgus
significatur, vt supra c. 5. 13. *Ad nihilum valet vltra, nisi*
vt conculcetur ab hominibus, id est, vt Galli loquuntur,
ab omnibus prætereuntibus. Et infra cap. 16. 13. *quem*
dicunt homines esse filium hominis? id est, quem vulgò
dicunt?

28. *Duo habentes dæmonia.*) Marc. c. 5. 2 & Luc. c. 8. 27.
vnius tantùm meminerunt. Eadem tamen historia.
Sed Matthæus de duobus mentionem fecit, quia duo
erant; Marcus & Lucas de vno tantùm, siue quia per-
sona erat nobilior, vt August. lib. 2. de consensu Euan-
gelist. c. 24. & Beda, & Strabus in commentar. existi-
mant; siue, quod magis credo, quòd alter sæuior es-
set, multòque magis vexaretur, quippe qui ab in-
tegra legione dæmonum obsideretur, Marc. 5. 9 &
Luc. 8. 30. vt Chrysost. Euthym. & Theoph. arbitran-
tur. Voluerunt enim Marcus & Lucas miraculū illud
de integra legione dæmonum, quod singulare erat,
singulariter persequi, ideóque alterum in hoc occu-
pati silentio prætereunt: de hoc autem multa recen-
sent, quæ Matthæus prætermisit.

De monumentis exeuntes.) Quia in monumentis ha-
bitabant, vt declarat Marcus c. 5. 3. & Lucas c. 8. 27.
Quo autem modo potuerint in monumentis, id est
in sepulchris habitare, facilè ex forma veterum sepul-
chrorum intelligitur. Erant enim sepulchra cauernæ
aut in rupibus excisæ, aut lapideo, vel lateritio opere
camerataæ, quales nunc sunt cellæ vinariæ, vt ex Chri-
sti sepulchro manifestum est, quod excisum erat in
petra cap. 27. 60. & in quod Ioannes, & Petrus intra-
runt Ioan. 20. 6. & tres illæ mulieres portantes aro-
mata ingressæ sunt Luc. 24. 3. Quæri propter hunc
locum solet, quare dæmoniaci illi in sepulchris habi-
tarent. Chrysostomus hom. 28. Euthymius & Theo-
phylactus id à dæmonibus factum fuisse dicunt, vt
homines in eum errorem inducerent, quem Chry-
sostomus indicat suo tempore viguisse, mortuorum
animas in dæmones commutari. Eam Platonicorum
fuisse sententiam D. August. libr. 9. de ciuitate c. 11. au-
ctor est. Eandemque Tertullianistarum scribit in lib.
de hæres. ad Quoduul. c. 86. Alij putant dæmones eos,
quos torquebant, ideo in sepulchris habitare coegis-
se, vt magis horrore loci, fœtoréque vexarent. Alij li-
benter in sepulchris versari dæmones, vt odio gene-
ris humani mortuorum corporibus illudant. Nam &
de Mosis corpore Michaelem Archangelum cum dia-
bolo contendisse legimus in epistol. Iud. 9. Vnde, vt
opinor, laudabilis Ecclesiæ consuetudo nata est in
sepulchris ponendi cruces, & sacratam exorcismis
aquam aspergendi. Veram causam mihi videtur ob-
scurè Luc. c. 8. 27. indicasse, *neque vestimento, inquit, in-*
duebatur, neq; in domo manebat sed in monumentis. Quod
ideo dicit, vt probet fœuum admodum fuisse dæmo-
nium; vnde colligimus idcirco in domo non habi-
tasse, quòd nemo dæmoniacum propter fœuitiam
domo recipere auderet; exclusus autem communi

hominum

hominum habitatione in sepulchra, quia, vt diximus,
quasi cameræ erant, se se recipiebat.

29. *Quid nobis & tibi.*) Ante quam hoc dæmones
dicerent, iusserat eos Christus exire, vt ait Marc. c. 5. 8.
dicebat enim illi, Exi immunde spiritus ab homine isto, &
Luc. c. 8. 29. *præcipiebat enim spiritui immundo, vt exiret*
ab homine. Ideo Christum deprecabantur. Matthæus
factum narrat, facti causam tacet.

Quid nobis & tibi.) Non videtur mihi esse sensus,
quid nobis tecum commune est, vt plerique inter-
pretantur. Hoc enim fuisset iniuria potius Christum
afficere, quàm exorare, quasi negarent se seruos, illum
dominum esse, sicut Israelitæ dixerunt, cùm se à regno
Dauidis eximerent. *quæ nobis pars in Dauid?* 3. reg. 12.
16. sed sensus potius est, quid tibi mali facimus, quam-
obrē nos eiicias? Alios prætereuntes lædere solemus,
te non attingimus, nō inuadimus, sed veneramur, sed
adoramus, sed Dominum confitemur, vt 2. reg. 16. 10.
quid mihi, & vobis est filij Saruiæ? id est quid feci vobis,
cur me huius tentationis Dei fructu priuetis? Nec
enim negat sibi quidquam cum illis esse commune,
cùm eorum rex & dominus esset, & 2. par. 35. 21. *Quid*
mihi & tibi est rex Iudæ? ait rex Ægypti, aliquid enim
illis erat, cum prius amici essent: sed quid tibi feci ma-
li, quam occasionem dedi, vt contra me in prælium
exires? An dæmones isti, & alij Christum cognouerint
à Theologis quæritur. Vetustam quorundam opinio-
nem, qui existimabant dæmones cognouisse, diabo-
lum verò dæmoniorum principem ignorasse meritò
in commentariis Hieronymus refellit. Hieron. verò
ipse & August. lib. 9. de ciuit. c. 21. Remigius apud D.
Thomam, & plerique ex posterioribus Theologis,
non certa quidem scientia, sed probabili coniectura,
& suspicione cognouisse dicunt. Si enim certò co-
gnouissent, conati vtique essent eius mortem impe-
dire. Atqui non impediuerunt; sed procurarunt.
Miserunt enim in cor Iudæ, vt eum traderet Ioan. 13.
2. sicut paullò pòst cum cognouissent, per vxorem Pi-
lati impedire voluerunt infra c. 27. 19. *Nihil tibi, &*
iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eū.
Quid ex litteris sacris colligatur Theologicis scholis
explicauimus. Primùm antequam prædicare incipe-
ret, non fuisse à dæmonibus cognitum, an filius Dei,
& verus Messias esset, quia si cognouissent, non ten-
tassent, & quia in hoc tentarunt, vt id exploratè co-
gnoscerent, *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant,*
& *si filius Dei es, mitte te deorsum* supra c. 4. 3. 6. Post ten-
tationem verò certò cognouisse dæmones illum ve-
rum filium Dei, verumque Messiam esse, & ex hoc
loco non obscurè colligitur, & ex aliis etiam perspi-
cuum est Marci 1. 34. *Et non sinebat ea loqui, quoniã scie-*
bant eum. & Luc. 4. 41. *Exibant autem dæmonia à multis*
clamantia, & dicentia, quia tu es Christus filius Dei, & in-
crepans nō sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christū.
Mysterium tamen mortis eius, quod ea ratione homi-
nes esset ab ipsorum tyrannide liberaturus, credibile
est non bene cognouisse, quia si cognouissent, nun-
quam ludam ad proditionem incitassent. Somnia ta-
men vxoris Pilati, vtrum à dæmonibus, vel ab Ange-
lis, vel à natura profecta fuerint, incertum. Illud cre-
dendum, quod insignis Theologus D. Thomas ad-
monuit, diuinitus impeditum fuisse dæmonem, quò
minus multa de Christo cognosceret, quæ non im-
peditus natura sua facilè cognouisset.

Venisti huc ante tempus torquere nos.) Dubium, quæ
quibus sint verba iungenda. Quidam enim illud *ante*
tempus, cum verbo *venisti*, coniungunt, quasi queran-
tur dæmones Christū ante tempus in hunc mundum
venisse. Quorum sententiam nullo modo probare
possum; nec enim dæmones ignorare poterant tem-

An dæmones Christū cognouerint.

pus aduentus Christi à Prophetis designatum iam
fuisse transactum, cùm id homines mediocriter doc-
ti scirent. Nec aduerbium illud *ὧδε huc*, mundum, sed
regionem illam Gerasenorum, in quam Christus tunc
venerat, & vbi antea dæmones liberi, & veluti impu
nè grassabantur, significare arbitror. Illud ergo, *ante*
tempus, cum sequentibus copulandum est, quid veni-
sti torquere nos, antequam tempus sit, vt torqueamur.
Cur autem ante tempus se torqueri dicant, maior est
quæstio. Mirum quanto consensu plerique veteres
auctores, quorum nomina in Theologicis scholis re-
ciramus, & hîc recensere & longum esset, & non ne-
cessarium; docuerint dæmones ante diem iudicij non
torqueri, quòd Petrus scribat epist. 2. c. 2. 4. *Si Angelis*
peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos
in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari, &
Iudas vers. 6. *Angelos, qui non seruauerunt suum prin-*
cipatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium
magnæ diei vinculis æternis sub caligine reseruauit. Sic
ergo interpretantur, quæri dæmones *ante tempus*, id
est ante diem iudicij se torqueri, quemadmodum can.
8. Hilarius exponit. Sed tenenda opinio, quæ in Ec-
clesia iam inualuit, etiam nunc torqueri dæmones, &
quocunque eant, vt scribit Strabus in c. 3. epistolæ ad
Philippenses, sua secum supplicia circumferre; minus
tamen puniri nunc, quia & vagandi per mundum
hunc, & hominibus nocendi potestatem habent,
quam non sunt post iudicij diem habituri. Atque ita
fortasse antiquorum illorum sententiam interpretari
possumus. Illud non dubito sensum huius loci esse
ante tempus, id est ante diem iudicij, quia Lucas 8. 31.
scribit rogasse dæmones Christum, ne sibi imperaret,
vt in abyssum irent, quasi eodem modo, quo post iu-
dicij diem, ante tempus excruciandi. Ex hac quæstio-
ne alia suboritur, an diem iudicij nouerint? Si enim
non nouerunt, quomodo dicere potuerunt *ante tem-*
pus, id est ante iudicij diem se torqueri. Augustinus
in ea sententia est, vt existimet, putasse dæmones, cum
Christum viderent, iudicij diem, quem nondum ex-
pectabant, instare. Sic enim interpretatur *ante tem-*
pus, id est antequàm putabamus. Quam interpreta-
tionem plerique secuti sunt. Sed Dæmones diem
iudicij ignorare dubium esse non debet, cùm & An-
geli, qui in cælis sunt, eum ignorent c. 24. 36. sciebant
tamen tunc nondum venisse, ideo conqueruntur *ante*
tempus se torqueri. At quomodo torquebantur? quia
inuiti ex iis, quos obsidebant, expellabantur? & incre-
dibile non est aliquem illis cruciatum, vt exirent,
Christum addidisse.

30. *Erat autem non longè.*) G. ἦν δὲ μακρὰν, erat autem
longè, sensu contrario. Græcam lectionem nonnulli
magis probant, & Latinam corrigunt, homines alio-
qui minimè Græci. Non faciunt tamen sine argumen-
tis, primùm quòd omnes Græci codices affirmatio-
nem, non negationem habeant. Deinde quòd vero si-
mile esse videatur Christum dæmones quàm longissi-
mè ab eo loco, quem infestū habebant, pepulisse. Sed
non dubito Latinam lectionem incorruptiorem esse,
& quia omnes etiam veteres & noui Latini codices,
& quia omnes antiqui interpretes præter Euthymū
ita legunt, & quia Marc. c. 5. 11. & Lucas c. 8. 32. dicunt,
Erant autem ibi, id est in eo loco, quod Matthæus
dicit, *non longè*, & quia Lucas dicit ἐν τῷ ὄρει *in monte*,
Marcus πρὸς τῷ ὄρει iuxta montes, quos propè lacum
fuisse certum est, & quia, vt paullo infra dicturi su-
mus, propterea Christus concessit, vt in porcos ir-
ruerent, vt qui illic aderant, & qui curati fuerant ex
porcorū interitu cognoscerent, quàm multi, & quàm
sæui dæmones fuissent; quod neque cognouissent, si
porcos non vidissent; nec vidissent, si procul fuissent.

An dæmones ante diē iudicij torquentur.

Cur dæmones timent, ne in infernum mittantur.

Dæmones an diē iudicij nouerint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæritur à quibusdam quomodo porci illic esse potuerint, quibus nefas esset vesci Iudæos? Nonnulli putant Iudæos eius regionis contra legem porcos habuisse ideoq; Christum eos in qua re peccabant in ea mulctare voluisse, Rupertus. Probabilius mihi alij dicere videntur Gadaram, & alias ibi vicinas ciuitates Græcæ fuisse religionis, vt Iosephus lib. 17. antiq. c. 13. auctor est, ideóque porcos habuisse. Cur ergo Christus eò ibat, cum non veniſſet nisi ad oues, quæ perierant domus Israël? c. 15. 24. Respondet non solum in Græcis, sed etiam in Latinis ciuitatibus multos tunc fuisse Iudæos, quorum causa Cgistus eò ibat. Præter quàm quòd Gadara propriè ad regnum Iudææ pertinebat, sed, vt ait Iosephus, à Cæsare fuerat Græcis ad habitandum attributa.

31. *Dæmones autem rogabant eum dicentes.*) Duo dæmones petiuerunt alterũ ne in abyssum mitterentur, vt Luc. c. 8. 31. expressit; alterum, vt mitterentur in porcos. Cur rogauerint, ne mitterentur in abyssum ver. 29. declarauimus. Cur rogent, vt mittantur in porcos? multas causas apud varios auctores lego. Chrysost. hom. 29. Euthymius, & Theophylactus ideo petiuisse suspicantur, vt homines eius ciuitatis porcorum affecti damno Christum non reciperent: quam coniecturam exitus videtur confirmare ver. 34. *Et rogabant eum, vt transiret à finibus suis.* Alij odio hominum id feciſſe, quorum corporibus cum nocere nõ possunt, bonis, si possunt, nocent. Quam rationem magnus ille Hilarion, vt in eius vita Hieronymus scribit, cùm ex ingenti quodam camelo dæmonem eiecisset, afferebat. Quod & ex hoc loco, & ex Iob exẽplo probabat. Magis mirum, cur id Christus concesserit. Eius rei Hieronymus hanc rationem reddit, vt ea vexatione eius ciuitatis homines ad salutem adducerentur. Rupertus verò, vt ante meminimus, vt ciues illos Iudæos, qui contra legem porcis vtebantur, porcorum iactura puniret. Hilarius indicat Sadducæorum causa id factum esse, qui spiritus esse negabant, vt re ipsa viderent spiritus esse. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius tres rationes afferunt. Prima est; vt qui liberati fuerant, beneficij magnitudinem agnoscerẽt, videntes quanta multitudine dæmonũ liberati essent. Secunda, vt sciremus ne in porcos quidem, nisi Deo permittente, dæmones habere potestatem. Tertia, vt liberati quid ipsi passi fuissent, intelligerent, nisi à Deo seruati essent, cum viderent porcos simulatque in eos dæmones ingressi essent, præcipitatos in mare. Hilarion apud Hieronymum, vt appareret quanta ex vno homine dæmonum multitudo eiecta esset, cùm totũ porcorum gregem impleuerit. Quod autem idem Chrysostomus & Augustinus tractatu 6. in can. Ioan. dicunt Christum etiam ostendere voluisse dæmones in hominibus porcorum modo viuentibus libenter habitare, verum, sed mysticum est. Quæri etiam à quibusdam solet, cur Christus tam mitis, vt arundinem quassatam non confringeret, & linum fumigans non extingueret; tantum illis ciuibus damnum intulerit. Respondeo voluisse Christum, vt etiam porci gloriæ Dei, & hominum saluti seruirent. Seruierunt autem gloriæ Dei, quia sua præcipitatione Christi potestatem declararunt. Hominum autem saluti seruissent, si ciues illi pro eo ac debuerunt, viso miraculo Christum recepissent. Sed impediuit humana malitia diuina consilia.

32. *Inmare.*) In lacum Genesareth, vt Hieronymus in locis Hebraicis interpretatur. Nam mare propter magnitudinem appellari diximus ver. 24. Quod autem quidam dicunt alium quendam fuisse in montibus Gadarenum lacum, de quo Strabo mentionem fecerit, quique postea ab incolis aggeratus modò non extet, in eúmque fuisse porcos præcipitatos, tam alienum est, vt refutare non libeat. Quid enim opus est tam longè lacum, qui non extat, quærere; cum tam prope mare, quod extat, habeamus?

34. *Rogabant eum, vt transiret à finibus eorum.*) Cur isti homines Gadareni Christum non admiserint, incertum. Hieronymus, & Beda putant eos id humilitate feciſſe, sicut Petrus Luc. 5. 8. rogabat Christum, *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Alij timore, ne alios etiam dæmones ab hominibus eiectos in ipsorum greges immitteret, quod ex Marc. 5. 15. & Luca 8. 35-37. confirmatur, qui scribunt eos valde timuisse. Ita Theophylactus, Euthymius. quod de hominibus Gadarenis, id est Græcorum consuetudine nimis sapientibus, quos nunc vulgò polyticos appellamus, facilius est creditu. Nam & nunc multi sunt, qui Christũ potius, id est eos, qui Christum sequuntur, quàm porcos, atheos, hæreticos, & omnibus vitiis inquinatos homines simili specie humanæ prudentiæ ex suis ciuitatibus expellunt.

c. 2. 15. *Cur Christus dæmones in porcos immiserit.*

CAPVT IX.

ET ascendens in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. 2. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: 3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. 4. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? 5. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, & ambula? 6. Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. 7. Et surrexit, & abiit in domum suam. 8. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. 9. Et, cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. 10. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. 11. Et videntes Pharisæi, di-

cebant discipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester? 12. At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. 13. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. 14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter: discipuli autem tui non ieiunãt? 15. Et ait illis Iesus: Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt. 16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento: & peior scissura fit. 17. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt: & ambo conseruantur. 18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accesit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manũ tuam super eam, & viuet. 19. Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. 20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accesit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. 21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius salua ero. 22. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. 23. Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: 24. Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. 25. Et cum eiecta esset turba, intrauit: & tenuit manum eius. Et surrexit puella. 26. Et exiit fama hæc in vniuersam terrã illam. 27. Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. 28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique, Domine. 29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. 30. Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciat. 31. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa. 32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. 33. Et eiecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel. 34. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmones. 35. Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. 36. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem. 37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. 38. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Osee. 6. c. 6. Inf. 12. 7. 1. Tim. 1. c. 27. Mar. 2. c. 18. Luc. 5. f. 33.

Mar. 5. b. 22. Luc. 8. f. 41. Mar. 5. c. 24. Luc. 8. f. 43.

Inf. 12. b. 22. Luc. 11. b. 14. Mar. 6. c. 6.

Luc. 10. a. 2.

IN CAPVT IX.

ET ascendens.) Marc. c. 2. 3. & Luc. c. 5. 18. hæc prius narrant, quàm quæ superiore capite à Matthæo dicta sunt. Sed ex ipsis illis patet ordiné eos non seruasse temporis.

In ciuitatem suam.) Nonnulli Nazareth Christi ciuitatem vocari putant, vt Lucæ 2. 39. Hieron. in comment. quod non improbat August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 25. monet tamen, si hanc sequamur opinionem, dicendum esse Christum primum iuisse in Nazareth ciuitatem suam, deinde ex Nazareth rediisse ad Capharnaum, vbi hæc, quæ sequuntur acciderunt. Alij, quòd longius à vero distat, Bethlehem intelligunt, vt Sedulius lib. 3. carm.

Intrauit natale solum, quo corpore nasci
Se voluit, patriámque sibi pater ipse dicauit,

ibidémque paralyticum sanatum putat. Meliùs eodem loco idem Augustinus, & Chrysost. Beda, Strabus, Hugo, Lyranus ciuitatem Christi vocari Capharnaum. Nam omnes tres Euangelistæ ita loquuntur, vt omnino significent recta eum via venisse, & statim ea, quæ de paralytico narrant consecuta. Cur autem Capharnaum Christi ciuitas appelletur, non omnibus conuenit. Augustinus, Beda, Strabus, Hugo, & Lyranus existimant ideo eius vocari ciuitatem, quia Galilææ metropolis erat, cui subiecta erat Nazareth ciuitas Christi; sicut Romanus appellatur non solùm, qui in ipsa vrbe Roma, sed etiam qui in oppidis, quæ sub eius iurisdictione sunt, aut habitat, aut natus est. Chrysostomus verò, Theophylactus, & Euthymius quòd in ea vrbe Christus frequenter habitaret. Tres enim illum ciuitates habuisse, Bethlehem, in qua natus; Nazareth, in qua educatus; Capharnaum, in qua frequentius commoratus est. Hoc probabilius.

Tres Christi ciuitates.

2. *Et offerebant.*) Tacuit Matthæus necessariam ad intelligendum hunc locum circumstantiam, quam Marcus c. 2. 3. & Luc. c. 5. 19. expresserunt, tantam confluxisse in domum, vbi Christus erat, multitudinem; vt nemo ingredi posset, ideóque in tectum eos, qui paralyticum gestabant, ascendisse, eóque aperto paralyticum ante Christum dimisisse. Hanc enim fidem videns Christus dixit paralytico. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fidem illorum.) Quidam & ad paralyticum, & ad eos, qui gestabant, referendum existimant vt Euthymius. Si enim inquiunt, paralyticus fidem non habuisset, neque se efferri passus esset in tectum, neque peccata illi Christus remisisset. Quod nullo prorsus modo probare possum. Nam etsi non dubito, quin magnam paralyticus fidem habuerit, tamen ita omnes Euangelistæ loquuntur, vt dubium non sit fidem tantùm eorum, qui portabant, notare voluisse; sicut omnes significarunt fide Centurionis eius paralyticum seruum fuisse curatum supra c.8.10.13.& Luc.7.9. Atque ita omnes boni auctores interpretantur Cyrillus Hierosolymitanus Cateches.5.Ambros.libr.5.in Lucam.Hieronymus.& Chrysost.hom.30.

Confide fili.) Bono animo esto, plus enim, quàm petis, impetrabis. Petis corporis, impetrabis etiam animi sanitatem. Quòd autem, quem Matthæus & Marcus filium, Lucas c.5.20. hominem à Christo vocatum dicit, leue est. Nam, vt sæpe aliàs, alij verba, alij sensum retulerunt. Magis autem conuenit benignitati Christi, vt filium, quàm vt hominem appellauerit, vt infra hæmorrhoüissæ, dicit, *Confide filia* ver.22.

Remittuntur tibi peccata tua.) ἀφίενταί σοι ad verbum, remissa sunt. Sed melius noster interpres per præsens tempus, quàm noui quidam per præteritum, reddidit; quia & multa alia Hebræorum more; & hoc ipsum iure quodam proprio pro præsenti poni solet, vt ex vers.5.& ex Lucæ c.7.47.48. manifestum est. Meritò quæri potest, cur Christus peccata illi remittat, cùm non peccatorũ remissionem, sed corporis curationem quæreret. Respondent Hieronymus, Euthymius, & Theophylactus morbi originem & indicare, & prius quàm morbum ipsum, tollere voluisse. Solent enim plerumq; morbi & affecta, & pœnæ esse peccati. Probabile etiam est, quod hom.30 Chrysost putat, Christum occasionẽ Scribis calumniandi præbere voluisse, vt ipse quoque ex eorum calumnia occasionem sumeret suam probandi diuinitatem. Fieri etiam potest, vt ea ratione docere voluerit, quid primo loco paralyticus petere debuisset. Iam enim dixerat, *Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis* c.6.33. Colligunt ex hoc loco Caluinistæ sola fide peccata remitti. Non enim, inquiunt, dixit Euangelista, videns opera eorum, aut laborem considerans, quòd paralyticum in tectum extulissent, quòd tecto diſrupto eum demisissent; sed, *videns fidem eorum.* Quod multis similibus locis confirmare solent. vt infra ver.22. *Confide filia fides tua te saluam fecit*, & Mar.5.34 Luc.7.50.& 8.48.& 50. *Nolis timere, credetantùm, & salua erit*, & c.17.19. *Surge, & vade, quia fides tua te saluũ fecit*, & 18.42.cæco dicit, *Respice, fides tua te saluum fecit.* Ideo Christum ab iis, quos sanare vult, fidem exigere, vt infra ver.28.29. *Creditis quia hoc possum facere vobis? secundum fidem vestrum fiat vobis*, multáque alia nullo prorsus iudicio eiusdem generis accumulant. Mirũ enim, quàm diligentes sint in testimoniis stultitiæ suæ colligendis. Quibus ne sæpe per singula loca cogamur respondere, semel hoc loco respondendum est. Ita tamen respondendum, vt non de tota de fide & iustificatione quæstione; sed de huius & similium locorum interpretatione disputemus. Possem dicere, quod omnes hactenus Catholici responderunt, nos non negare; sed docere primã iustificationẽ, de qua in omnibus locis agitur, propter opera non fieri. Eos tamen non continuò probare sola fieri fide; nam inter fidem & opera caritas est, quã Petrus affirmat peccatorum multitudiné operire 1. epist.c.4. 8.& Christus, *remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multũ*, Luc.7.47. nam istorum in eum locũ interpretamentum, illic refutabimus. Itaq; cùm peccata non nominata caritate fide remitti dicuntur, caritate etiã remitti ex aliis locis intelligendum est; vbi dicuntur non nominata fide remitti caritate. Nam sicut ex illis, vbi fides non nominatur, colligi non potest sola caritate sine fide remittisita ex his, vbi non nominatur caritas, peruersè colligitur sola fide remitti sine caritate. Præsertim cùm illi doceant, sicut caritas sine fide esse non potest, ita sine caritate esse non posse fidẽ; vnus enim eorum error altero refutatur. Fides autẽ potius quàm caritas in iustificatione nominatur, non quia dignitate, aut efficacitate maior, sed quia ordine naturæ prior est. Possem, inquam, ita respondere, vt omnes Catholici respondent, & satis supérque factum esset. Sed contentus non ero; nisi effecero. vt omnes, qui communi sensu non carent, istorum non solùm ignorantiam, sed etiam stoliditatem, & stultitiam intelligãt. Triplicem isti magni Theologi fidem faciunt, historicam, qua credimus omnia, quæ à Deo dicta sunt, vera esse; miraculorũ, qua credimus nihil esse, quod à Deo fieri non possit; iustificantem & Christianam, qua credimus meritis Christi remissa nobis esse peccata. Has tres in nobis fides; fides enim isti tanquam in lyra, nõ tanquam in religione fidem faciunt; tribus in Deo proprietatibus respondere, historicam veritati; miraculorum, potentiæ; iustificantem bonitati, non omni, sed illi propriè, qua cum adhuc peccatores essemus, vt ait D.Paulus, *Christus pro nobis mortuus est*: nos nec prima, nec secunda, sed sola tertia iustificari. Quod etsi absurdum est, tamen & eorum errorem refellit. & cæcitatem mirificè declarat. Nam in istis omnibus locis, quæ tanta accumulant diligẽtia, nulla prorsus de fide eorum iustificante mentio fit. *Videns Iesus fidẽ illorum.* Quam fidem? vtique miraculorum, qua credebãt paralyticum à Christo posse curari; non iustificantem, de qua ne cogitauerant quidem, cùm nec ipsi vnquã audiuissent, nec Christus vnquã dum dixisset se pro peccatis hominum moriturum. Nec respondere possunt implicitè ista credidisse, quia apud illos nulla implicita fides est (ac ne explicata quidem) nósque homines acuti rident, quòd implicitam quandam faciamus fidem. Dixit de Centurione, *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi*, &, *non inueni tantã fidem in Israël.* Quam fidem? nõ vtique iustificantem, de qua Centurio ne suspicari quidem poterat; sed miraculorũ, qua dixerat, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus* c.8.8. Dicit mulieri, quæ fluxu sanguinis laborabat, *Vade, fides tua te saluã fecit*, infra ver.22. Quæ fides? miraculorum, qua dixerat intra se. *si tetigero tantùm vestimentũ eius, salua ero* ver.21. De qua & in cæteris, quæ proferunt, testimoniis agi perspicuum est, eamque Christum ab iis, quos curat, requirere solere, vt ver.28. *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Cur ergo istos non pudet tam multa testimonia tanto studio congerere, vt nos sola fide iustificari probent; cùm in nullo prorsus eorũ de ea agatur fide, qua sola nos docent iustificari? Hæc satis magna impudentia, & cæcitas erat; sed illa non minor, quòd non videant; aut videre non pudeat, vt alia prætermittam argumenta; non posse in his locis de ipsorum iustificante fide agi, etiam si de fide miraculorum non ageretur, quia in plerisque non de propria, sed de aliena agitur fide. hîc de fide eorum, qui paralyticum per tectum demiserunt; supra c.8.8. de fide non serui ægrotantis, sed pro seruo rogantis Centurionis. Luc.8.50. non de fide filiæ iam mortuæ, sed Archisynagogi. Mar.9.23. non de fide filij, qui mutum dæmonium habebat; sed de fide patris, qui pro filio rogabat, cui Christus dicit, *si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Istorum autem opinione, qui adulti iam sunt (nam de infantibus contrariam sunt

De iustificatione per fidẽ.

Fides sine caritate non iustificat.

hæresim fabricati) non possunt aliena fide; sed propria iustificari, quia ideo, inquiunt, iustificamur, quia Christi iustitiam apprehendimus, & apprehendendo nostram facimus; facta nostra iustificamur, id est recti, ac vestiti Christi iustitia, iusti apud Deum videmur, ac reputamur. Fallimus enim Deum nõ placamus. Quod si ita est, sua quisque, non aliena fide iustificerut necesse est: nec magis vnus potest fide, qua alter pro illo credit, iustificari, quàm veste, quam alter pro eo induit, aut ornari, aut calefieri. Per fidem enim, vt aiunt, Christi iustitiam induimus, qua ornati non sumus iusti, sed apparemus. Quæ igitur est amentia ad probandum nos sola fide iustificari, ea producere testimonia, in quibus, non de propria, sed de aliena; & de aliena non iustificante, sed miraculorum fide agitur; & tamen soli hodie multorum iudicio, maximè verò suo, isti asini sapiunt, soli doctissimi sunt, soli verbum Dei purum docent: præsertim in quæstione de iustificatione, quam illi omnes doctrinæ suæ caput, ego omnium hæresum ipsorum seminarium puto. Appellemus quidem doctos, quia tantopere volunt: sed ita doctos, vt iustos; non quia sunt, sed quia reputantur. Quid igitur nos de his locis dicemus? An qui corpore, non ijdem animo curati sunt? De plerisque, non communiter de omnibus ita credendum. Nam Malchum illum seruum Pontificis, cui Petrus auriculam absciderat, à Christo sanatum legimus; iustificatum non credimus Ioann.18.10. non enim fide sua, sed Christi benignitate, qui nolebat arundinem quassatam confringere, sanatus est. Cæteros verò, qui fide curati sunt, non sola, sed eadem tamen fide, qua corpore sanati sunt, animo etiam credimus esse sanatos. Non ea, quam isti solam iustificãtem, & Christianam appellant, quáque fingunt Christi iustitiam apprehendere; sed illa, quæ Apostolorum symbolo continetur, quæ eadem & historica, & miraculorum, & iustificans est. Nam ista triplex fides, quam isti nuper inuenerunt, figmentum est, somnium est, portẽtum est. chimæra est, & si vnam haberent fidem, omnem haberent: quia triplicem habent, nullam habent. Quomodo ergo propter alienam portantium fidem peccata paralytico remittuntur? Veteres, vt supra cap.13. diximus, auctores absolutè dixerunt, aliorum fide aliorum aliquãdo peccata remitti, quod huius loci exemplo potissimum probant. Quod quidem verum est, sed ita tamen intelligendum; vt non solum aliena in adultis fide, sed etiam propria remitti credamus, dum propria ab aliena iuuatus. Nec enim credendum est ijs, qui nullam fidem habent, aliorum fide peccata remitti; sed ijs, qui tam imbecillem habent, vt nisi Deus in eorum, qui pro illis orant, fidem intueretur, nõ effectillis peccata remissurus. Quanquam hunc, de quo agitur, paralyticum non minorem, quàm eos, à quibus gestabatur, id est satis magnam fidem habuisse verosimile est; sed dicitur illi Christus propter gestantium fidem peccata remisisse: quia tantam fidei eorum rationem habuit, vt etiam si paralyticus minorẽ, quàm necesse erat, habuisset; tamen illi eorum motus fide remississet. Alio etiam modo aliorũ fide alijs peccata remittuntur: dum aliorum orando fides, alijs aut nihil agentibus, aut malè agẽtibus, certè non credenti Stephanum Paulo fidem impetrauisse.

3. *Quidam de Scribis.)* Qui fuerint Scribæ, diximus cap.2.4.

Intra se.) ἐν ἑαυτοῖς quidam interpretantur *inter se*, quasi inter se alij cum alijs de Christi facto murmurarent. Sed ex ver.4. manifestum est sensum esse non inter se, sed intra se murmurasse, id est cogitasse Christum blasphemare. Non enim dicit Euangelista, cùm audisset, aut cognouisset sermones eorum: *sed cum vidisset cogitationes eorum.* Et non dicit Christus, quid murmuratis; *sed, quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Dicere enim intra se Hebraica phrasis לאמור בקרבו dicere in medio sui, est cogitare, vt supra c.3.9. & infra hoc capite, ver.21.& Luc.7.39.49.& 16.3.& 18.4 quod simili phrasi dicunt, dicere in corde suo לאמור בלבו, Psalm.4.5.& 10. secundum Hebræos 11.13. & innumeris alijs locis, quod etiam D. Augustinus libro de Trinit.15.cap.10.notauit.

Hic blasphemat.) Blasphemare Christum dicunt, quod Dei proprium est, sibi attribuebat, remittere peccata: legerant enim, quod dixerat Isaias cap.43.25. *ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*, sed non legerant, aut non intellexerant, quod idem dicit cap. 53. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrũm.* Nec meminerant, quod Ioannes dixerat; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, cap.1. 29. Alij Euangelistæ causam, quam afferebant blasphemiæ, expressérunt, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Marc.2.7. & Luc.5.21.

4. *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum.)* Vtrumq; magno consilio expressit Euangelista, & quòd non oblocuti sint, sed intra se tãtùm cogitauerint, & quòd Christus eorum cogitationes non solùm coniectura cognouerit; sed quasi oculis viderit, vt Christi diuinitatem declararet. Expressius etiam Marcus cap. 2. 8. *Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis, quid ista cogitatis in cordibus vestris?* Solum Deum hominũ corda, cogitationésq; cognoscere tota scriptura testatur 1.Par.28.9.& 2.Par.6.30. Ierem.17.10. Rom. 8.27. 1.Cor.2.10. Itaque rectè ex hoc loco Christi diuinitatem veteres Theologi probauerunt.

Christi diuinitas cõfirmatur.

5. *Quid est facilius dicere.)* Sententia, meo quidem iudicio, nisi nimio inquirendi studio difficilis fiat, per se ipsa facilis est. *Dicere* hoc loco, nec pro solis verbis, nec pro solis rebus positum est. Nam si verba quidem solùm spectes, æquè est facilè dicere; *Remittuntur tibi peccata tua*, & dicere, *Surge & ambula.* Si res multò est difficilius peccata remittere, quàm dissoluta paralyti membra curare. Nam quod nonnulli dicunt interpretes corpus propria, non aliena auctoritate sanare æquè esse difficile, atque remittere peccata, ne audiendum quidem est. Vera enim est Augustini sententia tractat.in Ioan.72. difficilius esse hominem iustificare, quàm cælum & terram creare. Sed ponitur pro verbis externa effectus probatione coniũctis. Hoc enim modo difficilius est dicere, *Surge & ambula*, quàm, *remittuntur tibi peccata tua*: quia an peccata verè remittantur; qui audiunt, videre non possumus; an autem paralyticus surgat, & ambulet, non videre non possunt. Itaque illic dicentis auctoritas, quia mendacij argui non potest, non periclitatur; hic quia oculis conuinci potest, in periculum adducitur. Quemadmodum si quis diceret sibi difficilius esse de rebus proximis atque recentibus, quàm de remotissimis & incognitis historiam scribere, aut de plantis, de terra, de animantibus; quàm de cælo, quàm de concentricis, & excentricis, de cyclis, & epicyclis philosophari; non quòd difficilius non scit hæc scire, quàm illa: sed quòd facilius hæc, quàm illa probare,; vbi dicere auditori incredulo possumus, Non credis? ascende in cælum, vide, metire. Si ita non est, mẽdacij doctorem argue. Ad hunc sensum Hieronymus, Chrysostomus, Beda, & Theophylactus exponunt: & perdere mihi videntur operam non solùm qui aliam quærunt; sed etiam qui aliam inueniunt interpretationem. Quod autem Hilarius, & Ambrosius de resurrectione corporum interpretantur, quasi per hunc paralyticum

Haretici doctrinam stoliditatem.

Haretici docti vt stulti.

Christus nõ omnes animo sanauit, quos corpore.

Quomodo aliena fide adultis peccata remittantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortui significentur, & difficilius sit mortuos suscitare, quàm peccata remittere; ingeniosa & elegans est allegoria, sed nos, vt sæpe diximus, aliud quærimus. Illud quamuis magnis auctoribus non concedo difficilius esse mortuos suscitare, quàm peccata remittere, quia qui fecit te sine te, suscitabit te sine te, sed nō iustificabit te sine te, vt loquitur Augustinus. Poterit autem aliquis meritò dubitare, quomodo Christus, quod probandum erat, concludat. Nam si remittere peccata erat re vera difficilius, dum experientia curati paralytici docet se, quod re ipsa facilius est, posse facere, non benè probat posse, & se peccata remittere, quod erat difficilius. Respondeo, Christum tantùm probare voluisse sibi esse credēdum, quod bene probat ab eo, cuius probatio erat difficilior; quasi dicat, si non fallo, dùm dico paralytico *Surge, & ambula*, vbi difficilius est probare me verum dicere; cui creditis me fallere cùm dico *remittuntur tibi peccata tua?* Deniq; ex re, quæ affectu probari potest, in re, quæ probari non potest, sibi fidem facit.

Difficilius peccatorem iustificare, quàm mortuū suscitare. 15. de verb. apost.

6. *Vt autem sciatis.*) Quidam hæc verba Euangelistæ esse putant. Quod ne simile quidem veri est, & quia sententia ipsa postulat, vt Scribis Christus hoc dixerit, vt probaret se potestatem habere peccata remittendi; & quia omnes Euangelistæ Marcus cap. 2. 10. & Lucas cap. 5. 24. eadem ponunt, quod profectò non fecissent, si ipsorum fuissent verba, non Christi. Plerique interpretes existimant Christum probare voluisse se esse Deum, ac propterea non blasphemare; cùm dicit se remittere peccata. Ego nil me, si cum illis conferor, iudicio, & auctoritate valere scio; sed tamen & singula verba, & totum argumentum perpendenti videtur probare Christus non solum Deum potestatem habere peccata remittēdi. Credibile enim est contrarium eius, quod Scribæ putabant, probare voluisse. Putabant autem illi & solum Deum posse peccata remittere, & Christum vtique nō esse Deum. Christus probat & se Deum esse, & etiam, vt hominem, remittere peccata non vt qualemcunque hominem, sed vt hominem Deum. Deum esse non tam argumentando probat; quàm experientia demonstrat, dum illis, quid cogitent, exponit; se vt hominem, remittere peccata probat eo, quod ver. 5 explicauimus, argumento. Atque hanc vim hæc duo verba, *Filius hominis*, &, *super terram* habere mihi videntur. Non enim dixit, vt autem sciatis filium Dei habere potestatem, *sed filium hominis*; & non dixit in cælo, sed *super terram*, vt ostenderet se etiam, vt hominem, remittere peccata. Abutebantur hoc loco Nouatiani, vt probarent non posse sacerdotes remittere peccata; quemadmodum hodie eorum hæredes Caluiniani in eundem errorem abuntur. Vtrisque D. Ambrosius duobus de pœnitentia libris abundè respondit: & ex his, quæ modo diximus, facilis est responsio, quemadmodum potestas remittendi peccata cum natura et iam humana Christi à diuinitate communicata est; ita fuisse à Christo tanquam à capite, cum quibus voluit membris, id est cum sacerdotibus communicatam. Quod & in potestate faciendi miracula factum videmus, quæ cùm propria Dei sit, à diuinitate Christi cum humanitate; & à Christo cū Apostolis communicata est, nisi quòd Christus sua, cæteri Christi virtumque auctoritate faciunt.

Christus etiā vt homo, peccata remisit.

Surge, tolle, & vade.) Hæc tria verba ad euidentem curationis probationem Christus adiecit. Nec enim videri poterat simulata, aut imperfecta curatio, quā impotes membrorum paralyticus surrexisset, insuper lectum suum in humeros sustulisset; & in domum suam portasset, vt Chrysost adnotauit.

7. *Timuerunt.*) Θαυμασαν admirati sunt, quidam θαμβηθεντες timuerunt legendum putant, non intelligentes hæreticorum scholiastem, quem sequi voluerunt. Nam ne ille quidem ita legendum existimat, sed id verbum significare, nostrúmque interpretem parum propriè vertisse. Vtique errant; nam noster interpres sensum, non verba respexit. Et quamuis θαυμαζειν propriè sit admirari, tamen hoc loco positum est pro timere. Est enim admiratio quædam, quæ ex gaudio, alia quæ ex timore proficiscitur. Itaque Lucas cap. 5. 26 quod hic Matthæus θαυμασιὸν admirationē vocat ἔκστασιν stuporem appellat, & vehementem timorem interpretatur. *Et stupor*, inquit, *apprehendit omnes, & magnificabant Deum, & repleti sunt timore.* Timor autem intelligendus est, non ille, qui ex odio, sed ille qui ex magna alicuius opinione & reuerentia nasci solet, cuius lib. 3. Reg cap. 3. 28. singulare exemplum est, vbi cùm populus in illo iudicio inter duas meretrices Salomonis sapiētiā perspexisset, timuisse dicitur Salomonē. Quemadmodū ergò illic, timere pro admirari, ita hic admirari pro timere positū est.

9. *Transiens inde.*) Rediens ad mare, vt explicat Marcus c. 2. 13. De Apostolorum vocatione, quæ hoc loco dici poterant diximus supra c. 4. 1.

Ad telonium.) Ad mēsam publicanorum, ad quam publica Cæsaris vectigalia referebantur, ἀπὸ τελωνιου quod vectigal significat, τελώνιον telonion dictum est, id est locus vbi vectigalia reponuntur. Sed quia plerunque vectigal pecunia erat, quæ super mensam numerari solet, mensa etiam appellabatur, ideoque ad telonium, id est ad mensam sedere dicitur. Sicut vsq; ad hodiernum diem in Hispania vocatur *La mesa maestral*, id est mensa magistralis, locus, ad quem vectigalia Magistri equitum D. Iacobi apportantur. Constat enim tributa olim non ostiarijs colligi solita, sed à subditis ipsis in certum locum referri. Sicut decimę in Hispania nō solùm non extorquētur, sed ne petuntur quidem; at sponte ab iis, à quibus debentur, afferuntur. Hanc mensam, ad quam sedebat Matthæus, credibile est non in ipsius fuisse domo, sed in loco aliquo publico iuxta mare, vt facilius mercium, quæ mari adducebantur, tributa in eum colligerentur. Nam Marcus c. 2. 15. & Lucas c. 5. 29. significant inde Christum in Matthæi domum sese contulisse, vbi magnum illi Matthæus conuiuium apparuit.

Matthæum nomine.) Marcus c. 2. 14. & Lucas c. 5. 27. 29. Matthæum nomine, id est cognomento Leui. Apparet autem honorificentius fuisse cognomen Leui quàm nomen Matthæi, quia animaduertimus nunquam se Leui, sed semper Matthęum modestię, alios eum non solum Matthæum, sed etiam Leui honoris causa vocare, vt Hieronymus obseruauit.

10. *In domo.*) Eiusdem Matthæi, Marcum 2. 15. & Luc. 5. 29.

13. *Euntes.*) Hebraismus לכו ואמרו *ite, & dicite*, vt Iud. 10. 14. *Ite, & inuocate Deos, quos elegistis, ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Eadem phrasi dicunt Galli, *Allez, apprenez que c'est.*

Discite.) Mittit ad scholam doctores legis, vt eius rei, cuius scientia maximè gloriabantur, maximam exprobret ignorantiam, vt Euthymius adnotauit. Quod aliis quoque locis facere solet, vt c. 12. 3. *non legistis, quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cū eo erāt,* & ibidem vet. 5. *non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo sabbathum violant, & sine crimine sunt* & c. 19. 4. *non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum, & fœminam fecit eos,* similia c. 21. 16. 42. & 22. 31. & Mar. 12. 10. 26. Pharisæos legis doctores fuisse diximus c. 2. 4.

Misericordiam volo.) Primum quærendum, quorsum Christus hoc dicat; nec enim hîc de sacrificio aut mise

aut misericordia agebatur. Respondeo, magnam fuisse misericordiam peccatores ad pœnitentiam vocare, vt paullo post dicit: quam probat à maiori ad minus omnibus esse rebus præferendam. Si enim sacrificio, quod Deo offertur, teste Propheta præferenda est quibus non erit rebus anteponenda? sicut supra dixit, c. 5. 24. 25. *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Ad hunc ferme sensum Euthymius exponit.

Et non sacrificium.) Non negat se sacrificium velle, cum ipse instituerit, sibique iusserit offerri, sed dicit se misericordiam malle, quàm sacrificium, id est sacrificium internum, quàm externum. &, si alterutrum defuturum est, malle externum, quod in carnalibus hostiis quàm internum, quod in corde consistit, deesse sacrificium. Est enim Hebræorum idioma, quo solent illi, cùm vnum alteri præferunt, non illud magis, hoc minus affirmare, sed illud affirmare omnino, hoc omnino negare; vt, *vt doctrina mea, non est mea*, id est non tam mea quàm patris est, ab eo enim ego accepi Ioan. 7. 16. *Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*, id est non tam vos, quàm ille infra cap. 10. 20. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, id est non tam volentis hominis, quàm miserentis est Dei Rom. 9. 16. sic Chrysostomus explicat hom. 31. Itaque Ambrosius. lib. de pœnitentia, cap. 2. ita legit, *misericordiam malo, quàm sacrificium.* Augustinus verò lib. 10. contra Faustum cap. 16. & lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 27. *misericordiam volo, quam sacrificium* forma loquendi apud veteres Theologos vsque ad Gregorij tempora frequenter vsurpata, &, vt suspicor, ex veteri nata editione, qua ante Hieronymum Latina vtebatur Ecclesia, cuius auctorem credibile est Hebraismum imitatum solitum dicere חפצתי כי אם hoc volo, quàm hoc, id est hoc malo. Idem August. lib. 10. de ciuit. c. 5. & Cæsarius hom. 36. legunt, *misericordiam magis volo, quam sacrificium*, ad sensum fortasse, non ad verba respicientes. Hunc autem esse sensum ex eodem loco Prophetæ, ex quo hæc sumpta sunt verba, Osee. 6. 6. manifestum est; sequitur enim, *& scientiam Dei magis, quam holocausta.* Per sacrificium autem, quia externus erat cultus, omnis cultus externus, per misericordiam omnia caritatis opera intelligenda sunt.

Scripturæ idiomata notabile.

Non veni vocare iustos, sed peccatores.) Duæ hoc loco quæstiones sunt, vna, an aliquos, cùm Christus venit, iustos inuenerit; altera, an propter illos etiam, si qui erant, venerit. Hæretici huius temporis Lutherani, & Caluiniani non solùm, cùm Christus venit, sed etiam pòst quem quam verè iustum fuisse negant. Quem errorem etsi alio loco copiosius iumus refutaturi; hic etiam obiter perstringemus. Certè Zacharias, & Elisabeth iusti erant, quocunque tandem modo iustos interpretentur. Propter ea enim negant non solùm esse quemquam, sed etiam esse posse iustum, quia nemo totam, inquiunt, lege m seruare potest. De Zacharia autem & Elisabeth c. 1. 6 Lucas scribit, *Et erant iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Iustos non reputatos, vt isti commentantur, sed fuisse dicit, & fuisse non apud homines tantùm, sed ante Deum, & non, quia peccata illis non imputabantur, sed quia peccata non habebant, id est quia legem obseruabat, quod isti boni Euangelistæ, vt eorum etiam verbo vtar, impossibile esse dicunt, *incedentes* (inquit) *in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*, id est ita vt nihil in eis desiderari posset. Si ergo talis Elisabeth, qualis Maria de qua illa dicit. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Luc. 1. 43. Alios quo-

Error hæreticorū refutatur, neminē esse iustum.

que, de quibus scriptura mentionem non fecerit, iustos fuisse credendum est, quando ex his constat esse potuisse. Nam & Nathanael Christus verum Israëlitam appellauit, in quo dolus non esset Ioann. 1. 47. qua phrasi solet scriptura hominem perfectè iustum significare, vt Psalm. 14. 3. *Qui non egit dolum in lingua sua*, & 31. 2. *nec est in spiritu eius dolus.* Denique de Christo ipso ad magnam laudem dictum est, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Alia ex parte scriptura docet omnes fuisse peccatores Rom. 3. 22. 23. *iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum, non enim est distinctio, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, & 2. Cor. 5. 14. 15. *si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt & vnus pro omnibus mortuus est Christus.* Ita etiam omnes veteres auctores sentiunt, Christum cùm venit, neminem iustum reperisse, sed dixisse, *non veni vocare iustos*, non quòd aliqui iusti essent, sed quòd se aliqui iustos esse reputarent, quales illi ipsi erant Pharisæi, quibus ista dicebat. Propter eos autem non venisse, non quòd propter omnes non venerit, sed quòd illi, qui se iustos putabant, vt, qui cùm ægroti sint, se sanos esse dicunt, medicum non quærerent. Sicut illis Christus dicit Ioann. 9. 41. *si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Ita Hilarius & Chrysostomus hom. 31. Hieronym. Beda. Theophyl. Euthym. quasi per ironiā iustos appellatos intelligunt. Scripturæ autem, quæ hac in re videntur esse contrariæ, ad hunc modum conciliandæ sunt. Inuenit Christus veniens, vt probatum à nobis est aliquos iustos, & tamen neminem, vt aliæ scripturæ docent, iustum inuenit; aliquos, qui re vera iusti erant, neminem qui per se, id est sine ipso Christo iustus esset. Nam ipsi illi, qui ante quàm Christus veniret, iusti vnquam fuerunt, non nisi per eius gratiam & fidem, & vi futuri aduentus eius fuerunt iustificati, vt Petrus testatur Act. 15. 11. *per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.* Illa ipsa Christi mater B. Virgo Maria omnium iustorum hominum iustissima, quam à peccato etiam originali præseruatam credimus, inter eos numeratur, qui gratia Dei indiguerunt, & propter quos etiam Christus venit, quia si Christus non venisset eius gratia præseruata non fuisset. Superest quæstio secunda, quomodo dicat Christus se non venisse, vt iustos vocaret, cùm nemo sine eius vocante gratia iustus fuerit. Quomodo veteres auctores responderint paullo ante commemorauimus; non venisse, vt vocaret iustos, id est, qui se iustos esse existimabant, non quòd ille vocare nollet, sed quòd illi etiamsi vocaret, venire nollent. Hoc probabile est. Illud autem quod Euthymius dicit, nisi aliqua benigniore interpretatione molliri possit prorsus Pelagianum; Christum nō venisse propter iustos, quia iusti ipsi sibi ad salutem sufficiebant. Quanquam non auctorem, qui & Catholicus, & pius, & eruditus est, sed auctoris minus cautum loquendi modum damno. Ego si quid tamen meum valet iudicium, sic intelligo Christum non venisse, vt iustos, sed vt peccatores vocaret; quemadmodum nonaginta nouem oues, quæ non errauerant, vt vnam quæreret errantem, in deserto dicitur reliquisse infra cap. 18. 12. Non enim significat, vt quidam interpretantur, angelos reliquisse, vt hominem quæreret; nec nonaginta nouem homines, qui non errauerant, vt vnum quæreret aberrantem, quasi non nisi nonagesimus nonus quisque homo iniustus esset. *Omnes* enim *in viā suam declinauerunt.* Isa. 56. 11. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt.* Psal. 13. 3 & 52. 4. sed significat se adeo esse bonum & misericordem, vt si nō fuissent, nisi centum homines, nonaginta nouem iusti, & vnus iniustus; no-

1. Pet. 2. 22.

Quomodo Christus nullum iustum inuenit.

Matt. 9. 13.

B. Virgo concepta sine peccato.

Quomodo Christus non venit propter iustos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

naginta nouem iustos reliquisset, vt vnum iniustum quæreret. & se propter illum solum in hunc mundum venturū, & mortem suscepturum fuisse. similiter hoc loco non significat aliquos sine gratia aduentus sui iustos esse, ad quos vocandos non venerit; sed se ita peccatores quærere, vt si aliqui fuissent iusti nō propter eos sed propter peccatores venturus fuisset. Hic, nisi valde fallor, verus est sensus. Itaque illa quorundā Theologorū opinio, qui existimant, etiam si homines non peccassent, Christum fuisse venturū. non solùm huic loco, sed scripturæ mihi videtur esse contraria; & dum incertum Christi beneficium fingit; certum illud, quo maius esse non potuit, redemptionis nostræ extenuare. Et verò, nisi scirem etiam nonnullos Catholicos, & eruditos viros in ea esse sententia. multò eam grauioribus notarem verbis. Sed nolo dum sententiam reprehendo auctores quoque videri velle reprehendere. Tantùm dico non posse me eos, qui eam etiamnum defensitant, non mirari.

Christus, nō venisset, si Adam non peccasset

14. *Tunc accesserunt.*) Cùm Pharisæi in priore quæstione victi fuissent.

Discipuli Ioannis.) Luc. c. 5. 33. ipsos Pharisæos accessisse dicit: quod D. Augustin. lib. 2. de consens. Euangelist. c. 27. ita conciliat, vtrosq; accessisse, sed Lucam solos Pharisæos, Matthæum solos discipulos Ioannis nominasse. Sed videtur ita Matthæus loqui, vt significare velle videatur Pharisæos ausos non fuisse ad Christum accedere. Nam & paullo ante vers. 11. non Christo, sed eius discipulis dixisse ait, *quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Quare probabilius est Ioannis discipulos à Pharisæis summissos accessisse, quod eò illi libentius fortasse fecerunt, quòd inter Ioānis & Christi discipulos aliquam fuisse cōstet æmulationculum Ioann. 3. 26. *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Propterea Lucas Pharisæos accessisse dicit, quia Ioanni discipuli instigantibus Pharisæis accesserunt.

Discipuli autem tui non ieiunant.) Lucas c. 5. 33. dicit, *discipuli autem tui edunt, & bibunt*, quasi immoderatum cibi, & potus vsum notare voluerint, & quidem credibilius est, & Pharisæorum ingenio magis consentaneum ita dixisse. Nam per hæc verba, *edunt & bibūt*, discipulorum intemperantiam, per discipulos autem magistrum ipsum Christum notare voluisse Christus ad hunc locum alludens significat cap. 11. 18. 19. *venit Ioannes Baptista nec manducans nec bibens, & dicunt dæmonium habet; venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Homines opinione sui inflati, & se laudant, *quare nos ieiunamus*, & ne se laudare videantur, discipulos Ioannis laudis socios assumunt: Christum autem, & eius discipulos non solùm tanquam parum religiosos, sed etiam tanquam intemperantes, & ebriosos accusant. *Quare nos*, plus quàm dicunt his verbis significant. Quare nos, & non tu? nisi quia nos sancti, ac iusti, & ex Deo sumus: tu peccator, & ex hominibus. cùm interim, dum nos ieiunamus, tu peccatorum hominum comessationibus delecteris?

15. *Nunquid possunt filij sponsi.*) υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος thalami, aut cubiculi nuptialis Mat. 2. 19. idem noster interpres vertit nuptiarum. Qui autem dicantur filij sponsi, aut thalami manifestum est; loquitur enim Christus de discipulis suis, de quibus obiecta illi quæstio fuerat. Cur verò ita vocentur, de eo interpretes dissident. Ambros. lib. 5. in Lucam. Hieron. & Beda in comment. ideo filios vocari docent, quòd ab eo spiritualiter nati essent. Iis potius assentior, qui Hebraismum esse dicunt, quo filij thalami, aut nuptiarum apellantur, qui familiares sponsi sunt, qui eius variis lætitiæ argumentis celebrant nuptias. quod nunc corruptis apud nos moribus conuiuiis, saltationibus, ludis fieri solet; tunc saltem conuiuiis, vt ex nuptiis in Cana Galilææ celebratis Ioann. 2. 1. perspicuum est. ideóque dicit ieiunare non posse, quia repugnat nuptiarum celebrationi ieiunium. Quemadmodum enim filij regni vocati sunt c. 8. 12. qui sunt ex regno, ita filij nuptiarum, qui celebrant nuptias, quod significātius Galli dicunt, *ceux qui sont de la feste des nopces.* Amici sponsi vt vocat seipsum Ioannes Baptista Ioann. 3. 29. sponsus autem est Christus vt in illa parabola nuptiarum adumbratur c. 22. 2. & c. 25. 1. 5. 6. 10. & Apocal. 19. 7. 9. Cuius, vt ita dicam, sponsalia hic celebrantur Matth. 22. 2. & 25. 1. nuptiæ autem in cælo vbi matrimonium quodam modo cum ecclesia eius sponsa consummat Apocal. 19. 7. 9. quia tunc eam in cubiculum suum, id est in cælum introducet, vbi perpetuis eius fruetur amplexibus.

Lugere.) Cur non dicit ieiunare, non enim de luctu sed de ieiunio quærebatur. Ideo, vt opinor, vt in genere non solùm ieiunium, sed omnes alias luctus species comprehendat. & plus quàm ab aduersarijs interrogabatur, respondeat; & vt à negatione generis ad negationem speciei fortius argumentetur. Si enim animal esse non potest, quomodo homo esse poterit? Si filij sponsi lugere non possunt, quomodo ieiunare poterunt? Lugere enim hoc loco non significat lacrymas fundere, aut plangere, sed tristem esse, & vt Latini loquuntur, in luctu, sordibúsque versari: sicut dicuntur mortui certo tempore lugeri, non quòd eos viui perpetuò fleant, sed quò pro illis lugubrem vestem gerant. Quæri hoc loco merito potest, si nō possunt filij sponsi, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare, cur Ioannes Baptista, eiúsque discipuli ieiunauerint; nam & ipse filius, id est amicus erat sponsi, qui vocem eius audiens gaudebat Ioan. 3. 29. Respondeo id factum necessariò, vt omnibus modis ad salutem homines allicerentur, & singulari, qualis fuit Ioannis, & communi, qualis fuit Christi, more viuendi; vt Christus cap. 11. 18. 19. significat. *Venit Ioannes nec manducans, nec bibens, & dicunt, dæmonium habet; venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini, & iustificata est sapientia à filijs suis.* Præterquam quòd Ioannes, etsi amicus erat sponsi, filius tamen, id est discipulus propriè non erat; parabat enim viam, qua alij de nuptias venirent, ipse non venit. Qui veniebant, aspera venturi erant via; cùm venissent, non asperam, sed hilarem, & iucundam, quamdiu cum sponso essent, acturi vitam, vt nuptiarum festiua celebratio postulabat. At cur Christus saltem ipse, si non eius discipuli, non ieiunabat? Eadem ratione responderi posset, quia sponsus erat & sponsalia sua celebrabat, sed ipse aliam rationem reddit, quia *nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus*, ver. 16.

Venient autem dies. Dies pro tempore Hebræorum more, quasi dicat, satis temporis ad ieiunandum habebunt, cùm ablatus illis fuerit sponsus. Non dicit, cùm ab illis discesserit, nec cùm mortuus fuerit, sed cum ablatus fuerit, significans miserabiliter ab illis ipsis Pharisæis, quibuscum loquebatur, de medio tollendum. *Tunc*, inquit, *ieiunabunt*, id est, tunc lugebunt. Nam vt paullo ante lugere posuit pro ieiunare, genus pro specie; ita nunc ieiunare pro lugere, speciem pro genere posuit; quasi dicat, sicut nunc celebrant meas nuptias, ideóque non ieiunant, ita tunc meam lugebunt mortem, ideóque ieiunabunt. Alludit enim ad veterem morem lugendi mortuos adhibito ieiunio: solent, enim qui lugent, cibo abstinere. Euentus hanc

Christi sententiam non probauit modo; sed etiam declarauit. Legimus enim quàm assidui post ascensum in cælum Christi in ieiuniis, & orationibus Apostoli fuerint Act. 13. 2. 3. 2. Cor. 6. 5. in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs multis, in fame, & siti, & ieiunijs multis. Ineptus erat Montanus, Priscilla, & Maximilla, qui, vt ait hoc loco Hieronymus, huius occasione sententiæ Quadragesimam post Pentecosten celebrabant. Intemperantes Caluinistæ, qui nullam omninò Quadragesimam amant, nó sque, homines valde suo iudicio sapientes, irrident, quasi ex hoc loco Quadragesimam colligamus. Nos verò hinc non tam Quadragesimā colligimus, quàm eorum argumentum refutamus; qui ideo Quadragesimam reijciunt, quòd Christus cum discipulis suis Quadragesimam non ieiunauerit; quibus idem, quod Christus hoc loco Pharisæis, respondemus, non potuisse sponsum, neque filios sponsi, quandiu cum ipsis sponsus erat, ieiunare; ablato autem sponso sapienter, & piè, & voluntati ac verbis Christi congruenter Ecclesiam fecisse, quòd ieiunium instituerit Quadragesimæ.

Quadragesimæ defensio contra Caluinistas.

16. *Nemo autem immittit.*) Hoc ideo dicit Christus, vt probet prudenter se facere, quòd non cogat suos discipulos ieiunare, vt Hieron. Chrysost. hom. 31. & Remig. indicauerūt. Id autem duobus probat exemplis, altero panni rudis & vestimenti veteris; altero vini noui, & vtris veteris, quorum neutrum cum altero benè conueniunt. Sensus est facilis; verborum, exemplorúmque accommodatio difficilis. Nec enim dubium est, quin velit Christus docere esse genus viuendi ad discipulorum captum, consuetudinémque accommodandum; ne, si initio præter consuetudinem cogantur ieiunare, institutum deterriti derelinquant. Itaque certum est discipulos suos vestimento, vtribúsque veteribus, genus autem viuēdi austerum & asperum panno adhuc rudi, vinóque nouo comparari. Atque hanc esse sententiam quemadmodum vestimento veteri non adijcitur assumentum ex panno rudi, quia si adijciatur, veterem vestē magis disrumpit, neque vinum nouum mittitur in vtres veteres, quia si mittatur, vtres iam attriti vetustate feruente crepant vino; ita non conuenire, vt discipulis faciliori viuendi rationi assueris genus vitæ difficilius, prorsúsque dissimile subitò præscribatur, ne difficultati succumbant, & à bene cœpto vitæ instituto desistāt. Ita Euthymius, & Theophylactus interpretantur; nec melior meo iudicio interpretatio desiderari potest. Quanquam Tertullian. lib. 3. & 4. cōtra Marc. veterem vestem, & vtres veteres legem veterem; pannum rudem, & vinum nouum Euangelium esse dicit, aut dicentibus Marcionistis ipse non negat Ambrosius verò lib. in Luc. 8. vestimentum vetus, & veteres vtres ieiunium. Hilar. Hieron. Chrysost. & Beda Phanuel. Aug. serm. de temp. 186. omnes homines carnales. *Spiritualia*, inquit, *nō capit carnalis, carnalitas vetustas est, gratia nouitas est.* Quæ omnia quamuis acutè eruditéque dicta sint, tamē in prima, vt diximus, interpretatione stando est. Obijciet autem aliquis discipulos etiam Ioannis vetus vestimentum, & vtres veterum fuisse; ieiunium tamen illis, & vitæ genus asperrimum Ioannem proposuisse. Iam ver. 15. respondimus id eum fecisse necessariò, quia viam ad Christum præparabat; quam asperam & difficilem, id est lacrymarum, ieiuniorum, & omnis pœnitentiæ generis plenam esse oportebat. Decebat autem Dominum mitiorem, humaniorémque esse, quàm seruum; & quodammodo vngere, quos ille vulnerauerat. Obijci propterea potest, discipulos Christi nouos adhuc fuisse, non ergo potuisse vestimento, vtribúsque veteribus comparari. Respondeo aut propter infirmitatem, vt vult Euthymius; aut propter veterem consuetudinem omnino dissimilem, vt ego potius credo, veteres appellari. Adhuc enim sicut vestis attrita, & veteres vtres vetere viuendi consuetudine nondum exuta imbecilles erant, nec vinum nouum capere poterant. *Multa*, inquit Christus, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Ioan. 16. 12. Potest adhuc occurri, ieiunium rem fuisse veterem, & vsitatam; propterea Ioannis discipulos, & Pharisæos Christo obijcere, quod nec ipse, nec eius discipuli ieiunent, quasi veteres, non seruent traditiones. Respondeo quædam fuisse in veteri lege præcepta ieiunia, de quibus D. Lucas in Actis, cap. 27. 9. mentionem facit; sed Pharisæos non de illis loqui, quæ & vetera erant, & ab omnibus sicut nunc Ecclesiastica ieiunia seruabantur; sed de suis, & discipulorum Ioānis ieiunijs, quæ præcepta non erant, neque communia, sed voluntaria & & illis propria, quibus se Pharisæos, id est singulares, cæterisq; sanctiores esse gloriabantur; sicut Pharisæus ille Lucæ 18. 11. 12. in templo orans dicebat, non sum sicut cæteri hominum, sicut etiam *hic publicanus, ieiuno bis in sabbatho.* Quòd autem Marcion ex hoc loco suam hæresim confirmabat, quasi inter veterem & Euangelicam legem tanta sit dissimilitudo, vt vnus vtriusque auctor esse non possit, vt Tertullianus lib. aduersus illum 3. & 4. & Epiphanius hæres. 42. tradiderunt, & ab illis est satis refutatum, & adeo futile est, vt operæ pretium facturus non sit, qui refutauerit. Similis Manichæorum error, contra quem Augustinus lib. 18. aduersus Faustum disputauit. Diximus de sententia, dicamus de verbis, vbi plusculum est difficultatis.

Commissuram.) ἐπίβλημα additamentum, vt quidam vertunt, aut potius, si Latinitas pateretur, adiectamentum. Quidam hæreticorum interpretes existimant non significari additamentum panni, quod ad farciendam plagam veteris vestis adijcitur, quam *peciam*, vulgò vocant; sed partem panni, quæ, quādo ad conficiendam vestem satis panni ex veteri non est, ex nouo in supplementum assumitur, sententia prorsus corrupta. Et quia id cui adiicitur, vocat ἱμάτιον παλαιὸν vestem veterem, significans iam fuisse cōfectam vestem, ante quàm additamentum assumeretur; sed veterem detritam, & plagas habentem; & quia dicit, *& peior scissura fit.* peior scilicet, quàm ea, quæ ante facta fuerat. Loquitur ergo de veste iam facta, sed scissuras habente, ad quas refarciendas dicit non esse eadem pannum insuendum, ne peior scissura fiat. Tertullianus & Augustinus plagulam vocant.

Tollit enim plenitudinem.) αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου verba sunt ambigua, quia τὸ πλήρωμα, & nominandi, & accusandi casus esse potest. Si nominandi sit, sensus erit plenitudo eius, id est commissura illa, quæ ad implendum, quod deerat, adiecta est veteri vestimento, tollet (*aliquid*) ab illo, id est arrodet & lacerebit illud. Quem sensum Theodorus hæreticorum interpres, & in vertendo, & in exponendo secutus est, parùm recto, vt mihi videtur, iudicio. Si sit accusandi casus, duplex sensus esse potest, alter, vt suppositum verbi, *tollit*, repetatur ex verbo, *immittit*, quasi dicat, alioqui, quicunque id facit, tollit plenitudinem eius à vestimento. Quam interpretationem Erasmus inuenit, in eo prudentiùs quàm Beza, quòd τὸ πλήρωμα non primùm, sed quartùm facit casum; in eo non benè, quòd verbum, *tollit*, referat ad eum, qui commissuram adiecit. Verum sensum nemo potest melius, quàm noster interpres, exprimere πλήρωμα enim plenitudinem vocat Euangelista eam partem vestis, quæ cum illi commissura immittetur, adhuc integra erat,

Beza reprehenditur & Erasm.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam ipsam non ille, qui commissuram adiecit; sed commissura ipsa panni rudis rigore suo tollit. Plenitudinem autem vocat Hebræorum more πλήρωμα, quod integrum & sanum est; quemadmodū in altero quod sequitur exemplo, non ille qui vinum nouum in vtres veteres immisit; sed vinum ipsum nouum, quia fortius est, quàm vt vtres ferre possint, vtres corrumpit; id est, vtrium plenitudinem tollit. Et, qui aliter interpretantur, & veterem fastidientes versionem nouam quæsierunt, mihi nullo modo videntur sententiæ vim proprietatémque perspexisse; quæ in eo maximè obseruatur, vt si pannus rudis vesti veteri assuatur, aut vinum nouum in veteres mittatur vtres, id quod vestem conseruare debuit, perdat; & vinum quod, vt seruaretur, in vtres missum est, efficiat vtres rumpendo, vt seruari non possit. Sic enim nimis rigidum vitæ genus, si discipulis, vt meliores fiant, adhuc infirmis, & veteribus assuetis moribus præscribatur, illud ipsum, quod eos meliores facere debuit, deterrendo, auertendo, fugando peiores faciet. Et quod illis, vt conseruarent, exercerénturque, tamquam vtribus vetustis vinum nouum committeretur, dum ferre non possent, eos desperatione quadam perderet, & ipsum quoque periret. Viuum exemplum Iudas præbuit, cui cum non satis idoneo Apostoli commissum esset officium, & quasi veteri vtri vinum nouum infusum, non solùm moribus, sed corpore etiam ipso, tanquam nimis inflatu vter crepuit medius, & perditum est, id est quodam modo ignominia affectum Apostolicum officium.

Vulgata editio de fœdatur.

Quis Synagogæ princeps

18. *Princeps vnus Synagogæ.)* Nomine Iairus Marc. 5.22. Lucæ 8.41. Princeps autem Synagogæ vocabatur, qui Synagogæ præsidebat; quemadmodū in scholis, qui Decanus facultatis appellatur.

Modo defuncta est.) Magna inter Matthæum, & cæteros Euangelistas videtur esse dissensio. Nam Marcus cap.5. 24. non mortuam puellam, sed *in extremis fuisse* dicit. Lucas vero c.8.42. *& hæc moriebatur.* Chrysostomus hom.32. Beda, Euthym. & Theophylactus ita conciliant Principem istum non ideo dixisse mortuam esse filiam suam, quòd verè mortua esset; sed vel quòd adeò grauiter, cū ipse domo discessit ægrotaret; vt iam mortuam esse conijceret: aut quòd orationem dolor exaggerauerit. Augustin. lib.2. de consens. Euangel. cap.28. Matthæum non recitasse, quòd princeps dixerat, sed quod cogitabat. Probabilius est, quod quidam putant, vtrumque dixisse, & in extremis esse, & iam esse mortuam. Initio quidem dixisse eam in extremis esse, posteà venisse familiares, qui mortuam esse nuntiarent, vt Marc. 5.35. & Luc. 8.49. exposuerunt; tùm principem Christo dixisse, quod Matthæus narrat, filiam suam iam esse mortuam. Illud ego mihi persuadeo non dixisse principem Synagogæ simul, quæ Matthæus simul modo, *filia mea modo defuncta est, sed veni; impone manum tuam, & viuet*, sed hæc verba, *veni, impone manū tuam super eam* dixisse, ante quam mortuam esse sciret. Morte autem audita potius rogasse, Christum, aut rogare cogitasse ne veniret, cùm mortua iam esset, & quia Marcus, & Lucas ita narrant, & quia accepto nuntio de morte Christus illi dixit, *noli timere, crede tātum, & salua erit*, quasi iam timere cœpisset, ne Christus, qui moribundam sanare poterat, mortuam suscitare non posset, & quia hominem Iudæum, eúmque Synagogæ principem credibile non videtur tantam habuisse fidem, vt crederet posse Christum mortuam iam puellam tactu manus suscitare.

20. *Et ecce mulier.)* Ciuem fuisse Cæsareæ Philippi, quæ Christo statuam ante domum suam posuerit accepti beneficij monimentum scribit Eusebius lib.7 c.28. & Sozomen. lib.5. c.21. cuius & Theophylactus hoc loco mentionem facit. Itaque minus est probabile, quod in lib de Salomone c.5. Ambrosius scribit fuisse Martham Lazari sororem.

Quæ duodecim annis.) Facit hoc ad miraculi probationem, sicut quod Marcus c.5. 26. & Lucas cap.8.43. expresserunt, eam omnes suas facultates in medicos expēdisse, nec profecisse quicquam. His enim circumstatiis docent non solum inueteratum, sed etiam incurabilem fuisse morbum, vt magis curationis miraculum appareat.

Accessit retro.) Non est causa palàm accedere, siue, vt quidam putant, humilitate, siue, vt Optatus lib.5. contra Parmen. & Ambros. lib. de Salomone cap.5. pudore, quòd turpi laboraret morbo, siue quòd, vt alij dicunt, lege à consortio hominum arceretur Leuit.15.24. Fluxum autem sanguinis, multi fluxū seminis fuisse putant, qui honestiore vocabulo fluxus sanguinis appellatur, vt Chrysost. hom. 32. & Theophylactus in commentarijs.

22. *At Iesus conuersus & videns.)* ἐπιστραφεὶς ὁ Ἰησοῦς, conuersus & aspiciens, quasi ignoraret, & quæreret, quis esset qui se tetigisset, vt alij narrant Euangelistæ. Quod ideo fecit, vt mulier videns se latere non posse, proderet sese, & miraculum non ex eius, qui contulerat, sed ex eius, quæ beneficium acceperat, ore cognosceretur. Quod autem Lucas cap.8.46. ait dixisse Christum, *Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exisse*, humano locutus est more, quasi ita ex illo virtus exiisset, quemadmodum solet ex corpore secta vena sanguis exire. Narrat Lucas dixisse discipulos Christo. *Turbæ comprimunt te, & dicis, quis me tetigit?* In quæ verba D. Augustinus multis locis notare solet, non omnes, qui sequuntur, & tangunt Christum, verè tangere, sed potius comprimere; eos verè tangere, qui fide ad Christum accedentes fructum percipiunt. *Fide*, inquit Ambrosius, *tangitur Christus* lib.6. in Lucam.

Confide filia.) Apparet mulierem, cùm videret quæri à Christo, quis se tetigisset, valde timuisse, quasi sacrilegium patrasset, & clam sanitate furata esset, vt Chrysostomus ait, pœnásque temeritatis suæ datura esset, vt Mar.c.5.33. & Lucas c.8.47. declararunt. *Mulier verò timens, & tremens, sciens, quod factum esse in se, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem*, ideo iubetur confidere, id est non timere, bono esse animo. Quod autē Marcus *mulierem*, Matthæus *filiam* à Christo vocatam dicit, leuis dissensio est; alter verba alter sententiam recitauit. Vter verba? Matthæus opinor, quia magis conuenit benignitati, & cōsuetudini Christi, vt filiam, quàm vt mulierem appellauerit; præsertim quam trementem ac pauidam blandioribus verbis erigere volebat, vt supra ver.2. *confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quærunt nonnulli, cur Christus noluerit miraculum latere. Respondet Chrysostomus, & Theophylactus ideo noluisse, vt & Dei gloria magis eluceret, & fides principis Synagogæ, qui Christum sequebatur, confirmaretur. Quæ somnia Valentiniani ex hoc loco confinxerint, scribit Irenæus lib.2.c.36. Caluinus valde hoc loco sudat timens, ne hinc reliquiarum vsum comprobemus, &, quibus teneri se videt, vincula, quia soluere nō potest, rumpit. Primùm hanc mulierem indiscreto zelo, vt eius vtar verbis, Christi fimbriam tetigisse ait, & aliquid in ea fuisse superstitionis. Deinde, quamuis tactu fimbriæ sanata sit, factum tamen fuisse singulare, quod ad exempli imitationem valere non debeat, vt propterea ex reliquiis sanitatem petamus. O asinum, o cæcos homines, qui non vident hunc non tantùm hæreticum, sed prorsus etiam diabolicū esse spiritum. Euangelistæ omnes

esse spiritum. Euangelistæ omnes summa diligentia hanc circunstantiam expressērunt, quòd dixerit intra se, *si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero*, vt singularem eius fidem declararent, atque commendarent; iste bonus Euangelista indiscretum zelum vocat. Christus eius fidem non solùm effectu, sed verbis etiam approbat, *fides tua te saluam fecit*; Caluinus superstitionē fuisse docet. Tales hodie magistros mundus meretur.

23. *Tibicines.)* Putat Theophylactus propterea quòd innupta puella erat, &, vt Marcus, & Lucas scribunt, duodecim tantùm annorū, tibias, quas in nuptiis fuerat habitura, de more gentis ad funus adhibitas. At eam fuisse consuetudinem alium auctorem non habeo. Verius, quod lib.in Luc.8. Ambr. scribit, morem fuisse Gentilium, vt ad omne funus lamentatrices & tibicines adhiberentur, qui lacrymas audientibus cantatis næniis elicerent, eamque consuetudinem ad Iudæos quoque permanasse. Et de lamentatricibus quidem Ier.c.9.17. mentionem fecit; memini ego, cum etiam in nonnullis Hispaniæ locis adhiberentur, nunc res exoleuit, de tibiis Euangelistæ satis est testimonium: nec enim aliud in sacris litteris habemus, sed profanus poëta dixit,

Tibicines in funeribus.

Ouid. 4. fast.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Hæc omnia ideo narrat Euangelista, vt miraculum augeat, probās verè iam mortuam fuisse adolescentulam, cùm iam tibicines aciti fuissent, vt tota planctu familia turbata tumultuaretur. Eadem ratione Marc. & Lucas notauerunt venisse nuntios, qui affirmarent patri iam esse mortuā, nec esse cur Christum vexaret.

Recedite.) Cur turbam iubeat recedere, varias varij auctores afferunt causas. Chrysost hom. 32. Hilarius, & Theoph. quòd turba indigna esset, quæ miraculum videret, quia tumultuabatur, quia fidem non habebat, quia Christum dicentem non esse mortuam, sed somno oppressam deridebat. Alij quidam ne multitudine miraculum obscuraretur, quod credibile non est; non enim solent miracula spectatorum multitudine obscurari, sed magis inclarescere. Vera causa, vt mihi quidem videtur, ex Marco c.5.43. & Luca 8.56 facile colligitur. Vterque enim narrat Christum parentibus puellæ vehementer præcepisse, ne quis id sciret. Propterea ergo turbā exeludit, quæ continere secretū nescit. Proptera illi dixit, *non est mortua puella, sed dormit*, vt, cum postea ambulanté videret, nō à morte suscitatam; sed à somno expergefactā putaret. Delusit enim Christus turbam ambiguitate verborum. Quam autē ob rem noluerit Christus miraculum diuulgari vers. 24. dicemus. Marcus & Lucas scribunt quinque tantum testes Christum admisisse, Petrum, Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ. Nam quòd Caluinus dicit etiam comites principis Synagogæ introductos fuisse puerilis est error hominis Grammaticam non intelligentis. Putauit enim homo suo iudicio valde acutus apud Marcum c.5.40. cum dicitur Christus assumpsisse patrem, & matrem puellæ. ἐκείνους τοὺς μετ' αὐτοῦ, *& eos, qui cum ipso erant*, relatiuum ἐκείνους ad patrem referri, cùm vt constat ex ver.37. ad Christum referatur. Quòd si Caluinus veterem interpretem contemnit, secutus fuisset, non errasset; quia non vertit, qui cum eo, aut cum ipso erant; sed *qui secum erant*.

Caluini puerilis error in harmon.

24. *Non est mortua puella, sed dormit.)* Augustinus lib. 2. de consens. Euangel. c.28. non puellam, sed mulierem legit, aut errore memoriæ, aut quòd magis credo, ex antiqua versione. Quæritur ab omnibus, quo sensu dicat Christus non esse mortuam puellam, sed dormire. Plerique putant scripturarum more loqui, quæ mortuos dormientes vocare solet, quia omnia Deo viuunt, vt Hieron. Chrysost. Theopyl. hoc loco respondent. At Christus non solùm dormire dicit, sed mortuam esse negat: scriptura autem etsi mortuos, quia resurrecturi aliquando sunt, dormientes appellat, mortuos tamen non negat esse. & vt vers.23. diximus, manifestum est Christum turbam fallere voluisse, persuaderéque non esse mortuam. Nec, vt alij existimant, ideo dormire, non mortuam esse dicit, vt significet paullò pòst esse à se suscitandam, sicut de Lazaro dixit Ioan.11.11.12. *Lazarus amicus noster dormit.* Nam Lazarum non negauit esse mortuum, sed potius significauit, cum dormire dixit; quod cùm discipuli nondum intelligerent, apertè dixit, *Lazarus amicus noster mortuus est*. vet.14. Hîc autem & dicit & credi vult puellam non esse mortuam, & non intelligentibus, sed potius deridentibus non explicat, quo modo dormiat. Voluit ergo significare verè non esse mortuam, sed dormire, vt quemadmodum vers. præcedenti diximus turba expergefactam, non suscitatam putaret, & miraculum non diuulgaret, quod pro miraculo non haberet. Dicit autem non esse verè mortuam, non quòd verè mortua non esset, sed quòd non esset mortua eo modo, quo turba putabat, ita vt ad vitam reuocari non posset. Nam si turba sciuisset paullò pòst surrecturam, vt verè surrexit, non mortuam fuisse, sed dormisse existimasset. Loquitur ergo Christus ex eorum opinione non, quam habebant (credebant enim verè fuisse mortuam) sed quam eos habituros fuisse sciebat, si cognouissent paullò pòst fuisse surrecturam.

Caluinus puerilis error in harmon.

Cur Christus miracula sua vulgari noluit.

25. *Tenuit manum eius.)* Solo verbo suscitare potuit, sed ideo manum tenuit, quia à patre rogatus fuerat, vt manum illi imponeret vers. 18. & vt ostenderet se non aliter mortuam, quàm dormientem, vt paullò antè dixerat, prehensa manu suscitare. Solemus enim eorum, quos dormientes, aut ægrotantes excitare, & leuare volumus, manum apprehendere. Sicut idem Christus socrū Petri decumbentē apprehensa erexit manu c.8.15. Alias causas, cur Christus solitus sit ægrotos, aut mortuos manu tangere c.8.3.15. exposuimus.

Et dixit.) Imperat animæ, vt redeat, quia ipse habet clauem mortis, & inferni Apocal.1.18. ipse *mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit* 1. Reg.2.6. Lucas ver.54. dicit clamasse; quod etiam in Lazari suscitatione Ioann.11.43. fecisse legimus, non quòd voce illi aut magna, aut parua opus esset, sed vt more hominum loqueretur: qui eos, qui longè distant, clamando vocant, quasi volens significare non solùm mortuam fuisse puellam, sed procul etiam eius animam abfuisse. Vbi? nescimus, sed tamen, si quid sciri potest, commodius apud Lucam c.16.22. inuestigabimus, vbi locus ipse & disputandi occasionem, & inueniendi argumenta suppeditabit. Scribunt Marcus, & Lucas Christum patri, & matri puellæ grauiter præcepisse, ne quis id sciret. Quod cur fecerit, ignoramus; scimus tamen Christum non sine summa ratione & consilio fecisse; &, quantum ego assequi coniectura possum, ad vitandā Phariseorum & Scribarum fecit inuidiam, qui si minora miracula ferre non poterant, quid facturi erant, si mortuos suscitatos audiissent? Animaduertimus enim de solis mortuis suscitatis, & curatis cæcis Christum, ne id sciret, vetuisse infra ver.30. quia cæteri morbi curabiles videri poterant; vitam, & visum nemo ignorabat non posse vlla arte semel amissum reuocari. Nam leproso, quem mandauerat c.8.4. non absolutè dixit, ne cui id diceret, sed, ne antequam se sacerdotibus ostendisset. At sciebat vtique Christus miraculum, quamuis ipse præciperet, non esse celandum, sciebat futurum, quod Euangelista factum narrat ver.26. &

Universidad de Deusto
Biblioteca

*exiit fama hæc in vniuersam terram;*cur ergo præcipiebat? Vt faceret,quod in se erat. Sciebat Iudam futurum proditorem, cur elegit? sciebat homines mandata sua non facturos,cur dedit? sciebat peccaturum Adamum,cur fecit?sexcenta sunt eiusmodi.At si non expediebat, vt miraculum tunc diuulgaretur, & tamen diuulgandum sciebat,cur fecit? Quia non debuit Pharisæorum inuidia credenti principi fraudi esse,quò minus eius filia suscitaretur.

26.*Exiit fama hæc.*) Ad probationem miraculi hoc dicit Euangelista,ne quis à se fictum putet:testis enim tota fuit regio. Hoc enim significat ὅλη γῆ ἐκείνη omnis terra illa,id est tota illa prouincia. Eodem consilio Marcus c 5.42.dixit facto miraculo omnes obstupuisse,& vterque Euāgelista Marcus & Lucas dixisse Christum,*date illi manducare*,vt edendo ostenderet se non esse phantasma, sed verè suscitatam. Quemadmodum Christus ipse,vt se suscitatum doceret,post resurrectionem cum discipulis edit, & bibit Lucæ. 24.41.43.Ioann.21.5.Act.10.41.scio non esse necessarium argumentum,est tamen probabile,vt apud Lucam disputabimus.

28.*Cum autem venisset domum.*)Cur non in via curauit?Respondet Chrysost.Euthymius,& Theophyl. vt secretius domi curaret,docerétque se gloriam non quærere. Alij, quod probabilius videtur esse, vt eorum fidem experiretur. Est etiam vero simile Christum initio cognouisse eorum fidem non satis esse perfectam,voluisséque,vt tempore patientiáque matureſceret. Nec mirum. Cœci enim erant,& miracula,quæ Christus faciebat,audire tantùm poterant,non videre. Hæc autem vera fides est,vt Gregorius,& Augustinus ait,*Credere, quod non vides. Beati*, enim, *qui non viderunt & crediderunt.* Ioan.20.29. Qui verè fideles esse volunt,cœcos esse oportet,ante quàm credant; credentes videbunt. *Fidei simplicitæ.*

30. *Aperti sunt oculi eorum.*) Id est viderunt,nam & ante aperti erant,sed clausi esse dicebantur,si spectes effectum, quia non magis videbant, quàm si fuissent omnino clausi.Ita Hebræi loqui solent Isai.35.5. *Tunc aperientur oculi cœcorum,& aures surdorum patebunt,&* 42.6.7.*Dedi te in fœdus populi,in lucem gentium,vt aperires oculos cæcorũ*, Ita infra c.20.33.& Luc.24.31.Ioan. 9.10.14.21.26.30.32.& 10.21.Aliquando dicuntur aperiri oculi,qui ante non modò non clausi,sed ne cæci quidem erant,quia non videbãt,quod vident postea, sicut primis parentibus dicuntur sumpto cibo illo vetito aperti fuisse oculi,quia nuditatem suam quam ante non cognoscebant:cognoscere cœperunt Gen.3. 7. Eodem sensu aures dicuntur aperiri Mar.7.35.

Et comminatus est.)Malè mihi videtur Euthymius hoc factum interpretari, & secus omninò, quàm Christi mansuetudinem deceat. *Interminatus*, inquit, *est,austerè videlicet intuens,contractis supercilijs,commoto capite*,quos ego gestus alienissimos à Christi moribus fuisse credo. Nam etsi verbum ἐπιτιμήσατο quo Græcè Euangelista vsus est,interminationem cum increpatione, & vocis auctoritate, & veluti fremitu coniunctam significat; tamen Christo non est ex hoc verbo,nisi quantùm decet,tribuendum,eum serio & grauiter cæcis præcepisse,ne cui quid dicerent. Cur autem præceperit,veram nos causam paullò antè exposuimus ver.25.Aliam hoc loco Hieronymus & Beda.& Greg.lib.19.moral.c.14. rationem afferunt modestia & humilitate id Christum fecisse.Hilarius verò, quòd Christi miracula prædicare Apostolorum esset officium,quod alij non debebant vsurpare.

31.*Illi autem exeuntes diffamauerunt.*)Famam Christi, & facti miraculi diuulgauerunt,propria verbi significatione,& verbi Græci significatione ex æquo respondente, διεφήμισαν, quamquam Latinos auctores parùm vsitata,apud quos non memini legere, nisi in malam partem,idque perrarò;fortasse,si plures haberemus auctores,etiam in bonam apud aliquem legeremus.Nostrum interpretem constat in bonã partem posuisse. Quæritur à nonnullis,num cæci isti peccauerint,qui contra Christi,vt videtur,præceptum,miraculum diuulgarunt. Valde eos hæreticus interpres reprehendit,quòd verbis Christi,quibus ipse credere non solet,non obedierint. Omnes tamen veteres auctores meritò videntur excusare, quòd non tam,vt non obedirent,quàm vt grati essent,id fecerint.Chrysost.hom.33. Hieron. Beda.Theophylactus. Est etiam vero simile credidisse eos Christum non seriò, sed modestiæ suæ causa,ne id dicerent,vetuisse. Nec mirum, cum tam multi postea tam docti viri Hieron. Gregorius,& Beda idem existimauerint.

32.*Ecce obtulerunt.*)Verbũ sine suppositio Hebræorum more,quia ex ipso verbo solent desumere,*obtulerunt*,sub.offerentes. Primùm hoc loco dubitari potest,num hæc eadem sit historia;quæ à Luca narratur c.11.14. Nonnulli, quia apud Luc. alio loco positam vident, diuersam putant. Sed multò est probabilius eandem,& vnam esse,quia vtrobique dæmonium mutum erat.vtrobique eiecto dæmonio turbæ dicuntur admiratæ;vtrobique Pharisæi dixerunt,*in principe dæmoniorum eiicit, dæmonia*; quæ omnia vix in diuersa miracula conuenire potuerunt.Sed Lucas nimirum ordinem rei gestæ non seruauit.Nam hoc miraculum statim post curatos duos cæcos accidisse apertè Matthæus dicit; Lucas verò non dicit,sed non negat.

Mutum. κωφὸν quod nomen,vt hoc loco Hieronymus admonuit magis surdum,quàm mutum significare solet,vt Mar 7.32.sed aliquando etiam mutum,vt hoc loco:sequitur enim,*& locutus est mutus*,& c.12.22. & Luc.11.14 Quod quidam etiam ex iis,qui nostram versionem ex Græca corrigere voluerunt, adnotarunt,mutum posse vel cum dæmonio, vel cum homine coniungi, ridiculum est,nec enim Græcè vlla est ambiguitas ἄνθρωπον κωφὸν δαιμονιζόμενον. Quanquam apud Lucam c.11.14.dæmonium ipsum mutum appellatur.καὶ ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον,καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν,*& erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Quod Theologis occasionem præbuit disputandi,& qui dæmones muti essent.Nam alios mutos,vt eo loco,alios μογιλάλους semimutos vocatos legimus Mar.7.32. sicut & lunaticos infra c.17.15.& nos ipsi anno 1578.Auarici Biturigum mutam puellam vidimus dæmonium habentem,quæ inuocationis nominis B. Mariæ Virginis eiecto dæmonio locuta est. Quæstio autem est, quo sensu quidam dæmones muti vocentur, & an omnes muti vocentur,& an omnes.cum volunt,muti sint. Quidam mutos dici volunt, quòd natura sua eiusmodi sint. Alij,quòd in mutis hominibus habitent. Alij quod probabilius videtur, quòd homines mutos efficiant.Credo tamen ego non omnes dæmones mutos aliquando esse; sed quemadmodum alij libidine,alij auaritia,alij aliis modis homines vexandi delectantur; ita esse quosdam, qui ament homines quos obsident,mutos reddere,alios,qui,vt ait Hieronymus,lunæ mutationes obseruent, vt homines vexent,& Dei creaturam infament. Colligo hoc ex c. 17.20.& Mar.9.28. *hoc genus*,inquit Christus,*dæmoniorum non eiicitur,nisi in oratione,& ieiunio*quasi ipsorum naturæ hoc attribuens.

34. *Et eiecto dæmonio.*)Non exigit à dæmoniaco fidẽ vt à cæcis,quia mutus erat,& quia muti surdi esse solent,etiam surdus,vt nec audire,nec respondere posset,Chrysost.Euthym.Theophyl.

14.*Pharisæi autem.*)Turbis credentibus,& admi-

rantibus

rantibus Pharisæos non credentes,sed etiam murmurantes,& blasphemantes opponit, Chrysost. hom 33.

In principe dæmoniorum.)Tanquam vnus ex ipsis dæmonibus; tanquam diaboli ministeri, diabolica virtute. Luc.c.11.15. *in Beelzebub principe dæmoniorum*, sic enim ex famoso idolo,vt illic exponemus,appellabant.Summa,vt notat Chrysostomus,cæcitas; solet enim inuidia sic homines obcæcare, vt quid dicant, non videant. Quomodo enim poterat Satanas Satanam eiicere,vt illos Christus coarguit c.12.26.Mar.3. 22.Luc.11.18.

37.*Messis quidem multa.*) Hoc est in multis antiquis libris,etiam apud Strabum. Hugonem,Lyranum decimi capitis initium. Et quidem non absurdè. hinc enim eius sententia dependet. Redditur enim, hoc loco caussa missionis Apostolorum, de qua agitur c. 10.1.nam propterea missi sunt,quia messis erat multa, operarij autem pauci.Messem vocat auditorum multitudinem verbum Dei auentium audire. Exierat enim, qui seminat,id est Christus ipse seminare semẽ suum; creuerat feciliter semen, & seges matura iam erat ad messem,propterea non iam semen,non segetem,sed messem vocat Luc.10.2.Ioan 4.35.38. Chrysostomus, Euthymius.

38.*Dominum messis.*)Chrysostomus,& Euthymius dominum messis Christum ipsum intelligunt. Et est ille quidem verè Dominus,sed probabilius tamen est patrem suum dominum messis appellare, sicut alio loco dicit *pater meus agricola est*,Ioan 15.1.Vineæ quoque dominum non se,sed patrem facit, infra c. 21.33. 38.Mar.12.1.Luc.20.9.se filiumfamilias esse significat, qui pro patre & sementem facit, & metit; quémque pater, cum multos misisset seruos, vt à vinitoribus fructus acciperent, aliumque contumeliis affectum dimisissent,alium lapidassent; ad extremum misit dicens, *verebuntur fortè filium meum.*

CAPVT X.

1. ET conuocatis duodecim discipulis suis,dedit illis potestatem spirituum immũdorum,vt eijcerent eos,& curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. 2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus: Simon,qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, 3. Iacobus Zebedæi,& Ioannes frater eius,Philippus,& Bartholomæus,Thomas,& Matthæus publicanus,Iacobus Alphæi,& Thaddæus, 4. Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. 5. Hos duodecim misit Iesus: præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis,& in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: 6. Sed potius ite ad oues,quæ perierunt domus Israël. 7. Euntes autem prædicate,dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate,leprosos mundate,dæmones eijcite: gratis accepistis,gratis date. 9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: 10. Non peram in via, neque duas tunicas,neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo. 11. In quamcumque autem ciuitatem,aut castellum intraueritis,interrogate,quis in ea dignus sit: & ibi manete,donec exeatis. 12. Intrantes autem in domum,salutate eam,dicentes: Pax huic domui. 13. Et si quidem fuerit domus illa digna,veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna,pax vestra reuertetur ad vos. 14. Et quicumque non receperit vos,neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo,vel ciuitate,excutite puluerem de pedibus vestris. 15. Amen dico vobis:Tolerabilius erit terræ Sodomorũ & Gomorrhæorum in die iudicij,quàm illi ciuitati. 16. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes,& simplices sicut columbæ. 17. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs,& in synagogis suis flagellabũt vos: 18. & ad præsides,& ad reges ducemini propter me in testimonium illis,& gentibus. 19. Cum autem tradent vos,nolite cogitare quomodo,aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora,quid loquamini. 20. Non enim vos estis qui loquimini,sed Spiritus Patris vestri,qui loquitur in vobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem,& pater filium:& insurgent filij in parentes,& morte eos afficient: 22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseueraverit vsque in finem,hic saluus erit. 23. Cum autem persequentur vos in ciuitate ista,fugite in aliam. Amen dico vobis,non consummabitis ciuitates Israël,donec veniat filius hominis. 24. Non est discipulus super magistrum,nec seruus super dominum suum. 25. Sufficit discipulo,vt sit sicut magister eius: & seruo,sicut dominus eius. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt:quanto magis domesticos eius? 26. Ne ergo timueritis eos: Nihil enim est opertum,quod non reuelabitur: & occultum, quod non scietur. 27. Quod dico vobis in tenebris,dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. 28. Et nolite timere eos,qui occidunt corpus,animam autem non possunt occidere: sed potius timete eũ,qui potest & animã,& corpus perdere in gehennam. 29. Nonne

Mar.3.b. 13. Luc. 6.b. 13.& 9.a. 1.& 10.a. 1.

Mar.6.a. 3. Luc. 9.a. 3.& 10.a. 4.Act. 13. 5.46.

Luc 10.a. 3. Luc.12.b. 11.

Luc. 6.f. 40. Ioan.13.b 16.& 15. c.20. Mar.4.c. 22. Luc. 8.c. 17.& 12. a.2. Act.27.f. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Reg.14 c.11. Mar.8.d 38. Luc. 9.c. 26 & 12. b.8. 2.Tim. 2. b.18. Luc.12.f. 31. Mic. 7.b. 6. Luc.14.f. 26. Mar.8.d. 34. Inf. 16.d. 24. Luc. 9.c. 24 & 14. f. 26. & 16 g.23. Ioan. 12. d.25. Luc.10.c. 16. Ioan 13.c 20. Mar 9.f. 41.

duo passeres asse vaneunt: & vnus ex illis nō cadet super terram sine patre vestro? 30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. 31. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. 32. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: 33. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. 34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. 35. Veni enim separare hominem aduersus patrē suum, & filiam aduersus matrem & suam, & nurum aduersus socrum suam: 36. Et inimici hominis domestici eius. 37. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. 38. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. 39. Qui inuenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. 40. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. 41 Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. 42. Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

IN CAPVT X.

1. *Et conuocatis duodecim discipulis suis.*) A Ante hoc tempus, discipuli, non Apostoli vocabātur. Qui, etsi multo plures Christus habebat, discipuli tamen absolutè & duodecim dici solebant, quia & magis erant Christo familiares, & ad Apostolorum officium fuerant designati. Nunc eos Apostolos, id est missos mittēdo facit, quasi ex discipulis magistros. Misit & alios Septuaginta duos Luc.10.1. sed hos solos duodecim, quia generaliter postea in mundum vniuersum missi sunt c.28.19. & Mar.16.15. Apostolos dicitur appellasse. Quamquam veteres auctores vim secuti nominis, etiam Septuaginta duos aliquādo Apostolos vocant, vt Iren.lib.2.c.37. & Tert.lib.4.aduersus Marcionem. Dixerat c.9.37. *messis quidem multa, operarij autem pauci*, propterea mittit nūc operarios in messem sua prædicatione paratam, & veluti maturam Ioan.4.35. commouerat enim prædicatione, & miraculis omnium hominum animos, vt leui momento trahi possent. Hoc est, quod dicit Ioan.4.38. *Ego misi vos metere, quod non laborastis; alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Quòd autem non plures, non pauciores, quàm duodecim miserit, certum est non casu, sed consilio, & mysterio fecisse, & Act.1.16. quasi necessarium esset duodecim Apostolorum numerum esse complerum, in locum Iudæ proditoris Matthias electus est; & Apoc.4.4. vbi manifestum est per viginti quattuor seniores, duodecim Patriarchas, & duodecim Apostolos intelligi. Hac ergo de causa C duodecim Christus Apostolos esse voluit, vt duodecim Patriarcharum figuram impleret; & quemadmodum ex duodecim Patriarchis totus Iudaicus populus carnaliter propagatus est; ita totus populus Christianorum spiritualiter ex duodecim Apostolis propagaretur; venerat enim Christus, vt carnem in spiritum commutaret. Nam Apostolos patres fuisse eorum, qui per eos crediderunt, declarat illud Pauli 1. ad Cor.4.15. *nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*, & ad Philem.10. *quem genui in vinculis.* Hoc numeri mysterium omnes veteres auctores agnouerūt, Iren.lib.4.c.38. hinc etiam aduersus Marcionistas, & Valentinianos probat non alium noui, atque veteris testamenti auctorem fuisse, quando vtrumque duodecastyllo, id est duodecim columnarum numero fundatum sit. Alias huius numeri figuras multi auctores recensuerunt. Iustinus in lib. de verit. Christiana, Tertull. libr. aduersus Marcionem 4. Hieron. in commentariis ad hunc locum, multisque aliis locis. Theodoritus in qq. in c.1. Iosue, Theophyl. hoc loco. Qui omnes volet collectas videre, Rabanum apud D. Thomam in catena legat. Ego Tertulliani tantùm verba ponam. *Cur*, inquit, *duodecim Apostolos elegit, & non aliquemlibet numerum? Nè & ex hoc meum Christum interpretari possem non tantum vocibus prophetarum, sed argumentis rerum prædicatum. Huius enim numeri figuras apud creatorem deprehendo, duodecim fontes in Elim, & duodecim lapides ab Iesu in Iordane electos, & in arca testamenti conditos. Totidem enim Apostoli portendebantur, proinde vt fontes, & omnes rigaturi aridum reiro, & desertum à notitia orbem nationum.* Aliæ quoque huius numeri rationes ab aliis afferuntur, vt quòd hic numerus perfectus sit, quo vniuersus mundus in quem B Apostoli mittebantur, significabatur. Ex tribus enim constare quaternionibus, quia in nomine Trinitatis per vniuersum mundum quattuor in partes diuisum Euangelium erat ab Apostolis prædicandum, Augustin. Psal.59. & 103. Alij eleganter sanè & subtiliter duodecim Apostolos duodecim anni mensibus; quattuor verò Euangelistas quattuor anni temporibus compararunt, vt Hieronym. in c.1. Ezechiel. & Sedulius,

Quattuor hi proceres vna te voce canentes,
Tempora ceu totidem latum spargunturin orbem.
Sic & Apostolici semper duodenus honoris
Fulget apex, numero menses imitatus, & horas,
Omnibus vt rebus semper tibi militet annus.

Idem Hieron. hoc loco, & August. lib.1. de actis cum Felice Manichæo c.4. ideo certo numero & insigni Christum Apostolos dicunt elegisse, ne quisquam per fraudem in Apostolorū numerum irreperet. At nihil omninò est, quo hæretici non abutantur. Hinc etiam Valentiniani suorum æonum figmenta probabant, vt lib.1.c.1. & 15. scribit Irenæus.

Et dedit eis potestatē spirituū immundorum.) Eiiciendi spiritus immundos, vt statim declarat, vt eiicerēt eos, in nonnullis Græcis exemplaribus est, ἐξ' ὧν ἐνεργοῦσιν ἀκαθάρτων contra spiritus immundos, quod suspicor ad aliquo primùm Græco explanationis causa ad marginem appositum in contextum subiisse. Nam D noster certè interpres ita non legit. Immundos autem vocat, non quòd ipsi per se immundi sint; sed quòd rebus immundis delectentur, ad easque potissimùm homines incitent, vt infra c.12.43. & Mar.1.23.26.27. & 3.11.30. & 5.2.8.13. & 6.7. & 7.25. & 9.25. & ferè vbique ita

Cur Christus Apostolos duodecim numero elegit.

ita vocantur. Instruxerat Christus Apostolos suos doctrina c.5. & 6. & 7. instruit nunc, cum mittendi sunt, potestate. Erat autem hæc in illis potestas in primis necessaria: quo enim modo homines doctrinæ rudes res tantas, tamque incredibiles sine miraculis persuadere potuissent? Et conueniebat, vt quemadmodum Moses primus veteris legis doctor larga faciendi miracula potestate donatus fuerat; ita Apostoli Euangelicæ, id est melioris legis doctores, eadem, aut potius maiore donarentur.

2. *Duodecim autem discipulorum nomina sunt.*) Eo consilio Euangelista Apostolorum ponit nomina, ne quis se pro Apostolo nobis venditet, vt Hieronymus & Augustinus libr.1. de actis cum Felice Manichæo c.4. & Euthymius adnotarunt. Præterquàm quòd non decebat eorum nomina, per quos geniti essent, Christianos ignorare.

Primatus Petri contra hæreticos.

Primus Petrus,) Valde vellent hæretici nunquam Euangelista primo loco Petrum posuisset, aut primum certè non appellasset. Et verò Theodorus non ille Atheus, sed iste hæreticus ab aliquo, qui Rom. Pontif. auctoritatem asserere voluerit, additum suspicatur. Scilicet hoc est, *in principe dæmoniorum eiecit dæmonia.* Quasi Græci qui maximè semper Romano Pontifici potestatem inuiderunt, Euangelium corruperint, vt eam auctoritatem, quam minuere cupiebant, magis augerent. Melius dixisset, quod omnes alij Caluiniani dicunt, Euangelistam in recitandis Apostolorū nominibus dignitatis rationem non habuisse, sed Petrum primum vocasse, quia primus occurrit. Id enim non solum Chrysost. hom.34. sed multorum etiam nostri tēporis Catholicorum interpretū testimonio probare potuisset, qui propterea docēt non ex cuiusque dignitate Apostolos nominatos, quòd in iis connumerādis non eundem omnes Euangelistæ ordinē obseruauerint. Argumentum, vt illis videtur, indissolubile. Mihi verò non indissolubile; sed infirmum videri solet, doleóque quosdam Catholicos tam leuibus hæreticorū argumentis superari. Ego à Rom. Pont. nihil vnquam habui, nihil me habiturū spero, nihil habere volo; sed tamen etiam atque etiam asseuero Euangelistam in recensendis Apostolorū nominibus dignitatis ordinē tenere voluisse. Primum quid est, quòd omnes Euangelistæ, Matthæus hoc loco, Marc.c.3.16. Luc.c.6.14. Petr.1. loco ponunt, quia primo, inquiunt, loco vocatus est. At cur nemo prius Andream fratrem eius nominat, qui eum ad Christum adduxerat, & prior Christum secutus est? Ioan.1.40.41. Cur omnes Iudam proditorem vltimum numerant, nisi quia omnium indignissimus erat? Cur ergo in vltimo dicamus ordinem seruauisse, quem tamen vltimum non appellant, in Petro autem non dicamus, quem & primum numerant, & primum appellant? Deinde cur quemadmodum Petrum primum, non etiam reliquos secundum, tertium, quartum, & deinceps appellarunt, nisi quia Petrum non ideo primum vocarunt, quòd primo loco numerandus occurreret, sed quòd dignitate, & auctoritate primus esset; & quòd hoc nomen non numerum, sed primatum significaret? Si enim numerale nomen esset, cætera quoque numeralia nomina quæ post illud sequuntur posita essent. Cur etiam in cæteris Apostolis numerandis eundem omnes Euangelistæ ordinem tenent, paucis modo exceptis, quæ vt statim dicturi sumus, necessariò variarunt, ex quibus tamen ipsis maximum capitur argumentum Euangelistas, quoad eius fieri potuit, dignitatis ordinem seruare voluisse. Primum ergo isti interpretes obiiciunt, quòd, cùm Matthæus & Lucas post Petrum Andream ponant, Marcus Iacobum & Ioannem ante Andream numerauerit. Respondeo id feciſſe Marcum necessariò, quia simul dicere volebat, quibus Christus nomina mutauisset. *Et imposuit*, inquit, *Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui, & Andream.* Itaque Iacobum & Ioannem inter Petrum & Andream per parenthesim posuit, Andream verò cum Petro finita parenthesi copulauit, indicans, quamuis quarto loco esset, secundum tamen ad eum locum pertinere. Atque ita rem esse ex eo manifestum est, quòd cùm & Marcus, & cæteri Euangelistæ omnes Apostolos, vt missi fuerant, binos nominauerint, nisi Andreas cum Petro coniungatur, vterque socio carebit. Secundo loco obiiciunt, quòd Matthæus Philippum & Bartholomæum Iacobo & Ioanni præponat; alij postponant. Respondeo etiam apud Mattheum non solùm in omnibus Græcis codicibus, sed etiam in omnibus antiquis & emendatis Latinis esse postpositos, vt apud Hieronymum & Bedam, scribentiū autem negligentia, aut fortasse hæreticorum malitia factum esse, vt in quibusdā libris Hugonis, & Lyrani præpositi fuerint. Certè probabilius suspicari possumus hoc ab hæreticis, qui semper Pont. Rom. iniqui fuerunt, factū esse; quàm Theodorus à Catholicis epithetum *primus* Petro additum suspicatur. Et malignè Theodorus fecit, quòd cùm ignorare non posset & Hieronymum, & omnes alios Latinos codices aliter legere, vitiosum exemplar versioni suæ apposuerit, vt suum inde errorem confirmaret. Tertiò obiiciunt, quòd alij Euangelistæ Matthæum Thomæ præponāt, ipse verò Matthæus se illi postponat. Atqui hoc ego argumento maximè cōfirmo Euangelistas dignitatis vniuscuiusque rationem habuisse. Cur enim se Matthæus postposuit, alij ante posuerunt; nisi quia Matthæus modestiæ causa noluit se Thomæ præponere? quòd si non ex dignitate numerabantur, neque quicquam intererat, quo quisque loco nominaretur, nec modestia in Matthæo fuit se Thomæ postponere, nec immodestia videri poterat, si se illi præposuisset. At Paulus, inquiunt, ad Gal.2.9. Iac. Petro antetulit. Respondeo D. Paulum non dignitatis, sed ætatis rationē habuisse, qua Iacobus Petrum antecedebat. Præterquàm quòd in ea epist. id D. Paulus agebat, vt se cæteris Apostolis æqualem probaret, nec erat oportunum, vt de cuiusquam prærogatiua loqueretur. Quam ob rem non dixit, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui columnæ erant, cum id verè dicere potuisset; videmus enim Christum eos tres Apostolos cæteris semper prætulisse, sed dixit, *qui videbantur columnæ esse.*

Qui dicitur Petrus.) Simon cognomento Petrus; id enim Christus illi cognomen dederat c.16.18. & Ioan. 1.42. de quo illic disseremus. Hoc autem loco ideo additū est, vt à Simone Cananæo distinguatur ver.4.

Iacobus Zebedæi.) Intelligitur filius Hebraica phrasi, sicut & Hispanica Ioannes Martini, id est Ioannes filius Martini. Zebedæi autem filius dictus est, vt ab altero illo Iacobo distingueretur, qui Alphæi filius erat ver.3. Hic dictus est Iacobus maior propter ætatem, occisúsque est ab Herode Act.12.2. E

Iacobus maior.

3. *Iacobus Alphæi.*) Filius, vt in superiore versu. Hic dictus est minor, quia iunior erat. Mar.15.40. & frater Domini ad Galat.1.19. quòd filius esset Mariæ sororis Mariæ matris Domini, vt Hieronymus in eius vita sentit, & iustus propter singularem sanctitatē auctor epistolæ Catholicæ, Iacobi 1.1. primus Hierosolymorum Episcopus Hieron. de script. Eccles.

Iacobus minor.

Thomas.) Ille qui Christum resurrexisse non credebat, quique dictus est Didymus Ioan.20.27.

Et Thadæus.) Hic, vt ait Hieron. trinominus fuit. Nam & Thadæus, vt hoc loco, vocatus est, & Iudas Iacobi

Universidad de Deusto
Biblioteca

frater, Iud. 1. & Lebbæus, id est corculum, vel. vt alij volunt, leunculus. Sunt enim qui tradant morem Iudæorum fuisse, vt quicunque quattuor litteras nominis Dei יהוה in suo haberent nomine, alio nomine vocarentur יהודה Iudas. Eos autem, quibus Iudas nomen esset. Leones appellatos, quòd Iudas ille primus Patriarcha dictus sit Leo. Gen. 49. 9. *Catulus Leonis Iuda, & sicut Leo accubuisti.* Probent auctores.

Simõ, cur Cananæus dictus.

4. *Simon Cananæus.*) quia ex Cana Galilææ erat, vt Hieron. ait, quanquam quibusdam videtur Canæum potius vocandum fuisse; non enim Canan, sed Cana Galilææ oppidum appellabatur; Canæum autem non ab oppido, sed à zelo, id est Zelotē dictum fuisse, sicut apud Luc. c. 6. 15. & Act. 1. 13. appellatur καρ. Cana enim Hebraicè zelum significat. Itaque Græcè pro καναίτης legendum esse ζηλωτὴς. Contra est, quòd, si nomen zeli, & non oppidi esset, non haberet Græcè gentilitij nominum formam. Itaque potius credo propterea quòd ex oppido Cana, aut Canan esset; aut Canæũ; aut Cananæum dictum esse, &, quia idem rursus zelo feruebat, facta ad significationem nominis oppidi allusione Zelotem appellatum. Quemadmodum si quis Simon Valentiæ natus, vir fortis esset, & Valentinus gentili forma, & valens à fortitudine, sed per allusionem ad nomen vrbis suæ vocaretur.

Iudas Iscariotes, cur Iscariotes dictus.

Iudas Iscariotes.) Iscariotem plerique auctorem secuti Hieronymum à tribu sua Issachar, quasi Issachariotem dictum putant. Quibus illud repugnat, quòd non Ischariotem; sed Isacharitem vocari oportebat. Alij quasi איש קריות virũ Carioth, id est ex vrbe Carioth dictum volunt. Carioth enim vrbs erat in tribu Iudæ Iosue 15. 25. Quod mihi non displicet.

Cur Christus noluerit Apostolos Gẽtiles docere & Samaritanos.

5. *In viam gentium ne abieritis.*) Ad gentes. Hebraica phrasis דרך הגוים, vt Ier. 2. 18. *Quid tibi vis in viis Aegypti?* id est, quorsum tam frequenter is in Ægyptum? Vulgaris apud omnes quæstio est, cur Christus ad gentes Apostolos non ire iusserit, cum post iusserit c. 28. 19. & Mar. 16. 15. Vulgaris etiam & vera responsio, quia Iudæi filij regni erant, supra ca. 8. 12. & illis facta fuerat regni promissio Gen. 17. 1. & Rom. 15. 8. Et non venerat Christus, nisi ad oues, quæ petierant domus Israel, id est, ad eas imprimis c. 15. 24. illis enim oportebat primùm prædicari verbum Dei. Act. 13. 46. Alias quoque alij auctores rationes afferunt, ne vllam Iudæi haberent excusationem, si Christum non recepissent, dicentes eum ad gentiles & hostes suos Apostolos misisse, vt Hieronymus, Augustinus q. 77. ex veteri, & nouo Testamento, Beda. Strabus. & Theophylactus. Alij, vt ostenderet se iniuriarum, quas à Iudæis acceperat, non meminisse, Chrysostomus homil. 33. & Euthym.

Samaritani neq; Iudæi, neque Gentiles.

Et in ciuitates.) Gr. εἰς πόλιν. in ciuitatem, id est in nullam ciuitatem Samaritanorum, quemadmodum Clemens Alex. in 3. Strom. legit. Quanquam meliùs nostrum interpretem εἰς πόλεις *in ciuitates* legisse credo. Distinguit autem Samaritanos & à Iudæis, & à gentiles, quia propriè neque Iudæi, neque Gentiles erant. Decem enim tribus, quæ in Chaldæam abductę fuerant, non redierant; duæ tantùm tribus, Iuda, & Beniamin dicuntur rediisse Esdræ 1. quibus solis reditus promissus fuerat, Ier. 25. 12. Loco autem Samaritanorum, id est decem tribuum, rex Assyriorum misit Chaldæorum colonias, qui terram illam deserta inhabitarent, quos cum Leones deuorarent, iussit mitti ad eos Hebræum sacerdotem; qui eos Hebræorum ritu Deum colere doceret. leonúmque rabies auerteret. Quod cùm esset factum, & idola sua more patrio, & Deum Israel leonum metu colebant 4. Reg. 17. 24. 17. Itaque nec Iudæi erant, neque Gentiles, & tamen Israelitæ videri volebant Ioan 4. 9. propterea vetat Christus Apostolos ad eos ire.

6. Ite potius ad oues.) Oues vocat, quia erat populus Dei peculiaris, & eius veluti grex, quem ipse, & per se, & per reges, & prophetas pascere dicebatur, Psal. 73. 1. *Vt quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?* & Psal. 76. 21. *deduxisti, sicut oues populum tuum in manu Moysi, & Aaron,* & Psal. 77. 52. *& abstulit sicut oues populum suum, & deduxit eos, sicut gregem in deserto,* & ver. 70. & 71. *& sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam,* & Psal. 78. 13. *nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in seculum.* Et Psal. 79. 1. *Qui regis,* רועה, qui pascis *Israel intende, qui deducis velut ouem, Ioseph.*

Quæ perierunt.) Quia *omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt.* Psal. 13. 3. & 52. 4. & Isai. 53. 6. *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit,* & Ezech. 34. 5. *& dispersæ sunt oues meæ, eo, quod non erat pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt.*

7. *Quia appropinquauit.*) Vide quæ diximus c. 3. 2.

8. *Infirmos curate.*) Docet, vt data sibi paullò antè potestate miracula faciendi, liberaliter, & largiter vtantur, sciens homines. vt ait Hieronymus, rusticanos maiorem miraculis fidem, quàm verbis facturos esse, quasi dicat. ne parcatis miraculis, facite quotiescunque ad persuadendum, aut necessarium, aut vtile esse iudicabitis.

Gratis accepistis, gratis date.) Non solùm mihi videtur his verbis iactantiæ occasionem auferre voluisse, vt Chrysost. Euth. & Theoph. putauerunt, & Simoniæ & auaritiæ. vt alij dicunt, vitium præcidere; sed etiam probare quod proximis verbis docuerat; debere eos miraculorum dono largiter vti. Solemus enim quæque gratis accipimus, quæque gratis damus, largiter & copiosè dare.

Nolite possidere aurum.) Assentiri non possum iis, qui istam Christi prohibitionem vniuersam esse nolunt, sed ad istam tantùm primam Apostolorum missionem pertinere, quasi hoc veluti præludio & ipsorum patientiam voluerit experiri; &, vt diuinam ipsi prouidentiam experirentur, non solùm. quia hæreticos malos omninò sequuntur auctores, sed quia interpretatio & institutio Christi, & aliis huius loci circumstantijs. & omnibus antiquis. ac bonis repugnat auctoribus. qui hoc præceptum perpetuum esse putant; nec ad hanc solùm missionem, sed ad omnes, & omninò ad totum Apostolorum officium pertinere. Hilar. Chrysost. hom. 3. Ambr. lib. 9. in Lucam. Hieronymus. Augustinus lib. 2. de consen. Euangelist. c. 30. Primùm, quis non videt Christum propterea nolle Apostolos habere aurum, ne auri & cæterarum ad vitam necessariarum rerum solicitudo Apostolicum officium impediat? non enim bonũ erat *relinquere verbum Dei & ministrare mensis,* Act. 6. 2. quantò minus de victu, vestituque quærendo solicitè cogitare? Atqui hæc ratio nõ minorẽ in secunda missione, quàm in prima; sed aliquantò potiùs maiorem locũ habuit. Nam hæc prima, velitatio tantùm erat quædã, & in solam Iudæam excursio; illa, quasi iustum erat prælium, in quod ad debellandum vniuersum terrarum orbem omnes erant copiæ conferendæ, vbi magis expeditos milites esse oportebat. Quis etiam non videt voluisse Christũ Apostolos in hac prima missione ad illam secundam exercere? Si in ludicra pugna auro vult abstinere, quãto magis in seria? *Cui*, inquit, *misi vos sine sæculo, & pera, nunquid aliquid defuit vobis?* Luc. 22. 36. Idem intelligitur ex antecedentibus, & sequentibus huius loci vers. 8. *gratis accepistis, gratis date*, id est, ne vendatis prætextu victus, vestitusque quærendi; nolo enim vos

aurum,

aurum, nec argentum habere. At illud, quod dixerat, *gratis accepistis gratis date*, non solùm ad primam. sed multò etiam magis ad secundam missionem pertinet. in qua plura, maioráque miracula facienda erant: & vbi inter gentes plus occasionis, & necessitatis, quàm inter Iudæos dona ista vendendi habituri erant. Præterea ratio, quæ redditur ver. 10. cur nec aurum, nec argentum. nec aliud quicquam habere debeant. quia dignus est operarius cibo suo, non minùs ad secundam, quàm ad primam missionem pertinet; ergo & id quod ex ea probatur, vt nec aurum nec argentum habeant. Immo. quod amplius est, id. quod dicit ver. 16. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*, aut solũ, aut potissimum de secunda missione dictum est. Nam in prima non sunt lupos experti; quin gloriantes redierunt, quòd sibi in nomine Christi dæmonia subijcerentur Luc 10. 17. Res est omnibus boni perspicua iudicij; sed nimirum boni isti Apostoli vellent Apostolos, & diuites, & coniuges; & elegantes, ac benè vestitos fuisse, ne monachis, quos ferre non possunt, similes fuisse viderentur. Iisdem argumentis eorum etiam sententia refutatur, qui interpretantur, *non licuit possidere*, id est, præparare in viaticum, quod ex Marco cap. 6. 8. & Luca cap. 9. 3. confirmant, qui dicunt, *& præcepit eis, ne quid tollerent in viam, non aurum, non argentum.* Respondeo per viam totam profectionem, totam peregrinationem, totam missionem intelligi; sicut vers. 5. *per viam gentium*, gentes intelliguntur.

Neque pecuniam.) μηδὲ χαλκὸν: nec æs. id est nec vllam aliam pecuniam; omnis enim pecunia, aut ex auro, aut ex argento, aut ex ære conficiebatur.

In zonis vestris.) in crumenis, quæ in ipsis zonis olim erant.

10. *Non peram.*) Ad ferendum panem, & cæteras escas, citarchium, aut cistartium vocat Hieronymus 1. Reg. 9. 7. sportulam vocabant Romani, de qua Tertullianus mentionem facit. Per peram intelligit res, quæ pera portabantur, per continens contentum.

Quemodo duas tunicas Christum habere prohibuerit.

Nec duas tunicas.) Non prohibet duabus simul, si necessitas. & frigus postulet, tunicis indui, sed plures habere tunicas, quàm in præsentem necessitatem requirantur, vt solent diuites, & homines istarũ rerum soliciti habere vnam in præsentem vsum, alteram in futurum, vt Hieronymus notat, sicut Luc. 3. 11. *qui habet duas tunicas, det non habenti.* Nam & Christum duabus simul tunicis indutum fuisse ex Ioan. 19. 23. manifestum est. Eodemq; modo intelligendum est, quod dicit Marcus c. 6. 9. *ne induerentur duabus tunicis*, id est, ne duas tunicas haberent, quibus diuersis temporibus induerentur.

Calceamenta quemodo Apostolis prohibita.

Neque calceamenta.) Quid ergò? voluitne Apostolos nudis ire pedibus? Sunt qui putent non omne genus calceatus, sed calceos tantum prohibuisse, qui totum pedem tegerent, quiq; propriè ὑποδήματα calcei vocarentur. Nam Mar. c. 6. 9. dicit, *sed calceatos sandaliis*, quasi sandalia, quæ soleæ erant, solámque tegebant plantam, concesserit. calceos prohibuerit. vt videtur Hieronymus hoc loco, & Augustinus lib. 2. de consens. Euangelist. c. 30. interpretari. Idq; videtur ex Luca c. 22. 36. confirmari, *Quando*, inquit, *misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Sed vix ego mihi persuadeo tam subtiliter Christum inter calceos, & sandalia distinguere voluisse. Nam quemadmodum Matthæus dicit Christum prohibuisse, ne virgam ferrent; Marcus autem dicit permisisse; de eadem, vt paullò post dicemus, loquens virga; ita cum dicit concessisse sandalia, vocat ea ipsa, quæ Matthæus ὑποδήματα, calceamenta, & ex Act. c. 12. 8. apparet ὑποδήματα & σανδάλια idem fuisse. Quo ergo modo Matthæus prohibuisse, Marcus concessisse Christus dicit? Facilè & benè noui quidam interpretes respondent. cum dicit hoc loco Matthæus, neque calceamenta, intelligendum esse οὐδὲ ποτὲ δύο duo, sicut dixerat, *neque duas tunicas*, quemadmodum & Iuuencum olim poëtam interpretatum video, *nec plantis tegmina bina.* Itaque idem Matthæus, & Marcus contrarijs in speciem verbis dicunt. Nam Matthæus significat prohibuisse Christum, ne Apostoli duo, aut plura calceorum paria, quasi de futuro soliciti, secum ferrent; & Marcus significat iussisse Christum, vt illa ipsa sandalia, quibus tunc calceati erant, non plura ferrent. Similis de virga quæstio est. Nam Matthæus dicit Christum vetuisse, ne virgam ferrent; Marcus dicit concessisse. Vbi omnes interpretationes eò tendunt, vt non eadem de virga significatione vterque loquatur Euangelista; sed Matthæus quidem de propria; Marcus de Metaphorica, siue pro potestate faciendi miracula, quam & Mosis virga significabat. vt nonnulli volunt. siue accipiendi, quæ ad vitam necessaria essent ab ijs, quibus Euangelium prædicarent. vt putat Augustinus lib. 1. de consen. Euang. cap. 30. & Strabus, siue pro ipsa prædicandi potestate, vt Rupertus existimat. Alij vtramque virgam metaphoricam faciunt; sed apud Matthæum pro potestate puniendi accipi, vt in Psal. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea*, & apud D. Paulũ, *nunquid vultis in virga veniam ad vos?* apud Marcum autem pro virga auxilij & consolationis; vt *virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Ego animo comprehẽdere non possum voluisse Christum inter aurum, argentum, pecuniam, zonas, calceos, peram propriè sumpta solam ponere virgam metaphoricè. quòd si aliqua in alijs metaphora vsus fuisset, tamen concedere non possem virgam metaphoricè posuisse. Perire enim mihi non solum vis, elegantiáque sententiæ, sed sententia ipsa videtur, nisi apud vtrumq; Euangelistam & propriè, & eodem modo virga sumatur. Contrarijs enim verbis eandem vterq; sententiam eleganter expressit. Vterque enim non Christi verba, sed sensum exponens voluit significare Christum Apostolis præcepisse, ne quid haberent, præter ea, quæ essent in præsentem vsum necessaria. Id Matthæus significauit dicens, *ne virgam quidem*; virgam enim pauperrimus quiq; habet. Marcus significauit dicens, *sed virgam tantum.* Nam qui virgam tantùm habet, nihil superfluum habet; sicut dixit Iacob. Gen. 32. 10. *in baculo meo transiui Iordanẽ istum*, id est pauper nihil habens, nisi baculum in manu more mendici, quemadmodum Gallicè in re prorsus simili contrariis verbis eadem sententia significatur iter facere more pauperis. *S'en aller à beau pied sans lance, & s'en aller à pied auec vn baston en la main.*

Lib. 2. histor. Euangel.

Virga quemodo Apostolis prohibita.

1. Cor. 4. 21. Psal. 22. 4.

11. *Interrogate quis in ea dignus sit.*) Hieronymus interpretatur. quis dignus sit hoc à vobis accipere beneficium. vt apud eum hospitium habeatis, quasi ea in re Apostoli darent. non acciperent beneficium. Alij, quis dignus sit, id est magis idoneus, vt illi Euangelium annũtietur. Alij, quis bonis sit moribus, & hospitalis, quæ omnia in eumdem fere redeunt sensum.

Cur Christus prohibet trãsire de domo in domum.

Et ibi manete donec exeatis.) quandiu in ea fueritis ciuitate, id est ne mutetis hospitium, vt Lucas clarius dixit c. 10. 7. *nolite transire de domo in domum.* Cur autẽ id Christus præceperit, vulgaris est quæstio. Tres eius præcepti apud interpretes causas inuenio; primã, ne inconstantes & leues esse viderentur, apud Chrysost. homil. 33. & Bedam. Secundam, ne delicati, qui ijs, quæ apponerentur in primo hospitio non contenti, meliora quærerent. apud eũdem Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus. Tertiam, ne priorem hospitem offenderent, quasi parùm dignum, aut hospi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

talem relinquentes, apud eosdem auctores.

12. *Dicentes pax huic domui.*) Græcè hæc verba nō leguntur, sed legenda esse constat ex versu 13. & *si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super eam; si autem nō fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.* Leguntur etiam apud Lucam cap. 10.5. Leguntur ab Hilario, Chrysost. Theophyl. Hiero. in comment. non in textu, vt ferenda non sit typographorum negligentia, qui, cùm ex cōmentatijs textum corrigere deberent, contrarium cōmentatijs textum appotuerunt, quod multis alijs fecisse locis animaduerti. Euthymius tamen non legit. Est autem Hebræis, vt ait Hieron. vsitata salutatio שלום עליכם pax tecum. Ea aliquando significatur pacificus eius, qui venit, & salutat, aduentu: vt Genes. 43.23. *At ille respondit, pax vobiscum, nolite timere,* & Iud. 6.23. *pax tecū, ne timeas, nō morieris.* Aliquādo his verbis omnia his, quos salutant, bona precantur, vt 1. Paral. 12.18. Vtrumque vero simile est voluisse Christum Apostolos facere, & vt quocunque venirent, pacem se, non bellum afferre significarent; & vt iis, ad quos diuerterent, bona omnia precarentur, vt ex vers. 13. colligitur, *pax vestra reuertetur ad vos.*

Pacis salutatio.

13. *Et si quidem fuerit domus illa digna.*) vt pacē vestram recipiat. Lucas c. 10. 6. *& si ibi fuerit filius pacis,* id est hospes pacis amator, aut pace dignus, vt filius mortis, id est dignus morte.

Veniet pax vestra super eam.) Eueniēt illi omnia bona, quæ illi pacis nomine precati estis.

Si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.) G. ἐπιστρέψατω reuertatur. Quod quidam sic interpretantur quasi iubeat eos oblatam pacem, quantum in ipsis erit, reuocare, & aliò pergere. vt Euthymius. Quod ideo mihi non placet, quòd benignitate Christi dignū non videatur, vt Apostolos iubeat datam pacem resumere, quod tantùdem valet, ac si iterum precarentur, ne ea, quæ hospitibus benè precati fuerant, euenirent. Itaq; melius alij ita interpretantur, vt ex Hebræorum idiomate imperandi modus pro futuro ponatur, quemadmodū constat ex Luca cap. 10.6. qui futuro vsus est, quare noster interpres negligens verba, sensum secutus est. Sensus autem duplex esse potest, vel reuertetur ad vos, id est vobis eueniet, quod illi precati eratis, vt Psal. 34. 13. *Et oratio mea in sinum meum conuertetur,* id est, vtinam mihi eueniat, quod inimicis meis precatus sum: è cōtrario futurum pro imperatiuo, sicut Hispani dicunt, *El mal que le deseo, me venga,* vt Iuuēcus poëta, & apud D. Thom. Remig. exponit, vel quod magis credo, nō significat hac phrasi ea, quæ precati fuerant, ipsis Apostolis euentura; sed illis, quibus precati fuerant, non ventura. Sic enim loquuntur Hebræi, *Verbum meum non reuertetur ad me vacuum.* Isai. 55 11. Itaque reuerti est effectū non habere. At quorsum hoc Christus dixisset? vt significaret Apostolos fecisse.

14. *Excutite pulverem.*) Quare hoc iubet Christus cum species impatientiæ, & indignationis esse videatur? Multæ eius rei causæ ab interpretibus afferuntur. Chrysost. Hieronym. Theophylact. & August. q. 7. in Matthæum propterea iussisse dicunt, vt ostenderent se nihil cum eis habere velle, quādo & pulverem ipsorum illis relinquāt. Idem rursus auctores & Beda in commentarijs, vt ostenderent se frustra pro illis tam longum iter suscepisse; pulvis enim pedum iter significat. Ambros. lib. in Lucam 9. & Euthymius hoc loco, vt declararent etiam eorum pulverem esse impium, ideóque nolle se eum habere. Hilarius indicat id iussos facere Apostolos in signum anathematis. Vera nisi fallor causa est quam idem Hilarius & Origenes hom. in Genes. 18. significarunt, vt ostenderent illum ipsum pulverem, quem ex itinere collegissent,

Cur Apostoli iussi pulverē pedū excutere.

in die iudicij testem contra eos futurum. qui se recipere noluissent. Solebant enim Iudæi aliquid notabile facere, vt testimonium esset rei factæ, siue lapidem erigere, vt Iosue 24.26. siue lapidum aceruum, vt Gen. 31.47. siue altare, vt Iosue 22.20. siue vestem abscindere Matth. 26.65. quemadmodum Romani in pangendis fœderibus suem lapide feriebant; vnde ferire & percutere fœdus dictum est.

15. *Tolerabilius erit.*) Non quòd non maiora forsasse Sodomæi & Gomorræi habuerint peccata, aut quòd de peccato sōlum inhospitalitatis hic agatur, vt Remigius apud D. Thomam, & Lyranus existimant, nec quòd iam incendio partem aliquam pœnæ luissent, vt Anastasius. q. 17. in scriptur. sed quia illis non fuerat Euangelium prædicatum, vt Hilarius. Hieron. Beda. & Theophyl. interpretantur, & ex cap. 11. 23. 24. colligitur. *Si in Sodomis factæ fuissent, virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem, verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit, in die iudicij, quam tibi.* Duo ex hoc loco dogmata colliguntur. Alterum à Hieronymo, æquales non esse omnium damnatorum pœnas; alterum ab Anastasio, aliquos non solum in hac vita, sed etiam in altera puniri. Nam Sodomitæ iam vrbis incendio puniti erant, & tamen Christus adhuc in die Iudicij puniendos significat.

Pœnæ damnatorum.

16. *Ecce ego mitto vos.*) Præmunit ad futura pericula. Qui putant hæc à Christo in hac primæ missione Apostolis dicta non fuisse ex Luca c. 10. 3. refelluntur, vbi eadem Septuaginta discipulis in prima missione dicta referuntur, quemadmodum & Chrysost. adnotauit, & nos supra ver. 9. docuimus hæc etiamsi ad primam missionem non omnia essent necessaria; tamen omnia in illa dicta fuisse, quia Apostoli non ad eam solùm, sed ad omnes futuras docebantur. Cum dicit, *Ecce ego,* & vim verbis, & discipulis animum addit, vt auctor imperfecti hom. 24. Chrysostom. Euthym. & Theophylact. adnotarunt, quasi dicat, *Ecce ego mitto vos,* qui & liberare ex omnibus periculis possum, sicut Absalon dixit seruis suis, cùm præciperet, vt Amnon fratrem suum interficerent, *percutite eum & interficite: nolite timere; ego enim sum, qui præcipio vobis.* 2 Reg. 13. 28. *Ego sum,* id est regis filius, qui vos facile defendam. Videtur Christus ad veterem prophetarū missionem alludere, ego qui illos misi, mitto etiam vos; qui illos cum opus fuit, liberaui, & vos liberabo.

Sicut oues.) Oues mihi videtur appellare, non solùm quia innocentes, & serui Dei erant, vt plerique nutant interpretes; sed multo maximè, quia inermes, quia ab omnibus humanis præsidiis imparati. Alludit enim, vt opinor, ad id, quod ver. 9. præceperat, ne virgam, aut peram secum ferrent, vt Psal. 43. 22. *æstimati sumus sicut oues occisionis,* id est adeo infirmi, & iniuriis expositi sumus, vt quicunque velit, possit nos occidere.

In medio.) In medium ἐν pro εἰς vt Luc. 10. 3. sicut Hebraicè ב pro בְּ in medio, id est inter lupos: qua phrasi significat lupos esse multos, oues paucas. Vnus lupus inter multas oues magnam edit stragem, quid fiet cum lupi multo plures, quàm oues erunt Chrysost. hom. 34. Lupos autem vocat omnes homines, qui Euangelio repugnaturi erant, sicut cùm versu sequenti dicit. *cauete ab hominibus,* non solùm Scribas & Pharisæos, quemadmodum nimis restricta sententia Hieronymus dicit.

Estote ergo prudentes.) Vt caueatis eorum insidias, & fugiatis. vt explicat ver. 23.

Et simplices sicut columbæ.) ἀκέραιοι innocentes, sinceri, ne illis vllam vobis nocendi occasionem præbeatis, vel ne iniurias vlciscamini. vt Chrysost. hom.

34. &

34. & auctor impef. 24. interpretantur. Sic D. Paulus monet 1. Cor. 14. 20. *nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote,* & ad Ephes. 5. 15. 16. *Videte fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt,* & ad Coloss. 4. 5. *in sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes.* Cur serpentum prudentiam, & columbarum simplicitatem requirat, cùm per se perspicuum sit, obscurius fiet, si multa philosophemur. Elegantes allegorias si quis amat, Hilarium, Chrysost. & Hieronym. hoc loco legat.

17. *Cauete autem.*) Δὲ videtur poni pro γάρ, ergo, cauete ergo, vt c. 21. noster vertit interpres.

Ab hominibus.) Explicat, quos paullo ante lupos appellauerit; homo enim homini lupus. Homines autem vocat non omnes, sed mundanos, vt infra cap. 16. 13. *quem dicunt homines esse filium hominis.*

Tradent enim vos in conciliis. Quidam per concilia gentium tribunalia; per Synagogas Iudæorum cœtus intelligunt. Alij vtrumque ad gentes pertinere putant, & Synagogas panegyres, id est populares earum conciones intelligi. Et probabilius existimo, si ad Iudæos vtrumque referatur, qui & Synagogam, id est publicam totius populi concionem habebant, vbi qui flagris digni erant flagellabantur; & συνέδρια, id est concilium, vbi grauiores causæ decernebantur. supra c. 5. 23. Nam de Gentilium tribunalibus vers. sequenti agit, *& ad præsides & ad reges ducemini propter me.* Atque ita Euthymius interpretatur. Exempla sunt Act. 4. 7. & 5. 27. & 6. 12. & 2. Cor. 11. 24.

18. *In testimonium.*) Nonnulli intelligunt, vt illis de me testimonium constanter fortiterque patiendo præbeatis; intelligent enim non esse rem vanam, pro qua vos mori paratos viderint. Vnde qui pro Christo eiusq; religione moriuntur, martyres, id est Christi testes appellantur Act. 22. 20. & Apocal. 17. 6. Alij, vt vobis ea res aduersus illos testimonium sit in die iudicij, quod vos excusset, illos accusset. Quo sensu videtur Lucas scribere c. 21. 13. *Continget autem vobis in testimonium.* Atque ita Hilarius, auctor imperfecti, Beda, & Euthymius videntur exponere.

Illis, & gentibus.) Iudæis, & Gentilibus. De Iudæis enim locutus erat, cum dixit, *Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos;* & de gentibus, cum dixit, *ad præsides & ad reges ducemini,* sub. à Iudæis. Vtrisque ergo vestra patientia testimonium erit, & illis, id est Iudæis, & Gentibus, ad quas illi vos ducent. Hic est verus sensus, quem solus Theophylactus, & Euthymius videntur attigisse.

19. *Nolite cogitare.*) Non docet esse negligentes, atque vecordes; sed nimis timidos, & solicitos esse prohiber. Quod Græcum verbum declarat μεριμνήσητε, vt supra cap. 6. 25. 28. 31. 34. Eodémque modo intelligendum, quod Marcus dicit c. 13. 11. *Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare, quid loquamini, sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini;* & quod Luc. c. 21. 14. *ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis.* Non enim omnem præcedentem meditationem vetat; sed eam, quæ diffidentiam diuinæ prouidentiæ, & opis habeat; quæque nimio metu ac solicitudine liberam Euangelij prædicationem impediat.

Dabitur enim vobis.) Luc. 21. 15. *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non potuerunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Euthyminus.

20. *Non enim vos estis.*) Non tam vos, quàm spiritus patris vestri, quia non vestro, sed illius sensu. consilióque respondebitis, vt supra c. 9. 13. *misericordiam volo, non sacrificium.* id est nō tam sacrificium, quàm misericordiam. Vide, quæ ad illum aspersimus locum.

Vis hæc est sententiæ non est vestra causa, sed mea. & patris vestri qui in cælis est. quare patacletus, id est meus, patrisque aduocatus etiam vobis tacentibus respondebit, vt videntur auctor imperfecti, & Hieronymus interpretari.

23. *Cum autem persequentur vos.*) Dixerat vers. 16. *Estote prudentes,* docet tunc partem vnam prudentiæ, qua aduersariorum fugiant insidias, & ab hominibus caueant, vt ver. 17. monuerat. Non vult Christus milites suos pugnare, sed fugere. Duo hic ab interpretibus disputatur; alterum, an hæc in hac prima Apostolorum missione dicta sint, alterum, quomodo fugere iubeat, cùm apud Ioannem cap. 10. 11. 12. 13. doceat bonum pastorem animam suam ponere pro ouibus suis; mercenarium autem, cum videt lupum venientem, fugere. Hæc ad solam primam missionem pertinere multi, & graues volunt auctores, Tertullianus lib. de fuga in persecutione, Hieronym. Chrysost. homil. 35. Euthym. & Theophylact. Alij generaliter ad omnem missionem eorumque Apostolorum officium extendunt. vt illa, quæ ver. 9. dicta sunt, vt sentire videtur Origen. hom. 9. in lib. Iudic. & Athanas. in epist. ad Orthodoxos, & in epist. ad Marcum Pontificem Romanum; & Gregor. Nazian. orat. 1. aduersus Iulianum. Quod multò mihi videtur esse probabilius. Nam in prima quidem missione nihil eiusmodi Apostoli sunt experti, quamobrem ab vna ciuitate in aliam fugere deberent, omnia illis ex voto successerunt, itaque læti gloriantésque redierunt, quòd ipsa sibi dæmonia subijcerentur, Luc. 10. 17. Quod Christus ante quàm fieret, ignorare non poterat. Sententia igitur est generalis, sed occasione, non necessitate primæ missionis à Christo pronuntiata. Cæterum priores illi auctores, quos nominauimus, non ad exitum rei, ex quo potissimum Christi prædictio erat intelligenda, sed ad illa sola verba, quæ sequuntur, animum attenderunt, *non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.* Altera quæstio quomodo fugere Apostolos Christus doceat, neque subtilius, neque copiosius, neque elegantius, quàm ab Augustino epist. ad Honoratum 180. tracta est, disputari potest. Illud tamen non diffiniuit, an quod Christus hoc loco tradit, præceptum sit, an consilium. Athanasius quidem, & Gregorius Nazianzen. præceptum vocant; sed vulgariter fortasse loquūtur. Ego vtrumque pro diuersis locis, temporis, personarum, & rerum circunstantijs esse arbitror; sed propriè à Christo propter primam potissimùm missionem, & magnam partem secundæ, tanquam præceptum traditum; voluit enim Apostolis præcipere, vt sese propagando latius Euangelio reseruarent. nec se in primo statim prælio objicerent morti; nondum tempus illis esse moriendi, diu prius pugnandum esse; longè latéque fines regni Dei proferendos. Miles, qui fugit (vt Græco dicitur prouerbio) iterū pugnabit. Hoc sensu præceptum est. Hoc sensu Christus ipse sæpe fugit, primùm in Ægyptum infans supra cap. 2. 14. deinde cum eum Nazarethani ipsius ciues præcipitare voluerunt Luc. 4. 30. *nondum enim venerat hora eius.* Ioan. 7. 30. Simili in causa non ijs solùm, qui tunc erant Apostolis, sed ijs etiam, qui posthea futuri erāt, nobisq; omnino omnibus præceptū est. Nam cum Euangelium ipsum, propter quod fugiendum non est, postulat, vt fugiamus; fugiendū est. Tunc fugere non metus, sed pietas; non fugere, non fortitudo, sed pertinacia est. Hac de causa Act. 9. 25. & 2. Cor. 11. 33. D. Paulum fugisse legimus. Maior gloria Dei, & Ecclesiæ vtilitas regula nobis esse debet: cum aut vtraque, aut alterutra, vt fugiamus, à nobis exigit, non fugere peccatum est. Aliis casibus non debemus; an autem possimus; alia est quæstio, quam so-

Quomodo Christus Apostolos fugere persecutionem docuerit.

De fuga in persecutione.

lam Au

Universidad de Deusto
Biblioteca

lam Augustinus explicauit. Hæc eius sententiæ summa est. Primùm fugere sacerdoti licere, quando ipse priuatim ab aduersarijs quæritur. & sunt alij, qui possint pro illo sacramenta populo ministrare. Secundò, quando omnes eius oues fuga dissiparæ sunt. Tertiò, quandocumque plus fugiendo, quam manendo iuuare potest. Addit Chrysostom fugere licere. & nescio an oportere, cum eis, si manserit, fides periclitabitur, *Christum, inquit, fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget.* Alias non licet, alias manendum est & pro ouibus anima ponenda. quod mercenarius non facit qui quandocumque videt lupum venientem, & reliquit oues, & fugit Ioann.10.12.13. Tertulliani verò sententia, qui nunquam fugere licere vlli Christiano existimauit, meritò damnata est; illiúsque de fuga in persecutione librum aduersus Ecclesiam scriptum esse Hieronymus in eius vita dicere non dubitat. *Tertull. error de fuga in persecutione.*

Non consummabitis.) Non potest hic locus intelligi, nisi prius quorsum hæc à Christo dicta sint intelligatur. Ideo autem dicta esse videntur, vt significaret Christus non defuturas in Israël ciuitates, quæ nondum Euangelium audiuissent, in quas possint Apostoli in aliis ciuitatibus non recepti confugere. & in illis maiore cum fructu prædicare. Quid autem sit, quod dicit, *non consummabitis*, non omnes intelligunt eodem modo. Hilarius consummare interpretatur ad fidei & Euangelicæ virtutis perfectionem adducere. Chrysostom. hom. 35. Euthymius, & Theophylactus ciuitates prædicando perambulare. Ego Hilarij sententiam propter id, quod statim sequitur, magis probo; voluit enim Christus, vt paullò post explicabimus, non solùm ciuitatum multitudinem; sed etiam obiter Iudæorum incredulitatem notare, adeo scilicet eos futuros incredulos, vt satis in illis conuertendis Apostoli futuri sint occupati, donec filius hominis veniat.

Donec veniat filius hominis.) Pleriq; aduentum hoc loco filij hominis vocari putant eius auxilium, consolationémque. Dicitur enim ad nos Deus venire cum nobis opitulatur. Huius interpretationis Chrysosto. Theophylact. & Euthym. auctores sunt, quam ex Luca cap.10. 1. confirmant, *& misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus*; quasi dicat. ego vobis adero, & opem feram, antequam Euangelium in omnibus Iudææ ciuitatibus prædicetis. Alij resurrectionem non consummabitis, antequam filius hominis resurgat, vt Beda. Tunc enim dicitur venisse Christus, quia victo hoste regnare cœpit, *non bibam a modo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei*, infra cap. 26.29. *& vado, & venio ad vos*, Ioan. 14. 28. Alij aduentum ad iudicium, sed ciuitates Israel vocari putant omnes etiam Gentilium ciuitates, quæ ante diem iudicij conuertêdæ ad fidem sunt; sic Rupertus & Lyranus, nescio etiam an Augustinus; sed nullo prorsus modo illis assentior, quia dubium non est Christum de illis loqui ciuitatibus, ad quas Apostolos tunc mittebat; non autem mittebat, nisi ad ciuitates Iudææ ver. 5. *& 6. in viam gentium ne abieritis.* Alij Iudæorum, vt supra attigimus, incredulitatem notari putant, significarique priùs Gentiles, quàm Iudæos ad fidem véturos, vt in epistola ad Romanos, cap. 11. differit D. Paulus. Ita Hilarius, cuius sententia hoc mihi magis placet, quòd nihil in ea coactum esse video, & quòd aduentus filij hominis nusquam, quod sciam, alius, quàm supremus ille, quo ad iudicium venturus est appellari soleat. Quanquam Bedæ interpretatio non displicet. Quod subijcit, *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominũ suum,* tribus modis veteres interpretes intelligunt. Primùm vt de omnibus discipulis. & de omnibus seruis accipiatur; sed non dicatur, quòd semper. sed quòd plerumq; fiat; plerumq; enim magistrum discipulo, dominum seruo maiorem esse, atque meliorem, quàm contrà accidat aliquando. Sic Chrysost. auct. imperf. Euthym. Secundò, vt de omnibus quidem accipiatur, sed non intelligatur verum esse, nisi quamdiu discipulus discipulus. & seruus seruus est; tunc enim nec discipulus magistro, nec seruus domino maior esse poterit; cum maior est, iam nec ille discipulus, nec hic seruus est; ita ijdem auctores Chrysost. & auctor imperf. Theophyl. Theodor. Mopsuest. & Leõtius. Tertiò, vt de solis Christi discipulis dictum sit, qui nunquam magistrũ æquare poterant, homines Deum & qui etiam tunc, cum magistri facti sunt, & doctores Euangelij, discipuli Christi & vocabantur, & re ipsa erant, quia quidquid docebant, ab illo accipiébãt quémadmodum ille idẽ Leontius interpretatur. Mihi non tam docere videtur Christus, quales discipuli, & serui esse soleant, quàm quo modo se erga magistrũ, atque dominum suum gerere debeant, nempe sic, vt nõ existiment se melioris, quàm illũ conditionis esse debere. Hoc enim ad rem maximè pertinebat, atque hoc eodem modo Hilarius videtur intellexisse.

25. *Si patrem familiæ.)* Me qui Ecclesiam gubernõ, qui eius dominus sum.

Beelzebub.) Legendum esse Beelzebub, nemo, vt opinor, ignorat, idque Hebraica docet etymologia. Nobile erat Accaronitarum idolum 4. Reg. 1. 2. 3. & 16. Beelzebub, id est dominus muscæ appellatus, siue, vt plerique arbitrantur, quia propter victimarũ sanguinem, quo erat aspersum, muscis plenum erat; siue vt alij volunt, & ego magis credo, quia aduersus muscarum pestem potissimum inuocabatur. Cõstat enim apud Græcos simile quoddam fuisse quod eadem ratione, & simili. sed Græca etymologia μυιάγρος, quasi muscarũ venator, aut interemptor appellabatur. Auctor Plin. lib. 10. c. 28. *Inuocant, inquit, & Ægypti ibes suas contra serpentum aduentum, & Elei Myagrũ Deum muscarum multitudine pestilentiam afferente.* Hinc factũ vt horroris & abominationis causa diabolus à Iudæis Beelzebub appellaretur; sicut infernum Gehennam à loco, vbi infantes idolis immolabantur, simul ratione vocatum diximus c. 5. 22.

26. *Nihil est opertum, quod non reuelabitur.)* Οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, quod non sit reuelandum. Quãdo? Hilarius; Hieron. & Beda in die iudicij; quando illuminabuntur absconditæ tenebrarũ 1 Cor. 4. 5. Alij progressu temporis etiam in hac vita, vt Chrysost. hom. 35. auctor imperf. 25. Theophyl. & Euthym. quem ego arbitror verum esse sensum. Voluit enim Christus etiam in hac vita, quia multa illis prædixerat terribilia, consolationem adiungere. *Ne timueritis eos, nihil est enim occultum, quod non reuelabitur*, id est quãuis omnes vos mitiò persequantur omnes Beelzebub, & seductores appellent, vestra tandẽ virtus cognoscetur; & qui vos paullo ante iniurijs afficiebant, honorabunt.

27. *Quod dico vobis in tenebris.)* Priuatim.

Dicite in lumine.) In publico, sic etiã Latini loquuntur versari in oculis, & luce hominũ, id est in publico.

Et quod in aurem auditis.) Secretò.

Prædicate super tecta.) Clara voce, vt omnes audiãt. Diximus c. 4. 5 in Palæstina tecta domorũ fuisse plana, in illisq; solitos Iudæos confabulari, sicut nunc in foro. Quæ autem illi dicebantur, minimè secreta erãt, quia cùm locus editus esset, vt patulus, facilè à vicinis audiebantur. Hortatur ergo discipulos, vt liberè, confidenter, fortiter, & clara voce Euangelium prædicent, vt Isai. 40. 9. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion, exalata in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere; dic ciuitatibus Iuda, ecce Deus vester.*

32. *Omnis ergo qui confitebitur me.)* G. ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοί in me, ἐν pro ב Hebraico articulo accusatiui ex Septuag. interpretũ imitatione, vt in Idiomatis adnotam. 2. reg. 8. 16. & 4. Reg. 17. 25. & 1. Par. 21. 17. & 27. 24. & 29. 1. & 2. Par. 6. 5. & 7. 12. & 9. 8. & 29. 11. Nisi fortè alius est Hebraismus, & verbum ὁμολογεῖν positũ est pro Hebraico Hithpaël התודה, quod proprie significat, non solùm confiteri, sed etiam palàm, & gloriando quodammodo confiteri, vt si Latinè dicas, quisquis in me gloriabitur coram hominibus, gloriabor, & ego in eo coram patre meo; se verò hominibus æquat; homines Deo opponit. Propterea autem dicit *coram patre meo*, quia patris est præmia sua cuique, & honoris locum dare. *Non est*, inquit, *meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo*, c. 20. 23. se, etsi iudex futurus est, quasi testem facit, quia non nisi ex patris voluntate, & prædestinatione sententiam laturus est.

34. *Nolite arbitrari.)* Hæc cum superioribus hoc modo cohærent; prædixerat multa aduersa prædicantibus Euangelium ventura, docet nunc ideo se quodammodo venisse, vt ea euenirent, id est non sine sua prouidentia euentura; quare non debere eos cum ea viderint deterreri, vt Ioan. 16. 4. *Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis*, Duo, vt hic locus intelligatur notanda sunt. Primùm Christũ de pace & bello non ex sua, sed ex hominum opinione loqui, qui concordiam in rebus malis pacem ducunt, posse liberè emere, liberè vendere; posse comessari, posse omnibus vitiis liberè seruire pax mundi est. Qualis illa erat, qua superbi olim homines conspirarunt, vt Babylonicam turrem ædificarent Genes. 11. 4. qualis illa, qua Herodes & Pilatus ad persequendum Christum, cùm ante inimici essent, amici facti sunt Luc. 23. 12. qualis illa impiorum, quæ Psal. 2. 1. describitur, *Quare fremuerunt gentes*, conspiraũerunt, *& populi meditati sunt inania?* Non hãc pacem Christus venit mittere in terram; sed pacem illã Dei, *quæ exuperat omnem sensum*, Philip. 4. 7. Hanc prophetæ Christum allatum prædixerant Isai. 9. 6. 7. & 11. 6. & 65. 25. Hanc angeli nato Christo hominibus annuntiant. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. 2. 14. Hanc se Christus, non illam dare dicit Ioan. 14. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mũdus dat, ego do vobis.* Hanc Apostolos quocumq; irent, precati docuit, *pax huic domui* supra vers. 12. Ita Hieronym. Chrysost. hom. 36. auctor imperf. 26. Gregor. 3. par. pastor. c. 23. Beda & Theophylact. hoc loco. Alterum est, Christum non significare ideo se venisse, vt bellum hoc inter parentes, & liberos, cæteraſque necessitudines exsuscitaret; sed ita hæc ex eius aduentu consecutura, tanquam ea de causa veniſſet, vt Ioan. 9. 39. *in iudicium ego in hunc mundum veni, vt, qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*; & sicut Simone im multorum ruinam positus dicitur Lucæ 2. 34. *Pax Christi, & mundi diuersa*

Sed gladium.) Plerique verbum Dei interpretantur. Gladius enim est verb. Dei Ephes. 6. 17. &, *viuus est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti ac pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus*, Heb. 4. 12. Sic Hilar. Auctor imperf. hom. 26. August. q. 3. in cari putant, cuius causa filij à parentibus separãtur, vt Euthym. Illud certò constat Euangelium significari. Gladium autem potiùs, quàm bellũ dixit, vt Chrysost. adnotauit, vt vim adderet orationi. solet enim gladio caput à corpore separari. Lucas pro gladio, *separationem*, dixit c. 12. 51. & *ignem* c. 12. 49.

35. *Hominem aduersus patrem.)* Nominat personas coniunctissimas, vt declaret nullum tam arctum esse vinculum, quod non disrumpat Euangelium.

38. *Et inimici.)* Repetẽdum verbum ex ver. 24. veni & efficere, vt inimici hominis sint domestici eius, id est implere propheriam Micheæ, quamuis in aliam sententiam ab illo pronunciatam c. 7. 6.

Hominis.) Id est vniuscuiusque, Hebraismus.

38. *Et qui non accipit.)* Qui non tollit in humeros suos, & portat crucem suam; posuit enim λαμβάνει accipit. pro ἄρει tollit. sicut Hebræi dicunt נשׂא, accipere, pro נשׂא, tollere, portare, vide supra cap. 8. 17. alludit enim, nisi fallor, Christus ad crucem, quam ipse humeris suis, vt crucifigeretur portaturus. Ioan. 19. 17. Hoc est, *suam*, id est, vt ego meam. Idem dicit c. 16. 24. & Marc. 8. 34. in eodem versatus argumento, & Lucæ 9. 23. diuerso. Vnde perspicuum est; quàm sæpe hoc nobis Christus commendauerit. Tollere autem crucem suam nihil aliud est, quàm paratum esse pro Christo non quoquo modo mori, sed etiam crucifigi, sicut Petrus dixit, *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire*, Luc. 22. 33. Chrysostomus hom. 36. Auctor imperfecti 26. Theophylactus. Interpretatio autem Hilarij, & Euthymij, qui crucem illam vocari putant, qua mundo mortui esse debemus, sicut D. Paulus dixit, *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo* ad Galat. 6. 14. *& qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis* cap. 5. 24. magis moralis est, quàm litteralis. *Quid sit crucem suã portare.*

39. *Qui inuenit animam suam.)* Loquitur non ex veritate, sed ex vulgari hominum opinione, qui se animam suam inuenisse putant, cùm ex certo eam, & præsentis mortis periculo eripuerunt, quasi iam perditam recuperauerint. Nomine autem animæ vtitur ambiguè, quod in similibus ambiguis vocabulis non solùm sine vitio, sed etiam cum elegantia & emphasi fieri solet, vt supra notauimus c. 8. 22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* In priore loci accipit animam pro vita ex Hebræorũ idiomate; in posteriori pro anima, quæ aut in vitam æternam recipienda, aut in ignem æternum mittenda est.

40. *Qui recipit vos.)* Nihil hoc loco difficile est, nisi intelligere, quorsum hoc Christus dicat. Hieronymus & Euthym. consolationem esse dicunt, quæ ad ver. 9. referatur. Nam quia ibi dixerat, *nolite possidere aurum, &c.* ne cogitarent, quomodo viuere inter ignotos possent, aperit illis omnium domos, inquit Euthym. dicens eos non minus libenter ab omnibus recipiendos, quàm si ipsemet iter, quia *qui recipit vos, me recipit.* Rectè, si hæc non Apostolis, sed illis, qui eos recepturi erant, dicta fuissent. Nunc autem Apostolis dicuntur. Credo ergo non alia de causa hæc Christũ dixisse, quàm vt Apostolis significaret, quantam eorum curam habiturus esset, cùm ipsius personam sustinerent.

41. *In nomine prophetæ.)* Quia prepheta est, id est missus à me, non quia cognatus, non quia Iudæus, aut alio quo nomine. Auctor imperf. Hieronym. Chryso. Beda. Theophylact. Prophetam autem vocat Euangelij doctorem. de ijs enim loquebatur.

Mercedem prophetæ.) Quidam mercedem. quam illi propheta dabit, quia docebit eum Euangelium; *& mercedem iusti*, id est quam iustus illi impetrabit orãndo pro illo, aut quia eius causa Deus illi dabit, vt Luc. 16. 9. *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Alij mercedem, quam ego illi dabo, qui propheta sum & iustus; prorsus violentè. Alij mercedem prophetæ & iusti, id est, quæ recipientibus prophetas, & iustos à Deo constituta est. Probabilis quidem interpretatio; sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ego non dubito, quin sensus sit, *mercedem prophetæ accepturi*, id est, quam ipse propheta accepturus est, quia dum prophetam, quia propheta est, recipit. perinde apud Deum est, atque si prophetæ officio fungeretur: sicut Dauid dixit 1. Reg. 30. 24. *æqua pars erit descendentis in prælium, & remanentis ad sarcinas*; & sicut è cõtrario Augustinus multis locis solet dicere D. Paulum, dum lapidantium Stephanum vestimenta seruabat, omnium manibus lapidasse; & vt sæpe principes & rebelles, & eos qui eos domo recipiunt, occultántve, eadem pœna punire solent. Ita existimo omnes veteres interpretes intellexisse, sed quia facilem interpretationem esse putarunt, non explicasse; nos aliquando in scripto nondum quærimus. Certè non aliter intellexisse videtur Clemens, cum lib. 4. Strom. ex hac sententia confirmat non æqualem omnium beatorum esse mercedem.

Gloria beatorũ in æqualis.

42. *Ex minimis istis calicem aquæ frigidæ.*) Proponit personas abiectissimas, & rem vilissimam calicem aquæ, & quæ non calidæ, quæ sine impensa ignis calefieri non potest, sed frigidæ, qualis natura sua manat ex fonte.

De meritis & nomine mercedis contra hæreticos

Mercedem suam.) Vbicunque noui hæretici hoc nomen inueniunt, miris modis efficere conantur, vt ne mercedem significare videatur, ne quis ex mercede merita colligat. Dicunt vitam æternam mercedem appellari, non quòd propter opera, sed quòd post opera detur, sicut merces post meritum, ac laborem dari solet. Quod valde acutè probare sibi videntur, cum dicunt non posse eandem & mercedem, & hæreditatem esse; hæreditatem enim non labori, sed generi dari; atqui vitam æternam passim hæreditatem appellari. Quid docuerimus non solùm post opera, sed etiam propter opera nobis dari? cõcidat vtiq; eorum error diruto fundamẽto necesse erit. Atqui id vel ex hoc ipso loco, vt longiùs nõ abeamus, manifestum est. Non enim obscurè significat Christus, vt rectè Clemens Alexandr. adnotauit, non eandem eum qui prophetam, & eum qui quemlibet hominem iustum exceperit, mercedem recepturum; sicut nec ipsi propheta & iustus eandem recepturi sunt. Maiori ergo maior, minor minori meritò respondet. Quid autem est propter merita dari, si hoc non est? Nam si sola posterioris, & prioris consequentia, vt hæretici volunt, mercedis nomine significaretur; nec maiori labori maior, nec minori minor, sed tantùm priori prior, posteriori posterior redderetur. Quod cum D. Pauli sententia omnino pugnat. 1. Cor. 3. 8. *vnusquisq; secundum suum laborem propriã mercedem accipiet.* Quid est *secundum suum laborem*, nisi qui magis laborauit, maiorem; qui minus minorem recipiet? Quod alio loco dicit, *qui seminauerit homo, hæc & metet, qui parcè seminat, parcè & metet.* 2. Corin. 9. 6. & ad Gal. 6. 7. Quod autem obijciunt, mercedem esse non posse, quæ eadem hæreditas appelletur, per quam imperitè faciunt, non aliter de diuina, quàm de humana hæreditate iudicantes, quæ non solùm sine meritis, sed sæpe etiam temerè, sine iudicio, sine voluntate parentum filijs obtingit. Non sic Deus suam temerè hæreditatem proijcit; certo iudicio nobis dat, & quia filijs, & quia meritis. Quia filius quidem, dat, quia meritis, magis meritis maiorem, minus meritis minorem dat. Quia filius datur, hæreditas; quia meritis filiis, merces appellatur.

CAPVT XI.

Luc. 7. c. 18. ET factum est, cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum. 2. Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, 3. ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4. Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis. 5. Cæci vident, *Isai. 35. & 61. a. 1.* claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: 6. & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. 7. Illis autem abeuntibus, cœpit *Luc. 7. c. 24.* Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. 9. Sed quid existis videre prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. 10. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum *Mal. 3. a. b. 1. Mar. 1. a. 2. Luc. 7. d. 27.* ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo. 12. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 13. Omnes enim prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt: 14. & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. 15. Qui habet aures audiendi, audiat. 16. Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro: qui clamantes coæqualibus 17. dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis. 18. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. 19. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis. 20. Tunc cœpit exprobare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. 21. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: *Luc. 10. d. 13.* quia, si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere

cinere pœnitentiam egissent. 22. Verumtamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. 23. Et tu Capharnaum nunquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernũ descendes. quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem. 24. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi. 25. In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. 26. Ita Pater quoniam sic fuit placitum ante te, 27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo Et nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. 29. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. 30. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Ioan. 6. c. 46. & 7. d. 28. & 8. b. 19. & 10. c. 15. Ier. 6. d. 16.

Ioan. 3. a. 3.

IN CAPVT XI.

1. ET factum est.) frequentissimus Hebraismus ויהי, quod Septuaginta solẽt vertere, καὶ ἐγένετο, & fuit, aut factum est, accidit; sed hoc postremum huic loco non conuenit, ne casu id factum videatur, quod summo consilio factum est. Septuaginta interpretes Euangelistæ imitati sunt. Prætermisit Matthæus, quæ apostoli in sua missione fecerunt. Marcus c. 6. 12, 13. & Lucas c. 9. 6. breuiter narrant.

Cum consummasset Iesus præcipiens.) Præcipere, participium pro infinito ex Græco idiomate, Latini dixissent; cum præcipiendi finem fecisset. Non significantur necessariò ea præcepta, quæ consilijs apud Theologos distinguntur; sed institutio illa partim præceptis, partim consilijs cõstans, quam Christus Apostolis tradidit. Hoc enim est διατάσσειν, ordinare; disponere, vt 1. Cor. 11. 34.

Transit inde.) Dum Apostoli in sua missione versabantur, ne sua præsentia eorum auctoritatem minueret, claritatémque miraculorũ obscuraret. Quam ob rem Theophylactus existimat nullũ interim Christum miraculum edidisse; ideóque non dixisse Euangelistam, vt miracula faceret, sed vt doceret. Tenuis coniectura.

In ciuitatibus eorum.) Multi ciuitates discipulorum intelliguntur, sed cur eorum appellantur? Nonnulli Galilææ ciuitates significari putant. Erant enim Apostoli aut omnes, aut maxima parte Galilæi Act. 2. 7. *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt*, vt Euthymius. & Hugo. Alij ciuitates, in quibus Apostoli prædicassent, vt Lucas ait c. 10. 1. *misit eos binos in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.* Quam interpretationẽ ne probem, multis causis impedior, & quia hæreticorum est, nec vllum bonum, ac veterem auctorem habet, & quia ciuitates Apostolorum vocari eas, in quibus Apostoli modò prædicassent, aut quas tantùm obiissent; durum mihi prorsus videtur, & quia Euangelista significat Christum & statim, vt Apostolos misit, & in locum diuersum dimisisse. Misit ergo eos, vt ait Lucas in omnem ciuitatem & locum, quò ipse non statim, sed longè post venturus erat. Scribit enim idem Lucas c. 10. 17. non Christum ad eos venisse, sed eos ad Christũ rediisse. Magis mihi placet Euthymij, & Bedæ interpretatio, ciuitates Iudæorum significari, vt aut relatiuum sine antecedente positũ sit, aut non ad proximum, sed ad remotũ antecedens referatur c. 10. 6. *Ite potius ad oues quæ perierunt domus Israel*, aut ad ver. 23. *nõ consummabis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.* Vtrumque enim apud Hebræos vsitatissimum est 4. Reg. 17. 24. & 3. Reg. 5. 3.

3. *Tu es qui venturus es.*) Locus ideo difficilis, quia statim lectoris animum percutit dubitatio, quomodo Ioannes de eo, quem, antequàm miraculum fecisset vllum, agnum Dei confessus fuerat; post tot facta miracula dubitare videatur. Iustinus quidem certè, aut quisquis ille fuit auctor q. 38. ad orthodoxos, & Tertullianus lib. aduersus Marcionem 4. dicere non dubitant verè de Christo Ioannem dubitasse. Peius etiam quiddam Tertullianus adiungit, propterea dubitasse, quòd spiritus prophetiæ ab eo in Christum recessisset. Illa nimirum ætate nondũ satis culta Theologia huiusmodi aliquando spinas proferebat. Alij, quia id absurdum esse animaduerterunt, aliam quæsiuerunt interpretationem, non dubitasse Ioannẽ an Christus agnus Dei, verúsque Messias esset, qualem idem ante testatus fuerat; sed an moriturus esset, & ad inferos descensurus. In quam sententiã meliore nondum inuenta maxima pars veterũ auctorum cõcesserunt, Ambrosius lib. in Lucam 7. Euseb. Emissen. in homil. Iulianus Pomerius lib. 3. contra Iudæos, Venantius in expositione Symboli Apostolorum, Gregorius homil. 1. in Ezech. Cuius opinionis etiam Chrysostom. hom. 37. & Theophylact. in commentariis ad hunc locum mentionẽ fecit; eamq; meritò refutauit. Quo enim modo mortẽ Christi, & descẽsum ad inferos Ioannes ignorare poterat, quæ nemo tũe propheta, nemo doctus, qui antiquorũ prophetarũ vaticinia legisset, ignorabat? Vera igitur est Hilarij, Chrysostomi, auctoris imperfecti, Cyrilli Alexand. lib. 2. thesauri c. 4. Euthymij, Theophylacti, Ruperti sententia, Ioannem nullo modo eius verò discipulos aliquo modo de Christo dubitasse. Amabant enim nimiùm præceptorem suum eò quidem vsque, vt ne illi quidem Christum sibi longo interuallo anteponenti, séque, vt corrigiam calceamenti eius solueret, indignum prædicanti satis crederent. Putabant fortasse modestia, non veritate dicere, quóque se humiliorem, & Christo minorem faciebat, eò credebant illo esse maiorem. Vnde illa aduersus Christum ipsorum æmulatio nata est Ioan. 3. 26. *Rabbi, qui erat tecum trãs Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniũt ad illum.* Cum ergo Ioannes morti se proximum videret & miracula Christi, quæ durissimũ quemque ad credendum mouere possent, audiisset; discipulos suos ad illum misit, vt qui sibi non crediderant, Christi miraculis crederent. Misit autem, quasi ipse dubitaret, quia nunquã ausi fuissent suo Christum nomine interrogare. Sic enim optimus quisque medicus, vt ægrotum curet, se etiam fingit ægrotare. *Quis infirmatur & ego non infirmor?* 2. Cor. 11. 29. Hunc verum

Tertullia merror.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse sensum ex ratione, quæ ver. 2. redditur, perspicuum est, *Cum*, inquit, *audisset Ioannes in vinculis opera Christi, misit duos de discipulis suis.* Quæ opera? miracula. An miracula Christi in dubitationem adduxissent eum, qui ante sine miraculis nõ solum crediderat, sed etiam prædicauerat? Discipulos ergo mittit, vt miracula videant, & de Christo desinant dubitare. Hieronymus & Beda amplius quiddam dicunt, ne discipulos quidem Ioannis, an Christus verus esset redemptor dubitasse, sed ad mortem subituros, & ad inferos descensurus esset; eamque ob rem ad eũ missos fuisse, sed non congruit interpretatio. Quo enim modo ex miraculis, vtrum Christus moriturus, & ad inferos descensurus esset, cognoscere potuissent?

4. *Renuntiate Ioanni.*) Sciebat Christus eos nõ Ioanni, sed sibi interrogasse; noluit tamẽ significare, ne eos incredulitatis, & simulationis insimulare videretur, ideo dicit, *renunciate Ioanni.* Aut fort putabant nuntij verè Ioannẽ non simulatè dubitasse; nec enim id discipulis declarasse credendũ est, quo Christũ liberiùs interrogarẽt, & faciliùs credẽte postea præceptore, & quasi mutante eo sententiam, ipsi quoque mutarent. Cùm imus ad vitia, duces esse volumus; ad virtutem putet nos ire sine duce.

Quæ audistis, & vidistis. Miracula, quæ à me facta esse ab ijs, qui viderunt, audiuistis; & quæ vos ipsi præsentes conspexistis. Scribit enim Lucas. c. 7. 21. multos coram illis Christum curasse cæcos, multos varijs afflictos morbis sanauisse, multos à dæmonibus liberasse. At cur non disertè ad quæstionem respondit se esse Christum; cum muliert Samaritanæ etiam non interroganti, se esse dixerit? Ioan. 4. 26. Respõdent Chrysostomus & Rupertus homines incredulos non verbis, sed factis persuadere, & conuincere voluisse, vt Ioan. 5. 33. 36. *vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati, ego autem habeo testimonium maius Ioanne; opera enim, quæ dedit mihi pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me.* & cap. 10 37. 38. *si non facio opera patris mei, nolite, credere si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite,* & c. 15. 24. *si opera fecissem, in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum.* Cur ergo se Samaritanæ Christum esse dixit? quia sciebat eam facilè, vt cuentus declarauit, verbis crediturum.

5. *Pauperes euangelizantur.* εὐαγγελίζονται, quod Theophyl. & Euthym. actiuè interpretantur, quasi dicat, pauperes prædicant Euangelium. Pauperes autem Apostolos vocari dicunt, quòd verè pauperis, & humilis conditionis essent. Et quidem solet hoc verbum, quemadmodum in communi ad quattuor Euangelistas præfatione monuimus, non solùm passiua voce actionem significare; sed etiam aliquando passionem, vt ad Hebræos 4. 2. & 1. Petri 1. 25. & 4. 6. quæ significatio sola etiam potest in hunc locũ conuenire. Numerat enim inter miracula, quod pauperes euangelizentur. Non erat autem miraculum, vt pauperes Euangelium annuntiarent. Solent enim homines abiectissimi magnarũ sæpe rerum esse nuntij. Vt autem pauperes euangelizarentur, id est Euangelium illis prædicaretur, valde mirum erat. Annũtiari enim pauperibus Euangelium est regnum cælorum illis promitti, supra c. 3. 2. & 4. 17. & 9. 35. Quid autem admirabilius, quàm pauperem regem fieri? Propterea cùm omnibus æqualiter Euangelium prædicaretur, solos tamen pauperes nominauit, & quia id inter miracula ponendum erat; & vt ad Isaiæ prophetiã alluderet, ostenderetq; se illũ esse Christũ, de quo esset propheta vaticinatus c. 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me, ad annuntiandum pauperibus misit me.*

6. *Qui non fuerit scandalizatus in me.*) Qui vnde vitã haurire debuit, mortis occasionem non acceperit, & qui ad credẽdum moueri miraculis, motus non fuerit ad accusandũ, quod Scribis & Phariseis accidisse legimus, qui eum in principe dæmoniorũ dæmonia ejcere dicebant. Erat enim petra scandali, & lapis offensionis Isai. 8. 14. Rom. 9. 33. & positus in ruinam multorum Luc. 2. 34. sed non credentibus. Nam credentibus quidem lapis erat summus angularis, electus, vt D. Petrus interpretatur 1. epistola c. 2. 6. 7. Putant Hieronymus, & Beda Christum his verbis Ioannis discipulos, qui non crederent, notare voluisse.

Illis autem abeuntibus.) Quare non ante? Respondent Chrysostomus, & Euthymius, ne Ioannem coram eius discipulis adulatoriè laudare videretur.

Cœpit Iesus dicere.) Quare? ne ij, qui adetãt, & Ioannis legationem audierãt, existimarent eũ ptiorẽ sententiam qua magnificũ de Christo testimoniũ præbuerat, mutauisse, aut de Christo certè cœpisse dubitare, & ipsi quoque fide vacillarent, vt Hieron. Chrysost. Cyrillus lib. 2. thes. c. 4. Beda, auctor imperf. Theoph. & Euthym. adnotarunt; quod sequens arundo cõfirmat, quasi dicat non esse Ioannem hominẽ leue, & similem arundini, qui sententiam temerè mutauerit.

Qui existis.) Cur non potius dixit qualẽ hominem? Ioannẽ putatis? vt alludat ad illud, quod supra c. 3. 5. dictũ est, *tum exibat ad eũ Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanẽ.* & Luc. 3. 7. *dicebat ergo ad turbas, quæ exibãt, vt baptizarẽtur ab ipso,* quasi dicat, non est, quòd vos pœniteat aut videndũ Ioannẽ quasi virum singularẽ exijsse, quasi in peius mutatus sit, maior etiam est, quàm tum cum ad eum exitetis putabatis.

10. *Hic est enim.*) Probat, quod paullo ante dixerat, Ioannem maiorem esse propheta, quia quodammodo angelus est; & non angelus qualiscunque, sed ille nobilissimus, de quo apud Malachiam Deus prædixerat, *Ecce ego mitto angelũ meum ante faciem tuam.* Dicuntur quidem & alij prophetæ, & sacerdotes angeli apud eundem prophetam c. 2. 7. & Act. 7. 53. sed alio modo, quàm Ioannes. Illi, quia ad homines; Ioannes, quia ad Christũ, id est ad Deum ipsum missus est. Et quidem ante faciem eius, id est, vt illum proximè præcederet; quod honoratissimorum amicorum est; cùm alij seruo nõ præcedere dominũ, sed se qui soleant, quemadmodum Chrys. & auctor imperf. adnotarunt. Atque hoc eodẽ sensu intelligendũ est, quod Ioannes ipse Ioan. 1. 21. prophetã se esse negat, quia nõ aliorũ more prophetã erat, qui de longè post vẽturo Christo vaticinabantur. Non erat propheta, quia Christũ non futurũ prænũciabat, sed digito præsentẽ demonstrabat. Propheta autẽ erat, quia Christũ nemine indicãte diuino spiritu cognouit. Quãquam alio modo Christus eũ alio ipse se prophetã esse negat. Christus vt maiorem ipse se minorẽ significaret. Vterque tamen eadẽ ratione, quia nõ aliorũ more propheta erat. Quam autẽ ob rem plusquam propheta esse dicatur, difficile nõ est per se quẽque cogitare. Illustrissima enim eius vita fuit; & cùm miraculũ nullũ fecerit, perpetuum fuit ipse miraculũ. Miraculo conceptus, miraculo editus, adhuc in vtero venientem Dominũ sentiens, & matri suæ demonstrans; miraculo circumcisus mutam patris sui linguam exoluens: miraculo inter feras vitam degens, vt quemadmodum auctor imperfecti scribit, non solùm æquasse angelos, sed superasse etiam videatur, qui cùm homo, non angelus esset, angelicam, non humanam vitam duxerit; vt non ominõ sine causa multi eum Iudæi verum etiam fuisse Angelum existimauerint, vt Eusebius lib. 9. de demonstrat.

strat. Euangel. c. 5. auctor est.

Ante faciem tuam.) Apud Malachiam c. 3. 1. non legitur, *ante faciem tuam*; sed *ante faciem meam.* Sed sensus est idem. Nam illic Christus de se loquitur; hic pater de filio. Hinc etiã Christi diuinitas probari potest. Certũ enim est apud prophetã Deũ esse, qui loquitur; ex eodem autem loco manifestum est fuisse Christum.

11. *Non surrexit.*) Hebraismus קם לא, Latini dicũt, non extitit, nisi quòd surgere paulò maiorem emphasim habet, significat enim non solum extitisse, sed præterea eminuisse.

Inter natos mulierũ non surrexit maior Ioanne Baptista.) Locus difficilis, quia nõ apparet, quomodo vera possit esse sententia, quæ adeo Ioannem extollit, vt non solùm alios omnes, verùm Christum etiam ipsum deprimere videatur. Noui hæreticorum interpretes facilem ad fugiendũ hoc incommodum viam reperiunt. Dicunt Ioannis officium, & dignitatem cum superiorum Prophetarum officio, dignitatéque, non sanctitatem cum sanctitate comparari. Id ex Luca probant, qui non absolutè dicit neminem Ioanne maiorem, sed neminem maiorem fuisse prophetam. Tunc etiam ex hoc loco, vbi id agebatur, vt Ioannes plus quàm Propheta esse probaretur. Verùm enimuerò hæc, quæ plana illis visa est via, periculosus error est, & à Christi sententia, & à pietate discedẽs. Nam & Christum plus quiddam de Ioanne dicere voluisse paulò infra docebimus, & pietas ipsa suadet, vt plus de illo dictum credamus. Cæterum noui hæretici, homines scilicet pij, quidquid pietatem attenuat, aut B. Virginis, Ioannis Baptistæ & Apostolorum sanctitatem minuit, nimis libenter amplecti solent. Primùm quidem omnes veteres auctores nemine, quod sciam, prorsus excepto de sanctitate non de officio expositum; Tertullianus lib. de Baptismo, Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 3. & alter Cyrillus Alexandrinus lib. 2. thesauri c. 4. & lib. 2. in Ioan. c. 34. Ambrosius lib. 6. in Luc. Chrysostomus hom. in hunc locum. 38. auctor imperf. hom. 27. Hieronym. Augustin. tract. 13. in Ioann. & lib. 2. contra aduersarium leg. & proph. c. 5. Hilarius can. 11. Maximus in hom. de S. Ioanne, neque quisquam, vt dixi, aliter. Nec est profecto tam subtilis & recondita hæreticorum interpretatio, vt nemo eam inter tot tam præstanti ingenio viros potuerit inuenire, sed tam falsa, vt nemo eam etiã sponte occurrentem voluerit amplecti. Et verò si speremus Christi propositũ, videbimus istam interpretationẽ ab eo, quòd agere volebat, abhorrere. Nolebat Christus probare Ioannẽ prophetiæ munere ornatum fuisse, eóque cæteris præstitisse. Id enim iã dixerat v. 9. *etiam dico vobis, & plus quam prophetam: & prorsus ineptè ista cohærerent, plus est quam propheta, quia nemo maior propheta eo surrexit.* Si enim plus quàm propheta erat, quis dubitare poterat nullum eo maiorem fuisse prophetam? Sed voluit auditoribus, ne propter auditam eius legationem, *Tu es qui venturus es*, de cuius constantia, virtuteque dubitarent, eius singularem sanctitatem prædicare. Quid hoc ad officium pertinebat, vbi de moribus agebatur? Certè cum dixit, *quid existis in desertum videre? non de officio, sed de moribus agit, quẽ hominem: quam religiosum: quàm sanctum? Nam & illa, quem subiicit, arundo & molles vestes, nõ officio, sed moribus opponuntur; arundo constantiæ, mollis vestitus vitæ asperitati, atque rigori. Deinde cum addit, qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo,* non dubium est, quin eodẽ modo ij, qui sunt in regno cælorum cum illo, quo ille cum ijs, qui in lege fuerãt, comparentur. At alij cum illo nõ officij præstantia, sed morum sanctitate comparãtur. Nõ enim est sensus minimum prophetam in regno cælorum maiorem prophetam esse, quàm illum; sed quẽliber hominem beatiorẽ, quàm illum esse, aut si velit, esse posse, vt paulò post explicaturi sumus. Non ergo Ioannes cum ijs qui in vetere lege fuerunt, officio, sed sanctitate confertur. Idem ex ver. 12. colligitur, *a diebus Ioannis Baptistæ regnũ cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, id est omnibus expositum est, quisquis contendere voluerit, Ioãne Baptista maior erit non prophetiæ officio, quod gratis donatur, nõ laboribus redditur, sed sanctitate, quãm quò magis quisque contendit, maiorẽ obtinet. Denique, quod Christus hoc loco dicit, *non surrexit maior Ioãne Baptista*, angelus apud Lucã c. 1. 15. prædixerat, *erit enim magnus coram Domino*, angelus autẽ de moribus, nõ de officio loquebatur. Hoc enim est, *coram Domino*, corã quo nemo, nisi iustus, nisi sanctus, magnus est. Quod ergo ex alio loco Lucæ c. 7. 28. ab illis obiicitur, *Propheta non fuit maior Ioanne Baptista*, alij ante nos Catholici interpretes explicauerunt. In primis Euthymius nomen ipsum propheræ apud Lucã nõ officium sed sanctitatem declarare. Quia enim Prophetę sancti & esse solebant, & habebantur; viri sancti, etiamsi propheræ non essent, prophetæ vocabãtur. Quo sensu passim videmus Christum à Iudæis prophetam appellari, nõ quòd futura prędiceret, sed quod suam miraculis sanctitatem declararet. Matt. 21. 11. Mar. 6. 4. 15. Luc. 7. 16 & 24. 19. Ioã. 4. 19. & 6. 14. & 7. 40. 52. & 9. 17. Quòd si etiam apud Lucã nomen esset officij, nihil tamẽ efficere ex eo loco possent. Concedimus enim Ioãnem cum solis prophetis veteris testamẽti comparari, quod vnum ex Luca colligi potest, & auctor operis imperf. hom. 27. & Augustinus lib. 2. contra aduersar. leg. & prophet. spõte concedunt. An propterea sequitur cum prophetis in solo prophetæ officio comparari? Illud auctores illi confitentur, hoc negant. Nam quia prophetæ omnium sanctissimi habebantur, dum eum illis cõfertur, in sanctitate cõfertus; & dum illis anteponitur, omnibus alijs sanctis quamuis nõ nominentur, anteponitur. Dejecta est hæreticorũ interpretatio; sed constat maior nobis quæstio. Quomodo inter natos mulierum nemo maior, id est sanctior Ioãne Baptista? An Christus illo non sanctior. Multi multis modis ab hac comparatione Christum excludunt. Alij per illud verbum mulierum, quod corruptas videtur significare; eum Christus nõ ex corrupta, sed ex integerrima virgine natus sit vt Amb. lib. 5. in Lucam, Hiero. Beda, Theoph. *Hinc* (inquit Ambros.) *Ieremias dicus esse maiorẽ, sed inter mulieres, non inter virginis natos. Maior enim fuit ille, quibus æqualis esse poterat forte nascẽdi.* Alij, quia non dixit, inter natos de mulieribus, quemadmodũ Christus dicitur factus ex muliere ad Gal. 4. 4. sed *inter natos mulierũ.* Christũ enim nõ esse natũ mulieris, sed de muliere. Ita auctor imperfecti hom. 27. *aliud est*, inquit, *esse natũ mulieris, aliud esse natum de muliere. Qui mulieris natus est, sine muliere quidem natus est, & omnium de muliere habet, & ante mulierẽ non fuit; qui autem de muliere natus est, neque in muliere natus est. Ecce enim Christus de muliere natus est.* Alij in verbo γενητὸς, hanc vim inesse putant, vt eos tantùm significet, qui ex viro & muliere geniti sunt; hoc enim proprie esse γενητὸν, generate. Quæ obseruatio, vt vera sit, non est tamen, vt postea dicam necessaria. Alij natos mulierum vocari dicunt, qui non ex Deo, sed ex volũtate viri, & ex voluntate carnis nati sunt; quibus opponantur, qui sunt nati ex Dei, id est diuino spiritu regenerati: inter quos, qui nõ

De Ioan. nis sanctitate contrahereticos.

Hæretici aduersarij B. Virginis, S. Ioan. & Apostol.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nimus est,maior est Ioãne Baptista. Ita Cyrillus lib. 2.Thes.c.4. Alij sequẽtibus verbis Christum excipi volunt, *qui minor est in regno cælorum, maior est illo*, vt Chrysostomus,& Euthymius.Quæ omnes opiniones,vt veras eas esse dicamus quæstionem tamẽ nõ soluunt. Nam ponamus exclusum Christum, quid de sanctissima Christi matre dicemus? quàm nemo vir pius negare potest eò Ioãne Baptista fuisse sanctiorem,quò propiùs Christum mater quàm præcursor attingebat.Breuiter igitur,& facilè respõdeo Ioannem(quemadmodum Hieronymus docet)non cum omnibus,sed cum solis sanctis veteris Testamẽti comparari.At Christus,& eius mater, omnésque Apostoli ad nouum pertinent Testamentum. Nec in illo verbo *natos mulierum* aliud mysterium, quã Hebraismũ video, quo per periphrasim omnes homines בני אשה nati mulierum appellantur.

Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.) Hic locus est multò,quàm superior,meo quidẽ iudicio difficilior.Hæretici priorem secuti errorem, alterum adiungunt,qui vel minimum in Ecclesia officium habet, cum Ioanne Baptista esse maiorem. Apertiùs,vt dicam suos Ministros, suos Superuigilantes, suos Diaconos, &, si quos habent alios ex nostrorum monachorum fæcibus collectos,si quos ob infame aliquod scelus ex Ecclesia fugitiuos, Ioanne Baptista maiores esse volunt.Sed iam probauimus de officio non agi D.Augustinus lib.2.contra aduersariũ leg.& prophet.c.3. regnũ cælorum, cælum; eos qui in regno cælorum sunt,angelos qui in cælo sunt,interpretatur.At quorsum Christus angelos Ioanne Baptista maiores esse diceret: nec enim de angelis,sed de hominibus agebatur.Hieronym⁹, & Beda regnum cælorum cælum etiam intelligendum esse putant; eos autem,qui in regno cælorum sunt, homines iam in cælo beatos, inter quos,qui minimus est, maior est Ioanne Baptista, quia *aliud* (inquit Hieronymus) *est coronã victoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare.*Multi de Christo ipso hoc dictũ existimãt;sed nõ omnes eodem modo;quidã sic, *qui minor est in regno cælorum*,id est in Ecclesia,id est,ego qui omniũ humillimus sum, maior sum illo,vt Rupertus.Alij,ego qui & ætate minor sum,& hominũ opinione Ioãne minor habeor,maior illo sum,sicut Ioannes ipse dixit, *Qui autem post me venturus est,cuius non sum dignus calceamenta portare,ille baptizabit vos*, c.3.11.Sic Hilar.Chrysost. auctor imperfecti.Euthymius,& Theoph. quam etiam interpretationem approbat Augustt.tract.13.in Ioan.& lib.2.contra aduleg & prophet.c.5.Memini & hanc interpretationẽ apud nescio quem auctorem legere, *qui minor est*, id est humilior Ioanne Baptista, *maior est illo*,quia qui se humiliat,exaltabitur.Habet ex multis opinionibus quam eligat lector;sed si meam quoque sententiam auet audire libere fatebor in nulla prorsus earum meum qualecumque iudicium acquiescere. Nec probare possum,vt regnum cælorum pro cælo ponatur, quia manifestũ est Christum antitheſi quadam inter vetus,& nouũ Testamẽtum vti voluisse vt constat ex ver.12.& 13.*à diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur,& omnes prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetarũt*: nec vt Christus cum Ioanne conferatur,& quia ea comparatio ad rẽ non pertinebat,vbi Euangeliũ cum lege veteri conferebatur; & quia apertiùs dixisset se eo maiorẽ esse,vt c.12.41.42.*Ecce plus quam Ionas hic;& ecce plus quam Salomõ hic*;& quia vis locutionis perit nisi sentẽtia generalis sit,& nõ ad vnũ definita.*qui minor est*, id est quisquis minor est, aut minimus quisq; in regno cælorum, *maior est illo*.Nã quod dubitat D.Aug. an hæc verba *in regno cælorum* cum præcedentibus,an cum sequentibus iungi debeant,dubium esse nõ arbitror quin sint præcedentibus copulanda,*qui in regno cælorum minor est,maior est illo*.Ergo hic mihi videtur esse sensus,de quo tamen non solum Ecclesiæ,vt omnibus in rebus,sed alijs omnibus qui me doctiores sunt,iudicium relinquo.Minimus quisque in Euangelio,id est eorum,qui Euãgeliũ recipiunt, maior est illo.Sic enim & antitheſis inter Euangelium & legem, qua Christũ vsum esse perspicuum est, & inter Euangelij,& legis,personas aptissimè cõuenit qui minimus est in Euangelio,eo qui in lege maximus fuit maior esse dicatur. Notũ est illud philosophorum axioma.*Minimum maximi maius est maximo minimi*.Supereſt magna,vt videtur difficultas quomodo,qui minimus est in Euangelio,maior, id est, sanctior sit Ioanne Baptista.Duobus modis respondeo, primum Christum de Ioanne,& ijs qui Euangelium recipiunt precisè loqui,quatenus ille ad legem hi ad Euangelium pertinent.Nam etsi dubium non est,quin Ioannes non solùm multos, sed etiam plerósque, qui in Euangelio sunt,sanctitate longè præcesserit; tamen quidquid & ille, & alij sancti veteri Testamenti sanctitatis habuerunt non ex lege, sed ex Euangelio habuerunt, cuius futura virtus ad eos vsque,quamuis longè adhuc remotos porrigebatur;ideo qui minimus est in Euangelio eo qui maximus fuit in lege,maior fuisse perhibetur, quia hic veluti hæreditaria,& domi nata; ille aliena & quasi mutuo accepta virtute factus est magnus. Sic enim D.Paulus de lege,& Euangelio loqui solet;vt doceat legem ex fide non esse,& fidem Euãgelij propriam faciat,Roman.3.27.28.31.& ad Galat.3.13.cùm Abraham, qui,vt idem D. Paulus ait, pater fuit omnium credentium, non in Euangelio sed in lege aut potius ante legem fuerit.Sed negat legem fidem habuisse,& iustificasse,quia non ex se, sed ex futuro Euangelio, quasi anticipatam fidem habebat,& mutuata ex eo gratia iustificabat.Secundo loco respondeo eum, qui in Euangelio minimus est,eo,qui in lege fuit maximus maiorem dici non quòd cõtinuò re vera maior sit; sed quòd ex Euangelij natura maior esse possit.Quid in lege?an non potuit quisquis voluit Ioanne Baptista maior esse? potuit fortasse,at non ex natura legis.quæ certis repagulis claudebatur.Quibus reuulsis *a diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur,& violenti rapiunt illud*, quò quisque violentior est, eò sanctior. Antè prophetis, & cæteris sanctis; prout officium aut ministerium siue prænũtiandi, siue præfigurandi venturum Christum postulabat,maior, minórve dabatur gratia,ideóque Ioanni maxima data est, quia non modo prædicere;sed digito etiam debuit demonstrare;postea effusa est, & in medio posita, tantum quisque capit,quantum virtute & animo contendit.Hoc enim est,*regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

12.*Regnum cælorum.*)quidam Christum ipsum regnum cælorum vocari putant,vt Ambros. serm.15. de natali Domini.Alij vitam æternam,aut cælum,vt Gregor.homil.20.in Euangel.& Beda in hunc locum.Alij fidem,vt Chrysost.Euthym.& Theophyl. Alij Ecclesiam,aut Euãgelium,vt multis alijs locis. His solis assentior,iam enim superiore versu docuimus antitheſi inter legem & Euãgeliũ vti voluisse.

Vim patitur.) Magno ad illud impetu curritur quam interpretationem hæreticorum interpretes & sine auctore (nec enim cuiusquam meminerunt) & sine iudicio secuti sunt.Nam,vt paulò pòst apparebit,non est ad rem. Plerique sic exponunt, *vim patitur*,id est mortificatione,pœnitentia, ignominia, paupertate obtinetur.& ea ad illud itur via,quam Ioannes & verbis & factis demonstrauit.Basilius in oratione de abdicatione rerum,Chrysost. Hieronym. Auguſt. lib. 2. qq. Euang.q.17.Gregor.hom. 20. in Euangel. Theophylact. Euthym. & Beda in comment.& Bernard.in sentent.c.5.Ego vehementer Hilarij can.11.& Ambrosij lib.in Lucam 6.& ser.15. de natali Domini probo sententiam,propterea dici vim pati regnum cœlorum,& rapi à violentis, quia non intra vnum populum, vt in veteri lege conclusum est, quasi certis finibus custoditum; sed omnibus apertum,omnibus expositum,vt quicunque velit in illud irruat; & quia non iam hæreditati, vt Iudæis, sed virtuti datur.*Multi enim ab Oriente,& Occidente venient,& recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum,filij autem regni eyicientur in tenebras exteriores*.Hoc est rapere regnum Dei,hoc est violentum esse,non genere,& hæreditate; sed virtute & perseuerantia,quasi bello & armis obtinere, & legitimos hæredes,quia ignaui sunt, ab eo deturbare. Rapere enim dicimur,quod de alicuius manibus extorquemus,quemadmodum multi ab Oriente,& Occidente venientes de manibus Iudæorum,qui in possessione erant,extorserunt.Regnum cælorum Iudæis rapuit ille Centurio,de quo Christus dixit,*nec in Israel tantam fidem inueni*,quia Iudæis non credẽtibus,credidit c.8.6.Regnum cælorũ rapuit mulier illa Chananæa,quæ à Christo fide argumentando, & se plus quàm Iudæos credere docendo,filiæ suæ sanitatẽ impetrauit c.15. 22. Hanc interpretationem eò magis probabit lector, si animaduerterit, verba hoc loco esse transposita.Nam hæc verba debuerunt esse ver. 13. & ea, quæ ver.13.sunt,hoc loco poni, & quia id sententiarum series, & consequentia videtur omninò postulare; probat enim Christus, qui minor est in regno cælorum,Ioanne Baptista posse esse maiorem, quia nullis legis vinculis impeditur. Nam omnes prophetę,& lex vsque ad Ioannem prophetauerunt,& quia Lucas c.16.16.ita narrat, *lex & prophetæ vsque ad Ioannem; ex eo regnum euangelizatur, & omnis in illud vim facit*.Sed Matthæus,vt in alijs multis locis,narrationis seriem non seruauit. Illam verò Ambrosij eodem loco interpretationem non probo, qui & legit, *regnum cælorum cogitur*, & exponit *densatur*,quia cùm prius soli in eo essent Iudæi, ingredientibus gentilibus frequẽtia,& turba fit dẽsior.

Omnes enim.) Si hæc verba,vt paullò ante docuimus,cum ver.11.coniungantur,nemo non perspiciet, cuius rei causa reddatur.Dixerat illic,*inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, sed qui minor est in regno cælorum maior est illo*.Reddit his verbis rationem,*quia prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*,id est durauerunt,quasi dicat ante homines erãt quodammodo ligati lege,nec licebat vnicuique in regnũ cęlorũ irrumpere; *at à diebus Ioannis Baptistæ regnũ cælorũ vim patitur*,propterea nemo est,qui si velit cõtendere,nõ possit illo esse maior.Hãc vim habet hoc loco,causalis,*enim* & ver.12.aduersatiua,*autẽ*.

Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetarunt.) Innumerabiles interpretationes,& quia piget me, & quia nihil mihi habere videntur probabilitatis prætermitto.Eas tantùm recitabo,quas venerandos auctores habere video,quibus hoc debemus vt eorum sententias aut sequamur, aut honorificè certè recitemus.Omnes ferè veteres ita exponunt, vt legis vmbris Euangelij claritas,& lumen opponatur. Non enim de omnibus prophetis agi putant,sed de ijs tantùm,qui Christum prædixerant esse venturum. Illi enim omnes,& obscurè solo spiritu, & quasi longè adhuc remotum præuiderunt;& obscurioribus verbis indicauerunt: Ioannes & oculis præsentem vidit, & digito demonstrauit. In hanc sententiam Chrysostomus,Hieronymus,Beda, Euthymius hunc locum edisserunt.Quæ quidem vera sententia est; sed non satis apta,vt mihi videtur,interpretatio. Nec enim Ioannes à Christo inter nouos, sed inter veteris Testamenti prophetas,sanctósque numeratur. His enim confertur,*inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*.Illis opponitur, *sed qui minor est in regno cælorum,maior est illo*, vt illic copiosè disputauimus. Sensus ergo mihi videtur esse, legem, & prophetas vsque ad Ioannem Baptistam prophetasse id est viguisse, vim habuisse,officio suo functos esse. Legem enim,& prophetas totum vetus testamẽtum appellat,vt c.7.12. & 22. 40.& prophetare significat officio fungi prophetæ,sicut lib. 1. Esdræ c. 5. 1. dicuntur Aggæus,& Zacharias prophetasse.Itaque nihil aliud voluit Christus dicere,quàm legem, & prophetas vsque ad Ioannem Baptistam durauisse; vt facilè intelligitur ex antitheto,*A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cælorũ vim patitur*. Nam legi & prophetis regnum cælorum, id est veteri testamento, nouum;& verbo prophetandi,rapiendi, & vim patiendi verbum opponit:quasi dicat, vsque ad Ioannem lex vigebat,quæ solis Iudæis data erat, nec homines iuuabat,sed grauabat,ideo nemo in ea surrexit maior Ioanne Baptista;at deinceps remoto legis impedimento regnum cælorum vim patitur, & qui in eo minor est,maior est illo. Vnde apparet omnes illas quæstiones,quæ à multis pluribus verbis disputantur, an in nouo Testamento prophetæ fuerint,an de personis,vel de Scriptis prophetarum hoc, quod Christus dicit, intelligatur,locum non habere.Illud potius dicendum fuit, quomodo lex vsque ad Ioannem tantùm fuisse dicatur,cùm non statim abrogata fuerit,vt Ioannes venit;sed longo pòst tempore durauerit. Respõdeo primùm non esse sensum legẽ vsque ad Ioannẽ,id est vsque ad Ioannis nativitatẽ;sed vsque ad Ioannem, id est vsque ad Ioannis prædicationem viguisse.Deinde non significari tunc fuisse statim momento temporis extinctam, sed nascente Euangelio,mori cœpisse,vt explicauimus c.5.17.

14.*Et si vultis recipere.*) Chrysostomus duas affert rationes; quamobrem non dixerit absolutè, *ipse est Elias*.Altera est,quia ad fidem nemo cogi debet.quia nec fides est,si libera non est ac voluntaria, Altera, quam & Theophylactus reddit,vt significet Ioãnem esse Eliam,si velint attentè vtriusque officium & similitudinem considerare. Potiùs credo ideo ita locutum Christum,vt indicaret non esse verè Eliam, sed officio & effectu,quia quod Elias in secũdo eius aduentu hominibus præstiturus est, hoc Ioannes in primo præstabat;præstare autem nisi volentibus, recipientibúsque non poterat. Iden dicit,*si vultis recipere*,quasi dicat,si vultis recipere, erit vobis Elias, quia vos ad Deum conuertit, si non vultis non erit.

Ipse est Elias.)Promiserat Deus se Eliam missurum Malach.4.5.6.*Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam,an requam veniat dies Domini magnus,& horribilis:& conuertet cor patrum ad filios,& cor filiorum ad patres eorum* quod de secundo Domini aduentu intelligendum esse ex eodem loco perspicuum est.Itaque constantissima semper fuit Christianorum opinio, Eliam ante diem iudicij,qui terribilis,& magnus appellatur,re ipsa esse venturum:vt discimus ex Hippolyto in libro de consummat.mundi,ex Tertul. in lib. de anima, ex Origen. tract.3. in Matth. ex Ambrosio, aut alio,quisquis est, auctore commentariorum in epistolam ad Romanos.c.4.ex Chrysostomo homil.

Elias venturus ante diẽ iudicij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. in 2. epistol. ad Thes. ex Augustino libro 83. qq. q. 58. & tract. 4. in Ioannem, & Hieronymo in 17. c. Mat. ex Theodorito in comment. in 4. c. Malach. ex Gregorio lib. 9 in Iob. c. 4. & lib. 11. c. 9 & lib. 20. c. 25. & lib. 35. c. 10. Quod non ex illo tantùm Malachiæ; sed ex aliis quoque scripturæ locis confirmatur, Matth. 17. 10. 11. *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primum venire? at ille respondens ait eis, Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Idem Mar. 9. 11. 12. Eam quoque Iudæorum opinionem fuisse, etsi fortasse, quando venturus esset, non intelligebât, & ex ijsdem duobus locis, & ex Matth. c. 16. 14 & ex Mar. c. 6. 15. satis apparet. Dicit autem Christus Ioannem esse Eliam, non quòd Elias esset, id enim Ioannes ipse negarat. Ioannis c. 1. 21. sed quòd in spiritu, & virtute Eliæ venisset, vt angelus apud Lucã dixit. c. 1. 17. Ita nulla inter Christi & Ioannis verba est repugnantia. Augustinus tract. 4. in Ioan. & Gregorius hom. 7. in Euang.

Ioannes quomodo Elias.

15. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Audire hoc loco significat intelligere, & obedire, vt Lucæ. 16. *Qui vos audit, me audit,* & Matth. 18. 15. *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum,* & Mar. 8. 18. *aures habentes non auditis* Itaque indicat non omnes, qui habent aures habere aures audiendi, id est dociles, & obedientes, vt c. 13. 13. *videntes non vident, & audientes nõ audiunt,* & Isa. 6. 9. *Audite audientes, & nolite intelligere;* Solet Christus hac vti phrasi, cum de re maximè seria, & quæ maximè auditores attingit, verba facit; vt attentionem & studium auditorũ excitet, vt c. 13. 9. 43. & Mar. 4. 9. 23. & Luc. 8. 9. Ideo & hoc loco vsus est, quia plurimũ auditorum intererat, quæ dixerat, intelligere, legem & Prophetas vsque ad Ioannem tantum viguisse, postea regnum cælorum vim pati, id est nullum illis salutis remedium superesse, si in lege confidant, si Ioannem, & quem Ioannes indicabat, Christum non recepissent. Eodem fere sensu Chrysostomus, atque Euthymius exponunt.

16. *Cui autem similem æstimabo generationem istam.*) istud hominum, genus, Hebraismus נוֹ הזּאת, quos, & quare his verbis Christus reprehendat apparet ex Luca c. 7. 29. 30. 31. *Et omnis populus audiens* (quæ de Ioannes Baptista Christus paulò ante dixit) *& publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis; Pharisæi autem, & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsis. Ait autem dominus, cui ergo similes dicam homines generationis huius?* De Pharisæis ergo, & iuris peritis, id est de Scribis loquitur.

Similis est pueris.) Quod nonnulli dicunt vsitatum fuisse apud Iudæos puerorum ludum, vt in duos diuisi choros alij flerent, alij tibijs canerent, vtrique cantitarent, illi, *Lamentauimus vobis, & non planxistis*; hi, *Cantauimus vobis, & non saltastis*, quamuis Theophylactum in c. 7. Lucæ, & Lyranum hoc loco auctorem habeant, quia aut Hebræum, aut magis antiquum non habent, verisimile non videtur esse. Nec necesse est, vt ex re vsitata Christus similitudinem sumpserit; satis est, vt ex re, quæ aut soleret, aut posset fieri. Aliquando enim non transferimus, sed fingimus similitudines: quemadmodum si diceret, perinde Scribæ & Pharisæi sese habent, atque si pueri ludentes in foro dicerent, *lamentauimus vobis, & non planxistis.* Multò maior est in similitudinis accommodatione difficultas. Videtur enim Scribas, & Pharisæos pueris, qui lamẽtati sunt, & cecinerunt, comparasse, quique æqualibus suis dicunt, *Cecinimus, vobis, & non saltastis, lamentauimus, & non planxistis*; cùm illis potius comparare debuisse videatur, qui alijs canentibus saltare; lamentantibus plangere noluerunt. Euthymius pueros Christũ, & Ioannem propter innocentiam vocari putat, quibus Iudæi dicunt, *Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentauimus vobis, & non planxistis*, sensu menti Christi prorsus contrario. Hieronymus, & cæteri omnes auctores Christum, & Ioannem esse pueros, qui cecinerunt, & lamentati sunt; nam Christus ab hilari & communi hominum vita non abhorrens, canere; Ioannes cilicio indutus, & in solitudine durissimam vitam agens lamentari videbatur. Paullò propius sensum videtur Hugo Cardinalis attigisse; scribit enim non personas personis; sed negotium negotio; nec partes partibus; sed totum toti comparari: sensum enim esse, perinde se Scribarum & Pharisæorum causam habere, atque si pueri dicant sodalibus suis *cecinimus vobis &c.* Sic enim posse illis, Ioannes vobis lamentatus est, & non planxistis; filius hominis cecinit, & non saltastis. Hunc esse verum sensum ver. 19 magis probabimus. Nunc satis est, vt moneamus valde esse vsitatum, vt in Parabolis non personæ; personis, nec partes partibus; sed totum negotium, toti negotio comparetur c. 13. 24. *Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semẽ in agro.* Non enim regnum cælorum homini, sed potius semini, aut agro simile est. Itaque sensus est, idem accidit in regno cælorum atque si quis seminasset bonum semẽ in agro suo; & ibidem vet. 45. *simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Non enim homini, sed potius margaritæ simile est; & idem accidit in regno cælorum, atque, si quis quærat bonas margaritas, inuenta autem vna pretiosa margarita vendat omnia, quæ habeat, & emat eam, Sexcenta sunt exempla generis eiusdem. Itaque frustra laborat, qui anxiè quærit, quomodo personæ personis partes partibus respondeant. Totum sententię corpus intuẽdum est, & integrum ex integra parabola trahẽdum; ne in partes diuisum pereat atque dissoluatur.

18. *Neque mãducans.* Nõ manducasse dicitur, quia nemo eum manducare viderat; aut quia parce admodũ, & leuiter manducabat; aut quia non more aliorum hominũ, sed ferarum potius cibis vinebat.

Dæmonium habet.) Nihil vspiam alibi legimus auersus Ioannem à Iudæis dictum esse, sed & ex hoc loco manifestum est à nonnullis pro dæmoniaco habitum fuisse; quemadmodum nunc, quis arctius vitæ institutum sectantur, non solùm ab hæreticis, sed à plerisque etiam Catholicis pro stultis haberi solent, & experientia docet insignem virtutem inuidia & obtrectatione carere non posse.

19. *Venit filius hominis.* Cur Christus filius hominis appelletur diximus c. 8. 20.

Et iustificata est sapientia à filijs suis,) Difficilis locus. Consistit autem tribus in rebus difficultas, primùm, quid vocetur sapientia; deinde qui filij sapientiæ appellentur; postremò quid sit iustificari. Alij Christum ipsum, alij diuinam prouidentiam sapientiam vocari dicunt. Filios autem sapientiæ alij Christum & Ioannem; alij Iudæos, qui eos receperunt, alij eos, qui non receperunt, appellari. Alij filios sapientiæ vocari negant, dicentes relatiuum *αὐτῆς*, non ad sapientiam, sed ad *γενεὰν* generationem referendum, vt sit sensus, *iustificata est sapientia à filijs eius*, id est generationis huius. Sed isti, vt apparet, Græca sciebant, Hebraica nesciebant. intellexissent enim Hebraismũ esse, quo sapientes filij sapientiæ appellantur. Iustificari autem alij pro laudari, alij pro liberari, alij pro iustam apparere posita putant. Itaque nonnulli sic exponunt, *iustificata est*, id est liberata ab omni calumnia, & accusationis iusta causa, *sapientia*, id est diuina prouidentia, *à filijs suis*, id est à me, & à Ioanne, qui filij sapientiæ, id est sapientes sumus; liberata autem est, quia effecimus quidquid diuersis modis fieri potuit,

vt homines

vt homines ego canendo, ille lamentando ad salutem adduceremus; ita vt nemo possit diuinam erga homines sapientiam, prouidentiãmque desiderare. Huic interpretationi repugnat, quod Lucas dicit c. 7. 35. *ab omnibus filijs suis*, quod de solis Christo, & Ioanne dici non potuit. Alij *iustificata est*, id est cognita, laudata, & pro iusta habita diuina erga homines *sapientia à filijs suis*, id est ab ijs, qui verè, sapiẽtes erant eam; amplexi sunt. Ita Hieronym. Beda, & Euthymius. Alij *iustificata*, id est libera est, sicut qui mortuus est, iustificatus est à peccato, id est liberatus, ita vt iam peccare non possit Rom. 6. 7. *sapientia* diuina prouidentia *a filijs suis* à Scribis & Pharisæis, qui filij sapiẽtiæ, id est sapientes appellantur, non quòd sint, sed quòd sibi esse videantur; aut quòd esse debeant sapientes, vt infra ver. 25. ita vt non habeant, quod diuinam prouidentiam accusare possint. Sic Chrysost. Ego sapientiam, vt Chrysost. Hieronym. Beda, & Euthym. diuinam prouidentiam vocari arbitror; filios autem sapientiæ omnes Iudæos, & eos qui sapientiam receperunt, & eos qui reiecerunt, non quòd sapientes aut essent, aut esse deberent, aut esse sibi viderentur, sed quòd essent quasi pueri & discipuli diuinæ prouidentiæ, quæ Iudæos peculiariter, tanquã proprios filios, gubernabat; propterea enim in pueris, non in viris similitudinem proposuit. Iustificatam autem esse ab vtrisque & bonis, & malis, id est iustam declaratam, dum canente Christo, & lamẽtante Ioãne alij saltauerunt, id est Christum; alij planxerunt id est Ioannem secuti sunt, alij autem neque plangere, neque saltare voluerunt; ij enim qui saltarunt, Christi exemplum secuti dicere possunt Scribis & Pharisæis, *cecinimus vobis, & non saltastis*, nam & illi canere dicuntur, quia canentem Christum imitati sunt, & alijs Iudæis, vt saltarent exemplum præbuerunt. Qui verò secuti sunt Ioannem lamentati cum illo sunt & Scribas, ac Pharisæos exemplo, vt idem fecerunt, prouocarunt; sed plangere noluerunt; solus autem Christus & Ioannes nominantur, quia ambo, ille canentium, hic lamentantium duces erant. Vtrique ergo & qui crediderunt, & qui non crediderunt diuinam sapientiam iustificarunt; illi eam amplectendo, hi quia illis eã amplectẽtibus repudiarũt; nã dum nec Christi cantu, nec Ioannis lamentationi credere voluerunt, satis ostenderũt se nullo modo velle credere, & per se, nõ per diuinam stare sapientiam, quominus conuerterentur. Vt ita exponam, mouet me primum sententia, quæ hoc modo plenior, grandior, & Christi maiestate dignior est, vt ipsimet filij sapientiæ eam iustificarẽt, siue recipiant, siue non recipiant. Itaque præpositionem ἀπὸ a contra multorum opinionem personam agentem, non materiam, significare arbitror. Infinitis enim locis pro ὑπὸ poni solere nemo mediocriter in lingua Græca versatus ignorare potest. Deinde coniunctio ἀλλ', quæ hanc videtur habere vim, vt significet ipsosmet filios sapientiæ, id est discipulos magistrum alios discendo, alios non discendo iustificasse. Certè illam interpretationem quorundam admittere hæc particula non potest, qui exponunt sapientiam à filijs suis, id est, ab iis tantum, qui eam receperunt, iustificatam. Non enim dixisset ἀλλ', sed ἀλλὰ, *verumtamen*. Nam etsi scio aliquando ἀλλ' pro ἀλλὰ, vt Hebraicè poni soleret; tamen hoc loco id prorsus violentum videtur, vbi omnia nos verba in naturalem ducunt significationem.

20. *Tunc.*) Cum discipulos ad prædicandum mitteret Euangelium, vt constat ex Luca c. 10. 13. Inde enim videtur occasionem sumpsisse ea, quæ sequuntur, dicendi, quòd Apostolos ideo ad remotas mitteret ciuitates, quia Corozain, Bethsaida, & Capernaũ in quibus diu non discipuli; sed magister ipse Christus prædicauerat Euangelium recipere noluissent.

Locus circa quæstionem prædestinationis explicatur.

21. *Væ tibi Corozain.*) Corozain, Bethsaida, & Capernaum Galilææ ciuitates erant prope lacum Genesareth, in quibus frequentissimè Christus cum suis discipulis Euangelium prædicans, & miracula faciens versabatur. Ideo illis exprobrat incredulitatem.

Si in Tyro & Sidone.) Tribus de causis has duas ciuitates duabus illis opp onit, primùm quòd Gentiles essent; deinde quòd vicinæ; postremò quod idololatræ, delitijs, auaritia, & omni vitiorum genere corruptissimæ, vt prophetæ Isaias, & Ezechiel sæpe testãtur, Isai. 23. 1. Ezechiel. 26. 2. 27. 3. & 28. 2. 11. Amos. 1. 9

Olim.) Ia m diu, non expectassent tãdiu, quàm vos non tot exhortationes, nõ tot miracula desiderassent

In cilicio & cinere.) Id est maximam egissent pœnitentiã. Ille enim grauissimæ pœnitentiæ habitus erat Isai. 58. 5. Ierem. 6. 26. & 25. 34. Thren. 2. 10. Daniel. 8. 3. Quemritum Gentiles quoque imitatos fuisse cõstat ex Ioan. c. 3. 6. Quæstionẽ de prædestinatiõe, quẽ hoc loco nonnulli excitant, ideirco prætermitto, quia & maior est, quàm vt in commẽtario includi possit; & ad huius loci explicationem non necessaria. Tantùm dico, quòd nonnulli ex hoc loco collegerunt, Deum ideo multis gratiam ad salutem necessariam non dare quòd prædestinati nõ sint, meo iudicio colligi nõ posse. Nec enim hîc de necessaria gratia; sed de superabundante, id est de miraculorum magnitudine, multitudinéque agebatur. Deinde quia Gentiles, nõ Iudæi erant, qui poterant seruata lege naturæ omniũ cõfessione salui esse; lex autẽ naturę satis illis erat ab ipsa natura predicata. Postremò quia Scribæ & Pharisæi, quorum Christus incredulitatem reprehendit, aut omnes, aut magna ex parte reprobati erãt, & tamen illis Euangelium prædicatum, tamen illis multa, magnaque miracula facta; non ergo Tyrijs, & Sidonijs ideo non prædicatũ Euangeliũ, ideo nõ facta miracula, quòd prædestinati non essent. Cur ergo Christus qui eos crediturosscie bat illis non prædicauit? in promptu est ratio; non erat missus, nisi ad oues quæ perierãt domus Israël. Cuius rationis ratio etiam cõstat, quia cũ Abrahamo pactũ propter eius singularẽ fidẽ inierat; & debuit fidẽ suã liberare. Postea & Tyris, & Sidonijs, sicut alijs omnibus gẽtibus, prædicatũ est, & quicunque voluẽre crediderũt

23. *Et tu Capharnaum.*) Nominat separatim, & vltimo loco, & per apostrophem Capharnaum; quia in ea frequentior fuerat, adeo, vt propter assiduam in ea commorationem eius patria vocaretur c. 9. 1. & quia cum maior esset, atque maritima, credibile est pluribus virtis abundasse; vt maritimæ frequentésque ciuitates abundare solent.

Nunquid vsque in cælum exaltaberis.) μὴ ἕως ὑψωθήσῃ, quæ vsque ad cælum exaltata es, vt Luc 10. 15. in eadem sententia legitur, & vt legunt Chrisost. Euthym. & Theophyl. & Hieron. admonet se in nonnullis legisse codicibus. Sensus non est diuersus, sed est magis perspicuus. Noster vero interpres videtur pro ἦ legisse ἢ & pro ὑψωθήσῃ ὑψωθήσει.

Vsque ad infernũ descendes.) καταβιβασθήσῃ deprimẽris non enim sponte descender, sed vi detrudetur. Solet Deus hac phrasi superbis, ac gloriosis ciuitatibus interitum cõminari, quia semper illud verum est; *qui se exaltauerit, humiliabitur*, c. 23. 12. Ierẽ. 49. 16. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem cæli. Cùm exaltaueris, quasi aquila nidũ tuum, inde detraham te, dicit dominus.* Abdiæ 1. 4. Christus autẽ hoc loco non de vrbis excidio, sed de æterna ciuiũ damnatione loquitur; quod nõ de omnibus, sed de pluribus, aut de præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

puis,quales erãt Scribæ & Pharisæi,est intelligendũ

*Si in Sodomis.*Sodoma proponit,quia corruptissima fuerant,& singulari excidio nobilissima,vt supra c.10.15.& Exechiel.16.46.48.49.

Forte manssissent. Forte hoc loco,,non est dubitãtis sed affirmantis ἀν vt supra vers.21.quòd idẽ interpres videns non significare dubitationem,vertendum nõ putauit.

24.*Terræ Sodomorum,*)Vide quæ diximus c.10.15.

25.*In illo tempore.*)Postquam discipuli ad prædicãdum missi redierunt,vt apparet Luc.10.21.ex eorum enim gaudio & gloriatione quòd in nomine Christi etiam dæmonia sibi subijcerentur, benèque omnia successissent, occasionem Christus accepit dicendi, quæ sequuntur,vt notauit auctor imperf.hom.28.

Respondens.) Orsus. Hebraismus.Apud Hebræos ענה respondere, non solùm significat interrogantibus,aut prius locutis reddere responsum;sed sæpe etia exordiri loqui,vt Euthymi⁹,tametsi auctor minimè Hebræus obseruauit.Quanquam sunt,qui hoc loco suam proprietatem retinere putent; significatéque responsum, quod Christus gloriantibus Apostolis reddidit.Sed Lucas c.10.21.post responsum Christi ponit,& apertè ab illo distinguit.

Confiteor.)Gratias ago,laudo te'alter Hebraismus יד quod & confiteri,& gratias agere,& laudare significat.Quod in psalmis passim occurrit Psal.6.6.&7.18.&9.2.&17.50.Id Hiero.Chrysho.9.Auguſt.q.9.in Matth.Beda,Theophylact,Euthym.& nemo non adnotauit.

Tibi pater domine cæli,& terræ.)Obseruarunt aduersus Arianos Athanasius in epistola ad Marcũ Rom.Pontif.& Cyrillus lib.5.thesauri.c.5. interpunctionẽ inter nomen patris,& domini à Christo studiosè, & significanter adhibitam,ne Deum non solum patrem sed etiam dominum suum vocare videretur.Patrem enim non cæli ac terræ; sed suum dominum verò non suum,sed cæli appellat, & terræ.

Quia abscondisti hæc.)Quæ mysteria regni cælestis quæ & ipso,& Apostolis prædicantibus,& miracula facientibus paruuli perceperunt,sapientes reiecerũt.

A sapientibus,& prudentibus,& reuelasti ea parunlis.) Quidam sapientes Iudæos legis ornatos scientia paruulos Gentiles intelligunt, quia Dei, legisque non habebant cognitionem,vt auctor imperf.Theophyl. sed nondum erat gentibus Euangelium prædicatum. Melius Chrysostomus, Hieronymus: Euthymius, & Beda sapientes Scribas Pharisæos, & eorum similes;paruulos Apostolos intelligunt.Quanquam mihi non videtur paruulos tam Apostolos quàm qui illis Christóque prædicantibus credidérant appellare; de fructu enim prædicationis,vt ex Luca cõstat,agebatur.Illos sapientes vocat,non quòd essent; sed quòd esse deberent;aut quòd esse sibi viderentur, vt ait Hilarius;vel quòd sapientes re vera essent, non tamen secundum spiritum;sed secundùm carnem, vt Chrysost.Ea enim sapientia *stultitia est apud Deum* 1. Cor.3.19.ea *legi Dei non est subiecta* Rom.8.7.Eiusmodi sapientes non crediderunt, *Videte vocationem vestram fratres,quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes,non multi nobiles* 1.Cor.1.26.Quare *si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat,vt sapiens sit.* 3.18. Eos autem qui crediderãt *vinia* infantes paruulos,vocat,quia *malitia paruuli* erant,vt ait D. Paulus 1. Cor. 14.20. & *sicut modo geniti infantes.* 1. Petri 2. 2. Mirum fide potest, quam obrem Christi gratias patri agat, quod Euangelium sapientibus abscondetit, quasi ob eorum damnationem gratuletur.Respondet Chrysost.Christum non agere gratias, quòd sapientibus abscondebat; sed quòd cum illis absconderit, paruulis reuelauerit.Atabscondit certè.Non propriè dicitur abscondisse. Nec enim abscondit propriè, qui ideo filium suum misit, vt Euangelium illis sicut & cæteris omnibus Iudæis,reuelaret: sed abscondisse dicitur, quia nolentibus recipere retraxit,quia noluit vi intrudere, quia noluit indignis dare, vt Chrysost. & Theophylact.docent. Denique ita illis pater Euangelium abscondit,sicut eos filius excæcauit Ioan.9.39. *In iudicium ego in hunc mundum veni,vt qui non vident videant, & qui vident,cæci fiant.*

Quæ sequuntur

26. *Ita pater.*) ναὶ ὁ πατὴρ, ne pater;quod Hieronym. hoc sensu interpretatur, quasi Christus dicere voluerit,macte pater, perge ita facere, quemadmodum cœpisti. Alij, *ita pater,* factum est,*quia sic placitum fuit ante te,*quasi non alia eius rei,quam Dei voluntas,qua eos reprobauerat,caussa reddatur, vt, qui nullã,præter Dei voluntatem,reprobationis causam esse volũt. In quo errore omnes nostri temporis hæretici pertinacissimè versantur.Sed quomodo,& quã ob causam Deus illis absconderit, versu superiore exposuimus. Ego igitur sic interpretor. *Ita pater,*supple,*confiteor,*ex superiore oratione,quasi dicat,etiam atque etiam pater gratias tibi ago, quòd sic facere voluerit, vt cùm sapientes Euangelium recipere noluerint,paruulis nõ sis dedignatus reuelare.Solet enim Christus hac phrasi,quod ante dixerat repetere,& magis ac magis confirmare,sicut cùm Latini dicunt, etiam atque etiam: aut enimuero,vt Lucæ 12.5.*ostendam autem vobis,quem timeatis:timete eum,qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in Gehennam.Ita dico vobis,hunc timete.*

Quoniam sic fuit placitum ante te.) Hebraismus,quia ita tibi visum est.

27.*Omnia mihi tradita sunt.*) Qua ratione hæc cum superioribus hæreant,facile nõ apparet. Plerique veteres interpretes putant ideo hæc dixisse Christum, ne paullo ante tanquam minor gratias patri egisse videretur,vt Hilarius,Athanasius in orat.de æterna substan.filij, & spiritus sancti cum Deo, contra Sabelij gregales, Chrysost.Euthym. & Theophylactus hoc loco. Potius credo ideo dixisse, vt rationem redderet eorum,quæ vers.28.29.30.dicturus erat,*venite ad me.* Itaque non sunt cum præcedentibus;sed cum sequentibus copulanda.

Omnia.) Hieronymus,& Beda *omnia* interpretantur omnes homines, qui veniunt ad patrem, vt Ioan. 6.39 *Hæc est voluntas eius qui misit me patris vt omne,quod dedit mihi non perdam ex eo,* & c.18.9 *quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam:*Hilarius verò & Euthy.illa,quæ sola nota sunt patri,quæque ad naturam diuinam pertinent,vt Ioan.16,15. *Omnia, quæcunque habet pater mea sunt,propterea dixi quia de meo accipiet.* Irenæus verò lib.4.c.37.& Tertul.in 4.lib.contra Mar. omnia, quæ per ipsum facta sunt, interpretantur. Auctor imperf.omnia regna cælestiũ terrestrium & infernorũ. Chrysostomus,omnis potestas miracula faciendi.Quæ omnia vera quida sunt,sed non videntur ad hunc locum aptè hærere Itaque malim per *omnia* omnem potestatem gubernandi, seruandique homines intelligere,vt infra.c.28.18.*Data est mihi omnis potestas in cælo,& in terra.*Inuitat enim homines, vt ad se veniant,quia potestatem habet seruandi eos *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis,& ego reficiam vos.*Potest quæri,qua ratione loquatur Christus,vt Deusne, an homo?; Theophylactus,& vt videtur etiam Hilarius,& Euthym.vt Deum loqui putant; sed tantùm significare se vnà cum natura diuina omnia à patre accepisse; quemadmodum si pulchri patris pariter pulcher dicat filius se omnem pulchritudinem à patre suo habuisse;nec enim propterea minorem se illo esse significabit. Itaque nihil Ariani ex hoc loco contra Christi diuinitatem argumentari possunt. Fuisse enim solitos obiicere Cyril. lib.10 thes. c.10.auctor est. Auctor vero imperfecti vt hominem loqui dicit,quòd cum superiore nostra interpretatione magis conueniat:nam vt homo, hominum caput est.Quanquam verba illa apud auctorem operis imperfecti adiecta ab aliquo fuisse suspicor,vt eius errorem emẽdaret.Sæpe enim animaduerti omnes fere locos,vbi auctor ille de Christi diuinitate agit,simili ratione esse vitiatos.

*Et nemo nouit filium,nisi pater,*Chrysost.valde probo sententiam,qui ὡσὰν κοινὸν ex membro sequenti intelligendum putat,*aut,cui voluerit pater reuelare,*vt c. 16. 17.*Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi,sed pater meus,qui in cælis est.* & Ioan.6.44. *nemo potest venire ad me nisi pater, qui misit me traxerit eum.*Alioquin hæc verba frustra addita esse viderẽtur.Nũc autẽ ideo addita esse apparet,ne quis miretur,si Scribæ & Pharisæi Euangelio non credant;nõ enim possunt filium cognoscere,nisi pater,qui solus eum nouit,reuelauerit;nec ad eũ venire,nisi pater, eos traxerit.Trahit autem volentes,non trahit, qui nolunt.Quod autem dicit neminem filiũ nosse,nisi patrem; & patrem neminem,nisi filium; non de natura solùm diuina,sed etiam de patris consilijs,& filij officijs intelligendum esse videtur Nemo enim nouit patris consilia,qua ratione velit homines seruare,nisi filius;& nemo nouit filij officiũ,cuius caussa in hunc mundũ venit,nisi pater.Hic enim sensus ad id,quod agitur,magis est accõmodatus, *venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos.*

28. *Qui laboratis.*(οἱ κοπιῶντες,qui lassi,qui fatigati estis.Qua re;peccatis degrauati,vt Chrysost.Hieronym.Auguſt.ser.11.de verbis Domini secundũ Matt. & Euthym.interpretantur.*Lassati:* (inquit ille) *sumus in via iniquitatis.* Sap. 7.5. & *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum,& sicut onus graue grauatæ sunt super me.*Ps.37.5.Alij ad graue legis iugum putãt alludere in quibus Hilarius est,& Theophylactus,quasi iugo legis Euangelicum iugum opponatur. *Iugum enim meum suaue est,& onus meum leue.*Quod mihi non displicet,modo peccata non excludantur,quæ lex aggrauabat potius,quàm alleuabat. Eò enim videtur in primis spectasse Christus.

29.*Tollite iugum meum* Euangelium Hilar. & Beda.

Et discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.) Omnes fere auctores ita interpretati sunt,vt sensus sit, discite meo exẽplo mites & humiles esse, vt Chrysost hom.39.& Augustinus ser.10 de verbis Domini secundum Matth.cuius illa est à cõcionatoribus decantata sententia.*Discite a me non miracula facere, non omnia visibilia,& inuisibilia creare, sed quoniam mitis sum & humilis corde.*Vera omnino sententia,non propria tamen interpretatio. Vult enim probare Christus iugum suum suaue esse, & onus suum leue. Itaque verus mihi videtur esse sensus,quem auctor imperf. animaduertit, *Discite a me,* id est sublato iugo meo experimini me mitem esse,& humilem corde. Inuitat enim, vt ad se veniant, quòd non tyrannus, sed benignus, & mansuetus Dominus sit; nec vult sibi credere,sed sublato iugo experiri.

30. *Iugum enim meum suaue est.*) χρηστὸς lene,vocat iugum epitheto moribus suis accommodato.χρηστὸς enim,bonus, probus, benignus, suauis non tam ad res,quàm ad personas,& mores pertinet;quasi dicat iugum meum non est iugum hominis crudelis,quale solent huius mundi reges suis populis imponere, sed benigni, suauis,& clemẽtis patris.Excitat in cõmentarijs huius loci quæstionẽ Hieron. quo modo Euangelicum iugum suaue,& onus leue esse dicat, cùm multò grauius, quàm legale esse videatur. In lege homicidiũ,in Euangelio verbum Racam;in lege adulterium,in Euangelio mulieris ad concupiscendum aspectus hominẽ damnat, c.5.22.28. Respondeo quatuor de causis dici leuius: Prima est,q̃ in Euangelio non sint nisi necessaria ad salutem præcepta, quæ natura ipsa docet, quæque vno verbo continentur; *omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* c.7.12.vt hoc loco docet Hilarius. In lege autem Mosis infinita erat præceptorum multitudo,quæ nõ ideo data fuerant,quòd ad salutem natura sua essent necessaria,sed vt seueriore disciplina rudem populum exercerent. Quò spectant Petrus,Act.15.10. *Quid tentatis Deum,imponere iugum super ceruices discipulorum,quod neque patres nostri,neque nos portare potuimus.* Secunda,quòd sublata supplicia illa grauissima,quæ lex comminabatur, *dentem pro dente,oculum pro oculo. Lex enim iram operabatur,*Ro.4.15. spiritus legis, spiritus erat timoris, & seruitutis, Rom. 8.15. *non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore;sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* Spiritus Euangelij spiritus est charitatis,benignitatis,& mãsuetudinis. Itaque volentes aliquando discipulos ignem de cœlo deuocare, vt Samaritanos,qui Christum recipere noluerant, absumeret, *nescitis,* inquit, *cuius spiritus estis.* Tertia, quia in lege omnia vi fiebant, quæ res leuissimas grauissimas reddit.in Euangelio omnia charitate,& voluntate fiunt, & nihil graue, ac difficile volenti. *Hæc* (inquit Ioannes) *est charitas Dei,vt mandata eius custodiamus ,& mandata eius grauia non sunt, quoniam omne quod natum est ex Deo,vincit mundum,*1.Ioan.5.3. 4. quam rationem Hieron. reddit. Quarta,quia lex onerabat, non iuuabat: in Euangelio autem vnà cum onere spiritus datur,qui adiuuabat infirmitatem nostram,vt Aug.respondet,ser.9.de verbis Domini secundum Matth.

Exod. 20. 24.

Luc.9.55.

Iugum Euangelij leuius iugo legis 4. ob caussas.

CAPVT XII.

1. IN illo tempore abijt Iesus per sata sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas,& manducare. 2. Pharisæi autem videntes,dixerunt ei Ecce discipuli tui faciunt quòd non licet facere sabbatis. 3. At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid,quando esuriit, & qui cum eo erant: 4. quomodo intrauit in domum Dei & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his,qui cum eo erant,nisi solis sacerdotibus? 5. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant,& sine crimine sunt? 6. Dico autem vobis,quia templo maior est hic. 7. Si autem scieritis,quid est: Misericordiam volo,& non sacrificium:nun-

Mar.2.d. 23. Luc.6.a.1

1.Reg.21. a.4.

Num.28. b.9. Leu.24.b. 2.

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Osee.6.c.
6.

quam condemnassetis innocentes: 8. Dominus enim est filius hominis etiam sabbati 9. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. 10. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? vt accusarent eum. 11. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, & si ceciderit hæc sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? 12. Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere. 13. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera. 14. Exeuntes autem Pharisæi, concilium faciebāt aduersus eum, quomodo perderent eum. 15. Iesus autē sciens recessit inde: & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes, 16. & præcepit eis ne manifestum eum facerent. 17. Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: 18. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit. 19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: 20. arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiciat victoriam iudicium: 21. & in nomine eius Gentes sperabūt. 22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens cæcus, & mutus, & curauit eum ita vt loqueretur, & videret. 23. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic est filius Dauid? 24. Pharisæi autē audientes, dixerunt, Hic non eiicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmonorum. 25. Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se, non stabit: 26. Et si satanas satanam eiicit, aduersus se diuisus est quomodo ergo stabit regnum eius? 27. Et si ego in Beelzebub eiicio dæmones, filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. 28. Si autem ego spiritu Dei eiicio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei. 29. aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem? & tunc domum illius diripiet. 30. Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum spargit. 31. Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. 32. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. 33. Aut facite arborem bonam, & fructum eius malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. 34. Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. 35. Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala. 36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. 37. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. 38. Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister volumus à te signum videre. 39. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. 40. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. 41. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eum: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic. 42. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic. 43. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca aridæ quærens requiem, & non inuenit. 44. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et inuenies inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. 45. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. 49. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris quærentes loqui ei. 47. Dixit autem ei quidā: Ecce mater tua, fratres tui foris stant quærentes te. 48. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? 49. Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. 50. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror & mater est.

Mar.3.d.
28.
Luc.11.b.
17.

Luc.6.g.
45.

Ioſ.16.a.
12.
Luc.11.c.
29.
1.Cor.1.
d.22.
Ioan.2.a.
2.
Ioan.3.b.
1.
3.Reg.10.
a.1
2.Par.9.
d.1.
Luc.11.c.
24.
1.Pet.2.
d.20.

Mar.3.d.
31.
Luc.8.c.
20.

IN CAP. XII.

1.

ABIIT Iesus per sata sabbato.) Nihil esset hoc loco difficultatis, si solus Matthæus hanc narrasset historiam. Nunc autem, quia Lucas c. 6. 1. eandem recensent dicit id in sabbato δευτεροπρώτῳ secundo primo accidisse; intelligit hic locus non potest, nisi ille Lucæ intelligatur; quem non video satis apud interpretes explicatum. Ponam, vt soleo in rebus difficilioribus, aliorū primùm opiniones, deinde meam adiūgam. Multi putant sabbatum δευτεροπρώτον, secundo primum appellari solitum fuisse octauum diem eorum festorum, quæ per octo dies continuos agebantur; quale erat festum azymorum & tabernaculorum. Octauus enim dies eodem ritu, cæremoniáque, quo primus celebrabatur Leuit. 23. 36. 39. & Numer. 29. 35 secundo verò primum appellatum, quòd, cùm primo celebritate pareret, secundus tamen ab eo esset, loco. Illud ergo, de quo Matthæus hic, & Lucas illic agit, fuisse diem octauum azymorum; sic Epiphanius hæres. 51. & plerique recentiores, Alij primum diem azymorum ita vocatum quòd secundus esset à Pascha, vt Euthymius. & Isidorus apud D. Thomam. Alij fuisse sabbatum, quòd proximè sequebatur festum aliquod, quod, in feriam sextam incidisset, vt Theoph. & Chrysost hom. 40. Alij secundum aliquod, id est minus festum, quale neomeniæ. Alij geminum sabbatum; sabbatum ordinarium, quod septimo quoque die recurrit, & festum aliquod, quod in idem sabbatū incidisset, omne enim festum sabbatum vocabatur. Mihi quædam videntur certa esse principia, ex quibus eius loci explicatio necessariò colligenda sit. Primùm est, Lucam cum sabbatum illud vocauit secundoprimum, nō aliquod è pluribus, quæ secundoprima dicerentur: sed vnum certum sabbatum significare voluisse, quod solum ex omnibus secundoprimum appellaretur. Voluit enim Lucas diem certum describere, vt meliùs occasio calumniæ Pharisæorum intelligeretur, Ex quo omnes illæ interpretationes refelluntur, quę vnum è multis fuisse volunt; vt Euthymij, Isidori, Chrysostomi, & Theophylacti. Secundum est, fuisse illud sabbatum eo tempore, quo segetes maturæ erāt sed teneræ, & necdum messæ; alioqui discipuli non vellissent, & confricuissent spicas. Ex quo refellitur Epiphanij sententia, & eorum omnium, qui sabbatum secundoprimum diem aliquam azymorum interpretantur; nec enim die decimoquinto, aut vigesimo Martij spicæ maturæ esse potuerunt. Quod enim quidam adnotarunt in Palæstina eo tempore propter vehementem calorem segetes solitas maturescere; fictum esse arbitror. Nam nec illi probare possunt; & nos possumus scriptura experientiaque refutare. Ioannes enim testatur tempore passionis Christi frigus fuisse, & se homines ad ignem calefecisse; & festum primitiuorum celebrabatur quinquagesimo die post Pascha; celebrabatur autem simul atque prima falx in messem mittebatur, Deut 16. 9. non ergo poterant in festo azymorum, id est quinquaginta ante diebus segetes esse naturæ. Experientia verò docet non solum in Palæstina, sed neque in multò calidioribus. Africæ regionibus segetes tam citò maturescere. Ex quo etiam sequitur non potuisse sabbatum illud esse in festo, vt alij putant, tabernaculorum quod mense 7. celebrabatur. Leuit. 23. 34. quia iam segetes collectæ erant. Tertium est, quod ex Hebræorum accipimus traditione, vt c. 26. dicturi sumus post exilium Babylonicum nunquam Iudæos vnum festum postridie alterius celebrasse, ne populus duos continuos dies quiescere cogeretur. Vnde eorum refutatur opinio, qui sabbatum secundo primum vocari putant, quòd festum aliquod proximè sequeretur. Sequitur ergo sabbatum secundoprimum non potuisse esse, nisi festum Pentecostes, aut, quod idem erat, primitiuorum, quia non nisi vnum erat, quale diximus D. Lucam proprio nomine designare voluisse; & in illud tempus incurrebat, quo & segetes maturæ erant, & nondum messæ, & ad ipsum significandū celebrabatur. Reliquū est quærere, cur secundoprimum appelletur. Nihil compertū habeo; quorundam tamen coniectura probabilissima mihi, videtur, ideo ita vocari, quòd, cum tria essent præter sabbatum prima, id est præcipua festa, azymorum, primitiuorum, & tabernaculorum (omnia quippe alia, vt neomeniæ, multo erant minora) inter illa festū primitiuorum, & loco, & celebritate secundum esset à primo. Obijciunt quidā in omnibus festis excepto sabbato liquisse cibos parare Exod. 12. 16. Itaque nō potuisse Pharisæos accusare discipulos, quòd spicas cōfricarent. Respōdeo nō accusasse, propterea quòd parabant cibos, sed propterea quòd spicas colligebāt quasi quoddāmodo meterēt, quod in nullo festo die facere licebat. Deinde potuisse illos immeritò, vt solebant discipulos accusare. Et quidē Irenæus lib. 4. c. 20. scribit nō fuisse prohibitū in sabbato, & festis spicas vellere; sed metere. Sed responsio Christi ostendit feciſſe discipulos, quod alioqui in eo festo facere non licuisset, nisi necessitas eos, vt Dauidem; & Domini præsentia, qui templo maior erat, vt sacerdotes excusasset. Potest etiā obijci Græce numerum esse plurū ἐν τοῖς σαββάτοις in sabbatis quod occasionem nonnullis præbuit, vt existimarent non vnū tantùm festum, sed duo aut plura significari; quæ aut eodem die, aut vnum postridie alterius celebrarentur. Facilis responsio pluralem numerum pro singulari Hebræorū more positum esse, quo nō multa sabbata, sed vnum è multis sabbatis significatur, vt ver. 5 & 10.

Desabbato secundo primo, quæ sito.

2. *Pharisæi autem videntes dixerunt ei,*) Lucas c. 6. 2. scribit Pharisæos non Christo, sed discipulis dixisse, cur facerent, quod illis in Sabbato facere non liceret Responderi potest, aut vtrisque, primùm, discipulis, deinde Christo dixisse; aut Christo tantùm, qui respondit. Sed Lucam ideo dicere discipulis dixisse, quia quod magistro dixerunt, non solum de discipulis sed etiam discipulis ipsis dixisse videbantur. Adnotauit ad hūc locū D. Thomas nō accusasse Pharisæos discipulos, quòd ex agro alieno spicas colligerēt quia id lege permissū erat. Deut. 23. 25. *Si intraueris segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; falce autem non metes.*

3. *Non legistis.*) Objicit opinione scientię legis inflatis legis ignorantiam, vt Euthymius adnotauit.

Et qui cum eo erant.) 1. Regum c. 21. 1. dicitur solus fuisse Dauid; itaque non videntur hæc verba cum historia, ad quam alludunt conuenire. Respondent quidam fuisse quidem solum, cum in sacerdotis domū ingressus est, sed aliquos habuisse comites, qui illum alio loco opperirentur, sicut ipse sacerdoti dixit: *nam & pueris meis condixi in illum, & illum locum.* ver. 2. Alij habuisse etiā cū comites secū; sed sacerdotē, vt ait eo loco Lyranus, rogasse, cur solus esset; nō quòd solus esset; sed quòd cum multis militibus cinctus esse soleret, paucos tunc haberet; sicut regem dicimus ire solū, cū eū pauci sequuntur. Vtrāque opinionē alij refutāt, propterea quòd scriptura diserte dicat illū fuisse solum

Universidad de Deusto
Biblioteca

se solum; & postea quàm inde discessit, solum etiam ad regem Achis adisse. Illum verò, cùm dixit *se pueris suis in illum, & illum locum condixisse*, officioso vsum fuisse mendacio, vt fugam dissimularet: Christum autem hoc loco non ex veritate, & opinione sua; sed ex verbis Dauidis locutum esse. Horum ego opinionem etiam refello, quòd non solum Dauidē sed Christum pænè ipsum mendacij arguere videantur; & quòd Christus apud Marcum, c.2.26. & Lucam c.6.4. dicat Dauidem ex panibus propositionis comedisse, & dedisse ijs, qui eū ipso erant; quod nō video quo modo si nemo cū illo erat, interpretari possint. Eorū ergo probo sententiam, qui existimant neminem cum eo fuisse, cum panes accepit; sed aliquos alio loco socios habuisse, quibus ex panibus dederit.

4. *Quomodo intrauit in domum Dei.*) Nondū fuisse tēplum nemo nescit; nec ibi arcam fuisse legimus, quæ toto illo tēpore in Silo fuisse dicitur 1.reg. 1.24. & 3.21. & 4.3. quę domus Dei appellabatur; sed est verosimile, aut potius necessariū fuisse ibi tabernaculū, vbi panes propositionis de more ponebantur; erat enim Nobe, vbi erat Achimelech, qui Dauidi panes dedit ciuitas sacerdotum 1.reg 22.9. Quod autem Marcus c.2.26. dicit sub Abiathar sacerdote id contigisse, alia est quæstio, quę cōmodius illic, quā hic disputabitur,

Cur panes propositionis appellati.

Et panes propositionis comedit.) Hebræi panes propositionis duobus modis vocant לחם פניהם panē, vt itadicā facierū, quia in tabernaculo, vbi Dominus habitabat seni ex vna, & seni ex altera parte, quasi antę duas eius facies proponebantur. Hebræi enim duas facies in homine, sicut nos duas genas, faciunt) & לחם המערכת panem ordinationis, aut dispositionis quia certo, vt dixi ordine, certóque tēpore disponebātur. Animaduerti autē hoc secundo modo, non nisi in libris Paral. & Esdræ vocari, qui post exiliū Babylonycū scripti sunt 1.Par.9.32. & 23.29. & 2. Esdr. 10. 33. Septuaginta interpretes tribus modis verterunt. Aliquando ἄρτες ἐνωπίους quasi dicas panes faciales, vt Exodi.25.30. Aliquādo ἄρτες τῆ προσώπη vt 2. Esdræ.10. 33. id est panes faciei. Fere semper ἄρτες τῆς προθέσεως panes propositionis, vt Exodi.35.13. & 40.21. & 1.reg. 21.6. & 3.re 7.48. & 1.Par.9.32. & 23.29. & 2.Par.4.19. Latinus interpres sēper panes propositionis appellat.

5. *Aut non legistis in lege.*) Leuit 24.8. & Num.28.9.

Quia sabbathis.) Per singula sabbatha.

Sacerdotes in tēplo. Omnia, vt Chrysost. & Euthym. obseruauerūt, emphasim habēt. Paucis enim verbis expressit omnia, quæ ad exēpli exaggerationē pertinebāt. Legē præcipientē; personas sacerdotū, qui maximè debebant sabbathū colere; locum, & tēplo; vbi maximè coli oportebat, tēpus, in sabbathis quæ maximè obseruationé requirebāt rem, sabbathū violāt quod plus est, quàm si dixisset, nō obseruāt. Violasse autē sacerdotes sabbathū dicit, non quòd verè violarent; sed quòd ea facerēt, quæ nisi Dei cultus excusaret, facere non licuisset. Nempe victimas mactabant, pelles detrahebant; intestina lauabāt, ligna findebant ignē accēdebant; pueros circuncidebant. vt Hieron. Chrysost. & Euthym. exponunt. Confirmatur ex hoc loco nostrorū Theologorū de festorū celebratione sententia, nō violari festū, cùm ea in festo fiunt, quæ ad eius celebrationē pertinēt, nec alio tempore fieri possunt, vt cū pulsantur cāpanæ, ferūtur cruces, mūdatur, aliquādo tēplū, & si quid eius est modi. Multò verū minus cùm, ea fiunt, quæ ad salutē animarū necessaria sunt hoc enim propriè hoc loco agebatur. Hoc est, quod maximè Apostolos excusabat, quòd in prædicādo, & faciendis miraculis adeo, vt ait Marcus, fuissent occupati, vt nec parare cibū, nec capere possent. Hoc est *misericordiam volo, non sacrificium.*

Opera diebus festis iscata.

A Hoc enim sēsu Christ⁹ inducit, quasi dicat melius esse, vt Apostoli animas hominū, quā sabbathū seruēt.

6. *Templo maior est hic.*) ὧδε hoc loco. De quo autem loquatur, non consentiunt interpretes. Quidā ex hæreticis saluté hominū significari putant, quæ templo præponatur; mihi mè bono, vt mihi videtur, iudicio, Hieronymus locū, in quo Christus erat. Cùm enim Deus esset, vbicumque erat, tēplum erat. Sed nō dubito, quin se ipsum tēplum appellauerit, quia in ipso habitabat *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter* ad Colos.2.9. sicut v.41. de ipso dicit, *Ecce plus quam Ionas hic.* & ver.42. *Ecce plus quàm Salomon hic*, & infra ver. 8. *dominus est filius hominis etiā sabbathi.* Atque ita Euthymius, & Theophylactus interpretantur.

B 7. *Si autem scivetis quid est.* Quorsum hoc prophetæ testimonium Christus inducat ver.5. expositumus ipsum verò testimonium c.9.13.

8. *Dominus est filius hominis etiam sabbathi.*) Probat se, & templo esse maiorem, & in sabbathi obseruatione dispensare posse, quia *dominus est etiam sabbathi* & vnusquisque potest de re sua, quod velit, facere. Mar. c.2.27. scribit dixisse, *sabbathum propter hominem factum est, non homo propter sabbathum.* Vtrumque ergo dixit, & quod Matthæus narrat, vt probaret se tēplo esse maiorem, quia templum sabbatho seruiebat, ipse autem dominus erat sabbathi, & quod Marcus, vt probaret hominum salutem sabbathi obseruationi esse præferendam.

C 9. *Et cum trānsisset inde.*) Scribit Lucas c.6.6. id altero die sabbathi contigisse. Quod ex hoc etiam loco manifestum est. Venit enim in Synagogam eorū: Synagoga vero die sabbathi congregabatur. Et propterea interrogarunt eum, an liceret in sabbatho curare, quia sabbathum erat ver.10. August. lib. 2. de cons. Euang. c.35. & Euthym.

In synagogam eorum.) Qui præcedente die sabbathi discipulos, quòd spicas vellerent, accusauerant. Nō enim minus quærebat Christus occasionē, vt iniustè accusaretur, quàm illi vt accusarent; vt ex eorū accusatione ansam caperet eos docendi atque obiurgādi.

D 10. *Et interrogabant eum.*) Marc. c.3.4. & Lucas. c.6.9. dicunt Christum Pharisæos interrogasse. August. lib. 2. de consens. Euang. c.35. & Theophyl. hoc loco respondent Pharisæos prius Christum; deinde Christū Pharisęos interrogasse. Sed facilior respōsio est Marcū & Lucā nō dicere Christū interrogasse Pharisæos vtrùm liceret in sabbatho curare; sed vtrùm liceret bene facere, an malè. Itaq; nō eadē est quęstio, quam Pharisæis Christus, & quā Christo Pharisæi proposuerunt; sed Pharisæi priùs interogarunt Christum num liceret in sabbatho curare, Christus vt eorum malignitatem coargueret, immutata paululum quæstione interrogauit Pharisæos, an liceret in sabbato benefacere, an malè; vt verbis ipsis quæstionis eos pungeret, & pudefaceret.

12. *Quanto magis melior.*) Phrasis Latinis inusitata, quāuis nonnulli auctores Ecclesiastici mille ab hinc annis ita locuti sint. Græci ea vtūtur, vt supra c.6.26. οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; quod noster interpres retenta Græca phrasi conuertit, *nonne vos magis pluris estis illis?* altero comparatiuo redūdante Itaque suspicor hoc etiam loco pro πόσῳ οὖν μᾶλλον διαφέρει nostrum interpretem legisse πόσῳ οὖν μᾶλλον διαφέρει.

Itaque licet sabbatis benefacere. Non concludit licere curare, vt Pharisæi interrogauerant, sed licere benefacere, sicut ipse interrogauerat Pharisęos apud Mar. c.3.4. & Luc.c.6.9. Habet etiam maiorem efficacitatem generalis sententia, & verbum ipsum benefaciendi, sub quo includitur etiam curare, quia curare est benefacere.

Christus cur fugit Pharisæos.

A 15. *Iesus autem sciens.* Nemine indicante sicut eorum videbat cogitationibus infra ver.25. & supra c.9.4. & Luc.5.22. & 6.8. & 9.47. & 11.17.

Secessit.) Ad mare, vt explicat Marc. c.3.7. fugit, sicut Apostolos fugere docuerat c.10.23. Fugit autem non metu; aut impotentia resistendi, sed quia nondū venerat hora eius, vt in causis similibus Ioannes ait, c.7.30. & 8.20. & 13.1. & 16.21. Resistere autē & si poterat, nolebat; quia cum fuga cauere posset non erat necessarium; & ne arundinem quassatam confringeret, inf. ver.20. & *curauit eos omnes.* Non omnes qui sequebantur; sed omnes qui ægroti erant, & curari voluerunt. Tantùm enim significari voluit Euangelista Christum non malignè ac parcè; sed prolixè ac liberaliter in omnes, qui fidem habebant; & ægroti erant, sine vllo discrimine personarum sanitatis beneficium contulisse.

16. *Et præcepit eis.*) Marc 3.12. dicit dæmoniis præcepisse, ne se manifestarent, quia clamabant, *Tu es filius Dei.* Quia ergo dæmonia in hominibus erant, Matthæus dixit hominibus eum præcepisse. Cur autem præceperit, supra disputauimus c.9.30.

17. *Vt adimpleretur.*) Quorsum Euangelista hoc Isaiæ c.42.1. testimonium proponat, aut quomodo impletum esse dicat, non satis apparet. Sunt qui putent propterea proposuisse, quòd Christus prohiberit miracula sua diuulgari, ne Pharisæorum æmulatio magis exacerbaretur; nolebat enim arundinem quassatam confringere. Alij referunt ad fugam; ideo fugisse, ne resistendo confringeret arundinem quassatam, id est minus mansuetudinis ostenderet, quàm de illo prophetæ prędicauerat, Chrysost. hom. 41. Vtrumque probabile; sed illud meo iudicio probabilius hoc testimonium ad ver.19. referri. Reddit enim causam, cur omnes curauerit, quia quemadmodum propheta prædixerat, adeò benignus & mansuetus erat, vt nemo in plateis vocem eius auditurus esset; adeo verò misericors, vt omnes sanaret, neminem læderet, ac ne arūdinem quidem quassatam confringeret, & linum fumigans non extingueret.

18. *Ecce.*) Demonstrat spiritu prophetico, quem postea Ioannes digito demonstrauit, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan.1.29. & quem pater missa de cælo voce post baptismum ostendit, *hic est filius meus dilectus*, supra c.3.17.

D *Puer meus.*) עבדי seruus meus. Seruum autē vocat, vt hominē, quia *formam serui accepit, & habitu inuentus est, vt homo* Phil.2.7. sicut Isai.43.10. & Zach.3.8. nec illum ipsum hominem Christum eodem modo, quo alios vulgariter seruum appellat; sed per excellentiam, & honoris sui causa, quasi glorietur Deus, quòd inter homines talem habeat seruum, vt in eo sibi placeat anima ipsius, &, vt possit ei proprium Dei officium committere, totam Ecclesiam gubernandi, & quod maximum est, regnum suum perditum recuperandi, vt indicat D. Paulus 1.Cor.15.24. Sic, si minora licet maioribus comparere, Moses seruum suum solebat appellare Num.12.7.8. Iob.1.8. & 2.3. *Considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra.* Septuaginta interpretes apud Isaiam nomen *Iacob*, præposuerunt, vel ne Christum Deus seruum vocare videretur, vel quia aliis locis ita legebant, vt c.41.8.9. & 44.1.2. Obseruauimus in Idiomatis, solitos Septuaginta, cum sententia aliquid videtur absurdi continere, addere, aut detrahere, aut mutare aliquid; vt absurditatem tollerent.

Quem elegi.) vt hominem. Nam inter omnes homines illum assumpsit (loquor enim veterum Theologorum more) & Deum fecit. Psal.44.3.8. *Speciosus forma præ filiis hominū, diffusa est gratia in labiis tuis propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, & Psal.2.6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius.* In hoc enim elegit, vt esset rex, & verbum eius, qui ipse verbum eius erat, prædicaret.

Dilectus meus.) Septuaginta addiderunt. *Israel*, sicut paullò antè Iacob ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, quia ita c.41.8. legerant, *in Israel seruo meus Iacob, quem dilexi.*

In quo bene complacuit. Vide explicationem c.3.17.

Ponam spiritum meum.) Noui hæreticorum interpretes ad baptismum hoc referunt, quòd in Christum recens baptizatum Spiritus sanctus descenderit c.4.16. Alij, quia ætate & sapientia proficiebat, Luc.2.52. Spiritum super illum positum dicunt. Certius est de ipsa B eius conceptione interpretari, in qua Spiritu sancto impletus est Isai.11.2. nec enim Ioanne peior erat, de quo Angelus dixerat, *& Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*, Luc.1.15.

Iudicium gentibus nunciabit.) יוציא proferet, id est legislator erit, legem Euangelicam, non vt Moses, suam solis Iudæis, sed omnibus gentibus dabit, Psalm.9.21. *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes, quoniam homines sunt.* Aut gentes omnes iudicabit, quia *pater omne iudicium dedit filio*, Ioan.5.22.

Non contendet.) Hæc verba neq; apud Hebræos, nec apud Seetuaginta in Isaia leguntur; sed est verosimile Euangelistam explicationis causa addidisse. Significat enim Propheta Christum sine contentione, sine clamoribus, quibus forum perstrepere cōsueuit, quietè, placidéque iudicaturum. Hoc enim est, quod ipse dixit c.11.29. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Toto denique hoc Isaię testimonio nihil aliud quam Christi mansuetudo declaratur, vt apud Zachar.9.9. & Matth.21.5. Ioan.12.15. *dicite filiæ Sion. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.*

Non clamabit. Hebraicè additur יצעק non tollet, potest autē intelligi, vt ait Hieron. פנים facies, i. non habebit in iudicando vllam rationē personarum, sic enim Hebræi dicunt, quod G. πρόσωπον λαμβάνειν personam accipere. Vel קולו vocem suam, vt interpretatur R. Salom. i. non vociferabitur. *Donec eiciat ad victoriam iudicium.* Locus est, vt mihi videtur difficilior, quàm plerisque interpretibus visus est. Primùm apud Isaiam sic legitur, קנה רצוץ לא ישברו ופשתה כהה לא יכבנה לאמת יוציא משפט. לא יכהה ולא ירוץ עד ישים בארץ משפט ולתורתו איים ייחלו. *Arundinē quassatā non conteret, & linum fumigans non extinguet, ad veritatem proferet iudicium, non turbabitur, nec animo frangetur, donec ponat in terra iudicium, & in lege eius insulæ sperabunt:* adeo quietè, & attentè ambulabit, vt etiam si super arundinem iam quassatam, qua nihil fragilius esse potest, pedem ponat, eam non confringat; & si super stuppā non omnino ardentem, sed tantùm fumigantem, non extinguat. Apparet enim fuisse prouerbiū, quo summa incedētis lenitas significabatur sicut Galli & Hispani de similibus hominibus dicere solēt, etiamsi super pauimentum ouis stratum ambularet, nullum frangeret. Per incessum autem, & ambulationem omnes vitæ actiones intelliguntur ex Hebræorū idiomate. Significatur, ergo Christum omnibus in rebus inctedibili mansuetudine, ac lenitate vsurū fuisse. Euangelista cęteris verbis prętermissis tātùm hæc posuit, *donec eiciat ad victoriam iudicii, & in nomine eius gentes sperabunt.* Quæ ipsa, etsi aliquo modo iis, quæ apud prophetam leguntur, videntur esse similia; eadem tamen nō sunt. Hieron. in comment. ad eum Isaiæ locum, & in epist. ad Algasiam q.1. existimat id scriptorum vitio accidisse, quod ego nullo modo mihi persuadeo. Quin Hebraicum illud, ꝙ nunc habemus, Euangelium, nusquam mihi quàm hoc loco magis suspectū est, quòd

Pseudoeuangelium Hebraicū Matthæi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia & eadem,quæ apud Isaiam verba sunt,reciter. Nimis enim affectata fides meritò suspecta est. Non solet Matth.cum testimonia ex prophetis adducit,verba numerare. Iste,qui,vt Matth.esse videretur,numerauit,hoc est apud me consecutus,vt minimè Matth. esse videatur. Manifestum est,idque omnes præter Hieron. interpretes sentiunt,hæc verba Euangelistæ *donec eiiciat ad victoriam iudicium*,illis Isaiæ verbis respondere לאמת יוציא משפט,ad veritatem proferet iudicium,id est omnia,dum iudicabit,ad verũ examinabit,verum pronunciabit iudicium. Cur autẽ Euangelista pro proferet,dixerit ἐκβάλῃ eiicit,cũ Septuaginta dixerunt ἀγάγοι inferet,non ita magni refert. Potuit enim Matth.Hebraicè dicere יוציא, proferet, vt est apud prophetam,& Græcus interpres vetere ἐκβάλλειν. quia id etiam potest Hebraicum verbum significare. Nec enim assentior iis,qui id ab Euangelista,vt maiorem vim adderet verbo,certo consilio factum putant; tanquam voluerit declarare,etiam vi compulsurum Christum homines,vt verum iudicium subeant; non enim de Christi seueritate; sed de mansuetudine,& mititate agitur. Illud longè difficilius,quomodo pro לאמת ad veritatem,dixerit Euangelista *eis νῖκος*,ad victoriam. Quòd enim omnes dicunt,non verba, sed sensum exprimere voluisse,fateor mihi satisfacere nõ posse. Nam nec idem videtur esse sensus; & vt idem esset,tamen hic obscurior certè,quàm ille est; & non est verosimile Euangelistam dilucidiorem prophetæ sententiã alia obscuriore sententia exposuisse. Itaque cogor meam lectori coniecturã indicare,doctioribus verò iudicandã relinquere. Suspicatus fueram aliquãdo Matthæum non pura,& antiqua Hebræorum lingua ; sed corrupta illa ex Chaldaica,& Syriaca,quæ Christi tempore in vsu erat,Euangelium scripsisse,& pro אמת dixisse יהבות aut יהבותא,quod & veritatẽ,puritatem, innocentiam,& victoriam significat; interpretem verè Græcũ non veritatem,vt est apud Isaiam; sed victoriam,alteram vocabuli significationem secutum conuertisse. Consului cum hæc scriberem Syriacum Euangelium; comperique rectè me diuinasse: nam יהבותא scriptum inueni,quod & ad innocentiã, & veritatem,& ad victoriam potest significare.

21. *Et in nomine eius gentes sperabunt.*) Duobus verbis Matth.hîc videtur à propheta discrepare. Primũ,quòd בתורתו *in lege eius*,dicat,*in nomine eius*. Hîc etiam omnes dicunt eandem esse sententiam. Quod etsi non satis intelligo,quia omnium tamen opinio est,refutare nolo. Tantùm dico,quòd in lectionibus veteris, ac noui Testamenti adnotaui,magnã mihi apud Septuaginta vitiati loci suspicionẽ esse. Nam pro בתורתו *in lege eius*,non credo eos vertisse ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ,*in nomine eius*,sicut nunc legimus, sed ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ, *in lege eius*,vt legitur Hebraicè. Nominum autem similitudinem erroris fuisse causam, vt amanuenses pro νόμῳ,ὀνόματι scripserint. Similem enim errorem in illis duobus vocabulis aliis etiam locis obseruauimus. Matthæi igitur Græcus interpres Septuaginta secutus pro lege nomen posuit. Deinde discrepat, quòd pro איים insulis,dicat ἔθνη gentes. Sed hoc discrimen leue admodũ est. Insulas enim propheta remotissimas quasq; gentes appellauit,quia insulæ à continente remotæ sunt,sicut poëta dixit,*& toto diuisos orbe Britannos*; vt apud eundem prophetam c 49.1.*audite insulæ, & attendite*,& 51.5.*me insulæ expectabunt*,& 60.9.& 66. 19.*mittam ad insulas longè ad eos,qui nõ audierunt de me.*

Virgilius Eclog.1.

22. *Tunc.*) Cum è synagoga egressus esset, auctor imperf.& Remig.vel non significatur certum,& designatum tempus,vt putat Euth. Quanquam Marcus c.3.20.videtur dicere id accidisse,simul atque egressus è synagoga in domum venit. Monendus mihi lector est non esse hanc illam historiam,quæ à Luca c.11. narratur,vt plerique interpretes putant. Nam de eo dæmonio c 9.32. Matthæus scripsit,& nos hanc illius opinionem probauimus.

Cæcus & mutus. Dubium vtrùm natura,aut morbo vt sentire Hieron. videtur; an dæmonis maleficio,vt Chrysost.& Theoph.cæcus & mutus fuerit. Credibilius tamen est dæmonem auditum, & visum illi ligasse,vt neq; audire,nec videre posset; indicat enim Euangelista sola eum dæmonis eiectione auditum, visumque recuperasse, quasi prius nulla causa, quominus audiret,videretque,nisi dæmon,impedisset.

23. *Nunquid hic est filius Dauid.*) Id est Messias illis toties promissus, tamdiu expectatus. qui ex genere Dauidis futurus creditur. Vide quæ diximus c.1.1.

24. *In Beelzebub.*, tanquam diaboli ministri, magicis artibus. Vide c.9.34 & 10.25.

27. *Filij vestri.*) Plerique recentiores interpretes existimant Exorcistas illos Iudæorum significari,quorum artem quandã à Salomone traditam fuisse lib.8 antiquit.c.2.Iosephus scripsit:& de quibus Lucas in Actis Apostolorum c.19.13. mentionem fecit. Filios autem Pharisæorum appellari, quòd Iudæi essent,vt illi,& aliqui aliquando eorum filij. Argumentum verò esse cur potius me,quàm filios vestros dicitis in Beelzebub eiicere dæmonia,eùm vtrique eiiciamus? cur de me malè,cùm idem faciamus; de illis benè iudicetis? Veteres de Apostolis hoc dictum putant,Hil.Chrysho.42.auctor imperf.c.9.Hieron.Theoph.& Euth. quorum sententiam libentius accedo,nisi quòd plus Christũ,quàm illi dicunt,arbitror significare voluisse. Apostoli enim in nomine Christi dæmonia eiiciebant Luc.10.17.argumentatur ergo. *Filij vestri*,id est Apostoli,qui e populo vestro sunt,*in quo dæmonia eiiciunt*, nonne in nomine meo? si ergo illi non in nomine Beelzebub, sed in nomine meo dæmonia eiiciunt, quomodo dicitis me in nomine Beelzebub eiicere? Nam si illi in meo nomine eiiciunt,maior ego dæmonibus sum, cuius nomine virtutéque pelluntur; non ergo in nomine Beelzebub ego eiicio: nam si Apostoli mea virtute eiiciunt,quod negare non potestis, multò magis ego,cuius est virtus.

Ideo iudices vestri erunt., Quia *sedebit super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel* c.19.28. Hieron. Quanquam ego de alio iudicio agi puto,quòd Theologi comparationis vocant. Iudices enim eorũ erunt, quia in illo vltimo iudicio apparebit Apostolos in nomine Christi dæmonia eiecisse,quod eũ vidissent, & credidissent Pharisæi,tamen Christum ipsum,quem multo magis credere debebant propria virtute dæmones eiicere, in Beelzebub eiicere dixerunt; sicut ver.41.& 42.ait,*Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista,& condemnabunt eam*; &, *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista,& condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis.*

28. *Peruenit in vos regnum Dei.*) Se ipsum & aduentum suum regnum Dei vocat,quia initium fuit regni Dei & aditum nobis ad illud patefecit. Hieron. Chrysost.& Theoph. argumentum hoc est,si autem in spiritu Dei, vt superiore argumento probatum est eiicio dæmonia,ergo verum est,quod & ego,& Apostoli mei & Ioannes prædicamus appropinquasse, & venisse regnũ Dei. Nam Spiritus sanctus,quia miracula per nos operatur, nostram prædicationẽ veram esse testatur.

29. *Aut quomodo potest quisquam.*) Facilius sentitur, quomodo possim ego diabolum de possessione sua deturbare, id est ex hominibus eiicere, nisi fortior sim illo? Nemo enim in domum fortis intrare potest, & illam spoliare, nisi fortior, & superior illo sit, vt possit prius eum armis suis exuere. Fortem vocat,

בעל זבוב quem Septuaginta gigantem solent vertere; domum autem fortis vocat arcem,quæ à gigante custoditur. Fortem intelligit diabolum,quia *non est potestas super terram,quæ comparetur ei.*Iob.41.24. *Non est nobis colluctatio*,inquit D.Paulus,*aduersus carnem & sanguinem,sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores.* Ephes.6.12. Domum eius intelligit mundum, in quo,antequam Christus veniret,dominabatur,quẽ, vt significat superioribus verbis D.Paulus,suo regebat arbitrio. Vasa autem eius,non arma,vt multi interpretantur,sed spolia & supellectilem; prius enim ligat,deinde vasa eius,id est supellectilem domus eius diripit,& Lucas c.11.22.arma ab spoliis separauit. Supellectilem autem diaboli vocat miseras animas,quas sub captiuitate detinebat, quásque Christus illi eripuit,*& ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, Psal.67.19.& Ephes.4.8.

30. *Qui non est mecũ,contra me est.*) Primùm quærendum,de quo Christus loquatur. Hil.c.12. Chrysost.hom. 42.Hieron.auctor imperf.Beda.Euth.Theoph.de diabolo loqui existimant, quasi sensus sit, tantùm abesse, vt diabolus amicus mihi sit,eiúsque nomine dæmones eiiciam, vt maximè mihi sit aduersarius. Melior mihi altera videtur interpretatio,quam etiam Chrys. & Theophyl.afferunt,vt de Pharisæis hoc dictum sit. Quorsum autẽ ita de illis Christus loquatur,non satis compertum apud interpretes inuenio. Videtur tamen mihi Pharisæorũ hypocrisim reprehendere voluisse, qui cũ fingerent se Christo non aduersari,sed tantùm gloriam Dei,& legis obseruationem asserere,maximè tamen illi aduersabantur. Hoc colligitur ex ver.33.*aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum,aut facite arborem malam,& fructum eius malum.* Volebant Pharisæi in causa Christi iudices haberi: ad se enim pertinere de religione ac miraculis iudicare: ideo indifferentes videri volebant,quasi nec pro Christo,nec cõtra Christum essent,cũ maximè illi essent inimici; vt suam inuidiam simulata boni iudicis persona occultarent. Hanc illis Christus personam detrahit. Ne,inquit,erretis,& ne alios fallatis: etiam si,quod simulatis vos non esse pro me,neque contra me,verũ esset; tamen ob idipsum esse reprehendendi,quia,*qui nõ est mecum,contra me est.* Quid ergo attinet dissimulare? minor erit culpa,si vos mihi palã aduersarios esse profiteamini;*aut facite arborẽ bonam,& fructum eius bonũ, aut arborem malam,& fructum eius malum.* Quomodo autem hæc sententia vera sit,*qui non est mecum, contra me est,& qui non colligit mecum,spargit*, aut quo modo cum illa conueniat,quæ apud Lucam est c.9.50.*qui nõ est aduersum vos,pro vobis est*, dubitare lector potest. Sunt,qui ad solos referant Pharisæos; quasi non vniuersè,sed in illis tantũ vera sit; in aliis verò,quæ apud Lucã est,locũ habeat,*qui non est contra vos,pro vobis est.* Non probo;nam etsi propter solos Pharisæos hoc dictum est,non in illis tamen solis verũ est;sed in omnibus,in quibus eadẽ reperitur ratio. Debebant Pharisæi,quia legis scientiam profitebantur,primi omnium Christum recipere,ac pro illo esse;qui autem pro illo esse debebat,& pro illo non erat,contra illũ erat. Non potest rex de iis,qui ad regnum suum non pertinent, dicere,*qui non est mecũ,contra me est*;de suis autem subditis potest. Non solùm enim,qui regẽ suũ impugnat; sed etiã,qui pro eo,cũ debeat,ac necesse est,non propugnat,læsæ majestatis reus est. Omnes ergo,qui Christum recipere debebant,siue Pharisæi,siue alij,si non recipiebant,contra illũ erant. Debebant autem omnes cũ primis Iudæi. Nam Gentiles,qui eum nec viderãt, neq; audiuerant;si non erant contra illũ,pro illo erãt. Nihil enim aliud apud Luc.significat,nisi eos,qui pro se esse non debeant,si contra se non sint, esse pro se.

31. *Ideo dico vobis.*) Causalis dictio non refertur ad ea,quæ proximè præcesserunt;sed ad ver.24. *Hic non eycit dæmones,nisi in Beelzebub principe dæmoniorum*,vt constat ex Mar.3.30. *quoniam*,inquit,*dicebant,spiritum immundum habet.*

Spiritus autem blasphemia non remittetur.) id est blasphemia contra Spiritum sanctum,vt explicatur versequenti,& Mar.3.29. & Lucæ 12.10. Existit ex hoc loco maxima quæstio,vt D. quidem August. nullam in scriptura maiorem esse putet ser.11.de verb.Dom. Quæstionis duæ partes sunt;altera,quod sit peccatum contra Spiritum sanctum;altera quomodo nec in hoc sæculo,nec in futuro remittatur. Primùm, quæ certa sunt,ponamus,non disputemus. Certum est peccatum in Spiritum sanctum non dici,quod contra Spiritus sancti personam est,vt rectè D. Augustin. admonuit, nam nullum peccatum magis contra Spiritus sancti personã esse poterat,quàm Eunomianorum,qui Spiritus sancti diuinitatem negabant; tamen inter peccata in Spiritum sanctum non numerabatur; quotidie enim Eunomiani,vt ait Chrysost.ad Ecclesiam venientes recipiuntur; & illud,cuius causa hæc à Christo sententia pronuntiata est, non contra personam Spiritus sancti,sed contra Christi personam erat; dicebant enim eum spiritum immundum habere; & in Beelzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia. Illud etiam certum, peccatum in Spiritum sanctum non semper omniũ peccatorum esse grauissimum;nec propterea non remitti in hoc sæculo, nec in futuro; quòd cæteris maius sit. Nam Sadducæi,qui Spiritum sanctum esse negabant; & athei,quibus hodie plenus est orbis,haud paullo magis peccant, quàm qui dubitant,an dæmonia à malo,an à bono spiritu eiiciantur. Certum etiam,quod idem adnotauit August. non de omni peccati in Spiritum sanctum genere Christum hîc agere,sed de eo tantùm,quod in contumeliosis consistit verbis; hoc enim blasphemiæ nomen significat,hoc statim ver.32.explicatur,*quicunque dixerit verbum.* Tametsi quinque diuersis in locis diuersas opiniones secutus est. Aliàs dicit peccatum in Spiritum sanctum esse finalem,quam vocant impœnitentiam,vt lib.de fide ad Petrum cap.3.& lib.de vera & falsa pœnitentia c.4.& ser.11.de verbis Domini. Aliàs in Spiritum sanctum peccare,qui in Ecclesia remitti peccata non credens contemnit tantam diuini muneris largitatem,& in hac obstinatione mentis diem claudit extremum,vt Enchir.c.83. Aliàs per malitiam, & inuidiam fraternam oppugnare caritatem post acceptam gratiam Spiritus sancti,vt libr.1. de sermone Domini in monte. Aliàs peccatum in Spiritum sanctum esse desperationem indulgentiæ Dei, in commentariis inchoatis in epistolam ad Romanos,quem Bacchiarius eiusdem auctor ætatis in epistola de recipiendis lapsis secutus est. Ex quibus nulla blasphemia est,nec sũt verba,sed facta. Alias propiùs ad veritatem,sciẽter opera Spiritus sancti dæmoni tribuere, vt in qq.ex vtroque Test.q.102. Vnde vulgatis Theo.

Quodnã in Spiritum sanctum peccatum appelletur, t. quæstio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

logorum opinio nata,sex peccati in Spiritum sanctũ genera ponentium,finalem impœnitentiam,desperationem, obstinationem in malo, scienter veritatem impugnare,præsumptionem,& fraternæ caritatis inuidiam. Nouariani verò peccatum in Spiritum sanctũ interpretabantur Christum negare,vt suum cõfirmarent errorem,eos,qui Christum negassent,nõ esse ad pœnitentiam recipiendos,vt auctor August.est q.102. ex vtroque Test. Alij etiam,vt opinor,Nouatiani.omne graue peccatum,quale homicidium,& adulterium post baptismum commissum peccatum in Spiritum sanctum appellabant,vt idem refert August.ser,11.de verbis Domini,quod & Origenem & Theognostum vetustiores auctores ante docuisse scribit in hom.ad hunc locum Athanasius. Alij negare Christi diuinitatem, sicut Pharisæi negare videbantur,vt Hil.can.12. & Ambr.lib.7.in Luc. Alij negare in baptismo & Eucharistia,cæterisq; Ecclesiasticis sacramentis per gratiam Spiritus sancti peccata remitti.vt Beda in hunc locum. Alij generaliùs hæreticum esse peccatum in Spiritum sanctum,vt Philastrius interpretatur in hæresi Rhetorij. Molestum fortasse lectori est tot audire sententias; recitaui tamen,quia semper existimaui in rebus grauioribus partem esse aliquam eruditionis, quid boni senserint auctores,non ignorare. Nec omnes tamen quas inueni,commemorani; sed quæ magnos habent auctores qui hoc digni sunt honore,vt etiam aliena dicentes attentè,ac reuerenter audiantur. Verus sensus non aliunde, quàm ex hoc ipso loco eruendus. Videmus qua occasione hoc Christus dixerit,quia dicebant Pharisæi eum in Beelzebub eiicere dæmonia,manifesta Spiritus sancti opera dæmoni tribuentes; hoc ergo est peccare in Spiritum sanctum. Animaduertimus etiam Christũ non dicere,quicunq; dixerit verbum in patrem; neque,quicunque dixerit verbum in filium; sed *quicunque dixerit verbum in filiũ hominis*; ex quo intelligimus illum de se,non tanquam de Deo;sed tanquam de homine loqui,eumque in filium hominis verbum dicere,qui humana deceptus specie,aut offensus infirmitate de illo infra illius dignitatem sentit,ac loquitur:ideóque veniam meretur, quia peccati excusationem aliquam habet; qui verò manifesta Spiritus sanctij opera dæmoni tribuit,non meretur, quia nullam potest peccato excusationem obtendere. Vnde altera quæstionis pars facilè intelligitur, cur peccatum in Spiritum sanctum nunquam remittatur; non vtique propterea quòd remitti non possit;tenenda enim est regula fidei,quæ nullum peccatum esse docet.quod à Deo remitti non possit.neq; propterea,quòd nunquam remittatur;credibile enim est aliquos etiam ex illis,qui tunc Christũ dicebant in Beelzebub eiicere dæmonia,postea resipuisse,sed propterea quòd.qui in Spiritum sanctum peccant,nullá peccati excusationem habent,ideóque natura sua veniam non mereantur. In aliis enim plerisque peccatis aut ignorantia, aut infirmitas,si non omnino,aliqua saltem ex parte culpa excusat. *Misericordiam*, inquit D.Paulus 1.Tim.1.13. *conspectus sum,quia ignorans feci; & ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam puluis sumus*. Psal.102.14. *spiritus vadens,& non rediens* Psalm.77.39. At in peccato in Spiritum sanctum nihil eiusmodi,quod culpam eleuare possit,reperitur. Hæc est vera huius loci interpretatio, non quidem mea;sed Athanasij in hom in hæc verba,Paciani epistol.1.Anastasij q.68.in script. Basilij interro. 273.in reg.breuior. Ambrosij libr.2.de pœnit. cap.4. Hieron. in comment. Quanquam ex iis alij, cur peccatum in Spiritum sanctum non remittatur,alias rationes afferunt;in eo tamen consentiunt,peccatum in Spiritum sanctum id esse,quod explicauimus. Eodem ferè redit quod Chrysost. ait,ideo dici nunquam remitti,quia difficiliùs remittitur. Sed melius, vt diximus alij; quia natura sua cum excusationem nullam habeat,remitti non potest;sicut alio loco Christus dixit,impossibile esse,vt diues in regnum cælorũ intret; non quòd Deo;sed quòd natura sua impossibile sit. Ac omnia peccata mortalia,dicet aliquis eiusmodi sunt, vt veniam natura sua non mereantur: cur enim, quæ mortalia non sunt,venialia dicuntur,nisi quia veniam merentur? Si igitur illa ideo venialia sunt,quia mererentur;hæc quæ venialia non sunt,non merentur. Respondeo nullum peccatum mortale natura sua veniã mereri; sed alia,si cũ hoc comparentur,quia aliquam excusationé præ se ferunt,digna videri venia. Ideirco hoc solum esse quod nunquam natura sua remitti possit: sicut multi sunt alij,præter diuites,qui suis viribus in regnum cælorum intrare non possunt, sed ideo de solis hoc diuitibus dictum est: quia plus habent diuitiis onusti atque grauati,impedimenti. Hinc sequitur, quamuis Christus de sola blasphemia, id est contumeliosis in Spiritum sanctum verbis loquatur; eius tamen sententiam non in blasphemia solum, sed in omnibus omninò peccatis in quibus eadem est ratio, veram esse. Quale est, si quis non verbo, sed facto,aut animi cogitatione Spiritus sancti opera dæmoni tribuat. In hoc genere nostri temporis hæretici peccãt miracula,quæ in Ecclesia Catholica fiunt, illaque maximè quibus per exorcismos, & Eucharistiam dæmones expelluntur,aut non credentes, aut magiam interpretantes. Nam,vt Pharisæi Christum, ita illi Christi corpus, quod est Ecclesia, persequuntur,nec credunt, quæ facit,vera esse miracula. Multi hoc loco hæretici refutantur; Eunomiani,qui Spiritus sancti negabant diuinitatem,quos Ambrosius lib.1.de Spiritu sancto c.3 inde refellit, quòd omnis blasphemia hominibus remittatur; blasphemia autem in Spiritum sanctum non remittatur; Sabelliani, qui tres in Deo personas confundebant,cùm hîc persona Filij,& Spiritus sancti adeò distinguantur, vt, qui in illum peccat, veniam obtineat; qui in hunc, non obtineat; Caluinistæ & Lutherani, quos necdum natos Augustinus libr.21.de ciuit. c.24. & lib.6.contra Iulian.cap.5.& Gregor.lib.4. Dialog.c.39. & Beda in commentariis huius loci, & Bernard. serm. 66. in Cantica refutarunt; hi enim ex hoc loco purgatorium probauerunt, ex eo, quod dicitur vers.32. *Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum,non remittitur ei neque in hoc seculo,nec in futuro*, colligentes:aliqua in futuro sæculo peccata remitti. At fident isti; quid tum? etiam: hæresi dicta,factáque Christi ridebant. Dicunt phrasim esse,qua nihil aliud significatur, quàm peccatum in Spiritum sanctum nunquam remitti, id à Marco declarari c.3.29. qui pro *hoc sæculo & futuro*, vno verbo dicat *in æternum*. Non ignoramus phrasim esse, quæ idem valeat,quod *in æternum*: sed dicimus *æternum* illud, quod significatur,duas habere partes, hoc sæculum, & futurum; & quod Marcus vniuersè dixit, id Matthæum per partes distribuisse,quod nunquam eum facturum fuisse contendimus,nisi ad vtramque partem,& præsens sæculi, & futurum peccatorum remissio pertineret. Ineptum enim esse,qui ita loquatur, non ducam vxorem, nec in hac vita,nec in futura; cùm in futura vxores duci non possint. Si nõ credunt, proferat nobis aliquod ex sacris litteris exemplum,vbi eadem phrasis in rebus, quæ ad vnum tantum sæculum pertinẽt,vsurpetur,& vincant;si proferre non possunt,hæresim suam agnoscant, & fateantur. Rogat aliquis, quod & hæretici Sadducæorũ & Pharisæorum more,id est nõ credentes,sed irridentes,nec vt credant, sed vt calumnien-

Peccatũ in Spiritum sanctũ quomodo nõ remittitur, 2. quæst.

tur,rogare solent, quomodo peccata illa, præsertim grauissima, quibus in filium hominis blasphematur, in futuro sæculo remittantur; cùm nostra sententia quisquis mortali obstrictus peccato vitam finit,non temporalibus Purgatorij, sed æternis inferni pœnis condemnetur: Itaque, si in hoc sæculo peccata illi remissa sunt,in altero non remittuntur, quia peccata non habet,quæ remittantur; si remissa non sunt,remitti in futuro sæculo non possunt,quia clausa est remissionis ianua. Facilis est,& expedita solutio; in futuro sæculo remitti peccata dicuntur,non quòd culpa,sed quòd pœna remittatur,culpa ptius in hoc sæculo remissa. Scio aliam esse istorũ hæresim,quòd culpam retenta pœna remitti posse negent. Sed tam imperitus, & inconsideratus error est, vt non vnius, aut alterius hominis,sed totius humani generis exemplo refutetur. Omnes enim homines peccati originalis per baptismum remissa culpa grauissimas,atque diuturnas tota vita pœnas luunt,famem, sitim,morbos, mortem, quas peccati originalis pœnas esse & scriptura testatur, & ipsi non negant.

Culpa sine pœna remittitur.

33. *Aut facite.)* Hæc verba ad diuersas res,ac personas à diuersis auctoribus referuntur. Hilar.Chrysost, Euth.& Theoph.referunt ad Christum.vt sensus sit, cur aliter de me, aliter de meis operibus iudicatis? quomodo possum ego,si.vt vos putatis,peccator sum, & spiritum immundum habeo, bona opera facere, quale est, dæmones ab hominibus expellere, cæcos, surdos, mutos, leprosos curare, mortuos suscitare? Aut ergo facite me malam,& opera mea mala, aut me bonum,& opera mea bona. Hieronymus ad diabolum, quasi dicat, dicitis me in Beelzebub eiicere dæmonia,quomodo potest diabolus arbor mala bonum fructum facere,qualis est dæmonum expulsio; *aut ergo facite arborem bonam,& fructum eius bonum, aut arborem malam, & fructum eius malum*. Beda ad vtrumque, arborem bonam ad Christum,ad diabolũ malam, tanquam sensus sit, quomodo possum ego, qui sum arbor bona,facere fructus malos,id est opera diaboli,qui est arbor mala?aut dicite me esse bonũ, & opera mea bona,aut me esse malum.& opera mea mala.Ambr.lib.2.de pœnit c.4. arborem bonam Ecclesiam,malam ludæorum Synagogam;fructus malos ipsos Pharisæos interpretatur.vt si dicat, non potest mala mater Synagoga bonos filios generare. Verus sensus mihi videtur esse,quem multis locis D. Augu. exposuit,lib.2.de ser.Domini in monte;lib.2.de actis cum Felice Manichæo c.4.lib.1. contra litteras Petil. c.6.& ser.12.de verbis Domini,arborem &bonam & malam ipsos Pharisæos appellati. Reprehendit enim Christus eorum hypocrisim,quòd cum bona arbor videri vellent,malos tamen fructus facerent,aut quòd cum mala arbor essent,bonos videri vellent fructus facere,iubẽtque aut apertè malos, aut apertè bonos esse. Potest hæc sententia illi,quæ ver,proximo sequitur,videri contraria,*quomodo potestis bona loqui,cum sitis mali?* Itémque illi,quæ est c.7.18. *non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*.sed bene intellecta contraria non est.Non enim dicuntur hoc loco Pharisæi mali bona,aut boni mala opera facere,quod statim fieri non posse dicitur,*quomodo potestis bona loqui,cum sitis mali*,& in altero loco, *non potest arbor bona malos,nec mala bonos fructus facere:* sed norantur,quòd cum mali sint,& videri velint boni,& sua opera,tanquam sancta,religiosaque probari. 34. *Progenies viperarum*.) Hæc sententia supra explicata à nobis est c.3.7.

Quomodo potestis.) Non negat absolutè,& omninò posse;multi enim mali cum sint,bona loquuntur: sed dicit,quod naturale,quod vsitatum,quod diuturnum est.Ita enim natura comparatum; ita moribus hominum consuetum est,vt mali mala,boni bona loquantur;*ex abundantia enim cordis os loquitur*. Si quando secus fit, id,& præter naturam, & præter consuetudinem accidit,& diuturnum esse non potest.

Matt.12. 34.

36. *Omne verbum otiosum.)* Constructio Hebraica, qua nominatiuus redundat. Duo hîc quæri possunt, quorsum hoc à Christo dictum sit, & quid verbum otiosum appelletur. Omnes,quos legisse memini,auctores putant argumentum à minori ad maius esse; perinde ac si dicat;si de minimo verbo otioso;quanto magis de blasphemo, quale vestrum est,quo dicitis me in Beelzebub eiicere dæmonia.ratio in die iudicij reddenda erit. Verum autẽ otiosum appellari,quod nullam,aut audienti,aut dicenti ædificationis vtilitatem affert. Hieron. Chrysost. hom.43. Basil in regulis breuior.inter.23. Ambrosius in Psalm. 38. Gregorius hom.6.in Euangelia. Beda in comment. Solus Theophylact. & Euthym. calumniatorium, & falsum interpretantur,quod aliquos etiam vetustiores auctores dixisse Chrysostomus affirmat. Suspicor ego Hebraicè scriptum fuisse שוא quod & frustra,& mendax, atque calumniatorium significare potest, vt Exod.20.7.Græcum autem interpretem vertisse otiosum,id est frustra dictum; alios interpretatos altera nominis significatione,mendax, falsum,calumniatorium,quod magis videtur ad locum adhærere, quia Pharisæi non otiosè modo, sed etiam calumniatoriè, & mendaciter de Christo loquebantur. Sed veterum auctorum sententiam, quàm coniecturam meam,eámque obscuram, & incertam amplecti malo; eò etiam magis, quòd videatur Christus aliquo exaggerationis genere vti, & noui aliquid, atque admirandi dicere voluisse; de verbis autem calumniatoriis, déque falsis criminationibus in die iudicij reddendam esse rationem, neque nouum,neque admirabile videri poterat.

Quale verbi est otiosum.

37. *Ex verbis enim tuis.)* Apparet hoc fuisse prouerbium. Et quidem Theophyl. scripturæ testimonium esse dicit. Fortè illud quod legimus apud Iob c.15.6, *Condemnabit te os tuum, & non ego,& labia tua respondebunt tibi*. Quòd autem ait,*ex verbis tuis condemnaberis*, non ita intelligendum,quasi sola verba,aut condemnatura,aut iustificatura vnumquemque sint, multis enim aliis aut iustificabimur,aut condemnabimur argumentis; sed ita vt ad iustificandos,vel condemnandos multos,qui benè aut malè loquuti sunt, sola ipsorum verba sufficiant;sicut princeps ille sacerdotum in dissimili prorsus Christi causa dixit c.26. 65. *quia adhuc egemus testibus? Ecce audistis blasphemiam*. Nam vt ille Christum ex vno verbo,quo se filium Dei esse significauerat, condemnandum sine alio testimonio iudicauit; ita ipse ex illo solo verbo,quo Christum blasphemasse dixit, etiam si aliud non haberet peccatum, damnari posset. Nemo igitur nobis infantes obiiciat, qui prius moriuntur, quàm loqui possint. De iis enim agitur, qui benè, maléque loqui potuerunt; & benè maléve locuti sunt. Sensus enim est adeo accuratè omnium rerum in iudicio reddendam esse rationem,vt vel in minimo verbo satis Deus argumenti, vt homines vel iustificet, vel condemnet, sit deprehensurus. Ridiculus est omninò Caluinus, qui hoc loco ridet nos, quòd hinc hominem non sola fide, sed verbis etiam, & operibus bonis iustificari colligamus. Quis enim hinc colligit? quis Catholicorum mediocriter doctus ignorat,non hîc de iustificatione, qua iusti efficimur; sed de iudicis agi sententia, qua sumpto ex verbis nostris argumento iusti declaramur? Non hoc vti solemus loco; satis habemus multa, & satis manifesta testimonia, quibus

Ridiculus Caluinus in harm.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius hæresim refellamus. Quanquam ne iste quidem locus, si diligentiùs excutiatur, atque versetur, inutilis nobis contra illum erit. Primùm eodem modo ex verbis iustificandi dicimur, atque damnandi. Damnari autem non est declarari nos pro iniustis habitos fuisse; sed fuisse re vera iniustos: ergo è contrario iustificari non est declarari habitos fuisse pro iustis, sed fuisse re vera iustos. Vbi ergo est figmentum imputatiuæ iustitiæ? Deinde, cùm ex verbis nostris condemnamur, declaramur verbis ipsis, quibus malè loquuti sumus, iniusti facti fuisse. Nam profectò Pharisæi, qui Christum dicebant habere spiritum immundum, etiam si fuissent ante iustissimi, illo solo verbo facti fuissent iniusti. Ergo cũ ex verbis iustificemur, declaramur verbis ipsis, quibus benè, piéque locuti sumus, facti fuisse iusti. *Ore enim confessio fit ad salutem*, nec quicquam ad salutem, præter vnam iustitiam, aliquid valet.

Error Caluini de iustificatione per fidem, & imputata nia iustitia, refellitur.

Rom. 10.

39. *Generatio mala, & adultera.*) Generationem vocat Hebraico idiomate genus hominum; adulteram verò degenerem, quæ à maioribus suis degenerauit, Hebræi בנים נכרים filios alienos, id est degeneres, adulterinos vocare solẽt, vt Psal. 17. 46. *Filij alieni mẽtiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt*, id est degeneres facti, sicut plantæ, quæ vetustate degenerant; & Psal. 143. 7. *Liberame de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.*

Filij alieni in scriptura.

Et signũ non dabitur ei.) Ab omnibus quæritur, quomodo dicat Christus signum nõ dabitur ei, cùm tam multa postea ab eo miracula facta sint. Respondent Chrysost. & Euthym. non fuisse illis facta, qui obstinati erant, sed aliis, qui fructum erant ex illis percepturi. Alij facta quidẽ fuisse, sed non qualia illi postulabant, quærebant enim signum de cælo, vt Mar. c. 8. 11. & Luc. c. 11. 16. declarant, id est, vt Hieronymus ait, vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire; vel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua. Alij meo iudicio simpliciùs, & ad rem, de qua agitur, magis accommodatè, non esse illis dandum signum, id est illis petentibus, atque rogantibus; quia malo animo, & tentandi causa quærebant. Hæc enim ratio est, cur Deus aliorum sæpe rogatu signa dederit, Ezechiæ Isai. 38. 22. Gedeonis Iudic. 6. 17. 36. horum verò rogatu non dederit; quia illi bono, hi malo animo petierunt. Quod, vt Chrysostomus obseruauit, ex verbis etiam ipsis eorum apparet; non enim rogant, sed quodammodo imperant, *volumus à te signum videre.*

Nisi signum Ionæ Prophetæ.) Non inuenio, qui verũ sensum huius loci, meo quidem iudicio, præter Hilarium attigerit. Nec enim vt omnes interpretantur, sensum esse arbitror, non aliud ad faciendam fidem diuinitatis suæ Christũ esse daturum signum, quàm, quòd sit, sicut Ionas, post tres dies, resurrecturus. Qui enim ita interpretantur, rationem reddere non possunt, cur Ionæ potius signum, cùm tam multa sint, quàm aliud nominauerit. Poterat Eliæ signum promittere, qui igneo in cælum curru sublatus est; nec enim minus ascensu in cælum suo, quàm resurrectione suam diuinitatem probare potuisset. At ne quæstionem quidem interpretes, quos legerim, attigerunt. Quæ facile tamen occurrit, & adeo est necessaria, vt totus hic locus sine eius explicatione intelligi non possit. Non ergo loquitur Christus de signo ad persuadendum, sed de signo ad condemnandum; vtitúrque eleganti verbi ambiguitate, vt in multis aliis locis obseruauimus c. 10. 39. *qui inuenit animam suam, perdet eã*, & c. 8. 21. *dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Sic hoc loco Pharisæos ambiguitate deludit. Cùm enim ad credendum signum petant; respondet non esse dandum illis signum, quale petunt, vt credant; sed quale non petunt, vt condemnentur. Signum autem id est argumentum, quo condemnabuntur, est, quòd cùm Niniuitæ homines Gentiles & barbari, nullaque scientia legis eruditi ad vnũ verbum Ionæ hominis peregrini, & illis ignoti crediderint, & lingularem egerint pœnitentiam; illi tot Christi auditis exhortationibus, tot visis miraculis, non modò non crediderint, sed dæmonium eum habere dicitauerint. Hoc est, quod dicit vers. 41. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista.* Illud huic interpretationi contrarium videri potest, quòd statim, quasi explicans, quo sensu signum Ionæ prophetæ appellauerit, dicit, *sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus sic erit filius hominis*, &c. Respondeo hac explicatione nihil aliud Christum docere voluisse, quàm se esse Iudæis, quod Ionas fuerat Niniuitis: eò etiam maiorem, quòd maius est mortuum resurgere; quam euomi deuoratum; & tamen Niniuitas Ionæ credidisse, Iudæos sibi non credere.

A

B

C

D

E

40. *Sic erit filius hominis.*) Cur filius hominis appelletur diximus c. 8. 20.

In corde terræ.) Beda, & Euthymius cor terræ sepulchrum intelligunt, quæ hodie est Caluariæ locus interpretatio. Hoc interest, quòd illi bono, vt mortem significarent, hi malo intellexerunt animo, vt suum, illum alterum errorem confirmarent, Christum ad inferos non descendisse. Nos non solùm sepulchrum, sed etiam infernum significari contendimus, quòd verè Christus descéderit, vt in omni semper Ecclesia, tanquam pars fidei Catholicæ, creditum est. Id primùm ex ipsa phrasi probare possumus. Nam בלב הארץ *in corde*, pro, in medio, dicunt Hebræi, quia in medio animalis cor est Psal. 45. 3. *propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Infernus verò, non sepulchrum in medio terræ est. Deinde, quid causæ est, cur de nemine alio dictum sit, in corde terræ fuisse; cùm tam multi in sepulchro fuerint; si cor terræ sepulchrum significat? Cur nemo, præter Christum, dicitur non solùm in sepulchrum, sed & in inferiores, id est infimas partes terræ descendisse ad Ephes. 4. 9. nisi quia non solùm in sepulchrum corpore; sed etiam in infernum anima descendit? Denique *iis, qui in carcere erant*, hoc est in medio terræ prædicauit 1. Petri 3. 19. quod certè non in sepulchro fecit, sed in inferno. Nam Theodori hæretici in eum locum interpretatio tam est inepta, vt non timeamus, ne cui persuaderi possit; & eam eo loco, si Deus iuuerit, refutabimus.

Tribus diebus & tribus noctibus.) Plerisque hic locus multo, quàm est, difficilior videri solet. Nec enim Christus tres, sed vnam, aut, vt, plurimùm, duas noctes in sepulchro fuisse creditur; feria enim sexta lepulrus ante diem Dominicum, quæ prima sabbathi vocabatur, resurrexit cap. 28. 1. Mar. 16. 2. & Ioan. 20. 1. Nec satisfacit illis, quod ab omnibus vetustis auctoribus dictum est. Augustepistola. 49. q. 6. Hieronymo hoc loco & in commentariis in 2. cap. Ionæ. Beda & Theophylacto, syneedochen esse, qua pro toto pars ponitur; nam neque Christum tres integras noctes, nec partem trium noctium in sepulchro iacuisse. Cur non intelligant, causa est, quòd à diebus noctes diiungant, cùm sint potius cũ illis coniungendæ; Quòd enim dies, & noctes distinctè nominauerit, non ideo fecit, vt videntur existimare, vt tres integros dies, & tres integras noctes, sed vt tres naturales dies significaret, & eos ab vsualibus, vt vocant, diebus distingueret: hac enim phrasi diem, & noctem solent Hebræi naturalem diem, qui viginti quattuor horarum est, declarare Gen. 7. 4. 12. Exod. 24. 18. & 34. 28. Deuter. 9. 9. 11. 18. 25. & 10. 10. & 1. Reg. 30. 12. & 3. Regum 19. 8.

Fingamus ergo dixisse tribus diebus naturalibus; nemo dubitaret per 5. necdochem intelligẽdum tribus diebus fuisse, quia trium dierum per aliquam partem fuit; partem scilicet sextæ feriæ, totum sabbathum & partem primæ feriæ. Cùm enim Iudæi à vespere diem inchoarent, nox sabbathi in die Dominico, qui tertius est, numeratur. Cur ergo eodem modo dubitant intelligere, quia tribus diebus, & tribus noctibus dixit, cum nihil aliud his verbis voluerit, quàm tres naturales dies significare?

A

41. *Viri Niniuitæ.*) Quod quidam ex hæreticis dicit interpres, quia de signo Ionæ prophetæ mentionem Christus fecerat, in mẽtem illi venisse, vt de Niniuitis loqueretur, nimis ineptum, ac ridiculum est. Deridebitur enim si rogetur, qua occasione Regina illi Saba venerit in mentem, cum de Salomone mentionem non fecisset. Ergo, vt diximus, explicatio hæc est signi Ionæ prophetæ. Sed quia exemplum Reginæ Saba simile esse videbatur, hoc cum illo coniunxit.

Surgent.) non ad iudicandum, vt omnes, quos legi, interpretantur, recentiores præsertim Theologi, qui hoc de iudicio, vt vocant, comparationis, exponunt. Nec enim iudicis est surgere; sed sedere; *Sedebitis*, inquit, *super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel*, c. 19. 28. sed surgent ad accusandum: accusatoris enim est surgere. Eodẽmque modo intelligendum, quod statim sequitur, *& condemnabunt eam.* Nõ enim iudicando; sed accusando condemnabunt. Nam & accusator condemnasse reum dicitur, cum in iudicio ita conuicit, vt ob eius accusationem condemnaretur. Accusabunt autem, & condemnabunt non verbis, sed exemplo, quia cum Ionæ ipsi crediderint, Iudæi Christo non crediderunt. Itaque non surgent, sed vt cæteri stabunt: loquitur tamen Christus accommodatè ad consuetudinem fori. Alio sensu solent dicere Hebræi, in iudicio surgere, id est intrepidum stare, bene causam suam defendere, causa non cadere, vt Psal. 1. 5. *Ideo non resurgent impij in iudicio.* Quod Latini vno verbo dicunt stare; *Cum pulcherrimè*, inquit ille, *in senata staremus.*

Cic. l. 1. epist.

B

42. *Regina Austri.*) Meridionalis, quæ in Meridie dominabatur, periphrasis est reginæ Saba. 3. Reg. 10. 1. 4. 10. 13. & 2. Par. 9. 1. 9. vnde constat longè illam, latéque imperium habuisse; nõ enim alioqui à tota mundi Meridionali plaga; sed ab ea ciuitate, in qua regiam habebat, vt scriptura aliis locis facere solet, appellasset. Quod à Christo certo consilio factum arbitror vt eius Reginæ maiestatem amplitudinémque declararet. Pertinebat enim ad rem, vt Reginę Saba potentia declararetur, quo magis eius commendaretur factum; quòd tanta Regina tam longè venerit, vt Salomonis sapientiam audiret. Notanda enim vis, quæ in singulis ineſt verbis, & tacita quædam inter Christum, & Salomonem; inter Iudæos, & Reginam antithesis. Regina, fœmina, barbara, potentissima, à finibus terræ venit, vt audiret sapientiam Salomonis, hominis mortalis, cæterorum similis, vt audirer sapientiam humanam vtique, non diuinam; non vt miracula videret, quæ nulla fecisse Salomonem legimus. Iudæi. Pharisæi, viri non solùm docti, sed doctores legis venientem ad se dominum, filium Dei, & diuinæ sapientiæ thesauros ore fundentem; inauditaque illis miracula facientem contemnunt. Non opus est lectorem mediocriter dictum admonere, Saba, vbi hæc dicitur in scriptura fuisse Regina, non illam Orientalem fuisse, vnde Sabæi thure nobiles dicti sunt populi; sed alterã Meridionalem in Æthiopia, ciuitatem regiam, de qua Isaias cap. 43. 3. quam postea Cambyses sororis suæ nomine Meroën appellauit. Auctor Ioseph. lib. 2. antiq. c. 10. Strab. lib. 16.

Duplex Saba in scriptura

C

D

E

43. *Cum autem immundus spiritus.*) Luc. c. 11. 24. hoc ante ea, quæ supra Matthæus dixit, narrauit; sed, cum exposuerimus quorsum hoc Christus dixerit, apparebit non Lucam, sed Matthæum rerum gestarum ordinem tenuisse. Ideo vt opinor, Christus hoc dixit, vt doceret peiores esse Iudæos, quàm si nunquam Dei legem, & cognitionem accepissent. Cum enim per legem diabolus quodammodo ab illis eiectus esset, quia edocti per legem sunt Deo vni ac vero, non idolis, non diabolo seruire, contempta Dei gratia digni facti sunt, vt septem in eos pro vno immundo spiritu, spiritus ingrederentur. Huc tota tendit parabola, vt Hilarius, Hieronym. & Beda exposuerunt. Quãquam Chrysostomus, & Theophylactus, longius à sensu discedentes de excidio vrbis Ierosolymitanæ interpretantur; quasi Christus dicere voluerit Iudæos ab exilio Babylonico liberatos, & restaurato priore templo multò grauius excidium, exiliúmque passuros esse, quòd oblatam per se Dei gratiam fastidiosè, arrogantérque contempsissent. Hoc, inquam, etsi verum est, tamen longius abest à sensu. Nec enim dubito, quin voluerit Christus rationem reddere, cur Pharisæi non crederent; quòd septem dæmonibus, id est in reprobum sensum, ob contemptam Dei gratiam traditi essent. Solet enim Christus incredulitatis eorum similem aliis locis rationem reddere. *Omnis*, inquit, *plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur* c. 15. 13. & *nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum* Ioan. 6. 44. &, *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* Ioan. 8. 47.

Ambulat per loca arida.) Hoc ad allegoriam plerique referunt, quasi loca arida Gentiles appellet, & eos omnes, qui Dei cognitione culti non sunt, in quibus non contentus spiritus immundus commorari, quòd eos sibi iam obstrictos teneat; eos quærit, qui, cum scientiam Dei habuerint, contempserunt; maius lucrum ratus vnum ex illis peruertere, quàm in alijs multis pro suo arbitrio dominari. Ego Christum de diabolo, tanquam de homine, loqui existimo; solent enim homines domo sua pulsi huc illuc per sola, desertáque loca vagari, vt sedes sibi quærãt, quas commodas non inuenientes in priorem domum reuertuntur, eámque vacuam, & à nouo habitatore paratam, ornatámque reperientes, mulrò in ea commodius, quàm, antequã ea expellerentur, habitant. Quod autem ait ver. 45. *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se*, nihil aliud significat, quàm eos, qui optimi sunt, si quando cõtempta diuina gratia, mali fiant, pessimos fieri solere; quasi pro vno spiritu immundo, qui prius quàm boni fierent, in illis erat; septem in illos ingrediantur. Septem autem Hebræorum consuetudine pro multis posuit, certum numerum pro incerto. Cuius rei, quia multa, notãque sunt exempla, non recensemus. In eo etiam de spiritibus immundis, tanquam de hominibus loquitur; quòd dicat vnum alios ad commodam habitationem inuitare. Propterea enim vocat, non vt se, ne iterum expellatur, eorum præsidio defendat, vt Chrysostomus, multiq; alij exposuerunt. Summa est diabolum in ijs, qui boni aliquando fuerunt, & mali sunt, libentius, & quodammodo commodius habitare, quia domus ornamenta, id est mysteriorum cognitio, excultum scientia diuinarum rerum ingenium, & si qua sunt eiusmodi, quæ Deo parata fuerant, illi seruiunt. Sic fiunt posteriora eorum peiora prioribus. Experimur hoc quotidie. Nulli peiores sunt hæretici quàm qui, cùm boni aliquando Catholici fuissent; diuinam aspernati gratiam, & Catholicæ fidei simplicitatem, quasi cibum leuissimum fastidientes, vt

Inter hæreticos pessimi monachi apostatæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuxta ollas carnium sederent, hæretici facti sunt, id est in Ægyptum, vnde per fidem exierant, perdita fide redierunt. Nulli peiores Catholici, quàm qui, cùm aliquâdo religiosissimi fuissent, non benè renuerunt, quod habebant. Vt verissimè dixerit Augustinus, se non vidisse meliores, quàm qui in monasterijs profecerunt, neque peiores, quàm qui à monasterijs defecerunt. *Conuersi sunt*, inquit Dauid, Psal. 77. 57. *in arcum praui*, id est in modum arcus duri & manui non obedientis, qui si forte retẽdatur, aut vi, & impetu suo rumpitur, aut in peiorem formam, quàm in qua, antequam tenderetur, erat certè reuertitur.

Epist. 137

Quinam fratres Christi.

46. *Ecce mater eius, & fratres.*) Fratres Christi quidam filios Ioseph ex Beata Maria Christi matre interpretati sunt, quos nato iam Christo peperisset. Quę sunt hæresis Heluidij satis superque à D. Hieronymo scripto aduersus illum libro refutata. Alij filios Ioseph ex alia vxore, quam antequam Dei matrem duxisset, habuisset. In qua opinione omnes pene auctores Græci fuerunt; ideoq; opus non est singulos nominare; monere modò lectorem volui, vt, cum Græcos legit, istud caueat. In eadem est sententia ex Latinis Hilarius, & Ambrosius, qui plerisque in rebus Græcos imitabantur auctores. Hos non miror; recentissimos quosdam, & doctos, & Catholicos miror eam opinionem tenuisse. Vera sententia est, quam Hieronymus validissimè probauit, fratres Christi consobrinos, & cognatos eius appellari, quales erant Iacobus minor, Ioses, Iudas, & Simon, vt explicatur c. 13. 55. Filios fuisse sororis Mariæ Virginis, quæ & ipsa Maria vocabatur, Iacobum quidem, & Ioses constat. Nam Mariam Cleophæ filiam, Alphæi autem vxorem Ioannes vocat sororem matris Dominici cap. 19. 25. Eandem verò Matthæus c. 27. 56. & Marcus 15. 40. Mariam Iacobi, & Ioses matrẽ appellant. Quòd enim eam Gregorius Nyssenus oratione 2. de resurrectione Christi matrem fuisse dicit, admittendum non est. Solitos consobrinos, & cognatos fratres appellari ex multis locis manifestum est. Nam Lot, quem filium Aram fratris Abraham fuisse scriptura testatur, Abrahami frater vocatus est Genes. 13. 8. & Laban, cùm frater esset matris Iacob Genes. 28. 2. Iacob frater appellatur Gene. 29. 15. Hoc ergo sensu illi, quos supra nominauimus, fratres Domini vocantur. Maior, ac difficilior quæstio est, cur eò venerint, & tẽpore minimè opportuno cum Christo loqui voluerint, vt nõ dubitauerint eum concionantem interpellare, & misso nuntio euocare foras, vt ait Marcus cap. 3. 31. Idem Marcus eius rei causam insinuat, sed causam eiusmodi, vt neque hanc quæstionem tollat, & aliam multò maiorem gignere videatur. *Dicebant enim*, inquit, vers. 21. *quoniam in furorem versus est.* Marci locum, si eò nos Deus peruenire volet, ibi explanabimus; interim fingamus, id de Christo dictum esse, non dicit Euangelista eum in furorem versum; sed eius fratres id dixisse. Eos autem ex animo dixisse credẽdum non est; sed, vt eo prætextu de manibus eum Phariſæorum liberarent; odorati enim fuerant, vt vero simile est, ipsorum consiliũ quod de perdẽdo Christo conceperant, vt supra Matthæus dixit vers. 14. Credibile enim est consanguineos de eius salute fuisse solicitos. Ideo ergo venerant, ideo eius matrem, quò plus eum mouerent, adduxerant; ideo interpellant; ideo importuni sunt, quia timent, ac periculosum sit expectare, ne forte ipsa concione à Phariſæis apprehendatur. Itaque, quod Tertullianus in libro de carne Christi, Chrysostomus, & Theophylactus dicunt, eos ambitione quadam impulsos venisse, vt ostẽderent se eius esse cognatos, & aliquam in eum auctoritatem habere, à veritate alienum est. Illud nullo modo ferendum, quòd in eandem culpam omnis immunem culpæ Christi matrem inuoluant. Quod vtrumque libenter Caluinistæ, & Lutherani hæretici sunt imitati; multa etiam de suo addentes acerbiora. Nempe muscis, vt Gregorius ait Nazianzen, similes sunt, quæ per corpus discurrentes, quod sanum est, præterierunt, quod vlceribus, ac purulentum est, fugunt. Sic isti, quæ à veteribus auctoribus piè sapienterq; dicta sunt, omninò contemnunt; si quid illis minus consideratum excidit, id excipiunt, id vnum laudant. Scio scripsisse Ioannem c. 7. 5. *neque enim fratres eius credebant in eum.* Sed aliud est in eum non credere, aliud ambitiosos esse; nec hoc ex illo colligitur. Si quid autem ex eo, quòd in eum nondum credebant, colligi potest; potius contrarium potest. nulla eos ambitione ad Christum venisse; quæ enim ambitionis materia erat, si in eum non credebant? Adde, quòd Ioannes non significat fratres eius nullo prorsus modo in eum credidisse; sed non tam perfectè credidisse, quàm postea tot visis miraculis credidere; quomodo enim, si non credebant; Apostoli erant? quemadmodum idem alio loco Ioannes dixit c. 2. 11. *& crediderunt in eum discipuli eius*, non quòd ante non credidissent, sed quòd magis tunc viso miraculo credidissent. Denique non est rationi consentaneum peius de Beata Virgine, & Apostolis sentire ac loqui; quàm de quouis homine loqui, atque sentire bono viro licet: qui nullius factum quantumcũque speciem peccati habeat, quamdiu benè interpretari potest, reprehendi. Apostolorum hoc loco ambitio nullo scripturæ testimonio, nulla vero simili coniectura probari potest. Quę igitur est ista æquitas peiùs de Apostolis sine vllo argumento, quàm de cæteris hominibus cogitare? Simile est, quod auctor imperf. hom. 30. diuinauit. Apostolos Christi cognatos à diabolo instigatos fuisse, vt eò venirent, vt homines, qui Christi diuinitatẽ credere incipiebant, visis eius cognatis purũ hominẽ crederent.

Frater in scriptura & consobrino.

Stabant foris. Hoc etiam hæretici, immeritò arrogantiæ tribuunt, quasi non sint dignati in domum ingredi, & verbum Dei cum alijs audire, cùm apertè Lucas dicat ideo ingressos non esse, quia præ turba ingredi non potuerunt. Intolerabilis audacia non solùm sine scriptura, sed etiam contra scripturam malè de Apostolis iudicare.

47. *Dixit autem ei quidam.*) Marcus c. 3. 30. ait *miserunt ad eum vocantes eum.* Itaquq hunc, qui Christo matrem, fratrésque eius adesse renunciauit, ab Apostolis summissum fuisse. cum ipsi ingredi non possent credẽdum est. Quòd autem Matthęus vnum, Marcus & Lucas plures illi renuntiasse dicunt, facilè soluitur vnum prius, multos deinde, vt fieri solet, cùm nondum exiret, renuntiasse.

48. *Quæ est mater mea.*) Illud primum tenendum, quod Epiphanius hæres. 42. Chrysostomus & Hieronymus in hunc locum adnotarunt, non ideo hoc dixisse Christum, vt matrem, fratrésque negaret, & iuxta Marcionem, vt ait Hieronym. & Manichæus, qui hoc abutebantur loco, de phantasmate natus putaretur. Cur autem tam asperè respondit, & ab omnibus causa reddita. Hieronymus putat eum, qui illi matrem, & fratres eius adesse renuntiauerat, malo id animo fecisse, vt experiretur, an parentis, & consanguineorum affectu tangeretur, ideóque illi, tanquam insidiatori, asperiùs respondisse: sed iam ex Marco c. 3. 30. probauimus illum non tentandi, sed obediendi causa iussum à fratribus Domini eorum illi aduẽtum renuntiasse. Epiphanius autem hæres. 42. & Chrysostomus propterea quòd importunè cum interpellabant. Ambrosius melius in c. 8. Luc. *nec*, inquit, *iniuria reprehendantur parentes, sed religiosiores copulæ mentium*

docentur

docentur esse, quàm corporum. In eandem sententiam Hilarius scribit. *Formam*, inquit, *se ij sum vniuersis agendi, scitendique constituens propinquitatum omnium ius, atque nomen tam non de conditione nascendi; sed de Ecclesiæ communione retinendum.* Idem rursus Ambrosius eundem in locum. *Moralis*, inquit, *magister, qui se cæteris præbet exemplum, atque ipse præceptor, ipse etiam suorum executor est præceptorum. Præscripturus enim cæteris, quoniam qui non rehquerit patrẽ, aut matrem suam, non est filio Dei dignus, sententiæ huic primus ipse subiecit, non quo materna refutet pietatis obsequia (ipsius enim præceptum est, qui non honorauerit patrem & matrem, morte moriatur) sed, quia paternis se mysterijs amplius, quàm maternis affectibus debere cognoscat.* Itaque docere homines voluit posse vnumquemlibet & fratrem, & matrem esse ipsius. Nec carnales parentes negat; sed spirituales præfert: sicut cum Lucæ 11. 27. 28. mulieri dicenti, *beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ sucisti*; respondit, *quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*: non negans beatum ventrem; sed mentem beatiorem affirmans, quæ audit verbum Dei, & custodit illud; nec alios matri, sed matrem matri præferens, matrem audientem, & custodientem verbum Dei, matri in vtero gestanti, atque lactanti. Ideo enim mater Christi omnium hominum beatissima fuit, quia plusquam omnes homines verbum Dei audiuit, & credidit. *Beata*, inquit illa, *quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a domino*, Luc. 1. 45. Similiter hoc loco nec matrem, nec fratres suos negat, nec alios illis, sed matrem matri, fratres fratribus anteponit. Nam, etsi virgo corpore verè eius mater, & Iacobus, Ioses, Iudas, & Simon consanguinitate verè eius fratres erant, tamen multò perfectius, & maiore cum merito mente & illa mater, & illi fratres erant; quia faciebant voluntatem patris eius, qui in cælis est.

CAPVT XIII.

1. IN illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. 2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore, 3. & locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exijt, qui seminat, seminare. 4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea. 5. Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebãt terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ: 6. sole autem orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. 7. Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. 8. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. 9. Qui habet aures audiendi, audiat. 10. Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris ei? 11. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum. 12. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. 13. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. 14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. 15. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. 16. Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. 17. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. 18. Vos ergo audite parabolam seminantis. 19. Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatũ est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est. 20. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: 21. non habet autem in se radicem, sed est temporalis, facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. 22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. 23. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud: autem sexagesimum, aliud vero trigesimum. 24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens Simile factum est regum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. 25. cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. 26. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. 27. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen semi-

Matt. 4. a. 8 Luc. a. 4.

Inf. 25. c. 29.

Isai. 6. c. 9. Mar. 4. b. 24. Luc 8. b. 10. Ioan. 12. f. 40. Act. 28. f. 26. Rom. 11. b. 8. Luc. 8. b. 11. Luc. 10. a d. 24.

Mar. 4. c. 28.

nastis in

Universidad de Deusto
Biblioteca

nasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? 28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit: Serui autem dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea? 29. Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, erradicetis simul cum eis & triticum. 30. Simite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. 31. Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: 32. quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. 33. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. 34. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis, ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis: 35. vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. 36. Tunc dimissis turbis, venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. 37. Qui respondens, ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. 38. Ager autem, est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequam. 39. Inimicus autem, qui seminauit ea, est diabolus. Messis vero, cōsummatio sæculi est. Messores autem, angeli sunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi: 41. mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: 42. & mittent eos in caminū ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium. 43. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. 44. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. 45. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. 46. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vēdit omnia quæ habuit, & emit eam. 47. Iterū simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. 48. quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. 49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, 50. & mittent eos in caminum ignis: ibi erit & fletus, & stridor dentium. 51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. 52. Ait illis: ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. 53. Et factū est, cum consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde. 54. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? 55. Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius, Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas: 56. & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? 57. Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua. 58. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

Mar. 4. d. 30. Luc. 13. c. 18.

Luc. 13. c. 21.

Psal. 77. a. 2. Mar. 4. d. 32.

Apoc. 14. c. 13.

Sap. 3. b. 7. Dan. 12. a. 3.

Mar. 6. a. 1. Luc. 4. c. 16. Ioan. 6. c. 42.

IN CAPVT XIII.

In illo die.) Quo in domo concionante illo tanta hominum multitudo concurrerat, vt domus eos capere nō posset, ideóque fratres eius foris starent, quia ingredi non poterant, supra c. 12. 46. & Luc. 8. 19. Idcirco domo exijt, & admare contendit, vt altiorem in locum concionem educeret, quemadmodum Euthymius adnotauit.

A

2. *Et congregatæ sunt ad eum turbæ.)* Ideo hoc narrat Euangelista, vt concionis & parabolarum, quas narraturus est, occasionem exponat; ideo enim concionem habuit Christus, & parabolas multas, illa præsertim de semine in diuersam terram cadente propo-

Agnat. 1. 7. & 22. Parabola quid sit.

per, vt in manu prophetæ, id est per manum prophetæ. Parabolæ Græcis sunt Latinis similitudines, Hebræis מָשָׁל ænigmata, sermo qui aliud sonat, aliud significat, obscuris rerum similitudinibus inuolutus. Nomen est apud Ecclesiasticos auctores adeo vsitatum, vt quemadmodum in nonnullis superiorum seculorum scriptoribus obseruari, omne verbū parabolam appellauerint; vnde Italis & Gallis *parole*, Hispanis *palabra*, quasi parabola facta est. Cur autem non expertè, & explicatè, sed per parabolas Christus hoc loco locutus sit, ipse infra explicabit ver. 13.

Qui seminat.) Periphrasis agricolæ ὁ σπείρων seminans, id est seminator, qui seminare solet.

4. *Et dum seminat.)* καὶ ἐν τῷ σπείρειν, & in seminando, id est dum seminaret. Reliqua vsque ad versum 9. explicabuntur ver. 19.

B

10. *Quis habet aures.)* Excitat auditorum studium, vt diligenter parabolæ significationem inquirant, vide cap. 11. 15.

Locus citatus contra sententiam D. Aug. de prædestinatione explicatus.

11. *Quia vobis datum est.)* Commouetur hic de prædestinatione, & reprobatione difficilis quæstio, de qua ego, antequam nostræ de ea re Theologicæ scholæ exeant; non libenter, quasi ex itinere, dico sententiam. Tantùm attingam, quæ ad eos locos, de quibus agetur, explanandos, necessaria mihi esse videbuntur. Duo hic quæri possunt; alterum, cur Apostolis datū: alterum, cur alijs non datum. Catholici, qui D. Augustini de prædestinatione sententiam sequuntur, ideo Apostolis datum esse docent, quia prædestinati; ideo alijs non datum, quia reprobati erant; hoc enim loco inter alios vt sententiam de prædestinatione, & reprobatione suam probaret, vsus est August. in lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. & 16. lib. de bono perseuerantiæ cap. 8. 9. 11. lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 2. & lib. de corrept. & gratia c. 4. 6. 7. 8. De Augustini vt dixi, opinione non disputo, de huius loci interpretatione disputo, & multos graues, antiquos, doctos secutus auctores affirmo non eam fuisse causam, cur Apostolis datum sit mysteria regni cælorum cognoscere, quod prædestinati; nec eam, cur alijs datum non sit, quòd reprobati essent; sed quod Apostoli digni essent, alij indigni, vt Hilarius, Chrysost. hom. 46. Hieronym. auctor operis imperfecti, Beda, Theophylact. Euthym. existimant. Primùm non omnes Apostoli prædestinati erant; nam certè Iudas non erat prædestinatus, & tamen omnibus datū est nosse mysteria regni cælorum; omnibus enim Christus parabolam explicauit; non ergo ideo datum, quia prædestinati erant. Contra verò non omnes, qui erant in turba præter Apostolos reprobati erant. Quis enim id credat. Omnibus tamen negatum est; non igitur ideo illis non datum, quia reprobati erant. Præterea etsi, cur datum sit Apostolis, apertè explicatum non est; tamen, cur alijs datum non sit, explicatum non est, quia videntes non videbant, & audientes non audiebant, id est, quia cùm credere nollent, atque intelligere, indigni erant, quibus mysteria regni cælorum explicarentur, ver. 13. propterea ergo Apostolis datum quia digni erant, quia intelligere, quia credere volebant; quia quæsiuerant, vt ait Marcus cap. 4. 10. Qua ratione credendum est Christum his dedisse, & illis negasse, nisi qua postea Apostoli eius voluntatem, & exemplum secuti gentibus dederunt; Iudæis negauerunt? Act 13. 46. *vobis*, inquiunt, *oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterne vitæ ecce conuertimur ad gentes.* Qua ratione credimus Christum his dedisse, illis negasse, nisi quia alio loco dicit, *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius?* Cur enim illis ablatum, nisi quia fructus eius non faciebant? Cur his datum,

C

Cap. 21. 41.

D

nisi quia sciebantur esse facturi? Illud verò, quod Caluinus dicit, verba Christi obscura non fuisse; sed auditores cæcos, ideoq; intelligere non potuisse; non solùm falsò, sed etiam imperitè ac ridiculè dictū est. Nam Apostoli profectò cæci non erat, & tamen sensum parabolæ, donec illis Christus expositit, non intellexerūt. Sed scio quid Caluinus velit, & dicere non audeat, sibi ac suis omne verbum Dei fucile, & perspicuum esse, quia oculos, id est Spiritum sanctum habent: Apostolis difficile, quia cæci erant, & Geneuensi carebant spiritu.

12. *Qui enim habet, dabitur ei.)* Prouerbialem fuisse locutionem inde colligitur, quòd alijs etiam locis in eandem sententiam à Christo repetatur, vt infra cap. 25. 29. Simile apud Hispanos prouerbium est, quo significatur diuitibus omnes dare, pauperibus auferre. Sensus autem est, ita plerúmque fieri solere, vt ei, qui plus habet, plus detur, quia plus meretur: ei, qui non habet, etiam siquid reliquum illi est, auferatur; quia indignus est, vt habeat. Id parabola illa de talentis c. 25. 18. aptissimè explicatum est; vbi propterea illi, qui quinque habebat talenta; aliud insuper datum est, quia illud benè negotiando, & alia quinque talenta lucrando meruerat; propterea verò alteri vnū, quod solum habebat, talentum, aufertur, quia illud in sudarium inuoluerat, & dum nō multiplicauit indignum se, qui haberet, effecit. Id etiam vel ex nostris moribus discere possumus; si pecuniam negotiandi causa daturi sumus, illi potius mercatori damus, quem bene negotiando diuitem factum scimus; & quò plùs pecuniæ habet, plus illi pecuniæ concredimus. Contra illi, quem sua negligētia pauperem videmus, non solùm nihil damus; sed si quid illi dederamus, id etiam, ne forte perdat, repetimus. Capite 25. 29. & Lucæ 8. 18. non dicitur, & id quod habet, auferetur ab eo; sed, *id quod videtur habere*, aut *quod putat se habere*. Quod occasionem multis præbuit hunc locum ex illis interpretandi, quasi non sit ablatum Iudæis, quod re vera habebant; sed quod sibi habere videbātur. Quod si verum esset, nihil illis verè esset ablatum. Nec enim verè aufertur, quod verè non habetur. At Christus aliquid verè auferri significat, alioqui nulla esset pœna. Videmus autem illum hoc Iudæis, tanquam pœnam, comminari; & cap. 25. 29. talentum, quod negligens ille seruus non solum habere videbatur; sed habebat, auferri iubet, & alteri dari. Cur ergo dicit, *quod videbatur habere?* vel quia dixerat, *non habenti auferetur*, & poterat aliquis dubitare, quomodo non habenti auferri posset, dixit non quod habebat, sed *quod habere videbatur*. Vel, vt ait D. Augustin. quia perinde habebat, ac si non haberet, cùm eo non vteretur, non dicitur habere, sed habere videri. Quid ergo Iudæis, quod habebant, ablatum est, quia oblata Euangelij gratia vti noluerunt? Respondent Hieronym. Chrysostom. & auctor operis imperfecti ablatam illis esse ipsam quodammodo naturam, id est naturalem cognitionem, quia excæcati sunt, ita vt ne illa quidem, quæ duce natura intelliguntur, intelligerent. Quis enim philosophus si tot Christi, ac tāta miracula oculis suis perspexisset, non credidisset aliquā in eo fuisse diuinitatem? Apostolis ergo gratiam ad inielligenda diuina mysteria iam habentibus, eáque bene vtentibus maior insuper gratia ad maiora mysteria comprehendenda data est: illis neque habentibus, neque recipere oblatam volentibus natura quodammodo ipsa erepta est. Ex hoc loco nostra de meritis sententia aptissimè potest, vt mihi videtur, explicari. Nam qui gratiam Dei non habet, nihil omninò mereri potest, nisi, vt etiam aliquid sibi ex ipsis rebus naturalibus auferatur. Qui autem habet, eáque bene vtitur

Probatur doctrina Ecclesiæ de meritis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quò plus habet & melius vtitur, eò plus gratiæ merè-
tur, eò plus accipit; & quò plus accipit, eò dignior fit,
vt plus etiam accipiat. Ita semper quod ait Christus,
verum est, *qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui*
autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

A

1. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes, non vi-*
dent.) Id est cum miracula certissima eorum, quæ di-
co, argumenta oculis suis videant, & auribus audiāt,
nec intelligere, nec credere volunt. In pœnam ergo
incredulitatis obscurè illis loquitur; quia dum, quæ
perspicuè ac dilucidè illis dicebantur, intelligere no-
luerunt, illud meruere, vt ita illis loqueretur, vt etiam
si vellent, intelligere non possent. Sic solet Deus iu-
stissimo iudicio, ijs, qui oblatum verbum suum repu-
diarunt, prorsus auferre; seruat enim ipse in primis
præceptum suum, *nolite dare sanctum canibus, neque*
mittatis margaritas vestras ante porcos, vt dixit c. 7. 6. Sic
minatur apud Amos illis, qui rot prophetis credere
noluerant cap. 8. 11. *mittam famem in terram, non famem*
panis, neque sitim aqua, sed audiēdi verbum Domini. Cur
exgo illis Christus parabolas proponebat, cùm intel-
ligi ab illis nollet? Rectissimè homil. 46. Chrysosto-
mus respondet, ideo noluisse eos intelligere, vt intel-
ligerent. Excitatur enim auditorum studium, & in-
quirendi diligentia, cum ea audiunt, quæ non intel-
ligunt, & habere tamen magnarum rerum significa-
tionem animaduertunt. Ita fit, vt pœna illis in emen-
dationem euadat, nisi pœna ipsa etiam abutantur. Hu-
ius loci si qua erat difficultas explanata est. Alia venit
ex Marco, qui c. 4. 12. ait Christum dixisse, *propterea*
in parabolis loquor, vt videntes non videant, & audientes
non intelligant, nequando conuertantur, & dimittantur eis
peccata. Quod enim dicit, *vt videntes non videant*; &
audientes non intelligant, iam ex Chrysostomi senten-
tia explicatum est. Quod autem adiungit, *nequando*
dimittantur illis peccata, nec ea ratione, nec alia expli-
cari videtur posse, quàm vt Christus eos conuerti &
saluos esse nolit. Eodem tamen modo Chrysostomus
respondet, sic noluisse Christum Iudæos conuerti, &
peccata illis remitti; sicut intelligere noluit, quæ dice-
bat; non in perpetuum, sed ad tempus clausit illis sa-
lutis ianuam, vt pulsarent, qui, cum aperta esset, in-
gredi noluerant. Nitimur enim in vetitum. Noluit tūc
malè conuerti, vt, cum se derelictos viderent, melius
conuertentur. Noluit tunc peccata illis dimitti, vt ve-
xati malis debitum agnoscerent, & commodiore illis
tempore, maiorique cum fructu dimitterentur. Aliter
Euthymius in illum Marci locum scribens, hæc ver-
ba, *nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata*,
non cōiungit cum verbo *in parabolis loquor*, quasi pro
pterea Christus in parabolis loqueretur; ne illis pec-
cata conuersis remitterentur, sed refert ad verba illa,
vt videntes non videant, & audientes non intelligant, vt
sensus sit propterea nolle eos videre, & intelligere,
ne conuertantur; & peccata illis remittantur, sicut de
impio & perdito homine dixit Dauid, *noluit intelligere,*
vt bene ageret; id est ne bene ageret. Ac verò apud
Isaiam prophetam, ad quem his verbis Christus allu-
sit, hic sensus est, vt ver. 15. explicabimus. Sed quo-
cunque tādem modo hic locus intelligatur; certè non
ita intelligitur, vt significetur Christum nolle, vt con-
uertantur, & peccata illis remittantur. Illæ enim no-
bis, quæ non ambiguæ, sed certæ; non obscuræ, sed
dilucidæ sunt, fixę debent esse sententiæ, velle Deum
omnes homines saluos fieri, nolle quenquam perire,
nolle mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur, &
viuat; non voluntatis eius mortem esse impij, & aliæ
pœnæ innumerabiles generis eiusdem, quibus tota
scriptura sacra plena est.

Cur parabolas Christus proponeret.

1. Tim. 2. 4. Ezech. 18 23 32.

14. *Et adimpletur in eis.*) In eis adimpletur, quod
de vetere populo dictum erat; *audita audietis, & non*
intelligetis: in me verò, quod de Deo, *excæca domine*
cor populi huius.

B

Auditu audietis, & non intelligetis.) Quæ hîc per fu
tura tempora dicuntur, apud Isaiam cap. 6. 9. in He
bræo per imperatiua dicta sunt. *Audendo audite, &*
ne intelligatis; & videndo videte, & ne videatis. Septua-
ginta verò existimantes imperatiua, vt sæpe apud He-
bræos fieri solet, pro futuris poni per futura conuer-
terunt, quos hîc siue Matth. siue Matthæi Græcus,
Latinúsque interpres secutus est. Vterque sensus be-
ne, conuenientérq; loco hæret. Nam si per futurum
legamus, non quid eos Deus facere velit, sed quid ipsi
facturi sint, significatur. Si per imperandi modum,
sensus verus est, & elegans. Sed difficilior, quia vide-
tur illis Deus imperare, vt audiant, & non intelligant.
Sed hæc etiam phrasi, quamuis imperando loqui vi-
deatur, tamen non imperat; neque quid ipse velit, sed
quid illi sint facturi, declarat; quemadmodum Galli
seruo perdito solent dicere, caue ne vir bonus sis, non
imperando, non volendo, vt bonus vir non sis; sed de-
clarando se scire eum bonum virum nunquam futu-
rum. Sic loquitur Christus infra c. 23. 32. *& vos imple-*
te mensuram patrum vestrorum. Imperare enim videtur
quod non imperat, sed declarat eos esse facturos. Nec
enim concessio est, vt plerique putant. sicut, *I, sequere*
Italiam ventis; sed modus loquendi Hebræis fami-
liaris longè plus habens energiæ.

1 Reg. 22.

C

15. *Incrassatum est enim.*) Quod hîc per præteritum
dictum est, apud Isaiam mandandi modus est השמן
incrassa, impingua cor populi huius; Similiter quod se-
quitur, *& auribus grauiter audierunt, & oculos suos clau-*
serunt, Hebraicè est ואזניו הכבד *aures eorum aggraua*, &
עיניו השע oculos eorum caligine offunde, id est ex-
cæca, vt illuc D. Hieronymus vertit; Septuaginta verò
ijsdem verbis conuerterunt, quibus hîc Euangelista
vsus est, vt vero simile sit, quod in præfatione ad qua-
tuor Euangelistas dixisse memini, sæpe Græcū Ma
thæi interpretem testimonia, quæ ex vetere citantur,
Testamento, non vt sunt in Hebræo, sed vt in Septua-
ginta interpretib. conuersa transtulisse. Cur autem ita
Sept. cōuerterint; in lib. Hebraicarū lectionum ratio-
nem reddimus. Nempe hęc tria verba השמן הכבד השע
alijs punctis legerunt, quàm nunc leguntur ab He-
bræis. Nunc enim legimus השמן *impingua*, *incrassa*; il-
li legerunt השמן *impinguatum est, incrassatum est*: nunc
legimus הכבד *aggraua*; illi legerunt הכבה *aggrauatū*
est, quod per periphrasim explicarunt, πάις σοὶ βαρὺς
ἦν σὺν ἀκοαῖς grauis auribus audiuerunt; nunc legimus השע
caligare fac, illi legerunt עשע oculus eorum caligine
offusus est, & per periphrasim καὶ τὰς ὀφθαλμούς αὐτῶν
ἐκάμμυσαν, & oculis suis caligauerunt. Versio Septua-
ginta; quam aut Euangelista, aut eius interpres hoc
loco secutus est, multo meliorem habet sensum, quia
Deus ipse loquitur, non propheta; Deus autem non
dixisset, *impingua cor populi huius, & aures eorū aggra-*
ua: cui enim dixisset, cum nemo præter ipsum, aut ex-
cæcare cor, aut illuminare posset? Deinde, quia iam
cor populi impinguatum erat, iam aures aggrauatæ,
iam oculi excæcati, propterea enim dixerat, *audiendo*
audite, & nolite intelligere, quia sciebat adeo excæcatos
esse, vt etiamsi audirent, intellecturi non essent. Non
ergo nunc iubet Deus, aut propheta orat, vt excæcā-
tur, qui cæci iam erant; sed reddit rationem, cur intel-
lecturi non essent, quia cæci erant. Itaque superuaca
neum hoc loco est, quomodo Deus excæcare, & in-
durare dicatur, disputare; de ea re in epistola ad Rom.
cap. 9. Deo iuuante disseremus.

Isa. 6. 9. Matth. 13. 14. Act. 28. 26. Rom. 11. 8.

16. *Vestri autem beati oculi.*) Videri potest huic sen
tentiæ illa esse contraria, *Quia vidisti me Thoma credi-*

D

E

disti,

disti, beati qui non viderunt, & crediderūt. Nam prophe-
tæ illi, & iusti, quibus Apostolos Christus antefert, eo
fuisse videntur Apostolis beatiores, quòd non viden-
res crediderunt. Facilis erit solutio, si spectemus, quid
hîc, quid illîc Christus agat. Hic Apostolos prophetis
beatiores dicit, quia cum vtrique crediderint, tamen
quæ credebant, & videre optabant, illi viderunt, hi nō
viderunt. Et erat merito in beatitudine ponendum fi-
lium Dei tam diu expectatum, tum ad liberandos à ty-
rannide diaboli homines necessarium videre illis
cōtigisse. Hoc enim sensu Simeon ille, qui redemptio-
nem Israëlis expectabat, cum Christum in vlnas ex-
cepisset, dixit, *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, se-*
cundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei
salutare tuum. Cum autem dixit, *beati qui non viderunt,*
& crediderunt, illos, qui non videntes credūt, illis præ-
fert, qui oculis fidē metientes, non credunt, nisi quod
vident. Sunt, qui, vt has sententias concilient, hunc
locum non de oculis corporeis; sed de oculis mentis
interpretentur, vt Hieronymus & Chrysostomus; sed
non est istud necessarium; præter quàm quòd de so-
lis oculis mentis intelligi non potest; quibus pro-
phetæ, & iusti Christum venturum viderunt. *Abra-*
ham, inquit, *exultauit, vt videret diem meum; vidit, & ga-*
uisus est Ioan. 8. 56. & non est dubium voluisse Christū
Apostolos prophetis anteferre, quòd, quæ prophetæ
longè, illi propè; quæ prophetæ obscurè illi perspi-
cuè; quæ prophetæ spiritu; illi oculis etiam vidis-
sent, manibusque tenuissent, sicut Ioannes ait 1. epi-
stola c. 1. 1. 2. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspexi-*
mus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, testa-
mur, & annuntiamus vobis, & Petrus epist. 2. 1. 18. 19. &
hanc, inquit, *vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum*
essemus cum illo in monte sancto, & habemus firmiorem
propheticum sermonem. Atque hoc sensu Theophylact.
& Euthymius exponunt.

Luc. 2. 29.

Ioan. 20. 29.

A

B

17. *Multi prophetæ, & iusti.*) Nominat nobilissimas
quasque personas, quæque dignissimæ fuisse videban-
tur, quæ Christum viderent, nec tamen videre potue-
runt, quò magis gratiam & felicitatem Apostolis à
Deo cōcessam commendat. Quò etiam spectat, quod
Lucas c. 10. 24. ad prophetas non iustos, sed reges ad-
iungit. Credibile enim est Christum ea tria persona-
rum genera præstantissima nominasse, prophetas, iu-
stos, & reges, sed Matthæum reges, Lucam iustos præ-
termisisse. Quòd autem Hieron. & Euthy admonue-
runt non dixisse Christum omnes prophetæ, sed mul-
tis quòd aliqui ex illis viderint, vt Abraham, qui exul-
tauit, vt videret diem Christi, vidit, & gauisus est, veri-
simile non esse arbitror; quin multos pro omnibus
posuit; vt Apostolis, qui pauci erant, opponeret, vt
Rom. 5. 19. multisque aliis locis factum videmus. Nam
ne ipse quidem Abraham ita Christum vidit, quem-
admodum Apostoli viderunt.

C

18. *Vos ergo.*) Vos qui vidistis, quæ multi prophetæ
& iusti voluerunt videre, & non viderunt; & audistis,
quæ voluerunt audire, & non audierunt; vos quibus
datum est nosse mysteria regni cælorum, cùm cæteris
datum non sit, vt dixit ver. 11.

D

Audite.) Intelligite parabolæ significationem;
iam enim parabolam audiuerant Marcus c. 4. 13. in-
dicat Apostolos à Christo subreprehensos, quòd pa-
rabolam non intellexissent, cum primum audierunt,
Nescitis parabolam hanc, & quomodo omnes parabolas co-
gnoscetis? quasi dicat, si hanc, quæ omnium facillima
est, non intelligitis, quomodo omnes alias, quæ difi-
ciliores sunt, intelligetis? sicut infra cap. 15. 16. *adhuc*
& vos sine intellectu estis? Reprehendit ergo, non quòd
intellectu res esset facilis; quis enim nostrum, si au-
disset, nemine interpretante intelligere potuisset? sed

E

quòd, cùm tam diu cum ipso versati fuissent & deber
rent magistri esse propter tempus, præceptore in iis
rebus, quas ipsi aliis explicare deberent, indigerent.
Vt alio loco, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cogno-*
uistis me Ioan. 14. 9.

19. *Omnis qui audit verbum regni.*) Euangelium.

Et non intelligit.) Non recondit altè in animo, non
fouet, non meditatur, & quasi terra cordis sui tegit.
Nam non intelligere, non semper culpa est; hîc au-
tem culpa notatur. Sic ergo hoc loco accipitur intel-
ligere, quemadmodum Psal. 40. 1. *Beatus, qui intelligit*
super egenum, & pauperem, id est, qui curam illius ha-
bet, qui illum fouet, qui tegit, qui nutrit; redundat
nominatiuus *omnis* ex Hebræorum idiomate.

Venit malus.) ὁ πονηρὸς malignus, diabolus, vt c. 6. 13.
& aliis locis, quos illic adnotauimus.

Hic est, qui secus viam seminatus est.) Verba hæc occa-
sionem multis præbuerunt longam texendi disputa-
tionem quomodo ille qui audit, & non intelligit, se-
cus viam seminatus dicatur, cùm non ipse, sed granū
seminatum sit. Nam, dum seminat, aliud cecidit secus
viam, aliud in petrosa, ver. 4. Res non est, vt mihi vide-
tur, adeo difficilis, vt tam longis indigeat comment.
Seminari dicitur, & semen quod iacitur, & ager, in
quem iacitur. Nam & sata inde dicuntur agri ipsi, qui
seruntur. Ergo, qui audit verbum regni, & non intel-
ligit, secus viam seminatus dicitur, non vt semen, sed
vt ager, & terra, quæ secus viam dura est, præterean-
tium calcata vestigiis. Eodem modo, quod vers. 20. 22.
& 23. dicitur, intelligendum est Seminatorē Christus
se ipsum vocat; semen verbum Euangelicum; agrum
mundum, diuersam in eodem agro terram, aliā secus
viam, aliam petrosam, aliam spinis coopertam, aliam
bonam, homines diuersos, volucres, dæmones, qui id
quærant ne quod bonum semen in nostris animis fo-
ueatur. Eos, qui audiunt, & non intelligunt calcatæ
viæ comparat, quia, vt semen, quod in viam cadit, nul-
la tegitur terra; sed auibus expositum manet: sic ver-
bum Dei, quod in aures corporis incidit, in animum
verò non descendit, quasi nulla terra tectum, facilè a
diabolo diripitur.

2. *Qui autem super petrosa seminatus est.*) Semen ex-
cipit vide superiorem versum.

Et continuò cum gaudio accipit illud.) Intelligit, re-
condit cordis terra tegit; opponit enim hunc illi qui
cum audiat, non intelligit, versu præcedente. *Cum gau-*
dio autem dixit, vt significaret hominis leuitatem.
Nulli enim minùs constantes auditores esse solent,
quàm, qui initio maximè videntur ardere. Id etiam in
religione sæpe vsu venit. Qui citò veniunt, citò ab-
eunt; hoc est quod sequitur.

21. *Non habet autem in se radicem.*) Constantiam, non
habet altè impressum Dei verbum, quia non habet
terram multam. id est magnam, profundāmque, vt
ita dicam, voluntatem. Ideo semina, quæ in eam eci-
derunt, continuò exorta sunt, quia non habebant ter-
ram multam, vt dixit ver. 5 Nam semen quod sola ter-
ræ superficie tegitur, citius exoritur, sed citius etiam
æstuante sole, & adustis radicibus aresc it. Quod in
terram altè descēdit, serò nascitur, diu vitescit. Vtrius-
que rei eadem est causa, quia terram habet multam,
quæ quo minùs citò enascatur, & appareat, impedit;
natum ex imò misso humore nutrit.

Continuò scandalizatur.) Cadit, id est fidem deserit;
hoc enim verbum significat. Tria terræ genera di-
stinxit, quæ nullo modo arata est, vt via, & nullam, vt
ita dicam, terram habet; quæ paucam habet; quæ
multam, & fortasse bonam, sed spinis operam quas, si
non haberet, vberem esset fructum redditura. Hoc
est, quod ait.

Universidad de Deusto
Biblioteca

22. *Qui autem seminatus est.*) Vide versum 19.

In spinas.) Qui in terram quidem multam, ac bonam; sed spinis plenam semen excipit.

Hic est qui verbum Dei audit.) Plus, quàm dicit, significat. Intelligendum enim est, qui audit, & intelligit, vt de superiore dixit cum gaudio accipit illud. Hunc enim illi præponit, tanquam propius ad eos, qui multiplicem fructum ferunt accedat. Nascitur etenim in illo verbum, sed solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum illud suffocat, efficitque, vt fructum non ferat. Sollicitudinem huius sæculi vno verbo vocauit, quicquid in illo præter regnum Dei, magno studio homines quærunt, honorem, ambitionem, negotiationes, & quidquid à quærendo regno Dei hominem retardat. In quibus & diuitiæ comprehenduntur, sed eas propterea nominatim expressit, quia maxima pars hominum quasi publico eas studio consectantur. Fallaces verò appellat, & quia fugaces, & instabiles sunt, & quia homines fallunt. Hebraica enim est phrasis, fallacia diuitiarum, pro fallacibus diuitiis, vt corpus mortis huius, pro corpore hoc mortali Rom. 7. 24.

23. *Qui vero in terram bonam seminatus est.*) Quemadmodum eorum, qui fructum non ferunt, tria fecit genera; ita, vt notauit Hieronymus, tria eorum, qui fructum ferunt, genera distinguit, quibus omnes vnius atque alterius generis homines comprehendit. Bonam autem terram appellat non solùm quæ natura sua bona est; sed quæ benè culta, quæ subacta: quæ purgata est. Nam &, quæ secus viam est, bona est, sed arata non est: &, quæ spinis operta, bona fortasse, sed inculta. Illa absolutè bona dicitur, quæ & natura pinguis, & diligentia benè culta est. Sic exemplum magis in homines conuenit. Quorum eadem, id est bona per se natura est, bona per se voluntas; sed eam alij, aut non colendo viæ similem; aut non altè arando petrosam; aut non sarriendo spinosam faciunt.

Hic est, qui audit verbum, & intelligit.) Meditatur, exercet, vt supra ver. 19.

Et facit aliud quidem centesimum.) ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα. *Hoc quidem centum, hoc autem sexaginta, hoc vero triginta.* Sed Græcè nomina, vt Grammatici vocant, numeralia ordinalia posita sunt pro numeralibus distributiuis, vt constat ex sensu; voluit enim dicere singulas mensuras, alias centenas, alias sexagenas, alias tricenas afferre. Latinus verò interpres pro centenis, sexagenis, tricenis, *centesimum, sexagesimum, trigesimum* dixit; non satis vlitatè, quanquam aliqui non mali auctores ita locuti sunt. Fructum vocat, aut opera bona, quæ fidei, & verbi Dei fructus esse solent. vt, *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius* c. 21. 43. aut, quod magis credo, vitam æternam, vt 2. Cor. 9. 6. *qui parcè seminat, parcè & metet, &, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, & ibidem ver. 6. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*, & ad Gal. 6. 7. 8. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam*, & Iacob. 3. 18. *fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.* Itaque duo ex hoc loco Caluinistarum, & Lutheranorum errores refelluntur. Alter, quòd nos vitam æternam mereri negant, fructus enim non solùm terræ qualitati, sed etiam colentis diligentiæ respondet. Immo secundùm diuinam gratiam vnusquisque se ipsum, vt ait Augustinus, bonam, vel malam terram facit. Alter, quòd omnium beatorum præmium æquale faciunt, cum videamus alios centesimum, alios sexagesimum, alios trigesimum fructum afferre, prout nimirum quisque terram colit. Luc. c. 8. 15. addit, *& fructum afferunt in patientia*, quod non ideo dixisse arbitror Christum, quòd quicunque volunt in illo piè viuere, persecutionem patiantur 2. ad Tim. 3. 12. vt in quibusdam nouorum hæreticorum commentariis lego: sed quia, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit* sup. c. 10. 22. alludit enim Christus de semine, & eius fructu agens ad patientiam agricolarum, *quoniam debet in spe, qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* 1. Cor. 9. 10. Deinde, quia voluit hos illis opponere, qui continuò exorti sunt, quia terram multam non habebant supra vers. 5. Illi enim fructum non ferunt; hi verò quidem, & diu, patienterque expectarunt, sed tamen eo vberiorem ferunt. Ridet Caluinus omnes veteres interpretes haud paullo, vt opinor, ipso meliores, quòd centesimum fructum alij ad virgines, sexagesimum ad viduas, trigesimum ad coniuges referant, vt Hieronymus in hunc locum, & lib. contra Iouinianum primo & in apologia ad Pammachium, & Athanasius in epistola ad Ammun. Alij centesimum ad martyres, sexagesimum ad virgines, trigesimum ad viduas, vt idem refert Hieronymus. Alij centesimũ ad martyres, sexagesimum ad virgines, trigesimum ad coniuges, vt Augustinus lib. 1. qq. Euang. q. 9. Alij centesimum ad martyres, sexagesimum ad eos qui bona propter Christum contemnentes vendunt, vniuersa quæ habent, & dant ea pauperibus; trigesimum ad eos, qui contenti sunt præceptorum obseruatione, vt auctor imperf. hom. 31. Alij centesimum ad anachoretas, sexagesimum ad cœnobitas, trigesimum ad coniuges, vt hoc loco Theoph. Caluinus nullos in sua Ecclesia habere vult gradus, omnes apud illum, sicut apud eiusdem hæresis auctorem Iouinianum æquales sunt, omnes sancti, omnes perfecti. Non ignorabant isti auctores, qui à Caluino ridentur, non propterea Christum hæc tria genera distinxisse, vt virgines, viduas, coniuges; aut martyres, virgines, viduas significaret; sed parabolam ad mores nostros alij aliter, omnes vtiliter accommodarunt. Sciebant Christo illud tantùm fuisse propositum, vt doceret omne semen, quod in bonam terram cadit, adeo multiplicari, vt, quod minimum ferret fructum, trigesimum ferret, quantum non nisi optima, & benè culta terra ferre solet; quod maximum, centesimum, quod mediocrem, sexagesimum. Nam etsi Augustinus subtiliter de his numeris, vt solet, disputat, tamen non tam interpretando, quàm concionando facit. Caluinus dum non concionatur, sed interpretatur, absurdè & turpiter errat, quia, quod cum primis Christus significare voluit, negat, vllam meritorum, vllam fructuum, atque præmiorum esse differentiam.

24. *Simile est regnum cælorum homini.*) Non opus est disputare, quid per regnum cælorum significetur. Manifestum enim est Euangelium significari. Quòd autem non semini, sed homini seminanti simile dicatur c. 11. 16. explicatum à nobis est. Nihil enim aliud voluit Christus dicere, quàm perinde se Euangelium habere, atque si quis in agro suo bonum semen seminaret, & aliquis eius inimicus superseminet malum.

25. *Cum autem dormirent homines.*) Id est omnes, quem Hebraismum sæpè iam adnotauimus, vt c. 5. 13. Galli dicerent, cum totus mundus dormiret. Tres in primis res hac parabola Christus voluit significare. Primùm, in Ecclesia non solum bonum semen, id est homines bonos, sed etiam malum, id est homines malos esse. Deinde, se non esse mali seminis auctorem, sed boni. malum à diabolo seminatum; postremò malum semen, quod seminatum à diabolo est, se patienter vsque ad

ad messem laturum esse; nec statim euulsurum.

26. *Et fructum fecisset.*) Spicam protulisset, grana genuisset; vnde potissimum bona, & mala herba dignoscitur. messis enim nondum venerat. Parabolam Christus ipse exponit ver. 37. Ipse est, qui seminat: eius ager mundus; bonum semen filij regni, id est boni, qui regni cælorum hæredes sunt, aut Euangelica doctrina, quæ bonos eos facit; zizania, filij nequam οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ maligni, id est diaboli, vt ver. 19. Dicuntur autem filij diaboli, qui eius opera imitantur, vt Ioan. 8. 44. *vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*, & 1. Ioan. 38. *qui facit peccatum ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat.* Reliqua perspicua sunt. Qui sint homines, quibus dormientibus zizania diabolus seminauit, qui serui, qui accesserunt ad dominum, rogauerúntque, vellétne, vt zizania euellerent, Christus non explicat, ideo, vt opinor, quia ista ad parabolæ significationem, quam Christus sibi proposuerat, non pertinebant. Multa enim in parabolis non ad significandum, sed ad implendam narrationẽ adhibentur; non quasi parabolæ partes, sed quasi emblemata; non quia necessaria sunt, sed quia fieri solent. Omnes tamen veteres interpretes homines dormiẽtes Episcopos, & eos, qui regendæ Ecclesiæ curam habent, interprerantur; quod & si multis non placere video, vtinam verum non esset; quanquam non ignoro Christum tantùm significare voluisse diabolum occultè, & nemine aduertente zizania seminasse; seruos autem, qui dominum rogant; velit ne, vt zizania euellant, ardentes aliquos Ecclesiæ ministros esse, qui & hæreticos, & malos Catholicos bono quodam, & pio religionis studio de medio tolli vellent. Sunt, qui hoc loco aburantur, vt probent, aut non puniendos, aut non occidendos hæreticos. Quod qui faciunt, de se ipsi mihi videntur esse soliciti. Primùm quidem nõ de solis agitur hæreticis, sed de hominibus filiis diaboli, qui filiis regni opponuntur; inter quos præcipua quidem species hæretici sunt, totum autem genus nõ sunt. Itaque, qui hæreticos tollendos esse negant; multò magis fures, multò magis homicidas tollendos esse negare debent. Tantò enim perniciosiores hæretici, quàm fures, & homicidæ sunt; quanto maius est scelus animas furari, atque occidere, quàm corpora. Ideo ergo veteres fere omnes auctores, vt Chrysost. Hiero. & Augustinus de hæreticis interpretantur, non quia soli, sed quia maximè zizania sunt. Præterea, vt soli hæretici intelligantur, tamen non absolutè paterfamilias prohibet euelli zizania; sed ne fortè simul & triticum eradicetur; tunc ergo ex sententia, & voluntate illius, euellenda non sunt, cum periculum est, ne & triticum eradicetur, vt rectè D. Augustinus lib. 1. contra epistol. Parmeniani c. 2. & D. Thomas maximus Theologus obseruauit; cum ergo periculum non est, ne simul triticum eradicetur; sed periculum potius est, ne si non euellantur, triticum lædant; quid opus est messem expectare; maturè euellenda sunt, maturè comburenda. Præterea, cur periculum est, ne simul cum zizaniis triticum euellatur; aut cur iubet paterfamilias messem expectare, nisi quia ante messem dignosci, & separari à tritico non possunt? Cum ergo & dignosci possunt, & separari, vtique separanda sunt, vtique comburenda. *Præmonet Dominus* (inquit Hiero.) *ne, vbi quid ambiguum est, cito sententiam proferamus, sed Deo iudici terminum referuemus, vt cum dies iudicij venerit, ille non suspicione criminis, sed manifestum reatum de sanctorum cœtu eiiciat.* Caluinistas, & Lutheranos, quis non cognouit? quis hæreticos esse non videt, qui vix vllam antiquam hæresim non renouarunt? Nullus vnquam profectò hæreticus fuit; nullus hæreticus esse potest, si illi hæretici non sunt. At sunt quieti; qui vnquam fuêre turbulentiores? qui vnquam tot excitarunt bella? qui vnquam tanta vsi crudelitate, tantum humani sanguinis effuderunt. Neque verò hæc ideo dico, quòd non malim eos conuerti, quam occidi; sed tantum principes, aut, quia principes ista lecturi nõ sunt, eos, qui principes monere possunt, admoneo non licere illis istas, quas vocant, conscientiæ libertates nimium nostro tẽpore vsitatas hæreticis dare, nisi prius Ecclesia, aut is, qui Ecclesiæ caput est Romanus Pontifex Christi persona, & tanquam paterfamilias iudicauerit non posse euelli zizania, nisi simul & triticum euellatur; & è re Ecclesiæ esse, vt vsque ad messem permittantur vtraque crescere. Huius enim rei non principes, qui patrisfamilias serui sunt; sed ipsius patrisfamilias, id est Ecclesiæ gubernatoris iudicium esse debet. Nec debent principes patremfamilias rogare, sed an velit, vt eant, & euellant zizania. Ita eos effectos, atque paratos esse oportet, vt à patrefamilias coërceri potiùs opus sit, quàm incitari.

31. *Simile est.*) Tertiam eiusdem generis parabolam ponit; adhuc enim de semente, id est de initio loquitur Euangelij. Per primam declarauit diuersum Euangelij effectum prout in bonam, vel malam terram cadit, cum seminatur. Per secundam, quomodo superseminato per diabolum malo semine adulteretur. Per hanc, quantam bonum Euangelij semen habeat vim, & ex quàm paruo initio in quàm admirandam magnitudinem excrescat. Non dubito, quin regnum cælorum in hac parabola, sicut in præcedentibus, Euãgelium significet, aut, quod idem est, fidem, doctrinam Euangelicam, verbum Dei, quemadmodum Ambrosius in c. 13. Lucæ, Chrysostom. hom. 47. Theophylactus, Euthymius, Hieronymus, Beda & Augustinus serm. 31. & 33. de sanctis interpretantur. Etsi Hilarius Christum ipsum regnum cælorum, & granum sinapis; alij verò Ecclesiam vocari putant. Omnia, quod ad sensum attinet, eodem redeunt. Nam & Christus lapis sine manibus excisus in montem magnum factus esse dicitur Daniel. 2. 15. & Euangelium paullò post vers. 33. fermento comparatur, quia occultam crescendi vim habet & Ecclesia luna in scripturis sacris vocari solet, quæ initio tenuis & exigua, in dies crescit, quoad plena sit. Sic enim Ecclesia initio quidem exigua & obscura fuit, *incipientibus*, inquit, *a Ierusalem* Luc. 24. 47. semper increscit, donec totum compleat orbem; hoc enim de Christo verè dici potuit, qui dominaturus est *à mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Psal. 71. 8. D. Augustinus non alio magis argumento Donatistas in vno Africæ angulo, sicut nunc Caluinistæ Geneuæ Ecclesiam Catholicam concludentes refellit, quàm quòd non posset Ecclesia post tot annos tam angustis terminis definiri. Ecclesia inquit, lunæ similis est, si quis nouam Lunam primo, & secundo die non videt, dignus est venia: qui autem iam plenam non videt cæcus est. Quod propterea dixi, quia multo magis contra Caluinistas nunc, quàm contra Donatistas tunc valere arbitror. Si enim Aug. Donatistas, quia quadringentis post Christum annis Ecclesiam non videbant, cæcos appellat: quo nomine Caluinistas, qui mille quingentis octoginta post annis non solùm non vident; sed ne videri quidem posse dicunt, appellasset?

Grano sinapis.) Augustinus ser. 31. & 33. de Sanctis, propter ardorem regnum cælorũ grano sinapis comparari putat, quod multi alij non tam docendo, quàm concionando secuti sunt. Nec enim dubium est, quin propterea grano sinapis simile dicatur esse, quòd, cùm initio parvum sit, in ingentem magnitudinem crescat, vt ex sequenti versu intelligitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

32. *Quod minimum quidem est omnibus seminibus.*) Siue Hiero siue alius quis fuit interpres, qui hoc modo conuertit, credendus est non ignorantia, sed certo potius consilio solœcismo vsus esse. Quod & Septuaginta interpretes multis in locis simili de causa fecisse in eorum idiomatis adnotauimus. Quod enim Græcè per comparatiuum dictum est μικρότερον πάντων τῶν σπερμάτων, minus omnibus seminibus, vim habet superlatiui. Solent enim frequenter Græci comparatiuis pro superlatiuis vti, vt cum Apostoli dicuntur inter se disputasse, quis eorum esset maior, id est, quis maximus. Voluit igitur interpres comparatiuum in superlatiuum vertere, vt verum sensum e primeret, & tamè comparatiui constructionem retinere; vt non superlatiuum, sed comparatiuum Græcè esse indicaret. Quo autem modo granum sinapis minimum omniũ seminum esse dicatur, cùm alia minutiora, vt papaueris semen esse constet, frustra mihi videntur nonnulli interpretes disputare. Nec enim minimum omnium dicitur, quòd omnium minimum, sed quòd ex omnium minimis vnum sit. In prouerbialibus enim sententiis, qualem istam apud Hebræos fuisse credẽdum est; vt, cum aliquid valde paruum esse significabatur, grano sinapis simile esse diceretur; cùm ea comparatione non vno tantùm loco, sed pluribus Christus vtatur; vt cum dicit, *si habueritis fidem, sicut granum sinapis*, c.17.20. in huiusmodi, inquam, sententiis non solemus philosophicè & subtiliter, sed popularitèr, & ex vulgi opinione loqui. Vulgus autem inter vsitata semina granum sinapis, aut minimum putat, an verè in minimis numerat; quemadmodum Matthæus c.5.26. quadrantem pro minima moneta dixit, *non exies*, inquit, *inde, donec soluas nouissimum quadrantem*, non quòd minima esset, sed quòd ex minimis; nam certè minutum altera parte minus erat. Itaque Lucas, vt idem significaret, non dixit, *donec soluas nouissimum quadrantem*, sed, *nouissimum minutum*, cap. 12.59. Quomodo arbor fiat, cùm herba sit, nonnulli etiam quærunt, ac disputant, qui sinapi; vt opinor, non viderunt. In calidioribus locis longè supra humanam staturam assurgit; vt vbi copia est, silua esse videatur. Vidi ego sæpe in Hispania sinapi loco lignorum magnos furnos ad coquendum panem calefieri. Amant vehementer aues eius granum; itaque, cum feruente æstate maturuit, in eius ramis, vt semen edant, insidere solent; quas, etiamsi multæ sint, possunt infracti sustinere. Hoc est, quod dicit, *ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius*. Habitare dixit pro sedere, sicut è contrario sedere sæpe ponitur pro habitare propter Hebraicum verbum יָשַׁב quod vtrunque significat. Quare non debuerunt noui quidam interpretes vertere κλαυσιανῦν nidulari; cùm nec verbum id propriè significet; nec sententiæ veritas respondeat. Nam ego, qui magnas aliquando sinapis syluas vidi, insidentes sæpe aues vidi, nidos non vidi. Quid per aues cæli significetur, opus non est quærere, quia non ideo de auibus mentionem Christus fecit, vt aliquid indicaret noui misterij; sed vt arbusculæ magnitudinem, firmitatemque declararet, quæ insidentes aues sustinere possit. Itaque non est, vt soleo dicere, pars parabolę, sed emblema. Si quis tamen contendet aliquid præterea significare, non repugno; sed potius doceo conuenienter litteris sacris reges, & principes, eósque omnes qui, vt loquitur D. Paulus, in sublimitate constituti sunt, significare posse, qui in Euangelio, & Ecclesia sustentantur, &, vt solet Chrysostomus dicere, signum crucis gestant in frontibus. Nam & apud Danielem c.4.9. volucres, quæ in ramis magnæ illius arboris erant, quid aliud, quàm principes, & reges significabant, qui quasi sub Nabuchodonosoris vmbra viuebant? Olim Ecclesiam Repub. erat, nunc Respub. est in Ecclesia.

Lucæ 9.46 & 22.24

Granum sinapis inter Hebræorum prouerbia.

Erasmus & Beza.

1. Tim. 2. 2.

33. *Aliam parabolam.*) Proponit aliam, & in alio genere parabolam, sed idem significantem, regni cælorum ex paruo initio maximũ incrementum esse sumptum. Diuersas habet fermentum proprietates. Corruptio quædam est massæ nimis calefactæ. Et quia conceptum in se calorem habet, vim etiam continet ea, quibus immiscetur, augendi. Propter priorem proprietatem in malam partem poni solet, vt 16.6. *Cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum*, & 1. Cor.5.6. *Modicam fermentum totam massam corrumpit*, & 7. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.* Propter secundam ponitur in bonum illique regnum cælorum comparatur; quod sicut fermentum, cùm modicum sit, in magnam massam immissum totam peruadit & multò, quàm erat, maiorem reddit; ita verbum Dei vno loco seminatum totum peruasit terrarum orbem; ita Ecclesia initio minima, breui tempore longè, latéque in omnes terræ partes propagata sit, *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius*, Psal.79.12.

Quod acceptum mulier.) Quòd mulierem potiùs, quàm virum dixit, nullam aliam causam fuisse arbitror, quàm quòd pinsere magis muliebre, quàm virile officium sit; etsi eos non reprehendo, qui concionantes potius, quàm scripturam enarrantes, mulierem diuinam sapientiam interpretantur. Mulier ergo, aut pars necessaria parabolæ non est, sed ideo nominata, quòd id plerumque mulieres facere soleant, aut, si pars est. Euangelicum doctorem significat, qui verbum Dei in animos auditorum, quasi fermentum in massam infundit. Nec enim sexus, sed officium spectari debet.

Abscondit.) Miscuit, ita confudit, vt non appareret; quasi abscondisset.

In farinæ sata tria.) סאה satum vocant Hebræi genus quoddam mensuræ rerum liquidarum, quæ, vt ait Iosephus libr. 9. antiq. cap 2. & Hieron. hoc loco modium Italicum, & dimidium continebat. Tria sata faciebant Ephi. Auctam fuisse mensuram post Babylonicum exilium tradunt Hebræi in lib. מגלת. Sunt qui nostra ætate de Hebræorum mensuris scripserint; ad eos lectorem mittimus; nos de Euangelio, non de mensuris agimus. Cur tria sata potius, quàm plura, aut pauciora nominauerit, Chrysostomus, & Euthymius respondent tria pro omnibus posuisse, quasi diceret, quantumcumque farinæ fermentare velit, non nisi paululum fermenti miscere. Alij dicunt ideo dixisse tria, quòd tria sata efficerent vnum Ephi. & solerent plerumque mulieres vnum farinæ Ephi pinsere, ac coquere, vt fecit Sara Gen.18.6. Potius credo ideo tria posuisse, quòd Ephi tria sata contineret, eáque esset vsitatissima mensura; sicut apud Hispanos, quam *fanecam*; apud Gallos quem *boisseau* vocant.

34. *Et sine parabolis non loquebatur eis.*) Tunc, & in ea concione, de qua agitur; nam & ante, & post multas alias parabolas proposuit, vt cap. 20. & 22. & 25. vt Chrys. ho. 48. Euth. Theoph. exponunt. Vide quæ diximus supra ver. 11. Marc. c. 4. 33. addit, *prout poterant audire*, quod quidam interpretantur, accommodans se se ad auditorum captum, sensui menti Christi penitus contrario; non enim, vt melius intelligerent; sed, vt non intelligerent. in parabolis loquebatur, vt ver. 13. & 14. explicatum est. Quod ergo ait Marcus *prout poterant*, nihil aliud significat, quàm Christum obscurè locutum esse, vt qui posset capere, caperet, vt ipse explicat alio loco, cum similem parabolã proposuisset,

infra

infra c. 19.12. vel, vt Euthymius locum illum Marci interpretatur, *prout poterant*. id est, prout digni erant; non enim erant digni, vt illis Christus aperte, & sine parabolis loqueretur, vt ver. 13. significauit.

35. *Vt adimpleretur.*) *Vt* hoc loco non significat causam, quam ob rem Christus per parabolas locutus sit; non enim ideo per parabolas loquebatur, vt Dauidis dictum adimpleret; sed quia auditores indigni erant, quibus apertè loqueretur vt ver. 11. 12. & 13. explicatũ est. Nec vult Euangelista docere Dauidis prophetiam propriè à Christo impletam fuisse. Non enim erat propheta; sed rerum præteritarum historia, de qua Dauid agebat; neque nomen משל, quo Dauid vsus est, hoc genus parabolarum significat eo loco, quibus hic Christus vtebatur. quamuis vtrumque genus Hebræi חידה, id est parabolam appellent. nam hîc Euangelista vocat parabolas obscuras, & similitudinibus adumbratas locutiones: illic Dauid Psal. 77. 2. cum dicit, *aperiam in parabolis*, aut *in parabolas os meum*, vocat חידות parabolas breues & acutas sententias, quas γνωμολογίας Græci nominant. Sed Euangelista, vt solet, quod à Dauide alio sensu dictum erat, non ad eundem, sed ad similem sensum accommodauit, vt c. 2. 15. 17. explicauimus.

37. *Qui seminat.*) Hæc quæ sequuntur vsque ad versum 42. supra ver. 24. & 25. exposita sunt.

41. *Omnia scandala.*) Scandala vocat eos, per quos scandala venerunt, id est zizania, & filios diaboli.

Et eos qui faciunt iniquitatem.) Hebraismus עושי אוון, & omnes qui iniquitatem exercent, &, vt ita dicam, iniquitatis artem factitant; magis enim habitus, quàm actus Hebraica phrasi significatur.

42. *In caminum ignis.*) In Gehennam ignis, vt cap. 5. 22. 29. 30. & 10. 28. & infra c. 18. 9.

Ibi erit fletus.) Hæc explicata sunt c. 8. 12.

43. *Tunc.*) Cum scandala sublata erunt; cum zizania separata, quæ impediunt, quo minus triticum appareat; cum paleæ euentilatæ fuerint, quæ triticum tegebant, quo minus effulgeret, vt in parabola areæ declaratur supra c. 3. 12. & Luc. 3. 17. Fulgor gloriam significat, vt in Christi transfiguratione apparet c. 17. 2. Itaque beati soli, lunæ, & stellis comparari solent, vt ibidem, *& splenduit facies eius sicut sol.* Et Danielis 12. 3. *Qui autem docti fuerint*, id est, qui benè, sapientérq; vitam suam gubernarint; hos enim scriptura vocare solet מַשְׂכִּילִים habentes intellectum, sicut Galli, non pserint; ad eos lectorem mittimus; nos de Euangelio, non de mensuris agimus. Cur tria sata potius, quàm plura, aut pauciora nominauerit, Chrysostomus, & Euthymius respondent tria pro omnibus posuisse, quasi diceret, quantumcumque farinæ fermentare velit, non nisi paululum fermenti miscere. Alij dicunt ideo dixisse tria, quòd tria sata efficerent vnum Ephi. & solerent plerumque mulieres vnum farinæ Ephi pinsere, ac coquere, vt fecit Sara Gen. 18. 6. Potius credo ideo tria posuisse, quòd Ephi tria sata contineret, eáque esset vsitatissima mensura; sicut apud Hispanos, quam *fanecam*; apud Gallos quem *boisseau* vocant.

Qui habet aures.) Significat id quod dixerat, auditorum maximè interesse. Vide c. 11. 15.

44. *Simile est.*) Hanc parabolam non iam omnibus auditoribus; sed solis domi Apostolis propositam à Christo fuisse nonnulli putant, vt colligitur ex vers. 36. Euthymius hoc loco; ego verosimilius esse arbitror ante dictã fuisse vnà cum superioribus. Sed quia Apostoli non omnium parabolarum. sed zizaniorum, post quàm domum redierunt, explicationem petiuerunt. Euangelistam post zizaniorum parabolam narrasse, quomodo domum rediisset, & parabolam Apostoli sibi explicari postulassent. Idémque de omnibus, quæ hoc capite sequuntur, dicendum est. Hactenus quattuor parabolis seminantis, grani sinapis, boni seminis, & mali; & fermenti duas regni cælorum proprietates declarauit, quo modo diuersum habeat in diuersis hominibus effectum; & quo modo ex paruo initio magnum sumat incrementum; nunc pretium exponit, vt doceat quanti illud homines facere debeant, & quanta quærere diligentia. Regnum cælorum hoc loco eodem modo, quo in superioribus parabolis pro fide Euangelio Euangelica doctrina accipiendum existimo, vt Ambr. ser. 2. in Psal. 118. Euthymius & Theophyl. Etsi sunt, qui regnum cælorum Christum vocari putent vt Irenæus lib. 4 c. 43. Hilar. Athanas. q. 54. si tamen illius quæstiones sunt. Hieronym. in comment. & Vigilius libr. 3. de incarnatione. Sunt, qui vetus & nouum Testamentum, vt August. lib. 1. qq. Euang. cap. 13. & Beda, quod & Hieronymus approbat.

Thesauro.) Rei, quæ æstimari non potest. Qui enim tantum habent pecuniæ, vt numerari non possit, eos thesaurum habere dicimus. Ita D. Paulus 1. Cor. 2. 9. *neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.*

Abscondito.) Quia à sæculo non erat auditum Isai. 64. 4. & 1. Cor. 2. 7. *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.*

Quem, qui inuenit homo.) Quisquis inuenit; hominem pro quemlibet homine, & pro nota vniuersali apud Hebræos poni sæpe monuimus.

Abscondit.) Hoc non est necesse ad rem per parabolam significatam accommodare, quia, vt soleo dicere, non pars parabolæ, sed emblema est; nec dicitur, vt aliquid significet; sed vt parabolam impleat, & quia fieri solet. vt, qui thesaurum inuenit si statim tollere non possit, illum abscondat, ne, dum abit, vt fodiendi instrumenta quærat, alius eripiat: quanquam Hieron. & Beda eum, qui regnum cælorum inuenit, in corde suo dicunt abscõdere, id est fouere, seruare, ne effluat, si quid significat, illud tãtum mihi videtur significare eum, qui regnũ cælorum, id est Euãgelium inuenerit, occasionem tenere, ne elabatur, oportere, & omnem continuò adhibere diligentiã, vt illud obtineat. Hoc est abscondere: non. ne alius inueniat, sed ne ipse perdat. Nam etsi, qui thesaurum inuenit, ideò abscondit, ne alius inueniat, quia si alius inuenerit, ipse perdet: nõ est in eo similis parabola regno cælorum, quod non ideo alius perdet, quia alius inuenit: ab omnibus enim & pariter inueniri, & æqualiter potest possideri. Quãquam ita etiam aliquando scriptura loquatur, quasi vnus accipere non possit, nisi alius amittat. *Fractis*, inquit, *sunt rami, vt ego inserar.* Rom. 11. 19. & *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Apoc. 3. 11. sed id accommodatè ad ramos arbotum, & coronam regum dictum est: quia neque nouus surculus in arborem inseri potest, nisi vetus frangatur ramus; neque vnus coronam præripere, nisi alius amiserit.

Præ gaudio illius.) inuenti.

Vendit vniuersa, quæ habet.) Non significat emendum Euangelium, *gratis* enim, inquit, *accepistis, gratis date*, c. 10. 8. sed significat tanti æstimandum, vt qui inuenerit, nihil non, vt illud obtineat, facere debeat; etiam si omnia bona vendenda, etiamsi perdenda, etiamsi infamia, subeunda, etiamsi amittenda vita. Cæterum bona potius, quàm vitam, & honorem, aut aliud, si quid homines habent, nominauit, vt accommodatè ad hominum consuetudinem loqueretur, qui, vt thesaurum habeant, omnia sua bona solent vendere. Denique nihil aliud hac parabola significatur, quàm quod alio loco aliis dicit verbis, *Qui amat patrem, aut matrẽ plus quam me, non est me dignus; & qui amat filium, aut filiam supra me, non est me dignus* c. 10. 37. Res enim omnium carissimas nominauit, quas qui, cum opus est, propter regnum cælorum non abiicit, indignus, qui illud obtineat, iudicatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

45. *Simile est regnũ cælorum homini negotiatori.*) Non homini, sed margaritæ regnum cælorum simile est, sicut in præcedente parabola non homini inuenienti, sed thesauro inuento comparatum est: sed sensus est, idem accidere in inueniendo, acquirendoque regno cælorum, atque si quis mercator bonas quærens margaritas, vna pretiosa inuenta, abeat, vendatque vt illam emat, vniuersa quæ habet, vt supra explicauimus cap. 11. 46. 17. Nos vero homini negotiatori similes esse debemus, qui, cum regnum cælorum inuenerimus, nullis sumptibus, nullis laboribus, nulli omninò rei, vt illud habeamus, debemus parcere. Hæc enim parabola eandem prorsus, atque præcedens, significationem habet; sola differt materia. Bonas, καλὰς, pulchras; in hoc enim genere mercium, quæ pulchræ sunt, eædem bonæ.

Margaritas.) Speciem videtur vnã pro toto genere posuisse, id est margaritam pro omni lapide pretioso. Margarita enim aut alio genere margaritum tantùm, vt opinor, illam speciem vnionis significat, quæ in conchyliis inuenitur, quam omnes ferè in Europa nationes *perlam* appellant. Quanquam fieri potest, vt propterea margaritam potius, quàm vnionem, quod totum genus est, aut vnam aliquam aliam vnionis speciem nominauerit, quòd ferè inter omnes pretiosos lapides, margarita, pretiosissimus habeatur, quemadmodum pretiosorum lapidum mercatorem, ex præstantissima specie, margaritarum appellamus mercatorem.

47. *Simile est.*) Credibile mihi videtur hanc parabolam post illam superiorem de bono semine, & zizaniis à Christo propositam fuisse ver. 43. Sed Euangelistam narrationis ordinem non tenuisse, quia eandem prorsus habet significationem; & videmus reliquas, quæ eiusdem erant significationis, fuisse coniunctas; vt parabolam grani sinapis cum parabola fermenti vet. 31. & 33. & parabolam thesauri absconditi cum parabola pretiosæ margaritæ ver. 44. & 45. Hoc autem loco regnum cælorum, aut Euangelium, vt in superioribus parabolis, aut, quod eodem redit, Ecclesiam possumus intelligere. Vtrumuis intelligamus, magnum hinc contra nouos hæreticos argumentum sumemus. Nam si Euangelium intelligimus, significat Christus non omnes, qui Euangelium, id est fidem recipiunt, saluos futuros; sed eos tantùm, qui boni fuerint pisces; id est, qui non solam fidem, sed bona etiam opera habuerint; omnes enim pisces, id est omnes Christiani, omnes fideles; sed illi mali, hi boni sunt; contra quàm istorum hæresis docet omnes, qui fidem habuerint, saluos futuros esse. Si regnum cælorum Ecclesiã interpretemus, non iam nos, sed D. pro nobis contra illos Aug. argumentabitur, qui Donatistas veteres istis nouis similes hæreticos, qui in Ecclesia solos, sicut isti, bonos esse dicebant, non alio frequentius, non alio fortius argumento refellit, quàm quòd Ecclesia sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti comparetur. Soleo dicere D. Aguſtinum nullum hæreticorum genus tam strenuè, atque Donatistas refutasse, & illos tot libros, quos aduersus illos composuit, non tam contra illos, quàm contra longè post futuros Lutheranos, & Caluinistas composuisse: tantùm opus esse, vt qui eos legit, pro Donatistarum, Caluinistarum, aut Lutheranorum nomen ponat.

52. *Ideo.*) Cuius rei Christus cum dicit, *ideo*, causam reddat, facile non est dicere. Sunt, qui ad hunc modum exponant; *ideo*, quia intellexistis, subintelligendum, dico vobis, *omnis Scriba doctus*, & reliqua. Rogauerat enim discipulos, *intellexistis hæc omnia*, & respondederant, *etiam Domine*. Quia ergo intellexistis, illud etiam addo, *omnis Scriba doctus*, &c. Sunt qui hoc modo, *ideo*, supple, rogaui, quia *omnis Scriba doctus profert de thesauro suo noua, & vetera*. Euthymius putat διὰ τοῦτο, non causam hoc loco; sed affirmationem significare, quasi dicat, vtiqs *omnis Scriba doctus profert de thesauro suo noua, & vetera*. Mihi Augustini sententia lib. qq. in Matthæum cap. 16. omnium maximè placet; Comparauerat Christus regnum cælorum thesauro abscondito in agro; rogauerat discipulos, cum intellexissent; respondérant, *etiam*; adiicit, *ideo* id est quandoquidem regnum cælorum thesauro simile est, debet omnis Scriba doctus & noua, & vetera ex illo proferre.

Scriba.) Doctor legis peritus, vt exposuimus c. 2. 4. Euangelicum doctorem legali nomine Scribam appellat. Euthymius existimat Christum se ipsum Scribam vocare; sed vero similius est generalem esse sententiam, qua Apostolis, Euangelici doctoris officium declarat.

Doctus in regno cælorum.) μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν eruditus in regnum cælorum. Non assentior iis, qui putant hoc loco εἰς pro ἐν positum esse, etsi non ignoro sæpe eas duas particulas alteram pro altera poni solere. Magis enim videtur conuenire, vt vertamus in regnum cælorum, id est ad regnum cælorum, quàm in regno cælorum; cum de iis agatur, qui ad prædicandum regnum cælorum edocti sunt. Noster interpres videtur legisse ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, *in regno cælorum*, nisi si quis malit dicere in Latina versione, *in regno* pro in regnum corruptè legi; sed debebit alicuius veteris codicis auctoritate, vitium probare.

Similis est homini patrifamilias. Quia sicut patrisfamilias officium est domum suam corporali cibo; ita Euangelici doctoris populum Christianum spirituali nutrire 1 Cor. 3. 2. *tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.*

De thesauro suo.) De penu: abusus est nomine thesauri, ad significandum quidquid repositum, ac reconditum est.

Noua & vetera.) omnia ciborum genera, vt familiam suam, aut inuitatos conuiuas alat; id est, qui non parcè, non miserè, sed liberaliter omni ciborum varietate pro personarum & temporum qualitate familiam suam alit. Noua & vetera proferte, etsi mihi simile in scripturis exemplum non occurrit. Hebraico prouerbio dictum videtur; cui simile illud Gallicum est, *viride, & siccum*. Significatur hac parte parabolæ Euangelicum doctorem omni diuinæ scientiæ; omni exemplorum, omni similitudinum genere instructum esse oportere; vt omnes pro suo quemque captu docere possit. Antiqui ferè omnes auctores *noua, & vetera* nouum, & vetus Testamentum intellexerunt. Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Theophylactus, & Euthymius in hunc locum, & Augustinus lib. qq. in Matth. c. 16. quos immeritò noui hæretici rum interpretes reprehendunt. Cum enim sensum esse fateantur oportere doctorem Euangelicum ab omni doctrinæ genere paratum esse; vnde eam melius, quàm ex nouo, & veteri Testamento proferre potest? Noluerunt enim magni illi auctores dicere Christum vetus, & nouum, quod nondum erat, Testamentum significare voluisse: sed quod generaliter Christus de omni doctrinæ copia dixerat; id illi ad nouum, & vetus Testamentum aptè, atque prudenter accommodarunt.

55. *Et veniens in patriam suam.*) c. 9. 1 tres Christum patrias habuisse diximus Bethlehẽ, in qua natus; Nazareth in qua educatus; Capernaum, in qua frequenter versatus fuit. Hoc loco Nazareth omnes, quos legerim, interpretes intelligunt, Hieronymus, Chrysostomus Euthymius, Theopylact. Quod etiam ex Luca probari potest cap. 4. 16. *venit*, inquit, *Nazareth, vbi erat nutritus*. Eandem enim illic à Luca, atque hîc à Matthæo historiam narrari ne dubitandum quidem esse arbitror. Id etiam ex hoc loco colligitur, quia ciuibus eius vrbis, de qua hic agitur, Christi fratres nominatim natos fuisse constat, vers. 55. & 56. non autem fuissent, vel in Bethlehem, vbi tantùm natus, vel in Capernaum, vbi tantùm ad tempus commoratus fuerat, sed in Nazareth, vbi cognatos Beatæ Mariæ, atque Ioseph fuisse apparet. Deinde, quia, vt Chrysostomus argumentatur, in Capetnaum multa Christus miracula fecerat, cap. 11. 23. In Bethlehem nullum fecisse legimus, in hac, quæ eius hoc loco vocatur patria, nec multa, nec nullum; sed pauca fecit, vt constat ex versu 58. & ex Marco cap. 6. 5. erat ergo Nazareth.

Et docebat eos in synagogis.) In ipsorum synagoga; pluralis enim numerus positus esse videtur pro singulari. Nec enim in paruo oppido multas fuisse synagogas credendum est. Nisi forte pluralis numerus hunc habet sensum, *docebat eos in synagogis*, id est per singula sabbatha in synagoga, vt nomen synagogæ hoc in loco non locum, sed conuentum significet, vt apud Græcos ἐκκλησία apud Latinos concio. Marcus cap. 6. 2. *Et facto sabbatho cœpit in synagoga docere*, Lucas cap. 4. 16. *& intrauit secundum consuetudinem suam die sabbathi in synagogam, & surrexit legere*. Totam historiam copiosius, & distinctius narrat Lucas surrexisse ad legendum, quod volentis in synagoga aliquid docere signum erat, vt eo loco explicabimus; traditum illi librum Isaiæ prophetæ, quem, cum aperuisset, legisse locum illum, qui est cap. 61. 1. *Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me*; quo lecto librum complicuisse, ac resedisse, dixisseque *hodie hæc prophetia impleta est in auribus vestris*; cumque eorum incredulitatem coarguisset, quòd se ciuem suum, & prophetam non reciperent; repletos fuisse ira; & eiecisse eum extra ciuitatem, vt ex monte, supra quem eorum vrbs ædificata erat, præcipitem darent.

Vnde huic sapientia?) Sciebant vtique eum litteras non didicisse, vt dicunt Ioan. 7. 15. *quo modo hic litteras scit, cum non didicerit?* Itaque credibile est eos sapientiam, & miracula, quæ in eo videbant, malis artibus tribuisse. Cùm enim omnes Euangelistæ dicant eos ipsius doctrinam admiratos fuisse, simul etiam scandalizatos dicunt; non potuerunt autem, cùm admirarentur, scandalizari, nisi credidissent, quæ dicebat, atque faciebat, diaboli opera dicere, ac facere, vt illi, qui dicebant, *in principe dæmoniorum ejcit dæmonia*, cap. 9. 34. & 12. 24.

Et virtutes.) Miracula; fecerat ergo coram illis Christus aliqua miracula; vt narrant Marcus cap. 6. 5. sed pauca, vt ait Matthæus infra versu. 58.

57. *Nonne hic est fabri filius?* Ioseph fabrum fuisse ex hoc loco manifestũ est; eius enim filius Christus putabatur Lucæ 3. 32. Qualis autem faber & incertum, & scitu non necessarium. Sunt, qui ferrarium fuisse putent, vt Hilarius & Ambrosius 3. lib. in Lucam, & Beda in 3. caput Marci. Sunt, qui aurificem, vt Hugo. Sunt, qui murarium; quod idem etiam Hugo videtur approbare. Sunt, qui lignarium, vt Chrysostomus apud D. Thomam in 1. cap. Matthæi, & ipse D. Thomas in comment. Quæ publica nunc opinio est & antiquissimam fuisse constat, vt ex lib. de infantia Saluatoris, licet apocrypho, colligitur; vbi miraculum in lignaria Ioseph officina à Christo factum narratur; & ex historia Sozom. lib. 6. cap. 2. vbi narrat Christianum quendam à Gentili per derisum interrogatum, quid faceret filius fabri, respondisse, ferretrum Iuliano Imperatori fabricare; & ex auctore imperfecti homil. 32. Marcus cap. 6. 3. fabrum Christum ipsum vocatum dicit; siue quod vtrumque Nazarethani dixerint; siue ex communi loquendi consuetudine filius fabri, faber etiam vocaretur. Itaque, quod à nonnullis non malis auctoribus dictum est Christum, ante quàm prædicare inciperet, fabrilem artem exercuisse, valde mihi videtur esse probabile; sicut & Lyrano visum est; quid enim totos triginta annos in Nazareth egisset; quanquam D. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. c. 42. ideo fabrum vocatum dicit; quòd, cùm fabri putaretur filius, faber etiam esse crederetur.

56. *Et fratres eius.*) Hæc à nobis explicata sunt supra cap. 12. 46.

57. *Et scandalizabantur in eo.*) Impingebant in eum tanquam in lapidem, & corruebant. Hoc enim propriè est σκανδαλίζεσθαι scandalizari. Erat quippe *positus in ruinam, & in resurrectionem multorum* Luc. 2. 34. erat *credentibus lapis electus, & angularis; non credentibus autem petra scandali, & lapis offensionis* 1. Petri 2. 8. Quomodo autem scandalizati fuerint in illo, diximus vers. 4.

58. *Et non fecit ibi virtutes multas.*) Multa miracula sicut alibi; cum autem non multas fecisse dicit, aliquas fecisse indicat, vt & Marcus declarat cap. 6. 5. *& non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit*. Dicit autem non potuisse, non quod non potuerit; sed quod noluerit; dicimur enim aliquando facere non posse, quæ facere nolumus; vt de filijs Iacob dictum est Genes. 37. 4. *nec poterant ei quicquam pacifice loqui*, id est nolebant, & rectè Gregorius Nazianzenus in quarta de Theologia oratione adnotauit. Noluit autem propter incredulitatem eorum; siue quia sciebat eos etiam conspectis miraculis non credituros; quemadmodum nec Pharisæi crediderunt: siue quia indigni erant, quibus miracula plura fierent; qui malè ea, quæ viderant interpretabantur, dicentes, *vnde hic virtutes?* Videmus Christum miracula facturum fidem eorum, quibus facturus erat, prius exigere, supra cap. 9. 28. Marc. 5. 36. & 9. 23. Luc. 8. 50. quia minus meriti habet fides, quæ miracula sequitur, quàm quæ præcedit; & indignus est, qui miracula videat, quisquis non aliter, quàm visis miraculis credit. Propterea Christus coram incredulis miracula non facit. Eadem ratio est, cur etiam hodie, qui maximè miracula videre volunt, minimè videant; quia non credentes, sed de fide dubitantes videre volunt. Ita enim Herodes, qui, vt Lucas ait cap. 23. 8. longo tempore aliquod Christi miraculum videre voluit, videre non potuit, vt Gregorius lib. 10. moral. cap 17. notauit. Ita Pharisæis signum à Christo videre volentibus, respondetur, *generatio prava, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei* cap. 12. 39. Videant ergo, qui miracula requirunt, quisque, si non fiant, mirari solent; ne ipsorum culpa non fiant; & si videre miracula volunt, sine miraculis credant.

Fides sola ad salutem nõ sufficit.

Augst. accusamus Lutheranos & Caluinistarum rebaptisatores.

Christus an fabri lem artẽ exercuit.

Ioseph qualis faber.

Marc. & 3. Matt.

Cur Christus apud incredulos miracula non faciebat

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XIIII.

1. IN illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu: 2. & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. 4. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. 5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. 7. Unde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset ab eo. 8. Ipsa ut prius monita a matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ. 9. Et contristatus est rex: propter iusiurandum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari. 10. Misitque, & decollauit Ioannem in carcere. 11. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ. 12. Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud: & uenientes nunciauerunt Iesu. 13. Quod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula, in locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus. 14. Et exiens uidit turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum. 15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus, est locus, & hora iam præterijt: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas. 16. Iesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis uos manducare. 17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. 18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. 19. Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. 20. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. 21. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia uirorum, exceptis mulieribus, & paruulis. 22. Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. 23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. 24. nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius uentus. 25. Quarta autem uigilia noctis uenit ad eos ambulans super mare. 26. Et uidentes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. 27. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere: 28. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te uenire super aquas. 29. At ipse ait: ueni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, ut ueniret ad Iesum. 30. Videns uerò uentum ualidum, timuit: & cum cæpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. 31. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? 32. Et cum ascendissent in nauiculam, cessauit uentus. 33. Qui autem in nauicula erant, uenerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Vere filius Dei es. 34. Et cum transfretassent, uenerunt in terram Genesar. 35. Et cum cognouissent eum uiri loci illius, miserunt in uniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: 36. & rogabant eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salui facti sunt.

IN CAPVT XIIII.

IN illo tempore.) Quidam tempus illud significari volunt, quo Apostoli in sua legatione versabantur, quòd Marcus c.6.14.& Lucas c. 9. 7. hanc historiam statim post Apostolorum missionem ponant. Sed obstat, quòd. cum hæc acciderunt. Apostolos cum Christo fuisse constat infra vet.15. Itaque, vt D. Augustinus lib.2. de consens. Euang.c.45. existimat, iam Apostoli redierant.

A *Audiuit.*) Quærunt multi, qui fieri potuerit, vt non prius audiret. Respondent Chrysostomus, & Theophylactus res sanctas ac bonas serò ad aures principum peruenire. Verum id quidem, sed si aliquâ curiositatis, aut periculi excitandi tumultus speciem habere videantur, qualem Christi miracula nonnullam præbere poterant, si non religio, at certè curiositas, & ambitio quamprimùm ad illos præfert. Itaque aliam cur nondum Herodes audiuisset, arbitror fuisse

causam;

causam; quòd mors Ioannis non multo pòst, quàm Christus prædicare cœpit, acciderit. Nam cum iam in vinculis esset, ne eius quidem discipuli Christi miracula aut vidisse videntur, aut audiuisse; propterea factis coram ipsis miraculis Christus illis dixit, *euntes euntes renunciate Ioanni, quæ uidistis, & audistis* c.11.4.

Herodes.) Antipas, magni Herodis filius, quo regnante natus est Christus, quique infantes occidit. Vide quæ diximus cap.2. 22.

Qui Tetrarcha.

Tetrarcha.) Galilææ, vt Lucas c.3.1. declarat. Cum regnum in quattuor partes soluebatur, & vnicuique princeps vnus præficiebatur; quattuor partes Tetrarchiæ, & principes Tetrarchæ à Græcis vocabantur, vt veteres tradunt auctores. Postea factum, vt etiamsi plures, aut pauciores essent partes, eodem tamen nomine Tetrarchæ dicerentur, vt ex Strabone lib.12. & ex Plinio lib.5 cap.18.& 21. potest intelligi. Quomodo autem Iudæorum regnum, & in quot Tetrarchias diuisum fuerit; & quis cuique Tetrarcha præfectus cap.2. 22.satis expositum. Marcus c.14. Herodem regem vocat, sicut & Matthæus infra ver. 9. non quòd verè rex esset, sed quod Tetrarchæ regia, aut regiæ simili vterentur potestate: itaque Tetrarchas Cicero, & Plinius regna vocant; quemadmodum Matthæus cap.2. 22. Archelaum, cum nunquam verè rex fuerit, regem appellauit.

B

2. *Et ait pueris suis.*) famulis suis: nam etsi nomen παῖς & filium, & famulum significare possit; tamen Herodem non legimus filios habuisse. Lucas cap.9.7. 8. 9. non ipsum Herodem, sed alios Herodi dixisse ait, *& audiuit*, inquit, *Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo quòd diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit a mortuis; à quibusdam verò, quia Elias apparuit; à quibusdam verò, quia unus de antiquis prophetis surrexit. Et ait Herodes, Ioannem ego decollaui; quis est autem iste, de quo talia audio?* Vbi duo sunt, in quibus videtur à Matthæo Lucas dissentire. Primum, quòd non Herodem, sed alios dixisse narret Ioânem à mortuis surrexisse. Deinde, quòd videatur indicare Herodem non credidisse Ioannem esse, cùm eum ipse decollasset; hîc autem Herodes dicat, vers. 2. *hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.* Chrysostomus, & Euthymius respondent. primùm non Herodem, sed homines vulgò dictitasse Ioannem à mortuis surrexisse, túncque Herodem non credidisse, sed hæsitasse, dixisséque, vt ait Lucas, *Ioannem ego decollaui, quis est autem iste, de quo talia audio?* Postea verò credidisse, & quasi alijs assentiendo dixisse, *Ioânes Baptista ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo*; vt ait Matthæus. Idem Theophylactus videtur indicare, & Augustinus omnino probat lib.2.de consensu Euangelist. cap.43. Eius rei aliquod ex hoc loco argumentum sumi potest; propterea enim, vt Euthymius ait, non alijs, sed pueris suis dixit. *Ioannes surrexit à mortuis*, quòd non auderet id palam, & coram alijs, etiamsi crederet, confiteri. Fieri etiam potest, vt etiamsi crederet, fingeret se non credere; ne assentiri populi opinioni videretur; & eius erga Ioannem studium confirmare. Quod autem Augustinus ait, Matthæi hoc loco verba per interrogationem legi posse, quod si fiat, eundem sensum atque verba Lucæ habituta; & quod alij respondent Christum hoc loco non sua, sed aliorũ locutum esse personã, minus probo.

C

Ipse surrexit a mortuis.) Sunt, qui non veram, qua anima in idem redit corpus, sed Pharisaicam resurrectionem interpretentur, qua anima ex vno egressa corpore migrat in aliud. Pharisæorum enim hæresim fuisse putant, quod ex Pythagoræorum doctrina μετεμψυχωσιν crederent. Quod ex Iosepho probat lib.

A

2. de bello Iudaico cap.7. & verò Hieronymus indicat nonnullos solitos hoc loco Pythagoræorum errorem confirmare. Sed nullo modo mihi persuadeo de ea hîc agi resurrectione; sed de ea potius, quia & homines, qui hunc rumorem disseminauerant, nonnullos à Christo suscitatos viderant; & in veteri Testamento mortuum illum ad tactum ossium Elisæi, 4. Reg.13. 21. & filium Sareptanæ viduæ 3. Reg.17. 22.& filium Sunamitidis 4.Reg. 4.34. 35. surrexisse aut legerant, aut audierant. Neque Iosephus eam opinionem, vt mihi videtur, Pharisæis tribuit; sed quã habent omnes fere Iudæi, non omnium mortuorum, sed tantùm bonorum animas in sua quidem, sed meliora, & ideo quodammodo alia corpora in resurrectione redituras. Ioannem ergo Iudæi, & quia vir erat sanctus, & quia iniustè occisus, facilè credebant surrexisse, vt Herodis scelus vindicaret; Eliam verò veteri opinione, quam vt supra c.11.14.docuimus, Christus videtur approbasse; qua propter Malachiæ c.4 5. prophetia imbuti erant, venturum Eliam. Propterea Ioânem, quia mortuus erat, surrexisse; Eliam, quia non mortuus, sed raptus fuerat; non surrexisse dicunt, sed apparuisse. Infra c.16.14.vbi eadem de Christo hominum opinio recitatur. Ieremias etiam nominatur fortasse propter similitudinem spiritus, & libertatẽ homines reprehendendi, quam in Christo singularem, & minimè in alijs doctoribus vsitatam videbant; *erat enim*, inquit, *docens eos tanquam potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi* c.7.29.

Iudæorũ opinio de resurrectione.

B

Ideo.) Dubium, quam rationem reddat, cur suscitatus Ioannes miracula facere credatur; cum viuens vt ait Ioannes c.10.41. signum nullum fecerit; fortasse quòd sanctiores resurgere homines crederent, quàm morerentur; aut quòd à Deo maiore cum potestate ad puniendum Herodem missum putarent; nam & bella, & exilium, & alias calamitates, quæ Herodi postea contigerunt, vulgò inter Iudæos creditum est propter Ioannis necem accidisse. vt lib.18. ant. cap.10. Iosephus affirmat.

Operantur in eo.) ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ. Sunt qui ἐνεργεῖν patiendi significatione positum putent, vt δύνειν pro ἄνειν, & apud Latinos lauare pro lauari, vt sit sensus, ideo virtutes fiunt in illo, id est per illum Hebraico idiomate. Alij actiuè sumunt; sed virtutes, non miracula, sed facultatem miracula faciendi intelligi volunt, quasi dicat, ideo donum faciendorum miraculorum miracula in eo operatur. Alij à sensu longiùs abeunt *virtutes* angelos interpretãtes, qui in Ioanne miracula ederent. Res mihi videtur facilis; ἐνεργοῦσιν, nec passionem hoc loco, nec actionem transeuntem significat. sed pro verbo neutro positum est, idémque significat, quod apud Latinos vigere, apud philosophos in actu esse, quemadmodum apud Aristotelem vsurpari solet, vt τῷ ἐνεργεῖν opponatur τῷ ἐν δυνάμει εἶναι. Sensus ergo est Ioannem à mortuis suscitatũ, propterea miracula in eo vigere, apparere, sese ostẽdere.

C

3. *Propter Herodiadem uxorem Philippi.*) Magna est hîc inter Euangelistas, & Iosephum lib.18. antiq. c.6. 7. 9. omninò discordia, quam Hieronymus, cæteríq; veteres interpretes præterierunt, recentioribus autem etiam Iosephum citantibus pauci admodum attigerunt. Euangelistæ dicunt Herodiadem Philippi, Iosepho alterius Herodis, Herodis huius fratris vxorem fuisse. Nam quod Calumnus dicit Iosephum Herodis fratris Herodis magni, huius autem Herodis, & Herodiadis patrui, & regis Calcidis vxorem Herodiadem facere, puerilis est error; cùm idem Iosephus cap.10. Herodem illum, cuius Herodiadem vxorem fuisse dicit; Herodis, qui eam à marito subduxit, germanum fratrem appellet. Ad quæstionẽ ergo quidam

Calumni puerilis error.

D

E

Universidad de Deusto
Biblioteca

respondent, Philippum cognomẽto Herodem etiam vocatum fuisse; Euangelistas nomine, Iosephum cognomine eum appellasse; quòd si probarẽt facillimâ solutionem inuenirent. Alij Iosephum, aut ignorantia, aut oblitione lapsum dicunt; quod illi sæpe accidisse viderut. Ex duabus hisce solutionibus, quam probabiliorem iudicabit, lector eligat; modò illud teneat Iosephum ex Euangelistis; non ex Iosepho Euangelistas emendandos. Nam, vt fingamus non diuino, sed humano spiritu historiam cõposuisse; tamen & quia plures sunt, & quia res, quæ suo acciderant tempore, conscripserunt; multò maiorem, quàm Iosephus fidem, merentur. Altera hîc inter auctores de Herodiade dissensio est. Iosephus Aristobuli Herodis, & Philippi ex Herode magno fratris filiam fuisse dicit, Hieronymus verò hoc loco, & Ruffinus Eusebium vertens lib. 1. Ecclesiast. histor. c. 23. & Beda, & Strabus filiam faciunt Aretæ Regis. Qua in re non dubito, quin Ruffinus primum, deinde Ruffinum Hieronymus, Hieronymum Beda & Strabus secutus erraverit. Cum enim Eusebius Iosephum imitatus Herodis priorem vxorem Aretæ Regis filiam fuisse diceret. Ruffinus existimans eum de secunda vxore Herodiade loqui, & Iosephum, Hesippúmque non consulens. Herodiadis in versione explicandi causa nomen addidit; dúmque historiam vult explicare, vitiauit. Hieronym. non Græcè, vt poterat, ac solebat; sed Latinè legens ex corrupto fonte errorem hausit; ex illo alij deriuarunt. Adeò facilè alienorũ errorum contagionem trahimus; dum aliena opera cõfidimus, In eo etiam Hieronymus, Beda, & Strabus minimè sequendi, quod dicant, non ipsum Herodem fratris vxorem vsurpasse; sed Aretem Regem Arabum propter inimicitias, quas cum Philippo gerebat, filiam Herodiadem, quam illi nuptum dederat, abstulisse, & fratri eius, ac riuali Herodi tradidisse. Iosephus lib. 18. c. 9. & Hesippus lib. 2. c. 12. sic narrant historiam; Herodem, cum Romam iret, à fratre Herode (secũdum Euangelistas Philippo) exceptum hospitio, dúmque apud eum moraretur, eius vxorem Herodiadem subornasse, vt sibi, postquàm Roma redijsset, relicto fratre nuberet; ibique pactas inter eos fuisse nuptias. Itaque dubium non est, quod à multis tamen tàquam dubium, in vtramque partem disputatur, quin viuente adhuc fratre Philippo eius vxorem Herodes vsurpauerit. Quanquam veteres etiam de ea re auctores video dissentire. Nam Hieronymus, Beda, & Strabus viuum adhuc Philippum fuisse putant. Tertull. verò lib. aduersus Marcionem 4. Chrysost. Theophylact. & Euthym. hoc loco mortuum. August. lib. de fide, & operib. c. 19. dubium esse existimat, neq; sciri posse. Sed hi auctores Iosephum fortè non legerant.

De Herodiadis dissutatione, quæ, & ligi fuerit.

Cur Herodes Ioannem interfecit.

4. *Dicebat enim illi.*) Iosephus lib. 18. antiq. cap. 10. aliam causam reddit, cur Herodes Ioannem occiderit; quòd nimirum timuerit, vt in magna erat apud populares suos gratia, ne ad seditionem populum excitaret. Vtrumq; verum esse credibile est, & Herodem Herodiadis insidiis, atque rogatu Ioannem occidisse, vt narrant Euangelistæ; & eum rumorem ad placandum populum disseminasse, Ioannem contra se populum ad seditionem conatum, commouere; quem vulgi rumorem Iosephus secutus sit.

5. *Et volens eum occidere.*) Marcus c. 6. 19. 20. videtur prorsus contrarium indicare. Herodiadem Ioanni, vt eum de medio tolleret, insidiatam; Herodem verò, quia Ioannem reuerebatur, impediuisse. *Herodias*, inquit, *insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum; & custodiebat eum, & audito ea multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Vnde colligitur Herodem non ideo Ioannem in carcerem coniecisse, vt illum occideret, sed potius, vt ab Herodiadis insidiis indemnem seruaret, placans ac ratione tam impotentis mulieris. & spe secuturæ necis deluden. Euthymius respondet credibile esse principio quidem solam Herodiadem Ioanni, vt siue per maritum, siue alio dolo eum interimeret, insidias retendisse; Herodem autem, vt Marcus significat, obstitisse; postea verò Herodiadis victum precibus occidere voluisse, sed timuisse populum, qui vt prophetam eum habebat, vt scribit Matthæus.

6. *Die autem natalis.*) Origenes homilia in Matthæum 14. Hieron. & Beda obseruarunt nullius iusti viri, sed duorum tantum sceleratorum hominum Herodis, & Pharaonis natalem diem in scripturis celebrari. Caluinus tamẽ, quasi iurasset se omnibus in rebus hæreticum esse, hunc morem non solùm execrari, sed etiam laudat. Hac enim ratione gratias nos Deo agere, quòd in lucẽ eius beneficio edit simus; & profiteri anteactam vitam inutiliter transegisse. Quis hæreticum non agnoscat spiritum? Pharaonis, & Herodis natales dies celebrari vult; Petri & Pauli, immo matris Dei, immo Christi natalem celebrari prohibet. Viuentium natales, vbi ambitionis, & gloriæ plurimũ est, agi laudat; mortuorum, qui Deo seruierunt, & eo iam securi fruuntur, vbi nulla ambitio, nulla humana gloria esse potest, natales agi vetat. Conuiuijs homines nequissimos in lucem editos fuisse Deo gratias agendas esse docet; orationibus, & laudibus homines sanctissimos, & de Ecclesia Christi optimè meritos natos esse, si quis Deo gratias agat, superstitiosum putat. Superiorem vitam inutiliter nobis effluxisse commessendo, & potando agnoscere sanctum est: iciunando & pœnitentiam agendo profanum, anile, Papisticum. Quid ita? quia ipse dixit.

Saltante filia.) Salome ex Philippo priore marito genita; propterea non vocat Herodis filiam, sed Herodiadis. Videtur Herodias hanc occasionem natalis diei Herodis obseruasse; eâque de causa filiam ad saltandum induxisse.

8. *Præmonita.*) προβιβασθεῖσα. inducta, instigata, impulsa; non enim admonitionem solam; sed persuasionem, incitationem, vim insuper quandam significat. Strabus existimat totam tragœdiam ab Herode fuisse compositam, ne sponte sua, sed iuramenti coactus religione Ioannem videretur occidisse. Quod, quamuis peruersus fuerit, & callidus, verum esse non credo; multo enim meliores prætextus homo acutus quærere, inuenireque potuisset, & quia, vt versũ fecunti dicemus, verè videtur caput Ioannis puella petente doluisse, & quia valde illi probrosum erat rogatu saltantis puellæ virum sanctum occidere, & non est vero simile hominem cautum, qui populum timebat, quique rationem minuendi quærebat sceleris, nouo scelere augere voluisse.

Da mihi.) Marcus c. 6. 24. 25. addit, *quæ cum exisset dixit matri suæ, quid petam? at illa dixit, caput Ioannis Baptistæ. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petiit dicens; volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.*

9. *Et contristatus est rex.*) Quare regem vocet, cum rex non esset, vide supra ver. 1. Contristatum autem non verè, sed simulatè multi auctores putant. Hilarius, Hieron. & Strabus, quia ver. 5. Euangelista dixit voluisse Herodem Ioannem occidere, sed populum timuisse; quomodo enim verè dolere potuit, si eum occidere volebat? Magis autem Chrysost. Euthym. & Theophyl. probo sentẽtiam, qui verè eum existimant doluisse. Nam etsi eum occidere volebat, tamen non poterat, quantumuis cæcus homo, non videre turpe

sibi, &

Etc. de Synedr. Plin. tar. in T. Q. Flaminat.

sibi, & ignominiosum apud populum futurum, quod tanti, tamque sancti, & admirandi propheræ caput lasciuæ puellæ saltationis præmium concessisset. Scio Romanarum rerum scriptores tradere Romanum nescio quem ducem mensæ accumbentem amicæ rogatu, quæ dicebat se nunquam hominem iugulari vidisse, continuò vnius ex proscriptis secuti decussum caput ad mensam, vt amica videret, afferri iussisse. Sed cùm Herodem Euangelista contristatum fuisse dicat; non debemus, nisi probari possit, simulationem putare. Dolnit ergo verè, non quòd Ioannem occideret, quem iam ante occidere volebat: sed quòd ea ratione occideret, quæ suis rationibus minimè conueniret.

Iuramenta mala non seruanda.

Propter iusiurandum tamen.) Et hoc verè, vt puto, non simulatè. Tanta enim apud Iudæos religio erat iurisiurandi, vt etiam, quæ cõtra fas iurata essent, non seruare, nefas duceret, vt ex Iosue iuramẽto Gabaonitis præstito Iosue 9. 15. 18. 19. & Iephthe Iud. 11. 35. manifestum est. Quæ rectè veteres auctores monuerũt non fuisse seruanda. Origen. hom. in Matth. 14. Chrysost. hoc loco Ambros. lib. 1. de officiis c. 50. Hieron. in comment. Quod Euthym. exemplo Dauidis probat 1. Reg. 25. 22. qui, cùm iurasset se non relicturum vsq; in diem crastinum in domo Nabal mingentem ad parietem; iniquum iuramentum admonitus, rogatúsque ab Abigail non seruauit, déque ea re gratias Deo egit ver. 32. 33. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum: & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.*

10. *Misitq;.*) carnificem vt c. 2. 16. vbi eum Hebraismum explicauimus. Marcus c. 6. 27. explicatè dixit, *sed misso confestim speculatore iussit afferri caput Ioannis in disco.* Hinc colligitur Herodem hoc conuiuium in arce Macheruntina celebrasse, quæ in finibus Galilææ, & Arabiæ erat. In ea enim arce scribit Iosepus lib. 18. c. 10. vinctum fuisse Ioannem. Constat autem ex hoc loco, & multo etiam magis in Marco hoc conuiuium eodem loco, in quo Ioannes vinctus erat, celebratum fuisse.

12. *Et accedentes discipuli eius.*) Dubitari potest, quomodo discipuli Ioannis in carcerem ingredi potuerint. Nonnulli putant corpus Ioannis ignominiosè fuisse proiectum: quod nulla historia; nulla coniectura probare possunt. Alij aditum discipulis adcarcerem patuisse: nam vt ex c. 11. 2. perspicuum est, viuentem adhuc Ioannem, & vinctum visitabant. Hoc probabilius; illud etiam probabile petentibus discipulis corpus specie quadam humanitatis facilè concessum, volebat enim Herodes populi, quem, vt ait Euangelista, timebat, iram lenire. Hæretici corum interpretes hinc argumentantur non alium Sanctorũ corporibus honorem deberi, quàm sepulturæ: quia discipuli Ioannis eius corpus; non, vt nos, reliquias seruauerunt; sed sepelierunt. Acuti sanè argumumẽtatores: qui eadem ratione probare potuerunt ne corpori quidem Christi, alium, quàm sepulturæ, honorem deberi, quia Ioseph eius discipulus non seruauit; sed sepeliuit c. 27. 60. Atqui isti boni Ecclesiæ reformatores, qui ideo sepulturę honorem Sanctis tribui volunt; ne quis honor maior tribuatur; ne hunc quidem illis honorem tribuunt; mortuos mortui noctu sepeliunt, non vt honorentur. sed ne ferteant; non vt homines; sed vt asinos, vt canes. Cæterum benè est, quòd non contingit illis, nisi hæreticos sepelire, qui digni non sunt, vt alias quàm asini sepultura, vt scriptura de impio illo rege loquitur sepeliantur.

Tiresias simula deuitandæ ignominiæ causam circumferebat.

Hieron. 22 in.

Quod cum audisset Iesus. Quid dicatur Iesus audiisse, quamobrem inde secesserit, nõ satis inter interpretes constat. August. lib. 2. de consens Euangel. c. 43. Euthym. & Theophyl. ad mortem Ioannis referunt. Chrisost. verò homil. 50. quod etiam probat Euthym. ad id quod ver. 2. & apud Lucam c. 9. 9. dictum est, Herodem dixisse, *Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo;* & voluisse Christum videre. Augustini opinionem probabiliorem puto; sic enim hoc loco verba hærent, vt relatiuum, quod, nõ ad aliud, quàm ad Ioãnis mortẽ, quam discipuli Christo nuntiarunt, referri posse videatur ver. 12. 13. *& accedentes discipuli eius tulerunt corpus, & sepelierunt illud; & venientes nuntiauerunt Iesu. Quod cum audisset Iesus, secessit inde.* At iam diu Ioannes in vinculis fuerat c. 11. 2. fuerat quidem iam diu in vinculis, sed non occisus.

Secessit inde.) Quare illud certum, quod Hieronymus & Chrysostomus admonuerũt, non metu, sed consilio, rationéque secessisse. Quo autem consilio, incertum est. Hieronymus & Beda ideo secessisse putant, ne tyrannus homicidium cumularet, quasi Christum etiam, si apprehendere potuisset, occisurus esset; noluisse enim Herodi peccãdi materiam suppeditare; itaque sese subtraxisse, fecisséque quod Apostolis ipse præceperat, *Cum vos persequẽtur in ciuitate ista, fugite in aliam* c. 10. 23. Chrysostomus verò, & Euthymius aliam afferunt causam, ne, si Herodis manus diuinitus, vt poterat euaderet, Deum se esse declararet, quod nolebat tam citò notum esse. Aliam Theophylactus, vt fugiendo non phantasma, vt Marcionistæ, & Manichæi putauerunt; sed verum hominem, qui teneri, & occidi posset, se esse ostẽderet. Veram ergo causam fuisse arbitror, quam in simili exemplo Ioanes reddit c. 7. 30. quia *nondũ venerat hora eius.* Aliam etiam, cur secesserit Marcus rationem affert c. 6. 31. quòd discipuli ex sua legatione fatigati redijssent, & requiete indigerẽt, quam eo loco habere non poterant, vt propter hominum confluentium multitudinem cibum illis sumere non liceret. *Venite*, inquit, *seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.*

In nauicula.) Cur non pedibus; ne, inquit Chrysost. turbæ eum sequerẽtur, quas fugere volebat. Alij, quia lacus in vlteriorem ripam traijciẽdus erat. Quod ego nullo modo credo, quia disertis verbis Lucas dicit c. 9. 10. venisse eum in desertum locum, qui erat Bethsaidæ; Bethsaidam autem citra, non vltra lacum fuisse dubium non est; id est in Galilæa Herodis Tetrarchia, vbi tunc Christus versabatur. Nam & Petrus, qui ex Bethsaida ciuitate erat Ioan. 1. 44. Galilæus erat Matt. 26. 72. 73. Non ergo Christus totum lacum; sed sinum aliquem, aut potius promõtorium lacus traiecit; vt in alium remotum locum secederet. Cuius rei præter illud, quod ex Luca protulimus, certũ etiam est argumentum, quòd, vt ait Matthæus, turbæ eum pedestres secutæ sunt. Nam quod nonnulli dicunt per aliquem pontem transire potuisse; vel non agi de turbis, quæ in Galilæa erant, sed de ijs, quæ vltra ripã in regione Gerasenorum habitabant, absurdum est. Etenim nec tantus lacus, quantum Plinius, Strabo q; describunt, ponte iungi potuit, nec in Iordane ipso, qui in lacum influebat, pontẽ vllũ præter pontẽ Tiberiadis fuisse, qui lõgè distabat, legimus; & turba, quæ in vteriore ripa erat, expectare venientẽ Christũ potuit, sequi nõ potuit. Simile est, quod ijdẽ dicunt, Bethsaidæ desertum apud Lucam appellari, non quòd prope Bethsaidam esset; sed quòd vltra lacum è regione Bethsaidæ, aut quòd Bethsaidæ esset; vtrumque enim sine vlla ratione dictum est. Solus Ioannes cap. 6. 1. videri potest horum auctorum sententiam iuuare, quòd dicat Christum abijsse trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis; traiecit ergo vltra mare. Respondeo sensum

esse eum

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse eum venisse in eum locum, qui vulgò vltra mare Galilææ vocabatur, non quòd Christo vltra mare esset, sed quòd Iudæis ex Ægypto venientibus vltra mare fuerat. vnde perpetuò nomen retinuit, vt cap. 4 15. multis probauimus exemplis. At quomodo Christus vltra mare venisse dicitur, cùm vltra mare esse? Respondeo, quia ex vno loco in alium trasiit, qui propriè vltra mare vocabatur, quod quisquis c. 4. 1. legerit, minimè mirum putabit. Nam & illic, qui loquebatur, propheta illum ipsum locum vbi ipse erat, trâs Iordanem vocat. cum illi non trâs, sed citra Iordanem esset. Traiecit ergo Christus partem tantùm aliquam lacus circùm aliquod promõtorium, qua ratione factum est, cum turbæ terra sequerẽtur, vt prius ad locum, quò appulit, quàm ille, peruenirent, vt ait Marcus c. 6. 33. quia, etsi plerunque citius mari, quàm terra itur, tamen Christus promontorium circuibat, turbę recta tendebant via.

14. *Et exiens vidit turbam.*) Exiens è naui, quia, vt ait Marcus, turbæ eum præuenerant. Hieronymus, & Euthymius, & ex recentioribus multi interpretantur, exiens à deserto, quia Lucas cap. 9. 11. dicit, *& excepit illos*, quasi obuiam illis exierit, & Ioan. c. 6 3. *Subijt ergo in montem, & ibi sedebat cum discipulis suis.* Quod ego ne probabile quidem esse arbitror; cùm Marcus apertè dicat turbas eũ præueniisse. Nam quod ait Lucas Christum excepisse illos, non significat obuiam fuisse *& excipit*, inquit, *eos, & loquebatur illis de regno Dei.* Quod & Marcus exposuit, *& exiens vidit turbam multam, & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, & cœpit eos docere multa.*

15. *Accesserunt ad eum discipuli eius.*) Videtur Leontius relatiuum *eius* ad Ioannem referre, de quo paullo supra mentio facta fuerat, quasi discipuli Ioannis fuerint, quia ad Christum accedentes rogauerint, vt turbam dimitteret. Hinc enim manifestum esse dicit iam tum Ioannis discipulos mortuo præceptore adhæsisse Christo. Sed ex Luca c. 9 12. perspicuum est eos, qui hoc Christo proposuere, duodecim Apostolos fuisse. Ioan. 6. 6. videtur factũ aliter narrare, ait enim Christum Philippo dixisse, *vnde ememus panes, vt mãducent hi? hoc autem*, inquit, *dicebat tentãs eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Facilis coniectura primùm discipulos Christo subiecisse, vt Matthæus ait, vti turbas dimitteret; deinde Christum vt narrat Ioãnes, tentandi causa Philippum interrogasse, *vnde ememus panes, vt manducent hi?* vt Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus interpretantur. Duplex autem apud Ioannem quæstio, cur Christus discipulos, & cur Philippum potiùs quàm alium interrogauerit. Ad priorem Ioannes ipse videtur respondere, non interrogasse, vt disceret; *sciebat enim quid esset facturus*, sed vt tentaret. At hoc ipsum quæritur, cur tentare voluerit? Amphylochius existimat quamuis minimè ignorantem, ad modum tamen ignorantis interrogasse, vt se ad auditorum opinionem, & infirmitatem accommodaret: Augustinus, Beda, & Rupertus, non vt ipse fidem discipuli cognoscerent, quam nequaquam ignorabat; sed vt illi suam incredulitatem ostenderent. Cyrillus Græcus (nam Latinum à quibusdam alienis scriptis auctum, lectorem moneo nunquam à me citari) ideo putant interrogasse, vt magis miraculum, quod facturus erat, illustraret. Ex eius enim interrogatione consecutum fuisse, vt Philippus responderet ducentos denarios non sufficere, vt panes emerent; & Andreas, esse quidem illic quinque panes, & duos pisces, sed quid ad tantam hominum multitudinem? Quò ergo plures panes Philippus, & Andreas necessarios esse declararunt, eò maius postea miraculum apparuisse. Chrysostomus, Theophylactus, Ammonius. Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. voluisse Christum interrogando, ac respondendo vtrò citróque discipulorum excitare fidem, eóque ad considerandum futurum miraculum attentiores reddere. Si enim de improuiso hac cum discipulis disputatione non antegressa miraculũ edidisset, minùs fuisset animaduersum; cùm & hominum multitudo, & fames, & paucitas panum minus fuisset disputando perspecta. Ad posteriorem quæstionem idem Chrysostomus, Theophylactus, Theodorus, Mopsuest. & Leontius respondent, propterea Philippum potiùs, quàm alium interrogasse, quia ille maximè omnium fide indigebat; eum enim fuisse, qui quasi in fide vacillans dixit; *Ostẽde nobis patrem, & sufficit nobis* Ioan. 14. 8. Addit Ioannes dixisse Andream fratrem Petri, *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?* Quod Theodorus Mopsuest. Leontius, & Ammonius ideo dixisse putant, ne videretur velle sibi reseruare. Notant verò Chrysostomus, Cyrillus, Theodorus Heracleotes, Leontius, & Theophylactus, aliquantò plus fidei Andream, quàm Philippum ostendisse; videri enim spe aliqua futuri miraculi dixisse hæc, scientem Elisæum panem aliquando multiplicasse, perfectam tamen non habuisse fidem, cùm dicat, *sed hæc quid sunt inter tantos?* quasi crederet posse quidem Christum multiplicare panes, sed ex pluribus plures, ex pauciores pauciores posse facere. Mihi probabilius videtur, Andream, cùm hæc dixit, nihil de miraculo cogitasse. Docet nos Christus, vt ait Leontius, & Theodorus Mopsuest. hoc exemplo nunquam in rebus angustis desperare, sed in ipso semper confidere, qui panem nostrum si quem habemus, augere; si nõ habemus, ex nihilo creare possit. Chrysost. verò & Theophylactus ex hoc loco Manichæos refellunt, qui panem ab alio, nescio quo malo Deo factum esse delirabant. Nec enim Christus multiplicare potuisset, si ab alio, quàm à se, & patre suo fuisset factus. Adnotauit Euthymius Christum data opera vsque ad serum diei tempus sermonem traxisse, vt necessitas eius, quod postea fecit, miraculi nota esset. Non decet cuiusdam magni nominis Caluinistæ interpretationem silentio præterire. Scribit Euangelicus Doctor Apostolos non caritate; sed tædio Christo suggessisse, vt turbas dimitteret, vt se labore, fastidióque liberarent. Profecto hoc Caluinistæ non fecissent. Hoc enim voluit bonus iste Doctor significare, se, suosq; Ministros plus quàm Apostolos habere caritatis. Huiusmodi est hæreticorum spiritus; dolent, &, quomodo possunt, negant Apostolos fuisse sanctos, vt ipsi Apostolis meliores esse videantur, nec intelligunt omnium hominũ sceleratissimos Apostolos esse oportuisse, vt noui isti Apostoli eorum similes videri possent.

16. *Date illis vos manducare.*) Ioan. c. 6. 7. narrat respondisse Philippum, *ducentorum denariorũ panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Vnde colligit quidam hæreticorum interpres Christum, & Apostolos ducẽtos denarios, id est viginti ferè aureos coronatos habuisse. Nec enim monachis nostris mendicãtibus, sed Caluinianis Ministris similes erat, nũmati, cõiugati, compti, elegantes. Quod ex eodem spiritu atq; illud, quod paullo ante cõmemorauimus, profectum est, maligno, peruerso, hęretico, diabolico, & præterea cæco; quis enim nõ videt propterea Philippum dixisse ducentos denarios non sufficere, quòd nec eos haberent, nec habere possent? Argumẽtatur enim non posse se tantam hominũ multitudinem pascere, quòd ne ducenti quidẽ denarij satis sint, cũ ipse ne vnum quidẽ fortasse denarium haberent. Si enim habuissent,

habuissent,

Exemplar ref. Vatic.

habuissent, iussisset vtique Christus in panes expendi nec miraculo opus fuisset. Quantò melius Theodorus Heracleota ex hoc loco voluntariam Christi, & discipulorum eius paupertatem probat, qui ne ad emẽdos quidẽ cibos sibi necessarios satis habuerint pecuniæ. Eius verba propter Caluinistas huc adscribam, *τῶν συνόντων αὐτῷ τὸ ἀφιλάργυρον καὶ τὸν ἐκείνου πλοῦτον ἐπιδεικνύων, διὰ τοῦτο εἶπε τὸ πεντάζε τοὺς ἀναπεσεῖν ἐχόντων τροφάς.* Notat Leontius propterea non dixisse, ego illis cibum dabo, sed *date vos illis manducare*, ne arroganter de se loqui, & miraculum iactare videretur.

17. *Non habemus hic nisi quinque panes,*) Ioan. c. 6. 8. 9. ait: *Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri, est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?* Dubitant autem interpretes, an panes illi Apostolorum esent, quos illis puer portaret, an puer, vt venderet, attulerit. Chrysostomus hom 50. Leontius, & Cyrillus, & Theophylactus Apostolorum fuisse putant; Euthymius, &, vt videtur, Cyrillus, cui magis assentior, venales. Namquod Apostoli dicunt *non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces*; non significant fuisse ipsorum; sed totam, quanta quanta erat, hominum multitudinem non nisi quinque panes, & duos pisces habuisse.

Qui ait eis, afferte mihi illos huc.) Iubet sibi panes afferri, inquit Chrysostomus, & Leontius, vt ostendat se esse, qui totum nutrit terrarum orbem; neque ex hora vlla, aut tempore pendere, sed quocunque tempore & ex quacunque materia posse, quotquot velit, panes facere. Non dicit Euãgelista discipulos paruisse, sed ex sequentibus satis intelligitur. Qua re Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Cyrillus, & Leontius egregium nobis documentum dari docent, vt hospitibus, & egenis etiam, quæ nobis necessaria sunt, liberaliter elargiamur; fore, vt hac ratione panis nobis crescat.

19. *Et cum iussisset turbam discumbere.*) Marcus 6. 39. *præcepit illis, vt accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum*; fœnum enim copiosum erat, quia, vt Leontius, & Theophylactus adnotarunt, primum erat ver, cùm proximum esset Pascha, vt ait Ionnes c. 6. 4. Lucas c. 6. 14. *facite eos discũbere per conuiuia quinquagena.* Quod multis de causis vero simile est Christum fecisse, vt numerus hominum ex distributatione magis appareret, eáque, ratione miraculi magnitudo constaret, vt sine confusione Apostoli omnibus ex panibus, & piscibus darẽt vt omnes nemine prætermisso suo quisque ordine portionem acciperet. Aliam Cyrillus, & Leontius in commentarijs, & nescio quis alius sine nomine in Græca citatus catena, sed mysticam afferunt causam tanquam bestias super fœnum accumbere iussisse; quinque enim illos panes ordeaceos quinque legis Mosaicæ libros significasse, quibus Iudæi tanquam ordeo, sine vllo delicato gustu, sine sensu, tanquam animalia bruta, vescerẽtur. In quam sentẽtiam multa quoque Rupertus scribit. Cyrillus verò reprehensionem esse putat, quasi dicat Christus, O tardi homines, & hebetes ad inteligẽdam virtutem meam, facite eos discumbere, vt non verbis, sed factis doceam vos, quid possim facere. Idémque in Grecorũ catena scribit Apollinarius.

Aspiciens in cælum.) Vt ostenderet se à patre vna cum diuinitate vim faciendorum miraculorum accepisse, Hilarius, Chrisostomus, Euthymius, Theophylactus; vt idem nos facere doceret, vt ijdem dicunt auctores, Leontius, & Ammonius, vt ostenderet vnde nobis omnibus in rebus petendum auxiliũ, Hieronymus, & Beda; vt ostenderet se contrariũ nõ esse Deo, vt idem Ammonius, & Leontius tradunt vt vsque ad passionem, tanquã homo Deum orans, principem huius mundi lateret, quam causam solus reddit Ammonius. Aliam quoque Leontius rationẽ affert, ne patre se maiorem facere videretur, de quo dictũ, à Iudæis fuerat *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Adnotauit etiam Chrysost. Leontius, & Euthy. Christum non quotiescúque miracula fecit, in cælum suspexisse; sed aliquando, vt hoc loco, & in Lazari suscitatione Ioan. 11, 41. & in oratione, qua patrem rogauit, vt se clarificaret. Ioan. 17. 1. ne si semper faceret, videretur non sua, sed aliena auctoritate miracula facere: si nunquá, patré suũ nõ recognoscere.

Benedixit Caluinistæ interpretantur, gratias egit, quia quod Mahr. Marc. c. 6. 41. & Lucas c. 9 16. dicũt *εὐλόγησεν, benedixit*, Ioannes c. 6. 11. dixit *καὶ ἐχαρίστησε & cum gratias egisset*; & quod hìc Matthæus, & Marcus dicũt *εὐλόγησεν, benedixit*; idẽ Matthæus c. 15. 36, & Marcus c. 8. 6. narrãtes alterum miraculum de septem panibus dicunt *καὶ ἐχαριστήσας εἶπαν, & gratias agens fregit* Rursus, quod Matthæus c. 26. 26. & Marcus 14. 22. de sacramẽto corporis Christi loquẽtes dicunt *εὐλογήσας, benedixit, & fregit*, Lucas c. 22. 19. & D. Paul. 1. Cor. 11. 24. dicunt *ἐχαριστήσας gratias egit & fregit*. Ex quibus locis omnibus illud perspicuum est idem esse *εὐλογεῖν* benedicere, & *ἐχαριστεῖν* gratias agere; sed probandum hæreticis erat *εὐλογεῖν* benedicere, accipi pro *ἐχαριστεῖν* gratias agere, non potiùs è contrario *ἐχαριστεῖν* gratias agere pro *εὐλογεῖν*, benedicere, quod nec probare conati sunt, nec, si maximè conentur, probare possunt. Nos contrà *ἐχαριστεῖν* gratias agere, poni pro *εὐλογεῖν* benedicere facile probamus. Primùm, quia gratiarum actio his in locis nihil, benedictio autem maximè ad rem pertinebat. Volebat enim Christus panẽ multiplicare, nondũ multiplicarat; nõ ergo patri gratias agebat, quòd multiplicasset; sed panẽ benedicebat, vt multiplicaretur. Deinde, quia si gratias egisset; patri vtique, non pani egisset; at panem ipsum benedixisse dicitur Luc 9. 16. *εὐλόγησεν αὐτοὺς benedixit illis*; non ergo *εὐλογεῖν* benedicere accipitur pro *ἐχαριστεῖν* gratias agere, sed è contrario *ἐχαριστεῖν* gratias agere, pro *εὐλογεῖν* benedicere. Interpretantur illi *εὐλόγησεν αὐτοὺς benedixit illis*, id est gratias super illos egit, quam illi interpretationem nullo exemplo probare possunt; nos ex ipsa Grammatica refutare possumus; si enim Euangelista id dicere voluisset, non dixisset *εὐλόγησεν αὐτοὺς* benedixit illis, sed *εὐλόγησεν ἐπ' αὐτοῖς* benedixit in illis, aut *ἐπ' αὐτοῖς* super illos: at & Lucas dicit *εὐλόγησεν αὐτοὺς benedixit illis*, & D. Paulus 1. Cor. 10. 16. *τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας: ὃ εὐλογοῦμεν calix benedictionis cui benedicimus*: ipsum enim benedicimus calicem. Simile est, quod idem D. Paulus ait 1. Tim. 4. 5. cibum, quem sumimus, per verbum Dei sanctificari; accedit ergo aliquid cibo ex eo, quòd benedicatur. Benedictio igitur & ad Deum, tanquam ad auctorem, à quo petitur, dirigitur, & ad panem tanquam ad materiam benedictioni subiectã, quod nõ fieret, si benedictio pro gratiarum actione sumeretur. Præterea, quid causæ est, cur Christum non legamus panem benedixisse, nisi cùm in melius mutare, aut multiplicare voluit, cum quotidie sumeret cibũ nisi quia per benedictionem aliquam panibus, vt crescerent, & multiplicarentur, vim tutem impressit quemadmodum, cum primos parentes benedixit Genes. 1. 28. *Crescite & multiplicamini*, & *replete terram*, Cum ergo Christus sulpexit in cælum, & panes benedixit, patrem orauit, vt suam in panes, qua multiplicarentur, benedictionem infunderet. Et cum

Psal. 77. 19.

Cur Christus miracula facturus in cælum oculos tollit.

De benedictione panum contra Caluinistas.

Benedictio panis & calicis in Eucharistia quo modo accipienda.

dicitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitur apud Ioannem εὐχαριστῆσαι non significatur egisse gratias; sed gratiam patris in panes, vt multiplicarentur, inuocasse: argumentum est, quòd veteres auctores Græci Ecclesiastici transitiuè, hoc verbo vsi sint; vocant enim panem Eucharistiæ ἄρτον εὐχαριστηθέντα, vt Iustinus 2. apolog. pro Christianis, & Irenæus lib. 4. c. 34.

Et dedit discipulis suis.) Vt per eos quodammodo tanquam ministros, miraculum fieret; quod vt Hieronymus, & Beda scribit, significat populum Christianum per Apostolos fuisse pascendum; vel vt testes certiores miraculi essent, quod suis manibus tetigissent, quemadmodum, ait Leontius, & Euthymius vel, vt altiùs in memoria defigerent, quod suis ipsi manibus contrectassent, vt vult Theophylactus. Videtur mihi voluisse Christus miraculi gloriam à se in Apostolos quodammodo transferre. Vbi multiplicati panes fuerint, vtrùm in manibus Christi, an in manibus Apostolorum; an in manibus, aut in ore sumentium Hilarius dubitat. Illud mihi certum pænè videtur non fuisse in manibus, aut ore sumentium multiplicatos, quemadmodum noui hæretici docent Eucharistiam non esse corpus Christi, nisi in ore sumentium. Sibi enim quodam modo homines satiati miraculum tribuissent. Hieronymus in manibus Christi Chrysostomus, Leontius, & Euthymius in manibus Apostolorum multiplicatos fuisse putant. Vtrumque probabile; sed illud, vt mihi videtur, probabilius, primùm in manibus Christi, qui primus miraculi auctor erat; multiplicatos; frágendo enim multiplicasse credibile est, & duodecim cophinos impleuisse, quos Apostoli duodecim ad suum quisque ordinem ferrent, sicut Sareptana illa vidua 3. reg. 17. 14. 15. 16. & illa altera de vxoribus propheratum 4. reg. 4. 5 6. hauriendo oleum multiplicauit: deinde verò in Apostolorum manibus, aut in ipsis cophinis creuisse, ita vt quantum ex corbibus, vt discumbentibus darent, detraherent; tantum diuinitus accresceret; sicut in lecytho illius viduæ factum est, vt quantum hauriebat, tantum rursus emanaret, ita vt lechytus; vt ait scriptura, non fit imminutus. Inde factum est, vt Apostoli duodecim plenos cophynos, id est, quantum à Christo acceperant, tantum collegerint.

Multiplicatio panũ in manibus Christi & Apostolorũ facta.

20. *Et comederunt omnes.*) Tria hîc ad miraculi euidentiam, & probationem dicit Euangelista. Primum omnes comedisse; secundum saturatos fuisse; Quod propterea Euangelista dixisse Leontius, Chrysostomus, & Theophylactus putant, vt miraculi veritatem ab ipsis, qui comederunt, probatam fuisse demonstraret, cùm prius esurientes re ipsa, & non opinione sola saturati fuerint. tertium superfuisse duodecim cophinos. Duodecim autem cophynos superasse propterea Hieronymus, Chrysostomus, & Theophylactus, & Euthymius existimant, quia duodecim erant Apostoli, vt etiam Iudas, inquit Chrysostomus, cophinum suum ferret. Causam ego eam, quam superiore versu indicaui, fuisse suspicor, quòd prius Apostoli duodecim à Christo plenos cophinos accepissent, & decebat, vt boni beneficiorum Dei dispensatores tantum redderent, quantum accepissent. Quòd autem non integrorum panum, sed fragmentorum duodecim cophinos superare, voluerit, eadem ratione Chrysostomus factum existimat: si enim integri superfuissent panes, imaginarium miraculum videri poterat; cum autem fragmenta superfuissent manifestum erat turbam ex panibus verè comedisse. Quærit Chrysostomus quamobrem ex piscibus nihil superfuerit, cùm post resurrectionem ita legamus multiplicasse pisces, vt permulti superauerint Ioan. 21. 11. Nihil respondet aliud, quàm significare voluisse Christum, quòd nunc ex subiecta materia pisces multiplicasset, non impotentia vlla sua factum fuisse, cũ postea sine vlla materia tã multos procreauerit pisces, vt saturatis discipulis multi superfuerint. Rectè, si illud, prius quàm hoc, fecisset. Simpliciùs dixerim, primùm non constare, an nihil ex piscibus superfuerit; quin ego multum superfuisse credo, quamuis nec id Euangelista dixerit, neque Christus piscium fragmenta iusserit colligi, satis ratus ad miraculi demonstrationem, vt panum fragmenta colligerentur. Deinde, vt nihil superfuerit ex piscibus, ideo non superfuisse, quia satis erat ad probandum miraculum, vt vel panes, vel pisces superessent. Voluit autem panes potius, quàm pisces superare; quia cibus est omnium vsitatissimus, & in quo maximè poterat apparere, quid in eo genere posset facere. Vellet hoc ipsum ad mores; vult Deus panes, id est res necessarias abundè nobis suppetere; pisces verò, id est delicias minimè redundare.

21. *Quinque millia hominum.*) G. ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, quasi quinque millia, quemadmodum etiam apud Marcum c. 6. 44 & apud Ioan. cap. 6. 10. legitur. Noster interpres neque hîc, neque apud Marcum legit, apud Ioannem legit. Quod autem attinet ad sententiã, nihil interest. Solent enim auctores sacri perfectum numerum ponere, etiamsi paullo minor, aut maior sit. Duo etiam hîc sunt, quæ propterea narrat Euangelista, vt miraculi commẽdet magnitudinem, quòd quinque hominum millia fuerint, & quòd mulieres, & pueros non numauerint; quorum non quidem tantum, quantum virorum, quia longo irnere venerant; sed magnum tamen fuisse numerum credendum est, siue quia religiosiores, siue quia curiosiores viris fœminæ sunt. Notant Leontius Cyrillus, & Ammonius apud Ioannem in Græcorum catenis citati, propterea Euãgelistas solos viros, nõ mulieres numerasse, vt Iudæorum consuetudini seruirent, qui solos numerabant viros. quemadmodum fecisse legimus Mosem. Id quoque morale esse, nihil apud Deum recenseri, & vllo in numero, esse, nisi quod virile sit atque perfectum.

22. *Et statim compulit.*) Ioannes c. 6. 16. contrà, videtur dicere discipulos nõ iussu quidem Christi, quæsese ab eorum oculis subtraxerat, sed proprio consilio, cùm eum eodem in loco vsque ad vesperum expectassent, vidissẽtque non redire, conscendisse nauim, vt nauigarent in Capernaum, ibique eum quærerent. Vtrumq; factum esse credendum est, & Christum, antequam se subduceret, præcepisse eis, vt nauigarent in Capernaum, & ipsos vsque ad noctem expectasse sperantes rediturum: aut è cõtrario prius compulisse discipulos nauem ascendere, seque præcedere præ extu dimittẽdæ turbæ, quibus profectis ipsum in montem relicta turba fugisse, vt oraret. Sed Ioannem hoc secundũ narrasse, primum præteriisse. Quare verò compulerit, vt se relicto prænauigarent, duæ ex Euangelistis causæ colligũtur, altera ex Matthæo versu sequenti, quia volebat solus orare, ideòq; præmissis discipulis, & relicta turba in montem solus ascendit. Altera ex Ioanne cap. 6. 15. vbi ptimo ceres dicit solum in montem fugisse, quia sciebat fore, vt turba veniret, vt se raperet, ac regẽ facerent. Volebat enim expeditus esse, & à tota turba, & ab Apostolis, vt cùm periculum immineret, momento temporis, vt postea fecisse credendum est, per aëra permeans discipulos consequeretur. Videtur etiam ea ratione sequenti miraculo occasionem præbere voluisse; nisi enim Apostolos præmisisset, neque laborassent illi fortassis in remigando; neque super mare ipse ambulasset, neque Petrum iussisset ambulare: quæ omnia miracula vno facta sunt tempore. Aliam Chrysostomus, & Theophylactus afferunt causam, vt fragmenta panum, quæ superfuerant, secum portarent, ac soli inter se præterirum miraculum recognoscerent. Compulisse autem eos dicit Euangelista, quia credibile est illos ab eo discedere noluisse, vt Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus adnotarunt. At verò non eorum solùm erga Christum amori; sed communi etiam humanitati repugnare videbatur, vt discipuli magistrum solum inter homines ignotos, & quidem citra mare reliquerent, cum ipsi essent vltra mare nauigaturi; sed obediunt tamen quia sciunt, nihil esse, quod Christus facere non possit.

Et præcedere eum trans fretum.) In regionem Gerasenorum, quæ vltrà lacum erat, vt constat ex versu 34. Itaque nunc non solùm partem vnam lacus, aut promontorium, vt ante adnauigarunt, sed totum penitus lacum traieceruntVoluit enim Christus è Galilæa fugere. & in oppositam Gerasenorum regionẽ venire, & vt Herodis insidias vitaret: & vt eorum declinaret studium, qui sibi eum regem facere volebant. Videri potest contrarium, quod Ioannes scribit c. 6. 17. Venisse discipulos trans mare in Capernaum. Neque satisfacit, quod Augustinus, lib. 2 de consensu Euangel. c. 48. respondet, Genesareth, quò eos Matthæus venisse dicit, esse prope Capernaum, quò Ioannes dicit, appulisse. Repugnat enim Geographia, ex qua manifestum est Genesareth in altera oppositæ lacus parte esse. Idque ex superiore c. 8. 28. & 9. 1. colligitur; si duo illi inter se loci conferantur. Constat ex Ioanne, & discipulos, & Christum priùs venisse Capernaum, ibique præclaram illam de corpore, & sanguine suo disputationem habuisse, quam toto c. 6. Ioannes describit. Constat miraculum hoc in mari factum tunc accidisse, cum discipuli ex eo loco, vbi panes Christus multiplicauerat, in Capernaum noctu nauigarent. Deinde ex Capernaum in Gerasenorum regionem vltra lacum nauigasse. Ioannes ergo, quia volebat disputationem illã de corpore, & sanguine narrare, reliquit profectionem in regionem Gerasenorum. Matthæus verus, & Marcus cùm vellent solum miraculum in mari factum exponere, & quo modo iterum Christus in terram Gerasenorum traiecisset. quæ autem in Capernaum acciderant, præterire, ita narrant historiam, vt significare videantur miraculum illud matis tunc accidisse, cum in Gerasenorum terram discipuli nauigarent. Eadem enim fuit nauigatio, nisi quòd aliquantisper in Capernaum commorati sunt, dum de corpore & sanguine suo Christus disserebat.

23. *Ascendit in montem solus orare.*) Bis in montem ascendisse constat ex Ioanne; primùm simul vt in desertum locum venit c. 6. 3. *Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.* Deinde post factum miraculum, & postea quàm Apostolos dimisisset. ibidem vers. 15. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi erãt, vt caperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Prius fugerat, vt lateret; nunc fugit, vt oret.

4. noctis vigilia.

25. *Quarta autem vigilia noctis.*) Vltima, quæ matutina dicebatur, Exod. 14. 24. & 1. reg. 11. 11. In quattuor partes militari arte distributam fuisse noctem, quæ quattuor vigiliæ, quòd vigiles quater mutarentur, vocatæ fuerint, nemo nescit; & in scripturis sæpe etiã indicatur, iud. 7. 11. 19. Thren. 2. 19 Lucæ c. 8 & 12. 38. Triplicem igitur faciendi miraculi occasionem Christus expectauit, vt discipuli essent in medio mari, vbi nullum humanum auxilium expectare poterant; vt ventus contrarius esset, & nauis magnis ductibus iactaretur, & vltima noctis vigilia veniret, vt discipulorum fidem patientiamque probaret; simul vt miraculi necessitatem Apostoli cognoscerent; nec enim solebat sine necessitate Apostoli cognoscerent; nec enim solebat sine necessitate, eaque cognita, atque perspecta miracula facere. Hæc ferè eadem Leontius obseruauit; habentque. vt idem ille monet, vtile documentum, non debere mirari nos, si cum rebus aduersis conflictamur, non continuò diuinum nobis auxilium adesse videatur; velle Deum nostram priùs patientiam experiri, certamenque nostrum, quasi spectatorem, contemplari in vltima vigilia, id est cum in extremum periculum adducti sumus. Idem Cyrillus scribit Alexandrinus Ioan. 6. 17.

Ambulans supra mare.) Caluinus timens, ne corpus Christi in sacramento Eucharistiæ posse esse videatur, nullum vult in eo miraculum esse factum, non ex vtero virginis integra virginitate prodijsse; non, ante quàm lapis remoueretur. exijsse de sepulchro; non clausis ad discipulos ingressum ianuis; non factum inuisibilem per medium eorum, qui prehendere volebant, euasisse; non super liquidas vndas ambulasse. Denique, vt vnam defenderet hæresim, necesse illi fuit multas, & inauditas hæreses excogitare. Dicit Christum non effecisse, vt graue suum corpus in liquidis aquis non mergeretur; sed aquas ita solidasse, vt graue sustinerent corpus. Non audet homo impius, quod sentit palam dicere; sed eius tamen sententia est Christum id facere non potuisse. Nec enim alia de causa fecisse negat, nisi quia potuisse facere nõ credit. Isto sanè modo & barbarę gentes prope glaciale mare habitãtes super mare ambulant, super mare currũt, super mare carpẽta quadrigis ducunt. Isto modo maius illa, de qua poëta scribit, miraculũ fecit.

Quæ mare per medium fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Virgil. 7. Aeneid.

Isto modo nec Petrus mergi potuit, nec timere. Solidum enim erat mare. Sed nescio, vtrum ineptius sit ista dicere, an refutare. Tantùm admonere lectorem volo, ne Hieronymi non bene intellecta sententia fallatur. Cum enim dicit hoc loco, *Tu præcipe, & illico solidabuntur undæ*, non significat verè fuisse solidatas; sed perinde corpus sustinuisse, atque si solidæ, & concretæ fuissent; addit enim, *& leue fiet corpus, quod per se graue est*; cum nec aquæ solidatæ fuerint, nec corpus leue factum, sed effectum, vt graue corpus in liquidis, ac mollibus aquis non mergeretur. Eodemque modo intelligendum hoc loco Leontius scribit. οὐ δεῖ δὲ ὑπολαμβάνειν αὐτῷ τὰ ὕδατα πεπηγέναι ἐπάνω τῆς θαλάσσης. Hoc enim miraculum fuit. Atque hoc sensu veteres auctores Iustinus q. 117. & D. Aug. ser. de tempore. 159 Ambros. lib. 1. de interpellat. Iob. c. 5. interpretantur.

In comment. codicis Vatic.

26. *Et videntes eum supra mare ambulantem turbati sunt.*) Hîc etiam Caluinus Apostolis, vt sibi videtur, maior, de Apostolis in mari periclitantibus atque turbatis securus iudicat. Crassi stuporis, & brutæ ignorantiæ fuisse dicit, quòd Apostoli turbati fuerint, neque Christum super mare ambulantem agnouerint. Alius non minùs, sed non tam celebris hæreticus ingratitudinem, & incredulitatem vocat. Apponam Hilarij verba, vt appareat, quid inter hæreticum, & Christianum spiritum interfit. *Et quia de Antechristi consuetudine ad omnem tentationis nouitatem soliciti erãt, etiam ad Domini aduẽtum falsas rerum imagines, & subrepentia oculis figmenta metuentes.* Si hoc Caluinus fecisset, cum illi primum hæresis venit in mentem; si cum diabolus illi in Christi speciem transfiguratus, apparuit, timuisset: hæreticus non fuisset. De re loquamur, si crassi erroris, & brutæ fuit ignorantię, quòd

Apostolorum defensio contra Caluini proteruit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostoli ad aspectum Christi super mare ambulantis turbati sunt; crassi etiam stuporis, & brutæ ignorantiæ fuit, quòd sanctissima Christi mater ad aspectum, & salutationem angeli turbata est Luc. 1. 26. Pœnitet me hoc exemplum posuisse verentem, ne isti, vt sunt pij, facilè concedant. Rogabo tamen eos, si tam crassus Apostolorũ stupor, si tam bruta ignorantia, si tam non ferenda ingratitudo, & incredulitas fuit, quid est quòd Christus, qui leuioribus eos in rebus solet reprehendere, hîc non reprehendit? quid est, quòd reprehendit Petrum, quòd timuerit; non reprehendit Apostolos, quòd turbati fuerint Illud etiá rogabo, quid est, quod Christus Apostolos non reprehendit, isti reprehẽdunt? nisi quia isti Antichristi sunt? Nimis forta ssis vrgeo, sed licet Apostolorum causam agenti adhuc vrgere. Quid isti fortes hæretici fecissent, si fuissent, in naui, & in medijs tenebris aliquem super mare ambulantem vidissent? præsertim, cùm non credant Christum, nisi conglaciato mari id facere potuisse? Opinor, non trepidassent; quia neque Christũ, neque spectrũ esse credidissent; sed fuco oculos fallisse enim solent miracula, quæ in Ecclesia fiunt, interpretari, At dicit Marcus c. 6. 52. Apostolos non intellexisse de panibus, quia *erat cor eorum obcæcatum*; facile fuisset bonis viris id in meliorem partem interpretari Non enim significat ita cor eorum obcæcatum fuisse, vt paullo ante factum miraculum, quod omnes turbæ intellexerant, non intellexerint, sed adeo fuisse attonitos, & obstupefactos vt non potuerint cogitare eum, qui paullo ante panes multiplicauerat, ambulare super mare potuisse; vt solet subitus error aut eripere, aut impedire rationem.

Quia phantasma est.) Spectrum, & visum vocant Latini, quidquid corporea apparet forma, quod corpus non sit, siue angelus, siue dæmon, siue alius spiritus sit. Eiusmodi spectra aliquando videri vulgaris opinio erat, vt colligitur ex Luca c. 24. 37. & ex Actis Apost. c. 12. 15. Et quia aut nocuisse multis, aut nocere posse credebantur, Apostoli timuerunt.

Petrus defenditur cõtra Caluinistas.

28. *Si tu es.*) Hic etiam omnes hæretici Petrum multis modis reprehendunt, & quia dixit, *si*, quasi in fide dubitauerit; & quia voluit solus dimissis alijs ad Christum ire, quod alius hæreticus stultum seruorẽ, alius arrogantiam fuisse dicit. Hîc quoque Hilarij, & Hieronymi verba subscribam, vt, quid inter nostros & hæreticorum interpretes sit discriminis, prudens lector cognoscat, *Et hoc*, inquit Hilarius, *in Petro considerãdum est, fide eum ceteros anteiisse.* Hilarius singulari, & excellenti Petri fidei, isti infidelitati, stultitiæ, & arrogantiæ tribuunt, quòd ad Christum super mare ire voluerit, Hieronymus autem sic scribit. *In omnibus locis ardentissimæ fidei inuenitur Petrus*, quòd cum multis probasset exemplis, addidit, *Eodem igitur fidei ardore, quo semper, nunc quoque cæteris tacentibus credit se posse facere per voluntatem magistri, quod ille poterat per naturam.* Satis nobis erat Hilarium & Hieronymum omnibus Caluinistarum interpretibus opponere: sed magistrum Christum audiamus. Ille quidem certè Petri desiderium & petitionem non reprehendit; sed potiùs concedendo probauit, non concessurus profectò, si arroganter, sine fide petiuisset, qui ab omnibus, quibus miracula faciebat, fidem exigebat. Neque reprehẽsionem prætermisisset, si eum reprehensione dignum iudicasset. Reprehendit enim paullo post cum propterea quòd timuit, reprehensione dignum iudicauit. Cum ergo dicit *si tu es*, non dubitat de fide; sed de facto. Credebat enim posse Christum efficere, vt ipse quoque super aquas ambularet, quod Caluinistæ non credunt, sed dubitabat, an Christus esset, qui loqueretur, an aliquis spiritus qui se Christum esse fingeret, quia sciebat aliquando Satanam se in angelum lucis transfigurare; & volebat probare spiritus, an ex Deo essent, quod Caluinistæ non faciunt. Si enim de fide, vt ait Theophylactus, dubitasset, non dixisset, *iube me ad te venire super aquas*, volens loquẽtis verba factis probare. Sciebat enim posse quidem angelum & malum, & bonum sumpta humani corporis forma ambulare super aquas, & Christi vocẽ imitari; sed alijs, vt idem facerẽt, præstare nõ posse.

2. Corin. 11. 14.

29. *Veni.*) Ideo Christus Petro quod petit, concedit vt se esse doceat, quod experiri Petrus volebat. Caluinus dignam suo, id est hæretico spiritu rationem reddit; *vt* inquit *eius stultitiam experientia ipsa redargueret cum in medijs fluctibus mergeretur.* Itaque stultitia vocat, quòd Petrus crediderit posse se iubente Christo super aquas ambulare. Quod recitare opus fuit, vt hæreticus ab omnibus spiritus cognoscatur; refutare opus non est. Refellit Hieronym. hoc loco Marcionistarum, & Manichæorum errorem, qui Christum ex eo probabant, non verum, sed phantasticum corpus habuisse; quòd super aquas ambulauerit. Petrus enim auctore Christo idem fecit, qui verum tamen non phantasticum corpus habebat. Fuerunt, vt ait in lib. de baptismo Tertullianus, qui dicerent Apostolos non alium baptismũ recepisse, quàm quòd fuerint in hac tempestate vndis maris aspersi. Quibus his verbis respondet, *aliud est aspergi, vel intercipi violentia maris; aliud tingi disciplina religionis.*

30. *Videns vero ventum validum timuit,*) Hic etiam hæretici inuehũtur in Petrum, nec ea, qua Christus vsus est reprehensione cõtenti, seueriorem in illum censuram stringunt. Non considerantes humanum esse præsentibus periculis commoueri. *Humana*, inquit Chrysostomus Petrum excusans, *hæc conditio est, vt difficilioribus nonnũquam superatis succumbat in minoribus.* Quod etiam Elias sub Iezabel, & Moses in Ægypto passus est. Plus etiam excusat Theophylactus, *nõ omninò*, inquit, *dubitauit, qui clamauit; Domine saluum me fac.*

31. *Modicæ fidei.*) Magna quidem erat & singularis fides Petri, qui, quod Christus faciebat, se quoque eo iuuante facere posse crediderat, qui se in mare ambulaturus miserat super aquas, sed præsenti periculo humano timore correptus est. *Si Apostolo Petro*, inquit Hieronymus, *de cuius fide, & ardore mentis supra diximus, qui cõfidenter rogauerit Saluatorem dicens, Domine iube me venire ad te super aquas, quia paululum timuit, dicitur, modicæ fidei quare dubitasti? quid nobis dicendum est, qui huius modicæ fidei, ne minimam quidem habemus portiunculam?* Dubitari potest, quam ob rem Christus permiserit aut mergi, aut timere. Respondent Chrysostomus & Theophylactus, ne tanto miraculo superbiret. Hieronymus verò his verbis. *Ardebat animi fides, sed humana fragilitas in profundum trahebat. Paululum ergo relinquitur tentationi, vt augeatur fides, & intelligat se non facilitate postulationis, sed potentia Domini conseruatum.*

32. *Et cum ascendissent,*) Christus, & Petrus; Ioannes c. 6. 21. videtur significare Christum in nauim non ascendisse. *Voluerunt*, inquit, *accipere eum in nauim, & statim nauis fuit ad terram.* Respondent Chrysostomus, & Theophylact. voluisse Apostolos Christũ in nauim excipere, cum verò tunc noluisse, sed vnà cũ Petro, magno spatio, vt eius confirmaret fidem, super aquas ambulasse; cùm verò propè terram essent in nauim ascendisse. Mihi non videtur Ioannes significare voluisse non ascendisse Christum in nauim, sed non fuisse opus, vt ascenderet, quia momẽto nauis ad terrã appulsa est. Quinque ergo vno tempore miracula facta sunt, Christus per aera, vt opinor ra-

ptus Apostolos consecutus, est super mare ambulauit, vt Petrus ambularet effecit, ventum & tempestatem compescuit, nauim, simul atque in eam ascendit momento ad terram apulit,

33. *Qui autem in nauicula erant.*) Chrysostomus, & alij ferè omnes interpretes Apostolos intelligunt. Alij nautas, & vectores, quos credibile est fuisse non nullos. His magis assentior, quia quod sequitur; *venerunt & adorauerunt eum dicentes, verè filius Dei es*, parùm mihi videtur Apostolis conuenire, quia iam dudum credebant eum filium esse Dei. Itaque quod Ioannes ait c. 6. 22. non introisse Christum cum illis in nauim, sed solos discipulos abijsse; non est intelligendum solos discipulos abisse, ita vt nemo præter illos fuerit in naui; sed solos discipulos, id est sine Christo.

Christus filius Dei naturalis, non adoptiuus.

Verè filius Dei es.) Non adoptione, sed natura; non vt virum iustum; sed vt verum Deum cõfitentur. Eo nimirum modo, quo Pharisæi filium Dei esse negabant pro eodem accipientes filium Dei atque Deum esse, Ioan. 10. 33. *de bono opere non lapidamus te, sed quia tu cùm homo sis facis te ipsum Deum*, cùm non se Deum sed filium Dei esse dixisset, & Ioan. 19. 7. *nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit*, & Matth. 27. 40. *si filius Dei es, descende de cruce.* Hæc enim omnia non de adoptione, de qua dubium non erat; sed de natura intelliguntur. Nam Christum esse filium Dei id est virum iustum nemo dubitabat, neque si quis se eo modo filium Dei esse diceret, lege puniendus erat. Itaque valet contra Arianos hic locus. Adnotauit etiam Chrysostomus Christum eos, qui se filium Dei appellabant, non reprehendisse, sed eorum potiùs, opinionem multis coram factis miraculis confirmasse.

34. *Venerunt in terram Genesar.*) Quæ vltra lacum erat, & vnde lacus nomen acceperat, vide supra ver. 22. & c. 8. 28.

35. *Et cum cognouissent eum,*) *Rumore*, inquit Hieronimus, *nõ facie.* Sed & facie multos eum cognouisse credibile est, quia iamdudum ante ibi fuerat, & duos dæmoniacos curauerat c. 8. 28. Quod autem dicunt nonnulli non eodem die, quo Christus eò appulit, hæc, quæ narrat Euangelista, accidisse; sed postquàm eius aduentus fama percrebruisset; Euangelistã verò res diuersis gestas diebus copulasse, non est incredibile. Illud mirum videri potest, cur nunc Genesareni tanta auiditate Christum excipiant; cùm non multò ante de suis eum finibus eiecissent c. 8. 34. Facilis respõsio, creuerat miraculorũ eius fama, creuerat, vt ait Chrysostomus, eorum fides. Hoc, Christus non ignorabat. Itaque, qui prius sciens eos non esse maturos ad recipiendum Euangelium, inde discessit, nunc maturos esse sciens, quasi ad messem rediit.

Io. hæresis Caluini procacia reprehẽditur.

36. *Et rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent.*) Quorũ fidem Euangelista, vt singularem, laudans declarat, eos Caluinus homo religiosus, quasi superstitiosos accusat; quòd ad tactum vestis Christi gratiam restringere videantur. Licet enim illi, cui hæresiarchæ esse licuit, quæ Euangelistæ laudant, reprehẽdere. Non ergo significatur, vt iste nouus propheta somniat, Genesarenos ad tactum fimbriæ Christi gratiam restrinxisse: sed tantam eorum fuisse fidem, vt crederent vel solo fimbriæ eius tactu omnia morborum genera curari posse. Hoc enim sensu narrat Euangelista rogasse illos, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. An autem hæc vera, & eximia fides, an superstitio fuerit melius, vt opinor, Christus factis, quàm Caluinus verbis declarabit. *Quicunque*, inquit Euangelista, *tetigerunt, salui facti sunt.* Miracula fidei non superstitionis respectu fieri solẽt. Sed verendum est, ne Christum etiã Caluinus reprehendat, quòd Genesarenorum superstitionem factis miraculis confirmasse videatur; & nos in similem errorem sanctorum reliquias venerandi induxisse. Hoc enim, si auderet, homo impudens diceret. Neque potest dicere, quod alibi eum dixisse memini, non esse hoc imitandum, quod non ordinarium, sed extraordinarium sit exemplum. Ordinarium enim profectò est, quod quotiescunque fit, miraculum sequitur. Hîc *quicunque tetigerunt salui facti sunt*, c. 9 20. 21. hæmorrhoussa tetigit, & curata est. Quid ergo est ordinariũ si hoc non est? Adijciam, quod valde Caluino doleat Chrysostomus scribit hoc loco nos non solam fimbriam, sed totum Christi corpus in Eucharistia apud nos habere; si illi, qui fimbriam tangebant, sanabantur, quantò magis nos, si Christi corpus tangamus? Chrysostomi sententiam multis experientia miraculis confirmauit. Narrat Gregorius Nazianz. in oratione funebri pro sorore sua Gorgonia eam tactu Eucharistiæ à grauissimo morbo fuisse curatam.

Reliquiarum veneratio.

Morborũ curatio p Eucharistiam.

CAP. XV.

Mar. 7. a. 1.

Exod. 20 c. 12. Deut. 5. b. 16. Eph. 6. a. 2. Exo. 21. c. 16. Leu. 20. b. 9. Prou. 20. c. 20. Isa. 29. d. 13. Mar. 7. a. 6. Ioan 15. a. 2. Luc 6. f. 39.

TVNC accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicẽtes: 2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, cum panem manducant. 3. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: 4. Honora patrem, & matrem, &: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 5. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit: 6. & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. 7. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: 8. Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me. 9. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. 10. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. 11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. 12. Tunc accedentes discipuli eius, dixerũt ei: Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt? 13. At ille respõdens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis eradicabitur. 14. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mar.7.c.17. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. 15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. 16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? 17. Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? 18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: 19. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. 20. hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. 21. Et egressus inde Iesus secessit in partes & Tyri & Sidonis. 22. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicēs ei: Miserere mei Domine fili Dauid filia mea malè à dæmonio vexatur. 23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam; quia clamat post nos. 24. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. 25. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. 26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. 27. At illa dixit: Etiam Domine nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. 28. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. 29. Et cum transisset inde Iesus, venit secus Mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi. 30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos: 31. ita vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel. 32. Iesus autem, conuocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. 33. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam? 34. Et ait illis Iesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. 35. Et præcepit turbæ, vt discumberent super terram. 36. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. 37. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas: 38. Erant autem qui manducauerunt, quattuor millia hominum, extra paruulos, & mulieres. 39. Et, dimissa turba, ascendit in nauiculam: & venit in fines Magedan.

Mar.8.a.1. Ism.35.b.5. Sup.10.a.6. Ioan.10.a.3. Mar.7.c.25.

IN CAP. XV.

TVN C.) Cum tot fecisset miracula, Chrysostomus hom. 52. Io.c.7.1. videtur docere Christū, cum hoc accidit, iam in Galilæā rediisse. *Posthæc* inquit, *ambulabat Iesus in Galilæa; nō enim volebat, in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.*

Ab Ierosolymis.) Per omnes tribus, inquit Chrysostomus, & Euthymius, & Leontius, erant Scribæ, & Pharisæi dispersi, sed omnium arrogantissimi erāt Ierosolymitani, quod in principe habitarent ciuitate, & omnium sapientissimi haberentur. Melius dixissent, per omnes ciuitates, aut per omnia loca, vt Theophylactus dicit, quàm per omnes tribus, quia tribus tunc non erant nisi duæ, quæ solæ ex Babylonico redierant exilio. De Scribis, & Pharisæis vide, quę diximus c.2.4. Quod quidam dicunt hos à consilio Ierosolyminorum Scribarum, & Pharisæorum, vt Christum tentarent missos fuisse, credibile, & eorum, ingenio atque consuetudini rectè conuenit. Nā & c.22.16. discipulos suos cum Herodianis eodem animo ad Christum miserunt.

1. *Quare discipuli tui.*) Marcus c.7.2. ex præsenti discipulorum facto accusationis materiam arripuisse narrat, & *cum vidissent, inquit, quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est non lotis manducare panes vituperauerunt.*

A *Transgrediuntur traditionem seniorum.*) Non dicunt, inquit Chrysostomus h.52. legem transgredi, quia nihil de ea re lex præcipiebat: sed traditionem seniorum, quam Marcus c.7.3.4. copiosiùs declarat, *Pharisæi, inquit, & Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant tenentes traditionem seniorum; & à foro, nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vr ceornm, & æramentorum & lectorum.* Extat Hebraicè liber משנות non multò ante Christum à quibusdā Scribis editus, vbi eiusmodi traditiones & præcepta ad seruandam accuratè legem perscripta sunt. Quia multa erant, quarum tactu secundum legem homines inquinabantur ne quid eiusmodi imprudentes fortasse tetigissent, constituerunt Scribæ, vt crebrò etiam inter prandēdum lauarent quicunque vellent bene, diligentérq; legem obseruare. Quod videtur etiam ex Ioāne colligi c.2.6. Nam in illo nuptiarum conuiuio, ad quas Christus inuitatus fuit, dicuntur sex hydriæ positæ fuisse secundum purificationem Iudæorum. Non vocant traditionem suam, quamuis ipsorum, id est Scribarum, & Pharisæorum esset, sed seniorum, vt & maiorum auctoritate, & traditionum antiquitate Christum, eiúsque discipulos grauent inuidia. Nec dicunt, quare tu non lauas manus, cum credibile sit, non magis Christum, quàm discipulos lauare solitū: sed *quare discipuli tui*, aut quia non sunt ausi illum accusare, aut quia discipulos accusantes mordaciùs eū accusare videbantur, sicut c.9.1. non dicunt, quare tu non ieiunas, sed *quare discipuli tui non ieiunant?*

Traditiones seniorum.

3. *Quare & vos.*) Nihil de traditione lauandi manus dicit, ne, si laudaret, approbare; si non laudaret, vituperare videretur, & sine necessitate in inuidiam incurreret, vt Chrysost. & Euthymius adnotarunt.

Honorare in scriptura interdum idem, quod amare.

4. *Honora patrem, & matrem.*) Verum est, quod hoc loco Hieronymus scribit, & ab eo mutuatus est Beda, honorem in scripturis non tam in salutationibus, & officijs deferendis, quàm eleemosynis, ac munerū oblatione sentiri; vt 1. Tim. 5. 3. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt*, id est Ecclesiasticis eleemosynis ale, & eodem capite v.17. *qui bene præsunt, presbiteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*; id est maiore præmio, quàm cæteri. Id etiam ex hoc loco colligitur; nam honori parentum opponit dicere illis *munus, quodcunque est ex me, tibi proderit*, id est nihil illis dare. Multo etiam clarius ex Marco c. 7.12. & *vltra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri.* Facere ergo aliquid patri suo & matri, id est illos iuuare, est illos honorare.

Qui maledixerit.) Non citat Christus totam legem nec vnam, sed duas. Nam *honora patrem tuum, & matrem, vt sis longæuus super terram, quā Dominus Deus tuus dabit tibi*, est Exod. 20.12. sed posteriora omisit verba, quia ad rem non pertinebant. *Qui maledixerit patri suo, aut matri morte moriatur*, est c.21.16. quod quamobrem Christus adiecerit, cum hîc nō de verbis; sed de rebus agatur, meritò potest dubitari. Chrysostomus ideo putat addidisse, vt doceret quanti apud Deū sit præceptum parentes honorandi, quādo, qui solo eos verbo ladit, capite punitur. Beda verò existimat, sicut in priore membro *honorandi* verbum non eum qui in verbis; sed eum qui in rebus consistit, honorem significat; ita verbum *maledicendi*, non iniuriam, quæ verbis, sed, quæ factis fit negando parentibus debitū auxilium, significare. Sed manifestum est ex vsu legis *maledicendi* verbum propriè accipi debere. Itaque probabilior est Chrysostomi sententia.

5. *Munus, quodcunque est ex me, tibi proderit.*) Quia per difficilis locus est, feret æquo animo lector, vt omnes bonorum auctorum interpretationes referamus. Primùm quidem non eodem modo ab omnibus legitur: sed quidam ita legunt, vt plena; alij ita vt eclyptica, id est defectiua sit oratio. Qui plenam, & perfectam orationem esse putant, sic legunt, atque interpretantur; *Quicunque dixerit*, id est quilibet dicere poterit, *munus, quodcunque est ex me, tibi proderit*, id est, quod Deo offero, tibi etiam prodest, quemadmodum si tibi darem. Ita Hugo inter alias, quas ponit expositiones, & nonnulli recentiores interpretes. Quam interpretationem Græca verba recipere non possunt, quia non est ὅσα ἐὰν vnusquisque, sed ὃς ἂν quisquis, quod aliquid requirit sibi respondens. Qui deficientem orationem esse dicunt, alij vno tantùm loco quia illud *quicunque* nihil habet, quod sibi respondeat, vt eius natura postulat; alij duobus, & eo, quem modo diximus; & quia in nomine, *munus*, substantiuum verbum desiderari putant, vt sit sensus, *munus est*, id est Deo consecratum, quidquid ex meis bonis tibi prodesse poterat. Ergo quidam iam olim sic interpretati sunt, vt refert Chrysostomus. Nihil tibi debeo, sed si quid tibi ex rebus meis emolumenti prouenit, id *munus est*, id est non debito sed dono tibi do. Alij sic, *Munus, quodcunque est ex me, tibi proderit?* per interrogationem, aut admirationem legentes. q.d. minimè, vt citat D. Thomas in catena. Alij, *quicunque dixerit*, *munus* (est) *quodcunque ex me tibi proderit*, id est quidquid ex rebus meis prodesse tibi poterat, iam est à me Deo consecratum. Quem ad sensum Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus interpretantur. Nisi quod Theophylactus dicit Scribas & Pharisæos solitos filijs persuadere, vt omnia bona sua templo offerrent, vt si quid postea parentes peterent, responderent se dare non posse, quia omnia iam erant Deo consecrata. Quod Iudæis hominibus auaritissimis persuaderi potuisse credibile non est, præterquàm quòd, si id fecissent ne ipsi quidem bonis suis vti potuissent. Chrysostomus verò & Euthymius putant mentiri solitos filios dicentes se, quod parentes petebant, Deo obtulisse; ne illis darent; atque ita duplici impietate, & Deum, & parentes simul fraudasse. Quod etsi fortasse credibile est fecisse aliquos, tamen credibile non ex Scribarum, & Pharisæorum consilio fecisse, quia nulla erat causa, neque auaritia, neque religionis species, quam ob rem id Scribæ, & Pharisæi persuadere conarentur; sed multiplex, vt diximus impietas. Christus autem reprehendit, quod Scribæ & Pharisęi populum facere docebant; & est per se vero simile nihil eos, qui videri religiosissimi volebant, nisi religionis specie docuisse. Hieronymus duas affert expositiones vna est hæc, *vos autem dicitis, quicunque voluerit, quod patribus* daturus erat, Deo offerre, immunis erit. Quæ interpretatio non satis cum Christi verbis congruit; altera, *quidquid Deo oblaturus eram, in tuos, ô pater cibos consumo.* Quod & Beda sequitur. Sed non est credendum hoc Scribas & Pharisæos dicere docuisse; hoc enim non erat, non honorare parentes; sed queri, quòd fraudato Deo eos honorarent; cum Christus ideo Scribas & Pharisæos accuset, quòd potius prætextu honorandi Deum parentes docerent non honorare; sicut statim sequitur, *& nō honorificabit patrem suum, aut matrem suam.* Augustinus autem lib. 1. qq. Euangel. c.16. sic exponit. *Quicunque dixerit*, id est dicere poterit *patri suo, munus quodcunque est ex me*, id est quod pro me Deo offerre consueuisti, *tibi prosit*, id est tibi habe. pro te offer. non pro me, ego iam ætatē habeo, vt, cum voluero, pro me ipse offeram. Quæ interpretatio, præterquàm quòd verbis coactè insideret; etiam si bene cum verbis conueniret, ad rem nō esset. Non enim Scribæ & Pharisæi docebant, ne parentes pro filijs offerrēt. Alij ad hunc modum *munus quodcunque est ex me, tibi proderit?* id est, an si tibi dem quod Deo consecrare destinaui prodesse tibi poterit? minimè, quin potius obesse, quia rebus sacris abuterēre, Hugo. Quod non omnino malè conuenit, nisi quòd interrogatio ista in nullis, quod sciam, legitur libris; & non videtur admodum, verosimile Scribas, & Pharisæos per interrogationem præcepta sua tradidisse. Paulus Burgensis homo suo tempore doctissimus, nostro non indoctus ex lib. מראים id est, de votis, qui inter Thalmudicos habetur, Iudæorum traditionem fuisse docet, vt quisquis vellet vel generaliter, & absolutè, vel specialiter respectu huius, vel illius, aut omnia, aut quædam ex suis bonis deuoueret, ita vt illi, cuius respectu deuota essent, illis vti non liceret. Sed non video, quomodo illud, *Tibi proderit*, possit interpretari. Vir quidam nostro tempore multarum sanè litterarum, & singularis diligentię, similem quandam ex alio traditionum libro, in quem se incidisse dicit, interpretationem profert; duo fuisse inter alia apud Iudæos ex traditione votorum genera; alterum priuatæ continentiæ, quo sibi quisque cibo, aut potu interdicebat; alterum, quo quis adhibito iureiurando negabat se alterum aduturū siue patrem, siue fratrē, siue quempiam aliūm. Id appellari נדר votum vtilitatis. Vouendi formam fuisse אם מני אנדר vouco si, cui adiungebatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

vori materia; Grauissimum vouendi genus fuisse, cum iuramentum adhibebatur; adhibebatur autem aut per templum, aut per altare, aut per munus, quod super altare erat, vt Christus indicat c.23.16. Sic ergo interpretatur, ac verba distinguit δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Munus, si in me iuuaberis, id est, iuro per munus fore, vt nunquam à me iuueris. Quæ interpretatio, quia ex Iudæorum traditionibus, de quibus hîc Christus agit, deprompta est, mirificè mihi placeret, nisi vna tantùm obstaret syllaba, ὃ, quæ non inuenio, qua ratione cum hac possit expositione conuenire. Neque credendum præterea est Scribas & Pharisæos præcepisse, vt quisquam iuraret se parentes non iuuaturum, & illa verba, *Quicunque dixerit*, & illa, *& non honorificabit patrem suum*, nescio quomodo possit hic auctor interpretari. Itaque dum aut istam meliùs intelligo, aut aliam meliorem inuenio Strabi, Hugonis, & Lyrani opinionem probo. Qui ad hunc modum interpretantur, *Munus quodcunque ex me* proficiscetur, (id est quodcunque obtulero Deo) *tibi proderit*, perinde ac si tibi dedissé; præstat ergo Deo offerre, quàm tibi dare. Cum hac enim interpretatione rectè omnis sententia, & verba omnia conueniunt, & ex Marco c.7.11.12. valde confirmatur, *Vos autem dicitis, si dixerit homo patri, aut matri, Corbam, quod est donum, quodcunque ex me tibi profuerit, & vltra non dimittis eum quicquam facere patri suo aut matri.* Cum enim dicit, *vltra non dimittis quicquam facere patri suo, aut matri* apertè indicat dicendo *munus, quodcunque est ex me, tibi proderit*, aliquid fecisse, aut se facturum promisisse, tantùm abest, vt per ea verba iurauerit nihil se patri, aut matri boni facturum. Iubet ergo patrem filius ex Scribarum & Pharisæorum traditione esse contentum, vt prosit, & illo offerat sacrificium, & nihil amplius requirat. Ij autem, pro quibus sacrificium offerabatur, sacrificio, nisi holocaustum esset, vescebantur. Itaque hac etiam ratione pater minus quidem, quàm oportebat; sed tamen quoquo modo iuuabatur. Reliquum est videre, quomodo implenda sit oratio. Duo loci sunt vacui; primùm ille *quicunque*, quem rectè omnes fere interpretes sic explendum putant, culpa vacabit, innocens erit, præcepto de honorandis parentibus satisfaciet. Deinde ille δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ *donum quodcunque ex me*, quem noster interpres addito verbo substantiuo, *est*, satis impleuit, sed clarius esset, si diceremus, quodcunque ex me proficisceretur, aut profectum fuerit.

Et non honorificabit patrem suum, aut matrem.) Quidam hæc non Scribarum & Pharisæorum, sed Christi verba esse putant, sicut illa apud Marcum c.7.12. *& vltra nõ dimittitis quicquam facere patri suo aut matri*; vt sit sensus, sic fit vobis auctoribus, vt nemo honorificet patrem suum, aut matrem. Sed non dubito, quin Scribarũ, & Pharisæorũ verba sint. Itaque sensus est, *quicunq; dixerit patri suo, aut matri, munus, quodcunque est ex me, tibi proderit*, culpa vacabit, & poterit non honorare alia in re patrem suum, aut matrem, vel etiamsi non alia in re honorauerit patrem suum aut matrem.

7. *Hypocritæ.*) Dubium non est Scribas, & Pharisæos hypocritas fuisse; sed dubium esse potest, quam ob rem Christus hoc loco hypocritas vocet, cum nõ de hypocrisi, sed de peruersa agatur doctrina. Respondet Euthymius, quia cùm diligentissimi legis obseruatores videri vellent, legem tamen propter traditiones suas transgrediebantur.

Bene prophetauit de vobis.) Non loquebatur Isaias de Scribis tantùm, & Pharisæis; sed de toto populo Iudæorum, & non de eo, qui futurus, erat, sed de eo, qui tunc erat. Itaque non sunt propriè vaticinantis verba, sed accusantis. Accommodat tamen Christus ad Scribas, & Pharisæos, quasi dicat adeo id quod Isaias de toto populo Iudæorum, qui tunc erat accusando, dixerat, in Scribas, & Pharisæos conuenire, vt non præsentem accusasse populum; sed de futuris Scribis, & Pharisæis prophetasse videatur, vt supra c.13.35.

8. *Populus hic.*) Græcè legitur. *Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat; cor autem eorum longè abest, à me*, sicut apud Isaiam c.29.13. Septuaginta verterunt, nisi quod apud Septuaginta non est τιμᾷ δὲ αὐτοὺς, vt hoc loco; sed ἀπ' ἐμοῦ nec πρός, sed πόρρω, nulla tamen iniuria sententiæ. Appropinquare Deo est Deum colere, vt Psalm. 148.14. *hymnus omnibus sanctis eius, filijs Israel, populo appropinquanti sibi*, id est, qui illum colit appropinquantes enim vocat, quos proximis verbis sanctos appellauerat; sicut e contrario longè esse à Deo est illum non colere. Sẽsus ergo est populus hic labijs colit me, corde non colit. Noster interpres priora verba non legit, neque quisquam, quod sciam, Latinus, aut Græcus auctor præter recentiores Euthymium, & Theophylactum; & est vero simile Christum ex Isaia ea tantùm decerpsisse, quæ pertinebant ad causam, de qua agebatur, Agebatur autem de honore.

9. *Sine causa autem.*) Hebraicè apud prophetam nõ est, sine causa, sed ותהי יראתם אתי *& est timor eorum aduersus me*, id est me timent, colunt me; nam apud Hebræos timere Deum, est Deum colere, qui autem non, vt Deus docet, sed pro suo arbitrio Deum colit, frustra, & sine fructu colit. Itaque Septuaginta sententiam explicandi causa addiderunt μάτην, frustra, & יראתם אתי *timor eorum aduersus me*, verterunt, σέβονταί με, *colunt me*, quos Matthæus secutus est.

Docentes doctrinas, mandata hominum.) Doctrinas, quæ nõ sunt Dei, sed hominũ mandata: sic humanas vocat traditiones, quæ præceptis Dei contrariæ sunt. מצות מלמות præcepta hominum docta, id est ab hominibus inuenta, ac tradita. Septuaginta sicut & Latinus interpres, legerunt, vt opinor, alijs punctis מלמדת doctrinam, verterunt addita explicationis causa coniunctione διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων, καὶ διδασκαλίας, *docentes præcepta hominum, & doctrinas.* Euangelista verba transposuit, nisi fortasse scripto negligentia, transposita sunt, quemadmodum multis in locis factum fuisse in lectionibus veteris, nouique Testamenti adnotauimus. Clamant hoc loco Caluinistæ noui hæretici hanc in nos sententiam conuenire, qui humanis traditionibus, plus quàm Dei verbo tribuamus; stupidi nimirum homines, neque quid sit verbum Dei, neque quid humanæ traditiones intelligunt. Nam & verbũ Dei scripto definiunt, & omnes non in sacris litteris scriptas traditiones humanas appellant. Quod vtrumque nõ modo falsò; sed etiam absurdè, & imperitè dictum est. Nam, quæ D. Paulus 2. Thes. 2.15. seruari iubet verbum Dei erant; sed scripta non erant; & hæc ipsa, quæ nunc scripta sunt, antequàm scriberentur, scripta non erant. Traditionum igitur tria sunt genera, primum earum, quas Deus ipse tradidit, sed nemo scripsit; Ecclesia tamen semper obseruauit, & ad nos viua voce transmisit; qualis est, vt baptizentur infantes, quod Caluinistę faciũt, sed nullo verbi testimonio probare possunt, etsi nobis propriè, quia probare possumus, traditio non est. Has ego non modò humanas, sed ne Ecclesiasticas quidẽ traditiones appellauerim, quia licet per Ecclesiã traditæ, nõ ab Ecclesia, sed à Deo constitutæ sunt; sicut scripturam sacram licet ab Ecclesia conseruata & tradita sit, nemo

siasticas traditionem appellat. Secundum earum, quas Ecclesia non solum tradidit, sed etiam instituit, qualis est Dominicæ diei obseruatio, & Quadragesimæ ieiunij, à carnibus certis diebus abstinere. Quas, qui humanas vocat traditiones, vehementer errat, & quid Ecclesia sit ignorat. Nec enim hominibus, sed Spiritu sancto Ecclesiam gubernante auctore institutæ sunt; sicut vehementer erraret, quisquis decretum illud Apostolorum, Act.15.20. vt Christiani à sanguine, & suffocato abstinerent, humanam vocaret traditionem. *Visum enim est*, inquiunt ver.28. *Spiritui sancto, & nobis.* At qui illud non diuinum, sed Ecclesiasticum præceptum erat; omnis enim congregata Ecclesia definierat. Quare quidquid postea Ecclesia eodem modo congregata definuit, eodem loco habendum est. Nec enim Spiritus sanctus minùs Ecclesiæ, quàm Apostolis & promissus, & exhibitus fuit: quin etiam magis, quia Apostolis non propter ipsos, sed propter Ecclesiam; Ecclesiæ nõ propter Apostolos, sed propter ipsam datus est, vt eam doceret omnẽ veritatẽ, & cũ ea maneret vsque ad consummationem sæculi. Itaque non minus nunc Ecclesiam gubernat, quàm tunc Apostolos gubernabat. Tertium genus est earum, quæ neque à Deo, neque ab Ecclesia; sed aut à Rep. aut à priuatis hominibus institutæ sunt, earumq; duo sunt genera, alterum earum, quæ nec præceptis, nec consilijs Dei contrarię sunt, alterũ earum, quæ sunt contrariæ: de prioribus Christus hîc non agit; sed tota potiùs scriptura docet, vt eas obseruemus, si ab ijs, qui auctoritatem habent; institutæ sint, quia debemus illis *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam obedire* Rom. 13.5. Tantùm agit de ijs, quæ nisi præceptum Dei violetur seruari non possunt; quales erant illæ Scribarũ, & Pharisæorum de quibus dicit ver.6. *& irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*) Non dixit, inquit Chrysostomus, cibos non coinquinare, etsi id intelligebat; sed quod intrat per os, quod de sordibus illotarum manuum de quibus agebatur, intelligi poterat; ne si cibos diceret, vehementer offenderentur; in tanta enim religione ciborum delectus habebatur, vt etiam post resurrectionem Petrus illis vti recusauerit, Act.10.14. Omnibus in locis Caluinistarum peruersitatem & ignorantiam mirari soleo, hoc autem loco vsque adeo eorum stupiditatem & cæcitatem miror, vt omni prorsus sensu carere mihi videantur; solum gustum excipio, quem delicatum sanè habent, & subtiliter inter carnem, & pisces discernent; cuius causam optimi patroni maiore, quàm religionis cura defendunt. Valde appositè inquit Caluinus aduersum nos hunc locum citari posse. Quid ita? *Quia putatis*, inquit, *quod intrat per os hominẽ coinquinare.* Allucinaris Rabbi. Nam eos, qui id sentiunt, aut Iudæos, vt Scribas illos & Pharisæos, contra quos Christus disputabat; aut hæreticos similes tui, vt Manichæos esse existimamus. Nec alio modo, quã Christus disputabat; aut hæreticos similes tui, vt Manichæos esse existimamus. Nec alio modo, quàm Christus sensit, & docuit, sentimus ipsi, atque docemus. Quod facilè, si hunc locum excutiamus, atque versemus, apparebit. Quid enim Christus dicit? *quod intrat per os non coinquinat hominem.* Fingam me cõtra Christum disputare, vt sensus appareat, & isti, si oculos habent, videant. Si, quod intrat per os, non coinquinat hominem, ebrietas ergo non coinquinat hominem; nam vinum, vt opinor, per os intrat. Si, quod intrat per os, non coinquinat hominem, intemperantia cibi non coinquinat; nam & cibus per os intrat. Respondebunt, vt arbitror, si bene responderint

Ecclesiastica traditiones humanæ non sunt.

Quæ propriè tradi dicuntur humana.

De delectu ciborum contra Caluinistas.

Caluinistarũ scismata, tumultuum & bellorum præludia.

quod intrat per os, non coinquinare hominẽ natura sua. *quia omnis creatura Dei bona est.* 1.Tim.4.4. sed intemperantem animum, qui plus cibi, aut potus sumit, quàm ratio præscribit. Hominem coinquinare. Ita prorsus est, nosq; idem dicimus, quod intrat per os, non coinquinare hominem; scimus enim omnem creaturam Dei bonam, sed inobedientem animum, qui contra Ecclesiæ præceptum, cui Deus obedire iussit, cibum sumit hominem inquinare. At Ecclesia non potest, inquiunt, bonos natura sua cibos prohibere. Id nunc videamus. Sanguis; & pullus columbinus suffocatus bonus sanè natura sua cibus est. Ecclesia tamen prohibuit illis vti Act.15.20. Caro bonus natura sua cibus est, atqui D. Paulus carne sibi interdicit in æternum, ne fratrem scandalizet, ita vt si vescatur, non cibi natura, sed caritatis defectu inquinari se putet 1.Cor.8.13. Omnis creatura Dei bona est, tamen si quis ægrotus medico prohibente, & certum vitæ periculum prædicente, vino vtatur; quis dubitet eum non quidem vini natura, sed inobediente inquinari voluntate? Potest ergo non iam dico Ecclesia, sed medicus hos, vel illos cibos, hunc, vel illum ægrotis potum prohibere. Qui ieiunium indicit, cibum vtique certo tempore prohibet; atqui non modò Ecclesia Catholica, sed Caluinistarum etiam Satanica synagoga, cum aliqua molieda proditio est, cum rex infidijs aperendus, cum de regno deturbandus, cum crudelissima, & sceleratissima bella mouenda, cum plurimus innocẽtum fundendus est sanguis, ieiunium indicit. Quid ergo? potuit Ecclesia, Apostolorum tempore, sanguinem, & suffocatum tum, cum minimè prohiberi debere videbantur, id est, cũ abroganda, non confirmanda vetus lex erat, prohibere, vt suauius abrogaretur; & non poterit nunc meliore de causa, vt caro domeretur, certis diebus carnem delicatissimum cibum prohibere? Potuit D. Paulus, ne vel minimum fratrem offendere, carnem sibi in perpetuum prohibere; & non poterit Ecclesia, ne nos caro nostra peius offendat, nõ iam in perpetuum, sed ad breue tempus carnem nobis prohibere? Potest medicus propter salutem corporis; non poterit Ecclesia propter salutem animæ? Potest hæreticorum synagoga, vt malè agat; non poterit Dei Ecclesia, ne malè agat? Legant Augustinũ, qui Manichæis hoc ipsum, quod illi obijciunt Catholicis, obijcientibus lib. 30. contra Faustum c.5. ita respondet, *& Christiani nõ hæretici, sed Catholici edomandi corporis causa propter animam ab irrationabilibus motibus amplius humiliandã, non quòd illa esse immunda credant, non solum a carnibus, verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper sicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus sicut per Quadragesimam fere omnes.* Hæc nostra sententia est; nos illi Catholici sumus; Caluinistæ illi hæretici.

Sed quod procedit.) Nec omne, quod procedit ex ore, coinquinat hominem; nec omne, quod coinquinat, ex ore procedit. Nam laudes Dei ex ore procedunt, & non coinquinant; sed potiùs iustificant hominem, & malæ, nefariæque cogitationes, quas solus apud se animus versat, hominem inquinant, ex ore verò non procedunt. Sed sensus est ea, quæ coinquinant hominem, & per os intrant, aut exeunt, non ideo coinquinant, quia intrant, sed quia exeunt, & non, quia exeunt tantùm ex ore, nam & cibus aliquando ex ore per vomitũ reddit exitus, sed quia ex inquinato corde procedunt. Itaque ipse cibus, & potus, qui aut immoderatè, aut contra Ecclesiæ præceptum sumptus est, non intrando, sed exeundo coinquinat. Exit autem, cum intemperans, & inobediẽs animus prodit in opus, & cibum, & potum aut immodicum, aut contra Ecclesiæ mandatum non so-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum vult sumere; sed sumit, & in os mittit. Intrando ergo cibus exit; & non quia intrat, sed quia exit hominem inquinat. Cur igitur Christus hoc tam obscurè dictum addidit? puto voluisse eum antitheſi intrandi, & procedendi vti, & fortasse alludere ad calumniatoriam Scribarum & Phariſæorum interrogationem, vt obliquè ostenderet non suos discipulos manuum illotarum sordibus; sed ipsos malignis, & calumniatorijs verbis inquinari.

12. *Scandalizati sunt.*) quia videbatur, vt indicat Chrysost. contra ciborum delectum lege præscriptum loqui, legémque ipsam abrogare.

13. *Omnis plantatio.*) Plantationem vocat plantam ipsam. Plantam autem multi, bonique auctores doctrinam interpretantur, vt Theophilus Alexandrinus epistola 1. Paschali, Hilarius, Theophylactus, & Euthymius in commentarijs. Alij homines bonam, aut malam habentes voluntatem plantas bonas, vel malas esse, vt Athanasius in epistola de Synod. Ariminens. & Seleucien. Hieronymus hoc loco, Prosper lib. 1. de vocatione gent. c. 2. Augustinus lib. 1, qq. Euangelic. c. 17. Beda. Alij vtrumque, & homines, & doctrinam, vt Chrysostomus. Non dubito, quin homines ipsos id est Scribas; & Phariſæos plantâ Christus appellet, sicut versu sequenti cæcos, & duces cæcorum appellauit. Nos aliquando bonæ, aliquando malæ plantæ sumus; Deus nos bonas plantas facit, nos ipsi facimus malas Ierem. 2. 11. *Ego plantaui te vineam electam, omne semen; quomodo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?* Sensus ergo est, eos, qui cum plantari sint à Deo vinea electa, in vineam prauam versi sunt; aut, qui se ipsi vineam prauam ab initio plantauerunt, diu vigere, & fructum ferre non posse; itaque excindendos esse, & in ignem æternum mittendos vt supra de arbore mala dixit c. 3. 10. & 7. 19. In hanc sententiam Origenes hom. 1. in Ieremiam, & Hieronymus exponunt. Itaque nihil aliud voluit Christus dicere, quàm illos, tanquam homines perditos, & profligatos esse dimittendos, quia nõ spiritum Dei, sed suũ sensum, traditionésque sequebãtur; ideó que Christi verba spiritus plena capere non poterant; sicut statim dicit, ver. 14 *sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*, &, vt Ioan. 6. 44. *nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Quidam interpretes noui ad prædestinationem, & reprobrationem referunt; quod ne D. quidem Augustinus fecit; nec ego illis assentiri possum; excusaret enim potius illos Christus, quàm accusaret, si diceret dimittendos esse, quia reprobati erant, nec aliter, quàm faciebant, poterant facere, & fortasse non omnes illi reprobati erant, fortasse aliqui postea ex illis crediderunt. Certè cum Christus reprobatos fuisse non dixerit, temerarium est dicere. Dimittendos ergo non tanquam reprobatos; sed tanquam cæcos esse dicit. Possunt autem, qui cæci sunt, illuminari; nam & alij multi cæci erant, & illuminati sunt. & eradicandos esse intelligit non absolutè; sed si non conuertantur, si arbor bona esse noluerint, vt supra dixit c. 12. 33. *facite arborem bonam, & fructum eius bonum*, & sicut paterfamilias diu expectauit, vt ficus illa, quam in vinea sua plantatã habebat, fructũ ferret, i. bona fieret Luc. 13. 7.

14. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent.*) Cæci sunt omnes hæreticorum doctores, & cæcorum duces. Hinc ergo colligitur non solũm magistros, sed etiam, qui eos sequuntur in foueam cadere, nec ignorantia excusari posse.

15. *Respondens autem.*) Hebraismus respondere, pro exordiri ad loquendum, vt c. 11. 25.

Petrus.) Petrus, inquit Chrysostomus, vt omnium ardentissimus solet cæteros anteire. Existimat autem Theophilactus Petrum recte, quæ Christus dixerat, intellexisse: sed ignorantiam simulasse, quia sciebat contra legem esse, & non audebat apertè dicere, cupiebátque, vt Christus magis explicaret, ne auditores offenderentur. Hieronymus; & Euthymius, re vera non intellixisse, sed putasse parabolam esse, quæ non erat, eò magis, vt ait Euthymius quòd vt scribit Marcus cap. 7. 16. eodem hoc loco epiphonemate, quo in fine parabolarum vti solebat vsus est, *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Petrum quidem non intellexisse, ex Christi responso manifestum est, *adhuc & vos sine intellectu estis?* Quòd autem parabolam vocauerit, non continuò sequitur eum existimasse propriè esse parabolam; potuit enim propter obscuritatem, quam sermo Christi cum parabolis communem habebat, parabolam appellare. Marcus scribit c. 7. 17. non Petrum, sed discipulos id interrogasse, cum in domum Christus introisset. Euthymius respõdet Petrum exorsum, alios deinde secutos esse. Malo dicere esse syllepsim, qua quod vnus interrogauit, omnes dicuntur interrogasse, aut quia ille vnus nomine omnium interrogauit, quod est valde probabile, cùm nõ dicat, edidisse mihi, sed *edissere nobis parabolam hanc*; aut quia, si pro se tantùm interrogauit, solet scriptura per hanc figuram plures ponere pro vno, cùm omnes eiusdem sint generis, sicut hîc omnes, vt Petrus, discipuli erãt, vt c. 26. 8. Matthæus scribit effuso vnguento indignatos fuisse discipulos, cum ex Ioann. 12. 4. manifestum sit solum Iudam indignatum fuisse, & c. 27. 44 Latrones, qui cum Christo crucifixi erant, blasphemasse dicuntur, cùm ex Luca c. 23. 39. 40. vnum tantùm blasphemasse cõstet, alterò verò non blasphemante Christum, sed confitente fuisse reprehensum. Nec obstat, quod Christus non de vno, sed de pluribus loquens statim dicit. *Adhuc & vos sine intellectu estis?* Nam & Matth. 26. 10. & Mar. 14. 6. cùm solus Iudas contra illam mulierem, quæ vnguentum effuderat, murmurasset, Christus de pluribus loquens dixit, *sinite eam, &, quid molesti estis huic mulieri?*

17. *Non intellegitis.*) Scribit Hieronymus profanos nescio quos homines Christum, tanquàm philosophiæ ignarum, accusasse, quòd dixerit, quidquid per os sumitur, in secessum abire; cum aliquid remaneat, quo hominis corpus alatur. Id scilicet Christus nesciebat, quod nemo nescit. Loquitur igitur non philosophicè, nõ subtiliter; sed populariter; nam quia minimum remanet, ita loquitur; quasi nihil significet remanere. Quãquam si & ipsi volaerimus argumentari, nihil probabimus remanere, quia, quod remanet, non iam cibus; sed substantia humani corporis est. Sed ista tanquam futilia relinquamus. Illud quæri dignum est, quale hoc sit argumentum, quo vtitur Christus. Quod intrat per os primùm in ventrem, deinde in secessum vadit, non ergo coinquinat hominem. Non enim apparet, quomodo concludi ex antecedente colligatur. Respondeo Christum ponere, tanquam per se notum, hoc principium, nihil posse hominem coinquinare, nisi cor hominis, quod fons totius hominis est, aut quod in corde hæret, vel ex eo procedit; vt versu 18. & 19. declarat. *quæ autem de ore procedunt, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Ex eo ergo, quòd cibus non exit ex corde, nec in eo hæret, sed in ventrem abit, & in secessum emittitur, rectè colligit non posse hominem inquinare.

18. *Quæ autem procedunt de ore,*) De ore dicit procedere non solùm verba, quanquam ea maximè propriè ex ore proceedunt; sed etiam facta, & quidquid in actum exit, quia omnia opera in corde primùm

primùm concipiuntur, vnde non videntur nisi per os exire posse, quod vnicum cordis foramen est. & quia ita plerumque naturaliter fit, vt primum, quæ facturi sumus, animo concipiamus, deinde eloquamur, ore, ad extremũ perficiamus. Itaque opera per verba ex corde procedũt. Fit quidẽ aliquãdo, vt nihil loquẽtes faciamus, sed Christꝰ nõ spectauit, nisi quod plerumque fieri sciebat. Ideo dicit, quod sequitur.

19. *De corde exeunt cogitationes.*) Exeunt, quia inde manant, quamuis non semper in verba erumpant, aut facta.

Homicidia, adulteria.) Duæ erant, &, Gentiles, erant eo modo ex ore procedunt, quo superiore versu explicauimus.

21. *In partes Tyri, & Sidonis.*) Hæc & quæ sequũtur tiles, & maritimæ ciuitates, vicinéque Galilææ Septentrionem versus vt c. 11. 21. exposuimus. Non satis compertum videtur esse, an in regionem ipsam Gentilium ingressus sit Christus, quanquam id fere omnes putant interpretes; an solùm venerit in fines Galilææ & Phœniciæ, vbi Tyrus, & Sidon sitæ erant. Nam vna quidem ex parte non videtur vero simile Christum fecisse, quod Apostolos facere prohibuerat. c. 10. 5. *in viam gentium ne abieritis*; præsertim cùm Christus solos Iudæos, Apostoli etiam gentes aliquando docturi essent. Alia ex parte Marcus c. 7. 24. videtur significare in ipsam Gentilium regionem ingressum esse. *Et inde*, inquit, *surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis, & ingressus in domum neminem voluit, scire, & non potuit latere.* Sed ne ex hoc quidem loco satis colligitur. Nam quod idem Marcus dicit versu 31. venisse *per Sidonem ad mare Galilææ*, vitiosè legitur *per Sidonem*, vt multi interpretes adnotauerunt. Itaque potius credo ingressum non fuisse in terram Gentilium. Cur autem eò venerit quęri potest. Marcus c. 7. 24. videtur indicare ideo venisse, vt lateret, *& neminem*, inquit, *voluit scire, & non potuit latere.* Vnde satis manifestum est, eum, cùm eò venisset, latere voluisse an autem ideo venerit, vt lateret, incertum. Chrysostomus homilia. 13. existimat ideo venisse, quia paullo ante legis ceremonias, ciborúmque obseruationes abrogasse videbatur, voluisséque ad Gentiles veniendo docere, non esse iam Iudæum, & Græcum, vt Petrus simulatque vidit linteum omnium animaliũ genere plenum, quo edoctus est, nullam iam ciborũ differentiam adhibendam esse, iussus est ad Corneliũ hominem Gentilem ire Act. 10. 19. 20. Alij ideo se eò recepisse, quia Iudæi eius doctrinam recipere noluerant. sicut Paulus, & Barnabas dixerũt. Act. 13. 46. *vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertitur ad gentes.* Ita Hieronymus Beda, & Theophylactus, nisi quòd Theophylactus non existimat, docendi causa venisse; sed, vt opinor, latendi: Euthymius verò quiescendi.

22. *Et ecce mulier Chananæa.*) Marcus c. 7. 26. vocat Syrophœnissam, quod nihil Matthæo repugnat. Nam ipsi Tyrij, & Sidonij Syrophœnices erant. Vnà enim partem Syriæ fuisse Phœniciam Plinius libro 5. c. 12. & 20. & Strabo libro 6. auctores sunt. Phœniciam autem eam fuisse oram, vbi Tyrus, & Sidon erat, ijdem docent. Vocati sunt composito nomine Syrophœnices, quòd Syrij Phœniciam occupassent, vt plerique putant, sicut Gallogræci & Celtiberi dicti sunt; aut, quod alij dicunt, ego quoque probabilius esse arbitror, quia alij erant Phœnices, qui non in Syria, sed in Africa habitabant, qui Libyophœnices, id est Phœnices, Libyæ habitatores, sicut illi Syrophœnices, id est Phœnices habitatores Syriæ dicti sunt. Inde Africani Pœnorum, quasi Phœnicum, aut Phœnorum nomen acceperunt. Solent enim Meridionales, & Occidentales gentes ex littera Ph. quamirum in modum Orientales delectantur, aspiratione rollere, sicut pro Philistinis, Palæstinos dicimus. Inde Punica lingua manauit, quàm Hebraicæ confinem fuisse Hieronymus, & Augustinus sæpe testantur. Difficiliusdictu est, cur eam mulierem Matthæus Chananæam appellauerit. Sunt qui putent eam ciuem fuisse Canę maioris, quæ vrbs in Phœnicia erat contermina tribui Aser. Iosue 19. 28. quod mihi non displicet. Nam quod quidam obijciunt illam Canam apud Iosue scribi per p id est per c. nostrum non aspiratum, apud Matthæum verò mulierem Chananeam per aspirationem appellari, parùm me admodũ mouet: passim enim solent Septuaginta, & Euangelistæ, dum Græce scribunt, Hebraicas litteras permutare. Iuuat etiam hanc opinionem, quod eam Canam in finibus Phœniciæ, & Galilææ fuisse constet, & ea mulier à finibus illis egressa dicatur. Quanquam communis sententia probabilis est, vocatam esse Chananæam, vel quia Phœnices ex terra Chanaan ingredientibus Hebræis eiecti fuerant; vel, vt alij volunt, quia posteri erant Cham filij Noë, cuius primogenitus filius Sidon vocabatur Genes. 10. 15. quem vrbis Sidonis fundatorem fuisse ferunt. Quamquam scriptores profani alium eius vrbis auctorem fuisse tradunt. Adnotauit Chrysostomus ideo Euangelistam Chananeam fuisse expressisse, quò admirabilior eius fides appareret; habebantur enim Chananæi apud Iudæos omnium gentium maximè impij, Eodem consilio Marcus expressit fuisse ἑλληνίδα Græcam, id est Gentilem, vt noster vertit interpres. solẽt enim omnes Gentiles in sacris litteris noui præsertim Testamenti Græci vocari, & Iudæis opponi, quamuis neq; lingua. neq; genere Græci sint, Act. 9. 29. & 18. 4. Ro. 1. 16. & 2. 9. 10. & 3. 9. & 10. 12. 1. Cor. 1. 22. 24 Gal 3. 28.

In scriptura Græci pro Gentilibus.

Miserere mei.) *Mei* dicit, vt magis Christum moueat quàm si diceret, filiæ meę. Aut vt Chrysostomus Theophylactus, & Euthymius putant, quia eius filia sine sensu iacebat; ipsa verò vtriusque, & suum, & filiæ sentiebat dolorem.

Fili Dauid.) Cur ita Christus ab ijs potissimum qui aliquod ab eo beneficium postulabant appellaretur diximus c. 1. 2. Hanc autem mulierem, & si Iudæa non erat, credendum est propter Iudæorum vicinitatem, aut de prophetijs, quibus Christus filius Dauidis futurus dicebatur, inaudiuisse aliquid, aut cognouisse certè ita vulgò à Iudæis, qui in illum crederent, appellari.

23. *Qui non respondit ei verbum.*) Ne sibi, inquiunt Hieronymus, & Beda, contrarius esse videretur, quia c. 10. 5. discipulis dixerat *in viam gentium ne abieritis*, sicut respondet versu sequenti, *non sum missus nisi ad oues, quæ perierũt domus Israel.* Mihi ob alias etiam duas causas videtur tacuisse, & vt mulieris fidem, constãtiamque probaret, aut alijs potius, vt ait Chrysostomus, patefaceret. Magnæ enim fidei. & singularis fuit cõtemptam. & ne verbo quidem dignam iudicatam perseuerare; & vt ostenderet se non sponte, sed quodãmodo inuitũ, & importunis mulieris precibus coactũ miraculorũ gratiã gentibus impertiri cùm nõ esset missus, nisi ad oues, quæ perierant domus Israel.

Dimitte eam.) Concedendo, quod petit; rogabant enim pro illa, vt ait Euthymius; & est vero simile ab ipsa muliere, vt pro se rogarent, fuisse rogatos. Nec enim Christo faciunt iniuriam, vt Caluiniſtæ delirant, qui ad Christum per Sanctos adeunt.

Quia clamat post nos.) Hoc mihi videtur dicere, concede illi, quod petit, saltem propter improbitatem, vt tu ipse in illa parabola amici intempesta nocte

panes

Universidad de Deusto
Biblioteca

panes ab amico petétis locuisti, Luc.11.8. quod Hieron dicit, ideo Apostolos pro ea rogasse, vt molestia liberarentur, duriusculè dictum videtur. Marcus c. 7.25. dicit eam in domum, vbi Christus erat, ingressam ad pedes eius procidisse, quod videtur huic loco esse contrarium, vbi significatur eam Christum per viam euntem secutam esse, & à tergo clamasse. Augustinus lib.2. de consensu Euangel. c.49. respondet primùm in domum ingressam, vbi erat Christus, & ad eius pedes procidisse, dixisseque *miserere mei*, vt ait Marcus. Christum verò nullo reddito responso domo exijsse, eámque secutam fuisse; & post eum clamasse, vt ait Matthæus. Hoc ex Marco facilè colligitur, qui narrat Christum, simul atque in eam regionem venit, in domum ingressum, latereque voluisse, nec potuisse tamen; venisse enim statim mulierem Syrophœnissam, & ad eius pedes procidisse. Itaque, quod alij dicunt, priùs hanc mulierem euntem per viam Christum secutam fuisse, & postè clamasse discipulósque dixisse, *dimitte illam, quia clamat post nos*, tunc in domum ingressum, vt illi secreto in loco concederet, quod petebat, eámque ad eius pedes accidisse, nequaquam probo.

Contra Caluinistas, quod Christus nō prosus ius prædestinatis sit mortuus sed pro omnibus.

24. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.*) Absurdissimus est, & maximè impius, Christó que ingratus Caluinistarum error Christum non omnium hominum causa venisse, aut mortuum fuisse sed prædestinatorũ solùm, quem alio copiosius loco refutabimus. Nam ex hoc quidè loco errorem suum confirmare non possunt, cùm dicat se non propter prædestinatos, verùm propter solos Iudæos missum fuisse. Quin hinc nos refutare possumus; dicit enim se propter solos Iudæos missum esse, cùm non omnes prædestinati; sed maxima pars reprobati essent; nõ ergo propter solos prædestinatos missus est. Dicit ergo se non esse missum, nisi ad oues, quæ perierant domus Israel, aut quia primùm ad eas venerat, sicut Paulus dicit, *vobis oportebat primum loqui verbum Dei*, Act.13.46. vt ait Ambrosius in Psalm. 43. & Gaudentius tractatu 7. in Exodum, & Cyrillus Alexand. libro 5. in Isaiam, & Hieronymus, & Beda in commentarijs, aut quia non venerat, vt præsentiã suam prædicationem, & miraculorum gratiam exhiberet, nisi Iudæis; gentibus enim non ipse per se, sed per Apostolos suos prædicaturus Euangelium, & miracula facturus erat, ideóque à D. Paulo minister circuncisionis appellatur Rom. 15. 8. vt Hilarius & Augustinus tractatu in Ioa. 31. & 47. existimant. Ideo Iudæos vocat oues, vt supra explicauimus c. 10. 6. Gentiles canes ver. 26. Cur autem noluerit præsentiam suam alijs gentibus, quàm Iudæis exhibere, facilis est ratio, quia vt ait August tract. in Ioan. 31. solis Iudæis propter fidem Abrahæ promissio venturi Messiæ facta erat, vt c. 1. 1. disputauimus. Itaque neque in regionem Tyri & Sidonis venit, vt prædicaret aut vt miracula faceret, sed potiùs, vt lateret, si eò tamen venit, vt versu 21. disseruimus; neque hoc miraculum, quasi ex instituto & suscepto consilio, sed quasi precibus & importunitate mulieris coactus fecit, vt diximus ver. 23. & tanquam panem cani non dedit, sed proiecit, aut ne proiecit, quidem, sed illi excidit, vt mica de mensa vt ver. 27. exponemus.

Cur Christus solis Iudæis prædicauit.

25. *Non est bonum.*) καλὸν honestum, decens, conueniens.

Sumere.) Eripere.

Panem.) Panẽ vocat gratiam miraculorum, de qua agebatur, & generaliter gratiam Euangelicam, quæ solis quodammodo Iudæis, quibus ex fœdere Abrahæ promissa erat, debebatur.

Filiorum.) Iudæos filios appellat, quia illis ipse lo-

co patris erat, sicut Exodi 4.22. vocat filium suum primogenitum Israel.

Et mittere.) βαλεῖν proijcere, in ipso enim proijciendi verbo vis est, qua significatur, non esse delicatum filiorum panem tam malè collocandum, quasi ratione, & consilio distribueretur, sed proijceretur temerè. Habent canes panem suum minus delicatum quàm filij; tes naturales, Sol, Luna, pluuia, & cætera idé genus canum, id est Gentilũ panis sunt, quæ prouidentia quidem Dei; sed generali, minúsque accurata dispensantur & omnibus in cõmune sicut porcis glandes, proijciuntur. Euangelica gratia, quæ supra naturam est, panis est filiorum non proijciendus temerè, sed maiore consilio, rationéque distribuẽdus.

Canibus.) Canes filijs opponit, quia quãuis vrorũmque paterfamilias curam habeat; tamen filiorum in primis, multóque maiorem, quàm canum habet. Credibile est consueuisse Iudæos omnes alias gentes כלבים canes appellare, sicut Græci vocabant barbaros. Nam ex illis, vt opinor, cum in Hispania essent, Hispani didicerunt Mahumetanos, & Æthiopes canes appellare. Illud certè constat homines vilissimos per contemptum ita vocare consueuisse vt 2. Reg. 3. 8. & 16. 9. & 4. Reg. 8. 13. Marcus c. 7. 27. ait dixisse Christũ, *sine priùs saturari filios*, quibus verbis specie aliquam mulieri dedisse videbatur, fore, vt aliquando illi concederet, quod petebat; sciebat vtique non saturandos filios, sed panem cælestem oblatum contemptim reiecturos; sed mysteriumest; neque, quod culpa Iudæorũ accidit, sed quod diuino consilio, & ex fœdere cũ Abrahamo inito fieri debuit, explicauit.

27. *Etiam Domine.*) Omnes fere interpretes obseruarunt *vai etiam* non esse contradicentis, sed approbantis; sed non facilè apparet, quomodo mulier Chananæa argumentetur, & qua ratione conueniat particula causalis *Nam & catelli*. Si enim concedit verum esse, quod Christus dixerat non esse bonum sumere panem filiorum, & canibus proijcere; non potuit colligere, catellos comedere de micis, etsi re vera comedunt; & si id dicere volebat, potius debuit dicere; *sed*, quàm *nam*. *Etiã Domine, sed tamẽ catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, id est, quamuis non sit bonum sumere panem filiorum, & illis dare tamen permittunt domini eos de micis, quæ de mensa cadunt, comedere. Qui proprius mihi videntur sensum attigisse, sic exponunt: *etiam Domine*; nam catelli quidem non comedunt ex pane filiorum, sed ex micis. Quod multis tamen de causis mihi non placet; primùm quia in hac interpretatione multa necessariò, & coactè supplenda sunt, vt hęnam catelli quidem non comedunt ex pane filiorum sed comedunt ex micis, quæ cadunt; quod vno verbo dicere potuisset, *etiam Domine*, sed tamen catelli comedunt de micis. Deinde, quia hac ratione perit omnis acrimonia, & omnis argutia, & subtilitas disputationis, quæ tanta tamen fuit, vt quodammodo coëgerit exclamare Christum, ô mulier magna est fides tua. Sic, igitur interpretor, vocauerat Christus Chananęam canem, arripuit mulier ex verbo contumelioso, vt Chrysostomus adnotauit, argumentum & subtiliter catulam suam probat. *Etiam Domine*, id est sim sanè canis, *nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, itaque si canis sum de micis saltem edere debeo. Ergo idem valet hoc loco, *vai etiam*, atque quod vulgò disputãtes dicere solemus, cùm aduersarius aliquid dicit, quod maximè nobis aduersari putat; nos autem existimamus causam nostram maximè iuuare, indéque argumentamur; Hoc est, quod volo, me esse canem, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadũt de mensa domi-

norum

norum suorum. Hilarius putat esse vim in nomine diminutiuo, *catelli*, quasi Christus canem appellauerit, ipsa minus se, quàm canem nempe catellam esse fateatur. Sed vbique & versu 26. & hic diminutiuum est, τὰ κυνάρια *catelli*, & in eo ipso gratia est. & subtilitas argumenti, quod idem prorsus verbum, quo Christus vsus fuerat, mulier arripiat, quamuis noster interpres illic canes, hic catellos verterit. Si qua in vis est, hæc potius est, vt Christus non dixerit κύνες canes, sed κυνάρια catellos, vt pusillos, & nullius vtilitatis, ac pretij canes significaret, quibus multo minùs, quàm magnis illis, qui aliquid vtilitatis afferunt, filiorum panis proiiciendus est: mulier verò non, vt se minùs, quàm canem esse confitereturs; sed vt meliùs, &, vt vulgò dicunt, ad hominem argumentaretur, eodem vsa sit verbo.

De micis.) Micas vocat minora, & minus frequentia miracula, vt Theophylactus adnotauit, quasi dicat, non peto à te, vt passim hîc, sicut apud Iudæos miracula facias, vt cæcos cures, mortuos exsuscites; sed vnum tantùm, & minus natura sua difficile, vt dæmonem à filia mea expellas.

Quæ cadunt.) Respondet hoc verbum illi, quo Christus vsus fuerat, βαλεῖν, proiicere, illique opponitur, quasi dicat, non rogo, vt ex professo, vt apud Iudæos, miraculum facias, sed vt obiter: non quasi dederis, ac ne proieceris quidem, sed quasi tibi exciderit: quemadmodum solent ex mensa diuitum micæ cadere.

De mensa.) Mensam vocat gratiarum omnium, vt ita dicam, copiam, quæ erat in Christo; sicut mensa diuitum omni ciborum genere refecta esse solet. *In ipso* enim *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter; & de plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Dominorum suorum.) Dominos suos, inquit Chrysostomus, Iudæos vocat, quos Christus filios appellauerat, quod magnæ tribuit humiliati. Potiùs Christum ipsum Dominum vocare credo; sed loquitur pluraliter propter canes, quorum suum quisque dominum habet.

28. *O mulier magna est fides tua.*) Vos admirantis. Obseruatione autem dignum est, nullius hominis fidem nisi Gentilium admiratum fuisse Christum, vt huius mulieris, & illius Centurionis c. 8. 10. Maior enim Gentilium, quàm Iudæorum fides. Quo autem modo admiratio in Christum cadere potuerit, illic disputauimus.

32. *Connocatis discipulis suis.*) Vt sua, vt indicat Hieronymus, consilia cum illis communicaret. Videtur etiam mihi voluisse Christus eorum explorare fidem, & futuri miraculi occasionem captare, vt discipulorum confessione constaret, non esse panem, vnde tanta turba pasci posset. Semper enim obseruamus Christum nunquam sine magna, compertáque necessitate miracula fuisse. Quam etiam ob rem triduum, antequàm sequens miraculum faceret, expectauit, vt si quid ciborum secum alioqui tulissent, consumeretur, quemadmodum Chrysostomus, & Euthymius monuerunt. Idem etiam Chrysostomus, & post Theophylactus adnotarunt non suggessisse nunc discipulos Christo, vt turbas dimitteret, vt in pagos irent, & cibos emerent, quemadmodum fecerant c. 14. 15. quòd iam aliquantum fide profecissent, & quòd viderẽt omnes alacres esse, & audiendi auiditate famem non sentire.

Caluini inepta argutia contra ieiunium.

Quia triduo iam perseuerant mecum.) Sunt, qui putent totum triduum, aut omnes, aut plerósque fuisse ieiunos, quod magnus ieiunij magister Caluinus noua virtuti, sed aëri subtiliori tribuendũ existimat; nos enim crasso sub aëre natos tam diuturnum ieiunium ferre non posse. Quasi verò, quò subtilior aër est, non eò edaciores homines reddat. Sed non vult, vt opinor, Gallos prætextu crassi aëris ieiunare. Legimus non solùm apud Orientales, sed etiam apud Europæos multò longiora ieiunia: tamẽ ex hoc loco aut omnes, aut aliquos per triduum ieiunasse colligi non potest. Tantùm colligitur tunc, cum hæc Christus dixit, fuisse ieiunos; quia dicit, *& dimittere eos ieiunos nolo*; consumpserant enim, vt ait Euthymius, quidquid secum attulerant cibi. Quæ sequuntur vsque ad versum 38. supra exposuimus c. 14. à versu 15. vsque ad 21.

39. *In fines.*) Quidam Græci codices legunt εἰς τὰ ὅρη in montes, parùm emendatè pro τὰ ὅρια in terminos.

Magedan.) Marc. c. 8. 10. dicit venisse in partes *Dalmanutha*. Quam credibile est vitiosam esse lectionẽ, legendúmque, vt hoc loco, *Magedan*, quemadmodũ Hieron. in lib. de locis Hebraicis legit, & vt Augustin. lib. 2. de consens. Euang. c. 51. & Beda Marci 8. testantur plerósque suo tempore codices habuisse. Argumentum nonnullum est, quod *Dalmanutha* alibi in scriptura non legatur, nec apud vllum, quod sciam, profanum auctorem reperiatur: Magedan autem, aut, vt Græcè hoc loco est, *Magdala* lib. 1. Reg. c. 17. 20. legamus, quamuis incertum sit verum vnus, idémque sit locus. Tamen si legamus *Dalmanutha*, nullam propterea existimandum est esse repugnantiam; nam aut, vt aiunt Augustinus, & Beda sub diuerso nomine idẽ locus significatur; aut, vt alij coniiciunt, alterum regionis; alterum vrbis nomen est; aut vtrumque vrbis, sed vtraque vrbs vicina erat, ita vt, qui in fines vnius veniret, in fines etiam alterius venisse diceretur; sicut supra versu 21. dicitur venisse Christus in partes Tyri & Sidonis.

CAPVT XVI.

Mar. 8. b. 2. Luc. 12. g. 54.

ET accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis. 2. At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum. 3. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. 4. Faciem ergo cæli diiudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Et relicto illis, abijt. 5. Et cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere. 6. Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. 7. At illi cogitabant intra se decentes: Quia panes non accepimus. 8. Sciens autem Iesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? 9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominũ, & quot

Sup. 12. g. 39. Ionæ 2.

Mar. 8. b. 24. Luc. 12. a. 1.

P

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sup.14.c.17. Ioan.6.b.9. Sup.15.d.34. Mar.8.e.17. Luc.9.e.18. Ioan.6.g.69. Ioan.1.f.42. Isai.22.g.24. Ioan.20.d.23.

cophinos sumpsistis? 10. Neque septem panum in quattuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? 11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum? 12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum. 13. Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? 14. At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis. 15. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei viui. 17. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 19. Et tibi dabo claues regni cælorũ. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. 20. Tunc præcepit discipulis suis vt nemini dicerent quia ipse esset Iesus Christus. 21. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire & Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. 22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit à te, Domine, non erit tibi hoc. 23. Qui conuersus, dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. 24. Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. 25. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. 26. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationẽ pro anima sua? 27. Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Amen dico vobis, sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

Mar.8.d.33. Sup.10.d.38. Luc.9.g.23.& 14.f.17.& 17.g.33. Ioan.12.d.25. Act.17.g.31. Ro.2.a.6. Mar.9.a.1. Luc.9.e.27.

IN CAPVT XVI.

TRES primos versus huius capitis, aut etiam quattuor indicat Hieron. in plerisque codicibus non haberi. Omnes tamen & Græci, & Latini auctores legũt, & apud Marc.c.8.11. leguntur; nec verosimile est vtroq; in loco additos fuisse. Potest aliquem mouere, quòd c.12.38. eadem iam Euangelista narrasset. Sed nihil vetat sæpe Scribas, & Pharisæos non eosdem, sed alias alios eadẽ interrogasse. Præterquam quòd illic Scribæ, & Pharisæi; hîc Pharisæi, & Sadducæi interrogasse dicuntur, & illic non ea de causa Christum conuenisse, sed in media cum Christo disputatione respondisse, *volumus à te signum videre*: hîc accessisse dicuntur, quasi eam ob causam ad Christum venerint, vt signum ab eo de cælo peterent.

A

B

C

Vt signum de cælo ostenderet eis.) Hæc exposuimus cap.12.38.

2. Facto vespere.) Quia signum de cælo petierant, ex cælestibus signis probat non debere eos de cælo signum petere. Vespertinum ruborem serenitatis, matutinum pluuiæ signum esse longua experientia omnes homines docuit, nec opus est de ea re longius philosophari.

3. Faciem ergo cæli.) Græcè legitur ὑποκριτὰ τὸ μὲν πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ γινώσκετε. Hypocritæ faciem cæli cognoscitis, quod & Luc. legit c.12.54. Vocat autem hypocritas hoc loco, vt ait Euthymius, quia sapientes videri volebant, cùm essent insipientissimi quales hodie sunt Caluinistæ, qui sibi omnium mortalium sapientissimi videntur; cùm omnium, meo iudicio, insipientissimi sint. Quæ enim maior insipientia, quàm homines, qui Christiani dici, videríque volunt, sapientiam incredulitate metiri? Nos enim, qui simplices, qui tardi, qui fatui, & insipientes habemur, si nihil, nisi, quod humana ratio persuadet, crederemus, sapientissimi apud illos haberemur. Tota huius loci difficultas in eo est, qua ratione Christus argumentationem concludat. Quidam sine interrogatione legentes, vt Chrysostomus, & Theophylactus ad hunc modum argumentum explicant. Faciem quidem cæli cognoscere potestis; signa autem temporum (aduentus mei) cognoscere non potestis; non enim primus meus aduentus ex cælestibus signis Solis, ac Lunæ, sed ex prophetiis, & miraculis, quæ facio, cognosci debet. *Non venit regnum Dei cum obseruatione; sed regnum*

Hæretici inter se dissidêtes aduersus Ecclesiã conspirãt

Calui. fal. pro. ma. ex. ca. ver. ca. ver. ca. ver.

Dei intra vos est. Luc.17.20.21. Alij per interrogationem, vt Hilarius, Hieronymus, Beda, & Euthymius. Si faciem cæli cognoscitis, id est signa serenitatis & pluuiæ, quod difficilius est & incertius; quomodo signa temporum aduentus mei, quæ tot prophetiis consignata, tot à me miraculis comprobata sunt, cognoscere nescitis? confirmat hanc interpretationem Luc.c.12.56. *Hypocritæ faciem cæli, & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis?* Nam etsi illic turbis, hîc Pharisæis, & Sadducæis loquitur, credibile tamen est eodem vtrobique modo Christum argumentatum; à maiore scilicet ad minus, quod alij à minore ad maius vocant. Vtraque interpretatio probabilis.

A

4. Generatio.) Hæc à nobis c.12.34. explicata sunt.

B

5. Et cum venissent discipuli eius.) Cum soluerent, vt venirent; tunc enim, cum proficiscerentur, obliti sunt panes secum accipere. Quærit Hieronymus quomodo obliuisci potuerint, cum paullò antè cap.15.37. septem sportas plenas facto miraculo collegerint? Respondet eos panes secum tulisse, sed cum discederent, oblitos fuisse eos accipere. Vero similius mihi videtur septẽ illas sportas discipulos, aut suapte sponte, aut iussu Christi in pauperes distribuisse. Itaque obliti sunt panes accipere, id est emere. Illud Hieronymo concedere non possum, ea quæ sequuntur in ipso mari inter nauigandum accidisse, quia diserte scribit Luc.cap.12.1. multis circunstantibus turbis, ita vt sese conculcarent, cœpisse Christum discipulis dicere, *attendite à fermento Pharisæorum.*

C

Trans fretum.) In Bethsaidam, vt ait Marc.c.8.22.

6. Quæ dixit illis?) G. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς; Iesus autem dixit illis. Noster interpres aut pro ὁ δὲ Ἰησοῦς legit ὅς, aut antecedens per relatiuum expressit, quod sæpissime solet in veteri præsertim Testamento facere, vt in Idiomatis obseruauimus.

Intuemini.) ὁρᾶτε, videte. Aliud enim est videre, quàm intueri; sicut apud Græcos, aliud βλέπειν quàm ὁρᾶν; videt enim aliquando, qui non intuetur, hoc autem sensu Latini videre dicunt, non intueri; id est animum aduertere. Noster interpres catachresi vsus est, qua & Græcè de eadem re loquens vtitur Marc. capit. 8.15. ὁρᾶτε, βλέπετε ἀπὸ τῆς ζύμης, *videte & cauete à fermento.*

D

A fermento.) Hilarius & Hieronymus legis obseruationem fermentum vocari putant. Quod non conuenit cum eo, quod postea Christus dicit c.23.2. *Super cathedram Moysi sederũt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, facite.* Iubet enim Mosis doctrinam obseruari. Potius ergo ea Pharisæorũ, & Sadducæorum doctrina intelligitur, qua hæretici erant, legémque corrumpebant, & quam cap.15.1.5.6. Christus reprehenderat. Nam de doctrina intelligendum ex vers.12. perspicuum est. Quanquam, quod Lucas dicit c.12.1. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, contrarium videri potest. Respondere possumus, quod & Beda videtur indicare, ipsam Pharisæorum, & Sadducæorum doctrinam hypocrisim appellasse, quia aliud docebant, aliud faciebant; aut quia omnis eorum doctrina ad hypocrisim spectabat. Maior est quæstio, quo modo Christus hoc loco iubeat ab eorum doctrina cauere, cùm c.23.2. doceat facere, quæcunque dicunt. Respondeo illic agere de Scribis, & Pharisæis super cathedram Mosis sedentibus; id est Mosis legem explicantibus, quod dum faciunt, ipsis credendum est; hîc autem non de lege Mosis, sed de proprio eorum fermento, id est de hæretica doctrina, à qua cauere iubet. Nemo tamen collectis litteris consentanea docent, sequendos, cùm

E

Hæretici ne quidẽ cauere à dicta audienda.

sua miscent, refellendos; quod multi hoc tempore, qui Catholici videri volunt, dicere solent. Illi enim, quibus hoc Christus dicebat, alios tunc præceptores non habebant; & illi ipsi nondum exauctorati erant; nondum tanquam hæretici declarati. Nunc autem cùm tot Catholicos doctores habeamus; cùm Lutherani, & Caluinistæ à Deo, & Ecclesia, tanquam pernicioßissimi hæretici declarati sunt, non magis etiam, cum vera dicunt, audiendi sunt, quàm diabolus, cum Christum filium Dei esse confiteretur. Non magis deber homo Catholicus hæreticum, quàm mulier pudica impudicum amatorem etiam honesta loquentem audire.

Pharisæorum, & Sadducæorum.) Matæus cap. 8.15. addit *& Herodis*, aut, vt in aliis codicibus legitur, *Herodianorum.* Vnde manifestum est aliquam etiam Herodianorum, aut Herodis sectam fuisse. De sectis enim hîc agitur, cùm Sadducæi nominentur, quos certum est hæreticos, aut plus etiam, quàm hæreticos fuisse, & ex versu 12. appareat agi de falsa corruptáque doctrina. Vter autem Herodes fuerit eius sectæ auctor, magnúsne ille Antipatri filius, qui vltimus regnauit; an Herodes Antipas eius filius Galilææ Tetrarcha, & quam doctrinam inuexerit, incertum est; nihil enim de ea re, quod sciam, aut in sacris litteris, aut in profanis auctoribus legitur. Nisi quòd coniectura ex iis, quæ de Herode rege Iosephus scribit impensè Romanis studente, suspicor eum auctorem huius fuisse sectæ; ex gradatione verò ipsa, qua vtitur Euangelista, qui Herodem vltimo loco ponit, eius sectam nihil aliud fuisse, quàm meram hypocrisim, qua se ad omnem religionem regnandi causa accommodabat; quales nunc sunt, quos politicos appellamus, homines aut nullam religionem habentes, aut omnem religionem simulantes. Sed de hac re c. 22.16. plura dicemus.

Quinam Herodiani.

Contra religionẽ simulãtes.

7. At illi cogitabant.) Non solùm quomodo Christi verba intelligerentur; sed etiam quid acturi essent, cùm panes non accepissent. Hoc enim est διελογίζοντο disceptabant, id est, consultabant, solicitique erant. Propterea eos Christus reprehendit, quòd non recordarentur duorum tam insignium miraculorum, quibus paucis panibus paullò antè tot hominum millia satiauerat.

8. Sciens autem Iesus.) Eorum cogitationes. Præcedentium miraculorum obliuionem, vt ait Chrysostomus, declarandis ipsorum cogitationibus, id est nouo miraculo illis exprobrat.

9. Quinque panum in quinque millia hominum.) Græcè τοὺς πέντε ἄρτους τῶν πεντακισχιλίων quinque illos panes quinque millium (hominum) id est, qui in quinque millia hominum distributi sunt. Eodem modo versu sequenti.

10. Neque septem panum, & quattuor millia hominum.) G. οὐδὲ τοὺς ἑπτὰ ἄρτους τῶν τετρακισχιλίων, neque septem illos panes quattuor millium (hominum) id est, qui in quattuor hominum millia multiplicati sunt. Noster scilicet interpres sententiam, non verba, aut Grammaticam vertit.

13. In partes Cæsareæ Philippi.) Duas fuisse Cæsareas nemo nescit. Alteram veterem, quæ antea Stratonis turris vocabatur; ab Herode autem rege amplificata multisque visendis operibus exornata ad promerendam gratiam Augusti Cæsaris, Cæsarea appellata est, vt auctor est Iosephus lib.1. de bello Iudaico cap.16. & lib.15. ant.cap.13. & Hieronymus hoc loco. Ea autem, vt iidem auctores docent, ad littus maris Mediterranei inter Doram, & Ioppem sita erat. Alteram recentiorem in Phœnicia ad radicem montis Libani, vnde Iordanis fluuius erumpebat, quæ prius Paneas dice-

Duplex Cæsarea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

batur,quam Philippus Herodis magni filius,& Trachonitidis regionis Tetrarcha Luc.3.1.2. auctam,ornatámque in honorem Tiberij Cæsaris Cæsaream etiam vocari iussit; postea rex Agrippa,vt Neroni adularetur.Neroniadem appellauit.vt Iosephus scribit libr.20.ant.c.8. Quod in commentariis ad hunc locum Hieronymus dicit nunc Paneadem vocari, non est,vt opinor,oblitione dictum historiæ;sed est vero simile eius tempore deleto fucato illo,& adulatorio nomine Cæsareæ, vetus Paneadis vocabulum recepisse.Cæsarea ergo Philippi dicta est,quia à Philippo Tetrarcha sic fuerat appellata.& vt ab altera Herodis Cæsarea distingueretur.

Et interrogabat discipulos.) Marcus c.8.27.scribit hoc in via accidisse.Luc.vero c.9.18.cum solus esset orans. Euthymius respondet simul iter fecisse, & orasse, quod vt verum sit, tamen verosimile non est, simul orasse, & discipulos interrogasse, longúmque cum illis sermonem vltrò citróque contulisse.Probabilius quod dicit August lib.2.de consen.Euangelist.c.53.in ipsa via antequàm ad locum,quò tendebat.peruenirent,solum in aliquem adorandum locum à via diuertisse: finita autem oratione cœpisse pergere, atque tunc discipulos interrogasse, quem se homines esse dicerent. Itaque,quod Lucas ait.cùm solus oraret,ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον κατὰμόνας, sic interpretatur, postquàm solus orasset, sicut Hispani eadem prorsus phrasi dicunt,in faciendo orationem. id est simul atque orationem fecisset; potéstque Hebraismus esse, quo in aliquando idem valet,quod postquam,vt Psal. 125.1. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion.*id est postquàm conuertit,aut cum conuertisset.Fingamus eo loco Latinum interpretem vertisse. cum conuerteret Dominus;sicut hoc loco similem phrasim ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον κατὰμόνας vertit,*cum esset solus orans?* non dubium esset ex Hebraismo,quin deberemus interpretari, postquàm conuertisset; ergo & hîc interpretabimur,postquàm fuisset solus orans, id est postquàm solus orasset.

Quem dicunt.) Multi Latini codices,& Græci plerique habent.*quem me dicunt homines esse filium hominis?* Triplex enim lectio reperitur. Prima,*quem dicunt homines esse filium hominis?* Secunda,*quem me dicunt homines esse filium hominis?* Tertia,*quê me dicunt homines esse?* Primo modo omnes ferè codices Latini, & omnes auctores legunt. Secundo modo Epiphanius in Ancorato.Theophylactus,& vt videtur, etiam Hilarius. Tertio Chrysostomus hom.55. Non dubito primam lectionem.quæ vulgaris,& communis est,multo esse meliorem; eorúmque coniecturam valde probo,qui existimant primùm ita scriptum fuisse, *quem dicunt homines esse filium hominis?* aliquem deinde Græcum,vt moneret Christum de se loqui ad marginem apposuisse, *me*, postea aliquem alium correctionem esse putasse,itáque in contextum transtulisse,cœptúmque esse legi,*quem me dicunt homines esse filium hominis?* postremò alium, cùm alterutrum redundare iudicaret, sustulisse *filiũ hominis*,quod erat obscurius,reliquisse. *me*, quod erat clarius. Scio quo modo multi, qui vtrumque legunt, interpretentur,aut sine interrogatione per appositionem; aut per interrogationem hoc modo,*quem me dicunt homines esse? filiũ hominis?* quod vtrumque absurdum mihi videtur,secundum absurdius. Non enim solet se Christus honorificè,sed humiliter filium hominis appellare, nec aliter quàm de se per tertiam personam loquens. Cuius rei tot sunt exempla,quoties se filium hominis appellat. Notanda etiam antithesis.Christus rogat, *quem dicunt homines esse filium hominis?* Petrus respondet,*tu es filius Dei viui.* Vnde apparet legendum hoc loco esse,*filium hominis*, vt antithesis constet. Videtur enim Christus data opera contemptissimo vocabulo se *filium hominis* appellasse,vt discipulorum fidem exploraret, occasionémque præberet illis quod sentiebant, etiam si nihil de ipso supra hominem sentirent, liberè dicendi. Quare, quod hæreticus quidam interpres Græcum articulum exprimens vertit, *quem dicunt homines esse illum filium hominis*; putidum iudico.Non enim Christus,vt se Messiam illum à prophetis prædictum; sed contrario prorsus consilio,vt se maximè abiiceret,& quasi humi prostratus sententiam exciperet, *filium hominis* dixit.

Homines.) Vulgò.quem Hebraismum sæpe iam exposuimus vt c.5.13. & Lucas ipse explicat. Nam quod dicit Matthæus,*quem dicunt homines esse filium hominis*, ille dicit c.9.18.*quem me dicunt esse turbæ.* Nec est contrarium,quòd hîc dicat dixisse Christum,*quem dicunt homines esse filium hominis*,illic verò,*quem me esse dicunt?* Matthæus enim,vt probauimus,verba;Lucas sensum, expositionémque recitauit.

14. Alij Ioannem Baptistam.) Cur alij Ioannem Baptistam,alij Eliam, alij Ieremiam esse existimauerint, diximus supra c.11.4.& 14.2. Quod autem quidam ex Iosepho Ben-Gorionis afferunt,vt probent Ieremiam esse venturum,apocryphum est;sicut totus ille auctor fabulosissimus.

15. Vos autem,quem me esse dicitis?) Manifesta antithesis est,*vos autem.* Putat Hieron.Christum Apostolos tanquam plusquàm homines hominibus opposuisse. *Prudens*, inquit, *lector attende, quòd ex consequentibus, textúque sermonis Apostoli nequaquam homines, sed dij appellantur. Cum enim dixisset,quem dicunt homines esse filiũ hominis subiecit,vos autem,quem me esse dicitis?* Ego non hominibus tanquam deos; sed vulgò tanquam homines non vulgares opponi credo,quod & Chrysostomus indicat,*vos*,inquit,*qui mecum semper versatis,plura me fecisse vidistis,qui meo nomine complures virtutes ipsi quoque fecistis,quem me esse dicitis?*

16. Respondens Petrus.) Cur potiùs Petrus,quàm alij respondérit.multas rationes veteres auctores afferunt. Prima est. quòd Petrus omnium fuerit princeps, vt Chrysostomus ait homil.55. Secunda quòd ardentioris fuerit fidei.vt Hilarius, & Hieronym. in caput 14.28.docuerunt.Tertia quòd quasi os Apostolorum fuerit.qui pro omnibus loqui soleat. quemadmodum D.Chrysost hoc loco,& D. August solent appellare. nam & Ioan.6.68. Cum Christus omnibus discipulis dixisset, *nunquid & vos vultis abire?* Petrus respondit, *ad quem ibimus? verba æterna vitæ habes.* An autem in hoc loco pro se tantùm, an pro omnibus respondérit ver.18.dicemus.

Tu es filius Dei viui.) Filium Dei vocat naturaliter non adoptione. Adoptione enim omnes confitebantur filium esse Dei.quandoquidem virum iustum,& prophetam putabant. Certissimum autem argumentum est, quòd Petrus Christum filium Dei viui appellans, Ioanni, Eliæ, Hieremiæ,& prophetis opponat, quos certum est filios Dei fuisse adoptione.Christum ergo non adoptione,sed natura filium Dei appellat. Itaque rectè veteres auctores ex hoc loco Christi diuinitatem probauerunt,vt Hilar.in comment.& lib.6.de Trinitate,& Athan.ser.3.contra Arianos.& in epist. de sententia Dion.Alex.contra Arianos.

Viui.) Deum viuum appellat scripturarum more, vt ab idolis distinguat, quæ res mortuæ sunt,vt Hieron.Beda,Euth.annotauerunt.D.Basil.in hom.de pœnitentia legit filium Dei excelsi.Rectè autem notauit Theoph.adiectum fuisse articulum Græcum nomini filij, vt significaretur non qualiscunque, sed vnicus ille,& naturalis filius.

17.*Simon.)* Ita priùs vocabatur,c.10.2.

Bar-jona.) Bar-jona dictum est per contractionem pro Bar-Iohanna, quod Chaldaicè filium Iohannis significat.quemadmodum Io.25.15.appellatur. Simili contractione vsus est Lucas c.3.30.

Quia caro & sanguis. Carnem,& sanguinem vocant homines carne & sanguine constátes. Opponit enim homines Deo, *sed pater meus*,inquit, *qui in cælis est*,vt ad Galat.1.16. Continuò non acquieui carni,& sanguini.& Ioan.1.13. *Qui non ex voluntate carnis,neque ex voluntate viri,sed ex Deo nati sunt.* Ita solet scriptura homines carnalia sapientes appellare.& Deo,aut diuina sapientibus opponere,vt 1.ad Cor.15.50.*caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Ita etiam sapientia & prudentia carnis appellatur.Rom.8.6.7.

18.*Et ego.)* Elegans antithesis,Græcè etiam efficacior,κἀγὼ δέ. Sed & ego dico tibi, quasi dicat,tu qui homo es, filium Dei viui me esse dixisti; ego verò, qui filius Dei viui sum,dico te esse Petrum,id est vicarium meum, quem filium Dei esse confessus es. Nam Ecclesiam meam,quæ super me ædificata est, super te etiam,tanquam super secundarium quoddam fundamentum ædificabo.

Tues Petrus.) Sunt qui putent nondum antea Petrum vocarum fuisse, sed nomen tantùm illi fuisse promissum Ioan.1.42.*Tu*,inquit,*vocaberis Cephas.* Probabilius tamen, quod lib.2. de consens. Euang.dicit August. iam inde à principio vocationis suæ sic appellarum,vt Marci 3.16.& Lucæ 6.14 manifestum est. Itaque cum Christus illi dixit Ioan.1.42.*Tu vocaberis Cephas*, nomen illi imposuit,quasi diceret deinceps non vocaberis Simon.sed Cephas,id est Petrus.sicut Deus Abrahamo per futurum etiam loquens,nomen imposuit Gen.17.5.*nec vltra*, inquit, *vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.*

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.) Sunt inter veteres auctores,qui interpretentur super hanc petram, id est super hanc fidem,aut super hanc fidei confessionem, qua me filium Dei viui esse dixisti,vt Hil.lib.6.de Trinitate.& Gregorius Nyssenus in lib. contra Iudæos, & Chrysost.hom.55.in hunc locum, & orat.2. aduersus Iudæos, & Cyrillus Alexandrin. Dial.4.de Trinitate,auctor commentariorum in epistolas D.Pauli,qui Ambrosio tribuuntur, in c.4.epistolæ ad Galat. Longius etiam à sensu recedens D. August.interpretatur tract. in Ioan.27. & 124.& ser. 13.de verbis Domini secund.Matth.*Super hanc petram*, id est super me ipsum quia petra erat Christus 1.Corinth.10.4. Et quia *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* 1.Corinth. 3.11. Origenes verò tractat.in Matth.*super hanc petram*, id est super omnes homines eandem fidem habentes. Quas interpretationes aliter, quàm præ se ferunt, intelligendas Caluinistæ multò auidius, quàm veritatem amplexi sunt: ne, si Ecclesiam super Petrum ædificatam fuisse fateantur,Romanum Pontificem caput,aut fundamentum Ecclesiæ coganturcadem ratione confiteri. Cæteros auctores paullò pòst interpretabimur. Nunc nihil magis à sensu Christi alienum cogitari potuit,quàm vt dicere voluerit super sesipsum,aut super alium rem quàm super Petrum fundaturum Ecclesiam. Primùm,quis non videt pronomen demonstratiuum *hanc* positum esse loco relatiui, perinde ac si dixisset, tu es Petra super quam ædificabo Ecclesiam meam? Petrus enim,& petra idem sunt.Nam quod Caluinus dicit non sine causa Euangelistam orationem variasse, cúmque dixisset,*Tu es Petrus*; secundo loco non dixisse super Petrum,sed *super hanc petram*,vt aliam petram,quàm Petrum significaret; puerile, & ridiculum est. Nec enim Matth. Græca, sed Hebraica, aut Chaldaica,& Syriaca lingua, vt in præfatione probauimus, Euangelium scripsit. Quibus linguis ista generis differentia,quæ Græcè,& Latinè est inter Petrum & petram; non repetitur,sed vno, eodémque nomine siue Hebraicè,siue Syriacè Christus dixit *tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quemadmodum si Latinè Petrus non Petrus,sed petra vocaretur, & Christus dixisset,tu es Petra,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, nemo profectò sanæ mentis intelligere potuisset aliam petram, aut alium hominem,quàm Petrum ipsum demonstrare; super illum ergo Ecclesiam Christus ædificauit. Dubitabit aliquis,cur si non Matthæus, Matthæi tamen Græcus interpres illam nominum, & generis distinctionem adhibuerit. Respondeo in promptu rationem esse, quia quamuis Græcè petra & πέτρος genere masculino, & πέτρα fœminino dicatur, tamen Petrus, quia vir erat, non petra fœmineno,sed Petrus masculino nomine vocandus erat. Secundo autem loco, vbi de ædificij fundamento agebatur, non Petrum, sed petram dixit, quamuis idem vtrumque nomen significaret, quia in eiusmodi ædificiis nomen petræ fœmininum magis est vsitatum. πέτρος enim & Atticum,& rarum est. Præterea cui dubium est Christum his verbis aliquid maguum, & singulare tanquam fidei confessionis præmium Petro concedere, aut promittere voluisse? quid autem concessisset, si tantùm illi dedisset nomen, vt Petrus vocaretur? imò ne nomen quidem dedisset; nam, vt paullò antè probauimus, iam Petrus appellabatur: his ergo verbis,*& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, significat hanc se illi eximiam, & singularem dignitatem concessurum, vt super eum Ecclesiam suam ædificaret, id est eum Ecclesiæ caput constitueret, suumque in ea Vicarium faceret. Deinde ex verbis consequentibus, *& tibi dabo claues regni cælorum*, perspicuum est hæc etiam verba, de quibus disputamus, ad Petrum pertinere; absurdum enim est tam paucis verbis rerum, aut personarum mutationem fieri. Quemadmodum ergo dicit,*tibi dabo claues regni cælorum*,ita dicit,*super hanc petram*, id est super te,ædificabo Ecclesiam meam. Idem enim diuersis verbis, diuersisque metaphoris illi concedit,vt ipsius in Ecclesia Vicarius sit, quam dignitatem priùs fundamenti,cum dicit *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, deinde principis,aut capitis in Ecclesia sua, cum quasi ciuitatis claues tradidit, metaphora declarat; sicut ipse Christus & fundamentum,& caput Ecclesiæ est, quibus duobus nominibus, atque metaphoris non duæ, sed vna eadémque res significatur. Quæret aliquis,cur ergo Christus non apertè, & vno verbo dixit *super te* ædificabo Ecclesiam meã? Responsio est facilis,ne locutionis gratia,& energia periret, quæ in eo consistebat, vt cùm de Ecclesia Christus,tanquam de ædificio aliquo ageret,accommodatè ad ædificium loqueretur: non fuisset autem accommodatè locutus, si dixisset, super te ædificabo Ecclesiam meam, quia ædificia non super homines, sed super petras fundari solent: quod & D.Hieronym. admonet.Præterea,si sensus esset *super hanc petram*,id est super hanc fidem,aut super meipsum *ædificabo Ecclesiam meam*, maximè propter aduersariorum rationem,qui existimant Petrum non pro se tantùm, sed pro omnibus Apostolis respondisse,*Tu es Christus filius Dei viui*, quod fateor nonnullos etiam auctores veteres putasse Chrysostom.Hieronym.hoc loco, & August.sermone decimotertio de verbis Domini secundum Matth. Sed hos auctores paullò pòst reuo-

Ecclesia super petram ædificata contra Caluinum.

Petri primatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

renter interpretabimur. Nunc Caluinistarum opinionem refutamus. Si enim pro omnibus Petrus loquebatur, cur non omnibus à Christo dictum est, Beati estis, quia caro & sanguis nō reuelauit vobis? &c. Cur non omnibus mutata nomina sunt? Cur non omnibus dictum, vobis dabo claues regni cælorum? Deinde cùm omnes Christus interrogasset, cur non omnes responderunt? præsertim cùm paullò antè interrogāte eo, quem se homines esse dicerent, non solus Petrus, sed omnes, aut quicunque voluerunt, responderint, alij Ioānem Baptistam, alij Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex prophetis: meliùs ergo omnes alij senserunt auctores Petrum pro se vno respondisse, non quòd alij idem non crederent ac dicturi etiam fuissent, nisi Petrus præueniisset, sed quòd Petrus maiore fide in confessionem primus eruperit. Atque hoc tantùm indicare auctores illi voluerunt, qui dixerunt illum pro omnibus respondisse, quique eum os Apostolorum appellauerunt. Adhæc conueniebat vtique, vt quemadmodum Christus Apostolos duodecim ad duodecim Patriarcharum similitudinem elegerat; ita vnum veluti Abrahamum eligeret, qui propter maiorem fidem omnium caput & vt Abrahamum veteris, ita illæ Euangelicæ Ecclesiæ fundamētum esset: paria enim in vtroque sunt omnia, fide Abrahamus excellnit, & Petrus: nomen Abrahamo, quia pater multarum gentium futurus erat mutatum est Genes. 17.5. & Petro, quia omnium Christianorum futurus erat pater, & caput. Illa etiam vnica ratio, ob quam hæretici Ecclesiam super Petrum fundatam fuisse negāt, quòd non potuerit aliud fundamentum poni *præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus* 1. Cor. 3. 11. falsa omnino est. Nam idem D. Paulus ad Ephes. 2. 20. Apostolos, & Prophetas Ecclesiæ fundamentum appellat *superædificati*, inquit, *super fundamentum Apostolorum, & prophetarum*. Nam quod fidem hæretici exponunt, *super fundamentum Apostolorum & prophetarum*, id est super eorum fidem, atque doctrinam, peruersa omnino interpretatio est. Addit enim Apostolus, *ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. Quibus verbis significat in Ecclesia, sicut in cæterorum ædificiorum fundamentis multos esse lapides: primum & maximum, atque angularem Christum, quo alij omnes innituntur; secundarios verò Apostolos & Prophetas, qui & ipsi quidem super primū fundati sint: sed tamen aliorum Christianorum sunt fundamentum, quod D. Ioā. in Apoc. c. 21. 14. disertis verbis, & nullam iam hæreticorum interpretationem recipientibus explicauit, *& murus*, inquit, *ciuitatis* (de Ecclesia loquens) *habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni*. Cur ergo D. Paulus nō potiùs dixit nos super Christum, quam super Apostolos, & Prophetas ædificatos? Promptum est respōdere, quia nos longiùs à Christo, quam ab Apostolis & Prophetis in Ecclesiæ ædificio positi sumus. Christus enim primo loco primus lapis, & angularis: super Christum Apostoli & Prophetæ: super Apostolos, & Prophetas nos ædificati sumus. Denique super ipsum Petrum Ecclesiam ædificatam fuisse omnes prorsus, præter hæreticos, veteres auctores docuerūt. Quorū sententias etsi alij diligenter inuestigatas recitarunt, tamen quia res est hoc tempore maximi momenti, non præteribo, locos solùm indicabo, verba ipsa si quis desiderabit, apud auctores leget. Ita ergo Clemens Romanus in epist. ad Iacobum. ita Hippolytus in libro de consummatione mūdi. ita Dionysius in epist. ad Tim. ita Tertull. in libro de præscriptionibus, & in libro de pudicitia; ita Cyprianus in epist. ad Iubaianum, & in epist. ad Cornelium: ita Origenes hom. 5. in Exodum; ita Epiphanius in Anchorato; ita Gregor. Nazianz. in

Testimonia Patrum pro primatu Petri.

orat. de moderatione in disputationibus seruanda; ita Basil. in hom. de pœnitentia, & lib. 2. aduersus Eunomium; ita Ambros. serm. 47. de fide Petri, & serm. 68. de natali Petri & Pauli, & in hymno, qui in Ecclesia decantatur,

Hoc ipsa petra Ecclesia
Canente culpam diluit.

quem hymnum à D. Ambrosio fuisse compositum testatur Aug. ita Hiero. in epist. ad Marcellam aduersus Montanum, & lib. 1. contra Iouinianum; ita auctor comment. in epist. D. Pauli, qui vulgò Ambrosio tribuuntur, ad Galat. 2. ita Leo serm. 2. de Petro, & Paulo, & in epist. ad Episcopum Viennensem, & in epist. ad Geminianum, ita totum Calcedonense Concilium; ita Iuuencus; ita Psellus apud Theodoritum libr. 3. in Cantica; ita denique illi ipsi auctores senserunt, qui contrà sensisse perhibentur. Nam idem Hil. eod. lib. 6. de Trinitate, vt dicit Christum super fidem Petri Ecclesiam ædificasse, his verbis scribit, *& post sacramentum confessionem Beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subiacens, & claues regni cælestis accipiens*. Et in comment. in Psal. 131. *Tanta*, inquit, *ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum Dei confessorem Ecclesiæ fundamentum, cælestis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cæli Satanæ conuitio nuncuparet*, & canon 16. in Matth. *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignāque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissoluerit*. & Chrysost. hom. 2. in Psal. 50. *audi denique, quid Petro dixerit Christus columnæ, & fundamento fidei, qui ob rectæ confessionis vocatus est Petrus dicente Domino, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. & Cyril. lib. 2. in Ioan. ca. 12. *Tues Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, vocabulo ipso commodè significans, quod in eo tanquam in petra, lapideque fermissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam*, & Aug. ser. 49. de verbis Domini secundum Ioannem, *dicit*, inquit, *Petro, in quo vno formam Ecclesiam, Petre amas me*, & lib. 1. retractationum c. 21. aliorum auctorum, qui Ecclesiā super Petrum fundatam dixerant sententiam non improbat. Ex quo apparet nos auctores, qui *super hanc petrā*, id est super hanc fidem exponēdum esse dixerunt, aliter quàm hæretici intelligunt, interpretandos esse. Commodissima autē interpretatio mihi videtur, si dicamus eos dicere voluisse super fidē & confessionem Petri Ecclesiam ædificatam, id est super Petrum propter fidem, & confessionem, quemadmodū & omnes alij senserunt auctores. Huiusmodi enim phrasibus vulgò etiā vtimur, vt dicamus in vnius hominis fide fundatā esse rempub. id est in vno homine propter ipsius fidem. Quemadmodum D. Ambr. in lib. de Resurrectionis fide dixit super aquas non Petri corpus, sed fidem ambulasse, quia non corpus, sed fides effecit, vt super aquas ambularet. Certè ex ipsorum verbis manifestum est eos quod nunc hæretici negant. negare non potuisse Petrū esse fundamentum Ecclesiæ. Dicet aliquis, si omnes alij non solùm Apostoli, sed etiam Prophetæ, vt ait D. Paulus, fundamentum Ecclesiæ sunt, quid his verbis singulariter Petro concessum est, *tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meam*? Respondeo hoc illi concessum esse, vt inter omnes Prophetas, & Apostolos primum post Christum Ecclesiæ fundamentum sit, & locum illius absentis teneat. Nam his verbis aliquid vni Petro singulare concessum esse satis à nobis suprà probatum est. Cum autem alij etiam fundamētum sint, nihil aliud concedi potuit, quàm vt secundus post Christum fundamenti lapis esset, & eo modo, quo Christus, id est ita, vt in eo non vna tantùm pars, sed tota Ecclesia niteretur. Hoc interest, quòd Christus sua, Petrus Christi virtute fundamentum est;

& Chri

& Christus nullo alio, Petrus verò alio, id est Christo nititur fundamento.

Quidnam portæ inferi intelligendum.

Ecclesiam meam.) Ecclesiam Christus suam vocat indicans se Deum esse, & dominum Ecclesiæ, vt recte Theophylactus annotauit.

Et portæ inferi.) Per portas inferi omnem diaboli potentiam significari dubium non est; illud verò dubium quare per portas potentia significetur; & quare nō, proprio nomine potentiam, sed metaphoricè portas Christus appellauerit, vtrumque facile cōijcitur. Loquebatur de Ecclesia, tanquam de ciuitate aliqua Christus. Solent autem munitissima pars vrbium esse portæ, vt Psalm. 147. 13. *Quoniam confortauit seras portarum tuarū, benedixit filijs tuis in te*; & quia vrbes plerumque per portas expugnari consueuerunt, vt Gen. 22. 17. & 24. 60. & *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, id est, hostium suorum vrbes expugnabit, & Iudicum 5. 8. *noua bella elegit dominus, & portas hostium ipse subuertit*, & 3. Reg. 8. 37. *si afflixerit eum inimicus eius portas obsidēs*. Propterea ergo diaboli potentiam, non potentiam, sed portas inferi appellauit. At cur *inferi* dixit, & non potius diaboli, qui Ecclesiæ hostis est, sicut Moyses dixit *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*? Id etiam facile, quia sicut de Ecclesia, ita etiam de inferno, vbi diabolus dominatur, tanquam de vrbe aliqua loquitur, sicut Psal. 106. 16. *Qui contriuit portas æreas & vectes ferreos confregit*. Hæ enim duæ illæ sunt ciuitates, altera Dei, diaboli altera, de quibus D. Augustinus suos scripsit libros.

Non præualebunt.) οὐκ ἰσχύσουσιν, id est non vincēt, aut non superabunt. Quorum verborum sensus non videtur mihi esse, quem omnes, præter Hilariū, quos legisse memini, auctores putant. Omnes enim existimant sensum esse fore, vt diaboli potentia Ecclesiam quidem exerceat, nunquam verò vincat, nunquam opprimat. Quæ sententia, etsi vera est, tamen est parua, & locum, ac verba Christi non implet. Malus enim quiddam videtur Christus significare voluisse. Nec enim solent portæ vincere, sed resistere; itaque non potuit offendendi, sed defendendi vis per portas significari. Sensus igitur, nisi fallor, est fore, vt Ecclesia super petrā à Christo fundata omnem diaboli potentiam expugnet, ita vt nulla arte, nullis viribus possit resistere. Hoc enim multò maius est, & verbis magis consentaneum: portas enim inferi non præualituras aduersus Ecclesiam Hebraica phrasis est οὐ δύναται, non poterunt aduersus illam, id est non poterunt illi resistere. Hunc sensum Hilarium secutum apparet, *qua*, Ecclesia scilicet, *infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret*. Veteres auctores per portas inferi, id est diaboli potentiam, alij hæreses, vt Epiphanius in Anchorato; alij vitia vt Ambrosius in libro de bono mortis c. 12. & in comment. in cap. 9. Lucæ; alij vtrumque, vt Origen. tractat. 1. in Matth. Hieronymus, & Beda; alij blasphemias hæreticorum, & eorum aduersus Ecclesiam persecutiones, vt Euthymius; alij omnes Ecclesiæ persecutores, vt Theophylactus intelligunt. Præstat non restringere sententiam, sed generaliter omnem diaboli potentiam interpretari.

Aduersus illam.) Origenes tractatu 1. in Matth. & Chrysost. homil. 55. putant relatiuum vel ad petram, vel ad Ecclesiam referri posse; sed non dubito, quin ad Ecclesiam referatur, quod & iidem auctores probabiliùs, & alij omnes verum putant; quanquam propterea significat Christus portas inferi aduersus Ecclesiam non præualituras, quia supra petram ædificata est, sicut supra cap. 7. 24. 25. dixit, *Omnis, qui audit verba hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, &*

De claui-bus, & potestate ligandi, & soluēdi cōtra hæreticos.

veneruntflumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat super petrā. Nisi quod illic significatur domum illam pluuiæ, fluminibus, & ventis restitisse; hìc verò Ecclesiam non solùm inferno restituam, sed illum etiam expugnaturam esse, quia super firmam petrā fundata est. Agitur enim de Ecclesia, & inferno, tanquam de duabus, vt iam monuimus, vbibus, aut arcibus inter se vicinis, atque pugnantibus; quarum, quæ melius fundata est atque munita, alteram expugnat.

19. Et tibi dabo claues.) Clauis per metaphoram appellatur potestas aperiendi, atque claudēdi regni cælorum, vt Lucæ 11. 52. *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introitis, & eos qui introibant, prohibuistis*. Quam potestatem alia statim metaphora ligandi, atque soluendi declarat. In quo autem hęc potestas consistat, de eo inter nos, & nouos hæreticos Lutheranos, & Caluinistas hoc tempore disputatur. Illi enim non alia ratione homines cælum aperire, ligare, & soluere; peccata aut remittere, aut retinere putant, quàm docendo, aut remissa iam esse, aut fore, vt, si quis Euangelio crediderit, illi remittantur. Noua, inaudita, & prorsus absurda sententia. Isto enim modo nihil aliud Christus Petro concessis clauibus regni cælorum dedit, quàm quod ante illum Scribæ, & Pharisæi etiam habebant, cap. 23. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite*, & Lucæ 11. 52. *Væ vobis, qui tulistis clauem scientiæ*. At iam satis à nobis probatum est Christum non solùm plus, quàm Scribis, & Pharisæis; sed plus etiam, quàm cæteris Apostolis Petro dare voluisse; aliquid ergo per clauium potestatem supra docendi potestatem significatur. Præterea docendi potestatem nō solus Christus Apostolis, sed Septuaginta etiam duobus discipulis dedit in cap. 10. Luc. ver. 1. claues autem, & ligandi, atque soluendi potestatem solis Apostolis: non ergo eadem est clauium, ligandi, & soluendi, quæ docendi potestas. Præterea docendi potestatem iam Christus Apostolis dederat cap. 10. 7. Clauium autem, & ligandi, soluendique potestatem non dederat; non est igitur eadem. Nam quod Caluinus dicit isto loco non dedisse Christum Apostolis generalem vbique, sed specialem ad tempus in solis Iudæorum vrbibus docendi potestatem; m falsum est, &, si verum esset, nihil efficeret. Iam enim eo loco probauimus generalem docendi facultatem etiam tunc Apostolis fuisse concessam, sed vsum ad tempus fuisse restrictum, ne in viam gentium abirent: quia non conueniebat prius gentibus Euangelium, quàm Iudæis, quibus promissum fuerat, prædicari. Et vt fingamus specialem tantùm potestatem illis datam fuisse, quid ad præsentem quæstionem? Certè si idem est docere, atque remittere peccata, vbicunque, & quandocunque docere poterant, poterant & peccata remittere; at videmus potestatem illis docendi tunc datam fuisse, potestatem verò remittendi peccata datam, non fuisse; distincta igitur potestas est. Videmus etiam hoc loco, vbi claues conceduntur, & ligandi, atque soluendi peccata facultas datur, nullam de docendo mentionem fieri: contra verò cap. 28. 19. & Marci 16. 15. vbi iubentur Apostoli omni creaturæ Euangelium prædicare, nullam mentionem de clauibus, nullam de ligando, & soluendo factam esse. Nam, quod Ioannes ait c. 20. 22. 23. Christum, cum Apostolos mitteret, dixisse, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etsi sub idem dictum est tempus, non tanquam idem dictum est: propterea enim, vt alia multa, Ioannes, tanquam ab alijs prætermissa Euangelistis commemorat. Illud etiam non minimum est

Universidad de Deusto
Biblioteca

argumentum, quòd potestatem remittendi peccata alia Christus ceremonia, quàm docendi potestatem Apostolis dederit. Nam cum potestatem peccata remittendi dedit, dicitur in Apostolos insufflasse, dixisseque, *Accipite Spiritum sanctum*. Cum autem docendi facultatem dedit, neque insufflasse, neque Spiritum sanctum dedisse dicitur: diuersa igitur docèdi, atque peccata remittendi potestas est. Ad hæc, si non aliter homines hominibus peccata remittunt, quicunque alium docebit, etiamsi mulier sit, peccata remittet, quod & inauditum, & absurdissimum est. Prætereà si docere est soluere, id est peccata remittere, non docere, erit ligare, id est peccata retinere. Iraq; omnes homines, qui non docent, ligandi. id est peccata retinèdi potestatem habent. Quo quid absurdius? Prætereà, si docere esset soluere, & non docere ligare, non dedisset Christus Apostolis ligandi potestatem, cum eos iusserit docere omnem creaturam; id est (si istorum sententia vera est) omnes homines soluere, neminem ligare. Quorsum igitur ligandi potestas, si nemo ligandus erat? sequitur etiam ex istorũ sententia Christi falsam esse sententiam. Nam si soluere est docere, non quæcunque Apostoli soluerunt super terram, soluta fuerunt & in cælo; quot enim homines bene docuerunt, quibus non credentibus peccata in cælo soluta non sunt? Immo quot etiam crediderunt, & bene docti, bene que credẽtes damnati sunt? Scio aliam esse istorum hæresim, neminem bene credentẽ damdamnari posse: sed istud monstrum, alio loco debellabimus. Deniq; quos in scriptura ligatos fuisse legimus, nec docendo, nec non docèdo ligati sunt. Ligauit Paulus Corinthium illum 1. Corinth. 5. 5. Ligauit hæreticos illos 1. Timoth. 1. 20. non docendo, sed Satanæ tradendo, cum bene ante docuisset, sicut nũc ipsos hæreticos, quibus cum disputamus Ecclesia Catholica excommunicando, id est Satanæ tradendo ligat. Exempla verò ligandi, quæ Caluinus proponit, risum mihi legenti mouent: Paulus inquit, & Barnabas Iudæos ligauerunt, Actorum 13. 46. cum dixerũt, *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*. Et Act. 18. 6. cum prædicante D. Paulo Iudæi, qui Corinthi erant, credere noluissent, *Contradicentibus*, inquit, *eis, & blasphemãtibus excutiens vestimenta sua dixit ad eos, sanguis vester super caput vestrum, mundus ego ex hoc ad gentes vado*. Quis enim istas non rideat ineptias? scilicet D. Paulus excutiendo vestẽ, homines ligauit. Fallor, nisi cum Christus Apostolos iussit in eos, qui se non recepissent, puluerem etiam pedum suorum excutere, ex Caluini sententia ligandi illis dedit potestatem. Si aliud argumentum nõ esset, sua iste error nouitate refelleretur. Cui enim antequam isti nascerentur, aut potiùs hæretici fierẽt, venerat in mentem? Fuerunt Nouatiani hæretici istorum similes, qui clauium potestatem Ecclesiæ non datam negarent; sed ad certorum tantùm peccatorum remissionem restringerent; argumentabantur, vt ait Ambros. lib. de pœnitent. c. 2. nõ posse hominem peccata remittere: sed tam subtiles non fuerunt, vt istam Caluinistarum rationem, qua non Apostoli tantùm; sed omnes etiam mulieres in religione mediocriter Institutæ facilè peccata remittant, excogitarẽt. Quomodo senserint omnes, qui post Christum fuerunt, Catholici auctores peccata per claues Ecclesiæ remitti, prolatis eorum testimonijs explicandum esset, si quis eorum aliter quàm per pœnitẽtiæ sacramentum id fieri dixisset; sed vbi nemo contradicit, opus non est testibus. Verba tantùm Tertulliani lib de pœnitentia ponam; *Presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ in-*

Exempla Caluini ridicula.

iungere; hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet, de periculi timore domini honoret, vt in peccatorum ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictatione æterna supplicia non dicam frustretur: sed expũgat. hac ratione non docendo peccata remittebantur. Ponam & Cypriani in sermone de lapsis; *Confiteamur singuli quæso, fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit in sæculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud hominem grata est*, & alio loco reprehendens eos, qui cùm publica peccata commisissent, confessi non erant. *Quanto*, inquit, *& fide maiores, & timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli scelere constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt, hoc ipsum apud sacerdotes dolenter, & simpliciter confitentur.* Itaque confessione, & pœnitentia, non doctrina, peccata remittuntur. Hactenus vnus est hæreticorum de hoc loco error refutatus. Secũdus est, quòd negent aliquod his verbis Petro datum esse, quod non omnibus pariter Apostolis datum sit; id nunc refutandum est, non de illis disputando verbis *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, de quibus satis supra disputauimus, probauimusque hoc singulariter fuisse Petro concessum, vt Ecclesia super illum ædificaretur. De his verbis nunc agimus *tibi dabo claues regni cælorum*. Quibus ergo verbis contra hæreticorum, & nonnullorum Catholicorum opinionem Ecclesiæ principatum Petro datum esse contendo, non quòd Catholici illi datum negent: sed quòd non hîc, sed illis præcedentibus verbis *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, datum putent; claues verò non singulariter Petro, sed omnibus communiter Apostolis fuisse collatas. Ego verò, vt iam diu in Theologicis scholis docuisse memini, vtrisque verbis eundem arbitror Ecclesiæ principatũ Petro fuisse concessum. Primùm enim hoc phrasis significat. Solent enim domus, aut vrbis claues penes eum esse, qui in domo, vel in ciuitate princeps est. Itaque per claues in scriptura principatus significatur, vt apud Isaiam cap. 22. 22. *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* id est supremam illi in regno Dauid potestatem dabo. Super humerum autem dixit, cùm claues non super humerum, sed in zona gestari soleant, duas, vt sæpe in scriptura fieri solet, confundens metaphoras ideru significantes; alteram clauium, alteram sceptri, quarum vtraque summum declarat imperium: quia ergo sceptrum super humerum gestari solet, dixit se clauis domus Dauid super humerum eius positurum: sicut apud eundem Isaiam cap. 9. 6. cuius *principatus super humerum eius*. Eodem sensu dicitur Christus Apocal. 1. 8. habere claues mortis, & inferni, id est dominus esse vitæ & mortis, & cap. 3. 7. habere clauem, Dauid, qui aperiat, & nemo claudat, qui claudat, & nemo aperiat. Hoc igitur sensu claues Petro datę sunt id est suprema secundum Christum in Ecclesia potestas, vt claudat, & nemo aperiat; aperiat, & nemo claudat; id est, vt quæ soluerit, nemo ligare; quæ ligauerit, nemo soluere possit. Vnde potestas Romani Pontificis ad reseruandos, quos vocant, casus efficacissimè probatur. Id etiam inde colligo, quòd soli Petro hoc loco dicatur, *tibi dabo claues regni cælorum*, & ita dicatur, tanquam alijs dandæ non essent, qua solus respondit, *Tu es filius Dei viui*, sicut soli dictum est, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Diuersis enim metaphoris altera fundamenti, altera clauis vnus idemque principatus significatur, & vna alterius explicatio est. Non nego cæteros Apostolos suas etiam claues, id est ligandi, soluendique potestatem habuisse, quemadmodum omnes veteres auctores

Potestas clauium Petro & successoribus, & successoribus data contra Caluinum.

Romani Pontificis successores Petri successores.

docent

docent, dicẽtes claues omnibus datas fuisse; sed nego has, de quibus hîc agitur, claues habuisse, & nego eas, quas habuerunt, quâsque omnes semper Catholici verè quidem, sed alio tamen sensu claues appellarũt, in sacris vsquam litteris claues vocari. Firmissium etiam est argumentum, quòd cum Christus alijs Apostolis infra cap. 18. 18. & Ioan. 20. 23. ligandi, soluendiq; potestatem dedit, nullam de clauibus mentionem fecit. Solus ergo Petrus eas claues habuit, quibus ita aperiebatur, vt nemo clauderet; ita claudebatur, vt nemo aperiret; sicut in domo etiamsi aut omnes, aut multi suas habeant claues, solus tamen dominus & domi omnes, & secretas habet, quibus cum vult, ita claudit, vt nemo aperire, ita aperit, vt nemo possit claudere. Notauit hoc ipsum Origenes tractat. in Matth. 1. Sed veram, solidámque sententiam nimis subtiliter probando perdidit. Ait enim plus Petro, quàm cæteris Apostolis concessum fuisse. Hoc bene. Probat, quia cæteris Apostolis dictum est; *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Petro verò, *quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, quasi Petrus in omnibus cælis, alij Apostoli in vno soluendi potestatem acceperint. Hoc nimis subtiliter. Tertius Caluinistarum hoc loco error est, hanc potestatem, quæ Petro data est, eius successoribus non item datam esse. Itaque quamuis cõcedatur Petrum Ecclesiæ principatum habuisse, inde tamen probari non posse eundem principatum eius habere successores, & quidem idipsum in lib. de pudicitia Tertull. dicere videtur, hanc potestatem soli Petro *personaliter*, vt eius verat verbo, fuisse concessam. Sed bene est, quod id Tertull. non Catholicus, sed hæreticus dixit, cùm iam ab Ecclesia ad Montanistarum castra trãsfugisset. Admonet enim Hieronym. in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis librum illum de pudicitia à Tertulliano aduersus Ecclesiam fuisse conscriptum; confirmat ergo magnopere opinionem nostrã, quòd nemo id vnquam, nisi hæreticus, id est Caluinistarum similis dixerit. Nam & Montanistæ Caluinistarum in hoc similes erant, quòd & illi se Spiritum sanctum habere faterentur, vt ex eodem Tertulliani libro satis apparet. Probauimus idem per claues, & per petrã super quam Ecclesiam Christus ædificauit, significari. Quis tam sit amens, vt credat Christum Ecclesiam immortalem super mortalem hominem ædificasse, quo mortuo Ecclesiam corruere necesse esset? Non ergo super solum Petrum, sed super illum, & super omnes eius successores Ecclesiam fundauit; qui quoniam defuturi nunquam sunt, Ecclesia non corruet. Idem de clauibus, idem vt diximus, significantibus dicendum est. Præterea quorsum Christus soli Petro, non autem eius successoribus daret? Constituebat enim Ecclesiam instituebat officia, quæ vel imprudentissimus quisq; non in personarum honorem, sed in eiusdem Ecclesiæ vtilitatem instituisset. Tamdiu igitur erant, quamdiu Ecclesia ipsa duratura, maximèque illud, quod, vt omnium maximũ, ita omnium erat maximè necessarium principis Ecclesiæ, qui eius fundamentum futurus erat. Itaque, vt alia officia minora in posteros tranferenda non essent, tamen hoc transmitti ad successores necesse erat, atque ita omnes veteres auctores docuerunt. Quartus etiam est error, quod negant Romanum Pontificem esse Petri successorem; nec enim aut Petrum vnquam Romæ fuisse, aut, si fuisset, propterea colligi posse quicunque Romanus sit Pontifex eius esse cõtinuò successorem. Hunc errorem, quia locus proprius non est, non hîc aliter refutabimus, quàm vt iubeamus illos contra totum terrarum orbem pugnare. Nemo enim ante illos neque Catholicus, neque hæreticus auctor fuit, qui non affirmauerit & Petrum Romæ mortuum, & Romanos Pontifices eius successores esse. *Pugnabit ergo*, vt ait Sapiens, *pro illo orbis terrarum contra insipientes*. Quintus error est, quòd putant necessarium esse, vt Romani Pontifices Petro doctrina, & moribus similes sint, vt eius successores dici possint, qua ratione necesse etiam erat, vt Mathias Iudæ, cui successit, similis esset, quod dici sine risu non potest. Necesse etiam erat, vt Iudas aliis similis esset Apostolis, vt eandem atque illi, Apostoli dignitatem retineret. At Apostolus esse non desijt etiam tunc cum fur esset, & loculos haberet, etiam tum cùm in mensa discumbens de vendendo Christo cogitaret, etiam tum cùm vendidisset, antequam suspensus creparet medius, vt significat Petrus Actorum 1. 18. Quemadmodum ergo Mathias, quia in Iudæ locum electus est, quamuis multo illo melior, verus successor eius fuit: ita Iudas, si in Mathiæ locum electus fuisset, quamuis multo illo peior, eius fuisset tamen successor. Fingamus Romanum aliquem Pontificem talem esse, qualem isti in suis concionibus solent pingere: fingamus esse Iudam; successor tamen Petri esse non desinit.

Sap. 5. 21.

Et quodcunque ligaueris. Hæc etiam metaphora est, qua idem, quod duabus superioribus, significatur, suprema remittendi, aut retinendi peccata potestatem Petrum habuisse; nec enim eodem sensu, quo Petro, atque aliis Apostolis dictum interpretor, *quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*; etsi video omnes auctores præter Origenem in eadẽ fuisse sententia: sed eo sensu, quo super solum Petrum Ecclesia ædificata est, quo soli datæ sunt claues, vt ita liget, vt nemo soluere; ita soluat, vt nemo ligare possit. Quod ijsdem argumentis probari potest, quibus supra probauimus Ecclesiam super Petrum ædificatam, soliq; claues, id est Ecclesiæ principatum datum esse. Quæri autem solet in quo ligandi & soluendi potestas sita sit. D. Thomas in commentarijs tres de ea re errores vitandos esse moner. Primus est eorum, qui arroganter videntur existimasse posse sacerdotes quemlibet pro suo arbitrio ligare, aut soluere, & quicquid iure, vel iniuria fecerint, ratum in cælo futurum esse. Et verò si quis in sola verba animũ figat, id videbuntur præ se ferre, *quodcunque*, inquit, *ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*. At non ita est. Tantùm enim voluit Christus Petro imprimis, deinde cæteris Apostolis vices suas in terris dare, vt faceret, quod ipse, si in terris esset, facturus erat, & eodem modo, quo facturus erat, vt ligandos ligarent, soluendos soluerent. Hoc tantùm excepto, quòd Christus propria, Apostoli aliena, id est Christi virtute ligaturi erant, aut soluturi. Ex eo ergo ipso, quod suas illis vices tradit, intelligit debere eos, non pro ipsorũ, sed pro suo ipsius iudicio vel soluere, vel ligare; ita vt, quemadmodum rectè Cyprianus ait, iudicaturo Christo nemo præiudicet. Hoc est, quod Theologi dicunt, claue non errãte. Secũdus error est, ligare aut soluere nihil aliud esse, quàm homines aut iam à Deo ligatos, aut iam solutos declarare, sicut in veteri lege sacerdotes leprosos neque faciebant, neque curabant; sed aut verè leprosos, aut verè à lepra curatos declarabant. quẽ admodum videtur hoc loco Hieronymus docere, ex quo nonnulli Theologi eandem hauserunt opinionem, vt Rabanus, quem D. Thomas citat, & quidam de schola posteriores, quos Caluinistæ, vt solent scabrosa consectari, libenter secuti sunt. Sed hic error ex hoc ipso loco refutatur. Si enim non aliter sacerdotes, aut peccata soluerent, aut ligarent, non dixisset Christus, *quecunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*: sed quæcunque soluta erunt in cælis, soluetis su

In quo ligandi & soluendi potestas sita.

Epist. 52. ad Antonianum.

per ter

Universidad de Deusto
Biblioteca

per terram. Cùm autem è contrario dicat, quæcúque solueris super terram, erunt soluta & in cælis, apertissimè significat prius ab Apostolis super terram, quàm à Deo in cælis esse soluenda. Atque hoc fuit munus Apostolis dignum Christi personam referentibus, vt quemadmódum cum Christus ipse in terris versabatur, quæcunque soluebat super terram, soluebantur à patre & in cælis: ita eo in cælum recepto quidquid Apostoli super terram solu erent, & ab eo in cælis solueretur. Nec verò existimo aliàm fuisse Hieronymi sententiam, aut eum hunc errorem confirmare: sed illum tantùm priorem, de quo iam diximus, refutare voluisse. Tertius error est, cum in peccato sint duo, culpa, & reatus pœnæ æternæ, ab vtroque hominem per contritionem absolui æterna pœna in temporalem commutata; sacerdotes verò, cum absoluunt, nihil aliud facere, quàm aliquid de illa ipsa temporali pœna minuere. Hoc etiam facilè refellitur: dicit enim Christus apud Ioannem, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; Sacerdotes igitur non à pœna solùm, sed à culpa etiam absoluunt. Nec id magis mirum videri debet per sacramentum pœnitentiæ, quàm per sacramentum Baptismi posse facere sacerdotes; quemadmodum D. Ambrosius aduersus Nouatianos disputans lib. 1. de pœnitentia cap. 2. docuit. Potest obijci sacerdotes, cum ligant, non facere homines peccatores, sed declarare; ergo & cum absoluunt, non facere iustos, sed iustos iam esse, & à peccatis absolutos testificari. Respõdeo non bene sequi, quia potestas ligandi, & soluendi non est propter iustos, sed propter peccatores Apostolis data. Nam eos, qui iusti, id est soluti sunt, Deus ligari non vult. Eos autem qui peccatores id est, ligati sunt, solui cupit, si digni; vel ligari, si indigni sint: propterea non possunt sacerdotes eodem modo ligare, atque soluere: sed soluunt verè soluendo, ligant non soluendo. id est quemadmodum Ioannes loquitur, non faciendo, sed retinendo peccata.

Ioan. 20. 23.

Potestas clauium etiam in mortuos extenditur. Cypria. epist. 66

Super terram.) Sunt qui colligant ex hoc loco Ecclesiæ potestatem ad ligandum, atque soluendum ad mortuos non pertinere, quia super terram, id est, sub Ecclesiæ iurisdictione non sunt, vt ait Strabus auctor glossæ, quam vocant ordinariæ; quod, an verum sit, non est hic locus subtiliter disputandi, tantùm dico ex hoc loco colligi non posse, illud enim *super terram*, non est ad eos, qui ligantur, aut soluuntur, sed ad eos, qui ligantur, aut soluuntur, referendum; quasi dicat Christus, quicquid vos super terram habitantes solueritis, aut ligaueritis, solutum, vel ligatum erit à Deo qui habitat in cælis; aut breuius, quidquid solutum vel ligatum fuerit à vobis hominibus, solutum, & ligatum erit à Deo. Nam per terram homines, per cælos Deus significatur, estque elegans antithesis, qua propter summa distantiam, quæ inter cælum & terram est, potestas Apostolis data cõmendatur. Quemadmodum si quis princeps alicui diceret, quidquid vel apud Indos egeris, ratum habebo, indicans quantopere illi confidat, & quam amplam illi cõcedat potestatem. Minus enim solemus habere ratum, quod nostro nomine per alium fit, nobis procul absentibus quàm quod præsentibus, aut prope commorantibus nobis fit. Solent enim serui, quò longiùs dominus abest, eò maiore vti licentia, sicut parabola illa Euangelica significatur. Matthæi 24. 48. 49. vbi malus ille seruus Regis ait, *moram facit dominus meus venire, & cœpit percutere conseruos suos, & manducare, & bibere cum ebriosis.* Duo tamen certa fixáque esse debent; alterum, Ecclesiam potestatem habere etiam mortuos excommunicandi, id est, ius priuandi suffragijs, quod ex D. Cypriano, & Augustino semper factum fuisse constat; alterum, hanc Eccl. siam habere potestatem vt eos, qui in purgatorio sunt, suffragijs suis liberare possit. Porro hic locus est, ex quo Confessionis Ecclesiasticæ vsus apertissimè probatur. Nam non potuit hæc potestas Apostolis data sine peccatorum cognitione exerceri; nec peccata, quia plerúmque occulta sunt, sine propria eius, qui peccauit, confessione cognosci. Itaque ex hoc loco omnes veteres auctores confessionis, ac pœnitentiæ vsum collegerunt, vt Cyprianus in serm. de lapsis, Athanasius homil. in illa verba, Ite in castellum quod contra vos est, Basilius in epist. ad Amphilochium Addo etiam, Christum his verbis non solùm potestatem absoluendi Apostolis tradidisse, sed etiam confitendi præceptum omnibus dedisse Christianis. Sensus enim est, non solùm fore, vt quicquid Apostoli soluerint in terra, & ipse soluat in cælo, sed præterea significat, nihil se soluturum, aut ligaturum in cælo, nisi quod eius Apostoli, aut eorum successores aut soluerint, aut ligauerint super terram. Dat enim illis suam ipsius potestatem, vt pro se Ecclesiam gubernent. Itaque quicúque peccatorum solutione indigebunt, vult, vt ad Apostolos, vel eorum successores, tanquam ad seipsum, si in terris esset, veniant. & ab illis peccata confessi solutionem petant. Quemadmodum si ille in terris versaretur neminem à peccatis absolueret, nisi sua prius peccata confiteretur: sed ille, quia Deus, sine sacramento; Apostoli, quia homines erant, non nisi per sacramentum, tanquam Christi manum, soluere poterant. Hoc tale est, quemadmodú si quis princeps aliquem pro se in longinquam prouinciam gubernatorem mittens illi diceret, quidquid egeris, probatũ habebo, eo ipso eius prouinciæ hominibus præceptum daret, vt quicúque aliquid litis haberent, ad illum tanquam ad seipsum venirent, & coram illo causas suas agerent: non quod se potestate sua spoliauerit, quominus possit & ipse cum velit causas cognoscere, & de rebus omnibus iudicare: sed quòd ordinariæ potestatis vsum in gubernatorem transtulerit, extraordinariè sibi reseruauerit. Sic intelligo Christum ordinariam suam potestatem in Apostolos transtulisse, extraordinariam sibi reseruasse. Ordinaria enim remedia in Ecclesia ad remittenda peccata sunt ab eo instituta sacramẽta illa ne quibus homines peccata remittere non possunt. Christus potest, sed extraordinariè, & multò rarius facit, quam per sacramẽta. Noluit igitur homines extraordinarijs remedijs remissionis peccatorum confidere, quæ & rara sunt, & incerta; sed ordinaria, &, vt ita dicam, visibilia sacramentorum quærere remedia. Quare sicut Baptismi, & Eucharistiæ, ita confessionis & Pœnitentiæ præceptum dedit.

20. *Vt nemini dicerent.*) Cur Christus tam sæpe vetuerit vulgari, quæ faciebat, quæq; ipsum Deum esse declarabant, diximus c. 8. 4. c. 9. 30. cur autem hoc loco id vetuerit Marcus cap. 8. 30. & Luc. in cap. 9. 22. & hoc ipso loco Matth. ver. sequenti docent. Omnes enim hi tres Euangelistæ narrant Christum statim atque Petrus illum filium Dei viui confessus esset exponere cœpisse, quomodo Ierosolymis multa passurus, ac moriturus esset, ex qua narrationis cõsequantia colligitur ideo noluisse, vt Apostoli se filium Dei esse promulgarent, ne, qui id audiuissent, si pòst eum morientem vidissent, infirmitate carnis eius offensi fidem perderent. Nam eo in cruce pendente nonnullos ex ijs, qui eum filium Dei esse audierant, dixisse legimus, *si filius Dei es, descende de cruce*, infra cap. 27. 40. Noluit ergo Christus, vt quod se moriente paucis accidit, omnibus accideret. Hanc rationem Chrysost. Hieron. & Beda afferunt. Duplex autẽ occurrit quæstio, altera cur supra c. 10. 7. miserit Apostolos regnum

Dei prædicare, quod nihil aliud erat, quàm aduentus filij Dei. Altera cur ipse tam sæpe, aut se filium Dei, aut Deum patrem suum appellauerit, si nolebat, vt filium esse Dei homines scirent. Hæreticus interpres, qui missionem illam temporalem tantùm fuisse respondet, nihil mihi ad rem videtur respondere. Quid enim refert aut temporalem, aut perpetuam missionem fuisse, si aduentum filij Dei prædicabant? Origenes tractat. 1. in Matth. respondet Apostolos, non Christum, sed regnum Dei prædicasse. Hieronym. è contrario prædicasse quidem Christum, sed non Iesum, id est docuisse illum virum esse iustum prophetam, inaudita miracula faciẽtem, Messiam à Deo promissum; sed non docuisse illum esse filium Dei viui, id est verum & naturalem Deum, qualem nunc Petrus confessus est; quia id ne ipsi quidem tunc Apostoli, fortassi intelligebant; hoc autem loco prohibuisse, ne se Iesum Christum esse dicerent, vt in plerisq; legitur exemplatibus, neque, vt nonnulli putant, abundar. Nam Iesus Dei, quia seruatorem significat; Christus hominis nomen est. Placet mihi hæc ratio, quemadmodum & Ambros. in c. 9. Lucæ, & Euthym. video placuisse. Illud certum nunquam Christum ante passionem suam Apostolis præcepisse, vt se filium Dei esse prædicarent; ipse verò nunquam satis apertè se filium Dei in publico declarauit: quia, cum aliquãdo offensi nonnulli essent; quòd Deum patrem suum appellasset, eorum opinionem ambiguitate nominis ludificauit, *nonne*, inquit, *scriptum est in lege vestra, ego dixi, Dij estis vos; si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius sum?* Ioan. 10. 34. 35. 36.

21. *Exinde.*) Interpretatio Hieronymi est, *Exinde*, id est, cum passus fuero. Sed manifestum est indicare Euangelistam voluisse Christum ex eo tempore, quo Petrus illum filium Dei esse confessus fuerat, cœpisse de futura sua morte verba facere, & non semel, sed sæpius Apostolos monere, quod futurum erat, quasi dicat ex eo tempore non tenuit Christus secretam futuram passionem suam, sed palam, apertéq; de ea loquebatur. Potest quæri, cur ex eo tempore potius, quàm ante. Causa in promptu est, quam & Chrysostomus, & Euthym. & Theopylact. indicant, quia ante nondum satis ab Apostolis, tanquam filius Dei naturalis, aut cognitus, aut publica confessione pronunciatus fuerat: & verendum erat, ne si de futuræ mortis suæ ignominia mentionem faceret, offenderentur & aut discederent, aut à cursu fidei retarderentur. At cur postea? Eadem nimirum de causa, quia cum se filium Dei confessi fuissent, idonei videbantur, vt futuræ mortis illis mysterium explicaretur. Atque adeo necessarium erat, vt id fieret, ne postea, si non prænoniti patienrem Christum viderent, de eius diuinitate dubitarent, quemadmodum Theophylactus obseruauit. Idem enim alibi in simili fecit causam Ioannis 6. 1. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini, absque synagogis faciens vos.* Aliam etiam alij rationem afferunt, vt discipulos suos Christus futuro exemplo ad patientiam præmuniret, quemadmodum ex ver. 24. colligitur, *si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ita Petrus epistola prima cap. 2. 21. inquit, *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

Oporteret.) Non absolutè, sed posito patris decreto quo hominũ genus per mortem filij sui constituerat liberare, pati, moriq; eum oportebat. Quo sensu ipse apud Luc. dixit c. 24. 46. *sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.*

22. *Et assumens eum.* καὶ προσλαβόμενος, quod omnes interpretantur segregans, aut subducens eum, quasi ausus non fuerit coram aliis Christum increpare. Ita Chrysostomus Hieronym. Beda, & Euthym. Ego semper existimaui phrasim esse Hebraicam similem Gallicæ, qua, cum significare Galli volunt aliquem erga alium increpatione vsum fuisse, solent dicere, *il le vous a pris*, sensúsque conuenit optimè, sed non audeo affirmare verum esse; quia non possum idoneis exemplis vsum phrasis Hebraicè confirmare, quamquam obseruaui in Numeris cap. 16. 1. verbum נקח id est accipere positum esse pro loqui, aut alloqui incipere; sicut hoc ipsum vérbum παρακαλεῖν, infra cap. 20. 17. ויקח קרח & accepit Core, quod Septuaginta verterunt καὶ ἐλάλησεν κορέ, & locutus est Core: quibus hęc interpretatio non placet, illa fortasse placebit, mihi certè non placet παραλαμβάνειν, aut προσλαμβάνειν, id est assumere, vel accipere sæpe in Apostolicis scriptis significare misereri, vt ad Rom. 14. 1. *infirmum autem in fide προσλαμβάνεσθε assumite*, id est miseremini, & c. 15. 7. *propter quod*, inquit, προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, assumite, aut, vt noster vertit interpres, *suscipite inuicem*, id est mutua alij in alios vtimini misericordia. Hic etiã sensus bene congruit, vt Petrus audita futura Christi passione commiseratione commotus, hoc est assumens eum cœperit dehortari. Quem sensum videtur Hieronymus secutus esse, assumens, inquit, illum in affectum suum.

Petri defensio contra Caluinistas.

Cœpit increpare.) Non reprehendentis, sed amici consulentis more, vt Beda & Euthymius annotarunt. Nam quod Caluinistarum interpretes insolentibus verbis Petrum reprehendunt, quasi stultè voluerit Christum à morte, ex qua salus nostra pendebat, reuocare, suo illi more faciunt. Petri fidem eleuant, vt plus ipsi, quàm ille, fidei habere videantur: sed si isti fidelissimi homines illic fuissent, vix fortasse quicquam credidissent; &, si ex eorum ingenio licet facere coniecturam, qui omnibus in rebus aut sensum aut, cùm se maximè humo attollunt, rationem, non fidem sequi solent, Christum, vt opinor, irrisissent. Alia modestia de Petro Chrysostomus, & Hieronymus hoc loco loquuntur. Nimirum quemadmodum paullo ante ver. 16. Christum filium Dei viui esse dicens maiorem, quàm cæteri Apostoli, fidem ostendit; ita nunc illum maiorem erga eũdem Christum amorem demonstrare.

Petri singularis amor erga Christum.

Absit a te Domine.) Non potuit noster interpres melius vertere, quod Græcè est ἵλεώς σοι, id est propitius tibi, ad verbum, vbi alij subintelligendum putãt, fis, alij, sit Deus, ego neutrum. Non enim dubito, quin Græcus Matthæi interpres ex Septuaginta eam phrasim fuerit mutuatus. Solent autem Septuaginta duobus in locis vertere ἵλεώς σοι, propitius tibi, aut cum Hebraicè est לְךָ חָלִילָה *pax vobis*, vt Genes. 43. 22. aut cum est חָלִילָה prohibitio, id est absit, vt 1. Reg. 14. 45. & 20. 2. 9. vox ergo abominantis est, & ne id eueniat, quod dictum est, deprecantis.

23. *Qui conuersus.*) Id est respiciens, vt Marcus c. 8. 33. exponit, *qui conuersus*, inquit, *& videns discipulos suos comminatus est Petro.* Fortasse Hebraismus est, quo contraria responsio significatur, quasi dicat Euangelista Petrum obiurgasse Christum quod pati vellet; Christum verò è contrario obiurgasse Petrũ, quòd se pati nollet, vt Psalmo 70. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me*, illud enim *conuersus* iterationem, & vicem contrariã significat, quemadmodum si diceret, tu me prius occidisti, idemque me postea è contrario viuificasti, & Psal. 84. 7. *Deus tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te*, id

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,quemadmodum tu prius nos occcidisti, ita nunc idem è contrario viuificabis.

Vade post me.(לך אחרי, Hebraica phrasis propriè significat sequere me,quemadmodum & Hilarius interpretatur. Quasi dicat potius deberes sequi, imitarique passionẽ meam, quàm me ab ea reuocare. Simili etiam sententia Origen.tract.1. in Matth. & Hieronym.in comment. interpretantur, *vade post me*, id est sequere potius meam sententiam, quàm tuam, quemadmodum & D.August.serm.13.de verbis Domini secundú Matth.videtur intellexisse. Vertit enim *redi post me*. Sed hoc loco dubium non est,quin oratio sit facessere iubentis, quemadmodum Satanæ idem Christus dixit cap.10.*vade post me Satana*.Nam quod superiores auctores annotarunt, diabolo non dixisse *vade post me*,sed tantùm *vade*;Petro autem dixisse *post me*, non satis est firmum,& quia idem significat,*vade*, & *vade post me*, & quia etiam cap. 4. 10. quemadmodum illic annotauimus in multis Græcis codicibus legitur ὀπίσω μου, *post me*.

Quo sensu Petrus à Christo Satanas vocatus.

Satana.) D.Hilarius veritus est existimare Satanæ nomen Petro tributum. Itaque sic verba distinguit *vade post me*, vt hactenus cum Petro Christus loquatur. deinde quasi ad diaboli, qui eam Petro opinionem suggereret, vt ipsum, ne moreretur, impediret, conuersus dicat *Satana scandalũ es mihi*. Quod eò magis miror,quòd idem Hilarius in comment.in Psalm. 131. Petrum ipsum dicat Satanam appellatum.Neque de eo alius quisquam dubitauit. Meritò admirari aliquis potest,quod & D.Augu.serm.13. de verbis Domini secundùm Matth. admiratur, cur Christus tam breui interuallo eundem Petrum,& beatum,& Satanam appellauit. Respondet Hieronym. nondum Ecclesiam super illum ædificatam fuisse : propterea errasse:propterea Satanam vocari potuisse. Respondent August.& Theophylactus beatum, cum non caro & sanguis,sed pater,qui in cælis est,illi reuelauit : Satanam,cum non ea,quæ Dei,sed quæ hominum erant, sapiebat,vocatum fuisse.Impudentes nostri temporis hæretici sunt,qui in hunc solum titulum Romanum Pontificem Petro successisse dictitant. Si, inquiunt, Petrum Christus Satanam appellauit, quo nomine Romanum Pontificem appellauisset?Respondeo, *Tu es Petrus,& super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam.* Rogóque vicissim eos, si Petrum Apostolorum principem Satanam appellauit, quo nomine Lutherum, quo nomine Caluinum non hæreticos tantùm, sed pernicios issimos hæresiarchas appellasset? Non ergo Petrum Satanã quasi proprio diaboli, sed quasi communi aduersarij nomine vocauit, quia sibi pro omnibus hominibus mori volenti aduersabatur. At cur tam acriter reprehendit?non tam quòd Petri culpa, si qua tamen fuit, quàm quòd rei, de qua agebatur, magnitudo meretabatur.

Romani Pontifex ad hæreticorum conuicio vindicatur.

24. *Tunc.*) Ante quàm Petrum reprehenderet, vt mihi videtur ex Luca colligi,qui hæc verba ante Petri reprehensionem posuit c.9.23.quamuis Chrysost. & Theophylacto secus videatur.

Discipulis. Luc. ait, *dicebat autem ad omnes* & Marcus cap.8.34. *& conuocata turba cum discipulis suis dixit eis*:quam Euangelistarum dissensionem duobus modis interpretor, aut Christum præsentibus turbis, & quasi testibus aduocatis id dixisse solis Apostolis;aut præ:què Apostolis dictũ voluisse;turbam verò, quæ aderat,quod Apostolis dicebatur,sibi dictum putasse.

Liberum arbitrij.

Si quis vult.) Rectè Chrysost. Euthym. & Theophylactus admonuerunt liberum ex his verbis arbitrium,quod tuetur.

Quid abnegare seipsum.

Abneget semetipsum.) Quid sit seipsum abnegare, variè interpretes exponunt. Hieronym. & Beda hoc loco, & Gregor.homil.10. in Ezechielem existimant nihil aliud esse seipsum abnegare,quàm veterem hominem exuere,induere nouum. *Tunc*,inquit Beda,*nos abnegamus,cum vitamus, quod per vetustatem fuimus & annuimur, quo per nouitatem vocamur.*Sed manifestum est hoc loco non de moribus,sed de mortibus agi, vt ver.25. declaratur. *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me,inueniet eam.* Melius Chrysostomus, quid sit nos ipsos abnegare ex aliorum abnegatione admonet intelligendum. Alios abnegare est illos contemnere,atque deserere nullam eorum habere rationem, nullam curam,pro nihilo eorum vitam ducere. Hoc idem est seipsum abnegare nullam sui habere rationem;vitam suam,cum opus est pro Christo contemnere, vt ver. 25. declaratur. Vocat enim *seipsum* non animam,sed vitam corporis,quam cõtemnere oportet, vt animam viuat : quia *qui voluerit animã suam*, id est vitam corporis *saluam faceret perdet eam*,id est vitam animæ vt cap.10.39.explicauimus.

26. *Animæ vero suæ detrimentum patiatur.*) τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ, id est anima verò sua mulcretur, metaphora de foro sumpta, in quo si quis de possessione aliqua, quantumuis locupleti, & de vita litigaret,nihil lucraretur, si possessionem quidem obtineret,sed vitam perderet. Nam & hoc loco de iudicio agitur ; sequitur enim statim ver. 27. *filius enim hominis venturus est in gloria patris cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.*

Aut quam dabit commutationem.) ἀντάλλαγμα, compensationem pro anima sua, id est pro vita sua ; metaphora etiam est, aut à iudicio, aut à bello sumpta nam & in iudicio aliquando,qui capite damnatus est, pecuniæ magnitudine vitam redimit, aut quia vita corporis quoquo modo pecunia æstimari potest ; aut quia pecunia iudices corrumpuntur : at pro æterna animæ vita nulla in Dei iudicio pecunia, nulla compensatio dari potest, neque Deus, qui iudex futurus est, corrumpi muneribus.Et in bello solent homines cum victi sunt, vitam pretio à victoribus emere ; sed in iudicio vitam animæ emere non poterunt. Quam enim commutationem dabunt pro anima sua? Laudat ergo Christus nominis ambiguitate, & tacitè à vita corporis ad animæ vitam argumentatur. Vtrumque enim nomen *animæ* significat,sicut ver.præcedenti,& & cap.10, 38. 39. quasi dicat quemadmodum pro vita corporis in bello, vel in iudicio nullam satis dignam compensationem quisquam dare potest. ita & multò etiam minus pro vita animæ.Quòd autem dicit *homo*, Hebraismus est pro *quisquam*. Sic enim solent Septuaginta vertere vbi est Hebraicè איש, id est vir, qui pro *quisquam* apud illos ponitur, vt Iudicum 2.21. & 4.20. Ruth.3.3. & 1.Reg.17. 25. & 24. 20. & 4. Reg.18.21.

27. *Filius enim hominis.*)Putat D. Hieronymus hoc ad consolandos discipulos Christum dixisse ; quibus credo propterea addidisse hoc, quia de animæ commutatione mentionem fecerat, quæ ex forensi iudicio translata fuerat. Probat enim his verbis nullam pro anima commutationem dari posse,quia non quilibet iudex, sed filius hominis ad iudicandum vêtarus est;neque quolibet modo,sed in gloria patris sui, & cum angelis suis venturus est, ita vt bonorum nostrorum non indigeat. Cur autem filius hominis appelletur.diximus cap.8.20.

In gloria patris sui.)*In*,pro *cum*,ex Hebrçorum idiomate; gloriam autem non suam, sed patris sui vocat vel quia, etsi ipsius erat, pater tamen illi vnà cum natura dederat, vel, vt Chrysostomus, & Euthymius existimant, vt significet illam sibi communem esse cum patre.

cum patre.Nam & Angelos statim nõ patris sed suos vocat. Qui autem Angelorum dominus erat, verus Deus erat,communémque cum patre habebat gloriã: sed dicitur in gloria venturus,quasi tunc in gloria nõ esset : quia quamuis eandem tunc gloriam haberet, tamen tunc occultabat, postea ostensurus erat.

Et tunc reddet vnicuique.)Hæc verba cap.10.41.exposuimus.

28.*Sunt quidam de hic stantibus.*) Id est ex iis.qui hìc adsunt.vt cap.6.5. docuimus standi verbum in sacris litteris non semper statum corporis, sed aliquando solam præsentiam significare, sicut & Hispani stare pro adesse solent dicere.

Qui non gustabunt mortem.) Id est non morientur; Hebraismus,qualis apud Luc. c.9.27.Ioan cap.2.52.& apud D.Paulum ad Hebræos 2.9.quamuis Hebrçi potius soleant dicere ראה מות videre mortem, quàm gustare Psalmo 88.49. *Quis est homo, qui viuet,& non videbit mortem.* Cæterum quia videre apud Hebræos שראה gustare,quàm videre,solent ita loqui scriptores Ecclesiastici.Hoc Ambros.in c.9.Lucæ de morte animæ intelligendum putat,quasi dicat Christus nonnullos illic esse,qui condemnandi non erunt, cum filius hominis venerit : aut qui peccaturi amplius non sunt, donec filium hominis venientem videant:quod coactum admodum est.

In regno suo.) Quid Christus hoc loco per regnum suum intelligat, interpretú sententiæ mirum in modum variant. Nonnulli de vltimo iudicio interpretantur,de quo ver.præcedenti dixerat, *filius enim hominis venturus est in gloria patris sui*,id que videtur esse valdè consequens, sed quomodo aliqui ex iis, qui astabant.vsque ad diem iudicij morituri non essent, id non satis est consequens.Quidam de Ioanne Euangelista id dictum volunt,quem credunt mortuum nõ esse, quod apud alium auctorem, quàm apud Strabum non inuenio, neque scripturæ consentaneum est ; ipse enim Ioannes videtur cap.21.23. hanc de se vulgo conceptam opinionem refutare. Alij de tempore illo,quod post Christi resurrectionem fuit interpretantur : id enim,quia tunc gloriosus resurrexit, regnum Dei vocari solet,vt infra c.26.29. Et Marci 14.25.& Lucæ 22.29.30. quod plerisque nouis interpretibus placuisse video : mihi verò nullo modo placet.& quia id Christus regnum Dei,quia iam diabolus victus erat, sed non regnum suum quia nondum in gloria sua venerat appellare solet,& quia si id diceret,nihil diceret.Quid enim magni erat nonnullos ex discipulis suis morituros non esse.prius quàm ipsũ resurgentem viderent,cùm non nonnulli,sed omnes viderint : hoc autem loco cum dicit, *sunt quidam de hic stantibus*, minimè obscurè significat non omnes discipulos,sed paucos tantùm,& electos eósque singulari priuilegio regnum illud suum, de quo loquebatur,prius quàm morerentur,visuros esse. itaque vera est omnium veterum auctorum interpretatio,Origenis tractatu 3.in Matth.Hilarij can.16.Chrysostomi, Hieronymi,Bedę,Theophylacti,& Euthymij in commentariis,Ambros.in cap.9. Lucæ,Augustini in caput 2. epistolæ ad Galatas, Remigij apud D. Thomam regnum Dei Christi transfigurationem appellari, quam non omnes,sed solus Petrus,Iacobus,& Ioannes, antequàm morerentur,videre meruerunt,quod vel ex eo probari potest,quòd statim omnes Euangelistæ subiungant,sex pòst diebus,Christum coram tribus illis Apostolis fuisse transfiguratum : præterquam quòd si nec de tempore iudicij,nec de tempore resurrectionis,vt probatum est,intelligi potest,necesse est.vt de transfiguratione intelligatur. Nam quod Beda,& Gregorius apud D.Thomam de Euangelij, Ecclesiæque propagatione interpretantur, alienum videtur. Vocat ergo Christus transfigurationem regnum suum,non quia propriè regnum, sed quia futuri regni imago erat. Potest autem meritò dubitari, cur Christus,tanquàm magni aliquid dicat nonnullos ex circunstantibus morituros non esse, antequam ipsius viderent regnum,si per regnum suum transfigurationem intelligebat,quæ sexto pòst die facta est; quo tempore non solum tres illi, qui viderunt, sed omnes etiam Apostoli superstites erant. Respondeo id ad futurum longè pòst regnum esse referendum, de quo ver.præcedenti locutus fuerat,*filius enim hominis venturus est in gloria patris sui*,ante cuius regni visionem non mori magnum profectò quiddam erat: sed illud ipsum regnum tres illi Apostoli non in ipso, sed in figura ; non præsens,sed per transennam ostensum viderunt.

Ioannes Euangelista an mortuus.

CAPVT XVII.

1. ET post dies sex assumpsit Iesus Petrum,& Iacobum,& Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum : 2. & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol : vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. 3. Et ecce apparuerunt illis Moyses,& Elias cum eo loquentes. 4. Respondens autem Petrus,dixit ad Iesum : Domine,bonum est nos hìc esse : si vis, faciamus hìc tria tabernacula,tibi vnum,Moysi vnum,& Eliæ vnum. 5. Adhuc eo loquente,ecce nubes lucida obumbrauit eos.Et ecce vox de nube,dicens : Hic est Filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui : ipsum audite. 6. Et audiens discipuli ceciderunt in faciem suam,& timuerunt valde. 7. Et accessit Iesus,& tetigit eos : dixitque eis : Surgite,& nolite timere. 8. Leuantes autem oculos suos,neminem viderunt, nisi solum Iesum. 9. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus,dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. 10. Et interrogauerunt eum discipuli,dicentes : Quid ergo Scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primum venire? 11. At ille respondens,ait eis: Elias quidem venturus est,& restituet omnia. 12. dico autem vobis,quia Elias iam venit,& non cognouerunt eum.sed fecerunt

Mar.9.a 2. Luc. 9.d. 28.

2.Pet.1.c. 17. Sup.3.d. 17. Mar 9.b. 11. Mal 4.d. 5. Sup.11.b. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mar. 9.c. 17. Luc. 9.c. 38.

in eo quæcumque voluerunt. Sed & Filius hominis passurus est ab eis. 13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis. 14. Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. 15. & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum: 16. Respondens autē Iesus, ait: O generatio incredula, & peruersa, quousque ero vobiscū? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. 17. Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. 18. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum? Luc.17.b. 6. *19. Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic. Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. 20. Hoc autem genus non ejcitur nisi per orationem, & ieiunium. 21. Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum:* Mar.9.c. 31. Luc. 9.c. 44. *22. & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. 23. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma?* Inf. 20.c. 18. *24. Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? 25. Et ille dixit. Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. 26. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.*

IN CAPVT XVII.

1. POST *dies sex.*) Idem tēpus ponit Marcus c.9.2. Lucas verò cap.9.28. post octo ferè dies id factum dicit, quod Hieron. Chrysost. Beda, Theoph. Euth. hoc loco, & August. lib.2. de consensu Euang. cap.56. ita soluunt; Matthæum, & Marcum eum diem, quo superiora gesta fuerant, non numerasse, Lucam verò numerasse. Potest & alio modo solui Lucam non præcisè, sed confusè notasse tempus, ideóque dixisse ferè.

A ab Herode pro Christo occisus est, Actor.12.2. quam rationem Origenes tractatu 3. in Matthæum, Ambrosius in cap.9. Lucæ, August. in cap.2. epistolæ ad Galatas, Hieronymus, Theophylactus, & Euthymius in commentariis reddunt. In eo autem Ambrosius & Augustinus memoria sunt lapsi, quòd existimauerint hunc Iacobum fratrem illum Domini fuisse, cùm Euangelistæ fratrem illum Ioannis Zebedæi filium fuisse dicant.

Assumpsit.) Multa hîc quæri possunt. Primò, cur Christus transfigurari voluerit, ad quam quæstionem Hilarius Chrysostomus, & Euthymius respondent id fecisse, vt discipulos mentione futuræ mortis suæ mœrentes consolaretur. Theophylactus verò, vt probaret, quod superiore capite ver.27. dixerat, se in gloria patris sui venturum esse; quod vtrumque probabilius est, quàm quod hæreticorum interpretes dicunt, voluisse ostendere se non inuitum, sed spontè sua moriturum, cùm tantam haberet gloriam. Alia quæstio est, cur non sit coram omnibus discipulis transfiguratus? Ratio ex vers.9. facile colligitur, vbi præcipit tribus illis Apostolis, qui ipsius gloriam conspicati fuerant, vt nemini visionem illam dicerent, donec filius hominis à mortuis resurgeret. Noluit ergo Christus gloriam suam vulgari ob eas causas, quas illic explicabimus. Tertia est, cur tribus, non pluribus, non paucioribus gloriam suam ostenderit? Ideo, vt opinor, quia volebat futuræ suæ gloriæ testes aliquos exstare; *in ore* autem *duorum, aut trium testium stabit omne verbum* Deuter. 19.15. & Matth.18. 16. Adde, quod ita accidit, vt tres haberet discipulos secretorum suorum maximè capaces; hos enim tres ad res magis secretas solebat adhibere, vt apparet ex Marco cap.14.33. Quarta, cur his potiùs, quàm aliis ostenderit, cuius rei vna modo exposita est ratio. Alia verò est, quòd Petrus & primus Apostolorum esset, & maximè ipsum amaret: Ioannem verò ipse amaret maximè; Iacobus autem post Petrum ex primis esset, & fide ardentissimus. Itaque primus omnium

Cur Christus transfiguratus

Cur Christus coram paucis, & tribus Apostolis transfiguratus

B

C

In montem excelsum.) Quis hic mons fuerit Euangelistæ non dicunt, neque vllus, quod sciam, satis antiquus, & grauis auctor; vulgò tamen iamdiu inualuit opinio eum fuisse Tabor, quem D. Hieronymus in locis Hebraicis in medio Galiææ campo esse dicit mira rotunditate sublimem. Siue is, siue alius mons fuerit, quæri videtur posse, cur vt gloriam suam demonstraret, in montem ascenderit: ratio vna eius rei ex Luca cap.9.28. colligitur; dicit enim ascendisse, vt oraret; solebat autem Christus orandi causa in montem ascendere, vbi & solitudo maior est, & cæli conspectus liberior, vt Matei 6.46. & Lucæ 6.12. Quod autem Luc. dicit ascendisse, vt oraret, non ita intelligendum arbitror, quasi ea tantum ascenderit causa, sed quia solebat in omnibus maioribus rebus orationem præmittere, antequàm gloriam suam ostenderet, orauit, & est verosimile, cum ab Apostolis discederet, non dixisse se transfigurationis, sed orationis causa in montem ascendere, ne remanentibus inuidiæ occasionem relinqueret. Accedit, quòd plerumque Dei gloria in montibus, qui cælo propinquiores sunt, & ab hominibus remotiores, non in vallibus ostenditur; sic enim Mosi in monte Sina Dei maiestas apparuit Exodi 19.11. & erat illa res, vt ait Hilarius, figura transfigurationis.

Cur transfiguratus in monte excelso.

Cur Moyses, & Elias in transfiguratione apparuerint.

2. *Et transfiguratus est.*) Putidè mihi videtur hæreticus quidam interpres transtulisse, & transformatus est, cum Græcum verbū μετεμορφώθη, non magis transformari, quàm transfigurari significet, & transformandi verbum nec magis vsitatum, quàm transfigurandi Latinis sit, quo sæpe Plinius, Quintilianus, & Suetonius

Lib.inf. c. 2. in Nyrene c.28

Vulgata editio de fenditur.

nius vtuntur & periculosam includat ambiguitatem. Potest enim & ad externam figuram, & ad essentialem, quam vocant, formam referri, cùm manifestum sit, vt Hieronymus admonet, Christum non corporis sui naturam, sed externam tantùm speciem, figuramque mutauisse.

Sicut nix.) Omnia ferè Græcorū exemplaria legunt, ὡς τὸ φῶς sicut lux: nostrum interpretem legisse constat ex τὸν χιόνα sicut niuē, quemadmodum & in nonnullis Græcis codicibus legitur: eāmque lectionē omninò probandam existimo, & quia Marc. c.9.3. ita etiam scribit, & quia Hilarius, & omnes veteres auctores ita legunt; & quia comparatio similior & magis est vsitata; non enim, quæ alba sunt, solemus lumini, sed niui cōparare: splendida lumini comparamus; beatorum autem gloria albis vestibus significari solet, vt Apoc. c.1.14. & 3.4.5.18. & 4.4. & 6.11. & 7.9.13. & 19.14. Fuerunt nostro tempore viri eruditissimi duo, qui existimauerunt Apostolos in transfiguratione Christi vidisse diuinitatem. In quam sententiam & plurimos auctores veteres, & Ecclesiasticum hymnum, quasi ita sentiat Ecclesia, proferre solent.

Apostoli diuinitatē in Christo transfiguratione vidērunt. Prudentius in hymno de Epiphania.

Illustre quiddam cernimus,
Quod nescias finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cælo, & Chao.

Minimè tamen illis assentior, neque vllum veterem auctorem ita sensisse credo, & ira sentire periculosum esse arbitror. Nam omnes illi, qui citantur veteres auctores, nihil aliud dicere voluerunt, quàm Apostolos Christi diuinitatem, id est diuinitatis signum oculis conspexisse. Argumentabantur enim aduersus Arianos, vt Christi diuinitatem inde probarent, & in illo ipso hymno, quem proferunt, Ecclesiastico id etiam explicatur.

Quicunque Christum quæritis,
Oculos in altum tollite;
Illic licebit vidēre
Signum perennis gloriæ.

Non igitur Christus diuinitatem suam, quæ corporeis oculis videri non potuit, sed diuinitatis speciem, & corporis gloriam ostendit, quemadmodum & hoc loco Hieronymus indicat, & D. Thomas in Theologiæ Summa subtiliter explicauit, quam legere, qui subtiliora desiderant, Theologi debent.

3.q.45. art.1.

3. *Moyses & Elias.*) Cur voluerit Christus aliquos ex alio mundo suæ transfigurationis testes adesse, meritò quæri potest. Hilarius respondet, vt resurrectionis fides suscitato Moyse confirmaretur: cæterum non de resurrectione, sed de futuro Christi regno quæstio erat. Itaque duabus de causis interfuisse arbitror: altera, ne res Apostolis ficta videretur: altera, vt futurū Christi regnum ad viuum repræsentaretur, sub cuius aduentum duos testes mittendos esse testatur Ioannes in Apoc. c.11.3. Cur autem hos potiùs duos, quàm alios voluerit adesse, omnes veteres auctores hanc causam fuisse putant, vt per Moysem lex, per Eliam Prophetæ significarentur, legémque, & Prophetas in Christum tendere, in eóque terminari doceremur, Tertul. lib. aduersus Marcionem 4. hinc Marcionistas refellens Christum legi, & Prophetis non esse contrarium, Hilar. Chrys. Hieron. Beda, & Euthy. hoc loco, & Ambros. in cap.9. Lucæ, & Augustin. in lib. de quinque hæresibus cap.7. Alias idem Chrysost. & Euthym. rationes adferunt, quia multa vterque, & Moyses, & Elias miracula fecerat, & quia alij dicebant Christum esse Eliam, alij vnum ex antiquis Prophetis, Moyses autem antiquissimus fuit; & vt ostenderet vitæ, & mortis se dominum esse, qui & adhuc viuentem Eliam, & iam mortuum Moysem testes excitaret. Similè est, quod Hieronymus dicit, Scribis, & Pharisæis signum de cælo petentibus, & de cælo Elia deuocato, & de inferno suscitato Moyse signum dare voluisse. Alij, vt Moysis mansuetudinem, Eliæque zelum discipuli imitarentur, vt Euthymius exponit; Tertullian. autem in lib. aduersus Praxeam putat impletum esse, quod Deus promiserat in Numeris cap.12.8. se cum Moyse ore ad os locuturum esse. Verissimam ego causam, cur Moyses, & Elias apparuerint, esse arbitror, quam doctus quidam nostri temporis interpres indicauit, quòd voluerit Christus futuri aduentus sui imaginem representare; ante secundum autem eius aduentum Moyses, & Elias venturi sint, quemadmodum ex Apocal. c.11.3.4.5.6. haud obscurè colligitur, *& dabo*, inquit, *duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis, hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu domini stantes, & si quis eis nocere voluerit, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum*, quibus verbis Elias: *& potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint*, quibus verbis Moyses apertè describitur. Solet quæri, an verè apparuerint. Ita quidem omnes, quos ego quidem legi, auctores sentiunt. Strabum, & D. Thomam excipio; quorū ille in comment. in cap.9. Lucæ existimat non verè ipsos, sed ipsorum imagines apparuisse: hic verò in commentariis ad hunc locum Eliam quidem, quia mortuus non erat, verè adfuisse; Moysem autem, quia mortuus erat, non verum, & integrum; sed eius tantùm animam non proprio, sed alieno aliquo assumpto corpore apparuisse. Probabilius, quod omnes alij sentiunt auctores, vtrumque verum, vtrumque integrum fuisse. Nec enim conueniebat, vt mendacio veritas probaretur; & erat rationi consentaneum, vt quemadmodum Christus non falsam, & adumbratam, sed veram, & expressam gloriam ostendebat; sic non falsis, & imaginariis, sed veris confirmaretur testibus Quæritur etiam à quibusdam, quomodo Apostoli Moysem, & Eliam, quos nunquam viderant, cognoscere potuerint. Respondet Euthymius in antiquis Hebræorum libris eorum formas fuisse descriptas, vel ex traditione cognitum vulgò fuisse, qua fuissent forma. Theophylactus verò ex colloquiis, quæ inter se miscebant, ab Apostolis cognitos fuisse putat; nam fortasse, inquit, Moyses dicebat, Tu es, cuius ego passionem occiso agno, & celebrato Pascha præfiguraui. Elias verò Tu es, cuius ego resurrectionem suscitato viduæ filio significaui. Scribit quidem Lucas c.9.30. 31. sermones suos inter se aliquos miscuisse, non de his tamen rebus, *sed dicebant*, inquit, *excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem*; ideo, vt opinor, vt quod Christus de sua futura morte paullò antè prædixerat, confirmarent, & Apostoli offendi desinerent. Fieri etiam potest, quod alij dicunt, vt interna Dei inspiratione cognouerint. Narrat idem Lucas Petrum, & qui cum eo erant grauatos fuisse somno, quem Chrysost. non verum somnum, sed stuporem interpretatur, quod vero valde simile est; quomodo enim in tanta gloria dormirent? Nisi fortasse interim, dum Christus orabat, dormire cœperint, quemadmodum passionis tempore fecerunt cap.26.40.43. idque diuino permissu, vt interim & Moyses, & Elias venirent, & sese Christus transfiguraret. Quod & Luc. indicat dicens, *& euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo.*

Moyses in vero corpore in transfiguratione apparuit.

4. *Respondens.*) Hebraismus est respondere proloqui, vt sæpe iam explicauimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Faciamus hic tria tabernacula.) de se, & aliis Apostolis mentionem non facit, de solo Christo, Moyse, & Elia solicitus. Dubitatur à quibusdam, cur tabernacula facere voluerit, & in eo loco manere. Respondent Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius metu Iudæorum id cogitasse, atque dixisse ne Christus, quemadmodum paullò antè dixerat, in eorum manus traderetur; quasi in summo monte latere posset, &, si opus esset, à Moyse, & Elia defendi, quorum alter Ægyptios, & Amalechitas: alter duos, aut tres Centuriones cum ipsorum militibus deuocato cælitus igne consumpserat. Sed hæc cogitatio vix Petro videtur digna. Vera igitur causa fuit, quam Petrus ipse indicat dicens, *bonum est nos hic esse.* Bonum enim non vtile, aut tutum, vt auctores illi interpretantur, sed iucundum vocat, quemadmodum Galli dicunt, *il faict bean estre icy.* Placuerat enim illi gloriosus ille Christi, Moysis, & Eliæ status, in quo eos permansuros credebat, si semper in monte commorarentur. Aliam videtur causam cap. 9. 33. Lucas indicare; ait enim Petrum hoc dixisse, cùm vidisset Moysem, & Eliam discessisse, quasi eos discedere doleret, vellétque ibi semper manere. Marcus cap. 9. 6. & Lucas cap. 9. 33. annotant Petrum nescisse, quid diceret: vnde Caluinistæ more suo occasionem arripiunt Petrum imprudenter accusandi, quasi Moysem & Eliam Christi collegas, illique pares facere voluerit; quod ne in mentem quidem illi venit; neque propterea Euangelistæ dixerunt illum, quid diceret, nescisse, quòd quicquam contra fidem locutus sit, sed quòd rude, & quasi puerile desiderium magni amoris signum declarauerit, non considerans illis, qui tam gloriosi essent, opus non esse tabernaculis. Non autem considerauit, quia propter gloriæ magnitudinem, quam cõspexerat, obstupefactus erat: *erant enim*, inquit Marcus, *timore exterriti.* Iuuat videre quantò verius, quantóque meliore spiritu D. Ambr. quàm Caluinus Petri factum interpretetur. Is in c. 9. l. ucæ his verbis scribit, *Bonum est*, inquit, *nos hîc esse. Hinc & ille, Dissolui, & cum Christo esse multo melius. Nec laudasse contentus non solum affectu, sed etiam factorum deuotione præstantior ad exædificanda tabernacula tria impiger operarius communis obsequij ministerium pollicetur. Et quamuis nesciret, quid diceret, tamen pollicebatur officium: in quo non inconsulta petulantia, sed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit: quod promittebat, deuotionis.*

Caluinus in harm. Petrus aduersus Caluini petulantiã defenditur.

Philipp. 1 23.

5. Ecce nubes lucida.) In nube solere Dei majestatem ostendi innumeris locis patet. Exodi. 16. 10. & 19. 9. 16. & 24. 15, 16. & 33. 9. 10. & 34. 5. & 40. 32. 33. 34. 36. Vnde & Dauid dicit Psalmo 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum:* & Christus ad demonstrandam maiestatem suam dicitur ad iudicium in nubibus cæli venturus esse, infra cap. 24. 30. 26. 64. Cur id fiat, facilis coniectura est; nubes res est cælestis; declaratur ergo per nubem diuina majestas, vt verus Deus, qui loquitur, cælique dominator, non falsus, non terrenus esse significetur. Atque hæc fuit causa, cur hoc loco nubes descenderit, vt vox illa, quæ audita est, *Hic est filius meus dilectus*, non alius, quàm Dei esse crederetur, quemadmodum Euthymius animaduertit. Illa etiam fortassis, quam reddit Ambros. vt Apostoli Dei loquentis majestatem interposita nube ferre possent: nam eandem ob causam Moysi per nubem locutum legimus. Annotarunt Chrysost. & Theophylactus hanc nubem lucidam fuisse, non qualis in vetere testamento esse solebat, caliginosam; quia Deus non ad terrendum, sed ad docendum descendebat. Laudo allegoriæ subtilitatem: sed potiùs propterea lucidam fuisse credo, vt rei, quæ agebatur, id est Christi gloriæ, transfiguratione conueniret.

Et ecce vox de cælo dicens.) Rectè Chrysostomus obseruauit hanc vocem, postquàm Moyses, & Elias discessissent, emissam fuisse, vt dubiũ non esset non ad alium quàm ad solum Christum esse referendam.

Hic est filius meus.) Ambros. & Hieronym. existimant in pronomine *hic* emphasim esse, quasi dicat, non Moyses, non Elias, sed hic est filius meus. Idem hæreticorum interpretes, sed peruerso animo dicunt, vt Petrum, quasi Moysem & Eliam Chrysto æquantem carpant. Ego emphasim quidem in eo pronomine, sed aliam esse arbitror. Neque enim Apostoli dubitabant non Moysem, non Eliam, sed Christum filium esse Dei viui, cùm paullò antè, cùm nondum Christi gloriam vidissent, id Petrus confessus esset. Itaque non opus erat, vt Christus à Moyse, & Elia cælesti voce discerneretur. Hæc igitur est emphasis *hic*, id est quem fulgentem, vt solem, quem gloriosum vidistis, est filius meus. Non enim hæc vos ad docendos discipulos Christum esse filium Dei missa est: sed ad docendum, qualis venturus esset, & confirmandum, quod cap. 16. 27. Christus dixerat *filius enim hominis venturus est in gloria patris sui*, & ad comprobandam Petri confessionem ver. 16. *Tu es Christus filius Dei viui*, vt aliis futuri regni Christi actoribus esset testis, quemadmodum ipse testatur 2. epist. c. 1. 18. *Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Hunc locum supra tractauimus cap 3. 17.

Ipsum audite.) Constituit, aut esse indicat Christum legislatorem, cui obediendum sit. Audire enim hoc loco Hebræorum more significat obedire. Sic Psal. 2. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius.* Tert. lib. 4 contra Marcionem ad hunc modum interpretatur, *ipsum audite*, id est, non Moysem, neque Elima, quasi hoc loco lex, & Prophetæ abrogatæ sint. Caluinistæ verò hæc verba in memoria figenda esse monent, ne aliumquàm ipsum Christum audiamus. Boni sanè consiliarij, quorum consilium vtinam diligentius sequeremur, ne vllos vnquam hæreticos audiremus: nullum enim illi auditorem haberent.

Lex Moysi.

6. Ceciderunt in faciem suam.) Ineptè quidam Caluinistarum interpres exponit Apostolos audita voce in terram adorabundos cecidisse: id enim Hebraicam phrasim significare נפל על פנים *cadere in faciem.* Quod, vt plerumque verum sit; semper tamen verum non est. Nam 1. Re. 17. 49. Goliath *in faciem cecidisse* dicitur non adorans, sed moriens, & Daniel capit. 8. 17. & 10. 9. etiam dicitur *in faciem cecidisse* non adorabundus, sed visione perterritus, & obstupefactus. In hunc autem locum ea phrasis conuenire non potest; quia statim Euangelista ver. 7. declarat, quare ceciderunt: *Et timuerunt*, inquit, *valdè, & accessit Iesus, & tetigit eos dixitque eis, Surgite, & nolite timere.* Vnde manifestum est eos exanimes, aut semianimes fuisse; propterea enim dicitur eos Christus tetigisse: sicut solemus, vt ad se redeant, exanimes tangere. Timore ergo, non veneratione ceciderunt. At quare timebant? Quis loquentem Deum non timeat? *Vocem tuam*, inquit, *audiui, & timui, &, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum* Psal. 28. 4. 5. 7. *Leo rugiet, quis nõ timebit?* id est, si rugierit Amos. 3. 8.

Calu.

9. Et descendentibus illis de monte præcepit eis.) Alterum relatiuum abundat ex Hebr. idiomate. Latinè dicendum erat, & descendentibus illis de monte præcepit.

Nemini dixeritis visionem hanc.) Hunc locum supra cap. 16. 20. explicauimus. Probabile est, quod Hieronym. & Beda indicant prohibuisse, ne in populum euulgarent; nihil enim incommodi sequi poterat, si id alij Apostoli scirent, & illud commodi, vt magis in fide confirmarentur: vt autem omnis populus sciret, id sequebatur incommodi, vt ca. 16. 20. exposuimus, vt qui eius audiuissent gloriam, si postea confixam viderent, quasi falsa gloriæ fama decepti fuissent, à fide deficerent, vt Chrysost. Euthymius, Hieronym. Beda, & Theophylactus putant. Probabilius tamen, & Euangelistis magis consentaneum videtur nec cæteros quidem Apostolos scire voluisse: dicit enim Marcus c. 9. 10. verbum apud se tres illos Apostolos continuisse, & Lucas cap. 9. 36. *& ipsi*, inquit, *tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex iis, quæ viderant.*

Donec filius hominis à mortuis resurgat.) Cur non ante dici voluerit, supra exposuimus. Cur autem postea voluerit sciri, in promptu ratio est, quia illud incommodum, quod ante sequebatur, tunc sequi non poterat, & quia tunc totis velis Euangelium erat prædicandum.

10. Quid ergo Scribæ dicunt.) Quorsum hoc Apostoli interrogent, difficultate non caret. Caluinistarum interpretes maligné & impiè interpretantur propterea hoc Apostolos dixisse, quia non credebant Christum esse Messiam, de suo, vt opinor, ingenio Apostolos iudicantes. Hieron. quia putabant eum iam in gloria venisse, cum eum transfiguratum vidissent. & tamen Eliam discessisse. Ego ex proximis Christi verbis *donec filius hominis à mortuis resurgat*, occasionem eos sumpsisse arbitror id interrogandi. Quia enim dixerat *donec à mortuis resurgat*, se citò moriturum significauerat; siquidem indicabat post eius resurrectionem, Apostolos adhuc superstites dicturos esse, qui diu ætate iam grandes viuere non poterant. Ergo non intelligentes resurrectionis mysterium, vt docent Euangelistæ, existimabant Christum antequàm moreretur in gloria illa, de qua locutus fuerat, venturum esse, vt redderet vnicuique secundùm opera sua. Nam venturum esse post mortem, animo comprehendere non poterant. Quia igitur putabant Christi aduentum instare, videbántque Eliam nondum venisse, eo saltem modo, quo venturus esse dicebatur, vt cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres reuocaret, omniáque restitueret. (nam in transfiguratione non tam venisse, quàm apparuisse videbatur) interrogant quomodo Scribæ dicant ante eius aduentum Eliam esse venturum. Non erat ea priuata Scribarum opinio, sed omni Iudæorum populo communis. Verum, quia Scribæ legis doctores erant, eámque traditionem, vt verosimile est, populo solebant explicare, illis eam attribuunt: quemadmodum si quis apud nos de plebe dicat; quomodo hoc, vel illud Concionatores dicant, cùm id non Concionatores modo, sed Christiani omnes, & scriptura ipsa dicat: sed illiterati homines, qui scripturam non legunt, omnia solent Doctoribus, aut Concionatoribus attribuere.

De Elia ante diem iudicij, vt Iudæi contra Caluinistas.

11. Elias quidem venit.) Tempus præsens ex vulgari loquendi more pro futuro positum est, aut potius pro infinito cum verbo debitum significante, quasi dicat, Elias quidem venire debet, aut Eliam quidem venire oportet. Sicut infra ver. 24. *magister vester non soluit didrachma?* 1. nonne debet soluere? & Ioa. 21. 23. *exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moriturus*, id est moriturus non esset, aut mori non deberet. Christus affirmat Eliam venturum esse: Caluinistæ tamen, vt sibi videntur, sapientiores Christo non credunt: nósque quia id credimus simplices putant: & quod ait Christus Eliam venturum esse, de Ioanne intelligendum esse dicunt: quemadmodum idem Christus ver. sequenti videtur exponere. ferant tamen æquo animo, qui se spiritum Dei habere putant, simplicitatem nostram, vt scripturæ potiùs quàm ipsorum sapientiæ fidem habeamus. Primùm quidem Christus non dicit Eliam iam venisse sed venturum esse: nam quod ver. sequenti iam venisse dicit, non de eo Elia, quem hîc venturum dicit, sed de Ioanne Baptista loquitur, qui in spiritu, & virtute Eliæ iam venerat: & ex eo ipso, quod de Ioanne per præteritum, de Elia per futurum, aut per præsens loco futuri, positum tempus loquitur, colligere debuerunt voluisse Christum docere præter Ioannem, qui in spiritu Eliæ iam venerat, ipsum verum Eliam venturum esse; Deinde, quia addit, *& restituet omnia*, quod Ioannes non fecit. Nam quòd isti interpretantur Ioannem omnia restituisse, quia Christum prædicauit, qui omnia restituit, ineptum est. Nam isto quidem modo omnes, qui Christum prædicauerunt, omnia restituerunt. At manifestum est Christum Eliam aliis omnibus opponere, quasi solus post ipsum omnia restituerit. Quod autem dicit eum omnia restituturũ, non malè quidem exponunt, quasi paraphrasis sit verborum Malachiæ. c. 4. 6. *& conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Etsi ego alium potiùs arbitror esse sensum, vt Elias omnia dicatur restituturus esse; partim quia multa ipse per se restituit: partim, multóque magis, quia signum restitutionis omnium, id est consummationis seculi futurus est, quod in Ioannem conuenire non potest. Præterea Malachiæ testimonium apertum est cap. 4. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Manifestum enim est Prophetam de die iudicij magno, & horribili loqui, ante quem Elias venturus promittitur; non ergo de Ioanne, sed de vero Elia, id est intelligendum. Præterea auctor Ecclesiastici, cap. 48. 10. de Elia ipso loquens, & ad Malachiæ testimonium alludens, *qui inscriptus*, inquit, *est in iudicijs temporum lenire iracundiã Domini, conciliare cor patris ad filium: & restituere tribus Iacob.* Quemadmodum & hoc loco Christus dixit, *& restituet omnia.* At liber, inquiunt Caluinistæ, non est canonicus. Id hæreticè, & sine ratione dicunt: sed fingamus ita esse, certè ex eo intelligitur antiquissima traditio, quam Christus iisdem verbis confirmauerit, verum Eliam venturum esse. Præterea Ioannes in Apocal. cap. 11. 3 6. tam apertè scribit Moysem & Eliam esse venturos, vt nemo non solùm sine temeritate, sed nec sine impudentia negare possit. *& dabo*, inquit, *duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Quos qui futuri sunt, statim describit. *Hi habent potestatem claudendi cælum ne pluat, diebus prophetiæ ipsorum.* Quis non videt Eliam? *& potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint.* Quis non videt Moysem quasi digito demonstrari? Accedit, quòd vt vers. 3. docuimus, hæc ratio potissima fuit, cur Moyses, & Elias potiùs quam alij ex Prophetis Domini transfigurationi interfuerunt, quia voluit Christus futurum suum aduentum tribus illis Apostolis ante oculos ponere, & quia in secundo aduentu suo Moyses, & Elias sunt præmittendi, vi eius viam, quemadmodum in priori aduentu Ioannes fecit, præparent, adesse eos voluit. Denique hæc omnium veterum auctorum opinio fuit; de Elia quidem constantissima, ac nemine dissentiente, quemadmodum supra c. 2. 4. probauimus: de Moyse minùs constans: nam secundum secundi aduentus

Moyses & Elias ante diem iudicij venturi

Universidad de Deusto
Biblioteca

domini testem alij Moysem,alij Enoch futurum esse traditerunt. Obiicit Caluinistę, quòd versu sequenti Christus dicit, *Elias iam venit,& non cognouerunt eum,* & ver. 13. *tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.* Respondeo nos nõ ignorare Christum de Ioanne Baptista locutum fuisse,& Ioannem venisse in spiritu, & virtute Eliæ, vt Angelus apud Luc.c.1 17. testatus est: sed affirmamus Christum non negare propterea,sed disertis potiùs verbis cõfirmare etiam Eliam ante secundum aduentum suum esse venturum. Cum autem dixit *Elias iam venit*, tantum voluit significare, quod attinet ad effectum,id est ad signum prioris aduentus.& ad pœnitentiæ prædicationem, quod vtrumque in secundo aduentu Elias facturus est,eum iam venisse. quia in priori aduentu Ioannes vtrumque præstiterat.quia sicut de secundo aduentu Malachias dixit, *Ecce ego mitto Eliam Prophetam*: Sic de priori aduentu,& de Ioanne Baptista dixerat c.3.1. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Voluit ergo Christus dicere non per id stare, quo minus Iudæi crederent: sed quia peruersi,& obstinati erant. Elias enim ille, qui ante primum aduentum promissus fuerat,id est Ioannes iam venerat. Quemadmodum c.11.14. dixit. *Et si vultis credere,ipse est Elias.*

15. *Quia lunaticus est.*) Marcus c. 9. 17. mutum, & vers. 25. surdum fuisse dicit. Lucas verò c.9.39.dæmoniacum fuisse declarat. Vnde sequitur non fuisse, vt nonnulli putant, naturalem; sed è dæmone inuectum morbum. Cur ergo lunaticus appellatur? Quidam vtrumque fuisse existimant, & natura, aut morbo lunaticum, & à dæmone vexatum. Verosimilius, quod Chrysostomus scribit homil.58. neque natura,neque morbo,sed dæmonis arte,ac vexatione lunaticum fuisse; nam quem Marcus surdum & mutum spiritum,quem Lucas dæmoniacum, Matthæus lunaticum appellauit. Quam verò ob rem quosdam dæmon lunaticos faciat, multas diuersi auctores rationes adferunt, Origenes tractatu 4. in Matthæum, Chrysostomus homil.58. Hieronymus in commentariis in c.4.Matth.ver.24.vt Lunam Dei creaturam infamet, quasi morborum causa sit. Quod non tam mirabile est, quàm hæreticorum putant interpretes. Experientia enim docet, quanto studio persuadere dæmones conentur nonnullas creaturas plus,quàm illis natura concessit, habere virtutis. Beda verò,& Euthymius,vt creatorem ipsum in inuidiã, & odium adducant, hominésque illum blasphement. Non est etiam illa improbabilis coniectura id aliquando dissimulandi,& latendi causa dæmonem facere. Lucas videtur indicare dæmonem in hoc adolescente non perpetuò manere solitum, sed aliquando exire, aliquando redire; quod & Christus apud Mar.cap.9.25. videtur significare, cum dicit dæmoni, *exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.*

Cur dæmõ lunaticos faciat.

Calui. in harm.

16. *Et obtuli eum discipulis tuis,& nõ potuerunt curare eum.*) Verosimile est hunc hominem, dum Christus cum tribus discipulis in monte versaretur, filium suum reliquis discipulis obtulisse, vt Hilarius annotauit.illud duriusculte addens, quemadmodum olim populum,dum Moyses in monte maneret; ita nunc discipulos dum Christus in monte versaretur, fidem perdidisse. Nam, vt minorem quàm debebant fidem habuerint, vt Christus vers. 20. videtur significare: fidem tamen certè non perdiderunt. Simile quiddam videtur Chrysost.indicare dicens propterea discipulos dæmonem illum eiicere non potuisse,quia Apostolorum columnæ non aderant; sed fidem eos perdidisse non dicit. Totam historiam Marc c.9.14. apertiùs,& copiosiùs scribit.cum Christus ex monte descendisset, inuenisse discipulos,& Scribas magna circumfusa turba disputantes,interrogasseque eos,quidnam id esset,de quo inter se disceptarent: tunc vnum ex turba respondisse,vers.17.& 18. *Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum,qui vbicunque eum apprehenderit,allidit illum, & spumat,& stridet dentibus,& arescit.& dixi discipulis tuis,vt ejicerent illum, & non potuerunt.* Ex qua narrationis serie colligi datur posse Scribas de ea ipsa re cum Christi discipulis disceptasse exprobrantes, quòd dæmonem illum eiicere non potuissent, ac fortasse dicentes inanem esse,& delusoriam potestatem,quam se à Christo ad pellendos dæmones,aliàque miracula patrandaiactarent accepisse. Putant autem Chrys.Hieron. Theoph. & Beda hunc hominem tacitè apud Christum eius discipulos accusasse. Id de homine Iudæo facilè credi potest; sed benignius interpretari possumus eum; non vt discipulos accusaret; sed,vt dæmonis malignitatem, malique grauitatem exaggeraret, dixisse eos eiicere non potuisse.

17. *O generatio incredula.*) Omnes ferè auctores existimant Christum hoc non de discipulis, sed de patre adolescẽtis,& de toto Iudæorum genere dixisse vt Hilarius,Chrysost.Hieron.Beda,Strabus,Theoph. & D. Thomas in commentariis. Quod valde probabile est; Ait enim Marcus cap.9.19. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτῷ λέγει. *Ille autem,*id est Christus,*respondens ei,*id est patri adolescentis *dixit, O generatio incredula.* Itaque patrem ipsum adolescentis, & cæteros illius similes Iudæos generationem appellauit. Argumentum etiam non minimum est.quod ibidem ver.22.pater adolescentis Christo dicat; *sed si quid potes, adiuua nos*, quasi de Christi potestate dubitaret.& quod ver.23. Christus respondeat,*si potes credere,omnia possibilia sunt credenti*, quemadmodum Chrys.& Theophyl.obseruauerunt. Quidam tamen solis discipulis dictum putant,vt Origenes tract.4.in Matthæum: alij ad vtrosque,& ad discipulos.& ad cæteros Iudæos referunt,vt Lyranus. Monuerunt Hieronymus, Beda, Strabus,& D. Thomas hæc verba non esse indignantis, sed vitia reprehendentis.

Vsquequo ero vobiscum?) Chrysostomo,Euthymio, & Theophyl.non assentior,qui existimant Christum his verbis significasse se moriendi teneri desiderio,vt à Iudæorum prauitate liberaretur;potiùs enim credo verba esse salutem Iudæorum desiderantis,& magistri de discipulorum moribus,& tarditate querentis,sicut Apostolis dixit Ioan.14.9. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, &c.*

18. *Et increpauit.*) Gr. Ἐπετίμησεν αὐτῷ, id est imperauit illi. Vtrumq; enim,& increpare,& imperare,& comminari significat, quemadmodum Græcus auctor Euth.& in verborum proprietatibus obseruandis diligentissimus hoc loco,& supra c.16.22.adnotatit.Imperandi autem significatio magis, quàm increpandi conuenit in hunc locum: quod Marcus explicauit dicens Christum imperasse dæmoni dicendo, *ego præcipio tibi,exi ab eo.* Itaque quod Hiero.Beda,& Theoph. dubitant,quò pronomen illud referatur,ad dæmonẽ, an ad adolescentem, sine causa dubitant: nam & ex eo Marci loco,& ex eodem cap.ver.21.& ex Luc.c.9. 42. perspicuum est non ad adolescentem, sed ad dæmonem esse referendum.

20. *Propter incredulitatem vestram.*) Ante patris adolescentis,omniúmque Iudæorum incredulitatem publicè reprehenderat: nunc Apostolorum incredulitatem non publicè,sed priuatim,vt eorum auctoritati consulat,reprehendit. Incredulitatem autem,vt ego quidem interpretor,non infidelitatem aut minimam etiam fidem: magnam enim Apostolos habuisse credendum est:sed fidem minorẽ,quàm habere Apostolos tam diu cum Christo versatos tot, tantisq; visis miraculis oportebat Propterea enim eos Christus reprehendit. Credibile etiam est,quod Chrysost.Hiero. Beda, Strabus, Theophylact & D. Thom. existimant Apostolos non solùm propter suam, sed etiam propter parentis adolescentuli incredulitatem dæmonem expellere non potuisse;quod ex Marco colligitur,vbi Christus patri dicit, *si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, quasi indicans propter eius incredulitatem non potuisse Apostolos priùs eijcere.

Contra Caluinistæ miraculorũ fidem.

Si habueritis fidem.) Chrysostomus, & Euthymius fidem miraculorum,non eam, qua Christiani sumus, intelligunt: itémque nostri iemporis hæretici; quorum errorem miror, nonnullos doctos etiam & Catholicos interpretes, dum parum cautè hæreticorum scripta legunt, imprudenter secutos esse. Nolo in eodem errore Chrysostomum, & Theophylactum ponere, quia scio eos tam bono, quàm hæreticos malo animo idem dixisse; hæreticos, vt multas fides, cùm nullam haberent, fabricarentur; Chrysostomum verò, & Theophylactum, vt discipulorum culpam eleuarent. ne viderentur illam ipsam fidem, qua Christiani sumus, non habuisse. Caluinistarum errorem cap.9. 2. copiosè, &, nisi fallor, efficaciter refutauimus.Idem quoque ex huius loci circunstantijs refutari potest. Primùm, quia minimè dubium est.quin Christus,dum hoc dicit. Apostolos reprehendat, & eorum incredulitatem accusẽt,quemadmodum Marci 16.14. eorum incredulitatem dicitur exprobrasse, *quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant.* Nemo autem reprehendi potest.quòd fidem miraculorum non habeat. Est enim donum Dei, non ex humana, sed ex diuina solùm pendens voluntate: quod non ijs, qui volunt, quemadmodum ea fides, qua Christiani sumus; sed ijs,quibus Deus vult,concedi solet ijs etiam aliquando, qui Christianam non habent fidem, quemadmodum prophetia & aliorum miraculorum dona, sicut supra cap.7. 22. disseruimus:quare non magis reprehendi Apostoli potuerunt, quod fidem miraculorum non haberent, vt fingamus aliquam esse distinctam miraculorum fidem, quàm quòd non haberent donum prophetiæ. Præterea eodem modo patris adolescentis, quo Apostolorum incredulitatem Christus reprehendit. Incredulitas autem illa,quam in patre reprehendebat,non miraculorum;sed Christianæ fidei opponebatur.quia de Christi diuinitate, potentiàque dubitabatur; ergo & in Apostolis non fidei miraculorum; sed Christianæ defectum reprehendit. Deinde quia hoc non solùm reprehendendo, sed etiam exhortando Christus dicit, vt statim sequitur, *si habueritis fidem.sicut granũ sinapis* Nemo autem quemquam exhortatur, vt donu miraculorum habeat, sicut neque, vt habeat prophetiam, aut linguarum donum, quia id non in nostra situm est potestate. Denique manifestum est de eadem fide Christum loqui, de qua 1. ad Corinth. 13. 2. loquitur D. Paulus; ad hunc enim locum alludit; *si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* D. autem Paulum non de fide miraculorum (quamquam de ea etiam Caluinistæ eum locum interpretantur) sed de Christiana, quæ vna ex tribus Theologicis virtutibus est, loqui ex versu 13. perspicuum est, *nunc*, inquit, *manent, fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.*

Sicut granum sinapis.) Omnes fere,& veteres,& noui auctores,vt Orige.tract. in Matth.4. & Hieronym. Beda, & Strabus, alicubi etiam D. August. fidem hîc non magnitudine,sed efficacitate, & actimonia comparari putant;quasi dicat Christus, si habueritis fidem tam ardentem,tam vehemẽtem,tam efficacem,quàm granum sinapis est, *dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit.* Quod etsi à multis summisque auctoribus probatum est, difficultate non caret. Primùm, quia non solemus res ardentes,& efficaces: sed paruas grano sinapis comparare,vt supra cap.13. 31.32. *Simile est regnum cælorum grano sinapis,quod minimum est omnibus seminibus.* Res verò ardentes, & efficaces igni potius, quàm grano sinapis comparari solent: sicut Euangelium comparatur Luc.12.49. *Ignem veni mittere in terram.* Deinde quia si propter acrimoniam, & ardorem grano sinapis fides comparetur, non fuit necesse dicere, *si habueritis fidem, sicut granum sinapis;* sed si habueritis fidem, sicut sinapi, vt natura, & effectus, non exiguitas significaretur. Cùm autem non sinapi, sed granum sinapis dictum sit: manifestum est non vim, & naturam; sed paruitatem significatam fuisse. Præterea non obscura antithesis est inter granum sinapis, & montem; illam rem minimam hanc maximã. Voluit enim Christus dicere vel minimam fidem, quale granum sinapis est, vel maximum montem posse transferre: de fidei igitur magnitudine,aut paruitate, non de efficacitate agitur. Non quòd non etiam efficacitas inde colligatur: sed quòd non efficacitate:sed exiguitate grano sinapis fides conferatur. Accedit quod, etsi videri potest exiguum, magnum temen apud me argumentum est, quia ex Christi ingenio, & maiestate sumitur. Si dicere voluisset, si habueritis fidem tam ardentem, quàm granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc illuc, & transibit: sensus quidem verus esset: sed vulgaris, humilis, abiectus, inefficax, & magnitudine ingenij Christi minimè dignus. Quid enim gratiæ,aut acuminis habet, si habueritis ardentem fidem, montes transferetis? scimus enim ignem propter ardorem solere magna põdera propellere. Minimam autem fidem id est grano sinapis similem,ingentem montem posse transferre, id & gratiam propter antithesim, & acumen propter insperatam sententiam habet. Confirmat me aliquorum antiquissimorum auctorum iudicium, quos restatur Hieronymus ita sensisse. Itaque quod Origenes, Hieronymus, Beda & Strabus existimant hîc non minimam, sed maximam potius fidem grano sinapis comparati, quam D. Paulus omnem, id est totam, integram, & perfectam fidem appellet, sententiæ huius loci mihi videtur esse contrarium. Video, quid obijci mihi possit, quidque omnes, qui cõtra sentiunt, auctores mouerit. Certum est D.Paulum, primo ad Corinthios 13. 2. ad hunc locum alludere voluisse; atqui non de minima, sed de maxima fide loquitur, *si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita vt montes transferam.* Respondeo eandem fidem diuerso respectu, & à Christo minimam, & à D. Paulo maximam appellari: minimam quidem à Christo ad eam quam Apostolos tam diu cum ipso versatos habere oportebat; non enim significat Apostolos ne minimam quidem habere fidem, quippe magnam habebant, qui ipsum paullo ante filium Dei confessi fuerant,sed reprehendentis more vtitur hyperbole,& exaggeratione, quasi dicat.si minimam fidem habueritis,id est tantam, quantam habere deberetis, non maiorem, diceretis monti huic transi hinc,& transiret. Quemadmodum homini alioqui ingenioso, minùs tamen, quod dicimus, intelligenti obiurgantes dicere solemus, si vel minimum haberes ingenium, hoc intelligeres. Non enim significamus eum ne minimum quidem ingenij habere; sed minùs habere, quàm vt hoc intelligeret, oporteret: hoc ergo sensu Christus minimam fidem appellauit. D. autem Pau-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lus eandem fidem comparatione eius, quam aut ipse aut alij vulgò habebant, maximam vocat, quia nemo dum eò peruenisse videbatur fidei, vt montes verbo transferre posset. Hinc intelligitur necessarium non esse, vt omnis, qui minimam fidem habet, transferat montes. Neque verò omnis, qui maximam habet. Nam Apostolos si non tunc, at certè posteà tantam illam fidem, quantam in illis tunc Christus desiderabat, vt montes transferre possent, habuisse credendum est. Nec tamen montem illos vllum transtulisse legimus. Etsi, quod Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus scribunt, probabile esse non nego eos, id ali quando fortasse fecisse: sed sacris litteris mandatum non esse, quia nec omnia Christi miracula, vt ait D. Ioannes scripta sunt. Rectè ijdem auctores dicunt, si non Apostolos, Apostolicos tamen viros id præstitisse, alludentes vt opinor, ad notam Neocæsarieosis Gregorij historiam, qui, vt Eusebius lib. 7. cap. 2 . auctor est, vt Ecclesia quædam ædificaretur, monté, qui obstabat, in alium locum trãsposuit. Cur autem id Apostoli non fecerint, prudenter ijdem auctores respondent, quia necesse non fuit. Nec enim Apostoli, sicut nec Christus, omnia, quæ potuerunt: sed quæ oportebat, quæque necesse erat facere fecerunt; necessitatis autem regula Dei gloria est; ea cum postulat, miracula facienda, cum non postulat, prætermittenda sunt. Hieronym. & Beda in commentarijs, & D. Augustinus lib. 1 quæst Euangel. cap. 29. allegoricè explicarunt qui superbiam humanam quam Apostoli transtulerunt, atque superarunt, per montem intelligunt.

Apostoli an mõtes transtulerint.

Gregor. Neocæsarien sis mõtem transferens.

Regula miraculorũ Dei gloria.

Et nihil impossibile erit vobis.) Non docet, quid illis, sed quid fidei possibile sit; sicut Marci 9. 23. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Fides enim quasi Dei manus est quicquid Deus potest, fides potest, & ij qui fidem habent, possunt, quia non suis sed Dei manibus operantur. Nec propterea sequitur, vt annotat D. Thom. eos esse, dicique posse omnipotentes: omnipotens enim dicitur non quisquis omnia potest, sed quisquis suapte natura, & virtute potest, qualis solus est Deus.

21. *Hoc autem genus.*) Athanasius in lib. de virginitate. Chrysostom. Euthym. & D. Thom. in huius loci commentarijs existimant non vnum aliquod certum, sed omne dæmoniorum genus significari, quòd eiusmodi sunt omnes, vt non nisi per orationem, & ieiunium expelli possint. Verum multa dæmonia Apostoli non oratione, & ieiunio: sed nominis Christi inuocatione pepulerant. Lucæ 10. 17. *etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Loquitur ergo Christus de certo aliquo dæmoniorum genere, in quo expellendo plus sit, quàm in alijs difficultatis: ita vt orationem etiam, atque ieiunium oporteat adhibere. Quod autem id genus sit, incertum; Hieronymus hoc loco, & Leo serm. 2. de ieiunio septimi mensis existimant nequissimum dæmoniorum genus significari. Alij antiquissimum, id est, quo diu hominem possederit, quasi vt difficilius est diu inueteratos, quàm recentes curare morbos; ita etiam sit difficilius eos dæmones, qui diu, quàm qui breui tempore in homine fuerint, expellere. Ideo putant interrogasse Christum apud Marcum cap 9. 21. quantum temporis esset, ex quo hoc illi accidisset. Mihi obstinatissimum, & ferocissimum genus dæmonum videtur indicari: loquitur enim Christus de dæmone tanquam de aliquo hoste arcem custodiente, qui, quo ferocior & obstinatior est, eo difficilius pelli potest, sicut Lucæ 11. 21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Hoc mihi colligi ex effectu videtur; fecerat hic dæmon adolescentem illum lunaticum, mutum & surdum, quales obstinatissimi homines esse solent, cerebri phantastici, superbi qui nihil rogantibus respondeant, precibus surdi. Disputauimus de hac re c. 9. 22. vbi ex hoc loco diuersa dæmonum esse genera docuimus.

Qui dæmones te iunio & oratione pellendi.

Nisi in oratione, & ieiunio.) Errant hæreticorum interpretes existimantes orationem, & ieiunium non nisi tanquam cotes, quibus fides acuitur, desiderari: sola enim fide dæmonem pelli, cæteraque fieri miracula. Quod si verum esset, sufficiebat superior illa sententia, versu 20. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit.* Nunc autem manifestum est Christum fidem, orationem, & ieiunium, tanquam tria distincta remedia proposuisse. Fateor & oratione fidem, & ieiunio orationem excitari. sed non propterea neque orationis, neque ieiunij vllæ sunt partes. Similis eorundem error est, ieiunium nihil habere meriti, quod iam olim similis ipsorum Hæreticus Iouinianus dixerat, quem Hieronymus confutauit. Quidergo ad pellendum dæmonem ieiunium valet? Nam quid fides, quid oratio valeat, obscurum non est. Respondeo, quid valet crapula ad alliciendum, ac detinendum dæmonem? Quemadmodũ ergo crapula delectatur, ita ieiunium ferre non potest. Fides credendo, oratio petendo, ieiunium tacendo, sed flagellando, & vrendo dæmonem pellit. Quemadmodum hostes non solùm tormentis, aut iaculis, sed etiam fame pelluntur. Dubium inter interpretes est, vternam orare, ac ieiunare debeat, is ne, qui dæmonem pellit, an is à quo pellitur: sunt enim, qui putent Christum significare eum, à quo pellendus dæmon est, ieiunare debere. Alij vtrumque, vt Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. Non dubito vtriusque ieiunium, orationémque iuuare, sed Christus de eo tantùm, qui dæmonem expellit, mihi videtur loqui; docet enim Apostolos, quemadmodum hoc dæmoniorum genus ejicere debeant.

22. *Conuersantibus autem illis in Galilæa.*) ἀναστρεφομένων δὲ αὐτῶν, vel conuersantibus, vel reuertentibus: Ambiguum enim est. Sed melius credo nostrum interpretem conuersantibus reddidisse, quia iam diu Christus in Galilæa versabatur: neque Euangelistæ posteà dixerunt eum exiuisse Nam ex Phœnicia, quò supra Matthæus cap. 15. 21. dixerat iuisse, iam diu redierat: & constans opinio est eum in Galilæa fuisse transfiguratum; ergo sensus est, cum adhuc in Galilæa versarentur, antequàm inde exirent. Posteà enim exiuerunt, vt in Iudæam venirent, & Lazarum Christus suscitaret. Ioan. 11. 14. 15.

24. *Accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum.*) Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Theophyl. & Euthymius existimant propter miraculorũ Christi magitudinem reuerentiæ causa ausos non fuisse ad Christum accedere. Quod probabilius videtur esse, quàm quod ijdem probabile etiam esse putarunt eos fortasse malitiosè ad Petrum potiùs, quàm ad Christum accessisse, vt ex eo facilius elicerent, num Christus tributum Cæsari solueret; vt, si negaret, occasionem caperent accusandi. Cur autem ad Petrum potiùs, quàm ad alium discipulum accesserunt, versu. 27. dicemus. Didrachmum autem argenteæ monetæ genus erat idem prorsus valens, atque duo Hispanica Regalia, duo Italici Iulij, decem solidi Galici hoc quidem tempore. Nam Regale Hispanicum drachmam vnam argenti pendit: & didrachmum duas, vt nomen indicat, drachmas continebat; sicut tridrachmum tres, tetradrachmum quattuor, id est siclum Hebraicum. Siclus enim Iudæorum tantùm pendebat, quantum

Quattuor Hispanica Regalia.

Iudæi, lib. de ælt.

quattuor Hispanica Regalia, & quãtum Francus Gallicus, quem Henricus tertius his annis cudit. Quod autem tributum id fuerit, non omnibus conuenit. Hilarius existimat illud fuisse, quod Exodi 30. 13. singuli Iudæi soluere singulis annis in templum iussi sunt, *hoc*, inquit, *dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur domino.* Et quidem pondus, & pretium rectè conuenit; nam, vt diximus, tetradrachmũ, id est quattuor drachmæ siclum efficiebant; vnde sequitur didrachmum, id est duas drachmas dimidium sicli effecisse, quod singuli Iudæi maiores viginti singulis annis pendere iubentur. Ex eo autem Exodi loco Lyrani opinio à multis iam refutata apertè conuincitur. Putat enim didrachmũ solidum fuisse Gallicum, id est duodecim, vt ipse vocat, paruos Turonicos. Cum Moyses dicat siclum viginti obolos habuisse; constat autem obolum vnum idem fuisse, atque solidum Gallicum. Nam, vt diximus, ex ipso pondere certum est Francum vnum, vnum siclum pependisse, sicut quattuor Hispanica Regalia, & Francum viginti solidos, sicut siclum viginti obolos habere. Itaque didrachmum, quod Lyranus vnum tantùm solidum habuisse putat, decem solidos habebat. Plura de hac re non dicimus, quia multi de ea authores copiosè, diligenterque tractauerunt: tantùm pretium pecuniæ ad vsum nostri temporis accõmodauimus. Quod ideo dicimus, ne quis miretur, si apud alios legerit didrachmum septem solidos, apud nos decem habere. Tunc enim Hispanicum regale, quæ drachma argenti est; tribus solidis cum semisse æstimabatur, nunc æstimatur quinque. Chrysostomus verò, Euthymius & Theophylactus existimant hoc fuisse tributum, quod Iudæi iussi sunt Domino dare, Numer. 3. 46. 47. propter eos primogenitos, quibus cæteræ tribus Leuiticam excedebant. Quod ne probabile quidem est. Illud enim tributum non nisi semel & non nisi à primogenitis, & non nisi à ducentis septuaginta tribus solutum est, quibus tunc inuentæ sunt reliquæ tribus Leuitarum tribum superare. Itaque multo verior est Hieronymi, & Bedæ sententia, qui existimant hoc vectigal illud esse, quod Augustus Iudæis imposuit, cum iussit, vt vniuersus orbis describeretur. Lucæ 2. 1. vero similis eius rei coniectura est, quòd Vespasianus expugnatis postea Hierosolymis tãtùm Iudæis tributi imposuerit, quantum ante templo soluebant, vt Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 26. auctor est, & est credibile Vespasianum illud ipsum tributum, quod Augustus imperauerat, & à quo sese Iudæi rebellando exemerant, illis vbicumque, vt ait Iosephus, terrarum essent, reposuisse. Atque hoc fortasse dicere Hilarius voluit Christum illud soluisse tributum, quod Iudæi templo soluebant, quæ non Cæsari, sed patri suo soluerit.

Quale tributum fuit, quod Iudæi Christi tempore soluebãt.

Iudæi templo soluebant quæ non Cæsari.

Luc. 23. 2

25. *Etiam.*) Respondet Petrus affirmanter, antequam consulat Christum. Vnde colligitur, aut metu eum ita respondisse, ne si negare, aut dubitare videretur, publicanos offenderet, quasi Christus ex eorum numero esset, qui, vt posteà accusatus est, negabant tributum dari Cæsari, aut quia de Christi voluntate non dubitabat, aut quia sciebat Christum alijs annis solitum soluere, quod multò est probabilius. Cum enim publicani interrogant *magister vester non soluit didrachmat*; sensus est, non solet soluere? est enim verbum non actionem, sed consuetudinem significans, qualia in scriptura multa notauimus. Vnum satis erit exemplum Ioannis 4. 9. *non coutuntur Iudæi Samaritanis*, id est, non solent vti. Petrus autem respondet etiam confirmans Christum solitum soluere. Cur ergo Euangelistæ huius tantum anni solutionis memineruntꝰ vt miraculum, quod propter solutionem factum est, exponerent.

Reges terræ.) Quod Christus Petrum præuenit, eiusque cogitationem nouit, magnum per seipsum miraculum fuit. Videtur autem Christus non conuenienter Petrum interrogare, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, a filijs, an ab alienis?* quia videtur indicare, aut se terreni Regis esse filium, & quidem Cæsaris, siquidem ea ratione probare vult se nõ debere Cæsari soluere tributum; aut tributum illud non Cæsari, sed Deo: cuius ipse filius erat, datũ fuisse. Respondeo eum à minori ad maius argumentari vt D. Chrysosto. annotauit, quasi dicat, si filij Regis terreni illi tributum non debent; ego qui Dei Regis Regum filius sum nulli Regi debeo. Potuit etiam alludere ad originem illius tributi, quod petebatur, quæ, vt diximus, ea fuit, vt templo id est Deo solueretur, quemadmodum Hilarius, & Theophylactus existimant. Disputant nonnulli, an re vera Christus, tanquam homo, tributum debuerit? Respondent debuisse, quia D. Paulus testatur illum per omnia nobis, excepto peccato, similem factum fuisse, & hoc loco non tanquam hominem; sed tanquam Deum argumentari se à tributo liberum esse. Id. an dici possit, doctiores viderint; ego quidem non dixerim. Objci poterit, quòd Christus non de se tantùm; sed etiam de Petro loqui videatur, & quòd dicat plurali numero liberos esse filios, & quòd paullo post addat, *vt autem non scandalizemus eos.* Priori ratione non moueor, quia certum est Christum de se, tanquam de naturali Dei filio, locutum esse; qualis Petrus non erat. Itaque non potuit eum filiorum nomine comprehendere; sed locutus pluraliter est, quia de omnibus generaliter Regum filijs loquebatur. Secunda magis moueor, quare videtur mihi Christus significare voluisse nec se, nec discipulos suos tributum debere; se, quia filius Dei erat; discipulos suos, quia ipsius familiares, & domestici censebantur. Et non solùm Regum filij; sed eorum etiam domestici à tributis liberi sunt. Quod autem quidam disputant, vtrum omnes Christiani, quia filij adoptione Dei, aut quia quodammodo Christi familiares sunt, tributis soluti sint, ne locum quidem vllum dubitationis habere puto. Nam etsi Christiani adoptione filij sunt Dei, Christiq; nomen gerunt, tamen eius domestici, vt Apostoli non sunt; & D. Paulus ad Roman. 13. 7. Christianos iubet suum cuique reddere, cui honorem, honorem; cui tributum, tributum. Neque D. Augustinus, qui in eam sententiam citari solet lib. 1. qq. Euangelicarum cap. 2. ita sensit. Maiore probabilitate potuissent Hieronym. allegare, qui ita ad hunc locum scripsit, *Ille pro nobis & crucem sustinuit, & tributa reddidit; nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus.* Sed aut allegoricè loquitur, quòd tributum, vt ante solebamus, diabolo non soluamus; aut de solis agit Ecclesiasticis, qui ipsius tempore Christianis iam Imperatoribus à vectigalibus immunes erant.

Christus vt homo, an tributũ soluere debuit.

Christiani an à tributo liberi.

27. *Vt autem non scandalizemus eos.*) Non fuisse datum, sed acceptum, vt Theologi vocant, scandalum, sed id ipsum, cùm facile posset, vitare voluit. Itaque, quod Theologi vulgò dicunt scandalum datum, non acceptum esse vitandum, non est pro certa, ac perpetua regula accipiendum. Nam & Christus hoc loco & D. Paulus ad Rom. 14. 21. & 1. ad Cor. 8. 13. etiam scandalum acceptum fugiendum putauerunt; cùm idem Christus supra c. 5. 14. vitare noluerit, sed contemnendum putauerit, *Sinite*, inquit, *illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Quemadmodum Chrysostomus, & Euthym. annotarunt. Idem respondent in Christum

Duplex scandalum.

Scandalum passiuũ quo modo vitandum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro ratione temporis,& aliarum circunſtantiarum feciſſe. Illic enim gloria Dei poſtulabat, vt propter Phariſæorum ſcandalum à docenda veritate non deſiſteret: eadem gloria hic poſtulabat, vt, cùm facilè poſſet ſoluere tributum, publicanos non offenderet. & maleuolis Iudæis criminandi occaſionem non daret. Nam & cùm ſemper tributum ſoluiſſet, tamen accuſatus eſt poſtea, ſquòd tributa Cæſari ſoluere prohiberet, Lucæ 23.2. Idemque nobis faciendum eſſem monent.

Et eum piſcem, qui primus aſcenderit.) Magnum hoc fuiſſe miraculum certum eſt: ſed meritò Hieronym. dubitat, in qua re fuerit; vtrùm in eo, quòd ſciuerit Chriſtus, quis eſſet ille piſcis, qui in ore ſtateretem haberet: an in eo, quòd ſciuerit illum primum omnium aſcenſurum eſſe: an quòd fecerit ipſe, vt ille primus aſcenderet: an quòd in eo, qui primus aſcendit, ſtaterem ipſe ſolo verbo formauerit. Quod poſtremum mihi videtur probabilius, quia non ſolent piſces, ſi quando ſtaterem, aut aliam pecuniam deglutiunt, eam in ore habere, ſed in vẽtre. Itaq; ille piſcis, ſi ſtaterem illum ipſe accepiſſet, nõ in ore, ſed in ventre habuiſſet. Nam quod nonnulli dixerunt, quemadmodum Theophyl. recitat, ſtaterem illum non pecuniam fuiſſe, ſed margaritam, quam piſces habere ſolent, ſimile vero non eſt: quia nec margaritæ in ore, ſed in ventre; nec in piſcibus, qui reti capiũtur, ſed in ſolis conchylijs, quæ vrinatores à ſcopulis maris manibus auellunt, reperiri ſolent.

Quid ſtater.

Staterem.) Stater apud Græcos idem erat, atque ſiclus apud Iudæos, eademq; eſt & Hebraici, & Græci nominis origo; vtrumq; enim pondus ſignificat. Itaq; idem erat ſtater, & tetradrachmum, id eſt duo didrachma, propterea iubet Chriſtus pro ſe, & pro Petro ſtaterem dari, quia vnuſquiſque didrachmum, id eſt, dimidium ſicli pendere debebat.

Pro me, & te.) Quare pro Petro potiùs, quàm pro alijs Apoſtolis dari tributum iuſſerit, ſolet hic diſputari. Chryſoſt. & Euthym. reſpondent tributum illud à ſolis primogenitis fuiſſe ſoluendum; Petrum autem primogenitum fuiſſe. Quæ opinio præterquam quòd verſu precedenti refutata eſt, ex eo etiam refutari poteſt, quod inter alios etiam poſtolos aliquos fuiſſe primogenitos credendum eſt. Melior eſt altera illa ratio, quam ijdem auctores, & Hieronymus adferunt, propterea Chriſtũ pro ſe & Petro ſoluiſſe, quòd Apoſtolorum caput eſſet. Scio hanc rationem noſtris hæreticis non placere; ſed multò profecto eſt, quàm illa, quam ipſi adferunt, probabilior; ideo pro Petro ſoluiſſe Chriſtum, quòd in eius diuerſaretur domo. Nam cap. 8. 14. apertè probauimus Petrum in Capharnaum domum non habuiſſe. Alij exiſtimant ſolum Petrum cum Chriſto tunc fuiſſe, cùm de alijs diſcipulis mentio non fiat: aut propterea pro illo ſoluiſſe, quia illum tantùm Publicani adierant. Inepti vero hic Hæretici ſunt, qui hinc Romani Pontificis primatum refellunt, & Eccleſiæ imminitatem tollunt, quòd Petrum tributum ſoluerit. Nam iſta quidem ratione, nec Chriſtus quidem Eccleſiæ caput eſſet: ſoluit enim tributum, at ſoluit cùm non deberet: nec Petrus, vt ante probauimus, debebat. Et non conſiderant Petrum, ſi nunc inter Chriſtianos Reges in viuis eſſet, Eccleſiámque gubernaret, ſoluturum non fuiſſe. Alia à veteribus auctoribus quæſtio proponitur: quare Chriſtus, cùm loculos haberet, & mulieres religioſæ, quæ illũ ex Iudæa ſequebantur, neceſſaria ei ſuppeditarent, non ex ſuis loculis, ſed ex piſce tributum ſoluit? Ratio, quam Hieronymus reddit, noluiſſe Chriſtum bona pauperum in tributum conuertere, à paucis probata eſt. Nam quæ in loculis erãt, ad omnia neceſſaria mittebantur, & tributum ſoluere, quando ita Chriſtus volebat, vnum erat ex neceſſarijs. Chryſoſtomus, & Euthymius, putant Chriſtum oſtendere voluiſſe ſe, etiam tributum ſolueret, & terræ, & maris dominum eſſe, quandoquidem ex mari ipſe tributum acciperet. Magis altera ratio, quam ijdem reddunt, mihi placet: ita Chriſtum tributum ſoluere voluiſſe, vt nec publicanos offenderet, nec ſuum perderet priuilegium, dum non ex ſuo, ſed ex inuento ſolueret. Quãquam ego veram ſuſpicor eſſe rationem, quòd tunc alij diſcipuli, qui loculos geſtabant, non adeſſent, & cum nollet publicanos offendere, ad ſoluendum tributum miraculum fecerit.

CAPVT XVIII.

I. *Mar. 9. e. 34. Luc. 9. f. 46. Inf. 19. b. 14. 1. Cor. 14 d. 20. Mar. 9. f. 42. Luc. 17. a. 1. Sup. 5. f. 30. Mar. 9. g. 45.*

IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorum? 2. Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, 3. & dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. 4. Quicumque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum. 5. Et qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. 6. qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. 7. Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: verũtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. 8. Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te: abſcinde eum, & proijce abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. 9. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum tibi eſt cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. 10. Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt. 11. Venit enim filius hominis ſaluare quod perierat. 12. Quid vobis videtur? ſi fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nonne relinquit nonagin-

Pſal. 33. a. 8. Luc. 19. b. 10.

tanouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit? 13. & ſi contigerit vt inueniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonagintanouem, quæ non errauerunt. 14. Sic non eſt voluntas ante patrem veſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. 15. Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum. 16. ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. 17. Quòd ſi non audierit eos: dic eccleſiæ: ſi autem eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. 18. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. 19. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis eſt. 20. Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ. 21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittã ei? vſque ſepties? 22. Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. 23. Ideo aſſimilatum eſt regnum cælorũ homini regi, qui voluit ratione ponere cum ſeruis ſuis. 24. Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cum autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. 26. Procidens autem ſeruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 27. Miſertus autem dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. 28. Egreſſus autem ſeruus ille inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. 29. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 30. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem donec redderet debitum. 31. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, conſtritati ſunt valdè: & venerunt, & narrauerunt domino ſuo omnia, quæ facta fuerant. 32. Tunc vocauit illum dominus ſuus: & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me: 33. nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? 34. Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. 35. Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

Luc. 15. a. 4. Luc. 17. a. 3. Leuit. 19. d. 17. Eccl. 19. b. 13. Iac. 5. d. 19. Deut. 19. b. 15. 2. Cor. 13. a. 1. Heb. 10. e. 28. Ioan. 8. c. 17. 2. Theſ. 3. d. 14. 1. Cor. 5. b. 9. Ioan. 20. e. 23. Luc. 17. a. 4.

IN CAPVT XVIII.

IN illa hora.) Sub idem tẽpus, Hebraiſmus eſt frequenter vſurpatus. Marcus cap. 9. 33. Chriſtum eos præueniſſe dicit, rogaſſéque, quid in via tractauiſſent, tractauerant autem, *qui eorum eſſet maior.* Lucas verò cap. 9. 46. vidiſſe cogitationes eorum, & nõ quidem interrogaſſe, ſed accerſito puero dixiſſe, *quicunque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me ſuſcipit; & qui ſuſceperit me, ſuſcipit eum, qui me miſit. Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt.* De qua ſpecie diſcordiæ nihil dixit hunc locum tractans lib. 2. de conſ. Euangeliſtarum cap. 61. Auguſtinus. Reſpõdent Chryſoſtomus, & Euthymius Apoſtolos de ea re non ſemel, ſed ſæpe contendiſſe; Primùm in via; deinde domi, cùm Petrum vidiſſent in tributi ſolutione ſibi fuiſſe prælatum; poſtremò cùm interrogati à Chriſto fuiſſent, quid in via tractauiſſent. Primùm ergò Chriſtus Apoſtolos, quid tractauiſſent, interrogauit: tunc verò Apoſtoli videntes ſuas cogitationes, contentionéſque patefacta, Chriſtum interrogauerunt, quod interrogare priùs non audebant, *quis eorum eſſet maior.* Diſputatur hoc loco, qua occaſione id Apoſtoli rogauerint. Hieronymus, Beda, & Euthymius exiſtimant occaſionem fuiſſe, quòd vidiſſent Chriſtum pro ſe, ac Petro ſoluere tributum. Quod nonnulli ideò non probant, quia ex Marco cap. 9. 33. conſtet eos in via, antequàm venirent Capharnaum, & tributum ſolueretur, ea de re cogitaſſe: ſed iam diximus ex Chryſoſtomo, & Euthymio eos ſæpe, & diuerſis de cauſis in eam veniſſe cogitationem ingenerauit, ſed genitam auxit. Alias etiam priùs occaſiones habere potuerunt, quòd vidiſſent Petrum cum duobus alijs in montem cum Chriſto aſcendiſſe, illi datas fuiſſe claues regni cælorum cap. 16. 19. vt idem Chryſoſtomus, & Euthym. ſcribunt. Alij aliam reddunt cauſam, quæ mihi non diſplicet, quòd audiuiſſent Chriſtum de morte ſua ſæpe mentionem facere, quaſi proxima iam eſſet, & cogitarent, quis eo mortuo, eius quodammodo hæres, id eſt, eius Vicarius futurus eſſet. Id enim conſuetudini, ac moribus hominum valdè conſentaneum eſt, qui morituris de ſucceſſione cogitantes aſtare ſolent, & idem videmus Apoſtolos inſtante Chriſti paſſione feciſſe Lucæ 22. 24.

Quis putas, τίς ἄρα; Quis tandem? aut quiſnam in rego cælorum maior futurus eſt? Comparatiuum pro ſuperlatiuo ponitur ex Græcorum conſuetudine. Et verbum præſens eſt pro futuro: quaſi dicant, quis noſtrum maximus in regno cælorum futurus eſt.

In regno cælorum,) Quidam regnum cælorũ, cęlum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsum, & cælestem gloriam vocari putant, vt Chrysostomus, & Euthymius, quod videtur ex versu 3 probari posse, *Nisi*, inquit, *conuersi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, nō intrabitis in regnum cælorum.* Credibile enim est de eodem regno cælorum, de quo Apostoli interrogauerant, respondisse Christum. Probabilius tamen est regnum cælorum hoc loco Ecclesiā appellari. Primùm propter occasiones, quibus Apostoli, vt id interrogarent, moti sunt, quòd viderent omnibus in rebus Petrum præferri, & cogitauerunt omnium in Ecclesia caput futurum esse. Deinde ex Christi reprehensione: non enim dubium est, quin eorum ambitiunculam reprehenderit. Velle autem in cælo omnium maximū esse, charitas, non ambitio; in Ecclesia verò primum esse velle, cæteris{q; præesse id meritò fuit, tāquam ambitiosum, reprehendēdum. Id etiā ex ver. 3. vnde contraria probatur opinio, confirmari potest. Voluit enim Christus dicere eum, qui in præsenti regno cælorum, id est in Ecclesia minimus esset, eum maximum habere, ideoq; in cælo futurum maximum. Itaque Lucas de præsenti Ecclesiæ regno loquens c. 9. 48. *Qui minor*, inquit, *est inter vos omnes, hic maior est.* Ludit ergo Christus nominis ambiguitate, cum dicit, *nisi efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*, quemadmodum multis locis annotauimus eum facere solere.

Ambitio Apostolorum an peccatū mortale fuerit.

2. *Et aduocans Iesus paruulum.* Qui infanté fuisse putant, propterea quòd Marcus c. 9. 36. dicit Christū eum, quemadmodum Græcè est, in vlnas suscepisse, falli videntur. Nam & maior infante in vlnas tolli potuit, & qui aduocatus fuit, grandiusculus erat, quia ambulare poterat. Puerum ergo, non infantem: sed innocentem Christus vocauit, & in medio constituit, vt quemadmodum Chrysost. obseruauit, non solùm verbis; sed rebus etiam ipsis præsentibus humilitatem simplicitatémque doceret.

3. *Nisi conuersi fueritis.*) Malè quidam ex hoc loco colligere videntur Apostolos tunc in statu mortalis peccati fuisse, propterea quòd dicat Christus, *nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*, quasi tunc non tales essent, vt intrare possent. Nihil enim aliud significare Christus voluit, quàm non posse eos in regnum cælorum intrare, nisi simplicitate, & humilitate similes essent pueris, quod non ita intelligendum est, quasi omnino æqualis in omnibus humilitas, atque simplicitas illi, quæ in pueris est, desideretur. Quis enim in regnum cælorum intraret? sed proponitur maximū humilitatis exemplum, non vt ad illud omnino perueniamus: sed vt accedamus, quàm proximè possimus; sicut iubemur esse perfecti, sicut pater noster cœlestis perfectus est, cap. 5. 48. Neque significatur Apostolos non tantam habere humilitatem, vt in regnum cælorum intrare possint: sed ostenditur quid illis sit necessarium, vt si non habent, comparent: si habent, conseruent. Quod autem dicit, *nisi efficiamini*, non significat eos tales non esse, sed alludit ad eorum ætatem, qui cum grandes iam essent, deberent pueri fieri, sicut Ioannis 3. Nicodemo dixit, *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* At Christus Apostolorum ambitionem reprehendit. Fateor, sed non continuò sequitur eam ambitionem fuisse tantam, vt mortale peccatum esset, & ab ingressu regni cælorum impediret: potuit enim esse veniale: & eiusmodi fuisse pium, & religiosum est credere. Deniq; aut ista, aut alia meliori ratione excusandi Apostoli sunt, vt Chrysostom. excusat; non accusandi, vt facere Hæretici solent. Iubet nos Christus non omnibus in rebus; sed in simplicitate, humilitate innocentia similes esse pueris, sicut D. Petrus 1. Corinth. 14. 20. *Nolite pueri*

A *effici sensibus, sed malitia paruuli estote*, quemadmodum Clemens Alexandrinus lib. 1 pædagogi c. 5. & 11. Ambros. serm 10. interpretantur.

5. *Et qui susceperit vnum paruulum talem.*) Quorsum hæc Christus dicat dubitare lector potest: sed id facilè ex præcedentibus, & consequentibus intelligitur. Vult probare eum maiorem, qui minimo similior est: quia sibi puer simillimus est, & ipsius personam gerit; id autem probat, quia qui puerum suscipit, ipsum suscipit: suscipere verò est non solùm, vt quidam interpretantur, domo eum excipere, sed quouis beneuolentiæ genere prosequi. & vno verbo benefacere, sicut in iudicio dicturus est, *quamdiu vnum de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*, cap. 25. 40. Marcus & Lucas hoc solùm narrant dixisse Christum, cætera quæ Matth. scribit, prætermittunt. Ideo, vt opinor, quia hæc summa rei erat.

B

6. *Qui autem scandalizauerit.*) Argumentum est à contrario, vt Chrysostomus, & Theopylactus monuerunt. scandalizare autem hoc loco non significat, vt aliàs, malum præbere exemplum: sed iniuria alicui quem afficere, quemadmodum Chrysostomus, Euthymius, & D. Thom. animaduerterunt. Quod ex antitheti manifestum est. Suscipere, enim paruulos, & scandalizare inter se opponuntur. Suscipere, vt diximus, est benefacere, ergo scandalizare, malefacere, id est afficere iniuria. Paruulos verò hic appellat non iam ætate; qualis erat, quem in exemplum proposuerat; sed moribus: quia addit, *qui in me credunt*. Ii enim sunt, quibus iniuria plerúmque fieri solet, quod homines simplices, & abiecti habeantur.

C

Mola asinaria.) Plerique molam asinariam vocare putant inferiorem molam, quæ Græcè ὄνος, id est asinus dicitur, & superiore maior esse solet. Perspicuum enim est Christum prægrandem molam significare voluisse. Id mihi propterea non placet, quia Christus non Græcè, sed Syriacè loquebatur, vbi ea nominis ambiguitas locum non habet. Itaque Hilarij canone 18. & Ambrosij sermon. 10. interpretationem sequor, asinariam molam vocatam esse, quam asinus ad multas res commolendas circumagere solet. Quæ ideo asinaria dicta, vt trusatili. id est ab ea, quam homines vi brachiorum circumferunt, distinguerentur. Eam autem Christus proposuit, quia multo maior quàm trusatilis esse solet. Adnotat Hieronymus hoc inter veteres Iudæos vsitatum fuisse supplicium, sicut nunc homines nefarios, ac detestabiles sepultura indignos iudicantes in flumen mergimus. Fortè Christus ad superbiam, contra quam loquebatur, alluserit. Sicut cap. 11. 23. dixit, *Et tu Capharnaum nunquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes.* Quod autem Diuus Augustinus libro primo qq. Euangelicarum cap. 24. molam asinariam, peccatorum pondus, quo homines deprimuntur, esse dicit allegoricum est.

D

7. *Væ mundo à scandalis.*) Ita Græcè locutus est, quemadmedum, si Latinè diceremus, magnum mundo periculum à scandalis imminet. Mundum autem nonnulli eos intelligunt, qui scandali auctores sunt, quasi eorum Christus vicem doleat: non enim qui patiuntur, sed qui faciunt scandala, miseri sunt. Magis Hilario, Chrysostomo, Euthymio, & Theophylacto subscribo, mundum voncari eos, qui in mundo sunt, quos paullo ante paruulos appellauerat, & de quibus dixerat, *qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis.* Quia enim de eorum scandalo mentionem fecerat, addit multa illis scandala imminere. In eo Chrysostomo, Euthymio, & Theophylacto non assentior, quod existiment ideo hoc dixisse Christum, vt eos qui scandalizandi erant, reprehenderet,

E

F

quemadmodum paullò antè eos, qui scandalum erant præbituri, reprehenderant. Non enim solum scandalizare, sed etiam scandalizari peccatum esse, quia infirmitatis est. Cæterum, vt aliquando scandalizari peccatum sit, vt cum Pharisæi Christi miraculis scandalizabantur, ea interpretatio apta non est, quia, vt ex iisdem auctoribus versu præcedenti docuimus, scandalizare hoc loco non significat scandalum præbere, sed iniuriam facere. Pati autem iniuriam nulla culpa, sed magna virtus est. Itaque non reprehendens sed miserans Christus dicit, *Væ mundo à scandalis: Necesse est enim vt veniant scandala.* Necesse esse dicit, non absolutè; sed hominum peruersitate considerata, vt Chrysost. Hieron. Beda, Euth. obscurè licet, videntur indicare. Illud etiam Chrysost. ac Euthymius admonent, non quia Christus prædixit, scandala ventura esse, sed quia ventura erant. Christum prædixisse. Obiicies aliquis aduersatiuam illam particulam, *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit*, indicare hunc esse sensum, quamuis necessarium sit scandala venire, non propterea, qui scandalum fecerit, culpa vacare. Respondeo non eum, sed similem esse sensum. Quamuis alioqui scandalum venturum esset, non propterea, qui illud facit, culpa carere. Quemadmodum quamuis Saul moriturus erat, non idcirco qui illum occidit, culpa vacauit.

Verumtamen væ homini illi.) Multi veteres auctores hominem illum Iudam vocari putauerunt, vt Philastrius in hæresi eorum, qui Iudæ proditionem laudabant, & D. Hieron. & Beda in huius loci comment. & Ambros. aut, vt ego arbitror, Remigius in comment. in c. 11. 1. epist. ad Corinth. sed manifestum est generalem esse sententiam.

8. *Si autem manus tua.*) Docet quanto studio scandala vitare debeamus, vsque adeo vt manus abscindenda, oculus, si scandalizauerit, eruendus sit. Hanc sententiam, totúmque hunc versum, atque sequentem cap. 5. 29. 30. exposuimus.

10. *Angeli eorum.*) Probat non esse paruulos offendendos, aut contemnendos, cùm Deo tāta sint curæ, vt apud eum Angelos habeant à quibus custodiantur. Ex hoc loco, & aliis nonnullis communis opinio de Angelis custodibus nata est. Primùm quidem ex scripturis constat singulis regnis, atque prouinciis etiam fidelium singulos Angelos esse præpositos, Dan. 10. 13. 20. Quod & veteres auctores ferè omnes, maximèque Romanus Clemens libr. 2. recognitionum & Clemens alter Alex. lib. 6. Stromatum, Chrysost. hom. 61. in Matthæum, & Theodoritus oratione 10. in Danielem colligunt ex Deuteronomio c. 32. 8. *Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël*, secuti Septuaginta versionem, qui pro filiis Israël Angelos Dei reddiderunt, quasi sensus esset vnicuique prouinciæ, ac populo vnum Angelum esse præfectū. Illud etiam constat Apocalypsis 2. 8. 12. 18. & 3. 1. 7. & 14. vnicuique Ecclesiæ vnum Angelum, à quo quodammodo gubernetur datum esse, vt Hilarius in Psalmum 124. & Gregorius Nazianzenus in oratione habita coram centum quinquaginta Episcopis, & Hieron. in c. 1. Ecclesiast. & auctor commentariorum in epistolas ad Cor. qui falsò Hieronymo tribuuntur epistola 1. cap. 11. Illud etiam non perpetua traditione solùm, sed plusquam probabilibus scripturæ testimoniis semper est creditum, singulos Christianos singulos Angelos bonos habere, quorum curæ commissi comperta, & quasi cùm certum sit singulos homines Angelum aliquem habere, paruulorum, id est iustorum Angelos aliorum Angelis præferat. Idem ex Genes. c. 48. 16. colligitur. *Angelus*, inquit Iacob, *qui eruit*

A *me de cunctis malis benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nominaque patrum meorum.* Et Actorum 12. 15. ex communi proculdubio opinione de Petro, cum è carcere ab Angelo, nimirum suo, liberatus esset, foréque notæ domus intempesta nocte pulsaret, dictum est: non Petrum, sed Angelum eius esse. Hactenus omnes veteres auctores consentiunt. Iustinus quæstione 30. eorum, quas gentes Christianis proponebant, Lactantius lib. 2. c. 15. & Basilius in Psalmum 33. & 58. & in c. 8. Esaiæ, & in lib. 3. contra Eunomium de Spiritu sancto, Chrysostom. hoc loco, & auctor operis imperfecti homil. 40. & Hieronym. in c. 66. Isaiæ, & in commentariis huius loci, & Theodoritus lib. 5. diuinorum decretorum, & oration. 10. in

B Danielem, & Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. & Origenes quamplurimis in locis. de cuius singulari sententia posteà dicemus. Longius Theologi quidam nec mali, neque recentissimi progressi sunt, vt etiam Christum Angelum custodem habuisse dixerint, de quo Lucæ 22. 43. dictum est, *apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum.* Sed hoc & paradoxum est, & Christo vero Deo minimè dignum. Habet quidem Angelos, à quibus sibi ministretur, non à quibus cudiatur. Caluinistæ tamen, vt sapientissimi suo iudicio sunt, nihil credunt, tantùm dicunt omnes Angelos omnium hominum esse custodes, quia vt ait D. Paulus ad Hebræos 1. 14. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Sed finamus eos sua vti impudētia. De eo à nonnullis dubitatum est, an omnibus hominibus, etiam non Christianis, dati sint Angeli. Origenes enim tractatu in Matthæum 6. & auctor imperfecti homil. 5. videntur existimasse solis baptizatis datos esse. Sed & omnium aliorū auctorum contraria sententia est, & ea ex scriptura & ratione refutatur. Nam si infideli Græcorum, & Persarum regno Angelus præfectus est, & singulis etiam Græcis, & Persis hominibus aliquem datum esse Angelum credendum est; maiorem enim hominum, quàm regnorum Deus curam habet. Et non solùm Christianorum, sed omnium omnino hominum salutem quærit, in qua procuranda Angelorum vtitur ministerio. quia *omnes administratorij sunt spiritus propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Illud etiam apud auctores minus est certum, an singuli homines non solùm vnum à quo defendantur; sed etiam malum, à quo impugnentur, Angelum habeant. Sed ramen & hoc ipsum antiquissima traditione non Christianorum modò; sed etiam Hebræorum traditum est, vt scribit Rabbi Moses libro 3. More c. 21. Quam traditionem ex antiquo libro Pastoris, & ex epistola Barnabæ, quam olim inter Christianos in magna auctoritate fuisse legimus: veteres auctores probare solent, vt Origenes homilia 10. in Lucam, & lib. 3. de principiis c. 2. & Cassianus collatione 8. c. 17. & collat. 13. c. 12. & Beda in cap. 12. Act. Apostolorum. Confirmant eandem traditionem Gregorius Nyssenus in vita Moysis, & auctor imperfecti homil. 5. in Matthæum. Potest aliquod eius rei vestigium in scriptura notari; nam D. Paulus datum sibi dicit Angelum Satanæ, qui se colaphizet. Quod etsi aliis modis intelligi potest, potest & hoc: & credibile est diabolum dæmoniorum principem in administratione regni sui Deum imitari: & quemadmodum Deus singulis hominibus singulos Angelos præponit ita eum opponere singulos dæmones. Videtur autem Christus, cum dicit, *Angeli eorum semper vident faciem patris mei*, aliquid singulare paruulorum Angelis attribuere, quasi cæteri minores sint, & quasi illi faciem Dei videant, alij non videant. Et quidem Origenes homil. in Lucam 35. hinc suum con-

C

D

E

De Angelis custodibus deque eorum officio. Angelum custodem habuisse dixerint.

Angelum custodem Ecclesiæ habuerit.

Angelum custodem singuli homines habeant.

Angelum custodem Christus nō habuit

Angelum custodem etiam infideles habent.

Vtrum singuli homines malum Angelum habeant, à quo impugnentur.

2. Cor. 12. 7.

Origenis error de Angelis custodibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fiemat errorem, quasi Angeli etiam beati propter negligentiam custodiendorum hominum suam aliquãdo beatitudinem amittãt, quasi sensus sit aliorum hominum Angelos aliquando videre faciem Dei, aliquando non videre; quia aliquando homines bene, aliquando malè custodiunt; paruulorum autem Angelos semper videre, quia benè semper custodiunt. Cum ergo paruuli diligentiùs, quàm cæteri homines ab Angelis custodiantur, offendendos, contemnendósve non esse. Chrysost. etiam existimat aliquid singulare paruulorum Angelis tribui, & non omnes faciem Dei videre, sed eos, qui supremi ordinis sunt, significarique hoc loco paruulorum curam supremis Angelis commissam esse. Credo ego certè aliquid discriminis inter paruulorum, & cæterorum hominum Angelos indicari: sed nec illud, quod Origenes, nec illud, quod Chrysost. putat: sed maiores esse paruulorum, quàm aliorum hominum Angelos. Quod ne quis miretur, intelligat hoc loco paruulos non pueros, sed homines iustos appellari, quorum Deum curam maiorem, quàm aliorum hominum habere tota scriptura testatur. Maiores autem, & honorabiliores esse paruulorum, quàm aliorum hominum Angelos ex effectu probat, quia semper vident faciem Dei: non quòd alij Angeli non videant; sed quòd ea phrasi Hebræi significent Deo aliquem esse propinquum, & familiarem. Sumpta enim est ex aulæ consuetudine metaphora, vbi quò quishonoratior est, eò propinquior est regi, eóque frequentiùs in eius conspectu versari solet. Ita loquitur regina Saba de seruis Salomonis 3 Reg. 10. 8. *Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Notauit Gregorius, & D. Bernardus serm. 5. de dedicatione Ecclesiæ colligi ex hoc loco posse, quod omnes posteà Theologi docuerunt, Angelos quocumque eunt suam secum beatitudinem ferre, id est semper faciem Dei videre. Faciem autem Dei per metaphoram Christus appellauit splendorem essentiæ diuinæ, sicut facies, aut potius vultus hominis est, in quo persona tota resplendet. *Lib. 2. moral. c. 3.*

11. *Venit enim filius hominis saluare, quod perierat.*) Secundum hîc est argumentum, quo probat Christus contemnendos non esse paruulos, quandoquidem propter eorum salutem filius hominis venit. Simile argumentum apud D. Paulum legimus 1. ad Cor. 8. 11. *& peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Loquitur autem Christus ex hominum opinione, qui existimant eos, qui maximè iusti sunt, quia abiectos & humiles vident, maximè esse peccatores. sicut Pharisæi cæco illi, qui à Christo curatus fuerat, dixerunt Ioan. 9. 34. *in peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Nec cum hoc Christus dicit, indicat cæteros homines non periisse: sed tantùm significat se propter peccatores venisse. Ita vt, si quis peccator non esset, propter eum venturus nõ fuisset; quemadmodum c. 9. 12. dixit *non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*; vbi copiosiùs totum hunc locum explicauimus.

12. *Si fuerint centum oues.*) Tertium est argumentum, quo bonus pastor exemplo pastorum probat plúris se facere paruulorum, id est eorum, qui peccatores habẽtur, quàm aliorum hominum salutem. Nec quicquam in hac parabola difficile est; nec enim, vt paullò antè diximus, significatur aliquos fuisse homines, qui non errauerunt; sed tantùm propter eos, qui errauerunt, Christum venisse. De eo autem inter interpretes magna disceptatio est, quæ illæ 99. sint oues, quæ non errauerunt. Vetustissimi auctores Angelos bonos dixerunt esse. Oues enim Dei esse omnes creaturas rationales, ex quibus aliæ, id est homines errauerint; aliæ, id est Angeli non errauerint. Ita sensisse videtur Irenæus libro 3. c. 21. & 39. & Origenes hom. 2. in Genesim & homil. 7. in Iosue. & Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 15. & Hilarius hoc loco, & Ambrosius in Apologia Dauidis c. 5. & Gregorius homilia 34. in Euangelia, & Theophylactus. Cuius opinionis & hoc loco Hieronymus meminit, & Athanasius q. 2. Sed dubium non est, quin de solis hominibus Christus loquatur, nisi, quod absurdissimum est, cum Origene dicamus etiam propter Angelos, qui peccauerunt, aduenisse. Sensus igitur est nõ quidem eum reliquisse nonaginta nouem oues, quæ non errauerunt, vt vnam, quæ sola errauerat, quæreret: sed tanti vel vnius hominis salutem facere, vt si tantùm centum essent homines, quorum vnus tantùm errauisset, nonaginta nouem relicturus esset, vt illum vnum quæreret: quemadmodum boni pastores facere solent. Magnum ipsius erga nos charitatis indicium, magnum argumentum ad eorum reflendam opinionem, qui etiamsi homines non peccassent, Christum venturum fuisse docere solent. Itaque versu 14. non concludit Christus sic, se nonaginta nouem oues, quæ non errauerant, vt vnam, quæ errauerat, quæreret, reliquisse; sed *sic non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.*

14. *Sic.* Id est sicut pastor ille non patitur vel minimam ex suo grege ouem perire; sed magis eius, quæ perijt, quàm earũ, quæ non perierunt, salutem amat: *sic non est voluntas patris vestri*, vt vel minimus ex istis pereat. Intelligitur enim comparatio, sicut in proposita parabola, quæ latet in vna illa syllaba, *sic*, quasi dicat, sic minus vult Deus perire minimos istos, quàm maximos illos. Idem altera parabola filij perditi apud Lucam cap. 15. 24. 32. declaratur. Quòd autem dicit *ante patrem vestrum*, Hebraismus est ex regum edictis sumptus, quæ ab eorum conspectu, vt firma habeantur, dicuntur prodiisse. Loquitur enim de diuina voluntate, tanquam de aliquo decreto. *Ante patrem* autem *vestrum*, potiùs, quàm ante meum dixisse arbitror, vt accommodatè ad id, de quo agebat, loqueretur: agebat verò de Dei erga homines amore, & misericordia, quod vtrumque patris est proprium.

15. *Si autem peccauerit in te frater tuus.* Fratrem generaliter vocat omnem Christianum; de aliis enim non agit, vt constat ex versu 17. *dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Nam Ethnicum, & publicanum fratri opponit; & Ecclesia de iis non iudicat, qui fortis sunt 1. ad Corinth. 5. 12. propriè tamen illum, quem versu 10 pusillum appellauit, nunc fratrem vocat, docétque eum, si quid forte peccauerit, non seuerè, & tanquam hostem: sed misericorditer, & tanquam fratrem esse tractandum, sicut eum filius hominis tractat, qui venit, vt saluaret, quod perierat.

In te.) Quidam hæreticorum interpretes exponunt priuatim & te solo sciente: tunc enim priuatim, secretéque eum, qui peccauit, esse corrigendum. Nam eos, qui publicè peccant, publicè arguendos docet D. Paul. 1. ad Timoth. 5. 20. Deberent interpretationem aliquo exemplo probare, *in te* idem esse, atque priuatim. Potuissent dicere Hebraismum esse, qualem Psal. 50. 6. legimus *tibi soli peccaui*, id est secretò, réque solo sciente: sed repugnat huic interpretationi D. Lucas c. 17. 3. *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, increpa illum; si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Loquitur ergo Christus non de eo, qui secretò, sed de eo, qui contra nos peccat. Repugnat & Petri interrogatio infra ver. 21. *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* De quibus autem peccatis hoc intelligendum sit, meritò quæri potest: quia quædam eiusmodi videntur esse, vt non sit, qui peccat, priuatim corrigendus. Origenes tractatu in Matthæum 6. de solis venialibus siue contra nos, siue contra Deum factis interpretatur. Hilarius, Chrysostomus, Hieronym. Ambrosius in cap. 17. Lucæ. Augustinus sermone 16. de verbis Domini secundùm Matthæum, Theophylactus, & Euthymius de mortalibus; sed de his tantùm, quæ contra nos, non de iis, quæ contra Deum fiunt; nam ea non esse dissimulanda. Credo ego de omni peccatorum genere siue contra nos, siue contra Deum agi. Spectandum enim est Christi consilium, vt peccantem non acerbè accusemus; sed benignè corrigamus. Dixit autem, *si peccauerit in te*; quia tunc acerbi, tunc acres, tunc diserti reprehensores esse solemus, cum eos, qui contra nos peccauerunt, obiurgamus. Et voluit sapientissimè Christus ibi nobis frænum iniicere, vbi maximum periculum erat, ne præcipites ageremur: tamen ex vna peccatorum specie totum genus intelligendum est, nisi si quid aliunde obstat, quo minus fraterna correctio sit adhibenda. Dubitari potest, cur non dixerit, *si peccauerit in te frater tuus*, dimitte illi, sicut aliis locis dicere solet cap. 5. 23. 24. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*, & c. 6. 14. *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.* Respondeo in hac affirmatione, *corripe eum inter te, & ipsum*, tacitam negationem delitescere; perindè enim est, ac si dicat, si peccauerit frater tuus, ne continuò eum accuses, ne continuò eum ad Ecclesiæ iudicium deferas; ptiùs peccatum corrige. An autem omnis, in quem peccatur, vel qui peccatum alterius nouit, & an in omni peccati genere eum, qui peccauit, corrigere debeat, ex Theologorum regula iudicandum est, quæ ex verbis Christi colligitur, *si*, inquit, *te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Cum ergo spes est spiritualis lucri, corrigendus est frater; cum non est, aut accusandus coram Ecclesia, si fructus speretur; aut Domino relinquendus, si non speretur. *Correctio fraterna quibus, & quomodo adhibenda.*

16. *Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos.*) Dubium, cur testes post primam admonitionem adhiberi velit. Quidam propterea inquiunt, vt seuerior sit reprehensio, & pudere eum, qui peccauit, propter præsentium incipiat. Alij, vt constet testibus eum, qui corrigit, suo functum officio, vt Euthym. Alij, vt si se non correxerit, is, qui admonet, testes habeat, vt eum coram Ecclesia possit accusare, quemadmodum multi noui interpretes exponunt. Alij, vt qui corrigit, facilius ei, qui peccauit, persuadeat eum peccauisse, cùm id non ipse solus; sed duo etiam, aut tres testes affirment, vt Chrysost. August. sermone illo 16. de verbis domini, & Theophylactus interpretantur. Hoc probabilius. In hanc enim sententiam legis testimonia ex Deuteronomio Christus inducit, *in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* Hoc tantùm interest, quod in Deuteronomio Deus terrere ea lege voluit c. 17. 6. & 19. 15. ne quis vno tantùm teste; sed vt minimum, duobus, vel tribus condemnaretur: hîc autem Christus dicere voluit duos, vel tres testes ad faciendam fidem satis esse. Vtrum autem duo, vel tres testes simul, an separatim, primùm vnus, deinde secundus; aut duo; posteremò tertius, aut tres adhiberi debeant, non satis est explicatum. Et quidem Hieronym. primùm vnum, deinde alterum, posteremò tertium putat. Sed ex fine, cur adhibendi sunt, & ex sententia Deuteronomij, quam Christus in probationem citat, perspicuum est, non esse separatim, sed simul, vel duos, vel tres testes, vt minimum, adhibendos. Non enim in ore vnius, sed in ore duorum, vel trium stabit omne verbum.

17. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*) Id est, si nec illis quidem crediderit, tunc tibi licebit ad Ecclesiæ iudicium fratrem deferre: audire enim hoc loco pro obedire ponitur ex Hebraismo, vt sæpe aliàs. Quidam ex hæreticorum interpretibus nomine Ecclesiæ hoc loco prorsus absurdè Iudæorum Synagogam intellexerunt. Nam nusquam Synagoga in nouo Testamento Ecclesia vocatur, quemadmodum D. August. in epistolam ad Rom. & in Psalmum 81. obseruauit; & statim versu sequenti de ea Ecclesia loquens, cur peccatorem deferendum esse dixerit, *quæcumque*, inquit, *alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo*: potestas autem ligandi atque soluendi non Iudæorum Synagogæ, sed Christianorum Ecclesiæ data est; deinde, eum id Christus non Iudæis, sed Apostolis dicat, dubitare non possumus de Ecclesia, non de Synagoga dictum esse. Alij ex eodem hæreticorum grege Ecclesiam quidem Christianam intelligunt: sed omnem Christianorum multitudinem interpretãtur. Id etiam absurdum; & quia omni multitudini dici non potest, & quia, si posset, nihil iuuaret. quid enim imperiti artifices, quid fœminæ peccatori facerent? Deinde quia illi proculdubio Ecclesiæ dici voluit, cui statim dixit, *quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo*: hoc autem non omni multitudini, sed solis Apostolis, cum quibus Christus loquebatur, & iis, qui in eorum locum successuri erant, dictum est. Præterea quia ne apud ipsos quidem Iudæos omnis populi multitudo: sed soli seniores & Archisynagogi excommunicare consueuerant, vt nonnulli etiam eorumdem hæreticorum interpretes annotauerunt. Denique perpetuus vsus Ecclesiæ docet huiusmodi homines non ad totam multitudinem, sed ad eos, qui ligandi, & soluendi potestatem habent, esse deferendos: qui, quia Ecclesiæ gubernatores sunt, & totius Ecclesiæ personam repræsentant. Ecclesia vocantur: quemadmodum D. Chrysost & Euthy monuerunt. Sic enim & magistratus, qui Respublicam gerunt, Respublica vocantur, & quod ab illis fit, à Republica factum esse dicitur. Quod ergo D. Paulus 1. ad Corint. 5. 3. 4. dicit, *ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui, vt præsens, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis tradere huiusmodi Satanæ*, & quod ex Tertul. in Apologetico nonnulli proferunt solitum fuisse, vt in Christianorum congregationibus de peccatoribus iudicaretur, nihil hunc iuuat errorem. Illud enim solùm inde colligitur coram multitudine, sed non à tota multitudine iudicia exerceri consueuisse. Nam & D. Paulus differè dicit se, non autem totam Corinthiorum Ecclesiam scelestum illum hominem Satanæ tradidisse. Alter hæreticorum interpres, qui hoc loco pro Ecclesia Rempub. vertit, ridendus est non refutandus. Quamquam istæ ridiculæ ineptiæ periculosæ sunt, quę Ecclesiam in Rempublicam, & vt dicam clariùs, in politicam hominum nihil credentium congregationem vertunt. Colligitur ex hoc loco Ecclesiam visibilem esse, quam nostri etiam hæretici inuisibilem, aut potiùs nullam nobis faciunt. Quia enim Ecclesiæ iudicium reformidant, videri posse nolunt. *Calui. in harm. & Beza in annot.* *Sebastianus Castalio.* *Ecclesia visibilis.*

Sit tibi, sicut Ethnicus, & publicanus.) Alludit ad consuetudinem Iudæorum, qui ab Ethnicorum, & publicanorum, quos pro publicis peccatoribus habebant, consuetudine abstinebant. Itaque sensus est eos, qui Ecclesiæ iudicio non obediunt, non aliter quàm, si Ethnici essent, esse vitandos. Quod duabus de cau-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sis fieri iubet Christus; &. vt qui eiusmodi sunt, cum se alienatos ab Ecclesia viderint, resipiscant, vt ait D. Paul. 1. ad Cor. 5. 5. vt spiritus saluus fiat; & ne, qui sani sunt, eorum consortio contagionem trahant, vt eodē loco versu 11 indicat D. Paulus *cum huiusmodi nec cibum sumere*, & ad Titum 3. 10. 11. *hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est.* Et D. Ioan. 2. epist. ver. 10. 11. *Si quis venit ad vos; & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei aue, communicat operibus eius malignis.* Eiusmodi sunt omnes, quos excommunicauit Ecclesia: excommunicatorum verò maximè hæretici: hæreticorum maximè Caluinistæ, quorum sermo, vt cancer, multo magis serpit, quàm eorum, de quibus id 2. ad Tim. 2. 17. dixit D. Paulus.

Caluinista vitandi.

18. *Quæcunque alligaueritis.*) Origenes & Theophylactus, & Anastasius q. 2. in scripturam, nescio etiam an Chrysost. (obscurè enim dicit) hæc verba ad omnes prorsus Christianos existimant pertinere, decepti vt opinor, contextu, consecutioneque verborum: quia enim dixerat Christus paullò antè, *si peccauerit in te frater tuus*, & nunc dixit, *quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*, putauerunt hæc verba ad eos solos, contra quos peccatum est, pertinere, quasi sententia sit, si illis iniuriam remiseritis, Deus etiā remittet, si non remiseritis, non remittet. Eundem errorem Caluinistarum interpretes hausisse non contenti maiore auxerunt errore, quasi nullam Christus Apostolis potestatem, ac nec Petro quidem ipsi dederit, quam non omnibus Christianis concesserit. Sic quidam eorum, qui apud eos doctissimi habentur, in hunc locum scribunt. Veteres illi auctores, etsi in interpretatione huius loci magis allegoricè, quàm propriè locuti sunt, quasi vnusquisque possit alteri, dum illi parcit, peccata soluere; tamen Apostolis singularem propriè ligandi, atque soluendi potestatem datam fuisse non negauerunt; sed docuerunt. Facile error vterque refutatur; perspicuum enim est Christum eum, contra quem peccatum est, testes, & Ecclesiam distinguere, & soli Ecclesiæ dicere, *quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Deinde cum dicit, *si Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, quis non videt Ecclesiam ab eo, qui ad Ecclesiam peccatorum detulit, distingui, sensúmque esse, si Ecclesiæ ligāti non obediuerit, sit tibi, contra quem peccauit, quique eum detulisti, tanquam Ethnicus, & publicanus? alius ergo est, qui iniuriam accipit, alius qui ligat, & soluit. Illa maior quæstio, an de sola externa, & vt ita dicam politica Ecclesiæ potestate hîc agatur, vt quidam nescio an satis Catholici videntur existimare. Dubium non est, quin & de externa, & de interna ligandi potestate Christus loquatur, cùm dicat, *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*, id est apud Deum; quod enim apud Deum ligatur, & soluitur, non solùm extrinsecus, & hominum opinione, sed etiam intrinsecus, & re vera ligatur & soluitur. Adde quòd, qui aliter interpretantur, Christi consilium non intelligunt: voluit enim Ecclesiæ tribunal vltimum esse, ad quod essent peccatores, cùm aliud non esset emendationis remedium, deferendi. Ideóque summam illi tribuit potestatem: summam autem non tribuisset, si maiorem illi non dedisset, quàm omnis Respublica iure suo habet, vt homines pernicioſos mittat in exilium, quod in Ecclesia est excommunicare. Quid autem sit ligare, & soluere, & quomodo hinc Confessionis præceptum necessariò colligatur c. 16 19. exposuimus. Illinc, quæ hîc deliberabuntur, petenda erunt. Poterit aliquis obiicere ex hoc loco colligi, aut non agi hîc, nisi de externa excommunicandi potestate, non autem de potestate absoluendi in sacramento Pœnitentiæ; aut, si de sacramento Pœnitentiæ agitur, aliud è contrario sequi, neminem posse, qui sacerdos non sit, excommunicare: quod Ecclesiæ vsu falsum esse conuincitur. Respondeo propriè de sacramento Pœnitentiæ Christum agere, & excommunicandi potestatem, partem esse potestatis per sacramentum Pœnitentiæ ligandi, atque soluendi. Nam quisquis auditum pœnitentem non absoluit, priuatim quodammodo excommunicat, quia sacramentorum perceptione eum priuat, quamuis quia ea excommunicatio secreta est, excommunicatio vocari non soleat. Qui autem, cum sacerdotes non sint, excommunicant, alia id ratione faciunt; nempe quia superiores sunt, & Ecclesiasticam habent iurisdictionem, publicum peccatorem & sacramentorum participatione, & Ecclesiæ suffragiis priuant. Itaque communi vsu excommunicatio vocatur.

Potestas excommunicādi Ecclesiæ tradita.

19. *Iterum dico vobis.*) Non videntur prima specie bene hæc verba cum superioribus cohærere. Hilar. Chrysost. Hieronymus, Euthymius, & Theophylact. eò pertinere putant, vt Christus concordiam, de qua loqui cœperat, cum dixit, *si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum*, magis commendaret, dicens tantum valere concordiam, vt quotiescunque duo ad aliquid à Deo petendum conspirauissent, obtenturi essent. Potiùs existimo Christum à minori ad maius argumentari voluisse; si quicquid duo perierint, Deus illis concedit, quanto magis Ecclesiæ iudicium ratum habebit? Quod & D. Gregorius lib. 7. regiſtri epist. 110. videtur indicasse. Atque hoc est quod dicit: *Iterum dico vobis*, quasi dicat, non solùm quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, sed, quod amplius est, etiam vobis promitto fore, vt quicquid duo de vobis communi consensu petierint, consequantur. At non agebatur de oratione dicet aliquis; sed de ligandi, soluendique potestate: quorsum ergo de oratione subiecit, *si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo?* Respondeo, propterea id subiecisse, vt ostenderet fore, vt Deus nunquam eos in iudicando, id est in ligando, atque soluendo errare pateretur, si suo nomine iudicarent, quia quidquid suo nomine à patre petierint, fiet illis, sicut Ioan. 14. 13. & 16. 23. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sunt qui putant propterea Christum de oratione hæc addidisse, quia intelligebat Apostolos, & quicunque ligandi, & soluendi haberent potestatem, nunquam ea nisi præmissa oratione vsuros esse, qua oratione peterent, vt Deus illi gratiam daret rectè, iustèque iudicandi. Quod mihi non displicet.

Si duo ex vobis.) Hæc verba miris modis exposita sunt. Origenes tract. in Matthæum. 6. ad virum, & vxorem refert, qui, vt ait D. Paulus, si ab vsu coniugij orationis causa abstinere consenserint, quicquid petierint, impetrabunt. Alij ad animam, & corpus, vt eodem loco idem Origenes, & Athanasius quæstione 61. & Ambros. in institutione virginis cap. 2. & in caput 14. Lucæ, Hieronym. Beda, & Theophylactus in commentariis, quasi quidquid sine vllo malo affectu, id est carne aduersus spiritum non repugnante, facilè sint consecuturi: sed hoc ipse Hieronymus allegoricum esse fatetur. Alij referunt ad Ioelos Apostolos, vt Chrysostom. & Euthym. Alij ad reprehensum & reprehendentem, vt Anastasius quæst.

74. Alij

74. Alij ad omnes Christianos: quia sequitur, *vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; quia generalis videtur esse sententia.

Super terram.) Propterea addidit *super terrā*, vt cælo terram opponeret, significaretque eos, quamuis in terra essent, longéque à cælo distarent, ibi tamen, cum orarent, exaudiendos esse, quemadmodum similem sententiam c. 16 19. explicauimus.

De omni re.) Etiamsi generaliter, & vniuersè loquatur, non adeo generaliter intelligenda sententia est, vt existimemus fore, vt quicquid petierimus siue bonum, siue malum, siue honestum, siue inhonestum, simus impetraturi. Ponit enim tanquam rem certam, quod & apud viros bonos, quasi naturæ lege positum est, non nisi honesta petenda esse; quòd autem dicit *de omni re*, non ideo dicit, vt bona, & mala; sed vt parua, & magna; vt facilia, & difficilia comprehendat. Cur autem non semper, quod petimus, obtineamus, & quibus conditionibus huiusmodi promissiones intelligendæ sint, cap. 7. 7. docuimus.

20. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo.*) Confirmatio est aut superioris versus, qua rationem reddit, cur, quidquid duo consentientes petierint, impetraturi sint, quia ipse nimirum in medio eorum est, & quasi ipsorum ore pro illis loquitur: aut versus 18. qua probat fore, vt, quidquid ligauerint super terram, sit ligatum & in cœlo, & quicquid soluerint super terram, sit solutum & in cœlo, quia ipse in medio eorum est, pro illis ligans, aut soluens. Hilarij, Chrysostomi, & Theophylacti interpretatio coacta est, qui congregari nihil aliud esse putant, quàm, quod paullò antè dixit, consentire, id est amicitia propter Christum coniungi. Cùm enim Christus dicat *ibi sum in medio eorum*, perspicuum est eum de cœtu, & consessu agere, in quo se tanquam iudicem medium sedere significat. Alludit autem, vt opinor, ad ludæorum consuetudinem, qui in congregationibus, id est synagogis iudicium exercebant. Difficilius dictu est, quid sit in nomine Christi congregari. Alij enim in nomine Christi, id est propter Christum interpretantur, ita vt qui congregantur, nihil aliud, quàm Christum, & gloriam eius quærant, vt Chrysostom. & Euthym. Alij inuocato nomine Christi, quod & videtur melius conuenire, quòd de oratione agebatur. Hæretici verbo Dei omnia metiuntur, cùm omnia contra verbum Dei dicant; In nomine, inquiunt, Christi congregati, est secundùm verbum Dei ad decernendum aliquid ex solis scripturis conuenire. Sed iſtæ verbi Dei iactationes iam nos mouere desierunt, scientes idem dicere omnes hæreticos consueuisse. Mihi accommodatè ad id, de quo agitur, & ad consuetudinem locutionis nomine Christi congregari nihil aliud videtur esse, quàm eius auctoritate, eiúsque personam gerentes conuenire, sicut D. Paul. 1. ad Corinth. 5. 4. dicit se in nomine Christi, id est, Christi auctoritate, atque virtute, vt statim declarat, Corinthium illum Satanæ tradidisse; & sicut Apostolos legimus in nomine Christi baptizasse, & miracula fecisse. Itaque cùm ij, qui auctoritatem in Ecclesia iudicandi habent, ad iudicandum conueniunt, eo ipso in nomine Christi dicuntur conuenire. Neque necesse est, vt nihil aliud, quàm Christum quærant; quorsus enim quisque id faceret? Præterquàm quòd nunquam constare posset, vtrùm, qui congregati essent, in nomine Christi conuenissent. Quis enim præter Deum hominum cognoscit voluntates? Quod autem hæretici ex eo iudicandum esse dicunt vtrum in nomine Christi conuenerint, si nihil nisi ex verbo Dei constituerint, peruersè faciunt iudicio. Non enim, quia nihil nisi ex verbo Dei decernunt, in nomine Christi conuenerunt: sed quia in nomine Christi conuenerunt, nihil nisi ex verbo Dei possunt decernere. Priùs enim in nomine Christi conueniunt, quàm aliquid decernant. Et qui in Christi nomine non conuenerunt, possunt aliquando ex verbo Dei omnia decernere. Itaque incertam nobis hæresim, & fallacem regulam tradunt, quæ si vera esset, nunquam sciri posset, an aliquod Concilium in nomine Christi conuenisset. Nam ad examinandum, vtrùm aliquid non ex verbo Dei decreuisset, alio Concilio opus esset; & ad examinandum, an illud alterum aliquid dixisset præter verbum Dei, rursus opus altero: sic nusquam fides nostra gradum figeret.

Fallax hæreticorū regula ad verū cognoscendum Concilium.

Quid in nomine Christi congregari.

Calliditas hæreticorum.

Ibi sum in medio eorum.) Quod Origenes, Chrysost. & Euthym. annotarunt non dixisse Christum ibi ero; sed *ibi sum*, vt ostenderet se iam esse præsentem, haud scio, quàm probabile. Illud potius explicandum, quid sit Christum esse *in medio eorum*. Hilarius ita videtur exponere, quasi nihil aliud sit, quàm in illis per gratiam habitare. Sed isto modo in omnibus iustis est, quamuis congregati non sint: Christum verò aliter se in medio congregatorum, quàm in medio aliorum, qui congregati non sunt, esse significat. Alij interpretantur esse *in medio eorum*, id est pro illis petere, pro illis orare. Ego non solùm auxilium; sed etiam auctoritatem significari arbitror, quasi dicat, ego in medio eorum, tanquam supremus iudex sedeo, eorum sententiam confirmans, quam in meo nomine pronunciant, sicut Dauid dixit: psal. 81. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum*, id est iudicum, *in medio autem Deos diuidicat.* Solet hoc testimonium ad probandam Conciliorum auctoritatem adduci, quod non hæretici modo, sed nonnulli etiam Catholici fieri posse negant, quia & de oratione, non de decernendi potestate; & de duorum, vel trium, non de iusti Concilij congregatione agebatur. Hi licet ingenioſi homines sunt, sentire tamen vim argumenti non videntur, quod à minori ad maius inde deducitur. Si enim, cùm duo, vel tres Ecclesiastici iudices in nomine Christi ad iudicandum de re aliquando non magna conueniunt, Christus affirmat se in medio eorum esse, quomodo non erit, cùm non duo, vel tres non de re parua, sed de fide, de religione, de hominum salute, de totius Ecclesiæ gubernatione omnes Ecclesiæ iudices, id est Episcopi conueniunt? Vt D. Gregorius libr. 7. regiſtri cap. 110. argumentatur. Obiiciet aliquis, ergo & Prouincialium, vt vocant, Conciliorum ex hoc loco eodem modo, atque Generalium probatur auctoritas. Nam & in illis duo, vel tres, sed multi Episcopi congregantur. Concedo id ita esse, modò Prouincialia Concilia in Christi nomine congregentur: tunc autem in eius nomine congregantur, cum eius auctoritate conueniunt: tunc eius auctoritate conueniunt, cum Romani Pontificis eius Vicarij auctoritate conuocantur & confirmantur, sine qua, quia congregari non possunt, nec Christi nomine conuenire possunt, ideóque non negamus, cum in Christi nomine non conueniunt, errare posse.

Confirmatur Conciliorū auctoritas.

Conciliorū Prouincialium quæ nam auctoritas.

21. *Tunc accedens Petrus.*) Quid Petrum mouerit, vt hanc Christo quæstionem proponeret, non satis apparet. Hieron. occasionem fuisse putat, quòd Christus dixisset versu 15. *si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eū inter te, & ipsum*; meritò enim dubitasse Petrum, quoties peccanti contra se fratri iniuriā remittere oporteret. At Christus non de iniuriæ remissione: sed de fraterna correptione locutus fuerat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chryſoſt. & Euthym. exiſtimant Petrum, quaſi gloriabundum, & miſericordiæ opinionem captaturum hoc interrogaſſe: putaſſe enim ſe magni aliquid dicere quòd ſepties peccanti fratri vel dubitando eſſe diceret remittendum. Mihi ex verbis Chriſti Luc. 17. 4. occaſionem interrogationis videtur accepiſſe, *& ſi ſepties*, inquit, *in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Nam hæc verba quamuis Matth. ſilentio præterierit, credibile tamen eſt tunc dixiſſe Chriſtum, cum dixit, *ſi peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te, & ipſum*: hæc enim cum illis Lucas copulauit. Quamquam D. Auguſtinus alio tempore ea, quæ Lucas narrat, dicta fuiſſe putat 2. libr. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 61. ſed præſtat credere Euangeliſtam alio loco, & alio ordine narraſſe: quàm Chriſtum alio tenore dixiſſe.

Septenarius numerus in ſcriptura pro indefinito.

Vſque ſepties.) Quod Chriſtus infinitæ dixerat, Petrus definitè intellexit. Septies enim, id eſt quotieſcunque peccauiſſet, fratri offenſionem eſſe remittendam Chriſtus ſignificauerat. Nam ſeptenarium numerum pro infinito atque incerto poni ſolere notum eſt. Prouerbiorum 24. 16. *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget*, id eſt quotieſcunque ecciderit reſurget, quia dominus eum non deſeret.

22. *Non dico tibi vſq; ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties.*) Numerum infinitum in denarium conuerſum, & per eundem multiplicatum magis infinitum reddidit. Quamquam re ipſa idem eſt, *vſque ſepties*, &, *vſque ſeptuagies ſepties*, cùm vterque numerus numeri negationem, id eſt innumerabilitatem ſignificet, quemadmodum ſi diceret, non ſolum dico tibi, vt innumerabilibus vicibus nimirum fratri remittas: ſed etiam innumerabiliter innumerabilibus. In quam ſententiam Chryſoſtomus, & Euthymius interpretantur. Quemadmodum Geneſis 4. 24. Deus dixit, *ſeptuplum vltiò dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties*, ad quem locum indicat Hilarius hic Chriſtũ alluſiſſe, vt quemadmodum pœna, ita & venia in infinitum extenderetur, quia *vbi abundauit delictum, ſuper abundauit & gratia* Rom. 5. 20. Id, vt Hieronymus. & Beda annotauerunt, de fratre ſeptuagies ſepties contra nos eodem die peccante intelligendum eſt. quod perſpicuũ eſt ex Luca, 17. inquit, *ſepties in die peccauerit in te, & ſepties conuerſus fuerit dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Qua ſententia non docentur ſacerdotes abſolutionem ſæpe peccantibus temerè dare. ſed docẽtur offenſi ſemper ad ignoſcendum parati eſſe. Illud videtur habere difficultatem quomodo Chriſtus apud Lucam dicat. *ſi conuerſus fuerit, dimitte illi*, quaſi ſignificet non debere nimirum remittere, niſi priùs eum, qui nos offendit, pœnituerit. Quod omni ſcripturæ proſus contrarium eſt: certiſſima enim eſt regula, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, &, *ſi non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra* ſupra c. 6 12. 15. Quod quidam nobiliſſimus hæreticorum interpres reſpondet, duobus modis nos offenſas remittere aut ignoſcendo, aut de eo, qui nos offendit, bonam habendo exiſtimationem, nouum commentum eſt. Nam bonam opinionem habere idem eſſe, quod iniuriam remittere, quis vnquam cogitauit? Duobus ergo modis iniuriam remittimus, & dum ei, à quo ſumus offenſi, non malè volumus; quod ſemper, etiamſi eum non pœniteat, facere debemus, vt Deus nobis noſtra debita dimittat: aut dum eum non accuſamus. Nam non accuſare, non deferre, non puniendum curare, parcere eſt. Arg; hoc modo intelligẽdum eſt, quod Chriſtus ſignificat, non debere nos peccanti fratri parcere niſi eum priùs pœniteat. Hoc enim agebat, vt diceret, non eſſe fratrẽ ad Eccleſiam referendum, niſi ſi priùs priuatim, deinde coram duobus, vel tribus teſtibus admonitus, obſtinatus in peccato perſeueraſſet.

Caluinus in harm.

Duobus modis iniuria remittitur.

23. *Ideo.*) Potius dicendum fuiſſe videtur, *quia*, quàm *ideo*: ſed aut διὰ τοῦτο ponitur ὅτι, id eſt *propterea, pro, quia*; ſicut aliquando apud Hebræos לכן pro כי, aut eſt ſubintelligendum ideò hæc dici, quia ſimile eſt regnum cælorum homini regi: aut, ideò dico vobis ſimile eſſe regnum cælorum homini regi, id eſt regi cuidam, quem Hebraiſmum multis iam locis adnotauimus. Quod autem dicit ſimile eſſe regnum cælorum homini regi, perinde eſt, ac ſi diceret idem in regno cælorum accidere, atque ſi aliquis, rex rationem cum ſeruis ſuis ponere cœpiſſet, quemadmodum cap. 11. 16. expoſuimus: nec enim regnum cælorum, id eſt Eccleſia: ſed qui regni cælorum dominus eſt, regi comparatur. Quid ſibi tota velit parabola, ex verſu 35. colligitur. nempe Deum nobis peccata non eſſe remiſſurum, niſi nos fratribus offenſas remittamus: cùm potiùs nos illis, quàm nobis Deum remittere æquum ſit; nam nos homines ſumus ſimiles illis; ille Deus diſſimilis nobis; peccata contra Deum noſtra, & innumerabilia, & infinitè grauia peccata contra nos fratrum & pauca, & plerumque leuia. Sunt autem in hac parabola, vt in omnibus aliis, quemadmodum ſæpe monuimus, quædam neceſſaria, & tanquam propriæ parabolæ partes: quædam, quaſi emblemata, & ad ornatum parabolæ, & expletionem adiecta. Neceſſariæ igitur huius parabolæ partes ſunt rex duo ſerui, alter, cui dominus debitum dimiſit; alter, cui alius ſeruus dimittere debitum noluit: deinde debitum decem millium talentorum, quod alter ſeruus regi debebat, & debitum centum denariorum, quod alter ſeruus debebat alteri. Emblemata autem ſunt, primum, quod verſu 25. dicitur regẽ iuſſiſſe vxorem, & liberos eius, qui decem millia talenta debebat, venundari; hoc enim non eſt ita ad rem, de qua agitur, accommodandum, quaſi ſignificetur fore, vt vxor propter maritum, liberi propter patrem condemnentur; ſed aut ad ornatum hæc ſunt, aut eò tantùm valent, vt grauiſſima pœna ſignificetur, qualis eſt ea, qua ſecundùm leges ciuiles non ſolùm is, qui peccauit; ſed eius etiam vxor, & liberi condemnantur: quod & apud Hebræos vſitatum fuiſſe ex 4 Regum 4. 1. manifeſtum. Emblema etiam eſt, quod verſu 31. dicitur, *videntes autem conſerui, quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè, & venerunt, & narrauerunt domino ſuo.* Non enim ſignificatur Sanctos, id eſt ſeruos Dei eos accuſare, qui fratribus ſuis iniurias non remittunt; ſed ideo additum eſt, quia ita inter homines fieri ſolet, vt alij ſerui alios apud dominum accuſent.

24. *Decem millia talenta.*) Talentorum varia fuiſſe genera nemo neſcit. Chriſtum de eo loqui credibile eſt, quod apud Iudæos erat vſitatum, quòdque ſexcentos aureos nummos valuiſſe creditur; vt diligentes harum rerum ſcriptores tradiderunt. Itaque decem millia talentorum ſummam ſexagies centum millium aureorum noſtrorum efficiunt. Nihil refert verum talenti pretium ad iuſtum æſtimare: illud refert, vt intelligamus ingentem hoc loco pecuniæ ſummam ſignificari. Ingens autem erit ſumma, ſi vel minimo pretio talentum æſtimetur.

28. *Centum denarios.*) Denarium in veteri teſtamento non legimus; fuiſſe tamen monetam apud Iudæos poſt Babylonicum exilium, quæ דנר denarius ſumpto ex Latinis nomine vocaretur, Chaldæus Paraphraſtes 4. Regum 5. 5. & Elias Theſbit. auctores ſunt. Alij Hebræi tradunt alium apud eos aureum, alium argenteum fuiſſe denarium. Argenteum, qui probabiliſſimè loquuntur, ſex obolos habuiſſe dicunt Atticos, id eſt quinq; Gallicos ſolidos, aut regale vnũ, Hiſpanicum; hoc enim rectè conuenit cum eo, quod cap. 20. 2 dicitur conueniſſe patremfamilias cum operarijs, ex denario, vt in vinea ſua laborarent. Itaq; centum denarij paullo plus, quàm octo aureos noſtros efficiebant, quæ minima erat ſumma vt propterea ſeruus debitorem ſuum ſuffocaret. Quidquid denarius valuerit, illud certũ valde exiguum debitũ ſignificari.

Denarij inferni nullius finis.

34. *Quouſque redderet.*) Id eſt ſemper, vt Chryſoſt. Euthym. & Theophylact interpretantur; non enim ſignificatur fore, vt qui damnati ſunt, pœnas aliquando perſoluant, & quaſi reddito debito liberentur, qui Origeniſtarum error fuit: ſed fore, nunquam liberentur, niſi pœnas perſoluant, quas, quia perſoluere nunquam poterunt, nunquam liberabuntur. Nec ſignificatur Deum remiſſa iam peccata propter ſequens peccatum in quæſtionem reuocare, atque punire: ſed hoc tantùm, quod Chriſtus agebat, Deum iis, qui fratribus ſuis peccata non remiſerunt, peccata non remiſſurum. Quãquam, quod optimus Theologus D. Thom. dixit remiſſa peccata nouo peccato ſuperueniente propter ingratitudinem quodammodo puniri, verum eſt; non quòd iam remiſſa puniãtur, ſed quòd ſi remiſſa non eſſent, ſequens peccatum minùs grauiter puniretur; quia minus qui fuiſſet ingratus is, cui priora peccata remiſſa non eſſent, ſi aliud peccatum addidiſſet.

3. p. q. 88. ar. 1. & 3.

CAPVT XIX.

Mar. 10. a. 1.

Mar. 10. a. 2.

Geneſ. 1. d. 27. Geneſ. 2. d. 21. Epheſ. 5. g. 31. 1. Cor. 6. d. 16. Deut. 24 a. 1. Sup. 5. e. 32. Mar. 10. b. 11. Luc. 16. d. 18. 1. Cor. 7. b. 18. Mar. 10. b. 13. Luc. 18. c. 15. Sup. 18. a. 3. Mar. 10. b. 17. Luc. 18. d. 16. Exod. 20. c. 13.

ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem, 2. & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. 3. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam, quacumque ex cauſa? 4. Qui reſpondens, ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & feminam fecit eos? & dixit: 5. Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. 6. itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. 7. Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandauit dare libellum repudij, & dimittere? 8. Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. 9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. 10. Dicunt ei diſcipuli eius: Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere. 11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. 12. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat. 13. Tunc oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. 14. Ieſus vero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum cælorum. 15. Et cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde. 16. Et ecce vnus accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam? 17. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus, Deus, Si autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. 18. Dicit illi: Quæ? Ieſus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falſum teſtimonium dices: 19. Honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum ſicut teipſum. 20. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deeſt 21. Ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me. 22. Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones. 23. Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum. 24. Et iterum dico vobis. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regum cælorum. 25. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit ſaluus eſſe? 26. Aſpiciens autem Ieſus, dixit illis: Apud homines hoc impoſsibile eſt: apud Deum autem omnia poſsibilia ſunt. 27. Tunc reſpondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? 28. Ieſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. 29. Et omnis, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. 30. Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.

* Inf. 20. b. 16. Mar. 10. d. 31. Leuit 13. f. 30. & 18. c.

IN CAPVT XIX.

A (CVM *consummasset Iesus sermones istos.*) Hæc verba duobus modis posse videntur intelligi, vel cùm hæc fecisset, vel cùm hæc dixisset, vt omnes interpretantur. Significatur autè parabola, quæ extremo capite superiore exposita est.

Migrauit à Galilæa. Hilarius legit *in Galilæam*, sensu contrario. Sed minimè dubium est Christũ in Galilæa tunc fuisse; itaque non in Galilæam, sed à Galilæa migrare potuit. Præterquam quòd Lucas dicit ideo migrauisse, vt veniret in Ierusalem c. 9. 51. Quare, quod Hilarius existimat non in Iudæam, sed in fines Iudææ venisse Christum, ne probabile quidem est. Quæritur ab interpretibus vtrùm eadem sit historia, quæ hic à Matthæo, & quæ à Marco c. 10. 1. & à Luc. 9 51. & Ioann. cap. 7. 1. 2. narratur. A Matthæo, & Marco eandem omnes narrari cõcedunt, de alijs duobus Euangelistis dubitatur; quia vterque multa post eà commemorat, quæ post hunc Christi in Iudæam aduentum fieri non potuerunt. Ego de Luca non dubito; quin eandem narret historiam. Primùm, quia hanc Christi in Iudæam profectionem vltimam fuisse constat; tum quia aliam post hanc Euangelistę non narrant; tum quia id Christus c. 16. 21. & c. 17. 22. indicauit dicens se ascensurum in Hierusalem, ibiq; passurum, quasi de proxima morte sua loqueretur. Lucas autem de vltima etiam loquitur, *factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Hierusalem.* Quod ergo multa posteà idem Lucas commemoret, quæ ante hanc profectionem facta fuerant, mirum videri non debet, cùm passim videamus Euangelistas rerum gestarum ordinem non tenere. De Ioanne idem non nulli putant eandem historiam recitare, quod ego persuadere mihi non possum. Primùm, quia apud Ioannem eodem cap. 7. versu 6. Christus dicit tempus suum nondum venisse: hîc autem apud Matthæum contrarium iam bis significauit, instare tempus passionis suæ. Deinde quia apud Ioannem versu 9. & 10. Christus dicitur solus in Iudæam ascendisse, cùm hîc dicantur non solum discipuli, sed multa etiam turba illum secuta fuisse. Postremò, quia profectò illa, de qua ibi loquitur Ioannes, vltima non fuit, cùm idem posteà cap. 11. 7. dicat Christum vt Lazarum susciteret, in Iudæam iterum venisse.

Et venit in fines Iudææ.) Hilarius, vt paullo ante diximus, existimat Christum in Iudæam ingressum non fuisse; sed ad solos Iudæos, & Galilææ fines peruenisse, idémque Chrysostomus; & Euthymius arbitrantur. Quidam è contrario prius Hierosolymam venisse putant; deinde ex Hierosolyma in fines Iudææ, & Galilææ redijsse: nulla, vt mihi videtur, probabili ratione, cùm ita iam narret Euangelista, vt non obscurè declaret eum ex Galilæa in fines Iudææ rectà venisse, nullásque eum turbas secutas esse. Venit ergo in fines Iudææ, vt Hierosolymam veniret; sed fecit Euangelista eius loci mentionem, & circumstantiam loci, vbi miraculum, quod narraturus erat, factum fuerat, explicaret, *& curauit*, inquit, *eos ibi.*

Trans Iordanem.) Vtraque, & Iudæa, & Galilęa non trans, sed citra Iordanẽ erat; sed dicitur esse trans Iordanem venientibus ab Ægypto in terram Chanaan: quemadmodum c. 4. 15. exposuimus.

2. *Et curauit eos ibi.*) Non significat omnes, qui secuti fuerant: sed omnes, qui ægrotabant, nec eos ipsos fortassis omnes; sed eos tantùm, qui digni erant, curatos fuisse: sicut c. 14 41. Marcus c. 10. 1. scribit Christum eos. qui se secuti fuerant, ibi docuisse, quod Matthæus prætermisit: sed quamuis Marcus non dixisset, ex Christi consuetudine poterat intelligi, qui vix sine doctrina miracula faciebat. Coniungebat enim semper facta cum verbis, vt Chrysostomus, & Euthym. adnotauerunt.

Ibi, id est in finibus Galilææ, & Iudææ; noluit enim, vt Galilæi, qui se secuti fuerant, extra patriam suam egrederẽtur, aut, vt auctor imperfecti homil. 31. indicauit, ne Iudæi, vt caluniatores erant, dicerent ipsum iactantiæ causa magnã post se hominum multitudinem trahere.

3. *Et accesserunt.*) Non satis expressum est, an eodem in loco ad Christum accesserint Pharisæi: est tamen probabilius, quia id narrationis consecutio, & apud Matthæum, & apud Marcum videtur indicare. Atque ita Chrysost. & Theophyl. existimant.

Quacunque ex causa.) Non dixerunt an liceat vxorem dimittere aliqua ex causa, sed quacunque ex causa. Nam aliqua de causa licere non dubitabant, vt Origenes tractatu in Matth. 7. Hieronym. & Beda obseruauerunt. Dubitatur à quibusdã, qua occasione hanc Pharisæi quæstionem proposuerunt. Nonnulli occasionem fuisse putant, quòd Christus cap. 11. 13. dixisset, *Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem*, quasi legem iam abrogatam significaret, voluerúntque Pharisæi experiri num id, dum ad quæstionem responderet, fateretur. Hæc causa & nimis remota, & parum propria mihi videtur; & quia iam diu Christus id prædixerat: & quia, vt id experirentur, multas alias de lege quęstiones proponere potuerunt. Theophylact. hanc quæstionis causam reddit, quòd Christus cap. 5. 32. dixisset, *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*, & qui dimissam duxerit mœchatur. Auctor imperfecti hom. 32. quia homines carnales erãt, de nuptijs eos interrogasse, quemadmodum, qui valetudinarij sunt, semper loquuntur de medicina. Probabile etiam est, quod alij dicunt, forasse eam quæstionem fuisse tunc inter Iudæos agitatam, vt illa etiam erat, quam eadem de causa Christo proposuerunt, vtrùm liceret tributum dare Cæsari c. 22. 17. Solẽt enim alio tempore alias vrgere quæstiones. Digna etiam Pharisæorum ingenio coniectura est, propterea eos hanc potiùs quæstionem, quàm aliam proposuisse, quòd cum omnes attingeret, inuidiæ plena esset.

4. *Non legistis.* Respondet Christus exprobrans illis legis, cuius se scientia iactabant, ignorantiam vt c. 12. 3. 5. etiam fecerat, ibique Euthymius obseruauit. Marcus scribit Christum eos interrogasse, *quid vobis præcepit Moyses?* quod videtur huic loco esse contrarium. Respondet Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 62. Marcum non verba Christi, sed voluntatem exprimere voluisse. Credibile etiam est vtrumque, & quod Matthæus, & quod Marcus narrat, Christum dixisse, sed prius interrogasse Pharisæos, *quid vobis præcepit Moyses?* eos verò respondisse

Moysem

Moysem permisisse vxorem libello repudij dato dimittere. Tunc subiecisse Christum, quod Matthæus scribit, *Non legistis, quod qui fecit ab initio, masculum, & fœminã fecit eos, &* c. Deinde Pharisæos iterum obiecisse, quod ait Matth. ver. 7. *quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere?* Non respondet Christus ad quæstionem directè: sed producens scripturæ testimonium, facit, vt Deus, aut Moyses, cuius Pharisæi doctrinam gloriosè sectabantur, pro se tacitè respondeant, vt Chrysost. & Euthym. animaduertunt, illud etiam notantes, ex factis, & ex verbis Dei Christum ad quæstionem respondisse: ex factis, cum dicit, *non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos?* ex verbis, cum dicit versu 5. *& dixit, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.*

Qui fecit.) ὁ κτίσας, id est creator.

Masculum, & fœminam fecit eos.) Quærendum hoc loco, in quo huius argumenti vis posita sit. Quidam in sexu sitam esse volunt, quasi ex diuerso sexu Christus argumentetur non debere vnũ virum, nisi vnam habere vxorem, quòd ex vtroque, quasi ex duabus imperfectis partibus, vt Plato quodam loco scribit, vnus perfectus homo fiat. Quam interpretationem D. Augustinus lib. 14. de ciuitate cap. 22. secutus videtur. Omnes alij interpretes non in sexu, sed in numero vim esse putant, quasi Christus ita argumentetur, si Deus voluisset vnum virum plures habere vxores, non vnam tantùm; sed plures fœminas initio fecisset. Ita Chrysostomus, Hieronymus, auctor imperfecti Beda, Theophylactus, Euthymius, Strabus. Vidi ego aliquando à quodam Caluinistarum Ministro de hac quæstione cõpositum librum, an liceret vnum virum plures vxores, non vnam quidem post aliam; sed eodem tempore habere: erat autem scriptus per dialogum, in quo, qui non licet dicebat, ita defendebat causam, vt facilè eum appareret præuaricari, & quasi sponte victum succumbere. Adduxerat hunc locum, vt probaret non licere; respõdebat nihil hinc colligi posse, quod non idem posset concludi de omnibus animalibus, quæ initio non nisi mas, & fœmina facta sunt. Hanc responsionem bellus ille Minister existimabat refutari non posse; eò nimirum impudentiæ progressi sunt, vt non solùm castitatis votum; sed ipsam etiam castitatem tollant: nec vna contenti vxore plures habere volunt. Paria illis, vt metebantur, vxores fecerunt. Scio enim eas aliquando disputasse, &, vt audio, quæstionem ad Ministros retulisse, an vni etiam vxori liceret plures habere viros. Ergo factis Christianis esse debet Christum hoc argumento vsum fuisse, vt necessarium credatur; præterquàm quòd in alijs generibus animantium non constat vnum tantùm marem, vnámq; fœminam Deum initio condidisse. Potest aliquis obijcere idem argumentum valere posse, vt proberur ne mortua quidem priore vxore aliam ducere licere. Respõdeo ideo non valere, quia prima, & secunda vna reputantur; quia vna item caro est.

In Comment. qui de amore.

Ministri Caluinistæ polygamiam introducentes.

5. *Et dixit.*) Deus de eo enim loquebatur. Dubitat Hilarius, quomodo Christus dicat hoc Deum dixisse, cùm non Deus, sed Adamus dixerit Genes. 2. 24. Respondent Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 19. & Theophylact. & Euthym. in comment. Adamum, tanquam Prophetam, spiritu Dei hoc dixisse, Deúmque ore ipsius locutum fuisse.

Propter hoc dimittet homo.) hominem posuit Latinus pro viro, sicut Græcus ἄνθρωπον, pro ἄνδρα. quem admodum & infra versu 10.

Patrem, & matrem.) Admirabilis est, & minimè probabilis Hugonis, & quorundam recentium autorum interpretatio, quam & Diui Augustini esse putãt, sensum esse *propter hoc relinquet homo patrem, & matrẽ, & adhærebit vxori suæ*, id est cum omnibus præter patrem, & matrem coniugium poterit copulare. Quomodo enim vir patrem suum in vxorem acciperet? de solo enim viro sermonem esse manifestum est, etiamsi idem sit de vxore per consequentiam intelligendum. Alij interpretantur *relinquet patrem, & adhærebit vxori suæ*, id est magis vxorem suam amabit, quàm patrem, & matrem; sicut lib. 3. Esdræ cap. 4. 25. dicitur: sed etsi hoc fortasse verum est, non est ad locum accommodatum; vbi non de amore, sed de cohabitatione, & de matrimonij vinculo agitur. Itaque sensum esse arbitror *relinquet patrem, & matrem*, id est discedet à parentibus, vt cum vxore habitet, quemadmodum vsus ipse interpretatur. Solent enim liberi vsque ad nuptias cum parentibus habitare, post nuptias à parentum domo discedere, & vir vxorem, vxor virum sequi: quemadmodum eodem libro tertio Esdræ cap. 4. 20. dictum est, *homo patrem suum relinquit, qui nutrierit illum, & suam regionem, & ad mulierem se coniungit.*

Et adhærebit vxori suæ.) Monuit Chrysostom. tria hoc loco esse, quæ magnam vim habeant. Primum relinquere patrem, & matrem; secundum adhærere, id est non quoquo modo coniungi, sed penitus adglutinari vxori suæ, hoc enim Latinè est adhærere, Græcè κολληθήσεται, Hebraicè דבק; tertium, *& erunt duo in carne vna.*

Et erunt duo in carne vna.) εἰς σάρκα μίαν, in carnem vnam לבשר אחד ad carnẽ vnam, id est, vt sint vna caro. vt explicatur versu sequenti. sicut Genesis 2. 7. factus esse dicitur Adam in animam viuentem, id est homo viuens. & versu 22. *ædificauit dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*, id est, vt esset mulier. Quomodo autem vir, & mulier dicantur vna esse caro, de eo disputatur Hieronym & Beda, vt D. Thom. in Catena, & in comment. ad hunc locum interpretãtur, ad liberos referunt, quia ex viro, & vxore genitus filius vna vtriusque communis est caro. Alij ad corporum coniunctionem, quemadmodum D. Paulus 1. ad Corinth. 6. 16. videtur interpretari, *qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Alij ad amorem mutuum, de quo D. Paulus ad Ephesios 5. 28. *ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui vxorem suam diligit, seipsum diligit.* Alij ad potestatem, quam vir in vxorem, vxor in virum habet, tanquam in propriam carnem, vt D. Paul. ad 1. Corinth. 7. 4. dicit. Alij, quorum ego sentẽtiam maximè probo, vnam carnem esse interpretantur esse vnum hominem: carnem enim ab Hebræis pro toto homine poni notum est. Significat ergo Christus virum, & vxorem non duos esse homines, sed vnum, vxorem veluti corpus, virum veluti spiritum, & animam esse. Itaque non magis debere virum ab vxore, quàm animam à corpore separari.

Vir, & vxor quemodo vna caro in scriptura.

6. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro,*) id est non iam duo sunt homines, sed vnus.

Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.) Non dixit quos Deus coniunxit, sed *quod Deus coniunxit*, vt non tanquam de duobus, sed tanquam de vno corpore loqueretur, quia paullo ante dixerat, *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* Notauit D. Chrysostom. Christum ex lege naturali, & diuina matrimonij vinculum probauisse. Naturalis consistit in facto, quòd Deus vni viro vnam fecerit mulierem; diuina in verbis, quibus Deus præcepit, vt homo relinqueret patrem & matrem, & adhæreret vxori suæ, quibus verbis videtur Deus vxorem viro inseparabiliter copulasse, vt ait sapiens Prouerbiorum 19. 14. *Domus, & diuitiæ*

dantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor ducitur.

7. *Quid ergo Moyses mandauit.*) Marcus cap. 10. 4. non dicit Pharisæos respondisse, Moysem mandasse; sed permisisse. E cõtrario verò Matthæus dicit Christum dixisse, Moysem non mandasse, sed permisisse; Marcus autem scribit dixisse Christum, *quid vobis præcepit Moyses?* Hæc quæstio ex ijs, quæ paullo supra diximus, facilè soluitur. Primùm enim credibile est Christum interrogasse eos, quid de ea re Moyses præcepisset, illos verò respondisse Moysem permisisse vxorem dimittere; tunc Christum matrimonij originem explicasse, & scripturæ testimonium produxisse, vt probaret non esse dimittendam; iterum Pharisæos, obiecisse, quomodo Moyses mandasset vxorem dimittere, vtentes mandati, non permittendi verbo, vt argumentationis vim adijcerent; Christum verò respondisse, non iam præcipiendi, sed permittendi vim verbo, *ad duritiem cordis vestri permisit vobis Moyses.* Atque hoc modo nulla inter Euangelistas dissensio est.

Permissio in deo contra Caluinistas.

8. *Ad duritiem cordis vestri permisit vobis Moyses.*) Corrigit Christus Pharisæorum verbum; illi dixerãt *mandauit*: Christus dicit *permisit*. Ex quo vel vno loco, si alij non essent, Caluinistarum error confutaretur, qui in Deo nullam permissionem agnoscunt, & Theologorum distinctionem inter voluntatem Dei absolutam & permittẽtem ridere solent. Nam quod hoc loco Moyses permisisse dicitur; Deus vtique permisit: nihil enim Moyses agebat, nisi ex diuino præcepto. Cur ergo dixit Moysem potius, quàm Deum permisisse, cum è contrario versu 5. non Moysem, neque Adamum, sed Deum dixisse dixerit, *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem?* Respondeo voluisse Christum & argumento, & responsioni vim adaugere. Ideo, cum argumentabatur non licere vxorem dimittere, non dixit aut Adamum, aut Moysem, sed Deum dixisse, *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem:* quamuis ea verba & Adamus pronunciauerit, & Moyses scripserit: cum autem respondet Pharisæorum argumento non vult dicere Deũ, sed Moysem permisisse: quanquam Deus etiam permiserat. Ita intelligendi sunt multi auctores, qui ita hunc locum interpretãtur, quasi Christus significauerit non Deum, sed Moysem hoc permisisse, & quasi Deum, quem ipse citauerat, Moysi, quem citauerant Pharisæi, opponere voluerit, vt Hieronymus, Beda, Strabus, D. Thomas, Hugo. Multæ hoc loco quæstiones sunt. Prima, quibus de causis in veteri lege vxorem dimittere licuerit. Tertull. 4. aduersus Marcionem libro non nisi ob fornicationem vt nunc existimat licuisse: sic enim interpretatur, quod in Deuteronom. cap. 24. 1. scriptum est, *si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem*, id est propter fornicationem; hoc tantùm interesse, quòd tunc dimissa propter fornicationem vxore aliam ducere licebat, modò non licet Origen. Chrysostom. hoc loco, & omnes alij auctores, quos legisse memini, non solùm ob fornicationem: sed multis etiam alijs de causis licuisse putant: idque est multo meo iudicio probabilius. Primùm, quia, si ob solam fornicationem licuisset, nullus Pharisæorum quæstioni locus fuisset; nimis enim impudenter interrogassent, an quacunque ex causa vxorem dimittere liceret; si sola fornicationis causa licuisset. Cùm autem interrogent, an quacunque ex causa liceat; haud dubium est, quin certi sint multis de causis licere. Id etiam intelligitur ex Christi responso. sic enim respondit, vt voluerit Mosis permissionem restringere, vt cùm ante multis de causis licebat, iam non nisi ob fornicationem liceat. Probatur etiam ex verbis Deuteronomij. Cum enim dicit, *si non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua*, perspicuum est non loqui de fornicatione, propter quam non dimittebatur vxor, sed lapidabatur. Deinde quia in libello repudij significabatur mulierem adulterium non commisisse; ea enim potissimùm de causa Iussus est dari, vt mulieris honos saluus esset, posset que alteri viro si vellet nubere. Non ergo ob fornicationem tantùm, sed alias etiam ob causas dimittebatur. Quæ autem causæ fuerint incertum. Lyranus in comment. in cap. 24. Deuteronomij duas recitat opiniones: alteram, licuisse propter omnem rem turpem, vt propter contagiosos morbos, vel aliquid simile, quod matrimonij coniunctionem præcessisset: alteram, licuisse etiam ob omnes causas matrimonio contrarias, etiamsi matrimonio superuenissent, vt si mulier venefica esset, aut liberorum interfectrix, quod & Origen. tractatu 7. in Matthæum videtur approbare: quamuis de lege Euangelica potius, quàm Mosaica loquatur. Secunda quæstio est, quo sensu Iudæis permissum fuerit vxorem dimittere, an ita, vt dimittendo non peccarent, an ita vt peccarent quidem, sed lege non punirentur. Notauit insignis Theologus D. Thomas quartuor modis permitti aliquid: aut quod bonum est, sed non præceptum, & vendere omnia, & dare pauperibus permissum esse dicitur, quia bonum est, & non imperatum: aut quia minus bonum est, cuius maius bonum non est præceptum, sicut dicitur matrimonium esse permissum, quia virginitas, quæ maius est bonũ, non est præcepta: aut quia malum est, sed non impeditur, sicut Deus dicitur omnia peccata permittere, quia, cùm impedire possit, impedire non vult: aut quia malum quidem est, sed lege non punitur, sicut permisit Deus Indæis cum alienigenis vsuram exercere, quia non statuit in lege aduersus eos, qui eam exercerent, vllam pœnam. Alio etiam modo permittitur dicitur, quod, cùm malum sit, dum ab eo, qui dispensandi potestatem habet, fieri permittitur, malum esse desinit, quemadmodum permissum fuit Oseæ Prophetæ filios fornicationis suscipere, Osee 1. 2. Quidam ergo vxorem dimittere, aut hoc postremo modo; aut tanquam minus bonum existimant permissum fuisse Iudæis certis de causis vxores dimittere. Alij non tanquam minus bonum; sed tanquam minus malum, ita vt peccarent quidem vxorem dimittendo, sed non punirentur. Vtrumque probabile est, & bonos vtrumque opinio auctores habet: prior, auctoremum imperfecti, & D. Thomæ, posterior Tertullianum lib. de monogamia, Origen. tract. 7. in Matthæum, Chromatium in comment. in cap. Matth. 5. Hieronymum, Bedam, Euthym. & Theophylact. hoc loco; nisi malè intelligendo fallor. Mihi durum videtur dictu Iudæos potuisse amplam, & luculentam Dei permissionem dimittendis vxoribus peccauisse; præsertim cùm, antequàm Christus explicaret, non satis ex verbis Deuteronomij compertum esse posset, vtrum permissionem, certè non constabat tanquam rem malam permitti, quod satis esse videbatur; vt, qui ea vterentur, culpa vacarent. Quod autem ex hoc loco obiici potest, quòd Christus dicat ad duritiem cordis eorum hoc fuisse permissum, facilè etiam solui potest: potuit enim propter duritiem cordis permitti, ita tamen, vt peccatum esse desineret. Tertia quæstio est, quibus ceremonijs, & cautionibus libellus repudij dari soleret. Ab Hebræis decem recitantur. Prima erat, vt vxor nusquam discederet, nisi volente marito, hoc enim ipsum in libello repudij exprimebatur. Secunda erat, vt libellus,

Caussa cur in veteri lege vxor dimittebatur.

Cõtra Tertull. in cap. 19. ad Corinth. sunt Ambros.

vt libellus, quemadmodum dicitur in Deuteronomio, in manu vxoris traderetur. Tertia erat, vt scriberentur, vt minimùm, nomina duorum testium. Quarta, vt exprimerentur tres generationes viri, & tres mulieris vt paullo post ex libelli forma intelligetur. Quinta, vt scriberetur libellus litteris rotundis, distinctis, atque perspicuis; ita vt vnam aliam non attingeret, ne quod scripturæ vitium irreperet. Sexta, vt si inter scribẽdum aliqua atramẽti guttula in chartam decideret, libellus auctoritatem non haberet, abrúsque denuo scriberetur. Septima, vt in libello nullum rasuræ vestigium appareret, ne suspectus esset vitij. Octaua, vt charta longior esset, quàm latior. Nona, vt omnes testes, qui aderant suum quisque sigillum adhiberent. Decima, vt maritus diceret, *Accipe libellum repudij, & esto à me abiecta, & cuicunque viro permissa.* Forma autem libelli repudij erat hæc; *Ego Rabbi. N. filius Rabbi. N. filij Rabbi. N. filij Rabbi. N. de prima mensis secundi anni. N. à creatione mundi in tali loco ex animo mei consensu, & sine vlla coactione repudiauit. N. filiam Rabbi. N. filij Rabbi. N. filij Rabbi. N. & dedi illi libellum repudij in manu, schedam absciss onis, & signaculum diuisionis, vt sit à me abiecta, & abeat quocunque velit, & nemo possit illi prohibere iuxta constitutiones Moysi, & Israel.*

Formula libelli repudij apud Iudæos.

9. *Dico autem vobis.*) Marcus c. 10. 10. scribit hoc Christum solis discipulis dixisse, cum se iam domum recepissent. Respondet Euthymius, quos probabile videtur, bis hoc dixisse Christum; primùm omnibus in commune, vt Matthæus significat; deinde priuatim discipulis domi; & quidem vero simile est, quod Matthæus versu 10. ait dixisse Christo discipulos, *si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*, non publicè coram omnibus; sed priuatim, & secreto in loco dixisse, sicut proponere solebant separatim, cum aliquid de eius concionibus dubitabant. Tunc ergo interrogatus à discipulis Christus eadem verba iterauit, quamuis Matthæus non narret; addiditque, quod de Eunuchis narrat Matthæus, tacet Marcus. Difficilis hic locus est, & magnã nobis cum hæreticis controuersiæ materiam præbuit. Summa quæstionis est, an quod hîc Christus dicit licere fornicationis caussa vxorem dimittere, ita intelligendum sit, vt & dimittens, & dimissa possit secundas inire nuptias. Tres de hac re opiniones inuenio. Prima est vtrique licere, & dimittenti, & dimisse, & innocenti, & sonti; in quo errore non solùm Lutherani, & Caluinistæ: sed scriptores etiam quidam Catholici versantur. Secunda est innocenti licere, reo non licere; quemadmodum ex Caluinistis nonnulli aliorum hæresim temperantes dixerunt. vt minus hæretici viderentur. Leginius nonnullos auctores veteres in ea fuisse sententia, Tertullianum lib. 4. contra Marcionem, Ambrosium, aut, vt ego arbitror Remigium in commentarijs in priorem epistolam ad Corinc. cap. 7. nam eos commentarios Ambrosij non esse, qui & illos, & Ambrosij legit scripta dubitare non potest. Scribit etiam Origenes hoc loco quosdam sua ætate Catholicos Antistites permisisse iis, quorum vxores adulterium admisissent, vt illis dimissis ducerent alias, idémque in Concilio Eliberino concessum fuit, si Gratianus fideliter recitat, 31. q. 1. c. *si qua mulier*, & in Concilio 1. Aurelianensi c. 10. Tertia est, quam semper Ecclesia secuta est, & vltimo Tridentino Concilio ita est nostro tempore confirmata, vt nemini iam Catholico dubitare liceat, Christum ita permisisse adulteram vxorem dimittere, vt nec vxori liceat alij nubere viro, neque viro aliam vxorem ducere quandiu vixerit vterque. Quam ego sententiam non solùm propter Ecclesiæ definitionem, quæ sola homini Christiano satis esse debet: sed etiam propter argumentorum, quibus probari potest, momenta, adeo veram iudico, vt mirari satis non possim inuentos esse qui aliter senserint. Primùm hæc sententia antiquiores, plures, meliores habet auctores. In Canone 47. Apostolorum, absolutè & generaliter excommunicatur is, qui vxore dimissa aliam duxerit non adhibita exceptione, nisi fornicationis causa dimisisset, quæ adhibita profectò fuisset, si cùm ea de causa dimissa esset, aliam ducere liceret. Idem Euaristus epistola 2. & Clemens Alexandrin. li. 2. Stromatum sine vlla exceptione docent. & Origenes tractatu 7. in Matthæum Episcopos illos, qui suo tempore permittebant, tanquam rerum Ecclesiasticarum imperitos reprehendit. Sic sentit Chrysost. hom. in Matthæum 17. & Hieronym. hoc loco, & in epitaphio Fabiolæ, & Innocentius primus in epistola ad Exuperium Tholosanum Episcopum, c. 4. & D. Augustinus duobus de hac re scriptis libris de adulterinis coniugijs ad Pollentium, & Isidorus lib. 2. de officijs, c. 19. & Beda melior auctor, quàm Remigius in commentarijs, in c. 10. Marci. Sic iam olim definiuit Concilium Mileuitanum canone 1. & Concilium Africanum. si tamen diuersum est canone 69. & Foroiulienſe canone 1. & Nannetense canone 10. Itaque decreta illa Concilij Eliberini, & Aurelianensis quæ in cõtrariam partem adduximus, aut apocrypha sunt, & spuria, aut ita intelligenda, vt marito, qui ob adulterium vxorem dimisit, liceat alteram ducere, non quidem viuente, sed mortua priore. Dicet aliquis, quid opus erat, vt id permitteretur, cum dubium non esset, quin illi liceret? Respondeo id expressum fuisse ad declarandam differentiam inter maritum, & vxorem adulteram, quæ loco pœnitentiæ iubebatur aliquandiu etiam marito mortuo à nuptijs abstinere; ne quis ergo idem de marito intelligeret, explicatum est, vt maritus, si vellet, aliam duceret: sed intelligendum ex communi lege Ecclesiastica, mortua priore. Præterea ex ea ratione, qua hoc loco Christus vsus est, aut nihil probatur, aut hæc sententia probatur: primum argumentatur Deum non plures, sed vnam tantùm fœminam vni fecisse viro, inde colligit non debere plures habere: id est vnam dimittere, & aliam ducere, quæ ratio idem omnino valet, vt probetur etiam propter fornicationem vxore dimissa aliam ducere non licere: nec enim refert, qua de causa dimissa sit, cum eadem semper aliam non ducendi causa maneat, quòd vni viro vna tantùm fœmina facta sit. Præterea quia Christus non solùm multas illas causas, quibus Iudæi vxores dimittebant, ad vnam fornicationem reuocauit, sed etiam libellum repudij omnino sustulit, quem non nisi propter Iudæorum duritiem concessum fuisse dicit. Post Christum autem inter Christianos nunquam auditum est libellum repudij datum fuisse. Atqui idem erat libellum repudij dare, & posse virum aliam vxorem ducere, vxorem alij viro nubere; ergo hanc iterum vxorem ducendi, & iterum nubendi potestatem sublato libello repudij sustulit Christus; quæ vna ratio, si aliæ deessent, satis superque hanc sententiam corroboraret. Deinde si dimissæ ob fornicationem vxori alij viro nubere liceret, sequeretur, quod absurdissimum est, melioris esse conditionis mulierem, quæ ob adulterium, quàm quæ ob morbum, aut aliqua alia de causa citra culpam dimissa sit, cùm adulteræ viuente adhuc priore marito alias nuptias inire liceret, alteri non liceret. Deinde dubium non est, quin propterea Christus concesserit vxorem adulteram dimittere, ne cogerentur mariti cum adultera doloris plenam vitam agere, cùm vxor ipsa indignam se adulterando reddidisset, vt cum ea maritus habitaret; hæc autem ratio non eò vsque pertinet, vt marito aliam

Canon Concilij Eliberini de diuortio explicatur.

Tres diuersitates citra Lutheranos, & Caluinistas.

Cõtra Cyprian. epist. 2. ad Corinth. sunt Ambros.

vxorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

vxorem ducere licere possit: satis enim est, vt liceat priore liberari. Itaque, quod hæretici solent obiicere, nihil Christum maritis concessisse, si non aliter vxores adulteras dimittere concessit, quam vt sine vxore manerent, ineptum est & hominum pluris carnem, quàm honorem, vitæque tranquillitatem æstimantium. Viri enim boni pro magno ducunt beneficio, quòd si liceat; mala carere vxore, quamuis aliam ducere non liceat; imo hoc ipsum, quòd non liceat, alteram ducere, qui prudentiores sunt, beneficij loco habent: quemadmodum qui naufragium semel fecerunt, quò sibi iterum mare tentare non liceat. Maius bonum est non posse malam vxorem inuenire, quàm inuenire aliquam bonam posse. Malam autem non inuenire non potest, nisi qui vxorem ducere non potest. Illa etiam ratio, quam Hieronymus affert, multum habere ponderis, si maritis liceret dimissis adulteris vxoribus alias ducere, quotidie, qui nouas vxores appeterent, contra priores adulteria confingerent, vt illis repudiatis alias haberent. Itaque non restrinxisset Christus veteris legis disciplinam, sed relaxasset. Nam ne in veteri quidem lege huic mutádarum vxorum libidini tantum loci erat, cum adultera non dimitteretur, sed occideretur. Ista verò ratione, quam hæretici comminiscuntur, licentiam Christus maritis præbuisset vxores quotidiè mutandi: quàm enim facile est, si quis animum attendat, aut verum in vxore adulterium, aut probabile deprehendere? quàm facile fingere? Prorsus mihi spiritum Christi non cognoscere, eúmque mentem non intelligere videntur ij, qui ad hunc modum eius verba interpretantur. Quis enim non videt Christum, cum velit Euangelicam disciplinam maximè restringere, & matrimonij vinculum indissolubile esse docere, non solùm non debuisse potestatem facere maritis dimissis adulteris vxoribus alias ducendi: sed frænum potius illis injcere, vt si nollent vxore carere, adulteras paterentur, & corrigere conarentur, non repudiare? Voluntas enim Christi erat, vt maritus etiam adulteram vxorem non dimitteret: sed vt eius dolori consuleret, permisit, non præcepit, vt dimittere, si vellet, posset. Illud etiam, quod Hieronym. obseruauit, hanc sententiam magnopere confirmat, quòd Christus non dixerit, si dimissa nupserit, mœchatur: sed, *qui dimissam duxerit, mœchatur*. Cuius rei non alia potuit esse causa, quàm quòd Christus de vxore etiam propter fornicationem dimissa loqueretur, de qua quia iam adultera erat, noluit dicere mœchatur, quia nihil noui dixisset: sed dixit fore, vt quicumque eam duceret, mœcharetur: vt significaret nec dimissæ licere alteri viro nubere; neque alteri viro vxorē eam ducere. Ad hęc dubitandum non est, quin oporteat hunc locum ex alijs scripturæ locis, in quibus de eadem re agitur, explicare; in alijs autem locis semper absolutè dicitur non licere vxori dimissæ, nubere, vt apud eundē Matthæum supra cap 5.32. *Ego autem dico vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat*; quo loco probauimus illud verbum, *qui dimissam duxerit, adulterat*, sine exceptione intelligendum esse. Præterea Marcus, & Lucas hanc ipsam narrantes historiam sine vlla exceptione dixerunt, quicunque dimissam duxerit, mœchari. Marcus cap. 10 11. *quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*, vbi non potest excogitari alia causa, cur Matthæus exceperit fornicationem; Marcus verò non exceperit, nisi quia Matthæus voluit explicare aliquando licere vxorem dimittere, si nimirum adultera sit; Marcus autem docere voluit nunquam licere aliam vxorem ducere; etiamsi prior propter adulterium dimissa sit. Illud etiam in verbis Marci obseruatione dignum est, quod dicat *adulterium committit super eam*, id est contra eam: Hebraismus enim est, quia vtrumque significat, & *super*, & *contra*, quod ideo Marcus dixit, vt indicaret non magis marito licere dimissa vxore adultera, adulteram ducere, quàm vxore contra ipsum adulterium committente, contra illam adulterium committere; non enim licet in hoc genere facere paria. Lucas verò cap. 16. 18. generaliter etiam dixit, *Omnis, qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur*. Fingamus Matthæum Euangelium non scripsisse, profectò ex verbis Marci & Lucæ alium sensum elicere nō possemus, quàm nunquam licere marito, quacumque de causa vxorem dimisisset, alteram ducere; nūquam licere vxori, quacumque de causa dimissa esset, alteri nubere; nec vllus dubitationi locus esset. Nunc Matthæus scripsit, sed scripsit obscurè; ita vt de eius sensu, atque interpretatione inter nos, & hæreticos, disceptetur; quis non intelligit hominis esse prudentis Matthæi obscurum locum ex Marci, & Lucæ perspicuis verbis interpretari: scripsit post Matthæum, vt creditur Marcus, & Lucas; credibile profectò est eos, quod obscurè Matthæus dixerat, perspicuè, & sine vlla ambiguitate dicere voluisse: dixerunt autem nunquam viro dimissa vxore alteram ducere licere: hoc igitur tenendum, quod sine ambiguitate, & quasi interpretationis loco dictum est. Matthæi autem testimonium ex aliorum duorum Euāgelistarum explicatione intelligendum. Contra facere; quemadmodum hæretici faciunt, aut nullius, aut peruersi, & distorti iudicij est. Scripsit etiam post Matthæum D. Paulus epistolam ad Romanos, & ad Corinth. In vtraque hanc quæstionem tractat; nūquam adhibet exceptionem, sed ad Roman. 7.3. generaliter dicit, *igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro*, & 1. ad Cor. 7. 10. *iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus vxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Explicat D. Paulus Christi sententiam, de qua hoc loco disputamus: quis dubitat exceptionem adhibiturum fuisse, si vlla fuisset exceptio, qua dimissæ vxori nubere alteri viro liceret. Nunc autem generaliter vniuersè, & absolutè dicit, vt maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Loquitur autem de vxore propter adulterium à viro discedente, qua sola causa discedere licebat; alioqui non reliquisset D. Paulus in eius potestate, vt separata à viro, sed innupta maneret, aut vt viro suo reconciliaretur, sed diuersis verbis præcepisse, vt rediret ad virum, cùm illi non liceret ob aliam causam, quàm ob adulterium à viro separatam viuere. Ergo illam ipsam mulierem, quæ à viro ob adulterium discesserat; iubet non ex sua, sed ex Christi sententia, aut innuptam viuere, aut priori viro reconciliari. Deniq; si sensus huius loci esset, quem esse hæretici putant, vt verba Matthæi coniuncta intelligantur, *quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*, quasi sententia sit, qui dimiserit vxorem suam ob aliā causam, quam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: si verò ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur; & quicūque ob aliam causam, quā ob fornicationē dimissā duxerit mœchatur; qui autem ob fornicationē dimissam duxerit, non mœchatur. Si hic inquā esset sensus, sequeretur imperfectā esse sententiā; Christus tātùm dicit, *qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationē, & aliam duxerit, mœchatur*; quod hæreticorum iudicio intelligitur, si ob aliam

causam

causam dimiserit, sed alteram non duxerit; hoc enim Christus non explicauit, quod imprimis explicandum erat. Nostra autem interpretatione perfecta & absoluta sententia est. Nam si ob aliam causam, quàm ob fornicationem dimiserit, quamuis aliam non duxerit, mœchatur, quia vxorem suam mœchari facit, vt cap. 5.32. explicatur. Si autem ob fornicationem dimiserit, & alteram duxerit, etiam mœchatur; non quia adulteram dimisit, sed quia alteram duxit. Itaque verbum *mœchatur* hoc loco & ad eum, qui ob aliam causam, quàm ob fornicationem vxorem dimisit, & ad eum, qui, cùm ob fornicationem dimiserit, alteram duxerit, referendum est, tanquam si diceret, quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur, id est facit eam mœchari, & quicumque alteram duxerit (quacumque de causa priore dimissa) mœchatur. id est adulterium contra priorem vxorem committit, vt Marcus interpretatur. Obiiciet aliquis, si hic esset sensus, debuisset Euangelista dicere, quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & qui aliam duxerit, mœchatur; non autem dixisse, & qui aliam duxerit sed *& aliam duxerit*. Respondeo ex Hebræorum consuetudine τὸ καὶ τὸ relatiuum præcedens esse repetēdum; cætera, quæ ad huius loci interpretationem desiderati possunt, supra cap. 5.32. explicata à nobis sunt.

10. *Si ita est.*) Ambrosius in exhortatione ad virgines, Hieronym. Chrysost. & Euthym. hoc loco istud *ita est* ad hunc modum intelligunt, *si ita est*: vt non liceat viro, nisi adulterij causa, vxorem dimittere. Greg. verò Nazian in oratione, qua edisserit hæc verba, Pharisæorum verba esse dicit, aut errore memoriæ, aut, quod magis credo, significans Apostolos ea ex Pharisæorum consuetudine, & sensu dixisse. Mihi sensus hic videtur esse, *si ita est*, vt etiam ob adulterium vxore dimissa aliam ducere non liceat, non expedit nubere. Credibile enim est, quod magis nouum erat, magisque difficile, magis Apostolos commouisse. Quod autem vxore etiam adulterij causa dimissa, aliam ducere non liceret, multo magis nouum, atque difficile videri poterat, quàm quòd non ob aliam causam, quàm ob adulterium vxorem dimittere liceret. Præsertim cum etiam nunc in quæstione versetur, an in veteri lege alia de causa, quàm adulterij dimitti posset.

Causa.) ἡ αἰτία, negotium, aut ius coniugale, quasi dicat, si ita inter virum & vxorem se habet res, aut si hoc iure, si hac lege vir vxorem ducit, vt ea etiam adulterij causa dimissa aliam ducere non possit, præstat nullam vxorem ducere. Theoph. auctor est quosdam ad hunc modum exposuisse, *si ita est causa hominis cum vxore*, id est si propter vxorem dimissam, vir reus factus est, vxorem ducere non expedit. Græcum enim verbum αἰτία, reatum propriè significat.

Hominis.) Hominem Latinus posuit pro viro, sicut G. ἀνθρώπου, pro ἀνδρὸς, vt supra versu 5. quemadmodum apparet ex antitheſi, *cum vxore*.

Non expedit nubere.) *Nubere*, dixit Latinus interpres pro vxorem ducere, contra consuetudinem Latini sermonis. Græci verbi ambiguitatem secutus; quia γαμῆσαι vtrumque significat, & vxorem ducere, & nubere. Hoc autem loco non nubere, sed vxorem ducere significat, quia non de vxore, sed de viro agitur; neque de vxorum, sed de virorum conditione Apostoli quærebantur, *si ita*, inquiunt, *est causa hominis cum vxore*. Itaque nouorum hæreticorum versionem non probo, qui hoc loco pro γαμῆσαι, matrimonium contrahere transtulerint; non enim generaliter de matrimonio, id est de ducendo vxorem & de nubendo, sed de virorum conditione in ducendis vxoribus agitur. Caluinus, vt solet, non solùm hoc loco falsus interpres, sed impius etiam, & aduersus Apostolos blasphemus est; vocat enim illos stultos, ingratos, impios; homo scilicet pius, quia existimauit Apostolis hoc ideo dixisse, quòd homines omnino carnales essent, & nuptiarum multitudine insatiabiles; tam longè nimirum ab eorum mente, quàm eorum sanctitate distabat. Tantum enim abest, vt propterea id Apostoli dixerint, vt contrario omnino animo fuerint. Nam cùm Christus dixisset adulterum esse, qui etiam ob adulterium, vxore dimissa alteram duceret; collegerunt, quod res erat, quódque Christus responso suo comprobauit, non expedire omnino vxorem ducere: quandoquidem adeo vsitatum esset adulterium, vt vix inuenienda vxor esset, quæ futura nō esset adultera, qua dimissa, manēdum viro sine vxore esset. Itaque præstare, ab initio vsque ad finem vitæ, sine vxore manere, & matrimonij molestiis, & adulteræ vxoris zelotypia liberum esse.

Impietas Caluini cōtra Apostolos.

11. *Non omnes capiunt verbum hoc.*) Non assentior iis interpretibus, qui existimant Christum neque approbare, neque improbare Apostolorum dictum, quòd vxorem ducere non expediat; probat enim, & maximè quidem probat; vultque eos eò perfectionis adducere, vt, quod verbis dixerant, moribus, ac rebus præstent. Et, vt solemus vulgò dicere, indicat eos plus dixisse, quàm intelligebant. Quod autem dicit *non omnes capiunt verbum hoc*, ita ferè omnes exponunt, tanquam si sensus esset, non omnes, quod dicitis, præstare possunt, id est vxore carere, quia non omnes castitatis donum habent; sed quibus datum est: quemadmodum D. Paulus 2. ad Corinth. 6. 13. iubet dilatari Corinthios, vt maiorum Dei donorum capaces fiant. Itaque *non capere* hoc loco significat non esse capacem tantæ virtutis, vt sine vxore viuere quis possit. Hunc sensum Origen. tractatu in Matthæum 7. Gregorius Nazianze. oratione in hæc verba, & Ambros. in exhortatione ad virgines secuti sunt. Quam interpretationem adduci non possum, vt sequar; quia cum Christus versu sequenti dicit, *qui potest capere, capiat*, minimè dubium est, quin *capere* dicat pro intelligere, vt eo loco probabimus; ergo & hic, cum dicit *non omnes capiunt*, sensus est non omnes intelligunt, non omnes animo comprehendunt. Accedit, quòd additur, *verbum hoc*, quod etsi aliquando rem omnem significat, tamen natura sua non accipitur, nisi pro sermone; nec debemus aliter, nisi aliquid nos cogat, interpretari; hîc nihil cogit; sermonem autem capere, nihil aliud est, quàm intelligere. Sensus igitur est, non omnes hoc verbum intelligunt; atque ita Epiphanius, quem huius expositionis auctorem habeo aduersus Manichæos hæresi 66. interpretatur. Accedit, quòd ita Christus loqui consueuit, vt Ioannis 8.37. *Quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis*. Poterit aliquis obiicere, quod sequitur, *sed quibus datum est*; vnde colligi videtur posse non de intelligentia, sed de castitatis dono agi. Respondeo etiam intelligentiam donū esse Dei, vt idem Christus apud Ioannem c. 6. 44. declarat, *nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*; agebat enim contra eos, qui ea, quæ dicebat, propterea non credebant, quia non intelligebant. Itaque necesse non est hoc loco de castitatis dono disputare: sed quia omnes interpretes disputant, & quia nolo quemquam meis interpretationibus addictum esse, & quia hoc testimonio hæretici impudenter abuntur, dicam obiter, quid veteres senserint auctores. Gregorius Nazianz. in oratione ad hunc locum, & Chrysost. homil. 64. in Matthæum donum castitatis nihil aliud esse vi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentur existimare, quàm propensionem quandam naturalem, qua alij aliis ad castitatem magis apti, ad libidinem minus proclives sunt; ita vt non difficulter vxore careant. Alij omnes auctores præter naturalem propensionem, aut etiam contra illam diuinam gratiam esse putant: sed iidem docent omnibus volentibus, petentibus, & obtinere conantibus eam dari, quemadmodum Origenes tractatu 7. in Matth. & D. Ambros. libr. 3. de virginibus, & auctor imperfecti homil. 32. Hieron. Beda, Theophylact. & Euth. solus D. Augustinus docere solet non omnibus, sed quibusdam tantùm donum illud conferri; sed tamen ex iis, quæ D. Augustinus adnotauit, in lib. de continentia c. 1. ipsius opinio refutari, aliorum probari potest. Monuit D. Paulum 1. ad Cor. 7. 7. cum dixit, *vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic*, non solùm de virginitate, sed etiam de matrimonio locutum esse. Donum autem matrimonij omnibus volentibus datur, ergo & donum virginitatis, & castitatis: hoc tantùm interest, quòd difficilius hoc, quàm illud obtinetur, maioremque conatum requirit. Abusi hoc loco sunt Manichæi, vt probarent diuersas esse in hominibus naturas, alios ita factos, vt vxore carere non possent; alios ita, vt non possint habere, vt Hieron. hoc loco indicat. & Philastrius in hæresi. Abstinentium; sed hoc opus non est refutare. Abuntur & Lutherani, & Caluinistæ, vt probent impios esse (sic enim loquuntur) qui non certi de dono Dei continentiam profitentur; non enim omnes habere. Apud illos non solum non omnes, sed nemo prorsus habet; certè non apparet. Hactenus enim hominem Lutheranum, aut Caluinistam perpetuam seruasse virginitatem monstrum inauditum est. Non ergo id hæretici agunt, quod agere se simulant, vt Dei gratiam commendent, dum eam non omnibus, sed quibusdam tantùm dari dicunt; sed illud potius, vt omnes homines ab Euangelica perfectione, & puritate ad suas reuocent sordes; malintque homines adulteros esse, quàm virgines. Cur enim eos, qui virginitatem profitentur, impios appellant: eos verò, qui adulteriis omnia permiscent, nunquam impios appellauerunt? Pudet me recitare, quod primum eorum magistrum Lutherum dicere, profiterique nō puduit, non magis posse virum sine vxore, quàm sine cibo, ac potu viuere; vtrumque enim rem esse naturalem, & necessariam. Epicurum illum, qui sola voluptate beatitudinem æstimabat, nihil tam Epicureum dixisse legimus; & porci, si loqui scirent, dicere non auderent. Dicebat olim simile quiddam Aëtius rem Veneream χρείαν necessitatem appellans, vt auctor est aduersus illum scribens Epiphanius. Hoc si ita est, satis apparet non solum non omnibus: sed nemini prorsus hoc à Deo donum dari, vt sine vxore viuat. Nam & quidam ex eodem porcorum grege, magnus tamen apud illos habitus doctor, Catholicis dicentibus hanc seruandæ castitatis gratiam, etsi certò nescimus nos habere, tamen posse orationibus obtineri; respondet perinde esse, ac si profiteremur nunquam nos cibum, & potum sumpturos esse, dicentes à Deo nos precibus impetraturos, vt sine cibo, potúque viueremus. Constat igitur horum doctorū hanc esse sententiam nos non magis sine vxore, quàm sine cibo, & potu viuere posse. Vnde sequitur, primùm neminem debere sine matrimonio viuere velle, aut experiri, ne Deum tentare videatur. Itaque quod Christus vers. 12. dicit esse Eunuchos quosdam, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, istorum opinione locum non habet; nemo enim se propter regnum castrare potest magis, quàm cibo, & potu carere. Deinde licere maritis, si eorum vxores ægrotæ

Quid castitatis donum.

Donum castitatis omnibus non datur.

De castitatis dono contra hæreticos multa.

Lutherani, aut Caluinistæ virginitatem colens monstrū inauditum.

Lutheri turpe dictum contra castitatem. l. de vita cœnobali, & in epi. ad Volfangum Reissemb.

Absurda fœditates ex doctrina Haretico rū contra castitatē.

A sunt, longiore præsertim tempore; aut alias vxores ducere, aut alias mulieres inire: quemadmodum si quis omni cibo, potúque careat, licet vndecunque poterit arripere, & vitam sustentare. Tertio loco sequitur, si maritus, aut vxor diu absit, etiamsi in viuis sit, licere alteri coniugi alias adire nuptias: quo enim modo tam diu sine cibo, & potu viuet? Hoc postremum Caluinistæ absurdum esse non dicunt; sed vsū potius probant, & in quodam eorum Conciliabulo decretum est licere vxori, si maritus, nescio quam diu abfuerit, alteri nubere. Hæc est Caluinistarū doctrina, quam expedit in vulgus indicari, in lucémque proferri, vt omnes eorum impietatem cognoscant.

B 12. *Sunt enim Eunuchi.*) Non satis apparet, quorsum hanc Eunuchorum distinctionem Christus subiecerit. Quidam ex hæreticorum interpretibus putant voluisse declarare, quod paullò antè dixerat, quibusnam datum sit, vt capiant verbum hoc. Maior verò magister Caluinus ita exponit, quasi præcedentibus verbis Christus dicere voluerit omnes necessariò debere vxorem ducere, nisi impij esse vellent, exceptis iis, quibus Deus reuelauerit posse cœlibes viuere: qui autem illi sint, qui à matrimonij obligatione sint immunes, nunc Christum his verbis declarare. Itaque Caluini sententia vxorem ducere non solùm naturæ sua necessarium est; sed diuinum etiam præceptum; vxorem autem non ducere non consilium; sed Dei dispensationem esse putat. *Audiat hæc aether*, audiant C omnes, & horreant. Quanto meliore spiritu, & iudicio Chrysostom. existimauit Christum his verbis docere voluisse possibile esse, quod tunc vulgo (nunc à Caluinistis impossibile) putabatur posse aliquos, imo quicunque conarentur: gratia enim omnibus præsto est; tam castè viuere, quàm si Eunuchi essent propterea enim Christum non quocunque modo, sed explicatis tribus Eunuchorum generibus Apostolorum dictum confirmauit, non expedire vxorem ducere, idque haud difficile fieri posse, si quis seipsum propter regnum cælorum castrare vellet, id est carnem non secare, sed domare. Proponit ergo, vt ait Hilar. tria Eunuchorum genera, quosdam à natiuo, quosdam ab hominibus, quosdam à seipsis factos, quorum primi & culpa, & merito careant: secundi culpam, si suo consensu exsecti sint: tertij meritum habeant.

D *Qui seipsos.*) Duplex in hoc verbo vis est: altera, qua liberum arbitrium significatur, quo se quisque Dei adiuuante gratia castrare potest, id est castum efficere. quemadmodum Chrysost. annotauit: nam & castrandi verbum inde à Latinis dictum arbitror: altera, qua significatur id non sine carnis repugnātia fieri vt Gregorius Nazi. obseruauit. Itaque, quod Caluinistæ dicunt, ridiculum est. Primùm neminem debere continentiam experiri, nisi certus sit se à Deo continentiæ donum habere: secundò, quisquis continentiæ donum habet, certò scire se habere: quemadmodum, qui E fidem habet, certò se habere nouit. Hæc enim & falsa sunt, & inter se pugnant. Nam eum, qui continentiæ donum habet, certò scire se habere. tam falsum & hæreticum est, quàm quod Caluinistæ docent, eum, qui gratiam Dei habet, certò scire se eam habere. Nam donum continentiæ gratia quædam est. Et exempli fidei, quod afferunt, est falsum, & si verum esset, tamen esset ineptum: falsum quidem, quia, qui fidem habet, non scit, sed credit se fidem habere; ipsa enim fide, non alia cognitione id nouit: per fidem autem non scimus, sed credimus: & quisquis fidem scientiam appellat, fidem perdit, quia ex diuina, & Christiana fide humanam facit: ineptum autem, quia etiamsi, quisquis fidem habet, necessariò sciret se habere, non

continuò

continuò sequeretur quisquis donū habet continentiæ, id etiam scire; quia fides cognitio quædam est. donum autem continentiæ non est cognitio; itaque perinde isti boni Theologi argumentantur, atque si dicerēt, quisquis visum habet, certò scit se visum habere; ergo quisquis bonum sanguinē habet, certò scit se bonum sanguinem habere. Pugnantia autem dicunt, quia nemo, nisi experiendo scire potest, an castitatis donum habeat; experiri autem, vt isti volunt, non prius debet, quàm de dono castitatis certus sit.

Caluinistæ de certa diuinitus argumentū.

Propter regnum cælorum.) Hæretici exponunt *propter regnum cælorum*, id est propter Euangelium, vt illi ministrum seruiant. Timent enim, ne ex hoc loco meritum colligamus. Sed ita eorum ratione soli Ecclesiæ Doctores, id est Episcopi, & presbyteri castrare sese deberent, quos illi imprimis coniugatos esse volunt, & quidem hactenus nullum apud eos Ministrum nouimus, qui etiam isto modo, id est, vt Euangelio licet falso, seruiret, se se castrauerit. Sensus ergo est *propter regnum cælorum*, id est ad regnum cælorum promerendum, vt Origenes, Hilarius, Chrysost. auctor imperfecti, & Euthym. interpretantur. Generaliter enim de omnibus, non de solis Apostolis, & Euangelij Doctoribus loquitur Christus. Solent dicere Caluinistæ cœlibatum non magis esse meritorium, quàm ieiunium, quod per se nec bonum, nec malum est: sed quatenus ad orandum conducit. Exemplum arripio, si ieiunium per se nec bonum, nec malum est; ergo intemperantia, cui ieiunium opponitur, nec bona, C nec mala est. Atqui intemperantia per se est mala, ieiunium igitur per se est bonum. & cœlibatus quandoquidem eandem vtriusque rationem esse putant. Et vt per se hæc bona non sint, non sequitur meritoria non esse; non enim solum meremur dum ea facimus, quæ per se bona sunt, sed etiā, dum ea, quæ ad id, quod per se bonum est, aliquid iuuant. Cuius rei in hoc ipso capite manifestum est argumentum. Nam omnes diuitias abiicere, sicut eas retinere, per se nec bonum, nec malum est: tamen propter regnum cælorum eas abiicere non solum alicuius, sed etiam singularis, & excellentis mariti esse ex singulari præmio perspicuū est, *vos*, inquit, *qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*, infra vers. 27. & 28.

Caluini diabolica interpretatio.

Ioannis Caluini error.

Qui potest capere capiat.) Caluinus suam secutus impietatem ad hunc modum exponit, vt Christus docere voluerit maximè spernēdum esse coniugij vsum, nisi cæca temeritate nos in exitium velimus præcipites dare. Nam discipulis, inquit, quos videbat sine iudicio ruere, manum iniicere oportuit. Itaque bonus iste Euangelicæ perfectionis interpres non putat Christum, quod Apostoli dixerant, approbare: sed reprehendere, eósque temerarios, ac cæcos fuisse significat, quòd existimauerint bonum esse vxorem non ducere. Hæc autem verba *qui potest capere, capiat*, non exhortantis, sed prohibentis esse interpretatur, quasi dicat Christus, vos existimatis bonum esse vxore carere: ego autem veto, ne quisquam id facere tentet, nisi certus sit se id capere posse, id est sine vxore viuere. Ipse, vt opinor, diabolus, si commentarios scripsisset, non potuisset peiore spiritu, & sensu Christi sensui magis contrario, verba eius interpretari. Quis enim non videt voluisse Christum homines ad castitatem, & cœlibis vitæ perfectionem quasi proposito præmio cohortari? Caluini verbis verba Hieronymi opponamus, vt quemadmodum dicere soleo, quid inter Catholicum, & hæreticum spiritum intersit ex comparatione lector agnoscat. Hic contra Iouinianum, id est contra partem Caluini lib. 1. scribit. *Proponit ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu*

A *virginitatis brauium, ostendit puerissimum forsitan, & clamat, qui sitit veniat ad me, & bibat, qui potest capere, capiat.* Ergo, vt concedamus capiendi verbum hoc loco non pro intelligere; sed pro apprehendere, & obtinere positum esse, quemadmodum Hieronymus, Chrysost. Theophyl. & Euthym. existimant; tamen inde potius sequeretur non prohibentis, sed exhortantis esse verba: loquitur enim Christus, quemadmodum Hieron indicat, tanquam agonotheta præmium manu tenens, & in stadio currentes clara voce cohortatur, *qui potest capere, capiat*, quibus verbis non significat non omnes posse capere: sed alludit ad stadium, vnde metaphora sumpta est, in quo omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium 1. ad Cor. 9. B 24. Nos autem iam supra monuimus *capere*, hoc loco idem significare atque intelligere. nihil enim aliud voluit Christus dicere, quàm quod aliàs, cum de re aliqua egit graui, dicere consueuit. *qui habet aures audiendi, audiat*, vt infra c. 11. 15. & c. 13. 9. 43. & Marci 4. 9. 23. & 7. 16. & Lucæ 8. 8.

13. *Tunc.*) Posthac. non enim constat, an statim post superiora hoc factum sit: nam Lucas multa in medio narrat, & nolumus sententiam plus iusto restringere. Quanquam auctor imperfecti non dubitat statim interpretari.

Oblati sunt ei paruuli.) Ex Luca c. 18. 15. perspicuum est nō solùm pueros paruulos fuisse, sed etiā infantes προσέφερον αὐτῷ τὰ βρέφη, & offerebant illi infantes. Nimirum cum videret populus omnes adultos, qui ad Christum accedebant magnis aut sanctitatis, aut aliarum rerum cumulari beneficiis, cœpit & illi infantes offerre, vt quatenus ea ferebat ætas beneficiorū Christi participes fierent. Non enim, vt sanarentur, sicut adulti: sed vt spiritualem aliquam gratiam perciperēt, illi offerebantur, vt statim explicat Euangelista.

Vt eis manus imponeret, & oraret.) Id est vt impositis super eis manibus eis benediceret beneq; precaretur. Hebræorum consuetudinem fuisse, vt qui maiores erant, & aliqua pollebant diuina gratia, manuum impositione inferioribus benedicerent, constat ex Gen. 48. 14. 15. hac ergo ratione adducti parentes infantes ad Christum afferebant, vt impositis manibus illis benediceret. Vnde Ecclesiastica consuetudo nata est, vt laici, ac præsertim pueri à sacerdotibus, & Episcopis etiam extra Ecclesiam benedicantur, quam consuetudinem auctor imperfecti commendat.

Mos accipiendi benedictionē ab Episcopis & sacerdotibus.

Discipuli autem increpabant eos.) Id est prohibebant, vt Euth. interpretatur; id enim significat etiam verbum ἐπετίμων, vt supra alio loco monuimus. Dubium quare discipuli parentes prohibuerunt ad Christum accedere, & illi infantes offerre. Chrysost. auctor imperfecti, Euthym. & Theophyl. ideo prohibuisse putant, quòd eam ætatem indignam iudicarent, vt ad Christum accederet: quasi Christi minueretur dignitas, si in benedicendis pueris occuparetur. Itaque tanquam de honore, & dignitate magistri soliciti, pueros acerbant. Probabilius hoc est, quàm quòd Hieronym. & Beda dicunt; non quòd nollent eis salutaris & manu, & voce benedici. sed quòd necdum habentes plenissimam fidem putarent eum hominum offerentium importunitate lassari. Nam quod Christus subiecit *sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum*, Chrysostomi videtur interpretationem confirmare.

14. *Sinite paruulos venire ad me.*) Paruulos vocat & per ætatē infantes, & per simplicitatem morum adultos, vt statim explicat dicēs *talium est regnum cælorum*. Propterea enim non dixit horum. sed *talium est regnum cælorum*, vt non solum ætate pueros; sed etiam moribus pueris similes comprehenderet, vt Origenes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hieronym. Augustin. libr. 1. de peccatorum meritis cap. 19. Beda. Theophylact. & Euthym. monuerunt. Quod Lucas magis expressit c. 18. 17. addens, *Amen dico vobis quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* Non habent aliud Caluinistæ testimonium, quo infantes baptizandos esse probent, quàm quòd Christus dicat *sinite parvulos venire ad me.* Nam illud fortissimum, & apertissimum, quo semper Ecclesia, vt infantes baptizaret, adducta est, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, illi non de baptismo, sed de doctrina interpretantur: ita fit, vt dum hæretici esse volunt, & Ecclesiæ Catholicæ resistere; seipsos exarment, & Anabaptistis, qui infantes baptizandos esse negant, resistere non possint. Nam etsi ex hoc loco aliquid argumenti colligitur; quemadmodum & D. Bernardus epist. 240. colligit: tamen non adeo firmum est, vt tam certi, támque necessarij ad salutem dogmatis, fundamentum esse possit.

Caluinistæ probare nõ possunt infantium baptismũ contra Anabaptistas. Io. 3.

15. *Et cum imposuisset eis manus.*) Dixerat Euangelista ver. 13. oblatos Christo fuisse pueros vt manus illis imponeret, & oraret; dicit nunc manus illis imposuisse, sed orasse non dicit. cuius rei causam Origen. fuisse putat, quòd Christus manus imposuerit, non autem orauerit: quia infantes impositionis manuum capaces erant: orationis, quam intelligere non poterant, non erant, opinio minimè probabilis. Nam opus non erat, vt infantes orationem intelligerent, vt eius participes esse possent: quemadmodum nunc opus non est vt verba, quibus baptismus confertur, intelligant, vt baptismi fructum percipiant: & in manuum impositione, oratio etiam comprehenditur. Nec enim sola manuum impositio sine oratione, ac benedictione vnquam adhibebatur, & Marc. 10. 16. id expressit, & *complexans eos, & imponens manus super illos benedicebat eos.*

16. *Et ecce vnus.*) ἷς vnus pro τὶς quidam positum est: sicut & Galli loqui solent. Lucas cap. 18. 18. principem fuisse scribit, id est primarium, vt interpretor, virum; quia vt ait Matthæus versu 22. dives admodum erat. Videntur multi veteres auctores hunc adolescentem cum illo legisperito, de quo Lucas scribit c. 10. 25. lapsi memoria confudisse: nam & hunc legisperitum fuisse dicunt, vt Hieron. Ambros. in cap. 18. Lucæ. & Cyrillus Alexand. 2. lib. Thesauri c. 1. Melius D. Basilius in homil. contra diuites auaros non solùm non putat legisperitum fuisse: sed legisperito illi, de quo Lucas scripsit, opponit quòd ille tentandi causa, hic discendi ad Christum accesserit. Et verò si legisperitus fuisset, id potiùs expressissent Euangelistæ, quàm alias circunstantias, quas videmus eos magno studio declarasse, vt quòd princeps fuerit, quòd dives, quòd adolescens. Putant iidem auctores, tum etiam Epiphanius in Anchorato, & hæresi 69. hunc etiam adolescentem non bono, ac simplici, sed tentandi animo ad Christum adiisse, quam opinionem & D. Basil. in eo loco, quem paullò antè annotauimus. & Chrysostom. & Euthym. in huius loci commentariis meritò mihi videntur, magnisque commentariis refutare: Primùm quia vt Marcus ca. 10. 17. declarat, valde reuerentèr, & suppliciter genua subinde flectens ad Christum accessit, quod superbi illi, & inflati Scribæ, & Pharisæi, qui tentaturi Christum adibant, facere non solebant. Deinde quia quoties aliquid tentandi causa Christum interrogat, Euangelistæ solent exprimere; de hoc verò adolescente nihil tale significarunt. Tertiò, quia rogat, quid adhuc sibi desit, vt ad vitam æternam peruenire possit. Quartò, quia cùm Christus illi dixisset, *vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus*, tristis discessit: nulla autem tristitiæ causa fuisset, si malo simulatóque animo Christum interrogasset. Itaque multò melius hinc Chrysostom. quàm Hieronym. ad probandam suam opinionem argumentatur. Addo ego, quod, qui tentandi causa Christum interrogabant, non solebant de seipsis, suáque salute: sed de lege, déque rebus controuersis, & curiosis quæstionem proponere, vt, an liceat tributum dare Cæsari: an liceat quacunque ex causa vxorem dimittere; quod tu maximum legis mandatum; cuius illa mulier in resurrectione futura sit vxor, quæ, dum viueret, septem fratres maritos habuisset. Hic autem adolescens non curiosa, non subtilia, non superuacanea rogat; sed sibi necessaria, *quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?*

Magister bone.) Vtitur honorifica præfatione ad captandam Christi benevolentiam. Alij Christum Rabbi, id est magistrum aliquid interrogaturi appellabant, ille vt maiorem animi propensionem ostenderet, magistrum bonum appellauit.

17. *Quid me interrogas de bono?*) Græcè in omnibus ferè libris est τί με λέγεις ἀγαθόν; Quid me dicis bonum? nemo bonus; nisi vnus Deus: atque ita legit Origen. tractatu in Matthæum. 7. Hilarius, Chrysost. Auctor imperfecti in hunc locum, & Gaudentius tractatu 7. in Exodum. Noster interpres legit τί με ἐρωτᾷς περὶ ἀγαθοῦ; *Quid me interrogas de bono?* quemadmodum in nonnullis etiam nunc Græcis codicibus legitur; & vt Hieronym. hoc loco, & D. Augustin. lib. 1. de Trinitate c. 13. legunt. Origen. vtramque lectionem ponit. Verùm eorum coniecturam nequaquam probo, qui vtroque modo Christum dixisse putant; priùs quidem, *Quid me dicis bonum?* quia dixerat adolescens *magister me*: deinde *quid me interrogas de bono?* si ita legamus, non significat, quid me interrogas, quid boni facturus sis? sed, quid me interrogas bonum appellans?

Vnus est bonus Deus.) Obiiciebant Ariani Catholicis hunc locum, vt probarent Christum non esse Deum, quod videtur his verbis à bonitate, diuinitátèque seipsum excludere, vt scribit Epiphanius ad. uersus Arianos hæresi 69. & Cyrillus Alexand. lib. 2. Thesauri c. 1. & D. Basilius in epistola ad Amphilochium. & D. Ambros. in commentariis in c. 18. Lucæ. & D. Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianorum Episcopum cap. 23. Omnes respondent Christum non negare se bonum esse, ac Deum. Nam & homines, & Angelos, & multa alia præter Deum sunt quodam modo bona esse manifestum est, & multis scripturæ exemplis probat Epiphan. sed dicit neminem bonum esse præter Deum, eo modo, quo Deus bonus est, id est per se, & natura sua: quemadmodum dixit D. Paul. 1. ad Timoth. 6. 16. solum Deum habere immortalitatem, cùm & Angelos, & animos nostros immortales esse constet: quia nemo præter Deum natura sua; id est non alterius participatione immortalis est: quemadmodum in quæstionibus Christianis propositis Iustinus explicauit. Itaque etsi Christus Deus non fuisset, bonus tamen fuisset: & quemadmodum se à bonitate non excludit dicendo *vnus est bonus, Deus*, ita non excludit à diuinitate: quinimò his verbis, vt paullò pòst explicabimus, maximè indicat se esse Deum. Cur ergo ita Christus adolescenti respondit? Ratio, quam Caluinus affert, inepta est, & ad Arianorum errorem accedit, vt, inquit, ostenderet suam doctrinam à Deo profectam esse. Nam neque id Christus volpit ostendere sed potius dicere se esse Deum; &, si voluisset, non benè ea ratione ostendere potuisset. Alij voluisse Christum adolescentem illum, quasi nimium operibus legis confidentem, ab illis auellere, & ad fidem in se adducere; quod facit, dum indicat se non solùm magistrũ bonum, sed etiam bonum Deum esse. ita Origenes videtur significare tractatu in Matth. 8. ita certè Epiphan. aduersus Arianos, & Cyril. lib. 2. Thesauri c. 1. interpretantur. Quod dicunt Christum voluisse significare se esse Deum, vehementer probo: quod dicunt adolescentem in operibus legis confidisse, & ab illis eum Christum voluisse reuocare, non probo; nec illi mihi videntur benè probare. Vera igitur causa cur ita Christus responderit, ea mihi videtur esse, quam auctor imperfecti hom. 33. Hier. in commentariis, Gauden. tractatu 7. in Exodum, Augustl. lib. 1. de Trinitate c. 13. & lib. 3. contra Maximinum cap. 23. Beda, Theophyl. & Euthym. hoc loco afferunt, quòd adolescens ille, etsi bonam, non tamen satis magnam, atque perfectam de Christo habebat opinionem. Manifestũ enim est conatum illum fuisse quàm magnificentissimis titulis Christum ornare, vt eius iniret gratiam; & videmus tamen non nisi magistrum bonum appellasse, quasi nihil de illo supra sentiret. Nam si Deum esse credidisset, aut Deum suum, aut certè Dominum appellasset: voluit ergo Christus sciens eum bono animo de sua salute consulere eius adiuuare fidem, atque perficere, eóque interrogando perducere, vt se non tantùm magistrum bonum; sed Deum etiam bonum esse crederet, propterea ex eius ore verbum attipuit, vt doceret tantùm illi opus esse, vt ea, quæ dixerat, benè intelligeret. Vocauerat Christum magistrum bonum, docet illum Christus neminem bonum esse, præter Deum, vt probet se Deum esse, si bonus est, quemadmodum ille ipse nesciens, quid diceret confessus erat. Fateor ambiguitatem in verbo esse: nam aliter magister bonus, aliter Deus bonus appellatur: sed hæc ipsa ambiguitas gratiam argumentationi affert: sic enim Christus argumentatur, quasi non intelligat, quid inter magistrum bonum, & Deum bonum interfit. Annotauimus aliis locis solitum fuisse Christum ambiguitate verborum ludere, vt supra cap. 8. 22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quæret aliquis, cur Christus non eodem modo aliis respondent. quos credibile est aliquando aut similibus aut iisdem titulis vsos fuisse. Ratio mihi videtur esse, quòd hic adolescens ita eum magistrum bonum appellauerit: quasi existimaret aliquem ei titulum tribuere singularem, quem alij tribuere non solebant: voluit ergo Christus eius opinionem arripere, doceréque non satis magnum sibi titulum tribuisse, se enim non solum magistrum bonum; sed Deum etiam bonum esse.

Caluinus reprehenditur.

Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.) Perniciosissima, & menti Christi omnino contraria est interpretatio Caluini; sic enim exponit, quasi Christus bonum illum, & simplicem adolescentem deludere voluerit; quemadmodum si quis interroganti, qua via Romam iretur, extremos Indos ostenderet. Sic enim putat Christum respondisse, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, non quòd mandatorum obseruatio vitæ æternæ via esset, sed potiùs diuerticulum, quo à vita æterna homines aberrarent: iuuenem enim illum obseruatione legalium præceptorum inflatum fuisse, atque confisum, quæ tantùm abest, vt homines ad vitam æternam duceret, vt ab ea potius retardaret. Duplex error; alter, quem iam refutauimus, quòd existimet illum adolescentem in legalium præceptorum obseruatione confidisse; nec enim confidebat, qui præter illa quærebat aliquid, quod faciendo in vitam æternam ingrederetur: alter, quòd putet Christum de legalibus agere præceptis; de quibus enim

agat, statim ipsemet exponit, *non homicidium facies*, &c. quæ præcepta non legalia, sed Euangelica sunt: quis quis autem legalia esse putat, legem ignorat: si enim legalia fuissent, vnà cum ipsa lege fuissent abrogata; tantùm verò abest, vt abrogata fuerint, vt tunc cœperint maximè vigere cum cœpit lex maximè mori; vt Christus c. 5. explicauit. Legalia igitur ea tantùm, quæ cum lege perierunt, vt Circuncisio, cæteráque cæremoniæ, ac sacramenta. Verùm vitæ æternæ viâ Christus ostendit, à qua longissimè Caluinus aberrauit. Nam nec viam illam legis adolescens ignorabat: nec eam Christus ostendisset; qui ideo venerat, vt ea abolita nouam homines viam doceret; velitque nolit Caluinus, merita hinc bonorum operum apertissimè probantur: nec enim mandata ideo tantùm via vitæ æternæ vocantur, quòd per ea, sed etiam quòd propter ea ad vitam æternam homines veniant, vt c. 25. 34. 35. manifestum est, *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurij enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me.* Neque hæc Christi sententia, vt Caluinus putat, nobis aduersatur: quasi hinc colligatur nulla alia præcepta, præter decem Decalogi, nullásque traditiones esse ad salutem necessarias; eodem enim argumento colligeret ad salutem necessarium non fuisse, vt Christiani Apostolorum constitutiones obseruarent, & à sanguine, suffocatóque abstinerent Actor. 15. 20. eodem argumento colligeret nulla esse in Euangelio necessaria sacramenta; nec enim in Decalogo continentur. Melius obiicere potuisset; si mandatorum obseruatio vt Christus significat ad salutem satis est, fidem non esse necessariam. Respondeo Christum tantùm respondisse ad quæstionem adolescentis, *quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* propterea non docet, quid credere debeat: sed quid facere: inter ea autem, quæ ad consequendam vitam æternam facienda erant, sola mandatorum obseruatio sufficiebat. in quibus & parentum. & Ecclesiæ madata, traditionésque comprehenduntur. Nam cum in quarto præcepto iubemur parentes honorare, iubemur illis obedire: cum autem illis iubemur obedire, iubemur obedire omnibus, qui parentum nobis loco esse debent, quales Reges sunt, & magistratus, multò verò magis Ecclesia; quin potius ex hoc loco maximum aduersus Caluinistas sumitur argumentum, vt probetur malè eos colligere sola nos fide iustificari, & sanctos fieri, quia sola aliquando fides inter iustificationis causas nominatur. Nam quemadmodum hic cum sola mandatorum obseruatio causa salutis esse dicitur, non excluditur fides; sed tantùm significatur inter ea, quæ facienda sunt, satis esse mandata seruare: ita, cum sola fides inter iustificationis, & salutis nostræ causas nominatur, opera non excluduntur, sed tantùm ostenditur inter ea, quæ non facienda, sed cognoscenda sunt; satis esse credere, fidemque nobis, licet obscuram, & quodammodo cæcam cognitionem instar omnis scientiæ, omniúmque doctrinarum esse oportere.

Meritæ bonorum operum.

18. *Quæ?*) Hieronymus, qui hunc adolescentem tentandi causa venisse putat, non simpliciter, sed fraudulenter interrogasse dicit, quænam essent illa mandata; quasi dissimulauerit scire se, quod maximè putabat scire: sed hanc opinionem versu 16. refutauimus, & ex ipso verborum contextu perspicuum est, eum propterea interrogasse, quænam ea mandata essent, quòd ad Christum, tanquam ad nouum aliquem, & maximum magistrum venisset, vt aliquid ab eo supra legem disceret, nam legis mandata non solùm sciebat; sed etiam obseruauerat, vt ver-

Universidad de Deusto
Biblioteca

20 ptobauimus. Interrogat ergo, *quæ?* putans fore, vt Christus aliqua, præter legem, præcepta sibi tradat.

Non homicidium faciet.) Proponit illi Christus præcepta Decalogi non omnia, sed secúdæ tantùm tabulæ; nec ea quidem ordine, sed prout sese offerebant: nec enim id agebat, vt totum Decalogum memoriter, & ad verbum recitatet: sed vt sententiam proponeret. Potest quæri, cur primæ tantùm tabulæ mentionem non fecerit. Respondet Euthymius, propterea quòd primæ tabulæ obseruatio in occulto, id est in animo lateat; secundæ autem tabulæ manifesta sunt opera, non occidere, non mœchari, &c. Non probo rationem, nec enim Christus adolescentem arguere, vt quidam putant, sed vt nos supra probauimus, docere voluit; nec docere, quomodo bonus esse videretur, sed quomodo bonus ac iustus esset: nec enim hypocritam, sed Christianum facere volebat. Vera mihi videtur fuisse ratio quòd quicunque secundam tabulam obseruat, & primam obseruet: quemadmodum D. Paulus ait ad Rom 13.9.10. *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsùm testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum: plenitudo ergo legis est dilectio.* Propterea & Christus hîc, & D. Paulus illic volentes mandatorum obseruationem proponere secundæ tantùm tabulæ meminerũt. Dicet aliquis eadem ratione, ac multo etiam maiore primam tantùm tabulam proponere debuisse, quia & qui primam obseruat, secundam obseruat; qui enim Deum diligit, omnia quæ Deus præcepit, facit: estque prima tabula multo breuior, quàm secunda, vt eò magis videatur, tanquam omnium præceptorum summa proponi debuisse. Respondeo ista hæc omnia vera esse: sed tamen facilius esse proximum diligere, quàm Deum, vt D. Ioannes 1. epistola cap. 4. 20. argumentatur, *qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Solet ergo scriptura sacra ad obseruationem nos mandatorum Dei per secundam tabulam, tanquam per magis facilem, magis plenam, magis nobis notam viam deducere.

10. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*) Nimis audax Origenis tractatu in Matthæum 8. coniectura est. hæc verba ab aliquo esse addita, propterea quod apud alios Euangelistas non legantur. Præstabat existimare ab aliis prætermissa, quemadmodum solent non omnia semper dicta, factáque Christi commemorare. Est ergo, quasi breuis complexio, qua omnia, quæ Christus recitauerat, vno verbo comprehenduntur, quali & D. Paul. ad Rom. 13.9.10. & ad Galat. 5.14. vsus est. Nec enim vnum est præceptũ: sed omnium præceptorum summa ex Leuitico c. 19.18.

20. *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea.*) Hilar. canone in Matthæum 19. auctor imperfecti homil. 33. Ambros. in comment in c. Lucæ 18. D. Augu. epist. 89. Hieronym. & Beda hoc loco, & nonnulli, vt opinor, Græci, quorum Theophylact. opinionem recitat, existimarunt hunc adolescentem, cum dixit se omnia mandata à iuuentute sua seruauisse, fuisse mentitum. Multò magis D. Basilia homilia contra diuites auaros, & Chrysostomi, atque Euthymij probo sententiam, eum dixisse, quod res erat; nec enim sine causa narrat Marc. capit. 10. 21. Christum hoc audito eum dilexisse; quod profectò non fecisset, si simulator fuisset, quod Christum omnia scientem latere non potuit. Quod autem Caluinus respondet dilexisse eum, sicut diligit Deus res omnes naturales, quia natura sua bonæ sunt: ridiculum est. Nam isto quidem modo non solùm omnes homines: sed omnes etiam dæmones diligi. Perspicuum autem est

Caluinus reprehenditur.

A Euangelistam aliquem Christi erga hunc adolescentem propter mandatorum obseruationem singularem amorem significare voluisse; quo amore non solùm non alios peccatores: sed ne illum quidé ipsum, antequàm id audiuisset, prosequeretur: non quòd id priùs ignoraret, aut quòd non priùs eum diligeret: sed quòd ostenderet se more hominum ex eius responso, quod ante ignoraret didicisse, & quem ante non diligebat, diligere cœpisse. Quod ad confirmationem sententiæ nostræ satis est. Magis etiam ridiculum, quod idem Caluinus Catholicis ex hoc loco colligentibus peccatorem posse se per bona opera, & mandatorum obseruationem ad iustificationem disponere; ea enim bona, quæ facit, antequàm B iustificetur, suo quodammodo Deo grata esse, ac vt Theologi vocant, meritoria de congruo, respondet eodem modo ranas, & culices mereri; quia ea, quæ faciunt, naturaliter bona sunt, eáque Deus amat. Iam enim docuimus Christum hunc adolescentem non tantùm propter naturalem bonitatem, sicut omnes communiter homines; sed propriè propter mandatorum obseruationem, quæ naturalis non est, singulariter amasse.

21. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.*) Peruersa etiam hoc loco, & maligna interpretatio Caluini, qui existimat Christum non seriò; & vt perfectionis consilium daret: sed cautè, vt adolescentis hypocrisim detegeret. hoc illi dixisse. C Quia enim, inquit mentitus est, dicens se mandata omnia obseruasse, voluit Christus, vt palàm omnes intelligerent non ita esse, proponens illi vnum tantùm præceptum, ex quo, an proximum diligeret, appareret, vt venderet omnia, & daret pauperibus, sciens eum facturum non esse, atque ita eius mendacium deprehendendum. Multi sunt hîc eius errores: primus est, quòd illum adolescentem mentitum puteret, quem superiore versu refutauimus. Hic dignus erat venia, nec error appellandus, quia multò vt diximus, & graues auctores in eadem fuerunt opinione: nisi illi Catholico, Caluinus hæretico animo dixisset; non, vt aliquid eorum auctoritati tribueret, quos si sciuisset ita sensisse, contrarium D fortasse, vt solet, dicturus fuisset; sed vt Euangelica consilia, quæ illi & probarunt maximè, & secuti sunt, non solùm ipse non sequeretur, sed etiam refutaret, & quantum in se esset, penitus tolleret. Secundus est, quòd nullum prorsus consilium esse putet, & hoc ipsum, quod Christus adolescenti dixit, vt sua omnia venderet, & daret pauperibus, séque sequeretur, non consilium, sed præceptum esse dicat, quod ante illum nemo cogitauerat. Est genus quoddam Pelagianorum, qui olim dicere videbantur neminem saluum esse posse, nisi omnia venderet, & daret pauperibus, quasi non consilium, sed præceptum hoc esset; non tam ab Augustino epistola 89. paucis verbis refutati sunt, quàm, vt insani, ab omnibus irrisi. E Et verò quis non videt consilium, illúd esse quod cùm bonum sit, imperatum tamen non est, aliquin & perpetuam seruare virginitatem præceptum esset, quia bonum esse D. Paulus testatur. At hoc Caluinus, vt opinor, non concedet. Nam si præceptum est, seruari ergo ab omnibus debet; & qui non seruant, salui esse non possunt. Itaque eò Caluinus suo errore ducatur necesse est, vt affirmet, quod olim Eustarthiani in Concilio Gangrensi condemnati affirmabant, neminem, qui vxorem haberet, saluum esse posse, &, quod stulti illi Pelagiani dicebant, neminem posse ad vitam æternam peruenire, nisi omnia venderet, & pauperibus daret. Deinde quis tã obtusus est, vt nõ animaduertat, quàm exquisitis studiosè

verbis

verbis præcepta Christus, consiliáq; distinguat: Cum de præceptis loquitur, non dicit, si vis perfectus esse, serua mandata: sed *si vis ad vitã ingredi*: cũ verò de cõsilio, nõ dicit si vis ad vitã ingredi: sed *si vis perfectus esse*. Præterea mãdatorum obseruationi, tanquam præmium proponit vitam æternam, *si vis*, inquit, *ad vitam ingredi serua mandata*: obseruationi verò cõsiliorum non vitam æternam, sed *thesaurum in cælo*, id est. vitæ æternæ maiores diuitias pollicetur. Et non solùm beatum esse, sed beatorum principem, & iudicem, *sedebitis*, inquit, *& vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Non possum ego melioribus verbis, quàm Augustinus sermone 61. de tempore; aut probare, aut explicare Euangelica consilia: *Aliud*, inquit, *est consilium, aliud præceptum. Consilium datur, vt virginitas conseruetur, vt a vino, & carnibus abstineatur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur: præceptum verò datur, vt iustitia custodiatur, vt omnis homo diuertat a malo, & faciat bonum. Denique de Virginitate dicitur, qui potest capere, capiat, de iustitia verò non dicitur, qui potest facere, faciat; sed omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excindetur, & in ignem mittetur. Consilium qui libenter audierit, & fecerit, maiorem habebis gloriam; præceptum qui non impleuerit, nisi pœnitentia subuenerit, pœnam euadere non poterit.* Et rursus, in lib. de sancta Virginitate cap. 14. *Præcepto*, inquit, *quisquis nõ obtemperat, reus est & debitor pœnæ. Proinde quia uxorem ducere, vel nubere peccatum non est, si autem peccatum esset præcepto vetaretur, propterea præceptum Domini de virginibus nullum est: sed quoniam deuitatis, remississe peccatis adeunda est vita æterna, in qua est quadam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibus iam ibi tribuenda, cui consequendæ parum est liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi deliberatori voueatur, quod non sit criminis non vouisse, sed vouisse, ac reddidisse sit Laudis. Consilium*, inquit, *do, tanquã misericordiam consecutus a Deo, vt fidelis essem.* & eiusmodi libri c 30. *Nec enim sicut non mœchaberis, non occides; ita dici potest non mœchaberis, non occides; illa exiguntur, ista offeruntur. Si iussa ista, nisi fiant illa, damnantur, in illis dominus deprecatur, in istis imperat vobis: in hoc autem, si quid amplius superogaueritis, in reddendo reddet vobis.* Et sermone 18. de verbis Apostoli. *Quid iubes, ne adulteremus? hoc præcipis: amando te plus facimus, quam iubes. De Virginibus ait Apostolus, præceptum Domini non habeo. Ergo quare hoc facunt. Consilium autem do. Illæ autem mentes, quibus terrenæ inuidiæ euilerint, quæ terrenos amplexus non desiderauerunt, vsque adeo acceptauerunt præceptum, vt non recusarent consilium.* Eant Caluinistæ & negent vllum esse consilium, dicant opera supererogationis. Sophistarum esse commentum. Nos enim Christum, & D. Paulum consiliorum ac præceptorum doctores atq; assertores: Christi verò ac D. Pauli, D. Augustinum, omnésque omnino veteres auctores interpretes habemus. Caluinistæ, quia Euangelica consilia seruare nolunt, esse non credunt, aut se credere dissimulant, & obijciunt illud tritum, quod Christus ait apud Lucam, *Cũ feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus*: c. 17. 10. Illum locũ in comment. in Luc. si Dominus iuuerit, explicabimus: nunc tantùm dicimus illũ Caluinistis aduersari maximè: primùm, quia docent neminem omnia præcepta seruare posse: Christus autem ostendit nos posse seruare, cum dicit, *cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis.* Deinde quia ex illis ipsis verbis colligitur posse nos vltra præcepta aliquid facere. Huc enim tota spectabat parabola, vt docereret Christus eum, qui non facit, nisi quæ sibi præcepta sunt, non maiorem gloriandi occasionem habere, quàm seruum, qui domino suo tantùm ministrauit. Indicat ergo tunc gloriari nos posse, cùm vltra

A præcepta aliquid etiam boni fecerimus; facere igitur possumus. Expressum est exemplum in D. Paulo, præceperat Christus, vt Euangelium prædicaret, non præceperat; sed tanquam consilium in medio reliquerat, vt qui Euangelium prædicarent, de Euangelio non viuerent; dicit se, si Euangelium prædicauerit, nullam gloriam habere; necessitatem enim, id est præceptum sibi incumbere: gloriam autem suam esse, vt *Euangelium prædicans sine sumptu ponat Euangelium* 1. ad Cor. 9.15.16.18. Obiicit etiam Caluinus quòd Abrahamo Genesis 17.1. à Deo dictum sit, *Ambula coram me, & esto perfectus*, cum illi non consilia, sed præcepta seruanda traderentur, quasi inde sequatur Euangelicam perfectionem non in consiliorum, sed in præceptorũ B obseruatione sitam esse. Respõdeo puerilis esse ignorantiæ nescire inter legalem, aut naturalem, & Euangelicam perfectionem distinguere. Tertius error est, quòd existimet satius esse bona sua retinere, & paulatim ex illis pauperes iuuare, quàm simul illis erogare. Hoc quidem non præceptum, sed consilium, est, non tamen Christi; sed hominum auarorum, qui hoc solẽt prætextu diuitias suas retinere; eundémque Vigilantij olim errorem fuisse aduersus illum Hieron. scribit, idémque in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 71. Gennadius indicauit. Non Caluinus, non Vigilantius, sed Christus est, qui adolescenti consilium dedit, vt si perfectus esse vellet, non post longas inducias, sed statim; nec paulatim sed simul omnia, quæ haberet, venderet, ac pauperibus daret, séque nudum nudus quoque sequeretur.

Et habebis thesaurum.) Valde risi, cum apud magnum quendam hæreticorum interpretem hanc expositionem legerem, ne. inquit, putaret sibi deperdita esse bona, si illa pauperibus daret, adiunxit præcepti huius vtilitatem. Per imitationem autem loquitur ob id, quod hic adolescens non simpliciter bona sua, sed thesauri loco possidebat. Quasi dicat putas te thesaurum habere, quia dives es, maiorem habebis in cælo, si me audieris. Quæ omnia propterea hæreticus iste dicit, ne merita bonorum operum, quæ hinc manifestissimè colliguntur, colligi posse videantur; propterea paucis verbis multos errores complexus est, quòd præceptum vocet, quod consilium est; quòd propterea putet Christum vitam æternam thesaurum appellasse, vt ad adolescentis opinionem alluderet, qui magnum se habere thesaurum arbitraretur, quòd nolit sensum esse propter relicta, & pauperibus data bona thesaurũ in cælo illi habiturũ, ne merita concedere videatur. Primum erorem satis paullo ante refutauimus. Secundum non magnopere opus est refutare, quia quisquis aliquid habet iudicij, facilè reprehendet, & ridebit. Quis enim tam hebes est, vt non animaduertat voluisse Christum ad mercatorũ consuetudinem alludere, qui vno loco minorem pecuniæ summam dare solent, vt alio longè distante maiorem recipiant? Propterea ergo vitam æternam thesaurum appellauit, quòd hîc bona reponantur, vt illic aucta inueniantur: sicut solet quotidiè crescere thesaurus, cum ab aliquo reconditur: quemadmodum cap. 6. 20. Christus dixit *thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, neque furantur.* Agebat autem de eleemosyna, sicut hoc loco, significatque eum, qui dat eleemosynam, quasi in cælum thesaurum transmittere, sicut Salomon dixit Prouerbiorum 19. 17. *fœneratur domino, qui miseretur pauperis.* Ex illo verbo superiori loco, non ex hæreticorum interpretatione hic est intelligendus. Præterea quis non animaduertit voluisse Christum hominem diuitem, &, vt vero simile est, deditum lucro, spe maioris lucri, qua eiusmodi

Melius quinia si non dare pauperibus, quã pauperibus contra Caluinũ

Auctor libri de Eccles. dogma. Gennadius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines capi solent, ad regnum cælorum allicere? quasi dicat, etiam simulta habeas bona, multò tamen pluta, maiora que recipies, si ea pauperibus dederis. Itaque tantum abest, vt voluerit Christus ad thesaurum, quem se adolescens habere arbitraretur alludere, vt potius voluerit significare illum nihil habere, si ea, quæ habebat, cum regni cælorum diuitijs comparrarentur; illum enim, vt diues sit, tamen thesaurum non habere, quem non nisi Reges, nec illi quidem omnes habent: in cælo autem thesaurum habiturum. Thesaurum ergo regni cælorum opibus adolescentis non æquiparat; sed opponit: quemadmodum si quis exiguis possessionibus ingentes totius mùdi opes opponat. Præterea illud Christus significat eum maiorem in cælo gloriam habiturum si Euangelica consilia, quàm si sola præcepta secutus fuerit. Nam qui præcepta sola sequuntur, singuli singulos tantùm denarios accipiunt, vt sequenti cap. vers. 9. & 10. explicatur: illum autem si præter præcepta, quæ iam seruauerat, hoc etiam consilium amplexus fuerit, vt omnia sua bona pauperibus tribuat: non tantùm denarium: sed ingentem etiam thesaurum accepturum esse. Atque hinc etiam tertius error refutatur: ex hoc enim sensu, quem proprium, ac genuinum esse constat, manifestum est homines per eleemosynas, & proinde per omnia opera bona vitam æternam promereri. Idem enim, imo maius quiddam hoc loco significatur, quàm apud Lucam cap. 19. 6. *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula.* Nam & illic de eleemosynis agitur, & facere sibi amicos nihil aliud est, quàm eorum amicitiam, gratiamq; promereri. Atque hoc sensu omnes veteres doctores interpretantur. Cyprian. lib. de opere & eleemos. negotiatorem cælestis gratiæ, & comparatorem salutis æternæ distractis omnibus rebus suis pretiosam inargaritam, hoc est vitam æternam Christi cruore pretiosam de quantitate patrimonij sui dicit debere mercari, & Hilar. *Iactura*, inquit, *terrenæ substantiæ cælorii opes emendæ sunt.* & Chrysost. hom. in Matth. 64. *nam quoniam magna illi cura de pecuniis erat, & quandoquidem ipsum cunctis denudari rebus consulebat, vt ostenderet non amissurum bona sua: sed tanto plura, maioraq; muneturum, quanto terra cælum præstabilius est, retributionis præstantiam thesaurum appellauit, & simul stabilitatem præmij, vt fieri poterat, humano verbo significanter expressit.* Ad eundem modum Chromatius in comment. in cap. 6. Matthæi.

Et veni sequere me.) Tria Christus adolescenti facienda præscripsit, vt omnia bona sua venderet, vt confectam pecuniam pauperibus daret, vt se sequeretur, quod vltimum omnium summa erat. Nam & Socrates, vt ait Hieronym. & alij multi Philosophi diuitias contempserunt; sed quia Christum secuti non sunt, nihil illis profuit. Quomodo autem Christus intelligat *sequere me*, minus certum est, quàm vulgò videtur existimari. Clemens Alexandr. lib. Stromatum 4. Hieronymus hoc loco, aliique nonnulli interpretes de Christi imitat ione dictum intelligunt, quod & ex Marco 10. 21. videtur confirmari, vbi in quibusdam Græcis codicibus legitur ἆρας τὸν σταυρὸν tollens crucem: sed verbum illud *veni* indicat Christum non de imitatione solùm, sed de corporali etiam comitatu agere, inuitatéq; eum vt se sequatur, quemadmodum Apostoli, & familiares discipuli sequerẽtur. Quod autem Marcus ait *tollens crucem*, si eam lectionem admittimus, contrarium huic interpretationi non est. Nam Apostoli, discipuli maximè crucem ferebant, qui Christum non animo tantùm: verùmetiam pedibus proximi sequebantur.

22. *Abijt tristis.)* Hæretici interpretantur propterea tristem abijsse, quia victus, atque confusus conscientia sua fuerat, quòd mandata non seruauisset: quem admodum se paullo ante iactauerat: sed hanc interpretationem iam versu 20. refutauimus. Tristis ergo abijt, quia, cùm mandata seruauisset, non existimabat quicquam sibi tam arduum, quàm Christus dixit, ad consequendam perfectionem superesse, vt vendenda sibi omnia bona essent, & pauperibus distribuenda. Deniq; ratione, cur tristis discesserit, expressit Euangelista, *erat enim habẽs multas possessiones.* Facilius enim est pauca, quàm multa bona derelinquere.

23. *Diues.)* Marcus cap. 10. 25. & Lucas 18. 24. pro diuite dicunt, qui pecunias habet, non quantascunque, sed magnas pecunias intelligentes: de diuitibus enim Christus, vt Matthæus explicauit, loquebatur.

Difficilè intrabit in regnum cælorum.) Marcus scribit Christum circunspexisse, dixisseque, *quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt*: quod vt eum que ad sententiæ commendationem, & exaggerationem pertinet. Circunspexisse enim ad posteulandam attentionem rem maximè necessariam dicturus videtur, & eadem de causa vsus admiratione, *O quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt.* Potest dubitare lector, quorsum hoc de adolescente Christus dicat, & quorsum Apostolis cum adolescentem non à præceptorum obseruatione, nec à regni cælorum ingressu: sed à sola Euangelicæ perfectionis consecutione diuitiæ retardauerint. Responsio est facilis, Christum ex adolescente, qui propter diuitias à consilijs Euangelicis deterritus fuerat, occasionem accepisse de diuitibus in vniuerso genere disputandi, quomodo à vita æterna propter diuitias retardentur.

24. *Et iterum dico vobis.)* Marcus cap. 10. 24. scribit, antequàm hoc Christus diceret, discipulos miratos fuisse; vnde horum verborum sensus colligendus est, quia enim Apostoli mirabantur, quasi nimis dura esset, ac seuera sententia, respondit Christus eam etiam, atque etiam exaggerans, & seueriorem reddens: atque hoc est, quod ait, *iterum dico vobis*; quasi dicat, non solùm, quod modo dixi, verum est; sed amplius etiam vobis dico *facilius esse camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.*

Facilius est camelum.) Absurditas, vt videbatur, aut potiùs admirabilitas huius sententiæ in causa fuit, vt quidam cameli nomine nauticum funem, quo anchoræ alligantur, intelligerent: quasi absurdum esset camelum prægrandem, & deformem belluam per foramen acus introire: funis autem cum acu analogiam aliquam haberet, quia solet filum, aut funiculus per foramen acus induci, & auctore Suida Græcum nomen κάμηλος id etiam significat. Sic Theophylact. interpretatur, & nonnulli alij, vt opinor, Græci, vt refert Euthym. Alij peius in vrbe Ierosolymitana portam quandam fuisse fingunt, quæ foramen acus appellaretur, adeò humilem, vt cameli per eam, nisi exonerati ingredi non possent. Isti interpretes non animaduertunt, quòd absurdior videtur, eò veriorem oportere esse sententiam: propterea enim Christus dixit facilius esse camelum introire per foramen acus, quàm diuitem in regnũ cælorum, quia camelum per foramen acus introire maximè absurdum, & impossibile erat; & volebat significare maximè absurdum, & impossibile esse, vt diues in regnum cælorum introiret, sicut paullo post versu 26. *hoc*, inquit, *apud homines impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Itaque qua ratione moti sunt, ne camelum animal intelligerent; ea maximè moueri debuerunt, vt animal interpretarentur, quemadmodum Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, auctor imperfecti, Iuuencus lib. 3. histor. Euangel. Sedulius lib. 4. carminum

Propter hoc apud Indos, facilius camelum, &c

interpretantur. Syrus etiam interpres vertit ܓܡܠܐ, quod non potest, nisi camelum animal significare. Erat autem hæc prouerbialis vulgò locutio, qua cum aliquid significabatur, impossibile esse, dicebatur facilius camelum per foramẽ acus introire posse quàm id fieri quemadmodũ & Thalmudistæ sæpe loquuntur, vt multi iam viri docti annotauerunt. Est autem hyperbole, & exaggeratio, qualis in eiusmodi prouerbijs esse solet. Itaque disputare quomodo difficilius sit diuitem in regnum cælorum, quàm camelum per foramen acus introire, inanis est operæ: cùm sententiæ summam esse constet valde esse difficile diuitem in regnum cælorum introire, nec sit necesse, vt difficilius sit, quàm vt camelus per foramen acus introëat, quia, vt diximus, prouerbialis hyperbole est. Illud maioris, vt arbitror, est operæ pretij inuestigare, cur potiùs de diuitijs, quàm de alij rebus hoc dictum sit, cùm multæ sint aliæ, quæ hominis salutem magis impediunt, vt ambitio, libido, iracundia. Ratio, vt ego quidem existimo, est; quia cæteræ res, etsi aliquos magis, tamen plerosque minus impediunt, diuitiæ verò fere omnes retardant, quia omnes auaritiæ student, à minore vsque ad maiorem Isaiæ 56. & Ieremiæ 6. 13. & 8. 10. & de ipsis Euangelij prædicatoribus loquens D. Paulus ad Philip. 2. 21. dixit *omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.*

Fabricij vinc.

25. *Quis ergo poterit saluus esse?)* Quasi dicat, cum omnes diuitijs incumbant, & diues in regnum cælorum introire non possit, quis salnus esse poterit? Marcus cap. 10. 26. ait Apostolos hoc dixisse πρὸς ἑαυτούς inter se ipsos, id est tacitè, ita vt ipsi soli audire possent, quod ideo notandum putaui, quia ex eo ver. 26. intelligendus est.

26. *Aspiciens.)* Propterea, vt arbitror, Christus discipulos aspexit, vt indicaret, se eorum cognouisse cogitationes, sermonésque, quamuis secretos, intellexisseq; enim pertinet, quod Marcus, vt paullo ante annotauimus, scripsit Apostolos hos inter se tantùm sermones mussitasse.

Apud homines hoc impossibile est.) Omnes Euangelistæ in eo conueniunt, vt priori loco docuant difficile esse diuitem intrare in regnum cælorum: secundo loco dicant impossibile esse. Quod magnum est argumentum eos non sententiam tantùm: sed verba etiam Christi recitasse, Christúmque voluisse sententiam suam magis, ac magis exaggerando confirmare. Primum enim simpliciter dixit difficile esse diuitem in regnum cælorum introire: secundo loco dixit facilius esse camelum introire per foramen acus. Tertio impossibile omnino esse, sed apud homines, non apud Deum.

27. *Tunc respondens Petrus.* Id est verba facere exorsus, eo Hebraismo, quo, vt sæpe notauimus, respondere dicitur, quicumque loquitur, quamuis nemini interroganti, aut loquenti respondeat. Quanquam hoc loco Petrus videri potest Christo prius locuto respondisse.

Ecce nos reliquimus omnia.) Caussam, cur hoc Petrus interrogauerit, nonnulli fuisse putant, quòd Christus adolescenti dixisset, *vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Petrus verò de se, deq; aliis Apostolis dubitauerit, quale essent præmium habituri, quia, etsi sua omnia reliquerant, tamen nec vendiderant, nec pauperibus dederant; ità vt non videretur Christi satisfeciisse consilio, nec digni esse, vt promissum adolescenti in cælo thesaurum consequerentur. Secus, vt mihi videtur, potiùs apparet voluisse Petrum significare se, al ióque Apostolos feciisse iam quod Christus ab adolescente illo postulauerat. quem admodum Origen. Hieronym. & Chrysostom existimant. Cur ergo dubitabat, *quid erit nobis?* cui non credebat se, cæteróque Apostolos thesaurum in cælo habituros? quia thesaurum Christus ideo adolescẽti promiserat, quia possessiones multas relicturus erat: Apostoli verò paucas, & exiguas, aut etiam nullas reliquerant; ideo thesaurum in cælo sperare non audent: sed quia aliquem in cælo gradum sperant, interrogant qualis, quantúsve futurus sit. Nec illud probo, quod interpretes illi absolutè, & sine exceptione pronuntiant Apostolos bona sua non vendidisse, nec dedisse pauperibus. Nam etsi id in scriptura expressum non est, tamen est credibile, & apostolorum virtuti, profectionique consentaneum aut omnes, aut aliquos vel omnia, vel aliqua ex ijs, quæ habebant, vendidisse, ac dedisse pauperibus; qui verò non vendiderunt, propinquis suis, quia verè pauperes erant, reliquisse, idque ex Petri interrogatione haud improbabili coniectura colligitur; cùm enim rogat, *ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* quamuis non dicat vendidimus, & pauperibus dedimus; intelligi tamen vult, quia significat se omnia fecisse, quæ Christus ab adolescente postulabat. Quemadmodum versu sequenti Christus respondit, *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me.* Quamuis non dicat eos sua omnia reliquisse, intelligitur tamen. Dicit aliquis, quomodo Petrus, & reliqui Apostoli fecerant, quod ab adolescẽte Christus requirebat, siquidẽ pauca quædam, & vilia reliquerant; ille autem possessiones multas, quas habebat, relinquere iubebatur. Respondet alicubi D. Gregor. & eius verbis Bernard. in declamatione in hæc verba, *Multum deseruit, qui voluntatem habendi dereliquit. A sequentibus tanta relicta sunt, quanta à non sequentibus desiderari potuerunt.*

Apostoli bona sua pauperib. dederunt.

Homil 5. in Euag.

28. *Vos qui secuti estis me.)* Non dicit reliquistis omnia; sed dicendo, quod maius erat, quod erat minus, intelligit, vt D. Hieronym. indicauit.

In regeneratione.) D. Hilarius. & auctor imperfecti homil. 33. regenerationem, baptismum interpretatur. Sic enim apud D. Paulum appellari ad Titum 3 5, aut tempus, quo baptismus frequentãdus erat post Christi resurrectionem, quasi dicat fore, vt Apostoli cum Ecclesia florere cu perit, in magna sint, sicut ipse auctoritate. Sed manifestum est regenerationem hoc loco extremum iudicium appellari, siue quia tunc totus mundus renouandus est, & quodammodo regenerandus, vt ait Ioan. in Apocal. cap. 21. 1. *Vidi cælum nouum, & terram nouam,* & ver. 5. *Ecce noua facio omnia,* & D. Petrus in 2. epist cap. 3. 13. *nouos verò cælos, & nouam terrã secundum promissa ipsius expectamus;* & Isaias cap. 65. 17. *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam,* & cap. 66. 22. *sicut cœli noui, & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum,* & D. Paulus ad Roman. 8. 21. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*: siue quia tunc mortalitatem exuti, induti verò immortalitatem regenerandi quodammodo homines sumus, vt Diuus Paulus, ait 2. ad Corinth. 5. 4. *nam, & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est à vita,* & ad Philip. 3. 21. *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Sic D. Augustl lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. & lib. 4. cap. 11. & lib. 2. contra Iulianum, & Gregor. lib. 4. moral. c. 23. Theophylact. & Euthym. in comment. & D. Bernard. in declamatione, quam in hũc locum scripsit, & Gaudentius in præfat. in Exodum.

Regeneratio in scriptura interdum extremum iudicii significat.

Cum sederit filius hominis.) D. Hilarius, & auctor imperfecti, qui per regenerationem baptismi vigorem, & gloriam intelligunt, sedere filium hominis

Universidad de Deusto
Biblioteca

interpretantur non in tribunali ad iudicandum; sed ad dexteram patris, vbi paullo post resurrectionem in cælum ascendens sedere cœpit. Chrysostomus verò, Euthymius, & Theophylact. etsi id de iudicio interpretantur; tamen non existimant vllam sedem neque Christi, neque Apostolorum, sed solam gloriam, maiestatemque significari, in qua Christus, & iecundùm illum Apostoli apparituri sunt. Non agi hic de Christi ad dexteram patris sessione manifestum est, omnésque præter Hilarium, & auctorem imperfecti interpretes dicunt, cum de iudicio Christus loquatur. *Sedebitis*, inquit, *& vos iudicantes duodecim tribus Israel*: quales autem & Christi, & Apostolorum futuræ sint sedes, nec certum est, & est fortasse curiosum inquirere, & aliquid definire velle temerarium: sed temerarium non est coniecturas, quòd non ducunt, probabiliter sequi. Hanc igitur ego secutus & Christi, & Apostolorum sedes nubes futuras arbitror, qui in vbique scripturam video dicere Christum in nube venturum. vt infra cap. 24. 30. & 26. 64 & Apocal. 1. 7. & est verò simile in eadem nube, qua venturus est, sessurum esse. Id etiam ex alio loco Apocal. colligitur cap. 14. 14. *& vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* De Christo enim loquitur Ioan. cùm filium hominis appellet, & de extremo iudicio. vt falx in manu sedentis declarat. Apostolorum autem sedes futuras esse similes indicat hoc loco Christus. *Sedebitis*, inquit, *& vos super sedes duodecim*; quasi dicat, sicut ego, ita & vos sedebitis. De numero sedium dubitari potest, quomodo duodecim futuras esse dicat, cùm constet iudam vnum è duodecim Apostolis sessurum non esse. Itaque si vndecim tantùm sedebunt, tantùm vndecim erunt sedes. Si præter vndecim Apostolos, qui sessuri sunt, etiam Paulus, & Barnabas, qui postea ad Apostolarum extraordinariè vocati fuerunt, sedebùt. non duodecim, sed tredecim erunt sedes. Respondent D. August. lib 20. de ciuitate cap 5. & Beda in comment. ad hunc locum numerum certum, & finitum pro incerto, & infinito positum esse: quasi dicat, sedebitis vnusquisque super sedem suam. Sed quia duodecim erant Apostoli, quibus cum loquebatur, dixit; super duodecim sedes, quasi etiam Iudas sessurus esset; non quòd putaret esse sessurum; sed quòd si in officio perstitisset, sicut alij, sessurus fuisset. quemadmodum D. Chrysostomus annotauit. Loquitur enim Christus, vt Theologi dicunt, secundum præsentem iustitiam, & non tam de personis, quàm de personarum statu: quasi dicat Apostolorum officium hoc habere propositum præmium, vt qui eo bene functus fuerit, super sedem in iudicio sessurus sit, & cæteros iudicaturus.

Sedes Christi, & Apostolorum in iudicio nubes futuræ.

Quomodo Apostolorum duodecim sedes intelligenda.

Iudicantes.) Non displicet interpretatio Hieronymi, etsi nonnullis displicere video, qui iudicare hoc loco accipit pro condemnare. Quo autem modo iudicaturi Apostoli sint, vix nobis compertum esse potest: quemadmodum magni quidam Theologi dixerunt. Communis multorum opinio est eos non aliter quàm per comparationem iudicaturos, quia illis credentibus cæteri Iudæi credere noluerunt, quemadmodum viri Niniuitæ surgent in iudicio contra generationem hanc, quia in prædicatione Ionæ pœnitentiam egerunt; hæc autem generatio, Christo prædicante noluit agere pœnitentiam; & regina Austri dicitur Iudæos condemnatura, quia *venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic* cap. 12. 41. 42. sic Hieronymus auctor imperfecti, & alij plerique interpretantur. Nonnulli verò Theologi, quia plus Apostolis hoc loco, quàm Niniuitis, & reginæ austri Christus videtur promittere voluisse, dixerunt Apostolos iudicaturos non per comparationem solùm; sed tanquam ministros, & quasi præcones Christi eius sententiam promulgantes. Alij iudicaturos esse tanquam Christi consiliarios sicut ij, qui iudici assident, dicuntur etiam iudicare. Quod eò mihi minus placet, quòd ab hæreticorum interpretibus profectum video, & *quis consiliarius eius fuit?* mihi illud certum videtur esse Apostolos non per comparationem tantùm, sed modo aliquo honoracientiore esse iudicaturos, quia per comparationem non solùm iusti omnes, sed multi etiam peccatores, & iniusti magis iniustos iudicabunt. sicut Niniuitæ Iudæos, & manifestum est aliquid hîc Apostolis tribui, quod non solùm iniustis, sed ne iustis quidem omnibus concessum sit. Quis autem ille honorificentior modus sit, mea hæc est opinio, quam neminem sequi cogo; Apostolos iudicaturos, tanquam doctores, tanquam testes accusantes quod immodo eos, qui filii Euangelium prædicantibus, & saluis viam docentibus credere noluerunt; eòdemnabunt enim eos conuincentes eorum incredulitatem, dicentésque fecisse se, vt illi crederent, & saluij essent, quicquid potuerit. Quemadmodum de Moyse Christus dicit Ioan. 5. 45. *nolite putare, quia ego accusaturus sum vos apud patrem, est qui accusat vos Moyses.* Moysen enim dicit eos accusare, non quòd verbis accuset: sed quòd nec illi credere. nec eius legem seruare voluerint. Idem de Apostolis dicit; quia sicut Moyses veteris testamenti legislator, & doctor; ita Apostoli noui doctores fuerunt. Quod ergo illic dicit accusare, hîc dicit iudicare. Ergo & Moyses, dicet aliquis, sedebit super sedem, & duodecim tribus iudicabit? fortasse; quid enim absurdi est? tamen non sequitur necessariò; quia Christus hunc honorem non omni doctori concedit; sed illis, qui relictis omnibus rebus se propter Euangelium pauperes secuti sunt. Quid ergo, an soli Apostoli sedebunt? Origen. tractatu in Matth. 8. D. Augustin. 20. de ciuitate, cap. 5. Cyrilli Alexandr. in comment. in cap. 60. Isaiæ opinionem probabilem esse non nego, eamq; secutus sum aliquando, omnes, qui idem fecerint, id est propter Euangelium bona sua vendiderint, & pauperibus dederint, eundem esse honorem habituros. Sed mihi videtur esse hic honor promissus non solùm, quia Euangelij doctores, sed quia primi fuerunt, per quos promulgatum est Euangelium, quemadmodum non omnes, qui veterem legem docuerunt; sed solus, qui primus docuit.

Duodecim tribus Israel.) Similis huic oritur quæstio, cur duodecim tantùm tribus Apostoli dicantur iudicaturi; cum tredecim essent tribus, si Leuitica etiam numeretur; quæ haud dubiè est iudicanda, & non solis Iudæis, sed etiam gentibus Euangelium prædicaretur, ex quibus multi obstinati non crediderunt. Ideo etiam Augustinus, & Beda respondent, numerum certum pro incerto positum. Id probo; rationem quam afferunt non probo. quia, inquiunt, duodenarius numerus perfectionem vniuersitatémq; significat: quasi sensus sit vniuersos homines iudicaturos. Cur enim potiùs duodenario, quàm septenario, aut denario vlius est numero, qui & ipsi vniuersitatem soleat significare? Causam ergo fuisse arbitror, quòd Christus accommodatè ad eos, quibuscum loquebatur, & ad eos, de quibus loquebatur, locutus sit. Loquebatur cum Apostolis, qui duodecim erant; loquebatur de Iudæis, inter quos erat, & ad quos imprimis veneratur, &, cum quibus volebat Apostolos comparare: quasi si eos illis præferret, omnibus præferret. Iudæorum autem, etsi tredecim re quidem ipsa erant tribus, tamen quia Leuitica quasi exempta ex numero erat, & Deo

Deo primogenitorum loco data, non numerabatur: quasi non tam ad homines, sed ad Deum pertineret. ideóque duodecim tantùm tribus solebant nominari. Intelligit ergo Christus non solùm duodecim Apostolos, sed etiam tredecim Paulo, & Barnaba numeratis, excluso verò Iuda esse iudicaturos non solùm duodecim tribus; sed omnes etiam gentes, quibus Euangelium prædicauerunt. Alia etiam est ratio, cur duodecim tribus nominauerint; quia gentes, quæ Euangelio crediderunt, quasi in populum Iudaicum inseræ sunt. & veluti ciuitate donatæ: vt non iam gentes, sed Iudæi, id est confitentes, credentésque appellarentur in duodecim trib. cooptatæ, sicut disputat D. Paulus ad Rom. 11. 17. 19. & 24. *cum oleaster* inquit, *esses*, id est Gentilis *insertus es in illis*, id est in populum Iudaicum, & rursus, *fracti sunt rami, vt ego inserar*, id est Iudaei non credentes Gentiles reputati sunt; ego Gentilis cum essem, credendo Iudæus factus sum. Hæc eadem est causa, cur D. Ioannes in Apocalyp. omnium prædestinatorum numerum ad duodecim tribus Israel reuocauerit; *Ex tribu*, inquit, *Iuda duodecim millia signati*, & c. c. 7. 5. & in portis cælestis Ierusalem, quàm cap. 21. 21. descripsit, nomina duodecim tribuum Israel scripta se vidisse dixerit. Itaque Theophilacti, & Euthym. non propè sententiam, qui existimant Apostolos solos esse Iudæos iudicaturos.

Apostolis attribuitur Iudicat. cum Gentes iudicabit.

In sortem nominis cuiusque Israel omnes aliquando cooptandi.

29. *Et omnis qui reliquerit.)* Chrysostom. auctor imperfecti, & Theophylactus putant hanc esse sententiam, vt omnes, qui idem fecerunt eundem honorem recipiant. Origenes verò, cuius opinionem probabiliorem arbitror, existimat Christum de alio inferiori hominum gradu differere voluisse. Dixerat ante de ijs, qui omnia sua bona vendidissent, dedissentque pauperibus, séque pauperes facti secuti essent: dicit nunc de ijs, qui non omnia quidem sua aut vendiderint, aut pauperibus dederint, aut se in similitudinem Apostolorum secuti fuerint, sed tamen propter se aliquid reliquerint, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut vxorem, aut liberos, aut domum, aut agrum; illis enim non tantùm quidem, quantum Apostolis honorem pollicetur; sed magnum tamen præmium promittit, fore, vt centuplum accipiant, & vitam æternam possideant. De vxore, quomodo propter Christum relinqui possit, nonnulli dubitant quia dissolui non potest matrimonium. Respondet Chrysostomus. & Euthymius ita dictum esse, *qui reliquerit vxorem, centuplum accipiet, & c.* sicut dictum est c. 10. 39. & 16. 25. *qui perdiderit animam suam propter me, inueniat eam.* Non ergo vult Christus matrimonium dissolui: sed vult se vxori præferri, &, si vxor virum impediat, quo minus Christum sequatur, vxorem reliquit non matrimonio dissoluto; sed facto diuortio. Vult, vt maritus potius vxorem, quàm Christum perdat; vult spiritualia carnalibus anteponi, vt Fulgentius epist. 2. de statu viduali interpretatur. Quamquam & de matrimonij inter gentes dissolutione interpretari possumus, quorum alter si factus Christianus sit, altéréque fieri Christianus nolit, neque cum Christiano sine religionis iniuria habitare. Christianus potest non Christianum dissoluto matrimonio dereliquere, vt 1. ad Corinth. 7. 1. D. Paul. sed generalis sententia ad vnam speciem restringi non debet.

Nonnulli putant spiritualia carnalibus anteponi debere.

Centuplum accipiet.) Id est infinitis partibus plura, ac meliora; sicut dixit D. Paulus ad Romanos 8. 18. *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Numerus ergo finitus pro infinito positus est, vt constat ex Luca cap 18 30. qui non centuplum, sed *multio plura* accepturum dixit. Idem Lucas, & Marcus cap. 10. 30. addiderunt, *nunc in tempore hoc*, quod verbum, vt ait Hieronym. Millenarijs antiquis hæreticis occasionem præbuit suum errorem confirmandi futuros post resurrectionem mille annos, quibus iusti pro singulis rebus, quas in hac vita reliquissent, centenas essent accepturi, quos Hieronym. ita refellit. *Non intelligentes*, inquit, *quod, si in cæteris digna sit rei remissio, in uxoribus appareat turpitudo; vt, qui vxorem pro domino dimiserit, centum recipiat in futuro.* Itaque idem Hieronym. & eum secutus Beda, bonáque pars posteriorum interpretum sensum esse putant fore, *& qui carnalia*, vt Hieronymi verbis vtar, *pro saluatore dimiserit, spiritualia recipiat, quæ comparatione, & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* Quibus repugnat, quod Marcus dicit non solùm centuplum in hoc sæculo accepturum, sed etiam explicat, quibus in rebus accepturus sit, *domos*, inquit, *& fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros.* Propterea Origenes, auctor imperfecti, Theophylactus, & Euthym. interpretantur centuplum in hoc sæculo accepturum, quia omnia inter Christianos communia quodam modo charitas facit; omnes enim viros fratres esse, omnes fœminas sorores, omnia bona communia, vt inter primos Christianos fuisse legimus Actorum 4. 35. At quomodo communes vxores, quæ inter Christianos maximè sunt propriæ? Quanquam dici potest charitate omnes vxores communes esse, quia ita omnes Christianos in domino sicut viros suos diligunt. Sed ego tamen aliter interpretor centuplum recepturum, & *domos, & fratres, & matres, & filios, & c.* non quòd ista recepturus sit; sed Christum, qui ei instar est omnium quique nobis & pater, & mater, & frater, & soror & vxor, & liberi, & domus, & possessio esse debet, sicut ipsem et docuit cap. 12. 49. 50. *Ecce mater mea, & fratres mei; quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Adnotauit D. Bernard. in declamatione in hunc locum hoc Christum apostolis non dixisse, propterea quòd domos, & agros, quos non habebant, non reliquissent. At certè patrem, & retia, quæ habebãt, reliquerant, & ad primum verbum, vocantem Christum secuti fuerant cap. 4. 22. Propterea ergo hoc illis non dixit, quia maiora fecerant, illíque maiora promissa erant, *fecibus*, inquit, *& vos super sedes duodecim, & c.*

Contra Chiliastas.

30. *Multi autem erunt nouissimi primi.)* Non apparet quorsum hoc Christus adiunxerit. Chrysostom. & Euthym. existimant ideo addidisse, vt homines ad sequẽdam Euangelicam perfectionem proposito singulari præmio magis accenderet. Aliam etiam nobis causam suspicari licet ne Apostoli nimia securitate confiderent, propterea quod omnium primi vocati fuissent; sed sic currerent, non quasi in incertum; sic pugnarent, non quasi aerem verberantes. sed castigarent corpus suum, & in seruitutẽ redigerent ne cum aliis prædicarent, ipsi reprobi efficerentur, vt de se ait D. Paulus 1. ad Corinth. 9. 26. 27. Quæ autem esset horum verborum sententia, nemo dubitare potest; nisi eam, vt solent hæreticorum interpretes, peruertissent, dicẽtes prænidisse Christum futuros multos, id est omnes Catholicos, qui operibus bonis confiderent, illíque existimarent se vitam æternam promereri; ideóque primos inter Christianos se esse ducerent, in iudicio autem omnium vltimi futuri essent, id est à regno cælorum penitus excludendis arroganter enim Petrum meritis confisum dixisse, *Ecce nos reliquimus omnia.* Non erat dignus tam abiurdus error confutatione: sed expedit, vt lector hæreticorum interpretum peruersitatem intelligat. Primùm cum Christus dicit, *erunt primi nouissimi*, manifestum est non appellare primos eos, qui aut opinione sua, aut dignitate, & meritis primi sunt: sed qui primi vocati

Caluinistarum propositi, & interpretatio contra doctrinã Ecclesiæ de meritis operum.

fuerunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerunt, & ad vineam domini venerunt, vt subiecta statim parabola declarat ca. 20. 16. Isti autem boni interpretes primos vocari putant, qui aut meritis primi sint, aut primi sibi esse videantur; perinde prorsus atque si nigrum album interpretentur. Deinde istorum opinione omnes *primi erunt nouissimi*, id est, omnes à regno cælorum excludentur, quia omnes, qui putant se vitam æternam mereri, primi sunt, & omnes à regno cælorum excludẽtur; at Christus non dicit omnes; sed *multi erunt primi nouissimi*, indicans aliquos, qui primi fuerunt, primos etiam, cum denarius soluetur, futuros esse. Itaque non potuerunt isti quicquam dicere magis Christi menti, & consilio

A contrarium: denique Christus non dicit, multos primos futuros nullos in regno cælorum, id est excludendos esse: sed futuros nouissimos, id est minores multis, qui post illos venerunt. Loquitur enim de iis, qui omnes denarium acceperunt, sed qui vltimi venerant primo loco, vt sequenti parabola declaratur. Nam quod Basilius putat in reg. breuior. inter. 255. cum dictum est capit. seq. 14. operatio illi quærenti, *Tolle quod tuum est, & vade*, iussum esse in infernum ire, meritò nemini, quod sciam, probatum est; sed scilicet apud Caluinistas istud est egregium scripturam interpretem esse Apostolos accusare, Christi mentem torquere, sensumq; peruertere.

CAPVT XX.

SIMILE est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. 2. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, 4. & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. 5. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam, & nonam horam: & fecit similiter. 6. Circa vndecimam vero exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi. 7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. 8. Cum serò autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos. 9. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. 11. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias, 12. dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus. 13. At ille respondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? 14. Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. 15. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? 16. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, multi enim sunt vocati, pauci verò electi. 17. Et ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis: 18. Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, 19. & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. 22. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. 23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. 25. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. 26. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maiori fieri, sit vester minister: 27. & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. 28. sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis. 29. Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa, 30. & ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt, quia Iesus transiret: & clamauerunt, dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid. 31. Turba autem increpabat eos vt tacerent. At illi magis

Sup. 19. d. 30. Mar. 10. d. 38. Luc. 13. f. 31. Mar. 10. d. 31. Luc. 18. e. 31. Mar. 10. e. 35. Mar. 10. g. 41. Luc. 22. c. 25. Philip. 2. a. 7. Mar. 10. g. 46. Luc. 18. f. 35.

clamabant,

clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid. 32. Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt faciam vobis? 33. Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri. 34. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

IN CAPVT XX.

1. *Simile est regnum cælorum homini patrisfamilias.* Id est ita se habet regnum cælorum, quemadmodum si quis paterfamilias exiret primo mane conducere operarios in vineam suam. Non enim regnum cælorum homini comparat, sed domui patrisfamilias, homines operarijs, & negotium negotio simile esse dicit, id est quod accidit in regno cælorum, & quod accidit in vinea patrisfamilias; quemadmodum c. 11. 16. ex Hugone explicauimus, qui id optimè omnium, & nescio an primus adnotauit. Regnum autem cælorum hoc loco, aut solam militantem Ecclesiam, vt plerique, aut militantem simul, & triumphantem, vt nonnulli, interpretari possumus. Nam in militante operarij conducuntur, in triumphante denarius soluitur. Tota parabola, quæ vsque ad versum 16. extenditur, facilis est: duo tantùm in illa sunt, quæ difficultatem habent: alterum, quò tota spectet parabola, id est quorsum proposita sit: alterum, quæ sint eius partes necessariæ, & veluti propriæ, quæ ad sensum aliquid conferant, & quomodo intelligendæ. Hæc igitur duo nunc explicabimus, & necesse non erit vsque ad versum 16. vt solemus, verba percurrere. Hæretici cùm variis modis exponant quorsum tota parabola tendat, & quis sit, vt ipsi loquuntur, illius scopus, nemo eorum scopum attigit. Nonnulli dicunt nihil aliud Christum declarare voluisse, quàm æqualem futuram omnium beatorum gloriam, quia non propter merita, sed gratis dabitur, quemadmodum videtur versu 10. significari, vbi eundem omnes operarij denarium accipiunt. Credo istos non tam certo animi sensu hoc dixisse, quàm metu, ne si non dicerent, omnes ex hoc loco, vt verba præ se ferunt, merita probarent, & voluerunt veritatem impudentia præuenire. Bene est, quòd ista interpretatio magno ipsorum magistro Caluino non placuit. Quanquam ideo, vt opinor, nõ placuit, vt pernicioſiorem adhiberet, & suum de reprobatione errorem confirmaret, quasi nihil aliud probare Christus voluerit, quàm Deum posse, & solere reprobare pro suo arbitrio, quos vult. Sunt etiam inter Catholicos, qui huc tantùm spectare parabolam putent, vt probet Christus Deum præter omnium opinionem alijs plus, aliis minus, quàm sperabant daturum esse. Mihi non videtur alio interprete, quàm ipso Euangelista opus esse. Dixerat cap. præcedenti extremo, *multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi*, adiicit statim parabolam; ergo hoc est, quod tota parabola significare, ac probare voluit multos, qui primi fuissent nouissimos; multos, qui nouissimi, primos futuros esse. Id etiam ex conclusione parabolæ versu 16. perspicuum est, vbi concludendo eadem repetit verba, *sic*, inquit, *nouissimi primi, & primi nouissimi*. Firmat hanc opinionem, quòd in Græcis codicibus, & nonnullis etiam manuscriptis Latinis initio capitis causalis particula ponatur ad hunc modum, *simile enim est regnum cælorum homini patrisfamiliæ*; vnde perspicitur Christum per hanc parabolam præcedentem illam sententiam probare voluisse, *multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi*. Itaque non debuit caput hoc 20 à præcedente distingui, ne inchoata abrumperetur sententia, sed versu

A potius sequenti 17. vbi nouum argumentum Christus orditur. Veruntamen quisquis primus capita distinxit, hoc non animaduertit. Non opus esset hac tam bene confirmata sententia hæreticorum interpretationem refutare: nisi publicè interesset Ecclesiæ, vt eorum ignorantiam simul, & malignitatem omnes cognoscerent. Tantùm abest, vt docere Christus voluerit, quod illi fingunt, æqualem omnium beatorum futuram gloriam, quia non meritis, sed gratis datur; vt contrarium omnino probare voluerit non omnium gloriam æqualem futuram esse; quia non gratis, sed meritis datur; quod autem datur meritis, non æqualiter omnibus; sed aliis plus, aliis minus pro cuiusque meritis datur. Id ita esse, primum ex propositione, ad quam probandam inducta parabola est, planè intelligitur. Propositio verò est, *multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi*. Ibi autem de meritis & præmiis agebat: vnde eius propositionis occasio sumpta est. Dixerat enim Christus adolescenti, *si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me*, hoc meritum est, *& habebis thesaurum in cælo*, hoc præmium est. Dixerat Petrus, *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* præmium vtique pro meritis postulat. Respondebat Christus, *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël*. præmium vtique promittit. Adiunxit & generalem sententiam, *quicunque reliquerit domum, vel fratres, &c.* & hoc meritum est, *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, & hoc præmium. Adiecit continenter, *multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi*, significat ergo propterea multos primos nouissimos futuros esse, quia quamuis primi venerunt ad vineam, minus tamen laboraverunt, ideóque minorem mercedem meruerunt. Deinde ipsum initium parabolæ hæreticos refellit, *exiit*, inquit, *primo mane conducere operarios*: operarius enim est, qui propter mercedem, quam labore suo meretur, laborat. & *conducere* verbum iustitiæ, id est meriti, & mercedis est. Conducimus enim pacta pro meritis mercede; & versu 21. *conuentione autem*, inquit, *facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam*. Conuentionem ex denario facere iustitia vtique est, non solùm gratia. Præterea versu 4. *Ite*, inquit, *& vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis*, non potuit profectò apertius meriti, & mercedis iustitiam declarare. Atqui hîc, vt postea dicemus, minùs, quàm primis operariis promittit, cum quibus ex denario diurno conuentionem fecerat. Propterea non denarium, sed quod iustum fuerit, illis promittit. Ad hæc versu 13. 14. operario de mercede conquerenti Oeconomus respondet, *Amice non facio tibi iniuriam, tolle, quod tuum est, & vade*. Quid est, *non facio tibi iniuriam*, nisi, quod iustum erat, tibi dedi? Quid est *tolle, quod tuum est*, nisi, tolle, quod iustum est, tolle, quod tibi debetur, tolle, quod meruisti, & vade? Fingamus nullam esse ad probandam hanc sententiam coniecturam, tota ipsa parabola probaret, tota perpetuum

Doctrina de meritis & inæqualitate præmiorum contra Caluinistas confirmatur.

Caluini blasphemia de reprobatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset argumentum: comparat enim Deum patrifamilias, homines operarijs, Ecclesiam vineæ, gloriam denario diurno; quemadmodum ergo operarij in vinea laborantes denarium diurnum propriè, veréque merentur; ita qui in Ecclesia Dei laborant, verè merentur vitam æternam. Finis ergo parabolæ est mercedem vitæ æternæ non tempori, quo quis laborauit; sed labori, & operi, quod fecit, respondere. Sæpè enim fieri, vt aliquis vna hora tantum laboret, quantum alius toto die, ideóque æqualem mercedem, id est eundem denarium accepturum esse, eodem planè sensu, quo Sapiens dixit cap. 4. 13. *Consummatus in breui explenit tempora multa*, id est cùm breui tempore vir iustus vixerit, tantum fecit boni, quantum multi, qui longo tempore vixerunt: propterea non debere quemquam antiquitate vocationis suæ gloriari: *erunt enim multi primi nouissimi, & nouissimi primi.* Potest aliquid obiicere, cur ergo idem omnibus denarius datus est, quo videtur æqualitas gloriæ significari? Respondeo, quia Christus tantùm volebat probare plus aliquem breuiori tempore, quàm alium longiore laborare. Cur ergo non plus denario dedit ijs, qui vndecima hora venerunt, siquidem nouissimi primi futuri erant? Respondeo eos in eo fuisse cæteris prælatos, quòd, cùm nouissimi venissent, primi omnium denarium acceperunt. Eundem igitur acceperunt denarium, quia tantum vna hora, quantum cæteri tota die laborauerant; primi autem acceperunt, quia hoc ipsum egregiæ fuit laudis, qua primum locum inter eos, quibus merces soluebatur, meruerunt, quòd tantum vna hora, quantum alij multis laborassent. Nam æquale opus æqualem mercedem, maior diligentia, & breuius tempus primum locum meruit. Obiici etiam potest, quod versu 14. dicitur, *volo autem & huic nouissimo dare sicut tibi*, & versu 15. *aut non licet mihi quod volo facere?* quibus verbis videtur significari denarium non ex merito, & iustitia; sed ex sola patrisfamilias voluntate datum esse. Respondeo non eam fuisse causam, cur paterfamilias ita responderit; sed quia voluit personæ decorum seruare; non conueniebat autem personæ patrisfamilias, vt vili operario declararet, cur tantum nouissimis, quantum primis daret: sed tanquam dominum dicere sic volo, sic iubeo. Nam & prudentes domini seruis rationem quærentibus, cur hoc, vel illud iubeant, etiamsi intimam habeant consiliorum suorum rationem; non solent tamen rationem reddere, sed pro ratione suam exponere voluntatem, cur iubes? quia volo. Adde quod noluit prudens paterfamilias conquerentem operarium pudore suffundere; quod vtique fecisset, si rationem illi exposuisset, cur tantum nouissimis, quantum primis daret, quia tantum nimirum, quantum illi laborauissent. Hoc enim fuisset eius, & aliorum, qui primi venerant, negligentiam obliquè subnotare, quod & Chrysostom. obseruauit. Pertinet ad hunc locum, quod appositè Theophylact. in commentarijs in epistolam ad Rom. cap. 9. 19. annotauit, solere Deum, cum agit cum hominibus non malignis, & indocilibus, factorum suorum rationem reddere; cum autem agit cum malignis, & querelis, suam solam allegare voluntatem, quia digni non sunt, vt rationem illis Deus reddat. Huius rei in scriptura infinita sunt exempla, quorum nonnulla Theophylact. recitat, hoc autem vnum est: nam quia iste operarius præter rationem, & malignè querebatur, non aliter illi paterfamilias respondet, quàm *tolle, quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare, sicut tibi, & an non licet mihi quod volo facere?* Cùm tamen præcedenti capite, cùm Christus cum Apostolis, & alijs docilioribus ageret, causam explicauerit, cur alijs minus, alijs maius detur præmium. Nam seruantibus tantùm mandata proposuit vitam æternam versu 17. vendenti autem omnia quæ haberet, & pauperibus danti, séque Apostolorum more sequenti promisit thesaurum in cælo, id est maiorem, & excellentiorem gloriam versu 21. maiorem adhuc Apostolis, quia non solùm omnia reliquissent, sed Euangelij etiam primi promulgatores futuri essent, *Sedebitis*, inquit, *& vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*, versu 28. Minorem verò, qui pauciora reliquissent, *Qui reliquerit*, inquit, *domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, versu 29. Hactenus expositimus, quis huius parabolæ finis esset, in quem omnis eius sententia dirigeretur. Reliqua altera difficultas est, quæ sint eius propriæ partes, ac necessariæ, & quid quæque significet. Nam, vt sæpe monuimus, & hoc loco Chrysostom. docet, in omni parabola sunt quædam, quasi propria eius membra, atque necessaria, sine quibus stare sententia non possit; alia quasi adiuncta, &, vt ego vocare soleo, emblemata vel ad explicandam, vel ad ornandam parabolæ narrationem. In hac ergo parabola octo ego partes necessarias esse arbitror. Prima est paterfamilias, qui ad vineam suam operarios conduxit. Hunc plerique Deum interpretantur, cuius vinea est, & de quo Christus dicit *pater meus agricola est*, Ioann. 15. 1. &, vt altera parabola declarat capite sequenti versu 28. & 33. & Marci 12. 1. & Lucæ 13. 6. & sicut Deus apud Prophetas populum suum vineam suam passim appellat, vt Isaiæ 3. 14. & 5. 1. 2. 3. 4. 5. 7. & 27. 2. & 32. 12. & Ieremiæ 2. 21. & 12. 10. & Ezechielis 17. 6. 7. 8. & Ioëlis 1. 7. 12. Sic Irenæus interpretatur libro 4. cap. 70. & Athanasius aut quisquis auctor est, quæstione 52. & Gregorius homilia decima nona in Euangelia. & Beda in commentarijs ad hunc locum. Alij Christum intelligunt, qui semper in hunc mundum, quasi in forum exierit, vt in vineam suam conduceret operarios: eum enim fuisse, qui olim Patriarchis apparebat, & Prophetis loquebatur. Ita Hilarius canone in Matthæi. 20. & auctor imperfecti homilia 34. & Theophylactus hoc loco. Vtrumque probabile. Secunda parabolæ pars est dies, cuius mane paterfamilias in forum exiuit, & cuius vespere mercedem operarijs soluit; hanc igitur diem plerique putant totum significare tempus, quod inter initium & finem mundi interiectum est, vt Irenæus libro quarto, capite septuagesimo. Origenes tractatu in Matthæum 20. Hilarius canone 20. Optat. Mileuit. libro quinto contra Parmenianum, auctor imperfecti homil. 34. Gregorius homilia decimanona, in Euangelia, Beda hoc loco: quam opinionem illud confirmat, quòd certum sit per vesperam tempus vltimi iudicij significari, quo vnicuique denarius, id est merces secundùm opera reddendus est; sic ergo vespera eius diei, quia tempus vltimi iudicij; mane erit mundi initium. Totus verò dies, quicquid interiacet temporis. Alij non totum hoc sæculum, sed tempus, quod est à primo aduentu Christi ad secundum, diem de quo hîc agitur, esse putant, vt Athanasius quæstione 52. Alij vniuscuiusque hominis ætatem eius esse diem, vt Christus significat cùm dicit, *ambulate, dum lucem habetis*, Ioan 12. 35. & *me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox quando nemo potest operari*, cap. 9. 4. noctem cuiusque mortem appellat: sic Hieronymus, & Chrysostomus intelligunt; & eam sententiam magis

etiam

etiam, quam alteram Origenes videtur approbare. Ego quidem certè magis probo, quia, vt paulò pòst dicturi sumus, non refert ad consilium Christi, qua quisque mundi ætate; sed qua ætatis suæ parte vocatus sit. Tertia pars est vinea, quam nonnulli iustitiam & mandata Dei interpretantur, quæ, vt colant homines, vocantur. vt Irenæus libro quarto cap. septuagesimo. Chrysostomus auctor imperfecti, & Euthymius hoc loco. Alij totum mundum. vt Athanasius quæstione illa quinquagesima secunda. Alij cuiusque animam, quam iubetur excolere. vt Theophylactus. Alij Ecclesiam. vt Origenes. & Gregorius homilia in Euangelia decimo nono, hoc postremum probabilius. Quarta pars est hora prima, tertia, sexta, nona. & vndecima, quid quæque significat. Auctores, qui totum diem vniuersam mundi ætatem interpretantur, horam primam fuisse dicunt ab Adam vsque ad Noë, tertiam à Noë vsque ad Abraham; sextam ab Abrahamo vsque ad Moysem; nonam à Moyse vsque ad Christum; vndecimam à Christo vsque ad finem mundi, quò videtur alludere D. Ioann. cum dicit nouissimam horam esse primam epistol. cap. 2. 18. sic Hilarius, auctor imperfecti, Gregorius, Beda, & Theophylactus quam opinionem, & Hieronymus recitat; sed non probat. Alij diuersas horas, diuersas cuiusque hominis ætates esse intelligunt, primam horam esse infantiam, tertiam pubertatem, sextam ætatem virilem, nonam ætatem in senectutem inclinatam, vndecimam decrepitam. Nam nonnulli à prima infantia, & ab vtero matris vocari solent, vt Samuel, Ieremias, Ioannes Baptista; alij alijs ætatibus. Sic D. Basilius in regulis breuioribus interrogatione 214. D. Hieronymus, Beda, & Euthymius hoc loco, & Fulgentius epistola septima, quam opinionem & Theophylactus probat. Ego non dubito quin diuersæ horæ non diuersas mundi, sed diuersas cuiusque hominis ætates significent, quia, vt diximus, huc tota spectat parabola, vt Christus doceat alios plùs minori tempore, quàm alios maiore laborare: vt autem hoc probet nihil refert, qua mundi ætate; sed quo ætatis suæ tempore quisque vocetur. Quæ autem sit prima, quæ tertia, quæ sexta, quæ nona, quæ vndecima hora non arbitror esse subtiliter inquirendum, ne nimis sententia restringi videatur. Nam quod Christus diuersas horas nominauerit, id ad parabolæ significationem necessarium est, quia docere volebat plus alios breuiori tempore, quàm alios longiore laborare. Quòd autem, has quinque horas nominauerit, id non necessariò, sed ex consuetudine fecit, & vt parabolam ornaret. Solebant enim veteres Iudæi, sicut & multæ aliæ gentes, totum diem à solis ortu vsque ad occasum in duodecim æquales partes distribuere, quas horas appellabant, sicut Christus apud Ioannem capite vndecimo, 9. versu dicit *nonne duodecim sunt horæ diei?* quæ eodem die æquales erant, diuersis verò diebus inæquales: sicut omnes inter se dies inæquales sunt. Itaque prima hora erat diei, qua sol oriebatur, tertia media inter solis ortum, atque meridiem vtrinque æqualiter distans, sexta meridies, nona media inter meridiem, & solis occasum tribus vtrinque horis distans. Vndecima, vna hora ante solis occasum. Diuidebant tursum totum diem in quattuor partes, quarum vnaquæque tribus constabat horis, sicut noctem in quattuor vigilias distribuebant, quarum vnaquæque tres horas continebat. Hæc est causa, cur frequentiùs in scriptura hora prima, tertia, sexta, & nona, quàm cæteræ diei horæ nominentur; quia præcipuas diei partes efficiebant: propterea etiam eas Christus hoc loco nominauit, vt quicquam noui mysterij significaret, nisi quòd iam diximus, alios priùs, alios posteriùs à Deo vocari. Cur ergo, dicet aliquis, non quattuor, sed quinque horas nominauit? in promptu est responsio, quia voluit initium primæ, quartæ partis diei, & finem vltimæ explicare, vt doceret alios initio vitæ suæ, alios sub finem vitæ vocari. Quinta pars est forum, in quod paterfamilias dicitur exiisse, vt conduceret operarios; per quod rectè Origenes & auctor imperfecti intelligunt totum mundum, qui extra Ecclesiam est, in quo homines toti sunt, aut otiosi, aut sæcularibus negotiis occupati, & inde in Ecclesiam, tanquam in vineam, vocantur. Sexta pars est denarius, qui idem omnibus datus, quo non est dubium salutem, ac vitam æternam significari, in eóque auctores omnes consentiunt. Solus diuus Basilius in breuioribus regulis interrogatione ducentesima quinquagesima quinta, ita videtur interpretari, quasi denarius præmium aliquod huius vitæ significet, quo etiam, qui damnantur, donari soleant; sic enim, vt diximus, exponit illud, quod versu decimo quarto dicitur, *tolle quod tuum est, & vade*, quasi operarius ille accepto temporali aliquo præmio, quod meruerat, in infernum mittatur. Sed id iam diximus non magnam speciem habere probabilitatis. Potest dubitari, cur denario potius, quàm alteri pecuniæ generi vitam æternam comparauerit. Respondet Irenæus libro quarto capite septuagesimo, propterea quòd denarius imaginem regis haberet, & qui salui erunt, conformes fient imagini filij Dei, vt diuus Paulus ad Romanos octauo cap. 29. vers. *& reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Philippenses 3. 21. Et quidem hoc scitum, sed allegoricum; nec aliam ego causam fuisse arbitror, cur potiùs denarium, quàm aliam pecuniam nominauerit, quàm, vt accommodatè ad consuetudinem loqueretur. Est autem credibile vsitatam tunc operariorum in singulos dies mercedem fuisse denarium, qui, vt capite decimo octauo, 28. vers. diximus, quinque aut sex obolos, id est Gallicos solidos continebat. Quærit Chrysostomus quid causæ fuerit, cur paterfamilias cum solis illis, quos primo mane conduxit, ex denario conuentionem fecerit; cum aliis autem conuentionem non fecerit; sed tantùm dixerit; *& quod iustum fuerit, dabo vobis.* Credo etiam in ea re vulgarem consuetudinem secutum esse Christum; non enim solemus certam mercedem pangere, nisi ijs operarijs, quos manè conducimus, vt toto laborent die; si qui seriùs veniunt, quasi nihil eo die lucraturi sint, nihil certi pollicemur; tantùm promittimus aliquid nos illis daturos esse: hoc est, quod ait, *& quod iustum fuerit, dabo vobis.* Quærit etiam idem, & Euthym. cur Deus non omnes statim primo mane vocet. Respondent omnes vocari, sed non omnes venire velle, quod & Origenes indicat; argumentum est eius rei, quòd paterfamilias, quotquot in foro inuenit, conduxerit; omnes ergo primo mane Deus vocat: quemadmodum & per Prophetam dicit, *Locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis*, Ieremiæ 7. 13. & rursum *mane consurgens contestatus sum, & dixi, audite vocem meam, & non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam.* Ieremiæ 11. 7. 8. & iterum, *Ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens, & loquens, & non obedistis mihi*, Ieremiæ 35. 14. Quam ob rem, quod operarij illi responderunt versu 7. *quia nemo nos conduxit*, excusationis causa non verè dictum esse Chrysostomus putat, quod valde mihi probabile videtur. Solet enim Christus in parabolis personarum mores exprimere: mos autem pigrorum, & de-

Triuiales diuisiones horarum & dierum quarundam partium, quod vtile rei obscuræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sidum est ad hunc modum sese semper excusare: quemadmodum si robustum adolescentem mendicantem quis roget, cur non laborando potius, quàm mendicando victum quærat: promptus, & affirmans respondet, nihil aliud optare se, sed herum non inuenire; quem ideo non inuenit, quia non quærit, quia labotare non vult. Cur ergo paterfamilias eos non reprehendit, quòd se mentientes excusent? Respondet Chrysostomus noluisse eos accusare, & tristitia afficere, vt facilius alliceret. Faciliot responsio erit patremfamilias, etsi Deum significabat, hominem tamen fuisse, non Deum. Itaque scire non potuit, an operarij mentirentur: Christus autem narrauit, quæ verissimile erat, & operarios excusationis causa dixisse, & patremfamilias respondisse. Septima pars est, vespera diei, quando denarius soluitur, qua nemo dubitat fidem mundi, & vltimi iudicij tempus declarari. Illud videtur non conuenire, quòd supra diximus diem non totum hoc sæculum, sed vniuscuiusque hominis ætatem significare: quod si verum est, non potest vespera finis mundi, sed mors vniuscuiusque esse. Respondeo hæc, quamuis diuersa esse videantur, in idem redire; quia enim vsque ad finem mundi aliqui homines erunt, & vniuscuiusque vita dies est, vniuscuiusque mors vespera, vltima vespera erit finis mundi, cum omnes qui adhuc viuent, simul morientur, aut rapientur in aëra cum Christo, vt D. Paulus ait 1. ad Thessalon. 4. 17. Octaua pars est, quòd paterfamilias iubeat in soluenda mercede ab iis, qui vltimi venerant, incipere, hoc ad parabolæ significationem maximè pertinet. Significatio autem facilis est; præferuntur enim nouissimi. & fiunt primi, quia tantùm vna hora, quantum alij toto die laborauerunt: quemadmodum initio explicauimus. Nam quod Chrysostо indicat, propterea id præcepisse patremfamilias, vt declararet se iis, qui vna tantùm hora laborauerant, non ex debito, sed ex liberalitate sua dare denarium, verbis ipsius patrisfamilias contrarium est, *Ite*, inquit, *& vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.* Sic enim dixit non solùm iis, quos hora tertia versu 4. sed etiam iis, quos hora vndecima, id est vna hora ante solis occasum conduxit versu 7. vt in Græcis codicibus legitur, & si non legeretur, ex versu 4. esset intelligendum. Hæc sunt quæ in hac parabola necessariam habent significationem. Cætera emblemata sunt, & circunstantiæ non necessariæ, quas quisquis discutere voluerit, nullum faciet operæpretium: quale est quòd quinque horæ diei nominantur, quòd quidam in foro otiosi inuenti sunt, quòd conducti non fuerint, quòd paterfamilias procuratorem dicatur habuisse; nec enim in regno cælorum, de quo parabola proposita est, quærendum esse arbitror, quis sit procurator; quanquam Christus videri possit, qui mercedem soluet, quemadmodum scribit Isaias cap. 40. 10. & 62. 11. & Ioannes in Apocalypsi cap. 22. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Quanquam Irenæus lib. 4. cap. 70. Spiritum sanctum dispensatorem huius esse dicit, qui diuidit singulis dona sicut vult, vt D. Paulus ait 1. ad Corin. 12. 11. Emblema etiam est, quòd denarius potiùs, quàm aliud pecuniæ genus proponitur, & quòd, qui primi venerant, accepto denario murmurauerunt: nec enim significatur aliquos ex iis, qui vitam æternam accepturi sunt, murmuraturos esse, propterea quòd alij in ea gloriam accipiant: nec enim in cælo vlla est murmuratio; sed aut nihil significatur, tantùmque eam ob causam id narratum est, quòd ita in similibus causis fieri soleat, & vt narrationis decorum seruare-

A tur; aut significaretur, vt Chrysost. ait, adeo magnam mercedem multos, qui vltimi venerunt, acceperunt, vt si fieri posset, vt beati murmurarent, ob mercedis magnitudinem murmuraturi essent. Simile quod versu 14. & 15. dicitur. *Volo autem huic nouissimo dare, sicut & tibi, & an non licet mihi in meis facere, quod volo?* sic enim Græcè legitur, & ad hunc modum Latinam versionem corrigendam puto. Quibus verbis, vt supra disputauimus, non indicatur Deum pro sua tantùm voluntate, nullâque habita iustitiæ ratione vitam nobis æternam daturum esse: sed dicitur, quia credibile est ita responsurum fuisse patremfamilias, si alij operarij sine vlla causa murmurauissent; aut, si quam hoc habet significationem, illud tantùm significat B non debere Deum quam ob rem aliis plus, aliis minus mercedis dederit, rationem nobis reddere. Hæc diximus, & si quæ sunt alia generis eiusdem. si quis aut aliquid significandum volet subtiliter trahere, non solum operam perdet; sed in periculum etiam incurret multa aut falsa, aut ridicula aut certè aliena comminiscendi; quisquis enim quod non est, quærit; aliquando sibi fingit, quod illud, quod quærit, esse videatur, & mauult falsum incurrere, quàm nihil. Frænandum autem humanum ingenium est, ne illa subtilitate intemperanter, & in rebus supervacaneis abutatur.

16. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.*] Mirum videri potest, cur hanc sententiam Christus adiunxerit, cùm minimè præcedenti congruere videatur. In C superiore enim parabola de iis tantùm dictum est, qui omnes salui futuri sunt; omnes enim denarium, id est vitam æternam acceperunt: hîc autem agit de iis, qui cùm vocati fuerint, non omnes sunt salui; sed plerique damnantur. Hoc vix apud vllum interpretem expicatum inuenio: sed ita tamen existimo voluisse Christum ex vna, specialique sententia aliam, & generalem concludere. Probauerat per parabolam non omnes æqualem mercedem recepturos esse: sed futuros multos primos nouissimos, multos nouissimos primos esse, quia non omnes, qui vocati veniunt ad vitam eadem diligentia laborant; concludit nunc generalius non omnes, qui vocati sunt, mercedem accepturos; quia plerique vocati venire nolunt: quemadD dum supra ex Origenis, Chrysostomi, & Euthymij sententia declarauimus. Sic Christus in præcedenti c. versu 23. ex occasione vnius adolescentis, qui diuitiis suis impeditus Euangelica consilia sequi noluerat, generalem sententiam de omnibus diuitibus, & non iam de consiliorum, sed de præceptorum obseruatione concluſit difficile esse diuitem in regnum cælorum introire. Non ergo significatur non omnes esse E vocatos; omnes enim vocat, qui ideo venit in hunc mundum, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam cap. 5. 19. Omnes enim peccatores erât; omnes vocatis, qui *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. ad Tim. 2. 4. omnes vocauit, qui pro omnibus mortuus est. Cur ergo non dicit omnes: sed multos vocatos esse? quia omnes multi sunt, & volunt multos paucis opponere, non omnes nullis, sicut D. Paulus ad Rom. 5. 19. *Sicut*, inquit, *per obedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Nam per vnius hominis inobedientiam non solùm multi, sed etiam omnes peccatores constituti fuerant, sicut idem Paulus paulò antè versu 12. dixerat, *& ita in omnes homines mors pertransit*, & versu 18. *igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*: propterea ergo dixit paulò pòst per vnius hominis inobedientiam multos esse peccatores constitutos.

vt multos

vt multos opponeret vni, & non solùm sententiæ sed etiam orationi elegantiam adhiberet. Eodem modo hoc loco dicit Christus multos vocatos, paucos electos, per multos, omnes intelligens. Id ex altera parabola nuptiarum, quam c. 22. proponit, perspicuum est, vbi non solùm omnes ad nuptias vocati, sicut & claudi, cæci, & quotquot in plateis erant, sed compulsi etiam intrare. Et tamen eodem modo parabolam concludit *multi sunt vocati, pauci verò electi*, vbi certum est multos non omnibus, sed paucis opponere. Omnes enim vocati fuerant.

17. *Et ascendens.*) Multis locis in vetere testamento Rabbinorum commentum refutauimus, qui putant Ierusalem altissimum totius orbis terrarum locum esse, ideóque ire in Ierusalem ascendere esse, quòd vndique eò ascendatur. Nam si de loco, sitúque loquuntur, nullus est in rotundo terræ corpore altero altior; si de monte, multi sunt longè etiam altiores. Solet ergo scriptura dicere ascendere in Ierusalem, vel quia vna eius pars in monte Sion posita erat, vel quia Hebræi, & multò magis Chaldæi, & Syri, quorum lingua Christus loquebatur, ascendere dicunt pro ire. Marcus c. 10. 32. sic narrat, *Erant autem in via ascendentes Ierosolymam. & præcedebat eos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant.* Vbi & Christi ad mortem euntis alacritas, & Apostolorum admiratio, timórque significatur. Mirabantur Christum tam erecto, fidentique animo Ierosolymam ire, vbi se multa passurum sæpe dixerat c. 16. 21. & 17. 12. timebant illi, ac sibi. Præcedebat autem Christus, vt viam Apostolis ad crucem ostenderet, docerétque, quàm prompti, cum opus esset, obire mortem deberent, sicut D. Paulus verus Christi discipulus dicebat Actor. 21. 13. *Ego enim non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu*, quemadmodum Orig. obseruauit.

Ascendere apud Hebræos, vt significat.

Assumpsit.) Segregauit vt cap. 16. 22. noluit enim discipulis coram omnibus dicere, ne res cpulgata aut impediretur, aut mors ab ipso videretur procurata. Possumus etiam interpretari παρέλαβε, aggressus est eos alloqui. Hoc enim verbum etiam significat, vt illic docuimus, & ea significatio rectè conuenit in hunc locum.

18. *Ecce.*) Videtur hæc particula hoc loco tempus iam instans indicare.

19. *Et tradent eum gentibus.*) Pilato, & cæteris Romanis. Est autem antithesis inter Iudæos, & gentes, quasi inter amicos, & hostes: quasi dicat, non erunt contenti Iudæi filium hominis ipsi per se suppliciis afficere; sed hostibus eum tradent, vt grauiùs etiam crucietur, & interficiatur. Illis enim non licebat interficere quemquam Ioan. 18. 31. scribit Lucas c. 18. 34. *& ipsi nihil horum intellexerunt.* Quod non ita intelligendum est, quasi Christi verba non intellexerint, quibus significauerat se ad mortem progredi; sed ita vt mortis eius mysterium non comprehenderint; neque cognouerint morte sua Christum salutem vniuerso hominum generi allaturum, quemadmodum prudenter D. Chrysost. animaduertit. Si enim verba non intellexissent, nec mirati fuissent Christum eunt tem, neque mortis periculum timuissent, vt Mar. scribit c. 10. 32. Potest aliquis dubitare, cur hæc Christus Ierosolymæ appropinquans Apostolis dixerit. Respondet Chrysost. vt eos ad patientiam, & animi constantiam præmuniret: qua etiam de causa sæpe eos ante præmunierat vt c. 16. 21. & c. 17. 12.

20. *Tunc.*) Id est cum videret eius mortem instare: ambit enim veluti morituri hominis hæreditatem. Accedendi namque ad Christum, & honoris primum filiis suis locum in regno petendi occasio fuit, quòd paullò antè de proxima sua morte locutus esset Christus, vt Hieron. Beda, & Euthym. obseruauerunt.

Mater filiorum Zebedæi.) Salome, vt annotat auctor imperfecti. & vt ex Matth. Marcique comparatione colligitur. Nam quam Matth. c. 27. 56. vocat matrem filiorum Zebedæi, Marc. c. 15. 40. appellat Salomem. Qui fuerint filij Zebedæi inter Apostolos, supra dixit Euangelista c. 10. 3. Marc c. 10. 35. scribit ipsos filios Zebedæi ad Christum accessisse dixisseque. *Magister, volumus, vt quodcumque petierimus, facias nobis*, quod etsi videtur esse, non est tamen contrarium, quia dixisse dicuntur quod per matrem suam, non per se dixerunt, vt August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 64. & Chrysost. homil. 66. respondent. Simile exemplum habuimus supra cap. 8. 5. vbi Matth. dicit Centurionem quendam ad Christum accessisse, rogasséque, vt seruum suum paralyticum sanaret, cùm Lucas c. 7. 3. non ipsum Centurionem: sed per amicos suos accessisse, rogasséque dixerit. Dubium an Apostoli matrem solicitauerint, atque suaserint, vt hunc sibi à Christo honorem peteret: quasi facilius mulier, & vt multi existimant, Christo cognata (sororem enim beatæ Virginis fuisse credunt) esset quicquid peteret, impetratura, & filij pudorem, atque aliorum Apostolorum inuidiam effugerent: quasi non ipsi, sed pro ipsis mater, vt cæteris proponerentur, petiuisset. Sic multi sentiunt auctores Augustin. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 64. Chrysost. Auctor imperfecti, Theophylact. Euthym. hoc loco, & Gregorius homil. in Euangelia 27. Alij matrem per se pro filiis solicitâ nullius eorum impulsu petiuisse credunt, vt Hilarius canone in Matth. 20. & Ambros. lib. 5. de fide cap. 3. quod valde mihi probabile videtur nolenti de Apostolis malè iudicare. Nam aliorum auctorum argumentum, quod matrem à filiis submissam probant, quòd non illi; sed filius Christus respondeat vers. 22. *nescitis quid petatis*, & rursum, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* facile solui potest; propterea illis respondisse, non quòd illi per matrem: sed quòd pro illis mater petiuisset. Placet etiam mihi pietas Ambrosij, atque Hieronymi, qui matrem ipsam excusant. Ambros. quidem his verbis *Considerate*, inquit, *quæ cum filiis, & pro filiis petat; mater est vtique, cui pro filiorum honore solicita immoderatior quidem: sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longæua studio religiosa, solatio destituta, quæ tunc reporiis, quando vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, & voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulerit filiorum.* At paullò infra, *Etsi error*, inquit, *est, pietatis tamen error est: nesciunt enim materna viscera patientiam; etsi voti auara; tamen venerabilis cupiditas, quæ non pecuniæ est auida; sed gratiæ. Nec inuerecunda petitio, quæ non sibi: sed liberis consulebat. Matrem considerate, matrem cogitate.* Hieronym. autem sic; *postulat mater filiorum Zebedæi errore muliebri, & pietatis affectu nescienes, quid peteret.* quin etiam inter eos auctores, qui filios matrem subornasse dicunt, auctor imperfecti sic eos excusat, quòd nihil temporale, nihil carnale, nihil ambitiosum: sed solam spiritualem perfectionem postulauerint: quod & de matre dicit Ambros. si peccandum est, præstat in hanc partem cum tam bonis auctoribus, quàm cum hæreticis in contrariam peccare semper Apostolos accusantibus.

Excusantur filij Zebedæi, eorũ quæ mater.

Hæretici nullã ecclesiam accusandi Apostolos præmittunt.

Adorans.) προσκυνῶσα Inclinans se, aut genuflectens, quod eò pertinebat, vt Christi sibi gratiam, beneuolentiámque conciliaret.

Et petens aliquid.) Aliquid hoc loco non diminutionem, sed incrementum potius videtur significare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi dicat petens magnum quiddam ab eo; sic enim Græci ſſoquuntur εἶναί τι esse aliquid, id est esse magnum: sicut & Galli solent dicere, videtur sibi aliquid esse, id est magnus esse vir, quemadmodum Paulus loquitur Act. 23.17. *Adolescentem hunc perduc ad Tribunum: habet enim aliquid indicare illi*, id est rem magni momenti. Hanc ob causam, vt opinor, exposuit, Euangelista illam adorabundā accessisse, vt indicaret voluisse magnū aliquid postulare. At cur non statim dixit, quid postulauerit? quia voluit rem, vt gesta erat, exponere; illa autem initio non declarauit quid vellet petere, sed generaliter rogauit Christum, vt, quicquid peteret, sibi cōcederet, vt intelligitur ex Marc. c. 10. 35. *Volumus, vt, quodcumque petierimus, facias nobis.* Illa enim verba, vt paullò antè docuimus, quamuis filiis Marcus attribuat; non à filiis, sed à matre dicta sunt. Accessit ergo supplicabunda mulier, dixitque, volo, aut rogo, vt, quicquid petiero, mihi concedas; solent enim qui aliquid volunt petere quod, an impetraturi sint, dubitant, non statim, quid sibi dari velint, declarare, ne, si declarauerint, sibi negetur: sed generaliter, atque confusè dicere quiddam habeo, quod te rogem; sed velim mihi priùs te facturum promittas: quemadmodum mater Salomonis lib. 3 Reg. c. 2. 20. filium rogat. *Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, rogo, ne confundas faciem meam.*

21 *Quid vultis.*) *Mater*, inquit Hieronym. *postulat, & Dominus discipulis loquitur intelligens preces eius ex filiorum descendere voluntate.* Sed iam diximus potius filiis, non matri respondere, quia etsi non eorum impulsu, tamen pro eis mater postulauerat.

Hebraismus. *Dic.*) Hebraismus pro iube, statue: sicut c. 8. 8. *tantum die verbo, & sanabitur puer meus.*

Vt sedeant.) Nonnulli auctores, in quibus Euthym. existimant motam fuisse eam mulierem, vt hoc peteret, ex verbis Christi cap. 19. 28. *Sedebitis & vos super sedes duodecim.* Cùm enim intellexisset omnes Apostolos in regno Dei circum Christum sessuros esse, optabat, vt duo filij sui proximi illi assiderent, alter ad dexteram, alter ad sinistram. Putat etiam Euthymius Petrum timuisse, quem videbat omnibus in rebus cæteris Apostolis anteponi.

22. *Nescitis quid petatis.*) Plerique ita interpretantur, quasi propterea dicat eos nescire, quid petant, quia non spiritualia: sed carnalia petebant, quasi Christus more regum temporaliter esset regnaturus, & principes viros habiturus aliquos, qui sibi assiderent: quorum eò quisque esset honoratior, quo propius se, sederet. Alij diuerso penitus sensu non carnalia, sed spiritualia petiuisse; tamen propterea Christum dixisse *nescitis, quid petatis*, quia rem maiorem, meliorémque petebant, quàm existimabant, quemadmodum Chrysost. Euthym. & Theoph. exponunt. Alij bonum quidem, & spirituale eos petiuisse: vt cæteris Apostolis virtute, ac meritis antecelleret: sed non eo ordine, quo debebant; quia petebant ante victoriam triumphum, vt exponit auctor imperfecti, quam interpretationem videntur illa verba confirmare *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* quasi viam illis demonstret, qua ad dexteram, & sinistram suam ponerentur. Nescitis ergo quid petatis, quia, etsi quod petitis, bonum est, tamen non intelligitis triumphum ante victoriam nec dari posse, nec promitti. Alij, bonum quidem petitis, sed non benè intellectum: putatis enim occupari precibus posse, cùm eiusmodi sit, vt non petentibus, sed merentibus dari possit: Omnes istæ interpretationes probabiles; probabilissima postrema.

Delira hæretici interpretatio. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*) Hæreticorum interpretes, qui hoc ad calicem Eucharistiæ referendum existimant, omnino mihi videntur delirare; quis enim calicem illum bibere non potest? Dubium igitur non est, quin Christus passionem suam, & mortem calicem appellet, vt cap. 26. 39. & Mar. 14. 36. & Luc. 22. 42. & Ioann. 18. 11. Cur autem passio, ac mors calix appelletur, minus compertum. Chrysost. Euthym. & Theophy. ideo vocari putant calicem, quòd eam Christus non minus libenter obierit, quàm si poculum vini biberet. Parùm conueniens Christo metaphora, præterquàm quòd ista ratione sola Christi mors, non aliorum, calix appellaretur. Credo ergo metaphoram ex antiqua consuetudine ductam, qua solebat damnatis ad mortem poculum veneno plenum porrigi, vt ea ratione vitam finirent; quemadmodum Athenis Socrati ab Areopagitis datum legimus, inde factum, vt mors ipsa, & supplicium calix, siue poculum appellaretur. vt Psalm 115 versu 13. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*, id est mortem libens, & nomen Domini inuocans, subibo, vt hoc loco Origenes, & Hieronymus interpretantur. Sequitur etiam, *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Scio aliam etiam esse in scripturis metaphoram calicis ex vetere deductam more, quo inter Iudæos paterfamilias, aut quisquis in conuiuio honoratissimus erat, vinum pro suo arbitrio temperabat, & vnicuique conuiuæ alij plùs, alij minus distribuebat. Itaque aliis melior, aliis peior portio contingebat. Qua ratione factum est, vt vnusquisque hominis sors, quæ à Deo immittitur siue bona, siue mala calix appelletur; bona vt Psalm. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis.* & Psalm. 22. 5. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est?* Mala vt Psalm. 10. 7. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*, & Psalm. 74. 9. *Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non est exinanita.* & Isaiæ. 51. 17. *Elenare, eleuare, consurge Ierusalem, quia bibisti de manu Domini calicem ire eius, vsque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces.* Simile est exemplum apud Ieremiam cap. 25. 5 & cap. 51. 7. & Threnorum 4. c. 21 & apud Ezechielem ca. 23. 31. 32. 33. Marcus cap. 10. 38. ait addidisse Christum, *& baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* quod alia metaphora significat: nam & baptismus pro passione, & morte poni solet, vt Lucæ 12. 50. *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor*, & 1. ad Cor. 15. 29. *quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* id est, qui pro defendenda mortuorum resurrectione appetunt mortem. Vnde factum, vt & martyrium baptismus appelletur. Metaphora vt opinor, sumpta est ab iis, qui, vt moriantur, in mare submerguntur. Græcè enim baptizari idem est, atque submergi. Itaque quod Origenes, Chrysostom. Theophylactus dicunt propterea Christum mortem suam baptismum appellauisse, quòd sicut per mortem, sic & per baptismum peccatorum expiatio facienda esset, non probo: minus etiam, quod auctor imperfecti dicit metaphoram à lana rubeo colore tincta, sumptam esse: sic enim Christi mortem sanguine fuisse rubeam. Quòd autem Christus rogat Apostolos, an possent calicem bibere, quem ipse bibiturus esset, non ignarus rogat: sed hominum more, qui triumphum petentem rogare solent, an possit hostes debellare. Ostendit autem illis viam, qua ad eum honorem, quem petunt, peruenire possint; ostendit verò & verbis, & exemplo; verbis, cum rogat, *potestis bibere calicem*; & exemplo, cùm dicit, *quem ego bibiturus sum?* præcedit enim, tanquam bonus dux ad pugnam

inuitans, vt ait auctor imperfecti. Sic D. Paulus ad Philippens. 2. 5. 6. 7. 8. 9. *hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum*; & ad Rom. 8. 17. *Si autem filij, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, vt & conglorificetur*, & 2. ad Timoth. 2. 5. *non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*, & versu 12. *Si sustinebimus, & conregnabimus.*

Calicem in hoc loco Apostoli auctore Cyprianō defendunt. *Possumus.*) Multi auctores existimant quemadmodum temerè, & ambitiosè honorem petiuerant; ita quoque temerè ambitioséque respondisse se posse calicem bibere, vt Chrysostomus, Theophylact. & Euthymius. Alij, quemadmodum paullo ante, quod nesciebant, postulauerant: ita nunc, quod non intelligebant, promisisse; non quod non intelligerent Christum de morte locutum fuisse: sed quòd nescirent, quid esset mori; & dulce bellum inexpertis, vt auctor imperfecti interpretatur. Malo ego credere nec temerè, nec inscienter: sed amanter, & verè respondisse se paratos esse, vt pro Christo morerentur, vt posteà exitus docuit. Nam quod hæretibus nobis obiicit interpres, paullo post initio pugnæ omnes Apostolos diffugisse, facilè excusari potest, propterea fugisse, quòd nihil Christum iam comprehensum iuuare posset, quod & Caluinus, vt erat homo prudens, facturus, vt opinor, fuisset. Et tamen Ioannem alterum ex duobus filijs Zebedæi vsque ad crucem legimus secutum fuisse Christum.

Calicem quidem meum bibetis. 23. *Calicem quidem meum bibetis.*) Disputant Origenes, Hieronymus, & Chrysostomus quomodo filij Zebedæi calicem biberint, cùm Iacobum quidem ab Herode occisum legamus Actorum 12. 2. Ioannem verò occisum non legamus; quin ne mortuum quidem esse aliqui putant, vt refert Euthym. Respondent ijdem auctores, & Beda Ioannis exilium loco martyrij fuisse, & quòd Romæ in oleum feruens iniectus fuerit, vt Tertull. in lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos auctor est. Itaque non voluntatem martyrio: sed martyrium voluntati defuisse. Potest facilius meo quidem iudicio responderi cùm Christus dicit, *calicem quidem meum bibetis*, non prædicere fore, vt pro se oppetant mortem: sed tantùm significare hoc le illis posse concedere. vt calicem suum bibant: vt autem ad dexteram, & sinistram suam sedeant, concedere non posse, nisi quibus paratum est à patre suo; videtur enim hæc duo inter se opponere; concedere, vt calicem bibant, & date, vt ad dexteram, vel sinistram sedeant.

Iacobus contra Arianos et pro diuinitate Christi explicatur. *Sedere autem ad dexteram meam, & sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Hoc loco frequenter Arianos vsos fuisse legimus, vt Christi auctoritatem probarent minorem esse, quàm patris, vt auctor est Epipha. hæresi 69. Et Idacius Clarius cap. 14. & Ambros. lib. 5. de fide cap. 1. & Augustin. lib. 1. de Trinitate cap. 12. & Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 5. cui obiectioni tribus modis ijdem auctores respondent. Quidam eorum dicebant hoc Christum non tanquam Deum, sed tanquam hominem, vt multa alia, dixisse, quale est illud, *Pater maior me est.* Ioan 14. 28. Ita D. Augustin. Alij. vt Ambros. pronomen illud *meum*, cum Christus dicit, *non est meum dare vobis* non potestatem, sed officium significare. Itaque non indicat Christus se id facere non posse, sed non esse officij sui, vt id faciat, quia non venerat in hunc mundum vt coronas daret, sed vt inuitaret ad pugnam. Hoc est dictum subtiliter, & verè; sed non videtur proprius esse verborum sensus. Proprius est ille, quem idem Ambros. Epiphan. & Cyrill iisdem in locis, & Chrysost. homil. 6. & D. Hieronym. in commentariis ad hunc locum exposuerunt. Christum non negare suæ potestatis, atque officij esse concedere, vt aliquis ad dexteram, vel sinistram suam sedeat; sed tantùm negare non esse suæ potestatis, & officij illis dare, sed solis his, quibus à patre suo paratum esset. Summa est non heri comparationem inter Christum, & patrem, vt Ariani putabant, quasi pater possit, filius verò non possit: sed comparationem fieri inter personas, quibus huiusmodi honor dari potest, quòd non omnibus, sed quibus à patre paratus est, concedi possit. Hæc est vis eius pronominis *vobis*, quasi dicat, *non est meum dare vobis*, propterea, quòd petitis, aut propterea quòd cognati mei estis, *non est meum dare vobis*, qui nondum meruistis. sed *quibus paratum est à patre meo*, id est, qui meruerint. & vt Remigius apud D. Thom. interpretatur, non est meum dare superbis, & ambitiosis, quales vos estis; *sed* humilibus, quibus paratum est à patre meo. quod Chrysost. Euthym. & Theophyl. accommodato admodum exemplo declararunt; Si quis, inquiunt, rex auream coronam ei, qui in stadio currendo cæteros vinceret, proposuisset eamque manu teneret; aliquis verò ex iis, qui non solùm non vicissent, sed ne cucurrissent quidem coronam ab eo peteret, rectè responderet, currere quidem poteris, coronam autem non est meum dare tibi, sed quibus parata est, id est vincentibus; non enim significaret se dare non posse, cùm ipsius sit; sed dare non debere, nisi vincentibus, quibus eam destinasset. Alio exemplo Cyrillus vtitur; si quis à iusto aliquo iudice aliquid peteret iniusti, meritò responderet, non possum hoc facere, non quòd non posset; sed quòd non debeat. Hinc sequitur, quàm necessarium sit pronomen illud *vobis* ad implendam, exprimendamque sententiam, quod in plerisque Græcis codicibus non legitur; nec vllus quod sciam, Græcus auctor, & antiquus legit, nec inter Latinos D. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. Satis enim est veterem legisse interpretem, legisse Hieronymum, & Ambrosium, & sententiam requirere. Quanquam si non legatur, non propterea mutatur sensus. Nam Chrysost. Cyrill. Theophyl. & Euthym. qui non legerūt in eandem tamen sententiam interpretantur. Rectè verò doctus quidam, & pius nostri temporis interpres obseruauit si non legatur pronomen *vobis*, Græcam dictionem ἀλλὰ, sed pro εἰ μὴ, nisi, accipi debere, vt apud Marcum c. 9. 8. & 2. ad Cor. 1. 5. vt sit sensus, *sedere autem ad dexteram meam, & sinistram non est meum dare, nisi quibus paratum est à patre meo.* His autem verbis tantùm abest, vt significet Christus nō suum esse officium præmia distribuere vt potius officij sui esse declaret. Cum enim dicit non esse suum omnibus dare, sed merentibus, & dignis iudicem se, præmiorúmque distributorem futurum esse indicat. vt apud Ioannem cap. 5. 22. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio* & apud Lucam cap. 22. 29. 30. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel*, sicut & cap. præcedenti ver. 28. Apostolis promisit fore, vt sederēt super sedes duodecim, quasi ipse hoc illis concessurus esset. Cur ergo, dicet aliquis, adiunxit, *sed quibus paratum est à patre meo*, quasi sibi patrem opponat. Respondeo non sine causa non dixisse, non est meum dare vobis, sed patris mei; sed dixisse, *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo*, ne significaret se quidem dare non posse, patrem posse; sed se dare alijs non posse, quàm quibus à patre suo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auctor imperf. operis in Matth. Arianizat.

paratum esset, vt rectè D. Chrysost. annotauit. Nam auctor imperfecti, qui homil. 35. ita exponit, *non est meum dare vobis*, sed patris, quia suspectus est hæresis Arianæ, hoc loco audiendus non est. Cur ergo dixit, *quibus paratum est à patre meo* potiùs, quàm quibus paratum est à me, quasi plus patri, quàm sibi auctoritatis tribuat? Facilis responsio, id per vsitatem in sacris literis attributionem factum esse, in quibus, etsi omnia opera externa, vt Theologi dicunt, tribus personis communia sint, tamen quædam vni, quædam alteri personæ, tanquam propria soleant attribui; vt potentia, & prouidentia, patri sapientia filio; gratia ac dona Spiritui sancto. Quia ergo paratum esse, est esse prædestinatum; prædestinatio autem est genus quoddam prouidentiæ, patri potiùs, quàm filio tribuitur; nec enim legimus in scriptura Filium aut Spiritum sanctum; sed solum patrem quenquam prædestinasse.

Prouidentia & prædestinatio per attributionem Patris esse dicitur.

Sed quibus paratum est.) Mira Chrysostomi interpretatio, quam & Theophylactus refert, & probat, *quibus paratum est*, id est nullis, quasi nemo, neque homo, neque angelus eò peruenire possit, vt ad dexteram, vel sinistram Christi sedeat, qui, vt ait D. Paulus ad Ephes. 1, 20. 21. *Constitutus est ad dexteram patris in cælestibus super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiã in futuro.* Mirabilis etiam Hilarij, *quibus paratum est à patre meo*; id est Moysi, & Eliæ: quorum alter ad dexteram, alter ad sinistram meam sessuri sunt. Mirabilis Euthymij, *quibus paratum est*, id est Petro, & Paulo, qui plus omnibus laborabunt. Manifestum enim est nullos certos homines Christum indicare voluisse, nec personas, sed merita notare.

24. *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.)* Auctor imperfecti, & Euthym. non minoris ambitionis fuisse putant, quòd decem indignati sint, quàm quòd duo primum locum postulauerint. Piè tamen eos Chrysost. excusat, quòd nondum Spiritus sanctus in ipsos effusus fuisset, quo postea omnia huiusmodi humana vitia purgata sint.

25. *Vocauit eos ad se.)* Apparet duos filios Zebedæi cum matre sua separatim, & clam, ne alij discipuli intelligerent, ad Christum adijsse, primumq; ab eo honoris locũ postulasse: cæteros tamen Apostolos subaudisse sermones, aut ex Christi verbis feciſse coniecturam, quòd duo filij Zebedæi à Christo petiuissent, cœpisseq; inter se murmurare. Vocat ergo eos Christus, & docet se eorum cogitationes, sermonesque, quamuis tacitos, cognouisse, & sicut aliorum petitionem, ita ipsorum indignationem corrigit.

Scitis.) Perinde est, ac si dicat, an nescitis hoc, quod facitis, proprium esse ambitiosorum principum, nec omnium quidem, sed gentium, apud quas non virtus, non iustitia, non dignitas; sed ambitio, sed vis, sed tyrannis regna, & principatus obtinet, & vbi principes, non quæ suis populis, sed quæ sibi vtilia & honorifica sunt, quærunt? vt videtur Euthymius interpretari. Nõ ergo reges ac principes de medio tollit, quemadmodum multi nostro tempore hæretici ex hoc loco collegerunt, cùm D. Paulus ad Rom 13. 1. & ad Titum 3. 1. & D. Petrus epistola 1. 2. 13. 14. omnem magistratum, & potestatem à Deo esse doceant, illique, etiamsi malus sit, obediendum esse. Multò verò minus Ecclesiasticam tollit auctoritatem, qua & D. Petrus Actorum 5. 5. 10. Etiam Anania, & Saphira interficiendis seuerè vsus est. & D. Paul. 1. ad Cor. 5. 5. & 1. ad Timot. 1. 20. in hominibus perniciosis Satanæ tradendis, quámque Timotheo commendat cap. 4. versu 12. *Nemo adolescentiam*, inquit, *tuam contemnat.* Tantùm monet non debere Apostolos, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocati sunt, Gentilium principum ambitionem, & tyrannidem imitari; propterea non quoslibet, sed Gentium principes nominauit, qui magis ambitiosi crudeléſque solebant esse, quàm ludæorum, qui & dabantur à Deo, & eius timore, religionique in officio continebantur. Quemadmodum Petrus 1. epist. c. 5. 3. admonet eos, qui Ecclesiam gubernant, ne in clerum dominentur. Denique tales esse Apostolos, qualem se D. Paulus describit 2. epist. ad Cor. c. 12. 14. 15. *Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos: nec enim debent filij parentibus thesaurizare; sed parentes filijs. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar.*

Refellitur error hæreticorum nostri sæculi omnem principatum & potestatem Ecclesiasticam tum tollentium.

Dominantur eorum.) In eas. Nosser interpres & Græcismum, & Hebraismum secutus est. Græcismum, quòd *eorum* dixerit pro in eos. Hebraismum, quòd non Grammaticum, sed naturale secutus sit genus.

28. *Et dare animam suam redemptionem pro multis.)* Declarat, quid debeant boni Ecclesiæ pastores facere: *bonus* enim *pastor ponit animam suam pro ouibus suis.* Ioannis 10. 11. 14. Collegerunt ex hoc loco Augustini tempore quidam hæretici, quos Prædestinatianos antiquitas appellauit, idémque nostro tempore Caluinistæ dicere coguntur, si suum de reprobatione errorem tueri volunt, Christum non pro omnibus natum, non pro omnibus mortuum esse; sed pro solis, qui salui futuri erant, prædestinatis, vt Arnobius, vel quisquis alius auctor fuit eorum commentariorũ in Psalmos, qui falsò Arnobio tribuuntur Psalmo 146. & Faustus lib. 2. de libero arbitrio c. 14. & 16. In eodem errore Lotharij tempore fuit Godeschalcus in Gallia, vt in lib. aduersus Prædestinatianos Hincmarus Rhemensis Episcopus scribit, &, vt videtur, Remigius Lugdunensis in lib. contra tres epistolas trium Episcoporũ Galliæ. Quod & ex alijs locis similibus comprobabant, vt infra cap. 26. 28. *hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, & ad Hebr. 9. 28. *Sic & Christus semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata.* Qui error nõ solùm absurdus est, sed maximo Christi beneficio, & liberalissimæ charitati maximè etiam ingratus, aliisque perspicuis scripturæ testimonijs refutatur. Quid enim apertius, quàm quod dicit D. Paulus 1. ad Timoth. 2. 6. *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, & 2. ad Cor. 5. 14. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus est Christus, vt &, qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Cur ergo Christus hoc loco, sicut & apud Marcum c. 10. 45. non dixit se venisse, vt daret animam suam in redemptionem pro omnibus, sed *pro multis*? Cur dixit sanguinem suum *pro multis*, effundi? Cur dixit D. Paulus, eum *ad multorum exhaurienda peccata* oblatum esse? Probabilis est responsio quorundam omnes multorum nomine significatos, quia πολλοὺς multos Græci vocant non tam nomine numerali, quàm infinito: quemadmodum Latini omnes homines multitudinem appellant. Sed magis credo voluisse Christum non voluntatem suam, sed mortis suæ fructum declarare. Nam si eius quidem voluntatem spectes, pro omnibus hominibus nemine excepto mortuus est, vt illis scripturæ testimonijs, quæ paullo superiùs adduximus, declaratur. Si spectes fructum, non ad omnes peruenit; sed ad multos, quia non omnes percipere voluerunt; sicut videmus Christum aliquando pro omnibus hominibus etiam reprobis orare, vt pro ijs, qui se crucifixerant Lucæ 23. 34. declaret velle se, idque optare omnes saluos fieri; aliquando non orare, misi pro prædestinatis, vt apud Ioann. c. 17. 9. *Non pro mundo rogo,*

sed pro ijs, quos dedisti mihi. Ad hunc modum Hieronym. hunc locum interpretatur.

29. *Et egredientibus illis ab Iericho.)* Erat Iericho in via, cum ex Galilæa Ierosolymam propter fluuium Iordanem veniebatur.

30. *Et ecce duo cæci.)* Dubium, an eadem sit historia, quæ hîc à Matth. & quæ à Marco cap. 10. 46. & à Luc. cap. 18. 35. narratur, qui tres prope Iericho cæcos Christum curasse scribunt. Sunt, qui tres diuersas historias esse putent, vt Euthymius, quia Matthæus duos cæcos fuisse dicit, Marcus & Luc. vnum, & Marc. narrat cæcum illum, quem curatum fuisse dicit, vestimentum suum proiecisse, vt prosiliret ad Christum, quod alij non narrant. Alij duas historias esse credunt, vt D. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 63. & lib. 2. qq. Euangelicarum quæstione 48. & Beda, Strabus, & Lyranus hoc loco. Nam eam, quam Matth. & Marc. scribunt vnam esse; quam autem Luc. esse diuersam; quia Matth. & Marc. scribunt id factum esse cum Christus ab Iericho egrederetur; Luc. verò, cum appropinquaret, quod videtur adeò esse contrarium, vt non videatur idem miraculum esse posse. Magis assentior Theophyl. qui vnam tantùm historiam à tribus Euangelistis narrari putat. Omnia enim sunt adeò similia, vt non videantur diuersa esse posse miracula. Omnes dicunt id accidisse in ea profectione vltima, qua Christus, vt moreretur venit ex Galilæa in Ierusalem: omnes in eodem loco prope Iericho; omnes cæcũ, aut cæcos, qui curati sunt, sedisse iuxta viam, qua Christus præteribat; omnes clamasse ijsdem verbis, *Iesu fili Dauid miserere mei*; omnes à turba iussos fuisse tacere; omnes vehementiùs clamasse; omnes stetisse; Christum, & cæcos ad se vocasse; omnes rogasse cæcos, *quid vultis, vt faciam vobis?* Non potuerunt profectò in diuersis historijs tam similia esse tam multa. Quod ergo Matthæus duos; Marcus verò, & Lucas vnum tantùm commemorant cæcum, rectè D. August. respondet duos quidem fuisse, vt Matth. scribit; sed ex ijs vnum nobiliorem, & vulgò magis celebrem, ideóque illius tantùm Marcum, & Lucam feciſse mentionem. Confirmat hanc coniecturam Marc. exprimens nomen cæci, & patris ipsius, quasi homo esset vulgò omnibus notus; vocat quippe Bartimæum filium Timæi. Simile exemplum vidimus supra c. 8. 28. vbi Matth. scribit duos à Christo dæmoniacos in regione Gerasenorum curatos fuisse, cum Marc. cap. 5. 2. & Luc. cap. 8. 27. vnius tantùm meminerint. Difficilior nodus est, quòd Matth. vers. sup. & Marc. cap. 10. 46 dicant id contigisse, cum Christus ab Iericho egrederetur; Luc. verò cap. 18. 35. cum appropinquaret: neque quorundam interpretationem verba Græca recipiũt; quæ exponunt, *cum appropinquaret*, id est cum inde discedens adhuc esset prope; est enim Græcè, ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ιεριχώ, cum appropinquaret in Iericho, id est, vt ingrederetur in Iericho. Itaque magis eorum probo coniecturam qui existimant cæcum illum nobiliorem, de quo Marc. & Luc. scribunt, tum cùm Christus ad vrbem appropinquaret, sedisse secus viam, & ad prætereuntem Christum acclamasse, *Iesu fili Dauid miserere mei*; Christum verò tunc curare eum noluisse, vt paulò post duos simul curaret. Cæcum ergo iterum viam obsedisse, qua sciebat exiturum Christum, & iterum vnà cum altero cæco ijsdem clamasse verbis, atque tunc vocatos à Christo fuisse, atque curatos, & quia non omnia narrant Euangelistæ Matthæum, & Marcum dixisse id factum fuisse, cùm Christus egrederetur. Luc. cum appropinquaret. Illud verò, quod ait Marcus cæcum, cum vidisset se à Christo vocari, abiecta veste accurrisse, quódque Matth. dicit Christum cęcorum oculos tetigisse, quod alij Euangelistæ non dicunt, minimè difficile, cum sæpe vnus Euangelista vnam facti circunstantiam declaret, quam alij prætermittunt.

Fili Dauid.) Id est Messia. Cur ita Christus appellaretur ab ijs præsertim, qui aliquod ab eo beneficium postulabant, diximus in præfatione.

31. *Turba autem increpabat eos, vt tacerent.)* Non inuidè atque malignè; sed amanter, & officiosè id piam turbam feciſse credendum est, ne homines abiecti Christo obstrependo molesti essent, vt auctor imperfecti, & Euthym. existimant.

34. *Tetigit oculos eorum.)* Cur tetigerit supra c. 8. 3. exposuimus. Marc. verò, & Luc. addunt subiunxisse Christum, *fides tua te saluum fecit*, quòd quemadmodum sit intelligendum c. 9. 2. copiosè disputauimus.

CAPVT XXI.

ET cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti: tunc Iesus misit duos discipulos, 2. *dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite & adducite mihi:* 3. *& si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & cõfestim dimittet eos.* 4. *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem:* 5. *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* 6. *Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit eis Iesus.* 7. *Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* 8. *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via:* 9. *turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.* 10. *Et cum intrasset Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?* 11. *Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* 12. *Et intrauit Iesus in templũ Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit:* 13. *& dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis*

Mar. 11. a. 1. Luc. 19. c. 29.

Isai. 62. d. 11. Zach. 9. b. 9. Ioan. 12. b. 15.

Psal. 117 d. 26. Mar. 11. b. 9. Luc. 19. g. 38. Ioan. 2. c. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. 14. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo: & sanauit eos. 15. Videntes autem principes sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid: indignati sunt, 16. & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique nunquam legistis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? 17. Et relictis illis, abijt foras extra Ciuitatem in Bethaniam: ibiq; mansit. 18. Mane autem reuertens in Ciuitatem, esurijt. 19. Et videns sici arborem vnam secus viã, venit ad eam: & nihil inuenit in ea nisi folia tantum, & ait illi. Nunquã ex te fructus nascatur in sempiternum: Et arefacta est continuò ficulnea. 20. Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo cõtinuò aruit? 21. Respondens autem Iesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidẽ & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet. 22. Et omnia quæcunque petieritis in oratione credẽtes, accipietis. 23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem, principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? 24. Respondens Iesus dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. 25. Baptismus Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: 26. Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbã: omnes enim habebant Ioannem sicut Prophetam. 27. Respondentes Iesu, dixerunt: Nescimus. At illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. 28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. 29. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentia motus abijt. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, & non iuit. 31. quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Iesus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. 32. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis. 33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. 34. Cum autẽ tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. 35. Et agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. 36. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. 37. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. 38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. 39. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. 40. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? 41. Aiunt illi: Malos malè perdet: & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. 42. Dicit illis Iesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: 43. ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. 44. Et qui ciderit super lapidem istum confringetur: super quem verò ciderit, conteret eum. 45. Et cum audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret. 46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut Prophetam eum habebant.

Deut. 14. c. 25. Isai. 56. c. 7. Ierem 7. b. 11.

Psal. 8. b. 3. Mar. 11. b. 13.

Mar. 11. c. 20.

Sup. 7. a. 7. 1. Ioan. 3. d. 22. Marc. 11. d. 24. Luc. 20. a. 2.

Sup. 14. a. 5.

Mar. 12. a. 1. Luc. 20. b. 9. Isai. 5. a. b. Ierem. 2. d. 21.

Inf. 26. a. 3. & 27. a. 2. Ioan. 12. g. 13.

Psal. 117. d. 22. Act. 4. b. 11. Rom. 9. g. 33. 1. Pet. 2. a. 7.

IN CAPVT XXI.

ET *cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage.*) Erat Bethphage ad radicem montis Oliueti, quem proximum Ierosolymæ fuisse constat ex Luca cap. 21. 37. Marcus cap. 11. ait, *cum appropinquarent Ierosolymæ, & Bethaniæ*, Lucas verò cap. 19. 29. *factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam*, ex quibus verbis intelligitur Bethaniam, & Bethphage æqualiter fere ab Ierosolyma remotas fuisse; quandoquidem quod Matthæus dixit, *cum appropinquassent Bethphage*; Marcus dixit, *cum appropinquarent Bethaniæ*. Quod autem colligunt quidam Bethaniam longiùs abfuisse ab Ierusalem, quàm Bethphage, propterea quòd ex Ioanne cap. 12. 1. manifestum sit Christum die Sabbathi præcedenti in Bethania fuisse, ibique cœnasse, & noctem egisse; Matth. verò significat iam ex Bethania discessisse, *cum appropinquaret Bethphage*, & discipulos ad soluendam asinam mitteret; itaque Lucam præpostero ordine nomen Bethphage, & Bethaniæ posuisse, cùm deberet priori loco Bethaniam, quæ paulò longiùs distabat, posteriore Bethphage nominare; quemadmodum & Marcus prius Ierusalem, quàm Bethaniam; hoc inquam non magna nititur coniectura: nam si qua maior erat Bethania distantia, quàm Bethphage, non nisi perexigua esse potuit. cum ex Ioanne cap. 11. 18. compertum sit Bethaniam ab Ierusalem quindecim stadia abfuisse, quæ mille octingentos septuaginta, aut circiter passus efficiebant, in Act. verò Apostolorum cap. 1. 12. dicunt Bethphage distare ab Ierusalem sabbathi iter, id est quãtum Iudæis die sabbathi progredi licebat: licebat autem, vt Origenes ait, mille passus; vt alij, bis mille conficere. Quod eo est probabilius, quòd Christus cum Ierosolymis esset, solebat sub noctem ire in montem Oliueti, vt ait Lucas cap. 21. 37. & est verò simile eum ad domum Mariæ sororis Lazari ititasse, quæ in Bethania erat, vt apparet ex Ioanne cap. 12. 1.

Misit duos discipulos.) Qui duo illi fuerint discipuli prudentis est interpretis non inquirere, prudentis lectoris libenter ignorare, cùm Euangelistæ non expresserint, expresseruti vtique, si quid nostrã interesse iudicassent. Quanquam non ignoro magnos auctores non inquisiuisse modò; sed quodammodo etiam definiuisse; nam Hilarius, auctor imperfecti, Beda, Strabus, & auctor historiæ, quàm Scholasticam vocant, Petrum, & Philippum fuisse credunt, Origenes, & Theophylact. Petrum & Paulum mysticè, vt opinor; nec enim ignorare poterant nondum Paulum tum Apostolum fuisse. Itaque non tam Petrum, & Paulum missos fuisse, quàm Petrum & Paulum per eos, qui missi fuerant, significatos dicere voluerunt, quia ad soluendam asinam, & pullum missi sunt & asina, vt illi putant, populum Iudæorum, pullus Gentilem populum significabat; & Petrus ad Iudaicum, Paulus ad Gentilem populum mittendus erat.

2. *In castellum.*) εἰς τὴν κώμην in pagum, aut in vicum. Lyranum valde mitor cætera bonum auctorem, castellum hoc loco Ierosolymitanam villam exposuisse, & in nominis diminutione parum considerarè fuisse, quasi per contemptum non castrum, sed castellum Christus appellauerit. cùm nõ solùm Græca lingua, quam non penitus ignorabat; sed via etiam ipsa, qua Christus iter habebat, docere potuerit locum, in quem Apostoli missi sunt, aliquanto spatio ab Ierusalem diffitum fuisse.

Virgil. 1. Aeneid.

Quod contra vos est.) E regione, sicut Latinus Poëta dixit, *Italiam contra*, & Galli solent dicere ecce contra te est, id est ante te. Nam quorumdam interpretatio, qui contra, id est aduersus vos exponunt, aut allegorica est, aut parùm apta.

Asinam & pullum.) Mar. Luc. & Ioan. solus pulli meminerunt. Matth. asinam etiam nominauit, & vt rem totam narraret, sicut erat, &, vt ostenderet verè impleram fuisse Zachariæ prophetiam, quæ non solùm de pullo; sed etiam de asina loqui videbatur, aut intelligi certè poterat, & fortasse etiam, vt nominata asina indicaret adeò iuuenem fuisse pullum, vt nemini dum vexisset, sicut Marc. cap. 11. 2. & Luc. cap. 19. 30. explicarunt, *super quem nemo adhuc hominum sedu-*

non enim solent pulli ab asinabus separari, donec onera gestare incipiant. Cæteri verò Euãgelistæ ideo de solo pullo mentionem fecerunt, quia super solum pullum Christus insedit. Quod auctor scholasticæ historiæ, & Lyranus dicunt asinam, & pullum nullum certum habuisse dominum, sed in vsum pauperum expositos fuisse, vt quisquis illis indigeret, vteretur; nec debuerunt sine alicuius boni auctoris testimonio affirmare, & non viderunt Euangelistis esse contrarium: scribit enim Lucas cap. 19. 33. *soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos, quid soluitis pullum?*

3. *Continùo dimittet.*) Quidam intellexerunt Christum dimissurum, quasi sensusit, fiet, vt Christus simulatque iumentis vsus fuerit, ea remittat, vt interpretatur auctor imperfecti homil. 37. sed ex Marco c. 11. 6. manifestum est id non ad Christum, sed ad dominum pulli esse referendum; quasi dicat, simul atque dixeritis dominum opus illis habere, dimittet vobis eos.

4. *Hoc autem factum est, vt adimpleretur, quod dictũ est per Prophetam.*) Dictionis, vt, duplex sensus esse potest; alter, vt non causam, sed consequentiam significet: quemadmodum cap. 2. 15. explicauimus; quasi dicat ita factum esse, vt impleretur quod dictum fuerat per Prophetam: alter, vt causam finalem declaret; quasi velit Euangelista significare propterea voluisse Christum asino vectum ingredi in Ierusalem, vt prophetiam Zachariæ sibi conuenire declararet; hoc mihi magis probatur. Nam vt Chrysostom. & auctor imperfecti hoc loco disputant, non est existimãdum temerè Christum, & sine vlla significatione mysterij voluisse tunc asino insidentem vrbem inire, cum nunquam ita in eandem vrbem ingressus ante fuisset. Potissimam ergo eius consilij causam fuisse arbitror, vt cogerentur Iudæi ex prophetiæ testimonio ipsum tanquam suum Regem & Messiam agnoscere. Quis enim alius Iudæorum rex, vt Chrysost. argumentatur asino vectus in Ierusalem ingressus vsquam est, de quo Prophetæ vaticinium possit intelligi? Aliam eius rei causam Chrysostom. affert; vt Apostolis, & nobis omnibus humilitatis exemplum præberet. Tertiam auctor imperfecti, vt Iudæorum inuidiam concitaret, quasi eo facto regem se Iudæorum fuisse profiteretur, vt cum tempus moriendi iam esset, illos in se irritaret, vt se traderent morti, cum alias antequàm moriendi tempus appropinquaret, ex eorum manibus effugere soleret, vt Luc. 4. 29. & 30. videtur etiam Christus regni sui speciem, quod in humilitate consistebat ante oculos ponere voluisse.

5. *Dicite filiæ Sion.*) Hæc verba apud Zachariam nõ sunt, ex quo sumptum est testimonium, quod sequitur: sed aut Euangelista explicandi causa proposuit; aut ex Zacharia, & Isaia cap. 62. 11. testimonium conflauit, qui idem prædicens his vtitur verbis, *Dicite filiæ Sion, ecce saluator tuus venit.* Apud Zachariam c. 9. 9. sic legitur, *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ*: quemadmodum Hieronym. vertit. Matth. nec omnia prophetiæ verba recitauit, quia, vt post dicemus, necessaria non erant; neque Hebraicam lectionem; sed versionem Septuaginta interpretum, vt in multis alijs locis, secutus est.

Filiæ Sion.) Et Hebraismus est, & synecdoche. Hebraismus, quòd ciuitatem filiam appellet; quod in sacris litteris est frequentissimum, & à nonnullis Græcis Poëtis vsurpatum, à Latinis imitatione quadam, & similitudine acceptum, qui vrbes fœminarum nomine appellare solent; & synecdoche, quia ex parte

Universidad de Deusto
Biblioteca

totum intelligitur. Sion enim mons erat, in quo vna tantùm pars vrbis erat collocata. Solet autem tota vrbs propterea ex eo monte nominari: quia ibi erat regia. Ioannes cap. 12. 15. paulò aliter hoc testimonium citat. *Noli*, inquit, *timere filia Sion.* Sensum nimirum, non verba secutus est. Nam quod Propheta dicit, *Exulta*, ille dicit, *noli timere*; non enim timet, qui exultat.

Ecce Rex tuus.) Videtur diu expectatum Messiam, quasi iam prope aduentantem, & ante oculos positum digito demonstrare; quemadmodum cum diu aliquem expectamus, & in viam, qua venturus est, intentos habemus oculos, vt videamus vtrum appareat, qui primus illum venientem prospicit, dicere solet, ecce venit, hanc vim habet illud *ecce*, & illud *venit*. Nam etsi propheta futuro vsus est tempore, dubium non est, quin pro Hebraicæ linguæ proprietate futurum pro præsenti positum sit, quod intelligentes Septuaginta per tempus præsens transtulerunt, vt & Matth. fecit.

Venit tibi.) Sic iungenda sunt verba, vt ex Hebraico contextu perspicuum est. Significat enim Propheta filiæ Sion suum regem venire, id est quē per multa sæcula expectauerat: significat etiam propriè ad filiam Sion, id est ad populum Iudaicum missum esse, quia non venerat, nisi ad oues, quæ perierant domus Israël, vt dicit cap. 15. 24. hoc ergo est *venit tibi*. Itaque qui pronomen *tibi* cum sequentibus copulant, quasi sensus sit, tibi mansuetus, non iratus, non elatus, non crudelis, etsi bene saltant, extra chorum tamen saltant.

Mansuetus.) Hebraicè est עני pauper; sed Septuaginta conuerterunt πραΰς mansuetus, quia, vt opinor, legerunt ענו, eóque Euangelista secutus est. nulla sententiæ Prophetæ iniuria. Nam &, qui pauperes sunt, mansueti, ac mites esse solent, & vtrumque nomen apud Hebræos ab eodem verbo originem trahit.

Sedens super asinam, & pullum.) Vulgaris hoc loco quæstio, quomodo Christus super asinam, & pullum sedere potuerit. Nonnulli auctores existimantes id litteraliter intelligi non posse, ad allegoriam confugiendum esse dixerunt, vt Hieronym & Beda. Alij supra vtrumque sedisse non simul, sed priùs super asinam, deinde supra pullum, idque mysterij declarandi causa; asinam enim populum Iudaicum, in quo priùs insederit; pullum Gentilem, in quem relicto Iudaico se transtulerit. Ita Theophylactus, Strabus, Remigius, D. Thom. & Hugo. Contra Lyranus priùs supra pullum, deinde supra asinam sedisse: quia pullus indomitus erat, & pati sessorem noluerat. Et quidem verba Euangelistæ videntur præ se ferre Christum sedisse super vtrumque, & quia propterea videtur asinam à pullo distinxisse etiam in testimonio Prophetæ, in quo Hebraicū nomen עיר & asinum, & asinam significare poterat; & quia versu 7. scribit Apostolos super vtrumque vestes suas posuisse, vt Christus insideret. Ex alijs tamen Euāgelistis perspicuum est non nisi super pullum Christum sedisse, & quia asinæ ne mentionem quidem vllam fecerunt, & quia Marc. & Luc. indicant mysterij alicuius causa non solùm non super asinam, sed ne super asinum quidem domitum sedere voluisse, verùm super pullum, super quem nemo hominum sederat, siue populum Gentilem adhuc rudem & indomitum significare voluerit, siue non decuerit sedere Christum super asinum, super quem alij homines insedissent, siue, vt nonnulli auctores volunt, in ea etiam re virtutem suam voluerit declarare, quòd indomitus pullus sibi obediret. Itaque superest nunc alia quæstio, quomodo Matth. super vtrumque sedisse non solùm indicare, sed planè dicere videatur. Nobilis cuiusdam Caluinistarum in-

A terpretis ridicula mihi videtur esse sententia, qui Gallica phrasi Euangelistam dixisse putat super asinam, & pullum Christum sedisse, quemadmodum Galli vulgò dicunt ire duobus equis, non quòd quis ita ire dicitur, sedeat super vtrumque, sed quòd in comitatu suo duos equos habeat. Rectè fortasse coniecisset. Si Matthæus natus fuisset in Gallia, præterquàm quòd, vt ea phrasis in hunc locum conuenire oporteat, vt aliquis alius sederet super asinam: nec enim calo, & lixa, qui vno vehitur equo, & duos alios capistro trahit, tribus equis ire dicitur. Melùs alij existimant hoc loco Græcū vocabulū ὄνος, quàm & asinam, & asinū significet; tamen nō asinam, sed asinum fuisse verendum, vt non duo, sed vnus tantùm significaretur. tanquam diceret Euangelista sedens super asinum, & super pullum filium subiugalis repetitione apud Hebræos vsitata. qua idem diuersis nominibus significatur. Iuuat interpretationem Hebraici sermonis consuetudo, qua nomen חמור, quod est apud Prophetam, asinum fere vbique, vix vnquam asinam significat. Est in hac sententia Græcus auctor Euthymius: quē valde mihi aliquando placuit: sed animaduerti postea ia Euangelistam loqui, vt dubium non sit voluisse significare Christum super asinam, & pullum sedisse; nec enim sine causa nomen, quod apud Prophetam ambiguum erat, vt & pro asino, & pro asina accipi posset, sine ambiguitate asinam vertit, præsertim cum neque Ionatas Chaldæus Parapitrastes, neque Septuaginta interpretes ita vertissent. Nec dubium est, quin noster interpres melius hoc loco asinam, quam asinum verterit; cum ex ipso contextu manifestum sit Christū vers. 2. de asina, & pullo eius locutum fuisse. vbi Græcum participium ἀγάγετε generis fœminini omnem ambiguitatem tollit. Eorum ego probo sententiam, qui Euangelistam per synecdochem, aut syllepsim locutum fuisse dicunt. quia de vna re plurium loquimur numero, vt cum dicuntur Apostoli ob effusum vaguentum murmurasse, cùm solum Iudam murmurasse constet, & vt dicuntur latrones, qui cum Christo crucifixi erant, blasphemasse, cùm alius Euangelista declaret non blasphemasse nisi alterum. Suspicor tamen Euangelistam certo consilio & non asinum, sed asinam cōuertisse, & ita fuisse locutum, vt Christum super vtrumque sedisse diceretur; vt si quis fortè testimonium prophetiæ ad hunc modum intelligebat, vt putaret verum regem super asinam simul, & pullum eius sessurum esse, nihil calumniari posset, quo minus prophetia impleta esse in Christo videretur. Cur ergo Apostoli non solùm super pullum, sed etiam super asinā vestes suas dicuntur posuisse versu 7. Respondet Euthym. quia nesciebant vtrum super asinam, an super pullū Christus sedere vellet. Quod probabile non est, quia cum Marcus, & Lucas dicant Christum dixisse ijs, quos ad soluendum pullum mittebat, *inuenietis pullum, super quem nemo adhuc hominum sedit*, non poterant Apostoli ignorare Christum non super asinam, sed super pullum sedere velle. Itaq; facilius quæstionem soluemus, si dicamus similem illis esse syllepsim.

7. Et eum desuper sedere fecerunt.) Græcè ἐπάνω αὐτῶν super ea, quod vel ad asinam, & pullum, vel ad τὰ ἱμάτια vestimenta referri potest, vt Euthymius, & Theophylactus volunt.

8. Plurima autem turba.) Turbam hanc eam fuisse, quæ Christum iret Ierosolymam versus faciētem miraculorum causa sequebatur, apparet ex Ioan. c. 12. 12. videntur autem Apostoli initium fecisse huius rei, vt indicat Luc. c. 19. 37. *Cum appropinquaret*, inquit, *ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna.*

9. *Hosanna*

De Hosanna quinis acceptio.

9. *Hosanna filio Dauid.*) Multa à Græcis, & Latinis auctoribus magnis alioqui, & grauibus de hoc nomine dicta sunt quæ cognita, comperтáque veritate suppersiuum fuerit commemorare. Quædam obiter attingamus. Nonnulli nihil significare videntur existimasse, sed interiectionem tantùm esse gaudentis, & obsecrantis, vt Augustin tractatu in Ioan. 51. deceptus, vt opinor, ab aliquo Hebræo, aut non benè, quæ sibi dixerat, intelligens. Nam fortè dixerat, quod verum est, vltimam eius dictionis syllabam הוֹשִׁיעָה na obsecrantis interiectionem esse: ille verò non intelligens totam dictionem nihil aliud, quam interiectionem esse existimatit. Reprehendit Hieron. in epist. ad Damasum D. Hilarium, quòd dixerit scribens in hunc locum *Hosanna* redemptionem domus Dauid significare, quod idem ab Hilario vt arbitror, mutuatus in commentarijs in caput Lucæ. 19. dixit Ambrosius, immeritò fortasse, vt paulò pòst docebimus, vterque reprehensus. Alij *Hosanna* hymnum, ac laudem significare dicunt, vt Euthym. hoc loco. Alij ramos; quos Iudæi in festo tabernaculorum gestantes clamare solebant *Hosanna*, *Hosanna*, vt vir quidam nostri temporis in litteris Hebraicis singulariter doctus ex Hebræorum commentarijs obseruauit. Nam quia gestantes ramos solebant canere *Hosanna* factum esse dicunt Hebræi, vt *Hosanna* ipsi vocarentur rami. Itaque ea consuetudine excitatam turbam ramos arborum defregisse, & clamasse *Hosanna filio Dauid*, quasi dicat, præcidire, & date ramos filio Dauid. vt nescio quis dixit *manibus date lilia plenis*. Placuit hæc sententia nostro tempore quàmplurimis, quo non nisi noua, & inaudita placere solent, mihi fortasse, quia non satis intelligo, nullo modo placet. Primum, quia, vt paulò infra dicemus, persuadere mihi non possum turbam illam consuetudine festi tabernaculorum inductam fuisse, vt Christo ramos præferret, quod commune nihil esset Christo cum ramis tabernaculorum, qui ideo tantùm gestabantur, vt tempus illud, quo sub tabernaculis Iudæi fuerant, in memoriam reuocaretur; & non est credendum turbam illam, præsertim ducibus Apostolis, temerè, ac sine sensu ramos præcidisse. Vera igitur est Hieronymi hoc loco, & in epistola ad Damasum sententia *Hosanna* הושיעה נא in nihil hîc aliud significare, quàm saluum fac obsecro, sumptúmque esse ex Psalmo 117. versu 25. Dubium tamen, ad quem tanquam personam agentem, & ad quem, tanquam ad patientem, referenda sunt verba. Omnes, quos equidem viderim, veteres interpretes ad Christum referunt, tanquam ad personam agentem; ad turbam, tanquam ad patientem, quasi dicat serua nos ô fili Dauid. Sic Irenæus lib. 4. ca. 24. Origenes tractatu in Matth. 15. Hilarius canone 21. Ambrosius in caput 19. Lucæ, Hieronym. & Beda in commentarijs in hunc locum. Atque hoc Hilarius, & Ambros. indicare voluerunt, cum dixerunt *Hosanna* redemptionem domus Dauid significare, vt ex præcedentibus, atque sequentibus eorum verbis apparet; quasi dicerent turbam illam, quæ clamabat *Hosanna*, id est serua obsecro, professam hac voce fuisse Christum tanquam domus Dauid redemptorem venisse. Huic sententiæ multa repugnant, primùm, quòd non videatur turba hæc tunc tantam de Christo opinionem habuisse, vt verum Deum, ac redemptorem esse crederet: alia verò ex parte non ignorabat carmen illud *Hosanna* non nisi vero Deo cani solere. Deinde quia, quod statim sequitur, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, non ad Christum, tanquam ad personam agentem; sed tanquam ad patientem referetur; non enim orabant, vt Christus sibi benediceret, sed vt ille à Deo benediceretur. Prætereà quia in Psalmo, vnde desumpta sunt verba, *Hosanna* non refertur ad *qui venit in nomine Domini*, sed ad Deum, & non est credendum turbam, multò verò minus Apostolos, qui præcinebant, alio sensu, quā à Dauide dicta fuerant, hæc verba recitasse. Adde, quòd Grammatica non conuenit: quis enim sensus est salua nos filio Dauid? Etsi non ignoro nonnullos auctores legere fili Dauid. in quibus est Irenæus: sed constans est omnium Græcorum codicum, & Latinorum magis emendatorum consensio, qui non fili Dauid, sed *filio Dauid* legunt. Denique si hanc interpretationem sequamur, non video qua ratione id, quod statim sequitur, intelligere possimus. *Hosanna in altissimis.* Quis enim sensus esset, saluos fac nos, ô fili Dauid, in altissimis? Quod ergo recentiores quidam interpretes ante me dixerunt, valde probo, hæc verba ad Deum, tanquam ad personam agentem; ad Christum, tanquam ad patientem referri oportere: precatur enim turba Deum, vt nouum regem, diúque desideratum seruet, ac prosperet, sicut Psalm. 44. 4. 5. de eodem Christo loquens dixit Dauid, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, Intende, prospere procede, & regna.* Solemus enim nouis regibus regnum aut vrbem regiam ineuntibus fausta precantes acclamare, viuat rex: quod & Iudæos solitos facere multis exemplis compertum est 1. Regum. 10. 24. 3. Regum 1. 25. 39. 4. Reg. 11. 12. 2. Paralipomenon 23. 11. quod ergo turba clamat *Hosanna*, perinde est, ac si dicat, viuat rex: quod autem ramos præfert, consuetudine triumphantium, & gaudentium videtur facere: solebant enim Iudæi, sicut & cæteræ gentes, in præliorum lætitia ramos arborum ferre, vt apparet ex 1 Machabæorum lib. cap. 13. 51. Itaque minimè assentior ijs, qui existimant turbam illam consuetudine quadam festi tabernaculorum ramos arripuisse. Nam in tabernaculorum festo non lætitiæ, sed recordationis causa ramos præferebant: hanc autem turbam triumphantium, & lætitia gestientium more prætulisse manifestum est. præterquàm quòd, qui hoc dicunt, mysterium etiam illius singularis facti videntur abolere. Ego non dubito, quin turba non cæco, & inconsiderato impetu consuetudinis; sed aut prudenti consilio, aut, quod similius est vero, diuino quodam instinctu id fecerit, vt omnes intelligerent, quod Dauid de futuro Messia prædixerat, impletum in Christo. Certum huius rei argumentum est, quod versu 15. etiam infantes ijsdem verbis dicantur acclamasse, quod neque consuetudine, neque humano consilio; sed solo diuino afflatu facere potuerunt. Ideo non clamarunt, viuat rex; sed loco eius consuetæ acclamationis *Hosanna.* Dicet aliquis, neque cum hac interpretatione Græcam, Latinámque constructionem conuenire, nisi cum precaretur Deum turba, vt Christum seruaret, non diceret Hosanna filio Dauid; sed filium Dauid. Benè iam à nonnullis interpretibus responsum est, Hebraicam esse constructionem, quam & Græcus, & Latinus interpres secutus est. Hebræi enim verbum יָשַׁע non solùm cum quarto, sed & cum tertio casu copulare solent, vt Deut. 22. 27. Iosue 10. 6. Iudicum 7. 2. 1. Regum 25. 26. Psalm. 43. 4. Psalmo 85. 16.

Vera de Hosanna sententia.

Benedictus, qui venit.) Id est prosper sit eius aduentus, sicut paulò antè ex Psalmo 44. recitauimus, *Intende, prospere procede, & regna.*

In nomine Domini.) In nomine Domini venire dicitur non solùm, vt plerisque interpretibus visum est, quia à Deo missus veniebat: sed etiam quia personam gerebat Dei, qui per eum populum suum visitabat. Marcus c. 11. 10. addidit, *benedictum, quod venit regnum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

patris nostri Dauid. Hosanna in excelsis. Repetitio est ex vehementi affectu profecta. Legimus in nonnullis antiquis Concilijs, & in quibusdam prophanis etiam historijs obseruatum fuisse, quoties vna, eademque vox à turba Imperatori acclamante repetererur: ex numero enim repetitionum affectus æstimabatur. Quòd autem dicit *Hosanna in altissimis*, qui optimè videntur hactenus interpretari, sic exponunt, quasi Græcè intelligatur pronomen, ὁ, qui es in altissimis, cuius eclipsis exemplum proferunt ex Psalmo 147.1. Hoc mihi nimis durum, & inusitatum videtur. Itaque potiùs credo præpositionem Græcam ἐν *in* positam esse pro ἐκ ex, sicut Hebraicè ב pro מ Exodi 12. 43. & Leuitici 8.42. & 2. Paralipomenon 16. 6. & illo ipso Psalmo, quem alij citant 147. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis*, id est de excelsis, sicut ante dixerat *de cœlis*: repetitionem enim esse manifestum est, & Hebraismum & Septuaginta interpretes Græcè, & Hieronymus Latinè imitatus est, quem etiam imitati sunt hoc loco, & *in altissimis* dixerunt pro, de altissimis: rogant enim Deum, vt de cælo, hoc est cælitùs, diuinitùs, mirabiliter nouum regem seruet. Hinc intelligitur, quomodo, quod Lucas scribit cap. 19. 38. turbam acclamasse *pax in cælo, & gloria in excelsis*, non sit alteri eiusdem Lucæ sententiæ contrarium cap. 2.14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Nam illic Angeli gloriam Deo, pacem hominibus annuntiabant: hîc turbæ & gloriam & pacem Christo *in excelsis*, id est ab excelsis, & à Deo precantur, nam & apud Lucam ἐν ponitur pro ἀπό, *in* pro de.

Hebraismus notandus.

10. *Commota est vniuersa ciuitas.*) Non est credendum singulos ciues fuisse commotos; sed vniuersa ciuitas commota fuisse dicitur, quia & maior pars, & qui auctoritate primi erant, vt Scribæ, Pharisæi, & sacerdotes commoti sunt quemadmodum c. 2.3. dixit Euangelista Magorum aduentu vniuersam Ierosolymam fuisse turbatam. Commota autem ciuitas non gaudio, non admiratione, non metu; sed inuidia, & maligna quadam indignatione, quòd videret Christo tantum honoris tribui, vt ex verbis sequentibus intelligitur, sicut monuit Euthym.

Quis est hic?) Non ignorabant, quis esset Christus, cùm eum per tres iam annos cognouissent; sed sensus est, quantus hic est, vt tantum honoris mereatur? sicut dicebant Nazareni cap. 13.55. *Nonne hic est fabri filius?*

11. *Populi autem.*) οἱ δὲ ὄχλοι. Turba, quæ aliunde secuta eum fuerat, non autem Ierosolymitanus populus. Opponit enim rusticam turbam, quæ Christum secuta fuerat, Ierosolymitanis ciuibus, quòd hi per contemptum & inuidiam dicerent, *Quis est hic?* illa per fidem responderet: *hic est Iesus Propheta a Nazareth.* Cum autem Prophetam vocat, non qualemcumque, sed Messiam illum iam olim promissum, diúque expectatum intelligit, vt ex superiore acclamatione perspicitur; propterea enim dixerat. *Hosanna filio Dauid, & Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Non enim regis solùm, sed etiam Prophetæ nomine Messias promissus erat, vt Deuteronomij 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*; quod Petrus Act. 3.22. & Stephanus 7.37. de Christo interpretantur.

Triplex Christi patria.

A Nazareth.) Triplicem patriam Christum habuisse, Bethlehem in qua natus; Nazareth, in qua educatus; Capharnaum, in qua plerumque versatus est. c. 9.1. expositum.

12. *Et intrauit Iesus in templum Dei.*) Non satis compertum est quando Christus in templum intrauerit. Sunt qui dicant eum recta via asino insidentem per mediam vrbem progressum, & in templum intrasse. Alij non eo die, quo in vrbem ingressus est, sed postridie; quemadmodum videtur narrasse Marcus c. 11. 15. Matthæum autem per anticipationem dixisse Christum in templum ingressum esse. Alij è contrario eadem die, qua in vrbem ingressus est, in templum etiam ingressum; Marcum verò non seruasse ordinem narrationis: sed per recapitulationem, quod præcedenti die gestum erat, sequenti narrasse. Ita sentit D. Aug. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 68. quod ex ver. 17 confirmat, *& relictis illis abiit foras extra ciuitatem* quibus verbis indicat Euangelista Christum antequam ex vrbe exiret, vt iret Bethaniam, disputationem, quam Matthæus, & Marcus narrant, cum sacerdotibus habuisse: quamuis Marcus eam non narret, nisi secundo die, cùm Christus Bethania Ierosolymam rediisset. Alij, vt Matthæum, Marcúmque concilient vtroque die Christum in templum ingressum fuisse dicunt; quod probabile quidem est, quia quotiescunque Ierosolymis Christus erat, templum frequentabat: sed est dictum abs re, quia Euangelista non de quocunque Christi in templum ingressu: sed de eo tantùm loqui voluerunt, quo ea, quæ loquuntur, gesta sunt; vt pueri, qui in templo erant, acclamarent, *Hosanna filio Dauid*, & sacerdotes Christum interrogarent, vtrum ea quæ dicerentur, audiret. Ita autem non secundo; sed primo die accidisse probabile est, cum pueri adhuc clamarent *Hosanna*, quod primo potiùs quàm secundo die fecisse credendum est. Itaque D. Augustini sententia multo mihi videtur probabilior. Scribit etiam Ioannes cap. 2.14. similem historiam; sed vero simile est, quod Chrysostomus, Augustinus & Euthymius existimant, similem esse non eandem, bisque Christum è templo venditores, & ementes eiecisse. Cum autem in templum dicitur ingressus, prima pars templi intelligenda est, quæ atrium, & porticus Salomonis appellabatur, vbi docere, & ambulare solebat Christus Ioannis 10.23. Is enim locus patebat omnibus. Actorum 3.11. & 12. nam in reliquas duas templi partes, non nisi sacerdotes ingrediebantur, vt ait D. Paul. ad Hebræos 9.6. & 7. In atrio ergo templi & venditores, & ementes versabantur.

Cuncta expiscatus huc euocat.

Vendentes.) Non possumus hunc locum melius, quàm Hieronymi verbis interpretari. *Et hoc, inquit, primo sciendum, quòd iuxta mandata legis augustissimo in toto orbe Domini templo, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo confluente innumerabiles immolabantur hostiæ, maximè festis diebus tauorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, & turtures offerentibus; accidebat plerumque, vt, qui de longè venerant, non haberent victimas: excogitauerunt igitur sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat, ad sacrificia vendebant, vt & venderent non habentibus, & ipsi rursum empta susciperent. Hanc scropham communem crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant singulis, & non solum hostias non habebant; sed ne vnum emerent quidem aues, & vilia munuscula. Posuerunt itaque & nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam: sed quia erat lege præceptum, vt nemo vsuras accideret, & prodesse non poterat pecunia fœneratæ, quæ commodi nihil haberet, & interdù sortem perderet, excogitauerunt & aliâ technam, vt pro nummulariis colybistæ fierent, cuius verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Colyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula, verbi gratia frixa cicera, vuarumque passarum, & poma diuersi generis. Igitur quia vsuras accipere non poterant, colybistæ, qui fi-*

cunctis fœnerati erant, pro vsuris accipiebant varias species, vt quod nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis coemuntur. Cætera mihi placent; illud tantum certum non est quod Hieron. refert, eam consuetudinem à sacerdotibus introductam esse.

Et cathedras vendentium columbas euertit. D. Hieronymus hoc loco, & Ambros. in cap. 19. Lucæ, non putant posse hoc ad verbum intelligi, absurdum existimantes columbarum venditores, tanquam doctores legis cathedras habuisse. Itaque ad mysticum sensum confugiunt, venditores columbarum Episcopos esse, qui dona Spiritus sancti pecunia vendunt: hi enim in Ecclesijs cathedras habent, quam allegoriam & cæteri omnes veteres interpretes secuti sunt; sed non sublato tamen litterali sensu. Igitur venditores columbarum cathedras, in quibus sederent, habuisse credendum est, non quales legis doctores; sed quales eiusmodi rerum in foro venditores habere solent. Cur ergo dicet aliquis non potius dicitur nummulariorum, quàm columbas vendentium cathedras euertisse, cùm nummularij potiùs, quàm columbarum venditores cathedras habere solent? Respondeo voluisse Euangelistam dicere, quod erat maius; prætermittere, quod minus; in nummularijs autem maius erat eorum mensas vnà cum pecunia, quàm eorum cathedras euertere: propterea mensas non cathedras dixit euertisse. Meritò mirantur multi, quomodo nummularij, & reliquum hominum genus auarissimum Christo non restiterint. Rectè Hieronymus respondet, *Plerique arbitrantur maximum esse signorum, quod & Lazarus suscitatus est, quòd cæcus ex vtero lumen acceperit, quòd ad Iordanem vox audita sit patris, quòd transfiguratus in monte gloriam ostendit triumphantis. Mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur, Scribis, & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam, atque sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie.*

Pharisæi contra se sæuientibus, & videntibus lucra sua destrui.

13. *Scriptum est.*) Quod Ieremias de hominibus sui temporis dixerat, ad nummularios & vendidores columbarum accommodat. Simile exemplum notauimus supra cap. 15.8. vbi non interpretatur prophetiam, sed ad personas similes accommodat.

16. *Ex ore infantium.*) Dubium, an qui clamabant, infantes omnino fuerint, an pueri iam grandiusculi, qui, cum turbam clamantem audiuissent, *Hosanna filio Dauid*, eandem cantionem, vt ea solet ætas, imitati sunt. Hilarius auctor imperfecti, & Strabus pueros quidem, sed non infantes fuisse putant. Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus infantes; quod ego multo magis probo, & quia id Christi gloriam magis auget; & quia verba id significant, & quia eo sensu dicere videtur Christus, sicut apud Lucam cap. 19.40. de eadem re loquens dixisse dicitur *si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

Psalmus 8 Ex ore infantium.

Perfecisti laudem.) κατηρτίσω αἶνον, id est, perfectam laudem consecutus es. Eodem sensu dixit Dauid תכן, fundasti laudem, id est stabilem perpetuã, & immortalem laudem tibi comparasti. Quis apud Dauidem sensus sit, in commentarijs in Psalmum 8. 3. explicabimus. Dauidem se per ταπεινοφροσύνην infantem, & lactentẽ appellasse, ex cuius ore gratias pro deuicto Goliath agentis magnam Deus laudem consecutus esset, vt statim sequitur, *vt destruas inimicum, & vltorem*, id est, quia inimicum, & vltorem destruxisti: hunc enim

sensum Hebraica verba recipiunt. Obseruandum est Christum se in huius accommodatione sententiæ Deum declarare. Nam quod Deo Dauid dixerat sibi dictum esse interpretatur.

17. *Et relictis illis.*) Principibus sacerdotum, & Scribis, de quibus versu 15. dictum erat. Quo autem consilio eos reliquerit, variæ sunt sententiæ. Euangelista quidem ita videtur scribere, vt Christum significet certa aliqua, & non leui de causa eos reliquisse. Alioqui non erat, quòd diceret, *& relictis illis abiit foras*; satis erat, vt scriberet eum se in Bethaniam recepisse, quòd ibi haberet hospitium; cum autem dicit *& relictis illis*, significare videtur eorum causa discessisse. Ergo Chrysost. auctor imperfecti & Euth. propterea eos reliquisse dicunt, ne ab illis ante tempus comprehenderetur. Theophylact. verò, quòd eius præsentia, atque colloquijs indigni essent. Vtrumque probabilius, quàm quod Hieronym. Beda, & Strabus existimant, non alia de causa discessisse, quàm quòd, pauper cùm esset, hospitium in tanta ciuitate non inueniret. Nec enim credibile est neminem fuisse, cum tam multi iam in eum credidissent, qui domo vellet recipere.

18. *Esuriit.*) Sunt, qui existiment non esurijsse verè, cum matutinum esset tempus; sed, vt occasionem acciperet edendi miraculi, esurire finxisse, vt sentit Euthymius, nescio etiam, an Augustinus libro secundo, quæstionum Euangelicarum, quæstione 51. Id est valde probabile. Nam, vt postea dicemus, etiam finxit in ficu se fructum quærere, cùm non ignoraret fructum non habere. Certè si verè esurij, rectè mihi videtur Chrysostomus existimare non naturalem fuisse famem; sed voluntariam, & sponte accersitam, vt causam haberet miraculum edendi, quemadmodum cap. 8. 24. docuimus tempestatem illam, quæ ipso cum discipulis nauigante sæuire cœpit, non naturalem; sed eius studio, & voluntate excitatam fuisse, vt occasionem haberet ventis, marique imperandi, & ostendendi potestatem ac diuinitatem suam.

19. *Et nihil inuenit in ea.*) Fructum in ficu Christum non inuenisse non est mirum, cùm, vt scribit Marcus c. 11. 13. ficorum tempus non esset; erat enim dies mensis Martij vndecimus, vt ex Euangelistis apertè colligitur: quæ fuisse mirum est. Quod hæreticorum scribit interpres Christum quæ fuisse in arbore fructum, quòd nondum cognouisset, quænam arbor esset, putasséque, cùm longè vidisset, aliquam aliam arborem esse ex ijs, quæ tunc maturum fructum haberent ridiculum est. Nam neque, quæ esset arbor Christus ignorare potuit, neque vllam arborem eo tempore maturum fructum habere potuisse. Et vt fingamus, quemadmodum hæreticus dicit, Christum arborem non cognouisse; cur illi maledixit, cum ficum esse videret, quæ nondum maturos deberet habere fructus? Sciens ergo, & prudens Christus ad arborem diuertit, neque ignorans esse ficum, neque fructum non habere: sed fingens se quærere more hominum, quod se sciebat inuenturum non esse; sicut, vt miraculi occasionem captaret, vt Augustin libro secundo, quæstionum Euangelicarum quæst 51. & Chrysost. & Euthymius in hunc locum scribentes existimant, siue, vt ego arbitror, vt mysterium, de quo paulò pòst dicemus, declararet. Altera quæstio est, cur arbori maledixerit, eámque arefecerit, quasi punire vellet, quòd fructum non haberet, cùm habere non deberet eo tempore, quemadmodum Marcus quasi arborem excusans dixit, *non enim erat tempus ficorum.* Id ego non irę impetu, qui in Christum cadere non poterat, non pœnæ inferendæ caussa, quam nec

Caluinus in harm.

Cur Christus ficum arefecit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

arbor merebatur, nec poterat sentire, si mereretur: sed solo mysterio factum credo; quemadmodum Origenes tractatu in Matthæum 17. Hilarius, & Hieronymus putant. Mysterium autem fuit, quòd cùm Synagoga arbor esset, à Deo in vinea sua plantata, fructumque in ea sæpe quæsiuisset, nunquam inuenisset vllum: quemadmodum apud Isaiam dicit c. 5. 2. *Expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas*, & vt per aliam apud Lucam parabolam declaratur c. 13. 6. 7. *arborem, inquit, sici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit: dixit autem ad cultorem vineæ. Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* quemadmodum ergo ille succidit, ita Christus arefecit, id est legem veterem, & Synagogam, quia bonorum operum fructus non ferebat, abrogauit, hoc est, quod alia parabola paulò pòst docet, cuius conclusio est versu 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*; indicat enim propterea gentibus dandum, quia fructus factura erant: propterea Iudæis auferendum; quia fructus non fecerant; sed filium potius domini sui, & hæredem vnicum occiderant. At videtur per arborem significari nondùm fuisse tempus, vt Synagoga fructus afferret; *non enim erat tempus ficorum*. Respondeo non eius rei causa arefactam fuisse ficum: sed tantùm voluisse Christum facto illo sine vllis verbis declarare se Synagogam arefacturum, quia fructum non afferebat: quemadmodum arbor illa fructum non habebat; in eo igitur tantum, quod Christus docere voluit, ficus Synagogæ similis esse debet, quòd neutra fructum habebat. In eo verò, quod Christus dicere noluit; similis esse non debet, vt quemadmodum tempus non erat, vt ficus haberet fructum; ita tempus nondum esset, vt Synagoga bona opera faceret; etsi scio aliter Hieronymum interpretari: hoc enim inter arbores, & homines interest; quòd arbores natura sua non nisi certo quodam anni tempore fructus ferre debent; homines verò debent toto vitæ suæ tempore benefacere. Tota vita nobis est ætas, tota debet esse frugifera; nec quicquam nos præter voluntatem nostram steriles facit.

20. *Et videntes Discipuli.*) Die sequenti, qui tertius fuit ab eo, quo Ierosolymam Christus ingressus fuerat, cùm iterum Ierosolyma Bethaniam reuerterentur, vt apparet ex Marco.

21. *Et non hæsitaueritis. ἐὰν μὴ διακριθῆτε*; & non disceptaueritis, vt solent qui dubitant apud se in vtramque partem argumentari. Ita Act 10. 20. & Rom 4. 20.

Non solùm de ficulnea.) ἀ μόνον τὸ τῆς συκῆς, non solùm, quod in ficu factum est.

24. *Interrogabo & ego vos.*) Non respondet Christus ad quæstionem sacerdotum, ne audita veritate magis irritentur, sed alia proposita quæstione vult, vt eam soluentes ipsi sibi respondeant. Nam non poterant respondere baptismum Ioannis ex cælo esse, quia omnium testimonio conuicti fuissent confiteri Christum non humana, sed diuina potestate facere, quæ faciebat, quia Ioannes de illo testimonium præbuerat, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ioan. 29. Baptismum autem Ioannis vocat Christus non solùm baptismum, quo homines aqua baptizabat, sed omnem eius professionem omne institutum, omnem prædicationem, atque doctrinam; quemadmodum nomine circumcisionis tota lex Moysis intelligebatur, vt ait Paulus ad Galat 5. 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.*

27. *Nec ego dico vobis.*) Non respondet, nec ego scio, sicut illi dixerant, *nescimus*, quemadmodum sermonis consequentia postulare videbatur, quia id verè respondere non poterat, sed respondet, *nec ego dico vobis*. Itaque particula illa *nec*, quæ similitudinem significare soler, non significat hoc loco similitudinem eius, quod dicitur, id est *nescimus*; sed eius, quod intelligitur, aut, quod consequitur; quòd nimirum non dixerunt Christo, vnde esset Ioannis baptismus; nec Christus dixerat illis, in qua potestate faceret, quæ faciebat.

28. *Homo quidam habebat duos filios.*) Noluerant sacerdotes ad Christi quæstionem respondere, ne respondentes Christi auctoritatem afferre cogerentur, cum non ignorarent tamen Ioannis baptismum ex Deo, non ex hominibus fuisse. Quod ergo illi respondere noluerant, Christus nunc proposita docet parabola diuinum fuisse Ioannis baptismum, eosque penitus inexcusabiles, quòd cùm publicani, & meretrices Ioanni crediderint, & ad eius prædicationem egerint pœnitentiam, ipsi nec illi credere, nec pœnitentiam agere voluerint. Parabola, quæ vsque ad versum 32. extenditur, facilis est. Homo, qui duos habebat filios non dubium, quin Deus sit. Magistratibus, qui duo sint filij. Mirum quanto consensu veteres interpretes duos filios populos duos Gentilem, & Iudaicum fuisse dixerint: quorum prior à Deo per naturalem legem iussus in vinea sua laborare respondit se nolle, quia ne legem quidem naturæ seruare voluit, postea ductus pœnitentia in vineam venit, id est non solùm naturalem: sed Euangelicam etiam legem receperit, atque seruauerit. Contra Iudaicus iussus à Deo in vineam ire, id est legem seruare, respondit se iturum esse, *Cuncta, inquit, quæ locutus est Dominus, faciemus*, postea non iuit, id est non fecit, quæ in lege præcepta fuerant. Ita Origen. tractatu in Matth. 18. & Athanasius quæstione 59 Chrysostom. auctor imperfecti, Hieron. Beda & Euthym. hoc loco, Caterũ probabile est ex versu 31. vbi parabola concluditur duos filios duo hominum Iudæorum genera significare: primum plebem, & publicanos, meretrices, & peccatores, qui iussi à Deo in vinea sua laborare, id est obseruare legem, non verbis, sed factis se nolle ceperunt, quia non obseruarunt: posteà verò Ioannis exemplo & prædicatione commoti, ducti pœnitentia non solùm veterem legem seruauerunt: sed Euangelicam etiam receperunt; secundum sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, qui in vinea iussi laborare se responderunt ituros esse, id est legis obseruationem, & quidem seueram, atque perfectam profitebantur: sed reuera non ierunt, quia legem minimè seruarunt, neque Ioanni, de quo Prophetæ locuti fuerunt, crediderunt, vt Christus ipse versu 31. & 32. declarat; quod etsi facile est, tamen solus quod sciam, inter veteres auctores auctor imperfecti animaduertit. Credibile tamen est, & ne ab omnibus antiquis auctoribus discedamus, pium existimare etiam hunc Christum respexisse, vt Gentilem, & Iudaicum populum obscurè, & obliquè significaret. Nam publicanos & meretrices Gentilium; sacerdotes verò, Scribas, & Pharisæi Iudæorum expressa imago esse videbantur, & videmus alio loco Christum simili duorum filiorum parabola Gentilem, & Iudaicum populum significare voluisse, Lucæ 15. 20.

31. *Publicani, & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.*) Videtur Christus his verbis indicare etiam sacerdotes, quibuscum loquebatur, in regnum Dei ingressuros esse: quem admodum & Orig. interpretatur, quasi Christus significet non eos quidem ipsos, cum quibus agebat; sed alios tamen sacerdotes sub finẽ mundi, cum, vt ait D. Paulus, plenitudo gentium intrauerit,

intrauerit, cõuertendos esse, & in regnum Dei ingressuros. At non id mihi videtur indicare Christus voluisse: sed potiùs sacerdotes in regnum Dei ingressuros non esse. Dicit autem publicanos, & meretrices præcedere, non quòd illi sequantur: sed quòd, cum legis doctores essent, præcedere deberent, & non solùm non præcedent, sed ne sequentur quidem, quemadmodum cap. 8. 11. 12. dixit, *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Adde, quòd, nisi fallor, sensus huius loci est, præcedunt vos in regno cælorum, id est viam vobis ostendunt, exemplum vobis præbent; sicut versu sequenti explicatur, *Vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis ei*: id est cum videretis publicanorum, & meretricum exemplum qui Ioanni credebant, & pœnitentiam agebant, ne eorum quidem exemplo prouocati, aut credere, aut pœnitentiam agere voluistis; propterea, vt opinor, non dixit ὅτι ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, in regno Dei, sed εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, in regnum Dei.

31. *Venit enim ad vos Ioannes.*) Nunc respondet, quod sacerdotes respondere noluerunt, docérque Ioannem à Deo missum fuisse, proinde eius baptismum non humano, sed diuino consilio institutum.

In via iustitiæ.) Hebraismus est, בְּדֶרֶךְ צֶדֶק id est, per modum iustitiæ, iustitiam præ se ferens habitu, & moribus viri iusti. Videtur enim Christus non tam de vera, internáque iustitia, (etsi in Ioanne verissima fuerat) quàm de ea, quæ sacerdotum opinione sola iustitia esse videbatur, posita in solis rebus externis, in habitu, in ieiunio, & alijs eiusmodi, quæ fuerunt in Ioanne singulares, & sicut c. 11. 18. dixit, *venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet.* Cum ergo eam iustitiam Ioannes præ se ferret, quam sacerdotes aut solam, aut maximam esse iudicabant, excusationem nullam habebant, quamobrem illi non credidissent.

31. *Videntes.*) Publicanos, & meretrices credere, vt paulò antè exposuimus, & Euthym. hoc loco interpretatur.

Nec pœnitentiã habuistis, vt crederetis ei.) Duo Christus in sacerdotibus reprehendit; incredulitatem, qua nuntio Ioanne non crediderunt; & pertinaciam, atque obstinationem, qua postea quàm vidissent etiam publicanos, & meretrices credidisse, credere noluerunt: hoc est, quod dicit, *nec pœnitentiam habuistis postea*, id est, nec postquàm eorum exemplum vidistetis, sententiam mutare voluistis.

33. *Aliam parabolam audite.*) Matthæus Christum introducit ijsdem sacerdotibus parabolam proponentem: Lucas verò c. 20. 9. plebi, *cæpit*, inquit, *dicere ad plebem parabolam hanc.* Facilè à multis ea quæstio soluta est Christum sacerdotibus in primis, cum quibus disputabat, parabola proposuisse, sed quia circumsula, & audiente plebe proposuit, Lucas scripsit ad plebem dixisse. Cæterum, quod in omnium parabolarum explicatione solemus, id est hoc loco memoria repetendum, ea, quæ quasi necessaria, & propria parabolæ membra sunt ab ijs, quæ sunt adiuncta, &, vt ita dicam, accidentia diligenter distingui oportere. In hac igitur parabola, quæ vsque ad versum 42. tractatur, sex mihi partes propriæ esse videntur, ac necessariæ. Prima est, homo quidam, qui vineam plantauit, per quem nemo dubitat Deum significari. Secunda est, vinea, quam plantauit, quam Athanasius quæstione 49. mundum, quem Deus condidit, interpretatur; Irenæus verò lib. 4. cap. 70. vniuersum humanum genus; quod si ita est, qui erunt coloni, quibus eam Deus locasse dicitur? Itaque melius alij omnes auctores vineam Ecclesiam interpretantur, in qua voluit Deus homines laborare. Vsitata in scripturis metaphora est, vt Psalm. 79. 9. *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam.* Similis metaphora est apud Isaiam c. 5. 2. & apud Ieremiam cap. 2. 21. & cap. 12. 10. & apud Ioëlem cap. 1. 7. plantasse autem vineam dicitur Deus, cum legem dedit, quia notitiam sui per eam in animis hominum quodammodo plantauit, vt D. Augustinus ait sermone de verbis Domini 59. Tertia est, quòd sepem circundederit, quòd torcular in ea, & turrim ædificauerit; quæ tria vnam tantùm, vt mihi videtur, partem efficiunt; nihil enim aliud his tribus rebus significatur, quàm Deum fecisse Ecclesiæ suæ, quicquid facere debuit, vt benè & custoditi, & coli posset; quemadmodum dicit apud Esaiam c. 5. 4. *Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Proposuit enim Christus ea, quæ domini vineatum facere solent, vt coloni nihil ab illis desiderare possint, quominus vineam bene colant, & partos fructus reddant. Solent autem, qui vineam plantant, primùm sæpè cingere, ne aut bestiæ, aut fures possint irruere. Deinde torcular ad colligendam, premendámque vindemiam ædificare. Postremò turrim partim ad ornamentum, partim vt ex ea vinitor speculetur, ne quis in vineam inuadat. Etsi scio omnes veteres auctores existimare hæc tria suam quodque habere significationem. Nam sepem plerique Dei tutelam, & Angelorum custodiam interpretantur, vt Origenes, tractatu in Matthæum 19. Ambros. in c. Lucæ 20. auctor imperfecti, & Hieronym. hoc loco: sicut Psalmo 79. 13. dicitur, *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?* maceriam enim eius Deus destruxisse dicitur, quia auxilium, quo eam protegere solebat, atque tueri, retraxit, & ab ea quodammodo discessit, vt dicitur versu 15. *Deus virtutum conuertere, respice de cælo, & vide, & visita vineam istam.* Alij sepem nomen Abraham, Isaac, & Iacob, quo Iudæi à cæteris Gentilibus distinguebantur, esse dicunt, vt Hilarius canone vigesimo secundo. Alij legem, atque præcepta, quibus Iudæi, quasi certis limitibus concludebantur, ne quicquid liberet, facerent, vt Irenæus libro secundo, cap. 70. & auctor imperfecti homilia 40. Torcular verò plerique interpretantur altare, quod victimarum sanguine, quasi musto redundabat, vt Origenes, Hieronymus, Beda, Euthym. & Theophylact. alij Prophetarum spiritum, qui quasi mustum feruebat, vt Irenæus loco paulò antè notato, Hilar. Ambros. quam interpretationem & Hieronym. approbat; alij Ecclesiam, vt auctor imperfecti; alij baptismum, vt Athanasius quæstione 49. quod minimè omnium probabile est, cùm Christus non de Ecclesia Euangelica, sed de Iudæorum loquatur Synagoga in qua aut baptismus non erat, aut non poterat per torcular significari. Turrim autem plerique interpretantur templum Ierosolymitanum, vt Origen. Hieronym. Beda, Theophylact. Euthym. Alij vrbem ipsam Ierosolymitanam, quæ vna ex parte in monte sita erat, vt Irenæus; alij legis altitudinem, vt Ambros. capite 20. Lucæ, auctor imperfecti, & Hieronym. hoc loco. Quarta pars sunt coloni, quibus vinea locata fuisse dicitur. Per colonos autem multi auctores solos sacerdotes, Scribas, & Pharisæos intelligũt, qui colendæ vineæ, id est populum docendi munus susceperant, vt Origen. Hilar. auctor imperfecti, Eutymius & Theophylactus, quorum opinionem confirmat quòd Christus cum solis sacerdotibus disputabat, & in eos parabolam proponebat, & quòd reliquus Iudæorum populus non tam coloni, quàm vineæ fuisse videatur. Ex parabolæ tamen conclusione

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ ponitur versu 43. intelligitur colonos non solos sacerdotes, sed totam Iudæorum gentem vocatos fuisse, quia concludit Christus vineam Iudæis auferendam, & aliis colonis, id est gentibus elocandam. *Auferetur*, inquit, *a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Atque hoc modo Ambrosius interpretatur. Locasse autem Deus colonis vineam suam dicitur, quia in ea laborantibus mercedem certam vitæ æternæ promisit; quemadmodum alia etiam vineæ parabola c. præcedenti declaratum est. Itaque vel ex solo locationis verbo, insaniant licet hæretici, bonorum operum merita probantur. Quinta pars sunt serui, quos dominus vineæ diuerso tempore, vt fructus colligerent, diuersos misisse dicitur, per quos omnes auctores consentiunt, & ex verbis Christi manifestum est veteres prophetas significari. Quomodo autem alij occisi, alij lapidati sint, si quis ignorat, epistolæ ad Hebræos c. 11. & Hieronymi in hunc locum legat commentarios. Sexta est filius, quem dominus vineæ ad extremum misit. Eum esse Christum ne illi quidem sacerdotes, in quos iactata parabola est, ignorare potuerunt. Hæc propriam habent, & necessariam significationem: cætera, quæ in parabola videmus, adiectitia sunt, & ad significationem trahi non debent, ne quid violenti, aut absurdi dicamus, & dum nimis mulgemus, sanguinem elicia-mus: eiusmodi sunt sepes, torcular, turris. vt supra explicauimus, domini peregrè abitus: quanquam per eam domini peregrè profectionem Chrysostomus. Theophylact. & Euthym. diuturnam Dei erga Iudæos patientiam significari volunt. Hieron. verò & Beda liberum illis arbitrium relictum esse, vt si vellent, laborarent; si nollent, non laborarēt; quemadmodum eiusmodi seruis absente Domino, aut laborare, aut cessare liberum esse solet. Mihi, vt dixi, non videtur hæc pars certam, necessariámque habere significationem; sed ad explendam, ornandámq; parabolam adiecta. Si quis tamen significationem aliquam eliciendam esse contendit, illa mihi maximè placet, quam Origenes tractatu in Matthæum 19. & Theophylactus elicuerunt, dominum vineæ, id est Deum peregrè profectum esse, quia cùm Iudæis in monte Sina apparuisset, vt vineam illis suam locaret, id est vt legem daret, & fœdus cum illis de ea seruanda sanciret, posteà apparere desiit, quasi peregrè discessisset. Adiectiuum etiam est, quòd in parabola dicitur tempus fructuum appropinquasse; quasi non semper tempus fuerit fructuum; aut quasi non semper Deus à Iudæis bonorum operum fructus exegerit. Non enim ita est; sed, vt diximus supra versu 19. semper fructuum tempus fuit. Deinde, quòd dicitur, *verebuntur filium meum*; nec enim id ideo dictum est, quod ad parabolæ significationem necessarium esset, sed quòd esset vero simile id dominum vineæ, cùm filium suum mitteret, dicturum fuisse. Chrysost. Euthym. & Theophylact. legunt *forte verebuntur filium meum*: quemadmodum & apud Lucam cap. 20. 13. legitur. Quod ideo dicisse putarunt, vt indicaret dominus vineæ, quid coloni facere deberent, non quòd ignoraret non reuerituros filium suum esse: & ne se Dei prædictione coactos fuisse diceremus. Sed non dubito ista omnia tanquam de homine, non tanquam de Deo dicta esse. Homo autem non potuit scire fore, vt coloni filium suum occiderent; potiùs debuit credere fore, vt reuererentur.

Merita bonorum operum.

41. *Aiunt illi, malos malè perdet.*) Marcus c. 12. 9 & Lucas c. 20. 16. hæc verba non à sacerdotibus: sed à Christo dicta fuisse tradunt. E contrario verò Lucas scribit sacerdotes respondisse, *absit*, quasi quod Christus dixerat, negarent, & abominarentur. D. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 70. respondet hæc verba, vt ait Matth. à sacerdotibus dicta fuisse: sed quia vera erant &, quicquid verum est, à veritate proficiscitur; veritas autem erat Christus; alios duos Euangelistas Christo illa tribuisse, coactum hoc videtur. Itaque probabilius est, quod Chrysost. & Euth. respondent, hæc verba, vt Matthæus scribit, primùm à sacerdotibus dicta: Christum verò & conticmasse, & explicasse ita vt sacerdotes intelligerent illum contra se loqui, velléque significare fore, vt Deus illos, tanquam malos colonos disperderet, & vineam suam alijs agricolis elocaret; propterea Marcum & Lucam illa Christo tribuisse; tunc autem respondisse sacerdotes, quod Lucas ait, *absit*.

42. *Nunquam legistis.*) Exprobrat sacerdotibus legis scientiam profitentibus legis ignorationem, vt supra ver. 16 & c. 12. 3. & 5. & c. 19. 4. confirmat Christus alia metaphora, & scripturæ testimonio euenturum esse, quod sacerdotes abominati fuerant dicentes, *absit*. Itaque nisi Lucas id expressisset, hic locus non satis cum præcedentibus hærere videretur. Nunc autem, vt D. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 70. animaduertit, rectè hæret. Nam quia sacerdotes dixerant *absit*, negantes id euenturum, quod Christus comminabatur, Deum illos malè perditurum; probat id euenturum, quia lapis quem ipsi ædificantes reprobauerunt, factus est in caput anguli, & qui ceciderit super eum, conteretur; super quem autem lapis ceciderit, conteret eum. Mutauit Christus subitò metaphoram: quemadmodum alijs locis eum fecisse animaduertimus. Nam Ecclesiam, quam prius vineæ comparauerat, nunc comparat ædificio, quia Dei ædificatio est, vt ait D. Paulus 1. ad Corinth. 3. 9. & 2. ad Corinth. 13. 10. & ad Ephes. 2. 21 & 4. 12. & quos priùs colonos, nunc ædificantes; quem priùs filium, nunc lapidem appellat. vt Hieronym. & Euthym annotauerunt. Christum lapidem vocari vsitata in scripturis metaphora est, Isaiæ 28. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretiosum, in fundamento fundatum:* & Danielis 2. 34. Christus est lapis ille, qui de monte sine manibus abscissus fuisse dicitur, & Zachariæ c. 2. 9. *Ecce lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt.* Dicitur autem Christus lapis Ecclesiæ respectu, quia firmum eius fundamentum est, vt declarat D. Paulus 1. ad Cor. 3. & ad Ephes. 2. 20. nec dubium est, quin Dauid Psalmo illo 117. 22. vnde hoc testimonium sumptum est, de Christo locutus fuerit eúmque lapidem appellauerit, quod ne ipsi quidem sacerdotes Christi aduersarij differi potuerunt.

Lapidem, quem reprobauerunt.) Hebraismus est, quem Septuaginta frequentissimè imitati solent, vt Genesis 31. 46. eum etiam Græcus Matthæi interpres, & Græci Latinus secutus est, *lapidem, quem reprobauerunt*, pro lapis, quem reprobauerunt; nam Latini vix ita loquuntur.

Ædificantes.) Hic etiam Hebraismus est, quo participium præsens ponitur pro nomine verbali officium significante, id est ædificatores, architecti, vt supra c. 9. annotauimus: quos autem Christus, & ante Christum Dauid ædificantes appellauerit, non consentiunt interpretes. Nam quidam solos sacerdotes ita vocari putant, vt Chrysostom. Euthym. & Theoph. quia illi quasi architecti erant veteris Synagogæ, qui eam ædificabant, id est docebant; ædificare enim, docere est, vt Ieremias 1. 10 ad Roman. 15. 20. ad Corint. 3. 10. ad Galat. 2. 18. ad Ephes. 2. 20. sicut D. Paulus se Euangelij architectum appellat 1. ad Corint. 3. 10. Ita videtur hunc locum D. Petrus exponere

Actorum 4. 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.* Alij ædificantes omnes Iudæos generaliter vocari dicūt, quia omnes quamuis non singuli Christum reiecerunt; hoc enim est, quod dicitur *reprobauerunt*, id est quasi inutilem, & ad ædificium ineptum abiecerunt, vt dicunt impij, Sapientiæ 2. 12. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata disciplinæ nostræ.*

Hic factus est in caput anguli.) Id est caput anguli Hebraissimus quales multos supra notauimus cap. 19. 5. Caput autem anguli, id est lapis in ædificio angulum efficiens tribus de causis appellatur Christus. Primùm quia est firmissimus, totius ædificij lapis, qui totum continet, atque sustentat: qui sensus à D. Petro declaratur Actorum 4. 11. cum dicit, *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli*, id est primus, optimus: opponit enim caput angulī reprobationi; sicut honorem iniuriæ, vt Isaias appellauit lapidem pretiosum, id est qui honoratissimo in loco positus est. Eodem sensu D. Paulus explicauit ad Ephes. 2. 20. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo*: angularem enim interpretatur summum, ac primum, quo totum nititur ædificium. Secundò, quia est lapis offensionis multis. Solent enim angulares lapides extra ædificium extare. Itaque qui minùs cauti sunt, dum prætereunt, ad angulum offendunt: sicut Iudæi ad Christum, tanquam ad angulum offenderunt. Hunc sensum disertis verbis D. Petrus explicauit 1. epist. cap. 2. 7 & 8. *Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt in verbo, nec credunt, in qua positi sunt:* eundem etiam sensum videtur D. Paulus secutus esse ad Rom. 9. 32. 33. Tertiò, quia diuersos populos Iudaicum, & Gentilem inter se nexit, faciens vtraque vnum, *& medium parietem maceriæ soluens*, vt ait D. Paulus ad Ephes. 2. 14. quam interpretationem omnes fere veteres auctores secuti sunt, vt Origen. tractatu in Matth. 19. Hilar. canone 22. Augustinus in Psalmum 88. & 99. & tract. in Ioann. 9. & 18. & 49. de verb. Domini, & Hieronym. Theophylact. Beda, & Euthym. hoc loco omnes tres sensus videtur Christus colligere voluisse; primum, quia significat se à Iudæis reprobatum maiore in honore apud gentes futurum esse; secundum, quia significat fore, vt Iudæi ad eum impingant, & confringantur; vt statim declarat, *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur*; tertium, quia indicat se hoc facturum Iudæi, vt ab vno populo reiectus pro vno duos habeat, id est tanquam angularis lapis duos parietes coniungat; atque connectat.

A Domino factum est istud.) ἀπὸ κυρίου facta est hæc. Hebraismus, quia, vt omnes sciunt, apud Hebræos fœmininum genus pro neutro poni solet, quod sæpe & Septuaginta, & Latinus interpres imitantur, vt Psalmo 26 4. *vnam petij a Domino, hanc requiram*, id est vnum. A Domino autem factum esse dicitur, quia à solo Domino non humano cōsilio factum est, vt non credentibus Iudæis crederent gentes, & vt abscissis ramis oleastri surculi in bonæ oliuæ truncum inserentur, vt copiosè & subtiliter in epistola ad Rom. ca. 11. disputat D. Paulus.

Et est mirabile in oculis nostris.) Hic etiam est Hebraismus esse mirabile in oculis, id est mirabile videri; meritò autem Iudæi, quorum persona apud Dauidem hoc dictum est, mirabile sibi videri dicunt, vt gratia Christi non solum Iudæi, sed multo etiam largius maligne à Iudæis reiudicata gentibus detur, cùm hoc mysterium ne ipse quidem Petrus iam princeps Apostolorum factus intelligeret Act. 10. 14. nec intelligere potuisset, nisi demisso cælitus linteo omne animalium genus continente edoctus fuisset.

43. *Auferetur à vobis regnum Dei.*) Hæc est parabolæ conclusio, qua significatur abolendam Synagogam, & Dei Ecclesiam, quæ regnum Dei hîc appellatur, & suprà per vineam fuerat significata, ad gentes transferendam: quemadmodum Actor. 13. 46. Paulus, & Barnabas Iudæis dixerunt, *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Quod Origenes annotauit priùs de vinea dictum esse versu 33. locatam fuisse agricolis; nunc autem non locari, sed dari gentibus: quasi priùs Iudæis propter merita promissa mercede locata sit; posteà gentibus gratis data subtile potius, quàm verum est. Nam neque Iudæi magis, quàm gentes, vt illis vinea locaretur, meruerunt; neque gentibus minùs, quàm Iudæis, si bene vineam coluerint, merces promissa est, ergo dari hoc loco, aut transferri, aut locati significat, vt ante.

Facienti fructus eius.) Id est, quos, vt proferret, vinea plantata est, & ad quos colligendos missi fuerant à Domino serui, versu 34. 36. 37. Cum autem dicitur, *& dabitur genti facienti fructus eius*, non quidem meritum, sed causa tamen significatur. quam ob rem gentibus danda sit, quia fructus eius facturæ sunt, id est bene eam culturæ, & fructus domino reddituræ: obliquè verò notatur Iudæorum culpa, cuius causa illis auferatur, quia nimirum fructus eius non faciebant, quod an ad quæstionem de prædestinatione, & reprobatione aliquid lucis afferat, iudicent docti; certè D. Paulus eodem modo dicit ad Roman. 11. 19. 20. *fracti sunt rami, propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas.*

Cur Christus lapis angularis fieri petuerit ap. Psalmist.

44. *Et qui ceciderit super lapidē istum, cōfringetur.*) Illud hoc loco manifestum est Christum duplicem pœnam, alteram minorem, alteram maiorem significare voluisse; quemadmodum, qui super magnum lapidem cadit, lædit quidem se, & membra sæpe confringit: sed multo minùs, quàm si lapis super eum de superiore loco caderet, eum enim prorsus comminueret. Illud dubium, quid sit super lapidem cadere, quid lapidem cadere super aliquem. Hæreticorum interpres cadere super lapidem esse dicit Christum tyrannorum more, quasi superiores illo simus, velle opprimere. Ineptè: isto enim modo, qui in Christum non credunt, & illum tamen non persequuntur, hac sententia non comprehenderentur, & minimè dubium est, quin de medio sit sumpta metaphora: cum autem aliquis super lapidem cadit, non ideo cadit, vt illum opprimat, atque confringat. Denique quis dubitat super lapidem cadere, esse ad Christum tanquam ad lapidem offendere? propterea enim lapis offensionis, & petra scandali vocatus est, Isaiæ 8. 14. & 1. Petri 2. 7. 8. auctor imperfecti, Hieronymus, & Beda existimant eos, qui in Christum credunt; sed tamen peccant, & illum offendunt, super lapidem cadere: quia puniuntur quidem, sed leuius; super eos verò, qui in Christum non credunt, lapidem cadere, id est grauiùs puniri. Chrysostomus, Augustinus serm. 40. de verbis Domini, Euthymius, & Theophylactus videntur sentire cadere supra lapidem esse non credere in Christum, qui mihi videtur proprius esse sensus: quia cadere super Christum eadem sententia dictum est, qua Christus lapis offensionis appellatur: Christus autem ideo vocatur lapis offensionis, quia multi eius miracula videntes, quibus, vt in eum crederet, adduci

Calvin. in harm.

debuerunt,raptùm abest,vt crederent,vt ea potius de causa calumniati eum sint. Hoc ergo est cadere super lapidem,idq; mihi videntur D.Paul. ad Rom.9.33. & D.Petr.1.epist.c.2.7.8.prorsus expressisse,*Non credentibus*,inquit,*factus est in caput anguli,& lapis offensionis, & petra scandali*. Non credere ergo est super lapidem cadere. Quid autem sit lapidē cadere super aliquem, id est obscurius. Chrysostomus, Euthym. & Theophylactus dicunt nihil aliud esse,quàm Christum illi iratum esse,sed vix quicquam hæc metaphora similitudinis haberet. Melius, vt mihi videtur, Augustinus sermone de verbis Domini 40. lapidem cadere super aliquem esse Christum de cælo ad eum iudicandum, & condemnandum venire. Itaque perinde est, ac si Christus dicat,miserum quidem esse etiam in hac vita, quisquis in se non credit, hoc est super lapidem cadere,miseriorem futurū in altera vita,cum ipse eum condemnauerit,hoc est,cum super eum lapis ceciderit; eodem prorsus modo, quo D. Ioann. in Apocal. cap. 2.11.20.6.14.& 21.8. mortem primam, & secundam, quasi duas pœnas, alteram minorem, alteram maiorem distinguit.

CAPVT XXII.

1. *Luc.14. d.16. Apoc.19. b.9.* ET respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: 2. *Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* 3. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias,& nolebant venire.* 4. *Iterum misit alios seruos dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias.* 5. *Illi autem neglexerunt:& abierunt, alius in villã suam, alius verò ad negotiationem suam:* 6. *reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.* 7. *Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* 8. *Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni.* 9. *Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias.* 10. *Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* 11. *Intrauit autē rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* 12. *Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestē nuptialem? At ille obmutuit.* 13. *Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius,mittite eum in tenebras exteriores:ibi erit fletus,& stridor dentium.* 14. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* 15. *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone.* 16. *Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum:* 17. *dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?* 18. *Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?* 19. *ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* 20. *Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio?* 21. *Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* 22. *Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.* 23. *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogauerunt eum,* 24. *dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo.* 25. *Erant autem apud nos septem fratres: & primus, vxore ducta, defunctus est: & non habens semen, reliquit vxorem suam fratri suo.* 26. *Similiter secundus, & tertius vsque ad septimum.* 27. *Nouissimè autem omnium & mulier defuncta est.* 28. *In resurrectione ergo cuius erit de septem vxor? omnes enim habuerunt eam.* 29. *Respondens autem Iesus, ait illis: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* 30. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cælo.* 31. *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis:* 32. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium.* 33. *Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius.* 34. *Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum:* 35. *& interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum:* 36. *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* 37. *Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* 38. *Hoc est maximum,*

Sup.8. b.12.& 13.f.42. Inf.25. c.30. Mar.12. b.13. Luc.20. d.20.

Rom.13. c.7.

Mar.12. b.18. Luc.20. d.28. Act.23. b.6. Deut.25. b.6.

Exod.3. b.6. Marc.12. c.28. Luc.10. c.27. Deut.6. a.1.

& primum

& primum mandatum. 39. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* 40. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* 41. *Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus,* 42. *dicens: quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: Dauid.* 43. *Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens:* 44. *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* 45. *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* 46. *& nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*

Leu.19. d.18. Mar.12. d.31. Luc.20. d.41.

Psal.109. a.1.

IN CAPVT XXII.

ET respondens Iesus.) Aggressus iterum loqui. Respondere pro loqui; aut aggredi dicere, vt sæpe ex Hebræorum idiomate explicauimus.

2. *Simile factum est.*) Similis apud Lucam cap.14. 16. parabola est. An autem eadem sit, inter interpretes disceptatur. Quidam multis adductis argumentis diuersam esse putant; quia, qui nuptias fecit filio suo,hic est rex, illic non est;quia hîc prandium, illic cœna; quia hîc multi serui,& sæpe ad vocando, inuitatos mittitur;illic vnus,& semel tantùm; hîc non excusant se, sed venire negligũt inuitati; illic alius excusat, quòd villam emerit, & necesse habeat exire,ac videre illam; alius quòd iuga boum emerit quinque, & eat probare illa; alius quòd vxorem duxerit, & venire non possit: hîc serui occiduntur;illic non occiduntur: hîc mittitur à Domino vineæ exercitus, qui colonos occidat; illic non mittitur: hîc intrat rex in cœnaculum, vt discumbentes videat,& inuenit hominem non habẽtem nuptialem vestem, iubẽtque ligari, & in tenebras exteriores mitti;illic nihil tale factum dicitur. In hac sententia sunt D. Aug. lib.2. de consensu Euangelistarum cap.70.& Gregorius homilia in Euangelia 38.Strabus.& D. Thomas. Alij eandem esse existimant, vt existimare videtur Irenæus lib.4.cap.70.& 76. quia conuiuium hoc nuptiale, quod factum fuisse dicitur,nunc prandium, vt Matthæus;nunc cœnam, vt Lucas appellat. Itémque Theophylact. hoc loco, eámque sententiam etiam Gregorius probabilem putat: ego altera probabiliorem: quia & reliqua omnia, quæ hîc à Matthæo, illic à Luca narrantur, similia sunt, & quæ dissimilia videntur, adeò sunt leuia,vt nos ab hac sententia dimouere non debeant. Etenim quòd hîc rex appelletur; illic non appelletur;quòd hîc prandium;illic cœna dicatur,nihil est.Nam quòd & Gregorius ipse respondit, quia veteres vsque ad horam nonã prandere non solebant; prandium apud eos cœnam vocatam fuisse, hoc fortasse certum non est; sed vno verbo omnia argumenta contraria solui possunt, Euangelistas, cùm nõ solùm eandem parabolam;sed cum eandem etiam narrent historiam, nec omnia narrate, nec ijsdem verbis, sed eadem sententia vti solere. Quod & hoc loco accidisse credẽdum est. Illud magis mouere lectorem potest, quòd Lucas hanc parabolam alio tempore, ac loco à Christo propositam fuisse dicat, cum Christus in domo cuiusdam principis Pharisæorum cœnaret, cúmque quidam ex discumbentibus dixisset. *beatus,qui manducat panem in regno Dei.* Sed & hęc obiectio facilè potest dilui,aut Lucã aut Math. ordinem temporis, vt sæpe Euangelistis accidit,secutum non esse: probabilius autem est Lucam rem suo loco,& tempore narrasse;Matthęum verò propterea in hunc locum distulisse, quia præcedenti parabolæ affinis erat, & non fuit illi curæ historiam, vt gesta erat, texere; sed Christi doctrinam exponere, ideóq; ea, quæ similem habebant significationem, atque doctrinam, eodem loco posuit.

Homini regi.) id est, idem accidit in regno cælorũ, atque si quis rex nuptias fecisset filio suo,vt cap.21.16. explicauimus;nec enim regnum cælorum, id est Ecclesia homini regi; sed cœnaculo,vbi conuiuium celebratur, simile est. Videndum imprimis est,quò tota spectat parabola; deinde quæ sunt eius,vt solemus dicere, propriæ partes atque necessariæ, quæ ad sententiam aliquid faciant. Duo mihi Christus videtur significare voluisse;alterum multos ad regnum cælorum,id est ad Ecclesiam vocari,paucos venire;vt cõcludit versu 14. *Multi sunt vocati,pauci verò electi:* alterum non omnes, qui ad Ecclesiam vocati veniunt, saluos fieri,id est dignos esse cælesti conuiuio, quia aliqui nuptialem vestem non habẽt, vt significat versu 11. Dirigit autem parabolam in Iudæos, qui inuitati venire noluerunt, ideóque gentes eorum loco vocatæ sunt. Partes autem parabolæ, quæ necessariam habent significationem, septem mihi videntur esse. Prima est homo rex, qua minimè dubium est Deum significari. Quòd autem non homo quilibet; sed rex fuisse dicitur; partim ad declarandam diuinam maiestatem, partim ad explicandam conuiuij magnificentiam dictum fuisse arbitror. Secunda pars sunt nuptiæ, id est conuiuium. Nam toro hoc capite nuptiarum conuiuium Euangelista nuptias appellat. Conuiuium autem quidam dixerunt cælestem gloriam, ac beatam vitam significare, quæ sæpe in scripturis per conuiuium declarari solet. Vnde illud est Psalmo 16. 15. *Satiabor,cum apparuerit gloria tua,*& illud Apocal. 19.9. *Beati,qui ad cœnam nuptiarũ agni vocati sunt:* & illud Luc. 14. 15. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei,*& cap.22.29.30. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis,& bibatis super mensam meam in regno meo.* Sic Hilarius canone in Matth. 22.Alij conuiuium gratiæ affluentiam, quæ in Ecclesia venientibus datur; aut verbum Dei, quo pascuntur,esse dicunt. Nam & verbum Dei cibo comparari solet,vt apud D.Paulum, *tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi,* 1.ad Corinth.3.2.& *facti estis,quibus lacte opus sit,* ad Hebræos 5. 12. Simile est, quod apud Amos c.8.11. minatur Deus se in terram famem missurum, non famem panis, sed famem verbi Dei. Sic Origenes tract. in Matthæum 20. sic auctor imperfecti & Euthym.hoc loco. Tertia pars est filius regis, cuius nuptiæ celebratæ sunt, quem manifestum est esse Christum, qui sæpe solet sponsus appellari,vt suprà cap.9.15. & intrà per alteram parabolam cap.25. 1. & Ioann. 3. 29. & Apocalypsis 19. 7. 9. quæ sit eius sponsa minùs compertum est. Quidam vniuscuiusq; animam esse dicunt, vt Theophylact. auctor imperfecti homil.41. Alij Ecclesiam, vt Origen.tract.20.in Matthæum, Hilarius canone 22. Hieronym. in commentarijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentarijs, & Gregorius homil.38. in Euangelia. Hoc probabilius, quia etiam D. Ioan. in Apocal. cap.21. 2. Ecclesiam sponsam Christi appellat. *Vidi*, inquit, *sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo*, & versu 9. *Veni & ostendam tibi sponsam uxorem agni*. Similiter cùm D. Paulus ad Ephesios 5.25. exhortatur viros, vt vxores suas diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiã, haud obscurè significat Ecclesiam vxorem esse Christi, itémque cum versu 31.32. dicit, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erũt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, Christum sponsum, Ecclesiam sponsam eius facit. Variant auctores quandonam huiusmodi inter Christum, & Ecclesiam nuptiæ celebratæ sunt. Nonnulli enim post resurrectionem celebratas esse dicunt; sed homines ad futuras nuptias inuitari. Ita Origenes, & Hilarius. Et verò in parabola illa, quæ infra cap.25.1. proponitur de sponso ad nuptias media nocte veniente, haud dubium, quin tẽpus resurrectionis, & vltimus Christi aduentus significetur. Ioann. etiam in Apocalypsi cap.19. 9. de ijs agit nuptijs, quæ non in terra; sed in cælo post resurrectionis tempus celebrandæ sunt. Alij tunc celebratas dicunt, cum filius Dei homo factus est; tunc enim Ecclesiam sibi, tanquam sponsam copulauit. Ita Gregorius homil. illa, quam sæpe citauimus, in Euangelia 38. Vtrumque verum est. Nam sæpe, vt alio loco diximus, Christi nuptiæ celebratæ sunt. Primùm, cum homo factus est, quæ veluti sponsalia fuerunt; deinde celebrabuntur, cum reddet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam; quod tunc propriè fiet, cum eam sibi ab omni mundatam macula in cælo copulabit. Ad vtrasque nuptias homines inuitati sunt; ad priores, vt ad Ecclesiam veniant, & Dei verbo pascantur; ad posteriores, vt salui fiant, & manducent, & bibãt super mensam Christi in regno Dei. Quarta pars, sunt inuitati, quos Ambrosius in commentarijs in caput Lucæ 14. Gentiles, Iudæos, & hæreticos esse dicit. Alij omnes auctores solos Iudæos interpretantur, & quidem minimè obscurum est contra illos potissimùm parabola Christum proposuisse, vt significaret Iudæos inuitatos ad regnum cælorum venire noluisse; Gentiles verò venisse. An autem de omnibus Iudæis, an de ijs solùm, qui post Christi incarnationem vixerunt, id sit intelligẽdum; de eo dubitari potest. Nam Hilarius eos tantùm inuitatos fuisse dicit, quos Christus ipse factus iam homo, aut Apostoli, eorúmque successores vocauerunt. Origenes verò tractatu in Matthæum 20. & Athanas. quæstione 45. Hieronym. Beda, Euthym. & Theophyl. in comment. Gregorius in homil. illa, quam diximus 38. de omnibus Iudæis etiam, qui ante Christi incarnationem fuerunt, intelligendum putant. Id probabilius, quia illi proculdubio fuerunt, qui seruos à rege missos, id est veteres prophetas contumelijs affectos occiderunt. At quomodo illi a Christi aduentu tam remoti inuitari ad eius nuptias potuerunt? Respondeo ad futuras nuptias inuitatos fuisse, vt in venturum crederent Christum, & interim verbo legis, atque prophetarum pascerentur, quorum præcepta si seruarent, ad vltimas illas, id est cælestes, ad quas & nos qui in primis versamur, inuitamur, nuptias peruenirent: &, vt ait Gregor. & eos qui ante incarnationem Christi, & eos, qui post incarnationem fuerunt, Deus inuitauit, quia *incarnationem unigeniti, & per prophetas dixit futuram, & per Apostolos nuntiauit factam*. Quinta pars sunt serui. Hieron. indicat in multis codicibus singulari numero seruum legi, quemadmodum apud Lucam: sed & nostri codices legunt seruos, & eam lectionem, vt plenior sit, videtur sententia postulare. Qui fuerint serui, quos Deus ad inuitandos primùm Iudæos misit, non est difficile; tamen non omnino auctores consentiunt. Hilarius enim solos Apostolos fuisse dicit. Alij omnes auctores, vt Origenes, Chrysost. auctor imperfecti, Hieronym. Gregorius, & Beda, Prophetas, & Apostolos. Nam primùm prophetæ missi sunt, & contumelijs affecti; atque occisi: posteà missi Apostoli in plateas, & exitus viarum, vt omnes non Iudæos tãtùm, sed etiam Gentiles inuitarent. Quærit Theophy. & quisquis fuit auctor operis imperfecti, quomodo vocati sunt, qui inuitati iam fuerant: aut quomodo inuitati fuerunt, antequam vocarentur, cùm inuitati, & vocati idem esse videantur. Respondet Theophylact. probabiliter per legem naturalem inuitatos fuisse, vt bene, piéque verentur. posteà per prophetas, vt venirẽt, vocatos. Melius tamen per legem Moysis inuitatos dixisse. Nam per naturalem legem non tantùm Iudæi, verùm omnes etiam homines inuitantur. Nec enim in eo parabola rei subiectæ similis est, quòd priùs homines inuitati posteà vocati fuisse dicantur; sed locutus est Christus ex consuetudine, & dixit, non quod à Deo erga Iudæos factum erat: sed quod vulgò ab hominibus solebat fieri: sic autem fieri solet, vt homines ad conuiuium priùs inuitentur, rogentúrq; deinde, cum tempus veniendi est, vocentur. Sexta pars est, quòd rex, dum conuiuium celebraretur, ingressus in cœnaculum dicatur. Ingredi in cœnaculum, & discumbentes dispicere interpretatur auctor imperf. Deum homines tentare, vt appareat, quantum quisque virtutis habeat, & an loco, quem in Ecclesia tenet, dignus sit. Melius Hieronym. & Beda intrare in cœnaculum Deum intelligunt ad iudicium venire, & eos, qui vestem nuptialem habent, retinere; eos, qui non habent, excludere. Nam agi hîc de vltimo iudicio ex eo perspicuum est, quòd ille, qui vestem nuptialem nõ habebat, ligatis manibus, & pedibus mittitur in tenebras exteriores, vbi est fletus, & stridor dẽtium, quod in vltimo iudicio propriè fiet. Videmus enim idem per hanc parabolam, & per illam alteram zizaniorum cap. 13.4. & per illam sagenę missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis significari. Dubitare tamen lector poterit, quomodo rex dicatur in cœnaculum ingredi, cùm non rex ipse; sed filius regis, id est Christus ad iudicandum venturus sit. Respondeo regem venturum esse, quia filius pro eo veniet: *omne enim iudicium dedit filio*, Ioannis 5.22. Septima pars est ille, qui non habet vestem nuptialem. Quid enim per nuptialem vestem significetur, varijs sententijs auctores dissident. Irenæus lib.4.cap.70. & Hilarius in hûc locum vestem nuptialem Spiritum sanctum interpretantur; sicut Christus loquitur apud Lucam cap. 24. 49. *Vos autem sedete in ciuitate, quoad usque induamini virtute ex alto*. Augustinus verò lib. 22. contra Faustũ, c.19. Christi gloriam esse dicit, quam quisquis quærit, nuptiali indutus est veste; quisquis autem non Christi, sed suam in Ecclesia gloriam quærit, vestem nuptialem non habet; quia non Christi, sed sua ipsius gestat insignia. Existimauit, vt apparet, D. Augustinus vestem nuptialem appellari certam aliquam, & insignem vestem, qualem sponsus ipse gestaret; sicut videmus regis pueros certi, atque insignis coloris habere vestes, qui regius color appellatur, ex quo regis esse pueri cognoscuntur. Verùm hanc consuetudinem aut apud Iudæos, aut apud aliam aliquam fuisse gentem legere non memini. Itaque nuptialem vestem vocari puto non certam, & insignem, quasi eandem, aut similem omnes gererent inuitati: sed pretiosiorem, atque splendidiorem quotidiana, qualẽ solent homines;

Ecclesia Christi sponsa quando facta.

Hom. 38. in Euãg.

cum ad

cum ad nuptias inuitantur. induere, vt sponsum honorent & conuiuium condecorent, atque eiusmodi vestem ille, qui foras eiectus est, non habebat; ideoq; in tenebras exteriores mittitur, quia temerariæ fuit impudentiæ ad conuiuium, vbi omnes pretiosa veste induti erant, sordidum, atque pannosum venire. Sed quid per eam vestem significetur, id quærimus. Caluinistarum interpretes nuptialem vestem fidem esse dicunt; omnia enim fides illis sunt, cùm nulla illis sit fides. Neque considerant homines valde, vt sibi videntur, acuti inuitatum illum, non nisi per fidem venire, aut in cœnaculum, id est in Ecclesiam ingredi potuisse. Venire enim est credere. Nam illi, qui inuitati non venerunt, propterea non venisse dicuntur, quia credere noluerũt. Itaque habebat quidem ille fidem, sed vestem nuptialem nõ habebat: non ergo nuptialis vestis fides est. Vera & propria est Tertulliani lib. de resurrect. carnis. Origenis, Chrysost. auctoris imperfecti, Ambros. serm. 14. de natali Domini, Hieronymi, Gregorij, Theophylacti, & Euthymij sententia vestem nuptialem charitatem, bona opera, & vitam fidei Christianæ respondentem significare, réque bellissimè, aptissimèque conuenit. Nam vt, qui ad nuptias inuitati sunt, vestem loco illo dignã gestare debent; sita qui ad Ecclesiam per fidem inuitati veniunt, vitam agere debent fide dignam, & homine Christiano, & videmus in scripturis bonam vitam per vestem significari, vt in Apocal. cap. 3.17.18. *Dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ*, & ad Ephes. 4.24. *Induite nouum hominẽ, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*, & ad Colossi. 3. 9.10. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginẽ eius, qui creauit illum*. Itaque dent nobis hanc veniam Caluinistę vt ex hoc loco probemus solam fidem ad salutem satis non esse, quando ille, qui in conuiuio erat, fidem habebat; sed quia vestem nuptialem, id est bona opera non habebat, in tenebras exteriores eiectus est. Dicet aliquis, quomodo, si fidem habebat, extra cœnaculũ, id est extra Ecclesiam eiectus est; quasi malit rex homines fidem non habere, quàm fidẽ habere sine operibus. Facilis solutio, hæc ad diẽ iudicij esse referenda, cum Deus eos, qui fidem sine bonis operibus habuerint, extra conuiuium, id est extra cælum eiiciet, non quòd ante in cælo essent: sed quòd cùm essent in Ecclesia, in cælo esse videbantur: quia si fide opera coniunxissent, in cælum translati essent. Cætera, quæ in parabola dicuntur, adiectitia sunt, & ad ornamẽtum, & narrationis complementum apposita: quale illud est, quod versu 4. dicitur, *tauri mei, & altilia occisa sunt*, quos nihil aliud significat, quàm omnia parata esse, Deum homines expectare, præsto omnibus esse eius gratiam, non stare per illum, quo minus homines ab impietate sua conuertantur; sed tauros, & altilia nominauit; quia ea erant, quæ in splendidis conuiuijs solebant dari. Tauros enim vitulos, aut iuuencos appellauit, qui nec castrati essent, nec aratra traxissent, quos in deliciis apud Iudæos fuisse ex multis scripturæ locis intelligimus Genes. 18.7. 1. Reg. 28. 24. homo etiam ille, cuius perditus filius redierat, apud Lucam cap. 15.23. vitulum saginatum occidi iussit. Hæc vera est significatio, etsi non ignoro multos veteres auctores necessariam parabolæ partem existimare, & propriam, atque distinctam habere significationem. Nam Gregorius per tauros patres veteris Testamenti: per altilia patres noui, qui vberiorem acceperunt gratiam

Caluinistæ dicti de fide, cap. sicut reprehenduntur.

Locutionis species Caluiniana, quod fides sit ad salutem non sufficiens.

& quasi spiritualiter signati fuerunt, putat intelligendos. Theophylact per tauros ipsum vetus Testamentum, per altilia nouum intelligit. Hieronymus, & Euthymius melius. nihil aliud, quàm cõuiuij opiparam copiam significari. Adiectum etiam complementi, aut ornamenti causa est, quod versu 5. dicitur, alium in villam suam, alium ad negociationem suam abijsse, & quod Lucas dicit alium dixisse, *iuga boum emi quinque*, alium, *uxorem duxi*; hæc enim omnia tãtùm significãt ideo inuitatos venire noluisse, quia temporalia spiritualibus antepositurunt; neque separatim quærẽdum est, quid vnumquodque eorum per se significet; ne, dum quærimus, plusquam oportet, aliquid quod non oportet, inueniamus. Si quis tamen huiusmodi delectatur sedulitate. Origenem hoc loco. & Ambrosium in commentarijs in caput Lucæ 14. legere poterit, & multa, qualia quærit, inueniet. Præterea illud adiectũ, quod versu 7. scriptum est, regem misisse exercitum suum, vt homicidas illos perderet, nihil aliud significare arbitror, quàm Deum de ijs, qui vocati venire noluerunt, graues pœnas sumpturum esse. Quanquam, quod Chrysostom. auctor imperfecti & Euthym. existimant Romanorum exercitum significari, qui sub Tito, & Vespasiano Iudæos pene internecione deleuit, probabile. Probabilius etiam, quod Hieronymus, & Gregorius scribunt exercitum Dei angelos esse malos, per quos Deus homines punit, iuxta illud Psalmi 77. 49. *Immissiones per angelos malos*. Simile est, quòd serui, quod secundo loco mittuntur, versu 9. iubentur in exitus viarum, & in sepes ire, & omnes ad nuptias vocare, &, vt ait Lucas, intrare, compellere. Nam per viarum exitus, & per sepes nihil aliud significatur, quàm non esse adhibendum vllum discrimen loci; sed eundum in mundum vniuersum, & Euangelium omni creaturæ prædicãdum, vt Christus postea dixit c. 28.19. & Marc. 16. 15. Quanquam Gregorius viarum exitus actionum nostrarum vitia esse dicit: quia scriptura actiones nostras vias appellat; allegoria nonnihil coacta: Item, quod Lucas ait, vt pauperes, debiles, cæcos, & claudos in conuiuium introducant, tantùm hoc significat nullam gentis, nullam personarum habendam esse rationem; sed omnes æqualiter ad Euangelium conuocandos: propterea autem Christus pauperes, debiles, cæcos, & claudos, potiùs, quàm aliud hominum genus nominat; quia eiusmodi homines vocati non solent. vt intelligeremus ab Euangelico conuiuio neminem excludendum. Quod autem dicit, *compelle intrare*, non significat ad fidem cogendos esse homines; sed adeo rogandos, adeo incitandos, vt quodammodo compelli videantur: deniq; & illud adiectitium est, quod ver. 13. iubetur illi, qui vestem nuptialem nõ habebat, manibus, & pedibus alligari, quod tantùm significat eos, qui damnandi sunt, ita damnandos, vt sententiæ executioni resistere non magis possint, quàm si manibus & pedibus ligati essent.

13. *In tenebras exteriores.*) De tenebris exterioribus cap. 8.12. disputauimus.

14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* (Hæc est parabolæ conclusio, in qua illud videtur aliquid habere difficultatis, quòd, cùm ex ijs qui vocati fuerãt, vnus tantùm eiectus sit; Christus concludat, *multi sunt vocati, pauci verò electi*. Non enim pauci; sed omnes, vno tantùm excepto, electi sunt. Respondet D. August. in libro contra Donatistas post collationem 20. illum vnum, qui eiectus fuit, omnium reproborum, qui multo plures, quàm electi, sunt, personam sustinuisse; ideo concludisse Christum, *multi sunt vocati, pauci verò electi*. Verùm potiùs existimo hanc conclusionem non ad proxima verba: sed ad totam su-

periorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

peritorem parabolam esse referendam, in qua videmus multos fuisse vocatos, paucos venisse, & ex illis ipsis, qui venerunt, non omnes electos esse. Cur ergo vnus tantùm eiicitur, & ex ijs, qui in conuiuium, id est in Ecclesiam ingredi natur, non vnus tantùm; sed maior pars eiiciẽdi sint, id est cõdemnandi, vt alio loco Christus indicauit, *Intrate per angustam portam, quam angusta porta & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam*, supra c. 7. 13. 14. & *si iustus vix saluabitur, impius, & peccator, vbi parebunt?* 1. Petri 4. 18. Non difficile respõderi potest Christum parabolam non contra Gentiles, sed contra Iudæos proposuisse, qui primo loco inuitati non tantùm venire noluerunt, sed seruos etiam regis, qui se inuitabant, cõtumelijs affectos occiderũt; de illis ergo conclusit, *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Voluit deinde quasi obiter etiam docere eos, qui venissent, siue Iudæi essent, siue Gentiles, non debere sibi confidere, propterea quòd in conuiuium ingressi essent; posse enim eiici, si vestem nuptialem non habuerint; hoc vt probaret, satis fuit dicere vnum ex discumbentibus, quia vestem nuptialem non habebat, eiectum esse. At cùm plures eiiciendi sint, quàm retinendi, quare non dixit plures eiectos fuisse, paucos retentos? quia non id agebat: sed illud tantùm, vt probaret multos vocari, paucos eligi.

De Herodianis copiosa disputatio.

16. *Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.* De Herodianis, qui nam fuerint, nonnihil diximus c. 12. 14. hîc, quia proprius est locus, paulò copiosiùs dicendum est. Sunt ergo, qui existiment Herodianos Gentiles fuisse, fortasse eos qui sub Herodis ditione erant, vt auctor imperfecti homil. 42. minima, vt mihi videtur, probabilitate. Cur enim Gentiles, qui Iudæos contemnebant, Herodis Iudæorum regis, aut certè Iudæi nomẽ sibi, quasi honorificum, arrogassent? Alij eos dixerunt ita vocatos, qui Herodem Antipam Iudæorum regem pro Christo habuissent, vt Theophyl. & Euthym. hoc loco. & Philastrius in hæres. Herodianorum. Itaque miror D. Hieronym. scribere nihil se de hac re vnquam legisse, cùm Philastrius paulò ante eius vixerit ætatem. Alij Herodis milites Herodianos vocatos fuisse dicunt, vt idem Hieronymus, & Chrysostomus. Probabilis esset opinio, si nomen tantùm notaremus. Nam & Cæsaris milites Cæsarianos vocatos legimus: sed obstat, quòd iam Herodes rex mortuus erat; itaque milites habere non poterat: alter verò Herodes eius filius non in Iudæa; sed in Galilæa dominabatur, aut Romanis potiùs seruiebat. Quare eius milites, vt fingamus Herodianos vocatos fuisse, Ierosolymæ esse non potuerunt. Alij eos ita vocatos volunt, qui negabant tributum à Iudæis Cæsari soluendum; hunc enim paulò ante Christi aduentum auctore Iuda quodam Galilæo extitisse sectam colligitur ex Actis Apostolorum cap. 5. 37. & apertè scribit Iosephus libro antiquitatum 18. cap. 1. fuisse autem Herodianos appellatos, quòd illis rex Herodes faueret, vt Iudæorum iniret gratiam, seque non verum modo Iudæum, sed Iudaicæ etiam libertatis vindicem esse declararet. Hoc mihi minimè probabile videtur esse; aut enim Herodem ego non noui aut ijs, qui tributum Cæsari negabant, minimè fauisset homo Romanæ potestatis, à qua regnũ acceperat, adulator, quique non solùm regnum suum, vt multis locis Iosephus tradit, verùm suam etiam familiam, suósque liberos ad Cæsaris voluntatem, nutúmque gubernabat. Duæ ergo opiniones mihi videntur esse probabiles; altera, quæ huic opposita est, eorum qui existimant eos Herodianos appellatos fuisse, qui Cæsari tributum soluendum esse contendebant; ita verò vocatos, quòd Herodes Cæsari impensè faueret, & vt Iosephus ait, Cæsaris tributis in Iudæa quodam modo præesset. Ita Origenes tractatu in Matthæum 21. & Hieronym. in commentarijs sentit, & vt videtur, Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Isaiam cap. 11. scribit enim Herodianos publicanos fuisse, qui tributa colligebant. Hæc opinio eo est probabilior, quòd vero similè est Pharisæos, qui Iudaicam libertatem maximè defendebant, & Herodi, vt ait Iosephus, aduersabantur, finxisse se huius quæstionis, quæ inter ipsos, & Herodianos agitabatur, iudicem constituisse Christum, quò magis malignitatem suam occultarent, ostenderẽtque se non tentandi, sed controuersiæ finiendæ causa, eum interrogare, cùm ideo quæstionem proponerent, vt in inuidiam Christum adducerent. Nam si respõdisset tributum Cæsari soluendum non esse, læsæ maiestatis arguissent; vt postea fecerunt, Luc. 23. 2. *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram & prohibentem tributa dare Cæsari*: si soluendum esse dixisset; non videretur esse Christus, & promissus Iudæorum rex, qui tantùm abesset, vt eos, quemadmodum sperabant, à tributis liberaret, vt Gentilibus potiùs tyrannis faceret tributarios. Confirmatur ex Luca hæc coniectura, qui eos simulatores appellauit tum etiam ex verbis Christi, versu 18. *Quid me tentatis hypocritæ?* Altera opinio est eorum, qui suspicantur aliquam Herodianam, id est aulicam fuisse sectam eorum, qui Herodi regi adulabantur, cui, modò regnum suum conseruaret, omnis religio bona erat, quales hodie sunt, quos vulgò politicos appellamus. Sed hæc sententia eò minus, quàm superior, probabilis est, quòd nec vllũ veterem, & grauem habet auctorem, nec vllis probabilibus coniecturis confirmari potest. Hoc tantùm habet probabilitatis, quòd illi nihil repugnat, quódque videantur Euangelistæ de Herodianis, tanquam de aliqua secta religionis loqui, qualis Pharisæorum, & Sadducæorum erat. Cum illis enim coniungunt.

19. *At illi obtulerunt ei denarium.*) Hoc loco de Romano denario agi ex eo intelligitur, quòd Cæsaris imaginem, atque inscriptionem impressam haberet, quam Iudæi, vt rem maximè execrabilem in sua moneta nequaquam impressissent. De denario autem Romano, etsi variæ sententiæ sunt, illis assentior, qui denarium argenteum drachmæ Atticæ æqualem pondere fuisse dicunt. Argenti autem drachma Hispanicum Regale, id est quinque Gallicos solidos pendit. Vnde quæstio exiit, quomodo denarius centum appelleretur, quasi singuli homines singulos tantùm denarios pendere solerent, cum videamus Christum, c. 17. 27. pro se, & pro Petro staterem, id est quatuor drachmas argenti, & quod idem est, quatuor denarios soluisse. Respondent quidam diuersum hoc ab illo fuisse tributum, quod nulla ratione mihi videtur probari posse, & posse ijs refutari, quibus illo loco docuimus Romanos nullum aliud tributum Iudæis imperasse, quàm quod prius templo per singula capita soluebant; soluebant autẽ, vt illic diximus, dimidium sicli, id est duos denarios Romanos argenteos; nam morem fuisse Romanis ijs gentibus, quas debellabant, non aliam pecuniam, quàm argenteam imperare. Libro 33. cap. 3. scribit Plinius. Probabiliùs alij respondent duos denarios singulos Iudæos Romano Imperatori solitos fuisse soluere: diuisam enim fuisse monetam in duas partes commoditatis causa.

23. *In illa die.*) Non omnino certum est, an eadem fuerit dies, qua Christus à Pharisæis, & Herodianis tentatus fuerit: potest enim Hebraismus esse, quo pro tempore dies dicitur, vt sensus sit, sub idem tempus; sed tamen probabilius est. quod Origenes, & auct. orimperfecti sentiunt eandem fuisse diem, quia &

Matthæus hoc loco & Marcus c. 12. 19. & Luc. c. 20. 27. ita hanc historiam cum præcedenti coniungunt, vt eadem prorsus die accidisse videatur.

Caluinistæ Sadducæorum similes.

Accesserunt ad eum Sadducæi.) De Sadducæorum secta, qualis fuerit, & vnde habuerit originem, scripsimus c. 3. 7. Illud hoc loco prætermittẽdum non est fuisse illos Caluinistarum simillimos, homines imprimis incredulos; nihil enim quod supra naturam esse videretur, credere volebant; propterea mortuorum non credebant resurrectionem; irrisores, vt vel ex hoc loco manifestum est, vbi Christum ipsum interrogantes, vt mortuorum resurrectionem irriderent, ridiculam etiam quæstionem proposuerunt. Nunquam ego historiam hanc lego, quin mihi Caluinistam aliquem cum homine Catholico, & simplici disputantem audire videar, Christus, inquit, dixit, *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*; ergo si corpus Christi in Eucharistia est & in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur, & alia similia, quæ homines isti, vt scriptura vocat, ἀγνῶς irrisores, id est impij, qui & Deum, & homines rideant, dicere solent. Penè est, quòd docuit nos eis Christus respondere versu 29. *erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Nam quicquid isti religiosi homines fingant, non alia ratione corpus Christi in Eucharistia esse negant, quàm qua Sadducæi mortuorum negabant resurrectionem, quia naturæ vi videbant fieri non posse, & Dei virtutem, id est potentiam ignorabant: sed de hac re c. 26. dicturi sumus. Illud etiam animaduertendum est, quomodo tres sectæ inter se maximè contrariæ, & quæ capitales ferè gerebant inimicitias, Pharisæi, Herodiani, & Sadducæi ad arguendum, atque irridendum Christum benè conuenerint: eadem prorsus ratione, qua hodie Lutherani, Caluinistæ & Anabaptistæ, & cætera portenta, quæ nostra tulit ætas; quamuis inter se de religione digladientur, & alij alijs hæretici sint, alij alios supplicio ignis afficiant; tamen ad persequendum Christum, id est Ecclesiam rectè consentiunt.

Hæretici inter se digladiantes aduersus Ecclesiam grassantur.

24. *Moyses dixit si quis mortuus fuerit.*) De hac lege quomodo intelligenda esset c. 1. 16. disseruimus.

29. *Erratis nescientes scripturas.*) Quia scripturam Sadducæi allegauerant, respondet Christus eos scripturas non intelligere, vt Chrysost. annotauit: duas autem Christus erroris causas affert; alteram, quòd scripturas non intelligant; alteram, quòd Dei virtutem, & potentiam ignorent, vt apertiùs Marc. scribit c. 12. 24. Videtur Christus Caluinistis planè respondere, qui ijsdem duabus de causis errare solent, quòd neque scripturas intelligant, quarum cognitione maximè gloriantur, & quòd fidei Christianæ dogmata non Dei virtute; sed ingenio suo metiantur. Lectitant illi scripturas, & quo melius intelligant patrio sermone lectitant, nõsque grauiter accusant, quòd eas nec ab omnibus, nec vulgari lingua legi permittamus: sed non propterea melius intelligunt, quæ extra Ecclesiam legi quidem possunt, intelligi non possunt; quomodo enim Eunuchus ille reginæ Candacis homo prophanus Isaiam legens intellexisset, nisi illi Philippus Eccl. fiæ doctor sensum explicasset? quasi verò Sadducæi non vulgari etiam lingua, & diligentiùs, quàm Caluinistæ, scripturam lectitarent. Hæretici tamen, sicut Caluinistæ, erant.

Hæretici vetera nouis miscent.

30. *In resurrectione enim.*) Id est post resurrectionem. Hebraismus enim est, vt, *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*, id est postquam conuertit. Psalmo 125. 1. aut resurrectio vocatur tempus, quod post resurrectionem consequuturum est, vt supra vers. 28. sicut eorum tempus, quo circuncisionis lex viguit. Circuncisio vocatur ad Rom. 4. 10.

Non nubent, neque nubentur.) Hebraismus simul, & Græcismus est; Hebraismus, quòd tertia persona pluralis ponitur pro verbo impersonali passiuo, vt in quibusdam verbis apud Latinos dicunt, pro dicitur; sic nubent, pro nubetur. Græcismus autem, quem Latinus interpres Latinitate noluit resoluere, aliquo fortasse consilio; nam quia Græcum verbum γαμέω vtrumque significat, & nubere, quod fœminarum; & vxorem ducere, quod virorum est, & eodem verbo vtrumque dixit. Græcum interpretem imitari Latinus voluit: quod ea ætate barbarum, vt opinor, non putabatur: sic enim & Tertullianus in libro de resurrectione carnis, & Ruffinus in expositione Symboli Apostolorum locuti sunt, & Hieronym. ipse, quamuis videatur dicere, se non ita vertisse, tamen declarat noluisse corrigere. Sensus constat, post resurrectionem neque viros vxores ducturos esse; neque fœminas nupturas, & vno verbo non esse futuras nuptias.

Sed sunt sicut Angeli Dei.) Non comparat beatos Angelis omnibus in rebus, sed in ea tantùm, qua de agebatur, quòd nuptias inituri non essent. vt Hieron. annotauit: quia nimirum immortales erant, ideòque opus illis non erat nuptijs, quæ non nisi ad propagandum, & perpetuandum mortale hominum genus institutæ sunt; quam rationem Lucas explicauit cap. 20. 35. 36. *Qui*, inquit, *digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores, neque vltra mori poterunt; æquales enim Angelis sunt.* Animaduertimus omnes tres Euangelistas Matthæũ, Marcum, & Lucam præsenti tempore vsos esse, æquales Angelis sunt, cũ antè futuro essent vsi, non nubent, neque nubentur. Nam quod Euthymius existimat verbum, *sunt*, non esse ad homines; sed ad Angelos referendum, tanquam sensus sit; sed æquales erunt Angelis, qui in cælo sunt, facilè ex Marco refutatur. Ergo potiùs credendum voluisse Christum futurum illum beatissimum statum antè oculos ponere, ideóque tanquam de re præsenti locutum esse. Non abs re auctor imperfecti quærit, quid sit, quòd, cum Christus de ieiunijs, & eleemosynis, aliisque virtutibus spiritualibus locutus est, non comparauerit homines Angelis; cum autem de castitate, comparauerit. Respondet, quod verum est, nullam tam Angelicam esse virtutem, quàm puritatem.

Castitas, virtus angelica.

32. *Ego sum Deus Abraham.*) Difficile hoc loco est intelligere, quomodo Christus ex hoc testimonio efficaciter argumentetur. Difficultas autem duabus in rebus sita est. Prima, quòd ex eo, quòd Deus dixerit, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, non videatur benè colligi Abraham, Isaac, & Iacob adhuc viuere: potuit enim eorum Deus appellari, non quatenus erat: sed quia aliquando fuerat: sicut Iacobus, & Ioannes dicuntur filij Zebedæi, cum Zebedæus mortuus iam esset, & nemo mortui, sed viui hominis filius sit: quia sensus est eos fuisse aliquando illius filios. Altera est, quod etiam si probetur Abraham, Isaac, & Iacob animas viuere, non continuò probatur eos resurrecturos esse. Ad priorem quæstionem quidam respondent argumenti vim in eo esse, quòd Deus non dicat, ego fui, aut ego eram, sed *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, ita Chrysostomus, Euthy. & Theoph. At potest obiici posse hoc etiam sic intelligi, *Ego sum Deus Abraham*, id est ego sum Deus ille qui fuit Deus Abraham, dum Abraham viueret. Alij respondent Deum vocari Deũ alicuius esse ab eo cognosci & coli; sicut vocatur Deus Eliæ, & Deus Danielis, id est quẽ Elias & Daniel colebant. Hinc ergo colligi Abraham, Isaac, & Iacob extinctos omnino non esse, quia Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

eorum Deus vocabatur, id est ab illis colebatur. Alij existimant argumenti vim in hoc esse, quòd quamuis eo sensu Deus Abraham, Isaac, & Iacob, vocari posset, quia aliquando eorum fuisset, tamen credibile non sit Deum dignatum esse eorum, qui mortui iam essent, Deum appellari. Hoc etiam tenui pendet coniectura. Semper ego existimaui aliquem altiorem latere sensum, quem vulgus non intelligeret. Quod Chrysost. Theoph. & Euth. dixerunt verum esse arbitror; sed non satis. Nam in eo proculdubio argumẽti vis est, quòd Deus non dixerit, ego fui, aut ego eram; sed *Ego sum Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob*; sed credo sensum esse, ego sum, qui fœdus percussi cum Abraham, Isaac, & Iacob de eorum propugnanda posteritate, ideóque seruare volo, quia adhuc illi viuunt, & precibus me quotidie solicitant, vt ipsorum filios ab Ægypriorum captiuitate liberem. Solemus enim fœdera non mortuis seruare; sed viuis, quia non inter mortuos, sed inter viuos feriri solent. Video, quid responderi possit, si quis subtilitates quærat: sed considerandum est voluisse Christum non omnino necessarium, sed tam probabile argumentum afferre, quàm ad coarguendos Sadducæos satis esset. Nam & hac ratione eorum impudentiam & arrogantiã compressit, quòd cùm scripturam irridentes adduxissent, quasi Christus expedire se ab ea quæstione nõ posset, quam proponebant, docuerit eos adeo obtusos, & indoctos esse, vt nec ad minimum quidem argumentum ex eodem Moyse ad probandam resurrectionem adductum respondere possent. Eodem modo Caluinistæ aliquando refutandi atque irridendi sunt, apud quos & mulierculæ gloriari solent melius se scripturas sacras, quàm Ecclesiæ Catholicæ Doctores, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum intelligere. Proferendus enim illis aliquis locus est, vt interpretentur, quem cum intelligere non possint, suam ignorantiam, atque superbiam, aut confiteri, aut agnoscere cogantur. Alterius quæstionis non ita difficilis explicatio est. Nam Sadducæi, vt Origenes, Hieronymus, & auctor imperfecti annotauerunt, propterea futuram negabant resurrectionem, quòd animas immortales esse non crederent, idque ex Actis Apostolorum cap. 23. 8. perspicuum est. Itaque probata testimonio noro animarum immortalitate, & resurrectio illis probabatur. Adde quòd olim non solùm inter Iudæos: sed inter omnes etiam ferè Philosophos hæ duæ quæstiones, altera de immortalitate animarum, altera de corporum resurrectione adeo copulatæ, iugatæque fuerunt, vt pro vna eadémque haberentur. Itaque videmus auctorem secundi libri Machabæorũ c. 12. 41. ex animarum immortalitate resurrectionem probare, idémque in 1. epist. ad Cor. toto c. 15 facit D. Paulus, vbi omnia ferè argumẽta quibus resurrectionem probat, tantùm ad probandam animarum immortalitatem valent; sed quia nemo resurrectionem negabat, nisi qui animas credebat extingui, eadem argumenta resurrectionem probant.

Contra Caluinistas scripturarum cognitionẽ iactant.

Non est Deus mortuorum, sed viuentium.) Abraham, Isaac, & Iacob, mortui iam erant: sed negat Christus eo modo mortuos esse, quo Sadducæi existimabant, id est ita vt eorum animæ essent extinctæ. Nam eo sensu, quo nos mortuos solemus appellare eos, quorum animæ sunt à corporibus separatæ. Deus non solùm viuentium; sed etiam mortuorum dominus dicitur ad Rom. 14. 8. 9. vt Chrysost. admonuit. Lucas addit quiddam, quod argumenti vim non augere, sed minuere videtur *omnes enim*, inquit, *viuunt ei*. Si enim illi viuunt etiam qui extincti sunt, illi viuunt ideóque non sequitur Abraham, Isaac, & Iacob extinctos non esse, quemadmodum Christus probare voluit. Respondeo Christum cum addidit, *omnes enim viuunt ei*, tantùm rationem reddere voluisse, cur Abraham, Isaac, & Iacob, qui mortui erant, viuentes appellaret, quia nimirum omnes non solùm qui corpore viuunt, sed etiam, qui mortui sunt, Deo viuunt: non tantùm, quia eorum animæ viuunt; sed etiam quia efficere Deus potest, vt in sua corpora reuertantur. & eo modo viuant, quo ante viuebant, sicut c. 9. 24. dixit, *Puella est mortua puella, sed dormit*, vel nobis mortui sunt, Deo viuunt, quia nos sola videmus corpora: corpora autem mortua sunt; Deus videt animas, animæ verò viuunt. Solet à multis quæri, quid causæ fuerit, cur cùm tam multa, támque perspicua in scripturis sacris de futura resurrectione testimonia sint, non ea potiùs Christus adduxerit. Respondent Origenes tractatu in Matthæum 21. Hieronymus, & Beda Sadducæos non recepisse alios scripturæ sacræ libros, quàm quinque Mosis; ideóque ex Mosi libris eos Christum arguere voluisse. Erant enim in hac re Catholicorum similes, qui eos reiiciunt libros, quibus conuinci hæresim suam vident. Ita verò Caluinum hoc loco dicere non puduit, non Sadducæos Prophetarum libros reiecisse, sicut Hebrum Ecclesiasticí, & Machabæorum libros ipsi reiiciunt.

35. *Vnus ex eis legis doctor.*) Lucas cap. 20. 39. 40. dicit quendam ex Scribis confutatis à Christo Sadducæis subiecisse, *Magister, bene dixisti, & amplius*, inquit, *non audebant eum quicquam interrogare*, quod apparet non ad Pharisæos, & Scribas, qui inde potius, vt ait Matthæus, occasionem Christum eum tentandi acceperunt, vt se Sadducæis doctiores ostenderent; sed ad Sadducæos esse referendum. Quem autem hoc loco Matthæus legis doctorem, Marcus c. 12. 28. Scribam appellat; vnde intelligimus quamuis Pharisæorum, & Scribarum diuersa essent officia: aliquando tamen eundem, & Pharisæum, & Scribam fuisse. Nam hunc legis doctorem, de quo Matthæus loquitur, Pharisæum fuisse ex versu 34. manifestum est.

36. *Quod est mandatum magnum in lege.*) Id est maximum omnium mandatorum, positiuo pro superlatiuo posito ex Hebræorum idiomate, vt ex Marco c. 12. 28. 29. apparet.

37. *Diliges Dominum Deum tuum.*) Marc. c. 12. 29. prius ponit, *Audi Israel. Dominus Deus tuus Deus vnus est*: quorum verborum sólum initium Matthæus hic proposuit. quòd apud Moysem vtrumque mandatum eodem loco sit, eodémque referatur; primum enim est vt vnum tantùm credamus Deum; deinde vt eum ex toto corde diligamus, quia qui plures credit, amorem diuidit, nec vnum ex toto corde diligit; nemo enim duobus dominis seruire potest.

Ex toto corde tuo, & in tota anima tua.) Sunt, qui hæc nimis subtiliter meo iudicio distinguunt. Mihi omnia vnum hoc videntur significare, vt Deum, quantùm possumus, diligamus, & omnia, quæ habemus; illi impendamus quod, diuus Augustinus libro primo, de doctrina Christiana cap. 22. his verbis exposuit. *Cum ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.* Deinque quæ diuersis verbis in Deuteronomio capit. 6. 5. dicuntur, vno continentur verbo, quod Lucas capite 10. 27. posuit, *Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis.* Terret hæc exaggeratio Caluinum, & impossibilia hominibus Deum præcipere mentitur; *Ex hoc*, inquit, *compendio apparet Deum in legis præceptis non respicere, quid possint homines: sed quid debeant*; quod nescio vtrum maiore impietate, an ignorantia dictum sit. Nam impietatis quidem summæ est dicere impossibilia nobis Deum præcepisse; quod tamen ferendum fortasse esset, si tantùm præcepisset, ac non etiam ab ijs, qui impossibilia non fecerunt, & grauissimas, & sempiternas pœnas exigeret: quis enim hoc vel homo maximè impius dicere potuit, nisi Caluinus, qui omnes impietate homines superauit? ignorantiæ verò fuit cæcæ non videre, quo modo ipse sibi repugnaret, cum diceret neminem hoc præceptum seruare posse. Quis enim sensus est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, nisi vt Deum, quantum possumus, diligamus? possumus ergo præceptũ hoc seruare, quia, quantùm possumus, Deum diligere vtique possumus: deinde concludens nos Dei præcepta seruare non posse, quomodo intelligit? sine gratia Dei, an cum gratia? si sine gratia, quid nobiscum disputat, qui idem prorsus dicimus? si cum gratia, non iam nobis; sed Deo facit iniuriam, cuius gratiæ, atque virtuti limites ponit. D. quidem Paulus ad Philip. 4. 13. omnia se posse dicit, in eo qui se confortat, & Dauid Psalmo 17. 30. *In Deo*, inquit, *meo transgrediar murum*. Sed de hac quæstione copiosius alio dicemus loco.

39. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*) Hæc duo maxima totius legis præcepta Christus esse dicit, cùm distincta ab alijs præcepta non sint; sed cæterorum compendium. Nam cùm præcepta in duabus tabulis scripta essent, in priori, quæ ad Deum; in posteriori quæ ad proximum diligendum pertinebant; prioris tabulæ compendium erat, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: posterioris verò, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; quomodo ergo, dicet aliquis, omnium mandatorum maximum Christus esse dicit, si distincta mandata non sunt? perinde enim videtur esse ac si diceret omnia mandata esse maxima. Respondeo nihil aliud Christum significare, quàm omnia mandata huc tendere, vt Deum diligamus ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos, quemadmodum D. Paulus ad Romanos 13. 10. dixit, *plenitudo legis est dilectio*, & sicut idem Christus concludit versu 40. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*: quomodo autem intelligendum sit, *diliges proximum tuum sicut teipsum*, duabus ex rebus pendet; altera vt sciamus, quis dicatur proximus; altera, quid significet dilectio illa, *sicut*. Quis proximus habendus sit, Christus apud Luc. 10. 30. integra parabola explicauit, omnem hominem proximum esse. Quid autem significet particula *sicut*, facile non est dicere. Nam quidam materiam notare putant, quasi iubeamur omnia proximo velle, quæ nobis velimus; alij qualitatem, & modum, vt sensus sit eo modo, id est propter Deum proximum nobis esse diligendum, quo ipsi nos diligere debemus: alij affectum, vt eo affectu, conatúque proximũ diligamus, quo nos ipsos diligimus. Omnia arbitror *sicut* vna syllaba comprehendi. Nec enim dubito, quin Deus voluerit, vt & proximo omnia, quæ nobis optamus, optaremus; & eum propter Deum; sicut nos ipsos; & eo affectu, quo nos ipsos diligeremus; sed illud dubium est, quemadmodum alicubi D. Augustinus disputauit quomodo proximo ea quæ nobis velimus, velle iubeamur, cùm sæpè ipsi nobis mala velimus, diuitias, honores, voluptates, & quomodo sum, sic ut nos ipsos diligere, cùm nos ipsos, aut malè, aut plusquàm oportet, sæpè diligamus. Respondeo hoc tanquam certum statui, nos non nisi bona nobis velle debere, & non aliter nos ipsos, quàm propter Deum amaturos esse, cùm Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligere iubeamur: quod si facimus, non possumus nos diligere aliter, quàm oportet; propterea iubemur proximum eodem modo diligere. Obiicier aliquis etiam ex primo præcepto Deum ex toto corde diligendi consequi, vt proximum, & summo affectu, & propter Deum diligamus; quare opus non erat, vt eum, sicut nos ipsos, diligere iuberemur: Facilis responsio minùs naturalem proximi, quàm nostri amorem nobis esse, & se quemque maximè amare, propterea hanc nobis diligendi proximi datam esse regulam, vt eum sicut nos ipsos diligeremus. Nam cuiusdam docti alioqui Theologi sententiam minimè probo, qui putat hoc loco de charitatis dilectione non agi.

41. *Congregatis autem Pharisæis.*) Marc. c. 12. 35. scribit hanc quæstionem Christum proposuisse, dum in templo doceret; sed facilior est solutio in templo fuisse Pharisæos congregatos. Marcus & Lucas non dicunt Christum Pharisæos interrogasse: sed concionantem dixisse, *quomodo dicunt Scribæ Christũ filium esse Dauid?* sed, vt ait D. Augu. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 74. hoc nihil interest. Nam Matthæus posuit & interrogationem, & obiectionem Christi, *Quid vobis, inquit, videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid; ait illis, quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum?* Alij verò duo Euangelistæ non interrogationem; sed obiectionem solam posuerunt, & quia non dixerant Christum Pharisæos, & Scribas interrogasse, non dicunt quomodo vos dicitis, sed *quomodo dicũt Scribæ*, quod autem dicunt, *quomodo dicunt Scribæ*, cùm id non Scribæ sed scriptura diceret c. 17. 10. declarauimus: dicebantur enim Scribæ ea dicere, quæ in scriptura non omnino erant expressa, quia scripturam interpretantes id dicere docebant.

42. *Dicunt ei, Dauid.*) Quomodo Christus filius Dauid vocaretur, diximus c. 1. 1.

43. *Quomodo ergo Dauid in spiritu.*) Id est cùm Dei spiritu plenus esset, cùm non suo, qui falli, mentirique poterat; sed Dei spiritu, qui nec falli, nec mentiri poterat, loqueretur. Hebraismus est, qualis Psalmo 30. 23. & Psalmo 115. 2. *Ego dixi in excessu meo.* *Hebraismus.*

44. *Dixit Dominus Domino meo.*) Hoc testimonium in commentarijs in Psalmum 109. expositimus, & Iudæorum cauillationes refutauimus, quæ duæ potissimum sunt: Altera, psalmum hunc non à Dauide, sed aut à Melchisedec, vt recitat in eius loci commentarijs Rabbi Abraham, aut ab Eliezer seruo Abraham, aut ab aliquo ex ijs, qui tempore Dauid Psalmos scribebant, fuisse compositum, vt putat Aben Ezra: Altera, non de Christo, sed aut de Abrahamo, vt communis hodie est Iudæorum error, aut de Dauide, vt Aben Ezra, & Rabbi Dauid existimant, aut de Ezechia Iudæorum rege intelligendum, vt post Christi tempora Iudæos exposuisse ex Iustino in Tryphone, & ex Tert. lib. 5. contra Marcionem diximus. Vtramque vt dixi, cauillationem multis illic argumentis refutauimus, & ex hoc manifestè vtraque coarguitur. Nam si apud veteres Iudæos Christi tempore certum non fuisset, & hunc Psalmum à Dauide compositũ, & de Christo intelligendũ esse facile alterutrũ Scribæ & Pharisæi, qui posteriorib. Iudæis multo doctiores erant, vtique respondissent. Nunc autem recentiores Iudæi patrum suorum silentio apertè condemnantur.

45. *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?*) Loquitur Christus ex Pharisæorum opinione, qui Christum purum hominem futurum existimabant; cùm scriptura non solum hominem, sed etiam Deum futurum prædiceret. Non ergo concludit Christi argumentum, non esse filium Dauid: sed esse plusquàm filium Dauid, id est filium Dei ac verum Deum, ideóque Dauidem Dominũ ipsum appellasse

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXIII.

1. TVnc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, 2. dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. 3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. 4. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. 5. Omnia verò opera sua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. 6. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, 7. & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. 8. Vos autem nolite vocari Rabbi. vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. 9. Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est. 10. Nec vocemini magistri: quia Magister vester vnus est, Christus. 11. Qui maior est vestrum, erit minister vester. 12. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. 13. Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. 14. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium. 15. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. 16. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet. 17. Stulti, & cæci: Quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? 18. Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet. 19. Cæci: Quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum? 20. Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt. 21. & quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso: 22. & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum. 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. 24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. 25. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis: intus autem pleni estis rapina, & immunditia. 26. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id, quod deforis est, mundum. 27. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. 28. sic & vos aforis quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate. 29. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, 30. & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. 31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. 32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? 34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: 35. vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. 36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. 37. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? 38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

1. Ps. 18. a. 4.
Luc. 11. g. 46.
Act. 15. e. 10.
Deut. 6. b 9.
Num. 15. d. 39.
Mar. 12. d 38.
Luc. 11. f. 43. & 20. g. 46.
Iac. 3. a 1.
Mal. 1. b 6.
Luc. 14. c. 11. & 18. c. 14.
Mar. 12. d 40.
Luc. 20 g. 47.
Sup. 3. b. 7
Gen. 4. b 8.
Heb. 11. a. 4.
2. Par 24 f. 22.
Luc. 13. g. 34.

IN CA

IN CAP. XXIII.

A

IVnc.) Cum videret Scribas & Pharisæos corrigi non posse, vt Chrysostomus, auctor imperfecti, & Euthym. annotarunt.

Locutus est ad turbas, & ad discipulos suos.) Vero simile est Christum ea, quæ sequuntur, non omnibus discipulis suis; sed ijs, qui minus familiares, & instructi erant, proposuisse. Nam Apostolos, & eos, qui ipsum semper comitabantur, non opus erat admonere, vt Orig. tractatu in Matth. 24 indicauit, quin etiam D. Aug ser. de verbis Domini 9. neminem existimat Christum ad Pharisæorum, & Scribarum scholam mittere voluisse; sed Scribarum, & Pharisæorum nomine Euangelicæ, quam fundabat, Ecclesiæ Episcopos significasse; sed hoc violentum est.

B

2. *Super cathedram.*) Quidam aut suggestum intelligunt, ex quo ab Scribis & Pharisæis audiente populo lex Mosis legeretur, quod & Esdram lib. 2 c. 8. 4. fecisse legimus. Ita sentit Euth. quod alij refellunt, quia ex Luc. c. 4 16. & ex Actis Apostolorum c. 15. 16. intelligimus Iudæorum consuetudinem non fuisse, vt qui scripturam aut legebat, aut interpretabatur, in suggestum ascenderet; sed vt surgeret, & stans loqueretur; qd & hodie inter Iudæos fit, & olim inter Christianos D. Paul. fieri volunt 1. ad Cor. 14. 30. Ergo per cathedrã Mosis Hieron. & Beda Mosis doctrinam intelligunt, quòd qui docet in cathedra, sedere soleat, etsi iam tunc ea inter Iudæos consuetudo non esset.

C

Scribæ & Pharisæi.) De Scribis, & Pharisæis, & eorum officijs c. 2. 4. à nobis dictum est.

3. *Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis seruate, & facite.*) Occurret statim lectori quæstio, quomodo iubeat Christus omnia, quæ Scribæ, & Pharisæi docuerint, facere; cùm eorũ sæpè doctrinam reprehendat, & c. 16. 12. iusserit discipulos suos cauere à fermento, id est doctrina Pharisæorum, & hoc ipso capite vers. 16. & 17. falsam eorum doctrinam coarguat. D. Aug. li. 4. de doctrina Christiana c. 27. & lib. 16. contra Faustum c. 29. respondet Christum non loqui de Pharisæis, nisi in cathedra Mosis sedentibus; tunc autem cathedram ipsam cõgisse eos vera dicere. At quis dubitat illa ipsa falsa, quæ docebant, in cathedra ipsa, si in cathedra sedebant, aut in synagoga, & schola Mosis docuisse? Chryso. verò, & Euthy. existimant Christum non omnia, quæ in lege erant, intelligere; sed ea tantùm, quæ ad salutem erant necessaria, qualia erant Decalogi præcepta; nam cæremonias, & cætera præcepta; quæ ad tempus tantùm data fuerant, tantùm abest, vt seruare iusserit, vt potiùs abrogauerit. Probabilior hęc est sententia; sed mihi tamen non probatur, quia non solùm hoc loco, sed vbique alios legem, eiúsque etiam cæremonias seruare iussit, & ipse ad mortem vsque seruauit, quia nondum abrogata erat. Ergo cum iubet seruare, ac facere, quæ Scribæ, & Pharisæi, dum in cathedra Mosis sedent, dicunt; non de ipsorum; sed de legis, ac Mosis doctrina loquitur; perinde enim est, ac si dicat, omnia, quę lex, & Moses vobis dixerint, *secundum autem opera eorum nolite facere*, vt Hilarius, & Hieron. viderunt intelligisse. Cur ergo, dicet aliquis, non dixit, quæcumque Moses dicit; seruate, ac facite: sed quæcumque Scribæ, & Pharisæi dixerint? Duplex causa reddi potest; altera, quòd voluerit Scribarum, & Pharisæorum hypocrisim arguere, non autem arguisset, nisi dixisset eos aliter viuere, aliter docere. Altera, quòd toto capite acerbè eos esset reprehensurus, & conueniebat aliquantulùm eos prius laudare, ne omnia ex affectu, ac sine iudicio improbare videretur.

D

E

4. *Alligant enim onera grauia.*) Metaphora à farcinis sumpta est, quæ, vt iumenta, aut in hominum humeros imponantur, quę portentur, ligari solent. Vocat autem onera, non cæremonias, vt Chrysostomus existimat, quia, vt diximus, nondum Christus abrogat legem, de quibus D. Petrus in Actis Apostolorum c. 15. 10. dixit, *Neque patres nostri, neque nos portare potuimus*; sed onera vocat proprias Scribarum, & Pharisæorum traditiones, aut leges scripturæ contrarias, aut non certè necessarias, quales illæ sunt, quas versu 16. 17. & deinceps reprehendit, vt Origenes, & Theophylact. exponunt.

Digito autem suo. Digitum humeris opponit. Solemus onerata iumenta non solo digito, sed vtraque manu, & toto sæpe corpore iuuare; illi miseros homines, quos suis ineptijs onerauerant, ne minimùm quidem digito subleuabant, id est nec exemplo suo incitabant ad onera ferenda, nec in suis traditionibus dispensabant, cum in Dei lege sæpe dispensarent. hoc est *digito autem suo nolunt ea mouere.*

5. *Dilatant enim.*) G. Δ autem, sed ponitur pro γὰρ enim, vt alibi sæpè, quemadmodum noster vertit interpres, multo melius, quàm qui vertendum esse dicunt, autem; reddit enim causam non eorum, quæ versu præcedenti dixerat, sed proximorum verborum, *Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Quod probat duobus minimarum rerum exemplis, phylacteriorum, & fimbriarum, quasi velit ex rebus minimis maximas intelligi, & vt in prouerbio est, ex vngue leonem cognosci. Nam qui in fimbrijs, & phylacterijs gloriam captabant, quid in rebus maioribus facturi erant?

Calumnia in harm.

Phylacteria sua.) Phylacteria, vt Origenes, Chrysost. Hieron. & Euthym. scribunt membranulæ erant, in quibus legis præcepta scripta erant; eas Scribæ, & Pharisæi circum caput, & circum brachia gestabant, vt perpetuò Dei legem ante oculos haberent; sic intelligentes, quod Deus per Moysem præceperat Deuteronomij 6. 8. *& ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos.* Hoc Hieronymus suo etiam tempore ab Indis, Persis, & Babylonijs factitatum fuisse dicit: dicta sunt autem à Græcis φυλακτήρια, phylacteria, id est conseruatoria, quòd ad conseruandam legis memoriam instituta essent; fimbriæ autem vocabantur fila quædam non texta, quæ ex infima ora vestis dependebant, quæ ab Hebræis vocantur ציצית Num. 15. 38. vt Rabbi Dauid interpretatur, & כנפות Deuteronom. 22. 12. vnde & Hispani, vt opinor *Guedizas* vocauerunt. Fimbrias hyacinthino colore Iudæos gestare duobus illis locis, quos motiò posuimus, Deus præceperat. vt legis recordarentur. Eas ergo Scribæ, & Pharisæi præ cæteris Iudæis magnificabant, id est maiores, quàm cæteri, faciebant. Scribit Hieronym. solitos etiam fuisse acutissimis spinis interserere, quibus & cum ambularent, & cum sederent, compungerentur, eóque dolore diuinam legem in mentem reuocarent. Nescio, quàm certum hoc sit; facile tamen Hieronymo credo non dicturo, nisi ab Hebræis, aut à bono aliquo auctore didicisset. Potest meritò lector quærere, quare Scribæ, & Pharisæi ambitionis causa fimbrias, ac phylacteria dilatabant. Respondent quidam, vt plura legis præcepta in phylacterijs inscribi possent. At, vt id de phylacterijs dici possit, de fimbrijs certè dici non potest, in quibus præcepta non scribebantur: vero similius, quod indicat Theophylactus, ideo dilatasse, vt longius conspicerentur, & legis obseruatores esse viderentur, aut, vt videtur sentire Chrysostom. vt legem diligentiùs, quàm cæteros Iudæos se seruare declararent.

Phylacteria Iudæorum.

Fimbriæ Iudæorũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

8. *Vos autem nolite vocari Rabbi.*) Ab hoc loco vsque ad versum 13. & vna est, & facilis sententia, ne Pharisæorum mores discipuli imitentur; non prohibet patrem, aut magistrum vel vocari, vel vocare in terris absolutè: sed comparatè ad Deum, & ad Pharisæos, de quibus loquebatur. Ad Deum quidem, vt comparatione illius neminem putemus neque patrem, neque præceptorem esse posse, & ne istos honoris, & amoris titulos illius honori, amorique præferamus. Ad Pharisæos verò, ne eo modo, quo illi, id est ambitiosè, gloriosèque aut præceptores, aut patres appellemur, alióve appellemus. vt illi appellabant, qui dicebant, *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo.* vt suo quisque magistro gloriaretur. 1. ad Corint. 3. 4 alioqui dubium non est, quin patres, & magistros & vocari, & vocare nobis liceat.

13. *Væ autem vobis.*) Hic versus apud Chrysost. Euthym. & Theoph. & apud auctorem operis imperfecti est 14. & 13. positus est hoc loco. Inuehitur mira Christus acrimonia in Scribas, & Pharisæos vsque ad finem capitis, eorum præsertim hypocrisim accusans, non vllo quidem iracundiæ impotentis imperu, aut maledicentiæ; sed certo iudicio, atque consilio, vt paulò pòst moriturus miseram plebem commonefaceret. ne Scribarum, & Pharisæorum fuco capta falleretur. Dubium, an omnia, quæ Christus hoc capite in Scribas & Pharisæos dicit, eodem loco, ac tempore ab illo dicta sint. Nam Lucas c. 11. 39. 42. 52. multa ex ijs narrat, quasi alio tempore dicta fuerint; & D. quidem August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 75. duos, vt eius vtar verbis, sermones esse putat, alterum quem Matthæus, alterum, quem Lucas recitauit, bisque eadem dixisse Christum. Sed mihi probabilius videtur semel dixisse hæc omnia, eodémque tempore, vt apparet ex Luca; sed Matthæum idcirco omnia in hunc locum contulisse, quòd similis essent argumenti, & non id ageret, vt historiam ordine seruato temporum texeret, sed vt Christi doctrinam exponeret, quod cap. præcedenti versu 2. in re simili fecisse animaduertimus.

Quia claudetis regnum cælorum.) Luc. c. 11. 52 paulò aliter dicit, *quia tulistis clauem scientiæ*, quæ verba maiorem habent emphasim. Significant enim Scribas, & Pharisæos ita sibi legis scientiam vsurpasse, vt existimarent neminem, nisi ipsis viam indicantibus, in cælum ire posse: sumpta enim à dominis ædium metaphora est, qui cum neminem ingredi, aut egredi, nisi iussu suo, volunt, clauem totius domus accipiunt; claudere autem Scribę, & Pharisæi regnum cælorum dicuntur, quia persuadebant hominibus neminem, nisi ipsis aperientibus, id est docentibus intrare posse, quo suasu omnes, quas volebant, traditiones, quasi grauia onera populo imponebant. Quod autem dicit *ante homines*, Hebraismus est פנים לפני ante facies hominum, id est occludendo illis ianuam ante oculos, qua phrasi significatur eos impedire multos, qui iam iam ad cæli ianuã appropinquarent, &, nisi illi obstarent, ingressuri essent. vt etiam Chrysost. vidit. & proximis verbis indicatur, *Vos non intratis, nec intrantes*, id est eos, qui introire volunt, *finitis intrare*. Quid autem sit ipsos non intrare, neque alios ingredi permittere, duobus modis ab antiquis auctoribꝰ explicatur. Origenes, Hilarius, auctor imperfecti, Hieronymus, & Beda ideo dictum putant, quòd nec ipsi in Christum crederent, & ne alij crederent, impedirent; quam interpretationem idcirco non probo, quia, vt ver. 3. diximus, Christus hîc de legis obseruatione agit; quare magis placet Chrysostomi sententia ideo Scribas, & Pharisæos in regnum cælorum non intrasse, quia Dei præcepta non obseruabãt; ideo alijs, quo minus intrarent, obstitisse, quia eos inutilibus, & intolerabilibus traditionibus onerabant, quas, cùm ipse populus seruare non posset, nec in regnum cælorum Pharisæorum quidem opinione ingrediebatur. Nec enim propterea saluus esse non poterat, quòd Pharisæorum non seruaret traditiones; sed loquitur Christus ex Pharisæorum opinione, atque doctrina. Hic sensus ex ijs, quæ dicuntur, versu 16. & deinceps facile colligitur.

14. *Quia comeditis domos viduarum.*) Nonnulli putant D. Hieronymum, & Origenem quia hunc versum non explicant, non legisse, & quod in octauo Euangeliorum canone, quo solus Marcus, Lucasque conueniunt, positus sit: leuis coniectura, quæ potius in canonem quam in Euangelium valere debuit: præterim cum omnes & Latini, & Græci, & Syriaci codices legant: esse autem hos duos versus hunc, atque præcedentem apud auctores Græcos transpositos supra monuimus. *Domos viduarum* Scribæ, & Pharisæi, id est facultates dicuntur deuorare; qua autem ratione id facerent, non satis expressum. Quidam ideo eos deuorasse dicunt, quia consolationis causa viduarum domos frequentabant, & conuiuijs pro officij dignitate ab illis excipiebantur, quibus facultates suas consumebant, sic Euth. Alij, quia dum sanctitatem simulabant, viduæ ad eos, vt se ipsorum precibus commendarent, tanquam ad viros sanctos ventitabant, & eorum orationes pretio emebant: hoc probabilius, quia statim sequitur, *longas orationes orantes*, quasi causa significetur, quare viduarum domos deuorarent, quòd longas suas orationes venderent. Sed viduas potiùs, quam alias personas duabus, vt opinor, de causis nominauit, & quia religiosiores esse solent, & multo facilius sanctitatis simulatione capiuntur, & quia maius erat scelus viduarum, quæ potius iuuandæ, alendæque erant, quàm aliarum minùs miserabilium personarum substantiam deuorare, vt Chrysostom. & Euthym. annotarunt.

Longas orationes orantes.) Gr. καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχεσθε. & prætextu aut occasione longa oratione, id est prolixè. Noster interpres nec legit καὶ, neque προσεύχεσθε: & quidem copulatiuam coniunctionem rollendam puto, quia nec sententia requirit, & respuit; tamen autem προσεύχεσθε rectè conuenit, & vero simile mihi videtur etiam legisse nostrum interpretem; sed sensum, non verba reddidisse. Occasionem autem, si id nomen legatur, interpretor aucupium, quo lucerdotes, & Pharisæi prolixè orantes vtebantur, vt mulierciarum captarent facultates, quemadmodum sumitur apud 1. Paulum ad Philippenses 1. 18. cum dicit, *Quid enim dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur?*

Propter hoc amplius accipietis iudicium.) Id est duplo maius, quàm cæteri, vt versu sequenti explicabimus, quia bis nimirum peccatis, & dum viduarum facultates consumitis, & dum id sanctitatis simulatione facitis. vt Chrysosto. & auctor imperfecti annotarunt. Iudicium scripturæ more, & Hebræorum idiomate condemnationem appellat. Quod hæreticorum quidam interpres vertit, auferetis grauius iudicium, minus proprium mihi videtur. Noster interpres Græcum secutus est, Græcus Hebraismum, quo περισσὸν accipere significat, & ferre; hoc autem loco pro ferre positum est.

15. *Circuitis mare, & aridam.*) Id est nihil non facitis, vt vnum proselytum efficiatis. videtur speciem habere prouerbij; quale illud apud Latinos est, omnem lapidem mouere, & apud Græcos, omnem mouere funem. Aridam Hebraismi imitatione terram appellauit, vt Genesis 1. 10. quemadmodum & Græci nonnunquam auctores appellant. Interpretatio est Chrysostomi, & Euthymij in hunc locum non Scribarum, & Pharisæorum diligentiam, sed rei difficultatem declarari. quasi sensus sit, væ vobis Scribis, & Pharisæis, qui morum vestrorum prauitate adeo à legis diuinæ studio alienigenas auertitis, vt adeo difficile sit vel vnum tantùm ex illis ad veram religionẽ adducere, vt opus vobis sit mare, & aridam circuire: sed manifestum est non rei difficultatem; sed Scribarum, & Pharisæorum studium, ambitionémque significare, qui magna solicitudine Gentiles ad Iudaicam religionem perirahere conabantur, vel ambitionis causa, vt populum Dei augere viderentur, & sua sanctitate, doctrináq; gubernare, quemadmodum nonnulli interpretes existimant, aut, vt auctor imperfecti putat, vt aucto Iudæorum numero, sacrificiorũ quoque numerus cresceret, maiúsq; ad ipsos lucrum perueniret. Vtrumque de Scribis, & Pharisæis credi potest. Proselytos appellabant Græcè eos, qui ex Gentilium superstitione ad Iudæorum religionem venerant, quo Hebræi גרים vocare solent, & Christiani neophytos appellabant 1. Timoth. 3. 6.

Et cum factus fuerit, facitis illum filium gehennæ. Notus est Hebraismus, quo filius gehennæ dicitur, qui gehenna dignus est, sicut filius mortis, qui morte dignus, 1. Reg. 20. 31. de gehenna autem c. 5. diximus.

Duplo, quam vos. διπλότερον ὑμῶν, ad verbum, duplicius, quàm vos: id est vos quidem duplici condemnatione, supplicioq; digni estis; illum autem plusquàm duplici dignum facitis. Quomodo autem Scribæ, & Pharisæi duplici pœna digni essent, versu præcedenti explicauimus, qui dupliciter peccabant, & auaritia, & sanctitatis simulatione. Quare verò peiores proselytos suos facerent, non satis constat, cùm vix illis peiores esse possent. Auctor imperfecti existimat propterea proselytos maiore, quàm Pharisæos supplicio dignos fuisse, quòd quidem grauiùs peccarent non credentes in Cristum relicta iam idololatria, quàm si nunquam reliquissent. Chrysostom. verò Phatisæos studiosè conatos esse eos, quos ab idololatria reuocassent, peiores facere, quàm se. Meliùs idem auctor imperfecti, & Euthymius ita esse natura comparatum, vt vitia potiùs quàm virtutes imitemur, & in rebus malis à discipulis magistri facilè superentur.

16. *Duces cæci.*) Duces vocat, non quòd veri duces essent; sed aut propter officium, quia docendi munere fungebantur, aut ex eorum opinione, qui se aliorum duces profitebantur, quemadmodum idola ex Gentilium opinione scriptura solet Deos appellare, & Pseudo Prophetas Prophetarum nomine sæpe vocat.

Quicunque iurauerit per templum. ὃς ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ ναῷ. in templo. id est per templum, vt in sequentibus ex Hebræorum idiomate 2 pro in, & pro, per.

Nihil est.) id est non debet, non est reus, vt statim dicit; quod, vt quidam volunt, non absolutè; sed comparatè intelligendum est; nec enim est vero simile per templum nullum esse peccatum; sed minus esse, quàm per aurum templi iurare, etsi v. cap. 5. 21. 34. diximus, multi veteres auctores ita sensérint. Euthym. iuramentum votum interpretatur, aut iusiurandum, quo aliquis promittebat se templo aliquid oblaturũ esse. Id enim iuramẽtum propterea Scribæ, & Pharisæi, quorum multi sacerdotes erant, magis docebant obligare, quàm si quis per templum iurauisset, id est se templum ædificaturum, quia, quæ templo offerebantur, in ipsorum lucrum redundabant, aliud verò templum nemo poterat ædificare. Coacta, & minimè probabilis interpretatio. Hieronymus verò, Theophylactus, & D. Thom. sic interpretantur, si quis in contentione, seu in aliquo iurgio, vel in causæ ambiguo iurasset in templo, & postea cõuictus esset mendacij, non tenebatur crimine reus: sin aurem iurasset in auro, & pecunia, quæ in templo sacerdotibus offerebatur, statim id, in quo iurauerat, cogebatur exsoluere. Rursum si quis iurasset in altari, periurij reum nemo retinebat, sin autem peierasset in oblationibus, hoc est in hostijs, in victimis, & similiter in cæteris, quæ offerebantur Deo super altare, hæc studiosissimè repetebantur. Itaque hi auctores auaritiam eius traditionis originem fuisse putant. Quod autem aurum templi intelligẽdum sit, dubium etiam est. Nam Theophylact. aurum illud intelligit, quo templum intus vestitum erat. Euthym. verò vasa, candelabra, cæteramque auream templi supellectilem. Hieronym. & Beda omnem templi pecuniam, quod est probabilius.

17. *Quid enim.*) Particula causalis hoc loco otiosa videtur esse: nullius enim rei causam reddere videtur: sed Hebraismus est, quo solent Hebræi non rei, de qua loquuntur, sed verbi, quo vsi sunt, aliquando rationem reddere; quemadmodum in Idiomatis annotauimus. Exemplum est 1. Paralip. 5. 1. & infra versu 19. Reddit ergo Christus rationem, cur Pharisæos cæcos appellauerit, quòd nimirum non videant templum maius esse, quàm aurum. Argumentatur autem ex illo naturali, quod est apud Aristotelem axiomate, *propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Nam aurum, quod in templo est, non est sanctum, nisi quia templum sanctum est; templum igitur magis sanctum.

22. *Et quicunque iurat in cælo.*) Quæ ad huius loci explicationem pertinent, c. 5. 34. dicta sunt.

23. *Et reliquistis.*) Quidam tempus præteritum, quod Græcè est, per præsens vertendum putant, & relinquitis, sicut præsenti tẽpore dixit, *decimatis mentam, & anethum*: sed melius noster interpres non solùm, quia propiùs Græcum verbum secutus est; sed etiam, quia sententiã melius expressit, significat enim hoc loco tempus illud præteritum Scribas, & Pharisæos Dei grauiora præcepta iam diu non minùs, quàm si abrogata essent, obliuioni dedisse.

Iudicium.) Exponit quæ sunt illa grauiora legis præcepta, quæ iam diu reliquerant, nempe iudicium, quo vnicuique ius suum redditur: erant enim Scribæ & Pharisæi in multis causis Iudæorum iudices. vt c. 5. 22. diximus, & nihil magis scriptura detestatur quàm peruersa, & corrupta iudicia, vt Deuteron. 16. 19. Isaiæ 1. 23. Michæ. 3. 11. & 7. 3.

Misericordiam.) Misericordiam vocat charitatem in proximum, quam Deus omnibus rebus anteponit, hoc enim est *misericordiã volo, & non sacrificium*, Oseæ 6. 6. & supra cap. 9. 13. hoc est, quod tantopere commendat apud Michæam ca. 6. 8. *Indicabo tibi, ô homo; quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* & apud Zachariam cap. 7. 9. *Hæc ait Dominus exercituum dicens, iudicium verum iudicate, & misericordiam, & miserationem facite vnusquisque cum fratre suo.*

Et fidem.) Fidem appellat non diuinam illam, qua in Deum credimus: sed illamhumanam, qua inter nos pacta conuenta seruamus, quæ dictorum factorúmque constantia definitur, quam Deus Leuit. c. 6. 2. 4. 5. diligenter seruari voluit. *Anima*, inquit, *quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, vel calumniam fecerit, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintã insuper partem*

Quis Proselytus.

Hebraismus.

Hebraismus.

Hebraismus.

Hebraismus.

Hebraismus.

Cicer. 1. Offic.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominio, cui damnum intulerit, pro peccato suo offeret arietem immaculatum de grege.

34. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.*) Solet in calidioribus regionibus multos culices vinum habere, vt necesse sæpe sit, qui volunt bibere, vinum prius excolare, vt culices tollant. Inde sumpta translatio. Camelum autem ex more patriæ prorè maxima posuit, vt supra cap. 19. 24. Apparet autem fuisse prouerbium, quale illud fuisse diximus ibi, *facilius est camelum per foramen acus transire.*

Hebraorum prouerbia.

25. *Quod de foris est calicis, & paropsidis.* τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου, exteriorem calicis, & paropsidis partem, aut quod à Græcis verbis propiùs abest, quod extra calicem, & paropsidē est. Calicem vocat poculum, paropsidem patinam, qua cibus sumitur, vt apud Pollucem, & Athenæum. Notum est carmē veteris poëtæ, *quam multa, magnáque paropside cœnat.* Lucas catinum appellauit, quod aut idem, aut simile vas est.

Iuuenalis sat. 3.

Intus autem.) Id est quæ intus sunt; intelligitur enim τὰ. Calicem, & paropsidem vocat ipsum hominem; quæ extra calicem, & paropsidem sunt, sordes corporis; quæ sunt intra, sordes animæ. Significat ergo eos de corpore lauando, atque mundando nimis esse solicitos; de abluendis animæ sordibus nimis negligentes. Videtur hoc etiam fuisse prouerbium, quo significabatur aliquē minùs necessaria nimis curare, magis necessaria negligere; quemadmodum si quis vas, quo potum, aut cibum sumerer, extrinsecus mundaret, intrinsecus non mundaret.

Prouerbium Hebraorū.

26. *Vt fiat & id, quod deforis est, mundum.*) Quæritur quomodo mundatis ijs, quæ intus sunt, ea, quæ extra sunt, munda fiant, cum nihil obstare videatur, quin possit aliquis mundo esse animo; sordido verò corpore, dicitur id, quod deforis est, mundum fieri, cum interiora mundata sunt: quia non magis inquinat, quàm si immundum esset. *Non enim, quod intrat in os, coinquinat hominem* cap. 15. 11. & *omnia munda mundis*, ad Titum 1. 15.

29. *Qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum.*) Eosdem Prophetas, & iustos videtur appellare, vt alijs locis annotauimus & ex Isāe cap. 9. 17. docuimus, sicut sepulchra, & monumenta idē sunt: est enim ex Hebræorum idiomate eiusdem sententiæ alijs verbis variatæ repetitio: ædificabant autem Prophetarum sepulchra cum vetustate collapsa essent, vt Hilarius exponit. Constat ex hoc loco Prophetarum, & iustorum sepulchra in honore apud Iudæos habita fuisse. Quòd autem ea Scribæ, & Pharisæi collapsa reintegrarent, non vituperatione, sed laude dignum erat, vt Origenes tractatu in Matth. 26. Chrysost. Euthym admonuerunt; nec propterea eos Christus reprehendit; sed quia cum eorum ædificarent sepulchra, maiora ipsi patrarent homicidia, quam qui prophetas illos, quorum sepulchra ædificabant, occiderant.

Sepulchrorum honor.

31. *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt.*) Bene hoc loco concludit Christus ex eo, quod dicebāt Scribæ, & Pharisæi, *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum*, eos testari his ipsis verbis esse se eorum filios, qui prophetas occiderunt; sed paulò aliter argumentum recitat Lucas c. 11. 48. *profecto*, inquit, *testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt: vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Credibile est vtrumq; Christum dixisse: sed alterum Matthæum, alterum Lucam recitasse. Superest videre quomodo apud Lucam bene Christus concludat eos testificari se operibus patrum suorum consentire. Non videtur mihi ex animi sententia Christus id concludere voluisse: sed tantùm propositum illi fuisse illud ipsum argumentum, quod ad probandam sanctitatem suam Scribæ, & Pharisæi afferebant, ad probandam eorum nequitiam in eosdem retorquere, quasi commune esset, vt Rhetores vocant, quod in vtramq; partem æquè valeret. Qui enim sepulchra prophetarum ædificabant, videri poterant aut idcirco facere, vt eos honorarent, aut vt magis quodammodo occiderent, id est eorum memoriā vnà cum corporibus sepelirēt; quemadmodum solent latrones quos occiderunt, non humanitate, sed alio homicidij genere ne reperiantur, sepelire. Scribæ, & Pharisæi priori sensu; Christus posteriori argumentabatur; nō quòd indicaret eos eo animo sepulchra prophetarū ædificare, vt patrū suorum homicidijs consentirent; sed quòd factum ipsum in eam etiam partem non minùs, quàm in contrariam posset aliquis interpretari.

32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*) Id est occidite eos prophetas, quos illi, quia nondum erant, occidere non potuerunt. Intelligit autem ipsum, & eos, quos versu 34. se missurum dicit. Hoc enim est implere mensuram patrum suorum, eorum scelera, atque homicidia maioribus homicidijs, sceleribúsque cumulare. Adnotarūt Chrysost. Theophyl. & Euthym. Christum his verbis etiamsi imperare videatur non imperare, sed quod futurum erat, præcedere: quemadmodum Ioan. 13. 2. dixit Iudæ, *Quod facis fac citius.* Facilius dici potuit concessionem esse, qualis illa apud poëtam est. *I, sequere Italiam ventis.*

33. *Serpentes, genimina viperarum.*) Hūc locum c. 3. 7. explanauimus. Sensus est. cùm viperarum filij sitis, quid potestis esse, nisi viperæ? non enim solent filij parentibus meliores esse, peiores solent.

Quomodo fugietis a iudicio gehennæ?) Id est, quomodo potestis salui esse, cùm viperæ sitis? quod nō ideo dicit, quia fieri non possit, vt pœnitentiam agant, & salui sint; sed quòd eiusmodi homines, qui tam diuturnum scelerum suorum callum obduxerunt, vix pœnitentiam agere, & salui esse soleant; aut quòd adeò obdurati in malum essent, vt auerti ab eo possent non viderentur.

34. *Ideo.*) Non reddit causam, cur Prophetas, Sapientes, & Scribas missurus sit: neque enim propterea Scribarum, & Pharisæorum nequitiam missurus erat, sed reddit causam, cur eos essent occisuri, quia nimirum serpentes erant, & genimina viperarum: serpentium autem, & viperarum proprium est homines occidere, Lucas cap 11. 49. aliter dicit, *propterea*, inquit, *& sapientia Dei dixit, mittam ad illos prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur*, vbi videtur alicuius prophetæ testimonium allegare; cùm nihil hodie tale in scriptura legamus. Credibile est ita Christum, vt Lucas narrat, locutum esse; nec dixisse, *Ecce ego mitto*, vt ait Matthæus, sed, *sapientia Dei dixit, mittam ad illos, &c.* ne. si diceret, *ego mitto*, Deum se facere videretur, cuius proprium est mittere prophetas; sed Matthæum sensum, non verba recitasse. Idem enim est sapientia Dei mittet, & ego mittam, quia ipse Dei sapientia erat, & ex ambiguitate verbi inuidiam euitauit. Itaque noluit vllum vllius veteris prophetæ citare testimonium; sed quasi ipse Dei voluntatem interpretaretur, futuraq; nuntiaret, sicut veteres prophetæ solebant dicere, *hæc dicit Dominus*, ita ille dicit, *sapientia Dei dixit*, id est, decreuit, Hebraismus.

Prophetas, & sapientes, & Scribas.) Lucas dixit prophetas, & Apostolos; vnde constat Christum Apostolos suos, & Scribas, & propheras appellasse, vt accommodatè ad Iudæorum consuetudinem loqueretur apud quos legis doctores Scribæ vocabantur; solet enim ita aliquando Christus loqui, vt cap. 13. 52. &

D. Paulus.

D. Paulus 1. ad Corint. 1. 20. *vbi Sapiens, vbi Scriba, vbi conquisitor huius sæculi?*

Vt veniat super vos.) Rectè Euthym. annotauit particulam vt hoc in loco non causam, sed euentum significare. Hebraica autem phrasis est alicuius sanguinem super aliquem, aut super eius caput venire, id est homicidij pœnas dare, vt infra capite 27. 25. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* id est nos, & filij nostri culpam præstabimus, & si quid in hoc peccati est, pœnas libenter luemus. Similis phrasis Leuitici 20. 9. 13. Iosue 2. 19. 2. Reg. 1. 16. quemadmodum Latini dicebant, si quid mali fiet, mihi & capiti meo. Seneca lib. 4. de beneficijs c. 31.

Vt brassicæ.

A sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare.) Manifestum est voluisse Christum dicere eos daturos pœnas ob mortem omnium prophetarū, quicumque vnquam occisi à Iudæis fuerant. Numerat autē Abel inter prophetas, quia suo sacrificio videtur Christi sacrificium prædixisse, vt indicat D. Paulus ad Hebræos 11. 4. cum dicit, Abel fide plurimam hostiam obtulisse. Enumerat enim inter illos, qui à Iudæis occisi fuerant, cum ab illis occisus non sit; quia Cain, à quo occisus est, omnium homicidarum caput fuit; & quamuis non fuerit natura Iudæorum pater, fuit imitatione. Itaque illius filij esse Iudæi significātur eodem modo, quo dicuntur filij esse diaboli, Ioan. 8. 44. Ita Iudas dixit ver. 11. *Væ illis, qui in viam Cain abierunt.* Ita auctor imperfecti exposuit. Vulgaris hoc loco de Zacharia quæstio est, de quo, cū multi fuerint, Christus loquatur. Nonnulli auctores existimant de Zacharia Ioannis Baptistæ patre loqui, veterem narrantes traditionem, quæ in nonnullis apocryphis libris legebatur, hodiéque in nescio quo, vt vocatur, Protoeuangelio Iacobi legitur; fuisse in templo Ierosolymitano separatum locum; in quo solæ virgines considerent. Virginem verò Mariam Christi matrem post fœlicem partum in templum ingressam voluisse inter virgines, vt solebat, locum habere, prohibitam à sacerdotibus, quòd filium peperisset, defensam à Zacharia, qui virginem sciebat, ea de causa à cæteris sacerdotibus inter templum, & altare occisum esse. Ita Orig. tractatu in Matthæū 16. & D. Basilius homil. de humana Christi generatione, Theophylact. & Euthy. hoc loco. Simile quiddam refert de Gnosticis Epiphanius in eorum hæresi. Quæ traditio, si ex bonis libris probaretur, hunc locum valde congruenter explicaret. Fuit enim Zacharias pater Ioannis vltimus prophetarum, & perspicuum est voluisse Christum significare Scribas, & Pharisæos daturos esse pœnas sanguinis omnium prophetarum, qui occisi essent, à primo vsque ad vltimum. Nomen tantùm patris Barachiæ non cōueniret. Nec enim illius Zachariæ patrem Barachiam vocatum legimus. Alij putant Christum loqui de illo Zacharia, qui ex duodecim minoribus prophetis vnus est. Is enim c. 1. 1. filius Barachiæ fuisse dicitur, quam opinionem Orig. Chrysost. & Hieronym. referunt; Strabus verò secutus est. Alij hunc fuisse Zachariam illum filium Ioiadæ sacerdotis, qui 2. Paralipomenon 24. 21. inter templum, & altare occisus commemoratur, quæ & Hieronymi, & Bedæ, & omnium ferè posteriorum interpretum opinio est, eò cæteris probabilior, quòd solum illum Zachariam in scripturis inter templum, & altare occisum legamus, & est verò simile Christum notam historiam, & sacris testatam litteris commemorasse. Illud tantùm non conuenit, quòd Zacharias ille in scriptura non Barachiæ, sed Ioiadæ filius appellatur: cui obiectioni duobus modis interpretes respondent. Primùm, vt Hieronymus ait, Christum non ad vocē nominis, sed ad significationē respexisse. Barachias enim Hebraicè benedictum Domini significat, id est hominem iustū, & diuina abundātem gratia, qualem Ioiadam sacerdotem fuisse scriptura tota testatur. Alij Ioiadam binomium fuisse putant, simulq; Ioiadam nomine, & Barachiam cognomento appellatum. Coniectura probabilis est, quòd D. Hieronym. affirmet se in eo Euangelio, quo Nazareni vtebantur, pro filio Barachiæ filium Ioiadæ legisse. Alia lectori obiectio potest occurrere, quòd Zacharias ille nō fuerit omnium prophetarum vltimus, qualem videtur Christus significare voluisse. Nam & multi postea fuerunt, & Ioannes Baptista vltimus occisus. Facilis solutio est, voluisse Christū de illis tantum agere prophetis, quorum cædes sacris esset litteris consignata, ne Scribæ, & Pharisæi à patribus suis occisos fuisse negare possent: inter eos autem quos in sacris litteris occisos legimus, Zacharias ille Ioiadæ filius vltimus fuit. Alia hoc loco quæstio moueri solet, quomodo Christus minetur omnium veterum prophetarum sanguinem super Scribas, & Pharisæos venturum esse, cùm ipsi eos non occidissent, & non debeat filius patris iniquitatem portare. Ezechielis 18. 19. Quidam respondent omnium Iudæorum veluti vnam esse congregationem, & quasi Rempub. Videmus autem in Republica, quæ maiores fecerint, posteris tribui; vt Amalechitæ, quia filijs Israël ex Ægypto reuertentibus transitum per regionem suam concedere noluerunt, Exodi 17. 8. 14. delendi esse dicuntur; quod factum non est, si annis post plus quadringentis, cùm nemo eorū viueret, qui peccauerāt, 1. Reg. 15. 6. 7. Ita ergo Pharisæos sacerdotes, & Scribas pœnas exsoluturos sanguinis prophetarum, non quòd ipsi occidissent; sed quòd cum eorum Respublica, eorúmque maiores occidissent, & ipsi occidisse putabantur. Ita Hieronymus, & Beda. Alij dicunt sæpe filios pro patribus pœnas dare, cum eorum mores imitantur; vt Deus comminatur Exodi 20. 5. *Ego sum Deus Zelotes visitans iniquitates patrum in filios vsque in tertiam, & quartam generationem.* Alij filios etiam, cum patrum suorum peccata sequuntur, pro illis non punirisse propterea dici puniri pro illis, quia cum eorum exemplo non resipuerint, maiores pœnas luunt; sic Chrysostom. Theophylact. & Euthym. interpretantur. Ego de illa quæstione, vtrum filij pro patribus aliquando pœnas soluant, necesse non arbitror hoc loco disputare, cùm sine eius explicatione possit intelligi, & ea quæstio exodi 20. 5. à nobis tractata sit. Credo autem hoc loco Christum humano, vulgatique more loqui voluisse. Neque aliud quicquam significasse, quàm Scribas, & Pharisæos tam graues pro suis homicidijs pœnas daturos esse, vt patrum etiam suorum homicidia portare viderentur, non quòd portauerint; sed quòd seueriùs puniti fuerint, nullámque meruerint misericordiam; sic enim solemus loqui de aliquo, qui cùm multas fecisset cædes, & punitus non fuisset, ad extremum nouo homicidio perpetrato deprehensus, atque suspensus est, omnia simul exsoluit; nō quòd exsoluerit sigillatim omnia, aut quòd maiores pœnas dederit, quàm quas pro vltima cæde merebatur; sed quòd sine misericordia punitus sit, & tantas soluerit pœnas, quantas maximas potuit. Hunc esse sensum hoc loco euentus docuit, vt constat ex versu 38. *relinquetur vobis domus vestra deserta*, & ex toto capite sequenti. In illo autem excidio Scribæ, & Pharisæi vix potuerunt maiores; quàm dedere, pœnas dare; quod, qui Iosephum legerit, facile concedet. Sed si nullum alium prophetam, nullum Christi discipulum; verùm solum Christum ipsum occidissent, multò grauioribus pœnis digni erant. Itaque tantùm abest, vt pro patribus suis pœnas luerent, vt ne pro se quidem ipsis

Dr. Zacharias Baptistæ pater.

satis

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis dignas pœnas luere potuerint: sed, vt diximus, dicuntur sanguinis omnium prophetarum pœnas soluisse, quia quam maximas meruerant, exoluerunt.

36. *Amen amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.*) Et asseuerationis particula *Amen*, & eius repetitione, & totius iteratione sententiæ confirmat, quod ante dixerat, ne quis inanem fuisse putaret comminationem. Generationem autem istam vocat totum Iudæorum genus, super quos ea, quæ dixerat, uentura erant. Notus Hebraismus in generatio, id est genus.

Generatio pro genere.

37. *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alit, & noluisti.*) Semper iudicaui violentam esse interpretationem, quam sæpe D. Augustinus adhibet in hunc locum, *volui*, inquit, *congregare, & noluisti*, id est etiam nolente te congregaui. Sensus enim est facilis, quem præter illum omnes prorsus auctores veteres secuti sunt, Deum Iudæos ad meliorem mentem vocasse, & venire noluisse, sicut superiore parabola cap. præcedenti versu 3. declaratum est, & vt per Salomonem Prouerb. 1. 24. dixit, *Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*, & Isaiæ 65. 12. *vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegistis*, & cap. 66. 4. *vocaui, & non erat, qui responderet; locutus sum, & non audierunt*, & Ieremiæ 7. 13. *Locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis; & vocaui vos, & non respondistis.* Idem enim est vocasse, & congregare voluisse, idem est non respondisse, & noluisse congregari.

38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*) Particula *ecce*, propinquum tempus videtur indicare, vt multis alijs locis, quos cap. 2. 1. notauimus. Domum autem eorum aut vrbem appellat, vt Beda existimat, quia eorum erat habitatio, quæ à paulò post vastanda erat, sicut Deus olim apud Isaiam simili commination vsus dixerat cap. 5. 5. *Ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam sepem, & erit in direptionem; diruam maceriam eius, & erit in conculcationē*: aut, quod est probabilius, templum, quemadmodum Hieronymus, Theophylactus, & Euthym. interpretantur; quia quemadmodum olim, ita etiam tunc adeo in templo suo Iudæi confidebāt, vt tutissimum in eo præsidium habere viderentur, Ieremiæ 7. 4. *nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Nam & tempore Ieremiæ paulò antequam à Chaldæis inuaderetur, simili Deum comminatione vsum legimus Ieremiæ 12. 7. *reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam.* Nam quod Ambrosius in commentarijs in Psalmum 95 per domum Iudæorum Synagogam intelligit, aut minùs probabile, aut allegoricum est.

39. *Dico enim vobis.*) Reddit causam, cur deserenda eorum domus esset, quia ipse nimirum, à quo tanquam à veritate figura implebatur, paulò post erat ex hoc mundo discessurus. Itaque sicut domus habitatoribus vacuæ ruere solent sita templum eo discedente diruendum erat.

Donec dicatis, benedictus, qui venit in nomine Domini.) Secundum Christi aduentum significati omnes consentiunt auctores. Quomodo autem Iudæi in secundo aduentu dicturi sint de Christo, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, de eo dissentiunt. Multi ex antiquissimis, vt recitat auctor imperfecti, in quorum ipse sententia est, dixerunt multos ex Iudæis sub finem mundi in Christum credituros, atque eos dicturos esse, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Hieronymus hunc sensum esse putat, non videbis me, donec confiteamini, id est nisi cōfiteamini me esse eum, qui venit in nomine Domini. Euthym. & Theophyl. & vt videtur, etiam Chrysostom. re vera Iudæos in secundo Christi aduentu dicturos esse putant, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, inuitos tamen, atque coactos. Ego inuitos quidem eos dicturos puto: animo tamen non ore. Sic enim mihi loqui videtur Christus, quem admodum si rex alicui se pro rege non agnoscenti diceret, suspendam te, & tunc dices, me esse regem; non enim significat eum verbis dicturum, sed te ipsa experturum esse. Quemadmodum Zachariæ 12. 10. & Ioannis 19. 37. *Videbunt, in quem transfixerunt*; quod enim illic dicit, *videbunt*, hîc dicit, *dicetis*. Alludit autem, vt opinor, Christus ad id, quod paulò ante acciderat, cap. 21. 16. vbi cum pueri in templo clamarent, *Hosanna filio Dauid*, sacerdotes, Scribæ indignantes dixerunt, *audis, quid isti dicunt?* quasi blasphemare eos putarent, quod Christo canerent, *Hosanna filio Dauid*. Prædicit ergo Christus venturum tempus, quo tempore etiam idem dicere cogantur. Annotarunt Chrysost. & Theophylact. & Euthym. illud aduerbium *amodo*, id est ab hoc tempore non punctum temporis, sed passionis tempus significare, post quod etsi Apostoli, & nonnulli alij discipuli eum iam suscitatum viderunt Iudęi, de quibus loquebatur, non viderunt.

CAPVT XXIV.

Mar. 13. a. 2. *Luc. 21. b. 5.* *Luc. 19. g. 44.* *Eph. 5. b. 6* *Col. 2. d. 18.* *Ioan. 15. c. 20. & 16. d. 2.* *Sup. 10. c. 17.* *Luc. 21. e. 12.*

ET egressus Iesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. 2. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur. 3. Sedente autem eo super Montem oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? 4. Et respondens Iesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat, 5. multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent. 6. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. 7. consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca. 8. hæc autem omnia initia sunt dolorum. 9. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. 11. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. 12. Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet cha-

ritas multorum. 13. qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. 15. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stātem in loco sancto, qui legit, intelligat: 16. tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: 17. & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: 18. & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. 19. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. 20. Orate autem vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato. 21. erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. 22. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. 23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. 24. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. 25. Ecce prædixi vobis. 26. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit & aduentus Filij hominis. 28. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. 29. Statim autē post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumē suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur: 30. & tunc parebit signum Filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate. 31. Et mittet angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum. 32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas: ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis. 34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. 36. De die autem illa, & hora nemo scit, neque angeli cælorum nisi solus Pater. 37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus Filij hominis. 38. sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, 39. & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. 40. Tunc duo erūt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur. 41. duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur. 42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester veturus sit. 43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. 44. Ideo & vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. 45. Quis putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? 46. Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. 47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. 48. Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: 49. & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis: 50. veniet dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora qua ignorat: 51. & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridor dentium.

Mar. 13. b. 14. *Luc. 21. d. 20.* *Dan. 9. g. 27.* *Act. 1. b. 12.* *Marc. 13. c. 21.* *Luc. 17. c. 23.* *Luc. 17. g. 6.* *Mar. 13. c. 24.* *Luc. 21. c. 25.* *Ezech 32 b. 7.* *Isai. 31. d. 10.* *Ioel. 3. c. 11.* *Apoca. 1. b. 7.* *1. Cor. 15. g. 52.* *Mar. 13. d. 32.* *Luc. 17. f. 16.* *Genes. 7. b. 5.* *1. Thes. 4. d. 17.* *Mar. 13. d. 32.* *Luc. 12. c. 39.* *Apoc. 16. c. 15.* *Sup. 25. f. 42.* *Inf. 25. c. 30.*

IN CAPVT XXIV.

ET egressus Iesus de templo ibat.) Gr. ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐπορεύετο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, & egressus Iesus abibat è templo. Noster interpres videtur legisse ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς ἐπορεύετο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐπορεύετο meliore sensu. Nam egressus Iesus ibat à templo, vt Græcè legitur, tautologia videretur esse. Adde quòd nonnulli etiam codices Græci eandem, quam noster interpres secutus est, lectionem habent.

A

Accesserunt.) Marcus c. 13. 1. vnum tantùm discipulum accessisse dicit. Euthym. existimat omnes discipulos priùs de templi pulchritudine, & structura inter se collocutos ad Christū accessisse, vt Matthæus ait: vnum autem ex illis pro omnibus dixisse, *Magister aspicis, quales lapides*, vt ait Marcus. Potest & per syllepsim Matthæus locutus esse, qui discipulos accessisse dicit, quia vnus discipulus accessit, sicut c. 26. 8. dicit indignatos fuisse discipulos vnguenti effusione,

Syllepsis scripturæ familiaris.

murmuran

Universidad de Deusto
Biblioteca

murmurantésque dixisse, *& quid peruidit hæc*, cùm ex Ioanne c.12.4. solum Iudam indignatum, ac murmurasse conster & sicut c.27. scribit latrones, qui cum Christo crucifixi erant, improperasse illi. cùm Lucas c.23.39. vnum tantùm latronem blasphemasse dicat.

Templi vltimi mirabilis structura.

Vt ostenderent illi ædificationes.) Structuras templi. Est valde vero simile, quod Origen. Hilarius, Chrysost. Theophylact. & Euthym. annotauerunt moros fuisse discipulos, vt Christo templi structuram ostenderent, verbis, quæ capite præcedenti versu 38. audierant, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, aut, vt quidam putant, admiratione, quasi fieri non posset, vt tantum, taléque templum vastaretur, aut. vt alij ex illis, quos nominauimus, auctores existimant, egóque probabilius iudico, commiseratione, quasi tam pulchrum, & admirandum templum vastari ferendum non esset; itaque videntur, vt ait Origenes, demóstrata templi structura, atque pulchritudine Christum ad commiserationem flectere voluisse, vt latam sententiam de eius demolitione reuocaret. Fuerat templum illud ab Herode de integro miro opere ædificatum, longitudine centum cubitorum, altitudine totidem, & ampliùs viginti, lapidibus candidis, atque firmissimis, longitudine viginti quinque cubitorum, latitudine duodecim, altitudine octo; vt Iosephus scribit lib. 15. antiquitatum, cap. 14. hoc est, quod Christo dicunt apud Marcum cap. 13. 1. *aspicis quales lapides, & quales structuræ.*

Iuliani Apostatæ ac Iudæorũ conatus irritus in re ædificãdo templo.

2. *Videtis hæc omnia.)* βλέπετε; nonne videtis? Nostræ interpres videtur negationem non legisse; & quidem sensus est melior; significat enim Christus, vt etiam atque etiam structuram templi cõsiderent, quo magis euersionem admirentur; non enim relinquetur lapis super lapidem, quod etsi per exaggerationem dictum videri potest, vt ingens tantùm ruina, & vastatio declararetur, qualem Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 9. & 10. describit; tamen non est passa diuina prouidentia, vt existimare quisquam posset Christum vel in vno lapide per hyperbolem loquendo fuisse mentitum. Scribunt Chrysost. oratione secunda, & tertia aduersus Iudæos, & Gregorius Nazianz. oratione secunda contra Iulianum, & Theodoretus libro 3. historiæ Ecclesiasticæ c. 20. Iulianum Apostatam, dum imperaret, Iudæis concessisse, vt Ierosolymitanum templum restaurarent; id Iudæos incredibili alacritate conatos facere, effodisse fundamenta veteris templi, vt noua reponerẽt, ignem ex imis fundamentis exsiluisse, multósque consumpsisse ex ijs, qui ædificabant; ita Iudæos suis manibus Christi prædictionem compleuisse. Vetus enim templum, si quid supererat, ita diruerunt, vt lapis supra lapidem non remaneret, nouum verò ne inchoare quidem diuinitus prohibiti potuerunt.

3. *Sedente autem eo.)* Hoc die quarto, posteaquàm cum ramis, & acclamationibus in vrbem ingressus esset Christus, accidisse inter omnes conuenit. Ex Euangelistarum collatione facilè colligitur. Nam eodem die in Bethaniam secessit; secundo verò ex Bethania rediens ficui maledixit; tertio verò die cum iterum ex Bethania reuerteretur, discipuli arefactam viderunt ficum, Marci 11. 13 14. 21. Eodem autem tertio die ex Ierusalem in Bethaniam de more redijsse, vt ibi nocte ageret, ex Luca cap. 21. 37. intelligitur. Itaque die quarto Bethaniæ fuit, & quia nullus Euangelista narrat eum ante diem quintum, quo Pascha celebrauit, Ierosolymam reuertisse, & quia Matth. cap. 26. 6. scribit eum fuisse in domo Simonis leprosi duobus diebus ante Pascha; Bethaniam autem fuisse ad radicem Montis oliuarum diximus cap. 21. 1. Quare credibile est Christum, cum in montem, qui paulò plus mille passibus ab vrbe distabat, ascendisset, ex eo vrbem, ac templum contemplatum esse, & aliquid de futura eius calamitate prædixisse, quod occationem discipulis præbuerit interrogandi, *dic nobis, quando hæc erunt?* id ex Marco obscura licet coniectura colligitur cap. 13. 3. *Et cum sederet*, inquit, *in Monte oliuarum contra templum*, indicans eum prospexisse, & contemplatum fuisse templum. & de eo aliquid dixisse.

Accesserunt ad eum discipuli.) Marcus scribit quatuor tantùm accessisse, Petrum, Iacobum, Ioannem, & Andream; itaque dubium est, an. quod Euangelista dicit, secretò accessisse, intelligendum sit illos quatuor secretò ab alijs discipulis ad Christum adijsse, atque eum interrogasse, an, vt Euthymius existimat, accessisse omnes, sed secretò ab alijs hominibus, vt non nisi discipuli essent. Illud prius probabilius videtur. Propterea enim videtur Marcus eorum, qui accesserunt nomina expressisse, & est credibile quatuor illos discipulos qui Christo omnium erant familiarissimi, & secretioribus mysterijs interesse soliti, solos voluisse de re maxima Christum interrogare, existimantes facilius eum sibi solis, quàm omnibus in communi discipulis dicturum esse. Erat enim de templi excidio periculosum loqui, quemadmodũ Stephano in Actis Apostolorum cap. 6. 14. obiectum est. *Audiuimus eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum.* Quid autem discipulos moueret, vt id interrogarent incertum: credi potest naturali eos studio, quo omnes homines teneri solent, futura, maximéque ea quæ se, patriámque suam attingunt, sciendi adductos fuisse: sed auctor imperfecti in meliorem partem interpretatur eos desiderio, quo tenebantur, Christo in regno cælorum fruendi, de mundi fine interrogasse, quasi nimium illis tardare videretur.

Quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi?) Tria interrogant, quando ea mala, quæ prædixerat, vtrbi ac templo euentura essent; quod signum ipsius aduentum esset præcessurum; quod mundi consummationem, vt Hilarius, Hieronymus, & Strabus adnotarunt, quod, qui multis retelunt verbis, nihil mihi agere videntur. Nã quod Christi aduentus, & mundi finis eodem tempore futurus sit, quid quæso obstat, quo minus distinctè de vtroque Apostoli doceri velint? Vtique & templi vastationem, vt paulò post dicemus, eodem tempore futuram putabant; nemo tamen negat de templi euersione, & de Christi aduentu diuersas esse quæstiones.

5. *Multi enim venient in nomine meo.)* Haud dubium est, quin Apostoli statim post templi excidium Christi aduentum, & mundi finem futurum putauerint, sed an Christus de excidio Ierosolymitano, an de aduentu suo, & mundi fine respondeat, id & dubium, & obscurum est. Vetustiores auctores omnia referunt ad finem mũdi, vt Irenæus libro 5. c. 25. & Hilarius hoc loco, & Gregorius hom. 1. in Euang. Alij hæc, quæ dicuntur vsque ad versum 23. de solo Ierosolymitano excidio intelligi volunt, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthym. Media mihi placet sententia, quam & Augustini epistola 80. & Hieronymi ac Bedæ hoc loco esse video. Christum confusè de vtraque respondisse, sicut confusè Apostoli interrogauerant. Quod certo eum consilio, atque diuino fecisse arbitror; ac quis posset finem mundi cognoscere. Existimabant Apostoli hæc esse coniuncta, finem templi, & finem mundi; noluit Christus hunc illis errorem eripere, ne post templi euersionem in longum expectatione porrigentes securi essent; diligentis tamen, atque prudentis lectoris est, quæ de Ierosolymitano excidio, & quæ de mũdi fine dicuntur, subtili coniectura distinguere.

Hæc

Hæc ergo, quæ nunc Christus dicit, ad vtrumque videntur pertinere; nam & ante Ierosolymitanum excidium multi Pseudochristi extiterunt, & ante finem mundi multos futuros Ioannes in Apocalypsi testatur; quare cùm generaliter sententia intelligi possit, restringenda non est, ne Spiritui sancto, quo Christus loquebatur, limites præfigamus. Scribit Lucas in Actis Apostolorum c. 5. 36. exstitisse Theodam quendam, qui Iudæorum populum conturbauerit, dicentem se esse aliquem, id est magnum prophetam. Eius historiam Iosephus libro 20 antiquitatum c. 4. commemorat, itémque de alijs seductoribus c. 2. & libro 2. de bello Iudaico c. 12. scribit multa. Hieronymus Simonem Magum inter eos numerat, qui falsò Christi nomine venerunt, quia virtus Dei magna vocabatur, Actorum 8. 10. Huiusmodi nugatores infinita Iudæorum multitudo sequuta est, diuino planè iudicio, vt qui Christo vero Dei filio non crediderant, seductoribus crederent, sicut Christus prædixerat Ioan. 5. 43. *Ego veni in nomine patris mei, & nõ accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*, &c. vt ait D. Paulus 2. ad Thes. 2. 10. 11. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.*

6. *Audituri enim estis.)* μελλήσετε δὲ ἀκούειν audituri autem estis; sed δὲ autem, positum est pro γὰρ enim, vt c. 23. 1. itaque meliùs nostri interpres, quàm multi recentiores reddidit; reddit enim Christus causam eius, quod sequitur, *videte, ne turbemini*; quasi dicat, propterea moneo vos, ne turbemini, quia prælia, & opiniones præliorũ audituri estis, πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων, bella, & auditiones bellorum ad verbum, id est bellorum rumores Hebraismus שמועה auditio, id est rumor. Quidam nimis subtiliter hæc duo distinguere videntur, in quibus Origenes, & Euthymius, quorum ille allegoriè hæc prælia interpretatur ea, quæ in vrbe Ierosolymitana commissa sunt; rumores verò bellorum, quæ in alijs Iudææ ciuitatibus gerebantur. Si quid interest, malim hoc modo distinguere, vt prælia sint præsentia, rumores præliorum futurorum; vt sit sensus eos, vt suis oculis multa iam præsentia visuros bella, & suis auribus alia iam instare audituros, & bellum ex bello, malum ex malo orituri esse.

Oportet enim hæc fieri.) Non oportet absolutè; sed oportet posita hominum malitia, posito Dei decreto, quo constituerat punire Iudæos, sicut supra dixit c. 18. 7. *Necesse est, vt veniant scandala*, &c, vt D. Paulus 1. ad Cor. 11. 19. *Oportet hæreses esse.* Hæc de bellis Iudaicis, quæ vrbis excidium præcesserunt, quæque à Iosepho lib. 20. antiquitatum, & totis septem libris de bello Iudaico describuntur, plerique intelligunt, vt Hilarius, Chrysostomus, auctor imperfecti, Euthymius, Theophylactus, Beda. Alij de bellis Antichristi, quæ antequè finem mundi futura sunt, vt Hieronymus. Vtrumque possumus probabiliter intelligere, cùm alterum ex historijs, & certo iam euentu; alterum ex Ioannis Apocalypsi probetur, & non est, vt ante dixi, cum generaliter intelligi possit, in angustum arctanda sententia.

Sed nondum est finis.) Quidam mundi finem intelligunt, vt Hieron. & Theophyl. Alij finem Ierusalem, vt Euthymius.

7. *Consurget enim gens in gentem.)* Hæc etiam communiter, & de tempore Ierosolymitani excidij. & de tempore Antichristi intelligit Augustin. epistol. 80. cuius sententiam eorum opinioni præfero, qui ad forum Ierosolymitanum excidium restringũt, vt Chrysostomus, Euthymius, & Theophyl. Exempla huius prædictionis multa, qui volet, leget apud Iosephum lib. 20. antiquitatum c. 7. & 15. & lib. 2. de bello Iudaico c. 11. 12. 14. 19. 20. 21. & 25. & apud Hegesippum lib. 2. c. 11 & 14. & 16. &c.

Et erunt pestilentiæ, & fames.) καὶ ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ, fames & pestilentiæ transpositis verbis, quæ vel in Græcis, vel Latinis codicibus facilè transponi potuerunt; facilius tamen in Græcis propter magnam vtriusque nominis similitudinem; probabilius autem est ita legendum, vt legitur Græcè. quia Græcum prouerbium est μετὰ λιμὸν λοιμὸς, post famem pestis. Est autem Græcè paronomasia, quæ Latinè exprimi non potest. Famem quidem ante Ierosolymitanum excidium præcessisse ex Actis Apostolorum c. 11. 28. colligitur, & Iosephus tradit. lib. 20. antiquitatum cap. 2.

Euangelium prædicatũ toto orbe terrarũ prioribus seculis.

8. *Hæc autem omnia initia sunt dolorum.)* Id est, parua mala. si cum ijs, quæ posteà secutura sunt, conferantur. Metaphora à mulieribus parturientibus sumpta est, quæ initio nuntios quosdam instantis partus dolores sentiunt; exiguos tamen, si cum ijs cruciatibus comparentur, quos erumpente infante experiuntur. Solet scriptura frequenter futurarum calamitatum dolorem hac metaphora declarare, vt Psalmo 47. 7. *Ibi dolores, vt parturientis*, & Isaiæ 13. 7. 8. *Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & conturbatur. Torsiones, & dolores tenebunt; quasi parturiens dolebunt, vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum*, & cap. 21. 3. *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis.* Similia exempla in Prophetis passim leguntur Ieremiæ 4. 31. & 6. 24. & 13. 21. & 22. 23. & 30. 6. & 48. 41. & 49. 22. 24. & Ezechielis 30. 16. & Osee 13. 13. & Michææ 4. 9 10. *Comprehendet te dolor, sicut parturientem, dole & satage filia Sion, quasi parturiens.*

12. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas.)* Sensus est tantam futuram esse omnium ferè hominum in Christi discipulos sæuitiam, & crudelitatem (hanc enim iniquitatem vocat) vt qui aliquam alioqui charitatem habebant, qua Apostolos, cæterósque Christianos excipere solebant, atque iuuare, exercere non audeant; hoc est charitatem refrigescere. quia vix quisquam repetiendus erat etiam inter Christianos, qui Christianos iuuare vellet, ne & ipse Christianus esse videretur; exemplum est apud D. Paulum in 2. epistola ad Timoth. c. 4. 16. *In prima*, inquit, *mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur.*

14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe.)* Hinc colligit Hieron. & Beda non agi hoc loco, & superioribus versibus de templi, & vrbis vastatione; sed de fine mundi, quia dicitur priùs Euangelium in vniuerso terrarum orbe prædicandum, quod ante Ierosolymitanum excidium neque factum fuisse constat, neque fieri potuisse. Chrysost. tamen & Theophylact. in sua sententia persistunt, vt hæc omnia de solo Ierosolymitano excidio intelligantur, quos multi recentiores interpretes secuti sunt. Argumento verò, quod obijcitur, respondent etiam ante templi euersionem Euangelium fuisse toto terrarum orbe prædicatum, vt testatur diuus Paulus in epistola ad Romanos cap. 1. 8. *Fides*, inquit, *vestra annunciatur in vniuerso mundo*, & cap. 10. 18. *Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* At certè in multis orbis terrarum partibus Euangelium prædicatum non erat, cùm & patrum nostrorum memoria reperta sit quarta pars orbis multo cæteris maior, vbi nulla Euangelij notitia vnquam fuerat; & diuus Augusti. epistola 80. testatur multas suo tempore in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Africa fuisse gentes quæ Euangelium neque acceperant, neque audiuerant. Vera ista sunt: sed facilè à multis respondetur hyperbolicam esse D. Pauli correctionem, qua dicit Euangelium in toto orbe prædicatum, quia in plerisque locis prædicatum erat; eodemque modo Christum hoc loco locutum esse. Nam cum Ierosolyma vastata est, vix vlla erat regio ex ijs, quæ ad illud vsque tempus repertæ fuerant, vbi Euangelium non insonuisset.

Et prædicabitur.) Sunt qui putent particulam &, hoc loco aduersatiuæ vim habere, quod in simili coniunctione Hebraica; est vsitatissimum: quasi dicat, quamuis hæc omnia euentura sint, tamen nihil obstabunt, quo minus Euangelium toto terrarum orbe nuncietur; ipsum enim sibi per gladios, per ignes viam faciet, quemadmodum Theophyl. & Euth. videntur exposuisse. Mihi sensus videtur esse, quamuis calamitates illæ, quas Christus opposuerat, Ierosolymitani excidij tempore euenerint; tamen existimandum non esse finem mundi propterea instare. Priùs enim Euangelium toto terrarum orbe prædicari oportere, vt clarius dixit Marcus cap. 13. 10. *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium*, id est priusquam veniat mundi consummatio, vt auctor imperfecti interpretatur. Euangelium autem regni vocat, quo regnum cælorum nuntiatur appropinquare, vt c. 3. 2 & c. 4. 17. & c. 10. 7. Cur autem ita vocetur illic exposuimus.

Hæreticorum interpretatione prehenditur. Psal. 118. 129.

In testimonium omnibus gentibus.) Inepta est hæreticorum interpretatio, id est vt sit lex omnibus gentibus: legem enim in scripturis testimonium appellari, vt *Mirabilia testimonia tua domine*; quod, vt verum sit, ad hunc tamen locum aptè non hæret, vbi Christus significare voluit ideò Euangelium omnibus esse gentibus prædicandum, ne quis veritatis ignorantiam posset prætexere, quo minus saluus fieret, eáque res in eos, qui Euangelium non recepissent, aut receptum non seruauissent, in supremo iudicio testimonio esset, quo conuicti condemnarentur, vt Chrysost. Hieron. Beda & Euth. exponunt, similémque sententiam c. 8. 4. & c. 10. 18. exposuimus.

Et tunc veniet consummatio.) Chryso. & Theoph. Ierosolymitanam consummationem, id est vastationem intelligunt. Hieron & Beda, omnésque veriustiores auctores consummationem mundi, quod mihi videtur esse probabilius. Credibile enim est Christum ad ea, quæ Apostoli interrogauerant, respondisse. Interrogauerant autem, quod signum esset consummationis versu 3. respondet prædicandum Euangelium per omnes partes orbis terrarum; atque tunc futuram consummationem. Intelligit ergo consummationem sæculi, de qua Apostoli interrogauerant. Cæterùm non videtur sensus esse, quemadmodum Hieronym. existimat, Euangelij per totum terrarum orbem prædicationem certum esse signum instantis mundi consummationis; nec enim certum vllum habemus signum. & istud est nimis Christi sententiam arctare. Sed sensus, vt opinor, est, consummationem mundi non ante futuram, quàm Euangelium per omnes orbis oras prædicarum sit. Hoc enim certum, Euangelium priùs omnibus gentibus prædicandum; illud incertum, an simulatque prædicatum fuerit, finiendus sit mundus.

Euangelij prædicatio per totum orbem quo modo signum finis mundi.

15 *Cum videritis abominationem.)* Etiam hoc ad finem mundi Irenæus refert libr. 5. c. 25. & Hilarius, & auctor imperfecti hoc loco; quam opinionem Hieronymus, & Beda, etsi non omnino sequuntur, improbare non audent; & verò simile quiddam Antichristi tempore futurum esse apud Danielem cap. 12. 11. legimus, & D. Paulus significat 2. ad Thessal. 2. 4. cum dicit Antichristum in templo Dei, quasi Deus sit, sessurum esse. Sed hoc loco, quamuis fortasse ad tempus Antichristi Christus etiam inspexerit, tamen de Ierosolymitana vastatione eum locutum esse dubitare non possumus, neque quisquam; præter eos, quos ante nominamus, grauis auctor dubitauit. Refert aliquid ad explanationem huius loci scire, vnde hoc testimonium sumptum sit; duobus enim in locis de futura abominatione locutus est Daniel cap. 9. 27. & cap. 12. 11. Errare Caluinus dicit eos, qui ex 9. cap. sumptum existimant: errare ego dico eum, quòd ex 12. cap. sumptum esse puret; nam, vt in eius loci commentarijs demonstrauimus, Daniel c. 11. non de Antiocho, aut de Tito, & Vespasiano; sed de Antichristo vaticinatur, & c. 9. ita futuram in templo abominationem cum Christi morte coniungit, vt dubium esse non possit, quin de templi vastatione loquatur, quæ minimo interuallo Christi mortem secuta est. Maior quæstio, quæ illa sit abominatio, de qua loquitur Christus. Auctores illi, quos diximus ad Antichristi tempora ista retulisse, Antichristum ipsum abominationem vocari putant; quòd, vt D. Paul. ait, in templo, quasi Deus sessurus sit, idémque profanaturus. Hieronym. præter hanc duas recitat opiniones, quas æquè probabiles videtur existimare; altera est abominationem vocari statuam Cæsaris, quam Pilatus in templo posuerat; altera statuam Adriani, quæ postea posita est. Neutrum mihi videtur esse probabile. Nam statuam Cæsaris Pilatus in templo non posuit; sed in vrbem solùm induxit, idque clam intempesta nocte, & in vexillis militaribus: deinde non stetit, nisi ad paucos dies. Nam Pilatus victus Iudæorum precibus vexilla subduxit, vt Iosephus lib. 18. antiquitatum cap. & lib. 2. de bello Iudaico cap. 8. mihi auctor est. Adde quòd cum hoc Christus dixit, iam id factum fuerat. Itaque non potuit eam statuam abominationem appellare. Minùs & statuam Adriani, qui longè post Ierosolymitanum vixit excidium. Loquitur enim Christus de abominatione, quæ futuri excidij signum futura erat. Alij ipsum Romanorum exercitum, qui Ierosolymam obsedit, abominationem vocatum putant: quemadmodum Origenes tractatu 29. eamque opinionem plerique recentiores interpretes complexi sunt non sine magna, vt videtur, probabilitate. Nam quod Christus hoc loco dicit, *Cum videritis abominationem*, apud Lucam cap. 21. 20. dicit, *Cum videritis circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius.* Persuadere tamen mihi non possum Romanorum exercitum abominationem hîc appellari. Verùm, quia Christus addit *stantem in loco sancto*, & vt Marcus ait cap. 13. 14. *stantem, vbi non debet*, qua periphrasi minimè dubito Ierosolymitanum templum significari, quemadmodum Daniel expresso dixit nomine: Romanorum autem exercitus in templo non stetit, nisi excisa iam, & vastata vrbe, cum victor, vt Iosephus ait, Tito duce templum incendio. itaque non poterat futuræ templi, vrbisque euersionis signum esse, & cum dicit *stantem*, statuam aliquam videtur indicare; vero simile videtur esse Christum vtrumque dixisse, & *cum videritis abominationem*, vt ait Matthæus, & *cum videritis circundari Ierusalem ab exercitu*, vt ait Lucas, quorum alterum Matthæus, alterum Lucas prætermiserit, quemadmodum videtur diuus Augustin. lib. 2. de consens. Euangelistarum cap. 77. sentire. Certè ita sentit Eutymius. Alij de seditione illa hoc interpretantur, quæ sub Floro præside Zelotis auctoribus (ita enim seditionis duces vocabantur) inter Iudæos excitata est: ita vt Zelotæ in templum sese receperint, illúdque con-

minauerint, vt Iosephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 1. describit. Et quidem seditio ante Ierosolymitanam vastationem contigit, sed, vt eam credam abominationem appellatam, adduci non possum. Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus Titi Imperatoris imaginem in templo positam fuisse dicunt; eamque abominationem appellari. Sed, vt id probent, nullum, quod sciam, vicinum eorum temporum auctorem habent: nihil enim de ea re, qui interfuerat, Iosephus scripsit. In re prorsus incerta pro vero, quod vero similius videtur, habeo; abominationem desolationis ipsam appellari desolationem, phrasimque esse Hebræorum, qua abominatio desolationis dicitur, id est abominabilis, & horrenda desolatio, sicut D. Paulus 2. ad Thessal. 2. 11. simili Hebraismo *operationem erroris* dixit, id est operantem, & efficacem errorem, homines in exitium trahentem. Vnum illud est, quod huic interpretationi obstare videtur, quòd Christus de futuræ vastationis signo agat, cuius vastatio ipsa signum esse non potuit. Respondeo non fuisse Christo propositum, vt his verbis doceret, quando vastandum templum esset. Id enim illis alijs verbis, quæ Lucas recitat, indicauit, *Cum videritis circundari ab exercitu Ierusalem, scitote, quia appropinquauit desolatio eius*: sed tantùm monere voluit, vt cum viderent abominandam illam vrbis, templique desolationem, intelligerent Danielis prophetiam impletam esse, sublatum esse sacrificium, actúmque prorsus de populo Iudaico, ita vt non ampliùs, quemadmodum post Babylonicum exilium acciderat, vrbs, templúmque ædificaretur; non ampliùs instaurarentur sacrificia, sed abrogatam esse penitus legem: sicut Daniel prædixerat, *Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.* Itaque Euangelistæ verba non ita coniungo, quemadmodum à plerisque interpretibus iungi solere video, *Cum videritis abominationem desolationis*, &c. *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes*: sed totam sententiam hoc versu concludo, neque ex sequenti suspendo, *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, quæ dicta est à Daniele*, quemadmodum & Euthymius interpretatur. Nam quod nonnulli hæc verba Euangelistæ esse putant, & parentheli claudant, probare non possum.

16 *Tunc.)* Omnes interpretantur, *tunc*, cum videritis abominationem desolationis. i. go conuenienter superioris versus interpretationi hoc *tunc* non ad proxima verba, sed ad omnia, quæ à versu 6. dicta sunt, referendum esse arbitror, quasi dicat, cum audieritis prælia, & opiniones præliorum, & cætera, quæ dixi, futuræ vastationis signa videritis, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Quibus verbis Iudaici populi interitum denunciat; ad montes autem iubet fugere ex vulgari fugientium consuetudine, qui ad montes plerumque, & loca inaccessa sese recipiunt; vt Genesis 19. 17. sic Angeli dixerunt Lot, *in monte saluum te fac*, cum ex Sodomorum vrbe fugere iubebant, quòd fortassis Christus alludit. Loquitur enim cum discipulis, & hominibus pijs, quos vult, sicut Lot Sodomorum, ita Ierosolymorum vastationem effugere. Scribit Euseb. lib. 3. hist. Ecclesiasticæ c. 5. Christianos, qui imminente Ierosolymitana calamitate in vrbe erant, diuinitus admonitos, vt inde effugerent. Nam cæteri Iudæi, qui non solùm in Christum non credideranr; sed eum etiamnum persequebantur, non modò admoniti non sunt, verùm ex omni potius Iudæa partim metus, partim festi Paschalis causa in vrbem adducti, in eáque conclusi, vt quasi victimæ macta rentur, vt idem Eusebius annotauit. Cætera, quæ sequuntur vsque ad versum 19. nihil aliud significant, quàm ingens, ac subitum malum futurum esse, adeóque non esse fugienti vllis nectendas vllas moras, etiam vt res maximè necessarias expediant, hoc est, *qui in tecta fuerit, non descendat tollere aliquid de domo sua, & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.* Tecta domorum in Palæstina fuisse superne plana c. 10. 10. docuimus; quia ergo super tecta Iudæi cœnare solebant & ambulare, monet Christus, vt si quis fortè, cum futura calamitas ingruerit, super tectum fuerit, ne descendat in inferiorem domum, etiam, vt pecuniam, aut aliquid ad fugam necessarium assumat: sed aut saltu, aut reptatione, aut alia, quacunque possit, celerrima ratione sese eripiat, quemadmodum iussus est Lot cú ex Sodomis fugeret, retro non respicere, id est nullam moram interponere. Solet ita Deus per Prophetas de magnis loqui calamitatibus, vt apud Ieremiam c. 46. 5. *Quid igitur? vidi ipsos pauidos, & terga vertentes: fortes eorum cæsos, fugerunt concisi, nec respexerunt; terror vndique, ait dominus.* & c. 48. 6. *fugite, saluate animas vestras, & eritis, quasi myrica in deserto*, & cap. 49. 8. *fugite, & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan, quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis.* & Zach. 2. 6. 7. *ô fugite de terra Aquilonis, dicit dominus, quoniam in quattuor ventis cæli dispersi vos, dicit Dominus, ô Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis.* Itaque, quod Hilar. existimauit hunc locum litteralem sensum habere non posse, interpretis est amantis allegoriam.

19 *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.)* Origenes hoc sensu prægnantibus & nutrientibus væ denunciari putat, quia tanta hostium crudelitas futura erat, vt ne prægnantibus quidem, ac nutrientibus mulieribus parcerent: hac enim ratione alijs etiam locis hostium sæuitiam exaggeratam legimus, vt 4. Reg. 8. 12. *Scio, quæ facturus sis filijs Israel mala, ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, paruulos eorum elides, & prægnates diuides*, quod c. 15. 16. completum legitur & Amos 1. 13. *Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non conuertam eum, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.* Theophylactus verò id, quod in obsidione Ierosolymitana accidisse lib. 7. de bello Iudaico ca. 8. Iosephus scribit, denunciari existimat fore, vt nutrientes mulieres filios suos edere cogerentur. Meliùs, Hilarius Chrysost. Hieron. auctor imperfecti. Euth. Beda. & ipse quoque Theophylact. *Væ prægnantibus, & nutrientibus* dici putant, quia illæ vteri, hæ lacte tenuium infantum onere grauatæ fugere non poterunt. vt statim dicit, *Orate, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbatho.* Potuit Christus claudos, mutilos, inualidos aliósque parum expeditos ad fugam homines nominare: sed videtur mihi prægnantes, & nutrientes, non propterea solum, quòd impeditæ essent, nominare voluisse, sed quòd in maximis delitijs, maximéque securæ esse viderentur. Solent enim in maxima securitate nuptijs, ac liberis operam dare, quasi dicat, væ illis qui in maximis delitijs, & securitate versabuntur, & cum calamitas inuaserit, fugere non poterunt.

20 *Orate autem, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbatho.* Eadem hoc ratione dicit, qua paulò antè dixit, *væ prægnantibus, & nutrientibus*, quia sicut duo illa fœminarum genera: ita duo hæc tempora hyems, & sabbathum minimè ad fugam apta sunt: hyems, quia frigore horrida, quia lutosa, quia pluuiosa est; sabbathum, quia religione Iudæi prohibebantur vltra mille, aut, vt alij volunt, bis mille passus procedere. Ita Augustin. lib. 1. quæstionum Euangelicarum cap. 37. Hieronym. auctor imperfecti, Chrysostom

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theophylact. Euthym. Beda, & Gregorius homil 12. in Euangelia interpretantur. Obiiciunt Chrysost. Euthym. & Theophylactus videri hac ratione Christum sabbathi obseruationem commendare, quam aut iam abrogauerat aut excidij Ierosolymitani tempore abrogatam volebat. Respondent illum cum Iudæis ex ipsorum consuetudine, & opinione loqui. qui etsi non debebant prædicato iã Euangelio, sabbathum tamen obseruaturi erant; bis reprehendendi, & quia superstitione tenebantur, & quia ea impediti mortem effugere non poterant.

Redarguitur Caluinistarum fatuitas contra Eucharistiã.

23. *Tunc.*) Hæc dictio non idem, de quo ante Christus locutus erat, nec proximum significat tempus, sed quicquid inter Ierosolymitanam euersionem, & mundi finem temporis interiacet: quemadmodum Chrysost. Hieron. auctor imperfecti, Theoph. & Euthym. admonuerunt. Sic c. 3. 1. Euangelista dicit, *In diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ*, cùm triginta post annis venisset. Transit ergo Christus à fine, & excidio Iudæorum ad finem mundi: fuit enim Ierosolymitana illa vastatio, quasi figura quædam, & imago vastationis, ac finis mundi. Nam, vt vulgo dici solet, quod fit in circulo, fit in cælo. Sæpè mihi multorum Calumistarum imperitia, aut potius fatuitas commiserationem mouit, qui se hoc solo testimonio ab Ecclesia Catholica discessisse affirmabant, quòd dicere soleamus, *Ecce hic est Christus* in Eucharistia, *ecce illic est* in altari, *ecce illic* in custodia, id est *in penetralibus*, & Christus dicat *nolite credere*. Digna hæreticis insania, digna Deo prouidentia, vt qui se ingeniosissimos esse putant, tam stolidi sint, vt huiusmodi testimonijs moueri se de sua religione sinant. Non est refutatione dignus error, risu deludi poterat, nisi habenda esset imperitorum ratio. Primùm, quis non videt nihil aliud Christum dicere voluisse, quàm se promissum Messiam iam venisse, nec alium expectandum; propterea si quis vobis dixerit de alio quouis, qui post se venerit, seque Christum esse mentiatur, *Ecce hic est Christus*, aut *Ecce illic* credendum non esse? non enim est, nisi vnus Christus, qui iam venit. Deinde quis non videt loqui eum de homine aliquo, qui oculis cernatur, qui digito demonstretur, qui miracula faciat? *Dabunt*, inquit, *signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Aliquos iam eiusmodi venisse scribit Euseb. lib. 4. hist. Eccl. c. 6. multos etiam venturos Ioannes in Apocalypsi prædixit; multos quotidie venire magno nostro malo experimur: huiusmodi enim omnes hæretici sunt: maximéque Caluiniani, qui tantum Geneuæ, aut, vbi eorum hæresis viget, Christum esse dicunt, de his monet nos Christus, *nolite credere*; quia sicut quisquis post ipsum se Christum mentiturus erat, non Christus futurus erat, sed Antichristus: ita omne corpus mysticum Christi præter corpus ipsius, quod est Ecclesia, quantumcunque se Ecclesiam esse mentiretur, non Ecclesia, sed synagoga Satanæ, id est non Christi. sed Antichristi corpus futurum erat. De hæreticis igitur non de Eucharistia, aut de seipso loquutur Christus, quemadmodum & auctor imperfecti annotauit.

Caluinus in harm.

Quomodo miracula faciẽtibus credendũ.

24. *Et dabunt signa magna, & prodigia.*) De falsorum Prophetarum miraculis, an vera sint c. 7. 22. disputauimus. Ridiculi verò hoc loco hæretici sunt, qui non falsos Prophetas esse dicunt, quòd miracula faciamus. Tam stulti enim sunt, vt ex hac Christi sententia colligant omnes, qui miracula faciunt, falsos esse prophetas, qua ratione non Apostolos modò, verùm Christum etiam ipsum falsum fuisse Prophetam probare possent: non id dicit Christus, omnes, qui miracula facturi erant, pro falsis prophetis habendos esse; sed non omnes continuò pro veris habendos: neque credendum illis esse, qui alium prædicarent Christum, quantumuis magna miracula facientibus. non enim eundem prædicat Christum, qui non eandem Ecclesiam prædicat; Ecclesia enim Christi corpus est. monet ergo nos Christus, vt Caluinistis, & cæteris hæreticis, etiamsi miracula faciant, ne quaquam credamus. Quàm igitur insani sunt, qui illis nullum facientibus miraculum credunt?

Vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.) Cum dicit, *si fieri potest*, indicat fieri non posse. Non potest autem posita diuina prædestinatione, vt Theologi disputant; ex hoc loco prædestinationis firmitatem, &, vt vocant, certitudinem colligentes. Loquitur Christus non de quouis, sed de finali, vt ita dicam, errore. Nam sæpè electi in errorẽ induci possunt; sed in errore mori non possunt, quia *septies in die cadet iustus, & resurget*, Prou. 24. 16. quod Luc. c. 17. 20. 21. scribit Christum Pharisæis interrogatum respondisse, *non venit regnum Dei cum obseruatione, neque dicent; Ecce hic, aut ecce illic*, nec idem est, neque contrariũ; illis enim tantùm voluit dicere aduentũ suum adeò subitũ futurũ esse, vt non possit ex cœlestibus signis præsentiri, quemadmodum pluuia, aliæque tempestates futuræ cognoscuntur; itaque non debere homines cœlum obseruare, sed animum pietate, & virtute excolere. *ecce enim regnum cælorum intra vos est.* Hic vero illa externa signa proposuit, quæ etiam electorum animos nisi moniti prius essent, tentare poterant.

26. *Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.*) Proposuit duo pro omnibus loca contraria, desertum, & penetralia, id est conclaue, & intimam maximéque reconditam domus partem, vt significaret quacunque ratione, quocunque habitu, quocunque loco alius Christus veniret, credendum illi non esse. Vltra de deserto, & penetralibus quærere, sobrij non est interpretis.

27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriẽte.*) Caluinistæ de hoc Euangelio interpretantur, quod momento temporis totum terræ orbem ab Oriente vsque ad Occidentem occupauerit: nec enim insani homines, quod Christus dicat, sed quid errori suo conueniat, spectant. Christus secundum aduentum suum fulgori comparat, quod quemadmodum fulgur subitò, & inexpectatum emicare solet, neque quisquam obstare potest, quo puncto temporis sit è nubibus erupturum; sic ipse subitò, & cum minimè putabimus, veniet. & sicut fulgur vno momento ab Oriente vsque ad Occidentem elucet: sic ipse veniet adeo splendidus, & illustris vt nemo eum non videat. *Ita*, inquit, *erit aduentus filij hominis*, vt Hilar. Hieron. Chrysost. auctor imperfecti & Euth. interpretantur. In eo tamen Caluinistarum Euangelium fulguri simile esse non nego, quòd, vt fulgur subitò, & cum antea nunquam apparuisset, erumpit; ita nouum hoc Euangelium inauditum ante, & inexpectatum apparuerit; &, vt fulgur momento temporis euanescit, ita malè fundata hæresis breui tempore collabitur.

28. *Vbicunque fuerit corpus.*) τὸ σῶμα. cadauer, quod metaphoræ, qua Christus vtitur, magis conuenit. Dixit Ambros. in commentarijs in Psalmum 48. ruinam vertit, sicut & veterem interpretem aliquando prouidentiæ cadauere ruinam conuertisse, Psalm. 109. 6. annotauimus. Aquilas, sicut & vultures solere ad cadauera volare notum est, & apud Hebræos videtur fuisse prouerbium, quemadmodum colligitur ex Iob. c. 39. 33. *Vbicunque*, inquit, *cadauer fuerit, illuc aquilæ congregabuntur.* Christus ergo se ipsum cadauer comparat, sicut ante in eadem sententia fulguri comparauerat, & significat fore, vt cum venerit, latere non possit, sicut

cadauer

cadauer aquilam non latet: sed vbicumque fuerit, naturali quidem sensu illud inuenit. Qui autem sint, quos aquilis comparat, id incertum est. Irenæus lib. 4. cap. 28. & Beda hoc loco beatos, qui iam Christo fruuntur, quique ante iudicij tempus fruituri sunt, aquilas vocari putant, quòd altissimè volauerint, & Christum sequantur, quocumque eat, & cum eo ad iudicium venturi sint. Hilarius verò & auctor imperfecti eos sanctos intelligunt aquilas appellari, qui, cum Christus venerit, viui reperientur, quique, vt ait D. Paul. 1. ad Thessal. 4. 17. rapientur cum illis, qui de cœlo venerint in aëra. Chrysost. & Euth. Angelos, & sanctos martyres, quibus Christus comitatus veniet; intelligunt. Alij omnes homines, vt Theophyl. & Beda: hoc mihi videtur probabilius. significat enim Christus omnes homines ad locum, vbi ipse fuerit, vt iudicentur, conuolaturos esse, sicut aquilæ ad cadauera conuolare solent. itaque velint nolint, illum videbunt.

Quomodo sol. autem obscurandus sit, variis modis explicatur.

29. *Sol obscurabitur.*) An verè obscurandus sit sol, non satis certum est: sed ex meo iudicio probabilius, quemadmodum & Origenes, & Hilarius videntur existimare. Quomodo autem obscurandus sit, alia est quæstio. Putat Origenes mundum incendio conflagraturum, tantámque fumi copiam futuram esse, vt sol obscuretur. Alij existimant præ gloria & splendore aduentus Christi fore, vt sol ipse obscurati videatur, sicut stellæ apparente sole obscurantur: ita Hilar. Chrysost. Hieron. Theoph. & Euth. vt Isai. 24. 23. *Erubescet luna, & confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem, & in conspectu seniorum suorum fuerit glorificatus.* Nonnulli Theologi obiectu nubis obscurandum esse, vt plerique hæretici eorum interpretes non renuera obscurandum esse; sed homines adeo stupefactos fore, vt solem ipsum videre non videantur; solent enim Prophetæ in similibus calamitatibus dicere obscurandum esse solem, vt Isaias c. 13. 9. 10. *Ecce dies domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque ad ponendum terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea, quoniam stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo*, & c. 34. 4. *& tabescet omnis militia cœli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea*, & Ieremiæ 15. 9. & Amos 8. 9. *Occidit ei sol, cum adhuc esset dies, confusa est, & erubuit*, & Ezechielis 32. 7. 8. *& operiam cum extinctus fueris, cælos, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum, omnia luminaria cœli mœrere faciam super te*, & Ioëlis 2. 10. *A facie eius contremuit terra, moti sunt cœli, sol, & luna obtenebrati sunt, & stella retraxerunt splendorem suum*, & versu 30. 31. *Et dabo prodigia in cælo, & in terra, sanguinem, & ignem & vaporem fumi; sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, & c. 3. 14. 15. *Iuxta est dies Domini in valle concisionis, Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Mihi non opinione hominum, non rei vllius oppositu, sed verè videtur obscurandus esse, vt initio dixi, & vt auctor imperfecti operis affirmat. Primùm, quia eodem modo in Christi aduentu, atque in eius morte, obscurandum esse credendum est: in eius autem morte verè obscuratum fuisse legimus: deinde quia alia quauis ratione obscurari parum videtur esse, & constat Christum magnum aliquid, & nunquam antè visum dicere voluisse, fore, vt se ad iudicium veniente Sol ipse, & stellæ omnes contremiscant, & quasi metu perculsæ splendorem retrahant, sicut solent homines timore perterriti in intima sanguinem trahere, & extrinsecus expallescere; hac enim ratione Sol patiente Christo obscuratus est, quasi moriente Deo exhorresceret.

Stellæ quo modo ante diem iudicij casuræ.

Et stellæ cadent de cæl.) Eadem de stellarum casu quæstio est, an verè casuri sint. Origenes tractatu in Matthæum 40. scribit non casuras in terram re ipsa, sed amissuras lumen, &, quod terrestre in illis fuerit, in terram casurum. hoc Platonicam olet scholam. D. Hieronym. eodem modo casuras dicit, quo Solem obscurandum esse putat, quia Christi splendore non lucebunt; idémque existimat Beda. Nonnulli veteres etiam auctores non veras stellas, sed dæmones, quibus plenus est aër, quique stellarum nomine intelliguntur, casuros dixerunt. Alij ex recentioribus præsertim Theologis non veras stellas: sed eas quas crinitas vocant; quæ in aëre conflantur, casuras dicunt. Multorum opinio est non verè casuras, sed fore, vt, quia non lucebunt, cadere videantur; quod mihi ego nullo modo persuadere possum; dixisset enim Christus, sicut de Sole, & Luna dixerat, fore, vt non lucerent; nunc autem, cùm dicit fore, vt cadant, mains profectò aliquid significare voluit. Itaque Chrysostomo, & Euthymio libenter assentior, qui verè stellas casuras putant; magis enim Christo id affirmanti, quàm Aristoteli neganti fieri posse, credendum esse arbitror.

Cardinis nomen in scriptura.

Et virtutes cælorum commouebuntur.) Recentiores interpretes ferè omnes virtutes cælorum stellas vocari putant sicut militia cæli vocari solent. At stellas cæli dixerat casuras esse, quod plus erat quàm commoueri; quare credendum non est hoc loco de stellis loqui. Veteres auctores, vt Origen Chrysost Beda, Euth. Theophyl. Angelos cælorum virtutes appellari dicunt, quemadmodum in solemni Ecclesiæ hymno vocantur cæli, cælorúmque virtutes; sensum itaque esse fore, vt Angeli ipsi obstupescant, & quasi attoniti commoueantur. Ego semper existimaui virtutes cælorum hoc loco vocari, quòs Iob alia metaphora cardines cœli vocat cap. 22. 14. & Moyses in Deuteronomio cap. 30. 4 & sicut dicuntur cardines terræ, 1. Reg. 2. 8. & Prouerbiorum 8. 26. & cardines maris Iob 36. 30. qua metaphora nihil aliud, quàm firmamentum, & robur significatur, quod ipsum virtutis nomen declarat. Itaque docet Christus cardines ipsos & quasi fundamenta cæli præ timore commouenda esse, sicut ait diuus Petrus 2. epistola ca. 3. 10. *Aduenient autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient*: hoc est *virtutes cælorum commouebuntur; elementa verò calore soluentur; terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.*

Cruci apparitio Christo ad iudicium veniente.

30. *Tunc parebit signum filij hominis.*) Quod signum filij hominis vocet, auctoribus inter se non conuenit. Origen. virtutem, & gloriam quam sibi Christus in cruce comparauit, signum filij hominis vocari putat, quasi sensus sit, omnes visuros esse Christum tanta cum gloria, atque maiestate venientem, vt dubitare non possint eum verum esse iudicem. Ad eundem ferè modum Hierony. & Beda victoriæ Christi vexillum intelligi posse putant. Auctor verò imperfecti passionis signa, vt flagellorum vibices, clauorum cicatrices signum filij hominis vocari dicit. Communis fuit semper opinio crucem signum filij hominis appellari, eámque in cælo, aut in aëre Christo veniente, quasi eius vexillum apparituram esse. Ita Chrysostom. Hieron Beda. Euth. & Theophyl. quod ego maximè probabile esse iudico. Loquitur enim Christus de signo filij hominis, tanquam de certo aliquo, & noto vexillo, quod aliud, quàm crux esse non potest.

Et tunc.) Cum videbunt signum filij hominis: ipsa enim coniunctio verborum latentem habet redditio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem causæ, quasi significet propterea omnes tribus terræ plancturas esse, qui videntes signum filij hominis exterrebuntur.

Plangent.) Id est præ dolore ac pœnitentia pectora manu tundent, nimis videlicet serò.

Omnes tribus terræ.) Id est ex omnibus aliqui; non enim boni plangent; sed potiùs lærabuntur, quia *diligunt aduentum eius*, vt ait D. Paulus 2. ad Timoth. 4. 8.

Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli.) Id est aëris describit seipsum Christus, tanquam Deũ, cuius proprium cum gloria simul, & maiestate, & terrore venire Psal. 49. 3. *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* & Psal. 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* fuit Christus nube euectus in cœlum Actor. 1. 9. eodem ergo modo, sicut Apostolis Angelus dixit, ver. 11 venturus est.

Christi diuinitas.

31. *Et mittet Angelos suos.*) Et cum Angelos se missurum dicit, & cum suos vocat, Deum se esse declarat: hoc enim proprium Dei Psalm. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.*

Cur ad diem Iudicij tuba adhibetur.

Cum tuba, & voce magna.) Vbique cum tuba Christus venturus dicitur, vt 1. ad Cor. 15. 52. & 1. ad Thes. 4. 16. non solùm quia tuba homines ad iudicium vocandi sunt; sed quia tuba regiæ maiestatis indicium est; canitur enim tubis ante reges, cum ad locum aliquem veniunt. Qualis futura sit tuba, vera ne an metaphorica, nec sciri potest, nec necesse est; sed est tamen probabile non veram, sed metaphoricam futurã esse, tubámque appellari vocem aliquam magnam, raucam sonoram, horrendam, & tubæ clangori similem, qualem se Ioannes in Apocalypsi ca. 1. 10. & c. 4. 1. & c. 19. 6. in illo vltimi iudicij spectaculo quod vidit, audiuisse dicit. Itaque, quod Christus dicit *cum tuba, & voce magna*, perinde est, ac si dicat *cum tuba*, id est voce magna, vt coniunctio, *&*, quemadmodum multis alijs locis exegetica sit. Iuuat, quòd Græcè est in plerisque codicibus, cum tuba vocis magna, quemadmodum legit Euth. aut cum tuba magna, vt legit Chrysost non enim duas res, sed vnam tantùm Christus voluit significare. sic Isaiæ dicitur c. 58. 1. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Dubium etiam cuius, aut quid significans vox illa futura sit. Nam Ioan. c. 5. 25 ipsius Christi vocem futuram esse indicat, *audiet*, inquit, *vocem filij Dei*, sicut & Ioel dixit c. 2. 11. *Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum?* Ioannes verò in Apocalypsi c. 8. 6. & c. 9. 1. 13. & cap. 11. 15. Angelos in iudicio tuba canentes inducit. D. autem Paulus 1. ad Thess. 4. 16. vocem Archangeli futuram dicit. Itaque est vero simile, & Christum magna locuturum voce, vt Angelos suos mittat, & Angelos, Archangelos, cæteróque cælestes spiritus in tubæ similitudinem clamaturos. Nec existimandum est vocem ipsius Christi tubam appellari, quia dubium non est Christum ex hominum consuetudine, & more loqui; non solent autem reges, sed eorum ministri tuba clangere. Sunt qui putent ex antiquis Iudæorum conuentibus sumptam esse metaphoram ad quos sono tubæ homines conuocabantur Numer. 10. 2. & Isaiæ 27. 13. & supra c. 6. 2. Vero simile id est: sed illud fortasse similius à bello traductam esse similitudinem: adhibetur enim tuba non solùm ad conuocandum sed etiam ad terrendum, vt apud Isaiam c. 18. 3. *Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elenerum fuerit signum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis.* & Sophoniæ 1. 16. 17. *Dies tubæ, & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos, & tribulabo homines, & ambulabunt, vt cæci, quia Domino peccauerunt.* & Zachariæ 9. 14. *Dominus Deus super eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius, & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.*

Qualis ante diē Iudicij futura tuba, & cuius.

32. *Ab arbore autem fici discite parabolam.* Id est accipite, audite similitudinem, quam vobis ex arbore fici propositurus sum. Lucas c. 21. 29. 30. *& dixit illis similitudinem, videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex se fructum, scitis quia prope est æstas.* Credibile vtrumque dixisse Christum.

33. *In ianuis.*) Id est propè, ante pedes, statim; Hebraica phrasis, qualis illa Gen. 4. 7. *nonne si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit*, & Iacobi 5. 9. *Ecce iudex ante ianuam assistit.* id est citò venturus est.

34. *Generatio hæc.*) Recentiores hæreticorum interpretes, & nonnulli etiam Catholici, qui mihi videntur eos auidè sequi solent, ætatem exponunt; quasi sensurus, antequam ætas illa hominum, qui tunc viuebãt, præteriret, futuram Ierosolymitanam vastationem. Fuerunt etiam, qui ita exponerent, antiquissimi eorum auctores; sed eos Origenes simplices appellat. Et verò hunc non esse sensum, cum alium meliorem opposuerimus, apparebit. Chrys. Theoph. Euth. & auctor operis imperfecti generationem hominum fidelium interpretantur, quasi dicat Christus, etsi eiusmodi tumultuæ, támque magnæ calamitates venturæ sunt; tamen Ecclesiam vsque ad finem mundi non peritaram. Hieron. verò generationem omnium hominum intelligit, quasi dicat priusquàm genus humanum finiatur, ea omnia, quæ prædixerat, euentura esse. Alij generatio hoc loco totus mundus videtur appellari, sicut alibi creatura vocari solet, quia totus creatus, totus genitus est. Itaque verus sensus videtur esse adhuc certa esse, quæ Christus prædixerat, vt non ante finiendus sit mundus, quàm euenerint. Id ex verbis sequentibus manifestè colligitur, *Cælum, inquit, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quare qui pro generatione ætatem transtulerunt, iniuriam fecere sententiæ.

35. *Cælum, & terra transibunt.*) Hebraissimus, id est peribunt secundum præsentem statum, *verba autem mea non præteribunt*, id est non fallent, non erunt falsa.

De die autem illa, & hora nemo scit, nec Angeli cælorum, nisi solus pater.) Non dubium, quin etiam filius hominis excludatur: quemadmodum Marcus c. 13. 32. distertis dixit verbis, *neque filius, nisi pater.* Itaque grauis hoc loco Catholicis olim cum Arianis quæstio fuit, dum hinc Ariani Christi diuinitatem refellere conarentur, quòd Christus diem iudicij diceretur ignorare. Nonnulli veteres auctores testimonij difficultate pressi eò confugerunt, vt locum vitiatum esse dicerent: nec legendum esse, *neque filius, nisi pater*, vt Hieronymus hoc loco, & Ambr. lib. 5. de fide c. 8. Alij Christum ignorasse quidem diem iudicij, quamdiu in hac vita fuit; scisse verò simul atque ad patrem ascendisset. Sic Origenes tractatu 30. in Matth. cum hæc Christus diceret, eum diem iudicij ignorasse scribit; post resurrectionem verò sciuisse, quòd tunc rex, & iudex à patre constitutus sit. Habiti sunt Themistiani cognomento Agnoëtæ pro hæreticis, quòd docuerint Christum diem iudicij ignorasse, vt Damascenus in libro de hæresibus auctor est. Verùm illi, vt ex eodem Damasceno colligitur, simpliciter, & sine vlla distinctione diuinæ, humanæque naturæ ignorantiam Christo tribuebant, quia credebant diuinitatem in humanitatem fuisse conuersam. Maior pars antiquorũ auctorum existimauit Christũ ignorasse diem iudicij, non quòd reuerà ignorauerit, sed

quòd

quòd fecerit, vt nos ignoraremus, quòd nobis reuelare noluerit, quòd eius corpus, id est Ecclesia ignorauerit, quòd se scire dissimulauerit. Hæc enim omnia eòdem redeunt, & solent veteres auctores nunc hoc, nunc illo modo loqui. Ita sentit Origenes tractatu in Matthæum 30. & Chrysostom. homil. 78. in Matthæum, & 14. in Marcum. & Augustin. lib. 83. quæstionum, quæstione 61. & lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. de Genesi contra Manichæos cap. 23. & Gregor. lib. 8. regist. cap. 41. & Hieronym. Beda, & Theophylactus in huius loci commentarijs. Alij interpretari sunt ignorasse diem iudicij, id est nondum expertum fuisse, vt Origenes eodem loco, & Epiphanius hæresi 69. & Chrysostom. in homilia de Trinitate. Alij dixerunt sensum esse, nec filius hominis scit, nisi paret sciat: sed quia pater scit, filius etiam hominis scit. vt Euthym. Omnes istæ interpretationes mihi videntur esse non adeo accommodatæ. Nam illi, qui aut semper, aut ad tempus Christo ignorantiam tribuerunt reijciendi omnino sunt, quia tota scriptura sacra refelluntur, illóque maximè D. Pauli testimonio ad Colossens. 2. 3. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditæ.* Illa verò receptissima interpretatio eorum, qui existimant ideo Christum dici diem iudicij ignorare, quòd nobis eum non reuelauerit, non admodum magna niti videtur probabilitate, quia isto modo etiam pater ignoraret, quia nobis non reuelauit; qua etiam ratione illa altera Origen & Epiphanij interpretatio refelli potest. ideo Christum ignorare diem iudicij quia expertus non est. Nam neque pater expertus est. Multi veteres, & graues auctores, vt Athanasius sermone 4. contra Arianos, Ambros. lib. 5. de fide cap. 8. Gregorius Nazianzenus oratione 4 de Theologia, auctor disputationis inter Arium, & Athanasium corã Probo, Theodoretus anathematismo 4. contra Cyrillum, Cyrillus lib. 9. Thesauri cap. 4 auctor imperfecti. homil. 49. apertè docuerunt Christum, quatenus hominem, diem iudicij ignorauisse, atque id hoc loco dicere voluisse. Quod etsi auditione prima horrendum videtur esse, adhibita tamen interpretatione verum habere potest sensum. Illud quidem inprimis tenẽdum est Christum, tanquã Deum, nihil ignorare potuisse illud præterea, tanquam hominem, neque diem iudicij, neque quid quam aliud ignorasse: sed nodus hic est, quòd cum dicimus Christus, quatenus, homo est, ignorat diem iudicij, dictio illa, quatenus, potest aut speciem, aut causam significare; si speciem, sensus erit Christum humano intellectu nescire diem iudicij; quod omnino falsum est; non enim sola diuina, sed etiam humana natura diem iudicij nouit, quia in ipsa humana natura, vt D. Paulus, Coloss. 2. 3. *Sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*; si causam significat, sensus erit Christum ignorare, id est non scire diem iudicij, quia homo est; sed quia homo Deus: nam si homo tantùm fuisset, quantumuis perfectus, quantumuis Deo gratus, non sciuisset illum; quẽadmodum neque angeli sciunt, qui & perfectissimi, & amicissimi Deo sunt. Non ergo negat Christus se etiam hominem diem iudicij scire: sed negat scire eo titulo, quòd homo sit. Placuit aliquando mihi hæc ad hunc modum explicata sententia, quia & veterum scriptorum auctoritatem mouebat, & hunc locum aptè explicare videbatur. Nam etsi sciebam obiici posse, hoc non videri conuenienter à Christo, & accommodatè ad id, quod agebat; dici potuisse, quia nihil referebat, quo titulo, quã ratione diem iudicij sciret; poterat enim, quomodocumque sciret, illum Apostolis reuelare; respondebatur illud tãtum Christo propositum fuisse, vt Apostolorum cupiditatem, curiositatémque cohiberet, ne scire vellent, quæ angeli nunc non solùm negare, sed ignorare dicuntur. Sed animaduerto esse, qui existiment. Sed animaduerto esse, qui existiment. Sed animaduerto esse, qui existiment

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap.5. 22. 13. diximus, quatuor tantùm supplicíorum genera fuisse legimus, in quibus hoc non numeratur, præterquàm quòd, vt paulò ost apparebit, non possit in hunc locum hic sensus conuenire. Alij ergo sic interpretantur *diuidet eum*. id est priuabit promissis bonis atque mercede, vt Hilarius hoc loco; alij priuabit eum gratia, qua eum priùs donauerat, vt Origenes, & Theophylact. Verus sensus est quem Hieronymus, Euthymius, & auctor imperfecti secuti sunt, *diuidet eum*, id est eiiciet ex familia sua, separabit à famulorum suorum numero sicut supra c. 22. 12. 13. iussit rex eum, qui vestem nuptialem non habebat, extra cœnaculum eiici, & in tenebras exteriores mitti. Itaque duo supplicia notantur: alterum, quòd ab officio, quo malè functus fuerat, remoueatur: alterum, quòd in ergastulum, vbi nequam serui sunt, torqueandus trudatur. Loquitur enim Christus accommodatè ad id, quod malis seruis fieri solet, qui non priùs medij dissecantur, deinde in custodiam cruciandi mittuntur: quàm enim ineptum hoc est?) sed priùs remouentur ab officio, si quod habebant, honorifico, deinde cruciantur.

Partémque eius ponet.) Partem vocat Hebraorum more miseram conditionem, vt apud Iob c. 20. 29. *hæc est pars hominis impij à Deo, & hereditas verborum eius a Domino*, & cap. 27. 13. *hæc est pars hominis apud Deum, & hereditas violentorum*, & Psalmo 10. 6. *ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Sic è contrario in bonam partem accipitur Psalmo 15. 5. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei*, & Psalm. 72. 26. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Cum hypocritis.) Hypocritas vocat seruos pigros & negligentes, vt simili parabola declaratur capite sequenti ver. 26. & 30. hypocritas autem appellat, quia qui huiusmodi sunt, non solent nisi præsente domino laborare & vt ait D. Paulus ad Ephes 6. 6. ad oculum seruire, vt non tam boni sint serui, quàm vt esse videantur. Huiusmodi qui sunt, in ergastula mitti solent, atque torqueri; eò Christus alludit: significat autem infernum, qui pigrorum locus est, vt ex sequentibus apparet, *Illic erit fletus, & stridor dentium*, de quo fletu & stridore c. 13. 42. à nobis dictum est.

CAPVT XXV.

1. *TVNC simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: 3. sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: 4. prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. 6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. 8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. 9. Respōderunt prudentes, dicētes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vēdentes, & emite vobis. 10. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. 11. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. 12. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. 13. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. 14. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. 15. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. 16. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 17. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. 19. Post multum verò temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. 21. At illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. 22. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. 23. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. 24. Accedens autem, & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti: 25. & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. 26. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male, & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi: 27. oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura. 28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei*

Matth. 13. d. 33. Luc. 19. b. 12.

qui habet

qui habet decem talenta. 29. omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 30. Et inutilem seruum eicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium. 31. Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: 32. & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: 33. & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. 34. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. 35. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: 36. nudus, & cooperuistis me: infirmus & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. 37. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? 38. quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? 39. aut quando te vidimus infirmum: aut in carcere, & venimus ad te? 40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 41. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. 42. esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: 43 hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. 44. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? 45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

Sup. 13. b. 12. Mar. 4. c. 25. Luc. 8. c. 18. & 19. d. 26.

Isai. 58. b. 7. Ezech. 18 b. 7. Eccles. 7. d. 38.

Psalm. 5. c. 9. Sup. 7. d. 23. Luc. 13. f. 27.

Ioan. 5. c. 25. Dan. 12. a. 2.

IN CAPVT XXV.

1. *Vnc.*) Cùm Dominus improuisus venerit; pendet enim ex superiore capite sententia & alijs duabus parabolis, altera decem virginum, altera talentorum, idem, quod præcedenti serui parabola, declarat.

Simile erit. Id est tunc apparebit, quod nunc non apparet, dum boni malis in Ecclesia mixti sunt, idem in regno cælorum, id est in Ecclesia fieri, atque si decem virgines lampades suas acciperent, vt sponso obuiam exirent, quemadmodum cap. 15. 16. explicauimus. Quò tota spectet parabola ex conclusione, quæ versu 13. ponitur, perspicuum est, debere nos semper vigilare, vt capite præcedenti versu 42. dixerat; semper paratos esse, quia nescimus, qua hora Dominus venturus sit; bonorum operum copiam in aduētum Christi præparare. Idem enim hoc capite, quod superiore, prosequitur argumentum. Quindecim in tota parabola partes sunt. Prima est, sponsus, quem nemo dubitat esse Christum, vt multis iam locis expositum est cap. 9. 15. & cap. 22. 2. Additur à nostro interprete, & sponsæ, quod in Græcis nunc codicibus nō est; neque D. Basilius in moralibus cap. 5. neque Chrysostomus, Theophylact. & Euthym. hunc locum tractantes legunt. Legit tamen proculdubio Latinus interpres, legit Origenes tractatu in Matthæum 32. legit Hilarius canone 27. D. Augustinus epistola 120. & vt videtur sermone 22. de verbis Domini secūdum Matthæum, & lib. 83. quæstionum quæstione 59. legit, & Syrus interpretes, & legendum ego, si non necessariò, tamen propter veteres interpretes, & tot veterum scriptorum auctoritatem existimo. Neque, vt quidam putant, hæc lectio abhorret à sententia, quod dicant non solere sponsam obuiam sponso procedere: sed domi eum operiri. Non enim dicitur hoc loco sponsam sponso processisse obuiam, quod insolens fortasse videri posset, sed dicitur virgines sponsæ, & sponso obuiam processisse. Solet autem sponsus sponsam in domum suam ducere, vnde & vxorem ducere dictum est. Conuenit & res significata. nam Christi sponsam Ecclesiam esse sæpe iam diximus; & altera parabola, cap. 22. 2. Euangelista declarauit. Triumphantem autem Ecclesiam, tāquam sponsam, cum Christo ad iudicium venturam esse Ioannes in Apocalypsi cap. 21. 2. testatur, *vidi*, inquit, *sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Secunda pars parabolæ sunt decem virgines; vbi triplex est quæstio, prima, cur virginibus; secunda, cur decem regnum cælorum comparetur; tertia, quid virgines significent. Origen. & Hieronym. propterea virginibus potius quàm alijs regnum cælorum comparatum esse dicunt, vt fidei integritas significaretur, quæ corporis virginitati similis est. Chrysostomus verò, Theophylactus, & Euthymius, quia virginitas summa est virtus, vt doceret Christus neminem suis virtutibus confidere debere, quandoquidem ne omnes quidem virgines, cùm præstantissima virginitatis virtute præditæ essent, ad nuptias id est in cælum ingressæ fuerunt. Alij nonnulli recentiores interpretes, quorum in hac re opinionem magis probo, non alia de causa virginibus potius, quàm alijs, regnum cælorum comparatum fuisse putant, quàm quòd consuetudo esset, vt virgines tædas præferentes sponsum domum deducerent. Decem autem comparatum fuisse Valentiniani, & Gnostici propter decē hominis sensus, quinque corporeos, quinque incorporeos docuerunt, suam etiam hinc hæresim cōfirmantes, vt Tertullian.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in libro de anima auctor est. Simile quiddam auctor imperfecti dicere videtur. Alij propter quinque sensus, qui, dum eis bene vtimur, sapientes; dum malè, insipientes sunt. Itaque decem efficiunt, vt scribit Hieronymus, & Beda in commentarijs, & D. Augustinus epistola 120 cap. 13. & D. Gregorius homilia 12. in Euangelia. Probabilia hæc sunt; sed potiùs credo propterea denario numero parabolam fuisse propositam, vt omnium hominum multitudo, atque vniuersitas significaretur, quæ per hunc numerum declarari solet, vt Genesis 31. 7. 41. *immutauit mercedem meam decem vicibus*, id est sæpe, & Leuitici 26. 26. *postquam confregero baculũ panis vestri, ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus*, & Numerorum 14. 22. *tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierũt voci meæ*. Hic ergo decem virginibus, id est multis regnum cælorum simile esse dicitur. Per decem autem virgines, omnes, quæ verè virgines sunt, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Augustinus, & Gregorius ijs locis, quos paulò supra designauimus, significari putant, nimis, vt mihi videtur, coarctata sententia. Hilarius verò, & auctor imperfecti è contrario per decem virgines omnes homines, & fideles, & infideles intelligunt, sententia plùs iusto dilatata. Origenes, & Hieronymus hoc loco; &, vt videtur, etiam Ambrosius sermone 14. in Psalm. 118. nec omnes homines, nec solas virgines, sed omnes, solósque fideles intelligendos existimant. His assentior, quia manifestum est Christum loqui de his, qui omnes lampades suas acceperunt quas, vt postea docebimus, non nisi fideles accipiunt. Lampas enim fides est, *lucerna*, inquit, *pedibus meis verbum tuum*, deinde quia eò tota tendit parabola, vt doceat Christus solam fidem ad salutem sine bonis operibus satis non esse. Altera huius quæstionis pars erat quid per quinque sapientes, quid per quinque fatuas significetur. Hilarius per quinque sapientes omnes fideles, per quinque fatuas omnes infideles intelligit. Auctor imperfecti per quinque sapientes omnes spirituales homines, per quinque fatuas omnes carnales; vel per quinque sapientes, omnes, quæ & corpore & spiritu, vt ait D. Paulus, virgines sunt; per quinque fatuas eas, quæ corpore sunt virgines, animo corruptæ. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius &, vt videtur, Ambrosius sermone 14. in Psalmum 118. per quinque sapientes omnes virgines, quæ præter veram animi, corporisque virginitatem charitatem etiam, & misericordiam habent, eámque largiendis eleemosynis exercent; per quinque fatuas eas quæ, cùm virgines sint, misericordes tamen non sunt, hoc est oleum non habent in vasis suis, ideóque non dant eleemosynas. Augustinus epistola 120. & Gregorius homilia 12. in Euangelia, & Beda hoc loco per quinque sapientes omnes virgines, quæ bonam, vt dicunt, intentionem habent vt virginitatis suæ laudem apud Deum, & nõ apud homines quærunt; per quinque autem fatuas eas virgines, quæ humanam laudem aut adulationem aucupantur. Origenes, Hilarius, Hieronymus, & Damascenus, aut quisquis historiæ, quæ eius nomine circumfertur, auctor fuit cap. 9. per quinque sapientes omnes homines intelligunt, qui cum fide bona opera habent; per quinque fatuas omnes, qui fidem quidem habent, opera non habent. Hæc interpretatio non solùm maximè; sed etiam, vt mihi videtur, solùm probabilis est, quia, vt paulò post dicturi sumus, hoc maximè in parabola agitur solam fidem sine bonis operibus ad salutem non satis valere: Deinde quia idem & per præcedentes cap. 24. 42. & per sequentes parabolis infra versu 14. declaratur non satis esse credere, nisi etiam bonis operibus vigilemus; quia nescimus, qua hora Dominus venturus sit. Idem etiam altera parabola cap. 22. 2. declaratum est; vbi quemadmodum hîc, fatuæ virgines; ita inuitatus ille, qui per fidem iam venerat, & in cœnaculum intrauerat, quia vestem nuptialem, id est bona opera non habebat, exclusus est. Tertia pars parabolæ sunt lampades, quas omnes virgines acceperunt, per quas Hilarius corpora interpretatur humana in quibus diuini animi lumen elucet. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Beda, Augustinus, & Gregorius in illis locis, quos ante notauimus, ipsam corporis virginitatem lampadem vocari putant. Hieronymus corporis sensus. Idem Hieronymus, Hilarius, Origenes, & auctor imperfecti fidem interpretantur. Hoc aptè ad parabolæ sensum adhæret. Omnes enim fidem acceperunt, qua Christo excipiendo exierunt obuiam; sed non omnes cum illo ad nuptias ingressæ sunt, quia non omnes bona habebant opera. Quarta pars est oleum, quod sapientes accepisse, insipientes non accepisse dicuntur; quod Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, & Ambrosius eleemosynam, & misericordiam interpretantur, quæ aliquando in scriptura oleo comparatur. Augustinus verò, Gregorius, & Beda bonam intentionem, qua apud Deum, non apud homines laudem virgines quærunt, de quo paulò ante dictum à nobis est. Vera est, solaque probabilis sententia Origenis, Hilarij, auctoris imperfecti, & Damasceni, qui per oleum opera bona intelligunt, sine quibus fides non lucet, id est *mortua est*, Iacobi 2. 26. & quibus, si adsunt fides ardet, lucet, ostẽditur. *Ostende*, inquit, vers. 18. *mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Hic dicunt virgines fatuæ vers. 8. *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, non quòd sine operibus statim exstinguatur fides, sed quòd, cum per opera non lucet, exstingui videatur, & non magis, quàm si omnino extincta esset, ad salutem valeat: vel, vt auctor imperfecti interpretatur, quia ita comparatum natura est, vt quemadmodũ fides bonis operibus foueatur, & conseruatur: ita sine illis elangueat, & paulatim exstinguatur; sumere ergo oleum in lampadibus in parabola est bonorum operum copiam, & veluti thesaurum quendam in futurum Christi aduentum recondere, vt cap. 6. 20. Christus dixit, *Thesaurizate vobis thesaurum in cælo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt*. Quinta pars sunt vasa, quæ Hilarius humana corpora esse dicit, quemadmodum D. Paulus 2. ad Corinth. 4. 7. dixit. *habemus thesaurum in vasis fictilibus*. Melius animam, aut conscientiam interpretabimur, quæ bonorum operum sedes, & receptaculum est. Sexta pars est, quòd sponsus dicatur longam traxisse moram, quo minimè dubium est Christum significare voluisse longum restare tempus vsque ad aduentum suum, vt falsam discipulis opinionem eriperet, qui existimabant eum statim post resurrectionem venturum esse, quemadmodũ Chrysostomus obseruauit. Eodem modò Hieronymus, & Hilarius moram sponsi pœnitentiæ tempus esse dicit. Loquitur autem Christus accommodatè ad virgines, quæ sponsi aduentum expectabant, quibus quia statim, vt illæ sperabant, non venit, nimium morari videbatur. Sic enim natura fit, vt expectantibus omne tempus longissimum esse videatur; alioqui noluit Christus ex sententia sua significare longè aduentum suum adhuc abesse; nam, vt Ioannes ait 1. epistola 2. 18. *Nouissima hora est*, neque conueniebat ad parabolæ sententiam, vt doceret longè aduentum suum adhuc distare, ne homines, quos diligentes, vigilantes atque paratos efficere volebat, negligẽtes, desides, & securos efficeret. Septima pars est, quòd omnes

Denarius in scriptura vniuersitatem significat

Psal. 118. 105.

1. Cor. 7. 34.

virgines dormitasse dicantur, atque dormijsse, quod Hilarius, & Chrysost. hoc loco, & D. Augustin. epistola 120. cap. 32. & D. Basilius in moralibus cap. 5. interpretantur omnes virgines mortuas esse, ante quàm Christus veniret. Auctor verò imperfecti dormiuisse, id est negligentes fuisse, quòd facilè probarem, nisi æquè sapientes atque insipientes dormiuisse dicerentur. Itaque dormire interpretor desinere de aduentu Domini cogitare; & eum eo tempore, quo venit, non expectare; quod & bonis, & malis accidet, & omnibus qui diu aliquem expectarunt, euenire solet, vt expectare eum desinant, & illis iam non expectãtibus, aut non cogitantibus, hoc est dormientibus, veniat; quod & temporis, quo sponsus venit, id est mediæ noctis circunstantia declarat, quæ parabolæ octaua pars est, quam qui ex consuetudine sine alia sententiæ significatione adductam esse putant, quòd solerẽt sponsi media nocte ad domum sponsæ venire, quemadmodum hæreticorum interpretes dicunt, sensum mihi non solùm non assequi, sed etiam euertere videntur, & inter se repugnantia coniungere. Si enim media nocte, non ante, sponsi veniebant, quomodo mortem fecit, cùm media nox nondum esset? quomodo visus est virginibus nimium morari, cùm scirent ante mediam noctem venire non debere? Fuerunt veteres auctores, qui Christum media nocte venturum esse crederent, quod Chrysostomus, & Euthymius probabile putant, & hymno quodam Ecclesiastico confirmari quodammodo videtur. Eam Hieronymus Apostolicam traditionem vocat, vt in Pascha ideo ante noctem mediam populum dimittere non liceat, quòd Christus ea hora, sicut olim in Ægypto, venturus crederetur, Iudæos etiam Messiam suum media nocte expectare. Sed in Christi sententia hærendum, *nescitis diem, neque horam*. Quod ergo media nocte venisse dicitur sponsus, nihil aliud significat, quàm eo tempore venisse, quo minimè expectabatur. Quis enim crederet media nocte venturum esse, cùm omnes homines summa occupat quies, quemadmodum rectè Gregorius, Hilarius, Hieronym. Augustinus eodem loco, Theophylactus, & Beda interpretantur? Nona pars est clamor, qui media nocte factus est, *ecce sponsus venit*. Hic proculdubio clamor ille est, qui capite præcedenti versu 31. per tubam, & vocem magnam significatus est, vt Origenes, Chrysostomus, auctor imperfecti, Euthymius, Theophylactus, Hieronymus, & Augustinus epistola 120. c. 34. exposuerunt. Decima pars est, quæ ponitur versu 7. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas*, quod Hilarius de corporum resurrectione, atque reformatione interpretatur. Melius eadem epistola D. Augustinus, auctor imperfecti, & Beda hoc loco exponunt audito rumore aduentus Christi fore, vt omnes homines, qui quasi oppressi somno de illo non cogitabant, veluti expergiscantur, sicut D. Paulus dicit, *Hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus*, ad Ro. 13. 11. Ornare verò lampades suas est opera, quæ quis facit, ad reddendam in iudicio eorum rationem in memoriam reuocare. Vndecima est, quòd virgines fatuæ dicunt sapientibus, *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur*, qua re dubium non est significari fore, vt homines, qui bona opera non habuerint, nimis serò, cum iudicabuntur, Sanctorum auxilium implorent, vt auctor imperfecti interpretatur; quasi velint se aliorum bonis operibus tegere. Duodecima est, quòd sapientes virgines respondent, *Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis*; vbi duo animaduertione digna sunt; alterum quòd sapientes virgines negent insipientibus auxilium non quòd, si posse[nt], dare non velint: sed quòd tam serò dare non possint, vt Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus exponunt; aut, quod probabilius est, quia, vt auctor imperfecti ait, nemo erit in illo tam horrendo iudicio, qui sibi satis confidat, satisque bonorum operum habere videatur; hoc enim verba illa præ se ferunt, *ne forte non sufficiat nobis & vobis*. Quibus verbis neque Ecclesiæ thesaurus, qui Sanctorum meritis constat, nec eorum in alios homines suffragia tolluntur, quasi vnus bona opera iuuare non possint alterum. Eadem enim ratione probaretur Sanctos etiam, dum viuerent, alios viuentes suis precibus iuuare non potuisse, quod omnibus scripturis sacris contrarium est; ex ijsdem etiam discimus Sanctorum meritis mortuos adiuuari, hoc enim apud Lucam cap. 16. 9. Christus declarat, *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*; sicut & aliorum fidem, atque laborem alijs sæpe prodesse, ex cap. 9. 2. multi, vt illic diximus, veteres auctores rectè collegerunt. *Videns*, inquit *Iesus fidem eorum dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Quid ergo est, quod hoc loco significatur? Illud nimirum, tantùm in iudicio illo extremo vnumquẽque ex proprijs operibus, non ex alienis esse iudicandum, vt D. Paulus dicit 2. ad Corinth. 5. 10. & vnumquemque onus suum portaturum, vt ait ad Galat. 6. 5. Sic D. Augustinus epistola illa, quam sæpe citauimus 120. exponitarque ita intelligendum est, quod Hilarius, & Chrysostomus scribunt, declarari hoc loco neminem aliena opera iuuare. Alterum est, quòd fatuæ virgines ad vendentes mittuntur, vt oleum sibi emant. Vendentes Origenes, & auctor imperfecti Ecclesiæ Doctores interpretantur, qui verbum Dei non pretio, sed salute, & fidei confessione vendunt, sicut D. Paulus ait, *non quæro, quæ vestra sunt; sed vos*, 2. ad Corinth. 12. 14. & sicut eos, quos ad Euangelium dixerat gaudium suum, & coronam vocat ad Philippens. 4. 1. Augustinus verò, Gregorius, & Beda vendentes adulatores intelligunt, qui falsarum laudum fumos venditare solent, quasi per ironiam hæc dicta sint, Ite ad adulatores, quorum laudationibus delectabamini, & videamus, quid vobis eorum laudes prodesse possint. Hieronymus in hunc mundum fatuas virgines, id est homines bona opera non habentes his verbis remitti putat, vt bonorum operum oleum multo sibi labore comparent. Credo hanc partem parabolæ non esse: sed ornamentum ex consuetudine eius rei, quæ aut poterat accidere, aut vero similis erat, ad explendam narrationem adiectum, sicut & quòd sapientes virgines dicunt, *ne forte non sufficiat nobis, & vobis*; vtrumque enim non ad aliquid significandum, sed quia vero simile erat ad eum modum respondsuras fuisse, virgines dixisse perhibentur. Itaque operæpretium non facit qui horum verborum sensum non necessaria subtilitate disquirit, id ex versu 10. intelligitur, vbi dicuntur virgines fatuæ ad emendum oleum abiisse; nec enim ea re significari potest eos, qui bona opera non habuerunt, in hunc mundum ad ea emenda, id est comparanda esse remittendos. Vnusquisque enim referet, prout ante diem illum gesserit in corpore, siue bonum, siue malum, vt 2. ad Corinth. 5. 10. docet D. Paulus: sed dictum id est, quia vero simile erat virgines fatuas ad emendum oleum, cùm ab alijs virginibus illud accipere non possent, ituras fuisse, & oportuit Christum verisimilem texere narrationem; quòd si hoc aliquam significationem habet, illud tantùm, vt mihi videtur, significare potest, homines stultos, & improuidos nimis serò, & cum tempus iam præterierit, bona volituros opera comparare, & serò esse diligentes.

Sanctorũ merita mortuis vtilia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligentes. Decimatertia p[ars] est, quòd sponsus dicatur
veniſſe interim, quod [illo] dubitat Chriſti ad iudi-
cium aduẽtum ſignificat. Decimaquarta, quòd quæ
paratæ erant cum ſponſo [in] nuptias, id eſt ad nuptia-
rum ſocum, & conuiuium, intrauerint; quo vita beata
declaratur, vt Apocalypſis 19. 7. *Gaudeamus, & exulte-
mus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit ſe,* & verſu 9. *Et dixit mihi, ſcribe,
beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Deci-
maquinta eſt, quòd ianua claula fuiſſe dicitur, cum fa-
tuæ virgines redierunt; quod nihil aliud ſignificat,
quàm eas nimis ſerò bona opera facere voluiſſe, cùm
tempus iam non eſſet operandi, ſicut Chriſtus dixit
Ioannis 9. 4. *Venit nox, quãdo nemo poteſt operari;* neque
vltra diſcutiendum eſt, quo modo fatuæ virgines per-
acto iam nouiſſimo iudicio in cælum redierint, ia-
nuamque pulſauerint, & Chriſtum ſolicitauerint pre-
cibus, vt ſibi aditum aperiret. Hæc enim omnia ſicut
& illa, quæ paulò ante diximus non ad ſignificãdum,
ſed ad explendum, ornandumq; parabolæ cõtextum
adiecta ſunt; neque quia id in cælo euẽturum eſt, ſed
quia inter homines vero ſimile erat euẽturum fuiſſe,
&, vt ait Gregorius hom. in hæc verba 12. illud tãtùm
indicatur, *ibi iam a Deo non poſſe mereri, quod petit, qui
hic noluit audire, quod iuſſit.*

Scire in ſcriptura ide non nunquã, quod approbare.

12. *Neſcio vos.*) Omnes & veteres, & noui Theo-
logi obſeruarunt ſciendi verbum hoc loco, & aliis
conſimilibus non cognitionem, ſed affectum decla-
rare, &, vt vocant, ſcientiam approbationis, quaſi di-
cat Chriſtus non approbo vos: non agnoſco pro fi-
lijs meis, aut, vt ait auctor imperfecti, non video in vo-
bis ſignaculum ſpiritus mei, de quo 2. ad Corint. 1. 22.
& ad Epheſ. 1. 3. & 4. 30. loquitur D. Paulus.

14. *Sicut enim homo peregre proficiſcens.*) Imperfec-
ta & pendens oratio. Nihil enim eſt, quod particulæ,
Sicut reſpondeat, compleatque ſententiam vt Origen.
tractatu in Matthæum 23. animaduertit. Itaque intel-
ligendum aliquid neceſſariò; vt ſic eſt regnum Dei,
quemadmodum verſu 1. dixit, *Simile eſt regnum cælo-
rum decem virginibus.* Similis oratio apud Marcum
cap. 13. 34. Poteſt dubitari num eadem hæc parabola
ſit, atque illa, quæ apud Lucam eſt cap. 19. 11. multa
enim à Matthæo hic, & à Luca illic dicuntur diſſimi-
lia Lucas & alio loco, & occaſione alia propoſitam
narrat, cum prandiſſet apud Zachæum Ieroſolymam
veniens, antequàm aſino inſidens ingrederetur. Mat-
thæus cùm ſederet in monte Oliuarum tertio poſt
celebrem illum ingreſſum die, vt cap. 24. 3. probauimus; Lucas decem, Matthæus tribus ſeruis dominum
bona ſua diſtribuiſſe narrat; Lucas ſingulis ſeruis mi-
nas ſingulas dediſſe; Matthæus vni quinque talenta,
alteri duo, tertio vnum; Lucas primum ſeruum vna
mina decem, ſecundum quinque lucrefeciſſe; Mat-
thæus primum quinque talentis alia quinque, ſecun-
dum duobus quatuor; Lucas ſeruum illum pigrum
minam ſuam in ſudario ligatam habuiſſe; Matthæus
in terram defodiſſe. Quibus argumentis adductus
Chryſoſtomus diuerſas putat eſſe parabolas. Hiero-
nymus tamen, & Ambroſius in commentarijs in cap.
19. Lucæ, vnam faciunt. Hoc potius probo, & quia ab
omnibus recentioribus etiam auctoribus eadem eſſe
dicitur, à quibus nolo ſine magnis argumentis diſ-
ſentire: & quia vix vero videtur ſimile Chriſtũ tam
breui temporis interuallo bis eandem parabolam di-
uerſis verbis propoſuiſſe. Quod ergo Lucas alio loco
& tempore, quam Matthæus propoſitã fuiſſe indicat
nouum non eſt, vt Euangeliſtæ in loci, ac temporis
circunſtantijs diſcrepare videantur, dum ſummæ rei
geſtæ, non ordims, ac temporis rationem habent.
Credendũ ergo hæc Chriſtum, antequàm Ieroſoly-

A mam ingrederetur, dixiſſe, quia id Lucas dixit, Mat-
thæus tacuit, non contradixit. In cæteris verò rebus
quibus videntur diſſidere, non Chriſti verba, ſed ve-
tius parabolæ ſenſum explicare voluerunt: ſenſus au-
tem & apud Lucam, & apud Matthæum, licet verba
varient; idem eſt: eſtque credibile Matthæum potuiſ-
quàm Lucam Chriſti verba retuliſſe, & quia præſens
fuerat, & quia diſtinctiùs videtur totam parabolam
enarrare. Forteſſe Lucas, quia Chriſtus in præcedente
parabola regnum cælorum decem virginibus compa-
rauit, eundem hîc numerum vſurpauit. Sed id ad ſen-
ſum nihil refert. Vellem Auguſtinus in libris de con-
ſenſu Euangeliſtarum ſuam de hac re ſententiam ex-
poſuiſſet: ſed quæſtionem non propoſuit. Videndum
B nunc eſt, quò parabolæ ſenſus ſpectet. Eodem, vt ait
Euthymius, quò illa ſuperior de fideli ſeruo, quem ab
minus longè abiens familiæ ſuæ dicitur præfeciſſe, c.
24. 45. Eodem etiam, quò præcedens parabola decem
virginum; acceptam à Deo fidem, & gratiam diligen-
tia bonisque operibus excolẽdam, atque augendam
eſſe, vt de ſe 1. Corinth. 15. 10. ait D. Paulus. *Ea gratia
eius in me vacua non fuit; ſed abundantius illis omnibus la-
boraui.* Tum etiam vnũquemq; ex proprijs operibus
iudicandũ, ver. 21. & 23. Deniq; non per gratiam à Deo
acceptam, eiuſdem gratiæ acceſſionem mereri. Quæ
partes parabolæ videri poſſunt, duodecim ſunt. Pri-
ma homo peregrè proficiſcens; quo nemo dubitare po-
reſt Chriſtum ſignificari. Expreſſius Lucas cap. 19. 12.
C. *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam acci-
pere ſibi regnum.* Nobilem enim vocat; ſed non regem,
quia nondum regni poſſeſſionem acceperat, qua ac-
cepta regem appellat; ſicut & Matthæus nunc homi-
nem, poſtea regem, verſu 34. Secunda pars eſt, quòd
homo ille nobilis, id eſt Chriſtus peregrè dicatur pro-
ficiſci, quod Chryſoſtomus, & Theophylactus de in-
carnatione videntur interpretari; quaſi peregrè pro-
fectus fuerit, cùm è cælo in terram venit; & peregre
abierit, cùm à terra in cælum redijt, non quòd cæ-
lum à terra longè diſtet. ſed quòd ſtatus ille Chriſti
cæleſtis, quo & ante incarnationẽ in forma Dei erat,
& poſt aſcenſionem ſedet ad dexteram patris, longiſ-
ſimè ab eo diſtet, quo habitauit in nobis, *habitu inuen-
tus, vt homo,* aut potiùs *vermis, & non homo, opprobrium
hominum, & abiectio plebis.* Alij peregrè profectum di-
cunt, quia in cælum aſcendit, quod longè abeſt à ter-
ra: vt Origenes, auctor imperfecti, Hieronym. Beda.
Alij, quòd non niſi longo poſt tempore venturus eſ-
ſet, quemadmodum ſi multorum annorum peregri-
nationem ſuſcepiſſet, vt Chryſoſtom. etiam indicant.
Hoc mihi magis placet. Nam loci diſtantia nihil tem-
poris verò longinquitas multùm ad rem pertinebat.
Voluit enim dominus longa abſentia ſeruorum ſuo-
rum fidem, diligentiamque experiri, vt cap. 21. 33. &
24. 48. & ſupra hoc capite verſu 5. Tertia ſunt ſervi,
quos maior pars veterum auctorum Eccleſiæ DoctO-
res interpretantur, quòd illis Chriſtus diuerſa talen-
ta, id eſt alijs maiorem, alijs minorem gratiam ad
prædicnadum Euangelium, & ad exponendas ſcri-
pturas ſacras cõtuliſſe, videatur, vt Origenes tractatu
in Matthæum 23. Chryſoſtomus, Hieronymus, Beda,
Euthymius. & Theophylactus in commentarijs, &
D. Ambroſius in cap Lucæ 19. & Cæſarius homil. 22.
In hãc ſententiã Iuſtinus in Tryphone hanc parabo-
lam aut expoſuit, au accommodauit. Alij ſeruos om-
nes homines, ſaltem Chriſtianos intelligunt: omnibus
enim Deus talentum aliquod, id eſt gratiam aliquam
dedit, qua negotiarentur; id eſt adiuncta ſua diligen-
tia, & eiuſdem gratiæ incrementum, & vitam acce-
nam mererentur. Sic Anaſtaſius quæſtione 84. &
Theophilus Antiochenus lib. 1. Allegoriarum. Hanc

ego interpretationem altera meliorem iudico, quia,
vt ait Lucas, non ſolis Apoſtolis, qui Euangelij Do-
ctores erant; ſed omnibus, qui aderant, auditoribus
parabolam Chriſtus propoſuit, & quia, vt ſæpè mo-
nere ſoleo, non eſt ſine neceſſarijs argumentis ſcriptu-
ræ ſententia reſtringenda.

Vocauit.) Adnotarunt quidam nouorum hæreticorum interpretes hanc in vocandi verbo vim eſſe, vt ſignificetur nullum Eccleſię Doctorem, niſi legitimè vocatum, Euangelium debere prædicare. Iam docu-
mus non agi tantùm de doctoribus. Itaque futilis eſt
illa ſubtilitas; ſed non eſt tamen, quamuis aduerſa-
riorum, conſilium contemnendum; rectè enim mo-
nent nos; vt eos, quia legumè vocati non ſunt, non
Eccleſiæ Doctores, ſed hæreticos eſſe intelligamus.
B Quarta pars eſt quod dicatur homo ille ſeruis ſuis
bona ſua tradidiſſe, quod ver. 15. & deinceps nomine
talentorum explicatur. Itaque eadem pars parabolæ
eſt, *tradidit eis bona ſua*, & quod poſtea ſequitur, *vni
dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum.* Ta-
lenta ergo, & bona quæ Deus hominibus diſtribuit
D. Ambroſius in commentarijs in cap. 19. Lucæ na-
turalem rationem eſſe dicit, quam qui diligenter ex-
colit, dignus videtur eſſe, vt eius naturæ gratia inſu-
per addatur. id eſt, vt plura illi committantur talenta.
Hoc & nimis latè patet, quia omnibus hominibus
natura data eſt, cùm Chriſtus de ſolis fidelibus loqui
videatur, & non video quomodo cum eo verbo, quod
ſequitur verſu 15. cohærere poſſit; *vnicuique ſecun-
dum propriam virtutem*; nec enim natura, aut natu-
ralis ratio vnicuique ſecundùm propriam virtutem
data eſt, cùm nemo, antequàm naturam haberet,
virtutem vllam habere poſſet. Alij bona, & diuerſa
talenta diuerſa officia Eccleſiaſtica interpretantur;
quale eſt Epiſcopi. Presbyteri, Diaconi, vt auctor im-
perfecti homilia 53. Alij ſenſus, vt Hieronymus, &
Beda; quorum interpretatio eadem ratione, qua illa
prima D. Ambroſij refelli poteſt. Plerique talentum
ipſum Euangelium, & verbum Dei, quod Doctori-
bus exponendum, atque annuntiandum committitur
intelligunt, vt Iuſtinus in dialogo contra Tryphonem,
Origenes tractatu in Matth. 35. Hilarius canon. 27.
Chryſoſtomus, & Theophylactus in hunc locum.
Alij generaliùs omnia gratiæ, quam vocant, gratis
datæ genera per talenta diuerſa intelligenda eſſe vo-
unt, vt Anaſtaſius quæſtione 84. Quæ omnes in-
terpretationes nimis mihi Chriſti ſenſum reſtringere
videntur. Itaque generaliter expono talenta omnia
bona, quæ à Deo hominibus dari ſolent, ſignificare;
inter quæ gratia, quam vocant, gratum faciens, cuius
ſuperiores auctores non meminerunt, primum lo-
cum tenet. Eam Deus hominibus tribuit, vt adhibita
ſua ex parte diligentia multiplicent, & augeant. non
vt in terram defodiant, id eſt otioſam eſſe ſinant,
quemadmodum de ſe dixit D. Paulus, *& gratia eius in
me vacua non fuit*, 1. ad Cor. 15. 10. & ſicut eoſdem mo-
net Corinthios, dent operam, ne gratiam Dei fruſtra
E accepiſſe videantur 2. ad Cor. 6. 1. Quinta pars para-
bolæ videri poteſt numerus talentorum, quòd alij
quinque, alij duo, alij vnum tantũ data ſint. Hoc enim
Hieronymum, & Bedam aliòſque nonnullos impulit
interpretes, vt ſubtiliter quærerent, quid per quinque,
quid per duo, quid per vnum ſignificaretur; &, vt alij
per quinque talenta quinque ſenſus; per duo intel-
lectum, & voluntatem; per vnum memoriam; alij
per quinque talenta quinque legis libros; per duo
verus nouumque Teſtamentum; per vnum totam
ſcripturam ſacram interpretarentur: quod ſententiæ
Chriſti viderur eſſe contrarium, qui haud dubiè plus
per quinque, quàm per duo, quàm per vnum ſigni-

A ficare voluit; horum verò meliorum licet auctorum
ratione, atque ſententia plus duo, quàm quinque ſi-
gnificarentur. Itaque hunc egeo numerum nihil ad ſen-
ſum parabolæ pertinere arbitror, quod ex Luca cap.
19. 13. manifeſtum eſt, qui non alij quinque, alij duo,
alij vnum talentum, ſed ſingulis ſeruis ſingulas mi-
nas datas fuiſſe dicit. Quòd ſi numerus ad paraboli-
læ ſententiam pertineret, Lucas eum minimè variaſ-
ſet: mutaſſet enim Chriſti ſententiam. Quia verò il-
lud in parabola potiſſimùm agebatur, vt doceret
Chriſtus alios homines cum gratia Dei diligentiùs,
alios negligentiùs cooperari, hoc tantùm Lucas ex-
preſſit dicens, vnum ex decem illis ſeruis vna mina
decem; alium quinque lucrifeciſſe. Si quid numerus
B apud Matthæum myſterij habet, hoc tantùm habet,
vt generaliter ſignificetur nec omnibus hominibus
æqualia à Deo dona dari, nec æqualiter omnes cum
acceptis cooperari donis. Quòd autem dicat quinque
potiùs, quàm ſex; duo potiùs, quàm tria, in eo nihil
exiſtimo eſſe myſterij. Quòd verò ait Chriſtus talenta
diſtributa eſſe *vnicuique ſecundum propriam virtutem*,
haud facile eſt interpretari. Hilarius auctor imper-
fecti, & Theophylact. propriam cuiuſque virtutem
fidem intelligere videntur, quam prout quiſque ma-
iorem, aut minorem habet, maiorem, aut minorem
à Deo accipit gratiam. Periculoſa ſententia ſi intelli-
gant nos fidem ex nobis ipſis habere. vt propria cu-
iuſque virtus dici poſſit. Nam, vt ait D. Paulus, *Dei* *Eph. 2. 8.*
C *donum eſt.* Fuit in eo Origenes errore, vt ex commen-
tarijs in hunc locum apparet; fuit aliquando etiam
D. Auguſtinus, vt ipſe ſe reprehendens aduerſus Pe-
lagianos ſcribens ſæpè teſtatur; meliùs Hieronymus,
& Beda videntur interpretari, *vnicuique ſecundum pro-
priam virtutem*, id eſt prout ſe quiſque ad recipiendam
gratiam diſponi; hoc enim Eccleſiaſticum eſt dogma,
licet hæretici repugnent, & omnino verum, quam-
uis non auſim affirmare id Chriſtum dicere voluiſſe:
In medio relinquo. Nam aut vera eſt interpretatio,
aut ſimillima veræ. Non exiſtimauerim abſurdum,
ſi quis dixerit propriam cuiuſque virtutem naturam
eſſe, quam etſi ex Deo, non ex nobis ipſis habemus,
tamen nihil tam noſtrum vocare poſſumus; & eſt
valde meo iudicio vero ſimile Deum in diſtribuen-
dis donis ſuis naturę vniuſcuiuſque rationem habere:
quis enim dubitet Moyſi propterea gubernandi ſpi-
ritum & gratiam potius, quàm alijs contuliſſe, quia
natura ſua prudentiſſimus, &, vt ſcriptura teſtatur,
omnium hominum mitiſſimus erat? Scio & poſſe &
aliquando ſolere balbutientes Eſaias adhibitis ex altari
carbonibus eloquentes efficere. Scio & per aſinam *Num 22.*
loqui; ſed hoc rarum, illud vſitatum eſt. Quamquam *3. Eſa. 6. 6.*
mea hæc eſt ſententia non illa quidem omnino certa, *Num. 22.*
ſed cæteris, vt mihi videtur probabilior, verbum hoc, *28.*
vnicuique ſecundum propriam virtutem, non ad aliquid
in parabola ſignificandum ſed ad explendam paraboli-
læ narrationem ex conſuetudine hominum ex quibus
parabola ſumebatur, Chriſtum adhibuiſſe; cuiuſmo-
di exempla multa tam in ſuperioribus parabolis ad-
notauimus, vt in hoc ipſo cap. ver. 10. 11. & 12. Quia
ergo ſolent homines bona ſua ſeruis non temerè &
æqualiter; ſed pro cuiuſque virtute, ac fide diſtri-
buere, dixit Chriſtus hominem illum peregrè pro-
ficiſcentem alij quinque, alij duo, alij vnum talen-
tum tradidiſſe. *vnicuique ſecundum propriam virtutem*,
non quòd Deus ſecundùm propriam cuiuſque vir-
tutem gratiam diſtribuat; in eo enim non eſt para-
bola ad rem ſignificatam accommodanda; ſed quòd
id homines, de quibus Chriſtus loquebatur, facere
ſolerent; &, vt ſæpè diximus, voluit Chriſtus in pa-
rabolis vero ſimilia, & fieri ſolita narrare; etiamſi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil ad finem parabolæ pertinerent. Sexta pars est, quod dicitur versu 20. *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Similiter, quod de eo, qui duo acceperat talenta, dicitur versu 22. alia duo lucratum esse; quid enim sit alia talenta superlucrari, variè veteres interpretes exponunt. Illi, quos diximus per talentum verbum Dei intellexisse, prætereà etiam Anastasius plura talenta superlucrari interpretantur plures homines Christianos facere, sicut loquitur diuus Paulus 1. ad Cor. 9. 19. 20. *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem, & factus sum Iudæis, tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essent, cùm ipse non essem sub lege, vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem.* Alij plura talenta superlucrari esse dicunt maiorem scripturarum, quæ sibi commissæ sunt, & diuinarum rerum notitiam sibi comparare, vt Hieronymus in commentarijs. Alij fidei opera adiungere, vt Hilarius canone 27. Hæc omnia Christi sententiam nimis reddunt angustam: itaque auctoris imperfecti mihi placet interpretatio, vt accepto talento plura talenta superlucrari sit accepta gratia benè vtendo gratiæ accessionem mereri; hoc enim & Catholica docet Ecclesia, & aptè conuenit in hunc locum, vbi id Christus agebat, vt doceret eos, qui acceptis talentis benè, diligentérque negotiati essent, dignos esse, quibus plura talenta traderentur. Hoc enim est, quod ait versu 28. *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta,* & versu 29. *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Nisi fortè magis placet plura talenta superlucrari hoc esse per acceptam gratiam plura bona opera perficere, vnde illud consequatur, quod modo dicebamus, vt quò quisque plura bona opera facit, maiorem gratiæ accessionem mereatur; sicut illi, qui alia quinque talenta superlucratus fuerat, vnum insuper talentum inutilis serui datum est. Septima pars est ver. 18. *Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.* Itaque videndum est, quid sit talentum in terram defodere. Duo mihi videntur hac re significari; nimia negotiandi negligentia, cui opponitur, quod postea huiusmodi seruo Dominus dicit ver. 27. *Oportuit te committere pecuniam meam nummularijs;* nummularijs enim damus eam pecuniam, qua negotiari volumus; in terram defodimus eam, quam otiosam habemus: defodere ergo talentum est gratiam Dei, vt loquitur D. Paulus, in vacuum accepisse. 2. Cor. 6. 1. significatur deinde nimius quidam timor perdendi talenti. Vtrumque vsu venire solet his, qui nimio quodam metu vota, aut Euangelica concilia violandi dicunt se sola præceptorum obseruatione esse velle contentos, ne dum consilia obseruare volunt, ne præcepta quidem obseruent, id est dum talentum ad negotiandum exponunt, non solùm lucrum nullum faciant, sed sortem etiam perdant: nam plerumque & lucrum perdunt, & sortem, & neque consilia obseruant Euangelica, neque præcepta; sicut seruus ille negligens caussatus se austerum, & rigidum habere dominum, qui meteret, vbi non seminasset, ideóque talentum in terram defodiens non solùm nullum fecit lucrum, sed talentum etiam, quod maximè volebat defodiendo seruare perdidit. Auctor operis imperfecti talentum in terram defodere esse dicit acceptam gratiam obruere carnali vita; Ambrosius verò in commentarijs ad id caput Lucæ rectam, naturalémque rationem obruere voluptate. Sed hæc allegorica sunt. Illa, quem indicamus, nisi fallor, verus est sensus; Lucas non dicit seruum illum negligentem acceptam minam in terram defodisse; sed sudario illigasse, eodem sensu. Vtraque enim metaphora, quamuis diuersa, idem significat, gratiam, dum nimis timidè seruatur, otiosam reddi, & ad extremum amitti. Dubitant nonnulli cur potius Christus dixerit seruum illum, qui vnum quàm cæteros, qui plura acceperant talenta, in terram ea defodisse. Nihil fortassis in eo mysterij est, cùm Lucas dicat singulos seruos minas singulas accepisse; si quid autem est, hoc esse attingo, vt serui illius culpa, negligentiáque exaggeretur, qui cum minus accepisset, minore quoque labore & periculo ceptum seruare, & eo negotiari potuit; quod cum non fecerit, dignus fuit, à quo illud ipsum, quod acceperat, vnum talentum tolleretur. Quod non ita ad rem parabolæ subiectam accommodandum esse puto, vt significetur semper eos, qui minus à Deo gratiarum acceperunt, esse in eis excolendis negligentiores. Nec enim id perpetuò verum est, sed vt significetur magis esse reprehendendos, qui cùm maiora oneris acceperint, minus diligenter, fortitérque tulerunt; & qui cùm minus acceperint gratiæ, minus hanè rationem reddiderunt, quia facilius est parata quàm magnæ pecuniæ rationem reddere. Octauus est ver. 19. *Post multum verò temporis venit dominus seruorum illorum;* qua parte dubium non est secundum Christi aduentum significari, qui longo post tempore futurus erat. Nona est, quod eodem loco dicitur, *& ponit rationem cum eis,* quod nihil aliud significat, quàm Christum in iudicio rationem acceptæ gratiæ abinos, qui se eius seruos profitentur, exacturum esse. Decima est ver. 21. *Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis super multa te constituam,* quod idem & alteri seruo, qui duo talenta multiplicauerat ver. 23. dicit. Hac re docet Christus maiora se bonis seruis, quàm ipsorum merita, præmia daturum esse, quia *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis,* Rom. 8. 18. & *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Dominus his, qui diligunt illum.* Isaiæ 64. 4. & 1. ad Cor. 2. 9. vt Hieronym. obseruauit. Quid ergo? aliquid acceperunt minus præmij, quod meriti non fuerimus? minimè quidem dico; omne enim quod habituri sumus præmium, aut meriti erimus, aut præmium non erit, quia non ad æqualitatem iustitiæ, sed ad analogiam dantis & accipientis aduertendum est, præmium dicitur maius esse, quàm meritum. Nota est Alexandri vetus historia, qui cùm poëtæ, vt opinor, super compositum carmen vim magnam pecuniæ dari iussisset dari, isque respondisset nimium hoc est poscere, subiecit, at Alexandro non est nimium. Quod fingitur, *in gaudium Domini tui,* non est pars parabolæ distincta, sed explicatio superioris, *super multa te constituam.* Hoc enim est super multa seruum constituere, admittere illum ad gaudium domini sui, id est eiusdem regni, eiusdem gloriæ, & eiusdem, quæ inde percipitur, lætitiæ participem efficere; quemadmodum & de ipso Christo dictum est ad Philippenses 2. 7. 8. 9. *Semetipsum exinaniit semetipsam formam serui accipiens, & habitu inuentus, vt homo factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum,* & 2. cut de Corinthijs dicit D. Paul. 2. ad Cor. 1. 7. *Spes nostra firma est pro vobis, scientes, quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis,* & 2. ad Timot. 2. 12. *si sustinebimus, & conregnabimus.* Lucas c. 19. 17. aliquanto aliter scribit, *Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates,* quia vna minarum mina decem lucrifecerat, & rursus de altero seruo qui vna mina quinque lucratus fuerat: *& tu,* inquit ver. 19. *esto super quinque ciuitates,* quod non est in specie, sed in genere ad rem significatam accommodandum; nec enim sensus est fore, vt in cælo homines aut

2. Cor. 6. 1.

Contra Euangelica consilia inanis metu non amplectetes.

ciuitatibus,

ciuitatibus, aut vlli omnino officio præficiantur, sed hoc tantùm fore, vt pro suis meritis præmia alij maiora accipiant, alij minora, sed ex consuetudine, aut Christus, aut Euangelista non verba, sed sensum Christi exprimens dixit, *Esto super decem ciuitates,* quia de rege loquebatur, & regum consuetudo est benemeritos vitos gubernandis præficere ciuitatibus. Vndecima pars est ver. 24. *Accedens autem, & qui vnum talentum acceperat ait, Domine scio, quia homo durus es, metis, vbi non seminasti; & congregas, vbi non sparsisti:* quam nonnulli auctores necessariam & propriam parabolæ partem facere videntur, quòd id Christus ver. 26. concedere videatur. Itaque quidam interpretantur, *metis, vbi non seminasti,* id est gentes sine lege iustificas, & iustitiam ab illis colligis, in quorum animis legis sementem non feceras, cuius interpretationis auctor est Hilarius. D verò Hicrony. *metis, vbi non seminasti,* id est non solùm ab his, quibus aut Mosaicam, aut Euangelicam legem tradidisti; sed etiam à Philosophis, qui sine lege viuunt, bona opera requiris. Ego hanc non arbitror partem esse parabolæ, sed adiectium quoddam supplementum ad explicandam vero similem narrationem; nec enim credibile est quemquam damnatum à Christo ita illi responsurum esse; sed fuit vero simile ita fuisse negligentem seruum Domino traditæ pecuniæ rationem exigenti respondenti, vt in illum negligentiæ suæ culpam reiiceret, & suam inertiam Domini seueritate excusaret. Quod ergo sequitur ver. 26. *Serue male, & piger sciebas, quia meto, vbi non semino; & congrego, vbi non sparsi,* non ita accipiendum est quasi quod malus seruus dixerat, bonus Dominus verum esse fateatur; sed ita quasi non ex veritate, sed ex serui, quocum dominus loquebatur, opinione dictum sit. Voluit enim illum propriis verbis coarguere, quemadmodum Lucas expressit c. 19. 22. *De ore tuo te iudico serue nequam.* Id Euthymius adnotauit. Duodecima est vers. 27. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs,* quod sic quidam interpretantur, oportuit te verbum Dei, quod tibi commissum fuerat, cum alijs etiam Ecclesiæ doctoribus communicare, qui idem alios docere possent, qua communicatione fuisset multiplicatum, quemadmodum ad Timoth. scribit D. Paulus 2. epistola ca. 2. 2. *Et quæ audisti a me per multos testes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ita Origenes, Hieronym. Beda, & Euth. Alij nummularios populum esse dicunt, & omnes, qui Euangelium audire possunt, quibus dum verbum Dei explicatur, magis ac magis crescit. Ad hunc modum Chrysostomus, Hilarius, auctor imperfecti. Theophylactus etiam, Hieronymus, & Beda sic interpretantur. Iam supra monuimus per talentum non solùm verbum Dei esse intelligendum, quapropter hæc duæ interpretationes, etsi aliqua ex parte veræ sunt, tamen plenæ non sunt, atque perfectæ. Itaque non existimo nimis subtiliter disquirendum esse, quid significet pecuniam committere nummularijs: neque enim, vt arbitror, necessaria parabolæ pars est; hoc tantùm significat gratiam, quam à Deo accepimus, omni studio, omni diligentia, omni arte multiplicandam; quemadmodum diligentes mercatores solent pecuniam ne otiosa iaceat, nummularijs in fœnus dare. Posuit autem Christus exemplum in re vsitatissima, & in vna specie, ex qua totum genus intelligeretur. Nec enim vult Deus, vt malis arbitris gratiâ multiplicemus, nec fœnus, & vsuras probat; sed negotiatoris diligentiam requirit; quemadmodum cum seruum illum laudat, qui Domino suo centum cados olei debebat, dixit, *Accipe cautionem tuam, & sede, cito scribe quinquaginta,* Luc. 16. 6. cúmque eius exemplo iubet nos facere amicos de mammona iniquitatis; nō enim serui fraudem approbauit, sed industriam, atque prudentiam, qua vult nos esse in diuinis rebus vti. Sunt qui duo verba *serue male, & piger,* ita distinguant; vt malum, quia infidelis; pigrum, quia negligens fuerat, appellauerit, vt Origenes, Hieronym. Beda, & auctor operis imperfecti. Decimatertia est eodem versu, *& veniens ego recepissem vtique, quod meum est, cum vsura.* Vsuram Origenes, Hilarius, Chrysostom. Hieronym. & omnes, quos supra diximus per talentum Dei verbum interpretari, auditorum fructum, & vtilitatem intelligunt; accommodatè id quidem, sed angustè, quia, vt docuimus, latiùs patet sententia. Melius auctor imperfecti per vsuram gratiæ, & iustitiæ incrementum intelligit, quod accepta gratia bene, ac graviter vtentibus semper accidit. Ex vtraque interpretatione vna confici potest, quæ Christi sententiam exæquet, vt vsuræ nomine quidquid vtilitatis, aut illi, qui gratiam accipit, aut alijs, quibus per eam ministrauit, intelligamus. Decimaquarta est vers. 28. *Tollite itaque ab eo talentum;* quod Origenes sic exponit, quasi docendi gratia negligentibus doctoribus auferatur. Hoc etiam generaliter interpretor Dei dona ijs, qui non bene illis vtantur, tolli solere, quod & præcipuè, & semper in gratia gratum faciente verum est, in alijs sæpè: nec enim semper docendi, & vaticinandi donum, & alia eiusmodi generis continuò, si quis illis abutatur, auferuntur. Decimaquinta videri potest, quòd eodem loco dicitur; *& date ei, qui habet decem talenta;* sed hanc non existimo propriè partem esse parabolæ; nec enim eadem gratia, quæ vni tollitur, alteri datur; sed dictum, id est, quia aut ita inter homines fieri solet, vt pecunia ab infideli, & negligenti seruo ablata, fideli, ac diligenti tradatur, aut quia vero simile erat id dominum facturum fuisse, quamuis non idem Deus faciat; non ergo significatur, quòd Deus faciat, sed quòd negligentes, quòd diligentes homines mereantur. Potest lector aliquis dubitare, quomodo post iudicium rationes ponendæ sint gratia alijs auferenda, alijs conferenda sit, non quidem eadem jd enim iam docuimus faciendum non esse; sed alia, atque alia. Respondeo, aut id non pertinere ad finem propositæ parabolæ, nec esse ad sententiam accommodandum, aut si pertinet, non de vltimo, sed de quotidianis priuatisque iudicijs intelligendum; quamuis propriè parabola ad vltimum iudicium spectet. Iudicat enim quotidie homines Deus, & indignis gratiam aufert, dignis auget. Hactenus exposita parabola est: sequitur parabolæ conclusio generali comprehensa sententia.

29. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit.*) Origenes ad hunc modum exponit, omni habenti ex se fidem dabitur gratia, quam ex se non habet: quem errorem, vt caueret, supra lectorem monuimus; eodem ferè modo auctor imperfecti, Hieron. & Beda, nisi quòd non dicunt fidem quemquam ex se habere. *Potest,* inquit Hierony. *& sic intelligi ei, qui fide habet, & bonam in Domino voluntatem, etiam si quid minus in opere vt homo haberet, dabitur a bono iudice, qui autem fidem non habuerit, et iam cæteras virtutes, quas videbatur naturaliter possidere, perdet.* Hilarius verò, omni habenti Euangelium, & lex etiam dabitur, non recipienti autem Euangelium, lex etiam auferetur. Ego vtrumque accommodatè ad rem subiectam interpretandum esse arbitror. Agebatur de duobus seruis, quorum alter plus pecuniæ reddiderat, quàm acceperat, alter tantundem; *Ecce,* inquit, *habes, quod tuum est:* significatur ergo non quidem generaliter omni habenti dari, & omni non habenti auferri; sed omni, qui plus habet gratiæ, quàm acceperat, quia eam

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhibita diligentia multi[illegible]cauit, maiorem quoque
dari gratiã,& omni qui gratiã, quã accepit, non mul-
tiplicat.sed otiosam,& inutilẽ retinet,eã ipsam, quam
habet,gratiam auferri,quia indignum se reddidit, vt
haberet.Quæritur à quibusdam,cur non dixerit;& id
quod habet,sed *id quod videtur habere*.Respõdet Hie-
ronymus suã de fide interpretationem sequens,*Quid-
quid sine fide Christi est,non ei debet imputari,qui male ea
abusus est,sed illi, qui malo etiam seruo naturæ bonum tri-
buit*.Auctor verò imperfecti,quia fides, quæ sine bo-
nis operibus est, vera fides non est; sed videtur esse,
quod idẽ alicubi Gregorius scripsit,sed nolunt dicere
fidem sine operibus veram fidem non esse; sed inutili-
lem,inanem,mortuam, quemadmodum Diuus Iacobus appellauit.Veram ego rationem,cur Christus dixerit *quod videtur habere*, esse puto, quòd seruus ille,
qui pecuniam in terram defoderat,perinde pecuniam
habebat,ac si non haberet,quia otiosa,& inutilis erat;
significat ergo eos,qui similiter gratiam Dei habent,
ita vt per eam nihil boni agere conentur,non tam ha-
bere, quam habere videri gratiã.Dicat aliquis,si verè
gratiam habet, qui sic habet, quomodo dixit paulò
ante *non habenti*?Iam diximus illud *non habenti* non es-
se ad acceptam gratiã referendum, sed ad gratiæ in-
crementum, quod cùm habere deberet, non habet;
nam seruus ille talentum,quod acceperat,habebat;sed
lucrum non habebat:de lucro ergo dictum est *non ha-
benti*,de talento verò,quod habebat quidem,sed inu-
tiliter,& non aliter,quàm si non haberet,dictum est,
quod sequitur,*& quod videtur habere auferetur ab eo*.

Hom.19. in Euan.

30.*In tenebras exteriores.*)De tenebris exterioribus cap.8.12.à nobis dictum est.

31.*Cum venerit filius hominis.*) Videtur explicatio hæc esse parabolæ præcedentis; declarat enim Christus, quomodo in iudicio rationes cum seruis suis positurus sit.vt dixerat vers. 19. quemadmodum auctor imperfecti adnotauit. Cur filius hominis Christus appellerur, diximus cap.8.20.

In maiestate sua.) Id est ostendens maiestatem suam, quam tunc,cum hæc diceret,non ostendebat. Opponit enim tacitè præsenti futurum tempus, & primo aduentui secundum. Probabile, quod Chrysostomus, & Hieronymus existimant, propterea Christum de futura sua maiestate, & gloria mentionem intulisse,quia paulò pòst mortem erat aditurus,vt præsentem infirmitatem futura compensaret gloria, & discipulorum animos,ne in fide nutarent,erigeret; quod & alijs locis fecisse sæpè supra obseruauimus.

Et omnes Angeli cum eo.) Omnes Angelos cum eo venturos dicit, & vt declaret omnes illius esse,& vt futuram aduentus sui maiestatem ante oculos ponat: quemadmodum enim regem in publicum alicuius magnæ rei causa procedentem omnes eius ministri prosequuntur; ita omnes Angeli Christum ad iudicium venientem comitaturi sunt. Venient etiam omnes,vt putat Chrysost.vt testes sint actionum eorum,qui iudicandi sunt,quia *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* ad Hebræos 1.14.

Tunc sedebit.) Non significat ante non esse sessurum; sedet enim etiam nunc ad dexteram patris,quæ sedes maiestatis est;sed tacita est antithesis inter tempus secundi aduentus, & primi, cum hæc Christus dicebat; nondum enim sedebat in sede maiestatis suæ. Nec loquitur de veritate,sed de demonstratione maiestatis: verè enim etiam nunc sedet,sed homines non vident,tunc sedentem videbunt: propterea dicit tunc sessurum esse.

Hebraismus.

Super sedem maiestatis suæ.) δόξης αὐτοῦ, gloriæ suæ, Hebraismus pro super sede sua gloriosa, & illustri. Disputat Origenes tractatu in Matthæum 34. quam ea sedes futura sit; existimat autem per sedem, in sanctorum perfectiones, atque virtutes intelligendas in quibus Christus sessurus dicitur, quia sanctis comitatus veniet, vt in ipsis quodammodo insidere videatur: pertinet autem hoc ad regiam maiestatem, solent enim Imperatores aliquando principum humeris gestari. Eandem interpretationem auctor imperfecti videtur approbare, aut Angelos,qui propterea Throni nominantur ad Col.1.16. quòd super eos Deus sedeat, Psal 98.1. *Qui sedet super Cherubim*, moueatur terra,& Psal.79.2.*Qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim, Beniamin,& Manasse*. Beda sedem maiestatis Christi Ecclesiam interpretatur, quæ quasi tribunal eius est. Hæc omnia etsi speciem habent probabilitatis,plus habent allegoriæ,quàm literalis interpretationis. Itaque in re prorsus incerta, quod vero mihi videtur esse similimum, sequor; Christum super nubem aliquam lucidam,& illustrem sessurum esse,& quia nube euectus in cœlum est Act. 1.9.& vers.11.eodem modo dicitur esse venturus, quamuis id non tam ad nubem quàm ad veritatem aduentus referri posse sciam,& quia vbique in nubibus cæli venturus dicitur, vt ca. 24.30. & 26.64. & quia per nubem videtur semper diuina maiestas declarari, vt cap.17.5.& Exodi 16.10.

32.*Et congregabuntur ante eum omnes gentes.*) Hic etiam Origenes disputat, an omnes omnino gentes congregandæ sint, an illæ tantùm, quæ tunc in vita fuerint aut soli Christiani: & ij an omnes,an ij tantùm, qui, vt ait D. Paulus, residui fuerint;& ille, & Euthymius existimant solos congregandos esse Christianos, quia cæteri iam iudicati sunt, vt ait Diuus Ioann. cap.3.18. Beda quattuor hominum ordines esse dicit; alij enim, inquit, non iudicabuntur, sed iudicabunt, vt Apostoli,quibus dictum est *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël* cap.19.28. & de quibus ait D. Paulus, *nescuis, quia Angelos iudicabimus*.1.ad Cor. 6.3 alij qui iudicabuntur,non iudicabunt; salui tamen erunt, vt illi quibus dicetur, *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi:esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere*,infra ver. 34.35. alij nec iudicabunt,nec iudicabuntur,sed peribunt;quales erant omnes, qui extra Ecclesiam reperientur, de quibus dicitur Psalm.1.5. *non resurgent impij in iudicio*; alijque iudicabunt, sed iudicabuntur, & iudicio condemnati peribunt, vt illi quibus dicetur, *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius:Esuriui enim,& non dedistis mihi manducare*, infra vers. 41. & 42. scriptura vbique omnes homines staturos esse dicit *ante tribunal Christi,vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit in corpore siue bonum, siue malum*,ad Roman. 14. 10. & 2. ad Cor.5. Quòd autem ait D. Ioann. *Qui non credit,iam iudicatus est*,rectè Theologi interpretari solent, non opus esse, vt eius causa in iudicio discutiatur, & vt eorum vitis vtar,iam iudicatus est iudicio discussionis quo minimè indiget, sed nondum iudicatus iudicio approbationis. Denique sensus est, adeò mala est eius causa, vt opus non sit, vt in iudicium tractanda deferatur: cùm enim non credat, se ipse condemnat, sicut de hæreticis dicit D.Paulus ad Titum 3. 11. *Subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*. Solent in schola à Theologis quædam obiici, primùm, quòd illa verba, *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*, & illa his contraria, *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, non possunt ad omnes homines pertinere. Multi enim damnandi sunt, qui esurien-

Infantes non habent vsum liberi arbitrij, & ideo non peccant.

esurientem Christum non viderunt; cùm illum penitus ignorarent,nec scirent pauperes eius personam gerere; deinde infantes,qui aut saluandi,aut damnandi sunt, nec propterea saluabuntur, quia Christum esurientem pauerunt, nec propterea damnabuntur, quia non pauerunt; non ergo in iudicium venturi sunt. Vna est huiusmodi ad omnes obiectiones, & expedita responsio.Christum vnam speciem pro toto genere posuisse, sicut in exemplis facere consueuimus;nec enim omnibus, qui saluandi sunt, dicturus est.*Esuriui enim,& dedistis mihi manducare*,nec omnibus,qui damnandi,*Esuriui,& non dedistis mihi manducare*,sed quibusdam: hoc enim exemplo tantùm docere voluit, se neminem temerè aut saluaturum, aut damnaturum esse,sed iustissima de causa eáque publicè,& coram hominibus declarata,quemadmodum in forensibus sententijs fieri solet; vnde videtur Christus metaphoram sumere voluisse. Ergo & infantes,& infideles omnes iudicabuntur; sed illis,cur aut saluentur,aut condemnentur alia reddetur causa. Potest aliquis dubitare, cur potius dixerit *congregabuntur omnes gentes*, quàm omnes homines: fortasse quia illud plus ponderis habebat; explicatur enim nomine omnium gentium non solùm omnium hominum multitudo; sed etiam varietas,& faciebat ad iudicis maiestatem, vt explicaretur eum diuersarum gentium iudicem futurum esse.

33.*Et statuet oues quidem à dextris suis,hœdos autem à sinistris.*) Minimè dubium est bonos oues,malos hœdos appellari, cur autem, id est dubium. Origenes, Euthymius, & Theophylactus bonos quidem oues, quia mites sunt; malos hircos, quia asperi, & per prærupta ascendentes, id est non recta, & plana incedentes via, vocari putant. Hilarius verò,& Chrysost. itémque Euthym.& Theophylact. bonos oues, quia vtiles, & fructuosi; malos hircos, quia infructuosi sunt. Credo ego primùm propterea Christum ouium, & hœdorum metaphora vsum fuisse, quia versu præcedenti dixerat,*& separabit eos ab inuicem,sicut pastor segregat oues ab hœdis*;per oues autem bonos: per hœdos malos intelligi voluisse, quia oues hœdis meliores sunt. Eademque de causa dicit se oues ad dexteram, hœdos ad sinistram positurum esse, quia locus dexter sinistro honorificentior est.quemadmodum & Hilarius indicauit, cuius sententiam magis probo, quàm illam Origenis, Hieronymi, Bedæ, & auctoris operis imperfecti,qui existimant propterea bonos ad dexteram, malos ad sinistram futuros esse, quòd in scripturis sacris dextera bonum;sinistra malum significare soleat,vt Ecclesiastis 10.2. *Cor sapientis in dextera eius,& cor stulti in sinistra illius*,id est,cor sapientis semper bonum, cor stulti semper malum cogitat. Solet quæri,vbi infantes futuri sint, qui sine baptismo ex hac vita decesserunt, cùm non sint propter opera, sed propter vitiosam originem condemnandi. Certus,& minimè hæsitans respondeo ad sinistram futuros esse,sicut ad dexteram alios infantes, qui non propter bona opera, sed propter suscepti baptismi gratiam saluandi sunt. At in iudicio, vt ex sententia manifestum videtur esse,non nisi de bonis, malisque operibus agetur. Id constanter nego: meritа enim cuiusque ponderabuntur, quæ non semper in operibus;sed in solo aliquãdo animo,in sola gratia in sola origine consistunt:sed,vt diximus,non fuit Christo propositum omnes causas, cur alij saluandi, alij damnandi essent,explicare; sed exemplum tantùm in vna specie proponere, ex quo aliæ etiam species, & causæ intelligerentur.

34.*Tunc dicet rex.*) Non vocauerat se regem antè, sed hominem, & filium hominis, & apud Lucam hominem nobilem, qui peregrè profectus esset, vt regni capesceret possessionem, nunc vocat regem, quia de eo tempore loquitur,quo accepto iam regno rediturus est; tum etiam quia ante nondum regiam descripserat maiestatem; nunc ea descripta meritò se regem appellat.

His qui a dextris eius erunt.) Incipit ab honorabilioribus morem hominum obseruans, aut, vt ait auctor imperfecti,propterea ab his,qui à dextris futuri sunt, id est à bonis initium sumpturus est, quia propensior est ad saluandum, quàm ad condemnandum.

Venite.) Vocat eos ad se,quia vult regni sui participes facere,sicut dicit apud Ioan.c.12.26. *Si quis mihi ministrat,me sequatur,& vbi sum ego,illic & minister meus erit*; quia ergo ipse paterni regni possessionem ceperat,ad eandem possessionem seruos suos vocat, cum dicit *venite*;loquitur enim, quasi continuò in cælum rediturus,vultque vt se serui sequantur.

Benedicti patris mei.) Quidam sic interpretantur; quos pater meus multis beneficijs cumulauit, quia benedicere in scripturis, beneficijs afficere significare solet; non probo, nec enim de præteritis beneficijs intelligi videtur posse, quæ maiora fortasse multis eorum, qui damnandi sunt, collata fuerunt; sed referendum hoc est, nisi fallor, ad futuram gloriam, ad quam eos Christus inuitat. Itaque benedicti patris mei perinde est, ac si dicat dilecti à patre meo, & ab eo æterna vita donandi,vt supra cap.21.9. cum populus Christo diceret, *benedictus, qui venit in nomine Domini*,non acceptam prædicabat gratiam,sed futuram illi à Deo adprecabatur. Itaque eorum sententiam nequaquam probo, qui hoc ad prædestinationem reuocant,quasi tacitè reddatur causa,cur saluifiant,quia nimirum benedicti patris,id est ab eo prædestinati sunt.

De merito contra Caluinum.

Rom.8.17

Possidete.) κληρονομήσατε, hæreditatem regni capite, quo verbo Caluinistæ insolenter insultant, quasi hic omne nostrum meritum aboleatur. Si enim,inquiũt, hæreditas est,merces non est neque labori,& merito; sed origini datur,quia filij Dei sumus;*si autem filij, & hæredes*, vt nos D. Paulus argumentari docuit, filij autem per fidem sumus,fides eorum opinione hæresis est, ita omnis res concidit in nihilum. Vitam æternam in scripturis mercedem appellari negare non possunt supra cap.5.12. & c.6.1 & c.10.41.& c.20 8. vbi de hac etiam re nonnihil disputauimus; tum etiam 1.ad Cor.3.8.14 & 9.18.& Apocal.11.18.& 22.12. sed non decst hominibus ingeniosè hæreticis responsio,mercedem appellari; non quòd merces sit, sed quia sicut merces, post laborem datur, quamuis non propter laborem. Insitia si malignitate careret,miseranda; quia malignitati coniuncta est, irridenda. Si enim alius non esset locus, quàm hic ipse, de quo disputamus,ex eo perspicuum esset vitam æternam non solùm post opera, sed etiam propter opera bonis dari, ideóque verè, propriéque esse mercedem. Eodem enim modo, eodem contextu, ijsdem verbis, eodem sensu bonis dicitur, *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esuriui enim & dedistis mihi manducare*; at que dicitur malis, *Ite maledicti in ignem æternum: esuriui enim,& non dedistis mihi manducare*; cum autem de malis agitur, manifestum est, non solùm consequentiam, vt hæretici putant, sed veram etiam causam significari: propterea enim damnantur, quia id verè, propriéque meruerunt Christum esurientem non pascentes: ergo & cum bonis dicitur, *Venite, possidete regnum: esuriui enim & dedistis mihi manducare*,non solùm consequentia, sed vera etiam causa,& meritum significatur. Sed ex alijs etiam locis clarius probari

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest: propriè enim merces est, & hæretici ipsi confitentur, quæ non solùm pro laborem; sed etiam propter laborem datur; dari autem propter laborem ex eo cognoscimus, quòd maiori labori maior detur, minori minor; at hoc eodem modo D. Paulus testatur dari vitam æternam 1 ad Cor. 3. 8. *vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem:* loquitur autem de eo, qui plantat, & de eo, qui rigat; quid est ergo *secundum suum laborem*, nisi qui plus laborauit, maiorem; qui minus, minorem mercedem accipiet. Præterea cum Christus dicit supra cap. 10. 41. *qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet*, quis sanæ mentis dubitare potest maiorem & minorem prophetæ; ac iusti mercedem distinguere voluisse; prout maioris meriti est prophetam, quàm iustũ quemlibet hospitio recipere, quemadmodum eo loco probauimus? Cur ergo vita æterna hæreditas appellatur? Id nisi errore suo cæci essent, facile intelligere potuissent, nempe & merces, & hæreditas est; merces quia meritis hæreditas, quia filijs datur. Sed illud istos decipit, quòd Deum hominum similem esse putauerunt, apud quos hæreditates temerè, ac sine iudicio quibusuis filijs bonis, ac malis dari solent. Non ita Deus, qui dat regnum cælorum solis filijs, quia soli meruerunt; & nõ solùm quia filij, sed quia digni sunt; ideóque non æqualem omnibus pattem, sed maiorem melioribus, quod prudentis est patris facere. Scio Chrysost. Theophylact. & Eutym. adnotasse in verbo κληρονομεῖν hanc vim inesse, vt significet non quoquo modo accipere, sed tanquam hæreditarium, tanquam proprium, tanquam debitum; sed eos Caluinistas non esse ne Caluinus quidem ignorat, qui propterea quòd liberum arbitrium, & bonorum operum merita asserere solent, sæpè Philosophos appellat.

Cur vita æterna hæreditas appellatur.

Caluini scomma aduersus Chrysost.

Paratum vobis regnum.) Id est prædestinatum, vt cap. 20. 23. vbi pronomen *vobis* eandem vim, atque illic relatiuum *quibus* habere arbitror, vt sensus sit *vobis*, id est merentibus. sicut illic *quibus paratum est à patre meo*, id est ijs, qui illud meruerint; huc enim causalem particulam, quæ versu sequenti ponitur, referendam esse quidam putant, *Esurini enim*; vt hæc sit sententia. possidete regnum, quod propterea vobis pater meus prædestinauit, quia *esuristi, & dedisti mihi manducare*, vt Chrysost. & Hieronym interpretantur. Quod an verum sit, non est hic locus disputandi; illud tantum dico videri mihi Christum glorificationis potiùs, de qua agebat, quàm prædestinationis causſam reddere voluisse, vt ex antithesi manifestum est. *Discedite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius; Esurini enim, & non dedistis mihi manducare.* Hic enim cum eodem loquatur modo; non reddit causam, cur illis iam inde ab æternitate ignis paratus sit; sed cur in ignem mittantur: immone illis quidem; sed diabolo, & Angelis eius ignem illum paratum fuisse dicit; quod, vt postea docebimus, ratione non vacat. Eodem ergo modo hic intelligenda sunt verba, *venite, possidete regnum. Esurini enim & dedistis mihi manducare.*

Christus quæ verba in iudicio sit pronunciaturus.

35. *Esurini enim.)* Paulò antè Caluini interpretationem refutauimus. qui particulam ὅτι *enim*, non causam, sed consequentiam significare dicit. Potest aliquis dubitare an hæc ipsa verba, quæ hîc ponuntur, Christus sit in iudicio pronunciaturus. Legi enim nonnullos recentiores interpretes, qui negarent; quod nescio, an sine temeritate fieri possit. Illud ego vero simile esse arbitror non hæc solùm; sed alia etiam nonnulla, quæ aut Christus non dixit, aut Euangelista non expressit, in illo iudicio dicturum esse. Nec enim, vt supra disputauimus, omnes, qui regnum cælorum accepturi sunt, propterea sunt accepturi, quòd esurientem pauerint Christum, & est credibile vnicuique, cur eum ad regnum cælorum admittat, rationem expositurum: hoc enim & ad iudicis officium, & ad beatorum gloriam pertinebit. Cur ergo de his tantùm, qui se esurientem pauerant, mentionem fecit? supra respondimus vnam speciem loco exempli pro toto genere posuisse; ideo autem hanc potius, quàm aliam bonorum operum speciem proposuit, quia nihil nobis magis commendatum esse voluit, quam eam charitatem, quæ erga proximos esset, quæ ipsa quamuis multas habeat species, in hac potissimum obseruatur, si esurientes pauperes alamus; quemadmodum Euth. adnotauit.

37. *Tunc respondebunt iusti, quando te vidimus esurientem?)* Putat Origen. & auctor impetfecti iustos hos non obliuione, sed humilitate responsuros esse, quali non agnoscentes in se virtutem illam charitatis, cuius causa à Christo laudati essent. Potius credo ideo ita responsuros, quòd Christi verba non intellexerint; non enim ignorare poterunt se aliquando pauperes Christi causa pauisse; sed quia Christus non est dicturus; esurierunt enim pauperes, & dedistis eis manducare. sed *esurui, & dedistis mihi manducare*, & scierint se nunquam Christum ipsum pauisse, interrogabunt, *quando te vidimus esurientem?* Id constat ex Christi explicatione versu 40.

40. *Quandiu.)* ἐφ' ὅσον, Quatenus *fecistis vni de his fratribus meis minimis mihi fecistis*, id est. quod illis fecistis, mihi fecistis, sicut & versu 45. loquitur.

41. *Discedite a me.)* id est procul abite; nihil enim mihi vobiscum est, non noui vos, quemadmodum fatuis virginibus dixit supra vers. 12.

Maledicti.) Obseruauit Orig & Chrysost non dixisse maledicti patris mei, sicut iustis dixerat vers. 34. *Venite benedicti patris mei*, quia Deus non maledictionis, sed benedictionis; non pœnæ, sed præmij auctor fuit, non quòd non etiam pœnæ auctor fieret, sed quòd præmia libenter, & ex animi propensione; pœnam inuitis quodammodo, vt iustitiæ suæ satisfaceret, præparauerit.

In ignem æternum.) Refellitur his verbis antiqua Origenistarum error, qui pœnas inferni sempiternas futuras esse negabant, aduersus quem Beda, & Theophylactus hoc loco disputant. Quanquam Origenes tractatu 34. huius locum edisserens bene de pœnarum æternitate sentit. Disputatur à Theologis, an verus ille sit ignis. Duo in ea re certa sunt; alterum, quod fides docet. vera esse supplicia, quæ non cogitatione solùm; sed sensu; tactúque percipiantur; alterum minus certum, quia fides non docet, sed tamen omnium fere veterum auctorum testimonijs confirmatum, ignem illum non eiusdem atque nostrum esse conditionis; quemadmodum Origenes homilia 9. ad diuersos. & tract. 34. in Matth. & Ambrosius in commentarijs in cap. 14. Lucæ, & Hieronymus in cap. 65. & 66. Isaiæ. & Damascenus libro quarto de fide c. vltimo tradunt. Inde tamen non sequitur verum ignem non esse, quod essi nonnulli negant, non videtur sine temeritate negari posse, quia vbique scriptura pœnas illas inferni ignem appellat; quæ si metaphora, non veritas esset, aliter aliquando vocarentur, minúsque frequenter ignis dicerentur.

Qui paratus est diabolo, & Angelis eius.) Non dixit, qui paratus est vobis, sicut de regno cælorum dixerat vers. 34. *Possidete paratum vobis regnum*, quia Deus *omnes homines vult saluos fieri*, & quia *Deus mortem non fecit: fecit enim hominẽ rectũ, & ipse infinitis se miscuit quæstionibus.*

Ecclesiast. 3. 19.

Regnum ergo cælorum ab omni æternitate omnibus hominibus (si salui esse vellent) præparauit: ignem autem æternum non nisi necessitate, & quodammodo coactus, vt angelorum puniret audaciam; ita Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Eadem fortasse de causa non dixit, qui paratus est à cõstitutione mundi, sicut de regno cælorum dixerat eodem cap. versu 34. quia nimirum regnum cælorum, quod sua sponte propter homines fecerat, à mundi constitutione præparauerat; id est antequam homines ipsos faceret. Ignem verò non nisi peccato coactus, ideo non à constitutione, sed post constitutionem mundi, & post peccatum illum præparauit.

CAPVT XXVI.

1. ET factum est: cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: 2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: 4. & consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. 5. Dicebant autem: non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 6. Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, 7. accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. 8. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Vt quid perditio hæc? 9. potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. 10. Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. 11. nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis. 12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum: ad sepeliendum me fecit. 13. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam eius. 14. Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum: 15. & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam: At illi constituerunt ei triginta argenteos. 16. Et exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet. 17. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? 18. At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. 19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha. 20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. 22. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine? 23. At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille 25. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? At illi: Tu dixisti. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. 27. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. 28. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorũ. 29. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. 30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. 31. Tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. 32. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 33. Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. 34. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. 35. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. 36. Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hîc donec vadam illuc, & orem. 37. Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. 38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum. 39. Et progressus

Mar. 14. a. 1. Luc. 22. a. 1.

Ioan 11. a. 2. & 12. a. 3. Mar. 14. a. 2.

Mar. 14. b. 10. Luc. 22. a. 3.

Mar. 14. b. 12. Luc. 22. a. 7.

Mar. 14. b. 17. Luc. 22. b. 14. Ioan. 13. b. 21. Psal. 40. c. 10.

1. Cor. 11. c. 24.

Mar. 14. c. 27. Ioan. 16. d. 32. Zach. 13. c. 7. Mar. 16. b. 7. Ioan. 13. d. 38. Mar. 14. d. 31. Luc. 22. d. 49.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. 40. *Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* 41. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* 42. *Iterum secundò abijt, & oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* 43. *Et venit iterum, & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati.* 44. *Et relictis illis, iterum abijt, & oravit tertiò, eundem sermonem dicens.* 45. *Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*
Mar. 14. c. 43. Luc. 22. c. 47. Ioan. 18. a. 3.
46. *Surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.* 47. *Adhuc eo loquente, ecce Iudas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs, & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi.* 48. *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* 49. *Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum.* 50. *Dixitq; illi Iesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.* 51. *Et ecce unus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens servum principis sacerdotum amputavit auriculam eius.* 52. *Tunc ait illi Iesus: Convertе gladium tuum in locum suum. omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* 53. *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?*
Genes. 9. a. 6. Apoc 13. c. 13. Isai. 53.
54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* 55. *In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* 56. *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo, fugerunt.*
Thren. 4. d. 20. Mar. 14. f. 53. Luc. 22. f. 54. Ioan. 18. c. 24.
57. *At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ & seniores convenerant.* 58. *Petrus autem sequebatur eum à longè, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem.* 59. *Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent:* 60. *& non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissimè autem venerunt duo falsi testes,* 61. *& dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* 62. *Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur?* 63. *Iesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei.* 64. *Dicit illi Iesus: Tu dixisti. Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* 65. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: 66. quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.* 67. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt,* 68. *dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* 69. *Petrus verò sedebat foris in atrio: & accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras.* 70. *At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis.* 71. *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno.* 72. *Et iterum negavit cum iuramento: Quia non novi hominem.* 73. *Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit.* 74. *Tunc cœpit detestari, & iurare quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit.* 75. *Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amarè.*

Sup. 16. d. 27. 1. Thess. 4 d. 14. Rom. 14. b. 10.
Isai. 50. v. 6. Mar. 14. g. 65. Luc. 22. f. 55. Ioan. 18. c. 25.

IN CAP.

IN CAPVT XXVI.

1. *Et factum est.)* Chrysostomus, & Theophylactus existimant continuationem esse, qua Euangelista Christi passionem regno coniungit, de quo superiore capite dixerat; potiùs transitionem esse arbitror, qua explicato doctoris officio officium red emptoris aggreditur explicare.

Sermones hos omnes.) Sunt qui eos intelligant sermones, quos proximo capite de futuro iudicio Euangelista narrauit, in quibus Hilarius. Sunt qui non solum ad proximum, sed etiam ad 24. cap. hæc referant, vbi de fine etiam mundi Christus disseruerat. Sunt qui ad omnia, quæ ab initio Euangelij vsque ad hunc locum Matthæus scripserat, pertinere putent. vt sermones non verba tantùm; sed etiam facta comprehendant, quasi dicat, cum Christus hæc omnia, quæ hactenus exposui feciſſet, ac docuisset, dixit discipulis suis, *scitis quia post biduum Pascha fiet*; sic Beda, & eum sequutus Strabus. Hæc omnia probabilia sunt; sed illud ego magis probo, quod in commentarijs ad hunc locum D. Thomas animaduertit, Euangelistam omnem Christi doctrinam, quam toto Euangelio ante exposuerat, comprehendere voluisse, quasi diceret; cum Christus doctoris officium expleſſet, cœpit se ad redemptoris officium præparare, & eius rei discipulos admonere. Nam etsi apud Hebræos, verbum, res etiam significat, tamen hoc loco nomine sermonum verba, factáque significari durius videtur. Obseruauit Origenes propterea dixisse Euangelistã, *hos omnes*, ne eos excluderet, quos postea Christus, & ante passionem, & post resurrectionem habuit.

2. *Scitis quia post biduum.)* Difficilis hic locus est, & multis quæstionibus implicatus. Prima vnde ferè reliquæ pendent, quo die hoc Christus dixerit; inde enim intelligendum est, in quem diem inciderit Pascha; secunda quo die Christus Pascha celebrauerit; tertia quo die Iudæi, quos indicat Ioannes non eodem die, quo Christum, celebrasse; quarta si non eodem die celebrarunt, vtri legitimo, ac solemni die celebrauerint, Christúsne, & eius discipuli, an Iudæi. De prima quæstione omnes fere conueniunt auctores Christum hæc dixisse die duodecima, mensis primi Hebræorum, qui noster est Martius, quia Pascha ad finem decimæ quartæ, & initiũ decimæ quintæ celebrabatur Exodi 12. 6. 18. loquitur autem Christus de Pascha ex legis præscripto. Itaque quamuis Græcorum opinio, quæ falsa omnino est, vera esset, de qua in secunda quæstione dicturi sumus, Christum vno die Pascha anticipasse, nihil impediret; loquitur enim Christus de eo Pascha, quod discipuli sciebant ex lege post biduum futurum esse. Si autem Christus Pascha suum anticipauit, discipuli quando illud celebraturus esset nesciebant; at dicit, *scitis, quia post biduum Pascha fiet*. Quis autem hebdomadis dies fuerit, quo Christus hoc dixit, duabus ex rebus perspicuum est; primùm ex die passionis, certum enim est Christum feria sexta passum esse, quia Lucas c. 23. 56. & Ioann. cap. 19. 31. testantur postridie eius diei, quo Christus passus est, fuisse sabbatum, præterquam quòd id omnis Ecclesiæ Catholicæ vsus docet: hoc si ita est, necesse est, vt feria tertia Christus hæc dixerit. Eodem enim die, quo agnum edit, id est Pascha celebrauit, mortuus etiam est; sed edit agnum hora noctis prima, id est initio diei decimæ quintæ; mortis, eiusdem autem diei naturalis; inter feriam autem tertiam, & sextam duo interiecti sunt dies, hoc est, *post biduum Pascha fiet*. Deinde ex magnifico illo ingressu Christi in Hierusalem idem colligitur. Ingressus enim est primo die hebdomadis, qui nobis nunc Dominicus est, vt & Ecclesia docet, & ex Ioanne cap. 12. 1. intelligi potest, vbi scribit Christum ante sex dies Paschæ Bethaniam venisse, vbi Lazarus fuerat mortuus, versu autẽ 12. scribit in Hierusalem cum celebri illa pompa ingressum esse; vbi non leuis coniectura est propterea die præcedente ingressum non fuisse, sed Bethaniæ quieuisse, quod sabbatum esset, quo die non potuisset turba ramos arborum præcidere. Si ergo dies sabbati sexta, vt ait Ioann. ante Pascha dies erat. Pascha fuit feria sexta sequẽtis hebdomadis; nam dies sabbati à feria sexta sequente sexta dies est. Cum autem Christus dixerit, *post biduum Pascha fiet*, sequitur hoc eum dixisse feria tertia, quæ Latinè dies Martis appellatur. Series ergo actionum Christi à die sabbati, quo fuit Bethaniæ, vsque ad diem Paschæ, quæ mortuus est, ex Euangelistis hutusmodi colligitur: die sabbathi Bethaniæ cœnauit Ioann. 12. 2. feria prima Hierosolymam ingressus est Ioannis 12. 12. eodem die Bethaniam redijt, vbi hospitium habebat Matthæi 21. 17. feria secunda iterum redijt Hierosolymam Matthæi 21. 18. & Marci 11. 13. atque tunc cum secus viam ficum vidisset, fructúmque nullum inuenisset, illi maledixit; eodem rursus die Bethaniam ad hospitium reuertit Marci 11. 19. atque tunc, quia iam fortasse nocte escebat, discipuli arefactam ficum videre non potuerunt; feria tertia mane iterum redijt in Hierusalem, quo tempore Petrus arefactam ficum animaduertit, quia clara iam dies erat Marci 11. 20. 27. rursum eodem die credendum est eum Bethaniam redijsse; quia solebat, vt scribit Lucas cap. 21. 37. singulis noctibus ab Hierusalem in montem Oliueti secedere, ad cuius radicem Bethania sita erat. Postea Euangelistæ non narrant eum Hierosolymam reuertisse vsque ad feriam quintam sub noctem, cum Pascha celebrauit. Hoc ergo aut feria tertia sub finem diei, aut quarta sub initiũ noctis, quod & diei apud Hebræos initiũ est. Christus dixit. Si ante finem feriæ tertiæ dixit, intelligendum erit, vt loquuntur exclusiuè, quod ait, *post biduum Pascha fiet*, si intra quartam, inclusiuè.

Quo die Christus Pascha celebrauerit.

In secunda quæstione fuerunt, qui dicerent Christum eo anno Pascha non celebrasse, vt Euthymius, & Theophylactus referunt ver. 20 cæteri verò Græci à Latinis fere dissentiunt. Veterum enim Græcorum opinio videtur esse Christum die decimatertia mensis primi, qui Hebræis erat Nisan, nobis Martius. id est vno die ante tempus à lege præscriptum Exodi 12. 6. Pascha celebrasse, vt eius in ipsum diem Paschæ, id est decimumquartum mensis primi incideret, veritásque figuræ responderet, & verus agnus eodem die, quo typicus occideretur. Mortuus enim est Christus postridie, quàm cum discipulis agnum edit. Hæc est Origenis opinio tractatu in Matthæum 31. Chrysostom. & Theophylact. in cap. Ioan. 18. 28. & Euthym. hoc loco. Vnde recentiorum Græcorum natus est error, vt existiment Christum in cœna illa postrema non azymo, sed fermẽtato pane vsum fuisse, quòd nondum dies azymorum esset id est decima quinta mensis primi postridie quàm agnus occideretur, Exodi 12. 18. Eorum argumenta hæc sunt. Primum, quòd Ioann. c. 13. 1. dicat Christum ante diem festum Paschæ cœnam illam egisse. Secundum, quòd ex eodem Ioanne cap. 18. 28. manifestum sit Iudæos cum Christus condemnatus est, nondũ Pascha celebrasse; *& ipsi non introierunt in prætorium vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*. Tertium, quòd idem Ioannes cap. 19. 14. 31. affirmet Christum passum esse in parasceue Paschæ, id est, pridie ante

Pascha;

Christus quo die Hierosolymam ingressus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pascha: dies autem Paschæ erat primus dies azymorum, Exodi. 12. 18. & Leuit. 23. 6. itaque Christus cum pridie primæ diei azymorum cœnam illam egerit, non potuit in ea azymis vti. Hanc opinionem in explicatione quæstionis quintæ paulò post refutabimus; nunc tantùm dicimus absurdissimum esse dicere Christum Paschæ celebrationem anticipasse, qui omnem legem, quamdiu cum hominibus versatus est, & seruandam esse docuit, & ad vnguem seruauit; inauditùm autè est quemquã ante constitutum à lege diem Paschæ celebrasse, vt etiam D. Thomas in commentarijs in cap. Ioann. 18. obseruauit. Latini omnes consentiunt Christum die decimaquarta primi mensis ad vesperum agnum comedisse, quemadmodum lex præscribebat; sed illud Græcos auctores nonnullos etiam Latinos videtur fefellisse, quòd sensum legis non animaduerterunt; inchoabant Iudæi dies suos à solis occasu, sicut Græcis, & Latini à nocte media; alij à solis ortu. Iubebat lex Exodi 12. 6. & Leuit 23. 5. vt agnus die decimaquarta mẽsis primi ad vesperam, vt Hebraicè est בין הערבים inter duas vesperas agnus comederetur, id est in confinio vtriusque diei decimæquartæ, & decimæquintæ; solis enim occasus finis erat decimæquartæ, initium decimæquintæ erat. Eadem quoque vtriusque diei vespera dicebatur decimæquartæ diei, quia eius finis; decimæquintæ, quia eius noctis initium erat, atque hoc est inter duas vesperas, quemadmodum Galli simili phrasi dicunt; *Entre chien, & loup*, non vt quidam interpretari memini, qui duas vesperas, alteram præcedentis, alteram sequentis noctis initium intelligunt, quod apertè legi contrarium est, qua præcisè cauebatur, vt illo puncto, quo diximus, temporis agnus ederetur, nec quicquam ex eo vsque ad matutinum tempus remaneret Exodi 12. 10. & Leuit 22. 30. nec, vt quidam hæreticorum interpres exponit, qui vnam vesperam finem decimæquartæ diei, alteram totam sequentis diei noctem intelligendam esse dicit. Hinc factum est, vt aliquando dicatur Christus die decimaquarta; aliquando decimaquinta Pascha celebrasse. vt infra ver. 17. *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* & Marci 14. 12. *Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha?* & Lucæ 22. 7. *Venit autem dies azymorũ, in qua necesse erat occidi Pascha*; quibus omnibus locis die decimaquinta primi mensis Pascha, id est agnus Paschalis occidendus fuisse dicitur, cum Exodi 12. 6. Leuit. 23. 5. die decimaquarta occidi iuberetur; nimirum, quia in vtriusque diei confinio occidebatur. nunc die decimaquarta, nunc decimaquinta occidi dicitur, quo tempore vsque in diem octauum fermentato pane vti non licebat Exodi 12. 15. Leuitici 23. 6. His locis, vt paulò ante apud Euangelistas adnotauimus, Græcorum error manifestissimè refellitur. Matthæus enim, Marcus & Lucas disertis verbis scribunt eam diem, qua Christus agnũ comedit, primam azymorum diem fuisse; quare non potuit Christus contra legem fermentato vti pane; quomodo autem Ioannes eum diem appellet Parasceuen, & cur Iudæi non eadem nocte agnum ederunt, in quarta, vt diximus, quæstione explicabimus. Nunc ex ijs, quæ diximus, apparet, cur idem Ioannes cap. 13. dicat Christum ante diem festum Paschę cœnam illam peregisse, etiam si demus eum non de Iudæorum, sed de Christi Pascha loqui, quod paulò post disputabimus; perinde enim est, ac si dicat peregisse die decima quarta ad vesperum, quo tempore non nisi azymo pane vti licebat, vt ex illis, quæ ante adduximus, Exodi, & Leuitici testimonijs manifestum est. Itaq; quod

De azymo cõra Græcos.

alij tres Euangelistæ die decima quinta, id est prima die azymorum factum fuisse dicunt, id Ioannes ante diem festum Paschæ, id est die decima quarta factum scribit, nulla vtique repugnantia, sed vsitata scripturæ consuetudine, qua agnus nunc die decima quarta, nunc decima quinta occidi dicitur; quia in vtriusque vesperi iunctura occidebatur. Christum ergo *in* fine decimæ quartæ, & initio decimæ quintæ diei agnum edisse ex hac Matthæi Marci & Lucæ, cum Ioanne collatione perspicuum est, tum etiam ex prioris quæstionis explicatione. Si enim hoc die mensis primi duodecimo, vt probatum est, Christus dixerat, cũm dixerit post biduum Pascha futurum, & haud dubiè de suo etiam Pascha loqueretur, sequitur eum die decima quinta sub finem decimæ quartæ Pascha celebrasse.

Tertia quæstio multo est difficilior, tres enim fere magnorum auctorum de ea sententiæ, quæ magna contẽtione defenduntur. Prima eorum, qui existimãt Christum, & Iudæos eodem die & agnum comedisse, & diem festum Paschę celebrasse, cuius opinionis Alcuinum veterem, bonúmque Theologum D. Thomas auctorem facit, quem nostro tempore multi non hæretici modò, sed maximè etiam Catholici, doctique viri sequuti sunt: potest autem his potissimum argumentis cõfirmari. Primum, quòd Matthæus hoc cap. v. 17. & Marcus cap. 14. 12. & Lucas cap. 22. 7. scribant primam diem azymorum fuisse, cum discipuli Christum interrogarẽt, *vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* primo autem azymorum die & agnum occidi, atque edi, & festum Paschæ celebrari lex præcipiebat; vtrumque igitur Iudæi, sicut & Christus eo die fecerunt. Secundum, quòd discipuli quasi omnium Iudæorum consuetudinem sequuti eo die Paschа celebrantium Christum interrogauerunt, *vbi vis paremus tibi comedere Pascha.* Tertium, quòd Marcus cap. 14. 12. dicat fuisse primam diem azymorũ, *quando Pascha immolabant.* & Lucas cap. 22. 7. *in qua necesse erat occidi Pascha*, eodem igitur die Iudæi omnes immolauerunt. Quartum, quòd Christus iubeat infra versu 18. & apud Marcum cap. 14. 14. discipulos cuidam homini dicere, *vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem?* Vbi ita loquitur, quasi homo ille & lege, & consuetudine certò sciat eas omnes Iudæos debere Paschalem esse agnum, ideoq; nõ recusaturum eum illi domi suę parare. Quintum, quòd principes sacerdotum, & seniores populi dicant, *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*, versu 5. & Marci 14. 2. Itaque cum hoc dicebant, aut dies erat festus, aut adeo propinquus, vt ante illum Christum occidere non possent; interierit autem hoc consilium, vt versu 3. dicemus, initio festi riæ quartæ: ergo aut ipsa quarta, aut saltem quinta feria, qua Christus agnũ comedit, dies festus Iudæorum erat. Eodem ergo die, quo Christus, & agnum ederunt, & Pascha celebrarunt. Sextum, quòd Ioannes cap. 13. 1. apertè dicat Christum, *ante festum diem Paschæ*, id est, pridie Paschæ agnũ comedisse. sequens igitur dies Pascha Iudæis erat: eodem ergo die, quo Christus, Paschalem agnum comederunt, & Paschæ festum celebrarunt. Septimum, quòd Ioannis cap. 19. 29. scribat, *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus, eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum*; erat ergo aut idem, aut sequens dies Iudæorum festus. Octauum, quòd Matth. cap. 27. 15. & Marcus cap. 15. 6. & Lucas cap. 23. 17. & Ioan. cap. 18. 39. dicant eo die, quo Christus crucifixus est, solitum fuisse à Præside Barabbam, quia die festo Paschæ solebat Iudæis vinctum aliquem vnum, quem petiissent, dimittere. Ille igitur ipse dies Pascha Iudæorum erat. Nonum, quòd non sit credibile Chri-

stum alio tempore, quàm Iudæos Pascha celebrasse, quòd si fecisset coram Præside, quasi religionis reus accusatus esset; cùm causas vndique aduersus illum sacerdotes criminationum quærerent. Decimum, quòd si præter Iudæorum morem ante solennem, & vsitatum diem Pascha celebrasset, & illum ipsum hospitem, apud quem cœnauit, & omnes, qui factum nouissent, grauiter offendisset, quemadmodum nunc si quis siue Episcopus, siue priuatus homo diem Paschę ante, aut post reliquum Christianum populum ageret, omnes offenderet. Vndecimum, si non eodem die Iudæi, quo Christus, egerunt Pascha, aut Christus diem præuenit, aut Iudæi procrastinarunt; neutrum lex facere permittebat, quemadmodum D. Thomas in commentarijs in cap. Ioannis 19. confirmauit. Duodecimum, si Christus alio die, quam Iudæi Pascha celebrasset. & mortuus esset, veritas figuræ minimè respondisset; non enim verus agnus eodem die, quo typicus occisus esset. Hactenus hæc sententia confirmari potest. Secũda aliorum est, qui non eodem die, sed vno Christum ante Iudæos Pascha egisse putant, in qua sententia Origenes tractatu in Matthæum 35. Chrysostom. & Theophylact. in cap. Ioann. 18. & Euthymius hoc loco, & Nicephor. libro 1. cap. 28. sunt, præterquàm quòd existiment Christum legitimum diem præuenisse; qua de re quarta pòst quæstione differemus. Huic opinioni iamdiu Paulus Burgensis doctus, & diligens interpres magnum auctoritatis robur adhibuit. Potest autem & his argumentis comprobari. Primum, quòd Ioannes cap. 18. 28. dicat Iudæos, cum Christũ coram Præside accusarent, non ausos in prætorium introire, ne profanæ domus ingressu contaminati Pascha edere non possent; nondum igitur ederant: atqui ederat Christus nocte iam præcedente: non igitur eodem die Iudæi, quo Christus, sed postridie agnum ederunt, Paschàque celebrarunt. Hoc argumentum efficax, & apertum est, multóque in hanc sententiam auctores meritò traxit. Respondent recentiores quidam, quod & Alcuinum iam olim respondisse apud D. Thomam lego, Pascha eo loco non agnum, sed azymos panes significare. Crederem, si vllo exemplo, aut auctoritate probaretur. Nunc autem nec illi probant. & alia ex parte ex lege colligitur necesse non fuisse, vt qui azymos panes ederent, mundi essent; nam nec lex de ea re quicquam statuit, nec id vlla Iudæorum traditione introductum credendum est omnibus Iudæis futurum intolerabile, cùm tam multis, tam leuibus, tam passim occurrentibus rebus contaminarentur, vt vix se diem vnum mundos seruare possent: dies autem azymorum septem essent, quo tempore quisquis fermentato vteretur pane, mortis reus erat: *Septem, inquit, diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicumque comederis fermentum, peribit anima illa de Israel à primo die vsque ad septimum*, Exodi 12. 15. quòd si contaminati azymo vesci non poterant, cùm tam frequenter, támque multis etiam festis diebus damnandi fuissent? Alij respondent Pascha eo loco agnum significare, sed sensum esse, vt manducarent Pascha eadem nocte ante lucem, quia nondum nox illa, qua agnum occidi, ediq; oportebat præterierat; *Erat enim mane*, inquit Euangelista, *& non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Hi auctores eodem verbo, quo sententiam suam probare student, refutantur; verbo inquam illo *mane*, prohibebat enim lex nõ solùm ne totus agnus, sed etiam ne quicquam ex illo vsque ad mane remaneret, Exodi 12. 10. quomodo ergo, si mane erat totum illi agnum & occidere

poterant, & comedere? Adde quòd non tam mane esse poterat, vt clara ia[m] dies non esset, nec enim simile vero est Iudæos, quantauis agitatos rabie, ad Præsidem ante lucem, & antequàm de lecto surgeret reum adduxisse, ne cum gratiam ad condemnandum Christum conciliare oportebat, eum importuno aduentu offenderent. Cùm ergo Ioannes dicet aliquis, quasi de industria verbum illud, *mane*, posuit; vt significaret sequentem iam diem illucescere cœpisse; itaque non restabat dies vnus integer vsque ad diem, quo Iudæi Pascha celebraturi erant; itaque si tunc contaminati fuissent, non satis habuissent temporis, vt sese mundarent. Oportebat enim vno saltem die immundum manere. Itaque stat firmum argumẽtum Iudæos postridie, quàm Christum, Pascha celebrasse. Secundum est Ioan 19. 14. *Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta.* Loquitur autem Ioannes de tempore, quo Christus dãnatus, & cruci affixus est cũmque ipsum diem Paschæ parasceuen appellat, id est pridie ante Paschа; nondum igitur Iudæi Pascha celebrarant. Respondent nonnulli non esse sensum fuisse parasceuen Paschæ, id est pridie Paschæ, sed fuisse parasceuen sabbathi, quæ inciderat in diem Paschæ, quasi dicat, erat autem parasceue diei Paschæ: id probant; primùm, quòd nusquam legamus Pascha parasceuen vllam habuisse, neque opus fuerat, cùm parasceue nihil aliud esset, quàm dies festum præcedens, quo festo non licebat, quæ ad victum pertinebant, apparare, inde vocata à Græcis παρασκευὴ ab Hebræis הכנה id est præparatio, quod in eo, quæ in diem sequentem necessaria essent, præparantur: die autem Paschæ non prohibebat lex, sed potius concedebat, quę ad vitam necessaria erant, præparare Exodi 12. 16. *Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, excepiis ijs, quæ ad vescendum pertinent.* Deinde, quòd nusquam legamus parasceuen, nisi sabbathi, vt Matthæi 27. 62. & Lucæ 23. 54. *Et dies erat parasceues, & sabbathum illucescebat*, & clariùs D. Marcus cap. 15. 41. *& cum iam sero esset factum, quia erat parasceue, quod est ante sabbathum ὅ ἐστι προσάββατον*, quasi explicans, quid significaret parasceue, dixit esse προσάββατον, id est, pridie sabbathi. Hęc omnia vera ego esse concedo, sed illud non concedo, idem esse apud Ioannem parasceuen Paschę; ac si dicat parasceuen sabbathi, quæ dies erat Paschæ, quę locutio non minùs dura, & absurda est, quàm si, cùm festum D. Ioannis Baptistę pridie festi corporis Christi celebratur, de eo die aliquis loquens vigiliam D. Ioannis appellaret, non quòd festi D. Ioãnis vigilia esset, sed quòd vigilia corporis Christi, quę in festum D. Ioannis incidisset; quis enim ita loquentem non derideret? parasceuem igitur Paschę Ioannes appellauit, etiam si Pascha parasceuem instituto suo non haberet, quia, vt quęstione quarta docebimus, eo anno Pascha Iudęorum in sabbathum incurrerat, & quia sabbathum habet parasceuem, quod eo anno idem erat Pascha, optimo consilio Ioannes diem præcedentem, quo Christus mortuus est, parasceuem Paschę nominauit, vt vno verbo lector intelligeret diem sequentem, & sabbathum fuisse, quia parasceuem habebat, & Pascha, quia eam ipsam parasceuem Paschę vocauit, quod nemo vtique intelligere potuisset, si absolutè dixisset fuisse parasceuem. Peius etiam mihi videtur respondere, qui nullius auctoritate codicis adducti locum emendant, & genitiuum *Paschа* non legunt. Istud enim non est scripturam interpretari, sed delere. Tertium est, quòd idem Ioannes eodem capite 19. 31. dicat fuisse magnum diem illum sabbathi, quasi non vulgare, sed sanctius, atque celebrius, quàm cæteris annis, eo fuisset anno; sanctius

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem esse non potuit, nisi eodem die Paschæ festum celebratum est; hac enim ratione verè magnum fuit, quia & sabbathum, & Pascha. Respondent ij, quibus superior sententia magis placet, non vocasse D. Ioannem sabbathi vn illud magnum, quòd eodem die Iudæi Pascha celebrarent, sed quòd vna ex diebus azymorum esset. Hi docti licet viri non animaduertunt hoc nihil ad id, quod Ioannes probare voluit, facere potuisse, reddebat enim rationem, cur Iudæi Pilatum rogauerint, vt Christo, & latronibus crura frangerentur, quo citiùs animam exhalarent, & ante diem sabbathi de cruce tollerétur, quia nimirum die sabbathi tolli non poterant, & manere suspensa minimè decebat, multòque minus eò quòd magnum erat; quam ad rem dies azymorum nihil afferebat impedimenti, cùm omnibus azymorũ diebus, excepto primo, & vltimo, liceret laborare, Exodi 12. 16. Itaque nihil sanctitatis, nihil magnitudinis sabbatho adhibebãt. Sensus igitur est fuisse magnum diem illum sabbathi, quia & sabbathum, & Pascha erat, quorum neutro licebat aut corpora deponere, & sepelire; aut in cruce fixa relinquere ne diei celeberrimi sanctitas mortuorum corporum præsentia contaminaretur. Quartum est hoc capite apud Matt. versu 5. & Marci 14. 2. *dicebant autem, non in die festo ne forte tumultus fieret in populo*, quibus verbis, vt in eius versus explicatione docebimus, noluerunt dicere, qui in eo concilio disceptabant, Christi cædem vsque in post Pascha esse differendam, quemadmodum ij auctores interpretantur, qui Iudæos existimãt eodem, quo Christum die egisse Pascha; sed potiùs voluerunt, vt eius mors acceleraretur, antequàm dies Paschæ veniret, qui ipsis post duos dies futurus erat; hoc enim eorum inuidiæ, & crudelitati magis consentaneum est. Sunt, qui dicant sensum esse, conandum, vr ea ipsa nocte ante lucem Christus occideretur, ante quã dies Paschæ illuceseeret, qui & à Christo, & ab illis postridie celebrandus erat. Sed hi nimis mihi videntur properare; nondum enim Iudæi comprehendendi Christi rationem inuenerant. Alij putant diem differre voluisse, sed inuenta proditoris Iudæ opportunitate, qui Christum oculo, & sine tumultu tradere posset, cõsilium mutauisse, & ipso die, quo Pascha celebrabant, & comprehendisse, & condemnasse. Neque hi videntur considerare, quid Iudæi dicant, *ne forte tumultus fieret in populo*, quiquidem tumultus non tam ex Christi apprehensione, quàm ex morte excitari poterat, itaque non poterat Iudæ proditio eum impedire: non ergo propter inuétum, promptúmque proditorem sententiam mutauerunt; nec tam illi Iudæ, quàm eorum Iudas opportunitate vsus est, qui cùm intellexisset eos de capiendo Christo consilia agitare, noluit homo auarus, & perfidus inuentis mercatoribus vendendi præceptoris occasionem amittere. Quintum est Ioann. 13. 1. *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, vt trasseat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo in finem dilexit eos, & cœna facta*, vbi dubium nõ est Ioan. *ante diem festum Paschæ* non quemlibet Paschæ præcedẽtem diem, sed proximum, & pridianum appellare: illud autem dubium esse potest, vtrùm de Pascha, quod Christus, an de Pascha, quod Iudæi celebraturi erant, id sit intelligendum; sed multo est probabilius, vt supra indicauimus, Ioannem de Iudæorũ Pascha loqui, cùm agat de cœna, quàm Christus egit, & lotione pedum, quæ facta sunt initio eius diei, quo Christus Pascha celebrauit; itaque non dixisset Ioannes *ante diem festum Paschæ*, sed die festo Paschæ, si de Christi Pascha loqueretur, sicut Matthæus infra versu 17. & Marcus cap. 14. 12. dixerunt, *prima autem die azymorum* cum non de ipsa cœna, id est Paschæ celebratione, sed de eius præparatione loquerentur, quam pridie Paschæ fieri oportebat. Deinde, quia voluit Ioannes explicare, quibus rebus singularem illum amorem erga discipulos suos, de quo dicit, *in finem dilexit eos*, Christus ostenderit; ostendit autem non esu agni Paschalis, quod singulis fiebat annis; sed lotione pedum, & corporis, & sanguinis sui exhibitione, quod ante non fecerat. Hæc autem duo, vt idem Ioannes exponit, peracta iam typica agni Paschalis cœna facta sunt; itaque non nihil multa iam nocte, id est, die Paschæ aliquãtulum proiecto fieri potuerunt; quare non potuit verè dicere *ante diem festum Paschæ* facta fuisse. Nam quod quidam dicunt, *diem festum* accipi pro die, quem vocant artificiali ab ortu solis vsque ad occasum, qui dies nondum aduenerat, quia vsi ratum esse nõ video, non libenter admitto. Reliquum igitur est, vt Ioannes de Iudæorum Pascha loquatur, quod omnibus commune ac notum erat, & de quo solo poterat lector, quod dicebatur, intelligere. Sextum eodem cap. v. 29. discipuli putauerunt, cum Christus Iudæ dixit, *quod facis, fac cius*, significare voluisse, *vt emeret ea, quæ ad diem festum Paschæ necessaria erant*, quod magis conuenit, si nondum Pascha illud, de quo Christus loquebatur, aduenerat; sed in proximo erat; illud autem, quod Christus celebrauit, iam aduenerat; iam enim, cum hæc dixit, agnum ederat. Septimum, si eo die, quo Christus mortuus est, Paschaque celebrauerat, Iudæorum quoque Pascha fuisset, non licuisset Ioseph homini iusto, & cæteris, qui illi operam dederunt Christum de cruce ponere, ac sepelire, eum sanctæ illæ mulieres, ne ad monumentum quidem ire, & Christum vngere voluerint propter diem sabbathi, Lucæ 23. 56. Octauum minus etiam credibile est principes sacerdotum, & seniores populi, qui de religionis conseruatores profitebantur, eaque potissimum de causa Christum accusabant, quòd religionem violare videretur, in ipsa eius accusatione religionem violare voluisse; quod profectò fecissent, si ipso die festo Paschæ omnium sanctissimo, & celeberrimo capitalem aduersus Christum causam egissent, cùm nullo festo die causam vllam, vel leuissimam agere liceret. Fecerunt illi quidem nonnulla die sabbathi, quæ parùm licere videbantur, sed multo minora, nempe Pilatum adierunt, rogarúntque, vt sepulchrum custodiendum curaret, ne Christi discipuli furarentur; accesserunt etiam ipsi ad sepulchrum, & positis custodibus, adhibitóque sigillo munierunt; sed hæc omnia, vt dixi, leuiora erant, quàm die festo Paschæ hominem, vel de media plebe, in iudicium rapere, accusare, condemnare, cruci affigere. Denique si non Deum, tamen populum credibile est eos timuisse, ne facti indignitate concitatus, quod hominem die Paschæ ad mortem trahi videret, & eum hominem, quem maxima pars sanctissimum propheta esse putabat, ipsos occideret; hoc enim timore dixerant, *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*. Hanc igitur opinionem probabiliorem iudico, quia etsi fortasse pauciora, multo tamen certè fortiora habet argumenta, quæque multo difficiliùs quàm quæ ad probandam alteram sententiam allata sunt, solui possunt. Nam quod primo loco obiectum est Matthæum ver. 17. Marcum cap. 14. 12. Lucam cap. 22. 7. eum diem, quo Christus agnum edit, primum diem azymorum appellare; primum autem azymorum diem fuisse Paschæ, non difficile soluitur. Euangelistas non ex Iudæorum traditione, de qua quæstione 4. dicemus; sed ex lege loquutos esse; secundùm autem legem dies ille, quo Christus agnum comedit,

verum Pascha erat. Atque id fortasse tacitè significare voluerunt, cum tam diligenter tempus notauerunt, dixeruntque primum azymorum diem fuisse, non Iudæos, sed Christum legitimo tempore Pascha celebrasse. Quòd si nobis contendere liberet, diceremus, cum discipuli Christum interrogarunt, vbi vellet Pascha præpararent, non fuisse primum azymorum diem etiam ex lege, quia nemo dubitare potest, quin id discipuli ante solis occasum die decimaquarta primi mensis interrogauerint; post solis enim occasum nimis sero interrogauissent, cùm illo puncto temporis non parandum, sed edendum Pascha esset: dies autem decimaquarta non erat prima dies azymorum, sed quia prima azymorum dies aspectabat dixerunt, *prima autem die azymorum*, quasi dicant instante prima azymorum die; sicut ergo, cùm nondum esset prima azymorum dies, id est Pascha Christi, dixerunt, *prima autem die azymorum*; ita cum nondum Iudæorum Pascha esset; id est prima ipsorum azymorum dies; quia tamen proxima erat, dicere potuerunt, primam azymorũ diem fuisse; non enim semper Euangelistæ punctim tempus designant, sed aliquando more hominum vulgari, quod certum est, quemadmodum vnus Euangelista hora sexta, alius hora tertia Christum crucifixum fuisse dicit, quia inter tertiam, & sextam crucifixus est. Quamquam non ideo hæc dicimus, quòd vera esse existimemus; credimus enim Euangelistas hoc loco de die azymorum, & Pascha Christi loquutos esse, sed vt doceamus, si alia ratione argumentum solui non posset, hac posse. Secundum hoc modo solui potest, discipulos iam à Christo monitos fuisse, ipsum ante alios Iudæos eo die, quem lex præscribebat, Pascha celebrare decreuisse. Iam enim illis dixerat; *scitis quia post biduum Pascha fiet*, quod ex Luca ca. 22. 7. 8. 9. clarius apparet: *venit autem dies azymorum*, id est appropinquauit, *in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Ioannem dicens, euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt, vbi vis paremus?* Vnde perspicuum est prius Christum discipulis indicasse velle se die sequenti Pascha celebrare, quàm eum discipuli rogarent, vbi præparari vellet; sed id alij Euangelistæ prærmiserunt, Lucas exposuit. Ad tertium respondeo Euangelistas non de Iudæorum, sed de Christi, id est legitimo Pascha loqui, & illo ipso verbo, *in qua necesse erat occidi Pascha*, Lucam fortasse indicare voluisse Christum, etsi ante alios Iudæos, legitimo tamen tempore Pascha celebrasse, quo ex lege necesse erat occidi. Quod autem ait Marcus, *primo die azymorum, in quo Pascha immolabant*, non de Iudæis, qui tunc erant, sed aut de antiquis, qui legem non traditiones sequebantur, aut de Christo, & eius discipulis intelligendum est, quasi dicat primam azymorum diem fuisse, qua veteres Iudæi Pascha celebrabant, aut qua Christus, & eius discipuli celebraturi erant. Ad quartum respondeo, quamuis Iudæi eo anno, vt postea dicemus, festum Paschæ vno die postposuerint: neminem tamen ignorare potuisse ex legis præcepto eo die, quo Christus egit, fuisse celebrandum; propterea hospitem illum mirari non potuisse, si Christus eo die celebraret: cùm omnes scirent eum, non Phariseorum traditiones, sed legem Dei solitum sequi. Facilius etiam soluitur quintum; quòd enim Iudæi dicunt, *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*, non est argumẽtum diem iam fuisse festum, cum ista dicebant; nam vt versu 3. docebimus, hæc ab illis duodecima, aut tertiadecima die mensis dicta sunt: & verò sunt, qui putent sex ante Pascha diebus dicta fuisse: quare colligi inde non potest Iudæos eodem die, quo Christum, egisse Pascha; nam vtrumque & Christi, & Iudæorum Pascha appropinquabat, neutrum aduenerat. Sicut ergo si Iudæi eodem die, quo Christus, Pascha celebrassent, hoc dicere potuerunt; ita si vno post die celebrarunt; tantum enim dicere volebant, expediendam diligenter, & citò rem esse, antequàm dies festus aduenisset: qui siue duobus, siue tribus, siue, vt alij volunt, sex diebus abesset, propinquus tamen erat. Ad sextum respondendum est, cum Ioannes dicit. *Ante diem festum Paschæ*, de Iudæorum Pascha loqui, pridie cuius Christus cum agnum comedisset, Paschaque suum celebrasset; illa singularis amoris argumenta, de quo loquitur, discipulis exhibuisse, vt paulò suprà diximus. Septimum leue est, & à nobis paulò antè ad probandam contrariam sententiam ex eodem testimonio maius argumentum desumptum fuit. Octauum sic solui potest, Præsidem aut non ipso die Paschæ; sed pridie solitum fuisse vinctum vnum absoluere, quem à se Iudæi postulassent, quod & nunc alicubi fit, & tunc factum fuisse vero simile est: aut non eo die quo Christus crucifixus est, Barabbam dimisisse, sed sequenti, qui Paschæ Iudæis erat: dictũ autem ab Euangelistis esse tunc eum Iudæis dimisisse, quòd tunc potestatem fecerit crastino cum die dimittendi. Ad nonum respondeo aut sacerdotes, qui Christum accusarant, ignorasse illum ea nocte agnum comedisse, aut non ausos esse id crimen obiicere, cùm scirent Christum ex lege Paschæ suum celebrasse. Ad decimum iam responsum est propterea neminem offendi potuisse, quòd omnes scirent secundum legem eo die quo à Christo celebratum est Pascha celebrandum fuisse. Ad vndecimum quæstione quarta respondebimus, nec Christum tempus anticipasse, neque Iudæos distulisse; sed Christum secundùm legem: Iudæos secundùm traditiones suas egisse Pascha. Atque hac ratione postremum argumentum dissoluitur; cum enim secundum legem Christus Pascha celebrauerit; & eadem die mortuus fuerit, rectè veritas figuræ respondit. Diximus tres in hac quæstione esse sententias. Itaque reliqua vna est, de qua nullum interpretem mentionem fecisse video. Rupertus in commentarijs in hunc locum existimat Iudæos partim eodem die, quo Christum, partim postridie egisse Pascha; eodem quidem die, quia eadem nocte, qua ille, agnum immolarunt, & comederunt; postridie, quia non illum, sed sequentem diem otio, vt festum, celebrarunt, ne duos continenter dies quiescere, ac cessare cogerentur; cùm dies insequens sabbathum esset. Hoc credibile quidem videtur esse, præsertim cum constet ex Ioanne eo die, quo Christus mortuus est, nondum Iudæos edisse agnum; itaque probabilius dicere potuisse diem quidem festum eundem, atque Christum Iudæos celebrasse; agnum verò Paschalem postridie comedisse, vt nonnulli etiam auctores videntur existimare. Quarta nunc superest quæstio, quæ etsi omnium difficillima erat, explicata tamen copiosè tertia facilis est. Quærebatur vtrùm Christus, an Iudæi legitimo tempore Pascha celebrauerint, si non eodem die celebrarunt. Origenes tractatu 35. in Matth. Chrysost. & Theoph. in ca. 18. Ioan. Euth. in comment. in hunc locum putant Christum vno die tempus celebrandi Paschæ à lege præscriptũ præuenisse, cuius rei Chrysostom. & Theophylact. rationem reddunt, vt mortem suam in diem sequentem, qui Pascha erat, referuarer. Fallor, nisi ista eadem ratione, quam adferunt, refellantur. Nam si Christus die Paschæ mori voluit, vt typici agni figuram verus agnus impleret, cùm constet ex Euangelistis nocte præcedente, id est eodem die naturali secundùm Iudæos illum egisse Pascha, sequitur eum non præueniisse tempus: sed die à lege constituto Pascha celebrasse.

Christus & Iudæi an legitimo die Pascha celebrarint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

brasse. Nec, vt supra dixi mus, credibile vllo modo A
est Christum ante legitimum diem Paschæ peregisse; cum omnibus in rebus vsque ad finem vitæ, vt idem Chrysostomus docet, ad perfectum legem seruauerit, & nunquam licuerit ter, bus lege constitutum præuenire. Hanc denique opinionem cum suis argumentis satis quæstione prima refutauimus. Alij existimant Christum quidem, & legitimo tempore Pascha egisse; Iudæos verò in sequentem diem non alia de causa transtulisse, quam ne festi celebratione impediti, eo die Christum occidere non possent, quæ opinio Augustt. & Hieronymi præclaris nominibus, vulgo commendatur; haud scio, quàm verè, nec enim de ea re quicquam legere apud eos auctores memini. Id etiam D. Thom. in commentarijs in cap. 18. Ioannis doctè B
refellit, quod & lex, & consuetudo præciperet, vt si quis vno anno, quòd aut immundus, aut impeditus esset, legitimo die non posset Pascha celebrare, mense sequenti die decimaquarta die mensis celebraret, Num. 9. 10. 11 eam ergo probo sententiam, quam multi non probant, neque Christum tempus Paschæ anticipasse; neque Iudæos distulisse, & non eodem tamen die celebrasse, sed Christū legis præscriptum; Iudæos maiorum suorum traditiones sequutos esse. Probat Rupertus in commentarijs huius loci, & post eū Paulus Burgensis copiosissimè, diligentissimèque confirmat post exilium Babylonicum constitutum inter Iudæos fuisse, vt quotiescunque Pascha in feriam sextā incideret in sequentem diem sabbati transferretur. ne duo continenter dies festi consequerentur, quod populo graue erat, cùm nec sepelire mortuos, nec alia eiusmodi etiam pia opera, & non magnopere laboriosa facere possent diebus festis. Eam traditionem multi iam productis Rabbinorum testimonijs probauerunt. Paulus verò Burgensis homo diligens, & fide dignus affirmat se cum Hebræo quodam eiusmodi rerum peritissimo ex Hebræorum Kalendario ducto calculo comperisse eo anno, quo Christus mortuus est, Pascha in feriam sextā incidisse; itaque Christus ipsa feria sexta vt lege præceptum erat, & Pascha celebrauit, & mortuus est. Iudæi verò, vt à maioribus constitutum fuerat, die sequenti celebrarunt. Scio Rabbi Abraham in commentarijs in cap. Leuitici 23. scribere in Misne, & in Thalmud reperiri aliquando Pascha in feriam secundam, quartam, & sextam, incurrere, sed nescio an propterea neget, cum in sextam feriam incurrebat, solitum in sabbathum transferri; aut an tantùm auctoritatis mereatur, vt eius gratia ab aliorum sententia discedere debeamus.

Pascha fiet.) Dies festus Paschæ celebrabitur, aut agnus immolabitur; vtrumque enim Pascha significat. Quod autem Origenes adnotat propterea dixisse Christum, *Pascha fiet*, & non Pascha erit, quòd illud Pascha, de quo loquebatur, vsitatum non esset, sed singulare, & ante tempus anticipatum, quasi diceret, etiamsi solenne tempus Paschæ non erit, tamen à me Pascha fiet, subtilis argutia est & à nobis supra refutata, neque Græcè est. fiet, sed γίνεται est, aut sit præsenti posito pro futuro, sicut statim dicit παραδίδοται traditur pro tradetur, aut tradi oportet, cuiusmodi exempla adnotauimus cap. 17. 11. 24.

Et filius hominis.) Loquitur de se, vt solet, per tertiam personam. Cur autem filius hominis appelletur c. 8. 20. exposuimus.

Tradetur, vt crucifigatur.) παραδίδοται traditur pro tradetur, aut tradi oportet, vt paulò antè docuimus, à quo tradendus sit, non dicit. Origenes autem, & D. Thomas in commentarijs monuerunt, & à Patre traditum esse. Rom. 8. 32. *qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; & à se ipso ad Galat. 2. 20. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, & ad Eph. 5. 2. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis*, & 25. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea*. & à diabolo Ioan. 13. 2. & à Iuda Matth. 10. 4. & 26. 16. & à Iudæis Matth. 27. 2. *Adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi*, & Marci 15. 1. *Vinctum Iesum duxerunt, & tradiderunt Pilato*. & Ioan. 18. 35. *Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi*, & à Pilato militibus, vt crucifigeretur. Matth. 27. 26. *Tunc dimisit illis Barabbam. Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur*. Diuerso tamen animo à diuersis traditus; à se, & à Patre, vt homines redimeret, à diabolo, vt redemptionem impediret, & tradentes ad peccatum incitaret; à Iuda auaritia, à Iudæis inuidia; à Pilato timore, ne non satis amicus Cæsaris videretur. Hæc placent, illud non placet, quod ijdem auctores sentient. propterea à Christum infinitè loquutum esse, qui expressisse à quo tradendus esset, vt omnes qui tradituri erant comprehenderet, non enim de omnibus, sed aut de solis sacerdotibus, Scribis, & senioribus, aut de illis simul, & Iuda loqui arbitror; sic enim solet, vt supra cap. 16. 21. & cap. 20. 19. Et verbo illo notatur, videtur culpam, & reprehensionem indicare, quæ in Iuda, & sacerdotibus maxima fuit. Poterat quis dubitare, quorsum hoc Christus discipulis diceret. Videtur suam diuinitatem probare voluisse; intelligebat enim se futura scire, cùm illi ipsi, qui tradituri erant, necdum scirent, quo tempore occisuri essent, & adhuc inter se altercarentur, *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*.

Vt crucifigatur.) Pœna tunc vsitata, & à Romanis introducta, vt c. 27. 35. explicabimus. Dicit tradendum esse, vt crucifigatur, quia in eum finem à Iudæis Pilato traditus est, clamantibus, *Crucifige, crucifige eum*. Iudæis illis enim præcipuè, vt paulò antè diximus, loquitur Christus.

3. *Tunc.)* Quid hoc aduerbio significetur non conuenit. Sunt qui putent sex dies ante Pascha significari, quòd eo tempore scribat Ioannes. cap. 12. 10. 19. principes sacerdotum conuenisse, vt de occidendo Christo deliberarent, quod si ita est, adhuc D
bum illud τότε *tunc*, non præcisè tempus illud, de quo Euangelista loquebatur, sed quod non longè aberat, significabit, quasi diceret, sub idem tempus. Probabilius est, quod vulgò credit Ecclesia, hoc Concilium biduo ante Pascha id est, eodem tempore quo Christus discipulis dicebat; *scitis, quia post biduum Pascha fiet*, coactum fuisse: videtur enim Euangelista cum dixit τότε *tunc*, punctum temporis indicare voluisse, vt significaret eodem tempore, quo sacerdotes dicebant, non oportere Christum in die festo occidere, Christum dixisse oportere, vt in die festo occideretur, vt appareret plus diuinum decretum, & Christi prædictionem, quàm Iudæorum consilia valuisse.

Congregati sunt principes sacerdotum.) Eodem loco Matthæus indicat. & vnum sacerdotem principem fuisse, & multos. quod cap. 2. 4. explicauimus. Græcè additur, quod Latinè non legitur τῶν εἷς ἀρχιερεὺς, & Scribæ, quos verisimile est Christum cum principibus sacerdotum, & senioribus populi conuixisse: quemadmodum de eadem re loquens Marcus 14. 1. & Lucæ 22. 2. coniunxit, & supra ca. 2. 4. Hi enim Iudæorum concilium conficiebant, principes sacerdotum, id est capita familiarum sacerdotalium cum summo sacerdote. qui simpliciter Princeps sacerdotum vocabatur; Scribæ, qui legisperiti erant; seniores populi, quasi tres Reipublicæ status, vt cap. 4. probauimus.

In atrium.) εἰς τὴν αὐλὴν in aulam, ad verbum. Itaque sunt, qui interpretentur in palatium Principis sacerdotum, quòd probabile esse non videatur clandestina consilia de homine sanctissimo occidendo in atrio, id est in ipso domus ingressu, & in loco aperto, ac iudiciali habita fuisse, & scribit Athenæus lib. 5. τὴν αὐλὴν Græcis regum palatia significare, sicut aula Latinis idem est, quod regia, & aulici, qui regiam frequentant. Noster interpres ferè semper atrium conuertit, vt hoc loco, & infra vers. 58. & 69. & Marci 14. 54. 66. & Lucæ 11. 21. & 22. 55. & Ioan. 18. 15. & Apocalyps. 11. 2. Multo meliùs, meo quidem iudicio, quàm si palatium conuertisset: nam ex versu 58. manifestum est locum illum, de quo Euangelista loquitur, quémque vocat αὐλὴν, non totam fuisse domum, aut magnam aliquam domus aulam, sed locum apertum in ipso aditu domus, quem Latini cortem appellant. indèque Galli *Court*; Itali, & Hispani *Corte*. Ait enim eo loco Matthæus, *Petrus autem sequebatur eum à longe vsque in atrium principis sacerdotum, & ingressus intro sedebat cum ministris, vt videret finem*: clarius etiam vers. 69. *Petrus vero sedebat foris in atrio*: atrium igitur erat foris, & Marci 14. 68. *& exiit foras ante atrium, & gallus cantauit*, & cap. 15. 16. *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij*, id est eduxerunt ab interiori domo, vbi Præses erat, in exteriorem cortem, vbi milites, & omnis populus promiscuè solebat esse. vt purpura induto illuderent. Ex loco etiam Apocalyp. 11. 2. apparet αὐλὴν, cortem domus fuisse. C

Qui dicebatur Caiphas.) Homo erat auaritissimus, & perditus, qui qua ratione ad summum peruenerit sacerdotium libro 18. Antiquitatum cap. 3. & 6. Ioseph. tradit.

4. *Et consilium fecerunt.)* καὶ συνεβουλεύσαντο. vnanimi consensu consilium ceperunt.

Vt Iesum dolo tenerent.) Clàm & fraudulenter, non aperta vi, quia timebant populum, vt Lucas ca. 22. 2. expressit.

Et occiderent.) Huc omnia eorum consilia rendebant; sæpè enim ante occidere tentauerant; quo autem modo id deliberauerint, Ioan. cap. 11. 47. 8. 9. 50. copiosius narrauit, *Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant, quid facimus? quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis, vos nescitis quicquam, neque cogitatis, quia expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Quanquam hoc consilium diuersum ab hoc, quod Matt. narrat fuisse arbitror: nam illud sex diebus ante Pascha habitum est, vt ex initio 12. cap. intelligitur, hoc autem duobus tantùm. vt diximus, ante Pascha diebus. Descripserat iam olim sapiens hoc impiorum consilium Sap. 2. 12. 13. 14. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. factus est nobis in traditionem cogitationum nostrarum*.

5. *Dicebant autem non in die festo.)* Dubium vtrum significare voluit antè an post diem festum occidendum esse. Qui putant eodem die, quo Christum, Iudæos Pascha celebrasse, sensum esse existimant, *non in die festo*, id est differatur vsque in post diem festum; sed postea nactus Iudæos Iudæ ad perditionem parati occasionem consilium mutauisse, quod versu 2. refutauimus. Qui postridie quàm Christum Iudæos Pascha celebrasse dicunt, meliùs explicare possunt, *non in die festo*, id est ante diem festum occidatur, vt supra probauimus. Diem verò festum quidam omnes septem azymorum dies intelligunt, quia omnes festi suo quidem modo dicebantur. Alij, vt mihi videtur, probabilius solum diem Paschæ simul & sabbathi, quibus diebus nemo accusare, condemnare, crucifigere licebat, ideòque merito timeri poterat, ne populus audaci, & nefario scelere incitatus tumultum moueret, quæ ratio alijs azymorum diebus locum non habebat.

Ne forte tumultus fieret.) ἵνα μὴ θόρυβος γένηται. fiat: verba enim sunt Iudæorum, non Euangelistæ. Quæri autem potest, cur timuerint, ne tumultus in populo excitaretur. Illud salua pietate credi potest nullo eos bono animo id timuisse, ne quis fortasse de populo in seditione periret, ne religio impediretur, sed ne sibi eriperetur concurrente ad diem festum infinita vndique hominum multitudine, vt Hieronymus, Beda, & Euthymius existimant. Vero simile enim erat in tanta multitudine futuros plures, qui in Christum credidissent, eúmque ex sacerdotum manibus eripere conarentur. Credo ego ipsos sibimet timuisse, ne concitatus populus in se irrueret, atque interimeret, quòd, quemadmodum ait Chrysostomus, & Theophylactus, laturus esse non videretur, vt die Paschæ, quo qui digni morte erant, absoluebantur. Christus innocentissimus ad mortem traheretur. Hoc enim metu sæpè iam aliàs manus ab eo abstinuerant, Marci 11. 18. & c. 12. 12. & Lucæ 20. 19. & 22. 2.

6. *Cum autem Iesus esset in Bethania.)* Vbi Bethania sita esset, & quantum à Hierosolyma distaret, supra docuimus. Incurrit autem in hunc locum vulgaris quæstio, & nostro præsertim tempore magnis scriptis voluminibus agitata, vnàne, an plures mulieres fuerint, quæ viuentem adhuc Christum vnxisse reperiuntur, vt hoc loco, & apud Marcum cap. 14. 3. & apud Lucam ca. 7. 38. & apud Ioannem c. 12. 3. Melius in partes distributa quæstio explicabitur. Tres igitur in vna quæstione sunt. Prima, an Simon ille, apud quem Christus apud Lucam prandisse, aut cœnasse dicitur, idem fuerit, atque hic, quem Matthæus, & Marcus, Simonem Leprosum vocant; Ioannes non nominat. Secunda, an eandem apud 4 Euangelistas fuerit mulier, quæ vnxerit Christum. Tertia, si eadem fuit, an idem fuerit factum, id est, semélne, an sæpius Christum vnxerit. Quod ad Simonem attinet, apud quem Christus cœnabat, D. Augustinus libro 2. de consensu Euang. c. 69. & Beda in commentarijs in c. 7. Lucæ, & Euthym. hoc loco putant duos fuisse Simones, alterum Pharisæum apud Lucam, alterum Leprosum apud Matthæum, quem Marcus, & Ioannes non nominauerint. Eorum rationes sunt, quòd factum illud, quod Lucas narrat, in Galilæa accidisse videatur; hoc autem, quod narrat Matthæus, Bethaniæ, id est propè Hierosolymam; deinde quod ille Pharisæus, hic leprosus cognominetur. Possumus hîc aliam adiicere rationem credibile non esse Simonem hunc de quo Matthæus loquitur, fuisse Pharisæum. cùm hoc instante Christi passione acciderit, quo tempore omnis Pharisæorum secta infensissima Christo erat; tantùm abest, vt Pharisæus conuiuio eū exceperit. Chrysostomus verò homilia in Matthæum 81. & Ambrosius libro 6. in cap. 7. Lucæ eundem Simonem fuisse credunt, quod ego paulò probabilius esse arbitror. Primùm, quod vterque eodem nomine Simon appelletur, quod etsi pluribus commune esse poterat, tamen aliquid est argumenti nomen idem. Deinde, quòd, vt postea probabimus, eadem fuerit mulier, quæ & apud Lucam, & apud Matthæum Christum vnxisse dicitur, quæ cùm tam liberè, tam sæpè in domum Simonis ad vngendum Christum in

Simones duo fuerint Christi hospites.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gressa sit, est vero similè fuisse Simoni, eiúsque domui familiarem, cúmque Bethaniæ habitaret, sequitur eundem fuisse Simonem; nam quod scribit Lucas; cum quo loco acciderit, non exponat, & hospitem Christi Simonem vocet, quemadmodũ & Matthæus qui id in Bethania factum dicit, ibidem etiam accidisse credendum est. Præterea probabile est Simonem illum, de quo scribit Lucas, cum primùm domo, & conuiuio Christum excepit, ita ab eo edoctum fuisse, vt illi postea familiaris fuerit, sæpéque postea Bethania itet habentem, aut hospitio, aut conuiuio honorauerit. De secunda quæstione contentiosiùs à multis disceptatur. Origenes tractatu in Matth. 36. probabile esse arbitratur quattuor diuersas apud quattuor Euangelistas fuisse mulieres, quæ vnxerunt Christum, quod mihi ne disputabile quidem videtur esse, cùm manifestissimum sit Matthæum, & Marcum, quasi eius abbreuiatorem, idem eodem loco, eodem tempore factum narrare: itaque de eadem loqui muliere; quare vt plures fuerint, non nisi tres esse potuerunt, vna, de qua Lucas; altera, de qua Matthæus simul, & Marcus; tertia, de qua Ioannes scribit: atque hanc ipsam opinionem Origenes amplectitur, itémque Theophylactus in commentarijs in c.7. Lucæ, & Euthymius hoc loco. Quorum nonnullæ etiam non omnino improbabiles coniecturæ sunt, quòd illa de qua Lucas, peccatrix appelletur; hæc, de qua Matth. & Marcus, non peccatrix, sed prophetica potius fuisse significetur. *Quid*, inquit, *molesti estis huic mulieri? mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit*, ver. 10. 12. Præterea illa apud Lucam longo ante passionem tempore Christum vnxit, vt ex his, quæ eo loco à Luca narrantur, intelligitur: hæc, de qua Matthæus, & Marcus, duobus tantùm ante mortem Christi diebus. *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*, ver. 2. Illa altera de qua Ioannes, sex diebus ante Ioann. 12. 1. Alij duas fuisse putant, sed quæ fuerint, inter se dissentiunt. Hieronymus hoc loco, & Bernardus in sermone de Maria Magdalena vnam illam fuisse putant, de qua scribit Lucas; alteram eandem, de qua Matthæus, Marcus, & Ioannes: illam Lucæ ab hac fuisse diuersam. Ita probant, quòd illa longè ante Pascha, & mortem Christi; hæc imminente morte vnxerit Christum: deinde quòd illa pedes tantùm; hæc pedes, & caput vnxerit, vt postea explicabimus. Hanc verò, de qua Matthæus, Marcus, & Ioannes scribunt eandem, & vnam esse ita docent, quòd eodem tempore, eodem loco vnxerit Christum. Chrysost. verò homil. 81. in Matthæum & 61. in Ioann. Leontius, & Theophylact. in cap. Ioan. 11. 1. mulierem, de qua Lucas, Matthæus, & Marcus scribunt, eandem; Eam verò, de qua Ioannes, diuersam fuisse putant hoc, opinor, argumento, quòd & Lucas, & Matthæus, & Marcus apud Simonem vnxisse dicant, quem, vt diximus, eundem fuisse putat Chrysost. Ioannes verò non apud Simonem, sed potiùs in domo Lazari, aut sororum eius vnxisse indicet, cùm dicat Martham ad mensam ministrasse cap. 12. 2. Alij vnam tantùm, de qua quattuor Euangelistæ meminerunt. fuisse dicunt, vt Augustin. libro 2. de consensu Euangelistarum c. 69. Gregor. homilia 33. in Euangelia, vt quidem videtur. Beda hoc loco, & in cap. 7. Lucæ; quod ego multo arbitror esse probabilius. Primùm, quod tacitus Ecclesiæ sensus in hanc partem inclinet. Deinde, quòd Ioannes cap. 11. 2. volens describere Mariam sororem Lazari, & Marthæ, *Maria autem*, inquit, *erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit capillis suis pedes eius*: quia descriptione minimè vsus fuisset, si plures fuissent mulieres, quæ pedes Domini vnxissent: nec enim lector, de qua ex multis loqueretur, intelligere potuisset. Omnia autem argumenta, etsi multa sunt, quibus plures fuisse probarut, minùs, quàm hoc vnum, habent ponderis; nam quòd illa de qua Lucas loquitur, longo ante tempore Christi pedes vnxerit, non eò valet, vt probetur diuersam fuisse mulierem, sed factum diuersum: quod non solùm concedimus, sed paulò etiam post probaturi sumus; quòd autem illa pedes, hæc caput vnxerit, aut nihil, aut idem probat; non semel eandem mulierem, sed bis vnxisse. Adde quòd etsi Lucas non expressit, credibile est illam etiam Lucæ mulierem Christi caput vnxisse; cùm enim, vt postea docebimus, consuetudo regionis fuerit in conuiuijs non pedes, sed caput vngere, credendum non est piam mulierem prætermisso capite, vnde incipiendum erat, solos vnxisse pedes. Et quidem apud Ioannem simile legimus exemplum. Nam cùm ex Matth. 26. & Marco constet eandem mulierem secundò instante Christi passione eius caput vnxisse, Ioannes non nisi pedes vnxisse dicit; nimirum, quia neminem putabat tam exigui fore iudicij, vt intelligeret pedes vnxisse, non caput; nominarunt ergo Lucas, & Ioannes eam partem corporis, quæ vngi non solebat, vtrex ea caterarum quæ vngi solebant, vncta etiam fuisse intelligeretur, & vt singularis charitatis, & studij erga Christum factum declararent, ideo eodem pertinet, quod dicunt capillis suis Christi pedes tersisse; id enim singulare erat, & insolitum fieri; hoc est, quod apud Lucam Christus Simoni obiicit cap. 7. 44. 46. *Introiui in domum tuam, oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos*, quasi dicat, tu mihi caput non vnxisti, quod vngi solet, hæc non solùm caput, sed etiam pedes vnxit, qui vngi non solent. Quòd autem illa apud Lucam peccatrix appelletur; hæc verò, de qua alij loquuntur Euangelistæ, non peccatrix, sed sancta fuisse videatur, non est argumentum fuisse diuersam, sed diuerso tempore diuersis fuisse moribus, vt rectè D. Augustin. & Beda respondent. Cætera, si quæ sunt argumenta, in tertiæ quæstionis explicatione dissoluentur. Quærebatur ante, an idem fuerit factum. Qui plures dicunt fuisse mulieres, plura quoque facta fuisse dicant, necesse est: qui vnam, vnum fuisse dicant, necesse non est; sed plerique tamen dicunt. Alij vnam fuisse, quæ ter vnxerit, primùm apud Lucam longè ante passionem, secundò apud Ioann. sex diebus ante Pascha, tertio apud Matthæum, & Marcum duobus tantùm ante passionem diebus. Alij vnam fuisse, quæ bis vnxerit; primùm apud Lucam longè ante, secundo apud Matthæum, Marcum, & Ioannem imminente Christi passione; ita sentit Ambrosius in cap. 7. Lucæ, & Augustin. lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 69. & Beda hoc loco, quam ego sententiam omnium probabilissimam esse arbitror. Vnam fuisse mulierem superiore quæstione probatum est, bis vnxisse probandum nunc est; quod ijsdem fermè rationibus probari potest, quibus alij diuersas fuisse mulieres probare solent, quòd tunc peccatrix fuerit, nunc sancta; tunc longè ante passionẽ, nunc instante passione. Adducunt alij, quòd tunc pedes tantùm, nunc caput, quasi tunc peccatrix indigna esset, quæ Christi caput attingeret, quod Augustin. & Beda solent dicere; sed hoc paulò antè refutauimus: probandum etiam est non sæpiùs, quam bis Christum vnxisse. vt existimare diximus quosdam. Id autem sic ostendimus, si ter vnxisset, aliud esset factum, quod Matthæus, & Marcus, aliud, quod Ioannes narrat: nam Matthæus, & Marcum idem narrare factum perspicuum est. At Ioannes non diuersum, sed idem factum narrat, quod ex multis circunstantijs apparet ex eodẽ loco Bethania, ex eodem vnguenti genere nardo pistica pretiosa.

De vna, vel tribus Magdalena quæstio celeberrima.

ex eadem

ex eadem Iudæ murmuratione, ex eadem defensione Christi; quis enim credat, si quattuor tantùm diebus antè eundem murmuratorem Christus reprehendisset, tam citò in facto omnino simili, si tamen non eodem, iterum fuisse murmuratorum: Duo tantùm sunt, quæ huic sententiæ non benè videntur conuenire, alterum quòd Ioannes scribat id ante sex dies Paschæ accidisse, Matthæus, & Marcus biduo antè Pascha; sed Augustinus, & Beda rectè respondent Matthæum & Marcum per ἀναχρονισμὸν loquutos esse, quia non seruato ordine temporum; cùm iam dixissent, *post biduum Pascha fiet*, resumpserunt, quæ sex diebus ante Pascha facta fuerant, quæque ipsi ante, quia necesse non erat, non narrauerant: nunc, quia necesse est, narrant; vt occasionem declarent, quam Iudas aucupatus est Christi vendendi, quòd auaritissimus esset homo, ægréque ferret non quidem vnguentum ex vase, sed vnguenti precium ex manibus suis effluxisse, quod Ioannes magis expositi c. 12. vers. 6. *Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Alterum iam à nobis explicatum est, quòd apud Matthæum & Marcum solum caput, apud Ioan. solos pedes ea mulier vnxisse videatur; vtrumque enim & caput, & pedes vnxisse diximus sed vt Augustin. ait, sæpéque apud Euangelistas vsu venit, Matthæus vnam partem, Ioannes alteram exponit. Cuius rei ratio etiam aliquo non improbabilis reddi potest; Ioannes non Christi passionem, sed totam historiam seruato ordine temporis exponebat, volebátque eius mulieris in Christum singularem charitatem explicare, propterea omissa capitis vnctione, quæ vulgaris erat, pedes, quod erat rarum, vnxisse dixit. Matthæus verò & Marcus non id agebant, vt mulieris singularem affectum commendarent; sed vt Iudæ declararent auaritiam, quæ eum ad vendendum Christum impulisset; de qua venditione, totóque passionis ordine dicere aggrediebantur, quam ad rem nihil attinebat dicere, vtrum mulier caput, an pedes vnxisset, ideo, quod fieri solebat, id tantùm dixerunt, vnxisse caput. Illud verò, quod ad rem maximè pertinebat, diligentissimè exposuerunt, vnguentum magni fuisse pretij; hoc enim Iudæ auaritiam, & cupiditatem accendit, quam illi volebant explicare. Summa igitur est, eundem fuisse Simonem, apud quem Christus bis conuiuio exceptus est, quem multi credunt à Christo inter alios leprosos à lepra fuisse purgatum. Theophylactus verò scribit nonnullos existimare illum fuisse eundem, apud quem Christus vltimam cum discipulis cœnam egit, sed hoc secundum vers. 18. refutabimus; vnam item fuisse mulierem, eámque Lazari, & Marthæ sororem, quæ Maria Magdalena dicebatur, vt ex Ioanne cap. 11. 2. colligitur, & de qua Christus septem eiecerat dæmonia Marci 16. 9.

In domo Simonis Leprosi.) Rectè Hieronym. & Beda monuerunt credendum non esse tunc Simonem fuisse leprosum; nec enim Christus ad eum diuertisset, certè in ciuitate ille non habitasset, cùm leprosi à cæterorum hominum consortio remouerentur: sed aliquando lepram habuisse, ex qua etiam iam curata leprosi nomen retinuisset. Dixi-mus modo quorundam esse sententiam illum prius à Christo curatum fuisse, quod eo est probabilius, quo plus ille caritatis erga Christum ostendit, quasi acepti beneficij memor. Illud autem mihi non videtur esse necessarium eum aliquando fuisse leprosum; poterat enim etiam si leprosus non esset, aut propter lepræ similitudinem, aut propter aliquem ex maioribus suis, qui lepram habuisset, leprosus cognominari, sicut videmus quosdam Rufos, quosdam Barbatos, quosdam Crassos appellari, cum nec illi rufi, nec illi barbati, nec illi tonsi sint. Quæri potest, cur neque Matthæus, & Marcus Pharisæum, neque Lucas leprosum appellauerit, id fortasse nullum habet operæpretium, sed coniectura aliqua est Lucam, cum prædicationis Christi initia narraret, personæ, à qua exceptus esset, qualitatem exponere voluisse, vt indicaret etiam inter Pharisæos fuisse nonnullos, qui Christo operam darent, Matthæus autem & Marcus, cum non id agerent, noluerunt Pharisæum, quod cognomentum illius non erat, sed nomen sectæ commune; at leprosum, quod eius cognomen erat, appellare.

Quid vnguenti alabastrum.

7. *Habens alabastrum vnguenti.*) Plerique alabastrum vas ex lapide alabastro factum interpretantur, quo vnguenta solebant asseruari, quòd ea materia fieri soleret, quæ humorem vnguenti diutissimè conseruaret. Plinium que auctorem citant libro 13. c. 2. & lib. 35. c. 8. Repugnat quod ait Marcus c. 14. & 3. *& fracto alabastro effudit super caput eius*; quo enim modo tam facilè confringere potuisset, si ex materia fuisset alabastri? Sunt qui dicant prius vnguentum effudisse, deinde fregisse vas, cum nihil iam in eo remanssisset vnguenti, quod mihi nullo modo probari potest; primùm, quòd Marcus ita loquatur, vt non obscurè significet prius fregisse vas, deinde vnguentum effudisse, atque ideo fregisse, vt vnguentum effunderet, ἢ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον κατέχεεν αὐτὸ κ.τ.λ. cum fregisset alabastrum effudit illi super caput. Deinde quia ratio ipsa docet propterea fregisse vas, vt copiosius vnguentum effueret, nihilque in vase remaneret; ea enim ratione abundantem charitatem pia mulier ostendit, quòd in vngendo Christo vsque adeo vnguento non pepercerit, vt vas etiam confregerit; ne quid, etiam si vellet, retinere posset. Nam, effuso iam toto vnguento quorsum obtecto vas confregisset? Seruasset potius, vt iterum in illud vnguentum infunderet. Credo ergo esse probabilius ex alia fragili materia fuisse vas factum, sed alabastrum appellarum, aut quia ex alabastro vnguentaria vasa fieri solebant, ita vt, etiamsi ex alia materia aliquando fierent, alabastrum dicerentur, aut quia ea erant forma, vt ansa carerent, qualibus etiam nunc myropolas, & pharmacopolas vti videmus; id autem alabastri nomen significat, vt Suidas adnotauit.

Pretiosi.) βαρυτίμου, grauis pretij, vt Latini etiam aliquando loquuntur, aut vt alij habent codices πολυτίμου, magni pretij, quemadmodum apud Marcum cap. 14. 3. & apud Ioannem c. 12. 3. legitur. Nec enim ad solam vnguenti qualitatem, sed etiam ad copiam referendum esse mihi videtur, vt non solùm sensus sit vnguentum adeo fuisse bonum, vt etiam parum magni pretij esset, sed etiam tanta copia effusum fuisse, vt magni esset pretij; quemadmodum Iudas in hac re optimus interpres dixit ver. 9. *Vt quid perditio hæc? potuit iste vnguentum vœnundari multo*; id Ioan. magis explicauit; dixit enim eam mulierem libram vnam vnguenti effudisse. Hunc esse sensum, vt credam, mouerunt verbis Marci, & Ioannis qui vtrumque dixerunt, vnguentum & pretiosum fuisse, & pisticum, si ita tamen libeat interpretari, vt pisticum, probatum significet, de qua re paulò pòst disseremus. Quod enim ad nardum, non ad vnguentum epithetum illud referatur, aut nihil, aut parum interest. Marcus, & Ioannes ita dixerunt, *vnguenti nardi pistici*, aut vt Græcè est, pisticæ pretiosæ, quod quia huic loco Matthæi coniunctum est, explicare obiter libuit. Nardus quid sit philosophi, & medici tradiderunt. Apud Plinium, & Dioscoridem, quicquid de ea re lector desiderabit facilè reperiet; illud ex sacris

De Nardo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam litteris intelligimus, niræ fragrantiæ fruticem fuisse Canticorum 1.12. *Donec esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*, & c.4.13.14. *Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorũ fructibus. Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomũ cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Nardum ergo pisticum ex loco πιστικὸν nonnulli esse putant, vt D. Augustinus tractat. 50. in Ioann. quod ideo à paucis receptum est, quòd nullum eiusmodi apud Cosmographos locum legamus. Communis, ac magis recepta interpretatio est, quam paulò antè attigimus, pisticum vocari nardum, quasi fidelem, probatam, non falsam, non adulterinam. πιστὸς enim fides est. Ita Eutyhmius, & Theoph. in commentarijs in cap. Marci 14. Suam cuique licet sequi sententiam, sed hæc mihi non placet. Primùm non πιστὴ, sed πιστὸ nardus appellanda erat, vt fidelis, vt probata esse significaretur. Deinde hoc ipsum nomen πιστὸ eo sensu nimis fuisset insolens, & inauditum; nec enim de rebus inanimis dictum vsquam legisse memini, præterea non nardus, sed vnguentum potiùs pisticum appellatum fuisset; non enim nardus, sed vnguentum myropolarum artificio, & auaritia corrumpi, & adulterari poterat: videmus autem Euangelistas vnguentum quidem pretiosum, nardum autem pisticum appellasse. Denique si idem esset vnguentum pisticum, quod probatum, & optimum, idem etiam esset, quod pretiosum; at Euangelistæ distinguunt, quasi aliud pisticum, aliud pretiosum sit. Autor ille, quisquis fuit, qui in Marcum commentarios scripsit, qui Hieronymi nomine honorantur, pisticum nardum interpretatur mysticum, quod vnguentum illud Christi, vt ipse ait, sepulturam significaret. Quod nescio an Euangelistis venerit in mentem. Propiùs accedit ad veritatem, quod nonnulli suspicati sunt apud Marcum, & Ioannem pro pistica legendum esse spicata; atque Beda quidem hoc loco, & in commentarijs in Marcum cap. 14. ita & legit, & interpretatur, neque alterius lectionis mentionem facit, quasi in omnibus tunc codicibus ita legeretur. At sensus quidem valde conueniret, si lectio constaret. Scribunt enim Plinius, & alij auctores medici, vt idem Beda adnotauit auctor multarum rerum scieus, & experiens, ex nardo duplex fieri vnguentum solere alterum ex foliis, alterum ex spicis, quas in summa parte frequentes habere dicitur, atque hoc secundum optimum esse, sed quia non iudico scripturam sine certis, firmisque coniecturis corrigendam, alia potius sententia, quàm alia lectio quærenda nobis est. Non pudebit in re bona auctoris mali. Obseruauit scriptor quidam minimè Catholicus ex Athenæo libro 15. & ex Plinio libro 15. c 1. duo fuisse olim in vsu vnguentorum genera, alia crassa, & solidiora, quæ non facilè funderentur, cuiusmodi hodie ferè sunt omnia, quæ vulneribus adhibentur: alia liquida, & quasi potabilia, quæ ad fundendum apta essent; hoc ergo Euangelistas significare voluisse vnguentum liquidum fuisse, & quasi potabile, propterea fundi in caput, & pedes potuisse, dictum igitur est vnguentum πιστικὸν ἀπὸ τοῦ πίνειν, quod est potare. Illud contra hanc interpretationem obiici videtur posse, quod ille non animaduertit, hac ratione non nardum, sed vnguentum pisticum appellandum fuisse, non enim nardus, sed vnguentum liquidum erat. Facilis responsio nardum pro vnguento ex nardo confecto positam esse, ac si diceremus vnguenti nardini pistici pretiosi. Consuetudinem autem inter Iudæos, & Orientales nationes fuisse, vt in conuiuijs celebrioribus qui inuitati erant, vngerentur cap. 6. 17.

Quid vnguentũ pisticum.

adnotauimus; huc enim Christus alluit, cum dixit: *Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum*, quasi dicat, finge te opiparè conuiuatum esse; hinc, quòd hæc eadem mulier, cùm bis Christum vnxerit, non nisi in conuiuio vnxerit; sic illud: quidam interpretantur, quod Psal. 22. 5. legimus; *Parasti in conspectu meo mensam, impinguasti in oleo caput meum*; & illud Psal. 140. 5. *Oleum autem peccatoris nõ impinguet caput meum.* Pendet enim est, ac si diceret; malo apud iustum malè tractari, quàm apud impium benè.

8. *Videntes autem discipuli.*) Eodem ferè modo Marcus scribit cap. 14. 4. *Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos*: itaque significare videntur duo hi Euangelistæ aut omnes, aut plures Apostolos ob vnguenti effusionem murmurasse; & quidem D. Augustin. lib. 2. de consensu Euan. c. 69. fieri putat potuisse, vt auctore, & duce Iuda, murmurationemque inchoante alij discipuli aut assensum præbuerint, aut ipsi etiam murmurauerint; alio tamen animo, quàm Iudas: illi pauperum caritate; iste auaritia. Non fuit hac interpretatione, quamuis paulò durione, contentus Caluinus; sed planè omnes Apostolos murmurasse dicit; eóque homo prudentissimus illustros appellat. Ex Ioanne c. 12. 4 solum Iudam murmurasse manifestum est. vt Chrysost. Euth. & Theophyl. Hieron. Augustin & Beda notauerunt. Quòd ergo alij duo Euangelistæ plurali vsi sunt numero, per syllepsim fecerunt figuram non raro ab illis vsurpatam, vt multis iam locis obseruauimus. quemadmodum c. 14. 15. Matthæus dixit discipulos Christi interrogasse vnde emere possent panes, vt turbam illam quinque millium hominum exsaturarent, Ioannes verò c. 6. 7. exponit solum Philippum id interrogasse. Clarissimum verò exemplum est, quod Matthæus cap. 27. 44. scribit latrones, qui cum Christo crucifixi erant, illi improperasse: *Si filius Dei es, salua temetipsum, & descende ex Luca c. 23. 39.* certum sit vnum tantùm latronem hoc fecisse, neque id, vt opinor, Caluinus negabit; nec enim tantam latroni, quantam Apostolis iniuriam volet facere; de quibus peius ferè vbique, quàm de latronibus loqui solet.

9. *Potuit enim istud.*) τοῦτο τὸ μέρος hoc vnguentum.

Et dari pauperibus.) Ioannes c. 12. 6. exponit, quo animo id Iudas dixerit; *dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Eodem nimirum animo quo Caluinistæ nunc murmurare solent in Catholicis Ecclesijs vasa argentea, & aurea, aliámque preciosam esse supellectilem; hæc enim pauperibus potiùs tribuenda, his pauperes ornandos, qui templum Dei viui sunt, quasi tunc templum Dei non fuerint; non igitur nos, sed Christus, & Ioannes illis respondeant.

10. *Sciens autem Iesus.*) Intelligens Iudæ verba, cogitationésque perspiciens, quantumuis clam, & circitè loqueretur, voluit enim Euangelista Christi diuinitatem insinuare, vt supra cap. 9. 4. *Et cum videret Iesus cogitationes eorum, dixit, Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* & c. 12. 25. *Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis, Omne regnum diuisum contra se desolabitur.* Hac ratione expressit Marcus discipulos intra se ægrè tulisse, & murmurasse; quasi dicat non verbis, sed animo id fecisse; nec enim sensus est, vt quidam hæreticorum putant interpretes, ἀφ' ἑαυτῶν, apud se, id est inter se alios cum alijs murmurasse, sed apud se, id est apud animum suum, quod ipsum solus, vt diximus, Iudas fecit, idque Christum fugere non potuit. Hoc ergo est, quod Matthæus dicit, *sciens autem Iesus.*

12. *Ad sepeliendum me fecit.*) Mortuorum corpora, antequam sepulturæ mandarentur, soluta fuisse apud Iudæos vnguentis, & aromatibus conditi constat ex Genesi cap. 50. 2. 26. & ex Marco cap. 16. 1. & Luc. cap. 23. 56. & 24. 1. & Ioann. cap. 19. 40. significat ergo Christus mortem suam adeò esse propinquam, vt mulier illa, quasi diuinans paulò post sepeliendum in sepulturam vnxerit, non quòd illa de ea re fortasse quidquã cogitauerit, sed quòd tam commodè vnxerit, vt ea de causa vnxisse videatur; significat etiam fortasse eam propterea se nunc vnxisse, quòd futurum esset, vt post mortem vngere non posset, quemadmodum Marcus cap. 14. 8. indicauit; *quod habuit, hoc fecit*, id est, quod potuit, & quã illi licuit, me ad sepeliendum de more, vnguentis condiuit; *præuenit, inquit, vngere corpus meum in sepulturam*: Ita, aut simili certè ratione, quod Ioannes scribit cap. 12. 7. intelligendum est. *Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud*, quasi dicat; quia, quo tempore sepeliendus sum, vnguentum non habebit (postea enim emerunt aromata, sine nunc eam vnguentum hoc in diem illum seruare; seruat autem, quia me nunc vngit, quod tunc factura erat; id clarius dictum est Græcè τήρησον αὐτὸ seruauit illud, id est ita collocauit vngendo me, vt perdere non posset quemadmodũ si pecuniam seruasse dicas, qui ea fundum emerit, quia perdere eam non potest; sicut si secum circumtulisset, aut in articula seruasset, perdere potuisset; expendendo igitur seruat. Voluit Christus mulieris factum, quod necessarium alioqui esse non videbatur, vsu, & consuetudine vngendi mortuos, pietatéque erga se excusare, simúlque illam murmuratori præferre, quòd cùm ille de se vendendo, illa de se vngendo, & quodã modo sepeliendo cogitaret, non quòd ipsa fortassis id intelligeret, sed quòd tacito quodam sancti Spiritus impulsu facere videretur; quare reprehendẽdum non esse factum, quod & per se pium, & mortuo necessarium esset, & ex Spiritus sancti incitatione proficisceretur. Queri à quibusdã solere videos quid sit, quòd Christus has delicias, à quibus tota eius vita, totaque doctrina tantopere abhorrebat, admiserit. Chrysostomus homil. 81. in hunc locum eiusmodi factum fuisse putat, vt si Christus consultus fuisset, ante admissurus probaturúsque non esset, factum tamen iam excusauerit. Id mihi non placet, & quia ita Christus defendere factum videtur, vt etiam si ante consultus fuisset, approbaturus fuisse videatur; & quia antequam mulier vngere inciperet, ignorare Christus non potuerat, quid factura esset; nec illam tamen auertit, quia iam alias apud Lucam c. 7. 38. vngi se ab eadem mulierem permiserat, & factum non recusauit modò, sed etiam laudauit; eamque ob rem peccata mulieri dimisit. Admisit ergo Christus delicias, non quia deliciæ, sed quia caritatis officia erant. Colligit ex hoc loco Caluinus non esse hoc factum ad exempli imitationem vsurpandum, vt neglectis pauperibus in res alias pias bona nostra consumamus; quòd factum non ordinarium fuerit, sed singulare. Dolet adhuc, vt opinor, illi vnguentum illud effusum. Pauperes igitur semper habebimus nobiscum, qui negligendi non sunt, sed minùs delicatè, & honorificè tractãdi, quàm Christus. Neque singulare factum est, quod intra tres annos ab eadem muliere bis repetitum est, neque imitandum non est, quod caritatis & pietatis, & semper multis à Christo laudibus celebratum. Alius ex aduersa hæreticus colligit licere hominibus pijs, & religiosis vti deliciis, quando Christus vsus sit, hic se, alióque nouos Euãgelij Ministros excusare, opinor, voluit, delicati enim homines sunt. Nos duo colligamus, alterum, quamuis, quod paupertibus sit, Chri-

stus sibi factũ putet, vt cap. 25. 40. testatus est *Quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*: magnum tamen inter ipsam Christi personam, & pauperum esse discrimen, maiorisque esse meriti, ac pietatis Christum ipsum aut vestire, aut alere, quàm pauperes, vt etiam Theophylactus hoc loco notauit. Iterum est multa esse, quæ hæreticorũ, & prophanorum hominum iudicio absurda, ac ridicula videantur, Christi verò iudicio pia, & charitatis plena sint, qualia sunt ornamenta, quæ in Christi honorem instituta in Ecclesijs nostris hæretici rident, quẽadmodum solebant olim Gentiles deridere, quod idem Theophylactus indicauit.

Euangelium pro Euangelica historia.

13. *Amen dico vobis vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium.*) Hæc Euangelica historia; quod in præfatione ad quatuor Euangelistas monuimus singulare esse; nec enim alium locum, quàm hunc, & illũ Marci 14. 9. reperimus, vbi nomen Euangelij pro Euangelica historia vsurpetur.

Dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius.) Ipsius mulieris, id est huius mulieris, memoria, & laus, vbicumque Euangelium prædicatum fuerit, celebrabitur, omnes enim factum eius egregium collaudabũt. At mihi quidem vnius Iudæ murmurationi, atque reprehensioni totius orbis terrarum iudicium defensionem, & laudem opponere videtur, quasi dicat; quod tu malignè reprehendis, omnes omnium sæculorum homines magnis laudibus celebrabunt. Nimirum hoc illud est, quod iam olim Dauid Psalm. 111. 7. dixerat, *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit*, id est nemo de illo malè loquetur, & Salomon Prouerb. 10. 7. *Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.*

14. *Tunc abijt.*) Auctores quidam aduerbium, *Tũc*, ad sex dies ante Pascha referri volunt, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthym. quo tempore mulier illa vnxerat Christum, vt scribit Ioannes cap. 12. 2. 3. Alij ad biduum ante Pascha, quo tempore diximus versu 3. principes sacerdotum, & seniores populi in concilium conuenisse, vt de perdendo Christo deliberarent; sic Beda; atque hæc magis in Ecclesia vulgata sententia est. Quamquam argumẽtum, quod à nonnullis, vt id probent, afferri video, quòd Ecclesia olim consueuerit quarta feria ieiunare, quia eo die Christum Iudas vẽdiderit, me non mouet; nec enim eam ob causam, sed propter concilium, quod principes sacerdotum ad occidendum Christum eo die cõgerant, vetus Ecclesia ieiunabat, vt Augustinus epistola 86. & Theophylactus in cap. Marci 14. docuerunt. Illud me magis mouet, quod Matthæus scribit versu 16. *Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet*; inde enim apparet aliquot antè Pascha diebus Iudam cum Iudæis de Christi venditione conuenisse; quæ sola ratio impellit me, quo minus credam venditionem ipsa nocte, qua Christus supremam egit cœnam; aut non multo ante noctem factam fuisse, quia antè Christus non erat Hierosolymæ, sed Bethaniæ, & non videtur esse credibile Iudam ex Bethania dimisso cum alijs Apostolis Christo ad tractandam venditionem venisse Hierosolymam, ne, dum Christum prodere volebat, cõsilium suum proderet; sed tamen quia Matthæus, & Marc. apertè dicunt ex eo die; quo Iudas pretium cum Iudæis constituerat, opportunitatem tradendi eius quæsiuisse, necesse est, vt credamus aliquot diebus ante Pascha constitutum fuisse pretium, quibus omnibus diebus opportunitatem quæsiuerit. Cæterum duobus diebus potiùs, quàm sex id factum esse, vt magis est vulgò receptum, ita est probabilius; quia, vt supra diximus, duo diuersa fuêre concilia; illud de quo Ioannes cap. 11. 48. &

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap.12.19. & hoc, de quo Matth. hoc cap. versu 3. & Marcus cap.14. scribunt. In concilio illo apud Ioan. constituerunt expedire, vt Christum occiderent, auctore summo sacerdote Caipha: in hoc apud Matthæum, & Marcum non ipsa consultabant an occidendus, sed quomodo occidendus esset: itaque certum inde sumitur argumentum nondum illis dixisse Iudam, quod Matthæus scribit infra versu 15. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Si enim dixisset non iam de modo præhendendi Christi in concilio disceptassent, sed conditionem à Iuda oblatam libenter accepissent; sicut Marcus cap.14.11. & Lucas cap.22.5. dixerunt principes sacerdotum audito Iuda gaudisos fuisse, pactosque pecuniam illi dare. Probabile ergo est eodem die, quo principes sacerdotum secundum concilium coegerunt, vt de modo capiendi Christi deliberarent, Iudam, cum id odoratus esset, ad eos venisse, operámque suam promisisse, vt auctores quidam vulgò tradunt.

Vnus de duodecim.) Hoc ideo dixisse videtur Euangelista, vt sceleris magnitudinem indicaret, quòd cum vnus ex duodecim esset Apostolis, Christoque domesticus, quo tempore mulier, & externa, & non ita multo ante peccatrix singulari pietatis, & caritatis officio Christum prosequebatur, ipse vendiderit. vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius admonuerunt.

Qui dicebatur Iscariotes.) Duo expressit nomina Iudæ, ne cæteris Apostolis faceret iniuriam, si non nominasset; reliquisset enim lectorem dubium, & de alijs, qui innocentes fuerant, suspicandi occasionem præbuisset; Iscariotis verò, vt ab altero distingueret Iuda ipso etiam Apostolo, qui Iacobi cognominatus est, Lucæ 6.16. Ita Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus. Cur autem Iudas Iscariotes vocatus sit, cap. 10.4. docuimus. Lucas cap.22. scribit Satanam in Iudam intrasse; quòd non ita intelligendum est, quasi corpus eius occupauerit, vt solet Energumenos possidere; sed quòd pessimam illi in animum cogitationem iniecerit Christi vendendi, vt Euthymius eo loco, & Didymus libro 3 de Spiritu sancto exposuerunt, quod ipsum apparet ex Ioanne cap.13.2. *cum*, inquit, *Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas*, intrasse igitur Satanam in Iudam, quod ait Lucas, nihil aliud fuit, quàm immittere in cor eius, vt traderet Christum, quod ait Ioannes. Quid ergo? nonne vt furaretur, quæ in loculos mittebantur, & vt alia admitteret eiusmodi peccata, Diabolus illi in animum inspirabat? Inspirabat sanè, vt vero simile quidem est. Cur ergo tunc in illum intrasse non dicitur? Videtur mihi Lucas summam sceleris impietatem, fœditatémque insinuare voluisse, quasi diceret apertiùs tam sceleratum fuisse facinus, vt non nisi Satana in illum intrante patrari potuisset, propterea non dicitur Satanas in illum intrasse, cum alia leuiora peccata committebat, quamuis incitante Satana committeret; sicut nos vulgo, cum aliquem peccantem humano, & vulgari modo videmus, dicere solemus Diabolum eum decepisse, cum autem mulla, & inaudita scelera patrare animaduertimus, Diabolum incarnatum appellamus; quia ea, nisi Diabolus esset, facere non posset. Hinc illa soluitur quæstio, cur, cùm nunc dicat Lucas Satanam in Iudam intrasse, Ioannes cap.13.27. non nisi postquam in vltima cœna buccellam à Christo porrectam accepisset, intrasse dicat. Nec enim nunc, nec tunc, re ipsa intrauit; inspirando autem, & ad summum scelus incitando, & tunc intrauit, cum Iudæ persuasit, vt venderet, & tunc, cum incitauit, vt venditum traderet; sed Lucas ad vendendum, Ioannes ad tradendum intrasse dixit,

quia maius erat scelus tradere, quàm vendere. Illud certè constat vnum Euangelistam alteri non repugnare, vt Beda, & Euthymius, Lucæ 22. exposuerunt. Hinc nouorum Euangelistarum dementia deprehenditur, qui quod veteres, verique Euangelistæ auctore, impulsore que diabolo Iudam fecisse tradunt, auctore Deo fecisse dicunt. Eorum enim vbique decantata verba sunt, non minùs Dei opus fuisse Iudæ proditionem, quàm confessionem Petri, hoc est, vt vno dicam verbo, Deum diabolum facere. Non non auctore, non impellente, non incitante; sed permittente Deo Iudam Christum dicimus vendidisse. Sententia enim Iacobi sententia, quæ falsa esse non potest, *Deus tentator malorum est*, cap.1.13.

Ad principes sacerdotum. Lucas cap.22.4. addit, τοῖς στρατηγοῖς adduces, quos paulò infra v.52. idem Lucas distinguit à principibus sacerdotum, & senioribus populi, vocátque στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ duces templi, id est, præfectos, qui templo præerant, quosque verò simile est aliquos sub se ad custodiendum templum ex sacerdotibus milites habuisse; ideoq; duces appellatos: nam alium tunc militarem magistratum Iudæi dura à Romanis seruitute pressi exercere non poterant.

15. *At illi constituerunt ei triginta argenteos.*) Cap.26. 28. de argenteis Iudæorum nummis disputauimus, variáque apud eos argenteorum genera fuisse diximus; denarium præsertim, & siclum; siclum aureum, sicut omnia alia pondera, duplicem fuisse; præpeanum, qui minor; sacrum, qui maior erat, nemo non nouit scriptura id sæpe indicante. Erant & apud Romanos, in quorum tunc Iudæi potestate vitebant, nummi aliquod argentei, sed credendum est Matthæum hominem Hebræum, & Hebraicè Euangelium scribentem, de Hebraica pecunia loquutum esse, dixisseque שלשים כסף: vocant autem Hebræi כסף ipsum infectum argentum, & percussum, & omnem pecuniam, cuiuscumq; metalli sit, sicut Galli & omne tallum, & argenteam pecuniam, & non argenteam etiam, quia maior pars ex argento fieri solet, eodem nomine argentum appellant. Sed cum aliquod immerale nomen adiungitur, neque metallum, neque omnis pecunia, sed genus aliquod argenteæ monetæ significatur. Ea autem erat duplex; denarius, quem etiam Hebræi mutuati à Latinis nomen דנר vocare solent; & siclus, quem, vt opinor, quia grauioris ponderis שקל, id est pondus appellauerunt. Illud autem obseruamus vix vnquam, cum nomen כסף argentei pro argentea moneta ponitur, nisi monetæ genus exprimatur, aliud, quàm siclum significare; itaque Chaldæus paraphrastes, vbicumque fere Hebraicè est nomen כסף cum nomine numerali, siclum solet vertere, vt Gen. 37.28. & 45.22. & Iudicum 16. 5. & 17.2.4.10. & 2. Regum 18.11.12. & 4. Regum 6.25. & Isai 7.23. Aliàs verò, sicut noster Euangelista, solet vertere ἀργύριον argenteos, vt Iudicum 17.4.10. & Zach.11.12. id etiam apparet ex Iosepho lib.3 antiquitatum cap.9. & lib.9. cap.2. vbi quæ de argenteis lib.4. Reg.c.6.15. scripta sunt, quæ ipsorum etiam auctores in lib. Misnioth tradiderunt, de siclis interpretantur. Constat ergo ex Hebræorum consuetudine argenteos, de quibus Matthæus loquitur, cùm aliud monetæ genus non nominet, fuisse siclos. Siclum autem argenteum supra docuimus Frácum vnum Gallicum, id est viginti solidos argenteos pependisse. Obolus enim solido Gallico æqualis erat, & siclum viginti habuisse obolos multis scripturæ locis manifestum est, Exodi 30.13. Leuit. 27.25. Num. 3.47. & 18.16. & Ezech. 45.12. Erat enim siclus quadridrachmus, vna autem drachma, vt diximus, quinque solidos Gallicos, id est,

regalem

regalem vnum Hispanicum continebat; itaque quatuor drachmæ viginti continebant solidos, qui Francus Gallicus, & libra Turonensis appellatur; quod sicta est Christus triginta Francis Gallicis, id est decem nummis aureis solaribus venditus est. vt nunc quidem aurei, cum hæc scribimus, æstimantur; quo tempore aureus tres valet Francos. Obiiciet aliquis non potuisse eam exiguo pretio agrum in peregrinorum sepulturam emi, quem Matthæus cap.27.7 pecunia, qua Christus venditus fuerat, emptum fuisse scribit. Respondeo nunc fortasse emi non posse, cùm multo cariores omnes res sunt; tunc verò, cum viliores erant, potuisse; nam & Hieremiam cap.32.9. agrum septem slateribus, & decem argenteis emisse legimus, quod multò minus erat pretium; nam stater quattuor habebat drachmas, vt cap.17.27. docuimus. Itaque septemdecim francis Hieremias agrum emit, vix sex aureis nummis. Scriptor Scholasticę, quam vocant, historiæ, & alij nonnulli vulgares auctores sine vllo testimonio, aut probabili coniectura tradiderunt, triginta hos argenteos trecentos fuisse denarios, non alio argumento, quàm quòd consentaneum ipsis videretur, ne Iudas effusi vnguenti damnum faceret: dixerat autem potuisse vnguentum illud trecentis vænire denarijs, quos cum furari non potuisset, ex Christi venditione voluerit, quasi perdidisset, recuperare. Minùs etiam probabiliter alij hos triginta argenteos triginta tantum denarios valuisse dicunt, quòd soleret Iudas deimam partem eorum, quæ in loculos mittebantur uffurari, & voluerit ex venditione Christi, quod ex recentis denarijs, quibus vnguentum æstimauerat, uraturus erat, recipere. In sacrarum litterarum interpretatione, cum certa non habemus argumenta, probabilibus, & sagacibus coniecturis vti nobis licet; figmentis non licet, nec est vanitas scripturarum grauitati iungenda. Mouere aliquem potest, quòd Ioseph, qui Christi figura erat, viginti tantùm argenteis venditus fuerit, Genes. 37.28. Non in eo figura veritati similis est, quòd eodem pretio, sed quòd, vt Ioseph à fratribus suis, ita etiam Christus à discipulis. id est ab vno ipsorum vēditus fuerit; pretium æquale esse non oportebat; nec enim par fuit, vt Hieronymus ait tanti, quanti dominum, seruum vænire. Itaque auctores quosdam vulgares miror scribere solere Ioseph triginta etiam argenteis venditum fuisse, quod ita in nonnullis corruptis codicibus legerint, cùm & Hebræi, & Septuaginta, & nostri quoque emendati codices viginti tantùm legant; idque Hieronymus hoc loco, & in quæstionibus in Genesim admoneat. Suspicio mihi aliqua est ex Zacharia cap.11.12. vitium in locum Genesis immigrasse, *& appenderunt mercedem meam viginta argenteos.* Sed Zacharias de Christo, non de Iosepho loquebatur.

17. *Prima autem die azymorum.*) Quæ in hunc locum dici poterant, partim ver. 2. à nobis dicta sunt, partim sequenti versu dicenda.

18. *Ite in ciuitatem.*) Duo hinc colligi possunt, alterum, Christum, cùm hæc diceret, nō Hierosolymæ, sed aut Bethaniæ, vbi duobus præcedentibus diebus fuerat, aut in via fuisse; nec enim dubium est, quin ciuitatē Hierosolymam intelligat, ad quam, cùm discipulos mittat, nondum ipse peruenerat; alterum est id, quod præcedenti versu dictum est, *prima autem die azymorum*, non ita esse intelligendum, quasi dies iam azymorum esset, sed quasi iam appeteret. si enim azymorum dies inchoata fuisset, nimis serò ad parandum Pascha discipulos, præmisisset, & v. 20. indicat Euangelista nondum vesperam aduenisse; cum Christus discipulos misit; *Vespere autem facto discumbebat cum discipulis suis*, & Lucas cap.22.14. *& cum facta esset hora discubuit*, quasi prius facta, non fuisset, cum discipuli in vrbem ad parandum Pascha venerunt. Quos discipulos Christus præmiserit, Lucas exponit cap.22.8. *Et misit Petrum, & Ioannem dicens, Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus.*

Ad quendam.) πρὸς τὸν δεῖνα, ad certum quendam; significatur enim ea phrasi homo quidam certus, qui tamen non nominetur. sicut Hebrei dicunt, פלוני אלמוני, quemadmodum D. Hieronymus adnotauit, & Hispani ex Hebræis, vt opinor, qui olim in Hispania frequētes erant, nomen mutuati dicunt *fulano*, cum aliquem non nominando designare volunt, sicut Itali *vn cotal*, Galli *vn quidam*. Vtrum autem hæc verba Christi an Euangelistæ sint, nonnulli dubitant; ego Euangelistæ esse non dubito; nec enim Christus dixisset, Ite ad quemdam, quod neque Hebræi, neque Græci, neque Latini ita loquantur, quemadmodum ridiculus esset, qui Gallicè diceret, *Allez vous en à vn quidam*. Verūm siue Christus hominem nominauerit, siue, vt paulò post probabimus, non nominauerit, sed certis designauerit indicijs, Euangelista nominare noluit, & tamen voluit significare Christum discipulos non in incertum ad quemuis, sed ad certum quendam hominem, quem illis descripserat, præmisisse. Si autem, quod probabilius est, Christus hominem non nominauit, idipsum Euangelista insinuare voluit, cum dixit, dixisse Christum, *Ite ad quendam.* Quòd autem non nominauerit, ex descriptione, qua vsus est, colligi potest. Marci 14.13.14. *Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum, & quocunque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit, vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem?* & Lucæ 22.10. *Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum.* Si enim Christus hominem nominasset, quid ista descriptione opus erat; vno verbo dixisset, ite ad Petrum, aut Paulum. At cur non nominauit? Hieronymus, & Beda respondent, vt nemine nominato, omnes homines inuitatos se esse intelligerent, vt cum Christo nouum Pascha celebrarent. Origenes verò tractatu in Matthęum 35. & Hilarius can 30. quòd nondum Christianum nomen auctoritatem tunc, vsúmque obtinuisset, quod gerere eos oporteat, qui ad sacrum Christi corpus accedant. Hæc allegorica sunt. D. autem Ambrosius in cap. Lucæ 22. *Ideo*, inquit, *sine nomine designatur, vt pauper, & ignobilis æstimetur*, quasi Christus non diuites, & nobiles, sed pauperes eligat, vt sua cum illis mysteria communicet. Repugnat, quod apud Marcum 14.15. & apud Lucam 22.12. Christus ait, *& ipse ostēdet vobis cœnaculum magnum stratum*, quale homo pauper habere non potuit; stratum autem dicit, non quòd pauimentum aut lapidibus, aut lateribus stratum esset, sed quòd aut tapetibus vestitum, aut mensis paratis ad cœnādum ornatum, vt apparet ex Marco, apud quem in plerisque Græcis codicibus legitur ἐστρωμένον, ὕπαιθρον stratum, paratum, quasi secundum verbum ad explicandum primum additum fuerit. Euthymius propterea Christum hominem illum non nominasse arbitratur, ne Iudas sciret, apud quem Pascha celebraturus esset, & insidias illi pararet. Magis mihi Chrysostomi coniectura placet homilia 82. propterea non nominasse, quòd ignotus esset, sicut lib.1. Reg. cap.10.3. Samuel Sauli dicit, *Cumque abieris inde, & vltra transieris, & veneris ad quercum Tabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius lagenam vini.* Tamen hęc ipsa omnino non placent, quia ex verbis sequentibus apparet hominem non solùm fuisse notum, sed etiam discipulū, & aliquo modo familiarē Christi. *Magister*,

inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit, *Adest, tempus meum prope est.* Cum enim magistrum se appellari vult, discipulũ esse indicat; & cum mortis suæ tempus illi declarat, familiarem. Itaque probabilius esse arbitror propterea Christum hominem non nominasse, vt in aliis rebus, quàm nomine describeret, eaque ratione clariùs diuinitatem suam ostenderet. siue quòd ignotus homo esset; si enim dixisset, ite ad Petrum aut ad Paulum, nihil singulare supra cæteros homines ostendisset; cum autem dicit, *ingredientibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans*, declarat se futura præscire, & omnia esse diuino cõsilio ad mortem suam quodammodo præparata, ita vt Deus hominẽ illum ad fontem hauriendæ aquæ causa ideo misisse videretur, vt discipulis occurreret, eósque in eam domum duceret, in qua omnia ad agendum Pascha parata essent, ne quid aut mortem Christi, aut Paschæ celebrationem retardare, & diuinum decretum impedire posset. Quis autem homo ille fuerit, curiosum est quærere, tamen curiosum non est propositã ab alijs quæstionem ideo disputare, vt multorum curiositati ponatur modus. Multi enim auctores multa de hac re parum firmis coniecturis comprobata tradiderunt. Nicephorus lib 1. cap. 28. hominem illum inquilinum ædium Ioannis Euangelistæ fuisse putat, quas ædes à Caipha in monte Sion Ioãnem emisse dicit datis amplis, quas in Galilæa habebat, facultatibus; idémque alios nonnullos auctores sentire asserit. Quo quæso argumento? Theophylactus verò quosdam air existimasse eum fuisse Simonem leprosum, apud quem sex ante diebus Christus cœnasse dicitur, eúmque patrem fuisse Lazari. Magis etiam alienum hoc est, Simon ille non Ierosolymæ, sed Bethaniæ habitabat; Christus verò non Bethaniæ, sed Ierosolymæ Pascha celebrauit. Refutabimus, quæ speciem nullam habẽt veritatis; sed quis homo ille fuerit cogendi non sumus dicere: nec enim Euangelistis, qui eum nominare noluerunt, sapientiores simus, sed si sequamur, quò veritatis ducit similitudo, probabile nobis videtur esse Iudæum aliquem fuisse hominẽ diuitem, & nobilem, qui in Christum crẽdidisset, illique esset familiaris, sed occultè tamen, qualem Iosephum ab Arimathæa, & Nicodemum fuisse legimus Ioann. 19. 38. 39. Itaque si quis aliquem ex illis fuisse suspicetur temerarium non iudicauerim, modò suspicetur, non affirmet; nam cœnaculũ magnum, & bene ornatum ostendit non plebeium fuisse hominem; quòd Christus *Magister* illi appellatur, indicat fuisse discipulum; quòd iubet illi dici, *tempus meum prope est*, declarat fuisse familiarem.

Quis fuit apud quem Christus Pascha celebrauit.

Magister dicit.) Videtur Christus hoc nomine auctoritatem suam, cui nemo potest resistere, declarare voluisse; quasi dicat, Deus dicit; sed Magistrum se potius, quàm Deum aut Dominum vocat, quia tanquam homo cum hominibus loquebatur, sicut eadem vsus auctoritate cum discipulos ad soluẽdum pullum mitteret, dixit, *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos*, supra cap. 21. 3. Euentúsque postea docuit, quantum hoc nomen momenti habuisset, quia simul atque Dominum discipuli nominarunt, domini pulli eos dimiserunt. Marci 11. 6. & Lucæ 19. 31.

Tempus meum prope est.) Sunt qui putent his verbis Christum excusare voluisse, quòd ante aliorum Iudæorum tempus Pascha celebraret, quasi dicat se ad præueniendum Paschæ tempus imminentis mortis necessitate cogi. Probabile hoc est. & nostram de Paschæ Christi ante alios Iudæos celebratione sententiam confirmat; sed illud etiam fortasse probabilius, Christum his verbis amicitiam erga hominem illum, & familiaritatem declarare voluisse, quòd ex hoc mundo abiturus vltimam apud eum cœnam eámque non inuitatus, sed familiarissimorum amico rum more sponte sua agere voluerit. Quòd autem dicit mors mea, sed *tempus meum prope est*, hanc vim habere videtur, vt Christus ostendat se nec temerè, & casu, nec Iudæorum vi, aut arte eo tempore moriturum esse, sed quia tempus illud ad moriendum constitutum sibi à patre erat, hoc est tempus meum, id est, quod constitutum mihi est, vel quo mori decreui.

Apud te facio Pascha.) id est, facere decreui, phrasis Hebræa vtitur, vt apud Ioannem cap. 21. 3. *dicit ei Simon Petrus, Vado piscari*, id est decreui. *dicunt ei Venimus & nos tecum*, id est, venire volumus. qua phrasi etiam Latini aliquando vti solent, vt ad Serenum Senecam. *Si negas acceptaturum iniuriam, id est, neminem tentaturum facere, omnibus relictis negotijs Stoicus sto.* lib. 2. de tranquillitate vitæ.

Cum discipulis meis.) Hoc ideo Christus adiicere videtur, vt patremfamilias admoneat, tredecim hominum mensam paret. Vnde etiam coniectura aliqua sumi potest hominem illum familiarem fuisse Christi, cùm sciret, quot discipulos secum haberet.

20. *Vespere autem facto.*) Eodem modo Marcus scripsit. Propterea autem vesperæ tempus expresserunt, vt indicarent Christum tempore à lege præscripto Pascha celebrasse; iubebat enim lex Exodi 12. vt inter duas vesperas agnus immolatus ederetur, id est, inter occasum Solis decimæ quartæ diei, & nonam decimæ quintæ, quemadmodum supra versu 2. explicauimus D. Lucas eodem consilio dixit, *& cum facta esset hora*, id est, cum sol occubuisset. Nã aliter Solis occasum Christum agnum edisse, dicunte bis errare mihi videntur, & quia contra legem loquuntur, quæ inter duas vesperas agnum comedi præcipiebat cum azymo pane, qui ante Solis occasum incboata iam die decimaquinta, id est, prima azymorũ die non edebatur. Deinde quòd cùm velint hac ratione efficere, vt Christus eodem tempore mortuus sit, quo agnus comedebatur, id est inter Meridiem, & Solis occasum, efficiunt, vt non solũm non eadem hora, sed ne eodem quidem die mortuus sit: quæ eorum opinione die decimaquarta inter Meridiem, & occasum Solis agnus edebatur, cum Christus die decimaquinta mortuus sit, non eodem mortuus est die.

Discumbebat.) *ἀνέκειτο*, propriè recumbebat: cuius verbi proprietate moti auctores quidam sunt, vt existimarent hoc non de agni esu, sed de cœna, quam eso iam agno Christus egit, esse intelligendum: quia etsi lex Exodi 12. 11. disertis verbis non præcipiebat, vt Iudæi stantes agnum ederent, tamen colligebant ex lege: *Sic*, inquit, *comedetis illum, renes vestros accingetis, & calceamenta vestra habebitis in pedibus, & comedetis festinanter: est enim Phase, id est transitus Domini.* Ita enim comedẽtes agnũ describit, vt vix intelligi possint non stare; quorsum enim accincti renibus? quorsum calceati? quorsum nixi baculis? quorsum festinantes ad significandam transitus celeritatem esse iuberentur, si non starent, qui vnus habitus multo clariùs, quam reliqua omnia festinationem præ se ferebat? Nemo enim magis festinare indicat, quàm qui ne ad sumendum quidem necessarium cibum sedet. Sic videtur Euthymius interpretari, cui data venia est aliorum ingredienti vestigijs; Caluino, & alijs hæreticis interpretibus danda non est; qui cum magno sibi esse iudicio videantur, non viderunt verborum continuationem pati non posse, vt de alia cœna, quàm de ea, qua agnus come-

debatur.

debatur, intelligamus; *& fecerunt*, inquit Euangelista, ver. 19. 20. *discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Deinde Ioannes cap. 13. 12. *Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterum, dixit eis.* Præterea Matthæus infra ver. 26. quasi de alia cœna loquens, quàm de ea, qua agnus esuis erat; *cœnantibus*, inquit, *eis accepit Iesus panem*, & Lucas cap. 22. 14. *& cum iam facta esset hora, discubuit*, vbi certum est eum de esu agni loqui; proterea enim horã notauit, quia agnus certo, statóque tempore comedendus erat. De cœna igitur agni dixit *discumbere* recubuit, sicut hoc loco Matth. *discumbebat*. Absurdius etiam est, quod alij quidam hoc & alijs nihilo grauioribus argumentis inducti, vt Theophylactus, & Euthymius referunt, putauerunt Christum agnum eo anno non comedisse: quod, cùm omnes Euangelistæ tam apertè testentur eum Pascha manducasse, refutatione non indiget. Quod ergo Euangelistæ dicunt Christum ad edendum agnum recubuisse, non ita accipiendum est, quasi re vera aut seminderit, aut cubuerit; credendum enim est, vt Chrysostomus ait omnes eum legis ceremonias perfectissimè seruasse, maximéque hanc ipsam, vt stans Paschalem agnum ederetis cum sicut olim stantes illum Iudæi comederunt, quia transitus Domini erat, ita nunc ipse ex hoc mundo transiturus esset. Cæterum, quia in omnibus prandijs, ac cœnis Iudæi vetustiores accumbere solebant (nam Christi tempore sedere soliros; non recumbere fuisse arbitror) factum est, vt mutata accumbendi consuetudine, nomen retineretur. Nam & hodie Latinè mensæ dicimur accumbere, cum tamen sedeamus. Euangelistæ igitur, etsi verbum recumbendi de medio sumptum vsurparunt, noluerunt significare re vera Christum recubuisse, sed ad mensam accessisse, atque cœnasse.

Cum duodecim discipulis suis.) Videtur mihi Euangelista discipulorum numerum expressisse, cum quibus Christus agnum comedit, vt ea etiam in re significaret eum legis præscriptum obseruasse. Iubebat enim lex, vt pater familias cum tota familia sua agnum ederet, Exodi 12. 3. 4. Christi autem familia discipuli erant. Chrysostomus ideo hoc ab Euãgelista dictum esse iudicat, vt ostenderet Iudam etiam cum cæteris Apostolis accubuisse, eiúsque impudentiam, & ingratitudinem declararet, de quo veteres auctores inter se dissentiunt. Nam sunt qui putant Iudam non solum nouorum sacramentorum corporis, & sanguinis Domini perceptioni, sed ne edendo quidem agno interfuisse, vt Hilarius can. in Matthæum 30. Iam enim, cum Christus agnum edit, discessisse existimat, vt cum principibus sacerdotum de eo tradendo, comprehendóque tractaret. Alij cœnæ agni interfuisse putant, sacramentorum verò perceptioni non putãt, quod asseueranter scribit Clemens Apostolicarum Const. lib 5. cap. 16. in qua sententia & Innocentius lib. 4. de myster. alt. cap. 13. videtur esse. Argumenta, quibus probari potest hæc sunt. Primùm, quòd Ioannes cap. 13. 30. scribat Iudam simulatque buccellam à Christo porrectam accepit, exisse; buccellã autem illam ante sacramentorum distributionem datam illi à Christo fuisse, credendum est; cùm corpus, & sanguinem suum vltimo loco dederit, &, vt ait Lucas c. 22. 20. postquam cœnauit, &, vt Ioannes cap. 13. 2. cœnafacta, non ergo corpus & sanguinem Christi Iudas accepit. Secundum, quòd Christus de Sacramento sanguinis sui, vt videtur loquens ver. 29. dixerit, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei*; cum Iuda autem in regno patris illud postea non bibit, ergo nec ante biberat. Tertium, quòd credibile non sit Christum fecisse, quod nos facere prohibuit, vt corpus, & sanguinem suum homini scelerati ssimo nulla facta pœnitentia conferret; nam quod quidam respondere solent, fuisse quidem Iudam peccatorem, sed non publicum, cuiusmodi hominibus Sacramenta negari non debeant, nescio quàm verum sit: iam enim Christus illum & data buccella ostenderat, & nomine prodiderat, *Tu dixisti*, vers. 15. Itaque cum corpus, & sanguis Christi exhibita sunt, nemo Apostolorum ignorare poterat Iudam esse proditorem. Hæc argumenta ita mouent me, vt facilè hanc opinionem probaturus essem, nisi contraria plures haberet auctores, & magis vulgò probata esset. Fuerunt etiam, qui dicerent Iudam & cœnæ agni, & cœnæ communi, & perceptioni corporis, & sanguinis Christi fuisse præsentem, eáque percepisse, sed sanguinem quidem bibisse; corpus verò seruasse, vt ad principes sacerdotum deferret, illisque per derisum ostenderet, quid Christus corpus suum appellasset, & quasi magnum quiddam discipulis suis tradidisset, quemadmodum Theophylactus hoc loco recitat, quod cum nulla probetur coniectura, non est refutandum. Omnes alij, quos legerim, auctores existimant Iudam toti interfuisse actioni, corpúsque, & sanguinem Domini percepisse, Cyprianus libro de cœna Domini, Chrysost. homil. in Matthæum 82. & homilia de prodit. Iudæ, D. Hieronymus hoc loco, Augustinus epistola 63. & tractatu in Ioann. 62. auctor eorum commentariorum in Marcum, qui Hieronymo tribuuntur, cap. 14. Theodoritus in cõmentarijs in cap. 11. prioris epistolæ ad Corinth. Leo sermon. 7. de passione Domini. Potest & hæc sententia ita probari; quòd credibile non sit Iudam è mensa surrexisse, antequam omnia peracta essent, vt ad principes sacerdotum adiret; hac enim ratione proditionem suam, quam celare tantopere volebat, prodidisset. Deinde, quòd Lucas post datam à Christo Eucharistiam de Iuda, tanquam adhuc præsente Christum loquentem inducat, cap. 22. 20. 21. *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Ergo, quod ait Ioannes Iudam accepta buccella statim exisse, aut ita intelligendum est, vt Christus post datam Eucharistiam buccellam dederit, vt proditorem indicaret, aut ita vt aduerbium illud, *continuò*, quo Ioannes vtitur, non temporis momentum, sed breuissimum significet interuallum; quanquam illud prius mihi magis placet, quia ita Ioannes videtur loqui, vt indicet buccellæ acceptionem causam fuisse, vt Iudas quasi irritatus quòd se indicarum videret, abscesserit. Itaque minus vero simile est eum accepta iam buccella expectasse, quamuis breui tempore, & diuina sacramenta percepisse. Quod autem Christus dicit, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum nouum*, non cogit nos, vt dicamus Iudam tunc non adfuisse, quia etsi cum eo postea non bibit, cum alijs bibit; quod satis fuit, vt dicere potuerit, *donec bibam vobiscum*; pronomen enim *vobiscum* ad maiorem partem refertur. Quæri etiam potest, & à nonnullis dubitatum video: an alij aliqui præter discipulos cum Christo accubuerint. Euthymius alios etiam nonnullos accubuisse putat, quamuis eos Euangelistæ non nominauerint, quod multis ego de causis probare non possum: & quia, vt supra versu 2. docuimus, cæteri Iudæi non eodem die Pascha celebrarunt, & quia ita accuratè Euangelistæ discipulorum nomen, aut numerum expressêrunt, vt duo facere voluisse videantur, & significare omnes discipulos adfuisse, & indicare neminem adfuisse

præter

Universidad de Deusto
Biblioteca

præter ipsos, & quia lex præcipiebat, vt vnaquæque familia suũ agnum ederet, nec externus vllus admitteretur, nisi si familiarium numerus ad edẽdum integrum agnũ satis non esset: tunc enim externos, quotquot ad esum agni necessarij essent, aduocari permittebat. Discipulorum autem numerus ad edendum agnum satis magnus erat.

21. *Vnus ex vobis.*) Sine iniuria proditorem prodit, dum indicat se nosse eum, nec tamen nominat. Quæritur à multis auctoribus cur hoc Christus dixerit. Respondet Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthymius, vt Iudæ pœnitentiæ occasionem daret, illique ad respiciendum stimulum admoueret, cum videret consilia sua Christum latere non potuisse. Videtur etiam mihi ideo dixisse, vt ostenderet se non inuitum, non circumuentum, & nec opinantem; sed scientem, prudentem, volentem mori: cùm cognito proditore eius consilium impedire posset, nec tamen vellet. At cur non nominauit? Possumus respondere id Christi benignitati cõsentaneum fuisse, vt proditoris etiam sui nomini, honoriq; parceret, contentúmque fuisse ostendisse se non ignorare proditorem, nominare autem noluisse, quia ad id, quod ostendere volebat, se scientem, ac volentem mori, non erat necessarium. Hieronym. tamen paulò aliter respondet, propterea Iudam non nominasse, ne eum irritaret. Origenes verò propterea generaliter, non nominatim loquutum fuisse, vt percussis hac voce singulorũ animis alij se vultu innocentes, Iudas proditorem ostenderet.

Cur Christus proditorem Iudã non nominauit.

22. *Et contristati valde.*) Mirum videri potest, cur Apostoli, qui innocentes erant, contristati fuerunt, quasi sibi quisque hoc dictum putaret. Nec enim ideo tantùm tristati sunt, quòd nefandum doleret facinus, Christum à discipulo suo, quisquis ille esset, tradirum itimam etsi credendum est ea etiam re vehementer doluisse, tamẽ Matthæus indicat ideo contristatos fuisse, quòd de se quisque dubitaret, ac sollicitus esset, *& cœperunt*, inquit, *singuli dicere, numquid ego sum Domine?* Origenes ergo, Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus rationem hanc adferunt, quòd etiamsi se innocentes esse scirent, tamen magis Christi verbis, quàm conscientiæ suæ confidebant. *Beatus homo, qui semper est pauidus*, dicebat ille Prouerbiorum 28.14. *& verebar omnia opera mea*, Iob. 9. 28.

23. *Qui intingit.*) Ioannes cap. 13. 24. Petrum Ioanni suggessisse scribit, vt Christum rogaret, quisnam proditor esset. Itaque credendum est factum vtrumque, & singulos prius Apostolos interrogasse, *numquid ego sum Domine?* & cùm eorum rogatu Christus proditorem nominare noluisset, Petrum, qui iniquiore, quàm cæteri animo Christi iniurias ferre solebat, Ioannem rogasse, vti Christũ interrogaret quisnam ipsum proditurus esset. Ex quo sequitur Christum his verbis, *qui intingit mecum manum in paropside*, non omnino proditorem designasse, sed primùm quidem generaliter dixisse, *Vnus vestrum me traditurus est*; secundò, cum singuli interrogarent, *numquid ego sum Domine?* paulò clarius respondisse, *qui intingit mecum manum in paropside*, id est, vnus ex his, qui mecum in eadem paropside panem intingit; probabile enim est in magna mensa, vbi tredecim homines accumbebãt, diuersas fuisse patinas, diuersas paropsides, in quibus aut terni, aut quaterni panem intingerent; itaque indicat Christus vnum ex illis aut tribus, aut quatuor, aut quotquot tandem erant, qui in eadem secum paropside panem solebant tingere, se esse traditurum. Denique cum ne hoc quidem indicio Apostoli, quis ille esset, intelligere potuissent, iterúmque Petri rogatu à Ioanne interrogaretur, quis nam ille esset, respondit, *ille est cui ego intinctum panem porrexero*, Ioan. 13. 26. sed quia hoc in aurem Ioanni Christus dixerat, ita vt alij intelligere non possent, ad extremum ipse Iudas, ne tacendo crimen confiteri videretur, interrogauit etiam, sicut alij prius interrogauerant, *numquid ego sum Rabbi?* cui Christus, *Tu dixisti*, ver. 25. Quo dicto neque Iudas, neque cæteri, quos id attigisse existimandum est, proditorem ignorare potuerunt; atque tunc Iudam, cùm se deprehensum videret, discessisse credendum est: nam antequam suo ipsius nomine proderetur, dissimulare poterat; postea non potuit; sed quia hoc, simulatq; buccellam à Christo data accepisset, accidisse vero simile est, Ioannes dixit statim accepta buccella exijsse. Ad hunc modum mihi videntur Euangelistarum dicta cõciliandi; etsi scio Origenem, Chrysostomum, Hieronymum, Euthymium, & Theophylactum existimare his verbis, *qui intingit mecum manum in paropside*, Iudam propriè designatum, & tantùm non digito demonstratũ fuisse, scribunt enim eò ipsum impudentiæ processisse, vt ea ratione alij intelligerent, quis esset proditor. Quorum interpretationem idcirco non probo, quòd ea ratione non videatur posse cum Matthæo Ioannes conuenire. Si enim his verbis propriè fuerat Iudas demonstratus, quid opus erat, vt postea Petrus tam solicitè per Ioannem rogaret, quisnam futurus esset proditor? quid opus erat, vt alia eum ratione Christus ostenderet dicens, *ille est, cui ego intinctum panem porrexero*? nam omnes iam Apostoli Christum dicentem audiuerant, *qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*; cùm id & à Christo dictum, & à Iuda factum esset, prius quàm buccellam ille daret, hic accepercit vt hi etiam sentire videntur auctores. Iam enim omnes Iudam esse nouerant, si solus in Christi paropside panem tingebat. Alij contra his verbis nihilo magis, quàm ante proditorem ostensum fuisse dicunt, sensum enim esse, *qui intingit mecum manum in paropside*, id est vnus ex his, qui mecum assident ad mensam, & communem mecum paropsidem habent, me traditurus est; assidebant autem omnes Apostoli, & in eandem paropsidem manum immittebant; itaque nihil aliud his verbis significari putant, quàm quod Marcus dixit cap. 14. 18. *vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum*, & Lucas cap. 22. 21. *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa*. Non ergo voluisse proditorem indicare, sed exaggerare scelus, quòd cum ea eadem mẽsa, in eadem patina cibum sumeret, se esset traditurus, sicut Dauid dixit Psal. 40. 10. *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*. Horum interpretatio nõ satis mihi videtur cum verbis Euangelistæ conuenire; dixisset enim potiùs, vnus ex his, qui intingit mecum manum in paropside, sicut dixerat ver. 21. *Vnus vestrum me traditurus est*; deinde quia nihilo magis, quàm antè, cùm à singulis discipulis rogatus esset, quis se esset traditurus, traditorem designasse vero simile non est. Quærunt nonnulli interpretes, quomodo iusculum, aut condimentum in paropside esset, cùm lex iuberet, vt agnus assus, non coactus comederetur, Exodi 12. 8. Hoc vnũ fuit eorum argumentum, qui Christum eo anno agnum comedisse negauerunt, vt Theophylactus, & Euthym. auctores sunt. Nimis profectò leue; hoc enim non de cœna, qua agnũ Christus comedit, sed de ea, quæ eò agno apponebatur, vt ver. 26. docebimus, intelligendum est; in qua & assa, & cocta, & omnia ciborum, & condi-

& condimentorum genera poni poterant; solus fermentatus panis prohibebatur, quia prima azymorum dies erat.

24. *Filius quidem hominis vadit.*) Loquitur de se per tertiam, vt solet personam, seque filium hominis appellat, vt versu 2. vide quæ cap. 8. 20. de ea re diximus. Opponit autem se Iudæ proditori, eiúsque conditioni suam antefert. Videbatur tunc Iudas melioris, quàm Christus conditionis esse. Christus vendebatur, ille vendebat; Christus ad mortem, ille ad lucrum ibat: Christus ab omnibus etiam discipulis suis paulò pòst deserendus; ille principibus sacerdotum, Scribis, & senioribus populi gratia, amicitiaque copulandus erat; itaque hominum iudicio multo, quàm Christus felicior videri poterat. Hanc opinionem refellit Christus, seque melioris conditionis, quàm illum paulò pòst futurum prædicit. Nam quòd passurus, quódque moriturus sit, nec miserum, nec malum, nec inopinatum, nec violentum sibi esse; quin gratum, laudabile, officiosum, sponte susceptum, quippe qui ea ratione & patris obsequatur voluntati, decretúmque exequatur, & Prophetarum de se scripta vaticinia effectu compleat; hoc est, *Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo.* Daniel. 9. 26. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.* Quod dicit, *vadit*, hanc habet vim, vt indicet Christus se non vi ex hoc mundo expelli, sed sponte sua exire, nec tam mortem esse suam, quàm migrationem, vt rectè Theophylactus adnotauit. Quod autem dicit, *sicut scriptum est*, ostendit non ex hominibus, sed ex diuino decreto, ac prædictione mortis suæ necessitatem prouenire. Comparat ergo finem suum cum fine Iudæ, quod ipse etsi ad mortem trahi videatur, non trahatur, sed eat, eat autem non tam ad mortem, quàm ad gloriam: propterea enim, *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*, ad Philippens. 2. 9. Iudam verò, qui ad lucrum, & ad gratiam hominum colligendam ire videretur, iturum ad laqueum, iturum ad sempiternæ supplicia vsqueadeo grauia, vt meliùs illi futurum esset, si natus non fuisset. De quo verbo nimis fortasse subtiliter quidam disputant, quomodo melius Iudæ fuisset natum non esse, cùm non esse nullum, damnatum esse aliquod bonum sit; aliquid enim est, qui damnatus est, omne autem quod est, quà est, bonum est. Hieronymus indicat reæ, Christúmque certo consilio non dixisse melius fuisset homini illi, si nunquam fuisset, sed *si natus non esset*, quasi etiamsi non nasceretur, futurus fuisset, ideóque naturalia bona sine malis habiturus. Suspicor D. Hieronymum Origenistas notare voluisse, qui omnes animas initio creatas fuisse crediderunt, & pro suo quamque merito aut expertem manere corporis, aut in corpus, tanquam in carcerem immitti. Et verò Origenes ipse ita hoc loco scribere videtur, vt non longè ab ea sententia abhorrere videatur. Eodem fere modo Euthymius interpretatur. Sed non sunt huiusmodi scripturæ locutiones ad scholarum excutiendæ subtilitatem; sunt enim prouerbiales, & sumptæ de vulgo, in quibus quiddam plerumque hyperbolicũ esse solet, vt apud Iob cap. 3. 11. *Quare non in vulua mortuus sum? egressus vulua eiecissime? qui vtinam consumptus essem ne oculus me videret, fuissemq; quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum*, & cap. 3. 3. & Ieremiæ 20. 14. *Pereat dies in qua natus sum*; hæc enim omnia non tam deliberato animi iudicio, quam per quærimoniam, quæ

Proverbia & hyperbolicæ loquutiones.

A mala sua amplificare solet, dicta sunt. Christus ergo ita de Iuda loquitur, quemadmodum credibile erat ipsum de se supplicijs positum esse loquuturum. Erat autem credibile eum dicturum esse, vtinam nunquam natus essem, melius mihi fuisset non nasci, quàm ista pati: cùm Iob & Ieremias viri sanctissimi multo maiora passi idem dixerint. Adde, quòd Christus non dicit melius futurum fuisse, vt Iudas non nasceretur, sed melius futurum illi esse, id est, eius opinione, atque iudicio, quemadmodum multis res aduersas patientibus accidere videmus, vt corrupto dolore iudicio mortem vitæ anteponant, cùm dubium non sit melius esse viuere, quàm mori. Obiici hoc loco solet non minùs Iudam, quàm Christum diuinum decretum vendendo Christo exequutum fuisse, quare non magis, quàm illum peccare potuisse. Respondent Chrysostomus, Euthym. & Theophyl. omnésque Catholici Theologi idem sentiunt, non fuisse à Deo decretum, &, vt ita dicam, prædestinatum, vt Iudas Christum venderet, sed fuisse præcognitum atque præuisum fore, vt venderet, quod cum Deus ab omni cognouisset æternitate, decreuit, vt ea ratione Christus à Iuda venditus moreretur; itaque Iudæ venditionem Deus non prædestinauit, sed præuidit; non commisit, sed permisit. Caluinistæ, qui neque permissionem in Deo vllam admittunt, & malum non boni priuationem, vt * Augustinus, & * Dionysius, omnésque veteres, atque recentiores Theologi tradiderunt, sed naturam aliquam esse credunt, quamuis in omnes se partes versare soleant, exuere se hoc laqueo non possunt. Docet quidem Caluinus venditionem Iudæ non esse propriè Dei opus appellandum; sed verbis docet, re ipsa negat, quod in multis alijs, difficilimisque quæstionibus solet facere. Eius enim doctrina, eius verba sunt, Deum non esse omnipotentem, si peccata, vt nos dicimus, tantùm permittat; nec enim omnium rerum auctor esset. Quid quæso hinc colligitur; nisi Deum omnipotentem non esse sententia Caluini, nisi & peccati auctor sit? Eius verba sunt, *Non dubitauerim dicere diuinam prædestinationem, ac voluntatem rerum necessitatem esse*, quod si verum est, Deúsque, vt ille putat, Iudæ peccatum non solùm præuidit, sed etiam prædestinauit, necessitatem Iudæ vendendi Christum imposuit; quod si verum est, peccare Iudas non potuit, Eat, & impietatem suam verbis illis adornet, quibus imperitæ discipulorum suorum turbæ fucum facit; etiamsi & Deus, & Iudas idem opus fecerint, Iudam peccasse, Deum non peccasse, quia Deus bono, vt homines reduceret, Iudas malo, & auaritiæ pleno animo faciebat. Quis enim illius ipsius mali animi Iudæ auctor fuit, nisi Deus, si sententia Caluini mala non solùm permittit, sed etiam facit? At malum, fortassis dicet, in Iuda animum bono animo Deus ingenerauit. Quisnam bonus animus esse poterat, nisi ille, quo volebat, vt Christus moreretur? atqui, vt Christus moreretur, malo animo Iudæ opus non erat: potuit enim Deus efficere, vt Iudas eum bono animo venderet, vt Deo obediret: poterat efficere, vt Christus neque bono, neque malo animo venditus moreretur. Malus igitur animus ex Iuda natus est, animus à Deo datus. Alia hìc quæstio proponi solet, si melius futurum erat Iudæ, vt non nasceretur, cur eum Deus genuit? Respondent Chrysostom. & Euthym. non talem, qualis postea fuit, à Deo fuisse genitum. Deus enim bonum fecit, ipse se postea fecit proditorem, quemadmodum de omnibus hominibus Salomon dicit in Ecclesiast. capit 7. 30. Deum fecisse hominem rectum, ipsum se multis quæstionibus miscuisse. Nullus humanæ cutiositatis

Iudas an peccauit tradendo Christum à Patre traditum.

Impietas Caluini, & Caluinistarũ traditionem Iudæ Deo tribuentiũ refellitur.

* 3. Confess. 7. & alibi sæpe

* lib. de diuin. nominib. c. 7.

Lib. 3. Instit. c. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modus est. Quærunt etiam alij, cur eum, cum eiusmodi futurum esse sciret in Apostolum Christus elegerit, de ea re cap. 10.4. disputatum est, sed vno verbo responderi potest, quia cum electus à Christo est, eiusmodi non erat; & solet sæpè Deus etiam in hominum electione non futura, sed præsentia merita respicere, quod in Saule rege factum videmus: bonum Deus elegit, malus ipse per se factus est, idémque de Salomone dici potest.

25. *Numquid ego sum Rabbi?*) Non rogat Iudas Christum, quasi ignarus; vt discat, quod sua ipsum conscientia ignorare non patiebatur, sed quasi callidus mercator, vt tentet, num Christus se eum esse sciat, qui eum esset traditurus, & quasi impudens dissimulator, vt dum, sicut cæteri de se quisque interrogauerat, num ipse esset, de se quoque ipse interrogat, se non esse simulet: videtur autem non sponte, sed coactus aliorum exemplo Christum rogare, nisi ipse sit, ideoque omnium vltimus rogat. & fortasse post quàm aliquo modo eum Christus verbis illis subinuasisset, *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*; prius enim illud, quàm hoc Euangelista narrauit; ita certè Origenes, Chrysost. & Beda senserunt. Notarit etiam Chrysost. Hieronymus, Euthymius, & Beda non dixisse Iudam, sicut cæteri dixerant, *Numquid ego sum Domine?* sed *numquid ego sum Rabbi?* quasi etiam tunc, cum maximè volebat proditionem suam dissimulare, superbia sua prodere cogeretur, dum Christum minùs quàm cæteri, honorificè compellat.

Tu dixisti.) Modus est honestè, & minima cum offensione ejus, quocum loquimur; minimaque nostra arrogantia, quod interrogamur, concedendi, vt infra vers. 63. 64. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Tu dixisti*: & cap. 27. 11. interrogatus à Pilato Christus, *Tu es Rex Iudæorum?* respondet, *Tu dicis*. Nam quod D. Augustinus libro 3 de cons. Euang. cap. 1. putat Christum his verbis, neque concedere, neque negare; consuetudini loquendi non conuenit. Itaque, vt supra monuimus credendum est hoc Iudæ à Christo dictum esse, postquàm illi buccellam, de qua Ioannes scripsit, porrexisset.

26. *Cœnantibus autem eis.*) ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν vesoentibus, aut edentibus autem illis. Noster interpres sensum, non verba conuertit. Cœnabant enim, quia vespertinum erat tempus, & cibus, qui sub noctem sumitur, cœna vocatur. Eodem modo Marcus cap. 14. 22. Græcè scripsit, vbi noster interpres non *cœnantibus*, vt hîc, sed *manducantibus illis* vertit; haud scio quo consilio, crediderim tamen bono idem verbum in eadem sententia aliter vertisse. Lucas ca. 22. 20 & D. Paulus 1. ad Corinth. 11. 25. scribunt hoc factum esse postquam cœnauit; vnde duo nobis colligenda sunt: alterum verba Matthæi & Marci, ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν *cœnantibus*, aut, *manducantibus autem illis*, non ita intelligenda esse, quasi durante adhuc cœna Christus id fecerit, sed statim, vt cœna peracta est, antequàm surgerent, antequàm mensæ, & ciborum reliquiæ remouerentur. Alterum est ridiculam esse Caluinistarum, & Lutheranorum inscitiam, qui quasi satis non haberet, si rebus, nisi etiam verbis hæretici essent, noluerunt corporis, & sanguinis Christi sacramentum Eucharistiam, vt nos sed cœnam appellare, vt se non solum religionis, sed etiam linguæ reformatores profiterentur. Atqui nullus in sacris litteris locus est, vbi hoc sacramentum cœna vocetur, sed belli isti interpretes, quia D. Paulum dicentem audiuerunt, *iam non est dominicã cœnam manducare*, nullo adhibito iudicio existimarunt illum Eucharistiam cœnam appellare, & hoc nomen, quasi orbem terrarum ad coniuiũ inuitaturi nouum in modum celebrarunt. Nefas enim illis videtur aliter loqui. Non viderunt homines cæci, quod D. Lucas scribit c. 22. 20. & quod D. Paulus eodem c. ver. 25. Christum, *postquam cœnauit* calicem sui sanguinis accepisse non viderunt. D. Ioannem ca. 13. 4. discessu vesperi, further Christum à cœna surrexisse; vt discipulorum lauaret pedes. Opinor non surrexit, priusquam finita cœna esset, neque corpus, & sanguinem suum dedit, antequàm lauarent; cum propterea lauerit, vt significaret mundos esse oportere, qui corpus, & sanguinem suum acceperuri essent: hoc enim est, quod dicit ver. 10. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*, hoc est, *& vos mundi estis, sed non omnes*; prius ergo cœnauit, deinde pedes lauit, & veste resumpta mensæ iterum accubuit, vt diuina sacramenta discipulis daret. Itaque cum tres eodem tempore actiones fuerint, quæ tres cœnæ vocari solent, prima, qua agnus edebatur, quam nonnulli cerimonialem cœnam appellant, secunda communis, & vsitata; nam absoluta edendi agni religione, quia plerumque, qui eum ederant, saturati non fuerant, alia ponebatur cœna, vt ad singulitatem suam quisque cœnaret. Tertia, qua Christus panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum consecratum præbuit. Prima, an vllum cœnæ vocabulum non satis memini: secundam, & Euangelistæ Lucas, & Ioannes, & D. Paulus cœnam vocant. Tertia nusquam in sacris quidem litteris cœna nominatur; nam D. Paulus *Dominicam cœnam*, non Eucharistiam, sed cœnam, aut fortasse prandium; quod aut ante eum quidam putant, aut, vt ego arbitror, post Eucharistiæ perceptionem diuites Christiani imitatione Christi solebant pauperibus exhibere, qui antequam discipulis suis corpus, & sanguinem suum daret, vltimam cœnam illis, vt solent amici cum amicis longè ab illis discessuri, cœnam egit, qua singularim in illos charitatem demonstrauit; hoc est, quod apud Luc. ca. 22. 15. *Desiderio desideraui hoc Pascha cum vobis edere antequam patiar*: reprehendit igitur D. Paulus, quòd eam cœnam, quam Dominicam vocat, quæ ad Christi imitationem à Christianis exhibebatur, ad exercendam inter se caritatem, diuites non expectato, vt cum pauperibus agerent, ita vt cum pauperes venirent, nihil quod edere possent reperirent: & alij etiam ebrij essent. Inde perspicuum est D. Paulum vbique loqui cœnas, quia aliqui in eo brinbantur, ubi pecuniæ, quis autem credat quemquam sacramentorum participem inebriari solitum? Deinde cum ait, *numquid domos non habetis ad manducandum, aut non habetis Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* vers. 22. clarissimè ostendit se non Eucharistiam cœnam appellare, quam nimquam licuit cuiquam priuatim domi sub agere. Certè Caluinistæ non concedent id D. Paulum permissurum fuisse, quod ne ipse quidem permitteret. Denique cum dicit, *iudicium sibi manducat, & bibit, qui discernit corpus Domini*, satis indicat se de ea cœna loqui, quam pauperes sibi parare non poterant. Eucharistiam autem parare nemo non poterat, ad quam non multa buccella vna panis, & minimo vini hausti opus erant. Sensus ergo D. Pauli est, vt, si adeò diuites erant, vt expectare prandij, aut cœnæ illius tempus non possent, domi suæ ederent, ne si in Ecclesia non expectatis pauperibus prandium aut cœnam illam sibi participarent, contemnere eos viderentur, & charitatis vinculum rumpere, quæ in communi illo conuiuio cernebatur, hoc erat *non Dominicam cœnam manducare*, id est non ad Christi imitationem, qui cum dominus esset, tamen non solus, sed cum duodecim discipulis suis recubuisse dicitur. Eodem sensu veteres auctores cœnam Dominicam nõ Eucharistiam, sed cœnantes de pane dicunt ἄρτος, Lucas cap. 22. 19. & D. Paulus 1. ad Cor. 11. 24. dicunt εὐχαριστήσας, & quod Matthæus c. 15. 36. de septem panibus, & duobus piscibus scribens dicit εὐχαριστήσας. Marcus cap. 8. 6. de panibus dicit εὐχαριστήσας, de piscibus ἐλόγησε, & quod Matthæus cap. 14. 19. & Marcus cap. 6. 41. & Lucas cap. 9. 16. de quinque panibus dicunt ἐλόγησε, Ioannes cap. 6. 11. dicit εὐχαριστήσας, & Diuus Paulus 1. ad Cor. 14. 16. idem vocat εὐλογίαν, & εὐχαριστίαν, inquit, *benedixeris spiritu* τὸν ἐλόγησεν τὸ πνεῦμα, *qui supplet locum idiotæ, quo modo dicet, Amen, super tuam benedictionem? ὅτι τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ*; Id quibusdam inde natum videtur esse, quòd apud Hebræos ברך & benedicere, & gratias agere significat, vt priori Paralip. 29. 20. Mihi id probabile videtur: sed fortasse inde eorum verborum in vnam significationem confusio nata est, quòd nunquam benedictio sine gratiarum actione esse soleret, vt apparet ex Marco ca. 6. 41. vbi Christus, vt quinque panibus, & duobus piscibus benediceret, in cœlum suspexisse dicitur; vnde colligitur gratias egisse patri in cœlum oculos subleuans, & panibus benedixisse. Poterit lector obiicere, quòd Ecclesia hæc duo verba distinguere videatur, *& eleuatis oculis in cœlum, ibique gratias agens, benedixit, fregit, dedítque discipulis suis*, quasi vtrumque fecerit Christus, & priùs Patri gratias egerit, & postea pani benedixerit. Respondeo Ecclesiam non interpretari verborum significationem: sed, quod probabile est, sequi; probabile autè est vtrumque fecisse Christum, & egisse gratias Patri, & pani benedixisse, quia videmus in rebus minoribus, id est cum panibus & piscibus vellet, vt multiplicarentur, benedicere: egisse etiam vtrumque Matthæi 14. 19. Marci 6. 41. Lucæ 9. 16. quemadmodum & oculos in cœlum leuasse credibile est, quamuis id Euangelistæ non explicauerint, quia cum panibus, & piscibus benediceret, id fecit: qua opinione dicit Ecclesia, *& eleuatis oculis in cœlum*. Quæstio autem in eo versatur, cùm negari non possit vnum verbum pro altero accipi, vtrum εὐλογεῖν benedicere ponatur pro εὐχαριστεῖν gratias agere: an è contrario. Caluinistæ εὐλογεῖν benedicere pro εὐχαριστεῖν gratias agere poni volunt. Ego contrà contendo εὐχαριστεῖν gratias agere pro εὐλογεῖν benedicere ab Euangelistis positum esse, quod non potest, nisi secundo errore refutato, commodè probari. Secundus autem error ex Paulo 1. ad Cor. 10. 16. manifestè coarguitur, *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus* ὃ εὐλογοῦμεν ad verbum, quem benedicimus, id est benedicendo consecramus, quibus verbis perspicuum est benedictionem subiectæ materiæ, id est pani, & calici datam fuisse. Deinde Lucas cap. 9. 16. ait Christum accepisse panes, καὶ εὐλόγησεν αὐτούς, & benedixit illos, ergo ipsis panibus benedictionem Christus dedit, quare cùm eodem modo Eucharistiæ panem, & calicem benedixerit, non ad Deum, sed ad panem, & vinum benedictio referenda est. Præterea D. Paulus 1. ad Tim. 4. 4. 5. ait cibum sanctificari *per verbum Dei, & orationem*, & εὐχαριστίαν *gratiarum actionem*, ergo & verbum Dei, & oratio, & gratiarum actio ad cibum refertur. Denique Euangelistarum contextus non patitur, vt aliter intelligamus, quàm panem ipsum, & vinum à Christo fuisse benedictum, *Accepit*, inquit, *panem* εὐλόγησεν αὐτὸν *cum benedixisset fregit, dedítque discipulis suis*, panem vtique accepit panem fregit; panem ergo benedixit. Solent Caluinistæ interpretari Christum benedixisse panes, & D. Paulum calicem, id est super illos gratias Deo egisse; vbi multa absurda sunt: primùm, quòd dicunt super illos gratias egisse, cùm Euangelista dicat εὐλόγησεν αὐτούς, non ἐλόγησεν ἐπ' αὐτοῖς, id est, *benedixit illos*, non benedixit illis; quis autem ita loqueretur, gratias egit panes, id est Deo super panes? deinde etiam si dixisset ἐπ' αὐτοῖς *illis*, absurdũ esset ita loqui, gratias egit panibus illam, quam Christus, antequàm corpus, & sanguinem suum daret, cum discipulis suis egit, vocare solent, vt Cypr. & Bern. qui conciones suas eo die habitas de cœna Domini vocant, qui tamen nefas ducunt hæreticorum more Eucharistiam cœnã appellare. Nos ergo & scripturis, & antiquis auctoribus congruenter Eucharistiam appellamus; quia eam Christus cõfecit, dicunt enim tum Euangelistæ εὐχαριστῆσαι, *gratias egisse*, aut benedixisse, Matthæus hoc versu, & sequenti, & Marcus c. 14. 22. 23. Lucas ca. 22. 17. 19. & Paulus 1. ad Cor. 11. 24. & Iustinus in 2. Apologia pro Christianis, & Irenæus lib. 4. c. 34. & 35. Deinde non solùm scripturæ auctoritatem, & exempla maiorum, sed etiam rationem in eo sequimur; nam εὐχαριστία, & ἐλογία, quod idem est, ad hoc sacramentum maximè pertinet, cum aut per eam, aut non sine ea perficiatur; sicut Christi docemur exemplo, & solet ex vna parte tota actio nominari. Caluinistæ verò sine scripturæ auctoritate, sine veterum auctorum exemplo, sine ratione, nullo iudicio cœnam vocant, cùm potiùs merenda, si post prandium, prandium, si ad meridiem, ientaculum, si mane sumunt, vocari deberet; nec enim necesse est, vt huius sacramenti celebrationem aut cœna præcedat, aut consequatur. Nam quòd Christus ante cœnauerit, non vt nobis exemplum præberet, fecit sed necessariò, quia oportebat vetera sacramenta priùs implere, quàm nouum instituere, id est agnum Paschalem priùs edere, quàm corpus, & sanguinem suum dare: agnus autem non alio tempore, quàm cœnæ edi poterat; & solebat eso iam agno cœna communis apponi; & vt consuetudinem obseruaret, &, vt ex hac vita discessurus acta cum Apostolis cœna in finem eos diligeret: itaque reprehendenda non est, sed laudanda potiùs Ecclesia, quæ ea in re vt imitaremur, sed solis ieiunis corpus, & sanguinem Domini tradit, quòd id multo plus habeat reuerentiæ, vt epist. 118. D. Augustinus scribit, eámque Apostolicam esse putat traditionem. Reprehendendi verò hæretici sunt, qui dum sine vllo iudicio Christi actionem imitari volunt, etiam bene pransis, & bene cœnatis, fortasse etiam aliquando ebrijs, nulla reuerentia hoc conferunt sacramentum, nisi quòd commodè illis accidit, vt nihil aliud, quàm panem, & vinum porrigant, quæ sine vllo honoris respectu, sine vlla religione sumi possunt.

Et benedixit.) καὶ εὐλόγησας, cum benedixisset, quo in verbo ter minimum errant hæretici: & quia vertunt, eũ gratias egisset: veriti ne Christus signo crucis vsus esse videatur, aut magica, vt illi vocant, incantatione, & quòd hanc Christi benedictionem non ad panem quasi illi Christus benedixerit, sed ad vinum, quasi illi gratias egerit, referendam esse dicant, & quòd eam benedictionem, aut, vt ipsi volunt, gratiarum actionem singularem, & propriam huius sacramenti esse non putent, sed communem, & inter Iudæos vsitatam: quem Christus morem gestis vsurpauerit: quæ omnia eò tendunt, ne nos vlla in hoc sacramento benedictione iure vti posse videamur. Hi tres errores ordine refutandi nobis sunt: de verbo quidem εὐλογεῖν benedicere, quo & Matth. hoc loco, & Marcus ca. 14. 22. de pane loquens vsus est, non dubium, quin apud Euangelistas idem sit, quod εὐχαριστεῖν, quòd propriè significat, gratias agere: nam quod hoc loco Matthæus, & Marcus ca. 14. 22. dicunt ἐλογήσας eos, *cum gratias egisset*, & quod Matth. & Marcus loquentes de calice loquentes dicunt εὐχαριστήσας, & Paulus 1. ad Cor. 11. 24. dicunt εὐχαριστήσας, & quod Matthæus c. 15. 36. de septem panibus, & duobus piscibus scribens dicit εὐχαριστήσας. Marcus cap. 8. 6. de panibus dicit εὐχαριστήσας, de piscibus ἐλογήσας, & quod Matthæus cap. 14. 19. & Marcus cap. 6. 41. & Lucas cap. 9. 16. de quinque panibus dicunt ἐλογήσεν, Ioannes cap. 6. 11. dicit εὐχαριστήσας, & Diuus Paulus 1. ad Cor. 14. 16. idem vocat εὐλογίαν, & εὐχαριστίαν, inquit, *benedixeris spiritu* τὸν ἐλογήσεν τὸ πνεῦμα, *qui supplet locum idiotæ, quo modo dicet, Amen, super tuam benedictionem? ὅτι τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ*; Id quibusdam inde natum videtur esse, quòd apud Hebræos ברך & benedicere, & gratias agere significat, vt priori Paralip. 29. 20. Mihi id probabile videtur: sed fortasse inde eorum verborum in vnam significationem confusio nata est, quòd nunquam benedictio sine gratiarum actione esse soleret, vt apparet ex Marco ca. 6. 41. vbi Christus, vt quinque panibus, & duobus piscibus benediceret, in cœlum suspexisse dicitur; vnde colligitur gratias egisse patri in cœlum oculos subleuans, & panibus benedixisse. Poterit lector obiicere, quòd Ecclesia hæc duo verba distinguere videatur, *& eleuatis oculis in cœlum, ibique gratias agens, benedixit, fregit, dedítque discipulis suis*, quasi vtrumque fecerit Christus, & priùs Patri gratias egerit, & postea pani benedixerit. Respondeo Ecclesiam non interpretari verborum significationem: sed, quod probabile est, sequi; probabile autè est vtrumque fecisse Christum, & egisse gratias Patri, & pani benedixisse, quia videmus in rebus minoribus, id est cum panibus & piscibus vellet, vt multiplicarentur, benedicere: egisse etiam vtrumque Matthæi 14. 19. Marci 6. 41. Lucæ 9. 16. quemadmodum & oculos in cœlum leuasse credibile est, quamuis id Euangelistæ non explicauerint, quia cum panibus, & piscibus benediceret, id fecit: qua opinione dicit Ecclesia, *& eleuatis oculis in cœlum*. Quæstio autem in eo versatur, cùm negari non possit vnum verbum pro altero accipi, vtrum εὐλογεῖν benedicere ponatur pro εὐχαριστεῖν gratias agere: an è contrario. Caluinistæ εὐλογεῖν benedicere pro εὐχαριστεῖν gratias agere poni volunt. Ego contrà contendo εὐχαριστεῖν gratias agere pro εὐλογεῖν benedicere ab Euangelistis positum esse, quod non potest, nisi secundo errore refutato, commodè probari. Secundus autem error ex Paulo 1. ad Cor. 10. 16. manifestè coarguitur, *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus* ὃ εὐλογοῦμεν ad verbum, quem benedicimus, id est benedicendo consecramus, quibus verbis perspicuum est benedictionem subiectæ materiæ, id est pani, & calici datam fuisse. Deinde Lucas cap. 9. 16. ait Christum accepisse panes, καὶ εὐλόγησεν αὐτούς, & benedixit illos, ergo ipsis panibus benedictionem Christus dedit, quare cùm eodem modo Eucharistiæ panem, & calicem benedixerit, non ad Deum, sed ad panem, & vinum benedictio referenda est. Præterea D. Paulus 1. ad Tim. 4. 4. 5. ait cibum sanctificari *per verbum Dei, & orationem*, & εὐχαριστίαν *gratiarum actionem*, ergo & verbum Dei, & oratio, & gratiarum actio ad cibum refertur. Denique Euangelistarum contextus non patitur, vt aliter intelligamus, quàm panem ipsum, & vinum à Christo fuisse benedictum, *Accepit*, inquit, *panem* εὐλόγησεν αὐτὸν *cum benedixisset fregit, dedítque discipulis suis*, panem vtique accepit panem fregit; panem ergo benedixit. Solent Caluinistæ interpretari Christum benedixisse panes, & D. Paulum calicem, id est super illos gratias Deo egisse; vbi multa absurda sunt: primùm, quòd dicunt super illos gratias egisse, cùm Euangelista dicat εὐλόγησεν αὐτούς, non ἐλόγησεν ἐπ' αὐτοῖς, id est, *benedixit illos*, non benedixit illis; quis autem ita loqueretur, gratias egit panes, id est Deo super panes? deinde etiam si dixisset ἐπ' αὐτοῖς *illis*, absurdũ esset ita loqui, gratias egit panibus

Eucharistiæ nomen defenditur.

Græcorum Patrum, & Latinorum consensus.

Benedictio pro consecratione ab Euangelistis posita.

Lutherani, & Caluinistæ reprehenditur Eucharistiam cœnam appellantes.

1. Cor. 11. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est Deo propter panes. Ista denique deliria ridenda sunt, non refutanda. Duo igitur constant, & εὐχαριστεῖν gratias agere sumi pro ἰυλογεῖν benedicere, quia ad panem, & vinum referatur, & non potest gratiarum actio ad res inanimes, aut rationis expertes, sed ad animatas, & ratione præditas referri; nec enim dicimus gratias ago pani, aut equo, nisi fortasse iocantes, sed gratias ago Deo, aut homini: & benedictionem ad panem, & vinum esse referendam; neque vllus vnquam auctor ante nouos quosdam Caluinistas aliter intellexit Itaque Iustinus in secunda Apologia Eucharistiam vocat εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, cibum gratiarum actione benedictum, aut consecratum, eodemque modo Irenæum lib. 4. c. 34. & 35. loquutum Græcè fuisse credendum est, cùm Latinus interpres verterit *panem, super quem gratia acta sunt*, & Cyprianus libro de Cœna Domini, *Panis*, inquit, *iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam salutémque proficit*, & Ambr. in libro de his qui mysterijs initiantur c. 9. & Iuuencus hunc locum interpretans.

lib. 4. hist. Euang.

——— *palmis sibi frangere panem,*
Diuisumque dehinc tradit sanctámque precatus,

Id est prece sanctificans.

Discipulos docuit proprium se dedere corpus.

Tertius superest, quòd existiment non peculiarem, & propriam huius sacramenti, sed vulgarem, & inter Iudæos vsitatam fuisse, quam Christus hoc loco dedit, benedictionem. Id sic refellitur primùm; cùm toties Christus cibum sumperit, quid est, quòd Euangelistæ non scripserint eum benedixisse, aut gratias egisse: nisi cùm aliquid singulare, & admirabile sua benedictione facturus erat? Tet tantum meminerunt Christum cibum benedixisse; primùm apud Matthæum c. 14. 19. & Marc c. 6. 41. & Lucam c. 9. 16. cùm volnit quinque illos panes multiplicare; secundo Matthæi 15. 36. & Marci 8. 6. cùm vellet multiplicare septem alios panes; tertio hoc loco, cum vellet panem in corpus suum, vinum in sanguinem transmutare. nam quod apud Lucam cap. 24. 30. in Emaus panem benedixisse, fregisse, ac duobus discipulis dedisse dicitur, eiusdem est generis, quia, vt postea probaturi sumus, etiam tunc corpus suum dedit. Præterea cur, cùm tres hæ, vt vulgò creditur, cœnæ fuerint, in cœna agni, & in cœna communi, quæ postea apponebatur, Euangelistæ non dixerunt, aut benedixisse Christum, aut gratias egisse, cùm Iudæi in cœna agni ea ceremonia potissimùm vterentur, vt etiam Hebræi tradunt, cum autem de Eucharistia loquuntur, eam benedixisse dicunt? Deinde, cur omnes hoc tam accuratè narrarunt, quasi ad rem maximè pertineret? Denique, cur sigillatim & de pane, & de calice narrarunt vtrumque benedixisse, vt Matthæus, & Marcus; aut ita certè scripserunt, vt facilè intelligi posset vtrumque benedixisse, vt cum Lucas ait, cap. 22. 20. *Similiter, & calicem postquàm cœnauit?* cum enim dicit *similiter*, significat eodem modo calicem accepisse, ac benedixisse, quo acceperat, ac benedixerat panem.

Ac fregit.) Et hæc vetus inter Iudæos fuisse dicitur ceremonia, vt paterfamilias initio cœnæ, qua agnus edebatur, panem vnum azymorum sumeret, & in duas partes diuideret, quarum alteram sub mappa absconderet, alteri sic benediceret. *Benedictus es Domine Deus noster, rex vniuersi, qui educis panem de terra*: aut sic, *Benedictus es Domine Deus noster, rex vniuersi in esu panis azymi*, vt ex eo libro Hebræorum, qui 12. 42. inscribitur, nonnulli tradiderunt. Sed nullo modo credendum est Christum nihil aliud, cum panem fregit, aut benedixit agere voluisse, quàm Iudæorum ritum obseruare; id enim in esu agni faciendum erat Iudæorum more. Christus non in esu agni, sed in noui sacramenti institutione fecisse dicitur; aut si in esu agni fecit, vt credibile quidem est, id Euangelistæ, tanquam nihil ad rem pertineret, præteremiserunt. In nouo autem sacramento fecisse omnes diligenter exposuerunt; noluit ergo Christus veterem Iudæorum obseruare ceremoniam, sed nouam instituere, & aliquid multo magis admirandum efficere. Quanquam non negauerim fieri potuisse, vt Christus, quia esum agni in esum corporis sui, id est figuram in veritatem mutare volebat, similem, non eandem ceremoniam benedicendi panem voluerit vsurpare; quod probabilius esset, si ritus ille panem azymum frangendi non Iudæorum traditione, sed legis præcepto inductus fuisset. Certè non eodem modo panem hunc fregisse Christum inde apparet, quòd omnes Euangelistæ narrauerint eum fregisse, quasi aliàs frangere non soleret, aut non eodem modo soleret, & quia Lucas c. 24. 35. scribit duos illos discipulos in fractione panis Christum cognouisse; quod vtique non fecissent, si eodem modo, eodem ritu panem Christus fregisset, quo omnes patresfamilias frangere solebant; manifestum enim est Lucam significare fractionem panis causam fuisse, quam ob rem à discipulis cognosceretur. Scio dici posse, quod & me aliquando docuisse, memini, discipulos illos duos vt accepti corporis Christi eum cognouisse, quasi Eucharistia oculos illis aperuerit. Id etiamnum mihi placet; sed si id admittatur miraculum, nostra etiam sententia confirmabitur, singulari quadam ratione Christum, cum corpus suum daret, panem fregisse, quando tam diligenter ab Euangelistis id explicatur. Sunt qui putent eiusmodi fuisse panem, vt manibus facile frangeretur; quibus nequaquam assentior, quia panis azymus fuit, qui magis glutinosus est, & ceterum difficillimè frangi potest; non ergo existimandum est manu necessariò panem fuisse frangendum: potuit enim & cultro diuidi, sed Hebræorum consuetudo est, vt frangere panem dicant, non solum cultro, sed manu frangitur, sed etiam cum cultro scinditur, immo verò etiam cum non scinditur, sed tantùm datur, quia dari rarò solet, nisi prius aut frangatur, aut diuidatur; *frange*, inquit, *esurienti panem tuum*, id est diuide panem, quem habes cum pauperibus Isaiæ 58. 7. & *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, Thren. 4. 4. vnde & tota actio, distributióque huius sacramenti fractio panis appellata est. Act. 2. 42. fecit igitur Christus duodecim ex pane partes, & singulis, singulas dedit; non, vt quidam putant, vni ex illis, qui proximo; proximus sequenti, & deinceps darent, hoc enim versu sequenti refutabimus. In manus, ad os dederit, non constat, sed coniectura non leuis est in manus dedisse; primùm quòd dicat, *accipite*, quia calicem in manus dedisse versu sequenti probabimus, & credibile est eodem modo dedisse corpus; denique quia si in diuidendo pane veteris Iudæorum consuetudinis rationem aliquam habuit, non est vero simile Iudæos diuisum panem in os ingerere consueuisse. Accedit, quòd longo tempore etiam in Ecclesia vsitatum fuit, vt sacrum Christi corpus in manus fidelibus traderetur, vt ex Tertulliano libro de spectaculis cap. de munere, ex Cyrillo Ierosolymitano Catech. 5. mystagogica, ex Augustino serm. 244. ex Chrysost. libro 3. de sacerdotio, ex Concilio 1. Toletano colligimus. Meliore tamen consilio eadem postea Ecclesia non in manus, sed in os sacramentum dare cœpit, quòd id & minus periculi, & multo plus haberet reuerentiæ; quemadmodum

quamus

quamuis Christus cœnatis corpus suum, & sanguinem dederit. Ecclesiæ consilium Augustinus laudat epist. 118. quòd ea relicta consuetudine non nisi ieiunis detur. Solent nos frangendi verbo hæretici valde, vt sibi videntur, vrgere, vt probent non rectè nos sacramentum hoc administrare, nisi multi adsint, inter quos distribuatur; propterea enim fractionem panis in sacris litteris appellari. Argumentum ex magna profectum insciti a; paulò enim antè dximus fractionem panis appellari, non quòd reuera frangatur, sed quod detur; nam qui quidquid habet panis pauperi confert, panem suum pauperi Hebræorum phrasi fregisse dicitur, quamuis vni tantùm dederit, vnus tantùm acceperit; quod si vnum tantùm discipulum Christus habuisset, illi proculdubio corpus suum dedisset; & quamuis re vera non fregisset panem; fregisse tamen, id est, dedisse diceretur.

Hoc est corpus meum.) Nihil his verbis in scripturis sacris dictum erat clarius, antequam hæretici, dum diuina mysteria sensu metiuntur, & verbo Dei humanæ rationis iudicium; fidei humilitati superbiæ suæ pertinaciam anteponunt; denique ad occultandam incredulitatem suam in figuris latebras quærunt, figmentorum suorum caligine obscurassent. Multa enim in Christiana religione difficiliora mysteria, & ab humano sensu remotiora & nos, & illi credebamus, Trinitatis, Incarnationis Christi, carnis resurrectionis. Nullum eorum in sacris litteris tam dilucidis, tam perspicuis, tam disertis verbis explicatum erat: vbi enim tam apertè scriptura dicit Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres esse personas, vnam essentiam, quàm Christus hic dicit, *Hoc est corpus meum?* Vbi tam distinctè, tam sine ambiguitate docet in Christo duas esse naturas, vnam tantùm personam, quàm ipse hìc docet se corpus, & sanguinem suum dare? vbi nos eadem, non alia, non spirituali, non simili carne resurrecturos tam explicatè testatur, quam testatur Christus se non figuram, non spiritum, non panem, non vinum, non aliud, quàm corpus, & sanguinem suum tradere? Hoc facilius, quàm illa creditu; illa paucioribus, quàm hoc, & minùs illustribus scripturæ testimonijs probabantur; pluribus, & maioribus ab alijs, & inter eos hæreticis refutati videbantur. Cur illa credunt, hoc etiam non credunt? Cur illic figuras non inueniunt, vbi Ariani, Marcionistæ, Manichæi, Origenistæ inuenire debant? hìc inueniunt, vbi illi non inuenerunt? Cur quando semel religionis lineas egressi sunt, non omnes gnauiter impij, & rebus omnibus hæretici sunt? Duæ, vt opinor, eos retinent causæ; altera, quòd non tantùm habeant ingenij, vt illorum mysteriorum difficultatem, quæ longiùs ab oculis absunt, sentire possint, tantum verò habeant, vt in hoc, quod oculis vident, manibus tractant, difficultatem percipiant. Veritatem non intelligant; altera, quòd sua eos incredulitas, quam pro fide ducem sequuntur, in hunc, qui magis apparebat, scopulum primùm impulerit, in alios impulsura postea, cum minoribus in rebus exercitati ad maiora molienda aptiores erunt. Habet enim hæresis, & incredulitas, sicut omnis doctrina, methodum suam, vt ab his, quæ notiora nobis, & propinquiora sunt sensibus exordiatur; & per gradus ad maiora, remotioráque perueniat. Expedientia docti loquimur; multos iam Caluinistas vidimus, qui ingeniosiores, & magis increduli, id est, magis Caluinistæ cæteris erant; eò iam peruenisse, vt qua ratione hoc prius mysterium non credebant, nunc Trinitatis mysterium non credant, cæterósque Caluinistas, sicut Caluinistæ nos, tanquam nimis simplices, & credulos rideant. Omnes enim Ariani, quos multis hodie locis succrescere videmus, & qui Poloniam iam omnem repleuerunt, ex Caluinistis nati sunt. Nonnulli progressi sunt longiùs, vt nihil crederent, quorum vnus cum libellum quendam his annis de arte nihil credendi composuisset, nihil in eo, nisi hoc vnum, verum dixit, oportere prius Caluinistam fieri, qui atheus esse volet. Fuerat ille antea Caluinista, fuit postea atheus, & vnicuique in sua arte credendum est. Verissima sententia; nam quisquis Caluinista est, si ea, quam ingressus est, incredulitatis via ire pergat, ad nihil credendum perueniat necesse est. Hæc à nobis non contumeliæ sed admonitionis causa dicta sunt, vt si qui fortè sunt eorum, qui non omnino obduruerunt, alieno admoniti periculo resipiscât, ostensóq; haud ita longè posito præcipitio pedem referant. Non solemus commentariorum fines egredi, & nunc si à via paululum egressi sumus, at non aberrauimus: scientes enim fecimus, quia intelligimus quanti referat, quem quis ad intelligendam, interpretandámque scripturam animum afferat. Commentariorum itaque pars est hæc ipsa digressio.

Cum de Trinitate disputaretur, in trium verbotum interpretatione omnis disceptatio versabatur; *Ego, & pater vnum sumus*, aut. *Hi tres vnum sunt*. Cum de incarnatione in aliorum trium explicatione; *verbum caro factũ est*. Cum de resurrectione in his tribus, *Mortui resurgent incorrupti*. Nunc, cum de Eucharistia agitur, in his item tribus, *Hoc est corpus meum*. Semper enim hæc quattuor mysteria coniungenda mihi videntur, cum aduersus Caluinistas disputamus: deniq; nobis faciendum, quod ij facere solent, qui dum in mare à piratis, aut in præcipitium à latronibus impelluntur, amplexantur impellentem, & arctè tenent, vt aut impellere desinat, aut in similem ruinam & ipse trahatur. Quod de Eucharistia noui nobis hæretici obiecerint, idem nos illis de Trinitate, idem de Incarnatione, idem de resurrectione mortuorum obijciemus, vt aut Eucharistiæ mysteriũ labefactare desinãt, aut illa simul labefactent; quod si fecerint, nemo non eorũ temeritatem, & impietatem videat. Ariani, Marcionistæ, Manichæi, Origenistæ multas in illis, quæ suprà posuimus, verbis interpretationes comminiscebantur, ne veram Ecclesiæ interpretationem reciperent. Lutherani, & Caluinistæ, quia minùs etiam illi resistere poterant veritati, innumerabiles in hæc tria verba, *Hoc est corpus meum*, commenti sunt: quas ne recitandas quidem ducimus, quia omnes vna tantùm, eadémque explicatione refutantur. In eo Caluinistæ & Zuingliani omnes conueniunt, non propriam sed figuratam esse loquutionem; cum figuram quærunt, alij in *pane*: alij in verbo *est*; alij in *corpore* inueniunt. Itaque singula separatim verba excutienda sunt.

Hoc.) Omnes & Lutherani, & Caluinistæ pronomen *hoc*, pro pane positum esse dicunt; quia panem Christus in manus acceperat, & continuò dixit: *hoc*, id est, hic panis, *est corpus meum*. Vnde Lutherani colligunt & panem in sacramento remanere, quia dixit, *hoc*, id est panis, & corpus Christi verè esse, quia dixit, *est corpus meum*. Caluinistæ verò panem quidem remanere; corpus verò Christi non verè inesse: quia non dixit, hic est corpus meum, sed, *hoc* id est, panis *est corpus meum*: quare cum panis corpus Christi verè esse non possit, & verè maneat; sequitur non esse corpus Christi, nisi figuratè, id est, corpus Christi significare. Vtrique hac vna syllaba pariter refelluntur: Lutherani quidem, quia si *hoc*, accipitur pro pane, cùm non dicat Christus, hic est corpus meum, sed *hoc est corpus meum*, necesse est, aut panem non remanere, si corpus Christi est: sed in illud transmutari, aut corpus

Hæreticorum patris & argumentum citra Eucharistiam refellitur.

Ex Caluinistissimo libro natis Arianis Genebrido a Valle Lutetiæ anno 1572. publicè exusto.

De Eucharistia disputatio cõtra hæreticos. Io. 10. 30. 1. Io. 5. 7. Ioan. 1. 14. 1. Cor. 15. 52.

Regula optima disputandi de Eucharistia contra hæreticos.

Cranmeri Caluinistarum archiepiscopi Cantuariensis confessio de Eucharistia corrigitur.

Eut. al. mutatus in Christus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi in sacramento non esse, si panis manet, fuerunt in eodem iam olim errore nonnulli ex discipulis Berengarij, quos similibus argumentis eius sæculi auctores refutarunt. Caluini quæ verò refutabuntur, si probemus pronomen *hoc* panem accipi non posse. Id autem euidentissimis argumentis demonstratur. Primùm, si Christus voluit dicere, *hoc*, id est panis, *est corpus meum*, quare vno verbo non dixit clariùs, hic panis est corpus meum? Id enim verborum continuatio postulabat, *accepit panem, & cum benedixisset, fregit, deditque discipulis suis dicès*, Hic panis est corpus meum. Deinde cur cùm tres Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas, & Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 11. 24. huius sacramenti institutionem exposuerunt, & soleant alijs in rebus verbis plerumque discrepare, dum alius obscuriùs, alius clariùs idem dicit, in hac re eodem omnes verbo vsi sunt, *Hoc est corpus meum?* Cur nemo aut casu, aut consilio, vt sententiam Caluini magis explicaret, dixit hic est corpus meum, aut hic panis est corpus meum? Obiiciunt fortassis, quod in aliam sententiam solent dicere, Ioannem id explicasse cap. 6. 5. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, & D. Paulum 1. ad Cor. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* & cap. 11. 26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis*, & ver. 28. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, & Lucam, qui in Actis c. 2. 42. hoc sacramentum fractionem panis vocat. Possem respondere, quod plerique viri docti, & Catholici responderunt, panem vocari, non quòd sit, sed aut quòd fuerit, sicut serpens, in quem virga Mosis conuersa fuerat, virga vocatur, Exodi 7. 12. aut quia speciem panis vt prius referat, sicut vocantur linguæ, quæ super Apostolos ceciderunt, Act. 2. 3. non quòd linguæ essent, sed quod linguæ speciem præ se ferrent; eáque responsio satis esset: sed non cogimur, meo quidem iudicio, vllam eiusmodi interpretationem quærere. Nego etiam atque etiam illis in locis, qui obiecti sunt, nomen panis, aut pro pane, aut pro panis figura accipi: non enim panis, sed corpus Christi panis dicitur, quod ex loco Ioannis, vnde cæteri explicandi sunt, perspicuum est. *panis*, inquit, *quem ego dabo*; cum enim dicit, *quem ego dabo*, clarissimè ostendit se non de pane loqui, sed de carne sua, quæ excellentiori quodam modo panis appelletur. Opponit enim se Mosi, & carnem suam mannæ; opponit etiam carnem suam, quam daturus nobis erat, vt eam ederemus, panibus illis quinque, quibus quinque hominum millia saturauerat, superãribus etiamnum duodecim fragmentorum cophinis ver. 12. 13. Cùm enim Iudæi Christum sequerentur, vt hunc illis panem sæpè daret, vt ipse testatur vers. 26. *Amen, amen dico vobis, quæritis me, nõ quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis*, illis panibus, panem hunc, id est carnem suam opponit; non ergo vocat panem verum panem, sed corpus suum, quod meliore quadam, & præstantiore ratione panis erat, sicut Ioan. 4. 13. 14. dicit Samaritanæ, *Omnis, qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternũ*, eo enim ipso, quòd dicit, *quam ego dabo ei*, & quòd eam aquam veræ aquæ opponit, apertissimè ostendit se non loqui de vera aqua, sed de gratia sua, quæ meliori quodã modo aqua vocatur. Itaque tantùm abest, vt ex loco Ioannis Caluinistæ, aut Lutherani possint vllum contra nos argumentum desumere, vt inde potiùs nos possimus sententiam de transsubstantiatione nostram cõfirmare, non enim solùm significat Christus se meliorem panem, id est carnem suam daturum esse, sed etiam panem daturum non esse, sicut dederat illis, qui paulò antè saturati fuerant: illi enim pani hunc opponit:

Quomodo panis Eucharistia in scriptura appellatur.

illum ergo non dedit, hunc dedit: ille in Eucharistia non est: hic id est, caro eius est. Ad eundem modum loci D. Pauli, & Lucæ intelligendi sunt, quod cum ex loco Ioannis, tum ex ipsis etiam auctoribus manifestum est, cum Paulus dicit, *panis, quem frangimus*, indicat se non de pane loqui, sed de corpore Christi, quod sicut Christus ipse, panem appellat. Illa enim descriptio, *quem frangimus*, addita est ad distinctionem veri, & naturalis panis, sicut apud Ioannem verbum illud, *quem ego dabo*: & cum dicit, *quotiescumque manducabitis panem hunc, & sic de pane illo edat*, illa adiuncta pronomina *hunc, & illum*, ostendunt ipsum non de vero pane, sed de corpore Christi loqui, quod panem appellet, quemadmodum cum Christus dicit, *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo*, relatiuum, *quam* distinguit gratiam Christi à vera aqua: cum autem dicit Lucas frangi panem, idem significat, quod D. Paulus. Dicet aliquis, corpus Christi non frangi, sed panem Respondeo corpus Christi dici frangi, cum datur, quia nomine panis appellatum fuerat, & à Prophetis etiam significatum, & panis proprium est frangi, quamuis corpus ipsum verè non frangatur, sicut gratia Christi verè non bibitur, & tamen loquens de ea Christus dicit, *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei*; nimirum quia gratiam suam aquam vocauerat, & aqua bibitur. Tertium argumentum quo probare possimus pronomen *hoc* non accipi pro pane, est, quòd, vt Latinè, sic & Græcè diuersi, quàm panis generis sit, panis ἄρτος masculini, τοῦτο *hoc* neutrius, non ergo ad panem referri potest, cum quo genere non conuenit. Dicent Caluinistæ pronomen illud Græcum τοῦτο, & Latinum, *hoc*, non adiectiuum esse, sed substantiuum, quod & multi Catholici dixerunt; ideòque opus non esse, vt cum pane genere conueniat; sed hunc esse sensum hoc, quod vobis do, est corpus meum, sed illud, quod dabat, erat panis. Primùm hoc tenemus pronomen *hoc* non distinctè accipi pro pane, sed argumentando obtinendum esse, vt pro illo sumatur. Deinde si substantiuum est, cur potius non sequamur interpretationem Christi. hoc, quod vobis do, est corpus meum, quàm Caluinistarum somnium, hoc, quod vobis do, est panis? Prætereà, vt concedamus substantiuum esse, cur vulgarem potius Catholicorum explicationem, quæ naturæ pronominis multo magis conuenit, non sequamur, vt pronomen *hoc* neque pro pane, neque pro corpore Christi sumatur, sed tantùm significet id, quod Christus daturus erat; &, vt vocant, indiuiduum vagum sit? Quanquam ego quidem omnibus viribus contendo adiectiuum esse, neque vlla ratione substantiuum esse posse, aut pro alia re, quàm pro corpore Christi accipi. Minimè dubium est, quin eodem modo hoc pronomen sumendum sit, cum de pane Christus dicit, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου *hoc est corpus meum*; & cum de sanguine dicit, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, *hic est sanguis meus*. Cum autem de sanguine dicit τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, *hic est sanguis meus*, pronomen non refertur ad vinum, sed ad sanguinem, quod ex Luca, & Paulo manifestum est, qui pronomen cum sequenti, non cum præcedenti coniunxerunt dicentes τοῦτο τὸ ποτήριον; ergo & cum dicit, *hoc est corpus meum*, illud *hoc*, non conuenit cum præcedenti pane, sed cum sequenti corpore; nec substantiuum, sed adiectiuum est, quia sicut illud cum sequenti *calix*, ita hoc cum sequenti *corpus*, vt adiectiuum cum substantiuo coniunctum est, ideòque non potest panẽ, sed corpus Christi demonstrare: Hoc Hieronymus, aut noster, quisquis fuit, vetus interpres rectissimè vidit, quia non dixit loquens de sanguine hoc est sanguis meus, quemadmodũ dicendum

illi erat. si pronomen τοῦτο, *hoc*, substantiuè positum esse putauisset, sed dixit, *hic est sanguis meus*, adiectiuè conuertens, quod D. Thomas pius, doctus, subtilis, & circumspectus interpres non animaduertit, eiúsque vulgaris opinionis auctor extitit, pronomen, *hoc*, substantiuum, & indiuiduum vagum esse. Ergo est, dicet aliquis, tautologia; nam si hoc accipitur pro corpore perinde est, ac si Christus diceret, hoc corpus meum est corpus meum. Hoc argumento valde miror homines etiam doctos à recta sententia dimotos fuisse; nec enim nouum est, sed vsitatum, immo, vt Dialectici docent, necessarium, vt in omni vera propositione subiectum, & attributum pro eodem accipiantur, tamen non omnis propositio vera tautologica est, quia tautologia nõ in acceptione, quam Dialectici suppositionem vocant, sed in significatione consistit, quando subiectum, & attributum non solùm pro eodem accipiuntur, sed idem etiam significant, nec idem solùm significant, sed eodem etiam modo; nam animal rationale est homo, non est tautologia, sed vera, recta, & prudenter enunciata propositio; quamuis animal rationale, & homo & pro eodem accipiantur, & idem prorsus significent; quia idem quidem, sed non eodem modo significant: homo enim totam naturam; animal rationale eandem naturam, sed distinctè, & per partes declarat. Si quis diceret, animal rationale est animal rationale; homo est homo, is ineptam committeret tautologiam: Eodem modo si Christus dixisset, corpus meum est corpus meum, tautologia vsus fuisset; cum autem dicat, *hoc est corpus meum*, quamuis *hoc*, pro ipso corpore Christi accipiatur, idémque significet, tautologia non est, sed rectissima, & vsitatissima locutio; quia idem non eodem modo significat; *corpus meum*, significat corpus Christi distinctè, ac nominatim, *hoc* non nominatim, non distinctè, sed, vt ita dicam, mutè, quémadmodum Galli solent dicere, cùm aliquis ita aduersus alium locutus est, vt non appellauerit, sed hominem designauerit, non nominauit illum, sed digito demonstrauit; quòd perinde est ac si nominasset; ita vulgò loquimur; hic est frater meus, vbi pronomen, *hic*, nec pro alia re, quam pro fratre meo accipitur, nec aliud eo loco significat, quamuis non eodem modo; nam cum voco frattem meum, nomino; cum dico *hic*, non nomino, sed, quod idem valet, digito ostendo; si quis autem diceret, hoc est frater meus, virgis cædendus esset, quòd præter consuetudinem Latini sermonis loqueretur. Nec minùs absurdè Christus loquutus fuisset, si dixisset, *hoc est corpus meum*, hoc substantiuè posito, quanquam in corpore, quia idem genus est, absurditas non apparet; in sanguine apparebit, si dicas, hoc est sanguis meus, quis enim homo prudens ita loqueretur? Quanquam scio Cyprianum aliquibi ita vertisse; sed sunt, qui locum corruptum putant. Ita scriptura loqui solet, *hic est filius meus dilectus*; *hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*, & multa similia. Dicet aliquis, cùm pater dicit, *hic est filius meus*, illud, *hic*, accipi pro homine, quasi dicat, hic homo est filius meus; fieri fortasse potest. Quid autem dicet homo iste acutus de hac propositione, hic est homo, cum hominem ostẽdo? pro quo dicet pronomen *hic* positum esse, nisi pro homine? nec enim pro animali positum est, quasi dicam, hoc animal est homo, cùm genus discerpet. Quam certum igitur, & perspicuum est in hac oratione, hic est homo, aut hic est panis, pronomen *hic* pro alia re, quàm pro homine, & pro pane, qui loco attributi positus est, accipi non posse; tam certum, atque perspicuum est hominí mediocriter docto Euangelistarum contextum Græcè legenti pronomen τοῦτο *hoc*, pro alia re, quàm pro Christi corpore non poni; sic enim habet, v. 26. λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον εὐλογήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε, λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Omnes ergo alias non solùm hæreticorum, sed etiam quorundam Catholicorum in hoc pronomen interpretationes constantissimè reiicio; hanc vnam firmissimè teneo, quæ ex Luca, & Paulo certissimis argumentis confirmatur, & Matthæi, & Marci Græco contextui sola consentanea est, & à nostro vetere interprete expressa, & quæ Catholicã de præsentia corporis Christi in Eucharistia sententiam maximè corroborat. Quod in scholis obiici solet, cum Christus pronomen illud pronunciauit, nondum eius corpus in sacrameneo fuisse, itaque non potuisse pronomine illo demonstrari, rectè in eisdem scholis, vbi constatum argumentum est, etiam dissoluitur; in eiusmodi propositionibus, quæ practicæ sunt, & efficaces, hæc pronomina demonstrare solere, id quod nondum est, sed per ipsam orationem fit, eáque finita erit. Cum Deus ex limo terræ hominem finxit, rectè, verèque dicere potuisset sumpto in manus limo, hic est homo, sicut Christus dixit, *hoc est corpus meum*, & cum ex costa mulierem fabricauit, sumpta costa dicere potuit, hæc est mulier. quamuis, cum pronunciasset pronomen *hæc*, nondum fuisset mulier, nec significasset, si ita loquutus fuisset, limum esse hominem, & costam mulierem, sed limum in hominem, costam in mulierem conuerti. Ita cum Christus dicit accepto pane, *hoc est corpus meum*, quamuis eius corpus nondum illic esset, tamen quia statim futurum erat, illud eo pronomine demonstrat, nec significat panem, quem acceperat esse corpus suum, sed mutari in corpus suum, quemadmodum si in Cana Galilææ, cum aquam in vinum mutauit, ostensa aqua dixisset, hoc est vinum, nec illud *hoc* aquam, sed vinum ostenderet; nec sensus esset aquam esse vinum, aut vinum significare, sed illo verbo in vinum esse conuersam. Quod exemplum eò magis est ad rem, de qua agimus, accommodatum; quòd ex alio simili Christi facto sumptum sit, & quòd eo veteres auctores ad probandam, explicandamque huius sacramenti fidem vsi fuerint, vt Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 4. mystagogica.

Est. Ex his, quæ de pronomine *hoc* dicta sunt, eorum error facilè refellitur qui putant verbum, *est*, accipi, pro significat; quam ad rem nimia quadam diligentia multa de scripturis sacris exempla accumulare student. *Petra*, inquiunt, *erat Christus*. Agnus erat Paschæ; & sexcenta alia, quæ passim iactare solent. Ego omnem istam exemplorũ telam vno verbo præcidam. Nego verbum substantiuum, aut Latinè, aut Græcè aut Hebraicè, aut vlla prorsus in lingua, quam ego nouerim aut in sacris litteris, aut apud alium vllum auctorem, etiam apud istos ipsos hæreticos pro verbo, significat, accipi solere, aut etiam posse; homines qui impertissimos, qui id dicant, esse affirmo. Nam in omnibus illis figuratis locutionibus, quæ ab istis afferuntur, aut ab vllo homine afferri, vel excogitari possunt, si quæ figurà est, non hæret in verbo *est*, sed aut in subiecto, aut in prædicato; cum dico, agnus est Paschæ, figura est in nomine Paschæ, quod nomen sumitur non propriè pro transitu; sed pro agno, qui transitum significabat; cum ostensa Herculis imagine dico, hic est Hercules, figura non est in verbo *est*, sed in nomine Herculis, quod cùm verum, & viuum Herculem natura sua significat, hîc pro Herculis figura positum sit; verbum enim *est* semper substantiam, aut, vt subtilis ille philosophus docuit, solam extremorum vnionem significat, & isti, qui verbo substantiuo figuram affingunt, ad Grammaticorum

Verbum substantiuum in scripturã nõ accipitur pro significat. 1. Cor. 10. 4. Exod. 12. 27.

Aristot. 1. de interpret. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbera mittendi essent, qui cum multa verborum simplicium, & compositorum figurarum genera esse dicant, nemo vnquam eorum dixit in verbo substantiuo figurâ reperiri, sed aut in subiecto, aut in prædicato, aut in verbis non substantiuis, vt ridet aget, luxuriat seges. Itaque videamus, an in nomine corporis figura sit. Nam in alijs duobus verbis certè non est.

Corpus meum.) In corpore, qui nullam non videt esse figuram, haud scio, an vllos mentis oculos habeat; si enim in corpore figura est, non accipitur pro vero corpore Christi. At pro vero Christi corpore accipi ex adiunctis manifestum est. Apud Lucam cap. 22.19. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Primùm non dixit, quod vobis datur, sicut dicendum erat, si figuratum dedisset corpus; sed *quod pro vobis datur*; dabat igitur illis aliquid, quod pro ipsis offerretur in peccatorum expiationem, qualis profectò figura corporis esse non poterat: solum enim verum Christi corpus pro nobis datum est. Posset Caluinista aliquis dicere sensum esse, *hoc est corpus meum*, id est figura corporis mei, quod pro vobis tradendum est. Huic sensui repugnat, quòd nullus Euangelista neque de corpore, neque de sanguine loquens futuro vsus sit tempore; sed omnes tres Euangelistæ, & præterea Apostolus Paulus præsenti vtantur; *quod pro vobis datur, qui pro vobis funditur.* Quòd si præsens pro futuro positum esset, aliquis profectò eorum futuro vsus esset; nec enim casu eadem omnes figura vsos esse credendum est. Possunt etiam dicere, quod quidam etiam eorum iam dixerunt, aut tempus præsens accipi pro futuro, aut, si pro præsenti accipitur, sensum esse, *quod pro vobis datur*, id est dari incipit, & *pro vobis funditur*, id est, incipit fundi, quia initium iam passionis erat. Primùm apparet hæc esse commenta, & confugia hominum nescientium, quam in partem se conuertant, deinde vtrumque commentum vno D. Pauli verbo refutatur, τοῦτο μέ ἐστι τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον *hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, quod de corpore Christi in cruce dici non potuit, quia sacramentalem locutionem esse constat; hic enim oportebat Caluinistas sacramentalem locutionem recognoscere; non, vbi non est, fingere. Diximus suprà hoc eodem versu corpus Christi dici frangi, quatenus sub panis specie, & sacramento est, quia panis frangitur; itaque extra sacramentum frangi non dicitur, ac ne in cruce quidem, vbi etiam D. Ioannes tanquam mysterium adnotauit latronibus crura confracta fuisse, Christo non fuisse, quia scriptum erat Exodi 12. 46. *Os non comminuetis ex eo*, Ioan. 19.36. Deinde cum D. Lucas, & Paulus de calice loquuntur, ita scribunt, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μέ τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, hoc est poculum nouum Testamentum in meo sanguine, quod pro vobis effunditur; sic enim vertere voluimus, vt ambiguitatem tolleremus; quæ in nostra versione est, in qua non apparet, vtrum illud, *qui pro vobis effunditur*, ad calicem, an ad sanguinem referatur. Græcè verò dubium non est ad calicem esse referendum, quia sanguis est in tertio casu, ἐν τῷ αἵματί μέ τὸ ἐκχυνόμενον, *qui funditur*; aut si id participio passiuo exprimi posset, fusus, in nominatiuo, quemadmodum si Latinè verteres, hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine pro vobis fusus; manifestúmque esset effusionem non ad nomen sanguinis, sed ad nomen calicis esse referendam. Quamquam calix effundi non dicitur nisi quia qui intus est, liquor effunditur; id tamen nihil refert, hoc nobis satis est, quod inde euidentissimè probatur non agi de effusione sanguinis in cruce, sed in sacramento, cùm calix pro nobis dicatur effundi, qui non in cruce, sed in sacramento fusus est. Quæ autè sensu aut calix, aut sanguis Christi in sacramento fundi dicatur, ver. 28. explicabimus. Præterea qui hoc ad crucem referunt, vim, & artificium verborū Christi, non intelligunt. Acceperat Christus panem, benedixerat, fregerat, porrigebat Apostolis dicens, *Hoc est corpus meum*, addit, *quod pro vobis datur*; quis non videt his extremis verbis vim, pretium, & fructum eius rei, quam porrigebat, commendata voluisse, & vt Comicus ille dixit, ornare munus verbis? dabat enim corpus suum non apertum, sed sacramento celatum, poterant Apostoli existimare se solum panem accipere soli ventri profuturum, & minori, quàm par erat, habere in pretio: Christus affirmat se non panem, sed corpus suum dare: & corpus suum, quod pro ipsis tunc oblatum remissionem illis peccatorum offeret. Non commēdat fructum crucis, de qua non agebat, sed fructum sacramenti de quo agebat. Obiiciet aliquis, quod Matthæus, Marcus, cum de calice loquuntur, non dicunt qui pro vobis effundetur, sed *qui pro multis effundetur*, quasi non ad solos Apostolos, sed aut ad omnes, aut ad multos alios Christus verba dirigeret; quare non posse Christum de solo Eucharistiæ fructu loqui, sed ad crucem potiùs eius orationem pertinere. Hanc obiectionem versu 28. ommino diluemus, vbi probaturi sumus illud, *pro multis*, idem esse, atque *pro vobis*, vt Lucas, & Paulus dixerunt: nam & Apostoli, qui aderant, multi erant, sed quia Iudas, qui vnus erat ex illis, corpus & sanguis tuus nihil profuturus erat, aut ipse Christus aut quod ego magis credo, Euangelistæ Matthæus, & Marcus, vt id applicarent, nō dixerunt *pro vobis*, ne omnes cōprehendere viderentur, sed *pro multis*, vt aliquis exceptus significaretur. Præterea quemadmodum de corpore omnes Euangelistæ dicunt, *Hoc est corpus meum*: ita de calice Lucas, & Paulus dicunt, *Hic est calix*, apud Lucam autem, & Paulum nomen calicis non potest accipi figuratè; ergo apud Euangelistas, & apud eundem Paulum nomen corporis figuratè accipi non potest. Quòd autem nomen calicis figuratè non accipiatur, ex eo, quod paulò ante adnotauimus, manifestissimum est. Ipse enim calix dicitur fundi, ergo verus calix est, sed quia dicit, *Hic est calix in meo sanguine*, quod perinde est, ac si diceret, *Hic est calix in meo sanguine*, & quod Matthæus, & Marcus dicunt, *Hic est meus sanguis*. Solent Caluinistæ hunc nobis locum passim obiicere, sed non poterant vllum mouere lapidem, qui maiorem super illos ruinam traheret. Vociferantur, hanc orationem, *Hic est calix*, constat figuratam esse, ergo & illa, *Hoc est corpus meum*, figurata est. Nos contra; hanc orationem *Hic est calix*, constat figuratā non esse, ergo illa, *hoc est corpus meum*, figurata non est. Videndum quis opinionem suam meliùs probet. Ostendant illi, vbi figura sit. In verbo est? iam docuimus esse non posse; in nomine calicis? ergo non accipitur pro vero calice, sed pro figura calicis; quemadmodum dicunt illi corpus non accipi pro vero corpore, sed pro corporis figura. At hoc imperitè, absurdè, & ridiculè dictum est: verum enim calicem Christus porrexit. At dicunt figuratè nomen calicis accipi, quia pro sanguine ponitur: Hoc etiam absurdius est. Primùm, quia perinde esset, ac si Christus diceret, hic calix id est, meus sanguis, vt illi interpretantur, est meum testamentum in meo sanguine; quid ineptius dici potuit? deinde, quia si figura in nomine calicis esset, eadem vtique esset, quam in nomine corporis esse dicunt. At in corpore hanc dicunt esse figuram, vt nomen corporis pro figura corporis accipiatur, ergo & in calice, si qua figura est, hæc est, vt nomen calicis pro figura calicis positum sit. Deinque

que si figura est in calice, certè in sanguine non est; quæ enim esset absurditas, *Hoc est calix sanguinis mei*, id est, figura calicis, figura sanguinis mei? ad hunc enim modum eorum sententia oratio esset necessariò resoluenda. Deinde si figura esset, ea esset, quam in illa sua tam decantata oratione esse dicunt, *Petra autem erat Christus*; at in illa aut nulla figura est, aut non est in nomine Christi, sed in nomine petræ, nec enim sensus est, vt omnes Caluinistæ mira semper ignorantia putauerunt, petram esse figuram Christi, sed Christum esse petram. trāspositā enim verba sunt, *petra autem erat Christus*, pro Christus autem erat petra: itaque nomen petræ non subiectum, sed attributum est, vt ex circunstantibus perspicuum est; *bibebant autem de consequente eos petra*, 1. ad Cor. 10.4 non consequebatur autem eos vera petra, sed Christus. petra enim immobilis manebat. Christus eos antecedebat, & cibum illis, ac potum dabat; hoc est, *bibebant autem de consequente eos petra, petra autem erat Christus*, id est, Christus erat petra illa, de qua bibebāt; quæque eos consequebatur. Cuius transpositionis causa fuit, quòd soleant Hebræi vltimum verbum præcedentis orationis initio sequentis ponere, *In principio creauit Deus cælum & terram: terra autem erat inanis*, Genes. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, sic quia dixerat, *bibebant de consequente eos petra*, repetiuit nomen petræ, *petra autem erat Christus*. Figura ergo si qua est, non est in nomine Christi, quod pro vero Christo, non pro eius figura positum est, sed est in nomine petræ, quia Christus non verè erat petra, sicut non verè vitis non verè leo, sed similitudine quadam, quia Ecclesiæ fundamentū erat. Ea autem figura non est, quam in his verbis, *Hoc est corpus meum*, Caluinistæ esse dicunt, id est, hoc est figura corporis mei: sensus enim esset, Christus erat figura petræ, quòd absurdissimum est: itaque concidit arx illa super hāc petram ædificata, qua omnes docti, indocti Caluinistæ sese defendere solebant. Deinde quis dubitat eodem modo hoc loco nomen corporis accipiendum esse, quo apud Ioannem capite 6.51. nomen carnis accipitur? *panis quem ego dabo, caro mea est*: certum enim est, quod illic promiserat, hic tradidisse, & nomen panis declarat, quòd non accipitur pro corpore Christi, nisi quatenus sub specie panis datur: nam quod isti negant agi illo capite de Sacramento tam impudenter negant, vt opus non sit hoc loco refutare, & est à multis viris doctis integris etiā scriptis libris refutatum: & ipsi ex eodem cap. nobis obiiciunt illud, *caro non prodest quicquam*, quasi Christus agat de Sacramento. Illic autem nomen carnis non potest accipi, nisi pro vera carne; nec enim figura in carne, sed in pane est. neque vocat panē carnem suam, sed carnem suam panem. quasi dicat caro mea est panis ille, quem ego dabo. Opponit enim, vt dixi, panem illum vero, & naturali pani: ergo cum dicit *Hoc est corpus meum*, nulla in corpore figura est, sed nomen corporis verum significat corpus Christi. Et verò si Christus dixisset, hic panis est corpus meū, vt illi, si non verbis, sensu dixisse putant; tamen non possemus interpretari, vt illi interpretantur, hic panis est figura corporis mei, sed hic panis est verum corpus meum, non tamē verus panis, sicut apud Ioannem ita interpretentur necesse est, *panis quem ego dabo, caro mea est*; vera quidem caro, sed non verus panis. Ad hæc si figuratè Christus his verbis loquutus fuerat, mirum profectò est neminem Euangelistarum, aut D. Paulum, qui omnes eandem huius sacramenti institutionem narrauerunt, figuram exposuisse, maximèque cùm scirent non multo ante tempore Capernaitas simili oratione offensos fuisse, Ioā. 6.60 & cùm soleant Euangelistæ in rebus multo minoris momenti quod aut figuratè, aut obscurè à se, vel ab alijs dictum est, explicare. Dixerat Christus Ioann. 2.19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Figuratè corpus suum templum appellauerat, nec erat magnopere necessarium, vt id intelligeremus; explicauit tamen idem Ioannes v. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Dixerat Ioannis 12.32. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, vbi nulla figura, sed obscuritas tantùm in dicto erat, explicat tamen Ioannes v. 33. *Significans*, inquit, *qua morte esset moriturus.* Dixerat Matthæi 16. 6. *Cauete à fermento Pharisæorum*, quod & obscurè, & figuratè dictum erat; Christus ipse explicat versu 11.12. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis, cauete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum? Tunc intellexerunt, quia non dixerit, cauendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.* Dixerat apud Ioannem 15.1. *Ego sum vitis vera*, exponit, v. 4. *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Appellauerat D. Paulus Ecclesiam corpus Christi ad Colossē. 1.24. *Adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius*: figura erat in corpore; non enim pro vero & naturali Christi corpore sumebatur; explicat statim, *quod est Ecclesia.* Quis credat, si simulis hoc in nomine corporis figura esset, neminem ex quattuor Euangelistis, & vno Apostolo Paulo aut casu, aut consilio explicaturum fuisse? Præterea cum Christus dixerit se Apostolis corpus suum dare, & solerent in rebus multo clarioribus dubitare, si aut obscurè, aut per figuram dictæ essent, cur nemo eorum de hac locutione dubitauit? si figurata erat, cur nemo interrogauit Christum, quid sibi vellet? Dubitauerant de parabola seminis, & seminantis Matthæi 13. 3. explicat illis Christus etiam non interrogantibus versu 18. Dubitauerant eodem cap. v. 36. de parabola zizaniorum, interrogant Christum, & ab eo interpretationem elicium versu 3. Sanè si figuratè Christus loquutus fuisset, & figuram non explicasset, dubios, & multis erroribus expositos Apostolos reliquisset; præsertim cùm hæc illius nouissima fere verba fuerint, quæ oportebat esse quàm clarissima; quis enim prudens testator vltimam suam voluntatem obscuris, aut figuratis declarat verbis? Ad hæc locus D. Pauli 1. ad Cor. 11.27 manifestissimus est: *Itaque quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*; cur rei sunt, si verum corpus, verumque sanguinem non accipiunt? solent dicere Caluinistæ reos esse corporis, & sanguinis Domini, quia etiam si verè non sumant, sumunt figuram, eamque iniuria afficiunt, aut in figura corporis, & sanguinis corpus ipsum, & sanguinem inhonestè & irreuerenter tractant. Hoc à nobis fortasse dici posset, ab illis non posset, qui nec sacramentis vllam reuerentiam deberi putant, & nos rident, quòd dicamus eundem honorem imaginibus, atque rebus per imagines significatis tribuēdum esse, & exemplum, quo vti solent, aptum non est. si quis, inquiunt, regis sigillum in terram proiiceret, aut perfringeret, reus læsæ maiestatis esset. Nam ponunt pro certo, quod probandum erat sacramenta esse sigilla; quod multis à nobis argumentis in scholis Theologicis refutatum est. Proponant igitur exemplum in regis imagine; an si quis ergà eam minus se rectè habeat, læsæ maiestatis reus erit? sanè non erit, aut concedendum illis est, quod tantopere negant, etiam imaginibus rerum significatarum honorem exhibēdum. D. Paulus cur, qui indignè manducat, & bibit, reus sit corporis, & sanguinis Domini, rationem reddit, *non diiudicans*, inquit. v. 29. *corpus Domini*; propterea enim

Hilpra. rem. in cadilli.

cap. 11.

De imaginum veneratione obiter cōtra hæreticos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Corpus Christi in scripturatribus modis accipitur.

Ioã.1.14.

Tib. 4. Instit. c. 17.

Inharm. Euang.

Ioan. 20. 30.

Ioan. 1. 14.

manducent sibi manducat, & bibit, quia reus est corporis, & sanguinis Domini; propterea reus est corporis & sanguinis Domini, quia corpus Domini non dijudicat, id est, nõ alia reuerentia, quàm alium panem accipit: loquitur igitur de vero corpore, & sanguine Christi. Adde, quòd in scriptura tribus tantùm modis corpus Christi dici reperiamus, primùm propriè pro naturali, & vero corpore Christi, secundò metaphoricè pro Ecclesia ad Colossen 1.24. Tertiò pro Euangelio, aut veritate veteribus figuris respondente ad Colosſ. 2. 16. 17. *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum; quæ sunt vmbra futurorũ: corpus autem Christi*, & plures acceptiones non inuenimus. Itaque hoc loco, cùm neque pro Ecclesia, neque pro Euangelio sumatur, vsus scripturæ docet nos pro vero, & naturali corpore esse sumendum. Res deniq; cuiusuis hominis errore nõ occupari iudicio relinquatur; si Christus voluisset dicere se dare verum corpus, & sanguinem suum, vtrùm clariùs, apertiùs, explicatiùs, distinctiùs dicere potuisset, quàm dixit, *Hoc est corpus meum*, & *hic est sanguis meus*? cur ergo quod clarissimè dictum est, ne credere cogamur, figuris obscuramus? Argumentatur Caluinus contra alios sibi similes hæreticos, qui Christum solam figuram dedisse dicunt: *Si Deus*, inquit, *nec fallere, nec mentiri potest, consequens est ipsum omnia, quæ illis significat, reipsa implere, ac præstare: necesse est igitur nos in cœna vere corpus, & sanguinẽ Christi recipere*, & in commentarijs, *frustra iubet et suos Dominus panem edere corpus suum esse affirmans, nisi effectus vere ad figuram accederet, etsi enim nihil illic præter panem cernimus, non tamen frustratur nos, vel ludit, qui animas nostras suscipit carne sua alendas; igitur, non figno tantùm monstratur, sed reipsa quoque exhibetur carnis Christi manducatio.* Argumentatur inquam Caluinus aduersus Zuinglianos, quia Christus mentiri non potuit, aut nos fallere, atque deludere, non figuram solam, sed verum corpus, & sanguinem suum nobis dare, & nos ex eius argumento contra illum argumentemur, Christus mentiri non potuit, aut nos fallere, atque deludere, ergo cum dixit, *accipite, & manducate, hoc est corpus meum*, non solùm sacramentum, sed verum etiam corpus suum dedit; & rursum, quia non dicit hoc erit corpus meum, cum manducabitis, sed *hoc est*, sequitur sub illo sacramento, quod dabat, corpus suum dedisse. Diximus initio huius disputationis hoc mysterium non esse ab alijs Trinitatis, Incarnationis, & Resurrectionis mysterijs seiungẽdum; nunc verò monstrandum est hoc eodem iure, & , si fieri potest, etiam meliore nos credere, & sine vllis figuris interpretari, quàm Caluinistæ cætera tradunt. Hic enim, vt probauimus, nullam illi figuram reperire possunt, in alijs mysterijs veteres hæretici reperiebant, & ex scripturis confirmabant: *Ego & pater vnum sumus*, interpretabantur Ariani vnum non natura, & essentia, sed concordia, consensionẽque voluntatum; probabant scripturis, *multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna*, Actor. 4. 32. &, *vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te*, Ioan. 17. 21. Quid ad speciem tam probabile Caluinistæ ex scripturis proferre possunt, vt hanc orationem, *Hoc est corpus meum*, figuratam esse doceant? *Et verbum caro factum est*, Marcionistæ & Manichæi per figuram exponebant, id est, similitudinem carnis accepit; id etiam scripturis probare videbantur, Rom. 8. 3. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati de peccato damnauit peccatum*, & ad Philipp. 2. 6. 7. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Quos triumphos agerent Caluinistæ, quos cõtra nos clamores tollerent, si aliquem in sacris litteris locum reperirent, vbi Christus formam, aut similitudinem corporis sui nobis dedisse diceretur? Mortuos resurrecturos esse figuratè etiam Origenistæ intelligebãt, non quòd eadẽ resurrecturi essent carne, sed quòd alia induendi non vera, non corporea, sed cælesti, & spirituali, eodẽ planè modo, quo isti dicunt nos sumere quidem corpus Christi, sed spiritualiter. Probabant illi ex D. Paulo 1. ad Cor. 15. 44. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, & rursum, *Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Allegabant alij expressa, vt videbatur scripturæ testimonia, quibus futura resurrectio negari videretur, Iob. 14. 12. *Homo, cum dormierit, nõ resurget, donec atteratur cælum, non euigilabit, neque consurget de somno suo*, & Psalm. 77. 39. *Spiritus vadens, & non rediens*, & Psalm. 48. 12. *sepulchra eorum domus eorum in æternum.* Quid Caluinistæ facerent, si aliquod scripturæ testimonium haberent, vbi diceretur, corpus Christi nobis non dari, sicut illis in locis dici videmus mortuos non esse resurrecturos? At his veterum hæreticorum testimonijs rectè Catholici respondebant. Rectè quidem: sed rectiùs, & faciliùs nos omnibus testimonijs, quæ Caluinistæ ad probandam figuram suam afferre solent, vt paulò post apparebit. Denique mirum est interpretationem istam Caluinistarum nemini post Apostolos in mentem venisse, nisi Bertramo, & nescio an Bertramo, à nemine receptis, à tota statim Ecclesia condemnatis. Nos veterum patrum sententiam, interpretationẽmque sequi profitemur, quod, vt appareat, non omnia (nec enim capiemus) commentarijs, sed illustriora quædam eorum testimonia proponemus. Iustinus Apologia 2. pro Christianis, *Non*, inquit, *vt communem panem, nec vt communem potum hæc accipimus; sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Christus seruator noster & carnem, & sanguinem salutis nostræ causa habuit, sic & per orationem verbi ipsius, cibum, in quo gratiæ actæ sunt, εὐχαριστηθεὶν τροφὴν, ex quo sanguis, & carnes nostræ per transmutationem muentur, illius ipsius incarnati Iesu & carnem, & sanguinem esse edocti sumus, ita enim Apostoli in suis commentarijs, quæ Euangelia vocantur, nobis tradiderunt.* Ita docet Iustinus panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi conuerti: sicut in carnem, & sanguinem nostrum, cum edimus, & bibimus, conuerti solet. Cyprianus in lib. de cœna Dominica, *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro.* Soleo ridere, cum Caluinistas hanc Cypriani sententiam interpretantes audio, natura, inquiunt, mutatus, id est vsu, quia nunc est sacramentum, ante non erat. Scilicet ea mutatio tam difficilis erat, vt omnipotentia verbi, vt ait Cyprianus, opus esset. Cyrillus Ierosolymitanus, Catech. 4. mystagogica, *Fecerat ex aqua vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate, & non erit dignum cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutauerit? si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendũ miraculum operatus est, an non multo magis corpus, & sanguinẽ suum filijs sponsi dedisse illum confitebimur? quare omni cum certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis, vt sumpto corpore, & sanguine Christi efficaris & comparticeps corporis, & sanguinis. Sic enim & nos gestabimus*, id est, Christum in nobis ferimus, atque ita, vt D. Petrus dicit, *diuinæ naturæ consortes efficiemur*, & eadem Catechum. 4. sub finem. *Qui videtur panis, non quod panis, etiam si gustu ita appareat, sed corpus Christi, & quod videtur vinum, non est vinum, etiam si gustus,*

Tr. 26. in Ioã.

Ioann. 6. 56.

Ierem. 17. Ecclesiast. 24. Ephes. 5. 30.

Ioan. 6. 57.

Ioan. 6. 58.

Ioan. 6. 64.

Ioan. 6. 64.

*Ioan. 6. 64

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exod.16. 14. Psal.77. 24. Sap. 16. 20. Ioan.6. 31. Significatio Amen.

Trãssubstantiatio. Ioann.6. 53.

1.Cor.10. 17.

1.Cor. 6. 29. Io. 6.56.

Cyrilli illustre exemplum vnione Christi in nobis cũ Christo in Eucharistia Ioann.6. 53.

Caluinistarum argumẽta cõtrà Eucharistiã soluuntur

tionem meam. *Magnum quidẽ, & venerabile, quod manna Iudæis pluit è cœlo, sed intelligẽs quod est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi? corpus Christi vtique, qui auctor est cœli. Deinde manna qui manducauit, mortuus est, qui manducauerit hoc corpus, siet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum. Ergo non otiose, cum accipis, tu dicis, Amen, iam in spiritu es fruens, quod accipias corpus Christi. Dicis tibi sacerdos, corpus Christi, & tu dicis, Amẽ: hoc est, verum, Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Gregorius Nazianzenus in oratione 2. in sanctum Pascha. *Atque confusione, & dubio comede corpus, & sanguinem bibe, neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deroges, neque ob passiones offendaris, sed firmus, & cõstans, & stabilis, nec propter aduersariorum sermones fluctues.* Gregorius Nyssenus orat. Catechet. cap. 37. *Recte nunc quoque credo Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus transmutari,* & Leo sermone 6. de ieiunio septimi mensis, *Dicente Domino, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, sic Dominicæ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis, & sanguinis ambigatis,* & Cyrillus Alexandr. lib. 10. commentariorum in Ioann. cap. 13. *Verum quoniam nulla nos ratione humanitati Christi posse ista attribuere arbitratur: quoniam fide atque dilectione, non carne illis coniungimur, age panca de hoc dicamus, ac peruersè ab eo sacrarum litterarum sensum exponi ostendamus. Non tamen negamus vecta nos fide, caritateque syncera Christo spiritualiter coniungi: sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse: id profecto pernegamus, idq; à diuinis scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitauit Christum etiam vitem esse, nos vero palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Addi Paulum dicentem, Quia omnes vnum corpus sumus in Christo. Quia etsi multi sumus, vnum tamen in eo sumus. Omnes enim vno pane participamus. An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit cõmunicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium membra Christi sunt? Nescitis, inquit, quia membra vestra, membra sunt Christi? membra igitur Christi meretricis faciam membra? absit. Saluator etiam; Qui manducat carnem meam, ait, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solum, qua per charitatem intelligitur Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram aliæ cerę similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtriusque factum videatur: sic communicatione corperis, & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci; nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Non cordis mihi hæc dicenti Christo (te obsecro) fidem præbe. Amen, amen (inquit) dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Non amo longos commentarios. & qui alienis descriptis testimonijs in molem crescant: sed locus hic adeo est ad informandam rectam fidem necessarius, vt non debuerim, tam illustria, tamque efficacia grauissimorum auctorum testimonia prætermittere, vt intelligat lector nec nos aliter credere, nec aliter, quàm omnes vetares auctores scripturam interpretari. Nunc Caluinistarum argumenta diluenda nobis sunt. Habent semper in ore, *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam* Ioann. 6.63. Eius loci explicationem ex commentarijs in Ioannem lector petat, ne duobus locis cogamur eadem iterare; speramus enim fore, vt in omnes simul Euangelistas commentaria simul exeant. Aliud argumentum solet

A ex his locis sumere, quibus videtur hoc sacramentum etiam post consecrationem panis appellari, sed eos locos omnes paulò superiùs explicauimus. Tertium sumunt ex nomine calicis, in quo figuram esse volunt. Id etiam à nobis solutum est, & ver. sequenti omnino diluetur, vbi docturi sumus Christũ verbis illis vsum non fuisse, sed disertè, & explicatè dixisse. *Hic est sanguis meus*, vt Matthæus, & Marcus scribũt, itaque non est, quòd ibi hæretici figuram quærant; vbi etiam si reperirent, nihil probarent. Vnus reliquus locus est 1. ad Cor. 10. 3. 4. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Inde enim colligunt, nos nisi spiritualiter Christi corpus non manducare, & sanguinem eius bibere. Valde miratur, si hæretici non essent, tam parum istos habere oris, vt eum nobis locum obiicere non puderet. Quis enim tam cæcus est, vt non videat sensum D. Pauli non esse veteres Hebræos eandem nobiscum spiritualem escam, sed eandem ipsos inter se manducauisse? sed id ex fine capitis præcedentis versu 26. & 27. & initio huius 10. quod citant vsque ad vers. perspicuum est. *Ego, inquit, sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Hæc erat propositio, quam sequenti capite confirmat. *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto,* quasi diceret quemadmodum maiores nostri, etsi ijsdem interse sacramentis vterentur, ijsdem à Deo afficerentur beneficijs; non omnes salui fuerunt, sed multi in deserto prostrati: ita ego etsi ijsdem vobiscum vtar sacramentis securus esse non debeo, sed *pugno, vt sapiens ille admonet, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Deinde ex initio eiusdem capitis id manifestum est, *Nolo*, inquit, *vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt.* Cum enim id dicit, non comparat eos nobiscum, qui sub nube nunquam fuimus, sed sub sole iustitiæ; sed comparat ipsos inter se; ergo & cum dicit, *Eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt.* Præterea cum dicit, *sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, ver. 5. manifestè indicat se ante non eos nobiscum, sed inter se comparauisse, inepta enim alioqui esset argumentatio: nam non potuit ita argumẽtari; eandem illi nobiscum spiritualem escam manducauerunt, & tamen non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, ergo fieri potest, vt neque nos Deo placeamus: nec enim contra Christum D. Paulus argumentaretur, qui comparans panem illum, id est, carnem suam cum manna, quod veteres Iudæi manducauerunt, ait apud Ioannem cap. 6. 49. 50. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, hic est panis, de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Denique, versu 58. addit D. Paulus, *hæc autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum*; vbi applicat, & accommodat ad nos, quæ ante de Iudæis dixerat, ergo ante de solis Iudæis loquebatur. Non sum conteturus telum hoc extorsisse hostibus, nisi retorsero. Inde igitur argumentor; Scriptura vocat escam spiritualem quam Hebræi manducauerunt, & potum spiritualem quem biberunt, vt ab esca, potúque nostro discernat, nostram verò escam, & nostrum potum nusquã spiritualem vocat: ergo illa spiritualiter tantùm, nostra verò etiam re ipsa sumitur. Hæc sunt aut omnia scripturæ testimonia, quibus hæretici abutuntur, aut quæ

plus certè probabilitatis habere videbantur, quæ quasi sint, vel mediocriter prudens lector iudicabit. Adferunt & rationes multas, sed dignandum non est illis respondere, præsertim in commentarijs, vbi nihil prætermittere debet, aut, si respondendum est, non hic, sed in scholis respondendum, vbi subtilius ista tractantur. Et satis nobis esse debet, si omnibus rationibus vno verbo respondeamus; nos Christianos, non Philosophos esse; rationes nostras esse verbum Dei, eo, quod eum expressum, & luculentum habeamus, nihil moramur, quid naturalis ratio suadere videatur. Nam tamen eorum rationem non præteribo, quòd maximè Theologicam esse putent. Hanc, inquiunt, locutionem; *Hoc est corpus meum*, manifestum est esse sacramentalem: ergo sacramentaliter intelligenda est. Primùm possem respondere, si sacramentalis locutio est, non verè, non realiter, non substantialiter, vt Caluinus docet, ac loquitur, sed solo sacramento, vt Zuinghiani volunt, corpus, & sanguinem Christi nobis dari: sed breuius, expeditiúsque respondeo ignorare eos, quid sit locutio sacramentalis, putant enim eam esse, qua signum externum asseritur, res significata excluditur: hoc enim eorum principium est, si est sacramentum corporis Christi, corpus Christi non est præsens, existimant enim rei significatæ præsentiam cum signo repugnare. Sed nos sacrarum litterarum exemplis refutamus. Arca veteris testamenti signum quoddam, & veluti sacramentũ erat, quo diuina maiestas significabatur, doctore etiã Caluino; at qui maiestas diuina præsens erat. Columba illa, qua Spiritus sanctus in Christum descendit, haud dubium, quin eiusdem Spiritus sancti signum fuerit, & quasi sacramentum. Quis dicat Spiritum sanctum nõ fuisse præsentem? Linguæ igneæ, quæ super Apostolos cecidunt Act. 2. 3. Spiritus sancti signum erant; significabant enim fore, vt Spiritus sanctus per Apostolos variis linguis loqueretur; atqui non erat absens Spiritus sanctus. Discant igitur, *hoc est corpus meum*, etiamsi agatur de sacramento, locutionem non esse sacramentalem. Errant enim in eo vehementer, vt homines in litteris parum exercitati, quòd quicquid de sacramento dicitur, sacramentaliter dici putent. Nam cum de aqua baptismi dico, hæc est aqua, non sacramentaliter, sed verè, propriéque loquor. Eodémque modo cum Christus dicit, *hoc est corpus meum*: sacramentalis locutio esset, si aqua diceretur esse regenerationis, & deutibus teri, quemadmodum D. Chrysostomus locutus est; hæc enim non possunt nisi sacramento tenus intelligi, quia non corpus Christi proprié frangitur, sed sacramentum.

27. *Et accipiens calicem gratias egit.*) De verbo εὐχαριστήσας gratias agere ver. præcedenti disputauimus. Hîc tantùm obseruandum est Christum separatim calicem, & panem benedixisse, quia omnes Euangelistæ id expressérunt, aut certè indicarunt, vt cum Lucas, & Paulus dicunt *similiter & calicem, postquam cœnauit*; cum enim dicunt *similiter*, perinde est, ac si dicant, similiter accepit, & similiter benedixit.

Bibite ex hoc omnes.) Clamant hîc aduersarij nostri, nos contra expressum Dei verbum altera sacramentorum specie defraudare populum, cùm Christus summo consilio, quasi præuidens errorem nostrum, quod de corpore suo non dixerat, de sanguine dixerit, *bibite ex hoc omnes.* Cur ergo illi infantibus sanguinem Christi non porrigunt? nam & illi aliqui sunt, præsertim cùm eos baptizent, & eorum opinione magis sit necessarium corpus, & sanguinem Christi sumere, quàm baptizari; cum vnum illi locum, quo baptismi necessitas comprobatur, *nisi quis renatus*

A *fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ioan. 3. 5. deludant, & de sacramento baptismi intelligendum non esse dicant. Cur non dant sanguinem Christi excommunicatis, si Christus neminem excipi iubet? Ergo non ideo Christus dixit, *Bibite ex hoc omnes*, cum calicem daret, cùm id de corpore nõ dixisset, quòd magis sanguinem suum, quàm corpus commendare vellet, sed quòd corpus singulis sigillatim porrexisset, calicem verò non singulis, sed vni, qui proximo, proximus sequenti, & deinceps daret. Quia ergo calicem vni tantum tradidit, ne videretur velle, vt ille solus biberet, dixit, *bibite ex hoc omnes*, vt Lucas c. 22. 17. clariore verbo explicauit. *diuidite inter vos*, quod neminem nostro præsertim tempore animaduertere memini, quo tempore hoc verbum incredibiles multis molestias attulerit. Lucas bis calicis meminit; primùm dixit calicem Christum accepisse, egisséque gratias, ac dixisse, *Accipite, & diuidite inter vos*, sed non dixit eum dixisse. hic est calix in sanguine meo. Deinde v. 20. *similiter & calicem post quàm cœnauit dicens, hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.* Itaque Hieronymus, quem multi recentiores interpretes secuti sunt, duos calices fuisse putat. Ego Augustino potiùs assentior libr. 3. de consensu Euangelistarum cap. 1. & Euthymio in huius loci commentarijs, vnum tantùm fuisse calicem, de quo Lucas non seruata narrationis serie bis mentionem fecerit, primùm per anticipationem, deinde suo loco.

28. *Hic est sanguis meus.*) Quæ in horum verborum explicationem desiderari possunt, ver. 26. dicta sunt.

Noui testamenti.) τῆς καινῆς διαθήκης sanguis. inquam, ille noui Testamenti. διαθήκη propriè dispositionem significat, itaque ad omne fœdus pertinet, cuius species vna est testatio vltimæ voluntatis; sed ad Testamentum, quo vltima voluntas declaratur, plerumque accommodatur, sicut disponendi verbum apud nostrum interpretem, *disfone*, inquit, *domui tuæ, quia morieris*, Isaiæ 38. 1. Hebraicè נְצֻוֶה, eadem significatione appellatur. D. Paulus in epistola ad Hebræos c. 9. 16. 17. pro Testamento interpretatur loquens & de veteri & de nouo Testamento; *vbi*, inquit, *Testamentum est, diathẽn, mors necesse est intercedat testatoris.* Itaque nimis putidi Grammatici sunt Caluinistæ, & Lutherani, qui vetus, & nouum fœdus, quàm vetus, & nouum Testamentum appellare malunt; Marcus ijsdem quibus Matthæus verbis scribit, *Hic est sanguis meus noui Testamenti*, Lucas verò c. 22. 20. Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, *Hic calix nouum Testamentum in meo sanguine.* Paulus autem 1. Cor. 11. 25. *hic calix nouum Testamentũ est in meo sanguine*; vnde Hæretici dupliciter argumentantur. & quòd Christus dicat *Hic est calix*, &; *hic calix est nouum Testamentum*, quod vtrumque necesse est figuratè dictum esse. De figura calicis vers. 26. satis diximus. De altera figura, déque toto sensu horum verborum nùc dicendum est. Nec multis opus est verbis. Nego Christum hæc verba dixisse. Cùm enim Matthæus, qui aderat, & Marcus, qui ex Matthæo didicerat, scribant Christum his verbis sanguinem suum tradidisse, *hic est sanguis meus noui Testamenti*, cùmque vtróque modo Christus dicere non potuerit, &, *hic est sanguis meus noui Testamenti*, vt Matthæus, & Marcus, &, *hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine*, vt Luc. & Paulus scripsérunt, nisi fortè inepta repetitione vti voluisset, æquum est credere Matthæi potiùs, & Marci, quàm Lucæ, & Pauli verbis Christum vsum fuisse. Deinde quia verba Matthæi, & Marci magis exprimunt, quod Christus agebat; id enim agebat, vt darer

Mala Caluinistarum fœdus potius quam Testamẽtum vertunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpus,& sanguinem suum, quòd autem sanguinem suum noui Testamenti appellauerit,id obiter & explicationis gratia dictum est, vt apud Matthæum,& Marcum apparet; Lucas autem,& Paulus ita videntur loqui,vt si Christus id ipsis primis egisset, vt potius declararet se nouum Testamentum,quàm sanguinem suum dare; credendum igitur est verbis potius Matthæi,& Marci,quàm Lucæ,& Pauli vsum esse. Et vt singamus ita dixisse,vt apud Lucam,& Paulum scriptum est; tamen nec sensus esset,quem hæretici esse putant,nec vllum inde ad confirmandum suum errorem argumentum possent sumere. Si enim Christus dixisset; *hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine*,vt Lucæ verba vertenda sunt,Hebraismo vsus fuisset,*in meo sanguine*, id est,mei sanguinis,vt Matth.& Marcus sine Hebraismo dixerunt.Cum ergo idem sit, *hic est calix in meo sanguine*, &, *hic est calix sanguinis mei*,fingamus hoc posteriori modo Christum dixisse, nulla profecto figura esset; nam *hic est calix sanguinis mei*, nihil aliud significat,quam in hoc calice est sanguis meus.nec magis figurata oratio est,quàm si dicas, hæc est amphora vini,hoc est vas aquæ.Videamus an in nomine Testamenti figura sit. Illi,qui ad figuras omnia reuocant, figuram esse contendunt,quia calix nouum Testamentum appellatur. Ego,qui non figuram, sed veritatem quæro, figuram nullam inuenio. Videmus enim in omnibus linguis nomen fœderis multa significare,& res.de quibus fœdus sancitur,& symbolum,quo sancitur,vt percussio porcæ apud veteres Romanos fœdus erat. Itaque sine vlla figura vocabatur; & vetus Testamentum non solùm dicebatur,quòd Deus ex vna,Hebræi ex altera parte facere debebant; sed etiam promissio ipsa diuina, vt sæpè dicit,*propter pactum*,& sanguis ille, quo tanquam externo symbolo initum fœdus erat. idque sine vlla figura,quia hæc omnia nomen significabat. Apud Lucam oratio sine verbo est,itaque dubitari potest,& à multis disputatur, vbi subintelligendum verbum sit, *Hic*, inquit, *calix nouum Testamentum in meo sanguine*; duobus enim locis verbum poni potest,aut post pronomen,*hic*,*hic est calix nouum Testamentum*.vt *calix*,per appositionem,*nouum Testamentum* appelletur;aut post nomen *calix*,*hic calix est nouum Testamentũ in meo sanguine*,qu o sensu videtur dixisse Paulus verbo postposito,*hic calix nouum Testamentũ est in meo sanguine*. Sed ego quidem non dubito,quin statim post pronomen *hic* verbum ponendum sit. Cum enim Matthæus,& Marcus.vt diximus,non solùm sententiam,sed verba etiam Christi recitauerint,ex illis Lucæ,& Pauli verba non solùm intelligenda, sed etiam ordinanda sunt. Præterquam quòd,vt modo diximus,non erat Christo propositum.vt nouum Testamentum,sed vt sanguinem suum traderet.Itaque credendum non est dicere voluisse,*hic calix est nouum Testamentum*;sed *hic est calix sanguinis mei*,qui calix est nouum Testamentũ. Quare ad hunc etiam modum verba D.Pauli quamuis transposita sint,redigenda sunt. Scribit, *hic calix nouum Testamentum est*, id est,hic est calix nouum Testamentum. Meritò dubitabit aliquis, cur Lucas, & Paulus non dixerunt,hic est calix nouum Testamentum sanguinis mei, aut clariùs,hic est calix sanguinis mei nouum Testamentum.Respondeo Hebraismum esse,*in meo sanguine*,id est, per meum sanguinem,quo propterea vsi sunt, quia calicem nouum Testamentum appellauerant, & meliùs dicitur nouum Testamentum per sanguinem, aut, quod idem est,in sanguine,quàm sanguinis; sed quod ad sensum attinet, is est, quem Matthæus, & Marcus clarissimis verbis expresserunt,*hic est sanguis meus noui Testamenti*.Cur autem noui Testamenti sanguinem suum Christus

4.Reg.13 23. 2.Paral. 21.7.

Cur sanguis noui Testamẽti appellatus.

appellauerit,digna commentarijs quæstio est. Solebant omnes ferè gentes victimarum sanguine sancire fœdera; aliquando & legimus solitos,qui aliquod inter se,quod sanctissimũ, & inuiolabile esse vellent, fœdus stabilirent,tractũ ex proprijs venis sanguinem bibendum alterum alteri tradidisse, & quod nostro tempore fieri soleat.Hoc Christus facit dato ad bibendum Apostolis sanguine suo;nouum fœdus,id est testamentũ sancire voluit;duodecim enim,qui aderant, Apostoli omnis Ecclesiæ,cum qua fœdus ineebat,personam repræsentabant. Id ergo Christus voluit vetbis etiam exprimere. Præterea alludit ad veteris Testamenti institutionem, quod sanguine sanctificatum vituli dedicatum fuerat Exodi 24.8.videtur etiam ad verba ipsa Mosis alludere, qui sumpto, aspertoque sanguine in populum dixit, *hic est sanguis fœderis*,quod *mandauit ad vos Deus*. Opponit ergo se Mosi,sanguinem suum vitulorum sanguini, Apostolos populo Iudæorum, aspersionem aspertioni, Testamentum Testamento.Asperserat Moses Hebræorum populum extrinsecus vitulorum sanguine; aspersit Christus Apostolos intrinsecus sanguine suo; hanc fortasse vim habere potest participium illud ἐκχυνόμενον, *quod effunditur*,id est,qui aspergitur. Nouum autem Testamentum appellat nouum pactum, quod non iam cum solis Iudæis,vt prius,sed cum omnibus omnino gentibus, quæ Euangelium receperint; confirmauit, vt *omnis,qui credit in eum,non pereat,sed habeat vitam æternam*,vt ait D.Ioan. Alludit ergo ad nouum illud fœdus,quod Deus per prophetas sæpè promiserat,Isaiæ 59.21.Ier.31.31.32.33.Atque hanc fortasse emphasim habet articulus ille Græcus apud Matth.& Marcum τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. *Hic est sanguis meus noui illius Testamenti*,id est,illius noui Testamẽti,quod promissum erat, & de quo sæpe audiuistis. Vnde intelligitur,cur, cum de corpore loqueretur nullam de nouo Testamento mentionem fecerit cum autem de sanguine,fecerit;nimirum,quia sanguine fœdera sanciebantur;non vt existimat Origenes,quòd eius sanguine redempti simus; nam & eius carne redempti sumus. Deinde colligitur Christum ibi nouum Testamentum constituisse, non in cruce,vt noui hæretici contendunt; non enim sensus est hic est sanguis, quo sancietur, sed quo sancitur nunc nouum Testamentum, & quidem, cum initur fœdus, patres præsentes esse oportet.aliqua miscere verba,aliquod dare symbolum:in cruce nihil eiusmodi factum est; Christus desertus erat, & quasi capite minutus, cum sola matre,& D.Ioanne loquutus est,sed de rebus tamen priuatis, non de publico fœdere locutus est; hîc omnia fecit, quæ ad fœderis celebritatem desiderari poterant;cum Apostolis, id est cum tota Ecclesia eratin conuiuio vbi solent fœdera celebrari,sanguinẽ suum dedit,quo tanquam symbolo fœdera feriuntur, verba dixit,quibus se fœdus inire cum Ecclesia declarat, *hic est sanguis meus noui Testamenti*. Hîc ergo nouum Testamentum constitutum est;vnde & illud rectius colligitur, eum tunc sacrificium obtulisse, sine quo nulli fœdera non poterant.Cum ergo sanguinẽ suum Apostolis tradit dicens,*hic est sanguis meus noui Testamenti*, in possessionem noui Testamenti eos mittit. Colligitur etiam Christum verum dedisse sanguinem. Opponit enim sanguinem suum sanguini vitulorum,tanquam figuræ veritatem.

Qui pro multis.) Eodem vsus est Marcus.Lucas autem,& Paulus dixerunt,*qui pro vobis*.Vtrumque simul dixisse vero simile non est,cùm ad præsentes verba dirigeret: vtro autem modo dixerit, omnino non constat, sed coniectura ductus probabilissima affirmare audeo potiùs dixisse *hic est sanguis,qui pro vobis effunditur*,

ditur,quàm,*qui pro multis*. Primùm,quia cum solis Apostolis loquebatur. Deinde,quia,vt supra diximus, munus illis commendabat, volebátque declarare, quid illis, quibus portigebat sanguinem suum, profuturus esset; quare ex verbis Lucæ,& D.Pauli.Matthæi,& Marci verba exponenda sunt.vt idem sit, *qui pro multis effunditur*, &, *qui pro vobis effunditur*.non vt Euthymius, & Theophylactus existimant, vt idem sit *pro multis*,atque pro omnibus, quos hic Caluinus peruersò omnino consilio sequutus est,si tamen legerat; nec enim nominat,cùm alibi docere soleat Christum non pro omnibus, sed pro solis prædestinatis mortuum esse; nec sensus est,qui pro multis effunditur, id est prædestinatis,vt multi etiam Catholici interpretes exponunt. Quinimmo nec pro omnibus, qui aderant,significat sanguinem suum fundi: minus enim est,*pro multis*,quàm *pro vobis*: nam perinde est, ac si dicat,*Hic est sanguis meus,qui pro vobis*, id est,pro plerisque vestrum effunditur; itaque multos opponit omnibus, qui aderant. Cum ergo Christus dixisset, *hic est sanguis meus,qui pro vobis effunditur*,quia certum erat eum noluisse Iudam etiam comprehendere, pro quo eius sanguis quoad effectum & fructum attinet, non effundebatur, Matthæus & Marcus, vt id explicarent, optimo consilio non verba, sed sensum referentes dixerunt,*qui pro multis effundetur*. Obiiciet aliquis, Ecclesiam sentire vtrumque Christum dixisse, *qui pro vobis,& pro multis effundetur*. Respondeo Ecclesiam nihil definire,sed cum alij Euangelistæ dixissent,*pro multis*,alij,*pro vobis*,ne in re dubia errare posset,vtrumque coniunxisse.

Effunditur.) qui effunditur,de cuius præsentis temporis vi verf.26.disputauimus,vbi etiam docuimus ad crucem referri non posse.Hoc loco videndum est,quo sensu Christus dixerit tunc sanguinem suum fundi. plerique putant sensum esse, qui funditur ad bibendum; nam & in mensa,cum ad bibendum;vinum perimus, puero dicimus, funde vinum: ita vt alludat Christus ad verba Mosis Exodi.24.8.Conuenit cum hac opinione nomen calicis,qui ad bibendum fundi solet; nec enim alia ratio cogitari videtur posse, cur Lucas, & Paulus nomine calicis, quo Christus,vt diximus, vsus non fuerat, vsi sint; nisi, vt significarent, quem ad finem sanguis funderetur;nimirum,vt Apostoli biberent; bibimus enim calicem. Magis eorum probo sententiam, qui interpretantur, *funditur*, id est offertur, sacrificatur. Primum, quia non dicit, qui vobis funditur, vt dicendum erat, si ad bibendum funderetur,sed *qui pro vobis funditur*,quod cum sacrificio optimè conuenit;sacrificium enim non hominibus,sed pro hominibus offertur. Deinde quia cum Christus tradens corpus suum etiam dixerit, *Hoc est corpus meum,quod pro vobis datur*, non potest alia fingi causa, cur Matthæus, & Marcus id de solo dixerint sanguine, nisi quia existimarunt ad declarandam sacrificij naturam satis esse,si id de sanguine dicerent.in quo sacrificij vis maximè cernitur. Denique eodem sensu de corpore dictum est, *quod pro vobis datur*,& de sanguine,*qui pro vobis funditur*.At cum de corpore dicitur,*quod pro vobis datur*,non potest esse sensus, quod pro vobis datur ad edendum, sed quod pro vobis sacrificatur;ergo &,cum de sanguine dicitur,*qui pro vobis effunditur*. Dicet aliquis nomen calicis,quo Lucas, & Paulus vsi sunt, huic interpretationi repugnare; dicitur enim apud illos non sanguis, sed calix effundi, τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον; calix autem non effunditur ad sacrificandum, sed ad bibendum. Respondeo & alias gentes solitas fuisse victimarum sanguinem poculis exceptum sacrificare, quod propriè libare dicebatur.

Supponunt alij cultros,tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris:

Virgilius 6. Aen.

Inquit ille,cum de sacrificio quodam loqueretur,& Moyses ipse,cuius hîc figuram Christus explebat,sanguinem vitulorum accepisse dicitur, haud dubiè patera,deinde in populum dispersisse,Exodi 24.6.7.

29. *Non bibam amodo.*) οὐ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου. de hac generatione, aut de hoc fructu vitis. Vetus interpres, vt Græcum verbum exprimeret.Latinis inusitato verbo vsus est. Non dubium, quin genimen vitis periphrasis vini sit; quanquam in scriptura parum vsitata. Cur ea Christus vsus fuerit,paulò pòst exponemus. Solet scriptura alia in eandem sententiam vti periphrasi, vt vinum, *sanguinem vuæ*,vocet,Gen.49.11.Deut.32.14. Quid Christus vitis generationem hîc appellet, magna est quæstio. Caluinistæ non dubitant,quin id, quod Apostolis porrexerat, vitis fructum. id est, vinum vocet; vt vbique panem, & vinum asserant, Christi corpus, & sanguinem excludant. Et quidem Origenes tract. in Matthæum 30.& Cypr. in epist ad Cæcilium 68. & Chrysost.hom. in hunc locum 83. & Epiphan.hæres. 47 contra Encratitas,Hieron. in commentarijs, Augustin.libr.1.quæst. Euangel.cap.42. Beda.Euthym.& Theophylact. hoc loco ad sanguinem Christi referunt; sed alio tamen sensu,quàm Caluinistæ. Nam Caluinistæ dicunt Christum id, quod Apostolis dederat,vinum appellasse,quia vinum erat; hi verò auctores sanguinem suum vocasse vinum, sicut carnem suam apud Ioannem panem appellauerat,& per periphrasim generationem vitis, quia ipse erat vitis vera, Ioan.15.1.Qui horum auctorũ sententiam sequi voleт, meminerit hoc modo interpretari, ne Caluinistarum errori affinis esse videatur. Confirmari hæc interpretatio videtur ex Matthæi,& Marci narratione, atque contextu, qui cum dixissent Christum accepisse calicem,discipulis tradidisse dixissèque, *hic est sanguis meus*,addiderunt statim hæc verba,*non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Sed persuadere mihi non possum hæc verba ad sanguinẽ Christi esse referenda:Primùm quia quod hîc Matthæus. & Marcus de calice Christum dixisse scribunt, Lucas ea.22.15.16. scribit etiam de Pascha.id est de agno dixisse, *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar, dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud,donec impleatur in regno Dei*: ergo hæc verba quæ Matth.& Marc. referunt Christum de calice dixisse,non de eo calice dixit, quo sanguinem suum dedit, sed de eo, qui in cœna agni Paschalis, vt supra docuimus,à patrefamilias inter accumbentes distribui solebat. Deinde quia non reddit Christus rationem,cur sanguinem suum dederit: nam dato sanguine aliam rationem reddiderat,*qui pro vobis effunditur*, sed reddit causam, cur desiderauerit eam cœnam cum Apostolis agere,quia victima futura erat,vt Lucas explicauit. Præterea dubium non est Christum consueto hominum more loquutum fuisse, qui ab amicis longè discessuri ita solent dicere, non bibemus amplius simul; id autem non dixisset Christus de sanguine suo, qui etsi verus erat,dabatur tamen sub ceremonia, atque sacramento,sed dixisset de vera,& iusta cœna cui magis verba illa conueniebant. Denique,quod sequitur,*donec bibã illud nouũ in regno patris mei*,vt statim docebimus, non potest intelligi nisi de cœlo: in cœlo autem non erat bibiturus sanguinem suum.non verè,non metaphoricè; vinum autem metaphoricè bibiturus erat, *Ego*, inquit,*dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnum,ut edatis,& bibatis super mensam meam in regno meo*.Lucæ 22.29.30.Ergo non de sanguine suo,sed de vino dixit, *non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Vnde colligo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quemadmodum supra diximus illos, qui apud Lucam duo videntur esse, calices non duos. sed vnum calicem esse, quemadmodum Augustinus & Euthymius existimant; hoc vno ab illis dissentio, quòd illi de illo ipso vno calice putent dixisse Christum primùm quidem, *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, non tamen dixisse, *hic est sanguis meus*; posteà verò dixisse, *hic est sanguis meus*, sed non dixisse, *non bibam amodo, &c.* Ego contra non solùm existimo Lucam per anticipationem ante tempus calicis meminisse, sed etiam in illa ipsa anticipatione narrasse eo loco, quod Christus ante de alio calice dixerat, *non bibam a modo de hoc genimine vitis*. Nisi fortè dicamus vnum & eundem calicem fuisse, quo Christus in Paschali, & communi biberat cœna. & quo post sanguinē suum dedit; cúmque primum in Paschali biberet cœna, ea verba dixisse, *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, nec exhausisse calicem; sed aliquid in eo vini mansisse, quod posteà in sanguinem suum consecratum Apostolis dederit; ideóque ita Euangelistas hæc verba cum calice illo confudisse, vt de eo calice, quo sanguinem suum Apostolis dedit, nisi diligentiùs lector animum attendat, dicta fuisse videantur. Hoc mihi certum est de sanguine Christi dicta non esse. Matth. igitur, & Marcus non seruato, vt sæpè faciunt, narrationis ordine verba, quæ ante calicis consecrationem Christus dixerat, post consecrationem posuerunt.

Donec bibam illud nouum.) Quidam interpretantur nouum, id est nouo modo, quod ipsum non ad vinum, sed ad Christum referunt, quasi dicat, donec renouatus, id est glorificatus illud bibam. Ita Chrysost. Euth. & Theoph. quos plerique recentiores interpretes secuti sunt. Hic sensus aliquando etiam mihi placuit, modò non placet; & quia nimis dura locutio est, *nouum*, id est, nouo modo; maximèque, si ad diuersa, vt isti auctores volunt, referatur; & quia pronomen *illud* pati non videtur, vt ita interpretemur, quod ad vinum proculdubio refertur; itaque vinum ipsum nouum appellatur: nouum igitur dicitur, non quòd nouo modo bibendum sit, sed quòd alterius generis, id est præstantius, atque iucundius futurum sit quale illud erit, quo omnes beati in cælo inebriandi esse dicuntur: *Inebriabuntur*, inquit, *ab vbertate domus tuæ*, Psal. 35. 9. Solent enim Hebræi, quorū phrasim Christus sequutus est, quicquid præstantius est, atque suauius nouum appellare. *Cantate*, inquit, *Domino cantic. cum nouum*. Psal. 95. 97. 149. 1. id est iucundum.

Nouum apud Hebræos, q suaue & excellens est, dicitur

In regno patris mei.) Quidam non malè interpretes, nec malo animo interpretantur, regnum patris initium noui Testamenti, quod in ipsa cœna cœpit. cum Christus corpus & sanguinem suum noui Testamenti dedit, quod ideo faciunt, vt genimen illud vitis vinum, quod ante Christus biberat; nouum autem genimen, id est, nouum vinum Christi sanguis intelligatur. Pium studium sed minimè necessarium. Nam regnum patris non posse de institutione noui Testamenti intelligi verbum illud, quo Matthæus, & Marcus vsi sunt, planum facit *vsque in diem illud, quo illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei*; dies enim ille non poterat eadem esse nox, minus etiam eadem hora, qua nouum Testamentum Christus instituturus erat; quin, vt posteà docebimus, non quemuis diem, sed remotissimum demonstrat. Deinde, qui hoc dicunt, non videntur animaduertere, quo consilio hoc Christus dixerit; non enim dubium voluisse eum spem discipulorum alere, & animos præcedentibus deiectos verbis, *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, verbis sequentibus excitare, *donec illud bibam vobiscum nouum in regno patris*; quo eodem consilio narrat Lucas dixisse eum postquàm corpus, & sanguinem suum dederat, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. Ita enim Apostolos moriturus consolatur, quemadmodum si moriens pater filio senti dicat se amplam illi hæreditatem relinquere, non esse, quòd moriem suam defleat. Hoc autem non de noui Testamenti institutione, sed de possessione vitæ beatæ dici putauit. Alij regnum patris Ecclesiam vocari putant, vt Hieronym. & Beda. Alij tempus illud quadragintà dierum, quibus post resurrectionem cum Apostolis sæpè edit, ac bibit, vt Chrysostom. Theophylact. & Euthym. Sed hæ duæ interpretationes ijsdem quibus prima argumentis refutari possunt. Nam dies ille non potest nisi longissimum, & postremum diem demonstrare, sicut dies iudicij, *dies ille*, vocari solet 2. ad Thess. 1. 4. & 2. ad Thess. 1. 10 & 2. ad Timot. 1. 12. 18 & 4. 8. Præterea illud etiam obseruatur in sacris literis, quamuis regnum Dei aliquando pro Ecclesia, aliquando pro Euangelio accipiatur, tamen regnum Patris nunquam nisi cœlum, vocari; ideo, vt opinor, quòd solus Pater nunquam videatur de cælo descendisse. Deinde illud etiam obseruo, quotiescunque de eloquio regni cælorum scriptura mentionem facit, regnum cælorum nec pro Ecclesia, nec pro Euangelio, sed pro vita beata poni solere, *Sariabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua* & Matth. 8. 11. *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum*, & Luc. 14. 15. *hæc cum dixisset, quidam de simul discumbentibus dixit illi; Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*, & cap. 22. 29. 30. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*, & Apoc. 19. 9. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*, quæ omnia sine vlla dubitatione de cælesti, beatáque vita intelliguntur, ergo & quod Christus hic dicit, *in regno patris mei*, cùm de bibendo agat. Denique si regnum cælorum pro alia re, quàm pro beatitudine sumatur, haud video, quomodo vinum illud nouum conuenienter exponi possit; nam si de sanguine Christi interpreteris, post resurrectionem bibisse non constat, aut si bibit, non potuit tam exiguum temporis momentum designare. Si de vino, post resurrectionem non nouum, sed verus bibit; nam illud nouum, id est, nouo modo iam reputauimus. Cum vita autem beata nouum vinum optimè conuenit, quia, vt diximus, Hebræorum more nouum, id est præstans, suaue, & iucundum appellatur, qualia veteres poëtæ nectar, & ambrosiam esse fabulabantur. Atque ad hunc modum Origenes tract. in hunc locum 35. & Greg. Nazianzenus in oratione 2. in sanctum Pascha, & Beda, quamuis ipse quidem Beda allegoricè interpretatur. Obiicit quidam, cui primam interpretationem omnium minimè probabilem sequuto hæc nostra non placuit, credendum non esse Christum tam exiguo verborum intertallo, verbi significationē mutauisse, vt genimen vitis, nunc verum vinum, nunc metaphoricum, id est, beatæ vitæ suauitatem appellaret. Ledis in re graui ratio, & quæ non minùs sui auctoris, quam nostram sententiā refutare potest; nam si, vt ille ait, vinum nouum sanguinem suum Christus appellauit, verbi etiam mutauit significationem. Sanguis enim Christi non verum, sed metaphoricum vinum est. Tenendum ergo memoria, quod cap. 8. 22. admonuimus, solere Christum in eadem oratione vno eodémque verbo ambiguè vti, nō solùm sine vitio, sed cum magna etiam orationis elegantia, & argutia, subtilitatéque sententiæ. *Dimitte*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos*, priori loco mortuos metaphoricè, posteriori verè mortuos appellat, & in illo exemplo, quod huic, de quo agamus, simillimum

simillimum est Ioan. 4. 13. 14. *Omnis, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*: primo loco aqua propriè secundo metaphoricè vsus est. Melius obiici posset, quòd Christus dicat, *non bibam ex hoc, donec bibam illud*, nam cum dicit *ex hoc*, & periphrasi describit verum vinum demonstrat, & cum dicit, *donec bibam illud nouum*, idem ipsum vinum intelligit quia ad illud, *hoc*, illud, *illud*, refertur. Respondeo hæc pronomina hoc loco nec individuum, neque speciem, sed totum genus, quod nomine vini sine propriè, sine metaphoricè contineatur, demonstrare, sed ex circumstantijs intelligi pronomen *hoc* accipi pro vero vino, *illud* pro metaphorico; petinde enim est, ac si diceret, non bibam deinceps vinum, donec bibam illud vobiscum nouum in regno patris. Alij obiiciunt; quòd Christus post resurrectionem, antequàm ad cœlum ascenderet, sæpè cum Apostolis ederit, ac biberit, vt Petrus testatur Actor. 10. 41. Primum possemus negare bibisse vinum, quia id scriptura non dicit; sed vt concedamus, quia probabile est si non semper, aliquando bibisse; verba Christi humano, & consueto more intelligenda sunt; cumque dicit, *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, tantum significat se posteà non esurum, & bibiturum cum Apostolis, sicut antea; ibat enim ad mortem: edit quidem, & bibit cum Apostolis post resurrectionem; at non consueto more, vt naturæ necessitati satisfaceret, sed obiter, raptim, & tantum, vt se resurrexisse demonstraret; edit & bibit; & solet de his rebus, quas alio modo, quàm ante, post resurrectionem egit ita loqui, quasi non egerit: *hæc, inquit, sunt verba, quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum*, Lucæ 24. 44. quasi tunc cum illis non esset; nempe quia ita cum illis erat, vt non nisi aliquando illis appareret, cæterum inuisibilis, non vt ante ita vt semper cum illis esset, semper ab illis videretur, semper cum illis ederet, ac biberet. Eodem igitur modo, edit post resurrectionem suam cum Apostolis aliquando edit, & bibit, tamen quia id non nisi veluti per transennam fecit, non ducit in numerum. Hinc ratio colligi potest, quam in hunc locum supra distulimus, quam ob rem Christus periphrasi vsus sit. Sunt qui dicunt alludere voluisse ad consuetam gratiarum actionem Iudæorum; quæ his, vt ferunt, verbis concepta erat; *Benedictus sis tu Domine Rex mundi, qui das nobis fructum vitis*. Id nec omnino probo, nec reprehendo; sed illud mihi videtur probabilius, Christum emphasis causa ita loquutum esse: plus enim est, & maiore cum exaggeratione dicitur, non bibam ex fructu vitis, quàm non bibam vinum sicut magis exaggeratè idem dicit, qui negat se quicquam, quod terra ferat, esturum esse, quàm qui negat se cibum vllum sumpturum, quamuis nullus cibus sit, quem terra non ferat, quia periphrasis illa, atque descriptio orationi vim addit.

Et hymno dicto.) καὶ ὑμνήσαντες, cùm laudem Deo cecinissent; hæc enim tria Græca dictio complectitur. Itaque non solus Christus, sed etiam Apostoli hymnum dixerunt vt Origenes, & Hilarius adnotant; quamuis Beda non considerans Græcum verbum à solo Christo dictum putet. An cecinerint, non satis constat; sed quia id verbum propriè significat, probabile est, & exemplum cantus Ecclesiastici accommodat; inde colligens neminem debere ante gratiarum actionem, quæ in hoc fit, ab Ecclesia discedere. Sunt qui putent Christum visitatum aliquem Iudæorum hymnum cecinisse. Nam Euangelistæ quasi de vsitato hymno dicunt. *Et hymno dicto*. Paulus Purgensis scribit Iudæos loco gratiarum actionis septem Psalmos recitare solitos, id est à Psalmo centesimo duodecimo, cuius initium est, *Laudate pueri Dominum*, vsque ad Psalmum centesimum decimum octauum. Alij Christum nouum aliquem hymnum composuisse dicunt. Neutrum certum est; illud hoc probabilius; Iudæos enim aliqua certa gratiarum actione vti solitos ideo credendum est, quòd non solùm eorum interpretes doceant, sed etiam præceptum illis à Deo fuisse videamus. Deuteronom. 8. 10. *Cum comederis, & saturatus fueris, benedices Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi*.

Exierunt.) Ex domo, vbi cœnauerant, aut etiam ex vrbe; vide disputationem ea de re Ioan. 14. 31. & 18. 1. vbi & cur exierit, dicturi sumus. Diuus Ioannes inter sacramentorum exhibitionem, & egressum Christi, multa illis, & grauissima verba fecisse tradit, quæ à c. 13. 30. vsque ad initium cap. 18. scribit; Lucas etiam alia nonnulla ponit, quæ Ioannes prætermisit; factum fuisse contentionem inter Apostolos quis eorum videretur esse maior. & reliqua, quæ cap. 20. 25. à nobis explicata sunt, & illa Luc. 22. 28. 29. 30. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*: vnde colligitur, antequàm Christus exiret è domo, exisse Iudam, quia dicit, *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*, quasi opponens vndecim Apostolos Iudæ, qui cum illo in tentatione non permanserat, sed potiùs *magnificauit contra eum supplantationem*. *Psal. 40. 10.*

In Montem oliueti.) Distabat Mons oliueti ab vrbe Ierosolyma sabbathi iter, vt Lucas scribit. Actor. 1. 12. id est mille passus, aut vt alij volunt, bis mille. Certū est proximum fuisse locum, cum Christus post cœnā eò ire potuerit: quanquam hortum Gethsemani, in quem iuisse dicitur, vero simile est non in ipso monte, sed citra ad radicem montis situm fuisse. cùm nomen ipsum Hebraicum vallem pinguem declaret.

31. *Omnes vos scandalum patiemini.*) Non significat, vt multi interpretantur, fidem Apostolos perdituros nec, vt alij dicunt, in fide vacillaturos esse; aut negaturos Christum, sed deserturos, vt ex Petri responsione colligitur vers. 13. *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquā scandalizabor*, id est, etsi omnes te deserant, ego non deseram: fidem enim nemo eorum perdidit, nec Petrus quidem ipse, qui negauit; etsi scio nonnullos veteres auctores ita loquutos fuisse, quasi fidem perdiderit, non distinguentes fidei confessionem à fide, & negationem Christi à fidei amissione, quæ longè diuersa sunt. Lucas c. 22. 31. soli Petro dixisse ait, *Simon, Simon, ecce Satanas expetiit vos, vt cribraret sicut triticum*. Deinde Matth. & Marcus hæc ita narrant, quasi Christus ea dixerit, postquàm de domo exisset. D. Aug. lib. 2. de consens. Euang. c. 2. putat prius Christum dixisse, quod Ioannes narrat c. 13. 33. *Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non potestis venire*, ea occasione Petrum interrogasse, quod idem Ioannes scribit vers. 36. *Domine quò vadis*, Christum respondisse, *quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea*: Petrum dixisse, *quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam*. Tunc Christus, cum videret Petri confidentiam, & iactantiæ similem promissionem, dixisse, quod Lucas scribit, *Simon, Simon, ecce Satanas expetiit vos, vt cribraret*. Quod autem Matthæus, & Marcus dicunt, *omnes vos scandalum patiemini*, aut Christus postquàm Petro priuatim dixisset, quod scribit Lucas, ad omnes conuersus omnibus dixit, aut quia, quod Petro dicebat, omnibus dicebat; Matthæus, & Marcus non verba, sed sensum Christi retulerunt.

Petrus fidē nō amisit negādo Christum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In me.) Hebraismus, id est propter me. Cum videbitis me indigna patientem, occasionem mei deserendi accipietis, hoc est, *scandalum patiemini in me.*

Zach.13.7 *Scriptum est enim.*) Accommodat Zachariæ testimonium ad se iure suo. Nam etsi ad veteres sacerdotes pertinebat, de illo tamen propriè dictum fuerat, vt ex præcedentibus, & sequentibus prophetæ verbis manifestum est. Accommodat autem, non vt doceat necessariò euenturum esse, vt se Apostoli deserant, eósque à culpa euentus necessitas excuset, sed vt doceat, id sibi nouum non fore; nam & se iam scire, & verò à propheta prædictum fuisse, *Percutiam pastorem* πατάξω. Apud prophetam Hebraicè est נכה, Septuaginta verterunt πάταξον percute. Itaque facilè adduceret hoc etiam loco pro πατάξω *percutiam* legendum esse πάταξον percute, ne Euangelistæ verba à verbis prophetæ dissonare videantur, nisi viderem nonnullis etiam aljs in verbis Euangelistam à propheta discrepare. Malo itaque dicere Euangelistam sententiam spectasse, non verba. Quòd ad sententiam autem attinet, idé est percute, & percutiam. Deus enim erat, qui pastorem percuti iubebat, & quod per alium facit, ipse facit. Indicat ergo se esse, qui filium suum percutit; sicut alibi dicitur eum pro nobis ad mortem tradidisse.

32. *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.*) Duobus verbis discipulorum animos recreat, & cum se resurrecturum affirmat, & cum eis in Galilæa apparituros.

34. *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.*) Marc.c.14.30 scribit, *priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*, vnde nata quæstio est, quomodo intelligendum sit, quod Matth. dicit hoc loco, & Lucas c.22.34. & Ioan. c.13.38. *antequam gallus cantet, ter me negabis*; an aduerbium illud *ter* ad galli cantum, an ad Petri negationem referendum sit, D. Augustl.lib.3.de consensu Euang.c.2.putat hunc esse sensum, *antequam gallus cantet, ter* me negare incipies, quasi ante galli cantum tres negationes incœperit. sed non absoluerit. Dura interpretatio; nam ex contextu huius loci, & Luca cap.22.34. & ex Ioanne ca.13.38. manifestum est Christum dicere voluisse. antequam gallus cantaret, Petrum se ter esse negaturum; deinde perit Augustino illo modo interpretanti tota huius sententiæ Christi gratia; significat enim Petrum antequàm gallus cantet, id est breuissimo temporis interuallo non semel, non bis, sed ter se esse negaturum. Ita intelligendum esse euentus docuit, & Euangelistæ monuerunt; nam & Matthæus infra vet.74.75.& Luc.vet.60.61.& Ioan c.18.27 postquàm narrassent ter Petrum negauisse addiderunt, *& continuò gallus cantauit, & recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat, priusquam gallus cantet, ter me negabis*; Rectè ergo hunc locum explicauit, qui dixit Matth. Lucam, & Ioannem galli cantum appellasse. non illum, quem ad mediam noctem edere solet gallus, sed eum, quem ante auroram, quòd ille propriè, atque vsitatè gallicinium aut galli cantus vocari soleat, quia primus cantus alio nomine media nox appellari potest. Tempus autem illud, quod auroram præcedit, & quo callus cantat, nisi galli cantus appelletur, alio vocabulo appellari non potest. Ita scriptura loqui solet, Tobiæ 8.11. *Et factum est circa pullorum cantum accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent sepulchrum.* & Marcus ipse c.13.35. *vigilate ergo; nescitis enim quando dominus domus veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Ergo ante auroram, quod propriè tempus galli cantus appellatur, Petrus ter Christum negauit, vt Matth. Lucas, & Ioannes scribunt, & quod idem est, antequàm gallus bis cantaret, semel ad mediam noctem, iterum ante auroram ter Petrus negauit, vt scribit Marcus. Quærat aliquis, cur Marcus aliter de ea re, quàm alij Euangelistæ, scripserit. Probabile mihi videtur Marcum ex Petro, cuius discipulus erat intellexisse nō solùm, qua sententia, sed quibus etiam verbis sibi Christus prædixisset fore, vt ter cum ea nocte negaret; isdémque verbis vsum fuisse; eò autem vero similius est Christum Marci vsum fuisse verbis, quòd ea maiorem haberent efficacitatem. Opponit enim Christus numerum numero, quasi dicat, diligentior tu eris in negando, quàm gallus in cantando; nam antequàm ille bis cantet, tu ter me negabis. Videmus namque totam Christi orationem emphaticam esse, *Amen dico tibi*, hæc enim emphasis est; *in hac nocte*, & hæc, quasi dicat hac ipsa nocte, qua iactas te, etiamsi pro me mori oporteat, te non esse negaturum, *antequam gallus bis cantet, tu ter me negabis.*

36. In villam.) εἰς χωρίον, quo eodé verbo Marcus vsus est. Hortum fuisse constat ex Ioan.c.18.1.26. in quem Christus orationis causa sæpè ititabat, vt idé ait Ioan. ver.2. Iudam sciuisse eò solitum ire Christum, & Luc. c.22.39. *& egressus ibat secundum consuetudinē in Montem olivarum*, vnde apparet Christū non vt se absconderet, eò se recepisse, sed potiùs, vt facilius à Iuda & militum cohorte inueniretur, vt eo loco Ioan. indicauit.

Quæ dicitur Gethsemani.) Gethsemani potius, aut Gesemani dicendum esset, id est vallis, aut hortus pinguis, aut pinguis, quia fertilis erat; pinguis, quia, vt quidam putant, cùm circum Ierosolymam multæ amœnæ villæ essent, multique horti, ex distantia qua ab vrbe aberant, nomina sortiebantur, vt alius primus, alius secundus hortus diceretur, vt apud Romanos primus, secundus, tertius, ab vrbe lapis. Putat Cyrillus in commentarijs in c.18. Ioan. aliquod fuisse mysterium, quòd Christus se in hortum compiehendendus receperit, hortum scilicet illum symbolum fuisse paradisi: nos in paradiso à diabolo captos fuisse, in eodem paradiso liberatos; comprehensio enim Christi initium fuit nostræ libertatis.

37. Petro, & duobus filijs Zebedæi. Iacobo, & Ioan. c.10.3. Cur aliquos secum assumpserit, non difficilis est ratio; voluit orationis suæ, doloris, & lethalis illius sudoris testes habere. Cur autē hos tres potiùs, quàm alios Hilarius, Chrysost. & Theoph. respondent, propterea quòd hi tres gloriam, & maiestatem ipsius in transfiguratione viderant c.17.2. & verendum erat, ne alij, qui non viderant, Christi infirmitate offenderentur. Simpliciùs respōderi potest, ideo hos tres potiùs, quàm alios assumpsisse, quia plus illis confidebat, ideóque ad omnia secreta solebat adhibere, sicut ad transfigurationem adhibuerat.

Cœpit contristari, & mœstus esse.) ἤρξατο λυπεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν tristari & anxio esse animo, est enim ἀδημονεῖν ita vehementi obiecti discriminis metu angi, vt quodammodo exanimis, & attonitus sis. Euangelistæ verò Matthæus, & Marcus, qui hoc vsi sunt verbo, solam magnitudinem tristitiæ Christi declarare voluerunt. Fuerunt olim, qui negarent veram in Christo fuisse tristitiam, vt Chrysostom. hoc loco, & Ambrosius in comment. in c.22. Lucæ indicant, & Damascenus de hæreticis quibusdam scribit libr. de hæresibus cap. 84. Nescio an Hilarius in eo imprudenter fuerit errore; nimis enim illi congruenter videtur loqui, & hoc loco, & lib.10.de Trinitate vbi planè affirmat nullum Christum dolorem sensisse, & in comment. in Psal.68 Euagrius libro 4 hist. Eccl c.39. scribit simili in errore Iustinianum Imperatorem fuisse impatibilem fuisse Christum. Non possumus eius rei meliorem testem, quàm Christum ipsum desiderare, qui

qui animam suam vsque ad mortem tristem esse dicit. Alij contrà, vt refert in comment. D. Thomas, etiam secundùm diuinitatem passionem, ac dolorem sensisse docuerunt; nimis stultè de diuinitate sentientes. Alij tristitiam istam Christi non passionem fuisse, sed propassionem, id est, non πάθος, vt Græci vocant, sed προπάθειαν; hoc autem inter passionem, & propassionem interesse, quod nunc Theologi inter primos, & secundos quos appellant motus interesse dicunt; passionem esse, quæ animum aliqua ratione turbat, & aliquem, quamuis imperfectum voluntatis consensum extorquet; propassionem, quæ hominem quidem mouet, & aut doloris, aut delectationis sensum aliquem affert, sed animum de quiete sua non deturbat. Ita Origenes, Hieronym. & Beda existimant Christum fuisse tristatum, atque hanc eius verbi vim esse ἤρξατο cœpit, quasi cœperit quidem, sed non finierit, quia propassio vsque ad passionem non peruenit. Potius credo verbum illud hanc vim habere, vt significet Christum non coactum, cum periculum obiectū est, sed sponte quando voluit, quantum voluit, & quomodo voluit, tristatum fuisse, quod ex alijs quoque circumstantijs apparet. Paulò ante cum esset cum vndecim discipulis, tristatus non fuerat, quia nolebat tristitiam suam omnibus notam esse, statim, vt ab illis digressus est, & cum tribus rantùm familiaribus discipulis fuit, tristari cœpit, vt Euangelistæ adnotauerunt indicantes, quando voluit, & qua ratione voluit fuisse tristatum. Eleganter in hanc sententiam Augustinus scribit in comment in Psal. 87. *Hos humanæ infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem infirmitatis humanæ, ac mortem carnis humanæ Dominus Iesus non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit; vt transfigurauret in se corpus suum, quod est Ecclesia, cui caput esse dignatus est, hoc est membra sua in sanctis, & fidelibus suis, vt si cui eorum inter humanas tentationes contristari, & dolere contingeret, non ideo se ab eius gratia putaret alienum, & non esse ista peccata, sed humanæ infirmitatis indicia, tanquam voci præmissa concinens chorus; ita corpus eius ex ipso suo capite addisceret.* Rectè Damascenus scripsit lib. 3. de fide orthodoxa cap.20. Hoc inter nostras, & Christi passiones interesse, quòd nostræ voluntatis præueniant actionem; Christi sequantur, id est nos etiam nolentes passiones habere, Christum non nisi volentem habuisse, deinde quòd nostræ ex naturali necessitate, & peccato originali nascantur; Christi nec ex peccato, nec ex necessitate, sed ex misericordia natæ sint; esuriit enim pro nobis, sitiuit pro nobis doluit pro nobis. Itaque quod quidam docti, vt Catholici interpretes docuerunt Christum conditione humanæ naturæ mortem extimuisse, interpretari malo, quàm refutare; potest enim sic intelligi, vt Christus non conditione & necessitate naturæ doluerit, sed voluntate sua ita naturam in sua naturali conditione reliquerit, vt tantum doluerit, quantum, si pura natura humana fuisset, doluisset. Subtiliùs in scholis à Theologis disputatur, quî fieri potuerit, vt Christus, cùm beatus fuerit, tristitiam habuerit. Sunt, qui respondeant beatum fuisse superiore tantùm animæ parte; corpus enim illius nōdum fuisse beatum, quia, vt pati posset, nondum se in illud beatitudo effuderat; tristitiam autem fuisse in inferiore parte quæ in corpore est. At Christus animā suam vsque ad mortē tristem esse affirmat, quo verbo ostēdit omnes animæ suæ partes occupasse, & paulò post dicit, *non sicut ego volo, sed sicut tu*, & vt alius Euangelista clarius dixit, *Non mea voluntas, sed tua fiat*: vbi haud obscurè significat se etiam voluntate, quæ superior animæ pars est, fuisse tristatum, mortemque refugisse. Et verò ex eo loco sexta synodus generalis, aliique auctores vetercs probauerunt duas fuisse in Christo voluntates diuinam, & humanam. Itaque eorum subtilitas, qui voluntatem hîc interpretantur partis sentientis appetitum, probanda non est. Melius igitur alij dispensatione quadam factum fuisse, vt cùm Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiore animæ partem admiserit; nam sicut beatitudinem suam cohibere potuit, ne deflueret in corpus, vt pati posset, ita premere eam potuit, & quodammodo occultare, vt ad tempus tristitiæ cederet, quæ vna passionis suæ pars futura erat. Quæritur inter interpretes, quàm ob causam Christus tristatus sit. Hilarius, Hieronymus, & Beda non metu mortis, sed discipulorum commiseratione, quòd scandalum passuri essent, tristatum fuisse dicunt, atque hoc esse, quod paulò post dicit, *tristis est anima mea vsque ad mortem*, quasi dicat, cùm hora mortis veniet, non erit tristis, quia scandalum præteritum fuerit. Hilarius verò nominatim propter Iudam, quòd perditum se iret, tristatum putat. Bono animo hi auctores ita senserunt; ne Christum timidiorem, quàm multi eius martyres fuerunt, facere viderentur, sed si id, quod paulò ante nouimus, teneatur, istud non erit necessarium, Christum verè quidem, sed sponte tamen, & liberè timuisse: hac enim ratione fit, vt etiamsi plus pertimuisse mortem videatur, quàm multi eius martyres timuerunt, timidior illis dici non possit. Non enim timidus, sed fortissimus est qui non nisi, quando vult, timet. Et ita omnia docent Christum timuisse mortem, vt negari salua scripturæ auctoritate non possit. At si voluntate sua timuit, cur timere voluit? Possem vno verbo respondere, si voluntate sua mortuus est, cur mori voluit? Vtique pro nobis. & pro nobis doluit, nam mortis præludia & dolor, & tristitia, & sanguineus sudor erant. Magnum ergo fuit, & cumulatum Christi beneficium, quòd mortem pro nobis nō subitam, qualis eorum esse solet, qui nec opinantes securi feriuntur, sed cum omnibus suis circunstantijs coniunctam suscipere voluerit, cum dolore, cum flagellis, cum conuitijs, cum ignominia, & cum nonnullis rebus, quæ mortem comitari non solent, qualis sudor ille sanguinis fuit, vt verè posset dicere, *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* Paulò aliter Hiero. Beda, Euthym. & Theophyl. in commentarijs, & Augustl. in Psal.87. propterea timere, & tristari Christum voluisse, vt se verum hominem ostenderet, tum etiam, vt idem ait Augu ne eius membra, id est fideles, si quando tristarentur, putarent id esse peccatum. At cur vehementius, quàm alij homines mortis metu tristari soleant, tristatus videtur fuisse, eò quidé vsque, vt quemadmodum Lucas c.22.44. scribit guttæ sanguinis, aut, vt Græcè est, θρόμβοι grumi, id est magnæ sanguinis guttæ ex eius corpore in terram defluerent; scribit Hilarius lib.10. de Trinitate, & D. Hieronym. lib.2. aduersus Pelagianos suo tempore id, quod Lucas de sanguine & de angelo, qui Christo orāti apparuisse dicitur, tradit in plerisque Græcis, & Latinis codicibus lectum non fuisse: sed potiùs credendum est à nonnullis id fuisse deletum, quàm à quoquam adiunctum. Alij non delent verbum, sed sensum extenuant, quasi non re vera sanguinem Christus sudarit, sed prouerbiali forma dictum sit sudasse sanguinem, id est, vehementi timore correptū fuisse, sicut vulgò de his dicere solemus, qui valde anxij, & impediti sunt, guttas eos sanguinis sudare. Ita Euthym. & Theophyl. exponunt, sed Euangelista, cùm dicat guttas sanguinis in terram defluxisse, non potuit profectò aliter intelligi, quàm ita vt verum sudauerit sanguinem. Quod ergo sanguinem Christus sudauerit, etsi sunt, qui miraculo, ac præter

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturam factum putent, tum etiam mysterio quodam, vt totum eius corpus, quod est Ecclesia, ipsius sanguine perfundi videretur, potiùs naturalem sudorem fuisse arbitror, sed quia insolitus est, miraculo fuit similis, qualia omnia rara esse solent. Scribit tamen Aristoteles id fieri natura, aliter posse, & aliquando contigisse. Et quidem ratio naturalis docet in hominibus præsertim ratæ texturæ, delicatæque cõstitutionis fieri id posse; cum enim sudor nihil aliud sit, quam pars sanguinis aquosa, quæ in venis est, cur quemadmodũ omnibus pars illa per sudorem effluit, non possit in paucissimis quibusdam, qui rarissimo sint corpore & subtiliorem sanguinem habeant, sanguis ipse tenuior loco sudoris effluere & quemadmodum videmus omnes subito correptos metu sudare, ita Christum, qui delicatissimæ naturæ erat, non dicamus naturaliter apprehenso ignominiosissimo genere mortis sanguinem sudauisse? Audio de his, qui viderunt, aut cognouerunt ante annos duos Lutetiæ Parisiorum hominem robustum, & bene valentem audita in se capitali sententia sudore sanguineo fuisse perfusum. Maiore admiratione dignum est, quam obrem Christus tantopere mortem apprehenderit, vt sanguinem sudaret. Respondet D. Thom. quia nõ solam mortem, sed mortis potissimùm causam, id est, omnium hominum peccata animo concipiebat; in quam sententiam D. Ambrosius in commentarijs in cap. 22. Lucæ piè sanè & eleganter scripsit, *Mmus cauebat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ego pro me dolebat, qui pro se nihil habuit, quod doleret, & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ tædio mee infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam largiretur, & vestigijs nostris descendit vsque ad mortis aruinnam, vt nos suis vestigijs reuocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, quia cruentem prædico; nec enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem, debuit ergo & dolorem suscipere, vt vinceret tristitium, non excluderet. Nec enim habent fortitudinis laudem, qui sine porem magis vulnerum tulerint, quam dolorem.*

l. 7. de hist. animal. c. 16 & lib. 3. part. animal. c. 5.

3. p. qu. 46. ar. 6. Quomodo Christus ita mortem apprehendit, vt sanguinem sudaret.

38. *Tristis est anima mea vsque ad mortem,* περίλυπός, tristitia vndique obsessus est animus meus, eodem omnino sensu quo in persona Christi Dauid dixerat, *circumdederunt me dolores mortis.* Quod autem dicit vsque ad mortem, Origenes, Hilarius & Hie. tempus significare putant, quasi dicat, tristis est anima mea, sed tristitia hæc non durabit nisi vsque ad mortem. Aliena, vt mihi videtur interpretatio: nec enim Christus id agebat, vt tristitiæ magnitudinem minueret, sed vt augeret; minuisset autem, si dixisset eam non nisi vsque ad mortem duraturam. Aliam interpretationem memini apud auctorem quendam recentiorem legere, *Tristis est anima mea vsque ad mortem,* id est adeo tristis, vt tristitia ipsa mortem mihi afferre videatur, quemadmodum vulgò dicere solemus, morior dolore, morior fame. Verus sensus est, quem Euthymius indicauit, *tristis est anima mea vsque ad mortem,* id est tam tristis, quàm si iam moreret, sicut Dauid dixit. *Circumdederunt me dolores mortis,* id est tam magni, quàm qui in morte sentiuntur.

Psa. 114. 3.

Psa. 114. 3.

Sustinete hic, μείνατε, manete. Eodem verbo vsus est Marcus. Alios discipulos paulò ante non solum manere, sed etiam sedere iusserat, v. 6. hos manere, & vigilare id est in statione esse, excubias agere, quia propiores periculo erant, cuius volebat esse testes, sicut paulò post ver. 41. non solùm manete, & vigilate, sed etiam orate iubet.

39. *Et progressus.*) Lucas. *Et aunlsus est abeis,* quo verbo nescio, an nimis arguè significari quidam putent illum non libenter à tribus illis carissimis discipulis discessisse.

Pusillum. Quantum pusillum illud fuerit, Lucas 22. 41. vt Euth. adnotauit expressit, *quantum,* inquit, *ictus est lapidis.* Quæri potest, cur secesserit à discipulis oraturus. Sequutus est, vt ait D. Th. præceptum suum sup. c. 6. 6. *Tu autem, cum orabis, intra in cubiculum tuum, & claude ostium tuum,* &c. vt ego etiam opinor, humanam consuetudinem & veluti verecundiam sequutus est. Nam etiamsi coram alijs orare nos non pudeat, multa tamen in oratione audientibus alijs loqui, multa exteriora interioris affectus, & ardoris signa ostendere pudet, quæ solos non pudet.

Procidit. Marcus in terram procidisse dicit. Lucas verò positis genibus orasse, vnde intelligimus non fuisse omnino in terram prostratum, sed genua flexisse, ideóque Marcum dixisse procidisse in terram, quia, qui genua in terram ponit, in terram procidit.

Pater, si possibile est.) Sciebat Christus absolutè possibile esse Deo, sicut apud Marcum declarat, *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt,* sed posito diuino decreto, quo constitutum erat, vt pro nobis moreretur, sciebat esse impossibile, vt calix ille à se transiret; cur ergo orabat, vt si fieri posset, calix transiret? Relinquebat naturam humanam partes suas agere, quemadmodum egisset, si neque cum diuinitate coniuncta fuisset, nec de diuino decreto quicquã sciuisset. Colligitur ex collatione Matthæi, & Marci, vt rectè D. Augustinus lib. 3. de consen. Euangelist. cap. 4. obseruauit, idem valere, *si possibile est,* & *si vis,* nam de absoluta illa, quàm vocant potestate Christus non agebat, nec eam in dubiũ reuocabat, & quasi cautionis causa apud Marcum profitetur, *omnia tibi possibilia sunt,* cum enim addit, *sed non quod ego volo, sed quod tu* indicat, cũ dixit, *si possibile est,* nihil aliud dicere voluisse, quàm *si vis,* aut si rebus integris, si salua gloria tua velle potes. Refellitur etiam ex Marco Caluinistarum error, qui putant Deum plura facere non posse, quàm quæ vult. nam etsi apud Matth. idem est, *si possibile est,* & *si vis,* apud Marcum idem non est, apud quem de Dei potestate Christus non dubitat, *Omnia,* inquit, *tibi possibilia sunt.* De voluntate autem dubitat, id est, quasi homo dubitans loquitur. Quod dicit, *Pater, orationis initio aptum ad conciliandam gratiam exordium est,* vt Hieronymus adnotauit; Marcus Chaldaicum, & Græcum copulauit verbum, *Abba, Pater,* Græco Chaldaicum interpretans, quo Christus vsus fuisse creditur, quod & D. Paulus duobus locis facit, ad Roma. 8. 15. & ad Galatas 4. 6. quod D. Augustinus mysterio aliquo factum putat, vt significaretur Deus & Iudæorum, & Gentilium pater esse.

Transeat à me.) παρενεγκεῖν ἀπ' ἐμοῦ, prætereat à me, aut, vt Latini loquuntur, prætereat me.

Calix iste.) Passio mors ista terribilis. Cur calix appelletur cap. 20. 22. à nobis dictum est. Putant Hieronym. & Beda ideo dixisse *calix iste,* vt Iudæorum calicem indicaret, id est eorum peccatum, atque interitum; non enim Christum mortem suam, sed Iudæorum perniciem timuisse. Sed supra probauimus verè timuisse mortem, eámque fuisse deprecatum.

Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.) Aptè apposita moderatio. sic enim naturæ infirmitatem effedit, vt vltra diuinæ voluntatis terminos non egredetur. Colligitur ex hoc loco, vt ante attigimus, duas in Christo fuisse voluntates, humanam, atque diuinam, vt in sexta synodo generali hoc ipso testimonio probatum est. Præterea non esse factum hoc contrarium sententiæ D. Pauli ad Hebr. 5. 7. vbi dicit Christum exauditum fuisse pro sua reuerentia, nec enim hîc, quamuis calix ab eo non transierit, non exauditus fuit, cum hac conditione oranerit, *Si possibile est,* id est si vis: Pater autem nolebat. Dubitabit aliquis, quo-

modo

modo Christus humana voluntate mortem recusauerit, cùm Deus vellet, vt moreretur. Videtur enim contrariam diuinæ voluntati voluntatem habuisse, quod fieri, peccatum est dictum, factum, vel concupitũ contra legem Dei, diuinamque voluntatem. Paulo ante diximus Christum in hac oratione ita loquutum fuisse, vt si prorsùs fuisset homo cui neque diuina voluntas cognita esset, neque satis esset fortitudinis ad mortem superandam, relinquebat enim naturam humanam, veluti solam, compressa diuinitate, vt plenius officio suo fungeretur. Inter homines autem nõ quisquis contra diuinam voluntatem aliquid vult, continuò peccat: sed qui vult, dicit, aut facit aliquid contra voluntatem Dei sibi cognitam, atque perspectam; nec enim peccamus, cum parentibus nostris longam vitam, bonamque valetudinem à Deo petimus, sed peccaremus potiùs, si non peteremus, etsi voluntas Dei fortasse est, vt citò moriantur, quia ea voluntas nobis cognita non est, & altera cognita est, qua vult, vt parentes honoremus, & omnia illis optemus prospera. Quinetiam aliquando contra diuinam voluntatem nobis cognitam aliquid sine peccato licet velle, modò ea non sit præcepto declarata. mortuus est pater meus, dubitare non possum diuina voluntate mortuum esse; vellem tamen mortuum non esse, nec tamen pecco. Adde, quòd hæc Christi voluntas, qua mortem recusauit, non fuit plena, atque perfecta, sed, vt Theologi vocant, conditionalis; nec enim dicebat apud se, nolo mori, sed nollem mori, si fieri posset, quę voluitas peccatum nõ est adhibita honesta cõditione.

40. *Et venit ad discipulos.*) Hæreticorum interpretes consolationis quærendæ causa ad discipulos venisse dicunt; parum pro dignitate Christi loquentes. Nam vt consolatione indigeret aliqua, discipulorum tamen consolatione non indigebat, quorum cognoscebat infirmitatem. Venit ergo, quia orationem iam finierat, & volebat ter aliquo interuallo interposito orare; aut venit, vt discipulos excitaret, atque moneret, vt ex effectu colligitur.

Et inuenit eos dormientes præ tristitia.) Solet enim mœror animi, sicut lacrymas exprimere, ita vapores in cerebrum excitare; vnde nascitur somnus: videmúsque & infantes, postquàm fleuerunt, altè dormire, & viros, cum in luctu sunt, opprimi somno.

Sic non potuistis.) Duplici interrogatione hæc verba legenda sunt, vt Euth. animaduertit, vt altera potius post aduerbium, *Sic,* altera post sequentem orationem. Nec enim aduerbium *sic* ad verbum, *potuistis,* quæ vers. 35. Petrus primo loco, deinde omnes alij simpliciter discipuli dixerant, *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo,* quasi dicat Christus, Itáne parati estis, vt pro me moriamini, & non potuistis vna hora vigilare mecum? Dicit autem hoc Christus soli Petro, quia ille se primus, & omnium maximè iactauerat, vt Hieronym. Chryso. Beda, Theophyl. & Euth. obseruauerunt. Marcus non omnibus, sed soli Petro, quæ sequuntur, dicta esse scribit, *Non potuisti vna hora vigilare mecum:* atque ita Christum dixisse vero similè est: sed quia, quod Petro dicebat, tanquam cæterorum duci, omnibus dicebat, Matthæus sensum nõ verba recitans omnibus dictum tradit. *Vna hora* μίαν ὥραν vnam horam, qua phrasi cõtinuum, & integrum vnius horæ tempus significatur; non quòd constet vnam integram horam Christum in oratione posuisse, sed quòd voluerit breuissimum temporis spatium, integrum tamen significare. Hebraismus enim est, quo solent Hebræi momentum temporis, aut breuissimum quodque spatium horam שעה appellare. Vo-

luit enim Christus, vt discipulorum exaggeraret negligentiam, breuissimum tempus designare, quod Latinè diceremus, non potuistis momentum temporis vigilare mecum? Nec propterea indicat se per vnum tantum momentum orasse, sed loquitur per exaggerationem.

Hebraismus. Psal. 84. 7.

Mecum.) Incredibilem hæc dictio vim habet ad pungendos animos discipulorum, quasi dicat, me non solum vigilante, sed etiam orante, sudante, pugnante cum morte, vos, qui me dormiẽte pugnare debebatis, ne vigilare quidem momento temporis potuistis.

41. *Vigilate, & orate.*) Non iam mea, sed vestra causa, vers. 38. tantùm dixerat *vigilate,* nunc addit, *& orate,* indicans propius esse discrimen.

Quid nõ intrare in tentationem.

Vt non intretis in tentationem. Non intrare in tentationem Hie. Beda, Euth. & Theop. & omnes quos legisse memini, posteriores interpretes dicunt nõ esse in tentationem non incidere, sed eam superare. Ego potius credo, vt verba ipsa significant, non intrare in tentationem esse in eam non incurrere; hoc enim iubemur à Deo petere conscij infirmitatis nostræ, non solùm vt pericula superemus, sed etiam ne in pericula veniamus. Tutius est non pugnare, quàm vincere. Hoc enim sensu oramus Deũ, ne nos inducat in tentationem. vt cap. 6. 13. exposuimus.

Spiritus quidem promptus est, caro autẽ infirma.) Causæ redditio est, quamobrem orare debeãt, quia etiamsi animus, ac voluntas illis nõ desit, vires tamen desunt, nisi à Deo per orationem impetrent. Spiritum igitur hoc loco non Spiritum sanctum, non spiritum suum, sed discipulorum voluntatem vocat, sicut Diuus Paulus 1. ad Corinth. 7. 34. cum dicit, *vt sit virgo sancta & corpore, & spiritu,* id est casta, & pura non solùm corpore sed etiam voluntate. Videtur autem ad superiorem illam discipulorum iactantiam alludere: magnos enim animos, magnos spiritus ostẽtauerant, cum singuli dixerant ver. 35. Petri vocem sequuti, *etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Non vult Christus animum illum improbare, atque deiicere, sed eo potiùs laudato infirmitatis carnis admonet, vt doceat, quamuis magno, promptóque animo sint, oportere tamen orare eos, quia caro infirma est, sicut dixit D. Paul⁹ 2. Cor. 4. 7. nos gestare *thesaurũ in vasis fictilibus.*

42. *Iterum secundo.*) πάλιν δεύτερον, Rursus secundò. Tautologia videtur esse, nisi Hebraismum intelligamus. Hebræi dixissent שנית שנית, & rediit secundò, & orauit, sicut, *Tu conuc ſuu viuificabis nos,* id est, iterum viuificabis, quem Hebraismum multis iam locis explicauimus. Tantùdem ergo duæ illæ dictiones valẽt ac si alijs verbis dixisset, & reuersus secũdò orauit.

Hebraismus. Psal. 84. 7.

43. *Erat enim oculi eorũ grauati.*) Aut grauati somno, quia multa iam erat nox, aut humore præ tristitia, vt Lucas indicauit.

44. *Et orauerit tertio.*) Subit hîc statim animum dubitatio; cur ter Christus orauerit, non sæpiùs, non minùs sæpe. Chysost. Euthym. & Theophylact. respõdent hũc numerũ rei veritatem, perfectionem, atque constantiam solere declarare, quod multis sacrarum litterarum exemplis verum esse intelligimus; vas illud plenum omnis generis animalium, quod Petrus vidit, ter de cœlo demissum est, Act. 10. 16. D. Paulus 2. Cor. 12. 8. ter dominum se rogasse dicit, vt spiritum illum Satanæ à se tolleret; Petrus Christum ter negauit; Christus Petrum ter interrogauit, *diligis me plus his?* Ioan. 21. 15. Eodem modo ter Christus orat; quia, quod ter fit, omnino, ac semper fieri videtur; & docuerat ipse nos semper orare, Lucæ 18. 1. In Hispanico prouerbio optimè explicatur *Atres va la vencida,* quasi dicas non potest videri verè vicisse, qui ter non pugnauit.

Cur Christus ter orauerit.

Eundem sermonẽ dicens.) Non est necesse, vt eadem

verba,

Universidad de Deusto
Biblioteca

verba, sed vt eandem sententiam Christum recitasse intelligamus, vt Euthymius indicauit. Quod enim Euangelista dicit *Eundem sermonem dicens*, perinde est, ac si dicat, in eandem sententiam orauisse, id est nihil noui petiisse, sed quod ante petierat. Etsi suspicor Euangelistam cautè hæc verba addidisse, vt indicaret semper Christum verba illa, & conditionem, quam antea explicauerat, adhibuisse, *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; vt doceret Christum, quamuis ter orauisset, nunquam eius moderationis oblitum fuisse, in qua tota orationis laus cõsistebat; atque hoc est, *eundem sermonem dicens*. Lucas vnius tantùm orationis mentionem fecit; ideo, vt opinor, quia quamuis ter Christus orauerit, tamen quia, vt ait Matthæus, eũdem sermonem dixit, eadem fuit oratio; statimque narrat angelum ei apparuisse. Itaque non cõstat, qua in oratione apparuerit; nam quod quidam putant in singulis apparuisse, probabile non est. Credendum, eũm ideo missus fuerit, vt ad eius orationem responderet. & Patris ad eum sententiam deferret, non nisi finita iam tertia oratione venisse; nec enim Christus, si venisset priùs, idẽ à Patre petere perrexisset. Itaque quod Lucas ait Christum venisse ad discipulos, & inuenisse eos dormientes, postquàm dixerat apparuisse angelũ per ὕστερον πρότερον intelligere nec esse est. Priùs enim de oratione verba facere cœperat, vnde quicquid in oratione acciderat, eodem contextu narrare voluit, quale fuit, quod angelus apparuisset. Quare & cum dicit adhuc eo loquente cum discipulis venisse turbam, & Iudam vnum de duodecim, non est ad proxima verba referendum; *Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tẽtationem*; non enim, cum ea verba Christus diceret, Iudas venit. Nam vt ex Matthæo, & Marco manifestum est, postquàm ea dixit verba bis ad orationem rediit, & cum tertiò ad discipulos reuertisset, non dixit, *vigilate, & orate*, sed, *dormite iam, & requiescite*. ver. sequenti; atque tunc Iudas apparuit. Intelligendum igitur est, quod ait Lucas, *Adhuc eo loquente* non ea, quæ dixerat, sed ea, quæ tacuerat, id est cum adhuc cum discipulis loqueretur, non tunc, sed postea. Veruntamen quia, sicut ex tribus orationibus vnam, ita ex tribus Christi cum discipulis colloquijs vnum fecit; ea quæ in tertio colloquio acciderunt, cum primo coniungit.

Quando angelus Christum consolari cœpit.

45. *Dormite iam, & requiescite.*) D. Augustin. lib. 3. de consen. Euang. c. 4. & Beda hunc locum edisserens existimant hoc à Christo non ironicè, sed seriò dictum fuisse, quia apud Marcũ 14. 41. dicit *sufficit*, quasi dicat, sufficit quod hactenus vigilastis, nunc dormire potestis, & requiescere. Chrysost. verò, Euthym. & Theophylactus ironiam esse putant. Iubet enim eos dormire, & requiescere, quando minimè dormiendũ, & requiescendum erat, appropinquantibus hostibus. Videtur tanquam cum pueris Christus loqui, quibus cùm nobis prohibentibus, toto die ludant cum ad prandium venitur, solemus dicere, ite, saltate, & ludite, qua concessione pungimus eos vehementer, quia dum concedimus illis ludere, cum ludere nõ possunt, nec volunt, exprobramus eos cum non deberent, ludere solere. Ita Christus dicit, *Dormite iam, & requiescite*, quo tempore, etiamsi maximè vellent, cernẽtibus hostibus dormire, ac requiescere non possent, exprobrans, quòd ante, cum vigilare deberent, prohibente se dormiuerint.

Gentiles à Iudæis peccatores appellati.

In manus peccatorum.) Gentilium. Solebant enim Hebræi Gentiles absolutè peccatores appellare, vt Lucæ 24. 7. *Oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi*; & ad Gal. 2. 15. *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores.* Erat enim maior pars eorum, qui ad comprehendum Christum venerant, Romani milites, quia, vt ait Ioannes cap. 18. 3. Iudas militarem cohortem secum adduxit.

47. *Adhuc eo loquente.*) Omnes tres Euangelistæ Matth. Marcus, & Lucas notauerunt adhuc Christo loquente venisse Iudam, eo vt opinor, consilio, vt doceret veram fuisse Christi prædictionem, qua paulò ante dixerat, *Surgite, eamus, appropinquauit, qui me tradet.* Id ipsum alijs verbis Ioannes dixit, c. 18. 4. *Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se prodijt, & dixit eis, Quem quæritis?*

Et ecce Iudas.) Primum, tanquam ducem nominat Iudam, quod & Marcus similiter fecit. Lucas verò alio consilio turbam priùs, deinde Iudam nominauit, quòd turba, vt vero simile est, priùs apparuerit.

Turba multa.) Ita Marcus, & Lucas etiam scribunt. Ioannes verò cap. 18. 3. *Cum accepisset Iudas cohortem*, vnde sequitur omnis generis homines ad capiendum Christum venisse, vnum è duodecim discipulis, qui & eum vendiderat, & aliorum dux erat: sacerdotum, Scribarum, & seniorum seruos; nam omnes Euangelistæ declarant eum, cui Petrus auriculam abscidit, Pontificis fuisse seruum: deinde milites, qui Gentiles erant. Cũ armis venerunt, tanquam facinorosum aliquem hominem comprehensuri, aut eius timentes discipulos; cum facibus autem, quia tenebræ erant.

48. *Qui autem tradidit.*) ὁ δὲ παραδιδοὺς, traditor, id est qui tradebat eum.

Dedit illis signum.) dederat ante. Dubitari potest, quid signo opus fuerit, cùm tam notus Christi omnibus esset. Scribit Origenes hoc loco tradictionem suo tempore fuisse, Christum duas habuisse facies, aliam naturalem, atque vsitatam, qua omnes eum cognoscebant; alteram, quam assumebat aliquando, qualis illa fuit, quam in transfiguratione habuit. Melius Theophylactus hic maiorem partem eorum, qui ad comprehendendum Christum venerant, milites fuisse, id est Gentiles, qui Christum audire non solebant, vt homines alieni à Iudæorum religione. Leontius verò in comment. in 18. cap. Ioann. ver. 5. putat, Christum sua fecisse potestate, vt non solùm milites, sed ne Iudas quidem ipse tam diu cum eo versatus, ipsum agnosceret; idémque Theodorus Heracleota in Græcorum catena. Chrysost. Cyrillus, & Theophylact. in illo Ioannis loco docent. Nec enim tenebras hujus causa fuisse; nam propterea Euangelistam ante dixisse cum facibus, & laternis venisse milites, & iterũ eundem Euangelistam adiecisse, *stabat autem & Iudas qui tradebat eum, cum ipsis*; quasi diceret, etsi Iudas, qui Christum indicaturus venerat, cum illis esset, tamen eum nõ cognouerũt. Quamquã Theodorus Mopsuestenus id ideo putat Euangelistam dixisse Iudam eum illis fuisse, vt eius impudentiam, improbitatémque declararet, qui cùm tantum miraculum viderit, à cœpto facinore nõ destiterit. At cur hoc potius signo, quam alio vsus est? quia, vt opinor, ita signum dare volebat, vt qua re militibus Christum prodebat, eadem Christum proditionem suam celaret; non celasset, si insolitatum dedisset signum. Erat autem vsitatum, vt osculo se Iudæi; præsertim inferiores superiores salutarẽt, & quicumque magnum erga eos, quos salutabant, amorem ostendere volebant. Gen. 29. 11. 13. & 33. 4. & 45. 15. & Exodi 4. 27. & 18. quod & inter Christianos vsitatum fuit, Act. 20. 37. Roman. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 2. Corinth. 13. 12. 1. Thess. 5. 26. 1. Petri 5. 14. & longo post etiam tempore, vt ex Tertulliano libro de Oratione cognoscimus; hoc est quod Christus apud Pharisæum illum queritur Lucæ 7. 45. *Intraui in domum tuam, osculum mihi non dedisti*; putabat enim miser Iudas posse se Christo scelus suum occultare; nec enim verò in eum credidérat; sed, vt Hieronym. & Beda tradunt, omnia

omnia miracula illius, quæ viderat, magicis artibus facta esse arbitrabatur, quod Christus ipse indicat apud Ioan. c. 6. 64. *sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt*; loquebatur autem cum Apostolis. Id verò propter Iudam dixisse Euangelista declarauit, addens, *sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.* Origenes duas refert opiniones, eur hoc signo potiùs, quam alio Iudas Christum tradiderit; Alteram, quòd adhuc eum reuereretur, nec omnem penitus pudorẽ exuisset; itaque quia alioqui osculaturus erat Christum, voluit idem osculum, quod illi præbiturus erat, signum esse militibus; quam opinionem Leontius etiam refert, nec videtur improbare. Alteram, ne si alio inusitato vteretur signo, Christus proditionem, & insidias intelligeret, & aliàs fecerat, elaberetur.

Tenete eum.) Marcus 14. 44. ait addidisse Iudam, *& ducite cautè*, nimirum timebat, ne si Christus euaderet, & promissam pecuniam perderet, & magistrum; siebat enim sæpe illum, cum eum Iudæi tenere vellent, euasisse, vt Lucæ 4. 30. Ioann. 8. 59. vt Chrysost. & Hieronym. adnotarunt. Scribit Ioannes Iesum scientem omnia, quæ ventura erant super se, processisse, dixisséque, *Quem queritis?* Quibus duabus rebus indicauit Christum non solùm forti, hilarique animo sese hostibus obtulisse, sed etiam eos quodammodo prouocasse. Itaque vox illa, *Quem queritis?* non fuit hominis metuentis, negaturiqi se eum esse, quem illi se quærere respondissent; sed interriti, & lacessentis, vt Leontius adnotauit.

49. *Aue Rabbi.*) Et osculo, & verbis scelus conatur dissimulare; contra verò Christus ostendit se non ignorare, quo animo veniat, cum versu sequenti eum interrogat, *Amice, ad quid venisti?* & cum apud Lucam 22. 48. dicit illi, *osculo filium hominis tradis?* Et contrario verò illi ipsi, quibus signum dabat, eo etiam dato Christum non cognouerunt: priùs enim Iudam osculum illi dedisse arbitror, quàm Christus, vt ait Ioannes, milites interrogaret. *Quem queritis?* Vnde colligitur eos nondum Christum cognouisse, idémque intelligitur ex eorum responso; nec enim respondebant de ipsum quærimus. sed *Iesum Nazarenũ*, bisque eur hoc signo potiùs, quam alio Iudas Christum tradiderit; Alteram, quòd adhuc eum reuereretur, nec omnem penitus pudorẽ exuisset; itaque quia alioqui osculaturus erat Christum, voluit idem osculum, quod illi præbiturus erat, signum esse militibus; quam opinionem Leontius etiam refert, nec videtur improbare. Alteram, ne si alio inusitato vteretur signo, Christus proditionem, & insidias intelligeret, & aliàs fecerat, elaberetur.

Tenete eum.) Marcus 14. 44. ait addidisse Iudam, *& ducite cautè*, nimirum timebat, ne si Christus euaderet, & promissam pecuniam perderet, & magistrum; siebat enim sæpe illum, cum eum Iudæi tenere vellent, euasisse, vt Lucæ 4. 30. Ioann. 8. 59. vt Chrysost. & Hieronym. adnotarunt. Scribit Ioannes Iesum scientem omnia, quæ ventura erant super se, processisse, dixisséque, *Quem queritis?* Quibus duabus rebus indicauit Christum non solùm forti, hilarique animo sese hostibus obtulisse, sed etiam eos quodammodo prouocasse. Itaque vox illa, *Quem queritis?* non fuit hominis metuentis, negaturiqi se eum esse, quem illi se quærere respondissent; sed interriti, & lacessentis, vt Leontius adnotauit.

49. *Aue Rabbi.*) Et osculo, & verbis scelus conatur dissimulare; contra verò Christus ostendit se non ignorare, quo animo veniat, cum versu sequenti eum interrogat, *Amice, ad quid venisti?* & cum apud Lucam 22. 48. dicit illi, *osculo filium hominis tradis?* Et contrario verò illi ipsi, quibus signum dabat, eo etiam dato Christum non cognouerunt: priùs enim Iudam osculum illi dedisse arbitror, quàm Christus, vt ait Ioannes, milites interrogaret. *Quem queritis?* Vnde colligitur eos nondum Christum cognouisse, idémque intelligitur ex eorum responso; nec enim respondebant de ipsum quærimus. sed *Iesum Nazarenũ*, bisque

Quanquam illud prius probabilius est, quia, cum Iudas cum militibus venit, cùm solis illis tribus Christus loquebatur, vt Matthæus, Marcus, & Lucas minimè obscurè significant. Quis iste vnus fuerit, Ioannes 18. 10. declarat fuisse Simonem Petrum, qui gladium eduxerit, & serui Pontificis auriculam amputauerit. Lucas 22. 49. omnes discipulos, qui aderant, ad resistendum, & armis pugnandum paratos fuisse indicat. Omnes enim Christum interrogasse ait, *Domine, si percutimus in gladio?* nec enim fortassis intellexerat, quod paulò ante Christus dixerat apud eúdem Lucam ver. 38. Qui Apostolis dicentibus, *ecce duo gladij hic*, respondérat, *satis est*, nec enim cum dixerat, *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, significauerat armis sibi opus esse, aut ijs discipulos vti oportere, sed tantùm significare voluit magnum periculum imminere, quod non soleat ab hominibus, nisi armis propulsari. Neque cum dicit, *satis est*, significat duobus illis gladijs hostibus esse resistendum, nec plurimus opus esse, sed dicit, *satis est*, quia nec illis, nec alijs gladijs opus sibi erat. Cum igitur Christum omnes interrogarent, *si percutimus in gladio?* Petrus, antequàm Christus responderet, Põtificis seruum percussit, quem, quia summi sacerdotis minister erat, vero simile est & audaciorem cæteris fuisse heri sui auctoritate confisum, & infestiorem Christo domini sui inuidiam, & maleuolentiam imitatum; itaque cæteris præisse primúmque voluisse in Christum manus inicere, propterea Petrum Christi respõsum non expectasse, sed audacem hominem in Christum irruentem maiori audacia conatum fuisse repellere.

Amputauit auriculam eius.) Lucas, & Ioannes explicant dexteram auriculam fuisse, in quo multi mysterium fuisse arbitrantur: quod ego nec affirmare volo, neque negare; quia, vt sæpe monuimus, non allegorias, sed literalem, & proprium scripturæ sensum quærimus. An omnino auriculam illius serui Petrus absciderit, ita vt deciderit in terram, ex Euangelistis satis liquidò colligi non potest, sed est probabilius prorsus eam amputasse, quia hoc scindendi, & amputandi verba, quibus Euãgelistæ vtuntur, præ se ferunt. Quanquam Lucas indicat non omnino fuisse decisam, quia non dicit Christum auriculam reposuisse, sed cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum: itaque si quis ita senserit, non reprehendero.

Iudicum defendit. per ferrum in ne canais scribus. Ro. 13. 4.

52. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*) Origenes ad hunc modum interpretatur: Omnes, qui bellorum, aut seditionum auctores fuerint, in eo ipso bello, quod excitauerint, extinguentur. Hieronym. & Beda gladio peribunt non corporali, sed spirituali. id est diuina vindicta, quæ de illis, vel in hac, vel in altera vita pœnas sumet. Euthym. verò de solis primatum Iudæis Christum loqui putat, quos significet propter mortem suam Romanorum gladio perituros esse. Sed quid hoc ad Petrum, qui gladium accepit? Igitur non significat Christus necessariò omnes, qui gladium acceperint, gladio perituros esse; multi enim gladio non pereunt, sed tantum legem allegat, quæ iubebat homicidam occidi Gen. 9. 6. *Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*; nec dicit, quam pœnam necessariò subituri sint, sed quam mereantur, vt indicant D. Augustinus in libro quæstionum veteris, & noui Testamẽti cap. 104. & Theophylactus hoc loco. Qui verò ex his verbis colligunt ne iudicibus quidẽ licere vti gladio, nimis inepti sunt, quorum hodie multis in locis hæresis regnat, & verbis D. Pauli facilè refelluntur, qui eos à Deo potestatem habere affirmat, & non sine causa gladium portare, quasi ipsum etiam gladium à Deo acceperint: ergo gladio non peribunt, si gladio suo vtantur: quia

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non abutuntur, quia non ipsa acceperunt, id est priuata auctoritate vsurparunt, sed datum à Deo susceperunt. Mirantur quidam, quid causæ sit, cur Petrum Christus reprehenderit, cum vim vi repelleret, idque vt magistrum defenderet, quod & naturali, & diuino, & humano iure licere creditur. D. Augustinus eo loco, quem modo notauimus, putat Petrum non fuisse reprehensum, quòd serui Pontificis auriculam abscidisset; id enim Christi permissu fecisse existimat, atque hoc verbum illud apud Lucam cap. 22. ver. 51. significare, *Sinite vsque hùc*, quasi dicat sufficit auriculam serui Pontificis abscidisse. De cætero, *mitte gladium tuum in vaginam*, quod ait Ioann. cap. 18. ver. 11. quia *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, vt hîc dicit Matth. sed admonere tantùm Petrum arbitratur, ne vltra pugnet. Veruntamen manifestum est Petri factum à Christo reprehendi, vt ne disputari quidem debeat. Cur ergo reprehenditur? Primùm, quia illa non erat defensio, quid enim vnus homo contra cohortem vnam faceret, nisi milites irritaret, vt crudeliùs tractarent Christum? Deinde quia non expectato Christi responso gladio percusserat. Postremò, quia etiam si posset, non debuit tamen Christi mortem impedire, sicut Christus ipse poterat duodecim legiones angelorum à Patre petere, qui se defenderent; sed maluit Patris patere voluntati, & Prophetarum implere vaticinia, quam rationem Christus hoc loco reddit, versu 53. & 54. & apud Ioannem cap. 18. 11. *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum*: sicut simili de causa Petrum reprehenderat cap. 16. 23. *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum*, quia voluerat eum à suscipienda morte dehortari. Cur ergo Christus generalem citat legem? Quia vbicunque exceptio locũ non habet lex locum habet, & non habebat exceptio locum in Petro, qui bono quidem animo, sed quo loco, & quo tempore non debuit, gladium accepit, suo hîc more Caluinus non solùm Petrum, sed omnes etiam discipulos, quia ad defendendum Christum paratos se esse ostenderant, rogauerántq; *Domine, si percutimus in gladio?* stultos, atque amentes appellat.

Caluini ὀτυμολία in Apostolos. Christus voluntariè mortuus contra Caluinistas. Deus plura potest facere, quàm vult facere contra Caluinistas.

Lib. 2. de re milit. cap. 2. Lib. 6.

53. *An putas, quia non possum modo rogare Patrem?*) Duplex his verbis Caluinistarum error confutatur, & Christum necessariò mortuum esse. & Deum non posse plura, quàm, quæ actu vult, facere. Nam & Christus indicat se, si voluisset duodecim angelorum legiones à Patre petere, potuisse non mori; & Deum duodecim legiones angelorum sibi mittere potuisse, nec tamen voluisse. Dubitabit aliquis, quomodo dicat Christus Patrem sibi non negaturum fuisse duodecim angelorum legiones, si ab eo petiuisset, cùm paulò ante. quod ab eo petiérat, vt calix à se transiret, negauisset. Respondeo Christum ex natura ipsa rei, non consideratis circunstantijs, locutum esse, quasi diceret, putasne, si non sciuissem decretum esse à Patre meo, vt morerer, non potuisse me duodecim legiones angelorum ab eo petere, eúmque mihi daturum non fuisse.

Duodecim legiones angelorum.) Et res. & dictio Romana est, qua etiam Euangelistæ Græcè loquentes vsi sunt, sicut multa alia Latina vocabula vsurparunt. Nulla enim gens, præter Romanos, legionibus vtebatur. Itaque credendum est ex Romanorum consuetudine, quia tunc in Iudæa dominabantur locutum fuisse. Apud Romanos autem, vt Vegetius, & D. Hieronymus scribunt legio sex millia hominum continebat, aut, vt Polybius, communes legiones habebant quatuor millia ducentos pedites; Equites verò trecẽtos, in grauioribus autem bellis pedites quin A que millia. Equites trecentos. Quicquid sit, hoc certum est voluisse Christum ingentem angelorum numerum significare. Opponit autem angelos hominibus, multos paucis, potentes impotentibus & quorum vnus vna nocte centum octoginta quinque millia hominum occidit in exercitu Sennacherib. 4. Regum 19. 35. Et mihi quidem vero simile videtur Christum angelos non militibus, sed discipulis opponere, qui vna cum Iuda duodecim erant. ac propterea duodecim non plures, nec pauciores legiones nominasse, vt indicaret posse se pro duodecim hominibus duodecim legiones habere, quarum vnaquæque sex angelorum millia continebat, aut aliquanto plures, si Vegetij sententia vera est. Non fortè magis placet duodenarium numerum pro omni, & perfecto numero positum esse, vt, *Sedebitis & vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus* Israël, quemadmodum Augustinus, & Beda illum locum interpretantur supra cap. 19. 28. Colligit Iesus Origenes angelos bonos perpetuum contra angelos malos bellum gerere, ideóque cælestem militiam tam multis scripturæ locis appellari. Mitti quidem frequenter à Deo, vt homines non solùm ab angelis malis, sed ab alijs etiam hominibus tueantur, apparet. 4. Regum 6. 17. vbi tanta angelorum multitudo in vnius Eliæ auxilium missa est, vt montem operiret. hoc est, quod ait Dauid Psalm. 33. 8. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium, & eripiet eos*, Hebraicè castrametabitur angelus Domini in circuitu timentium eum, id est, angelorum castra in vniuersique circuitu ponet, ne quis eum lædat. & Psal. 90. 11. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Mitti etiam aliquando, vt in bello pro nobis pugnent, constat ex Daniele cap. 10. 13. 20. 21. & 12. 1. Ex ea consuetudine loquutus est Christus.

54. *Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?*) Et deficiens oratio est, & Hebraismum continens; intelligendum enim est, quo modo implebuntur scripturæ, quæ dicunt, quia sic oportet fieri & illud, *quia*, Hebræorum more positum est pro finitiuo; sic fieri oportere, vt Lucæ 24. 25. 26. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ, nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Scripturæ autem, & Prophetæ, de quibus Christus loquitur, sunt Isaiæ 53. 10. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam; videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*, & Danielis 9. 26. *& post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.* Hoc autem ideo Christus dixit, vt ostenderet se non violentè ad mortem trahi, sed sponte ire, vt Patris decreto per Prophetas promulgato satisfaceret. Ioannes cap. 8. 11. aliter Christum Petro respondisse scribit, *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Itaque probabile est, quod Augustinus existimat libro 3. consen. Euang. cap. 5. vtrumque Christum dixisse, primum, *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* deinde, *quomodo ergo implebuntur scripturæ?* Videtur autem mihi Christus ambiguè nomine calicis hoc loco vsus esse cum eum paulò ante dicebat, *si possibile est, transeat à me calix iste*, calicem rem acerbam, & horroris plenam appellauit. Hic rem potius iucundam, & suauem videtur appellare: hanc enim vim hæc habent verba, *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum?* quasi dicat, non potest non esse & salutaris, & iucundissima ea potio, quam mihi carissimus Pater meus porrigit; nam, vt cap. 20. 22. diximus, vtramque in partem & bonam, & malam, & pro re acerba, & pro re B C D

iucunda

iucunda calix accipitur, quia solet eodem calice aliquando amara, aliquando dulcis potio exhiberi; *Calix*, inquit, *meus inebrians, quam præclarus est?* id est quàm dulcis, & suauis? Psal. 22. 5. loquitur quidem Christus vtrobique de morte sua, eámque calicem appellat, sed in oratione, antequam Patris sententiam audiret, calicem, id est rem difficilem, & horribilem appellabat; nunc Patris cognita voluntate eandem mortem calicem, id est, rem sibi iucundissimam appellat. Nihil enim non dulce, nihil non suaue est obedientiæ. Solus Lucas cap. 22. 51. scribit, *sinite vsque hùc*, id est, finite, adhuc plura patienda mihi sunt, quemadmodum si Gallicè diceret, *Laissez-les encores faire*: vnde apparet, & omnes qui aderant discipulos pro Christo pugnare voluisse, & Christum respondisse omnibus; sed ad Petrum conuersum nominatim corripuisse, quòd non expectato responso serum Pontificis vulnerasset. Solus etiam Lucas narrat Christum serui illius auriculam tetigisse, atque sanasse; voluit nimirum Petri errorem emendare, simúlque his, qui se comprehendebant, ostendere potuisse se ab illis defendere, qui abscissam auriculam solo tactu sanare potuit; se enim esse, *qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit*, 1. Reg. 2. 6. Solus Ioannes seruo Pontificis Malcho nomen fuisse tradit c. 18. 10.

55. *Quotidie.*) Marcus 14. 49. *Quotidie*, inquit, *eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis, sed vt impleantur scripturæ*; quibus verbis Christus indicat ijs, qui se comprehendebant, non eorum industria, aut viribus se ab illis capi, sed Patris voluntate, & scripturarum decreto. Si enim id eorum viribus, & studio fieret, sæpè iam ante, cum quotidie sederet in templo docens, comprehendissent; quod cum tentassent facere, non potuerunt Lucæ 4. 30. & Ioan. 8. 59. Hoc est, quod apud Lucam ait 22. 53. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, id est nunc potestis facere in me, quicquid libet, non quòd potentiores sitis, sed quòd hora venerit, qua à Patre decretum est, vt moriar.

56. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.*) Petrus quidem sequutus est eum, quamuis longo intercallo versf. 58. Itemque Ioannes, vt ipse testatur cap. 18. 15. Itaque quod Matth. dicit, *omnes*, aut pro plerisque accipiendum est, vt Theophylact. interpretatur, aut dicendum statim quidem omnes diffugisse, sed paulò post Petrum, & Ioannem redijsse, & Christum sequutos esse.

57. *Ad Caiphan.*) De Caipha suprà versu 3. diximus. Ioannes 18. 13. ad Annam primùm ductum fuisse scribit, atque ita quidem scribit, vt videatur multa, quæ postea narrat, in domo Annæ facta fuisse significare, vt primam Petri negationem; primam examinationem Christi de discipulis, & doctrina; quendam ex adstantibus colaphum illi impegisse. Vnde non solùm in vulgus, sed in magnos etiam auctores D. Augustinum, & alios opinio permanuit ea omnia, quæ diximus, in domo Annæ contigisse. Sed hæc sententia ex tribus alijs Euangelistis manifestissimè refutatur, qui summo consensu testantur tres Petri negationes in domo Caiphæ Pontificis accidisse. Quin ex ipso D. Ioanne perspicuum est. Nam primam etiam negationem in domo Pontificis factam esse narrat, cum ipse, qui Pontifici notus erat, Petrum introduxisset. Annas autem non erat Pontifex, sed socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius, vt idem scribit Ioannes. Nam quod Lucas cap. 3. 2. ait Ioannem Baptistam sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha cœpisse pœnitentiam prædicare, non ita intelligendum est, quasi eodem A B C D E

anno vterque & Annas, & Caiphas Pontifices fuerint, non enim erat nisi vnus Pontifex; sed quia præcedenti anno Annas Pontifex fuerat, vt Iosephus auctor est, & vtroque anno Ioannes pœnitentiam prædicauit, dicitur sub Pontificibus Anna, & Caipha prædicasse. Sed D. Augustinum, & alios auctores fefellit, quòd tacitam, & obscuram D. Ioannis transitionem non animaduerterunt. Ita enim significat ab Anna ad Caipham traductum fuisse Christum, vt non nisi attentus lector obseruare possit, *Et adduxerunt*, inquit, vers. 13. 14. 15. *eum ad Annam primum (erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.) Erat autẽ Caiphas, qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis.* Non dixit apertè ab Anna ad Caipham Christũ ductum fuisse, sed satis, supérque significat eum dicit ductum fuisse ad Annam primùm; indicat enim deinde ductum ad Caipham, & eum dicit discipulum illum, qui Pontifici notus erat, ingressum cum Christo in atrium Pontificis, cùm paulò antè dixisset Caipham fuisse Pontificem. Cum ergo addit se introduxisse Petrum in atrium Pontificis, ibique ab ancilla ostiaria interrogatum, an ex discipulis Christi esset, negauisse, minimè dubium relinquit, quin & Petri negationes omnes, & cætera, quæ deinceps scribit, in domo Caiphæ Pontificis facta fuerint. Illud etiam magis hos auctores in errorem impulit, quòd Ioannes post multa vers. 24. dicat, *& misit eum Annas ligatum ad Caiphã Pontificem*, quasi post primam Petri negationem, & alia, quæ iam facta narrauerat, Annas ad Caipham ligatum miserit; sed sunt, qui ea verba transposita esse putent, & de loco suo mota; debere enim esse post ver. 13. *& adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius*, vt statim sequatur, *& misit eum Annas ligatum ad Caipham.* Et quidem oratio, & sententia hac ratione rectissimè cohæret, & Cyrillus hoc modo legit. Si hæc correctio non placet, dicendum necessariò est Ioannem postea, cum in narranda prima Petri negatione occupatus fuisset, antequàm apertè dixisset Christum ab Anna ad Caipham missum fuisse per epanalepsim postea, quod prætermiserat, resumpsisse, ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν ὁ Ἅννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν, vt vertendum sit, *miserat autem eum Annas ligatum ad Caipham.* Sed illud prius mihi magis probatur. Cur ergo ad Annam duxerunt primum, si Pontifex non erat? Ioannes tacitus rationem reddit, quia erat socer Caiphæ, cuius, vt probabile est, consilio Caiphas plurimum vtebatur, & est vero simile Annæ domum in via fuisse.

59. *Principes autem sacerdotum.*) Græcè additur καὶ οἱ πρεσβύτεροι, & seniores.

60. *Et non inuenerunt.*) Ἦλθον δὲ καὶ πολλοὶ ψευδομαρτύρων προσελθόντων δὲ οὐχ εὗρον, *& non inuenerunt*, & quidem multis accedentibus falsis testibus non inuenerunt, quam repetitionem noster interpres, aut non legit, aut exprimendam non putauit; habet tamen aliquam vim. Quid autem testibus opus erat, cùm vellent siue iure, siue iniuria Christum damnare? Volebant flagitio suo iuris speciem obtendere.

61. *Possum destruere templum Dei.*) Cur hi duo falsi vocantur testes, cùm verum testimonium dixisse videantur? Dixerat enim Christus se posse solutum templum tribus diebus reædificare, Ioan. 2. 19. Rectè Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Beda Theophylactus, & Euthymius respondent, propterea falsos appellari, quia, quod Christus dixerat, & malo animo, & diuerso sensu, & alijs verbis recitarunt. Christus non fuerat locutus de templo illo secundo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Salomonis, sed de corpore suo, vt continuò Ioann. explicauit. nec dixerat, *possum destruere templum Dei*, etiam si poterat, sed dixerat, *Soluite templum hoc*, id est soluetis, aut si solueritis, *& ego in tribus diebus excitabo illud*, Hebraismus. Magis etiam apud Marc. 14.58. verba mutant. *nos audiuimus eum dicentem, ego dissoluam templum hoc manu factum, & post triduum aliud non manu factum ædificabo.* Matthæus dixit hos falsos testes qui hoc testificati sunt, duos fuisse. Alij Euangelistæ numerum non exprimunt. Duo autem propterea fuerunt, quia manu facti erant. id est à principibus sacerdotum, & senioribus subornati. Subornarunt autem duos, quia lex erat, *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum*, Deuter. 17.6. & 19.15. Sicut aduersus Stephanum in simili causa alios duos falsos testes summiserunt A, Act. 6.13. Addit Marcus, *& non erat conueniens testimonium illorum, καὶ ἰσαὶ αὐτῶν ἡ μαρτυρία οὐκ ἦν.* Ac nec sic quidem eorum testimonium æquum erat, aut æquale, quod quidam interpretantur ipsos inter se testes non conuenisse, sicut videtur noster interpres intellexisse; sed verba Græca alium sensum præ se ferunt & nec sic quidem eorum testimonium æquale erat, id est sufficiens ad damnandum Christum. Hanc enim vim habet illud, & nec sic quidem, id est, quamuis affirmarent se audiuisse Christum dicentem, *Ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo*, non iudicasse Pontifices posse propterea Christum ad mortem condemnari. Nam testes quidem inter se rectè conueniebant, cum eadem vterque verba, & eodem sensu recitarer. Cur ergo, dicet aliquis, Stephanus non de alio conuictus crimine lapidatus est? Act. 6.14. quia duo falsi testes dixerunt, *audiuimus eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum.* Respondeo multa in illis verbis, quæ duo illi falsi testes ex Stephano se audiuisse mentiti sunt, contineri, Iesum enim Deum esse confitebatur, quod Iudæis blasphemiæ erat. & iubebantur blasphemi lapidibus obrui. Leuit. 24. 16. Ibi præterea addebant testes dixisse eum, *& mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.*

62. *Et surgens Princeps sacerdotum.*) Non debebat iudex surgere, sed sedere, sed non loquitur, tanquam iudex in tribunali sedens, sed tanquam sacerdos in synagoga, vbi quisquis aut loquebatur, aut legebat, solebat surgere, vt apparet Lucæ 4.16.

Nihil respondes.) Quid opus responsione erat, cum testimonium, quod contra Christum afferebatur, ne ipsorum quidem sacerdotum iudicio, vt Marcus significat, sufficiens esse videretur? Loquitur ex affectu malus iudex & Christi silentium, ex quo debuit testimonij colligere vanitatem, in culpæ argumentum trahit, quasi Christus ideo taceret, quòd sibi malè esset conscius, & quod sibi ipsi leue testimonium esse videbatur, acri interrogatione exaggerat, quasi dicat, nihilne respondes, cùm tam magna tibi crimina obiiciantur?

63. *Adiuro te per Deum viuum.*) Ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, quod propriè significat Dei nomine, & quasi mandato aliquem aut ad loquendum, aut ad faciendum obstringere; frequens eius rei apud Iudæos vsus erat, vt ex sacris litteris intelligimus.

Si tu es Christus filius Dei.) Quemadmodum vulgò docere soles, quemadmodum re nonnunquam appellas: ea enim de causa alias voluerunt Iudæi Christum lapidare, quòd se filium Dei esse significasset Ioannis 10.31. Non agebatur de ea re, sed eo consilio Pontifex Christum interrogat, an filius Dei sit, quia tunc omnem occasionem quæreret eum condemnandi, soleréque Christus docere se filium esse Dei. Crediderat eum in iudicio interrogatum non esse negaturum, & non posse meliorem reperiri causam, vt ad mortem damnaretur, quàm si conuinceretur aliquando blasphemasse. Erat autem eorum iudicio magna blasphemia, si quis se Dei filium appellasset, quia non poterat naturalis Dei filius esse, quin Deus esset. Itaque Iudæorum etiam iudicio Arianorum error confutatur. Lucas 22.66 narrat hæc ipsa accidisse facto iam die; *Et vt factus*, inquit, *est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum dicentes, Si tu es Christus, dic nobis.* Quapropter sunt, qui putent diuersam esse historiam, bisque Christum de hac re interrogatum, primùm à Pontifice ante mediam noctem, cum primùm ad illum ductus est, deinde à toto concilio facto iam die, cùm priùs non tam apertè respondisse videretur, sed tantùm, *tu dixisti*, Augustino lib. 3. de consensu Euangel. cap. 7. magis assentior, qui eandem historiam esse dicit. Quis enim credat postea iterum de eadem re interrogatum Christum, cùm ante tam diserté respondisset, *Tu dixisti*, & vt Marcus ait, etiam clariùs. *Ego sum.* & Pontifex tam bene intellexerit, vt sciderit vestimenta sua, ac dixerit, *Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam:* Ergo quia Matthæus tempus non notauit, Lucas notauit, cum factus esset dies, credendum est Matth. factum illud per anticipationem narrauisse. idque non sine causa, quia experatur Christi examinationes in Iudæorum concilio exponere, & ea interrogatio vna examinatio fuit, vt deinde continua etiam oratione tres Petri negationes exponeret. Quòd autem Matthæus à Pontifice, Lucas ab omnibus interrogatum fuisse dicit. *Dic nobis, si tu es Christus*, & Matthæus adiuratum, quod non dicit Lucas, leue est: nam vel Pontifex primum vel deinde omnes, qui in concilio erant, Christum interrogarunt, vel quia Pontifex omnium nomine interrogabat, Lucas à toto concilio interrogatum fuisse dicit. Adiurationem autem silentio præterijt, vt soleunt Euangelistæ multa præterire.

64. *Tu dixisti.* Hanc phrasim supra explicauimus vers. 25. eademque cap. sequenti ver. 11. coram Pilato Christus vsus est. Marc. 14.62. clariùs scribit respondisse Christum, *Ego sum*, quia sensus idem est, vnde intelligitur non significari, quod August. putat, *Tu dixisti* id est, non ego, quasi non affirmet se Christum esse. Lucas c. 22.6 aliter Christum respondisse ait. *Si vobis dixero, non credetis mihi, si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* Vero simile igitur est Christum bis ea de re interrogatū fuisse; primùm simpliciter, & sine adiuratione, atque tunc respondisse, quod Lucas ait, *si dixero vobis, non credetis.* Deinde adiuratum à Pontifice, atque tunc respondisse, quod Matthæus, & Marc. scribunt. *Tu dixisti, ego sum*, aut *quia ego sum*, Hebraica phrasi. Vtrumque enim dixisse credibile est. Respondet autem non semel cùm interrogatur, sed plùs etiam quàm interrogatur, quia de summo rei capite agebatur, an ipse esset Christus filius Dei, quod nullo modo conueniebat ea loco aut negare, aut dissimulare, sed liberè potius profiteri, cùm ea de causa in hunc mundum venisset, vt tanquam filius Dei pro filijs Adami moreretur. Addit ergo, *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Illud, *verumtamen*, non habet apud Matthæum, cui respondeat, & pro suo officio aduertitur, cùm aduersatiua, vt vocant, particula sit. Itaque videtur mihi aduersari verbis, quæ non expressit Euangelista, sed intelligenda reliquit; expressit autem

Lucas,

Lucas, *Si dixero vobis, non credetis mihi, veruntamen a modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*, quasi dicat, quid opus est, vt vobis respondeam, cum crediturí non sitis? Melius est, vt rebus, quàm vt verbis fidem vobis faciam; veniet ergo tempus, quo tempore filium hominis videatis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli, & velitis nolitis credere cogamini, quod nunc mihi dicenti non creditis, sicut alio loco dixit, *si mihi non creditis, propter opera ipsa credite*, Ioan. 14.10.11. Solet enim Christus incredulos Iudæos ad resurrectionem suam, & ad diem iudicij mittere, vt supra c. 12.39. & c. 16.4. *Generatio praua, & adulera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* & Apoc. 1.7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ.* Quod autem dicit à modo. Græcè ἀπ' ἄρτι non significat statim post illud tempus, quo loquebatur, eos visuros filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Loquitur enim de die iudicij, quo die in nubibus cæli venturus est supra c. 19.28. & c. 24.30. sed significat Iudæos nō esse visuros se ab eo tempore, id est à morte sua, donec videant eum sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli, quasi per negationem dicat, deinceps non videbitis me habitu rei, vt nunc videtis, sed habitu filij Dei sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tacitè igitur primo aduentui secundum opponit. At quo modo à dextris virtutis Dei sedentem visuri erant, qui Deum ipsum visuri non erāt? nempe visuri erant Christum tanta cum maiestate venientem, vt facilè intelligerent eum in meliore, vt ita dicam, diuinitatis parte locatum esse, hoc est, sedere à dextris virtutis Dei, maximè diuinitatem ostendere. A dextris autem virtutis Dei, Hebraismus est, pro, ad potentem dexteram Dei. Quomodo autem in nubibus cæli venturus sit c. 19.28. & c. 24.30. docuimus.

65. *Scidit vestimenta sua.*) Multarum gentium consuetudo fuit in luctu, & indignatione vestem discindere, vt etiam ex Homero, & Virgilio manifestum est. Iudæi autem duabus potissimum in rebus vestimenta scindebant; in luctu, vt Genes. 37.29.34 & 44.13. & Num. 14.6. & Iudicum 11.35. & 1. Regum 4.12. & 2. Reg. 1.11 & 13.19. Deinde cum aliquam contra Deum blasphemiam audiebant, sicut 4. Regum 19.1. rex Ezechias auditis blasphemijs, quas legati Sennacherib contra Deum iactauerant, vestimenta scidisse dicitur, & Thalmudistæ tradunt, vt nonnulli adnotauerunt, in lib. de Magistratibus tractatu de quadruplici morte Iudæorum traditionem fuisse, vt audita blasphemia vestimenta scinderent. Putabant autem magnam esse blasphemiam, quòd Christus se filium Dei esse profiteretur; itaque clamat Pontifex *blasphemauit* βλασφημεῖν contumeliosè, & impiè aduersus Deum locutus est; hoc enim & Hebraicum verbum נדף & Græcum βλασφημεῖν propriè significat; facit autem contra iuris ordinem summus sacerdos, quòd iudex cùm sit, accusatoris partes suscipiat, & accusatores iudices faciat.

66. *Reus est mortis.*) Iubebat lex, vt qui blasphemasset, lapideretur, Lenit. 24. 16. propterea & hoc loco reum mortis esse dicunt, & alias, cum se filium Dei appellasset, voluerunt lapidare, Ioan. 10.31.

67. *Tunc expuerunt in faciem eius.*) Istud, *Tunc*, non significat tempus illud, quo Christus confessus est se filium Dei esse, & quo Iudæi clamauerunt, *reus est mortis*, sed tempus potius præcedens, aut confusè totum tempus illius noctis; constat enim ex Luca c. 22.66 interrogationem illam Pontificis, & Christi responsionem factam esse lucente iam die, & hæc, quæ nunc Matthæus narrat, facta fuisse de nocte, dum Christus in domo Pontificis vinctus tenebatur, eúmque Petrus negabat.

Alij autem palmas in faciem eius dederunt.) Οἱ δὲ ῥάπισμασιν fustibus, aut bacillis ceciderunt, vel fortè crepidis, quibus Iudæi plurimùm vtebantur. ῥάπις enim vnde verbum ῥαπίζω ductum est, & virgam, aut fustem, & crepidam significat, & est vero simile Iudæos contumeliæ causa crepidis faciem Christi cecidisse. Marcus, & Lucas scribunt faciem priùs Christo velauisse. Ioannes autem priùs quendam ex adstantibus alapam illi impegisse, quod Pontifici respondisset, *quid me interrogas? interroga eos, qui me audierunt, quid locutus sim*; quasi parum reuerenter cum Pontifice loqueretur, *sic*, inquit, *respondes Pontifici?* Christum autem respondisse, *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis?*

68. *Prophetiza nobis.*) Quia vulgò insignis Propheta habebatur cap. 21.11.46. & ipse filium Dei se confessus fuerat ver. 64. per irrisionem obuelatis oculis eum cædentes interrogant, *Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit?* sicut, cum in cruce penderet, dicebant, *si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei*, c. 27.42.

69. *Petrus verò sedebat foris in atrio.*) Quomodo Petrus in atrium Pontificis ingressus fuerit, cap. 18.16. Ioan. exponit, *Petrus*, inquit *stabat ad ostium foris; exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.* Matthæus tantùm dixerat ingressum fuisse ver. 58. Quomodo autem nunc dicat eum sedisse foris in atrio, difficile non est; Cum in atrio erat, & intus erat, & foris: intus, quia intra ambitum ædium, & vltra primam ianuam; foris, quia non erat in interiori domo, sed in atrio, & sub dio, vbi præsidiarij milites, & Pontificis, sacerdotum, & seniorum famuli erant.

Et accessit ad eum vna ancilla.) Ioan. declarat ancillam ostiariam fuisse, quæ ostium illi apparuerat. Lucas verò ait ad ignem tunc sedisse, idémque ait Marcus; erat enim ignis accensus in atrio, vt in præsidijs militaribus esse solet, vt omnes circunstare possent, & calefieri. Itaque ex Euangelistarum collatione colligitur Petrum à Ioanne in atrium Pontificis introductum, & ab ancilla, quæ ostium illi aperuerat, recognitum ad ignem qui in atrio erat, cum alijs accessisse; ancillam verò primùm tacuisse, quia fortasse non satis certa erat, an bene Petrum cognouisset; cum autem sæpè in eum intuita esset, meliúsque agnouisset, accessisse ad eum ad ignem sedentem, dixisséque, *Et tu cum Iesu Galileo eras*, Vocat Iesum Galilæum ignominiæ causa, sicut qui iniquo erga eum erant animo solebant appellare, & quia, cùm in Galilæa plurimum versaretur, Galilæus fortasse esse credebatur, & quia omnes ferè eius discipuli Galilæi erant, vt Ioan. 7.41. Sic Iulianus Apostata, & Christum, & Christianos omnes Galilæos appellabat, vt lib. 3. hist. Eccl. c. 12. auctor est Socrates, Ioannes c. 18.17. non scribit ancillam dixisse Petro, *Et tu cum Iesu Galilæo eras*; sed interrogasse cum, *Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius?* Lucas verò 22.56. *Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit, & hic cum illo erat.* Itaque credendum est omnia hæc ancillam illam dixisse; primùm dixisse Petro, quasi dubitando, *Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius?* vt ait Ioan. Deinde affirmando idem dixisse, *Et tu cum Iesu Galileo eras*, vt ait Matth. Postremò ad circunstantes conuersam dixisse, & hic cum illo erat, vt ait Lucas.

70. *At ille negauit coram omnibus dicens, nescio, quid dicis.*) Quod coram omnibus Euangelistas Petrum negasse dicit, aut ideo fecit, vt circunstantiam declaret, qua crimen augetur, aut vt historiæ fidem faciat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne Apostolorum principem falsò accusare videatur, quasi omnes, qui aderãt, pro testibus adducens. Quòd autem dicit Petrus, *nescio, quid dicis*, securæ negationis emphasim habet, quasi dicat, non solùm non sum, quem me esse dicis, sed tantùm absum, vt sim, vt ne intelligam quidem, quid dicas; sic enim solemus respondere, cum ab eo crimine, quod nobis obiicitur, longissimè nos abesse significamus, nõ intelligo, quid dicas, nescio, quid dicis. Ioannes scribit Petrum respondisse, *non sum*. Lucas, *non noui illum*: Marcus, *neque scio, neque noui, quid dicas*, οὔτε οἶδα, οὐδὲ ἐπίσταμαι, τί σὺ λέγεις, neque noui eum, neque scio, quid tu dicas. Credibile est hæc omnia exaggerandi causa Petrum dixisse. Primùm simpliciter, *non sum*, vt ait Ioannes, cum ancilla quasi dubitando interrogauisset, *Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius?* vt idem Ioannes scribit. Deinde cum ancilla instaret, & diceret affirmanter quod Matthæus ait, *& tu cum Iesu Galilæo eras*, Petrum respondisse, *neque noui illum, neque scio, quid dicas*, vt Matth. Marcus, & Lucas scribunt.

71. *Egrediente autem illo ianuam.*) ἐξελθόντα δὲ αὐτὸν εἰς τὸν πυλῶνα. Egressum autem eum in vestibulum. Marcus ait, *& exijt foras ante atrium, & gallus cantauit*, quod ad sententiam idem est; nam vestibulum ante atrium erat, sicut in amplis ædibus esse solet, & notauit Marcus gallum statim cantasse, quia solus dixerat, *antequam gallus vocem bis dederit; ter me negaturus es*; vnde colligitur circiter mediam fuisse noctem; eo enim tempore galli primùm cantare solent. Ioannes verò hanc secundam Petri negationem factam fuisse dicit, cum Petrus ad ignem calefaceret se. Vnde colligimus Petrum, simulatque Christum primùm negauisset, quia fortasse à circunstantibus vexabatur, quasi Christi discipulus esset, aut qua alia causa ab atrio in vestibulum exisse, deinde, vt rem dissimularet, ne fuga, quod sibi obiiciebatur, confiteri videretur, ad ignem redijsse, & vt ait Lucas, *post pusillum*, id est, non longo interiecto temporis spacio, iterum negauisse. Illud autem *pusillum* quod Lucas ait, necesse est tres, vt minimùm horas intelligamus, quia idem Lucas scribit inter secundam, & tertiam negationem spacium fuisse quasi horæ vnius, & omnes Euangelistæ dicunt statim post tertiam negationem gallum cantasse; vnde colligimus tertiam negationem factam fuisse circiter horam quartam matutinam, id est paulò antè auroram, quo tempore gallus cantare solet. Erat enim æquinoctium, quare à media nocte, quo tempore Petrus primum negauerat, vsque ad ortum solis sex fuerunt horæ; itaque secundum galli cantum vero simile est incidisse in horam quartam matutinam, & cum inter secundam, & tertiam negationem fuerit vna hora, sequitur secundam negationem accidisse circiter horam tertiam, ac proinde tres ferè horas inter primam, & secundam negationem intercessisse. Ex Ioanne etiam colligimus quomodo participium ἐξελθόντα, quo Matth. vtitur, interpretari debeamus, nimirum postquàm exijsset, vt subintelligatur, quod ait Ioannes, & ad ignem redijsset. Cum enim exiret in vestibulum, vidit eum alia ancilla, & recognouit; sicut cum in atrium ingrederetur, ostiaria viderat, atque cognouerat. Ea ergo ancilla, quæ exeuntem viderat, cùm iam Petrus ad ignem redijsset, accessit, & dixit ijs, qui ibi erant, *& hic erat cum Iesu Nazareno*, vt ait Matth. Lucas non dicit ancillam fuisse, sed potiùs indicat fuisse virum, *& post pusillum*, inquit, *alius videns eum dixit, & tu de illis es*. Marcus verò ita loquitur, quasi eandem ancillam, quæ ante Petrum interrogauerat, fuisse indicet, καὶ ἡ παιδίσκη ἰδοῦσα αὐτὸν πάλιν ἤρξατο λέγειν τοῖς παρεστηκόσιν, *rursum autem cum vidisset eum ancilla cœpit dicere circunstantibus*. Ioannes autem scribit multos fuisse, quæ in hac secunda negatione Petrum interrogarunt, *Dixerunt ergo ei, nunquid & tu ex discipulis eius es?* quas Euangelistarum sententias, cùm conciliare non possent quidam in eum errorem (sic enim audacter appello) inducti sunt, vt Petrum sæpiùs, quàm ter Christum negasse dicerent, & nonnulli quidem septies. Satius erat ignorantiam confiteri suam, quàm & Petro, & quattuor Euangelistis, & Christo etiam ipsi facere iniuriam. Nam & Christus non quater, non quinquies, non septies, sed ter tantùm Petrum negaturum prædixerat, & facturus vtique negaturum sæpiùs, si sæpiùs fuisset negaturus; cùm, vt eo loco docuimus, maximè voluerit Petro inconstantiam, & metum exaggerare; propterea enim dixit, vt Marcus scribit cap. 14. vers. 30. *priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*; & omnes Euangelistæ tres Petri negationes expoluerunt, plures nemo; quod mirandum profectò esset, si sæpiùs, quàm ter Petrus negauisset. Rursus omnes Euangelistæ notauerunt post tertiam negationem gallum cantasse, & quasi negandi finem fecisse. Petrum enim galli admonitum voce verba Domini recordatum, & culpam suam, cùm foras exijsset, lacrymis abluisse; & Petri crimen augere nostrum non est; hæretici, vt solent, augent, qui & Petro, & eius successoribus infenso animo sunt. Magis mirror tam leuibus coniecturis in re tam graui, & contra Euangelistarum, & contra Christi testimonium hos auctores à recepta omnibus sæculis, per totã Ecclesiam sententia discessisse; prima est, quòd Ioannes primam negationem in domo Annæ contigisse scribere videatur; alij autem Euangelistæ tres præteres negationes in domo Caiphæ factas fuisse narrent. Iam enim docuimus vers. 57. negationem illam primam, de qua Ioann scribit, & cætera, quæ eodem loco narrat, non in Annæ, sed in Caiphæ domo accidisse. Secunda, quòd Marcus videatur scribere Petrum ab eadem rursus ancilla interrogatum, iterum negauisse, vt paulò antè indicauimus; quod si ita est, cum Matthæus apertè dicat aliam ancillam fuisse, diuersæ fuerunt negationes. Sed Marcus non dicit eandem ancillam fuisse, nec verò significat; nam cum dicit ἡ παιδίσκη, articulus ille ἡ non fuit relatiuè, quasi ad ancillam ostiariam, de qua ante locutus fuerat, referatur; & cum dicit, πάλιν ἤρξατο, iterum non significat ab eadem iterum ancilla interrogatum fuisse Petrum, sed ab ancilla quadam, scilicet alia nec rum interrogatum, sicut ab altera priùs interrogatus fuerat, quemadmodum disertis verbis Matthæus scribit. Tertia verò coniectura nihilo firmior est, quòd Lucas videatur dicere non ab ancilla, sed à viro quopiam Petrum interrogatum negasse: cum enim dicit, *alius videns eum dixit, & tu de illis es*, non significat distinctè fuisse virum, sed fuisse alium hominem, sicut Petrus vocat vers. sequenti; *homo, nescio quid dicis*; cum ergo Lucas aut nesciret, aut exprimere nollet, vtrum vir, an fœmina fuisset, qui Petrum & cundò interrogasset, dixit communiter alium quendam interrogasse, nimirum ἄνθρωπον hominem, qui & de viro, & de fœmina communiter dicitur. Virum autem vir, an fœmina fuerit, ex Matthæo, & Marco colligendum erat, qui nominatim dicunt ancillam quandam fuisse. Quarta eorum coniectura est, quam superius attigimus, quòd Ioannes secundam Petri negationem exponens à multis interrogatum fuisse dicat, num & ipse ex discipulis Christi esset. Itaque cum præter tres illas negationes, quas Matthæus explicauit, quattuor alias apud alios Euangelistas sibi reperire videantur, vnum apud Ioannem in domo

Annæ,

Annæ, alteram apud eundem Ioannem, cum Petrus à multis interrogaretur, tertiam apud Marcum, cum ab eadem interrogaretur ancilla, quartam apud Lucam, cum à viro quodam septè fuisse colligunt. Alias tres refutauimus, superest illa, quam ex Ioanne secundo loco colligunt, quæ multo minori negotio refutari potest. Primùm Ioannes non dicit multos fuisse, qui Petrum interrogarunt; tantùm dicit, εἶπον οὖν αὐτῷ, *dixerunt ergo ei*, id est, dictum est ei; Hebraismus enim est, quo solent Hebræi verbum impersonale passiuum per tertiam personam pluralem exprimere sine suppositio, vt amant, id est amatur, quod quamuis ab vno tantum fiat, verum est, sicut in quibusdam verbis Latini etiam faciunt, *perhibent, ferunt, dicunt*, pro perhibetur, fertur, dicitur. Ergo quamuis vna tantum ancilla Petro dixisset, *nunquid & tu ex discipulis eius es?* verè potuit Ioannes scribere, *dixerunt ergo ei*. Deinde credibile est primùm ancillam cœpisse dicere, *Nunquid & tu ex discipulis eius es?* deinde eos, qui aderant, sermonem prosequutos, sed non propterea putandum est diuersas fuisse negationes.

Et hic erat cum Iesu Nazareno.) Marcus ait ancillam dixisse circunstantibus, *hic ex illis est*. Luc. verò, *& tu ex illis es*. Ioannes autem, *nunquid & tu ex discipulis eius es?* Omnia ancillam dixisse credendum est. Primùm, *nunquid & tu ex discipulis eius es?* vt ait Ioannes; & cùm Petrus negasset, affirmanter addidisse, *& tu de illis es*, vt ait Lucas; deinde ad eos, qui aderant, conuersam dixisse, *& hic de illis est*, vt ait Marcus; *nam cum Iesu Nazareno erat*, vt ait Matthæus.

72. *Et iterum negauit cum iuramento.*) Auget Petrus crimen. Primùm enim non iurauerat, sed negauerat: nunc & negat, & iurat. Lucas scribit dixisse, *ô homo non sum*. Ioan. autem, *non sum*, quale credibile est prius simpliciter dixisse, *non sum*, vt ait Ioannes, deinde cum aut ancilla, aut ij, qui aderant, instarẽt, addidisse, quod ait Lucas, *ô homo, non sum*, postremò, cùm adhuc vrgerent, dixisse, *non noui hominem*, vt ait Matthæus.

74. *Et post pusillum.*) Post vnius horæ spacium, vt Lucas exponit.

Accesserunt, qui stabant.) Sic etiam Marc. dicit. Lucas verò, *Alius quidam affirmabat dicens, verè hic cum illo erat*. Ioan. declarat fuisse cognatum eius, cuius Petrus auriculam absciderat, qui affirmaret se Petrũ in horto cum Christo vidisse. Credendum est cognato illo sermo Pontificis incipiente alios secutos fuisse.

Nam & loquela tua manifestum te facit.) Marcus, & Lucas, *Nam & Galilæus est*. Quomodo Galilæi, cùm Hebræo sermone vterentur, ex lingua cognosci potuerint Hierouym. his verbis exponit, *quod vnaquaque prouincia, & regno habeat proprietates suas, & vernaculum loquendi sonum vitare non possit*; sicut videmus Ephraæos non potuisse aliorum Hebræorum more *schibboleth* pronunciare, sed pro *schibboleth*, dixisse *sibboleth*, quod multis causa fuit mortis. Iudicum 12. 6. & sicut in Gallia videmus, cum omnes prouinciæ Gallieè loquantur, Aquitanos, Aruernos, Neustrios à Parisijs facillimè dignosci.

74. *Tunc cœpit detestari.*) ναταθεματίζειν execrari, quod vel ad Christum, vel ad ipsum Petrum referri potest, vt aut Christum, aut se ipsum execratus fuerit; sed quia neutrum constat, malo rem dubiam in meliorem partem interpretari, crederéque Petrum se ipsum execratum, id est diris, vt Latini loquuntur, deuouisse, quod species execrabilis iuramenti est: qualis illa, qua malè assueti Galli vtuntur, *Le Diable me emporte, si ie le cognois*.

Et iurare, quia non nouisset hominem.) Creuit semper cum tentatione culpa. In prima negatione primùm dixerat, *non sum*, deinde, *non noui illum*, postremò *nescio quid dicas*. In secunda adhibuit iuramentum. In tertia execrationem, eámque vero simile est sæpè ingeminasse; hanc enim vim habere videtur verbum illud *cœpit detestari*, quasi sæpè & multis modis execratus fuerit, sicut Galli dicunt *Q* homine, qui sæpè & multis modis iurat, *Il a commencé à iurer*. Marcus etiam scribit Petrum execratione vsum fuisse; Lucas, & Ioannes simpliciter dicunt eum negauisse, hanc circunstantiam omittentes.

Et continuò gallus cantauit.) Lucas, *adhuc eo loquente gallus cantauit*, quæ temporis circunstantia tãm diligenter expressa eò pertinet, vt appareat Christi prædictionem veram fuisse, *antequam gallus cantet, ter me negabis*, ver. 34. Omnes Euangelistæ notauerunt eodem consilio eandem circunstantiam, sed Lucas magis expressit.

75. *Et recordatus est Petrus verbi Iesu.*) Mirum, cur ante recordatus non fuerit, cùm ante ad mediam noctem post primam negationẽ gallus cantasset; fortasse galli vocem non audiuerat, aut quia semel tantùm cãtauerat, sperabat se non iterum negaturum, aut, quod omnium verissimum est, non solo galli cantu; sed multo maximè Christi respectu admonitus est, vt significat Lucas c. 22. 61. *Et conuersus Dominus respexit Petrũ, & recordatus est Petrus verbi Domini*. Ita Chrysost in hunc locum, & Ambr. lib. 10 comment. in Luc. *Denique quos Iesu respicit, plorant delictum. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus. Negauit secundò, non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negauit tertiò, & respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit*. Et Leo ser. 3. de passione Domini, *Respexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter cadentium, & consuentium iniurias constitutus illis turbatum discipulum conuenit oculis, quibus cum præuideret esse turbandum, & in illis conuersa est veritatis inspectio, vbi erat cordis faciendæ correctio, quasi quædam illi vox Domini insonaret, ac diceret, Quid habes Petre quid in tuam conscientiam recedis? ad me conuertere, in me confide, me sequere, mea passionis hoc tempus est, nondum tui venit hora supplicij. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas, quam recepi; ego de tuo fui trepidus; tu de meo esto securus*. Tria in his Petri negationibus obseruanda sunt. Primùm, non contigisse post ea omnia, quæ Matthæus narrauit, antequàm de illis dicere aggrederetur, cum vna pars eorum, quæ ante dixit, accideriit orto iam die, vt quòd Christus à Pontifice rogatus fuerit, vtrum ipse esset Christus, vt constat ex Luc. 22. 66. cùm manifestum sit tres Petri negationes diuersissimis eius noctis horis accidisse; Matthæus ergo, & Marcus, quia narrare cœperant, quæ erga Christum ea nocte facta fuerant, eam totam historiam priùs absoluere voluerunt, quàm Petri negationes inciperent recitare, ideóque negationes Petri simul vltimo loco posuerunt. Lucas è diuerso, quia de prima Petri negatione dicere cœperat, omnes simul explicare voluit, priusquàm narraret, quæ Christo facta essent; solus Ioannes negationes Petri cum historia Christi permiscuit. Secundo loco cauendus vulgaris error est eorum, qui putant fidem Petrum perdidisse; nec enim fidem perdidit, sed negauit, quod aliud esse Theologi dicunt, quemadmodum & Prudentius ait in libro Cathemerin.

Petrus fidem non perdidit, cum Christum negauit.

Flenit negator denique
Ex ore prolapsum nefas;
Cum mens maneret innocens,
Animúsque seruaret fidem.

Hymno 1.

Tertio loco altera huic opposita sententia fugienda est, multos licet & bonos auctores habeat, Petrum, cum Christum negauit, aut non peccasse, aut certè mentitum non fuisse, sed salua veritate ambigue locutum, vt Hilarius, &

Petrus vere & cum mendacio Christum negauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ambr. scribunt. Nec enim, inquiunt, mentiebatur, qui eum hominem se nosse negabat; quem Deum cognoscebat. Quos, vt opinor, auctores his verbis Hieron. notat, *Scio, quosdam pro affectu erga Apostolorum Petrum locum hunc ita interpretatos, vt dicerent Petrum non Deũ negasse, sed hominem, & esse sensum nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm friuolum sit, prudens lector intelligit; sic defendunt Apostolum, vt Deum mendacij reum faciam. Si enim iste non negauit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat, Amen dico tibi, quia hac nocte antequam gallus cãtet, ter me negabis. Cerne, quid dicat, me negabis, non hominem.* Quanquam possumus Hilarium, & Ambrosium ab errore benigna interpretatione liberare, vt non negent & negauisse, & peccasse, & mentitum fuisse Petrum, sed tantùm ita locutum dicant, vt ex verbis eius aliquis verus sensus elici posset, quia dixerat, *non noui hominem*, quod interpretari possemus, non noui tanquam solum hominem, sed tanquam Deum.

Excusantur Hilarius, & Ambrosius circa Petri negationem.

Et egressus foras fleuit amarè.) Non potuit, vt aiunt Hieron. & Beda in atrio Pontificis agere pœnitentiam, foras illi egrediendum fuit. Fecisset constantiùs, & fortiùs, si quo loco peccauerat, eodem pœnitentiam egisset, & coram quibus Christum se nosse negauerat, coram eisdem confessus fuisset; vt negationis damnum repararet. Sed ita natura comparatum est, vt ibi pudeat agere pœnitentiam, vbi peccare non puduit. Quanquam Petrus non tam infirmitate fortasse, quàm Christi verecundia egressus est foras, quòd eius conspectum, quem negauerat, sustinere non posset. Quacunque tandem ratione egressus sit, magnum pœnitentiæ præbuit exemplum, rectéque de illo lib. 10. comment. in Lucam scribit Ambros. *Etiam lapsus sanctorum vtilis est. Nihil mihi nocuit, quòd negauit Petrus; profuit, quòd emendauit. Didici cauere colloquia perfidorum. Petrus inter Iudæos negauit. Salomon contubernio Gentili deceptus erranit. Plenis igitur amarè Petrus, vt lachrymis culpam ablueret,* & vt Clemens Romanus scripsit, tam atrè in eius animo cui delicti dolor sedit, vt toto vitæ suæ tempore, quoties gallum cantantem audiret, procidens in genua lachrymas funderet, & peccati sui peteret veniam. Tenere non possum me, quin insignem nouorum hæreticorum impudentiam traducam, qui, vt probent nullam in nobis esse pro peccatis satisfactionem Ambrosij in 22. cap. Lucæ verba proferunt, *Lachrymas vino lego, satisfactionem non lego*; quod testimonium vt Caluinum quidem, qui omnium doctissimus videri voluit, citare puduit. Recitabo totum Ambrosij locum, vt istorum impudentiam, & malignitatem lector perspiciat. *Petrus*, inquit, *doluit, & fleuit, quia erauit, vt homo. Non inuenio, quid dixerit, inuenio, quod fleuit; lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lachrymæ delictum, quod vere pudor est confiteri, & venia fletus confitentis, & verecundæ lachrymæ sine horrore culpam loquuntur, lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur, lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. Inuenio, quod tacuit Petrus, ne tam cito veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum est, quàm petendum. Bone lachryma, quæ lauant culpam.* Quibus verbis clarius potuit Ambrosius dicere Petrum pro peccato satisfeciſſe, quàm *lauant lachrymæ delictum?* quàm, *lachrymæ veniam non postulant, sed merentur?* quàm, *bonæ lachrymæ, quæ lauant culpam?* Ergo cum dicit, *lachrymas eius lego, satisfactionem non lego*; sarisfactionem excusationem, & purgationem appellat; &, vt vulgò loquuntur, sui ipsius iustificationem. Significat igitur Petrum non excusasse culpam, sed fleuisse. Hoc est, quod ait, *Non inuenio, quid dixerit, inuenio quod fleuerit.* Sed illi boni Theologi, qui aut nihil, aut solam Grammaticam sciunt, ne Grammaticam quidem apud D. Ambrosium intellexerunt.

A

B

C

CAPVT XXVII.

1. *Mar. 15. a. 16. Luc. 23. a. 1. Ioan. 18. c. 28.* MANE autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. 2. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. 3. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset: pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, 4. dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. 5. Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit. 6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbanam: quia pretium sanguinis est. 7. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. 8. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. 9. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israel: 10. & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. 11. Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis. 12. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. 13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? 14. Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer. 15. Per diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. 16. habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabbas. 17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barrabbam, an Iesum qui dicitur Christus? 18. Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum.

Mar. 15. a. 2. Luc. 23. a. 3. Ioan. 18 f. 28.

19. Se-

19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum. 20. Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt populis vt peterent Barabbam, Iesum vero perderent. 21. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? Illi dixerunt: Barabbam. 22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? 23. Dicũt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. 24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis. 25. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. 26. Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. 27. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: 28. & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei, 29. & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextra eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. 30. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. 31. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. 32. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius. 33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. 34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. 35. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. 36. Et sedentes seruabant eum. 37. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: HIC EST IESVS REX IVDAEORVM. 38. Tũc crucifixi sunt cũ eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à sinistris. 39. Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, 40. & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. 41. Similiter & principes sacerdotũ illudentes cum Scribis, & senioribus dicebant: 42. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: 43. confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia filius Dei sum. 44. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. 45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. 46. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? 47. Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. 48. Et continuo currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. 49. Ceteri verò dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. 50. Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. 51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum, & terra mota est: & petræ scissæ sunt, 52. & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. 53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. 54. Centurio autem & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iste. 55. Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei: 56. inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. 57. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. 58. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus, 59. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda. 60. & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magno ad ostium monumenti, & abijt. 61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrũ. 62. Al-

Mar. 15. b. 11. Luc. 23. b. 18. Ioan. 18. g. 40. Act. 3. b. 14.

Mar. 15. b. 16. Ioan. 19. d. 18. Psal. 21. d. 17.

Mar. 15. b. 1. Luc. 23. d. 20. Ioan. 19. d. 17.

Mar. 15. c. 14. Luc. 23. f. 14. Ioan. 19. d. 18.

Ioann. 2. d. 19.

Sup. 2. d. 18.

Psal. 21. a. 9.

Psal 21. a. 1.

2. Par. 3. d. 14.

Mar. 15. d. 42. Luc. 23. g. 50. Ioan. 19. e. 38.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, 63. dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. 64. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis: & erit nouissimus error peior priore. 65. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. 66. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

IN CAP. XXVII.

MANE *autem facto.*) Marcus, *confestim mane*, Lucas, *& vt factus est dies.*

Consilium inierunt.) Lucas, *conuenerunt.* Credibile enim est primum illud concilium fuisse dissolutum. Nec enim est vero simile sacerdotes, Scribas, & seniores populi quantauis contra Christum rabie incitatos per totam noctem sine vlla requie congregatos fuisse. Itaque quæ Matthæus supra narrauit cap. 26. vers. 62. vsque ad 67. in hoc concilio facta sunt. vt ex Luca manifestum est, quia quemadmodum cap. 26. 67. probauimus, eadem est apud Matthæum, & Lucam historia.

Omnes principes sacerdotii, & seniores populi.) Marcus, & Lucas addunt, *& Scribæ*; hæc enim, vt sæpe diximus, tria hominum genera Iudæorum concilium efficiebant. Quomodo autem multi principes sacerdotum fuisse dicantur cap. 2. 4. declarauimus.

Vt eum morti traderent.) Nonne iam dixerat cap. superiore ver. 66. *Reus est mortis?* Paulò ante monuimus illa verba hoc loco, & in hoc concilio dicta fuisse, sed Matthæus per anacephalæosim, dixit *concilium inierunt*, quia interposita historia de Petri negationibus intermiserat narrationem. Non erant visa falsa testimonia, quæ aduersus Christum producta fuerat, satis idonea, vt Christus morti traderetur, quemadmodum Marcus cap. 14. 56. indicauit, ideo cum viderent diem illucescere, & nullam se habere satis sufficientem accusationem, quem ad Pilatum deferrent, concilium iterum vocant, vt deliberent, quid possint coram Præside Christo obicere, quod morte dignũ esse videatur, ideóque rogant an ipse sit Christus, vt cap. præcedenti ver. 63. Matthæus scripsit; hoc enim Christum credebant non negaturum, & Præsidi capitale videri poterat, quia cũm omnium Iudæorum opinio esset Christum futurum regem, & populum à tyrannide liberaturum, quisquis se Christum esse dicebat, regem profitebatur, qua re nihil criminosius Romanis imperium in Iudæos obtinentibus videri poterat.

2. *Et vinctum.*) Ὁ δεδεκὼς αὐτὸν, & cum eum vinxissent, vt etiam Marcus scribit cap. 15. 1. Iam ante vinctus fuerat, cum comprehenderetur, vt ait Ioannes c. 18. 12. sed aut fuerat relaxatus, cum in domo Pontificis teneretur, vnde fugere nõ posse credebatur, aut tenebatur quidem ligatus, sed non manibus vinctis; cum autem vellent eum à domo Caiphæ in domum Pilati traducere, iterum vinxerunt.

Et tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.) Quare Præsidi tradiderunt, & non ipsi occiderunt, siue iure, siue rabie, dubitari potest. Chrysost. existimat propterea Pilato tradidisse, quòd dies esset festus, quo de ipsis quemquam condemnare non licebat; sed cap. superiore ver. 2. satis probauimus non fuisse diem illum Iudæis festum. Theophylactus verò ideo Pilato traditum fuisse putat, quòd affectati regni accusaretur, quæ res ad Pilatum Romanum Præsidem spectare videbatur. Vera causa ex Ioanne colligitur, cap. 18. 31. vbi Iudæi dicunt sibi non licere quemquam occidere, siue omnino non licuerit, sublata illis à Romanis omni de capitalibus causis iudicandi potestate, vt omnes fere sentiunt auctores; siue, vt nonnulli existimant, quòd non licuerit illis quemquam crucifigere; sed aut lapidare, aut strangulare, aut vrere, aut gladio iugulare, vt cap. 5. 22. docuimus ex quo præsertim genere crux nõ erat, quæ à Romanis in Iudæam fuerat introducta. Volebant autem non quoquo modo Christum occidi, sed cruce occidi, quod omnium ignominiosissimum mortis genus erat. Obiicies aliquis Stephanum ab illis lapidatum, Act. 7. 58. quare non omnis in capitalibus causis potestas erepta Iudæis erat. Facilè respondeti potest; illud mortis genus Iudæis non fuisse prohibitum; quare & Christum ipsum aliàs voluerant lapidare, Ioann. 10. 31. Si autem quod probabilius est, omnis omnino occidendi potestas ablata illis erat, respondendum est, vt nonnulli responderunt interpretes, impetu, non iudicio id factum fuisse, vt & Stephanum lapidauerint, & Christum lapidare voluerint. Porrò quomodo Pontius Pilatus Præses fuerit, ex Iosepho intelligitur. Dixi-mus cap. 14. 1. magni Herodis regnum post eius mortem in Tetrarchias fuisse diuisum, vt ex Luca cap. 3. 1. colligitur, quarum vna Iudæa fuit, quam Archelaus magni Herodis filius annos decem, partim regis specie, partim Tetrarchæ auctoritate gubernauit. Post id tempus accusatus apud Augustum Imperatorem ellis, quòd tria Iudæorum millia, qui in templum confugerant, ipso Paschæ die trucidasset, quodq; tyrannidem in Iudæos exerceret, & sacerdotium, quibus vellet, auferret; quibus vellet, daret; itaque Viennam Galliæ vrbem relegatus est, vt Iosephus libro 17. antiquitatum, cap. 19. & libro 18. cap. 1. testatur. Sic Iudæa in prouinciam Romanorum redacta est, & per Præsides sicut aliæ prouinciæ, cœpta gubernari. Ex quibus Pilatus sextus fuit, vt Iosephus scribit libro antiquitatum 18. cap. 4. Putat Theophylact. Pontium Pilatum vocatum fuisse, quòd ex Ponto esset, nomen nominis cõiecturâ; nam & apud Romanos Pontios fuisse legimus.

3. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset.* Sunt qui interpretentur, quòd ipsemet Iudas damnatus esset, quasi dicat Euangelista. Tunc videns Iudas nullam sibi spem salutis superesse, retulit triginta argenteos, & desperans laqueo se suspendit. Sed hæc opinio facile ex Euangelistæ contextu refutatur, qui ita narrationem texuit, vt non obscurè indicaret hoc esse ad Christum referendum, quòd cùm eum Iudas videret damnatum esse, triginta argenteos retulit. Difficilior quæstio est, de qua Christi damnatione hoc, quod solus Matth. narrat, sit intelligendi. Sunt qui putent de damnatione per Pontium Pilatum facta, ver. 26. intelligi oportere; sed Matthæum per anticipationem ante narrauisse, quod & Iouencus Poëta Christianus existimauit, multique recentiores interpretes assentiuntur, quia dicitur Iudas triginta argenteos ad sacerdotes retulisse, quos cum accipere noluissent, in templum proiecerit. Vnde colligitur in templum tunc fuisse sacerdotes, vbi antequam

Christus à Pilato condemnaretur, esse non potuerunt, cùm in accusando Christo tantopere essent occupati. Tenuis coniectura; nec enim omnes sacerdotes, sed soli principes sacerdotum, id est sacerdotalium familiarum capita Christum accusabant, vt versu 1. Euangelista significauit; itaque poterant alij omnes sacerdotes, qui principes non erant, in templo esse. Et verò probabile non est templi ministeria quæ per sacerdotes perficiebantur, dum Christus apud Pilatum accusabatur, cessauisse. Difficilior obiectio esse potest, quòd principibus sacerdotum Iudas dicatur argenteos retulisse. Veruntamen potuit ad principes sacerdotum, qui non in templo, sed aut in domo Caiphæ, aut in Prætorio erant, argenteos referre, quos cùm accipere noluissent, in templum proiecit, proiectos verò, qui in templo erant, sacerdotes accepisse atque seruasse vero simile est, donec principes sacerdotum consilium postea inierunt, quid de illis fieri oporteret, vt ver. 6. & 7. Matth. scribit. Ergo quòd dicit Euangelista, *videns Iudas, quod damnatus esset*, ita intelligendum est, videns Christum Iudæorum præiudicio condemnatum, qui omnes vna voce clamauerant, *reus est mortis*, c. 26. 66. Videns Christum à Iudæis ad Pilatum trahi, quod nequaquam fecissent, nisi omnino deliberassent non prius desistere, quàm ad crucem condemnaretur, *retulit triginta argenteos.* Principes enim sacerdotum dicuntur Christum morti tradidisse, quia Pilato ad mortem condemnandum tradiderunt, vt scribit Lucas cap. 24. 20. *Quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & Pontifices nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* Hinc colligitur Iudam, cum Christum vendidit, neque eo vendidisse animo, vt occideretur, neque putasse fore, vt condemnaretur ad mortem, quemadmodum Theophyl. & nonnulli recentiores interpretes admonuerunt. In hoc sacerdotibus, Scribis, & senioribus aliquanto melior, quòd quamuis auaritia, & infidelitate magistrũ vendidisset, de morte tamen eius non cogitasset.

Pœnitentia ductus.) Origenes, & Hieron. ita de hac Iudæ pœnitentia loquuntur, vt eam laudare videantur. Hinc enim Manichæorum refellunt errorem, qui duas, alteram bonam, alteram malam, naturas introducebant. Cæterum non intelligunt, vt opinor, bonam omnino fuisse, sed aliquid habuisse boni, quòd quamuis peccatum non emendauerit, cognouit tamen atque confessus est, & se feciſse doluit. Hoc proprié Græcum verbum significat, quo Matth. vsus est μεταμεληθεὶς de peccato dolens, & anxius; hoc enim interest μεταμελεῖν & μετανοεῖν interesse nonnulli obseruauerunt, quòd μεταμελεῖν sit patratum peccatum agnoscere, atque dolere, μετανοεῖν non solùm dolere, sed emendare; hoc Petrus, illud Iudas fecit, ideo non dicitur μετανοηθεὶς, aut μετανοεῖν, sed μεταμεληθεὶς Rectè Leo sermone 5. de Pass. Domini. *Merito, inquit, & Propheta prædixerat, oratio eius facta est in peccatum, quoniam consummatio scelere tam peruersa impij conuersio fuit, vt etiam pœnitendo peccaret*, & Ambrosius libro 10. comment. in Lucam, *Etsi cassa est pœnitentia proditoris, quia peccauit in Spiritum sanctum, est tamen vilius in scelere pudor culpam agnoscere. Et quamuis ille non absoluitur, Iudæorum tamen impudentia contestatur, quos cum professio redarguat venditoris, scelesti tamen fibi vendicanti iura contractus, & exortes reatus se esse credunt, dum dicunt quid ad nos? tu videris. Amentes planè, qui putant solui se magis auctoris scelere, quam teneri.* Scribunt Origenes, & Theophylactus voluisse Iudam, cum Christi iam mortem impedire non posset, eundem moriendo præuenire, vt in altera illi occurreret vita, & veniam ab eo sui sceleris obtineret.

A Quod etsi fabulæ simile est, tamen illud habet vtilitatis, quòd inde intelligimus Origenis ætate doctrinam de Purgatorio, & peccatorum post hanc vitam remissione fuisse vulgarem. *Purgatorium.*

4. *Peccaui tradens sanguinem iustum.*) Id est iustum hominem ad mortem; et Iudas Christum Deum esse non credebat, vt supra docuimus, & Leo sermone 1. de Passione Domini scribit, hominem tamen iustum, & innocentem confitetur. Voluit Deus, vt ab omni hominum genere, contra sacerdotum, & seniorum peruersitatem suæ innocentiæ testimoniũ Christus haberet, etiam ab ipso iudice Pilato, etiam ab eius vxore, etiam à proditore, qui eum vendiderat.

Quid ad nos?) Hominum obcæcatorum vox est, B & vt paulò ante ex Ambrosio citauimus, amentium, *qui putant solui se magis auctoris scelere, quam teneri. In pecuniarijs*, inquit, *causis refuso pretio ius soluitur. Hi pretium recipiunt, & sacrilegium persequuntur, ac pertinacibus studijs funestas sibi vindicat sanguinis auctionem, cum refunderet venditor sacrilegy mercedem.*

5. *Et proiectis argenteis in templo.*) Visus sibi est Iudas, cum in templo argenteos proiiceret, sacerdotibus dare, & initium venditionis contractum rescindere.

Abiens laqueo se suspendit. ἀπήγξατο, laqueo præfocatus est. Actor. 1. 18. ait Petrus de Iuda loquens, *De morte Iudæ.* ἐλάκησε μέσος, ad verbum, & præceps factus crepuit medius, quod non satis videtur cum Matthæo cohærere. Itaque sunt, qui dicant priùs se C Iudam, vt Matth. ait, laqueo suspendisse, sed inclinatam fuisse arborem, atque ita superuixisse, postea verò hydrope fuisse mortuum, cùm medius crepuisset, vt ait Petrus; sic Theophylactus. Alij cum de laqueo penderet à prætereuntibus agnitum fuisse, atque depositum, vixisseque postea aliquantisper secreto in loco, dein præcipitem ex eo loco edito cecidisse, inflatúmque crepuisse medium; sic Euthymius. Alij rupto laqueo superuixisse, ac postea crepuisse medium, vt Oecumenius in commentarijs in Acta Apostolorum cap. 1. ex Papia vetustissimo auctore recitat, & auctor scholasticæ, quam vocant, historiæ tanquam vulgarem opinionem refert. Probabilius est, quod alij suspicantur, primùm quidem se ex loco edito laqueo suspendisse, seque inde præcipitem egisse, sicut solent, qui laqueo suspenduntur inserto laqueo de superiore loco demissi, & præcipites dati, vt citius strangulentur; postea verò aut rupto laqueo cecidisse, ac effudisse viscera; aut cum penderet ita intumuisse, vt non quidem statim, sed aliquãto post tempore medius crepuerit; nam omnes, qui suspenduntur, vehementer inflari solent. Dubium an statim, vt retulit argenteos, se suspenderit. Sunt qui dicant non nisi post Christi resurrectionem id eum feciſse, cum audisset resurrexisse Christum, quod minimè sperabat: tunc enim abiecta omni spe salutis, quòd humani generis redemptorem vendidisset, laqueo sibi vitam eripuisse, vt historiæ scholasticæ auctor scribit. Sed cum id non probetur, & Euangelista rem ita narret, vt statim proiectis in templum argenteis ad laqueum indicet cucurrisse, hoc potiùs credendum. Nimis curiosa quæstio est, qua ex arbore se suspenderit, cùm ex Euangelista ne illud quidem constet, an ex vlla se omnino suspenderet arbore; sed tamen video opinionem quandam incerto auctore vulgari, vulgo arborem ficum fuisse, quemadmodum & Hebræi tradunt eam, vnde Adam, & Eua veritum decerpserunt fructum, fuisse ficum. Hanc quæ nunc vulgi est, antiquam etiam, & magnorum olim auctorum opinionem fuisse ex Iuuenco Poëta perspicuum est. *An ex arbore, & ex qua pependit Iudas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exoc ſi ſigue ſitas laqueo ſibi ſumere pœnas
Inſormem rapuit ſicut de vertice mortem.

6. *Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis.)* Cur nunc accipiunt, cum paulò ante accipere noluiſſent? Quia ante ipſis Iudas dabat, quaſi vt infectũ faceret, quod factum erat: ideo accipere noluerunt ne venditionem reſcindere viderentur, cogerenturque Chriſtum illi reddere, ſicut ille reddebat argenteos: nũc autem accipiunt, quia eos in templum proiecerat; quæ autem in templum proiiciebantur, templo, Deóque videbantur offerri, quas oblationes, cũ ſacerdotes aſſeruarent, & triginta argenteos proiectos collegerunt.

Non licet nobis mittere in corbanam.) קרבנ Hebræis eſt offerre. Inde nomen קרבן ductum eſt, quod propriè oblationem ſignificat, frequens in litteris ſacris, Leuitici 1.2 3. & 2. 5. 7. & 6. 20. & Num. 7.13 & 28.2. Aliquando accipitur pro iuramento, quod per קרבן id eſt templi oblationes fiebat, quemadmodum Iudæi aliquando iurabant, vt conſtat ex ſuperiore, cap. 23. 6 18. Auctor eſt Ioſephus lib. 1. contra Appionem. Atque hoc fortaſſe modo apud Marcum cap. 7. 11. accipi poteſt. Deinde tranſlatum nomen eſt, vt locum ipſum, vbi templi oblationes recondebantur, id eſt, ſacrum ærarium ſignificaret, vt Ioſephus lib 2. de bello Iudaico c. 8. ſcribit, ſicut Græci γαζοφυλάκιον appellant, 4 Reg 12 9 10. Marci 12. 41 43. Lucæ 21. 1. Ioan 8. 20. ſunt qui interpretẽtur *mittere*, pro remittere, quòd exiſtiment triginta illos argẽteos ex ſacro gazophylacio à ſacerdotibus elatos fuiſſe, vt emerent Chriſtum, in qua ſententia Iuuencus eſt, habẽtq; non minimam probabilitatẽ: ſolebant enim publici ſumptus, qui ad templi cauſam religionémque pertinebant, ex ſacris fieri theſauris. cuiuſmodi ſacerdotes cauſam eſſe arbitrabantur, vt Chriſtus, qui ſe Dei filium profitebatur, occideretur.

Lib. 4. hiſt. Euang.

Hebraiſmus.

Quia pretium ſanguinis eſt.) Hebræorum idiomate ſanguis ponitur pro morte. Addere debuerunt iuſti, quemadmodum Iudas paulò ante confeſſus fuerat; ſed neſciunt homines errore cæci aut vera ſentire, aut loqui. Prohibebãtur Iudæi turpe lucrum in templum offerre. Deuter 23.18. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui: quicquid illud eſt, quod voueris, quia abominatio eſt vtrumque apud Dominum Deum tuum*; vnde per analogiam colligebant nec pretium ſanguinis Deo eſſe offerẽdum aut quod maioris ſtultitiæ erat, mittendum in gazophylacium. Nam oblationem Deo factam, cum argenteos acceperant, approbauerant. Itaque plus reuerentiæ homines inſani gazophylacio, quàm Deo tribuendum eſſe iudicabant.

7. *Conſilio autem inito.)* Non eſt credendum hoc continuò factum eſſe, ſed poſtquàm crucifixus eſſet Chriſtus, ac fortaſſe poſt Paſchæ diem feſtum. Nam toto illo die in accuſando, & crucifigẽdo Chriſto occupati fuerant. Die autem inſequenti in Paſchæ celebratione, quo tempore contractus inire non licebat. Sed Matthæus, quia de relatis à Iuda argenteis loqui cœperat, totam narrationem finire voluit, docereq;, quid de illis actum eſſet. Cæterum, quod de inito conſilio, & empto dicit agro, per anticipationem dictum eſſe intelligendum eſt.

Emerunt ex illis agrum figuli.) Cur *agrum figuli*, Matth. appellet, incertum. Potuit ſic vocari, vel quia alicuius figuli erat, vel quia ex eo figuli ad fingenda vaſa terram effodiebant, aut quia in eum teſtarũ fragmenta proiiciebant, ita vt culturæ inutilis eſſet, ſoliſque mortuis ſepeliendis commodus eſſe poſſet. Quacumque tandem ratione ſic appelletur, illud certum, notum eo nomine vulgò fuiſſe agrum, & quia Euangeliſta, tanquam de nouiſſimo agro dicit, *Emerunt ex illis agrum figuli*, & quia Græcum illi articulum adiungit τὸν ἀγρὸν, qui rem notam demonſtrat, quemadmodum *Clericorum pratum* apud Pariſienſes.

In ſepulturam peregrinorum.) Solebant ciues Ieroſolymitani, aut in publico loco, aut in ſuo quiſque fundo proprium habere ſepulchrum, vbi omnes, qui eiuſdem eſſent familiæ, ſepelirentur. Magnum enim illis ſolatium mortis videbatur, ſi in patrum ſuorum ſepulchris ſepelirẽtur, vt ex multis librorum Regum locis manifeſtum eſt. Qui autem peregrini erãt, eum patria ſepulchra in vrbe nõ haberent, difficile ſepulturam reperiebant. In hoc bonum publicum ſanctũ illi ſacerdotum principes oblatam templo pecuniam impenderunt, quòd res Deo ſacra non niſi in pium opus conſumenda videretur; ſic Origenes interpretatur. Alij putant peregrinos hìc Gentiles appellari, qui aliquando aut habitabãt Ieroſolymæ, aut eò ventitabant; ſi verò inibi mori contingeret; locum, vbi ſepelirentur, non habebant; nefas enim Iudæis videbatur non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem cum Gentilibus habitare.

8. *Propter hoc vocatus eſt ager ille Acheldema, id eſt, ager ſanguinis vſque in hodiernum diem.* Nimirum diuino conſilio factum eſt, vt qua ratione ſacerdotes impietatem ſuam vnà cum illa pecunia obruere, & quaſi ſepelire voluerunt, ſempiterno monimento in omnem poſteritatis memoriam tranſtulerint, vt quoties ager ille *Acheldema*, id eſt, *ager ſanguinis* vulgò diceretur, toties ſceleris eorum memoria renouaretur, vt Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophylactus adnotarunt. *Acheldema*, Syriacum verbum eſt, quo tunc lingua Iudæi loquebantur, & agrum ſanguinis ſignificat, ſic appellatum, quòd pretio ſanguinis emptus eſſet. Cæterum Syriacum verbum apud Matth. Græcè non legitur, ſed eius tantùm periphraſis, *ager ſanguinis*, neque Chryſoſtom. hoc loco, & Euſebius lib. 10. de demonſt. Euang. cap. 4 hunc locum edisſerens legit Itaque ſunt, qui putent ex actis Apoſtolorũ cap. 1. 19. vbi eo verbo Petrus vſus eſt, aliquem in hìc locum illud tranſtuliſſe, non omnino improbabilis coniectura.

9. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam prophetam.)* Magna hìc, & vetus quæſtio eſt, quomodo Matthæus Ieremiam citet, apud quem hoc teſtimonium non reperitur, cùm apud Zachariam 11. 13. potiùs reperiatur. Omnes & veteres, & recentiores interpretes in huius difficultatis explicatione magnopere laborarunt. Sunt, qui putent hoc teſtimonium Ieremiæ quidem eſſe, non ex his, quos nunc habemus, ſed ex his, qui perierint, eius libris à Matthæo deſumptum. Multa enim veteres ſcripſiſſe prophetas, quæ non extant ex libris Regum, & Paralipom. multis locis apparet, nominatim verò Ieremiam alios præter eos, quos habemus, ſcripſiſſe libros auctor librorum Machabæorum lib. 2. cap. 2. 1. teſtis eſt. Sunt qui ſuſpicentur in his etiam prophetijs Ieremiæ, quas nunc habemus, ſcriptum hoc fuiſſe, ſed à Iudæis poſteà malignè deletum, vt Euſebius etiam arbitratur libro 10. de demonſt. Euang. cap. 4. qui ex libris quidem Ieremiæ, ſed apocryphis ſumptum eſſe dicant. num & Apoſtolos ex eiuſmodi libris teſtimonia aliquando proferre, ſicut D. Paulus 2. ad Timoth. 3. 8. quod dicit de Ianne, & Mambre ex apocryphis libris ſumptum eſſe creditur. In hac opinione Origenes eſt, eámque videtur Hieronym. confirmare affirmans Hebræum quendam apocryphum Ieremiæ librum fibi legendum tradidiſſe, vbi hoc teſtimonium ad verbum reperiebatur. Sunt qui Euangeliſtam memoria lapſum exiſtiment, cúmque pro Zachariæ nomine

nomen

nomen illi Ieremiæ occurriſſet, id ſcripſiſſe; poſtea verò etiam vel ipſum per ſe, vel aliorũ monitu, quos adhuc eo viuente eius Euangelium legiſſe credendum eſt, & *Ieremiæ* pro Zachariæ nomen poſitum animaduertiſſe, emendare tamen noluiſſe, quòd id ipſum Spiritu ſancto inſtigante factum credideriit, qui cùm idem omnium prophetarum ore locutus eſſet, non referret, quid à quo propheta dictum ſit; ſingulorum enim prophetarũ dicta omnium eſſe communia, ita vt, quod ab vno dictum eſt, ab omnibus dictum eſſe cenſeatur. Ita Auguſtinus libro 3. de conſen. Euang. cap. 7. & Beda in comment. quorum opinionem nullo prorſus modo probandam exiſtimo. Nam Euangeliſtas memoria aliquando lapſos eſſe, etſi ſcio dixiſſe aliquos & doctos, & Catholicos auctores, exiſtimaſſeque, nihil propterea de ſcripturæ auctoritate minui, haud equidem intelligo, quomodo id & Spiritu ſancto dictante, & ſalua ſcripturæ fide, quæ ſumma, & firmiſſima eſſe debet, fieri potuerit; & dicere propterea *Ieremiam* pro Zacharia citari potuiſſe, quòd idem per omnes Prophetas ſpiritus locutus ſit, violenta mihi videtur interpretatio. Sunt qui ſcriptorum errore nominũ ſimilitudine occaſionem dante *Ieremiæ* nomen pro Zachariæ ſcriptum fuiſſe arbitrentur, vt Origenes, & Euſebius referunt, & improbare non videntur. At quæ obſecro inter *Ieremiæ* & Zachariæ nomina ſimilitudo eſt? Sunt qui Zachariam binominem fuiſſe cõiiciant, & Ieremiam etiam appellatum; ſed probanda coniectura erat. Sũt qui cap 32. ver 9. *Ieremiæ* citari putent, vt Ieremias agrum emiſſe dicitur, quod Auguſtinus etiam approbat. At nihil huic teſtimonio cum illo Ieremiæ præter nomen agri commune eſt; nihil illis de figulo, nihil de pretio appretiari, quem appretiauerunt à filijs Iſrael; nec emit Ieremias agrum triginta argenteis, ſed ſeptendecim, decem nimirum argenteis, & ſeptem ſtateribus. Sunt qui Ieremiæ prophetiam citari existiment, non quidem ſcriptam, ſed per traditionem acceptam, vt illud, quod apud Lucam c. 13. 4. de turri in Siloë Chriſtus citauit. Hoc probarem, ſi nihil eſſet, quod dicere poſſem probabilius. Rem mihi attingere videntur, qui exiſtimant Euangeliſtam nullius prophetæ nomen poſuiſſe, ſed tantùm dixiſſe, *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Prophetam*, vt multis aliis locis dicere conſueuit cap. 1. 22. cap. 2. 5. 15. 23. & 4. 35. & 21. 4. & hoc ipſo capite verſu 35. ſcriptorem verò aliquem, cum putaret *Ieremiæ* citari teſtimonium, eius nomen ad marginem aſcripſiſſe, poſteà aliquem alium in contextum inſeruiſſe. Confirmat hanc coniecturam, quòd in Syriaco Euangelio *Ieremiæ* nomen non legatur, quódque Auguſt. libro 3. de conſ. Euang. cap. 7. ſcribit ſuo tempore in multis Latinis etiam codicibus lectum non fuiſſe. Obiicit contra hanc opinionem Auguſtinus nihil fuiſſe cauſæ, cur *Ieremiæ* nomen adderetur, fuiſſe autem cur potius deleretur, quòd Ieremias falsò citari videri poſſet. Mirum eſt, cùm eodem loco dicat ſatis eſſe cauſæ, cur hoc teſtimonium Ieremiæ tribuatur, quòd Ieremias cap. 32. 9. emerit agrum, negare nunc eam ipſam cauſam ſatis eſſe potuiſſe, vt aliquis putans Euangeliſtam ad illum Ieremiæ locum alluſiſſe, nomen *Ieremiæ* ad marginem adnotauerit; alius in contextum tranſtuleriit. Potuit & alia eſſe cauſa, cur *Ieremiæ* nomẽ adſcriberetur, quòd hoc teſtimonium Zachariæ apud Septuaginta interpretes adeò ab Hebraica diſcrepet verſtare, vt nihil prorſus habere ſimile videatur, ita vt agnoſci à Græcis lectoribus non potuerit, à quibus verò ſimile eſt *Ieremiæ* nomen additum fuiſſe. Quod attinet ad teſtimonij interpretationem, Euangeliſta, vt ſæpe ſolet, nec verba, nec perſonas expreſſit cõtentus ſenſum exprimere, &, quod volebat, oſtẽdere impleram fuiſſe prophetiam.

Et acceperunt triginta argenteos.) καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια, Hebr. ואקחה שלשים הכסף. Et accepi triginta argenteos. Propheta ſuxerat prima perſona, vt declararet ſe feciſſe, quod illi Dominus præcepiſſet. Euangeliſta ſenſu eodem per tertiam perſonam reddidit, vt oſtenderet id per ſacerdotes impletum fuiſſe, quorum in ea re propheta perſonam gerebat; quanquam & ἔλαβον apud Græcos prima perſona ſingularis eſſe poteſt.

Pretium appretiati.) τιμὴν τετιμημένου. Hoc apud prophetam & paulò ante, & alijs verbis dictum erat יקר הוקר decus pretij, aut pretium æſtimationis. Euangeliſta videtur non legiſſe יקר pretij, aut æſtimationis; ſed τετιμημένου, quod Latinus interpres vertit, *appretiati*.

Quem appretiauerunt à filijs Iſrael.) ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν ἰσραήλ, אשר יקרתי מעליהם, quo æſtimatus ſum ab illis. Euangeliſta mutata prima perſona ſingulari in tertiam pluralem, & voce paſſiua in actiuam eandem ſententiam reddidit, quem æſtimauerunt à filijs Iſraël. id eſt, ij qui erant ex filijs Iſrael. Intelligitur enim relatiuum, οἱ, ſicut apud Hebræos אשר, vt in Idiomatis Hebræorum adnotauimus; ſimile eſt exemplum in libro Iudith cap 8. 17.

10. *Et dederunt eos in agrum figuli.)* καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, ואשליך אתו בית יהוה אל היוצר, & proieci ipſum (argentum, aut pretium) in domum Domini ad figulum, id eſt, vt ex eo ager à figulo emeretur, vt Euangeliſta optimus interpres exponit. Itaque Rabbi Dauid Kimhi, & alijs Hebræis in eius Zachariæ loci explicatione credendum non eſt, qui putant א in. mutato pro אצר theſauro ſcriptum eſſe יצר figulum, vt ſenſus, proieci illud in domum Domini ad theſaurum, aut ad theſaurarium, id eſt, vt in theſauro ſacro reponeretur. Si apud Euangeliſtam pro *ἔδωκαν dederunt* legamus ἔδωκα dedi, Græcum verbum cum Hebraico perſona conuenet. Apud Prophetam nomen *agri* non eſt, ſed quia in *figuli* nomine quodam modo continebatur, quia ſenſus, vt diximus eſt, proieci ad figulum, id eſt, vt à figulo ager emeretur. Euangeliſta, quaſi prophetæ interpres, *agri* nomen, quod latebat, expreſſit, *εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, in agrum figuli*.

Sicut conſtituit mihi Dominus.) Hæc verba apud prophetam non reperimus; ſententiam tamen, & rem ipſam reperimus: Dixerat enim propheta ſibi à Domino præceptum eſſe, vt triginta argenteos proiiceret ad ſtatuarium, id eſt figulum: dixit poſtea ſe proiecisſe. Itaque fecit, ſicut conſtituerat illi Dominus. Hoc etiamſi propheta verbis non dixit, quia re ipſa faciendo dixerat, Matthæus etiam explicauit, vt doceret id non caſu, aut humana voluntate, ſed Dei iuſſu factum eſſe: quamobrem ſacerdotes diuina prouidentia atque impulſu ex triginta argenteis agrum illum emiſſe figuli.

11. *Ieſus autem ſtetit ante Præſidem.)* Ioan c. 18. 28. ſcribit Chriſtum in Prætorium adductum eſſe. Iudæos verò non auſos introire, ne contaminarentur, vt Paſcha manducare poſſent: propterea Pilatum foras ad eos exiſſe, interrogaſſeque, *quam accuſationem afferitis aduerſus hominem hunc?* quod ita ab eo dictum apparet, vt ſignificaret ſe Chriſtum innocentem exiſtimare, quaſi dixerit, quid huic homini iuſto obiici poteſt? propterea Iudæi ita reſpondent, quaſi ea interrogatione iniuriam ſibi factam arbitrentur, *ſi non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*, poſt quæ verba ea collocanda ſunt, quæ cap. 23. 2. ſcribit Lucas *Cœperunt autem illum accuſare dicentes, hunc inuenimus*

ſubuertẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Tunc ponenda sunt Ioannis verba, ver. 31. Dixit ergo eis Pilatus, *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum.* Apparet enim ob nullos modis conatũ fuisse Præsidem de Christo non iudicare. Dixerunt ergo ei Iudæi, *Nobis non licere interficere quemquam*, quod ver. 2. exposuimus. Addit Ioann. ideo hoc factum esse, *vt impleretur sermo Iesu, quem dixerat, significans, qua morte esset moriturus*, nempe sermo ille, quem Matthæus recitat cap. 20. 18. 19. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Significat ergo Ioann. propterea Iudæos potestate sibi à Præside facta vti noluisse, quòd secundum legem neminem crucifigere liceret, quo maximè genere mortis Christum tollere cupiebant, & Christus ipse se moriturum prædixerat: aut intellexerunt Pilatum ironicè locutum fuisse. Non ergo Iudæorum virtute, sed potius crudelitate, & diuino consilio, quo decretum fuerat, vt Christus crucifigeretur, factum esse Ioan. significat, vt Iudæi Christum secundùm legem suam noluerint iudicare. Post hæc, vt ait Ioan. Præses in Prætorium ingressus est, & foris manentibus Iudæis Christum ad se vocauit; rogauitque, quod illic Ioann. & hîc Matthæus scribit, *Tu es rex Iudæorum?* non rogat Præses, nisi de regno, & tributo, quod in eadem regni causa continebatur. Si enim rex erat, dubitari non poterat, quin tributa Cæsari danda esse negaret; hæc enim duo inter alia Iudæi obiecerant Christo, quæ Præsidem mouere maximè poterant, quòd se regem faceret, & tributa Cæsari danda non esse diceret: quæ ipsorummet testimonio refelli poterant, à quibus interrogatus aliquando Christus, vtrùm liceret sensum dare Cæsari, respondérat, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* c. 22. 17. 21. Testes quoque Romani erant, aut Iudæi publicani, qui Cæsaris vectigal colligebant, Christum non solùm soluendum Cæsari, tributum docuisse, sed ipsum quoque solitum soluere cap. 17. 27. Sed obiiciunt nihilominus repugnante conscientia odiosum crimen, quòd scirent eò verisimilius Præsidi videri posse, quòd Herodianorum tunc secta vigeret, qui creduntur in ea fuisse sententia, vt dicerent non licere Iudæis regi alienigenæ tributa pendere, vt cap. 22. 16. docuimus.

Tu dixisti.) Ante hæc verba ponenda sunt ea, quæ scribit Ioannes cap. 18. 34. *Tu ex temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* quibus verbis videtur Christus Pilati conscientiam pungere, quasi diceret, tu vtique scis me Iudæorum regem non esse; sed ista, quæ rogas, Iudæorum postulatione rogas. Respondit Pilatus, *nunquid ego Iudæus sum, gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti?* Sensit se Pilatus à Christo perstrictum esse, ideo iracundè videtur respondere se non suapte sponte interrogasse; nec enim Iudæum esse, sed iudicis officio fungi, qui eum sibi ex Iudæis traditum non posset non de rebus obiectis interrogare. Respondit Iesus, *Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Itaque horum verborum occasione à multis de regno Christi disputatur, verène rex fuerit. Sunt qui quodammodo inuitum facere velint regem, hæreticósque eos putent, qui temporalem etiam regem fuisse negant, cum ipse in iudicio interrogatus palam responderit, *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est non est mundanum, non est terrenum, non est temporale; sed cæleste, & spirituale, regnum suum non solum beatorum societatem, sed fidelium etiam in terris congregationem, id est Ecclesiam appellauit, quæ etsi in hoc mundo est, tamen de hoc mundo non est, & quia non ex terra, sed ex cælo originem habet, cum eius caput Christus à quo congregata, & formata est, de cælo descenderit, cùm fides, quæ eius fundamenta est, & caritas, quæ eius vinculum; & spes, quæ præmia illi promittit, de cælo dentur, sicut Christus apud Ioannem cap. 8. 23. ait, *vos de deorsum estis; ego non sum de hoc mundo*: & rursus cap. 15. 19. *si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis; & quia eius conuersatio in cælo est, neque potestis; & quia eius conuersatio in cælo est, neque potestis* se hîc habere ciuitatem permanentem, sed à Domino peregrinari ad Philippenses 3. 20. Tota igitur quæstio ad hunc modum expedienda est, Christum, quatenus Deus est nõ solùm spiritualem, sed etiam temporalem totius mundi & superioris, & inferioris regem esse; propterea enim *habet in vestimento & in femore suo scriptum Rex regum, & Dominus dominantium.* Apocal. 19. 16. vt ostendat se non vi, non tyrannide, non electione, non adoptione, sed natura, quæ per se significatur, regem esse; quia natura & *non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo.* Propterea Abrahæ seruum suum super femur suum manum ponere, vt eum per Deum cæli adiuret, quòd ex eius semore nasciturus esset Christus. Genes. 24. 2. Illud etiam certum est Christum, quâ homo est, regem esse spiritualem totius Ecclesiæ; hoc enim est regnum, quod sanguine suo patri acquisiuit, quodque illi postremum *autem constituus sum rex ab eo*, quod spirituale esse, non temporale statim declarat, *super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*: nam & Sion spiritualiter intelligenda est, vt tract. in Ioann. 11. Auguſt. adnotauit; & prædicare præceptum Dei non temporalis, sed spiritualis regis officium est. Hoc est regnum, de quo eodem Psalmo paulò post dicitur, *dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; quia Ecclesia toto terrarum orbe dilatanda erat, & à mari vsque ad mare propaganda. Hoc regnũ est de quo Christus post resurrectionem dicit, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Matthæi 28. 18. quæ potestas, qualis fuerit, statim exponit. vers. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; quæ partes non temporalis; sed spiritualis regis sunt. Nec que sicut in regno temporali solus rex condendarum legum potestatem habet; ita Christus in Ecclesia Dei solus potuit sacramenta constituere, quæ sicut in republica leges; ita in spirituali Christi regno peccatorum remedia sunt. Qua verò parte Christus homo erat, non erat vniuersi orbis terrarum temporalis rex, vt & Auguſt. eo loco, quem modò nominauimus, & omnes boni Theologi sentiunt. Aut enim naturali, aut diuino, aut humano iure rex esset. Naturali nõ esse, quia regis filius non erat, quod est naturalem esse regem: diuino non erat, quia omnia sacrarum literarum testimonia, quæ de eius loquuntur regno, de spirituali regno vt Auguſtinus ait, intelliguntur: humano non erat, quia non fuerat orbis terrarum consensu rex electus, & cùm Iudæi vellent eum rapere, vt regem facerent, aufugit, Ioann. 6. 15. De regno Iudæi dubitari potest, an humano iure ad Christum pertineret, qua in re illud constat eum ex regio sanguine à Dauide vsque procreatum, & Matth. cap. 1. eius genealogiam per reges deducens docere voluisse. An autem ad illum ius regium peruenirent, si rex eli-

De regno Christi & an ipse & quo modo sit rex temporalis.

voluisset, meo quidem iudicio, non satis constat, quia nescimus an ex regum genere alius fuerit eo propinquior, ad quem regnum, si ad ius hereditarium reuocandum fuisset, pertineret. Probat Christus apud Ioan. cap. 18. 36. regnum suum non esse de hoc mundo, id est mundanum, quia si mundanum esset, mundanos etiam, qui pro se pugnarent, ministros haberet. Tantum verò aberat, vt haberet, aut habere vellet, vt Petrum vnum ex discipulis suis, qui seruum Pontificis vulneratat, vt se defenderet, & grauiter reprehenderit, iusseritque gladium in vaginam remittere, inòsque ministros non terrenos, sed cælestes, id est Angelos esse significauerit, *An putas, quia non possum modo rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo, plus quam duodecim legiones Angelorum?* cap. 26. 53. hac occasione Pilatus intulit, *ergo rex es tu?* Tunc respondit Christus, quod hîc Matth. scribit, *Tu dixisti*, qua phrasi non ambiguè, vt D. Augustin. & nonnulli alij putant, sed modestè respondet se regem esse, vt supra cap. 26. 25. 64.

12. *Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit.*) Ante hanc partem historiæ illa collocanda est, quam Luc. c. 23. 4. scribit, Pilatum postquàm Christum interrogasset, an ipse rex esset, vt ait Ioan. 18. 38. ad Iudæos, qui extra Prætorium expectabant, exisse, dixisséque, *Ego nullam inuenio in eo causam*, id est nullam culpam.

13. *Tum dicit ei Pilatus, non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia?*) Hæc testimonia, quæ tunc aduersus Christum dicebantur, Matthæus non scripsit, Lucas autem scribit vers. 5. & 7. *At illi inualescebant dicentes, commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc, & vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.* Herodem autẽ viso Christo gaudium esse, quòd multa de eo priùs audiuisset, cuperéque aliquod eius signum videre, & multa Christum interrogasse, Christum verò nihil respondisse, sacerdotes & Scribas constanter eum apud Herodem accusasse; Herodem cum nihil Christus responderet eum contempsisse, & veste alba per opprobrium indutum ad Pilatum remisisse, factos amicos Pilatum, & Herodem ex eo die, cum ante inimici essent; cum Christus ad Pilatum remissus esset, Pilatum conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, atque plebi dixisse, ver. 14. 15. 16. *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam inueni in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morti actum est ei. Emendatum ergo dimittam*, παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω, castigatum dimittam, quod aut de verbis, aut de verberibus posteà intelligi. Ad hanc Pilati vocem vero simile est cœpisse Iudæos vehementiùs instare, & accusare Christum, quamuis Euangelistæ non dicant, atque tunc Pilatum dixisse, quod hoc loco Matth. ait, *Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia?*

14. *Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt mirare-tur Præses vehementer.*) Mirum, cur Christus tam obstinatum coram iudice silentium tenuerit, præsertim cum paulò antè interrogatus respondisset. Cur autem respondérit in promptu ratio est, causæ iugulum petebatur, an ipse rex esset, id est Christus quod negare nequaquam oportebat, cum in mundum ea re venisset, vt se Christum filium Dei viui esse doceret. Cur autem nunc taceat, multæ rationes reddi possunt. Primam, quæ per contrarium colligitur, quia nunc non de summa rei; sed de commotione populi; de doctrina, & alijs huiusmodi rebus agebatur, quas cum in omnium oculis egisset, nemo poterat ignorare, ita vt opus non esset, vt ipse responderet, sicut priùs Pontifici respondérat, Ioan. 18. 20. *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil, quid me interrogas? interroga eos, qui audierũt, quid locutus sum ipsis, ecce hi sciunt, quæ dixerim ego.* Secundam rationem Ambrosius in commentarijs in Lucam, Chrysostomus, & Euthymius hoc loco reddunt, quòd sciret Christus Iudæos sibi, etsi respondéret, creditutos non esse, vt illis apud Lucam dixerat cap. 22. 67. Tertiam affert Theophylactus, ne si respondisset, irritaretur Iudæorum rabies, & eorum culpa maior foret. Quartam Hieronymus, & Beda, ne si respondisset, criminaque diluisset, dimitteretur, & crucis fructus, id est salus nostra periret. Quintam Ambrosius, quòd defensione non indigeret. *Accusatum*, inquit Dominus, *& tacet, & bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo.* Denique prophetiam ipso Christi silentio impleri oportebat, *quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*, Isaiæ 53. 7.

15. *Per diem autem solennem.*) Per diem Paschæ, qui καθ' ἑορτὴν solennis appellatur, vt Ioan. exponit c. 18. 39. An hoc priuilegium Iudæi à Romanis Iudæam in Prouinciam redigentibus nouum obtinuerint, an, cùm antiqua cõsuetudo eorum esset, Romani illis aut ipsorum rogatu, aut sua liberalitate concesserint, vt populi sibi gratiam conciliarent, incertum est. Sed tamen probabilius veterem fuisse Iudæorum traditionem, vt in memoriam liberati ex Ægypto populi vinctum vnum eo die à carcere liberarent.

16. *Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.*) ἔνσημον, id est insignem, ac nobilem appellat vinctum, non virtute, sed scelere, & improbitate, Marc. 15. 7. qualis fuerit magis declarat, *Erat autem, qui dicebatur Barabbas, qui cum seditionis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.* & Luc. 23. 19. *Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium missus in carcerem*, Ioan. ca. 18. latronẽ fuisse dicit λῃστὴν, eo vt opinor sensu, quo Latini latrones vocant eos, qui publicas obsident vias, & prætercuntes trucidatos expoliant.

17. *Quem vultis dimittam vobis Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus?*) Multis indicijs manifestum est omnem occasionem absoluendi Christi Pilatũ quæsiuisse. Primum simulatque ad se Christus adductus est, Iudæos interrogat, *Quam accusationẽ affertis aduersus hominem hunc?* Ioan. 18. 29. quod vt supra explicauimus, perinde valet, ac si dicat, quid homini huic iusto, & innocẽti obiicere potestis? Deinde interrogato intra Prætorium Christo ad Iudæos exijt: dixitque, *nihil inuenio causæ in hoc homine.* Luc. 23. 4. Ioan. 18. 38. Præterea cum audisset tantùm per totam Galilæam docuisse Christum, occasionem libenter arripuit, vt Galilæum esse interpretaretur, eumque ad Herodem adlegaret Luc. 23. 7. Cum remissus ab Herode esset, iterum dimittere tentauit, dicens se nihil in eo culpæ deprehendere, neque Herodem, ad quem missus à se fuerat, deprehendisse. Cùm hoc Iudæorum ilas non mitigaret, castigare voluit, id est, aut verbis corripere, aut flagellis cædere, castigatúmque dimittere, Lucæ 23. 16. Nunc religionem Iudæis ante oculos ponit, vt saltem solennis festi respectu, sicut alij facinorosi homines dimitti solent, Christus, contra quem nihil facinoris, nihil culpæ probatum esset, dimitteretur. Alio etiam vritur artificio, nec solum Christum, nec cum multis, sed cum vno Barabba homine omnium sceleratissimo opponit, vt Iudæi Christum, nisi omnino cæci, aut iniquissimi sint, eligere

Universidad de Deusto
Biblioteca

cogantur. Quis enim cogitasset Barabbam hominem homicidam, seditiosum, latronem publicum Christo, cui nihil obiectum mali erat, nihil certè probatum, fuisse anteponendum? Sed Iudæorum odium, atque nequitia Pilati hominis profani opinionem superauit. Post hæc etiam dimittere Christum conatus est; cum enim vrgerent Iudæi, *Tolle, tolle, crucifige eum*, respondit, *Regem vestrum crucifigam?* Ioan. 19. 15. quasi ipsorum consuleret honori, quibus ignominiosum videri poterat eorum regem, quamuis grauis reum sceleris, fuisse crucifixum. Solent reges securi percuti, non in crucem agi. Multo verò maximè cum ad eum vxor nuncium misisset, caueret, ne quid sibi cum iusto illo esset, & cum ex Iudæis audiuisset filium Dei se facere Ioannis 19. 7. Priùs enim religione, vt videtur, & æquitate, post etiam metu absoluere conatus est. Hæc omnia ideo Euangelistas narrasse credendum est, vt intelligeremus, quàm iniquè Christus damnatus esset, quem prophanus etiam, & iniquus iudex sola pietate, & æquitate motus tam sæpè dimittere tentauit. Deinde, vt ex Pilati, & Iudæorum comparatione incredibilis Iudæorum iniquitas, atque peruersitas cognosceretur. Tum etiam, vt ex ratione condemnationis per importunitatem extortæ à iudice omnibus modis repugnante appareret Christum non tam ab hominibus, quàm à Patre ad crucem tractum fuisse.

19. *Sedente autem eo pro tribunali.*) Id est valde opportunè, cum iam ad ferendam sententiam paratus esset, vt res non casu sed diuino consilio facta videretur. Ea enim re Matth. qui hoc solus narrat, hanc circunstantiam expressit.

Misit ad eum vxor eius dicens, nihil tibi, & iusto illi.) Id est ne te eius negotio immisceas, ne eum condemnes. Iustum & vulgari opinione, & viso suo admonita Christum appellat. Addit hoc verbum nuncio, vt facilius vel religione, vel metu marito persuadeat; nam ersi credendum est piam fuisse mulierem, & in Christum aut ante, aut tunc primum per quietem edoctam credidisse, tamen vero simile etiam est aliquem in ea humanum quidam, sed non malum affectum fuisse, timuisseque ne quid mali marito suo, si hominem iustum condemnasset, eueniret.

Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.) Id est multa somniaui, quæ me anxiam, solicitámque reddiderunt. Quid somniauerit, quia Euangelista non docet, temerarij est interpretis diuinare velle. Hoc tantùm ex eius ad maritum misso nuntio colligere nobis licet, eam per somnium & Christum innocentem filiúmque Dei esse cognouisse, & ea prospexisse mala, quæ ab eius nece Ierosolymitanæ ciuitati erant euentura, quibus ne maritus mortis eius auctor inuolueretur, verebatur. Disputatur à nonnullis, quale id fuerit somnium. Quattuor enim genera ab ijs, qui de ea re scripserunt tradi solent. Naturale, quod corporis constitutio, & natura gignit; alia enim biliosi, alia sanguinei, alia melancholici somniare solent. Morale, quod ex cuiusque studijs, actionibus, cogitationibus, & moribus nascitur; sic enim comparatum est, vt quæ aut agimus, aut vehementer cogitamus, & cupimus ea somniemus. Itaque meritò Plato alia etiam Philosophi, & hominis sapientis, quàm cæterorum hominum somnia esse oportere arbitrabatur. Diuinum, quod à Deo, aut per Angelos, aut sine vllo Angelo frequenter immittitur, cuius in sacris litteris, & multa, & nota sunt exempla, vt ca. 2. 13. diximus. Diabolicum, quod à diabolo immittitur, cuiusmodi maior pars eorum, quæ obscœna sunt, vulgò esse creduntur. Huius mulieris somnium naturale fuisse nemo, quod sciam, dixit, neque vlla cum probabilitate dici potest. Morale fuisse nonnulli, aut putant, aut non negant, quasi mulier ideo de Christo ea nocte somniauerit, quòd sciret eius inter Iudæos causam agitari. Opinio non vulgaris modò, sed vetus etiam fuit, vt ex Ignatio epist. 5. ad Philip. & Beda ad hunc locum commentarijs, ex auctore scholastico, vt appellant, historiæ intelligimus, diabolicum hoc fuisse somnium. Diabolum enim tunc cæpisse Christi diuinitatem cognoscere, & mysterium mortis eius, qua hominum genus liberaturus erat, intelligere: quare conatum per mulierem eius impedire mortem. Sententia meo quidem iudicio, quamuis bonos habeat auctores, minimè probabilis; nam diabolum Christi diuinitatem priùs cognouisse ca. 4. ex Euangelistarum testimonijs probatum à nobis est; & si impedire Christi mortem volebat, cur non potius Iudæorum animos, qui totius Tragœdiæ auctores erant, quàm alienigenæ mulieris, cuius sexus etiam, quæ veræ diuinationes sunt, somnia creduntur, huiusmodi in somnijs territabat? A Deo igitur illi immissum est somnium, vt Orig. Hilarius, Leo ser. de passione Chrysost. Hieron. Euth. & Theoph. in hunc locum existimant. Quærunt quidam, cur non potius Pilato huiusmodi somnium Deus iniecerit. Chrysost. Theophylact. & Euthymius duas huius rei rationes afferunt, vel quòd indignus fuerit, cui id Deus reuelaret, vel quòd minus illi à Iudæis creditum fuisset, tanquam homini suspecto, aut corrupto iudici, qui ad dimittendum Christum somnia contingeret. Voluit, vt ego arbitror, Deus si de diuinis nobis conijlijs licet coniecturam facere, ita condemnari Christum, vt tamen omnibus modis, omnis generis personarum sententijs, omnium elementorum voluit sensu eius innocentia testata esset: propterea non solùm Iudæi multi, qui in Christum credebant, non solùm iudex, qui sententiam in eius causa laturus erat, non solùm eius vxor mulier ante prophana, & nequitiæ minimè suspecta, non solùm Centurio & milites, qui paulò ante crucifixo Christo conuicia dictitabant, sed obscuratus sol, scissæ petræ, diruptum velum templi, concussa terra, Christi innocentiæ, atque diuinitatis testimonium præbuerunt. Saluam eam fuisse mulierem propter somnium illud, quod de Christo habuit, probabiliter Origenes, Chrysostom & Theophylact. existimant.

23. *Quid enim mali fecit?*) Eodem modo, atque ijsdem verbis Marcus scribit cap. 15. 14. & Lucas 23. 22. τί γὰρ κακὸν ἐποίησε; causalis particula, γὰρ enim, declarat eilem orationem reddit, quia non apparet, cuius rei causa reddatur. Clamabant Iudæi, *Crucifige, crucifige eum.* Respondet Pilatus, *quid enim mali fecit?* Id est, non existimare aliquis possit particulam γὰρ poni in eo pro, οὖν igitur, quasi dicat, si vultis, vt crucifigatur, quid igitur mali fecit? id est, reddite causam cur crucifigendus sit. Ego non his, quæ dicuntur, sed his quæ tacentur, & intelliguntur respondere arbitror; nam enim omnia Euangelista recitauit; sed vt Ioannes scribit, Pilatus clamantibus Iudæis, *tolle, tolle, crucifige eum*, priùs respondit, *Regem vestrum crucifigam?* quasi dicat non crucifigam, *quid enim mali fecit?* simile exemplum supra adnotauimus c. 26. 64. vbi docuimus particulam *veruntamen*, non respondere ijs, quæ exprimuntur, sed ijs, quæ intelliguntur, quæque ab alio Euangelista Luca expressa sunt; Lucas addit diuisi Pilatum hoc loco, *corripiam ergo illum, καὶ παιδεύσας ἀπολύσω αὐτόν*, aut castigabo verbis, aut cædam flagris. Quam ex Ioanne vt paulò pòst dicemus, flagellatum fuisse appareat. Post hæc enim, quæ Matthæus, & Marcus hoc loco similiter narrant, scribit verberatos cæsum, spinis coronatum, purpura indutum, &

Somniorū quattuor genera.

In Theæteto, seu de scien.

Quale fuit somnium vxoris Pilati.

ad Iudæos productū fuisse, dicente Pilato, *Ecce homo*, vt vel miserabili spectaculo feroces Iudæorum animi placarentur, Ioann. 19. 1. 2. 5. Sed Matth. & Marcus, quia de Christi condemnatione agere cœperant, ne narrationis filum rumperent, ista proposuerunt infra ver. 26. 27. 29. vt D. Aug. lib. 3. de cons. Euang. c. 9 existimat. Quanquam Hilarius, Matth. & Marc. rectum narrationis ordinem tenuisse putat. Sunt etiam, qui bis Christum flagellarum arbitrentur, primum hoc loco ad mitigandos Iudæorum animos vt eo contenti supplicio absolui permitterent, vt scribit Ioan. Deinde cum iam condemnatus esset, quod Romanorum, vt Hieron. ait, esset consuetudo, vt neminem, nisi prius flagellatum, crucifigerent. Quod de Iudæorum crudelitate facilè credi potest; sed ex Euangelistarum historia probari non potest. Quàquam Beda in ea videtur esse sententia.

24. *Tunc Pilatus videns, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret.*) Non excusat Pilatum, sed Christum, dum docet Præsidem non vllo idoneo testimonio, non vllo probato crimine, sed solo popularis seditionis metu Christum damnauisse, & ita damnauisse, vt damnando etiam absoluerit.

Accepta aqua lauit manus coram populo.) Sunt qui existiment non solùm Iudæorum fuisse ceremoniam, vt iudices reum mortis iudicaturi aqua manus abluerent, vt Deut. 21. 6. traditum est; sed aliarum etiā gentium consuetudinem, vt ex Triclinio Sophoclis interpretere confirmant, & ex illo Virgilij carmine,

Me bello è tanto digressum, & cade recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.) Fuerit sanè mos aliarum gentium, Romanorum certè non fuit, vt etiam Origenes adnotauit, & ex Romanorum historijs manifestum est. Potius ergo credo Pilatum, quamuis Romanum hominem, in causa tamen hominis Iudæi, & apud Iudæos Iudæorum ceremonia suam innocentiam testari voluisse. Siebat Iudæos manuum ablutione innocentiam significare, vt ex illo, quem paulò antè signauimus Deut. loco perspicuum est, & ex Psal. 25. 6. *Lauabo inter innocentes manus meas*, sed nō abluitur tā graue crimen aqua, nec̄que de Pilato ser. 8. de Pass. scripsit Leo, *Nec purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aqueis aquis diuitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. Excessit quidem Pilati culpam facinus Iudæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, & inuidiosis vocibus increpatum ad effectum sui sceleris impulerunt; sed nec ipse euasit reatum, qui cooperatus seditionis reliquit iudicij proprium, & in crimen transiuit alienum.*

Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Declarat verbis, quod ablutione aquæ significabat, & antequam Christum condemnet, absoluit, dum iustum esse testatur. Se verò ipsum condemnat, quòd quem iustum esse affirmat, eum condemnet, mentitur ergo, cùm dicit, *Innocens ego sum*; nec enim condemnato iusto innocens esse poterat.

25. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*) Id est, nos & filij nostri, si qua in eo culpa est, præstabimus; nos pœnam luemus; phrasis Hebraica Leuit. 20. 9. 12. 16. Iosue 2. 19. 2 Reg. 1. 16. Ezech. 33. 4. Osee 12. 14. Similem apud Senecam obseruare memini.

26. *Flagellatum tradidit, vt crucifigeretur.*) Flagellatū minimè constare potest, & inanis curiositatis est quærere; vulgò ex spinis fuisse creditur. Euth. ex funiculis, aut loris fuisse coniicit. Probabilius est fuisse virgas, quibus Romani vtebantur; propterea enim lictores ante Consules virgas ferebant.

27. *Tunc milites Præsidis.*) Istud *tunc* non significat consecutionem, & rerum, quæ narrantur, contextum, sed totum illud tempus, quo Christi passio duraut. Hæc enim, quæ Matthæus dicit tunc facta fuisse, ante fuisse facta, ver. 25. ex Ioan. probauimus. Itaque *tunc* idem valet, atque sub idem tempus, id est paulò antè.

Suscipientes Iesum in Prætorium.) Id est in locum, vbi Prætoris tribunal erat, qui prætorium appellabatur. Qualis fuerit locus, Marcus cap. 15. 16. exponit, *milites autem duxerunt eum in atrium Prætorij.* Erat ergo tribunal Prætoris in atrio aliquo, aut atrio vicinum, vt eō, qui causas habebant, conuenire possent. Cur milites in eum locum Christum deduxerunt, ex euentu licet facere coniecturam, voluisse eos Christum in tribunali, quasi regem, irrisionis causa collocare. Videmus enim & coronam illi, tanquam Regi, imposuisse. & induisse purpuram, & pro sceptro arundinem dedisse. Reliquum erat, vt in tribunali quasi in throno collocaretur. Hæc autem omnia, quæ milites fecisse legimus, Pilati iussu ex Ioanne colligimus, *Tunc*, inquit, *apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit, & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius*, Ioan. 19. 1. 2.

Congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, quasi ad regem, vt magis irrident.

28. *Et exuentes eum.*) καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν cum exuissent eum veste sua.

Chlamydem coccineam circundederunt ei.) Purpuream, vt Marcus c. 15. 17. & Ioan. 19. 2. exponunt. Nemo nescit purpuram proprium habitum fuisse regum, non apud Romanos solùm, sed apud alias etiam gentes. Itaque, quos volebant reges sibi proximos esse, ijs pro magno beneficio concedebant, vt purpura vti liceret, 3. Esdræ 3. 6. 1. Machab. 10. 20. & 11. 58. & 14. 43. 44.

29. *Plectentes coronam de spinis.*) Spinas in coronæ modum concinnantes, atque vincientes Christi capiti imposuerunt coronam, vt regi; de spinis, vt condemnato imponunt, vt significent non verum, sed ridiculum, & miserabilem esse legem. Eodem pertinent, quòd arundinem in dextera eius pro sceptro ponunt.

32. *Exeuntes autem.*) Cum ex vrbe exirent aut statim egressi vrbe. Non enim dixit Græcè ἐξελθόντες per aoristum, sed ἐξερχόμενοι *exeuntes*, vt significaret in ipsa vrbis porta hominem illum Cyrenensem offendisse.

Inuenerunt hominem Cyrenæum.) Cyrenæus appellabatur, vel quia Cyrene natus, vel quia inde oriundus erat; erat autem Cyrene & vrbis regionis Decapoleos in Syria caput, & totius Decapoleos regia, quæ ex principe vrbe Cyrene vocabatur. 4. Regum 16. 9. Legat, qui volet Plinium libro 5. c. 5. & Strabonem libro 17. & Melam. libro 1. & Ammianum Marcellinum libro 22. In ea vrbe, atq; regione Iudæos etiam fuisse ex Actis Apostolorum, cap. 2. 10 colligimus. Quanquam incertum est. Iudæusne, an Gentilis Simon ille Cyrenæus fuerit. Veteres enim auctores Hilarius, Ambros. Beda, & Leo serm. 8. de passione Gentilem fuisse putant, in eo ipso mysterium ponētes, quasi significatum ea re sit fore, vt non credentibus Iudæis Gentiles Christi crucem amplecterentur. Cæterum quia Marcus 15. 21. dicit patrem fuisse Alexandri, & Rufi, probabilius fortasse videri potest fuisse Iudæum, nominat enim eos quasi vulgò notos, aut, vt nonnulli suspicantur, quasi Christi discipulos.

Hunc angariauerunt.) quid esset angariare, c. 5. 41. docuimus. Ioan. 19. 17. scribit Christum crucem suam baiulasse, quod facilè cum Matth & Marci sententia conciliari potest, si dicamus principiò milites Christo crucem imposuisse, eámq; per totā Ierosolymitanam

Universidad de Deusto
Biblioteca

vrbem gestasse in exitu verò vrbis angariatum Simonem Cyrenæum, vt eam vsque ad locum, vbi crucifigendus erat, portaret; vt Origenes tract. in Matth. 35. Athanasius in ser. de pass. & cruce Domini, Augustinus libro 3. de cons. Euang. cap. 6. Hieronymus, Beda, Euthym. & Theophylact. existimant. Videtur consuetudo fuisse, vt qui crucifigendi erant, suam quisque portaret crucem. Itaque propterea initio imposita Christo est. Cur autem postea conductus Simon fuerit, vt eam gestaret. Euangelistæ non indicant sed vero similis quorundã est coniectura, adeo & vigilia, & flagris fatigatum fuisse Christum, vt portare vltra non posset. Nam quamuis, vt Deus porret *omnia verbo virtutis suæ*, naturam tamen humanã perinde, vt si Deus non esset, pati permittebat. Sunt qui putent Iudæorũ studio id factum esse adeo Christi mortem accelerantium, vt quia Christus cruce grauis festinare quantum ipsi volebant, non posse videbantur, robustum conduxerint hominem, qui crucem portaret. Fortasse & mysterio id factum est, vt Christus initio quidem crucem suam gestaret, vt vererem Isaac impleret figuram, qui ligna, quibus sacrificaretur, humeris suis portauerat Gen. 22. 6. vt Chrysost. hom. 84. in Ioan. & August. tract. in Ioann. 117. & Theodoritus in Impatibili interpretantur: postea verò portaret Simon, vt re ipsa doceret, quod verbis ante docuerat c. 16. 34. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ita Ambrosius libr. in Lucam 10. *Bonus ordo nostri perfectus est, vt prius crucis suæ trophæum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum.* Narrat hoc loco Lucas 23. 27. secutas fuisse Christum mulieres, magnámque populi multitudinem, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Mulieres quæ fuerint vers. 56. Matth. exponit; reliquam verò multitudinem populi confluxisse vero simile est, quam solam in Christum credidisse principes sacerdotum dictitabant, Ioan. 7. 49. Narrat præterea Lucas ver. 28. 29. conuersum ad mulieres Christum dixisse, *filiæ Ierusalem*, id est, ô mulieres Ierosolymitanæ; phrasi Hebraica, qualis illa Gallorum est, qua Parisienses ciues filios Parisienses vocare solent; *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete*, id est nolite flere propter me, sed propter vos; alter Hebraismus *super me*, id est propter me; *quoniam ecce venient dies*; cum dicit *ecce*, appropinquare tempus significat, quasi iam ante oculos sit; hanc enim plerumque eius particulæ vim esse diximus cap. 2. 1. Itaque non dubium, quin proximum excidium Ierosolymitanum designet, quod sub Tito, & Vespasiano factum est, quo tempore cum Iudæi omnes, tum maximè mulieres adeo miserabilem calamitatem expertæ sunt, vt nonnullæ, quemadmodum Iosephus scribit, suos edere infantes coactæ sint. Dicit hoc Christus mulieribus potiùs, quàm viris, & quia credendum est mulieres potiùs, quàm viros in ea populi multitudine, quæ Christum sequebatur, lamentatas fuisse, atque planxisse vt muliebre ingenium est, & quia maiorem illæ quàm viri miseriam in illa Ierosolymitana clade experturæ erãt. Vetat autem propter se flere, indicans secum minimè male agi, qui vt Patris obsequeretur voluntati, hominésque à diaboli tyrannide liberaret, non traheretur vi, sed sponte iret ad mortem paulò pòst ad dexteram Patris exaltandus, & nomen acceptu-rus, quod est super omne nomen. Iubet autem eas propter se ipsas flere, quòd ipsæ essent mortis suæ pœnas luituræ, cuius causa Ierosolymitanum excidium immineret; non quòd illæ ipsæ, quæ tunc flebant, mulieres Ierosolymitanam illam calamitatem subituræ essent, quæ fortasse omnes ante id temporis de vita decesserunt; sed quia Ierosolymitanæ mulieres quæ tunc futuræ erant, tot, tantaque mala passuræ essent, vt dicerent, *beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt.* Nam ersi cum illis personis loquitur, tamen non de illis ipsis personis, sed de toto personarum genere quod dicit intelligendum est, vt c. 3. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni*, non enim indicat eos ipsos, quibus cum loquebatur, à Christo fuisse baptizandos, qui nunquam fortasse baptizati sunt; sed Iudæos quales illi erant Spiritu sancto, & igne baptizandos; *Beata steriles & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.* Muliebrem lamentationem describit, qui in rebus aduersis constitutæ magis de filijs suis, quàm de se solicitæ eos quasi sui oblitæ lamentari solent. Itaque, vt extremam calamitatem Dauid describeret. Psal. 77. 63. dicit, *Iuuenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ.* Alia ratione, sed simili eius calamitatis magnitudinem supra c. 24. 19. declarauit. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*, quod & eiusmodi mulieres impeditæ ad fugam futuræ essent, & duplicem dolorem pro se, próque suis infantibus percepturæ; *Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos, & collibus, operite nos.* Vox est hominum extrema patientium mala, qui mori vellent, nec possunt, doloríque magnitudine superati montibus clamant, vt super se cadant, & vel miserabili morte præsentibus malis eripiant. Eadem phrasi apud Isaiam cap. 19. & apud Osee c. 10. 8. & in Apoc. cap. 6. 16. extrema miseria declaratur; *Quia si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet.* Comparat se ligno vitidi, Iudæos arido, quemadmodum lignum viride ad incendium minimè aptum est, aridum aptissimum, ita ipse ad tappicium minimè aptus, id est minimè dignus, Iudæi vero aptissimi, id est dignissimi erant, si non ob aliud, ob hoc certè ipsum, quòd Christum quem pro Seruatore suo recipere debuerunt, morti traderent. Quod hoc loco Christus lignum aridum vocat, Ezechiel Paulus ad Rom. 9. 22. alia metaphora, *vasa iræ apta in interitum* appellat, id est vasa adeo fragilia, vt quouis contactu conterantur, quibus eos vult homines significari, qui cumulantes peccata peccaris adeo maturi ad pœnam sint, vt nisi infinita Dei misericordia sustentaret, debiscens eos terra consumeret. Prophetæ eiusmodi homines stipulæ; iram verò Dei flammæ comparare solent. Isai. 5. 24. & 33. 11. & 47. 14. & Abdiæ 1. 18. & Malach. 4. 1. Argumentatur igitur Christus à minori ad maius; Si Deus mihi innocenti non pepercit, sed pro alijs me tam grauia supplicia subire iussit, quomodo his parcet, qui me ad crucem adegerint? Simili D. Petrus argumento vsus est 1. epistol. c. 4. 17. 18. *Tempus est, vt incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? & si iustus vix saluabitur; impius & peccator vbi parebunt?*

33. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus.*) Hebræi caput גלגלת appellant, quòd rotundum sit. Syri, & Chaldæi vnius adiectione literæ גלגלתא *Golgoltha*. Sic enim legendum est, sed scriptorum vitio vnam detractam litteram fuisse arbitror, errorem deinde temporis longinquitate confirmatum. Cur ita locus ille vocatus fuerit, satis compertum non est. Antiqua, & multorum veterum scriptorum auctoritate nobilis opinio est, ideo Golgotha, id est Caluariam, aut cranium appellatum, quòd ibi Adam primi hominis caput repertum esset. Vetus enim traditio quædam inualuit, eo loco Adamum fuisse sepultum, vt Orig. tract. in Matth. 33. Cyprianus serm. de resurrectione, Athanasius in serm. de passione, & cruce Christi in eam sententiam Hebræorum magistros

magistros auctores proferens, quod etiam facit Ambrosius lib. commentariorum in Lucam 10. In eadem sententia diuus Basilius est in commentar. in cap. 5. Isaiæ, & Epiphanius hæresi 46. & in Anchorato, & Chrysostom. homil. in Ioann. 84. & D. Augustin. serm. 71. de tempore, & libr. 16. de ciuitate cap. 32. & Paula, & Eustochium doctæ mulieres in epistola ad Marcellam, quæ apud Hieronym. extat. Quam opinionem D. Hieronym. in commentarijs ad hunc locum meritò fortasse, sed minus meo quidem iudicio probabili argumento refellit, quòd scriptura, inquit, doceat Iosuæ 14. 15. Adamum non iuxta montem Sion, & Ierosolymitanam vrbem, quæ Iebus prius appellabatur, sed in Hebron fuisse sepultum. *Nomen Hebron*, inquit Iosue, *ante vocabatur Cariatharbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est:* nomen enim Adam eo loco non est proprium, sed appellatiuum, quod mirum non est Hieronym. virum quidem maximum, sed aliud agentem præterijsse. Alij à forma monticuli humano similis capiti, vbi locus ille situs erat, Caluariam appellatum putauerunt, vt Cyrillus Ierosolymit. Catech. communi 13. auctor est; sed eam opinionem idem Cyrillus ex topographia refellit, *Nec enim*, inquit, *eo loco, qui Caluaria dicebatur, mons vllus est.* Existimat verò idem Cyrillus locum illum propheticè Caluariam, id est, caput dictum esse, quòd ibi Christus caput nostrum moriturus esset. Hieronymi, & Bedæ sententiam magis probo, ideo eum locum Caluariam aut cranium nominatum, quòd ibi facinorosi homines decollarentur, ideóque humanis capitibus plenus esset. Nam qui crucì eodem loco affigebantur, cum animam egissent, tollì ad sepulturam solebant; qui vero secuti feriebantur, vt Hieronym. putat insepulti manebant.

34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.*) Marcus 15. 23. *Myrrhatum vinum*, Christo porrectum fuisse dicit, quod auctores alij alia ratione conciliant. Augustin. libr. 3. de consens. Euang. ca. 11. *myrrhatum*, vt ait Marcus, *vinum* fuisse putat non felle infectum, sed Matth. felle mistum appellasse, quod amarum esset, & solemus quicquid amarum est, aut fel, aut felle mistum appellare. Putat etiam idem Augustin. quem Beda, & Strabus imitantur, probabile esse vinum & myrrha, & felle simul fuisse permistum, & Matthæum fellis, non myrrhæ; Marcum myrrhæ, non fellis meminisse. Euthym. autem existimat duplex Christo vinum à diuersis hominibus, ab alijs myrrha, ab alijs felle mixtum exhibitum fuisse. Sunt qui à pijs mulieribus, quæ Christum lamentantes sequebantur, prius vinum myrrha commistum datum fuisse, quod tormenta, & cruciatus subituris dari solebat, vt conditi vini ardore alienatis sensibus dolorem aut nullum, aut minorem caperent. Sunt qui hunc potum & illum quem Luc. c. 23. 36. & Ioan. c. 19. 29. Christo iam crucifixo, & extremum penè spiritum emittenti datum fuisse tradunt. vnum, eumdemque fuisse dicant cuius sententiæ primus Chrysost. auctor fuit, secutus Euth. Sed ex diuersa apud Euangelistas narrationis serie perspicuum est fuisse diuersum. Nam Matth. & Marcus non obscurè significant, antequàm in crucem tolleretur, myrrhatum illi vinum datum fuisse, quo crucis dolorem minùs sentiret. Lucas verò & Ioannes non solùm iam crucifixo, sed etiam extremum exhalanti spiritum, cum omnes iam cruciatus perpessus esset, illum alium potum porrectum fuisse tradunt. Deinde Matthæus, & Marcus vinum fuisse dicunt, Lucas & Ioan. acetum; nam quod in codicibus Græcis hoc etiam loco ὄξος, id est acetum legitur, quamuis & Orig. & Chrysost. & Euth. & Hieron. & quod amplius est, Syrus interpres ita legisse videantur, tamen vitiosam esse lectionem ex Marco manifestum est, apud quem eandem historiam enarrantem nemo vnquam nisi vinum legit. Certissimum autem argumentum est, quod idem Matth. paulò pòst vers. 48. de illo ipso potu, quem Lucas, & Ioannes morienti iam Christo datum fuisse dicunt, loquens. *Et continuò* inquit, *currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Porum illum sine vlla ambiguitate ab eo, de quo hoc loco agit, omnino distinguens; hîc vinum; illic acetum; hic antequàm crucifigeretur, illic crucifixo; hîc vase, vt credendum est; illic spongia & arundine; hîc non petenti illic petenti Christo, dicentíque, vt ait Ioannes, *Sitio*, datum esse. Noster certè interpres, non acetum hoc loco, sed vinum legit, sicut & Hilarius, & Ambros. in com. in Lucam, & August. lib. 3. de cons. Euang. c. 11. & Iuuencus. & Sedulius legunt, & vt ego quidem opinor, etiam Hieronymus. Nam in comment. non aceti, sed vini mentionem facit. Sed aliquis improbè doctus ex vitiato codice in Matthæi contextum, qui cum Hieronymi commentarijs est, expuncto vino acetum intrusit. Certè Hilarius, & Ambrosius hunc, & illum, de quo idem Matth. postea vers. 48. & Lucas, atque Ioannes scribunt, diuersos postea fuisse putant, neque de ea re quemquam, qui attentè Euangelistas legerit, dubitare posse arbitror.

Et cum gustasset, noluit bibere.) Marcus scribit non accepisse, quod, cùm dissonare videatur, minimè dissonat. Matthæus enim accepisse indicat, id est gustasse, Marc. non accepisse, id est non bibisse. quemadmodũ D. Augustinus eo, quem paulò antè notauimus, loco interpretatur. Cur gustatum vinum bibere noluerit, coniecturæ locus est. Puto, ne contemnere datum de more vinum videretur gustare voluisse; vt autem ostenderet se ad ferendos crucis dolores eo medicamento non indigere, noluisse bibere. Nam & nos, cum minimè sitimus, ad bibendum ab amicis inuitati, vti beneuolentiæ officium agnoscamus, oblatum gustamus vinum; vt autem temperantiæ satisfaciamus, gustatum non bibimus. Hoc duplici potu, quem Christo datum docuimus, impleta Dauidis prophetia est Psal. 68. 22. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Nam primum vinum illi cum felle, aut myrrha mistum, quę propter amaritudinem, vt diximus, fel appellatur, deinde acetum datum est. at Propheta fel non potum, sed in escam datum dicit. Sanè quidem, sed quia de felle tantùm loquebatur, quod si alio liquore dilutum non sit, magis cibi, quàm potus similitudinem habet, escam potius, quàm potum appellauit. Eo fortasse consilio Matth. quamuis fortasse sciret vinum illud non vero felle, sed metaphorico, id est amara myrrha dilutum fuisse, felle tamen mistum fuisse dixit, vt Dauidis prophetiam impletam fuisse vno obiter verbo doceret. Quæri à nonnullis solet, cur hoc mortis genere Christus mori voluerit. Eius rei, qui multas rationes videre volet, Gregorium Nyssenum in oratione de Resurrectione Christi & D. Thomam in comment. huius loci legat. Mihi vna D. Pauli ratio satis est. Voluit Christus ignominiosissimum genus mortis pro nobis subire, vt ea etiam ratione & se ipsum demitteret, & suam erga nos caritatem declararet, & humilitatis nobis exemplum relinqueret; *Humiliauit*, inquit, *semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, ad Philippens. 2. 8. Et Petrus 1. epistola cap. 2. 21. *In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

35. *Vestquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius.* Luc.23.34 scribit Christum dum crucifigeretur, pro crucifigentibus his verbis orasse, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, quibus verbis haud obscurè indicat se etiam pro illis ipsis, à quibus crucifigebatur, mortem obire; vnde & vetus Prædestinatorum de quo loco dximus loco, & nouus Caluinistarum error confutatur, qui Christum pro solis prædestinatis mortuum fuisse docent.

Christus non pro solis prædestinatis mortuus contra Caluinum.

Sortem mittentes.) Marcus cap. 15. 24. *Diuiserunt vestimenta eius mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* Lucas 23.34. *diuidentes vero vestimenta eius miserunt sortes.* Itaque tres Euangelistæ Matth. Marcus, & Lucas, maximè verò Marcus ita scribunt, quasi omnes Christi vestes sortibus distributæ fuerint neque aliter profectò intelligere possemus, nisi rem distinctiùs explicasset Ioannes cap. 19. 23. 24. *Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam; erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.* Vnde perspicuum est nó omnes Christi vestes, sed solam tunicam sortitione distributam fuisse, quemadmodum Euthymius obseruauit. Sunt qui ex Luca quinque tunicas Christum habuisse colligant, sed ex Ioanne manifestè colligitur vnam tantùm habuisse. Dicit enim milites vestimenta Christi, & tunicam distribuisse, quasi cæteris vestimentis tunicam opponens, quòd Euthymius acutè vidit. Quæ autem fuerit tunica, quæue cætera vestimenta, compertum non est; coniectura tamen aliquid, quod simile vero sit, consequi possumus; tunicam fuisse eam, quæ post interulam (si ea tamen Christus vtebatur) corpori proximè adhærebat, totúmque tegebat hominem; nullum enim vestis genus est, quod vero similius sit futura caruisse. Cæteras verò vestes, & superiorem togam, cuius loco purpura Christum milites induerat vers. 28. & caligas, cæteráque indumenta, quibus tenues etiam homines vti solebant, intelligenda esse arbitror. Vulgaris est opinio probabilitate non careus, tunicam illam inconsutilem à matre Christo adhuc puero factam fuisse, quam opinionem Euthymius tanquam vetustiorem & recitat, & approbat. Dubitare lector poterit, an latronum etiam vestes à militibus diuisæ fuerint; nihil enim de ea re Euangelistæ scriptum reliquerunt. Non dubito, quin consuetudo eadem apud Iudæos, & Romanos fuerit, quam nunc apud omnes gentes esse videmus, vt eorum, qui capite puniuntur, vestes carnifex tollat. Quare & latronum vestes à militibus qui carnificum munere fungebantur, distributas fuisse credendum est, sed nimirum Euangelistæ, quia nec latronum, sed Christi historiam narrabant, & in vestium latronum distributione nullum sciebant fuisse mysterium, sola enim consuetudine fuisse diuisas; diuisionem autem vestium Christi, non consuetudine solùm, sed etiam mysterio factam fuisse, vt Dauidis impleretur prophetia, Psal. 21. 19. *Diuiserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem*, de vestium latronum diuisione mentionem non fecerunt; de distributione, sortitioneque vestium Christi fecerũt. Hæc de causa adiecit statim Matthæus, vt impleretur, quod dictum est per prophetam dicentem, *diuiserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem.* Quamquam hæc verba in antiquis Græcorum codicibus non inuenio, nec ea Origenes, & Euthy. legunt. At legit vtique noster interpres, legit Syriacus, & credibile est à Matthæo scripta fuisse, qui inter omnes Euãgelistas studiosissimè veteres prophetias à Christo impletas fuisse, vbiq; ostẽdere conatur.

De Christi vestibus.

37. *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam.*) Id est affixerunt in ea crucis parte, quæ super Christi caput eminebat. Vtrum tabella aliqua ligno crucis affixa, an in ipso crucis ligno titulus ille scriptus fuerit certum non est; sed & vulgò creditur, & est multo probabilius fuisse tabellam, & quia vix in ipso crucis ligno tam multa verba tribus linguis, tam magnis characteribus vt à præteeuntibus legi possent, scribi potuerunt; & quia nemo est, qui hominũ crucifixo eiusmodi titulum positurus non scriberet in tabella, & quia veteres historici tradunt titulum illum à cruce separatum ab Helena Constantini matre fuisse repertum, Ruffin. lib. 1. Hist. Eccles. c. 7. Non solet quæri, & quæri tamen posse video, an etiam latronibus positi tituli fuerint. Probabile mihi videtur suum quemque titulum etiam habuisse, morem enim fuisse vsitatum, vt his, qui in crucem agebantur causa mortis super crucem poneretur, eóque instituto Christo etiam superpositum fuisse titulum. Nam quod Ambrosius in oratione de obitu, & vita Theodosij, & alij nonnulli scriptores antiqui tradunt crucem Christi, cum ab Helena inuenta est, ex titulo ab aliis discretam fuisse, minimè repugnat; potuit enim titulo discerni, non quòd illa haberet, aliæ non haberent, sed quod in titulo crucis Christi scriptum esset, *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Ex quibus verbis perspicuum erat eam Christi fuisse crucem.

Hic est Iesus Rex Iudæorum. Marcus c. 15. 26 hæc tantùm in titulo ponit verba, *Rex Iudæorum*, Lucas verò cap. 23. 38. *Hic est Rex Iudæorũ*. Ioã. c. 19. 19. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Itaque cum omnes Euangelistæ, tituli sententiam expresserint, nemo tamen eorum vt dicitur omnia tituli verba posuisse. Ex omnibus autem hæc fuisse verba colligere nobis licet, *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Iussu Pilati cum titulum Christo impositum fuisse Ioannes docet, siue recepto posuerit more, quòd iudicis, qui reum damnauerat, esset damnationis causam posito super capur damnati titulo exponere, siue priuato in solo Christo consilio id fecerit, cùm alij, qui cruci affigebantur, non soleret titulus poni, vt quia Christi causa iustissima erat, immeritóque damnatus fuerat, publico illo elogio purgaret sese, vt meritò Christum damnasse videretur, quòd regnum contra Cæsaris fidem affectasset. Quocumque suo consilio Pilatus id fecerit, diuino impulsum consilio fecisse ex Ioanne 19. 21. 22. manifestum est, vt iudex etiam ipse, qui Christum damnauerat, illo ipso titulo, quo meritò damnasse declarare voluit, immeritò damnasse declararet, & Christum verum Iudæorum Regem, id est, Messiam esse testaretur. Nam cùm Iudæi, qui titulum legerant, vt latum rogauissent, ne scriberet, *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, sed, *Hic est Iesus Nazarenus qui se Regem Iudæorum fecit*, respondit, *Quod scripsi, scripsi*, id est, quod à me scriptum est, mutare non possum, quasi diuina tenerentur manu, qua priùs, vt ea verba scriberet, impulsus fuerat. Non dubito, quin Pilatus his verbis, *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, nihil aliud significare voluerit, quàm, quod scribi Iudæi postulabant, *Hic est Iesus Nazarenus*, qui se Iudæorum Regem fecit. Sed diuina effecit prouidentia, vt id illis diceret verbis, quibus Christus verus Rex Iudæorum esse significaretur. Extorsit Deus ab inuito iudice veritatem.

38. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris.* Cur cum latronibus crucifixus fuerit Marcus, c. 15. 28. vnam reddit causam, vt Isaias impleretur prophetia, c. 53. 12. *& cum iniquis reputatus est.* Sed hæc causa Deum mouit, Pilatum verò non mouit, qui de implendis prophetijs homo prophanus non cogitabat. Itaque alia, quæ Pilatum impulerit, causa quærenda est. Puto eum iniquitatis suæ velamentum quærere voluisse: si enim solum Christum egisset in Crucem, improbis Iudæorum precibus non iure id fecisse credi potuisset; cum autem vnà cum alijs crucifixit, & quidem cum huiusmodi hominibus, quos nemo posset meritò damnatos esse dubitare, fore existimauit, vt quemadmodum pœnæ, ita etiam culpæ similitudine Christus vnà cum latronibus damnatus esse videretur. Non dissimile verò est Iudæos etiam solicitasse, vt cum latronibus crucifigeretur, vt ignominiosior eius esset mors. Cur autem medius inter duos latrones Christus positus fuerit, & humano Iudæorum, & diuino factum esse arbitror. Iudæorum quidem, vt ostenderent Christum facinorosorum hominum caput, & quasi ducem esse; propterea in medio crucifigendum curant, vt eo cognito honoris genere Christi ignominiam magis augeant. Solent enim latronum duces cum socijs comprehensi & in medio eorum, & sublimiore loco suspendi. Diuino autem, vt vita in medio peccatorum poneretur, vt qui eam vellet, acciperet. Mysterium euentus declarauit; ex duobus latronibus, inter quos crucifixus Christus erat, alter credidit, alter blasphemauit. Omnes ad se peccatores vocat, qui in medio omnium crucifixus est, *Et ego*, inquit, *si exaltatus fuero à terra, omnia trahaam ad meipsum.* Ioann. 12. 32. Traxit ad se omnia non effectu, sed voluntate: nam vtrumque latronem, quasi vnum dextera, alterum sinistra manu prehendens trahere ad se voluit, sed vnum traxit, alterum non traxit, quia duci se vnus passus est, alter non est. Inuenit & Tertullianus aliud in hoc loco mysterium, *semper*, inquit, *Christus inter latrones crucifigitur*, Christũ Ecclesiam, & Christi doctrinam appellans, quemadmodum Christus ipse aliquando vocat, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actor. 9. 4. cum non Christum Saulus, quem extinctum credebat; sed eius Ecclesiam, doctrinámque persequeretur. Sic plerumque accidere videmus, quemadmodum Tertullianus ait, vt inter duos contrarios hæreticos Ecclesia crucifigatur. Docebant Ebionitæ Christum solum fuisse Deum, hominis verò solam speciem habuisse, Ecclesia in medio est, & verumque coniungit, Christum & verum Deum, & verum hominẽ esse docens. Docebant Sabellianí Patrem, Filium, & Spiritum sanctũ non vnam solùm naturam sed vnam etiam esse personam; docebãt Ariani Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non tres tantùm personas, sed tres etiam esse naturas; in medio Ecclesia est, vnam naturam, tres personas esse docens. Docebant Nestoriani in Christo non duas tantùm naturas, sed personas etiam esse duas; docebant Eutychiani & vnam esse personam, & naturam in vnam; medio Ecclesia est, quæ vnam personã, duas naturas esse docet. Docebant Manichæi, hodiéq; Luciferiani libertatem, omnia aut natura, aut diuina effici gratia; docebant Pelagiani tam forte tam robustum in nobis esse liberum arbitrium, vt gratia Dei non egeamus; Ecclesia in medio est, docétque & liberum in nobis arbitrium esse, & diuina tamen indigere gratia.

Christus inter duos latrones crucifigitur.

Matthæus Marcus, Lucas, Ioannes.

39. *Prætereuntes autem blasphemabant.*) Prætereuntes dixit pro omnibus, qui præteribãt, vt doceret non ab vno, vel à paucis, sed ab omnibus vulgò iactat in crucifixum Christum fuisse conuicia.

Mouentes capita sua.) Inter Iudæos mouere caput aliquando commiserationis, aut admirationis cum commiseratione coniunctæ, aliquando verò irrisionis signum erat. Commiserationis apud Iob cap. 16.

4. *Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos*, & cap. 42. 11. *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti, qui nouerant eum prius, & comedebant cum eo panem in domo eius, & mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum.* id est fleuerunt, cum flente, vt admonet D. Paulus, & Ecclesiastici 12. 18. 19. *In oculis suis lacrymatur inimicus, & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas, caput suum mouebit, & plaudet manu.* id est, dolore se, & miseratione commoueri simulabit, & Ieremiæ 18. 16. *Vt fieret terra eorum in desolationem, & in sibilum sempiternum. Omnis qui præterierit per eam, obstupescet, & mouebit caput suum.* Irrisionis verò 4. Reg. 19. 21. Isaiæ 37. 22. *sprenit te, & subsannauit te virgo filia Sion, post te caput mouit filia Ierusalem*, id est irrisit te, & vt Galli dicunt *Il t'a faict la nique*, & Dauid Psalm. 21. 8. hanc ipsum Iudæorũ aduersus Christum motionem capitis longè præmonstrans, *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Totus enim ille Psalmus de Christo patiente intelligendus est, vt Christus ipse indicat, vers. 46. eius exordium vsurpans. & Psalm. 108. 25. *Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt me, & mouerunt capita sua.* id est, inficientes in me oculos deriserunt. Et Ecclesiast. 13. 8. *In nouissimo deridebit te, & postea videns derelinquet te, & caput suum mouebit ad te*, id est contra te, & Thren. 2. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt caput super filiam Ierusalem.*

Roman. 12. 15.

42. *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce.*) Non erat regis de cruce descendere, qui nihilo robustior, nihilo faciendis miraculis insignior cæteris hominibus sit necesse est, sed accommodatè ad rem, de qua agebatur, hæc verba intelligenda sunt. Eum enim regem intelligebãt, qui Messias esset, & filius Dei, qualem se Christus professus fuerat, vt apparet ex Marco cap. 15. 32. *Christus Rex Israel descendat nunc de cruce*, & ex Luc. cap. 23. 35. *Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus.*

43. *Confidit in Deo, liberet eum, si vult.*) Ostendunt sacerdotes cæcitatem suam, quòd contra se ipsos scripturam proferant; nam hæc verba, quibus, vt Christo conuitiarentur, vsi sunt, apud Dauidem Psalm 21. 9. quem totum de Christo scriptũ esse diximus, impiorum hominum sunt, qui non diuinam solùm prouidentiam, sed Deum etiam ipsum de medio tollebant, iustúmque, & Dei colentem Dauidem irridebant, quod in aduersis rebus Deo confideret; *Confidit*, inquiunt, *in Deo, liberet eum, quoniã vult eum.* id est, quoniam amauit eum, scilicet Deum, quasi dicant liberet ipsum Deus, quem amauit. Itaque eodem modo intelligendum est quod concisè hoc loco dicitur, *liberet eum, si vult*, id est, si eum amat. Hebraismus enim est חפץ velle id est amare. in Græcis codicibus magis expressa sententia est, ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰς θέλει αὐτὸν liberet nunc eum, si vult eum. id est, si amat eum eodem Hebraismo seruato, nam θέλω αὐτόν, Græci non dicunt. Efficiunt etiam imprudentes sacerdotes, dum irridere Christum volunt, vt sua ipsorum irrisione verum Christum cum esse probent, dum Dauidis de illo prædictam prophetiam implent; nam etsi de se ipso ea verba Dauid scripserat, quasi sibi ab aduersarijs suis dicerentur, minimè tamen dubium est, quin sua persona, quod Christo euenturum esset, significauerit.

44. *Id ipsum autem.*) Id est eadem verba, aut alijs verbis eadem conuicia. *si tu es Christus saluum fac temetipsum, & nos.* vt Lucas 23. 39 explicauit.

Et latrones, qui crucifixi erant cum eo.) Eodem numero, & ijsdem verbis Marcus scribit. Lucas verò vnum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantùm latronem hæc conuitia in Christum iactasse dicit. Multi itaque antiqui, magnique auctores putauerunt initio quidem vtrumque latronem huiusmodi conuicia Christo dixisse, postea verò alterum & miraculis, quæ patiente Christo fiebant, & singulari eius patientia, & mãsuetudine animaduersis in Christum credidisse, & latronem alterum conuiciari pergentem reprehendisse. Origenes, Athanas. sermone contra omnes hæreses, Hilarius, Chrysost. Theophyl. & Euthym. hoc loco, & Iuuencus in Poëmatio, quod Ambrosius, & Hieronym. & Beda probabile esse putant. Probabilior tamen aliorum sententia est, vnum tantùm fuisse latronem, qui conuicijs in Christum vsus fuerit, vt Cyprian. ser. de Pass. Domini, Cyril. Ierosol. Catech. communi 13. Augu. li 3. de conf. Euang. c. 16. Ambro. in com. in Lucam, Hier. in com in hunc locum, Leo ser. 2. de passione, Greg. l. 27. in Iob c. 16. existimant. Quomodo autem Matthæus, & Marcus plurali numero latrones blasphemasse dicant, haud difficile. Hier. Aug. & Amb. interpretantur esse syllepsim, qua de vno plurali numero loqui solemus: quod Ambr. & Aug. multis scripturarum probant exemplis. Psal. 2. 2. *Adstiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*, cum vnus tantùm rex Herodes, vt Petrus Act. 4. 26. 27. interpretatur aduersus Christum conuenerit. Et ad Hebr. 11. 33. 34. *Per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis*, cum solus Daniel ora leonum obturauerit, & ver. 37. *lapidati, inquit, sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti*, cum solus Isaias sectus fuerit. Obseruauit Euth. eo consilio Euangelistas narrasse etiã latrones conuicia in Christum iactasse, vt quæ, quantásque contumelias passus fuisset, melius intelligeremus, cum non solùm principes sacerdotum, & cæteri, qui eum in eum vsque locum adduxerant; sed latrones etiam qui eiusdem pœnæ socij erant, quique, vt erga se, ita erga illum commiseratione commoueri debuerant, conuitijs eum afficerint. Iudæos eos fuisse latrones vero simile est, & ex alterius confessione, qui tanquam Christum à Iudæis expectatum etiam in cruce pendentem excepit, & ex alterius conuicio, quod Iudæorum more, eadémque incredulitate ingerit. Scribit Lucas 23. 40. respondisse alterum latronem, & eũ qui blasphemabat reprehẽdisse, *Neque tu*, inquit, *times Deum*, οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν θεὸν; quæ pauca verba variè inter se iuncta varias possũt interpretationes admittere. Primam, si sic iungantur, nec times Deum, vt illud, *nec*, referatur ad, times: id est, non solùm non amas, & reuereris Deum, sed ne times quidem quem admodum recentiores quidam interpretes exponũt, quorum sententiæ minimè subscribo quia non dubito, quin bonus ille, & fidelis latro peruersum illum latronem cum Iudæis voluerit comparare, quæ comparatio in illa dictione *nec* obscurè delitescit, quasi dicat, non solùm isti, qui pœna carent, sed nec tu, qui in eadem es pœna Deum times. Secundam si sic nec Deum tu times, vt sit sensus non solum homines, sed nec Deum quidem times, vt alij nonnulli explicant, quorum sententiam idcirco non probo, quia nec ingeniosa, neque ad rem accommodata est. Nullam enim hoc loco emphasim habebat, vt fidelis latro diceret, non solùm homines, sed ne Deum quidem times. Itaque dubium mihi non est, quin ad hunc modum coniungenda sint verba, *neque tu times Deum*, etiamsi Græcè transposita sint οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν θεὸν, quod rectè noster interpres intelligens, transpositis verbis traiectionem illam paulò obscuriorem dissoluit. Sensus ergo est non solum isti, qui cùm nihil pœnæ patiantur, nulla pœnarum istius hominis miseratione commouentur, quin potius metus Dei obliti, conuitijs in eum iaciunt, sed ne tu quidem, qui cum eadem afficiaris pœna, non conuitiari, sed miserari debuisti, *Deum times*, sed eius potius, sicut cæteri, timoris oblitus afflicto afflictionẽ addis. Hoc est *neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es*, aut *quod in eadem damnatione es*, vt noster vertit interpres ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ, quæ verba obscura etiam sunt. Quibusdam nouis interpretibus valde noua quædam placuit interpretatio, ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ, id est, quia in ipsa damnatione es, quasi dicat, cùm animam tam agas & in supremo supplicio verseris, Deum nõ times. Quam interpretationem verba Græca pati non possunt: non enim dixisset Euangelista ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ, sed ὅτι ἐν αὐτῷ τῷ κρίματι εἶ; sic enim Græci loquuntur. Significant ergo Græca verba non ipsam damnationem, sed eandem damnationem. Cæterum quia eadem damnatio non nisi per comparationem dicitur, alia ex hoc verbo difficultas existit cum quæ damnatione, id est cum qua pœna (pœnã enim damnationem, aut vt Græcè est, κρίμα iudicium appellari manifestum est) latronis damnatio comparetur. Quidam cum Iudæorum damnatione comparari putant, tanquam sensus sit, *neque tu times Deum* magis quàm isti Iudæi cum eadem, qua illi pœna, propter contumelias in Christum iactatas dignus sis. Quæ explicatio, nostra, quam paulò ante exposuimus, optimèque videtur confirmari; diximus enim latronem verbis illis, *neque tu*, cum Iudæis collatum fuisse. Alij comparationem cum alterius latronis pœna fieri existimant, quasi dicat, cum eadem quæ ego pariaris, tamen non magis quàm cæteri Deum times. Hanc interpretationem ideo reicio, quia abs re est. Credo ergo inter latronis & Christi pœnam fieri comparationem, vt sensus sit, cum in eadem, qua Christus pœna versaris, & quod plus est tu quidem meritò, ille verò immeritò, tamen neque pœnæ societas, nec eius te mouet innocentia, vt eius misereare: Hic enim sensus rectè in hunc locum cadit 41. *Et nos quidem iustè, hic vero nihil mali gessit*. Præcedentis sententiæ correctio est. Dixerat alterum latronem in eadem, in qua Christum, pœna esse; videri poterat in eadem etiam culpa Christum esse significare corrigit exponendo sententiam, *& nos quidem iustè, hic autem nihil mali gessit*. Prudentes se cum altero latrone connumerat, vt modestior, & melior sit reprehensio; nec enim videri poterat alterum nimis acerbè, asperéque reprehendere, qui secum vnà cum illo reprehendebat, *nihil mali gessit*, οὐδὲν ἄτοπον. Non placet mihi noua versio quorundam, qui ἄτοπον insolens transferunt. Nam etsi id Græcum verbum aliquando significat, tamen hoc loco aliud significet necesse est: quia insolens dicitur quicquid nouum, & inusitatum est, quamuis malum non sit, & manifestum est hoc loco non pro re inusitata, sed pro mala verbum ἄτοπον positum esse, cum latro dicere voluerit Christum omni vacare culpa. Melius per periphrasim eius dictionis vis explicari potuit, οὐδὲν ἄτοπον, nihil quod virum bonum non deceat, quibus verbis indicare latro ille voluit non solùm nullum magnum scelus, sed nullum etiam vel leuissimum peccatum in Christo esse. Nihil enim vlla reprehensione dignum egisse, hoc est ἄτοπον. 42. *& dicebat ad Iesum, Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*. Εἶπε τῷ Ἰησοῦ, μνήσθητί μου ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. in regno tuo. Itaque non est sensus, cum veneris ad regnandum, sed cum veneris iam regnanti cum veneris non adacquirendum regnum, sed regno iam acquisito, quemadmodum venturus ad iudicium est. Breuis, sed plena sententiæ confessio. Paucis enim

verbis,

tib. 4 hist. Euag.

Syllepsis in scriptura notanda.

verbis, & regem, & Deum Christum confitetur; regem, cum dicit, *cum veneris in regnum tuum*: Deum, cum dominum vocat, & eum ita regem facit, vt condonare peccata possit. *Memẽto*, inquit *mei*. Et hic cum resurrecturum indicat; nec enim rogasset, quem animam exhalantem videbat, vt sui, cum in regnum venisset, memor esset, nisi & resurrecturum, & post resurrectionem regnaturum credidisset. Quæ confessio, cum ipsa per se admirabilissima est, tum cõsideratis temporis loci, & personarum circumstantijs admirabilior; vt Chrysostomus hom. 2. de cruce, & latrone, & Leo ser. 2. de passione adnotauerunt. *Quæ, inquit Leo, ista fidem exhortatio persuasit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, cessauerat tunc languentium cura, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum; ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant, & tamen Dominum confitetur, & regem, quem videt supplicij sui esse consortem. memento mei.* Modesta postulatio; nec enim petit, vt se participem regni sui faciat, aut vt aliquem honoratiorem in eo quàm cæteris, locum tribuat, non vt ad dexteram, vel ad sinistram eius sedeat, quemadmodum vxor Zebedæi pro filijs suis postulauerat, cap. 20. 21. sed tãtum dicit, *memento mei*, quasi dicat ne me excludas, ne habeas peccatorum meorum rationem, sed pro tua misericordia, & benignitate vel ad vltimum me locum admitte. Rectè ex hoc loco D. Aug lib. 6. contra Iulianum c. 5. purgatorium probauit; videbat enim latro se paulò post moriturum esse, & orauit tamen Christum, vt sui post mortem memor esset, id est peccata sibi condonaret: credebat ergo Iudæorum instructus religione etiam post mortem peccata remitti, quod alibi, quàm in purgatorio fieri non potest. 43. *Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Tria hunc locum verba difficilem reddunt, *Hodie, in paradiso, Mecum*. Aduerbium *hodie*, quidam, seruierunt, quasi dicat Christus, Amen dico tibi hodie, non hodie mecum eris in paradiso, quemadmodum Theophylactus recitat. At insipida & eneruis sententia esset, quam enim emphasim habuisset? Amẽ dico tibi hodie, potius vtique dixisset. Amen dico tibi hunc. Alij meo quidem iudicio etiam absurdius, illud hodie ad extremum iudicium extendunt, tanquam dicerit Christus. *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso*, id est, post resurrectionem, & vltimum iudicium. In qua tamen sententia nonnulli minimè mali auctores fuisse videntur ex his, qui sanctorum animas ante supremum iudicium beatas fore non crediderunt, quorum magnus numerus fuit. Hoc si dicere Christus voluisset, non bene latronis respondisset precibus. Nam etsi tantum illi, quantum petiuerat, concessisset, vt tunc, cum in suum regnum veniret sui memor esset, tamen perspicuum est ex Christi oratione plus eum latroni, quàm petiuerat, concedere voluisse. Petiuerat latro, *memento ei*, id est dimitte mihi peccata mea: respondet Christus, *mecum eris in paradiso*, id est non solùm tibi peccata remittam, sed optimo te loco collocabo, hoc est in paradisum inducã, idque mecum, quasi dicat, iuxta me, vbi ego ero, vt alio loco dicit, *vt vbi ego sum, ibi & minister meus sit*, Ioan. 12. 26. Petierat latro non vt statim, sed vt, cum in suum regnum veniret, recordaretur sui, respondet Christus, *hodie mecum eris in paradiso*, non tam longè differam preces tuas, quod post multa sæcula tibi dapostulas hodie donabo. Illud ergo, *hodie*, illi latronis verbo, *cum veneris in regnum tuum* respondet. Quod mitor interpres non obseruasse. Solus Augustinus in lise. Hoc ergo est *hodie*, *in paradiso*, autem diuersissimis

sententijs, & veteres, & recentiores auctores interpretantur. Alij in paradiso, id est in cælo, vt Cyrillus Ierosolym. Catech. communi 13. Gregorius Nyssenus sermone de Resurrectione Domini, Chrysostomus hom. 2. de cruce, & latrone, & D. Augustinus tractatu in Ioan. 111. Si roges, quomodo eo die latro in cælo cũ Christo esse potuerit, cùm Christus non nisi post quadraginta dies in cælum ascenderit; respondent partim nonnulli horum auctorum, partim ij, qui eorum complectuntur opinionem Christum quatenus Deus est, vbique esse, ideóque & in cælo eo die fuisse. Magnorum licet auctorum sententia sit, probari mihi non potest, quia oculis ipsis cernere mihi videor voluisse Christum significare non solùm latronem, sed se etiam ipsum eo die in eo paradiso futurum fuisse, vbi tunc cum hæc dicebat, non esset. Est enim in hac sententia & tacita quædam personarum similitudo, & locorum antithesis, quasi dicat, sicut nunc mecum in eadem pœna es, ita mecum hodie in eodem eris paradiso. Alij exponunt *in paradiso*, id est, in loco Adæ, vbi terrestris fuit paradisus vt Theophylactus, & Euthym. Sed hi auctores solam paradisi vocem sequuti Christum post mortem vnà cum latrone in Mesopotamiam fine causa deducunt; aut vbicunque tandem paradisus ille fuit. Quid acturus eò Christus se post mortem contulisset? aut quid latroni dedisset beneficij, q eo in loco posuisset, vbi nihil esset nunc percepturus voluptatis, paradiso iam deserto, atque vastato? Sunt qui putent nullum certum designari locum, sed paradisum appellari, vbicumque Christus sit, & vndecumque Deus videatur: quia ergo anima latronis Christum sequutura erat, Deumque eo die visura, in paradiso cum eo futura esse dicitur. Multi recentiores interpretes magno fauore hanc sententiam prosequuntur, eiúsque auctores Augustinum, & Bedam citant, quàm verè ipsi viderint. Interpretationem certè cuiuscumque auctoris sit, approbare non possum, & quia Christus de eo, vt diximus, loquebatur paradiso vbi tunc ipse non erat. Si autem paradisus nihil aliud est, quàm locus, vnde videtur Deus, cum in cruce penderet, in paradiso erat. Deum enim videbat, &, vt omnes Theologi consentiunt, numquam beatus esse desijt. Valde me iudicium meum fallit, nisi paradisus hoc loco Abrahæ sinus appelletur, vbi viri sancti interim dum cæli aditus patefieret, detinebantur: ille enim locus pro paradiso, & requietis loco habebatur. In eum enim, tanquam in locum voluptatis, aut certè quietis, mortuus Lazarus ab angelis deportatus esse dicitur, Lucæ 16. 22. Ergo quia in eum locum eodem die Christus descensurus erat, vt sese sanctis illis patribus ostenderet, & spiritibus, qui ibi detinebantur Euangelium prædicaret, vt Petrus 1. epistola c. 3. 19. docet, & vt inde rediens captiuam duceret captiuitatem, vt Ephes. 4. 8 D. Paulus interpretatur: ad eum locum latroni promittit se eum eadem die deducturum. Minùs mihi hæc sententia placeret, si mea tantùm esset. Nunc verò aut vehementer fallor, aut in eadem sententia multi fuerunt auctores, Iustinus quæst. 76. ad orthodoxos. Athanas. in epistola ad Epictetum, Augustinus lib. 12. de Gen. ad litteram, c. 34. Prudentius in hymno in exequijs defunctorum,

Sed dum resolubile corpus
Reuocat Deus, atque reformat;
Quonam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio seuis abdita sancti
Recubabit, vt est Eleazar,
Quem floribus vndique septum
Dues procul aspicit ardens.

Sinus Abrahæ.

Sequimur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sequimur tua dicta redemptor,
Quibus atra morte triumphans,
Tua per vestigia mandas

Socium crucis ire latronem. Hinc perspicuum est, quomodo tertium illud verbum *Mecum* intelligendum sit, id est, vbi ego etiam ero. quò ego iturus sum. Rideo cum in hunc locum commentarios hæreticorum lego. Hinc, inquiunt, colligitur non esse purgatorium. & nunquam culpam sine pœnæ remissione remitti. cum latroni vtraque simul remissa fuerit, nec post mortem ad purgatorium relegatus, sed ad paradisum deductus sit. Scilicet tam stupidi sunt, vt ex vno exemplo generalem legem colligant. Latroni non fuit purgatorium, ergo nemini est; latroni remissa culpa, & pœna remissa est; nemini ergo cum culpa remittitur, pœna retinetur. Isto sanè modo neque paradisus, neque infernus esset. Nam non dico alteri latroni, qui cum hoc crucifixus erat, sed infinitis etiam hominibus, qui damnati sunt, paradisus non est: an colligemus, nemini ergo est? Non solùm hunc latroni de quo agimus, sed etiam Apostolis, multisque alijs beatis infernus non est; nemini ergo est? Vtinam eorum vera esset sententia; infinitis enim, quibus à Deo punimur, malis careremus. Quis negat morbos, miserias huius vitæ, mortem ipsam originalis peccati pœnam esse? Atqui remissa originalis peccati culpa, pœnæ istæ retinentur. Quis ignorat Dauidi adulterij culpa remissa, retentam fuisse aliquam pœnam? 2. Reg. 12. 13. 14. *Dixitq; Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris; verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Ad hunc locum pertinent, quæ scribit Ioan. cap. 19. 25. 26. 27. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene,* de quibus vers. 56. dicemus. *Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus;* Mulierem, vt opinor, non matrem appellat, vt desertam, & viduam significet; cum autem dicit, *ecce filius tuus,* non commendat illi discipulum, sed ipsam discipulo, quasi dicat non omnino te desertam derelinquo: iste discipulus me as erga te implebit vices, tèque consolabitur, tuebitur, & egentem alet. *Deinde, dicit discipulo, Ecce mater tua;* contrario sensu propter personarum differentiam hæc verba intelligenda sunt. Nunc enim non discipulum matri, sed matrem discipulo commendat, quasi dicat, hanc deinceps loco habebis matris, eam coles, eam solabere, eam defendes, eam ales.

Purgatorium cõtrahæreticos defenditur.

Remissa culpa sæpe remanent pœna.

45. *A sexta autem hora.*) Existit hoc loco difficilis quæstio de hora, qua Christus crucifixus fuit. Nam Marcus cap. 15. 25. hora tertia crucifixum fuisse dicit. *Erat,* inquit, *hora tertia, & crucifixerunt eum,* vnde colligunt quidam cum tenebræ factæ sunt, per tres iam horas Christum in cruce pependisse; nec enim, quod Marcus scribit, Matthæo contrarium est, qui quamuis non exponat, qua hora Christus crucifixus fuerit, cum tamen dicit hora sexta post vestimentorum distributionem, post Iudæorum in Christum iam crucifixum blasphemias, post Christi, & latronis colloquium factas fuisse tenebras, non obscurè indicat eũ: ante horam sextam fuisse crucifixum repugnare autem Marco Ioannes videtur, qui hora circiter sexta Christum à Pilato damnatum dicit cap. 19. 14. *Erat,* inquit *parasceue Paschæ, hora quasi sexta.* Itaque non solùm tertia, vt air Marcus, sed ne sexta quidem hora, qua Matth. tenebras eo iam crucifixo factas fuisse dicit, crucifigi potuit. cùm tam multa inter damnationem. & crucem facta fuerint. Ductus à militibus in prætorium Christus, flagellatus, coronatus spinis, in-

De hora, qua Christus crucifixus est.

ductus purpura, multis modis illusus; deinde ad locum Caluariæ lentè. vt homo tantopere fatigatus, & crucem portans progredi poterat, ductus est, quæ omnia vix vna integra hora fieri potuerunt. Hunc nodum duobus modis soluit Augustinus tract. in Ioan. 116. & lib. 3. de consens. cap. 13. Primùm, hora tertia, vt ait Marcus Christum non militum manibus, sed Iudæorum linguis fuisse crucifixum; tertia enim hora Iudæos apud Pilatum clamauisse, *Crucifige, Crucifige.* Non potest meo iudicio hæc interpretatio cum Euangelistarum verbis cohærere; Marcum enim non de illa metaphorica linguarum, sed de vera Christi crucifixione loqui ex eo manifestum est, quòd continenter dicat eum crucifixum, & eius vestimenta diuisa. Deinde quia iam ante dixerat, vers. 14. clamasse eam Pilato Iudæos, *Crucifige eum.* Quid illi nunc in mentem venisset, vt iterum diceret Christum Iudæorum linguis crucifixum? Denique ex Matthæo, & Marco, & Luca perspicuum est Christum ante horam sextam fuisse crucifixum, quia omnes hi tres Euangelistæ scribunt eo iam crucifixo factas fuisse tenebras. Itaque non potuit hora sexta crucifigi; multo etiam minùs à Pilato condemnari. Quare is alter ter Euangelista Marcus, aut Ioannes interpretandus est, potiùs interpretandus est Ioannes; cuius sententia minùs videtur posse cum cæterorum Euangelistarum sententia conuenire. Altera D. Augustini solutio est, Christum hora sexta non dici, sed noctis, vt ait Ioannes condemnatum fuisse; hora verò tertia non noctis, sed diei, vt ait Marcus, fuisse crucifixum; nec enim dixisse Ioannem hora sexta diei, aut absolutè horam sextam, sed cum adiectione hora sexta Parasceues, *erat autem,* quit, *Parasceue Paschæ hora quasi sexta.* Parasceue autem erat non solùm dies sed etiam nox, aut, vt D. putat Augustinus, nox potiùs quàm dies. Hæc interpretatio vel ipsi Augustino minùs quàm altera probabilis visa est: & verò facilius etiam, quàm altera, refutari potest. Docuimus suprà, & ex Luca. cap. 22. 66. certum est prius diem illuxisse, quàm Christus ad Pilatum duceretur; ergo etiamsi simulatque coram Pilato stetit, damnatus fuisset, non potuisset hora noctis sexta damnari. Adde quòd multa ante damnationem, postquàm ad Pilatum ductus est, intercesserunt; multis Pilarus tergiuersationibus conatus est Christum absoluere, examinauit eum diligenter, an ipse rex Iudæorum esset; misit ad Herodem, remisit Herodes; illa gellis remissum cecidit. Sunt qui coniecturam faciant apud Marcum scriptorum culpa vitiatum esse numerum. & pro ἕκτῃ sexta, scriptum esse τρίτῃ tertia; facilem enim. & lubricam per notas, quibus apud Græcos numeri scribi solent, erroris viam fuisse. Scribunt sex hac nota ϛ. tria verò hac Γ; facilè fuit propter notarum similitudinem vnam pro altera ponere. Nimis audax semper mihi hæc coniectura visa est, & quia non alio nititur argumento, quàm quòd, qui ea vtuntur, non possint huius loci difficultatem explicare, & non debemus, vt scripturam interpretemur, corrumpere. Deinde quia, vt vera coniectura esset, locus tamen nõ explicaretur. Fingamus enim dicere Marcum hora sexta crucifixum fuisse Christum, quomodo hora sexta crucifigi potuit, cùm Ioannes dicat hora sexta fuisse condemnatum, & inter condemnationem, & crucifixionem necesse sit vna, vt minimùm hora intercesserit? Quomodo Matthæus, & Lucas, ipse etiam Marcus scribunt hora sexta, cùm multo ante crucifixus fuisset Christus, tenebras fuisse factas? Adde quòd ipse Marcus postea vers. 33 scribat, γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης *hora sexta autem facta,* cùm ante dixisset hora tertia crucifixum. horam sextam illi horæ, qua crucifixus fuerat, opponens; hanc enim vim habet participium

illud,

illud, γενομένης *facta,* quasi prius facta non esset, & aduersatiua particula δὲ *autem,* per quam eam horam illi, qua dixerat Christum fuisse crucifixum, opponit. Itaque si quis Euangelistæ locus corrigendus esset, Ioannis potiùs locus, vt nonnulli etiam putant, corrigendus videtur, vt pro hora sexta apud illum tertiam legamus. Sed & hoc est scripturam non corrigere, sed vitiare. & eadem manebit quæstio, quomodo potuerit Christus hora tertia damnari, cùm dicat Marcus hora tertia fuisse crucifixum cùm vna, vt minimùm, hora post damnationem crucifixus fuerit necesse sit. Res erat facilis & ab ipso etiam Lyrano iam explicata, nisi multi interpretes, dum nimis diligentes, & subtiles esse volunt, difficilem reddidissent. Diximus cap. 20. 3. Hebræos diem in duodecim horas, quas Astronomi vsuales, & inæquales vocant, distribuisse; duodecim rursus horas in quatuor partes, sicut & horas noctis diuidebant, nisi quod quatuor illæ noctis partes proprium habebant nomen militare, vt φυλακαὶ custodiæ, aut vigiliæ dicerentur, quia milites, qui excubias noctu agebant, ternas singuli horas vigilabant. Quatuor autem partes diei, quarum singulæ tribus constabant horis, quia proprio carebant nomine, à fine præcedentis partis diei nomen accipiebant. Itaque totum trium horarum spatium, quod inter Solis ortum, & horam diei tertiam interiectum erat, ab hora tertia, quæ vltima erat, hora tertia vocabatur, si quis propriè, verèque loqueretur. Obtinuit autem apud eos, vt apparet consuetudo, quod videmus apud nos etiam obtinuisse vt horæ sequentes ex præcedentibus nomẽ acciperent, sicut nos postquam meridianæ horæ signum datum est, vsque ad horam primam, aut certè vsque ad maiorem horæ partem meridianam horam appellamus. cum propriè nõ meridiana, sed prima promeridiana sit; nam meridiana ea est, quæ ab vndecima inchoatur, & duodecima finitur. Itaque aliquando dicimus de spatio loquentes, quod inter vndecimam est, esse horam vndecimam, aliquando esse duodecimam, nunc à principio, nunc à fine nomen accipientes. Eadem prorsus consuetudine Marcus, & Ioannes loquuti sunt. Nam quia Christus, & damnatus, & crucifixus fuit eo temporis spatio, quod est inter finem horæ tertiæ, quod idem sextæ initium erat, & finem sextæ, quod erat initium nonæ, Ioannes ex fine spacium illud appellans vocauit horam sextam. Marcus ex initio vocauit tertiam: sed quia nõ est verò simile Ioannem sextam horam vocaturũ fuisse, nisi spacium illud ad finem sextæ inclinatum fuisset, sicut non solemus horam primam pomeridianam appellare, nisi cum meridiana, & semis transacta est; credendum est Christum post horam decimam, & semis, si nostro more horas numeremus, damnatũ fuisse; respondebat enim hora tertia nonæ nostræ, sexta duodecimæ, tertia & semis erat decima & semis: eo ergo tempore damnatus est Christus; ideo Ioannes scribit hora quasi sexta, damnatũ esse; post vnam circiter horam nostram, id est hora vndecima, & semis crucifixus est, quam Marcus horam tertiam appellat; quia totum illud spatium horarum ab hora tertia vsque ad sextam hora tertia vocabatur. Itaque per diem meridianam horam crucifixus iam fuerat Christus, cum tenebræ factæ sunt, qua dimidia horæ parte & vestimenta à militibus distributa, & conuicia à Iudæis in Christum iactata, & latroni paradisus promissus est. Vnde sequitur veram non esse quorundam opinionem, qui docent Christum per sex horas, id est à nona mututina vsque ad tertiam pomeridianam in cruce vitium pependisse? Non potuit enim hac ratione, quam exposuimus, plus quattuor horis vius in cruce pendere, cum post horam vndecimam crucifixus

Quomodo Solis eclipsis in passione Christi facta est.

fuerit; hora nona, id est tertia pomeridiana, aut paulò post expirauerit, vt constat ex versu 46. & 50. Notarunt Origenes, & Theophylact. Christum ea hora crucifixum fuisse, qua Adamus peccauerat, qui circa meridiem peccasse traditur. Alij qua hora Adamus è paradiso eiectus fuerat, eadem Christum paradiso occlusam ianuam moriẽdo reserasse, Beda, & Theophylactus. Crucifixum etiam dicit sexta hora, Lucas 23. 44. *Erat autem fere hora sexta,* non quòd non esset sexta, sed aut quòd satis non esset certus, num hora sexta completa iam esset, aut certò noluerit affirmare. Adiecit, *fere,* vt solemus; cum tempus describimus, & non magni refert præcisè temporis punctũ notare. Horam enim fuisse sextam, & Matth. hoc loco, & Marcus 15. 33. affirmant, γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης, *facta autem hora sexta.* Exprimunt autem tres Euangelistæ sextam horam id est meridianam, quò maius miraculum appareat, tunc cum maximè Sol medio cæli cursu vigeret, tenebras fuisse factas; sicut Amos dixerat cap. 8. 9. *Occidet Sol in meridie.* Contraria enim videntur esse, ideóque magis mirabilia, Solem in meridie esse, & occidere. Eo etiam consilio, vt opinor, sextam horam Euangelistæ notauerunt, ne quis tam illustre miraculum, & meridiana luce clarius obscurare conaretur, dicens non veras fuisse tenebras; sed quia aut matutinum, aut vespertinum erat tempus, alicuius grandioris nubis obiectu visas fuisse tenebras, quæ veræ tenebræ non erant.

Tenebræ factæ sunt.) Non arbitror tam densas, tamque obscuras fuisse tenebras, quam media nocte, neque Sole, neq; Luna lucente esse solent: sed quales obscurato plena eclipsi Sole fieri videmus. Nam neq; Christi mater, & Ioannes discesserunt, neque milites, & cæteri qui aderant, quos non Christi amor, vt discipulum, & matrem, iuxta crucem retinebat. Mirum enim profectò fuisset, si cum per tres integras horas tam densas quàm noctis vidissent tenebras, non discessissent. Qua ratione tenebræ illæ factæ fuerint, quia Euangelistæ non exponunt, certò scire non possumus: coniecturis quod vero simillimum videatur, consequi possumus. Nonnulli naturalem Solis eclipsim fuisse dixerunt, vt miraculi magnitudinem eleuarent: homines scilicet Christianæ religionis inimici, vt Origenes, & Hieronym. hoc loco referunt, à quibus facilè est eorum impietas, inscitiáque refutata. Erat Paschæ tempus, quod nunquam nisi in diem 15. Lunæ primi mensis incidebat. cum plenissima Luna est: Solis autem eclipsis, quæ inæqualitate cursus naturalis astrorum fit, non potest nisi noua fieri Luna. Tunc enim cum Sole coniungitur, & inter ipsum, & aspectum nostrum interposita eius nobis lumen aufert. Alij per eclipsim quidem Solis factas fuisse tenebras, non quidem naturalem, sed supra naturam. Cùm enim Luna à Sole dimidia cæli parte distaret, vt solet, cum plena est, iubente Deo cessisse retro, & ad Solis locum redijsse, eúmque obscurasse. quemadmodum petente Ezechia rege Solem decem gradibus contrario cursu recurrisse legimus Isai. 38. 8. Hæc sententia auctore Origene, & Dionysio Areopagita in epistola ad Polycarp. vbi, se, cum in Ægypto tunc esset, vnà cum Apollophane familiari suo eam eclipsim præter naturæ legem factam notauisse scribit, fere apud omnes iam Catholicos obtinuit; & est ipsa per se sine vllo etiam auctore valde probabilis. Illud tantùm videtur repugnare, quòd, vt paulò post dicturi sumus, tenebræ illæ non nisi in Iudæa factæ sunt. Itaque non potuerunt in Aegypto loco tam longè distito apparere. Sed hanc ipsam obiectionem postea dissoluemus. Alij tamen auctores per radiorum subtractionem solem obscuratum fuisse putant, quasi

puderet

Universidad de Deusto
Biblioteca

puderet eum tantum videre scelus, vt Hieronymus interpretatur. Alij per nubium densarum oppositionem factas arbitrantur tenebras, quemadmodum in Aegypto olim per nebulas factas fuisse legimus, ita vt Aegyptij non viderent, Hebræi viderent. Exodi 10. 22. 23. Ita Origenes sentit, & videtur. Chrysost. homil. in Matth. 89. & Theophyl. & Euthym. in comment. Quare factæ fuerint non est abs re quærere. Quidam ad significandam Iudæorum cæcitatem factas fuisse dicunt, vt Leo serm. 10 de Passione. *Sed his*, inquit, *vocibus vestris stultis, atque blasphemis reddunt omnia elementa responsum, & vnam in vos sententiam ferunt. Cælum, terra, sol, sideráque indignos vos suo ministerio protestantur, terribili motu, insolitoque defectu tenebras mundo vestræ cæcitatis ostendunt.* Alij in tanti sceleris detestationem obscuratum fuisse solem, vt Hieronymus scribit, *Videtur*, inquit, *mihi clarissimum lumen mundi, hoc est, luminare maius retraxisse radios suos, ne aut pœnitem videret hominem, aut impij blasphemantes sua luce frueretur.* Quam etiam rationem indicauit Leo. Alij ad significandum Christum iustitiæ solem occubuisse, *Occidet*, inquit Amos cap. 8. 9. *sol in meridie*, sic Cyrillus Hierosolym. Catechesi communi 13. Alij ad declarandam diuinam iram, vt nonnulli recentiores putant interpretes, quorum opinionem eo probabiliorem censeo, quòd scripturarum phrasi consentanea sit. Solet enim scriptura diuinam in homines iram solis obscuratione declarare, quòd homines diuinam experti iram, atque sæuitatem vsque adeo attoniti esse soleant, vt solem ipsum videre nõ videantur, sicut & vulgò, cum magnam alicui pœnam comminamur, dicere solemus, efficiam vt in meridie stellas videas, id est vt nox tibi esse videatur; quia plenis lacrymarum oculis solem cernere non poteris. Sic Ierem. 15. 9. *Infirmata est, quæ peperit septem, defecit anima eius, occidit ei sol, cum adhuc esset dies, confusa est, & erubuit.* & Ezechiel. 32. 7. 8. cum Deus Pharaonis, Ægyptóque magnam calamitatem minaretur, *Operiam*, inquit, *cum extinctus fuero, cælos, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegã, & luna non dabit lumen suum; omnia luminaria celi mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam.* dicit Dominus Deus, & Ioëlis 2. 10. *A facie eius*, id est, propter iram eius, *contremuit terra, mota sunt cæli, sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum*, & ver. 30. & 31. *Dabo prodigia in cælo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi; sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, & cap. 3. 14. 15. 16. *Populi, populi in valle concisionis, quia iuxta est dies Domini in valle concisionis, sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cæli, & terra.* Illud etiam, quod paulò ante posuimus, Amos 8. 9. *Occidet sol in meridie*, de diuina ira dictum est. Alij ad expergefaciendos Iudæos obscuratum existimant fuisse solem, vt miraculi magnitudine commoti Christum agnoscerent; non improbo; sed tamen mihi ea potissimum de causa & tenebræ, & cætera miracula, quæ Christo moriente contigerunt, facta fuisse videntur, vt Christi testarentur diuinitatem. Nam, vt supra me dixisse memini, ita Deus filiũ suum damnari, ita mori voluit, vt in ipsa damnatione, in ipsa crucis ignominia, in ipsa morte eius non solùm innocentia, sed etiam diuinitas maximè eluceret, ne fortè si absque miraculis mortuus fuisset, purus homo crederetur; eò etiam magis, quòd cruci affixus finiret vitam, ne inde descenderet, clamantibus Iudæis, *Si filius Dei est, descendat de cruce, & credamus.* Cruci ergo sapientissimo Dei consilio multa, magnáque miracula opponuntur, vt fides, quæ crucis ignominia

Cur Christus patiẽte tenebras facta sunt.

infirmari poterat, miraculorum multitudine, magnitudinéque roboraretur. Alia in hunc locum superest quæstio, quàm latè tenebræ illæ diffusæ fuerint. Matthæus *super vniuersam terram* factas fuisse dicit, idemque Marcus 15. 33 & Lucas 23. 44. alij licet verbis confirmant. Itaque multi boni auctores, vt Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus toto terrarum orbe tenebras illas fusas fuisse putant, idque confirmant, quòd in Epistola ad Polycarpum Dionysius scribit se, in Ægypto cum esset, eas vidisse. Magnus Origenis probo sententiam qui super solam Iudæam factas existimat, & quia propter solos Iudæos, eósque vbi Euangelium Christus prædicauerat, factæ sunt, vt eius diuinitas, vt paulò ante diximus, doctrinam confirmaretur, & quia vero simile non est neminem ex tam multis Græcorum, & Latinorum historicis rem tam mirabilem, tam vniuersam memoriæ prodituram fuisse, si toto terrarum orbe facta cognitaque fuisset. Addo ego ne fieri quidem potuisse, vt per vniuersam terram id est per totum penitus terrarum orbem horæ sexta tenebræ fierent, cùm in media orbis terrarum parte nox tũc fuerit, & in plerisque alijs partibus vbi dies erat, hora certè sexta, id est meridiana esse non poterit. cùm diuersis in locis diuerso tempore meridies sit; & manifestum est Euangelistas, non solùm miraculum narrare voluisse, quòd tenebræ factæ fuerint, sed ita narrare voluisse, vt hora sexta, id est meridiana, cum maius miraculum erat, factum fuisse declararent. In his ergo locis, vbi meridies non erat, miraculum illud factum non est. Quo ergo modo res Euangelistæ super vniuersam terram tenebras illas factas fuisse dicunt? Rectè Origenes respondet vniuersalem illam particulam *vniuersam*, aut *totam* accommodatè ad locum, de quo agebatur, intelligendam esse. Gerebatur res in Iudæa, *super vniuersam ergo terram*, id est, super vniuersam Iudæam tenebræ factæ sunt, sicut libro 3. Reg. cap. 18. 10. Abdias seruus regis Achab, qui ad quærendum Eliam missus erat, inuento dicit, *Viuit Dominus Deus tuus quia non est gens, aut regnum, quo non miserit Dominus meus, te requirens.* cum dubium non sit Achab non ad omnia regna, sed in omnes regni sui partes nuncios misisse. Luc. 2. 1. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Non enim totus omnino orbis, cuius Dominus non erat, sed illæ orbis partes, quibus Romanum imperium terminabatur, à Cæsare descriptæ sunt. Putat etiam Origenes in huiusmodi locutionibus aliquid hyperboles esse, quemadmodum, cum vulgò dicimus, per totum mundum quæsiui te, id est multis in locis quæsiui te, vt nihil aliud Euangelistæ dicere voluerint, cum tenebras per vniuersam terram factas fuisse dixerunt, quàm tenebras longè latéque fuisse factas. Quia ergo ratione fieri potuit, vt in Ægypto Dionysius tenebras viderit? nec enim aut epistolæ illius author tenebras, aut auctoris testimonium reiiciendum esse multi censuerunt. Opinor per integram lunæ oppositionem tenebras illas factas fuisse, ideóque in Iudæa, vbi plena erat eclipsis, magnas etiam fuisse tenebras sin alijs verò locis, vbi luna non totum occultabat solem, minores fuisse, prout alius magis, alius minùs ab Hierosolyma distabat; ideóque in Ægypto Dionysium eclipsim videre potuisse, magnas verò illas tenebras, quæ in Iudæa fuerunt, non potuisse, quanquam ille magnas etiam tenebras vidisse se, testatur; sed magnas, vt arbitror, vocat, cum alijs quæ in Solis defectu fieri solent, comparando. At cur harum ipsarum tenebrarum, quæ in Iudæa factæ sunt, nemo aut Græcus, aut Latinus scriptor meminit? imo verò meminit. Nam Origenes Phlegontem Chronicorum scriptorem, ex

tat, qui de ea eclipsi mentionem fecit.

46. Et circa horam nonam.) Quæ tertiæ nostræ pomeridianæ respondebat, vt superiore versu, & c. 20. 3. expositimus.

Clamauit Iesus voce magna.) *exclamauit*; vtraq; enim ratione clamoris magnitudinem Marcus expressit, & addita verbo præpositione epitasin significãte, & adhibito epitheto, *voce magna*; hoc est, quod D. Paulus ad Hebræos 5. 6. scribit, *qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Quòd tam valida voce moribundus iam Christus exclamauerit, supra humanam naturam est. Solet enim non solùm morientes, sed timentes etiam mortem vox in primis deficere. Christus qui etsi, quia homo erat, moriebatur, tamen quia Deus erat, supra hominem magna moriens voce clamare potuit. Cur fecerit, existimandũ non est causa, mysterióque vacare. Origenes putat ideo magna exclamasse voce, vt ostenderet magna in morte sua esse mysteria, non omnino improbabiliter, si rem totam in allegoriam non conuertisset: existimat enim magnam fuisse vocem, non quòd valida, & sonora fuerit, sed quòd plena doctrinæ, atque mysterij; omnem enim Christi vocem magnam esse. Euthym, magna Christum voce clamando existimat indicare voluisse vere se pati. At ea ratione potiùs ostendisset se non pati, cùm tam validus, tam integer esse videretur, vt tanta voce clamare posset. Potius ergo credo idcirco magna voce clamasse, vt omnes, qui aderant, vt Psalmi verba recognoscerent, & se eum esse intelligerent Christum, de quo ea scripta fuissent, *Eli, Eli lamna sabacthani?* Marcus 15. 34. *Eloe, Eloi*, eadem sententia paulùm inflexo verbo, eodem tamen Hebraico. Vtroque enim modo Hebræi dicunt. Deus meus, & *Eli*, & *Eloi*, vtro autem modo dixerit Christus, difficilis non est coniectura; cùm enim Psalmi 21. verba recitaret, credendum est non *Eloi*, aut *Eloai*, sed *Eli* dixisse, quẽadmodum in Psalmo scriptum est. Accedit quòd, qui aderant, existimauerunt Eliam inuocare, quòd nõ tam facile existimare potuissent, si dixisset *Eloi*, quàm si dixit, *Eli lamna sabacthani*. למה שבקתני Syriacè dicitur, עזבתני Dauidis quidem verba sunt querentis apud Deum, quòd ab eo in rebus aduersis desertus videretur. Hoc est, quod statim sequitur, מישועתי דברי שאגתי *longè a salute mea verba rugitus mei*, id est longè abest, vt querulæ apud te meæ vllam mihi salutem, & liberationem afferant, quod Hebraici nominis similitudine Septuaginta interpretes verterunt μακρὰν ἀπὸ σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου, *longè a salute mea verba delictorum meorum*, id est, ego clamo pro salute mea, peccata verò mea contra meam salutẽ ad te clamant, ita vt ab ea longè absim. Cæterum quia totus Psalmus de Christo scriptus est, vt ex vers. 17. perspicitur, *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea*, & rursus ex vers. 19. *diuiserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem*, quæ in alium, quàm in Christum conuenire non possunt, dubium non est, quin, cum Dauid hæc diceret, prospiceret ad Christum. Propterea ergo moriens Christus eius Psalmi exordium vsurpauit, vt doceret se eum esse Christum, de quo totus ille Psalmus loqueretur. Sed alia hinc oritur quæstio, quomodo Christus se à Deo derelictum verè dicere potuerit. Occludendæ hoc loco aures sunt hæreticorum blasphemiæ, quorum magister Caluinus desperationis vocem hanc fuisse dicit, impium errorem impio etiam errore confirmans; oportuisse Christum, in quem ira Dei hominibus debita effundebatur, omnes

damnatorum experiri pœnas, inter quas vna est nullam sperare salutem. Nam Christum de salute sua desperasse non solùm impium, sed horrendum etiam auditu est; & ipso Christi morientis facto refutatur. *In manus*, inquit, *tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. 46. quo enim modo spiritum suum in manus patris commendabat, à quo nullam salutem sperare cœperat? Neque verò necesse erat, neque potuit omnes damnatorum pœnas experiri, vt diuinam placaret iram, alioqui & blasphemare eum oportuisset, & cætera facere, quæ damnati faciunt, quæ etsi faciunt libenter, pœnæ tamen peccatorum sunt. Quin ne illud quidem fuit necessarium, vt Christus tam magnam subiret pœnam, quàm multi pro Christo martyres subierunt. Non enim magnitudo pœnæ, quæ quantacunque fuisset, cum peccatorum nostrorum multitudine magnitudinéque conferri non poterat, sed conditio personæ placauit Deum. Quicquid enim Deus pateretur, tantum erat, vt quamuis irato Deo satisfaceret. Faciebat igitur ista blasphemia, sacris blasphemiarum à Iudæis in cruce pendens Christus accepit; opus non est, vt ab hæreticis interpretibus ad dexteram iam Patris sedens plures accipiat. Veteres igitur auctores etsi alia ratione alij hunc locum explicauerunt, id conati sunt omnes, vt suam Christo gloriam asserrent. Receptissima apud illos interpretatio fuit, Christum hæc verba non sua, sed nostra, id est, omnium peccatorum persona pronunciasse. Cum enim hic locus ad confirmandum errorem suum ab Arianis obiiceretur, tantum abfuisse, vt Christus fuisset Deus, vt se etiam à Deo derelictum clamauisset: Catholici auctores respondebant, non pro se, sed pro nobis clamauisse, quos cum à Deo desertos, ab eóque alienatos videret, in eius gratiam reponere volebat. Sic Athanasius orat. 1. & 2. contra Arianos, & serm. 3 & 4. aduersus eosdem, & in lib. Quòd Deus de Deo sit verbum, & Gregorius Nazian. orat. 4. de Theolog. & Cyrill. Alexandrinus in lib. de fide ad Reginas & August. in comment. in Psal. 21. & Leo serm. 16. de passione, & Ioan. Damascenus lib. 3. de fide, cap. 24. & Euthym. in huius loci comment. exponunt. *Inde est*, inquit Leo, *quod caput nostrum Dominus Iesus Christus omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in Psalmo cruciatuum erat, id in supplicio crucis sub redemptorum suorum voce clamabat, Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Hanc interpretationem ex his, quæ continuò sequuntur, verbis Augustin. confirmat, *longe a salute mea verba delictorum meorum*, quæ in nos, non in Christum conuenire possunt. Alij derelictum se à Patre dixisse putant, quòd, cum in forma Dei esset, Patris decreto exinaniisset semetipsum, formámque serui accepisset in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo; quasi eum totantáque expertum supplicia quodammodo pœnituerit factum fuisse hominem. Ad hunc modum Origenes, non admodum, vt mihi videtur, probabiliter. Mihi aliorum sententia magis placet, qui Christum hæc verba tanquam hominem, pro se ipso dixisse putant, sicut dixerat. *Pater si possibile est, transeat a me calix iste.* Cum enim & homo, & Deus esset, tamen, vt illo loco diximus, ita Deus hominem, quali diuinitatem suam cohibens pati permittebat, vt si purus esset homo. Itaque etsi Deus sit, tamen vt purus homo orat, vt purus homo se à Deo derelictum queritur, non quòd se ab eo derelictum putaret, in cuius manus paulò post spiritum suum commendauit, sed quòd ita se pati videret, quemadmodum si ab eo derelictus fuisset. Quam ob rem & hominis à Deo derelicti more clamat, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* vt hominis extrema patientis suppli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cia, & à Deo derelicti personam exprimat. In hanc sententiam Tertullianus in libr. aduersus Praxeam, Hilar. can in Matth. 33. Epiphan. hæresi 69. Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 2. Ambros. lib. 10. comment. in Lucam, & lib. 1. de fide cap. 6. & Hieronym. hoc loco interpretantur. Cæterum Hilarius, & Ambr. cautè, prudentérque legendi suspicatur enim exponunt, quasi moriente Christo diuinitas sit ab eius anima, & à corpore separata. *Clamauit*, inquiunt, *homo diuinitatis separatione mariturus*. Benignè bonos auctores interpretari decet, vt non putauerint diuinitatem ab anima, & corpore Christi verè fuisse seiunctam. sed ita eum passum, ita fuisse mortuum, vt si seiuncta ab eo diuinitas fuisset.

Locus Hilarii, & Ambrosij declaratus

47. *Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant, Eliam vocat iste.*) Dubium, qui fuerint illi, *quidam illic stantes*, qui Eliam à Christo vocari putauerunt. Theophylactus existimat fuisse Iudæos, non illos quidem sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, cæterósque, qui scripturarum scientiam, aut habebant, aut profitebantur; sed imperitum vulgus, quòd cum scripturas, & litteras ignoraret, Eliam à Christo vocari existimauit. Alij doctos fuisse Iudæos aut sacerdotes, aut Scribas & Pharisæos, qui non lingua, aut scripturarum ignoratione, sed procacitate quadam, & nominis *Eli. & Eliæ*, similitudine irridendi captantes occasionem dixerint. *Eliam vocat iste*. Quam sententiam Hieronymus & Beda referunt nec omnino improbant. Alij Romanos milites fuisse arbitrantur, qui siue Hebraicæ ignoratione linguæ, vt Hieronymus, Beda, Strabus, & Euthymius existimant, siue irridendi licentia dixerint *Eliam vocat*. Quo animo id fecerint, iudicare non audeo; affirmare Romanos milites fuisse audeo, quia Matthæus, & Marcus eos ipsos, qui dixerant, *Eliam vocat iste*, aut ex illis certè aliquem acetum statim obtulisse Christo indicant. Lucas verò cap. 23. & Ioan. cap. 19. 29. eos, qui acetum Christo porrexerunt, milites fuisse dicunt.

48. *Et continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam implenit aceto.*) Matthæus hoc loco & Marc. c. 15. 36. ita historiam texere videntur, vt indicent propterea vnum ex militibus accurrisse, vt acetum Christo porrigeret, quòd Eliam inuocare visus esset. Quæ non satis inter se videntur cohærere: quid enim aceto cum Elia? Ioannes rem magis explicat, *Postea*, inquit, *sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt*, id est se passum esse, quæ patris decreto pati oportebat, nihilque superesse, nisi vt illi animam redderet, *vt consummaretur*, inquit, *scriptura, dixit. Sitio*, id est, vt impleretur Dauidis prophetia. Psal. 68. 22. *in sitı mea potauerunt me aceto, dixit, sitio*, id est, declarauit sitim suam, de qua Dauid loquutus fuerat, tempúsque iam esse indicauit, vt sibi acetum potandum porrigeretur. Ioan. 19. 28. 29. Mirum videri lectori potest, quomodo eo in loco acetum ad manum fuerit, vt Christo daretur. Ioannes scribit, *vas ergo erat positum aceto plenum*. Sed de illo ipso vase, quorsum illic positum fuerit, dubitari potest. Non dubito, quin de more ibi positum fuerit, quòd hominibus crucifixis, aut cruci affigendis acetum dari soleret. Cur autem daretur, de eo dissentiunt interpretes; Theophylactus, quem omnes recentiores sequuti sunt, ideo crucifixis acetum dari solitum fuisse putant, vt citiùs morerentur, & à cruciatibus liberarentur. Potiùs credo solitum fuisse dari, vt recrearetur, si quis metu mortis, antequàm in crucem sublatus esset, exanimaretur. In hunc enim vsum & capite plectendis, & his, quibus secta vena trahitur sanguis, etiam hodierno die dari solet. Quia autem Christus in cruce sublimis pendebat, nec acetum in ipso vase bibendum dari poterat, ispongia aceto madefacta, & arundini imposita datum est. Pro arundine hyssopum Ioan. dixit. Itaque nonnulli arundine aut calamum ex hyssopo fuisse putauerunt, quemadmodù Euth. in c. Ioan. 19. interpretatur: nisi apud nos hyssopus humilis est herba, tamen in Iudæa regione calida in arbusculam excrescere; quod nec ipsum per se mihi probabile videtur, cùm neque Plinius neque Dioscorides, neque quisquam eorum, qui de plantis scripserunt, hyssopum vllo in loco tantæ magnitudinis nasci dixerint, vt ex ea calamus fieri possit; & auctor librorum Regum contrarium omnino docet. Nam lib. 3. c. 4. 33. dicit Salomonē de omnibus plantis disputasse à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: vbi manifestum est hyssopum pro minima herba positam esse, quæ maximis cedris Libani opponitur, tantùm abest, vt in Iudæa arbuscula fuerit. Probabilior Theophi sententia est, arundinem à Ioanne propter aliquam similitudinem sic vocatam, quòd folia arundinis similitudinem hyssopum appellatam, sed neque istam ipsam similitudinem video. Sunt qui exponant spongiam hyssopo, vt ait Ioannes, circumpositam fuisse, id est arundini hyssopi herba circumligatam; vt *hyssopo*, non tertius, sed sextus casus sit, quo instrumentum significatur. Suspicor ego Ioannem noluisse dicere spongiam hyssopo circumpositam, tanquàm calamo, quo acetum Christo porrigeretur, dùm tanquam medicamento quod vna cum aceto exanimatis dari soleret. Scribit enim Galenus hyssopum aceto mixtum exanimatis animum reddere. Ergo primum quidem hyssopum arundini milites circumligarunt deinde hyssopo spongiam circumposuerunt, quemadmodum Ioannes scribit, vt Christus hyssopo succumbens vna cum aceto exsurgeret.

49. *Cæteri autem dicebant.*) Marc. c. 15. 36. non cæteros, sed illum ipsum, qui acetum datum accurrerat, hæc dixisse scribit, *Sinite, videamus, an veniat Elias deponendum eum*. Itaque nonnulli interpretes Marci locum vitiatum esse putant, & pro ἄλλοι δὲ λέγον, ἄφες, cæteri autem dicebant, *sine*, vt ait Matthæus, vt hæc verba εἰ δὲ λοιποὶ apud Marcum exciderint, & pro ἄλλοι scriptum fuerit ἄλλος pro ἄφες, quam correctionem Syriaci interpretis auctoritate probant, qui ad hunc modum reddit; dicebant autem, finite videamus, an Elias veniat; deinde nonnullorum Græcorum codicum suffragio, qui ad eundem modum apud Marcum legunt: postremò quia videmus Marcum Christi passionem non eadem prorsùs dò sententia, sed ijsdem etiam, quibus Matthæus, ferè vbique verbis scribere. Non ausim tamen hoc maioribus argumentis scripturam emendare, quam qui interpretantur, prouerbium illud obseruare debent, ne moueas lineam. Certè D. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 17. Marci locum tractans ita legit, vt nos hodie legimus; etsi mirum eum nodum non satis soluisse: neque correctio illa ad conciliandos Euangelistas necessaria mihi videtur esse. Nam hæc Matthæi verba, *Cæteri vero dicebant, Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum*, morsunt, vt ego quidem opinor ad ea, quæ versu 48. sed ad ea, quæ 47. dicta sunt, referenda. Nec enim cæteros opponit illi, qui currens acceptam spongiam impleuit aceto, sed illis, qui dicebant, *Eliam vocat iste*; quasi dicat Euangelista, quidam dicebant, *Eliam vocat iste*: *Cæteri vero dicebant, Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum*. Inter quos cæteros illum ipsum fuisse credendum est, qui currens acceptam spongiam impleuit aceto, vt ait Marcus. At non dicunt, *videamus*, sed *sine*, quasi cum illo, qui ad dandum acetum currebat, loquerentur. Respondeo Hebraicam esse phrasim, qua etiam, cum de multis Hebræi loquuntur,

dicunt,

dicunt חדל *sine*, Marcus autem quia vnũ nominatim, quasi cum cæteris loquentẽ id dixisse narrat, non dicit dixisse, *sine*, sed, *finite, videamus, an veniat Elias liberans eum*. Quid hoc ad acetum? hinc mea confirmatur opinio eos, qui hæc dixerunt, neque illi, qui acetum porrigere volebat, sed omnibus in communi dixisse, *Sine, videamus, an veniat Elias*, neque acetum ideo solum fuisse dari, vt citiùs, qui crucifixi erant, morerentur, sed vt animum potius resumerent. Nam quia mouientem Christum videbant, Eliámque, vt putabant, aut se putare simulabant, inuocantem, vitam eius dato ad recreandum animum aceto producere voluerunt, ne antequam Elias veniret, moreretur, & vt experirentur, vtrũ Elias eum liberaret. Propterea vnus, vt diximus, ex illis ipsis, qui dicebãt, *Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum*, ad quærendum acetum quod illi daret, accurrit. Cur Eliam finxerint se venturum existimare, causa esse potuit, quòd recepta vulgò inter Iudæos esset opinio, eáque vera, ante Christi aduentum Eliam venturum esse. Qua de re c. 11. 14. & 17. 10. 11. disputauimus. Ergo etsi, qui hæc dicebant, Romani erãt milites; tamen, cùm inter Iudæos viuerent, eorum de venturo Elia opinionem cognitam habebant, ex eáque loquebantur.

50. *Iesus autem iterum clamans voce magna.*) Iam ante dicit, iterum clamauisse. Marc. c. 15. 37. *Iesus autẽ emissa voce magna expirauit*. Indicat in exprimenda magna Christi voce Euangelistarum diligentia aliquid in ea fuisse mysterij. Itaque otiosum non erit eius rei rationem quærere. Multas, eásque probabiles veteres auctores reddunt. Orig. tract. in Matth. 35. vt ostenderet Christus se non timidè, sed confidenter, & securè mori; vt qui sciret se post mortem ad patris dexteram collocandum, & nomen accepturum, quod est super omne nomen. Cyril. Hierosol. Catech. 13. & Chrysost. hom. 89. Hieron. Euth. & Theoph. in comment. vt ostenderet se non infirmitate, non vlla naturæ necessitate, sed voluntate sua mori. cùm tam valida voce clamando moreretur. Idem Euth. vt vsque ad extremum spiritum, quemadmodum rota vita fecerat, clara profiteretur voce se Patri suo esse concordem, cùm suum in eius manus spiritum commendaret. Nonnulli idcirco magna voce morientem clamasse dicunt, vt omnes intelligerent, quo vsque se propter peccata hominum demisisset, cuius sententiæ in c. 23. Luc. auctor Ambr. Videtur mihi, sicut cæteris, quæ tunc acciderunt, miraculis, ita vocis quoque magnitudine diuinitatem suam declarare voluisse, vt qui supra humanam naturam in ipso extremo spiritu tam magna clamaret voce, plus esse, quàm homo crederetur. Confirmat hanc rationem, qui consequutus est, euentus. Nam vt ait Marc. 15. 39. *Videns Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait verè hic homo filius Dei erat*. Quid magna illa voce clamans Christus dixerit, Luc. 23. 46. solus expressit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Spiritum animam vocare manifestum est; commendat igitur animam suam in manus Patris, non eo sensu, quo pij homines morientes, eamdemque verba recitantes animam suam in manus Dei commendare solent; nec eo, quo Stephanus primus martyr, cum lapidibus peteretur dixit, *Domine Iesu suscipe spiritum meum*, Act. 7. 59. Homines enim animam suam Deo commendant, vt eam non damnet, sed vitæ æternæ participem faciat; sicut solent, qui in capitali causa rei aguntur, vitam suam iudicibus commendare. Non sic Christus, qui sciebat se damnari non posse, nullámque habere peccatum, quod sibi à Patre remitti precaretur: sed commendat illi animam suam, ne eam relinquat in inferno, quò descensura erat; & ut det *sanctum suum videre corruptionem*, vt de ipso Christo loquens Dauid dixerat, Psal. 15. 10. vno igitur vt dicam verbo tanquam paulò post repetiturus, interim dum mortuus per triduum quę apud inferos agẽda sibi erant, agit, animam suam in manibus Patris quodammodo deponit, hoc est *commẽdo spiritum meũ* quemadmodum si quis tridui facturus iter familiari, cui confideret, amico, quod domi suæ ei charissimum haberet, custodiendum interim daret, diceret hoc tibi commendo. In hanc sententiam Tertullian. in lib. cõtra Praxeam, & Amb. in c. 23. Lucæ, hæc Christi verba interpretantur. Sumpsit autem ea Christus ex Psal. 30. 6. & ad se, quod de se ipso Dauid dixerat, paululum immutato sensu accommodauit. Nam Dauid non animam suam, sed vitam suam, quam per spiritum significauit, Deo cõmendauerat. Christus autem spiritum suum animam suam vocat; & apud Dauidem oratio conditionalis est, quasi dicat, quotiescunque, aut, si vitam meam in manus tuas commendauero, etiamsi in extremo versẽr vitæ periculo, *redemisti*, id est redimes *me Deus veritatis*, id est fidelis, qui quẽadmodũ mihi promisisti te mihi semper assuturum, ita facies. Hoc autem loco, non conditionalis, sed absoluta oratio est.

Emisit spiritum.) Hoc etiam verbum non coactam, sed voluntariam Christi mortem significat. vt Ambr. Hieron. & Beda notauerunt. *Et hoc dicto*, inquit Amb. *tradidit spiritum, & bene tradidit, qui non inuitus amisit. Denique Matthæus ait emisit spiritum: quod enim emittitur, voluntarium est, quod amittitur, necessarium*. Eodem pertinet, quod ait Ioã. 19. 30. *Et inclinato capite tradidit spiritum*. significat enim Christum non infirmitate, sed voluntate inclinasse caput, quasi spiritum leniter posituru. Non ergo intelligẽdum est Christum in ipso illo magno clamore spiritũ emisisse; priùs enim clamasse credendum est, vt Matthæus, & Marcus scribunt, deinde inclinasse caput, & spiritum tradidisse, vt ait Ioannes; id apud Matthæum hoc loco ambiguum non est, qui aoristo vsus est tempore, κράξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, *cum clamasset voce magna emisit spiritum*. Magis ambiguè dixit Marcus ἀφεὶς φωνὴν μεγάλην, *emittens vocem magnam*, sed ex Matthæo interpretari necesse est, *emittens*, id est, cum emisisset. Putat Euthym. Christum inter clamorem, & spiritus emissionem matrem, vt narrat Ioannes, discipulo commendasse. Sed ex ipso Ioanne contrariũ apparet, qui multò ante matrem discipulo commendatam fuisse cõmemorauerat. Scribit autem idem Ioannes, quod pertinet ad hunc locum, Christum antequam caput inclinaret, & spiritum emitteret dixisse, *Consummatum est*, quo verbo mirum, quàm ineptè Lutherani, & Caluiniani passim abutantur, vt Eucharistiæ sacrificium, & omnem nostram satisfactionem tollant, quasi Christus dicere voluerit omnia iam sacrificia esse finita, nullúmque deinceps offerendum, omnem satisfactionem, omnem sanctificationem nostram esse perfectam. Atqui Christus neque de sacrificij satisfactione, sed de passione sua loquebatur, significauítque consummatum esse, id est finitum, quicquid passurus erat; nihil iam sibi superesse, nisi vt animã poneret, quam non alia ratione, quàm vt moreretur, sumpserat, neque alia ratione sumptam retinebat. Accommodatè enim ad locum, ad tempus, ad rem subiectam hæc verba interpretanda sunt. Erat passionis tempus, pendebat in cruce Christus, pertulerat omnia, quæ laturus erat pro nobis supplicia, dicit, *consummatum est*, id est nihil iam mihi patiendum superest, quemadmodum si ægroto, cui à Chirurgo membra secantur, finita sectione, vt eum consoletur, aliquis dicat, actum est, id est, quicquid doloris patiendum erat, iam passus es, nihil est reliquum. Denique nihil aliud significare Christus voluit, quam

Ineptæ rationes hæreticorũ contra sacrificiũ Missæ, & satisfactionẽ bonorũ operum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod D.Paulus interpretatur, Ro.6.9. *Christus resurgens ex mortuis,iam non moritur,mors illi vltra non dominatur.* Et vt fingamus de sacrificijs,& figuris veteris legis locutum esse Christum, quemadmodum non difficeor multos etiam veteres auctores interpretari, tanquam sensus sit,*consummatum est* id est,omnes prophetiæ,omnes figuræ veteris legis impletæ sunt,quod & scisso templi velo, vt versu sequenti docebimus, significatum est: tamen quid hoc ad tollendum Eucharistiæ sacrificium? quid ad tollendam bonorum operum satisfactionem? Nam illi ipsi auctores veteres,qui hanc interpretationem sequuti sunt,& Eucharistiæ sacrificium,& satisfactionem bonorum operũ, crediderunt. Sed isti otiosi homines,vt nihil agant, Christi verbum interpretãtur,*consummatum est* id est, nihil iam ad salutem hominum aut mihi aut illis faciendum reliquum est.Cur ergo credimus? cur baptizamur? cur Eucharistiam sumimus? cur bona à nobis opera etiam post Christi mortem exiguntur? cùm illo vno verbo, *consummatum est*, salui esse possimus? Apagesis ista deliria. Alia vis in eo latet verbo, quod isti acuti,vt sibi videntur,homines non viderũt. Indicat Christus,se tunc,non ante,non post mori voluisse;non enim naturæ lege,sed voluntate sua,& officij causa mori,vt Patris voluntati,decretóque satisfaciat. Cui cùm ante non satisfecisset, mori noluit, cùm iam à se satisfactum esset,etiamsi natura, vt diutius viueret,postularet,tamen ne perfunctus iam officio frustra,vel paucas horas viuere videtur,mori voluit. Hoc est,*consummatum est*,quasi dicat tempus est, vt animam ponam.Hinc factum est,vt Pilatus mysterium non intelligens, cum Christum iam mortuum esse intelligeret,miraretur,Marci 15.44. Minimè igitur his assentior,qui & in Commentarijs suis, & in concionibus docere solẽt Christum propterea quòd maiora per totam noctem, quàm latrones, supplicia pertulisset, citiùs, quàm illos, fuisse mortuum. Hi enim auctores, vt Christi passionem augeant,mysterium imminuunt.

51. *Et ecce.*) Rectè D.Aug.lib.3 de cons.Euang.c.19. obseruauit,istud,*Ecce*,significare velum templi statim atque Christus spiritum emisit fuisse discissum ita vt mors Christi scissi veli causa fuisse demonstretur. Itaque quod Luc. 23. 45. veli scissionem cum tenebris, quæ viuente adhuc Christo factæ sunt,iunxerit, per anticipationem historiæ fecisse credendum est.

Quid scissum templi velum significauerit.

Velum templi scissum est in duas partes a summo vsque deorsum.) Ad eundem modum scribit Marcus 15.39. quod & scissum fuisse velum, & in duas partes scissum,& à summo vsque ad imum tam diligenter commemorant,magni alicuius mysterij indicium est. Maior pars antiquorum interpretum hoc fuisse mysterium tradiderunt,vt significaretur vetera sacramenta, atque figuras,quæ vix doctissimus quisque legis intelligebat,fuisse scisso velo patefacta,vt omnes in ipsum Sanctum Sanctorum, quòd velo separabatur,id est,in ipsa veteris legis penetralia, occultissimáque mysteria intueri possent; quæ enim antiquis Hebræis in figura contingebant, nos ablato velo,& vt ait, 2. Cor.3.18.D.Paulus *reuelata facie*,contemplamur.Huius interpretationis,Origen.tract.in Matth.36.Ambr. lib.10.in Lucam,Hieron.in comment ad hunc locum, Cyrillum Alex.lib.10. in Ioan. c.37.Theod orat.9.in Danielem,D.Augus.in Psal.64.& 70.& lib.12. contra Faustum c.11.& serm.4.de verbis Domini secundum Ioan.& Theophilum Antiochenum lib.1. Allegor.in Euang. & Leonem ser.10. de pass. & Sedulium hunc locum carmine reddentem auctores inuenio. Alij Synagogæ abrogationem, & veluti dissolutionem significatam fuisse putant: vt idem Aug.ser.de tempore 114.& Cæsarius hom.4. de Pascha. Alij ipsam Christi passionem finitam esse; carnem enim Christi per velum templi significari, veli discissione aut fractionem carnis, aut animæ à carne separationem,vt Cyril.Hierosol.Catech.13.& Theod.dial.1. Impatibilis videntur exponere. Alij velum, quasi vestem fuisse templi,& quemadmodum Iudæi in luctu vestẽ scindere solebant,ita templum moriente Christo lugentis modo vestem suam discidisse, ita Euthymius,& Sedulius hunc locum exprimens.

Illud omans templum maioris culmina templi,
Procubuisse videns ritu plangentis alumni,
Saucia discisso nudauit pectora velo.

Alij Iudaici populi in diuersas partes diuisionem, dissipationémque significari crediderunt,vt Hilar.can.in Matth.33. templum illud,quod ad illud vsque tempus sanctum fuerat,deinceps profanum fore,vt Theoph. Alij *paratam esse sanctorum viam*,vt ad Hebræos 9.8.ait D. Paulus, id est apertam nobis iamuam cæli esse,quæ ante Christi mortem occlusa fuerat,licereque omnibus,qui velint,ingredi. Nam velum illud templi ideo oppositum,ne quis præter summum Sacerdotem,idque semel in anno, & non sine sanguine in Sancta Sanctorum ingrederetur,cæli figuram fuisse,idem D. Paulus eodẽ c.v.1.4.& 25.auctor est.Itaque hæc interpretatio, & illa,quam primo loco posuimus,placetque auctores habere diximus.mihi magis placent.

Et terra mota est,& petræ scissæ sunt.) Non possumus in terræ motu, petrarúmque scissione idem,quod in scisso velo,mysterium recognoscere. Mysterium tamen aliquod esse credendum est. Puto Christi diuinitatem his duabus rebus declaratam. Solet enim diuina præsentia atque maiestas terræ motu, & petrarum concussione significari,vt Psal.67.8.9. *Deus eum egrederetur in conspectu populi tui,cum pertransiret desertum, terra mota est; etenim cæli distillauerunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.* & Psal.97.7.8.9. *mouetur mare & plenitudo eius,orbis terrarum,& qui habitant in eo,a facie Domini, quoniam venit iudicare terram.* & Psalm.98.1. *Dominus regnauit, irascantur populi,qui sedet super Cherubin, moueatur terra.* & Psalm.113.6.7. *montes exultastis,sicut arietes,& colles, sicut agni ouium. a facie Domini mota est terra,a facie Dei Iacob.*& Iudic. 5.4.5. *a facie eius contremuit terra,imò cæli.* Porrò & diuina ira,quæ Iudæis imminebat,significari. Nam & ira Dei motu terræ significari solet.vt Ioëlis 3.16. *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cæli, & terra*, & Aggæi 2.22.23. *Ego mouebo cælum & terram,& subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & subuertam quadrigam, & ascensorem eius*, & Psalm.45. *Conturbatæ sunt gentes,& inclinata sunt regna: dedit vocem suam,mota est terra.* Idem de hoc terræ motu,quod supra versu 45. de tenebris quæsitum est, quæri potest,quàm latè patuerit. Origenes in sola Iudæa,fuisse & tenebras factum fuisse putat. Auctor verò liber. 1 de mirabilibus sacræ scripturæ,qui Augusti falso tribuuntur,lib.2.cap.3.longiùs peruenisse scribit: in Thracia vndecim vrbes corruisse. Nescio quam de similè veri in Thracia,vbi innocentes homines erant, vndecim corruisse vrbes, in Iudæa verò,vbi scelus patrabatur,nullam corruisse.

51. *Et monumenta aperta sunt.*) Non satis liquidò ex Euangelistis colligi potest,quo tempore monumenta aperta fuerint. Chryf. hoc loco viuente adhuc Christo aperta fuisse putat: eos enim,qui resurrexerunt,Christum fuisse ad inferos euntem comitatos.Id non videtur verbis Euangelistę consentaneum,qui quamuis non explicet,an statim post Christi mortẽ monumenta fuerint patefacta:tamen post eius mortem patefacta fuisse mimimè obscurè indicat. Theoph.statim post Christi mortem aperta fuisse putat.sicut statim scissum est velum, mota est terra, ruptæ sunt petræ. Atque hæc quidem verba videntur præ se ferre. Illud tantùm obstat, quòd, cùm monumenta non fuerint aperta,nisi vt mortui resurgerent, aut vt resurrexisse testarentur,& mortui illi non resurrexerint, nisi vt sua resurrectione Christi resurrectionem confirmarent, supernaculeneum viderunt fuisse ante Christi resurrectionẽ resurgere.Quid enim interim egissent? Deinde, quòd valde sit vero simile Christum eos,qui resurrexerunt, apud inferos adhuc commorantes, sicut cæteros, qui illic erant, visitasse, eósque inde secum abduxisse,vt secum etiam resurgente resurgerent.Denique quòd versu sequenti idem Matthæus scribat,*Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctã ciuitatem*,vbi sic iungi verba videntur,vt,qui resurrexerunt, non nisi post Christi resurrectionem dicantur resurrexisse. Itaque his adducti argumentis Orig. Hieron. & Beda non nisi post resurrectionem Christi resurrexisse eos existimant.nisi quòd Hieron. & Beda monumenta statim post Christi mortem aperta fuisse dicunt; quamuis mortui non nisi post Christi resurrectionem resurrexerint At quorsum statim aperta sepulchra si resurrecturi statim non erant mortui? Malo igitur credere,neque monumenta ante Christi resurrectionem aperta fuisse,neq; resurrexisse mortuos; sed Matthæum,cum cœpisset ea miracula, quæ moriente Christo contigerant,cõmemorare,hoc etiam cum cæretis copulasse, cuius causa,sicut & cæterorum,Christi mors fuerat.Cur mortui illi resurrexerint,meritò quæri potest,sed ratio non est difficilis. Voluit Christus resurrectionis suæ habere socios,qui eiusdem essent testes.Si solus resurrexisset,phãtasma esse credi poterat; cùm alios secum qui simul resurgerent adduxerit facilè probauit se resurgere potuisse,qui alios suscitauerat. Propterea dicuntur illi, qui resurrexerant,multis in ciuitate apparuisse.Fuit etiam hoc singularis charitatis argumentum. Solus mori voluit,qui non solus resurrexit. Nam latrones illi,qui cũ eo crucifixi fuerant,non à Christo,sed à suis ipsorum sceleribus fuerant crucifixi.Qui autem cum eo suscitati sunt,ab eo suscitati sunt.Mors eius resurrectionis nostræ causa est,mortis nostræ causa ipsi nobis sumus. Quæri etiam solet,vtrùm illi, qui tunc cum Christo resurrexerunt,mortui iterum sint. Theoph. mortuos postea fuisse credit. Magis aliorum recentiorum interpretum opinionem probo, qui non iterum mortuos,sed cum Christo in cælum euectos fuisse dicunt. Quid enim inter viuos egissent, qui diuinæ iam gloriæ gustum acceperant? peioris profectò conditionis fuissent,quàm si nũquam fuissent exsuscitati,si à sinu Abrahæ,vbi in loco quietis erant,ad turbulentã vitam iterum reuocati,vt in ea diu manerent,iterum mortituri. Quid quòd in sinu illo Abrahę,vbi eos fuisse credendum est, cum eos Euangelista sanctos appellet, certi salutis suæ erant; in hac vita certi esse non potuerant.cùm iterum peccare possent? Adde quòd si iterũ morituri surrexissent, non multis,vt ait Euangelista, sed vulgò omnibus apparuissent: & quemadmodum antequam morerentur,inter homines humano more versati fuissent; vt Lazarus à Christo suscitatus versatus est.Nunc autem,cùm dicat Euãgelistas apparuisse multis, nimirũ obscurè indicat non omnibus communiter apparuisse,sed quibus oportebat Christi resurrectionem confirmare; quemadmodum & ipse Christus,quia non iterum moriturus.sed paulò pòst sedenturus in cælum resurrexerat,neque omnibus,sed solis Apostolis,& alijs fidelibus visus est.& vt ait Pet. *Act.*10.41. *testibus præordinatis a Deo*, neque quemadmodum ante mortem suam cum ipsis Apostolis quotidie,& humano more versatus est, sed nunc apparebat,nunc disparebat.

52. *Venerunt in sanctam ciuitatem.*) Hierosolymam sanctam ciuitatem appellat; non quòd tunc sancta esset.cùm fuisset recenti Christi cæde cõtaminata,sed quia prius propter templum,& Sancta Sanctorum, quæ in eo erant,sancta dicebatur,vt Hieron.& Beda interpretantur,quemadmodum & Matthæus postquã Christi discipulus factus est, quia ante publicanus fuerat,publicanus etiam appellatur,supra c.10.3.

vt Hierusalem ũ dicta ciuitas appellata.

Et apparuerunt multis.) Cur non omnibus,& cur his multis apparuerint,docuimus ver. superiore.

54. *Centurio autem,& qui cum eo erant, custodientes Iesum,viso terræ motu,& his,quæ fiebant,timuerũt valde dicentes,vere filius Dei erat iste.*) Marc.15.39. aliã rationem timoris affert,*videns*,inquit,*Centurio,qui ex aduerso stabat,quia sic clamans expirasset,aut,vere hic homo filius Dei erat.* Vtrumque Centurionem nouisse credendum est validum morientis Christi clamorem,& factas in vniuersa regione tenebras,& mortuũ subitum terræ, & cætera miracula,quæ omnia Lucas 23.47. vno comprehendit verbo,*videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens, vere hic homo iustus erat.* Cur Centurio & milites tantopere timuerint non est difficile cogitare. Verebantur,ne diuina in ipsos, qui sceleratæ necis ministri fuerant,vindicta conuerteretur,cum Christum Dei esse filium agnoscerent,quem credebant non esse filij sui mortem inultam præteriturum. Lucas dicit Centurionem glorificasse Deum, id est veritatem fuisse confessum, Christum Dei esse filium.Hoc enim Hebraica significat phrasis; glorificare Deum, aut dare gloriam Deo vel nostram culpam, vel eius gloriam, maiestatémque recognoscere, ita, Ioannis 9.24. *vocauerunt ergo Pharisæi rursum hominem,qui fuerat cæcus, & dixerunt ei,da gloriam Deo,*id est confitere veritatem,*nos scimus,quia hic homo peccator est*, & Iosue 7.19. ait Iosue Achan,qui sumpserat de anathemate,*fili mi,da gloriam Domino Deo Israel,& cõfitere,atq; indica mihi,quid fecerisne abscondas.*

Dare gloriam Deo Hebraica phrasi, est veritatem confiteri.

Vere filius Dei erat iste.) Sic etiã Marcus.Lucas verò,*vere hic homo iustus erat*, quod duobus modis lib.3. de consensu Euang.c.20.explicat Augustinus aut vtrumque Centurionem dixisse, & Christum hominem esse iustum.& filium fuisse Dei:quorum alterum Matt. & Marcus,alterum Lucas recitaueritaut vt Lucas explicare voluerit,quo sensu Centurio Christum filium Dei,vt Matthæus, & Marcus scribunt,appellauisset, nempe non quasi naturalem Dei filium esse crederet, sed eo modo,quo omnes omnes homines iusti filij Dei vocabantur. *Ego dixi Dij estis,& filij excelsi omnes*, Psal. 81.6 Probabilis Augustini sententia est sed ego potiùs credo Centurionem vtrumque dixisse, & hominem iustũ,pro Dei filio posuisse. Non enim vulgari more hominem iustum Christum appellauit.cùm ea miracula in aliorũ iustorum morte nõ fierent,sed iustum vocauit, quemadmodum Christus ab ijs, qui in eum credebant,appellabatur. Verè ergo Centurionem arbitror in Christum credidisse multitudine,magnitudinéque commotum miraculorum. Scribit præterea, Luc.c.23.48. omnem turbam *eorum, qui simul aderant ad spectaculum,& videbant,quæ fiebant,percutientes pectora sua*,redijsse, quasi culpam suam agnoscerent,& innocentis mortis vindictam abominarentur.

55. *Erant autẽ ibi mulieres multæ à longe.*) Idem Marcus scribit; Luc.verò ver.49. *stabant autem omnes noti eius à longe.* quod vniuersè intelligi non potest. cùm omnes ferè discipuli,qui maximè ei noti erant diffugissent,vt cap.26.56. Matth.dixit. Sed quia notæ mulieres ibi erant, & præterea ex discipulis solus Ioan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes quantum quidem licet ex Euangelistarum historia intelligere, Ioan. 19. 26. Lucas dixit omnes notos eius ibi fuisse, non significans, vt opinor, ibi fuisse omnes, sed omnes, qui ibi erant, fuisse longè; neque quod Ioan ait c. 19. 25. iuxta crucem matrem Christi, & eius discipulum fuisse, contrarium est. Nam & iuxta crucem, & longè erant: iuxtà, quia tam prope vt & patientem videre Christum, & secum loquentem exaudire possent; longè, quia non tam prope crucem erant, quam erant milites, qui Christum custodiebant, & cætera Iudæorum turba, quæ cõuicia in eum iactabat. Quod ergo Matthæus dicit, *à longè*, non significat à longè eas venisse mulieres, quæ prope crucem erant; id enim paulò pòst dicit, *quæ secutæ erant Iesum à Galilæa*, sed fuisse longè à cruce, & vt Græcè est μακρόθεν θεωροῦσαι, procul spectantes.

Quæ sequutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei.) Tribus rebus piarum mulierum studium Euangelista declarat; primùm quòd ibi essent, vbi Apostoli, qui se cum eo morituros iactauerant, esse non audebant: deinde quòd à Galilæa vsque relictis domibus, & patria Christũ sequutæ fuerint: postremò quòd Christo ministrarent, quod duobus modis intelligendum est, & quia illi seruiebant, & quia de facultatibus suis necessaria suppeditabant, vt c. 8. 3. Lucas tradit. Viderut Deus, quia viri fideles deerant, mulieres, quæ & mortis, & sepulturæ Christi testes essent, excitare voluisse. Nec enim Apostoli postea verè resurrexisse Christum testari potuissent, nisi fuissent, qui verè mortuum, verè fuisse sepultum testari possent. Mors, & sepultura Christi mulierum, resurrectio Apostolorum fide, atque testimonio probata est.

56. Inter quas erat.) Cùm multo plures essent, vt ex Luca colligitur, tres tantùm Matthæus nominat, & quia cæteris notiores erant, & in omni ergà Christum officio diligentiores, & quia tres illæ alijs abeuntibus vsque ad sepulturæ finẽ perseuerarunt. vt idẽ Euangelista v. 61. indicat. Christi matrem excipimus, quã nulla notior, nulla officiosior fuit: quam ideo Christi sepulturæ non interfuisse credimus, quòd eam Ioannes, cui fuerat à Christo adhuc viuente commendata, eo mortuo, ne dolore conficeretur, abduxisset.

Maria Magdalene.) Soror Lazari, & Marthæ Ioan. 11. 5. vt recepta apud omnes fert opinio, etsi sunt, qui eam Galilæam fuisse dicant, vt ex Luca cap 8. 4 colligunt, neque cum Lazaro quicquam habuisse, de qua Christus septem eiecerat dæmonia, Lucæ 8. 2.

Et Maria Iacobi, & Ioseph mater. Gr. ἰωσῆ Iose; sic enim Iacobi frater appellabatur. Describit mulierem ex filijs, qui notiores erant; de his autem c. 12. 46. & c. 10. 3. copiosè diximus. Hæc erat soror matris Domini, vt ibidem docuimus, & c. 19. 25. Ioannes exponit. *Stabant*, inquit, *iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ.* Maria enim Cleophæ, & Maria Iacobi, & Ioseph eadem erat. Sed Cleophæ à viro, Iacobi, & Ioseph à filijs appellabatur, quemadmodum à nobis his locis, quos paulò antè designauimus, probatum est. Hic Iacobus erat Apostolus, qui & minor, & frater Domini, & Iacobus Alphæi appellabatur, auctor epistolæ, quam nunc habemus, & primus Hierosolymorum Episcopus, vt c. 10. 3. docuimus. Nam Cleophæ Iacobi patri cognomentum erat Alphæus.

Maria Cleopha. Iacobi, & Ioseph eadem. Iacobus frater Domini.

Et mater filiorum Zebedæi. Hæc alio nomine Salome vocabatur, Marc. 15. 40. In hunc locum inserenda sunt quæ Ioann. à cæteris Euangelistis prætermissa ca. 19. à versu 31. vsque ad 37. exponit. *Iudæi ergo quoniam Parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbatho, erat enim magnus dies ille sabbathi, rogauerunt Pilatũ vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* De Parasceue, & de magno illo die sabbathi ca. 26. 2. disputauimus.

Quòd autem Iudæi nolint corpora die sabbathi in cruce manere, ridicula & putida religionis simulatio est. Non ducebant religioni innocentem Christum crucifigere, & ipso die Paschæ Pilatũ adire, militesque ab eo petere, sepulchrũ munire, lapidem obsignare, dicunt mortuorum corpora in cruce relinquere. Addit Ioan. *venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo.* Apparet morem fuisse, vt crucifixis, quò citiùs morerentur, aliquando frangerentur crura. Nec enim factum hoc singulare fuisse credendum est. Vix enim aut fuissent Iudæi à Præside postulare. Et videmus apud Gallos simile quiddam fieri his, qui confringuntur in rota, quorum nonnullis beneficij loco, vt citiùs moriantur, & à cruciatibus liberentur, ferrea virga pectus obrunditur, vt statim exanimentur. Sequitur apud Ioannem. *Ad Iesum autẽ cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua.* Quòd miles Christi latus aperuerit, & sua petulantia, & diuino consilio fecisse credendum est. Petulantia quidem sua, quasi ferret indignè Christum tam breui tempore mortuum esse, & se crucianbus & Iudæorum, ac militum contumelijs, & irrisionibus eripuisse; ideòque cum videt viuo se illudere non posse, illudit mortuo: diuino autem consilio, vt inde sanguis, & aqua defluerent, humanæ salutis sacramenta, quemadmodum omnes veteres auctores interpretantur. Nam & Christi sanguine redempti sumus, & aqua baptismi cũ qua eius quodammodo miscetur sanguis, ablumur; & per sanguinem Eucharistiã, quã alimur, per aquam baptismus, quo nascimur, duo præcipua salutis nostræ sacramenta significantur. Ideo Christus per aquam, & sanguinem venisse dicitur 1. Ioan 5. 6. & tres esse testes, qui de Christo in terris testimonium perhibeant, spiritum, aquam, & sanguinem; spiritum qui super eum descendit cũmque Filium Dei esse testificatus est, vers. 8. 10. aquam, & sanguinem, quæ ex eius mortui latere profluxerunt. Quod, cùm humanum non esset, Christum non fuisse hominem, sed Deum etiam fuisse declarauit. Copiosè hæc Cyrillus Ierosolymitanus edisserit in Catechesi, *Primum Moyses*, inquit, *mutauit fluuium in sanguinem; & Iesus postremo aquam emisit de latere suo cum sanguine, fortasse propter duas cædes, alteram infantium, alteram verò clamantium; aut propter credentes, & non credentes. Pilatus enim dixit, Innocens sum, & manus lauit manus; Clamantes autem dicebant, Sanguis eius super nos. Erant igitur hæc duo de latere, fortassis indicantia aqua, clamãtibus verò sanguis. Ac rursus alter intelligendum, Iudæis quidem sanguis, Christianis verò aqua; illis quidem, tanquam insidiatoribus, ex sanguine condemnatis, tibi verò nunc credenti per aquam salus. Nihil enim temerè factum est. Assignarunt enarratores patres nostri, & aliam eius rei causam. Cum enim duplex sit baptismi salutaris virtus, vt est in Euangelio, vna quidem quæ baptizatis administratur per aquam, altera verò sanctorum martyrum in persecutionibus per propriũ sanguinem, exiuit de latere Seruatoris sanguis, & aqua propter eam, quæ esset futura, Christi confessionẽ & in baptismo, & in temporibus martyrij virtutem firmans; gratiam. Est & alia lateris huius causa. Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere creata est. Sed Seruator, qui venit, vt viros simul, ac mulieres conferret vocationi, aperuit latus pro mulieribus, vt solueret peccatum.* Itaque profana est, & diuino aduersa consilio interpretatio Caluini, qui, quòd sanguis, & aqua ex latere Christi manauerit, naturale fuisse dicit, Ioannes ipse rem supra naturam fuisse significauit. *Et qui vidit, inquit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.* Quia enim res incredibilis videri poterat, confirmat se vi-

widisse, & vera narrare. Quòd autem Christo crura fracta non fuerint, mysterio, Ioannes factum interpretatur, *vt impleretur scriptura*, Exodi 12. 46. *Os non comminuetis ex eo.* Quod etsi propriè de agno Paschæ dictum erat, tamen quia agnus ille Christi erat figura, quod de agno dictum fuerat, de Christo dictum Ioannes intelligit. Rursum aliam scripturam impletam dicit Zachar. 12. 10. *Videbunt, in quem transfixerunt*, quæ quidem scriptura non omnino impletatunc fuit, sed impleri cœpta. Tunc enim in Christũ transfixerũt, quæ vna propheriæ pars erat; in die autem iudicij *videbunt, in quem transfixerunt*; vt idem Ioannes Apoc. 1. 7. interpretatur.

57. Cum autem serò factum esset.) Serum vocat, non vesperum, sed tempus diei ad vesperum inclinatum; si enim vesper fuisset, non licuisset hominibus iustis Christum de cruce ponere, & sepelire, quia sabbathi otium, atque obseruatio à vespere incipiebat: propterea ergo, antequam vesper esset, & sabbathum incipere, Christi corpus sepelire festinarunt, ne si venisset sabbathum sepelire non licuisset, vt Marcus & Lucas exponit; *Et cum iam serò esset factum*, inquit Marcus 15. 42. *quia erat Parasceue, quod est ante sabbathum, venit Ioseph ab Arimathia, &c.* Lucas verò 23. 54. *& dies erat Parasceues, & sabbathum illucescebat*, id est, appropinquabat. Itaque quod Græcè Matthæus dicit ὀψὲ δὲ σαββάτων, verti clariori sententia potest cum serò fieret, quòd Latini dicerent inclinato iam ad occasum die.

Venit quidam homo dives.) Abs re videri potest, quòd Euangelista hominem diuitem fuisse diceret, sed consilio non caruit. Voluit tacitè rationem reddere, cur ausus fuerit corpus Christi à Præside petere: & cur eam facilè petitum impetrauerit, quia homo dives erat. Cuiusmodi homines apud Præsides, & iudices gratiosi esse solent, vt Aug. lib. 3. de consensu Euang. cap. 22. animaduertit, & Marcus vno verbo significauit, *Et audacter*, inquit vers. 43. *introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.*

Ab Arimathæa.) Arimathæam Iudæorum ciuitatem fuisse Lucas scribit. cap. 23. 51. Ea ciuitas & Ruma, & Rempis auctore Eusebio appellabatur. Erat autem in tribu Iudæ Iudic. 9. 41. & 4. reg. 23. 36.

Nomine Ioseph.) Ad fidem historiæ facit, quòd viri nomen exprimit.

Qui & ipse discipulus erat Iesu.) Reddit occultè causam, cur officium sepulturæ Christo exhibuerit. Ioannes cap. 19. 38. ita discipulum Christi fuisse dicit, vt *occultus tamen* esset *propter metum Iudæorum*, Marcus nobilem decurionem appellat, *qui & ipse*, inquit, *erat expectans regnum Dei*, ἐυσχήμων βουλευτὴς, nobilis consilium, vt etiam D. Hierony. interpretatur. Eodem modo vocat Lucas, 23. 51. additque eum non consensisse consilio, & actibus Iudæorum; vnde facilè colligitur non solum cõsiliarium eum fuisse, sed illi etiam interfuisse consilio, quo Iudæi de capiendo, & crucifigendo Christo deliberauerant, neque in eorum voluisse ire sententiam.

58. Hic accessit ad Pilatum.) Antequàm sabbathum veniret, vt Marcus 15. 42. & Lucas 23. 54. significant. Non licebat damnatorum corpora sine iudicis facultate deponere, aut sepelire, l. 1. ff. de cadau pun. Ideo Ioseph à Præside corpus Christi postulauit.

Tunc Pilatus iussit reddi corpus.) Marcus 15. 44. scribit miratum fuisse Pilatum, cum audiret tam citò mortuum esse Christum, accersitúmque ad se Centurionem interrogasse, num verè mortuus esset, cúmque esse mortuum iam esse cognouisset, corpus eius concessisse Ioseph. Probabile est fraudem timuisse Pilatum, ne fortè Ioseph Christi discipulus, quamuis occultus Christi tanquam iam mortui, cum adhuc viueret, corpus petiisset, vt specie exhibendæ sepulturæ; & à cruce eum, & à morte liberaret. Omnia diuino facta consilio, vt iudex ipse, qui Christum condemnauerat, verè mortuum fuisse ex Centurionis, & aliorum qui crucifixum custodiebant, testimonio cognosceret, déque eius morte testari posset, ne quis postea diceret non verè surrexisse, qui verè non fuisset mortuus, sed vitus adhuc de cruce sublatus, & in sepulchrum inclusus. Mirabitur fortasse aliquis non Apostolos, non cæteros, qui se palam Christi discipulos profitebantur, sed Iosephum, qui occultus discipulus erat, & Nicodemum, quem Iosepho ea in re adiumento fuisse cap. 1. 39. Ioannes scribit, qui & ipse occultus discipulus erat, (venerat enim ad Christum noctu propter Iudæorum metum, Ioan. 3. 2. & 7. 50. hoc sepulturæ officium Christo exhibuisse. Respondet Ambros. lib. in Lucam 10. *Quid sibi etiam vult, quod non Apostoli, sed Ioseph, & Nicodemus Christum sepeliant, vnus iustus, & constans, alter, in quo dolus non erat? Talis enim Christi est sepultura, quæ fraudem, inquitatemque non habeat. Obstruitur igitur tergiuersandi locus, & domestico Iudæ testimonio reiciuntur. Nam si Apostoli sepelissent, dicerent vtique non sepultum, quem raptum esse dixerunt.*

59. Inuoluit illud in syndone mũda.) Minimè dubium est, quin Ioseph honoris causa, non qualicumque syndone, sed munda Christum inuoluit, quam Marcus 15. 46. eum emisse dicit, vt non solum mundam, sed etiam nouam fuisse ostendat. Quamquam veteres auctores non immeritò diuini consilij ministerium in eo facto cognouerunt, opportuisse Christi corpus, quod mundissimum erat, & syndone inuolui munda, & in nouo sepulchro reponi.

60. Et posuit in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et hæc ad Christi honorem pertinent, ideóque tam diligenter ea Euangelistæ exposuerunt. Nam quòd Christum Iosephus non in quolibet, sed in suo ipsius monumento condiderit, ipsius enim fuisse monumẽtum Matth. indicat, cum dixit, *quod exciderat*, & quod in eo monumento, quod non à maioribus, sed ab ipso sibi factum fuisset, & quod non lapidum structura fabricatum, sed in rupe excisum esset, honoris fuit. Non enim solent in huiusmodi sepulchris, nisi viri magni & nobiles sepeliri. Lucas non solùm nouum monumentũ fuisse dixit, sed addidit, 23. 53. *in quo nondum quisquam positus fuerat.* Ioannes verò 19. 40. quod cæteri non narrarunt, explicauit aromatibus etiam Iosephum Christi corpus condisse. *Sicut mos*, inquit, *est Iudæis sepelire.* Morem fuisse dicit, non quòd omnes etiam de plebe homines, sed quòd primarij viri ita sepelirentur. Videmus ergo Iosephum, & Nicodemum nihil prorsus honoris prætermisisse, quod Christi sepulturæ non adhiberent. Atqui mortuum tunc corpus erat. Quid viuo facturi erant? In hoc etiam mysterium esse aliquod veteres auctores tradiderunt; oportuisse Christi sepulchrũ matris vtero simile esse, in quo nemo alius positus esset; opportuisse Christum & mundè concipi, & mundè sepeliri. Pertinent etiam hæc ad probandam resurrectionis fidem, vt Beda, Theophyl. & Euth. adnotarunt. Nam si nouum non fuisset sepulchrum, dicere Iudæi potuissent non Christũ, sed aliũ, qui eodem loco sepultus fuisset, resurrexisse. Si diuersis structum lapidibus, discipulos suffossis lapidibus Christum furatos fuisse, quod, cùm in rupe excisum esset, dicere non potuerunt, vt Hier. & Beda obseruauerunt. Eodem spectat, quòd statim addit Euãgelista, *Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti*, ne quis caũsari posset Christum, cum mortuus nondum esset, remoto lapide è sepulchro euasisse, aut discipu-

Honor sepulturæ Christi exhibitus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

los aperto monumento, cum facilè aperiri posset, furatos fuisse corpus, vt Origenes indicauit. Describit hoc loco Beda Christi monumentum ex eorum fide, qui suo tempore religionis causa Hierosolymam ibant. *De monumento*, inquit. *Dominici forsan, qui nostræ ætatis tempore de Ierosolymis veneri, quod domus fuerit rotunda de subiacente rupe excisa tantæ altitudinis, vt intro consistens homo vix manu extenta culmen possit attingere; quæ habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus aduolutus, atque impositus est, in cuius monumenti parte Aquilonali sepulchrum ipsum fuit, hoc est locus Dominici corporis de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmarum mensura extero pauimento altius eminens. & videlicet locus, non desuper, sed à latere meridiano per totum patulus est, vnde corpus inferebatur, color autem eiusdem monumenti, ac loculi rubicundo, & albo dicitur esse permixtus.*

Descriptio sepulchri Christi ex Beda.

61 *Erant autem ibi Maria Magdalene.*) Vide versum 56.

Et altera Maria.) Mater Iacobi & Ioſe, de qua versu 56. dictum est; eam enim hoc loco alterius Mariæ nomine intelligendam esse ex Marco 15. 47. perspicuum est. Solet ita Matthæus loqui, vt cum Matias nominat, Magdalenæ primo loco nomen exprimat, alteram autem Mariam dicat Iacobi, & Ioſe matrem intelligens, vt cap. 28. 1. Quid illic, cum Christus sepeliretur hæ mulieres agerent, ex Marc. 15. 47. & 16. 1. & ex Luca 23. 55. colligitur, nempe obseruabant, vbi Christi corpus poneretur, vt elapso sabbathi die redirent, & illud vngerent.

62. *Altera autem die, quæ est post Parasceuen.*) id est die sabbathi, quo eo anno Iudæi Pascha etiam celebrabant, vt à nobis, cap. 26. 2. probatum est.

Conuenerũt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum.) Qui in Sabbathi nimis etiam superstitiosa obseruatione totam religionem ponere videbantur, Christi odio obcæcati sabbathum violant: nec enim licebat illis aut lege, aut ipsorum traditionibus die sabbathi, eodemque Paschæ adire iudicem, milites petere, ad monumentum armatos ducere, sepulchrum obsignare.

63. *Recordati sumus.*) Maluit suam negligentiam, & obliuionem accusare, quàm videri in custodiendo homine iam mortuo minus esse seduli. Dicunt enim quasi priùs recordati non fuissent, *Recordati sumus*, ne Pilatus mirari possit, eos initio militarem custodiam non petiuisse, nunc eam sepulto iam Christo postulare.

Quia seductor ille dixit adhuc viuens.) Sic Christum appellabant, quod ipsorum iudicio seduceret populum, sicut nunc hæretici Catholicos, quia veritatem docent, seductores vocant. Ioan. 7. 12. *murmur*, inquit, *multum erat in turba de eo; quidam enim dicebant, quia bonus est; alij autem dicebant* Scribæ scilicet, Sacerdotes, & Pharisæi) *non, sed seducit turbas.*

Catholici ab Hæreticis exemplo Christi seductores appellantur.

Post tres dies resurgam.) Non dixerat Christus se post tres dies, sed tertia die resurrecturum esse, supra cap. 16. 21. & 20. 19. Itaque placet mihi eorum sententia, qui hoc loco *post tres dies*, pro intra tres dies, aut, vt Latinè dicimus, tertio pòst die interpretantur. Sic enim intelligẽdum esse ex eo manifestum est, quòd, si sacerdotes, & Pharisæi aliter intelligerent, id est, Christum non nisi post tres transactos dies resurrecturum dixisse, non erat, quòd timerẽt, ne fortè spatio illo trium dierum discipuli eum furarentur. Nec enim eos ante diem à Christo dictam eum furaturos esse credendum erat. Deinde non solùm tribus illis diebus, sed multis etiam post sepulchrum custodiri curauissent, cùm, qui post tertium diem se resurrecturum dicebat, non significaret statim post tertium diem, sed non ante tertium diem esse surrecturum, atque eodem modo, quod apud Marcum 8. 31. Christus dicit, intelligendum est, *Oportet filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & post tres dies resurgere.*

64. *Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium.*) Quemadmodum paulò ante cum dixerunt Christum dixisse, *post tres dies resurgam*, illud *post* significabat tres dies transactos esse oportere, antequam resurgeret; ita hic cum dicunt, *vsque in diem tertium*, illud *vsque* non significat initium, vt solet, sed finem tertij diei, quasi dicant, iube custodiri sepulchrum, donec tertius dies transactus sit.

Ne forte veniant discipuli eius.) ἐλθόντες, quod quidem non satis congruo, vt mihi videtur, sensu verti, ne quando: cum enim vtrumque dictio significet, magis conuenit in hunc locum *ne forte*, quàm, ne quando: cum non dubitarent sacerdotes, & Pharisæi de tempore, sed de facto. Sciebant etenim discipulos si furaturi corpus Christi erant, intra tres illos dies fuisse furaturos; cæterum, an furaturi essent dubitabant, quod explicant, *ne forte veniant discipuli eius.*

Et furentur eum.) G. additur νυκτὸς nocte, quod & ad participium ἐλθόντες, venientes, & ad verbum κλέψωσιν *furentur eum*, referri potest; vt aut tenuis sit, ne fortè noctu venientes, aut ne fortè noctu furentur quanquam eodem tempore. & venturos, & furaturos crederent; nihil interest, quomodo verba mutentur.

Et dicant plebi, surrexit à mortuis.) Quasi dicant nobis & hominibus elegantibus, atque eruditis id dicere non audebunt minimè credituris, sed imperitæ multitudini, quæ facilè omnibus rumoribus fidem habet. Solebant enim Iudæi dicere, quod de nobis nunc hæretici iactant, Christo non nisi rudes & imperitos homines credere. Ioan. 7. 47. 48. 49. *Responderunt ergo eis* (Pharisæi) *numquid & vos seducti estis? numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.*

Et erit nouissimus error peior priore.) Priorem errorem vocant, quòd Christus adhuc viuens multis persuasisset factis, vt illi interpretabantur, diabolica virtute miraculis se filium esse Dei: nouissimum verò, si discipuli populo persuadeant à mortuis eum resurrexisse, quem ideo priori peiorem fore dicunt, quòd in posteriori prior etiam contineretur error. Nam si homines sibi persuasissent à mortuis Christum resurrexisse, quod omnium difficillimum erat, facilius omnia, quæ viuens docuerat, vera esse credidissent.

65. *Habetis custodiam.*) Quidam milites, qui templum custodiebant, intelligunt; fuisse enim aliquos, qui templum etiam armati custodirent, ne qua vis inferretur, ex eo intelligitur, quòd inter alios templi ministros στρατηγὸς, id est, Dux etiam connumeratur. Luc. 22. 4. (2. Putant ergo Pilatum respondere, *habetis custodiam*, quasi dicat, quid opus est, vt militarem custodiam à me petatis, cùm vos etiam milites habeatis, qui sepulchrum custodire possint? Probare non possum interpretationem. Quid enim opus erat, vt sacerdotes à Præside milites peterent, si milites ipsi, quos adhibere possent, habuissent. Aut ergo non habebant, aut si habebant, vt diximus, in templo, ita custodiendo templo addicti erant, vt alium in vsum adhiberi non possent. Præterea si de Iudæis militibus, qui templum custodiebant, Pilatus loquutus fuisset, cum dixit, *habetis custodiam*, certum vtique esset, & indubitatum eos milites, qui sepulchrum custodierunt, non solùm Iudæos, sed etiam ex sacerdotali genere fuisse. Nec enim alij custodiendi templi curam habebant. Quid ergo opus fuisset, vt post resurrectionem principes sacerdotum militibus, & Iudæis, & sacerdotibus copiosam, vt ait Matthæus cap. 28. 12. pecuniam pollicerentur, vt mentirentur Christi discipulos dormientibus se venisse, ac de sepulchro sustulisse corpus? Quemadmodum enim sua mentiti fuissent. Alij Græcum verbum ἐκλάπη ita interpretantur, quasi imperandi modus sit, habete custodiam, quod nihilo mihi magis placet. Præsentis ergo temporis indicandi modi verbum est, quo Pilatus non imperat, non dicit eos custodiam habere, sed concedit, vt habeant, quasi dicat, quicquid ego militum habeo, in vestra est potestate, *ite, custodite sicut scitis*, quod rectè carmine Iuuencus expressit.

Et Pilatus ad hæc, miles permittitur, inquit,
Seruate, vt vultis, corpus tellure sepultum.

66. *Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum.*) Militibus. Idem enim verbum est ἀσφαλίζεσθαι, quo paulò ante & sacerdotes, ver. 64. cum à Pilato peterent, vt sepulchrum custoditetur, & Pilatus versu 65. cum respondet, *Ite, custodite sicut scitis*, vsi sunt. Itaque sic verba iungenda sunt, quæ hyperbato sunt separata; *illi autem abeuntes munierunt sepulchrum signantes lapidẽ cum custodibus*, vt extrema versus verba primis copulentur, munierunt sepulchrum cum custodibus signantes lapidem σφραγίσαντες τὸν λίθον, cùm ante lapidem obsignassent; aliquo nimirum annulo, aut alio quo sigillo eos signasse credendum est, ne aut dormientibus militibus discipuli aperire possent, quin furtum ex sigilli violatione deprehenderetur, aut ne milites ipsi pecunia à discipulis corrupti corpus illis traderent, quemadmodum Darius lacum leonum, in quem Daniel coniectus fuerat, annulo suo obsignasse dicitur, Daniel. 6. 17. vt aut alij dicerent se Danielem furtim liberasse; aut alij in lacum ingressi eum occiderent, & à leonibus occisum euulgarent. Admirabilis in obscuranda Christi diuinitate, & gloria sacerdotum sedulitas. Admirabilior diuina prouidentia, quæ ipsorum diligentia, atque artificio ad eam illustrandam vsa est. Timebant sacerdotes, ne plebi discipuli persuaderent Christum, sicuti dixerat, resurrexisse; adhibent ea de causa custodes, illi ipsi non iam plebi, sed ipsis à quibus adhibiti fuerant sacerdotibus, & Pharisæis Christum resurrexisse testati sunt cap. sequenti ver. 11. Obsignauerunt sepulchri lapidem, ne quis corpus furari posset, ille ipse tam diligenter obsignatus lapis fidem fecit Christi corpus nõ vi, non fraude de sepulchro sublatum fuisse; sed diuina virtute suscitatum. Nihil clausum, nihil obsignatũ est Deo, sed *comprehendam*, inquit, *sapientes in astutia eorum*, Iob 5. 13. & 1. Cor. 3. 19. Rectè dixit Hilarius, *metus deinde furandi corporis, & sepulchri custodia, atque obsignatio stultitiæ, atque infidelitatis testimonium est, quod signare sepulchrum eius voluerint, cuius præcepto consperxissent de sepulchro mortuum suscitatum.*

CAPVT XXVIII.

VESPERE autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum. 2. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum: 3. erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. 4. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. 5. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis: 6. non est hic: surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. 7. Et cito euntes, dicite discipulis eius quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. 8. Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. 9. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. 10. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. 11. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. 12. Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, 13. dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. 14. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. 15. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diem. 16. Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus. 17. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. 18. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. 19. euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: 20. docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.

Mar. 16. b. 6. Ioan. 20. a 11.

Mar. 16. d. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN CAP. XXVIII.

1. VESPERE autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.) Hic locus ideo omnium interpretum sententia difficillimus iudicatur, quòd & ipsa per se verba obscura sint, & neque alij Euangelistæ cum Matthæo, neque ipse secum Matthæus, neque inter se alij, neque Marcus ipse secum conuenire videantur. Scribit Matth. vt videtur, mulieres vespere sabbati ad sepulcrum venisse. Scribit Marcus 16. 2. transacto iam venisse sabbato, *valde*, inquit, *mane, & to iam sole*. Scribit Lucas 24. 1. *valde diluculo* venisse. Scribit Ioannes 20. 1. venisse *mane, cum adhuc esset tenebra*; ita vt tres alij Euangelistæ Matthæo repugnare videantur, tùm etiam ipse sibi; cùm enim dixisset mulieres vespere sabbati ad sepulcrum venisse, eodem loco dicit, *quæ lucesceret in prima sabbati*, indicans matutinum fuisse tempus. Cæteri verò inter se Euangelistæ ideo videntur dissentire, quòd, cum Marcus dicat *orto iam sole*, ad sepulcrum venisse. Lucas dicat *valde diluculo*, & paulò infra ver. 22. *ante lucem*, quod idem Ioannes dicit, *cum adhuc tenebræ essent*. Pugnare etiam secum ipse videtur Marcus, quòd cum dicat *valde mane* ad monumentum venisse mulieres, statim addat *orto iam sole*. Nec enim valde venerunt mane, quæ orto iam sole venerunt. Quæ inter Matthæum, & cæteros Euangelistas videtur esse dissensio, sic à nonnullis explicatur auctoribus, vt dicant easdem mulieres, non semel sed bis, aut etiam sæpius excitante, sollicitantéque singulari in Christum studio ad sepulchrũ venisse. In qua sententia & Hieronym. in comment. & Dionys. Alexand. in epist. ad Basilidem fuisse video. Alij quater venisse putant, *vespere*, vt Matthæus ait; *mane cum adhuc tenebræ essent*, vt ait Ioannes; profundo adhuc diluculo seu *valde diluculo*, vt scribit Lucas; & *orto iam sole*, vt dicit Marcus. Itaque quattuor Euangelistas quattuor diuersa tempora, quibus mulieres ad sepulchrum venerunt, descripsisse. Athanasius quæst. 90. At ita Matth. Marcus, & Lucas loqui videntur, vt aduentum illum ad monumentum mulierũ matutinum primum fuisse significent, & id sumus versu 3. copiosè probaturi. Alij alias putant fuisse mulieres, quæ, vt Matthæus ait, vespere sabbathi ad monumentum venerunt, alias, quæ, vt idem dicit, lucescente iam prima sabbathi; & quia obiici poterat vnam earum, quas vesperi; & earum, quas mane ad sepulchrum Matthæus venisse indicat, ab eodem Matthæo Magdalenam appellari, quemadmodum & ab alijs tribus Euangelistis appellatur, quæ mane venisse dicitur; duas fecerunt Magdalenas, quarum altera vespere, altera mane venerit. Sic Ambros. lib. 10. comment. in cap. Lucæ 24. quæstionem explicat, & Eusebius, & alij apud Anastasiũ. Cæterum vnam tantùm fuisse Magdalenam, & constans omnium opinio est, & ex Matthæo cap. 17. 56. & ex Marco cap. 15. 40. & 16. 1. & ex Luca c. 8. 2. 3. & cap. 24. 10. & ex Ioanne, c. 20. 1. & ex omnibus omnino locis, vbi apud Euangelistas de Magdalena fit mentio. perspicuum est; vbique enim ita Mariã Magdalenam appellant, vt eo cognomento ab omnibus alijs distinguant, quæ Mariæ vocabantur. Quòd si alia fuisset Magdalena, aliquid aliud distinctionis causa adhibuissent, nimirum Marthæ, aut Lazari sororem appellassent. Rationem autem quæ in hanc sententiam impulit Ambrosium ver. 9. dissoluemus. Alij sic exponunt, vt dicant & easdem fuisse mulieres, & semel tantùm ad sepulchrum venisse, ea saltem nocte, quæ sabbathum consequuta est. Nam vtrùm orto iam die bis, an semel tantùm venerint, alia quæstio est, de qua

Vna tantũ Magdalena.

sumus ver. 3. disputaturi. Cæterùm vespere quidem venire cœpisse putant, mane peruenisse, non quòd totam noctem in tam exiguo itinere consumpserint, sed quòd vesperi venire cœpisse videantur; quia tunc, vt mane venirent, aromata parauerunt. Veniebant ergo vesperi, quia se ad veniendum accingebant ea comparantes, quæ ad vngendum Christum erant necessaria, Marci 16. 1. & Luc. 23. 56. sic Beda. & Strabus, & Rabanus apud D. Thomam, & Rupertus in comment. in cap. Ioannis 20. & hoc loco Lyranus, quibus ideo, vt assentiar, adduci non possum, quòd illa mihi interpretatio *venerunt*, id est, quæ ad veniendum necessaria erant, comparauerunt, violenta prorsus esse videtur. Quis enim vel eorum, qui ad hunc modum interpretantur, ad hunc modum loquutus fuisset? Alij vesperam à Matthæo totam noctem appellatam fuisse existimant, vt Dion. Alexand. in epistola illa, quam citauimus ad Basilidem, Greg. Nyss. in orat. 2. de resurrect. Cyrillus Alexand. lib. 12. in Ioan. August. lib. 3. de consensu Euang. c. 24. Euthy. Theophyl. & D. Thom. quinetiam Ambrof. lib. in Lucam 10. hanc probant interpretationem. Ego verò ita probo, vt cæteras aut nihil, aut parum admodum existimem habere probabilitatis. Nec enim dubium est, quin idem Matthæus, quod cæteri Euangelistæ, dicere voluerit, maximeque Marcus, qui eius quodammodo est interpres. Cæterùm verò Euangelistæ nulla de vespere facta mentione mulieres mane ad monumentum venisse dicit. Idem ergo dicere Matthæus voluit. Quare cum vesperam sabbathi vocat, non vespertinum tempus, quod inter diem & noctem est, sed totam noctem intelligit, in cuius extrema parte, id est mane iam lucescente, mulieres ad sepulchrum venisse dicit. Minus hoc mirum videtur, si Hebræorum phrasis quam etiam D. Thom. adnotauit, intelligatur. Solent Hebræi non solùm vespertinum tempus, sed totam etiam noctem ערב vesperam appellare, cuius rei primum Genes. caput multa exempla suppeditabit, & *factum, inquit, est vespere, & mane dies vnus, & factum est vespere, & mane dies secundus*. Solent quidam hanc interpretationem propterea refutare, quòd Matthæus non simpliciter vesperam, sed vesperam sabbathi fuisse dicat. Vespera autem sabbathi pars subbathi sit, necesse est, sicut & mane sabbathi. At nox, quæ sabbathum consequuta est, pars sabbathi non erat, vesperæ igitur sabbathi vocari non potuit. Miratus sum quorundam interpretum legens commentarios, viros iudicio, & eruditione præstantes tam leui ratione à vero Matthæi sensu discessisse. Primum animaduertere debuerunt Matthæum non dixisse ἰσθὶ δὲ σαββάτων vesperata autem sabbathi, sed ὀψὲ δὲ σαββάτων ad verbum sero sabbathorum, aut tardè sabbathorum, si ita licet Latinè loqui. Admonuit autem Gregorius Nyssenus hoc, & lingua, & natione Græcus, & eum, vt opinor, secutus Ambrosius hanc phrasim apud Græcos proprie significare, transacto iam sabbatho longo intervallo; sic enim Græcos loqui solere ὀψὲ τῆς ἡμέρας γενομένης, & ὀψὲ τῶν ὡρῶν, serius, quàm pro opportuno tempore venisset, longè serius, quàm opus erat; eodem ergo sensu Matthæum dixisse, ὀψὲ σαββάτων serò sabbathi, id est, multo ante transacto sabbatho, quia inter sabbathum, & tempus matutinum, quod notare volebat, tota iam nox intercesserat. Quòd si Matthæus vesperam sabbathi appellasset, tamen non continuò sequeretur, partem fuisse sabbathi. Solet enim scriptura ita frequenter loqui, vt vesperam alicuius diei vocet, cuius pars non sit, sed eum cõsequatur. *Ecce kalendæ*, inquit Dauid, *sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum. Dimitte ergo me, vt abscondar in*

agro vsque ad vesperam diei tertiæ, 1. Reg. 20. 5. vesperam diei tertiæ sequentem noctem appellans. Cum enim rex noctu cœnaret, significabat se cum eo non cœnaturum. & Exodi 12. 6. 18. *Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, vbi manifestum est vesperam vocari decimæ quartæ diei noctem subsequentem, quæ non decimæ quartæ, sed decimæ quintæ diei pars erat; cùm agnus non decima quarta, sed decima quinta, id est, inchoata iam die Paschæ, & azymorum festo immolaretur. Simile Leuitic. 23. 5. & Numer. 9. 3. 5. 11. exemplum est. Vnde constat, nullam inter Matth. & cæteros Euangelistas esse discordiam; eademque ratione intelligitur à se ipso Matthæum non dissentire. Nec enim vesperum simul, & matutinum tempus, sed solum, vt diximus, matutinum significauit. Illud mouere lectorem potest, quomodo si nox erat, lucescere dicatur. Sunt qui ita Hebræos loqui solitos putent, quòd noctis initio lucernæ in domibus accẽderentur, idque ex Thalmudistarum probant traditionibus, à qua sententia non procul Hieronym. abhorret. Alij phrasim Hebræorum esse putant, qua lucescere tempus dicetur, cum incipit, translata ex die significatione, quia tunc incipit dies esse, cum incipit illucescere. Phrasim Hebræorum esse rectè dicunt, & ex Luca 23. 54. perspicuum est: *& dies*, inquit, *erat Parasceues, & sabbatum illucescebat*, id est, appetebat, appropinquabat; de eo enim tempore loquebatur, quo Christus sepultus fuerat: fuerat autem sepultus die Parasceues, id est ante sabbathum, inclinato iam ad occasum die. Atque tum dicit sabbathum illuxisse, id est, incepisse, aut appropinquasse. Cæterùm quo minus & hanc, & superiorem interpretationem probemus, non loquutionis insolentia, sed historiæ veritas impedit. Probaumus Matthæum, sicut & alios omnes Euangelistas, non vesperinum. sed maturinum tempus notare voluisse, nihil ergo ad hunc locum lucernarum ex Thalmudistis pertinet accensio, nihil Hebraismus: propriè enim & Græcè Matthæus, aut Matthæi interpres loquutus est. Voluit namque significare, id est, noctem illucescere cœpisse. Alij interpretantur vesperam, quia in diem sequentem inclinata erat, quemadmodum si è contrario diem noctescere dicamus; non quòd dies noctescere possit, sed quòd nox iam approquet, & dies quodammodo in noctem conuertatur. & vt iuuencus carmine dixit,

Sydera iam noctis, venturo cedere soli
Incipiunt, tumuli marres tunc visere septum.
Concurrit.) Ad hunc ferè modum Augustinus, Euthymius, & Theophylactus à quibus ego non tota sententia, sed sola sententiæ explicatione dissentio. Putant illi noctem hoc loco dici lucescere; ego non noctem, sed diem lucescere Matthæum dixisse arbitror. neutrum neque noctis, neque diei nomen est, sed ὀψὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, sero autem sabbathi, ea, quæ lucescit in vnam sabbathi, vbi in illo articulo τῇ aut noctem, aut diem intelligi necesse sit, Græcorum consuetudo postulat, vt diem potius, quàm noctem intelligamus, vt supra cap. 6. 34. & Ioan. 1. 35. & 12. 12. & Actor. 4. 3. 5. & 20. 7. & Iacob. 4. 14. Neque memini articulum illum absolutè positum legere, vbi nox intelligeretur. Hac etiam ratione mollior, & minus coacta sententia est. Nam diem illucescere, & res, & loquutio est naturalis: noctẽ nisi per figuram dici potest. Potest econtra hanc interpretationem obiici, quod à nemine tamen obiectũ video, tautologiam videri, aut minus concinnam fallrem orationem, vt dies in primam sabbathi lucescere dicatur, cùm per primam sabbathi dies etiam, & quidem eadem dies, quæ lucescere dicitur, intelligatur. Absurdum id videri posset, si diei nomen exprimeretur; cùm autem expressum non sit, non magis absurdum est, quàm si dicamus de die Dominicæ mane loquentes, diem in Dominicam illucescere. Nam & per Dominicam diem intelligimus, sed quia dies non exprimitur, & sensus est, diem Dominicam illucescere, tautologia non est.

In prima sabbathi.) εἰς μίαν σαββάτων, in vnam sabbathorũ, magis expressa sententia. Significatur enim præpositione in cum quarto coniuncta casu motus, atque progressus noctis in diem. Sic etiam fortassis noster verterat interpres, sed facilè fuit scriptorum incuria in fine dictionis vnam *M.* perire litteram. Notum est apud Hebræos sabbathum, & totam hebdomadam, & septimum hebomadis diem appellari; cùmq; totam significat hebdomadam, primum hebdomadis diem primam sabbathi; secundum, secundam sabbathi, eodemque modo sequentes dies appellari; vt Lucæ 18. 12. Act. 20. 7. 1. Cor. 16. 2. Adnotauerunt autem quidam, cum septimus tantùm significatur dies σάββατον sabbatum singulari numero, cum tota hebdomas σάββατα plurali dici solere vt hoc loco & apud Marcum c. 16. 2. & Luc. 24. 1. & Ioan. 20. 1. 19. & Act. 20. 7. & 1. Cor. 16. 2. Id perpetuum non est. Nam Marci 16. 9. legimus *prima σαββάτου sabbathi*, cum tota hebdomas significetur. & è contrario Act. 13. 14. τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, *die sabbatorum*, cum septima tantùm significetur dies. Porrò vnam sabbathi pro prima sabbathi Hebræorum idiomate dictum esse, tam est vulgare, vt difficiliora spectantem indicare pigeat. *Facili*, inquit, *est vespere, & mane dies vnus*, id est, primus Gen. 1. 5. Noster interpretes Hebraismum in Latinitatem soluit; cum Marci 16. 2. & Lucæ 24. 1. & Ioan. 20. 1. retinuerit. Solet id facere siue quo alio consilio, siue sola vertendi varietate delectatus. Primum autem sabbathi diem nostram fuisse Dominicam neminem ignorare arbitror. quæ, & quia in ea creatus; & quia postea redemptus resurgente Christo mundus fuit, loco sabbathi Iudæorum cœpta fuit celebrari: quod & Gaudentius tractatu in Exodum 1. & Sedulius hoc loco dixit.

Cæperat interea post tristia sabbatha fœlix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A domino dominante trahit, promissque videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.

Videndum nunc est, quomodo cæteri inter se Euangelistæ in temporis quo mulieres ad sepulchrum venerunt, descriptione conueniant. Maxima inter Marcum, & Ioannem videtur esse dissensio; Marcus enim dicit *orto iam sole*, mulieres ad monumentum venisse; Ioannes, *cum adhuc tenebræ essent*: quod idem Lucas 24. 22. alijs scribit verbis, *ante lucem* venisse. Sunt qui Marci locum corrigant, & pro ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *orto iam sole*, addita negatione, sensúque in contrarium mutato legendum putent, οὐκ ἐπ ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, nondum orto sole, non alia moti coniectura, quàm quòd in nõnullis Græcis codicibus legatur ἐπ ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, adhuc orto sole; & quòd ita l. 10. de demonstrat. c. 8. legat Eusebius; & facilè fuerit syllabam vnam οὐκ excidere; nimis tenuis coniectura, & frustra ex Eusebio petita, cùm nemo fere veterum auctorum aliter, quàm Eusebius legat; ipsum nostrum interpretem ita legisse perspicuum est, & Dionysius Alexandrinus in epistola ad Basilidem, & D. August. lib. 3. de consensu Euangelist. cap. 24. & Rupertus in cap. 20. Ioan. & Lyranus in comment. in cap. Marci 16. ita legunt. Esset quidem aptissima sententia si ne-

Sabbatũ apud Hebræos interdum pro tota hebdomada.

Vnus apud Hebræos pro primo.

Li. 3. cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatio, vt isti auctores volunt legeretur; sed, vt sæpe admonemus, non est tam obscuris indicijs scriptura, quæ sanctissima nobis esse debet, corrigenda. Malo, licet minus ingeniosam, vulgarem interpretationem sequi, vt mulieres *valde mane*, vt ait Marcus, &, *cum adhuc tenebræ essent*, vt Ioannes dixit, domo egressæ fuerint, orto vero iam sole, ad monumẽtum peruenerint. Nam etsi non magno ab vrbe distabat spatio, tamen mulieribus satis magnum erat, vt cum ad hæc tenebræ essent, egressæ domo non nisi orto iam sole peruenirẽt; sicuemadmodum Dionysius illa, quam sæpe citauimus, epistola interpretatur: aut vt orto id est, oriente iam sole ad sepulchrum peruenerint. Oriri enim sol dicitur, non solùm cum solare corpus supra terram apparet, sed etiam cum eius radij noctis tenebras dispulerunt; vt Augustinus, Euthym. Beda, Theophylact. & Lyranus exponunt. Quæ interpretatio melior etiam erit, & probabilior, si legamus, oriente iam sole, vt Augustinus, & Theophylactus legunt; siue ita Græcum aoristum interpretantes, ἀνατείλαντος, id est ἀνατειλαντος, siue Græcè non ἀνατείλαντος legerint, sed ἀνατείλαντος, quemadmodum ego facilius emendare ausim, quam vt negationem οὐκ intercidisse dicam. Nam neque sententia tantopere mutatur, & facilius fuit scriptorem Græcũ ἀνατείλαντος, pro ἀνατειλαντος scribere, quàm integram prætermittere dictionem, eo præsertim in loco, vbi ea sublata nemini non absurdus sensus, & proximis verbis repugnans videretur. Quòd si ad hunc legamus modũ nulla inter Euangelistas repugnantia est. Nam idem est oriente iam sole, & nondum orto sole. Tamen quamuis mihi aliud repugnet, mihi non facile persuaserim mulieres, antequam illucesceret, ad sepulchrũ peruenisse. Vix enim muliebris animus tam audax esse potuit, vt obscura adhuc nocte sepulchrum inuaderet, & in illud ingrederetur. Itaque etiam si Marcus non dixisset, *orto iam sole*, & Ioann. dicentem, *cum adhuc tenebræ essent*, & Lucam dicentem *ante lucem* mulieres ad monumentum venisse, ita intelligendos existimarem, vt non tempus, quo ad sepulchrum perueuerunt, sed quo egressæ domo fuerant, notare voluisse nt. Hinc etiam intelligitur, quomodo ipse sibi Marcus nõ repugnet; cum enim dixit *valde mane*, designauit tempus, quo domo discesserant; cum dixit *orto*, aut oriente *iam sole*, tempus, quo ad sepulchrum peruenerant, indicauit.

Venit Maria Magdalena, & altera Maria.) De Maria Magdalena diximus superiore cap. ver. 56. Alterã autem Mariam vocat vxorem Cleophæ matrem Iacobi minoris, & Ioseph, vt cap. 27. 61. quemadmodum ex Marco cap. 15. 41. perspicuum est. Nominat etiam Marcus Salomem, quæ mater erat filiorum Zebedæi. Lucas cap. 24. 10. multo etiam plures. *Erat*, inquit, *Maria Magdalene, & Ioanna.* Erat autem *Ioanna vxor Cusæ procuratoris Herodis*, vt idem Lucas cap. 8. 3. docuerat, *& Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cũ eis erant*, id est, *quæ cum eo venerant de Galilæa*, vt dixerat cap. 23. 55. Itaque sunt, qui putent etiam Beatam Virginem Christi matrem ad sepulchrum cum hisce mulieribus venisse, vt Gregorius Nyssenus orat. 2. de resurr. & Sedulius hunc locum explicans,

Hæc hymnis ortu
Virgo parens alacri, simul cum munere matres
Messia aromatica nocte venere gementes
Ad tumulum.

Et verò nemini Beatam Virginem pietate, & studio erga Christum concessisse ne dubitari quidem potest, sed venisse cum alijs mulieribus ad monumentum, haud ita facilè mihi persuadeo. Videmus neminem Euangelistarum de ea mentionem fecisse, quam profectò non prætermisissent, si eum cæteris venisset. Videmus omnes Euangelistas Magdalenam, tanquam omnium mulierum, quæ ad sepulchrum venerant, nobilissimam, & velut aliarum ducem primo loco nominasse. Atqui sacram vtique Virginem, si cum illis venisset, Magdalenæ antepo-suissent. Dixit Ioãnes Mariam Christi matrem, & Mariam Cleophæ, & Mariam Magdalenam iuxta crucem fuisse; Mariam Christi matrem ante omnes posuit. Idem nempe cæteri hoc loco fecissent Euangelistæ si cum cæteris mulieribus mater Christi ad monumentum venisset. Illud etiam mihi videtur incredibile, quod idem Gregorius scribit Matthæum, cum alteã Mariam dicit, B. Virginem Christi matrem intelligere; cùm, quæ illa sit altera Maria, ex Marco, vt dixi-mus, satis appareat. Ioannes solam Magdalenam venisse scribit, ea, vt opinor, ratione, quòd Magdalena dux cæterarum fuerit, omniumque nobilissima, & quòd sola cũ angelis colloquia miscuerit, quæ voluit bat Ioannes enarrare. Alij Euãgelistæ non omnes eodem numero, sed omnes tamen plures vnà commorarunt, quia propositum illis fuit docere mulieres tres primas fuisse testes resurrectionis Christi, & oportebat duos, vt minimum, testes numerare, quia *in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* Propterea Matthæus duas, Marcus tres, Lucas plures numerauit.

Videre sepulchrum.) Marcus cap. 16. 1. vt Christum vngerent, venisse dicit, idemque indicat Lucas 24. *portantes*, inquit, *quæ paraverant, aromata.* Ioannes ad-uentus causam non exposuit: vnde eriam nonnulli auctores occasionem acceperunt, vt existimarent illas mulieres ad sepulchrũ venisse, primùm, non vt Christum vngerent, sed, vt ait Matthæus, vt sepulchrum vi derent, deinde vt vngerent. In quibus est Dionysius Alexandrin. & Hieronym. hoc loco, & quæst. 6. ad Hedibiam. Sed hanc opinionem & supra refutauimus, & infra versu tertio pluribus argumentis refuturi sumus. Cur ergo Matthæus dixit ad videndum sepulchrum venisse? Non vtique vt indicaret, ad videndum tantùm sepulchrum, non ad vngendũ Christi venisse corpus, sed vt indicaret venisse quidem ad vngendũ, sed dubitâtes tamen, an possent vngere. Quippe sciebant monumentum magno clausum fuisse lapide. Itaque solicitè de ea re in via inter se dicebant, *quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Marcus. Significauit ergo Matthæus venisse eas, vt viderent sepulchrum, num ita clausum, & munitum esset, vt ingredi possent & ingredi vngerent Christum.

3. *Et ecce terræ motus factus est magnus.*) Dictio ecce indicat terræ motum euntibus, aut appropinquantibus ad sepulchrum mulieribus factum esse. Hoc etiam vis eius est, vt cap. 2. 1. docuimus. Cur terræ motus factus fuerit, haud obscurè indicat Euangelista, quia Angelus descenderat de cælo; vtitur enim causali particula. *Angelus enim Domini descendit.* Cur autem, descendente angelo factus fuerit, id quia nullus indicat Euangelista, in quæstione vocari potest. Probabilis est ratio, quam Chrysostomus homil. in Matthæum 90. Euthymius, & Theophylactus in comment. afferunt, vt concussa terra custodes, qui dormiebant, excitarentur, & resurrectionis Christi cogerentur esse testes. In eo Chrysosto. non assentior, quòd eam mulieres excitatas putet; dormiuisse enim graui oppressas somno. Quis enim hoc de earum diligentia & charitate credat? nescit dormire amor. Credo ego ob eam etiam causam factum fuisse terræ motum, vt & custodes, & mulieres intelligerent eos, qui splendenti vestitu iuxta sepulchrum apparuerunt, non homines fuisse, sed angelos, id est cælestes, atque diuinos nuntios. Motum enim terræ Dei præsentiam, aut

alicuius, qui Dei personam repræsentet, significare c. 17. 51. multis scripturarum exemplis demõstrauimus. Vt ergo & custodes, & mulieres angelis fidem haberent, oportebat, vt terræ concussione, non solo splendore angelos esse cognoscerent. Potuit & alia terræ motus esse causa, vt intelligerent custodes Christum non furto sublatum, nec humana, sed diuina virtute, qua ille ipse terræ motus fiebat, resurrexisse.

Angelus enim Domini descendit de cælo.) Γ. ἄγγελος γὰρ κυρίου καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ προσελθὼν ἀπεκύλισε τὸν λίθον, Angelus enim Domini, cum descendisset de cælo, & accessisset (ad sepulchrum) reuoluerat lapidem. Vna causa cur de cælo Angelus descendisset explicatur, vt lapidem à monumento reuolueret. Aliæ coniecturæ nostræ relinquuntur. Chrysost. in homil. in Psal. 2. tres præterea rationes affert. Primam, vt Angeli ostenderent Deum illic fuisse sepultum, cum ad sepulchrum, tanquam in cælo, vbi Deus habitat, assisterent. Secundam, vt mulieres docerent verè Christum resurrexisse, monerentque, vt id Apostolis quamprimum renunciarent: quòd si ab Angelis edoctæ nõ fuissent, minimè credidissent, cum constet ex Ioanne, etiam postquam ab illis doctæ fuerant, non satis credidisse, sed existimasse potiùs furto ab aliquo fuisse sublatum. Tertiam, vt omnes fraudes, & machinationes anteuerterent, nec Iudæi, cum audissent Christum resurrexisse, alium pro eo in eodem sepulchro supponerent, vt non resurrexisse videretur. Cur autem lapidem Angelus remouerit, de eo nobiscum quamuis insani, saniorisque tamen iudicij sunt) propterea lapidem ab Angelo reuolutum fuisse putant, vt Christus resurgeret, & à sepulchro exiret, quod & Hilarius can. in Matthæum 33. dicere videtur. *Angelus*, inquit, *Dominis de cælo descendens, & lapidem reuoluens, & sepulchro assidens misericordiæ Dei patris insigne est resurgenti filio ab inferis virtutum cælestium ministeria mittentis*; sic enim legendum arbitror, vbi *mysteria* legitur, quod vix vllum habet sensum; & Leo epist. 83. ad Monachos Palæstinos, *Dicant igitur isti phantasmatici Christiani, quæ substantia Saluatoris affixa sit ligno, quæ iacuerit in sepulchro, & revoluto monumenti lapide, quæ tertia die caro surrexerit.* At ex verbis Euangelistarum manifestum est prius Christum resurrexisse, quàm Angelus à monumento lapidem reuoluisset. Nam Matthæus apertè dicit terræ motum propter Angeli descensum fuisse factum, *& ecce*, inquit, *terræ motus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens revoluit lapidem.* Quòd si Christus nondum resurrexerat, non propter Angeli descensum, sed propter Christi resurrectionem factũ dixisset. Propterea Marc. ca. 16. 3. 4. non vt Christus resurget, sed vt mulieres ingrederentur, & vacuum corpore sepulchrum videre possent, lapidem ab Angelo remotum fuisse significat. *Et dicebant*, inquit, *ad invicem, quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? & respicientes vident revolutum lapidem*: quasi dicat, oportunè venisse Angelos, & mulieribus de remouendo lapide sollicitis antequam ad sepulchrum accederent, lapidem remouisse. Denique qua hora Christus resurrexerit, nemo vnquam mortalium, vt Hierony. quæstione 6. ad Hedibiam, & Greg. Nyssen. orat. 2. de resurrectione, & Euth. hoc loco docent, scire potuit. Qua autem hora lapis à monumento amotus fuerit, ex omnibus Euangelistis compertum est. Cum enim terræ motus factus fuerit, vt ait Matthæus, propter Angeli descensum factus fuerit; factus autem fuerit mulieribus iam ad sepulchrum appropinquantibus, vt particula illa, *ecce*, significari diximus; Angelus autem, vt idem Matthæus scribit, lapidem reuoluerit, sequitur appropinquantibus iam mulieribus reuolutum fuisse. Qua autem hora appropinquauerint, omnes Euangelistæ exprimunt; *diluculo* enim, *cum adhuc esset tenebræ*, vt ait Ioannes, domo profectæ ad sepulchrum, vt ait Marcus, *orto*, aut oriente, *iam sole* peruenerunt; tunc ergo lapis reuolutus est; non est igitur reuolutus, vt de sepulchro Christus exiret, neque ante nouos istos hæreticos id quisquam cogitabit. Nam omnes veteres interpretes docuerunt, quod & Euangelistæ planè docent, lapidem non propter Christum, sed propter mulieres fuisse reuolutum, vt ad Hedibiam Hieronym. scribit, & alij quos paulò pòst citaturi sumus. Nec aliter Hilarius, aut Leo senserunt. Nam, quod dicit Hilarius Deum resurgenti filio cælestium virtutum ministeria misisse, non significat misisse Angelos qui eum resurgentem adiuuarent, quasi sine eorum auxilio exire de sepulchro non potuisset, sed misisse vt testes, atque præcones resurrectionis eius essent; quemadmodum in Christi tentatione non venerunt Angeli, dum à diabolo tentatur, ne iuuandi causa venisse viderentur; sed postquàm tentatus est, post victoriam venerunt, vt triumphum agerent, & victorem Dominum recognoscerent. Quod autem dicit Leo, *& revoluto monumenti lapide, quæ tertia die caro surrexerit*, non ita intelligendum est quasi ablatiuus ille, *revoluto lapide* causam, sed quasi signũ, effectúmque, & argumentum significet; tanquam dicat, quæ caro fuit illa, quæ tertia die resurrexit, vt reuoluto monumenti lapide probatum est. Sic enim intelligendum esse, vel ex eo manifestum est, quòd statim de re simili loquens addat *vel quale corpus Iesus discipulorum visus clausis ad eos ostiis ingressus intulerit.* Ita enim egressum de sepulchro Christum, sicut ingressum ad discipulos fuisse credebat, vt omnes alij auctores, quos paulò pòst citaturi sumus, crediderunt. Alia ratione hæretici nituntur hunc locum deuitare, ne fateri cogantur posse Christum, qui è sepulchro non reuoluto lapide exsiluerit, in Eucharistiæ quoque Sacramento vna cum magnitudine panis esse. Cessisse egredienti Domino lapidem dicunt, & ad mollis materiæ modum locum Christi corpori dedisse. At vnde id probant? Nos lapide nondum remoto exijsse perspicuis Euangelistarum verbis comprobamus; illi emollitum fuisse lapidem, & quasi aquam, aut aërem solido Christi corpori cessisse nullo vllius Euangelistæ verbo, nulla coniectura, nullo boni auctoris testimonio probare possunt; solo metu confitendæ veritatis probant, teste valde suspecto, quique facillimè corrumpitur, ne si id concesserint, & corpus Christi in Eucharistia esse posse concedere cogantur. Docent omnes veteres auctores Christum eodem modo quo de vtero matris egressus fuerat, & è sepulchro euasisse, & ad discipulos ingressum fuisse id est ita vt corpore suo matris corpus, sepulchri lapidem, domus, vbi discipuli erant, fore nec aperiret, nec rumperet, nec quod simile ruptura est, emolliret, sed penetraret. Iustinus martyr quæstione ad orthodox. 117. Chrysostom. homil. 2. de Ioan. Baptista, Gregor. Nazianz. in Tragœd. de Christo patiente, Hieron. q. 6. ad Hedib. August. serm. de tempore 138. & 159. Euthymius in comment.

Et sedebat super eum.) Sedebat super lapidem Angelus, quasi mulierum aduentum expectans, & quasi indicans se, qui lapidem reuoluisset; sedebat enim super opus suum. Quomodo autem sedere hic dicatur, cùm apud Lucam stantes introducantur Angeli, & quis lapis ille fuerit, super quem Angelus sedebat, versequenti dicturi sumus.

3. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.*) Omnes Euangelistæ insolitum

Anchristi mater ad sepulchrum cũ mulieribus venerit. Libro. can. minum.

Loci Hilarij & Leonis explicati.

Christus è sepulchro per lapidis penetrationem egressus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angeli habitum studiosè descripserunt; omniũ verò diligentissimè Matth. Marc. c. 16. 5. & *viderunt*, inquit, *iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida*, & Luc. 24. 4. *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*. Ioan. c. 20. 12. & *vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus*. Non vacat tanta diligentia mysterio, cuius & aliud indicium est. Sæpe legimus Angelos visitato hominum habitu, ita vt homines esse crederentur, hominibus apparuisse, Genes. 16. 7. & 18. 1. 2. & 19. 1. & 32. 24. & Iosue 5. 13. & Iudic. 2. 1. 4. & Daniel. 8. 16. & Zachar. 2. 1. & Tob. 5. 5. 6. & 12. 15. Hîc autem nouo vestitu, noua specie, nouo splendore Angeli videntur. Minimè difficilis coniectura est, ideo missi hîc Angeli fuerant, vt cælesti diuinaque auctoritate resurrectionis Domini fidem facerent. Oportebat ea venire specie, vt nemo eos Angelos esse dubitare posset. Cum ergo necesse non sit, vt Angeli esse cognoscantur, quin potius interesset, vt non cognoscerentur, communi hominum forma mittuntur, sicut ad Abraham, Gen. 18. 2 & ad Lot. Gen 19. 1. & ad Tobiæ filium, Tob. 5. 7. missi sunt: cum autem vtile est, vt Angeli esse cognoscantur, speciem humana illustriorem præ se ferunt. vt Act. 1. 10. Quam rationem Cyrillus affert lib. in Ioan. 12. c. 46. Greg. verò hom. in Euang. 20. & Beda in huius loci comment. aliam quoque rationem reddunt, cur splendenti habitu Angeli apparuerint, nempe vt resurgentis Christi gloriam, & gaudium de ea nostrum demonstrarent. Eodem pertinet, quòd Marcus iuuenem vocat: nunquam enim Angeli alia, quàm iuuenili forma videri solent, vt eorum, *nunquam senescens, & semper vigens vis vitalis*, vt ait Dionysius, *& immortalitas*, significetur. Porro Matthæus & Ioannes Angelos; Marcus, & Lucas homines appellant: illi, quod erant, hi, quod primo aspectu videbantur, declarantes. Multæ verò hoc loco propter eam, quæ inter Euangelistas videtur esse, discordiam difficiles quæstiones sunt. Prima, quomodo Matthæus, & Marcus vnum, Luc. & Ioannes duos Angelos fuisse dicant. Secunda, quomodo Matthæus dicat Angelum sedisse super lapidem quem reuoluerat, qui vtique extra monumentum erat, ita vt Angelum ipsum extra monumentum fuisse necesse sit. Marcus verò 16. 5. & Ioannes 20. 12. intra monumentum, ille iuuenem, hic duos Angelos visos fuisse dicant. Tertia, quomodo Matthæus, & Marcus Angelum sedisse scribant, cùm Lucas dicat, stantes Angelos à mulieribus visos fuisse. Quarta, quomodo Matthæus. Marcus, & Lucas plures mulieres, Ioan. verò solam Magdalenam Angelos vidisse narret. Quinta, quomodo Ioan. scribat Magdalenam, cum primùm ad sepulchrum venisset, lapidem reuolutum inuenisse; Angelum verò non vidisse, nisi postquam redierat, & discipulis Christi resurrectionem annuntiauerat, cum Matthæus. Marcus, & Lucas non solùm, cum primùm venerunt, vidisse Angelum; sed ab eo etiam iussas fuisse ire, & discipulis annuntiare dicant. Ad primam quæstionem, qui D. Aug. lib. 3. de consens. Euang. c. 24. opinionem sequuti, existimant bis mulieres, non quidem vespere, & mane vt Hieron. ait, sed orto iam die ad sepulchrum venisse, facilè, nescio an etiam verè, respondent, cum primùm venerunt, vidisse vnum, cum secundò vidisse duos. Alij primùm quidem, antequàm in sepulchrum ingrederentur, vnum vidisse Angelum, deinde in sepulchrum ingressas, aut vnum alterum, vt indicat Marcus, aut duos, vt Lucas, & Ioannes scribunt, intus vidisse; quemadmodum Theophyl. in comment. in cap. Luc. 24. & hoc loco D. Thom. interpretantur. Nolo aliorum iudicio præferri meum. Itaque licebit per me lectori sequi in re minimè comperta, quod simillimum esse vero iudicabit. Tamen ego quidem tria hoc loco animadverto magno multorum interpretum recepta consensu, quæ persuadere mihi non possum. Primũ est, mulieres bis ad monumentum venisse Christi. Secundum, cum primùm venerunt, aut nullum, aut vnum tantùm vidisse Angelum. Tertium, vnum extra monumentum, alterum intra, aut vnum extra, duos intra vidisse: quæ tria, quia ex illis video omnium, quas proposuimus, quæstionum explicationem magna parte pendere, & operæpretium me facturum arbitror, si refutauero. Atque primum, & secundum, quia ita copulata sunt, vt distrahi non possint, simul sunt, & communibus argumentis refellenda. Primum quidem, cum Matthæus, Marc. & Lucas mulieres ad Christi sepulchrũ venisse dicunt, dubium profecto non est, quin de primo earũ loquantur aduentu. Propterea enim dixerunt summo mane venisse, vt indicarent venisse, cũ primùm, & per sabbathum. & per sequentẽ sabbathum nocte venire licuit, quasi totã insomnes noctẽ egerint tempus illud expectantes matutinũ, vt ad sepulchrum properarent. Atqui tunc, cum mane venerũt, dicunt eas vidisse Angelos: nisi velimus apertam eorum verbis vim afferre. Deinde nemo, qui attentè Euangelistas legerit, dubitare poterit, quin mulieres Angelorũ monitu Petro, & Ioanni Christi resurrectionem annuntiauerint: illos verò & mulierũ testimonio, & audito Angelorum visu excitos ad sepulchrũ accurrisse, vt ipsi sibi oculis suis fidem facerent. Scribit enim distertis verbis Marc. c. 16. 7. Angelum mulieribus dixisse, *Ite, dicite discipulis eius, & Petro*, ergo priùs viderunt Angelum, quam Petro renunciarent, & quam Petrus, & Ioannes ad sepulchrum venirent. Quid enim opus erat iubere, vt Petro dicerent resurrexisse Christum, si ipse iam venerat, & vacuum corpore sepulchrũ oculis suis viderat. Qui autem existimant bis ad sepulchrum venisse mulieres, & cum primum venerunt, nullum vidisse Angelum, illos etiam dicunt, aut dicant necesse est, priùs Petrum, & Ioannem ad sepulchrum venisse, quàm mulieres vidisse viderent Angelum, quemadmodum videtur indicare Ioannes, cuius narratione moti in hanc sententiam impulsi sunt. Hoc autem diserris Matei verbis omnino repugnat. Præterea nequaquã obscurè Matthæus indicat eodem tempore, & milites, & mulieres vidisse Angelum ver. 4. *præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui*. Manifestum autem est milites, antequàm Petrus, & Ioannes ad sepulchrum venirent, & Angelum vidisse, & exterritos discessisse. Nec enim Petrus, & Ioannes tam audaces ad sepulchrum venissent, nisi ex mulieribus cognouissent iam milites discessisse. Nam mulieres, cum adhuc à militibus sepulchrum custodiretur, venire ausas mirum non est. Solet militaris furor in vires accendi, mulieribus parcere. Scribit præterea Lucas c. 24. 13. eo ipso die, cum duo ex discipulis irent in Emaus, Christum se illis adiunxisse comitem, eosque dixisse ver. 21. 22. 23. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël, & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt: sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius venerunt dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt*. Minimè dubium est, quin cum dicit, *abierunt quidam ex nostris ad monumentum*, Petrum, & Ioannem intelligat. Atqui priùs dixerat mulieres visionem Angelorum vidisse, eámque & Petro & cæteris discipulis narrasse. Ad hæc aliorum etiam grauissimorum interpretum auctoritas accedit, qui cum primùm mulieres ad sepulchrum venerunt, Angelos vidisse putant; in quibus Gregorius

Cur Angeli iuuenili forma apparent. Cælest. hierarch. c. 15.

Nyssenus

Nyssenus est orat. 2. de Christi resurrectione. Cum ergo, qui bis mulieres ad monumentum venisse dicunt, non alia ratione dicant, quam ne Ioanni, qui viderit, significare mulieres, cum primùm venerunt, Angelum non vidisse, repugnare videantur, cúmque probatum satis, vt opinor, à nobis sit, cum primum venerunt, vidisse Angelos, nulla illis reliqua ratio est, quamobrem bis dicant ad sepulchrum venisse mulieres. Nam locum Ioannis ita paulò pòst explicaturi sumus, vt nulla prorsus appareat repugnantia. Constat ergo & semel tantum venisse mulieres, & tunc cum primum venerunt, vidisse Angelos. Tertium facilius est refutare. Marc. 16. 4. 5. *Et respicientes*, inquit, *viderunt reuolutum lapidem, & introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris*; dicturus nimirum erat Marcus alterum Angelum extra monumentum vidisse, si aliquem alium extra vidissent, vt vulgò creditur Matthæus indicare. Accedit quòd & eum, quem Matthæus, & eum, quem Marcus à mulieribus visum fuisse dicunt, ex ijsdem, quibus ad mulieres visus est verbis, eundem fuisse manifestum est, vterque enim dicit, *nolite timere vos: scio, quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis*. Cum ergo ille, de quo Matthæus, & ille, de quo Marcus scribit, idem fuerit Angelus, & Marcus cum à mulieribus intra monumentum perspicuis verbis visum fuisse dicat, Matthæus verò extra visum fuisse non dicat, sed tantùm super eum, quem à sepulchro dimouerat, sedisse lapidem, sequitur non extra monumentum, quod Matthæus non dicit, sed intra, quod Marcus dicit, visum fuisse. Maximéque cum cæteri etiam Euangelistæ, Lucas 24. 4. & Ioan. 20. 12. non foris, sed intus dicant duos illos Angelos visos. Scio, quid plerósque, vt aliter sentiant, interpretes moueat. Scribit Matthæus vers. 2. *Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuolui lapidem, & sedebat super eum*, apertè significans super illum ipsum lapidem, quem reuoluerat, sedisse Angelum. Illum autem lapidem non intra, sed extra monumentum fuisse colligunt ex Marco 16. 3. *Quis, inquiunt mulieres, reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* in ostio igitur, id est foris lapis erat. Quòd si super eum sedens à mulieribus visus est Angelus, extra monumentum visus est. Mitor neminem, quòd fuisse lapides, & vtrumque fuisse ab Angelo reuolutum. Nam & D. Augustinus lib. 3. de consensu Euangelist. cap. 24. suspicatur monumentum Christi non solum continuisse sepulchrum, sed ædificium fuisse, quam ipse materiam appellat, vt vero simile est concameratum foris ostium habens, quà introitus esset, intus verò sepulchrum, vbi corpus reponeretur, quod alio clauderetur lapide. Eiusmodi autem fuisse Christi sepulchrum, quale Augustin. animo finxerat, & Beda in cap. 27. Matth. & Brocardus, & omnes qui videruntne, vno ore confirmant. Duo igitur erant lapides, alter foris, quo totius monumenti ostium claudebatur, alter intus, quo claudebatur sepulchrum, vtrumque Angeli reuoluerant, primum, vt mulieres ingredi possent; secundum, vt vacuum sepulchrum videre. Angelus ergo non super primum, sed super secundum sedebat. Si enim super primum sedisset, primò aspectu mulieres terruisset, neque ausæ fuissent in monumentum introire. Et conueniebat non super primum, sed super secundum sedere lapidem, & vt ostenderet se ideo sepulchri lapidem amouisse, vt mulieres vacuum sepulchrum videre possent, & vt ipso quodammodo digito locum, vbi Christus positus fuerat, vacuum demonstraret. Sicut ver. 6 dicit, *Surrexit enim, sicut dixit. Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus*. Cum ergo Matthæus dicit Angelum remouisse lapidem, vtrumque lapidem intelligit: Cum dicit sedisse super eum secundum intelligit, qui intra monumentum erat. Nam cùm super vtrumque sedere non posset, necesse est, aut super primum, aut super secundum sederit. Matthæus super primum sedisse non dicit, Marcus, Lucas, & Ioannes super secundum sedisse manifestè dicunt. Cùm dicant sedisse intus, ergo & Matthæus cum dicit sedisse super eum, secundum lapidem intelligit, vnde sequitur etiam secundum Matthæum Angelum non foris, sed intus à mulieribus visum esse. Obiiciet aliquis, quòd Matthæus ver. 6. scribat dixisse mulieribus Angelum, *venite, videte locum, vbi positus erat Dominus*, quasi eas nondum in monumentum ingressas, ad ingrediendum inuiterit. Scio etiam hoc multos interpretes fefellisse, quòd existimarunt mulieres his verbis ad ingrediendum in monumentum inuitas esse, cum non ad ingrediendum, sed ad veniendum, id est ad accedendum, & videndum sepulchrum inuitentur. Nec enim dicit Angelus introite, sed *venite*. Erant enim iam intra monumentum, vt Marcus, & Lucas disertissimè scribunt. Cum enim ad monumentum venissent, & præter opinionem primum lapidem, de quo in via sollicitæ fuerant, remotum inuenissent, audaciter ingressæ sunt, cum intus essent, & Angelum super sepulchri lapidem sedentem vidissent, obstupefactæ restiterunt, non audentes ad sepulchrum accedere. Angelus verò primum iubet timorem ponere. *Nolite*, inquit, *timere vos, scio, quia Iesum, qui crucifixus est, quæritis: surrexit, non est hic*. Deinde inuitat ad accedendum, videndúmque sepulchrum, *Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus*. Obiici etiam potest, quòd Lucas 24. 2. 3. 4. scribat, *& inuenerunt lapidem reuolutum à monumento, & ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu, & factum est dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*, vbi indicat prius mulieres non solum in monumentum ingressas fuisse, sed ad sepulchrum etiam, quod intus erat, accessisse, idque vidisse vacuum, quam aut ab Angelo inuitarentur; aut vllum viderent Angelum. Respondeo Lucam per anticipationem locutum esse; quia enim eo properabat animo, vt narraret mulieres Christum in sepulchro non inuenisse, quia iam resurrexerat, id dixit, antequam commemoraret Angelos ab illis visos, eorumque testimonio Christi fuisse confirmatam resurrectionem. Hinc primæ simul, & secundæ quæstionis earum quinque, quas supra posuimus, explicatio colligitur. Primæ duos fuisse quidem Angelos quemadmodum Lucas Ioannésque commemorat, sed quia vnũ tantũ cum mulieribus loquutũ fuisse credẽdum est (nec enim necesse erat, vt alter, cùm non nisi eadẽ dicere posset, loqueretur) Matth. & Marc. quibus propositum erat, quid mulieribus Angeli dixissent, recitare, vnius tantùm meminerunt, sicut è contrario, cum multę mulieres ad monumentum venissent, quia vna pro omnibus Magdalena. & cum Angelis & cum Christo loquuta est, eius tantum Ioannes mentionem fecit. Lucas verò, & Ioannes indicare volentes Angelorum testimonio Christi resurrectionem probatam fuisse, testium numerum vt exprimerent necesse fuit. Conueniebat enim duos saltem Angelos fuisse testes, vt in ore duorum, vel trium resti staret omne verbum; & videmus in simili causa ascendente in cœlum Christo duos etiam candidis vestibus Angelos apparuisse qui eum & ad cœlum ire, & eodem modo rediturum esse testificarentur, Act. 1. 10. Repugnare huic interpretationi videtur illud, quod Luc. 24. 5. scribit Angelos mulieribus dixisse, *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* & Ioan. 20. 12. Angelos dixisse Magdalenæ, *mulier, quid ploras?* facilis solutio esse syllepsim,

Syllepsis scripturæ familiaris

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua, quod vnus fecit, totum genus feciſſe dicitur, qualem ſupra c.27.44. expoſuimus, & multis ſcripturarum exemplis confirmauimus, vbi latrones conuitia in Chriſtum iactaſſe dicuntur, quæ vnus latro iactauerat. & vt apud D. Paulum Hebr.11.33.37. prophetæ ſecti fuiſſe, cùm vnus ſectus fuerit Iaias: ora leonum obturaſſe, cum ſolus obtu(a)uerit Daniel. Angeli ergo apud Lucam, & Ioannem cum mulieribus loquuti dicuntur, quia alter eorum cum illis loquutus eſt. Secundæ verò explicatio quæſtionis ipſa iam per ſe manifeſta eſt. Probanimus enim Angelum, de quo Matthæus loquitur, non extra ſuper primum, ſed intra monumentum ſuper ſecundum ſediſſe lapidem. Itaque nulla ea in re inter Matthæum, & Marcum, cæteroſque Euangeliſtas diſſenſio eſt. Tertia quæſtio etſi à multis difficilis iudicatur, admodum facilis mihi videtur eſſe, quia in vnius proprietate verbi tota res vertitur. Quærebatur, quomodo Matthæus, Marcus, & Ioannes ſediſſe Angelos, Lucas verò ſteriſſe dicant. D. Auguſt. & qui eum ſequuti, putant alium de quo Matthæus, & Marcus, & alios, de quibus Lucas, & Ioannes loquuntur fuiſſe Angelos, facilè ſibi videntur reſpondere, illum ſediſſe, hunc ſteriſſe. Quid ergo Ioanni facient, qui de illis ipſis duobus Angelis, de quibus Lucas ſcribit, loquens, ſediſſe dicit, cùm eos Lucas ſtetiſſe dicat? Alij priùs ſediſſe, vt Matthæus, Marcus, & Ioannes ſcribunt, dein, vt cum mulieribus loquerentur ſurrexiſſe, ſtetiſſeque, vt ait Lucas. Diſtinctio meo quidem iudicio minimè neceſſaria, cum facilius poſſimus explicata verbi proprietate, quod Lucas ſteriſſe Angelos dicit, interpretari. Diximus cap.6.5. ſtandi verbum, & Latinè, & Græcè non ſemper rectum corporis habitum, ſed ſolam aliquando præſentiam, ſolam aliquando quietem ſignificare. Stare enim dicitur non ſolum, qui rectus eſt; ſed etiam, qui præſens eſt, etſi ſedeat: exempla ſunt ſupr. c.16.28. *Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus*, id eſt ex his, qui adſunt; qui præſentes ſunt, *qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo*, & Marci 11.25. *cum*, inquit, *ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis aduerſus aliquem.* nec enim iubet, vt recti orent, ſed vt ſtent, id eſt, vt quieti orent, aut vt ſtent, id eſt, coram Deo ſeſe quodammodo ſiſtant, & repreſentent; quia orare Deum, alloqui eſt, & Lucæ 7.37.38. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retrò ſecus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius*: non enim erecta erat, ſed ad Chriſti pedes prouoluta, cum eos lachrymis rigaret, capillis tergeret, vngeret, oſcularetur: rurſus c.18.11. *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat*; nec enim ſtetiſſe credendum eſt, cum oraret, hominem præſertim profeſſum hypocriſim, & Ioan. 1.26. *Ego baptizo vos in aqua, medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis*, id eſt inter vos eſt, præſens vobis adeſt. Quarta quæſtio altera propoſita conſimili quæſtione ſoluitur. Quæritur, cur Ioannes ſolam Magdalenam Angelos vidiſſe dicat, cum cæteri Euangeliſtæ plures dicant, quæ viderunt, fuiſſe mulieres? Quæro ſimiliter ego, cur Ioannes ſolam Magdalenam ad monumentum veniſſe dicat, cum cæteri Euangeliſtæ plures mulieres veniſſe dixerint? Non fuit Euangeliſtis propoſitum omnia penitus connumerare. Plures iuxta crucem Chriſti mulieres erant; multi etiam viri, vt Lucas c.23.49. indicauit, Matth.c.27.55. tres tantum nominauit mulieres, quæ cæteris & notiores & diligentiores erant, vitum nullum. Eadem ratione Ioannes, & ſolam Magdalenâ ad monumentum veniſſe dixit, & ſolam vidiſſe Angelos, quia haud dubium eſt, quin Magdalena præcipuas eius obſequij egerit partes, & omnium aliarum fuerit nobiliſſima. Quod vel ex eo intelligitur, quòd cæteri etiam Euangeliſtæ, cum plures nominant, eam ſemper primo loco ponunt, vt Matthæus c.27.56.61. & hoc c.vers.1. & Marcus c.15.40. & 16.1. Quinta quæſtio reliqua eſt, quæ in ſolius Ioannis explicatione verſatur, quæque omnium ferè aliarum difficultatem peperit: quomodo Ioannes ſignificare videatur Magdalenam, cum primum ad ſepulchrum venit, neque Angelum, neque Dominum vidiſſe, ſed ſtatim vt lapidem reuolutum vidit, recurriſſe, & Petro, Ioannique nuntiaſſe, *Tulerunt Dominum meum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum*, poſt verò ſignificat rediiſſe, & Angelos, Chriſtúmque vidiſſe. Tam perſpicuè hæc Ioannes dicere pleriſque interpretibus viſus eſt, vt ex eo alios Euangeliſtas, qui contrarium dicere videbantur, explicandos putauerint. Tam perſpicuè mihi alij Euangeliſtæ contrarium dicere videntur, vt ex illis Ioannem explicandum putem. Nam ſi non fenestram perſpicuitate, certè numero vincant æquum eſt. Quis autem credat tres Euangeliſtas, quaſi communi conſilio conſpiraſſe, vt obſcurè loquerentur. Facilius creditu eſt vnum Euangeliſtam, quàm plures obſcurè locutum eſſe. Magdalenam, & reliquas mulieres ſecum tantum ad monumentum veniſſe, & antequam Petro, & Ioanni nuntiarent, vidiſſe angelos firmiſſimis his argumentis paulò ante probatum eſt. Quo ergo modo Ioannes interpretandus? Non ſeruauit, vt Euangeliſtis ſæpe contigit, in hiſtoriæ narratione rerum geſtarum ordinem, & quæ ſimul geſta fuerant, non ſimul, ſed alia prius, alia poſterius commemorauit; ſimul & Magdalena venerat, & angelos viderat: priùs veniſſe, & lapidem vidiſſe reuolutum; poſt angelos vidiſſe, narrat. Quod probabilius videbitur, ſi ſtatim ipſius non ſeruati ordinis cauſam aliquam non improbabilè reperiamus. Putat Greg. Nyſ. orat. de reſurrectio. 2. Magdalenam Petro, & Ioanni nihil de angelis, quos viderat, dicere voluiſſe, quòd ſedulus creditum erit, nec veros fuiſſe angelos, propterea non dixiſſe Chriſtum reſurrexiſſe, ſed *tulerunt Dominum meum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum*. Ego cum Ioannem lego, perſpicere mihi videor eum omnibus prætermiſſis rebus eò properare voluiſſe, vt exponeret, quomodo ipſe, & Petrus continuò ad primum Magdalenæ verbum ad videndum ſepulchrum accurriſſet. Itaque & angelorum, & Chriſti omiſſa viſione, ſuam, & Petri ad monumentum feſtinationem exponit; non vlla quidem gloriæ cupiditate, quæ ab ea tam procul aberat, vt ne nomen quidem ſuum exprimere voluerit; ſed ſtudio probandæ reſurrectionis Chriſti, vt quam primum ſe, & Petrum oculatos eius fuiſſe teſtes declararet, maiórque hiſtoriæ ipſius haberetur fides. At non ſolùm Ioan dicet aliquis, ſed neque ipſa quidem Magdalena Petro, Ioannique narrauit ſe angelos, & Chriſtum vidiſſe, quin indicat, ſe vidiſſe, cum dicit, *tulerunt Dominum meum de monumento, & neſcimus, vbi poſuerunt eum*; ſi enim angelum iam vidiſſet, & ab eo de Chriſti reſurrectione fuiſſet edocta, dixiſſet vtique reſurrexiſſe Chriſtum, non de monumento ſublatum fuiſſe, idque & angelorum viſione, & teſtimonio confirmaſſet: dixiſſet, quod eiuſmodi plus ad faciendam fidem ponderis erat habiturum, ſe Chriſtum ipſum vidiſſe. Quid ſi propterea Petro, & Ioanni ſe angelos, & Dominum vidiſſe non dixit, quòd illi ſimulatque primum audiuerùt verbum non expectatis pluribus ad ſepulchrum cucurrerunt? Quid ſi prudenter noluit illis angelorum, & Dominj viſionem exponere, ſed ita narrare factum quaſi ſublatú ſolú de ſepulchro Chriſto putaret, vt eos, & ad

Stare in ſcriptura quid ſæpe ſignificet.

viſendum ſepulchrum, & ad quærendum Chriſtum magis accenderet credens fore, vt ſi ad monumentum irent & Angelos, ſicut ipſa, & Chriſtum viderent; nec ſuo illis teſtimonio iam opus eſſet? Obſtare videtur, quòd Lucas c.24.23. ſcribat, mulieres diſcipulis narraſſe ſe etiam ad ſepulchrum vidiſſe Angelos, & quoſdam ex diſcipulis, id eſt Petrum, & Ioannem ad ſepulchrum cucurriſſe; ſed non diſſimile vero eſt initio mulieres nihil de viſis Angelis, & Chriſto dicere voluiſſe, neque de ipſa Chriſti reſurrectione quicquã affirmaſſe, ſed quaſi furto ſublatum exiſtimarent, tantùm dixiſſe, *tulerunt Dominum meum, neſcio vbi poſuerint eum*; vt quemadmodum diximus, ad viſendum ſepulchrum diſcipulos excitarent: quod ad excitãdum Petrum, & Ioannem cæteris ardentiores ſatis fuit, ad excitandos, & perſuadendos reliquos ſatis non fuit, ideo egreſſis iam Petro, & Ioanne, vt cæteris diſcipulis fidem facerent rem totam clariùs expoſuiſſe, narraſſeque ſe, & Angelos, & Chriſtũ vidiſſe. Hoc enim Chriſtus apud Marc. c.16.14. illis exprobrauit, *quòd iis, qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt*. Hæc interpretatio, & ipſa per ſe credibilis eſt, & ab iis, qui credere noluerint, refutari non poteſt; hac enim ratione Euangeliſtæ inter ſe omnes maximè conueniunt. Ioannes ergo ſuum, & Petri ad ſepulchrũ aduentum primum narrare voluit. Quod cum feciſſet, redit per anacephaleoſim ad exponendam Angelorum, & Chriſti viſionem ver.11. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans; dum ergo fleret inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis*. Quòd autem dicit inclinaſſe ſe, cùm Marcus, & Lucas in monumentum introiſſe dicant, contrarium non eſt: vtrumque enim fecit, & introijt, & inclinauit ſe, vt ſepulchrum videret; aut inclinando ſe intrauit, cùm non pedes, ſed caput, & corpus intra monumentũ immiſiſſet, vt ſepulchrum videre poſſet.

4. *Præ timore autem eius.*) Angeli, de quo proximè loquebatur. Quamquam & terræ motu territos fuiſſe cuſtodes credendum eſt; ſed quia res naturalis videri poterat, multo magis Angeli conſpectu territi ſunt. Quo autem modo Angelos viderint, cùm ipſi foris, Angeli, vt diximus, intra ſepulchrum eſſent, non ſine cauſa quæri poteſt. Credibile eſt Angelos cum primùm venerunt, & primum ab oſtio monumenti lapidem remouerunt, etiam foris oſtendiſſe ſeſe, vt cuſtodes viderent, ac terrerentur, cùm eam etiam ob cauſam veniſſent, vt cuſtodes Chriſti reſurrectionis teſtes vel inuitos eſſe cogerent. Credibile etiam cuſtodes, poſtquam remotum viderunt lapidem, ingreſſos intus, antequam mulieres accederent, vt viderent, num Chriſti corpus in ſepulchro eſſet, quod cuſtodiæ ac fidei ſuæ commiſſum fuerat, atque tunc intus ſedentes vidiſſe Angelos.

Et facti ſunt velut mortui.) Exanimes præ timore, quod & Danieli, cum Angelum vidiſſet, accidiſſe legimus c.10.8. *Et non remanſit*, inquit, *in me fortitudo, & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, neque habui quicquam virium*. Timuerunt autem cuſtodes non humano tantùm timore, ne à ſe quaſi Chriſti cuſtodibus eius corpus repeteretur, quod cum reddere non poſſent, quaſi aut negligentia ſua diſcipuli furati eſſent, aut ipſi pecunia corrupti illis tradidiſſent, pœnas luerent; ſed multò etiam maximè diuino, cum viderent Chriſti reſurrectionem diuinitus accidiſſe, eiuſque diuinitatem confirmaſſe, diuinitus etiam, aut immiſſo fulmine, aut dehiſcente terra ab eo puniretur, vt qui Iudæorum ſceleri operam præſtiſſent: quemadmodum Pilatus, cum audiuiſſet cum filium eſſe Dei, condemnare timuit, & abſoluendi quæſiuit occaſionem, Ioan. 19.8. Timuerunt etiam

Angelis apparentibus aliter boni, aliter mali timent.

viſo Angelo mulieres, verſu 8. & Marci 16.6.8. & Luc 24.5. ſed nullus Euangeliſta indicat tantum earum, quantus militum fuit, fuiſſe timorem, vt exanimes fierent. Contra verò Lucas verecundum potiùs timorem, quam vllius periculi metum fuiſſe ſignificat. *Cum*, inquit, *timerent, & declinarent vultum in terram.* Vultum enim in terram & ſi inate non tam fuit timoris, quàm verecundiæ. Et verò quis inſolito, & ſupra humanum Angelorum viſo non timeat? Timuit Daniel cap.10.8.16. Timuit Zacharias Luc.1.12. Timuit ipſa Maria virgo. Luc.1.29. Sed aliter boni, quàm mali timent. Auget enim malis mala conſcientia timorem. Timent mali, vt nequam ſerui, ne pœnas dent; timent boni, vt filij, ne coram Angelis minùs reuerentes eſſe videantur, & quia non poteſt humana infirmitas diuinum ferre conſpectum. Timent milites, & exanimantur. Timent mulieres, ſed non exanimantur, quia, vt D. Antonius, quemadmodum in comment. refert D. Thom. & Hieron. hoc loco dicit, cum bonus Angelus bonis hominibus apparet, etiamſi initio inuſitato aſpectu timorem iniiciat, ad extremum conſolationem, & animi tranquillitatem relinquit. Mulieres ergo, non milites Angelus timentes conſolatur, verſ. ſequenti. *Nolite*, inquit, *timere vos*, vt D. Hieronymus, & poëta Iuuencus adnotauerunt. Hanc enim vim habet pronomen illud, *vos*, vt ſtatim dicturi ſumus.

5. *Reſpondens autem Angelus.*) Id eſt exorſus verba facere; ſæpè enim hunc iam Hebraiſmum expoſuimus, quo נען & reſpondere ſignificat, & loqui incipere, vt ſupra cap. 11.25. & cap. 22.1.

Nolite timere vos.) quaſi dicat, milites timeant, qui malo huc animo, quaſi Chriſti reſurrectionem impedituri venerunt; vos, quæ non vt impediatis, ſed vt pietatis illi, & charitatis officium exhibeatis, veniſtis, nullam timendi cauſam habetis. Hæc eſt vis illius pronominis *vos*, quaſi illas militibus opponat, vt Cyrillus, Hieroſol. Catech. 14. Chryſoſt. hom. 50. Gregor. hom. in Euang. 21. Beda, Euth. & Theoph. adnotauerunt, *Paueant*, inquit Gregorius, *illi, qui non amant aduentum ſupernorum ciuium: pertimeſcant, qui earum bus deſideriis preſſi ad eorum ſe ſocietatem pertingere poſſe deſperant: vos autem, cur pertimeſcitis, quæ veſtros concues videtis?*

Scio enim, quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis.) Reddit cauſam, cur timere non debeant, quòd non malo, ſed bono, ac pio venerint animo, vt Chriſti corpus quærerent, & religioſum illi vnctionis officium exhiberent: idque ſe ſcire confirmat, ne fortè, quamuis bona ſint conſcientia, tamen propterea aliquid à ſe mali timeant, quòd neſciens qua de cauſa venerint, aut ad furandũ corpus, aut ad aliquid aliud agendum mali veniſſe ſuſpicari poſſit. Quòd autem Chriſtum, & Ieſum proprio appellat nomine, & crucifixum fuiſſe dicit, ad faciendam etiam pertinet fidem, vt oſtendat ſe rectè Chriſtũ noſſe, nec ignorare eum, & crucifixum, & mortuum, & eo loco ſepultum fuiſſe; ſcire tamen ſe eum reſurrexiſſe. Apud Marc. 16. *Ieſum Nazarenum crucifixum*, Angelus Chriſtum appellat, plurib. verbis Chriſtum deſcribens, quod eodem pertinet. Sed Matthæus Nazareni verbum prætermiſit. Lucas c.24.5. alia Angelorum recitat verba, *Quid*, inquiunt, *quæritis viuentem cum mortuis?* Ioannes rurſus alia c.20.13. *Mulier quid ploras?* omnia dixiſſe Angelos credendum eſt. Primùm mulieres cerniſſe plorare, cum ſepulchri oſtium apertum vidiſſent, exiſtimantes Chriſti corpus ſublatum fuiſſe. Atque hoc eſt, quod ſcribit Ioannes, *Maria autem ſtabat foris plorans*, vnâ nominans, omnes intelligens: mox plorantes in monumentum ingreſſas eſſe, Angelóſque illis

Universidad de Deusto
Biblioteca

dixisse, *Quid ploras?* & de sola Magdalena loquens, ait Ioannes, Magdalenam vnam pro omnibus respondisse, *quia tulerunt Dominum meum*, vt idem scribit Ioannes; tunc subiecisse Angelum, qui pro se, & altero Angelo loquebatur, *Nolite timere vos: scio enim, quòd Iesum qui crucifixus est quæritis viuentem cum mortuis*; quasi amicis verbis eam incredulitatem subreprehendat. Si enim Christi verbis, quibus adhuc viuens se tertia die resurrecturum affirmauerat, fidem habuissent, non quæ rerent viuentem cum mortuis, sed eum viuere pro certo sibi persuasissent. Ad extremum subiecisse, quod etiam Matthæus, Marcus, & Lucas scribunt, *non est hic, surrexit*, eásque iussisse ad Apostolos ire, & Christi illis resurrectionem annunciare, vt ijdem tres narrant Euangelistæ.

6. *Non est hic, surrexit enim.*) Non satis fuit dicere *non est hic*; poterat enim illic non esse, nec tamen resurrexisse, quia inde translatus, aut furto sublatus; propterea addit, *surrexit enim*; quasi dicat, ideo non est hic, non quòd translatus, vt vos putatis, aut furto sublatus sit, sed quia resurrexit. Quod ne nouum & incredibile videatur addit, *Sicut dixit*, confirmans ex verbis Christi ipsius resurrectionem, & earum incredulitatem tacitè notans, tanquam dicat, si Christo credidissetis dicenti se tertia resurrecturum die, supra c. 16. 21. & 17. 23. & 20. 19. & 26. 32. facile nunc sine meo etiam testimonio eum resurrexisse credere tis.

Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus.) Quod & suo, & Christi testimonio probauerat, nunc experientia confirmat, & ipso visu nititur fidem facere, *venite*, inquit, *videte locum, vbi positus erat Dominus*; Dominum eum vocat, Deum confitetur. Quis enim præter Deum Angelorum Dominus est? Videtur de industria ijsdem vti verbis, quibus auctore Ioanne, Magdalena vsa fuerat. Illa dixerat, *tulerunt Dominum meum*; ille dicit. *Venite, videte locum, vbi positus erat Dominus*, non solùm suum, sed omnium & hominum, & Angelorum Dominum vocans. Hoc enim indicat, cum absolutè, & sine vlla adiectione Dominum appellat. Distulimus certo consilio in hunc locum quæstionem illam, quánam hora Christus resurrexerit, quòd hoc primùm loco mentio de eius resurrectione facta sit. Nocte illa, quæ inter sabbathum, & primam hebdomadis diem, quam nos Dominicam appellamus, intercessit, resurrexisse, quod ego quidem sciam, nemo non dixit. Illud etiam apud omnes ferè auctores constare video, non ante mediá noctem resurrexisse, etsi non defuerunt, qui propter Matthæi verba, *vespere autem sabbathi*, ver. 1. vespere, id est noctis initio resurrexisse dixerint, vt Dionysius Alex. in epist. ad Basilidem auctor est. Ea opinio neque fidem inuenit, & eorum verborum, quibus adducti sunt eius auctores explicatione, supra est à nobis refutata. Media surrexisse nocte, sicut media etiam nocte natus creditur, multorum opinio fuit; qui, vt idem scribit Dionysius, propterea quadragesimæ ieiunium media ante diem Paschæ nocte soluebant, quod & in Synodo Constantinopolitana in Trullo habita, vt fieret, decretum est canon. 89. vt Balsamon in comment. ad Dion. scribit; idque est totius ferè etiam Ecclesiæ vetere consuetudine confirmatum, quæ sacrum illud de resurrectione, quod nunc die sabbathi hora vix aliquando decima celebramus, ad mediam noctem celebrabat. Alij sub auroram circiter galli cantum resurrexisse crediderunt. In quam sententiam Gregorius Nyssenus oration. 2. de resurrect. magis inclinat. Romanos etiam ea hora, quasi tunc Christum resurrexisse crederent, solitos fuisse soluere ieiunium Dionysius auctor est. Euthym. etiam affirmat eam omnium sanctorum patrum opinionem fuisse, quam & ipse, vt probabiliorem, sequitur. Certissimum est, quod & Gregorius Nyssenus in ea, quam paulò ante diximus, oratione, & Hieronymus quæst. 6. ad Hedibiam, & Euthymius hoc loco monent, qua hora Christus resurrexerit, neminem scire posse mortalium; solum scire ipsum, qui vt voluit, & quando voluit, resurrexit. Cæterum si, cum certa desunt argumenta, aliquis coniecturis locutus est, & in rebus incertis, quod simillimum vero est, dum verum ipsum appareat, pro vero tenendum, sub auroram resurrexisse credendum est. Cum enim Angeli ideo de cælo descenderint, vt eum surrexisse testarentur; probabile est statim, vt surrexit, descendisse, ne si interim milites, aut ipsi, qui occubuerant, sacerdotes sepulchrum aperuissent, & corpus non inuenissent, furto sublatum putarent, idque non iam data pecunia, sed gratis rati se vera dicere diuulgarent; Angelos autem sub auroram venisse ex eo manifestum est, quòd ad eorum aduentum mota sit terra. Terræ autem motus mulieribus ad sepulcrum appropinquantibus, vt ait Marcus, orietur iam sole factus est. Tunc ergo Christus resurrexit, aut non multo certè ante resurrexerat. Sed hanc opinionem tantum probabilitatis habere volumus, quantum ea coniectura, qua à nobis probata est, habere iudicabitur.

Quahora Christus resurrexit.

7. *Et citò euntes.*) Citò ire iubet, & vt quamprimum, qui ob Christi mortem tristes erat, lætissimo resurrectionis nuncio recreentur, & vt nutans eorum mens quam penitus cadat, fides sustineatur. Marcus c. 16. 7. Angelum sic dixisse ait; *Ite, dicite discipulis eius, & Petro*; Petro nominatim dici iubet, ne quia ter Christum negando peccauerat, exclusus esse ab eo beneficio videretur, vt Greg. hom. 21. in Euang. & Euthym. docuerunt.

Quia surrexit.) Eum surrexisse; Sæpe eum Hebraismum explicauimus.

Et ecce præcedet vos in Galilæam.) Indicat Angelus Christum iam in Galilæam discessisse, aut quòd ita putasset, aut quòd sciret eo animo Christum fuisse, cum resurrexit, vt iret in Galilæam, & se illic discipulis ostenderet: nisi malimus præsens tempus Hebraicum more pro futuro positum esse, quasi dicat, ecce præcedet vos in Galilæam, quantumcumque festinatis; sciebat enim Christum momento temporis huc illuc volitare. Ignorabat, vt videtur, Angelus, quod paulò pòst futurum erat, Christum se mulieribus in vrbem redeuntibus ostensurum esse. Facit etiam hoc ad accendendum discipulorum studium, vt cum audierint Christum iam, vt in Galilæam præcedat, ire, cessisse, magis eò festinarent, & sequi non pigerent, quos præire pigebat. Mira humana infirmitas est, mira constantia; multo erat facilius Christum in Galilæam euntem, & quidem iam suscitatum, atque gloriosum, quàm in crucem infirmum, & ignominiæ plenum sequi. Atqui illud omnes pollicitri erant c. 26. 35. ne hoc quidem præstiterunt. Nam cum hæc à mulieribus discipulis narrata essent, *visa sunt ante illos sicut deliramenta verba illa*, vt cap. 24. 11. Luc. scribit. Duplex in hunc locum incidit quæstio. Altera, cur in Galilæa potius, quam in Iudæa Christus se Apostolis ostendere voluerit. Altera, cur contra quàm decreuerat, ac dixerat, in Iudæa se prius, quàm in Galilæam iret, ostenderit. Priorem quæstionem plerique ad hunc modum explicant, ideo in Galilæa discipulis apparere voluisse, vt liberius cum illis agere, eósque docere posset: In Iudæa enim sacerdotum, & Pharisæorum metus impedire discipulos poterat. vt Chryso. hom. 90. & Euthym. exponunt, idémque in comment. in cap. 24. Lucæ indicat Ambros. Alij propterea in Galilæa apparere voluisse,

quòd cùm diutiùs sibi Euangelium prædicasset, plures ibi discipulos haberet, quod vellet omnes eadem opera confirmare. Hieronym. & Beda aliam, sed allegoricam rationem reddunt. Galilæam iuxta nomen suum omnium vitiorum voluptatum significare, ideóque oportuisse Christi præsentia illustrari; vt Isai. cap. 9. 1. 2. quod supra c. 4. 15. Matthæus ad Christi etiam prædicationem accommodauit, longè ante dixerat. *Terra Zabulon, & terra Nepthali via maris trans Iordanem, Galilæa gentium, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* At cur non statim eò contendit? quæ secunda quæstio erat. Quoniã vidit cunctantes adhuc, & dubitantes Apostolos, nec ituros fuisse in Galilæam, nisi priùs se illis, vt eorum corroboraret fidem, Hierosolymæ demonstrasset, vt indicat Ambrosius: non ergo fefellit fidem suam, sed superauit, quia plus præstitit, quàm pollicitus erat. Prouiserat se in Galilæa discipulis apparitorum, apparet etiam Hierosolymæ, vt Gregor. Nyssen. scribit.

Ecce prædixi vobis.) Hæc verba eò pertinẽt, vt, cùm in Galilæa Christum discipuli viderint, credant non phantasma, non spiritum, sed ipsissimum esse Christum, cùm experti fuerint angelum vera prædixisse, ideóque non potuisse, nisi diuinitus locutũ esse. Quare & Christum esse, quem viderant, credere oportere, cùm ab eodem angelo fore, vt eum viderent prædictum fuisset. Sic Samuel, vt Sauli persuadeat ea, quæ illi prædixerat, futura esse, quædam alia prædicit, quæ eodem die Saul experturus erat, vt ea cæteris fidem facerent. *Cum abieris*, inquit, *hodie a me, inuenies duos viros iuxta sepulcrũ Rachel in finibus Beniamin in meridie, dicẽtque tibi, inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas.* 1. Reg. 10. 2. Eodem modo Christus Ioann. 14. 29. *& nunc*, inquit, *dixi vobis, priusquam fiat; vt cum factum fuerit, credatis.* Marcus 16. 7. paulò aliter dicit, καθὼς εἶπεν ὑμῖν, *sicut dixit vobis*; vt angelus se, sed Christum hoc prædixisse dicat, alludens ad verba Christi, quæ paulò ante mortem discipulis dixerat, *& postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam*, Matth. 26. 32. fortasse hoc loco pro εἶπον *dixi*, ἔφην *dixit* legendum est; facilis enim & Græcè vnius litteræ mutatione, & Latinè vnius detractione lapsus esse potuit, & si ita legatur, nulla inter Matthæum, & Marcum discordia erit; sed facilè corrigere non audeo.

8. *Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno.*) Quod citò exierint, & Angelorum iussu qui versu præcedenti illi dixerant, *citò euntes dicite discipulis eius*, & timore simul, gaudióque fecerunt. Vtrumque enim festinarè homines cogit. Cur simul timuerint, simul gauisæ sint, facilius est, vt facta ex se quisque, si eo loco fuisset, cõiectura dijudicet, quàm vt nos verbis explicemus. Timebant, quia angelos viderant; & cælestis, diuinæque naturæ conspectum, quis ferre non potest, humana natura reformidat. Gaudebant, quia audiuerant Christum resurrexisse. Marcus ait 16. 8. *at illæ exeuntes fugerunt de monumento; inuaserat enim eas tremor, & pauor, & nemini quicquam dicerunt; timebant enim.* Quòd autem dicit, nemini quicquam præ timore dixisse mulieres, non ita intelligendum est, quasi nemini prorsus, ne ipsis quidem Apostolis, quæ viderant, dixerint; nam ex Luca cap. 24. 11. 22. manifestum est, eas discipulis dixisse se in monumento vidisse angelos: sed significat Marcus eas in via adeo mutas fuisse, vt neque ijs, qui occurrebãt, neque ipsæ inter se aliæ alijs quidquam dicerent, discerent, sicut timore correpti homines facere solent.

9. *Et ecce Iesus occurrit illis.*) Non satis cum his verbis conuenire videntur, quæ Marcus, & Ioannes scribunt. Marcus 16. 9. ait; *surgens autem Iesus mane prima sabbathi apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia*, quasi Christus nec alijs tunc mulieribus apparuerit, nec Magdalenæ ipsi ad discipulos iterum, sed alias. Ioannes verò cap. 20. 13. 14. 15. 16. 17. cum dixisset Magdalenam stetisse extra monumentum plorantem, cùmque se in monumentum inclinasset, vidisse angelos, qui eam interrogauerint. *Mulier, quid ploras?* dicit, inquit, *eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus est. Dicit ei Iesus, Mulier, quid ploras? quem quæris? illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magister, dicit ei Iesus, noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascẽdo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Quòd attinet ad Marcum, minor est difficultas, cùm enim illi propositum esset dicere Christum mulieribus apparuisse, prætermissis omnibus circunstantijs dixit eadem die surrexisse Christum, non de resurrectione, sed vt ita dicam, de surrectione loquens, quasi prius sedisset, & Magdalenæ apparuisset. Surgere enim Hebraica phrasi dicitur, qui aliquid operis aggreditur, etiam si verè non surgat, vt *Cœpit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, id est, incœperunt, & supra cap. 24. 11. *multi Pseudoprophetæ surgent*, id est existent, aut se demonstrare incipient, & versu 24. *surgent enim Pseudochristi.* Non enim Marcus docere voluit, qua hora Christus resurrexisset, quod, vt vet. 6. docuimus, incertum omnino est, sed qua hora Christus mulieribus apparuisset. Quod autem solam nominet Magdalenam, aut ideo fecit, quòd soli priùs Magdalenę apparuerit, vt paulò infra disputaturi sumus, aut quòd cũ omnibus simul mulieribus apparuerit, tamen eum sola priùs Magdalena locutus fuerit. Verba Ioannis plus habent difficultatis. Sunt igitur, qui existiment, bis se Christum mulieribus demonstrasse. Primùm soli Magdalenæ adhuc iuxta sepulchrum, hærenti, & retro respicienti, vt Ioannes dicere videtur. Deinde omnibus mulieribus, quæ ad sepulchrum venerant, vt discipulis nunciarent redeuntibus. Nam cum omnes in monumento essent, digressis, vt abirent, alijs Magdalenam adhuc plorantem iuxta sepulchrum restitisse, cúmque respexisset retro, vidisse Christum, ab eo interrogatam, quid ploraret, aut quid quæreret, hortulanum ratam respondisse, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam*, Christum respondisse nomine eam appellantem, *Maria*, & cætera, quæ Ioãnes narrat tunc accidisse, mox Magdalenam profectam, inde cæteras quæ præibant, mulieres currículo consequutam, cúmque vnã cum illis pergeret, Christum illis iterum simul euntibus apparuisse, vt hoc loco Matthæus scribit. Sic D. Augustinus libro 3. de consensu Euangel. cap. 24. & Seuerus apud D. Thomam in comment. Alij duas quidem, sed aliter factas apparitiones fuisse putant, priùs enim Magdalenam solam ad monumentum venisse, atque tunc illi, quemadmodum scribit Ioãnes, visum fuisse Christum; deinde vnà cum cæteris mulieribus ad monumentum redijsse, & cum inde rursus ad Apostolos reuerterentur, Christum illis in via, vt ait Matth. occurrisse. His Gregorius Nyssenus auctor est. Vtramque opinionem, quia bonos habet auctores, non tam probare cogor, quàm non refutare. Sed nescio, quomodo mihi insedit animo, vt vix mihi persuadere possim, aut Magdalenam bis ad monumẽtum venisse, aut bis illi apparuisse Christum. Quid enim cogit nos ita sentire, cum Matthæus apertè significare videatur, &

Surgere in scriptura quemodo intelligi accipiatur. Exod. 32. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnes simul mulieres ad sepulchrum venisse,& omnes simul rediisse. & omnibus redeuntibus occurrisse Christum? Nam quòd Marcus ait visum fuisse primum Magdalenæ,facilimè interpretari possumus,vt Magdalenam non cæteris mulieribus sed Apostolis opponat;vt sensus sit,non quidem prius Magdalenæ, quàm cæteris mulieribus, sed prius illi, quàm Apostolis apparuisse. Nam vt versu 16. dictum fumus,meritò à Catholicis creditur,quamuis scriptum non sit, Christum primum omnium matri suæ apparuisse. Quare non potest esse sensus primum apparuisse Magdalenæ, id est inter omnes mulieres primùm ab ea visum fuisse. Quòd autem Marcus solam nominet Magdalenam, nec mirum est, cùm Ioannes nullam aliam nec ad sepulchrum venientem,neque reuertentem,neque Christum videntem nominauerit,& constet ex alijs Euangelistis, & alias cum ea ad sepulchrũ venisse & reuertentes vidisse Christum.Et cur solam nominauerit Marcus, paulò ante rationem exposuimus .quòd cum ea primum loqui cœperit,& fortasse inter omnes,quæ simul ibant,prima Christum viderit Magdalena.Quod autem Ioannes scribit etsi difficilius videtur,haud multo difficilius explicare possumus. Primum, quòd dicit Magdalenam ad sepulchrum stantem, atque plorantem conuersam vidisse Christum sic intelligi potest,vt conuersam dicat,non respicientem, sed redeuntem. Nam etsi contrarium videri potest, quod hortulanum Christum esse putauerit,quod non putasset, nisi in horto.vbi sepulchrũ erat,vidisset, id ipsum ita intelligi potest, vt dicamus Christum reuertentibus quidem iam mulieribus, sed nondum hortum egressis, aut egressis quidem, sed quasi ad hortum euntem Christum apparuisse,aut ea apparuisse forma,vt facilè hortulanus esse credi posset;ideo hortulanum existimasse. Quòd autem Christum illam interrogasse dicit, *quid ploras?* credendum est,etiam, cum reuerterentur, omnes.maximéque Magdalenam plorauisse,quia,vt Gregorius Nyssenus ait,& ex hoc ipso Ioannis hoc loco perspicuum est, Magdalena etiam affirmanti angelo resurrexisse Christum,non satis credidit.Nam postquàm id angelus affirmauit,adhuc plorat,quasi non resurrexisse,sed furto sublatum fuisse crederet; adhuc dicit,*Domine,si tu sustulisti eum, dicito mihi:* adhuc dicit Apostolis, *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, vbi posuerunt eum*, Ioan.20.2.cum enim hæc dicit,iam angelum vidisse,vers.3.copiosè probauimus. Quòd autem solam Ioannes nominat Magdalenam, minùs etiam mirum est, quàm quòd eam Marcus solam nominauerit, cùm Marcus non eam solam, sed cum ea alias mulieres ad monumentum venisse dixisset. Ioannes autem solam venisse docuit.Non auderem dissentientibus tot interpretibus hanc sequi sententiam, nisi præclarum haberem auctorem D.Athanasi in oratione de Christi incarnat.

A

B

C

D

E

Aucte) שלום Pax vobis,sic enim Hebræi salutare solent, quamuis Græci interpretes vertant χαίρετε auete.Vtuntur autẽ Hebræi ea salutationis forma,cum aliàs,tum maximè,cum eos,quos salutant,non timere,sed bono animo esse iubent.vt Gen.43.23.& Iudic. 6. 23. & 19. 20. quod in hunc locum aptè conuenit; quia enim timoris plenas mulieres videbat,hac ratione salutat, Pax vobis, quasi dicat,bono estote animo, non aduersarius,sed amicus vobis venio,quemadmodum versu sequenti illis dicit,*nolite timere.*

Illa autem accesserunt,& tenuerunt pedes eius.) Ioannes 20.17 indicat Magdalenam pedes Christi non tetigisse; prohibitam enim à Christo dicente, *noli me tangere;nondum enim ascendi ad patrem meum.* Si eadem vt ego existimo, hæc fuit visio,de qua Matthæus,& illa,de qua Ioannes scribit, non difficile potest ea, quæ inter Euangelistas videtur esse repugnantia conciliari.Ioannes enim non dicit Magdalenam pedes Christi non tetigisse,sed Christum dixisse, *noli me tangere.* Atqui fortasse,cum hoc Christus diceret;iam tetigerat, vt nonnulli etiam interpretes existimant;fortasse Christo etiam prohibente tetigit, vt res importuna & pertinax est amor. Simile enim supra c.9.20 31.legimus exemplum cum Christus cæcos curasset,illisque præcepisset dicens, *videte ne quis sciat,illi*,inquit Euangelista, *exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.* Obedientiæ enim, & pietatis genus esse putauerunt Christo in hac re non obedire. At solam Ioannes Magdalenam prohibitam fuisse dicit,ne tangeret Christum. Quod si omnes prohibitæ sint,sed Ioannes,qui de sola Magdalena loquebatur, sicut solam ad sepulchrum venisse dixerat,solam vidisse Christum,ita etiam prohibitam tangere fuisse dicit? At cæteri Euangelistæ, qui de alijs loquuntur non dicunt eas fuisse prohibitas: nec Magdalenam prohibitam dicunt, quemadmodum ergo id,quod in Magdalena factum fuisse constat præteremiserunt, ita id ipsum, quod in alijs mulieribus eadem ratione factum esse probabile est,prætermittere potuerunt. Quia non quid Christus fieri vetuisset,sed quid factum esset; non Christi voluntatem,sed mulierum in Christum amorem declarare voluerunt.Quòd si,vt plerique putant,hæc alia illa de qua Ioann.s scribit,diuersa fuit visio; non quidem eadem,sed similis tamen oritur quæstio,cur illa Magdalenam Christus se tãgere prohibuerit;hic eandem Magdalenam & cæteras mulieres non prohibuerit. Quid si & hic prohibuit, sed id Euangelistæ pretermiserunt? Ioannes quia hanc visionem, si diuersa fuit non narrauit:cæteri,quia quamuis narrauerint,tamen vt modò diximus non quid Christus vetuisset, sed quid mulieres fecissent declarare voluerunt. Ioannes & omnes prohiberi,& omnes tangere,licet non omnes expressum sit,tamen potuerunt;hinc siue omnes,siue aliquæ tetigerint, siue omnes, siuæ aliquæ prohibitæ fuerint,duæ tamen adhuc quæstiones manent,cur aut omnes,aut aliquæ tetigerint;omnes certè tangere voluerunt,& cur Christus, aut omnes; aut solam eam Magdalenam prohibuerit,aut voluerit saltem prohibere.Ad priorem quæstionem natura ipsa respondet. Quis enim Christianus suscitatum ante se videns Christum,non subito perfusus gaudio in eius amplexum corruisset? Muliebris autem modestiæ,& verecundiæ fuit non corpus amplexari,sed pedes,vt Theophylact.& Euthym.docuerunt. Erat potrò inter Iudæos reuerentiæ & adorationis genus,præsertim mulierum erga viros,pedes tangere:sicut Exodi 4.25. Sephora mariti pedes tetigit,quasi deprecabunda. & 4. Reg.27.mulier illa Sunamitis, cum ad Elisæum venisset, eius pedes tetigit, orans, vt veniret, & filium suum mortuum suscitaret. Quemadmodum apud Græcos adoraturi genua tangebant:

καὶ ἓα πάσεις ἀυτῶν καθίζοντας καὶ λίθα ζωύων,

inquit Græcus ille Poëta: de qua consuetudine, & eius origine multa Plinius libro 11. cap. 45. dicit; quàm verè, philosophatur. Eum certè morem diu in Ecclesia viguisse,vt qui Episcopos salutabant,eorum genua manu tangerent, ex nonnullis veterum Conciliorum decretis intelligimus. Sic ergo Magdalena reuerentiæ causa Luc.7. 38. Christi pedes tenuit; sic omnes hoc loco mulieres pedes eius adoraturæ tenuerunt, quod explicans Euangelista addidit statim, *& adorauerunt eum.* propterea ergo tetigerunt,vt adorarent. Altera tangendi causa esse potuit,vt experirentur,num verus esset Christus. an ipiritus aliquis, qui falsa ipsas Christi specie deluderet, vt Theophyl.

mul

multos auctores existimasse dicit. Potuerunt id facere mulieres non sine exemplo; nam & Apostoli, vt ait Lucas, cap.24.37. cum primùm vidissent Christum, putauerunt *se spiritum videre.* Cur ergo Christus, aut omnes, aut solam saltem prohibuit Magdalenam, ne se tangeret? Ab ipso Christo ratio eius rei addita est: *nondum enim,*inquit, *ascendi ad patrem meum*;sed ea ipsa ratio difficiliorem quæstionem reddit. Quid enim sibi vult, *noli me tangere; nondum enim ascendi ad patrem meum*;quasi postquàm ad patrem ascẽdisset,eum tactura esset;quemadmodum sæpe D. Aug. argumentatur. Atqui propterea tangere eum posse, ac debere videbatur;quia nondum ascẽderat ad patrem:si enim ascendisset,nec deberet nec posset tangere. Quidam non omnino se tangi Christum prohibuisse existimant,sed eo modo; quo Magdalena tangere videbatur,quasi hominem,qui eodem modo,quo ante mortem familiariter esset inter homines versaturus,& se omnibus tangendum præbiturus;cùm non ita cum illis,sicut ante,versaturus esset,sed more spiritus,qui nec videtur, nec tangitur,sed aliquando apparet, aliquando abit.Sic Iustinus martyr quæst.ad Orthodox. 48.& Cyrillus lib.12.in Ioannem, cap. 50. vnde dicit eam in Ecclesiam manasse disciplinam,vt spiritu sanctificatis mysterijs clamare solitum esset, Sancta Sanctis;sicut Christus antequàm ascenderet,& Spiritum sanctum in Apostolos mitteret, non est passus se à mulieribus tangi. Nam si Apostolis se tangendum præbuit.*Palpate*, inquit,*& videte*,si Thomam iussit in latus suum, & in locum clauorum digitum inferre, fecit necessariò,vt eorum incredulitati tactu mederetur, sicut ante mortem suam ægrotos tactu curare consueuerat. Ingeniosa interpretatio,sed quomodo herebit ratio, *nondum enim ascendi ad patrem meum?* Alij propterea prohibitam Magdalenam tangere,quia indignia erat,vt Christum tangeret,quæ de eius resurrectione etiam testificante angelo dubitabat, & vicentem cum mortuis adhuc quærebat,Chrysost. homilia de Ioanne Baptista, Ambrosius serm. 38. & in Psal. 46. & libro comment. in Lucam 10. Hieronym. quæst. 5. ad Hedibiam, & in epistola ad Paulam de obitu Blesillæ, August. epistola 58. Alij mysterio factum putant: per Magdalenam enim gentium Ecclesiam significari, quæ non ante credidit, quod est D. Aug. tract. in Ioan. 26 & 121. interpretatur. Mysterium aliquod esse vt concedamus, tamen solum esse non postumus. Aliam idem Diuus Augustinus ijsdem duobus locis, & epistola 222. & lib. 4. de Trinit. cap. 3. interpretationem affert, quam ipsius verbis hic recitabo.*Sic*, inquit, *in se voluit credi Iesus, hoc est, sic se spiritualiter tangi,quod ipse,& Pater vnum sint. eius quippe intimis sensibus quodammodo ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecit,vt patri agnoscat æqualem,alter non recte tangitur, hoc est, non recte in eum creditur; nondum enim ascẽdo ad Patrem meum;sibi me tanges,quando me credideris patri non imparem Deum.* Sequitur Vulgentius Augustinum discipulus præceptorem lib. 4. ad Thrasymundum. Ad eundem fere modum Chrysostom.homil.5. de resurrectione interpretatur. *Noli*, inquit,*me tangere,non debes tangere, sed credere.* Caluinus sine vlla coniectura dicit Christum hæc verba nõ dixisse, nisi postquàm Magdalena non solùm eius pedes tetigerat,sed nimium etiam tetigerat, & contrectauerat: quasi Christus non tactum,sed nimium, & importunum tactum prohibeat. At quid cum nimio tactu quod sequitur, *nondum enim ascendi ad patrem meum?* Nec tacitus præteribo, quod Caluinus Magdalenæ pietatem,& religionem superstitionem appellat,& studium erga Christum stultum feruorem vocat:quod vel scribere horruissem, nisi iudicassem Ecclesiæ publicè interesse; vt quemadmodum hæretici de sanctis vitis,ac mulieribus loqui soleant,Catholici sciant,& ex ipsorum verbis de eorum doctrina,& religione iudicent. Ad rem vt redeam, propterea nulla mihi ex superioribus placet interpretatio, quòd cum nulla earum ratio, quam Christus reddit, conuenire possit, *nondum enim ascendi ad patrem meum.* Itaque quærenda alia explicatio est,cum quæ hæc ratio rectè conueniat. Ego quidem simpliciùs, nullum licet auctorem habens, & minus ingeniosè interpretari soleo,voluisse Magdalenam ita Christum tangere,quasi eum ampliùs non visurum, & quasi timeret,nec statim abiret,aut ad Patrem ascenderet, & occasionem eum amplectendi,& adorandi habitura non esset. Ad hunc eius sensum Christus respondet,*noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum*,quasi dicat,satis habebis temporis, vt me sæpe tangas, antequàm ad Patrem ascendam, nunc noli me tangere,noli ad pedes meos hærere,sed cito abi ad fratres meos, & dic, vt eant in Galilæam, vbi me videbunt.Huic interpretationi nihil aliud videtur obstare, quàm quòd Christus non dicat,nondum ascẽdam,aut nondum ascendo, sed *nondum ascendi ad Patrem meum.* In promptu responsio est, ita vulgò loqui solemus, nondum discessi,cum significare volumus nos non tam citò discessuros,sed satis adhuc esse temporis,vt cum amico qui nos interpellare vult, colloqui possumus. Docuimus etiam alijs in locis sæpe verba non naturalem, & proprium actum,sed agendi voluntatem,& decretum significare;*vado piscari*, inquit Petrus Ioan.21.3.id est, decreui ire ad piscandum;cum enim hoc dicebat,nõdum ibat.Respondent alij,*venimus & nos tecum*, id est venire volumus, nondum enim veniebant. Eodem modo à Christo dictum est, *nondum ascendi*, id est, nondum ascendere decreui ad Patrem meum. Si ergo Christus omnes mulieres se tangere prohibuit, hoc sensu prohibuit:si solam Magdalenam, ideo solam prohibuit,quia sola hoc modo,& hoc animo tangebat; ideo se à discipulis tangi non prohibet,sed eo potiùs ad tangendum inuitat, *Palpate*,inquit,*& videte,quia spiritus carnem,& ossa non habet*, Luc.24.39.&, *infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manũ tuam,& mitte in latus meum & noli esse incredulus, sed fidelis*, Ioan. 20. 27. Cur primùs Christus à mulieribus, quam à viris, & quidem Apostolis visus fuerit, quæri inter interpretes solet. Eius rei vna statim ratio lectoris animo,etiam non quærentis occurrit,priores Christum videre mulieres, quia priores quæsiuerunt: digna fuit ea mercede earum diligentia. *Illæ*, inquit, Cyprianus in ser. de resurrectione,*primæ viderunt, & cognouerunt,quæ ardentius dilexerunt,quæ deuotius quæsierunt,*& Hieronymus, *Quæ sic quærebant,quæ ita currebant, meruebantur obuium habere Dominum resurgentem,& primum audire. Aucte,vt maledictum Euæ mulieris in mulieribus subuerteretur.* At cur mulieres potiùs, quàm viri priores quæsiuerunt? Mulierum studium, & pietatem cum Apostolorum studio,& pietate comparare nostrum non est,vt dicamus propterea mulieres, non Apostolos Christum ad monumentum venientes quæsiuisse,quod plus in eum studij, & pietatis haberent; hoc Deo iudicium relinquamus; aliam nos rationem,quæ in manifesto est, afferre possumus; propterea mulieres Christum quæsiuerunt, quia eius corpus vngere volebant. Vngere autem mortuos, sicut lauare,& inuoluere non tam virorum, quàm mulierum erat officium. Non ergo mulieres Christum,sed corpus Christi quærebãt, propterea ab angelis reprehenduntur, *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* Luc.

Cur primò Christus mulieribus quàm Apostolis post resurrectionẽ apparuit

24.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

24.5. Tamen quia hoc ipsum pium officium fuit, remuneratione non caruit, vt primę Christum viderent. Alia quoque potuit esse causa, cur Christus mulieribus priusquam viris voluerit apparere. Perseuerant mulieres digressis hac illac discipulis non solùm vsque ad Christi mortem, sed etiam vsque ad finem sepulturæ. Luc. 23. 55. Itaque mulieres resurrectionis eius testes esse poterant, quæ & mortis, & sepulturæ eius testes fuerant. Sciebat etiam Christus facilius mulieres, quàm Apostolos viso se credituras esse, vt est ingenium mulierum ad credendum magis propensum, & facile, quàm virorum. Euentus id docuit, Apostolos enim etiam viso Christo dubitasse legimus infra vers. 17. & Lucæ 24. 38. 39. mulieres viso quidem, & audito angelo dubitasse ex Ioanne colligimus, viso autem Christo dubitasse nullo ex Euangelista colligimus. Voluit ergo Christus per mulieres de sua iam resurrectione persuasas Apostolos ad credendum paulatim præparare. Alias Hilarius, & Ambros. sed allegoricas rationes afferunt. Quærunt alij, cur non ipse Christus prius quàm angeli mulieribus apparuerit? In promptu ratio est, quia minimè eum Christum esse credidissent, nisi prius ab angelo de eius resurrectione edoctæ fuissent.

10. *Tunc ait illis Iesus, nolite timere.)* Vero simile est mulieres ad pedes Christi quamuis vna ex parte repentino perfusas gaudio, quòd eum ante se viderent, alia tamen ex parte tremebundas accessisse, & num phantasma esset dubitantes, antequàm propiùs recognoscerent, & loquentem audirent, propterea dicit illis, *nolite timere.*

Ite renunciate.) Idem eas facere, quod angeli, iubet, vt angelorum visionem veram fuisse confirmet; ita Christo angeli, angelis Christus mutuam operam præstiterunt.

Fratribus meis.) Quidam fratres à Christo eius cognatos vocatos putant, vt supra cap. 12. 46. 47. meliùs omnes discipulos intelligemus, vt dixerat angelus vers. 7. *Cito euntes dicite discipulis eius*, quemadmodum effectus etiam declarauit; mulieres enim non solis Christi cognatis, sed omnibus etiam Apostolis eius nunciauerunt resurrectionem, infra ver. 6. & Luc. 24. 10. & Ioann. 20. 17. vocat autem omnes discipulos fratres, quòd, sicut ipse, quamuis alio genere, quàm ipse, Dei filij essent, quia eius faciebant voluntatem, sicut dixerat cap. 12. 49. 50. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? & extendens manum in discipulos suos dicit, Ecce mater mea, & fratres mei; quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis*, Psal. 21. 23. vt ad Hebræos 2. 12. exponit D. Paulus. Hoc loco peropportunè Apostolos fratres appellauit, & vt se Christum esse ostenderet, qui eos iam, cum in media cœcione esset digito demonstratos fratres suos esse dixerat, & vt blanda fratrum appellatione deiectos metu eorum animos alleuaret, & ad se visendum inuitaret.

Cur discipuli fratres à Christo appellati.

Vt eant in Galilæam.) Vide quæ versu 7. dicta sunt; sciebat Christus Apostolos solo mulierum testimonio in Galilæam ituros non esse, sed facit, quod in se est, & quia expediebat, vt eò irent, séque ibi primùm viderent, ire nihilominus iubet, multa iam eiusmodi obseruauimus exempla, vbi Christus non id, quod faciendum, sed quod fieri oportere sciebat, fieri iubet.

11. *Quæ cum abissent.)* Vt Apostolis, quemadmodum Christus, & angeli iusserant, renunciarent.

Ecce quidam de custodibus.) Indicat non omnes custodes venisse ad principes sacerdotum. Cur autem non omnes venerint, diuersæ coniecturæ sunt; aut quòd cæteri animo perterriti nihil aliud haberent cu-

A

B

C

D

E

ræ, quàm vt fugerent & quasi malè functi officij primas daturi delitescerent, aut quòd ausi non fuerint nunciare sacerdotibus non credituris, sed in ipsos potiùs culpam, calumniámque coniecturis, quasi praua ricati essent, pecuniáque Christi corpus discipuli vendidissent, & miraculi figmento scelus velare conarentur: aut quòd qui ad sacerdotes venerant, omnium nomine venerint, vt Poëta Iuuencus interpretatus est, quæ ex ver. 12. colligitur; non enim illis tantùm, qui venerunt, sed illis etiam, qui non venerunt, vt mentirentur, pecunia data est. Sunt, qui putent spe elicitos à sacerdotibus pecuniæ milites, illis, quæ viderant, renunciasse, scientes quamuis auarissimi essent, tamen vsque adeo esse aduersus Christum animatos, & cautopere timere, ne resurrexisse crederetur, vt facilè diuinarêt fore, vt pecuniam sibi ad celãdam eius resurrectionem darent. Non facilè hoc credo, nec enim capitis periculo expositurum spe tam incerta venerit, ergo, non vt pecuniam emungerent, sed vt officij sui rationem redderent, ne fortassis apud Præsidem tanquam deserti officij rei agerentur.

12. *Et congregati cum senioribus.)* Scribas eratos intelligit; his enim personarum generibus Iudaorum concilium constabat, vt cap. 2. 4. docuimus. Deiecta sacerdotum contra cognitam veritatem audacia malitia; cùm auarissimi sint, mendacium tamen, & damnationem suam emunt. Sed non potest pecunia veritas vinci. Nam illos ipsos, qui ad mentiendum empti fuerant, milites credendum est & gloriosum Christi resurrectionem & sacerdotũ, quis vt eam obscurarent, pecuniam dederunt, facinus inter familares suos euulgasse.

14. *Et si hoc auditum fuerit à Præside.)* ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, apud Præsidem, aut coram Præside, id est si fama ad Præsidem peruenerit, hoc enim significat ἐπὶ, vt 1. ad Timotheum 6. 13. ἐπὶ ποντίου Πιλάτου, apud Pontium Pilatum, aut *sub Pontio Pilato*, vt noster vertit interpres, quasi legerit ὑπὸ. Fortasse & hoc loco pro ἀπὸ legit ἐπὶ quod aliquando, vt alijs locis obseruauimus, cum persona agẽte in verbis passiuis copulari videbatur, que vertit *à Præside*. Poterant milites meritò à Præside timere, ne ab illo tanquam negligentes, aut prauaricatores punirentur. Contra hoc periculum fiunt illis sacerdotes vicissim mentiendi operam pollicentur: futurum, vt ipsorum mendacium suo etiam suffragio addito mendacio Præsidi persuadeant, atque contiment: Præside sibi milites defendentibus, qui eo maximè accusare debere videbantur, facilè creditorum. *Emitur*, inquit, Hilarius, *à custodibus, qui nouerant, hoc viderant angelo, resurrectionis silentium, & mendacium furti.* Militum autem mendacium subtiliter, & eleganter his versibus Sedulius coarguit.

Fare improbe custos,
Resbonde scelerata cohors, si Christus, vt audes
Dicere, concluso furtim productus ab antro
Sopitos latuit, cuius iacet intus amictus
Cùius ad exuuias sedet angelus? anne beatis
Corporis ablator velocius esse putauit
Soluere contectum, quàm deuectare ligatum?
Cùm mora sit furtis contraria? cautius ergo
Cùm Domino potuere magis sua linea tolli.
Mentiia est vox vana sibi, tamen ista figuram
Res habet egregiam, Iudais constat ademptum,
Quem nos deuoto portamus pectore Christum.

15. *Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos usque in hodiernum diem.)* Nempe Christum à discipulis furto fuisse sublatum, vt Chrysost. hom. 91. in Matth. Euthym. in comment. Seuerus, & Rabanus apud D. Thomam exponunt. Neque qui aliter interpretetur inuenio, etsi nihil absurdi esse video, si hoc ad id quod

Euangelista

Euangelista dixerat, referatur, hoc ipsum vel inter ipsos Iudæos diuulgatum fuisse, milites data à sacerdotibus pecunia corruptos dixisse, atque diuulgasse discipulos se dormientibus furatos fuisse corpus: neque huic interpretationi quidquã ad probabilitatem deesse præter bonum auctorem video. Cæterum eo per se probabilior, quòd, vt hoc diceret, quàm vt illud quod omnes interpretes dixisse putant, plus caussæ Euangelista videtur habuisse. Magis enim conueniebat historiæ, vt diceret sacerdotum fraudem ne apud ipsos quidem Iudæos latuisse, ne quis existimaret se illis falsum obiecisse crimen; quã vt diceret Iudæos credidisse Christum à discipulis furto sublatũ, quod vt exponeret, historia minimè postulabat.

16. *Vndecim autem discipuli.)* Iudas enim aut iam se laqueo præfocauerat, vt omnium fere auctorũ fert opinio, aut certè spe omni salutis abiecta laqueum cogitabat, neque ausus fuerat, postquàm Christum vendidisset, ad Apostolorum redire consortiũ. Oportebat enim Dauidis impleri prophetiam, *fiat habitatio eius deserta, & episcopatum eius accipiat alter*, Psal. 68. 26. vt Petrus Act. 1. 20. interpretatur. Videat, si volet lector, quæ à nobis cap. 27. 5. dicta sunt.

Abierunt in Galilæam.) Non statim, sed post octo, vt minimum, dies, vt D. August. libro 3. de consensu Euang. cap. 25. ex Euangelistarũ historia probat. Multa enim Matth. prætermittit, quę vt alij testantur Euãgelistæ, per octo dies Apostolis adhuc Hierosolymæ conuenientibus facta sunt. Quæ, vt, quo ordine acciderint, intelligantur, alienum non erit ab hoc loco quibus, & quo tempore Christus post resurrectionẽ apparuerit, obiter explicare. Primùm quidem matri suæ apparuisse, non quòd Euangelistæ factum dicant; sed quòd fieri decuerit, credendum est. Nec eorum mihi placet diligentia, qui in hac opinione in animis fere omnium Catholicorum iam inhærente refutanda multum operæ consumunt. Secundò eodem die, quo resurrexit, apparuit Magdalenæ, aut soli, vt D. Augustinus, & plerique interpretes putant, aut, vt nos summus interpretati, vnà cum alijs mulieribus, quæ ad sepulchrum simul venerant, Ioan. 20. 12. Terrió, vt maior pars sentit auctorum, omnibus mulieribus, quæ ad monumentum venerant, simul redeuntibus apparuit, quod eodem etiam die factum est. Quarto eodem quoque die Petro creditur apparuisse, aut soli, vt putat Leo nonus in lib. contra Michaëlem Constant. cap. 15. aut, vt vero simile est, etiam Ioanni, cum à sepulchro redijssent, vt colligitur ex Luca 24. 34. *surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, & ex D. Paulo 1. Cor. 15. 3. 4. 5. *tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est secundum scripturas pro peccatis nostris, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas, & quia visus est Cephæ.* Quintò eodem rursus die visus est duobus illis discipulis euntibus Emauntem. Luc. 24. 13. Sextò eodem die sub vesperum decem discipulis absente Thoma Hierosolymæ domi congregatis apparuit Ioan. 20. 19. vnde sequitur eodem vespere, & cum duobus illis discipulis Emaunti cœnasse, vt Lucas scribit, & Hierosolymæ decem discipulis apparuisse. More enim spiritus magna locorum spatia momento temporis permeabat. Hæ sex apparitiones eodem die, quo Christus resurrexit, acciderunt. Septimò octo post dies vndecim simul Apostolis præsente iam Thoma in eadem vrbe Hierosolymorum apparuit Ioan. 20. 26. etsi Hieronymus in monte illo Galilææ, de quo Matthæus loquitur, hanc apparitionẽ factam putat, minùs, vt mihi videtur, probabiliter. Octauò septem discipulis, Petro, Thomæ, duobus filijs Zebedæi, Nathanaëli, & alijs duobus, quos Euangelistæ non nominant, piscantibus in mari Galilææ visus est, Ioan. 21. 1. Quare, quod ibidem Ioann. dicit ver. 14. *hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis*, non sic intelligendum est, quasi ter tantùm prius visus fuisset, cum sæpius iam apparuisse, vt probauimus, manifestum sit: sed aut, vt D. Augustinus interpretatur lib. 3. de consens. Euang. c. 25. vt illud aduerbium *tertio*, non ad numerum apparitionum, quasi tertiò tunc apparuerit, sed ad numerum dierum, quibus apparuit, referatur. Hac enim ratione tertiò tunc apparuit. Primo enim die, quo resurrexerat, sexies apparuerat. Octo post diebus iterum, nunc piscantibus discipulis tertiò apparuit. Aut, vt ego intelligi posse puto, vt Ioannes non de quauis apparitione, sed de publica, & generali loquatur, qua Christus aut omnibus simul discipulis, aut plerisque omnibus visus est. Nam etsi priuatim matri suæ, Magdalenæ, Petro, duobus discipulis euntibus Emauntem apparuerat, tamen omnibus aut plerisque simul discipulis non nisi bis ante apparuerat: primùm eodem die, quo resurrexerat absente Thoma: secundò octo diebus pòst Thoma iam præsente: tertiò hoc loco, cum septem discipuli in mari Tiberiadis piscarentur. Nonò apparuit omnibus simul discipulis in monte Galilææ, vt hoc loco Matthæus ait. Atque hæc, vt Chrysostom. existimat, vltima fuit ante ascensionem apparitio, cui Augustinus decimam addit eam, qua discipulis in cælum ascendens visus est. Ex D. Paulo 1. Corinth. 16. 6. 7. aliæ duæ apparitiones colligi posse mihi videntur. *Deinde*, inquit, *visus est, plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo.* Quibus si eam etiam addamus, qua D. Paulus post ascensionem in cælum sibi ἔκτρωμα vltimò *tanquam abortiuo*, visum esse dicit, tredecim omnino Christi apparitiones reperiemus. 1. Cor. 15. 8.

In montem, vbi constituerat illis Dominus.) Nihil de monte Christum mulieribus dixisse tradunt Euangelistæ, neque constat an id mulieribus, an Apostolis dixerit; dixisse tamen aliquando ex hoc loco perspicuũ est, aut ante mortem, cum illis dixit, postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilęam, supra cap. 26. 32. vt putat Euthym. aut post resurrectionem, cum Hierosolymæ discipulis apparuit, vt quidam existimant. Cur in montem discipulos ire iusserit, non difficilè suspicari possumus, volebat cum illis liberè, & sine arbitris loqui, quod quoties volebat facere, in montem eos seducebat, vt apparet supra cap. 14. 23. & 15. 29. & 17. 1. vt Euthym. admonuit. Quis ille fuerit mons, certum non est. Hoc tantùm constat fuisse iuxte mare Tiberiadis, qui & lacus Genesareth, & mare Galilææ appellabatur c. 14. 25. & 15. 28. Nam ex monte, vbi discipuli erant, ad mare illud quasi propinquũ piscatum ibant, vt constat ex Ioan. c. 21. 2. Quapropter eorum opinio, qui putant eum fuisse montem, vnde postea Christus in cælum euectus est, vera esse non potest; quia hic, vt Matth. scribit, in Galilæa erat, ille autem, vnde in cælum ascendit, mille, aut, vt alij volunt, bis mille passus ab vrbe Hierosolyma distabat, vt ex Act. c. 1. 12. probatur. Alijeum montem fuisse existimãt, in quo Christus trãsfiguratus fuerat, quẽ pleriq; Taborium appellant, qua de re diximus supra c. 17. 2.

Discipuli fratres à Christo appellati.

17. *Et videntes eum adorauerunt.)* Id est adhibita ex trinsecus adoratione crediderunt, confessique sunt non solùm Christum, sed verum etiam esse Deum, cùm de eius iam resurrectione dubitare non possent. Dubitationi enim adorationem opponat, cùm statim addat, *quidam autem dubitauerunt.* Quibus in verbis quæri solet, quomodo discipuli post tot tamq; apertas visiones dubitauerint. Nonnulli non ex vndecim

discipulis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

discipulis,sed ex aliorum numero qui discipuli etiam appellabantur,eos,qui dubitauerũt fuisse putant:cùm eum post resurrectionem nunquam vidissent; in qua sententia Theophyl.est.Alij de illis ipsis Apostolis,qui Christum adorauerũt,dictum existimãt,quidã autem dubitauerunt nõ quòd eodẽ loco ac tempore,& adorauerint, & dubitauerint,sed quòd illi ipsi,qui nunc in monte adorauerũt, prius Hierosolymæ dubitasset. Quam etiã interpretationẽ refert,& approbat Theophylact.Sed dubium non est quin Euangelista non solùm tempus à tempore,locũ à loco, sed personas etiã à personis distinguere voluerit:alios fuisse,qui crediderunt & adorauerunt:alios qui dubitauerunt.Manifestum enim est non omnes dubitasse.Non ergo eosdem & dubitasse,& adorasse intelligit. Alij interpretantur nonnullos ex Apostolis situul atque in monte viderunt Christum adorabũdos procidisse,alios cunctatos esse,ac substitisse,non quidem de Christi resurrectione, & diuinitate dubitantes, sed an ille, quem videbant,quemq; aliàs post resurrectionem sæpe viderant, Christus esset.In hac sententia videntur esse Chrysost hom.in Matth.91 & Gregor Nyssen orat.2. de resurr.& Inuenc.& Euthym.in comm. Alij quod Matth.dicit, *quidam autem dubitauerunt*, non ad hanc visionem,quæ in monte Galilææ accidit,sed ad eam, quæ Hierosolymę acciderat,cum Thomas dubitauit, & cum alij discipuli spiritum se videre putauerunt Luc.24.37.& Ioann.20.25. referendum existimãt, voluisse enim studẽtem breuitati Matthæum omnes visiones, quibus Christus discipulis apparuerat, vnã complecti,& quidquid in illis notatu dignũ acciderat indicare. Acciderat autem,vt nõnulli discipuli, maximéq; Thomas dubitaret,ideo ergo dixit, *quidã autem dubitauerũt*,nõ quidẽ tunc in mõte Galilææ, sed prius Hierosolymæ. Dicet aliquis Hierosolymæ nõ solùm Thomã, & nõnullos alios, sed omnes omnino discipulos dubitauisse,putasséq; spiritũ se videre.Luc.24. 37.Respondent qui hanc sequũtur interpretationem, valde, vt mihi videtur probabiliter,Lucã cõmuniter dixisse discipulos existimasse se spiritum videre, non quòd omnes existimauerint, sed quòd aliqui, sicut dixit supra Matthæus cap. 27. 44. latrones in Christum crucifixum iecisse conuicia, quia vnus latro iecerat. Hæc mihi placet sententia, vt Bedæ etiam, & Theophylacto placuisse video.

18. *Et accedens Iesus.*) Sunt qui putant, hæc non tunc,sed postea in vltima demõstratione,qua se Christus discipulis ostẽdit,cum vellet in cælum ascẽdere, accidisse,quod valde mihi probabile videtur. Multa enim c.21.& ver. 15. vsque ad finem narrat Ioannes à cæteris Euangelistis prætermissa,quæ post mõtis Galilææ apparitionem,& antequàm hæc fierẽt,quæ nũc Matthæus scribit,contigerunt. Quòd Petrũ Christus ter interrogauerit,*Simon diligis me plus his?* quòd illi pascendarum ouium suarũ curam dederit; quòd qua morte moriturus esset,significauerit,quòd Petrus de Ioanne dixerit, *hic autem quid?* Christus respondérit, *Sic eum volo manere,donec veniam,quid ad te? tu me sequere*;quod exierit *sermo inter fratres,quod discipulus ille non moritur*;quæ omnia in comment.in Ioan. Deo adiuuante explicaturi sumus.

Data est mihi omnis potestas in cælo,& in terra.) Quòd antequàm Apostolis potestatem Euãgelij prædicandi tradat,datam sibi in cælo,& in terra omnem potestatem dicit, eò spectat, vt doceat se nihil sibi temere arrogare,nihil illis dare quod non habeat. &, vt vulgò loquuntur,suas illis quodammodo litteras patentes ostendit,quibus constet,qua eos auctoritate Apostolos creet,& tantam illis concedat potestatem.Illud iuris videri potest, quòd sibi datam omnem potestatem dicat,cùm eam ipse per se habeat. Non præterierant hoc negligenter Arriani,sed contra Christi diuinitatem inter alia scripturæ testimonia hoc etiam Catholicis obiiciebant, quasi Deus esse non posset, cui potestas non innata,sed data esset, vt Athanas.in orat.contra Arrian.quòd Deus ex Deo sit verbum.&c. Cyrill.lib.2.in Ioann.cap.73. auctores sunt. Duobus modis veteres illi patres respondebant. Primùm dicũt sibi omnem potestatem dixisse Christum, quia,cum homo factus est eam cum natura humana accepisset, vt nobiscum cõmunicaret.Itaque non tam sibi quam nobis datã esse significare.Sic Athan.Deinde accepisse quidem potestatem,quatenus homo erat,quia,quatenus erat Deus, naturaliter habebat. Sic Greg. Nyss. & Cyrill.Alexandr.Poterant sine vlla absurditate cõcedere etiam,quatenus Deus erat,potestatem omnem sicut & naturam ipsam diuinam à Patre per æternam generationem accepisse,vt ijdem auctores illud interpretari solent. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, Luc.10.22.Hæc omnia verè quidem dicuntur,sed non satis meo quidem iudicio ad huius rei explicationem accommodatè. Loquitur enim hic non de qualibet potestate, sed de ea, quam Apostolis dabat, id est, de potestate regni sui spiritualis acquirendi, colligendique, quam ad rem Apostolos mittebat. Et ita loquitur,quasi eam potestatem ante resurrectionẽ non habuerit;vt alio loco idem Athanas.annotauit. Nam tanquam de re noua dicit, *data est mihi omnis potestas, euntes ergo docete,&c.* Non ergo de ea loquitur potestate,quam vt Deus, nec de ea,quam vt homo.sed de ea,quam vt redemptor hominum habebat,quamq; per mortem & resurrectionem suam sibi comparauerat. Quia enim omnes homines suo sanguine redemerat, ius habebat eos in regnum suum cõgregandi & veluti subditos suos efficiendi. De ea ergo loquitur potestate,de qua illi Psal 2. 8. à Patre dictum est, *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, & de qua Psal.109. 1. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* & de qua per Esaiam cap.49.6.8.9. *Ecce dedi te in lucem gentium,vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus in tempore placito exaudiui te,& in die salutis auxiliatus sum tui,& seruaui te,& dedi te in fœdus populi,vt suscitares terram,& possideres hereditates desolatas,vt diceres his,qui vinctis sunt,exite, & his, qui in tenebris reuelamini.* De ea loquitur potestate, de qua Daniel cap.7.13.14. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubib. cæli,quasi filius hominis veniebat, & vsque ad vetustum dierum peruenit,& in conspectu eius obtulerunt eum. & dedit ei potestatẽ,& honorẽ,& regnũ, & omnes populi, tribus,& lingua seruient ei.potestas eius potestas æterna,quæ non auferetur,& regnum eius,quod nõ corrumpetur.* De ea denique loquitur potestate, de qua apud Ioann.cap.16. 33 dicit, *Confidite,ego vici mundũ.* Hanc sibi potestatem per mortẽ, & resurrectionem suam datam esse dicit, quia eam meruit, *propter quod*, inquit, *exaltauit illum, & dedit illi nomen,quod est super omne nomẽ,vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium,terrestrium, & infernorum*, hoc est, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, qua potestate ad propagandos regni sui fines Apostolos mittit,vt rectissimè mihi videtur libro 5. aduersus Eutychet. Vigilius interpretari. Quòd autem dicit *in cælo & in terra*, propterea dicit,vt vbique se,quemadmodũ significat D.Paulus,regnãdi potestate habere dicat,sed ex hoc eius regno quædam pars: id est ea quæ in cælo erat,iam penitus acquisita,& pacata erat, altera,quæ in terris,spirituali bello acquirenda,quam ad rem Apostolos mittebat.

19. *Euntes.*) Intelligit in vniuersam terram; sicut dixerat,*data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, ipse

ipse enim in cælum, id est in vnã parte regni sui quæ iam pacata erat,vt in solio suo ad dexteram patris sederet,ascendebat.Apostolos in alteram partem id est in omnem terram mittebat, vt ad se omnes homines reuocarẽt.Id Marc.c.16.15.apertiùs dixit,*Euntes*,inquit, *in mundum vniuersum.*Opponit autem vniuersam terram Iudæorum terminis,quibus ante c.10.5. Apostolorum legationem definiuerat,*In viam*,inquit,*gentium ne abieritis,& in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Tunc enim quasi hæreditario iure Iudæorum rex esset,ad solos Iudæos Apostolos mittebat; nunc per mortem, & resurrectionem suam in omnes homines regnandi acquisito iure in totum orbem terrarum mittit, declarans nunc per mortem suam disruptam fuisse maceriam, qua regnum suum intra Iudæorum fines septum continebatur,vt ait D.Paulus ad Ephes. 2.14.ideòque longiùs nunc esse regni sui limites proferendos, *a mari vsque ad mare,& a flumine vsque ad terminos orbis terrarum*,Psal.71.8. nec alios regni id est Ecclesiæ suæ, quàm orbis terræ fines futuros esse: prius in Iudæa tantum notum fuisse Deum,Psal.75.2. nunc vbique cognoscendum, *populus*,inquit,*quem non cognoui,seruiuit mihi, in auditu auris obaudiuit mihi*, Psal.17.44.45. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant,inuenerunt,qui non quæsierunt me.*Isaiæ 65.1.& *vocabo non plebem meam plebem meam*, Osee 2.23.ad Roman.9.25 Ergo quandoquidem à me missi estis, cui *data est omnis potestas in cælo, & in terra*, & à me vobiscum communicata (hanc enim emphasim habet hoc loco particula *ergo*. *Docete*.non humanam sapientiam, *quæ stulticia hominum est*,1.Cor.3.19.sed diuinam,quæ apud *Iudæos,ac Gracis Dei virtutẽ,& Dei sapientiã*,1.Cor.1.23. *scandalum,gentibus autẽ stultitiã;ipsis autẽ vocatis* Marc.c.16.16.quid docturi essent exposuit, *prædicate*, inquit.*Euangelium omni creaturæ.*Hoc verbo nõ solùm nunc Anabaptistæ, eo insanius hæreticorum genus, quo magis sibi sapere videtur.sed etiam nonnulli antiqui,boniq; auctores abusi sunt,vt Tertul.in lib.de baptismo,& Nicetas in comment.in orat. Greg Naz. in sanctum baptisma,vt probarent baptismum infantibus nisi mortis periculum immineret,dandum non esse,quòd Christus eos qui baptizandi sint,priùs docere iubeat,& infantes doceri non possint. Non animaduerterunt Christum hoc loco non verare baptizari eos, qui doceri non possunt, sed tantùm iubere omnes,qui priùs docti fuerint, baptizari. Reliquos verò,qui nondum doctrinę capaces sunt.si saluos esse velimus,baptizari oportere non hic,sed alio loco docuit.Ioan. 3. 5. *nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quapropter Caluinus,& eius hæresis sectatores,qui eum Ioannis baptismo de baptismi sacramento, sed de fidei regeneratione intelligendum esse contendunt, nullo scripturæ testimonio satis efficaci probare possunt infantes baptizati oportere. Et quidem cum Caluini de paedobaptismo aduersus Anabaptistas librum lego, rideo foleo,videréque mihi videor hominem hæreticos pugnare vult,turpiter in pugna succũbentem. Et absurdius,& insolentius eodem verbo Caluinistarum interpretes abuntur,neq; Romanum Pontificem,neque vllum alium Ecclesiæ Catholicæ Episcopum Apostolorum successorem dici posse,cùm Apostoli ad docendum missi sint ipsi non doceant. Quid Caluinistarum Ministri? an Apostolorum successores sunt? at illi quidẽ docent,sed,vt omnes faciunt hæretici,Apostolis cõraria docẽt. Cæterum,vt de doctrinæ genere nihil dicamus,quod nostrũ omni antiquitate probatum,ipsorum omni antiquitate damnatum est,de hoc solùm disputemus loco. Obiiciunt illi nobis,quòd Episcopi nostri non doceant. Obiiciamus illis nos,quòd illi quidem doceant,sed ad docendum missi nõ fuerint,quemadmodum Apostoli missi sunt. *data est mihi*,inquit,*omnis potestas in cælo,& in terra. Euntes ergo docete.* Multo facilius nos probare possumus Episcopos nostros docere, quàm illi se à Christo ad docendum missos esse. Nam non solùm Episcopi nostri, sed ipsi etiam imperiti sacerdotes, quos isti Molossi canes,canes mutos,& nõ valentes latrare,vocare solent, etiamsi nullum dicant verbum,melius tamen, quàm illi docent,dum venientes Caluinistas,& cæteros hæreticos infolentem,nouámque doctrinam afferentes digito demonstrant.

Aquæ baptismi materia necessaria.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.) Doctrinæ baptismi coniungit sacramentum, non,vt Caluinus delirat,tanquam acceptæ iam gratiæ sigillum,sed tanquam doctrinæ fideique signaculum atque professionem. *Baptizo* Græcis aqua mergere, lauare, abluere,&c, vt Tertull. solet vertere tinguere significat. Itaque ipsa verbi proprietate sacramenti materia declaratur, aqua baptismum confici debere, quemadmodum Christus ipse apud Ioannem c.3.5. magis expressit, *nisi*, inquit, *quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Constat etiam Apostolos nunquam aliter, quam aqua baptizasse; propterea enim inter Christi,& Ioannis discipulos æmulatio nata est,quòd Christi discipuli,sicut Ioannes faciebat,aqua baptizarent,Ioan.3.26.Philippus etiam Eunuchum illũ Candacis reginæ ita proculdubio instituerat debere eos, qui in Christum credidissent, aqua baptizari. Cum enim ad aquam quãdam peruenissent,*ecce* inquit Eunuchus,*aqua,quis prohibet me baptizari?* Act.8.36.& c.1.46.47.*respondit Petrus,nunquid aquã quis prohibere potest,vt nõ baptizentur hi,qui Spiritum sanctũ acceperunt sicut & nos?* Id ex figuris etiam per Apostolos declaratis manifestum est. Scribit Paulus 1. Cor.10.2. Patres veteris testamenti in mari baptizatos esse. Scribit D. Petr.1.epist.c.3.21 sicut in diluuio per aquam octo animæ liberatę suntsita nunc similis formę baptismum multos homines liberare. Vnde colligitur,quemadmodum mare,& diluuium aqua constabat,ita baptismum aqua perfici debere.Hinc Seleuci,& Hermiæ hæresis refutatur,qui,vt li.de hæresibus ad Quoduult Deum c.59. auctor est Aug. sine aqua baptizandum putabant, quòd vbique cum Ioannis baptismus cum baptismo Christi comparatur, ille aqua, hic Spiritu sancto,& igne perfici dicatur, *Ego*,inquit, *baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Matth.3.11. Marci 1.8.Luc.3.16.Ioan.1.26.33. Act.11.16. Audiui ego meis auribus Caluinianum Ministrum similia dicentem, nostrámque ridentem, vt ille vocat, simplicitatem. & ignorantiam, quòd crederemus baptismum necessariò debere aqua constare. Non enim, inquiebat,magis aqua,quàm igne constare debet.cùm pluribus locis Christus igne, quàm aqua baptizaturus dicatur.Sic isti boni doctores scripturam interpretantur. Cum ergo Christi baptismus baptismo Ioannis opponitur,& Ioannes aqua, Christus igne, & Spiritu sancto baptizare dicitur,non est sensus Christum aqua baptizaturum non esse, sed non sola aqua baptizaturum, vt Ioannes baptizabat,sed præter aquam, quæ extrinsecus adhibetur,Spiritum sanctum intrinsecus effusurum esse, qui immisso specie linguarum igne significaretur,vt die Pentecostes factum est,quemadmodum Damascenus lib.4.de fide orthod.c.10. interpretatur.Quare ex his locis tantùm abest, vt colli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

De forma & verbis baptismi.

gatur baptismũ aqua constare non oportere, vt alter potius Caluinistarum error inde manifestissimè refutetur, quod inter Ioannis & Christi baptismum nihil diferiminis esse dicant; sed contra hunc errorem c.3. 11. copiosè disputauimus. Forma quoq; baptismi præscribitur his verbis. Nam[sic] cet ex hoc loco, si quis subtiliter, & pertinaciter tergiuersari velit, satis apertè probari non possit hanc, qua vtimur, baptismi formã esse oportere, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: tamen Ecclesiæ traditione verborũ sensum interpretante probatur. Sic enim semper Ecclesiam baptizasse inde perspicuum est, quòd quicũque alia vsi sunt forma, ab Ecclesia damnati sunt. Excommunicantur can. Apost. 49. omnes Episcopi, & presbyteri, qui aliter, quã in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizauerint. Iudicati sunt Marcionistæ verum non dare baptismum, quòd hac forma non vterentur apud Iren. lib. 1. c. 13. & apud Epiphan. hæres. 34. Propterea Paulianistarum baptismus in Concilio Nicen. can. 19. damnatus est, quia hac verborum forma non vtebantur, vt ex Concilio 6. Carthag. can. 19. & ex Innocentio primo epist. 22. c. 5. colligitur. Hac ergo ratione omnes argutię, quibus horum verborum sensus diludi potest, refellendæ sunt, vt si quis dicat sensum non esse, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, id est inuocato aut appellato nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti sed baptizantes eos auctoritate Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quẽadmodum multis locis baptismum in nomine Christi datum legimus, non quòd, qui baptizabat, diceret, Ego te baptizo in nomine Christi, sed quod Christi auctoritate baptizaret; vt alio loco dicturi sumus: præterea si quis dicat, non sequi ex hoc loco debere eum, qui baptizat, dicere, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; id enim Christus non dicit, sed satis esse, si aquam fundat, & dicat, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; denique si quis argumenterur posse hæc verba per disiunctionem intelligi, vt sensus sit, baptizantes eos in nomine Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti, quam interpretationem videtur euentus probare posse; sæpè enim in nomine solius Christi datum ab Apostolis fuisse baptismum, multi graues auctores sunt; istas, inquam, omnes subtilitates vna Ecclesiæ traditio, optima sacrarum litterarum interpres omnino dissipat. Nec enim disputamus, quomodo hæc verba intelligi possint, sed quomodo debeant. Debent autem eo intelligi sensu, quo à Christo dicta sunt, non quem sibi quisque animo finxerit. Hoc autem à Christo sensu dicta fuisse, vt Apostoli cum baptizarent, dicerent, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vsu, & traditione constat Ecclesiæ, quæ his semper, aut idem significantibus verbis baptizauit. Quomodo autem Apostoli aliquando in nomine Christi baptizasse dicantur, Act. 2. 38. loco magis idoneo disputabimus. Potest meritò quæri, cur Christus voluerit hac forma dari baptismum. Multæ rationes eius rei afferri possunt. Prima, vt declararet, vnde vim baptismus haberet, nimirum ex Patre, qui filium suum misit, vt pro hominibus moreretur; ex Filio, qui baptismum instituit, & suo quodammodo sanguine irrigauit, & fertilẽ, vberem, efficacem effecit; ex Spiritu sancto, qui sicut aqua extrinsecus corpora, ita ipse intrinsecus animos sanctificando lauat. Secunda, ne, qui baptizabantur, humanum tantùm aliquid se recipere putarent, & non solùm homines dicendo, *Ego sum Pauli, ego Apollo*, 1. Cor. 1. 12. sed Deum ipsum quodammodo diuiderent dicentes, Ego sum Patris, Ego sum Filij, Ego sum Spiritus sancti, si in vnius tantùm personæ nomine baptizarentur. Tertiam rationem Fulgentius adducit in lib. de fide orthodoxa ad Donatum, vt homines eundem regenerationis suæ auctorem esse intelligerent, qui generationis auctor fuerat, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Sensus ergo verborum est, baptizantes eos non vestro nomine, sed nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, id est declarantes, atque testantes id quod facitis non vestra, sed Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti persona facere, ne vester, sed Dei baptismus esse credatur; sicut de baptismo Ioannis innumeris locis scribit Augustinus, propterea Ioannis baptismum vocatum fuisse, quòd suo nomine, atque persona, licet aut iussu, aut instinctu Dei, non autem Dei persona baptizaret. Itaque hæc verba, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non tantùm ad verbum baptizantes, sed etiam ad eos, qui baptizant, referenda sunt. Porrò ex hoc loco rectè veteres auctores Trinitatis mysterium probauerunt; hinc ab illis Sabellii refutati, qui ex hoc etiam loco suum errorem confirmare conabantur, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnam tantùm esse personam, quòd Christus non dixerit baptizantes eos in nominibus, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Refellit eos Basil. epist. 64. hinc potiùs colligi tres esse personas vnam naturam, quia cum Pater, Filius, & Spiritus sanctus vt tres distinctæ personæ nominentur, vnum tamen illis diuinitatis nomen, vna auctoritas sit. Hinc alij aduersùs Arrianos Patris, Filij, & Spiritus sancti diuinitatem, æqualitatémque probauerunt; nec enim nos in nomine vllius creaturæ baptizari. Sic Athanas. ser. 3. contra Arrianos, & in orat. de æterna subsistentia Filij, & Spiritus sancti contra Sabellij gregales, & in orat. in hoc dictum, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, Luc. 10. 22. & in disputat. contra Arrium in Concilio Niceno habita, & in epistola ad Serapionem contra eos qui dicebant Spiritum sanctum esse creaturam, & in professione regulæ Catholicæ & Hilarius libro 2. de Trinitate, & Gregorius Nazian. in oratione habita coram centum quinquaginta Episcopis, oratione 5. de Theolog. & Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, ca. 14. & Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, & Theodorit. lib. 5. hæreticarum fabularum c. de Spiritu sancto, & Fulgent. in libr. contra obiectiones Arrianorum, & lib. de fide orthodoxa ad Donatum, & libro de incarnatione, & gratia Domini nostri Iesu Christi c. 9. Marcus addit ad hæc verba cap. 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient*, &c. vtraque re baptismi effectum significans. Saluos enim nos facit non sola fides, sed etiam baptismus, vt D. Petrus scribit 1. epist. 3. 21. Quod autem dicit, *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur*, non solùm, qui crediderint, intelligit, sed etiam, qui baptizati fuerint. Nam qui credebant, antequàm baptizarentur, huiusmodi miracula facere non solebant, cuius rei in Actis Apost. c. 19. 6. illustrissimum exemplum est. Nec ita intelligendum quasi omnes, qui baptizarentur, hęc miracula facturi essent; sed quia aliqui facturi erant, & ij non solùm suo, sed aliorum etiam nomine & commodo facturi, vt & sua, & ipsorum fides corroboraretur, generaliter loquitur. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur*. Neque semper ea signa sequutura esse intelligit, sed cum ad fidei confirmationem erit necessarium, quasi dicat eorum, qui crediderint, fides miraculis confirmabitur. Sed hæc illum Euangelij Marci copiosiùs in eius commentariis explicabimus.

Cur Christus baptismum dari voluerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

20. Docentes eos seruare omnia, quæcũque mandaui vobis.] Post fidem, & baptismum præceptorum obseruationem adiungit, indicans, neque fidem, neque baptismum ad salutem satis esse, nisi Dei etiam præcepta seruemus. vt hoc loco Theoph. obseruauit.

Et ecce ego vobiscum sum.] Mittebat ad docendum, quasi ad pugnam cum vniuerso terrarum orbe suscipiendam, Apostolos; verendum erat, ne tanti operis mole, & futurorum periculorum præuisione deterrerentur animos. Iubet eos forti animo esse, & contra omnia pericula cõfidenter obsistere. Se illis affuturum esse, & quidẽ non serò, sed opportunè. Hanc vim habent duæ illæ dictiones, *Ecce*, & *ego*. Nam *ecce* præsentis, & opportunum significat tempus, quasi dicat, simulatque opus erit, vobis adero improuisus. & vt in proverbio est, Deus è machina. Dictio autẽ *ego* significat eũ, qui eos ex omnibus periculis liberare possit: quemadmodum si pugnanti militi dux dicat, bono, fortique animo esto, ecce ego tibi opem fero, vt Ioan. 16. 33. discipulis dicit, *confidite ego vici mundum*. Ego igitur vobiscum sum, qui mundum vici, contra quem vos pugnaturi estis; ego vobiscum sum contra quem princeps huius mundi non habet quicquam, Ioan. 14. 30. ego vobiscum sum, cui pater promisit fore, vt ponerem omnes inimicos meos scabellũ pedum meorũ, Psal. 109. 2. Variant veterum auctorum de huius loci interpretatione sententiæ, quidam Christum non de humana, sed de diuina natura loqui putant, qua vbique præsens est, vt D. Aug. tractat. in Ioan. 60. & Fulgentius lib. 3. contra Thrasymundum. & lib. de Incarnatione, & gratia Domini nostri Iesu Christi c. 9. At aliquid minùs generale Apostolis Christum promittere manifestum est. Aliter enim cum illis, quàm cum cæteris rebus, quámque cum cæteris hominibus se futurum significat. Alij ergo de diuina prouidentia interpretati sunt, per quam Deus, hominibus magis, quã rebus mutis, & inter homines iustis potiùs, quàm iniustis adesse dicitur. Itaque significare Christum se, etiam si discedat, tamen cum illis futurum esse, quia Spiritum sanctum suo loco missurus erat, vt eos omnem veritatem doceret; vt eos dirigeret, ac gubernaret, quemadmodum Ioan. 14. 18. dixerat, *non relinquam vos orphanos*. Ad hunc modum Cyrillus Alex. lib. 7. de Trinitate, & Saluianus lib. 2. de vero iudicio, & prouidentia Dei, & Leo epistol. 31. & 92. interpretantur. Quæ omnia vera quidem sunt; cæterum non tantum, quid verùm sit, sed quid ad sensum huius loci maximè accommodatum, quærimus. Fateor Christum, quatenus Deus est, vbique esse, sed aliam hîc præsentiam Apostolis pollicetur; fateor Christum misso Spiritu sancto Ecclesiam vsque ad consummationem seculi gubernaturum, idque ex hoc loco colligi non nego, quemadmodum illi, quos modò nominauimus, auctores rectè collegerunt; sed non quærimus, quod eo quod Christus dixit, colligatur, sed quid dicere voluerit. Optimè mihi Chrysost. hom. in Matth. 91. D. Hieron. in epist. ad Damasum, Prosper lib. 2. de vocatione gentium c. 2. Beda. & Euth. hoc loco videntur expositisse, vt Christus non solùm de diuina, sed de humana etiam præsentia loquatur; non quòd, quatenus homo est, corpore cum Apostolis futurus esset præsens; sed quòd fauorem, & auxilium suum præsentiam appellet, quod non solùm, quatenus Deus, sed etiam, quatenus homo, Apostolis præstiturus erat. Dicitur enim cum illis futurus esse, quia auxilio illis omnibus in rebus futurus erat; sicut Deus dicitur cum Ioseph fuisse, & cum eo in foueam descendisse, quia illi etiã in carcere opem tulit, *venditum*, inquit, *iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberauit eum, descendit que cum eo in foueam*, & Act. 7. 9. *Et Patriarchæ æmulantes Ioseph vendiderunt in Ægyptum, & erat Deus cum eo*, & vt Psal. 33. 20. dicitur, *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus*; & vt 2. epist. ad Tim. 3. 11. ... bus persequentibus eripuisse, & vt ... phano fuit cum lapidaretur, quia eum ... tem & quasi manum porrigentem, auxiliumque tentem Stephanus vidit. Act. 7. 56. & quemadmodum Deus Ieremiæ prophetæ officium recusanti dicit, *Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te, dicit Dominus*, Ieremiæ 1. 8. & vt Ezechieli dicit cap. 2. 8. 9. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas a facie eorum*, id est, fortes quidem illi sunt, sed ego te fortiorem faciam, hoc est, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, missis enim ad pugnam auxilium promittit, & vt ait Prosper, *cum ficut ones introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos vsque ad consummationem seculi in omni hoc opere nõ derelinquam; non ad hoc, vt nihil patiamini, sed, quod multo maius est, præsturus, vt nulla sæuientium crudelitate superemini. In mea enim potestate prædicabitis, & per me stet, vt inter contradicentes, inter furentes Abrahæ filij de lapidibus suscitentur; ego insinuabo, quod docui, ego faciam, quod promisi*. Denique quemadmodum cum ad prædicandum Iudæis Euangelium Apostolos mitteret, præsentiam illis & auxilium Spiritus sancti promisit cap. 10. 19. 20. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*; ita nunc ad docendas omnes gentes missis suam præsentiam, ad auxilium pollicetur.

Vsque ad consummationem seculi.] Indicat se non cum solis Apostolis, sed cum omnibus, qui in eorum locũ succesturi erant, loqui, quos etiam Apostolos futuros esse significat. Nec enim vndecim illi, quibus cum loquebatur, vsque ad consummationem seculi victuri erant, vt D. August. lib. 6. de Genesi ad litteram c. 8. & Theoph. in huius loci comment. annotauerunt. Meliùs, quàm Hieronymus, qui his verbis significari putat Apostolos vsque ad consummationem seculi victuros esse, quia etiamsi corpore mortui sunt, sempr. animo viuunt. Cæterum non promittit Christus se illis in cælo, vbi opus non est, sed in terra, in puluere, in arena, in certamine affuturum. Illud D. Hieron. aduersùs Heluidium, & Gregorius Nazian. orat. 4. de Theologia rectè monuerunt, præpositionem illam, *vsque* non excludere tempus, quod post consummationem seculi futurum est, quasi significet Christus post seculi consummationem se cum illis futurum non esse. Qua de re c. 1. 25. disputauimus. Atque hac ratione ineptè quædam recentiorum Hebræorum argutiæ refelluntur. Non enim dicitur, nisi quod dubiũ esse poterat. Dubium non erat, quin post consummationem seculi Christus cum Apostolis suis in regno suo futurus esset; an autẽ in certamine cum illis futurus esset, an de eo poterat dubitari; sicut Psal. 109. 1. Pater dicit filio, *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum*, non enim significat, postquam eius inimici subiecti fuerint, ad dexteram Patris sessurum non esse: quin tunc magis quodammodo sedebit, quia magis eius gloria, maiestáque demõstrabitur. Quanquam si ea interpretatio, quam modò adhibuimus, vera est, nihil absurdi sequitur, si dicamus ea dictione *vsque* sequens tempus excludi. Nam eo modo, quo se Christus cum Apostolis vsque ad consummationem seculi futurum dicit, id est pugnantes adiuuando, post seculi consummationem, quia non pugnabunt, sed regnabunt, cum illis non erit. Erit autem alio modo, quia edent, & bibent super mensam eius in regno ipsius, Luc. 22. 30.

Lib. 2. de vocatione Gentium cap. 2. Matt. 10. 16.

Significatio particularis vsque, & de actu seruato.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

CAPVT PRIMVM.

1. Matth. 3. a. 1. Malac. 3. a. 1. Isa. 40. a. 3. Ioan. 1. c. 15. Luc. 3. a. 4. Matth. 3. d. 5. Leu. 11. c. 22. Matt. 3. c. 12. Luc. 3. c. 16 Ioan. 1. d. 27. Act. 1. a. 5 & 2. a. 4. & 11. c. 16 & 19. a. 4 Luc. 3. c. 22. Ioan. 1. d. 32. Matth. 4. a. 1. Luc. 4. a. 1 Matth. 4. b. 12. Luc. 4. c. 14. Ioan. 4. f. 43. Matth. 4. c. 18. Luc. 5. a. 1.

Matth. 4. b. 13. Luc. 4. c. 31. Matth. 7. d. 28. Luc. 4. c. 32.

Matt. 8. b. 14. Luc. 4. f. 41.

INITIVM Euangelij Iesu Christi, Filij Dei. 2. Sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 3. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. 4. Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 5. Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua. 6. Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas, & mel syluestre edebat. Et prædicabat dicens: 7. Venit fortior me post me: cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. 8. Ego baptizaui vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. 9. Et factum est: in diebus illis venit Iesus à Nazareth Galilææ: & baptizatus est à Ioanne in Iordane. 10. Et statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos, & Spiritum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso. 11. Et vox facta est de cœlis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui. 12. Et statim Spiritus expulit eum in desertum. 13. Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à Satana: eratque cum bestiis, & Angeli ministrabant illi. 14. Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, 15. & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio. 16. Et præteriens secus Mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare, (erant enim piscatores) 17. & dixit eis Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. 18. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. 19. Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui: 20. & statim vocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenariis, secuti sunt eum. 21. Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. 22. Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ. 23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo: & exclamauit, 24. dicens: Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei. 25. Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine. 26. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo. 27. Et mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? 28. Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ. 29. Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis, & Andreæ cum Iacobo, & Ioanne. 30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa. 31. Et accedens eleuauit eam, apprehensa manu eius: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis. 32. Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes.

33. & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. 34. Et curauit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. 35. Et diluculo valde surgens, egressus abijt in desertum locum, ibique orabat. 36. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. 37. Et cum inuenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. 38. Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni: 39. Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia eiiciens. 40. Et venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. 41. Iesus autem misertus eius, extendit manum suam: & tangens eum, ait illi: Volo: Mundare. 42. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. 43. Et comminatus est ei, statimque eiecit illum: 44. & dicit ei: Vide neminidixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis. 45. At ille egressus cœpit prædicare, & diffamare sermonem, ita vt iam non posset manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esset, & conueniebant ad eum vndique.

Luc. 4. f 42.

Matth. 8. a. 2. Luc. 15. c. 12.

Luc. 14. a. 3.

IN CAP. I.

VITA sunt necessariò à quattuor Euangelistis eandem scribentibus historiam communiter dicta, & à nobis in commentarijs in Matthæum explicata; quæ si in singulis repetere vellemus, laborem nobis accumularemus non necessarium, lectori verò docto præsertim, & delicato fastidium pararemus intolerabile. Quod si vt fieri à nonnullis solet, quoties commune aliquid, & iam à me expositum occurreret, eò, vbi exposuissem, lectorem mitterem; minus mihi laboris, minus illi fastidij esset; non esset tamen nihil. Vtrumque ferè desitabimus, si mecum ille conueniat, vt quoties in posteriore aliquo Euangelista aliquem prioris locum B idem dicentis ad marginem notatum viderit, eò se fronte sua conferat, etiam à me non missus si coposteriorem fortasse desiderabit explicationem. Id in Marco possimum accidet, qui Matthæi Euangelium ijsdem plerumque sententijs, ijsdem sæpè verbis, paucis additis, paucis detractis in compendium videtur redegisse; vt nemo mirari debeat, si multo in Marco, quàm in cæteris breuiores erimus. Debet prudens lector in lucro verborũ breuitatem ponere. modò nihil illi pereat de lucro sententiæ. Nos quidem certè in maximo ponimus, ne tempus rebus impendendum necessarijs, in non necessarijs consumamus, prope finem vitæ longè finem operis intuentes.

A eum & Christianum, & matre nobiliorem fuisse, qualem Marcum cùm sanctitatis opinione, cùm Euangelij prædicatione, scriptionéque fuisse constat. Dissentit tamen, vt videtur Euseb. lib. hist Eccl. 7. c. 20. Ioannem hunc cognomento Marcum alium, quàm Euangelistam fuisse significans. Cui sententiæ illud fauet, quòd Paulus Actor. 15. 37. aliquid in eo fuisse indicet culpæ, quam ob rem in consortium admittendus non esset; quod de Euangelista sine certis credere coniecturis haud scio, an satis propensi ad pietatem sit ingenij. Ac mirum profecto est, si proprium illi Ioannes nomen erat, à nemine auctore vetere Ioannem appellatum. Cùm ergo scriptura priorem illùm quasi proprio, & vsitato nomine Ioannem, posteriorem hunc & eadem scriptura cum de eo certè loquitur, & omnes auctores antiqui Marcum appellent, diuersos fuisse credendum est. Hæc mihi magis placet opinio, & auctorem grauiorem Eusebium, & probabiliores coniecturas habens. Nam nominum quidem similitudo illa, quam alij auctores secuti in contrariam sententiam abierunt, nihilo maior, quàm dissimilitudo est. Etenim vt ambo Marci fuisse; ita Ioannis nomine dissimiles sunt. Et potuit Marcus ille alter, cui Ioanni nomen erat alia ratione nobilis esse, vt ex eo mater cognosceretur; sicut Alexander ille, & Rufus Simonis Cyrenensis filij, ex quibus Marcus cap. 15. 21. describit patrem. Constantior, veróque similior omnium ferè auctorum sententia est hunc eum fuisse C Marcum, de quo Petrus 1. epist. cap. 5. 13 scribit filium eum suum vocans; aut quòd eum paterno, singularíque amore prosequeretur; aut quòd in Christo genuisset. Discipulum enim fuisse Petri Iren. lib. 3. c. 1. Euseb. lib. 2. histor. Eccles. cap. 14. Epiphan. hæresi 51. Chrysostom homilia 59. in Matthæum, & Hieronymus in vita Marci tradunt; atque comitem in Euangelij prædicatione fuisse eius omnes affirmant. Ab eo etiam baptizatum fuisse in sermone de Marco Euangelista apud Petrum Damianum lego. Meretur aliquam fidem non malus auctor, & id confirmat, quòd Petrus filium appellet suum, vt solemus, quos baptizauimus; appellare - quemadmodum & baptismus ipse ad Tit. 3. 5. regeneratio vocatur. Cæterum non conuenit, quod Orig. in libro de recta in Deum fide, & Epiphan. hæresi 51. & Doroth. in Synopsi scribunt eum vnum ex septuaginta duobus fuisse discipulis. Addit Epiphan. vnum ex illis fuisse, qui audito sermone de edenda carne, bibendóque sanguine

Euangelium secundum Marcum.) Quæ sit horum verborum vis, & cuius sint auctoris, ipsiusne Euangelistæ, an alterius cuiuspiam, qui suum cuique Euangelistæ titulum adiecerit, in Matthæi titulo disputauimus. De Marco, quia minùs, quàm cæteri Euangelistæ notus fuit, nonnihil dicendum. Et quidem, quæ ad Euangelij scriptionem pertinebant, in communi D quattuor Euangelistas præfatione ante Matthæum posita à nobis dicta sunt. De homine nunc agimus, quis, cuíúsque fuerit, & quid egerit in vita memorabile. Filium fuisse Mariæ ciuis Ierosolymitanæ, eius ad cuius domum Petrum vinculis ab Angelo solutum Lucas Actor. 12. 12. de nocte venisse tradit, Græcus Scholiastes, Act. 12. 12. & Dorotheus in Synopsi, & Theophylact. & Euthym. in comment. huius loci auctores sunt; & opinionem ipsa nominis similitudo nullo etiam auctore probabilem facit. *Considerans, inquit Lucas, venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes.* Quòd etiam matrem ex filio describit, indicat

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi ab eo offensi discessissent, à Petro verò ad Christum reuocatum. Verum ex ijs auctoribus, qui Petrum de Marco hoc Euangelistâ loqui putant, ij, qui eum Mariæ Cleophæ filium fuisse dicunt, eundem esse de quo Luc. 24.10. & 15.37.39. & Paulus ad Colos. 4.10. & 2. ad Tim. 4.11. Loquitur, arbitrantur; consobrinúmque fuisse Barnabæ. Nam Ioannes ille, cui Marcus cognomen fuit, Barnabæ consobrinus erat, vt ad Colos. 4.10. scribit Paulus; alij negant, aut certè non affirmant. Auctor comment in Marcum, qui Hieronymo tribuuntur, Leuitici fuisse generis tradit. Vellem testimonio, aut argumento aliquo probasset: nunc autem ex sola eius auctoritate fides pendet; quæ eo minor est, quòd ignotus est auctor, &, vt apparet, non vetustissimus. A Petro in Ægyptum prædicandi Euangelij causa missum fuisse, & Alexandrinum constitutum Episcopum nemo non dicit auctorum. Eius verò honoris declinandi causa pollicem sibi præcidisse apud multos vulgò circumfertur auctores; sed grauem ego, & antiquum eius historiæ auctorem quærens nullum inuenio. Et non est, quod Origeni, & alijs quibusdam se ipsos religionis etiam causa minuentibus vitio detur, Euangelistæ sine certis testibus tribuendum. Nam quod Lyranus respondet id eum diuino tactum spiritu fecisse quod de Samsone, & Razia credit Augustinus, in Marco credibile non est. Cùm enim ab ipso Spiritu sancto ad Episcopatum vocaretur, quomodo potuit ab eodem spiritu, vt Episcopatum fugeret, ad inferendas sibi manus impelli? Alexandriæ ita Christianorum formasse mores, vt eo tempore dicens Philo de Therapeutis, id est lapplicibus, aut contemplatoribus librum scripserit, vt mirabiliter genus illud laudaret vitæ, Euseb. lib. 2. hist. Eccles. c. 15 & 16. & Hieronymus in vita Marci, Dorotheus in Synopsi, & Theophylact. auctores sunt. Octauo Neronis anno Alexandriæ mortuum scribit Hieronymus. Dorotheus verò sub imperio Traiani Aprili mensis rudente collo intecta à loco, cui Bucolus nomen est, vsque ad locum, qui Angelorum dicitur, tractum, igne crematum, & in Bucolo sepultum. Quod tota Ecclesiastica refellitur historia, quæ pro comperto tradit, nullum præter Ioannem Apostolum, aut Euangelistam Traiani imperium attigisse.

Marcus Alexandrinus Episcopus. Fabula de Marco sibi pollicem scindente refellitur.

Quo tempore Marcus mortuus.

1. *Initium Euangelij.*) Euangelij nomen, quot modis dicererur, in communi ad quattuor Euangelistas præfatione diximus. Hoc loco quidam Euangelicam historiam interpretantur, eiúsque exordium ἀρχὴν *initium* à Marco vocari putant, quasi dicat, Exordium Euangelij, id est historiæ Euangelicæ, quam scribo, à Ioannis Baptistæ prædicatione sumam, sicut de illo in Isaia Propheta cap. 40. 3. scriptum est. *Vox clamantis in deserto, parate vias Domini.* Alij pro lege Euangelica, nouoque Testamento, quod Christus sanciebat atque prædicabat sumi existimant; quasi indicare Marcus voluerit eundem Ioannem finem vetteris, initium verò fuisse noui Testamenti, sicut in Malachia Propheta c. 3. 1 scriptum est, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Sic Chrysost. hom. 1. in Marcum, & Theophylactus, & Euthymius in commentarijs. Vera quidem sententia, sed quòd ad loci interpretationem attinet, quod id vt opinor, Marcus agebat, vt doceret vnde lex Euangelica; sed vnde Christi prædicatio initium haberet. Nam si id egisset, non Isaiæ & Malachiæ. sed Ieremiæ potiùs protulisset testimonium c. 31. 31. 32. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manu eorum, vt educerem eos de terra Ægypti.* Recentiores ferè omnes interpretes hunc libri titulum esse docent absolutè positum, & ex sequentibus minimè pendentem, quasi diceret Marcus Sequitur, aut incipit Euangelium filij Dei, sicut rudioribus, & minùs litteratis sæculis mos fuit libros inscribere, & quemadmodum Matthæus simili ratione Euangelium suum inscripsit, *Liber generationis Iesu Christi.* Illum egi interpretationem magis probo, vt non libri titulus, sed prædicationis Christi principij significetur, quod dicat Euangelista, Christi prædicatio tale habuit initium, quale prophetæ venturi Messiæ prædicationem habituram esse prædixerant. Primùm quia, si hic titulus esset libri, non bene verba, quæ sequuntur, cohærerent. Quis enim sensus *Initij Euangelij Iesu Christi, sicut scriptum est?* Nec enim propheta Marcum scripturum Euangelium, atque hunc illi titulum daturum, sed Christum venturum, & Euangelium prædicaturum prædixerant. Neque verò dici potest illud verbum, *sicut scriptum est*, non ad initij, sed ad Euangelij nomen esse referendum atque ita verba, sententiamque cohærere; quasi sensus sit, *Initium Euangelij* id est prædicationis Christi, de qua prædicatione scriptum est, *Ecce ego mitto Angelum meum ante te.* Id enim quod sequitur, *ante te*, indicat hæc verba non solum ad Euangelij, sed etiam ad initij nomen referri oportere. Idem enim est *initium, & ante te.* Præterea, quia, etsi Hebræi principio libri titulum toti libro dare solent, vt ex Genesi perspicuum est; tamen ad hunc modum librum orditi non solent. Initium libri Geneseos, aut initium Exodi. Dixisset ergo Marc. liber Euangelij eius Christi, si eam consuetudinem sequi voluisset, quemadmodum Matth. dixit. *Liber generationis Iesu Christi.* aut simpliciùs, Euangelium Iesu Christi, sicut dixit Isaias *Visio Isaiæ filij Amos*, & eremias *Verba Ieremiæ filij Helciæ*, & Ioannes in Apocalypsi. *Apocalypsis Iesu Christi.* Sed fusus ergo est, *Initium Euangelij* id est prædicationis Euangelicæ *Iesu Christi*, fuit. Hoc enim verbum aute ab quod simile intelligendum est.

Sicut scriptũ est in Isaia Propheta.) Matthæus à Christi generatione, Lucas à generatione Ioannis Baptistæ suum exorsi sunt Euangelium. Ioannes multo altiùs à diuinitatis æternitate, Marcus breuius sumpsit exordium. Nam omissa æternitate, omissa humanæ naturæ, & Ioannis, & Christi generatione, omissa adoratione Magorum, omissa fuga in Ægyptum, omisso tempore, quo Christus vsque ad annum Tiberij 15. ætatis verò suæ tricesimum, vt auctor est Lucas c. 3. 23. aut fecit, aut passus est, à Iordane orsus est prædicatione, quasi sibi propositum esset Christi doctrinam & miracula doctrinam confirmantia explicare. Itaque trium tantùm annorum Christi texit historiã. Quæritur à multis eius consilij ratio. Credo ego probabilissimam hanc esse, Matthæum, quia promissiones Abrahamo de semine, in quo essent omnes gentes benedicendæ, & de fœtu regno Christi ex Dauidis familia nasciturj in Christo completas fuisse ostendere volebat, vt eum omnem promissum esse Messiam intelligerent, ab Abrahamo, & Dauide exordium petiuisse. vt Matthæi Lyra, Hieronymo, & alijs docuimus auctoribus. Marcum verò sectantem breuitatem alia idem ratione adfecisse voluisse, docendo tale fuisse Christi prædicationis initium, quale prophetæ prædixissent futurum esse Messiæ. vt eum Messiam esse constaret, quam rationem Beda in commentarijs reddit. Cœpit autem à prædicatione, & breuitatis, vt opinor, causa, & quia non tam historiam de tota vita Christi quàm compendium de eius doctrina, atque miraculis, eumque confirmata doctrina esset, scribere volebat. (Danus

autem Christi tricesimo cœpit, quia tunc Christus propriè cœpit facere, atque docere. Nam quòd annos natus duodecim sedens inter doctores disputauerit, Lucæ 2. 4. singulare, & extraordinarij factum fuit, quasi futuri Euangelium præludium, neque cum id aperte, & passim faciebat, quasi doctoris professus officium, sed quasi vnus aliquis de plebe puer, vt scientiæ suæ exhibito documento auditorum in se animos excitaret, & erigeret in expectationem sui; Baptizatus verò non ita, sed publicè in templo, & quasi vnus de magistratu in Synagogis doctorem se ferebat. *Ego quotidie sedebam docens in templo*, Matthæi 26. 55. & *Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt*, Ioannis 18. 20.

Iesu Christi.) De his duobus Christi nominibus diximus apud Matthæum, cap. 1. 1. ne iue his duobus verbis, vt multi existimant, materia; sed auctor Euangelij notatur. Non enim sensus est, Initium Euangelij, in quo de Christo agitur, sed quod Christus attulit, docuit, prædicauit.

Filij Dei.) Cur potius filium Dei, quam filium Dauidis, quemadmodum Matthæus appellauerit, vulgatis est quæstio. Ad quam in commentarijs Beda respondet, voluisse Euangelistam, vt à minoribus ad maiora erigeremur, dum ex Matthæo Christum hominis, ex Marco Dei filium disceremus. Ratio probabilis, sed existimo ego omnibus Euangelistis propositum fuisse. vt Christi docerent diuinitatem; sed cum ad eandem intenderent metam, diuersis carceribus egressi sunt. Matthæus, & Lucas ab humana exorsi generatione diu initatem humili sumpto principio paulatim, & accommodatè ad Iudæorum ingenium insinuarunt, dum ex natalibus, modòque mirabili nascentis Christum eum esse probauerunt, qui per prophetas promissus à Iudæis expectandus erat populi Redemptor. Idem Ioannes facit, dum de æternitate disserit. Marcus, dum ostendit esse eum, ante quem Pater angelum se, qui eius pararet viam, missurum promiserat.

Sicut scriptum est.) Sunt qui hæc verba non cum præcedentibus, sed cum sequentibus iungant; Quod fine omnes faciunt, aut facere certè debent, qui primum esse putant, vt sit oratio præposteta hunc habens sensum; fuit Ioannes in deserto prædicans, sicut scriptum est in Isaia propheta, *Vox clamantis in deserto.* Sed non dubito cum verbis præcedentibus esse copulanda, quemadmodum paulò ante demonstrauimus, & nunc ex alterius interpretatione is absurditate magis affirmatur. Nam si ad sequentia referatur, oratio præposterè insolens, & durissima erit, qua nec Euangelistæ vti solet, neque quisquam homo non omnino barbarus vteretur: præter quàm quòd non erat Euangelistæ consilium in Ioanne, sed in Christo constitere, eiúsque vt diximus, probare diuinitatem. Itaque credendum non est propter Ioannem, sed propter Christum prophetarum testimonium attulisse, vt ostenderet Christum esse eum, ante cuius faciem Deus se angelum suum missurum dixerit, vt paulò superius ex Irenæo lib. 3. c. 18. & ex Bedæ in hùc locum commentarijs adnotauimus. Sensus ergo est, *Initium Euangelij* id est Euangelicæ prædicationis *Iesu Christi* fuit aut ita se habuit, *sicut scriptum est in Isaia propheta.* Extitit enim Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ, vt hoc loco Euthymius indicauit. Quare post illa verba, *Initium Euangelij Iesu Christi* ij, qui punctum index finitæ periodi esse non debet, quemadmodum ab ijs ponitur, qui hunc libri titulum esse putant; sed virgula, quæ ostendat ex consequentibus pendere sententiam.

Vulgata editio defenditur.

In Isaia Propheta.) In plerisque nunc Græcis codicibus legitur ἐν τοῖς προφήταις, in prophetis, atque ad hunc modum Irenæus, lib. 3. c. 1. & 18. & Theophylactus & Euthym. hoc loco legunt. Multo meliorem lectionem esse arbitror, quam in vulgata habemus editione; *Sicut scriptum est in Isaia propheta.* Primùm, quia omnes Latini codices ita habent; deinde quia nõ omnes Græci aliter habent: quin ex Hieronymo constat lib. de optimo genere interpretandi ea ætate omnes etiam codices Græcos ita legisse, quemadmodum nunc Latini omnes legunt. Cum enim quæstionem proposuisset, quomodo hoc loco legeretur, *sicut scriptum est in Isaia propheta, Ecce ego mitto angelum meum*, quod non in Isaia, sed in Malachia scribitur nouissimo duodecim prophetarum, non respondit Græcè legi, sicut scriptum est in prophetis; sed *Soluat*, inquit, *hanc quæstiunculam inuentus præsumptio, & ego errore veniam deprecabor, quasi falsa non possit.* Præterea quia & Syriacus interpres ita legit. Deinde quòd nulli prorsus auctores Latini legant in prophetis. Nam Irenæus Latinus, qui lib. 3. c. 11. semel tantùm ita legit, eodem capite, & c. 18. legit *in Isaia propheta*, vt facilè intelligi possit, cum *in prophetis* legit, aut lapsum fuisse memoria, aut sententiam, non verba recitare voluisse. Contra verò auctores antiqui Græci ita etiam legunt, vt Chrysost. quisquis auctor est hom. 1. in Marcum; alij eo vetustiores, vt alicubi restatur Epiphanius. Denique credibilius est aliquem, cum videret duorum propheratum testimonia citari, vt Porphyrij obiectioni responderet, qui, vt Chrysost. & Hieronym. tradunt, hunc Christianis locum obiectabat, vt Euangelistarum argueret ignorantiam; pro *Isaia* scripsisse *in prophetis*; quàm contra pro *prophetis* scripsisse aliquem *in Isaia*. Matthæus quidem & Lucas de eadem re loquentes non dicunt *in prophetis*, sed *in Isaia*; sed in promptu ratio est, non duarum prophetarum, sed vnius tantùm Isaiæ testimonium afferebant; itaque nolumus argumentum ex illis sumere. Tantùm obstat, quòd cùm duorum hic prophetarum testimonium Marcus inducat, non videatur esse credibile alterum tantùm eorum nominasse. Quidam quibus auctor Lyranus est sanè non malus, nimis meo iudicio subtiliter & philosophicè respondent, solum nominatum Isaiam, quia eius victima sunt verba, & solent res ex fine nomen accipere. Alij Augustinum secuti quia & per Isaiam, & per Malachiam idem loquebatur Deus, nihil fuisse discriminis, aut vtrumque aut alterum tantùm nominare, cùm idem semper Deus citetur auctor. Hanc interpretationem cur sequi non soleamus, in commentarijs in Matthæum, c. 27. 9 diximus. Mea igitur, si quid valet, hæc est sententia, Marcum solum Isaiam citare voluisse, *Vox clamantis in deserto*, vt probaret, quod paulò ante dixerat, *Initium Euangelij Iesu Christi.* Vox enim illa *in deserto clamantis* initium fuit Euangelij, sed quia intelligi non poterat, id à propheta de Ioanne dictum fuisse, nisi ex Malachia; adiunxit quasi explicationem Malachiæ testimonium vnum ex vtroque contexens, & solum Isaiam auctorem faciens quia pars præcipua, & in qua tota consistebat vis probationis, quamque potissimum Euangelista producere volebat, Isaiæ erat.

2. *Ecce ego mitto.*) Malachiæ testimonium Matthæi 11. 10. Isaiæ verò Matthæi 3. 3. expotuimus.

9. *Venit Iesus à Nazareth Galilææ.*) Oppido, vbi Christus post reditum ab Ægypto vsque ad annum ætatis suæ circiter tricesimum nutritus fuerat, vt colligitur ex Matthæo, c. 2. 23 & ex Luca c. 3. 23. & c. 4. 16. Addit *Galilææ*, non distinctionis, sed descriptionis, & declarationis causa. Nec enim alia Nazareth extra Ga-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lilæam erat. Magis Marcus, quàm Matthæus locum expressit. Matthæus enim tantùm dixit venisse Christum à Galilæa, Marcus ipsum Galilææ oppidum, vnde venerat, indicauit Euthymius.

Editio vulgata desendi-tur.

11. *In te complacui.*) ἐν σοὶ εὐδόκησα, in quo mihi complacui, vt Chrysostomus homil. 3. & Euthym. legũt. In textu quoque Græco Romani Theophylacti eodem modo legitur, quamuis in commentarijs, quomodo ipse legerit, non apparet. Latini codices fere omnes habent *in te complacui*, atque ita Græcè credo nostrum legisse interpretem, multòque meliorem esse lectionem. Primo, quia non dixerat, *Hic est filius meus dilectus*, vt Matthæus. Quod si dixisset, consequens esse videretur, vt diceret, *in quo mihi complacui*; sed dixit, *Tu es filius meus dilectus*. Itaque magis consentaneum rationi est, vt eandem secũdam personam alloquens dicat, *in te complacui*. Deinde quia Lucas c. 3. 22. qui eodem modo, quo Marcus dixerat, *Tu es filius meus dilectus*, eodem modo dicit hîc: ἐν σοὶ εὐδόκησα, *In te complacui*. Demum facilis scriptoris lapsus fuit, vt pro σοὶ scripserit ᾧ. Sed duplex hinc oritur quæstio altera quomodo discrepent Euangelistæ Patris verba recitantes, dum alius scribit dixisse voce illa de cælo missa, *Hic est filius meus dilectus*, *in quo mihi bene complacui*; alij dixisse, *Tu es filius meus dilectus*, *in te complacui*, altera cùm vtroque modo vox illa cælestis dicere non potuerit, vtronam modo dixerit. Priori & sæpe iam respondimus, & nunc breuiter respondemus, non semper Euangelistis propositum fuisse Christi verba, sed sensum recitare; sensus autem idem est, siue dicas *Tu es filius meus dilectus*, *in te mihi complacui*, siue eodem demonstrato Christo, *Hic est filius dilectus*, *in quo mihi bene complacui*. Vtrobique enim significatur Christum filium esse dilectum Dei, quod maximè docere Euangelistæ volebant. De posteriore verò quæstione Matthæi 3. 17. copiosè diximus.

12. *Et statim.*) Quod Marcus dicit *statim*, Matth. c. 4. 1. dicit *Tunc*. *Tunc*, inquit, *Iesus ductus est in desertum*, id est, simulatque baptizatus fuit, & spiritus sanctus descendit super eum. Expressiùs locutus est Marcus. Videntur Euangelistæ aliquid mysterij indicare voluisse, quòd tanto studio declaraverint statim post baptismum Christum in desertum fecisse. Fortasse Spiritus sancti, qui super eum descenderat, efficacitatem ostendere voluerunt, qui vbicumque est, aliquid boni agit, nec moras patitur, sicut Actor. 2. 4. in missione Spiritus sancti manifestiùs apparuit; *Repleti sunt*, inquit, *omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui*. Aut fortasse Christi diligentiam in exequendis mandatis Patris, quòd simul vt à Patre missa de cælo voce, & à Ioanne intento digito Euangelij auctor, doctórque est declaratus, sese ad pugnam accinxerit, sese collegerit, ac receperit in solitudinem, vt cũ diabolo principe mundi huius singulari certamine pugnaret, eoq; victo mundus à se totus facilè vinceretur, ponerentúrque inimici eius scabellum pedum eius. *Nunc*, inquit, *iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, Ioannis 12. 31. & 14. 30. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam*, & posset securus dicere, *Confidite, ego vici mundum*, Ioannis 16. 33. Fortasse etiam diaboli diligentia notatur, qui simul vt in Christo Spiritum sanctum descendentem vidit, qua solet, inuidia in eum impetum facere conatus est expiorareque, num vox illa, quę cælo missa erat, vera esset. Cui Christus, ne hostem timere videretur, in solitudinem obuiam processit. Quod autem Ioannes dicit cap. 1. 29. *altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se*, nemo putet huic loco esse cõtrarium, quasi non statim Christus, vt ait Marcus, in desertum secesserit, cum eum altera die Ioannes venientem ad se viderit. Loquitur enim Ioannes de Christo non iam baptizato, sed ad baptismũ veniente. Maiorem repugnantiæ habet speciem, quod eodem loco ver. 35. & 36. idem Ioannes dicit, *altera die* τῇ ἐπαύριον, *postridie, rursum stabat, Ioannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantem dicit, ecce Agnus Dei*. Hoc enim post baptismum accidisse constat. Duobus modis hic nodus solui potest, aut abusum fuisse nomine propinquitate verbi τῇ ἐπαύριον & *postridie* dixisse pro *altera die*, vt noster vertit interpres intelligens fortasse non esse sensum ad proximè insequentem, sed ad alteram quampiam diem referendum: aut adverbium ἔπειτα hoc loco non momentum, sed breue temporis interuallum significare, vt illud, *inde*, apud Matthæum c. 4. 12. quod multis iam locis adnotauimus. Hoc enim tantùm Euangelistæ docere voluerunt Christum statim post baptismum, id est antequàm prædicare, aut miracula facere cœpisset, ahámve actione publicum aggrederetur, se in solitudinem recepisse, non quòd è vestigio se receperit. Quin verisimile est per aliquot saltem diem Christum iam baptizatum apud Ioannem mansisse, vt pluribus de se hominibus diuersis diebus ad baptismum venitantibus testimonium perhiberet.

Spiritus.) Sanctus, qui descenderat super eum. & vt ait Ioannes cap. 1. 33 super eum manserat, quemadmodum Chrysostom. hoc loco Euthymius, & Theophylact. in commentarijs in cap. 4. Matthæi adnotauerunt. Hoc enim spiritu plenus Christus, vt ait Lucas cap. 4. 1. agebatur, quemadmodum de ijs, qui non natura, vt Christus, sed adoptione filij Dei sunt, dicit D. Paulus, *quicunque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*, ad Romanos 8. 14 indicant ergo Euangelistæ Spiritum sanctum non ita in Christum descendisse, vt eum tantùm ostenderit, statimque discesserit, sed ita in eo mansisse, vt statim cœperit eum agere, & omnibus deinceps rebus gubernare. Si quis longiorem de hac spiritu disputationem desiderat, legat, quæ scripsimus Matthæi 4. 1.

Expulit ἐκβάλλει, expellit, aut eiicit, Matthæi 4. 1. ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ πνεύματος *ductus est ab spiritu*; Lucæ cap. 4. 1. ἦγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον, *& agebatur in spiritu in desertum*. Eodem sensu tres Euangelistæ loquuntur, sed Marcus aliquando efficacius, & quàm plus est ἐκβάλλει, quam ἄγει, & quia præsens tempus maiorem habet vim. rémq; magis ante oculos ponit.

Et erat in deserto.) ἦν ἐν τοῖς ἐν τῇ ἐρήμῳ, & erat ibi in deserto. Quòd Marcus imperfecto vtitur, tempore continuationem significat; ostendit enim totos dies quadraginta Christum in deserto versatum fuisse, nec vt ab eo non discesserit, quod nullus alius tam aperte expressit Euangelista. nam Matthæus, & Lucas tantùm dicunt quadraginta diebus ieiunasse; sic enim apud Lucam distinguenda sunt verba, *Et agebatur in spiritu in deserto diebus quadraginta*, id est, vt illic esset quadraginta dies, πειραζόμενος, *tentatus à diabolo*, id est, vt à diabolo tentaretur, aut, vt dicit Marcus interpretabatur, *tentabatur à diabolo*. Eodem hoc ipsum pertinet quod ait, *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Quamquam hæc vltima verba, *Et quadraginta noctibus*, neque hoc loco Græcè leguntur, nec apud Lucam c. 4. 2. & videntur ab aliquo ex Matthæo cap. 4. 2. huc fuisse translata. Notant hoc loco diligenter hæreticorum interpretes hãc Christi in desertũ secessionem exempli fuisse singularis: semel enim tantùm secessisse, sicut & Eliam 3. Regum 19. 3. 4. veriti, ne Christi facto ad probandum monachorum institutum afferamus. Primùm quidem errant, quòd putent Christum semel tantùm solitudinem petiisse. Petiit enim quoties aut ab Euangelij prædicatione vacauerat, aut aliquid magni aggredi volebat, vt Matth. 5. 1. & 14. 23. & 15. 39. & 17. 1. & Marci 3. 13. & 6. 46. & 9. 2. & Lucæ 6. 12. & 9. 28. perspicuum est. Itaque non singulare factum, sed consuetudo fuit. *Erat*, inquit Lucas cap. 21. 37. *diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti*. Non ergo semel in vita, sed singulis fere noctibus, id est dimidia temporis parte Christus, vt ita dicam, monachus erat. Rursus idem Lucas cap. 22. 39. *& Egressus*, inquit, *ibat secundũ consuetudinem in montem Oliuarum*. Et vt fingamus semel tantùm per quadraginta illos dies in solitudinem abisse, cur neminem vnquam istorum Euangelicorũ hominum, vel semel tantùm nõ dico per quadraginta; sed per vnum tantùm diẽ, nisi fortasse voluptatis, nõ orationis causa, in solitudinem secedere videmus? sed huiusmodi hæreticorum interpretamenta, quæ illi ne nobis Christi, & Ioannis solitudo, habitus, ieiunium, ciborumq; delectus ad virtutis cultum seruire possint, comminiscuntur, 3. & 4. c. Matthæi multis argumentis refutauimus.

Et tentabatur à Satana.) Quod Hieronymus, aut quisquis auctor est commentariorum in Marcum, & Beda ex hoc verbo colligunt Christum non ter tantùm, vt scribit Matthæus cap. 4. 2. sed frequenter, aut continenter potiùs per totos quadraginta dies fuisse tentatum, probabile natura sua est; sed certò, ex hoc loco colligi non potest. Nec enim necesse est, vt sensus sit, perpetuò per quadraginta illos dies tentatum fuisse, sed in illis aliquoties fuisse tentatum: præsertim si Græca sequamur verba, atque distinctionem, ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡμέρας τεσσαράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ σατανᾶ. Erat ibi in deserto quadraginta dies, tentatus à Satana.

Eratq; cum bestijs.) Inter bestias, & quidem feras, & venenatas, hoc enim Græcũ verbum θηρίον significat. Quibus verbis tantùm voluit Euangelista summã declarare solitudinem, vbi solæ feræ bestiæ versarentur, quoq; nemo mortalium penetraret, vt Theophyl. & Euthym. indicauerunt.

Et angeli ministrabant illi.) Beda ita exponit, quasi angeli toto illo tempore, quo Christus in deserto fuit, illi ministrauerint. *Inter bestias*, inquit, *morabatur vt homo, sed ministerio vtitur angelico, vt Deus*. Cæterũ ex Matthæo cap. 4. 11. manifestum est, non nisi peracta tum omni tentatione, partáque victoria angelos accessisse. Nam priùs quidem, vt illo loco diximus, paratos ad ministerium angelos Christus prohibuerat, & ne à diabolo ex angelorũ famulatu, sicut principe & comitatu ministrorum, dux ex militibus sequentibus, atque parentibus cognosceretur; & vt diabolus aggredi solum auderet, quam angelis cinctum, vel spectare timuisset; & vt solus cum solo pugnaret, ne victoria alij, quàm sibi, ferri posset accepta, solúsque verè diceret, *Ego vici mundum*, Ioannis 16. 33. & *conculcabo calcaneo solus, & de gentibus non est vir mecum*, Isai. 63. 3.

14. *Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam.*) Marcus hoc loco, & Matthæus cap. 4. 12. & Lucas cap. 4. 14. ita de ista Christi fuga loquuntur, vt indicent eam statim post quadraginta illos in solitudine actos dies contigisse. Ioannes verò cap. 4. 43 ita vt longè post factam esse significare videatur; non solùm quia priùs & vocatos Apostolos, & baptismum per eos administratum, quæ causa Pharisæis fuit inuidiæ, Christo verò ad declinandam eorum inuidiam Galilæam secedendi, prædicatum in Iudæa à Christo Euangelium, & facta scribit miracula. Hæc enim omnia per anticipationem dicta intelligi possent, sed etiam quia aperte docet Christum tunc in Galilæam cum suis discipulis suis fuisse comitatum. Hæc quæ-

stio ex altera maximam partem quæstione pendet; num reditus ille in Galilæam Christi de quo Ioannes loquitur, idem sit, atque hic, de quo tres alij scribunt Euangelistæ. Nam si idem est, haud dubium, quin nõ statim Ioannes traditus, nec statim post reditum à solitudine in Galilæam Christus discesserit, quia id ex Ioanne apertissimè colligitur. Sin autem non est dubium adhuc manet, an aliquanto tempore nondum vocatis Apostolis in Iudæa Christus prædicauerit, antequàm discesserit in Galilæam, an statim discesserit, sicut trium Euangelistarum indicat series. D. Augustinus libro 2. de consensu Euangelistarum cap. 17. & Beda hoc loco, & Matthæi 4. 12. eundem reditum esse putant, sed Beda priùs Christum in Galilæam isse dicit, cum ibi Apostolos sibi aggregauit: quem reditum Euãgelistæ prætermiserint, quamuis ex eorum etiam historia aliqua ratione colligatur. Vellem patefieri ratio, vt tam bonis assentirer auctoribus. Sed animaduerto, & plane perspicio in eo reditu, de quo Ioannes loquitur, iam Apostolos fuisse vocatos; in eo, de quo alij tres agunt Euangelistæ, nondum vocatos fuisse, quia ita reditum eum in Galilæam describunt, vt non obscurè significent nondum Christum Apostolos habuisse, sed eos, cùm in Galilæam venisset, conuocasse. Manet adhuc quæstio, an Ioannes aut interim, dum Christus in deserto erat, aut statim postquàm à deserto reuertit, traditus fuerit, statimque se Christus in Galilæam receperit, antequàm inciperet in Iudæa prædicare. Ioan. cap. 3. 22. 23. 24. omnem nobis dubitationem tollit, quia clarissimis scribit verbis per aliquantum tempus vtrumque, & Christum, & Ioannem simul prædicasse, baptizasseque. Priùs enim prædicare in Iudæa cœpit, discipulósque collegit, qui eius nomine baptizarent, quam ireret in Galilæam: & adeo quidem collegit multos, vt Ioannis discipuli inuidere viderentur, Ioann. 3. 26. *Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*. Cur ergo Matthæus, Marcus, & Lucas de illa prima Euangelij prædicatione mentionem non fecerunt? Ratio nobis, cum ab illis exposita non fuerit, constare non potest; sed est tamen probabilis, & non difficilis coniectura, ideo eam prætermisisse, quia priuata quodammodo fuit viuente adhuc, & prædicante Ioanne; fuit enim tempus illud, quo Christus simul, ac Ioannes prædicauerunt, quasi legis, & Euangelij, id est noctis, & diei crepusculum quoddam, quot etsi lucebat aliquo modo Euangelium, quasi sol quidam, nondum tamen omnino ortum erat; ortum est Ioanne mortuo, id est lege abeunte & Orientis solis luce dissipata. Postquàm Christus Apostolos sibi aggregauit, id est familiam aluit, simulque creauit Euangelij, tunc primùm putant Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas propriè cœpisse Euangelium prædicare, quia non iam solus, & quasi homo priuatus, sed & per se ipse, quasi publicus Apostolorum dux atque magister; & per Apostolos in diuersa loca missos prædicabat, quasi veris passis Euangelij. Hinc intelligitur bis Christum fugæ de causa ex Iudæa in Galilæam profugisse. Primùm ob traditum in vincula Ioannem, vt Matthæus, & Marcus exponunt. Nam Lucas nulla de Ioannis vinculis facta mentione solam Christi in Galilæam secessionem explicauit. Deinde, cùm ex Galilæa collectis iam Apostolis in Iudæam reuertisset, tantúmq; ibi discipulorum numerum prædicando, baptizandoque congregasset, vt Pharisæi magis ab eo, quàm à Ioanne timere inciperent; tunc enim, vt eorum vitaret inuidiam, rursus se in Galilæam recepit, Ioannis 4. 1. 3. *vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod Iesus plures discipulos faciat, quam Ioannes, reliquit Iudæam, & abijt iterũ in Galilæam. Atque hoc fortassis est, quod Ioannes dicit iterum in Galilæam abijsse, indicans antea iterum ijsse. Quamquam non ignoro posse illud *iterum* ad aduentum ex Galilæa Christi referri, quasi sensus sit, non quidem iterum prius in Galilæam ijsse, sed redijsse in Galilæam, vnde ante venerat. Hunc enim Hebraismum aliàs expotuimus. Hæret in illis verbis aliquis minùs exercitatus lector poterit, *Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes.* Quo enim modo dicere poterant Iesum plures quàm Ioannem discipulos facere, si de eo loquebantur tempore, quo Ioannes iam erat mortuus? Nam ante primã Christi in Galilæam profectionem Ioannes in vincula coniectus, & secuti percussus fuerat. Placet, quòd à doctis iam nonnullis interpretibus obseruatum est, sensum esse, Iesum plures tunc fecisse discipulos, non quàm eodem tempore, sed quàm ante, dum videret Ioannes, fecerit. Cur autem in Galilæam potius, quam alium in locum accesserit, cum plus in Galilæa periculi esse videretur, vbi, qui Ioannem occiderat, Herodes dominabatur, Matthæi 4.12. disseruimus.

Prædicans Euangelium regni Dei.) Hæc, & quæ sequuntur, copiosiùs à nobis, Matthæi 4.17. 23. explicata sunt. Nunc aliqua tantùm illic non dicta carpemus.

15. *Quoniam impletum est tempus.)* Aduentus Christi, & regni cælorum à prophetis præscriptum, maximèque à Patriarcha Iacob, Genes. 49.10. & à Daniel. cap. 9. 24. Sic D. Paulus ad Galatas 4. 4. *vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret,* Euthym.

Pœnitemini.) μετανοεῖτε, pœnitentiam agite, vt solet vertere idem interpres Matthæi 3.2. & 4.17. & 11.20. 21. & 12.41. Et infra apud eundem hunc Euangelistam cap. 6.12. & Lucæ 11.32. & 13.3.5. & 15.7.10. & 16.30. & 17.3. Quid autem causæ fuerit, cur hoc loco, itemque Actor. 3. 19. idem verbum reddiderit, *pœnitemini*, malo fateri nescire me, quàm ignorantiæ, aut temeritatis antiquum, & prudentem interpretem arguere. Quòd autem hoc loco Theophylactus obseruat, alio sensu Ioannem, alio Christum prædicasse; *Pœnitentiam agite*; illum, vt à peccatis, hunc, vt à lege ad Euangelium homines reuocaret, non existimo satis esse firmum. Nam & Ioannis consilium, atque officium erat homines à lege sensim auellere, & ad Christum traducere: & Christus quidem certè, qui peccatorum redemptor venerat, à peccatis magis, quàm à legis obseruatione homines reuocare conabatur. Quo verò modo doceret alios legem spernere, quam ipse, quam diu in hoc versatus est mundo, vt ait Chrysost. perfectissimè seruauit?

16. *Secus mare Galilææ.) Stagnum Genesareth*, Lucæ 5.1. Quod propter magnitudinem mare vocabatur, vt constat hoc loco, & Matthæi 4.18.

Vidit Simonem, & Andream.) Lucas narrat, cùm multæ essent nauiculæ, in eam Christum ascendisse, quæ Simonis erat, volebat enim piscatorem sua ipsius naui, suis quodammodo piscari retibus. Quæ hîc de Apostolorum vocatione dicũtur, apud Matthæum cap. 4. 18. expositimus.

Mittentes retia in mare.) Eodem modo Matthæus cap. 4.18. Lucas verò paulò aliter cap. 5. 2. *Piscatores autem descenderant, & lauabant retia*, sed eos, qui lauabant, alios fuisse, quàm hos, qui in mare retia mittebant, credendum est. Erant enim multi, quorum alij piscandi causa retia in mare iaciebant, vt Matthæus, & Marcus affirmant; alij lacerata, aut soluta reficiebant, vt ait Marcus infra vet. 19. & Matth. cap. 4. 21. alij, vt dicit Lucas, lauabant.

20. *Et ingrediuntur Capharnaum.)* Matthæus cap. 4. 13. antequàm discipulos Christus deligeret, simulatque in Galilæam venit, Capharnaum ingressum scribit; ibique commorarum. Illa enim quasi Euangelij sedes fuit, quòd ibi Christus frequentissimè versaretur, atque prædicaret, vsque eò, vt eius vocaretur ciuitas. Matthæi 9.1. postea ascitis iam Apostolis scribit totam docendo, & miracula faciendo Galilæam obijsse ita vt in Syriam vsque eius manaret fama, Matthæi 4.23. 24. Quæ omnia Marcus præterijt, & ad id quod præcipuum erat, sibiq; propositum properauit. Quare ergo dicit Capharnaum ingressum esse, postea factum fuisse intelligendum est, cum ad lustrandam Galilæam rediisset.

Et statim.) Id ex primo sabbathi die, simulatque licuit, cum primùm congregata Synagoga fuit, indicat Euangelista in prædicando Euangelio diligentiam, & ardorem Christi, qui nullam loci, nullam temporis occasionem, qua docere posset, præterlabi pateretur.

Sabbathis.) Per singulos dies Sabbathi, quibus ad legendam legem Mons Iudæi in synagogam conuenire solebant. Hæc enim de causa plurali numero Euangelista vsum fuisse arbitror, vt singulos sabbathi dies significaret, quemadmodum aliquando Hebræi singulis matutinis, singulis diebus mane, aut vt Hebraicè בבקרים in custodijs, aut vigilijs, quasi dicat per singulas noctis vigilias, quibus milites ad agendas excubias solent surgere, & ego ad meditandum me surgo. Voluit igitur Euangelista docere nullis Christum, vt paulò ante diximus, iuuandi hominis, nullo loci, nec temporis occasionem prætermisisse; ideo cum, tempúsque notauit. Locum Capharnaum, vrbem maritimam, frequentem, publicanorum, aliorúmque negotiatorum plenam, eóque magis corruptam moribus, quales plerúmque eiusmodi vrbes ad mare sitæ esse solent; tempus diem sabbathi, quo solebant Iudæi in Synagogam ad audiẽdam legem, diligere. nunc Christiani in templa festis diebus conuenire, vt ex hoc ipso loco colligitur, vt ex Luca cap. 4. 16. & 13.10. & Actorum 13.14. 27. 42. 44. & 15.21. & 17.2. & 18.4. & 20.7. Hinc etiam apparet verũ non esse, quod à recentioribus quibusdam, doctis licet interpretibus, notatum est, cum nomen *sabbathi* singulari numero ab Euangelistis ponitur, diem sabbathi, qui hebdomadis vltimus est dies significare; cum autem plurali *sabbata*, omnes hebdomadis dies comprehendere, quod multis alijs exemplis Matthæi 28.1. refutauimus.

Ingressus in Synagogã docebat eos.) Licebat omnibus, qui in synagogis erant, surgere, ac dicere si quid occurrebat, vt intelligitur ex Luca cap. 4. 16. 27. & Actor. 13.15.16. Ad quam consuetudinem videtur D. Paulus 1. ad Corinth. 14.30. alluisse. Matth. cap. 4. 23. magis generaliter narrat historiam, Christum in Galilææ synagogis docuisse.

22. *Et stupebant super doctrina eius.)* Idem Lucas narrat cap. 4.32. Matth. verò cap. 7.28. ahàs etiã Christo docente populum admirationem scribit, vbi quæ ad hunc pertinent locum, exposuimus.

Erat enim docens tanquam potestatem habens.) Si nihil aliud Euangelista dixisset, satis intelligi posset Christum Scribis, Pharisæis, cæterisque Iudæorum Doctoribus opponere voluisse: nunc autem Matth. cap. 7.29. & Marcus antithesin addiderunt.

Et non sicut Scribæ.) Quòd Scribas non absolutè,

sed Scri

sed Scribas eorũ vocat, Matth. 7.29. emphasin etiam habet, quasi dicat, non sicut Scribæ, quos ipsi magnifacere solebant, ac libenter audire. Multis autem in rebus auctoritas illa, & potestas, quæ apparebat in Christo, in Scribis desiderabatur, consistebat. Primùm, quòd Christus, tanquam legislator; Scribæ tanquam legis interpretes, & non admodum quidem periti loquerentur. Hoc indicant modi illi dicendi à Christo tam frequenter vsurpati, *Audistis, quia dictum est antiquis, Ego autem dico vobis*, Matthæi 5. 21. 22. 27. 28. 32. 34. 39. 44. Ita Chrysostom. homil. 5. in Marcum, & 26. in Matthæum, & auctor imperfecti homilia 21. & Beda hoc loco, Theophylactus, & Euthymius in cap. 7 Matthæi. Deinde, quòd Christus ita loqueretur, vt ostenderet nihil se, nisi salutem hominum, non gratiam, non bona quærere, vt discipulus eius, & imitator dicebat D. Paulus 2. Corint. 12. 14. *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos*, & ad Galat. 1. 10. *modo enim hominibus suadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Hoc enim, qui faciunt, liberè, & tãquam auctoritatem habentes loqui solent. Cõtra Scribæ, & Pharisæi gratiam, opésque aucupabantur, sicut illis obiicit Christus infra cap. 12. 40. & Matthæi 23. 14. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comedetis domos viduarum, orationes longas orantes*, & Lucæ 20. 47. *qui deuorant domos viduarum simulantes longam orationem*; Theophylact. hoc loco, & Euthym. Matthæi 7. Postremo, quòd faceret ipse, quod docebat, qua re nihil omnino est, quod plus orationi ponderis, & auctoritatis afferat, plus ad commouendos animos incitamenti. *Longum*, inquit Seneca, *ad virtutem per præcepta; breue, & efficax per exempla iter est.* Sic Gregor. lib. 23. in Iob cap. 7. & 8. & Theophylactus Matthei 7. *Omnem imperij*, inquit Gregorius, *docetur quod prius agitur, quàm dicatur. Nam doctrina, subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam, vnde etiam de Domino scriptum est; Erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ, & Pharisæi. Singulariter namque, & principaliter solus ex potestate bona loquutus est, qui ex infirmitate mala nulla commisit.* Sunt qui putent eam significari potestatem, qua cum doctrina miracula coniungebat, quod Scribę, & Pharisæi facere non poterant. Et hoc probabile est. nam & infra ver. 27. hac de causa Christi doctrinam auditores admirati dicũt; *quæ nã doctrina hæc noua: quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei*; hæc enim potestas faciebat, vt Christus confidenter loqueretur, vt infra cap. 2. 8. 9. & Matthæi 9. 4. 5. 6. 7. & Lucæ 5. 22. 23. *quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere paralytico, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere; Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? vt autem scíatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico surge: tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, & surrexit, & abijt in domum suam.*

23. *Et erat in synagoga eorum.)* Locum Euangelista designauit, sicut Lucas cap. 4. 33. vt non solùm loci notatione, quod ipsum ad faciendam fidem historiæ momenti quàm plurimum habere soleat; sed multitudine etiam innumerabili testium, & testium quidem inimicorum miraculum comprobarent. Nam & in synagoga actum est, quò Iudæi omnes solebant conuenire, Ioannis 18.20. & præsentibus Scribis, & Pharisæis Christi hostibus, qui quasi synagogæ duces erant, factum est.

Homo in spiritu immundo.) Id est spiritum immundum habens. Phrasis Hebraica, Latinis etiam non nunquam vsurpata; nam & illi dicunt, esse in armis, id est armatum. Cur autem dæmon spiritus immundus appelletur, diximus Matthæi 10. 1. & 12. 43. Scribit Matthæus cap. 4. 24. cum totam Christus Galilæam prædicans obijsset, & miraculorum eius increbuisset fama, oblatos illi fuisse, quacunque ire, ægros omnes. & qui à dæmonibus vexabantur, vt ab eo curarentur. Itaque sunt, qui dicant hunc, de quo Marcus loquitur, dæmoniacum, vnum ex illis fuisse, quos Matthæus dicit ad Christum adductos, qui non forte in synagogam venerit, sed à parentibus, aut amicis adductus sit. Probabile, non certum.

Et clamauit dicens.) Idem Lucas narrat cap. 4. 33. quod ideo, vt opinor, præterire noluerunt, vt indicarent dæmonis de Christo testimonium non obscurum. sed vsque adeo clarum fuisse, vt neminem ex omni, quæ cõgregata tunc erat, synagoga latere posset; clara enim voce clamasse. Vtrùm autem clamauerit, ante quàm à Christo exire iuberetur, vel quia maiorem, quàm ante ab eius præsentia dolorem sensit, vt Chrysosto. hom. 5. videtur dicere, vel quia cognito Christo timere cœpit, ne se pelleret, sicut alios dæmones pellere solebat, an potius iussus iam, & coactus exire, incertum: sed hoc tamen secundum probabilius, quia credibile valde est eum dolore quodã motum, quòd sibi discedendum esse videret, quærentem clamauisse.

24. *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene?)* Loquitur vnus pro omnibus dæmonibus, quasi indicans Christum omnibus bellum indixisse; aut pro omnibus, qui in eo homine erant; plures enim in eo fuisse credibile est dæmones, sicut in illo altero infra cap. 5. 9. & Lucæ 8. 30. & in Magdalena, Lucæ 8. 2. vt videntur Chrysostomus, & Euthymius interpretari. Quod autem dicit, *Quid nobis, & tibi*, non est sensus, quid nobis tecum commune? quid simile est? sicut dixit D. Paulus 2. Corinth. 6. 14. 15. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem consentio Christi ad Belial?* Hoc enim si dixisset, magis culpam suam aggrauasset, quàm cruciatum deprecatus esset, cùm nihil se boni commune habere cum Christo confiteretur. Neque ille, nisi fallor, quã omnes fere interpretes sequi video, verus sensus est, Quid nobis tecum rei est? aliquid enim illis cum illo erat, cùm eius essent creaturæ, idque ipsi & certò scirent, & haud obscurè cõfiterentur Sanctum Dei, id est verum Deum appellantes. Et vt non esset, aut id ipsi non cognoscerent, tamen plus quidam mihi hoc loco ea videtur phrasi significari. *Quid nobis, & tibi?* id est, quid nos tibi mali facimus? quòd bellum contra nos geris? quod nos torques? non te qui Sanctus es Dei, sed peccatores vexamus, & quasi nostri sint iuris, ad interitum trahere conamur. Sic vulgò solemus loqui, cum pugnantibus nobis cum aliquo aliquis nobis nõ inimicus superuenit, vt illum succumbentem defendat. Quid mihi, & tibi est? id est, quid tibi ego mali facio? facesse hinc, sinéque me cum aduersario meo pugnare. Hoc eodem sensu dixit Dauid filijs Saruiæ, *Quid mihi, & vobis filij Saruiæ?* id est, Quid vobis mali feci, quòd mea semper consilia turbatis? 2. Regum 16. 10. Hanc interpretationem confirmat verbum illud, quod sequitur, *scio, quòd sis Sanctus Dei*, quasi dicat nihil contra te molimur, scimus te extra peccatorum hominum aleam positum esse, scimus nos in solos peccatores ius habere. Quòd autem proprio nomine, & cognomine Iesum Nazarenum Christum appellat, eò pertinet, vt probet, quod statim dicit, se eum probè cognoscere. Obseruauit Ambrosius, libro commentariorum in Lucam 5. primùm omnium dæmonem Nazareni cognomentum Christo tribuisse, vt ostenderet se meliùs eum cognoscere, quàm homines, vt est gloriæ cupidus, & amator,

inuentór

inuentórq; nouitatum. Sed similius videtur vero ita fuisse primùs vocatum vulgò, dæmonémque vsitatum illi nomen tribuisse.

Venisti.) In quibusdam Latinis exemplaribus additur, *ante tempus*; quod aut ab scriptore aliquo ex Matthæo cap.8.29. huc trãslatum, aut ab interprete potiùs aliquo expositionis causa ad margine positum, deinde ab alio quopiam existimante non expositionem, sed correctionem esse, in textum inductum credibile est, si meliora consulamus exemplaria.

Perdere nos.) Quidam *perdere* interpretantur auferre nobis, quam habemus in homines potestatem, vt Euthymius, & Theophylactus alij torquere, & in infernum mittere. Hoc magis placet, vt Matthæi 8. 29. exposuimus, quia quod hoc loco Mateus & Lucas cap.4.34. dicunt ἀπολέσαι *perdere*, dicit Matthæus βασανίσαι *torquere*, & quia Lucæ 8.31. rogant dæmones Christum, ne se in abyssum ire iubeat, sed in porcos ingredi permittat.

Scio quis sis.) G. οἶδά σε τίς εἶ, noui te, quis sis. Tertullianus lib.4.contra Marcionem, & libro aduersus Praxeam legit, *scio, qui sis*, nullo discrimine sententiæ, verborum admodum exiguo. Nisi fortasse in illis locis vitium est; facile enim littera vna r. sequenti præsertim simili potuit inter transcribendum excidere. Quatenus dæmones Christum cognouerint apud Matthæum cap.4. disputauimus. Itaque eorum non probo sententiam, qui existimãt dæmones Christum non cognouisse, sed adulantes, & quantum in se erat, mentientes hoc dixisse Christo, ne se torqueret. Non enim dæmones soli, quos facilè possemus credere fuisse mentitos, affirmant se Christum cognoscere, sed ipsi etiam Euangelistæ, qui mentiri certè Spiritu sancto mouente non potuerunt, docent eos verè cognouisse; Marcus infra vers. 34. *& non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum*, & Lucas cap.4.41. *Exibant autem a multis dæmonia clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebãt ipsum esse Christum.* Habeo etiam huius sententiæ auctores multos, quos apud Matthæum cap.4. nominauimus. De cognitione ergo dæmonis non dubito, de confessione dubitari potest, num coacta nouis cruciatibus expressa fuerit, an voluntaria. Beda coactam putat. *Non*, inquit, *voluntatis ista confessio est, quam præmiũ sequitur confitendi; sed necessitatis extorsio, qua cogit inuitos confiteri.* In re dubia magis in alteram partem animus inclinat, fuisse voluntariam, non tamen ex charitate, sed ex proprio amore, & metu pœnæ profectam; nec enim si mille veri est Christum, qui confitentem dæmonem, veráque dicentem silere iussit, ad cõfitendum auctis cruciatibus impulisse.

Dæmonũ confessio an coacta.

Sanctus Dei.) Putat Chrysostomus, aut qui eius nomen profert, homil. in hunc locum 5. dæmones hoc loco malignè Christum non sanctum Deum, sed sanctum Dei appellauisse, vt non Deum, sed hominẽ confiterentur. Melius Euthym. & Theophyl. adnotauerunt non dixisse ὁ ἅγιος *Sanctus*; sed ὁ ἅγιος addito articulo emphatico, Sanctus ille, vt ostenderent se non eo sensu sanctum eum appellare, quo prophetæ sancti vocabantur; sed quo Deus ipse, quasi proprio nomine, nominabatur Sanctus. Sic enim solent Hebræi Deum קדוש Sanctum absolutè, & sine vlla adiectione vocare, Isaiæ 1.4. & 31.1 & 37.23. & 40.25. & Daniel. 4.10.20. Quòd autem non dicunt, sanctum Deum, sed Sanctum Dei, perinde est, ac si dicant, sanctũ Dei filium, qui vnicè sanctus est; sicut apud Lucam, cap.1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*, & infra cap.3.12. quod isti dicunt Sanctum Dei, alij dæmones dicunt, Filium Dei.

25. *Et comminatus est ei.*) ἐπετίμησεν, adiunctis verbis, & increpationibus præcepit, vt Tertullianus lib. 4 contra Marcionem interpretatur, aut os illi obturauit, vt ait Euthym. quẽadmodũ infra c.3.12. & 4.39. & 8.30.33. & 9.25. Videtur Marc. hoc verbo delectari. Quid propriè significet, apud Matth. c.16.22. & 17.18. & 19.13. & 20.31. ex Euthym. docuimus. Verum quid sit causæ, nescio, quam ob rem noster interpres apud Matthæũ semper increpare, apud Marcum fere semper comminari verterit, nisi quia non idem fortasse fuit interpres, vt in Idiomatis ex nonnullis coniecturis indicauimus.

Obmutesce.) Cur tacere iubeat, cum loquendo eius magis gloriam illustrare videatur, dubitare aliquis potest. Tertull. propterea id fecisse putat in lib. contra Marcionem 4. vt ostenderet se eius inimicum esse, qui nollet eum eo verba miscere. Alij, quia Euthymius lingua sua fefellerat, lingua punitum esse, & loquendo retur; ita Beda. Sunt etiam, qui ad declinandas Pharisæorum calumnias id fecisse putant, ne dicerent, si sibi à diabolo testimonium perhiberi pateretur, illum cum dæmonibus consuetudinem habere; quem admodum Matthæi 12.24. illi obiecerunt. Tertullianus aliam rationem affert, quam & Chrysostomus, & Euthymius hoc loco probant, noluisse Christum a patre mendacij veritatis accipere testimonium. Videtur mihi voluisse Christus non intempestiuè, & ante mere obtrudere diuinitatem suam, sed sensim, ac paulatim eam hominibus insinuare, prout eorum ingenium, fidesque patiebatur. Ita videmus non solum dæmonibus, sed Apostolis etiam suis, & quidem omnium Apostolorum familiarissimis præcepisse, ne de diuinitatem suam, cuius speciem petiperexerunt, ante quam declararent, Matthæi 17.9. Volebat enim fugere hominum inuidiam. Quod ergo ab Apostolis dici noluit, multo minùs conueniebat, vt à dæmonibus dici vellet.

Et exi de homine.) Quasi dicat, non quæro istam gloriam, quam mihi tribuis, sed hoc quæro, vt exeas homine exeas. *Non quæro gloriam meam ejs qui operatur & iudicat*, Ioannis 8.50. sed vt homines à tua tyrannide liberem, captiuam ducam captiuitatem, Psal. 67. 19. & Ephes. 4.8.

26. *Et discerpens eum.* Quare tunc potius, quam ante hominem discerpserit, quem possidebat, non immeritò quæri potest. Respondet Theophylactus, vt astantes intelligerent, quanto homo ille malo liberatus esset. Sed hæc ratio ad Christũ potiùs, quàm ad dæmonem pertinet. Nõ enim dæmonis, sed Christi id erat consilium, vt collati in eum hominem ipso beneficij magnitudo constaret. Chrysost. homo veram reddit causam, quia videbat dæmon sibi diffidendum esse, voluit dolore quodam, & rabie, quo tempore licebat, quantum poterat homini nocere, idem nunc, vt ait Gregorius hom. 12. in Ezechielem, solet facere. *Mox*, inquit, *vt animus, qui prius errore fœdauerat, amare cœlestia cœperit, antiquus aduersarius priores ei, quam consueuerat, tentationes admouet, ita vt plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nequiuerat tentauerat, quando possidebat. Vnde & dæmoniacus, qui a Domino sanatur, ab exeunte dæmone discerpitur.* Quod autem dicit hominem discerpisse, non significat vllum illi abstulisse membrum; sed torsisse, atque eum maiori vehementiùs. Græcum verbum σπαράττειν proprièque significat lacerare, aut laniare, quod D. Augustinus lib. 4. de consensu Euangelistarum cap. 2. & Beda hoc loco vertunt conuexans eum, id est contorqueus, & crucians. Itaque non est huic loco contrarium, quod scribit Lucas cap. 4.35. nihil illi nocuisse, id est nullum corporis eius partem debilitasse, sed in mediam

proiecisse,

proiecisse, vt idem Augustinus, & Beda, tum etiam Euthymius monuerunt.

Et clamans voce magna.) Præ dolore, vel coactus à Christo, vt omnes intelligerent eum non casu, aut sponte sua, sed inuitum, & à maiore coactum exire potestate. Quid illa voce dæmon dixerit, & sciri non potest, & otiosæ curiositatis est quærere. Euthy. voces nihil, nisi dolorem significantes, fuisse dicit, quales apud nos sunt interiectiones quædam, ideóque Euangelistam non expressisse, quid clamans, & exiens dæmon ille dixerit.

27. *Et mirati sunt omnes.*) ἐθαμβήθησαν præ timore obstupefacti sunt; simili verbo Lucas vsus est c.4.36. & *factum*, inquit, *est pauor in omnibus*. θάμβος stupor. Græcum verbum non qualemcunque, sed religiosum metum cum admiratione coniunctum propriè significat, vt ex illa Plutarchi sententia intelligi potest, ἐκπλαττομένοις περὶ τὰ μετέωρα δάιμοσι καὶ θεοῖς. timuerunt ergo illi, & admirati sunt Christum, aliquid in illo diuinitatis cognoscentes.

Quænam doctrina.) Doctrinam vocant, non id solùm, quod Christus docebat, sed potestatem eiiciendi dæmones cum doctrina coniunctam, quia doctrina ea confirmabatur potestate, vt statim declarat, *Quia in potestate etiã spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.* Luc.c.4.36. paruo discrimine rem narrat. *Quod est*, inquit, *hoc verbum, quia in potestate, & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt?* Verbum doctrinam vocat, sicut nunc, quidquid Deus docuit, Dei verbũ appellamus; sensus ergo est, quæ est ista doctrina tam efficax, vt eam, qui tradit, solo verbo dæmones eiiciat?

Noua.) Nouam appellant, quia non erant soliti in suis Scribis, & Phariſæis similem doctrinæ coniunctam videre potestatem. Nec interrogant dubitantes, aut improbantes, sicut Areopagitæ illi, Acto. 17.19.20. *Quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina? noua enim quædam infers auribus nostris*: sed interrogant admirantes, collaudantésque. Solebant, inquit Chrysosto. & Iudæorum Exorcistæ dæmones eiicere, sed non in Iesu, quo Christus, imperio, *Exi ab homine.* Ideo non suos Exorcistas, sed Christum admirabantur.

28. *Et processit.*) ἐξῆλθεν, exijt, euasit.

Rumor eius.) ἀκοὴ αὐτοῦ, auditus eius, id est fama, Hebraismus שמעו, sicut apud Lucam c.4.37. vertit interpres, quod Euangelista dixerat, ἦχος.

29. *Et protinus.*) Εὐθέως, statim, vt supra ver.10.12.18. (sed delectatur, vt sæpè diximus, varietate noster interpres; hoc autem loco hanc habet vim, vt indicet miraculis nullo temporis spatio interiecto miracula maiora successisse. Quæ sequuntur vsque ad versum 33. apud Matth.c.8.14. exposuimus.

32. *Vesperè autem facto, cum occidisset sol.*) Cur potius post solis occasum, quàm ante ægroti ad Christum gestari fuerint, non obscura coniectura est, eámque Theoph. & Euthy. indicauerunt; nempe sabbathi dies erat, vt constat ex superiori ver.21. quo die non licebat ante solis occasum laborare.

33. *Et erat omnis ciuitas.*) Ciues omnes Capernaitæ. *Congregata ad ianuam.*) Domus Petri, vbi Christus erat. Duabus de causis hoc videtur expressisse Marcus, quod alij Euangelistæ prætermiserunt. Altera, vt indicaret eius miraculi, quod narrauerat, & eorum, quæ narraturus erat, multos fuisse testes. Altera, vt summum audiendi Christi, eiúsque miracula videndi Capernaitarum studium prioribus iam miraculis exactum declararet. Fortasse etiam significare voluit, quanta esset hominum multitudo suos cuiúsque ægrotos per sy- gogos offerentium. Sequitur enim, *& curauit multos.* Eorum opinionem, qui putant solos ægrotos per synagogos offerentium, sequitur enim, *& curauit multos.* necdochen totam ciuitatem appellari, probare non

possum. Non enim tantam fuisse multitudinem ægrotorum credendum est, vt vna eos domus non caperet, & ad ianuam esse cogerentur.

34. *Et curauit multos.*) Non significat multos ex ægrotis, qui afferebantur, curasse, alios non curasse: omnes enim curauit, vt ait Matthæus cap.8.16. & Lucas cap. 4. 40. Sed significat illos omnes, qui curati sunt, magno fuisse numero, quò illustrius fuisse miraculum intelligamus, maioremque vim habet, quòd multos curatos dicit, quàm si certum, quamuis magnum numerum, designasset. Dum enim incertum ponit numerum, eúmque magnum fuisse dicit, fuisse quodammodo indicat innumerabilem. Eodem modo intelligendus, Lucas est c.4. 41. quódque hoc loco continuò subiicitur, *& dæmonia multa eiiciebat.* Omnia enim eiiciebat ex ijs, qui ad se adducebantur; sed ea omnia erant multa. Sic Euthym. & Theoph. Aliam Theoph. interpretationem affert, sed minùs, vt mihi videtur, proprijam; Non omnes, qui adducebantur, sed eorum multos curatos fuisse, quia non omnes credebant, & nolebat Christus non credentes in se curare. Cæterum vt hoc verum esse concedatur, quod in vniuersum tamen verum non est, vt exemplum illud docet Malchi serui Pontificis, cui non credenti Christus abscissam restituit auriculam, Lucæ 22.51. tamen ad Christi gloriam pertinebat neminem ex ijs, qui sibi offerebantur, ægrotis incuratum relinquere, ne quis malignè interpretaretur, quòd quosdam non curaret, non ipsorum culpa, sed eius infirmitate fieri. Et non legimus Christum vllum sibi ad curandum oblatum ægrotum non curauisse.

Et non sinebat ea loqui.) Cur tacere dæmonia iusserit Christus, Marcus hoc loco, & Luc. c.4.41. rationem reddunt, quoniam sciebant eum esse Christum; sed hæc ipsa ratio difficiliorem, quàm si nulla reddita fuisset, quæstionem facit. Propterea enim, vt prima quidé specie videtur, oportebat sinere loqui ea, quia eum cognoscebant, & veritatem, quam sciebant, suo testimonio confirmabant. At propterea ea loqui nolebat, quia suam diuinitatem nolebat tam apertè, & tam citò declarari, vt Phariſæorum fugeret inuidiam. Itaque eorum interpretationem, qui existimant propterea Christum ea loqui prohibuisse, quia noluit veritati à mendacio testimoniũ perhiberi, sicut Psal.49.16. *Deus peccatori dicit, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* bonos licet, & graues auctores habeat Chrysost. Bedam, Theophyl. Euth. minùs tamen probo, vt suprà ver.25. docuimus. Quo enim modo ratio, quæ ab Euangelistis redditur, conueniret? *Quoniam sciebant eum.*

35. *Et diluculo valde.*) καὶ πρωῒ ἔννυχον λίαν. & mane, cum multa adhuc esset nox. Quibus verbis videntur esse contraria, quæ apud Lucam legimus c.4.42. *Facta autem die egressus ibat in desertum locum.* Quod ita nonnulli interpretantur, vt Christus, quemadmodum Marcus ait, mane discesserit, cùm multa adhuc esset nox: orto verò iam die, vt ait Lucas, in desertum peruenerit locum, quemadmodum similem apud Matth. cap.18.1. quæstionem à quibusdam illic explicari diximus: non placet interpretatio, non enim dicit Lucas orto iam die in desertum venisse, sed orto iam die egressum domo. Melius, vt mihi videtur, Euthymius Lucam auroram diem appellasse, quia diei initium est; quam eandem Marcus multam vocauit nocté, quia obscuræ adhuc tenebræ erant. Ratio verò ipsa discessus Christi docet eum ante lucẽ discessisse. Discessit enim, quantum quidem coniecturis consequi possumus, vt multitudinem fugeret, & in deserto latitaret: oportebat ergo ante lucem, ne videretur, aut cognosceretur, discedere, vt cum adhuc infans fugit

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Ægyptum Matth.2.14.de nocte fugit. A

Egressus abijt in desertum locum.) Subit statim animũ dubitatio, quam ob rem Christus continuò post tot miracula in solitudinem abierit. Et vna quidem huius rei causa ab Euangelista videtur indicari. *Ibique orabat*, inquit, quasi insinuans propterea discessisse, vt oraret; sed altera fuisse causa verò simillima videtur, quam Euth. & Theoph. hoc loco reddunt, vt fugeret humanam laudem, nólque, vt idem faceremus, exemplo doceret. Idem enim cum fecisse aliàs post magna miracula legimus, Matthæi 14.23.

Ibique orabat.) Hæc, vt diximus, altera in solitudinem discedendi causa fuit, vt semotus à turba hominũ oraret, vt Matthæi 14.23. & 26.36. & infra apud hunc Euangelistam c. 6. 45. & Lucæ 5.16. & 6.12. & 9.28. B Non quòd ipse oratione indigeret, sed vt doceret nos post res prosperè à nobis gestas, post miracula, si id nobis concedatur, facta, non debere efferri animo, sed orare, & Deo, si quid egimus boni, acceptum referre, vt Euthymius in commentarijs, & Ambros. in libr. in Lucam 5. docuerunt. *Dominus*, inquit Ambros. *orasse præmittitur, non vtique propter suffragium, sed propter exemplum. Imitandi enim speciem dedit, non precandi ambitum requisiuit.*

36. *Et prosequutus est illũ Simon, & qui cum illo erant.*) Petrus, & cæteri Apostoli, ac discipuli, quorum ille princeps, & quasi dux omnibus in rebus erat, ideóque solus nominatur Luc.c.4.42. non Apostolos, sed turbam hominum fuisse dicit, illam scilicet, quæ pridie C cius diei concionante Christo ad lanuam erat, supra ver.33. Vtrumque vt ait Euth. factum fuisse credendum est, & Apostolos venisse, quemadmodũ ait Marcus, vt magistrum requirerent, & turbam miraculorũ magnitudine commotam, vt eum retinerent, ne aliò abiret, vt Lucas declarat & ver. sequenti indicat Marcus, aut auiditate plura miracula videndi.

37. *Omnes quærunt te.*) Turbæ illæ Capernaitarũ, quas scribit, Luc.c.4.42. ad eũ venisse, vt ipsum retinerent.

38. *Eamus in proximos vicos, & ciuitates.*) Respondit tacitè ad id, quod Apostoli, non quidẽ dixerunt, sed vt credibile est, optarunt, & insinuarunt, debere eum reuerti Capernaum, quia omnes Capernaitæ quærebant eum, & non esse contemnenda eorum studia, sed morem gerendum eorum pietati: delectari frequentia, & applausu auditorum oportere. Quibus ille non tam frequentiam, & celebritatem, quàm necessitatem spectandam esse: Capernaitis, si velint credere, satis prædicatum, satis miraculorum factum esse; alias etiã ciuitates, quæ nondum Euangelium audiuissent, docendas esse. Nempe non debent concionatores plausum; sed animarum salutem quærere: & ibi, non vbi maiorem frequentiam, sed vbi maiorem vident fructum, concionari malle. *Concionatoribus fructus, nõ plausus quærẽdus.*

Ad hoc enim veni.) Luc.c.4.43. exiguo discrimine, quia ideo missus sum, quemadmodum dicit apud Ioan.c.20.21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Significat ergo his verbis, se non ad otium, aut ad quærendam gloriam, captandúmque hominum plausum, sed ad prædicandum Euangelium, ad omnes docendos, ac seruandos homines venisse, sicut Luc.2.49. matri respondit, *Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* & Ioan.4.32.34. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.*

39. *Et erat prædicans.*) καὶ ἦν κηρύσσων. verbum imperfectum continuationem, & consuetudinem indicat, vt cum supra ver.13. dixit, *& erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Non enim semel, neque vno loco, sed sæpius, ac pluribus in locis prædicauit.

In synagogis eorum.) Per singulas synagog. s. quem Hebraismum supra declarauimus ver.21. Alius etiam hic est Hebraismus, quo relatorum non expresso, sed intellecto antecedente positum est. Prædicabat autem in synagogis, quia ibi Iudæorum schola erat, quò omnes Iudæi doctrinæ causa conuenirebant, vt supra ver.21. dictum est Matth.cap.4.23. prætermissis aliis, quæ Marcus narrauit facta in Capharnaum, aut certe non nullis hoc tantùm dixit, Christum in Galilæorum synagogis prædicasse.

40. *Et venit ad eum leprosus.*) Non quidem statim, sed post multa, quæ Marcus prætermittit, Matthæus narrat tribus ferè capitibus 5.6.7. Huius autem miraculi explicationem quære in commentarijs in Matthæum, cap.8.2.3.4.

45. *At ille egressus.* Inde discedens, vbi curatus fuerat. *Cœpit prædicare πολλὰ καὶ κηρύσσειν πολλά*, cœpit prædicare multa; id est multa in laudem Christi dicere, à quo sanatus erat. Eandem vim Græcum verbum κηρύσσειν habet, quam Latinum prædicare. Vtrumque enim significat laudes publicè dicere.

Et diffamare.) διαφημίζειν, Noster interpres, vt verbum verbo redderet, minus Latinè loquutus est. Nam, vt apud Matth. cap. 9. 31. adnotauimus, nunquam apud Latinos diffamandi verbum in bonam sumitur partem.

Sermonem.) Id est id, quod acciderat Hebraica phrasi, vt apud Luc.c.2.15. *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est*, id est rem hanc. Notum enim est apud Hebræos omnem rem omne factum, omne euentum דבר *verbum* appellari, sed apud Lucam noster interpres *verbum* hîc *sermonem* vertit, quo consilio coniicere non possum, nisi forte, quia apud Lucam τὸ ῥῆμα, hîc τὸν λόγον legit, putauit aliquid interesse. An culpa in hoc leprosi aliqua fuerit, quòd prohibente Christo miraculum euulgauerit, Matthæi 9. in simili cæcorum illorum causa disputauimus, vnde & de hoc leproso petendum iudicium est. Hoc tantùm dicimus, si culpa fuit aliqua, dignam fuisse venia, si minùs obedientes, at prudenti potiùs, grato tamen, & amante animo contractam. D

Ita vt iam non posset manifestè.) Quia concitata hominum auditione tanti miraculi multitudo, eum audiendi, videndique auida obruebat, & volebat, vt diximus, ver.35 applaudentem fugere multitudinem. Non significatur hoc loco, non potuisse omnino manifestè in vrbem ingredi, poterat enim profectò, qui multa maiora poterat; sed noluisse, vt hominum frequentiam deuitaret. Nam vt alibi diximus, aliquando in scripturis ra posse pro velle, non posse, pro nolle ponitur, quod Greg. Naz. orat. 4. de Theologia multis docet exemplis. Dixit autem *manifestè*, vt indicaret eum occulte, & de improuiso, cum minimè eius aduentus expectaretur, in vrbem aliquando ingressum fuisse, vt colligitur ex initio capitis sequentis. E

Sed foris in deserto loci esset, & conueniebant ad eum vndique.) Declarat simul & Christi moderationem, & hominum multitudinem auersantis, & singulare Christum audiendi populi studium, qui vt eum audiret, in deserta, & remota ab vrbe loca procedebat. Viderur Euangelista ad illa exempla alludere veluti, quæ à Matthæo cap.14.13. & 15.30. & à Luca cap. 9.11. & à Ioanne cap. 6. narrantur, vbi multa hominum millia, quæ Christum in solitudinem secedentem consequuta fuerant, bis paucis panibus dicuntur saturata.

CAPVT

CAPVT II.

ET iterum intrauit Capharnaum post dies, 2. & auditum est quòd in domo esset, & conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum. 2. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, quia quattuor portabatur. 4. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum vbi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus iacebat. 5. Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. 6. Erant autẽ illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: 7. Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? 8. Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? 9. Quid est facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? 10. Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatẽ in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) 11. tibi dico: Surge, tolle grabatũ tuum, & vade in domum tuam. 12. Et statim surrexit ille: & sublato grabato, abijt coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deũ, dicentes: Quia nunquã sic vidimus. 13. Et egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. 14. Et cum præteriret, vidit Leui Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum. 15. Et factũ est, cum acciberet in domo illius, multi publicani, & peccatores simul discumbebant cum Iesu, & discipulis eius: erat enim multi, qui & sequebantur eum. 16. Et Scribæ, & Pharisæi videntes, quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat & bibit Magister vester? 17. Hoc audito Iesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: nõ enim veni vocare iustos, sed peccatores. 18. Et erant discipuli Ioannis, & Pharisæi ieiunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare discipuli Ioannis, & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? 19. Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij nuptiarũ, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare. 20. Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt in illis diebus. 21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementũ nouum à veteri, & maior scissura fit. 22. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt: sed vinum nouum in vtres nouos mitti debet. 23. Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli eius cœperunt progredi, & vellere spicas. 24. Pharisæi autẽ dicebant ei: Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet? 25. Et ait illis: Nunquam legistis quid fecerit Dauid, quando necessitatem habuit, & esurijt ipse, & qui cum eo erant? 26. quomodo introiuit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, & dedit eis, qui cum eo erant? 27. Et dicebat ei: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatũ. 28. Itaque Dominus est filius hominis, etiã sabbathi.

Matt.9.c.1. Luc.5.d.18.

Iob.14.a.4. Isa.43.d.25.

Matth.9.a.9. Luc.5.f.27.

1.Tim.1.c.15.

Matt.9.b.15. Luc.5.f.35

Matt.12.a.2. Luc.6.a.1. 1.Reg.21.b.6.

Leuit.24.b.9.

IN CAP. II.

ET iterum intrauit Capharnaum.) De nocte occultum intrasse, vt vitaret populi concursum, ex verbis sequentibus colligi potest, *& auditum est, quod in domo esset*, quasi dicat, quia clam vrbem ingressus fuerat, nemo sciebat ibi esse præter discipulos, qui eum secuti fuerant, sed manauit in ciuitatem fama. Capite etiam superiore v er. 45. Euangelista docerat Christum non potuisse manifestè in vrbes ingredi. Credibile autem est ideo redijsse Christum Capharnaum, vt sequentis occasione miraculi Euangelio iam imbutos ciuium illorum animos confirmaret. Quos, quia præcipua erat ciuitas, magni referebat esse constantes. A

Post dies.) Multa vetera Latinorum, nonnulla etiam Græcorum exemplaria legunt, *post dies octo*; faciliori quidem, vt videtur sensu, & à multis interpretibus comprobato, sed minùs, vt opinor, vero. Certũ enim est Christum post dies aliquot redijsse, post dies autẽ octo redijsse certum non est, & non debemus infinitam Euangelistæ sententiam sine certis argumentis diffinire. Addo, & minimè dubius affirmo non potuisse Christum statim post dies octo redire Capharnaum. Nam postquàm ex ea vrbe discesserat, in multis Galilæorũ synagogis prædicauerat, vt c. superiori ver.39. dixit Euangelista: & non poterat in synagogis nisi diebus sabbathi prædicare, quibus solis synagoga congregabatur, vt eodem capite ver.2. docuimus. Multa ergo sabbatha inter discessum Christi à Capharnaum, & eodem reditum interceserint necesse *Vulgata editio defenditur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

est. Itaque non potuit post octo statim dies redire. Græci etiam auctores Theophyl. & Euth. non legunt octo, & suspicio mihi nonnulla est aliquem existimantem alteram lectionem nullam habere sensum (vt etiamnum aliqui putant interpretes) addito numero, vt locum corrigerent, corrupisse. Errandi causa fuit, quòd phrasis Hebraica non intelligeretur. Solent autem Hebræi ita loqui ימים משם, Post dies, id est, multis post diebus, qui sensus hunc in locum mirificè congruit.

Et audium est, quòd esset in domo.) Quomodo auditum fuerit, non est difficilis coniectura, domesticum aliquem vel familiarem eius domus, vbi Christus diuersabatur, foras indicasse. Eam autem domum Petri fuisse dubium non est, quia ibi, cum Christus in ea erat vrbe, solebat habitare, vt indicauit Euangelista capite præcedenti ver. 29. Quomodo verò Petrus domum habuerit, apud Matt. c. 8. 14. disputauimus. Tantùm hic obseruandum est, non posse quocunque se abdat, latere virtutem. *Non potest*, inquit, *ciuitas abscondi supra montem posita*, Matthæi 5. 14.

2. *Et conuenerunt.*) καὶ συνήχθησαν, & statim congregati sunt, vt etiam Theoph. & Euth. legunt. Sensus etiam est melior, quia maiorem habet emphasim. Voluit enim Euangelista studium populi ad conueniendum, diligentiamque significare; quæ particula illa, *statim*, maximè declaratur; diligentiæ enim fuit statim conuenire.

Ita vt non caperent neque ad ianuam.) ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς θύραν, vt non caperent (eos loca) quæ ad ianuam (erant) sic Græca phrasi vestibulum Euangelista describit: quod ipsum dicit multitudinem, quæ extra domum erat, capere non potuisse. Sunt qui putent nostrum etiam interpretem ita vertisse, vt non caperent, nec quæ ad ianuam, id est ea loca, quæ ad ianuam sunt; sed olim, cùm diphthongi non scriberentur, aliquem ex *nec quæ ad ianuam*, fecisse, *neque ad ianuam*, vt nunc in omnibus Latinis codicibus legitur. Æstiment alij coniecturam, ego neque refutare, neque probare audeo. Aliqui Latini codices pro *caperent*, legunt *caperet*, sed hoc vitium ex Græco articulo, qui pluralis est numeri, facilè corrigitur. Quod tantam hominum multitudinem conuenisse dicit, causa non caret. Voluit hac præfatione insinuare miraculum, quod narraturus statim erat, non in occulto, sed in oculis totius ciuitatis factum fuisse, vt quam plurimos eius rei se testes habere indicaret. Eodem spectat, quod ait Luc. c. 5. 17. non solùm ciues Capharnaitas, sed Scribas etiam, & Pharisæos, *qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudæa, & Ierusalem*, fuisse præsentes; qui cùm inimici essent Christi, non solùm præsentia, sed etiam incredulitate, & reprehensione sua magis illustre miraculum reddiderunt. Cum enim dixissent, *quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* v. 7. Christus sumpta inde occasione, *vt*, inquit ver. 10. & 11. *sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico. Tibi dico surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.*

3. *Et veniunt ad eum ferentes paralyticum.*) Quidam, qui paralyticum ferebant, aut vt magis exprimatur phrasi, latores quidam paralytici. Non enim est participium, sed nomen participiale, qualia sunt, quæ apud Hebræos participia habitus appellantur נושאים ferentes, id est latores, qui ferre solent: qualem Hebraismum esse diximus, Matth. 13. 3. *Exiit, qui seminat seminare semen suum*, ὁ σπείρων, seminans, id est seminator. Vocat autem, *ferentes paralyticum*, vt ego quidem arbitror, non eos modò, qui gestabant, sed omnes, qui comitabantur, parentes, cognatos, amicos, qui eum ad Christum afferebant. Nam gestantes postea distinguit: *Qui à quatuor*, inquit, *portabatur*; & natura sit verisimile est paralyticum si alicuius erat condominis, non à suis, sed ab inferioribus, aut famulis, aut conductis hominibus fuisse portatum.

Hebraismus.

Qui à quatuor portabatur.) Non temere Euangelista portantium numerum designauit, quamuis nobis ratio minùs constet. Beda vel ad quatuor Euangelia, vel ad quatuor virtutes, quas morales vocant, quibus quasi gradibus ad Christum venitur, hunc numerum pertinere putat. Vera sed allegorica sententia. Voluit, nisi me coniectura fallit, Marcus morbi grauitatem indicare, vt maius miraculum appareret; adeo fuisse paralyticum illum omnibus dissolutum membris, atque totius corporis impotentem, vt non à vno, aut altero; sed à quattuor hominibus gestari necesse fuerit.

4. *Et cùm non possent offerre eum illi pre turba, ἀπὸ τοῦ ὄχλου.*) & cum non possent appropinquare illi. Noster interpres melius mihi videtur verum reddidisse sensum, quàm alij quidam, qui ἀπὸ eius emendatores profitentur. Intellexit enim, quod res erat, Euangelistam verbum προσεγγίσαι Hebraorum more posuisse loco coniugationis הקריב. Eodem enim modo Hebræi à verbo קרב quod idem est, quod ἐγγίζω appropinquare, mutata coniugatione dicunt הקריב appropinquare facere, id est offerre.

Nudauerunt tectum.) ἀπεστέγασαν τὴν στέγην, detexerunt tectum est enim elegans prosonomia. Quæ sequuntur vsque ad versum 13. apud Matth. cap. 9. & in explicauimus.

13. *Et egressus est rursus ad mare.*) Quò egressus fuerit, solus dicit Marcus, cùm Matthæus, & Lucas eandem narrauerint historiam. Quod autem dicit *rursus* significat iam priùs ad mare fuisse, vt dixerat c. 3. 16. eò enim respicit hoc verbum. Qua verò de causa egressus fuerit, non satis constat; colligitur tamen ex ijs, quæ statim addit Euangelista, *Et docebat eos*. Ideo ergo ad mare, vt ibi doceret, vt Beda etiam animaduertit. Nam etsi priùs dixerat omnem ciuitatem ad ianuam domus fuisse c. 1. 33. tamen dubium non est, quin synecdoche vsus fuerit, qua maior pars pro toto sumitur, fuisseque multos diuites, præsertim negotiatores, qui mercaturæ causa iuxta mare habitantes, & quisque intenti lucro ad audiendum Christum non venissent. Eos nunc Christus quærit, vt & eos doceat admirabili planè consilio quærentes se auditores fingit, non quærentes quærit, *Inuenerunt*, inquit, *quæ non quæsierunt me*. Isaiæ 65. 1. Idem facere Christi conuersatores debent. Altera ex effectu causa colligitur. Verebatur Matthæum piscari, ideóque ad mare tendere. Theophyl. & Euth. plausus, laudésque facti miraculi eum fugisse putant, ideóque à frequentia populi recessisse. At verò si fugere frequentiam voluisset, ad ciuitatem vtique non ad mare, vbi maximam hominum multitudinem negotiationis causa fuisse credendum est, sese contulisset.

14. *Et cùm præteriret.*) Voluit Euangelista hoc verbo, vt videtur, significare Christum non quæsiuisse consilio Matthæum quæsiuisse; sed præterieuntem, cùm eum fortè ad mensam sedentem vidisset, quasi ex itinere vocasse. Nempe vt intelligeremus illum non ex longa consuetudine, sed primo statim intuitu, eóque per transennam hominem penitus cognouisse, præuidisséque; qualis, quantúsque futurus esset.

Vidit Leui Alphæi.) Græca ferè omnia, & Latina etiam multa exemplaria pro *Leui*, legunt *Leuin*, nullo discrimine sententiæ. De his autem nominibus *Leui*, & *Alphæi*, & de cognomento Matthæi; quo post vocationem Apostolus ille, & Euangelista dictus est, vi-

dendis sunt, quæ apud eundem Matthæum diximus cap. 9. 9.

15. *Et factum est cum accumberet in domo eius.*) Indicant hæc verba Matthæum alibi domum, vbi habitaret, alibi telonium, vbi vectigalia colligeret, habuisse; domum intra vrbem, telonium ad littus maris, quo vectigales merces apportabantur. Nam ex telonio, vnde vocatus est, sequutus Christum in domum venit, ibique magnum Christo conuiuium exhibuit, vt ait Lucas c. 5. 29.

Erant enim multi, qui & sequebantur eum.) Hoc solus dixit Marcus, vt efficacitatem fructúmque prædicationis Christi declararet, qua moti multi etiam publicani & peccatores eum tanquam magistrum discipuli sectarentur. Hanc vim habet particula illa, &, quasi dicat publicanos, & peccatores multos non solùm libenter audiuisse Christum, &, quæ ab eo dicerentur, credidisse, sed sequutos etiam fuisse eum, quoquo pergeret. Peccatores autem vocat, non eo sensu quo omnes homines & sunt, & vocari solent; sed eo, quo Iudæi solos Gentiles, aut Gentilium similes publicanos, qui negotia Cæsaris agebant, vt apud Matthæum diximus, appellabant. Hinc colligitur, quamuis solus Matthæus ex publicanis ad Apostolatum vocatus sit, aliquos tamen credibile esse in aliorum discipulorum numerum, ac fortasse etiam septuaginta discipulorum electos fuisse; de quibus mentionem Euangelistæ non fecerint, sicut qui fuerint septuaginta illi discipuli, non declararunt. Vide plura apud Matthæum c. 9. 10.

Vide plura apud Matthæum.

17. *Non necesse habent sani medico.*) Aliqui offensi, vt arbitror, solœcismo, credentésque fieri non potuisse, vt eo vsus esset interpres, locum corrigere voluerunt, pro medico, medicum reponentes. Sed nescio, an locum corrigentes deprauauerint. Malo credere magis fidelem, quàm elegantem interpretem, vt verbum de verbo redderet, & vt Græcam exprimeret phrasim, Latinam etiam Grammaticam neglexisse, *οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ*, non necessitatem habent valentes medici, vt conuertamus ad verbum. Sed quia necessitatem habere medici. Latini non dicunt, opus autem habere non quidem illi antiquiores, meliorésque, sed posteriores quidam, vt nunc omnes ferè dicunt, pro opus habere, dixit necesse habere medico.

18. *Et erant discipuli Ioannis, & Pharisæorum ieiunantes.*) Duplicem hæc verba sensum habere possunt, vel tunc cum hoc accidit Ioannis, & Pharisæorum discipulos re ipsa ieiunasse, quòd per eos dies, aut ponte sua, aut vetere aliqua traditione, quales habebant multas Pharisæi, ieiunium sibi aliquod indixissent, vel non quidem tunc, sed tamen alias frequenter etiam, cum lex non præciperet, aut traditione, aut voluntario consilio solitos ieiunare; vt non actum, sed consuetudinem verba significent, vt apud Matthæum c. 17. 24. adnotauimus in illis verbis, *Magister vester non soluit didrachma*, id est nonne solet soluere? Vtrumque probabilis. Si priorem sequamur sensum, credendum erit Pharisæos ex præsentis temporis circumstantia calumniæ occasionem accepisse, quòd eo tempore, quo ipsi homines inter Iudæos religiosissimi ieiunabant, Christus & eius discipuli, qui sanctiores essent quandam maiorem profiterentur, non ieiunarent. Si posteriorem, ex præsentis magnificentia conuiuij fuit enim, vt ait Lucas, magnum: quasi plus vellent dicere, quàm dicant, se ac discipulos Ioannis ieiunare solitos, & fame, sitique domare corpora; Christum verò, eiúsque discipulos non modo non ieiunare, sed dare etiam operam opiparis, lautisque cœnuijs, ingurgitare sese, atque inebriare. Hoc enim indicant, cùm dicunt ver. 16. *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit magister vester?* id est comessatur, & potitat. vt apud Matt. c. 9. 11. declarauimus: apud quem cætera, quæ sequuntur vsque ad ver. 23. videri poterunt.

Cur sabbathi institutum.

23. *Et factum est iterum.*) Græcè non legitur, *iterum*, neque Theoph. & Euth. legere videntur, certè non exponunt. Legunt tamen Latini codices, quos viderim, omnes, & conuenit apta lectio sententiæ. Non autem significat idipsum, quod statim sequitur, Apostolos die sabbathi spicas vellisse, iterum prius factum fuisse; sed Pharisæos aliam iterum ex spicis occasionem cepisse calumniandi, quemadmodum calumniari prius fuerant ver. 6. cum paralyticus curaretur. Quæ sequuntur vsque ad versum 27. ex commentarijs in Matthæum c. 12. 1. intelligentur.

27. *Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter sabbathum.*) Cum Matthæus nonnulla dixerit, quæ à Marco prætermissa sunt, quale illud, quod est c. 12. 5. *Aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo sabbathum violant, & sine crimine sunt?* & ver. 7. *Si autem scireris, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes*; hoc tamen, quod Marcus dicit, ipse prætermisit, sicut & Luc. c. 6. 5. Sensus autem est non fuisse sabbathum institutum, vt homo periret, sed vt & animo, & corpore sanus esset: animo quidem, quia institutio sabbathi inter alias causas ad colendam religionem, & profitendam fidem facti à Deo mundi facta fuerat. Exodi 20. 11. & Deut. 12. 14. quæ si ritè fierent, ad salutem animæ pertinebant; corpore verò, quia altera institutionis sabbathi causa fuit, vt hominum corpora assiduo sex dierum labore fatigata requiescerent, vt ijsdem ex locis manifestum est. Itaque non homo propter sabbathum, sed sabbathum propter hominem factum fuit. Vnde sequitur ita obseruandum fuisse, vt neque animi, neque corporis saluti noceret, atque hac ratione à viris sanctis obseruatum legimus. Nam & sacerdotes in templo propter animarum salutem diebus sabbathi victimas sacrificandi causa occidebant, & sabbathum non violabant. Hoc est, quod apud Matthæum c. 12. 5. Christus dicit, *aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo sabbathum violant, & sine crimine sunt?* Quod dicit, *sabbathum violant*, non significat sacerdotes id faciendo re vera violasse sabbatha, sed violasse, si præcepti tantùm verba considerentur, quemadmodum Pharisæi, quibuscum disputabat, considerare videbantur. Violabant ergo sabbathum, & non violabant. Violabant, si præcepti verba; non violabant, si sensum consideres; & quia sensus, non verba considerandi erant, re quidem vera minimè violabant. Hoc est, quod dicit, *Et sine crimine sunt?* si enim sabbathum verè violassent, sine crimine non fuissent. Corporis verò seruandi tuendique causa Iosue virum sanctum legimus die sabbathi armatum Hebræorum exercitum circum muros Ierichuntis circumduxisse, Iosue 6. 15. 16. & Machabæos, ne victoriæ occasio elaberetur, seque hostibus inermes, & minimè repugnantes traderent trucidandos, die sabbathi prælium commisisse. 1. Machabæorum 2. 41.

28. *Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbathis.*) Hoc apud Matthæum c. 12. 5. explicatum est. Tantùm hoc loco exponendum, quomodo Marcus hoc dictum à Christo referat, cum Pharisæi Apostolos ob vulsas spicas reprehendissent: Matthæus verò, eum Christus in synagoga illum, qui manum habebat aridam, curauisset. Bis hoc dixisse Christum credendum est, vt apud Matthæum citatis probauimus auctoribus. Illud difficilius, & magis huius loci proprium est, quomodo hæc sententia ex superiore colligatur. Non enim, si non homo propter sabbathum, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sabbathum propter hominem factum est, continuò sequitur Dominum esse filium hominis etiam sabbathi. Et tamen Marcus aut apud Marcũ Christus, cum dicit, *Itaque*, hoc ex illo colligere videtur. Quidam sic respondent Christum eo ipso, quòd filius hominis id est omnium hominum caput erat, habuisse omnium rerum, quæ ad salutem hominum pertinerent, potestatem; quare cum sabbathum propter hominem factum esset etiam sabbathi iure suo Dominum fuisse. Non displicet. sed simpliciùs fortasse, & breuiùs dici potest particulam illam, *ὥστε, itaque*, non illatiuam, A sed completiuam esse, quasi dicat denique Dominus est filius hominis, etiam sabbathi. Id est, si sacerdotes, & duces belli in sabbathi obseruatione dispensare potuerunt, multo magis filius hominis potest, qui auctor sabbathi fuit; potest enim princeps, qui legem tulit non interpretari modò, sed etiam abrogare. Hoc est, quod apud Matthæum cap. 12. 6. Christus dicit, *Quia templo maior est hic*, & versu 42. *Ecce plusquam Salomon hic*. Voluit etiam fortasse obscurè insinuare se, vt postea fecit, Iudæorum sabbathum abrogaturum.

CAPVT III.

I. Matt. 12. a. 9. Luc. 6. b. 16.

ET introiuit iterum in synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam. 2. Et obseruabant eum, si sabbathis curaret, vt accusarent illum. 3. Et ait homini habenti manum aridam. Surge in medium. 4. Et dicit eis: Licet sabbathis benefacere, an malè? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant. 5. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorũ, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi. 6. Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent. 7. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba à Galilæa, & Iudæa secuta est eum, 8. & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem: & qui circa Tyrum, & Sidonem, multitudo magna audientes, quæ faciebat, venerunt ad eum. 9. Et dixit discipulis suis vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne comprimerent eum. 10. multos enim sanabat ita vt irruerent in eum vt illum tangerent quotquot habebant plagas. 11. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes: 12. Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum. 13. Et ascendens in montem vocauit ad se quos voluit ipse: & venerunt ad eum. 14. Et fecit vt essent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare. 15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia. 16. Et imposuit Simoni nomen Petrus: 17. & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filij tonitrui: 18. & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, 19. & Iudam Iscariotem, qui & tradidit illum. 20. Et veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita vt non possent neque panem manducare. 21. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim: Quoniam in furorem versus est. 22. Et Scribæ, qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum eiicit dæmonia. 23. Et conuocatis eis in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam eiicere? 24. Et si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare. 25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. 26. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non poterit stare, sed finẽ habet. 27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet. 28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blasphemiæ, quibus blasphemauerint: 29. qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. 30. Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet. 31. Et veniunt mater eius & fratres: & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum, 32. & sedebat circa eum turba: & dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te. 33. Et respondens eis, ait: Quæ est mater mea, & fratres mei? 34. Et circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. 35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

Matt. 12. b. 14.

Matt. 10. a. 1. Luc. 6. b. 13.

Matth. 9. d. 34.

Matt. 12. c. 31. Luc. 12. b. 10. Ioan. 5. d. 16. Matt. 12. d. 40. Luc. 8. c. 19.

IN CA

IN CAPVT III.

1. *Et introiuit iterum in synagogam.*) Dicit iterum introisse, quia prius narrauerat in synagoga Capernaitarum docuisse, cap. 1. 21. Postea enim dixit ex solitudine, in quam se receperat, cap. 1. 35. in Capernaum iterum rediisse, cap. 2. 1 Nam & hoc miraculum quod sequitur, in Capernaitarum synagoga factum fuisse, & ex Matthæo cap. 12. 9. & ex narrationis Marci consequentia colligitur. Ingressus autem est in synagogam, quia sabbathum erat, quo die vt diximus cap. 1. 23. synagoga congregabatur. Erat autem sabbathum proximum post illud, quod secundo primum Lucas cap. 6. 1. vocauit, vt ex eodem Lucæ cap. ver. 6. intelligi potest. Itaque sabbatho secundo primo accidit, quod de vellentibus spicas Apostolis dictum est superiore capite, vers. 23. vt constat ex Luca cap. 6. vers. 1. sequenti autem sabbatho, quod nunc de habente manũ aridam narrat Marcus, vt ex eodem Luca c. 6. manifestũ est. De sabbatho autem illo secundo primo, quodnam id fuerit, apud Matth. cap. 12. 1. disseruimus.

Et erat ibi homo habens manum aridam.) Aut à Pharisæis eo inductus, quasi muscipula ad capiendum Christum; credi enim potest, quidquid alienum non est ab eorum ingenio, aut qui de more, sicut alij Iudæi, in synagogã venisset, quia sabbathi dies erat, nihil de curatione sua cogitans: aut, quod similius veri est, qui eo animo, causaq; venerat, vt à Christo quem pro sua consuetudine in synagogam die sabbathi venturum credebat, sanaretur.

Habens manum aridam.) Lucas cap. 6. 6. manum dexteram fuisse dicit; quod & ad fidem historiæ, dum vtra fuerit manus exponit, & si non ad miraculi, ad beneficij certè accepti magnitudinem pertinet: quod eo maius fuit, quo magis homini dextera, quàm sinistra manus erat necessaria. Quæ sequuntur vsque ad versum 7. Matthæi 12. 9. 10. 12. 3. 14 exposuimus.

7. *Iesus autem cum discipulis suis secessit.*) Cur secesserit Matthæus exponit cap. 12. 15. *Iesus* inquit, *sciens recessit inde*, id est, cum Pharisæorum, & Herodianorum de se perdendo consilia, de quibus Euangelista paulò ante loquutus fuerat, cognouisset. Voluit dare locum iræ, vt admonet D. Paulus ad Roman. 12. 19. sicut aliàs eum fecisse legimus, cum à Iudæis ad perquirendum quæreretur, Matthæi 2. 14 cum adhuc infans quæreretur ab Herode, fugit in Ægyptum, Matthæi 4. 12. cum cognouisset in vincula coniectum Ioãnem, fugit in Galilæam, Lucæ 4. 29. 30. cum ciues ipsius Nazareni vellent eum ex monte præcipitem agere, per medium eorum transiens euasit, Ioannis 8. 59. cum Iudæi, vt in eum coniicerent, lapides accepissent; abscondit sese, & Ioannis 12. 36. timens iterum Ierosolymitanam turbam iterum sese abscondit. Quę loca Tertulliano, Athanasio, & Augustino, vt scriberent de fuga in persecutione, copiosam materiam præbuerunt.

Et multa turba a Galilæa, & Iudea.) à Galilæa vbi Christus erat, & à Iudæa, vnde eò venerat, & vbi ante prædicauerat, audita verò Ioannis comprehensione discesserat, cap. 1. 14. Inde ergo aliqui eum discipuli in Galilæam venientem sequuti fuerant, sicut paulò ante & piæ aliquæ mulieres sequutæ sunt, Matthæi 27. 55. & Lucæ 23. 55.

8. *Et ab Ierosolymis.*) Distinguit Ierosolymam à Iudæa quamuis ipsa in Iudæa esset, atque adeo eius caput; quia magis mirum erat inde, quàm ex reliquis Iudææ partibus venisse aliquos, cùm ciuitas esset A Christo omnium inimicissima, plenaque Doctorum, vt in ea quæ essent, non existimarent se Christi indigere instutione, atque disciplina. Sed nimirũ miraculorum magnitudo inuitos etiam trahebat inimicos.

Et ab Idumæa.) Hoc etiam eadem causa additum est, quia magis mirum erat Idumæos homines Gentiles, & perpetuos Iudæorum hostes, quàm Iudæos, atque Galilæos ad audiendum venisse Christum. Nota inimicitiæ inter Idumæos & Iudæos causa est. Trahebant Idumæi originem ab Esau, qui, quòd rufo colore esset, Edom cognomento dictus est, Gen. 25. 25. Et cum fratre Iacob, ex quo Iudæi prognati erant, ob præreptam sibi ab eo benedictionem gessit inimicitias, Genes. 27. 6. 41. Itaque & ob eam causam hæreditarium, & ob negatum Iudæis ex Ægypto reuertentibus transitum, Numer. 20. 14 & nouis postea auctum iniurijs, & Dei etiam præcepto perpetuum inter illos erat odium, vt prophetæ sæpè testantur, Numer. 24. 18. Psalm. 136. 7. Isaiæ 21. 11. & 34. 5 & Ieremiæ 49. 7. & Thren. 4. 22. & Ezech. 25. 13. 14. & 32. 29. & 36. 1. & Amos 1. 11. & Abdiæ 1. 1. Quibus de causis, simúlque, quod longiùs Idumæa distaret; erat enim ad Austrum versus Ægyptum) mirum videri poterat inde vsque Idumæos ad Christum audiendum venisse; sed impleuerat totam Syriam fama miraculorum Christi, & omnes ad se homines alliciebat. Matthæi 4. 24 & maior gratiæ quàm naturæ vis erat. Nempe hoc est, quod apud Matthæum cap. 8. 11. 12. dicebat Christus, *multi ab Oriente & Occidẽte venient, & recubent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.*

Et trans Iordanem.) ἢ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Intelligitur ἀπὸ κατὰ præpositio ἀπὸ, & à trans Iordanem; id est ab ea regione, quæ trans Iordanem dicebatur, sicut Itali omnem regionem, quæ vltra Alpes est Transmontanam vocant: non quòd verè ea regio trans Iordanem Iudæis, & Galilæis esset, quemadmodum video Euthym. & multos alios interpretes existimare; citra enim erat) quemadmodum Matthæi 4. 15. demonstrauimus, sed quia, vt illic diximus, venientibus ab Ægypto Iudæis vltra Iordanem erat, datum tunc à venientibus nomen semper retinuit, sicut Itali etiam cum in Gallia, vel Germania sunt, eam ipsam regionem, quemadmodum cùm in Italia erant, Transmontanam vocant, cum tunc illis non trans, sed citra montes sit.

Et qui circa Tyrum, & Sidonem.) Duæ nobiles vrbes Tyrus, & Sidon Occidentales fere Iudæis, à Gentilibus habitatæ, vt colligitur ex Matthæo cap. 11. 21. & ex Luca cap. 10. 13. Non dicit Euangelista Tyrios, & Sidonios venisse. Gentiles enim erant; sed eos, qui iuxta Tyrum, & Sidonem habitabant. id est, Decapolitas. quia & ipsi Galilæi erant. sed propter Gentilium vicinitatem minùs religiosi. Erat enim Decapolis in finibus Tyriorum, & Sidoniorum, vt ex cap. 7. 31. intelligitur. Sunt tamen qui Græcam phrasim οἱ πρὸς Τύρον καὶ Σιδῶνα ipsos Tyrios, atque Sidonios significare putent, sicut Theophyl. & Euthym. interpretantur, nec admodum ego dissentio, quia etsi verba potiùs vicinos Tyriorum, atque Sidoniorum, quàm Tyrios ipsos, Sidoniosq; significant, tamen maior, pleniorq; sententia est, si Tyrij ipsi, atque Sidonij significentur. Magis enim mirum est Tyrios, ac Sidonios homines omnino Gentiles, quàm eorum vicinos Galilæos ad audiendum Christum venisse.

Audientes, quæ faciebat. Causam exponit facti tãti vndique concursus, veniebant, inquit, omnes miraculorum eius commoti fama.

Hebraismus.

9. *Et dixit discipulis suis.*) Præcepit, Hebraismus, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipſe dixit, & facta ſunt. Pſalm.148.5 id eſt mandauit, vt ſequenti repetitione exponitur. *ipſe mãdauit, & creata ſunt.* & Matthæi 8.8. *tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus*, id eſt, iube.

Vt nauicula ſibi deſeruiret.) Sibi nimirum ſoli cum aliquot diſcipulis ſuis, ne ſi omnes, qui vellent, vt illum vel tangerent, vel audirent, vel etiam viderent in communem cum illo nauem aſcenderent, ipſum opprimerent. Loquitur enim quaſi purus homo timidè, & cautè, cùm Deus eſſet: προσκαρτερεῖν, quo verbo hîc Euangeliſta vtitur Græco, plus eſſe videtur, quàm deſeruire, nempe, proprium, atque indiuiduum eſſet. Itaque videtur ſignificare, vt non tantum nunc, ſed quotieſcumque traiicere vellet ſtagnũ propriam habere nauem. Nauiculam autem πλοιάριον diminutiuo nomine vocauit, quia, cum ſolus vellet traiicere, parua tantùm ſcapha opus erat.

10. *Multos enim ſanabat.*) Ne videretur Chriſtus ſine cauſa nimiam hominum multitudinem timuiſſe, ideóque propriam voluiſſe habere nauiculam, rationem reddit Euãgeliſta, cur fierent tanti ad eum concurſus, quia *multos*, inquit, *ſanabat*, & ſanabat quidem qui vel tantùm eius veſtimenta tetigiſſent, vt clariùs exponit infra c.6.56. Cum autem dicit ſanaſſe multos, non indicat aliquos ægrotos, qui ſe illi offerrent, aut non potuiſſe, aut noluiſſe ſanare, ſed tantùm ſignificat eos, quos ſanabat, fuiſſe multos, vt in ſimili loco explicauimus ſupra c.1.34.

Morbi flagella Dei

Quotquot habebant plagas.) μάστιγας, flagella, plagas vocat omne genus morbi, quia morbi plerique Dei flagella ſunt, vt Theophylactus admonuit. Exempla ſunt in ſcriptura huius rei multa, Ioan.5.14. Exodi 15.26. Leuit.26.16 21. Deut.7.15. & 28.27.60. & 2.Reg.24.13. & 4.Reg.5.27. & 2.Paral.21.18.

11. *Et ſpiritus immundi, cum illum videbant, procidebãt ei.*) Beda hæc verba non ſolùm ad eos, qui à dæmonijs vexabantur, ſed ad eos etiam, qui plagas habebant, vt ver. præcedenti dictum eſt, referenda eſſe exiſtimat. Non probo ſententiam; nam illi, qui habebant plagas, ſuum iam verbum habuerunt, *ita*, inquit, *vt irruerent in eum, vt illum tangerent, quotquot habebant plagas.* Itaque neceſſe eſt, vt hoc verbum *procidebant ei*, proprium eorum ſit, qui immundos ſpiritus habebant. Adde quòd ſi hoc verbum ad alios referretur, etiam, quod proximè ſequitur, ad eoſdem referendum eſſet. *Et clamabãt dicentes, tu es filius Dei:* quod nemo, vt opinor, probabile iudicabit. Hunc enim clamorem ſolorum dæmonum fuiſſe conſtat timentium, ne ſe Chriſtus expelleret, magiſque cruciaret. Qua autem ratione dæmones Chriſto procederent, dignum ſcitu eſt. Nempe non religione vlla, vel charitate, quaſi verè Chriſtum adorare vellent: ſed timore, quaſi ſupplicium ſuum & confeſſione oris, & ſubiectione corporis deprecaturi, vt rectè idem Beda, & Theophylact. adnotauerunt.

Quomodo dæmones ante Chriſtum procedebant.

12. *Tu es filius Dei.*) Huius verſus explicationem quære ſupra, c.1.24.25. Ex hoc autem loco conſtat verum eſſe, quod illic diximus, idem eſſe ſanctum Dei, & filium Dei. Nam quem illic dæmones ſanctum Dei, hîc filium Dei appellauerunt. Amplificarunt mirificè hunc locum aduerſus Arianos auctores veteres, dæmones pius fidei, quàm illos habuiſſe; qui, quod illi negarent, confiterentur, Chriſtum verum ac naturalem filium eſſe Dei. Nec enim dubium eſſe, quin alia ratione Chriſtum filium Dei, quàm prophetas, viroſque ſanctos appellauerint. Nam virum vllum ſanctum filium Dei dæmonẽ appellaſſe non legimus. Python ille Paulum, & Silam, vt ſanctiſſimos eſſe viros indicaret, ſeruos Dei altiſſimi vocauit; filios Dei nõ vocauit, Actor. 16. 17. contrà verò Chriſtum nuſquam

De diuinitate Chriſti cõtra Arrianos.

ſeruum Dei dæmones vocant; filium Dei, &, quod idem eſſe docuimus, ſanctum Dei vocant. Non ergo filium Dei adoptiuum, quales non modò Paulus, & Silas, verùm nos etiam omnes gratia Dei ſumus; ſed naturalem, ac verum Dei filium eſſe confeſſi ſunt. Si autem naturalis Dei filius eſt, verus Deus eſt. Qua de re plura in Theologicis de Trinitate ſcholis diſſeruimus: ſatis nunc eſt ad Athanaſium in lib. de natura humana verbi, & ad Bedam in comment. in hunc locum lectorem mittere.

Et vehementer comminabatur eis.) Adiunctis minis præcipiebat, ne ſe manifeſtum facerent, vide c.1.25.

13. *Et aſcendens in montem.*) Orandi cauſa in montem aſcendiſſe ex Luca, c.6.12. manifeſtum eſt, vt ſæpe alias facere ſolebat: Apoſtolos autem eligendi cauſa aſcendiſſe manifeſtum non eſt, quamquam quia fieri conueniebat, conuenit etiam credere factum eſſe. Matthæus, quod de Apoſtolorum electione ſequitur, priùs narrat, quàm miraculum ſanati hominis, qui manum habebat aridam, & quàm quod ſupra ſcripſit Marcus à verſu ſeptimo vſque ad hunc locum, & c.2.23. de diſcipulis ſpicas die ſabbathi vellentibus, quàm is ex Marco hoc loco, & ex Luca, c.6.13. poſt illa hoc factum eſſe conſter. Itaque vt Matthæi 10.1. docuimus, credendum eſt Matthæum, quod poſt factum erat, priùs per anticipationẽ narrauiſſe; ſiue certo aliquo, nobis tamen incognito conſilio, ſiue quia id forte memoriæ occurrit priùs, quod geſtum erat poſteriùs.

Vocauit ad ſe, quos voluit ipſe.) Vocaſſe ad ſe dicit, quaſi cum illo priùs non fuiſſent. Cæterum creditibile eſt, cum in montem vnà cum diſcipulis aſcendiſſet, ſubduxiſſe ſeſe ab illis in aliquem ſolum locum, vt ibi ſolus oraret, quemadmodum eum alias feciſſe legimus. Matthæi 26.36. & Lucæ 9.18.

Quos voluit.) Ex diſcipulis nimirum ſuis, qui ipſum in montem ſecedentem ſequuti fuerant. Nam turba in montem non aſcenderat, ſed in campeſtri loco eius reditũ expectabat, vt colligitur ex Luca, c.6.17. Priùs igitur ex turba hominum magno numero; deinde ex diſcipulis ipſis paruo Apoſtolos elegit: ſicut Eccleſia nunc ex innumera plebe presbyteros multos, ex presbyteris Epiſcopos paucos aſſumit. Dedit enim formam Chriſtus eos eligendi, vt Chryſoſtomus, & Theophylact. indicauerunt. Quod autem dicit, *quos voluit ipſe*, & ambitionem, & meritum Apoſtolorum excludit. Chriſti poteſtatem atq; auctoritatem affirmat. Cum enim dicit, *quos voluit ipſe*, ſignificat, non qui ambierunt, ſi quis fortaſſe ambijt, ſed tantùm quos Chriſtus voluit electos eſſe. *Neque quiſquam ſumit ſibi honorem*, inquit D. Paulus, *ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Heb.5.4. Hoc modo idem Paulus ſe ad Apoſtolatum vocatum indicat, cùm non ſolùm ambiret, ſed odio etiam proſequeretur, Rom.1.1. & 1.Cor.1.1. Hoc eſt, quod Chriſtus poſtea Apoſtolis dixit, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*, Ioannis 15.16. Indicat etiam non qui meruerunt, ſed quos Chriſtus vocare voluit, eos ad Apoſtolatus munus vocatos eſſe. *non quòd ſimus ſufficientes* (dicebat de ſe vltimo loco vocatus Paul) *tanquam aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, 2.Cor.3.5. & 6. ſic Eph.1.1. vocat ſe Apoſtolũ *per voluntatem Dei*, id eſt non ſuis meritis, ſed diuina electa voluntate. Hoc autem cum dicitur, meritum quidem excluditur, naturę verò habilitas non excluditur, quę admodum & Euthymius, & Theophylact. in commentarijs adnotarunt. Nec enim dubito feciſſe (Chriſtum, quod prudentiſſimus profecto quiſque feciſſet) vt, quàm quiſque aptus ad id eſſet muneris, conſideraret. Non nego, quod docti hîc quidam interpretes docuerunt, hoc inter nos, & Chriſtum eſſe diſcrimen,

quid

quòd nos aptos eligamus, non faciamus miniſtros; ille, vt D. Paulus de ſe teſtatur, etiam ineptos. poſtquàm elegit, aptos faciat; tantùm dico credere me aliquam eum naturæ cuiuſque habere rationem. Nam & nos diſcipulos ad docendum ineptos eligimus aliquando, vt eos docendo aptos efficiamus, tamen cùm æquè omnes inepti, indoctíque ſint, magis ingenioſos, & feruentes quam tracturi ſumus, diſciplinæ capaciores eligimus: Chriſti verò poteſtas aſſeritur, quia ſignificatur eum non iuſſu aut precibus alterius, nullo coactum lege, ſed ſola ſua libera voluntate Apoſtolos elegiſſe. Cæterum, quemadmodum paulò ante dicebamus ita Apoſtolorum meritum his verbis excludi, vt naturæ habilitas non excluderetur; ſic credendum eſt ita aſſeri Chriſti his verbis poteſtatem, vt conſilium, ratio, atque prudentia non negetur. Neque enim indicatur ita eum illos potiùs, quàm alios Apoſtolos ſua voluntate elegiſſe, vt nihil ad eligendum præter voluntatem, neque conſilij, neque rationis adhibuerit. Nam quemadmodũ hos potiùs, quàm illos; ita hoc potiùs, quam illo numero ſua elegit voluntate; atqui cur duodecim, non plures, neque pauciores elegerit, omnes veteres auctores, vt apud Matthæum cap.10.4. docuimus, non ſolùm aliquam præter voluntatem, ſed multas etiam fuiſſe rationes tradiderunt.

Et venerunt ad eum.) Apoſtolorum indicatur obedientia, qui ſtatim vocati venerint, cum, quam ob cauſam vocarentur, ignorarent, itaque cogitare de Apoſtolatu non poterant. Significatur & liberum veniendi arbitrium, vt multi recentiores interpretes nouerunt: neque enim dixiſſet Euangeliſta vocatos veniſſe, niſi & non venire potuiſſent.

14. *Et fecit, vt eſſent duodecim cum illo.*) Verba vitio, vt opinor, ſcribentium tranſpoſita, ad hunc enim modum legendum eſt, & fecit duodecim, vt eſſent cum illo, quemadmodum & Græcè legitur, & noſtrum vertiſſe interpretem credendum eſt. καὶ ἐποίησεν δώδεκα, ἵνα ὦσιν μετ' αὐτοῦ. Senſus autem eſt multo facilior, ac melior, fecit duodecim (Apoſtolos) cur autem fecerit, duas Euangeliſta exponit cauſas. Vna hæc eſt, *vt eſſent*, inquit, *cum illo*, id eſt, vt ipſi tanquam familiares, & domeſtici ſemper adeſſent; altera, *vt eos*, inquit, *mitteret prædicare.* Quapropter & Apoſtolos, vt Lucas, nominauit, id eſt miſſos, non ſicut rabellarij, aut nuntij, ſed ſicut legati mittuntur, propterea non ſolùm nuntiandi, id eſt Euangelij prædicandi, ſed etiam baptizandi, remittendi peccata aliaq; multa faciendi poteſtatem dicit, quod proprium legationis eſt. Dicit autem, *vt mitteret eos prædicare*, non ſtatim, ſed cum tempus eſſet; neque ſtatim miſit, vt conſtat ex Marco cap.6.7. & ex Luca cap.9.1. ſed priùs eos inſtruxit longo illo, & diuino ſermone, quẽ Matthæus toto capite 5. & 6. & 7. & Luc. cap.6.20. narrant. Quare autem duodecim elegerit Matthæi 10.5. dictum à nobis eſt.

Et deabit illis.) non ſtatim, ſed poſtea, cum eos ad prædicandum emiſit, cap.6.7. & Lucæ 9.1. & Matthæi 10.1. ſed hoc per anticipationem Marcus dixit, quia de eorum miſſione mẽtionem fecerat, in qua ea Apoſtolis poteſtas data eſt. Græca alium multo clariorem habent ſenſum, ἢ ἔχειν ἐξουσίαν θεραπεύειν τὰς νόσους, καὶ κηρύσσειν τὰ δαιμόνια, & habere poteſtatem ſanandi morbos, & eiiciendi dæmonia, id eſt, vt mitteret eos prædicare habentes hanc poteſtatem curandi morbos, & eiiciendi dæmonia. Itaque hæc verba, ſicut duo proximè præcedentia, *vt eſſent cum illo, & vt mitteret eos prædicare*, referẽda ſunt ad verbum illud primum, fecit duodecim.

16. *Et impoſuit Simoni, nomen Petro.*) An tunc impoſuerit, an potiùs initio, cum ab Andrea fratre ſuo ad Chriſtum adductus eſſet, Ioannis 1.41. 42. an poſtea cum Apoſtolos ad prædicandum miſit, infra c.6.7. & Matthæi 10.1. & Lucæ 9.1. an cum ſuper illum fundare vellet Eccleſiam Matthæi 16.18. apud Matthæum cap.10.2. diſputauimus.

17. *Et Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina.*) Videtur & Latinè, & Græcè hîc eſſe ſolœciſmus, niſi in ſuperiori verſu ἀπὸ τούτων aliquid, quod non exprimitur, intelligatur nempe, *fecit*, id eſt elegit Apoſtolum Simonem, *& impoſuit Simoni nomen Petrus*, deinde ſequatur, *& Iacobum Zebedæi*, ſupple *fecit*, id eſt elegit Apoſtolum.

Cur Iacobus, & Ioannes filij tonitrui appellati.

Boanerges. non dubito verum eſſe, quod in commentarijs in cap.1. Daniel. Hieronym. indicat, ignoratione peregrinæ linguæ adeo corruptum à notarijs, defluxúmq; hoc nomen eſſe, vt vix in eo primæ originis veſtigium vllum appareat. Putat ille pro בני רעם Bene raam factum eſſe *Boanerges*. Non vt viri quidã docti exiſtimant בני רעם *Bene reem, filij tonitrui.* Nam nec id Hieronymus dicit, & haud ſcio an verè dici poſſit, cùm Hebraicè tonitru non רעם *reem*, ſed רעם *raam appelletur.* Alij quò propius ad *Boanerges*, id eſt ad vitiatum nomen accedere videantur, & probabiliorem ſcriptorum errorem faciant, nominum ſimilitudine בני רגש legendum exiſtimant, id eſt filij tumultus. Nam quamuis רגש non tonitru, ſed tumultum ſignificet, tamen quia tonitru tumultus quidam vehemens eſt, tumultum pro tonitru poni, ideóque Euangeliſtam interpretatum eſſe filios tonitrui. Nam & Homerum Iouem illum ſuum ὑψίβρεμέτην altifrementem, id eſt altitonantem appellaſſe, quia & tonitru fremitus eſt. Probarem ſi inuenirem רגש apud Hebræos tumultum ſignificare, quod nuſquam inuenio. Nam etſi רגש *ragaſch* ſignificat congregare, conuenire, tumultuari, tamen רגש *regeſch* non tumultum ſed congregationem ſignificat, & ſcimus auctores Græcos Hebraicam litteram ע, in Græcam γ, & ſono, & figura ſimilem ſolere mutare, cuius rei in Septuaginta interpretum Idiomatis ex Geneſ. cap.25.4. & 36.2. 5.10.14. exempla notauimus; vnde non difficile mutari potuit. Cur Chriſtus Simonem Cepham, id eſt Petrum appellauerit, in promptu ratio eſt. & ab ipſo Chriſto non obſcurè ſignificatur, Matthæi 16.18. quia ſuper ipſum fundaturus erat Eccleſiam. Cur autem Iacobum, & Ioannem filios tonitrui vocari voluerit, ex euentu coniectura ſumpta eſt. Futuri erant ſecundùm Petrum Chriſto familiariſſimi, & Euangelij eius ardentiſſimi prædicatores. Itaque videmus ſolitum eos vnà cum Petro ad res ſecretiores, maioréſque adhibere, ad transfigurationem infra cap.9.2. & Matthæi 17.1. & Lucæ 9.28. & ad orationem horti infra cap.14.33. & ad ſuſcitationem mortuæ puellæ filiæ Archiſynagogi, cap.5.37. Petro igitur, tanquam duci, Iacobo, & Ioanni, tanquam duobus eius ſigniferis, noua dedit nomina, quia inſigniores Euãgelij prædicatione futuri erant. Reliqua, quæ ad hunc, & ad ſequentem verſum ſpectant, apud Matthæum cap.10.4. expoſita à nobis ſunt.

20. *Et veniunt ad domum.*) Petri, vt opinor, domum intelligit in Capernaum, vbi Chriſtus cum in eam veniebat vrbem, ſolebat diuerſari, cap.1.28. & cap.2.1. nam in eadem videtur adhuc verſari vrbe, cùm ingreſſum in eam fuiſſe, cap.2.1. Marcus dixerit: egreſſum ex ea nondum dixerit. Etſi Euthym. & aliam vrbem, & aliam fidelis alicuius domum fuiſſe putat.

Panis apud Hebræos pro omni cibo.

Ita vt non poſſet, neque panem manducare.) Nota Hebræorum phraſis eſt, qua panis pro omni ponitur cibo, & panem ſumere, & cibum ſumere. Quidam hæc verba ad ſolam turbam, quæ Chriſtum audiebat, referunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferunt, quasi dicat Euangelista adeo fuisse audiendi Christum auidam, adeo in eius prædicationem intentam, vt sumendi cibi obliniceretur. Beda ad vtrosque, & ad Christum, & eius discipulos, & ad auditores refert, vt in illis docendi, in his audiendi commendetur studium. Potius credo ad solum Christum & Apostolos referri oportere. Nam relatiuum illud ἀυτὸν, quod Græcè est, vix potest ad alios quàm ad eos respicere, de quibus dixerat ver. 20. καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον, & veniunt ad domum. Illi autem, qui in domum veniſse dicuntur, non auditores, sed Christus, & Apostoli erant. Nam de auditoribus post dicit, & conuenit ſtatim turba.

21. Et cum audiſſent.) Γ. καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, & cum audiſſent ij, qui ab ipso erant, id est, qui ad eum pertinebant, Græca phrasis. Qui autem ij fuerint, incertum. Auctor commentariorum, qui Hieronymo inscribuntur, Apostolos fuisse arbitratur. Improbabilis opinio. Nam & Apostoli intus cum Christo erant, ij autem, qui tenere Christum volebant, aliùde venerant, vt eum quærerent; neque credendum est Apostolos, aut dixisse, aut cogitasse vnquam Christum insanire, quemadmodum isti dixerunt. Alij, qui ab ipso erant, interpretantur, qui erant ex eius patria, ciues, ac populares eius. vt Theophylacto placet. Nimis hoc generale est, & nescio, an vero simile sit tantam illis de Christo fuisse curam, vt custodire vellent: cùm non multo ante ex monte præcipitare eum voluissent Lucæ 4. 29. Alij Christi domesticos fuisse intelligunt, vt Euthymius. Plurimorum opinio est, quam Beda, idémque Euthymius, & Theophylactus sequuntur, intelligendos esse Christi cognatos, quod, vt videtur, & ex verborum proprietate, & ex ver. 31. confirmatur. Nam & Græca phrasis cognatos propriè significat, & videtur Euangelista rem ita narrare, vt eosdem fuisse indicet eos, qui ad tenendum venerunt Christum, & eos, qui ad fores domus stabant, volentes eum conuenire: illi autem, qui ad fores stabant, vt Euangelista declarat, Christi cognati erant, ergo & hi, qui ad eum tenendum venerunt. Illud tantùm huic interpretationi videtur aduersari, quòd isti, qui ad tenendum venerunt Christum, dixisse dicuntur eum in furorem conuersum esse; illi autem, qui ad fores stabant, eius mater Beata Virgo, & fratres erant, & creditu nefas est Beatam Virginem aut dixisse, aut existimasse Christum fuisse furiosum. Hoc non me mouet, vt ab hac sententia, quæ tam multorum auctorum est, facilè discedam. Existimandum enim est Euangelistam per syllepsim loquutum fuisse, figuram in sacris litteris vsitatam, qua quod vnus è multis fecit, dicuntur fecisse multi, Matthæus c. 26. 8. scribit discipulos ob effusum in Christi caput vnguentum indignatos murmurauisse, cùm constet ex Ioanne 4. 5. solum indignatum fuisse, & murmurasse Iudam. Idem Matthæus, c. 27. 44. scribit latrones, qui vnà cum Christo crucifixi erant, blasphemasse, cùm ex Luca c. 23. 39. manifestum sit non blasphemasse nisi vnum. Itaque non solùm necesse non est, vt quia dixit Euangelista Christi cognatos dixisse eum in furorem versum esse, intelligamus id etiam eus dixisse matrem. sed ne plures quidem vno dixisse. Satis enim est, vt vnus cognatus diceret, vt verè Euangelista dicere potuerit id cognatos dixisse.

Syllepsis in scriptura frequens.

Iustinian. li. 1. Inſtit. de Curator. Varro de re ruſt. l. 1. c. 2. Cic. 2. de Inuent.

Exierunt tenere eum.) Vt vincirent, & domi in custodia tenerent. Erat apud Romanos lex, vt, si quis in insaniam incideret, vinctus cognatis suis traderetur, neque alia afficeretur pœna. Simile si non legem, cõsuetudinem tamen apud Iudæos fuisse putandum est, qua vsi cognati voluerint Christum, vt eius vitæ consulerent, præripere Pharisæorum inuidiæ.

Dicebant enim.) Aut apud se animo, & cogitatione, aut etiam verbis. Vtrumque enim Hebræorum phrasis, quam Marcus imitari solet, significare potest. Nec verò dicere apud Hebræos non solùm dicere verbis, sed etiam animo cogitare est, vt Psal. 118. 57. *dixi custodire legem tuam*, id est, cogitaui, decreui, statui apud me. Sed probabilius est verbis etiam hoc illos dixisse cum rationem ijs, qui aderant, & audiebant reddere voluerint, quare Christum tenere vellent, quia *in furorem versus* inquiebant, versus est.

Quoniam in furorem versus eſt.) Hunc locum difficiliorem pietas facit; quia animus horret non solùm credere, sed cogitare etiam Christi cognatos, aut dixisse, aut existimasse eum esse furiosum, pio quodam studio nonnulli relicta verborum proprietate aliò, quæ minùs à pietate abhorrere viderentur interpretationes quæsiuerunt. Nescio an, dum pias quærerent, falsas inuenerint. Quidam igitur eorum illud Græcum verbum ἐξέστη, quod noster interpres reddidit, *in furorem versus eſt*, vertunt, excessit, abijt, cui significationi quæ aliquando significat, quasi dicant, quòd concitaretur Christus, quòd dæmones eiceret, quòd tantam hominum turbam commoueret, se inuitis facere, ipsis enim se domo exijsse. Cuius interpretationis & Euthymius videtur fecisse mentionem. Mihi nescio quid habere videtur insulsi. Minimè enim speciosum hic erat prætextus, vt probarent velle se tenere eum, quòd ipsis inuitis domo excessisset, neque enim ante eum domi inuitum coërcebant. Alij subtiliùs, nescio an meliùs, hæc verba non ad Christi cognatos, sed ad turbam referunt, de qua versu præcedenti dictum erat, & verbum ἐξέστη eodem modo, quo superiores auctores exponunt, id est abijt, excessit, quasi eum Christi cognati audientem turbam rogarent, vti sibi liceret eum conuenire, aut eum ad se vocaret; turba respondit, abijt nõ est hîc. Quod autẽ Euangelista plurali vtitur verbo, non difficile respõdent nomen omne collectiuum esse, possèque plurale verbum admittere. Id ego non moror; illud moror, quomodo possint respondere turba, non est hîc, abijt, cùm cognati Christum, & turbam audientem viderent, quippe qui eum alloquerentur, & ipsum prædicantem Christum, dicat alij, qui ad ostium erant, audirent. Deinde cum reddet causam reddet particula illa, *enim*, cum Euangelista dicit, *Dicebant enim, quoniam in furorem versus eſt*? Haud dubium, quin illius præcedentis verbi reddatur causa, *Exierunt tenere eum*; propterea enim volebant eum tenere, quia, vt dicebant, in furorem versus erat. non ergo turba, quæ Christum audiebat, sed Christi cognati, qui, vt eum tenerent, venerant, hoc dixerunt. Omnes denique interpretationes istæ, quæ non tam rationem veram sequuntur, quàm apparentem, abiiciendam fugiunt, hoc vno per se refelluntur, si illam, quæ his auctoribus esse videtur absurditas, non esse demonstretur. Id autem iam demonstrauimus, cùm docuimus esse syllepsim; neque esse necessarium, vt aut Christi mater, aut omnes eius fratres, siue cognati, sed vt vnus tantùm id eorum dixerit. Itaque recte noster vertit interpres, *in furorem versus eſt*, quemadmodum omnes boni auctores Hieron. Beda, Euthymius, Theophylact. interpretantur. Nec quorundam moderationem probo, qui vt sententia mitior esse videatur, pro *in furorem versus eſt*, vertunt mente alienatus est, aut in mentis excessum incidit. Nam præterquàm quòd alienatum esse mente haud multo est mitius, quàm in furorem versum esse, verbum illud præcedens, *Exierunt tenere eum*, indicat cognatos voluisse dicere Christum in excessum mentis incidisse, cui verè esse furiosum. Non enim, qui in mentis excessum incidebant, vt prophetæ, & viri alij sancti diuina pati,

sed inta-

sed insani, & furiosi tenebantur, vinciebantúrque. Pertinet ad hunc locum, vt lector intelligat, verène putauerint Christi cognati eum furere; an id dixerint contra sententiam, vt eum ex periculo, quod illi imminere putabant, hac furoris simulatione subducerent. Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthymius, & omnes, quos me legisse memini, vetustiores, auctores, non simulationem, sed sententiam fuisse existimant. Quibus libenter equidem eorum ductus auctoritate subscribo; quamquam nihil absurdi esse video, si fuisse dicamus simulationem. Nam nec Euangelista dicit, putabant, sed *dicebant, quoniam in furorem versus eſt*; & si eorum volumus existimationi consulere, res est eiusmodi, vt leuioris fuisse culpæ videatur; id fingere, quàm credere. Alia ad explanationem huius loci perfectam reliqua est quæstio, quam ob rem cognati tenere Christum voluerint; præsertim, si non credebant eum insanire, sed se credere simulabant. In proximo est ratio, si credebant, vt illi; si simulabant, vt sibi pariter, atque illi consulerent. Nam si verè furiosus fuisset, aut lege, vt diximus, aut consuetudine à cognatis vinciendus, alendúsque erat; si furiosus verè non erat, sed esse fingebatur, timebant cognati, ne quid sibi, atque illi, aut ab odio incensis Pharisæis, aut à concitata tumultuosa multitudine periculi crearetur, vt multi recentiores interpretes adnotauerunt. Quæ sequuntur vsque ad finem capitis, apud Matthæum, qui eadem capite nono, & duodecimo, copiosiùs narrat expositimus.

CAPVT IIII.

Matt. 13. a. 1. Luc. 8. a. 4.

ITerum cæpit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita vt nauim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat. 2. & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua: 3. Audite: ecce exijt seminans ad seminandum. 4. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud. 5. Aliud vero cecidit super petrosa, vbi non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ: 6. & quando exortus est sol, exæstuauit: & eo quòd non habebat radicem, exaruit. 7. Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ, & suffocauerunt illud, & fructum non dedit. 8. Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum ascendentem, & crescentem, & afferebat vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum. 9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. 10. Et cum esset singularis, interrogauerunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam. 11. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt: 12. vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata. 13. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis? 14. Qui seminat, verbum seminat. 15. Hi autem sunt, qui circa viam, vbi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum. 16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud: 17. & non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum confestim scandalizantur. 18. Et alij sunt, qui in spinis seminantur: hi sunt, qui verbum audiunt, 19. & ærumnæ sæculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur. 20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant, vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum. 21. Et dicebat illis: Nunquid venit lucerna vt sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne vt super candelabrum ponatur? 22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed vt in palam veniat. 23. Si quis habet aures audiendi, audiat. 24. Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis. 25. Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet etiam quod habet auferetur ab eo. 26. Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, 27. & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille. 28. Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. 29. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. 30. Et dicebat: cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?

Isa. 6. c. 9. Matt. 13. b. 14. Ioan. 12. f. 40. Act. 28. f. 26. Rom. 11. b. 8.

1. Tim. 6. c. 17.

Matth. 5. b. 15. Luc. 8. c. 16. & 11. c. 33. Matt. 10. c. 26. Luc. 8. c. 17. Matt. 7. a. 2. Luc. 7. f. 38. Matt. 13. b. 12. & 25. c. 29. Luc. 8. c. 18. & 19. d. 26.

31. Sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mat. 13. c. 34.

31. Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus semi-
nibus, quæ sunt in terra: 32. & cum seminatum fuerit, ascendit, & fit maius omni-
bus holeribus, & facit ramos magnos, ita vt possint sub vmbra eius aues cæli habitare. 33. Et
talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: 34. sine parabola
Matt. 8. c. 13 Lu. 22. 8. c. *autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. 35. Et ait illis*
in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra. 36. Et dimittentes turbam, assumunt
eum ita vt erat in nauí: & aliæ naues erant cum illo. 37. Et facta est procella magna venti,
& fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. 38. Et erat ipse puppi super cervical
dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? 39. Et
exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus,
& facta est tranquillitas magna. 40. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fi-
dem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia &
ventus & mare obediunt ei?

IN CAPVT IIII.

1. *Et iterum cœpit docere ad mare.)* Dicit, *iterum*, quia iam ante bis eum ad mare ipsse dixerat; haud dubium, quin, vt ibi prædicaret, quòd magna in eũ locum propter mercaturam hominum multitudo confluëret cap. 1. 16. & c. 2. 13. Videmus Christum terra, marique Euangelium propagare, & sicut mercatores lucrum, ita animas quærere; & postquam priuatim domi prædicauit, prodire in publicum, vt omnes doctrinæ suæ participes faciat. Idem fecerat supra cap. 2. Idem se D. Paulus eius imitator fecisse dicit, Actor. 20. 20. *Quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos.* Factũ enim hoc est eodem prorsus die, quo domi tanta audiente multitudine concionatus fuerat, quemadmodum adnotauit Beda, & ex Matthæo cap. 13. 1. potest facile probari, quæ res magis etiam Christi in quærenda salute hominum diligentiam commendat.

Christi diligẽtia & zelus animæ lucrãdi.

Et congregata est ad eum turba multa.) Vt supra c. 2. 13. & cap. 3. 7. 20. Quocunque enim ibat, magna eum turba sequebatur, ita vt ne sumere quidem cibum posset cap. 3. 20. & nauiganti ne à turba comprimeretur, separatam necesse fuerit nauiculam habere, ibidem ver. 9.

Ita vt nauim ascendens.) Sicut cap. 3. 9. ne à turba comprimeretur necessarium illi fuit propriam habere nauiculam, ita nunc propter multitudinem hominum confluentium aliorum super alios, & aliorum alios proculcantium necesse fuit, vt relictis ad litus illis in nauim ascenderet, vt inde liberiore loco non oppressus, non obsideatus doceret. Hoc enim significat, quod ait Euangelista, *vt nauim ascendens sederet in mari.* Itaque ratio, quam Theophylactus, & Euthymius adferunt, quamobrem in nauim ascenderit, nempe, inquiunt, vt omnes auditores ante conspectum haberet, neminem ponè, mihi non placet, quia nec id Euangelista significat, neque, vt opinor, Christus curabat.

Sederet in mari.) In naui erat, quasi pro rostris dicturus esset. Quæ sequuntur vsque ad versum 21. apud Matthæum c. 13. explicata sunt. Si quid lector discriminis, aut in verbis, aut in ordine narrationis deprehenderit, recordetur, quod sæpe diximus Euangelistas non verba, sed sententias diuerso sæpe ordine recitare.

8. *Ascendentem & crescentem.)* ἀναβαίνοντα, καὶ αὐξάνομενον. Ascendentem vocat lætam, & luxuriantem segetem.

Et dabat.) καὶ ἐδίδου, & *dabat*, pro ἔδωκε dedit, imperfectum pro perfecto Græca phrasi.

Vnum triginta, & vnum sexaginta, & vnum centum.) Eodem modo Græcè ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν, pro, Alia singula tricena, alia singula sexagena, alia singula centena Hebraissmus. Nam Græce dicendum fuit, τὸ μὲν τριακοστὸν, τὸ δὲ ἑξηκοστὸν, τὸ δὲ ἑκατοστὸν, καὶ τὸν ἑνὸς ἑκατοστὸν. Matthæus contrario hic narrat ordine, sed, vt paulò ante diximus, Euangelistæ sententiæ veritatem, non ordinis seriem seruare studuerunt. Si quis roget, vtro modo putandum sit discesse Christum *vnum triginta, & vnũ sexaginta, & vnum centum*, vt ait Marcus: *an aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum*, vt ait Matthæus numero ordine commutato: respondebo nihil esse certi. Sed si quis coniecturæ locus est, existimare me hoc posse modo, quo Marcus narrat, eum dixisse, quia est omnibus hominibus naturale, vt rem, de qua loquuntur, exaggerantes crescente vtantur oratione; exaggerabat autem rem Christus, & crescit apud Marcum oratio, decrescit apud Matthæum.

21. *Numquid venit lucerna.)* Aliqui Græci codices legunt καίεται accenditur; plures tamen ἔρχεται, vt Theophylactus, & Euthym. legunt, & Latini, quos legimus omnes. Suspicor aliquẽ Græcum explicationis causa ad marginem posuisse καίεται accenditur, quasi venire lucernam esse accendi, alium verò quempiam mea explicationem, sed correctionem esse existimantem, quod erat in textu deleuisse, quod erat in margine, in textum intrusisse, aut quod est probabilius, aliquem ex Matthæo c. 5. 15. vbi hæc ipsa similitudo proponitur, & legitur καίουσι, huc transtulisse. Iuuit errorem, quòd lucernæ magis accendi quam venire propriũ esse videretur. Sed venire, vt Euthymius interpretatur, positum est pro inferri, sicut solent ingruente nocte in cubiculum inferri lucernæ. Et habet etiam maiorem vim venire, aut inferri, quàm accendi. Nam accendi quidem alia etiam de causa lucerna potest, inferri autem in cubiculum, aut in aulam non solet, nisi vt ijs, qui vbi sunt, lumen præbeat; non autem vt sub lecto, aut sub modio ponatur. Putat quidam nostrum interpretem pro καίεται legisse ἅπτεται, venit. Probabilis coniectura, si in quibus Græcis codicibus non est ἅπτεται, esset καίεται: nunc autem in quibus non est ἅπτεται, in ijs omnibus est ἔρχεται. Maior est quæstio, quomodo Marcus, & Lucas c. 8. 16. hoc locum Christum hac similitudine vsum fuisse narrent, cum Matthæus c. 5. 15. alio loco eum hæc dixisse scribat, in illo nimirum tam celebri sermone, *Beati pauperes spiritu.* Facilis so-

lutio. Credibile est, vt illic diximus, Christum hac similitudine, quasi prouerbio vulgò trito, non semel, & vno loco, sed sæpe, ac pluribus vsum fuisse. Illud magis ad rem pertinet, vt exponamus, quorsum Christus hoc loco eam posuerit, cum de semine ageretur, cum quo non videtur lucerna quicquam habere commune. Hieronymus, aut quisquis eorum commentatorum auctor est, quibus Hieronymi nomen inscribitur, & Beda in huius loci commentarijs in eandem sententiam hic, atque apud Matthæum proponi existimant, vt moneat Apostolos Christus, ne verbum Dei occultent, sed palam prædicent. Quia enim dixerat ver. 11. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt*, docet nunc debere eos parabolam, cuius à se explicationem audiissent, cæteris etiam explicare; nec enim sibi tantùm, sed alijs etiam doctos à se fuisse, *nunquid* enim *venit lucerna, vt sub modio ponatur, aut sub lecto?* Probabilis opinio, sed non videtur Christus id agere, vt Apostolos ad prædicandum exhortetur, sed vt omnes, qui audiunt verbum Dei, ad illud fide excipiendum, condendum animo, meditandum, vt fructum ferat, aliud tricenum, aliud sexagenum, aliud centenum. Alij, quia de semine, & eius fructu, de bona & mala terra Christus loquutus fuerat, exhortari nunc auditores putant, vt bona terra sint, quæ acceptum verbi Dei semen, non mortuum, atque infructuosum apud se retineat, sed lætè germinet, fructúmque reddat, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum. *Numquid* enim *venit lucerna, vt sub modio ponatur*, id est non seminatur per prædicationem Euangelij verbum Dei, vt mortuum, & inutile maneat in auditorum animis, sed vt germinet, & bonorum operum fructus ferat. Quæ interpretatio eo videtur probabilior; quòd cum præcedenti parabola magis conuenit, eámque videtur D. Thomas, Chrysost. tribuere. Quanquam idem Chrysost. apud eundem D. Thomam, & Theophylact. &, vt videtur, Euthym. in commentarijs putant Christum ad verbum illud respexisse vers. 10. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, sed alio sensu, quàm Hieronym. & Beda; existimant enim reddere rationem Christum quamobrem ea ponatur *sub modio*; *sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt*; quasi dicat se non ideo parabolam proposuisse, vt non intelligeretur, sed vt intelligeretur potiùs ab omnibus; quòd autem ab alijs non fit intellecta, neque eam ipsis explicare velit, eorum esse culpam, qui nolint credere, & non vult eam explicare nisi credituris, quales erant Apostoli. Hanc ego existimo veram esse interpretationem, vt ver. 23. clariùs apparebit. Cur autem dicat, *vt sub modio ponatur, aut sub lecto* potiùs, quàm sub alia aliqua re, apud Matth. cap. 5. 15. 16. declarauimus; cætera verò, quæ hic desiderati possunt, apud eundem Matth. c. 13. 44. differuimus.

22. *Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur, nec factum est occultum, quod non veniat in palam.)* Eandem sententiam scribit, Lucas c. 8. 17. Christum post illam superiorem de lucerna pronuntiasse. Matthæus verò c. 10. 26. alio etiam loco eum dixisse narrat, cum discipulos ad patientiam cohortaretur, vt æquo animo, si malè in hoc mundo audirent, venturam diem, qua, qualis quisque fuerit, appareat; nihil enim occultum, quod non reueletur. Prouerbium inter Iudæos vsitatum fuisse, vt apud Matthæum dixi, ex repetitione frequenti manifestum est; sæpè item Christum vsurpasse constat. Et quidem quorsum apud Matthæum vsurpauerit, satis ex his, quæ quomodo diximus intelligitur; quorsum hoc loco apud Marcum, & illo apud Lucam vsurpet, non satis apparet. Qui superiorem sententiam de lucerna, quæ sub modio non ponitur, de verbi Dei prædicatione intelligunt, hoc modo hanc cum illa connectunt, vt iubeat Christus Apostolos parabolæ, quam à se audiuerant, explicationem apud se non premere, atque occultare, sed edere in vulgus, & communicare cum alijs; nihil enim esse occultum, quod reuelandum non sit. Ita Hieron. & Beda. Iuuant hanc expositionem Græca verba, quæ non videntur generalem, sed specialem de sola parabola seminantis continere sententiam, ὃ γὰρ ἐστὶ τὸ κρυπτὸν, ὃ ἐὰν μὴ φανερωθῇ, οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, ἀλλὰ ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ, non enim est (parabola quam proposui) occultum aliquid, quod manifestum fieri non possit, nec factum est, quasi de industria absconditum, adeo vt in apertum venire non debeat. Quasi dicat hoc, quod vobis exposui, non ideo exposui, vt occultum teneretis, sed vt prædicaretis palam. Qui verò superiorem sententiam ad parabolam seminis restringunt, vt Chrysost. Theoph. & Euthy. ita vt in illa ratione reddiderit, cur Apostolis parabolam explicare vellet, eiusdem rei causam his verbis reddi putant, quasi dicat, quod vobis dixi, nihil est occultum, quod reuelari non debeat. Placet hæc interpretatio. Quæ si vera est, oportet vt dictio illa ἀλλὰ, *sed* accipiatur pro *nisi*, sicut alijs in locis accipi docuimus. Qui superiorem sententiam ad mores referunt, eodem etiam hanc existimant esse referendam, vt dicat Christus, date operam, vt tanquam lucerna supra candelabrum posita bonorum operum exemplo omnibus hominibus præluceatis; nihil enim occultum, quod non manifestetur, id est quantumcunque vitia vestra celaueritis, cognoscentur: sicut alio loco dixit ex fructibus Euangelij prædicatores esse cognoscendos; neque enim colligi de spinis vuas, aut de tribulis ficus, Matthæi 7. 16. itaque perinde est, quod hoc loco Christus dicit, ac si diceret, si vultis sancti haberi, operibus sanctitatem ostendite; neque enim poteritis, nisi opera vestra bona fuerint, diu sanctitatem simulare; nihil enim occultum, quod non manifestetur, quemadmodum de fide, Iacobus dicit cap. 2. 18. *Tu fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Speciosa interpretatio, & non prorsus probabilitate carens; sed superiorem magis probo. Illud certum, eodem quidem sensu, vsu tamen aut contrario, aut diuerso hoc prouerbium à Christo hîc, & apud Matthæum vsurpari; illic, vt Apostolos animaret ad perpetiendas iniurias, hîc, vt causam illis redderet, cur parabolam illis exponere voluerit, vel vt omnem illis, si vltimam sequamur interpretationem, spem adimeret simulationis.

24. *Videte quid audiatis.* Id est attendite, considerate etiam, atque etiam, quod à me auditis, auditurive estis Euthy. Idem hoc est, atque quod superiore versu dixit, *Si quis habet aures audiendi, audiat*, quod Matth. 11. declarauimus.

In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.) Et hæc sententia apud Matthæum c. 7. 2. explicata est. Duo tantùm hoc loco exponenda sunt; alterum, quo modo Marcus hoc loco hanc à Christo sententiam post parabolam illam seminis pronuntiatam fuisse dicat, cum Matthæus parabolam illam ponat c. 13. hanc autem sententiam c. 7. in sermone illo celeberrimo à Christo habito, cum ex monte descendisset. Alterum, quomodo hanc sententiam ad rem propositam Christus hoc loco accommodarit; neque enim cum præcedenti parabola seminis in diuersam terram incidentis cohærescere videtur. Prior quæstio minùs difficilis est; nam neque illa forassis, quæ à Matthæo

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap.5.& 6.& 7. describitur,vna fuit concio :& si vna fuit, potuit Christus eandem sæpe repetere sententiam. Quod si semel tantùm dixit, quod,cùm singuli Euangelistæ semel tantùm referant,videtur esse probabile) non fuit necessarium, vt omnes Euangelistæ eo loco recitarent,quo à Christo dicta fuit;neque enim suo quæque referunt loco, vt non sine aliqua fortassis lectoris sartetate sæpe monemus.Mihi tamen multo videtur esse probabilius bis saltem hoc prouerbium (nam,vt apud Matthæum diximus, vulgare inter Iudæos prouerbium erat) à Christo, neque in eandem semper sententiam vsurpatum fuisse. Quorsum apud Matthæum eo Christus vsus fuerit,illic exposuimus, & ex præcedentibus non est difficile coniicere. Dixerat,*nolite iudicare,vt non iudicemini : in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis,remetietur vobis*; quam dubium non est præcedentis sententiæ esse repetitionem. Itaque idem est *in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quorsum verò hoc loco idem prouerbium vsurpauerit, facile non est dictu. Fortassè requirendum non est, vt hæc sententia cum superiore parabola cohæreat, quia, vt diximus, fieri potest, vt Marcus alio loco, quàm quo est à Christo dicta,recitauerit ; neque enim illi curæ fuit,vt Christi facta,dictáque eodem ordine, quo ab illo facta,dictáque fuerunt,recéseret.sed vt summam quandam factorum, dictorúmque Christi commemoraret:aut si eodem loco posuit,quo à Christo pronuntiata fuerat, fortassè non semper Christus ipse certum in concionando, nectendisque sententijs seruauit ordinem; sed multas sæpe parabolas res diuersas significantes nullo fere ordine alias super alias accumulabat,vt ex Matthæo cap.13.manifestum est.Nó ergo debet prudens lector anxio labore studio, vt hæc cum præcedentibus aptè coniungat, ne dum, vt accommodet,nimis flectit,fortassè frangat Potest tamen cum precedentibus hærere,quamuis non eodem modo omnes interpretes accommodauerint. Omnis in eo versatur quæstio, quid hoc loco Christus vocauerit mensuram eam,qua nos metimur,quid eam,qua remetietur nobis. Multi generaliter hoc intelligunt pro mensura meritorum huius vitæ præmiorum, vel suppliciorum in altera vita reddendam esse mésuram, vt Origenes tractatu in Matthæum 25. Nec dubito veram esse sententiam, neque omnino malè videtur cum superioribus conuenire. Agebatur enim de semine,& de terra fructum proferéte,qui fructus haud dubie bona sunt opera,& sequitur,*qua mensura mensi fueritis,remetietur vobis*,tanquam dicat,quantum attuleritis fructus bonorum operum, tantum vobis mercedis dabitur;eodem prorsus modo,eodémque sensu, quo ad Galat.6.7.dixit D.Paulus,*quæ seminauerit homo,hæc & metet.* Alij hoc non de Deo,sed de alijs hominibus interpretantur,vt nihil aliud sit, *qua mensura mensi fueritis,remetietur vobis*,quàm si diceret, *Omnia quæcunque vultis,vt faciãt vobis homines,& vos facite illis*, vt dixit Christus Matthæi 7. 12. Ita Cyprianus lib. de Oratione Dominica & lib.3 ad Quirin.Beda,sicut superiora,ita etiam hanc sententiam ad Euangelij prædicationem pertinere putat, quasi dicat Christus, si diligenter hæc,quæ à me auditis, alijs prædicaueritis, dabit vobis Deus eandem mensuram mercedem vitæ æternæ, & præterea adiiciet aliorum in hac vita mysteriorum intelligentiam : sicut dixit D. Paulus 1. Cor. 3. 8. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*; & Christus infra cap.10. 29.30. *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.* Alij vt Chrysostomus apud Diuum Thomam, Theophylactus, & Euthymius mensuram, quam nos damus, attentionem, quam in audiendo verbo Dei adhibemus, esse dicunt : mensura verò, quæ nobis remetietur, vtilitatem, quam ex verbo Dei percipimus attentioni nostræ respondentem, quasi dicat Christus, quantum adhibueritis ad audiendum Dei verbum attentionis,tantum inde vtilitatis referetis. Si de audienda Philosophia,aliáue naturali agerétur disciplina, vera mihi hæc interpretatio videretur.In illis enim doctrinis attentioni,atque diligentiæ vtilitas respondet. At in diuinis audiendis mysterijs, in quibus gratia plùs quàm natura valet, sæpe fit, vt qui plus attentionis adhibuerunt,minus referant fructus,quia attentio non ex fide,credendique desiderio, sed ex intelligendi curiositate nascebatur. Hieronymi mihi sententia magis placet, mensuram, qua nos metimur, fidem esse nostram,mensuram, qua remetietur nobis, esse mysteriorum intelligentiam, quæ nobis præter fidem adiicitur, tanquam corollarium, & mensura bona coagitata, & supereffluens, sicut de eadem re loquens Lucas dixit cap. 6.38. *Nolite crediderit is,non intelligetis*,quemadmodum ex libris citare solebant auctores veteres. Atque hoc modo hæc cum superioribus sententia nectenda est. Horatur fuerat Apostolos suos Christus, vt audiendi aures bene berent.ver. 23. id est, vt ita verbum Dei audirent, vt crederent.& vt viderent,quid auditent, ver.24. id est sinerent effluere verbum Dei, sed auditum fide conciperent : conceptum fouerent. Addit fore,vt in qua mensura quisque mensus fuerit, remetiatur ei, hoc est,vt quantum habuerit fidei,tantum illi supercrediturus intelligentiæ. *Qui enim habet,dabitur illi, & qui non habet,etiam, quod habet,auferetur ab eo*,id est habenti dabitur intelligentia mysteriorum supernaturalis:non habenti autem fidem, naturalis etiam auferetur intelligentia, quam habebat, quia aut excæcabitur,ita vt videns non videat,& audiens non intelligat, aut tam obscurè mysteria illi diuina proponentur,vt etiam si maximè velit,intelligere non possit.Hunc verum esse huius loci sensum ex Matthæo cap. 13. perspicuum est, vbi hac ipsa de re Matthæus scribens ait dixisse Apostolis Christum, ver. 11. 12. 13. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit : qui autem non habet,& quod habet,auferetur ab eo.Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt.* Quid habebant Apostoli nisi fidem? quid non habebant alij auditores, nisi fidem? Fides ergo est ea mensura, qua Apostoli mensi sunt intelligentia parabolarum, atque mysteriorum est ea mensura, qua Christus illis remensus est. Id etiam ex hoc ipso loco Marci confirmari potest. Sic enim has duas sententias inter se copulat, vt obscurum non ita sequentem præcedentis esse repetitionem. Idem ergo est,*qua mensura mensi fueritis,remetietur vobis*,& *qui habet,dabitur illi,qui non habet,etiam quod habet,auferetur ab eo.* Quare cum id,quod quisque habet,vt probabimus, fides sit, quod illi datur, intelligentia ; sequitur mensuram,qua metimur,fidem esse nostram;mensuram, qua remetitur nobis,mysteriorum esse, quæ nobis propter fidem datur,intelligentiam.

25. *Qui enim habet,dabitur illi,& qui non habet,etiam quod habet, auferetur ab eo.* Et hoc prouerbium apud Iudæos videtur fuisse ; nam sæpe etiam à Christo est vsurpatum,non solum hoc loco,sed etiam Matthæi 13. 12.& 25.29.& Luc.8.18.& 19.26. Quis sit eius sensus, duobus

duobus illis apud Matthæum locis explicauimus.Hic illud tantùm desideratur, vt intelligamus, quomodo sit ad huius loci sententiam applicandum.Id ex vers. præcedenti intelligendum est. Cùm enim hæc sententia illius sit,vt diximus, repetitio, quemadmodum illa, ita etiam hoc cum parabola superiore hæretic. Quo autem modo illa hæreat, docuimus vers. præcedenti.

26. *Et dicebat,sic est regnum Dei.*) Aliam proponit parabolam,quæ à Matthæo prætermissa est. An eodem loco, eodémque tempore proposita fuerit, non satis constat ; quod enim Euangelista eodem loco recenseat,non satis, vt sæpè diximus, argumenti est, quia potuit, vt facit aliquando, quæ diuersis locis, atque temporibus à Christo dicta fuerant, eodem loco, & quasi eodem dicta tempore recitare. Sed tamen probabilius ex hoc eodem loco, ac tempore, quo præcedens iacti in terram seminis, proposità fuisse ; præsertim cum vtraque affinis sit, vtraque de se mente agat,& sciamus Christum eandem rem diuersis sæpè parabolis eodem tempore inuoluere solere, vt ex Matthæo c.13. perspicuum est. Quòd ad sensum parabolæ attinet,ex singulis partibus colligendus est. Itaque,quid singula significent,explicandum. Regnum Dei Ecclesiam vocari manifestum est, vt apud Matthæum c.13.47.52.& Chrysost.Hier.& Beda tradiderunt.Sementem prædicationem esse verbi Dei,obscurum non est.& ijdem docent auctores. Agrum quis dubitet auditores esse,qui in superiore parabola terra bona,aut mala vocati sunt ? etsi Euthy.agrum Christum interpretatur. Homo qui sementem fecit.Christus est, aut quisquis eius nomine prædicat Euangelium. Messis est mors, aut generalis omnium, quæ propinquante fine mundi futura est, aut priuata cuiusque. Messor est Deus, falx verbum Dei, quo Deus iubet hunc, vel illum hominem demeti, hoc est mori,vt Theoph. interpretatur. Totius parabolæ finis est,vt doceat Christus tantam esse vim,& efficaciam verbi Dei, vt si in bonam incidat terram, quemadmodum superiore parabola docuerat,etiamsi is,qui iecit, nihil aliud agat, per se ipsum germinet, crescat,& fructum ferat.

27. *Et dormiat,& exurgat nocte,& die.*) Id est quiescat, postquàm sementem fecit, functus iam officio ; non iam dies, ac noctes vigilans, vt solebat tempore messionis, sed die surgés,& nocte dormiens, tanquam homo iam solutus curis, & otiosus. Sic ego quidem interpretor referens verbum illud. *Exurgat* ad seminantem,& ad diem,sicut verbum *Dormiat* ad eundem seminantem,& ad noctem, quemadmodum Chrysost.apud D.Thom. Euthy.& Theoph.in commentarijs referunt ; nisi quod eorum,vt postea dicam,parabolæ ad rem significatam applicationem non probo. Itaque Hieronymi, Bedæ,& Strabi sententia minimè mihi placet, qui hoc verbum ad semen referunt, quasi semen dicatur nocte,ac die surgere,id est crescere. Si enim id dicere voluisset,non dixisset ἐγείρεσθαι, *semen germinet*, *& crescat*, quasi semen germinare,& crescere aliud sit,quàm quod dictum erat,*nocte,& die exurgat.* Denique exurgere die ac nocte semen minùs proprié dicitur ; quàm hominem nocte dormire, die surgere. Itaque non debet post verbum illud *dormiat*, punctum esse,finisque sententiæ,quemadmodum ab alijs ponitur auctoribus ; sed post hæc verba, *nocte,& die*, punctum ponendum est,deinde ver.27 inchoandum est. Sed cum per seminantem,vt diximus, Christus intelligatur, quærunt rursum interpretes, quomodo Christus dormire dicatur,quomodo surgere. Quidam per mortem dormiuisse, per resurrectionem exsurrexisse dicunt, Alij,in quibus Theophylactus & Euthymius dormire Christum, cum nos tentari finit ; exurgere cum tentatione liberat, sicut in naui eo dormiente orta tempestas est, eo vigilante sedata, infra ver.38 & Matthæi 8.25. & Lucæ 8.24. Et quidem frequens in scriptura metaphora est, vt cum Deus opem fert, exurgere dicatur, Psalm.3.8.*Exurge Domine, saluum me fac*,& Psal.43.24.27. *Exurge,quare obdormis Domine ? exurge,& ne repellas in finem.Exurge Domine,adiuua nos,& libera nos propter nomen tuum.* Innumera sunt huiusmodi.Non placet tamen interpretatio, quia non dubium, quin sensus generalis parabolæ sit, nihil iam agente eo, qui sementem fecerit, mandatum terræ semen sponte sua germinare,& fructum ferre. Quod si exurgere interpretemur opem ferre, sensus vnius partis sensui totius parabolæ contrarius erit. Non enim nihil erga nos, id est erga seminatum agrum Christus agit,cum nobis opitulatur, ne nobis conceptum Dei semen diabolus eripiat. Quapropter,quod apud Matthæum cap. 13. & 25. ex Chrysostom.& Damasceno docuimus,obseruandum hoc loco est, non semper esse singulas parabolarum partes ad rem,de qua agitur,quæque per parabolam significatur, accommodandas. Nam alia in parabolis ponuntur tanquam necessariæ earum partes, in quibus parabolæ sententia consistit : alia tanquam accessiones,tanquam accidentia,tanquam ornamenta, & quasi emblemata parabolæ, quæ partim ad explendam, partim ad ornandam narrationem adhibentur. Quæ vt discernantur,parabolæ semper finis spectari debet, & ad eum singulæ parabolæ partes examinandæ ; quæ ad eum finem aliquid habent significationis, necessariæ parabolæ partes sunt ; quæ non habent, non necessariæ. Hæc igitur pars, qua dicitur ille, qui sementem fecerat, nocte dormire, die vigilare, non est necessaria parabolæ, si singula spectemus verba ; necessaria autem est, si generalem sententiam consideremus. Neque enim voluit Christus dicere, neque ita semper res euenit,esse necessarium, vt qui semen in terram iecit, postea dormiat, & exurgat, vt semen germinet. Quare non est solicitè quærendum, quando Christus dormierit, quando vigilarit. Sed voluit hac periphrasi otium à labore, & animi securitatem declarare ; & ex hypothesi loqui, quasi dicat, etiam si qui semen iecit, dormiat, & exurgat, id est nihil agat, semen tamen germinabit. Itaque non dicitur dormire,& exurgere,qui verè dormit, & surgit, sed qui nihil agit circa semen iam in terram iactum. Quare si qui sementem fecit,statim moriatur, etiam si nec dormiat proprié, neque exurgat die, ac nocte, tamen dormire dicitur, & exurgere, quia nihil iam in semen agit. Atque hoc sensu hæc necessaria parabolæ pars est. Voluit enim docere Christus verbum Dei semel prædicatũ etiam nihil eo,qui prædicauit,agente præterea, per se crescere,fructúsque proferre.Quid ergo ? dicet aliquis, voluitne docere Christus Euangelij prædicatores,vt iacto verbi Dei semine nihil agerent ? minimè verò ; nam exhortandi etiam,atque etiam,animandi,confirmandi,qui verbum Dei audiuerunt,sunt,vt teneant,quod habent, ne alius eorum coronam accipiat, neue diabolus semen eripiat, quemadmodum fecisse legimus D.Paulum,Act.15.41.& 18.23. Sed,vt diximus,loquitur ex hypothesi, quasi dicat, etiam si, qui seminauit, nihil agat, semen tamen crescet. Nec ita intelligenda generalis sententia est, quasi nunquam aliter fiat ; nam & frumenti semen, vnde parabola sumpta est,in sterilem,& aridam terram iactum,sæpe non nascitur, nisi agricolæ rigetur diligentia. Idem omnino in spirituali verbi Dei accedit semine, vt à

Universidad de Deusto
Biblioteca

concionatore in atidos, aut infirmos auditorum animos infusum, nisi assidua eiusdem concionatoris opera rigetur, atque excolatur, minimè crescat. Sed nimirum parabola sumitur ex eo, quod non semper fit, sed plerumque fieri solet. De Christo dubitare lector potest, quomodo in eum parabola conueniat, cùm ille præcipuus verbi ei seminator sit, qui si, postquàm seminauit, nihil agat, si gratia sua auditoris animum, quasi agrum non irriget, non dico aliquando, sed dico nunquam verbum Dei germinabit, nunquam fructum feret. Accidit quodammodo, vt idem Christus & homo seminans, & Deus incrementum dans vnus simul esset. Quâ homo est, seminat, sicut & Apostoli seminauerunt: quâ Deus est, dat incrementum gratia sua, quasi perpetua pluuia animum irrigans. Fingamus (si tamen vel fingere fas est) Christum non esse Deum, etiamsi postquam Dei verbum seminasset, nihil circa illud ageret, ipsum per se crescceret. Cum enim dicitur verbum Dei vi sua, atque natura per se crescere, non excluditur diuina gratia, sine qua non dico fructum ferre, non crescere, non nasci, sed ne seminari quidem potest; sed excluditur sequens eius, qui seminauit, labor atque diligentia. Nam & triticum, quod parabolæ materiam suppeditauit, nasci, aut fructum ferre non potest, nisi cælesti rigetur pluuia: pluuia, qua verbum Dei rigari oportet, Dei gratia est. Eadem ratione existimandum est verbum Dei fide conceptum, eius, qui audiuit, conatum, & operam non excludere. Nam nisi ille conceptum verbum retinere, &, quantum in ipso est, excolere conetur, nullum in eo proferet fructum: haud certè aliter, quàm si terra, quæ semen accipit, nihil agat, non semen contegat, non foueat, non calefaciat. Videtur Christus in proponenda hac parabola non eò spectasse tantùm, vt doceret tantam vim esse verbi Dei, vt per se nasceretur, verum etiam, vt Apostolis omnem gloriandi occasionem tolleret, dum alijs verbis dicit, quod clariùs dixit postea D. Paulus, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, 1. Corinth. 3.7.

28. *Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.*) Per catachresim dixit fructificare herbam, & spicam; nam nec herba, neque spica propriè sunt fructus, sed fructus appellantur, quia ex iacto in terram semine generantur, sicut ex arboribus veri solent fructus generari. Solum plenum, vt vocat, frumentum verus est fructus, quod propterea plenum frumentum appellat, quasi perfectum, atque formatum, similèque illi, quod seminatum fuerat. Hanc etiam existimo parabolæ accessionem esse, neque esse necessariò ad verbi Dei prædicationem, & incrementum accommodandam, quasi verbum Dei priùs herbam, deinde spicam, ad extremum fructum in nobis perfectum ferat, quanquam si quis accommodare volet, non reprehendam, quin auctores, quos sequi possit, indicabo. Bedâ in huius loci commentarijs, & Gregorium magnum, lib. 22. moralium cap. 14. & homil. in Ezech. 15. *Semen germinat*, inquit Gregor. *& crescit, dum nescit ille, quia dum adhuc meturi incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et vltro terra fructificat, quia præuenientem se gratia mens hominis spontanea ad profectum boni operis assurgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba perueniet, cum se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumentum in spica fructificat, quando iam in tantum virtus proficit, vt esse robusti, & perfecti operis possit.*

29. *Et cum produxerit fructus.*) Quidam Latinico dices legunt, *cum se produxerit fructus*. Plures verò, *cum ex se produxerit fructus*, quemadmodum Hieron. Gregorius, & Beda legunt. Græcè legitur, ὅταν παραδῷ ὁ καρπός, cum produxerit, aut reddiderit fructus. Est autem fructus nominatiuus singularis, quæ res & Græcè, & Latinè sensum obscuriorem facit, & non satis, vt videtur, congruentem nisi verbum παραδῷ, præter Grammaticas leges, & Græcæ linguæ consuetudinem passiuè interpretemur, cum productus fuerit fructus, quamuis actiuum verbum sit, quem admodum & Euthym. exponere videtur. Theophylactus verò ita interpretatur, quasi verbum παραδῷ significet, cum redierit, & καρπὸς fructum pro messi sumatur, sensúsque sit, cum tempus messis redierit. Sic enim Græcè exponit, ὅταν παραδῷ τὸ ἔτος. Quæ interpretatio magis etiam mihi, quàm altera illa Euthym. probatur. Nam aliud est fructum produ&ctum esse, aliud esse ad messem maturum: productum esse iam paulò antè dixerat. Itaque credendum est nunc aliquid aliud maius dicere voluisse, quòdque messi propinquius esset; quod est frumentum esse maturum. Quare idem Euthym. non contentus expositione illa superiore aliam adhibet, meo quidem iudicio meliorem, cum fructus maturuerit. Ego ad hunc etiam modum exponi posse arbitror, cum fructus reddiderit (sub.) fructum, vt fructus accipiatur non pro eo, qui natus est, sed pro eo, qui seminatus fuerat, qui & fructus appellatur, quia alterius seminis fructus fuerat, & reddere alium dicitur fructum, quia ex se alium producit.

Statim mittit falcem.) Verbum sine suppositio, more Hebræorum, qui solent nomina verbalia in ipsis verbis virtute contenta sæpè non exprimere, sed intelligenda relinquere. Quanquam hoc loco, qui seminauit, ex superioribus repeti potest, vt ille, qui seminauit, deinde dormiuit, & exurrexit, maturam tandem segete falcem immittat, quemadmodum Gregor. hic, 22. in Iob c. 14. & homilia in Ezechielem 15. interpretatur. Messoris hoc loco nomine Deum intelligi, falcis eius verbum significari suprà ex Theophylacti diximus.

30. *Et dicebat, cui assimilabimus.*) Hæc parabola vsque ad ver. 33 apud Matth. c. 13. 31. expolita est. Idem autem ea Christus, quod præcedenti, docere voluit increbilem vim esse verbi Dei, quæ sicut granum sinapis paruo initio ad magnum perueniat incrementum.

33. *Et talibus multis parabolis loquebatur eis.*) Profitetur Marcus se non omnes parabolas, quas Christus tunc, aliásque proposuit, recitare. Et verò Matthæus plures hoc ipso loco recitat, vt illam zizaniorum cap. 24. & illam fermenti, quæ idem, atque hæ duæ, quas hîc Marcus recenset, alia similitudine significat. Matthæi 13. 31. 33. illam absconditi in agro thesauri ibidem ver. 44. illam hominis negotiatoris quærentis bonas margaritas ver. 45. illam sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis, ver. 47. Acneillud quidem scimus, an Matthæus, qui plures, quàm cæteri Euangelistæ parabolas recitauit, omnes recitarit. Nam quemadmodum Marcum, & Lucam minutas prætermisisse manifestum est, ita illum prætermisisse aliquas est verisimile. Hoc est, quod Marcus dicit, *& talibus multis parabolis loquebatur eis*, indicans alias multas, quas ipse non commemorauerit, Christum proposuisse.

Prout poterant audire.) Plerique hunc putant esse sensum, vt dicat Euangelista Christum se ad auditorum imbecillitatem accommodasse, ideòque parabolis, & similitudinibus vsum fuisse, vt homines ingenio tardi, & non satis diuinis rebus comprehendendis idonei facilius, quæ dicebantur, intelligerent. Ita non solùm maior pars recentiorum interpretum, sed ex illis magnus, atque antiquis Chrysost. hom. in Matthæum 45. & Theophylact in huius loci commentarijs. Sed non dubito graues præsertim sequutus auctores Clementem Alexandrinum 1. Strom. Ambrosium in 1. sal. 45. Hieronym. aut quisquis est. & Bedam scribentem in hunc locum, quibus & Euthymius accedere videtur, seculum esse omnino contrarium, ideo Christum hoc quidem loco parabolis vsum fuisse, non vt auditores melius intelligerent, sed vt, qui credere nolebant diserè, apertèque loquenti, loquentem per parabolas, & obscurè, etiam si maximè vellent, intelligere non possent. Nam & Christus ipse supra ver. 12. & Matthæi 13. 11. 13. hanc, cur parabolis vteretur rationem reddidit, vt videntes non viderent, & audientes non audirent, neque intelligerent. In hanc sententiam testimonium profert, Isaiæ c. 6. 9. *auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis.* In hanc sententiam supra versu 25. vt Matthæi 13. 12. prouerbium illud induxit, *Qui habet dabitur ei, & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo*, id est volenti intelligere, & credere sine parabolis perspicuè loquor, vt magis ac magis intelligat: nolentibus autem credere, & intelligere adeò obscurè, & parabolicè loquar; vt, etiam si velint, non intelligant, & hoc idem nomen ipsum parabolæ confirmant, quod in sacris quidem litteris idem est, quod Hebraicè משל, Græcè αἰνίγμα, id est obscura, & inuoluta propositio, qualis illa fuit, quam Samson Philistæis proposuit Iudicum 14. 12. Idem ergo est, *prout poterant audire*, ac si diceret, pro vt digni erant.

34. *Sine parabolis autem non loquebatur eis.*) Nihil vnquam Christum Iudæis sine parabolis loquutum fuisse, vt nescio quos olim hæreticos Tert. lib. de Resurrectione dixisse indicat, nec verisimile est, & multis exemplis refutatur. Multa enim Euangelistæ, vbi nulla parabola est, ab eo dicta commemorant; multa lector apud Matth. c. 5. 6. & 7. exempla reperiet. Prouidentius quia non notaretur, cum parabolam loqueretur, si ita semper loquebatur. Existimat hanc esse vim in illa conjunctione, &, vt significet Christum, cum multa prius sine parabolis loquutus fuisset, & in parabolis coepisse loqui. Itaque manifestum est hanc generalem per se sententiam aliqua esse restringendam interpretatione. Tertullianus illo loco, quem antè designauimus, ita restringit, vt de Iudæis tantùm intelligatur, quasi Iudæis semper per parabolas, alijs verò aliquando sine parabolis loquutus fuerit. Beda, & Bedam sequutus, Strabus ad hunc modũ scribunt, non hoc ita dictum est, inquiunt, quasi nullum apertas loquutus eis fuerit, verùm ita potius, quia nullus facilè sermo eius inuenitur, in quo non aliquid parabolarum sit intermixtum. Alij, vt mihi videtur, meliùs aliàs quidem multa, tunc autem nihil sine parabolis loquutum fuisse.

Seorsum autem.) Seorsum, ne alij, qui digni non erant, intelligerent, & non habentibus, etiam quod habebant, tolleretur, supra ver. 25.

Disserebat omnia.) Etiam hæc generalis sententia restringenda est; non enim omnia omnino disserebat, sed quæ non intelligebant, aut quæ interrogabant, vt Theoph. annotauit, & ex Matthæo cap. 13. 36. colligitur.

35. *Et aut illis in illa die.*) Qua die his iam concionatus fuerat, primùm in domo Petri, deinde ad mare. Vide versum primum.

Transeamus contrà.) Traiiciamus stagnum Genesareth, quod mare, vt sæpè diximus, propter magnitudinem vocabatur, & eamus in regionem Gerasenorum, quæ ex aduerso est vltrà stagnum, διελθωμεν εἰς τὸ πέραν, transeamus in vlteriorem ripam, aut regionem. Quam regionem ex Matthæo c. 8. 28. & ex Luca c. 8. 26. Gerasenorum fuisse constat.

36. *Et dimittentes turbam.*) ἀφέντες τὸν ὄχλον, & relinquentes turbam scilicet ad ripam, vbi erat, vt concionantem de naui Christum audiret, supra vers. 1. Voluit Euangelista significare turbam, quæ in littore erat, non fuisse sequutam Christum, quia naues non habebant; & voluisse Christum ea occasione se ab illis subducere, vt etiam Genesarenis prædicaret, ac miracula faceret. Volebat etiam solos discipulos eius miraculi, quod paulò pòst sedanda tempestate maris factus erat, adesse testes, vt Theophylact. existimat. Quanquam hoc postremum probabile non est, quia, vt paulò pòst dicturi sumus, alij etiam nonnulli, qui in alijs erant nauibus, Christúmque sequebantur, videre miraculum, admirantésque dixere, *quis putas est iste, quia ventus, & mare obediunt ei?* vers. 40.

Assumunt eum ita, vt erat in naui.) Verbum sine suppositio Hebræorum more; intelliguntur autem nautæ, aut discipuli, qui assumpsisse dicuntur eum, non quòd manibus acceperint, vt illum in nauim imponerent; iam enim in naui erat; sed quòd eum transuehendum naui susceperint, sicut nautæ vectores, & hospites peregrinos accipere dicuntur. Quod autem dicit, *Ita vt erat in naui*, ridiculè quidam hæreticorum interpres exponit, ita inquit, vt iacebat, capite in cervical inclinato, vt dicitur, ver. 38. At tunc cum è potu soluit, non iacebat, sed sedebat, quemadmodum concionatus fuerat, vt dixit Euangelista ver. 1. Itaque meliùs Euthy. *Ita vt erat in naui* interpretatur, ita vt sedebat. Veruntamen ne hoc quidem ipsum mihi probatur. Neque enim voluit Euangelista habitum corporis, quo Christus in naui erat, significare, qui nihil ad rem prorsus pertinebat; sed illud significare voluit, non fuisse necessarium, vt illum nautæ, aut discipuli in nauim inducerent ad traiiciendum, quia iam in naui erat, vt ver. 1. dictum fuerat.

Et aliæ naues erant cum illo.) Sequebantur illum nauiculæ aliæ, quæ cum ea, in qua ipse sedebat, ad littus erant, siue piscatoriæ, siue aliæ. Quod ideo videtur Euangelista dixisse, vt indicaret non solos discipulos sed alios etiam multos eius miraculi, quod in mari fecit, fuisse testes, quò plus fidei adhiberetur historiæ, contra quàm Thophylactum existimare diximus. Neque enim illi, qui versu 40. & apud Matthæum c. 8. 27. dixerunt, *quis putas est iste, quia ventus, & mare obediunt ei?* discipuli esse potuerunt. Non enim discipuli aut, quis Christus esset, aut quanta in faciendis miraculis potestate polleret, dubitassent. Aliam Euthym. rationem affert, vt appareret non casu, naturalive causa, sed Christi prouidentia tempestatem illam fuisse ortam, vt Christus edendi miraculi materiam haberet, cum omnes viderent non alias naues, in quibus alij nauigabant, sed eam solam, in qua Christus erat, tempestate iactari, quemadmodum Beda & Strabus factum fuisse putant. Sed hanc opinionem apud Matthæum c. 8. 27. refutauimus, vbi & cætera, quæ vsque ad finem huius capitis sequuntur, explanauimus.

CAPVT V.

1. Matth. 8. d. 28. Luc. 8. d. 26. ET venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. 2. Et exeunti ei de naui, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, 3. qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: 4. quoniam sæpè compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare. 5. & semper die ac nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus. 6. Videns autem Iesum à longe cucurrit, & adorauit eum: 7. & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Iesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas. 8. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. 9. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. 10. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. 11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. 12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos vt in eos introeamus. 13. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari. 14. Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem, & in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum: 15. & veniunt ad Iesum: & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt. 16. Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis. 17. Et rogare cœperunt eum vt discederet de finibus eorum. 18. Cumque ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo. 19. & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. 20. Et abijt, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus: & omnes mirabantur. 21. Et cum transcendisset Iesus in naui rursum trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. 22. Et venit quidam de archisynagogis nomine Iairus: & videns eum, procidit ad pedes eius, 23. & deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, Veni, impone manum super eam, vt salua sit, & viuat. 24. Et abijt cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. 25. Et mulier, quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, 26. & fuerat multa perpessa à compluribus medicis: & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat: 27. cum audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius. 28. dicebat enim: Quia si vel vestimentum eius tetigero, sanabor. 29. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore quia sanata esset a plaga. 30. Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? 31. Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? 32. Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. 33. Mulier vero timens & tremens, & sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. 34. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua. 35. Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est: quid vltra vexas Magistrum? 36. Iesus autē audito verbo, quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere: tantummodo crede. 37. Et non admisit quemquā se sequi nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. 38. Et veniunt in domum archisynagogi, & videt tumultum, & flentes, & eiulantes multum. 39. Et ingressus, ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. 40. Et irridebant eum. Ipse vero eiectis omnibus assumit patrem, & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingreditur vbi puella erat iacens. 41. Et tenens manū puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella (dico tibi) surge. 42. & confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obstupuerunt stupore magno. 43 Et præcepit illis vehementer vt nemo id sciret: & dixit dari illi manducare.

Luc. 8. f. 42.

Luc. 7. g. 50.

IN CAPVT V.

1. ET venerunt trans fretum maris.) G. εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης, in vlteriorem (ripam) maris.

In regionem Gerasenorum.) εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν in regionem Gadarenorum. Matth. c. 8. 28. εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν, in regionem Gergesenorum. Quæ quatione inter se non discrepent, apud Matthæum diximus, apud quem c. 8. ac 9. totum hoc caput explicatum est: verba tamen quædam, quæ propria sunt Marci, obiter adnotamus.

18. *Cumque ascenderet in nauim.*) Cum vellet ascendere, antequàm ascendisset, vt in Galilæam remearet. Timebat enim, ne beneficij, quod acceperat, auctore primaretur. Faciebat id grato animo, vt Euthym. existimat, quasi Christum, velut obsequiosus minister, sequi vellet: aut, vt idem Euthym. & Theophyla. etiam docent, timebat homo sæuitiam dæmonum expertus, ne, qui præsente Christo ex se exierant dæmones, absente reuerterentur. Vtrumque probabile. Simul etiam, quod Gregorius lib. 6. moral. c. 17. & lib. 16. c. 12. & Beda hoc loco indicat, quamquam morale potius, quàm litterale est, quia gustauerat, quàm suauis Dominus esset, videbatúrque apud se dicere, *mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal. 72. 28. Illud, quod sciam, nemo notauit, voluisse hominem illum non quoquo modo, sed antequam ex numero discipulorum vnum sequi Christum. Si enim non tanquam discipulus, sed quemadmodum turba Christum sequebatur, eum sequi voluisset, eius iniussu facere potuisset, sicut multi alij faciebant; discipulus autem illius esse, nisi eo approbante, admittentè que non poterat.

Et non admisit eum.) Magis mirum, cur Christus sequi se volentem non admiserit, quàm cur ille sequi Christum voluerit. Huius rei vnam hoc loco Christus ipse rationem indicat, quòd magis conuenire ad Dei gloriam videretur, vt homo ille, qui tantum acceperat beneficium, in patriam suam reuerteretur, suisque ciuibus tanquam oculatus testis virtutum Christi eius Euangelium prædicaret, factóque in se confirmaret miraculo. Aliam reddit Ambrosius lib. in Lucam 8. vt iactantiam Christus effugeret, cui tribui ab aliquo malignè potuisset, si hominem à se curatum, quasi testem facti à se miraculi, circumtulisset. Gregorius etiam aliam lib. 6. moralium, c. 17. & lib. 16. cap. 14. vt magis ea ratione eius augeretur meritum. *Amasius, inquit, adhuc dilatio imponitur, vt ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeatur.* Theophyl. & Euthym. vt ostenderet Christus se, quem præsens à dæmonibus liberauerat, etiam absentem tutari posse.

Et annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit. Alijs fortè Christus præcipere, ne miracula, quæ in se fecisset, euulgarent, Matthæi 8. 4 & 9. 30. & in hoc ipso capite ver. 43. Scimus, & illis locis, quos modo notauimus, copiosè docuimus causam, cur Christus alijs prohibuerit, ne quid dicerent, fuisse, quia nolebat inuidiam sibi Phariſæorum concitari: ex contrario ergo effectu contraria causa colligenda est, non fuisse in Decapoli, vbi ille, qui à dæmonibus liberatus erat, beneficium prædicare iubebatur, eiusmodi periculum, ideóque non prohiberi, imò incitari, vt publicè diceret, quæ sibi fecisset Christus. Alia verò ex parte, cum Decapolitæ Tyrijs, Sidonijsque vicini semigentiles essent, præparandi, alliciendique ad fidem erant prædicatione miraculi.

Quanta tibi Dominus fecerit.) Quasi dicat, ne sis ingratus, sed prædica acceptum à Deo beneficium. Animaduertunt Theophylact. & Euthym. non dixisse Christum, quanta tibi ego fecerim, sed *quanta tibi Dominus fecerit*, quæ ipse fecisset, singulari exemplo modestiæ in Patrem referentem. Et si fortasse de se ipso per tertiam, vt sæpe solet, personam loquutus est, ideque Dominum appellauit, vt infra cap. 11. 3. & Matthæi 21. 3. & Lucæ 19. 31. *Dicite, quia Dominus*, id est ego, *his opus habet.* Et verò si loquendi consuetudinem consideremus Christi, Patrem potiùs Deum, quàm Dominum; se potiùs Dominum, quàm Deum vocare solet.

20. *Et abijt, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur.*) Multa paucis verbis indicat Marcus. Primùm eius qui curatus fuerat, obedientiam, cum dicit, *Abijt, & cœpit prædicare*, quasi dicat fecisse, quod Christus illi mandauerat. Deinde Decapolitam fuisse illum, de qua regione diximus apud Matthæum c. 4. 25. Tertio loco gratum eius erga Christum animum meritam illi laudem tribuentis. Cum enim Christus illi dixisset, *Annuntia quanta tibi Dominus fecerit*, ille non dicit, quanta sibi Dominus, sed quanta sibi fecisset Iesus, accepti à se beneficij non solum agnoscens, sed etiam nominans, atque laudans auctorem, vt Theophylact. & Euthym. obseruauerūt. Quanquam hæc verba fortasse non illius, qui curatus fuerat, sed Euangelistæ sunt, quid alter dixisset, quódque fecisset, non eisdem verbis commemorantis. Fructum etiam Euangelista prædicationis eius hominis ostendit, cum concludit, *Et omnes mirabantur*, ista enim admiratio fidei fructus, aut initium erat: & videtur non admiratio sola, qualis nos rerum etiam, quas non probamus, tenere solet, sed admirationi cōiuncta laudatio significari, quemadmodum quos immodicis efferimus laudibus, admirari dicimur.

21. *Et cum transcendisset Iesus in naui rursum.*) Rursùm dicit, non quòd ante iterum transcendisset, sed quòd inde venisset, quasi dicat, cum redisset vnde venerat, id est in Galilæam, & in vrbem Capernaum. Hoc est, quod dicit trans fretum εἰς τὸ πέραν. Tam enim sæpe diximus inter Galilæam, & Gadarenorum, aut Gerasenorum regionem stagnum illud, quod Genezareth vocabatur interiectum fuisse. Cætera, quæ vsque ad finem capitis scribit Marcus, Matt. c. 9. exposuimus.

CAPVT VI.

1. ET egressus inde, abijt in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui: 2. & facto sabbatho cœpit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi: & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur. 3. Nonne hic est faber filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? nonne & sorores eius hic nobiscum sunt: Et scandalizabantur in illo. 4. Et dicebat illis

Matt. 13. g. 54. Luc. 4. c. 16. Ioann. 4. f. 44. Ioann. 6. c. 42. Matt. 21. g. 57.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.4.d. 24. Ioan. 4. f.44.

Iesus: Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. 5. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: 6. & mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat castella in circuitu docens. 7. Et vocauit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum. 8. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs, 9. sed calceatos sandalis, & ne induerentur duabus tunicis. 10. Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum: illic manete donec exeatis inde. 11. quicunque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis. 12. Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent: 13. & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant. 14. Et audiuit rex Herodes, (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat: Quia Ioannes Baptista resurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo. 15. Alij autem dicebant: Quia Elias est. Alij vero dicebant: Quia propheta est, quasi vnus ex prophetis. 16. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis resurrexit. 17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. 18. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. 19. Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. 20. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. 21. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. 22. cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi: 23. & iurauit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. 24. Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptistæ. 25. Cumq; introisset statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens: Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. 26. Et contristatus est rex: propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare: 27. sed misso speculatore præcepit afferri caput eius in disco. Et decollauit eum in carcere, 28. & attulit caput eius in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. 29. Quo audito, discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius: & posuerunt illud in monumento. 30. Et conuenientes Apostoli ad Iesum, renunciauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant. 31. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant. 32. Et ascendentes in nauim, abierunt in desertum locum seorsum. 33. Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi: & pedestres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos. 34. Et exiens vidit turbam multam Iesus: & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa. 35. Et cum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius, dicentes: Desertus est locus hic, & iam hora præterijt: 36. dimitte illos, vt euntes in proximas villas, & vicos, emant sibi cibos, quos manducent. 37. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus denarijs panes, & dabimus illis manducare. 38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cum cognouissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. 39. Et præcepit illis vt accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. 40. Et discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos. 41. Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos: & duos pisces diuisit omnibus. 42. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. 43. Et sustulerũt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. 44. Erant autem qui manducauerunt quinque millia virorum. 45. Et statim coëgit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. 46. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. 47. Et cum sero esset, erat nauis in

Sup. 1.b. 14. Luc. 9.a. 1

Matt. 10. b. 14. Luc. 9.a. 5. Act. 13. g. 51. & 18. a.b. Luc 1.d. 14.

Luc. 9.a. 7.

Mat. 14. d. 11. Luc. 9. b. 10.

Matt. 9. d. 36. & 14.c.14.

Luc. 9.b. 12. Ioann. 6. a. 9.

medio mari, & ipse solus in terra. 48. Et videns eos laborantes in remigando, (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: & volebat præterire eos. 49. At illi vt viderunt eum ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt. 50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. 51. Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. Et plus magis intra se stupebant: 52. non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. 53. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt. 54. Cumq; egressi essent de naui, continuo cognouerunt eum: 55. & percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, vbi audiebant eum esse. 56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

Mat. 14. c. 25.

Mat. 14. d. 34.

IN CAPVT VI.

A

Et egressus inde.) Ex domo Archisynagogi, vbi eius filiam suscitauerat. c.5.41. aut ex Capernaum, vbi Archisynagogi domum fuisse credibile est, & ex Matthæo c.9.23. colligitur.

Abijt in patriam suam.) In Nazareth vbi vbi educatus fuerat. Diximus Matthæi 9. ex scriptura, & bonorum auctorum obseruatione triplicem Christo fuisse patriam, Bethlehem natiuitatis, Nazareth educationis, Capernaum commorationis, & prædicationis: Hoc loco neque Bethlehem, quæ nusquã, vt opinor, in scripturis eius vocatur patria, neque Capernaum, quia ibi erat, cum dicitur in patriam abijsse, sed solam Nazareth intelligere debemus, vbi eius fratres, & sorores erant, vt dicitur infra ver. 3. & Matthæi c.13.55. Ita Iuuencus, & Beda intelligunt melius, vt mihi videtur, quàm Origenes in caput 13. Matthæi, & Hilarius can. in Matth. 14. qui totam Iudæam Christi patriam hoc loco vocari putant.

Et sequebantur eum discipuli sui.) Hoc propterea videtur Euangelista dicere, vt rationem reddat, quomodo potuerit Christus Apostolos inde ad prædicãdum Euangelium in Iudæam mittere, quia nimirum sequuti eum fuerant in patriam euntem.

Et facto sabbato.) Cum dies sabbati venisset, quo solebant Iudæi in synagogam congregari, vide supra c.4.23. Quæritur à quibusdam, quamobrem voluerit Christus in patriam suam ire, & in synagogis ibi docere, cum sciret, neque doctrinam suam, neque miracula ibi recipienda, vt infra dicit Euangelista ver.3. 4. Respondent Theophyl. & Euthy. ne vllam gentilibus, ac popularibus suis excusationis relinqueret occasionem dicturis fortasse, si ad eos Christus non venisset, futurum fuisse, vt si venisset, crederent.

Admirabantur in doctrina eius.) Id est, admirabantur eius doctrinam; Hebræorum phrasis, qui pro accusatiuo ablatiuo cum præpositione *a m*, vti solent, vt Psalm.36.1. *Noli emulari in malignantibus*, id est maligna. Quæ sequuntur vsque ad vers.5. apud Matthæum c.13.54.55.56. exposita sunt.

Et non poterat ibi virtutem vllam facere.) Miracula virtutes appellari, quòd ijs faciendis maximè Dei virtus, & potestas ostendatur nemo nescit, & Matthæi 7.22. docuimus. Quòd autem dicit Euangelista non potuisse Christum in patria sua miraculum vllum facere id videntur horrere aures, quasi non potuerit Christus omnia, quæ vellet, & vbi vellet, facere. Hic locus ex Gregorio Nazianzeno oratione 4. de Theologia optimè intelligitur. Inter alios modos, quibus dicitur non posse, aut impossibile esse in sacris litteris

B

C

D

dici solere, vnus est, cum id facere non posse dicimur, quod facere nolumus, quemadmodum Gentes, 34.4. fratres Ioseph dicuntur non potuisse fratri suo vllum verbum pacificè loqui, quia oderant illum, id est noluisse, & vt Christus ait Ioannis 7.7. *non potest mundus odisse vos*, id est non vult, cum vos mundani sitis. Hoc modo Christus dicitur non potuisse in patria sua miracula facere, id est noluisse propter eorum hominum incredulitatem, quam vt exaggeraret Euangelista, maluit dicere non potuisse, quàm noluisse, vt indicaret Christum impeditum quodammodo fuisse incredulitate hominum, quo minus posset facere miracula, nec per illum, sed per auditores stetisse, quo minus ea faceret. Nam cùm duo ad miracula facienda, non quidem necessariò, sed tamen conuenienter requirantur, potentia in faciente, fides in patiente, cum alterutrum eorum deest, dicuntur miracula fieri non posse, vt ex eodem Gregorio Theophylactus & Euthymius adnotauerunt. Dicitur etiam, vt idem Gregorius docet fieri non posse, quod fieri non expedit, vt Matthæi 9. 15. *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* id est non conuenit, non decet, vt lugeant, vt ieiunent. Hoc etiam modo hic locus potest intelligi, vt dicatur Christus non posse facere miracula, quia non expediebat, non erat iustum, vt faceret, quemadmodum si æquus iudex homini aliquid à se in iustum postulanti respondeat, non possum tibi concedere. Hoc enim modo ipse Christus alio loco significat nõ posse se filijs Zebedæi concedere, vt alter ad dexteram, alter ad sinistram suam sederet, quia iustum non erat, quo tempore id postulabant. *sedere*, inquit *ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* infra c.10.40. & Matthæi 20.23. Sic hoc loco dicitur miracula facere non potuisse, quia æquum non erat, vt ingratis, & indignis hominibus ea faceret, vt Theophyl. interpretatur. Voluit enim Christus eam tenere regulam, quam discipulis suis, Matthæi 7.6. ipse tradiderat, *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dissumpant vos.* Notauit Origenes in caput Matthæi 13. Matthæum & Marcum ita dixisse, non posse Christum in patria sua facere miracula, vt simul tamen docuerint fecisse aliqua, dum ille ait, *Et non fecit ibi virtutes multas*, indicans paucas quidem fecisse, sed tamen aliquas; hic autem, *nisi paucos infirmos impositis manibus curauit*: nimirum, vt intelligeremus, qui aliqua ibi fecit miracula, plura facere potuisse, si eius regionis homines meruissent. Existimant Beda, & Theophylact. ideo Christum apud incredulos plura miracula facere noluisse, vt illis placeret, ne si plura

fecisset,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecisset, non credentes inexcusabiles omnino essent, quòd tam multis, tamque magnis vsis miraculis credere noluissent. Multo mihi videtur probabilius iustitia id potiùs, quàm misericordia fecisse Christum, vt miraculis indignos miraculorum punire priuatione: sicut non credentibus apertè, & sine vlla parabola loquenti loco pœnæ in parabolis loquebatur, vt videntes non viderent, & audientes non audirent, neque intelligerent, Matthæi 13. Hanc rationem reddit Iuuencus.

Libr. 3. hist. Euā.

Talibus indignans pressit sua munera Christus.

Nisi paucos infirmos impositis manibus curauit.) Nisi posuit noster interpres, pro tantùm, sicut etiam Græcè est εἰ μὴ pro μόνον. Correctio hæc est superioris sententiæ, ne quis existimaret impotentem fuisse Christum, ac ne volentem quidem miracula facere potuisse, vt paulò ante ex Origene monuimus. Videtur Euāgelista singulis verbis miracula ibi facta extenuare voluisse, & cum ægrotos, qui curati sunt, paucos; & cum non solo verbo, sed impositis manibus, quasi vi curatos fuisse dicit. Neque enim dubium est, quin magis virtutem suam Christus ostenderet, cum solo verbo, quàm, cum manuum impositione sanabat, vt ex illo vno Centurionis exemplo perspicitur, Matth. 8. 8.

Et mirabatur propter incredulitatem eorum.) Suspicor hæc verba, *Propter incredulitatem eorum*, non esse coniungenda cum proximo verbo, *mirabatur*, sed cum præcedentibus, *& non poterat ibi virtutem vllam facere*, vt verbum *mirabatur* parenthesi legatur, sensúsque sit, & non poterat ibi virtutem vllam facere propter incredulitatem eorum, ideóque mirabatur. Sic enim apud Matthæum c. 13. 58. verba iunguntur, *& non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Et si Euangelista dicere voluisset Christum eorum incredulitatem miratum fuisse non dixisset, θαυμάζειν διὰτὴν ἀπιστίαν, sed θαυμάζειν τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν. Quo autem modo Christus Deus cum esset, mirari potuerit. Matthæi 8. 10. docuimus. Videtur Lucas c. 4. 22. quiddam dicere huic loco contrarium, *& omnes*, inquit, *testimonium illi dabant & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*, quod videtur, nisi à credentibus, fieri non potuisse. Cæterùm admiratio illa, & testimonium non erat fidei, sed scientiæ, neque enim testimonium illi dabant, quod promissus esset Christus, sed quòd bene, doctéque, & eloquenter in synagoga doceret; quod eò magis admirabantur, quod putarent eum filium esse fabri, & scirent litteras non didicisse, sicut Iudæi eadem de causa mirati dicuntur. Ioannis 7. 15. *Et mirabantur Iudæi dicentes, Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Hoc ipsum colligitur ex Luca; nam cum dixisset Nazarenos Christi doctrinam miratos fuisse, addit etiam dixisse eos, *nonne hic est filius Ioseph?* quasi propterea mirarentur, quòd quem filium Ioseph esse arbitrabantur, tam doctè, tamque disertè loqui viderent, cùm scirent nunquam litteris studuisse. Alia quædam à Marco, & Matthæo prætermissa scribit Lucas vers. 23. 24. vt q. Christus dixerit, *Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice cura teipsum, quanta audiuimus facta in Capharnaum fac & hic in patria tua. Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua:* & Eliam non fuisse missum in patriam suam, sed in Sarepta ad mulierem viduam. Et multos fuisse leprosos in Israel sub Elisæo Propheta, neminémque eorū, nisi Naamam Syrium mundatum fuisse: omnes in synagoga ira impletos fuisse, surrexisséque, & extra ciuitatem illum eiecisse, atque in montem duxisse, vt inde præcipitarent, quæ, cum ad eum peruenimus locum, si Deus iuuerit, explicabimus.

Et circuibat castella in circuitu docens.) Relicta ciuitate patria ingrata sua concionabundus omnes circum pagos obijt non loci, sed vtilitatis hominum rationem habens. Vtile vt Theophylact. admonuit, eos cognitionatoribus documentum, vt non tam frequentium ciuitatum, quam indigentium verbi Dei prædicationi, illúdque auidè recipientium salutem quærant, quales plerúmque rustici, & simplices homines sunt. Fecit Christus, quod ipse discipulis suis faciendum præceperat, Matth. 10. 14. *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate excutite pulverem de pedibus vestris*, & vers. 23. *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.*

7. Et vocauit duodecim.) Quos iam Apostolos designauerat cap. 3. 13. illic vocauit, vt Apostolos faceret; hîc, vt ad prædicandum mitteret. Vocauit autem eos ad se, vt eos instrueret in viam, illisque potestatem daret eiiciendi dæmones, aliáque miracula faciendi. Nec enim ante hanc illis dederat potestatem, vt c. 3. 15. docuimus. Ad hoc vsque tempus Christus solus prædicauerat, & quasi Euangelij campum proscinderat, immatura tam messe messores mittit; vt ait illis Ioannes 4. 38. *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis, alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis*, Cæterā, quæ sequuntur vsque ad versum 12. apud Matthæum cap. 10. explicauimus.

12. Et exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent.) Verbum sine supposito ex Hebræorum idiomate, vt sæpe monuimus; intelliguntur autem illi, quibus Apostoli prædicabant, illis enim dicebant, vt agerent pœnitentiam. Docet his verbis Euangelista fecisse Apostolos, quòd à Christo facere iussi fuerant, simul etiam, quæ prædicationis materia fuerit, exponit. Hæc enim vbique siue Ioannes primùm, siue Christus post, siue postremo Apostoli prædicant. Prima vox est Euangelij, vt homines pœnitentiam agant, regnum enim cælorum appropinquare, Matthæi 3. 2. & 4. 17. & supra cap. 1. 4. Neque materiam, formámque prædicandi à Christo præscriptam Apostoli mutauerunt, quòd Christus apud Matthæum c. 10. 7. eos mittens dicat, *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum*, & Lucæ 9. 2. *Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.* Vtrumq; enim prædicātes dicebāt, *& pœnitentiam agite, & appropinquauit regnum Dei*, sicut dicebat Ioannes, Matthæi 3. 2. Sed vnus Euangelista partem vnam, alij aliam recitauerunt. Voluit Christus, & ipse vti, & vt Apostoli ac discipuli sui eodem essent ordinio, formáque eadem Euangelij prædicandi qua Ioannes vsus fuerat, vterentur, vt confirmaret se esse eum, cuius præcursor ille fuisset. Nam & apud Lucam cap. 10. 9. cum Septuaginta duos ad prædicandum discipulos mittit, eandem illis prædicationis præscribit formam, *dicite*, inquit, *appropinquauit in vos regnum Dei.*

13. Et vngebant oleo multos ægros, & sanabant.) Multi Latini codices corruptè legunt, *sanabantur*, nonnulli corruptiùs, *sanabat*, vt oleum sanasse ægrotos intelligatur, quod etsi verum est, hoc tamen loco non dicitur. Græcè est ἐθεράπευον, *sanabant*, vt ad Apostolos referatur, quanquam fieri potest, vt noster interpres legerit ἐθεραπεύοντο, *sanabantur*. Quòd autem Apostoli dicuntur vnxisse, & sanasse multos, non sic intelligendum est, quasi aliquos vnxerint, & sanare tentauerint, quos non sanauerint; sed tantùm significatur eos, quos vnxerunt, atque sanarunt, fuisse multos, vt supra c. 1. 34. & c. 3. 10. similem loquendi modum exposuimus. Vellem hoc loco soli mihi essent hæretici refellendi, liberiùs in solos incurrerem. Nunc autē nonnullos ex nostris auctoribus in hæreticorum castris recognoscens timeo, ne dum in hæreticos tela conijcio, aliquem forte Catholicum feriam. Mitto illos paulò verecundiores, quos prohibet reuerentia nominare, quóque ætas nondum nouas experta hæreses execrat.

Quid

Quid attinebat vigente iam Lutheranorum, & Caluinianorum hæresi Catholicos, doctósque viros diceresciptísque mandare oleum istud ab Apostolis nō tanquam sacramentum ad sanandos animos, sed tanquam medicamentum ad curanda corpora adhibitum fuisse; neque hic de sacramento, quod nunc Catholica vtitur Ecclesia extremæ vnctionis agit? Quod idem Lutherani, & Caluiniani docent. At non negamus (inquiunt) nos esse sacramentum. Vbi ergo sacramentum est, si hic non est? aut cur hic non sit, si alibi est? Enimuerò qui hic de sacramento extremæ vnctionis agi negat, ad tollendum hoc omnino sacramentum, aut malignè, si hæreticus; aut imprudenter, si Catholicus est, gradum facit. Quid enim aliud est sacramentum concedentibus etiam hæreticis, nisi exterra ceremonia à Christo instituta, tanquam ordinarium remedium salutis animæ? Hæc nimirum externa erat ceremonia, quæ extrinsecus adhibebatur. Nam sicut visibilis aqua ijs, qui baptizantur, ita visibile oleū ægotis infundebatur. Negant aliqui fuisse ceremoniam, quamuis res fuerit visibilis, & externa, quòd solum medicamentum esse putent, medicamentum autem, quamuis visibile sit, ceremonia non sit. Hoc primo loco refutandum. Quæro igitur, si medicamentum tantùm erat, cur ad omne morborum genus adhibebatur? nec enim eadem omnibus curandis morbis medicina opportuna est, sed plerunque, quæ vni prodest, alteri nocet, & vt ipsi inter se morbi contrarij sunt, ita oportet remedia morborum esse contraria. Deinde quorsum Apostoli medicamentis vsi fuissent? nec enim medicinam, sed Euangelium profitebantur; missíque à Christo erant potestate donati miracula faciendi, quibus, quam prædicabant, doctrinam confirmarent. An miracula ita facere conueniebat, vt quàm maxima, & quàm illustrissima, an ita vt ne miracula quidem esse viderentur? Si oleo ad curandos ægrotos vtebantur, videri profectò poterant, aut nullo miraculo, sed medicinæ arte, aut multo certè minore miraculo curare. Non ergo ad sananda solùm corpora, sed ad curandos sacramento potissimùm animos ægrotos vngebant. Aiunt fuisse quidem medicamentum, non naturale tamen, sed diuinum, quod impressa quadam à Christo virtute morbos curaret, ideóque miraculi speciem non minuisse; adhibitum enim fuisse, tanquam signum sanitatis corporis, vt significaretur, quemadmodum solent à medicis corpora oleo recreari, ita ab Apostolis à morbis curata fuisse virtute, gratiáque diuina, quæ solet in sacris sæpe litteris olei nomine declarari. Quid eiusmodi opus erat signo, cum sequuta statim sanitas fidem faceret? quam poterat quidem oleum non augere, sed abrogare, existimentibus hominibus, qui oleo adhibito ægrotos sanari viderent, non virtute vlla diuina, sed naturali olei proprietate curari? Nō solemus ad significanda, quæ oculis cernimus, vti signis. Non vtebantur oleo, inquiunt, Apostoli, vt sanitatem miraculo conferri significarent, sed vt declararent non sua, sed Christi virtute sanare morbos. Isthuc etiam dicitur absurdè; nam neque oleum id potest significare aliena virtute curationem fieri, & potest significare contrarium, neque propria, neque aliena, sed naturali ipsius olei virtute fieri. Deinde si ea de causa oleo Apostoli vsi fuissent, non solùm in curandis morbis, sed in omnibus prorsus perficiendis miraculis vsi fuissent. Nec enim minùs conueniebat, vt alia miracula, quàm morborum curationes ostenderent se non sua, sed Christi virtute facere. Et si vtrumque ostendere conueniebat, melius id poterant verbis ostendere, declarare, quàm oleo, quemadmodum fecisse legimus Petrum Actor. 3. 6. *Argentum, & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula*, & Paulum Actorum 16. 18. *Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea.* Præterea si hanc ob causam Apostoli oleum adhibebant, cur alij Christiani, atque discipuli, qui Christi etiam virtute morbos curabant, non adhibebant? Neque enim soli Apostoli, vt & scriptura 1. ad Cor. 12. 9. & experientia docet, curationis donum habuerunt, atque solos Apostolos oleo vsos fuisse legimus. Cur ergo, rogabit aliquis, nullum Christum ægrotum adhibito oleo curasse legimus, Apostolos legimus, nisi quia ideo Apostoli oleo vtebantur, vt significarent se non sua, sed Christi potestate curare morbos? Ista quidem ratione, ne baptismus quidem sacramentum erit, sed alienæ symbolum potestatis. Nam neque Christum quemquam aqua legimus baptizasse; quin legimus non eum, sed Apostolos baptizasse, Ioannis 4. 2. Non ergo medicamentum erat, sed ceremonia. Videamus nunc an à Christo instituta fuerit. Primum quis credat Apostolos non iussos à Christo ceremoniam vllam in faciendis præsertim miraculis vsurpasse, vbi poterat eorum temeritatem non sequutus effectus arguere? Deinde quis non videt voluisse hoc loco docere Marcum fecisse Apostolos in illa sua legatione quod à Christo iussi fuerāt? Inter alia autem quæ eos fecisse scribit, ait ægrotos vnxisse oleo, id ergo vt facerent à Christo illis præscriptum fuerat. Denique si Christi institutio nō fuisset, nunquam Iacobus c. 5. tam asseueranter præcepisset, vt id à presbyteris Apostolorum in hoc officium succedentibus obseruaretur, *infirmatur* (inquit) *versu 14. quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini.* Non negant hoc hæretici, neque Catholicorum quod sciam, quisquam; sed negant ideo hanc vnctionem institutam fuisse, vt esset sacramentum, nam & manus ægrotis iussit imponi, Marci 16. 18. & ipse imponere solebat, vt supra ver. 5. & c. 5. 23. 41. & infra cap. 8. 23. 25. & Matthæi 9. 18. 25. Hoc ad tertiam partem diffinitionis pertinet, an ita instituta fuerit à Christo vt esset ordinaria animæ medicina. Minimè, inquit Caluinus, sed vt quamdiu in Ecclesia duraret curationis donum, eius symbolum & comes esset. Cur ergo, vt ante diximus, non omnes qui donum habebant curationis, ea vtebantur ceremonia? Cur Apostoli ipsi non in omnibus curandis ægrotis vsi sunt? Nam claudum quidem illum quē Petrus ad portam templi sanauit, oleo nō vnxit. Actorum 3. 6 Cur mortuos quos suscitabant, non vngebant? Nam nec Petrus puellam illam, quam Actorum 9. 40. nec Paulus illum adolescentem quem exanimatum suscitauit, Actorū 20. 10. vnxisse dicitur. Cur denique Iacobus ea ceremonia non omnes, sed Ecclesiæ presbyteros, vti iubet. si à Christo non ideo instituta erat, vt verum sacramentum, & ordinarium animæ remedium esset? Imposuerat Christus ægrotis manus, oleo eos non vnxerat; iubet Iacobus presbyteros ægrotos vngere, manus imponere non iubet. Cur quæso, nisi quia manuum impositio sacramētum non erat, sed externa, quædā ceremonia ad tēpus vsurpata; vnctio verò sacramentum erat, quod à solis oportebat presbyteris administrari? Nam quod hæretici solent dicere presbyteros apud Iacobum non sacerdotes, sed seniores populi vocari, & futile per se est, & multis à nobis locis refutatum, & ex illo ipso Iacobi loco, vt longiùs nō abeamus, refelli potest. Cur enim cum de vnctione loquitur à solis presbyteris fieri iubet; cum verò de oratione, omnes omnino alios pro alijs orare præcipit, vers. 16. nisi quia presbyteros sacerdotes intelligebat, à quibus solis poterat vnctionis sacramentum administrari? Habet & spiritualem promissionem, id est animæ curationem annexam, quod

maximè

Universidad de Deusto
Biblioteca

maximè solent in sacramentis hæretici requirere. *Eisi in peccatis fuerit* (inquit Iacobus) ver. 15. *remittentur ei.* Itaque rectè Chrysost. lib. 3. de sacerdotio ex eo loco probat habere sacerdotes potestatem per sacramenta peccata remittendi. Nec verò vllum fuit vnquam ab Apostolis seculum, quo non pro vero sacramento habitum fuerit, vt ex eodem Chrysostomi loco, & ex Innocentio 1. epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, c. 8. & ex Beda hoc loco, & in commentarijs, c. 5. Iacobi. tum etiam ex multis veterum Conciliorum decretis perspicuum est. At tunc, inquiunt nonnulli, nondum Apostoli sacerdotes erant, & non poterat sacramentum ab alijs dari, quàm sacerdotibus, & illi ipsi non baptizatos tantùm, nec solùm moribùdos ægrotos, sed omne ægrotorum genus cæcos, mutos, debiles, & claudos vngebant; sacramentum autem vnctionis nec nondum baptizatis, nec alijs, quàm moribundis dari poterat. Miror Catholicos, & doctos auctores tam leui ratione in re tanti momenti à vera, communique sententia dissidere. & Christo legis auctori legem imponere. Potuit enim, qui legem tulit, pro suo arbitrio lege vti. Nam & vt soli sacerdotes baptizent, nisi aliud necessitas postulet, præceptum est Christi, qui solos iussit Apostolos baptizare, & ex illis ipsis vnus D. Paulus affirmat se non ad baptizãdum, sed ad euangelizandum missum esse. 1. Cor. 1. 17. & legimus tamen Apostolos, antequam sacerdotes facti essent, baptizasse Ioannis 4. 2. Hæc dicimus non necessariò; si enim velimus summo vti iure, vnde isti auctores probant nondum tunc Apostolos fuisse sacerdotes? Scio vulgarem esse sententiam, sed incertam tamen esse. Qua ratione docent Apostolos, aut nondum baptizatos, aut omnis generis ægrotos vnxisse sine vllo discrimine, cùm nullo id scripturæ exemplo probare possint, & nos exemplis possimus probare cõtrarium? Nam certè Petrus claudum illum non vnxit, quem ad portam templi sedentem curauit, Act. 3. 6.

14. *Et audiuit rex Herodes.*) Nomen, & famam Iesu, vt statim explicat Euangelista, *manifestum enim factum est nomen eius*, & Matthæus cap. 14. 1. & Lucas, cap. 9. 7. Tota hæc historia, quæ vsque ad versum 30. narratur, apud Matthæum exposita est.

30. *Et conueniunt.*) καὶ συνάγονται, & congregantur iterum ad Christum, sicut erant, antequam ad prædicandum mitterentur. Propterea enim dicit congregatos fuisse, quia prius versu septimo dixerat dimissos fuisse, huc illuc in varias Iudææ partes ad prædicandum dissipatos.

Renunciauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.) Narrauerunt ei, & quæ docuissent, & quæ miracula fecissent. Verbum enim ἀπαγγέλλειν absolutè potuit pro facere miracula, vt Lucæ 9. 7. & Act. 11. Præceperat illis Christus, vt doceret, & doctrinam miraculis confirmarent supra ver. 7. & Matthæi 1. 7. 8. & Lucæ 9. 2. vtriusque rei reuertentes rationem illi reddunt. Quam ob causam incertum. Plerique tamen ideo factum putant, quòd æquum fuerit, vt illi, à quo missi fuerant, rationẽ suæ redderent legationis. Datũ etiam concionatoribus exemplum, vt si quid concionando boni egerint, id acceptum referant Christo. Hieronym. Strabus. Theophylact. Id quidem certè, & vt illi facerent, æquum fuit; & vt nos eos fecisse credamus, quia facere debuerunt, magis æquum est. Sed aliam etiam suspicor fuisse causam, si licet ex exemplo coniecturam facere. Redibant à legatione sua gaudij, atque pleni, quòd res ex voto successisset; itaque in Domino quidem gloriantes. sed gloriantes tamen videntur quæcunque docuissent, quæque fecissent mirabilia Christo renuntiare, quemadmodum & septuaginta illi duo apud Lucam, cap. 10. 17. Existimat Beda Apostolos non solùm, quæ ipsi fecissent, docuisse, sed verùm etiam, quæ Ioannes passus fuisset, quasi ignoranti Christo renuntiasse, deceptus, vt opinor, verbis Matthæi cap. 14. 12. *Et ascendentes discipuli eius tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nunciauerunt Iesu.* Non enim dicit Matthæus Christi discipulos, sed Ioannis de eius illi morte renuntiasse, quod idem ex Luca manifestum est: præterquàm quòd Ioannes paulo ante fuerat occisus, quàm ad prædicandum Apostoli mitterentur, vt apud Matthæum, cap. 14. 12. diximus. Itaque non poterant à prædicatione reuertentes, quasi rem nouam mortem Ioannis Christo renuntiare. Quæ reliqua sunt vsque ad finem huius capitis, apud Matthæum declarauimus.

CAPVT VII.

1. Matt. 15. a. 2.

ET conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Ierosolymis. 2. *Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperauerunt.* 3. *Pharisæi enim, & omnes Iudæi nisi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum:* 4. *& à foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum:* 5. *& interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?* 6. *At ille respondens, dixit eis: Bene prophetauit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* 7. *in vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum.* 8. *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata vrceorum, & calicum: & absimilia his facitis multa.* 9. *Et dicebat illis: Bene vritum facitis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis.* 10. *Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* 11. *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban, (quod est donum) quodcunque ex me, tibi profuerit:* 12. *& vltra non dimittitis eum quidquam facere patri*

Isai. 29. d. 13.

Exod. 20. c. 12. Deut. 5 b. 16. Eph. 6. a 2. Exod. 21. 16.

suo, aut matri, 13. rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis: & similia huiusmodi multa facitis. 14. *Et aduocans iterũ turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.* 15. *Nihil est extra hominem & introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt illa sunt, quæ communicant hominem.* 16. *Si quis habet aures audiendi, audiat.* 17. *Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli eius parabolã.* 18. *Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare:* 19. *quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas?* 20. *Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.* 21. *Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,* 22. *furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.* 23. *Omnia hæc mala abintus procedunt, & communicant hominem.* 24. *Et inde surgens abijt in fines Tyri, & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.* 25. *Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius.* 26. *Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum vt dæmonium eiiceret de filia eius.* 27. *Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* 28. *At illa respondit, & dixit illi: Vtique Domine, nã & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.* 29. *Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium à filia tua.* 30. *Et cum abijsset domum suam, & inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exijsse.* 31. *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* 32. *Et adducunt ei surdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* 33. *Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius:* 34. *& suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod est adaperire.* 35. *Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* 36. *Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant:* 37. *& eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

Prou. 20. c. 20. Matt. 15. b. 10.

Gen. 6. a. 5.

Matth. 15. c. 24.

Matt. 9. d. 32. Luc. 11. b. 14.

IN CAP. VII.

ET conueniunt ad eum.) καὶ συνάγονται πρὸς αὐτὸν, & congregantur ad eum. Non eo modo, quo Apostolos congregatos fuisse dixerat c. 6. 30. Nam illi gratificabundi ad Christum conuenerant, isti calumniabundi, quasi manu facta conspirantes illum circundant.

Venientes ab Ierosolymis.) Hoc aut alterutra, aut vtraque fortasse de causa videtur Euangelista notauisse, vt Pharisæorum, & Scribarum in calumnianda doctrina, vitaque Christi studium, diligentiámque declararet, qui vt eum captata alicunde occasione accusare possent, à Hierosolymis vsque in Galilæam venerant; (si ea tamen de causa venerunt; neque enim possumus de eorum animis iudicare) aut vt rationem tacitè redderet, cur illi potiùs Pharisæi; & Scribæ, quam qui in Galilæa erant, ausi fuerint Christum reprehendere; quia cum Hierosolymitani essent, vnde omnis legis, & traditionum scientia petebatur, plus sibi auctoritatis, libertatisque præsumebant. Hæc historia copiosiùs à Marco, quàm à Matthæo narratur, à Luca verò prorsus prætermittitur.

Cap. 15. Matth.

2. *Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius.*) Quid omnes id facientes vidissent? Non debuerunt, quod omnes discipuli faciebant, vitio vertere magistro, quanto minus, quod non omnes, sed aliqui faciebant? etsi non arbitror ideo Euangelistam dixisse *quosdam*, vt indicaret non omnes, sed aliquos tantùm Christi discipulos solitos fuisse illotis vesci manibus, sed potius vt innueret non omnes, sed aliquos tantùm à Pharisæis visos fuisse ita vescentes, idque satis fuisse hominibus ad calumniandum paratis, vt inde occasionem arriperent non solùm discipulos omnes, sed ipsum etiam Christum accusandi. Nec enim credendum est alios Christi discipulos illam Pharisæorum de lauandis manibus traditionem consueuisse seruare, cum diu iam versati cum Christo ignorare non possent, quàm esset inanis.

Communibus manibus, id est non lotis.) Quia phrasis erat Hebraica, & Græcis auribus peregrina, timens Græcè scribens Euangelista. ne non satis intelligeretur, exposuit. Communia vocant Hebræi, quæ sancta, & munda non sunt, quòd liceat ea ab omnibus communiter & Iudæis, & Gentilibus, & mundis, & immũdis contrectari. Etsi mirũ videri potest magis in nouo, quàm in veteri Testamento, & magis Græcè, quàm Hebraicè, aut Syriacè loquentes auctores sacros ea vti phrasi. Quia ergo Pharisæi in lotione manuum non solùm corporis mundiciem, verùm animi etiã sanctitatem consistere putabant, illotas manus communes, id est pollutas, prophanas, miniméque sanctas appellabant. Illotas autem non quocunque modo manus reprehendunt; neque enim vero simile est Apostolos tam rusticis fuisse moribus, vt sordidis omnino manibus cibũ sumerent, sed eas tantùm, quæ non ex maiorum ritu, religionéque lotæ essent non solùm à sordibus, sed ab omni etiam contactu prophanarum rerũ, quales erant multæ ex lege Mosis, & Pharisæorum traditionibus innumerabiles. Ritus autem erat, vt Theoph. adnotauit, vt ad cubitum vsque lauarentur.

Communia in scriptura.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Manducare panes.) Notum omnem apud Hebræos cibum תחם panem appellari. Plurali autem, vt mihi videtur, vsi sunt numero, vt non actum vnũ, sed quotidianam consuetudinem significarent, quasi dicerẽt, non semel tantùm necessitate aliqua compulsos, sed semper eos illoris manibus vesci solere.

Vituperauerunt.) ἐμέμψαντο, incusauerunt. Potest hoc vel ad discipulos referri, vt Theoph. refert, quasi non Christum Pharisæi, sed eius discipulos accusauerint; vel ad Christum. Mihi & Christum, & discipulos videntur accusasse; nam etsi non dicunt, quare tu communibus manibus panem manducas? sed *quare discipuli tui?* tamen Christũ in discipulis potiùs, quàm discipulos ipsos accusare voluerunt, quasi ab eo docti essent maiorum suorum contemnere traditiones. Neque enim aduersus discipulos, sed aduersus Christum odium ipsos & inuidia stimulabat.

3. *Pharisæi enim, & omnes Iudæi.*) Reddit causam reprehensionis; & Pharisæi Iudæi erant; itaque satis esse potuit Iudæos dicere, vt etiam Phatisæi intelligerentur; sed ideo, vt opinor, distinxit, vt Phatisæos, quibus primum locum dedit, primos eius traditionis auctores, aut eius præcipuos obseruaturos fuisse significaret.

Nisi crebrò lauerint manus, non manducant.) Quid? nonne satis erat semel initio prandij lauare? erat consuetudo superstitione Pharisæorum inducta, sæpè etiam inter prandendum lauare manus, ne quem forte cibum, remve aliam præscripto legis immundam tetigissent, vt nonnulli tradunt auctores, & ex hydrijs in nuptiali illo conuiuio ad eum paratis vsum colligi potest, Ioannis 2.6.

Iudæorum traditiones.

Tenentes traditiones seniorum.) Quas Hebræi מסורת Gr. παράδοσεις vocant; quásque Scribæ, & Pharisæi composuerant, quarum extat inter Iudæos liber, præceptúmque, vt summa seruentur diligentia.

Et à foro, nisi baptizentur, non comedunt.) ἀπ' ἀγορᾶς & à foro, intelligitur participium ἐλθόντες venientes. Ideo autem ex foro potiùs, quàm aliunde redeuntes lauabant, quia in foro omne genus homines versabantur, Iudæi, Gentiles, mundi, immundique. Quidam adnotauerunt ideo Euangelistam vsum fuisse Græcè verbo βαπτίζωνται, non νίπτωνται, vt significaret totos se consueuisse, cum ex foro redibant, in aquam immergere, ne quid id corpore immunditiæ remaneret; id enim Græco baptizandi verbo declarari. Magis non improbo, quàm probo.

Baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.) Omnia nimirum, quæ contrectari prandentes erant, ne eorum attrectatione si forte immunda essent, contaminarentur, priùs eluebant. Itaque lectos κλίνας hoc loco non eos in quibus dormiebant, sed eos, in quibus ad mensam accumbebant, intelligo, quos Latini thoros appellabant. Reliqua, quæ vsque ad versum 31. scribit Marcus, apud Matthæum explicata sunt.

Citato c. 15.

31. *Et iterum exiens de finibus Tyri.*) Dixerat supra versu 24. Christum se in fines Tyri, & Sidonis contulisse, ideo dicit *iterum*, non quòd iterum eò ijsset, iterum redijsset, sed quòd *iterum*, vt sæpè diximus prorsus accipiatur, neque refertur ad verbum *exiens*, sed ad nomen *Tyri*, tanquam si Latinè dicas, & exiens ab ijsdem finibus Tyri.

Venit per Sidonem.) Sic omnes ferè Latini codices, & interpretes legunt, vt Hieron. Græci ferè omnes. & Syriacus ad hunc modum, *Et iterum exiens à finibus Tyri, & Sidonis venit ad mare Galilææ.* Quam lectionem idcirco magis probo, quia sensum meliorem habet. Primum quidem credendum non est Christũ in vrbes Gentilium ingressum fuisse, qui non nisi ad oues, quæ perierant domus Israël, se missum dixerat, Matth. 15. 24. quíque Apostolis præceperat, *in viam gentium ne abieritis*, Matth. 10. 5. & supra vers. 24. non dixit Marcus in Tyrum, & Sidonem, sed in fines Tyri, & Sidonis abijsse. Nec nunc dicit eum à Tyro, & Sidone. Sed de finibus Tyri, & Sidonis redisse. Etsi non ignoro, Theoph. Euthym. & nonnullos auctores alios contra sentire, & Brocardum scriptorem non indiligentem ita loca quædam ad Tyri, & Sidonis positas, vbi Christus miracula fecerit, designare, vt manifestum obscurè significet eum in vrbes ipsas Tyri, atque Sidonis ingressum fuisse. Habeo sententiæ meæ auctores plures, atque grauiores, quos apud Matth. cap. 11. nominauimus.

Ad mare Galilææ.) Ad stagnum Genesareth, de quo supra c. 1. 16. & c. 2. 13. & c. 3. 7. & c. 4. 1. 39. 41. & c. 5. 1. 2.

Inter medias fines Decapoleos.) Iter habens.

32. *Et adducunt ei surdum, & mutum.*) Non est hæc eadem historia, atque illa, quæ à Matthæo c. 9. 32. & à Luca 11. 14. narratur, vt apud Matthæum disputauimus. Ille enim mutus dæmonium habebat, hoc non habebat; & si Theoph. & Euthy. hunc etiam dæmonium habuisse putant; sed id scilicet Euangelista non tacuisset, quod ad commendationem miraculi maximè pertinebat. Nec eo sensu hac ceremonia, qua baptizat, vtitur Ecclesia, quasi existimet ea Christum ceremonia dæmonem eiecisse, aut ipsa ea ratione voluit eiicere; sed vt doceat nondum baptizatum hominem ad verbum Dei surdum, ac mutum esse, debereque & eius ad audiendum aures aperiri, & ad prædicandam fidem linguam eius solui; atque ita eos, qui baptizantur, Ecclesiæ à susceptoribus offerri, sicut hic mutus, ac surdus Christo à cognatis, aut amicis oblatus est, præsertim infantes, qui neque per se loqui, neque ad Christum, nisi ab alijs afferantur, venire possunt. Nam & hic ideo ab alijs ad Christum adducitur dicitur, quia nec venire per se ad eum, quem ignorabat, neque loqui pro se poterat, & quo maximè indigebat, sanitatis beneficium postulare. Videtur non omnino fuisse mutus, sed impeditæ ad loquendum linguæ, quia Græcè μογιλάλος, id est ægrè ac tardè loquens appellatur. Et aliquando & audiuerat melius, & liberiùs loquutus fuerat: siquidem linguam dedidicerat, qua simul vt sanatus est, loqui cœpit. Nec credere velimus, & eam partem vnam fuisse naturæ, vt non modo impedita solueretur lingua, sed ferunis etiam cognitio conferretur. Id etiam videtur Marcus versu 35. subindicare, cum dicit loquutum fuisse rectè, veluti insinuans loqui quidem antè, sed non rectè loqui potuisse.

Et deprecabantur eum.) Sic etiam Greg. legit homilia in Ezech. 10. Græcè tamen est παρακαλοῦσιν αὐτόν, deprecantur eum; atque ita etiam legendum esse Latini docet ea, quam temporum consequentiam Grammatici vocant. Alioqui dicendum fuit, *& deprecabantur eum, vt imponeret illi manum.*

Vt imponat illi manum.) Manus illi à Christo imponi postulabant, aut quòd scirent eum manuum impositione alios multos ægrotos curauisse supra c. 6. 5. & 7. 41. & 6. 5. & infra c. 8. 23. 25. & Matthæi 8. 3. & 9. 25. & 19. 15. & Lucæ 13. 13. aut quia vetus erat prophetatum, & sanctorum virorum consuetudo, vt impositis manibus, quod ne Gentiles quidem ignorabant, vt Naaman ille Syrus indicio est, 4. Reg. 5. *Iratus Naaman recedebat dicens, Putabam, quòd egredereturad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret.* Hac dicta consuetudine alij etiam idem, vt faceret, Christum rogauerunt supra c. 5. 23. & Matthæi 9. 18. & 19. 13. & infra cap. 8. 22.

33. *Et apprehendens eum de turba seorsum.*) Nemini, vt arbitror, hunc locum legenti non statim occurrit dubitatio, quam ob rem mutum illum Christus curandi causa à turba semouerit, cùm eius potius gloria postulare videretur, vt coram quamplurimis testibus miraculum faceret. Huius rei Hieron. & Beda causam hanc afferunt, quòd qui à Christo curari volunt, recedere à tumultu hominum debeant. Rectè, sed allegoricè. Chrysost. apud D. Thom. Theoph. & Euthy. vt fugeret ipse, & nobis fugiendi iactantiam daret exemplum. Nunquam enim coram alijs, nisi propter ipsorum vtilitatem, miracula facere solebat. Alij, quòd eos, qui tunc aderant, indignos, qui miraculum viderent, iudicauerit. At viderunt statim effectum. Alij, vt surdum, mutúmque curaturus remotus ab hominum cœtu melius oraret; oratio enim ex versu 34. manifestum est. Credo ego eodem consilio Christum eum à turba hominum semouisse, quo paulò pòst versu 36. præcepit illi, cæterisque, qui illum adduxerant, *ne cui dicerent.* Quod ipsum, qua ratione fecerit, alijs exponemus.

Et misit digitos suos in auriculas eius.) Duabus Christum in hoc miraculo faciendo ceremonijs non quidẽ necessariò, sed certo tamen consilio vsus est. Neque enim dubium est, vt Chrysost. ait, quin potuerit & sine digiti contactu, & sine saliua curare. Quo autem consilio vtrumque facere voluerit, non curiosè quæri solet. Recepta apud bonos auctores sententia est, digito Christi Spiritum sanctum; saliua diuinam sapientiam significari. Nam cum Lucas cap. 11. 20. dicat Christum dixisse, *si in digito Dei eiicio dæmonia*, Matth. c. 12. 28. dicit eum dixisse, *si in spiritu Dei eiicio dæmonia.* Itaque digitus Dei, & spiritus Dei vna res sunt: & diuinam sapientiam à Christo in nos, sicut ex capite saliuam deriuari. Ita Greg. hom. in Ezech. 10. Hieron. Beda, & Strabus in commentarijs. Alij vt qui hominem totum initio manu sua formauerat, totum per peccatum deformatum eadem, qua formauerat, manu reformaret. Chrysost. apud D. Thom. Quorsum ergo saliua? Melius Euthy. & Theoph. vt ostenderet omnes corporis sui partes propter coniunctam diuinitatem fuisse salutiferas. Hanc ego rationem probo; nec enim alio consilio videtur Christus digitos hoc loco in aures surdi, saliuã in os muti immisisse, quàm quo solebat toto ægrotantibus corpore manus imponere, vt corporis sui efficacitatem declararet, cuius contactu omnes curaret morbos: vt ex Cyrillo Alexandrino apud Matthæum annotauimus. Videtur etiam voluisse Christus non semper æqualiter suam diuinitatem, potentiámque declarare, quòd non semper, etiam si nos causa lateat, conuenire iudicaret. Aliquando solo verbo dæmones eiicit, mortuos excitat, ostendens se omnino esse Deum: aliquando tactu saliua, luto sanat ægrotos, accommodans quodammodo potentiam suam ad modum agendi cuiusque naturalium, & ad sensum, & cõsuetudinem hominum. Quia ergo, qui surdi sunt, videtur re aliqua obturatas habere aures, mittit digitum in aures surdi, quasi clausas, & obturatas terebraturus, aut impedimentum, quod in illis erat ablaturus digito. Et quia, qui muti sunt, videntur ligatam nimia siccitate habere linguam, palatóque adhærentem, ideóque linguam non posse, sicut Propheta ille dixit, *lingua mea adhæsit faucibus meis*, Psal. 21. 16. & alio loco, *adhæreat lingua mea faucibus meis*, id est mutus fiam, *si non memor tui*, id est nisi laudes tuas prædicauero, Psalm. 136. 6. mittit saliuam in os muti, quasi eius linguam humectaturus, saliuam autem potiùs, quàm humorem aliũm, quòd humana saliua multos ad morbos medicamentum esse, & quòd saliua humectari lin-

gua, & mobilis, volubilisque fieri soleat; nam & qui humidiore sunt cerebro, quia plus salinæ habent, solutiorem videmus habere linguam. Itaque quemadmodum per metaphoram surdæ aures clausæ, & muta lingua ligata dicitur, ita & per metaphoram Christus digitum in aures surdi, saliuam in os muti immisit. Hoc tantum interest, quòd illa metaphora in verbis, hæc in factis consistit. Putat Euthym. Christum duos digitos in duas surdi aures misisse, vnum dextera manus in aurem dextram, alium sinistræ in sinistrã, propterea, vt opinor, quòd Euangelista plurali vsus sit numero. Duos quidem in duas aures digitos immisisse probabile est, quia vtrique auri audiendi restituit facultatem; dexteræ verò manus digitum in dexteram, sinistræ in sinistram misisse nulla ratio est & est ratio aliqua contraria, quia cùm Christus aduersus staret surdo, necesse erat, vt dextrum eius latus surdi sinistro, sinistrum dextro lateri responderet. Nisi dicamus, quod nulla potest coniectura probari transuersa in figuram crucis posuisse brachia, quod Patriarcham Iacobum filijs Ioseph benedicentem fecisse legimus. Genes. 48. 14.

Et expuens tetigit linguam eius.) πτύσας, & cum expuisset, tetigit (sub. saliua) linguam eius. Non est credibile in os muti inspuisse, sed cùm priùs expuisset, sumptam deinde saliuam digito super muti linguã inposuisse, idque ex Græcorum verborum proprietate colligitur. Alias etiam legimus Christum saliua curasse cæcos vt infra c. 8. 23. & Ioannis 9. 6. quibus in locis ea de re dicemus.

34. *Et suspiciens in cælum ingemuit.*) Vtrumque, & quod in cælum suspexerit, & quòd ingemuerit orantis fuit, vt Gregor. homilia in Ezechielem 10. Beda & Theophylact. existimant. Quanquam Chrysostom. apud D. Thom. & Euthym. in commentarijs gemitum illum dolentis fuisse putant humanam conditionem, atque miseriam, quòd ita hominibus dæmon illuderet. Vtrumque probabile est vt & Theophylacto videtur. Minimè opus erat Christo, vt oraret, & ægrotis à patre gemitu etiam edito sanitatem peteret, quàm poterat per se ipse dare: sed tamen videmus eum, cum miracula quædam faceret, orare solitum, vt Ioannis 11. 41. 42. 43. eius rei causa quædam apud Ioannem à Christo ipso redditur, *Pater*, inquit, *gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti.* Ergo ptopterea nunc Christus, si ex vno exemplo facere coniecturam licet, facturus miraculum Patrem orat, vt qui aderant intelligerent se ab eo missum esse. Aliam rationem Gregorius homilia 10. in Ezechielem, Beda, Strabus Theophyl. & Euthy in commentarijs afferunt, vt nobis, vt idem faceremus, exemplum præberet. *Qui suspiciens*, inquit Greg. *in cælum ingemuit, non quòd ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat, quod postulabat, sed nos ad eum gemere, qui cælo præsidet, docuit, vt aures vestræ per dona sancti spiritus aperiri, & lingua per salinum oris, id est per scientiam diuinæ locutionis solui debeat ad verba prædicationis.* Allegoricè.

Ephphetha.) נתפתח Ethpethach Chaldaicus est imperatiuus passiuæ significationis, Latinè *aperire*, aut *apertus esto* sicut dixit leproso, Mundare, id est mũdus esto, supr. c. 1. 41 & Matt. 8. 3. & Lucæ 5. 13. Eodem loco vtrumque Christus ostendit, vt obseruauit Beda & se verũ esse Deum qui imperando curaret morbos. & à patre tamen omnem accepisse potestatem, qui curaturus precaretur illum. Quærunt quidam, quam ob causam Euangelista Chaldaicum verbum, quo Christus vsus est, retinuerit. Mirum, quàm hoc loco ineptus sit quidam hæreticorum interpres, qui minimè

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verba Christi, quibus sanabat: vim fuisse ad hoc ut sanaret.

apud eos ineptus iudicatur, *Ideo*, inquit, *fecit, vt indicaret nullã in verbo curandi vim fuisse*, nõque superstitionis accusat, quòd in certis quibusdam verbis vim esse aliquam existimemus. Fallor, nisi insanit. Si enim sanus fuisset, intellexisset, vt profectò se contrarium sua illa ratione concludere debuisse. Si enim nulla in verbo vis erat, quid opus erat, vt Euangelista illud ipsum, quod Christus pronuntiauerat verbum, & eadẽ, qua ille pronuntiauerat, lingua recenseret; nisi vt doceret, quo veluti instrumento tam insigne Christus miraculum fecisset, quõque, qui eius personam gerunt, similibus in rebus vti debeant? Nam & gladium, quo rex aliquis hostem deuicerit, diligenter eius posteri conseruant, eóque, quoties possunt, libenter vti solent. Sed hæc non ideo disputamus, quòd vera esse existimemus, sed vt istos rideamus irrisores. Non ita vim esse putamus implicatam verbis, vt si alterius linguæ verbo idem significante sententia eadem proferatur, non sit vim eandem habiturum. Quin & baptismum, & alia omnia sacramenta quacumque tandem lingua eodem modò sensu conferantur, idem efficere docemus: negamus tamen, quod isti magnam Christo facientes iniuriam irrisores dicunt, nullam eius verba vim habere nec solum aliquam, sed etiam infinitam habere credimus; *verbo enim eius cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et si eius saliua vim aliquam habuit, vt impeditam hominis muti solueret linguam, cùm, vt Theophylait, tantùm sit corporis excrementum, multò profectò maiorem eius verbum habuisse credendum est, quod voluntatis eius, qua omnia perficit, instrumentum erat. *Domine*, dicebat ille, *non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*, Matth. 8.8. Verum enimuero plus fidei Gentilis ille Centurio, quàm isti, qui solam fidem prædicant, habebat. Sed eam vim nos non in sono, non in Græcis, aut Chaldaicis litteris, sed in significatione, qua Christi voluntas declaratur, collocamus. Scimus, quid Augustinus dixerit, *Non quia dicitur, sed quia creditur, non sonus transiens, sed virtus manens.* Cur ergo Euangelista Chaldaicum verbum retinere voluit? vt maiorem quem-admodum ego quidem arbitror, historiæ fidem conciliaret, & quòd plus auctoritatis, plus maiestatis, plus venerationis ipsum à Christo Chaldaicè pronunciatum verbum habere videretur. Tanquam si nos Platonis aliquam sententiam proferentes non Latinis eam, sed Græcis ipsdem omnino, quibus ille vsus sit, verbis recitemus, haud dubium quin & augeamus fidem, & orationi plus auctoritatis, grauitatisque adhibeamus.

Psal. 32. 6.

Trast. 80. in Ioan.

35. *Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.*) Exponit his verbis & celeritatem, & perfectionem editi miraculi. Celeritatem quidem, quòd ad vnum Christi verbum non vlla interposita mora, sed statim consequutus effectus sit. Nimirum ille ipse dixerat Ephphetha, qui olim dixerat, & facta sunt; mandauerat, & creata sunt Psal. 32. 9. Perfectionem verò, cum dicit *loquebatur rectè*, id est perfectè curatus est, non sicut ij, qui medicinæ arte curantur, in quibus solent plerumque aliquæ præteriti morbi reliquiæ remanere. Quod dicit de loquendi. id etiam de audiendi facultate intelligendum est, sed loquutum potiùs fuisse, quàm audisse, rectè illum dixit, vt alluderet ad id, quod dixerat vers. 32. vbi eum *μογιλάλον*, ægrè, ac difficilè loquentem appellauerat, quasi dicat non iam difficilè, impedítèque, vt ante loquebatur, sed rectè, atque expedite loquebatur fuisse. Dicit autem apertas fuisse aures, & linguæ solutum vinculum metaphoricè loquens, quasi clausæ aures ligata lingua eius fuerit, quòd surdi aures clausas, muti ligatam linguam habere videantur.

36. *Et præcepit illis, ne cui dicerent.*) Non solùm eis curatus fuerat, sed ijs etiam, qui eum ad Christum adduxerant, quia miraculo interfuerant, præcepit, ne quid dicerent. Quod, quo consilio fecerit, multis iam locis disseruimus supra c. 1. 44. & 5. 43. & Matth. 8. 4. & 9. 30.

Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.) Græcismus est, quem maluit noster interpres ad verbũ exprimere, quàm Latinè loqui, *ὅσον δὲ αὐτοῖς διεστέλλατο μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον*, quo magis illis ipsis præcipiebat, tanto illi magis prædicabant. Idem alijs ab eo curatis accidit, Matth. 9. 30. 31. & supra c. 1. 44. 45. Vbi an aliqua in illis, qui prohibente Christo eius miracula prædicabant, culpa fuerit, disputauimus. Hos hoc loco rectè quidem Theoph. excusat. D. Aug. lib. 4. de consen. Euangelist. c. 4. & Beda in huius loci comment. videntur existimare non seriò Christum prohibuisse, ne quid dicerent, sed potiùs, vt magis ad dicendum incitaret; nitimur enim in vetitum. Et vt alijs exemplum in ipsis præberet, debere eos à se non prohibitos ipsius miracula omnibus enarrare, cum illi, qui prohibiti erant, tam diligenter narrauissent. Difficile creditu est. Cur ergo prohibebat si scirebat id non esse facturos? Cur nobis præcepta tradit, quæ nos non obseruaturos nouit? Facit ille, quod debet, quódque in se est, quamuis non ignoret nos, quod debemus, quodque in nobis est minimè facturos.

37. *Et eo amplius admirabantur.*) Hoc non solùm ad eos, qui ad Christum surdum, & mutum adduxerant, sed etiam ad eos, qui ab eis, quid factum fuisset, audierant, referri potest. Est enim quasi applausus, & acclamatio ea, quæ audiebant approbantium. Id etiam ex Matth. c. 9. 33. simili apparet exemplo, *Ejecto*, inquit, *dæmonio loquutus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicentes, Nusquam apparuit sic in Israel.*

38. *Bene omnia fecit.*) Quasi dicant, nihil in eo reprehendi potest, quemadmodum Pharisæi reprehendere conantur; nihil enim facit, quod bonum non sit, quódque non in maximum hominum redundet beneficium: quod distributè exponunt, *Et surdos fecit audire, & mutos loqui*, G. ποιεῖ facit, id est facere solet.

CAPVT VIII.

1. Matt. 15. d. 32.

IN diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: 2. *Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: 3. & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. 4. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? 5. Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. 6. Et præcepit turbæ discumbere*

supra

super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis vt apponerent, & apposuerunt turbæ. 7. Et habebant discipulos paucos: & ipsos benedixit, & iussit apponi. 8. Et manducauerunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas: 9. Erant autem qui manducauerant, quasi quattuor millia: & dimisit eos. 10. Et statim ascendens nauim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. 11. Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum. 12. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. 13. Et dimittens eos, ascendit iterum nauim, & abiit trans fretum. 14. Et obliti sunt panes sumere: & nisi vnum panem non habebat secum in naui. 15. Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & cauete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. 16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus. 17. Quo cognito, ait illis Iesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatũ habetis cor vestrũ? 18. oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? Nec recordamini, 19. quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorũ plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. 20. Quando & septem panes in quattuor millia: quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. 21. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? 22. Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. 23. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum, si quid videret. 24. Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes. 25. Deinde iterũ imposuit manus super oculos eius: & cœpit videre. & restitutus est ita vt clare videret omnia. 26. Et misit illum in domũ suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris. 27. Et egressus est Iesus, & discipuli eius in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? 28. Qui responderunt illi, dicentes: Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij vero quasi vnũ de prophetis. 29. Tunc dicit illis. Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus. 30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. 31. Et cœpit docere eos, quoniã oportet filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere. 32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. 33. Qui cõuersus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. 34. Et conuocata turba cũ discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. 35. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eã: qui autẽ perdiderit animam suam propter me, & Euangelium, saluam faciet eam. 36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundũ totum, & detrimentũ animæ suæ faciat? 37. Aut quid dabit homo cõmutationis pro anima sua? 38. Qui enim me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & filius hominis confundetur eum, cũ venerit in gloria patris sui cum Angelis sanctis. 39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei venientes in virtute.

Matt. 16. a. 1. Luc. 11. g. 54.

Matt. 16. a. 5.

Sup. 6. f. 4. Ioan. 6. b. 11.

Matt. 16. b. 13.

Luc. 9. c. 18.

Matt. 10. d. 38. & 16. d. 24. Luc. 9. c. 23. & 14. fi. 27. & 17. g. 33. Ioan. 12. d. 25. Matt. 10. d. 33. Luc. 9. c. 26. & 12. b. 9. Matt. 19. d. 27. Luc. 9. c. 27.

IN CAP. VIII.

IN diebus illis.) Sub idẽ tempus, quod de industria dicere videtur Euangelista, ne quis existimet certum diem notare voluisse; aut significare ea, quæ sequuntur eodem omnino die, quo ea, quæ superiore capite dicta sunt, accidisse. Non enim eodem die, sed trium dierum spatio hæc illàque facta fuut, vt constat ex versu 2. & ex Matth. c. 15. 32. fuerat enim Christus per tres illos dies ibi, & miraculũ illud, quod in fine superioris capitis narrauit Marcus, & multa alia, quæ à Marco prætermissa Matthæus commemorauit, fecerat: quibus videndis illa quattuor milliũ hominum intenta turba, oblita cibi, oblita potus, totum illud triduum cum Christo transegerat. Quæ autem sequuntur vsque ad ver. 22. vide apud Matth. c. 15. 32. & c. 16. 5.

22. *Et veniunt Bethsaidam.*) Bethsaida ciuitas erat Petri, Andreæ, & Philippi, &, vt Chrysost. hom. 9. in hunc locum existimat, etiam Iacobi, & Ioannis. Eam Brocardus diligens terræ sanctæ obseruator 1. part. c. 5. §. 6. ita describit, *A Nephthalim tribus leucis in angulo maris Galilææ, vbi idem curuari incipit, ab Aquilone contra Austrum sita est Bethsaida ciuitas Petri, Andreæ, & Philippi.*

Et adducunt ei cæcum.) Verbum sine suppositio ex Hebraismo, quem tam multis iam locis indicauimus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Intelligitur autem participium, quod natura sua latet in verbo, *adducunt eī*, sub. adducentes. Chrysostom. homil. 9. existimat Apostolos intelligendos, qui mutum illum, & surdum ad Christum adduxerint. Minus probabiliter.

Et rogabant eum, vt illum tangeret.) Aut non satis habebant fidei, qui existimabant Christum nisi tangendo, curare non posse, vt Theophyl. interpretatur: aut consuetudine ducebantur, quòd scirent consuevisse Christum ijs, quos curabat, manus imponere, de qua consuetudine diximus superiore cap. ver. 32.

23. *Et apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicum.*) Propter ciuium Bethsaiditarum incredulitatem, vt Theoph. & Euthym arbitrantur qui cum multa alia Christi miracula vidissent, credere noluerant, quemadmodum illis, Matth. 11. 21. exprobrat Christus, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Potiùs credo ea ratione eum extra vicum seduxisse, qua supra c. 7. 13. mutum illum, & surdum, vt curaret, à turba semouit: inde igitur causa petenda est.

Et expuens in oculos eius.) Huius etiam rei causam capite præcedente versu 33. exposuimus. Hoc tantùm addendum, quòd sicut illic saliuam suam Christus immisit in os muti, quia salua humectatur, mouetúrque lingua; ita solemus lippientes, & caligantes oculos saliua mundare; ideo ergo saliua cæcum curauit, quæ non quia humana, sed quia Christi, id est Dei saliua erat, cæcum sanauit.

Impositis manibus.) Putant Chrysostom. homilia in Marcum 9. manus super cæci oculos Christum posuisse, & antequam amoueret, interrogasse, nunquid videret, in eóque miraculum fuisse, quòd cùm Christus manus super eius oculos positas haberet, quibus vel perspicacissimus hominis visus impediri poterat, videret tamen. Quod non magis mihi probabile videtur, quàm opus illud esse Chrysostomi, quod etsi ingenio, eruditione, ac pietate non caret, genio tamen, stylo, sublimitate, & iudicio Chrysostomi caret, & quidem diuum Thom. cum Chrysostomum citat in Marcum, nunquam hoc, sed aliud, quod nos non habere dolendum est, citare solet. Aut ergo manus non super oculos cæci posuit, aut quod similius vero est, cum eas super oculos posuisset, indéque remouisset, interrogauit, ecquid videret. Ita illud participium ἀναβλέψας positum est pro ἀναβλέπουσι, cum posuisset.

Homilia in March falso Chrysostomo adscripta.

24. *Video homines velut arbores ambulantes.*) Ambulantes ad homines referendum, vt ex verborum Græcorum constructione perspicitur, quasi dicat hominis, quos ambulantes video, non homines, sed arbores mihi videntur. Quare declarauit se videre quidem aliquid, cum ante nihil videret, imperfectè tamen videre, cùm inter homines, & arbores distinguere non posset, quemadmodum qui procul hominem vident, quia molem corporis vident, lineamenta autem non discernunt, nesciunt vtrum arbor, vel homo sit. Ita Beda. Mirum cur non statim cæcus iste perfectè curatus fuerit, sicut solebant ægroti alij à Christo curari. Chrysostomus apud Diuum Thomam, Theophylact. & Euthym. totam in cæco eius rei causam esse putant, quòd nondum perfectè crederet. Augustverò apud Strabum (nam alibi, quòd sciam, non habemus) & Chrysost. ille quisquis fuit, cuius extant in hunc locum homiliæ, mysterium esse dicunt, quòd ille cæcus primùm imperfectam, cum solam legem; deinde perfectam, cum Euangelium cognouit, scientiam habuerit. Hæc allegorica sunt, sicut illa quæ à Hieronym. & Beda afferuntur, quæ nos quidem probamus, sed aliud quærentes non amplectimur. Verisimile mihi videtur in vtroque fuisse causam, & in Christo, & in cæco. Nam perfectè credentem, perfectè curare noluisse, quia Christi benignitate indignum, & ab eius consuetudine alienum est, credi non debet: & cum posset imperfectè credentem, si voluisset, perfectè curare; voluit tamen suam potentiam ad illius fidem moderari, quod & in Petro super mare ambulante fecisse legimus, qui cum perfectè credebat, firmis super mare vestigijs incedebat, cum dubitabat, mergebatur Matthæi 14. 30. forsitan etiam voluit, vt cæcus beneficium, quod accipiebat, sanitatis, dum paulatim sibi conferebatur, plurimi faceret.

26. *Et misit illum in domum suam.*) Quare mitis ex verbis sequentibus intelligitur, ne si in proximum itet vrbem, quæ in Bethsaida dicebatur, aut huc illuc vagaretur, miraculum euulgaret. Cur autem nemini dicere miraculum voluerit, non fuit noua, atque priuata, sed communis cum multis alijs miraculis causa supra cap. 5. 43. & Matthæi 8. 4. & 9. 30. petenda est.

Et si in vicum introieris.) Vicum vocat Bethsaidam, quamuis Ioannes cap. 1. 44. ciuitatem appellet, quæ exigua instat vici erat. Quasi dicat, si necesse fuerit, vt domum tuam redeas, per Bethsaidam transito, nemini ibi dixeris. Hinc apparet non fuisse cæcum illum Bethsaiditam. Colligitur etiam minùs volusse Christum, vt Bethsaiditæ miraculum illud scirent, quàm alij. Non enim prohibet cæcum domi suæ, & apud suos ciues, sed Bethsaida narrare miraculum, quòd Bethsaiditas indignos iudicauerit, qui vllum miraculum viderent qui tot conspecta miracula eos tempsissent, vt paulò antè ex Euthy. & Theophylacto dicebamus. Illud in Theophylacti commentario non probo, quòd existimet misericordia quadam ergo Bethsaiditas id fecisse Christum, ne si miraculum vidissent, nec credidissent, grauiores pœnas luerent. Quam opinionem cap. 6. 5. loco simili refutauimus. Omnia, quæ reliqua sunt in hoc capite, exposuimus in Matthæi commentarijs.

38. *Qui enim me confusus fuerit.*) Codices nonnulli Latini pro *confusus confessus* legunt, error ex Græcis verbis manifesto, & inde, vt opinor natus, quòd *confusus* non satis congruentem, & perspicuum sensum habere videretur Gr. ἐπαισχυνθῇ μὲ *confusus fuerit me*, pro ὃς ἐμοί, in me. Sensus est, quem pudebit me coram hominibus, eius me etiam pudebit coram Deo, qui erubuerit me confiteri coram hominibus, & ego eum confiteri erubescam. Noster interpres, dum Græca verba imitando conatur exprimere, minùs Latinè loquitur, sicut & Marcus magis Hebraicè, quàm Græcè loquutus fuerat. Hebræi dicunt ἐπαισχύνεσθαι confundere aliquem, id est negare illi, quod vobis quódque petit. Confundi Christum est erubescere, confiteri illum, fugere eius crucem, & ignominiam, deserere eius doctrinam propter persecutionem, aut pudorem, quod D. Paulus vno verbo dixit, erubescere Euangelium Romanorum 1. 16. Quod autem dixit Paulus Euangelium, dicit Christus *verba mea*, id est doctrinam meam.

In generatione hac adultera, & peccatrice.) Coram hominibus istis spurijs, & peccatoribus. Opponit hominibus erubescentibus se filium hominis, id est Deum; rursus opponit hominibus, coram quibus erubescunt, Angelos, coram quibus Christus eos erubescet; opponit peccatoribus sanctos. Adulteram autem generationem vocat Hebraica phrasi filios Dei degeneres, qui cum Deo patri suo similes esse deberent, dissimillimi sunt, quales spurij, & adulterini filij esse solent. Hebræi vocant בני נכר filios alienos, id est dissimiles ac degeneres, vt Psal. 17. 46. *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis,* & Psal. 143. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* Eadem Phrasi D. Paulus vsus est Hebr. 12. 8. *quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulterini, & non filij estis.* Hæc etiam sententia apud Matth. cap. 10. 33. declarata est, nisi quòd alijs à Matthæo verbis, & vt alio dicta loco recitatur. Sed est vero simile non semel eam dixisse Christum.

CAPVT IX.

ET post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem: & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis. 2. Et vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. 3. Et apparuit illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum Iesu. 4. Et respondens Petrus, ait Iesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. 5. Non enim sciebat quid diceret: erat enim timore exterriti: 6. & facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus: audite illum. 7. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum. 8. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent, narrarent: nisi cum Filius hominis à mortuis resurrexerit. 9. Et verbum cõtinuerunt apud se: conquirentes quid esset: Cum à mortuis resurrexerit. 10. Et interrogabant eum dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire primũ? 11. Qui respondens, ait illis: Elias cum venerit primo, restituet omnia: & quomodo scriptum est in filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur. 12. Sed dico vobis quia & Elias venit (& fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo. 13. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis. 14. Et confestim omnis populus videns Iesum, stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes salutabant eum. 15. Et interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis? 16. Et respondens vnus de turba, dixit: Magister attulit filium meum ad te habentem spiritum mutum: 17. qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis vt eicerent illũ, & non potuerunt. 18. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. 19. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum statim spiritus conturbauit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans. 20. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: 21. & frequenter eum in ignem, & in aquas misit vt eum perderet. sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. 22. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. 23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo, Domine: adiuua incredulitatem meam. 24. Et cum videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. 25. Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus est. 26. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. 27. Et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus eicere eum? 28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio. 29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam scire. 30. Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget. 31. At illi ignorabant verbum: & timebant interrogare eum. 32. Et venerũt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset. 34. Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister. 35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio

Mat. 17. a. 1. Luc. 9. d. 28.

Matt. 17. b. 9.

Mal. 4. b. 5.

Isai. 53. a. 5.

Matt. 17. b. 12.

Luc. 9. e. 38.

Mat. 17. d. 22. Luc. 9. c. 22.

Mat. 18. a. 1. Luc. 9. f. 49.

Luc. 9. f. 49.

eorum: quem complexus esset, ait illis: 36. Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. 37. Respondit illi Ioannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo eicientem dæmonia, qui non sequitur nos & prohibuimus eum. 38. Iesus autem ait: Nolite prohibere eum. nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. 39. qui enim

1. Cor. 12. a. 3. Matt. 10. d. 42. Matt. 18. a. 6. Luc. 17. a. 2.

non est aduersum vos, pro vobis est. 40. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. 41. Et qui autem scandalizauerit vnum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur

Matt. 5. d. 30. & 18. a. 6. Luc. 17. a. 2.

mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur. 42. Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: 43. vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introire ad

Isa. 66. g 24.

vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: 45. vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 46. Quod si oculus tuus scandalizat te, eice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in

Leuit. 2. d. 13. Matth. 5. b. 13. Luc. 14. g. 34.

gehennam ignis: 47. vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 48. Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. 49. Bonum est sal: quòd si sal insulsum fuerit: in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

IN CAPVT IX.

1. ET *dicebat illis.*) Turbæ vna cum discipulis suis, quibuscum loquebatur, vt dixerat Euangelista, c. præcedenti, ver. 34. aut solis discipulis suis, vt ex Matthæo cap. 16. 24. 28. colligi videtur: & quidem magis idonei auditores discipuli erant, vt illis Christus ista committeret, quæ ne omnibus quidem discipulis declarare voluit. Agebat enim de gloria, & maiestate sua, quam tres ex illis paulò post in transfiguratione visuri erant. Reliqua omnia, quæ scribit Marcus vsque ad versum 30. apud Matthæum cap. 17. 14. copiosè à nobis tractata, & explicata sunt.

30. *Et inde profecti.*) Quidam ex castellis Cæsareæ Philippi profectos interpretantur; eo enim Euangelista ingressos fuisse dixerat, c. præcedenti, ver. 27. Propius est, vt eum intelligamus locum, vbi paulò ante dæmonem eiecerat, quem ad radicem eius montis fuisse, in quo se coram tribus discipulis Petro, Iacobo, & Ioanne transfigurauerat ex versu 9. & 14. & ex Matthæo, c. 17. 14. intelligitur. Quanquam vtrum mons ille iuxta Cæsaream Philippi fuerit, non satis compertum est, quia, vt apud Matthæum diximus, ne illud quidem constat, quinam mons ille fuerit, etsi vulgaris quædam obtinuit opinio fuisse Thabor em.

Prætergrediebantur Galilæam.) παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας, transibant per Galilæam. Sunt, qui admonent Græcum verbum propriè significare clam iter facere. Sensus quidem hoc loco is est, vt ex sequentibus continuò verbis colligitur, *& noluit quemquam scire*; sed tamen si proprietatem spectemus verbi, propriè est ad latus transire: etsi quia, qui ad latus transit, videtur clam velle transire, rectè Græcum verbum id potest hoc loco significare. Non est contrarium, quod c. 17. 22. 23. Matthæus scribit, *Conuersantibus autem eis in Galilæa dixit illis Iesus: filius hominis tradendus est in manus hominum*; nihil enim aliud voluit Matthæus dicere, quàm id Christum Apostolis significasse, antequàm ad patiendum Ierosolymam iter, cum adhuc esset in Galilæa, cum nondum ex ea discessisset, quamvis iter iam per eam Ierosolymam versus ingressus esset, vt ostenderet euenisse rem; quem admodum ante eum dixerat Christus Apostolis prædixisset.

Nec volebat quemquam scire.) Sc. in eo loco esse, in quem singulis diebus perueniebat, aut vbi ex itinere diuersabatur. Explicat enim vim verbi παρεπορεύοντο. Omnes vtique sciebat eum in Galilæa esse, sed non omnes sciebant, quo in loco esset Galilææ, cùm occupatus iter faciens quotidie locum mutaret. Cur autem nollet, vt quisquam sciret, quo in loco esset, varias coniecturæ. Euthymius existimat propterea noluisse, ne quis ea, de quibus loquebatur, propiùs subaudiens, non intelligeret. Loquebatur enim de passione ac resurrectione sua, vt ex versu sequenti manifestum est, quâ solis volebat Apostolis cognitam esse, ante quàm id accideret. Placuit hæc sententia nonnullis recentioribus quidem, sed doctis auctoribus, eámque ex Græco verbo confirmant, non enim legi Græcè ἐδίδασκεν δὲ αὐτούς, *docebat autem eos*, vt nostet transtulit interpres, sed ἐδίδασκεν γὰρ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, docebat enim discipulos suos. Quasi reddatur causa, cur neminem scire voluerit, ne id, de quo loquebatur intelligeret. Mihi ideirco non placet, quòd si id Marcus dicere voluisset, non satis idoneam rationem reddidisset. Nam quod discipulis tunc Christus dicebat, vno dixit verbo, aut plurimùm tribus, fore, vt filius hominis in manus peccatorum traderetur, vt occideretur, & tertia die resurgeret; id quo in via soli essent, aperuit, vbi nemo præter Apostolos audire poterat: & si domi dixit, poterat Apostolos ad se vocare, vt illis secretum committeret, quemadmodum paulò post vers. 35. in causa simili fecisse dicitur. Quid ergo opus erat ea de causa suum per Galilæam celare transitum? Propterea igitur, vt ego quidem arbitror, noluit transitum suum per Galilæam sciri, quia passionis tempus appropinquabat, volebatque patienti causa contendere Ierosolymam, verebatúrque, ne, si agnitus in Galilæa fuisset, omnes ad eum vndique, vt solebant, incolæ concurrerét, & aut habendis concionibus, aut dæmonis eiiciendis, aut curandis ægrotis sese detine-

rent. Illud solum huic videtur obstare sententiæ, quòd Euangelista non dicat, Ibat enim Ierosolymam, vt pateretur, sed *docebat autem discipulos suos, & dicebat illis, quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.* Potest nõ difficilè responderi, quod attinet ad id, quod confirmare volebat Euangelista, idem esse, *docebat enim discipulos suos, & dicebat illis, quoniam filius hominis tradetur in manus hominum*, atque si diceret, Ibat enim Ierosolymam ad mortem; sed quia simul ad moriendum ibat, simul id Apostolis declarabat, voluit compendiosa vsus breuitate vnum dicendo vtrumque significare. Itaque etsi iam bis id ipsum Apostolos indicauerat supra versu 10. Matthæi 17. 9. & Lucæ 9. 22. tamen alio modo, & alia de causa nunc dicit: tunc, vt ad futuræ passionis patientiam Apostolis præpararet; nunc, vt significaret iam tempus adesse, seq; ad mortem Ierosolymam ire.

31. *Docebat autem discipulos suos.*) ἐδίδασκε δὲ docebat enim, etsi fortasse nostet interpres non legit δέ, sed δὲ, quod nihilo peiùs conuenit: aut δὲ pro δὲ positum est, quod sæpe fieri solere multis apud Matthæũ exemplis docuimus. Videtur indicare Marcus Christum non solùm simpliciter, quod sibi futurum erat, prædixisse, sed docuisse etiam Apostolos, & instruxisse, aut quid in morte sua mysterij esset, aut quo animo deberent ferre; distinguit enim vnum ab altero, *docebat discipulos suos, & dicebat illis.* Quam autem ob rem id illis dixerit, varia multi coniiciunt. Beda, & Theophylactus, vt lætis tristia misceret; erant Apostoli gestientes miraculis factis, infert illis Christus mentionem mortis. Euthymius in commentarijs in cap. 17. Matthæi, quia paulò ante discipuli alij in transfiguratione, alijs in faciendis miraculis Christi perspexerant gloriam, atque maiestatem, nec vllo tempore magis idonei esse poterant, vt mortem Christi sine offensione, aut dubitatione in fide audirent, confirmati iam cognita, & per transfigurationem, & per miracula eius diuinitate. Aliam rationem, Ambros. lib. 7. commentariorum in Lucam affert, *fortasse*, inquit, *ideo hoc addidit, quia sciebat Dominus difficile passionis & resurrectionis eam discipulos creditoros. Et ideo re facto fidei, non ex auditu discordia nascereture.* Mihi Theophylact. ratio probatur, ideo hoc Apostolis dixisse Christum, vt ostenderet se non coactum, sed voluntem moriturum, qui morti obuiam procederet. Aliam præterea causam fuisse suspicor, vt Apostolos in fide, patientiáque confirmaret, ne si improuisi, & non ante moniti morientem vidissent Christum, aut minùs patientes mortem eius ferrent, aut de eius diuinitate diuinitate. Eadem opinor causa statim post mortem resurrectionem adiecit, vt quem resurrecturum sciebant, eum moriturum esse non mirarentur. Idem supra fecit, versu 10. & apud Matth. c. 17. 23.

Quoniam filius hominis.) Loquitur de se per tertiam personam, vt læpe solet. Sententia autem hæc apud Matthæum explicata est.

32. *At illi ignorabant verbum.*) Non intelligebant, quod ipsis dicebat Christus. Quo ergo modo contristati sunt, vt ait Matthæus cap. 17. 23. Respondet eo loco Euthym. intellexisse quidem, quod de morte dicerat discipulos; sed non intellexisse, Lucæ 9. 44. 45. *Ponite vos in cordibus vestris futurum est, vt tradatur in manum hominum. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud.* Beda existimat non credidisse eos eum esse moriturum, quòd minimè mori vellent, & quæ non optamus, non facilè credimus. *Fides*, inquit, *ignoratio discipulorum non tam de tarditate intellectus eorum, quam de amore nascitur Saluatoris, qui carnales adhuc, & mysterij crucis ignari, quem Deum verum cognouerant, moriturum credere nequibant.* At non poterant contristari ob futuram mortem, si non credebãt. Melius alij, intellexisse quidem verba, non intellexisse mysteria, quomodo per mortem suam Christus homines esset à peccatis suis liberaturus. Mihi tamen non solùm mysterium mortis videntur ignorasse, sed illud etiam, quomodo moriturus esset, cum tam sæpe, maximéque paulò ante tam prope regnum suum esse dixisset, vt essent nonnulli ex ijs, qui aderant, qui morituri non essent, nisi illud prius viderent, nondum intelligentes regnum illius non eo viuente, sed moriente, resurgentéque venturum esse. Intellexerãt ergo, quid & moriendi, & resurgendi verbum significaret, eúmque & moriturum, & resurrecturum credebant, ideóq; vt ait Matthæus contristati sunt. Nam etsi futuræ resurrectionis fides mortis dolorem alleuabat, tamen maluissent non mori eum, quàm mortuum per resurrectionem recuperare. Hoc ergo erat, quod non intelligebant, quomodo hæc verba, quibus se Christus ad moriendum dicebat ire, cum illis conuenirent, quibus tam sæpe dixerat regnum suum appropinquare, atque ideo dicũtur ignorasse verbum.

33. *Et venerunt Capharnaum.*) Paulò aliter Matthæus cap. 17. 24. & cap. 18. 1. & Lucas cap. 9. 46. hæc narrant, si quid inter eos discrepantiæ videtur esse, apud Matthæum explanauimus. Et tribus Euangelistis colligi potest hoc modo, atque ordine rem accidisse. Cum adhuc essent in via vt hic, & sequenti ver. scribit Marcus, intrauerat in eos cogitatio, quis eorum esset maior, vt Lucas ait cap. 9. 46. Cur autem venissent Capernaum, & in domum introijssent, vt opinor, Petri, vbi cum in ea erat vrbe, consueuerat diuersari cap. 1. 29. & cap. 2. 1. & cap. 3. 20. cum in domum, inquam introijssent, accesserunt, qui didrachma petebant, t Matthæi 17. 24. Postea vocatos ad se discipulos interrogauit Christus, quid in via inter se tractassent, vt hoc loco Marcus scribit; nam quod dicit versu 33. *& residens vocauit duodecim, & ait illis, si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus*, per recapitulationẽ dictum intelligo; prius enim, quàm hoc illis diceret, ad se eos vocasse credendum est, vt quid in via tractassent, interrogaret, non enim minus erat necessarium, vt priuatim de ea re interrogarentur, quàm vt priuatim docerentur. Illi autem respondere cunctabantur scientes ambitiosam fuisse quæstionem, vt versu sequenti indicat Marcus; ob eam enim causam cum id maximè scire cuperent, non audebant Christum interrogare, vt Lucas inquit. Itaque Christus eos interrogando præuenit. Interrogati igitur à Christo, quid in via disputassent, quamuis initio verecundia respondere recusauerint, inuitati à Christo responderunt inter ipsos quæstionem fuisse, quisnam eorum maior in regno cælorum futurus esset; simúlque, vt quæstionem sibi solueret, Christum rogauerunt, atque hoc est, quod cap. 18. 1. scribit Matthæus, discipulos ad Christum accessisse, interrogasseque, *Quis putas, maior est in regno cælorum?* Tunc Christus, vt non verbis solùm, sed rebus etiam repræsentãdis efficacius Apostolos edoceret, quem morem multos Prophetas legimus tenuisse, puerum aduocauit, eúmque in medio statuit Apostolorum, vt Matthæus, & Marcus tradũt, vti æquè scilicet ab omnibus conspiceretur, &, vt ait Lucas, eum iuxta se posuit, quia & ipsum Christum in medio fuisse discipulorum credendum est, quod quidam existimant non in medio, sed inter Apostolos constituisse puerum, essèque phrasim Hebraicam, qua *in medio* idem sit, quod *inter*; minus ad sensum huius loci accommodatum est, vbi videtur Christus de industria spectaculum, & exemplum humilitatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus Apostolis in medio conspiciendum proponere voluisse. Tunc Christus puerum amplexatus, vt Lucas, & Marcus scribunt, aut vt Græcè legitur ἐναγκαλισάμενος, sumens in vlnas. Sunt qui putant Christū non tunc, cum voluit puerum ostendere, sed ante, cum vellet eum in medium adducere, in vlnas accepisse, quòd propterea accepisse credēdum sit, vt eum constitueret in medio; sed ij mihi sententiam huius loci videntur enervare, cuius vis, vt paulò post exponemus, in eo magna ex parte consistit, quòd constituturum iam in medio puerum, & circumspectum ab omnibus ad amplexum assumpserit, vt re ipsa declararet, quanto amore mores illos puerorum humilitatis, & simplicitatis plenos prosequeretur. Nā quod dicunt adeo paruum fuisse puerum, vt nisi in vlnas sublatus esset, venire ad Christum non potuisset, minimè probabilis coniectura est, cum Matthæus dicat Christum puerum ad se vocasse, quod vtique non fecisset, si venire non poterat. Fateor ergo tam paruum fuisse puerum, vt in vlnas tolli posset, nego tam paruum fuisse, vt pedibus ad Christū venire non posset. Cum ergo puerum Christus in amplexum teneret, discipulis dixit, quod scribit Matthæus c. 18.3. *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*, eiusq; rei causam reddidit, quam Marcus, vers. 37. & Lucas vers. 48. exposuerūt, quia *quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit, & quicunque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.*

34. *At illi tacebant.*) Non audebant respondere præ pudore, vt Euthym. quam ambitiosa videbatur esse quæstio; siquidem in via disputauerant, quis eorum maior est id est futurus esset in regno cælorum. Non enim de præsenti agebant statu, sed de futuro, cum regnum venisset Christi, in eo enim cupere videbatur quàm proximum Christo tenere locum, vt filij Zebedæi postulauerant infra cap. 10 37. & Matth. 20. 21. Sed in eo errare videbantur, quòd regnum illud Christi in hac vita sperarent fore, diuertūt que in eo, sicut in alijs humanis regnis, dignitatis gradus animo præciperent. Quid autem quæstio illa sibi velit, quis eorum in regno cælorum maior futurus esset, & vnde originem habuisset, apud Matthæum cap. 18.12. docuimus.

35. *Et residens.*) καθίσας, & sedens nimirum quasi de tribunali iudicaturus, quasi docturus Apostolos rem seriam, maximéque necessariam, quæ non obiter, non stando, vt ille dicit, *pede in uno*, sed sedendo otiosè, accuratè, & suscepto consilio explicanda erat; solebat Christus ad docendum sedere, vt supra c. 4. 1. & Matthæi 5. 1. & 13. 2.

Vocauit duodecim.) Ne alij audirent; volebat enim eorum ambitionem reprehendere. Itaque non est existimādum ex illis, qui de principatu disputauerāt, non omnes, sed solos Apostolos ad se vocauisse, vt prima verborum species videtur ostendere; sed cùm soli duodecim Apostoli ea de re egissent, eos solos ad se vocasse. Verùm quia dixerat in domum venisse, vbi plures fuisse alios præter Apostolos credendum est, dixit Marcus vocasse duodecim, id est ab alijs, qui in domo erant, ad se segregasse, vt occultam iplorū culpam occultè quoque coargueret.

Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus.) *Erit*, pro sit, aut fiat, positum est Hebræorum idiomate. Docet; qua ratione consequi possint, quod quisque eorum tantopere optare videbatur, vt primus in regno cælorum esset, contraria scilicet omnino ei, quam sequebantur, si non de primo, sed de vltimo potius loco contenderent; certissimam, rectissimámque viam esse ad altissimum gradum humilitatem, & vt Cyprianus scribit in libro de zelo, & liuore, *zelum aut liuorem emulationem reiponsō suo; omnem cansam, & materiam mordaci: invidia ernit, & abscidit. Discipulo Christi zelare non licet, non licet invidere; exaltationis apud nos non potest esse contentio, de humilitate ad summa crescimus, descendimus unde placeamus.* Et Beda, *Cura*, inquit, *de gloria humilitatis contentione fugere.* Idem Christum capite sequenti. ver. 16. eodem consilio fecisse legimus. Nam cum pueri illi obiurgarentur, eósque quasi Christi indignos aspectu discipuli prohiberent, non contentus dicere ver. 14. *Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum Dei*, eos etiam amplexatus est, vt ostenderet singulari eos amore prosequi.

Horatius lib. 1. Sermonum Satyr. 4.

37. *Qui susceperit unum ex huiusmodi pueris suscipiens in nomine meo.*) Ponit rationem loco conclusionis, quæ apud Matthæum hæc est, *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quam conclusionem hac apud Marcum quamuis minimè explicata ratione probat, eo modo in regnum Dei, nisi Deo similis factus introire potest, *non enim intrabit in eam ciuitatem*, vt ait Ioannes, *aliquid coinquinatum.* Non potestis Deo similes esse, nisi illum suscipiatis, id est seruatis ei, non potestis illum suscipere, nisi suscipiatis me, qui ab illo missus sum: non potestis me suscipere, nisi huiusmodi pueros in nomine meo suscipiatis, eorumq; similes efficiamini, ergo *nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli isti, non intrabitis in regnum cælorum.* Hæc enim ita leuiter tantùm attingimus, quia apud Matthæum explicauimus.

38. *Respondit illi Ioannes.* Quomodo ista cum superioribus hæreant, non apparet. Sunt qui putent ideo Ioannem hoc subiecisse, quòd cum tantopere admisisset puerorum exemplo humilitatem Christo commendari, veritus fuerit, ne superbè ipsi fecisse[nt], quòd

illum.

illum, qui eius nomine dæmones eiiciebat, prohibuissent. Huius quidam sententiæ Theophylactum auctorem faciunt, etsi nihil apud eum simile reperio. Alij, quia Christus dixerat, *In nomine meo*, occasionē Ioannem arripuisse, vt non quasi culpam deprecans, sed quasi dubitans, num bene fecissent, aut num idem in posterum facere deberent, Christo, quòd factum erat, exponeret. Alij quasi Ioannes ex contrario collegerit non fuisse illum in nomine Christi recipiēdum, quia etsi nomine Christi dæmones eiiciebat, illum tamen in Apostolorum consortio non sequebatur. Non videtur mihi intelligi posse, quomodo cum præcedentibus ista conueniant, nisi priùs, quo animo à Ioanne dicta fuerint, intelligatur; de eius autem animo difficile est, & fortasse periculosum iudicare, sed si rationem, quā ducere videtur, sequi licet, glorians potius, quàm aut dubitans, aut culpam deprecans hoc videtur mihi dixisse; glorians inquam, non in se, sed in Domino, quasi Apostoli, quorum nomine loque-batur, bene functi fuissent officio, quòd illum prohibuissent, non tam suæ, quàm Christi consulentes auctoritati, ne quis, cui eam Christus non fecisset potestatem, in eius nomine, quasi auctoritatem furatus, dæmones pelleret, sicut septuaginta duo illi discipuli gloriabantur. Lucæ 10.17. Itaque non arbitror esse quærendum, quorsum id Ioannes dixerit; neque enim post superiorem, vt ego opinor, dixit historiam, sed alio quo loco; nec alia fortassis occasione, quàm quòd recens id factum esset; qua eadem ratione septuaginta illi discipuli apud Christum gloriati sunt, quòd essent in eius nomine etiam dæmonia subiecta fuissent, quia recens id erat; redibant enim à legatione sua, in qua dæmones sibi subiecerant. Cæterum Marcus, & Lucas, quia de Christi nomine mentionem fecerant, & hanc Ioannis orationem, vbi de Christi nomine simpliciter agebatur, interseruerunt, idémque de ver. 41. & 42. indicandum. Quod ergo Marcus, & Lucas dicunt respondisse Ioannem, non sic accipiendum est quasi ad ea, quæ fuerāt à Christo dicta, respōderit, sed vt sæpe docuimus, Hebræorum phrasis est, qua nonnunquam Matth. 11. 25. & 22. 1.

Vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos.) Quæri hoc loco conuenit, quo modo dæmones, qui Christum non sequebatur, in Christi nomine posset eiicere. Possumus intelligere non eiecisse dæmones verè sed eiicere professum atque conatum fuisse, atque ita illud significare, *Eiiciem dæmonia.* Alijs enim locis docuimus, exemplis quæ demonstrauimus verba nonnunquam non effectum, sed affectum, conatumque significare; nolo tamen omnibus dissentientibus auctoribus id primus dicere. Potuit ne, ue corpore, neque animo, id est fide, vt Christi etiam testimonio docemur, Matthæi 7. 22. & Augustin. lib. 4. de consens. Euangel. cap. 5 Beda & Theophylact. hoc loco sentiunt. Potuit multo facilius fide, non corpore Christum sequutus, vt Ambrosius libro commentariorum in Lucam 7. & Euthymius existimant illum fecisse. Sed oritur ex huius explicatione quæstionis altera quæstio, quomodo ille, qui ex discipulis fuerit Christi, siue non, potuerit dæmones pellere, cùm solis Apostolis eam Christus potestatem tradidisset, supra cap 3.15 Dederat quidem semel quodam titu, sed nullam sibi ipse legem indixerat, quominus alijs quibuscumque vellet, dare posset, permitteretque, vt quisquis eius nomine certa fide, aut nulla etiam aliquando fide dæmones eiicere conaretur, verè etiam eiiceret, quo magis nominis

potestatem

A sui vis, & auctoritas cognosceretur, & Theophylact. adnotauit; quemadmodum & sacramentis gratiam nobis promisit, sed, vt Theologi docent, non allegauit. Quin & illis septuaginta duobus discipulis non constat, cum ad prædicandum mitteret, eiiciendorum dæmonum dedisse potestatem; eiecerūt tamen atque eo fortasse magis, quòd dæmones eiecissent, potiùs, quàm quòd alia miracula fecissent, gloriati sunt, quo minus eum à Christo expressam verbis potestatē acceperant. Denique etsi promulgatum nondum erat, omnium tamen credentium erat priuilegium, vt possent dæmones expellere, in Marc. 16. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, In nomine meo dæmonia eiicient.* Sed quia id & ardore fiebat fidei, & congregandæ firmandæq; Ecclesiæ causa concessum fuerat; quam diu & ardor viguit fidei, & Ecclesia vt confirmaretur, miraculis egut, omnes qui veram habebant fidem, dæmones conati eiicere solebant, vt ex Iustino, Tertull. & Lactantio cognoscimus.

Qui non sequitur nos.) Dubium, quo sensu hoc dicat Ioannes, vt superius attigimus, vtrum intelligat illum neque corpore, neque fide, quemadmodum Augustinum, Bedam, atque Theophylact sentire diximus; an fide quidem; sed non corpore, vt Ambros. & Euthym existimant. Christum sequutum fuisse. Probabilior mihi Ambrosij, & Euthymij sententia videtur. Quæ inde etiam confirmatur, quòd non dicat Ioannes Christo, qui non sequitur, sed *Qui non sequitur nos*, quasi voluerit dicere Christi quidem doctrinam, fidémque sequutum sed tamen ex ipsorum non fuisse Collegio, quibus solis eam Christus dedisset auctoritatem. Eodem pertinet, quòd Christus non respondeat, vers. 40. Qui non est contra me, pro me est, sed. *Qui non est aduersum vos, pro vobis est*, quasi significet satis esse, quòd ille doctrina sequatur Euangelicam, quamuis ex ipsorum consortio non sit, neque enim propterea pro aduersario habendum esse. Quæri potest, ac etiam à nōnullis solet, num ille peccauerit, quòd iniussus à Christo tentauerit eius nomine dæmones eiicere Caluinus hæreticorum interpres non dubitat, quem Christus absoluisse videtur, cōdemnare; nimiam enim audaciam fuisse existimat, quòd id facere conatus fuerit, quod proprium Apostolorum erat. Quemadmodum Actorum 8. 18. Simon ille Magus videns per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, voluit eam ab Apostolis emere potestatem. & cap. 19. 13. 14. septem illi filij Sceuæ Iudæi in nomine Christi tētarunt à Apostolorum imitatione dæmones pellere. Melior Euthym. & aliorum sententia est, bono illum animo fecisse cum videret Apostolos, quorum fidem, doctrinamque sequebatur, idem efficere: magnúmque huius sententiæ argumētum est, quòd Christus cum vetuerit prohiberi; quod non fecisset, si culpa aliqua sua illud vsurpasset munus. Successus etiam ipse eius animum probat; nam etsi dubium non est, quin possint etiam homines iniqui, & nefarij dæmones exigere, haud scio, an credendum sit in illis initijs, id fuisse Christum permissurum, ne quis interpretari posset magnum non esse, si Christus id faceret, quod alij etiam homines ab eius doctrina, & moribus alieni facerent.

Et prohibuimus eum.) Quo animo Apostoli illum prohibuerint, nihil possumus, nisi obscuris suspicari magis, quàm scire coniecturis. Hæreticorum interpretes duce, vt solent, Caluino haud paulò meliùs de se, quàm de Apostolis sentientes, inconsideratè eos temerè, superbè, inuidè fecisse docent. Inconsideratè quidem, ac temere; quia incōsulto fecerunt Christo; superbè, & inuidè; quia eiiciendorum dæmonum

Caluinus reprehenditur.

Apostoli contra hereticos defenduntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

potestatem parem habere noluerunt : sicut Ioannis discipulos quantumuis sanctos, æmulatione tamen quadam stimulatos fuisse legimus, quòd viderent Christum plures discipulos facere, baptizaréq;, quàm Ioannem, Ioannis 3.26. meliore omnino spiritu, Theophylact. & Beda Apostolorum animum interpretantur, non inuidia, sed potius charitate prohibuisse. At reprehenduntur à Christo. Reprehenditur quidem factum, animus non reprehenditur. Creda mus sanè, vt æquum est, bono fecisse animo; tamen qua ratione prohibuit? cùm enim rectè, vt diximus, se facere putauerint, necesse est iusta aliqua ducti ratione fecerint; ea quæ fuerit, quæritur; quia eos non sequebatur, hâc enim ipsi rationem reddunt. Sed de hoc ipso dubitatur, quare hac ratione, quòd ipsos non sequeretur, prohibuerint. Non inuidebant, opinor, illi eiiciendi dæmones potestatem, sed cum scirent solis sibi eam Christum auctoritatem tradidisse, volebant eius conseruare disciplinam, neque pati, vt quisquam præter illam etiam, quod bonum per se esset, faceret. Ideo gloriantes, vt diximus, factum Christo narrant. Prohibuimus eum, quòd minimè profectò fecissent, si sua non Christi causa prohibuissent.

39. *Iesu autem ait.*) *Autem* aduersatiua particula indicat Christum aliter, quàm sperabant Apostoli, respondisse. Sperabant illi fore, vt quod narrabant, tanquam egregiè factum, laudaretur à Christo, quod tamen reprehensum est.

Nolite prohibere. In posterum; tunc enim iam prohibuerant, sed tamen iubet deinceps, si ea vti velit potestate, non prohiberi. Vult Christus non solùm per Apostolos, sed per quoscunque etiam alios discipulos doctrinam suam corroborari miraculis. Quo prorsus spiritu D. Paulus ad Philip. 1. 18 dicebat, *Quid enim? dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christi annuntietur? & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Et Moyses, Num. 11. 29. cum nuntiatum illi esset, nescio quos alios in exercitu prophetare, *Quis*, inquit, *tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Idem nos facere Salomon præcipit, Prouerbiorum 3.27. *Noli prohibere benefacere eum, qui potest; si vales, & ipse benefac.*

Nemo enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me.) Virtutem pro miraculo poni nemo nescit. Malè de Christo loqui, vt opinor, est in illum blasphemare, quemadmodum qui in illum non credebant, solebant facere. Plus insinuare Christus voluit, quàm verbis expressit. Nemo potest in nomine meo miracula facere, qui non meam agnoscat potestatem, néque Christum esse confiteatur; sed pro, Qui non confiteatur me, per tapinosin dixit, *qui possit citò male loqui de me.* In promptu ratio est; quisquis in nomine Christi miracula facit, ipsa experitur re, quanta sit Christi potestas, cuius solo nomine à se ipso etiam fortasse non credente miracula fiant. Itaque non potest non citò credere. Sic ego interpretor; etsi paulò aliter Theophylact. & Euthym. quos, cum possum, libenter auctores sequor, interpretati scio; non posse eum, qui nomine Christi miracula facit, tanto ab eo obligatum beneficio malè de ipso loqui. Citò τάχυ positum est pro *facilè* facilè, quasi dicat difficile est, aut vix fieri potest, vt quisquam in nomine meo dæmones eiiciat, & me blasphemet. Reddit ergo causam Christus, cur illum prohibere Apostoli non debeant, quia cum in suo nomine dæmones eiiceret, verisimile esset eum in se credere; hoc enim est non posse malè de ipso loqui. Euthymius aliquanto aliter, quia si fortasse nunc non credit, spes est fore, vt citò credat.

40. *Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.*) Quidam Latini codices legunt, *Qui non est aduersum vos, pro nobis est*: uitiosè, vt ego quidem arbitror. Apparet enim Christum Apostolis ipsorummet verbis respondere voluisse. Dixerant Apostoli, *Vidimus quendam ejicientem dæmonia in nomine tuo eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos*, respondet Christus, *nolite prohibere; qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Duas Christus causas, cur ille prohibere non debeat, reddere videtur, alteram ex gloria sua, cui magis consentaneum erat, vt quamplurimi ipsius nomine miracula facerent, *Nemo*, inquit, *qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me*: alteram ex Apostolorum vtilitate, *qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Quomodo autem hæc sit intelligenda sententia, & quomodo illi non repugnet, quæ contrarijs apud Matthæum verbis est, cap. 12. 30. *Qui non est mecum, contra me est. & qui non colligit mecum, spargit*, illic declarauimus.

41. *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam.*) In hac etiam sententia cum præcedentibus aptè copulanda magno interpretes studio laborant. Nonnulli sic existimant coniungendam, vt tertia sit ratio, qua probet Christus eum, qui suo nomine dæmones eiiciebat, prohibendum non esse. Quia enim dixerat, *nemo est qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me*, addit eum, quod amplius est, non solum illum rectè facere, qui suo nomine tantum præstet hominibus beneficium, sed etiam si quis potum vobis porrigat in nomine meo calicem aquæ frigidæ, adeo bene facere, vt præmium etiam minima non sit mercedem suam amissurus. Alij hortari Christum Apostolos, vt gloriam sibi meritò quærerent; nec enim opus esse, cùm tanti apud Deum sint, vt quisquis illis, vel calicem aquæ frigidæ dederit, mercedem sit suam habiturus. Beda, & Strabo sic, quia ver. 37. dixerat, *Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit*, ne quis paupertatem suam excusare posset, quo minus Apostolos reciperet, addidisse. *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ, nō perdet mercedem suam.* Theophylactus verò, Non solùm gratum mihi est, quòd ille in nomine meo dæmones eiiciat, sed magis etiam, quod minus est, faciat, vt porum vobis in nomine meo porrigat, calicem aquæ frigidæ, adeo gratum est, vt mercede quantumuis exiguum opus non sit carituru. Probabiliter isthæc omnia dicta sunt, sed tamen suspicor frustra quæri in dissoluto corpore iunctura. Neque enim hoc loco Christum id dicere arbitror. Primùm, quia vt ex ipsa opinionum varietate manifestum est, non bene cum superioribus sententijs cohærebat, & non est credendum Christum parum congruenter, & aptè locutum fuisse. Deinde, quòd Matthæus, cap. 10. 42. alio loco hoc à Christo dictum referat, cum ad prædicandum Apostolos mitteret, docerétque, qualia sibi hospitia eligere deberent. *Qui*, inquit, 40. 41. 42. *recipit vos, me recipit, & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Cùm hoc loco hæc sententia non hæreat, apud Matthæum verò hæreat, quis dubitet non hîc, sed illic fuisse à Christo pronuntiatam? Aliquod etiam argumentum est, quòd Marcus sententiam illam, quæ istam apud Matthæum antecedit, alibi non referat; nam si retulisset, hanc proculdubio cum illa, vt Matthæus fecit, copulasset. Cur ergo, dicet aliquis, alieno loco Marcus recenseruit? Respondeo, quia ver. 37. simile quiddam commemorauerat, *Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit.* Quæ autem sit harum verborum vis, atque sententia, apud Matthæum dictum est.

42. *Et quisquis scandalizauerit vnum.*) Hæc etiam coniungi debent cum ijs quæ ver. 47. dicta sunt. Sunt enim illis antitheta, vt apud Matthæum manifestum est. Marcus verò non seruato ordine narrationis inter hæc duo, quæ coniuncta esse debuerunt, longo hyperbato, hiatúque sententiæ multa interseruit, quæ quia loco posita non sunt, minus facilè intelliguntur, & hominum, vbi non est, cohærentiam quærentium exercent ingenia. Cætera vsque ad vers. 44. ex Matthæi commentarijs intelligi possunt.

44. *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*) Verba sunt Isaiæ c. 66. 24. quę Christus eodem sensu, quo à Prophera dicta fuerant, aptè ad id, de quo agebat, accommodauit. Nam vt demus Isaiã de strage, quam Deus in hostibus Iudæorum facturus erat, agere, quia dixerat Deus paulò antè, *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me*; tamen negare non possumus longiùs ad infernas, perpetuásq; damnatorum pœnas prospexisse, cùm dicat vermem eorum non mori; & ignem non extingui; quæ in belli occidionem competere non possunt, vbi non solum ille, qui non extinguitur; sed ne vllus quidem alios est ignis; & vermis, qui in cadaueribus gignitur, breuis admodum est vitæ. Agit ergo de sempiternis damnatorum pœnis, sed agit ex cladibus quæ in bello fieri solent, assumpta metaphora; quia cum hominibus loquebatur, qui bellum viderant, infernum non viderant. Ita verò rem auget, vt ex illis pœnis, quas viderant, maximis alias etiam maximis illis maiores anteponat. Hoc est *Vermis eorum non moritur*, cum ille, qui occisorum in bello corpora depascit, breui tempore moriatur. Hoc, est, *ignis eorum non extinguitur*, cùm illi, qui ferro in bello interimuntur, aut nullo crementur igne, aut eo certè crementur, qui eorum corporibus facilè consumptis statim extingui soleat. Eandem vim in vtroque membro pronomen illud habet *vermis eorum*, & *ignis eorum*, quasi dicat Deus, vermis istorum, qui in bello cadunt, sed eorum, qui in inferno torquebuntur, non moritur: & ignis, nō istorum, quorum cadauera honoris causa cremantur, sed eorum, qui in inferno flammis cruciabuntur, non extinguitur. Solent Prophetæ ex pœnis hominibus magis notis maiores illas, & minus notas inferni pœnas illustrare, vt idem Isaias facit c. 30. 33. *Præparata est ab heri Tophet à rege præparata, profunda, & dilatata, nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succedens eam*, & c. 34. 9. 10. *conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem. Nocte, & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius.* & Malach. c. 4. 1. *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum.* Dicit autem, *Egredientur*, iusti *& videbunt*, alludens ad bellicam cladē, vnde sumpta metaphora fuerat; solent enim ciues, cum propè vrbem suam commisso prælio deleti sunt hostes, exire vrbe, vt occisorum videant stragem. Simul etiam significauit beatos damnatorū ploratu, gaudio, supplicia visuros esse, & quòd Dei iustitia in illis exercenda, gaudium, *manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Psal. 57. 11. Vermem hoc loco metaphoricè accipiendum esse, pro damnatorum cruciatu, nemini dubium est; certè inemini Chrysost. & Theoph. verum esse in damnatis vermem, qui eorum arrodat corpora, alicubi fentire; quo magis miror Theoph. hoc loco vtrumque, & vermem, & ignem metaphoricè accipiendum putare, quemadmodum, & alios auctores existimasse scribit Euthy. Errare tamen mihi videntur, qui ex metaphorico verme metaphoricum etiam ignem colligunt. Quin ex hoc ipso loco contrarium colligere debuerunt. Cùm enim Deus ex bello metaphoram sumeret, quorsum addidit, *Et ignis eorum non extinguetur*, quòd ex bello sumptum non est, nisi quia metaphoricum vermem, ignem verum, non metaphoricum significare voluit? Nec ijs assentior, Catholicis licet interpretibus, & doctis, qui vermem ad animam, ignem ad corpus pertinere putant, quasi vermis conscientiam significet, damnatorum animos remordentem; ignis verum illum ignem corpora excruciantem. Nam & igne non solùm corpora sed etiam animas torqueri credimus. & vermis non solùm animarum, sed multo etiam magis corporum est, ex quibus gignitur, atque nutritur. Et indicat hæc sententia damnatorum animas nullam aliam præter conscientiæ dolorem sentire pœnam, quod præter hæreticos, nescio quos, olim nemo dixit. Verme igitur, & igne neque pœnas diuersas, neque diuersarum hominis partium, sed totius hominis pœnam vnam eandem, totámque significauit. Vnum enim, & idem supplicium ignis verè, vermis metaphoricè dictum est. Itaque particulam illam, *Et*, non tam copulatiuam, quàm exegeticam esse arbitror. Solus Marcus hanc Isaiæ sententiam posuit ab alijs prætermissam Euangelistis: & quidem ter posuit quoties scilicet de igne Gehennæ mentionem fecit, vt hic, & ver. 46. & 48. toties enim eam Christum ingeminasse credendum est, vt celebri Prophetæ testimonio rem fidémque exaggeraret. Similis sententia Eccles. 7. 19. *Vindicta canis impij ignis & vermis.*

Ignis inferni verus, non metaphoricus.

49. *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.*) Huius obscuritas loci magnam interpretationum pepert varietatem. Perdam operæpretium, si omnes voluero recensere; meliores referam, quæque magis idoneos auctores habent. Duabus in rebus obscuritas cernitur, & qua occasione, & quo sensu hæc à Christo sint dicta; sed adeo inter se coniuncta sunt, vt diuelli non possint. Receptissima sententia est, quoniam de eruendo oculo, de abscindendis pedibus, ac manibus, si nos offenderent, locutus fuerat, docere nunc id, si Deo placere velimus, esse necessarium: oportere enim tanquam victimam igne & sale saliri; id est huiusmodi purgari pœnis, vt maiores deuitemus, quæ quia sicut ignis aurum & argentum, ita illæ homines probant, ignis appellentur. Ita Beda, & Theoph. & Strabus. & nemo non recentiorum interpretum. Quam interpretationem quia tot, támque bonos auctores habet, reprehendere non audeo; tantùm dico meo quidem iudicio, quod admodum est exiguum, quadrare non posse. Quanto enim, quámque difficili circuitu vsus esset Christus, si, vt id significaret, ita loquutus fuisset? Alij quia de igne inferni mentionē fecerat, subiecisse omnes homines igne saliendos, id est, aut probandos, aut torquēdos esse, vt ait D. Paulus 1. Cor. 3. 13. *vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Alij causam reddi, quare ignis ille non moriatur, quia scilicet, qui eo torquentur, eodem quasi saliuntur, ideóque incorrupti in perpetuis cruciatibus conseruantur. Nolo hæc multis refutare verbis persuasus fore, vt cum veram horum verborum sententiam indicauerimus, omnes aliæ per se refellantur explicationes. Dicerem confidentius sententiam meam, si aliū eius aliquem præter me auctorem reperissem: nunc autem ea dicam lege, vt nolim lectori præiudicatam tradere, sed iudicandam. Ego quidem mihi ita persuadeo Christum de illis tantùm loqui, de quibus dixerat, *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Nam cum id dixisset, generalem, aut de omnibus ho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

minùs thesim ponere,qui doceret omnes esse igne aut cruciandos,aut purgandos;aut minùs generalem de solis bonis, qua significaret eos rebus aduersis, quasi igne probari oportere,equidem non video,qua orationis, sententiæue consequentia potuerit. Sententia verò ipsa, verbaque postulabant, vt cum de damnatorum egisset poenis,de isdem consequētibus etiam verbis loqueretur. Loquitur autem dicens, *Omnis enim igne salietur*, id est vnusquisque eorum quorum, *vermis non moritur, & ignis non extinguitur*. Reddit quippe causam, quare ignem eorum dixerit, quasi in igne futuri sint, quia inquit, omnes illi igne salientur, id est condientur, torrebuntúrque veluti carnes,quæ ad esum igne assantur. Non ergo per particulam illam, *enim*, causa redditur, cur ignis extinguendus non sit,sed cur illorum ignis fuerit appellatus. Nam qui priori etiam loco victimam intelligendam esse putant,quasi dicat, *omnis victima igne salietur*, Græca non legerunt, quæ cùm diuersi sint generis, istam non patiuntur ambiguitatem, (πᾶς γὰρ ἀνθρωπος πυρὶ ἁλισθήσεται καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται). Rectè quidem,dicet aliquis, si dixisset,omnis enim igne cremabitur, aut torrebitur,aut cruciabitur, aut simile quidpiam. *Salietur* autem quorsum? quid enim saliri cum igne commune habet? Respondent quidam hoc habere,quòd vtrumque & ignis,& sal humores exsiccet. At quid hoc ad rem? neque enim de siccandis humoribus quod medicamentum potiùs, quàm supplicium esset, sed de cruciandis hominibus agebatur. Respondent alij siccatis humoribus res conferuari, & diuturniores fieri, voluisseque his Christum verbis rationem reddere, quare dixisset non esse extinguendum ignem eorum. Quibus verò ista fuisset ratio? Neque enim propterea ignis non extinguitur,quia humores siccat; sed ideo potiùs extinguitur, quia subiectæ materiæ humore consumpto alimento carens nutriri non potest. Voluit, inquiunt alij, rationem afferre, quamobrem, cùm igne damnati cruciantur, non consumantur, quia nimirum saliti sunt. & quæ salita sunt,facilè conseruantur,saliti autem sunt igne. Quod quamuis verum sit,tamen non dixerat igne damnatos non consumi; & si id dixisset,eius rei causam aliam magis,vt opinor, propriam attulisset. Sunt qui philosophentur eorum,quæ saliuntur alia solo sale,alia sale simul, & igne saliri, vt carnes quæ aspersо sale suppositо igne torrentur. His similes esse damnatos. Vbi ergo sal eorum est quo dicantur aspersi? Qui autem de omnibus hominibus, aut de bonis saltem omnibus agi putant,respondent propterea dixisse igne saliri,quòd ignem pro afflictione posuerit, qua homines quasi mordaci sale ad redundantes humores exsiccandos purgantur. Sed eam opinionem supra refutauimus, docuimúsque de solis agi damnatis. Quid ergo? Voluit,nisi fallor,Christus de damnatis,tanquam de occisis victimis metaphoricè loqui. Solent enim, qui à Deo aut in hac,aut in altera vita temporali, aut sempiterna morte puniuntur,victimæ vocari,quòd tanquam ligatæ victimæ quæ sacrificanti resistere non possunt,à Deo ad declarandam ipsius gloriam,atque iustitiam,quodammodo trucidentur, Isaiæ 34.6. *Gladius Domini repletus est sanguine,incrassatus est adipe,de sanguine agnorum,& hircorum,de sanguine medullatorum arietum,victima enim Domini in Bosra,& interfectio magna in terra Edom*, & Ier.12.3. *Et tu Domine nosti me, vidisti me,& probasti cor meum tecum,congrega eos,quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis*, & c.46.10. *Dies autem ille Domini Dei exercituum,dies vltionis,vt sumat vindictam de inimicis suis,deuorabit gladius,& saturabitur,& inebriabitur sanguine eorum. Victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis iuxta flumen Euphratem*, & c.51.40. *Deducam eos sicut agnos ad victimam,quasi arietes cum hœdis*, & Ezech.21.9. *Loquere gladius,gladius exacutus est,& limatus,vt cædat victimas,exacutus est; vt splendeat,limatus est*, & c.39.17. *Die omni volucri, & vniuersis auibus, cunctisque bestiis agri. Conuenite,properate,concurrite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israël, vt comedatis carnem,& bibatis sanguinem*. Quia ergo Christus Isaiæ testimonium adducens, in quo, aut de occidione bellica, aut de damnatis, vt diximus, sumpta ex occidione bellica metaphora agebatur, & qui in bello à Deo occiduntur, eius victimæ vocantur, perstitit in metaphora Propheta admodum vsitata,& de damnatis, tanquam de victimis loquutus est,& quia,vt lex præcipiebat, Leuit.2. omnis victima salienda erat, dixit etiam damnatos esse saliendos: veruntamen eorum salem non esse futurum istum,quo alias victimas saliri lex præcipiebat,sed pro sale futurum illis ignem, cuius perpetuis cruciatibus torquerentur. Quòd autem addit, *omnis victima sale salietur*, dubiũ non est ad Leuiticæ legis alludere. Illud tamen non negligenter obseruandum, coniunctionem illam, & ex Hebræorum idiomate non tam copulatiuam hoc loco,quàm comparatiuam esse,quasi dicat, Sicut omnis victima,quemadmodum lege præscribitur,sale salietur,ita omnis damnatus igne. Cuius locutionis exempla multa luculentis litteris sacris, maximè in Prouerbijs Salomonis occurrunt, c. 25 3. *Cælum sursum, & terra deorsum, & cor regum inscrutabile*, id est sicut cælum sursum, terra deorsum inscrutabilis est,ita etiam cor regis,& ver.23. *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem*, id est sicut ventus Aquilo dissipat pluuias, ita facias tristis dissipat linguam detrahentem. & ver.25. *Aqua frigida animæ sitienti,& nuntius bonus de terra longinqua*,id est sicut aqua frigida homini sitienti, ita bonus nuntius,qui de terra longinqua veniens expectatur, iucundus est. Nam quòd in his exemplis non prius cum posteriori; sed cum priori posterius comparari videatur, nihil refert,cùm reciproca vis quæ similitudo sit.

50. *Bonum est sal.*) Abhorrere hæc sententia à superiore videtur. D. Augustl. libr. 4 de consensu Euangelistarum c 6.cum ver.30. coniunxit, quasi Christus docere velit Apostolos debere illum, qui suo nomine dæmones eiiciebat,tolerare prudenter, atque patienter. Vtrumque enim, & prudentiam, & patientiam sale significari. Theophylact. verò,quia de sale Christus loquutus fuerat, docere nunc Apostolos, vt sale habeant id est doctrinam, & Spiritus gratiam, quæ vim habeat restringendi, quemadmodum sal, qui est homines à vitijs cohibendi. Euthym.quia inter se Apostoli contenderant,monere Christum eos,vt habeant inter se id est charitatem,& pacem inter se habeant. Mihi suspicio est Christum non hoc,sed alio loco hanc dixisse sententiam,cum multo ante Apostolos exhortaretur, vt bono omnibus essent exemplo,quo essent *sal terræ; quòd si sal euanuerit,in quo salietur?* Sed nimirum Marcus,vt multa alia,alieno loco posuit,non alia occasione, quàm quòd salis mentionem intulisset, quemadmodum solemus in subitis colloquijs vnius occasione verbi in alios labi sermones. Idem Lucas fecit c.14.34. Nisi Gregorij sententia placet,qui sensum hunc esse putat,ne habeatis illum damnatorum, id est ignem, sed illum, quo victimæ condiuntur, id est prudentiam, charitatem,& pacem,quæ per illum significantur.

CAPVT X.

1. Et inde exurgens venit in fines Iudææ vltra Iordanem: & conueniunt iterum turbæ ad eum: & sicut consueuerat,iterum docebat illos. 2. Et accedentes Pharisæi interrogabant eum: Si licet viro vxorem dimittere: tentantes eum. 3. At ille respondens,dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? 4. Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudij scribere, & dimittere. 5. Quibus respondens Iesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. 6. ab initio autem creaturæ masculum,& fœminam fecit eos Deus. 7. Propter hoc relinquet homo patrem suum,& matrem,& adhærebit ad vxorem suam: 8. & erunt duo in carne vna. Itaque iam nō sunt duo,sed vna caro. 9. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. 10. Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogauerunt eum. 11. Et ait illis: Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit,adulterium committit super eam. 12. Et si vxor dimiserit virum suum,& alij nupserit,mœchatur. 13. Et offerebant illi paruulos vt tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. 14. Quos cum videret Iesus,indigne tulit,& ait illis: Sinite paruulos venire ad me,& ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. 15. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus,non intrabit in illud. 16. Et complexans eos,& imponens manus super illos,benedicebat eos. 17. Et cum egressus esset in viam,procurrens quidam genu flexo ante eum,rogabat eum: Magister bone,quid faciam vt vitam æternam percipiam? 18. Iesus autē dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus,nisi vnus Deus. 19. Præcepta nosti: Ne adulteres,Ne occidas,Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris,Ne fraudem feceris,Honora patrem tuum & matrem. 20. At ille respondens,ait illi: Magister, hæc omnia obseruaui à iuuentute mea. 21. Iesus autem intuitus eum,dilexit eum,& dixit ei: Vnum tibi deest: vade,quæcumque habes vende,& da pauperibus,& habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. 22. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones. 23. Et circumspiciens Iesus,ait discipulis suis: Quàm difficile qui pecunias habent,in regnum Dei interrogabunt! 24. Discipuli autem obstupescebant in verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis: Filioli,quàm difficile est,confidentes in pecunijs in regnum Dei introire! Facilius est camelum per foramen acus transire,quam diuitem intrare in regnum Dei. 26. Qui magis admirabantur,dicentes ad semetipsos: Et quis potest saluus fieri? 27. Et intuens illos Iesus,ait: Apud homines impossibile est,sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum. 28. Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia,& secuti sumus te. 29. Respondens Iesus,ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres,aut sorores,aut patrem,aut matrem,aut filios,aut agros propter me,& propter Euangelium, 30. qui non accipiat centies tantum,nunc in tempore hoc: domos, & fratres,& sorores, & matres,& filios,& agros,cũ persecutionibus,& in sæculo futuro vitam æternam. 31. Multi autem erunt primi nouissimi,& nouissimi primi. 32. Erant autem in via ascendentes Ierosolymam: & præcedebat illos Iesus,& stupebant: & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim,cœpit illis dicere quæ essent ei euentura. 33. Quia ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & senioribus, & damnabunt eum morte,& tradent eum gentibus: 34. & illudent ei, & conspuent eum,& flagellabunt eum,& interficient eum: & tertia die resurget. 35. Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi,dicentes: Magister,volumus vt quodcumque petierimus,facias nobis. 36. At ille dixit eis: quid vultis vt faciam vobis? 37. Et dixerunt: Da nobis: vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. 38. Iesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem,quem ego bibo: aut baptismo,quo ego baptizor,baptizari? 39. At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus autem ait eis: Calicem quidem,quem ego bibo,bibetis: & baptismo,quo ego baptizor, baptizabimini: 40. sedere autē ad dexteram meam,vel ad sinistram,non est meum dare vobis,sed quibus paratum est. 41. Et audientes

Matt.19. a.1.
Deut.24. a.1.
Gen.1.d. 27.
Gen.2.d. 24.
Matt.19. a.4.
1.Cor.6.d. 16.
Eph.5.g. 31.
1.Cor.7. b.10.
Matt.9. d.16. Luc.18.d. 18.
Exod.20. c.1.
Matt.19. d.27. Luc.18.e. 28.
Matt.19. d.30. Luc.18.f. 31.
Matt.20. c.20.
Luc.22.c. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

decem cœperunt indignari de Iacobo, & Ioanne. 42. *Iesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum.* 43. *Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri maior, erit vester minister:* 44. *& quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus.* 45. *Nam & Filius hominis non venit vt ministraretur ei, sed vt ministaret, & daret animam suam redemptionem pro multis.* 46. *Et veniunt Ierico: & proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta viam mendicans.* 47. *Qui cum audisset quia Iesus Nazarenus est, cœpit clamare, & dicere: Iesu fili Dauid, miserere mei.* 48. *Et comminabantur ei multi vt taceret. At ille multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei.* 49. *Et stans Iesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior esto: surge, vocat te.* 50. *Qui proiecto vestimento suo exiliens, venit ad eum.* 51. *Et respondens Iesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, vt videam.* 52. *Iesus autem ait illi: Vade: fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.*

Luc.22.c.25.

Matt 20.d.20. Luc.18.f.31.

IN CAP. X.

1. *ET inde exurgens.*) Ex domo Petri, quæ erat in Capernaum. In eam enim ingressus, c. 9 33 sermones illos habuit, qui ab eo loco vsque ad finem superioris capitis narrati sunt. Porro totum hoc caput apud Matt. c. 19. & 20. expositum est. Quædam tantùm, quæ propria sunt Marci, carptim explicauimus.

Et venit in fines Iudææ vltra Iordanem.) Non erant vlli fines Iudææ, nisi vltra Iordanem; sed fines vltra Iordanem vocat eos, quibus Iudæa Iordanem versus terminabatur. Quo autem sensu regio vltra, aut trans Iordanem vocaretur, Matth. 4. 15. 25. & supra c. 3. 8. docuimus. Cur non statim recta se via contulerit Ierosolymam, hanc Theoph. causam fuisse arbitratur, quòd voluerit prius populum illum docere, qui propter Iordanem habitabat.

Et conueniunt iterum turbæ ad eum.) Videtur loqui de turbis, quæ ad famam aduentus eius confluxerint ex Iudæa. Matthæus tamen indicat secutas eum fuisse à Galilæa, cap. 19. 2. Vtrinque concurrisse credendum est. Vide reliqua apud Matthæum vsque ad versum 32.

32. *Erant autem in via ascendentes Ierosolymam.*) Ierosolymam versus; nondum enim propè Ierosolymam erat. & die sabbati ante sex dies Paschæ Bethaniæ requieuerat, Ioannis 12. 1. Ascendere autem dicitur non simpliciter, ire, vel quia Ierosolyma supra Sion montem sita erat, vt Hebræorum interpretes volunt; vel quia, vt ego arbitror, Hebræis עלה ascendere sæpè est simpliciter, ire.

Et præcedebat illos Iesus.) Vt ostenderet, opinor, volentem ad mortem progredi, non inuitum trahi, vt etiam Theophyl. admonuit. & ex sequenti antitheto colligitur, *Et sequentes*, inquit, *timebant*, propterea ergo ille præcedebat, quia non timebat, sed quærebat mortem.

Et stupebant.) θαμβεῖσθαι, quo verbo non quilibet stupor, sed ille, qui ex ingenti metu proficiscitur, propriè significatur, vt statim explicatur, *Et sequentes*, inquit, *timebant*, id est timide sequebantur. Cur autem timuerint facilis suspicio est, & Beda his verbis exponit, *Idcò Ierosolymam tendentes discipuli cum Domino stupebant & timebant, quia meminerant sermonis eius, quo se passurum multa à summis sacerdotibus & Scribis, & occidendum prædixerat esse, metuentes ne vel ipsi cum eo occiderentur, vel saltem ille, cuius vita, & magisterio gaudebant, inimicorum manibus occumberet.*

A 42. *Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus,* οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, qui videntur gentibus imperare, id est qui dominatione in gentes elati sunt, hominum opinione; verbum enim δοκοῦντες, quo videntur, non arbitror hoc loco significare eos non dominantes, sed videri dominari. Illi quippe maximè omnium dominantur, qui tyrannidem exercent, idque videntur etiam Christus indicare. Sed significat famam & opinionem, quasi dicat, qui imperandi opinione maximè excellunt, aut qui optimè videntur gubernare, vt 1. Cor. 3. 18. εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν, si quis videtur inter vos sapiens esse, id est, si quis sapiens habetur, & cap. 3. εἴ τις δοκεῖ προφήτης εἶναι ἢ πνευματικός, Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, & ad Galat. 2. 2, 6. 9.

B *Dominantur eorum.*) κατακυριεύουσιν αὐτῶν, dominantur eorum, & tyrannidem in eos exercent, quasi imperium tyrannide metientes, existimantésque eo meliùs imperare quemque, quo seuerius in suos subditos, quasi in capta bello mancipia dominatur. Vana hæc, quæ hoc loco hæretici disputant, Episcopos Ecclesiæ Catholicæ Apostolorum successores esse non posse, cùm dominentur, & Apostolos Christus dominari prohibuerit. Nec enim negat Christus aut Apostolum vnum in alios, aut omnes in alios, qui Apostoli non essent, habere potestatem. Ostendit se eam habere D. Paulus, & quidem posse duriùs in subditos agere, si velit 2. Cor. 13. 10. Indicat se virga etiam, id est magna seueritate vti posse, 1. Cor. 4. 21. Quin eodem ipso loco rectè colligitur Apostolos aut habuisse eam, aut habituros fuisse postea eam potestatem. Si enim neque habebant, nec erant postea habituri, quorsum illis hoc exemplũ, quod ad ipsos minimè pertinebat, proposuisset? Quorsum illis modum ea vtendi postulare, quam nunquam habituri erant tradidisset? Non ergo potestatem negat, sed inter vsum secularis, & Ecclesiasticæ potestatis discrimen ponit, quòd seculares magistratus plerumque ambitione, & dominandi cupiditate potestatem exerceant; Ecclesiastici humiliter, modestè &, vt ait Petrus, non *dominantes in cleris, sed forma facti gregis* 1. epist. c. 5. 3. Rectè Leo epist. 55. *Et ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis expers, dicente Domino, Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus; sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et tamen hæc illis tunc temporibus dabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de minimo ad summa transire.* Vide quæ de hac re, deque toto reliquo capite apud Matthæum diximus.

C

D

CAPVT XI.

1. *ET cum appropinquarent Ierosolymæ, & Bethaniæ ad Montem oliuarum, mittit duos ex discipulis suis,* 2. *& ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: soluite illum, & adducite.* 3. *Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc.* 4. *Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio: & soluunt eum.* 5. *Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis soluentes pullum?* 6. *Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Iesus, & dimiserunt eis.* 7. *Et duxerunt pullum ad Iesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.* 8. *Multi autem vestimenta sua strauerunt in via: alij autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via.* 9. *Et qui præibant, & qui sequebantur clamabant, dicentes Hosanna:* 10. *Benedictus, qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid: Hosanna in excelsis.* 11. *Et introiuit Ierosolymam in templum: & circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exijt in Bethaniã cum duodecim.* 12. *Et alia die cum exirent à Bethania, esurijt.* 13. *Cumq; vidisset à longè ficum habentem folia, venit si quid fortè inueniret in ea, & cum venisset ad eam, nihil inuenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.* 14. *Et respondens dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli eius.* 15. *Et veniunt Ierosolymam. Et cum introisset in templum, cœpit eiicere vendentes, & ementes in templo: & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* 16. *& non sinebat vt quisquam transferret vas per templum:* 17. *& docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* 18. *Quo audito principes sacerdotum, & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius.* 19. *Et cum vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate.* 20. *Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.* 21. *Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.* 22. *Et respondens Iesus ait illis: Habete fidem Dei.* 23. *Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quod cumque dixerit, fiat, fiet ei.* 24. *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* 25. *Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquẽ: vt & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.* 26. *Quòd si vos non dimiseritis: nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.* 27. *Et veniunt rursus Ierosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & Scribæ, & seniores:* 28. *& dicunt ei: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem vt ista facias?* 29. *Iesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos & ego vnũ verbum, & respondete mihi: & dicam vobis in qua potestate hæc faciam.* 30. *Baptismus Ioannis, de cælo erat, an ex hominibus? Respondete mihi.* 31. *At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus, De cælo, dicet, Quare ergo non credidistis ei?* 32. *Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum, omnes enim habebant Ioannem, quia verè propheta esset.* 33. *Et respondentes dicunt Iesu: Nescimus. Et respondens Iesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.*

Matt. 21. d. 1. Luc. 19. c. 29.

Ioan. 12. b. 14.

Matt 21. b. 9. Luc. 19. g. 38. Psal. 117. d. 25. Matt. 21. b. 20. Matt. 21. b. 19.

Isa. 56 c. 7 Ier. 7. b. 11.

Matt. 7. a. 7. & 21. c. 22.

Luc. 11. b. 9. Matt. 6. b. 14. & 18. d. 35. Luc. 20. a. 1.

IN CAP. XI.

1. *ET cum appropinquarent Ierosolymæ.*) Ad duo milliaria passuum, vt constat Ioannis 11. 18. & Actorum 1. 12. Accidit autem hoc sex diebus ante vltimum illud quinto potiùs die, vt colligitur ex Ioanne cap. 12. 1. Nam die sexto ante Paschа, qui sabbatum erat, Bethaniæ requieuit Christus, vbi cœna illa exhibita illi est

A accumbente Lazaro, eiúsque sorore Martha ministrante. Sequenti verò die, qui Dominico nostro respondebat, inde profectus, asinóque insidens Hierosolymam ingressus est.

Et Bethaniæ.) εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, in Bethphage, & Bethaniam, vt apud Matthæum c. 21. 1. & apud Lucam cap. 19. 29. etti Beda, & Strabus non legunt Bethphage. Quæ sequuntur vsque ad ver. 18. ex com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentarijs in Matthæum cap. 21.1.2.19. intelligentur. A

18. *Quo audito.*) Quasi & facto, & oratione Christi existimulati essent, vt consilia de eius morte agitarét, Euthy. ὡς ὑπὸν αὐτοῦ σκαμμαλίσαι καὶ ἀναιρῆσαι, & cum audissent Scribæ, & Principes sacerdotum.

Timebant enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius.) Timebant, vnde lætari eos oportebat, quòd vniuersus populus admirans eum sequeretur. Timebant, ne ipsi desererentur, suamque auctoritatem, quæ vt ait Iosephus, maxima apud omnes erat, amitterent. Qua etiam ratione apud Ioannem cap. 11. 47. 48. cum vidissent miraculorum, quæ faciebat, multitudinem, dicuntur timuisse, *Colligerunt*, inquit Ioannes. *Pontifices, & Pharisæi consilium,* B *& dicebant, Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Aut timebant eum, id est non audebant manus in eum iniicere metu plebis, quæ eum vniuersa sequebatur, vt apud Luc. c. 19. 47. 48. *Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant eum perdere, & non inueniebant, quid facerent illi, omnis enim populus suspendebatur eius audiens eum.*

19. *Et cum vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate.*) Verbum *egrediebatur*, non solum actum, sed consuetudinem etiam significat. Solebat enim singulis diebus vesperi Bethaniam secedere, vbi hospitium habebat, mane verò redire Ierosolymam, vt in templo doceret. vt colligitur ex Luca cap. 21. 37. & 22. 39. quod fecit tribus continenter diebus, Dominico, Lunæ, Martis; die verò Mercurij, & Iouis Bethaniæ sese continuit, vsque ad vesperum, quo, vt Pascha celebraret, ac pateretur, Ierosolymam rediit.

25. *Et cum stabitis ad orandum.*) ὅταν στήκητε προσευχόμενοι, cùm steteritis orantes, id est ad orandum. Opinionem eorum, qui existimant consuetudinem Iudæorum fuisse, vt stantes orarent, apud Matth. c. 6. 5. refutauimus. Hoc loco propriè significat stare coram Deo, vt constat ex Matth. c. 5. 23. 24. Vbi aliis verbis idem dicitur, *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Hoc ergo est stare ad orandum, aut ad offerendum, esse ante altare, esse ante Deum. Pronunciauit etiam à Christo fuit hæc sententia, Matth. c. 14. 6. Lucas fortasse Marcus suo hic loco non posuit, sed cum ad orationem mentionem fecisset, adiunxit etiam hoc quod ad orationem maximè pertinebat, vt videtur Hieron. aut quisquis auctor ille est existimare. Etsi est valde credibile hanc Christum sententiam non semel, sed vno tantum loco, sed sæpius, ac pluribus repetuisse. διὸ καὶ πρὸς ὑπαναχώλειν δεῖ τὸ κακὸν ἔχειν, inquit ille apud Platonem. Itaque non contentus Christus id iam bis apud Matth. cap. 5. 24. & cap. 6. 14. verbis docuisse, proposita etiam ea de re parabola in animis nostris Matth. 18. 21. Quibus locis, quid hæc sibi velle sententia declaranimus.

Si quid habetis aduersus aliquem.) Animaduertat lector alio sensu dici hîc, habere aliquid aduersus aliquem, & apud Matth. c. 5. 24. Nam illic est iniuriam fecisse, hîc accepisse. Vterque enim, & qui fecit, & qui accepit iniuriam, dicitur aliquid aduersus alterum habere, quia vicissim vterque alterum odit. Sed qui fecit, timet; qui accepit iniuriam, cupit, quærit que vindictam. Reliqua vsque ad finem capitis ex Matthæi commentarijs intelligentur.

CAPVT XII.

1. *Matt. 21. d. 33. Luc. 20. b. 9. Isaiæ 5. a. 1. Ier. 2. d. 21.*

ET cœpit illis in parabolis loqui: *Vineam pastinauit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est.* 2. *Et misit ad agricolas in tempore seruum vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ.* 3. *Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum.* 4. *Et iterum misit ad illos alium seruum: & illum in capite vulnerauerunt, & contumelijs affecerunt.* 5. *Et rursum alium misit, & illum occiderunt: & plures alios: quosdam cædentes, alios verò occidentes.* 6. *Adhuc ergo vnum habens filium charissimum: & illum misit ad eos nouissimum, dicens: Quia reuerebuntur filium meum.* 7. *Coloni autem dixerunt ad inuicem. Hic est hæres: venite, occidamus eum: & nostra erit hæreditas.* 8. *Et apprehendentes eum, occiderunt: & eiecerunt extra vineam.* 9. *Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos: & dabit vineam alijs.* 10. *Nec scripturam hanc legistis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:* 11. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?* 12. *Et quærebant eum tenere: & timuerunt turbam. cognouerunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.* 13. *Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, vt eum caperent in verbo.* 14. *Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?* 15. *Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium vt videam.* 16. *At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cuius est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris.* 17. *Respondens autem Iesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.* 18. *Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse: & interrogabant eum dicentes:* 19. *Magister, Moyses nobis scripsit, vt si cuius frater mortuus fuerit, & dimiserit vxorem, &*

Psal. 117. d. 22. Isa. 28. d. 16. Act. 4. b. 11. Ro 9. g. 33. 1. Pet. 2. a. 8. Matt. 21. d. 42. Matt. 22. b. 31. Luc. 20. d. 20.

Ro. 13. c. 7. Matt. 22. c. 23. Luc. 20 d. 27. Deut. 25. b. 5.

non reliquerit, accipiat frater eius vxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo. 20. *Septem ergo fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus est non relicto semine.* 21. *Et secundus accepit eam, & mortuus est: & nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.* 22. *Et acceperunt eam similiter septem: & non reliquerunt semen. Nouissima omnium defuncta est & mulier.* 23. *In resurrectione ergo cum resurrexerint, cuius de his erit vxor? septem enim habuerunt eam vxorem.* 24. *Et respondens Iesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?* 25. *Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cælis.* 26. *De mortuis autem quòd resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob?* 27. *Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Vos ergo multum erratis.* 28. *Et accessit vnus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis respondisset, interrogauit eum quod esset primum omnium mandatum.* 29. *Iesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est:* 30. *& diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.* 31. *Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Maius horum aliud mandatum non est.* 32. *Et ait illi Scriba: Bene Magister, in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum.* 33. *Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs.* 34. *Iesus autem videns quòd sapienter respondisset, dixit illi: Non est longè à regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.* 35. *Et respondens Iesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse Dauid?* 36. *Ipse enim Dauid dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* 37. *Ipse ergo Dauid dicit eum Dominum, & vnde est filius eius? Et multa turba eum libenter audiuit.* 38. *Et dicebat eis in doctrina sua: Cauete à Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro,* 39. *& in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis:* 40. *qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius iudicium.* 41. *Et sedens Iesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa.* 42. *Cum venisset autem vidua vna pauper, misit duo minuta, quod est quadrans,* 43. *& conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.* 44. *Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.*

Deut. 25. b. 5. Matt. 22. d. 24. Luc. 20. g. 28. Matt. 22. d. 34. Deut. 6. a. 4. Exod. 3. b. 6. Mat. 22. d. 32. Mat. 22. d. 34. Deut. 6. a. 5. Leuit. 19. d. 18. Mat. 22. d. 39. Rom. 13. c. 9. Galat. 5. c. 14. Iac. 2. b. 8. Matt. 22. d. 42. Luc. 20. g. 41. Mat. 23. a. 6. Luc. 11. f. 43. & 20. g. 46. Luc. 21. a. 1.

IN CAPVT XII.

1. *Cœpit illis in parabolis loqui.*) In parabolis Christum locutum fuisse dicit, cùm vnam tantum illius parabolam reciter, indicans se alias prætermittere. Et verò ita est; nam Matthæus cap. 21. 28 & 22. 1. duas præter hanc parabolas ponit à Christo tunc dictas: alteram illam hominis duos habentis filios, quorum alter iussus à patre in vineam laboratum ire respondit se iturum, nec ijt; alter cum se iturum negauisset, ijt. cap. 21. 28. 29. alteram illam regis, qui cum fecerat nuptias filio suo, misit seruum, qui inuitatos vocaret; qui alio quin, prætextu venire noluerunt. Totum verò hoc caput vsque ad vers. 41. in Matthæum cap. 21. & 22. tractatum est.

41. *Et sedens Iesus contra gazophylacium.* Quid gazophylacij nomen significet, quidque in templo esset, vix iam quenquam arbitror ignorare; dicendum tamen, vt lectoris minùs etiam docti ratione aliquam habeamus. Gaza vocabulum è regione Persarum, à Latinis tamen auctoribus vsurpatum regiam pecuniam, siue thesaurum, vt Curtius, & Mela scribunt, propriè declarat; inde factum, vt omne diuitiarum genus gaza diceretur. *Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima,* inquit ille, *potius est Paulus.* συλᾶσθαι verò Græcis seruare est. Hinc γαζοφυλάκιον gazophylacium dictum est, quasi locus vbi templi thesaurus condebatur, qui quia ex oblationibus potissimùm constabat ab Hebræis, קרבן או תקריב offerendo dictus est. Erat autem in templo eiusmodi locus duplex, vt hoc etiam loco Beda obseruauit, & in sacris litteris facilè colligitur, alter in quem pecunia, alter in quem res aliæ maioris molis à populo conijciebantur. Ille arca erat, quales nunc in templis videmus. 4. Regum 12. 9. 10. hic aula, aut locus aliquis huiusmodi amplius, & multarum rerum capax, 2. Esdræ 10. 37. 38. & Ioann. 8. 20. Christus hic

Lib. 3. nō longe à fine lib. 1. cap. 11. Cicer. lib. 2. de Of. Liuius 5. de bello Pun.

Universidad de Deusto
Biblioteca

è regione gazophylacij prioris. id est aræ: sedisse dicitur. Quod vtrum fortè lassitudine, an certo potiùs consilio fecerit, incertum. Sed fieri ex eventu coniectura potest nihil nisi de industria fecisse, idq; verbũ, quo statim vtitur. Græcũ indicat ἐβάλλε᾽ ἀφιεσαν, considerabat, quasi in hoc sedisset, vt eos, qui dona in gazophylacium conficiebant, cõtemplaretur, & aliquid inde doctrinæ ad discipulos deriuaret.

Quomodo turba iactaret æs in gazophylacium.) Videtur consultò verus interpres idem verbum βάλλε variè vertisse, vt indicaret diuerso sensu à Christo dictũ fuisse. Nam hîc bis vertit, iactare, cum de turba loquitur, quæ ostentationis causa ita in gazophylacium mittebat æs, vt iactaret, maiore sonitu doni magnitudinem declarans. Versu autem se quẽti, cum de vidua loquitur, quæ duo iecit minuta, non dixit iactasse, sed misisse, siue vt pecuniæ exiguitatem, siue vt modum cauendi modestum, & ab omni alienum ostentatione significaret.

Et multi iactabant multa.) Non est sensus varios varia, alios alia, atque ita multos multa iactasse; sed multos venisse, quorum singuli iactauerint multam magnámque pecuniam.

42. *Cum venisset autem vidua vna pauper.*) Singula verba emphatica sunt. & quòd viduá, & quòd vnam, & quòd pauperem vocat. Nam & quia pauper magis ea, quam in gazophylacium mittebat, pecunia indigebat. Vnam igitur multis; viduam, pauperémque diuitibus opponit; duo verò minuta multæ, magnæque pecuniæ, quæ à diuitibus iactabatur.

Misit duo minuta, quod est quadrans.) Quid fuerit quadrans. Matthæi 5. 26. docuimus. Dubium autẽ videtur esse, vtrum horum verborum sensus sit, vnumquodque minutum, an simul vtrumque esse quadrantem. Euthym. singula minuta singulos quadrantes fuisse putat, quæ opinio validissima videtur posse ratione confirmari; nam quod Matthæus 5. 26. dicit, *Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*, Lucas cap. 12. 59. dicit, *donec reddas nouissimũ minutum*, quasi quadrans, & minutum idem sint. Sed Euthymij opinionem apud Matthæum copiosè refutauimus, & rationem istam dissoluimus. Itaque multo est probabilius, quod Hieronymus sentit Matthæi 5. duo si-

Quid quadrãs.

A mul minuta vnum fuisse quadrantem. Voluit enim Christus minimam monetam minuti nomine significare. Quantum autem vidua illa in gazophylacium miserit misso quadrante, ex b. Matthæi intelliges commentario.

43. *Et conuocans discipulos suos.*) Lucas cap. 21. 2. non declarauit discipulos à Christo vocatos fuisse. Marcus id expressiùs indicãs, vt opinor, aliquid in eo fuisse mysterij certè consilij. Noluit, fortasse viduam, ne maledicam vitaret laudare publicè, omniq; populo præferre; aut nõ exist: mauit alios, quàm discipulos suos ibi coneos, quibus id exponeretur, auditores esse.

B *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.*) Plus minuta dicitur vidua, non si muneris per se magnitudinem, sed si viduæ si pauperis inopiam, charitatemque consideres; quia viduæ, & pauperi plus duo minuta erant, quàm diuiti permulta; & maioris erat charitatis viduam duo illa, quibus vitam suam sustentare erat, dare minuta, quàm diuitem grandem pecuniam in Dei thesaurum inferre. Hoc est, quod verè frequenti dicitur.

44. *Omnes enim ex eo, quod abundabãt illis, miserũt,* ex rebus, quæ ipsis non erant necessariæ, & eis quidem non omnes, sed ex illis aliquid:

Hæc vero de penuria sua.) Penuriam opponit abundantiæ. Vocat autem penuriam, non id, quod non habebat, vt nomen propriè significat, verùm id, quod habebat quidem, sed ita habebat, vt ne ad sustentandam quidem vitam suam satis esset, vt ilarum explicat, cum dicit, *totum victum suum.* Obseruet diligens lector non vituperari eos, qui magnam tempore pecuniam offerebant, sed viduam illis minorem offerentem pecuniam propter maiorem charitatem prælatam referri; neque improbari, sed laudari à Christo obla-

D tiones eas, quæ in ministerium, ornatumque templi offeruntur, &, vt ait Lucas cap. 21. 4. *in munera Dei*, quas noui quidam hæretici in sacrificia, & ornamenta templi fieri nolunt; ad gerenda verò contra Catholicos principes bella, eósque de regnorum suorum possessione deturbandos ipsi in suis templis, in concionibus ita factitant, vt ea plerumque illis habendarum concionum causa sit.

Mat. 24. a. 1. Luc. 19. §. 44. & 21. b. 5.

Eph. 2. b. 6. 2. Thes. 2. a. 3.

Mat. 10. b. 19. Luc. 12. b. 11. & 21. d. 14.

CAPVT XIII.

1. ET *cum egrederetur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ.* 2. *Et respondens Iesus, ait illi: Videsne has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* 3. *Et cum sederet in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum seorsum Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas:* 4. *Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari?* 5. *Et respondens Iesus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos seducat:* 6. *multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & multos seducent.* 7. *Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: sed nondum finis.* 8. *Exurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.* 9. *Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides, & reges stabitis propter me, in testimonium illis.* 10. *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium.* 11. *Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.* 12. *Tradet autem frater fratrem in*

mortem, & pater filium: & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos. 13. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.* 14. *Cum autem videritis abominationẽ desolationis stãtem, vbi non debet, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes:* 15. *& qui super tectum, ne descendat in domum, nec introcat vt tollat quid de domo suâ:* 16. *& qui in agro erit, non reuertatur retro tollere vestimentum suum.* 17. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* 18. *Orate vero vt hyeme non fiant.* 19. *Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam cõdidit Deus vsque nunc, neque fient.* 20. *Et nisi breuiasset Dominus dies non fuisset salua omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.* 21. *Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne crediderit is.* 22. *Exurgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa, & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.* 23. *Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.* 24. *Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum:* 25. *& stellæ cæli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cælis sunt, mouebuntur.* 26. *Et tunc videbunt filiũ hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria.* 27. *Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ vsque ad summum cæli.* 28. *A ficu autem discite parabolã. Cum iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas:* 29. *sic & vos cũ videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostijs.* 30. *Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.* 31. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non trãsibunt.* 32. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* 33. *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quãdo tempus sit.* 34. *Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit vt vigilet.* 35. *Vigilate ergo, (nescitis enim quãdo dominus domus veniat: sero an media nocte, an galli cantu, an mane,)* 36. *ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes.* 37. *Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

Dan. 9. §. 27. Mat. 24. b. 16. Luc. 21. d. 21.

Mat. 24. b. 23. Luc. 21. b. 8.

Ezech. 32. b. 7. Isai. 13. b. 10. Ioel. 2. b. 10. Mat. 24. c. 31.

IN CAPVT XIII.

ET *cum egrederetur de templo.*) Videtur discipulus ille, quisquis fuit, qui templi Christo structuram ostendit, tempus, locúmque, vt illi templi pulchritudinem demonstraret, monuere eum ad commiserationem posset, totique vrbi, Hierosolymitanæ, saltem propter templi amplitudinem, & religionem parceret: quòd res prorsus indigna, atque inhumana videretur, vt tantum, támque elegans templũ everteretur. Nam, vt apud Matthæum cap. 24. 1. diximus, occasio huius historiæ videtur fuisse, quòd Christus paulò ante vrbis euersionem, excidiumque minatus fuisset, vt constat ex Luca, cap. 19. 43. 44. obseruarunt ergo discipuli tempus, & locum, cum egrederetur è templo, vt templi illi magnitudinem, elegantiámque prope conspiciendam proponerent. Sed quem hominum peccata ad iram, vindictámq; prouocabant, placare saxa non poterant. Simile quiddam Iudæis vetustioribus acciderat, vt sperarent se templi respectu seruatũ iri; quibus Deus apud Hieremiam cap. 7. 4. respondet, *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.*

A prius inter se discipulos, vt Lucas indicat, colloquutos; deinde vnum aliquem eorum nomine omnium rogasse Christum, vt lapides templi, structurámque considerare; ideo Marcum dixisse vnum, Matthæum verò significasse plures fuisse, qui id interrogauerint, nisi malimus syllepsim esse dicere, de qua figura sæpe diximus, & caput totũ epistolæ ad Hebræos 11. exemplis plenum est.

Magister aspice, quales lapides, & quales structuræ.) Etsi dicit *ide*, vide, non tam aspicere, aut videre, quàm considerare rogat templi magnificentiam, quam in Matthæo cap. 24. 1. ex Iosepho descripsimus, vbi exposuimus, quæ vsque ad ver. 11. reliqua sunt.

11. *Et cum duxerint vos.*) Hæc Matthæus cap. 10. 19. & Lucas cap. 12. 11. alia occasione, alióque tempore, ac loco à Christo dicta referunt. cum Apostolos ad prædicandum inter Iudæos mitteret Euangelium. Itaque suspicor Marcum non suo posuisse loco, nec alia de causa hoc dixisse, quàm quòd ver. 9. paulò ante de re simili sermo fuerat. *Videte vosmetipsos, tradent enim vos in concilijs, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides, & reges stabitis propter me in testimonium illis;* & voluit similia, aut quia simul alterum ex altero in mentem venerunt, aut quia sententiam vnam conflare videbantur, copulare. Nisi bis fortasse Christus hanc sententiam, vt alias multas, repetiuit. Totum reliquum caput Matthæi 10. 19. & 24. 15. satis expositum est.

Aiit illi vnus ex discipulis suis.) Matthæus cap. 24. 1. *Accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi*, Lucas verò cap. 21. 5. *Et quibusdã dicentibus, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset.* Verisimile ipsos

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XIIII.

ERAT autem Pascha & Azyma post biduum: & quærebant summi sacerdotes, & Scribæ quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. 2. Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. 3. Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis Leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput eius. 4. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? 5. Poterat enim unguentum istud venundari plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. 6. Iesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. 7. semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. 8. Quod habuit hæc, fecit: præuenit ungere corpus meum in sepulturam. 9. Amen dico vobis: Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium istud in uniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius. 10. Et Iudas Iscariotes unus de duodecim abijt ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. 11. Qui audientes gauisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet. 12. Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha? 13. Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in ciuitatē: & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum: 14. & quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit: Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? 15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum: & illic parate nobis. 16. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem: & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha. 17. Vespere autem facto, venit cum duodecim. 18. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Iesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecū. 19. At illi cœperunt contristari & dicere ei singulatim: Nunquid ego? 20. Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecū manū in catino. 21. Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptū est de eo: væ autē homini illi, per quē Filius hominis tradetur. bonū erat ei, si non esset natus homo ille. 22. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. 23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. 24. Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. 25. Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei. 26. Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum. 27. Et ait eis Iesus: omnes scādalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues. 28. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 29. Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te: sed non ego. 30. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 31. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo: Similiter autē & omnes dicebant. 32. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic donec orem. 33. Et assumit Petrum, & Iacobū, & Ioānem secum: & cœpit pauere, & tædere. 34. Et ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hīc, & vigilate. 35. Et cū processisset paululū, procidit super terram: & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora: 36. & dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, trāsfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu. 37. Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon dormis? non potuisti una hora vigilare? 38. Vigilate, & orate, ut non intretis in tētationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. 39. Et iterum abiens orauit eundem sermonem dicens: 40. Et reuersus, denuo inuenit eos dormientes, (erant enim oculi eorū grauati) & ignorabant quid responderent ei. 41. Et venit tertio, & ait illis: Dormite iam, & requiescite. Sufficit: venit hora: Ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorū. 42. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est. 43. Et, adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariotes unus de duo-

Mat. 26. a. 2. Luc. 22. a. 1.
Mat. 26. a. 6. Ioan. 12. a. 1.
Matt. 26. b. 16. Luc. 22. a. 6.
Mar. 26. b. 20. Luc. 22. b. 14. Ioan. 13. c. 21.
Psal. 40. c. 10. Act. 1. c. 20. Mat. 26. b. 24. 1. Cor. 11. c. 24.
Ioan. 16. g. 42. Zach. 13. c. 7.
Mat. 26. d. 36. Luc. 22. d. 40.
Matt. 26. f. 47. Luc. 22. f. 47.

decim, & cum eo turba multa cum gladijs, & lignis, à summis sacerdotibus, & Scribis, & senioribus. 44. Dederat autem traditor eius signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè. 45. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Aue Rabbi: & osculatus est eum. 46. At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum. 47. Vnus autem quidam de circunstantibus educens gladium, percussit seruum summi sacerdotis: & amputauit illi auriculam. 48. Et respondens Iesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs, & lignis comprehendere me? 49. Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis: Sed ut impleantur Scripturæ. 50. Tunc discipuli eius relinquētes eum, omnes fugerunt. 51. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. 52. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis. 53. Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem: & conuenerunt omnes sacerdotes, & Scribæ, & seniores. 54. Petrus autem à longe secutus est eum vsque intro in atrium summi sacerdotis: & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. 55. Summi verò sacerdotes, & omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inueniebant. 56. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum: & cōuenientia testimonia non erant. 57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: 58. Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo. 59. Et non erat conueniens testimonium illorum. 60. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi obiiciuntur ab his? 61. Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? 62. Iesus autem dixit illi: Ego sum: & videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. 63. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? 64. Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. 65. Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant. 66. Et cum esset Petrus in atrio deorsum venit una ex ancillis summi sacerdotis: 67. & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. 68. At ille negauit, dicens: Neque scio, neque noui quid dicas. Et exijt foras ante atrium, & gallus cantauit. 69. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. 70. At ille iterum negauit. Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es. 71. Ille autē cœpit anathematizare, & iurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis. 72. Et statim gallus iterū cantauit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus: Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

Ioan. 21. a. 3.
Matt. 26. f. 56. Mat. 26. f. 57. Luc. 22. f. 54. Ioan. 18. c. 13. Mat. 26 f. 59. Ioan. 2. d. 19.
Mat. 24. c. 30.
Matt. 26. g. 69. Luc. 22. f. 55. Ioan. 18. c. 17. Mat. 26. g. 71. Luc. 22. g. 58. Ioan. 18. e. 25. Mat. 26. g. 75. Ioan. 13. d. 38.

IN CAPVT XIIII.

Erat autem Pascha, & azyma post biduum.) Coniunctè hęc legi debent, nec enim sensus est fuisse tunc Pascha, cum ea, quæ superiore capite dicta sunt, acciderunt; azymum verò post biduum futurum fuisse; sed vtrumq; & Pascha, & azyma fuisse futura post biduū. Eodem enim non solum die, sed etiam momento vtrumque inchoabatur, vt apud Matthæū c. 26. 2. disputauimus. Acciderunt, quæ superiore capite dicta sunt, die hebdomadis tertio, qui Martis appellatur; die verò Iouis post solis occasum Pascha, & azymum fuit, vt multis verbis probauimus in Matthæo; eo enim die sub vesperum egressus Christus è templo, & vrbe Hierosolymitana Bethaniam rediit, vt singulis noctibus facere solebat. Vide, quæ supra diximus, c. 11. 19. Quæ omnia apud Matthæum cap. 26. copiosè à nobis disputata, & explicata sunt. Prætermisit Marcus multa ad doctrinam, moresque pertinentia, quæ de illo hebdomadis tertio, quasi appropinquante morte cycnæū

A quidda canens Christus disseruit, quæ à Matthæo toto 25. capite narrantur. Omnia, quæ sequuntur vsque ad ver. 51. apud Matth. c. 26. exposita sunt.

51. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo.) Quis ille fuerit adolescens, non solum diffinire temerarium, sed etiam quærere nimium curiosum dicerem, nisi bonos viderem auctores vtrumque fecisse. Epiphan. hær. 78. & Hieron. aut quicumque alius est auctor in comment. in Psal. 37. Iacobum fuisse fratrem Domini cognomento iustum existimant; eamque sententiam Theophylact. hoc loco, & aliorum fuisse dicit, & ipse probabilem iudicat. Tenuissima, vt mihi videtur, coniectura Epiphanius, & Theophylactus adducti sunt, quòd Iacobus ille sacerdotali prognatus genere lineis vteretur. Nam, vt omittam sacerdotale genus, quod nescio, quàm certis argumentis probari possit, non fuisset vtique sacerdos sola indutus sindone, quod & contra consuetudinem, & contra honestatem fuisset.

B

Neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neque video, quomodo hæc opinio cum altera eiusdem Epiphanij opinione cohæreat. Docet enim eodem loco Iacobum illum Domini fratrem omnium, qui fratres Domini vocati sunt, maximum fuisse natu; quæ igitur ratione à Marco adolescens vocari potuit? Alij Ioannem fuisse Euangelistam, qui adolescès tunc fuisse creditur, & è longo, quo postea vixit tempore, non difficilè probatur. In hac sententia Chrysostom. est in comment. in Psalm. 13. & Ambros. in Psalm. 36. & Gregor. lib. 14. Moral. cap. 24 & Beda hunc locum edisserens, & Scholasticæ auctor historiæ, solo, vt opinor, ætatis argumento; quo quemlibet eorum, qui id tempus eiusdem erant ætatis credere possumus fuisse. At credendum profecto non est Ioannem sola tectum fuisse sindone; minùs etiam credendum relicta sindone fugisse eum, qui tam liberè Christum secutus, & in domum summi sacerdotis ingressus aditum etiam Petro dicitur præbuisse, Ioannis 18. 15. 16. Elias Cretensis in comment. in orationem Gregor. Nazian. II. contra Arianos vtramque sententiam pariter refert, pariter probat Theophyl. in comment. huius loci aliquem ex ea domo, vbi Christus ea nocte cœnauerat, fuisse credit. Quod etsi satis probari non potest, tamen eo ipso probabilius est, quòd non potest vllis argumentis refutari. Quisquis fuerit, adolescentem aliquem Christi studiosum fuisse credendum est, qui audito tumultu & Christũ esse suspicatus, qui vinctus duceretur, cuius rei aliquem fortè rumorem inaudierat, cum iam in lecto esset, exilierit, & arrepta sindone, qua se regeret, procurrerit in publicum, ne vestiendo sese moram faceret. Quòd Christi studiosus fuerit, duo sunt argumenta; alterum, quòd Marcus signatè dixisse videatur illum non turbam militum, sed Christum secutum fuisse: alterum, quòd milites eum quasi Christi sectatorem defensoremque prehendere voluerint. Quo autem animo Christum secutus fuerit, compertum esse non potest; sed tamen, cùm eum Christi studiosum fuisse constet, est vero simile aut illum defendere; si posset, aut exitum saltem rei, si non posset, videre voluisse.

Quid sindone. *Amictus sindone super nudo.)* Sola vestitus sindone super nudum corpus coniecta. Sindon autem non erat, vt opinor, linteum, quemadmodum vulgus existimat, nullam vestis habens formam, quod Italicè & Gallicè *linzeolum*, quasi linteolum, Hispanicè *sauana*, Punico, vt arbitror, nomine vocatur, sed erat genus vestis, quamuis lineæ tamen calidæ, & id vel ex hoc loco intelligitur, vbi iuuenis ille dicitur fuisse περιβεβλημένος ἀμίκτον, & ex Pollvce qui σινδόνεον vocat, & ex Poëta illo, qui dixit:

Martial. li 4. Epigram. 19.

Rides bis venios hoc mane tectus, & imbres,
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

Itaque apparet indumẽtum fuisse aliquod simile pelliceæ vesti, quo homines aduersus vim frigoris vtebantur, quales sunt, quas Hispani *chamarras* appellant, aut *Bermos*, id est Hibernicas vestes, quibus in Hispania solæ mulieres, in multis Galliæ partibus, & in Hibernia tota viri infertoris conditionis in magna frigoribus vtuntur, habent autem magis pallij, aut regetis, quàm vestis speciem. Ea igitur arrepta in subito casu, partim vt totum tegeret corpus, partim pellendi frigoris causa, quia, vt ait Ioannes c. 18. 18. *frigus erat*, iuuenis ille ad tumultum accurrit.

Et tenuerunt eum.) Apprehenderunt vestẽ, vt simul cum Christo tanquam eius sectatorem ducerent. tenere conati sunt; neque enim tenuerunt, cùm aufugerit vt verbũ non effectum, sed affectũ conatus declaret, vt multis alijs in locis adnotauimus.

52. *At ille relicta sindone nudus profugit ab eis.)* Ita Hieron. etiam, & Beda legunt, & si Græcè ἀφεὶς legitur, id est *relicta sindone*. Sindonem reliquit, aut quia sindone à militibus tenebatur, & fugere, nisi in ipsorum manibus relicta, non poterat, quemadmodum fecit Ioseph pallio à lasciua illa muliere prehensus. Genes. 39. 12. aut quia cum conarentur eum apprehendere, sindonem quò expeditiùs fugeret, abiecerit. Caritatis erat, quòd Christum sequebatur, infirmitatis verò fuit, quòd eo deserto profugerit, vt ait Beda. *Quisquis vero fuit, maiorem in se, quam in ceteris amorem Domini permansisse comprobat, qui illis fugientibus ipso donec ab hostibus comprehenderetur, oculo caritatis astrictus eum prosequi non omisit. Discipulis necdum perfectam habuerit caritatem, qui a comitatu Saluatoris vel tentus fugere potuerit.* Cæterà placent illud tantùm dicere non ausim adolescentem illum maiorem, quàm Apostolos caritatem habuisse. Videtur hanc historiam ideo narrasse Marcus, vt quantata militum licentia, & sæuitia fuisset, declararet, qui non solum in Christum, sed in eos etiam, qui ipsum sequerentur, voluerint suam exercere crudelitatem.

61. *Rursum summus sacerdos interrogabat eum.)* Adiurans eum *per Deum viuum*, vt ait Matthæus cap. 26. 63. Cur enim humana inter se testimonia non conuenirent, neque ad condemnandum Christum eum iniquo iudici satis idonea esse viderentur, ad diuinum confugit, & iureiurando compellere conatus Christum aliquid, quod morte dignum videretur, confiteri; neque interrogat, an populum turbauerit, an falsa docuerit, an templi fuerit minatus excidium, sed an esset filius Dei, quod sciebat ipsum non negaturum. Cùmque se esse respondet, non quærit, an ita sit, sed anticipata sententia condemnat, quasi blasphemum, tanquam non de iure, sed de facto solo dubitaretur.

CAPVT XV.

1. *Mat. 27. a. 1. Luc. 22. g. 66. Ioan. 18. c. 28. Mat. 27. b. 12. Luc. 23. a. 6. Ioan. 18. f. 33.*

ET confestim, mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & Scribis, & vniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. 2. Et interrogauit eum Pilatus: Tu es rex Iudæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. 3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. 4. Pilatus autem rursum interrogauit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. 5. Iesus autem amplius nihil respondit, ita vt miraretur Pilatus. 6. Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcunque petissent. 7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. 8. Et

cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. 9. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? 10. Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. 11. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis. 12. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? 13. At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. 14. Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. 15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur. 16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, 17. & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. 18. Et cœperunt salutare eum: Aue rex Iudæorum. 19. Et percutiebant caput eius arundine: & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum. 20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum vt crucifigerent eum. 21. Et angariauerunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi, vt tolleret crucem eius. 22. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Caluariæ locus. 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit. 24. Et crucifigentes eum, diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis quis quid tolleret. 25. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum. 26. Et erat titulus causæ eius inscriptus: REX IVDÆORVM. 27. Et cum eo crucifigunt duos latrones: vnum à dextris, & alium à sinistris eius. 28. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. 29. Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: 30. saluum fac temetipsum descendens de cruce. 31. Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. 32. Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. 33. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram vsque in horam nonam. 34. Et hora nona exclamauit Iesus voce magna, dicens: Eloi, Eloi, lamma sabachthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? 35. Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat. 36. Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponénsque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. 37. Iesus autem emissa voce magna expirauit. 38. Et velum templi scissum est in duo, à summo vsque deorsum. 39. Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. 40. Erant autem & mulieres de longè aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome: 41. & cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam. 42. Et cum iam sero esset factum (quia erat parasceue, quod est ante sabbathum) 43. venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnũ Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. 44. Pilatus autem mirabatur si iam obiisset. Et accersito centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. 45. Et cum cognouisset à centurione, donauit corpus Ioseph. 46. Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti. 47. Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph aspiciebant vbi poneretur.

Matt. 27. a. 1. *Pſal. 21. a. 1.* *Matt. 27. c. 48.* *Matt. 27. f. 55. Luc. 8. a. 2.* *Matt. 27. f. 57. Luc. 23. g. 50. Ioan. 19. g. 38.*

IN CAP. XV.

1. *ET confestim, mane.)* Vtrumque hoc verbum eò pertinet, vt indicet Euangelista, quanta vsi fuerint Principes sacerdotum, Scribæ, & Pharisæi diligentia, vt Christum condemnarent. Porro nihil in toto hoc capite est, quod non sit in capite Matthæi 27. copiosè, distinctéque explicatum.

CAPVT XVI.

1. Matt.28. d.1. Luc.24.d. 1. Ioan.20. d.1.

ET cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata vt venientes vngerent Iesum. 2. Et valde mane vna sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole. 3. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidē ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. 5. Et introeuntes in monumentū viderunt

Matt.28. d.5. Luc.24.d. 4. Ioan. 20. d.12.

iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. 6. Qui dicit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus vbi posuerunt eum. 7. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. 8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inuaserat enim eas

Supr. 14.c. 28. Ioan. 20. d.16.

tremor & pauor: & nemini quidquam dixerunt: timebant enim. 9. Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septē dæmonia. 10. Illa vadens nunciauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus. 11. Et illi audientes quia viuit,

Luc.24.b. 12.

& visus esset ab ea, non crediderunt. 12. Post hæc autē duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villā: 13. & illi euntes nunciauerunt cæteris: nec illis crediderunt. 14. Nouissime recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. 15. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. 17. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eicient: linguis loquentur nouis: 18. serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene

Act.16.d. 18.2.a.4. & 10 g. 46. Act.28.a. 5.8. Luc.24.g. 51.

habebunt. 19. Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. 20. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

IN CAP. XVI.

1. *ET cum transisset sabbathum.*) Vehementer miror vnū ex omni antiquitate Hieron. q.3. ad Hedibiam meminisse totū hoc caput Marci in multis codicibus nō reperiri, & à nonnullis de eo auctoribus dubitari. Magis etiā miror non maiore Hieron studio eius auctoritate asseruisse, cū nulla prorsus cōiectura sit vlla ex parte probabilis fuisse ad Marci Euangeliū adiectū. Nam quòd nonnulli repugnantiā, quæ inter Marcū hoc loco, & Matth. c.28. videtur esse, causam putat eiusmodi suspitioni præbuisse, absurda prorsus est ratio. Isto enim modo & vltimum caput Lucæ, & penultimum Ioannis inducere deberemus; maior enim inter illos, & Matthæum, quam inter Matthæū, & Marcum apparet repugnantia: dubitare igitur de huius capitis auctoritate non licet, præsertim Concilio Tridentino non solum libros omnes, quos nunc habemus in canone, sed singulorum etiam librorum singulas partes approbante. Neque quisquam antiquus, & Catholicus scriptor est, qui huius capitis, tanquam veræ, legitimæque scripturæ testimonijs vti recusauerit. Vsus est Iren. lib.3. aduersus hæreses c.11. & quidem ita vsus, vt apertè dixerit hunc Euangelij finem, qui est ver.19. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum*, & principium illud capitis 1. vers. 1. *Initium Euangelij Iesu Christi*, ab eodem Marco fuisse conscriptum.

A

B

C

Et cum transisset sabbathū.) Id est, simul atque sabbathū transijt. statim post solis occasum, quo sabbathi festum terminabatur. Nam cum summo statim mane diei sequentis ad sepulchrum cum aromatibus venerint, vt dicitur ver.2. & Luc. 24.1. & Ioan.20.1. Et potuerint multa nocte, aut tanto mane aromata emere, necesse est, vt emerint die sabbathi post solis occasum transacto iam festo. cum emere, aut vendere licebat. Id etiam non obscurè colligitur ex Luca cap.23. *Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta, & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.* Quin etiam ex hoc ipso loco colligitur; non enim quasi de eodem, sed quasi de diuerso Marc. tempore loquitur, cū primū dicit mulieres. cū transisset sabbathū, aromata emisse, vt venientes vngerent Iesum: & cum ver.2. nouo inchoato sententiā dicit. *Et valde mane vna sabbathorum veniunt ad monumentum*, quasi vesperi aromata emerint, mane autem monumentum venerint. Quæ scribit Marcus vsque ad vers.12. apud Matth. c.28. explicata sunt

12. *Post hæc autem duobus ex his ambulantibus.*) Hoc Matthæo scriptū nō est, à Luca verò c.24.13. copiosiùs scribitur, quam à Marco; quare apud Lucam potius quàm hoc loco explicandum est, vbi & Euthymij expositionem opinionem, qui alios hos fuisse discipulos, fellemus quàm duos illos, de quibus Lucas scribit, existimat.

14. *Nouissimè.*) Sunt qui existimant Marcum hoc loco agere de die, quo Christus videntibus Apostolis in cœlum ascendit, in quibus Augustinus ep. 146. 3. de consensu Euangelistarum c.25. & Gregor. homil. 29. in Euangelia 29. & Beda hunc locum exponunt. ideóque Marcum dicere *nouissimè*. Hanc opinionem apud Matthæum cap.28. refutauimus, & Augustinus ipse non satis firmus in ea fuit, neque Græce ἐσχάτον, postremò, sed ὕστερον, postea, vt Hieron. verò libro 2. contra Pelagian. Alij. vt Euthym. hoc loco existimant hoc eodem die, quo Christus resurrexerat, contigisse. Hanc enim esse apparitionem illam, de qua Ioannes scribit c.20. vers.19. Duos enim discipulos, de quibus vers.12.13. dictum est, ad Apostolos venisse, illisque nuntiasse se Christum vidisse, eos verò non credidisse, tunc venisse Christum, & increduitatem illis exprobrasse. Hæc opinio ideo vera esse non potest, quia falsa nititur basi, hos duos discipulos alios fuisse, quàm, de quibus c.24.13. Lucas agit. Posset quidem disputari etiam si ijsdem hi, atque illi fuerint, vtrum illi priùs, an Christus ad discipulos venirent. Nam Luc.c.24.33.34. ita videtur loqui vt indicet priùs duos illos discipulos venisse, quàm Christum. Sed de ea quæstione eo apud Lucam loco disputauimus.

A

B

Recumbentibus illis vndecim apparuit.) Hieron. lib. 2. contra Pelagianos scribit totam hanc periodum, & aliam quandam, quam nunc in nostris libris non habemus, in quibusdam exemplaribus maximè Græcis reperiri, quasi non in omnibus, sed in paucis quibusdam reperiretur. *In quibusdam* inquit, *exemplaribus, & maxime in Græcis codicibus iuxta Marcum in fine eius Euangelij scribitur, Postea cum accubuissent vndecim, apparuit eis Iesus, & exprobrauit incredulitatem, & duritiam cordis eorum, quia his qui viderant eum resurgentem non crediderunt; & illi satisfaciebant dicentes, Seculum istud iniquitatis, & incredulitatis subsistantia est, qua non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco iam nunc reuela iustitiam tuam.* Admirabile planè est, atque diuinum Ecclesiæ iudicium, quæ priorem huius periodi partem retinuit, posteriorem reiecit; nemo enim est in litteris sactis exercitatus, qui non facilè odoretur priorem esse legitimam, posteriorem notham atque adiectitiam, quæque veterem Manichæorum, aut Montanistarum errorem oleat. Neque Lucas, nec Ioannes narrant recubuisse discipulos, cum illis Christus apparuit, & sunt, qui existiment nō fuisse ad mensam, cum multa iam esset nox, & Græcum verbum ἀνακειμένοις, interpretentur considentibus, quibus qua hæretici sunt, etiam si multo probabiliora dicerent, minimè crederem. Recumbebant igitur ad mensam, neque enim alio sensu id in scriptura verbum legi meminī, nec videtur sine ratione Marcus id exprimere voluisse, quod leue alioqui, & parū ad rem pertinens videri poterat; fortasse, vt indicaret eo Christum venisse tempore, quo tempore, qui cœnabant, omnes simul erant: aut, vt cum paratum inuenisset cibum, coram discipulis sumeret, & suam illis resurrectionem edendo, bibendóque probaret. vt Petrus argumentatur, Act. 10.41. Nam quod hæreticorum adducit interpres dixisse Christum, cum adhuc discipuli hæsitarent, *habet is hic aliquid, quod manducetur*, Lucæ 24.41. & Ioannis 21.5.13. animaduertit aliam illam fuisse apparitionem, quam illic Lucas narrat, nempè illam, qua Christus eodem, quo resurrexit die, postquam duobus illis discipulis euntibus in Emaus visus fuerat, rediens Ierosolymam apparuit, cū Thomas non adesset, Ioannis 20.19.24. certum huius sententiæ argumentum est, quòd in secunda apparitione, quæ octauo post die contigit, discipuli non dubitarunt assueti iam Christum videre, in illa autem apparitione, quam scribit Lucas, non solùm viso, sed offendente etiam manus suas Christo, vt idem Lucas testatur, dubitauerunt. Itaque non potest hæc, & illa, quæ apud Lucam est, eadem esse apparitio. Vndecim discipulos fuisse dicit, quia Iudas deerat, qui se iam laqueo suspenderat, aut certè cum Apostolis post traditum Christum non versabatur. De qua re Matthæi 27.5. & 28.16. disputauimus. Thomas verò, qui ante octo dies cum discipulis non erat, cum se illis Christus ostenderat, nunc erat; ideóque erant vndecim,

C

Loco cita to.

D

Syllepsis notanda.

E

Ioan.20.26. Scio D. Augustinum libro 3. de consensu Euangelistarum, cap. 25. & in commentarijs Bedam existimare decem tantum fuisse discipulos, qui propterea vndecim appellentur, quia totus tunc Apostolorum numerus mortuo iam Iuda vndecim erat, & quamuis vnus abesset Thomas, maiorem tamen numeri eius partem totius nomen numeri retinuisse. Non inficior potuisse maiorem partem numeri totius numeri nomen vindicare, tamen non arbitror esse necessarium ad eas angustias rem adducere, quia cum Euthymio, & alijs nonnullis interpretibus probabilius esse credo verè vndecim tunc congregatos fuisse discipulos, cùm hæc apparitio illa fuerit, quæ octauo post resurrectionem die facta fuit præsente iam Thoma, Ioannis 20.26.27. vt paulò antè demonstrauimus.

Et exprobrauit incredulitatem eorum.) Quo modo tūc exprobrauit, cum iam ante credidissent? Augustinus lib.3. de consen. Euangelist. c.25. & Greg. homil.29. in Euangelia, & Beda hunc locum explicans, quia existimant hoc accidisse, quo die Christus in cælum assumptus est, respondent non propterea tunc incredulitatem illis exprobrauisse, quòd tunc non crederent. sed *quoniam*, vt verbis vtar Augustini, *iam erat ab eis ascensurus in cœlum, hoc eis illo die maximè exprobrare voluisse, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant, antequam ipsi eum viderent: cum vtique post ascensionem suam prædicantibus illis Euangelium etiam gentes, quod non viderunt, fuerant credituræ. Post illam quippe exprobrationem secutus ait idem Marcus, vers.15. & dixit eis, Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Hoc ergo prædicaturi, quoniam qui non crediderit, condemnabitur, cum id vtique nō crediderit, quod nō viderat, nonne ipsi primitus fuerant obiurgandi, quòd ante quàm Dominum vidissent, non crediderunt eis, quibus prius apparuisset?* Euthymius verò, qui duos illos discipulos, quibus Marcus versu 12. Christum apparuisse dicit, alios, quàm duos illos, de quibus scribit Luc. c.24.13. fuisse dicit putat propterea exprobrasse discipulorum incredulitatem Christum, quòd his duobus discipulis se eum vidisse affirmantibus, non credidissent; ideóque solum Marcum exprobratam narrasse incredulitatem, quòd eorum duorum discipulorum solus meminisset. Hanc opinionem supra vers. 12. refellimus, & apud Lucam pluribus sumus verbis refutaturi. Quòd igitur ad huius loci quæstionem attinet, syllepsim esse credo, qua discipulorum incredulitas reprehensa fuisse dicitur, quia vnius discipuli Thomæ incredulitas reprehensa est, vt apparet ex Ioanne cap. 20.27.29. de qua figura videre lector poterit, quæ in Matthæum scripsimus c. 26.8.

Quia ijs, qui viderant.) id est Mariæ Magdalenæ, & cæteris mulieribus, quæ Christum primæ viderant, discipulisque nuntiauerant, Matthæi 28.8.9. & supra versu 9.10.11. & Lucæ 24.9.10. & Ioan. 20.2. & Petro, & Ioanni, qui idem viderant atque nuntiauerat, Ioannis 20.4. & duobus illis discipulis, quibus in Emaus euntibus apparuit, Lucæ 24.35. vt Augustinus lib.3. de consensu Euangelistarum c.25. & Euthy. exponunt. Si ea, quæ paulò antè de reprehensa discipulorum incredulitate diximus, vera sunt; hæc etiam mihi videntur per syllepsim intelligenda esse, & solius Thomæ hoc loco incredulitatem reprehendi, quòd reliquis decem Apostolis se Christum vidisse confirmantibus, postquàm ad eos decem congregatos venerat, Ioannis 20.19. credere noluerat.

15. *Et dixit eis.*) Non tunc cum illis recumbentibus apparuit, & eorum exprobrauit incredulitatem; sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verum Euangelium per totum terrarii orbem ab Apostolis prædicatu fit.

postea,cum in monte Galilææ essent,Matthæi 28.18. 17.18.

Euntes in mundum vniuersum.) Sunt qui existiment iussos esse Apostolos à Christo vniuersum terrarum orbem peragrare, quod minimè mihi videtur esse probabile. Sciebat enim Christus id eos facere non posse, & non est credendum, quod facere non poterant,illis præcepisse.Deiq; de quod hîc præcipitur,nõ solùm cunctis.sed singulis etiam Apostolis præceptum est,singulos autem totum terrarum orbem peragrare non potuisse, opinor, nemo dubitabit. Docuit etiam euentus non ita fuisse hoc præceptum intelligendum.vt aut singuli, aut simul cuncti vniuersum terrarum orbem obirent, neque enim id re ipsa præstiterunt, cùm non solùm Origenes tractatu in Matthæum 28.sed D.etiam Augustinus epistо.80. ne ætate quidem sua,id est quadringentis post Christum annis.non dico ab Apostolis, sed ne ab vllo quidem Christiano doctore ex tam multis Apostolorum successoribus multis in locis Euangelium prædicatum fuisse doceant. Quod nostra memoria experientia compertum est,multis longa & inusitata nauigatione patefactis tertis,in quibus nulla notitia,nulla memoria erat Euangelij, itaque quod ad Romanos 10. 18. scribit D. Paulus, *sed dico numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum*,per hyperbolem de his tantùm gentibus,de quibus Apostolus loquebatur, id est de Asianis, & Europæis intelligendum est. Quòd cum ita sit,dicendum non est id Christum Apostolis præcepisse,quod eos non feciſſe constat. Tantùm ergo voluit Christus terminos ad illud vsque tempus legi, Euangelióque præfixos reuellere,& non alios Euangelij,quàm orbis terrarum fines ponere. Nam & lex intra Iudæam terminabatur. *Notus in Iudæa Deus,in Israel magnum nomen eius*, Psalm.75.2.& ante cum ad prædicandum Euangelium Christus misisset Apostolos, extra Iudæam excedere vetuerat.Matthæi 10.5. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis.* Hos nunc remouet terminos,& exiguis regni Iudæorum angustijs totius orbis amplitudinem opponit,quasi dicat; *euntes*, non iam in Iudæam solùm,vt prius, sed *in mundum vniuersum prædicate*, Rupta enim est iam per mortem,& resurrectionem meam legis maceria,quæ intra Iudææ fines continebatur,Ephes.2.14.experti iam sumus,quantum apud Iudæos proficiamus;auferatur igitur ab illis regnum Dei, & detur gentibus facientibus fructum eius,Matth.21.43. Ergo hæc verba etsi affirmatione constent.non tam per affirmationem, quàm per negationem intelligenda sunt, quasi dicat Christus. Ite quocunque volueritis, quocunque potueritis,vt Euangelium longè latéque diffundatis, nullos iam vobis locorum fines præscribo.

Prædicate Euangelium omni creaturæ.) Hæc Apostolicæ legationis materia est, vt prædicent Euangelium. Omnem creaturam hominem intelligi dubitari non potest.neque enim,vt ait Greg.hom.in Euangelia 29. & lib.7. in Iob c.8.& Beda in huius loci commentarijs, *Euangelium,vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum.* Quanquam ratio, quam hi duo afferunt auctores, nescio an satis sit congrua, quòd homo omnem in se quodammodo creaturam contineat. Malim dicere attributionem esse,qua nomen generis vni tantùm speciei accommodatur,sicut Hispani solos infantes creaturas vocant. Meliùs idem Greg.lib.5.in librum 1.Reg.c.14. & Beda notauerunt propterea homines hoc loco creaturas vocatos esse, vt nemo excipi à tam generali vocabulo posset intelligi. Itaque *omnis* creatura pro generatione,aut gente posita videtur. Nam quod Marcus dicit; *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, Matth.cap.28.19. dicit; *Docete omnes gentes*. Opponit ergo omnem creaturam,id est, omnes gentes vni Iudæorum genti, alludens ad id, quod dixerat,Matth.10.5. *In viam gentium ne abieritis*, quasi edictum illud rescindat.

Qui crediderit,& baptizatus fuerit,saluus erit.) Præmittit Marcus.quod Matthæus dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti.* Cui baptismo cum doctrina,fidéque coniungat.illo apud Matthæum loco disseruimus. Est baptismus quasi publica fidei professio.& *corde creditur ad iustitiam,ore autem confessio fit ad salutem*.Rom.10.10. Proponit credentibus,& baptizatis præmium,non credentibus supplicium,vt eos magis alliciat; id autem Apostolis dicit,vt alijs prædicent,quòd eos faciliùs ad Euangelium trahant. Multorum,quàm multæ hæreses ex his paucis verbis natæ sunt. Primùm solam fidem ad salutem satis esse,quando sola hîc à Christo exigi videatur. Nouorum quidem hæreticorum,sed non nouus error. Nam & Ebionæus Marcionistas in eo fuisse indicat, & Tertullianus aut eosdem, aut alios quos hæreticos, qui solam dixerint,notat; & Augustinus ad eam hæresim oppugnandam totum de fide, & operibus librum scripsit. Qui error.præterquàm quòd est tam absurdus,vt refelli disputando nõ debeat;tota scriptura sacra,quæ contra eum scripta est,propriè verò 2.c. epistolæ Iacobi penitus rebellatur,vbi & nos sumus,si vitam Dominus, otiumque concesserit refutaturi. Secundò non posse quemquam, nisi ætate iam adulta,& disciplinæ capace baptizari, cùm baptizari ij tantùm,qui crediderint; iubeantur, & infantes,qui doceri non possunt, nec credere possint; *fides enim ex auditu, auditus autem per verbum CHRISTI*. Rom.10.17. In qua hæresi non solùm nunc Anabaptistæ omnes sunt. sed & nonnulli olim Catholici,Tertul. in libro de baptismo,& Nicetas in commentarijs in orationem Gregorij Nazianzeni de sanctum baptisma non longè ab ea abfuerunt, vt in Matth. c.18.19.diximus,vbi & hunc errorem satis refutauimus.Tertiò baptismum non esse ad salutem necessarium,quod Caluiniani ex sequẽtibus verbis colligunt,quia cùm dicat Christus,*qui verò non crediderit condemnabitur*,non addit alterum membrum, & qui baptizatus non fuerit, quod vt adderetur,& ea,quæ consequentia postulare, & auditoris aures expectare videbantur. Et hic antiquus est error; nostra enim tam ingenioſi isti sunt.quàm videri volunt.Non inuenerunt ipsi hæreses suas,sed ab alijs olim hæreticis inuentas, & ab Ecclesia damnatas renouarunt. *Hic ergo* (inquit Tert. in libro de baptismo hunc locum tractans *sceleſtissimi illi prouocant quæſtiunculas dicunt,baptisatus non est necessarius,quibus fides sua*. Non ergo propterea Christus secundum membrum non repetiuit.quòd baptismus ad salutem necessarius non esset. Quibus enim verbis eius necessitas declarari doceri potuit,quàm quibus,Ioan.3.5. Christus dixit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto,non potest introire in regnũ Dei*? Non agitur inquiunt illi de baptismo. Vbi igitur agitur? aut vnde illi contra alios hæreticos Anabaptistas probare possunt debere infantes baptizari? sed hunc secundum errorem illic de baptismo non agi,quia in illo hæret loco, illic refellemus. Fingamus tantùm dixisse Christum, *Qui crediderit,& baptizatus fuerit, saluus erit*; neque secundum sententiæ partem addidisse,quis non videret non solùm fidei,sed etiam baptismo salutem tribui,cùm pariter idem, & eodem modo de vtroque dicatur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*? Adde quod non dixit, Qui crediderit, & qui baptizatus fuerit, saluus erit,quòd si dixisset,videri poterat significasse

alterutrum

alterutrum,aut fidem solam,aut baptismum solum ad salutem satis esse, quia per disiunctionem dictum intelligi poterat; sed dixit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; quod cùm per disiunctionem intelligi non possit,vtrumque adeo ad salutem necessarium esse significatur, vt si alterum,siue fides, siue baptismus desit,nemo saluus esse possit.Cùm ergo verba sequentia nihil prioribus detrahant, non potest ea esse ratio, cur Christus secundum membrum non repetierit.quòd baptismus non esset necessarius.Nam si in priore sententiæ parte baptismus salutis causa esse dicitur,& in posteriori defectus baptismi condemnationis causa esse significabitur. Cum idẽ Christus dixerit Matthæi 19.17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, rectè colligitur eum, qui mandata non seruauerit,ad vitam ingredi non posse,ergo & cum dicit,*Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, rectè colligetur, ergo qui non crediderit,vel baptizatus non fuerit,condemnabitur. Certè D. Petrus prima epistola, cap.3.21. non magis nos nunc sine baptismate indicat saluos esse posse, quam olim tempore diluuij extra arcam Noë quisquam potuit esse superstes. Et verò quis attinebat Eunuchum illum Reginæ Candacis tam properè vix leuiter in cutru institutum baptizari, simul atque aqua inuenta est, si baptismus ad salutem necessarius non erat, Act. 8.36? nonne potuerat expectare tantisper,vt honestiore loco,commodiore tempore baptismum acciperet? Quid custos ille carceris vna nocte à Paulo, & Barnaba cum tota familia institutus continuò baptizatus est.quasi de ipsius vita,salutéque ageretur, si in tempus aliud baptismum differret; Actor.16. 33. Quæ ergo fuit causa, si ea non fuit,quare Christus secundum membrum non repetiuit? Aliquam certè fuisse credẽdum est.sed cum ea,vt probauimus,causa non fuerit,alia quęrẽda. Quidam hanc reddunt, quòd etsi vtrumque & fides, & baptismus necessarium est, magis tamen necessaria fides,quàm baptismus,quia nunquam omnino sine fide quisquam saluus esse potest; quia, vt ait D. Paulus Hebræorum 11. 6. *sine fide impossibile est placere Deo*; sine baptismo autem aliquando potest: puta si credens, & baptizari cupiens, baptizari non potuit, & antequam baptizaretur, pro Christo vitam effundat. *Maiorem enim dilectionem nemo habet,quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Ita Algerus respondet libro 3.de sacramento cap. 3. & D. Bernardus epistola 77.vera quidem sunt ista,sed non facilè mihi persuadere possum eò spectasse Christum. Id fortasse dixisset, si de martyrio, aut de Spiritus sancti efficacitate, id est de baptismo, vt vocant, sanguinis, aut flaminis, non de baptismi aquæ necessitate loqueretur, vt ea ratione ostenderet tantam martyrij, tantam Spiritus sancti esse virtutem,vt is etiam,qui baptizari non posset aqua, solo martyrio, & sola Spiritus sancti caritate in cordibus nostris effusa salutem consequeretur. Nunc autem, cùm de necessitate baptismi agat, exaggerare eam debuit, non diminuere. Alij, quia fides quasi genus, baptismus, quasi species est.& sublato genere speciem tolli necesse est, satis fuisse dicere, *qui non crediderit*, quia qui non credit,non baptizatur, quidem, sed tamen quid si quis credat, & non baptizetur, quid illi futurum est? id enim dictu necessarium erat,& tamen dictum non est. Credo igitur ego, idque magis asseuerarem, si meliorem, quàm me autorem haberem. non fuisse prætermissum, vt putatur, secundum illud membrum. Et qui baptizatus non fuerit. Nam licet verbis expressum non sit, sensu tamen est, quia cùm paulo ante baptismus vnà cum fide coniunctus fuerit; & cum negatione fidei negatio baptismi sit notata est intelligenda. Qui non crediderit,& baptizatus non fuerit, condemnabitur. solet quæri,quomodo ista tam generalis sententia vera sit, *Qui crediderit,& baptizatus fuerit,saluus erit*,cùm multi, qui & crediderint, & baptizati fuerint, condemnentur. Negant id quidem hæretici Caluinistæ, qui putant neminem, qui veram fidem habeat, damnari posse. sed hæc hæresis partim est iam paulo ante à nobis refutata, cum docuimus non solam fidem,sed etiam baptismum ad salutem esse necessarium, & ad Rom.4.magis refutauimus. Nam ponamus quod verum est, multos & verè credentes, & ritè baptizatos sæpe damnari. Legat de hac re cautè Gregorium hom. in Euangelia 29. & Bedam in commentarijs ad hunc locum,quisquis errare non volet. *Fortasse*,inquit Gregorius,*vnusquisque apud semetipsum dicat, Ego tam credidi, saluus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera enim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim, quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit, Qui confitentur se nosse Deum,factis autem negant.Hinc Ioannes ait,qui dicit se nosse Deum,& mandata eius non custodit, mendax est. Quod cum ita sit fides nostra veritatem in vita nostræ considerationedebemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus.* Quibus verbis non significant veram fidem non habere, qui opera non habet;sed mortuam habere,vt Iacobus ait, inutilem, & ad salutem haut multo magis conducentem, quàm fidem dæmonum,qui *credunt, & contremiscunt*. Itaque veram fidem hi auctores vocant nõ eam,quæ, si naturam spectes.fides vera est:sed eam,quæ non solùm vera, sed fructuosa etiam est, tunc enim efficaciter credimus,cum fides in nobis per caritatem operatur. Tenenda igitur hoc loco illa, quàm multis locis tradidimus.regula est, Generales sententias plerumque esse subintellectis,si non exprimantur,certis quibusdam conditionibus intelligendas, *Omnis*, inquit Ioël c.2.32.*qui inuocauerit nomẽ Domini,saluus erit*,cum dicat Christus Matthæi. 7.21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine,intrabit in regnũ cœlorum*. Dicit rursus Christus eodem capite vers.8. *Omnis, qui petit,accipit*, dicit Iacobus c.4.3.*Petitis,& non accipitis*. Reddit causam, *Eo*, inquit, *quod malè petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis*. Vnde colligimus generales illas promissiones ita intelligendas, *Omnis, qui inuocauerit nomen Domini,saluus erit*,si reliqua, quæ debet, faciat,id est non stabit per Dominum, aut per eius nomen, quod ad saluandum satis est per se potens, quo minùs saluus sit. Et *omnis, qui petit,accipit*,intelligẽdum esse, si bene petat, vt Iacobus Apostolus interpretatur, id est, nunquam per Deum,sed per ipsum stat,quo minùs accipiat, quia aut iniusta, aut iusta iniustè petit. Ad eundem modum, quod hoc loco Christus dicit, intelligendum, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, non solùm si verè, sed etiam si bene crediderit, ac baptizatus fuerit. Bene autem credit,& baptizatus est.qui opera, quæ fides ab eo, & baptismus exigit, facit; atque hoc est,quod paulo ante citatus D. Gregorius dicere voluit. *Tunc*, inquit,*veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. In die quippe baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus.* Eodem modo interpretatur Diuus Augustinus serm. 11.de verbis Domini secundùm Matth. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, non vtique intelligimus eo modo eredemem, quo & dæmones credunt, & contremiscunt, nec in eo numero baptizatos in quo Simon Magus baptizari potuit,sed saluus esse non potuit;sed quoſdam intuebatur in ea scilicet fide constitutos, quæ Apostolo distinguente per dilectiõe operatur.* Similiter exponit Eut.

Locus Gregory & Bedæ explicatus.

ad Tit.1. 16.

1.Epist.1. 2.

Capit. 2. 17.19.

ad Gal. 5.6.

Regula scripturæ ad modũ obseruanda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur.*) Non possum meliùs huius loci difficultatem indicare, quam postris verbis D. Bernardi sermone primo de Ascensione, *Nec minor*, inquit, *forsitan videbitur ipsis quoque religiosis ex hoc verbo prouenire desperatio, quam ex verbo priore vana spei data sæcularibus occasio videretur. Quis enim ea, quæ in præsenti loco scripta sunt, signa videtur habere credulitatis, sine qua nemo poterit saluari, quoniam qui non crediderit, condemnabitur? Et sine fide impossibile est placere Deo?* Respondet eodem loco Bernardus, *Nec difficile arbitror nosse, quemadmodum intelligi signa possint præsentia, vt sint indubitata signa credulitatis, ac per hoc & saluatis. Primum enim opus fidei per dilectionem operantis cordis compunctio est, in qua sine dubio eiiciuntur dæmonia, cum eradicantur è corde peccata. Exinde qui in Christum credunt linguis loquuntur nouis, cum iam recedant vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta protoparentum lingua loquuntur declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Verè ista dicta sunt, sed dubium non est Christum non de istis loqui signis. Ergo quemadmodum superiorem illam, generalémque sententiam, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, adhibitis certis conditionibus intelligendam esse dicebamus; sic etiam hæc non absolutè, & vniuersè, sed cum nonnullis interpretationibus intelligenda est. Eæ autem sunt quinque, Prima est hîc non de actu faciendi miracula, sed de potestate agi Certum enim est non omnes, qui crediderunt, & baptizati sunt, re ipsa miracula fecisse; omnes tamen illis saltem initijs facere potuisse verosimile est. Credidit certè Ioannes Baptista, & quamuis scriptura non dicat, tamen baptizatus, sicut & Apostoli fuisse creditur, *signum* tamé *fecit nullum* Ioan. 20. 41. Secúda est non esse hoc necessariò de singulis hominibus intelligendú. Cum enim hoc donú faciendi miracula non propter priuatam cuiusque, sed propter communem Ecclesiæ vtilitatem concessum fuerit, valde vero simile est non singulis Christianis fuisse datum, sed his tantum, à quibus conueniebat ad propagandam, & stabiliendam fidem hæc fieri miracula. Quid enim necesse erat, vt singulæ etiam mulierculæ miracula facerent, cùm id alijs vtile non esset, ipsis verò perniciosum esse posset. Tertia est non de omni tempore, sed de eo tantùm hoc esse intelligendum, quo ad eum finem propter quem ea potestas concedebatur, id est ad fidei propagationem, confirmationémque erant miracula necessaria, fuerunt autem necessaria, antequam fides propagata satis, & roborata esset, vt rectè Gregorius homilia 29 & Beda respondent, *Nunquidnam fratres mei, quia ista signa non facitis, minimè creditis? sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Vt enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Simile quiddam in libro de vera religione cap. 25. scribit Augustinus. *Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa, atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitati flagrant*: & libro de vtilitate credendi contra Manich. cap. 16. *Facta igitur sunt illa miracula opportunissime, vt ijs multitudine credentium congregata, atque propagata, in ipsos mores vtilis conuerteretur auctoritas.* Neque verò existimandum est iam in credentibus omnino faciendorum miraculorum extinctam esse potestatem, vt multis verbis de hac quæstione disserens libro 22. de ciuitate Dei cap. 8. multis 13. Augustin. probat exemplis. Quot ibi, quot sermone 7. de sanctis in Episcopatu suo, quot se etiam præsente, atque inspectante ad sancti Stephani Protomartyris reliquias duorum annorum spatio narrat facta esse miracula? Quates est enim esse hoc ita intelligendum, quasi quicúque dono illo faciendi miracula à Deo ornatus est, ista omnia, aut faciat, aut facere possit, quæ hîc à Christo credentes consequuntura commemorantur, sed ita vt alia alij facere possint, ita Apostolo Paulo interpretante 1. Corinth. 12. 4. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. & diuisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem, alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alij gratia sanitatum in vno spiritu; alij operatio virtutum alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Viguit quidem initio tantopere miraculorum vsus, vt rari admodum Christiani essent, qui omnia non facerent. Duo maximè fere omnibus commenta erant, alterum loqui linguis, vt apparet Actorum 2. 4. & 10. 46. & 19. 6. Quamquam etiam tunc linguarum donum proprium fuisse quorundam docet D. Paulus 1. Corint. 12. 10. & 14. 2. 4. 5. alterum dæmones eiicere, vt ex Iust. Tertul. & Lactant. alibi docuimus. Quinta est hoc ipsum, quod exposuimus miraculorum donum non statim, vt quisque credebat, atque baptizabatur, fuisse consecutum; per impositionem enim manuum, id est per Confirmationem, qua Spiritus sanctus effundebatur potius, quàm per baptismum id recipiebant. Exemplum est Actorum 19. 6. Qua re aperte significabatur baptismum per Confirmationem quodammodo perfici, quod à Pontifice quodam Romano dictum non impudenter solum, sed etiam indocte * hæretici rident.

19. *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis.*) Hæc non statim acciderunt post superiorem Christi apparitionem in verb. 14. vt D. Augustinus libro 2. de consensu Euangelistarum cap. 25 & Greg. homilia 29. in Euangelia, & Beda videntur existimare, de quorum opinione supra verb. 14. disseruimus; sed acciderunt triginta duobus diebus post. Nam apparitio illa, vt diximus, facta fuerat octauo post resurrectionem die Ioan. 20. 26. verfatus autem est cum Apostolis Christus post resurrectionem dies quadraginta Act. 1. 3. Deinde apparitio illa facta est Ierosolymæ vt Ioan. cap. 20. 26. postea discipuli ierunt in Galilæam in montem, in quem præmiserat eos Christus. Matth. 28. 16. Iterum verò redijt cum discipulis in Iudæam, quia volebat eos Ierosolymæ Spiritus sancti aduentum expectare, indéque orditi Euangelij prædicationem Luc. 24. 49. & Actor. 1. 4. Quadragesimo autem post resurrectionem die *eduxit eos foras in Bethaniam in Montem oliueti*, atque in cælum cernentibus illis exceptus est. Lucæ 24. 50. & Acto. 1. 12. Quæ omnia quæ ex litteris sacris colliguntur auctore alio non est opus, monuit tamen hoc ipsum Euthym. *Postquam locutus est*, inquit, *non hæc solum, sed & omnia verba, quæ quo tempore locutus est, à die resurrectionis suæ, donec completi sunt quadraginta dies, in quibus apparebat discipulis, & conuersabatur cum eis.*

Assumptus est in cælum.) Assumptus dicitur, non quasi non sua ipse virtute in cælum ascenderit; sed sicut dicitur ex mortuis à Patre suscitatus. Actor. 2. 24. & 3. 15. & 4. 10. & 5. 30. & 10. 40. & 13. 30. 34. 37. & 17. 31. & Rom. 4. 24. & 8. 11. & 10. 9. & 1. Corinth. 15. 15. & 2. Corinth. 4. 14. & ad Gal. 1. 1. & ad Colos. 2. 12. quamuis ipse se certè suscitauerit, *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* 2. Corinth. 13. 4. *& mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.*

1. Petri 3. 18. Quomadmodum ergo suscitatus à Patre per attributionem dicitur, quia suscitare mortuos magnæ potentiæ est, & potentia Patri tribuitur; ita & assumptus scilicet à Patre per eandem attributionem dicitur. Quo autem modo assumptus in cælum fuerit, fusiùs explicat Lucas Actor. 1. 4. 9. vbi & nos copiosiùs sumus, si Deus volet, explicaturi. Hic de sola ad dexteram Patris sessione de qua solus scribit Marcus, dicendum est.

Et sedet à dextris Dei.) Quomodo Christus ad dexteram Dei sedeat, Cyrillus Cateches. 14. inexplicabilem putat esse quæstionem. Tria sunt, in quibus difficultas tota consistit, quid sit sedere; quid ad dexteram Dei; qua ratione. tanquam Deus. an tanquam homo ad dexteram Patris sedere dicatur Christus. Ridiculi nonnulli ex nouis hæreticis sunt, qui sedere hoc loco certum quendam humani corporis positum significare putant. Non enim sedere in cælo dicitur Christus propter habitum corporis, quem si spectemus, stare magis crediderim, quàm sedere; non solùm quia stantem Stephanus se vidisse dicit rùm, cum indicare vellet se eum eodem prorsus, quo erat habitu conspexit, Actor. 7. 55. 56. sed etiam quia stare perfecti, atque valentis: sedere, aut iacere infirmi, languidi, aut lassi est; neque enim nisi aut quiescendi, aut cibi, somníve capiendi, aut aliùs necessitatis causa sedemus, iacemus-ue. Stare naturalis homini habitus est, qualem & in Christo, & in beatis omnibus esse probabile videtur. Quid ergo sit Christum in cælo sedere, aptissimè explicat D. Paulus 1. Corinth. 15. 25. Nam quod Dauid. Psal. 109. 1. dixerat *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; ipse dicit, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos eius sub pedibus eius.* Sedere igitur regnare est. Ecclesiámque gubernare, eadem phrasi, qua dicere solemus Gregorium xiii. nunc Romæ sedere. Sic Sedulius Poëta interpretatus est,

Æthereas euectus abit sublimis in auras,
Et dextram subit ipse Patris, mundúmque gubernat.

Credo tamen non solùm Christi regnum, sed quietem etiam significari, quasi post longum huius vitæ laborem, post passionem, post pugnam sedere, ac quiescere, quasi rex in suo throno dicatur alta fruens pace. Id multis scriptura locis indicat, in quibus Christi passioni, atque laboribus sessionem opponit, Matth. 26. 64. Mar. 14. 62. Lucæ 22. 69. Actor. 2. 34. 36. & 5. 30. 31. Rom. 8. 34. Ephes. 1. 20. Hebr. 1. 13. & 12. 2. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedet Dei sedet.* Habeo huius interpretationis auctorem Ambros. serm. 60. *Secundum*, inquit, *consuetudinem nostram illi confessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adueniens honoris gratia profertur vt sedeat. Ita ergo & homo Iesus Christus passione, qua diabolum superans, resurrectione sua inferna referans, tanquam perfecto opere ad cælos victor aduenient, audit a Patre sede ad dexteram meam.*

Dexteræ autem Dei, quid significet, maior est quæstio. Qui certum in cælo locum dextræ nomine designari putant, quod nonnulli ex huius temporis hæreticis faciunt, audiendi non sunt, quia adeo sunt absurdi, vt ab alijs eiusdem sectæ paulo doctioribus hæreticis irrideantur. Neque enim Pater dexteram habet, sed totus vbique est. Itaque & cum Christus in terris est vt certè est in Euangelijs, & vt fuit cum à Paulo visus est. Actor. 9. 4. & ad dexteram etiam sedet Patris nam & ad iudicium ad dexteram Dei sedens venturus dicitur supra ca. 12. & Matth. 26. 64. quod fieri non posset, si certus, finúsque dexteræ nomine locus intelligeretur, & eum errorem D. Augustinus in libro de fide & symbolo cap. 7. & libro de agone Christiano cap. 26. refutauit. Metaphoricè igitur dexteram sumi necesse est; sed de ea ipsa metaphora disputatur. Ariani, vt auctor est Basilius lib. de Spiritu sancto c. 6. dexteram Patris interpretabátur supremum inter creaturas locum, quod ex Paulo ad Ephe. 1. 20. 21 probabant. *Suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omnem nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro*, & quod nos etiam confessuri cum illo dicamur ad Ephes. 2. 6. Cæterum perspicuum est. D. Pauli testimonium ad Hebr. 1. 13 vbi Christum Angelis tanquam creatorem creaturis opponens, *Ad quem*, inquit, *angelorum dixit aliquando, sede a dextris meis?* Omnium fere veterum auctorum opinio est per dexteram Patris gloriæ, honoris, maiestatis potentiæ, rerúmque omnium æqualitatem designari, Athan. orat. 2. contra Arian. Basilij libro de Spiritu sancto c. 6. Augustin. lib. de agone Christ. ca. 26. & lib. de fide & symbolo ca. 7. à qua sententia nolim temere discedere. Cæterum valde meus in eam opinionem animus inclinat, vt existimem per dexteram non solum æqualitatem, sed quiddam etiam æqualitate maius significari, non quòd filius quidquam maius, quàm Pater habeat; scio enim omnibus rebus æquales esse; sed quòd maiorem præ se, si officij functionem consideremus, dignitatem ferat, cùm ad dexteram, id est regali in sede sit Ecclesiam inde gubernans, donec Pater ponat inimicos eius scabellum pedum eius: sicut in iudicio non habebit quidem re ipsa maiorem, quàm Pater honorem, non maiorem potestatem, sed maiorem tamen ostendet, ac præ se feret; quia ipse non Pater Iudicis officium visibiliter exercebit; *Omne* enim *iudicium Pater dedit filio* Ioannis 5. 22. Moueor consuetudine loquendi, vnde sine dubio metaphora ista ad dexteram Patris sedendi traducta est. Cum tres simul sedent omnium more gentium, qui honoratissimus est, sedet in medio. Cum autem sedent duo, qui honoratior est, sedet ad dexteram. Exemplum est libro 3. Regum cap. 2. 19. vbi cum Bethsabee mater Salomonis Regis eum inuiseret, iussit Salomon ad dexteram suam alterum poni thronum, in eóque sedere matrem, vt eam superiorem agnosceret. Animaduerto autem in litteris sacris nusquam Spiritum sanctum, sed solum Patrem, & Filium dici sedere, quòd sedere, vt dixi, gubernare sit, & non Spiritus sanctus, sed Pater, & Filius dicantur gubernare; gubernare, inquam, extrinsecus; nam intrinsecus quidem animos hominum regere Spiritus sancti proprium est. Cum ergo solus Pater, & Filius sedeant, & Filius ad dexteram Patris sedere dicatur, significatur honoratiore quodam modo esse loco, non quòd re ipsa maior sit, sed quòd cùm Regis officium exerceat maiorem præ se ferat dignitatem. Cæterum neque ipse hanc sententiam viris præsertim doctis repugnantibus tueri velim; neque lectorem mea ductum auctoritate sequi, cùm neminem, qui id doceat, auctorem inueniam, & qui neget inueniam. Ambros. serm. 60 sciámque D. Athan. etiam Spiritum sanctum ad dexteram Patris in sede collocare; proponere tantum volui, & in medio relinquere ab alijs me doctioribus iudicandam. Tertia quæstionis pars nihilo magis est facilis. Nam si Christus, quia Deus est, ad Patris dexteram, id est æqualitatem sedere dicitur, antequam in cælum ascenderet, sedebat, quia æqualis erat: si quâ homo, ne post ascensionem quidem sedet, quia æqualis Patri esse non potest. Quod si propter vnionem cum diuinitate, quam vocant hypostaticam, ad Dei æqualitatem homo ille euectus esse dicitur, ante

Christus an ad dexteram Patris, vt homo, sedeat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ascensionem euectus erat, quia ante erat vnitus. Hanc ob causam Cyrillus Catechesi 14. quæstionem incomprehensibilem esse dixit. Ac ille quidem non vt hominem, sed vt Deum ad Patris dexteram sedere putat, semperque sedisse, nec, cur prius nunquam ante sedere dicatur, ratione vllam reddit. Sic etiam Athanas. orat. 2. contra Arian. Basilius libro de Spiritu sancto cap. 6. Damascen. lib. 4. cap. 2. Cyrillus. Alexandr. Alij vt hominem sedere dicunt, Epiphan. in Ancor. & Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. Vtrumque mihi videtur verum esse; nam cum sedere proprium corporis sit, non dubium, quin Christus ratione corporis, humanæque naturæ sedere ad dexteram dicatur Patris; non quòd verè sedeat, vt paulò supra docuimus, sed quòd ea metaphora, qua sedere dicitur, à corpore sit sumpta. Rursus cum sedere ad dexteram Patris sit æqualem cum illo gloriam, æqualem habere maiestatem, & eam gloriæ, maiestatisque æqualitatem, nisi propter hypostaticam cum diuinitate coniunctionem corpus non habeat, sit vt propter diuinam naturam, qua patri æqualis est, sedere ad eius dexteram dicatur Christus. Humana natura dat Christo, vt sedeat diuina, vt ad dexteram sedeat. Cur ergo antequàm ad cælum ascenderet, sedere ad dexteram Patris non dicebatur; cum iam esset humana diuinæ coniuncta naturæ; & diuina æqualem cum Patre gloriam haberet? Primum quia ita Christo volente nondum eius humana natura glorificata erat. Deinde quia Christus ipse, vt Deus, etsi æqualem cum Patre habebat maiestatem, extrinsecus tamen non ostendebat, adhuc vermis, & non homo, adhuc formam gerens serui, adhuc laborans, adhuc patiens, adhuc pugnans; & non sedetur dum pugnatur. Stantem enim, vt ille dixit, mori oportet Imperatorem. Sedetur post pugnam; sedetur post victoriam; sedet, qui triumphat; sedet, qui regnat. Non prætermittendum, quod Irenæus libro 3. c. 11. obseruauit, propterea Marcum de sessione Christi ad dexteram Patris egisse ab alijs Euangelistis prætermissa, vt ostenderet impletam in ea fuisse Dauidis prophetiam, Psalm. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteris meis.*

Lib. 1. in Ioā. c. 22.

Psal. 21. 7. Philip. 2. 7. Vespasianus, ex Dione in fine vitæ eiusdem.

20. *Illi autem profecti prædicauerunt.* Non statim, sed decem post diebus, cum Spiritus sanctus in eos effusus est. Sic enim illis Christus præceperat, Lucæ 24. 49. & Actor. 1. 4. sed quia Marcus narrauerat, quomodo Christus iussisset eos ire in mundū vniuersum, vers. 15. Voluit docere ita Apostolos fecisse, quemadmodum à Christo iussi fuerant, vt Gregorius homil. in Euangelia 29. & Beda in comment. adnotarunt.

Prædicauerunt vbique.) Id est non solum inter Iudæos, sed etiam inter Gentiles, vbicumque portenta nulla iam vllius loci, vllius nationis habita ratione, vide supra vers. 15.

Domino cooperante.) Conatus eorū adiuuante Nazarenos, & Lutherani nos cum Deo cooperari, atqui scriptura non solum nos Dei, 1. Corinth. 3. sed quod multo maius est Deum nostri coadiutorem & cooperatorem esse docet. Nos cum scriptura loquimur, cum scriptura sentimus; hæretici, qui nouo sensu, noua vtuntur lingua, barbari nobis sunt.

Et sermonem confirmante sequentibus signis.) Efficiendo, vt miracula per eos fierent, quibus Euangelicum verbum, quod prædicauerant, confirmaretur. Putat Marcus Deum miraculorū auctorem, quia etsi Apostoli ea verè faciebant, tamen ea potestas non ipsis à natura, sed singulari à Deo dono concessa erat; ideò autem hoc videtur Euangelista dixisse, vt ostenderet vera fuisse quæ Christus promiserat, vers. 17. c. 6. 7. Gregorius homil. 29. in Euang. & Beda obseruarunt. *Quid in his,* inquit Gregorius, *considerandum est, quod memoriæ commendandum, nisi quod præceptum obtemperatio, obedientiam verò signa sequuta sunt?*

IOANNIS

MALDONATI

SOCIETATIS IESV

THEOLOGI COMMENTARII

IN EVANGELIVM

D. LVCÆ.

PRAEFATIO.

Lucas pictor.

VCAM Antiochenum omnes veteres auctores faciūt, Eusebius libro 3. hist. Eccles. c. Hiero. in libro de scripto. Eccles. c. 17. Dorothe. in Synop. Isid. lib. de script. Eccles. cap. 84. Beda in præf. in Acta Apost. Oecumen. Actorum 1. Simeon Metaphr. in eius vita. Medicum fuisse arte iidem omnes auctores tradunt, ac præterea Chrysosto. hom. 12. in epist. ad Col. Ambros. & Theophyl. ad Col. 4. 14. Non alio opinor argumēto, quàm quòd eo loco dicat D. Paulus. *Saluat vos Lucas medicus carissimus.* Quod etsi Caluinus antiquitatis hostis, nouitatis amator refellere conatur; plus tamen tot, tantorumque auctorum sententijs confirmatum, quàm, quo illud ipse refellit, apud homines paullo modestioris ingenij habebit ponderis. *Notior,* inquit, *erat Euāgelista, quam, vt opus fuerit tali indicatione; & splēdidiore elogio fuisset ignotus. Certè coadiutorem suum, aut fidelem saltem comitem, & certaminum participem vocasset.* Ego verò contra, si Lucas ille, de quo Paulus loquebatur, Euangelista non erat, aliqua eum debuit certiore nota distinguere, non ita describere, vt omnis erraret antiquitas Euangelistā putās, qui medicus fuerit, arte longè diuersa. Titulo autem, quo alio insigniri melius potuit, quàm vt vnus inter multos, qui simul nominabatur, carissimus appellaretur? Quis enim illi carior, quàm Lucas perpetuus eius comes, aut esse potuit, aut vocari debuit? Quis solus carissimus, nisi qui solus eum in summis periculis nō deseruerat? 2. ad Tim. 4. 11. Timotheus adiutor etiam in Euangelium eius erat; at non semper coadiutorem, non semper comitem, non semper eiusdem participem certaminis appellat; sed aliquando filium carissimum suum 1. Corin. 4. 17. titulo illi consimili, quem Lucæ tribuit, aliquando tantùm Timotheum nullo adiuncto epitheto honoratiore 1. Cor. 16. 10. & ad Hebræos 13. 23.

Lucas Antiochenus.

Lucas idem.

Lucas Medicus.

Collatus Apostolus.

Pictorem etiam, scientia, vt arbitror, magis, quàm professione vulgaris facit opinio, auctore non carens. Nam Simeon Metaphr. & Nicephorus lib. 2. c. 43. & lib. 6. c. 16. id affirmant.

Isidorus proselytum fuisse scribit, Græcis, & philosophicis eruditum litteris, qualem medicinā professū esse oportebat; Hebraicas verò litteras leuiùs attigisse; eā fuisse causam, vt paullo elegātiùs, quàm cæteri Euāgelistæ, scribat Græcè, & scripturæ testimonia non ex Hebræis fontibus, sed ex Septuaginta interpretū editione proferre soleat. Quod de Græci sermonis cognitione & stylo dicit, verè dictum puto: quod de litteris Hebraicis, deque citatis ex Septuaginta scripturæ testimonijs nolim iudicare, quàm verum sit. Perexiguū enim inter eum, & cæteros Euangelistas in ea re discrimen animaduerto.

Lucæ aut ex septuaginta duobus discipulus fuerit.

An Christi discipulus fuerit, diuersas video veterum scriptorum esse sententias. Orig. dialogo 1. de recta in vnum Deum fide, Gregor. in præf. in Iob. c. 1. & Simeon Metaphr. vnūm ex septuaginta duobus Christi discipulis fuisse dicūt, quos præter Apostolos ad prædicandum Euangelium dimisit Lucæ 10. 1. Iren. lib. 3. c. 11. Tertul. lib. 4. contra Marci. Eusebius libro 3. histor. Eccles. c. 4. Hieron. in scriptor. Eccles. c. 17. Doroth. in Synop. Beda in præfat. in Lucam, & Petrus Damian. in serm. quodam de sancto Luca negant. Itaque Tertul. non Apostolum, sed Apostolicum virum vocat, quo nomine vocari solebant ij, qui quamuis Christum non audiuissent, audiuissent tamen Apostolos. Hoc probabilius, non solum quia plures id auctores affirmant, sed quia ipse etiam de se testatur. Cum enim dicit c. 1. 2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis,* minimè dubiè significat se non vidisse, sed auditione ab iis, qui viderant, accepisse, quæ scripturus erat. Idem ex ver. 3. si rectè verba pensentur, colligi potest. *Visum est,* inquit, *& mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere.* Assecutum enim se dicit omnia diligenter, id est, summa diligentia facta, dictáque Christi peruestigasse, vt illo loco docebimus, quod qui vidisset, mi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nime fecisset. Neque argumentum, quo quidam vti solent, mouet me de sententia. Ecclesia, inquiunt, cum eius festum agit diem, legit illud ex eodem Luca c. 10.1. *Post hæc autem designauit Dominus, & alios Septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus*; quasi vnus ex illis Lucas fuerit. Solet enim Ecclesia, quæ de aliis dicta sunt, ad alios propter similitudinem aliquam accommodare. Quod apud eundem Lucam eodem capite ver. 42. scriptum est, *Maria optimam partem elegit*, quis nescit de Maria sorore Lazari dictum esse? atqui Ecclesia ad B. Mariam Christi matrem in eius festis accommodat. Quod Matthæi 12.46.47. dicitur, *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te*, de vera Christi matre, ciúsque cognatis dictum est; accommodat tamen Ecclesia ad sanctam Felicitatem, & septem eius filios, cum eius celebrat festum.

Quando, aut quomodo Lucas susceperit Euangelium, vix quisquam est auctor. Tantùm apud Nicephorum lego lib. 2. c. 43. prædicante iam D. Paulo ad eum Thebas venisse, auditóq; credidisse. Quantum auctor ille mereatur fidei, ab aliis æstimari malo, quàm à me dici; mihi semper audacior est visus.

Lucæ Pauli comes.

Pauli sectatorem, & comitem fuisse omnes consentiunt, illi etiam, qui eum Christi discipulú fuisse putant: déque eo locos illos omnes intelligunt, vbi D. Paulus nominat Lucam Col. 4. 14. 2. Timot. 4. 11. Philem. 24. Quin & Lucium illum, de quo Roman. 16. 21. mentionem facit, veteres quidam auctores Lucam Euangelistam fuisse crediderunt, qui modico flexu nominis, vt ad Latini sermonis formam aptaretur, ex Luca Lucius factus sit, vt Orig. lib. 10. comment. in epistolam ad Rom. scribit.

Libri à Luca scripti.

Duos scripsit libros Euangelium primùm, deinde Apostolorum Acta. Euangelium, vt quidam volunt, non solùm docente, atque hortante, sed etiam dictante D. Paulo. Vnde nata opinio illa est, quoties D. Paulus Euangelium suum dicit, hoc Lucæ Euangelium intelligi, vt Roman. 2. 16. & 16. 25. & 2. ad Thessa. 2. 14. quemadmodum Eusеb. lib. 3. hist. Ecclesiasticæ c. 4. & Hiero. in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis referunt. Tertul. verò lib. 4. contra. Marc. causam erroris indicat, & *Lucæ*, inquit, *digestum Paulo adscribere solent: cæpit magistrorum videri, qua discipulo promulgarint.* In eo omnes consentiunt, cum D. Paulus 2. Corinth. 8. 18. dicit, *cuius laus est in Euangelio*, Lucam designare. Quanquam, vt in præfatione diximus quattuor Euangelistarum, non tam Euangelicam historiam, quàm Euangelicam prædicationem eo loco significari arbitror. Alij hortante quidem, non tamen dictante. Alij ne hortante quidem, sed docente: scripsisse enim nó quæ ipse viderat, sed quę audiuerat ab illo. in qua sententia Tertul. videtur esse. Nonnulli ne docente quidem solo Paulo; non enim ex illo solo, qui Christum ante ascensionẽ in cælum non viderat, aut in illum certè non credideratsed ex Apostolorum, aliorúmque discipulorum, qui, vt ipse ait, viderant, & ministri sermonis fuerat, quæ scripsit, didicisse. Hoc magis credo; quo magis etiam videtur Eusеb. & Hieron. propensa sententia, quia ipse in exordio ita loquitur, vt nó obscurè indicet nullum se ad scribendum hortatorem habuisse, neque rationem aliam, quàm quòd alij facere conati essent; dicturus profectò tanto se auctore feciss̃e, si eius ductus fecisset auctoritate; cum remeritatis à se notam vellet remouere, eámque ob causam præter cæterorum Euangelistarũ morem, cur ad scribendum accederet, rationem afferret.

Lucam fuisse eum, qui post Christi resurrectionem cum Cleopha Emauntem ibat, cum se illis Christus ostendit Lucæ 24. 13. scribunt Gregor. in præfatione in Iob cap. 1. & Simeon Metaphr. in eius vita, & Theophyl. in comment in cap. Lucæ 24. & Niceph. lib. 1. cap. 34. Sed hanc opinionem suprà refutauimus, cum docuimus non fuisse Christi discipulum, quales, vt ibidem testatur Lucas, duo illi erant.

Mortuum in Bithynia omnes scribunt.

De ætate non conuenit; nam Hieron. & Isidorus octogesimo ætatis suæ 84. Beda verò in Marc. 73. mortuum fuisse dicit.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

CAPVT I.

1 QVONIAM quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: 2. sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: 3. visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, 4. vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. 5. Fuit in diebus Herodis, regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth. 6. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela, 7. & non erat illis filius eo quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. 8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, 9. secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incẽsum poneret, ingressus in templum Domini: 10. & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. 11. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. 12. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. 13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: 14. & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: 15. erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: 16. & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum: 17. & ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. 18. Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. 19. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. 20. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. 21. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipse in templo. 22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus. 23. Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius abijt in domum suam: 24. post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens: 25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. 26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, 27. ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria. 28. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. 29. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. 30. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: 31. ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. 32. hic erit magnus, & Filius Altis-

1. Par. 24. d. 10.

Exod. 30. a. 7. Leu. 16 d. 17.

Mal. 4. b. 6. Matth. 11. b 14.

Isai. 7. c. 14. Iosr. 2. c. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dan.7.d. 14.5.27. Mich.4. c.7.

simi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, 33. & regni eius non erit finis. 34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 35. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. 36. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa cõcepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: 37. quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. 38. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. 39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: 40. Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. 41. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: 42. & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. 43. Et vnde hoc mihi Vt veniat mater Domini mei ad me? 44. Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. 45. & beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. 46. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: 47. & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. 48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes. 49. Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius. 50. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. 51. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. 52. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. 53. Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes. 54. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. 55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula. 56. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam. 57. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. 58. Et audierunt vicini, & cognati eius quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. 59. Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. 60. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. 61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. 62. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. 63. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. 64. Apertum est autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. 65. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: 66. & posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puerisle erit? Etenim manus Domini erat cum illo. 67. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto: & prophetauit, dicens: 68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ: 69. Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui. 70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum eius: 71. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: 72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti. 73. Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: 74. Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. 75. In sanctitate, & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. 76. Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: 77. Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum: 78. Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos, oriens ex alto: 79. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. 80. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.

Isai.51.b. 9. Psal. 32. b. 10. Psal.33.a. 11. 1. Reg.2. b 5. Isai. 42. b 8. Psal.131. c. 11. Gen.17. cap.9. & 22.c.16. Sup.b.13. Psal.73.c. 11.& 131. d. 17. Ier.23. a. 6.& 30. b. 10. Gen. 22. c.16. Ier. 11.f. 3. Hebr.6.c. 13.d.17. Mal.4.a. 5. Sup.b.17. Zach. 2. d.9. Mal. 4. a.2.

IN CAPVT I.

Quoniam quidem multi conati sunt.) Quæ scribit vsque ad ver.5.nõ pars Euangelij, sed Euãgelij præfatio est, qua quo consilio ad scribendum accesserit, breuiter exponit. Quod solum fecisse Lucam omnes interpretes obseruant. Cur solus fecerit, non eandem omnes rationem putant. Quidam quòd ad Theophilum priuatũ hominem scriberet, cum alij non ad vnũ scripserint hominem, sed ad cunctos. Ratio minimè probabilis; Nã & nos, cum libros nostros non ad vnũ aliquem, sed ad omnem lectorẽ scribimus, cur tamen scribamus rationem reddere solemus: & D. Paulus ad Timot. ad Titum, ad Philemonem homines priuatos scribẽs, cur scribat, nullam rationem reddit. Alij, quòd solus voluerit in scribenda Euãgelica historia seruare ordinem. Quod vtrum ita sit versu 3. dicemus; nũc tantùm dicimus eam non fuisse causam, cur præfatione vteretur, quia & alij Euãgelistæ suum ordinem seruant, nónullis etiã in rebus maiorem, quàm Lucas; præfatione tamen vsi non sunt. Præfationis igitur huius nõ alia nobis, quàm quam auctor ipse reddit, causã quærenda est; quòd conati multi essent idem facere; & ipse explorata, atque perspecta haberet omnia. Vtitur ergo præfatione, vt obiectionem propellat, quòd cùm res, de quibus scripturus erat, non vidisset, ausus tamen esset scribere; reddit rationem audaciæ, quòd diligenter omnia ex his, qui viderãt, didicisset. Cur ergo Marcus, dicet aliquis, qui ea quę scribit non viderat, non eandem rationem reddidit? Respõdeo reddere Marcum, & nõ reddere Lucã potuisse, sed cur Lucas reddiderit exponimus, quia potuit, decuit, voluit; Marcus, & si potuit quidẽ, tamen noluit, quia non existimauit fortasse necessarium.

Multi.) Multos vocat, quia plures vno erãt; neque enim necesse est magno fuerint numero. Aliquanto aliter Beda, *Multos*, inquit, *nõ tamẽ numerositate quam hæreses multifariæ diuersitate cõnumerans*; sed de hac re paullo post dicturi sumus. Qui isti fuerint, quos Lucas Euangeliũ scribere conatos dicit, incertũ. Origenes homilia 1. in Lucã, Ambrosius, & Beda Basilidem veterem hæreticum intelligunt, & eos, quicumque fuerunt, qui Euangelium secundùm Thomam, & aliud secundùm Mathiam scripserunt. De Euangelio secundùm Thomam, & secundùm Matthiam, quia non cõstat, quo tempore scriptum fuerit, nihil dico. Basilidem dico intelligi nõ posse, quia vt ex Eusebio libro 4. historiæ Ecclesiasticæ c.7. manifestum est, fuit Luca posterior. Beda Apellem addit, quòd eodẽ ætatis argumẽto refellitur. Fuit enim aliquantò etiã posterior Basilide, vt idem Eusebius lib. 5. c. 13. auctor est. Epiphanius hæresi. 51. Cerinthum, & Merinthum notari putat; sed & ij posteriores ætatis fuerũt, vt ex Eusebio lib. 3. c. 22. colligitur. Theoph. Euangelium secundùm Ægyptios, & aliud, quod duodecim vocabatur, intelligit. Quod ideo est probabilius, quòd nec probari, nec refutari potest. Neque enim constat, aut quo tempore, aut quibus auctoribus ea duo exiterint Euãgelia. Illud fere omnes affirmant Matthæum, & Marcum, qui priùs scripserant, non designari, vt Origenes, Ambrosius, & Theoph. admonuerunt. A qua sententia, nõ quòd certa mihi ratione probari posse videatur, sed quòd omnibus vulgò probari videam, nolo discedere. Nam ratio illa, quæ omnes penè mouet interpretes, quòd Euangelista dicat ἐπεχείρησαν *conati sunt*, fateor me non mouet. Neque enim Græcum verbũ propriè significat temerè aggredi, vt quidam interpretatur, nec id efficere conari, quod perficere nõ possis; sed generaliter aggredi, suscipere, manum ad opus admouere. Itaque non magis in vitio ponitur, quàm in laude, idque sexcentis Græcorũ scriptorum exẽplis probari potest, quæ quia Græce scienti passim occurrẽt, non censebo. Etsi fateor nõ solũm Ambrosium, & Bedam hoc loco, & D. Augustinos auctores; sed Græcos etiam, Origenem homilia in hunc locum. 1. Eusebium libro 3. historiæ Ecclesiast. c. 18. Epiphan. hæresi. 51. Theophyl. Euthym. in cõmentariis, & Nicephorũ libro 2. c. 45. ita interpretari, quasi ant temerarij, aut irriti, & frustrati conatus culpã contineat. Quod si iuxta propriam verbi significationẽ in laudem potiùs, quàm in vitium dictum accipimus, non video cur non Matthæum, & Marcũ iudicari hoc loco intelligamus, quos non vt reprehenderet, sed vt laudaret Lucas designauerit, & vt eorum exemplo similem suum conatũ approbaret, quòd nec solus, neq; primus scribere aggrediatur Euangelium. Tres enim, cur scribat rationes reddere videtur, quod idem alij ante se fecerint; & liceat sibi eorum exemplo idem facere, quòd res, quibus constat Euangeliũ, exploratas habeat; quòd rem gratã, & vtilem Theophilo amico suo facturus sit. Certè hanc interpretationem verbũ illud, quod ver. 3. sequitur, valde cõfirmat, *Visum est & mihi*. Quo verbo, eodem consilio indicat se Euangelij scriptionem aggredi, qua alij, de quib⁹ dixerat, aggressi fuissent. Hæc enim vim habet particula illa &. Ipse autem non malo vtique, sed bono prorsus, & laudabili consilio Euãgelium aggrediebatur; laudat ergo aliorum etiam consilium, non reprehendit. Quòd si nihil aliud hæc sententia haberet cõmodi, tamẽ illud haberet, quòd si eam sequeremur, facillimè hæretici cuiusdã interpretis errorem refelleremus, qui colligit ea his verbis primùm omnium Euãgelistarum scripsisse Lucã, quod etsi omnis antiquitatis repugnat historiæ, tamen alio argumento ex scriptura sumpto refutari non potest, quàm quòd hoc loco Lucas significet Matthæum, & Marcum ante se Euangelium scripsisse. Nolo tamen, vt monere soleo, opinionem meam, aut suspicionem potiùs, nisi benè probatam, tam multis præsertim dissentientibus auctoribus, lectorem sequi. Omnia ponimus in medio, cõferat, cõsideret, ponderet, æstimet; idq; demũ eligat, quod simillimum vero iudicabit; rationem modò, quam par est, antiquorum auctorum habeat.

Beza in annot.

Ordinare narrationem.) ἀνατάξασθαι διήγησιν, narrationem digerere, historiam texere. Non significat eo ordine, quo gestæ res sunt, recensere, sed distinctè, atque dilucidè, narrando explicare.

Quæ in nobis completa sint rerum.) περὶ τῶν ἐν ἡμῖν πεπληροφορημένων πραγμάτων. πληροφορεῖν, aut vt alij scribendum putant, πληρωφορεῖν verbum est valde in sacris litteris vsitatum. Duo, quantum obseruare mihi licuit, significare solet, perficere, atque cõplere aliquam rem; & certam, atque exploratã fidem facere. Prioris significationis exemplum est 2. Tim. 4. 5. τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, *ministerium tuum imple*, & ad Colo. 2. 2. ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν συμβιβασθέντων ἐν ἀγάπῃ, καὶ εἰς πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως, *vt consolentur corda ipsorum instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus*, & ad Hebr. 6. 11. ἐπιθυμοῦμεν δὲ ἕκαστον ὑμῶν τὴν αὐτὴν ἐνδείκνυσθαι σπουδὴν πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος ἄχρι τέλους. *Cupimus autem vnumquenque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem.* Exemplũ secũdæ Rom. 4. 21. καὶ πληροφορηθεὶς ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατὸς ἐστι καὶ ποιῆσαι. *plenissime sciens quod quæcunque promisit Deus, potens est & facere*, & c. 14. 5. ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω, *vnusquisq; in sensu suo abundet*. id est persuasum habeat suã verã esse sententiã. Vterq; sensus rectè in hũc locum cõuenit. Prioré expressit noster interpres, quasi Lucas dicere voluerit velle se historiam texere earũ rerũ, quæ in nobis perfectæ sunt, quasq; Christus gessit; vt tacitè alludat ad prophetarũ vaticinia, quæ per Christum impleta sunt. Nil enim egit Christus, q. non prius prophetæ prædixissent;

πληροφορεῖν in scriptura quid significet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esa. 54. dixissent: aut vt indicet Christũ omnes partes expleuisse officij sui, omnia perfeciſſe, quæ facere eum docuit, *Quid* inquit, *debui vltrà facere vineæ meæ, & nõ feci?* Hoc enim sensu, eodémque vsus verbo Timotheum iubet Paulus πληροφορεῖσθαι τὴν διακονίαν ὑπὲρ *implere ministerium suum.* Secundũ sensum alij interpretes reddiderunt, tanquam si dicat scripturum se earum rerũ historiã, quarũ certissima apud se fides esset, quasq; perfectè cognitas, & exploratas haberet. Sic Origen. hom. in Lucã 1. & Eusebius lib. 3. c. 18. & Epiphan. hæresi 51. Ambr. Theoph. Euthy. in cõmentariis. Confirmat hũc sensum, quòd ver. 2. sequitur, *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis:* probat enim his verbis τὴν πληροφορίαν, id est certam illã persuasionem, & fidem, quam de illis se rebus habere dixerat, quia ab iis nimirum acceperat, qui ipsi viderant, & ministri sermonis fuerant. *In nobis dicit,* vt quidã putant, Christianos intelligens: sed mihi pronomen illud, *nobis*, opponi videtur iis, qui ipsi viderãt, & ministri sermonis fuerant. Itaque aut de se loquitur solo plurali numero, aut de se, & Theophilo, ad quem scribebat; aut, quòd magis credo, de se, & omnibus simul, qui cum iis de rebus, quas scribere aggrediebatur, non dubitarent; tamen eas non viderant, quemadmodum videtur Euthym. interpretari.

2. *Sicut tradiderunt nobis.*) Probat, vt dixi, vnde illam haberet πληροφορίαν, id est perfectam, & indubitatam fidem, quia ab illis nimirum acceperat; qui ipsi res, quas narraturus erat, viderant, earúmque magna ex parte auctores fuerãt. Quod autem dicit, *qui ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*, Græcè est, οἵτινες ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, qui ab initio spectatores, & ministri fuerunt sermonis. Itaque vtrumq; verbum ad sermonem refertur; eodémque modo vtrumque Latinum verbum eodem referendum est, quod vt fiat, repeti debet ἀπὸ τοῦ *sermonis* nomen hoc modo, qui ipsi viderunt sermonem, & ministri eius fuerunt. Quæ locutio occasionem multis præbuit auctoribus, vt hoc loco *sermonis* nomine Christum intelligendum putarent. In quibus Origenes est homilia in Lucam 1. & Hieron. in præfatione in Matthæũ, Ambrosius, & Euthym. in commentariis. Sententia quidem vera est; nam ij, de quibus Lucas loquitur, Christum viderant, eiúsque ministri fuerãt: & locutio à sacrarum litterarũ consuetudine non abhorret; sic enim Ioannes loquitur 1. epist. c. 1. 1. 2. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ testamur, & annuntiamus vobis.* Non tamen videtur huius loci is esse sensus; nã vt alia taceam, sæpe obseruaui a nemine, nisi à D. Ioanne Christum λόγον *verbum* appellari. Itaque magis assentior iis, minoribus licet, auctoribꝰ, qui existimant nomen λόγου *sermonis*, aut *verbi* pro re accipi, ex Hebræorũ idiomate, qui omnem rem דבר verbũ appellãt, vt infra c. 2. 15. *Transeamus in Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est.* Qui fuerint ij, à quibus Lucas dicit se ea, quæ scripturus erat, accepisse, quæritur a quibusdam. Chrys. apud D. Thom. & Euthym. omnes Apostolos intelligũt excepto, vt opinor, Iuda, quem Lucas iam laqueo suspẽsum audire non potuit. Theophyl. Petrum, Iacobum, & Ioannem, qui primi vocati fuerãt, & soli res omnes ab initio cognoscere potuerant. Placet mihi sententia quorumdam, qui B. imprimis Virginem Christi matrem intelligũt. Nam & eam Lucam vidisse non solùm credibile, sed penè certum est; & consuluisse de rebus omnibꝰ facit vt credamus, ea, qua se vsum fuisse dicit, diligentia. Et verò quædam scribit, quæ

Verbum apud Hebræos pro re.

Lucas à B. Virgine didicit.

A nemo præter Virginẽ ex iis, à quibus Lucas audire posset, poterat scire, quale est illud de mirabili conceptione, ortúq; Baptistæ. Quod dicit *ab initio*, ideo dicere videtur, quòd solus ipse Euangelium à primo illo initio cõcepti Ioannis fuerit exorsus; propterea testes inducit, qui ab initio omnia vidissent.

3. *Visum est & mihi.*) Cum dicit *visum est mihi*, non humanum tantùm, ac suum; sed diuinũ etiam consilium declarat. Nec enim significat pro libito suo Deo minimè consulto ad scribendum accessisse, sed perinde est, ac si dicat, visum mihi est in Domino, vt Christiano loquar more: sicut Apostoli dicũt, *Visum est Spiritui sancto, & nobis* Act. 15. 28. Nam si quis diceret, visum mihi est fieri Christianũ, nõ vtique indicaret non idem visum esse Deo, vt Ambr. & Beda notauerũt. Vim autem illius particulæ, &, supra exposuimus.

Assecuto omnia à principio diligenter.) παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς. Omnibus rebus altè perito principio peruestigatis. Itaque non scientiam suã verbis, sed diligentiam suam commendat, quam in quærendis, vestigandis, explorándisque iis rebus adhibuerit, quas scribere volebat. Etsi nõ nego scientiam etiam earumdẽ rerum se habere indicare voluisse; nec enim alia de causa suam cõmendauit diligentiam, nisi vt significaret, nihil se, quod non penitus cognitum, atque perspectum haberet, scripturum esse; cùm soleat scientia diligentiæ esse contracta. Fuit tamen modestiæ eius diligentiam potius suam, quàm scientiam commendare: sicut minores nos verecundia, quantum in aliqua arte laboraueritimus, quàm quantos fecerimus progressus, dicere solemus. Itaque Orig. Euseb. Ambros. & Beda, qui scientiam putant significari, reprehendendi non sunt, cùm ex diligentia scientia consequatur.

Ex ordine tibi scribere.) Opinionem eorũ, qui existimant solum Lucam rerum gestarum ordinem in scribendo seruasse, supra refutauimus. Neque enim ex ordine se scripturum dicit, quòd eodem prorsus ordine, quo gestæ res fuerant, scribit, sed quòd non confusè scribat, aut quòd quamuis non singulis in rebus, in toto tamen historiæ complexu ordinem D seruet; quòd priùs de conceptione Ioannis, quàm Christi, quia prior fuit; priùs de cõceptione, quàm de natiuitate Christi; priùs de natiuitate, quàm de circuncisione; priùs de circuncisione, quàm de Purificatione; priùs de Purificatione, quàm de educatione; priùs de educatione, quàm de Baptismo; priùs de Baptismo, quàm de prædicatione, atque miraculis; priùs de prædicatione, & miraculis, quàm de passione; priùs de passione, quàm de resurrectione scribat. Hic enim certè ordo est, quem si quis Lucã studiosiùs, quàm cæteros Euãgelistas seruasse dixerit, non repugnabo. Atque hac fortasse de causa D. Ambros. historico Lucã stylo scripsisse docet. Non dicit, se scripturum omnia, sed omnia assecutum. Nam si omnia scripta fuissent, *ne mundum quidem ipsum posse capere eos, qui scribẽdi essent, libros* Ioan. 21. 25. vt Chrysost. hom. 1. in Acta Apostolorum, & Ambr. hoc loco, & D. August. lib. 4. de consensu Euangelistarum cap. 8. & Beda in commentariis monuerunt. *Visum est*, inquit Ambr. *scribere non omnia, sed ex omnibus. Non enim scripsit omnia, sed assecutus est omnia.* Quamquã ego isthuc ipsum, quòd se omnia assecutum dicit, non subtiliter, sed populariter intelligendum esse arbitror. Nã si ad minimos calculos ratio ponatur, nõ omnia fortassis assecutus est, nõ omnis peruestigauit, quia cùm omnia scripturus non esset, omnia quærendo persequi magis supervacaneum, quàm necessarium erat. Ad eundem modum intelli-

gendum

gendum est, quod Act. 1. 1. Idem scribit Lucas se *de omnibus, quæ cœpisset Iesus facere, & docere*, verba fecisse.

Optime Theophile.) Theophilus Græcè Dei amicũ, hominẽ pium, ac religiosum significat. Itaque multi, magnique auctores dubitarunt, essétne hoc loco nomen proprium certi alicuius viri, an commune omnibus piis, ad quos se Lucas scribere dicat Euangelium. Origen. hom. 1. & Epiphan. hæres. 51. videntur commune facere, eodémque modo videntur Ambros. & Beda sentire, sed moraliter, vt doceant, si nos Theophili, id est pij fuerimus, & nobis hoc esse scriptum Euãgelium. Tribus autem ex rebus intelligamus nomen esse proprium; primùm quòd dicat, *Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Quibus verbis indicat scribere se ad hominem certum, quem eruditum, & à se fortasis ipso eruditum sciat. Deinde ex epitheto, quo vtitur, *Optime Theophile*, quod non nisi homini certo, noto, magnóque tribuisset. Postremò ex Actorum 1. 1. vbi eodem modo optimum Theophilum appellans declarat se ad eum Euangelium scripsisse. Quis autem is Theophilus fuerit, compertum non habemus. Quidam Antiochenum Episcopum fuisse tradunt, quem scribit Nicephorus libro 3. cap. 25. sextum in ea Ecclesia fuisse Præsulem. Oecumenius in commentariis in 1. cap. Actor. ex epitheto κράτιστος *Optime*, colligit Præsidem prouinciæ alicuius, aut Præfectum fuisse, quòd eo honoris titulo Præsides ornarentur, vt apparet Act. 23. 26. & 24. 3. & 26. 25. probabilis coniectura; sed in re tam obscura, & à cognitione nostra remota nihil affirmandum existimo nec id est ad scripturam intelligendam necessarium. Quærunt quidam, atque in his Chrysostomus homilia 1. in Acta Apostolorum, quid causæ fuerit, quam ob rem ad hominem priuatum Euangelium, quod maximè omnibus commune esse debet, Lucas scripserit. Respondet idem auctor, *audiens*, inquit, *dicentem Christum.* Matthæi 18. 14. *Non est voluntas ante patrem vestrum qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* Alio eo fecisse consilio, vt Theophili principis viri nomine prodiens Euangelium inuidiæ, ac periculi minus, gratiæ plus haberet. Nõ videtur mihi alia quærẽda ratio consilij eius, quàm quam ipse nobis exposuit, vt Theophilum hominẽ notum, & amicum, eruditum priùs verbis, scripto cõfirmaret Euangelio. Neque minus propterea auctoritatis scriptum ad priuatum hominem, quàm si publicè ad omnes scriptum esset, habere putandum est. Nam & quod Theophilo Lucas scribit, omnibus scribit; & D. Paulus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem priuatos homines scripsit epistolas, quæ nihilo minus, quàm quæ ad totas Romanorum Corinthiorum, Ephesiorum, Galatarum, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensium Ecclesias scriptæ sunt, fidei meruerũt. Quærit rursum Chrysost. quam ob causam Lucas, cùm ad eundem Theophilum, & Euangelium, & Acta Apostol. scripserit, E non in vnum contulerit librum. Tres eius rei rationes affert, prima est, vt hac distinctione dilucidior esset historiæ secunda, vt ea intermissione respiraret, ac recrearetur auditor; tertia, quòd res tractentur diuersæ nam hic Christi, illic Apostolorum scribitur historia. Placet hæc vltima.

4. *Vt cognoscas.*) ἵνα ἐπιγνῷς, vt recognoscas, quemadmodum Græcus auctor Theophyl. adnotauit. Iam enim verbis doctus cognouerat, sed vult Lucas, vt eadem scripto recognoscat.

Verbum apud Hebræos.

Eorum verborum.) Earum rerum. Notissimus Hebraismus quo דבר verbum pro omni re ponitur, vt infra c. 2. 15. *Transeamus vsque Bethelehem, & videamus*

Catechismi nomẽ.

Deut. 17. 6.

Dies pro tempore apud Hebræos.

hoc verbum quod factum est.

De quibus eruditus es.) περὶ ὧν κατηχήθης, de quibus viua voce doctus es. Hoc enim est Græcè κατηχεῖσθαι. vt Act. 21. 21. & ad Galatas 6. vnde κατήχησις catechismus, aut κατηχητὴς catechesis à Christianis ea doctrina dicta est, qua Christi candidati ante baptismum viua voce initiabantur, translato, vt quidam volunt, ex Aegyptiis more, qui mysteria religionis suæ sola tradebant voce.

Veritatem.) τὴν ἀσφάλειαν firmitatem, & vt ita dicam certitudinem. Quo autem modo scripto potiùs, quam verbis cognituros esset, exponit Theophylact. Theophilum discipulum fuisse Lucæ, solere homines liberiùs loqui, quam scribere, magis enim quæ scribimus, quàm quæ loquimur consideramus, inde fieri, vt magis scribentibus, quam loquentibus credi soleat: ita futurum indicare Lucam, vt magis scribenti sibi Theophilus credat. Nihil affirmare ausim, sed magis eò me impellit opinio, vt credam Theophilum non à Luca, sed ab alio Christiano aliquo fuisse doctum, atque ideo ad eum Lucam scribere, vt cùm eadem, quæ ab aliis audiuisset, scripta à se legeret, in fide confirmaretur, quia & *in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* & dubium non erat quin Theophilus, quæ ab alijs audiuisset, à Luca homine amico, & fideli scripta lecturus esset, & magno cum incremento fidei suæ recogniturus. Siue discipulus fuerit Lucæ, siue non, hoc mihi videtur Lucas significare voluisse, Theophilum quidem prius audiuisse de Christo, quæ ad salutem illi essent necessaria, sed nondum omnem ordine rerum ab eo gestarum historiam cognouisse; eam se velle ipsi perscribere, vt re ad perfectum cognita auditísque Christi miraculis in ijs, quæ prius audiuerat, confirmaretur.

5. *Fuit in diebus.*) Nota & vulgaris Hebræorum phrasis, qua dies pro omni ponitur tempore. Exẽpla, quia & nimis multa sunt, & in re comperta nõ necessaria, præterimus.

Herodis Regis Iudææ.) Eius, qui primus in Iudæa alienigena regnauit Herodis Antipatri filius, qui ob singularem industriam in quærendo, conseruãdo, augendóque regno cum pari felicitate coniũctam, Magni cognomentum obtinuit. De eo, déque alijs Herodibus, qui Reges non fuerunt à quibus, vt distinguatur, Rex hoc loco Iudææ dicitur, scripsimus Matthæi 2. 1. Tempus, Lucas vsitato historicorum, & prophetarum more, ex eo, qui tunc imperabat Rege, describit, vt Matthæus cap. 11. & Isaias cap. 1. 1. & Hierem. cap. 1. 1. & Daniel cap. 1. 1. & Oseæ. cap. 1. 1. & Miche. & Zachar. cap. 1. 1. Id duabus de causis fecisse creditur, & vt fidem confiliaret historiæ, quæ ex descriptione locorum, ac rẽporum affirmatur, vt Theophylactus, & Euthymius indicant: & vt ostenderet circumactum iam illud fuisse, tempus, quod à Patriarcha Iacob venturo Christo præscriptum fuerat, vt adnotauit Beda, de quo tempore Gen. 49. & Dan. 9. disputauimus; vnde si quid, quis hoc loco desiderat, petere licebit. Ea hoc loco non ponimus, quia neque eius sunt propria, neque ad intelligentiam ipsius necessaria.

Sacerdos quidã nomine Zacharias.) Quia Ioannes Christi præco fuit, quique eum primus digito demonstrauit, ab eo Christi historiam orditur, vt Theophylactus adnotauit. Hoc est, quod dixit ver. 2. ἀνωθεν *ab initio* vsque, se rem omnem peruestigasse. Auget hoc ipsum fidem historiæ, dum personarũ etiam circunstantiæ declarãtur; tacitéque probatur Christum verum illum, qui promissus fuerat, fuisse Messiam, quia missus est ante eum Angelus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domini, qui præpararet viam eius Malachiæ 3. 1. eodem enim cõsilio Matthæus 3. 3. & Marcus c. 1. 2. hoc idem Malachię testimonium protulerũt. Oportebat autem præcursoris ornare, cõmẽdaréque personam, quò plus eius de Christo testimonium haberet ponderis. Ideo & parentum eius nobilitatem, dignitatẽ, sanctitatémque commemorat. *Ducet nos*, inquit Ambrosius, *scriptura Diuina non solùm mores in iis, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari, vt veluti transmissa immaculata puritatis hereditas in iis, quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia initio hoc loco Sancti Euangelistæ, nisi vt sanctus Ioannes Baptista nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, passione? Sic etiam sancti Samuel mater Anna laudatur, sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit.* Simile quiddam scribit Beda. An fuerit Summus Sacerdos, quemadmodum nonnulli graues auctores putant, ver. 9. fumus disputaturi.

De vice Abiæ.) Ex familia Abiæ sacerdotis, qui eius vice in templo sacerdotio fungebatur. Ex tribu Leui Aaron, & eius posteros voluerat Deus sacerdotali fungi munere 3 cæteros Leuitas administros esse, aliisque minoribus tẽpli officiis occupari Exodi 28. 1. Num. 1. 49. 50. & c. 3. 9. Cum autem posteri Aaron longo tempore in magnum creuissent numerum, ita vt omnes eodem tempore sacerdotale munus exercere non possent, Dauid, vt confusionem ministerij contentionísque occasionem tolleret, diuisit eos in viginti quatuor familias, iussítque vnãquamque familiam ordine suo templo ministrare, facta sortitione, quæ prima, quæ secunda, quæ deinceps ordine ministratura esset 1. Paral. 24. 3. In ea sortitione Abiæ, qui vnus erat ex posteris Aaron, capútque familiæ, octauus euenit locus, vt 1. Paral. 24. 10. scribitur. Hoc Iosephus lib. 7. antiquitatum, c. 11. Eucher. lib. qq. in Luc. q. 1. Beda, & Theophyl. monuerunt. Quot dies quęque familia sacerdotium exerceret, non omnino compertum est. Multos fuisse dies ex hoc ipso capite ver. 23. perspici potest. Octo dies, aut per singulas hebdomades singulas familias ministrasse ex 4. Reg. cap. 11. 6. 7. 9. & 2. Paralip. 23. 8. colligitur, vbi die sabbathi alij sacerdotes templo egredi, alij in templum ingredi dicuntur, omnésque id auctores docent Iosephus, Ambrosius, Euthymius, Theophylactus. Itaque quorumdam opinio, quam Theophy. recitat, Euthym. etiam amplectitur, duos id temporis Abiam, & Zachariam fuisse sacerdotes, qui templo alternis seruirẽt vicibus, ne probabilis quidem est. Quo enim modo Zacharias de vice Abiæ esse poterat, si oppositas, aut certè diuersas gerebãt vices, alter alteri succederet?

Et vxor eius de filiabus Aaron.) Vna ex mulieribus, quæ ex Aaron Summo Sacerdote genus ducebant. Hoc etiam eò dicit Lucas, vt doceat Ioannem non solùm ex patre, vnde maximè nobilitas trahitur, sed ex matre etiam ipsa, claro sacerdotalique fuisse genere, vt Ambrosius, & Euthymius obseruarunt. *Nõ solum* (inquit Ambrosius) *à parentibus sed etiam à maioribus sancti Ioannis nobilitas propagatur, non sæculari potestate sublimis sed religionis successione venerabilis. Tales enim maiores habere debuit prænuntius Christi, vt non repentè conceptam, sed à maioribus acceptam, & in ipso infusam iuxta naturæ prædicare fidem Dominici videretur aduentus.* Quo autem modo Elizabeth, cum ex genere esset Aaron, cognata Beatæ virginis esse potuerit, vt infra dicitur vers. 36. apud Matthæum c. 1. 17. disputauimus. Præterquàm quòd hęc tam accurata generis descriptio pertinet ad fidem historiæ sunt, qui putent Lucam indicare voluisse in eo etiam Zachariam sanctitatẽ suam declarasse, quòd noluerit contra legem ex alia tribu, quàm sua, vxorem ducere, vt Theophy. animaduertit. At poterat ex sua, id est tribu Leui, non tamẽ ex familia Aaron salua lege vxorem accipere. Itaque certius est voluisse eum quam nobilissimum Ioãnem facere, quò plus etiam illi testimonium de Christo perhibenti tribueretur auctoritatis. Ideo non solùm ex tribu Leui, sed ex familia etiam Aaron Summi sacerdotis, quæ in ea tribu omnium nobilissima erat, vtrumque eius parẽtem fuisse dixit. Cùm non soleant in Hebræorum genealogiis mulieres, sed viri recenseri, duabus de causis arbitrer Lucam Ioannis etiam matrem nominasse; altera, quia paullo post dicturus erat ex matre sterili singulari miraculo fuisse conceptum, itaque aut necessarium, aut valde conueniens erat, vt eius nominaret matrem, & quis fuisset declaret: altera vt non solùm patris, sed etiam matris testatam facere nobilitatem. Sic Paulinus Nolanus Episcopus, epist. ad Seuer. 10. *Lucas*, inquit, *Baptistæ beati meritum ab originis claritate detexit, & ne tantum historiæ gratia eum commemorasse existimes, nobilem Dominici præcursoris parentem, veneranda priscæ nobilitatis insignia, & suum cuique stemma connectit dicens sacerdotem Zachariã de vice Abia. Credo vt eo ipso dignitatem meriti eius ostenderet adiiciens nomen, ex insulis, quod proculdubio in Hebræis esset insigne, de cuius vice honorum sortitus sacerdotium fungeretur. Denique addidit, & vxor eius de filiabus Aaron. Vides Euangelistam de commemoratione natalium sancti dictionem fuisse meritorum, vt iis, quos erat de propriis meritis prædicaturus, nomina auita præferret. Et vxor inquit, illi erat de filiabus Aaron, auxit meritum sacerdotis commemorata nobilitate coniugij, & laudaturus vitam genus ante laudauit vt venerabilior existeret, qui sanctis parentibus respondere sanctitate, ingenita quasi, quadam iustitiæ hereditate.* Indicauit Lucas nobilitatem generis aliquid ad commendandum facere præcursoris officium: quare reprehendendæ Ecclesiæ non sunt, quæ in legendis sacerdotibus aliquam generis rationem habent.

Et nomen eius Elizabeth.) Quod nomen ipsum matris ponit, historicæ, vt ait Euthym. fuit diligentiæ.

6. Erant autem iusti ambo ante Deum.) Laudanerat á genere, & ab officio; nunc laudat à moribus: & sicut nobilitate fecerat; ita & sanctitate eos singulari pares facit. Non potuit Euangelista grauioribus, illustrioribus, honotificentioribus verbis eorum sanctitatem declarare: hæretici tamen nostri, qui non solùm Euangelici, sed noui etiam Euangelistæ videri volunt, Euangelistæ non credunt. Nimis notus, ac nimis vulgatus eorum error est, neminem in hac vita verè iustum esse, sed qui iusti in scriptura vocantur, aut ideo dici iustos, quòd cum iusti non sint, iusti hominibus videantur; aut quòd apud Deum non quidem iusti sint, sed pro iustis habeantur, idque nullum ob opus bonum, nullum ob meritum, sed ob solam fidem, qua quæ in nobis non est, nobis tamen imputetur Christi iustitia. Omnis eorum ratio est, quòd operibus hominem iustificari, sit totam obseruare legem; legem autem totam seruare neminem posse, quare neque operibus quemquam posse iustificari. Itaque ab operibus ad fidem, à nostra ad alienam iustitiam, hoc est Christi, confugiendum esse, si salui esse velimus. Hæc enim alia non minus absurda eorum hæresis est, legem à nobis à Deo (vt Caluini vtar verbo) impossibilem datam esse. Quapropter cum exempla illis ex literis sacris, quæ innumera non sunt, producimus hominum, qui iusti fuisse perhibentur, ad hoc erroris, atque impudentiæ suæ asylum fugiunt, vt dicant iustos aut apud homines, aut apud Deum, non quidem vera, sed imputatione dici iustitiæ. Nos hîc nec de quæstione tota de iustificatione, cuius alius est magis opportunus locus, neque de aliis scripturæ testimoniis, in quibus iusti homines appellantur, sed de hoc vno, in quo versamur, loco disputamus. Si tantum dixisset Euangelista simpliciter, ac sine vlla adiectione fuisse iustos, iniuriam profectò illis, vim Euangelistæ verbis faceremus, si non verè, ac propriè fuisse iustos, sed sola hominum opinione interpretarentur. Nunc verò addidit cautionem etiam nõ necessariam, *ante Deum*, qua phrasi non fallax, & sola hominum opinione nixa; sed vera, solidáque iustitia significatur Dei, qui falli non potest, iudicio comprobata, vt Origenes homilia 2. in Lucam, Ambrosius in commentariis, Gregorius libro 35. Moralium cap. 5. & Beda hoc in loco nouerunt. *Coram Domino* (inquit Gregorius) *sæpe mutatum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Caute ergo nimis in laudem iustorum coniugum Zacharia, & Elizabeth ab Euangelista dictum est. Erant iusti ambo ante Deum. Non enim secura laus est iustos ante homines apparere.* Quin etiam quidam istorum adnotauit nobilis apud eos hereliarcha, *ante Deum* Hebraïsmum esse, לפני אלהים, id est propter Deum, quo verbo non solùm bona, iustáque opera significantur, sed omnis etiam ab illis humani affectus labes excluditur. Zacharias verò, & Elizabeth, & bona faciebant opera, & *ante Deum*; id est propter solum Deum faciebant, ita vt nihil in eorum posset actionibus desiderari. Non contentus hac Euangelista cautione, quasi Lutheranorum, & Caluinistarum hæresim animo prospiceret, aliam adiecit, qua huius erroris fundamentum euertit, *Incedentes, inquit, in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.* Dilertissimis, apertissimis, luculentissimis verbis testatur Lucas, Zachariam & Elizabeth omnia legis mandata seruasse, ideóque operibus etiam suis fuisse iustos. Itaque hæreticorum error, & erroris fundamentum his verbis labefactatur. Adnotauit Caluinus princeps eorum interpres hoc inter mandata, & iustificationes esse discriminis, quòd τὰ δικαιώματα mandata dicantur, quæ ad mores pertinent, qualia sunt Decalogi præcepta: δικαιώματα, verò iustificationes, quæ ad religionis, cultum, quales fuerunt in veteri lege cæremoniæ. Quæ cum חקים quasi decreta vocarentur, quòd non iure naturæ, sed Dei præscripto, decretóque constarent; septuaginta interpretes vbicumque id nomen inuenerunt, δικαιώματα iustificationes transtulere. Quæ obseruatio etsi & infamis auctore, & ipsa per se non perpetuò verà est; tamen sententiam in hac re nostram mirificè confirmat. Voluit enim, si ista obseruatio vera est Lucas significare nullum fuisse præceptum legis maximum, minimum, cuiscunque generis esset, siue naturali, siue diuino institutum iure, quod non illi diligenter obseruassent. Dixi perpetuò obseruationem illam veram non esse, quia quamuis, cum de præceptis agitur veteris testamenti, vt hoc in loco, vera sit; tamen in nouo videmus Ioannem in Apocalyps. capite decimo nono, 8. opera, ac merita sanctorum δικαιώματα iustificationes appellare. Qua ratione sic vocentur, neque inter veteres auctores conuenit, neque est ad id, de quo agimus, magnoperè necessarium. Cyrillus libro vndecimo in Leuiticum, & Theophyl. hoc loco præcepta iudicialia iustificationes vocatas fuisse putant, quòd per illa iusta peccantibus pœna redderetur. Origenes homilia in Numeros 25. & Augustinus libro secundo quæstionum in Exodum cap. 95. & Euthymius in commentariis ceremonialia præcepta ita vocata, rationem tamen non reddunt. Ambrosius, & Beda tractantes hunc locum omnia præcepta, cuiuscunque generis essent, iustificationes appellari solita, quòd in seruanda iudiciorum æquitate cernerentur, itaque officij esse iudico. Probatur mihi, quòd ad mandatorum, & iustificationum distinctionem attinet, Origenis, & Augustini sententia: quòd ad rationem nominis, Theophylactus ideo iustificationes dictas, quòd per eas homines iustificarentur; hanc enim ille sententiam magis probat. Cur ergo, dicet quispiam, non omnia mandata iustificationes appellabantur? facilis est ratio; ceremonialia præcepta ad religionem, & Dei cultum pertinebant, quo maximè homines iustificabantur, ideo pars præcipua, quæ nomine carebat, nomen accepit generis, & hæc propriè præcepta iustificationes dictæ sunt, cùm omnia alia mandata iustificationes vocari possent, quemadmodum apud Ioannem vocatas fuisse diximus. Quicquid inter mandata, & iustificationes interest, inter quæ Lucas aliquid certè discriminis esse indicat: & quacunque tandem de causa iustificationes appellentur, Zacharias, & Elizabeth præcepta omnia, iustificationesque testante Luca seruabant. Et quasi hoc satis non esset, quod super etiam erat, epitasim addidit, *sine querela, ἀμέμπτως*, ita vt nihil in illis esset, quod posset meritò reprehendi. Quo autem hoc, quod dicit, *sine querela* referri debeat, non satis constat. Origenes homilia secunda ad Deum refert, vt sensus sit, eos non solùm apud homines, sed etiam apud Deum sine querela fuisse, id est non solùm nihil in illis fuisse, quod homines offenderet, sed neque quod Deum. Augustinus libro primo, de gratia Christi, cap. 48. & epistola 95. & Beda, & Theophylactus ad homines referunt. Vtrumque probabile est, sed ego ad præceptorum obseruationem probabiliùs referri posse arbitror, vt sensus sit adeò diligenter Dei mandata, iustificationésque seruasse, vt nihil in eorum obseruatione desiderari, nihil neque apud homines, nec apud Deum reprehendi posset. Scio Diuum Augustinum, epistola 95. & libro secundo, de peccatorum meritis, cap. 15. & libro 1. de gratia Christi, cap. 48. à vetustioribus auctoribus Orig. & Ambrosio, à nonnullis etiam à posterioribus Theophyl. dissentire, existimaréque propter illud Ioannis epist. 1. c. 1. 8. *si dixerimus quoniam peccatum nũ habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, & propter illud quod quotidie in oratione Dominica postulamus, *Dimitte nobis debita nostra* etiam Zachariam, & Elizabetham non omni peccato caruisse. Sed conciliari cum aliis auctoribus facile potest, non caruisse quidem venialibus peccatis, quæ Augustinus quotidiana solet appellare; caruisse mortalibus, quæ sola de iusto iniustum hominem faciunt. Quæ interpretatio non deludendi argumenti causa à nobis ficta, sed ex ipsius Aug. doctrina sumpta est. Probat in his locis, quos modò demonstrauimus, ex oratione Dominica Zachariam, & Elizabeth peccatum aliquod habuisse, quia verè dicere potuerunt, *Dimitte nobis debita nostra*. Docet autem epist. 108. & ho. 28. & 40. aliisque pluribus locis, peccata venialia Dominica oratione dimitti; intelligit ergo Zachariam, & Elizabetham venialia tantummodo habuisse peccata. Docet rursus idem Aug. in sententiis, c. 46. & sermone de Sanctis, 41. iustitiam non impedire, nec animã occidere venialia peccata sensit igitur

Zacharias & Elisabeth quomodo iusti, & quibus peccatis caruerint.

Zachariam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Zachariam,& Elisabeth,cùm venialia tantùm peccata habuissent, verè, propriéque fuisse iustos. Posui orthodoxam Sanctorum patrũ interpretationẽ,quam sequi Catholicus lector debet. Verùm temperare mihi non possum, quin absurdissimas quasdam hæreticorum expositiones opponam, vt iudicet prudens lector;quid inter nos,& illos;quid inter nostras, & illorum interpretationes intersit, certum habens fore, vt nemini eorum recitata verba fidem faciant, & multis aut risum, aut stomachum moueãt. Qui minimè inter eos hunc locum torquet, Caluinus ipsorum magister est: is tamen ad hunc modum scribit, *A iustificatione fidei proficiscitur,vt opera impura,alioqui immunda,dimidiata, indigna Dei conspectu, (nedum amore) iustitiæ imputentur. Iusti ergo Zacharias, & Elisabeth,quòd Deus non imputauerit eis peccata; nam & suis vitiis laborabant.* Non potuit Lucas apertiùs testari opera Zachariæ, & Elisabeth non solùm munda,sed iusta etiam fuisse, ac sancta, quàm dicendo eos fuisse iustos, atque in omnibus mandatis,& iustificationibus Domini incessisse sine querela: Caluinus verò eorum opera non solùm imperfecta, atque inchoata, sed etiam immunda fuisse dicit. Non potuit Lucas clariùs affirmare nullũ eos peccatum habuisse; quàm dicendo incessisse in omnibus mandatis,& iustificationibus Domini sine querela: Caluinus dicit suis eos vitiis laborasse.Quòd si insistamus verbo,plus profecto est,quàm vnum, aut alterũ etiam graue peccatum habuisse. Laborare enim aliquo dicitur vitio,qui in illud non semel,aut iterũ,sed frequentissimè labitur.Itaque perinde Caluinus loquitur, ac si dicat eos fuisse vitiosos, &,vt scriptura eiusmodi homines vocare solet,peccatores.Nihil autem Lucæ tam contrarium dici potuit affirmanti fuisse iustos,quàm fuisse peccatores. Neque de venialibus Caluinus peccatis agit,qualia nonnulla facilè concederemus Zachariam, & Elisabethã habuisse, sed de mortalibus agat necesse est,qui nullum veniale peccatum agnoscit, nostrámque illam distinctionem, qua peccatorum alia mortalia, alia venialia esse dicimus, impudenter irridet. De vera iustitia Lucas loquitur; de imputatione, aut acceptatione ne mentionem quidem vllam facit: Caluinus verò, quam Lucas iustitiam appellat, imputationem interpretatur; & si,quicquid sentiebat, ausus fuisset profiteri,non alia tantùm ipsorum opera, sed illam ipsam mãdatorum obseruationem,quam iustitiam Lucas vocat, dixisset fuisse peccatum. Hæc enim istorum nouorum Euangelistarũ doctrina est, cum summa simul impietate,insania,& impudentia conuncta. Rursus ad hunc modum Caluinus scribit, *Iusti ergo,& irreprehensibiles censentur, quoniam tota eorum vita testatur eos iustitiæ addictos esse, regnare in illis Dei timorem,quod quoddam est sanctitatis exemplar.* Itaque non aliam laudem Caluinus Zachariæ, & Elisabethæ tribuit, quàm quòd desiderauerint Dei mandata seruare.Atqui Euangelista non desiderasse tantùm, sed omninò seruasse, & cumulatè quidem, hoc est sine querela seruasse dicit, neque animum tantùm,sed etiam opera laudat. Quid autem magis Lucæ verbis,mentique repugnans fingi potuit,quàm quod alij quidam eiusdem gregis interpretes dicunt? *Loquitur Lucas*, inquit quidam eorum, *de iustitia fidei & imputatione; nam hac sola ante Deum sumus vere,& propriè iusti.* Et alius, *Erant*, inquit, *iusti fide,non operibus.* Lucas de fide, déque imputatione iustitiæ,non modò non loquitur,sed nec cogitare quidem potuit, quia nouum istorum figmentum est,nondum per id tempus iuuentum; isti de fide,& imputatione interpretantur. Contra verò Lucas de operibus disertissimè loquitur docens, quare iusti fuerint. *Erant*, inquit, *iusti ambo incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*:isti belli doctores negant operibus fuisse iustos. Sic isti glorioſi verbi Dei iactatores verbum Dei,sic scripturam interpretantur, tanquam si album nigrum,nigrum album interpretentur, &, vt propheta de quibusdam similibus eorum dixit, dicant *bonum malum,& malum bonum*; & ponant *lucem tenebras,& tenebras lucem.*

7. *Et non erat eis filius.*) Videri hoc potest dictũ non necessarium;sed ideo, vt opinor,dixit Euangelista,vt doceret illam Elisabeth sterilitatem, de qua dicturus,erat, non solùm hominum opinione, sed re etiam ipsa probatam fuisse.Cum enim coniugati diu fuissent,liberósque habere cuperent, cósque à Deo enixis peterent precibus, vt ver. 13. significatur,& tamen non haberent, certum erat argumentum sterilitatis.

Eo quòd essent Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.) Duas reddit causas;alteram,cur ante filium non habuissent,quia Elisabeth sterilis erat:alteram cur neque habuissent ante, nec in posterum habere possent,quòd præter quàm quòd illa sterilis erat,ambo etiam senes essent. Hoc enim est procedere in diebus suis ex Hebræorum idiomate יומיו, aut בוא בימים vt Gen. 18. 11. sterilitatem autem Elisabeth tribuit, cùm fortasse & Zacharias sterilis esset,quia cum coniuges liberos suscipere non possunt, sterilitas in mulierem, non in virum conferri solet,Iudicum 13. 2. 3. Itaque obseruamus in litteris sacris mulieres quidem multas,virum verò nullum sterilem appellari, cùm non minùs viri, quàm mulieres steriles esse soleant. Vtraque eò spectat causa, vt maiore Ioannem miraculo natum appareat,cùm diuina factum sit potestate,quod duabus rebus,quarum alterutra satis erat, sterilitate, & senectute impedita natura facere non poterat. Filium etiam, vt omnium in eum animi miraculo excitati attenti essent,quò faciliùs eius de Christo testimonium amplecterentur. Fuit etiam fortasse Euangelistæ animus accepti beneficij, & gaudij Zachariæ, atque Elisabethæ causam declarare, quod vtrumque eo proculdubio maius fuit, quòd & senes, & steriles filium susceperunt. *Diuinitus*, inquit Beda, *procuratum,vt prouecta ætatis diúque coniugij fructu prouatis Ioannes parentibus nasceretur, quatenus imputatæ prolis ortu,& ipsis donum gratius efficeret, & cæteros miraculi stupor futuri prophetæ pararet auditui. Denique prosiluerunt omnes,qui audierant, in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit?* Sic poëta Iuuencus,

Nec fuit iis soboles iam tum vergentibus annis,
Gratius vt donum iam desperantibus esset,

Adnotarunt Origen.hom.12, in Genes. & hoc loco Theophyl. sæpe in litteris sacris sanctas mulieres steriles reperiri Genes. 11. 30. & 17. 10. & 21. 2. & 29. 30. & Iudicum 13.2. vt intelligamus non tam Deo gratum esse in procreandis liberis, quàm in bonis operibus agendis fertiles esse mulieres.

8. *Factum est autem.*) Accidit H. ויהי.

Cum sacerdotio fungeretur.) ἐν τῇ ἱερατεύειν. Recte vertit interpres,*Cum sacerdotio fungeretur*.Nec enim semper sacerdos sacerdotio fungebatur,sed cum illi ex Dauidis instituto, vt sacris operaretur, sors obueniebat,vt diximus ver. 5.

In ordine vicis suæ.) In suia hebdomade, vt ver. 5. explicatum est.

Ante Deum.) In primo tabernaculo, quod vocabatur sanctum,quod quia erat è regione secundi

culi,quod vocabatur Sanctum sanctorum,vbi propter arcam testamenti, quæ ibi erat, dicebatur Dominus habitare, coram Domino, aut ante Dominũ esse dicebatur.Tres enim fuisse partes templi nemo nescit; eam, in qua populus consistebat, quæ aut templum nomine totius,aut atrium populi vocabatur Sanctum;aut primum tabernaculum, vbi quotidie sacerdotes mane,ac vesperi thura incendebãt Exodi 29.13.Sanctum sanctorum,vbi erat arca Testamenti,& thuribulum aureum,quò semel tantum in anno Summus sacerdos peracto priùs sacrificio ingrediebatur,vt asperso sanguine populum expiaret Exodi 30.10.& Leuitici 16.2.Vtrumque tabernaculũ D.Paulus describit ad Hebræos 9.2. Primũ ergo tabernaculum,aut quod in eo erat, dicebatur משכן ראשון, *ante Deum* propter eam,quam exposuimus,causam Exodi 27.21.& 29.4.& 30.8.& Leuit. 1.5.11.& 3.1.& 16.18.Itaq; sacerdotes, qui illic sacrificabant, coram Domino ministrare dicebantur.

9.*Secundùm consuetudinem sacerdotij.*) κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας. Secundùm consuetudinem sacerdotalis administrationis, aut functionis. Quidam hæc verba iungunt proximè sequentibus, vt alludatur ad Dauidis constitutionem,de qua diximus ver.5.Ideo Euangelistam non dicere,secundùm legem; sed *secundùm consuetudinem*, quòd ordo ille per vices ministrandi non lege,sed instituto hominum,& consuetudine constaret.Probabile hoc quidem est,sed non video, cur ad ea, quæ paullo post sequuntur, *Vt incensum poneret*, referri non possint,vt non sit sensus, exisse sortem secundùm cõsuetudinem sacerdotij: sed secundùm sacerdotij cõsuetudinem Zachariam incensum posuisse.Consuetudo autem ea erat lege sancita, vt mane,ac vespere in priori tabernaculo thus adoleretur Exodi 30.7.8. Possunt ac fortasse etiam meliùs ad præcedẽtia referri,vt superior versus his claudatur verbis,sensúsque sit, *Cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum secundùm consuetudinem sacerdotij*, deinde sequatur, *sorte exijt.*

Sorte exijt,vt poneret incensum.) λαχὼν θυμιάσαι sorte designatus est,vt suffiret,aut thus incenderet.Quod nonnulli non ad vllam sortitionem referunt, quæ tunc facta fuerit,sed ad illam veterem, qua Dauid inter viginti quatuor familias sacerdotum ministrandi vices distribuit 1. Paralipomenon 24.7. His auctor est Beda. Alij ad sortitionem factam tunc,sine plures fuerint Summi sacerdotes, quorú de numero Zacharias esset, inter quos iacta sors, qui eo die incensum posituras esset,in illum inciderit, vt placet quibusdam:siue simplices sacerdotes plures, Summus vnus,inter simplices autem, qui ea hebdomade instituto Dauidis,templo ministrabant, quis eorum eo die thus oblaturus esset,sit facta sortitio. An Zacharias Summus sacerdos fuerit, paulò pòst disputaturi sumus; nunc tantùm dico magis mihi eorum placere sententiam,qui tunc sortitionem factam fuisse putant.Nam de illa antiqua iam ante dictum fuerat versu 8.*Cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ.* Nunc significat etiam eo tempore, quo manens in templo sacerdotio fungebatur, sortito illi contigisse, vt ante Dominum poneret thura. Cum enim plures essent eiusdem familiæ sacerdotes,qui cadẽ hebdomade in templo sacerdotio fungerentur,& nõ nisi vnus adolere thus posset,est verosimile,quod quidam dicunt, & hoc ipso iudicatur loco sortitione inter ipsos transigi solitum fuisse,quis eorũ id vno, quis altero die,aut quis mane, quis vespere facturus esset.Ac videtur Euangelista, non sine consilio sortis mentionem fecisse, vt rem omnem diuinitus prouisam factámque fuisse signi-

Zacharias an Summus sacerdos fuerit.

ficaret.Disputant interpretes hoc loco, an Zacharias Summus fuerit sacerdos. Ac veteres quidẽ penè omnes Summum sacerdotem fuisse putant,Ambrosius, Beda, Strabus, & Theophylactus in commentariis ad hunc locum,& Diuus Augustinus tractatu in Ioannem 49.& auctor Scholasticæ, vt vocant,historiæ.Mihi Lyrani videtur sententia probabilior,non Summum,sed vnum fuisse de multis sacerdotem.Neque enim credibile est Euangelistam, si Summus sacerdos fuisset, id fuisse silentio prætermissurum; cùm tanto eum studio videamus quocũque potest genere laudis Ioannis parentes cumulare.Ad quam laudem maximè pertinebat eius patrem non solùm sacerdotem,sed Summum etiam sacerdotem fuisse.Magna etiam argumenta Lyrani sunt;quòd,si Summus sacerdos fuisset & in Sancta sanctorum(id enim auctores illi dicunt) ingressus angelum conspexisset,non dixisset Euangelista ingressum,vt poneret incensum;sed vt in Sancta sanctorum peracti sacrificij sanguinem inferret,quod proprium Summi erat sacerdotis Exodi 30.10.& Leuitici 16.2.30. & Hebræorum 9. 7. Nam incensum in Sancto sanctorum etsi ponebatur, non ponebatur vt sacrificium,sed vt nebula tabernaculum impleretur. Itaque nõ dixisset Euangelista id quod minimum erat, eo prætermisso,quod erat maximum,vt totum populum expiaret. Deinde quòd Angelus Zachariæ apparuisse dicatur stans a dextris altaris incensi ver. 11.altare autem incensi non erat in secundo, sed in primo tabernaculo,neque in Sancto sanctorum vllum erat altare,vt rectè cõtra D.Augu. sententiam Lyranus probat,& ex D.Paulo ad Heb.9.4.5. colligitur.Hæc maiora sunt argumenta, quàm illa, quibus hanc opinionem Paulus Burgen. doctus licet auctor refellere conatur.Quæ quia ex ver.sequenti ferè ducuntur, illic refutabimus. His iisdem argumentis eorum opinio refelli potest, qui existimant post ordinem illum ministrandi inter sacerdotes à Dauide cõstitutum,nullum Summũ sacerdotẽ fuisse perpetuũ,sed eum,cui sortitò cõtigisset, in festo expiationis ministrare,quo solo die in sanctum sanctorũ Summus sacerdos ingrediebatur, per totum eum annum functũ fuisse officio summi sacerdotis. Id enim adeo sine testimonio, & sine ratione dicitur,vt opus nõ sit aut testimonio,aut ratione refutare.Refellitur & aliorum quorundã sententia,qui nullum summum sacerdotẽ certum fuisse credunt, sed eum, qui sua hebdomade sacerdotis in templo fungeretur officio,Summum ea hebdomade fuisse sacerdotem.Hoc enim nõ solùm sine vllo scripturæ testimonio,sine historia vlla, sed etiam contra scripturam,contráque omnẽ historiã fictum est. Nam omnes Summos sacerdotes vsque ad Romanorum tempora,quibus partim Iudæorum ambitione,partim Romanorum tyrannide annui facti sunt,Ioannis 11.49.51.perpetuos fuisse legimus:nisi si quando Reges ob aliquod delictum,aut tyranni auaritia, vel gratia,vt alios substituerent,alios officio remouerent 2. Machab. 4.24.29.& cap.14.3.13.

Ingressus in templum Domini.) In primũ tabernaculum.Nam in templo iam erat,ex quo nõ licebat totos octo dies,quib' ministrabat,exire, vt versu 6.ex 4.lib.Reg.c.11.6.7.9.& 2.Paralip.23.8. probauimꝰ. Itaq; templum hoc loco tabernaculum appellatur.

10. *Et omne multitudo populi erat orans foris hora incensi.*) Non licebat populo in tabernaculum ingredi; sed in prima templi parte cõsistebat, quam templi, aut atrium populi vocatam fuisse diximus ver.præcedente.Voluit Euangelista significare solum fuisse Zachariam,cum illi angelus apparuit,sed tamẽ ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Zacharias Summus sacerdos non fuit.

gnam hominũ multitudinem,quæ foris expectabat orans,apparitionis eius effectum vidisse, mutũ scilicet Zachariam, vt totidẽ testibus probaret historiam. Tria ex hoc loco argumenta sumunt,qui existimant Zachariam Summum fuisse sacerdotẽ.Primum est,quòd si hoc in festo expiationis factum nõ fuisset Zacharia in sancta sanctorum ingresso, non fuisset tãta populi multitudo foris orans, nec enim vero simile esse linguis diebus mane,ac vesperi quoties thus incenderetur,populum in templum conuenisse. Respondeo magis mihi vero simile videri, si non omnẽ populũ,at certè aliquam eius partem, qui religiosiores essent,conuenire illis horis, quibus sacrificium fiebat,in templum consueuisse. Alterum est in sanctum sanctorũ Zachariam ingressũ videri,quandoquidẽ, vt ait Euangelista, solus erat: nam plebs omnis foris erat orans. Solus autem Summus sacerdos in sanctum sanctorũ sine vllo comite, sine vllo ministro ingrediebatur Leuit.16.17. De aliis autẽ sacerdotibus,aut deSummo ipso sacerdote,cũ in primũ tabernaculum ingrediebantur,nihil cautum cuiusmodi erat.Verum id quidẽ est,sed satis vsu constat populum ne intra primum quidem tabernaculum ingredi potuisse.Poterãt quidẽ cum eo,qui sacrificium offerebat,ingredi sacerdotes alij atque Leuitæ,sed vt semper ingrederentur,necesse nõ erat,& cum thus incẽdebatur,erat etiam superuacãneum,cũ nullo in re tã facili ministro sacerdos indigeret.Quare non solùm Zacharias in primo tabernaculo solus esse potuit,sed vero simile etiã est, si hic non diceretur,fuisse solũ.Tertiũ est,quòd populus oraret foris,quod facere solebat pro Sũmi sacerdotis incolumitate, quotescunq; in sancta sanctorum ingrediebatur,ne quid illi sacris operãti aduersi cõtingeret:quod cõtingere solere,quoties minùs ritè thura poneret,experimenta docuisset.Fingamus eam fuisse opinionẽ populi,quæ mihi Rabbinicæ fabulæ videtur esse similis,sed fingamus tamen eã fuisse vulgò sentẽtiam,an inde efficitur,non solitum,si non pro ea, pro aliis tamen rebus populum orare, quoties alij sacerdotes in primo tabernaculo sacra faciebant?

11. *Apparuit autẽ illi angelus Domini.*) ὤφθη visus est.Quod verbũ Chrys.apud D.Tho.hãc vim habere putat,vt nõ opinionem significet,sed veritatem, quasi dicat Euangelista Zachariã non sibi visum videre angelũ,sed re ipsa vidisse.Orig.verò ho.in Lucam 3. significari eo verbo putat rerũ spiritualium naturã,quæ quamuis præsentes sæpe sint,tamẽ non nisi si velint,& quando velint,& à quibus velint,videãtur,quasi dicat ostendit sese Zachariæ angelus, qui à dextris altaris erat,quãuis priùs,quia nolebat, non videretur.Subtilis interpretatio,eadémq; vero similis,nisi angelus ver. 19.testaretur se,vt filij ortũ Zachariæ annũtiaret,missum à Deo(vnde intelligere possumus eũ ibi ante nõ fuisse.Melius D.Aug.ep. 112.c.5.& Amb.in com.subitum angeli aduentum, ostẽsionémq; indicari dicunt,ideóq; non legunt visus est,sed *apparuit*,vt vetus vertit interpres,quèadmodũ & aliis locis solet vertere,cũ de spiritualibus rebus agitur,nã Hebræi nõ alio verbo apparere dicũt,quàm videri נראה quàm linguæ proprietatem Græcè etiã loquẽtes Apostoli sunt imitati.Qua forma Zachariæ angelus apparuerit,Euãgelista nõ dicit,sed ex aliis similibus exẽplis,quibus angeli in sacris litteris visi dicũtur,facilis est coniectura humana visum forma,Gen.19.15.&Dan.3.49.58.Cur apparuerit,dubiũ non est.Voluit Deus,vt ex missione angeli cõstaret Ioannẽ non humana,sed diuina vi tute nasciturũ.Voluit Ioannis, & Christi,quatenus

Angelus forma humana Zacharia apparuit.

Cur angelus Zacharie apparuit.

A similia humana diuinis esse possunt,quàm simillimũ ortũ,quàm simillimũ esse conceptum.Itaque angelus ad Mariã,vt Christi;angelus ad Zachariã,vt Ioannis cõceptum annuntiet,ante præmittitur:& idem quidẽ angelus Gabriel,vt ex ver.19.& 26.manifestũ est.*Ita illud*(inquit Aug.ser.20.& 21.de sanctis)*quod a gloria est,quòd Zachariæ sacerdoti, & Elizabeth sterili ab Gabriele,id est ab illo angelo promittitur,à quo Mariæ natiuitas Domini nuntiatur,& quasi ex aliquo similis Domini præmittitur filius sterilis ante filiũ Virginis, nescio quod maius miraculũ ipsa natiuitate declarãs:* Simile quiddã Maximus ho.3.de Ioãne Baptista,& Iulian.lib.2.cõtra Iudæos.Rursus nascitur Christus ex virgine,nascitur Ioãnes ex sterili. *Ambo* (inquit Aug.ho.44.& B ser.21.de sanctis) *mirabiliter nati.preco & iudex,lucerna,& dies,vox & verbum,seruus, & dominus. De sterili seruus,de virgine dominus. Ipse dominus fecit sibi seruũ in vtero sterili de sene patre,& de anicula matre:Et idem ipse dominus fecit sibi carnẽ inviteovirginis sine homine patre, qui primũ fecit hominem sine patre,& matre.* Cur apparuerit in tẽplo,& quidem in tabernaculo,quatuor probabiles rationes reddi possunt. Prima,vt magis constaret eũ à Domino missũ fuisse,cùm eo apparet loco,vbi Deus habitare dicebatur,vbi arca testamenti è regione erat,vnde diuina respõsa reddebãtur,quòd nemo poterat prẽter sacerdotes penetrare. C Nam etsi in primo apparuit tabernaculo,vbi altare erat incẽsi,tamẽ ita apparuit,vt ex Sãcto Sanctorũ & ex ipsa arca testamẽti,quasi ex cõspectu Dei,aperiq; dicit ver.19. se astare solitũ,prodesse videretur. Secũda,quòd tunc Zacharias aptior fuerit ad excipiendã angeli legationem, sacris operãs,collecto in Deũ animo,& vacuo humanarũ rerũ curis. Tertia, quòd Zacharias sacerdos esset,& cõsẽtaneũ rationi erat,vt nõ quouis loco, sed in tẽplo,quasi in domo sua,& vbi Dei respõsa sacerdotes excipiebãt,hoc nuntium acciperet.Quartã Ambr. & Beda reddũt,quòd veri sacerdotis Christi nuntiaturus veniret adiẽtis. D

A dextris.) Ambr. & Beda,cur à dextris angelus apparuerit,hanc rationẽ reddũt,quòd læta nuntiaret;*Bene*,inquit Beda,*angelus & in templo,& iuxta altare,& a dextris apparet, quia videlicet & veri sacerdotes aduentum,& mysterium sacrificij vniuersalis, & exhilarandi doni gaudium prædicat* Eandem rationem reddit Euthym. Quæ eo plus habet probabilitatis, quòd etiam videamus angelos illos, qui post Christi resurrectionem mulieribus apparuerunt,ad dexteram sepulchri partem apparuisse, Marci 16.5.

Altaris incensi.) Incensi dixit,quia aliud erat altare, vbi nõ incensum,sed victimæ offerebantur,vt Theoph.& Euthy.adnotauerunt. Credo etiam ego non temerè factum esse, vt non alia parte tabernaculi, quàm iuxta altare angelus appareret,sed vt ostẽderet se missum à Deo, cui eo in altari sacrificabatur. Piget verum quorumdam hæreticorũ fabulam recensere,qui ex apocrypho nescio quo libro Zachariæ,de quo Athanasius in synopsi mentionem facit, dicebant Zachariam non angelum, sed monstrum quoddã asini vidisse,vt Epipha.hæresi 26.auctor est.

12. *Et Zacharias turbatus est videns,& timor irruit super eum.*) Naturale est homini conspecto angelo etiam bono timere,vt Orig.Ambr.Beda hoc loco,& Chrysost.apud D.Thom. monuerunt,& nos Matth. 28.4.5.exemplis scripturæ docuimus.Auxit timorẽ, quòd se viso angelo moriturum putaret,vt Euthy.interpretatur.Ea enim erat Iudæorũ opinio nõ solùm, qui Deum,sed & etiam,qui angelũ in hac vita videret,cõtinuò moriturũ propter illa verba,Exo.33.20, *non videbit me homo & viuet*,vt colligitur ex lib.Iudicum 6.22.23.& 13.22.hũc vehemẽtẽ mortis timo-

Distinguitur anima & spiritus & demones eiectantur.

rem duo illa verba significant,*Turbatus est*,&,*Timor irruit super eum*;non enim qualiscumque notatur timor,sed vehemens,& tantus, vt hominẽ quodammodo exanimet:qualis ille fuit,quo se Daniel.c.10. 8.simili angeli conspectu affectum fuisse dicit. *Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me,& emarcui,neque habui quicquam virium.*

13. *Ait autẽ ad eum angelus,ne timeas Zacharia*) Trementem inquit Beda,*Zachariam cõfortat angelus,quia sicut humanæ fragilitatis est spiritualis creaturæ visione turbari,ita & angelicæ benignitatis est pauẽtes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari. At contra dæmoniacæ est ferocitatis,quos sui præsentia territos senserit, ampliore semper horrore cõcutere,qui nulla meliùs ratione,quam fide superatur intrepida.* Hoc ipsum,quod de differentia boni, maliq́ue angeli hominibus apparentis scribit Beda,Athanasius in vita Antonij,& Hier.in c.Matthæi 28.& Theophyl.tradiderũt. Pellit priùs à Zacharia timorem angelus, vt doceat se bonum, non malum angelum esse,& prosperа,non aduersa velle nuntiare,&,vt ait Euthym. vt posset Zacharias sedato priùs animo percipere,quæ dicturus illi erat.

Quoniã exaudita est deprecatio tua.) Reddit causam, quamobrem timere nõ debeat;sed æquo potius, ac læto animo esse,Euthy. Quã autẽ intelligat angelus orationẽ,vix ego quidem dubitarẽ,nisi magnos viderẽ auctores sentire aliter,quàm ego nullo ductus interprete sentirem.D.Aug.l.2.qq.Euang.c.1. Chrys.hom.2.de incõpreh. Dei natura. & hom. in hunc locum de natiuitate Ioannis Baptistæ, Beda, Strabus,Theoph.Euthy.nõ eam intelligi orationẽ volũt,qua filium à Deo postulabat,sed qua pro aduẽtu Messiæ,& pro populi peccatis precabatur.Argumentis his vtuntur.Primùm,quòd credibile non fit sacerdotẽ inter publica vota priuatas miscuisse preces.Deinde,quòd nulla iam Zachariæ spes esset prolis suscipiẽdæ,cùm & sterilẽ vxorẽ,& se,eãque, senes esse videret.Postremò,quòd ne affirmãti quidẽ angelo crediderit,vt apparet ver.18.Si quis quærat,quomodo causæ redditio cũ præcedẽtibus hæreat,variè respõdent.Alij,*Exaudita est oratio tua* pro peccatis populi,& plus etiã tibi dabitur, quàm petebas,quia vxor tua Elisabeth pariet tibi filiũ.Alij, *exaudita est oratio tua*,cuius signũ erit,quòd vxor tua Elisabeth pariet tibi filiũ,sicut Isaias c.7.14. dixit, *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signũ,Ecce virgo cõcipiet,& pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel*, Theoph.hãc opinionẽ recitat.Alij,*Exaudita est oratio tua*,qua pro populi peccatis precabaris; breui enim post tẽpore remittuntur : nam Elisabeth vxor tua pariet tibi filiũ,qui Christum ostẽdat,ac dicat, *Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mũdi*; sic Chrys. ho.2.de incompreh.Dei natura, & Theoph.in cõment.In hac ego sentẽtia nihil nisi,quòd multorũ, & grauiũ auctorũ est,probabilitatis inuenio. Neq; enim persuadere mihi possum,si angelus de orãtio ne pro mittendo Messia, proq; remittendis populi peccatis loqueretur,hanc rationẽ redditurũ fuisse, *Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filiũ.* Causalem enim orationẽ esse non dubito, nam *Et* more Hebræorũ pro *Etiam* ponitur. Itaq; parũ aptè ex hoc loco interpretes quidam argumẽtantur, nõ agi de oratione pro filio suscipiẽdo,quòd nõ dicat angelus,Vxor enim tua,sed,*Et vxor tua.*Et verò quis credat angelũ de oratione pro aduẽtu Messiæ,aut pro peccatorũ remissione,nõ pro filio obtinẽdo loqui, cùm de Christi aduentu,deque remissione peccatorum ne verbum quidẽ faciat,in Ioãne verò, qui nouo erat miraculo nasciturus,orationẽ totam suam,legatio-

Ex præmissis apud Zachariam.

A nemq; cõsumat:Nam quod dicit ver.17.*Et ipse præcedet ante illũ in spiritu,& virtute Eliæ*, obiter dicit,& ita prorsus,vt manifestũ appareat nõ de Ioãne propter Christũ,sed de Christo agere propter Ioannẽ. Habeo etiam huius sententiæ egregium auctorem Ambr.*Non*,inquit,*mediocre munus est Dei,dare liberos propagatores generis,successionis hæredes.Lege Iacob duodecim filiorũ generatione gaudere. Abrahæ filius datur, Zacharias exanditur:Diuinũ igitur munus fœcunditas est parentis.*Opinor dubiũ non esse,quin senserit Amb. eam Zachariæ precationem, quã angelus exauditam esse dicit,nõ illã fuisse,qua pro Christi aduentu,aut pro populi peccatis,sed etiã,qua pro obtinẽdo filio precabatur.Et argumenta illa,quæ ab aliis auctoribus afferuntur,parum mihi videtur habere ponderis. Nam quod dicunt credibile non esse sacerdotem publicis votis,ac sacrificiis priuatas miscuisse preces,id ipsum mihi magis incredibile videtur.Nam si Zacharias, vt maior pars eorum auctorum putat,Summus sacerdos erat, de Sũmo sacerdote scribitur Leuit.16.17.*Nullus hominum sit in tabernaculo,quando Pontifex sanctuarium ingreditur, vt roget pro se,& pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israel.* Si summus,vt ego existimo,sacerdos non erat,credendum est,si Sũmo sacerdoti personæ scilicet magis publicæ,& in sancto sanctorum,vbi maximè de rebus publicis,id est de vniuersa populi expiatione ingressus semel in anno sacerdos agebat, licebat C priuatas pro se, & pro domo sua preces fundere; multò magis priuato sacerdoti, & minùs publicæ, atque solẽnia sacra peragenti licuisse.Præterquam quòd necesse non est,vt in ipso publico sacrificio; sed aut ante,aut post pro suis priuatim rebus orauerit.Maiorẽ videtur habere vim,quod secũdo loco diximus obijci solere, omnemiã Zachariam spẽ abiecisse prolis suscipiendæ.Sed tamẽ id ipsum facilè soluitur;siue dicamus,quod quidam etiã interpretes dicunt,non tunc,cũ angelus venit,sed multò ante cũ nondum spẽ omnem deposuisset, pro liberis suscipiẽdis solitum orare, atq; de ea oratione angelum loqui.Nec id absurdum,aut insolitũ videri debet:nã cum angelus ad Corneliũ venit, dixitque,*Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriã in conspectu Dei.*Act.10.4.nec orabat, nec dabat eleemosynas,sed de præteritis loquitur orationibus;siue oratio tũc,quãuis spẽ omnẽ prolis naturali lege suscipiendæ abiecisset,quia spem suscipiẽdæ diuino miraculo non abiecerat. Nã & Anna illa Samuelis mater 1.l.Reg.c.1.2.cum nõ dubitaret se sterilem esse,haud dubium, quin nullã iam spẽ haberet liberos naturaliter procreandi; orabat tamẽ, & tam enixè,& vehementer orabat, vt Heli sacerdoti ebria esse videretur:quia nimirum sciebat nõ esse *apud Deũ impossibile omne verbũ*,& vt ipsa cecinit dominum mortificare,& viuificare,& deducere ad inferos.& reducere.Quod autẽ Zacharias ne affirmanti quidem angelo videtur credidisse,quomodo E intelligẽdum sit ver.18.disputabimus. Nunc tantũ dicimus nõ ideo non credidisse,quòd de Dei potẽtia dubitauerit.Nã neq; vir sanctus tã malè de Deo sentire poterat, neq; sacerdos Abrahami, & Saræ, aliaq; similia in sacris litteris exempla nescire.Sed ideo nõ credidit,quia certus nõ erat,an ille,quẽ videbat,verus ac bonus angelus, & à Deo missus esset.Argumentũ,quòd voles illi angelus fidẽ facere, respõdeat ver. 19. *Ego sum Gabriel,qui asto ante Deũ, & missus sum loqui ad te,& hæc tibi euangelizare.*

Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filiũ.) Ex re,etiã,si& tu senex,illa & senex,& sterilis sit:aut *tibi*, quia tu illũ à Deo postulasti.Cũ angelus Zachariæ vxorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomine appellat Elisabeth, indicat se angelum esse, qui singulorum etiam hominum nouerit nomina.

Et vocabis nomen eius Ioannem.) Non solum prædictio hæc est, sed etiã præceptio nominis imponendi. Voluit enim Deus eum, qui Christum mõstraturus erat, ita vocari, vt ipsius nomine nõ solum collatum parẽtibus beneficium, data illi Spiritus sancti dona, quo adhuc ab vtero matris fuę impletus esse dicitur: sed etiã gratia omnibus per Christũ oblata mortalibus significaretur, vt scribit Beda. Ioãnes enim יוחנן Hebraicè gratiosum significat. Habet semper mysteriũ aliquod in litteris sacris aut mutatio veteris nominis, aut noui anticipata positio, vt Cyril. lib. 1. in Ioannẽ c. 7. & Amb. infra ver. 63. & Beda in hunc locum disserit. *Habent hoc*, inquit Amb. *merita sanctorum, vt à Deo nomen accipiant. Sic Iacob Israel dicitur, quia Deum vidit. Sic dominus noster Iesus nominatus est, ante quem natus, cui nõ angelus, sed Pater nomẽ imposuit.* Qui autẽ ij fuerint, qui antequã nascerẽtur, nomen acceperint, Hieron. qq. in Genes. imperfecti auctor ho. 1. Albinus in Gen. Eucher. q. 2. in Luc. exponit. *In nouo*, inquit, *Testamento præter Saluatorem solum legimus Baptistam Ioãnem: in veteri quattuor sunt Isaac, Ismael, Salomon, & Iosias, qui ortu videantur iuniores esse quam nomine. Habuit etiam hoc Ioannes cum Christo cõmune, vt antequam nascereture nomen illi à Deo angelo deferẽte daretur*, & q. 26. in Gen. sed in iis omnibus auctoribus librariorũ vitio pro Samuele Sanson scriptus est.

Sanctis viris à Deo nomina imposita.

Eucherij locus emẽdatus.

14. *Et erit gaudiũ tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebũt.*) Quasi dicat adferet non solũ priuatum, atq; domesticum tibi, sed etiã publicũ omni populo gaudium. Priuatum quidẽ tibi, & quia tamdiu optatus, expetitusq; nascetur filius, & filius is, qui Christũ mundi saluatorẽ digito demõstret. Hoc enim est, *Erit tibi gaudiũ, & exultatio.* Quibus verbis duobus significatur Zachariã plus lætitiæ capturũ esse, quòd talis sibi filius natus fuerit, quam ex vulgari, & vsitato filij ortu cepisset, quo non decuisset vtiq; sacerdotẽ, & grãdem natu senẽ exultare. Propterea gaudio exultationẽ adiunxit, quæ lætitia gestientis hominis est. Publicũ verò, quod tantus toti populo propheta in rebus tã afflictis missus fuerit, vt Beda, & Euthy interpretatur. Facit hoc ad amplificandã magnitudinem beneficij, vt qui nasciturus erat filius, non priuatã modò, vt alij solent, parentibus, & cognatis; sed publicã etiã omni populo lætitiam sit allaturus. Quod hæretici putãt nos hũc locum de populo etiã Christiano interpretari, quasi iubeamur die Ioãnis natali gaudere; malignè faciũt. Nam etsi ad nos aliquãdo accõmodamus, non ignoramus tamẽ de nobis nõ esse dictũ: itaq; nõ vtimur tanquã testimonio, sed tanquã exemplo, vt quẽadmodũ totus ille Iudæorũ populus nato olim Ioãne lætatus est, ita nos eius natalem diem agentes lætemur. Neque alienum à sacris litteris est, non publica modò lætitia, sed lautioribus etiam conuiuiis festos dies agere. vt ex 2. lib. Esdræ c. 8. 10. intelligimus: *Ite*, inquit, *comedite pinguia, & bibite mulsum & mittite partes his, qui non parauerunt sibi, quia sanctus dies domini est.* At multi, inquiunt, inebriãtur. Non id illis dolet, sed quòd debito sanctos honore colimus, sed quia se id dolere fingunt, nos etiã illis credere fingamus respondeamúsque accõmodarè ad ipsorum mores. Nec nos, neq; illi ebrietatẽ probamus, sed hoc inter nos, & illos distat, quòd nos inebriamur fortassis aliquando, sed sanctos tamen castè, pieq; veneramur; illi & inebriantur frequẽtissimè, & sanctos non honore, sed contumeliis, conuiciisque prosequuntur. Multis, inquiunt superstitionibus eo die populus vtitur. Nec superstitionem, si qua fortassis inter rudissimos homines est, approbamus: sed non recipimus istos superstitionis iudices, qui hæresim fidem, fidem superstitionem vocãt. Nos Christianũ populum grauissimis D. Bern. docemus verbis ser. de natiuitate Ioan. Baptistæ; *Verũ id quidẽ multi in natiuitate eius gaudẽt, & paganis ipsis, vt audiuimus, læta ista & festa lennis: Illi celebrant, quod ignorant, sed non ita debuerant Christiani. Nunc verò & ipsi in hac B. Ioannis Baptistæ natiuitate gaudent, sed vinam de natiuitate, non de vanitate.*

Lætitia publica & conuiuia in diebus festis lautiora cõtra hæreticos defenduntur.

15. *Erit enim magnus corã domino.*) Causam reddit, quam paullo ante exposuimus, publici gaudij. *Corã domino* dixit, aut vt significaret verè magnum futurum esse, non sola apud homines sanctitatis opinione, sicut de eius parentibus dixerat ver. 6. aut valdè magnum futurũ, vt Hebraica sit phrasis, qua *coram domino magnus* dicitur, qui maximus est, sicut Genes. 10. 9. dicitur Nembrod *venator fuisse robustus corã Domino*. id est robustissimus. Conuenit cum hac secunda interpretatione, quod Christus de Ioanne dixit Matthæi 11. 11. & apud hunc Euangelistam infra c. 7. 28. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*. Veruntamen Orig. hom. 4. Ambros. Beda Theophyl. Euthym. priorem sensum sequuntur.

Et vinum & siceram non bibet.) Theophilus Antiochenus in lib. Allegoriarũ in Lucam siceră potum esse dicit confectum ex dactylis, sed latiùs patèt eius nominis significatio: quicquid enim inebriare potè solet ab Hebræis שכר, à Græcis σίκερα, vocatur, vt Hieron. vertit Leuit. 10. 9. & Num. 6. 3. & 1. Reg. 1. 15. & Beda, atq; Euth. hoc loco exponit. Idq; apte in hunc locum cadit; voluit enim angelus dicere Ioannem semper sobrium, semper vacuum, semper prudentem futurum esse, quod neq; vinum, neq; quicquam aliud, quod inebriare posset, esset bibiturus. Quæ autem genera potus sint, quæ inebriandi vim habeant, huius non est loci docere. si quis id desiderat, Plinium legat. Declarat angelus his verbis, quomodo Ioannes, quemadmodũ dixerat, *magnus coram Domino* futurus sit, nõ solùm quia Spiritu sancto ab vtero matris suæ erat implendus, sed etiam, quia vinum, & siceram bibiturus nõ erat. *Decet enim*, inquit Beda) *cælesti gratiæ mancipatũ seculi illecebris renũciare, nec vino, in quo est luxuria, impleri eũ, qui musto Spiritus sancti desiderat impleri.* Vnde colligitur nõ solum bonis nos operibus iustificari, cùm gratos nos Deo reddant, sed etiã, quod hæretici maximè negant, ieiunia, & ciborum, potúsq; delectũ magni esse apud Deum meriti, cùm Ioãnes hac etiam de causa, quòd vinum, & siceram nõ biberit, *magnus* fuisse *corã Domino* dicatur. Omnes porro Nazaræi, quiq; singulari fuerunt sanctitate, à vino dicuntur abstinuisse, vt Samson Iud. 13. 14. & Rechabitæ Hierem. 35. 8.

Et spiritu sancto replebitur.) Repleri dicuntur Spiritu sancto in scripturis sacris non omnes, quibus etiã largiter Spiritus datur, sed quibus ita datur, vt redundare etiam foras in aliquod signũ videatur, vt infr. ver. 35. 41. & Act. 2. 4. & 4. 8. 31. & 6. 5. & 7. 55. & 9. 17. & 13. 9. Hoc igitur loco Ioãnes nõ solùm, quia in vtero matris sanctificatus fuit, sed multo etiã magis, quia ita sanctificatus, vt sex mensiũ infans venientem ad se Christũ infantem & senserit, & exultatione demõstrauerit, Spiritu sancto repletus dicitur.

Ab vtero matris suæ.) Perperam hæreticorũ interpres exponit, *ab infantia suæ*, quasi non in ipso vtero, sed postquam ex vtero exiit Spiritu sancto repletus fuerit. Manifestũ enim est angelum, quod futurum erat, vt Ioannes in vtero Christum demõstraret, indicare voluisse, atque hanc vim habet illa particula, *adhuc*, quasi dicat, antequã ex vtero exeat, cũ adhuc in vtero erit, quemadmodum omnes veteres interpretes exponunt, Orig. ho. 4. 7. & 8. & Cyp. ep. 73. & 76. Cyril. Hierosol. Catechesi 3. Ambr. Max. in ho. de natiuitate Ioannis Bapt. Chrysost. hom. 12. in Ioannẽ & auctor imp. & Iuuen poëta hunc locũ reddẽs

Clausum quem Spiritus ipsis
Visceribus matris complebit numine claro.

16. *Ex multos filiorum Israel conuertet.*) *Multos*, non omnes dixit, quia multi Scribę presertim, & Pharisæi de Christo illi testificanti credere noluerũt, infra c. 20. & Matthæi 21. 26. Marci 11. 31.

Ad Dominum Deum ipsorum.) Ad Christum, quem ostendit, quemq; prædicauit. Vnde Christi diuinitas manifestè probatur, quemadmodum Cyrill. in li. de rectã fide ad Reginas, Beda, Strabus, & Euthy. ex hoc loco probarunt. Loqui enim de Christo angelum ex versu sequenti perspicuum est.

17. *Et ipse precedet ante illum.*) Ante Dominũ Deum ipsorum, vt dixerat vers. prægressi, id est ante Christum. Ante Christum enim præcessit, eiúsq; præcursor fuit, Malachiæ 3. 1. Marci 1. 2. Itaque rectè, vt diximus, ex hoc loco probatur Christum esse Deum.

In spiritu, & virtute Eliæ.) Non corpore, sed spiritu, & virtute similis Eliæ. Virtutem autẽ vocat, nõ potestatem faciendi miracula, quia Ioãnes, vt Ioannes alter Euangelista testatur c. 10. ver. 41. *signum nullum fecit*, sed virtutem dicit, aut omnẽ generaliter in corripiendis vitiis seueritatem, qua propria quadam ratione similis fuit Eliæ. Dubium vtrũ de præterito, an de futuro Eliæ spiritu loquatur, hoc est an significet Ioannem talem futurum esse, qualis, dum viueret, Elias fuit; an qualis, cum venerit ante secũdum Christi aduentum futurus est. Orig. hom. 4. & Amb. in commen. de præterito interpretantur. Gregor. verò hom. 7. in Euangelia, & Euth. hoc loco, & D. Aug. tract. 4. in Ioannẽ de futuro. *Dominus Iesus Christus*, inquit Augustinus, *dixit Elias iam venit, & ipse est Ioannes Baptista. Ioannes autẽ interrogatus sic se confessus est Eliam non esse, quomodo nec Christũ esse: Et vtique sicut verum confessus est Christum se non esse, sic verum confessus est neque Eliam se esse. Quomodo ergo comparabimus dicta præconis cum dicto iudicis? Absit, vt præco mentiatur, hoc enim loquitur, quod audit a iudice. Quare ergo ille non sum Elias? & Dominus ipse est Elias? Quia in eo Dominus Iesus Christus præfigurare voluit futurũ aduentum suum, & hoc dicere, quia in spiritu Eliæ erat Ioannes. Et quod erat Ioannes ad primum aduentum, hoc erit Elias ad secundum aduentum.* Viderur D. Augustinus. spiritum hoc loco, nõ spiritum illum sanctum, quo Ioannes in vtero repletus fuisse dicitur, sed officiũ præconis Christi, & vocationẽ appellare, quemadmodũ cũ dicit Christus, *Nescitis cuius spiritus estis.* infra c. 9. 55. id est non mihi valde placet. Beda verò, & Theoph. de vtroq; Eliæ interpretantur aduentu. *Quæ bene*, inquit Beda, *præco venturus iudicis, ita hic præco factus est Redemptoris. Vnde & conuersatione prorsus simillima arabo deserta secuit, vnctu frugi, veste pilosa inculti cinctu sunt despecti. Ambo Regia, & Regina vesaniam tolerant.* Vide quæ de hac re scripsimus Matthæi 11. 14. & 17. 10. 11.

Vt conuertam corda patrũ in filios.) Verba sunt Malachiæ c. 4. 6. Quę ideo mihi videtur angelus vsurpasse, vt doceret Ioannẽ enim esse futurũ, quẽ Prophetæ c. præcedenti ver. 1. ante faciẽ Domini venturum dixerat. Quamquam hæc apud Prophetã verba nõ de Ioanne, sed venturo Elia propriè intelliguntur. Quæ haud dubiè eodẽ sensu, quo apud prophetam

intelligẽda sant; nisi quòd ad aliam personã accommodantur. Verumtamen quis eorum verborũ apud Malachiam sensus sit, de eo dubitatur. Omnis verò in eo versatur quæstio, vt intelligatur, qui patres, qui filij appellentur, & quid sit aliorũ ad alios corda conuertere. Patres igitur quidam veteres auctores Patriarchas intelligunt; filios recentiores Iudæos, qui longè ab eorum moribus, sanctitatéque degenerassent: ideóque infensi illis antiqui patres essent; reconciliari autem eis, hoc est ipsorum ad illos corda conuerti, cum Eliæ exemplo, doctrináque filij resipiscerent. Sic Hiero. Malachiæ 4. 6. & August. lib. 20. de ciuitate c. 29. & Beda scribens in hunc locum. Alij partes omnes Iudæos, filios Christum, & Apostolos vocari putant, ad quos & Elias in secundo, & Ioannes in primo aduentu Iudęorum essent corda conuersuri. Ad hunc fere modum Euthym. Alij patres Iudæos, qui prius vocati, id est nati sunt; filios Gentiles appellari, vt Theod. in comment. in 4. c. Malachiæ. Alij cor patris ad filium, id est, Dei Patris ad Deum filium cõuertendum, significari, singularem enim Hebraicè numerum legi, nõ quod pater filio iratus esset, sed quòd Elias, Ioãnésque essent effecturi, vt Pater filium diligere cognosceretur. Hanc etiam interpretationem D. August. eodem loco adhibet. Malim dicere patres, & filios non metaphoricè hoc loco, vel pro Christo, vel pro Apostolis, vel pro Iudæis, & Gentilibus, vel pro vetustioribus, & recentioribus Iudæis accipi, sed pro iis, qui eo tempore, de quo Propheta loquebatur, viui essent, quasi dicat: *Conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres.* (sic enim Propheta dicit) id est patres, & filios inter se dissidentes conciliabit. Dissidere autem patres, & filios inter se indicat, nõ solùm moribus, sed multo maximè religione, dum aliam pater, aliam filius religionem sequitur: conciliari autem, dum docti, quæ vera sit religio: eam, & patres pariter, & filij complectuntur. Quemadmodum patres, & filij vsque ad capitales aliquãdo inimicitias dissentiant, & pugnent, nostra nos hoc tempore mala docuerunt: quem autem ad modum concilientur, quia Elias, & Ioannes non habemus, magis æstimare animo possumus, quàm re ipsa experiri. At non dissidebant Iudæi, cum Ioannes venit, de religione. Maximè verò dissidebant, tres enim per id tempus Iudæorum sectas fuisse, Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum Iosephus lib. 13. Antiquitatum. ca. 9. auctor est, & Epiphan. & Philast. plures etiam connumerant. Ioannes verò quantum in ipso fuit, ad vnam omnes religionem, ad vnum omnes transtulit Saluatorem Christum, quem digito demonstrauit, & peccata mundi ablaturum esse clara voce docuit idem Elias ante secundum eius aduentum factura est: nam & tunc magnam futuram esse inter homines de religione dissensionẽ Christus infra dicit. c. 18. 8. *Veruntamen filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?*

Et incredulos ad prudentiam iustorum.) Non assentior iis, qui existimant hoc secundum membrũ apud Lucam secundo illi apud Prophetam membro respondere, *& corda filiorum ad patres*, nam apud Prophetam membra illa etsi verbis duo, re tamen ipsa, atque sententia vnum sunt. Quod angelus intelligens priori contentus membro, quo tota sententia declarabatur, secundum prætermisit, atque eius loco verborum Prophetæ explicationem posuit. Explicatio autem hæc est, *& incredulos ad prudentiam iustorum*, id est ad fidem, ad religionem eorũ, qui melius de fide, ac religione sentiunt. Fidem enim prudentiam vocauit, cùm incredulitati eam opponat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut solet scriptura eos, qui iusti, ac fideles sunt, sapientes, aut prudētes appellare. Eius rei, quia innumera exempla poni possunt, nullum ponam.

Parare Domino plebem perfectam.) ἑτοιμάσαι κυρίῳ λαὸν κατεσκευασμένον, *parare Domino* (id est vt paret) populum præparatum: Nosterinterpres videtur, vt quidam adnotarunt, legisse κατηρτισμένον perfectum id est idoneū, aptū, atq; maturum ad Christi doctrinam suscipiendam. Ac sensus profecto est melior. Nam parare Deo populum præparatum, aut tautologica, aut minùs certè concinna, & apta oratio est. His paucis verbis totū Ioannis officiū declaratur, quod in eo cōsistebat, vt ad suscipiendum per fidem Christū animos hominum exemplo, prædicatione baptismo præpararet, id est apros efficeret, & quasi ferēdum a Christo agrum proscinderet, ac nouaret, vt eleganti metaphora expressit poēta Iuuencus;

Lib. 1. Euang hist. ----*plebémque nouabit.*

Cūm autē dicitur Ioannes plebem perfectā paraturus, nemo sensum esse putet, paraturū plebē quę ante perfecta esset, sed paraturū plebē perfectā, id est perfectā effecturū. Quamuis tam facile fortassis hoc est, vt non fecerimus admonendo operæpretium.

18. *Et dixit Zacharias ad angelum. vnde hoc sciam?*) Indicat se nō credere, nisi signū videat, quod multos alios viros sanctos fecisse legimus, Abrahamum Gen. 15. 8. Gedeonem Iud. 6. 17. Duplex hic quęstio, an peccauerit Zacharias? & qua re peccauerit? Peccasse quidem omnes consentiunt auctores, Augustinus lib. quinquag. hom. homil. 44. Beda, & Theophyl. & ex verbis Angeli colligitur ver. 20. *Et ecce eris tacēs, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis.* Si sola spectaremus verba, diceremus & Abrahamū, & Gedeonem; & nisi nos pietas prohiberet, Beatam etiā virginem peccasse. quia verbis omnes aut iisdem, aut similibus vsi sunt sed Deus qui non tantùm verba foris audit, sed cor etiam peccati, verborúmq; fontem intuetur, iudicauit Zachariam peccauisse, alios nō peccauisse. *Si verba attendamus.* inquit Aug hom. 44. *haud ambo crediderunt Zacharias, & Maria: sed nos verba valemus audire, Deus potest & corde interrogare. Intelligimus charissimi quoniam Zacharias, quando ait. Per quid cognoscam hoc? ego enim sum senex, & vxor mea progressior in diebus suis, desperando dixit, non inquirendo: Maria verò, quando è contra ait, Quomodo istud, quia virum non cognosco? inquirendo dixit, non desperando.* Hinc secunda soluitur quæstio, qua re peccauerit, nēpe incredulitate. *Quia non credidisti,* inquit: *verbis meis.* Sed hāc ipsam incredulitatē alij maius, alij minus peccatū fuisse putant. Caluinus, qui neminem sanctum, qui neminē iustū esse vellet, quo magis Zachariæ sanctitatē minuat, dicit eum de Dei potētia dubitasse, quasi facere nō posset, vt senex ex sene simul & sterili coniuge liberos tolleret. Sed quis, nisi Caluinus, credat virum sanctum, & doctum dubitauisse, an Deus id posset facere, quod ne Caluinus quidem, qui omnipotentiam Deo detrahit, facere posse dubitasset? Legerat profectò Zacharias, atq; credebat Abrahamo in extrema ipsius, vxorisq; semper ante sterilis senectute natū fuisse filiū Gen. 21. 1. Melius alij non ideo peccasse, sed quod senectutē suam, vxorisque sterilitatem, non Dei potentiā considerauerit: contra quam Abrahamum fecisse, laudans scribit D. Paulus ad Rom. 4. 19. *Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum cùm ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Sarę.* Sic Euthy. Cæterum nec hoc ipsum crimen Zachariæ existimo tribuendum, cùm possimus hunc locum minore eius culpa interpretari: itaque potius credo de angelo, an verus esset, & an à Deo missus, dubitasse, vt verba ipsa respondentis angeli significant, ver. 19. *Et respondens angelus dixit ei. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.* & ver. 20. *Et ecce eris tacens pro eo, quod nō credidisti verbis meis.* Non dixit verbis Dei, quod dicere debebat, si Deo Zachrias non credidisset, cùm eum angelus accusaret, vellétque quam maximè eius peccatum exaggerare, sed dixit *pro eo, quod non credidisti verbis meis,* non ergo peccauit, obijciet mihi aliquis, cùm non deberet temerè credere verum esse angelum. Neque enim quod postea D. Paulus dixit, ignorabat, solere Sathanam in angelum lucis transfigurare, & quod Iohannes prima epistola c. 4. 1. non omni spiritui credendum, esse, sed probādos, spiritus vtrum ex Deo sint. Respōdeo in hoc ipso aliquam fuisse culpam, quod angelo tam aperte sese ostendēti, & tot signa præferenti legationis suę, non facilè crediderit, sed illo tamen leuiorem fuisse culpam, quàm si aut Deo, aut angelo, quem bonum esse, & Dei nomine loqui sciret, non credidisset. Itaque libēter ad eorum accedo sententiā, qui credūt nō nisi veniale fuisse peccatum. Nā quòd tam seuerè lōga infamia punitus esse videatur, vt indicij magni peccati magna pœna condatur, non id magnitudo peccati fecit, sed quod ad solūm in pœnam, sed multò magis in signum, & argumentum veritatis mutus factus sit. Cùm enim signum petenti Zachariæ angelus daturus esset, prudenter illud dedit, quod & ad lauandā pœnam, & ad faciendam fidem aptissimum erat: quia & in signo Zacharias experiebatur, & ea experiebatur pœna qua contradicendo peccauerat.

An Zacharias peccauit non credēdo angelo.

Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.) Duas dubitationis suæ causas affert, de quibus ver. 7. dictum est. Opponit autem angeli dictis naturales causas, quia cū angelo aut tanquā cum homine, aut tanquā cū angelo, qui nō diuina, sed naturali vi filiū sibi polliceretur, loquebatur. Simile quid Abrahamus Gen. 17. 17. angelo filiū pollicēti respondit *Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* & Sara Genes. 18. 12. *quæ risit occultè dicens, postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, numquid operiam dabo?* Sed Zacharias quidē, & Sara peccarunt angeli testimonio; Abrahamus eo ipso, quod ab angelo reprehēsus nō est, nō peccasse creditur. Ut supra ex Augustin. probauimus. Quòd dicit, *Progressior in diebus suis,* supra vers. 7. Hebraismum declaruimus.

Quale Zachariæ fuit peccatū angelo non credentis.

19. *Ego sum Gabriel.*) Quia videbat angelus Zachariā sibi non credere, quòd non satis ab eo cognitus esset, ex persona, ex auctoritate, ex officio suo fidē facit. Dicit se Archangelum esse Gabrielem, ad Deum scilicet, qui populi Iudæorum curam gereret, accersebat. & frequēter ad eum mitti Danielis 8. 16. & 21. quo magis illi tanquā procuratori gēris, rerumq; credendum erat. Ideo fortassis ille, non alius ad Zachariam missus est, quòd Ioānis ortus ad Reipublicā Iudæorum maximè pertineret. Quare & ad Beatam Virginē idem postea missus est publicā populi salutem nuntiaturus, inf. v. 26. & spectabat hoc ipsum ad Ioannis laudem, vt qui Christi angelus, quem admodum Malachias vocat, nascebatur, ab eodem quo Christus, angelo nunciaretur, vt B. Augustin. hom. 44. & ser. 20. de sanctis adnotauit. Auctoritatē suam declarat, cum dicit, *Qui isto ante Deum,* id est, vnus ex his sum, qui Deo ministrare solent. Hoc enim significat phralis Hebraica עמד לפני יהוה stare ante Deum, qua Euangelista vsus est, quia solent serui, qui ministrant, ante dominos stare intenti, ac parati, vt quid dominus iusserit, exequātur. Tobiæ 12. 15. Iob

1. 6. & 2. 1. Daniel. 7. 10. Colligit ex hoc loco Greg. homil. in Euangelia 34. Gabrielem vnū esse de primis angelis quod etsi ideo merito creditur, quòd ad tractandum negotium maximum omnium vero simile sit Archangelum, id est Principem aliquem Angelorum missum esse; tamen id hæc verba non probant, quia phrasis, vt diximus, Hebraica tantùm significat ministrare, quod omnibus angelis commune est. *Omnes* enim *administratorij spiritus sunt,* vt ad Hebræos 1. 14. scribit D. Paulus. Colligit etiam Gregorius, & Beda in commentarijs eius recitans verba, idémque ante docuerat Athan. aut quisquis est auctor, q. 8. angelos etiam, cum ac nos mittūtur Deo præsentes assistere; quia dicit angelus, *Ego sum, Gabriel, qui asto ante Deum.* Quod etsi verum est, quia vt idem ait Gregor. *etsi circumscriptus est angelicus spiritus summus tamen ipse spiritus, qui Deus est, circumscriptus non est angelâ igitur & missi, & anteipsum sunt quia qualibet missi veniant, intra ipsum cur unt;* etsi hoc, inquam, verum est tamen hoc loco non significatur. Nam verbum illud *asto* nō significat actum, sed consuetudinem, quasi dicat astare soleo. Quin contrarium videtur significari, commissus angelus dicerur, quasi à conspectu Dei veniendo discesserit. Nam etsi vbique Deus est, tamen eo modo, quo ei angeli dicuntur assistere, id est vt in solio Rex sedēs solo dicitur esse cælo, vnde cum angeli discedunt non assistere, sed mitti dicuntur. Quare Iob. c. 2, 1. scribit venisse die quadam filios Dei, id est angelos astetisse coram illo, quasi priùs, cum in legatione missi verlarentur, coram illo non starent.

Et missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.) Declarat officium suum, & legationem exponit. Proprium enim angeli officium est mitti. Quia *omnes administratorij sunt spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Hinc & nomen accepit, vt angelus, id est nūtius appellaretur, quod vt ait Gregorius non naturæ, sed officij nomen est. *Qui facit,* inquit, *angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem* Psal. 103. 5.

Et hæc tibi euangelizare.) hoc tibi bonū nuntiū afferre. Captat angelus beneuolentiā, vt fidem faciat de tacitè Zachariæ incredulitatem exprobrat. Reminit interpres Græcum euangelizandi verbum, non solùm, quòd verbo vno Latino exprimi non posset, sed etiam fortassis, vt indicaret hoc primum fuisse exordium Euangelij, vbi ea primùm vox ab angelo esset vsurpata. Nam etsi, quod angelus Zachariæ nuntiabat, Euangelium propriè non erat proœmium tamen erat Euangelij.

20. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui,*) Ostendit ipsa angelus auctoritatem, suam, dum mutū Zachariam reddit, Nam etsi id Dei virtute factum est, tamen angelus tanquam Dei legatus, & loquitur, & facit. Duo autem facit eadē opera, punit Zachariæ incredulitatem, & petenti dat signum, quo credere cogatur. Eadē res & supplicium, & beneficium fuit supplicium peccantis, beneficium precantis. *Dat signum,* inquit Beda, *quod rogatur, vt qui diserendo loqui est iam tacēdo credere discat.* Videtur autē παυτελῶς σιωπῶν, & ἰδιᾷ φωνέμενος καλῶς, eris tacēs, & loquēs esse eris tacens, & *non poteris loqui,* aut, vt Græcè est. παυτελῶς σιωπῶν, tam omnino tacens, quàm σιωπῶν videtur legisse *Lucas* surdus; sic enim interpretatur Zachariā impotens Theophylactus pro σιωπῶν videtur legisse *Lucas* surdus; sic enim interpretatur Zachariā nō modò mutum, sed etiā surdū factum esse, in qua etiam sententia est Ambr. & Euthym. in comment. Idque ex ver. 62. haud dubiè probatur. *Innuebāt,* inquit, *patri eius, quem vellet vocari eum.* Si enim surdus non erat, quid opus erat innuere, id est nō voce, sed signis eum interrogare? Ita enim videmus esse natura comparatum, vt qui muti sunt, sint & iidem surdi. Itaque Græci eodem nomine κωφὸν & surdum, & mutum appellant, vt vocabulo vno duarum inter se rerum coniunctionem declarent. Idem etiam Euangelista infra ver. 22. quem hic angelus vocat σιωπῶντα, tacentē id est mutum, κωφὸς appellat; quod & surdum, & mutum significat. Quamquam nostra lectio tautologica nō erit, si intelligamus plus esse nō posse loqui, quàm tacere, cùm saluti taceant, qui si velent, loqui possent. Quales nostra ætate Antuerpiæ, Pictauis, & Lugduni nonnullos nouimus, qui cum possent, multos tamen per annos locuti non essent. Significat ergo angelus Zachariam non huiusmodi hominibus futurum similem, inuitum enim nō volentem taciturum esse. Quamobrē hac potissimum pœna Zacharias affectus fuerit, curiosum non est quærere, cùm credendum sit id factum non esse sine ratione, & rationem intelligere sit locum hunc intelligere. Origen. & Ambr. mysterium esse putant. *Non vnius,* inquit Ambr. *mysterium, nec vnius silentium est. Tacet sacerdos: tacet propheta. Nisi fallor, in vno vox totius plebis obmutuit, quia in vno totus ad Dominum per Morsem populus loquebatur. Cessatio sacrorum, & silentium prophetarum taciturnitas prophetæ, & taciturnitas sacerdotis est.* Nihil obstat, & aliū fuisse sensum, & hoc indicari mysterium. Beda dissimilem affert causam, *vt qui diserendo* (vt ille ait) *locutus fuerat: tacendo disceret credere.* Optimè omnium Theophilactus, εἰκότως ὁ τὰ δύο ταῦτα ἁμαρτὼν, τὸ μήτε ἀκοῦσαι μήτε λαλῆσαι, ὡς μὴ ὢν παρακόσας δυνάμενος κωφεύειν, ὡς ὁ ἀντειπὼν σιωπᾷ. meritò autem hæc duo passus est, vt neque audiret, nec loqueretur, nam vt non obediens condemnatur surditate, vt autem contradicens taciturnitate.

Pro eo, quòd non credidisti verbis meis,) Reddit rationem pœnæ, quam comminatus erat, quòd sibi non credidisset. Vide quæ ver. 18. dicta sunt.

Quæ implebuntur tempore suo.) Cum tempus illud venerit, quod præfiniui, id est post nouem menses, quibus solent mulieres vterū gestare. Simile exemplū est Gen. 18. 10. Rom. 9. 9. *Secundum hoc tempus veniam, & erit Sara filius.* Cur tempus pœnæ, & tēpus illud circūcisionis infantis potius, quàm vllū aliud, Zacharię præfixum fuerit, quęstio est loco non aliena. Factus fuerat mutus, surdúsque Zacharias non tātùm in pœnam, sed magis etiam, vt diximus, in signum. Non debuit autem signum durare, nisi quoad res, cuius signum erat, eueniret. Et quia nō tantùm prædixerat angelus fore, vt Zacharię filius nascereretur, sed præceperat etiam illi, vt Ioannem vocaret, mutus vsque ad circuncisionem, nomnisque impositionem, quæ in circuncisione fiebat, pater manet, & implere manu sua cogitur, quod priùs angelo nunciante credere noluerat. Postulans enim pugillarem scripsit, *Ioannes est nomen eius* ver. 63.

Cur Zachariæ fabulas fundi, et mutus.

21. *Et erat plebs expectans Zachariam.*) Extra tabernaculum, vbi dixerat ver. 10. multitudinem populi foris orantem constitisse. Apparet Zachariam aliquanto tēpore cum angelo collocutum; siquidem plebs tantam eius moram mirabatur, neque omnis fortasse verba, quæ inter angelum, & Zachariā vltrò citróque dicta sunt, Euangelista recensuit. Itaque maior forsitam mora fuit, quàm breue istud colloquium, quod hic recensetur, requirere videbatur.

23. *Et factū est, vt impleti sunt dies officij eius.*) Octo dies quibus singuli per vices sacerdotes sacerdotali in templo officio fungebantur, vt ver. 5. docuimus. Hinc intelligitur aliquot diebus antequàm Zacharias officiū suū expleret, angelū illi apparuisse neque propterea quòd surdus, mutúsq; factus esset, ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

officio discessisse. Egregium documentum, non debere sacerdotes incidētibus rebus aduersis, munus deserere.

24. *Post hos autem dies.*) Paucis post diebus. Hos dies vocat Euangelista illos, de quibus lecutus fuerat, id est octo illos, quibus in templo Zacharias ministrauerat.

Et occultabat se mensibus quinque.) Quam ob causam sese Elisabeth prægnas accultauerit, variæ ădiuersis auctoribus causę redduntur. Quidam pudore fecisse putant, quòd iam senex concepisset, sicut Sara Gen. 18. 10. risisse dicitur, cū ab angeloaudiisset se filium habituram. Sic Origen. hom. in Lucam 6. Ambr. Beda, Theophyl. & Euthy. Repugnare huic sententiæ videtur, quòd aliam ipsa Elisabeth causā ver. sequēti afferre videatur. *Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meū inter homines.* Sed ad hoc ipsū Ambrosius, & Beda respōdeat. *Merito*, inquiunt, *etiam sancta Elisabeth erubescebat gratiam, etsi non cognosceret culpam. Nam & si concepit de viro (neque enim aliter de hominis ortu fas est credere) tamen parum sui erubescebat ætatem. Et rursus caruisse se gaudebat opprobrio.* Fortasse quod dicit, *Sic fecit mihi Dominus*, perinde est, ac si dicat, risui me Dominus exposuit; ita me sterilitatis probro liberauit, vt intemperanti obiecerit infamiæ, quasi annosa iam anus rei coniugali operam dederim. Colligunt ex hoc loco Origen. & Ambros. &, vt videtur August. serm. 7. de tempore, antequam angelus ad Zachariam veniret, illum, & Elisabeth mutuo consensu à communi, & coniugali thoro abstinuisse. Hac enim de causa erubuisse Elisabetham quòd cùm ante à mariti thoro seiūcta aliquāto tempore vixisset, in extrema senectute incitata libidine ad nuptiarū opera redijsse videretur. Cur mēsibus quinque non pluribus, non paucioribus sese occultauerit, credendū nō est vacare causa, caussam verò hanc Orig. Beda, Euthym. & Theophyl. fuisse existimant, quòd post quintū exactū mensem virgo Maria concepisset, quasi tūc desierit pudere concepisse anum, cum cōcepisse etiam virginem vidit. Eò hoc est probabilius, quòd ipsa Beata Virgo, licet cognata eius esset, mēse iā sexto eam nescierit concepisse vt ex ver. 36. perspicuum est. Monstrauit ergo Christus Ioannem à Ioanne monstrandus. Quidā hæreticorū interpretes dubitasse Elisabeth dicūt de angeli promissione, ideo nō ausam se tanquam grauidā gerere; nè si se opicio refellisset, ridicula fieret; quo ad sexto iam mense ita vterus intumuit, vt neque ipsa, nec alij, qui viderēt, dubitare possent esse prægnanté. Sed isti ex suo solent ingenio homines etiam sanctos incredulos iudicare, quibus prima fidei regula est, non nisi quæ aut vident, aut volunt, credere. Quomodo dubitare poterat, quæ quintum iam mensem, grauidum sentiebat vterum, quæ maritum, propterea quòd dubitauerat, surdū, mutūq; videbatque denique dicebat: *Sic fecit mihi Dominus* agnoscens nimirum Dei se beneficio concepisse?

25 *Quia sic fecit mihi Dominus.*) Vt sterilis simul, anúsque conciperem, quod, qui audierit, ridebit, & incredibile putabit.

In diebus quibus respexit Deus.) Tandem cùm Deo placuit, cùmque ego minimè cogitabam. Indicat rem totam diuina prouidentia, prærérque hominū opinionem fuisse factam. Respexisse se Deum dicit, hebraico genere loquēdi, quasi prius aduersus, atq; alienarus à se fuisset; tunc reconciliatus esset, non quòd vere, aut prius auersus, aut tunc recōciliatus fuerit, sed quòd antè, quasi offēsus esset, liberos sibi nō daret; tunc, quasi recōciliatus, dederit. Respice re enim nos dicitur Deus, quoties aliquid iniuconfert beneficij, quoties benignus, & fauorabilis nobis est, vt Psal. 85. 16. Potest etiā hoc loco ligni care idē, quod dignatus est, vt infra ver. 48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* id est, tanto honore milem ancillā suam dignatus est, & Psal. 30. 8. *Respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam*, id est dignatus es me quamuis abiectum, & iacentem erigere.

Auferre opprobrium meum inter homines.) *Respexit auferre*, dixit phrasi Hebraica לראות, id est respexit ad auferendum, aut remouendū, Latine dicerem ut adiecit animum ad tollendum opprobrium meum. Hinc apparet probrosam apud Iudæos sterilitatem fuisse. vt Gen. 30. 23. vbi cū Rachel peperisset, *abstulit Deus opprobrium meum.* Quamquā duo monia, alterum Exo. 23. 26. alterum Deut. 7. 14. in eam sententiam citari solent, alieno sensu Non enim præceptum illic, sed promissum est. sam quamobrem decorus haberetur, nō eandē nes auctores reddūt. D. Ambr. hoc loco causam se dicit, quòd puderet mulieres, quæ nō alta sa, quam pariendi, tubere, videbantur, non parere. *Pudor est enim* (inquit ille) *fœminis ingratum non habere, quibus hæc sola est causa nubendi.* Euthym. ex hominū vitio eam opinionē natā putat. Iudæi nimis carnales essent, ideóque ignominiam existimarent carere liberis. Sunt qui dicant ignominiosum id fuisse quòd eius populi propagatione Christus nasciturus esset; itaqi alienos sto fuisse visos, qui posteritatem non haberēt, nihil ad futuri Messiæ generationem contulisse. Alij inter alias illi populo à Deo datas benedictiones vnam illam fuisse, vt in eo nulla sterilis mulier reperiretur, vt paullo ante ex Exod. 23. 26. & Deut. 7. 14. citauimus. Quare expertē diuinæ benedictionis, & alienam quodāmodo à populo Dei habitam fuisse mulierem, quæ sterilis esset. Verā ego causam fuisse arbitror, quòd sterilitas alicuius, & quasi quis peccati pœna esse videretur, quod re ipsa fere experirentur, eā ob causam sæpe Deū mulieres riles facere. *Cœcluserat Dominus omnem vulvam Abimelech propter Sarā uxorem Abrahæ* Gen. 20. Itaque videmus clamare Prophetā Oseę c. 9. *Da eis Domine. Quid dabis eis? da eis vulvam sine liberos & vbera arentia. Omnes nequitiæ eorū in Galgal exosos habui eos propter malitiam adinventionum de domo mea eiciam eos. non adiiciam vt diligā eos.* Hebraismus.

26. *In mense autem sexto.*) Ab eo tempore, quo Zachariæ angelus apparuerat ver. 11. vel quo concepérat Elisabeth ver. 24. vt Euthym. interpretatur. Iren. libro. 3. c. 11. videtur legisse, in ipso autem tempore. Ambros. verò in comment. eodem tempore, quasi ambo Græcè legerint ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ. Expromit Euangelista temporis circunstantiam, non ad lùmad conciliandam fidem historiæ, quæ eō tempore habetur probabilior, quo plures temporum locorum, reru, personarum circunstantiæ notātur eam angelus ingressus est, quia Euangelista non indicat, & traditio Ecclesiastica nulla docet, nescio

Continentia coniugū ex mutuo consensu.

maior esse natu, quantóque interuallo, qui præcessurus prædicando erat, nascendo præcessisset: Simul etiam, vt ostenderet non nisi sex mēsum fuisse Ionanem, cum venientem ad se Dominum sensit & exultatione demonstrauit, vt ver. 41. dicturus est Hæc enim parasceue est futuræ narrationis. Parat etiam auditorem ad id, quod angelus dicet ver. 36. Alias etiam notat Euangelista circunstantias, vt D. Bernar. hom. 1. de laudibus Beatæ Virginis obseruant. Quare sexto mense angelus ad Mariam missus fuerit, putandum non est, quamuis causa nos temerè factum esse. Strabus ex Hier. & D. Tho. ex Beda scribunt significatum esse mense illo sexto Christum sexta mundi ætate nasci. Nescio an tanti fuerit id scire. Si humanam sequamur coniecturam quæ aliquando in rebus etiam diuinis ad verum ducit; causa hæc mihi videtur fuisse, quòd voluerit Deus Christum & Ioannem dominum & seruum, redemptorem testem paris fere ætatis esse, vt hac etiam re similes essent. Sed debuit Ioannes nascendo præcedere, quem præcessurus erat prædicando. Debuit in vtero conclusum in vtero ipse concluſus, infans infantem prius quàm vir virum in Iordane demonstrare. Debuit miraculo conceptus maiori concepti Christi miraculo fidē facere. Ideo sex mensium spatio præcedit, quo tempore neque tam parus erat, vt ignoraretur esse conceptus, neque tam magnus, vt sensum habere posse rationis videretur. Ad hūc fere modum Athan. in orat. de Deipara.

Missus est angelus Gabriel à Deo.) Idem angelus qui ad Zachariam missus fuerat, vide supra ver. 11. & 19. Diligenter hoc Lucas narrat omnibus personarum locorum, temporum circunstantijs declaratis, vt doceat rem totam diuinitus factam fuisse, ideo, & angelum, qui missus fuerat, & Gabrielem, id est vnum è primis, & à Deo missum fuisse dicit, non suo vemisse nomine. Irenæus lib. 5. c. 19. Augu. ser. 18. de tempore, Greg. hom. 34. Damasc. in serm. de Assumptione Beatæ Virginis. Bernar. hom. de laudibus virg.

In ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth.) Vbi Maria, & Ioseph habitabant. Vide, quæ diximus Matthæi 2. 23.

Ad Virginem desponsatam viro.) Quæ in hunc versum dici poterant diximus apud Matthæū c. 1. 18. 19. *Et ingressus ad eam angelus.*) Indicat Mariam vere fuisse נערה, id est reconditam illam virginem, quam Isai. c. 7. 14. prædixerat pariturам, cùm in penetrali habitaret. Qua de re, qui hodie dubitant hę rerici, & apud cognatum aliquē suum cum ancillis laborantem fuisse malunt credere, Iudaico mihi esse videntur ingenio. Itaque non magis illis, quàm apocrypho illius proteuāgelij auctori, quod Iacobi nomine circumfertur credendum est, vbi scriptum est Beatam Virginem forte ad hauriendam exiisse aquam, cum illi angelus apparuit. Vtrumque enim & Euangelistæ, & antiquis omnibus repugnat auctoribus: Nam & Lucas, cum angelum ad eam ingressum dicit, sine dubio significat eam intra domū fuisse, & id Ambrosius, Eusebius Emissenus in homil. de Beata Virgine, & Andreas Ierosolymit. & Beda, & Bernar. affirmant. Sunt etiam, qui putant clauso domus ostio angelum ad B. Virginem penetrasse, quod & quia angelo; cùm spiritus esset, opus non fuit aperire, & quia ad sanctitatem, puritatemque pertinebat virginis clauso esse ostio, valde credibile iudico. Quid autem ageret tunc cum ad eam angelus ingressus est, quia Euangelista non indicat, & traditio Ecclesiastica nulla docet, nescio an possit sine curiositatis vitio quæri, & sine maiori temeritatis vitio diffiniri. Hoc vt credamus, eius a nobis sanctitas postulat, neque otiosam fuisse nec in re, quæ non maximè deceret virginem occupatam.

Aue gratia plena.) Quod ingressus ad Virginem angelus salutat, nouū nō est. Salutauit angelus alter Gedeonem, Iudicum 6. 12. 23. Sed illud nouū, & singulare omnino est, quòd ea vsus est salutatione qua nemo ante mortalem salutans hominem vsus fuerat, vt Origenes homilia in Lucam 6. Ambros. & Beda in commen. notauerunt. *Cum prudentia*, inquit Beda, *panebat, quia benedictionis nouam formam mirabatur, quæ nusquam tecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiā, quam nulla alia meruerat: consecuta est.* Quanquā & hoc discrimen inter Mariam, & Zachariam obseruamus, quòd Zachariā Gabriel salutasse non dicitur; Mariam verò non salutauit modò, sed singularibus etiam, & exquisitis verbis salutauit, & ita prorsus, vt superiorem inferior, dominam seruus, Dei sponsam; continuóque futuram matrem Dei minister alloqui reuerenter videretur. Vtriusque rei causæ hæ mihi videtur esse potuisse. Prima, quòd Zacharias vir, Maria fœmina esset, & fœmina quidem virgo, atque recondita, virorum non assueta colloquiis. Ideóque credendū erat Mariam, quam Zachariam angeli virili apparentis forma cōspectu, atque colloquio magis turbatum iri. Solent autem angeli eos, quibus apparēt, leuādi timoris causa benignè salutare quemadmodum Gedeonem angelum illum, qui ad eum missus fuerat, salutasse legimus. Quam causam Theoph. etiam insinuat. Eandem ob causam tam singulari salutatione vsus est, quo plus trepidaturæ adderet animi. Altera causa fuit, vt credibiliora faceret angelus, quæ dicturus erat. Verosimile enim erat, eam quæ gratia plena & benedicta inter mulieres vocabatur, matrem Dei, si quam aliam, futuram esse.

Aue.) χαῖρε, Hebraico verbo respondet שָׁלוֹם Pax tibi, qua phrasi Hebraice loquentem angelum vsum fuisse credendum est. Itaque superuacaneam arbitror illā esse quæstionē, quam hoc loco quidā mouēt, vtrū quod apud Græcos est χαῖρε, melius Latinè *Aue*, an Salue vertatur. Vtróq; enim verbo & Hebraicum שָׁלוֹם, & Græcum χαῖρε satis exprimitur. Iubet Mariā angelus χαίρειν gaudere, lætari, nō timere, bono animo esse, hoc enim est שָׁלוֹם, vt ostendat se bonū, nō malum angelū esse, & nō inimicum, sed amicum venire: non triste, sed lætum afferre nuntium. Sic enim Hebræi loqui solent, quotie s volunt ab eis, quos salutant, timorem remouere, vt Genes. 43. 23. Iud. 6. 23. & 18. 20. & 1. Reg. 1. 17. & 2. Reg. 15. 9.

Gratia plena.) Quò Græcè est κεχαριτωμένη. Omnes veteres auctores, quasi conspiratione, aut, vt dicam melius inspiratione quadam diuina *gratia plenam* reddiderunt, Ambr. hoc loco, August. in Euchi. cap. 36. & sermone 13. & 14. & 15. & 18. & 21. de tempore, & Hieron. in epistola ad Principiam virginem, & Sophronius, aut quisquis est auctor, in sermone & Assumptione Beatæ Mariæ, & Eusebius Emissenus in hom. in hæc verba Lucæ, *Missus est angelus Gabriel.* Bernardum, & alios mille annis recentiores auctores, qui interpretem nostrum sequuti videri possunt, filétio prætereo. Hanc igitur interpretationem, & omnium veterum auctorum consensus, & incredibilis hæreticorum dissensio confirmat, qui nostram, id est optimam pertæsi versionem, dum meliorem quærunt, ea re declarant se

Quomodo B. Virgo gratia plena fuerit contra hæreticos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inuenisse peiorem, quòd non vnam, sed tot, quot sunt apud illos interpretes inuenerunt. Alius enim gratiosam, alius gratam, alius acceptam, alius gratiam consequutam, alius dilectam alius in gratiam acceptam, alius gratis iustificatam, alius gratis dilectam interpretatur. Et cum angelus exquisiuisse studiosè verba videatur, quibus sanctissimam ornaret virginem, quasi eius merita nulla oratione æquare posset, isti boni Angeli, qui nouum nobis Euangelium annuntiarunt, in quærendis laborant verbis, quibus nihil de illa magnum, nihil singulare dicere videantur. Verùm angelus enimuerò dum singulari, & noua vritur salutatione, satis profectò indicat nihil se Mariæ cum cæteris mortalibus cõmune dicere voluisse. Quòd si tantùm gratiosam, aut dilectam, aut gratam, aut acceptam, aut aliquid huiusmodi ex his, quæ Mariæ hostes hæretici commenti sunt, dixisset, nihil sanè dixisset, non illi commune cum multis. At, inquiunt, multi alij gratia aut Spiritu sancto pleni dicuntur, Ioannes supra ver. 15. Elisabeth infra ver. 41. Zacharias, ver. 67. Apostoli Act. 2. 4. Petrus Act. 4. 8. Omnes illi cõgregati erãt Ierosolymæ Act. 4. 31. septem illi Diaconi, qui primi electi sunt Act. 6. 3. 5. Stephanus Act. 6. 8. & 7. 55. Paulus Act. 9. 17. & 13. 9. Barnabas Act. 11. 24. discipuli omnes Apostolorum Act. 13. 52. Addunt iniuriam nos Christo facere, cui Mariam, dum eam gratia plenam appellamus, exæquemus. Multos quidem, præter Mariam, Spiritu sancto impletos fuisse superiora exempla satis docent: gratia autem plenum, præter Mariam, Stephanum legimus. Ex quo discimus inter Mariã, & cæteros sanctos, qui Spiritu sancto pleni fuisse dicuntur aliquid in illa ipsa plenitudine fuisse discriminis, cum illi Spiritu sancto, non gratia; Maria non Spiritu sancto, sed gratia plena dicatur. Multorum opinio est sonum potius, vocum, quam scripturæ vsum considerantium, plus quiddam esse Spiritu sancto, quàm gratia repleri, sed contra vt sentiam, scripturæ consuetudo facit, quæ dum multos Spiritu sancto, paucissimos gratia repletos fuisse docet, haud obscurè significat tantò maius, quantò rarius hoc esse quam illud: nõ quòd Spiritus sanctus, qui fons, atque auctor est gratiæ, gratia ipsa minor sit: imaotem enim, vt effectu causam, vt creatura creatorem esse necesse est: sed quòd qui Spiritu sancto impleti dicuntur, non ipso Spiritu, sed dono aliquo Spiritus quod sese foris in faciendis signis, aut alia re quapiam mirabili ostendat, dicantur impleri. Qui verò gratia, non dono tantùm aliquo, sed & gratia instructi sunt, & omnium donorum largitate, quatenus humana natura capit compleri intelligatur. Nec necesse est, vt omnes, qui gratia pleni fuisse dicuntur, parem gratiam habuerint. Plenus aqua fons est, plenus fluuius, pleni riuuli, etsi plus, & purius in fonte, quàm in fluuio, in fluuio quàm in riuulis est. Plenus Christus gratia, tanquam fons, in quo & scaturit, & stagnat gratia, & in omnes homines sicut ex capite in membra deriuatur. Plena Christi mater, tanquam fonti proximus fluuius, qui etsi minùs, quàm fons aquæ habet, pleno tamen fluit alueo. Plenus Stephanus, sed tanquam riuulus, quemadmodum bene omnino Theologi quidem tradiderũt, & quisquis eius sermonis de assumptione auctor fuit, qui nomine Hieronymi legi solet. *In sanctis, inquit, patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Mariam vero totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit quanquam aliter.* Hæc omnia veterum auctorum sententia est, Ambrosij hoc loco, Emisseni homil. in hæc verba, *Missus est angelus Gabriel*, Chrysologi sermone 142. Bedæ hom. 3. de Beata Virgine, Ruperti lib. 6. in Cantica canticorum, licet sententiam eandem non eodem modo omnes auctores interpretentur. Quæ autẽ ea fuerit gratia, & quamobrem Maria gratia plena dicta sit, de eo dissentiunt auctores. Quidam gratiæ plenitudinem vocant, quòd in ea Christus ipse habitaret, *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Hier. & Sophronius in locis, quos paullo ante notauimus, & Augustin. in Enchirid. c. 36. & Emissenus in hęc verba, *Missus est angelus Gabriel*, & Petrus Damianus ser. 3. de nativitate beatæ Mariæ, & Bernardus in hom. de laudibus beatæ Virginis. Hi ipsi auctores hoc inter se dissentiunt, quòd alij, quia id concepisset, alij quia mox conceptura Christi erat gratia plenam vocari putant. In illis est Hieron. & Gregor. Neocæsariensis in hom. de Annuntiatione beatæ Mariæ: in Ambros. August. Sophron. Chrysolog. Beda, Rupertus in locis paullo supra notatis, & Athanasius in orat. de sanctæ Deiparæ: quorum ego sententiam probabiliorem iudico. Neque enim angelus, qualis cum Christum concepisset, fuerat esset; sed qualis iam esset, illi voluit significare. Et nõdum Mariam concepisse, cum hæc illi angelus dixit, ex ver. 31. & 35. perspicuum est, & Græcum verbum κεχαριτωμένη, quod noster interpres *gratia plenam* reddidit, præteriti temporis est. Itaque, cum de conceptione agitur, perspicue angelus docet nondum concepisse, sed conceptura esse: cum de gratiæ plenitudine, non implendam fore, sed plenam iam esse dicit. Et si rem ipsam remotis consideremus verbis, maioris vtique sunt gratiæ, quòd Deo Mariæ grata, quàm quòd Dei mater esset: maioris meriti, quòd Deum animo, quàm quòd corpore concepit, vel Christo ipso testante, & mulierem illa dicente: *Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*, respondit, *Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, infra c. 11. 27. Denique si propterea gratia plena diceretur, quòd Christo in vtero conceptu plena esset, postquam peperisset, gratia plenior esse desiisset: quod meritò Athanasius in oratione de sancta Deipara; tanquam absurdum, reiecit. Addo non dici gratia plenam mea quidem sententia, neque quòd cõcepisset, neque quòd conceptura esset Christum, sed quòd ipsa in se quamuis non ex se, plena esset gratia, qua quidem digna facta est, vt Christum conciperet. Licet eam tam plenam, tamque abundantem gratiam, nisi cõceptura Christum fuisset, non habuisset. In hunc enim illi vsum data est, vt ideonea Christi mater efficeretur. Ita hac ratione facile constabit. Non implenda, sed plena iam gratia vocatur, vt paullo ante ex Græco verbo demonstrauimus, Christum autem nondum conceperat sed conceptura erat. ergo non vocatur gratia plena, quòd iam concepisset, aut quòd conceptura Christũ esset. Atq; hoc etiam modo, si recte intelligantur, mihi videntur Ambro. Augustin. & Beda sentire.

Dominus tecum.) Quidam hoc etiam verbum de conceptione Christi intelligi volunt: quasi Dominus cum Maria dicatur esse, quia Christus, aut iam cõceptus cũ illa erat, aut paullo post concipiendus erat futurus. In priori sententia Hie. & Bern. sunt. In posteriore auctores illi, quos modò diximus, gratia plena interpretari, quę paullo post Christũ cõceptura esset: præterea etiã Eut. Vtraque opinio iisdem rationibus quibus vtraque illa superior refutatur. Neque enim dubium est, quin hæc verba, *Dominus tecum*, illorum præcedentium explicatio sint, *Ave gratia plena*, Quare eodem modo intelligantur necesse est. Gratia autem plena, vt docuimus, non ideo Maria dicta est, quòd aut Christum concepisset, aut conceptura esset sed quòd diuinis repleta donis, Deoque gratissima, Non ergo Dominus cum illa esse dicitur, quòd sit mox cõcipiendus habiturus: sed quòd iam per illam gratiam, qua plena esse dicitur, spiritualiter in illa sic. Legimus hęc eadẽ verba & ab angelis alijs nonnullis hominibus Iudicum 6. 13. & alijs hominibus ab alijs dicta, vt Ruth. 2. 4. sed cum alijs dicuntur, præcando, non enuntiando cum Maria, enuntiando, non precando dicuntur. Præcatur enim Boos messoribus suis, præcatur angelus Gedeoni, & Dominus cum illis sit Augu. ser. de tempore 18. *Ave gratia plena Dominus tecum. Dominus inquit tecum, sed plusquam mecum. In me enim licet Dominus, memetipsum creauit Dominus, per te autem genus est Dominus. Ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam.* Itaque vtroque modo intelligendum putat.

Benedicta tu in mulieribus.) Falli etiam mihi videntur non solùm hæretici, sed nonnulli etiam, & Catholici, & non indocti prorsus auctores, qui hæc verba precantis esse dicunt. Non enim precatur angelus, vt à Deo Maria benedicatur, sed iam benedictam annuntiat, atque declarat. Quam enim maiorem illi à Deo benedictionem optare potuit, quàm vt impleretur gratia? Atqui iam gratia, vt docuimus plena erat. Manifestum præterea est hæc tria verba *gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus*, cum eodem contextu codémque tenore dicta sint, effecturum eodem modo intelligenda. Duo verò præcedentia, vt demonstrauimus, non optantis, aut precãtis, sed annuntiantis, & affirmãtis sunt. & hoc quidem tertium. Scio Hebraicum participium בָּרוּךְ *benedictus* pro futuro poni aut pro imperatiuo, vt in illo exemplo *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, Matthæi capit. 23. 39. 47. id est benedicendus est. sed præteritorum verborum intelligentia cogit hoc loco id verbũ aliter intelligere. Cum enim de re præterita angelus dixerit, *Ave gratia plena, Dominus tecum*, dubium esse non potest, quin de re etiam præterita dicat, *Benedicta in mulieribus*. Abest hæreticorum error, qui non aliam hîc benedictionem significari putant, quàm quæ omnibus fœminis communis sit, quòd Christum excipiant. Cur enim dixit *in mulieribus*, id est præ omnibus mulieri bus, vt illi ipsi interpretantur, nisi non communiter cum illa, atq; alijs, sed cum illa singulariter, & prę sente Dominus erat: Neque propterea *in mulieribus*, quòd inter mulieres, non inter omnes homines benedicta esse dicitur, quod nõ præ omnibus hominibus, sed præ solis mulieribus benedicta sit: veruntamen quòd ipsa sit mulier, & non soleat comparatio, nisi inter ea, quæ eiusdem generis sunt, fieri. Benedictionem autem angelus intelligit nõ eam, quam frequenter solet scriptura hoc nomine vocare filiorum copiam, aut eorum procreandorum facultatem, vt Ge. 1. 22. 28. & 22. 15. aut rerum omniũ expetendarum affluentium, vt Ge. 24. 35. & 27. 27. 39. & 49. 25. Deut. 7. 14. sed eam, quam paullo ante gratiæ plenitudinem appellauerat. Illa enim dona, quibus ornata fuerat Virgo sanctissima, & gratia, quia gratis illi à Deo concessa, & benedictio, quia ex eius profecta liberalitate, meritò nuncupantur. Notant hoc loco omnes veteres auctores Mariæ, & Euæ tacitam antithesin, quam id circo ponam, quòd eam soleant

hæretici perhorrescere, non Euæ Mariam opponentes, sed apponentes, æquantésque, quasi non minùs Maria, quam Eua peccauerit, etiam postquam plena gratia ab angelo vocatur, etiam postquam Dei mater facta est, vt quosdam istorum interpretes scribere non puduit. Quam dissimili fuerint veteres Patres spiritu, atque sententia, ex eorum, quæ subiiciam, verbis apparebit. Irenæus lib. 3. cap. 33. *Consequenter autem & Maria virgo obediens inuenitur dicens, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbũ tuum. Eua verò inobediens; non obaudiuit enim, adhuc cùm esset virgo. Sicut Eua inobediens facta, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen virgo obediens, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis*, & rursus. *Sic autẽ & Euæ inobedientiæ nodus solutionẽ accepit per obedientiam Mariæ: quod enim alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc virgo Maria soluit per fidem.* Et lib. 5. cap. 19. *Quemadmodum enim illa, id est Eua per angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum præuaricata verbum eius, ita & hæc, id est Maria per angelicum sermonẽ euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo. Et sicuti illa seducta est, vt effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata, & quemadmodum adstrictum est morti genus humanũ per virginem, saluatur per virginem.* Et Tert. in lib. de carne Christi. *Sed & hic ratio defendit, quòd Deus imaginem, & similitudinem suam à Diabolo captam æmula operatione recuperauit. In virginẽ enim adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis, in virginem æque introducendũ erat Dei verbum extructorium vitæ, vt quod per huiusmodi sexũ abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpẽti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.* Et D. Aug. serm. 15. de tempore. *Et quoniam Diabolus per serpentẽ Euæ locutus per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per angelum ad Mariam protulit verbum, & cunctis sæculis vitam effudit.* Similis comparatio est apud Greg. Nyssenum in oratione de sancta Christi natiuitate, & apud Theophyl. hoc loco.

29. *Quæ cum audisset turbata est in sermone eius,*) ἐπὶ τῷ λόγῳ διεταράχθη. Quæ cum vidisset, turbata est in sermone eius, vt legunt etiã Ambr. Theoph. & Euthy. Cur turbata fuerit, docet Ambr. lib. 2. de Virginib. dicens, *Quasi viri specie mota trepidauit, quasi nõ incognitum auditu nomine recognouit.* Et in Exhortatione ad virgines, *Illa te doceat, quid sequaris; Angelum in specie viri vidit, & pauebat corde, peregrinabatur aspectu, vnde dicit ad eam angelus, Ne timeas Maria.* Itaque existimat Ambros. nõ sermone, sed angeli aspectu Mariam fuisse turbatam. Idémque Athanasius sentire videtur q 12. aut quisquis earum quæstionum auctor est putat enim solam Mariam in hac vita ipsam angeli essentiam conspexisse, ideóque videtur existimare insolito mortalibus visu fuisse turbatam. Hanc Ambrosij sententiam & Græca verba, & ratio ipsa confirmant. Magis enim aspectu, quàm colloquio angelorum turbari homines solent, quemadmodum Zachariam supra ver. 12. & mulieres, quę Christi sepulchrum inuiserant Matthæi 28. 5. & Marci 16. 5. & 6. & Lucæ 24. 5. & Danielem cap. 10. 8. turbatos fuisse legimus, & quia magis insolens est angeli aspectus, quàm colloquium, quod cùm humano prorsus simile sit, minùs homines terret. Alij propter nouam, & insolitam salutationem, turbatã putant. Origenes hom. 6. Chrysostomus de natiuitate Ioannis Baptistæ, Hieronymus in epist. ad Eustochium, Græcus ille auctor, quem D. Thom. citare solet, & vt videtur, Beda, & Theophlactus. Iuuat hanc interpretationem, quòd additur, *In sermone*

eius

Plus est plenũ esse gratia, quam Spiritu sancto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius, & quod paullo post sequitur, *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio*, id est anxiam illam, & solicitam habebat, insolitatum genus salutationis; hoc enim est phrasis Hebraica cogitare. Vtraque re turbatam fuisse vero simile est, & quia insolitam vidit formã, sicut Zacharias, Daniel, & ille mulieres, quas modò dicebamus, & quia insolitam audiuit salutationem. Dubitare lector potest, quomodo aut aspectu, aut sermone angeli turbari potuit, quæ angelorũ colloquiis fuisse creditur assueta. Ea enim non solùm vulgi, plæque plebis, sed D. etiam Ambrosij, & illius apud D. Thom. auctoris Græci opinio videtur esse. Ambrosij libro 2. de Virginibus hæc sunt verba, *Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam, vbi reuisere solebat inuenit.* Et paullo post, *Ita peregrinata est in vita, quæ non est peregrinata in angelo, vt agnoscas, autores religiosas oculos verecundos.* Quomodo respõdere debeamus, eodem loco indicat Ambrosius, solitam B. Virginẽ cum angelis colloqui, sed nunquã ante humana eos vidisse forma. Hoc est, quod dicit *peregrinata est in vita, quæ non est peregrinata in angelo*, id est speciem viri insolitam timuit, quæ colloquium angeli solitum non timuit. Loquitur enim Ambrosius semigræce ἐξενωσεν.

Et cogitabat, qualis esset ista salutatio.) An amatoria, quia dixerat *Gratia plena*, an sancta, quia dixerat, *Dominus tecum*, vt Hieronymus in epistola ad Eustochium, & Theophylactus in Comment. & Bernardus serm. de Beata Virg. in illud Apoc. 12. Signum magnum. *Forte*, inquit Bernardus, *propterea primo turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio, quòd benedictam se audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat. Et ex tunc quidem cogitabat, qualis esset ista benedictio, quòd tam videretur esse suspecta.* Euthymij magis probo sententiã qui hoc Mariam cogitasse putat, vtrum salutatio illa diuina esset, an illusoria: & à dæmone fallandi causa missa. Nam sanctissimam virginem vel suspicatam tantùm fuisse aliquid amatorium, indignum mihi videtur tanta eius puritate. Simplex esse debet, & minimè suspiciosa virginitas, quæ non solùm, quæ non licent, appetendo, &, quod minus est, cogitando: sed etiam de aliis, vt seipsam tueatur, suspicando quadammodo maculatur Angelicam ego prorsus in Maria puritatem ponẽdam existimo angeli verò ne suspicari quidem, aut timere periculum vllum puritati suæ possunt. Itaque cogitatio illa Mariæ, *qualis ista esset salutatio*, non ex castite, quãuis & castitas in ea summa esset, immo propterea nó ex castitate, quia summa erat, sed ex humilitate profecta est: adeo enim se tam singulari salutatione indignam putabat, vt vereretur, ne quis in ea subesset dolus. Hoc rectè Bernardus dixit in ser. de natiuitate Beatæ Mariæ, *Maria*, inquit, *non præter dit meritum, sed gratiam quærit. Denique vsque adeò fidei gratiæ, & non alium sapit, vt salutationem angelicam vereatur. Maria inquit cogitabat, qualis esset ista salutatio. Nimirum sese salutatione angelica reputabat indignam.*

Virginitas minimè suspiciosa.

30. *Et ait angelus ei, Ne timeas Maria.*) Pellit ab ea timorem angelus, vt ad credendum, quod dicturus est, inducat, quemadmodum Theophylactus animaduertit. Hoc etiam pertinet proprij nominis appellatio, quòd angelus virginem suo nomine Mariam vocet, vt ostẽdat se illi amicum quodammodo & familiarem esse, vt Beda notauit. Vide, quæ supra dicta sunt ver. 13. Quæri potest, quomodo angelus Mariæ timorem cognouerit? Potuit ex vultu, ex cunratione, ex tacita cogitatione cognoscere.

Inuenisti enim gratiam apud Deum.) Beda, *Quam salutationem insolitam, vtpote, quæ ei seipsi seruabatur, considerat inuisitatam quasi familiaris eius notam vocans ex nomine, vt tanquam re debeat iubet. Et quia gratia plenam vocauerat, eandem gratiam, & ædificat plenius, & vberius exprecatur.* Ad eandem fermè modum Theophyl. Inuenire gratiam apud aliquem Hebraismus est, quo aliquando simpliciter significatur gratum esse, aut dignum cui beneficium aliquod conferatur, vt Gen. 18. 3. & 19. 19 aliquando singulariter, & præ cæteris omnibus gratum esse, sicut vulgò etiam dicere solemus, inuenit gratiam apud Regem, id est aut solus, aut maxime omnium Regi gratus est, vt Genes. 6. 8. & 39. 4. Hoc modo Bernardus hunc locum exponit sermone 3. de Annuntiatione Dominica. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum. Quamnam? gratiam plenam, gratiam singularem.* Putat alibi idẽ Bernardus hoc verbo *Inuenisti gratiam*, studium Mariæ gratiam priùs quærentis significari. Sic enim ferè in serm. 4. de Assumpt. B. Mariæ. *Hæc ipsi enim, quæ nouus mundi reparationem obtinuit, salutem omnium reparauit. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse, quæ quæsierit.* Ne timeas Maria, *inuenisti gratiã, vnde quæras.* Itaque videtur Bernardus in ea esse sententia, vt existimet Beatam Virginem, antequam ad eam angelus veniret, adeo fuisse de humani generis redemptione solicitam, adeóque assiduè pro ea orare solitam, vt ea ratione meruerit tantam obtinere gratiam, vt Christum ipsa conciperet, pro cuius accelerando aduentu precabatur.

31. *Ecce concipies.*) Videtur explicare angelus quæ apud Deum gratiam Mariam inuenisse dixisset, vt Orig. & Theophyl. indicarunt, hanc nimirum, vt Christum concipere mereretur. Quod dicit *Ecce*, significat statim cõceptutam esse, vt auctor ille Genesis admonuit, quem D. Thomas citare solet. Refellitur ex hoc loco opinio Hieron. Greg. Neocæs. & Bernardi, quam ver. 28. recitauimus, Beatam Virginem antequam ab angelo salutaretur, concepisse. Cum enim angelus dicit, *Ecce. & concipies*, haud obscurè indicat nondum Virginem concepisse.

In vtero.) Putat Theophylactus, & Græcus ille auctor D. Thomæ propterea Euangelistam addidisse, *In vtero* vt significaret ita concipiendum in Virgine Christum, vt ex eius etiam substãtia conciperetur. Quod nõ satis firmum existimo. Nam ἐν γαστρὶ συλλαμβάνειν, id est in vtero concipere, sicut ἐχειν vtero habere Græca phrasis est, in qua additum nomen vteri nihil sententiæ, & significationi addit. Etsi id angelus significare voluisset, aliis verbis declarasset, verbis; neque enim nomen vteri id satis declarat, cùm potuerit Christus in vtero Virginis, & non ex substantia Virginis concipi.

Et paries filium.) Facit fidẽ rei præsentis ex futura; videtúrq; Isaiæ prophetia c. 7. 14. exprimere vocabis nomen eius Iesum. vt Hieronymus in epistola ad Eustochium, & Theophylactus in Comment. & Bernardus serm. de Beata Virg. in illud Apoc. 12. Signum magnum. *Forte*, inquit Bernardus, *propterea primo turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio, quòd benedictam se audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat. Et ex tunc quidem cogitabat, qualis esset ista benedictio, quòd tam videretur esse suspecta.* Euthymij magis probo sententiã qui hoc Mariam cogitasse putat, vtrum salutatio illa diuina esset, an illusoria: & à dæmone fallandi causa missa. Nam sanctissimam virginem vel suspicatam tantùm fuisse aliquid amatorium, indignum mihi videtur tanta eius puritate. Simplex esse debet, & minimè suspiciosa virginitas, quæ non solùm, quæ non licent, appetendo, &, quod minus est, cogitando: sed etiam de aliis, vt seipsam tueatur, suspicando quadammodo maculatur Angelicam ego prorsus in Maria puritatem ponẽdam existimo angeli verò ne suspicari quidem, aut timere periculum vllum puritati suæ possunt. Itaque cogitatio illa Mariæ, *qualis ista esset salutatio*, non ex castite, quãuis & castitas in ea summa esset, immo propterea nó ex castitate, quia summa erat, sed ex humilitate profecta est: adeo enim se tam singulari salutatione indignam putabat, vt vereretur, ne quis in ea subesset dolus. Hoc rectè Bernardus dixit in ser. de natiuitate Beatæ Mariæ, *Maria*, inquit, *non præter dit meritum, sed gratiam quærit. Denique vsque adeò fidei gratiæ, & non alium sapit, vt salutationem angelicam vereatur. Maria inquit cogitabat, qualis esset ista salutatio. Nimirum sese salutatione angelica reputabat indignam.*

30. *Et ait angelus ei, Ne timeas Maria.*) Pellit ab ea timorem angelus, vt ad credendum, quod dicturus est, inducat, quemadmodum Theophylactus animaduertit. Hoc etiam pertinet proprij nominis appellatio, quòd angelus virginem suo nomine Mariam vocet, vt ostẽdat se illi amicum quodammodo & familiarem esse, vt Beda notauit. Vide, quæ supra dicta sunt ver. 13. Quæri potest, quomodo angelus Mariæ timorem cognouerit? Potuit ex vultu, ex cunratione, ex tacita cogitatione cognoscere.

Inuenisti enim gratiam apud Deum.) Beda, *Quam salutationem insolitam, vtpote, quæ ei seipsi seruabatur, considerat inuisitatam quasi familiaris eius notam vocans ex nomine, vt tanquam re debeat iubet. Et quia gratia plenam vocauerat, eandem gratiam, & ædificat plenius, & vberius exprecatur.* Ad eandem fermè modum Theophyl. Inuenire gratiam apud aliquem Hebraismus est, quo aliquando simpliciter significatur gratum esse, aut dignum cui beneficium aliquod conferatur, vt Gen. 18. 3. & 19. 19 aliquando singulariter, & præ cæteris omnibus gratum esse, sicut vulgò etiam dicere solemus, inuenit gratiam apud Regem, id est aut solus, aut maxime omnium Regi gratus est, vt Genes. 6. 8. & 39. 4. Hoc modo Bernardus hunc locum exponit sermone 3. de Annuntiatione Dominica. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum. Quamnam? gratiam plenam, gratiam singularem.* Putat alibi idẽ Bernardus hoc verbo *Inuenisti gratiam*, studium Mariæ gratiam priùs quærentis significari. Sic enim ferè in serm. 4. de Assumpt. B. Mariæ. *Hæc ipsi enim, quæ nouus mundi reparationem obtinuit, salutem omnium reparauit. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse, quæ quæsierit.* Ne timeas Maria, *inuenisti gratiã, vnde quæras.* Itaque videtur Bernardus in ea esse sententia, vt existimet Beatam Virginem, antequam ad eam angelus veniret, adeo fuisse de humani generis redemptione solicitam, adeóque assiduè pro ea orare solitam, vt ea ratione meruerit tantam obtinere gratiam, vt Christum ipsa conciperet, pro cuius accelerando aduentu precabatur.

31. *Ecce concipies.*) Videtur explicare angelus quæ apud Deum gratiam Mariam inuenisse dixisset, vt Orig. & Theophyl. indicarunt, hanc nimirum, vt Christum concipere mereretur. Quod dicit *Ecce*, significat statim cõceptutam esse, vt auctor ille Genesis admonuit, quem D. Thomas citare solet. Refellitur ex hoc loco opinio Hieron. Greg. Neocæs. & Bernardi, quam ver. 28. recitauimus, Beatam Virginem antequam ab angelo salutaretur, concepisse. Cum enim angelus dicit, *Ecce. & concipies*, haud obscurè indicat nondum Virginem concepisse.

In vtero.) Putat Theophylactus, & Græcus ille auctor D. Thomæ propterea Euangelistam addidisse, *In vtero* vt significaret ita concipiendum in Virgine Christum, vt ex eius etiam substãtia conciperetur. Quod nõ satis firmum existimo. Nam ἐν γαστρὶ συλλαμβάνειν, id est in vtero concipere, sicut ἐχειν vtero habere Græca phrasis est, in qua additum nomen vteri nihil sententiæ, & significationi addit. Etsi id angelus significare voluisset, aliis verbis declarasset, verbis; neque enim nomen vteri id satis declarat, cùm potuerit Christus in vtero Virginis, & non ex substantia Virginis concipi.

Et paries filium.) Facit fidẽ rei præsentis ex futura; videtúrq; Isaiæ prophetia c. 7. 14. exprimere vocabis nomen eius Iesum. vt Hieronymus in epistola ad Eustochium, & Theophylactus in Comment. & Bernardus serm. de Beata Virg. in illud Apoc. 12. Signum magnum. *Forte*, inquit Bernardus, *propterea primo turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio, quòd benedictam se audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat. Et ex tunc quidem cogitabat, qualis esset ista benedictio, quòd tam videretur esse suspecta.* Euthymij magis probo sententiã qui hoc Mariam cogitasse putat, vtrum salutatio illa diuina esset, an illusoria: & à dæmone fallandi causa missa. Nam sanctissimam virginem vel suspicatam tantùm fuisse aliquid amatorium, indignum mihi videtur tanta eius puritate. Simplex esse debet, & minimè suspiciosa virginitas, quæ non solùm, quæ non licent, appetendo, &, quod minus est, cogitando: sed etiam de aliis, vt seipsam tueatur, suspicando quadammodo maculatur Angelicam ego prorsus in Maria puritatem ponẽdam existimo angeli verò ne suspicari quidem, aut timere periculum vllum puritati suæ possunt. Itaque cogitatio illa Mariæ, *qualis ista esset salutatio*, non ex castite, quãuis & castitas in ea summa esset, immo propterea nó ex castitate, quia summa erat, sed ex humilitate profecta est: adeo enim se tam singulari salutatione indignam putabat, vt vereretur, ne quis in ea subesset dolus. Hoc rectè Bernardus dixit in ser. de natiuitate Beatæ Mariæ, *Maria*, inquit, *non præter dit meritum, sed gratiam quærit. Denique vsque adeò fidei gratiæ, & non alium sapit, vt salutationem angelicam vereatur. Maria inquit cogitabat, qualis esset ista salutatio. Nimirum sese salutatione angelica reputabat indignam.*

30. *Et ait angelus ei, Ne timeas Maria.*) Pellit ab ea timorem angelus, vt ad credendum, quod dicturus est, inducat, quemadmodum Theophylactus animaduertit. Hoc etiam pertinet proprij nominis appellatio, quòd angelus virginem suo nomine Mariam vocet, vt ostẽdat se illi amicum quodammodo & familiarem esse, vt Beda notauit. Vide, quæ supra dicta sunt ver. 13. Quæri potest, quomodo angelus Mariæ timorem cognouerit? Potuit ex vultu, ex cun-

opinione Christi pater erat, dictum ab angelo est, *Vocabis nomen eius Iesum*: & eam non fuisse consuetudinem Iudæorum multis scripturarum exemplis probare possumus. Legimus enim aliquando matres filiis suis nomina posuisse, vt Genes. 4. 1. 25. & Genes. 19. 37. 38. & Genes. 29. 32. 33. & Genes. 30. 6. & Iud. 13. 24. aliquando patres, vt Genes. 4. 26. & 5. 29. & 21. 3. aliquando patrem simul, & matrem, vt hoc ipso capite versu 60. & 63. Zacharias, & Elisabeth idem Ioannis nomen dederunt filio: aliquando aliud nomen patrem, aliud matrem filio posuisse, vt Genes. 35. 18. Rachel vocauit filium suum *Benoni*, Iacob verò eius maritus vocauit *Beniamin*. Itaque nolim ea vti regula, quamuis & nostra ætate multi, & superioribus, Græcus ille auctor apud D. Thom. vsi fuerint. Neque enim istis præsidiis, præsertim tam infirmis indigemus, cùm nihil clariùs scriptura testetur, quàm Christum de Spiritu sancto fuisse conceptum. Valet tamen aliquid argumentum illud contra Iudæos, quòd Isaias non dixerit אמר & *vocabit*, pater; sed נתן & *vocabit*. ipsa virgo, quo magis confirmetur, quod ante dictum erat, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, ita esse intelligendum, vt & virgo, & manens virgo conceptura, parituráque fuerit.

Hic erit magnus.) Dictum etiam erat de Ioanne versu 15. cum futurum magnum, sed aliter quam de Christo, vt Origen. homil. 6. Ambros. Beda, & Theophylactus adnotauerunt. *Dictum est etiam de Ioanne ab angelo*, inquit Ambros. *quia erit magnus. Sed ille quasi homo magnus, hic quasi Deus magnus. Magnus enim Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Et verè est & ille magnus, quia maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. Habet tamen maiorem, quia qui minor est in regno Dei, maior est illo. Magnus Ioannes, sed coram domino.* Et rursus, *magnus ergo Ioannes, sed huius magnitudo habet principium, habet finem. Dominus autem Iesus idem est finis, atque principium, idem primus, & nouissimus. Nihil ante primum, nihil vltrà nouissimum.* Euthym. magnum vocari putat, non re ipsa, & veritate, sed opinione; quòd doctrina, & miraculis magnum sibi apud homines nomen facturus esset. Et quidem re ipsa vocari magnum, qui Deus erat, magna non erat laus, neque notum videri poterat: poterat autem nouũ videri, quòd qui natura sua magnus erat magnus etiam hominibus appareret. Existimat Græcus ille auctor D. Thomæ eo cõsilio angelũ hoc addidisse, vt Christum à multis aliis distingueret, qui cùm Iesus vocati fuissent, magni tamen non fuissent.

Et filius altissimi vocabitur.) Votari hoc loco pro esse ponitur Hebræorum idiomate, vt apud Isaiam c. 1. 26. *post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis*, id est eris ciuitas iusti, & Isaiæ 4. 3. *Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur*, id est erit. Altissimus autem, aut excelsus absolutè vocatur Deus, eodem Hebraismo עליון, vt Num. 24. 16. Deut. 32. 8. Psal. 9. 3. & 17. 14. & 20. 8. & 45. 5. & 49. 14. & 86. 5. & 90. 1. & 106. 11. & 76. 11. & 81. 6. Dicuntur & viri sancti, & Reges filij Dei, sed aut adoptione, aut accepta ab eo potestate, repræsentationéque personæ. Aliter angelus dicit Christum Dei filium vocandum esse. Nam eo ipso, quòd hic dicit, vbi de eius ex Spiritu sancto conceptione, ortuque loquebatur, indicat eum non beneficio, sed naturâ Dei futurum filium. Et verò cui dixit aliquando non dico hominum, sed vt ait D. Paulus angelorum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Psal. 2. 7. ad Hebr. 1. 5. Hærent noui Ariani in verbo futuri temporis, *Vocabitur*, quasi antequam nasceretur, Dei filius non esset. Nempe non animaduertunt de homine hîc esse sermonem, quem conceptura Virgo, quem paritura erat, qui ante quàm conciperetur, non modò filius Dei, sed ne homo quidẽ erat. Cõceptura enim erat virgo non nudum Deum, sed hominem Deum, homo autẽ Deus non fuit antequam cõciperetur. Seiũge ab homine Deũ, dicit Christus, *Antequam Abraha fieret, ego sum*, Ioannis 8. 58. &, *ego sum primus, & nouissimus; vltus, & fui mortuus*, Apoc. 1. 18. Confutatur etiam ex hoc loco Nestorij error, qui duas ponebat in Christo personas; duos alterum Dei, alterum hominis, faciebat filios, quem errorem, & antequam nasceretur Irenæus lib. 3. c. 18. & natum Beda ex his verbis confutarunt, *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit ei Dominus thronum Dauid patris sui*, inquit Iren. *eum qui sit filius altissimi hunc eundem, & Dauid filium confitens.*

Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius. Docet Christum, quem virgo conceptura, & paritura erat, futurum esse Messiam, Regem illum Dauidi ex eius semine successurum, de quo dictũ erat Ps. 131. 11. *de fructu ventris tui ponã super sedem tuam*, & Isaiæ 9. 6. 7. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperiũ, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius, vt cõfirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodo, & vsque in sempiternũ.* Et Amos 9. 11. *In die illa suscitabo tabernaculũ Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & quæ corruerant instaurabo, & reædificabo eum sicut in diebus antiquis.* Sedem Dauidis vocat Dauidis regnum, non quòd Christus, aut temporaliter, aut in solo Dauidis regno regnaturus esset; sed quòd Dauid personã gessisset Christi ex sua posteritate nasciturj, ideóque patrem eius vocat; & quòd temporale Dauidis regnum spirituale regnũ Christi, non in sola tamen Iudæa, sed in toto terrarũ orbe significasset. Vnde factum, vt Christus ipse à prophetis Dauid vocatus sit, vt intelligeremus eũ verum esse Dauidem, quem innẽturus erat Deus Regem iuxta cor suum, & de quo dictum esset, *Vnxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Ps. 44. 8. Dauidem eius tantùm fuisse vmbram, qui interim dum verus Rex Christus veniebat, vna cum posteris suis regibus eius populo personam repræsentabat. Sic Ierem. c. 30. 9. *& non dominabuntur ei amplius alieni, sed seruient Domino Deo suo, & Dauid Regi suo, quem suscitabo eis.* Et Ezech. c. 34. 23. 24. *& suscitabo super eos pastorem vnum, qui pascat eos, seruum meum Dauid: ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorũ.* Et Ezech. 37. 24. *& seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum.* Et ver. 25. *& Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum.* Et Osee 3. 5. *Post hæc reuertetur filij Israel, & quærent Dominũ Deum suum, & Dauid regem suũ.* Quòd verò dicit, *Dabit illi Dominus*, indicat legitimum hæredem fore, qui regnum à Deo acceptu rus sit, non vi, aut malis artibus occupaturus. Dedisse Christo regnum dicitur Deus, non quòd non esset natura sua Rex, cùm verus esset Deus, sed quia eũ regem esse declarauit. *Hic*, inquit, *est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* Matthæi 3. 17. &, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius* Psa. 2. 6.

33. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*) Describit angelus regnum Christi sempiternum, non quale fuerat in Dauide, qui per quadraginta tantùm regnauit annos 2. Reg. 5. 4. & 3. Reg. 2. 12. sed quale Deo conueniebat, nullum

Universidad de Deusto
Biblioteca

habituru finem. Cùm enim Christum Dauidi comparasset, eius sedem accepturum dicens, eum nunc illi anteponit, *Et regnabit*, inquit, *in æternum, & regni eius non erit finis*: ne existimemus nihil eũ Dauide maius habiturum. In domo Iacob regnaturus dicitur, quia Iacob duodecim Patriarcharum, totidemque ab ipsis propagatarum tribuum pater fuit, vt intelligatur non esse futurum eius regnum intra vnius, aut duarum tribuum inclusum terminos, quemadmodum sub alijs Regibus Dauidis successoribus longo fuerat tempore, sed in omnibus duodecim tribubus regnaturum, quibus nõ Iudæi tantùm, sed omnium etiam hominum vniuersitas designatur, Matthæi 19. 28. & Apocal. 7. 5. & 21. 12. quemadmodum alibi D. Aug. & Beda obseruarunt. Sic explicatur ab Isaia regnum Christi c. 14. 1. *Prope est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam: adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.* & cap. 44. 5. *Iste dicet Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua Domino, & in nomine Israel assimilabitur.* & cap. 49. 6. *& dixit parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Eodem modo cap. 59. 19. 20. & Ezechielis 37. 21. & 26. Hoc enim adnotauit Beda. Paucis igitur verbis regni Christi, & Dauidis discrimen indicat; quod multiplex est. Regnum Dauidis perpetuum non fuerat, sed multis sæpe interruptum cladibus, quoad omnino Herodis tempore defecit: Christi verò regnum, nũquam desiturum dicitur. Fuerat & Dauidi perpetuitas regni promissa Psal. 131. 11. sed illa ipsa perpetuitas tribus rebus ab ista regni Christi perpetuitate differebat; primùm quòd illa non de persona Dauidis, sed de ipso, ciúsque successoribus intelligeretur, sicut de sacerdotio scribit Diuus Paulus ad Hebræos 7. 23. 24. *Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo, quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Deinde quòd continuatio illa regni Dauidis non nisi vsque ad aduentum Christi, cuius vmbra erat, intelligeretur, Christi autem regno nullus ponatur finis Danielis 7. 14. *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* & Michææ 4. 7. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc, & vsque in æternũ*, hoc est quod dicitur Matthæi 16. 18. *Et portæ inferni non præualebunt.* Sic D. Augustinus libro 22. de ciuitate c. 1. loquens de hoc regno, quod alio nomine Dei ciuitate vocat, *Quæ*, inquit, *ciuitas non propter ætatis propter multa sæcula longitudinem tamen quandóque finiendæ æternitatis nomen accepit, sed quemadmodum scriptum est in Euangelio, & regni eius non erit finis.* & in libro ad Orosium contra Priscillianistas, & Origenistas c. 7. *Secundum quid regni eius non erit finis, nisi secundum id, quòd regnabit in domo Iacob? nam hoc, quod ait in æternum propter ipsam ambiguitatem exposuit, addendo, regni eius non erit finis, ne quisquam æternum hic sic acciperet, quemadmodum sæculum finem quandolibet habiturum.* Denique Dauidi nõ absolutè, sed cum conditione perpetuum regnum promissum est, *si custodierint*, inquit, *filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos: & filij eorum vsque in sæculum, sedebunt super sedem tuam:* Christo autem, qui non poterat non seruare testamentum Dei, absolutè, & sine vlla conditione sempiternum regnum promissum est: quemadmodum de sacerdotio ait Diuus Paulus ad Hebræos 7. 28. *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.* Cætera, quæ de regno Christi hoc loco dici poterant, apud Matthæum c. 27. 11. dicta à nobis sunt.

34. *Quomodo fiet istud.*) Non sunt verba dubitantis de diuina potestate, aut de veritate eorum, quæ ab angelo dicta fuerant; sed admirantis, & capientis modum scire, quo id faciendum esset, ne forte cum aliqua virginitatis suæ fieret iniuria, vt Ambrosius, & Beda interpretatur. *Videtur hic*, inquit Ambrosius, *non credidisse Maria, nisi diligenter aduertas. Nec enim fas est, vt electa ad generandum vnigenitum Dei filiũ fuisse videatur incredula.* Et infra, *Etenim, cum dixit, quomodo fiet istud, non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsuit effectus.* Eodem modo D. Augustinus homilia 44. & Theophylactus in commentarijs exponit. Alij non dubitantis, sed admirantis verba esse dicunt, vt Cyrillus Cateche. 12. Inuenio tamen aliquos, qui dubitasse Virginem dicant, vt Gregorius Nyssenus in oratione de sanctissima Christi natiuitate, Euthymius, & Chrysostomus homilia 49. in Genes. sed ijdem illi ab omni eã culpa liberam fuisse affirmant. Nam Zachariam quidem, quia similia habebat exempla, dubitare non debuisse, pepererat enim sterilis Sara, pepererat Rachel, pepererat Anna, pepererat Samsonis mater; Beatam verò Virginem, quia alterius Virginis, quæ peperisset exemplum non habebat, potuisse sine vlla culpa dubitare. Potuerit necne, supernacuum est disputare, quia dubitasse non credo. Calumnius nõ sicut isti auctores, quos modò nominauimus, modestè, & piè sine vlla culpa dubitasse dicit, sed ream potius infidelitatis ad suum tribunal vocat. *Videtur*, inquit, *sancta Virgo non minus maligne respondisse Dei potentiam, quam prius Zacharias ver. 18. Stringere Dei potentiam, quam prius Zacharias ver. 18. Quod enim præter communem naturæ ordinem est, impossibile esse colligit. Nec vero magnopere laborandum est, vt eam purgemus ab omni vitio.* Posui hæresiarchę verba, quia refert, vt omnes intelligant, quo spiritu, quàm parum pio, quàm superbo, quàm alieno ab illo sanctorum Patrum spiritu loquatur. Primùm, cùm angelus Zachariam reprehenderit, Mariam non reprehenderit, sed vt D. Augustinus argumentatur, nouo, & mirabili conceptu remunerauerit; iste bellus interpres Mariam Zachariæ culpa facit parem. Et cum Elisabeth ver. 45. beatam Mariam vocet, quòd angelo credidisset, iste infidelem vocat, quia non credidit. Sed hæc ignorantia fortassis esse potuit; illa verò mera impietas, & impudentia fuit dicere non esse magnopere laborandum, vt sanctissimã Virginem ab omni purgemus vitio. Sithinc enim est non solùm impium esse, sed ipsam etiam impietatem omni abiecto pudore profiteri. Non eo igitur sensu rogat Virgo, *quomodo fiet istud*, sed potiùs, vt virginitati suæ, & voti, de quo posteà dicemus religioni consulat: aut, vt nonnulli existimant, vt sciat, ecquid sibi in eo negotio agendum sit, ecquæ suæ futuræ sint partes. Itaque non ex incredulitate, sed ex castitate simul, & obedientia hæc interrogatio profecta est.

Quoniam virum non cognosco.) Ioseph virũ meum. Nam etsi nullum omnino virum cognoscebat, cognituráve vnquam erat, tamen, vt credamus de solo viro suo Mariam loqui, facit summa eius castitas, & summus pudor, qui non patiebatur, vr de alio, quàm de suo loqueretur viro. Facit ratio, quòd de alijs, de quibus salua verecundia dubitari non poterat, necesse non erat loqui; de proprio verò spon-

so, de quo poterat dubitari, necessarium omnino fuit, vt declararet se cum non cognoscere. Verbum cognoscendi hoc loco nõ significare actum, perspicuum est; nec enim dubium erat tunc, cum hoc dicebat, virum non cognoscere. Significat igitur consuetudinem, quemadmodum si quis abstemius dicat, non bibo vinum; non enim significat se tunc, cum loquitur, non bibere, sed non solere bibere. Sic dicunt discipuli Ioannis Matthæi 9. 14. *Quare nos, & Pharisæi ieiunamus, discipuli autem tui non ieiunant?* id est, quare nos ieiunare solemus, discipuli tui non solent? & Matthæi 17. 24. *Magister vester non soluit didrachma?* id est an non solet soluere? Neque solam consuetudinem significare potest, sed consuetudinem cum impotentia coniunctam, quasi dicat Virgo, Quomodo fiet istud quia nec virum solo cognoscere, nec possum? Si enim sola consuetudo significata fuisset, in promptu fuisset angelo respondere, si non soles virum cognoscere, cognosce nunc & concipies, quem te concepturam dixi. Impotentia autem duplex esse potuit; aut naturalis, qualis in omnibus hominibus antè pubertatem, & in multis in grandiore etiam ætate est: aut moralis, qua non posse dicimur facere, quod facere non licet, quemadmodum si Christianus dicat, non possum in quadragesima carnibus vesci, id est non licet mihi. Hæc autem ipsa moralis impotentia duplex itidem est, alia quæ ex lege, aut præcepto, alia quæ ex voti religione nascitur. Ex præcepto, vt si Christianus dicat, non adoro idola, id est non possum adorare, quia prohibeor diuina lege; ex voto, vt si Carthusianus aliquis dicat, non vescor carnibus, id est non possum vesci, quia impedior voti religione. Beata Virgo non potuit naturalem impotentiam significare, cum nubilis credatur fuisse, & re iam ipsa nupta esset; significauit ergo moralem impotentiam, non eam, quæ ex lege, aut præcepto oritur, nulla enim lege, nullo præcepto viro suo vti vetabatur, significauit igitur moralem impotentiam naturam ex voto. Itaque rectè multi, grauésque auctores existimarunt Beatam Virginem, antequàm ad eam veniret angelus, virginitatis votum edidisse, in quibus est Gregorius Nyssenus in oratione de sanctissima Christi natiuitate, & Diuus Augustinus in libro de sancta virginitate capit. 4. & Beda, vt apparet hoc loco, & in homilia in illa verba *Missus est angelus*, & Bernardus in sermone in illa verba Apocalypsis 12. *Signum magnum apparuit*, & Anselmus in libro de excellentia Beatę Virginis capite quarto & Rupertus libro tertio commentariorum in Cantic. De tempore quo votum fecerit, inter recentiores Theologos disputatur. Gregorius Nyssenus, & Nicephorus existimant antè quàm nasceretur Virgo, aut ante certè quàm ex infantia excederet, fuisse eam à parentibus Deo consecratam, in qua consecratione & virginitatis perpetuæ votum contineretur. Alij recentiores Theologi post initum cum Ioseph coniugium eius consensu votum à Virgine factum volunt. Alij, quibus magis equidem assentior, prius etiam, quàm matrimonio iungeretur factum fuisse putant. Horret enim imbutus pietate animus vel cogitare sanctissimam Virginem corpus aliquando suum periculo corruptionis exposuisse, quod fecisset profecto, si non obstricta prius voto nupsisset. Clamat pro omnibus hæreticis Caluinus *non fuisse passuram Virginem marito se collocari, vt eum lideret; perfidiamque futuram fuisse magna reprehensione dignam, si sanctum coniugij fœdus non sine Dei ludibrio spreuisset.* Sed isti spernere sanctum coniugium existimant, quicumque coniugio non vtuntur. Atqui idem ille Diuus Paulus qui coniugium sanctum appellauit, vult coniuges orationis causa abstinere coniugio, primo Corinth. 7. 5. an propterea coniugium spreuit? Non spreuit igitur Maria sanctum coniugij fœdus, sed meliorem elegit partem, quæ auferri ab ipsa non posset: necessarium fuit, cui declarato voto, consentiente quę in eius obseruationem nupsit. Licebit sterili, aut impotenti viro scientem, consentientemque vxorem ducere, quod ne hæretici quidem negant; non licebit mulieri virginitatis votum habenti mysterij causa, Deoque reuelante scienti, consentientique viro nubere? Licet coniugatis post contractum iam matrimonium mutuo consensu ab eius abstinere vsu; & non licebit eadem conditione ante contrahere?

35. *Spiritus sanctus superueniet in te.*) Ad quæstionem Virginis, quomodo esset salua virginitate conceptura, angelus rectè respondet, Spiritum sanctum in eam superuenturum esse, id est ex alto, ex cælo in eam descensurum, qui quod ad conceptionem attinet, quod vir carnaliter facturus erat, spiritualiter, id est sine vlla corruptione, sanctè, mundè, perfectéque faceret. Explicauit egregie Chrysostomus hunc locum homilia 49. in Genes. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, Ne quæras, inquit, naturæ modum, & ordinem, quando super naturam sunt, quæ fiunt. Ne spectes coniugij dolores, quando maior, quam in nuptijs, natiuitatis modus erit. Et quomodo fiet istud, inquit, quoniam virum non cognosco? sanè propter hoc fiet, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires.* Mittitur Spiritus sanctus ad formandum in vtero Virginis Christum, licet omnes tres personæ formauerint, quia quemadmodum nos spiritu viuimus, ita spiritu Dei omnia viuificantur Psalm. 103. 30. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Beda. *Non viri*, inquit, *quod non cognoscis semine sed Spiritus sancti, quo impleris opere concipies. Erit in te conceptio, libido non erit.* Multi veteres auctores hic illam Isaiæ prophetiam implicitam interpretantur cap. 8. 3. *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium*, quasi Spiritus sanctus loquatur, & ad prophetissam accessisse, id est, in Beatam Virginem superueniisse prædicatur. Tertullianus libro de Trinitate, Epiphan. hær. 79. Eusebius libro 7. de demonst. Euang. c. 7. Gregorius Nazian. in orat. in sanctum Pascha, Procop. in comment.

Et virtus altissimi obumbrabit tibi.) Duo hæc verba, duas quæstiones continent, quid vocetur *virtus altissimi*, & quid sit, *Obumbrabit tibi*. Quidam virtutem altissimi Christum interpretãtur, qui obiecto corpore, quasi vmbra quadam Virginem obtexerit, vt Gregorius lib. 18. Moral. c. 12. & hom. 33. in Euang. Chrysost. hom. 49. in Gen. Marius Victor. lib. 1. contra Arian. Damascenus libr. 3. de fide cap. 2. Beda, & Theophylactus in commentarijs. Alij, quem ante vocauerat Spiritum sanctum, nunc virtutem altissimi vocati putant, vt Euthy. quem minorem licet, & solum auctorem, verisimiliora tamen dicentem, quàm plures maioréque illos, sequi malo. Est enim eiusdem sententiæ repetitio, qua Hebræi præsertim in canticis, frequentur vtuntur, versum vnum vna concludente sententia, quæ priori parte versus aliis, posteriore aliis repetatur verbis, vt Psal. 2. 4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Eodem enim modo videmus angelum paullo ante dixisse, *Aue Maria gratia plena, Dominus tecu.* eamdẽ sententiam verbis diuersis variantem. Idem enim est, vt illic docuimus, *Gratia plena*, &, *Dominus tecum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et solet Spiritus sanctus, sicut *digitus*, sic etiam *virtus Dei* eadem similitudine vocari; vt infra c. 24.49. *Vos autem sedete ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Itaque virtus, & spiritus frequentissimè solent in sacris literis copulari, vt infra c.4.14.& Act. 10.38.& Roman.1.4.& 15.13.& 1.Corinth. 2.4. & Ephes.3.16.1.Thess.1.5. *Obumbrabit tibi, ἐπισκιάσει σοι.* Qui nescio quid turpe hoc loco significari somniant, non solum parum mihi religiosi, sed penè impudentes videntur. Nam vt id Græcum verbum significaret, quod probari posse non credo; tamen hic contrariam omnino significationem habere necesse esset, vbi id angelus agebat, vt omnem non solùm turpitudinem, sed omnem etiam turpitudinis speciem, & suspicionē à castissimo Virginis animo, & de virginitate sua seruanda solicito remoueret. Non potuit ergo meliùs verti, quàm obumbrare, aut inumbrare. Quam dubium non est esse metaphoram, in qua intelligenda tota huius loci sententia versatur. Sunt qui per obumbrationem refrigerationem æstus libidinis intelligant, quasi virtus altissimi veluti vmbra quædam ita esset sacræ virginis carnem refrigeratura, vt sine vllo libidinoso voluptatis sensu conceptura esset. In hanc sententiam August. hom.44.& Gregor.libr. 27.Moral. cap.12.& lib.33.c. 3. & Beda hoc loco interpretantur. Alij, vt Bernardus sermone 3.de Ascensione Domini,& Greg.lib.33. Mor. c. 3.ad hunc modum, *Quia vmbra*, vt verbis Gregorij vtar, *non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus, virtus ei altissimi obumbrauit, quia in eius vtero lux incorporea corpus sumpsit: ex qua videlicet obumbratione, omne in se refrigerium meritis accepit.* Alij obumbrare putāt accipi pro protegere, sicut vmbra in scripturis sæpe protectionē significat, Psal.16.8. *Sub vmbra alarum tuarum proteges me à facie impiorū, qui me afflixerūt*, & Ps.56.2. *Et in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*, & Isaiæ 30.2. *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti.* & cap. 49.2. *In vmbra manus suæ protexit me*, & c.51.16. *Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te.* Idem Baruch.1.12.Sic Euthymius,& ante illum Hilar. 2.de Trin. *Atque vt ne quid per humani corporis imbecillitatē dissideret, virtus altissimi virginem obumbrat infirmitatem eius veluti vmbram circumfusa confirmans, vt ad seminam ineuntis spiritus efficaciam, subsistantiam corporalem diuinæ virtutis inumbratio temperaret.* eámque interpretationem plerisque nouis interpretibus probari video, quasi sensus sit, *virtus altissimi obumbrabit tibi*, id est, proteget te, atque inuabit, vt cōcipere sine viro possis, quod natura tua facere non poteras. Non admodum dissimilis est explicatio Theophylacti, *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, id est, *teget te, quemadmodum gallina, aut auis solet pullos suos sub alis tegere, vt eos foueat.* Meliùs fortasse dixisset, sicut solet auis ova sua tegere, vt eius calore pulli gignantur, excludanturque. Hac enim ratione videtur Spiritus sanctus sanguinē virginis in eius vtero fouisse, calefecisseque, vt homo Christus gigneretur. Melior hæc est interpretatio, quàm alia, quam idem affert Theophylactus, vt Græcum verbum ἐπισκιάζω, accipitur pro σκιαγραφῶ, id est extrema picturæ lineamenta ducere. Nam non solùm prima corporis Christi lineamenta duxit virtus altissimi, sed corpus ipsum totum omnino formauit, atque perfecit. Suscipicor ego Græcum verbum ἐπισκιάζω, pro Hebraico poni שכן nube obducere, id est, impluere, nam nube pluuia significatur, quasi dicat fore, vt virtus altissimi sic in virginem impluat, vt eam fœcundet, atque grauidam efficiat, sicut soleat pluuia terram fœcundare. Quæ interpretatio eo magis congruit, quòd soleat vterus mulieris in scriptura terra vocari, quod acceptum foueat semen, & germen producat. In quam sententiam illud veterum auctores citare solent, *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum*, id est vterus virginis Saluatorem pepetit, Psal. 66. 6.7.& illud, *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Psal.84.13.&, *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* Psal.138.15. Videtur angelus summo consilio nomine virtutis, & altissimi vsus esse, quia de ea re agebat, quæ diuinam maximè potentiam postulabat, quam nomen vtrumque declarat. Scitum est nomē altissimi absolutè pro Deo poni solere Num. 24. 16.Psal.17.14. & 20.8.& 82. 19. & 45.5.49.14. & 86.5.& 90. 1.& 106.11. Nititur hoc loco articulus vnus fidei nostræ, quo credimus Christum non ex viro, sed ex Spiritu sancto fuisse conceptum. Augustinus sermone 11.de tempore, *Idcirco tibi frater virtutem sancti spiritus angelicus sermo pretexit, ne coniecturis carnalis disputationis debeatus, cœleste tibi ipse mysterium terrena argumentatione confundas.* Et Leo sermone 2. de Natiuitate Domini. *Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu, & consuetudine, quod credimus, caret. sed diuina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, virgo pepererit, virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, vt voluerat, & poterat. Si veritatem quæris humanæ naturæ, cognosce materiam: si rationem scrutaris originis, virtutem confitere diuinam.* Quo autem sensu Christus de Spiritu sancto conceptus, natusque dicatur, apud Matthæum cap. 1. 20. docuimus.

Idéoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.) τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ. Quod ex te generatur, non quòd iam generatum esset, sed quòd paullo post generandum. Itaque rectè verteris, Quod ex te generatum fuerit. Quibus verbis non ortus, sed conceptus significatur, γεννᾶσθαι enim non est nasci, sed concipi: quare noster interpres *nascetur* dixit pro gignetur, aut generabitur, sicut apud Matthæum cap. 1. 20. quemadmodum & D. Augustinus alicubi notauit. Hæc duo verba *ex te* in plerisque Græcis codicibus non leguntur, neque legit Irenæus libro 5. cap. 1. neque Euthymius, & Theophylactus in commentariis. Legit tamen idem Irenæus libro 3.cap.23. & Beda. Alij adnotauerunt, quod & Beda vidit, nomen *sanctum*, non cum sequentibus, sed cum præcedentibus esse iungendum, vt non sit sensus, *quod ex te nascetur, vocabitur sanctum*, sed *quod sanctum nascetur ex te, vocabitur filius Dei.* Illud verò nemo, quòd sciam, obseruauit, nomen hoc *sanctum* hoc loco vim potius aduerbij, quàm nominis habere. Nam etsi, quod nasciturum erat, futurum erat sanctum, tamen oratio angeli non tam exigebat, vt diceret sanctum futurum, quàm sanctè, id est non ex voluntate viri, neque ex voluptate carnis, sed ex Deo nasciturum, superueniente in virginem Spiritu sancto, vt proximis verbis dixerat, & virtute eam altissimi obumbrante. Itaque non vocat Christum hoc loco sanctum, propterea quòd Deus esset, aut quòd, vt homo, peccato careret, est ea etiam vtraque ratione sanctissimus erat, sed, quia sanctè, id est sine viro conceptus, ita prorsus, vt etiam si Deus non fuisset, illo tamen cōceptus modo, id est sine viro, sanctus, quia peccatum originale non habuisset, diceretur. Quod rectè mihi videtur Leo Pontifex intellexisse sermone 7. de Nativitate Domini: *Nascēs itaq; dominus noster Iesus Christus homo*

homo verus, qui nunquam destitit esse Deus verus, nouæ creaturæ in se fecit exordium, & in ortus sui forma dedit humano generi spirituale principium, vt ad. carnalis generationis abolenda contagia esset regenerandus origo sine semine criminis, de quibus dicitur, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt, & ser.10. Superueniente quippe in ea Spiritu sancto, & altissimi obumbrante virtute incommutabile Dei verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanæ carnis assumpsit, quæ & nullum contagium de concupiscentia carnis traheret, & nihil eorum, quæ ad animi, corporisque naturam pertinent, non haberet; & serm.4. Creator, ac dominus omnium rerum dignatus est vnus esse mortalium, electa sibi matre, quam fecerat, quæ salua integritate virginea corporeæ esset tantum ministra substantiæ, vt humani seminis cessante contagio, nouo homini, & puritas inesset, & veritas. & serm.5. *Solus itaque inter filios hominum dominus Iesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.* Et Gregor.lib. 18.Mor.cap.27. *Quod nascetur, inquit, ex te sanctum vocabitur filius Dei. Nos quippe essi efficimur, non tamen sancti nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum propheta dicamus, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est.* Hoc ipsum Beda iisdem dixit verbis.

Vocabitur filius Dei.) Non placet interpretatio Euthym. qui tantùm intelligit Christum vocandum ab hominibus filium Dei propter admiranda, atque diuina opera, quæ facturus erat. Non enim eam causam angelus reddit, quamobrem filius Dei vocādus esset, quòd diuina facturus esset opera, sed quòd Spiritus sanctus superuenturus in virginem, eámque virtus altissimi obumbratura esset; neque vocandi verbum vocare significat, sed esse, quemadmodum supra ver. 32. ex Hebræorum idiomate notauimus. Alij omnes, quos viderim, ita interpretantur, quasi de Christo, vt Deo, aut certè, vt homine, in vnam eū Deo personā assumpto loquatur angelus. Vtraque enim ratione Christus verus, naturalisque Dei filius est. Vt Deus quidem, quia æterna à Deo generatione productus; vt homo, quia licet in tempore genitus, in vnam tamen cum Deo filio personam vnitus est. Quare non duo filij, sicut non duæ personæ; sed vnus filius, sicut vna persona est. Quamobrem antiqui illi auctores Nestorij hæresim duos in Christo filios, sicut duas personas fingentis ex hoc loco refutarunt, vt Greg. lib.18.Moral.c 27. & Beda in cōment. huius loci. Quāquā ego quidē aliū arbitror esse sensum, vt non de Christo, quia Deus, neq; qua homo personæ coniunctus diuinæ, sed de sola conceptione, humanaque generatione hoc intelligatur, quasi dicat angelus, *vocabitur*, id est, erit *filius Dei*, quia non à viro, sed à Deo virtute Spiritus sancti generabitur. Neque enim de Christi natura, sed de modo generationis angelus agebat. Et causa, quam reddit, quā ob rem filius Dei futurus sit, quòd Spiritus sanctus superuenturus esset in virginem, eámque obumbratura virtus altissimi, non erat apta ad probandum eo sensu Christum Dei filium futurum fuisse, quatenus Deus, aut quatenus homo in eādem cum Deo personam assumptus erat, quia potuit etiam purus homo Spiritu sancto superueniente, & virtute altissimi virginem obumbrante concipi, qui neutro illo modo filius esset Dei, cum neque Deus esset, neque diuinæ coniunctus personæ. Ad probandum autem id, quod nasciturum erat ex virgine, Dei filium futurum fuisse eo sensu, quo exposui, aptissima ratio fuit angeli, quia non ex viro, sed ex solo Deo concipiendus erat. Itaque etiam si Christus Deus non fuisset, illo tamen modo genitus, quo genitus fuit, merito Dei filius vocatus fuisset; non solùm vt cæteri viri sancti, de quibus dictum est; *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*, sed singulari quadam, & propria ratione, quòd non alium, quam Deum haberet patrem, non ab alio, quàm ab eo generatus. Eodem prorsus modo, quo Lucas infra c.3.38. Adamum filium Dei vocat, quia non à viro, sed à Deo genitus fuerat, *Qui fuit Caīnā, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Intelligitur enim nomen *filius*, sicut in omnibus superioribus. Quid igitur? peribitne nobis hic locus, & contra Nestorianos inutilis erit? Non peribit: nam non desunt nobis scripturæ testimonia, quibus eum Nestorij errorem refutemus, & quidem multò melius ex hoc ipso loco, & ex proximis verbis Gregor. refutant libro 9. Registri epistol. 61. Nam cum angelus dicat hoc loco, *Quod nascetur ex te*, Elisabeth ver.43. dicit, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* vnde colligit Gregorius eandem virginem, & matrem hominis, de quo angelus, & matrem Dei, de quo Elisabeth loquitur, simul fuisse; quare non duos, sed vnum fuisse filium; non enim alia de causa Nestorius negabat Beatam Virginem θεοτόκον, id est Dei matrem, ac genitricem esse, nisi quia duos in Christo ponebat filios. Quòd autem hinc nouæ quidam argumentantur Ariani, non fuisse Christum filium Dei, antequàm cōciperetur, quia dicit angelus *Vocabitur*, id est erit, quasi ante nō fuisset, & ipsum ineptum est, & ineptiùs à Caluino refutatur. Nam si is, quem exposui, sensus est, non est negandum eo modo, quo dicit angelus, *Vocabitur filius Dei*, prius quàm conciperetur, Dei filium non fuisse, cum idcirco Dei filius appelletur, quia eo modo, id est non ex viro, sed ex Spiritu sancto conceptus est. Si verò is, quem alij auctores tradiderunt; respondendum, loqui angelum de Christo, quatenus homo est, quomodo, antequàm conciperetur, Dei filius non erat, quia nec homo erat. Quare ineptè Caluinus, vt Serueti noui Ariani argumentum effugeret, interpretatus est, *vocabitur*, id est declarabitur *filius Dei*. Quo enim modo cum hac interpretatione ratio angeli cohærere potest, *Ideo, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei?* Non debemus litteris sacris aburentes hæreticos refutare. Quod non solùm Caluinus nunc, sed iam etiam olim Tertullianus, aut quicumque libri eius de Trinitate, qui eius legitur nomine, auctor fuit, hoc loco fecit. Nam cum quidam, vt ille dicit, hæretici, vt res est, Catholici, ex hoc loco colligerēt eundem filium hominis, ac filium Dei esse, cum dicat angelus, *Quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius Dei*; respondet non vnum esse, sed duos; hæresis manifesta Nestorij in Ephesino postea concilio condemnata, nisi quis fortasse aliter potest, quàm ego Tertullianum interpretari. Hæret ille in particula illa &, magnámque in ea vim esse putat, *Ideo & quod nascetur ex te*, quasi dicat non solùm verbum illud æternum, quod ante erat, sed etiā homo, qui ex te nascetur, vocabitur filius Dei. Subtiliter, & verè, sed ad locum de quo agimus, nō satis accōmodate. Non enim homo cum verbo, sed cum conceptionis modo comparabatur. Ita habet quidem vim illa particula &, sed aliam, quàm Tertullianus existimat, nempe non solùm tu superueniente in te Spiritu sancto, & obumbrante tibi altissimi virtute sine corruptione vlla concipies, sed etiam, quod ex te nascetur sanctū vocabitur filius Dei, vt

Ad 1.19.

Ps 81. 6. Io.10 34.

Contra Nestorianos.

Obiectio Arianorū diluitur.

Seruetus nostri seculi Arianus.

Tertullia nolocus suspectus restituitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inde intelligas filium non futurum viri: neque enim patrem è cœlo quæreret, si in terris haberet.

36. *Et ecce Elisabeth cognata tua.*) Proponit Mariæ angelus, vt dictis fidem faciat, non iam rationes in re, quæ non naturali vlla ratione, sed sola diuina potestate facienda erat; at præsens, & domesticum exemplum, quod fortiùs, quàm ratio vlla mouere solet. Præsens, quia oculis suis prægnantem Elisabetham videre poterat, vt paullo post vidit. hanc vim habet illud, *Ecce*, quasi rem præsentem oculis intuendam ostendat. Ideo non Euam sine viro de viro formatam, non Rebeccam, non Rachelem, quæ & ipsæ steriles peperissent, sed Elisabetham, quæ & viuebat tunc, & cum sterilis esset, grauida erat, & in proximo, vt facilè adiri posset, habitabat, exemplum proponit. Domesticum verò, quia Elisabetha eius cognata erat, vt eam facilè posset inuisere, & an ita esset oculis cernere. Quæ omnia Chrysost. hom. 49. in Genes. obseruauit. Quomodo Elisabetha, quæ vt sup. ver. 6. Lucas dixit, erat *de filiabus Aaron*, cognata Mariæ esse potuerit, quæ erat ex tribu Dauid, apud Matthæum cap. 1. 17. 18. disputauimus.

Et ipsa concepit filium senectute sua.) Sicut tu non in senectute, sed in virginitate tua conceptura es. In hoc enim senectuti virginitas comparatur, quòd vtraque concipiendi impotens sit. Hanc vim habet particula &. Quòd non solùm dixit *concepit*, sed *concepit filium*, eò pertinere arbitror, vt & miraculi, & beneficij magnitudinem ostendat, & simul indicet, quod ante dixerat, Mariam non filiam, sed filium concepturam esse. Nam maioris potentiæ est filium, quàm filiam generare, cùm mulier imperfectũ animal sit, & maius Dei beneficium filios parentibus dare, quàm filias.

Et hic mensis sextus est illi.) Sextum mensem prægnanti Elisabeth iam agi dicit, quasi dicat eius vterum adeo iam intumuisse, vt latere non posset, atque adeo facilè ex primo aspectu eius cognituram Mariam verum esse, quod ipse dixerat, Elisabetham sterilem concepisse. Simul, vt opinior, indicat adeo, quod dicit, verum esse, concepisse Elisabetham, vt sextus iam à conceptu mensis agatur. Veriora enim putamus esse, quæ longiùs præterita sunt; itaque interrogari aliquando, an liberales artes didicerimus, respondere solemus, iam diu.

Quæ vocatur sterilis.) Quæ hactenus sterilis vocabatur, id est re vera sterilis erat, vt ver. 32. & 35. hoc verbum exposuimus. Non enim vocatam dicit sterilem, quòd sterilis re ipsa non fuerat, aut vocari nunc, cum non sit, sed verè sterilem fuisse, vereque concepisse. Senectutis simul & sterilitatis Elisabeth mentionem fecit, quia duo maxima sunt ad concipiẽdum impedimenta naturæ, vt cum Elisabetham sterilem, & senem concepisse Maria perspexerit, facilè se credat virginem posse concipere. Propterea enim, quemadmodum Ioannes Christi, ita conceptus sterilis conceptum præcessit virginis, vt sicut ille ad credendum in Christum, ita sterilis partus ad credendum partum virginis viam muniret, animosque hominum præpararet, vt Gregor. Nyssenus in oratione de sancta Christi natiuitate, Chrysostomus hom. 25. in Ioannem, & Theophyl. adnotauerunt.

37. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*) Probat angelus hypothesim ex thesi, potuisse Deum efficere, & vt ante sterilis, & vt nunc virgo concipiat, *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Quod non dicit est, sed *erit*. Hebræorum est phrasis, apud quos futurum modus est, vt vocant Grammatici, potentialis. Itaque sensus est, *Non erit* id est, non poterit esse, vt Genes. 21. 12. *Verbum* hoc loco nonnulli interpretes propriè accipi putant pro eo, quod Deus futurum dicit, promittit, aut iubet; quasi dicat angelus, quicquid Deus dicit, aut promittit, & facere poterit. Alij generaliùs *verbum* pro omni re sumi, hancque esse sententiam, nihil omnino apud Deũ impossibile esse. Hoc mihi magis congruere videtur, quia quò generalior sententia est, eò est ad probandum, quod volebat angelus, efficacior: & quia parum dictu erat posse Deum facere, quicquid dixisset, promisisset, iussisse tue, & quia vsitatum est Hebræorum idioma, quemadmodum sæpè docuimus, vt *verbum* rem omnem appellent, infra cap. 2. 15. & quia, qui hanc interpretationem idcirco refugiunt, quòd nimis generalis esse videatur, nec intelligant, quomodo vera esse possit, cùm multa sint, quæ Deus facere non possit, mori, mentiri, peccare, alium Deum facere, infectum efficere, quod factum sit, & hoc genus alia, quæ subtiliter in scholis disputantur; nimis mihi tenuiter videntur de Dei sentire potestate, & totam fere scripturam abolere. Nam si quia ea, quæ paullo ante commemorauimus, facere non potest, generalem hanc sententiam non admittunt, deleant & illam Marci 14. 36. *Pater, omnia tibi possibilia sunt*: deleant & illam alteram Matthæi 19. 26. & Marci 10. 27. *Omnia possibilia sunt apud Deum*. Generalem igitur regulam, quam scriptura tradit, tenere nos oportet, & ab ea nihil, nisi, quæ aut scriptura ipsa excipit, aut quæ illis, quæ excipit, similia sunt, excipere debemus. Similia autem sunt, quorũ, cur possint, aut non possint fieri, similis est ratio. Excipit scriptura, quod Deus se negare non possit; id est, idem suam violare 2. Timoth. 2. 13. Excipit, quod impossibile sit mentiri eum Hebræorum 6. 18. Quærenda ratio est, cur hæc facere non possit. Nempe quia si posset, Deus non esset. Deus enim non est, qui Deus definere esse potest, & desinit esse Deus, qui aliquid repugnans diuinitati facit, quale est, se ipsum negare, mentiri, peccare, mori: hæc enim omnia non potentiæ, sed infirmitatis, & impotentiæ sunt. Diuinitati autem infirmitas, & impotentia repugnat. Itaque vera est Augustini regula libr. 5. de ciuit. c. 10. & l. 26. contra Faustum c. 5. Deum omnia posse, præterea, quæ posse non potentiæ, sed impotentiæ est; quæque si posset, non esset omnipotens.

38. *Dixit autem Maria, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*) Hæc est illa Mariæ singularis obedientia, quam tantopere veteres auctores laudauerunt, Euæque inobedientiæ oppositere. Iren. libr. 3. cap. 33. & libr. 5. cap. 19. Tertullian. in lib. de carne Christi, Gregor. Nyssen. in oratione de sancta Christi natiuitate, August. serm. 15. de tempore, & Theophyl. in commentarijs. Cum enim ex angelo modum, quo salua virginitate conceptura esset, cognouisset, etsi ille ipse modus humanæ æstimatus ratione impossibilis videri poterat, non dissentit, credens quod vltimo loco angelus dixerat, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*; sed sese promptam, atque paratam diuinæ obtulit voluntati. Quod verò se domini ancillam vocat, non solùm ad humilitatem pertinet, etsi ea ipsa humilitas, vt ait Ambr. & Beda maxima eo verbo declaratur; sed etiam spectat ad diuinæ potentiæ commendationem, quasi dicat, ille dominus est, ego eius ancilla, iure suo de me potest, quicquid velit facere, quemadmodum Theophyl. exponit. Sic Abraham Saræ vxori suæ dixit, *Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet*. Genes. 16. 6. quasi dicat, eo ipso, quòd ancilla tua est, omnem in eã habes potestatem. Propterea Beata Virgo & se ancillam, & Deum non Deum, sed Dominum vocat, & vt suam subiectionẽ, & illius potestatẽ vocabulis ipsis ostẽdat. Ridiculum verò, & ineptum est, quòd quidam hic hæreticorum interpretes argumentantur iniuriam nos facere Beatæ Virgini, dum eam Reginam mundi appellamus, aliisq; similibus ornamus titulis, cùm ipsa se nõ Reginam, sed ancillã appellauerit. Nam ista sanè ratione nec matrem Dei, nec sanctã, ac ne virginem quidẽ vocare deberemus, quia ipsa se non matrem Dei, non sanctã, nõ virginem, sed ancillam vocat. Nos Regis mundi matrem iure mundi Reginam appellamus, & tã solliciti isti sunt de honore Virginis, dũ hæc dicunt, quàm Scribæ, & Pharisæi de Dei honore solliciti erãt, cum Christum reprehendebant, quòd in sabbato curaret, & peccata remitteret, quæ solus remittere posset. Deus, Istis quidem patronis, qui in defendẽda Virgine tam diligentes videri volunt, si eius honos defendendus traderetur, ne virgo quidem esset, neq; enim pudet eos dicere, si non ante partum, tamen in partu ipso fuisse corruptam, neque præter cæteras mulieres haberet quicquam; id enim audiente populo concionabundi iactare solent.

Fiat mihi secundum verbũ tuum.) Dubium, an hæc verba Mariæ ad Deum, an ad angelũ dirigat: tamen quia dicit, *secundum verbũ tuum* non secundùm verbum eius, probabilius ad angelũ dirigi. Magis dubium est, vtrum optantis, an consentientis verba sint. Et Ambros. quidem, Beda, & Euthym. optantis esse putant, quasi audito angelo nõ solùm consentiat, vt filius Dei ex Spiritu sancto in se cõcipiatur, sed etiã optet, ac oret, vt id quam primùm fiat impatiens quodammodo moræ. Iren. verò lib. 3. c. 33. & Damasc. lib. 3. c. 2. consentientis esse dicunt, quã sententiam Beda etiam approbauit, egoque magis probo, cùm verba hoc solùm præ se ferant, vt quæ ante repugnare videbatur, non repugnet, sed sese offerat Deo. Solent quidam interpretes disputare. quando, atque quomodo Christi conceptio facta sit. Hier. in epistola ad Principiam virginẽ, & Bernard. in sermone quodam de Beata Virgine, vt supra ver. 28. docuimus dicere videntur Mariam Virginem, ante quàm ad eam veniret angelus, concepisse, nec angelum illi, quod futurum, sed quod iam factum erat exposuisse. Eam opinionem illo ipso loco refutauimus. Alij fere omnes auctores statim post ista Mariæ verba conceptionem factam esse putant, Ireneus lib. 3. c. 33. & lib. 15. c. 19. Et Tertul. lib. de carne Christi, & Athan. in oratione de sancta Deipara, & Damasc. lib. 3. c. 2. & Sedulius hunc locum carmine ad hunc modum exprimens.

Angelus in tactæ cecinit properata Mariæ.
Et dictum comitata fides, sueriumque puellæ
Sydereum mox implet onus.

Hoc tenendum; & quia, antequã Virgo cõsensum adhibuisset, semper angelus tanquã de re futura locutus est, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. &. *Ecce concipies, & paries filiũ*. & quia credibile est sine consensu Virginis noluisse Deũ ex ea carnẽ accipere, & obtento consensu, nõ erat, quòd cõceptio differretur, cum nihil aliud expectare angelus videretur, quam vt virgo consensum legationi suæ adhiberet. Dictũ est in hanc sententiã eleganter Ab Aug. sermone de tempore 21. *Respondet virgo sacra, iustam quid tricas mundus? assensum tuũ angelus præstolatur, inde est, quod nuntius iste moratur. Tũ audisti, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, vt prole gignas, & virginitatẽ*

non perdas. Quòd attinet ad modum, rectè Greg. lib. 9. Regist. epist. 61. & Damascenus libr. 3. de fide c. 2. docuerunt non solùm in eo Christi conceptionẽ ab aliorum hominum cõceptione fuisse diuersam, quòd ille ex Spiritu sancto, alij viri opera concipiãtur, sed in eo etiam, quòd alij paulatim, sensimque in vtero formentur, antequam corpusculum animetur, Christi verò cœpus eodem momento, quo conceptum est, & formatum, & animatum fuisse, cuius rei magnum est argumentum, quòd tes tota à Spiritu sancto facta sit, qui ad agendum tempore non indiget; quodque absurdum esse videatur cõcedere corpus Christi informem aliquando fuisse massam, & alterius speciei, quàm humanæ.

Et discessit ab illa angelus.) Quod Euangelista notauerit angelum statim discessisse, non temere factum existimarunt veteres auctores, etsi causam aliam alij reddiderunt. Athanas. in oratione de sancta Deipara, ne hæretici putarent non verbũ Dei, sed angelum illum, qui ad Virginem venerat, fuisse, qui ex ea sumpsisset carnem. Euthym. vt significaret Euangelista statim post responsum, atque consensum Virginis conceptionem fuisse perfectam. Itaque quasi confecta re, cuius causa venerat, perfunctúsque legatione sua discedit angelus.

39. *Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione.*) Minimè obscurum est Euangelistã singulis pene verbis singulare Mariæ studiũ in visenda cognata sua Elisabetha declarare voluisse. Hoc enim indicat, quod dicit, *Exurgens*, id est minimè morata, &, *in diebus istis* id est paucis post diebus, &, *cum festinatione*. Vnde verò studium illud tã diligens profectũ fuerit, ideo, vt opinor, non dixit, quia neminẽ dubitaturum existimabat. Qui dicunt experiendæ, probandæque fidei causa tam subitam profectionem Mariã susceptam, nõ satis honorificè mihi videntur de illa sentire, etsi Theophyl. bonus auctor in ea quoque videtur esse sententia. Nã neque curiosa certe erat, & de verbis angeli non dubitabat, cùm illi dicat Elisabetha ver. 45. *Beata, quæ credidisti*. Eam tamen opinionem, quia de honore Beatæ Virginis aliquid detrahere videbatur, libẽter amplexus est hæreticus interpres. Non ergo curiositas, nó infirmitas vlla fidei, quasi experiri velit, vtrum, quod angelus dixerat ver. 36. *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua*, verũ esset, sed caritas sed humilitas, sed Dei spiritus impulit, vt tanta cum diligentia cognata inuiseret. Duas priores causas Amb. & Beda reddiderunt. *Alij autumant*, inquiunt, *hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exẽplo, sed quasi læta pro voto veluti festa pro re, officio festinat pro gaudio, in montana perrexit.* Tertiã obseruauit Euthym. vt exultatione Ioannis in vtero gloriosior esset Christi conceptio, & Ioannes, eiusque mater Elisabetha Spiritu sancto replerentur.

In montana.) *εἰς τὴν ὀρεινὴν* In montanam (regionem) montes Iudææ intelligit, qui frequentibus etiam ciuitatibus habitabantur.

In ciuitatẽ Iuda.) In vnam ex ciuitatibus Iudæ. Nõ nominat Euangelista ciuitatem, nec memini vllum bonum auctorem nominare. Nam qui dicunt fuisse Ierusalem, nobiles scriptores nõ sunt, & sine vlla in hac re loquuntur probabilitate. Tãtum dicit Lucas Iudæ ciuitatem fuisse; vt, nisi fallor, ostendat longe fuisse iter, cũ Nazareth, vbi virgo habitabat, in Galilæa, domus verò Zachariæ in Iudæa esset, & quidem, vt Brochardus, & alij, qui ea lustrarunt loca, tradiderunt, sex tantùm leucis distaret à Ierusalem.

40. *Et intrauit domum Zachariæ, & salutauit Elisa-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

beth) Ambr. *Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorē. Nec solū venit, sed etiā prior salutauit, Decet enim, vt quāto castior virgo, tanto humilior sit. Nouerat deferre seruoribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis.* Ad eundem fermè modum scribit Beda.

41. *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth.*) Id est statim vt audiuit; voluit enim Euangelista significare solutionem ipsam Mariæ causam fuisse, vt & Ioannes exultaret in vtero, & vterque mater simul, & filius Spiritu sancto repleretur, quasi Maria plena iam Deo, Dei spiritum in Elisabetham, eiusque infantem os ad loquendum aperiens exaltauerit; & quemadmodum parum sobriæ mulieres vinum solent loquentes, aut salutātes, vt ille dixit, propinare, ita virgo castissima, & Spiritu sancto, gratiaque plena videtur Spiritum illum sanctum, quo redundabat, Elisabethæ, dum eam salutaret, propinasse. Quem quidem spiritum priùs Ioannes infans in vtero, quàm mater hausit, haustumque in matrem effudit, atque vniuersa naturæ lex in re non naturali inuersa est. Solent infantes in vtero clausi ex matre vitalem spiritum capere, at Elisabetha contra ex filio suo spiritum cœpit. Adnotauerunt hoc Ambr. & Beda, *Vide*, inquit Ambrosius, *distinctionem singulorumque verborum proprietatem. Vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij, Illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum. Fœmina mulieris, & pignus pignoris. Iste gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exultauit infans, repleta mater est. Non prius mater repleta, quam filius, sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem.*

Exultauit infans in vtero eius.) ἐσκίρτησεν. Quod proprium est animalium præ luxu saltantium, sicut solent pulli equini, & vituli saltare; inde ad fœtum, qui in vtero mouetur, Dioscorides, & alij Græci medici transtulerunt. Qua ratione Ioannes exultauerit, vtrum sentiens Saluatoris aduentum, an sine vllo sensu suo sola diuina potentia, vt ex eius exultatione mater Elisabeth intelligeret, quis ille esset, quem in vtero Maria gestaret, disputari inter interpretes solet. Caluinus pius scilicet auctor nō solùm nullum illi sensum, sed ne gaudium quidem, aut motum vllum præter naturam illi tribuit. Naturale enim esse, vt gaudio gestiente matre infans in vtero moueatur, & modo quodam exiliat. Itaque quod dicitur versu 44. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo*, non sic intelligi quasi infans gaudio suo, sed gaudio matris exultauerit. Quanto melius D. Augustin. epistola 57. ad Dardanum. *Hæc sunt certe verba Elizabeth matris Ioannis, Beata tu inter mulieres, & beatus fructus ventris tui, & vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Hoc autem vt diceret, sicut Euangelista prælocutus est, repleta est Spiritu sancto, quo proculdubio reuelante cognouit, quid illa exultatio significasset infantis, id est illius venisse matrem, cuius præcursor ipse, & monstrator futurus esset.* Et rursus in eadem epistola, *Vel propter Ioannē, qui nondum in hanc edituus lucem, tamen exultauit in gaudio, quod vtique nisi operatione Spiritus sancti fieri potuisse quis credat?* Alij diuinitus quidem exultationem illam factam fuisse putant, sed sine eius sensu, sine cognitione, sine fide, quemadmodum & diuina potentia, sine suo tamen sensu conceptus fuerat. Sic eodem loco August. & Eucherius q. in Lucam 3. cōfirmant hanc opinionem multa. Primùm quòd Euangelista, vt August. argumentantur, de solo loquatur motu; de sensu verò, de cognitione, de fide infantis nihil dicat. Deindè quòd etiam in vtero Rebeccæ duo infantes Iacob, & Esau rixati fuerint, idque quemadmodum Ioannes, vt magnum aliquod matri mysterium declararet Gen. 25. 22. cum tamen sine vllo suo sensu id fecisse credantur. Præterea quòd si anticipatus in Ioanne fuisset rationis vsus, semper postea & in ipso vtero, & in lucem editus eundē rationis vsum habuisset. Quod etsi Ambros. explicans illa verba *Elisabeth impletum est tempus pariendi*, sponte concedere videtur, non video tamen vulgo credi. Sunt qui id etiam ex Græco verbo confirment σκίρτησεν, quod, vt diximus, animalium ratione carentium, & infantium, sine suo etiam sensu in vtero gestientium proprium est. Libentiùs plures sequor auctores, melioribus præsertim rationibus suam mihi probantes opinionem. Omnium verò aliorum opinio est Ioanni ad Christi aduentum rationem anticipatam, Irenæi li. 3. c. 18. Orig. hom. 10. in Lucam, Cyrilli Ierosolymitani Catech. 3. communi, Ambrosij lib. 4. de fide c. 4. & in commentarijs in hunc locum, Hieron. in Dialogo aduersus Luciferanos, Auctoris operis imperfecti hom. 27. Chrysost. hom. de sancto Ioanne Baptista, Maximi hom. 1. de natiuitate Ioannis Baptistæ, Chrysologi serm. 84. Bernardi in sermone de natiuitate sancti Ioānis, Theophyl. & Euthym. in commentarijs. Quin sunt inter eos, qui existimant propterea à Christo postea dictum esse Prophetam maiorem Ioanne Baptista inter natos mulierum non surrexisse, quòd in vtero Ioannes prophetasset, vt Orige. hom. in Lucam 7. Cyrillus Hierosoly. Auctor imperfecti, & Theoph. in ijs locis, quos modò indicauimus. Argumenta quoque huius, quàm contrariæ sententiæ, maiora sunt. Primum si nihil Ioannes sensisset, nihil de illo magni, nihil noui dictum esset: atqui perspicuum est Euangelistam aliquid de illo diuinum, ac singulare dicere voluisse. Præterea quia, quod angelus dixerat ver. 15. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*, non potest, nisi nunc, cum in vtero Ioannes exultat, & quodam modo venientem salutat Christum, esse completum. Cur enim dixit in vtero matris suæ Spiritu sancto impletum iri, nisi quia exultaturus erat in vtero? Spiritu autem sancto nemo nisi sentiens repletur. Ad hæc quomodo Spiritu sancto Ioannes repletus est, nisi quo ipse repletus repleuit matrem? mater autē repleta fuisse dicitur Spiritu sancto, quia præter naturæ ordinem exultare in vtero suo sentiens infantē in prophetiam erupit, matremque Domini sui aduentem agnouit. Eodem igitur modo Ioannes Spiritu sancto repletus est; eodem modo, quem indicauit matri, prius agnouit Christum. Deinde, quod dicitur ver. 44. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo*, non potest de gaudio matris, sed de gaudio Ioannis intelligi. Si enim de gaudio matris intelligeretur, nō ex filij exultatione matris gaudium, sed ex gaudio matris, exultatio filij secuta esset. Atqui Elisabeth ex filij exultatione minimè obscurè indicat se & Christi matrē cognouisse, & lætitia tāta fuisse perfusam, vt exclamauerit, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Prius igitur Ioānes exilijs, quàm mater eius Christi matrē agnosceret, agnoscensq; gauderet. Quod igitur primo loco ab alterius sententiæ auctoribus obijcitur Euāgelista nihil de sensu, nihil de cognitione, nihil de fide Ioānis dicere; facile soluitur, satis isthæc omnia dixisse, cū ad Christi aduentum exultasse dixit, indicās haud dubie iam rum præcursoris functum officio. Quod autem de

filijs

filijs Rebeccæ in vtero rixantibus dicitur, simile nō est. Neq; enim id ad aduentum Domini fecerūt, sed aut naturaliter, dum diuersis in vtero motibus agitabantur, qua re ad significandum mysterium Spiritus sanctus vsus est; aut si aliquo supra naturam instinctu, certè sine cognitione, quæ ad id, quod agebatur, non erat necessaria. Nec sequitur, si anticipatus in Ioanne fuit rationis vsus, eundem in eo postea permanere debuisse, quia cum ad demonstrandum tantùm Christum illi datus esset, necesse non erat, vt eo demonstrato maneret: quemadmodum in Prophetis postquam ea prædixerant, quæ Deus volebat populo significari, non semper manebat Spiritus prophetiæ. Ex verbo autem Græco nihil argumenti sumi potest, quia, etsi animantium ratione carentium propriè est, tamen ad homines lætitia gestientes per metaphoram rectè transfertur. Itaque meliùs noster interpres vertit *exultauit*, quam noui quidam, nonarúmque studiosi rerum *Exilijt*, iam exultare gaudio, aut lætitia Latini, inprimisque Cicero passim dicunt. De qua exultatione, vt constat ex vet. 44. Elisabetha loquebatur, *Exultauit*, inquit, *in gaudio infans in vtero meo.*

42. *Exclamauit voce magna.*) Quod Euangelista dicit exclamasse Elisabetham voce magna indicat eam non humano, sed diuino spiritu locutam fuisse, quo vsque adeo plena fuerit, vt continere se non potuerit, quin in clamorem eruperit.

Benedicta tu inter mulieres.) D. August. in epist. ad Dardanum vertit, *Beata tu inter mulieres & beatus fructus ventris tui*, nullo discrimine sententiæ. Benedicta autem dicitur inter mulieres, id est præ omnibus mulieribus. Quæ ista sit benedictio, & quare inter mulieres, non inter homines Maria dicatur benedicta, diximus ver. 28. Vel hinc apparet hanc vocem Elisabetham Spiritu sancto afflatam emisisse, quod eadem dixit verba, quæ angelus dixerat, quasi dicat, nunc intelligo meritò te ab angelo benedictam inter mulieres appellatam; cum mater sis domini mei. *Nouit*, inquit Ambr. *sermonem suum Spiritus sanctus, neque vnquam obliuiscitur.* & Beda, *simul, inquit, intuendum, quod eadem voce Maria ab Elisabeth, qua à Gabriele benedicitur, quatenus & angelis, & hominibus veneranda, & cunctis meritò fœminis præferenda monstretur.* Idem Euthym. adnotauit.

43. *Et vnde hoc mihi.*) Id est vnde, aut quare ego merui Orig. Ambr. Greg. lib. 9. Reg. epistola 61. Beda, & Euthym. Non sunt ergo verba ignorantis, aut dubitantis, sed se indignam affirmātis, vt Orig. Ambr. & Beda notauerunt. Eodem enim modo le nunc Ioannis mater indignam dicit, vt ad se mater Domini sui veniat, quo ipse postea Ioānes Matthæi 3. 14. se indignum dixit, vt ad se suscipiendi baptismi causa Dominus ipse veniret, vt Orig. Theophyl. & Euthym. obseruarunt.

Vt veniat mater Domini mei ad me.) Apertus locus, & illustris contra Nestorium. Vocat enim Elisabetha Mariam matrem domini sui, id est Dei. Eodem prorsus modo quo Dauid dixit Psal. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* & Eccles. c. 51. 14. *Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore sine adiutorio.* Quibus duobus præclarissimis locis veteris testamenti Christus Dominus, id est Deus appellatur. Colligitur enim ex hoc loco certissimum argumentum contra Nestorium, Beatam Virginem verè, ac propriè matrem fuisse Dei, vt rectè Grego. lib. 9. Registri epist. 61. obseruauit. Colligitur etiam aliud contra eos hæreticos, qui negarunt Christum ex Virgine humanam sumpsisse carnem, vt ait Fulgentius lib. de incarnat. & gratia Christi c. 2. Quoenimmodo mater Dei vocari potuit, si Christus ex ea Deus carnem verè non sumpsit? Adnotauit Theophyl. solam Beatam Virginem ante partum vocari matrem, alias mulieres non nisi post partum, quòd aliæ omnes vsque ad partum in abortus faciendi periculo versentur, quo illa careret. Nimis fortē ßis hoc est argutum.

Et benedictus fructus ventris tui.) Fructum ventris Hebræi filios appellant, sicut & Galli, vt Ps. 126. 3. *Cum dederit dilectis suis somnum, Ecce hereditas domini filij: merces fructus ventris*, & Ps. 131. 11. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, id est ex filijs tuis successores tibi regni dabo, & Sapientiæ 4. 5. *Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti*, id est impiorum filij, antequàm ad maturam ætatem perueniant, morientur. Hoc addidit Elisabetha verbis angeli, vt Mariam supra cæteras mulieres benedictam ac felicem declararet, quod aliæ mulieres etiam sanctæ, & benedictæ, non semper benedictos, & sanctos gignant filios: Maria verò & benedicta ipsa sit, & filium genuerit benedictum, vt Theophyl. aduertit. Benedictus autem vocatur fructus ventris Mariæ non solùm quia Deus erat, sed etiam quia homo Spiritu sancto, & diuinitate plenus. Itaque partim eodem modo, partim diuerso atque mater benedictus appellatur. Eodem quidem modo, quia homo, quia Spiritu sancto plenus, vt mater: diuersō, quia & ex se, & magis plenus, & quia sine viro conceptus, vt Græcus ille apud D. Thom. ait; & quia per eum omnes gentes benedicendæ erant. Putat Theophyl. coniunctionem illam, *Et*, hoc loco causalem esse vt Psal. 59. 3. *Iratus es, & misertus es nobis*, id est quia misertus es nobis, vt ille quidem interpretatur, & Isaiæ 64. 5. *Ecce tu iratus es, & peccauimus*, id est quia peccauimus. Ita vt sensus huius loci sit, ideo tu benedicta es inter mulieres, quia benedictus est fructus ventris tui. Res quidem ipsa vera est; neque enim Maria inter omnes mulieres benedicta fuisset, id est tam singularem gratiam, prærogatiuamque præ cæteris consequuta, nisi Christus benedictus fuisset, a quo & ipsa beneditceretur. *De plenitudine* enim *eius nos omnes accepimus.* Sed an is sit huius loci sensus, magis non negare audeo, quam affirmare.

44. *Ecce enim.*) id est statim, vt supra ver. 31. *Ecce concipies*, & ver. 20. *Ecce eris mutus*, id est statim concipies, & statim mutus eris, nisi quòd illic res futura videnda demonstratur, hic præterita sub aspectum subiicitur.

Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.) Opponit voci Ioānem; auribus vterum. Quasi dicat, verbum Dei iam in Maria conceptum, & eius locutum ore à Ioanne in vtero adhuc incluso veluti sympathia quadam recognitum fuisse, & quasi Echo loquente verbo resonuisse voce. Erat enim Christus verbum, quod erat in principio apud Deum; erat Ioannes vox clamantis in deserto. Præter consuetudinem meam hoc dico, ac veritus ne nimis fortasse subtile sit. Illud firmum ac solidum, Elisabetham significare voluisse vocem Mariæ, exultationis infantis; exultationem infantis, gaudij sui, & repletionis Spiritus sancti causam fuisse, vt supra ver. 41. diximus.

45. *Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.*) G. καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ κυρίου. Beata, quæ credidit, quia perficientur, quæ dicta sunt illi à Domino. Noster interpres videtur legisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

ornauit, ideo vertit, *Quæ credidisti, &c. perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino*, quemadmodum legit Ambrosius. Quanquam aut in Ambrosio, aut in Beda vitium esse necesse est, nam Beda verbis Ambrosij vtens ait, *beata, quæ credidit*, sicut & Origenes hom. 7. vnde sua sumpsit Ambrosius. Quod attinet ad sensum nullum discrimen est, cùm siue per secundam, siue per tertiam loquatur personam, de Maria loqui perspicuum sit, ac fortassis aliquanto maiorem tertia, quàm secunda persona emphasim habet, dum hypothesis ad thesim quodammodo reuocatur.

A

Quoniam perficientur, quæ dicta sunt tibi à Domino.) dictio *à Domino* παρὰ τοῦ, referri potest aut ad verbū *ἔσται τελείωσις perficientur*, vt sit sensus, perficientur à Domino; aut ad *τοῖς λελαλημένοις, quæ dicta sunt tibi*, vt sensus sit, quæ tibi à Domino dicta sunt. sed vicinitas ipsa verbi postulat, vt ad illud, *Quæ dicta sunt tibi*, referatur. Non solùm re ipsa grauidum ostendens vterum, sed verbis etiam cõfirmat Mariæ vera esse, quæ ab angelo dicta fuerant, dicens ea & à Domino dicta esse, id est ab angelo iussu Domini, & ita esse, quemadmodum dicta fuerant, perficienda, & ideo perficienda, quòd Maria credidisset. Quasi dicat illi, quod multis postea Christum legimus solitum dicere, *Credat mihi quem iam sibi*. Declarat Elisabetha se Spiritu sancto ad Christi aduentum impletam fuisse ver. 41. quia continuò vaticinari cœpit. Et quidem paucis verbis de præteritis, præsentibus, & futuris rebus vaticinatur, vt Gregorius hom. in Ezechielem 1. & Beda hoc loco notauerũt. De præteritis, cum dicit, *beata, quæ credidisti*; de præsentibus, cum Mariam vocat matrem Domini sui; de futuris, cum dicit fore, vt omnia, quæ Mariæ à Domino dicta fuerant, re ipsa perficiantur.

B

C

46. *Et ait Maria.*) Cecinit prophetico afflata spiritu. Vtraque enim & Elisabetha, & Maria prophetauit: Maria de se, Elisabetha de Maria, quia in vtero gerebat eum, qui omnium prophetarum finis erat. Orig. hom. 8. & Ambros. in commentariis huius loci ad hunc modum scribunt, *Neque otiosum videtur esse, quod & ante Ioannem Elisabeth prophetauit, & Maria ante Domini generationem. Serpunt enim iam testamenta salutis humanæ. Nam sicut peccatum a mulieribus cœpit; ita etiam bonum a mulieribus inchoatur, vt feminæ quoque muliebria opera deponentes infirmitati renuntient: & anima, quæ non habet sexum, vt Maria, quæ nescit errorem, religiosi imitetur studio castitatem.*

D

Magnificat anima mea Dominum.) Laudibus tollo; gratias illi ago ex intimis animi mei sensibus. Beda, *Tanto*, inquit, *me Dominus, tamque inaudito munere sublimauit, quod non vllo linguæ officio explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi: & ideo totas animi vires in agendis gratiarum laudibus offero.* Eodem modo dixit Dauid Psal. 33. 3. 4. *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Et Psal. 34. 9. *Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.* Et Psal. 102. 1. 2. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius*, & Psal. 103. 1. *Benedic anima mea Domino. Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Itaque ex consuetudine scripturæ discimus hanc phrasim hominis esse, magnum in se Dei beneficium prædicantis, & pro eo gratias agentis.

E

47. *Et exultauit spiritus meus in Deo saluatori meo.*) Euthy. Gaudia est anima mea in Deo saluatore meo. Atque is quidem videtur esse sensus, si verba tantùm, non verborum etiam originem considere-

Quibus verbis magnum aliquod à Deo beneficium acceptum significari constat: quod autem id fuerit beneficium non satis constat. Tota in eo res vertitur, vt intelligatur, quid hoc loco humilitatis nomine significetur. Tria enim in litteris sacris eo solere nomine significari, afflictionem, vilem & abiectam conditionem, & eam virtutem, quæ superbiæ opponitur, & elationi, & multi obseruarunt, & res tam comperta est, vt animaduersione non egeat. Virtutem hoc loco humilitatis significare tanto fere omnium veterum, nouorúmque interpretum consensu creditum est, vt nequaquam auderem, nisi & bonos ipse secutus auctores veteres, nouósque, dissentire. De humilitatis virtute Orig. hom. 8. August. in expositione huius cantici, & sermone de sanctis 35. Beda in commentarijs, Bernardus ser. 42. & 45. in Canticum canticorum hunc locum interpretantur. Quæstio non est de re, sed de horum verborum sensu. Nam si rem quidem ipsam consideremus, cui dubium esse potest vel minimam pietatis partem habenti summam in Maria humilitatis fuisse virtutem? Si horum verborum sensum, eo minùs credibile est de sua Mariam virtute loquutam fuisse, quo maior in ea virtus excelluit. Haud enim scio an humilitatis sit se ipsum humilem non solùm agnoscere, sed etiam profiteri. Sola inter virtutes humilitas se ipsam ignorat, & nescio quomodo sit, vt humillimus quisque simul vt humilitatem suam animaduertit, ac prodit, perdat. Deinde non id agebat humillima, & sanctissima Virgo, vt doceret suis meritis tantum se beneficium consecutam, vt mater esset Dei: sed potius vt se indignam omnino fuisse tanto beneficio declararet: noluit ergo dicere suam à Deo virtutem, sed potius suam humilem, abiectámque personam, & conditionem, & vt vno verbo dicam, suam indignitatem respectam fuisse, quòd quamuis indigna prorsus esset, Deus se tanto honore dignatus fuisset. Hoc dicere & virginem, & humilem decebat. Præterea inter hæc verba, & præcedentia manifesta apparet antithesis. Dixerat, *Magnificat anima mea Dominum*, dicit nunc, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Itaque humilitatem suam Dei magnitudini opponit, eodémque sensu, & se humilem, & Deum magnum vocat. Deum autem non vocat magnum, quasi superbum, sed quasi præcellentem, & supremum dignitatis gradum obtinentem: ergo & se non vocat humilem ab opposita superbiæ virtute, sed ab abiecta, vilique conditione. Denique non solet humilitatis virtus *ταπείνωσις*, quo verbo Lucas hoc loco vsus est, sed *ταπεινοφροσύνη* vocari, vt Actorum 10. 19. Ephesiorum 4. 2. Philip. 2. 3. Colos. 3. 12. 1. Petri 5. 5. etsi humilem, id est virtute superbiæ opposita præditum *ταπεινὸν* vocatum legimus Matthæi 11. 29. & 1. Petri 5. 5. Atque in hanc sententiam Theophyl. Euthym. & auctor ille Græcus apud D. Thom. interpretantur, & nisi fallor Iuuenecus his versibus,

A

B

C

D

E

—— quod me dignatus in altum
Erigere ex humili celsam, cunctisque beatam
Gentibus, & seclis voluit Deus æquus haberi.

Sic etiam nonnulli recentiores interpretes intelligunt, quorum vnus dixit Mariam hoc loco humilitatem exercuisse, sed non significasse. Nam siue eius facta, siue verba consideremus, omnia humilitatis plena sunt, sed quo magis omnia humilitate redundant, eo minùs se humilem appellauit.

Ecce enim ex hoc.) Deinceps ex hoc tempore.

Beatam me dicent omnes generationes.) Declarat, quod dixerat, respexisse Dominum humilitatem suam, id est ex humili conditione ad tantum honorem euexisse, vt se omnia sæcula beatam sint prædicatura. Opponit omnes generationes, id est omnia futura sæcula tempori præsenti, quod vocauit *hoc*, *Ecce enim ex hoc*; & omnes ututos homines vni Elisabethæ, quæ se paullo ante beatam appellauerat; quasi dicat, deinceps non solùm tu ô Elisabetha, sed omnes omnino mortales beatam me esse prædicabunt, vt rectè Theophyl. animaduertit. Cum autem dicit *omnes generationes*, etsi generaliter, & sine vlla exceptione loquitur, tamen non omnes sine exceptione homines intelligit, sed eos tantùm, qui in Christum filium suum credituri erant, vt Euthym. admonuit. Nam Iudæi quidem Gentiles, & hæretici, maximéque Caluiniani non laudibus eam, sed conuitiis frequenter afficiunt. *Insidiatur* enim semper *calcaneo eius* antiquus ille *serpens, qui erat callidior cunctis animantibus terræ*. Genes. 3. 1. 15. Cœpit Elisabeth prima omnium Mariam beatam dicere supra ver. 45. Secuta deinde est mulier illa, quæ de media clamauit turba, *beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*, infra c. 11. 27.

Caluinistæ Virginem conuitiatores.

49. *Quia fecit mihi magna.*) ὅτι ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα. Ita solent septuaginta interpretes miracula vocare ex Hebræorum imitatione, qui res magnas, & admirabiles גְּדֹלוֹת appellant. Noster interpres, etsi minus Latinè, tamen eadem imitatione solet reddere *magnalia*; vt Exodi 14. 13. Deuter. 10. 21. & 11. 2. & Psal. 70. 19. & 105. 21. Magnum verò miraculum erat, vt sine viro Deum, hominémque Virgo conciperet. August. in expos. huius cantici.

Magnalia.

Qui potens est.) Ὁ δυνατός, שַׁדַּי. Potens, quod vnũ est ex decem nominibus Dei, quæ Hieron. numerat. Aptè verò hoc loco Maria Deum potentem appellauit, quia de miraculis agebat, in quibus efficiẽdis maximè ostenditur diuina potentia, vt Theophyl. indicauit, & D. August. in expositione huius cantici, *Magnum*, inquit, *fuit, vt Virgo sine virili semine filium conciperet. Magnum fuit, vt Dei patris Verbum carne sua indutum vtero gestaret. Magnum fuit, dum se ancillam confessa esset, vt mater fieret sui plasmatoris. Quis potens est: quia credi potest eius potentia, potentem confessa est, sed quanta, aut qualis, comprehendi non potest.* Reddit Maria causam, cur omnes generationes beatam se prædicaturæ essent, Theophyl. Alij causam reddere existimant, cur eius anima, vt ante dixit, magnificaret Dominum, quasi dicat, ideo *magnificat anima mea Dominum*, id est magnum prædicat, quia *fecit mihi magna*, vt Bernardus docet in sermone quodam de Beata Virgine. Quam interpretationem nominum alluſio probabilem facere videtur, sed illa tamen Theophylacti probabilior, quia violentum videtur, vt hæc particula causalis *Quia*, tam longè referatur.

Et sanctum nomen eius.) Quidam ita hoc exponunt, quasi hæc, & cætera, quæ sequuntur, secunda pars sint huius cantici, & quasi absolutè Maria Dei nomen sanctum esse dicat, eiúsque misericordiam à progenie in progenies. Magis credo hæc, & quæ sequuntur, omnia epitheta esse Dei, quibus per periphrasim Deum describat. Obseruatu enim dignum est nunquam Mariam à ver. 49. vsque ad finem cantici Deum nominasse, sed figura quadam oratoria, quæ maiorem habet gratiam, eum descripsisse, & honorificis epithetis, quasi titulis, ornasse. Nec enim dixit, *Quia fecit mihi magna* Deus, quod vt breuius dictu erat, ita & ad sententiam minùs efficax, & ad orationis ornatum minùs aptum: *sed dixit, Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Quod ergo sequitur, *Et sanctum nomen eius*, perinde est, ac si dicat, & cuius nomen est sanctum; sic enim Hebræi loqui solent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hebraismus.

solent, vt vnum relatiuum pro altero ponant, vt Psal.10.4.*Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius*, id est, cuius sedes in cœlo est. Et rursum eodem ver. *Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum*, id est, cuius oculi in pauperem respiciunt, & cuius palpebræ perscrutantur hominum cogitationes. Et iterum ver. 7. *Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*, id est, cuius vultus æquitatem vidit, neque personarum gratia mutatur, vt hunc iustificet, illum condemnet: hunc amet, illum odio habeat. Et Psal.17.31. *Deus meus, impolluta via eius*, id est cuius via impolluta est. Quo sensu nomen Dei sanctum appellerur, etsi res est admodum facilis, non consentiunt tamen interpretes. Nam Euthym. sanctum, quasi magnum, atque eximium vocari putat. Theophyl. quasi mūdum, impollutum, incontaminatum, quòd verbum Dei in vtero Virginis contaminatum non fuerit. Beda quasi potens, segregatum à rebus omnibus, omnésque superans, & excellens. Mihi sanctum dixisse videtur quasi venerabile, adorandum, & laudibus propter magna illa quæ sibi fecisse dixerat, celebrandum. In hanc sententiam Augustinus exponit. *Hoc*, inquit, *nomen sanctum est, cum sanctis est, cum sanctis gloriatur, à sanctis benedicitur, a peruersis blasphematur.*

50. *Et misericordia eius a progenie in progenies.*) Hæc verba eodem modo interpretor, quo præcedentia. Cuius misericordia est à progenie in progenies, id est perpetua, infinita, sempiterna מן־דור ודור vt Psal. 102.17. *Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.* Quem locum videtur hic Beata Virgo, totidem verbis exprimere voluisse. Nec alia fortasse causa fuit, cur his vsa sit verbis. Si qua verò alia fuit, hæc fuit opinor, vt significaret Deum non solum in veterem illum populum, sed etiam in eum, qui tunc erat, misso filio suo suam, quæ nulla temporis longinquitate exhauritur, exercuisse misericordiam.

51. *Fecit potentiam in brachio suo.*) Intelligendum ἀπὸ κοινοῦ relatiuum ὃς, sicut in præcedentibus. Est enim continuata periphrasis, qua Deus ex rebus à se potenter, & mirabiliter factis eleganter, describitur. Brachium Hebræorum idiomate potentiam significat, quòd in brachiis, ac lacertis virorum robur, & vires esse soleant. Exempla in Psalmis passim occurrent, vt Psal. 10.15. & 36.17. & 43.4. & 70.18. & 76.16. & 78.11. Itaque sæpe solet brachium, quòd res magis explicetur cum potentia, & fortitudine coniungi, vt Iob 22.8. Psal.88. 11.14. Isaiæ 11.9. & 62.8. & Danielis 11.6. Quod ergo dicit, *Fecit potentiam in brachio suo*, perinde est, ac si diceret, fecit potenter brachio suo, potenter manu sua rem gessit, aut declarauit, quàm potens brachium suum esset. Videtur etiam hac phrasi omne humanum auxilium excludi, quasi dicat miracula illa, quæ fecit, solum, & à nemine adiutum fecisse, sicut dixit Dauid Psal.71.18. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* & Psal.135.4. *Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia eius.* Et Isaias cap. 63.5. *Circumspexi, & non erat auxiliator, quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret, & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Non placet, quod Beda, Strabus, Theophyl. & Græcus ille auctor Diui Thomæ scribunt, brachium Dei hoc loco Christum vocari, quia etsi verè Christus Dei potentia, & Dei virtus est, *portanoq; omnia verbo virtutis suæ*, tamen nescio an ista interpretatio loco satis hæreat. De quo autem miraculo à Deo facto, Maria loquatur, (loqui enim de aliquo videtur) nonnulli quærunt.

Brachium in scriptura pro potentia.

Hebr.1.3.

Ac sunt, qui de ipsa Christi incarnatione loqui putent, quæ magnum fuit certè miraculum, quàque Deus misso in carne filio suo, summam suam potentiam declarauit, qua potentes dæmones, qui hiberante in hoc mundo dominabantur, de suo deiecit regno; humiles autem, qui in Christum crediderunt, ad regnum erexit. Sic Augustin. in expositione huius cantici, & Cyril. apud D. Tho. Alij ad præterita referunt, id est ad rerum primam creationem, & reliqua omnia, quæ Deus ab initio huius mundi potenter, admirabilitérque fecisse in sacris litteris perhibetur. *Omnia enim per ipsum facta sunt.* Ita Beda. Alij ad præsentia referunt, quia Virgine pariente natura victa, & commutata est, quasi Virgo in hoc potentiam Deum fecisse dicat, quòd fecit, vt Virgo ipsa conciperet, vt Theophyl. exponit. Mihi de rebus præteritis videtur loqui, quia & præteritis semper vtitur verbis, *Fecit, Deposuit, Exaltauit, Implenit, Dimisit, Suscepit*, & quia satis apparet hanc secundam partem cantici hymnum potius esse, quàm prophetiã. In hymno autem magis conuenit credere cani res ante à Deo factas, quam prædici faciendas. Cæterum non existimo de vno aliquo facto loqui, sed vniuersè de omnibus, quæ Deus solitus esset facere, sicut fecit Anna 1.Reg.2.2.& Dauid Psal.135.13.

Dispersit superbos mente cordis sui.) Hebraismus, פזר *dispersit, dissipauit* vt Psal.32.10. *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.* Sunt qui ad hunc modum verba coniungant, *Dispersit superbos mente cordis sui*, id est, eos, qui mente cordis sui superbi erant, vt Euthym. Alij sic exponunt, vt si nomen Græcum διανοία ablatiuum significet instrumenti, quasi dicat cepit eos suis ipsorum consilijs. Admirabilior etiam videtur Augustini sententia, qui interpretatur in expositione huius cantici, *Dispersit superbos mente cordis sui*, id est profundo consilio suo, quasi illud reciprocum *sui* ad Deum referatur, quod ex Græcis verbis apparet fieri non posse. Ego hypallagem esse arbitror, qua frequenter vtuntur Hebræi. *Dispersit superbos mente cordis sui*, pro Dispersit cogitationes cordis superborum, id est ipsorum consilia, & machinationes. Dispersuntur autem, & dissipantur consilia, & cogitationes superborum, cum in diuersum euadunt exitum, quàm ipsi putabant. Superborum dixit potius, quàm impiorum, aut iniquorum, quia quamuis omnes iniqui, & impij superbi ligantur, tamen significantius hoc loco superbi, quàm impij, aut iniqui vocantur. Quia superborum consuetudo est multa & varia agitare consilia, quibus eorum ambitio nutriri solet. Simile quiddam dixit Isaias Iacobus scribit c.4.13. *Ecce nunc qui dicitis hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in crastino.*

52. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*) καθαίρεσιν ἀντὶ τοῦ κατὰ θρόνων. ἀνάστασιν, dynastæ, quo etiam nomine Latini auctores vti solent, dicuntur principes, ac Reges, quia potentes sunt. Itaque nomen *potentes* hoc loco non tam potentiam, quàm officium, quo potentia exercetur, significat, vt apparet ex adiuncto *de sede*, id est, de throno, de solio regio. Multi enim potentes sunt, qui Reges non sunt, neque in throno sedent. Hic autem de Regibus loquitur. Quod sequitur, *Et exaltauit humiles*, ad eundem modum intelligendum est, ex contrario, id est euexit humiles, & in regio solio collocauit, vnde Reges deiecerat. Repetendum enim, aut intelligendum est ἀπὸ κοινοῦ nomen θρόνου sedis, aut solij, quod præcesserat. Humiles autem non à virtute superbiæ contra-

ria, sed ab abiecta, & humili conditione vocat. Opponit enim humiles potentibus, id est Regibus, & ijs, qui in magno honoris gradu sunt. Quò autem hic ipse sensus alludat, id est de quibus potentibus, & de quibus humilibus loquatur de eo solent interpretes dissentire. Theophy. Cyrillus, & Græcus ille auctor apud D. Thomam *potentes* dæmones, qui ante Christi aduentum in mundo regnabant, humiles omnes homines, qui à dæmonibus vexabantur, intelliguntaut, vt Theophyl. ait, *potentes* Pharisæos, & Scribas, qui super cathedram Mosis sedebant, humiles miserum, & imperitum populum, cui onera imponebant grauia, quæ ipsi ne digito quidem suo attingere volebant. Alij ad exẽpla superiorum temporum existimant Virginem alludere, vt ad Saulem, quem Deus de regio solio deturbauit, & ad Dauidem, quem ad regnum euexit 1.Reg.16.12.13. Ego Bedam sequor, qui nullum aut præteritum, aut futurum etiam exemplum notari putat, aut significari, quid factum, faciendúmve sit, sed quid Deus facere possit, ac soleat. Solet autem scriptura in Dei laudibus ponere, quòd regna transferat, & alios de solio deijciat, alios in solium euehat: quia cùm inter homines summa potentia credatur esse Regum, in ijs potissimum subigendis, dimouendísque diuina maximè potestas apparet Danielis 2. 21. *& ipse mutat tempora, & ætates, transfert regna, atque constituit*, & Eccles.10.8. *regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias*, & Psal.106.40. *Effusa est contemptio super principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via.* & Iob 12.18. *Baltheum Regum dissolvit, & præcinxit funem renes eorum*, & 1.Reg.2.8. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Itaque præteritum pro futuro ex Hebraicæ linguæ proprietate accipi puto, & futurum rursus alio Hebraismo pro modo, vt Grammatici vocant, potentiali, vt sit sensus *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*, id est deponet, & exaltabit, hoc est potest deponere, & exaltare.

53. *Esurientes implenit bonis.*) Id est potest, ac solet implere, atque locupletare. Sicut, quod sequitur, *Et diuites dimisit inanes*, id est solet dimittere, & eos, qui prius diuites erant, pauperes facere. Eodem enim modo hunc versum interpretor, quo superiorem, vt nullum certum notetur factum, sed tantùm dicatur, quid Deus facere possit, ac soleat, vt dixit Anna 1.Reg.2.5. *Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt*, & Psal.33.11. *Diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Itaque quod Theophyl. exponit *Esurientes* Gentiles, *diuites* Iudæos; & quod D. Augustin. *esurientes* humiles, *diuites* verò superbos; & quod alij *esurientes* qui, vt ait Christus, *esuriunt, & sitiunt iustitiam*, *diuites*, qui ea abundant, id est, qui pro suo arbitrio corruptos ad se iudices flectunt, morale quidem est, non litterale.

54. *Suscepit.*) Etiam hoc loco intelligo relatiuum ὃς, qui, sicut in superioribus, cùm sit perpetua descriptio Dei. *Suscepit* hanc vim Græcè habet, vt declaret Deum populum suum iam omnino deiectum, desertúmque quasi porrecta, aut supposita manu sustinuisse, erexisseque, sicut Dauid dixit Psal. 26.10. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me.* Similia sunt exempla Psal.3. 6.& 17.17.36.& 62.9.& 68.30.& 72.24. 117.13.& 118.116.& 145.9.& 146.6.

Israel puerum suum.) Israelem filium suum: sic enim solebat Dominus populum illum appellare Osee 11.1. Suscepisse igitur dicitur Israelem filium suum Deus, quia cum maximè abiectus, & sub Romano-

rum imperio afflictus populus ille erat, Christus verus Rex venit, qui eum non à Romanorum, sed à maiore Diaboli tyrannide liberauit.

Recordatus misericordiæ suæ.) Μνησθῆναι ἔλεους αὐτῶν, vt recordaretur misericordiæ suæ, id est vt ostenderet se misericordiæ suæ oblitum non esse, sed recordari. Sicut enim nunquam verè obliuiscitur Deus, sed ad similitudinem hominum tum dicitur obliuiscei, cum ita nobiscum agit, quasi nostri oblitus esset, Psal.12.1.41.10.& 43.24.& 73.19. ita etiam dicitur recordari, cum ita se erga nos gerit, quasi priùs nostri oblitus fuisset, postmodũ recordatus, id est, cum nos orantes exaudit, ostendit se bene nobis velle, vt 1.Reg.1.19. Esther 10.12. Psal.97.3.102.14.& Ierem.2. 2.& Daniel.14.37.

55. *Sicut locutus est ad patres nostros.*) Quasi dicat, vt recordaretur misericordiæ suæ, quã promiserat patribus nostris, scilicet Abraham, & semini eius in sæcula. Patres intelligit omnes Patriarchas, sed illos in primis, quib⁹ Dei promissio de nascituro ex semine ipsorum Christo facta fuerat, quales fuerunt Abraham Gen.12.3.& 15.3.& 17.19.& 18.18.& 22.18. Isaac Gen.26.4. Iacob Gen.28.14. Dauid Ps.131.11. Sed solũ nominauit Abrahã, quia illi primum Christus promissus fuerat, & quia ipse omnium credentium futurus erat pater. Quòd cùm dixerit *sicut locutus est ad patres nostros*, addat commutato casu *Abraham, & semini eius in sæcula*, ideo fecit, quòd Græcum verbum λαλεῖν, sicut Latinum loqui vtrumq; admittat casum, vsu saltem loquẽdi Ecclesiasticorum auctorũ. Illud *in sæcula*, vel ad misericordiã refertur, quasi dicat, loquutum fuisse Deum, id est promisisse patribus perpetuam misericordiã: vel ad semen, quasi dicat promisisse Abrahamo, & omnib⁹ eius posteris, qui vsq; ad finem sæculi futuri erant; sensus eodem redit.

An B. Virgo apud Elisabetham vsque ad eius partũ mansit.

56. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.*) Quæri hoc loco solet, vtrùm Maria partui interfuerit Elisabethæ, an antequam illa pareret, domum redierit. Plerique ante eius partum domum rediisse putant, à quibus hæc fere argumenta afferri solent. Primùm, quòd Euangelista dicat mansisse Mariam cum Elisabetha non mensibus tribus, sed quasi mensibus tribus, indicans non integros mansisse tres menses. Quod si ita est, non potuit Elisabethæ partum videre, quia credibile est eam more aliarum mulierum nono mense peperisse; cum autem angelus ad Mariam venit, sextus illi prægnanti mensis agebatur ver.36. vbi etiam significatur sextum mensem transactum non fuisse: itaque non poterat nonus mensis impletus esse, cum Maria ab Elisabetha domum rediit. Deinde, quòd postquam Lucas dixit Mariam in domum suam rediisse, addidit, *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi*, indicans iam Mariam domum rediisse, cum Elisabethæ tempus pariendi impletum est. Præterea, quòd non videatur Euangelista taciturus fuisse, si Maria partui Elisabethæ interfuisset, cùm id ad rem maximè pertineret, & tanta diligentia narrasset, quamdiu Maria apud cognatam mansisset. Denique non decuisse virginem interesse partui, & eam fuisse consuetudinem, vt omnes virgines, etiam quæ domi essent, pariente aliqua muliere aliò migrarent, vt graues auctores Theophyl. Euthy. & Græcus auctor D. Thomæ, & Niceph. lib.1.cap.8. tradunt, qui huius sententiæ defensores sunt. Ego tamen mihi omnino persuadeo Beatam Virginem ante partum Elisabethæ ab ea non discessisse. Primùm, quia vix alia causa excogitari potest congrua, quamobrem Euangelista tempus notauerit trium mensium, quos apud Elisabetham Mariam mansisse dicit, nisi vt indicaret vsq;

ad eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad eius mansisse partum. Præterea quia credibile nó est Mariam, quæ charitate impulsa cognatam, quia grauida erat, inuiserat, & tandiu cum ea fuerat, haud dubiè vt prægnantem adiuuaret, cùm partui, id est dolori, atq; periculo proxima esset, deseruisse. Deinde, quia illa ipsa ratio, quæ illam impulerat, vt prægnantem inuiseret, impellebat, vt eius expectaret partum. Inuiserat, vt, quòd angelus dixerat ver. 36. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua*, re ipsa experiretur: quis dubitet voluisse etiam experiri partum? videréque, quò res euaderet, præsertim cum tam prope exitum esset. Ad hæc sciebat vtiq; Maria Ioannis mysterium, quòd Christi filij sui præcursor futurus esset; quis sibi persuadeat noluisse natum etiam videre, quem tãtum sciebat prophetam futurum esse, quem audiuerat præ gaudio se aduenière in vtero matris exultasse? Deinde quæ non dico cognata, sed quælibet alia alicuius charitatis mulier, cum per tres apud prægnantem mansisset menses, instante iam partu discessisset: Cur ergo credamus fecisse Mariam, quod aliam vllam mulierem facturam fuisse indignum est credere. Denique tempus cum hac sententia recte conuenit: agebatur enim sextus iam mensis, ac fortassis exactus erat, verba enim angeli non repugnant, ver. 36. cum Maria ad visitandam cognatam domo discessit. Mansit tres apud cognatam menses fortassis integros, vt postea dicemus: sed esto, integros non manserit; certe ferè integros mansisse negari non potest, & nonum Elisabethæ mensem, si non exactum, inchoatum tamen fuisse, & fere transactum, cum ab ea Maria discesserit. Poterat ergo Elisabetha parere, antequam Maria discederet, neque enim necesse est, quemadmodum experientia docet, vt nonus mensis, vt grauida pariat, transactus omnino sit. Solent enim inchoato nono mense aliæ mulieres citius, aliæ serius parere. Habet etiam hæc sententia meliores auctores Origenem hom. 9. Ambrosium in commentariis, Bedam, Strab. Lyr. auctorem Scholasticæ, vt vocant, historiæ. Habet ipsam etiam Ecclesiam, quæ tertio mense post conceptionem Christi Ioannis natalem celebrat. Argumenta verò, quibus alij auctores in contrariam sententiam adducti sunt, facile soluuntur. Nam quod obiicitur Euangelistam non dicere Mariam mansisse apud Elisabetham tribus mensibus, sed, *quasi mensibus tribus*, non magis indicat minùs, quam plus tribus mensibus apud eam permansisse. Habemus enim exempla apud Euangelistas, vbi, illud *quasi* non significat minùs, sed aut plus, iusti um certe numerum. Scribit Marcus cap. 8. 9. numerum hominum, quos Christus septem panibus, & paucis pisciculis saturauerat, fuisse quasi *quatuor millia*, scribit Matth. cap. 15. 18. fuisse *quatuor millia exceptis mulieribus, & paruulis*. Scribit Ioannes cap. 6. 10. numerum eorum, quos Christus quinque panibus, & duobus piscibus satiauit, fuisse *quasi quinque millia*; scribit Matthæus cap. 14. 21. fuisse *quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis*. Solent ergo Euangelistæ eam adhibere moderationem, vt dicant *quasi*, non modò cum minorem numerum significare volunt, sed cum aut de iusto numero certi non sunt, aut existimant non esse necessarium iustum omnino numerum declarare. Et vt concedamus Lucam minùs tribus integris mensibus significare voluisse, tamen nihil inde contra nostram opinionem probari potest, quia, vt diximus, necesse non est ad pariendum, vt totus nonus mensis exactus sit etiam in his mulieribus, quæ mense nono pariunt; nam de partu septimi mensis hic non

Quasi in scriptura.

disputamus, & qui disputant rem nobis agere videntur minimè necessariam, cùm constet Ioannem non septimo, sed nono mense natum esse. Secúdum argumentum plus habere videtur probabilitatis. Ita enim, fateor, Lucas loquitur, vt indicare videtur, ante quàm Elisabethæ tempus pariendi esset impletum, Mariam discessisse. Cæterum hoc ipsum argumentum non mouebit eos, qui obseruauerint sæpe Euangelistas solere prius narrare, quæ posterius acta sunt, vt historiam, quam texere incœperant, absoluant. Exempla sunt apud Matthæum cap. 26. & 27. notata. Quia ergo Lucas Mariæ historiam narrare cœperat, voluit absolutè; antequam de partu Elisabethæ agere aggrederetur. Ideo dixit, quomodo ad eam angelus missus esset, quid illi dixisset, quid ipsa respondisset, quomodo cognatam inuisisset, quomodo salutasset, quomodo domum rediisset. Reducta verò quodammodo Maria in domum suam aggreditur aliam historiam, quomodo Ioannes natus esset. Atque idcirco prius dixit Mariam rediisse domum, postea verò addidit *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi*. Ad tertium respondeo non omnino Euangelistam tacuisse Mariam apud cognatã suam fuisse tempore partus. Cum enim dixit mansisse apud eam *quasi tribus mensibus*, non obscurè indicauit interfuisse partui, quem intra tres illos menses accidere necesse erat. Ad quartum eodem modo, quo ad secundum, respondendum est, aut sextum iam mensem à conceptu Ioannis, cum ad Mariam angelus venit, fuisse transactum, aut si non erat, non fuisse necessarium, vt nono exacto mense Ioannes nasceretur. Quod autem quinto loco obiiciebatur non decuisse Virginem interesse partui: non intelligo cur minùs decuerit partui interesse, quàm parere; parientem videre, consolarique, atque adiuuare, quàm prægnantem inuisere. Ea verò consuetudo, quæ affertur, solitas fuisse virgines instante partu discedere, vereor ne ficta sit. Nos enim inter honestissimas etiam gentes eam consuetudinem non videmus; contrariam verò videmus, vt non solùm domesticæ partui virgines interfint, sed aliæ etiam amicæ, atque cognatæ aduenient alunde, vt parituræ ministrent. Et si eiusmodi consuetudo fortè fuit, non erat necessarium, vt Maria omnes aliarum virginum consuetudines obseruaret, quia ipsa virgo erat, vt mater esset.

57. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi.*) Tempus nouem mensium, aut circiter, quod partui muliebri cõmuni naturæ lege præscriptum est. Obseruauit Orig. Ambros. & Theophy. non omnibus, sed solis sanctis mulieribus tempus pariendi impleri in scripturis dici, vt Elisabethæ hoc loco, & Mariæ c. 2. 6. quod, vt ait Ambr. plenitudinem iustæ vitæ habeat, inanes autem dies sint impiorum. Sed non eam arbitror hoc verbum vim habere, sed eam potiùs, vt indicet Euangelista eo prorsus modo, eóque ordine successisse omnia, quo ab angelo prædicta fuerant. Dixerat autem angelus de vtraque, & Maria, & Elisabetha fore, vt conciperet filium, ac pareret; ideo Euangelista, non contentus dixisse vtramque concepisse, addidit impletum fuisse pariendi tempus, id est suo tempore peperisse, quasi dicat, ne vno quidem die retardatam fuisse diuinam promissionem.

58. *Et audiuerunt.*) Credibile est vicinos, atque cognatos iam antea audiuisse concepisse Elisabetham, sed dicuntur audiuisse nunc, quòd in partu maximè Dei erga illam cognouerint misericordiam. Ante partum enim dubius semper, & multis exposi-

situs periculis conceptus est; tunc censetur perfectum, atque cumulatum Dei esse beneficium, cum, quæ concepit, etiam peperit.

Quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa.) Quòd magna Dominus erga illam misericordia vsus esset. Magnam verò vocat misericordiam, quòd sterili, & seni dedisset filium, sicut ipsa indicauit supra ver. 25.

Et congratulabantur ei.) Καὶ συνέχαιρον αὐτῇ, ad verbum Congaudebant ei. Quod ideo videtur Euangelista dixisse, vt indicaret impletum fuisse, quod angelus ver. 14. prædixerat, *Et multi in natiuitate eius gaudebunt.*

59. *Et factum est in die octauo.*) Ab ortu. Is enim à lege dies circuncisioni præscriptus erat Gen. 17. 12. Leuit. 12. 3. & apud eundem Lucam capite sequenti ver. 21. Elegerat Deus octauum à circuncisione diem multis de causis. Prima fuit, vt mysterium significaretur. Septem dies temporalem, octauus spiritualem, & æternam vitam designare solet, quia septem diebus tota temporalis vita circumacta traducitur, octauus vltra est. Quod autem vltra temporalem vitam est, spirituale, & æternum est. Circuncisio autem spiritualem significabat vitam, qua opera carnis amputanda erant: Cyprianus serm. de circuncisione. Secunda fuisse creditur, quòd octauus dies trãsacta iam hebdomade primus sequentis hebdomadis dies erat, quo Christus erat resurrecturus, vt doceremur nouam post circuncisionem vitam instituẽdam esse, nósque cum Christo resurgere debere, & in nouitate vitæ ambulare. Cyprianus lib. 3. epist. 8. & August. sermone 15. de verbis Domini, & serm. 141. de tẽpore, & quisquis auctor fuit qq. veteris & noui testamenti quæst. 29. Valentiani ad asserendas suas illas ogdoades eo mysterio abutebantur, vt Irenæus lib. 1. c. 15. auctor est.

Venerunt circuncidere puerum.) Hinc nonnulli colligunt morem Iudæorũ fuisse, vt pueri in Synagoga circunciderentur, interpretantes, *venerunt* parentes eius in Synagogã, vt puerum circunciderẽt. Nam quos alios posse intelligi venisse? & vtrunque parentem circuncisioni interfuisse manifestè constare ver. 60. & 61. nec potuisse venire in domum suam, vbi iam erãt, sed in Synagogam, vbi non erãt. Deniq; etiã nunc eam inter Iudæos consuetudinem permanere, vt in Synagoga circuncisio celebretur. Alij domi factam fuisse malunt, nam nullam alibi, quam in domo factam fuisse in scripturis legi. Domi circumcisum Abrahamum, & domi eundem Abrahamum filium, vernásq; omnes suos circumcidisse Gen. 17. 23. 24. 25. 26. Domi Sephorã filium, quẽ ex Moyse susceperat, arrepto circumcidisse cultro, ne ab angelo perimeretur, Exodi 4. 25. Domi Iosue totum circumcidisse populum traiecto deserto, Iosue 5. 3. Certè Ioannem non in Synagoga, sed in domo paterna circũcisum fuisse satis mihi videtur ex hoc ipso loco probari posse. Constat enim Elisabetham matrem Ioannis, cum circumcideretur, fuisse præsentem, cum respondeat ver. 60. *Nequaquam, sed vocabitur Ioannes:* at non poterat octo dierum puerpera exire domo, & in synagogam ire, cum in sanguine ex præscripto legis triginta dies esse deberet, Leuit. 12. 4. Qui ergo dicuntur venisse, vt puerum circumciderent? possumus intelligere amicos, atque cognatos, de quibus ver. superiore dictum erat. Neque enim dubium est, quin aliqua celebritate amicis, cognatísque conuenientibus, vbicunque tandem circumcisio fieret, fieri soleret. Quemadmodum nunc & apud eosdem Iudæos, & apud omnes gentes, quæ circumciduntur, fieri traditur. Pos-

sumus & aliter interpretari, venisse, id est ventum esse ad circumcidendum puerum, vt Hebræorum phrasis fit; qui tertia persona plurali vtuntur pro verbo impersonali passiuo. Fingamus ergo Latinè dixisse, & ventum est ad circumcisionem pueri, non vtique significasset parentes, aut alios exijsse domo, aut ijsse aliquò, sed cœptum fuisse agi de puero circumcidendo.

Hebraismus.

Et vocabant eum.) Volebant vocare, incipiebant vocare, consilium inibant de vocando eo Ioanne, amici scilicet, & cognati, qui conuenerant.

Nomine patris sui Zachariam.) Duo ex hoc loco colliguntur. Alterum est, consueuisse apud Iudæos in circumcisione, sicut apud nos in baptismo, nomina infantibus imponi. Num ante, an postquam circumcisus puer esset, id non satis compertum habetur. Theophylactus quidem, Euthymius, & Chrysostomus apud D. Tho. post circumcisionem posita fuisse putant. Id qua ratione factum in circumcisione fuerit, & in baptismo nunc fiat, diuersæ à diuersis auctoribus rationes afferuntur. Theophyl. quòd tunc homines Deo nasci, & in eius populum referri censerentur. Alij, quòd nominum impositio dominij argumentum esset, ideóque solitos fuisse dominos aut noua seruis suis nomina dare, aut mutare vetera, quemadmodum legimus Iosephum à Pharaone Saluatorem mundi lingua sua appellatum, Genes. 41. 45. & Danieli, atque eius socijs nomina mutata, Danielis 1. 7. Adnotauit hoc D. Chrysostomus in homilia de ferendis reprehensionibus, & conuersione D. Pauli, & Ioannes Damascenus libro 2. de fide cap. 30. In circumcisione igitur imposita fuisse nomina, quòd tunc infantes iugum, ac seruitutem Dei subire incipere viderentur. Alterum, quod hinc colligitur, est, consueuisse plerumque Iudæos infantibus nomina patrum, aut cognatorum imponere. Hunc enim illi secuti morem non alia ratione Ioannem Zachariam vocare voluerunt, quàm quòd hoc nomine pater eius vocaretur. Et post cùm dixisset mater velle se, vt vocaretur Ioannes, respondérunt, *Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Hæc, inquam, eius ætatis consuetudo fuit, vt apparet; nam primis illis sæculis, quæ sunt sacris litteris consignata, nihil legimus eiusmodi; quin ex euentu aliquo plerumque nomina dabantur, sicut Eua primum filium suum vocauit *Cain*, quia *possedi*, inquit, *hominem per Deum*. Genes. 4. 1. tertium vocauit Seth dicens, *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel*. Genes. 4. 25. & Noe à patre suo Lamech vocatus est Noe, quia *iste*, inquit, *consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus*. Genes. 5. 29. & Abraham vocauit filium suum Isaac, quia dixerat Sara, *Risum fecit mihi Deus*, Genes. 21. 4. 5. 6. & Iacob vocatus est Iacob, quia fratrem suum in vtero supplantauerat, & frater eius Esau vocatus est Edom, quia ruffus erat. Genes. 25. 25. 30. & Phares vocatus est Phares, quia maceriem vteri diuiserat, Genes. 38. 29. & Moyses vocauit primum filium suum Gersam dicens, *aduena fui in terra aliena*; secundum verò Eliezer dicẽs, *Deus patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis* Exodi 2. 22. Sic Ioseph primogenitum suum vocauit Manasses, dicẽs, *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei*; alterum verò vocauit Ephraim dicens, *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*. Gen. 41. 51. 52. Eodẽ modo Anna vocauit filiũ suum Samuel, quia à Deo eum petiuerat 1. Reg. 1. 20. Ioannes igitur more antiquo sicut Noe, & alij sancti, quos nominauimus, ab euentu nomen acce-

Cur in circuncisione, & baptismo nomē imponatur.

Nomina parentum filijs apud Iudæos posita.

Initio ab cultu nomina imposita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pit,quòd gratiosus apud Deum futurus esset,vt ver. 13.docuimus. Cur autem hoc Euangelista commemorauerit,his verbis Ambrosius exponit, *Mire sanctus Euangelista præmittendum putauit,quod plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandũ putauerunt, vt aduertus matri non nomen alicuius displicuisse degeneris,sed id sancto infusum spiritu quod ab angelo ante Zachariæ fuerat prænuntiatum.* Summa est voluisse Euangelistam indicare omnibus amicis, & cognatis repugnantibus, à patre tamen, & matre ore Spiritus sancti loquentibus Ioannis nomen puero datum fuisse, vt impleretur, quod angelus dixerat ver. 13. *& vocabis nomen eius Ioannem.*

60. *Et respondens mater eius.*) Respondisse mater dicitur,aut quia interrogata fuerat,quod valde vero simile est,cùm Zacharias mutus,ac surdus commodè interrogari non posset : aut quia ipsa ex puerperio decumbens consultantes de vocando filio nomine patris sui Zachariam inaudiuit:aut quia Hebraico idiomate respondere dicitur quisquis etiam non interrogatus,etiam nemine ante locuto aggreditur loqui.

Hebraismus.

Nequaquam,sed vocabitur Ioannes.) Neque ab angelo ipsa audiuerat,vocandum esse Ioannem,qui in solo templi adyto solus cum solo Zacharia locutus fuerat; neque à Zacharia,qui mutus,ac surdus erat. Reliquum ergo est, vt cum Spiritu sancto impleta fuit ver. 41. totum mysterium per reuelationem cognouerat,quod prius angelus Zachariæ declarauerat,quo scilicet nomine puer vocandus, & quantus,ac qualis vir futurus esset,vt Origenes homilia 9. Ambrosius, Beda,Euthymius, & Theophylactus obseruauerunt. *Et quidem ille*, inquit Ambrosius, *mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori, sed per prophetiam Elisabeth didicit, quod non didicerat à marito : Ioannes est,inquit, nomen eius, hoc est,non ei nos nomen imponimus,qui iam à Deo nomen accepit. Habet vocabulum suum, quod agnouimus, non quod elegimus. Habent hoc merita sanctorum,vt à Deo nomen accipiant.*

Sanctis à Deo nomen accipiunt.

61. *Quia nemo est in cognatione tua.*) Vide,quæ ver. 59.diximus. Licet hoc loco animaduertere carnales,& spirituales homines inter se pugnãtes. Amici, & cognati,vt fieri solet,carnem tantum cõsiderantes nomen aliquod gentile dare volebant puero; pater verò,& mater,quia non tam carnales,quàm spirituales parentes erant, gratiam, non carnem sequuntur,& Ioannem,quasi gratiosum,quemadmodum Deum velle intelligebant, vocãdum esse contendunt.

62. *Innuebant autem.*) Nutibus,ac signis interrogabant, quia non solùm mutus, sed surdus etiam erat,quemadmodum probauimus ver.20. Iuuencus scripto existimat Zachariam interrogatum.

——*Placuit muti tunc iussa parentis*
Consulere, scriptoque vocant edicere nomen.

63. *Et postulans pugillarem.*) πινακίδιον tabellam, quales hodie memoriæ causa apud nos esse solent. Quia loqui non poterat, & nolebat, vt alio, quàm quo angelus iusserat nomine vocaretur,pugillarem vt scriberet postulauit,Theophyl. At quomodo postulauit? nutibus,& signis, inquit Euthym.

Ioannes est nomen eius.) Non dixit sit,aut erit, sed est, vt indicaret, non se tunc nomen imponere, sed ante ab angelo impositum declarare: & non posse mutare homines, quod decretum à Deo esset, vt ex Ambrosio paulò ante recitauimus.

Et mirati sunt vniuersi.) Intelligentes nomen non ab hominibus, sed à Deo positum esse, quando & mater, cum nemo in tota gente sua esset, qui eo nomine vocaretur, Ioannem tamen vocari voluisset; & Zacharias ignorans quid Elisabetha respondisset (surdus quippe erat) idem scripsisse nomen; Theophyl.& Euthym.& cum patrem audissent dicentem,Ioannem nomen eius esse, id est iam à Deo id nomen accepisse.

64. *Apertum est autem illico.*) Quòd dicit illico, indicat ipsam nominis impositionem causam fuisse, vt impedita priùs Zachariæ lingua solueretur,quæ admodum veteres auctores obseruarunt. Origenes homilia in Lucam 9. Gregorius Nazian. oratione prima de pace,Ambros.& Beda in comment.& Maximus hom. prima de natiuitate Ioannis Baptistæ, *Rectè*,inquit, *vox dicitur,cuius intonante præconio sacramentum redemptionis humanæ surdâ dudum cepit audire mortalitas. Vt enim venerandus Baptista muto patri aperuit linguam,ita aures hominum salutaris gratiæ intonauit auditu.* Et homilia 2. *Quid*, inquit,*illud quanto est stupore mirandum, quòd Zacharias ipse,dum præcursorem salutaris verbi concipiendum senili aluo paulo tardius crederet, silentio repentinæ taciturnitatis obmutuit, nec pristinum loquendi recepisset vsum, nisi nomen pueri, quo vocandus esset, clausi oris vincula relaxasset? Atque ita factum est, vt os sacerdotale, quod trepidatio colligauerat dubitantis, meritum filij nascentis absolueret, & reparata patris lingua infantis gloriam testaretur.* Videtur Iuuencus existimare Zachariam non scripsisse nomen Ioannis, sed cùm scribere tentaret, restitutum illi fuisse sermonem; aut certè simul & scripsisse nomen, & loquendi recuperata facultate pronuntiasse.

Ioannis Baptistæ natiuitas cum fide narratur.

Sed proh mira fides, tabulis cum scribere tentat,

Implicitam soluit per verba sonantia linguam.

Idem auctor librorum de mirabil. sacræ script. tenire videtur lib.3.c.1.Illud primum Euangelistæ repugnat,qui Zachariam nomen pueri scripsisse ait. Secundum est vero simile. De auditu restituto nihil dicitur,sed credendum aures etiam eius,quæ simul occlusæ fuerant, simul apertas, vt Euthymius admonuit.

65. *Et factus est timor.*) Gaudium potius, quàm timorem inde nasci oportebat. Sed timor sic vocatur ex Hebræorum idiomate religio, reuerentia. Quasi dicat ea re cognita impleros fuisse omnium animos religione intelligentes tot signis nõ posse, nisi singulare aliquid, & admirandum à Deo portendi. Viderant Elisabetham sterilem,senémque periisse. Viderant mutum factum propter incredulitatem Zachariam. Viderant matrem nouum, & inusitatum infanti nomen imposuisse. Viderant patrem idem scripsisse nomen, indicassèque id,ab angelo datum fuisse. Viderant statim eius solutam linguam. Magnam hæc omnia religionem animis hominum ingenerabant. Similem phrasim apud Marcum c.4.40. & c.5.15. adnotauimus.

Timor pro religione.

Omnia verba hæc.) Res omnes has quæ in Ioannis conceptu,ortúque contigerant, quas paulò ante expositimus.

66. *Et posuerunt omnes, qui audiuerant,in corde suo,*) Reputabant apud animum suum, quid ea sibi velient, quidve futurum portenderent, quæ de pueri illius mirabili conceptione, ortúque ferebantur. Ponere in corde aliquid,aut è contrario ponere cor ad aliquid Hebraismus est, quo significatur de eo cogitare,infra cap.9.44.& 21.14. Prouerbiorum 24. 32. Aggæi 2.19. Ezechielis 40. 4. & 44.5. Danielis 6.14.& 10.12.

Quis putas puer iste erit?) Quantus futurus vir, quantus propheta,qui tot conceptus,tot natus miraculis esse dicitur?

Etenim manus Domini erat cum illo.) Verba sunt

Lucæ

Lucæ rationem reddentis,quamobrem omnes apud se cogitarent,quæ de Ioanne dicebantur, dicerent-que, *Quis putas puer iste erit?* Manum Domini,eius potentiam significare tam notum est, vt opus non fit exemplis. Aliquando manus etiam Domini prophetia vocatur, quod impetu quodam ac vi in hominem irruat; vt solet scriptura loqui dicens, *Irruit in eum spiritus Domini.* Huius significatus multa apud prophetas exempla leguntur Ezechiel.1.3.& 3.22. & 37.1. & 40.1. Vterque sensus conuenit in hunc locum. Nam & Dei potentia, & spiritus prophetiæ cum Ioanne fuisse verè potest significari. Cæterum non dicuntur cum illo fuisse, quòd aut ipse miracula faceret,aut futura prædiceret(quamquam linguam patri soluisse,quia graues dicunt auctores, negandum esse non arbitror) sed quòd singularia in eo diuinæ potentiæ,& prophetiæ signa cernerentur. Angelus patri visus, infantisque conceptionem annuntians. Zacharias priùs mutus, deinde non solum loquens,sed de infante ipso prophetans. Sterilis,& anus pariens. Nomen diuinitus impositum. Hæc enim omnia magnam in eo Dei potentiam declarabant, singularémque eum prophetam futurum portendebant.

Manus Domini quid sit.

Iudic. 14. 15. & 16. Reg. 18. 46.

67. *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto.*) Tunc. Nam ante impletum fuisse, aut prophetasse non legimus. Et quidem eadem causa credendum est Spiritu sancto repletũ fuisse, quia loquendi recuperauit facultatem. Quòd nomen filio Ioannis imposuisset, quasi manu sua subscribens, atque confirmans, quod ante ab angelo dictum credere noluerat. *Vide* (inquit Ambrosius) *quam bonus Deus,& facilis indulgere peccatis. Non solum ablata restituit,sed etiam insperata concedit. Ille dudum mutus prophetat; hæc enim gratia Dei maxima, quòd eum qui negauerat,confitetur.* In eadem sententiam scribit Beda, *Quamia*,inquit,*supernum muneris est largitas, si promptia ad accipiendum nostræ fidei sit pietas? Ecce loquela, quæ sola est ablata diffidenti,cum spiritu prophetiæ,est restituta credenti.* Quo sensu Zacharias Spiritu sancto repletus fuisse dicatur, supra docuimus ver.28. Dixit autem hoc Euãgelista,vt intelligeremus ea omnia, quæ paullo post Zacharias cecinit, ex Spiritu sancto fuisse profecta.

Ioannis natiuitas cum fide narratur.

Et prophetauit.) Prophetasse dicit,nõ quòd quidquid in hoc cantico dicit,prophetia sit; multa enim dicuntur,quæ ad laudes potius Dei, quam ad prophetiam pertinent,vt illud ipsum exordium, *Benedictus Dominus Deus Israel.* Quanquá illæ ipsæ laudes ex eodem prophætico spiritu profectæ sunt, & suo quodam modo, dum prophetiam ornant, ad illam pertinent. Sic totum carmen prophetia dici potest.

68. *Benedictus Dominus.*) Benedicatur, aut laudetur Dominus. Vel, dignus est Dominus, vt benedicatur,atque laudetur. Hoc enim est Hebraicè ברוך, vt, *Benedictus,qui venit in nomine Domini* Matthæi 23. 39. & Marci 11.9. Alia exempla in promptu sunt Psal.17.47.& 27.6. & 30.22.& 40.14. Exordiuntur à gratiarum actione: quia magnum erat Dei beneficium, quod prædicabat.

Deus Israel.) Deum Israel vocat, non quòd Iudæorum tantùm, non omnium etiam hominum Deus esset, vt ait D.Paulus Romanorum 3.29. sed quia in solo Israel colebatur. Itaque descriptio est veri Dei. Nam solus Deus Israel verus erat Deus, Gentilium Dij idola erant,aut,vt ait Dauid,Psal.95. *Dæmonia*, quemadmodum Euthym. animaduertit; Sic Darius Danielis 6.26.publico edicto confitetur. *A me constitutum est decretum,vt in vniuerso imperio,& regno meo,vt remiscat,& paueant Deũ Danielis. Ipse est enim Deus viuens, & æternus in sæcula.* Cum vocat Deum viuentem, indicat cæteros omnes Deos mortuos esse,quia,vt ait Dauid Psal.113.12. *Os habẽt,& nõ loquẽtur,oculos habent,& non videbũt.* Alia potuit esse ratio, cur Deum Israelis appellauerit: quia hoc nimirum epithetum ad rem,de qua agebatur,pertinebat; agebatur autem de redẽptione potissimum Israelis, sicut statim Zacharias dicit, *Quia visitauit,& fecit redẽptionem plebi suæ.* Sunt,qui velint allusisse hoc nomine Zachariã ad fœdus illud Dei cum Abraham Gen. 17.7. *Et statuam pactum meum inter me,& te,& inter semen tuũ post te in generationibus suis fœdere sempiterno,vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Vt indicaret propter fœdus illud Deum populũ suum visitasse,vt ait ver.32. Ita Psal.40.14. *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo,& vsque in sæculum.* & Psal.71.18. & 105.48.

Deus viuens, & æternus in sæcula.

Quia visitauit.) Liberauit, redemit, vt statim sequitur. Hebraismus est qui & in bonã, & in malam partem accipi solet. Cum in bonam accipitur,significat beneficio aliquem afficere, aut afflicto opem ferre, miserum liberare, aut redimere vt Gen.21.1. & 50.23.24. Exodi 3.16.& 4.31. Psal.8.5.& 64. 10. & 79.15.& 105.4. Sic accipitur hoc loco. Beda, *Visitauit*,inquit,*Dominus plebem suam, quasi longa infirmitate tabescentem, & quasi venditam sub peccato vnicus filij sui sanguine redemit.* Cum in malã sumitur partem, significat è contrario affligere, pœnas quasi iudicem ab aliquo exigere Exodi 20.5. & 32.34. Isaiæ 23.17.& apud prophetas passim.

Visitare quid Hebræus significet.

Et fecit redemptionem plebi suæ.) Plebi suæ dicit,cum omnibus etiam gentibus redemptionem fecisset,idque Zacharias nõ ignoraret. Erat enim *lux vera*, quę ideo veniebat,vt illuminaret *omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioannis 1.9. erat *propitiatio peccatis nostris,non pro nostris autẽ tantum,sed etiã pro totius mundi* 1.Ioannis 2.2.&, *vnus pro omnibus mortuus est.* 2.Corin.5.14.15.&, *dedit redemptionẽ semetipsum pro omnibus nobis* 1. Timoth.2.6. Quia primum venit,vt redimeret plebem suam Israel,illiq; soli præsentiam suam exhiberet. Nam alias gentes non per se,sed per Apostolos,& Apostolorum successores visitauit. Et Israel quidem quodãmodo ex debito redemit, quia suum illi promiserat aduentum, alias verò gentes ex sola liberalitate. Thophyl. Vide quæ diximus Matthæi 10.6.& Matth. 15.24. Cur præterito tempore vsus sit Zacharias, cum de re futura, id est de morte Christi,qua nos redemit, agi videatur, nonnulli quærunt. Beda, & Strabus causam hanc esse putant,quod redemptio etsi facta non erat, tamen erat in proximo,vt perinde esset,ac si facta iam fuisset,ideo de illa tanquam de re præterita Zachariam loqui. Lyranus, & alij locutum esse prophetarum more, qui de rebus futuris propter certitudinem euentus tanquam de præteritis vaticinantur. Potiùs ego existimo Zachariam rem iam præteritam significare voluisse. Dicit enim Deum fecisse redemptionem plebi suæ;non quòd redemptio ipsa, quæ non nisi morte, & resurrectione Christi perfecta fuit, absoluta esset,sed quòd inchoata, quòdque iam redemptor venisset. Itaque Deus,quantùm in se erat, misso iam filio suo redemptionem fecerat; tantùm reliquum erat,vt Christus moreretur. Eodem sensu dixit Simeon cap.2.30.se vidisse *salutare Dei*, id est salutem, & redemptionem à Deo missam, quia nimirum redemptorem viderat. Nõ ergo est prophetia,dicet aliquis, si de re præterita loquitur. Nemo nescit,& Greg. aliique auctores multi monuerunt, etiam rerum præteritarum esse prophetiã, cum eiusmodi sunt, vt non possint, nisi Deo reuelante cognosci,qualis hæc erat. Nam scire iam tùm venisse

Prophetia etiam præteritarum est rerum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

redemptorem, cùm adhuc in matris vtero lateret, nemo nisi prophetico spiritu potuit. Quare rectè Origenes homilia 10. in Lucam obseruauit, duas contineri in hoc cantico Zachariæ prophetias alteram de Christo, de Ioanne alteram; illam de re præterita, hanc de futura esse.

Cornu pro potentia Hebraicè.

69. *Et erexit cornu salutis nobis.*) Cornu potentiam Hebraica phrasi significari, κ. mo ignorat, quia, vt ait Theophylactus, quæ animalia cornuta sunt, ea in cornibus totum fere robur habent. Exempla sunt multa Psalm. 43.6. & 74.6. 11. & 131. 17. & 148.14. Sic multi hoc loco accipi putant, idque ego confirmo. Cornu igitur salutis appellatur, cornu salutare, id est diuina manus, atque potentia, quę nobis salutem affert, vt Psalm. 17.3. *Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum, protector meus, & cornu salutis meæ.* Erexisse autem hoc cornu Dominus dicitur, quasi priùs deiectum fuisset, dum opem populo suo non ferebat, nunc verò quasi erectum, & in sublime sublatum appareat. A tauris est ducta metaphora, qui quo robustiores, & ferociores sunt, eo altius extollunt cornua. Sic loquitur Dauid Psalm. 74.5.6. 11. & 88. 18. 25. & 111.9. Significat etiam cornu regnum, aut Regem, siue regni gloriam, aut quia, vt Beda, Theophy. & Euthym. existimant, cornu olei Reges inungebātur 1. Regum 16. 1. 13. & 3. Regum 1. 39. aut quia Rex, vt ego arbitror, tota gloria, totum robur est regni. Hic etiam sensus rectè in hunc locum cōgruit, eo etiam magis fortasse quàm alter, quòd mysterium magis exprimit, dum non quodcunque à Deo auxilium, sed ille ipse tamdiu expectatus Christus missus declaratur. Et quòd videatur ad Dauidis promissionem alludi Psal. 131. 17. *Illuc producā cornu Dauid, paraui lucernā Christo meo:* & quòd hoc sit propriè erigere fractum iam quodammodo Iudæorum cornu, id est regnum efficere vt repullulascat, & crescat, quo sensu dixit Isaias cap. 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse,* & quòd statim sequatur, *In domo Dauid pueri sui,* & quòd frequenter scriptura per cornu regnum significet Danielis 7. 7. 8. 24. & 8. 3. 8. 9. 20. 21. & Ezechielis 29. 21. Et quòd plerique auctores ad hunc modum hic interpretentur, Beda, Theophyl. Euthym.

Pro Regetiam, & regni gloria, seu regno.

In domo Dauid.) In familia Dauid, cui regnum promissum erat Psal. 88. 36. 37. 38. & Psal. 131. 11.

Pueri sui.) Serui, aut ministri sui; seruum autem, aut ministrum Dei Dauidem vocat, nō solum, quia Deo placuerat, sicut omnes sancti Dei serui vocantur vsque adeò, vt Deus quodammodo gloriaretur se virum inuenisse secundùm cor suum, & omnes Reges boni dicerentur in vtis Domini ambulasse, iuxta omnia, quæ fecerat Dauid seruus eius; sed etiam quia minister fuerat Dei in eius populo gubernando Psal. 77. 70. 71. *Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum, & Israel hereditatem suam:* & quia in ea ipsa re Christi personam gesserat, & illustrissima illius figura fuerat. Ita prorsus, vt Christus multis locis Dauid appelletur, & eo nomine populo promittatur Hieremiæ 30. 9. & Ezechielis 34. 24. & 37. 24.

1. Reg. 13, 14. 1. Reg. 15. 17. 4. Regum 18. 3. & 22. 2.

Christus Dauid dictus, & eo nomine promissus.

70. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius.*) Hyperbaton est, ad hunc modum resoluendum. Sicut locutus est per os sanctorum suorum prophetarum, qui à sæculo fuerūt. Particula sicut, aut ad præcedentia referri potest, nempe ad illud, *Erexit nobis cornu salutis*, vt Euthy. & Theophyl. referunt, vt sit sensus, ita nobis Deum cornu salutis erexisse, quemadmodum per prophetas olim promiserat. Aut ad sequentia *salutem ex inimicis nostris.*

A Vtrumque congruit, sed illud probabilius. Vult Zacharias, & Dei fidem commendare, quod quæ promiserat de futuro Messia fideliter præstiterit, idem enim est *sicut locutus est*, ac si diceret, sicut promiserat: & ostendere ea quæ de cornu salutis, id est de Christo iam misso, dixerat vana non esse, sed vera & à prophetis prędicta. Prophetas itaque omnes, dum neminem nominatim citat, testes adducit, & quo magis eorum testimonium commendet, sanctos appellat, quasi exceptione omni maiores. Quod vtrūque & quòd prophetæ, & quòd sancti fuere, eo valet, vt eos credamus vera prædixisse. Quod dicit, *qui à sæculo sunt*, aut fuerūt, vtroq; enim modo verè potest, quidam sic intelligunt quasi omnes omnino prophetæ, qui ab initio conditi mundi fuerunt, de Christo prophetauerint. Nam & Adam ipsum cum dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Gen. 2. 23. ad Christum, & Ecclesiā prospexisse testatur D. Paulus ad Ephe. 5. 31. Et Moysem quinq; libris legis de Christo scripsisse Christus ipse docet Ioannis 5. 46. & de reliquis prophetis dubium non est, quia etsi non omnes fortasse nominatim de Christo locuti sunt, tamen omnes eorum prophetiæ, aliæ quidem longiùs, aliæ verò propiùs in Christum prospiciebant, ita Beda. Simplicius etiam interpretari possumus, vt Hebraismus sit בְּעַד מֵעוֹלָם *à sæculo*, id est qui olim fuerunt, quasi dicat, sicut locutus est per os veterum suorum prophetarum. Quemadmodum Gen. 6. 4. dicitur *isti sunt potentes à sæculo viri famosi*, id est, isti sunt giganteꝰ illi antiqui adeò celebrati, & Psal. 24. 6. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarū tuarum, quæ à sæculo sunt*, id est antiquarum, quemadmodum explicatur Psal. 88. 50. *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua?* Similis locutio illa est Psal. 118. 44. *Et custodiam legē tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi*, id est æternum.

Prophetæ omnes de Christo prophetauerunt.

Hebraismus.

71. *Salutem ex inimicis nostris.*) *Sicut locutus est*, id est quemadmodum promiserat nobis, *salutem ex inimicis nostris*, id est fore, vt nos ab inimicis nostris liberaret; ita *erexit nobis cornu saluris*, id est liberauit. Beda, & Euthym. exponunt *erexit nobis cornu, salutem ex inimicis nostris*, quasi appositio sit; quod non temere probauerim. Quos inimicos Zacharias intelligat Euangelista non dicit, ac nisi certò sciremus Zachariam afflatu Spiritus sancti locutum fuisse, suspicio aliqua subire animum posset Iudæorū more, & opinione loqui, qui Christum Regem ideo venturum putabant, vt se ab hostibus carnalibus, id est à Romanis, & aliis gentibus, à quibus opprimebātur, liberaret, & in regnum restitueret. Sed sicut Christi regnum spirituale fuit, ita debemus existimare de spiritualibus inimicis Spiritum sanctum per Zachariam loqui, id est de dæmonibus, vt Theophylactus exponit. Vnde colligitur, quod ad intelligēdos prophetas diligenter est obseruandum, Zachariam sic interpretari quicquid veteres prophetæ de Iudæorum liberatione ex hostium potestate vaticinantur, vt Esaias cap. 19. 20. & 36. 15. & 37. 32. & Hieremias cap. 15. 20. 21. & 39. 17. & Ezechiel. 13. 21. & 34. 22. 23. & Osee 13. 14. & Michæas 6. 4. Nemo igitur prophetas legens nudam sequatur historiam, cum videat ea etiam, quæ maximè historica videntur interprete Zacharia in Christum spectare.

Et de manu omnium, qui oderunt nos.) Intelligitur ὡσαύτως, *sicut locutus est*, id est promisit salutem, liberationémq; *de manu omniū qui oderunt nos*, hoc est fore, vt nos liberaret de potestate inimicorum nostrorum. Repetitio est apud Hebræos in his præsertim duobus nominibus frequentissima, Psalm. 17. 18. 41.

Repetitio Hebraismus.

& 20.

& 20. 9. & 43. 11. & 54. 13. & 67. 2. & 88. 24. & 105. 10.

72. *Ad faciendam misericordiā cum patribus nostris.*) ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, vt faceret misericordiā cum patribus nostris. Id est ideo *erexit cornu saluris nobis*, vt faceret *misericordiā cum patribus nostris.* Aut, ideo promisit *salutem ex inimicis nostris*, vt cum patribus nostris faceret misericordiam: vtroq; enim referri hoc potest. Si priori illo modo interpretemur, sensus erit misericordiā suam erga patres nostros Deum ostendisse, quòd filium suum misisset, quemadmodum Origenes, Beda, Theophyl. & Euthymius interpretantur. Si posteriore, Deum tunc cum promisit magna in ea ipsa re erga patres nostros misericordia vsum fuisse, quia propter eos Christum nobis promisit. Sed quia priorem sensum omnes sequuntur, eum & nos sequamur, exponamusq; quomodo patres illi nostri iam tunc mortui ex Christi aduentu Dei misericordiam dicātur percepisse. Id duobus modis auctores intelligunt. Origenes hom. 10. & Theophyl. in commentariis, quòd illis etiam patribus Christi aduentus, & redemptio profuerit, fide enim & gratia nascituri Christi saluati sunt, vt ait Petrus Actor. 15. 11. Euthym. verò, quod propter illos recordatus fuerit Deus promissi sui, & miserit Christum. Misericordiam enim erga illos fuisse, non modò quòd illis Christum promisisset, sed etiā quòd suo miserit tempore, vt datam illis seruaret fidem. Hoc magis placet, quia sequitur *Et memorari testamenti sui sancti*; quæ explicatio videtur esse præcedentis sententiæ. Itaque frustra hīc Caluinus disputat misericordiam Dei, non patriarcharum meritum fuisse, quòd Christus nobis datus fuerit, quasi id quisquam nostrum negaret. Meliùs ex hoc loco collegisset multa nobis beneficia conferre Deum propter sanctos illos patres, quod ille cum discipulis suis negat. Nec enim obscurè Zacharias indicat in gratiam illorum cornu nobis salutis erexisse, ne eius fœderis, quod cum illis tam amicis, gratísque sibi hominibus pepigisset, obliuiscī videretur.

Memorari testamenti sui sancti.) Vt sancti fœderis sui cū illis initi recordaretur. Explicatio est, vt modò diximus superioris sententiæ. Græcissmus quoque idem recordari, id est vt recordaretur. Reminisci testamenti sui sancti vertit Irenæi interpres lib. 3. c. 11. Quid autem testamentum vocet statim explicat.

73. *Iusiurandum quòd iurauit ad Abraham patrem nostrum.*) Ὅρκον ὃν ὤμοσε πρὸς Ἀβραὰμ πατέρα ἡμῶν locus sensu facilis, verbis difficilis. Iusiurandū Græcè accusatiuus est, vnde regatur non apparet. Quidam vitium suspicantur, debereq; pro ὅρκον, ὅρκου legi, id est iurisiurādi, quod & facilis error fuerit vnius litteræ in litterā similem mutatione: quòdq; genitiuus etiam præcesserit διαθήκης testamenti, vt appositio esse videatur. Memorari testamēti sui sancti iurisiurandi quod iurauit ad Abraham. Vtendum hac cōiectura iudicarem, si esset necessaria, & alicuius codicis auctoritate probaretur. Cæterum quid attinet locum corrigere, quem possimus aliter interpretari? quémque & omnes codices, & omnes interpretes aliter legerint? Si liceret exercere ad hunc modū ingenii, multas nō minus subtiles cōiecturas inueniremus, quibus non corrigeremus, interpretaremúrque; sed peruerteremus litteras sacras. Alij præpositionem ὡς secundum, intelligendam esse putant, sicut cum Græci dicunt τρόπον pro τρόπου. Qua ratione sensus quidem facilis est, & consequens, *Ad faciendam misericordiā cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti* secundum *iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum* id est sicut iurauit Abrahamo

Timor multiplex.

patri nostro. Quemadmodum Maria dixit ver. 55. *sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.* Alij hoc iungunt cum verbo sequenti, *daturū se nobis*, vt sensus sit *Memorari testamenti sui sancti*, & τοῦ δοῦναι ἡμῖν: & dare nobis *iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum*, id est vt recordaretur testamenti sui sancti, & vt nobis præstaret, quod se præstiturum iurauerat Abrahamo patri nostro. Quod nimis mihi violentum videtur, & quia dura traiectio est, Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, vt daret nobis; & quia δοῦναι ὅρκον dare iusiurandum, id est præstare quod iureiurando promiseris, nescio an quisquam Græcè loquens dicere potuerit. Theophylactus, & Euthy. referunt ad verbum præcedens, Recordari, vt sit metathesis casus, & idem verbum quod paullo ante genitiuum habuit, nūc accusatiuum habeat. Cuiusmodi figuram supra notauimus ver. 55. *sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.* Ego si intelligo, vt sit appositio, non vllius quidem verbi, sed totius præcedentis sententiæ. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum*, id est, quod est iusiurandum illud quod iurauit ad Abraham. Atque ad hunc nisi fallor modum intellexit Beda. Ad quod autem iusiurandum Abrahamo præstitum alludat, alia est quæstio, ad quam rectè Theophylactus respondet, ad illud Geneſis 22. 16. 17. 18. allusionem fieri. *Per memetipsum iurauī, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

74. *Daturum se nobis.*) Explicat vt ait Euthymius, quid in illo iureiurando contineretur, nempe fore, vt hoc nobis daret, hoc nobis concederet beneficij, vt liberati de inimicorum nostrorum potestate sine timore, id est liberè illi seruiremus. Qui timorem hoc loco seruilem quem vocant interpretantur, verborum nexum non animaduertunt, qui satis apertè docet non de timore Dei, aut seruili, aut filiali, sed de timore inimicorum agi, sine quo esse mus Deo liberè seruituri. Theophylacti non probo sententiam, aduerbium ἀφόβως *sine timore* cum participio ῥυσθέντας *liberati* iungentis, quasi sententia sit nos alias non sine timore, id est, non sine periculo, non sine bellicis cladibus, non sine sanguine liberatos fuisse, nūc verò sine vllo timore, ac periculo liberandos. Acutiùs vidit Euthym. hyperbaton esse eo modo quo exposuimus resoluendum. Quando hoc factum fuerit, perpetua Ecclesiæ vexatio facit, vt meritò dubitemus. Si quemadmodū ver. 71. docuimus, non de corporalibus, sed de spiritualibus hostibus hoc intelligamus, quemadmodum omnes ferè interpretes intelligunt, sententia est facilis, & aliis scripturæ locis explicata. *Nolite*, inquit, *timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*, infra cap. 12. 32. &, *Confidite, ego vici mundum*, Ioannis 16. 33. Et *certus sum*, inquit Paulus Roman. 8. 38. 39. *quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quid ergo alibi iubet nos *cum timore & tremore*, nostram ipsorum salutem operari? ad Philipp. 2. 12. & alibi, *Fide stas, noli altum sapere, sed time* ad Rom. 11. 20. Iubet nos à nobis timere, non ab hostibus. Nam hostis quidem non solum per Christum debilitatus, sed victus omnino, atque ligatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est Apocalyp. 20. 2. Non tam ille in nos inuadit, quam ipsi nos in illius manus damus. *Circuit* quidē *tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret*, 1. Petri 5. 8. sed ligatus circuit, quales solent circumferri vrsi, nec mordere nos potest, nisi volentes, & quodammodo prouocantes. *Quis*, inquit, *est qui vobis noceat, si bonæ æmulatores fueritis?* 1. Pet. 3. 13. Vera est Chrysost. sententia, neminem lædi nisi à seipso.

Nemo lædituꝛ, nisi à seipso.

75. *In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*) Non solum declarare mihi videtur, quomodo Deo, quemadmodum dixerat, seruire debeamus, sicut Beda, & omnes ferè interpretes existimant: sed etiam Euangeliū legi tacitè opponere, & cuiusmodi sit vocatio vitæ Christianæ breuiter indicare. In vetere nimirum lege, qui Deo seruiebant, non tam in vera sanctitate, atque iustitia, quàm in vmbra quadam iustitiæ, ac sanctitatis, id est *in iustitijs carnis*, vt loquitur D. Paulus, seruire videbantur. In Euangelio verò non in vmbra, sed in veritate, non in iustitia carnis, sed in iustitia spiritus seruitur. *Venit*, inquit, *hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate.* Atque hæc est vocatio vitæ Christianæ, vt piè, sanctè, & iustè viuamus in hoc sæculo 1. Thes. 4. 7. & ad Titum 2. 12. Theophyl. & Euthym. sanctitatem, & iustitiam ita distinguunt, vt sanctitas ad Deum, iustitia ad homines sit. Itaque his duobus verbis, vt alij quidam adnotauerunt, vtramque legis tabulam contineri. Magis mihi probabile videtur, vt iustitia generaliter accipiatur, omnémque virtutem, etiam ipsam in Deum pietatem comprehendat.

Hebr. 9. 10.

Ioā. 4. 23.

Coram ipso.) Omnes sic interpretantur, non fictè, non simulatè, sed verè non solùm hominū, sed Dei etiam iudicio, Theoph. & Euthym. Phrasis quidem Hebraica id propriè significat, vt ver. 6. expositum; sed tamen hoc loco maiorem quandam vim habere mihi videtur. Opponit enim, nisi fallor, legi Euangelium. In lege homines non Deum, sed Mosem, aut alium prophetam, vel sacerdotem videntes Deo seruiebant. In Euangelio verò ipsum intuentes Deum, id est Christum, quia *verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Itaque omnes facti sunt *docibiles Dei*, ex ipso Dei ore salutem haurientes Ioannis 6. 45. Hoc est, quod ait Petrus Actorum 10. 41. 42. se, & cæteros Apostolos ordinatos fuisse à Deo testes resurrectionis Christi, qui manducauerant, & bibe-

Ioā. 1. 14.

rant, cum illo. Et Ioannes 1. epistola c. 1. 1. *Quod vidimus oculis nostris quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis.*

Omnibus diebus nostris.) Neque his verbis solā perseuerātiam, vt Beda, & plerique interpretes putant, significari arbitror. Hoc enim etsi verum est, tamen est parum. Ergo per tacitam oppositionem inter Euangelium, & legem loqui mihi videtur Zacharias indicans statum hunc Euangelicæ vitæ nullum esse nisi mundi finem habiturum, quemadmodum status veteris legis finem habuisset. Neque hoc ad solam sanctitatem, & iustitiam, sed ad omnia præcedentia referendam existimo. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum omnibus diebus vitæ nostræ liberati seruiamus illi.* Significat enim Dei beneficiū, quod decantauerat, fore perpetuum.

76. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis.*) Eleganti & minimè inuenusta ea recens natum infantem vtitur apostrophe. Videtur enim puerum à numero cæterorū hominum excludere, & omnibus aliis hominibus vnum opponere, cum dicit, *Et tu*, quasi dicat, tu verò puer non solum in sanctitate, & iustitia corā Deo illi seruies, sicut cæteri homines, sed Prophēta etiam altissimi vocaberis. Ipsius Domini ministeris, & totius pars magna mysterij: tu nobis, vt sanctè, & iustè seruiamus Deo, viā indicabis, nósque ad Deum duces, donec eum nobis digito præsentem demōstres. Quod dicit *Propheta altissimi vocaberis*, per inde est, atque si dicat, *Eris*. Hebræorū proprietate, vt supra ver. 32. & 35. explicauimus. Putat Idacius Clarus lib. 3. contra Varimadum, altissimū hoc loco Dei filium appellari, quasi dicat Zacharias Propheta Christi vocaberis. Hinc enim probat aduersus Arianos non solùm Patrem, sed etiā Filium in litteris sacris altissimum dici. Quærunt nonnulli, quomodo Zacharias non intelligentem alloquatur infantem. Orige. hom. in Lucam 10. Ambros. Beda: Strabus, Theophyl. existimāt intellexisse puerū patris verba. Nam quemadmodum in vtero rationis illi vsus anticipatus fuerat, sic in eo iam nato permansisse. Id si recipitur, quod & diuina potentia, & Ioannis sanctitas, & tot, tantæque auctoritates probabile faciunt, soluta quæstio est. Si non recipitur, respōderi potest, non esse nouum, neque à consuetudine lacrarum litterarum alienum, vt res non solùm ratione, sed sensu etiam carentes, homines alloquantur. Alloquitur Dauid mōtes Gelboë 2. Reg. 1. 21. *Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia veniant super vos.* Alloquitur Iosuë Solem, & Lunam Iosuë 10. 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Potuit etiam, vt Bedæ placet, Zacharias Ioānem alloqui, non vt ab eo, sed vt ab iis, qui aderant, intelligeretur, eósque doceret qualis, quantúsque vir puer ille futurus esset, de quo paulò ante dubitauerant. *Quis, putas, puer iste erit?* Sicut Christus dixit Ioannis 12. 30. *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.*

Præibis enim ante faciē Domini parare vias eius.) Dominum vocat Christū, ante cuius faciem præcesserit Ioannes, cuiúsque præparauit vias. Itaque manifestū hoc est testimonium ad probandam Christi diuinitatē. Sed hæc omnia ver. 17. explicata à nobis sunt. Hic tantùm notandum, compulsum Zachariam à Spiritu sancto canere, vt dicunt, palinodiam. Nam cum hoc ipsum de nascituro Ioanne prædicenti angelo non credidisset, postquam, vt ver. 67. dictum est, repletus est Spiritu sancto, tenere se non potest, quin id clara voce profiteatur, ac prædicet. Iuuat aliquando mutū fuisse, iuuat fuisse peccatorē. Surgit fortior aliquādo virtus ex pœnitentia; & maiore contentione miles pugnat, qui prostratus surrexit.

Tollendi mala.

77. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius.*) Docet, vt inquit Theoph. quid sit, quod dixerat, *parare vias Domini*, dare nimirum *scientiam salutis*, id est salutis viam demōstrare. *Scientiam salutis* dixit, id est salutarem, noto Hebraismo, & Græcè ἔννοια γνῶσιν dare scientiam, id est vt daret scientiā, sicut ante dixerat ἑτοιμάσαι parare, id est vt pararet. Sed nōster interpres, ne oratio, si tot infinita, aliud post aliud, sequerentur, fieret obscurior, versionem variauit, quod in simili exemplo fecit supra ver. 72. Scientiam salutarē dedit Ioannes populo, dum illū docuit Christum verum esse Saluatorem, ignoratum ante, *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.*

Dandi.

In remissionem peccatorum eorum.) Non quòd illis Ioannes peccata remitteret, neque enim poterat, sed quòd homines doceret ad Christum venire, qui verè illis peccata remittebat. *Ecce qui tollit peccata mundi*, vt exposuimus Matthæi 3. 6. Quod Græce est ἐν ἄφεσιν, pro εἰς ἄφεσιν, mirum nō erit iis, qui aliquem scripturæ Græcè vsum habent. Poni enim ἐν pro εἰς sæpe monuimus. Itaque frustra quidam aliis interpretationes adhibent.

Tollendi mala.

78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri.*) *Viscera misericordiæ* vocat per Hebraismum misericordiæ plenam aut miserēdiam non fictam, & vanam, sed ex intimis Dei profectā visceribus, vt vocat D. Paulus ad Philipp. 2. 1. & ad Col. 3. 12. & Ioan. 1. epist. c. 3. 17. Inngēda autē hęc verba sunt cum præcedēti verbo, *In remissionem peccatorum eorum.* Docet enim Ioānem non tradidisse populo scientiam, qua ipse suis meritis, sed qua diuina misericordia, & gratia peccata remitterentur, vt Theophyl. & Euthym. exponunt.

Supra. 68. Viscera misericordiæ.

In quibus visitauit nos.) Propter quæ viscera misericordiæ visitauit nos, Hebraismus. ἐν in pro διά, propter, vt apud Hebræos, ב pro על, vt multis aliis locis obseruauimus.

Visitauit nos.) Venit, vt redimeret nos. Quid sit Hebræis visitare, diximus supra ver. 68.

Oriens ex alto.) ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, ortus solis ex alto. Itaque oriens non est participium, aut nomen adiectiuum, sed substantiuum, sicut ortus, ortus; Quod maiorē mihi videtur emphasim habere. Vocat enim Christum tacitè Solem, vt Malachiæ 4. 2. & sapiētię 5. 6. eiúsque ad nos aduētum Solis ortum, quemadmodū Isaiæ 60. 1. 2. Et Malachiæ 4. 2. Quòd autem addidit *ex alto*, indicat quid inter Christum Solem nostrum, & Solem istum mundi communem intersit: quòd hic non *ex alto*, sed ex terra, aut ex Oceano, vt Poētę loqui solent, oriri videatur. Christus verò *ex alto*, quia rectis quodāmodo lineis de cælo ad nos vsque descēdit. Significat etiam Zacharias primam originē Christi non ex terra, sed ex cælo fuisse, quia non ex viro, sed ex Spiritu sancto conceptus fuerat, & non homo tantùm, sed Deus, & homo erat, Deus de cælo, homo de terra, id est de vtero Virginis natus. Sic enim veteres auctores interpretantur illud Ps. 84. 12. *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.* Itaque cum dixit *ex alto*, non modò Soli isti cōmuni, sed cæteris etiam hominibus, qui ex terra sola, quod ad corpus attinet, originē trahunt, tacitè Christum opponit. Illuminare autē nos dicitur eius ortus, sicut Solis ortus hemisphærium nostrū illuminat, non solùm propter doctrinā, quia viam nobis salutis ostendit, nam isto quidem modo etiam Ioannes illuminauit, quia etsi Sol non erat, nec lux vera Ioannis 1. 8. Erat tamen *lucerna ardēs, & lucens.* Ioannis 5. 35. sed multo etiā magis propter salutem ipsam, quàm nobis attulit, & vitam omnium spirituālium donorum affluentia redundantē. Hebræi enim, sicut res omnes aduersas tenebras vocant, ita prosperas lucem appellant Isaiæ 8. 20. & 9. 2. & 30. 26. & 60. 1. & Psal. 42. 3. & 96. 11. & passim apud prophetas. Puto non magni refert, sed vellicare iuuat hæreticorum interpretem. Bis vno errat verbo, & quia nomen orientis hoc loco orientalem regionem significare dicit; cum nón regionem, aut locum, sed actum ipsum oriendi Solis declaret. Neque enim regio vlla, sed Christi ortus, id est aduentus nos illuminauit: & quia scribit alluisse Zachariam ad locum Zachariæ prophetæ c. 3. 9. & 6. 12. cùm illic non sit Hebraice מזרח, quod Solis, sed צמח, quod germinum ex terra ortum significat, vt nonnulli ante nos interpretes obseruarunt.

Supra. 68. Visitauit.

Oriens.

79. *Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent.*) Reddit causam, cur visitauerit nos Oriēs ex alto, nēpe, vt illuminaret ijs, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant. Illuminare his, & nō hos dixit Latinus interpres Græcam secutus phrasim, ἐπιφᾶναι τοῖς καθημένοις, illucescere iis, qui sedent, id est lumen illis porrigere. Qui disputant vtrum ἐπιφᾶναι Græcè, & illuminare Latinè infiniti hoc loco, an imperandi modi sit, rem minimè dubiā in dubium mihi videntur reuocare. Quid sit *illuminare ijs, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent*, superiore versu docuimus. Quid

Hebraismus.

sit *in tenebris, & vmbra mortis*, sedere ex contrario intelligi potest, non in magna solùm ignorantia, sed etiam in miserabili afflictarum rerum statu versari, qualis peccati status nimirum est, vt Gregor. lib. 4. Moral. c. 17. his verbis exponit, *In vmbra mortis sedere est à diuini amoris notitia in obliuione latescere.* Sedere autem hoc loco pro habitare ponitur ex Hebræorū idiomate, apud quos יָשַׁב vtrumque significat, & sedere, & habitare Psal. 136. 1. Isaiæ 32. 16. 18. & Hieremiæ 41. 17. aut sumitur pro iacere, quemadmodū idem verbum apud Hebræos Isaiæ 3. 26. *Et mœrebit, atque lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit*, & Hieremiæ 13. 18. *dic Regi, & dominatrici, Humiliamini, sedete quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ*, & Threnorum 1. 1. *Quomodo sedet sola ciuitas*, id est quomodo desolata iacet. צַלְמָוֶת *vmbra mortis* ab Hebræis tristissima rerū facies vocari solet, sumpta ex obscuris, & vmbrosis sepulchris similitudine, quibus nihil videri potest tristius. Vide, quæ de his verbis diximus apud Matthæum c. 4. 16.

Hebraismus.

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.) Rectè cōiungit hæc duo, illuminare, & pedes dirigere; propterea enim vti solemus lumine, vt pedes dirigam⁹, id est ne offendamus in via: maximè cùm de tenebris, & vmbra mortis loqueretur: solemus enim nos tu incedētes, ne impingamus, aut à via aberremus, præferre facem. Similis est illa sententia Psal. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbū tuum, & lumen semitis meis.* Viam pacis vocat, aut qua itur ad pacem, id est ad beatam vitam. (solent enim Hebræi felicē rerum statum pacem appellare Psal. 28. 11. & 36. 11. & 71. 7. & 72. 3. & 118. 165. & 124. 5. similis phrasis est, Ps. 12. 4. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*, id est ne sedeam in tenebris, & vmbra mortis.) aut viam pacis vocat, viam tutam, rectam, planam, sine vllo errore, sine vllo offendiculo, sine vllo periculo, vt alludatur ad prophetiā Isaiæ c. 40. 3. 4. *Parate viā Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aspera in vias planas*, vt Gregor. exponit homil. in Euangelia 33.

Hebraismus.

80. *Puer autem.*) Ioannes. Quia de reliquo vitæ Ioannis tempore vsque ad annum tricesimum nihil dicere constituerat Euangelista, prælibauit hæc pauca, vt eius infantiam cum virili coniungeret ætate, vno verbo declarās, quid interim egerit; creuisse nimirum eum, & corpore, & spiritu, & in desertum à pueritia sua discessisse, ibique commoratum, quo ad tricesimum natus annum prædicare inciperet.

Crescebat.) Corpore, & ætate. Distinguit enim *crescebat*, & *confortabatur*, vt illud ad corpus, hoc ad animum spectet. Facit hac etiam in re Ioannem similē Christo, de quo dicit c. 2. 52. *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Confirmari videtur hoc loco Origenis, Ambrosij, Bedę, & Theophilacti sententia, qui, vt diximus, ver. 76. existimant Ioannem etiam infantię tempore rationis vsum habuisse. Quomodo spiritus in illo confortaretur, exponit Theoph. nō quòd spiritus crescēret, sed quòd crescente corpore magis appareret, siue diuinū siue humanū spiritū intelligamus; vtrumq; enim intelligi posse video. Potest etiam spiritus pro spiritus effectu, id est, pro virtute accipi, quam vero simile est non solùm magis sese crescente corpore ostendisse, sed verè etiam creuisse cum corpore: hoc enim Ioannes à Christo distabat, quamuis idem de vtroque dici videatur, quòd Christus sapientia, & gratia crescere non poterat, Ioannes poterat.

Et erat in desertis.) Indicat statim à prima pueritia insolitudinem secessisse, vt Origen. hom. 11. sen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tit. De qua re nos Matthæi 3.1. disputauimus.
Vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.) Vsque ad tempus, quo prædicare cœpit, & se Christi præcursorẽ declarare. Is fuit annus ætatis eius, sicut & Christi, tricesimus: Tiberij autem Cæsaris decimusquintus, A vt constat ex cap. 3. 1. Quare non ante id tempus prædicare cœperit, apud Matthæum cap. 3. 1. docuimus, quòd nimirum apud Iudæos nemini ante annum tricesimum ætatis suæ, aut sacerdotis, aut doctoris, aut prophetæ officio fungi liceret.

CAPVT II.

EACTVM est autem in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis. 2. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino: 3. & ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. 4. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Mich. 5. a. 1. Matth. 2. a. 6. *Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quòd esset de domo, & familia Dauid, 5. Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. 6. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. 7. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuolut, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio. 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: 11. quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. 12. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. 13. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantiũ Deum, & dicentium: 14. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 15. Et factum est, vt discesserunt ab eis angeli in cælum: pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. 16. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. 17. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. 18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. 19. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. 20. Et reuersi sunt pastores glorificantes,* Gen. 17. b. 12. Leuit. 12. a. 3. Sup. d. 31. Matth. 1. c. 21. Leuit. 12. a. 6 Exod. 13. a. 2. Num. 8. c. 16. Leuit. 12. c. 8. *& laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant sicut dictum est ad illos. 21. Et postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo prius quàm in vtero conciperetur. 22. Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterẽt eum Domino, 23. sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. 24. Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum. 25. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. 26. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent pueri Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: 28. Et ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: 29. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: 30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum,* Isai. 8. c. 14. Rom. 9. g. 32. 1. Pet. 2. a. 1. *31. Quod parasti ante faciem omnium populorum. 32. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. 33. Et erat pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. 34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum, cui contradicetur: 35. & tuam ipsius animam pertransibit gladius vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. 36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. 37. Et hæc vidua vsque ad annos*

octoginta quattuor: quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. 38. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. 39. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. 40. Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo. 41. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solemni Paschæ. 42. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, 43. consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. 45. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. 46. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. 48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. 49. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? 50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. 51. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. 52. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

IN CAPVT II.

EACTVM est autem.) Accidit ויהי, vt sæpe diximus. Significatur autẽ non casus, vt videtur Latinum verbum præ se ferre; sed diuina prouidentia, quæ effecit, vt eo potissimum tempore Augustus Imperator in animum induceret, vt vniuersus describeretur orbis, vti ea occasione Maria Christo prægnans in Bethlehem veniret, vt Imperatoris obsequeretur edicto, ibique pareret, vbi prædictum à Prophetis erat nasciturum Christum Michææ 5. 2.

In diebus illis.) Sub idem tempus. Dubium vtrum nato iam Ioãne, an ante quàm nasceretur: quia non constat, an statim, vt edictum promulgatum est, descriptio facta sit. Quin auctores nonnulli sunt longè ante promulgatum, quàm facta descriptio, repugnantibus Iudæis, & quasi nouum seruitutis genus detrectantibus, ad quos deprimendos, vt ex Iosepho colligunt, Coponius à Romanis missus fuerat. Quamquam hæc opinio eodem auctore Iosepho libro 18. Antiqui. cap. 1. refutari mihi videtur; qui Iudæos scribit non difficile eam seruitatem subiisse. Itaque probabilius est nato iam Ioanne edictum illud extitisse.

A Cæsare Augusto.) Secundo Romanorum Imperatore, cuius anno 42. natus est Christus. Vide, quæ de hac re apud Matthæum c. 2. 1. disseruimus.

Vt describeretur vniuersus orbis.) Synecdochem esse, & res per se manifesta est. Nec enim totus orbis Romani Imperatoris iussu describi poterat, cùm totus eius non pareret imperio. Totus igitur orbis, idest ea orbis pars, quæ sub Romanis erat, describi iussus est. Similia exempla passim occurrunt. Matthæi 21. 10. *Et commota est vniuersa ciuitas.* & c. 27. 45. *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram,* & Actorum 11. 28. & 24. 5. & Romanorum 1. 8. & ad Colossenses 1. 6. Sunt qui existiment, ne totum quidem Romanorum imperium fuisse descriptum, sed solam tantùm Syriam, in qua tunc Iudæa censebatur. Sed A probabilius est, idque omnes fere auctores tradunt, totum descriptum imperium. Qua enim ratione, aut quo iure vna pars potiùs, quam altera describeretur? Inuenio, qui dicunt hæc ipsa edicti fuisse verba, *Iubemus, vt vniuersus describatur orbis.* Crederem, si se edictum legisse dicerent. Maior quæstio, etsi non admodum, vt mihi quidem videtur, ad intelligendum hunc locum necessaria, quam ob causam ea descriptio facta, qualisve fuerit. Quidam enim interpretes non alio consilio factum putant, quàm vt numerus constaret hominum, qui sub Romanorum essent potestate. Qua sola ratione Dauidem olim legimus populum numerasse 2. Regum 24. 2. Coniecturam ex Iosepho, & Tertulliano faciunt. Quorum ille lib. Antiquitatum 18. cap. 1. de hac populi recensione scribens nullam de tributo, nullam de alia eius faciendæ causa mentionem facit: hic verò libro aduersus Marcionem quarto scribit hunc censum Augusti in Romanorum archiuo suo tempore seruatum fuisse: tantùm ergo descriptionem fuisse numeri, quæ vna cum aliis scriptis seruaretur; tributum enim seruari non potuisse. Communem omnium ferè auctorum opinionem sequi malo, ideò descriptionem factam, vt in singula capita vectigal aliquod certum imponeretur, quod Iureconsulti capitationem vocant. Hoc vt magis credam, & Romanorum auaritia, & omnium Regum consuetudo persuadet, qui nonnisi duabus de causis recensere populum solent, aut vt sciant quantum ex eo pecuniæ possit emungi, aut quantum colligi virium ad bellicos casus. Hanc enim ob causam à Dauide populum fuisse numeratum 2. Regum 24. 9. perspicuum est: & paullo post docebimus hanc descriptionem non futuri belli causa fuisse factam. Itaque reliquum est, vt tributi causa facta fuerit, vt Euthymol. Strabus, Beda, & Græcus apud diuum Thomam auctor existimat. Quinetiam Iosephus eodem loco tradit Cyrinum Consularem virum missum fuisse, vt singulorum censeret facultates, quod non nisi impe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

randi vectigalis causſa fieri potuit. Confirmat hanc opinionem, quod ibidem tradit Iudam Gaulanitem ea de causa populum commouiſſe, quaſi Iudæis non liceret profanis Regibus tributa ſoluere. De quo, ſicut & de hac deſcriptione in Actis Apoſt. cap. 5. 37. ſit mentio. Illud etiam ipſum, quod Tertullianus ſcribit, hanc opinionem adiuuat. Quid enim attinebat hanc deſcriptionem in Romanorum archiuis aſſeruari, niſi tributi cauſa? Quantum autem tributi in ſingula capita impoſitum fuerit, incertum; ſed probabilis eſt multorum opinio, tantum ſaltem Iudæis impoſitum fuiſſe, quantum priùs Deo, templóque ſoluere ſolebant, id eſt mediam partem ſicli, quæ drachmas duas continebat, qua de re Matthæi 17. 24. diſputauimus. De aliis gentibus minor eſt coniectura, quantum iuſſæ ſoluere; neque enim idem omnibus tributum imperatum fuiſſe credendum eſt; cùm non omnium eadem haberetur ratio. Difficilior hîc eſt quæſtio, quomodo Romani viuente adhuc Herode Rege Iudæos cenſere potuerint, illiſque vectigal imperare. Id facile, & non malè quidam ſoluunt, Herodem ab Auguſto precario regnum accepiſſe; itaque non ſolùm vectigalis, ſed pene etiam mancipium Romanorum erat, & ad eorum nutum & regebat populum, & ipſe regebatur. Hoc facilè apud Ioſephum lector inueniet. Alia etiam nunc quæſtio reliqua eſt, vtrum omnes omnino homines, an ſoli viri, & ij ipſi vtrum omnes, an ſoli patres familias cenſi fuerint. Nam & hoc a quibuſdam interpretibus diſputatur, & iuuat aliquid ad loci huius explanationem. Auctores nonnullos inuenio non malos, qui ſolos viros, eóſque patres tantùm familiàs deſcriptos fuiſſe putent. Non credo; nam neque belli, ſed augendi, vt diximus, vectigalis cauſa facta deſcriptio eſt, & capitatio, qualem iſtam apparet fuiſſe, in ſingula omnino fiebat capita: & non erat, cur Beata Virgo vnà cum Ioſepho in Bethlehem ciuitatem ſuam veniret, ſi ſoli cenſendi erant viri. Hactenus, quæ ad hiſtoriam pertinent; illud ad myſterium, edictum illud non tam ab Auguſto, quàm à Deo profectum fuiſſe, vt per eam occaſionem in Bethlehem Maria veniret, ibíque vbi Propheræ naſciturum prædixerant, naſceretur Chriſtus, vt Ambroſius, & Beda hoc loco, & nos apud Matthæum c. 2. diſputauimus.

Quale vectigal Iudæi à Romanis imperatum.

2. *Hæc deſcriptio prima facta eſt præſide Cyrenio.*) Sic legendum, etſi in præſidis nomine variatur, dum alij Cyrenium, alij Cyrinum, alij Quirinum vocant. Non ergo ſignificatur hanc deſcriptionem à Cyrenio præſide, ſed eo præſide factam ante, non quidem in hac, vel illa prouincia. Nam in nonnullis fortaſſe prouinciis, vt nonnulli putant, aliæ factæ fuerant: ſed nullam ante hanc in toto factam imperio. Multis de cauſis creditur hoc Euangeliſtam notauiſſe, quod per ſe quidem conſideratum videri poterat ad rem non magnopere pertinere. Prima fuit, vt adhiberet fidem hiſtoriæ, dum omnes temporis circumſtantias, & rerum conditiones exponeret, dum Conſulem quodammodo deſignaret, vt exiſtimat Ambroſ. Secunda, vt id diuinitus factum appareret, non aliam ob cauſam quàm vt Chriſtus in Bethlehem, vt à Prophetis prædictum fuerat, naſceretur; ideo tunc factum, ante non factum. Tertia, vt oſtenderet ſummæ pacis tempore natum Chriſtum, qui mundo pacem afferebat. Vbique enim terrarum tunc fuiſſe pacem, clauſúmque tunc tertio Iani templum omnes & Eccleſiaſtici, & prophani teſtantur auctores. Quarta, vt Chriſtus in primo illo deſcriberetur cenſu, vt nos à cenſu, & tyrannide diaboli liberaret, Origenes, Ambroſius. De tempore difficilis admodum hinc oritur quæſtio. Conſtat ex omnibus fere auctoribus Chriſtum quadrageſimo ſecundo imperij Auguſti anno, regnante, vt Matthæus ait, adhuc Herode natum fuiſſe. Scribit Ioſephus lib. 17. antiquitatum cap. 15. & lib. 18. cap. 1. Cyrenium mortuo iam Herode Rege, & Archelao eius filio, atque ſucceſſore in Galliam relegato miſſum fuiſſe, vt cenſum hunc ageret. Qua ergo ratione fieri potuit, vt huius deſcriptionis tempore Chriſtus naſceretur? cùm omnes auctores tradant Archelaum poſt patrem Herodem nouem regnaſſe annos, antequam in exilium mitteretur; & Herodes poſt natum Chriſtum duos, vt minimùm, regnauerit neceſſe ſit, quibus Chriſtus fuit in Ægypto; & ſi credimus Epiphanio, multo etiam plures, de quare vide quæ Matthæi 2. 22. diſſeruimus. Itaque ſi præſide Cyrenio vt Lucas ait, hæc deſcriptio facta eſt, & vera ſunt, quæ de Archelao, & Cyrenio Ioſephus tradit, vndecim, vt minimùm, annis Lucas errat. Quod nonnulli reſpondent cenſum multis ante annis edictum fuiſſe, quàm peragi poſſet, tumultuantibus Iudæis, & onus auerſantibus, Chriſtum natum fuiſſe cùm primum Cæſaris edictum publicatum eſt; deſcriptionem verò factam, cum Ioſephus ſcribit, præſide Cyrenio, ſupra refutauimus, & hac etiam nunc ratione refutari poteſt, quòd ſi tunc, cum natus eſt Chriſtus, deſcriptio facta non fuiſſet, non vtique veniſſent Ioſeph. & Maria Bethlehem, vt deſcriberentur. Nam ſi quis reſpondeat Ioſeph, & Mariã promptiores fuiſſe ad parendum edicto, quomodo ad illud reſpondebit, quòd præ multitudine, vt verſu 7. docebimus, hominum in eandem ciuitatem confluentium locum in diuerſorio non inuenerint? Breuiùs ergo, &, vt opinor, meliùs alij reſpondent lapſum memoria Ioſephum diuerſa cõfudiſſe tempora. Quod vt faciliùs credatur, faciũt alij eiuſdem auctoris in hiſtoria non pauci, nec diſſimiles errores. Sed fingamus tam expertæ fidei, támque probatæ eſſe diligentiæ, vt nullus in eo alius error latuari poſſit; certè ſi Matthæus, & Lucas non facti, ſed profani auctores eſſent, tamen quia tempore Chriſti vixerunt, & cum eo, eiúſque matre verſati ſunt, plùs fidei, quàm Ioſephus, mererentur. Præterquam quòd Euangeliſtas non errare alia etiam ratione probari poteſt. Conſtat ex omnibus etiam profanis hiſtoriis Chriſtum anno Tiberij decimo-octauo paſſum fuiſſe, & paſſum 33. ætatis anno. Si inde verſus initium annos retexamus, reperiemus viuente adhuc Herode natum fuiſſe. Nam ſi ex regno Tiberij decem, & octo detrahamus annos, ex regno autem Auguſti 15. relinquitur natum fuiſſe anno Auguſti 42. vt apud Matthæum cap. 2. probauimus. Nam Auguſtum quinquaginta ſeptem imperaſſe annos Ioſephus ipſe lib. 18. antiquit. cap. 4. auctor eſt. Anno autem Auguſti 42. etiam ex Ioſephi ſententia Herodes viuebat. Indicat enim lib. 1. de bello Iudaico c. 11. Meſſala, & Atratino Conſulibus factum regem, quos licet annales diuerſis annis Conſules ponant, tamen ſi ab vltimo eorum Atratino triginta ſeptem annos numeremus, quos idem Ioſephus Herodem regnaſſe tradit lib. 17. antiquit. cap. 10. reperiemus mortem illius incidiſſe in annum imperij Auguſti 45. Cuius anno 42. Euangeliſtæ, & ſacræ omnes hiſtoriæ Chriſtum natum fuiſſe docent. Itaque duobus poſt natũ Chriſtum annis mortuus eſt Herodes. Eodem modo alia quæſtio ſolui poteſt, quæ ex eodem Ioſepho nobis naſcitur. Scribit lib. 18. antiquit. cap. 3. hanc

deſcriptio

deſcriptionem, de qua Lucas loquitur, 37. annis poſt Actiacam victoriam factam fuiſſe; quibus ſi addas 14. annos, quos idem Ioſephus ait Auguſtum ante eam victoriam vnà cum Antonio imperaſſe, inuenies ſecundùm Ioſephum anno Auguſti 51. deſcriptionem factam, id eſt nouem annis poſt natum Chriſtum. Vt Chriſtiani, Euangeliſtæ potiùs, quàm Ioſepho credamus; vt homines, eius ætatis, quo geſta res eſt, auctori, quàm remotioris. Duo adhuc ſcrupuli vexare lectorem poſſunt. Alter, ſi hæc deſcriptio viuente adhuc Herode facta eſt, quomodo Cyrenius præſes tunc eſſe poterat? Nec enim præſides in Iudæa prius cœperunt eſſe, quàm mortuo Herode, & Archelao eius filio in exilium miſſo, tota ad Romanos gubernatio deuoluta eſt. Facilis reſponſio. Cyrenius non Iudææ, ſed Syriæ, vt ait Euangeliſta, præſes erat, cum eſt facta deſcriptio; ſed quia Iudæa ad prouinciam Syriæ tunc pertinebat, vt omnes auctores tradunt; eius fuit officium non ſolùm Syriam, ſed Iudæam etiam deſcribere. Alter eſt, cur ſi Herodes adhuc viuebat, non dixit Lucas Herode potiùs regnante, quàm præſide Cyrenio, præſertim cum non de Syria, vbi præſes Cyrenius, ſed de Iudæa, vbi rex Herodes erat, ageretur. Sicut Matthæus cap. 2. 1. dixit, *Cum autem natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis.* Reſpondeo ideo Cyrenium potiùs Romanorum in Syria præſidem, quàm Herodem Iudæorum Regem ab Euangeliſta nominatum, quia de cenſu agebat Romanorum, qui non per Regem Herodem, ſed per præſidem Cyrenium actus fuerat.

3. *Et ibant omnes, vt profiterentur.*) ἀπογράφεσθαι, vt deſcriberentur, vt nomina darent. Noſter interpres non ſolùm deſcriptionem, ſed cauſam etiam deſcriptionis inſpexit, quæ ideo fiebat, vt ſe quiſque hus, vel illius profiterentur eſſe familiæ, ſéque Imperatori ſubditum agnoſceret, ideo vertit, *Vt profiterentur*, cùm paulò ante idem verbum reddiſſet, *Vt deſcriberetur vniuerſus orbis* ver. 1. & ἀπογραφὴν deſcriptionem ver. 2.

Singuli in ſuam ciuitatem.) Ibant. Sic verba coniungenda ſunt, vt nomen *Singuli* non referatur ad verbum *profiterentur*; ſed ad verbum *ibant*, & ad id quod ſequitur, *in ſuam ciuitatem*, ſenſúſque ſit, ibant omnes in ſuam quiſque ciuitatem, vt ibi profiterentur. Poteſt quæri quid opus fuerit in ſuam quemque ciuitatem ire, vt deſcriberetur? Rectè plerique reſpondent, ſiue vereri conſuetudine, ſiue nouo conſilio hanc initam fuiſſe rationem populum deſcribendi, vt familiæ ſingulæ deſcriberentur; nemo enim eſſe poterat, quin ad aliquam familiam pertineret, in illo præſertim Iudæorum populo, in quo tanta diligentia familiarum olim facta deſcriptio tanta diligentia in omnem poſteritatem conſeruabatur. Erat hoc & facilius, & breuius, itaque omnes populi deſcriptiones quæ vnquam in eo populo factæ ſunt, hac ratione factas legimus, vt Ioſue 7. 14. & 1. Regum 10. 19. 20. 21. Et 2. Regum 24. 2. Quapropter vero ſimile eſt hanc deſcribendi per familias populi rationem in ſola Iudæa etiam tempore eius edicti ſeruatam fuiſſe; alias verò gentes ſuo quamque more fuiſſe deſcriptas. Quærunt alij in quam quiſque ciuitatem ire debuerit, vt profiteretur: in eamne vbi natus, an in eam, vnde oriundus eſſet, an in eam vbi habitaret, an in eam vbi domum, & bona ſua haberet? Euthym. exiſtimat in eam quemque ijſſe ciuitatem, quæ tribus ſuæ metropolis eſſet. Fuiſſe autem Ieruſalem metropolim tribus Beniamin; Bethlehem verò tribus Iudæ; ideo Ioſephum, & Mariam, quia ex tribu Iudæ erant, ijſſe Bethlehem. At Euangeliſta ver. 4. aliam rationem reddit, *eo quod eſſet de domo, & familia Dauid.* Non ergo quia ex tribu Iuda, ſed quia ex familia Dauidis erant, Bethlehem deſcriptionis cauſa venerunt. Alij in eam ciuitatem ire quemque debuiſſe putant, vbi domum, & bona ſua haberet, ideó que Ioſephum, & Mariam ijſſe Bethlehem, quòd, cùm ex familia Dauidis eſſent, domum aliquam pauperem licet, in ea haberent ciuitate. Id videntur ex Cypriano confirmare potuiſſe, qui in tractatu de natiuitate Chriſti ſcribit his verbis, *Veniunt in Bethlehem quam prædixit Gabriel; inuenitur Emmanuel, ciuitas parua, domus paupercula, ſipellex exigua. Nulla domus ambitio, niſi reclinatorium in ſtabulo, mater in fœno, filius in præſepio.* Certè Niceph. libro 1. cap. 13. exiſtimat & in Bethlehem, & in Nazareth domicilium, & poſſeſſiones aliquas habuiſſe. Quo ergo modo *non erat eis locus in diuerſorio*, vt dicitur ver. 7. ſi domum propriam habebant? Quomodo recens natus Chriſtus in præſepio poſitus eſt? non, quemadmodum illi interpretantur, vt commodius, aut tutiùs eſſet, ſed quia, quemadmodum apertè docet Euangeliſta, alius non erat locus. Nec ita profectò Cyprianus ſentit; nam quòd dicit, *Ciuitas parua, domus exigua, ſupellex paupercula*, non indicat domum illam quamuis exiguam fuiſſe Ioſephi. Eodem enim contextu, eodémque tenore dicit, *Ciuitas parua* atqui non propterea ſignificat Ioſephum dominum eius fuiſſe ciuitatis. Sed tantùm docere voluit Chriſtum, & ciuitatem paruam, & domum exiguam in qua naſceretur, elegiſſe. Si quæras quænam domus fuerit, reſpondebit ſtabulum, *Nulla*, inquit, *domus ambitio, niſi reclinatorium in ſtabulo.* Alij, in eam vnumquemque ciuitatem ijſſe dicunt vbi natus erat. Quod nihilo magis probabile videtur, cum Marcus cap. 6. 3. Ioſephum, & Mariam in Nazareth Galilææ natos fuiſſe ſignificet, ſiquidem ibi ciues eius vrbis fratres, & ſorores Chriſti, id eſt omnem eius cognationem eſſe dicebant. Alij, in eam vnde oriundus quiſque eſſet; quod non ſolum Euangeliſtæ, ſed ne rationi quidem conſentaneum eſt. Poterat enim vnus, & idem homo ex diuerſis oriundus eſſe ciuitatibus, ſi alibi eius pater, alibi mater, alibi auus, alibi atauus nati fuiſſent. Credo igitur in eam quemque ijſſe ciuitatem, quæ non tribus, vt putat Euthym. ſed familiæ ſuæ caput eſſet. Nam ſicut populus in tribus, ita tribus in familias diuidebantur. Atque hoc cum ea ratione, quam Euangeliſta reddit ver. ſequenti rectè cohæret, *Eo*, inquit, *quòd eſſent ex domo, & familia Dauid.* Erat enim Bethlehem patria Iſai patris Dauidis 1. Regum 16. 1. ibique Dauid natus fuerat, & educatus. Itaque ab eo, qui eam familiam primus regno nobilitauit, Bethlehem ciuitas Dauidis appellabatur, vt hoc loco, & infra ver. 11. Quanquam in veteri teſtamento cùm Dauidis ciuitas nominatur, vbique arx Sionis intelligitur, quòd ædificata à Dauide fuiſſet.

Chriſtus de Bethlehem profectus in Ioſeph.

4. *Aſcendit autem & Ioſeph.*) Sicut alij aſcẽdebant in ſuam quiſque ciuitatem. Sæpe monuimus ἀναβαίνειν aſcendere apud Hebræos frequenter poni pro ire, etiam ſi locus, quò itur eminentior non ſit. Quamquam & ſitus Bethlehem, ſi cum ſitu comparetur Nazareth, altior erat, quia aquæ à Iudæa in Galilæam deſluebant. Verba ad hunc modum iungenda ſunt. Ioſeph etiam aſcendit à Galilæa, à ciuitate Nazareth, ne ſenſus eſſe videatur aſcendiſſe Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth, id eſt, qui erat Galilæus, & ciuis Nazareth. Habitabat Ioſeph cum

Maria

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maria in Nazareth ciuitate Galilææ,ibíque,vt opinor,nati erant. Qua autem occasione eorum parentes ex Bethlehem gentili ciuitate migrauerint in Nazareth, prorsus ignoratur; nec, vt arbitror, sciri potest, cùm nulla de ea re extet historia. Probabile tamen est, quod hær. 51. scribit Epiphan. Machabæorum tempore propter ꝓssidua bella, quæ in Iudæa erant, in Galilæam commigrasse.

Eo quod esset de domo, & familia Dauid.) Non solum Iosephum, sed etiam Mariam ex familia Dauidis fuisse Matthæi 1. probauimus. Quòd autem quidam hoc loco inter domum, & familiam Dauidis hoc discrimen ponunt, vt qui per fœminas ex Dauide descendebant, ex eius domo; qui autem per viros, ex eius familia esse dicerentur, nimis subtiles interpretes mihi videntur. Nemo enim ignorat, domum, & familiam idem esse, sed nimirum Euangelista, vt vno verbo alterum explicaret, vtrumque coniunxit. Et apud Matthæum probauimus Mariam per viros ex Dauide descendisse, & tamen supra c. 1. 27. ex domo Dauid fuisse dicitur.

5. *Vt profiteretur.*) G. ἀπογράψασθαι, vt describeretur, vt supra ver. 1. & 3.

Cum Maria.) Potest nomen Mariæ referri aut ad verbum proximum, *Vt profiteretur*, aut ad superius, *descendit*, versu præcedenti. Hoc probabilis: licet per hyperbaton dictum esse videatur. Non nego tamen Mariam fuisse descriptam, nam eorũ opinionem, qui solos viros descriptos fuisse putant, supra refutauimus.

Desponsata sibi vxore prægnante.) Non est sensus desponsatam illi fuisse, cùm iam esset prægnans; sed fuisse illi prius desponsatam, & tunc cùm in Bethlehem ascenderunt, fuisse prægnantem. Græce ea ambiguitas, quæ in nostra apparet versione nulla est. ὄυσῃ ἐγκύῳ, quæ prægnans erat. Desponsata autem dicitur Græcè μνηστευομένη, quæ eam propriè significat, quæ desponsa, & pacta in coniugium est, nondum tamen domum ducta; quamuis Maria verè iam ducta esset, vt indicaretur, ita eam vxorem fuisse, vt esset tamen virgo. De qua re apud Matthæum c. 1. 18. 20. diximus.

6. *Factum est autem cum essent ibi.*) Non casu, neque sola natura factum esse, sed diuina prouidentia intelligendum est, quæ constituerat, & per Michæam prophetam cap. 5. 2. declarauerat, vt in Bethlehem Christus nasceretur. Ea prouidentia fecit, vt per id tempus edictum à Cæsare Augusto de describendo orbe vniuerso prodiret, vt ea occasione Ioseph, & Maria tum, cùm instabat partus, in eam venirent ciuitatem, vt ab omnibus interpretibus notatum est. Quærunt nonnulli quomodo Maria tam propinqua partui tantum spatium conficere potuerit? Quatuor enim vt minimùm dierum à Nazareth in Bethlehem iter erat. Creditur vulgo asino vectam fuisse, quod nec probari potest, nisi auctore populo, & nescio, an Mariæ paupertati satis conueniat. Nam quæ asinum habebat, quomodo nullum in diuersorio locum inuenire, quomodo agnum emere non potuisset? At leue hoc argumentum est. Fateor; sed ad refellendum id, quod nullo argumento probatur, quamuis leue satis est argumentum. Magis probabile, & pium est, quod grauiores auctores Fulgentius in sermone de laudibus Mariæ, & Bernardus homilia in illa verba Apocalyp. 12. ver. 1. *Signum magnum apparuit in cælo.* & Nicephorus libro 1. cap. 12. tradunt non fuisse Mariæ molestum, sicut cæteris mulieribus, & grauem vterum. Quod ego mihi omnino verum esse persuadeo. Nam quæ sine viro concepit, sine dolore peperit, credendum est & vterum sine molestia vlla gestasse. Nihil ergo vicinitas partus impediebat, quò minùs in Bethlehem etiam pedibus venire posset. Quin iuuabat potiùs, quia Christus, qui ibi nasci decreuerat, eam, vt credibile est, vt eò veniret, instigabat; & occulto iuuabat auxilio, non tam ab ea gestatus, quam eam gestans. Vero etiam simile est Mariam neque locum, neque diem sui partus ignorasse; quare eò se libentiùs, atque alacriùs in viam dedisse, quòd partum suum videbat appropinquare. Colligitur ex hoc loco Mariam non eodem die, aut eadem nocte, qua in eam peruenit ciuitatem, peperisse, vt vulgaris quædam fert opinio; sed per aliquot dies fuisse Bethlehem, antequam pareret, cùm dicat Euangelista, *cum essent ibi*; dies impletos fuisse pariendi. Cur autem hoc ipsum Euangelista dixerit supra cap. 1. 57. ex ijs, quæ ex Origene, Ambrosio, & Theoph. notauimus, poterit intelligi.

7. *Et peperit filium suum primogenitum.*) Primogenitum vocat Christum, non quòd post illum alios, sed quòd ante illum neminem Maria genuisset. Itaque etsi verbo aliud, re tamen ipsa primogenitus, & vnigenitus idem hoc loco sunt; vide quæ de ea re apud Matthæum cap. 1. 25. disputauimus.

Et pannis eum involuit.) G. καὶ ἐσπαργάνωσεν, & fasciauit, vt ita dicam, id est, facijs obuoluit, vt inuolui solent teneri adhuc infantes, vt membra constringantur, atque firmentur, enormiter aliquando fluxura, si dissoluta essent. Non erat ea diligentia in Christi corpore necessaria, sed erat debita. Nam quamuis sine viro cõceptus, sine matre seruati poterat, tamen præstitit illi mater officium, quod pia, ac diligens præstare mater debuit. Et passus est in se fieri Christus, quod in alijs hominibus fieri cõsueuit, vt verum se hominem cæteris similem declararet. Sumitur ex hoc loco non minimum argumentum ad confirmandam Ecclesiæ Catholicæ sententiam, Mariam sine ruptura vlla corporis, sine vllo dolore peperisse. Quod vtrumque non alia ratione Caluiniani negant, quàm quòd omnis pietatis, omnisque honoris Beatæ Mariæ Virginis inimici sint. Si enim aperto peperisset corpore, quomodo potuisset recens natum infantem excipere, & suis manibus inuoluere? Itaque non solum falsa, sed etiam fabulosa, & vt suspicor ex Rabbinis nata opinio illa est, quam non modò in nescio quibus apocryphis libris, sed etiam apud Suidam nimis in hac re credulum auctorem lego, parienti Mariæ obstetrices affuisse. Acutiùs Ecclesiastici viderunt auctores hoc ipso loco indicari, sine vlla eam obstetricis ope peperisse Gregorius Nazianzenus in Christo patiente, Cyprianus in sermone de natiuitate Christi, Gregorius Nyssenus oratione 1. de Resurrectione Christi, Hieronym. contra Heluidium, Fulgentius in sermone de laudibus Mariæ, & Bernardus sermone 4. in vigilia natalis Domini, Cypriani, & Hieronymi, quia illustriora sunt, verba recitabo. *Pannicult*, inquit Cyprianus, *pro purpura, pro byssо in ornatu regio lacinia congeruntur: genitrix est, & obstetrix, & deuotam dilecta soboli exhibet ministerium: attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio; nullus dolor, nulla natura commercia in puerperio.* Et alio eiusdem libri loco. *Vltro*, inquit, *maturus ab arbore baculo fructus elapsus est: nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat.* Hieronymus verò sic, *Absit*, inquit, *vt hoc de matre Saluatoris, & vtro tacto sit existimandum. Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas interuenit: ipse pannis inuoluit infantem, ipsa & mater, & obstetrix fuit.* Quales fuerint fasciæ, aut panni, quibus natus involutus est Christus, certò non possumus affirmare Hæretici valde probare posse vellent sericos, aut certè pretiosos fuisse. Nos viles, si non sordidos fuisse credimus, quales pauperum esse solent. Constat enim tam pauperem Mariam fuisse, vt illi ne prægnanti quidem, aut parienti locus fuerit in diuersorio, vt infantem in præsepi præ inopia posuerit, vt ad emendum agnum in sacrificium satis non habuerit facultatis. Quid Cyprianus ea de re senserit, paulò ante audiuimus. Eadem omnium veterum auctorum sententia est.

Et reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.) Quid hoc loco diuersorium appelletur, & quale nam fuerit, nõnulli dubitant. Eorum opinionem, qui diuersorium hoc loco propriam domum Ioseph, & Beatæ Virginis significare putant, quasi κατάλυμα non solùm pro publico hospitio, sed pro omni etiam domicilio accipiatur supra ver. 3. refutauimus, & ex hoc ipso loco magis etiam refutari potest. Quo enim modo in diuersorio, id est domi suæ illis locus non erat? Respondent non fuisse locum illis commodum, vt ponerent filium. At Euangelista non solùm puero, sed & illis ipsis, id est Mariæ, & Ioseph, locum non fuisse indicat, vbi cõsisterent in diuersorio, ideo se in stabulũ recepisse. Alia quædam inter minùs nobiles interpretes fertur opinio ex Beda, vt aiunt, diuersorium significantes locum in vico supernè tectum, cætera patulum, & in diuersas apertum vias, quales illi sunt quos in Gallicis videmus vrbibus ad agendos mercatus accommodatos, quósque Galli patria lingua *halles* appellant. Id neque Beda dicit, neque credibile est eiusmodi fuisse diuersorium. Quare per diuersorium quamuis non solùm publicum hospitium, sed omne etiam consuetum hominum domicilium intelligendum esse putent, ita vt diuersorium, id est hominum habitatio, stabulo id est bestiarum habitationi opponatur; tamen nõ existimo consuetum hominum hospitium, quo omnes peregrini diuertunt, excludi. Hoc modo maior sententiæ vis additur, vt significetur Iosephum & Mariam non solùm in publicis hospitijs, sed ne in privatis quidem ciuium domibus locum inuenire potuisse; itaque ab hominibus exclusos se in stabulum, quibusdam qui fieri potuerit, vt illis in diuersorio locus non esset; Si eorum vera esset opinio, qui existimant in eam quemque ciuitatẽ, vt describeretur, ire debuisse, in qua domum haberet, maior esset quæstio: cum enim singuli singulas haberẽt domos, non poterat cuiquam deesse locus omnibus se in suam quoque domum recipientibus. Sed eam opinionem ver. 3. confutauimus. Duæ igitur, cur Ioseph, & Maria in diuersorio locum non inuenerint, causæ probabiles afferuntur. Altera multitudo ciuium, & eorum qui ex genere Dauidis erant vndique per id temporis, vt describerentur, in eam ciuitatem affluentium. Hæc, vt opinor, potissima fuit sed altera etiã fuit summa, & omnibus odiosa paupertas. Nam si diuites fuissent, non dubito, quin illis locus non fuisset defuturus; quò enim pecunia non penetrat? Alij aliam etiam afferunt causam quòd in Bethlehem vltimi omnium peruenissent. Id non recipio, non solum quia probari non potest, sed etiam quia potest coniectura aliqua retorqueri. Indicauit enim, vt adnotauimus, Euangelista superiore versu per aliquot dies, antequam Maria pareret, ibi fuisse; non ergo postremi venerant. Et est verò simile Iosephum, & Mariam ad parendum Cæsaris edicto fuisse promptissimos. Alij solent quærere, vbi stabulũ illud fuerit, vbi natus est Christus. Quidam extra vrbem Bethlehem illud ponunt & quia, si intra vrbem fuisset, non potuissent Magi Christum adorare, quin ab omnibus ciuibus visi fuissent, itaque non potuisset locus vbi Christus esset, Herodem latere: & quia non potuissent pastores qua nocte Christus natus est, in media vrbe locum inuenire, nullo indice: in qua sententia inter antiquissimos auctores Iustinus etiam est in dialogo cum Tryphone: inter recentiores nonnulli, quibus ideo non assentior, quia id in summa dicunt, Christum in Bethlehem non esse natũ, quod scripturæ repugnat. Et quod de Magis dicitur, leue est; graues enim auctores Epiphanius, & alij sentiunt Christum cum Magi venerunt, non iam in stabulo, sed in domo fuisse, vt Matthæus cap. 2. 11. significat, *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* De pastoribus quomodo stabulũ inuenerint, ver. 16. dicemus. Cum in vrbe igitur stabulũ illud fuerit, alia reliqua quæstio est, quam nisi ab alijs magno studio tractari viderem, libenter prætetirem, coniunctúm-ne cum diuersorio, an ab eo separatũ stabulum illud fuerit. Id ego non solùm incertum esse arbitror, sed etiam curiosum quærere. Tamen est vero simile publici hospitij stabulum fuisse, in quod se Ioseph, & Maria domo exclusi receperint. Qui Ierosolymitanam regionem lustrauerunt, narrant stabulum illud spelũcam fuisse quãdam, in qua præsepe in rupe excisum esset, quod cum testimonio veterum auctorum cõuenit. Nam & Epipha. hæresi 51. & Gregorius Nyssenus in oratione de sancta Christi natiuitate, semper speluncam appellant: Theodoritus verò libro 8. de græcan. affect. curat. tophaceum specum vocat. Dubitari etiã potest an Christus in ipso stabulo, vbi præsepe erat, natus fuerit. Potuit enim in diuersorio aut alibi nasci, & cùm locus ibi commodus non esset cunis; in præsepi, tanquam in cunis poni. Potuit quidem id fieri, sed credendum non est, ita factum esse. Nam quamuis Euangelista non dicat in stabulo natum fuisse, sed cum natus iam esset, in præsepi reclinatum, tamen dubium mihi nõ est, quin eodem loco, id est in stabulo natus, & reclinatus fuerit. Cũ enim dicit Euãgelista, non fuisse eis locum in diuersorio, non de infante, aut non de solo certè infante, sed etiam de Ioſepho, & Maria loquitur. Itaque non solùm significat, non fuisse in diuersorio locum cõmodum infanti, sed non fuisse locum vbi Ioseph, & Maria commorari possent, ideóque in stabulum diuertisse. In stabulum ergo, cùm primùm venerunt, locum in hospitio non reperientes sese contulerũt: aut si in ipsum hospitium primùm excepti sunt, superuenientibus potẽtioribus coacti sunt cedere, & in stabulum abire. Ibi habitabant, ibi Virgo peperit, ibi natum reclinauit infantem. Cur ergo Euãgelista de stabulo mentionem non fecit, nisi cum de infante in præsepi reclinato locutus est? Quia non agebat de Ioseph, & Maria, nisi propter infantem: & quia quòd Ioseph, & Maria in stabulo habitabant, non mysterium, sed necessitas erat; *non* enim *erat eis locus in diuersorio*; quòd autem Christus in præsepio reclinaretur, mysterium erat. Oportebat enim vt in medio duorum animalium cognosceretur, quemadmodum septuaginta interpretes reddiderunt apud Habacuc cap. 3. 2. quod nos legimus, *In medio annorum viuifica illud*; & ex illis veteres auctores citare solent: oportebat, vt cognosceret *bos possessorẽ suum, & asinus præsepe domini sui.* Isa. 1. 3. vt veteres auctores Origenes homilia 13. Ambrosius hoc loco, Gregorius Nyssenus in oratione de sancta Christi natiuitate,

B. Maria grauis nõ fuit vterus.

Quale fuerit.

Christus in stabulo natus & reclinatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uitate,& Gaudent.tractatu 8. in Exod. exponunt. Et verò credibile est,aliqua etiam tunc in stabulo fuisse animalia,presertim in tanta hominum multitudine,vt prophetia eo etiam modo impleta esse videretur. Ac Gregorius quidem Nyssenus eo loco, quem modò designauimus bouem,& asinũ ibi fuisse putant. *Quamobrem*, inquit, *ideirco præsepio, quod est habitaculum brutorum, is, qui de cælo descendit, panis vitæ proponitur, vt etiam bruta rationali etiam sumpto cibo rationem adipiscantur. Medius igitur inter bouem, & asinum in præsepio vtriusque Dominus est, vt soluto interstitio sepis ambos in sese creet in vnum nouum hominem, & ab hoc graue iugum legis auferat, & illum simulachrorum cultus onere leuet.* Sed non ideo recipienda ea opinio est, quæ apud vulgum obtinuit, vtrumque & bouem, & asinum Iosephi fuisse: asinum duxisse vt eo granida Maria veheretur, bouem verò vt venderet, & censum indebitum solueret.

8. *Et pastores erant in regione eadem vigilantes.*) G. ἀγραυλοῦντες, in agro stabulantes, sub dio cubantes cum grege, vt facere in regionibus calidis etiã hyeme pastores solent. Noster interpres pro ἀγραυλοῦντες videtur legisse ἀγρυπνοῦντες, *vigilantes*, quod nõ malè conuenit, cùm similis sententia, quasi huius verbi explicatio sequatur.

Et custodientes vigilias noctis super gregem suum.) Ἀπὸ φυλακὰς custodias, id est quatuor noctis vigilias ordine suo agẽtes. Sæpe diximus φυλακὰς custodias quatuor noctis partes à Græcis appellatas, in quas militari disciplina diuisa nox erat, vt milites, qui ijdem tota nocte vigilare non poterant, quarta vigilarent parte, essentque semper, qui per quaterna noctis interualla alijs somno, aut labore oppressis, integri succederẽt. Eas custodias Latini vigilias appellarũt, ideo noster interpres, non verborum proprietatem sed sensum, & vsum intuitus vigilias reddidit. Apparet ex hoc loco quod in bello propter hostes facere solebant milites, id pastores propter bestias, aut fures facere solitos, vt excubias ordine suo agerẽt. Itaque quod auctor Scholasticæ scribit historiæ morem antiquis fuisse, vt in vtroq; solstitio vigilias noctis custodirent ob Solis venerationem, eúmque morem ad Iudæos propter vicinitatẽ permanasse, puerilis est error. Quod dicit *in regione eadẽ* pastores fuisse, eo pertinet, vt significet non procul ab vrbe fuisse eos, ideóq; facilè venire, & Christũ videre potuisse. Quis locus ille fuerit, cum ego dicere non ausim, Hieronymũ dicentem inducam. Is in Epitaphio Paulæ ad Eustochium virginẽ sic scribit. *Haud procul inde descendit ad turrim Ader, id est gregis, iuxta quã Iacob pauit greges suos, & pastores noctu vigilantes audire meruerunt, Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis.* Et in traditionibus Hebraicis ad hunc modum, *Et profectus est Israel, & extendit tabernaculum suum trans turrim Ader. Hunc locum Hebræi esse volunt vbi postea templum ædificatum est, & turrim Ader, turrim gregis significare, hoc est congregationis, & cœtus, quod & a Micheæ prophetæ c. 4. 8. testatur dicens, Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, & cætera, illóque tempore Iacob trans locum vbi postea templum ædificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viæ pastorum, iuxta Bethlehem locus est, vbi vel angelorũ grex in ortu Domini cecinit, vel Iacob pecora sua pauit, loco tamen imponens: vel, quod verius est, quodam vaticinio futurum iam tunc mysterium monstrabatur.* Qua hora, aut qua vigilia angelus pastoribus apparuerit, ne quærendum quidem arbitror, etsi scio auctorem illum commentariorum in Psalmos, qui Arnobio falsò tribuuntur, Psalmo 129 affirmare ausum quartam fuisse vigiliam.

Genes. 35. 21.

9. *Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos.*) G. ἐπέστη αὐτοῖς superadstitit illis. Idem sensus nisi quòd ius verbis magis exprimitur. Significatur enim, quasi de cælo supervenisse angelum, & supra pastores sublimem constitisse. Quod dicit, *Ecce*, rem subitam, & improuisam fuisse indicat. Quis ille fuerit angelus, qui natum Christum pastoribus annuntiauit, Euangelista non dicit, sed tamen Gabrielem fuisse, videtur antiqua esse traditio; nam Cyprianus in tractatu de natiuitate Christi id tanquam ab omnibus creditum dicit: *Veniunt*, inquit, *pastores in Bethlehem, quam prædixit Gabriel, inueniunt Emanuel cunctæ partum, domus pauperculæ supellex exigua.*

Et claritas Dei circumfulsit illos.) G. δόξα κυρίου, & gloria Domini, id est diuinus quidam splendor. Nam ijs non assentior, qui aliud lumen hoc loco, aliud δόξαν gloriam fuisse credunt: quid enim cumfulgere potuit nisi lumen? & videmus similem fuisse Christi, Eliæ, & Mosis in transfiguratione fulgorem; ab eodémque Luca δόξαν gloriam, hoc est maiestatem appellari c. 9. 31. 32. Noster certè interpres hoc sensu hunc locum intellexit cum δόξαν reddiderit claritatem. Idcirco lux ista missa, quæ pastoribus affulgeret, vt quos videbant, andirent, atque angelos lucis esse intelligerent qui à Deo mitterentur, illisque fidem haberent. Sic Leo serm. 1. de Epiphania. *Cum ortis Domini angelo nuntiante pastoribus, cæteri cœlestis exercitus sunt claritate circundati, vt nil amplius gereret de maiestate pueri, quem erant in præsepi visuri, nisi quod putarẽt quod in sola natura hominis esset editus, cui seruituri militiæ famularetur occursus.* Rectè obseruauit Beda nusquam aliàs in scripturis angelos cælesti lumine non fulgentes apparuisse. Merebatur Sol iustitiæ, qui amictus est *lumine sicut vestimento*, vt eius etiam ministri angeli in ipsius præsertim natali die lumine vestirentur. Quatuor hîc quæstiones sunt, prima cur Christus statim natus innotescere voluerit. Secunda cur non omnibus. Tertia cur pastoribus potius quàm alijs. Quarta cur per angelos potius quàm alio genere reuelationis. Primæ quæstionis facilis ex diuinæ prouidẽtiæ coniectura solutio est. Conueniebat aliquos natiuitatis eius esse testes, vt constaret, non alium quàm qui in Bethlehem, in stabulo natus, atque in præsepi positus esset, Iudæorum Regem esse. Solent nascentibus Regibus suppositi hiberi testes, ne quis falsus pro vero Rex supponatur. Id ipsum Christus fieri voluit se nascente, & ortum. Fuerunt tamen non defuerunt Pseudochristi, qui eius nomen venirent, dicerẽtque *Ecce hic est Christus, aut illic.* Cur autem non omnibus innotescere voluerit, non promptu ratio est. Non conueniebat, vt omnes, aut multi tunc mysterium cognoscerent, ne ea Herodis vsque aures penetraret. Cur potiùs pastoribus, multæ ab variis auctoribus probabiles rationes afferuntur. Prima quòd simplicissimum hominum genus id fuerit, quod & Deo maximè probaretur, cuius *cum simplicibus sermocinatio est*, & ad hæc pastoribus affulgeret, vt quos videbant, andirent, atque angelos lucis esse intelligerent qui à Deo mitterentur, illisque fidem haberent. Sic Leo serm. 1. de Epiphania. *Cum ortis Domini angelo nuntiante pastoribus, cæteri cœlestis exercitus sunt claritate circundati, vt nil amplius gereret de maiestate pueri, quem erant in præsepi visuri, nisi quod putarẽt quod in sola natura hominis esset editus, cui seruituri militiæ famularetur occursus.* Rectè obseruauit Beda nusquam aliàs in scripturis angelos cælesti lumine non fulgentes apparuisse. Merebatur Sol iustitiæ, qui amictus est *lumine sicut vestimento*, vt eius etiam ministri angeli in ipsius præsertim natali die lumine vestirentur. Quatuor hîc quæstiones sunt, prima cur Christus statim natus innotescere voluerit. Secunda cur non omnibus. Tertia cur pastoribus potius quàm alijs. Quarta cur per angelos potius quàm alio genere reuelationis. Primæ quæstionis facilis ex diuinæ prouidẽtiæ coniectura solutio est. Conueniebat aliquos natiuitatis eius esse testes, vt constaret, non alium quàm qui in Bethlehem, in stabulo natus, atque in præsepi positus esset, Iudæorum Regem esse. Solent nascentibus Regibus suppositi hiberi testes, ne quis falsus pro vero Rex supponatur. Id ipsum Christus fieri voluit se nascente, & ortum. Fuerunt tamen non defuerunt Pseudochristi, qui eius nomen venirent, dicerẽtque *Ecce hic est Christus, aut illic.* Cur autem non omnibus innotescere voluerit, non promptu ratio est. Non conueniebat, vt omnes, aut multi tunc mysterium cognoscerent, ne ea Herodis vsque aures penetraret. Cur potiùs pastoribus, multæ ab variis auctoribus probabiles rationes afferuntur. Prima quòd simplicissimum hominum genus id fuerit, quod & Deo maximè probaretur, cuius *cum simplicibus sermocinatio est*, & ad hæc

11.14.& à Petro 1. epistola cap. 2. 25. & cap. 5. 4. Itaque oportebat se primùm pastoribus ostendere. Sic Euthymius, & poeta Sedulius,

Tunc prius ignarie pastoribus ille creatus
Emicuit, quia pastor erat.

Tertia quia erat agnus vt ait auctor librorum de mirabilibus sacræ scripturæ, qui Augustino tribuuntur lib. 1. cap. 3. Et in hoc conueniens ab angelis peractus ordo conspicitur, vt priùs pastoribus natus agnus, & gregibus pastor nuntiaretur. Et Sedulius eodem loco,

——gregibúsque refulsit
Agnus, & angelicus cecinit miracula cœtus,

Quarta vt exemplo suo doceret pastoribus primùm Ecclesiæ mysteriorum à Deo reuelationes fieri, vt ex illis cæteri discant. Ita Origen. homil. 12. & Leo serm. 9. de Natiuitate Christi, & Euthym. in commentariis. *Quod* enim, inquit Leo, *pastoribus prægustatum fuerat custodia vigilantibus nuntiauit angelus, etiam nostrum impleuit auditum; & ideò dominicis ouibus prædicauit, quia verba diuinitus edita cordis aure seruamus, tanquam & in hodierna festiuitate dicatur, euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Quinta deniq; ratio, cur primùm pastoribus patefieri voluerit, non alia mihi videtur fuisse, quam qua postea voluit ex piscatoribus, & infimæ conditionis hominibus Apostolos facere. Fecit primùm ex pastoribus Euangelistas, & Apostolos: fecit postea ex piscatoribus pastores. Quo consilio exponit D. Paulus priori Corinth. 1. 26. 27. 28. *Videte, inquit, vocationem vestram, fratres, quia non vult sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* In hanc sententiam D. Bernardus serm. 3. de Natiuitate, & Theophilactus interpretantur. D. Ambrosius serm. 13. & Hieron. in Epitaph. Paulæ, & Beda, & Græcus auctor. D. Thomas docere putant voluisse Deum, aut eius angelos vigilantibus, maximéque pastoribus Ecclesiarũ curam gerentibus apparere. Quid ex hoc loco Valentiani ad confirmanda sua illa deliria colligerent, referre piget, & poterit lector apud Irenæũ libr. 3. c. 20. in Euangelia respondet his verbis, *Sed quærendum nobis est, quidnam sit, quod Redemptore nato pastoribus in Iudæa angelus apparuit, & ad adorandum hunc ab Orientis Magos non angelus, sed stella perduxit: Quia videlicet angelus prædicare debuit; Gentiles verò, quia vt ratione nequiuerunt, ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa perducuntur.* Vnde etiã Paulus dicit prophetias fidelibus datas non infidelibus: signa autem infidelibus, non fidelibus.

Et timuerunt timore magno.) Vehementer timuerunt: notus Hebraismus, qualis ille Psal. 13. 5. & 52. 6. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* & Matth. 2. 10. *Gauisi sunt gaudio magno valde*, & Ioannis 3. 29. *Gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Vulgaria hæc sunt.

Timuerunt autem pastores, & subito, & insolito angeli conspectu. Vide quæ ca. 1. 12. diximus. Quot pastores fuerint, quibus angelus apparuit, minùs etiam compertum est, quàm quot fuerint Reges, qui ad adorandum venerunt Christum: sed tamen D. Bernardus serm. 6. de natali Domini auctor est fuisse tres, quemadmodum Leo. serm. 1. & 5. & 6. & 7. de Epiphan. tres Magos fuisse dixit. Credibile ali-

quam de ea re olim traditionem fuisse, vnde id vterque auctor acceperit.

10. *Nolite timere.*) Sic solent plerumque boni angeli, cum hominibus apparent; territis timorem pellere, vt quæ dicturi sunt, æquo animo possint accipere. Diximus de hac re cap. 1. 13. 30. & Matth. 28. 4. 5.

Ecce enim euangelizo vobis gaudiũ magnum, quod erit omni populo.) Tres causas angelus reddit, quare pastores timere non debeant; quòd illis gaudium nuntiaturus veniat, quòd non priuatum, sed publicum gaudium commune omni populo futurum; quòd non aliis, sed ipsis id annuntiaret, quòd magni, singularísque erat beneficij. Hanc vim habere videtur illud *vobis Gaudium* autem vocat lætum nuntium, quod gaudij materiam præbiturum erat. Videtur angelus & re ipsa, & verbis euangelium initiare. Nam & re quidem vera euangelium, id est bonum nuntium prædicabat, & verbo ipso vsus est euangelizandi, *Εὐαγγελίζω ὑμῖν euangelizo vobis.* Cum dicit *omni populo*, Beda & Theophyl. non solùm Iudæorum, sed Gentilium etiam populum intelligendum, existimant: quòd maiori Christus lætitię credentibus Gentilibus, quàm non credentibus Iudæis fuerit. Magis mihi sententiæ ratio quam sententia ipsa probatur. Ita enim se res habet. maius Christum Gentilibus gaudium, quàm Iudæis attulisse; sed tamen angelum de solo Iudæorum populo locutum arbitror, accommodate non solùm ad personam pastorum, quibuscum loquebatur, quíq; Iudæi erant, sed ad omnium etiam Iudæorum expectationẽ, ac sensum, qui Christum sibi solis venturũ sperabant quemadmodum & Christus ad eos se solos venisse testatus est, Matthæi 15. 24. quamuis non receptus è suis ad alienos, id est Gentiles sese contulerit.

11. *Quia natus est vobis hodie Saluator.*) Hoc est Euãgelium, id est gaudiũ illud magnum quod se illis angelus nuntiaturum dixerat, Saluatorem illis natum esse. Quo nihil ab angelo maius dici, nihil à Iudæis iucũdius audiri poterat, in nullam rem æquè, atque in venturum Christum intentis; qui se ab ea tyrannide, qua oppressi erant, liberaret. Hoc enim Saluatoris nomine sæpe Christus per prophetas promissus fuerat Isaię 19. 20. & 52. 11. & Zachariæ 9. 9. Non igitur temerè, sed magno consilio, & veluti artificio quodam factum est, vt angelus hoc nomine vsus fuerit: partim opinor, quia ipsum per se Saluatoris nomen splendidum, & lætum erat, & salutem expectantibus iucundum auditu, & gaudium illud magnum; quod promiserat angelus, præ se ferens, partim vt ad prophetias illas alluderet, quas paulo supra commemorauimus, quibus Iudæis Christus Saluatoris nomine promissus fuerat: Quod ait *vobis* perinde est, ac si dicat Iudæis, quibus promissus erat sed habet aliquando maiorem vim, quàm si dixisset Iudæis. Maiore enim ferit affectu pastorum animos cum dicit, *vobis*, quasi illis venisset solis.

Qui est Christus Dominus.) Christus ille verus Deus, quem Iudæi omnes expectatis. Describit Christum angelus omnino talem, qualem Iudæi venturum sperabant, vt probet pastoribus fidem suam, se non vana, sed certa, & explorata nuntiare, atque iis consentanea. quæ à Iudæis crederentur. Rectè ex hoc loco Christi diuinitas probari potest, Cum enim angelus Christum Dominum vocat, Deum esse significat.

In ciuitate Dauid.) Potuit angelus breuiùs dicere, *In Bethlehem*, sed voluit ea etiam ratione Christum describere, & eum, de quo loquebatur, verum esse Messiam significare, qui & in Bethlehem, & ex ge-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nere Dauidis nasciturus erat, ideo & vrbis, & Dauidis nomen expressit.

12. *Et hoc vobis signum; Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.*) Vt probet angelus se a Deo missum esse, veráque nuntiare, signum adhibet, id est argumentum, quod fidem facit; sic Gabriel dixit Zachariæ cap. 1. 20. *Et ecce eris tacens, & nō poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant.* Sic Mariæ, ver. 36. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filii in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.* Sic ille alius angelus Gedeoni duplex dedit signum Iudi. 6. 36. 37. Illud mouere lectorem potest, quòd signum ipsum, quod hoc loco angelus tradidit, nō satis certum esse videatur. Quo enim modo sequitur infantem illum Saluatorem esse, quia pannis inuolutus, & in præsepi positus erat? Inde potius probari posse videbatur humano quidem iudicio rem æstimantibus Saluatorem non esse. Notæ sunt ex Ephesino Concilio facetiæ Nestorij negantis se Deum bimestrem, trimestrémue vocaturum. Quidam hoc sic interpretantur, quasi angelus non dederit signum, quo sibi pastores crederent, sed quo infantem dignoscerent, & ab aliis, si qui essent, infantibus distinguerēt. Sic Beda, *Et notandum*, inquit, *solertius, quod signum nati Saluatoris, datur infantem non Tyrio exceptum ostro, sed pannis squallentibus inuolutum: non in ornatis auro stratoriis, sed in præsepibus inueniendū.* Alij signum hoc esse, quòd Christus tanquam veritas debuit figuræ respondere; in veteri autem Testamento duos potissimùm homines Christi figuram fuisse Mosem, & Cyrum: vtrumq; autem, dum infans esset in summa inuentum fuisse paupertate. Nota vtriusque historia est altera ex sacris, altera ex prophanis auctoribus. Bernardus etiá in iis est, qui pauperratem, tanquam verum Saluatoris signum datum fuisse putant. Quòd ego magis arbitror ad mores, quàm ad litteralem, quem quærimus, sensum accommodatum, Sunt qui ex eo, quòd angelus dicit positum in præsepi, colligāt præsepe illud, in quo Christus iacebat, celebre, & vulgò notum fuisse, quòd nulla alia adiecta loci notatione pastores, vbi locus esset, intellexerint; idque ex Brochardo confirment. Cæterum Brochardus non scribit, quale, quámve celebre fuerit, cùm Christus natus est, sed quale sua fuerit ætate. Sic igitur existimo signum, quod angelus tradit, in eo consistere, quòd futura prædicat, fore, vt cum eò pastores venerint, infantem in præsepi positum inueniant, quòd, nisi à Deo missus fuisset, scire non potuisset. Nam etsi iam tùm infans in præsepi positus erat, poterátque de præsenti certò, & asseueranter quiuis loqui; tamen poterat, mater antequam eò pastores venirēt, inde remouere, & aut materno more in vlnas acipere, aut alibi poncre: quod facturam non esse angelus diuinauit. Atque hoc sensu Cyprianus in lib. de Natiuitate Christi, & Euthymius interpretantur, estq; lib 1. Regum cap. 10. 2. simile admodum exemplum; vt probaret Saul Samuel vera esse, quæ dixerat, & sibi diuinitus reuelata, hoc tradit signum, *Cum abieris hodie a me, inuenies duos viros iuxta sepulchrū Rachel in finibus Beniamin in meridie, dicentq; tibi, inuenta sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas.* Maior quæstio est quomodo potuerint tam facilè pastores locum inuenire, cùm angelus tantùm dixerit infantē in præsepi positum esse, nec, in quo præsepi esset, declarauerit. Credibile est angelum locum omnino pastoribus designasse, & quodammodo demonstrasse digito, sed nimirum Euangelistæ id studij non fuisse, vt omnia angeli verba, sed ea tantùm, quæ ad rem maximè pertinerent, quæque mysterij aliquid præ

Signum Saluatoris quam verum & certum.

se ferrent, recitaret; quale est illud, quòd in ciuitate Dauid esset natus, quódque in præsepi eum inuenturi essent; quorum alterum ad describendam personam veri Messiæ, alterum ad faciendam dictis fidem erat necessarium.

13. *Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis.*) Militiam cœlestem angelorum multitudinem vocari dubium non est. Solent enim angeli, qui in cœlo sunt, Dei milites appellari Iob. 25. 3. siue quòd Deo, tanquam duci militent, obediant, vt Beda ait; siue quòd iis etiam ad gerenda bella pro militibus vtatur Deus, vt ex Daniele c. 10. 20. perspicuum est. Quamuis alio quodam sensu militia cœli in literis sacris idololatria infamis esse soleat, stellásque significet, quæ pro Diis a vanissimis hominibus colebantur, Multi, & noti sunt loci. Duobus nominibus Euangelista angelorum multitudinem exaggerauit, & quòd non simpliciter angelos, sed militiam, quasi magnum angelorum exercitum, appellauit, & quòd multitudinem fuisse dixit. Quod ait multitudinem angelorum cum priore angelo factam fuisse, interpretari possumus, aut multos alios è cœlo venisse angelos, qui ante non venerant, vt Beda, & Euthymius intelligunt: aut, quòd magis probo, multos alios angelos, qui ibi cum altero prius erat, sed non apparebant, neque audiebantur; aut apparere, aut audiri certè cœpisse. Subitò autem dicit, quòd de improuiso aut apparuerint, aut audiri cœperint. Ita pertinebant omnia, vt non vno tantùm, aut duobus testibus, in quorum tamen ore omne verbum stat, lex præcipiebat; sed omnium fere angelorum testimonio, Christi ortus, Saluatorisque officium præbaretur; rectéq; in lib. de Natiuitate Christi scribit Cyprian. *Multiplicantur testes, militia cœlestis concinens, credit pastorum cuneus, & exultat.* Rectè etiam Beda, & non minùs ad mores, quàm ad sensum huius loci accommodate; *Vno*, inquit, *euangelio, amic nunciato, tum in carne Deum, mox multitudo militiæ cœlestis adsistit, consono in laudem creatoris ore prorumpit, ex eo, sicut semper, obsequij deuotionem Christo impendat, & suo pariter instituat exemplo; quoniam vel aliquis fratrum facere eruditionis verbis insonuerit, vel ipse lectionis audita, quæ pietatis sunt, ad memoriam reduxerimus, Deo nostro laudes ore, corde, & opere reddendas.*

14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*) Breuis licet sit angelorum hymnus, multas tamen habet difficultates. Illud constat Deo laudes in eo cani, eiúsque duas esse partes, alteram, in qua de Deo alteram, in qua de hominibus agitur, Tres alij faciunt, *Gloria in altissimis Deo*, vna pars. *In terra pax*, altera, *In hominibus bona voluntas*, quarta modum Græcè, legitur, tertia. Quam opinionem postea refutauimus. In prima igitur parte illud dubitatur, sintne hæc verba optantium, precantiúmue angelorum, an annuntiantium, id est an Deo angeli gloriam optent, quasi dicant, Gloria in excelsis sit Deo, an annuntient, tanquam si dicerent, Gloria in excelsis est Deo, Multis interpretibus vtrumque placet, quòd, vt ait Lucas, Deum angeli laudarent, qui verò laudant, optandi modo vti soleant, Atqui inde ego è contrario annuntiantium esse probo. Est enim laudare non bona ei, qui laudatur, optare, quæ nondum in eo sint, sed, quæ in eo iam sunt prædicare, vt ab aliis cognoscantur, aut apud se certò confiteri. Omnes Psalmi ex emplorum pleni sunt, qui cum Deum maximè laudant, res ab eo mirabiliter gestas commemorant. Psalmus 105. Præterea canentes angeli ea, quę à priore angelo dicta fuerant, proculdubio confirmare voluerunt. Ille autem non dixerat, quod futurum erat, sed, quod

sed, quod iam erat factum, annuntiauerat, Saluatorem natum esse; ergo & illi nihil Deo optant, sed eum ob missum Saluatorem laudant. Adde quòd sequentia vix optantis esse possint, *Et in terra pax hominibus*, vt illi ipsi auctores confitentur: At qui vero simile profectò non est tam pacis verbis tantopere laudādi rationem fuisse mutatam. Ita etiam Theophylactus, & Euthymius exponunt. Sensus ergo est *Gloria in altissimis*, id est in cælo parta est Deo, hoc est materia glorificandi Deū angelis qui in cœlo sunt, Christo nato exhibita est. Itaque non iungo illud, *In altissimis* cum *Deo*, quasi sensus sit, Gloria Deo, qui est in altissimis, quemadmodum quosdam interpretari video, sed in altissimis, Gloria est Deo, id est angeli, qui in altissimis sunt, Deum laudant, aut laudent, vt exponit D. Augu. lib. 2. de sermone Domini in monte c. 10. Solet enim cœlum pro angelis, sicut terra pro hominibus accipi Deut. 32. 1. Iob. 15. 15. & Psal. 68. 35. & 148. 1.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.) Sunt, qui duo vt paullo ante diximus, in his verbis membra distinguant, *Et in terra pax*, *hominibus bona voluntas*, bona enim voluntas nō bonæ voluntatis Græcè est. Sic Andreas Ierosolym. in sermone de laudibus Beatæ Mariæ, Nicephorus lib. 1. cap. 12, Theophylactus & Euthymius in commentariis, Ego vnum tantùm membrum esse arbitror vetustiores secutus auctores Origenem hom. in Lucam 12. Cyprianum tractatu de natiuitate Domini, Hilarium in 2. de Trinitate, Ambrosium serm. 13, Augustinum lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 10. Seuerianum apud Chrysost. in sermone de pace, Cæsariū homilia. 12. Leonem serm. 6. de natiuitate, Gregorium lib. 28. moralium cap. 7. & hom 8. in Euangelia, Bedam in commentariis, Bernardum serm. 4. in vigilia natalis Domini, & serm. 2. de septiformi spiritu in Christo, & serm. 1. de sancto Andrea, & serm. 13. de laude, & gloria semper attribuenda. Nec sententia satis aliter constare potest. Nam cui in terra, nisi hominibus, pax esse poterat? Itaque cœlo opponitur terra, Deo homines, quòd Deo gloria hominibus pax dicatur esse; ijdem rursus homines angelis opponuntur, quòd in cælo angeli Dei gloriam; in terra homines hominum pacem celebrare videantur; quis ergo sensus est, *Et in terra pax hominibus*? Mittamus enim nunc illud *bonæ voluntatis*, de quo postea disseremus. Ad quos hominibus pax esse dicitur, ad Deū? an ad angelos? an ad homines? Sunt qui ad homines dicant, quasi sensus sit, homines, qui prius inter se diffidebant, veniente Christo conciliatos. Non conuenit cum hac interpretatione, quod infra cap. 12. 51. & Matthæi 10. 34. ipse de se testatur Christus, *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Alij ad angelos pacem referunt, quasi homines, qui prius propter peccata sua angelis inuisi erant sublato per Christum peccato, reconciliati illis fuerint: quemadmodum videntur Cyprianus in tractatu de natiuitate Domini, Gregorius, & Seuerianus exponere. Alij ad Deum quod magis probo. Credibile enim est declarasse angelos, quam Dei beneficium erga homines laudabant, quid eo lucri hominibus accessisset, sicut declauerant Deo accessisse gloriam. Quid autem accessit, quod plures faciendum, magisque prædicandū esset, quam quòd pax illis cum Deo esset conciliata? Estque hoc consuetudini loquendi scripturarum consentaneū, *Ipse*, inquit D. Paulus, *est pax nostra, qui fecit vtraque*

Gloria in altissimis Deo.

Gloria in scriptura.

vnum. Ephe. 2. 14. & ver. 15. 16. 17. 18. 19. *Legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso: & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrē,* & ad Romanos 5. 1. 2. *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per nominum nostrum Iesum Christum per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Atque ita Nicetas interpretatur in comment. in orat. 2. de Pascha Gregor. Nazianzeni.

Bonæ voluntatis.) G. *Δόξα* bona voluntas. Est autem *Δόξα* proprié, quæ ab Hebræis vocatur רצון, nisi quòd רצון in scriptura sacra, & de Deo, & de hominibus; *Δόξα* verò, quantùm equidem obseruare potui, fere de solo Deo dici solet; significat enim bonam Dei erga homines volūtatem, &, quam vulgo vocamus, gratiam: quod vetus interpres solet reddere beneplacitum, sicut verbum *Δοκεῖν* beneplacere Ephes. 1. 9. Cæterum duplex hic quæstio est; altera quomodo legendum, altera quomodo verba iungenda; ex his enim duabus rebus sensus huius loci colligendus est. Omnes nunc Græci codices habent *Δόξα*, bona voluntas, atque ita omnes non antiquissimi Græcorum interpretes legunt, Andreas Ierosolymitanus, Nicephorus, Theophylactus, Euthymius, & his antiquior Gregorius Nazian. orat. 2. de Pascha. Sed non dubito multis fretus auctoribus affirmare Græcos nunc codices hoc loco esse corruptos, legendúmque esse *Δόξιας bonæ voluntatis*, vt noster legit interpres, cuius magna profectò auctoritas esse debet; & omnes fere antiquissimi auctores Latini simul, & Græci Origenes homil. in Lucam 13. Cyprianus in libro de natiuitate Domini, Cyrillus Catechesi 12. Ambros. sermone 13. & qui supra citati sunt August. Cæsarius, Leo, & Gregor. Beda, Bernardus. Ratióque ipsa docet ita esse legendum. Nam quis quæso sensus est, in hominibus bona voluntas? Exponunt quidam, *Et in terra pax hominibus*, quæ est bona Dei erga illos voluntas, vt sit appositio; sed hoc quàm violentum est? Præterquam quod, vt ante probauimus, non sunt hęc duo membra, sed vnum, quare nomen pacis necessariò cum hominibus iungi debet. Itaque non potest alterum substantiuum, nisi in secundo casu cum iisdem rectè coniungi. Reliqua igitur est altera quæstio, qua ratio verba iungenda sint, id est, quonam sit genitiuus ille *bonæ voluntatis* referēdus ad pacem, an ad homines, Quidam enim ad pacem referunt, quasi sensus sit, Et in terra pax bonæ voluntatis in hominibus, id est pax ex bona Dei voluntate, liberalitatéq; profecta. D. Cyprianus in tractatu illo de natiuitate Christi, & Ambros. serm. 13. & Beda in comment. & Bernard. ser. 1. de sancto Andrea, & vt arbitror, nemo non antiquus quidē auctor ad homines refert, vt pax non omnibus hominibus, sed iis tantum, qui bonæ sunt voluntatis, annuntietur. Assentior, sed quo sensu dicantur homines bonæ voluntatis, in eo mihi videor à multis eorum non sine ratione dissentire. Putāt enim illi bonæ volūtatis homines appellari qui bonam habeant voluntatem, & ad recipiendam diuinam misericordiam, & pacem illam, quæ annūtiabatur, propensam; quales illi ipsi pastores erant, quibuscum angeli loquebantur, vt iidem omnes, quos citauimus, auctores explicāt, & quidē ita vt Ambro. significari his dicat verbis pacem non debiti esse, sed meriti, quasi pax nō quibuslibet hominibus, sed bona eam voluntate merentibus promittatur. Quod à summo licet profectum auctore, imi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tari lectorem nolim. Iam docuimus εὐδοκίας nō hominum, sed Dei erga homines bonam voluntatem significare. Itaque sensus est, *Et interra hominibus bona voluntatis*, id est iis, quos Deus, amauit, qui Deo placuerunt, quos bona Deus persecutus est voluntate. Quibus verbis prædestinati designantur, non quòd non omnibus hominibus Christus pacem attulerit, cùm dicat D. Paulus pacificasse omnia, *siue quæ in terris, siue quæ in Cœlo sunt*, ad Colos. 1. 20. & se dedisse *redemptionem semet ipsum pro omnibus* 1. ad Tim. 2. 5. & pro omnibus mortuum esse 2. Corinth. 5. 14. sed quòd eius pax, atque redemptio non omnibus, sed solis prædestinatis, qui eam recipere voluerunt profutura esset. *Quia quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit* Rō. 8. 30. Potiùs ergo significatur, nō hominū merito, sed sola Dei misericordia, atque liberalitate, & vt ipsius prædestinationis verbo vtar, τῇ εὐδοκίᾳ beneplacito, vt nostervertit interpres, hanc inter Deum, & homines reconciliatam esse pacem. Hoc enim est, quod quasi hunc locum expliceans scribit D. Paulus Ephes. 1. 7. *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius*.

15. *Et factum est*; vt *discesserunt ab eis angeli.*) Docet Euangelista non fuisse irritam angeli orationē, sed persuasisse pastoribus, atque statim eos de visendo Christo deliberasse. Vtile moribus nostris exēplum. Omnes inspirationes bonæ, angeli sunt, qui nobis Christum saluatorē nostrū nuntiant. Cùm discesserunt, cūctandum non est, ne iniecta in animum nostrum sancta desideria refrigescant. Statim quærendus Christus, qui nō nisi in Bethlehem, id est in Ecclesia, & in præsepi, id est in summa paupertate, in summa humilitate inuenitur.

Inspirationibus diuinis statim obtemperandū.

Et videamus hoc verbum, quod factum est.) Ambr. & Beda, & Bern. serm. 22. in cantica *Verbum* hoc loco Christum ipsum interpretantur, quòd *erat in principio apud Deum*, & quod *caro factum est*, *& habitauit in nobis*, & de quo quemadmodum pastores, Ioannes etiam dicit 1. epist. c. 1. 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ annuntiamus vobis*. Sed dubium non est *verbum* pro re qualibet poni, vt sæpe monuimus, vsitato passim Hebraismo, quē, & Euth. hic animaduertit.

Ioan. 1. 2. Ioan. 14.

Verbum pro re apud Hebræos.

Quod Dominus ostendit nobis.) Quasi dicat, ne Deo ingrati, simus, quandoquidem tantum in nos ille contulit beneficium, vt natum nobis Saluatorē per angelos ostenderet. Transeamus ergo, festinemus, sequamur quò vocat, Deum. Sic etiam apud se dicere oportet eos, qui à Deo ad melora vocantur.

16. *Et venerunt festinantes, & inuenerunt.*) Duo his verbis Euāgelista indicare voluit; pastorum diligētiam, cum festinantes venisse dicit; & corū, quæ ab angelo dicta fuerant, veritatem, cum dicit inuenisse puerum positum in præsepi, sicut angelus dixerat. Notarunt Orig. Ambros. & Beda, quod & litterale simul, & morale est, ideo pastores inuenisse Christū quia festinantes venerunt. Quod autem dicit Euangelista *positum in præsepio* Ambros. & Beda dicta ab Angelo cōfirmare dicunt. *Non mediocre*, inquit Am. *fides tibi hoc videatur exemplum, non vilis persona pastorum. Certè quo vilior ad prudentiā, eo pretiosior ad fidē. Nō gymnasia choris referta sapientiū, sed plebem Dominus simplicem re quisiuit, qua phalerare audita, & fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur.*

17. *Cognouerunt de verbo.*) G. διαγνώσαντες ambiguum est. Verti enim potest, aut cognouerūt, vt noster vertit interpres, aut diuulgarūt, vt alij quidā interpretes noui transtulerunt. Vtrumque congruentem habet sensum: sed quidā ideo posteriorem priori præferunt, quòd statim sequatur, *Et omnes qui audierunt mirati sunt*. Atque ita Theophy. exponit, eundémque sensum carmine Iuuencus expressit.

Diffugere late celeris vaga semina famæ.
Mirantes laudant, lætantes constupuerunt.

Nolim tamē leniter ab interprete nostro discedere cū nulla præsertim necessaria cogat ratio. Sēlus est congruus, *Cognouerunt de verbo*, *quod dictum erat illis* ab angelis, id est re ipsa cōperuerunt verba fuisse, quæ sibi angeli dixissent. Quòd autem sequatur, *Et omnes audierunt mirati sunt*, potuit rectè dici etiam si dicta nō fuissent, id pastores audiuisse, quia ex illis ipsis verbis satis poterat intelligi eos narrasse quæ ab angelis audiuissent. Notauimus in Hebraorum alio matis morem eorum esse, vt antecedentia, & cum taceant; consequentia, & euentus exponant.

18. *Et omnes qui audierunt.*) Pastores narrāsse, quæ modo sibi angeli apparuissent, & quid de eo puero nuntiassent.

Et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.) Mirati sunt de ijs, quæ sibi à pastoribus dicebantur, sibi ne angelis, & de ijs, quæ sibi nuntiassent. Græca mea præpositio, *Et*, nec legit Ambros. & sententiam magis videtur impedire, quàm adiuuare.

19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc.*) Omnia verba pastorum; aut potius omnes res quæque à pastoribus de Christo narrabātur, quasque ipsa in natiuitate Christi acciderat animaduertit. Putat Ambros. & Beda Mariam aliquod à pastoribus mysterium quod ante ignorasset, didicisse; Obseruabat certe, ut opinor omnia, non quasi filij sui ignara mysteria, sed quasi læta nouis signis, pastorumque testimonijs confirmari, quæ ipsa prius ex Gabriele didicisset. Hoc enim est, quod Euangelista dicit. *Conferens in corde suo*, id est sequentia cum præcedētibus cōparans, & cum omnium ad eiusdem mysterij confirmationem & fidem cōsensionem animaduertens, quemadmodum exponit Euth. Omnia verba hæc quidam, vt Theophyl. refert, interpretātur, verba pastorū cum verbis Gabrielis conferens c. 1. 31. Alij melius, gesta non solùm quæ dicebantur, sed etiā quæ fiebant, salutationē angeli, cōceptum sine viro, partum virginē, dolore pastorum aductum, & quæ ab illis de angelis à se visis, auditisq; narrabātur, Euthym. Theophylis Bernar. in serm. in illa verba Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo*. Beda verò cum veteribus gynum apparuit in cœlo. Beda verò cum veteribus grephetijs Mariam, quæ fiebant, contulisse putat. *Sanctas*, inquit, *scripturas legerat, & screbris prophetarum ferebatur ea, quæ secum sunt acta de Domino, cum his, quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino, & collata ad inuicem cognouit instar celestium Cherubim sicta fide & luce concordia. Dixerat enim Gabriel, ecce concipies in vtero, & paries filium. Prædixerat Isaias, ecce virgo concipiet & pariet filium. Prædixerat Michæas, filia Sion ex ore gregis aduenturas, & potestatem primam tunc esse venturam. Dicebant pastores superna sibi comitatis milite gis apparuisse cohortes, quæ natum canerent Christum. Gerat Maria, Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Videbat in præsepi Dei filium, cui omnes homines saluat, ac iumenta, & in his singulis, atque omnibus modi conferebat quæ legerat, & comparabat his quæ audiebat, & videbat.* Quod dicit *in corde suo* indicat apud eū omnia seruasse, nec in vulgus indicauisse. Singularem humilitatis, atque modestiæ virginalis exemplum quemadmodum adnotauit Ambr. *Discamus*, inquit, *sanctam virginis in omnibus castitatem, quæ non minus pudica, quam corpore argumenta fidei conferebat in corde.* Idem Bernar. in ser. in illo in verba Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo* obseruauit.

20. *Et reuersi sunt pastores.*) Videri poterat non ma-

gnopere necessarium, vt Euangelista diceret pastores ad gregem suum rediisse, sed propterea dixit, vt ostenderet omnia fuisse completa, quemadmodum illis ab angelis nuntiata fuerat, & vt ex eorum gaudio declararet vera fuisse omnia, quæ ipsis ab angelis dicta fuerant, quando tam, læti, quasi compotes voti redirent. Hoc est quod dicit, *In omnibus quæ audierant, videbant, sicut dictum est ad illos.*

21. *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideret puerum.*) Intelligēdum, circumcisus est, sicut lex præcipiebat, vide quæ diximus cap. 1. 59. Cur circūcidi voluerit, qui innocens cùm esset, circumcisione non indigebat, quæri, solet, faciléque ab omnibus responderetur exēpli causa fecisse, vt nos doceret diuinis parere legibus. Venerat enim, vt ipse postea dixit, *non legē soluere, sed adimplere*; aut vt solueret adimplēdo, vt Origenes interpretatur. Et sicut voluit fieri ex muliere, ita voluit ipōte sua fieri sub lege ad Galat. 4. 4. Alij dicūt non sua, sed totius humani generis persona circūcidi voluisse. In quē sensum exponit Beda; Redēptor, inquit, noster, qui vt peccatis modi tolleret, sine peccato venit in mundo, sicut suo baptismate nobis remedia procurauit, id est nostris abluēdis sceleribus aquarū, quæ subiit, lauacra consecrauit; ita etiam circumcisione, quam suscepit non sua, quæ nulla erant admissa purgauit, sed nostræ in se naturæ vetustatem docuit innouandam, & nunc videlicet eam per se à vitiorum labe purgādam, & in nouissima die significans ab ipsa multifariæ mortalitatis, ac mortis peste penitus esse restauandam.

Vocatum est nomen eius Iesus.) G. Καὶ ἐκλήθη, & vocatū est. Cōiunctio & redūdabit, nisi aliquid intelligarat. Intelligendum autem est, quod paullo ante dominus, circumcisus est, *& vocatum est nomen eius Iesus*. De nomine Iesus, quæ dicenda erant Matthæi 1, 21. diximus. Cur autem in circūcisione nomina infantibus ponerentur, exposuimus supra cap. 1. 59.

Quod vocatum est ab angelo, priusquam in vtero concipetur.) Voluit Euangelista docere neque casu, nec humano, sed diuino consilio factum fuisse, vt Christus ita vocaretur; cum antequam conceptus esset, id illi ab angelo nomen datum fuisset. Ratio nominis ab illo altero angelo, qui apparuit Ioseph Matth. 1. 21. reddita est, & illic à nobis explicata, quia *ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

22. *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius.*) Prætermittit Lucas Magorum aduentū, quem Matthæus narrat ca. 2. 1. is enim priori fuit, quàm purgationis dies, vt illic probauimus. Atque eo fortasse consilio Lucas prætermisit, quòd de ea re Matthæū scripsisse sciret. Nam de circumcisione, & purificatione, de quibus nihil Matthæus dixerat, ipse diligēter egit. G. καθαρισμοῦ αὐτῆς, *dies purgationis eius*, Græci habent αὐτῆς, eius, masculino genere, id est Christi, sed vitio manifesto, cuius causam fuisse suspicor, quòd puer proximè præcessisset. Alij codices legunt αὐτοῦ ipsorum, vt legit Origenes, Theophylactus, & Euthymius, vt ad matrem, & filium referatur. Quod similiter vitium est. Genere enim fœminino legendum esse dēq; sola matre agi ex lege ipsa quæ citatur, Leuit. 12. 3. perspicuum est, vbi de sola mulieris purgatione fit mentio. De infante tantùm dicitur, vt, si masculus fuerit, circumcidatur octauo die, de viro nulla mentio. Itaque interpretationem Euthym. non probo dicentis vxorum purgationem viris etiam solere tribui. Minùs etiam illam Orig. qui ipsorum interpretatur matris, & filij. Quem autem errorem cum soleāt incredibile fastidio, hæretici cō-

remnere, tamen errantem hoc loco, quam alibi vera dicentem sequi maluerunt. De sola igitur matre sermo est, ac de illa ipsa non quasi significare Euangelista voluerit locum in ea legem habuisse, debuisseque quasi esset immunda aliarum mulierum more purgari. Quod etsi Origen. credere non horret, horrent meritò pij omnes auctores, horret aliqua religione imbutus animus. Quid enim in ea virgine esse poterat, quod purgari posset, quæ Deum sine viro conceperat, sine corruptione, sine dolore pepererat. Itaque si iurisperitorum regula vera est, ibi legeus locum habere, vbi legis ratio locum habet, lex illa Mosis in Maria nullum habebat locum, cùm eius in ea ratio locum non haberet. Ratio enim legis, quæ mulier post partum mundari iubebatur, erat, quòd esset immunda: Maria verò mundissima erat. Erat autem mulier post partum duobus modis immunda, & politicè, & moraliter. Politicè quidem, id est quod attinet ad externam veteris illius Ecclesiæ politiam, quia post partum solet diu purgari sanguis, quæ res natura sua turpis est, etiam cogitatu; & voluit legislator mulierem certo post partum tempore immundam iudicans horrorem maritis iniicere, ne vxoribus eo tempore vteretur, vt & illos honestiores redderet, & mulierum infirmitati consuleret, ne imbecillo adhuc ex partu, & fracto corpore à nimis libidinosis, & intemperantibus maritis vexarentur. Moraliter autem censebatur immunda coram Deo mulier, non quòd sanctum non esset matrimonium aut eius immundus esset vsus, sed quòd per conceptum ex viro originale in prolem peccatum traduceretur, sicut dixit Dauid, *Ecce enim in iniquitatibus concepitus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, quēadmodum Origenes hom. 8. in Leuit. & D. August. q. in Leuit. 40. exposuerunt. Vtraque ratione Beata Virgo lege soluta erat. Nam neque sanguines illos superuacaneos, & horrendos, qui mulieribus solent fluere post partum, illi fluxisse credendum est, quæ sine viro conceperat, sine corruptione, sine apertione, sine dolore perpererat; & non in peccato, sed in spiritus sanctificatione & conceperat, & pepererat Christum. Hanc vim habere quidam putant verbum illud Euangelistæ *secundum legem Mosis*, quasi dicat non secundum veritatem, sed secundum legem Mariam fuisse purgatam, id est non quòd purgatione indigeret, sed vt obseruaret legem, sic August. q. 40. in Leuit, & Titus Bostrensis Græcus auctor citatus à D. Thoma. Alij ex verbis ipsis legis id probant, quòd ita lex habeat Leuit. 12. 2. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immūda erit septem diebus iuncta die separationis menstruæ.* Hærent in illo verbo *susceptio semine* quasi Maria, quæ non suscepto ex viro semine sed ex Spiritu sancto sine semine cōceperit, immunda esse non potuerit. Sic Titus Bostrensis, & Bernardus serm. 3. de purificatione, Theophylactus, Beda in commentariis, & Origen. hom. 8. in Leuit. siue Cyrillus in eorum commentariorum auctor. Sunt quibus hæc ratio non placet, quod Hebraicè sit ירה si fœminificauerit, ad verbum; id est si fœmē fecerit, si prolem genuerit: vocatur enim proles ab Hebræis aliquādo זרע semen. Iudicet lector, hoc modò tenerat Beatam Virginem purgatione non egnisse. Cur ergo subire legem voluit? Cur voluit & circūcidi Christus, qui cum circūcisionis finis esse, circunc isione non indigebat? Respondet Bernard. in paruis sermonibus 5, serm. 7. *Quid est autem, quod dicimus Beatā Mariam purificāri? quid vero quod ipsum Iesum dicimus circumcidi? Enimuero tam non indiguit illa purificatione, quam neque ille circunc isione. Nobis ergo & hic circunciditur, & illa purificatur præbentes exemplū pu-*

Purificatio B. Virginis quæ lex.

Cur B. Virgo legem subiit Purificationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitentibus, vt à vitijs continentes primum per ipsam continentiam circuncidamur, deinde a commissis per pœnitentiam purificemur. Lex hæc erat, vt si mulier masculũ peperisset per septem, dies immunda esset iuxta dies separationis menstruæ, id est eodem ritu eodémque dierũ numero à cõsortio hominũ separaretur, quo mulier, dũ menstrua patiebatur, separari iubebatur, octauo autem die infans circuncideretur ipsa verò triginta tribus diebus maneret in sanguine purificationis, ita vt nihil illi sanctum tangere, neque, in tẽplum ingredi liceret. Quòd si peperisset fœminam, vtrũque duplicabatur tẽpus. Nã primũ erat immũda per quattuordecim dies eodẽ ritu, quo mẽstruatæ mulieres immũdæ erãt: deinde per sexaginta sex dies in sanguine purificationis manere iubebatur. Leuit. 12. 2. Solet huius legis ratio quæri. Ac primũ cur prius per septẽ, aut quãtuordecim dies mulier, quæ peperisset eodem modo censebatur immunda atque si mẽstrua patereturi Eius rei non admodum difficilis est cõiectura. Partus ipse quasi genus quod dam erat menstrui, ex menstruo scilicet genitus, mẽstruo in vtero altus, menstruo editus. Ideo eodem modo & quæ perpererat, & quæ menstrua habebat immũda esse iubebatur, eodemque septem dierum spatio separari Leuitic. 15. 19. Si verò peperisset fœminam immunda erat nõ iuxta dies, sed iuxta ritum separationis menstruæ, quia pluribus diebus, quàm menstrua, sed eodem ritu erat immunda. Etsi D. Augustt. q. 40. in Leuit, hoc etiam inter septem, siue 14. & inter 33. siue 66. dies quòd attinet ad ritum purgationis interesse putat, quòd septẽ, siue quattuordecim primis diebus adeo immunda censeretur mulier, vt quidquid tangeret, fieret etiam immundum reliquis verò diebus vsque ad oblationem sacrificij non quicquid tangeret esset immundum, ipsa tamẽ eatenus immunda esset, vt neque in templum illi ingredi neque quicquam sanctum tangere liceret. Ita vt hæc separatio eodẽ modo ab illa differre videretur, quo nunc apud nos maior à minore excommunicatione differt. Quæri solet cur vtriq; dies & priores septem in ea quę masculum, & posteriores triginta tres in ea, quæ fœminam peperisset, fuerint duplicati. Duas eius rei causas fuisse arbitror, alterã naturalem, moralem alteram. Naturalem quidam, quòd vt Philosophi, & Medici tradunt, masculus in vtero quadraginta diebus, fœmina octoginta formetur, animetúrq;. Quo dubium nõ est respexisse Deũ, cùm mulierem, quæ masculum peperisset, quadraginta, quæ fœminam, octoginta immundam haberi iussit. At huius ipsius rei quæritur ratio, cur tãto tẽpore Deus mulierem immũdam esse voluit, quanto in eius vtero formatus, atq; animatus est partus: Ad eam quæstionẽ, cùm nullam lex rationẽ reddat, non possumus nisi ex coniectura respondere. Formatur fœtus ex menstruo sanguine mulieris, quare certissimum signum est concepisse mulierẽ, si nec morbo, neque ætate impediente mẽstrua illi fluere desinãt. Propter sanguinem illum, quo fœtus ante partũ in vtero formatus est, mulier nõ fuerat separata, quia extra corpus non effluebat: post partum verò totus simul cũ fœtu ex illo formato censebatur affluere quare tot diebus separatur mulier, quot mẽstruo eius sanguine in vtero formatus est fœtus, si masculus est quadraginta, si fœmina, octaginta. Moralis, verò ratio esse potuit, quòd cũ propter peccatũ originale in fœtum trãsmissum separaretur mulier, tot diebus separari debuit, quot peccatũ trãsmisit. Trãsmisit autẽ peccatũ quadraginta diebus in masculũ, in fœminam octoginta: quia per animationem peccatũ originale transmittitur, animatio autẽ, vt dixi-

Cur immunda fuerit mulier tamdiu.

mus masculi fit quadraginta diebus, fœminę octoginta. Quærit D. Augustt. eodem loco si propter peccatũ originale trãsmissum in filios purgabatur mulier, cur non potius filij purgabantur, cum peccatũ non in matre, sed in filijs esset: Respondet etiã filios purgari iussos, sic enim legit, & iũgit verba legis Leuit. 12. 6. *Cumq; expleti fuerint dies purificationis sue pro filio, siue pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij*; ita inquam Augustt. legit & iungit, vt hęc verba pro filio, siue pro filia non copulẽtur cum præcedentibus, sed cum sequentibus, vt significetur pro filio, siue pro filia sacrificium offerẽdum eóque infantes sicut matrem per separationẽ purgari. Quæ opinio neque ab alijs auctoribus recepta est, neque cum textu verborum congruit, quo nequaquam obscurè significatur, nõ pro filio, aut filia, sed pro matre; quia filium, aut filiã peperat faciendũ offerendũ. Itaque facilius respondẽri potest sanctũ offerendũ. Itaque facilius respondẽri potest sanctificandis, atque mundãdis à peccato originali infantibus, aliud fuisse remedium, fœminis parcentibus fidem, & oblationem; masculis circuncisionis sacramẽtum.

23. *Sicut scriptum est in lege Domini.*) Alia hæc est lex Exodi 13. 1. & Leuit. 27. 26. & Numer. 8. 16. Vbi propter primogenitos in Ægypto interemptos, vt eius beneficij perpetuam Iudæi memoriam conseruarent, iussi sunt omnia tam hominum, quàm carnorum animaliũ primogenita Deo consecrare. Sed pro primogenitis hominum assumpserat sibi Deus tribum vnam Leui Num. 8. 15. 18. itaque hominum primogeniti offerebãtur quidem Deo in templo, & pretio redempti resumebãtur à parentibus, quia eorum loco tẽplo Leuitæ seruiebãt. Primogenita verò aliorum animalium si munda erant, sacrificabantur: si immunda redimebantur, mundis oblatis eorum loco Exo. 13. 13. & 34. 20. Profert Lucas verba legis: *Omne primogenitum ad aperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*; id est ei sanctũ erit eo Hebraismo, quo supra expositum est c. 1, 32, 35. De quibus verbis ad Christum accõmodandis solẽt omnes & antiqui & recẽtiores interpretes disputare. Quidã soli Christo hanc legem propriè conuenire putant, solum enim proprie vulnã aperuisse, qui solus clausam inuenerit, ita Origen. homi. in hunc locum 14. & Tertull. lib. de carne Christi, & Ambros. & Gregorius Nyssenus in testimonijs ex veteri testamẽto collectis, & Epiphan. hæresi 78. & Hieron. lib. 2. cõtra Pelagianos, & Theophyl. & Euthym. hoc loco, & Graecus auctor apud D. Thom. Pio quidem sensu hoc dicũt auctores dixisse credẽdum est, idque postea docebimus; sed abutuntur tamẽ eorum testimonio Calviniani, vt probent Christum verè matris vteri aperuisse, eique abstulisse nascendo virginitatem. Hæc enim inter alias innumerabiles eorum etiam hæresis est, vt matrem Christi in partu virginẽ fuisse negẽt. Quod & alios iã olim hæreticos docuisse, & Epiph. hæresi 78. & Beda hoc loco testantur. Nolim equidem dicere quod viros nonnullos doctos certẽ atq; Catholicos sine cuiuspiam reprehẽsione nostra ætate dixisse video, Christum modo quodam matris vterum aperuisse. Nam etsi pio dicunt sensu, tamen ad ea verba insuetæ Catholicorum aures horrescunt. Nec eos auctores veteres, qui Christũ vulnam, & quidem solum aperuisse dicunt, quasi damnatos erroris deferendos esse arbitror, sed in bonam partem interpretandos. Non facit iuris, iudicio meo, quod respondere quidam solent illos contra Marcionistas, & alios hæreticos, qui Christum negarunt verum corpus habuisse, id diuisse ex-

dore abreptos disputationis, ne Christum incorporeum phantasma facere viderentur, si dixissent matris vterum non aperuisse. Eadẽ enim ratione dicere debuissent Christũ apertis ad discipulos ianuis ingressum fuisse Ioannis 20. 19. Meliùs alij, tantùm eos auctores significare voluisse inuenisse Christum vterum clausum: nec enim, quod clausum non est, aperitur, ideóq; dixisse eum aperuisse, nõ quòd aperuerit: nam nec alij propriè infantes aperiunt, cum corrupta iam matris virginitate apertum inueniãt: sed quòd si Christum cum aliis cõferamus, potiùs ille, qui clausum, quàm alij, qui apertũ inuenerunt, aperuisse videatur. Ego semper hoc sensu eos auctores exposui, vt nõ de re ipsa, id est de apertione vteri, sed de apertionis effectu loquãtur; quasi dicãt Christũ ex clauso exisse vtero, quemadmodũ si aperuisset. Tanquã si dicas illũ aperuisse fores Ioan. 20. 19. aut Spiritũ sanctũ aperuisse cœlos Mat. 3. 16. quia & ille tã verè ad discipulos ingressus est quã si fores aperuisset; & tã verè Spiritus S. de cœlo descẽdit, quàm si verè aperuisset cœlos. Intelligebãt quippe auctores illi tantopere in sacris litteris exercitati phrasin illã, aperire vulnã, non significare verè aperire, sed primũ nasci, quòd, qui primus nascitur, viã aliis post se nascituris aperire videatur. Aut, vt alij interpretãtur, aperire vulnã est fœcunditatẽ matris re ipsa probare, ostenderéq; nõ esse sterilem quòd facit quisquis primus nascitur. Sicut è cõtrario claudere vulnam, aut vterum significat sterilẽ facere mulierem: sicut Deus dicitur mulieris vulnã aut vterum aperire cum fœcundã facit, quæ sterilis erat. Genes. 29. 31. & 30. 22. Ergo & Deus magis pro prię vulnam mulieris sterilis quàm non sterilis, cum fœcundam reddit, aperire dicitur; quia quamuis neutram propriè aperiat, tamẽ dum facit, vtutra que, possit parere magis propriè sterilem quæ clausam fœcundam, quæ natura sua aperta esse videbatur; dicitur aperire. Ita prorsus, nisi fallor auctores illi dixerũt, solum Christũ vulnam aperuisse, non quòd aperuerit propriè, sed quòd solus clausam inuenerit, solus per nuquam apertam exierit. Hunc eorum fuisse sensũ ex Amphilochio Græco auctore dicici, qui homil. in Hypapantem his verbis rem interpretatur exponit: *Quantum pertinet ad virginalem naturam. Virgini, clausũra nullo modo aperta fuit; quantum verò ad posteà genitũ Domini, nihil clausũ, omnia aperta*

Didici ex ipso Hiero. vno ex iis auctoribus, qui dubitare videntur Christum vulnã aperuisse lib. 2. contra Pelag. *Solus*, inquit, *Christus claustas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamẽ clausa iugiter permanserunt.* Quo enim modo intelligi potest aperuisse, & tamen clausas iugiter permansisse, nisi quia nõ verè aperuit, sed tam verè exiit, quàm si aperuisset? Idem Græcus ille auctor D. Thomę scribit. Cæterum alio rum auctorum sententias nihil commemorare attinet, qui vno omnes consensu clausis vteri viis Christum exisse docuerunt. Ambrosius epist. 81. Leo sermone 1. & 2. de natiuitate, Gauden. tract. 2. in Euãgelia. Gregor. Nyssenus in hom. de occursu Domini Eusigen. in serm. de laudibus Beatæ Mariæ, Euseb. Emissenus in hom. in illa verba, *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum*, Damasc. lib. 4. de fide orthodox. c. 14. Illud quoq; quod in publicis ecclesijs canit Ecclesia, *Qui virginitatem matris nasce do non minuit, sed sacrauit*, totidem verbis ex Augustino sumptum est. Reliquum igitur est, vt doceamus quomodo ea lex in Christo, & eius matre legem in solo Christo seruatam fuisse, quia dicit, *sanctũ Domino vocabitur*, & solus Christus inter omnes homines verè atque natura sua sanctus fuit, ita Vigilius libro contra Eutychem 3. Sed non est sensus legis, vt quod sanctum est Domino, offeratur, sed vt quod sanctum non est oblatione sanctum Domino, fiat. Contra verò alij dixerunt nullo modo legẽ Christo, & Mariæ conuenire potuisse, quia nec illa ex viro conceperat, nec ille vterum aperuerat. Cæterum, vt supra exposuimus, verbum aperire, non significat aperire, sed primogenitum esse. Itaque hoc sensu verè Christus vulvam aperuit, quia verò primogenitus fuit, quod nemo mihi meliùs, quàm Beda videtur exposuisse. *Itaque quod ait, adaperiens vulnam, consuetã natiuitatis, more loquitur, non quòd Dominus noster sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificaret, egressus deuirginasse credendus sit, iuxta hereticos qui dicunt Beatam Mariã Virginem vsque ad partum, non virginẽ esse post partum: sed iuxta fidẽ Catholicam clausũ virginis vtero quasi sponsus suo procedisse de thalamo.* Alia meliore ratione Christus ab ea lege liber erat, quia cum filius Dei naturalis esset, opus non erat, vt ei in templo offerretur. Sed fecit hac in re, quod apud Matthæũ cap. 17. 25. 26. 27. cum fecisse legimus, vbi interrogatus à Petro nomine eorũ, qui tributa colligebant, num tributum solueret respondit, *quid tibi videtur Simon, Reges a quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs, an ab alienis?* cumque dixisset Petrus, *ab alienis*, intulit, *ergo liberi sunt filij; vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te.* Eodem ergo cõsilio in templo offerri voluit; quamuis lege non teneretur, ne quis offenderetur Iudæorum.

Hostia purificationisque & quæ sum.

24. *Et vt darent hostiam.*) Alia hæc erat lex Leuitici 12. 6. 7. *Cumque expleti fuerint dies purificationis sue pro filio, siue pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato; Orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.* Vbi similiter disputari potest pro quo hostia illa offerretur? Diuus Augustinus vt supra meminimus, quæstione 40. in Leuitici pro filio offerri debuisse putat. Fefellit eum quòd cum hæc verba *pro filio, siue pro filia*, cum præcedentibus iungi debeant, cum sequentibus copulauerit; Offerebãtur igitur illa sacrificia pro purgatione mulieris, quemadmodum cum leprosus, aut qui seminis fluxum patiebatur, & mulier longa habẽs menstrua mũdabatur Leuit. 14. 2. 3. 4. & 15. 14. 29. Diuites offerebant aurum in holocaustum, & pullum turturis aut columbæ pro peccato. Qui verò tam pauperes erant, vt agnum emere non possent, offerebãt duos turtures, aut duos pullos columbarum, alterum in holocaustum, alterum pro peccato. Pro peccato autem, non quòd menstruum, aut fluxus seminis morbo accidens morale peccatum esset, sed quòd legale, quemadmodum omnis corporis secundùm legem immunditia peccatum dicebatur; Non quòd ipsum sacrificium peccatum diceretur, aut pro peccato non vllo certo, sed pro peccato tantùm in genere offerretur, quibus duobus modis nonnullos eum locum interpretari video. Agnus autem, turtur, vel columba offerebantur, quia mundissima, & simplicissima sunt animalia, & de mũdatione agebatur. Obseruarunt hoc loco omnes interpretes tantam fuisse Ioseph Mariæque paupertatẽ, vt agnum vnum emere non possent. Hoc enim de causa videtur Euangelista non legem totam, sed eam tantùm partem, quę ad Mariam pertinebat, recitasse *par tu-*

Paupertas Ioseph & B. Virginis.

turum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

turtures, aut duos pullos columbarum, vt indicaret non agnum, sed aut duos turtures, aut duos pullos colũbinos prõpter inopiam obtulisse, Beda hoc loco, & Augustinus quæst. in Leuit. 40. Dubitant aliqui, qui fieri potuerit vt facultatem emendi agnum non habuerint, cùm Magi iam venissent, & aurum, thus, & myrrham Christo obtulissent? Quid enim de eo thesauro actum esse? De ea re apud Matthæum cap. 2. 1. disputauimus, inde lector petat. Graues auctores lego qui existimãt videantur Mariam simul duos turtures, & duos pullos columbarũ obtulisse, quòd vtrumque videatur Euangelista coniungere. Ita nisi fallor Origenes sentit homil. 14. & Ambrosius libro. 2. de Abraham Patriarcha, cap. 8. At lex non vtrosque, sed alterutros tantùm iubebat offerre pauperes, aut duos inquit, turtures, aut duos pullos columbarum, & Lucas verba ipsa legis recitauit; neque credendum est Mariam plus, minúsue, quàm lex præcipiebat obtulisse. Vtros igitur obtulit turtures ne, an pullos columbarum? Id nescio an possit quisquam, cum Euangelista non dicat, neque hoc magis quam illud indicet, affirmare. Sed si quid in re penitus incerta coniectura valet, similius mihi videtur veri, vt duos pullos columbarum, quàm vt duos turtures obtulerit, & quia facilius reperiri; & quia minore pretio emi potuerunt; & quia est credibile rem fuisse magis vsitatam columbas, quàm turtures offerre. Itaque illi qui ex domo Dei speluncã latronum fecerant, non turtures in sacrificium, sed columbas dicuntur venales habuisse Matth. 21. 12. Cur dixerit pullos columbarum, & non columbas, aut pullos turturum Bernardus serm. 59. in Cant. hanc putat fuisse causam, quòd licet alias per colũbam Spiritus sanctus designari soleat, tamen quia libidinosa auis est, non docuerit, nisi ea ætate qua libidinem nescit, offerri pro Domino. Turtures autem non pullos turturum dixisse, quòd turtur casta quacunque sit ætate, Hoc si cui placet, liberum erit amplecti. Monendus tamen, antequam ex hoc loco discedam, mihi lector est, Origenis opinionem caueat, qui non veras turtures, verásue columbas, sed turturum, & columbarum speciem fuisse dicit; credendum enim est Mariam, etsi lege non tenebatur proprie seruasse legem, vt Euangelista haud dubiè significare voluit, cum tanto dixit studio feciſse secundum legem Mosis.

25. Et ecce homo erat in Ierusalem.) Dicit *ecce*, vt rem ante oculos ponat. Describit iis signis hominẽ, quæ eius auctoritatem commendare poterant, quò eius de Christo testimonium maius videretur. Nomen eius ponit ad faciendam fidem historiæ. Iustum, & timoratum, G. δίκαιον pium, & religiosum fuisse dicit, & vt eius commendetur testimonium, & vt verosimilius sit, quod statim dicturus est Spiritũ sanctum in illo fuisse, respõsumq; ab eo accepisse, non visurum se mortẽ, nisi prius Christum Domini vidisset. Omnia deniq; eò tendunt, vt quàm gratissimũ eius testimoniũ habeatur, quòd non tam humanũ, quàm diuinum fuerit. *Non solum ab angelis, et prophetis*, inquit, Amb. *& a pastoribus, sed etiam a senioribus, & iustis generatio Domini accepit testimonium. Omnis etas & vterque sexus euentorum, miracula fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur. Elisabeth prophetat, Magus adorat, vtero clausus exultat, vidua confitetur, iustus expectat.*

Expectans cõsolationem Israel.) Expectasse dicit cõsolationem Israel, id est aduentum Messiæ, non solùm sicut omnes alij iudæi expectabãt, sed vt postea declarat, sciens Spiritu sancto reuelante eũ se, antequam moreretur, visurum esse. Quòd autẽ ait, *Et spiritus sanctus erat in eo*, quidã sic interpretantur, vt spiritus sanctificationis, & vt Theologi loquũtur gratia iustificans significetur, qua paullo ante iustus fuisse dictus erat, quemadmodũ Greg. Nyssa apud D. Thom. Aliæ propheriæ spiritum intelligunt. Vtrumque fatẽ spiritum habuisse credendum est, illum quia iustus erat, hunc quia statim prophetauit. Et videtur Euangelista ideo dixisse Spiritum sanctũ in eo fuisse, vt rationem redderet, quomodo ab eodem Spiritu sancto responsum accepisset indicans propterea accipere potuisse, quia Spiritus sanctus in eo erat. Sunt qui existimant hunc Simeonem magistrũ fuisse Gamalielis ad cuius pedes se D. Paulus eruditum fuisse dicit; discipulum verò Hellelis vnum ex auctoribus magnæ congregationis, qui in Thalmudicis libris Simeon cognomento iustus appellatur. Nescio an aliquid eiusmodi Nicep. inauditum esset, qui lib. 1. c. 12. vitam illi, vt Christum suis oculis videre posset, ad multum senium propagatam fuisse tradit. Alij eam opinionem refellunt; nec tanti res est, vt in ea peruestiganda multum operæ ponere debeamus. Sacerdotẽ nonnulli fuisse credunt, vt Cyrillus Ierosol. in hom. de occursu Domini, & Epiphan. lib. de vita Prophetarum. Contrà Theophyl. & Euthym. existimãt meliore puto iudicio. Nam si sacerdos fuisset, non id tacuisset Euangelista, cùm tam diligenter hominẽ describere voluisset. Cæcũ fuisse, & ad Christi contactũ, cum eũ in vultus fumeret, recuperasse visum apud Celsum inuenio lib. de incredulitate Iudæorũ ad Vigiliũ, qui inter Cypriani opera circũfertur. Sed nec tam insigne miraculũ, & ad rem tantoperè pertinẽs silentio Euangelista præteriisset. G. &

26. Et responsum acceperat a Spiritu sancto,) G. & αὐτῷ κεχρηματισμένον & erat ei diuino oraculo reuelatum, vt Matth. 1. 20. & 2. 12. 22. Quomodo oraculũ istud acceperit, nostrũ non est diuinare. Hoc tenemus quod Euangelista nobis tradit, illũ ipsum Spiritum sanctũ qui in ipso erat, id illi reuelasse. Quæ ratione occasionẽue, incertũ, Nisi quòd est probabile voluisse Spiritũ sanctũ aliquos Iudæos Christo in templum oblato quàm gratissimũ publico in loco præbere testimoniũ, quo omnis populus intelligeret eum quem expectabat Messiam natũ esse, adhibitis duos & ætate, & sanctitate dignissimos fide testes, sexu diuersos Simeonẽ, & Annã elegisse. Quamobrem ergo de causis Simeon inter omnes Iudæos electus est, vt Christo testificaretur, & qui sanctissimus, & quia propheta, & quia maxime senex erat, & quia summa auiditate eius, desiderabat aduentum. Tacis omnia tacitè indicauit Euangelista, primùm eum virum iustum, & timoratũ fuisse dixit; secundò eum dixit Spiritum sanctũ in eo fuisse; tertiũ cum, *non visurum mortẽ, nisi videret Christum Domini*; quartum cumsingulariter scribit eum expectasse consolationem Israelis. Itaque quod Lyranus dicit, videtiũs orãti Simeoni vt Deus Christũ suum mitteret, Deum id reuelasse, non tam probabile quàm credibile est. Quod autem scribit Niceph. lib. 1. c. 12. legenti oraculum Isaiæ c. 7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, atque ea de re sollicito astitisse angelũ, nuntiasseque non prius moriturum, quàm Emmanuelem illum, de quo illic agebatur, suis vidisset oculis; eius auctoris sapit ingenium, quasliber sapere ex vulgo opiniones colligentis.

Non visurum se mortem.) Non moriturum. Nota Hebræorum phrasis ראות מות videre mortẽ, aut gustare, id est reipsa moriendo experiri, vt Beda etiã adnotauit. Multa exempla Psalm. 88. 49. Ioan. 8. 51. Matthæi 16. 28. Marci 9. 1. & infra c. 9. 27.

Nisi videret Christũ Domini.) Christus Dominũ id est vnctus à Domino, aut iussu Domini futurus Messias vocabatur, quia Rex futurus erat, & omnes Reges, quia à Deo electi vngi iubebantur, Christi Dñi vocabãtur. 1. Reg. 16. 6. & 24. 7. 11. & 26. 9. 11. 16. 23. & 2. Reg. 1. 14. 16. & 19. 21. Quanquã Messias singulari quadã, & propria ratiõe, Christus Dñi diceba tur, quia singulari etiã modo, id est Sp sancto à Deo vngẽdus erat, in eo enim requieuit *spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini*, Isa. 11. 2. Atq; de eo propriè dictũ est Psal. 44. 8. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* vt Patres omnes tradiderunt. Euthym. Christum Dominum, id est patris propter eius similitudinem vocatum putat, minùs probabiliter.

27. Et venit in spiritu.) Impulsus à Spiritu sancto, vt Theophyl. & Euthym. exponunt. Iuuencus, monente aut reuelãte Spiritu sancto, vt ut in templum veniret: eò enim Christum quem expectãbat venisse.

Ingressus templum
Iam grauior penetrat, monuit quod Spiritus auctor,
Ecce simul paruum gremio genitricis Iesum,
Ad templum sensit venisse.

Et cum inducerent puerum Iesum.) In templum, vt Dominũ, quia primogenitus erat, offerrent.

Parentes eius.) Parentes vocat Mariam, & Ioseph, illam quia verè parẽs erat, hũc quia parẽs esse creabatur, vt explicat Euãgelista c. 3. 23. Loquitur scripturа sæpenumero iuxta tẽporis, & hominũ opinionẽ Heb. in c. 1. ere. 28. adnotauit. Sic Maria ipsa, quæ nõ ex Ioseph, sed ex Spiritu sancto cõcepisse nõ ignorabat, Ioseph Christi patrẽ vocat inf. ver. 48. & Euang. ver. 33. Alij, in quibus Orig. patrẽ honoris causã Iosephum vocatũ fuisse dicũt, quòd nutritius esset Christi; sicut solemus matres nõ solũ eas, quæ nos genuerũt sed eas etiã, quæ lactauerũt, nutrierunt, appellare.

Vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo.) Vide supra ver. 23. & 24.

28. Et ipse accepit eũ in vlnas suas.) Particulam & hãc vim quãdã habere putãt, vt significet Simeonẽ simul & sacerdotẽ, cui oblatus fuerat, Christũ in vlnis accepisse. Malim dicere sicut & matrẽ, si quam fortasse ea particula vim habet. Nã matrẽ in vlnis gestasse credibile est, sacerdotem in vlnas accepisse probari nõ potest. Sed fortasse nullã ea dictio vim habet, sed iuxta Hebræorum idioma redundat. Cuius rei adeò multa sunt exẽpla, vt notari nõ debeat. Quod in vlnas Christum Simeon accepit, nõ credẽdũ modò; sed valde etiã amãtis fuit. Cõplectimur enim quos amamus. Quare plus Simeon recepit, quam illi à Spiritu sancto promissu fuerat Promissum erat fore, vt videret: non solùm videt, sed etiam tãgit, atq; cõplectitur, & vt est credibile, osculatur. Quẽ inde vir sanctus fructũ perceperit, facile per se quisq; æstimare poterit, & Orig. hom. 15. indicauit, *Simeon* inquit, *vestimẽtis Iesu mulier tetigit, & sanata est. Si ille ad exteriora parãtẽ vestimenti tantũ emolumẽti habuit, quid putandũ est de Simeone, qui in sinu vlnas accepit infantem, & brachiis tenens lætabatur, atque gaudebat videre parulũ, & se gestari, qui ad vincũlos venerat resoluendos?* Quærũt nõnulli quomodo Christũ sine indice cognouerit? Quasi verò idẽ ille Spiritus qui sancto senioni promiserat fore, vt Christũ anteqnã moreretur, oculis suis cerneret, quisq; vt in templũ iret, instigaret, nõ illi potuerit, & puerum ostendere, quemadmodum & Iuuencus existimat factum esse.

Et benedixit Deum.) Laudauit, gratias egit, quòd sibi promissum præstitisset.

29. Nunc dimittis seruum tuum Domine.) Carmen est gratulatorium, quale illud Mariæ supra c. 1. 46. & illud Zachariæ eodem capite ver. 68. Solent fere, qui spiritu sancto pleni Deum laudãt, carmine laudare. Meliores enim versus Spiritus sanctus, quàm poeticus furor facit. Sic Moses Exodi 15. 1. & Deuter. 32. 1. sic Debora Iudic. 5. 1. sic Anna 1. Reg. 2. 1. Dei laudes carmine cecinerunt. Itaque genus ipsum dicendi numeris astrictum indicat Simeonem Spiritu sancto perfusum hæc cecinisse.

Nunc dimittis.) Videtur dicendum fuisse, Nunc dimittes, & quidẽ Cyp. in lib. de mortalitate, & Origen. ho. 15. in Luc. & Amb. Fulg. lib. 1. ad Thrasimũdum, Beda, & Lyran. in comm. ita exponunt, vt futurũ legisse videãtur. Putant enim optantis hæc esse verba, quasi Simeon viso iã Christo Deũ oraueriit, vt se de hac mortali eriperet vita. Nam Hebræi vota sua per futurum tempus explicare solent. Quare quod apud Ambr. legitur *Nunc dimitte*, vitium esse suspicor legendumq; *dimittes*. Sed omnes Græci codices magno consensu legunt ἀπολύεις *dimittis*. De quorũ verborũ interpretatione disputatur. Quidam sic exponunt, nõ quasi de tẽpore præsẽti loquatur; dicatq; se iã iam de vita migrare; nec enim, cum hæc diceret, animam agebat: sed quasi iã mori sibi tranquillo animo liceret. Tanquã si diceret, quãdocumque tibi placuerit seruũ tuũ ex hac vita dimittere, in pace dimittes, cũ viderim oculis meis Saluatorẽ tuũ. Nõ improbo, sed aliũ sensũ, quẽ Cyprian. in lib. de mortalitate, & Euthym. in comment. indicant, magis probo. Promiserat Simeoni Deus fore, vt nõ ante quàm Christũ vidisset, moreretur; quasi postquã vidisset, statim moriturus esset: cum vita illi nõ alia de causa, vt supra ex Nicephoro recitauimus, quàm vt Christum videret, producta esse videretur. Hoc ergo cum sciret Simeon, etiam si tunc nõ moriebatur, tamẽ quia statim se moriturum credebat, tanquam moriens præsenti vsus est tempore, *Nunc dimittis seruum tuum Domine*. Dubium ad quem hæc verba dirigantur, id est, quem Simeon Dominũ vocet. Theophyl. hoc loco, & optimus auctor sui temporis Algerus lib. 2. de Sacramẽto c. 1. ad Christum referri putant. Hinc enim probant Simeonẽ Christi diuinitatem cognouisse, quòd Dominũ eum appellauerit. Meliùs alij auctores ad patrẽ referunt, à cuius spiritu responsum Simeon acceperat, nõ visurum se mortem, nisi priùs Christũ Domini videret.

Secundum verbum tuum in pace.) Sicut mihi promisisti. Sed dubium est, quò hæc verba referantur, ad verbũ *dimittis*, vt sensus sit, *nunc dimittis*, id est ex hac vita eripis me, sicut mihi promisisti, an ad nomen *In pace*, vt sit sensus nũc dimittis me in pace, id est cõtenti, atque quietum animo, quemadmodum mihi promiseras. Ad vtrumque referri. Cùm enim Deus Simeoni promisit se illum non dimissurũ, nisi Christum vidisset, promisit Christo viso se illum in pace dimissurum. Atque hoc est, quod dicit. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* *In pace* autem Cyprianus interpretatur in lib. de Mortalitate quasi in pacem, tanquam se nõ in pace, id est contentum, atque tranquillum mori dicat, sed quasi ad vitæ æternæ pacẽ ex huius vitæ carcere dimitti. In eandẽ sententiam Theophylactus interpretatur. Alij quasi pace iã per Christũ inter Deum & homines conciliata, vt Orig. hom. 15. Ambr. in comment. & Greg. Nyss. apud D. Thom. Euthy. tres affert expositiones, In pace cogitationum. Nunc enim, quæ me perturbabant, de diuina incarnatione cogitationes pacificatæ sunt. Vel in pace securitatis, quia deinceps mortem non metuam propter nimiam senectutẽ. Vel in pace gaudij, quia deinceps non contri-

Vota Hebræo per futurum tẽpus explicant.

stabor

Universidad de Deusto
Biblioteca

stabor propter libertatem Israelissiam enim vidili-
beratorem. Res facilis, quæ verbo explicari potest.
In pace, id est contentum hucusque vixisse, æquo
animo, & minimè repugnãte morientem, cum Sal-
uatorẽ viderim. In pace enim in sacris litteris moti
dicuntur qui maturi, contenti vitæ præteritæ spa-
tio, &, vt Scriptura, loquitur, pleni dierum, atque re
bus vsi prosperis ex hac vita discedunt, quemadmo-
dum & hoc loco Origẽ idicauit. Exempla sunt Gen.
15.15. & 4. Regum. 22.20. & 2. Paralip. 34.28. & To-
biæ 3.6. & Psal. 4.9. Simile quiddam Iacob Gen. 46.
30. dixisse traditur, cum Iosephum filium suum, quẽ
mortuum credebat, vidisset oculis, *Iam lætus moriar,
quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinqno.*

30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*) Salutem
tuam, quam in mundum misisti, quam Zacharias c.
1.68. redemptionem appellauerat יְשׁוּעָה *saluum tuã*
Sed quia solent Septuaginta ישׁוּעָה vertere σωτήριον
& Latinus interpres σωτήριον ad verbũ *salutare*, eam
consuetudinem & Græcè Lucas, & noster interpres
Latinè secutus est. Salutem autem Dei se vidisse di-
cit, quia Christum salutis auctorem vidit. Etsi om-
nes fere veteres interpretes Christum ipsum salutẽ
quasi saluatorem vocari putant, Basilius in Psal. 61.
& Aug. libr. 1. contra aduersar. legis, & Proph. c. 11.

31. *Quod parasti ante faciem omnium populorum.*) Quẽ
saluatorem in cõspectu omnium populorum, gen-
tiúmque posuisti, vt quicunque vellent, ab eo sal-
uarentur. Omnes populos intelligit non tantùm
Iudæos, sed omnes. etiã omnino gentes, sicut statim
exponit. *Lumen ad reuelationem gentium.* Admiranda
Simeonis fides, qui primo intuitu obuoluti adhuc
fascijs infantis mysterium illud cognouit, & credi-
dit, quod vix Petrus Apostolorum princeps post vi-
sum, auditúmque docentem Christum, post illã au-
ditam vocem. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili
& illas oportet me adducere*, Ioannis 10.16. post demis-
sum de cælo vas illud linteum omni animalium ge-
nere refertum, Act. 10.11.14. intelligere potuit, aut
credere, Christi redemptionem non solùm ad Iu-
dæos, sed ad cæteras etiam gentes omnes pertinere.
Rectè id apud D. Th. Græcus ille auctor animaduer-
tit, *Attende*, inquit, *sagacitatem digni & venerandi se-
nis, antequã dignus videretur beatæ visionis, præstolabatur
salutem Israel. Vt autem quod sperabat obtinuit, exclamat
se vidisse salutem omnium populorum: adeo enim infantis
ineffabile iubar illustrauit eum, vt processu tẽporis secutura
mox sibi fierent nota.* Sed nimirũ nõ suopte Simeon
ingenio, sed diuina, sicut Apostoli postea, consecu-
tus est gratia. Quæ cur Simeoni, tã citò, Apostolis
tã serò mysterium illud reuelauerit, diuino iudicio
relinquendum. Si quid tamen humana in diuinis
scrutãdis consilijs coniectura potest, vero simile
est, ideo Simeoni reuelatum, quia cõueniebat, vt is,
qui tanto tenebatur desiderio Iudæorum videndi
saluatorem, saluatorẽ etiã videret gentiũ, cognosce-
rétq; maius se quã expectabat beneficium accepisse:
quemadmodum & Græcus ille D. Thomæ auctor
admonuit; ideo Apostolis ante ascensionem in cælũ
Christi non reuelatũ, quia conueniebat, vt mysteriũ
quod ante id tempus prædicaturi non erant, ignora
rent. Priùs enim, quàm Spiritus sanctus in illos mit-
teretur, prohibiti sunt extra Iudæam prædicare, *In
viam*, inquit, *gentium ne abieritis, & in ciuitates Samari-
tanorum ne introieritis*, Matt. 10.5. Quòd quidam ver-
bum *parasti* ad prædestinationem referunt, mihi non
probant; nõ enim Simeonde prædestinatione, sed de
prædestinationis agit effectu, quòd quẽ pater ab om
ni æternitate Saluatorẽ mittere decreuisset, suo mi-
sisset tempore, vt propijs ipsum oculis posset cer-

Simeonis de Saluatore fides.

nere. quanquã Procop. in c. 25. Isa. in ea sententia cit.

32. *Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis
tuæ Israel.*) Quod *saluatare tuum parasti ante faciem omnium
populorum. Lumen ad reuelationem gentium*, per ap
positionem, id est vt lumen esset gentibus reuelatio-
dum; populo verò tuo Israel magnam allaturũ glo-
riam. Videtur Simeon ad veteres Isaiæ prophetias
alludere voluisse, Isaiæ 49.13. *Prope fecs iustitiam meã,
non elongabitur, & salus mea nõ morabitur. Dabo in Sion
salutem, & Israeli gloriam meam*, & cap. 60.1.2. *Surge, il-
luminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Do-
mini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, &
caligo populos, super te autẽ orietur Dominus, & gloria eius
in te videbitur. Et ambulabunt gẽtes in lumine tuo, & Re-
ges in splẽdore ortus tui.* Christũ lumen appellati valde
est in sacris literis vsitatũ. Ioã. 1.9. & 8.12. & 9.5. & 12.
35.36.46. Quòd autẽ ad reuelationẽ gentiũ non Is-
rael; ad gloriam verò Israel non gentiũ dixerit, cre-
dendum est nõ temere factum esse, vt multi auc-
res boni notauerunt. Causa non fuit, quòd gentes
in tenebris, Iudæi in lumine versarẽtur. *Illuminat e-
nim omnem hominem venientem in hunc mundum*, & Io-
dæis dictum fuerat quasi iacentibus in tenebris, *Sur-
ge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum*, Isa. 60.1.
sed quòd Iudæi, si cum gentibus comparẽtur, in lu-
ce fuisse videri possint, quia vnus, verique Dei co-
gnitionem, vẽturique Christi fidem habebant. Du-
plices denique scriptura tenebras facit, peccatorum
& ignorantiæ; gentes in vtrisque, Iudæi in altera
tantum peccatorum tenebris versabantur. In quam
sententiam Athanasius & Cyrillus apud D. Thom.
exponunt. Alia ratio reddi potest, quòd de Iudæis
aliud, quod diceret, habebat, Christum illis gloriam
allaturum. Nam etsi gentibus magnã etiam attulit
gloriã saluti coniunctã, Iudæis tamẽ præcipua quã-
dam, & singularẽ attulit. Primò quòd ex illis esset
propagatus, vt indicat D. Paulus Roman. 9.4.5. &c.
Beda, & Theoph. & Euthymius exponunt. Deinde
quòd suã illis solis præsentiã exhibuerit, apud eos
solos miracula fecerit. Præterea quòd illis promissus
venerit, & eorum impleuerit prophetias eorũ ipsum
re ipsa confirmans non fuisse vanam.

33. *Et erat pater eius, & mater mirantes super his quæ
dicebantur de illo.*) Patrẽ eius vocat Ioseph, non quod
verè pater esset, sed quòd nutritius, quemadmodũ
Orig. hom. 16. & August. lib. 2. de consensu Evang.
cap. 1. multis verbis exponunt. Hac enim phrasi lo-
quimur non solum eas, quæ nos genuerũt, sed etiam
quæ lactauerũt matres appellare. Aut vt putat Be-
da, & ante illum Hieronymus dixerat, ex hominum
opinione, qui Ioseph patrem existimabãt esse Chri-
sti, vt infra explicat Euangelista cap. 3.23. vide quæ
supra diximus ver. 27.

Mirantes super his, quæ dicebantur de illo.) Hæc Eu-
thymius ad ea tantùm refert, quæ à Simeone dicta
fuerant, quasi propterea Christi parentes non anir
cum à pastoribus, non cum à magis adorarentur, sed
nunc cum à Simeone laudaretur, mirari fuerint,
quòd maiora ab eo de Christo, quàm à pastoribus,
quàm ab angelis, quàm à Magis dicta fuissent. Pro-
babiliùs mihi videtur Origen. homilia 16. ad omnia
quæ à prima Christi conceptione vsque ad diem il-
lum acciderant, hęc verba referre. Omnia enim in-
ter se collara admirationem augebant. Poterẽ dubi-
tari, quomodo Maria, quæ tam diligenter ab angelo
antequam Christum conciperet, edocta fuerat, quã-
lis, quantúsq;, quem conceptura erat, futurus esset,
admirari potuerit, quæ de illo à Simeone dicebun-
tur, cum admiratio non nisi rei nouæ, & ab eo, qui
admiratur, priùs ignoratæ esse soleat. Erat quidem

Maria

Maria ab angelo docta, mysterij summam maximẽ-
que, quòd ad immaculatã ipsius conceptionem per-
tinebat; sed nec singulas mysterij partes edocta fue-
rat, neq; erat necessariũ à Deo illi reuelari. Cresce-
bat enim sicut Christus hominum opinione, ita etiã
ipsa re vera sapiẽtia, & ætate. Eiusmodi ergo myste-
rij partes, & vt ita dicam mysteriorũ mysteria cum
enucleatiùs, & distinctiùs audiebat, admirabatur.

34. *Et benedixit eis Simeon.*) Gratulatus illis est tam
felicem prolem, beatos illos dixit, qui talem habe-
rent filium. Sicut Elisabeth c. 1.42.45. eadem gratu-
latione dixit, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus
fructus vẽtris tui*: & rursum, *Beata quæ credidisti, quoniã
perficientur, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Itaque nõ ma-
gis colligi ex hoc loco potest, quod nonnulli colli-
gere conantur Simeonem, quàm ex illo Elisabethã
fuisse sacerdotem. Sed de hac re ver. 25. disseruimus.
Improbabilis omnino est eorum opinio, qui hæc
non solùm de Ioseph, & Maria, sed etiam de Christo
dicta esse putant, quasi Simeon non solùm parenti-
bus, sed etiam infanti benedixerit. Quod ex ipsa
verborum Euangelistæ serie refutatur.

Et dixit ad Mariam matrem eius.) Notauit Theo-
phylactus ideò Simeonem ad solam Mariam, vt di-
ceret, quæ sequuntur, relicto Iosepho se conuertis-
se, quòd illa verè mater: ille non verè pater esset
Christi. Puto etiam hanc fuisse causam, quòd res nõ
Iosephum attingeret, sed Mariam. Non enim Iose-
phi, qui vsque ad Christi mortem non vixit, sed Ma-
riæ animam gladius penetraturus erat. *Et tuam*, in-
quit, *ipsius animam pertransibit gladius.* Ac fortasse nõ
alia de causa illud de Christo dixit, *Ecce hic positus est
in ruinam*, quàm vt hoc diceret de Maria. Videtur
enim lætis tristia miscere voluisse, & cum Christum
salutare Dei lumen gentium, gloriam Israelis appel-
lasset; Mariæque benedixxisset, id est, beatam eam
tali fuscepto filio prædicasset, vtriusque etiam futu-
ram diuersi generis passionem prædixisse, vt Mariã
ad tolerantiam præpararet.

*Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionẽ mul-
torum in Israel.* Facilis sensus: prædicit fore Simeon,
vt in Christum alij non credentes offendant, cadãt,
atq; damnentur: quales pleriq; Scribarũ, & Phari-
sæorum fuere: alij credentes resurgant, id est à pec-
catis liberentur. Quemadmodum non solùm Greg.
Nazianz. orat. 19. Beda, Theophyl. & Euthym. sed D.
Petrus interpretatur 1. epist. c. 2. 7.8. & D. Pau-
lus 2. Cor. 2.15. Quòd autẽ positũ dicit, nõ significat
ea ratione à Deo missum fuisse, vt in eum aliqui non
credentes offenderent, quemadmodũ nonnulli, non
satis, vt opinor, prudẽter interpretantur: nec solum
euentum, vt alij putãt, significari arbitror. Illud ni-
mium, hoc parum est: sed indicat ita propter se casu-
ros alios, alios surrecturos, quasi ideò venisset, vt alij
caderent, alij resurgerent: quamuis non ideo venis-
set, vt aliqui caderẽt. sed vt omnes resurgerẽt. *Omnes
enim saluos fieri* volebat, 1. ad Tim. 2.4. Quemadmo-
dum cum ipse de se dicit Ioan. 9.39. *In iudicium ego
in hunc mundũ veni, vt qui non vident, videant, & qui vi-
dent cæci fiant.* Non significat se propterea in mun-
dum venisse, vt aliqui cæci fierent. *Erat* enim *lux vera,
quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mundũ.*
Atque hæc est vis illius dictionis *positus*, vt non ca-
sus, sed consilium significetur: non quòd eo cõsilio
in cuiusquam ruinã positus fuerit, sed quòd ita po-
situs videretur, vt aliqui caderent. Dicam fortasse
clarius, & breuius. Huiusmodi locutionibus qua-
les in scriptura multæ sunt, non Dei consilium, sed
certus significatur euentus, vt diuino consilio

Isaiæ locus expositus.

tribui posse videatur. Similis locus est, ex quo ma-
gnam hic lucem accipit, Isaiæ 8.13.14.15. *Dominum
exercituũ ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror
vester, Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem
offensionis, & in petrã scandali duobus domibus Israel, in
laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offen-
dent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretiantur,
& capientur.* Cum enim Deus non in ruinam se, sed
in sanctificationem populo suo positum esse dicat,
tamẽ multos eorum sua culpa casuros affirmat Hic
verus est sensus, nec velim alias quasdam interpre-
tationes, quas apud Origenem, & Theophylactum
inuenio lectorem sequi. Ruinam non peccatum, sed
ipsius peccati casum, & interitum significare. Idem
ruinam & resurrectionem esse; nihil enim aliud esse
resurgere, quàm peccatum in nobis cadere. Non a-
lios esse qui cadant. alios qui resurgant; sed eosdem
prius à peccatis, quibus fuperbè stabant, cadere;
posteà in nouam vitam resurgere. Itaque genitiuum
illum *multorũ* non esse repetendum, quasi sensus sit
in ruinam multorum, & in resurrectionem multo-
rum; sed eundem cum vtroque nomine iungẽdum,
vt sit sensus multos eosdẽ & casuros, & resurrectu-
ros. Mirabilius, quod idem Orig. exponit Christum
positum fuisse *in ruinam, & resurrectionem multorum*,
id est, vt ipse in mortem caderet, multi verò alij in
vitam resurgerent. Inter eos etiam qui ad aliorum
ruinam, ad aliorum resurrectionem Christum posi-
situm exponunt, sunt qui genitiuum *multorũ*, non ad
ruinam, sed ad solam resurrectionem referant, quasi
nõ multi casuri, sed aliqui casuri, multi verò alij re-
surrecturi significentur. Sed non dubito genitiuum
multorũ, & ad ruinam, & ad resurrectionem esse re-
ferendum, quemadmodum ratio ipsa Grammaticæ
postulat. Meliore iudicio Greg. Nyssenus apud D.
Thom. obseruauit, cum Simeon *lumen ad reuelatio-
nem gẽtium* paratum dixit, absolutè ac sine vlla adie-
ctione dixisse, quia ideo paratum fuerat, vt omnes
illo, quicumque vellent, fruerentur: cum autem di-
xit *in ruinam, & in resurrectionem*, addidisse *multorum*,
quia nec ceciderunt, nec surrexerunt omnes.

Et in signum cui contradicitur.) Καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλε-
γόμενον, & in signũ, cui contradicitur. Nescio an facilior
hic locus fuisset, si nemo eum exposuisset, sed fecit
multitudo, & varietas interpretationũ, vt difficilis
videretur. Multi enim interpretes distinxerunt va-
ria signorum genera. Aliquando, inquiunt, signum
accipitur pro significatione, aut pro eo, quod ali-
quid significat. Aliquando pro miraculo, aut prodi-
gio, vt *fiebant signa, & prodigia multa in populo*. Act. 5.
12. &, *signa nostra non vidimus, iam non est propheta*. Psl.
73.9. &, *posuit in Aegypto signa sua*. Psl. 77.43. Aliquan-
do pro fœdere Gen. 9.12.13.15.16.17. Aliquãdo pro
vexillo Isaiæ 11.10. totidemq; modis hunc locũ ex-
ponunt. Nam signum contradictionis, aut cui con-
tradicitur esse, quia cruci eius, quæ salutẽ nostram
significat, à Iudæis pariter, & gentibus contradictũ
est. *Iudæis*, inquit, *scandalum, gentibus autem stultitia*, 1.
Cor. 1.23. Sic Beda, & Theophy. exponunt. Quã in-
terpretationem Euthym. etiam recitauit. Itẽ Chri-
stum magnum fuisse miraculum, quia & conceptio,
& natiuitas, & vita, & mors eius tota miraculis ple-
na fuit, sed quibus à multis non credẽtibus cõtradi-
ceretur. Eiiciente enim eo dæmonia alij credebant,
alij dicebant in *Beelzebub principe dæmoniorũ eiicit de-
monia* infra c. 11.15. & Matthæi 12.24. Quæ exposi-
tio plerisque recẽtioribus placuit auctoribus. Et si-
gnum fœderis fuisse inter Deum, & homines quí-
dam, vt Nicolaus Lytanus, interpretantur. Sunt qui
in signum vitæ, quo actiones nostræ dirigendæ es-

Signi varie significationes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christo quomodo gens Iudæorum insultatur.

sent positum dicant. Alias interpretationes taceo. Signum igitur hoc loco, vt quod res est, breuiter dicam, accipitur pro eo signo, in quod solét sagittarij collimare, quem σκοπὸν Græci vocãt, vt Thren. 3. 12. *Tetendit arcum suũ, & posuit me quasi signũ ad sagittam.* Itaq; sensus est Christum positum esse in signũ, in quod omnes fere Iudæi non solùm lingua, sed etiam manu tela sua conijcerent, & in enim contenti sæpè blasphemasse, etiam crucifixerunt, factúmque esse, quod Hispani patrio prouerbio solét dicere, stultorum signum. Quemadmodum Zacharias c. 12. 10. dixit, *Et aspicient in me, quem confixerunt*, & Ioanes in Apoc. c. 1. 7. *Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Hunc esse verum sensum ex eo perspicuũ est, quòd cum certũ sit voluisse Simeonem Christi passionem, mortemq; significare, cum statim dicat. *Et tuam ipsius animã pertransibit gladius*, nulla præter hanc interpretatio sit, alia, quæ ad eius passionem, mortemq; possit accommodari; Hac autem expositione aptissima metaphora eius mors declaratur. Cõfigitur enim sæpè, cõfoditur, laceratur à sagittariis signum, quemadmodũ in passione Christus spinis, clauis, hasta confossus est. Obiuciat aliquis non bene cum hac interpretatione epithetum illud cõuenire ἀντιλογούμενον, *cui cõtradicitur*, non enim sagittariorũ signo contradicitur. Respõdeo sensum esse, *In signũ, cui contradicitur*, id est, de quo sagittarij inter se cõtradicentes alij aliis certant, de quo transfigẽdo cõtendunt, id quod certatim sagittas suas iaciut, aliis affirmantibus se propius attigisse, aliis contradicentibus. Quo verbo significatur fore, vt certatim Iudæi in Christum manus iniiciant. Atque hæc est causa, cur non dixit cui contradicetur, sed, *cui cõtradicitur*, aut vt Hebræorum loquamur modo, contradictionis, quia non est epithetum Christi, sed signi. Non enim significat Christũ futurum esse signum, foreq;, vt illi cõtradicatur; quod si dicere voluisset, dixisset potius *cui contradicetur*, vt Tert. vertit in lib. de carne Christi, aut, vt idé alio modo transfert, *cõtradicibile*; sed significat futurum similem signo, cui contradici, id est de quo feriendo, configendoq; certari solet. Hoc non animaduertentes quidam interpretes dixerũt propterea Simeonem præsenti tempore vsum fuisse, quòd tam tunc cœptum fuisset cõtradici Christo; iam enim ante turbatum Herodem fuisse, omnemq; Ierosolymã cum illo, iam, dũ Christus ad necẽ quærebatur, occisos infantes. Nõ enim de ea, vt diximus, cõtradictione, sed de morte, & passione agit. Nemo ad hũc sensum propius quã Orig. accessit, etsi is ipse non satis mihi videtur assecutus.

35. *Et tuã ipsius animam pertransibit gladius.*) Hunc etiã locum variæ interpretum sententiæ obscuriorẽ reddiderunt. In duabus dictionibus obscuritas est, anima, & gladio. Tuam ipsius animã mirũ quomodo Hugo bonus alioquin auctor interpretetur, *tuã*, inquit, *ipsius animam, id est animã ipsius Christi, qua tua est si per gladium Christi passionem intelligamus.* Mon minùs altrera eiusdem auctoris expositio mirabilis est, *Tuã ipsius animã*, id est tuam animam quæ est ipsius Christi. Græcè nulla eiusmodi ambiguitas est, vbi genitiuus αὐτῆς ipsius, fœmininus est, nec potest ad aliam, quam ad Mariã, referri personam. Et si ambiguus esset, tamen ratio ipsa non pateretur, vt aliam personam, quam Mariam, referret, Gladium omnes confitentur non propriè accipi; sed metaphoricè, idque Ambrosius, & Beda monuerunt. *Nec littera*, inquit Ambrosius, *nec historia docet ex hac vita Mariã corporalis necis passione migrasse. Nõ enim anima, sed corpus materiali gladio transfoderatur.* Etsi ratio qua id Ambrosius, & Beda, aliique nonnulli recentiores

A auctores probant, non satis efficiat; quòd si propriè, gladius acciperetur, nõ dixisset, tuam ipsius animã, sed tuum ipsius corpus pertransibit gladius. Nam anima, & pro toto homine, & pro solo corpore, contentum pro continente sumi solet. *Ferrũ*, inquit, Dauid, *pertransiit animã eius* Psal. 104. 18. cum de ferreis certè compedibus loqueretur, quæ non animã, sed corpus attingebant. Res ipsa ex historiis manifesta est, quamuis alio argumento probari non posset beatã Mariã neque martyrij, neque genus aliud violentæ mortis subiisse; itaq; necesse est, vt gladius aliter, quàm pro martyrio, aut violenta accipiatur morte. Scio non defuisse, qui pro morte nõ naturali, sed violenta accipi putarent, nõ quòd gladio Maria occubuerit, sed quòd, dum iuxta Christi crucem esset, vi oppressa doloris animam exhalauerit, alioqui nihil de illa his verbis singulare dictum fuisset; naturalẽ, sicut omnes homines tãtùm mortẽ obijsset, Eam vim habere dictionẽ, &, cum dicit Simeon, *Et tuã ipsius animam pertransibit gladius*, quasi dicat, sicut Christi, ita etiã tuã. Nam de Christo paullo ante dixerat eum in signum, cui contradicitur positum fuisse, indicans, quod mortis genus subiturus esset. subijt autem Christus veram mortem; ergo & Mariam eãdem mortem doloris plenam subijsse, si quidem idem vtrunque gladius transfossurus significetur. Quæ opinio eadẽ illa, qua probatur, ratione refutatur. Nam cum Christi & Mariæ gladius idẽ, aut certè similis fore significetur, & Christi gladius verus fuerit, ferro enim occisus est, verumq; martyrium subijt; sequitur & Mariæ gladium ferrum fuisse, atque martyrium. Quod neque auctores illi cõcedit, nec vlla ex historia, vt ait Ambr. probari potest. Vero similiora afferunt, qui nõ mortuam iuxta crucem sed exanimatam fuisse dicunt; sed neque hoc ipsum credendum est, & est, tanquam errori affine à nonnullis notatum auctoribus, cum neque in scriptura sacra, nec in vllo antiquo, & bono auctore legamus. Contra potius legimus eam Christo moriẽte iuxta crucem tam integris fuisse sensibus, vt cũ ea de cruce Christus loqueretur Ioã. 19. 26. Alij gladium interpretati sunt dubitationem in fide; cum enim tam afflictum, abiectumq; vidisset filium, dubitasse. Cuius interpretationis primus fuit auctor Orig. hom. in hunc locum 17. eum deinde nonnulli Græci præsertim secuti sunt Chrys. Aug. aut quisquis auctor est qq. veteris, & noui testamẽti, q. 73. Amphilochius in hom. de occursu Domini, & Theophyl. in cõmentar. & D. Thom. Basilium in epist. ad Optim. in eãdem sententiam. Et quidem Aug. aut quisquis ille est auctor, in morte dubitasse ait, sed statim fuisse eiusdem Christi resurrectione confirmatam; ficque interpretatur verbum illud, *Pertransibit. Quod autem*, inquit, *adiecit dicens, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes, hoc vtique significauit, quia etiã Maria, per quam gestũ est mysterium incarnationis Saluatoris, in morte Domini dubitauerit, ita tamen vt in resurrectione honore, & virtute firmaretur, omnes stupore quodam in morte Domini dubitauerunt, non tamen in dubitatione manerent. Sic enim animam pertransiit gladius, si dubitatio nõ permaneat in cogitationes, sed pellatur superueniente reformante se pristina virtute.* D. Thom. & aliorum posteriorum illã auctorũ pietatẽ laudo, qui ita hos veteres auctores interpretari conati sũt, quasi dubitationẽ non infirmitatem fidei, sed rerum visarũ admirationem, stuporemque appellauerint. Cæterum vereor vt eorũ auctorum verba hanc interpretationem admittãt. Meliùs de sanctissima virgine cogitãdum, cuius sanctitas, & in filij passione, constantia consecuta est, vt vulgo sola tũc fidẽ ere-

datur

datur retinuisse. Quod etsi verum, vt opinor, nõ est, scioq; à bonis esse Theologis refutatum; tamen hoc certè indicat, omnes homines pios iudicasse maximè eius fidem moriente Christo fuisse constantem. Inuenio, qui gladium vltimum Christi iudicium intelligant, & ignem illum, quo omnes probandos esse dicit D. Paulus 1. Cor. 3. 13. in quibus Hilarius est in com. in Psal. 118. Sed præterquam quòd illa opinio de igne purgatorio ab omnibus fine discrimine subeũdo, etsi Orig. & ferè antiquissimi cuiusque auctoris fuit, tamẽ meritò à posterioribus Theologis reiecta est; ideo non potest is esse sensus huius loci, quòd ista ratione nihil de Beata Virgine singulare diceretur; cùm manifestum sit Simeonẽ aliquid de illa propriè dicere voluisse. Alij gladium verbũ Dei esse dicunt, quemadmodum D. Paulus ad Ephes. 6. 17. appellat. Quem gladiũ Mariæ animam transijsse, quia Maria verbum Dei, eiúsque mysterium intellexit. Ad hunc modum Ambr. hoc loco, & lib. de virginibus 3. Memini & apud alios interpretes legere gladium hic pro amore poni, quasi futurum dicat Simeon, vt amor erga patientem filium Mariæ animum vulneraturus esset. Nam & amor gladio aliquando comparatur, amantisq; animum vulnerare dicitur. *Vulnerasti*, inquit, *cor meũ soror mea.* Cant. 4. 9. sed longè hoc abest à sensu huius loci, vbi non de amore, sed de dolore agebatur. Verior aliquãdo vulgi quàm sapientũ sententia est, quod dũ simpliciùs veritatẽ quærit, faciliùs inuenit. Id hoc loco accidit, vbi probabilior mihi videtur vulgaris opinio gladium vehementem dolorem significare, quẽ Maria ex filij passione perceptura erat. Quãquam nõ vulgi tantùm, sed etiam Hieronymi, aut quicunque alius est auctor serm. 1. de assumptione, Bedæ, Theoph. & Euthym. in comment. est. Tantùm videtur obstare, quòd, vt diximus supra, aut idẽ, aut similis Christi, & Mariæ gladius futurus fuisse significetur, in Christo autẽ nõ solus dolor, sed vera etiã, & corporalis passio, atque adeo mors significatur. Dicã hic, quod an lectori probaturus sim nescio. Gladius hoc loco qui Mariæ animam transiturus dicitur, non ipsius Mariæ, sed Christi fore significatur. Non enim duo similes alter Christi, alter Mariæ, sed vnus tantùm Christi gladius designatur, ipsa eius mors; atque ille ipse Christi gladius Mariæ animã penetraturus dicitur; non quòd occisurus eã omnino esset, vt Christum, sed quòd Christum occidendo eam esset vulneraturus. Sumpsit enim, vt opinor, Simeon de medio metaphoram. Sæpè vsu venit, vt aliquis tã fortiter gladio, aut hasta quempiã transfodiat, vt in alteram partem gladius egressus aliquẽ proximè astãtem, si non occidat, grauiter vulneret. Hoc indicasse Simeon in Christi etiam passione euenturum, vt idem ille mortis gladius, qui illũ occisurus erat, matrem etiam, & carne, & affectu, & loco proximam vulneraret, atque transfigeret. Vulneraturum, trãsfixurumque significauit, cum dixit, *Pertransiit*; non occisurum, cum nõ corpus, sed animam dixit, vt indicaret non corporis mortem, sed animi dolorem effecturum. Hæc est emphasis illarum duorum dictionum & animam. Cum enim dicit &, significat eundem fore gladium, qui & Christum occisus, & Mariam vulneraturus esset: & cum dicit *animam*, nõ mortem, sed intimum dolorem declarat.

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.) Multi hæc verba iungunt cum proximè præcedentibus, quasi ideò gladius virginis animã penetraturus esset, vt appareret quid quisque in animo gereret, aut certè foret, vt ex eo hoc sequeretur. Vtrum enim particula *Vt* causam hic an euentũ significet, modò

A non disputo. Ad hunc modum Origen. Hilar. Chrysost. Amphilochius, Theoph. ijs. in locis, quos paullo ante demonstrauimus. Diuerso tamẽ sensu. Nam Origen. Chrysost. Amphil. & Theophil. permissũrum Deum, vt Maria de fide dubitaret, vt eo modo eius cogitationes apparerent. Hilar. verò ideò extremi iudicij igne probandam, vt eius sicut & aliorum hominum cogitationes patefierent, &, vt ait D. Paulus 1. Corinth. 4. 5. illuminarentur *abscondita tenebrarum.* Vno vtrumque verbo refutatur, quòd Simeon non solùm de Maria, sed de multorum etiam loquatur cordibus. Ex alijs etiam auctoribus nonnulli sunt qui similiter legant, quamuis non similiter interpretentur. Ambr. serm. 13. in Ps. 118. *Ille*, inquit, *intelligit qui fabulam, & aurem mentis vigore transcendit, & illam animã, quam pertransiuit gladius, ad reuelanda cordis occulta perpetuæ præmio libertatis attollit. vel examinandis sermonibus sollicitæ seruitẽs quæcunque virtutis sua aure susceperit, mysterio sanctificat spirituali.* Videtur dicere voluisse verbum Dei, quod lib. 3. de Virginibus gladium interpretatus fuerat, ita virginis animã penetraturũ, vt eius patefaceret cogitationes. Admirabilis etiam est interpretatio quam Euthym. adhibet. *Vt reuelentur*, inquit, *cogitationes eorum, qui suspicabantur hanc non esse illius matrẽ. Sicut enim multi ad ea respicientes quæ hominis sunt, dicebant hominẽ tantùm esse filium Mariæ: ita rursum alij attendẽtes ad ea quæ diuinitatis eius erant, suspicabatur quòd esset talium Deus, nec esset hæc mater eius: tunc autem intuentes eam amarè dolentem, ac plurimùm lugentem, naturæq; cedere, crediderunt, quòd mater esset eius, & retegebant, siue prodebant cogitationes cordis suorum, quæ à suspicione processerant.* Melior sententia est, minùs licet graues auctores habeat, eorum, qui hæc vera ad superiora referunt, *Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicitur*, quasi illa verba, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* parenthesi legenda sint, atque hic sit sensus, *Ecce hic positus est in ruinã, & resurrectionẽ multorũ, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*; id est, vt eo patiente appareat, quo quisque erga illum animo, quia quisque fide sit. Quod nõ apparuisset in rebus eius prosperis. Si enim Regis venisset habitu, temporaliaque largitus fuisset beneficia, nemo non eum secutus fuisset; sed abiectum, afflictum, & tam multa patientem videntes, alij sequebantur, alij persequebantur; alij credebant, alij irridebant. In ipsa cruce ex duobus latronibus alius tanquam Deum orat, alius tanquam hominem nefarium, sceleratumque blasphemat, vt rectè Beda, & Theophyl. in commentariis & Gregorius Nyssenus apud D. Thom. exponunt. Id hodieque fit, Christo id est eius corpore Ecclesia Catholica, inter Turcas, & hæreticos, maximeq; in Anglia, patiente, alijs fidem negantibus; alijs pro fide morientibus. Quod & Anglicus auctor Beda de suo dixit tẽpore. *Sed & vsque hodie*, inquit, *& vsque ad consummationem sæculi præsentis Ecclesiæ animam gladius durissimæ tribulationis pertransire non cessat, cum signo fidei ab improbis cõtradici, cum audito Dei verbo multos cum Christo resurgere, sed plures à credulitate vuere genebũda pertractat.* Nihil hic præterea notandum, nisi particulam *Vt* non causam, sed euentum, & consequentiam significare, vt innumeris iam locis adnotauimus.

36. *Et erat Anna prophetissa.*) Erat in Ierusalẽ mulier quædam nomine Anna, quæ spiritum propheticum habebat. Alium diuersi sexus Euangelista producit testem, quemadmodum obseruauit Ambr. *Nõ solum*, inquit, *ab angelis, & prophetis, & à pastoribus sed etiam à senioribus & iustis generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas, & vtérque sexus, euentorumque*

Universidad de Deusto
Biblioteca

miracula fidem astruunt, Virgo generat sterilis parit, mutus loquitur. Elisabeth prophetat, Magnus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, iustus expectat. Et infra, *Prophetauit itaque Simeō, prophetauerat copulata cōiugio, prophetauerat virgo: debuit etiā vidua prophetare, ne qua aut professio deesset, aut sexus.* Quo autem omni exceptione maius eius testimonium haberetur, & diligēter eam describit, & multis nominibus laudat. Describit, dum nomen eius, & genus, & ætatis conditionem exponit. *Anna*, inquit, *filia Phanuelis, de tribu Aser, vidua*, maior octogenaria, ne quis eum putaret ignobilem, & obscurum citare testē. Laudat verò simul ab ætate, simul à continentia, cùm dicit eam septem tātùm à virginitate suā annos cum viro suo vixisse, reliqua vsque ad multam senectutem ætate viduam permansisse; simul à pietate, & religione, quòd dies, ac noctes esset in templo; simul ab omni sanctitate vitæ, morumq; seueritate, quod ieiunijs semper, & obsecrationibus seruiret; simul à diuinis donis, quòd propheticum haberet spiritum, quem si nō habuisset, tamen ea erat cōditio personæ, vt à nemine posset eius testimonium recusari. Quid quòd prophetis erat, & non humano, sed diuino spiritu loquebatur? Rectè dixit Ambr. *Ideò Anna & stipendiis viduitatis, & moribus talibus inducitur, vt digna planè fuisse credatur, quæ redemptorem veniſſe omnium nunciaret.* Quòd dicit, *processerat in diebus multis*, Hebraismus est, quo admodum senilis significatur ætas, vt supra cap. 1. 7. 18. Quod autem ait *a virginitate sua*, sic interpretor, quasi diceret à prima suā pubertate, à prima virginitate, id est ab eo tempore, quo virgo esse cœpit, sicut dicimus à pueritia, id est ab eo tempore, quo aliquis cœpit esse puer. Tunc enim fœmina incipit propriè virgo dici, cum nubilis esse incipit. Nec enim propriè virgo est, quæ capax non est corruptionis. Voluit ergo Euangelista significare Annam à prima suā pubertate, id est ab anno duodecimo, aut circiter nuptui datam fuisse, & septem annos vixisse cum viro, quo mortuo ab anno decimo nono, aut circiter vsque ad octogesimum quartum permansisse viduam, vt eius castitatem commendaret, quæ profecto valdè tam longo tempore, támque immatura ætate amisso viro probata est. Scio alios exponere vixisse cum viro à virginitate suā, id est ex quo tempore nupsit: ex quo virgo esse desijt: sed minimè probo.

Insigne castitatis exemplū.

37. *Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quattuor.*) G. ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων circiter annorum octoginta quattuor. Noster interpretes videtur legisse ἕως ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, *vsque ad annos octoginta quattuor*, quemadmodum vertit; atque sic quidam exponunt, quasi octoginta quattuor totos annos vidua permanserit. Minùs probabile.

Quæ non discedebat de templo.) Quæ frequens erat in templo. Non discedebat dixit Euangelista per hyperbolem, sicut qui valde familiaris alicui est, dicitur ab eius latere nunquam discedere. Non ergo dicitur non discessisse à templo, quòd in templo habitaret, vbi habitare muliericus non licebat, sed quòd assiduè frequentaret templum, quemadmodum facere pias mulieres decet, maximeq; viduas. Et quidem Orig. & Euthym. non abs re dixerunt propterea Spiritum sanctum Annæ datum fuisse, quòd tēplum frequentarent. Eoque exemplo Christianas mulieres ad frequentanda Christianorum templa cohortantur, alio prorsus spiritu quàm Caluinus, qui parum abfuit, quin Annam ob frequentatum tam assiduè templum superstitionis argueret. Puduit palam dicere, sed ijs qui eius mores, stylumque perspectum habent, satis dicit apertè.

Caluinus Annā pene accusat superstitionis in Harmonia.

Ieiunijs, & obsecrationibus seruiens.) Qui interpretātur ita quasi *ieiunijs, & obsecrationibus* tertius sit casus significeturque ieiunijs, & obsecrationibus seruisse, id est dedisse operam, non satis mihi videntur Græci verbi proprietatem animaduertere λατρεύειν, quod in sacris quidē litteris non datiuū rei, sed personæ solet admittere. Quare nō est sensus ieiunijs, & orationibus dedisse operam; sed ieiunijs, & orationibus Deum coluisse, hoc enim Græcè est λατρεύειν. Itaque ex hoc loco Catholica aduersus nouos hæreticos sententia confirmari potest ieiunium nō solum exercitationem, & mortificationem esse corporis, sed etiam religionis cultum, cum Anna ieiunijs etiam dicatur Deum coluisse. *Non per se*, inquit Caluinus, *sed quatenus ad orationem referunt ieiunia ad cultum Dei pertinet.* At Euangelista eodem contextu, eodemque modo dicit Annam ieiunijs, & obsecrationibus coluisse Deum, oratio autem per se ad diuinum pertinet cultum. Ac Cyprian. quidem certè in libro de oratione Dom. Annam dicit ieiunijs illis, & obsecrationibus Deum promeruisse.

Iesuitæ ieiunia & obsecrationes ad cultum Dei referunt.

38. *Et hæc ipsa hora superueniens.*) Eodem momēto tēporis, quo Simeon in vlnis tenebat Christū, illúque diuinum in eius laudē hymnum canebat, Anna quasi eodem, quo Simeon fuerat, vt in templum veniret, afflata spiritu superuenit. Suam singula verba emphasin habent. Nam quòd dicit *Hæc*, vnica syllaba omnes illos titulos compræhēdit, quibus paullo ante Annam ornauerat. Hæc, inquit, talis, ac tāta femina, testisque dignissima fide venit. Et quod dixit *Ipsa hora*, indicat adeo opportunū fuisse eius aduentum, vt nō nisi Spiritu sancto impulsa venisse videretur, quēadmodum ver. 27. de Simeone dixerat, *Et venit in spiritu in tēplum.* Et quod dicit *superueniens*, aut vt Græcè est, ἐπιστᾶσα, adstans, aut assistēs, ostēdit ideò veniſſe, vt quæ à Simeone de Christo dicta fuerant, confirmaret. Quæ fortasse causa fuit, cur Euāgelista verba Annæ nō recitauerit, quia indicauerat in eandem sententiam, qua Simeonem, priùs locutā fuisse.

Confitebatur Domino.) Laudabat Dominū, aut gratias Domino agebat, ex Hebræorū idiomate הודה quòd Græca propositio maiorem addit vim ἐξομολογεῖτο, vicissim confitebatur, id est laudabat Deum confirmans ea, quę à Simeone dicta fuerant. Dominum vocat Christum, quia ſtatim sequitur. *Et loquebatur de illo*, quod de Christo intelligendum esse perspicuum est. Dominum autem haud dubiè vocauit Deum יהוה, itaque Christum Deum esse significauit, Euthym.

Omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.) Græc. τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἰερουσαλήμ in Ierusalem Origen. hom. 17. Israel legit. Euthym. verò *in Ierusalē*. Vtraque lectio bonam habet sensum. Nā si legamus *in Ierusalem* sensus erit non quidem locutam esse omnibus, qui expectabāt redemptionem, sed ijs tantùm, qui erant in Ierusalē. Si verò legamus *Israel*, hic erit sensus, locutam esse omnibus, qui expectabant populi Israelitici redemptionem, vt supra ver. 25. Fortasse vtrumque scripsit Euangelista, omnibus qui expectabant redemptionem Israelis locutam esse in Ierusalem, vbi habitabat; nec enim decebat mulierem concionabundam per alias discurrere ciuitates. Quid? an non omnes Iudæi redemptionem Israelis expectabāt? Expectabant quidem, aut se certè expectare profitebantur, sed alij vel incerto tempore, vel minore cura, alij aut eo tempore, quo venit, aut maiore expectabant desiderio. Hos opinor intelligit, hos Anna auidiores discendi Christi aduentum auditores deligebat.

39. *Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini.*) Multis de causis Euāgelista hoc videtur dicere, & vt

Mariæ,

Mariæ, atque Ioſephi religionem declaret, qui nihil eorum, quæ lege præcepta fuerāt, prætermiserint; & vt indicaret in Christo omnia, quæ in primogenito, ac Rege fieri oportebat, rite facta fuisse; & vt insinuaret non ob aliam causam Ioseph, & Mariā in Bethlehem tamdiu fuisse cōmoratos, quàm religionis.

Reuersi sunt in Galilæam.) Vtrū ſtatim reuerterint in Galilæam, an prius ex Bethlehem fugerint in Aegyptum, deinde ex Aegypto regressi se contulerint in Galilæam, vt Matthæus indicat, apud illū c. 2. 13. 22. 23. disputauimus. Prætermisit Lucas fugā in Aegyptū, atque Magorum aduentū, fortaſſe quòd sciret de ijs rebus satis copiosè scripsisse Matthæum.

40. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.*) De tota Christi pueritia, & adolescētia vsque ad annū tricesimū, nihil neq; alij Euāgelistæ, nec Lucas narrāt, præter id quod infra ver. 42. ſolus commemorat Lucas, Christū cū duodecim esset annorū, & cū parētibus in diem festū Ieroſolymā venisset, clam se ab illis subduxisse, & cū Doctoribus disputasse. Quid reliqua fecerit ætate, hoc vno verbo comprehendit, creuisse corpore, & spiritu, quod alijs verbis postea reperit ver. 52. dicēs eum creuisse *sapiētia, & ætate, & gratia apud Deū, & homines.* Quorū verborū quia eadē est sententia, vtrumq; simul locū hic explanabimus. Omnis in eo quæstio versatur quomodo spiritu, sapientia, & gratia creuisse dicatur, cū ab ineūte ætate & spiritu, & sapientia, & gratia plenus fuerit, & nō ita quidē plenus, quemadmodū Ioannes, & alij nōnulli homines pleni fuisse dicūtur, sed ita, vt spiritu, sapientia, & gratia crescere nō posset. Illud certū neque diuina sapientia, qua vt Deus præditus erat, quia infinita; neq; humano spiritu, id est anima, quia impartibilis est, crescere potuisse. De humana sapiētia omnis est quæstio. Fuit hic olim locus acri admodū studio inter Catholicos, & Arianos agitatus, discepta batur q; ea disputatione summa religionis nostræ diuinitas Christi. Obijciebāt Ariani Deū nō esse, qui spiritu, sapientia q; proficeret. Respōdebāt variē Catholici, quidā profecisse quidē verē, sed humanā, nō diuina sapientia, & profecisse, vt hominē, nō vt Deum Athan. serm. 4. cōtra Arianos, Epiph. in Ancorato, Ambr. in libr. de incarnationis dominicæ sacramento c. 7. Cyrillus lib. 10. Thesauri c. 7. & lib. de recta fide ad Reginas, Fulgentius lib. 1. ad Thrasim. Beda, & Euthym. Libenter hanc sententiā omnes hæretici noui, Lutherani, & Caluiniani amplexi sunt. Magis ferendū si eorum, quos nominauimus; Patrum auctoritate commoti feciſſent; sed, vt puto, neſciebant eam aliquorum Patrum fuisse sententiā, non secuturi fortasse, si sciuissent; tantum cōtra illos bellum suſceperunt: nūc autem cum ſola id impietate, adducti fecerint, qua non sanctis modò, sed Christo etiam, quātum possunt, detrahunt, ferendū profectò non est. Hæc aliquorum veterum auctorū responsio, non immeritò est à posterioribus Theologis subtiliùs rem explorātibus repudiata. Et verò illi ipſi, qui eius fuerunt auctores, Athan. & Cyrillus quasi ea nō satis fidētes alias adhibuerunt. Nō verè in ſe profecisse, sed in nobis, quia vt nos spiritu, sapiētia, & gratia proficeremus, effecit; itaque non de propria Christi persona, sed de persona corporis eius, quod est Ecclesia, vt multa alia, id esse dictum. Itē quod rem magis cōtinet, nō verè, ac re ipſa, sed demonſtratione, ostensione q;, & hominum opinione profecisse, quod & illi quos diximus, & alij omnes vererens, recentioréſque auctores docuerunt Origen. hom. in Lucam 20. Epiph. in Anchor. Gregor. Nazian. in orat. de laude Basil. 20. & Theophyl. in huius loci comment. Cęsar. Dialogo. 1. Vigilius lib. 3. & 5. contra Eutych. & Gaudent. in respōsione ad Paulum Diaconum in illa verba Ioan. 14. 28. *Pater maior me est*, & Damascen. in lib. de duabus naturis. Posteriores Theologi rem magis illuſtrarunt, quadruplicem in Christo fuisse scientiam, diuinam, beatam, infusam, vsu comparatam, quam experimentalem vocauerunt. Ergo nec diuina, nec beata, neque infusa scientia proficere potuisse, quia infinita erat; sola profecisse experientia, quemadmodum indicat D. Paulus ad Hebræos 5. 8. cum dicit, *Didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam.* Confirmat Theophyl. hanc interpretationem ex ver. 46. vbi dicitur cum doctoribus disputasse, omnēſque prudentiam eius miratos fuisse. Vnde colligit propterea dictum esse eum profeciſſe sapientia, quia suam hominibus sapientiam ostenderat. Obijcitur contra hanc interpretationem à nonnullis, quòd versu 52. non solum apud homines, sed etiam apud Deum sapientia, & gratia dicatur profecisse. Neminem verò vim Hebraicæ phrasis ignorare idē esse apud Deum, & verè, vt cū c. 1. 6. Zacharias, & Elisabeth iusti apud Deum fuisse dicuntur. Respondeo, quemadmodum recentiores omnes Theologi, ac nonnulli etiam vereres respōderunt, sensum esse profeciſſe apud Deū, id est verè, nō quod verè profecerit, sed quòd hominibus verè, id est non solum apud homines, sed etiā apud Deum proficere videretur. Obijcitur, quòd eodem modo dicatur sapiētia, & gratia, quo ætate profeciſſe, ætate autem verè profecerit, non ſola hominum opinione. Renocandum in memoriam est, quod multis ſupra locis adnotauimus, ſolere aliquando in ſcriptura verba in eodem posita contextu non eodem modo accipi. *Ascendo*, inquit Christus, *ad patrem meum, & patrem vestrum.* Ioannis 20. 17. di, quia hæc verba eodem contextu dicta sunt, eodem modo accipi oportet, ſequetur illud absurdum Deum non aliter patrem esse Christi, quam nostrum, quod ex eadem ſcriptura falsum omnino esse constat. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, inquit Christus Matthæi 8. 22. dubium non est quin priori loco animo, posteriore corpore mortuos appelleret, sed coniunxit in eundem contextum, quia vtrique, quamuis non eodem modo, mortui dicantur. Sic hoc loco sapientia gratia, & ætate Christus dicitur profeciſſe, quāuis non eodem modo sapientia, & gratia, quo ætate, profecerit. Nam ætate quidem verè, ſapiētia & gratia ſola hominum opinione profecit. Obijcitur denique quòd c. 1. 80. idem de Ioanne dixerit, *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu*, Ioannes verò nō ſola hominum opinione, sed verè creuerit. Respondeo etiam de Ioſepho, & Maria idem dixiſſe, nam vtrumque Christi parentem appellauit, tamen non ſequitur aut Ioſephum eodem modo quo Mariam; aut Mariam non alio modo, quàm Ioſephum Christi fuisse parentem.

Scotia in Christo quadruplex.

Verba in eodem loco non eodē modo accipiēda

41. *Et ibant parentes eius.*) Quomodo Ioſephum Christi parentem vocet, diximus ſupra ver. 33.

Per singulos annos in Ierusalē in die festo Paschæ.) Iubebat lex, vt omnis maſculus ter ſingulis annis cōram Domino appareret, in festo Paſchæ, in festo hebdomadarum id est Pentecostes, & in festo tabernaculorum Exodi 23. 15. 16. 17. & 34. 23. & Deut. 16. De fœminis nihil dicebatur, quia, cum ideo coram Domino apparerent vt profiterentur, vir, qui capiti erat, pro fœmina profiteri videbatur. Non prohibebantur tamen mulieres, ſi vellent, id facere religionis causa. Itaque Maria, etſi non cogebatur lege, & longè à templo habitabat, tamen cum ſuo sponso ſingulis annis ad templum veniebat. Cur autem nō veniret Ioſeph niſi in festo Paſchæ in tēplum, cum

Mulieres nō prohibebantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter per annos singulos venire iuberetur, causam fuisse credendum est, quòd tã longè ab Ierosolymis habitaret, quattuor scilicet, aut circiter dierum interuallo. Hugo, & Lyran. cum ijs, qui longiùs habitarent, dispensatum fuisse dicunt, vt nõ nisi die Paschæ venirent. Nam eo die nemo nisi morbo impeditus excusabatur. Mihi non videtur probari posse Iosephum non nisi die Paschæ venire solitum. Nã etsi Euangelista solius Paschæ mentionem facit, nõ negat tamen alijs duobus festis diebus consueuisse venire: sed quia, quod narrare volebat, duodecimum Christum Ierosolymæ inscijs parentibus remãsisse, die Paschæ contigerat, solius meminit Paschæ. Meritò verò dubitat August. libr. 2. de consensu Euangelistarum c. 10. quomodo potuerint Ioseph, & Maria vnà cum puero Christo per singulos annos Ierosolymam ire, cum Archelaus ibi regnaret, cuius metu, vt Matthæus ait cap. 2. 22. fecesserant in Galilæam. Duobus modis respondet, aut, quod dicit Euangelista, non esse intelligendum de omni generaliter tẽpore, sed de eo tantùm, quo relegato iam Archelao sine vllo eius metu venire potuerunt; aut timorem Dei, & legis eius obseruationẽ Archelai timori prætulisse, faciléque in tanta hominum multitudine, quanta eo die Ierosolymam confluebat, potuisse latere. Hoc est probabilius; quia Euangelista nullo excepto per singulos annos venisse dicit, & quia Iosephus libro 17. antiquit. cap. 15. Archelaum decem annos regnasse tradit. Itaque cum hoc ipsum accidit, quod modò Lucas narrat, aut Archelaus adhuc regnabat, aut vno certè anno ante regnare desierat, Nã Herodes Archilai pater, vt apud Matthæum c. 2. 22. probauimus, duos vt minimùm post natum Christum regnauit annos.

42. *Et cum factus esset annorum duodecim.*) Deest in fine huius versus ad explendam sententiam, Ascendit & puer cum illis, eo nimirum Hebræorum idiomate, quod supra ver. 21. notauimus. An ascenderit Christus cum parentibus in Ierusalem per singulos annos, an eo tantùm anno quo hæc contigerũt, grandiusculus erat, cœperit ascendere, incertum; sed est probabilius per singulos annos ascendisse, idque mihi videtur Euangelista obscurè licet indicare, cum non dicit eo anno ascendisse, sed remansisse in Ierusalem, quasi insinuans alijs annis ascendisse quidem, sed non remansisse; & quasi satis esse putauerit dicere ascendisse parentes, vt & puerum ascendisse intelligeremus. Atque ita Beda sentit in hom. in hæc verba, & Iuuencus carmine hunc locum reddens;

1. lib. hist. Euang.

Ad templum latis puerum perducere festis
Omnibus annorum vicibus de more solebant.

43. *Consummatisque diebus.*) Gr. καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας. & cùm peregissent dies, id est cùm Ioseph, & Maria septem azymorum dies ritè celebrassent, quemadmodum lege præceptum erat, Leuit. 23. 6. 7. & Deut. 16. 8. Expressit hoc Euangelista, non solùm vt leges seruaret historiæ, quæ circunstantijs temporis, & loci commendatur, sed etiam vt Mariæ, & Iosephi religionem ostenderet omnia, quæ ad Dei cultum pertinebant, rite peragentium.

Remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes sui.) Inscijs parentibus. Parentem vocat etiã Ioseph ea ratione, quam supra exposuimus ver. 27. Tria hoc loco quæri possunt, cur voluerit Christus remanere in Ierusalem; cur ea ætate, non ante, non post; cur inscijs parentibus. Videtur Christus in ipsa sua pueritia specimen aliquod diuinitatis suæ præbere voluisse, ne, si posteà annos natus triginta nullo dato antè sapientiæ suæ documento de improuiso ad docendum prodijsset, homines magis admirarentur, quàm crederent. Nam cùm & hunc sapientiæ suæ gustum dedisset puer, tamen postea dicebãt Iudæi. *Vnde huic sapientia hæc, & virtutes?* Matthæi 13. 54. &, *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Ioannis 7. 15. Id autem duodecimo ætatis anno facere conueniebat, quo potissimùm tempore incipit puerorum ingenium apparere, & capessendis litteris aptum esse. Atque hac ratione quæst. explicata est à Beda in commentarijs prima & secunda. Alio etiã modo & idem Beda, & Amb. ad secundã quæstionẽ respondent, propterea duodecimo ætatis suæ anno sapientiam suam ostendere cœpisse, quòd hoc mystico numero missurus posteà esset Apostolos ad prædicandum Euangelium. Quid ex hoc loco veteres hæretici Valentiniani colligerent, Irenæus libr. 1. cap. 17. docet, nec operepretium est eiusmodi deliria recitare. Ad tertiam quæstionem Euthym. & Græcus ille auctor Diuus Thomæ respondent ideo clam parentibus remansisse, ne si id illis indicasset, aut ab ipsis impediretur, aut illis, si morem non gessisset, videretur non satis obedire. Magis alia ratio quam affert Beda mihi placet, propterea id fecisse, vt ostenderet alium se habere patrem, cuius res illis etiam non cõsultis agere deberet, quódque illis foreret obedire, voluntate solitum facere, non debito. Quod ergo Euangelista dicit, *remansit in Ierusalem*, non ita intelligendum est, quasi aut errore, aut casu, sed quasi certo diuinóque consilio id factũ fuerit. Et quidem Origenes hom. 19. videtur existimare inuisibilem sese fecisse, vt Ierosolymæ remaneret, quemadmodum posteà volentibus eum Iudæis lapidare abscondit se, id est disparuit, inuisibilem se fecit, Ioannis 8. 59. Idem quoque videtur apud D. Thom. Græcus ille, quem citat, auctor indicare, estque credibile hominem præsertim Græcum ex Origene sumpsisse.

44. *Existimantes autẽ eũ esse in comitatu.*) Cùm omnes Iudæi ad festũ Paschæ diem confluere solerent, credibile est turmatim, oppidatimque & venire forũ litos, & redire. In eo igitur comitatu Nazarethanorum ciuium cognatorum præsertim, amicorúmque putabant parentes esse Christum, vt ex euentu colligitur, inter eos enim solos cum dicuntur quæsiuisse. Hoc certius, quia ex ipso Euangelista sumptũ est, quàm quod Beda in commentarijs, & in homilia in hæc verba, & Bedam secutus Lyranus tradunt, morem fuisse Iudæis, vt venientes ad festum, domúmque reuertentes, separatim viri, mulieres, & pueri progrederentur. Ita factum vt pater cum matre, mater cum patre puerum esse crederet, ne vterque illo inquireret. Quæ nec sunt ipsa per se probabilia, quis enim credat matres filios suos paruulos à latere suo passas fuisse discedere? & videntur tum Euangelistæ, tum inter se repugnare. Nam cùm dicit Euangelista parentes existimasse, eum esse in comitatu, & inter cognatos atque amicos eum quæsiuisse, non obscurè significat Iosephum, & Mariam simul ijsse, putaséque Christum nũ cum pueris, sed cum cognatis, & amicis esse. Alioqui non inter cognatos & natos, sed inter pueros quæsiuisset. Pugnantia etiam inter se dicunt; si enim puer gregatim, seperatimque progredi solebant, quomodo pater cum matre, mater cum patre, vt illi dicunt, esse putabant, cum ex consuetudine scirent, non posse esse nisi cum pueris? Quod autem dicit Euangelista existimantes esse in comitatu, ideò dixisse arbitror vt à parentibus omnem negligentiæ, culpæque suspicionem remoueret. Non enim neglectus, & in curia, sed credentes in comitatu cognatorum, &

amico

amicorum esse iter vnius diei fuisse progressos.

Venerunt iter diei.) Vsque ad noctem, quo tempore credebant, vt erat vero simile puerum ab se cæsandi, & hospitandi causa venturum, quem cùm viderent non venire, quærere cœperunt. Vnius igitur diei iter parentes confecerant, cùm Christum puerum desiderarunt; diem alterum in remetiendo eodem itinere consumpserunt; tertio die cùm eum diu quæsiuissent inuenerunt in templo, in medio Doctorum, vt Euthym. exponit, meliùs vtique quam qui vnius diei iter sic interpretantur, vt eundo, redeundóque consumptus dies vnus sit, Ierosolymæ verò quærendo duo. Illud enim Euangelistæ verba magis præ se ferunt cum dicit *venerunt iter diei.*

46. *Et factum est post triduum.*) Dubium an tribus diebus omnino transactis, an ipso tertio die Christus inuentus fuerit. Vero similius tertio inuentum fuisse die. Hoc enim ea phrasis aliquando significat, vt cùm Christus dicit se moriturum, & post tres dies, id est die tertio resurrecturum. Marci 8. 31. atque ita sentit Euthym. Quòd autem tertia die, non ante, nec post fuerit inuentus, Ambros. mysterium interpretatur, *Post triduum*, inquit, *reperitur in templo, vt esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis in fide cælesti, & honore diuino fidei nostræ se resurrecturus offerret, qui mortuus credebatur.*

Inuenerunt illum in templo.) *Et cùm quærerent* inquit Origen. hom. 19. *non inuenerunt inter cognatos; nec enim poterat humana cognatio Dei filium continere; non inuenerunt inter cognatos, quia diuina maiora erant notitia scientiáque mortali. Vbi igitur inuenunt eum? in templo. Ibi enim inuenitur filius Dei. Si quando & tu quæsieris filium Dei, quære primùm in templo, illuc propera, ibi Christum sermonem, atque sapientiam id est filium Dei reperies.*

Sedentem in medio doctorum.) Inter doctores. Hebraismus, vt, medius vestrum stetit, id est inter vos, nec enim vt opinor significatur illum in loco doctorum consedisse, vt quidam intelligunt. Nam nec Euangelista tanquam doctorem, sed tanquam discipulum sedisse indicat, cum audisse tantùm, & interrogasse dicit, quæ discipuli sunt partes; nec id tanta illa Scribarum, & Pharisæorum superbia, quos Euãgelista doctores vocat, profecto tulisset. Sed in medio doctorum sedisse dicitur, quia credibile est doctores in orbem iuxta parietes, editiore sedisse loco: auditores verò in medio, humilioribus subsellijs, vt multis etiam locis fieri videmus.

Audientem illos & interrogantem.) Non doctoris, sed auditoris agentem personam. Rectè id Gregor. animaduertit 3. parte Pastoralis c. 26. *Vigilanti, inquit, consideratione pensandum est, quòd, cùm Iesus annorum duodecim dicitur in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans inuenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur, ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suas doctoribus ministrauit.* Quanquam ex Euangelista colligitur ita illum discipuli personam egisse, vt dum interrogatus respondebat, magnos illos magistros multa doceret. Propterea enim stupebant omnes super prudentia & responsis eius. Multa Beda in commentarijs & in hom. in hæc verba in eandem sententiam, in quam Gregorius scribit, quæ & ad explicationem huius loci, & ad mores apta sunt.

47. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.*) ἐπὶ τῇ συνέσει super intelligentia, id est quàm acutè, & bene res intelligeret. Est credibile tanquam discipulum interrogatum, & quidem de maioribus mysterijs, cum viderent doctores illum supra eius captum ætatis respondere.

Nam quòd quidam hæreticorum putat interpres responsum hoc loco Hebræorum more pro quouis poni sermone, non conuenit in hunc locum, vbi Christus ab Euangelista audiens solùm, & interrogans inducitur.

48. *Et videntes.*) Ioseph & Maria. Ad eos enim hoc puto referendum potiùs, quàm ad omnes qui aderant, vt quidam volunt.

Admirati sunt.) Non sicut alij propter prudentiam, & responsa eius, nam eius prudentiam, scientiámque non ignorabant, sed quòd eum præter opinionem in medio doctorum disputantem reperissent.

Et dixit mater eius ad illum.) Placet quod piè nonnulli notauerunt, non hoc statim, & coram omnibus matrem dixisse, ne gloriari eo videretur filio; sed priuatim posteà finita disputatione. Apparet etiam ex hoc loco, vbi clarissimè Ioseph pater Christi nominatur, eum verè non fuisse patrem; videmus enim non Ioseph, sed Mariam quasi parentem liberè, ac iure suo Christum interrogare, *Quid fecisti nobis sic?*

Fili, quid fecisti nobis sic?) Non sunt accusantis, aut reprehendentis verba, sed mirantis, atque dolentis. Nec rogat cur id fecerit, cur cum doctoribus disputauerit; sed cur ita fecerit, vt parentibus inscijs causa doloris fuerit. Hanc habent vim duo illa verba *Nobis*, & *sic*.

Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.) Quærunt aliqui cur dolebant, cúrve quærebant Christum, si filium Dei esse credebant: nec enim filius Dei errare, aut perire poterat: respondent Orige. hom. 19. & Euthym. in comment. Non puto eos idcirco doluisse, quia putarent erasse puerum, nec perijsse; nec poterat accidere, vt Maria quæ sciebat se de Spiritu sancto concepisse, quæ & angelum loquentem, & currentes pastores, & Simeonem audierat prophetantem, timeret, ne puerum perderet oberrantem. Aliud quiddam dolor, & quæstio parentum, quàm simplex lector intelligit, sonat. Quomodo enim tu si quando scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodam, ac tormento, non quòd scripturas erraste, aut perperam quid habere arbitreris, sed quòd illæ intrinsecus habeant veritatis sermonem, atque rationem, & tu nequeas inuenire, quod verum est: ita & illi quærebant, ne forte recessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia transmigrasset, & quod magis puto, ne reuertisset ad cœlos, cùm illi placuisset iterum descensurus. Patrem quomodo Ioseph, Maria vocet Christi, diximus ver. 27. Obseruauit D. August. in ser. quodam de Christi parentibus, modestiæ fuisse virginis, quòd non dixerit, Ego & Pater tuus, sed *Pater tuus, & ego. Christum*, inquit, *peperierat, angelus ad eam venerat, & dixerat ei, ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Meruerat parere filium altissimi, & erat humillima, nec se mario, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret Ego, & pater tuus, sed pater tuus, inquit, & ego.*

Curdolent, & quærunt Christi parentes filiũ amissum.

Modestia B. Virginis.

49. *Et ait ad illos.*) Sola mater interrogauerat, *Fili quid fecisti nobis sic?* sed quia pro se, & Ioseph interrogauerat, vtrique respondet, vtrumque docere volens.

Quid est quod me quærebatis?) Non reprehendit parẽtum erga se curam, solicitudinémque; sed patrem Deum parentibus hominibus anteponit. Respondet quidem reprehendentis modo, non quòd verè reprehendat, sed quòd si parentes scirent, quia in re, & quam ob causam occupatus esset, verè fuissent reprehendendi, si, vt se sequeretur, à patris eum ne-

Christus nõ reprehẽdit parentes suos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gotijs auocare voluissent. Itaque non vt argueret, sed vt doceret, reprehendentis habitum induit. Nec debet pius lector Caluinum audire, quem dicere nō puduit Mariam à Christo merito reprehēsam. Semper enim serpens iste insidiatur Mariæ calcaneo, sed ipsa conteret caput eius. Scribit quidē Ambros. Christum hoc loco arguisse matrem, sed eo sensu, quo nos explicauimus dixit.

Nesciebatis.) Videtur ignorantiam reprehendere, quòd ea nescirent, quæ scire eos oportebat. At vnde id scire poterunt? ex angelis, ex pastoribus, ex Magis, ex Anna, dicunt aliqui. sciebant quidem ex illis, vt supra diximus, mysterij summam, eum mundi saluatorem missum fuisse, lumenque *ad reuelationem gentium* fuisse propositum; sed fore, vt puer adhuc destitis parentibus se subduceret, vt cum doctoribus in templo disputaret, nec debebant, nec poterant scire: eam igitur ob causam admirabantur. Non ergo eos Christus reprehendit, sed reprehendentis specie docet, quemadmodum docere simulata nonnunquam increpatione solemus pueros, etiam cum nullam in illis culpam animaduertimus, vt acriùs ad discenda, quæ dicimus, eorum animos incitemus.

Quia in iis quæ patris mei sunt.) Origen. 20. Epiphan. hæresi 30. August. in sermone illo de Christi parentibus, Euthym. & Hugo putant ea, quæ patris sui erant, templum appellari. Dei enim, non hominum templum erat. At non tam locum loco, quàm negotia negotijs, personas personis opponere videtur. Negotia Patris sui cœlestis, negotijs omnibus humanis, etiam parentum societati, obedientiæ, consolationi. Sicut alibi dicit *meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Ioannis 4. 34. Primúsque obseruat ipse, quod nobis postea tradidit obseruandū. *Qui amat patrem suum, aut matrem plusquam me, non est me dignus* Matth. 10. 37. Ipse suus quodammodo voluit prius esse discipulus, vt eius nos discipulos esse non pudeat. Personam verò Dei patris, personæ hominis patris opponit. Dixerat Maria, *Pater tuus, & ego*; docet se alium veriorem cui magis obedire debeat, patrem habere. Rectè hinc Epiphan. hæresi 30. Ebionitas refellit, qui Christum Iosephi filium esse putabant.

Oportet me esse.) Decet, non tam affirmationem, quàm negationem significari arbitror, quasi dicat oportebat me, non alia in re, quàm in patris mei negotijs occupatum esse, non in puerilibus ludis, non in humanis curis. Errat enim hæreticus quidam interpres, qui necessitatem hoc verbo significari dicit, quasi non potuerit Christus aliud facere, quàm faciebat. Scilicet non satis hæretici habent, vt nobis; nisi Christo etiam ipsi arbitrij libertatem tollant. Refutat Origen. hoc loco Valentinianos, & veteres illos omnes hæreticos, qui Christum filium Dei veteris testamenti esse negabant, cùm hoc loco eius se dicat agere negotia.

Oportet quid significet.

50. *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.*) Verbum quidem intellexerant quid significaret, cum patrem suum Deū appellabat, dicebatque eius se negotia agere oportere; neque enim id post angelos, post pastores, post Magos, post Simeones, post Annas, poterant ignorare; sed mysterium, nimirum verbi non intellexerunt; quæ essent negotia illa patris ipsius, quæ vocabat, vt homines primùm docereret, deinde pro illis moreretur. Itaque neque Euthymij interpretationem probo, qui verbum non intellexisse Mariam, & Iosephum putat, id est quòd templum domum, aut rem patris sui appellasset: nec aliam eorum, qui hoc non de Iosepho & Maria, sed de alijs auditoribus intelligunt, de quibus ver. 47. dictum fuerat, *stupebant super prudentia, & responsis eius.* Aut si de Christi parentibus hoc dictum sit, per synecdochem intelligendum. Non enim Ioseph timul, & Mariam, sed solum Ioseph non intellexisse.

51. *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.*) Videtur Euangelista consultò hæc addidisse, ne lector existimaret emancipasse se Christum, & postea vt negotia patris ageret, obedientiam parentum neglexisse. Discedit ergo cum parentibus, & subditus illis est, vt qui se paullo ante Iudæorum docendo magistros Deum esse ostenderat; terrenis etiam obediendo parentibus hominem profiteretur: simúlque exemplum nobis reuerētiæ relinqueret erga parentes, vt Origen. hom. 20. Ambros. Beda, Theophyl. & Euthym. adnotarunt. Ambrosij verba quia illustriora sunt, ponam, *Quod enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? Et miraremur si patri deferri, qui subditur matri? Non vtique infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est.* Et infra, *Discat puritia tua ciuilitatis præcepta, & exempla pietatis agnoscat. Discat quæ parentibus tuis debeas cum legis à patre filium non voluntate, non opere, non tempore discrepare. Etsi personis diuersa potestate vnum sunt. Et vtique nullum pater illę cuiquā laborem generationis expertus est. Tu matri debes prudentiam iniuriam, vim ignitatis dispendium, partus periculum: matri longa festiuitas, matri longa disceptima, cui miseræ in ipsis votorum fructibus maius periculum est, & cum adhibitis quod optauit, partu soluitur, non timore. Quid autem patrem loquar pro filiorum profectu, & multiplicatas alienis usibus census, sæpe agricolæ semina posterorum atauibus profutura? Nonne pro his obsequia saltem oportet rependi.* Breuiter ex eodem loco, & Arianos refellit, & Catholicorum mores informat. Rectè etiam Origen. hoc exemplum Christi, non solum ad carnales, sed etiam ad spirituales parentes accommodat. *Discamus*, inquit, *filij subiecti esse parentibus nostris, maior minori subijcitur. Nam quia maiorem Ioseph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filijs exemplum præbuens, vt subijciantur parentibus. Quod si patres sibi non fuerint, subijciantur his qui patrum ætatem habent.* Quod loquor de parentibus, & filijs? si Iesus filius Dei subijciatur Ioseph, & Mariæ, ego non subijciar Episcopo, qui mihi Deo ordinatus est pater: Non subijciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est? Puto quod intelligebat Ioseph quia maior se erat Iesus, qui subijciebatur sibi, & sciens maiorem esse subiectum irrepidus moderabatur imperium. Videat ergo vnusquisque quod sæpe melioribus præpositus sit inferior, & nonnunquam accidat vt ille qui subiectus est melior sit eo, qui sibi videtur esse præpositus. Quod cum intellexerit dignitate sublimior non eleuabitur superbia ex eo quod maior est, sed sciet ita sibi meliorem esse subiectum, quomodo & Iesus subiectus fuit Ioseph. Alia multa videre lector poterit apud Gregor. Nyssen. in orat. in hæc verba Pauli 1. Corinth. 15. 28. *Tunc & ipse filius subiectus erit ei*, copiosè hunc locum edisserentem, & apud Bernardum ser. 1. de laudibus Beatæ Virginis, & ser. 19. in Canticum Cant.

Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.) Magna cura videtur hoc Euangelista docere, idem enim dixerat supra ver. 19. Et animaduertimus, cùm multa alia non solùm de Maria, sed etiam de Ioseph dicat, vt quòd Christum ambo quæsierint ver. 44. & 48. quòd mirati fuerint ver. 33. & 48. Quòd tamen dicta, factáque Christi animo reconditerit, semper de sola Maria dicit. Vnde intelligimus duo Euangelistam voluisse significare, & singularem Mariæ diligentiam in obseruandis Christi mysterijs, & maiorem quandam fidem, cognitionémque, vnde ea proficiscebatur obseruatio. Quia enim magnam in Christum habebat fidem, quidquid ab

eo fieri

eo fieri videbat, obseruabat. Quod ipsum obseruauit Origen. *plus*, inquit, *aliquid quam de homine suspicabatur, vnde & custodiebat omnia verba eius in corde suo, non quasi pueri, qui duodecim esset annorum, sed eius qui de Spiritu sancto conceptus fuerat.*

52. *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia.*) Voluit his paucis verbis Euangelista breuiter exponere quid Christus vsque ad annum ætatis suæ tricesimum egisset, nempe sapientia, & ætate, & gratia profecisse. Ac fortasse propterea superiorem narrabat historiam, quomodo annos natus duodecim cum doctoribus disputasset, vt ex eo vno intelligeremus exemplo, quantùm postea ætate progressus profecisset, qui adhuc puer eo vsque profecerat, vt doctores disputando superaret. Quo autem modo intelligendum sit Christum sapientia, ætate, gratiáque profecisse, supra ver. 40. diximus.

CAPVT III.

1. *ANNO autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha,* Act. 4. a. 6.
2. *sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium, in deserto.* 3. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,* Mat. 3. a. 1.
4. *sicut scriptum est in Libro sermonum Isaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius:* Mat. 3. a. 4. Isai. 40. a. 3.
5. *omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prauа in directa: & asperа in vias planas:* Ioan. 1. c. 23.
6. *& videbit omnis caro salutare Dei.* 7. *Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Mat. 3. b. 7.
8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* 9. *Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* 10. *Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?* 1. Ioan. 3. c. 17. Iac. 2. a. 15
11. *Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* 12. *Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?* 13. *At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis.* 14. *Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris.* 15. *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus:* 16. *respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni:* Mat. 3. c. 11. Mar. 1. b. 8. Io. 1. d. 26 Act. 1. a. 5. & 11. c. 16. & 19. a. 4.
17. *cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* 18. *Multa quidem, & alia exhortans euangelizabat populo.* 19. *Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes,* 20. *adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcere.* 21. *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est cœlum:* 22. *& descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* 23. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli,* Matt. 3. c. 11. Mar. 1. b. 8. Matt. 3. c. 12. Mat. 14. a. 3. Mar. 6. c. 17. Mat. 3. d. 13. Mat. 1. b. 9. Io. 1. e. 32. Mat. 3. d. 17. & 17. a. 5. Infr. 9. f. 13. 1. Petr. 2. d. 19.
qui fuit Mathat, 24. *qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph,* 25. *qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,* 26. *qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda,* 27. *qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,* 28. *qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadam, qui fuit Her,* 29. *qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui,* 30. *qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim,* 31. *qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Matthatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid,* 32. *qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit*

Booz.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, 33. qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, 34. qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 36. qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, 37. qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, 38. qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

IN CAP. III.

1. *ANNO autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris.*) Non solum alij Euangelistæ, qui solam Christi prædicationem, & mortem narrare videntur voluisse; sed etiam Lucas qui eius quoque infantiam, pueritiam, ætatémque omnem perscribendam suscepisse videbatur; reliquum tempus vsque ad annum tricesimum, quo baptizatus prædicare cœpit, prætermisit. Quo magis credibile est, quod homil. in Ioan. 16. Chrysost. tradit ea miracula, quæ in libris quibusdam apocryphis à Christo in infantia sua facta dicuntur, vera non esse, cùm Lucas ea non narrauerit, qui hoc, quod duodecimo anno fecit, tam diligenter commemorauit. Describit ergo Lucas quomodo Christus sese profiteri cœperit Saluatorem mundi; quomodo suum, vt ita dicam, inierit magistratum Ioanne prius prædicante, viamque ad ipsum excipiendum muniente. Hoc & alij fecerunt Euangelistæ Matthæus c. 3. 1. & Marcus c. 1. 2. & Ioannes c. 1. 23. 24. Sed Lucas magis historicè omnibus temporis, loci, personarum circunstantijs diligenter expositis. Quod ideò fecisse putandum est, vt fidem adhiberet historiæ, vt Euthym. admonuit. Tempus primo loco describit dicēs Ioannem Baptistam anno decimoquinto imperij Tiberij Cæsaris cœpisse prædicare. Cur non ante, apud Matth. c. 3. 1. docuimus, quòd apud Iudæos nemini liceret ante annum ætatis tricesimum aut sacerdotis, aut doctoris munus fungi. Anno autem Tiberij decimoquinto Ioannes tricesimum compleuit annum. Natus enim erat anno quadragesimo secundo Augusti, vt apud Matth. c. 2. probauimus; imperauerat autem Augustus annos quinquaginta septem, vt Iosephus auctor est, aut quinquagita sex vt Tranquillus, & alij nonnulli auctores tradunt, minimo discrimine. Eadem ætate Christus erat, cùm eodem anno quo Ioannes sex tantùm posterior mensibus natus esset. Describit autem tempus prædicationis Ioannis ex imperio Tiberij, cum eius ortum non ex imperio Augusti, sub quo natus fuerat, sed ex Herodis regno descripsisset c. 1. 5. quia cum natus est, adhuc Iudæa proprium habebat Regem; erant enim res, quæ in ea contigerant, ex proprio potius, quàm ex alieno Rege describendæ; cùm autem prædicare cœpit deleto regni titulo in prouinciam redacta erat, Syriæque attributa, ideo & Imperatorem, qui vbiq; tunc dominabatur, & Præsidem Iudææ, aliosque tetrarchas, inter quos distributum regnum fuerat, nominauit. Aliam rationem Origen. hom. 21. & Gregor. hom. 20. in Euangelia afferunt, sed allegoricam, propterea & Imperatorem gentium, & Iudæorum tetrarchas nominasse, quòd Christus & Iudæis simul venisset, & gentibus.

Miracula Christi in infantia, ficta, & falsa.

Prædicare Ioannes quo tempore cœperit

Procurante Pontio Pilato Iudæam.) Quia regnum Iudææ iam abolitum erat, & in tetrarchias redactum; nec dicere licebat, quo Iudæorum Rege id quod narraturus erat accidisset, loco Regis nominat eos qui tetrarchias gubernabant. De tetrarchijs atque tetrarchis, vnde originem habuerint, & in quot tetrarchias Iudæorum regnum ab Augusto tributum fuerit, quibúsque Herodis filijs singulæ concessæ, docuimus Matthæi 14. 1. inde si nescit, lector petat. Cùm autem cæteros tetrarchas nominet, solum Pontium Pilatum Præsidem, aut ἡγεμόνα Procuratorem vocat, quòd Iudæa, quæ Ethnarchiæ nomine Archelao Herodis maioris filio data fuerat, relegato Viennam Galliæ vrbem Archelao Ethnarchia, aut tetrarchia esse desijsset, & Syriæ prouinciæ fuisset adiuncta. Itaque non proprio iam tetrarcha, sed misso à Romanis Præside, aut Procuratore regebatur. Fuit Pontius Pilatus si Iosepho credimus sextus Iudæorum Præses. Nam Quirinum primum facit, quòd ad redigendas in fiscum Archelai facultates missus fuerit; quamuis non propriè Iudææ, sed totius communiter Syriæ Præses esset, lib. 17. antiquitatum c. vltimo, & lib. 18. c. 1. & 3. Secundum facit Coponium; tertium M. Ambiuium, quartū Annium Ruffum, quintum Valerium Gratum. cui dicit sextum Pontium Pilatum successisse lib. 18. c. 3. Rexit autem Iudæam Pontius Pilatus vsque ad Tiberij mortem annos decem, vt idem Iosephus tradit c. lib. eiusdem 5. ex quo tempora retexentes facile colligimus quoto Pontij Pilati Præsidis anno Christus & prædicare cœperit, & mortuus fuerit. Cùm enim Iosephus dicat Pontium Pilatum vsque ad Tiberij mortem Præsidem fuisse; alio verò loco scribat Tiberium viginti duos imperasse annos lib. 18. c. 8. colligitur Pontium anno duodecimo Tiberij Iudææ Præsidem factum; cúmque anno decimoquinto eiusdem Tiberij, vt Lucas docet, Christus, & Ioannes prædicare cœperint, tribus verò post annis pascha fuerit, sequitur initium prædicationis, de quo hic Lucas agit, in annum Pontij Pilati tertium, Tiberij verò decimumquintum; mortem autē Christi in annum Pilati sextum, Tiberij verò decimumoctauum incidisse: si quid forte hoc interest lectoris scire. Sunt qui eos qui tunc Iudæam iam Syriæ prouinciæ adiunctam abministrabant, non tam Præsides, quàm Procuratores fuisse dicant. Quod ex Iosepho videtur probari posse, quo auctore constat lib. 17. antiquit. c. vltimo, & lib. 18. c. 1. totius Syriæ, & Iudææ vnum tantùm fuisse Præsidem, non ergo poterat Iudæa, quæ prouinciæ Syriæ vna pars erat proprium Præsidem habere. Illud certè constat, si is qui Iudæam gubernabat Præses erat, Præsidi Syriæ fuisse subiectum. Scribit enim Iosephus lib. 18. antiq. c. 5. hunc ipsum Pontium Pilatum, de quo agimus, à Iudæis apud Vitellium Syriæ Præsidem accusatum magistratu motum ab eo fuisse, & Romam ad Imperatorem missum, posito eius loco alio, qui Iudæam interim regeret. Vox Græca qua vtitur Euangelista late patet; generaliter enim significat Principem, Ducem, Gubernatorem esse; ὑπηρετῶν, noster interpres vertit hoc loco *ministrorum* procurrente. Quanquam idem alibi vbique solet Præsidem vertere, vt infra c. 20. 20. & supra c. 2. 2. & Matthæi 10. 18. & Marci 13. 9. Idémque Iosephi interpretes solent facere.

Tetrarcha

Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lysanía Abilinæ tetrarcha.) De Herode, & Philippo, eorúmque tetrarchijs Matthæi 14. 1. differuimus. De Lysania maior, & huius loci propria quæstio est, quis nam fuerit; & an partem vnam regni Iudææ in tetrarchiam redactam administrauerit. Nam Euangelista ita eum cæteris annumerat, vt eorum fratrem, Herodis magni filiū facere videatur, qui partem vnam regni eius in hæreditatem acceptam gubernauerit. Ita boni etiam auctores nonnulli sentiunt Beda hoc loco, & Euthym. in comment. in 1. c. Lucæ. Quam opinionem facile fuit diligentioribus interpretibus refutare. Nam Iosephus qui Herodis Magni res omnes accuratissimè perscripsit, nullum illis eiusmodi filium Lysaniam fuisse tradit, & lib. 2. de bello Iudaico c. 11. vbi eius narrat mortem, tres tantùm filios Archelaum, Philippum, & Herodem reliquisse dicit. Idémque Hegesippus lib. 1. c. 46. testatur. Hunc errorem historiæ, melius quidam viderunt, quàm emendarunt. Nam dum corrigere voluerunt, in alium ipsi non minorem inciderunt errorem, Lysaniā hunc Ptolemæi cognomento Mennæi dynastæ Chalcidis filium fuisse dicunt, quem patri successisse Iosephus lib. 14. antiquitatum c. 21. & lib. 15. c. 4. & Hegesippus lib. 1. c. 29. auctores sunt. Neque animaduertunt eundem etiam Iosephum illo ipso posteriore loco scribere eum Lysaniā, quem Ptolemæi filium fuisse dixerat, ab Antonio, Cleopatræ impulsu occisum fuisse, triginta vt minimùm annis, antequam Christus nasceretur. Itaque tantùm abest, vt cùm Christus prædicare cœpit, tetrarcha esset regionis Abilinæ, vt sexaginta ante annis fuerit mortuus. Cogor in re obscura eorum, quoad melioremintuenio, probare coniecturam, qui hunc Lysaniam de quo Lucas loquitur, eius Lysaniæ filium patri cognominem fuisse credunt. Bonum tantùm auctorem desidero. Inuenio qui dicant Abilam vrbem, vnde regio tota Abilina dicta est, cognomento Lysanium appellatam, vnde probabilis coniectura duci potest, omnes eius regionis tetrarchas Lysanias, sicut Reges omnes Ægypti Pharaones, vocari solitos. Cur igitur Lucas eum Lysaniam cum Herodis numerauit filijs, si nec filius eius erat, nec in vllam regni eius partem successerat? nec in hac re quicquam præter meam coniecturam afferre possum. Erat Chalcis, cui Lysanias imperitabat, contermina Iudææ intra eam regionem comprehensa, quā Deus promiserat Abrahamo, sita in monte Libano, vt Iosephus ait, aut illi certè adiacens: & est credibile maiore ex parte à Iudæis etiam tunc habitatam fuisse, licet sub alienigena viuerent domino. Hæc potuit esse ratio, quamobrem Euāgelista eius etiam tetrarchiæ mentionem facere voluerit. At quid Chalcidi cum Abilina, aut vt melius dicam, cum Abilina regione, cuius hic Lucas Lysaniam tetrarchiam fuisse dicit? supra indicauimus fuisse in ea regione Abilam vrbem vnde regio tota Abilina dicta esset. Plinius autem lib. 5. c. 18. Abilam vnam ex sex tetrarchijs, quæ Decapolim regionem cingerent, instatque regnorum essent, fuisse dicit.

Lysanias quis, & quotuplex hic nomen.

2. *Sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha.*) Quomodo Annas, & Caiphas sacerdotes fuerint, Matthæi 26. 3. 57. expositimus. Vòluit Lucas omnibus modis tempus scribere non solùm ex annis imperij Tiberij, & ex Præside, atq; tetrarchis, sed etiam ex principibus sacerdotum, quos Annam tunc, & Caipham fuisse dicit. Non quòd simul sacerdotes fuerint; nullum enim Reipublicæ Iudæorum tempus tam perturbatum fuisse legimus, vt duo simul Summi essent sacerdotes, nec id, si vnquam accidisset, Iosephus earum rerum diligentissimus scriptor tacuisset. Nec, vt alij putant, quòd prius Annas, deinde Caiphas, quo tempore Christus, & Ioannes prædicarunt, fuerint sacerdotes, quasi eorum prædicatio, neque in solius Annæ, neq; in solius Caiphæ, sed in vtriusque simul sacerdotium inciderit; quemadmodum Isaias initio prophetiæ suæ non vnum tantùm, sed multos, sub quibus prophetasset, nominauit Reges, quòd non vno tantùm, sed multis alijs post alios regnantibus prophetasset. Vulgaris hæc est opinio, sed minimè probabilis, cùm ex Iosepho constet lib. antiquit. 18. c. 4. Caipham à Valerio Grato multis alijs singulis pene annis motis sacerdotē factum, totóque tempore quo Pilatus Grati successor Iudææ Præses fuit, sacerdotium administrasse; Christus verò, vt supra docuimus, tertio Pilati anno cœperit prædicare. Hunc nodum sic soluit Euthym. Annam quidem verè, propriéque fuisse sacerdotem, Caipham verò quia gener eius erat, vt ait Ioannes c. 18. ver. 13. non sacerdotem propriè, sed sacerdotis adiutorem fuisse, quales nunc senio confectis Episcopis dari solent. Alij contrà, verum sacerdotem fuisse Caipham, Annam verò, & quia eius erat socer, & quia & ipse ante functus fuerat sacerdotio, quamuis ab eo per Valerium Gratum motus fuisset, appellationis tamen honorem retinuisse. Sicut solemus hodie eos, qui aliquando Episcopi fuerunt, etiamsi iam Episcopi non sint, Episcopos appellare, & ijsdem quibus ante ornare titulis. Non placet. Nam ista quidem ratione multos etiam alios nominare Lucas debuit, quos Iosephus eodem loco sacerdotes fuisse, & per Gratum ab ea dignitate remotos dicit. Alij Annam, & Caipham largitionibus à Romanis obtinuisse, vt alternis annis sacerdotio fungerentur. omnia enim tunc apud Romanos, Iudæósque fuisse venalia non vno loco Iosephus indicat. Hoc iudicio probabilius, quia id Ioannes c. 11. 49. 51. & 18. 13. videtur significare, cum dicit Caipham fuisse Pontificem anni illius, quasi alternis annis ille, & Annas Pontifices solerent esse.

Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.) Iussus est à Deo Ioannes, cùm in deserto esset, prædicare. Hoc enim Hebraica phrasis significat, Verbum Domini super aliquem fieri, Isaiæ 38. 4. Hiere. 1. 2. 4. 11. 1. 13. & 2. 1. & 7. 1. & 13. 8. & 14. 1. & 16. 1. & alibi apud hunc, & alios Prophetas passim. Det mihi hoc loco lector veniam, vt abominandi auctoris Caluini vtar verbis. *Colligimus*, inquit, *hinc nullos esse veros doctores, nisi quibus iniunctum est à Deo munus, nec sufficit verbum Dei habere, nisi accedat etiam spiritualis vocatio. Si ergo summi Prophetæ vocationem Dei expectarunt, quales sunt qui hodie se ingerunt? Testimonium hoc* Caluini *verum est*, vt de Cretensibus Titi. 1. 13. dicit D. Paulus, sed nullo potuit Caluinus testimonio meliùs coargui quàm hoc suo, nullo potuit tormento tota eius Ecclesia faciliùs labefactari. Nam si non sufficit verbum Dei habere, nisi accedat vocatio, vt ipse dicit, quid de ipso, déque omnibus & Caluinianis, & Lutheranis ministris dicemus; qui nec à Deo profectò vocati, aut missi sunt, nec verbum Dei, sed diaboli habent? Alia quæ & hoc loco, & duobus sequentibus versibus tertio, & quarto dici poterant, à nobis apud Matth. cap. 3. 1. 2. dicta sunt.

Hebraismus.

Caluinus suo testimonio reclamitat efficacissimè, dum se ingerit non vocatus à Deo.

5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.*) Priorem partem huius Isaiæ c. 40. 3. 4. testimonij, *Vox clamantis in deserto parate viam Domini, rectas facite semitas eius*, quia à Matthæo etiam, & Marco c. 1. 3. adducta est, illid explicauimus. Hoc

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod Lucas addit, nunc explicandum. Loquebatur eo loco Propheta ex persona Dei de Iudæorum reductione ex Babylonica captiuitate auctore Cyro, & sub eius figura de alia maiore, verioréque reductione à captiuitate diaboli per Christum facienda, quemadmodum Euangelistæ omnes interpretantur. Loquitur autem prophetico, id est poëtico ferè more per prosopopeiam dicens, mittite præconem, qui vbique terrarum clamet, maximè verò in deserto, vbi magis deuia, & magis aspera via est, vt omnes eam explanare, præpararéque curent venturo Domino; venturum quippe, & ipsum per se quasi ducem egregium populum suum in patriam reducturum; non docere, vt Rex tantus quidquam in via deuium, quicquam in æquale, quicquam asperum inueniat. A consuetudine Regum metaphora sumpta est, quibus regnum suum, aut vrbem aliquam ineuntibus, viæ non explanari modò, verùm etiam ornari solent. Hoc ergo est *parate viam Domini*, id est Domino venturo; *rectas facite semitas eius*, id est quibus ille transiturus est, & *omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*. Nam vt via plana sit, necesse est, vt valles, siquæ occurrunt, exaggerẽtur, & montes, si qui sunt, explanentur in campum. Futura pro imperatiuis Hebræorum more posita sunt: *Implebitur*, id est impleatur, *humiliabitur*, id est humilietur. Sic etiam *erunt praua* (hoc est obliqua) *in directa*, id est sint. Quod tunc de via Babylonica dicebatur, dicitur nunc eodem Propheta ad Christum spectante, de via totius mundi, qua omnes gentes ad Ecclesiam Euangelij præconio excitæ venturæ erant. Primus autem præco Ioannes fuit, qui propterea se vocem in deserto clamantis esse dixit. Desertum corporaliter quidem fuit illud ipsum iuxta Iordanem, in quo Ioannes vixit, ac prædicauit: spiritualiter autem totus terrarum orbis, in quem late vox eius insonuit. Nec enim Ambrosio subscribo, qui desertum Ecclesiam interpretatur, quòd scriptum sit *multi filij desertæ magis quam eius quæ habet virum*. Ecclesia enim non desertum, sed domus; nec via, sed meta est, quò vocandi homines sunt. Dominus est Christus, cui venienti paranda via est. Ante faciem enim eius ideo Ioannes missus est, vt viam eius præpararet. Vnde Christi diuinitas manifesto argumento probari potest. Nam apud Isaiam nomen est יהוה quattuor litterarum, quod, affirmantibus etiam Hebræis, de solo vero Deo dici potest. Via sunt hominum animi, qui per eam, quam Ioannes prædicabat pœnitentiam, explanandi erant, vt molliter venientem exciperent Christum. Montes Origenes, & Beda homines superbos; valles humiles esse dicunt. Sed vt de superbis id concedamus, qui per pœnitentiam humiliandi, ac deprimendi sunt; quid de humilibus dicemus? quomodo implebuntur? quomodo erigentur? vt ad æqualitatem redigantur? An humiles esse desinent, superbíque fient? Respondet Beda hoc ideo dictum esse, quia *qui se exaltat, humiliabitur* c.14.11. & 18.14. At hæc sententia de præmio, illa de labore dicta est, ex qua cõtrarium potius efficitur neminem in hac vita extolli, neminem erigi debere, ne in altera humilietur. Aliter etiam Origen. montes Iudæos, quia superbi; valles Gentiles, quia humiles erant, appellari. Sed præterquam quòd Gentiles nihilo minus superbi, quam Iudæi erant, cùm quicquid erat in mundo *superbia vite* esset, quomodo Gentiles qui valles erant exaltari, id est humiles esse desinere oportebat? Nihil ergo per montes, & colles aliud, quàm viæ inæqualitatem, asperitatémque designari arbitror, sicut statim dicitur, *Et aspera in vias planas*. Hoc enim est, quod maximè asperã, atque difficilem viam reddit, si nunc in valles descẽdat, nunc in mõtes assurgat. Explananda igitur est via, id est, vitiorum inæqualitas, repugnantiáque ad virtutis mediocritatẽ reducẽda, ne quid subeuntem in animos nostros Christũ offendat. Quem sensum, nemo meliùs quam Euthym. animaduertit; qui & illud rectè obseruauit, vniuersale illud *Omnis* non vniuersaliter accipiendum. Nec enim omnes valles exaltatas, neque omnes montes, & colles humiliatos fuisse per Christum, id est non omnia hominum vitia correcta, quia multi viam parare noluerunt. Quanquam si id quod paullo ante dicebamus, verum est, futura pro imperatiuis posita esse, superuacanea est hæc obseruatio. Nam quamuis non omnes valles exaltatæ, nec omnes colles humiliati fuerint; tamen Deus, cuius ea vox est, atque præconium, omnes valles exaltari, omnes colles humiliari iusserat.

Hebraismus, futura pro imperatiuis.

Deserti, vide nomine quid significetur.

Ad Gal. 4.27. Isai. 54.1.

Quid mũtum, & vallium. n.s.

6. *Et videbit omnis caro saluture Dei.*) Salutem quam Deus populo suo daturus est, vt supra cap. 2. 30. Carnem pro homine sumi tam scitum est, vt opus non sit exemplis docere. Duobus autem modis hæc possunt intelligi. Aut ita vt significetur fore vt omnes homines conspecturi essent, quomodo Deus populum suum primum à Chaldæorum, deinde à Diaboli tyrannide liberaturus esset, sicut Psal. 73. 12. dicitur Deus *operatus* esse *salutem in medio terræ*, id est toto inspectante terrarum orbe. Et Psal. 47. 6. 7. *Ipse*, inquit, *videntes sic* (quod Deus fecerat erga populum suum) *admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos*, & Psal. 67. 25. *viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Deimei, Regis mei qui est in sancto*, id est quomodo Deus graderetur, veniens ad ferendam opem populo suo. Simile illud est Psal. 97. 3. *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri*. Et illud Isaiæ 41. 4. 5. de hac ipsa re loquentis, *Quæ hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus, & nouissimus ego sum; viderunt insulæ, & timuerunt, extrema terra obstrupuerunt*, & cap. 52. 10. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*. & cap. 61. 9. *Et scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*. Sic dicebat meretrix illa Rahab Iosue 2. 10. 11. *Audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto, & quæ fecistis duobus Amorrhæorum Regibus qui erant trans Iordanem, Sehon, & Og, quos interfecistis, & hac audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus*. Aut ita, vt sensus sit fore, vt omnes homines videãt, id est gustent, experiantur, percipiant salutem Dei, participéſque fiant eius beneficij, si tamen velint. Omnibus enim in cõmune, ac sine discrimine gentis, aut personarum fuisse propositam, sicut ideam Isaias vaticinatus fuerat c. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, celite & comedite, venite, emite absq; argento, & absq; vlla commutatione*. & c. 66. 14. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius*, & versu 18. *Ego autẽ opera eorum, & cogitationes eorum: venio vt congregem cum omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam*. Vterque sensus melior videtur esse, quàm ille quem Gregor. hom. 20. in Euangelia, & Beda in commentariis afferunt, *Quia omnis caro*, inquit Gregor. *accipitur omnis homo, salutare Dei videlicet Christum ut hac vita omnis homo videre non potuit. Vbi ergo in hac sententia Propheta prophetiæ oculum nisi ad extremi iudicij diem tendit? vbi cum aperiis cœli, ministrantibus angelis, conspicietur*

sedentibus Apostolis in sede maiestatis suæ Christus apparuerit, omnes hunc & electi, & reprobi pariter videbunt: vt & isti de munere retributionis suæ sine fine gaudeant, & impij in vltione supplicij in perpetuum gemant.

7. *Dicebat ergo ad turbas.*) Vide Matth. 3. 7. vbi hæc, & omnia, quæ sequuntur vsque ad vetsum decimum, explicauimus.

10. *Et interrogabant eum turbæ dicentes, quid ergo faciemus?*) Hæc quæ sequuntur vsque ad ver. 16. alij Euangelistæ non narrant. Lucas fructum quem auditores ex Ioannis concione perceperãt, exponit. Primam dicit commotam eius concione turbam, vt viã ab eo salutis quæreret; propensior enim semper ad pietatem est populus, quàm qui prudentiores sibi videntur. Et verò cum Lucas dicat & imperitã multitudinem, & publicanos homines pro publicis habitos peccatoribus, & milites sæuum hominũ genus, Ioannem de salute sua consuluisse, solos nõ dicit Scribas, & Pharisæos eum interrogasse. Interrogat populus, *Quid ergo faciemus?* Particula *ergo* indicat aliquid priùs dixisse Ioannem, quo docuerit omnes auditores in errore versari, nec ea, qua ibãt via, saluos esse posse; aut aliquid certè in eandem sententiam, vnde colligendo populus interrogauerit *quid ergo faciemus?* quasi dicat, si ita viuendo vt viuimus, si id faciendo quod facimus, salui esse non possumus, doce quid, vt salui simus, facere debeamus. Potuerunt hoc colligere ex illis verbis *pœnitentiam agite*, id est, præterita dolentes peccata, vitam, moresque in melius commutate, quæ alij Euangelistæ commemorarunt. Potuerunt etiam ex ijs quæ Lucas vers. 7. & 8. Ioannem dixisse narrat, *Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, vt putat Euthym. & ex illis rursus ver. 9. *iam securis ad radicẽ arboris posita est*. Quibus extremum illis interitum nisi resipiscant, interminatur. Potuerunt & ex alijs multis, quæ credibile est graviter, & vehementer dixisse Ioannem, nec fuisse ab Euangelistis commemorata, quibus propositum non erat integras eius conciones enarrare. *Percussi*, inquit Gregorius hom. 20. in Euang. & Beda in comment. *terrore fuerant tubæ, quæ consilium quærebant*. Hoc igitur certum est signum auditorem profuisse, cum commota, & agitata conscientia ad concionatorem venit, vt de sua eum salute consulat. Quemadmodum illos Petri auditores fecisse legimus Actor. 2. 37. *His autem auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, quid faciemus viri fratres?* Et custodem illum carceris, qui tremefactus Paulo, & Sylæ ad pedes procidisse dicitur, Actor. 16. 29. 30. rogasseque, *Quid me oportet facere, vt saluus fiam?*

11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti.*) Consultus à diuersis generibus hominum Ioannes, accommodatè ad vnumquodque respondet. *Singulis*, inquit Ambr. *generibus hominum conuenientia tribuit sanctus Baptista Ioannes responsum*. Quanquam vt Theophyl. adnotauit, hoc inter simplicem turbam, & publicanos, militésque discriminis adhibuit, quòd turbam quia simplicior erat, non solùm à malo abstinere, sed bonum etiam facere præcepit: publicanos verò, & milites abstinere tantùm à malo, neminíque iniuriam inferre. Amb. quod turbæ dicit, commune omnibus putat esse præceptum; quòd publicanis, & militibus, illis proprium, *Hæc*, inquit, *& alia officiorum præcepta propria sunt singulorum, misericordia communis est vsus. Ideo communia præcepta omnibus officijs omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus deferenda. Non publicanus, nõ miles excipitur, non agricola vel vrbanus, diues & pauper, omnes in commune admonentur, vt conferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutis est. Et ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis, alimẽtis, suis parcant*. Rectè hæc Amb. Etenim cùm simplex populus non soleat ad inferendã iniuriam esse prochius, nec vllo sibi proprio laborare vitio, præceptũ illi cum omnibus hominibus cõmune Ioannes tradidit. *Qui habet*, inquit, *duas tunicas, det non habenti*. Speciem vnam caritatis pro toto genere, id est pro omni caritatis officio posuit. Sicut Christus apud Matt. c. 25. 35. *Esurini enim, & dedistis mihi manducare*. Vna enim caritatis specie, vt illic diximus, omnes intelligit. Itaque nõ est hærendum in verbis. Quod qui fecerunt, boni quamuis auctores, valde laborarunt, quomodo id ab Apostolis ipsis seruatum fuerit, cùm Petrus duas tunicas zonam, & calceamenta dicatur habuisse, Actorum 12. 8. Paulus verò, & tunicam, & penulam 2. ad Tim. 4. 13. vt Oecumen. Act. 18. In sensum igitur intendenda mens est. Qui nec tã angustus est, vt de solis tumcis, ac escis præceptum intelligendum sit, neq; tã latus, vt quisquis duas habet tunicas, alteram necessariò dare debeat, quemadmodum quidã nimis litterales interpretes intellexerũt. In vniuersum præcipitur erga proximũ caritas, & compendiosissima ostenditur esse salutis via. Sed totum caritatis genus per duas maximè necessarias, maximéq; cõmunes species declaratur, victum, atque vestitum vt Basil. apud D. Thom. Greg. hom. 20. & Beda hunc locum explicans adnotarunt. Quanquam Greg. quidem, & Beda non propterea has duas species positas fuisse putant, quòd non habenti, sed quòd danti magis sint necessariæ. Maioris enim esse caritatis, quæ sibi necessaria sunt dare, quã quæ superflua. Quod quidem verum est, sed non propterea has duas species à Ioanne positas arbitrors; sed potiùs, quòd pauperibus magis sint necessariæ. Nemo enim sine victu, vestituque potest viuere. Et ita videtur Ioannes orationem suam consultò moderatus, vt nõ videatur auditores ad summam, sed ad necessariam tantùm ad salutem caritatem obligare voluisse. Ideo non dixit, qui habet tunicam, det eam, sed qui habet duas tunicas, det alteram ei qui nullam habet. Hoc etiam obseruauit Ambr. *Misericordiæ tamen*, inquit, *ipsius proposibilitate conditionis humanæ mensura seruatur, vt non sibi vnusquisque totum eripiat sed quod habet, cum pauperibus partiatur*. Duas verò tunicas dixit non certum tunicarum numerum, sed cuiuscunque vestitus, & per vestitũ cuiuscunque boni alterius externi superfluitatem denotans. Fieri enim potest, vt aliquis non duas tãtùm, sed multo etiam plures tunicas habeat, omnes tamen illi ad tutandam vitam necessariæ sint; eum Ioannes cogit vllam dare non habenti. Et fieri rursum potest, vt aliquis vnam tãtùm habeat tunicam, & quia ea illi necessaria non est, ex Ioannis sententia eam illi, qui nullam habet dare debeat. Contra verò, cùm dicit *non habenti*, non solùm eum intelligit, qui omnino nullam habet, sed eum qui etiamsi aliquam, etiamsi plures habeat, tamen ad tuendam vitam pluribus indiget. Illi enim, quamuis multas habeat, quisquis plures necessarijs habet, dare aliquam debet. Summa est, duabus ex partibus obligationem eleemosynæ dandæ Ioannes præscribit; ex inopia pauperis, si tuendæ vitæ necessaria non habeat; & ex abũdantia diuitis, si plures habeat quàm illi sit ad vitam necessarium. Eadẽ moderatione locutus est Christus optimus interpres huius loci infra c. 11. 41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynã & ecce omnia munda sunt vobis*. Cæterum quia plerũque vna tunica vni homini ad conseruandũ corpus satis esse solet, per vnam tunicã, res omnes necessa-

Quis sensus huius ipsius habet duas tunicas, det, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rias, per duas, res omnes superfluas significauit. Explicanit hunc locum egregiè Hieron. q. 1. ad Hedibiam. *Qui habet duas tunicas, det alteră non habenti: Quia si Scythia frigora sint, & alpina niues, qua non duabus, & tribus tunicis sed vix pecudum pellibus repelluntur? Quicquid ergo corpori nostro suffuerit potest, & humane succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit: hoc vna appellanda est tunica: & quicquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc vnius dicis vsus appellatur.* Hoc mihi nō paulò magis placet, quàm quòd Greg. & Beda scribunt. *Idcirco*, inquiunt, *de duabus dixit cum proximo duabus tunicis datum præceptum, quia hoc de vna dici non potuit, quoniam si vna diuiditur, nemo vestitur. In dimidia quippe tunica & nudus remanet, qui accipit: & nudus, qui dedit.* Mirum videri lectori potest, non aliam magis expeditam salutis viam, auditoribus suis Ioannem ostendisse, & magis ad munus illud, quo fungebatur, accommodatam. Quin dicebat, crederent in
Iohn. 14. 6. Christum, quem prædicabat, si salui esse vellent? cùm & Christus vnica via salutis esset, & ipse idcirco venisset, vt ad eum homines adduceret, &, vt angelus dixit c. 1. 17. vt pararet illi plebem perfectam? Id iam ante fecisse credendum est, quamuis Euangelista non dicat. Debemus enim existimare Ioannem virum tam sanctum, tam gnarum mysterij, tam amantem Christi, quiq; in id vnū à Deo missus erat, eam officij sui partem, quæ erat præcipua, non negligenter præterijsse. Ac fortasse cum hoc, quod Lucas narrat dixit, iam Christum digito demonstrauerat; iam dixerat, *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioannis 1. 29. Nec enim in hac re Lucas temporis rationem habuit. Nec mirum est ita respondisse Ioannem, cùm Christus ipse de eadem re ab adolescente illo interrogatus, *Quid boni faciā, vt habeam vitam æternam?* non respōderit nisi, *Si vis ad vitam ingredi, serua mādata.* Matth. 19. 17. Magis vtique præcisè quàm Ioannes, & minùs noui dicens. Quis enim ignorabat, ei, qui vellet ad vitam ingredi, seruanda esse mandata? Ioannes aliquid videtur dixisse noui quod in Decalogo non omnino esset expressum, vt, qui duas haberet tunicas, ei qui nullam haberet, alteram daret. Cæterum cogitādum est vtrūque accommodare ad auditorum captum locutum fuisse, qui maiora tunc quamuis illis dicta fuissent,
Matth. 5. 17. & sup. 3. 47. capere non poterant. Et non erat vinum nouum in vtres vereres immittēdum, ne ruptis vtribus effunderetur. Similes de charitatis officijs loci sunt Iacobi 2. 15. 16. & 1. Ioan. 3. 17. Maximè verò huic loco affine est quod scribit D. Paulus 2. Cor. 8. 13. 14. & D. Hieronym. ad explicandum hunc locum adducit. *Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorū abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas.* Refert Theophyl. fuisse qui duas tunicas, duos scripturæ sensus literalem, & mysticum interpretarentur, debereque doctorem, qui vtrumque teneret non habentibus impertiri. Sed allegoricum hoc ipsum est. Magis ad rem pertinet, quod Iren. libr. 4. c. 40. ex hoc loco probat, nos operibus charitatis iustificari; cùm Ioannes interroganti populo, quid se vt saluus esset, facere oporteret, nihil aliud respōderit, quàm vt exerceret opera charitatis.

13. *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis facitis.* Græcè verbum πράσσειν, quo Euangelista vsus est, ambiguæ est significationis. Nā & facere, & exigere significat. Hoc posteriori modo non solùm auctores Græci Orig. hom. in Lucā 23. Greg. Nazian. hom. 23. contra Iulianum, Theophyl. & Euthym. sed etiam Latini Ambr. in commentarijs, & sermone 7. siue 15 Ambrosij, siue Augustini est, serm. 19. de verbis Domini, & Beda in hunc locum scribens interpretatur. Sensus est melior, quam quem Latina nostri interpretis verba videntur præ se ferre; quanquam & nostra versio hūc admittit sensum, eodémque modo intelligenda est, ne faciant plus quam illis constitutum est. Erat enim illis constitutum, quantum tributi exigere deberent: plus facere, erat plus exigere. Publicanos fuisse tributi Cæsaris exactores apud Matth. c. 5. 46. & c. 9. 10. diximus.

14. *Interrogabant autem eum & milites.*) Ostendit quanta vis fuerit orationis Ioannis, quæ etiam mulires homines plerumque feroces emollierit.

Neminem concutiatis, nec calumniā faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.) Tria potissimùm militum vitia notauit, quibus id hominum genus infame est, cædes, calumnias, auaritiam, seu latrocinia, aut exactiones. Ab his eos abstinere iubet. Non quòd sanè hoc illis nihil aliud facientibus ad salutem esset, sed quòd sit vero simile eos, si his rebus, quibus frequentiùs peccare consueuerant, non peccarent, nec alios peccaturos. Idémque de publicanis dicēdū est, quos etiam iudicauit Ioānes facilè cætera vitia vitaturos, si illud quo maximè laborabant, euitarēt. Probarat ex hoc loco nōnulli veteres etiam auctores nō esse illicitū Christiano homini militare, Amb. ser. 7. Aug. epist. 5. & lib. 22. contra Faustum c. 74. Res per se facilis erat, nisi hæreticus spiritus, qui omnia hoc tempore turbauit, in dubium reuocasset. Nam neque Christus Centurionem illum, cuius tantopere laudauit fidem, ab armis abstinere iussit, Matt. 8. 10. neque Petrus Cornelium alterum Centuriōnem, quē baptizauit, & in fide instruxit, Act. 10. 36. 48. coēgit mutare id genus vitæ. Rectè monet Ambr. ser. 7. aut quod magis credo Augustin. ser. 19. de verbis Domini, hoc præceptum non ad solos milites, sed ad omnes in vniuersum magistratus, & Ecclesiæ ministros pertinere. *Hic*, inquit, *cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de vis militantibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militat suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atque ideo hæc sententia potest dici verbi gratia militibus, potestatibus, curialibus, cunctisque Rectoribus, & cuicumque qui sub publica potestate constituitur.* Quibus verbis ostendit, quid publicè sibi decreta consequatur. *Si amplius quæris, inquit, detestator & concussor Ioannis sententia condemnatur. Quæ adeo autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sententia quasi venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa. Hæc autē diuina sententia, quæ ad milites loquitur, potest esse ad clericos retorqueri, quia etiamsi non militare videamur seculo, tamen Domino & Deo militamus, sicut ait Apostolus. Nemo militans Deo intricat se negotijs secularibus.*

15. *Existimāte autem populo.*) G. προσδοκῶντος existimante, aut expectante, id est expectatione, dubitatione q; suspēso, vt statim dicit, *ne forte ipse esset Christus.* Cum enim dubitaret, expectabat euentum rei, qui declararet essétne Messias, an non. Mouebatur Ioannis sanctitate, & officio baptizandi, quē ad modum ex Euāgelio Ioannis constat, vt cum Messiam esse crederet, auertebatur cultu longè ab eo diuerso, quo suum Messiā sperabat vērum esse. Sed facilè fuit illis, si scripturas suas cōsuluissent, intelligere Ioan. Messiam esse non posse, cùm tota scriptura doceret Messiam ex tribu Iuda, & ex domo Dauidis nasciturum; Ioannem autem viderent & patre, & matre ex tribu Aarō originē ducere. Notauit Orig. periculosum esse si auditores maiorē quàm veritas ferat de concionatore opinionem habeant; indeque nonnullas hæreses natas dicit, idque nonnullis probat exemplis, quæ videre apud eum lector pote-

poterit. Ioannes c. 1. 19. scribit Iudæos ab Ierosolyma sacerdotes, & Leuitas aliquot ad Ioannem legasse, vt eum interrogarent, num ipse esset Christus. Itaque meritò à quibusdam dubitatum est, num respō. sum hoc Ioānis, quod hoc loco Lucas, & Matt. c. 3. 11. & Marcus c. 1. 8. recitant Baptistam dedisse, idem fuerit, eodémque acciderit tempore, atque illud quod Ioannes narrat. Vt idem esse videatur, facit similitudo sententiæ, vt diuersum, facit quòd hic populo & quidem non interroganti, sed tacitè apud se cogitanti; illic legatis sacerdotibus, & Leuitis, ipsdemque Pharisæis non interrogantibus modò, sed etiam contra illum subtiliter disputantibus respondisse dicatur, quódque hoc ante baptismum à tribus Euangelistis; illud post baptismum à Ioanne factum commemoretur. In neutram partem argumēta sunt necessaria, sed in hanc probabiliora. Atque ita Amb. & Beda sentire mihi videntur. Vterque enim colligit ex hoc loco Ioānem prophetico spiritu intimas animi cogitationes cognouisse; neque enim verbis vllis, sed solis respondisse cogitationibus, quia dicit Euangelista. *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis, ne forte ipse esset Christus.* Quod si ita est, non dubium, quin aliud hoc fuerit testimonium quàm illud quod Ioannes Euangelista à Baptista exhibitum fuisse refert. Réque conuenit aptissimè; cùm enim Ioannes non Ierosolymæ, sed in deserto ad Iordanis oram versaretur, non poterant Iudæi illi primores qui sacerdotes, & Leuitas ad eum legauerunt, in eam venire suspicionem, num Ioannes Messias esset, nisi id ex populo, qui ad audiendum Ioannem exibat, cognouissent. Quare credibile est priùs populum eam de Ioanne opinionem concepisse, illíque vt tres narrant Euāgelistæ, respondisse Ioannem. Dein increbrescente fama, Christoque baptizato, & à Ioanne tanquam vero Messia demonstrato principes Iudæorū rem ex ipso Ioāne cognoscere voluisse: cùm vna ex parte videret populum Ioannem tanquam Messiam venerantem; alia ex parte audirent illum palam profiteri non se sed Christum, quem baptizauerat, verum esse Messiam. Ita & ego sentio, quanquam me Ambrosij, & Bedæ argumentum non admodum mouet. Nam quod Lucas dicit, *existimante populo, & cogitantibus, &c.* non negat etiam interrogasse, aut de ea certè re locutum fuisse; sed tantùm fortasse significat Ioānem populi de se nimis magnam opinionē corrigere voluisse. Monentur hic cōcionatores quemadmodum & Orig. indicauit, ne se patiantur supra merita sua ab auditoribus honorari, aut laudibus efferri, sed nimiam de se opinionem premant; laudémque, & honorem omnem à se in Christum declinent.

CAPVT IIII.

1. IESVS autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane: & agebatur à Spiritu in desertum, 2. diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil mānducauit in diebus illis: & consummatis illis esuriit. 3. Dixit autem illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. 4. Et respondit ad illum Iesus: Scriptum est: Quia non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo Dei. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, 6. & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt: & cui volo do illa. 7. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia. 8. Et respondens Iesus, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. 9. Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum. 10. Scriptum est enim quòd Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te: 11. & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12. Et respondens Iesus, ait illi: Dictum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. 13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus. 14. Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exijt per vniuersam regionem de illo. 15. Et ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. 16. Et venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere. 17. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat. 18. Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, 19. prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. 20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. 21. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. 22. Et omnes testimoniū illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nōne hic est filius Ioseph? 23. Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinē: Medice cura teipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaū, fac & hic in patria tua. 24. Ait autem:

Matth. 4. a. 1. Mar. 1. b. 12.
Deut. 8. a. 3. Matt. 4. a. 4.
Deut. 16. cap. 13. & 19. d. 20.
Psal. 90. cap. 11. Deut. 6. c. 19.
Matth. 4. b. 13. Mar. 1. b. 14. Matt. 13. & 54. Mar. 6. a. 1. Ioan. 4. f. 45. Isai. 61. a. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. Regum 17. 409.

4. Regum 5. d. 14.

Matthæi 4. b. 13. Marc. 1. c. 21. Matthæi 7. d. 28. Marc. 1. c. 23.

Matthæi 8. b 14. Marc. 1. c. 30.

Marci 1. d. 34.

Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua 25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex: cum facta esset fames magna in omni terra: 26. & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. 27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. 28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. 29. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. 30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. 31. Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibiq; docebat illos sabbatis. 32. Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius. 33. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna. 34. dicens: Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? veniſti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. 35. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36. Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? 37. Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. 38. Surgens autem Iesus de synagoga, introuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. 39. Et stans super illam imperauit febri: & dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. 40. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. 41. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum. 42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum: & detinebant illum ne discederet ab eis. 43. Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. 44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

IN CAPVT IIII.

Quid sit. In virtute spiritus &c.

IESVS *autè plenus spiritu sancto.*) Semper Christus Spiritus sancto plenus fuerat; sed significat postquam in illũ iam baptizatum Spiritus sanctus descenderat, magis in eo sese quàm antea demonstrasse, apparuisseque in omnibus eum actionibus diuino prorsus spiritu gubernari, vt Origenes homilia 32. interpretatur. Quæ sequuntur, vsque ad ver. 14. apud Matth. c. 4. 1. exposita sunt.

14. *Et est regressus est in virtute spiritus in Galilæã.*) Regressum dicit, quia inde priùs in Iudæam venerat, vt à Ioanne baptizaretur, vt idem Lucas cap. 3. 21. & Matth. cap. 3. 13. & Marcus cap. 1. 9. apertè dicunt. *In spiritu* autem redisse dicit, vt indicarêt omnibus in rebus actum fuisse à Spiritu sancto. Animaduertunus Lucam præter cæteros Euangelistas studiosè hoc notare solitum, Christum Spiritus sancti ductu omnia fecisse vt hic & supra ver. 1. Absurda est hæretici cuiusdam interpretis explicatio. In virtute spiritus regressum esse, id est eum iuuante Spiritu sancto omnes diaboli tentationes superasse. Nec enim hic iam de tentatione, sed de reditu in Galilæam agebatur. Meliùs Origenes hom. in hunc locum 32. propter victas tentationes auctam illi fuisse virtutem spiritus, id est magis sese in eo ostẽdisse, sic enim intelligendum, idémque Theophylactus, & Euthymius notauerunt. Beda in virtute spiritus intelligit, in virtute miraculorum, aut faciendo miracula, sicut auditores dixisse postea legunt. *Vnde huic sapientia, & virtutes* auctor est Matth. cap. 13. 54. & Marcus cap. 6. 2. Euthymius in virtute spiritus interpretatur plenus virtute faciendi miracula, non quòd in itinere miracula fecerit, sed quòd ad ea facienda virtute Spiritus sancti instructus, paratúsque venerit in Galilæã. Theophylactus verũ attigit sensum *in virtute spiritus*, id est ἐν δυνάμει, vt eius vtar verbis, afflatus, actus, impulsus Spiritu sancto. Sicut dixit Matthæi 4. 1. ductum fuisse *à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo*, & Marcus c. 1. 12. *expulsum à spiritu in desertum.* An hic idem sit Christi in Galilæam reditus, atque ille qui describitur à Ioanne cap. 4. 3. apud Marcum cap. 1. 14. disputauimus, vbi copiosiorem huius, & sequentis versus explicationem inuenies.

Cui Christus in synag. Nazar. librum ad legendum, & explicandum traditus.

16. *Et venit Nazareth, vbi erat nutritus.*) Putat Theophylactus, & ante eum Origenes hom. 32. primùm venisse Nazareth, antequam in vllam aliam Galilææ vrbem diuerteret, quia id primùm Euangelista narrauit. Vnde Theophylactus argumentatur debere nos ciuibus, ac popularibus nostris primo loco prodesse, &c, vt ait D. Paulus, *maximè domesticorum* nostrorum curam habere, sed ex ver. 23. manifestum est priùs per alia Galilææ loca prædicasse, & miracula fecisse. Et ex tota Euangelica constat historia nusquàm eum minùs, quàm in patria sua versari, ac docere solitum, *quia non est propheta sine honore, nisi in patria sua*, ver. 24. & Matthæi 13. 57. & Marci 6. 4. & Ioannis 4. 44. & rursum Matth. c. 4. 12. manifestè dicit, cum primùm Christus in Galilæam venisset, relicta ciuitate Nazareth, id est, non adita, præterita, neglecta, venisse Capharnaum, sic enim eum locum interpretor. Quid ergo inter hunc aduẽtum in Nazareth, & illum in Galilæam reditum, quem Lucas ver. 14. narrauit, Christus egit? Ea nempe omnia, aut fere

fere omnia quæ à Matthæo à c. 4. vsque ad 13. & à Marco à c. 1. vsque ad 6. commemorantur.

Et intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam. De ea cõsuetudine diximus apud Marcum c. 1. 21. 23. 24. 39. Notet lector, si Ambrosium hoc loco legerit, & Irenæum lib. 4. cap. 40. memoriæ lapsum. Dicunt enim hanc historiam contigisse in Capharnaum.

Et surrexit legere.) Apparet libertum in synagoga vnicuique fuisse dicere si quid occurreret, vt apud nos in publicis disputationibus disputare. Quod ipsum idem Lucas indicat Actor. 13. 15. & D. Paul. 1. ad Cor. 14. 30. Qua vsus libertate solebat Paulus Christum per synagogas prædicare Actor. 9. 20. & 141. & 17. 2. 17. & 18. 4. 19. & 19. 8.

17. *Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ.*) Ea consuetudo erat, vt hinc apparet, vt ei, qui ad legẽdum surrexisset, liber traderetur ab Archisynagogo, aut eius iussu ab ipsius ministro, cui postea Christus librum reddidisse dicitur, ver. 20. Origenes homilia 32. non casu, sed Dei prouidẽtia, cum librum Christo datũ fuisse dicit, vbi locus ille esset, in quo apertissimè de ipso ageretur. Alij Iudæorum studio factum suspicantur, quòd cùm nunquã antea, quamuis apud ipsos educatus, ad legendum surrexisset, nec eum vnquam docentem audiuissent, alia verò ex parte fama percrebruisset magna eum cum admiratione omnium in aliis synagogis docere solitum, multaque facere miracula, volebant clariùs noui magistri eruditionem dato libro omnium difficillimo, mysteriorúmque plenissimo experiri. Probabile est vtraque ratione factum esse, Iudæorumque malitiam diuinæ seruisse prouidentiæ.

Et vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat.) Nec hoc fuisse factum casu, sed diuino consilio, Christique prouidentia eum volentis potissimùm locum legere, vbi de se, déque auctoritate legationis suæ agebatur, Origenes, Theophylactus, & Euthymius monuerunt. Admirãda vbique perspicitur Christi prudentia. Sciebat ciues suos maximè omnium incredulos fore, quòd se ab infantia vidissent per omnia, vitiis tantùm exceptis, cæteris similem hominibus: volebat illis suam probare legationem, & ostendere quodammodo litteras suas, quibus sibi pater eam, qua vrebatur, auctoritatem dedisset; maluitque eas prophetæ ore recitari, quàm suo. Vsus igitur consuetudinis occasione, qua cuique in synagoga ad legẽdum surgere licebat, & ipse resurrexit, &, vt sibi Isaias potissimùm propheta daretur, Iudæorum animos mouit, datúmque ita aperuit, vt casu in eum locum, quem maximè legere cupiebat, incidisse videretur; neque quicquam affectatũ, quicquam de industria quæsitum appareret.

Locus Esaiæ cap. 61. explicatus.

18. *Spiritus Domini super me.*) Agebat Isaias cap. 61. vnde hæc sumpta sunt verba, & c. 60. de tempore Euangelij, ciúsque conditione sub figura Israelitici populi à Babylonica captiuitate liberati. Promiserat Deus cap. 59. 19. 20. Iudæis se missurum redemptorem, *cum venerit*, inquit, *quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit, & veniet Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus.* Eum redemptorem hoc loco propheta loquentem inducit, & se eum esse ostendentem, qui à Deo Iudæis promissus fuerat, Deus describens eum redemptorem, quem missurus erat dicit, *Cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit.* Dicit iam missus Christus, *spiritus Domini super me*, quasi dicat non meo proprio, priuatóque, sed diuino spiritu missus sum, eò actus, eo impulsus, eo plenus ad prædicandum Euangelium venio, vt dixerat versu 1. 14. quòd Hebraicè duo verba, אדני יהוה, Septuaginta, & eos secutus Lucas vno verbo κυρίου reddunt, more faciunt suo, nullum detrimentum patiente sententia. Et nescio an quorundam diligentia mysterium in ea re quærentium nimis sit arguta: maiùs fecerunt operæpretium qui Trinitatis mysterium ex hoc loco probauerunt, quòd Dominus, id est Pater, Spiritus, & Christus tanquam tres eiusdem naturæ personæ introducantur, Irenæus libro 3. cap. 10. & 20. & Phœbadius libro contra Arianos, & Ambrosius hoc loco ita fecerunt. Quanquam Cyprianus libro 2. aduersus Iudæos, & Euthymius in comment. huius loci spiritum Domini, non Spiritum sanctum, vt illi quos nominauimus, alijque omnes auctores existimant: sed ipsam Christi diuinitatem vocari putant, quod & aliis locis fieri videmus priori Corinth. 15. 45. Propius verò est, vt Spiritus sanctus significetur, quo, vt diximus, impellebatur, agebaturque, vel quo plenus erat, qui super eum requieuerat, Isaiæ 11. 2. vt omnes ferè interpretes volunt.

Trinitatis mysterium probatum ex loco Isaiæ.

To. 5. Biblioth. Patrum.

Propter quod vnxit me.) Omnes antiqui auctores non aliter Christum quàm ipso Spiritu sancto abũde, ac largiter in ipsum effuso vnctum interpretantur. Irenæus lib. 3. cap. 10. & Cyprianus 2. libr. contra Iudæos, & Athanasius oratione 2. contra Arianos, & Eusebius lib. 9. de demonstratione Euangelica cap. 10. & Ambrosius hoc loco, & Ruffin. in expositione symboli, & Augustinus lib. 11. de Trinit. c. 26. & lib. 3. contra Maxim. cap. 16. & Hieronym. in comment. in cap. 61. Isaiæ, & Prosper lib. de promiss. p. 3. cap. 11. Sed ex iis auctoribus alij ipsa sua diuinitate vnctum fuisse volunt; nam & ea spiritus est, & eius plenitudo, vt ait Diuus Paulus Coloss. 2. 9. in Christo corporaliter habitabat, vt Euthymius. Alij, cùm conceptus est de Spiritu sancto, ipso spiritu in matrem superueniente fuisse vnctum, vt Cyprianus. Alij, cùm in baptizatum Spiritu sanctus descendit specie colũbæ, vt Irenæus, Athanasius, Ruffinus, Augustinus locis iisdem, & Hieronymus in commentar. in cap. Isaiæ 61. & Prosper in libro de promissionibus par. 3. cap. 11. Addit Athanasius eodem modo nos post baptismum vngi solere, & Spiritum sanctum accipere vt significat D. Paulus 2. Corinth. 1. 21. Hoc Petrus confirmat Actor. 10. 38. *Iesum*, inquit, *a Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Loquitur enim de baptismo Ioannis quem Christus susceperat, post quem à Spiritu sancto vnctum fuisse significat. Quæstionem quidam excitant non prætermittendam, si Christus non aliter quàm Spiritu sancto vnctus est, quomodo dicit propterea se vnctum à Deo, quia Spiritus sanctus in ipso erat, videtur enim esse tautologia. Putant quidam Euangelistam septuaginta secutum interpretes ab Hebraica, quam vocant, veritate discrepare, quòd Hebraicè sit יען, *eo quòd* vt Hieronym. vertit, aut quia *vnxit me*, quòd esset fortasse clarius. Septuaginta verò, & Lucam vertere ἕνεκεν cuius caussa, aut propter quod, vt noster reddit interpres. Itaque Hebraicè significare propterea Spiritum super Christum venisse, quia vnctus erat. Græcè verò contrà, propterea vnctum, quia Spiritus in eo erat. Quod si verum est, non video qua ratione quæstionem, quam proponunt, expediant. In idem enim quod fugiunt, absurdum incurrunt. Non enim minor tautologia est. *Spiritus Domini super me* quia vnxit me; quàm è contrario, vnxit me, quia Spiritus Domini super me. Alij vtrumque sensum & quem

Locus Esaiæ cap. 61. explicatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hebraica, & quem Græca exprimunt verba, verum; sed diuersa ratione esse dicunt; nam propterea post baptismum Spiritu sancto in eo descendente vnctum fuisse, quia in cõceptione sua Spiritus Domini fuerat super eum, quemadmodum Græca verba præ se ferunt. Et è contrario, propterea Spiritum sanctum fuisse super eum cùm baptizatus esset, quia in conceptione eodem Spiritu sancto vnctus fuerat, vt Hebraica indicat lectio. Hoc modo nullã esse tautologiam, cùm spiritus, & vnctio ad diuersa tempora referantur. Hoc vt ita sit, non animaduertunt auctores isti quo periculo sententiæ ista dicãtur. Nescio enim an fas dictu sit diuersum Hebraicè apud Prophetam, & Græcè apud Euangelistam sensum esse. Alij ex vnctionè Spiritus sancti, Spiritum sanctum in se esse probare putant Christum; quasi ex donis Spiritus sancti, quæ sese in ipso ostendebant, docuerit se ipsum Spiritum sanctum habere. Ego inter Hebraicam & Græcam lectionem nullum prorsus discrimen animaduerto. Nam quòd plerique notant non esse Hebraicè לי כי sed יען, id est propterea, sed quia, non video quid interfit. Nam & יען significat propterea quod, vt magistri Hebræorum docent, aut qnapropter, vt lib. 3. c. 10. & lib. 4. c. 40. Irenæi interpres vertit. Itaque & Hebraicè, & Græcè sensus est propterea Christum vnctũ fuisse, quia Spiritus sanctus in eo erat, siue sensus sit quem supra tetigimus, propterea vnctum fuisse post baptismum Spiritu sancto visibiliter descendente, quia ante baptismum Spiritus sancti in eo erat; siue, quod magis credo, vngere hoc loco significet ad officium aliquod sacrum destinari, sicut vngi solebant qui ad gubernandum populum, & ministrandum Deo destinabantur. Dicit ergo Christus propterea se ad euangelizandum vnctum, id est destinatum, ac missum esse, quia Spiritus sanctus in ipso erat, quodque eò ageretur, ne in gerendo officio errare posset. Vnctus est post baptismum, id est ad prædicandum destinatus, ac missus; cùm veniente super eum Spiritu sancto Patris mittentis audita vox est; *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite*; Spiritus autem fuerat in eo semper ante inuisibiliter, qui tunc per visibilem aduentum manifestus apparuit. Non enim Spiritus sanctus in Christum descendit, vt in eo esset, qui ante non erat, sed vt appareret qui erat. Ac propterea fortasse non ille prior inuisibilis, sed visibilis iste posterior aduentus Spiritus sancti, vnctio vocatur, quia oleum, quo vnctiones fiebant, visibile esse oportebat. Confirmat hunc sensum quòd Hebraice verbum משח אתי *vnxit me*, ad sequentia referatur *vnxit me ad euangelizandum pauperibus*. Sicut & verbum *Misit, Misit me sanare contritos corde*. Quemadmodum Tertul. lib. 4. contra Marc. & Hilarius in commẽt. in Psal. 52. Theophyl. & Beda hoc loco legunt. Melius meo quidem iudicio, quàm Orig. hom. 32. & Cyprian. lib. 2. ad Quiri. & Epiphan. in Ancor. & Ruffin. in expositione symboli, & Euthymius in commentarijs.

Euangelizare pauperibus.) Hebraicè עניים mãsuetis, Septuaginta videntur legisse עניים pauperibus, afflictis, vtrumque enim id verbum declarat; meliore profecto sensu, quàm Hebræi. Sequitur enim *Sanare contritos corde*. Et fuit facilè עניים pauperes, in עניים scribentium in curia degenerare. Septuaginta pauperes vocauerũt homines afflictos. Agebatur enim de capitis apud Chaldæos Iudæis, & eorum persona de omnibus hominibus, qui captiui diaboli tyrannide tenebantur. Propheta illis; Christus his euangelizauit, id est lætum liberationis attulit nunA tium. Propterea & illi, & hi omnes miserabili persona introducuntur, & pauperes, id est afflicti, contriti corde, captiui, cæci, confracti dicuntur. Magis litteralis, & proprius hic sensus est, quam ille Tertul. libr. 4. contra Marcio. & Eusebij lib. 3. cap. 1. de demonstratione, & lib. 9. c. 10. & Bedæ in commentario huius loci. Qui omnes ad solos pauperes spiritu hæc verba referunt, quibus Christus euangelizauit dicens Matth. 5. 3. *Beati pauperes spirtu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Quasi tunc illa Isaiæ prophetia fuerit impleta. Magis etiam proprius, & litteralis, quàm ille alter Orig. hom. 32. Theophyl. & Euthym. qui pauperes gentes interpretantur, quæ lege, cæterisque salutis carebant auxilijs.

B *Misit me sanare contritos corde.*) Consolari tristes, vt Psal. 146. 3. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, hic verus est sensus. Cæterum cõtriti corde, id est tristes appellantur qui peccatorum onere grauati sunt; sicut pauperes, id est afflicti vocati fuerant, vt exponit Hilar. Psal. 52. & Euthym. in comment. Melius sanè quàm Tertul. lib. aduersus Marc. 4. & Basilius in commẽtarijs in Psal. 33. & Beda hoc in loco, qui contritos corde eos vocari putant, qui admissa dolent peccata. Non enim Prophera hoc num, sed malum, miserabilemque statum eorum significare voluit, quibus & ipse liberationẽ à Chaldeorum captiuitate nuntiabat; & Christum redemptionem à tyrannide diaboli nuntiaturum significabat. Contritio autem, id est dolor peccatorum, C bonus vtique, non malus status est.

19. *Prædicare captiuis remissionẽ.*) Hebr. דרור. Libertatem, facultatem liberè in patriam redeundi. Quã figura significatur fore, vt qui peccatis quasi obligatique tenebantur, à Christo liberarentur, vt Irenæus interpretatur lib. 3. c. 10.

Et cæcis visum.) Hebr. ולאסורים פקח קוח & vinctis apertionem carceris, vt Hebræi interpretari solent; videturque hic sensus melius cum superioribus cohærere, vbi de captiuis, & afflictis hominibus agebatur; Septuaginta verterunt καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, & *cæcis visum*, aut restitutionem visus, quos & Lucas sequutus est. Cur ita verterint, meritò disputatur. D Posset aliquem acutum coniectorem suspicio subire, legisse Septuaginta עורים cæcos, pro אסורים vinctis. Sed non est in re tam sancta coniecturis facile fidendum. Facilius crediderim sententiam eos potiùs, quam verba, quemadmodum innumeris aliis locis, exprimere voluisse. Sciebant פקח Hebræis significare oculos aperire, & פקח eum, qui oculos habet apertos, id est videntem, qui opponitur עור cæco. Videbant duo verba פקח apertionem visus, & אסורים vinctos esse, coniuncta, quæ non viderentur satis inter se posse cohærere. Itaque aut vnius, aut alterius proprietatem esse relinquendam. Reliquerunt ergo proprietatem verbi אסורים, vinE cti, & expresserunt proprietatem verbi פקח, verteruntque καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, & cæcis visum. Adde quod. Rabbi. Dauid auctor est cæcos aliquando אסורים vinctos, aut ligatos appellari, quòd ligatos habere oculos videantur. Sed alia ego ratione Septuaginta seniores ab Hebraicis verbis credo non dissentire. Non ignorabant profecto אסורים eos significare, qui in carcere vincti tenerentur; sed quia sciebant nomen פקח apertionem visus declarare, prudenter animaduerterunt אסורים vinctos hoc loco vocari eos, qui non in quouis, sed in tam tetro, tam profundo, tam tenebroso, & obscuro carcere vincti essent, vt cæci esse viderentur, quod nihilo plùs, quàm si cæci essent, videre possunt. Ijs aperiendos per Christum oculos

los

los fuisse, quia ex eo carcere educendi erant, ita vt quasi restitutus illis visus esset, lucem videre possent. In quam sententiam Chaldæus etiam paraphrastes illum prophetæ locum explicauit. Similis apud eundem Isaiam locus est c. 43. 8. *Educ foras populum cæcum & oculos habentem; surdum, & aures ei sunt*, id est populum qui, quamuis oculos, & aures habeat, cæcus tamen, & surdus est; quia in tam fœda captiuitate & carcere est, vt nihil videre, nihil audire possit. Agebat enim de populi à captiuitate reductione.

Dimittere confractos in remissionem.) Id est in libertatem. Hæc verba plerique mirantur, nec apud Hebræos, nec apud Septuaginta interpretes reperiri. B Magis ego miror interpreres ferè omnes grauem imprimis, difficilémque quæstionem silentio prætereisse, vnde ea Euangelista citauerit? Mea in re obscura coniectura est Euangelistam hanc non tanquam partem prophetici testimonij citauisse; sed tanquam proximorũ verborum, quia obscura erant, explicationem addidisse. Quos enim Isaias cæcos, quam מקח פקח ἀνάβλεψιν restitutionem visus appellasset, exposuit his duobus verbis, *Dimittere confractos in remissionem*, cæcos interpretans τεθραυσμένους cõfractos, id est, qui tormentis, atque cruciatibus imi, ac tenebrosi carceris fracti essent, ἄνεσιν verò, id C est restitutionem, visus dimissionẽ in remissionem, id est in libertatem, qua lucem illis aspicere liceret; εἰς ἄφεσιν Græcè pro εἰς ἄνεσιν dictum est, vt alijs etiam locis obseruauimus. De sensu non idem omnes sentiunt. Origen. hom. 32. confractos intelligit paralyticos, & cæteros membrorum impotentes, quos sanauit Christus. Euseb. lib. 9. de demonstratione Euãgelica c. 10. videtur eos interpretari, qui à dæmonibus vexarentur. Beda contritos corde, doloréque peccatorũ, aut legis onere prægrauatos. Theophyl. mortuos, quos ad vitam Christus reuocauit, quósve secum ab inferis eduxit. Sed si quod modò diximus, verum est, hanc esse superiorum verborum explicationem, non est noua quærenda sententia; eodem enim modo hæc quo superiora intelligi necesse est, vt confracti vocentur, qui oppressi seruitute Dia- D boli, atque obstricti iugo peccatorum erant. Quemadmodum & Euthym. certus plerumque interpres exponit.

Prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.) Annum acceptum vocat, annum, vt ita dicam, liberalitatis, & beneficij plenum. Annum, quo Deo placet liberaliter hominibus beneficia largiri. Hoc enim est שנת רצון quem Sept. verterunt ἐνιαυτὸν δεκτὸν, annum acceptum, vt apud Isai. c. 49. 8. *Hæc dicit Dominus, In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & seruaui te.* Quod accommodans D. Paulus ad tempus Euangelij 2. Corint. 6. 2. ait, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Hoc est quod Dauid ait Psal. 68. 14. *Tempus beneplaciti Deus; in multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, & in veritate salutis tuæ.* Omnes fatentur, neque id est dubium, ad annum Iubilæi eam phrasim alludere. Quo anno qui seruitute nexi erant, in libertatem asserebantur Leuit. 25. 8. Sed quis annus ille Iubilæi fuerit, quem propheta significauerit, D. Paulus eo loco, quem modò posuimus, explicauit. Christus enim quo anno mortuus est, veram nobis attulit libertatem. Eam idem alibi D. Paulus temporum plenitudinem appellauit ad Gal. 4. 4. Ita etiam Beda, & Theophyl. Quanquam aliam etiam Theophyl. interpretationem affert, vt annus acceptus supremi iudicij tempus appelletur, quod sanctis optabile sit. ex Origen. hom. 32. opinor mutuatus. Sed satis conA stat de redemptione hîc agi, non de iudicio. Scribit Irenæus lib. 2. c. 38. hinc Valentinianos probare solitos Christum vnum tantùm annum prædicasse; cuius opinionis & Origen. eodem loco, meminit, & simplicem intelligentiam appellauit. Diem autem retributionis quidam vltimum etiam iudicium intelligunt, quo Christus vnicuique secundum opera sua redditurus est, vt Origen. hom. in Leuit. 9. & Hilar. Psal. 52. & 64. sed manifectum est de gratia potius agi, quàm de iudicio, & vt Hieron. in commentarijs in caput Isaiæ 61. argumentatur, Christus hoc loco dicit, *hodie impleta est hæc prophetia*; non ergo in die iudicij implenda est. יום נקם vt D. Hieronymus vertit, diem significat vltionis. Sed ille ad Iudæorũ vltionem per Titum, & Vespasianum factam refert. Quod idem lib. 9. de demonstratione c. 13. facit Euseb. huc accõmodans quod ait Christus Matt. 23. 35. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ.* At non videtur Deus de vltione populi sui agere, sed hostium, quibus debellatis populum suum liberaturum se pollicebatur. Quòd si ad tempus Christi cum Christo ipso referamus, annum Domini acceptum interpretabimur de omnibus hominibus, quibus tempus illud si Christi liberalitate vti voluissent, Iubilæus fuit; diem verò vltionis de diabolo, quo demicto nos liberauit, sicut ipse dixit, *confidite, ego vici mundum* Ioan. 16. 33. &, *venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam* Ioan. 14. 30. Propterea officium redemptoris à certamine cum diabolo inchoatur; statim enim, vt baptizatus est, *ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo*, vt & Matth. 4. 1.

20. *Et cum plicuisset librum reddidit ministro.*) Sensus perspicuus est; siquis verò allegoriam desiderat, Bedam legat.

Et sedit.) Sunt qui existiment, morem fuisse Iudæis, vt in synagoga non solum qui legeret, sed etiã quicunque doceret, aut loqueretur staret, vt colligunt ex Actis Apostolorum c. 15. 16. & ex priori Corinth. 14. 30. Christum verò dum prophetam legeret, reuerentiæ causa stetisse; cùm autem docere vellet, resedisse, vt suam ostenderet supra cæteros doctores auctoritatem. Probabile, sed incertum.

Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.) Præ admiratione, quomodo litteras sciret, quas non didicisset Ioan. 7. 15. vt Cyrillus apud D. Thom. interpretatur. Aut, vt viderent quomodo quæ legisset, exponeret, vt ait Euthym. mihique magis placet. Audierant enim multa de eius doctrina, atque miraculis; & erant expectatione suspensi, vt viderent an quæ audiuissent, vera essent. Moraliter adnotauit Origen. posse nos etiam hodie in docentem Christum intentos oculos habere.

21. *Quia hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris.*) *Quia* ponitur Hebræorum more ad significandam orationem quæ sequitur, esse directam. Eo die dicit illam prophetiam impletam fuisse, quòd eo die illi impletam fuisse audiuissent. Aut potius, quòd illis eo die impleta esset, quia eo primùm die cœperat illis spiritu Dei plenus, atque impulsus tanquam pauperibus, id est afflictis hominibus Euangelium prædicare. *In auribus vestris.* Hebraismus est, quasi dicat, vobis audientibus. Id est hodie vestris ipsi auribus huius prophetiæ impletionem audiuistis, cùm me audientibus prædicantem, de cuius illa prædicatione loquitur. Dixit autem, *In auribus vestris*, potiùs quàm in oculis vestris, quia implerio prophetiæ in Euangelij prædicatione consistebat, ex fidem pars quã tum proprie impleta esse significabat. Euthym.

Hebraismus.

Hebraismus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

impleta est hodie ea prophetia, quæ in auribus vestris lecta est. Propositum Christo fuit docere se verum esse Messiam, quem illi tantoperè expectarent. Ostendit enim se eum esse, de quo prophetia loqueretur, vt Theophyl. & Euthym. adnotarunt. Videtur autem tacita quædam in his verbis latere reprehensio, quasi dicat, quid tanto desiderio Messiam expectatis, quem ante oculos habentes recipere non vultis? Quid eum in prophetis quæritis, cùm nec prophetas, cum vobis legantur, neque eorum prophetias, cùm in conspectu vestro implentur, intelligatis?

22. *Et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius.*) Verba gratiæ per Hebraismum appellauit verba suauitatis, & elegantiæ plena. Quanquam ea elegantia, atque suauitas non tam ad orationis compositionem, quàm ad mores referenda est, quòd eius oratio morata, docta, atque benigna fuerit, & animos hominum diuina quadam virtute suauiter mouens. Videtur hoc Euangelista ideo dixisse, non solùm vt doceret, quomodo Christus verbis ipsis suis, & loquendi modo se supra hominem esse ostenderet, sed etiam vt perfidiam, & contumaciam notaret Iudæorum, qui cùm eius admirarentur orationem, confiterique cogerentur eum non humano loqui more, tamen tantùm abfuerit, vt in eum crediderint, vt perdere potiùs, & præcipitem agere conati sint.

Hebraismus.

Et dicebant, Nonne hic est filius Ioseph?) Non probo eorum interpretationem, qui hæc laudandi causa dicta putant, quasi admirando laudauerint, quòd, cùm filius, vt illi putabant, esset Ioseph, aliquid maius homine præ se ferret. Repugnat enim quod Matth. dicit c. 13. 57. illos fuisse scandalizatos in Christo. Vbi, quæ hic dicuntur, copiosiùs à nobis explicata sunt.

23. *Vtique dicetis mihi hanc similitudinem.*) παραβολὴν ταύτην parabolam hãc, id est hoc prouerbium, vt exponit Euthym. Prouerbium enim id fuisse apud Iudæos vulgare credendũ est, & Cyrillus apud D. Tho. admonuit. Quorsum hoc prouerbium vsurpauerit, ipse exposuit. *Quanta audiuimus*, inquit, *facta in Capharnaum fac & hic in patria tua.* Prouerbium significabat, vt quod quisq; beneficij alijs se præstare posse profiteretur, sibi ipsi præstaret, docerétque in seipso posse se alijs prodesse, cum prodesset sibi. Nam etsi à medicis qui alios curant, se verò ipsos plerumque curare nesciunt, sumptum prouerbium erat; non de illis tamen solis dicebatur sed de omnibus, qui, cum alijs prodesse se posse dicerent, sibi prodesse non possent. Nazareni ergo carnali prorsus sensu Nazareth, quia patria Christi erat, cum Christo confundebant, & pro vna, eademque re habebant, vt sibi, & vt patriæ prodesset suæ. Postulabant ergo, quamuis id Euangelista non dicat, tamen aut verbis, aut tacitis saltem cogitationibus postulabant, vt, quæ miracula in alijs fecisset ciuitatibus, in sua etiam faceret patria. Et postulabant, vt ex Christi responso colligitur, non fide vt crederent, sed ambitione, & incredulitate. Ambitione quidem, dum ciuitatem suam alijs præferunt, quasi magis miraculis digna esset, quæ Christum aluisset; incredulitate verò, quia sic id apud se dicebant, quasi dicerent non posse Christum, quemadmodum se posse iactabat, facere miracula; nec vera esse quæ de miraculis in alijs ab eo factis ciuitatibus narrarentur; si enim alibi miracula fecisset, multò magis in patria sua facturum fuisse; cùm autem in patria sua non faciat, nec alibi profectò fecisse. In hanc enim sententiam prouerbium illud dici solebat, vt exprobaretur medicis non posse eos, quemadmodum profiterentur, curare alios, cùm seipsos curare non possent. Hoc eodem sensu, & quasi alijs verbis idem prouerbium vsurpantes, dicebant Iudæi de crucifixo Christo, *alios saluos fecit, seipsum saluum facia*; quasi dicerent, si vera fuissent miracula, quibus alios saluos fecisse fertur, se vtique ipsum multò magis salvum faceret; quod facere non possit, ne illa quidem miracula, quæ eum fecisse fama est, facere potuit. Cur ergo Christus, vt illi crederent, miracula ibi non fecit? *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius?* Si tamen licet de eius per coniecturam aliquam iudicare consilijs, eò ipso quòd illi hoc apud se cogitabant, indigni profectò miraculis erant. Et non ignorabat Christus eorum animos, foréque vt viris etiam miraculis non crederent, qui tam celebri, tam constanti famæ non credidissent. Quorsum ergo illis miracula faceret. Hæc non tam nostra est coniectura, quam Matthæi c. 13. 58. expressa sententia, *Et non fecit*, inquit, *ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Itaque quam illi rationem afferebant, quamobrem miracula ibi facere deberet, eam ille vicissim retorquebat, vt doceret nusquam se minùs, quàm in patria sua facere debere. Debere enim fieri miracula vbi creditur, cùm miraculorum finis spectantium fides sit; minimè autem credi, vbi ei, qui ea facit, minimum honoris tribuatur; nusquam minùs sanctis viris quæ miracula possunt facere, quàm in patria sua honoris tribui; nusquam igitur minùs quàm in patria sua miracula eos facere debere. Vltimam propositionem duobus è sacris litteris sumptis probat exemplis; alterum est, quòd Elias ad nullam Iudæam viduam, vt tempore famis aleretur, sed ad Gentilem in Sarepta Sidoniorum Gentilem vrbem à Deo missus fuerit 3. Reg. 17. 9. quòd sciret nimirum Deus gratiorem apud alienigenas quàm apud suos ciues hospitem fore. Alterum Elisæi, quòd eius tempore multi vtique leprosi inter Iudæos fuerint, sed nemo eorum tantum illi honoris detulit, vt ad eum perenda curationis causa veniret, cùm Naaman homo alienigena, & secundùm Regem princeps à Syria vsque venerit, vt ab eo curaretur 4. Reg. 5. 14. Quibus verbis atque exemplis non solùm docet Christus, quod probare volebat, se nusquam minùs quàm in patria sua gratum, & acceptum esse, sed etiam causam indicat cur ibi miracula non faceret, quòd ciues sui incredulí essent, quemadmodum olim propter Iudæorum incredulitatem, neque Elias ad vllam Iudæam viduam missus fuisset; nec Elisæus vllos Iudæorum leprosos curauisset. Rectè profectò Ambrosius, *Cur igitur non curabat fratres? non curabat ciues; non sanabat propheta consortes; cum sanaret alienos, sanaret eos, qui obseruantiam legis, & religionis cæsorum non habebant, nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non natura impetrare defertur. Discite Christiane rogare, quod cupias impetrare; fastidiosos viros, cœlestium profectus muneris non sequuntur.*

Cur Christi miracula postulabat Nazarenus, cùm non crederent.

28. *Et repleti sunt omnes in synagoga ira hæc audientes.*) Tam subitæ, & impotentis iræ diuersas causas diuersi auctores afferunt. Quidam propterea ira inflammatos fuisse dicunt, quòd eam, quam legerat Isaiæ prophetiam in se impletam esse significasset, quasi se verum Messiam esse dixisset, vt Græcus ille auctor apud D. Thom. ait. Alij, quòd adducto duorum prophetarum exemplo veteribus se prophetis comparasse videretur, vt ille idem auctor scribit. Alij, quòd eorum vlcus Christus tetigisset, & propositis exemplis eorum arguisset incredulitatem. Volebant enim audire sibi placentia, vt illi apud

Isaiam

Isaiam 30. 10. Commune auditorum vitium delectari non doceri, mulceri velle non pungi Prou. 15. 12. & Amos 5. 10. *Remansit* (dicebat Rex ille stultus Israel) *vir vnus per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* 3. Reg. 22. 8. 18. Alij, quòd visus esset significare Christus gratiam Dei à Iudæis transferendam ad gẽtes. Quod nefandum illis dictu, & diuinis promissionibus contrarium videbatur. Scitè adnotauit Euthym. Iudæos hoc ipso facto miraculis se indignos declarasse, & re ipsa comprobasse, quod Christus dixerat, verum esse, neminem in patria sua prophetam acceptum esse.

Ciuitatis auditorij vitia detestandi docetur ille.

29. *Et surrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem.*) *Extra ciuitatem* tanquam reum mortis eiiciunt, quia mos erat, vt omnes rei extra ciuitatem plecterentur. *Propter quod & Iesus extra portam passus est.* Incipiunt Christum primi crucifigere ciues sui. Peiores quodammodo quàm, qui eum postea crucifixere. Illi enim corrupto quidem, & violento iudicio, iudicio tamen egerunt. Isti impatientes iræ, impatientes moræ, non iudicio, sed impetu, non crucifigere, sed præcipitem dare voluerunt. Quod ijsdem pene verbis Ambros. & Beda notauerunt. Et Beda quidem peiores etiam illos diabolo facit. Nam ille suadere tantùm conatus est Christo, vt se ex templi fastigio præcipitem daret, ipse verò pellere non est ausus; isti autem suis eum manibus præcipitem agere voluerunt.

Mirabilis ingressus.

30. *Ipse autem transiens per medium eorum, ibat.*) Non dubium voluisse Euangelistam declarare Christum non vi, non arte, sed miraculo ex Iudæorum manibus euasisse, suámque ea re ostendisse diuinitatem, vt Chrysost. apud D. Thom. Ambros. & Euthym. in comment. obseruarũt. *Simul intellige*, inquit Ambros. *non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem: nec captum à Iudæis, sed à se ipso oblatum. Etenim quando vult capitur, quãdo vult elabitur; quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. Vides igitur & hic diuinitatem esse quod non captus est, & illic voluntatis esse quod captus est.* Quale miraculum fuerit incertum. Verba tantùm significant eum securum, sine vlla fuga, sine vlla festinatione, per medios hostes graui, lentóq; gradu processisse, hoc enim vis mihi verborũ videtur indicare, ὁ δὲ διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν ἐπορεύετο, & ipse, (aut potius ipse autem, est enim occulta quædam antithesis,) per medium eorum transiens, ibat, id est procedebat, & securus gradiebatur. Ambros. & Beda in eo miraculum fuisse putant, quòd Christus eorum repente mutauerit voluntates. Quod etsi miraculum quidem fuisset, tamen Euangelista non voluntatem, sed facultatem Iudæis significat defuisse. Alij eorum quodammodo manus existimant tenuisse, vt se prehendere nõ possent. Alij inuisibilem reddidisse sese, quod ego existimo esse probabilius. Mitto quę à nõnullis pijs quidem nec indoctis, sed minus fortasse limati iudicij feruntur auctoribus de ratione, qua Christus euaserit; nec ea lector aut studio, aut casu apud illos inuenta credet, si mihi credet. Cur verò Christus à Nazaræis teneri noluerit, in promptu ratio est, *nondum venerat hora eius*, vt Ambr. Theophyl. & Beda respondent. Reliqua quæ sequuntur vsque ad finem capitis apud Matth. & Mar. in locis ad marginem signatis explicauimus.

CAPVT V.

1. FACTVM est autem, cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. 2. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. 3. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. 4. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. 5. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. 6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. 7. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. 8. Quod cũ videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. 9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant: 10. Similiter autem Iacobum, & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens. 11. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum. 12. Et factum est, cum esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine si vis, potes me mundare. 13. Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo: Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. 14. & ipse præcepit illi vt nemini diceret: sed, Vade, ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. 15. Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turbæ multæ vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. 16. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat. 17. Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.

Mat. 4. c. 18. Mar. 1. a. 16.

Mat. 8. a. 2. Mar. 1. d. 40.

Leu. 14. a. 4.

Mat. 9. a. 1. Mar. 2. a. 3.

18. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

18. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. 19. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum. 20. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua. 21. Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? 22. Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris? 23. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, & ambula? 24. Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. 25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat: & abijt in domum suam, magnificans Deum. 26. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. 27. Et post hæc exijt, & vidit publicanum nomine Leui, sedentem ad Telonium, & ait illi: Sequere me. 28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. 29. & fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes. 30. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ eorum dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? 31. Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. 32. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. 33. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt, & bibunt? 34. Quibus ipse ait: Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? 35. Venient autem dies: cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. 36. Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à nouo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo. 37. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effundetur, & vtres peribunt. 38. sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est, & vtraque conseruantur. 39. Et nemo bibens vetus, statim vult nouum, dicit enim: Vetus melius est.

Mat. 2. c. 14. Mat. 9. a. 9.

Mat. 2. c. 18.

IN CAP. V.

1. *FACTVM est autem, cùm turbæ irruerent in eum.*) Quæ scribit Lucas vsque ad ver. 10. non alia de causa videtur commemorare, quàm vt doceat qua occasione, quo miraculo Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes vocati fuerint. An hæc eadem sit historia atque illa, quæ à Matth. c. 4. 18. & à Marco c. 1. 16. narratur, illic disputauimus, omniáque exposuimus, quæ hîc à Luca dicuntur, exceptis admodum paucis, quæ ab alijs sunt in eiusdem historiæ narratione prætermissa. Hoc primùm est, quod dicit Christum, vt irruentem, comprimentémque vitaret turbam, in naviculam ascendisse quæ erat Simonis Petri, dum ille cum Andrea fratre suo, cæterísque piscatoribus retia reficiebat. Solebat id facere vt Marci 4. 1. Alia vsque ad ver. 4. Matth. 4. 18. & Marci 1. 16. sunt explicata.

4. *Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum.*) Doctrinæ adiungit opera, quæ plus ad persuadendum habent ponderis. Mouerat iam concione sua Petrum; impellit, trahítque miraculo, vt relictis è vestigio omnibus rebus se sequatur. Voluit, vt Theophyl. indicauit, Christus Petro pro eius, qua vsus erat, nauicula naulum soluere cumulatum, eúmque ea re maximè, quam nauicula quærebat, id est piscium multitudine remunerari, ne quid sibi lucri existimaret perijsse, dum eius nauicula Christus vtebatur. Colligimus simili mercede non carituros, qui Christi concionatores domo recipiunt. Ipse enim dixit. *Qui recipit vos, me recipit.* Elias viduam illam Sareptanam quæ se domo exceperat, atque aluerat multiplicato diuinitus oleo locupletauit, mortuúmq; illi suscitauit filium. 3. Reg. 17. 15. 16. 22. Eliseus Sunamitidi hospitæ suæ & filium sterili dedit, & mortuum eundem in vitam reuocauit. 4. Reg. 4. 17. 35. Notauit idem Theophyl. itémq; Chrysost. apud D. Thom. solere Christum capere sua quemq; arte, Magos stella, piscatores piscibus.

Duc in altum.) ἀνάβασιν εἰς τὸ βάθος, reduc in profundum, siue in altum mare nauiculam, vt piscere. Venerat Petrus ex alto mari ad littus irrita piscatione. Iubet eum Christus in altum mare, vnde venerat, nauim reducere. Omnia diuino sunt facta consilio, vt miraculi magnitudo magis appareret. Et vt Petrus tota laborans nocte nihil caperet, vt intelligeret frustra se sine Christo laborare, & omnia humana studia, fine diuina gratia irrita esse. Et vt in eundem locum nauim reducere iuberetur, ne si in alium locum iecisset rete, non miraculo sed casu factum videretur, quod tantam vim traxisset piscium, quòd hîc pisces fuissent, illic nō fuissent. Illud etiam ad mores pertinet, ídq; fortasse Christus re ipsa docere voluit, hęc enim omnia mysterium aliquod habere suspicor, & ad litteralem etiam sensum pertinere, ideóque præter consuetudinem meā tracto: illud, inquā, ad mores pertinet, quòd Petrus ante auditam Christi cōcionem nihil ceperit; post auditam plus ceperit, quàm sperare vnquam potuisset. Hoc nimirum est. *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Fecit Christus vtrumque & vt ante nihil caperet, & vt post tantum caperet, quantum vix duę naues cōtinere possent. Vtrumque enim necessarium erat, vt miraculi magnitudo cognosceretur.

Mercede non carituros qui Christi concionatores domo recipiunt.

Matth. 6.

Et laxate retia vestra in capturam.) Quasi dicat, nūc tempus est, cum me præsente, ac iubente facitis, antea non erat, cùm non mea, sed vestra voluntate faciebatis. Sic interpretor, quanquam paulò aliter Augustinus lib. 2. quæstionum Euangelicarum quæst. 2. & Greg. lib. 17. Moral. c. 2. & Beda in comment. *Quid dicit Petro, Duc in altum,* inquit Augustinus, *& laxate retia vestra in capturam, ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertinet, sicut Isaias dicit, Tolle signum in gentes ad eas, quæ prope, & ad eas, quæ longè.* Retia verò sic Ambrosius interpretatur. *Quæ sunt,* inquit, *Apostolorum quæ laxare iubentur retia, nisi verborum copleximes, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos quos ceperint, non amittant. Et bene apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reseruant, & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad superna perducunt.* Quod ait Christus laxate, emphasim habet, quasi dicat, quam maximè potestis extendite retia, tantùm enim trahetis piscium, quantæ retis capacitas erit.

Isa. 49. 22. Mich. 4. 2.

5. *Et respondens Simon dixit illi, Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.*) Non desperatione fœlicioris iactus hoc dicit Petrus, aut quòd Christo vel nō credat, vel obedire nolit, sed potiùs vt maiorem in Christo fidem declaret: quòd cùm tota nocte laborantes nihil prehendissent, tamen eius confidens verbis iterum retia laxaret. Solet per noctem maior quàm per diem piscium captura fieri, cùm minus insidias videre possunt. Sed contrà accidit Petro. Itaq; hoc ipsum miraculum auget, quòd noctu, cùm plures pisces capi solent, nullum ceperit; die verò, cum pauciores solent capi, ceperit innumerabiles. Nempe *quia nondum illis sol iustitiæ ortus erat, in tenebris ambulabat, multúmque laborans nihil proficiebat,* vt Ambros. & Beda, allegoricè quidem, sed appositè interpretantur.

Hebraismus, & Græcismus.

In verbo autem tuo laxabo rete.) Iussu tuo, Hebraismus, aut verbo tuo confidens.

7. *Et annuerunt sociis qui erant in alia nauí.*) Putat Theophyl. & Euthym. propterea signis, non verbis annuisse (sic enim interpretantur) quia præ admiratione captorum piscium adeo obstupefacti erant, vt loqui non possent. At potuit Petrus loqui cum Christo, cùm visa iam multitudine piscium multo magis eum obstupefactum fuisse credendum sit, *Exi a me Domine, quia homo peccator sum.* Itaque probabilius est ideo annuisse, quia tam longè distabant, vt vox ab illis exaudiri non posset. Atque hoc ipsum ad miraculi pertinet magnitudinem, quòd cum alij socij in alia nauicula eodem loco, vt est vero simile piscarentur, nihil tamen dicantur prehendisse, quia non in Christi verbo. Debent Ecclesiæ pastores cum ipsi per se, aut impositō, aut suscepto oneri non sufficiunt, alios, à quibus iuuari possint, aduocare: multo magis oblatos admittere.

Matth. 4. Ioan. 1.

8. *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu.*) Adorabundus simul, & precabundus.

Exi a me Domine, quia homo peccator sum.) Cur à se exire vellet, causam exposuit, quòd homo peccator esset: sed ea ipsa causa postulare videbatur, vt eū potius apud se retineret, medicum ægrotus. Sed humilitatis fuit, quòd se tanto hospite iudicaret indignū. Quod idem, cum Centurio ille fecisset, supra omnes Israelitas à Christo laudatus est. Matt. 8. 9. Euthy. & Ambros. hoc adnotarunt. Ambrosij hæc verba sunt. *Admirabatur enim dona diuina, & quo plus meruerat, hoc præsumebat minus. Dic & tu, Exi a me Domine, quia homo peccator sum, vt respondeat tibi Dominus, noli timere indulgenti Domino peccatum fateri. Noli timere etiam quę tua sunt Domino deferre, quia quæ sua sunt vobis ille concessit.* Existimat tamen Euthym. timuisse Petrum, ne quid sibi mali contingeret, quòd Christum, quem aut Deum, aut virum certo iunctum, prophetamq; esse credebat in suam nauiculam excepisset. Quemadmodum Sareptana illa vidua causam cur filius suus mortuus fuisset, esse putabat, quod parum dignè apud se prophetam habuisset 3. Reg. 17. 18.

9. *Stupor enim circumdederat eum.*) Totum inuaserat, totum impleuerat. Hebraismus simul, & Græcismus est, qualis ille Psal. 17. 5. & 29. 12. & 1. Corinth. 12. 23. & Hebræorū 5. 2. Hoc ideo videtur Euangelista dixisse, vt Petrum excusaret, quòd tātum à se bonum reiicere voluisset; nec enim omnino apud se fuisse, stuporéque occupatum non satis, quid faceret, cō fiderasse. Non quòd humilitas eius laudanda non fuerit, sed quòd vero simile nō sit eum dicturū fuisse Christo, vt à se abiret, si satis considerasset, intellexissetq; quanto sibi esset vtilius eum retinere, quàm ablegare. Sunt qui in hac re & nimium, & parum Petrum imitentur, vtriq; peruersè: nam & quidam, cùm apud se Christum habeant, inconsideratè dimittunt; & alij, cùm habeant, auarè, ambitioséque non dimittunt, quia plus eo præsente piscantur. Hi non Christo, sed Christus ipsis piscator est.

Hebraismus.

Et omnes qui cum eo erant.) Ne videretur Petrus sine causa, magníque miraculi occasione obstupefactus, addidit Euangelista etiam omnes, qui cum eo erant simili stupore fuisse correptos. Hoc etiam eò pertinet, vt intelligamus verum, magnúmq; fuisse miraculum; quòd tam multi pisces capti fuerint, cum piscatores ipsi, qui ceperant, quique magnam aliàs copiam capere solebant, non vnus & alter, sed omnes omnino qui aderant, stupore defixi fuissent.

10. *In captura piscium.*) Hebraismus, propter capturam piscium.

Hebraismus.

Similiter autem Iacobum, & Ioannem.) De vocatione Iacobi, & Ioannis, aliorúmq; Apostolorum apud Matt. egimus c. 4. 18. 19. 20. 21. Hic solam cum Luca vocationis occasionem declaramus. Quæ vt appareat ex hoc loco, in his quatuor Apostolis Petro, Andrea, Iacobo, & Ioanne eadem fuit, captorum multitudo piscium.

Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.) Respondet Christus Petri cogitationibus. Timuerat ille, vt ex Euthymio recitauimus, ne propterea quòd homo peccator Christum recepisset, aliquid sibi periculi eueniret; respondet Christus tantùm abesse, vt quicquam illi propterea mali sit euenturum, vt maximum potius illi lucrum accessurum sit. Namque ex piscatore piscium, hominum piscatorem factū ait. Et, vt tantam piscium multitudinem, non suo labore, qui per totam noctem cassus iam fuerat, sed diuina virtute ceperat; ita prorsus fore, vt innumerabiles homines nō doctrina, non industria sua, sed gratia diuina capiat, & in rete trahat Ecclesiæ. Matt. c. 4. 19. & Marcus c. 1. 17. Petro simul, & Andreæ Christum dixisse trahunt. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Quod Augustinus lib. 2. de consensu Euang. c. 17. ita conciliat, quasi bis hoc dixerit Christus primùm Petro soli; deinde duobus simul fratribus Iacobo & Ioanni. Sed quemadmodum eo loco disputauimus, quod Petrus dixit, omnibus, qui cum illo erant, dixit.

Matth. 4. Marci 1. Luc. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VI.

1. Matt. 12. d.1. Marci 2. d.23. EACTVM est autem in sabbato secundo, primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus. 2. Quidam autem Phariſæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis? 3. Et respondens Iesus ad eos, dixit: Nec hoc egistis quod fecit Dauid, cum esuriſſet ipſe, & qui cum illo erant? 4. quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? 5. Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati. 6. Factum est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida. 7. Obseruabant autem Scribæ, & Phariſæi si in sabbato curaret: vt inuenirent vnde accuſarent eum. 8. Ipſe verò sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. 9. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos si licet sabbatis benefacere, an male: animam saluam facere, an perdere? 10. Et circumſpectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus eius. 11. Ipſi autem repleti sunt inſipientia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu. 12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. 13. Et cum dies factus esſet, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apoſtolos nominauit) 14. Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomæum, 15. Matthæum, & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur zelotes, 16. & Iudam Iacobi, & Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor. 17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, 18. qui venerant vt audirent eum, & sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. 20. Et ipſe eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei. 21. Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis, 22. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. 23. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo: ſecundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. 24. Verumtamen væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem vestram. 25. Væ vobis, qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis. 26. Væ cum benedixerint vobis homines: ſecundum hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum. 27. Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. 28. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. 29. Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentũ, etiam tunicam noli prohibere. 30. Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. 31. Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. 32. Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt. 33. Et si beneferitis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt. 34. Et si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. 35. Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filij Altiſsimi, quia ipſe benignus est ſuper ingratos & malos. 36. Eſtote ergo miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors est. 37. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. 38. Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dabunt in ſinum vestrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. 39. Dicebat autem illis & ſimilitudinem: Numquid

Matt. 12. d.1.
Marci 2. d.23.
1. Reg. 21. b.6.
Leuit. 24. b.9.
Exod. 29. f.32.
Matt. 12. b.10.
Mar. 3. a. 1.
Matt. 10. d.1.
Mat. 3. b. 13.
Matt. 5. d. 2.
Matth. 5. d.11.
Am. 6. d. 1.
Eccle. 31. a.8.
Iſa. 65. c. 12.
Matth. 5. g.44.
1. Cor. 6. b.7.
Matth. 7. b 12.
Tobie 4. c.16.
Matth. 5. g.46.
Matth. 5. g.42.
Deut. 15. b.8.
Matth. 7. a.2.
Marci 4. c.24.

potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt? 40. Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. 41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non conſideras? 42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies vt educas feſtucam de oculo fratris tui. 43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructu bonum. 44. Vnaquæq; enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur. Neque enim de ſpinis colligunt ficus: neq; de rubo vindemiant vuam. 45. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. 46. Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico? 47. Omnis, qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos: oſtendam vobis cui ſimilis sit: 48. similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram. inundatione autem facta, illiſum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat ſuper petram. 49. Qui autem audit, & non facit: ſimilis est homini ædificanti domum ſuam ſuper terram ſine fundamento: in quam illiſus est fluuius, & continuo cecidit: & facta est ruina domus illius magna.

Matt. 10. c.24. Ioann. 13. b.16. Matt. 7. a.3.
Matt. 7. c.16. & 12.c.33.
Matt. 7. d.25. Rom. 2. b. 13. Iac. 1. b. 22.

IN CAPVT VI.

ACTVM est autem in sabbato secundoprimo cum transiret per sata.) Hunc locum ſanè difficilem apud Matthæum cap. 12. 1. explicauimus. Totum etiam reliquum caput in eiuſdem Matthæi commentarijs capite 5. & 7. expoſitum est.

CAPVT VII.

VM autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intrauit Capharnaum. 2. Centurionis autem cuiuſdam ſeruus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretioſus. 3. Et cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius. 4. At illi cum veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſolicite, dicentes ei: Quia dignus est vt hoc illi præſtes. 5. diligit enim gentem noſtram: & ſynagogam ipſe ædificauit nobis. 6. Ieſus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari: Non enim ſum dignus vt ſub tectum meum intres. 7. propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus vt venirem ad te: ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus. 8. nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alij veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit. 9. Quo audito Ieſus miratus est: & conuerſus ſequentibus ſe turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inueni. 10. Et reuerſi, qui miſſi fuerant domum, inuenerunt ſeruum, qui languerat, ſanum. 11. Et factum est: deinceps ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. 12. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. 13. Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. 14. Et acceſſit, & tetigit locuſum. (Hi autem, qui portabant, ſteterunt) Et ait: Adoleſcens, tibi dico, surge. 15. Et reſedit qui erat mortuus, & cæpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. 16. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus viſitauit plebem ſuam. 17. Et exijt hic ſermo in vniuerſam Iudæam de eo, & in omnem circà regionem. 18. Et nunciauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his. 19. Et conuocauit duos de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Ieſum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 20. Cum autem veniſſent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptiſta miſit nos ad te dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 21. (in ipſa autem hora multos curauit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum.) 22. Et reſpondens, dixit illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Quia cæci vident,

Mat. 8. a.8.
Iſai. 24. c. 19. Ioann. 4. c.19.
Matt. 11. a.2.
Iſai. 35. b. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

claudi ambulant leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euãgelizantur: 23. & beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. 24. Et cum discessissent nuncij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & delicijs, in domibus regum sunt. 26. Sed quid existis videre? prophetam? Vtique dico vobis, & plusquam prophetam: 27. hic est, de quo scriptum est: Ecce

Mal. 3.a. 1. Matt. 11. b. 10. Mar. 1. a. 2.

mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 28. Dico enim vobis: Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. qui autem minor est in regno Dei, maior est illo. 29. Et omnis populus audiens & publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. 30. Pharisæi autem, & legis periti consilium Dei sprauerunt in semetipsos non baptizati ab eo. 31. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt? 32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus adinuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis. 33. Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Demonium habet. 34. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum. 35. Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis. 36. Rogabat autem illum quidã de Pharisæis vt manducaret cum illo. Et ingressus domũ Pharisæi discubuit. 37. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: 38. & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. 39. Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. 40. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. 41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. 42. Non habentibus vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? 43. Respondens Simon dixit: Aestimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. 44. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. 45. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. 47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus

Matt. 9 a.2.

diligit. 48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. 49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? 50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

IN CAPVT VII.

CVm autem implesset omnia verba sua in aures plebis.) Cum hæc omnia, quæ narrata sunt, in aures plebis instillasset; omnia verba Christi vocat Euangelista, omnia quę Christus loqui voluit, quasi dicat cum plebi, quidquid voluit, liberè dixisset. Subiungit doctrinę miraculum, vt ostendat Christum ea, quæ docebat, miraculis confirmasse.

A

Intrauit Capharnaum.) Habuerat superiorem concionem in campo, cùm ex monte ab oratione descendisset, vt dixit cap. 6. 17. inde dicit ingressum Capharnaum, vt Matthæus narrat. Reliqua vsque ad ver. 11. apud eundem Matthęum c. 8. 5. exposuimus.

11. Et factum est deinceps.) An statim post sanatum Centurionis seruum hoc acciderit, Lucas non dicit; tantùm dicit hoc postea factum esse; sed est probabile inter hoc miraculum, quod hic narratur, & id quod paulò ante narrauit de Centurionis seruo, ea omnia accidisse quæ Matth. cap. 8. & c. 9. & 10. narrat. Scribit enim Matth. c. 11. 1. postquam Christus Apostolos suos instruxisset, mittit eos in Iudæam ad prædicandum, inde, id est ex Capharnaum discessisse, & per alias ijsse vt docerent ciuitates. Inter quas credibile est, vnam fuisse Naim, vbi mortuum istum adolescentem suscitauit.

B

Ibat in ciuitatem quæ vocatur Naim.) Erat Naim Galilææ ciuitas non ita magna ad radicem montis Hermon distãs à Thabor bis mille passus. Hieronymus in epitaph. Paulæ ad Eustoch. & in locis Hebraicis & Beda hoc loco, & Brochardus in descriptione terræ sanctæ. Hoc minat ciuitatem, vt historiæ fidem faciat.

Et ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.) Hoc ideo videtur Euangelista dixisse, vt doceret multos eius miraculi fuisse testes.

12. Cùm

12. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis.) Videtur Euãgelista hoc ita narrare quasi casu factũ fuisset, vt appropinquãte ad portam Christo mortuus efferretur: sed credendum est in illo, qui humanis oculis videbatur, casu diuinum latuisse consilium; Christúmq; aut tunc venisse cùm sciebat mortuum efferendum; aut mouendis tacitè hominum animis effecisse, vt tunc eum efferrent, cùm ipse ad vrbem appropinquaret. Volebat enim ita eum suscitare, vt fortè in eum incidisse videretur. Augebat etiã miraculi magnitudinẽ, vt nõ eum priùs suscitaret, quàm ad sepulturam efferretur, ne quis causari posset, non verè fuisse mortuum: & hominũ opinionem, vt non ptiuatim domi corã paucis, sed in ipsa vrbis porta, vbi & maximus ingredientiũ, egredientiumq; concursus fieri solet. Et erat apud Iudæos in portis vrbium forũ vbi causæ agebantur, & nobiles ciuitatis viri frequenter versabantur, *Et aduersum me*, inquit, *loquebantur qui sedebant in porta*, Psal. 68. 13. &, *non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta*. Psal. 126. 5. Sic legimus Absalonẽ in porta vrbis sedere solitum vt populũ iudicaret, 2. Reg. 15. 2. Accessit turba quę Christum, quæq; defunctum sequebatur, quæ vtraque sibi occurrit in porta. Notauit hoc Beda. *Diuino, inquit, nutu multa Dominum turba, multa viduam comitabatur, vt viso tanto miraculo multi testes, multi Dei fierent laudatores.* Conueniebat etiam vt Christus in ipso vrbis ingressu totam eo miraculo ciuitatem commoueret, quo maiore de se opinione concitata, prædicaret illis Euangelium, quod eò faciliùs reciperent, quo & maiorem de illo opinionem haberent, & maiori ab ipso affecti essent beneficio.

A'

B

C

Ecce defunctus efferebatur.) Particula *ecce* occurrum ipsum ingredientis Christi, & egredictis mortui ante oculos ponit. Solebant Iudæi sicut & nunc extra vrbes habere sepulchra. Quare & illud Ioseph, in quo mortuus Christus positus est, in horto extra Ierosolymam erat.

Filius vnicus matris suæ.) Quattuor circunstantijs describit mortuum, quibus indicat Christum non sine ratione commotum fuisse, vt mortuum suscitaret. Quòd fuerit adolescens, qui floresc ẽte adhuc ætate decessisset; quòd vnicus esset matris suæ, cuius mors maiorem illi dolorem afferebat, quàm si alios liberos habuisset; quod esset mater eius vidua, quæ & sine viro, & sine liberis orbata, ac destetta maneret, vt Greg. Nyss. in lib. de creatione hominis c. 26. obseruauit; quòd locuples, aut nobilis, cùm magna eam, vt ait Euangelista, turba comitaretur, isque non haberet, quem post mortem relinqueret hæredem, quæ magna esse solet diuitum in morte consolatio. Hæc inquam, eò ab Euangelista tam minutè narrantur, vt doceat, quibus causis adductus Christus mortuum eriam non rogatus suscitauerit, & vt fidem augeret historiæ, quæ si vera non esset, non potuisset tot circunstantijs locorum, & personarum designari, vt adnotauit Ambrosius.

D

E

13. Quam cum vidisset Dominus.) Magnam hæc verba vim habent. Quam cùm non simpliciter, sed viduam viro, liberisque omnibus orbatam, & omnino miserabilem vidisset, flentem, vociferantem, se miseram clamantem. Hæc enim omnia, & id genus alia, quæ cogitari breuiùs quàm dici possunt, intelligendum est latere in illo relatiuo *quam*.

Misericordia motus super ea.) Hebraismus מעי על־ propter eam. Reddit rationem cur non rogatus Christus mortuum excitauerit, quia commiseratione, miserum matris commotus est. Satis ipsa per se tacita rogabat vidua. *Desiderium enim pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum, audiuit auris*

Zelotypi.

Zelotypia laudata.

eius, Psalm. 10. 17. Non est expectandum vt pauperes, & afflicti opem à nobis magna vociferatione petant. Ipsa pro eis miseria vociferatur. Magis petit, qui petere non audet; & plùs dat, qui dat non rogatus.

Timor pro reuerentia sumitur phrasi Hebraica.

Dixit illi, nòli flere.) Alio modo hoc illi Christum dixisse credendum est, quàm cæteris, qui eam comitantes consolabantur. Nam & cæteros eadem illi, aut similia dixisse verba credendum est. Quis enim flenti non dicat, *Noli flere?* Sed alij nimirum vulgari dicebant more, humanisque, vt fieri solet, rationibus adductis, mortalem peperisse; quod factum esset, infectum fieri non posse; nihil miseriæ prodesse lacrymas, quæ calamitatem augerent, non leuarent. Christus verò ita vt aut alijs verbis, quæ Euangelista tacuerit, aut modo ipso hęc eadem verba dicendi spem aliquam ostenderit fore, vt filius reuiuisceret.

14. Et accessit, & tetigit loculum.) Tetigit, vt teneret, & qui loculum portabant, gradum sisterent, & miraculum circunstantibus, ac circunspectantibus omnibus faceret. Theophyl. & Euthymius ideo tetigisse putant, vt suscitaret, ostenderétque corpus suum, quia Dei corpus erat, vim habere mortuos excitandi. Sed Euangelista potiùs indicat Christum solis verbis, quàm tactu suscitasse, *Adolescens*, inquit, *tibi dico, surge.*

Hi autem qui portabant, steterunt.) Siue quòd id vt facerent Christus apprehẽso loculo significauerat; siue quia ipsi, cùm audissent quid Christus viduæ defuncti matri dixisset, vidissentque eum loculum apprehendentem, & quasi ad faciẽdum miraculum aliquod sese parantem, spem conceperant fore, vt mortuum suscitaret. Id Ambrosius in allegoriam vertit, quam qui volet, apud illum facile reperiet.

Et ait, Adolescens tibi dico, surge.) Tibi præcipio. Ostendit se non aliena, sed sua auctoritate, suóque præcepto mortuum suscitare. Alloquitur mortuum quia Deus est, cuius solius vocem mortui possunt audire, Ioann. 5. 25. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Vocat enim Deus *ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, Roman. 4. 17. Sic iubetur Ezechiel ex persona Dei mortuos, & arida iam ossa alloqui. *Ossa arida audite verbũ Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his, ecce ego intromittã in vos spiritum, & viuetis*, Ezech. 37. 4. 5. Dixit quidem Petrus mortuæ puellæ, *Tabitha surge*, Actor. 9. 40. sed non dixit tibi dico, surge, quia non sua, sed Christi auctoritate loquebatur. Adnotauit Cyrillus libro 1. de fide ad Reginas hoc esse quod prædixerat Isai. c. 40. 10. *Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.*

15. Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui.) Ostendit Euangelista quis fuerit effectus verborum Christi. Non dixit, & resurrexit qui erat mortuus, sed dixit quod ad fidem est efficacius, *resedit, & cœpit loqui*, quibus verbis simul dixit atque probauit non specie tenus, sed verè resurrexisse, vt Titus Bostren. apud D. Thom. citatus obseruauit.

Et dedit illum matri suæ.) Cuius commiseratione eum suscitauerat. Huius loci, totiúsque historiæ allegoriam, si quis desiderat, Ambrosium in commentarijs legat, & Augustinum sermone 44. de verbis Domini, & Gregor. in expositione quarti Psalmi pœnitentialis, & Theophil. Alexand. lib. 3. allegoriarum, & Bedam hoc loco.

16. Accepit autem omnes timor.) Horror quidam omnes inuasit in Christo apparẽtis diuinitatis. Sæpe diximus timorem pro reuerentia erga Deum, & homines sanctos poni solere Hebręorum idiomate,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui יראת יהוה timorem Domini, Dei cultum, & venerationem appellant, vt Marci 4.40. & supra cap. 1. 12. 65. & 2. 9. & 5. 26. Id ſtatim explicatur cùm dicit, *& magnificabant Deum.* Hic enim erat timor, reuerentia in Deum.

Dicentes, quia propheta magnus ſurrexit in nobis.) Vir valde ſanctus. Omnes enim viri ſancti prophetæ vocabantur, quia prophetæ ſæpe ſancti eſſe ſolebant, Gen. 20. 7. Putat Beda populum illum credidiſſe Chriſtum eſſe Deum, ſed infra eam opinionem loqui videntur; itaque probabilius eſt credidiſſe eſſe Meſſiam, de quo non poterant non inaudiſſe aliquid, quamuis nondum crederent eſſe Deum. Nam etſi Meſſias quidem in litteris ſacris Deus futurus ſignificabatur, tamen id non vſque adeo notum erat vulgo, vt non plerique ignorarent; & magna pars eorum qui Chriſtum Meſſiam eſſe credebant, nondum ſatis crederent eſſe Deum. Confirmat hanc opinionem quòd continuò ſequitur, *& quia Deus viſitauit plebem ſuam.* Iſidem quippe verbis vtuntur, quibus ſupra Zachar. cap. 1. 68. verum redemptorem Chriſtum confeſſus eſt. Sic interpretatur Heſychius homi. 1. de laudibus Beatæ Virginis, quem ſequor libenter; etſi non ignoro ſenſum horum verborum eſſe poſſe, viſitaſſe Dominum plebem ſuam miſſo propheta, non qui eam redimeret, ſed qui conſolaretur. Iam enim diu prophetas non habebant. Sed vt dixi, illud probabilius. Cur enim id de Ioanne non dicebant, cuius famam ignorare non poterant? Et quod quidam obiiciunt, nomen προφήτης articulum non habere, infirmum eſt argumentum. Quoties enim non habet Chriſtus? quoties non habet Deus?

17. *Et exiit hic ſermo.*) Hæc fama, aut factum hoc Chriſti, quòd mortuum ſuſcitaſſet. Ideo hoc dicit Euangeliſta, vt confirmet fidem hiſtoriæ, cuius non ſolum ciuitas Naim, vbi miraculum factum fuerat, ſed tota etiam circa regio teſtis eſſe poſſet, quæ eius rei famam audierit. Quæ ſequuntur vſque ad ver. 29. vide apud Matth. c. 11. 2.

29. *Et omnis populus audiens, & publicani iuſtificauerunt Deum.*) Dubium, cuius hæc verba ſint, Euangeliſtæne an Chriſti? Diuerſus enim ſenſus diuerſis erit auctoribus. Si Euangeliſtæ ſunt, ſenſus erit, omnem populum, & publicanos cùm audiſſent quæ de Ioanne dicebat Chriſtus, credidiſſe, Deúmque laudaſſe, cùm priùs Ioānis baptiſmum ſuſcepiſſent. Phariſæos autem, & iuriſperitos contempſiſſe. Sic omnes recentiores interpretes, quos mihi videre contigit, exponunt, duce, opinor, Lyrano. Si Chriſti verba ſunt, ſenſus hic erit, omnem populum, publicanoſque audito Ioanne Deum iuſtificaſſe, id eſt iuſtum, & benignum agnouiſſe, atque à Ioanne fuiſſe baptizatos: Phariſæos autem, & legiſperitos ſuperbè Dei conſilium, & ſalutare remedium ab eo per Ioannem miſſum deſpexiſſe. Sic omnes, quos viderim veteres auctores Ambroſius, Beda, Euthymius, citat etiam in eam ſententiam Chryſoſtomum Diuus Thomas; & certò mihi perſuaſum habeo hunc verum eſſe ſenſum. Primum enim, quorſum Euangeliſta loquentem interpellaſſet Chriſtum; & mediam eius orationem interrupiſſet? Vt indicaret (dicet aliquis) quorſum Chriſtus dixiſſet quæ ſequuntur. At prætercquam quòd ne iſto quidem modo quæ ſequuntur ſat bene cohærent, vt paulò poſt demõſtraturi ſumus, multò profectò meliùs cohærebunt, ſi omnia Chriſti ſint verba. Deinde illa dictio, *ergo*, quæ ſtatim ſequitur verſu 31. non ſolùm indicat, ſed planè oſtendit continuatam fuiſſe orationem Chriſti; colligit enim Chriſtus non ex ijs, quæ Euangeliſta, ſed ex ijs quæ ipſemet dixerat. *Cui ergo ſimiles dicam, &c.* Non poteſt autem colligere, niſi ex illis verbis, *Phariſæi autem, & legiſperiti ſpreuerunt conſilium Dei:* illa ergo verba ipſe dixerat. Præterea quod dicit, *baptizati baptiſmo Ioannis*, quem habebit ſenſum, ſi Euangeliſtæ verba ſunt? eodem enim tempore indicat orationis ſeries, & baptizatos illos fuiſſe, & Deum iuſtificaſſe. Immo verò aut iuſtificare Deum fuit baptizari, aut ideo certè baptizati ſunt, quia Deum iuſtificauerunt, id eſt iuſtum illum, atque prouidum crediderunt. Itaque nõ priùs baptizati ſunt quàm Deum iuſtificarant, ſed aut ſimul vtrumque fecerunt, aut priùs iuſtificauerunt, poſt ſunt baptizati. Si autem verba hæc ſunt Euangeliſtæ, non dubium quin ſignificet populum, & publicanos tum Deum iuſtificauiſſe, cùm Chriſtum de Ioanne loquentem audiuiſſent, vt illi ipſi noui interpretes exponunt. At quis credat tum baptiſmum Ioannis accepiſſe eos, cùm Ioannes de medio ſublatus eſſet? Quin baptiſmum potiùs Chriſti ſuſcipiebant; cum & præſentem haberent, & propter eius de Ioanne teſtimonium Deum iuſtificauerint, Ioannique crediderint, qui omnes auditores ſuos ad Chriſtum, non, vt ipſe faciebat, aqua ſola; ſed in aqua, & Spiritu ſancto baptizantem, quémque vnicum ſalutis eſſe auctorem prædicabat, mittere ſolebat? Denique prior illa ſententia, illis ſtat verbis verſu 31. *Ait autem Dominus.* Illa autem verba, nec in pleriſque Græcis, Latiniſque reperiuntur exemplaribus, neque ab vllo, quòd ſciam, antiquo leguntur auctore: non ab Ambroſio, non à Beda, non à Theophylacto, non ab Euthymio. Sic ergo interpretor, *& omnis populus audiens* ſub. Ioānem, *iuſtificauerunt Deum*, id eſt iuſtum, benignum, & prouidentem confeſſi ſunt, qui tale ſibi per Ioannem miſiſſet auxilium, vt inuento redemptore à peccatis liberarentur. Non negamus iuſtificandi verbum in litteris ſacris idem ſæpe ſignificare, quod iuſtum reputare, iuſtum declarare, iuſtum confiteri, vt hoc loco, & cap. 16. 15. & Mich. 6. 11. ſed ſemper ita accipi, quod hæretici dicunt, id verò negamus, & non vno ſcripturæ loco, ſed tota pene ſcriptura docemus.

Baptizati baptiſmo Ioannis.) Declarat ab effectu, quomodo Deum iuſtificauerint, quia nimirum baptiſmo Ioānis baptizati ſunt, oſtendentes credidiſſe ſe ijs, quæ per Ioannẽ à Deo nuntiabantur. Duo hominum genera, qui lõgiſſimè à pietate abeſſe videbantur, dicit iuſtificaſſe Deum, Ioanniſq; baptiſmũ ſuſcepiſſe, rudem populum, qui fere legem ignorabat, & publicanos homines auariſſimos, quíq; propublicis, & quodammodo excõmunicatis peccatoribus habebãtur Matt. 18. 17. quo magis exaggeraret Phariſęorum, & Scribarum duritiam, atque pertinaciam, qui illis, qui minus credere debebant, credentibus, credere noluiſsẽt. Sic apud Matt. c. 21. 31. Chriſtus illis obiiciebat, *Amen dico vobis quia publicani, & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* & Matt. 8. 11. *amen dico vobis quia multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.*

30. *Phariſei autem, & legiſperiti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos.*) Populo, & publicanis duobus, vt diximus, generibus hominum ſanctitatem minimè profitẽtium alia duo opponit hominũ genera Phariſæos, & legiſperitos, quos Scribas alio nomine vocari alibi diximus, qui maximè ſcientiam ſcripturarum, & legis, vitæque ſanctitatem profitebantur. Illos dicit credidiſſe, Deúmque iuſtificaſſe: hos conſilium Dei deſpexiſſe, id eſt ſalutare remediũ, quod à Deo prudentiſſimo conſilio illis offerebatur; quaſi dicat magis illos ſuo, quàm Dei conſilio credidiſſe. Hoc eſt fortaſſe quod dicit εἰς ἑαυτοὺς *in ſemetipſos*, id eſt apud ſemetipſos, plùs ſibi, quàm Deo tribuẽtes: vt εἰς ponatur pro ἐν. Aut, vt alij exponũt, maximéque Beda, *in ſemetipſos*, id eſt in ſuam ipſorum condemnationem, in malum ſuum. Aut, vt idem Beda interpretatur, *conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos*, id eſt ad ipſos miſſum, ſed hoc magis alienum eſt.

Non baptizati ab eo.) Violenta mihi prorſus eorũ videtur interpretatio, qui hanc Phariſæorũ, & Scribarum exceptionem eſſe putant, quaſi correctio ſuperioris ſententiæ ſit, & quia dixerat Phariſęos, & legiſperitos ſpreuiſſe cõſilium Dei, dicat nunc, non quidem illos omnes, ſed eos tantùm, qui à Ioanne baptizati non fuerant ſpreuiſſe. Nec enim baptiſmũ cauſſam, ſed effectum contemptionis diuini conſilij facit, & de omnibus Phariſæis, atque legiſperitis generaliter loquitur. Non quòd nemo Phariſæorum, & Scribarum Ioãni crediderit, ab eóque baptizatus fuerit. Nam etſi id ex Euãgeliſtis certò non conſtat, tamen eſt credibile non neminem eorum credidiſſe. Cæterum quia de vniuerſo loquebatur genere, non de ſingulis hominibus, neminem excepit. Alioqui neque omnis populus, nec omnes publicani à Ioanne baptizati fuerant, illíque crediderant, & tamẽ generaliter dicit omnem populũ, & publicanos fuiſſe baptizatos, Deúmque iuſtificaſſe. Colligunt hinc Ambroſ. & Beda, ſi in Ioannis baptiſmo conſilium Dei erat, ideóque fuit ſalutaris, multò magis Chriſti baptiſmum ſalutarem eſſe credere oportere.

31. *Ait autem Dominus.*) Iam docuimus ver. 9. hæc verba non eſſe legenda. Totum autem hunc locum vſque ad ver. 36. Matt. 11. 16. tractauimus.

36. *Rogabat autem illum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo.*) Quorſum hoc narret Euangeliſta, & cum ſuperiore coniungat hiſtoria nõ ſatis apparet. ſed eſt vero ſimile, quia de Phariſæorũ incredulitate agebatur, ſubiungere voluiſſe quid Chriſto cum quodã ex Phariſæis accidiſſet, vt doceret etiam eos, qui aliquid erga Chriſtum beneuolentię, & humanitatis oſtendebant, non ſatis in eum credidiſſe confiſos propria iuſtitia. Quis verò hic fuerit Phariſæus nihilo magis certum, niſi quòd ex ver. 40. intelligimus nomen illi fuiſſe Simoni. An fuerit Simon ille leproſus, qui apud Matth. c. 26. 6. & apud Marcum c. 14. 3. Chriſtum dicitur excepiſſe conuiuio, illic diſſeruimus. Vnde & alia quæſtio intelligi poteſt, an hæc eadem ſit hiſtoria atque illa, quæ illic à Matth. & Marco, & illa, quæ à Ioanne c. 12. 1. narratur. Apud Matth. enim docuimus eſſe diuerſam. Quare credibile eſt hoc paulò poſt ſuperiorem hiſtoriam accidiſſe, ideóque Euangeliſtam in vnum coniecciſſe locum.

Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit.) Non vt cibum corporis acciperet, ſed vt animæ cibum daret. Hæc enim de cauſa ſolebat inuitatus non recuſare; aliquando etiam non inuitatus ambire conuiuia, vt homines inter corporales eſcas ſpiritualiter ineſcaret, vt infra cap. 19. 5.

37. *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.*) De hac etiã muliere quænam fuerit, egimus apud Matt. c. 26. 7. Alia huius loci propria eſt quęſtio, quo ſenſu peccatrix appelletur. Quidam non alio modo peccatricem vocari putant, quàm quo omnes homines nulla inſignes virtute peccatores nominantur. Faciunt hoc reuerẽtia, & pietate quadam, ne ſanctam hanc mulierem meretricem fuiſſe dicant, quod aures videntur auerſari. Sed conſtans omnium veterũ auctorum opinio eſt fuiſſe meretricem, ſi nõ vulgo proſtitutam, parum certè caſte viuentem. Ambroſ. Gregor. hom. in hæc verba, & Beda in cõmentarijs. Idque Euangeliſta ipſe, & Simon ſatis indicant, qui vterque eam peccatricem vocat, quo nomine non ſolent, niſi impudicæ mulieres appellari: honeſtiore enim vocabulo res minùs honeſta declaratur, quàm figuram ὑποκατάχρησιν Græci vocant. Nec miratus fuiſſet Simon pati ſe Chriſtũ ab ea tangi, ſi alijs virtus, quàm impudicitia fuiſſet infamis. Et qui pudicam fuiſſe putant, non tam eius honorem augent, quàm Chriſti honorem minuunt. Eo maior medici gloria eſt, quo, quem curarit, maior erat morbus.

Peccatrix nomine mulieres impudicæ ſolet appellari.

Vt cognouit, quod Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi.) Apparet eam mulierem excitatam fama Chriſti occaſionem ante quæſiuiſſe, vt ſua ad eius pedes peccata proijceret. Nam quaſi in inſidijs poſita ſimul vt cognouit eum in domo eſſe Phariſæi, loco ſcilicet idoneo, vt officium illi, quod cupiebat, ſuum exhuberet, protinus accurrit.

Attulit alabaſtrum vnguenti.) Plenum vnguenti. De alabaſtro apud Matth. diximus. Quanquam hoc verum alabaſtrum ex alabaſtrite lapide fuiſſe vero ſimile eſt, cùm & nomen id indicet, & nihil repugnet. Nec enim fractum eſt, vt illud apud Matth. & ſcimus ex Plinio, aliiſque auctoribus morem fuiſſe veterum, vt myropolæ ex alabaſtrite lapide vnguentarijs vaſis vterentur; ſic ad Chriſtum peccatores non vacui, ſed vnguentum ferentes venire debent, quibus vngantur eius pedes, id eſt eleemoſynas, quibus eius pauperes recreentur.

38. *Et ſtans retro ſecus pedes eius.*) Non dicitur ſteriſſe, quòd recta in pedes ſteterit, vt quidam volunt. Quo enim modo ſtãs pedes Domini vngere, lachrymis rigare, & capillis tergere potuiſſet? Nam vt cõcedamus Chriſtum antiquo recumbendi more in thoro iacuiſſe, tamen credibile non eſt, tam altum fuiſſe thorum, vt ſtans recta mulier pedes eius oſcularetur, & capillis tergerer. Steriſſe igitur, id eſt conſtitiſſe dicitur. Mirum videbitur antiquam Orientalium conſuetudinem ignoranti mulierem, vt non dicam impudicam, certe alienam, certè ignotam, & certè mulierem in publicum irruere conuiuium, Chriſti pedes vngere, non ſolum tangere. Sed vt apud Matt. docuimus is Perſis, & omnibus Orientalibus erat mos, vt in conuiuijs vnguenta etiam adhiberent, ijs preſertim inuitatis, quorum cauſa conuiuium eſſet inſtructum. Videmus etiam & apud Marcum Tullium eius cõſuetudinis aliqua veſtigia. Ea igitur conſuetudo fecit, vt hæc mulier nõ ſolum id auderet facere, ſed etiam tanquam ſolitum, & à ſe debitum Chriſto exhiberet officium. Solebat enim id per mulieres fieri, à quibus magis quàm à viris ars tota vnguentaria quaſi res omnino muliebris, & delicata tractabatur. Itaque primo lib. Reg. c. 8. 13. Iudæis Samuel prædicit fore, vt ſi Regem ſibi poſtulare pergant, atque obtineant, Rex ipſorum filias vnguentarias ſuas faciat. Secus pedes Chriſti ſtetiſſe dicitur, quia qui ad menſam antiquo more ſuper thoros accumbebant, ita iacebant, vt caput verſus menſam, pedes verſus exteriorem partem haberent, qua miniſtri fercula ferentes, menſam obibant.

Apud Orientales etiam in conuiuijs adhibita vnguenta. Lib. 13. epiſtol. ad Atticum, epiſt. 50.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius.) Rectè peccatrix à lacrymis ſumit exordium. Magnæ ad flectendum Deum oratoriæ artis eſt peccatorem tacitum flere. Quid niſi ſua peccata flebat? Intelligimus hinc eam illi veniendi ad Chriſtum fuiſſe cauſſam, vt veniam ab eo ſuorum peccatorum impetraret. Scireque à quibuſdam eſt obſeruatum multos legi, qui ad Chriſtum, vt ſanitatem corporis obtinerent, ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gno ſtudio concurrerint; qui verò peccatorum ſuorum remiſſionẽ petiturus venerit, præter hanc mulierem neminem legi. Meruit ſingulare obtinere beneficium, quæ ſingulari ad Chriſtum ſtudio atque animo venit.

Et capillis capitis ſui tergebat.) Satis erat dicere, *capillis*, etiamſi non addidiſſet, *capitis ſui*, ſed addidit, vt orationi emphaſim adhiberet, & caput pedibus opponeret. Nec dubiũ quin habuerit felix illa peccatrix linteũ aliquod, quo poſſet tergere pedes Chriſti; ſed fuit maioris humilitatis, caritatiſque capillis tergere, quàm linteo. Allegorias non quærimus, ſed tamen aliquando obiter occurrentes indicamus. Ambroſ. capillos honores, quia mulieris gloria, decúſque, vt ait D. Paulus 1. Corinth. 11.15. capillus eſt: Beda res omnes ſuperfluas interpretatur, quæ Chriſti pedibus, id eſt pauperibus, ſeruire debent.

Capilli honores, & res ſuperfluæ.

Et oſculabatur pedes eius.) Hoc, vt opinor, in more non erat, ſed fecit illa mulier ſingulari humilitate, & præcipuo quodam erga Chriſtum amore. Habẽt, quod imitentur fratres exemplum, qui quos peregrinorum lauerunt pedes, oſculari ſolent.

Et vnguento vngebat.) Vulgaris quæſtio, cur non potius caput, quã pedes vnxit? vt & cõſuetudo erat, & ſiue alia, ſiue eadem apud Matth. mulier c. 26.7. & Marci 14.3. & Ioannis 12.3. feciſſe dicitur. Vulgaris quoque reſponſio indignam ſe adhuc peccatricem iudicaſſe, quæ Chriſti caput tangeret, vt reſpondet Ambroſ. Id probabile, ſed fieri etiam poteſt vt vnguentum hoc minùs precioſum fuerit, & indignum capite. Nam illud, quo caput Chriſti vnctum fuiſſe dicitur, alij Euangeliſtæ piſticum, atque precioſum appellant; de hoc Lucas nihil dicit eiuſmodi. Et dubium non eſt, quin precioſiora vnguenta capiti ſolerent adhiberi.

39. *Videns autem Phariſeus.*) Multa ſimul Phariſæus peccat. Primùm temere iudicat ignorare Chriſtum, qualis eſſet mulier, quæ ipſum tangebat, cum non ſolùm mulieris mores, ſed ipſius etiã Phariſæi cogitationes perſpectas haberet, vt ait Auguſt. lib. 50. hom. 23. Deinde quòd inde colligeret Chriſtum non eſſe prophetam. Nec enim omnia prophetæ ſciunt, & poterat recordari Eliſæum, in quo duplex Eliæ ſpiritus erat, nõ priùs cognouiſſe mortuum eſſe filium mulieris Sunamitidis hoſpitę ſuæ, quam illi ipſa narrauit, 4. Regum 4. 27. Præterea, quòd Chriſtum de ſuo iudicauerit ingenio. Nam quia Phariſæi turgido inflati ſpiritu ſancto ſe eſſe profitebantur, quaſi propheticum illud dicentes, *Diſcede à me, & noli me tangere, quia mundus ſum*, vt idem Auguſt. interpretatur, offendebatur, quòd ſe Chriſtus à peccatrice muliere cõtrectari pateretur. Quemadmodum & illi alij, qui dicebant *quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis?* ſupra cap. 5.30. Stultus denique erat, qui ſaluatorem peccatores; medicum ægrotos admittere mirabatur. Cuiuſmodi hominibus rectè alibi Chriſtus reſpondit, *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores, & non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.*

Eſaiæ 53. 31 & 65. 5.

Matth. 9. 13. & ſup. 5. 31.

40. *Et reſpondens Ieſus dixit ad illum.*) Non ad verba, ſed ad cogitationes, quas in Phariſæi animo proſpexerat. Qua ex re poterat intelligere Phariſæus Chriſtum non tantum prophetam, ſed etiam Deum, dominumque prophetarum eſſe. Miranda Chriſti in reſpondendo prudentia, atque ſuauitas facit vt ipſe ſeſe Phariſæus iudicio ſuo condemnet, &, vt ait Beda, *dum ſua ſententia Phariſeus conuincitur, quaſi phreneticus ſanem portat, ex quo ligetur. Enumerantur bona peccatricis, enumerantur mala falſi iuſti, cùm dicitur, intrauí in domum tuam.* Nec tam ſuum, quàm infamis mulieris tuetur honorem; non enim reſpondet ſe prophetam eſſe, quanquam id re ipſa tacitus probat; ſed Phariſæo mulierẽ opponit, quam ille peccatricem appellauerat, cogitque confiteri eum, illam ſe eſſe meliorem.

41. *Denarios quingentos.*) De denario, quid eſſet, diſputauimus apud Matth. c. 18.28.

42. *Quis ergo eum plus diliget?*) Hic nobis hærendum eſt. Quia etſi huius loci difficultas, quæ ſumma profecto eſt, non hîc, ſed in huius accommodatione parabolæ, & concluſione quæ eſt ver. 47. conſiſtere putatur; tamen meo quidem iudicio eius difficultatis explicatio ex horũ verborũ explicatione pendet. Indicabo primùm difficultatem. Videtur ex hac parabola non fuiſſe colligẽdum, quod Chriſtus colligit, multa peccata illi mulieri remitti, quia multùm dilexiſſet; ſed cõtrà, propterea multùm eam dilexiſſe, quòd multa illi peccata remiſſa fuiſſent. Nam non propterea illi, qui quingẽtos debebat denarios plus remiſſum eſt, quia multùm dominum amauerat; ſed propterea plùs poſtea dominũ amauit, quia plus illi, quàm alteri remiſerat, quemadmodum his, in quibus verſamur verbis, ſignificatur. Quæ res ſpecioſam Caluino, & cæteris nouis hæreticis errandi occaſionem dedit, negãtibus huic mulieri propter præcedentia caritatis opera remiſſa peccata; illa verò verba, *quoniam dilexit multum*, ſic interpretantibus, vt dictio illa, *quoniam*, non cauſam, ſed effectum, & conſequentiam ſignificet. Quod vtinam nemo Catholicorum ſecurus eſſet. Quæ interpretatio, vt ad nullũ errorem viam aperiret, tamen reiicienda omnino eſſet, quia ſcripturæ, & rationi repugnat. Poſtquam Chriſtus Simoni dixerat ver. 47. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, conuerſus ad mulierem dixit, *remittuntur tibi peccata tua.* Non ergo ante remiſſa fuerãt, & tamen ante dilexerat, id eſt officia caritatis exhibuerat, ante lacrymis rigauerat pedes Chriſti, ante capillis terſerat, ante oſculata fuerat; ante vnxerat. Non igitur ſignificat priùs fuiſſe illi remiſſa peccata, deinde dilexiſſe, & poſteriorem dilectionẽ prioris remiſſionis peccatorum ſignum eſſe; ſed contrà, priùs dilexiſſe, deinde remiſſa illi fuiſſe peccata. Dicet aliquis, peccata illi priùs remiſſa fuiſſe, ſed an remiſſa ſibi eſſent, ipſam ignoraſſe, idque illi Chriſtus declaraſſe, cùm dixit, *remittuntur ei peccata multa*; verbum Græcũ præteriti temporis ἀφέωνται hoc etiam confirmare. Certè hoc Caluiniani alio ſuo errore prohibiti dicere non poſſunt. Putant enim neminem fidelẽ dubitare poſſe ſibi eſſe remiſſa peccata. Ita neminem ignorare poſſe, vtrum ſibi peccata remiſſa ſint, an non. Nam ſi quidem credit, remiſſa eſſe, ſi non credit, non eſſe; an credat autem, vel nõ, neminẽ ignorare, cadẽ enim fide qua alia credit, debere credere ſe credere. Et quod attinet ad verbũ ἀφέωνται dubium nõ eſt præteritũ pro præſenti poſitum eſſe ex verſu 49. Maius etiam contra hanc interpretationem argumentum eſt, quòd ſi vera eſſet, neceſſe eſſet dicere mulieri illi peccatrici, antequam ad Chriſtũ veniret remiſſa fuiſſe peccata; quod nefcio profecto, an illi quamlibet hæretici concedant. Quis enim dubitat illam non vt ob remiſſa ſibi peccata gratias ageret, ſed vt remiſſionem peccatorum quæreret, ad Chriſtum veniſſe? Euthym. alio modo videtur interpretari, cui plus dimiſſum eſt, plùs diligit, id eſt qui plùs debebat Domino, plus eum diligebat, vt maioris ab eo debiti condonationem obtineret. Quam interpretationem niſi fallor D. etiam Auguſtinus in lib. 50. hom. homilia 23. ſecutus eſt. Et quidem in ea muliere, de qua quæſtio

eſt, ita

eſt, ita videtur accidiſſe. Non enim ob aliam cauſam tantum Chriſto caritatis exhibuit, niſi quia videbat ſe tam multa habere peccata, vt ad cõſequendam eorũ veniam ſingulari ſibi caritate opus eſſet. Sed nõ eſt in vniuerſum verũ eum plùs diligere, qui plùs debet. Plerique odere creditores ſuos. Vulgaris Lyrani, & poſteriorũ interpretũ reſpõſio eſt, potuiſſe Chriſtũ vtrunq; colligere, *& remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum*, & è cõtrario, dilexiſſe multùm, quia multa ei remiſſa ſunt peccata. Vtrumque enim ex altero ſequi, quia nec remiſſio peccatorum ſine caritate, nec caritas ſine remiſſione peccatorũ eſſe poſſit, & vtrumq; ſit alterius cauſa genere diuerſo. Nã caritas cauſa eſt efficiẽs, atq; formalis remiſſionis peccatorum; & remiſſio peccatorũ cauſſa eſt materialis, & diſponens caritatis. Sed cùm vtrũque Chriſtus colligere potuiſſet, voluiſſe hoc potius colligere, quàm illud; vt intelligeremus parabolam, quam adduxerat, non per omnia remiſſioni peccatorum, de qua agebatur, ſimilem eſſe: nam in pecunia, de qua parabola erat, cauſſam amoris finiſſe, non è contrario; nec enim quia plùs alter illorum, quàm alter dilexerat, plus illi remiſſum fuiſſe, ſed contrà etiam. In peccatrice verò illa, nõ id ſolùm accidiſſe, vt quia plus illi remiſſum fuerat, plùs dilexiſſet, ſed etiam, vt quia plùs dilexiſſet, plus illi remiſſum fuiſſet; eam differentiam, vt Chriſtus oſtenderet, non collegiſſe, dilexit multùm, quia remiſſa ſunt ei peccata multa, ſed remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Suſpecta mihi in exponendis litteris ſacris nimia ſubtilitas eſt. Nunquam enim magis erramus, quàm cùm noſtro indulgemus ingenio. Eſto vtrumque ex vtroq; ſequatur & remiſſio peccatorum ex dilectione, & dilectio ex peccatorũ remiſſione, tamen vtrumque ex poſita parabola tanquam ex antecedente occultæ argumentationis qua Chriſtus vtebatur, rectè colligi nõ poterat, & nõ debemus exiſtimare Chriſtum malè, abſurdéq; collegiſſe. Placuerat aliquãdo mihi, vt Chriſtũ inuerſa parabola vſum fuiſſe diceremus, nec argumẽtaretur à ſimili, ſed à cõtrario, quemadmodũ ſi diſſiſſet; Sicut ille dilexit multùm, quia multùm illi remiſſũ fuerat; ita huic mulieri è contrario, quia dilexit multũ, remiſſa ſiunt peccata multa; aut, quemadmodũ illi cui plus remiſſũ erat, plùs debuit diligere; ita ego huic mulieri plus debeo remittere, quia plus me dilexit. Et quidẽ cum hanc interpretationẽ recognoſco, etiamnũ mihi magis placet; eámque libenter amplecterer, niſi alia mihi poſtea, quæ magis placuit, occurriſſet. Quod Chriſtus hoc loco Simonem rogat, *quis ergo eum plus diliges?* etſi futurũ tẽpus eſt, tamen ex cõſuetudine loquẽdi vim prætériti habere puto. Solemus ita vulgo loqui. Hic pro Chriſto vitã, ille bona ſua dedit, vter ergo erit ſanctior? id eſt, vtrum eorum tu ſanctiorem fuiſſe iudicabis? Sic rogauit Chriſtus. Quis ergo eum plùs diligit, id eſt, quem tu iudicas ex effectu coniecturam faciens plùs ante dominum ſuum dilexiſſe, vtrum illi magis amicum fuiſſe, cùm amicitiæ cauſa fœnerator debitum vtrique remiſerit? Reſpondet Simon eodem ſenſu, puto quia cui plus dimiſit, id eſt, credo ille plùs ante fœneratorem diligebat, cui plus ab eo remiſſum eſt debiti. Credendum enim eſt plus illi dimiſſe, à quo magis ſe diligi ſentiebat, alteri tantum non dimiſſurum minùs diligẽti, ſi tantumdem debuiſſet. Hac ratione rectè colligit Chriſtus, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Fallor niſi ad hunc etiam modum Auguſt. intellexit. Nam hom. 23. per præteritum vertit & exponit. *Debebat*, inquit, *vnus quinquaginta denarios, alius quingentos. Donauit ambobus. Quis eum plus dilexit?* Solum poterat ſimilis locutionis exemplum deſiderari; quod apud Amos c. 5. 13. obſeruaui, *ideo prudens in tempore illo tacebit*, id eſt, tacebat, aut tacere oportuit.

44. *Dixit Simoni, vides hanc mulierem?*) Emphatica ſunt ſingula verba, Simon tu vir ſcilicet, & Phariſæus, qui te ſanctum, & videri vis, & eſſe putas, vides hanc non virum, non Phariſæum, ſed mulierem, & mulierem quidem peccatricem, id eſt publicis peccatis infamem? Quid expectandum erat, niſi vt diceret, multo ſanctior eſt tu; illi enim peccata remiſſa ſunt; tibi aut nõ ſunt, aut pauciora certè ſunt, quod certum eſt ſignum, gratiorem illam, & magis amicam Deo eſſe, quàm te. Non dixit Chriſtus hoc verbis, re verò ipſa dixit, edifferens quid illa feciſſet, quid ille non feciſſet.

Intrauí in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti.) Sunt qui dicant Iudæorũ morem fuiſſe, vt cõuiuis pedes, antequam ad menſam accumberent, lauarentur, ſic Abrahã Gen. 18.4. tribus illis angelis, qui peregrinorum ad ſe ſpecie venerant, pedes lauare voluiſſe. Sic Lot alijs angelis, Gen. 19.2. Sic illum in Gabaa peregrinum, Iud. 19.21. feciſſe. Sed nec id apud vllum grauem auctorem lego, nec video ex illis exemplis, quæ afferuntur, colligi poſſe. Illic enim illis non tanquam conuiuis, ſed tanquam hoſpitibus, & peregrinis feſſis, ac pulueulentis de via loti ſunt pedes. Quibus iiſdem pedes lauare vidnas iubet D. Paulus 1. Timoth. 5.10. Quid ergo queritur Chriſtus ſibi à Phariſæo lotos non fuiſſe pedes, ſi id in more non erat? Non queritur fortaſſe de illo, nec cum reprehendit, quòd pedes ſibi non lauerit, ſed illi mulierem anteponit, quòd lauiſſet. Potuit etiam conqueri, quòd ſibi non tanquam cõuiuæ, ſed tanquam hoſpiti, & peregrino non lauiſſet pedes. Elegans, & vehemens antitheſis. Tu vir, iſta mulier; tu Phariſæus, iſta peccatrix; tu in domo tua, iſta in aliena; tu conuiuæ, & hoſpiti, iſta ignoto ante; tu aqua pedes non lauiſti, iſta non aqua, ſed lacrymis non lauit modò, ſed perpetuò rigauit pedes; tu os meum oſculatus non es, illa, ex quo intrauit, non deſtitit oſculari pedes meos; tu nec caput quidem meum vnxiſti, illa & pedes vnxit.

Mos oſculum pacis dediſſitationis ergo.

45. *Oſculum mihi non dediſti.*) In os ſcilicet, vt mos apud Iudæos erat venientibus oſculum pacis dare ſalutationis cauſa. plena exemplorum eſt ſcriptura ſacra Geneſ. 27.27. & 31.28. Exodi 4.27. & 18.7. Ruth. 1.9.1. Reg. 20.41. & 1. Reg. 14.33. Matth. 26.48. Rom. 16.16. & 1. Corinth. 16.20.

46. *Oleo caput meum non vnxiſti.*) Orientales in conuiuijs pretioſis vnguentis vti ſolitos fuiſſe apud Matth. cap. 26.6. docuimus. Opponit Chriſtus ſimplex oleum, quo pauperes vtebantur, pretioſo vnguento, quo mulier ſibi pedes vnxerat; opponit pedibus caput.

47. *Propter quod dico tibi.*) Propter quæ officia, *remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum.* Quæ ad vim argumentationis pertinebant, ſupra declarauimus ver. 42. Nunc de ipſa per ſe propoſitione diſputandum. Quomodo verum eſſe poteſt multa illi peccata fuiſſe remiſſa, propterea quòd plùs Chriſtũ dilexiſſet, cùm nec caritas in eo qui peccatum habet, peccatorum remiſſionem, neque remiſſio peccatorũ caritatem præcedat vera Catholicaque ſententia? Nam eorum opinionem, qui exiſtimant poſſe caritatem cum peccato mortali cohærere, *nec* audiendam quidem arbitror. Quidam reſpondent veram caritatem ante peccatorum remiſſionem præcedere nõ poſſe, officia tamẽ charitatis ex humana caritate profecta poſſe, quales erant orationes, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

eleemosynę Cornelij, Act. 10.4. Eiusmodi fuisse huius mulieris officia, quæ sicut veræ, diuineque caritatis opera non erant, remissionem peccatorũ propriè non merebantur; merebãtur tamen tanquam dispositiones, non summo quidẽ iure, sed ex æquo, & bono, & vt Theologi loquuntur, de cõgruo, non de condigno. Alij remissionem peccatorum hic non pro culpæ, sed pro pœnæ remissione accipi, caritatem quidem non culpæ, sed pœnæ remissionem sæpe præcedere. Alij non præcedere tempore, sed natura, quia vera caussa est. Omnia hæc dicuntur probabiliter, sed duo prima sunt probabiliora postremo; quia Christus non solùm natura, sed etiã tempore indicat mulierem illã priùs dilexisse multùm, quam multa illi peccata remitterentur; cum priùs toto conuiuio officia illi caritatis exhibuisset, peccata verò non nisi in fine illi remissa sint, cùm à Christo audiuit *remittuntur tibi peccata tua.*

Dilectio mẽsura remittendorum peccatorum.

Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.) Credo particulam Ν, quæ *autem* significare solet, positam esse pro γὰρ enim. Sensus enim est magis consequens. Reuocat Christus hypothesim ad thesim, vt fortiùs probet, quasi argumentetur. *Cui minùs dimittitur, minùs diligit.* Intelligitur pars altera sententiæ, & cui plùs dimittitur, plùs diligit, id est plùs antequam illi dimitteretur, diligebat; quasi breuiùs diceret, dilectio mensura est remissionis peccatorum, ergo huic mulieri quæ multùm dilexerat, multa peccata remissa sunt. Probat enim priorem consequentiam sumpto vniuersali medio, quo collegerat multa illi peccata fuisse dimissa, quia multùm dilexerat. Frustra quidam hoc loco mihi videntur mouere quæstionem, quomodo propositio illa vera sit, plùs diligenti plura peccata dimitti. Nam Ioannem quidem certè plusquam istam mulierem dilexisse, nõ tamen plura illi peccata remissa fuisse. Facilis solutio, hæc propositio quamuis absoluta esse videatur, hypothetica est; intelligenda enim est tacita conditio, si plùs habeat quòd ei remittatur. Denique non significatur quid re ipsa magis, minúsve diligenti remittatur, sed quid natura sua mereatur maior, minórve dilectio. Maior nimirum, vt plura; minor, vt pauciora peccata remittantur.

48. *Remittuntur tibi peccata tua.*) ἀφίενται, remissa sunt nunc me loquente, simúlque remitterẽtur, quemadmodũ, & conniuę intellexerũt. *Quis est hic? &c.* Intellexerunt nimirum his verbis Christum peccata illi dimisisse; itaque nõ declarauit Christus mulieri ante illi à Deo fuisse remissa peccata; si enim id dicere voluisset, nõ fuissent illi eius verbis offensi. Nõ enim ignorabant id prophetas facere potuisse, id in Dauide fecisse Nathan 2. Reg. 12. 13. Sed significauit tunc cum loquebatur, illi peccata à se remitti, quod discumbentes offendit. Quemadmodũ si paralytico illi, cui dixit, *tolle lectũ tuum, & ambula*, dixisset, sanatus es, tolle grabatum tuum, & ambula, nõ dubium quin quamuis verbo præteriti temporis vteretur, significasset, non ante sanatum fuisse, sed tunc à se loquente, iubentéque sanari. Quo ergo modo dixerat ante Simoni, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm?* Dixit ea tum remitti, quia statim erant remittẽda, & quia iam cœpta remitti. Nec enim momento temporis, sed toto illo spatio quo suam erga Christũ caritatem ostẽdit, peccata illi remissa sunt, id est pœnæ peccatis debitæ. De his enim propriè hæc verba intelliguntur, quæ crescente caritate minuuntur. Nam culpa aut tota manet, aut tota momento remittitur: & illi mulieri antequam hoc Christus diceret, remissam fuisse credendum est.

Ioan. 5. 8.

Culpa tota momẽto remittitur. pœna crescẽte charitate minuitur.

49. *Et cœperunt qui simul accũbebant, dicere intra se.*) συνανακείμενοι in se ipsis, aut intra se ipsos. Quod quidam ambiguum esse putant, posse enim significari eos tacitè in animo quemque suo id dixisse, id est cogitasse; aut inter se collocutos submurmurantes, quæ sequuntur. Verba priorem sensum magis mihi videntur præ se ferre. Si enim dicere voluisset inter se murmurasse, potius dixisset τὸ διάλοις, aut πρὸς ἀλλήλους.

Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?) Improbabile mihi videtur, quod nonnulli interpretes dicũt, hęc verba hominum esse admirantium quasi dicant, oportere magnum virum, aut maiorem etiam viro Christũ esse cùm peccata remittat. Quemadmodum illi dixerunt infra c. 8. 25. & Matt. 8. 27. *Quis putas hic est, quia & venti, & mari imperat, & obediunt ei?* Hic nimis bene de malis cogitãt. Facilius creditu est de Pharisæorum ingenio (plerosque enim eorum, qui simul accumbebant fuisse Pharisæos verisimile est) eos ista murmurando, & blasphemiæ Christum accusando dixisse. Sicut simili occasione Scribæ illi Matt. 9. 3. & supra c. 5. 21. *Quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Quod tunc Pharisæi de Christo dicebant, id noui nunc hæretici de sacerdotibus Christi vicarijs dicunt, eos blasphemare, quòd dicant se remittere peccata. Similis error, & quòd illi putabant hominem quem cernebant Christum, & quòd hi hos, quos vident sacerdotes humana, non diuina auctoritate peccata remittere; iam olim in Nouatianis ab Ambros. lib. 1. c. 2. & ab Ecclesia tota refutatus, & à nobis apud Matth. c. 9. 3.

50. *Dixit autem ad mulierẽ, Fides tua te saluam fecit.*) Hic vnus ex ijs locis est, quos semper hæretici nostri temporis in ore habent, vt confirment nos sola fide iustificari. Quam ineptè alios citare soleant, in quibus non de fide, quam ipsi iustificantem, sed de fide, quam miraculorum vocant, agitur, apud Matt. cap. 9. 2. docuimus. Hic vnus est locus, qui magis ad rem citari posse videbatur, quia in eo non de fide miraculorum, sed de fide iustificãte sermo est. Nam mulier illa non venerat ad Christum vt corpore, sed vt animo sanaretur, quod erat iustificari, id credidit, id est cõsecuta. Sed & hunc profectò locum ineptè illi citant. Primùm, non video hìc solam fidem, quæ illis probanda erat, quin fidem video per caritatem operantem, quam nos iustificare dicimus, & quidem primum caritati locum datum, priùs enim quàm Christus diceret, *Fides tua te saluam fecit*, dixerat, *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Deinde cùm dicit, fidem eam mulierem saluam fecisse, non eo modo dicit, quo ipsi dicunt fidem iustificare. Nam illi quidem non docent fidem iustificare, tanquam præcedentem iustificationis cansam, sed tanquam os, aut manum ipsam apprehendẽtem iustificationem. Itaque per fidem nos iustificari putant, quia fide credimus nos esse iustificatos, nobisque iam remissa peccata. Qui error tantùm abest, vt ex hoc loco probari possit, vt ex eo maximè refutetur. Nec enim fides, quæ mulierem istam saluam fecisse dicitur, credebat sibi à Christo remissa esse peccata, sed posse remitti. Quod his ipsis verbis nõ obscurè significatur. Opponit enim Christus fidem mulieris Pharisæorum incredulitati, qui dicebant, *Quis est hic*, non credentes posse eum peccata remittere, itaque cùm mulieri Christus dicit, *fides tua*, indicat propterea illam saluam factam esse, quòd credidisset posse à se remitti peccata, quod illi qui murmurabant, non credebant. Non ergo eo modo dicit fidem saluam fecisse mulierem, quo isti dicunt iustificare, atqui si hoc non probant, nihil pro-

Solus Deus peccata dimittit.

bant.

bant. Deinde cùm mulier illa ad Christũ venit, non dubium, quin fidem habuerit; fidei enim pedibus venerat; at nondum erat profectò iustificata, nondum illi erant remissa peccata, non ergo sola fide iustificata est. Si enim sola fide iustificata fuisset, simul atque fidem habuit, fuisset vtique iustificata. Quam illi consecutionem neque negant, neque negare possunt, cum doceant omni habenti fidem remissa esse, id est non imputata peccata. Denique vt vnum eorum errorem ex errore altero refutemus, ipsi docent quisquis iustificatus est, certò id scire, nec vllo modo dubitare remissa sibi esse peccata. Illa mulier, antequam Christus illi diceret, *remittuntur tibi peccata tua*, nesciebat sibi esse remissa. id enim à Christo tam multis, tam magnis caritatis postulabat officijs, vt sibi peccata remitterentur, nondum ergo erat iustificata; atqui habebat certè fidem, sine qua remissionem peccatorũ à Christo tot lacrymis non petijsset: non ergo sola fide iustificata est. Cur ergo fidei eius salutẽ Christus attribuit? Facilis ratio, & sæpe à multis Catholicis explicata, quòd salutis initiũ fides fuerit, fides enim ad Christũ mulierem adduxerat, & sine fide nunquam ita Christum dilexisset, vt pedes rigaret lacrymis, capillis detergeret, vnguẽto vngeret. Fides salutem inchoauit, consummauit caritas. *Etsi pœnitẽtiæ stimulus ex fide acciderat*, inquit Tertul. lib. 4. aduer. Marcion. *per pœnitentiam ex fide iustificatã ab eo audijt. Fides tua te saluã fecit.*

Fidei cur salus attribuatur.

Vade in pace.) Beda, & Theophyl. bene age, bene viue, noli amplius peccare, vt dixit illi Ioan. 5. 14. & 8. 11. iustitiam enim pacem vocari, quòd apud Deum pacem homini reconciliet. Malo simpliciùs interpretari. Vade libera, sine timore pœnæ ob præterita peccata infligendæ. Est enim modus cum salutatione dimittendi, accommodatè ad id, quòd præcessit, intelligendus, vt Mar. 5. 34. & seq. c. 8. 48.

CAPVT VIII.

Factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, 2. & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, 3. & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. 4. Cum autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: 5. Exiit qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. 6. Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. 9. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. 10. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. 11. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. 12. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. 13. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. 14. Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. 15. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audierũt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum. 16. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. 17. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen. 18. Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat. 19. Videte ergo quomodo audiatis? Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. 20. Venerunt autem ad illum mater, & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba. 21. Et nunciatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre. 22. Qui respondens: dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. 23. Factum est autem in vna dierum: & ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. 24. Et nauigantibus illis, obdormiuit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur. 25. Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpauit ventum, & tempestatem aquæ, & cessauit: & facta est tranquillitas. 26. Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad inuicem, dicentes: Quis putas hic est, quia & ventis, & mari impe-

Mar. 16. c. 9.

Matt. 13. a. 1. Mar. 4. a. 2.

Isai. 6. c. 9. Matt. 13. b. 14. Mar. 4. b. 12. Ioan. 12. f. 40. Act. 28. f. 26. Rom. 11. b. 8. Matt. 5. b. 15. Mar. 4. c. 21. Matt. 10. c. 26. Mar. 4. c. 22. Matt. 13. b. 22. & 15. a. 29. Matt. 12. d. 46. Mar. 3. d. 31. Matt. 8. d. 23. Mar. 4. d. 36.

rat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rat,& obediunt ei? 27. Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum,quæ est contra Galilæam. 28. Et cum egressus esset ad terram,occurrit illi vir quidam,qui habebat dæmonium iam temporibus multis,& vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. 29. Is,vt vidit Iesum,procidit ante illum: & exclamans voce magna,dixit: Quid mihi,& tibi est Iesu Fili Dei Altissimi? obsecro te,ne me torqueas. 30. Præcipiebat enim spiritui immundo vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis,& compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. 31. Interrogauit autem illum Iesus,dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum. 32. Et rogabant illu ne imperaret illis vt in abyssum irent. 33. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum,vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. 34. Exierunt ergo dæmonia ab homine,& intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præceps in stagnum,& suffocatus est. 35. Quod vt viderunt factum qui pascebant, fugerunt,& nunciauerunt in ciuitatem,& in villas. 36. Exierunt autem videre quod factum est,& venerunt ad Iesum: & inuenerunt hominem sedentem,à quo dæmonia exierant, vestitum,ac sana mente ad pedes eius,& timuerunt. 37. Nunciauerunt autem illis & qui viderant,quomodo sanus factus esset à legione: 38. & rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens nauim, reuersus est. 39. Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: 40. Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vniuersam ciuitatem,prædicans quanta illi fecisset Iesus. 41. Factum est autem cum rediisset Iesus,excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum. 42. Et ecce venit vir,cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum eus, 43. quia vnica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur. 44. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim,quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari: 45. accessit retro,& tetigit fimbriam vestimenti eius: & confestim stetit fluxus sanguinis eius. 46. Et ait Iesus: Quis est,qui me tetigit? Negantibus autem omnibus,dixit Petrus,& qui cum illo erant: Præceptor,turbæ te comprimunt,& affligunt, & dicis: Quis me tetigit? 47. Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. nam ego noui virtutẽ de me exisse. 48. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit,& procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eum,indicauit coram omni populo: & quemadmodũ confestim sanata sit. 49. At ipse dixit ei: Filia,fides tua saluam te fecit: vade in pace. 50. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ,dicens ei: Quia mortua est filia tua,noli vexare illum. 51. Iesus autem,audito hoc verbo,respondit patri puellæ: Noli timere,crede tantum,& salua erit. 52. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum,& Iacobum,& Ioannem,& patrem,& matrem puellæ. 53. Flebant autem omnes,& plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere,non est mortua puella, sed dormit. 54. Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset. 55. Ipse autem tenens manum eius clamauit,dicens: Puella, surge. 56. Et reuersus est spiritus eius,& surrexit continuo. Et iussit illi dari manducare. 57. Et stupuerunt parentes eius,quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

Matt. 9. c.18. Mar.5.b. 22.

IN CAPVT VIII.

I. ET factum est deinceps.) Post coniectum Ioannem in vincula,vt dixerat superiore c.7.19. Dixerat etiam eodem c. ver.11. Christum ijsse in ciuitatem, quæ vocabatur Naim, vbi mortuum illum suscitauit; docet nunc iter illud suum prosecutũ fuisse,& omnes Galilææ ciuitates perlustrasse Apostolis suis comitatum, multisque mulieribus, quæ ab eo priùs curatæ ipsum gratum exhibituræ ministerium sequebantur; narrátque quid in ea peregrinatione Christus fecerit notabilius. Sunt qui putent hæc accidisse,postquam Christus Apostolos ad prædicandũ miserat,& redierant,vt scribit Lucas c.9.1.& Matth.c.10.5. itaque hæc Lucã per anticipationem dicere. Cõtra Beda sentit,& fortasse probabiliùs, nondum cum hoc accidit missos fuisse ad prædicandum Apostolos, sed in hac peregrinatione exercitatos à Christo fuisse ad futuram missionem. Idem Theophylact' existimat, nisi quòd Beda videtur existimare Apostolos etiam,cùm in profectione Christum sequerẽtur, prædicasse; Theophyl. vt mihi videtur, probabiliùs, non prædicasse, sed didicisse. *Et ipse iter faciebat per ciuitates,& castella prædicãs,& euangelizans regnũ Dei.*) Studiũ,& diligentiã Christi in offi

in officio fungendo declarat Euangelista. Præbuit Christus,vt Theophil.ait, cõcionatoribus exẽplum vt vbique animas quærãt,nec in magnis tantùm ciuitatibus,sed in minimis etiam pagis cõcionentur. *Et duodecim cum illo.*) Duodecim Apostoli cum illo erant,vt Theophyl.& Euthym.exponunt. Alij,cum illo sub.annuntiabant, & euangelizabant regnum Dei. Dixerat cap.6.13. elegisse Christũ ex discipulis suis duodecim, quos Apostolos nominauit, proptereа nunc absolutè duodecim vocat.

2. Et mulieres aliquæ,quæ erant curatæ à spiritibus malignis,& infirmitatibus.) Sequi voluisse mulieres Christum tanto ab eo affectus beneficio nihil mirum; ingratæ fuissent,si sequi noluissent. Mirum tamen passum fuisse Christum,vt se sequerẽtur,quem aliquos viros à se curatos, seq; volẽtes sequi domum remisisse legimus Mar.5.19. quenquam verò permisisse, vt sequeretur nõ legimus, cum magis æquũ, honestumq; videretur, vt se viros, quàm mulieres sequi pateretur. Secutos etiá aliquos viros ex illis,qui ab eo curati sunt,etsi non legimus,credẽdum est. Cur illos apud Marcũ se sequi noluerit,illic exposumus. Cur has sequi mulieres passus sit,indicat Euãgelista, cum dicit ver.3. *quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Propterea ergo patiebatur eas sequi se,quia earum ministerio,& facultatibus indigebat, tollebat consuetudo offensionem, vt Hieron.in comment.in c. 27.Matt.adnotauit,& ex eo Beda & Strab.hoc loco mutuati, *Consuetudinis*, inquit Hieron. *Iudaica fuit, (nec ducebatur in culpam,more gentis antiquo) vt mulieres de substantia sua victum,atque vestitum præceptoribusministrarent. Hoc quia scãdalum facere poterat in nationibus, Paulum abiecisse se memorat. Dicit enim ipse: Nunquid non habemus potestatẽ sororem mulieres circumducendi,sicut & ceteri Apostoli faciunt?* Putat etiam Tertul.lib.contra Marc.4. mysterio id factum esse, vt Isaiæ prophetia impleretur c.32.9. *Mulieres opulentæ surgite,& audite vocem meã,filiæ confidentes percipite auribus eloquiũ meũ.* Hunc morem laudabiliter ab Apostolis vsurpatum in abusum hæretici peruerterũt Simon Magus, Nicolaus,Marcion,Apelles,Montan',Donatus,Arius, Elpidius; qui quas mulierculas circumduxerint, ex Hieron.lector discet in epist.ad Ctesiphon.

Maria,quæ vocatur Magdalene.) (De Maria Magdalena,an eadẽ fuerit quę soror Marthę,ac Lazari,apud Matt.c.27.56. disseruimus. An autem fuerit illa,quę superiore capite ver.37. peccatrix fuisse dicitur,& Domini pedes rigasse lacrymis Matt.26.7. An multę fuerint eodẽ nomine Marię Magdalenę Matth. 28.1. *De qua septem dæmonia exierãt.*) A Christo ejecta, vt Mar.16.9. expositum. Numerũ certũ pro incerto ponit plerique interpretes existimant; non enim septem tantùm, sed multo plura dæmonia à Maria Magdalena ejecta fuisse. Id enim sæpe in scriptura fieri solere in hoc præsertim numero septenario nemo nescit: & exempla in próptu sunt, Prou.24.16. Eccl.35.13. & infra c.17.4. ita Greg.ho.in Euangelia 33. Beda,& vt videtur Theophyl. ijdem existimant, non fuisse vera dæmonia, sed vitia. Vellẽ grauiẽ habere auctorẽ qui contra sentiret; ego quidem neutrũ mihi persuadere possũ. Cum enim vterq; Euãgelista Marcus,& Lucas eundẽ septenarium numerũ expresserit, probabile non est pro incerto numero posuisse. Alter saltem eorum dixisset, de qua multa dæmonia ejecerat. Minùs etiam probabile esse arbitror vitia fuisse, non dæmones, quibus mulier dicatur esse liberata; nec enim dubium est hoc Euangelistas addidisse, vt Mariam Magdalenam ex facto,an ea singulari miraculo deseriberent. A vitijs autem eam liberare, aut miraculum non erat, aut non habebatur.

3. Et Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis.) Incertum an & istæ duæ mulieres nobiles, quæ post Magdalenam nominantur, à Christo vel à dæmonibus, vel ab alijs morbis curatæ fuerint. Nec enim omnes, quæ Christum sequebantur Euãgelista nominauit. Sed est probabilius & ipsas curatas fuisse. Æquè incertum an, quod sequitur, *Quæ ministrabant ei de facultatibus suis*, ad omnes, quas nominauit, referendum sit. Id ego accommodatè ad personas intelligendũ esse puto. Nec enim credibile est omnes mulieres, quæ Christum sequebantur, fuisse tam diuites, vt illi de suis facultatibus largiri possent. Largiebantur ergo, quæ poterant; poterant, quę diuites erant. Valdè autem diuitem fuisse Iohannam,& valdè piam credendum est, cùm procuratoris Herodis vxor esset, relictóque viro Christum sequeretur. Nam etsi non constat omnino virum tunc in viuis fuisse, est tamen lõgè probabilius, quàm fuisse mortuum, cùm Euangelista non dicat, quæ fuerat vxor, sed *vxor procuratoris Herodis*. Potest hoc exemplum nostris seruire morib. vt intelligamus licere mulieri infidelem relinquere maritũ, vt sequatur Christum 1.Cor.7.15. Rectè etiá obseruauit Theoph. ideo voluisse Christũ, vt se mulieres iste sequerentur, vt intelligerem' multo magis viros, si velint, sequi posse.

4. Cum autẽ turba plurima cõueniret.) Ad littus maris Galilææ vbi Christus in nauim ascendẽs eam cõcionem habuit Matt.c.13.1.& Mar.4.1. vbi quæ sequũtur vsq; ad ver.16. expositumus. Totũ verò reliquũ caput in ijs locis Matt.& Mar. qui ad marginẽ signati sunt.

Numerus certus pro incerto in scriptura.

CAPVT IX.

CONuocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem,& potestatem super omnia dæmonia,& vt languores curarent. 2. Et misit illos prædicare regnum Dei,& sanare infirmos. 3. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam,neque peram,neque panem,neque pecuniam,neque duas tunicas habeatis. 4. Et in quamcumque domum intraueritis,ibi manete,& inde ne exeatis. 1. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa,etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. 6. Egressi autem circuibant per castella euangelizantes,& curantes vbique. 7. Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia,quæ fiebant ab eo,& hæsitabat eo quòd diceretur. 8. à quibusdam: Quia Ioannes surrexit à mortuis: à quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab alijs autem: Quia propheta vnus de antiquis surrexit. 9. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui: Quis est autem iste,de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. 10. Et reuersi Apostoli,narrauerunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis

Matt.10. a.1. Mar.3.c. 13. Mat.10. a.9. Mar. 6. a.8. Luc. 13. g.51. Matt.14. a.1. Mar. 6. d.14.

secessit

Universidad de Deusto
Biblioteca

seceſsit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. 11. Quod cum cognouissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebāt, sanabat.
Matt.14. b.15. Mar.6.d.36. Ioann.6. a.9.
12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in castella, villasque quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus. 13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces: nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. 14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. 15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. 16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas. 17. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim.
Matt.16. b.13. Mar.8.e. 27.
18. Et factū est cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ? 19. At illi respondentes, dixerunt: Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero quia vnus Propheta de prioribus surrexit. 20. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. 21. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, 22. dicens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere.
Matt.17. d.23. Mar.8.e. 31. Matt.16. d.21. & 16.d.24. Mar.8.d. 34.
23. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. 24. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluā faciet illam. 25. quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? 26. Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorū Angelorum. 27. Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. 28. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem vt oraret. 29. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera: & vestitus eius albus & refulgens. 30. Et ecce duo viri loquebātur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias, 31. visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. 32. Petrus vero, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatē eius, & duos viros, qui stabant cum illo. 33. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, vnum Tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ: nesciens quid diceret. 34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem. 35. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. 36. Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquā ex his, quæ viderant. 37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. 38. Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum quia vnicus est mihi: 39. & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum: 40. & rogaui discipulos tuos vt eiicerent illum, & non potuerunt. 41. Respondens autē Iesus, dixit: O generatio infidelis, & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum. 42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit. 43. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum. 45. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos vt non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo. 46. Intrauit autem cogitatio in eos, qui eorum maior esset. 47. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illū secus se, 48. & ait illis: Quicunque susceperit puerū istum in nomine meo, me recipit: & quicunque
Matt.18. a.1. Mar.9.e. 33.

me receperit, recipit eū, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est. 49. Respondens autem Ioannes dixit: Præceptor, vidimus quendā in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum. 50. Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. 51. Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem. 52. Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt pararent illi. 53. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. 54. Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? 55. Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. 56. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum. 57. Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris. 58. Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. 59. Ait autem ad alterum: Sequere me. ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. 60. Dixitq; ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei. 61. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt. 62. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.
Matt.8.c. 19. Ioan 3.a. 1.

IN CAPVT IX.

ONVOCATIS *autem duodecim Apostolis.*) Seiunctis à turba, vt priuatim eos institueret. Omnia quæ sequuntur vsque ad ver. 51. apud Matthæum & Marcum explicata sunt.

51. *Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius.* Tempus passionis intelligi non est dubium, ἀνάλημψις enim assumptionē, aut resumptionem vocat Christi reditū in cælum, vt Act. 1.2. 11.22. quòd Christus à Patre in terras ad tēpus missus, & hominibus datus, reuocatus, ab illo, atque resumptus sit. Sunt qui ἀναλαμβάνειν forense verbū esse putent, significaréque abdicarū à patre filiū iterū in domum recipi. Sic Christū quasi abdicatū à patre, & in humanis mundi exiliū ablegatū reuocatū fuisse, & in cælum receptum. Alij assumptionem susceptū à Christo salutis nostræ negotiū interpretātur, quasi dicat implerētur tempus, cum negotium sibi à patre demissum perfecturus esset Christus. Quæcūq; tandē verbi origo sit, nō dubiū, quin mors Christi non coacta, sed voluntaria significetur. Quemadmodum & ipse dicit se potestatē habere ponendi animā suā, & iterum suimendi eā, Ioann. 10.17. 18. Indicat etiam Euangelista, cum dicit, *dum complerentur dies*, tempus passionis eius non ab hominibus electum, sed à Deo assignatū fuisse, idq; ipsum quamuis futurū Christo non ignorasse. Quæ omnia acutè notauit Beda, & in Arianos obiecit, apud quē lector, si desiderabit, videre poterit. Miror interpretes fere omnes diligentiæ huius loci silentio præterire. Qui enim fieri potuit, vt iā tunc tēpus passionis instaret, cum tamen est longe ante passionis tempus accidisse, nec tā diu? tēpore fieri potuisse? Illud à quibusdā notatum & omnibus Euāgelistis cōmune est, & vt cōsequitur facis esse explicatū locum. Quorsum enim scribat Lucas, si ea quæ statim sequūtur, ante eā profectionē acciderūt? Satis enim apparet profecto eū profectionis nō meminisse, nisi vt narraret, vbi & quomodo quæ dicturus erat, accepissent. Credo igitur ego, quemadmodum apud Mar. c. 1.14. docuimus, quater Christum à Iudæa in Galilæā, ter à Galilæa in Iudeam decessisse. Primum cum ex Ægypto rediisset, audissétq; Ioseph, qui eius gerebat curam, Archelaum regnare in Iudea pro Herode patre suo, abijt ex Iudæa in Galilæam. Matt. 2.22. Anno verò ætatis 30. venit à Galilæa in Iudæam, vt à Ioāne baptizaretur, Matt. 3.13. Mar. 1.9. Vbi postquā baptizatus esset, & aliquādiu prædicasset, cū audisset Ioannē in vincula coniectum, secessit ex Iudæa in Galilæā supra. c. 4.14. & Matt. 4.12. & Mar. 1.14 Vbi cum Apostolos elegisset, & cùm ipse aliquāto tēpore (quāto enim incertū est) prædicasset, ac miracula fecisset, tum Apostolos ad prædicandum misisset, Matt. 10.4. Mar. 3.13. & supr. ver. 1. & ex prædicatione redijssent, videns breue vsq; ad mortē suam superesse tempus tertio à Galilea migrauit in Iudæam, collectis iā discipulis comitatus, nō vt moreretur, sed vt prædicaret, nam ad moriendum postea reuertit. Atq; de hac Christi à Galilæa in Iudæā profectione hoc loco Lucas agit. Quare quod dicit, *dum cōplerentur dies assumptionis eius*, nō ita intelligendum est, quasi iam omnino passionis eius tempus instaret, & vt quidā interpretantur, sex vt plurimū vsq; ad mortē menses superessent, quin plus, vt arbitror, vno anno: sed ita vt tempus compleretur id est breue esset, vt in Iudæa priùs prædicare posset, & antequā moreretur populum docere, & multis quemadmodū in Galilæa miraculis cōfirmare. Nā si de vltima ex Galilæa in Iudæā profectione ageretur, qua non alia de causa eò venit, quàm vt moreretur, quemadmodū omnes interpretes putant, nō sex vt quidā eorū dicunt, menses, sed nec vnus quidē reliquus fuisset. Nam à Galilæa vsque ad ipsam Ierosolymitanā vrbē quattuor quā plurimum dierum iter erat. Et cōstat ex ijs, quæ diximus Matt. c. 26.2. Christū in illo vltimo reditu, quo ex Galilea in Iudæā venit, pridie sabbati Bethaniā peruenisse. Ipso verò sabbato ibi quieuisse, vbi, vt ait Ioan. c. 12.2 *fecerunt illi cenā magnam.* postridie asino vectū, & populo fausta acclamante Ierosolymam ingressum, & post triduum crucifixū. Quando ergo in Iudea prædicauit? quādo miracula fecit? quia ergo Lucas hactenus narrauerat, quid Iesus post baptismū fecisset in Galilea, voluit exponere, quomodo in Iudeam reuertisset, & quid in via, quid in ipsa Iudæa fecisset: id hoc loco agit, atq; ex hoc ipso loco

Universidad de Deusto
Biblioteca

profecto colligi potest post hãc profectionẽ iterum Christum in Galilæam redijsse: si enim iã accidisset, quod Ioan. c.4. narrat, vtiq; libenter eum recepissent. Cæterum postquã Christus in Iudæa diu prædicauit, videns Pharisæorum contra se inuidiam cõcitari, redijt quartò in Galilæã, vt apud Marcum c.1. 14. ex Ioã. c.4.1.43. satis me probasse arbitror instãte verò passione tertio ex Galilæa Ierosolymã redijt, vt Marc. c.10.32. pertè docet, & Luc. c.18. 31. & Matt. 20.17. indicauit. Deniq; ex capite sequẽti v. 38. & 39. manifestũ est non fuisse hanc vltimã Christi ex Galilæa Ierosolymam profectionẽ. Nam illic dicitur à Martha domo nunc exceptus: in vltima autẽ profectione, nõ in domo Marthæ, sed in domo Simonis leprosi exceptus est, Matt. 26.6. & Mar. 14. 3. Sic nulla repugnãtia, nulla difficultas hoc loco est.

Hebraismus. *Et ipse faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem.*) Hebraismus est, quo firmum animi propositum significatur, sumpta ex taurorũ consuetudine metaphora, qui cũ obstinati aliquò aggrediuntur, vultũ corrugantes offirmãt. Vnde & Hispanis dictum est *encarar*, pertinaceq; plerunq; iram declarat, vt Leu. 17.10. Prouerb. 21.29. Ezec. 4.3. Sed hoc loco vt dixi simpliciter firmum animi propositum significat. Theophyl. Euthym. Alij; non vagabatur, Titus. Alij, magno, & erecto animo, Hieron. q.5. ad Algasiam.

52. Et misit nuntios ante conspectũ suum.) ἀγγέλους angelos. Hier. q.5. ad Algas. veros angelos nõ homines fuisse putat, qui à Christo missi sunt. Quorsum miserit, non satis declarat Euangelista. Plerique putãt ideo misisse, vt quæ necessaria erant ad victum, hospitiumq; præpararent; magnam enim hominũ multitudinem secutam fuisse Christum, quibus necessaria voluerit prouidere. Nam & cum postea à Iudæa eadem via rediret in Galilæam, in eandem vrbem discipulos misit, vt cibos emerent, Ioan. 4.8. id colligitur ex ver. 52. sic Cyril. apud D. Thom. & Theophy. hoc loco. Probabile etiam est, quòd ijdem auctores dicunt, voluisse Christũ discipulos exercere, vt missi postea ad prædicandũ assueti essẽt pati repulsam. At cur mittebat, cum non ignoraret fore vt non reciperentur? Respondent illi ipsi eam ob causam, vt discipulos contemptui assuefaceret. Deinde nequid intẽratum erga Samaritanos relinqueret; quo minùs illis etiam gustum aliquem præberet Euangelij, ne postea causari possent Christum ad se nõ venisse, propterea nõ recepisse; recepturos fuisse si venisset, vt Theophyl. ait. Qui fuerint missi, incertum est, tamen est probabilis Euthym. sententia Iacobum, & Ioannẽ fuisse, quòd ij soli dicantur ver. 54. indignati à Christo petuisse, vellétne ignem de cœlo in Samaritanos euocarent.

Et intrauerũt in ciuitatem Samaritanorum.) Sunt qui existiment non fuisse vrbem ipsam Samariam, vnde tota etiam prouincia Samaria dicta est, in qua missi discipuli ingressi dicuntur, sed pagum aliquẽ Samaritanorum, quia Græcè Euangelista non πόλιν sed κώμην vocat. Non moueor argumento, nam & ea nomina sæpe per catachresin mutari solent, & simus vtrè ipsam Samariã in recta fuisse via, vt constat ex Ioan. c.4.4. Et pagus facile eum recepisset, quis enim restitisset? Ita certe intellexit noster interpres.

Hebraismus. *53. Et non receperũt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalẽ.*) Alius Hebraismus, id est, quia indicabat se Ierosolymam ire, ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον, quoniã facies eius erat iens, melius Latinus interpres Hebraismum expressit. Si hanc rationẽ Euangelista nõ reddidisset, quamobrem Christum Samaritani nõ recepissent, aliam fuisse repulsæ causam diceremus, quòd nullus inter Iudæos, & Samaritanos vsus esset, sed alij ab alijs tanquam à profanis hominibus abstinerent, ita prorsus vt mulier illa Samaritana mirata fuerit Christũ hominẽ Iudæum etiam in maxima siti potum à se petiuisse, Ioan. 4.9. contrà verò Iudæi illi, quòd ex Samaria venisset, exprobrabant. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Ioan. 8.48. Cæterum Euangelista non ob eam causam declarat reiectu fuisse Christũ, sed quòd versus Ierosolymam iter intenderet; quæ ratio quo modo intelligẽda sit, quæritur. Hier. q.5. ad Algas. & Theophyl. sic exponit, quasi propterea Christus à Samaritanis receptus non fuerit, non quia illi noluerunt, sed quia ipse noluit, quasi sciens sibi voluisse quidẽ, sed non potuisse recipere eum, ac retinere, quia Ierosolymam versus festinabat, à quo sentiũ longe abest Ambrosius. Quę interpretatio ex verbis Euangelistæ manifestè refellitur. Cur enim Iacobus & Ioannes ignẽ in eos de cœlo deuocare voluerunt, nisi quia Dominum recipere nolebant? Aliquanto melius Beda Euthym. idemque Hiero. eodem loco, propterea recipere noluisse, quia videbant ire Ierosolymam, vnde Iudæum esse collegerunt, & quia nõ coutebantur Iudæi Samaritanis, recipere nolierant. Magis assentior ijs, qui id religionis causa fictũ putant. Contendebant Samaritani non in templo Ierosolymitano, sed in eo templo, quòd Sanaballates Præfectus Darij in monte Garizim in Samaria ædificauerat, vt Manasse genero suo à Iudęis Ierosolyma pulso, & sacerdotio priuato gratificaretur, cùm Iudæos esse Deum, vt apparet Ioã. 4.20. Historia apud Ioseph. lib. 11. ant. c.7. & 8. & lib. 12. c.1. Videlicet igitur Samaritani Christũ, & qui eum sequebantur, adoraturos ire Ierosolymã, id eo nõ receperunt, ne religionẽ illã, & morẽ Ierosolymis adorandi approbare viderentur. Quemadmodũ ij nunc hæretici hospites, qui aduentantes omnes & hęreticos & Catholicos excipiunt, ij quem Catholicum ibidem aut Romam, aut Compostellam ire religionis causa excludat, hospitio. Sæpe alias Christus illac iter habuerat, &, vt credibile est, à Samaritanis fuerat exceptus, quia aut non Ierosolymam versus sed à Iudæa in Galilæam ibat: aut certè nõ quasi adoraturus ibat. Atque hoc ipsum Euangelista significare voluit, cum dixit propterea receptum nõ fuisse eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalẽ. Quærat aliquis quomodo cognouerunt Samaritani adoraturum Ierusalem ire? Est vero simile propinquũ fuisse Paschã, quo tempore omnes vndiq; Iudæi Ierosolymam gregatim confluere solebant. Itaq; & ex tali conditione, & ex multitudine hominum, & ex ipso euntiũ, & ex ipso fortasse vultu, ex quo omnes quos & religiosos esse homines apparebat, incellexerunt adoraturos ire.

54. Cum vidissent autẽ discipuli eius Iacobus & Ioannes.) Omnes quidem id vidisse credẽdum est, sed Iacobum, & Ioannẽ voluisse ignem de cœlo deducere. Refertur tamẽ verbum *vidissent* ad solos Iacobum, & Ioannem, ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης videntes autem discipuli eius Iacobus, & Ioannes; non quòd alij non viderint, sed quòd ex eorum nibus qui viderunt, illi soli vidẽtes dixerint, *vt dicimus, vt ignis descendat de cœlo?* Cur illi tãtùm dixerint, nullã satis probabilẽ coniecturã habere possumus. Ac ne quæstionẽ quidẽ quisquã præter Euthymium attingit. Is verò suspicatur propterea eos duos hoc dixisse, quòd illi soli fuissent missi. Non caret probabilitate. Fortasse quasi Christi cognati vlciscebãt eius iniurias. Potuerunt & suopte ingenio facere, vt sunt alij alijs vel ad iustitiam, vel ad vindictam propensiores. Certè fecerunt cõuenienter non

mini suo. Quid enim mirum filios tonitrui fulgurare voluisse, vt inquit Ambro. An aliquid in eis fuerit culpæ, nec nostrum est facilè iudicare, nec illi sunt nisi certis conuicti rationibus condemnandi. Debetur hocapostolicæ dignitati, vt omnia eorum facta in meliorem interpretemur partem. Itaq; imprudentiam Calmini detestari Catholicus lector debet, qui eos stulta fiducia elatos fuisse dicit. Hieron. quidem q.5. ad Algas. & Beda, & Tirus Bostren. vindicant eos, non tamen suam, sed Christi optasse indicant, non vlla quidem culpa, sed sola Euãgelici, & Christiani spiritus ignorantia: hac enim de causa à Christo reprehenduntur. *Apostoli*, inquit Hierony. *ne lege versati, in qua tantùm iustitiam nouerant, oculum pro oculo, dentem pro dente, vlciscì vitũtur iniuriã, & imitari Eliam ad cuius vocem duos Pentecontarchos miliũ ignis absumpserat.* Nec mirum profectò est id Apostolos facere voluisse, cùm tam multas vindictæ causas habere viderẽtur. Primùm exemplum Eliæ. Deinde iustiorem, quàm ille causam; ille enim propter exulem à Iudęis seruum, hi propter reiectum ignominiosè Dominum ignem in eos mittere volebãt, vt Titus argumentatur. Inuitabat & locus; Samarituni enim illi fuerant, in quos & Elias ignem cælos deduxerat, 4. Reg. 1.10. 11. 12. & duplici pœna digni videbantur, qui simplici nõ fuerant emẽdati; & si nõ aliud, certè moderatio, qua vsi sunt culpa liberare potuit, *vt dicimus* Ambros. prorsus excusat.

55. Et conuersus increpauit eos.) Increpari possunt, qui vacant culpa, sicut à magistro discipulus, si quid ignoret, sine vlla sæpe culpa reprehenditur.

Nescitis cuius Spiritus estis.) Videtur tacitè spiritũ euangelicum, id est suum, qui in mititate, & mãsuetudine consistit, legali, id est Eliæ spiritui; quem illi imitari velle videbãtur opponere, quasi dicat, etiãsi id Eliæ in lege facere licuerit, vobis tamen in Euãgelio facere non licet. In hanc fere sententiã Hier. Quid ergo de Petro dicendũ, qui & hac Christi iam audita increpatione, & Spiritu sancto visibiliter etiã accepto Ananiã, & Saphirã verbo interemit? Act. 5. 4.5. Respondet Beda discrimẽ illud inter legẽ, & Euangeliũ non adeo esse perpetuũ, quin & in lege aliquando benignitate vtendum fuerit, & in Euãgelio vt aliquando liceat seueritate. Vsus est in lege Eliæus benignitate etiam in hostes à Rege Syriæ missos, vt comprehenderetur, quos cum in vrbem Samariam, vbi hoc ipsum accidit, cõclusisset, noluit occidi, sed lautè pastos dimitti, 4. Reg. 6.22. Vsus est in Euangelio seueritate Petrus Ananiã, & Saphirã occidens, Act. 5.4 5. Vsus est Paulus tradens Corinthium illum in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret, 1. Corinth. 5.5. Vsus est in Elymam Magum, illum excæcans, quia vias Domini peruertere nõ desistebat, Act. 13.11. Ergo nec in lege erat desperanda benignitas, nec in Euangelio est conteñenda seueritas. Habet & Euangeliũ gladiũ suum, etsi rarò distringit. Et quod Christus ait, *Nescitis, cuius spiritus estis*, non mihi videtur propriè de toto Euangelio, sed de solo Christo dictum esse, qui etsi poterat, & homines maximè digni erant, vt ab eo punirẽtur, non venerat tamen, vt ſtatim dicit, *animas perdere, sed saluare.* Nec volebat armis obtrudere, sed mãsuetudine, doctrina miraculis Euangeliũ insinuare. Cęterũ cum opus est, & ferro de terra, & igne de cœlo eruenda est, & conseruanda religio, occidendi indentes in Ecclesiam Turcæ, comburendi tanquã proditores, & transfugæ discedentes hæretici. Nec vlla belli iustior esse potest causa, quàm vt religionis possessio defendatur. Nulla res aut tam iniustis armis propagari, aut tam iustis defendi potest.

56. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.) Loquitur de seipso tertia persona, vt sæpe solet. Cur autẽ se filium hominis appellet, diximus apud Matt. 8.20. Iudit autẽ ambiguitate vocabuli. Cũ enim anima & pro toto homine, & pro altera hominis parte sumi soleat, discipuli nõ animas, sed corpora Samaritanorũ perdere voluissent; ipse de anima sola respõdet, declarãs se propter salutẽ animarũ maximè venisse, sed quia ad salutem eãrũ non conueniebat corpora perdere, nolle id facere. *Et vos ergo* (inquit Beda) *cuius spiritu signati estis, eius & alia sectamini.*

57. Factum est autẽ ambulantibus eis in via.) An hęc, & quæ proximè sequitur historia eius, qui iussus sequi Christũ, tempus petiuit, vt patrẽ suum priùs sepeliret, eadẽ sit atq; illa, quæ apud Matt. c.8.19. narratur, & quo tempore acciderit, illhc docuimus.

61. Et ait alter, Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, qui domi sunt.) Hoc solus narrat Lucas, quod vtrũ eodem tẽpore, quo duo superiora vocationis exempla, quæ etiam à Matthęo commemorantur, factum fuerit, compertum nõ habemus. Sed est verosimile in illa eadẽ Ierosolymam versus profectione hæc omnia contigisse, & quia videtur Euangelista ostendere voluisse, quanto aliter in Iudęa, quàm in Galilęa vocationes Christo successissent, cùm in Galilæa neminem vocasset, qui non eũ cõtinuo relictis rebus omnibus secutus fuerit, multi etiam non vocati sequerentur, in Iudęa verò neq; quisquã vocatus secutus eũ sit, & ij, qui sese ad sequẽdum sponte obtulerunt, ita obtulerint, vt repulsa digni fuerint. Et videtur hæc tria ita narrari quasi eodem tempore, eodem acciderint loco. Num quòd Christus repulso primo illo, qui sese offerebat, aliũ se non offerentem vocauerit, ac ne sepelire quidem patrem permiserit, videtur industria fecisse, vt qui aderant & vtrumque videbant intelligeret, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Nec eligi omnes qui se offerant, nec omnes qui non se offerãt repudiari. Tertius verò videtur tanquã se meliorem alijs probaturum obtulisse, nõ petita venia, vt sepelirer patrem, vt fecerat prior, sed tantùm vt certiorẽ faceret, & salutaret. Ambigua sunt Græca verba ἀπόταξαι τοῖς εἰς οἶκόν μου, aut renunciare bonis meis, déque illis disponere, aut, valedicere domesticis meis. Posteriorem sensum Cyrillus apud D. Thom. & Beda sequuntur. Mihi prior magis placet, quem & Augustin. libr. 2. de consensu Euang. cap. 23. magis videò placuisse. vertit enim, *renuntiare his, quæ domi sunt.* Mouet me, quòd phrasis illa, εἰς οἶκον magis de rebus quàm de personis dici posse videatur.

62. Aut ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.) Metaphora est ab aratoris usus sumpta, qui manu ſtiuã tenentes oculos habeat ante se in sulcũ intentos rectus vt sit, nec potest bonus arator esse, qui respicit in tergum. Quædam officia rectè facias, quocunque oculos vertas, vt loquaris, vt edas, vt ambules, nihil refert, quò respicias, at vt ares, vt scribẽdo rectos ducas versus, vt pingas, plurimum refert. Huiusmodi regnum cælorum est, nemo potest ad illud peruenire, nisi recta intendat via, quocunque à recta via deflectat, errat. Nemo potest rectà ire via, si alio respiciat. Angusta enim & lubrica est, nemo eam nisi attentus sequi potest, simul vt oculos auertit, aberrat. Quemadmodum ergo non est aptus ad aratoris officium, qui iniecta ad ſtiuã manu retro oculos vertit; ita ad regnum Dei, id est ad officium Christiani aptus non est, qui postquam ad illud animum adiecit, ad alia negotia curam & cogitationem distrahit, quæ à rectà eum via deducant. Quid hic regnũ Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regnum Dei quid hic appelletur.

intelligi debeat,quæri potest.Licet eadem fere sententia & cœlum ipsum, & Ecclesiam, & discipuli Christi officium intelligere.Nam qui retro respicit neque ad regnũ cœlorum,quò tendit,facilè perueniet;neque Ecclesiam quasi Dei agrum bene arat,& colit; nec bonus est discipulus Christi, qui vt alia curet negotia,ab eius latere discedit.Sed hoc loco Christus de ijs,qui idonei non erant,vt ipsius discipuli essent,propriè ἐργάτας videtur.Nam ille qui dixerat,*Sequar te Domine sed permitte mihi prius renuntiare his quæ domi sunt*,eius proculdubio discipulus fieri volebat.Itaque regnum Dei actiuè intelligendũ est, quasi dicat, *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei* prædicãdo.Euangelij prædicatorem militi similem esse necesse est,ljberũ, expeditum,nullis alijs affixũ curis. *Nemo*,inquit ille optimus Euangelij prædicandi magister,*militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* 2.Timoth.2.4.& ij, *qui in stadio currunt,ab omnibus se abstinent.* 1.Cor.9.24 25.& ipse de se dicit ad Phil.3.13.14.*Quæ quidẽ retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendẽs meipsum ad destinatũ persequor, ad brauium supernæ vocationis*

A *Dei, in Christo Iesu.* Quibus verbis breuiter declarauit quid esset manum ad aratrum missile,à Deo vocato esse,& retro respicere,ad priores sæculi huius curas animum conuertere. Mittere ergo manũ ad aratrum est Dei militiæ,vt vocat D.Paulus,nomẽ dare,& in stadio currere;quomodo curret retro respiciẽs?Hæc expositio magis litteralis videtur,quam illa Gregorij hom.in Ezech.3.& Bedæ in comment. Manũ emittebat in aratrum mittere est,quasi quodam compunctionis instrumento ligno,& ferro Dominicæ passionis duritiẽ sui cordis atterere,atque ad profectandos operum bonorum fructus aperire.Quã si quis excolere incipiens cum vxore Lot ad ea,quæ reliquerat vitia respicere delectatur,futuri iam regni munere priuatur.Retro verò respicere est propria,& sequi contraria,aut adeo certe diuersa, vt simul cũ Euãgelij prædicatione,aut cum propria salute,ab regnum Dei pro Ecclesia,aut pro ipso cælo accipiamus,agi non possint.Citat Bernardus epist. 94. ex Pastorali Gregorij accommodatam huic loco sententiam,quam apud Gregor.non inuenio. Alia videat lector poterit apud Basil.in Constit.monast.c.21.

B

CAPVT X.

1. POST hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem,& locum,quò erat ipse venturus. 2. Et dicebat illis: Messis quidem multa,operarij autem pauci.Rogate ergo dominum messis vt mittat operarios in messem suam. 3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 4. Nolite portare sacculum,neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. 5. In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui: 6. & si ibi fuerit filius pacis,requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. 7. In eadem autem domo manete edentes,& bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque ciuitatem intraueritis & susceperint vos,manducate quæ apponuntur vobis: 9. & curate infirmos,qui in illa sunt,& dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei. 10. In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: 11. Etiam puluerẽ qui adhæsit nobis de ciuitate vestra,extergimus in vos:tamẽ hoc scitote,quia appropinquauit regnum Dei. 12. Dico vobis,quia Sodomis in die illa remissius erit,quam illi ciuitati. 13. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes,quæ factæ sunt in vobis,olim in cilicio,& cinere sedentes pœniterent. 14. Verumtamen Tyro,& Sidoni remissius erit in iudicio,quàm vobis. 15. Et tu Capharnaum vsque ad cælum exaltata,vsque ad infernũ demergêris. 16. Qui vos audit me audit:& qui vos spernit, me spernit.Qui autem me spernit,spernit eum,qui misit me. 17. Reuersi sunt autẽ septuaginta duo cum gaudio,dicentes.Domine,etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. 18. Et ait illis: Videbam satanã sicut fulgur de cælo cadentem. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes,& scorpiones,& super omnem virtutem inimici:& nihil vobis nocebit. 20. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur:gaudete autẽ,quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. 21. In ipsa hora exultauit Spiritu sancto,& dixit:Confiteor tibi pater,Domine cæli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam Pater:quoniam sic placuit ante te. 22. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius,nisi Pater:& quis sit Pater nisi Filius,& cui voluerit Filius reuelare. 23. Et cõuersus ad discipulos suos,dicit:Beati oculi,qui vidẽt quæ vos videtis. 24. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ,& reges voluerũt videre quæ vos videtis,& nõ viderũt:& audire quæ auditis,& non audierunt. 25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum,& dicens, Magister quid faciendo vitam æternã possidebo:26. At ille dixit ad eum:In lege quid scriptum est?quomodo legis? 27. Illa respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex omnibus viribus tuis,& ex omni mẽte tua:& proximũ tuum si

Matth. 9 d.37.

Matt.10. a 16. Mar 6.a. 8. 4.Reg.4. c.29.

Matt.10. a 10. Deut 24. c.14. 1.Tim.5.c 18.

Act.13.g. 51.

Matt. 11. c.26.

Matt.10. d.40. Ioan.13.c. 20.

Matt.11. d.25.

Matt. 13. b.16.

Matt. 22. d.35. Marc 12 c.28.

Deut.6.a 5.

cut teipsum. 28. Dixitque illi: Rectè respondisti: hoc fac, & viues. 29. Ille autem volens iustificare seipsum,dixit ad Iesum:Et quis est meus proximus? 30. Suscipiens autem Iesus,dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho,& incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. 31. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præteriuit. 32. Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & videret eum pertransiit. 33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eũ: & videns eum,misericordia motus est. 34. Et appropians allegauit vulnera eius,infundens oleum,& vinum:& imponens illum in tumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. 35. Et altera die protulit duos denarios,& dedit stabulario,& ait:Curam illius habe: & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? 37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter. 38. Factum est autem, dum irent,& ipse intrauit in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine,excepit illum in domum suam, 39. & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. 40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit,& ait: Domine,non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi,vt me adiuuet. 41. Et respondens dixit illi Dominus: Martha,Martha, solicita es,& turbaris erga plurima. 42. Porro vnum est necessarium.Maria optimampartem elegit,quæ non auferetur ab ea.

IN CAPVT X.

POST hæc autem.) Postquam à Galilæa in Iudæam venisset Christus, vt dixerat c.9.51.& cæterea accidissent, quę posteriore eius capitis,parte narrantur Euangelista.Vtrum autem hæc septuaginta discipulorum legatio in ipsa Iudæa facta fuerit,an postquam Christus inde in Galilæam reuertisset,incertum.Est tamen vero similius in Iudæa factã fuisse.Nam in tota Galilæa & ipse prædicauerat, & ad prædicandum duodecim Apostolos ante iam miserat c. 9. 2.& Matt.10.1.5.& Mar.3.13. in Iudæa verò nec ipse, nec Apostoli,nisi forte post ægritissimum valde breui tempore prædicauerat. Et difficile valde credibile cùm in Iudæam nunc venisset,vique magnam populi multitudinem rudem adhuc Euangelij,& quasi nondum prosciissum campũ, aut,vt ipse,aut,segetes iam albas ad messem, arato ros,verò messorẽque deesse; alia verò ex parte passionis suæ tempus appropinquare,& ex populi maliciam constituti necessitate,& ex breuitate temporis occasionem sumpsisse nouos deligendi, mittendique concionatores;vt indicat Augustinus.

A elegisse,qui iudices infra se essent,Exo.18.21.& 24. 1. Deũ septuaginta seniores viros parari sibi iussisse, Num.11.16.In Elim,vbi populus ex Ægypto fugiẽs castrametatus est, duodecim fuisse fontes, quibus duodecim Apostoli; septuaginta verò palmas,quibus septuaginta isti discipuli significarentur,Exod. 15.27.Sed nõ dubito quocũq; tandẽ modo hoc loco legendũ sit,septuaginta duos,quos Christus hic designasse dicitur,fuisse discipulos. Fieri enim potest, vt postea docebimus, vt cũ septuaginta duo fuerint,septuaginta tantùm ab Euãgelista nominentur. Itaque si probamus legendũ esse septuaginta duos, septuaginta duos fuisse probatum erit,si quis verò probauerit legendu esse septuaginta,non continuò probarit non fuisse plures. Præter auctores ergo, quos paulò post adducemus, ratio eadem,qua duodecim elegit Apostolos,efficit,vt credamus septuaginta duos discipulos elegisse.Dubiũ nõ est,vt apud Mat.c.10.4 docuim⁹,quin propterea duodecim Apostolos elegerit,quia duodecim erãt trib⁹,vt vnaquæque tribus suum Apostolum haberet:credibile ergo eo numero discipulos elegisse, vt æqualiter inter duodecim tribus diuidi posset: numerus verò septuaginta æqualiter inter duodecim diuidi non potest, septuaginta verò duo si diuidantur, vnicuique tribui sex obuenient, septuaginta igitur duo electi sunt. Confirmatur hæc opinio ijsdem exemplis quibus alij auctores contrariam probare solent. Nam si spectemus numerum eorum, qui re ipsa cum Iacob in Ægyptum ingressi sunt, non erunt septuaginta, sed sexaginta sex, vt eodem loco scriptura testatur. Si verò numeremus & ipsum Iacob, & Ioseph, qui iam in Ægypto erat, & duos eius filios, qui nõ in Ægyptum ingressi, sed in Ægypto nati sunt,erunt quidem septuaginta sed si eodem iure duos filios Iudæ numeremus Her, & Onam,qui antequam Ægyptum ingrederentur, mortui fuerant,Gen.46.12.erunt septuaginta duo. Mosem verò septuaginta duos seniores elegisse,præterquam quòd boni auctores sentiũt, ex sacris etiã litteris,& ex Iudæorum moribus colligi potest.De-

B

C

Universidad de Deusto
Biblioteca

derat Moses duodecim tribubus optionem, vt ipsæ ex omni populo viros prudētes, & incorruptos eligerēt, qui iudices essent; quis credat homines ambitiosos, quales Iudæi erant, non æqualem ex singulis tribubus numerum elegisse, vt & honos ille æqualiter omnibus participaretur, & iudicium minùs suspectū esset, cum ex singulis tribubus æqualis iudicum numerus fuisset electus? Quòdsi æqualis ex singulis tribubus electū est numerus, non potuerunt eligi nisi sex. Si enim plures electi fuissent, vt minimùm octaginta quattuor, quod nemo concedit; si pauciores, non fuissent, nisi sexaginta, quod minùs concedet quisquam, necesse ergo est senos ex singulis tribubus iudices electos fuisse. Cur igitur & in scriptura, & à Philone, & à Iosepho, & ab omnibus alijs auctoribus septuaginta electi dicuntur? Cur ij, qui Ptolomæi Philadelphi iussu sacras litteras ex Hebræo in Græcū sermonē conuertêre, septuaginta interpretes ab omnib' appellātur, cùm omnes prorsus auctores scribant fuisse septuaginta duos? nisi quia Augustini regula vera est, solere etiā in litteris sacris cardinalem quem vocant numerum exprimi, etiam si aliquid illi aut superfit, aut desit, lib. 2. qq. in Exod. q. 47. sicut filij Israel quadringentos in Ægypto annos fuisse dicuntur, cum aliquanto plures fuerint, vt patet ex c. 12. Exod. v. 40. Eadē regula & illos seniores, quos Deus per Mosem eligi iussit, & illas palmas, quæ circum duodecim erant fontes, septuaginta duas fuisse credo, quamuis septuaginta tantū à præcipuo numero nominētur; eadémque ratione quāuis Lucas septuaginta discipulos electos fuisse diceret, septuaginta duos electos fuisse crederē. Adde ℗ & Latini omnes, & Græci multi codices septuaginta duos legunt, & maior pars veterum auctorum eundem numerū ponunt, Clemens lib. 2. Cōst. c. 50. Orig. in dialogo de recta in vnum Deum fide, Tatianus in harmon. Euang. Anacletus epistola 3. Epiphan. hær. 20. August. lib. 1. de cons. Euang. c. 14. & ser. 42. de sanctis, & Greg. lib. 35. Moral. c. 19. Beda in com. Quòd si omnes auctores septuaginta tātum posuissent, nō plus inde profectū probaretur, quàm si ipse Euāgelista septuaginta fuisse dixisset; atqui iā probauimus, etiāsi Euangelista dixisset septuaginta, septuaginta duos fuisse credi debuisse. Nec inde magis sequeretur nō nisi septuaginta fuisse discipulos, quia non plures ab auctoribus nominarētur, quàm septuaginta tantum interpretes fuisse, quia omnes auctores septuaginta eos non septuaginta duos vocare solent. Solus Dorotheus mouere potest, quia non solùm septuaginta vt alij vocat, sed etiā numerat, & singulorū nomina recenset, me verò non ita multum mouet, apud quem eius scripturis nūquam admodū grauis auctoritas fuit. Græco historiā scripsit ingenio. Ac vt nō lōgè suspectę historię argumēta petamus, vnde ille inter tot antiquiores auctores solus singulorum discipulorū nomina didicit? Qui potuit nomina fingere, aut ficta ab alio leuiter credere potuit numerum. Alia reliqua est quæstio cur hoc numero potiùs, quàm alio eos Christus elegerit. Eius numeri rationē vnam supra indicauimus, quod Iudæis sanctus quodammodo esset, & multis insignis exemplis septuaginta duūm hominum, qui ex Iacob, & eius filijs propagati fuerunt; sept uaginta duūm iudicum, in quos spiritus Mosis effusus est; septuaginta duarum palmarum, quæ circum fontes duodecim adnatæ erant; septuaginta duūm interpretum, qui scripturam sacram in Græcam cōuerterant linguā. Alias duas affert Beda, alteram, quòd totidem mundi plaga essent, in quas esset disseminandum Euāgelium. Nam in septuaginta duas linguas, totidémque gentes illos, qui Babylonicam turrim exstruebant fuisse diuisos constans veterum auctorum opinio est. Gen. 11. 8. quia totidem fāmilias turrim ędificasse ex præcedēti capite colligitur. Alteram magis etiamnum allegoricam, quamsumpsit ex August. lib. 2. de cons. Euang. c. 4. Duodecim Apostolos duodecim anni mensibus; discipulos viginti quattuor diei horis respondere, quæ aut propter Trinitatis mysteriū, aut propter tres dominici sepulchri dies per tria multiplicatæ efficiant septuaginta duas horas, quot discipuli erant. Manifestum ex loco hoc est, idque veteres non fugit auctores, voluisse Christum in Ecclesia sua aliquod personārum esse discrimen: & non solum Ecclesiasticos ministros hominibus laicis, sed inter ministros etiam ipsos alios alijs esse superiores. Nec enim cōstat, eodem tempore, neque numero, neque gradu eodē Apostolos, & discipulos elegit. Indicat Apostolorū paucitas eos discipulis maiores esse. Sed qui nūm Ecclesia Apostolorum, qui discipulorum, locum teneant, de eo inter antiquios auctores nō satis cōstat. Communis opinio est Episcopos Apostolis, presbyteros septuaginta duobus discipulis succedisse. Anacleti epistola 2. & Hier. ad Marcel. aduersus Montanum & Beda in comm. in c. Luc. 15. Alij Episcopos Christo, presbyteros Apostolis, diaconos septuaginta duobus discipulis similes faciunt, vt Ignatius ad epist. ad Smirnens. Fuerunt etiam, qui dicerent Episcopos Dei patris, presbyteros Christi, diaconos Apostolorum personam gerere. Clemēs lib. 2. Const. c. 30. & Ignat. in epist. ad Trallian. & in epist. ad Magnes. Prima opinio verior.

Numerus cardinalis in scriptura exprimitur, licet aliquid superfit, aut desit.

Cur hoc numero discipulos elegerit Christus.

Et misit illos binos ante faciem suam. Heb. ante se. Vide c. 1. 76. & 7. 27. & Mar. 1. 2. Quamobrē binos mittat, ratio est non obscura, *Vae soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem se*, Eccles. 4. 10. Volunt discipulos binos aliis aliis in rebus aduersis, aut necessarijs adiumento & consolationi esse. *Frater*, inquit, *qui adiuuatur a fratre quasi ciuitas firma.* Prouerb. 18. 19. Quā rationē Orig. & Theophyl. afferunt. Greg. verò lib. 35. Moral. c. 19. attigit magis, vt mihi videtur, propriam, & interiorem, quàm illam, quam D. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 14. & Greg. eodem loco, & Beda reddunt; duo caritatis esse præcepta, alterum, quod in Deo, alterum quod in proximo diligendo versetur, hoc enim, vt apparet, allegoricū est; vtrumque etiam Christus discipulos suos perpetuos habere, actionu suarū testes, ne quis malè eorum solitudinē interpretaretur, quasi ideo soli essent, vt liberius delinquerent. Non testē peccarent. Adnotauit Origen. hoc semper vsitatum fuisse. Nam & Mosi, vt ex Ægypto populum educeret datum Aaronem socium, Exod. 4. 14. & 7. 1. Iosue, & Caleb eundem populum murmurantem compescuisse, & in terram Chanaā introduxisse Iosue 14. 6. Etiam Apostolos binos à Matthæo numeratos c. 10. 2. 3. 4. binos etiam ad prædicandum misisse Christum Mar. 6. 7. Ad soluendum asinum, quæ veheretur, duos quoque discipulos misit infra c. 22. 19. 29. & Matth. 21. 1. Itémque ad parandam vltimam cœnam alios duos Petrum & Ioannem, infra eap. 8. Sed & Ioānes Baptista, cùm in vinculis esset, duos ex discipulis suis ad Christum legatos misit, Matth. 11. 2. Optima duorum societas Hispanico etiā prouerbio celebrata; neque necessario solatio, & auxilio carens, nec tumultu, & dissentionibus abundans. *Ante faciem* autem *suam misit in omnem ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus*, haud dubiè vt inciperent, & rudem agrum sibi proscinderent, & vt in aratum in campum Euāgelij semen iacerent; faceréntque viam discipuli quod ante Ioannes fecerat, pararent viam Domini

Domini ante faciem eius, & omnes intelligent pro vno Ioanne de medio sublato septuaginta duos ipsi Ioannes natos esse. Hoc est Euāgelij proprium ingenium sanguine crescit: meritóque à Tertulliano in Apologetico sub finē, & Leone Magno serm. 1. in Nat. SS. Petri, & Pauli dictum est Christianorum sanguinē semen esse quò plures tyrannus occiderit plures nasci. Reliqua vsq; ad v. 17. apud Mat. & Mar. explicauimus; consule locos in margine signatos.

17. *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio.* Narrat Lucas quis fructus fuerit missionis discipulorū bene illis legationē succesisse, adeo prorsus, vt gloriantes quodammodo redierint. Scribit etiam Marcus c. 6. 30. Apostolos, cum ad prædicandū missi fuissent, rediisse ad Christum, illíque narrasse, quidquid illis in ea legatione accidisset: sed Lucas distinctos. Quod discipuli ad Christum redierint, & rationem illi reddiderint legationis suę, officium ipsorū fuit necessarium. Reliquerunt nimirum concionatoribus exemplum, vt si quid cōcionando boni egerint ad Christum redeant, id est illi acceptum referāt, vt apud Marcū ex Hieron. & Theophy. obseruauimus. Videtur Cypr. lib. de ieiunio, & tēt. Christi. Gregorius lib. 23. Mor. c. 7. & Cyril. apud D. Thom. & Beda & Elias Cretēsis in cōmen. in ora. 4. de Theol. Greg. Naz. aliquid in his discipulis culpæ, aut minùs certè perfectæ virtutis notare. *Quia infirma adhuc fide*, inquit Beda *gaudebant in virtutibus, vnde quid audiant. Libentius* Theoph. sequor in meliorem partē gaudium verbáque discipulorum interpretantē: eos nō vlla elatos arrogantia hoc dixisse; sed gloriam Christo acceptam tulisse, cum dicunt, *In nomine tuo*, gaudiosa miracula faciendi, tentantibus tamen postea, cùm res postulabat, dæmones pellere, Christi illis virtutem affuisse, témq; successisse pro voto: id esse quod nunc mirantes dicant, *etiam dæmonia subiiciuntur nobis*; quasi dicant, nō solùm alia miracula facere potuimus, quorum nobis faciendorum dederas potestatem; sed dæmones etiam eiecimus, quorum potestatem non dederas; plùs fecimus, quàm speraueramus, plùs quàm iusseras, quamque concesseras. Non possum adduci, vt hoc credā. Nec enim magis conuenit dedisse illis Christum potestatem alia faciendi miracula, quàm dæmones eiciendi; neutrum enim narrat Euangelista; quod intelligendum nobis relinquit, eadem illos misisse potestate, qua paulò ante Apostolos misisse dixerat c. 9. 1. Apostolis autem

A potestatem imprimis dederat dæmones eiiciendi, & eo loco, & Matth. 10. 1. & Mar. 3. 13. & 6. 7. eandem igitur potestatem discipulis dederat. Nec verò credibile est tam male instructos misisse, vt eam illis non dederit potestatem, quæ ipsis imprimis erat necessaria. Nihil enim magis homines commouebat, quàm quòd viderent non solum à Christo, sed etiam eius nomine ab aliis eiici dæmonia. Cur ergo quasi mirantes dicunt, *etiam dæmones subiiciuntur nobis?* quā vim habet particula illa, *etiam*? Bifariam respondeti posse puto. Aut voluisse discipulos vno verbo omnia, quæ fecerant, explicare, & dicentes quod omnium erat difficillimum indicare cætera se etiam fecisse, quasi dicant non solùm cætera fecimus quæ faciliora erat; sed etiam dæmones expulimus. Aut tacitè intelligendum non solùm homines, sed dæmones etiam ipsos illis paruisse.

18. *Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.*) Non facilè dictū est, quid hæc verba significent, & quorsum à Christo dicta sint. Maior pars auctorum de primo diaboli è cœlo casu interpretātur, quem se Christus tanquam Deum vidisse dicat. Cyprianus lib. de ieiunio, & tentationibus Christi, Ambrosius in lib. de fuga sæculi, c. 7. Chrysostomus hom. 10. de pœnitentia, Hieronymus lib. 2 aduersus Iouinian. Gregor. lib. 9. epist. 58. & lib. 25. in Iob c. 7. Beda, Theophylactus, Bernardus serm. 5. de dedicat. Ecclesiæ, & serm. 2. ad fratres, & Euthym. Quorsum ergo Christus de casu diaboli nunc agit? Respondent Cyprianus, Hieronymus, Gregorius, & Beda, quia elati videbantur discipuli lætitia, exemplū illis Satanæ proposuisse, ne propterea gloriarentur, ne fortè caderent, sicut olim Satanas ceciderat. Alij referunt ad incarnationem Christi, quasi dicat, nihil noui mihi narratis subiecta vobis fuisse dæmonia, ego enim sciebam Satanam eorum principem à me victum, & de cœlo deiectum. *Ego dico*, inquit, *ego vici mundum*, & *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam*, &, *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*. Sic Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theolog. & Basil. in ho. quòd Deus non sit auctor malorum. & Cyrillus apud D. Thom. & Elias Cretens. in comment. in Grego. Nazian. quam interpretationem & etiam Euthymius, & Theophylactus probant. Itaque cœlum aut pro aëre isto, in quo, antequam Christus veniret, diabolus regnabat, vt Euthymius, & Elias: aut pro potestate, & gloria, quam habebat, vt Theophylactus, & Cyrillus intelligunt, accipitur. Hæc vltima sententia mihi placet, nam vt superius dixi, nō libenter Christi discipulos accuso, quòd prioris sententiæ auctores facere videntur. Tantùm phrasis probanda est. Solet diabolus cum eius potestas impeditur, dicit de cœlo deiici, de cœlo cadere, ligari, foras eiici. Ioan. 12. 31. Apocal 12. 9. & 20. 2. *& apprehendit*, inquit, *draconem serpentem antiquum qui est Diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum.* Quis ille angelus erat, qui serpentem ligasse dicitur, nisi Christus? Quòd ergo dicit hoc loco, *Videbam*, ἐθεώρουν, contēplabar, non solùm cognitionem, sed multo etiam magis actionem significat; indicat enim se auctore, victoréque diabolum cecidisse. Tanquam si dux belli suas narrans victorias diceret, videbam cumulatim hostes ante me cadere. Quòd autem dicit *sicut fulgur*, alij similitudinem in splendore ponunt, quòd, cum ante diabolus sicut fulgur splendidus esset, vnde Lucifer appellatus est, tamen à luce in tenebras cecidisset, vt Ambrosius, Chrysostomus, Titus Bostr. & Theophylactus. Itaque participium *cadentem* non referunt ad fulgur, sed ad Satanam, nō

Ioh. 16. 33. Ioan. 14. 30. Ioan. 12. 31.

Diaboli de cœlo de deiciendi sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim esse sensum, videbam Satanam cadentem sicut fulgur, id est sicut fulgur cadit; sed *videbam Satanam sicut fulgur*, i. qui sicut fulgur prius erat *cadentē*. Alij fere omnes auctores in casu ipso similitudinem esse putant, vt sit sensus, videbam Satanam magno impetu, vt vi cadentem, sicut cadere solet fulgur. Hoc probabilius, quia magis ad rem pertinebat, vt de celeritate casus, quam vt de pristino splendore eius ageretur; cùm vt paulò ante probauimus, nō de primo sed de secundo eius agatur casu, quo per Christum in abyssum præcipitatus dicitur, quòd ab eo illius potentia coerceita sit.

19. *Ecce dedi vobis potestatem.*) G. ἰδοὺ δέδωκα ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν. Ecce do vobis potestatem. Quasi tunc daret, cùm non dedisset. Recte Euthymius admonuit non significari hoc verbo ante illis potestatem non dedisse, sed prius datam tunc confirmari. Etsi illud, quod præterea dicit non probo, prius non nisi ad tempus, dum ea fungerētur legatione, eam illis potestatem fuisse concessam, nunc verò eādem in perpetuum prorogari. Quorsum ergo iam datam confirmat: nec enim necesse erat, si non ad tempus, sed in perpetuum concessa fuerat. Vt apriùs caderet, quod dicturus erat, *Verumtamen in hoc nolite gaudere*, quasi dicat, nolo vobis datam reuocare potestatem quin etiam atque etiam confirmo; verumtamen intelligite aliud me vobis maius cōtulisse beneficium quo vobis potius gaudendum sit, quòd nomina vestra scripserim in cœlo, Iren. lib. 5. cap. 24. Cyprianus in libro ad Nouat. Ruffinus in expositi. symboli. Basilius Psal. 28. Nicetas in 2. orat. de Pasch. Gregor. Nazianz. Proco. in cap. Isa. 49. Chrysostomus hom. 17. in Gen. Beda, Theophylactus & Euthym. *serpentes, & scorpiones* dæmones interpretantur, quasi quod sequitur horum verborum explicatio sit, *& super omnem virtutem inimici* Probabilis interpretatio; sed nihil litteralis videtur esse alia, quam idē affert Beda, vt veros serpentes, & scorpiones intelligamus. Voluit enim Christus significare se discipulis dedisse potestatem omnia pericula superandi, non solùm quæ ab hominibus, verùm etiam quę à bestiis, & dæmonibus solent accidere. Et videtur hic locus ex illo Mar. 16. 17. 18. intelligi debere, *In nomine meo dæmonia eicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Exemplo est Diuus Paulus Act. 28. 3. 5. qui morsus à vipera nihil accepit nocumenti.

20. *Verumtamen in hoc nolite gaudere.*) Non vetat discipulos, vt supra diximus, gaudere, quòd potestatem in dæmones haberent. Donum enim erat Dei, & omni Dei dono gaudere licet, modò & donum ipsum, & gaudium in auctorem suum referatur; sed solet ita scriptura loqui, vt quod cōparatione alterius minùs affirmatur, absolutè negetur. *Misericordiam*, inquit Osee 6. 6. Matt. 9. 12. *volo non sacrificium*: volebat vtique sacrificium, qui tot instituerat sacrificiorum genera, sed quia minùs, quàm misericordiam volebat, velle se negat. Eodem prorsus modo negat Christus discipulis gaudendum esse, quòd dæmones illis subiicerentur: non quod gaudendum non esset, sed quòd minùs gaudendum, quàm quòd ipsorum nomina in cœlo scripta essent. Cur autem minus gaudendum illis esset, quòd dæmones pellerent facilis ratio, quam & Beda reddidit. Possunt id & mali, imò malique homines facere. *Multi* (inquit) *dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Tunc confitebor illis, quia nescio vos.* Quanquam exemplum illud, quod affert Beda filiorum Sceuę Actor. 19. 13. apertum nō est.

Iudicium discipulos quo negat quod minus alteri omnium tur.

Matth. 7. 22.

Illi enim tentarunt quidem dæmones eiicere, sed malè successit. Quòd autem ipsorum in cælo nomina scripta essent, merito eos gaudere oportebat, quia non nisi iustorū in cœlo scripta sunt nomina. Nomina in cælo scripta esse, est scripta esse in libro vitę, vt alijs verbis scriptura solet dicere Exo. 32. 32. 33. Psal. 68. 29. Phil. 4. 3. Apocal. 3. 5. & 17. 8. & 20. 15. & 21. 27. & 22. 19. Docent Theologi duobus modis in libro vitæ homines scribi aut secundum æternā Dei prædestinationem, quæ falli, aut mutari nō potest; aut secundum præsentem cuiusque institutam, quæ mutari potest: illos semel scriptos, nunquam deleri, hos deleri, rescribiq; prout nūc ex iustis iniusti, nunc rursus ex iniustis iusti fiūt. Id ex Exo. 32. 32. 33. & ex Psa. 68. 29. & ex Apoc. 3. 5. manifestū est. De vtra hîc scriptione agatur non nostri, sed diuini iudicij est. Qui de vera hoc intelligentes prædestinatione ex hoc loco colligerūt sanctiores, aut melioris certè conditionis discipulorum, quam Apostolorum fuisse collegium, quòd discipuli quidem omnes, Apostoli non omnes prædestinati fuerint, discipuli potiùs quam Apostoli esse mercabantur. Scimus ex Apostolis damnatum fuisse Iudam & in locum suum abiisse. An ex discipulis damnatus aliquis fuerit nescimus, & non solum alterutrum illud timere, sed etiam scire velle est temeritatem à quæritate longè non abesse, qui nullis antiquis auctoribus, nulla traditione docti horum discipulorum nomina recensent: sed non ferunt impune, ipsa enim, quæ inter ipsos apparet, in recensendis nominibus diuersitate refelluntur.

21. *In ipsa hora exultauit Iesus spiritu.*) Exultauit animo lætabundus, gratulabūdus, volebat enim Patri gratias agere, quòd eam potestatem discipulis suis hominib⁹ simplicissimis tradidisset, vt dæmones illis subiicerentur, quam sapientibus, atque prudentibus non dedisset. Eò enim refero: non ad id quod prouerbialiter præcesserat, *quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*. Itaque Matthęus hanc historiā cum ea, quæ vel narrata est, coniungens, prætermissis iis quæ à discipulis Christo, & à Christo discipulis dicta sunt, ordinem non seruauit historiæ. Porro hunc locum, atque sequuntur vsque ad versum 25. apud illum cap. 11. 25. declarauimus.

25. *Et ecce quidā Legisperitus surrexit tentans illum.*) Solus hanc historiam Lucas narrat. Nam illum de quo Matthæus cap. 22. 35. & Marcus cap. 12. 28. Scribam fuisse doctorem, illic docuimus. Quæ occasione Legisperitus iste Christum interrogarit, incertum. Nec enim hoc eodem tempore, nec eodem loco, quo superiora accidisse credendum est, cum hæreant, etsi Beda cum illis verbis iungit, *Gaudio, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, quasi sumpta occasione Legisperitus sinxerit se in cœlo etiam scribi velle, vero simile in synagoga, aut in aliquo circulo, alióve publico loco contigisse. Quandocunque, & vbicunque tandem acciderit, apparet Euangelistam hoc ideo commemorasse, vt doceret, qua occasione Christus parabolam illam hominis ab Ierusalem in Iericho descendentis proposuisset, quæ cum vtilem, & mysterij plenam doctrinam contineret, prætermittendam non iudicauit. Nocuit non discendi, sed tentandi animo Christum interrogasse, vt tacitè causam indicaret, quamobrē Christus Legisperito, nō simpliciter, rectaq; respōdente, sed vicissim eū interrogauerit, *in Lege quid scriptum est? quomodo legis?* Non enim simplici responsō digniter erat, qui non simpliciter interrogabat.

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?)

Fingit

git se superbia inflatus Legisperitus, qui se nihil nescire existimabat, salutis viam ignorare: & tanquam Christi discipulus esse vellet, velut vnus de imperita multitudine rogat. Eò pertinet, quòd magistrū appellat.

26. *In Lege quid scriptum est? quomodo legis?*) Quàm prudenter Legisperitum ignorantiā simulantem, & callidè explorare volentem doctrinam Christi, ad Legem mittit. Solebat id facere cùm tentabatur, vt vitaret responsionis inuidiam. Cùm enim ad legem mitteret, non tam ipse eos, qui tentabant, quàm lex ipsa tantopere gloriabantur, cōdemnare videbatur. Ostendit Christus salutis viam mandatorū Dei obseruationem esse, vt ait Beda, *dum Legisperito respōdet perfectum nobis Saluator iter vitæ cœlestis ostendit.* Callidus Legisperito magis incredulus non ex animo sed simulate, & ex Legisperiti opinione Christū hoc dixisse ait, legis enim peritum nō vnde, sed quibus operibus quærenda salus esset, interrogantem ad legē misisse, quæ opera doceret; & id facere insistisse quod impossibile factu esset. Bonus scilicet interpres; Christus dicit de operibus loquens, *Hoc fac & viues*, vet. 28. iste dicit, Hoc nec facere potes, nec si faceris, propterea vives.

27. *Ille respondens dixit, Diliges Dominū Deum tuum.*) Hæc verba Matth. 22. 35. explanauimus. Nam quòd Lucas paulò pluribus vtitur verbis, facilè respōderi potest Matthæum non singula verba, sed verborum, sententiæque summam recitasse, aut Lucam aliquod verbum explicationis causa addidisse.

29. *Ille autem volens iustificare se.*) Ostendere se iustum in ea saltem re, de qua agebatur, id est non tēnandi, sed discendi causa id interrogasse, finxit ignorantiam, quæ plus habere videretur probabilitatis. Probabilius enim videri poterat Legisperitū ignorare quis in lege nomine proximi intelligi deberet, quàm quid ad consequendam vitam æternam agendum esset, quod neminē Iudæum licebat ignorare. Nā quis proximus in lege vocaretur, apparet inter ipsos legis doctores fuisse controuersum, alijs fortasse solos Iudæos, alijs solos iustos, alijs solos amicos proximos esse interpretātibus, vt colligitur ex Matt. 5. 43. 44. Lucę 6. 23. 24. Eingit ergo nūc Iurisperitus se nō nosse vulgarē, & sibi, alijsque notā deludendi, aut tēptandi animo interrogasse, sed quæstionem difficilem atque inter summos legis doctores versāretur, proposuisse. Hic mihi videtur esse sensus, quem vidisse Cyprianū D. Thoma citatus seriò eum hanc secundam quæstionē putāt proposuisse; vere enim quis esset proximus ignorasse, existimalsēque sibi, qui iustus esset, solos iustos esse proximos. Et verò non dubiū quin id ignorauerit, cùm postea à Christo didicerit; id non continuò sequitur seriò eum, & discendi causa id interrogasse. Nā etsi ignorabat, putabat se tamen scire, vt illi ipsi confitentur auctores. Qui autem se scire putat, quamuis re ipsa nesciat, nō potest discendi animo rogare.

30. *Suscipiens autem Iesus dixit.*) Respondens ὑπολαμβάνων quod noster interpres vertit, suscipere, expressiūs quidē Græco verbo, sed non satis perspicua sententia. Sæpe docuimus ad intelligēdas parabolas primum studium esse oportere, vt finem, ob quem proponitur, intueamur. Huius parabolæ hunc esse finē manifestum est, vt doceat Christus, qui verè proximus noster sit; sed quē esse proximum significaueramus verbis, is tantùm nobis videbitur esse proximus, qui bene nobis facit. Hoc enim videtur tota parabola concludi, non Iudæū, non sacerdotē, non Leuitam, quamuis genere, & patriæ necessitudine cōiunctos, sed Samaritanū licet alienigenam, licet inimicæ gētis hominē, Iudæo, quia bene de eo meritus, fuerat proximum fuisse. Quod si recipimus, in absurdiorē incidemus errorē, quàm in quo Legisperitus ille versari videbatur. Ille enim iustum iusto proximū esse putabat, si Cyrillo, & Theophylacto credimus; nos ne iustū quidē iusto, sed eū tātùm qui benefacit illi, cui benefacit, proximū esse dicemus. Itaq; Beda, qui hūc videtur secutus sensū, minimè subscribo Propiùs Theoph. & eum secuti alij ad sensū accesserūt, hoc tota parabola cōcludi eū nobis proximu esse, qui nostra indiget ope. Et quidē si spectemus, qua occasione quæstio mota fuerit, id concludendu esse videbatur. Agebatur de præcepto legis, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, id est de proximo nostræ opis indigente iuuando, hoc enim est diligere: dubitatū fuerat à Legisperito quis proximus dicēdus esset, id est quis iuuādus, cùm indigeret auxilio. Id Christus docere voluit propositā parabola; sensus ergo parabolæ videtur esse, omnē, qui opis indigeat nostrę, siue eiusdē, siue alienę sit gētis, nobis esse proximu. Propiùs, inquā, hoc ad sensum accedit, sed nō attingit. Nā & Christ⁹ nō interrogat Legisperitū, cui ille, qui in latrones inciderat, proximus fuisset, sed *quis ille*. v. 36. Et Legisperit⁹ cuius à Christo responsio laudata est, non respondit illū Samaritano, sed Samaritanū illi proximū fuisse, vers. 37. Et sensus angustus est; si enim soli, qui indigent ope proximi sunt, si nemo indigeat, nemo nobis proximus erit, quem ex præcepto illo diligamus. Atqui docet tacite ipsa cōscientia non solùm pauperes, & miserabiles à diuitibus, à quib⁹ iuuari possunt; sed ipsos etiā diuites à pauperibus tanquam proximos diligendos. Probabilissimè omniū, quos legerim, dicit August. lib. 1. de doct. Christ. c. 30. concludi quidē Samaritanū Indæo illi qui in latrones inciderat fuisse proximū, sed *quia nomen proximi ad aliquid est*, perinde esse ac si cōtrà cōcluderetur illū, qui in latrones inciderat Samaritano fuisse proximū. Cōcludit autem eum proximum esse nobis, cui exhibendū est officium misericordię, si indiget, vel exhibendū esset, si indigeret. Si quæ eorum, quos viderim auctorū sententia sequēda est, hæc sequēda est, sed indicabo, quid in ea desiderari videatur. Primùm quidem quòd, vt concludatur omnem hominem, qui indigere potest auxilio, proximū esse, cōcludatur omnem, qui indigentem iuuat, eius esse proximū. Deinde eum, qui reuera indigebat, & à quo adiutus fuerat, proximū fuisse. Cur nō rectè concludebat Christus, & sine isto circuitu? Præterea videtur, si ita est, supfisse pro argumēto Christus, quod probandū erat, & ignotū per aliud nō minùs ignotū probauisse. Quærebatur quis proximus esset, id est quis adiuuandus: qui s diligēdus: hoc Christo docēdū erat. Si docuit omnem hominē, qui indigere potest auxilio proximū esse, quia omnis eiusmodi homo iuuandus, id est diligēdus est; sumpsit argumēti & probationis loco, quod probandum erat. Nam isthuc ipsum in quęstione versabatur, nū omnis homo etiamsi adiumento indigeret, iuuādus esset, nā Legisperiti non nisi amicos indigētes iuuādos esse putabant, aut certè Iudæos, vel suos quiq; Gētiles. Deniq; vt reliqua cōcedamus omnia, hic ipse certè sensus angustus est. Nec enim soli, qui indigēt, vel indigere possūt, sed omnes omnino homines, etiāsi indigere non possint, nobis tanquam proximi diligendi sunt. Nescio an, qui aliorum non probo sentētias, meam sim aliis probaturus. Dicā tamē, & probare nitar. Generaliter probare voluisse mihi videtur

Augustini expositio huius loci expenditur.

tur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auctoris expositio huius loci.

tur Christus omnem hominem proximũ nobis esse: sed id accõmodatè ad Legisperiti, quocum agebat, personam probauit. Putabat Legisperitus aut solos iustos, aut solos amicos, aut solos certè Iudæos proximos sibi esse; poterat ex verbis ipsis legis aliquã erandi occasionem sumere. Nam ריע, quo verbo vsa lex fuerat, cũ dixit, *Diliges proximũ tuum sicut teipsum*, & proximum & amicum, & socium significat. Voluit illi Christus eum ex animo errorem eripere, cogeréque ipsum suo ore confiteri, nõ solùm Iudæum Iudæo, sed Samaritanum etiam Iudæo, id est hostem hosti proximum esse; quod si hostis hosti proximus est, omnem hominem omni homini habendum esse pro proximo. Probauit, ergo optimo, & efficacissimo argumẽtandi genere ex effectu hostẽ hosti, id est Samaritanum Iudæo proximũ esse, quia fecit, quod proprium est proximi, proximum adiuuare. Propterea Christus in Iudæo, & Samaritano parabolam posuit. Vnus reliquus est scrupulus, quòd nõ videatur Christus ad Legisperiti quæstionem aptè, accõmodatéque respondere. Rogauerat enim ille, quis sibi proximus esset, id est cui ipse, non quis sibi bene facere deberet. Christus respondet, quis proximus sit, id est quis ipsi, non cui ipse bene deberet facere. Fecit id Christus prudenter, vt Iudæorum notaret mores, qui non solum alienigenas, sed ne suos quidem gentiles tanquam proximos diligebãt; propterea dixit illum, qui in latrones incidit, ab Ierusalem in Iericho descendisse, vt indicaret fuisse Iudæum, & quidem Ierosolymitanum ciuem, qui maiore misericordia dignus videri poterat; quẽ nõ solum Iudæi alij, & Ierosolymitani ciues eius populares, sed ne sacerdos quidẽ, ac Leuita, qui legis obseruationem maxime profitebãtur, adiuuerint. Samaritanus verò, qui pro hoste habebatur iuuerit. Samaritani igitur probat exẽplo in definiẽdo proximo nullam amicitiæ, nullam patriæ, nullam generis, nullam cõditionis, nullam officij rationem haberi oportere. Cur ergo non potiùs rogauit, quis illi Samaritano videretur sibi proximus fuisse, vt rectiùs cõcludere videretur? In promptu est ratio. Voluit Legisperitum ita cõuincere, vt exempli euidentia confiteri cogeretur nõ esse proximum aut genere, aut amicitia, aut vlla alia necessitudine definiẽdum. Nõ cogebatur dicere Iudæum, qui in latrones inciderat Samaritanũ fuisse proximũ: sed cogebatur cõfiteri Samaritanũ Iudæo proximum fuisse. Iudæus, qui nihil egerat, vnde se proximũ esse declaret, nõ ostẽderat esse se proximum. Samaritanus verò, ita ostenderat, vt ne ipse quidem Legisperitus quãuis cauillator negare posset. Accedit, quòd Legisperitus idcirco rogauerat, quis sibi proximus esset, vt illũ diligeret, iuuarétq; ne fortè caritatis officia solis proximis exhibẽda in non proximos cõferendo perdere videretur. Cui ac commodatè Christus respondet, dũ illi ante oculos Samaritani proponit exemplum, qui in proximo cẽsendo nullam generis, nullam patriæ, nullam amicitiæ rationem habuisset. *Vade*, inquit, vers. 37. *& tu fac similiter*. Quid ergo? an sacerdos ille, & Leuita, qui vulneratũ prꝫterierũt proximi nõ erant? Hoc enim videtur sequi. Nam & Christus interrogat, *Quis horũ trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* 36. quasi omnes certè proximi non essent; & Legisperitus respõdet, *Qui fecit misericordiã in illum*, alios excludẽs quasi nõ proximos, qui misericordiã in illũ non fecerant; & responsio à Christo probata est, atque laudata. Erant illi quidem proximi, sed nõ se gesserãt vt proximi: alter & erat, & se vt proximũ gesserat, quamuis minùs proximus esse videretur; & quia ab effectu Christus, argumẽtabatur, & Legisperitus similiter respõdebat, dixit illum, qui misericordiam fecerat, quantùm quidem ex operibus apparuit, proximũ fuisse, quasi, alij nõ fuissent. Et non id agebat Christus vt doceret, quis proximus nõ esset, sed quis esset; ideo non est existimãdum colligi ex hac parabola sacerdotem illum, atque Leuitam non fuisse proximos, nam de eo Legisperitus non dubitabat; sed tãtùm alterum fuisse proximum, qui non proximum, sed hostem putabat esse. Hic tamen parabolæ sensus est litteralis; vtrũ præterea sit sensus aliquis mysticus, non affirmauerim, negauerim vexed quia omnes veteres Patres id tradiderũt. gno sensu, est valde, probabile, non solùm allegoin qua nõ omnes vtique conuenissent; sed mysteria etiam esse, quod Deus omnium mẽtibus inspirarit. Dicunt hominẽ illum, qui ab Ierusalem in Iericho descendebat Adamum, & in eo totum humanum genus esse, qui à Ierusalem, id est à gratia Dei, & gno illo dignitatis gradu, quo cõditi fuerant, in Iericho, id est in abiectum peccati statum descenderit. Ierusalẽ enim in mõte, Iericho, vt ait D. Basilius, in valle esse, & Ierusalem visionem pacis, Iericho Lunam significare, cui stultus, id est peccator ablecclesiastico comparatur, quòd ad Lunæ modum dem omnino mortuus, aut omnino etiam vitus, semiuiuus tantùm relictus sit. Vius est, qui à cognitione peccati, & liberum ad agẽdum habet arbitrium, mortuus verò est, qui à peccati sepulchro si Christo clamante, *Lazare veni foras*, surgere non potest. Sacerdotem, & Leuitam, qui eadẽ via prꝫcesserunt, totam veterẽ legẽ esse, quæ hominẽ nõ iuuauerit. Samaritanũ Christũ, qui misericordia motus humani generis eadẽ via, id est in eundem humãdum descẽderit, in quo homo erat, & in equum, id est in humanitatem suam imposuerit in hospitium, id est in Ecclesiã deduxerit, eius vulnera sanauerit, id est sanguine suo lauerit, oleo, i. misericordia mouerit: discedens verò, hoc est in cælum rediens, Parabolario, i. Petro Eccl. principi corporis, & fundinis sui pretium dispensandum reliquerit, addens, si quid præterea ex sanctorum meritis, suffragiisque cõferret, id etiam se ex suo sanguine compensaturum. In hanc sententiam omnes veteres, recentiores plus, hi lõgius progrediuntur, & alij plura, alij pauciora dicũt. Hos potissimùm auctores videre lectori poterit, Orig. hom. in Lucã 34. Greg. Naz. orat. de The. Basil. in hom. in aliquot scripturæ loca, Christ. propria hom. de hac re inter eas, quas scripsit in Lucam, & in hom. de anathemate, Ambros. hoc loco. Hier. in epistola ad Fabiolã, & in comment. in Matth. 20. & Anastas. q. 50. Augusti. ser. 17. de verbis Domini secundum Lucam, & libro 2. qq. Euang. q. 19. Greg. lib. 20. Mor. c. 21. Bedam, & Theophyl. in comment. & Bernar. ser. 1. de annuntiatione B. Mariæ. Cæterum, vt ad litteralem sensum veniã singularum partium, meminisse lector debet, quod supra monui, nõ esse subtiliter singulas parabolarum partes explorandas, adhibendum iudicium, & ex huius parabolæ colligẽdum, quæ sint eius necessaria, quæ priæque partes, quæ tanquam supplementa, aut ornamenta narrationis adhibita. Multa enim dicitur parabolis solere, nõ vt aliquid significetur, sed quia in re, in qua parabola consistit, ita fieri solet, itaque factum fuisse verosimile est. Eiusmodi esse auditor, quod in hac parabola dicitur, Samaritanum

in iumen-

tũ suum vulneratũ impositisse duxisse in stabulum, vinũ, & oleũ infudisse, abeuntẽ denarios duos dedisse stabulario, rogasséq; vt curã haberet eius, sesi quid præterea in eo curando expẽdisset, soluturum. Hæc enim omnia etsi distincta sũt, distinctam tamẽ nõ habẽt significationẽ; sed huc spectant omnia, vt intelligamus Samaritanũ illũ omnia caritatis, & misericordiæ erga proximũ officia, quæ exhiberi potuerunt, exhibuisse, & quia illa erant, quæ maximè desiderari poterant ab homine vulnerato, ea in parabola posita sunt. Cæteras partes suam aliquam, ac propriam significationem habere credo. Nam quòd dicitur homo ille ex Ierusalem potiùs, quàm ab eo loco descendisse, eò vt suprà diximus pertineret, vt eum Iudæum, & quidem Ierosolymitanum cinẽ fuisse intelligamus, cui propterea sacerdos, & Leuita plùs, Samaritanus minùs caritatis exhibere debuisset. Quòd autem in Iericho potiùs, quàm in alium descendisset locum, quòd ea via celebertima esset, atque notissima, quemadmodũ si Romæ cum esset, & similem parabolam proponere velles, dicere Romã quempiam Neapolim profectum fuisse; & quòd ea via latrocinijs esset infamis, vt Hieron. ibi comment. in c. Matth. 20. tradit. Quòd vero dicitur spoliatus primùm, deinde vulneratus, ac semimuus relictus, nihil aliud significat, quàm eum relictum fuisse in statu maximè miserabili, & spoliatũ non solùm pecunia, qua sibi subuenire posset, sed omnibus etiam vestimẽtis; ita vt nihil illi reliquum esset, quod posset vendere. Præterea adeo vulneratum vt semiuiuus esset, hoc miserabiliorem, quam si omnino fuisset mortuus, quò magis miseriam sentiebat suam.

38. *Factum est autem, dum irent.*) Dum pergerent Ierosolymam versus, quemadmodum dixerat, superiore c. ver. 51. De eadem enim profectione agit, & ad eum respicit locum. Vnde probabilis coniectura dicitur, ea omnia, quæ ab eo loco vsque ad hunc Euangelista narrauit, in ea accidisse profectione, antequam Christus Ierosolymam peruenisset.

Intrauit in quoddam castellum.) G. εἰς κώμην, in pagum quendam. In castellũ Marthæ, & Mariæ sororum Lazari, vt Ioannes ait c. 11. 1. quam ex eodem loco Bethaniam fuisse constat prope Ierosolymam, vt apud Matthæum c. 26. 6. docuimus. Castellum autem Marthæ, & Mariæ dicebatur, non quòd eorum esset, sed quòd ibi habitarent. Sed de ea re apud Ioannem c. 11. 1. disputabimus. Cum proposuisset Euãgelista narrare quidquid Christus in hac sua profectione fecisset, noluit prætermittere, quod contigit in domo Marthæ, quomodo Mariæ studium in audienda, percipiendáq; ipsius doctrina Marthæ solicitudini in rebus corpori necessarijs præparãdis anteposuerit. Erat enim vtile ad informandos mores exemplum.

Et mulier quædam Martha nomine.) Loquitur Euãgelista de Martha tãquam de muliere adhuc ignota, non quòd nota non esset. cum Ioannes c. 11. 1. ex sororibus Martha, & Maria descripserit minùs notũ Lazarum: *Erat*, inquit, *quidem languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius*: sed quia hactenus de Martha mentionem non fecerat, tanquam de muliere lectori adhuc ignota dicit, *Et mulier quædam Martha nomine*. Apparet Marthã maiorem natu Maria sorore sua, quandoquidem domus Marthæ potiùs quàm Mariæ dicebatur, & Martha Christum potius, quàm Maria dicitur excepisse, vt notauit Bern. ser. 3. de Assumpt. B. Virg. Martha etiam illa solicitudo hospiti necessaria parandi inde fortasse nascebatur, quòd ipsius propriè esset hospes, & eius magis interesse videretur, vt nihil hospiti deesset.

Et huic erat soror nomine Maria.) Eodem modo de Maria tãquam ignota loquitur, cadémque ratione, & Marthæ sororem esse dixit tanquam maioris minorem, Ioannes c. 11. 1. alia ratione vtrumque contrario facit modo. Nã & de ambabus sororibus tanquam de notissimis mulieribus loquitur, ex illisque Lazarum earũ fratrem designat; & Mariam Marthę præponit. Habuit nimirũ rationem aliam, quòd cũ ijs ageret, qui de mulieribus illis, quæ Christũ sequebantur, sæpe audiuissent, de quarũ numero hæ duæ sorores erant, quamobrẽ notiores erant, quàm frater ipsarũ Lazarus. Mariam verò ideo Marthæ præposuit, quòd illa lotis iam ante lacrymis capillis tersis, & vnctis vnguẽto Domini pedibus esset notior, vt ipse Ioan. subiecit, ver. 2. *Maria autẽ erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis suis.*

Exemplũ concionatoribus, vt auditoribus imitãdum.

Quæ etiam sedẽs secus pedes Domini.) Quã vim habeat dictio illa *etiam*, nõ satis apparet. Quidã sic interpretantur, quæ etiam sedens sicut aliæ mulieres. At nõ nisi duarum mulierũ Marthæ, & Mariæ mentio fit, nec est vero simile domi fuisse plures, nisi fortassis ancillas, quas non est credendũ sedisse, sed ministrasse. Alij etiam sedisse, id est nõ solum stãdo, & quasi aliud agendo, sed etiam sedendo ex otio attentã, contemplabundámq; docentẽ audisse Christũ. Non displicet, sed magis accõmodatè ad id, de quo agitur, exponi posse arbitror; vt significetur illam nõ solùm nõ fuisse solicitã in paradis, ministrãdi sque rebus necessarijs, sicut erat Martha, sed etiã omnis quodammodo alterius oblitã curæ ad pedes Domini sedisse, vt eius verbum cõmodiùs audiret. Aut etiam sedisse, sicut sedebat Christus, hoc excepto, quòd ad eius altiùs sedentis sedebat pedes, & mulieris, & discipulæ nimirũ more. Duarũ hũc personarum officium obseruãdum lectori est, Christi atq; Mariæ. Christus hospitio exceptus, simul vt est ingressus domum, docet, & de rebus diuinis loquitur, & priùs hospites suos spiritualiter pascit, quàm corporaliter ab illis ipse pascatur. Maria omnibus omissis etiam, quæ ad ipsius Christi honorem pertinere videbantur, ad pedes eius sedet, docentémq; audit, magis se audiendo, quàm ministrando honorare putat Christum. Concionatores Christum, auditores Mariam imitari debent.

40. *Martha autẽ sãtagebat circa frequẽs ministerii.*) G. περιεσπᾶτο, distrahebatur, turbabatur, tota negotiosa erat, & occupata in ministrando πολλὴν διακονίαν, multum ministerium appellat, non opiarum opinor conuiuium, sed solicitudinem mulieris querentis, quibus rebus Christo gratificari posset, & suam erga illum caritatem declarare. Vtrumque proculdubio ex caritate proficiscebatur, & quòd satagebat, id est tanto excepto hospite solicita erat, qua ratione illi satisfaceret; & quòd multo vtebatur ministerio.

Quæ stetit, & ait.) Adstitit coram Christo, quasi coram iudice querelam suam, & sororis accusationem propositura. Non rogat sororem cur se non adiuuet, sed Christum ipsum quasi subaccusans alloquitur, *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Siue quia nõ tàm mirabatur sororem suam verbis Domini delectatam omnium aliarum rerum obliram ad pedes eius fixam hærere quàm Dominum ipsum rem, vt illi quidem videbatur, indignam pati, vt Maria sorore sua maiore, vt diximus, natu ministrante otiosa quodammodo, & sine cura sederet; siue quia sciebat nihil se, etiamsi sorori id diceret, effecturã. Nec enim ab ore Domi-

ni auelli

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni auelli posse, nisi Dominus ipse iuberet, cuius sermonibus oblectata tenebatur. Non debemus ex nostris moribus de sanctis iudicare; sed si spectemus Marthæ verba, personam verò eius remouemus, videtur humanum quiddam in illis apparere, primùm quòd Christum subincusat, quod vt concedamus aut admirantis, aut iocantis potius, quàm accusantis animo dictum esse, tamen speciem certè habet accusationis, atque querelæ. Deinde quòd suam ostentare diligentiam, sororis verò desidiam, & incuriâ notare voluisse videatur. *Non est tibi cura, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet.* Denique si non Marthæ, mulebri tamen ingenio consentaneum est ex aliqua inuidentiæ specie hãc accusationẽ esse profectam. Non tam ægrè fortasse ferebat se solam ministrãtem relinqui, quod illi duci poterat laudi, quàm sororem suam solam colloquio Domini frui, & apud illum gratiosiorem videri. Si hoc illa animo non fecit, nos quidem certè facere solemus. Si quem videmus rerum diuinarum contẽplationi deditum, tumultuosa huius sæculi negotia non curare, otiosum hominem appellamus. *Ex illorum persona loquitur*, ait Beda, *qui adhuc diuinæ contemplationis ignari solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum dicũt, adeoq; cunctos, qui Christo deuoti sẽ velint, huic mãcipatos autumant.* Olet hoc, quamuis aliquando à Catholicis fiat, hereticorum ingenium qui nihil ferunt nisi quàm monachorum vitam, vt ipsi vocant, otiosam. Discernãt quos accusant; qui enim otiosi sunt, monachi non sunt. Si veri monachi sunt, aut actiuam sequuntur vitam, & tam occupati sunt, quàm Martha; aut contemplatiuam, & tam occupati sunt, quàm Maria, pro qua Dominus sorore accusante respondit; aut vtramque, & plusquam Martha, plusquam Maria, tantùm quantum vtraque simul occupati sunt, *Cum ergo Maria*, inquit Augustinus ser. 27 de verbis Domini, *suauiter audiret verbum dulcissimum, & corde intentissimo pasceretur, interpellato Domino à sorore sua, quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei Dominus, surge, & adiuua sororem tuam? mira enim suauitate tenebatur, quæ profectò maior est mentis, quàm ventris. Excusata est, sedet securior. Quomodo autẽ excusata est, attendamus. Pascamur & nos.* Cassian. collat. 1. cap. 8. legit, *Domine num tibi placet, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet.* Denique si non Marthæ, mulebri tamen ingenio consentaneum est ex aliqua inuidentiæ specie hãc accusationẽ esse profectam. Non tam ægrè fortasse ferebat se solam ministrãtem relinqui, quod illi duci poterat laudi, quàm sororem suam solam colloquio Domini frui, & apud illum gratiosiorem videri. Si hoc illa animo non fecit, nos quidem certè facere solemus. Si quem videmus rerum diuinarum contẽplationi deditum, tumultuosa huius sæculi negotia non curare, otiosum hominem appellamus. *Ex illorum persona loquitur*, ait Beda, *qui adhuc diuinæ contemplationis ignari solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum dicũt, adeoq; cunctos, qui Christo deuoti sẽ velint, huic mãcipatos autumant.* Olet hoc, quamuis aliquando à Catholicis fiat, hereticorum ingenium qui nihil ferunt nisi quàm monachorum vitam, vt ipsi vocant, otiosam. Discernãt quos accusant; qui enim otiosi sunt, monachi non sunt. Si veri monachi sunt, aut actiuam sequuntur vitam, & tam occupati sunt, quàm Martha; aut contemplatiuam, & tam occupati sunt, quàm Maria, pro qua Dominus sorore accusante respondit; aut vtramque, & plusquam Martha, plusquam Maria, tantùm quantum vtraque simul occupati sunt, *Cum ergo Maria*, inquit Augustinus ser. 27 de verbis Domini, *suauiter audiret verbum dulcissimum, & corde intentissimo pasceretur, interpellato Domino à sorore sua, quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei Dominus, surge, & adiuua sororem tuam? mira enim suauitate tenebatur, quæ profectò maior est mentis, quàm ventris. Excusata est, sedet securior. Quomodo autẽ excusata est, attendamus. Pascamur & nos.* Cassian. collat. 1. cap. 8. legit, *Domine num tibi placet, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet.*

Contemplationis adducta vita defenditur.

Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima.) Quòd bis repetit nomen Marthæ, epitasim, & emphasim habet: quòd ait, *solicita es, & turbaris erga plurima*, duobus verbis expressit, quod paulò ante Euangelista expresserat vno, *Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Non ergo Dominus opus reprehendit*, inquit Augustinus ser. 27. de verbis Domini, *sed minus distinxit. Maria optimã partem elegit, non tu malam, sed illa meliorem.* Et rursus, *Quid enim? putamus nos reprehensum esse ministerium Marthæ, quæ cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominum hospit. o recepera? quomodo rectè reprehendebat, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittam hominẽ, quod ministrant egentibus, eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab ea, quæ cum verbo, imbiant doctrinæ dulcedini.* & libro 2. qq. Euang. cap. 20. *Mariam*, inquit, *dicit optimam partẽ elegisse, quæ nõ auferetur ab ea; & ideo intelligitur optima, quia & per hanc ad illam tenditur, & non auferetur; illa verò ministeri, quamuis sit bona, tamen auferetur.* Ad eundem modum Ambros. *Nec Martha*, inquit, *in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quòd meliorem partem sibi elegerit, non auferetur.* Idem Gregorius lib. 6. Mor. cap. 28. & hom. 14 in Ezechiel. Beda, & Theophylactus adnotauerunt. Hæreticorum verò interpretes, qui nullam comparationem fieri putant, ex verbis sequentibus refelluntur.

Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima.) Quòd bis repetit nomen Marthæ, epitasim, & emphasim habet: quòd ait, *solicita es, & turbaris erga plurima*, duobus verbis expressit, quod paulò ante Euangelista expresserat vno, *Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Non ergo Dominus opus reprehendit*, inquit Augustinus ser. 27. de verbis Domini, *sed minus distinxit. Maria optimã partem elegit, non tu malam, sed illa meliorem.* Et rursus, *Quid enim? putamus nos reprehensum esse ministerium Marthæ, quæ cura hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominum hospit. o recepera? quomodo rectè reprehendebat, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittam hominẽ, quod ministrant egentibus, eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab ea, quæ cum verbo, imbiant doctrinæ dulcedini.* & libro 2. qq. Euang. cap. 20. *Mariam*, inquit, *dicit optimam partẽ elegisse, quæ nõ auferetur ab ea; & ideo intelligitur optima, quia & per hanc ad illam tenditur, & non auferetur; illa verò ministeri, quamuis sit bona, tamen auferetur.* Ad eundem modum Ambros. *Nec Martha*, inquit, *in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quòd meliorem partem sibi elegerit, non auferetur.* Idem Gregorius lib. 6. Mor. cap. 28. & hom. 14 in Ezechiel. Beda, & Theophylactus adnotauerunt. Hæreticorum verò interpretes, qui nullam comparationem fieri putant, ex verbis sequentibus refelluntur.

42. *Porro vnum est necessarium.*) Cassian. collat. 1. c. 8. & collat 23. ca. 3. legit. *Porro paucis opus est, aut etiam vni.* Quod sit istud vnum, quòd Christus necessarium esse dicit, non satis constat. Quidam vnum ac simplicem cibum interpretãtur, quasi reprehendatur Martha, quòd multis parandis ferculis occupata esset, cum non nisi vno, eóque parabili esse opus. Sic Basil. in monasticis constit. ca. 2 & Cyrillus à D. Thoma citatus, & Theophylactus in commentarijs ad hunc locum interpretãtur. D. autem Augustinus ser. 27. de verbis Domini secundùm Lucam, vnum opus est, id est vnitate, quæ in Domino est. ille solus nobis necessarius, ille satis est, cætera, quæ multa sunt, non sunt necessaria. Alij vnum, quod nimirum elegit Maria, verbum Dei audire, & saluti operam dare, Beda, & Euthymius. Hunc verum arbitror esse sensum. Opponit enim Christus studium Mariæ studio Marthæ; Maria hoc vnum curabat, vt Christum audiret, & ab eo salutem suam quæreret; Martha vt Christo in rebus externis omnibus, quibus poterat, ministraret. Illud vnum necessarium esse dicit, hæc multa non necessaria: non quòd hæc non fint aliquando necessaria; nã & corporis moderata habenda cura est: sed quòd illud per se, hæc non nisi quatenus ad illud referuntur, curari debeant: & illud finis his satis sit, hæc sine illo nõ sint. *Quid enim prodest si mundus vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*, hoc est, *Porro vnũ est necessarium, quærere regnum Dei.* Quid ergo? an Martha regnum Dei, id est illud vnum, quod Christus necessarium esse dicebat, non etiam quærebat illi ministrando? Quærebat lanè, sed per multa, per externarum rerum ambages, atque circuitus. Maria in illud vnũ, quod erat necessarium, fixa erat; illud quærebat rectà via, ad illud propiùs accedebat, sedebat enim secus pedes Domini, & eius verbum audiebat, hoc vnũ agebat, quia sciebat hoc vnum esse necessarium. Superior erat secus summum bonum sedens, & quodammodo, ne amitteret, obseruans ac tenens, propterea ne ad ministrandum quidem illi discedebat, ne ferè amitteret, quod tenebat. *Inueni*, inquit, *quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, Cant. 3. 4. Martha verò, quæ per rerũ temporalium ambages ad illum ipsum vnum, ac summum bonum peruenire cupiebat, periculo se exponebat errandi. Vna via erranti non potest, multis potest: Et solet temporalium rerum solicitudo suffuscare verbum. Propterea dicit

Maria optimam partem elegit.) *G. ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο* bonam partem elegit. Sic vertunt, qui nullam hic fieri volũt comparationem. Sed, vt diximus, ex eo, quòd Mariam Christus laudat, Martham non quodammodo reprehẽdit, quòd solicita sit, & ergà plurima turbetur, apparet comparationem fieri. Ita & Augustinus ser. illo 27. de verb. Domini, *meliorem partem elegit.* Cassian. collat. 1. cap. 8. *meliorem partem*, & colla. 23. c. 3. *optimam partem*, & Phylastrius in hæresi veteris testamenti multa improbante *meliorem sortem*, & idem Augustinus lib. 1. de Trin. cap. 10. & Gregorius lib. 6. in Ioan. c. 28. & lib. 5. in 1. lib. Reg. c. 14. & Ambros. qui serm. 31. in Psal. 118. *bonam partem* vertit, eodem tamẽ loco, & in commentarijs in Lucam per comparationem exponit. Illic dicit, *sta sanctius cognoscere maius opus esse, quàm ministrare diuina doctrinæ sententiæ diffinitur*: hic quod supra recitauimus, *Nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quod meliorem partem elegerit, non auferetur.* Ac

mihi quidem non videtur noster interpres melius comparationẽ, quæ in verbis latebat, quam per superlatiuum exprimere potuisse. Nam non inter Mariam tantùm, & Martham, sed etiam inter id quod Maria, & id quod Martha elegerat, quæque alius quiuis eligere potuisset, cõparatio fiebat. Quæ cùm essent multa, debuit comparatio per superlatiuum, quem vocant, gradum fieri. Quam vocet optimam partem, quam Mariã dicit elegisse, paulò supra docuimus. Nempe elegerat ad pedes sedere Christi, eius verbum audire, eius doctrina pasci, &, vt vno dicam verbo, suam salutem quærere, cætera negligere. Ea optima pars erat. Sumpta mihi videtur esse metaphora ab hæredibus, quorum maior natu apud Romanos quidem, & apud multas deinde gentes hæreditatẽ in partes, quam maximè poterat æquales diuidebat; minor verò eligebat, quam volebat primus; auctor Seneca lib. 6. declam. 3. Nam nomen *ipsum* de partis, quo vsus Euangelista Græcè est, in sacris litteris hæreditatis propriè partem significat. *Pars mea Deus in æternũ*, Psal. 72. 26. &, *hæc est pars hominis impij*, Iob. 20. 29. & alia sexcenta, quæ lectori passim occurrent: quæ ex Hebraica phrasi ad verbũ expressa sunt, פרס, quod propriè de hæreditate dici solet. Conueniebat hoc in Martham, & Mariam. Nã & sorores erant, & Christum quasi hæreditatem suam diuidebant; altera cum in ipso, altera extra ipsum quærebat. Martha maior natu, quodammodo fecerat partes; & Maria natu minor, cuius erat eligere, optimam elegit partem. quia Christum in ipso, non extra ipsum elegit.

Quæ non auferetur ab ea.) Ridicula mihi & inepta interpretatio videtur, quę Caluino valde acuta visa est. Sic enim exponit, quasi Christus respondeat ad id, quòd Martha rogauerat, ver. 40. *Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet*; sensusq; sit, nolo dicere, vt te adiuuet; optimam enim partem elegit, à qua eã non deuerit remoueri, vt corporali vacet ministerio: *non auferetur ab ea*, id est non patiar, vt auferatur, nõ patiar vt à me discedat, vt adiuuet te nimis in ministrando solicitam, & occupatam. Hoc enim etsi est verum, est parum. Longiùs vtique tendebat Christus, volebatque ex effectu, & fine docere, quid inter Mariæ, & Marthæ interesset partẽ, quòd illa nimirũ æternæ, hæc tẽporalis esset. Illa thesaurizabat sibi *thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, neque furantur*: hæc thesaurizabat *in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & fures effodiũt, & furantur*, Matt. 6. 19. 20. Quod enim illic de thesauro dicitur, de omnibus tẽporalibus etiam rebus intelligendũ est. Non ergo significat Christus fore, vt propterea, quod elegerat Maria, ab ea non auferretur, quòd gratia illi auferendã non esset, quasi eam his verbis in gratia confirmet, vt cum D. Paulo dixit 2. Cor. 12. 9. *Sufficit tibi gratia mea.* Nam etsi id fortassis verum est, tamen nõ id Christus agebat, vt doceret quid illi gratiæ collatũ esset, sed quid ipsa elegisset; quanquam eligere non potuit sine gratia. Eterum si gratiam spectes, etiam Martha gratiam habebat, quæ ab ea, vt credẽdum est, auferenda non erat. Docet ergo quid inter contemplationem Mariæ, & Marthæ occupationem interfit suapte natura, quòd illa æterna, hæc temporalis sit. Ad hunc modũ optimus quisque auctor exponit. Augustin. serm. 27. de verbis Domini. *Attendamus igitur occupationes nostras circa multa. necessarium est ministerium corporis refecturis. Quare hoc? quia esurit, misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia inuenisti esurientem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationem, cui exhibes hospitalitatem? Tolle nuditatem, cui præparas vestes? Non sit ægritudo, quem visites? Non sit captiuitas, quem redimis? Non sit rixa, quem concordes? Non sit mors, quem sepelis? In illo sæculo futuro nõ erunt ista mala, ergo nec ista ministeria. Ergo Maria meliorem partẽ elegit, quæ nõ auferetur ab ea. Hoc enim elegit, quod semper manebit, ideo nõ auferetur ab ea. Circa vnũ se voluit occupari, iam tenebat. Mihi autem adhærere Deo bonũ est.* Et rursum de Martha loquens, *Circa multa es occupata, porro vnum est necessarium. Iam hoc sibi Maria elegit. Trãsit amor multitudinis, & remanet caritas vnitatis. Ergo quod elegit non auferetur ab ea: à te autem quod elegisti, vtique hoc sequitur, vtique subintelligitur, à te, quod elegisti, auferetur. Sed bono tuo auferetur, vt quod melius est detur. Auferetur enim à te labor, vt requies detur. Tu nauigas; illa in portu est.* In eandem sententiam scribunt Hieron. in c. Ierem. 3. Greg. lib. 6. Moral. c. 28. & hom. 14. in Ezechiel. Beda, & Theophyl. in commentarijs. Ridet Caluinus monachos, quòd duo ex hoc loco vitæ genera esse collegerint, alteram contemplatiuam, quæ Mariæ; alteram actiuam, quæ Marthæ respondeat. Quid ergo? negat antiquos illos Patres monachos fuisse, qui veri monachi fuerunt, cùm omnes nunc monachos appellat? Hoc enim, quod ipse solis monachis tribuit, nemo eorum non dicit. Dicit Basil. in monast. const. c. 2. dicit Aug. serm. illo 27. de verbis Domini, dicit Hieron. in comment. c. 3. Ierem. dicit Cassian. collat. 1. c. 8. dicit Greg. illis duobus locis quos modò citauimus, dicit Beda, & quis non? Non quod propriè collegerint ex hoc loco, cuius nec ignorabant, nec tacuerunt alium esse sensum, sed quòd eas duas mulieres tanquam exempla duo, alterum contẽplatiuæ, alterũ actiuæ vitæ proposuerint, quibus nullũ profectò potuit accommodatius excogitari.

Vera huius loci expositio.

Caluini petulãtia castigatur.

CAPVT XI.

FIt factum est: cum esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos. 2. Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. 5. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, 6. quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, 7. & ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. 8. Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens

Matth. 6. b. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. 9. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. 10. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. 11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? 12. Aut si petierit ouum: numquid porriget illi scorpionem? 13. Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? 14. Et erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. 15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. 16. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. 17. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. 18. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia. 19. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia: filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. 20. Porro si in digito Dei eiicio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei. 21. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. 22. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. 23. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. 24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. 25. Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. 26. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. 27. Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. 28. At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. 29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. 30. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & Filius hominis generationi isti. 31. Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiã Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic. 32. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic. 33. Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. 34. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. 35. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. 36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. 37. Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt prandaret apud se. Et ingressus recubuit. 38. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. 39. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod déforis est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate. 40. Stulti nonne qui fecit quod déforis est, etiam id, quod deintus est, fecit? 41. Verumtamen quod superest date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. 42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. 43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. 44. Væ vobis, quia estis vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt. 45. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. 46. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. 47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. 48. Profectò testificamini quòd consentitis

Matth.7. d.7.&21. c.22. Mar. 11.c 24. Ioan. 14. b.13. Iac.1.d.5. Matth.7. b.9. Matth.9. d. 32. & 12. b. 22. Mar. 3.c. 22.

Matt.23. c.25.

Ioſ.20 g. 45. Mar. 12. d.38. Matt.23. a.6. Matt. 23. d.4.

Matt.12. c.39. Ioan.2.a. 2. 3.Reg.10. a.1. 2.Par.9. a.1. Ioan.3.b. 5. Matth.5. k.15. Mar.4.c. 21. Matth.6. c.21.

sentijs operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. 49. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur: 50. vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista, 51. à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare, & ædẽ. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. 52. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis. 53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & Legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, 54. insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.

IN CAPVT XI.

ET factum est, cum esset in quodã loco orãs.) Matthæus c. 6. 9. cùm nondum oraret, aut statim oratione finita, nec ab Apostolis rogatum sed concionantem, dum Scribarum, & Pharisęorum simulatam in orando religionem reprehenderet, discipulos suos his verbis orare dicit docuisse. Quæ tatione ista conueniant, illic disseruimus.

Sicut docuit & Ioannes discipulos suos.) Ex hoc vno loco constat Ioannem certam aliquam, & ante non vsitatam orandi formam discipulis suis tradidisse; quam autem, id non constat. Vtinam haberemus. Nam etsi melior, quàm ea, quæ nobis à Christo tradita est, esse non poterat; tamen ex ea cognoscere mus, quid in orandi apud Iudæos ratione innouasset. Nec mirandum illum certam orandi formam discipulis suis præscribere voluisse; pars enim est, & quidem ex primis vna religionis orare. Nec vlla fuit vnquam religio, quæ non certam supplicandi Deo rationem haberet. Itaque quisquis vnquam religionem mutauit, & orandi rationem mutauit. Quare Ioannes, qui homines à vetere legis Mosaicæ religione auellere, & ad Christum traducere conabatur, hoc in primis curare debuit, vt præscriberet discipulis modum orandi. Idemque vt Christus faceret, qui nouam instituebat religionem, Apostoli rogabant, æmulatione fortassis aliqua, vt Theophyl. existimat. Imitati hoc sunt hæretici Ioánis, & Christi exemplis abeuntes. Nulla enim vnquam hæresis fuit, quæ non continuò suas effingeret preces. Id de Arianis passim scribit Athanasius, de Valentinianis Irenæus, de Marcionistis Tertullianus, de Manichæis & Donatistis Augustinus de omnibus simul hæreticis Epiphanius. Nec longè nobis exempla petẽda sunt. Quot nostro tempore Lutherani, quot Caluinistæ precandi formulas, neque cum nostris, nec inter se ipsos conuenientes ediderẽ? Per libellos istos precarios specie religionis ornatos eorum se primũ hæresis insinuauit: Euthymius, qui bis Christum hanc eandem orandi formam tradidisse putat, primũ Apostolis, deinde septuaginta duobus postea electis discipulis; hunc qui Christum rogauit, vt Ioannis exemplo se quoque doceret orare, vnum aliquem ex septuaginta duobus discipulis fuisse putat. Non est dissimile vero, sed incertum.

Cum oratis dicite, Pater sanctificetur nomen tuum.) Sive semel tantùm, siue, vt alij volunt, bis hanc orationis formulam Christus tradiderit, illud certum sententiam, & summam rei eandem esse hanc atque illam, quæ apud Matthæum ponitur. De verbis dubitatur, num totidem hic, atque illic recitẽtur. Nam Græci quidem fere omnes codices, atque Syriaci omnia fere eadem legunt vno tantùm, aut altero mutato verbo, quæ apud Matthæum legũtur. Itemque Græci auctores Theophyl. & Euthym. interpretantur. Latini verò Latini omnes non legunt, *Qui es in cælis* nec, *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Et olim hæc apud Lucam lecta non fuisse perspicuum est ex August. in Enchir. c. 115. & 116. & ex Beda in huius loci comment. Nec quisquam vnquam, quòd sciam, Latinus legit interpres. Nam quòd idem Aug. serm. 28. de ver. Domini secundùm Lucam, & Ambr. lib. 5. de sacram. c. 4. totidem hic atque apud Matthæum petitiones ponunt, non ideo fecisse arbitror, quòd hic totidem legerint; sed quòd cùm vellent dominicam orationẽ explicare, ex Matthæo sumpserint, quæ apud Lucam desiderabantur. Quemadmodum si quis Domini passionem exponens, etiamsi vnum aliquem Euangelistam interpretaretur, ab alijs sumeret, quæ ille non diceret. Itaque nostram lectionem magis hoc loco incorruptã, quàm Græcã esse puto; & quia Latini omnes auctores ita legunt; & quia facilius fuit aliquẽ Græcum cum videret plura apud Matthæum, quam apud Lucam legi, vitium ratum ex Matthæo in Lucam transcribere, quæ desse videbantur; quàm ex Latinis delere exemplaribus, quod habebant. Quis enim potuit esse tam audax, vt deleret, ea præsertim, quæ cùm apud alterum essent Euangelistam, reponenda potiùs, si non legerentur, videri poterant? Huius igitur orationis dominicæ explicationem in Matthæi commentarijs c. 6. 9. 10. 11. 12. 13. reperies.

Et ait ad illos, Quis vestrum habebit amicũ, & ibit ad illum media nocte.) Hanc similitudinẽ, quæ per quattuor sequẽtes versus explicatur, solus narrauit Lucas; fecitq; optimo consilio, vt præscripto orationis medicamẽto eius etiam vsum declararet; & qua tatione sciebat hoc Christum dixisse, eadẽ ipse litteris mandandũ putauit, ne nos lateret, quod discipulos suos Christus, ne orationis fructu priuarẽtur, latere noluisset. Docuerat illos rationem orãdi, oportebat & orationis vim atque fructũ exponere, quò libentiùs eo, quem petierant orandi modo, iniecta spe, quod postularent, impetrandi vterentur. Oportebat & naturali humani ingenij morbo mederi. Solemus si semel, aut iterum aliquid à Deo petẽtes nõ impetramus, & impetrandi spem abiicere, & orandi studium relaxare, nonnunquam etiam nutare fide. Non secus atque ægroti, qui, sumpto semel medicamento non cõtinuò sanati fuerint, medicum accusant, medicamentũ detestantur, nec adduci possunt, vt iterum sumant. Vtrumque igitur hac similitudine facit Christus, & ad orandum discipulos hortatur, proposita spe quiduis, si perseuerauerint, cõsequendi; & monet, ne desperent, si primo, aut secundo orantes consecuti nõ fuerint quod postulabãt; tandem cõcessurum Deum esse quod petãt, vt Cyrillus apud D. Tho. obseruauit. Id probat argumẽto à minore ad maius. Id vos faceretis, qui homines, & malefactis; multo igitur magis Deus faciet, qui Deus,

Perseuerandũ esse in oratione hac similitudine docetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& bo nus est. Quemadmodum in simili argumentatione ver. 13. concludit; *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Eodem spectat parabola illa viduæ iniquum iudicem interpellantis, quę ponitur infra c. 18. 2. Quod ergo dicit. *Quis vestrum?* maiorē habet emphasim, quàm si simpliciter dixisset, quis habet amicū? Argumentatur enim ex illis ipsis quibuscū loquebatur, & ex se ipsis cōiecturam facientes confiteri cogit, nihil Deū continenter, & constanter orantibus negaturum. Hoc est, quod ait Ecclesiast. c. 18. 22. *Non impediaris orare semper, & ne vereris vsque ad mortē iustificari.* Et D. Paulus Ephes. 6. 18. *Per omnem orationem, & obsecrationē orantes omni tēpore in spiritu, & in ipsō vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis,* & ad Colos. 4. 2. *orationi instate, vigilātes in ea cum gratiarum actione,* & 1. Thess. 17. 18. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Hæc sola sunt arma, quibus inuictus expugnatur Deus. Vinci se à nobis patitur, cum rogatur.

Et ibit ad illum media nocte.) Incommodissimo tempore cùm minimè credibile erat eum de lecto surrecturum, vt petenti mutuò panes daret. Nam & hoc ipsum est argumentum à minori ad maius. Si media nocte dabit propter amici rogantis obstinatam perseuerantiam, multo magis quouis alio tempore dabit. Indicat etiam nos, cum dicit *media nocte*, nullum tempus etiam noctis medium, quod maximè est reficiendis somno corporibus necessarium, orationi incommodum ducere debere. Rectè in hunc locum scribit Ambrosius, *Quis autem amiciur nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit? Petijt ab hoc media nocte panes Dauid, petijt, & accepit. Petijt enim quando dicebat, Media nocte surgebam ad confitendum tibi: ideo meruit hos panes, quos apposuit nobis edendos. Petijt eum dicit, Laudabo per singulas noctes lectum meum: nec enim timuit ne excitaret dormientem, quem sciebat semper excubare vigilantem. Et ideo scriptorum memores, noctibus ac diebus orationi instantes, peccatorum nostrorum veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessitatibus occupatus septies in die laudem Domino dicebat, matutinis & vespertinis sacrificijs semper intentus, quid nos facere oportet, qui eò amplius rogare debemus, quo frequentius carnis, ac mentis fragilitate delinquimus.*

Amice accommoda mihi tres panes.) G. χρῆσον μοι τρεῖς ἄρτους, mutuo da mihi tres panes. Tres, vt opinor dixit, quia vno ipsi qui petebat, altero amico opus erat, & tertium oportebat esse communem, si fortè vnus vni non esset satis. Proposuit enim similitudinem sumptam de medio, & ex rebus ijs, quę fieri sosent. Solent autē singulis cōuiuis singulis panes apponi, deinde cōmunis aliquis panis reseruari, qui sit si cui panis defuerit, supplementū. Hic litteralis est sensus: allegoricum & mysticum, quia nostri nō est instituti, prætermittimus. Si quis tamen desiderat, Orig. siue Cyrillū Alexand. legat lib. 5. in Leuit. legat Aug. ser. 29. de verb. Domini secundùm Lucam: legat Bedam, Theophylact. & Euthym. in commentarijs. Tractat & Tertullianus subtiliter hunc locū libr. aduer. Marcionem 4. hinc etiam illius deliria coarguens. *Cum dicit, Amice supplicem representat.*

Psal. 118. 62. *Psal. 6. 7.* *Dauidis exēplo sæpius orare debemus.*

Psal. 118. 164.

6. *Quoniam amicus meus venit de via ad me, & nō habeo, quod ponam ante illum.*) Duas affert causas cur tam importuno tempore ad amicum veniat, & cur sibi, quos petit panes, dare debeat; quòd amicus ad se de via fessus, famelicusq; diuerterit, quòd plus ad mouendum habet ponderis, quàm si sibi petiuisset: iustior enim videtur caussa pro alio, quàm pro se petendi: & dum amico ab amico non sibi ipsi petit, indicat se idem pro illo, à quo petit, in simili caussa fa-

durum esse, itaque perinde quodammodo est, ac si illi ipse à quo petebat, peteret: & quòd nihil pecuniæ habeat, quod in cænam illi præbeat, ac ne panem quidem. Facit etiam ad impetrādi facilitatem, quòd non delicatas carnes, non pretiosa vina, sed panes petit, vnde magis intelligi poterat eius inopia, & eò minùs negari ab amico, quod petebatur, quo erat vilius. Et hic si quis mysticum quærit sensum, vos quos modò citauimus, auctores legat.

7. *Noli mihi molestus esse.*) Non erat vero simile ita amicum amico respōsurum, sed petrinebat ad argumentum, quo vti volebat Christus, vt ita respōderet, vt appareret, quantum importuna, & vrgens perseuerātia valeret. Ideo per hypothesim dixit, intelligitur enim, si ille respondeat, id est quamuis ille ita respondeat; tamen si alter non propteretea terreretur, neque discedat, sed instet, pulset, vrgeat, tandem extorquebit. Si enim statim perenti dedisset, nō apparuisset, quam vim perseuerātia habuisset, qua potissimùm in re totum argumenti momentum erat.

Iam ostium clausum est.) Excusat omnia, quę pro tempore videbātur esse posse probabilia, quòd ianua esset clausa, quam molestum, & fortasse periculosum esset, int ēpesta nocte aperire; quod ipse iam esset in lecto, & surgere sine molestia nō posset; quòd pueri etiam secum essent, ita vt nemo esset domi, qui dare posset, nisi magno suo incōmodo de lecto surgeret. Denique rectè Euthym. dicit, & ea quę alter amicus panes petens dicit, & alter negans respōdet, eo pertinere omnia, vt appareat & petitionem fuisse maximè necessariam, & repulsionem fuisse iustissimā. Pueros hic non famulos, sed filios interpretor, quēadmodum Tertul. lib. 4. contra Marci & Theophyl. tùm quia non παιδία, sed παιδία dicta sunt, quo verbo filij potiùs, quam famuli vocari solent; & quia in eodem lecto, aut certè in eodem cubili erant vtrique enim κλίνη significare potest.

8. *Et si perseuerauerit pulsans.*) Hæc verba in Græcis codicibus non leguntur, legunt tamen Ambrosius & Beda, & videntur esse ad explendam sententiam necessaria.

Dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Hæc non videntur in Deum conuenire, neque propterea dicta esse, vt ad illius accōmodentur: sed vt magis intelligatur, quantùm perseuerantia valeat; cùm impetret aliquando, quę amicitia impetrare non potest. Nec enim Deus importunus, &, vt se fastidio liberet importunas audiendi preces, petita concedit; sed latet etiam hic argumentatio à minore ad maius; si ille non propter amicitiam, sed propter improbitatem solam petentis fecit, quanto magis Deus faciet, qui nō amicus modò, sed etiam pater nobis est? vt concludet ver. 13. *quanto magis pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Quanquam & hoc ad Deum possumus aliqua ratione accommodare, vt significetur, etiam Deum non solùm amicis, verum inimicis etiam suis, id est peccatoribus non propter amicitiam, & gratiam à qua illi alieni sunt; sed propter ipsam orationis perseuerantiam tandem concessurum esse, quod petēti ἀναιδὲς eius rectè noster interpres improbitatem vertit, quamuis nomen propriè impudentiam significet. Probus enim Latinè dicitur qui verecundis, honestis, & minimè importunis, & molestis est moribus. Vult Deus impudentes quodammodo, & importunos in petendo nos esse.

9. *Et ego dico vobis.*) Qui paulò ante dixi fore, vt amicus ille importunis amici precibus surgeret, & amico, quod petebat daret; hoc etiam dico fore, vt

peten

petentibus vobis, & Deum perseueranter orantibus detur. Hæc est superioribus accommodatio parabolæ, & argumenti, quod in ea latebat, explicata conclusio. Sed omnia quæ sequuntur vsque ad ver. 27. apud Matth. cap. 7. 8. & cap. 9. 32. & cap. 12. 22. à nobis tractata sunt.

27. *Factum est autem, cùm hæc diceret.*) Hæc historia à solo scribitur Luca; vna enim est, ex quibus eius in scribendis rebus à Christo gestis diligentia commēdatur, quamuis ab Irenæo lib. 3. c. 14. prætermissa. *Factum est*, inquit, *cùm hæc diceret*; Non dubito quin voluerit Euangelista materiam his verbis, & occasionem futuræ historiæ declarare. Cum enim dicturus esset mulierem quandam de media turba sublata voce clamasse, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, voluit priùs exponere, quare commota fuisset, vt ita clamans Christum laudaret. Et audierat Christum mirabilia docentem, Pharisæos penitus reuincentem; multò verò mirabiliora facientem viderat, eiicientem dæmonium, ver. 14. muto sermonis facultatem dantem; erupit igitur in hanc vocem, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Et cætera turba quæ miraculum idem conspexerat, admirata fuisse dicitur, ver. 14. sed sola hæc mulier continere se non potuit, quin admirationem suam clamore, laudibúsque declararet; idcirco quid illa solum dixerit, ab Euangelista narratur.

Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit.) Emphasim singula habent verba, & quòd dicit. *Extollens vocem*; magnum enim declarat affectum; magnamque fidem in clamorem erumpentem. Ex intimis animi sensibus loquebatur, quæ quanta poterat maxima contentione clamabat. Altè enim, vt obseruauit Euthymius in eius animum Christi sermo descenderat; & quod dicit *quædam mulier*, quibus verbis non solùm mulierem, quod ipsum per se mirum erat; sed etiam ignotam, atque obscuram fuisse indicat, propterea non appellat nomine, sed vocat quandam, quemadmodum vocare solemus homines ignobiles. Eodem pertinet, quod addit, *de turba.* Quod etsi propriè significat de media turba clamasse, non de turba, id est de media fuisse plebe, tamen indicat fuisse plebeiam, cùm in media fuerit turba. Omnia ad commendandam mulieris fidem pertinent, quòd viris, qui sibi sapientes esse videbantur, non credentibus, ipsa & mulier sexu minùs doctrinæ mysteriorumque capaci, & rudis de plebe crediderit, & ita crediderit, vt cùm continere erumpentis fidei impetum non potuerit, quasi affata numine clamauerit. Animaduertit hoc & admonuit Theophyl. & Beda, *Magna*, inquit Beda, *deuotionis, & fides hæc mulier ostenditur, qua Scribis, & Pharisæis Dominum tentantibus, simul & blasphemantibus tanta eius incarnationem præ omnibus sinceritate cognouit, tanta fiducia confitetur, vt & præsentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam.*

Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ fixisti.) Synecdoche est, qua pars pro toto ponitur. Voluit enim matrem Christi beatam dicere; sed matrem eius per ventrem, & vbera descripsit, & maiore orationis gratia, atque efficacitate dum eas nominat partes, quæ generando, alendoque Christo maximè seruierant, ventrem qui concepit, gestauit, ac edidit; & vbera quæ lacte editum aluerunt; & ad mulierem consuetudinem, laudātisque personam magis accommodatè. Solent mulieres eas potissimùm duas partes & in laudem, & in vitium nominare, infra cap. 23. 29. *Ecce venient dies, in quibus dicent. Beate steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera, quæ*

non lactauerunt. Beatam igitur hæc mulier Christi matrem appellauit, sed beatam non per se ipsam, sed quòd Christum genuisset, aluisset que. Hanc etiam vim habet illa totius ex duabus partibus facta descriptio; quasi non ob aliam caussam, quàm propter ventrem, & vbera, id est quòd Christum genuisset, beatam dixerit. Non nego maius aliquid de Christi matre hanc mulierem cognouisse; etsi id pleraque negant; sed illud certum, omnem eius fœlicitatem ad ventrem, vberaque retulisse, quasi tam fœlix, tam sancta etiam, si vis, futura non fuisset, nisi peperisset Christum. Quod hoc sensu verum est, vt intelligamus non fuisse Deum tantùm illi collaturum gratiæ, nisi Christi dignam matrem efficere voluisset. Probat ex hoc loco Tertullian. in libr. de carne Christi, & lib. 4. contra Marcionem, Christum verum habuisse corpus, quod Marcionistæ negabant, quando venter ipsum portauit, vberaque lactauerunt. Probat Beda cōtra Apollinaristas, vt opinor, qui Christum per Mariam tanquam per canalem transijsse dicebant, carnemque non ex illa, sed cœlo traxisse, eam verè Christi fuisse matrem; siquidem beatus vocatur eius venter, quòd Christum portasset, beata vbera, quòd Christum lactauisset. Idem & Theophyl. argumentatur.

Beatæ cur dicta sit Christi mater.

Marcionistæ, & Apollinaristæ refutantur.

28. *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*) Refellenda in primis est interpretatio Caluini, qui putat hanc phrasim negare quod dictū fuerat, & affirmare quod dictū nō fuerat. Quasi neget Christus matrem suam beatam fuisse, beatos verò eos esse dicat, qui verbum Dei audiant, atque custodiant. Quod ille hæretico in sanctissimam virginem facit odio, dignus qui à Grammaticis verberetur, quòd linguæ proprietatem ignoret. Poterat ex vno ex præceptoribus suis discere contrariū, qui in hunc locū scribens admonuerat, μετάνοιαν, nec affirmare, neque negare quod dictum sit. Atqui ille ipse, si melius proprietatem perpendisset vocis, intellexisset affirmare potius quod dictum sit. Perinde enim est ac si dicas, imo potius; qui autem dicit potius, vtrúque & quod dictum est, & quod dicendum, affirmat, sed dicto dicendum præponit, vt si aliquo dicente, Bonum est argentum, respondeas, imo potius aurum; non negas, sed affirmas argentum esse bonum; cæterum aurum melius esse dicis. Quin, etiamsi Christus disertis dixisset verbis, non est beatus venter, qui me portauit, & vbera quæ suxi; sed beati sunt qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, nō posset colligere Caluinus Christum, quod mulier dixerat, negauisse. Quemadmodum ex eo quòd dicit *Misericordiam volo, non sacrificium.* Matth. 9. 13. colligi non potest Deum sacrificium nolle; sed minùs quàm misericordiam velle. Et ex eo quòd dicit Matth. 10. 20. *Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*, non sequitur non fuisse Apostolos qui loquerentur, sed Spiritum potiùs sanctum fuisse, qui in ipsis loquebatur. Sæpe enim docuimus eiusmodi locutionibus id quod absolutè negari videtur, non absolutè, sed alterius comparatione negari. Atque ad eundem modum intelligendum foret, si Christus dixisset, non venter qui me portauit, sed qui audit verbum Dei, & custodit illud, beatus est; non enim ventrē qui se portauerat, beatū negasset: sed minùs beatum, quàm qui verbum Dei audiret, custodirétque, esse significasset. Quanto magis, cùm non dixerit, beatus non est venter, sed μακαρίως, imo potius, *beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud?* Quibus, vt diximus, verbis tantùm abest, vt neget ventrem qui se portarat, beatū esse, vt potiùs affirmet, vt Beda, & Theo-

Caluini in Harmonia inepta expositio reprehenditur.

Erasmus Annotat. in Luc.

Osee 6. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phyl. in comment. & Chrysost. apud D. Thom. obseruarunt. At cur isto ipso modo Christus respondet: Cur, cum quidam illi concionanti nuntiasset, *ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te*, respondit? *Quæ est mater mea, & fratres mei? & extendens manum in discipulos suos dixit, ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ille meus frater, & soror, & mater est.* Matth. 12. 47.48.49. 50. An negauit Mariam matrem suam esse? Minimè verò; sed quia in prædicando Dei verbo erat occupatus, arripuit ex ijs, quæ ille nuntiauerat, occasionem ministerium suum, & fructum prædicationis, verbique Dei commendandi. Tu mihi nuntias matrem, & fratres meos adesse; quasi magnum putes, vt re vera est, matrem ac fratrem meum esse; ego verò tibi denuntio, eos, qui voluntatem, quam ego prædico, patris mei faciunt, melioris esse conditionis, quàm si mater, aut fratres mei, id est quàm si mihi sola carne coniuncti essent. Eodem modo hic ex ijs, quæ mulier illa verè dixerat, beatum esse ventrem, qui portasset Christum, & vbera, quæ suxisset, occasionem accepit verbi Dei, quod prædicabat commendandi, quòd beatiores homines, quam venter, & vbera posset facere. Nam & ipsam matrem suam beatiorem esse, quòd verbū Dei audisset, custodijsset*que*, quàm quòd se corporaliter genuisset. Magis enim beata fuit quòd mente, vt Augustinus. & alij Patres loqui solent, quàm quòd corpore Christum concepisset. Sicut Elisabet illi dixit, *beata quæ credidisti* c. 1. 45. Beatiores ergo *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, quia mater ipsa Christi hinc, quàm inde beatior; & quia illa ipsa beata non fuisset, etiamsi corpore Christum genuisset nisi verbum Dei audisset, & custodisset illud, vt Chrysost. apud D. Thom. docet. Prudenter adiecit, *& custodiunt illud*, quia audire, & non custodire, maiorem potiùs condemnationem, quàm gloriam affert. *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim illis illud veri proverbij, Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti* 2. Petri 2. 21. 22. *Non* inquit, *auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*, Rom. 2. 13. &, *estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vosmetipsos: quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit*, Iacob. 1. 22. 23. 24. *Omnis*, inquit Christus, *qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domū suā super petram: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna*; Matth. 7. 24. 25. 26. 27. Accusat Caluinus nos quòd verba huius mulieris foleamus in Ecclesia sine Christi correctione recitare. Malignus simul, & stultus calumniator est, iniuriāque non nobis modò, sed sanctæ etiam illi mulieri facit, quæ plena fide exclamauerat, *beatus venter qui te portauit*. Malignus est, qui odio hoc dicit Ecclesiæ; stultus, quia nec mulieris verba, nec consuetudinem nostram intelligit; iniuriam nobis, & illi facit, quia & illius dictum, & consuetudinem nostram non intelligens in deteriorem partem interpretatur. Putat enim mulierem illam Christi matrem propter solā eius generationē remota fide, remota caritate, qua semper Christum animo gestabat, beatam prædicasse, quòd paulò supra refutauimus. Putat nos, cùm dicimus, *Beata viscera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni patris filium*, viscera tantùm virginis, & corporalem eius generationem laudare. Errat; beatiorem virginem animo, quàm corpore; spiritualiq; quàm corporali Christi conceptione credimus, ac prædicamus. Cur igitur correctionem Christi non addimus? quia non id agimus, vt alios omnes, qui verbum Dei audiunt, atque custodiunt; sed vt solam matrem Christi laudemus; & eam ipsam non quocunque titulo, sed illo solo, quòd mater sit Christi, huius mulieris imitatione laudemus. Cæteros fœlicitatis eius titulos non addimus quidem tunc, sed non excludimus. Alias addere solemus, & quidem tam amplos, atque magnificos, vt iste ipse perpens, qui se nunc B. Virginis honorem valde tueri simulat, crepet inuidia. Addimus Christi correctionem, cùm populum docemus, cùm Euangelium hoc in sacrificio recitamus, cùm id agimus, quod Christus agebat, vt doceamus populum, in quo potissimùm vera beatitudo consistit.

Lib. de S. Virginitate Iapsus.

Non satis est audire verbum Dei, nisi custodiat.

Alia Caluinus calumnia diluitur.

29. *Turbis autem concurrentibus.*) Quod sequitur vsque ad ver. 34. Matthæus etiam c. 12. 39. scribit, atque illic nos etiam exposuimus. Cæterum Lucas & connexionem, & occasionē huius sententiæ prætermisit, quā Matthæus declarauit. Narrat, cùm Christus dæmonium illud mutum eiecisset, turbæq; miratæ essent, Pharisæos, Scribasq; dixisse, *in Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia*: Christū calumniā refutasse, probasseq; non in Beelzebub, sed *in spiritu Dei* imperare dæmonibus; adiecisse, qui in Spiritum sanctum, vt illi faciebāt, blasphemasset, ei nec in hoc sæculo, nec in altero peccatum remittendum; quod Lucas historiæ ordine non seruato narrat c. sequēti ver. 10. Tunc Pharisæos, & Scribas quosdam signū à Christo de cælo petiuisse, quo certius, quod dicebat, comprobaret; ipsum respondisse, quod illic Matthæus. hic Lucas ait, *Generatio hec generatio nequa est*.

36. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit.*) Totam hanc oculi, & corporis comparationem, quæ ponitur à Luca à ver. 34. vsque ad hunc locum, apud Matth. c. 6. 21. explicauimus. Nunc ea tantùm, quæ hoc versu dicuntur: quoniam Matthæus non dixit, explicanda nobis sunt; eo diligentiùs, quo obscuriora sunt, & totius similitudinis, & argumēti conclusionem continent. Difficultas in eo consistit, quòd ταυτολογία esse, & idem ex eodem cōcludi videatur. *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habes aliquā partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te*; perinde est ac si diceret, si fuerit lucidum totum, erit lucidum totum. Qui optimè omnium exponere videntur, ad hunc modum exponunt. Dicunt non concludi omnino idem, quod in antecedente sumptum erat, sed idem cum similitudine, & comparatione quadam. Sumptum fuerat, si totum corpus tuum lucidum fuerit; concludituri non quidem totum lucidum fore, sed quomodo lucidum erit, nempe, ita vt si lucerna aliqua fulgere illuminaretur. Hoc pluribus, atque melioribus auctoribus placuit. Alij Latinam lectionem ex Græca corrigunt. Legunt hoc modo Græci, ὅε ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε, sicut quando lucerna fulgore illuminat te. Vnde cōiecturam faciunt legendum esse Latinè, vt cùm lucerna fulgoris illuminabit te. Minùs hoc mihi placet, quia & Latina verba corrigūntur, & correctio nihilo meliorem reddit sensum. Fingamus enim nostrum interpretem eo modò vertisse, quis obsecro erit sensus, vt si cùm lucerna fulgoris illuminabit te? Quis enim ita locutus fuisset? Fingamus aptioribus vertisse verbis, & ad verbum expressisse Græca, vt quando lucerna fulgore illuminabit te; quis, tamen erit sensus, quo modo tautologia fugiatur? Nam quòd illi, quos paulò ante diximus, auctores respondent, non idē concludi, quod sumptum fuerat, sed idem aliter, idem comparatione magis explicatum; ideo non probo, quia neminem hominem prudentem ita locuturum, aut argumentaturum fuisse persuadere mihi possum; si totum corpus tuum lucidum fuerit, erit lucidum totum, sicut, quando lucerna illuminabit, aut illuminauerit te; nam etsi in conclusione comparatio adhibetur, tamen meo quidem iudicio tautologiam non tollit. Adde, quòd ipsa Græca verba mihi non videntur cōgruentem habere sensum. Si enim Græce esset ὡς ὅταν λύχνος ἀστραπῇ φωτίζει σε, vt quando lucerna illuminat te, sententia esset tolerabilis; cùm autem dicat ὡς ὅταν φωτίζῃ σε, vt quando lucerna illuminauerit te, tempus profectò illud subiunctiui modi sententiam corrumpit, & insolentem reddit. Si qua isti auctores in Latinis, ea ego licentia in Græcis corrigendis vti vellem, ita mea quidem sententia corrigerem, vt nihil in sensu insolens, nihil durum remaneret: vnam tantùm litteram tollerem, vt vbi legitur σῶμα corpus, dicerem ὄμμα oculus, & sententia esset congrua, si ergo oculus tuus lucidus fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum (scilicet corpus) & sicut lucerna fulgoris illuminabit te, sub. oculus tuus. Nostrum enim interpretem non legisse Græcè φωτίζῃ, sed, φώτισει, ex eius versione manifestum est, & sententia ipsa postulat, quæ multo profectò melior Latinæ, quam Græcæ lectionis est. Si possem huius correctionis meæ auctorem aliquem bonum inuenire, nihil dubitarem affirmare ita esse legendum; quamuis aliter noster legisset interpres, non satis emendatum nactus codicem. Sed, vt sæpe testor, in corrigenda sacrarum litterarum lectione non quæro laudem ingenij, ἀφ' ἑνὸς γραμμάτων, vt Græco apud Platonem prouerbio monemur. Ergo quia nolo lectorem cogere vt meam probet correctionem, aliam salua Latina Græcaque lectione, quàm nunc habemus, interpretationem adhibebo. Priori loco dicitur, *Si totum corpus tuum lucidum fuerit*; posteriore verò non dicitur, erit lucidum totum corpus, sed, *erit lucidum totum*; quòd, quia ad corpus omnes interpretes referunt, tautologiam vitare non possunt. Ego non refero ad corpus, sed ad totum absolutè, ad omnia, quę homo habet. Quemadmodum si per negationem dixisset, si totum corpus tuum lucidū fuerit, nihil erit quod non sit lucidum. Nam in toto corpore omnia comprehenduntur. Quod hoc modo melius intelligetur, oculum, vt ait Augustinus lib. 2. qq. Euang. c. 15. intentionem hominis vocat, totum verò corpus, vt ego quidem arbitror, omnes simul hominis facultates, quæ tanquam membra diuersa corpus vnum efficiūt, totum autem absolutè omnes actiones humanas, quæ ex facultatibus proficiscuntur. Ergo argumentatur ad hunc modum; si oculus tuus lucidus fuerit, id est si intentio tua fuerit recta, totum corpus tuum, id est, omnes aliæ tuæ facultates lucidæ, & rectæ erunt; si autem totum corpus tuum, id est, omnes tuæ facultates, fuerit lucidū, totum omnino, id est, quicquid inde proficiscitur, lucidum, ac rectum erit, quia (sub. oculus tuus) sicut lucerna fulgens te totum illuminabit. *Et*, enim accipio pro, Quia, per Hebraismum, vt sæpe alias. Sic opinor planius est sensus.

37. *Et cum loqueretur.*) Augustinus lib. 2. de cons. Euang. cap. 39. & 75. & Beda in commentarijs huius loci existimant Lucam hīc ordinem historiæ non

seruare, sed res diuerso gestas tempore coniungere. Nam inter ea quæ ante narrauit, & hoc quod nunc narrare incipit, ea accidisse omnia, quæ Matth. à capite 12. vsque ad 23. scribit; ideo non dixisse Lucam cum hæc loqueretur, sed, *cum loqueretur*, quasi sensus sit, cùm non quidem tunc, sed aliquando loqueretur, *rogauit illum quidam Pharisæus vt prandaret apud se*. Libentiùs hic sequor Euthymium, qui hæc, quæ sequuntur, eodem loco, eoq; tempore accidisse putat, quo superiora. Nam quod Augustinus & Beda notant, non dixisse Lucam, cùm hæc loqueretur, sed, *cum loqueretur*, non magni mihi videtur esse momenti. Quid enim intelligi volunt tunc locutum fuisse Christum, nisi quæ paulò ante commemorauerat, cùm eum Pharisæus inuitauit? Quòd si non intellexisset superiora locutum fuisse, quorsum dixisset, *cum loqueretur*? quid enim ad rem attinebat dicere à Pharisæo inuitatum fuisse, *cum loqueretur*, aut cùm sileret, si tempus signare noluit? Voluit ergo tempus proculdubio describere, quo id, quod dicturus erat, accidisset, non descripsit, si non intellexit, *cum loqueretur* ea, quæ dicta sunt. Quin inde sumo, vt hanc opinionem probem, argumentum, vnde Augustinus, & Beda ad probandam contrariam argumentantur. Quod Lucas non dicat cum hæc loqueretur; sed absolutè *cum loqueretur*. Nisi enim Euangelista putasset facilè lectorem ex præcedentibus intellecturum, quænam essent ea, quæ eum locutum fuisse diceret, vtique declarasset dicens, cum aliquādo ad turbas loqueretur, aut aliquid simile. Cum ergo non declarauerit, voluit nos ea, quæ paulò ante dixerat, intelligere locutum fuisse. Apparet autem ideo hoc Euangelistam dixisse, vt doceret, qua occasione & inuitatus fuisset à Pharisæo, & apud eum Pharisæorum superstitionē redarguerit. Cum Christum dæmonium eiicientem, turbāmque docentem, Pharisæos redarguentem audiuisset, ipse licet Pharisæus etiam esset, tamen volens fortassis ostendere se non tam alieno ab eo esse animo, inuitauit.

38. *Et ingressus recubuit.*) Cur soleret Christus ad conuiuia inuitatus ire, sæpe diximus. Quærebat vbique animas, & escis aliquando capiebat. Nam accusatus aliquando, quòd cum publicanis & peccatoribus manducaret & biberet, hac ratione se defendit, *non indigent qui sani sunt medico, sed qui male habent; non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*, supra c. 5. 31. 32. Quòd ait Euangelista, *& ingressus recubuit*, perinde est, ac si diceret, statim vt ingressus est, ne lotis quidem manibus recubuit, propterea enim dicit Pharisæum miratum fuisse.

Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere.) G. ὁ δὲ Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν, Pharisæus autem cum vidisset, miratus est. Cum vidisset scilicet eum statim accumbere, nec lauisse prius manus; magna enim religione Iudæi omnes, in primisque Pharisæi solebant & ante prandium, & in ipso prandio lauare, vt constat Mar. 7. 4. & Ioan. 2. 6.

Quare non baptizatus esset ante prandium.) G. ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου, quia lotus non fuerat ante prandium. Noster interpres ipsum Græcum baptizandi verbum retinuit. Quod fecit aliquando cùm de ceremonialibus illis Iudæorum lotionibus loquitur, vt Mar. 7. 4. Cùm autem de Ioannis, & Christi baptismo, perpetuò. Credo non sine causa. Vocabant ita Iudæi Græcè loquentes, noluit Euangelista Iudæorum vsitatam mutare vocem. Eodémque cōsilio noster interpres ne Latinè quidem mutare voluit. Ac fortasse ideo Ioannis, Christique baptismus ita vocatus est, quia religionis ceremoniæ quædam erant, & ceremoniæ Iudæorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

lotiones baptismi vocabantur. Credi potest Christum ex industria hoc fecisse, vt materiam reprehensionis admirationisque Pharisæo præberet, ex eius verò admiratione occasionem arriperet docendi, quàm vana, & superstitiosa Pharisæorum opinio, & consuetudo esset, qui animi neglecta mũditie in lauandis, mundandisque corporibus omnem religionem, & sanctitatem ponerent.

39. *Et ait Dominus ad eum.*) Videns tanquam Deus intimas eius cogitationes, nec enim locutus fuisse dicitur Augustinus serm. 3. de verbis Domini secundùm Lucam.

Nunc vos Pharisæi.) Vim hoc loco huius particulæ *nunc* nemo, quod sciam, satis declarauit. Nam nec qui contemptum dicunt præ se ferre; nec qui idem significare ac si diceret, non solùm alias, sed etiam nunc cùm minimè conuenit, mihi suam interpretationem probant. Credo ego vim habere aduersatiuę dictionis, tanquam si diceret, si quemadmodum quę foris, ita etiam quæ intus sunt mundaretis, reprehendenda non esset consuetudo vestra; nunc verò, cùm id quod foris est diligenter mundetis, quod autem est intus rapina, & dolo plenum sit, stulti & hypocritæ estis. Totam sententiam vsq; ad ver. 41. apud Matthæum exposuimus.

41. *Verumtamen quod superest date eleemosynã.*) Quod vertit noster interpres, *quod superest*. Latini interpretes tribus modis exponunt. Alij, *quod superest*, facta rapinarum de quibus locutus fuerat restitutione, vt Lyran. Alij, *quod superest*, victui vestro, atque vestitui, vt Beda, Strabus, Hugo, citatúrque in eandem sententiam Gregor. a Gratiano 12. q. 1. c. Quia. Alij, *quod superest*, id est quod vnicum vobis remedium reliquum est, est vt detis eleemosynam. Sic idem etiam Beda, & Bonauent. in comment. Græce est τὰ ἐνόντα pro, καὶ τὰ ἐνόντα, pro facultatibus vestris, pro vt quisque potest, vt Græci auctores Theophy. & Euthym. interpretantur. Hic verus est sensus.

Eleemosyna quomodo remissionẽ peccatorũ obtineat.

Et ecce omnia munda sunt vobis.) Vulgaris hîc quæstio est, quomodo eleemosynam Christus vnicum ad obtinẽdam peccatorum remissionem remedium faciat? Quid enim? an si eleemosynam dedissent, in ipsum verò, qui vnicus salutis auctor erat non credidissent, mundi, id est iusti fuissent? Quis hoc dicat? Tractauit copiose hunc locum August. lib. 1. de verbis Domini secundum Lucam, serm. 30. & in Enchirid. cap. 75. & quidem in Enchiridio quorundam hinc errorem natum fuisse docet, *qui sceleratissimè*, vt ille ait, *vnum, neque curant talem vitam, morésque corrigere, & inter ipsa facinora, & flagitia sua, eleemosynas fiequentare non cessant; frustra sibi in eo blanditur, quoniam Dominus dixit, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Recentiores quidam interpretes difficultatem non soluentes, sed declinantes, quod Græce est δότε, non imperandi, vt vertit noster interpres, sed indicandi modum esse putant, quod superest datis eleemosynas, & ecce omnia munda sunt vobis, quasi dicat, cùm sitis pleni rapina, & dolo, tamen ex rebus male partis aliquam ad ostentationem eleemosynam dantes, satis vos putatis esse mundos, omniaque furta vobis remitti. Videtur facilis interpretatio, sed hæc ipsa facilitas suspecta mihi est, nec enim tam facile Christus loqui voluit, qui aliquid maius voluit significare. Ac primùm cõtra mentem eius hoc est, & contra veritatem: si enim illi solis se eleemosynis mundos putassent, non latuissent, quæ deforis erant calicis, non fuissent vsi alijs tam varijs, frequentibúsque lotionibus. Non ergo Christus dicere potuit, quod verum non erat. Quin illi non in solis eleemosynis, aliúsque misericordiæ operibus, quæ minime exercebant, sed in solis potius externis lotionibus omnem iustitiam, munditiémque collocabant, atque hoc est, quod in illis Christus reprehendit. Non ergo reprehendit, quòd eleemosynas faciant, sed quòd non faciant, &, vt faciant, hortatur, si vere mundi esse velint. Et verò quis non videt Christum dare consilium, & tanquam medicum remedium præscribere? Quis non videt idem hoc esse, atque id quod dicit infra cap. 16. 9. & in simili prorsus causa, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Et quod Daniel Nabuchodonosori consulebat c. 4. 24. *peccata tua eleemosynis redime.* August. duobus illis locis, quos modò citauimus, & eum secuti Beda, & Strabus in comment. sic exponunt, vt eleemosyna pro omni specie misericordiæ, & caritatis accipiatur, cuius prima pars est vt nostri misereamur, vt ipsi eleemosynam demus. *Misereri*, inquit, *animæ tuæ placeni Deo*; damus autem nobis eleemosynam id est, nostri miseremur, cùm credimus, cùmque cætera facimus, quæ nobis à Deo præcipiuntur. Hæc igitur eleemosyna, qua totum Christiani hominis continetur officium, omnia mundari. Simplicius credo locutum fuisse Christum. Apparet enim eum eleemosynam, qua nostra damus rapinæ, qua aliena rapimus, opposuisse. Similiter fere Theophyl. sed aliquantò, vt mihi videtur, melius qui eleemosynam dat, eum caritatem habere, eleemosynam enim caritatis actum esse, qui autem caritatem habet, ei omnia munda esse, id est omnia remissa peccata, quia *caritas*, inquit Petrus 1. epist. 4. 8. *operit multitudinem peccatorum.* Basilius in regul. breuior. inter. 271. accommodatè ad id, quod præcesserat, intelligendum hoc esse putat. Dixerat Christus Pharisæos mundare, quæ deforis essent calicis, intus autẽ plenos esse rapina, & dolo; dicit nunc, si velint omnia, quæ rapuerunt, sibi mundari, dent eleemosynam, per eleemosynam aliena restituturos, ácita fore, vt a furto liberi, mundique sint. Accommodata hæc videtur interpretatio; sed quædam tamen illi videntur repugnare. Primùm falsum est eum, qui furtum fecit, satisfacere datis eleemosynis; oportet enim suum cuique reddat, si dominum inueniat, vt peccatum remittatur, quemadmodum præcipiebat lex Exod. 22. 1. & vt Zachæus ille se facere dicebat infra c. 19. 8. *& si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Deinde quòd nimis humilis sensus, & Christo indignus videatur, fore vt, si quæ rapuerant, redderent, nihil debetent, hoc enim ille esse putat, *& ecce omnia munda sunt vobis.* Quis enim de hoc poterat dubitare? Si illud vniuersale nomen *omnia* restringendum est, malim cum Euthymio restringere ad corpus, & animam; ad id quod foris, & id quod intus est, ac hoc enim agebatur. Reprehẽdebat Pharisæos, quòd corpus mundarent, animam mundare negligerent, docet fore, vt si eleemosynam dederint, omnia illa, id est, & anima, & corpus, & interna, & externa mũdentur. Nec dubito, quin hic sensus verus sit, sed adhuc quæstio reliqua est, quomodo eleemosyna animam mundet, quod facere profectò non potest, nisi omnia peccata remittat; recte Beda, & Bonauent. hoc loco dicunt eleemosynam peccata remittere, quia ad remissionem peccatorum disponit. Non possunt hoc noui hæretici ferre; sed videant, vtrum concedere malint, aut verè, propriéque remittere, aut minus propriè pœnam verè remittendo, ad remissionem verò culpæ hominem disponendo. Nam cùm scriptura absolutè, & sine vlla adiectione dicat peccata remittere, alterutrum concedant necesse est. *Peccata*, inquit, *tua eleemosynis redime.* Dan. 4. 24. *Eleemosyna patris non erit in obliuione.* Ecclesi. 3. 15. &,

Eleemosyna ab omni peccato liberat. Tob. 4. 11. & *Eleemosyna a morte liberat.* Tob. 12. 9. & *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Eccle. 3. 33. & *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16. 9. Quòd autem hoc modo, quo Theologi docent, disponendo; & ad mouendam diuinam misericordiam; viam præmuniendo, peccata remittat, eadem scriptura haud obscurè indicat. Hoc enim est, *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, Actor. 10. 4. & *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Hæc omnia vera sunt, & ad intelligendum hunc locum accommodata: sed mihi alius nec minùs forte aptus, & multo facilior sensus occurrit, *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, id est eleemosyna vobis erit instar omnium vestrarum lotionum; mundiores vos eleemosyna faciet, quàm omnes istæ lotiones vestræ, quas tam frequenter adhibetis. Æstimet lector. Quæ sequuntur vsque ad ver. 52. apud Matthæum cap. 23. explicauimus.

52. *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ.*) Clauem scientię tollere hoc loco est scientiam salutis ita sibi vsurpare, vt doceant neminem, nisi viam se monstrantibus, saluum esse posse. Neminem nisi per portam, quam ipsi indicando aperuerint; per præcepta, quæ tradiderint, in cœlum ingredi posse. Sumpta metaphora à domus domino qui, cùm vult neminem in domum ingredi, neminem egredi, nisi aperiente se, portam claudit, claue obserat, ipsámque claue elauem tollit, & solus seruat. Hoc ipsum in cœlo sibi Iurisperiti vsurpauerant. Et nec ipsi intrabãt, quia Dei mandata, quibus intrandum erat, non obseruabant; nec alios intrare permittebant, quia dum seruandis Dei mandatis, quam veram putabant, vt erat, esse ianuam, intrare nitebantur, innumeris illos humanis præceptis onerabant, quibus eos ab ingressu retardabãt. Ambros. serm. 8. vertit, *qui absconditis clauem scientiæ*, eodem sensu, sed minùs ambiguo. Nam *tulistis* ambiguum est, potest enim esse à tero, & significabit eos habere, aut gestare clauem scientiæ, etiam si alij etiam gestent: & à tollo, vt est G. ἦρας, & significat, quod modò diximus, eos clauem scientiæ sibi solis vsurpasse, ita vt nemo nisi ipsis aperientibus cœlum ingredi posset. Ambros. eo loco quem ante citauimus, & Augustinus lib. 2. qq. Euangel. 3. & lib. 2. contra aduer. Leg. & Proph. c. 5. Cyrillus apud D. Thomam, Beda, & Theophylactus in comment. clauem scientiæ notitiam, interpretationémque scripturarum esse dicunt, quam cùm illi sibi vsurparent, tamen nec ad Christum veniebant, hoc est in Ecclesiam intrabant, quia scripturam, quę de illo loquebatur, non intelligebant; & alios ne venirent, retardabant, quia perperam eis scripturam interpretabantur, ita Christum tegentes atque obscurantes, vt inuenire non possent. Vide quæ diximus Matt. 23. 13. vbi alijs verbis eadem sententia recitatur. *Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia claudilis regnum cælorum ante homines, ipsi enim non intratis, & introeuntes non sinitis intrare.*

53. *Grauiter instare.*) G. δεινῶς συνέχειν, vix se continere, grauiter ferre, ita vt dissimulare non possent. Euthym. ait quædam exemplaria legere ἐκέχειν, arguere, sensu simili.

Et os eius opprimere de multis.) G. ἀποστοματίζειν, ab ore eius pendere, obseruantes ecquid illi excideret, quod in calumniam possent rapere. Aut multis, variisque interrogationibus aliquid elicere minùs confideratè dictum, quod accusarent, vt Theophylactus, & Euthymius exponunt, & verba sequentia ver. 54. confirmant, *insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.* Noster interpres videtur legisse ἐπιστομίζειν, os obstruere, vt ad Tit. 1. 11.

CAPVT XII.

1. MVLTIS autem turbis circunstantibus, ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento Phariseorum, quod est hypocrisis. Mat. 16. a. 6. Mar. 8. b. 15. 2. Nihil autem opertum est, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur. Matt. 10. c. 26. Mar. 4. c. 22. 3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. 4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. 5. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete. 6. Nonne quinque passeres væneunt dispondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? 7. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos: Matt. 10. d. 31. Mar. 8. d. 38. 1. Tim. 2. b. 12. 8. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: 9. qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. 10. Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur. 11. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite soliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. 12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. 13. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem 14. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? 15. Dixitque ad illos: Videte, & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquã vita eius est ex Matt. 12. c. 31. Mar. 3. b. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

his quæ possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit: 17. & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? 18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, 19. & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. 22. Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis: neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum. 24. Considerate coruos quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? 25. Quis autem vestrum cogitando potest adicere ad staturam suam cubitum vnum? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? 27. Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. 28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei? 29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli: 30. hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. 31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adicientur vobis. 32. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. 34. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. 35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, 36. & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs: vt, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. 37. Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. 41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam: an & ad omnes? 42. Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? 43. Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem. 44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum. 45. Quòd si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: 46. veniet dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partémque eius cum infidelibus ponet. 47. Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: 48. qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? 50. Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiatur? 51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem: 52. erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres. 53. diuidentur: pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. 54. Dicebat autem & ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit. 55. & cum austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & fit. 56. Hypocritæ faciem cæli, & terræ nostis probare: hoc autem tempus quo modo non probatis? 57. Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? 58. Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da

operam

operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. 59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

IN CAPVT XII.

MVLTIS autem turbis circumstantibus, ita vt se inuicem conculcarent.) Matth. c.16.5. dicit hęc accidisse, cùm discipuli fretum traiecissent, & obliti essent panes secum sumere, loquebatur autem de mari Galilææ, vt constat ex fine cap.15. Vnde colligitur hoc, quod hîc scribit Lucas, in Galilæa contigisse, cùm cætera, quæ superiore capite narrauit, credibile sit in Iudæa accidisse. Sed quia materia similis erat, cùm de Pharisæorum doctrina vtroque loco ageretur, Euangelista res diuerso loco, ac tempore gestas vno loco posuit. Solent Euangelistæ id sæpe facere, vt apud Matthæũ adnotauimus. Quod Lucas ait hoc Christum dixisse cùm tanta circum ipsum confluxisset turba, vt alij ab alijs comprimerentur, significare videtur voluisse, ideo hoc discipulis circumstante turba dixisse, vt & turbam ipsam tanquam aliud agens doceret, eámque ab studio, & opinione auelleret Pharisæorũ, ne in similem ab eis errorem inducerentur. Erat enim, vt scribit Iosephus, populi de Pharisæis magna quædam, & admirabilis existimatio. Cætera quæ sequuntur vsque ad ver. 13. & Matthæus in locis ad marginem notatis scribit latiùs, & nos ijsdem locis copiosè tractauimus.

13. *Aiit autem ei quidam de turba. Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.*) Hunc Lucas vnum de illa ipsa turba fuisse indicat, qua circumstante dixerat locutum Christum de vitanda Pharisæorum hypocrisi ver. 1. itaque eodem loco, eodem tempore hoc accidisse, quamuis aliqua ex ijs, quæ paulò ante narrauit, non acciderint eodem tempore, cùm à Matthæo diuerso loco commemorentur. Qua ratione iste, quisquis erat, adductus fuerit, vt Christum de diuidenda interpellaret hæreditate, Lucas non dicit; sed est vero simile ea id fecisse opinione, quòd existimaret Christum esse Messiam, qué communi Iudæorum errore putaret temporalem Regem ac iudicem fore, qui causas præsertim pauperum, ac pupillorum esset defensurus, sicut Dauid prædixisse videbatur. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes in iudicio.* Psal.71.1.2. Vulgare malum, vt ab spiritualibus magistris temporalia petantur, spiritualia non recipiantur. Ad formanda in suam vtilitatem testamenta, ad elicienda fauore beneficia, ad omnia ambitiosa pene officia ad viros religiosos magna pars hominum currit, vt eorum in rebus alienis, atque profanis abutatur gratia; ad confulendum conscientiæ suæ, ad spiritualia colloquia rari admodum veniunt. Atqui *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Meliora negligunt, peiora ambiunt. Et vt de isto ipso homine serm.196. Augustinus ait, *Petebat dimidiam hæreditatem; petebat in terra dimidiam, in cœlo Dominus offerebat totam.* Rectè inquit Ambros. *Non ergo quid petas, sed à quo postules, intuendum est, nec maioribus intento animo putes minoribus obstrependum.*

14. *At ille dixit ei, Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?*) Quòd ait Augustinus ser.196. & Beda, Strabus, Lyranus ex Augustino mutuati, propterea istum à Christo hominem appellatum, quòd humana petiuisset, atque terrena, minùs consentaneum arbitror. Hominem fortasse vocauit, quia ignoti erat nomnis; qua eadem ratione Lucas cùm quendam de turba appellauit, quemadmodum solemus ignotos vocare homines. Tamen est vtile, & accommodatum ad mores. Nam verè homines, id est carnales, atque terreni sunt, qui à Christo terrena petunt. *Sed audiamus* (inquit Augustinus) *& iudicantem, & docentem. Homo ait, homo. Quis enim pro magno habet istam hæreditatem, quid es nisi homo? Volebat illum facere aliquid plusquam est homo. Quid plus illum volebat facere, cui volebat auaritiam tollere? Quid plus eum volebat facere? Dico vobis. Ego dixi, Dij estis vos, & filij excelsi omnes. Ecce quid eum volebat facere, inter Deos numerare, qui auaritiam non habent.* Eadem subtilitate, sed magis ad mores, quàm ad litteralem sensum accommodata idem Augustinus, & Beda ludunt in nomine diuisoris. Merito, inquit Beda, refutatur hic frater, qui magistro supernę vnitatis, & pacis gaudia commendanti terrenæ diuisionis vult ingerere molestiam. Nam illa ipsa diuisio spectabat ad pacem. Sed idcirco Christus ita respondit, vt ostenderet se maiora tractare, eáque ratione illum ipsum, qui hoc à se petebat, à temporalium rerum cura ad æternarum amorem studiumque traduceret, eodem plane consilio, quo illi alteri, qui patrem suum priùs volebat sepelire, respondit, *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos.* cap.9.60. & Matth.8.22. & illi qui volebat priùs renuntiare ijs, qui domi erant, *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* cap.9.62. *Bene*, inquit Ambrosius, *terrena declinat, qui propter terrena descenderat; nec iudex esse dignatur litium, & arbiter facultatem, viuorum habens, mortuorúmque iudicium, arbitriúmque meritorum.* Eadem rationes duas Euthymius, & Theophylactus indicant.

Terreni sunt, qui à Christo terrena petunt.

Psal.81.6

15. *Dixitque ad illos,*) Sumpta occasione ex eius hominis petitione, quæ auaritiæ speciem præ se ferre videbatur, vt Beda, & Euthymius adnotauerunt. Captabat Christus omnem occasionem, vt homines à terrenis auelleret, ad cœlestéque transferret; idcirco & hanc oblatam arripuit, vt aduersus auaritiam inter omnia vitia maximè homines ad terrena deprimentem concionem haberet, qua & verbis, & exemplo hominis illius diuitis docuit terrenarum rerum cupiditatem esse fugiendam. *Quoniam auaritia* (inquit Ambrosius) *solet plerumque tentare virtutem, etiam huius abolendæ & præceptum subiicitur, & exemplum.* Quòd ait Euangelista Christum dixisse ad illos, Theophylactus ad solos duos fratres refert, quasi eos tantùm docere simul voluerit, & castigare, quòd cùm inter se de diuidenda hæreditate contenderent, credibile fuerit alterum alteri iniuriam facere conatum fuisse. Id sanè videntur verba præ se ferre: sed vero similius est ad omnes, qui aderant, esse referendum. Certè quod duobus illis dicebat, non solùm omnibus, qui tunc aderant, sed nobis etiam, omnibúsque, qui hæc aut lecturi erant, aut audituri, dicebat. Sicut ipse alio exponebat loco, *Quæ vobis dico omnibus dico.*

Auaritiã fugiẽdam esse docet Christus.

Mar. 13. 37.

Videte, & cauete.) Videte vt caueatis, aut attendite animum ad fugiendam omnẽ auaritiam. Græcè non est *ab omni auaritia*; sed ἀπὸ τῆς πλεονεξίας, *ab auaritia.* Credibile est nostrum interpretem legisse ἀπὸ πάσης πλεονεξίας, *ab omni auaritia*, quemadmodum Augustinus serm.196.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augustinus varia tam editione iuetur.

serm. 196. & Beda hoc loco legunt. Et sententia est plenior, & efficacior. Quòd autem quidam querunt, cur dixerit *ab omni*, quasi mulæ sint species auaritiæ, diligentiæ est non necessariæ. Etiamsi vna tantùm esset species, rectè dixisset, vt *ab omni*, id est magna, parua, aperta, occulta caueremus. Adde quòd πλεονεξία cupiditatem propriè significat plus habendi quàm oportet. itaque vertit August. & voluit Christus nos omnem immodicam habendi cupiditatem fugere.

A

Quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex ijs, quæ possidet.) Cuiquam legendum, nó cuiusquam, vt in nonnullis est exemplaribus. Difficiliora sunt verba quàm sensus. Sensum enim hunc esse manifestum est, & omnes consentiunt auctores, vitam hominis in opum abundantia minimè consistere; nec enim quo quisque ditior est, eo diutiùs viuere, vt sequenti parabola declaratur. Ad hùc sensum accommodanda sunt verba, quæ Græcè sic se habent ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ. Ad verbum, quia non in abundare cuiquam vita ipsius est ex facultatibus suis; leuis quidem est error: Sed tamen errant quidam, qui putant illud, τινὶ cuiquam cum infinitiuo περισσεύειν abundare, non posse coniungi, quòd non τινὶ cuiquam, sed τινὰ quenquam dicendum fuisset, si cum illo iungeretur. Nempe nó animaduerterunt non regi casum illum; vt Grammatici dicunt, à parte anteriore, sed à posteriore. Dicimus enim Græcè, sicut & Latinè περισσεύει μοι abúdat mihi. Sensus ergo est. Non in abúdare cuiquam, aut *non in abundantia cuiusquam*, vt noster interpres reddidit, id est non eo, quòd alicui opes abundent, *vita eius* consistit, *ex ijs quæ possidet*, aut ex facultatibus eius, id est, non propterea ex eius opibus eius vita producitur. Simile est, quod de escis ait D. Paulus 1. Cor. 8. 8. *Esca nos non commendat Deo; nec enim, si manducauerimus abundabimus, nec si non manducauerimus, deficiemus.* Aptum admodum argumentum ad persuadendum subiata auaris hominibus vtilitate, quam in accumulandis diuitijs porissimùm quærunt, vt vitam opibus tueantur. Quorum Christus studium inane, & irritum esse docet, ostendens vitam hominis non posse diuitijs fieri longiorem. Quo illi ad sectandam auaritiam argumento maximè mouentur, eodem à Christo maximè refelluntur.

B

Diuitijs hac vita longior fieri nequit.

D

16. *Dixit autem & similitudinem ad illos.*) G. παραβολὴν. parabolam. Itaque quæ statim narratur non est historia, sed parabola ad confirmandum, quod paulò ante dixerat, à Christo excogitata, atque proposita, sed ita excogitata, vt sumpta sit ex rebus, quæ fieri solent, aut congruenter certè ijs, quæ vero simile erat fieri solere.

Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.) G. ἀγρὸς, regio, latifundium. Proposuit parabolam non in diuite mercatore, sed in diuite agricola, qui multos, magnósque haberet agros, quòd hoc sit diuitiarum tutissimum genus, vt ostenderet, ne in eo quidem genere, quod omnium stabilissimum sit, stabilitatem vllam esse. Volebat etiam probare diuitijs vitam non prorogari, ideóque parabolam in eo diuite proposuit, qui multos habebat agros, ex quibus magnum frumenti numerum collegisset, quo maxime videbatur vita ali, prorogarique posse, vt cùm cognouerimus ne illum quidem tanta illa sua vi frumenti vitam vna amplius nocte producere potuisse facilè intelligamus quod concludendum erat, nullum genus esse diuitiarum, quo prorogari vita possit. Argumẽtatur ergo tacite à maiore ad minus, quasi illo sumpto principio: Si quod magis videtur

E

ineſſe, non in eſt, nec id quod minùs videtur ineſſe, inerit. Deſcribit hominẽ diuitem, ſed minimè pium quia impij & iniqui homines nihil penſi habentes, vnde lucrum veniat, modò veniat, ditiores eſſe ſolent. De ijs enim dictum eſt, *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud; oues eorum fœtoſæ abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſi. Non eſt ruina macerię, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum*, Pſal. 143. 13. 14. Accedit ad eorum auaritiam & alia diſcendi cauſa, quòd illos Deus tanquam filios non caſtigat. non corrigit ablatione honorum; quin fieri plerumque, vt omnia illis ad voluntatem affluant, vt illis ipſis, quæ malè appetunt, bonis ſuffocentur; *quia in labore* (inquit) *hominum non ſunt, & cum omnibus non flagellabuntur*, Pſal. 72. 5. *Quare* (inquit alter) *impij viuunt, ſublenati ſunt, confortatique diuitijs? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum. Domus eorum ſecura ſunt, & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit, & non aborſiuit, vacca peperit, & non eſt priuata fœtu ſuo. Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*, Iob 11. 7. 8. 9. & Ierem. 12. 1. 2. *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt, & faciunt fructum, prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum.* Quid ergo eſt quod per Iſaiam Deus bonis res omnes proſperas, malis aduerſas pollicetur: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos*, Iſa. 2. 19. 20. & Moſes Deuter. 28. affirmat fore, vt ſi præcepta Domini ſeruauerint, omnia Iudæis proſperè, & feliciter eueniant; ſin minùs, fame, peſte, gladio, captiuitate, & omni genere calamitatis affligantur? Facilis ſolutio, hæc populo, & filijs Dei dicta ſunt, quos quia amat caſtigat Heb. 12. 6. & Apocal. 3. 19. Anaſt. 9. 39. hunc hominem, qui in parabolam poſitus eſt Iudam, & quiſquis, vt ille, auarus eſt, eſſe dicit, ſed eo ipſo quod eſt parabola, nullus certus homo ſignificatur.

C

17. *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?*) Hoc non dubito, quin ideo dicat Chriſtus, vt tam magnas nobis diuitias deſcriberet, vt eius etiã, qui eas quæſierat expectationem ſuperarent. Sed ſimul indicat quantam ſolicitudinem ipſæ ſecum diuitiæ afferre ſoleant; & diuitem nobis pingit varias animo cogitationes agitantem. Quemadmodum & Iacobus c. 4. 13. 14. *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Tunc maximè anxius, atque ſolicitus diues eſt, cùm maximè bonis abundat, vt Chryſoſt. in Pſal. 142. & Baſil. hom. in hæc verba, & Gregor. lib. 15. Moral. c. 2. obſeruant ex hoc loco. Cæterum in iſtis tam varijs cogitationibus diuitis nullum Deus habet locum, *mihi ſe*, inquit, dicebat, non cum Deo, imo ne cum hominibus quidem, per quos ſæpe loquitur Deus, conſilia ſua communicabat. *Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore* Pſal. 9. 27. Hoc etiam eſt quod Iacobus in diuitibus illis, de quibus loquebatur, requirebat. *Pro eo*, inquit, *vt dicatis, ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc aut illud.* Iacob. 4. 15.

18. *Et dixit: Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam.*) Hoc cepit conſilij, quod non caritas, ſed auaritia ſuggeſſit. Caritas vtique poſtulabat, vt

quando

quando tantum habebat fructuum, vt ne locum quidem vbi poneret, inueniret; quod ſuperabat, ſaltem egentibus daret. Satis ampla, vt Baſilius ait, horrea pauperum ventres eſſe poterant. Auaritia poſtulanit, perſuaſitque, vt vel magnis etiam ſumptibus vetera horrea demoliretur, & maiora rurſus ædificaret, vbi fructus reconderet, potius quàm aut daret, aut venderet, donec maiore vendi poſſent pretio. Expreſſa auari diuitis imago, non ſolum in parandis, ſed etiam in condendis conſeruandisque opibus diligentis, mutantisque quadrata rotundis. Auaritiæ etiam eſt ſpe lucri maioris eſſe in faciendis ſumptibus liberalem.

A

Et illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea.) Baſilius in hom. in hæc verba. Beda, & Theophylact. in comment. & Cyrillus apud D. Thom. expẽdunt verba illa, *quæ nata ſunt mihi, & bona mea*, quaſi ex ijs verbis colligentes diuitem illum ſibi, nó Deo acceptũ tuliſſe, quòd ager tam vberes tuliſſet fructus, quòd nimirũ bona propria appellaret ſua, quæ pauperum etiam erant, quibus vt diſtribueret, Deus ipſi tanquã diſpenſatori, non tanquam domino tradidiſſet, vt inquit Euthy. Quin in eo erraſſe Chryſ. ait, quòd quæ verè bona non erant, bona vocaret.

B

19. *Et dicam animæ meæ.*) Vitæ meæ, aut mihimetipſi; agebatur enim de anima, id eſt de vita opibus prorogãda, quod eſt argumentum parabolæ. Intelligendum eſt, & fecit ita.

Habes multa bona poſita in annos plurimos.) Quaſi dicat, ſecura eſſe potes, habes, quo per annos plurimos ſatis, nihil tibi deeſſe poteſt. Propterea paulò poſt a Deo vocatur ſtultus, quia multos ſibi annos vitæ promittebat. Hoc eſt, quod reprehendit Iacobus c. 4. 14. *Qui ignoratis, quid erit in craſtino.* Similis inſani, & ſecuri diuitis deſcriptio eſt, Eccleſiaſtici 11. 19. 20. *Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus: & neſcit, quod tempus præteriit, & mors appropinquet & relinquet omnia alijs, & morietur.* Tractant hunc locum moraliter, & elegãter Cypr. in lib. de oratione dominica, & in lib. de opere, & eleemoſynis, & Auguſtinus homilia 48.

C

20. *Dixit autẽ illi Deus.*) Incertum quomodo dixerit. Quidam per ſolam internam inſpirationem diciſſe intelligunt, vt Euthym. & alij recentiores. Alij nec hoc quidem modo illi dixiſſe, id eſt ſignificaſſe Deum, ſed ipſum Deũ apud ſe quaſi cum diuite loquentem dixiſſe, cum eius ſtultam ſecuritatem conſideraſſet, *Stulte hac nocte repetũt animã tuam à te.* Probabilius hoc eſt, quàm illud. Sed ego verè Deum diciſſe illi, arbitror Chriſtum ſignificare voluiſſe, ſiue id per ſe, vt Auguſt. lib. 2. de ſer. Domini in mõte videtur exiſtimare, ſiue per angelũ, ſiue per Prophetam aliquem fecerit. Alioqui enim perit tota vis, & gratia verborum, atque ſententiæ, quæ in eo maximè cernitur, quòd illi adeo in multos annos ſecuro, & dicẽti animæ ſuæ, *requieſce, comede, bibe, & epulare*, nũquam fuerit illa ipſa nocte illi eſſe moriendũ, omnesque eius cogitationes euerſas penitus fuiſſe. Itaque Bedæ opinionem non probo, qui exiſtimat, nõ aliter quàm ipſo facto illi dictum fuiſſe, ipſam illi mortem veniendo nunciaſſe, tempus eſſe moriendi.

D

Stulte.) Stultum merito vocat, qui oblitus Dei lõgam ſibi vitam, & magnis plenam delicijs polliceretur. Stultus enim, id eſt ἄφρων inſipiens propriè vocatur, qui non bene futura prouidet.

Hac nocte.) Prætermitto Gregorij, & Bedæ, & Ambroſij lib. de Nabuthe c. 8. quia allegorica eſt, interpretationem, *hac nocte*, id eſt in iſtis mentis tuæ tenebris. Tãtum quæro, cur dixerit *hac nocte*, potiùs, quàm hodie, vt plerumque dicere ſolemus. Credo,

E

Hebræorũ idiomate tertia plurali actiui pro impersonali.

vt breuius ſignificaret tempus; miſſus enim ad illũ eſt angelus nocte, vt per ſomnium nuntiaret mortem, quemadmodum miſſi ſolent, & indicauit illi, ne ſequentis quidem dici lucem illum eſſe viſurum; aut propterea dixit, *hac nocte*, quia dies ille, vt fieri aſſolet, noctu ſecum ſuas illas vanas voluebat cogitationes, *deſtruam horrea mea*, & in illis occupatum, atque deprẽſum mortis nuntius oppreſſit, nuntiauitque illa ipſa nocte moriturum.

Animam tuam repetunt à te.) Quòd tertia perſona plurali vtatur Euãgeliſta, occaſio interpretibus fuit dubitãdi, qui eſſent animã diuitis repetituri. Theophyl. angelos intelligit repetituros fuiſſe. Ego quæſtionem arbitror eſſe facilem. Hebræorũ enim idiomate id dictũ puto, qui tertia perſona plurali vtũtur pro tertia ſingulari verbi imperſonalis. Petunt pro petitur, faciunt pro fit; quod & in quibuſdam verbis Latinè fit; dicunt pro dicitur, perhibent, pro perhibetur, ferunt pro fertur. Perinde ergo eſt *animam tuam repetunt à te*, ac ſi diceret anima tua repetitur à te, aut, ſi dici poſſet, repetitur à te animam tuam. Cyprian. in lib. de orat. domin. & libr. de opere & eleemoſynis *anima tua expoſtulatur à te*, Tertullianus verò lib. 4. cõtra Marcion. *animam tuã expoſcẽt*. Theophylacti obſeruatio neſcio quàm firma ſit, propterea dictũ eſſe *repetũt*, vt ſignificetur ab eo multo animam eſſe tollendã; à malis enim animã repeti, quia inuiti moriuntur; à bonis nó repeti, ſed reſumi, quia moriuntur libentes. Enimuero nec ea vis verbi eſt, nec ſemper boni libenter moriuntur. Quòd ſi id ſignificare voluiſſet, dixiſſet potiùs, animã tuam tollent, aut eripient à te; hæc enim verba vim quãdam præ ſe ferunt; repetere verò potius liberã eius à quo repetitur ſignificat voluntatẽ. Repetimus enim debitũ, quod liberè, ac libẽter creditor ſoluit. Sed tollit prædo viatori, eripit inuito pecuniam; & tamen ſanctus erat qui dicebat, *tolle animã meã* 3. Reg. 19. 4. Illud quidem certè ſignificatur animã illi à Deo datã fuiſſe, à quo eſſet repetẽda non à parẽtibus, ſicut corpus, acceptã; itemque immortalem eſſe, repetitur enim, quod manet. At cur præſenti vtitur tempore ἀπαιτοῦσιν, *repetunt*, potiùs quàm futuro, quod magis conuenire videbatur, cùm res adhuc, de qua agebatur, futura eſſet? Credo voluit indicare, qui cũ diuite quiſquis erat loquebatur, adeo propinquam illi eſſe mortem, vt præſens iam eſſe videretur.

Quæ autẽ parauiſti, cuius erunt?) Quin illi potius dicebat, & ad æternũ ignem condẽnabere, quod multo vtiq; maius erat malum, quàm quòd eius, quæ parauerat, bona perirẽt, magisque de ea re, quàm de bonis ſuis eum oportebat eſſe ſolicitum. Sanè quidẽ, ſi non fuiſſet ſtultus. Cæterũ loquitur accommodatè ad eius, quo cum loquitur, opinionem, atque ſolicitudinem; nũquam fuerat ille ſolicitus, quid ſibi poſt mortem futurũ eſſet, ſed qua ratione multas animæ ſuæ opes accumularet, ſic enim apud ſe dicebat, *Animã habes multa bona poſita in annos plurimos*: ac ne de hæredibus quidem cogitabat, quos intelligendum eſt eum non habuiſſe. Quia ergo ſoli animæ ſuæ tot bona præparauerat, & anima ea ipſa nocte ab eo erat repetenda, dicitur, *Quæ paraſti, cuius erunt?* Non quòd hoc eſſet per ſe maximum malum, ſed vt & vana eius opinio, & ſtulta ſecuritas refutaretur; & quia eius opinione maximũ erat. Nihil enim æquè auarus dolet, atque bonorum ſuorum iacturã, quia ſummum in illis bonum ponit.

21. *Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deũ diues.*) Sic accidit omnibus, qui ſibi cõgerendis ſtudẽt opibus, vt cùm minimè putant, moriantur, &, quæ ſibi parauerant, alijs fruenda relinquãt, Beda, *Stultiſſi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sibi thesaurizare quis dicatur.

& in nocte rapiendus G. Ὅτως ὁ θησαυρίζων ἑαυτῷ, sic qui sibi ipsi thesaurizat, sub. erit; morietur, cum minimè cogitat. Sibi thesaurizare vocat propter se solum nullo Dei respectu parare diuitias, sicut fecerat diues ille cuius parabolâ posuit, qui animæ suæ, id est sibi soli bona multa in annos plurimos posita habere videbatur. In Deum verò esse diuitem multi interpretantur propter Deum parare opes, vt non sibi soli recondat, sed cum pauperibus etiam partiatur, vt Amb. & Beda. Alij, ea diuitias possidere, vt in illis spem suam non ponat, vt diues ille faciebat, sed in solo Deo, vt Theophyl. vt idem sit, *in Deum*, & in Deo, aut secundum Deum. Alij, diuitem esse virtutibus, vt Euthym. Secuda interpretatio mihi magis placet, quia magis est ad parabolam accommodata. Eodem sensu videtur D. Paulus diuites huius seculi, & diuites Dei distinguere, & illos vocare, qui in solis diuitijs suis; hos, qui in Deo cõfidunt, & vno loco videtur has omnes interpretationes tres, quas supra recitauimus esse complexus. 1. Tim. 6. 17. 18. 19. *Diuitibus* inquit, *huius seculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum: sed in Deo viuo (qui præstat omnia nobis abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam.* Hoc etiam est, quod dicit Dauid, *diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*, id est in illis confidere, Psal. 61. 11. Quæ sequuntur vsque ad ver. 32. apud Matthæum explicata sunt.

In Deum esse diuitē quid sit.

Cor apponere diuitijs quid sit.

32. *Nolite timere pusillus grex.* Aptè hoc ad superiora Christus adiecit; cum enim nimiam solicitudinẽ terrenarum rerum reprehendisset, docuisseq; omnem curam, & spem in Deum cõiiciendam, qui non solùm homines, sed bestias etiam omnes alat; addit argumentum à maiore ad minus, quo persuadeat auditoribus metum omnem, & solicitudinem abiiciendam istarum rerũ. Deus decreuit dare vobis regnum suum, quod est maximum, quomodo ergo patietur quicquam vobis deesse ad vitam necessariũ, quod est minimum? Pusillum verò appellat gregem aut Apostolorũ solum cœtum, vt quidam interpretãtur, aut omnium discipulorum, vt Theophyl. existimat, aut omnium electorum, vt ait Beda; aut omnium simul fidelium, vt Euthym. quod mihi ideo magis placet, quia hæc ad eosdẽ, ad quos superiora, dicta videtur; superiora autem ad omnes auditores, & eorum persona ad omnes omnino, qui credebant dicta fuerant. Quod quidam dicunt indicasse Christum se esse pastorẽ, cùm discipulos suos gregẽ appellauit, non admitto. Nam etsi fuit ille quidem pastor bonus, qui animã suam posuit pro ouibus suis; tamen hoc loco eos non suum sed Patris gregẽ videtur appellare. Propterea enim dicit illis timendũ non esse, quia bonum dominum, eundemq; pastorem cælestem habent patrem, qui non solùm necessarium illis cibum, sed regnum quoque cælorũ decreuit dare, qui non solùm ipsos, qui oues eius sunt, sed omnes etiam bestias, ipsa in agris silua nutrit, ac vestit. Nõ inuenio qui hoc loco quærat quod ad rẽ maximè pertinebat, cur hic Christus discipulos suos gregem, & pusillum gregem appellauerit: præsertim cũ metaphoræ partes non satis inter se aptè hærere videantur. Quid enim regno cum grege? Puto, quia exemplo bestiarũ vsus fuerat, ver. 24. vbi specie vna bestiarum omnes intellexerat, discipulos etiã suos gregem appellasse, quasi diceret, cùm Deus tã multos, & tam magnos diuersarum bestiarũ greges alat, nolite timere vos, qui grex estis hominum, atque filiorum, isque pusillus. Nam & gregem hominum, filiorumque quàm pecudum maiore vtique Deus cura pateat; & facilius per se est pusillum gregẽ pascere, quam magnum. Nescio etiam, an ad pastorum consuetudinem alludat, qui, cùm paucos aliquot habeant pinguiores volunt reddere, ab aliis segregant, & paruo ex illis grege facto, & fertilioribus in locis, & maiore cura pascunt. Idem erga filios suos facturum Deum. *Dominus* inquit, *regit me*, (Heb. pascit) *& nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit; super aquam refectionis educauit me.* Psal. 22. 1. & *Qui regis Israel* (Heb. pascis) *intende, qui deducis velut ouem Ioseph.* Psal. 79. 2. &, *De post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.* Psalm. 77. 71. Denique cum omnes alat homines, cùm Solem suum super bonos, & malos oriri faciat, tamen propter promittit timentibus se nihil defuturũ. Psal. 33. 10.

Pusillus grex omnium fidelium.

Ioan. 10. 11. 14. 1. Ioan. 3. 16.

Sup. 9. 24. 27. Cur discipulos pusillū gregē Christus appellet.

Quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. G. Ὅτι εὐδόκησεν ὁ πατὴρ ὑμῶν. placuit patri vestro. Deui, & proprietate verbi εὐδοκεῖν alias sæpe diximus, gratiã significare. Itaque quod ab omnibus hoc loco est obseruatum, verum est, significare hic regnũ cælorum gratuita Dei volũtate, benignitateque esse nobis prædestinatum. Sed in eo hæretici errãt, quòd existimẽt, propterea quòd sine nostris meritis præ destinatum nobis est, & sine nostris meritis dari. Nõ magis id profecto cõsequitur, quàm si quis præmium illud, quod in stadio currentibus datur, sine meritis dari dicat; quia non currentium meritis, sed principis liberalitate factum est, vt illis proponeretur. Nec etsi nondum merentibus proponitur; non nisi merentibus, ac vincentibus datur. Singula verba blãda sunt, & plena fauoris, & quòd dicit, *complacuit*, quo Dei erga illos beneuolentia, & liberalitas declaratur, & quòd dicit *patri vestro*, Deum ipsorum patrem appellans, qui filiorum suorum obliuisci non potest Isai. 49. 15. & quòd ait *dare vobis*, tanquam filiis suis hæreditatem: & quòd ait *regnum*, cælestẽ scilicet, non terrenum; æternum, non temporale.

33. *Vendite, quæ possideris, & date eleemosynam.* Decet qua ratione ad regnũ illud; quod Pater illis decreuit dare, venire possint; non sollicitè, & auare diuitias quærendo; sed diuitias potius, si quas habebãt pauperibus dando. Nam etsi gratis regnũ cælorum proposituin est, emitur tamen, sed tam vili emitur, vt gratis etiam dari videatur, emũtur temporalibus æterna, *quæ*, vt ait Hieron. in c. 19. Matth. *digniis de merito suis ita se habent: quẽ admodũ si centenarius numerus paruo numero comparetur.* Hoc enim esse centuplum accipere, & vitam æternam possidere, Matth. 19. 29. At quomodo Christus sine discrimine omnibus præcipit, vt omnia, quæ habent vendant, & in pauperes dilargiantur; quod apud Matthæum c. 19. 21. non omnibus, sed illi tantùm qui perfectus esse volebat, faciendum esse dixit? Facilis soluto, aut hic cum solis etiam discipulis loquebatur, qui perfecti esse volebant; aut si ad omnes Christianos loquitur de animi, vt Theologi dicunt, præparatione, quæ dicit, intelligenda sunt. Nam etsi necesse non est, vt omnes, quæcunque habent, vendant, tamen hunc omnibus Christianis animum esse oportet, vt quandocunque postulabit res, omnia quæ habent vendant, vt Christum retineant.

Facite vobis sacculos.) Solent auari, qui thesaurum condunt, in sacculis pecuniam seruãdam reponere, itaque thesaurũ ipsum sacculos vocat, vt statim declarat. Solet rupro vetustate sacculo, quę in eo erat, pecunia perire. Eo alludit, cũ dicit, *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt*, id est, in quibus pecunia perire nõ potest. Videtur sacculos pauperes de quibus loquebatur intelligere, vt interpretatur Beda. Illi sunt sacculi, qui nõ veterascunt, quia quod illis datur, in

Vendite quæ possideris, & date eleemosynam.

Facite vobis sacculos.

tuto ponitur; quin thesaurus crescit, qui in illis conditur. *Fœneratur* inquit, *Domino, qui miseretur pauperis*, Prou. 19. 17. &, *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.* Matt. 19. 29. Cætera vsque ad ver. 35. Matth. 6. 20. expo-suimus.

35. *Sint lumbi vestri præcincti.*) Quia regni cælorum mẽtionem intulerat, & ad eius expectationẽ discipulos accenderat, docet quo modo, quo studio, qua vigilantia, quo habitu expectare illud debeãt. Id declarat seruorum exemplo, qui cùm dominum suum nocturnũ reuersurum expectant, non solum vigiles, sed etiam præcincti, expediti, attenti sunt, & faces incẽsas habẽtes, ne cùm Dominus venerit, in mora sint, dum se ad ministrandum præcingunt, dum faces accendunt. Solebant Orientales gentes, quemadmodum & modò faciunt oblongis vti vestibus, ideoq; qui ministraturi erant, collectã vestẽ cingulo stringebant ad lumbos, ne ministrantibus esset impedimento. Id vel ex ver. 37. manifestum est, *Amen*, inquit, *dico vobis quod præcinget se, & faciet illos discũbere, & transiens ministrabit illis*, & c. 17. 8. *Præcinge te, & ministra.* Christus etiam cum Apostolis in vltima illa cœna pedes lauare vellet, præcinxisse sese dicitur, Io. 13. 4. & Petrus vt de carcere educeretur, & expeditus ad iter esset, iussus est ab angelo præcingi, Act. 12. 8. & Tobiæ filius angelum illum præcinctum, & quasi ad iter paratũ inuenit, Tob. 5. 5. Elias quoque præcinctis lũbis currebat ante Achab. 3. Reg. 18. 46. Et Elisæus Giezi puero suo dixit, *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade*, 4. Regum 4. 29. Ita præcinctos habere lumbos, idem est, quod paratum esse. Atque hic verus huius loci sensus est, quemadmodum Cypr. in lib. de vnit. Ecclesiæ interpretatur, & in lib. de exhort. martyr. c. 8. & in li. 3. ad Quir. c. 11. Hoc idẽ est quod ait D. Paul. Ephes. 6. 14. *State succincti lumbos vestros*, & Petrus 1. ep. cap. 1. 13. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ sperate in eã, quæ offertur vobis gratiã.* Illa verò multorum veterum auctorũ interpretatio, qui accinctis lumbis castitatem significari putant, magis est ad mores quàm ad literalem sensum accommodata; & ad ipsum etiam moralem sensum non satis est plena. Non enim sola hic castitate, sed omnibus omnino virtutibus instructos nos, atque paratos esse iubet Christus. Tamen quia sic Basil. in comment. in c. 15. Isai. & Aug. ser. 39. de verb. Domini, & lib. de continent. c. 7. Gregor. lib. 28. Moral. cap. 7. Beda, alijque fere omnes exponunt, poterit ea interpretatio concionibus seruire.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris.) Græcè *In manibus vestris* non legitur, ac multi etiã Latini non legũt auctores, Cypr. lib. 2. ad Quir. c. 18. & lib. de simplic. prælat. Hil. in Psal. 118. Iulius Firmicus hunc locum citans lib. de errore profan. relig. c. 20. Aug. ser. 39. de verb. Domini, & lib. de cõtin. c. 7. Auct. operis imperfect. hom. 15. Ambr. ser. 14. in Ps. 118. & in cõment. & Bernar. ser. 3. in vigilia natiuit. legit tamen Greg. hom. 13. in Euang. & Chrysol. ser. 22. & Beda in comment. Cæterum ad sentẽtiam non magni refert vtro modo legas, quãquã nostra lectio sensum magis exprimit. Cum enim significare voluerit, oportere nos omnino esse paratos, non dubito, quin præparatio ista magis explicetur si legamus, *& lucernæ ardentes in manibus vestris*, quàm si simpliciter, *& lucernæ ardentes.* Itaque illo potius modo legendũ esse credo, quo Latina, quàm quo Græca legũt exẽplaria. Solent serui, cum eorum dominus noctu venit, ardentes in manibus tenentes faces ante ipsum præcedere. Hoc iubet nos Christus facere, nec aliud

Quomodo parati esse debeamus ad eum venientē Domino.

Roma. 10. 10.

faces ardentes significẽt, quàm nos debere adeo parata habere omnia ad excipiẽdum, cum ad iudicium venerit, Christum, vt nihil tunc nobis, vel minimum præparãdum superfit. Quid enim facilius quàm pulsante fores domino lucernam, aut facem accendere, atqui hoc ipsum vult Dominus, antequam ipse veniat factũ esse; fore enim vt neminem expectet, dum facem suam accendat; indecorum enim id esset, & domini personæ minimè conueniret. Quo pertinet illa altera parabola decem virginum, quarum quinque, quæ fatuæ erant, dum extinctas volunt lampadas accẽdere, exclusæ sunt nuptijs. Nec alia de causa iussit Christus, vt ardentes faces in manibus nostris essent, quàm quia ita boni serui facere solebant: nec est inquirendum subtiliùs, quid in nobis faces significent, ne plus quærentes, quàm oportet, aliquid, quod minimè oporteat, inueniamus. Itaque quod Aug. ser. 39. de verbis Domini, & lib. de continent. c. 7. & Greg. lib. 28. Mor. c. 7. & hom. 13. in Euangel. & Ambr. in comment. & sermone 14. in Psalm. 118. & Beda dicunt lucernas bonorum operum exemplum significare; quòdque idem August. libr. 2. qq. Euang. c. 25. ait lucernas esse intentionem bonam; & quod Theoph. atque Euthym. lucernas esse duas, alteram internam, quam mentem; alteram externam, quam linguam esse dicunt; quia & corde credere oportet ad iustitiam, & ore confessionem fieri ad salutem; bonæ quidem, & vtiles sunt interpretationes, sed morales tamen, non litterales.

Quomodo parati esse debeamus ad eum venientē Domino.

36. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptijs.*) Similes seruis illis de quibus superiore versu dictum est. Videtur abundare coniunctio, &; quid enim est, *similes esse hominibus expectantibus dominum suum*, nisi præcinctos habere lumbos, & ardentes lucernas tenere manibus? Sed perinde est, ac si dicat, & vos ipsi ita omnino comparati, vt serui esse solent, qui dominum suum noctu expectant, vt à nuptijs reuertatur, id est vigiles, attenti, spectantes, num veniat; auscultantes, num pulset. Dixit, *quando reuertatur à nuptijs*, quia noctu solebant nuptiæ celebrari, quod ex parabola virginum manifestum est, Matthæi 25. 1. 2. & ex nuptijs illis quas rex filio suo fecit, quæ & noctu celebratæ sunt, cum ille qui nuptialem vestem non habebat, in tenebras exteriores eiectus sit, Matthæi 22. 13. Et nuptiæ agni in Apocalyp. capit. 19. 7. 9. noctu fiunt, quia ad cænam homines inuitantur. Idem nunc fere vbique mos est. Ergo solebant, qui ad cænam nuptialem inuitati erant, ad profundam vsque noctem in conuiuio manere, deinde in suam quisque redire domum; itaque facibus opus erat, & cuiusque seruos domi expectare vigiles, & solicitos, atque paratos ad dominum suum excipiendum, quacunque noctis hora rediret. Hæc caussa fuit, quamobrem potius dixit, *expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptijs*, quàm, quando reuertatur ex foro, aut ex mercatu, aut ex agro, aut alio aliquo loco. Quia à nuptijs nunquam homines nisi noctu reuertebantur, sponso, & sponsa in thalamum inductis, & voluit tempus notare, quo homines minimè parati esse solent. Id autem noctumum tempus est, cum homines, partim quia neminem intempesta nocte venturum credunt, partim quia somno opprimuntur, minùs attenti; minùs parati sunt. Atqui illo ipso tempore, quo homines minùs parati esse solent, nos Christus adeo paratos esse iubet, vt & præcinctos habeamus lumbos, & ardentes in manibus faces teneamus. Nullo prorsus tẽpore ne nocturno quidem, quo quasi exigere natura somno indulgendũ erat, vult esse securos. Vẽ-

Nocte sola celebrantur nuptiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

turum enim fortasse se sicut in nocte furem, & nec opinantes homines oppressurum, vt indicat infra ver.39.40.& D.Paulus 1. Thessal. 5. 2. & Petrus 2. epistola c.3.10.& Ioan.in Apoc.3.3.& 16.15.Porro dubium non est, quin quemadmodum nos seruis dominum suum à nuptijs rediturum expectantibus similes esse vult;ita se dominum illum,qui à nuptijs rediturus est, esse indicet; se enim vt expectemus iubet. Et aduentum quidem ad iudicandum suum manifestè significat,vt omnes etiam interpretantur auctores; sed quæ sint nuptiæ fortasse non est superuacanea quærendum diligentia, quod etiam atque etiam in accommodandis ad rem propositam parabolarum partibus monere soleo. Voluit enim certe Christus significare se ad iudicium cũ homines minimè putarent,venturum esse; sed voluit tamen dicere venturum à nuptijs:sed ita venturum, vt illi, qui à nuptijs redeunt, venire solent tempore, quo minimè venturi creduntur. Sed quia & agni in cælo legimus nuptias Apoc.19. 7. 9. non abs re plerique dixerunt ad nuptias Christum ijsse, cum in cælum ascendit,à nuptijs rediturum, cum ad iudicandum venerit Greg.hom.13.in Euang.Beda, Theophyl.& Euthymius,& Cyrillus apud D.Thom.Quanquam Theophyl. alijs etiam modis nuptias interpretatur.

Quæ sint ipsæ nuptiæ.

Vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.) Theophyl. cum venerit ad animam nostram etiam interpretatur;stat enim ad ostium, & pulsat, quod cum facit, confestim illi nos debere aperire. At hic non agitur de eo aduentu, quo Christus ad nos venit,vt bonos faciat, sed de eo,quo venturus est, vt bonos inueniat; ideoque paratos nos esse iubet, id est bonis operibus instructos,quales, antequam ad animas nostras veniat,esse nõ possumus. Neque hic est nimia subtilitate,vt Euthym. monet, scrutanda parabola.Veniet ad iudicium, pulsabit,cum ad iudicium vocabit,in sono tubæ, in voce archangeli.Aperiemus ei, cum libenter non malè conscij recipiemus,vt Gregor.hom.13.& Beda interpretantur, *confestim* id est nihil morati,habentes iam omnia bona opera nostra parata,vt opus nobis non sit tergiuersari,& moras nectere, aut alijs dicere, *date nobis de oleo vestro,quia lampades nostra extinguuntur.*

Apoc. 3. 20.

1. Thessal. 4.16.

Matth. 25.8.

37.*Beati serui illi,quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes.*) Cum venerit dominus ipsorum:nõ enim de se, sed de eo qui à nuptijs rediturus erat, loquitur,ideóque nomen domini hoc loco maioribus litteris non scribo. Quanquam per illum ipse significatur. Declarat, quòd futurum sit eorum seruorum operæ pretium, quos cum venerit dominus ipsorum vigilantes,atque paratos inuenerit.

Amen dico vobis,quòd præcinget se,& faciet eos discũbere, & transiens ministrabit illis.) Hoc quidem fieri non solet,quemadmodum cætera,quæ supra narrauit vt dominus ad nuptias eat, vt intempesta redeat nocte,vt fores pulset,vt serui accincti sint,& parati ad illum excipiendum; sed illa ideo Christus dixit, quia fieri solebant,& debet parabola sumi ex rebus vsitatis; hoc eo ipso dicit, quod vsitatum non est, quia voluit significare dominum illum tantam diligentibus,vigilantibus, atque paratis seruis gratiam habiturum, vt faciat illis quod nemo dominorum seruis suis solet facere, vt ipsis discumbentibus seruiat. Habet etiam res non vsitata probabile decorum,vt dominus à nuptijs bene cænatus rediens, & seruos vigilantes,solicitos, & incænatos inueniens cænare iubeat, illisque ipse ministret, vt nuptialis gaudij participes faciat.Quod dicit *παρελθὼν διακονήσει*, sumptum est ex consuetudine ministrantium, qui obire mensam, & singulos conuiuas solent, vt vi-

Parabola ex rebus vsitatis sumenda.

deant, quid desit cuiquam. Qua ratione hoc fit ad Christum accommodandum, non est nimis ingeniosè quærẽdũ.Nihil enim aliud significatur, quam illum nobiscum gloriam,quam habet,communicaturum,quemadmodum ille qui à nuptijs redisse dicitur, honorem suum cum seruis suis participaturus, faciens illos quodammodo dominos, dum ipse ministrante tanquam domini recumbunt, & cœnant. Hic ergo verus est sensus, fore vt Christus nos in cælo,si vigilantes,& omnibus bonis operibus paratos inuenerit, dominos faciat,quia tanquam dominum,comedemus & bibemus super mensam in regno eius infra cap.22.30.Non quòd ipse nobis ministraturus sit,in eo enim non est parabola ad rem,de qua agitur,accõmodanda. Quòd enim ille,qui à nuptijs redijt, seruis suis recumbentibus ministrauit, tantùm, vt diximus significat illum seruis suis inusitatum honorem tribuisse. Eo sensu ad Christum applicandum est, quod nobis in cælo inusitatum, & incredibilem honorem,gloriamque sit exhibiturus, & pares nos sibi quodammodo facturus, quia ad mensam suam in regno suo sedere faciet,Lucæ 22. 30.Itaque interpretationes illæ Bedæ vatæ litteræ les non sunt, quamuis non alienæ. Ponam hic eius verba,vt qui volet,sequi possit.*Præcinget*, inquit, *& id est retributionem præparat,facit eos discumbere,id est ad æterna quiete reforeri. Discumbere quippe nostrum in regno quiescere est.Vnde & rursum Dominus dicit,Venient, & recumbent cum Abraham Isaac, & Iacob. Transiens, Dominus ministrat,quia lucis suæ illustrationem nos facit. Transit verò dictum est,de iudicio ad regnum redijsse,id est.Transire. Dominus nobis post iudicium transit, quia ab humanitatis forma in diuinitatis suæ contemplatione nos elevat. Et transire eius est, in claritatis suæ speculationem nos dare, cum eum, quem in humanitate in iudicio vertimus, etiam in diuinitate post iudicium videmus.*

38. *Et si venerit in secunda vigilia,& si in tertia vigilia venerit, & ita inueneris:beati sunt serui illi.*) De nostris vigilijs diximus supra c.12.8.& Matth.14.25. hic tantùm notandum non sic esse verba copulanda, vt sensus sit,quacumq; vigilia noctis venerit,& sic eum inuenerit,beati erunt; sed vt hũc potius sensum efficiant,beati erunt illi,quos Dominus, quacumque hora noctis venerit,sic,id est vigilantes, & paratos inuenerit. Inepta est hæretici interpretis quæstio, cur cũ scriptura nos filios lucis appellet, Ephes.5.8. & 1.Thess.5.5.& Christus ipse verbo suo nobis præluceat, nocturnis tamen vita nostra vigilijs comparetur? Qui enim hoc quærit,nõ intelligit,non propter obscuritatem vitam nostram comparari nocti, imo nec omnino illi cõparari,sed diei simul, & puncti similem dici,quia die & nocte tota constat. Vigilias autem noctis non pro vitæ nostræ obscuritate, sed pro incommodissimo, & minimè opinato tempore poni.Secunda enim,vel tertia vigilia venturus Dominus dicitur,quia veniet securis nobis,ac minimè cogitantibus,quo tempore dormire omnes solent. Quis enim tam intempesta nocte eum venturum putauisse? Nec illo ipso tempore venturum significat, si enim homines scirent noctu venturum, vigilarent noctes,dies verò dormirent. Atqui nunquam vult dormire nos,sed semper dies, noctesque vigilare,quia nescimus,quo tempore,die an nocte, & si nocte,qua hora,prima,secunda,tertia,an quarta vigilia venturus sit. Hic sensus colligitur ex sequentibus,maximèque ex ver.40.quæ omnia vsque ad ver.47.apud Matth.c.24.explicata sunt.

48.*Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem domini & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius,vapulabit multis.*) Hoc solus narrat Lucas;pro-

que vers

que versu 40. respondere. Interrogauerat illic Petrus Christum, *Domine ad nos dicis parabolam, an ad omnes?* Respondet Christus, ad omnes. Omnes enim,quos Dominus vigilantes inuenisset,præmio; omnes quos dormientes,& imparatos,supplicio afficiendos esse, siue Apostoli, siue alij essent. Docet tamen nunc quid inter eos discriminis futurum sit. Quòd Apostoli,& quicumque alij voluntatem domini cognitam habuerint,si secundùm eam non fecerint, grauiùs punientur, quàm qui non cognoscentes domini voluntatem, peccauerunt.Dubitari verò potest,quam vocet domini volũtatem; si enim eam voluntatem appellat, qua voluit hoc vel illo tempore, hac vel illa hora venire, *quis cognouit sensum Domini,aut quis consiliarius eius fuit*, &c, *de die illa, & hora nemo scit, nec angeli cœlorum,neque filius, nisi solus pater.* Et id ipsum agebat Christus hoc loco, vt doceret neminem eam domini voluntatem, atque consilium scire posse, ideoque omnes debere omni tempore singulisque horis esse paratos. Si voluntatem vocat eam, quam nobis per datam legem declarauit, quo iure, qui contra eam ignorans fecit, vapulabit? paucis quidem, sed vapulabit. Nonne iusta ignorantia peccantem excusat?Respõsum quorumdam nimis subtile mihi videtur Christum non dicere vapulaturum, quia non fecit domini,quam ignorabat,voluntatem; sed quia *fecit digna plagis.*Nam quamuis id non dicatur, necessariò tamen intelligendum est, & quia eodem modo de vno, atque de altero loquitur;& quia nemo digna plagis facit, nisi quia facit contra domini voluntatem.Ergo voluntatem domini vocat eam ipsam,de qua loquebatur, qua dominus decreuit aliquando ad iudicium venire;quam voluntatem Apostoli, & alij,quos de suo ipse aduentu monuerat, & sciebãt, sciuntque Christiani omnes; alij autem & nunc ignorant, & tunc ignorabant. Inter quos hoc erit discrimen, quòd illi, quia sciunt venire decreuisse, hoc est, sciunt voluntatem domini, & non separarunt,sed sese somno tradiderunt, vapulabunt multis propter ea nimirum peccata,quibus impediti, & quasi indormientes reperiuntur; hi verò propter eadem peccata(sic enim intelligendum,vt sententia vera sit) vapulabunt paucis. Quia eadem peccata in illis hoc grauiora sunt, quòd cum domini contemptu sint quodammodo coniuncta; quippe eius scientes voluntatem, quòd venire decreuisset, aut illis sese implicuerunt, aut cùm ante implicuissent, non se per pœnitentiam ab illis liberarunt, & ad excipiendum Christum præparauerunt; in his verò leuiora, quia quamuis contra domini legem, & voluntatem sint; tamen si cognouissent Christum ad iudicium aliquando futisse venturum, aut ea non fecissent; aut iam facta diluissent per pœnitentiam. Hic opinor verus est sensus. Ergo quod de illis dicit,*seruus qui cognouit voluntatem domini, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius*, intelligendum est, qui præterquam quòd fecit contra domini voluntatem præceptis declaratam, ideoque peccauit, non fecit secundùm eam domini voluntatem, qua sciebat eum venire ad iudicandum decreuisse.Et cum de altero dicit, *qui autem non cognouit,& fecit digna plagis*, intelligendum hoc modo est, *& fecit digna plagis*, faciendo non contra illam eandem, de qua paulò ante dixerat, *& non fecit secundum voluntatem eius*;sed contra aliam domini voluntatem,qua peccata sciebat prohibuisse. Ideo secundo loco non dixit, *non fecit contra domini voluntatem*, sicut ante dixerat, *& non fecit secundùm voluntatem eius*; ne de eadem voluntate loqui videretur; sed dixit,*quia fecit digna plagis*, ne quis posset obiicere, si ergo non fecit contra domini voluntatem, qua illum ignorabat venire velle,quare vapulabit? occurrit, quia faciendo contra aliam eiusdem voluntatem, digna plagis admisit. Futurum in altera vita supplicium ideo plagarum nomine declarat,quia in seruorum parabola versabatur: quorum pœna solet esse verbera,plura,pauciorâve pro magnitudine peccati. Propterea de altero dixit, *vapulabit multis* (plagis;)de altero *vapulabit paucis*. Similis sententia est Iac.4.17.Origen.lib.2.comment.in epist. ad Roman.per eum qui cognouit voluntatem domini Iudæum,per eum qui non cognouit, Gentilem intelligit;nimis restricta sententia.

Plagæ cur appellet supplicii alterius vita.

Vulgata lectio desenditur.

49. *Ignem veni mittere in terram,& quid volo, nisi vt accendatur?*) Quomodo hæc verba ad superiora cohæreant,quærendum non arbitror, disiuncta enim ab illis sunt,& alio fortasse tempore à Christo, alio loco dicta,quamuis ab Euangelista ideo in hunc locum coniecta, quia, quod sequitur de futuris propter Euangelium persecutionibus, prætermittere nolebat, quarum ideo Christus discipulos præmonuerat, ne ad eas imparati essent; quo consilio & aduentus monuerat sui, iusseratque paratos esse, lumbis præcinctos, lucernásque ardentes manibus tenentes. Quia eodem igitur consilio vtrumque à Christo dictum fuerat, eodem vtrumque loco Euãgelista narrauit,siue eodẽ loco,siue diuerso à Christo dictum fuerit. De sensu magis quærendum. Is autẽ magna ex parte ex lectione pendet, quæ Græcè, Latinéque diuersa est. Latini codices legunt,*& quid volo, nisi vt accendatur?* quasi noster interpres Græcè legerit *εἰ μὴ*, Græci verò omnes *εἰ ἤδη*. si tam, accensus est. Nostram lectionem meliorem esse paulò post apparebit, atque ita Augustinus legit sermon.108.de tempore, & Gregorius homin. 2.in Ezech.& Beda in comment. & Marcus Alexandr.in libro de baptismo.Alij nonnulli Latini legunt,*quam volo,vt accendatur*, vt Philastr. in hæresi de Isaiæ labijs carbone tactis, & Hieronymus libro 2. contra Ruffin.& in comment.in cap.9.Zachar.& in cap.3. Matth. Græci hunc sensum lectionis suæ esse volunt,quid volo,si iam accensus est;quasi dicat,nihil aliud volo,nihil aliud habeo,quod agam,vt videtur Chrysostom.intellexisse hom.6.in Matthæum, per ignem Spiritum sanctum intelligens, & Elias Cretensis in comment.in orat.Greg.Nazian.de modest. in disputatione seruanda, & Euthym. hoc loco. At nondum Spiritus sanctus missus erat; itaque nondum missus,nondum accensus erat ignis,quem hic auctores intelligunt,videturque ipsorum interpretatio eorum lectioni repugnare. Ignem, vt dixi, Chrysost.Spiritum sanctum interpretatur, eodémque modo D.Augustinus sermon. de tempore 108, Orig.vt citat Hieron.lib.2.contra Ruffin.& Hiero. ipse eodem loco, & in comment.in cap. 9. Zachar. & in cap.3.Matth. & Marcus eremita lib. de baptismo,& Ambrosin comment.ad hunc locum,& Prosper in lib.de prædict.p.1.cap.34. & Philastr. in hæres.de labijs Isai.carbone tactis,& Gregor.hom.7.in Ezech.& hom.30.in euangel.Beda, & Bernard.ser. 1.de purificat.B. Mariæ; & Nicetas in comment.in orat.2.de Pascha Gregor.Nazian.intelligunt,ea denique fere omnium interpretatio est tam multis,& tam magnis auctoribus probabilitatem consecuta; sed si præcedentia, & consequentia consideremus, non satis mihi videtur cum illis cohærere. Volebat discipulorũ animos ad aliquid magni præparare, vt ante præparauerat ad suum aduentum, *Sint*, inquit, versu 35.*lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in*

Universidad de Deusto
Biblioteca

manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. Non præparatur animus ad bona, sed ad mala; ad excipienda bona satis omnes propẽsi atque parati natura sua sunt. Deinde sequitur ver. 50. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor?* quorsum ab Spiritu sancto ad baptismum, id est passionem suam transitionem repente faceret: aut quo modo ista inter se hærerent? Simulis est Euthym. interpretatio per ignem, caritatem intelligentis; & Theophylacti, qui zelum exponit. Alij verbum Dei interpretantur, quòd Christus venerat in terram mittere, id est prædicare; quodque in scriptura ignis etiam appelletur. *Nonne cor nostrum,* ainunt illi, *ardens erat in via, dum loqueretur nobis?* Sic Augustinus in lib. contra Adimant. Manich. cap. 13. & Theophyl. hoc loco. Quam interpretationem eadem ratione, qua superiorem, probare non possunt; quia præcedentibus, atque consequẽtibus non satis conuenit. Verus mihi sensus videtur esse quem Tertull. libr. aduersus Marcion. 4. obiter indicauit, ignem afflictionem, & res aduersas significare, vt *Transiuimus, per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium,* Psalm. 65. 12. &, *cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te,* Isai. 43. 2. *liberasti me à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.* Eccles. 51. 6. Hoc hæret loco; præmuniebat enim discipulorum animos ad ferendas fortiter futuras persecutiones, & quo æquiore eas animo ferrent, dixit à seipso mittendas esse, id est, propter se, suoque permissu; nec aliud est, quod hoc loco dicit, *Ignem veni mittere in terram,* quàm quòd alijs verbis repetit vers. 51. *Putatis quia pacem veni dare in terram, non dico vobis; sed separationem;* & Matth. 10. 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Hoc est, quod statim sequitur, *Baptismo habeo baptizari.* nec enim dubium est, quin passionem suã baptismum appellauerit, & exemplo suo discipulos ad patientiam, tolerantiamque confirmet, quasi dicat, discite meo exemplo pati; nam & ego passurus sum; eandem ergo persecutionem, eandem afflictionem, eandem passionem, & ignem, & baptismum, & separationem, &, sicut Matthæus, gladium appellat. Quo autem sensu dicat ideo se venisse, vt eum ignẽ in terram mitteret, apud Matthæum declauimus. Quòd autem ait, *& quid volo, nisi vt accendatur?* perinde est, ac si diceret: quid aliud volo quàm vt accendatur, cum propterea venerim, vt accenderetur? Eodem modo interpretanda est altera lectio, de qua superiùs à nobis dictum est, *quam volo vt accendatur?* id est valde volo, vehementer opto. Verum enim est, quod Euthym Psal. 72. & 83. animaduertit, *ὡς*, vt, aut quàm, incrementum, vehementiamque declarare, *Quam angusta,* inquit, *porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam?* Matth. 7. 14. &, *Quam difficile, qui pecunias habent in regnum Dei introibunt?* Mar. 10. 23. *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem?* Rom. 10. 15. *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum?* Psal. 2. 10. Passim occurrent exempla, Psal. 22. 5. & Psal. 30. 20. & 72. 1. & 83. 2. Verba sunt non solùm patientis fortiter, sed accersentis etiam, atque prouocantis ignem; & gladium, quibus omnium persecutionum genera designantur, &, vt idem faciant, discipulos hortantis; quasi dicat, quorsum in hunc mundum veni, nisi vt & ego paterer, & omnes similiter, qui me sequuturi essent, paterentur. *Omnes* enim *qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur,* quid ergo cessamus facere id, cuius causa de cœlo in terram descendi? veniat mors, veniat ignis, veniat gladius, non timemus, non fugimus, sed obuiam illi imus, sed prouocamus. Simile

Psal. 118. 140. Prou. 30. 5. c. 24. 32.

Quis huius loci verus sensus ex Tertul.

Particula ὡς, vt, & quàm incrementũ declarãt.

2. ad Tim. 3. 12.

A quiddam Ignatius optimus Christi discipulus magistrũ suum imitatus dicebat, *Vtinam frui liceat, quæ mihi sunt præparata, quas & ego mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me,* vt ipse in epistola ad Roman. scribit, & Hieronymus in eius vita recitauit.

50. *Baptismo autem habeo baptizari.*) Græcè βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι, baptismum autem habeo baptizari, id est baptismum habeo, quo baptizandus sum. Mortem, & passionem suam baptismum appellare dubium non est, & omnes interpretes consentur, Tertullian. in libro de baptismo, Cyprian. in epist. ad Iubaian. Philast. contra Nouatian. vt Mat. 10. 38. 39. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo? & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Simile illud est apud D. Paulum 1. Cor. 15. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* id est, qui pro resurrectione mortuorum defendenda moriuntur. Vnde nata sit phrasis, non est difficilis coniectura. Solet aqua passionem, afflictionemque significare, *Transiuimus,* inquit, *per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium,* Psal. 65. 12. &, *saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam.* & iterum, *eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum,* &, *non me demergat tempestas aquæ, nec absorbeat me profundum, nec vrgeat super me puteus os suum,* Psal. 68. 2. 15. 16. Nullum certius periculum mortis, quàm cum alto iactamur mari. Fertum ferro, vim vi repellimus, incendium effugimus, contra tumentes aquarum moles eluctari difficile est. *Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multas, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat: Turbati sunt, & mota sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est,* Psalm. 106. 23. 24. 26. 27. quo loco aquarum periculum aptissimè describitur. Ideo ergo baptizari, quod propriè est aquis submergi, pro pati, ac morti & baptismus pro afflictione, pro passione, pro morte ponitur. Quorsum verò nunc Christus de morte sua mentionem inferat, superiore versu indicauimus. Volebat discipulorum animos ad ferenda fortiter futura pericula roborare; ostendit ergo se illis non solùm eorundem periculorum participem, sed etiam ducem fore. Primum se pro illis mortem oppetiturum, quam non solum non timeat, verumetiam prouocet, & ægrè ferat tardare tam diu; ne illi reformident pro se mori, qui perire pro ipsis mortuus sponte sua fuerit. Hoc est quod statim sequitur.

Et quomodo coarctor?) Id est angor, contristor, ægrefero, donec perficiatur, id est donec mors veniat. Quod nonnulli ita accipiunt auctore Lyrano, vt significet Christus se mortẽ perhorrescere, ac reformidare: sicut dixit postea ipsa instante morte, *Tristis est anima mea vsque ad mortem,* Matt. 26. 38. ego hanc expositionem menti Christi prorsus cõtrariam esse arbitror. Idem enim hoc verbo significat, *quam volo coarctor,* quod paulò ante significauerat cum dixit, *& quid volo, nisi vt accendatur?* Atqui illic non timebat, ne ignis accenderetur, sed optabat: & hæc ergo non sunt verba timentis, sed optantis: angi se enim dicit, quòd eius mors tamdiu differatur. Quemadmodum alijs verbis expressum hunc locum exponit Irenæus libro 1. cap. 18. *Aliud baptisma,* inquit, *habeo baptizari, & valde propero ad illud,* Ambrosius, Beda, Theophylactus, Euthymius. Curautem contristaretur, quòd mors tardaret, alia est quæstio. Ambrosi. ita videtur interpretari, quasi Christus angeretur inclusus mortali corpore, vellerẽq; eo exui, quemadmodum eius discipulus dicebat Paulus, *desiderium habens dissolui, & esse cum Christo,* Philip. 1. 23. *Vtique* (inquit Ambros.) *qui vsque ad perfectionem anguntur, de perfectione securus est; sed etiam alibi, tristis est anima mea vsque ad mortem. Non propter mortem, sed vsque ad mortem tristis est Dominus, quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit.* Probabilius quod Beda, Theophylactus, & Euthymius dicunt, non sua, sed nostra causa mortem Christum optasse, nõ vt se corpore, sed vt nos peccato liberaret, & vt patris sui suo perfunctus munere, satisfaceret voluntati. Alia

Christus desiderium habuit mortem.

A quæstio, quomodo nunc Christus mortem prouocet, & desideret, cùm appropinquantem adeò pertimuerit, vt sanguinem exsudarit, vt dixerit tristem esse animam suam vsque ad mortem. Facilis solutio, hic superiore animæ parte prouocabat; illic inferiore timebat. Itaque non sunt idem, vt putat Ambros. *Quomodo coarctor, &, tristis est anima mea vsque ad mortem;* sed omnino contraria; sed ideo inter se non repugnant, quia in diuersis subiectis sunt. Cætera, quæ in hoc capite sequuntur, apud Matthæum à nobis explicata sunt.

CAPVT XIII.

1. *ADERANT autem quidam ipso in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. 2. Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? 3. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 4. Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? 5. Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. 6. Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. 7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? 8. At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora: 9. & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. 10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. 12. Quam cum videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. 13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. 14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus: dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati. 15. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? 16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati? 17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriosè fiebant ab eo. 18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud? 19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieuerunt in ramis eius. 20. Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei? 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentatum est totum. 22. Et ibat per ciuitates, & castella docens, & iter faciens in Ierusalem. 23. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: 24. Contendite intrare per angustam portam: quia multi dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. 25. Cum autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis: 26. tunc incipietis dicere: manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis. 28. Ibi erit fletus, & stridor dentium: cum videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. 29. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei. 30. Et ecce sunt nouissimi qui erunt primi, & sunt*

Matt. 13. d. 31. Mar. 4. c. 30.

Matt. 13. c. 33.

Matt. 7. b. 13.

Matt. 25. a. c.

Matt. 7. c. & 25. b. c. Psal. 6. v.

Matt. 19. d. 30. & 20. b. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Marc.10. d.31. *sunt primi qui erunt nouissimi. 31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi,& vade hinc: quia Herodes vult te occidere. 32. Et ait illis: Ite,& dicite vulpi illi: Ecce eicio dæmonia,& sanitates perficio hodie & cras,& tertia die consummor. 33. Verumtamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem. 34. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas,& lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum auis nidum suum sub pennis,& noluisti? 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Matt. 23. d.37.

IN CAPVT XIII.

1. ADERANT autẽ quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum.) Prætermisit hoc Irenęus lib. 3. c. 14. commemorans ea, quæ solus scripsit Lucas, cùm insignis tamen esset historia. Euangelista eodem tempore, quo Christus ea, quæ extremo capite superiore dicta sunt, differebat, supernenisse aliquos dicit, qui nuntiarent, quid Pilatus fecisset Galilæis. Quorsum autem nuntium illud intulerint, non dicit. Ego, si quis mihi esset auctor, facilè mihi persuaderem historiam illo ipso tempore, quo illi narrarunt, accidisse; eósque non alia narrasse causa, quam quia noua, & nõdum audita erat; vt solemus res eiusmodi nouas, & insignes omnibus miscere sermonibus. Sed nolo primus esse auctor rei præsertim incertæ. Plerique igitur putant ideo illos eam historiam in medium attulisse, vt Galilæos, quos pro hostibus habebant, homines detestabiles esse significarent, quos Deus per Pilatum ipsis suis sacrificijs obruisset. At quorsum isthęc ipsa Galilæorum detestatio? occasionem enim habere aliquam oportebat, quæ in ijs quidem, quæ superiore capite ab Euangelista narrata sunt, non apparet. Præterquam quòd ij, qui ista nuntiarunt, illa, quæ Christus dixerat, non audierant; ait enim Lucas eos sub idem tempus superuenisse, quasi indicans rem eos nouam, & inauditam attulisse. Itaque mea illa coniectura, quam posui paulò superius, eo mihi videtur probabilior, quo minus in aliorum opinionibus probabilitatis inuenio. Sed ea mihi, & quia meliorem non habet auctorem, & quia eandem illam id temporis accidisse ex nulla colligitur historia, non satis placet. Nam duæ illæ seditiones, quæ Act. 5.36.37. commemorantur, triginta vt minimùm annis ante contigerant, cu Iudas Galilæus, qui posterioris auctor fuit, & fuerit, vt illic dicitur, in diebus professionis. Vero simile igitur est illos, qui hoc narrarunt, non tanquam rem nouam, atque recentem narrasse; sed accessisse ad Christum; hoc est μαθηταις; vt cum de eo facto interrogarent, quonam id diuino consilio accidisset; quemadmodum cum aliquando discipuli interrogarunt, cum cæcum quendam natum vidissent, *Rabbi quis peccauit, hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Ioann. 9.2. Quemadmodum Cyprian. vt videtur, in lib. contra Nouatian. Theophyl. & Euthym. quidem certè ita interpretantur. Quòd ad ipsam attinet historiam, quomodo, quando, & qua de causa Galilæorum sanguinem cum ipsorum sacrificijs Pilatus miscuerit, nullam præter hanc ipsam Lucæ satis perspicuam habemus; omnes tamen interpretes ad seditionem illam referunt, quæ auctore Iuda Galilæo accidisse dicitur Act. 5. 37. de quo lib. 18. antiq. c. 5. ad hunc modum Iosephus scribit. *Interea ne Samaritanis quidem tumultu caruere. Conciauit enim eos impostor quidam pro nihilo ducens mendacium, & omnia comminiscens ad plebis gratiam iubens, vt conuenirent ad montem Garizim apud eam gentem sanctissimum, asseuerans se eis ostensurum sacra vasa reposita, quæ ibi Moses reposuerat. Illi creduli sumptis armis Tirathabam vicum obsiderunt, expectantes ibi confluentes cæteros, vt magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior eliuum montis occupat equitibus suis, & peditibus, qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum colletis adstiterunt, alios in fugam compulerunt, multos etiam viuos captos abduxerunt, quorum præcipuos, & potentiores Pilatus multauit capite.* At Iosephus de sacrificio mentionem non facit. Quin colligitur eos tunc non sacrificasse, cùm Iosephus dicat à Pilato, cum adhuc in vico Tirathaba essent, antequam ad montem, vbi templum erat, ascendissent, oppressos fuisse. Græci ferè interpres, vt Euthym. Theophyl. Cyrill. apud D. Thom. & Anast. q. 67. & Oecum. in comment. in c. 5. Act. Apost. solent dicere Iudam illum Galilæum inter alia docuisse, non licere Iudæis quenquam præter Deum dominum appellare; quod & Iosephus scribit lib. 18. antiq. c. 2. itaque non esse pro Imperatore sacrificandum. Quare Pilatum ea re irritatum, eos, qui eius erant sectæ, inter sacrificia, in quibus pro Imperatore orare recusabant, interfecisse, atque ita eorum sanguinem cum sacrificijs miscuisse. Suidas in Pilato ad eam refert historiam, quæ apud Iosephum est lib. 2. de bello Iudaico c. 8. cùm Pilatus commotam plebem, & tumultum excitantem, quòd sacrum thesaurum, quem Corban appellabant, aperuisset, summissis clam armatis militibus partim interfecit, partim vulnerauit, omnes perterruit. Miror hoc viris doctis nostro tempore placuisse, nec animaduertisse eos id non in Galilæa, sed in ipsa Ierosolymitana vrbe accidisse, vbi & thesaurus erat, vt Iosephus narrat. Itaque non potuisse Galilæos esse, qui interfecti fuerint. Nam recẽtioribus quibusdam auctoribus, qui sine testimonio, & sine ratione dicunt hoc Ierosolymæ accidisse, non vereor ne fides habeatur. Præterquam quòd non sacrificantes in templo, sed in foro ante tribunal suum vociferãtes, tumultuantésque interfecisse, Iosephus dicit. In re incerta probabilissimum mihi videtur hoc factum esse tum, cùm Pilatus vicum illum Tirathabam militibus occupauit, vt Samaritanos opprimeret, vt paulò supra ex Iosepho recitauimus. Cæterum historiam illam clariùs Hegesippus narrat lib. 2. de excidio Ierosolym. c. 5. eius hæc verba sunt. *Quod igitur in Iudæum imperitante Tiberio acciderit, non putauimus prætereundum, vt ex eo deformitas colligatur Imperatoris. Sicut enim boni principis vita probitatis quadam præscriptio, & per vniuersos viuendi forma est; ita Imperatoris colluuio lex flagitiorum est. Ab eo missus Pilatus est in Iudæam vir improbus, atque in exiguo ponens mendationem, circumuenit Samaritanos, vt montem, cui nomen Gadar, peterent; erat enim illis sacratus, eo quod vellet eorum mysteria cognoscere. Et ascendens populum præuenit equitatu, pedestrique exercitu instructi, assito crimine, quòd à Romanis discedere, & conciliabulum sibi quærere præparassent.* Ex eo quod Hegesippus narrat, finxisse Pilatum se Samaritanorum mysteria velle cognoscere, perspicuum est eum sacrificantes oppressisse, quod Iosephus silentio prætermisit. Vnum illud huic sententiæ videtur obstare, quòd illi de quibus Iosephus, & Hegesippus scribunt, Samaritani fuerint isti, de quibus Lucas loquitur, Galilæi; Samaritani autem Galilæi non erant, quin potius hostes Galilæorum, & ab illis, sicut à Iudæis de religione maximè dissentiẽtes. Nam Galilæi in templo Ierosolymitano adorabant, atque sacrificia sua offerebant; Samaritani id nefas ducebant, suum in monte Garizim, vt idem auctor est Iosephus, templum habentes, vbi, vt mulierilla Samaritana Christo dixit Ioan. 4. 20. adorare dicebant oportere. Itaque Christum, quia *faciei eius erat eunte in Ierusalem* adorationis causa, recipere noluerunt supra c. 9. 53. & Iosephus lib. 3. antiq. c. 2. Samariam mediam inter Iudæam, & Galilæam esse dicit. Quod & ex Euangelistis quoque ipsis facilè colligitur. Scribit enim Ioannes c. 4. 4. Christum ex Iudæa in Galilæam euntem per Samariam transire oportuisse. Quia nemo quæstionem attigit, nemo respondet, mihi qui nodum strinxi, vtcunque potẽ, soluendus est. Duas ob causas mihi videtur ille, qui hoc Christo nuntiabat, Galilæos vocasse eos, qui non Galilæi, sed Samaritani erant. Et quia vtraque gens odio Iudæis erat, itaque Christum ipsum pro eodem ducebant aut Galilæum, aut Samaritanum appellare; quia quod ad odium attinet, perinde illis erat. Matthæi 26. 69. Mar. 14. 70. Lucæ 23. 6. Ioann. 7. 52. & Ioann. 8. 48. Ac fortasse voluit interrogando Christum ipsum perstringere, qui ab omnibus Galilæus esse putabatur, quasi insinuans ipsius gentem, atque adeo ipsum esse peccatorem, cùm Deus permisisset eorum sanguinem vna cum sacrificijs permisceri. Et quia Samaria Galilææ maiori, nobiliorique prouinciæ vicina erat, & solemus non solùm vicinas vrbes, verum integras etiam prouincias vicinarum prouinciarum, præsertim nobilium nomine vocare: Sicut Cantabros non solùm, qui verè Cantabri sunt, sed omnes etiam circum gentes appellamus; & Flandros non illos tantùm, qui verè sunt Flandri, sed etiam Hannones, & Brabantos, & omnes, qui sub illo sunt cœlo. Potuerunt etiam Galilæi appellari, quamuis Galilæi non essent, quia Iudam ipsum Galilæum sequebantur. Hos autem de quibus Lucas loquitur, Samaritanos fuisse, quamuis Galilæi appellentur, ex hoc ipso loco intelligi potest. Dicuntur enim in ipsis trucidati sacrificijs, atqui Galilæi non alibi, quam in templo Ierosolymitano, vt diximus, sacrificabant, & manifestum est hoc Ierosolymæ non accidisse, & quia tanquam alibi fanum narratur; & quia historia Iosephi, & Hegesippi in monte Garizim, vbi Samaria est, testatur accidisse. Accedit, quòd, si verè fuissent Galilæi, Pilatus eos trucidare non potuisset, cùm non Galilææ, sed Iudææ præesset, nec vllam in Galilæos haberet potestatem. Itaque Christum ipsum coram se tanquam reum accusatum, vt Galilæum esse audiuit, ad Herodem misit, qui tetrarcha erat Galilææ Luc. 23. 6. Samaritani verò, quamuis Samaritani Galilæi aliquando vocarentur, tamen quia Galilæi verè non erant, sub Pilati erant iurisdictione, vt ex ijsdem auctoribus Iosepho, & Hegesippo colligitur. Ita potuit Samaritanos Pilatus occidere.

Quæritur de hoc Tiberio.

Pilatus Samaritanos sedutiosos oppressit.

2. *Et respondens Iesus dixit illis.*) Quocunque tandem animo illi Christum interrogauerint, ita Christus respondit, vt eos, qui interrogauerant, meliores

redderet, & ex aliorum calamitate pœnitentiæ illis medicinam faceret, dicens non minùs ipsos, quam eos, qui inter victimas fuerant trucidati, peccatores esse, nec propterea quòd à Deo tunc simili supplicio non afficiantur, æterna supplicia, nisi pœnitentiam egerint, fugituros. Beda, *Quibus* inquit, *non ipsa mors nam & bonos quoque sic potuisse mori beatorum martyrum gloria declarat; sed vita improba, pro qua in secundam mortem mitterentur, obstat. Verum ad correctionem viuentium, vt pestilente flagellate stultus sapientior fieret; vel certè ad exemplum cæteris notescam, idcoque pessime morientium, tali sunt morte multati.*

Prou. 19. 25.

3. *Non dico vobis; sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*) G. ὡσαυτως μετανοῆτε, nisi pœniteat vos, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Multi auctores inter eos, quibuscum Christus loquebatur, & illos, quorum sanguis cum ipsis sacrificijs fuerat mixtus, in eodem mortis genere putant comparationem fieri, quasi significet Christus fore, vt nisi egerint pœnitentiam, etiam ipsorũ sanguis cum eorundem sacrificijs misceatur, cùm à Vespasiano Ierosolyma capietur, quam in azymorum festo captam fuisse Iosephus scribit. Ita Euthy. in comment. & Cyrillus apud D. Thom. Hugo, Lyranus, & alij. Sed eodem modo, quo dicit nunc, *Omnes similiter peribitis*, dicit paulò post ver. 5. de illis agens, quos turris Siloe obruerat. Atqui noluit profectò illic significare futurum, vt, nisi agerent pœnitentiam, omnes casu turris opprimerentur, sicut illi decem, & octo oppressi fuerant. Præterquam quòd hoc erat sibi ipsi Christum repugnare; volebat enim docere illos, quorum sanguis cum sacrificijs mixtus fuerat non propter sua peccata id passos fuisse. Nam si propter sua peccata passi fuissent, multi alij eadem fuissent passi, qui non minùs peccatores, quàm illi erant. Quo ergo modo inde colligeret eos, quibuscũ loquebatur, passuros eadem, quia meliores alijs non erant, cùm non omnes, qui æquè erant peccatores, eadem passi fuerint? Melius Bonauentura bonus sæpe interpres comparationem quidem inter hos, & illos fieri, sed non in eodem pœnæ genere. q. d. Omnes similiter peribitis, sicut illi perierunt, non morte corporis, sed animæ; & non temporali, sed æterno supplicio. Probabile hoc est; sed probabilius etiamnum esse arbitror, vt non hi cum illis, qui à Pilato trucidati sunt, sed inter se ipsi comparentur, quasi dicat, *omnes similiter*, id est simul, nemine excepto; sicut vnus, sic alius, sicut pauper, ita diuites *peribitis*. Obiciet aliquis absurdum videri pœnam variari, & cum de temporali ageretur, qua illi à Pilato occisi fuerant, eodem prorsus loco, eodémque contextu verborum ad sempiternam pœnam subitò transire. At tantùm abest, vt id absurdum sit, vt in eo tota vis, tota gratia consistat orationis. Hoc enim agebat Christus, vt ex temporali supplicio, quo affecti illi fuerant, auditores suos æterni admoneret, tanquam diceret, Pilatus quidem corpus occidit, animas autem occidere non potuit; *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in Gehennam.* Nec eos miseros putatote, qui corporalem illam mortem, quam vos mihi narratis, subierunt; eos miseros existimate, qui mortem animæ subituri sunt; quam vos profectò subibitis omnes, nisi pœnitentiam egeritis. Nemo mihi hoc loco vim harum duarum vocum, *Omnes, & similiter* videtur obseruasse. Mihi verò per antithesim videtur Christus has duas particulas de industria vsurpasse, vt opponeret eos, quibuscum agebat, illis, qui à Pilato fuerant occisi, quósque ipsi miserrimos putabant fuisse, vt do-

S. Bonauenturæ interpretationis proba.

Matt. 10. 28. Luc. 12. 4. 5.

ceret

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceret maiora ipsos,& certiora passuros esse,nisi agerent pœnitentiam; maiora, quia illi temporalia, ipsi æterna; certiora, quia illi non omnes, qui in eadem erant culpa, pariter perierunt, ipsi verò pariter nemine excepto peribunt. Hoc est *omnes similiter peribitis*.

4. *Sicut illi decem & octo.*) Neque hoc quando,aut quomodo acciderit scimus, nec enim quisquam,aut facer, aut profanus auctor præter Lucam narrat. Is nobis instar est omnium. Turrim hanc Siloe, nonnulli auctores in ea vrbe tribus Ephraim fuisse dicunt, vbi olim arca testamenti fuerat,Iosue 21. 2. & 22.9.& Ierem.7.12.& Iud.21.19.sed ex hoc ipso loco perspicuum est eam fuisse in Ierusalem, & quidem intra muros, cùm dicat Christus, *Putatis, quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem?* indicans etiam eos,qui casu turris obruti fuerant in Ierusalem habitasse, & intra ipsam vrbem oppressos fuisse,vbi alij ciues æquè peccatores eadem via prætereuntes opprimi eadem ruina potuerunt.Melius igitur sentiunt,qui dicunt Siloe nomen fuisse fontis, piscinæ, aut torrentis intra Ierosolymitanam vrbem præter radices montis Sion fluentis, vt indicat Isaias c.8.6. & Ioann. c.9.7 Erat ergo turris iuxta fontem,aut piscinam, siue torrentem,ideoque turris Siloe vocabatur.

Turris Siloe vbi fuerit.

Putatis, quia & ipsi debitores fuerint.) Peccatores, phrasi Chaldaica, qua peccatores non debitores vocant. Eodem modo hæc sententia, quo superior intelligenda,eodem enim pertinet, vt doceat Christus non debere eos securos esse,propterea quòd eo casu non perierint,quasi ideo non fuerint peccatores.Perituros enimuero peiùs, nisi egerint pœnitentiam. Illi vnius tantùm casus mentionem fecerant, qui Galilæis quasi hominibus peccatoribus contigisset; Christus aliud etiam illis non iam remotum, sed domesticum proponit exemplum.Quo non Galilæi, qui peccatores; sed Ierosolymitani ciues, qui sancti habebantur,quales se illi ipsi, cum quibus loquebatur,esse putabant,occisi fuerant; & occisi quidem non ab hominibus, sicut illi à Pilato, quorum mors magis Pilati crudelitati, quàm diuinæ vltioni tribui poterat;sed ab ipso quodammodo Deo subito,& inopinato turris casu,vt non nisi diuina id prouidentia peccata vindicante factum videri posset.Et tamen illi ipsi non magis,quàm cæteri Ierosolymitani ciues peccatores erant.

Chaldaica phrasis peccatores dicuntur debitores.

5. *Nisi pœnitentiam.*) Vide ver.3.

6. *Dicebat autem hanc similitudinem.*) G. ταύτην τὴν παραβολὴν hanc parabolam,vt supra c.12.16.Parabola verò facilis est,nec longa indiget explicatione. Illud meritò quæri potest, vnde pendet pars magna sententiæ, quorsum eam Christus hoc loco proposuerit; nec enim videtur satis cum antecedentibus cohærere.Sed si parabolæ finem consideremus, hæret aptissimè.Dixerat,nisi agerent sedulò pœnitentiam, eos omnes perituros. Docet hac parabola, quomodo perituri sint, nimirum, vt ficus, quæ fructum, quantumuis expectata, quamuis diligenter culta,non fert, tandem exscinditur. Tribus ergo in rebus similitudo cernitur. Primùm quòd sicut ficus illa fructum non ferebat; ita ipsi bona opera non faciebant, quæ fructus vocantur digni pœnitentiæ supra c.3.8.& Matth.3.8.Deinde quòd quemadmodum dominus ille vineæ plures patienter annos expectauit, dum ficus magis ac magis culta, & adhibito stercore aduta fructum ferret; ita Deus illos patienter expectat, donec emendentur, donec agant pœnitentiam. *Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*; 2.Petr.3.9.& *expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Isai.5.2.4. Postremo quòd quemadmodum dominus ille vineæ, postquam expectasset diu, nec ficus fructum ferret, succidi tandem eam iussit,& in ignem mitti,(id enim licet non exprimatur,factum esse intelligendum est,)sic Deus illos post diuturnam patientiam, atque expectationem, si pœnitentiæ fructus non fecerint, damnaturus sit,& in sempiternum ignem missurus. Hæ sunt propriæ, & necessariæ parabolæ partes, in quibus sententia tota consistit. Cætera vt opinor,ornamenta sunt,& non necessariò ad sententiam accommodanda. Quale est illud quod in ficu potiùs, quàm in alia arbore parabolam Christus proposuerit. Quod non alia fortasse fecit causa, quàm quòd in calidis regionibus,qualis Iudæa erat,vbi ficus facilè proueniunt,nulla arbor frequentior sit in vineis,vt in Italia,& in Hispania vlteriore videre licet; sicut in Frigidis, vt Gallia, nuces in vineis plantari solent. Eas non repudio,quod Ambrosius in comment. Theophilus Alex.lib.3.allegor. Beda, Theophyl. & Euthym. tradiderunt,per ficum synagogam Iudæorum figuratam, quòd quemadmodum ficus foliis tantum abundat, ita synagoga sola externa cæremoniarum specie abundaret. Quod præterquam quòd apte populares conciones dictum est, eo etiam est probabilius eò spectasse Christum, quòd videmus alibi arefacta ficu significasse fore, vt synagoga etiam arefieret,Mar.11.13.& Matt.21.19. Magis tamen assentior Augustino, qui ser.31. de verbis Domini per ficum omnes homines significari putat.Nam synagoga vinea potiùs, quàm ficus erat. *Ego te plantaui vineam electam*; & *vineam de Aegypto transtulisti.* Psal.79.9. 15. Isa.5. 2.3.4. 5.7. Ierem. 2. 21. vineam Ecclesiam esse, dominum verò vineæ Deum manifestum est. Colonus quis sit quæritur; Theophyl. & Euthym. Christum esse putant. At ille potius requireres, vt erat,qui veniebat, vt fructum in ficu requireret, vt ait Ambros. Alij Apostolos, vt Chrysost. aut quis auctor est hom.12.in Marcum, & Beda in comment. At de re iam præterita loquebatur,antequam Apostoli vineam colere cœpissent. Eadem ratione non conuenit, quod Ambros. ait colonum singulariter fuisse Petrum,super quem Ecclesia fundata est; quod neque cum eo,quod paulò ante dixerat,bene cohæret, arborem fuisse synagogam, non enim synagogæ, sed Ecclesiæ Euangelicæ Petrus fundamentum fuit. Placet mihi quod ait August. ser.31. de verb.Domini secundùm Lucam omnes sanctos colonos esse,qui Dominum pro peccatoribus rogant. Sed probabilius est significari omnes,qui vineæ Domini Sabaoth, siue olim synagogæ, siue nunc Ecclesiæ curam gerunt. Horum enim officium est ficum colere,circa illam fodere, & stercus adhibere, id est omnem dare operam, vt fructum ferat. Horum est Dominum rogare, vt alterum etiam annum patienter expectet.Id faciebat Moses cum dicebat, *Dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exodi 32. 32. Amat suum quisque opus,& ægriùs colonus fert arborem non fœcundam excidi,quam dominus ipse cuius est;quis circa illam laborauit, & non vult, si fieri potest, operam frustra perdere. Quo exemplo discere ij debent,qui Ecclesiæ curam habent, non debere se ad iustitiæ severitatem; sed ad benignitatem, atque patientiam Dominum prouocare. Gaudet Christus se à suis ministris clementia quodammodo superari.

Quibus in rebus similitudo consistat.

7. *Ecce anni tres sum.*) Quòd tres annos dixerit,nihil fortasse aliud causæ fuit, quam quòd soleat ficus primo anno,quo plantata est sæpe fructum ferre, si non primo, saltem secundo; si non secundo, vt tardissime tertio; si tertio non ferat, nunquam latura videatur. Significatur ergo dominum illum vineæ tam diu expectauisse, vt ficus illa fructum ferret, quamdiu in arbore eius generis expectandum videbatur. Si enim nux, aut oliua fuisset, plures quàm tres annos expectare oportebat. Indicatigitur Dei vnius cuiusque arboris naturam,id est cuiusque hominis ingenium, ac mores cognitos habere, rectéq; scire quàdiu vnusquisque expectãdus sit,fructum vt ferat.Sunt qui non nisi in senectute sapiant,reliquo ætatis tempore insani esse videantur, similes palmis, quæ,dum nouellæ sunt,nihil nisi spinas ferunt;cum tenelcere incipiunt, dulcissimos proferunt fructus; Sunt qui in pueritia senes,in senectute pueri sint,similes ficui,quæ quos fructus primis annis non fert, nunquam fert.Ideo Deus alios maiore,alios minore expectat tempore.Hoc arbitror esse litterale.Illa allegorica,quæ à multis afferũtur.Tres annos tres esse ætates,naturalem sub Abraham; scriptam sub Mose; Euangelicam sub Christo,vt interpretatur Ambros. hoc loco,& Greg.hom.31.in Euãgelia,& Theophy. At quis quartus erit annus quo expectare adhuc rogatur dominus; nec enim quarta erit lex. Aut tres Iudæorum gubernationes sub Iudicibus, sub Regibus, sub Pontificibus, vt ait Euthym. Aut tres horarum ætates, puerilem, virilem, & senectutem, vt Theophyl.& Athan.q.70. longiùs etiam videtur abesse, quod Augustinus dicit ter senos annos esse decem & octo, post quos mulier illa, de qua statim agitur ver.11.curata fuerat. Quid autem sit dominũ venire,vt in ficu fructũ quærat,docet Basil.in comment. in c.5.Isai.*Clementiæ*, inquit, *Dei erga homines peculiare hoc est,non etiam,aut silenter ingeris supplicia,sed intendens comminationes ea prædicit affore, per hoc peccatores inuitans ad pœnitentiam; id quod fecit Niniuitis Iona præcone. Israeli item cum deliquisset, nentiquam tacite extremam illi mittit perniciem,sed famulo suo excitato ad supplicandum pro populi peccatis pœnas pranuntiabat dicens: Nunc dimittite me, & delebo populum hunc. Simile quiddam in Euangelio edocti sumus à sicu sumpta parabola.* Itaq; putat Basilius nihil aliud esse venire dominum ad quærendum fructum in ficu, quàm eam admonere, vt fructum ferat,illique comminari fore, vt si fructum non ferat,excidatur. Cæterum illud non bene conuenit, quòd, antequam dominus colono diceret, vt ficum exscinderet,ternis iam annis venerat, vt in ea fructum quæreret,nec inuenerat. Immò propterea illi excidium comminatus est,quia cùm per tres iam ad illam venisset annos, vt fructum quæreret, non inuenisset; non ergo venire est monere, aut commonari.Ter enim dominus venit,& semel tantùm cõsumatus est. Venire igitur est Deũ oculos ad vnumquemque conuertere, vt videat, ecquem fructum habeat,& colligat,nec enim mouetur loco.

Succide ergo illam.) Loquitur accommodatè ad parabolam in qua versatur;non ad rem per parabolam significatam.Nec enim Deus per ministros suos,sed per seipsum homines damnat, quod est ficum succidere. Nisi dicamus etiam hoc sensu per ministros damnare, quia, quæ illi ligant super terram,sunt ligata & in cœlo; quod etsi verum est, tamen non videtur eo Christus spectare voluisse, cùm non de ea damnatione, quæ in hac vita; sed de illa vltima, quæ in altera vita fit, agere videatur. Ad parabolam autem accommodatè loquitur, quia non solent domini vineatum ipsi per se, sed per suos colonos inutiles arbores exscindere.

Vt quid etiam & terram occupat?) G. ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ; quorsum etiam terram infructiferam reddit. Solent arbores præsertim magnæ,& succulentæ, qualis est ficus, omnem circa terræ humorem exugere, & quicquid prope est soli aliorum seminum sterile facere. Hoc est καταργεῖν. Itaque ea ficus non solùm fructum non ferebat; sed etiam efficiebat, ne alia semina fructum ferrent, maxime vites, quæ circum erant, quibus non solùm necessarium subtrahebat succum, sed vmbra etiam ipsa nocebat, quæ omnibus fere rebus noxia esse creditur. Hanc vim habet particula illa, &, quasi dicat, quorsum eam relinquamus,cùm non modò fructum nullum ferat, sed etiam, quod peius est, terram exugat, & exhauriat, impediatque, quo minùs vites, & aliæ plantæ ferre fructum suum possint. Terram in Ecclesia occupant, qui non solum fructum ipsi bonorum operum non ferunt; verùm alios etiam, quo minùs ferant, suo impediunt exemplo, *inimici crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Philipp.3.18.19. *Malæ bestiæ, ventres pigri*, Tit.1.12.

Terram occupare in Ecclesia qui dicantur.

8. *Domine dimitte illam & hoc anno, vsq; dum fodiam circa illam,& mittam stercora.*) Exprimit affectum, & diligentiam boni coloni, non libenter plantas excindit, non libenter perdit: & quòd fructum ficus non tulerit,culpam in se potiùs, quàm in illam conicit, quòd fortasse ante non bene coluerit; pollicetur se in posterum culturum diligentius. Vnum denique saltem annum à domino impetrat, quo fossa circa terra, conjectóque ad radicem stercore appareat,vtrum ipsius arboris vitio,an coloni negligentia factum fuerit, vt fructum ante non tulerit.Idem facere boni Ecclesiæ pastores debent. Quod dicit *vsque dũ fodiam circa eam,& mittam stercora*,nihil aliud significare arbitror, quàm vsque dum omnem illi culturam adhibeam, ita vt nihil iam reliquum sit, quod illi facere possimus; tunc succidam, cùm verè dicere potuero; *quid est quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei.* Isai.5.4.Itaque non est subtiliter inquirendum,quid fossa, quid stercus significent. Nihil enim aliud dicere colonus voluit, quàm se omne remedium adhibiturum, quo eiusmodi arbores iuuari solent.Id duplex est,alterum,vt hyeme ad radicem arboris fossa fiat,in quam aqua colligatur, quo plus humoris radices trahant; contra verò in æstate terra ad radices aggeretur, ne eas Solis ardor exiccet. Alterũ,vt per hyemẽ stercus ad radices circumponatur, quòd & pinguedinem, & calorem addat. Iuuat hoc maxime ficus arbores natura sua frigidissimas. Si quis tamen subtiliorem interpretationem Bedæ sequi volet,nihil prohibet. *Vsque dum fodiam*, inquit, *circa illam,id est radicem infructuosæ mentis ligone his acutæ humilem & præsentium videlicet pressurarum,& horrorem perpetuæ damnationis incutiens. Omnis quippe fossa in imo est. Et nimirum increpatio, dum mentem sibi demonstrat,humiliat. Et mittam stercora,id est malorum quæ fecit abominationem ad animum reducam,& compunctionis gratiam, quasi de putredine stercoris exfœtentem.* Ad eundem modum Theophyl.exponit.

9. *Si quidem fecerit fructũ; sin autem, in futurum succides eã.*) In priore mẽbro aposiopesis est,abrupta oratio, imperfectáq; sententia. *Si quidem fecerit fructum*, intelligendum est, bene erit, aut non opus erit eã succidere,vt Euthymius admonuit:*sin autem*,intelligendũ etiam est, fructũ non fecerit, *in futurum succides eam*, quasi dicat, ad succidendum eam satis est temporis. Sunt qui mysterium esse putent,quòd in priore parte colonus non dicat,quid faciendum sit,si fructum fecerit,quasi iudicium domino relinquere voluerit, an sit illi mutanda sententia, vt ait Chrysostomus, aut quisquis ille est auctor hom.8.in Marcum.

10. *Erat*

Universidad de Deusto
Biblioteca

10. *Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.*) Id est solebat docere in synagoga eorum singulis diebus sabbati. Hanc vim habent illa duo verba, *erat docens*, &, *sabbatis*. Cur in synagoga, & cur sabbatis, apud Marcum exposuimus cap. 1. 21. Eorum autem obseruationem, qui putãt nomen sabbati, cum plurali ponitur numero, totam hebdomadam significare, apud Matthæum c. 28. 1. refutauimus. Quin potiùs hoc loco distributionẽ pluralis numerus significat Hebræorum idiomate, qui dicunt, בבקר בבקר matutinis, id est singulis diebus mane. Quemadmodum intelligendum illud est, *In matutinis meditabor in te*, Psal. 62. 7. Vtrumque hoc loco Euãgelista consultò expressit. Synagogam quidem, vt indicaret sequens miraculũ coram omni populo in synagogam cõgregato factũ fuisse; sabbatũ verò, vt causam significaret, cur Archisynagogus murmurauerit ver. 14.

11. *Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo.*) G. καὶ ἰδοὺ γυνὴ ἦν, & ecce mulier erat, id est aderat, aut affuit, venit, ad Christum, vt curaretur adducta est. Cùm spiritũ infirmitatis habuisse dicit, indicat morbum illum non ex solis naturalibus caussis natum fuisse, sed à dæmone inductum, vt tacitè causam significaret, cur medici eum curare non potuissent. Quod, vt Theophylactus adnotauit, posteà ver. 16. Christus confirmat. *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui a vinculo isto die sabbati?* Intelligimus ex hoc loco corporis etiam morbos sæpe à dæmonibus immitti, quibus in affligendis hominibus, ministris vtitur Deus. Illustre exemplum est Iob, & pro omnibus integro in sacris litteris libro celebratum; idem nonnullis locis indicat Dauid, *Immissiones* inquit, *per angelos malos*, Psal. 77. 49. Nam & tempestates aëris, & morbos corporis, & omnia, quæ hominibus à Deo mittuntur, calamitatum genera comprehendit; &, *a sagitta volante in die, ab incursu, & dæmonio meridiano*. Psal. 90. 6. vbi genus etiam pestilẽtis morbi significatur, qui à dæmonibus æstu Solis inducitur. Simile est, quod apud Euangelistas nonnullos homines non à natura, sed à dæmonibus surdos, ac mutos factos legimus. Mar. 9. 25. In numero decem & octo annorum Augustinus serm. 31. de verbis Domini secũdùm Lucam, & lib. 4. de Trin. cap. 4. aliquid mysterij esse putat. Idẽmq; putat Ambros. in comm. & Theophilus Antioch. lib. 3. allegor. & Beda, & Theophyl. decem enim esse legis præcepta, & octo beatitudines Euãgelij. Existimant etiam Ambros. & Cyril. apud D. Thomã, & Beda in comment. ideo diuinitus accidisse, vt post parabolam sterilis ficus, mulier infirmo, & incuruo corpore curaretur, vt re ipsa Christus declararet, quid ficus illa significasset.

Corporis morbi sæpe à dæmonibus immissi.

12. *Quam cum videret Iesus vocauit eam ad se.*) Duplicis fuit beneficij, atque liberalitatis, quòd non solùm sanauit, sed etiam inuitauit ad sanitatem. Vix quemquam solebat Christus non rogatus curare; hanc mulierem non solùm non rogatus sanat, sed ipse eam quodammodo, vt sanari velit, rogat. Quod non sine summa ratione factum fuisse credendum est, sciebat quid ob curatam in sabbato mulierem Archisynagogus murmuraturus esset, volebátq; ex eius murmuratione occasionem sumere Pharisæorum superstitionem in seruando sabbato reprehendendi. Idem eum eodem consilio cum eo, qui manum aridam habebat, in alia synagoga fecisse legimus Matth. 12. 10. Marci 3. 1. Lucæ 6. 6. Quod in hac muliere fecit, id quotidie in nobis facit; nos degrauatos peccatis, & adeo inclinatos in terram, vt in cælum suspicere non valeamus, id est adeò deditos terrenis rebus vt cælestium non recordemur, Christus ad se vocat, & ad sanitatem, ac pœnitentiam inuitat. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Mulier dimissa es ab infirmitate tua.) Dimitteris, liberaris, curaris. Tunc enim dimittebat, tunc eam curabat, cùm hæc verba dicebat; & his ipsis verbis curabat. Sicut dixit mulieri illi peccatrici cap. 7. 48. ἀφέωνται σοι αἱ ἁμαρτίαι, *remissa sunt*, id est nunc *remittuntur tibi peccata*. Simul enim & hæc dixisse Christum, & manus illi imposuisse credẽdum est, quamuis Euangelista, quemvtrumque simul dicere non poterat, hoc prius, illud posterius dixerit. Rectè Cyrillus, & Euthymius admonent tanquam hominem manus imposuisse, eamquam Deum verbis imperasse, vt curaretur. Cur autem nõnullos manuum impositione curauerit apostolos, Matthæum c. 9. 3. & Marc. cap. 7. 33. ex eodem Cyrillo docuimus; voluit declarare suam carnem esse viuificam; quia coniunctam sibi habebat diuinitatem. Obiecit ergo Diabolo suam carnem, Diabolus morbum induxerat, Christi caro curauit. Exiit Diabolus à muliere, non potuit ferre inanem Christi, qua creatus, qua in infernum deturbatus fuerat. Debent hoc ipsum populi doctores imitari, vt non verbis tantùm, sed etiam manibus, id est exemplo homines curent.

13. *Et confestim erecta est, & glorificabat Deum.*) Duplici studiosè expressit Euangelista. Alterum quòd confestim, id est simul atq; Christus eam tetigit, erecta fuerit, id est omnino sanata, cùm totus eius morbus fuerit, quòd sese erigere non posset; vt significaret ipsum tactum manus Christi causam fuisse curationis. Alterum quòd curata Deum glorificauerit, id est non fuerit ingrata. Eò etiam hoc pertinet, vt doceat verè, perfectéque sanatam fuisse, quando quidem propter restitutam sibi sanitatem publicè in ipsa synagoga Deo gratias egerit, vt appareat non obscurum, sed illustre, & multis videntibus testibus confirmatum fuisse miraculum.

14. *Respondens autem archisynagogus.*) Exorsus loqui, vt ex Hebræorum idiomate multis iam locis declarauimus. Non enim ad ea quæ Christus dixerat respondebat, sed cum turba loquebatur. Archisynagogus autem erat, qui synagogæ præerat, vt Mar. 5. 22. 35. 36. 38. & Actor. 18. 8.

Indignans quia sabbato curasset Iesus.) Aut verè indignãs, aut simulans se indignè ferre, quòd Christus suo, Pharisæorúmque iudicio violasset sabbatum, vt se diligentem legis obseruatorem esse ostenderet. Omnis enim Pharisæorũ sanctitas in opinione erat, non tam esse, quàm videri volebant sancti. Non ausus Archisynagogus Christum reprehendere, timens opinor, ne ab ipso vicissim asperiùs reprehenderetur. Ignorare enim non poterat, quomodo alios aliquando Pharisæos coarguisset: sed sese ad turbas, quasi subiectam sibi conuertit, & quasi suo fungens officio eam docet, vti non sabbato, sed alijs diebus ad quærendam curationem veniant. Se quidem non ægrè ferre, quòd à Christo sanitatem quærant, non inuidere illis collatum ab eo beneficium, sed tãtum pro ratione officij sui curam habere religionis, vt obseruetur sabbatum. Expressa est imago inanis specie religionis simulatæ.

15. *Respondens autem ad illum Dominus dixit.*) Archisynagogus non erat locutus cum Christo, sed cum populo; tamen quia ita cum populo locutus fuerat, vt obliquè factum Christi, quòd sabbato curaret, reprehenderet; Christus eius simulatam malitiam detegens illi respondit; atque ita respondit, vt & Archisynagogus, & omnes alij eius aduersarij erubescerent vers. 17. populus verò ab eo defensus lætaretur.

Hypocritæ.) Propterea vocat hypocritas, quòd cum id inuidia facerent, religionis studio se facere simulabant. Aliter Beda, *Merito*, inquit, *hypocritarum, id est simulatorum nomine notat, quos, cum magistri plebem videri appeterent, hominis sanationem pecoris curæ postponere non puderet.*

Vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum, aut asinum.) Aptissima responsio, in qua singula verba emphasim habent. Primùm quòd dicit, *vnusquisque vestrum*, proprio ipsorum exemplo redarguit; & exemplo quidem non singulari vnius, aut alterius eorum; sed communi omnium, *vnusquisque*, inquit, *vestrum*. Deinde quòd dicit, *bouem aut asinum suum*, duobus inertissimis animalibus filiam Abrahæ opponens. Bouem, & asinum potissimùm nominauit, & quia duo sunt animalia maximè domestica, quæque ad præsepe ligari solent, & quia minimæ indigent curæ. Minùs enim mirum fuisset equum soluere, & aquatum ducere, quàm asinum, & bouẽ, quia equus nobilius est animal, maiorémque requirit curam. Volunt ergo significare magis eos ea animalia curare, quibꝰ minima cura opus est, quàm homines, propter quos non solùm bos & asinus, sed omnia omnino animalia facta sunt. *Omnia*, inquit, *subiecisti sub pedibus eius oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi*, cõtra omnino, quàm Deus facerer, de quo ait D. Paulus, *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit?* Ambr. & Beda quare bouẽ, & asinum nominauerit, aliam rationem afferunt, vt tacitè boues, & asinũ omnium animalium stupidissima opponeret Pharisæis, sapientioráque illis esse significaret, quasi propheticam illis sententiam obiiciens, *Cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe domini sui, Israel autem non cognouit, & populus meus non intellexit.* Isai. 1. 3. Præterea quòd ait, *soluit à præsepio, & ducit adaquare*, quod multo maioris operę, atque laboris est, quàm impositis manibus dicere, *Dimissa es ab infirmitate tua*, quod solum fecerat Christus. Ad hæc quod sequitur, *Hanc autem filiam Abrahæ*. Non enim mutauit nomine generis appellauit, sed vocauit filiam Abrahæ, quo magis antithesis eluceret: cùm enim mulieris cuiuscunque maior vtique quàm bouis, & asini habenda cura erat; tum multo maior eius, quæ filia esset Abrahæ, id est quæ, cùm ad populum Dei pertineret, sub diaboli tyrannide velut captiua detinebatur. Denique quòd addit, *quam alligauit Satanas ecce decem & octo annis*. Si enim non à Satana, sed à caussis naturalibus ligata fuisset, videri poterat non esse die sabbati soluenda; cum autem à Satana, id est, à communi hoste generis humani ligata esset, quocũq; tẽpore ab eius manibus erat eripiẽda, manifestũ; die sabbati, quod idcirco institutũ erat, vt homines à Satana liberarẽtur. Vim etiã habet, q̃ tempore, quo ligata fuerat expressit, *ecce iam decem & octo annis*, & hoc tẽpus tẽpori illi opponit, quo bos & asinus ligatus esse solet, dimidio nimirũ die, quo tempore soluitur, & aquatũ ducitur; quasi dicat, vos bouẽ & asinũ, cùm per mediũ tãtum diem sine potu ligari fuit, sabbato soluitis, & aquatũ ducitis, & hãc filiã Abrahæ, quę nõ per medium diẽ, sed per annos iã decẽ & octo ligata fuit, solui nõ vultis? Refutauit Irenęus ex hoc loco Valẽtinianorũ ogdoades lib. 2. c. 40. lib. verò 4. c. 19. docet Christum die sabbati cuncta fecundùm legẽ fecisse. Quæ sequuntur vsque ad ver. 31. in Matthæo c. 7. 13. & 25. explicauimus.

31. *Ipsissa die.*) Lucas quod sequitur eodẽ die factũ dicit, quo superiora; sed incertũ ad quę superiora referatur, omnia enim, quæ supra narrauit, eodẽ die

accidisse necesse nõ est; & est fortasse probabilius diuerso accidisse tempore, cùm ea Matthæus diuersis scribat locis. Re incerta æquũ est ad proxima referre, quę à ver. 24. & deinceps dicta sunt. Magnũ huius rei argumentum est, quòd vt paulò post probaturi sumus, hoc in Galilæa cõtigerit, illa verò omnia, quę à versu 24. Lucas cõmemorauit, in Galilæa etiã cõtigisse ex Matthęo c. 5. & 7. & 8. manifestũ est. Nam initio capitis 5. dixit Christũ vt multitudinẽ fugeret, in montem secessisse, ibíque cõcionem habuisse illam, quam toto cap. 5. 6. & 7. enarrauit, quã in mõte Galilææ habitam fuisse nemo dubitat. Et principio 8. c. scribit de mõte descẽdisse. Eodem ergo die, vel quo superiora dixit, vel quo descendit, q̃ idem est, hoc quod nunc scribit, indicat accidisse. Contigisse autem hoc in Galilæa ex eo satis apparet, quòd Pharisæi metum Christo Herodis iniiciunt, qui non nisi in Galilæa dominabatur. Nam quòd quidam argumentantur vero simile non esse Pharisæos persuasuros fuisse Christo, vt à Galilæa in Iudæam demigraret, videntur ita loqui quasi existiment nonnisi in Iudæa Pharisæos fuisse; cùm dubium non sit, vbicunque Iudæi erant, fuisse Pharisæos, omnia enim ea secta tunc occupabat. Idque disertè dicit Lucas c. 5. 17. *Et erant* inquit, *Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem.* Nullum ergo castellum erat, vbi non essent Pharisæi. D. quidem August. lib. 6. contra Iulian. c. 8. in Ierusalẽ hoc putat esse factum, sed lib. 2. de cons. Euangel. cap. 75. videtur sentire accidisse in Galilæa.

Pharisæi erant vbicunque Iudæi.

Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.) Quo animo hoc Pharisæi dixerint, Euangelista non indicat: sed omnes auctores putant, non vt eius saluti consulerent, sed vt à se potiùs eum ablegarent, id illi dixisse. Cyrillus apud D. Thomam Theophyl. & Euthym. in comment. Quod vt facilè credamus, ingenium ipsum, moréque Pharisæorum persuadent. Nemo enim ignorat, quàm iniquo, & infenso in Christum animo fuerint, eo peiores, quòd benevolentię causa, vt Theophylact. ait, & quasi saluris eius curam haberent, se dicere fingebant: rectéque id quidam probant, ex eo quòd idem Lucas dicit c. 23. 8. Herodem longo tempore cupiuisse Christum audire, & miraculum eius aliquod videre; & ex eo, quòd cum ad se Pilatus vinctum misisset, impunem remisit. Itaque probabile non est, quod alij dicunt, Pharisæos submissos ab Herode fuisse, vt id Christo denuntiarent, ideóque à Christo ad Herodem remissos, vt suum illi responsum redderent. Credibile etiam est falsum eos rumorem dissipasse Herodem insidiari Christo; nec enim apud Euangelistas legimus Christum vnquam ab Herode quæsitum ad mortem. Triplex ergo malitia in illis erat, & quòd mendacium conflabant, & quòd Christum, vt inde discederet, volebant deterrere, & quòd fingebant se illi velle consulere. Speciem mendacio præbebat, quòd idem Herodis Ioannem Christi amicũ, atque præconem occidisset. Fingebant se timere, ne ab eodem Herode Christus occideretur, quod maximè cupiebãt. Quod ipsum indicium est eos etiam mendacium illud composuisse. Si enim verum esse, quod dicebant, credidissent, Herodem insidias Christo parare, non monuissent, vt inde discederet, sed vt ibi potiùs maneret, vt occideretur. Magis enim mori eum, quàm discedere cupiebant; ac idcirco discedere volebant eum, quia non sperabant fore, vt posset occidi. Mittere in exilium conantur, quem occidere non possunt. Expressum est in Pharisæis hæreticorum ingenium. Cum ad aliquam docendi causa

Triplex malitia Pharisæi.

Pharisæi simus hæretici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

venimus vrbem, ipsi hæretici se Catholicos,& nobis amicos assimulantes consilium dant,vt inde discedamus, in magno nos hæreticorum nobis insidiantium periculo versari.

32. *Et ait illis, Ite, & dicite vulpi illi.*) Admirabilis interpretatio Cyrilli, quam D.Thomas refert, nec enim eum nunc Cyrilli librum habemus, & Theophyl.& Euthym.in comment.huius loci,Christum non Herodē,sed illum, qui hoc dixerat vulpem appellasse.Nec enim dubium est,quin Herodem Christus intelligi voluerit, vt Ambr.ser.2.& 11. in Psal. 118.exponit. Vulpem autem Herodem appellat, vt Beda ait,*propter fraudes eius,ac dolos,quod plenum fraudis sit animal, & in fouea semper latere desiderans, odore etiam tetro putens; & nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currens. Quæ cuncta hæreticis, quorum Herodes typum tenet,congruunt, qui Christum occidere,id est humilitatem fidei Christianæ credentibus eripere moliuntur.* Mirum cur Christus de Herode absente ita responderit,vt vulpem sine vllo,vt videtur, cōmodo,magno verò fortasse periculo, vocauerit. Poterat enim ea vox ad Herodem delata hominem irritare,vt quod ante fortassis non cogitauerat, Christum interficere conaretur.Voluit opinor,Christus ostendere Pharisæis terrorem sibi Herodis obiicientibus, se ab eo minimè timere,nec propter illū minùs se liberè locuturum esse; quod statim re ipsa docet, vulpem appellans eum, quem sibi illi ad terrorem tanquam leonem obiiciebant.Ad eandem libertatem,& intrepidam animi magnitudinem pertinet,quòd non alios,sed illos ipsos,qui se deterrere conabantur, Herodi renuntiare iubet, & quòd ait, *Ite,dicite*, emphatica enim verba sunt.

Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie,& cras, & tertia die consummor.) D.Augustī.lib.2. de consensu Euangeliſt. c.75.& 76. & lib.6.contra Iulian. c18.& Beda in comment.huius loci mysticè hæc omnia intelligenda esse putant quasi Christus nō de ijs,quos à dæmonibus, & ab alijs morbis liberabat, sed de corpore suo mystico locutus sit, *quod*, ait D.Paulus, *est Ecclesia*,in qua primo die dæmonia eiicit,cùm ante baptismū homines, per fidem à superstitionibus dæmonum liberat. Secūda die virtutes multas perficit,cùm homines post baptismum,secundùm præcepta sua facit,vt viuāt.Tertia cōsummabitur, quia in resurrectione ad angelicam perfectionē eius Ecclesia perueniet. Veram interpretationē huius loci Theophyl. Euthym. & Cyrillus, quem D.Thomas citat,tradiderunt, Christum per hodie, & cras non certos dies,sed breue significasse tēpus; tertiū verò vocasse diē quidquid post breue illud tēpus secuturum erat: vt apud Osee c.6.3. *Viuificabit nos post duos dies,in die tertia suscitabit nos*, id est breue post tēpus. Quanquam meliùs fortassis hoc loco conueniret,vt per hodie,& cras multos potiùs dies,lōgúmq; tempus intelligeremus,quem sensum idem Theophylactus videtur attigisse.Quemadmodum cùm Latinè dicimus etiam, atque etiam, non intelligimus rarò, sed sæpe, frequenterque,&,vt ait Theophyl. Græci vulgo solent dicere,τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ, ἢ τῇ ἄυριον ἐξελεύσεται, die Dominica, & sequenti proficiscor, id est post certum tempus. Hodie enim tempus præsens, cras futurum declarat,cui si terminus non assignetur,non solùm longum,sed etiam infinitum significatur. Hoc, inquam, meliùs videtur in hunc locum conuenire,vbi non id agebat Christus,vt Pharisæos consolaretur, quod profecto fecisset,si illis significasset breui se post tempore moriturum.Quid enim erat quod illi magis optarēt?Sed volebat potiùs augere materiam inuidiæ,atque doloris. Illi dolebant quòd dæmones eiiceret, & alia multa miracula faceret;ille respondet,quo magis doleant,se lōgo ad huc tempore idem facturum,id est non quoad Herodes, sed quoad ipse voluerit. Propterea enim, vt rectè Theophylactus obseruauit,ita respōdit, vt nihil aliud diceret,quàm se miracula facturum;q non videtur ad rem,de qua agebatur,pertinere,nisi cōsideremus voluisse Christum dolorem illis augere. Respondet ergo non tam Herodi,cuius metum ipsi obiicere conabātur,quem fictum esse sciebat;quam illis ipsis,quos sciebat miracula sibi inuidere, mortémque citam optare. Atque hoc sensu verum est, quod ex Cyrillo.Theophy.& Euthym.supra cītauimus,Christum non Herodem, sed Pharisæos ipsos, qui Herodem sibi minabantur, vulpem appellasse. Non quòd hæc verba de Herode non dixerit, sed quòd in persona Herodis,quam illi sibi induebant, vt ipsum deterrerēt,eos notauerit,atque refellerit. Quòd autem dicit se tertia die consummatum iri, non dubium quin mortem suam declaret post breue futuram tempus.Solet Christi mors consummatio appellari, quòd in morte Christus omnia consummauerit, omnibúsque officij sui partibus perfunctus fuerit. Heb.2.10.& 5.9.aut, vt alij putant, quòd per mortem ad consummationem, id est perfectam gloriam transierit, quod proprie significat verbum τελεῖσθαι, quo sæpe de Christo loquens vtitur D. Paulus. Ergo indicat Christus his verbis sibi constitutum esse moriendi tempus, quod nec ab Herode, nec ab alio quopiam breuiari posse; sed quantùm ipse decreuerit, non quantùm Herodes, aut Pharisæi volent,victurum esse.Tempora autem præsentia pro futuris accipienda sunt.

33. *Verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare.*) Idem Augustī.& Beda in ijs locis,quos superiore versu notauimus,existimāt, *ambulare* hoc loco idem esse,quod ire in Ierusalem,quia statim sequitur,quasi causa reddatur cur ambulare,id est, ire Ierusalem ire debeat. *Quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* Eodémq; modo Theophylactus videtur intellexisse.Meliùs,vt arbitror,Euthym.idem esse, φ operari, vt *ambulate, dum lucem habetis*, id est *operamini*,Ioan.12.35.& *Qui sequitur me, nō ambulat in tenebris* Ioann.8.12. & *secundum carnem ambulare*, Rom.8.4.& alia sexcenta,quæ ex Hebræorū lingua in Græcam, Latinámque manauerunt. Quod enim paulò ante dixerat, *dæmonia eiicio, & virtutes perficio*, alia nūc dicit phrasi *ambulare*.Quo autē modo dicat se tertia etiā ambulaturū die, id est miracula facturum,officioq; functurū suo;cùm paulò supra tertia die moriturum significasset, nō difficilis est quæstio. Significauerat se tertia die,id est in fine tertiæ diei, in fine eius temporis, quod per tres dies designabatur, moriturum. Significat nunc tertio etiam die ambulaturum,id est per illud tempus,quod per tres intelligitur dies,operaturum. Quæ non modò contraria non sunt, sed sunt penè idem. Maior est quæstio, & ab interpretibus minùs animaduersa, quid faciat illa particula *Verumtamen*? Si sensus superiorum verborum est, quem Theophylactus,& Euthymius esse putant, vt significet Christus se breue post tempus moriturum,rectè sequitur, *Verumtamen oportet me hodie,& cras,& sequenti die ambulare*,tanquā dicat,quamuis breui tempore victurus sim,& miracula facturus;tamen illud ipsum tempus nec Herodes,nec alius quisquam breuius mihi poterit efficere, quin toto illo ambulem; aut, nemo me illo ipso tempore,quod mihi constitutum est,prohibere poterit,quo minùs ambulem,id est officio fungar. Sin alter sensus,quem illic magis approbauimus, verus est, vt

Herodes hæreticorum typus.

Colloss. 1. 24.

Hodie,& cras,id est breue tēpus.

est,vt non breue,sed longum potiùs tempus significetur,minùs videbitur particula,*verumtamen*,conuenire;sed tamen cōuenit.Referrur enim non ad omnia præcedētia,sed ad illud tantùm vltimum,& *tertia die consummor*, quasi dicat,quāuis tertia die,id est post tertiam diem moriturus sim,tamē interim nemo me impedire poterit, quo minùs hoc intermedio tempore miracula faciam. Quòd autem dicit, *Oportet*, nō significat necessitatem,vt Cyrill.ait, sed potiùs voluntatem. Ostendit enim se pro suo arbitrio,quando voluerit,moriturum. Aut, vt ego quidem sentio,necessitatem quidē significat, non quidem moriendi, sed non ante tempus illud à Patre constitutum moriendi. Non enim id Christus agebat, vt doceret se moriturum esse, sed vt non ante decretum sibi tempus moriturum. Suam igitur libertatem; Herodis verò necessitatem declarat. Libertatem quidem suam, quòd ipse sibi ad moriendum pro suo arbitrio tempus constituisset.Herodis verò necessitatem,quòd in eius non esset potestate tempus illud anticipare. Huic similis est illa sententia Ioann.9.4. *Me oportet operari, donec dies est.*

Quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.) G. ἐκτὸς Ἱερουσαλήμ; siue vertamus, non contingit, siue,impossibile est, nihil ad sententiam refert. Nec enim sensus est, aut nunquam omnino contingere, aut fieri nullo modo posse vt extra Ierusalem Propheta pereat. Sed vocat Christus impossibile, aut non contingens,non quòd contingere omnino nō possit, sed quòd rarò fiat, idque per hyperbolem, vt eius ciuitatis ingratum erga Prophetas animum notet,quæ vsque adeò eorum esset cædibus assueta, vt id sibi gloriæ duceret, ægréque eius ciues ferre viderentur, si quis Propheta ab alijs, quàm ab ipsis occideretur. Nam Ieremiam quidem in Ægypto, Ezechielem in Chaldæa occisos esse tradit Epiphanius in eorum vitis,& Dorotheus in synopsi,& quo tempore Iezabel in Samaria regnabat,greges ab ea Prophetarum occisos legimus 3.Regum 19.10.Aristoteles quidem Græcè loquens,cui verbum ἀνελεῖν familiare est,semper ponit pro eo,quod fieri non potest.Eodémque sensu Tertullianus Latinè ex Luca reddens solet dicere, *non capit*. Qui Prophetam hoc loco solum Christum intelligunt, vim mihi sententiæ nimis arctando videntur eneruare. Non enim tantùm ob suam, sed etiam ob omnium Prophetarum cædem accusat Christus Ierosolymitanos ciues.Nec futuram tantùm cædem suam, sed etiam præteritam omnium Prophetarum illis exprobrat.Quin ex frequentibus Prophetarum cædibus ibi patratis argumētatur fieri non posse,vt ipse, cùm Propheta, atque adeo Prophetarum dominus sit,alibi quàm Ierosolymæ occidatur.Hic sensus ex sequentibus confirmatur, *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas*. Nec ibi de se loquitur solo; sed illi omnium Prophetarum cædē tribuit, quia ipsa maximam eorum partem occiderat, séque Prophetarum carnificinam exercere profitebatur. Quemadmodum cùm illis dicit,*vt veniat super vos omnis sanguis iustus,qui effusus est à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zacharie*.Matth.23.35. & supra c.11.50. 51.Monet Theophyl. non imponi Ierosolymitanis ciuibus peccandi necessitatem; sed significari ideo fieri non posse,quia illi nolunt. Id dubium non est hanc esse verborum sententiam;at quomodo superioribus hæretī Augustī. & Beda, quique existimant superius illud verbum *ambulare* idem esse quod ire Ierosolymam, facilè verba coniungunt; causam enim reddi putant,cur dixerit Christus se Ierosolymam iturum esse,quia fieri non potest,vt Propheta alibi moriatur. Nobis verò, qui eam supra opinionem refutauimus,soluendus adhuc nodus relinquitur. Puto hæc verba ad id, quod proximè præcessit esse referenda, sed sensu penitus alio. Dixerat se moriturum,sed non statim,vt illi minabantur; quia adhuc oportebat se hodie,& cras, & sequenti, id est vsque ad destinatum tempus facere miracula,& explere partes omnes officij sui. Idem his verbis confirmat, non posse se statim occidi; cùm in Galilæa esset,& fieri non posset,vt extra Ierosolymam Propheta occideretur. Quæ reliqua sunt vsque ad finem capitis,apud Matthæum à nobis tractata sunt.

Ierusalem maximā partē Prophetarum occiderat.

CAPVT XIV.

1 *ET factum est cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem,& ipsi obseruabant eum. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illū. 3.Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos,& Pharisæos,dicens : Si licet sabbato curare? 4. At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit. 5. Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrū asinus, aut bos in puteum cadet,& non continuo extrahet illum die sabbati? 6. Et non poterant ad hæc respondere illi. 7. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent,dicens ad illos. 8. Cum inuitatus fueris ad nuptias,non discumbas in primo loco,ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, 9. & veniens is,qui te & illum vocauit, dicat tibi : Da huic locum : & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. 10. sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco : vt, cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice,ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus : 11. quia omnis, qui se exaltat,humiliabitur : & qui se humiliat,exaltabitur. 12. Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat : Cum facis prandium,aut cœnam,noli vocare amicos tuos,neque fratres tuos,neque cognatos,neque vicinos diuites:ne forte te & ipsi reinuitent,& fiat tibi retributio.13.sed cum facis conuiuium,voca pauperes,debiles,claudos,& cæcos:14.& beatus eris,quia non habent retribuere tibi:retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. 15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus,dixit illi : Beatus,qui manducabit panem in regno Dei. 16. At ipse dixit*

Prouer. 25.a.7. Matt.23. b.12. Inf.18.c. 14. Tob. 4. b.7. Prouer.3. b.9. Matt.22. a.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ei: Homo quidam fecit cœnam magnam,& vocauit multos. 17. Et misit seruum suum hora
Apoc.19. b.9. *cœnæ dicere inuitatis vt venirent,quia iam parata sunt omnia. 18. Et cœperunt simul omnes excusare.Primus dixit ei: Villam emi,& necesse habeo exire,& videre illam: rogo te habeme excusatum. 19. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum. 20. Et alius dixit: Vxorem duxi,& ideo non possum venire. 21. Et reuersus seruus nunciauit hæc domino suo.Tunc iratus paterfamilias,dixit seruo suo: Exi cito in plateas,*
Matt.10. d.37. Matt.10. d.38. & 16.d.24. Marc.8.d. 34. *& vicos ciuitatis:& pauperes,ac debiles,& cæcos,& claudos introduc huc. 22. Et ait seruus: Domine factum est vt imperasti,& adhuc locus est. 23. Et ait dominus seruo: Exi in vias, & sepes:& compelle intrare,vt impleatur domus mea. 24. Dico autem vobis quòd nemo virorum illorum,qui vocati sunt,gustabit cœnam meam. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eis:*
Matt.10. d.37. *& conuersus dixit ad illos: 26. Si quis venit ad me,& non odit patrem suum, & matrem, & vxorem,& filios,& fratres,& sorores, adhuc autem & animã suam,non potest meus esse discipulus. 27. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me,non potest meus esse discipulus. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare,non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt,si habeat ad perficiendum, 29. ne, postcaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere,omnes,qui vident,incipiant illudere ei, 30. dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare,& non potuit cõsummare? 31. Aut quis rex iturus cõmittere bellum aduersus alium regem,non sedens prius cogitat,si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? 32. alioquin adhuc illo longe agente,legationem mittens rogat ea,quæ pacis sunt.*
Matt. 5. b.13. Mar.9.g. 50. *33. Sic ergo omnis ex vobis,qui non renunciat omnibus,quæ possidet,non potest meus esse discipulus. 34. Bonum est sal. Si autem sal euanuerit, in quo condietur? 35. Neque in terram, neque in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.*

IN CAPVT XIV.

I. *ET factum est cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum.*) Hic locus, vt Irenæus lib.3. cap.14. admonuit, proprius est Lucæ. Non significauit tempus, quo hæc acciderint, quod tamen solet omnium Euangelistarum diligentissime facere. Eo ipso, quòd id hoc loco non fecit, intelligere debemus, cum nihil repugnare videamus,hæc eodem loco, ac tempore accidisse. Potuit quidem res diuerso gestas tempore propter argumenti similitudinem narrando coniungere, quod & ipsum aliquando, & Matthæum, atque Marcum sæpe facere solere frequenter adnotauimus.Nam c. superiore ver.14.simile narrauerat exemplũ mulieris sabbato curatæ, sed id eos fecisse credere debemus,cùm apparet aliunde diuerso tempore res factas; quòd cùm hîc non appareat,nõ est temere credendum. Sententia facilis, cum inuitatus fuisset Christus à Principe quodam Pharisæorum, non recusauit. Nam inuitatum eum fuisse vero simile est, non enim ad Pharisæos homines sibi tam iniquos non inuitatus adijsset.Satis magnę fuit humanitatis inuitatum ad inimicum ire. Quod cur fecerit sæpe alijs locis similibus exposuimus. Venerat *quærere,& saluum facere quod perierat.* Præter eam alia hoc loco ratio impulisse videtur Christum.Sciebat,vt Deum nihil latere poterat,qui in eo cõuiuio futuri essent, quámque faciendi miraculi in Pharisæorum oculis, ac die sabbati occasionem esset habiturus. Noluit idoneam negligere occasionẽ verbis, factisque docendi eos,& ipsorũ in sabbati obseruatione superstitionem coarguendi. Quo animo princeps Pharisæorum eum inuitauerit, nulla coniectura suspicari possumus. Euthymius non omnino quidem malo, sed tamen gloriæ cupido id eum fecisse putat, vt ostenderet se nõ ex illis esse.qui Christo inuidere viderentur.Alij ad hoc ipsum inuitasse Christũ existimãt,vt insidias illi domi suæ poneret,& hamũ quo-

Inf. cap. 19.10. Matt. 18. 11.

Quo animo Christũ princeps Pharisæorum inuitauerit.

ad disputationem, & interrogare non audentes interrogat, num liceat sabbato curare.

4. Ipsi verò tacuerunt.) Quid enim respondere poterant? *Nec enim lex,* vt ait Euthymius, *id fieri prohibebat; & cæterùm persuasi debebant fieri.* Et si licere respondissent,contra se locuti fuissent; cur enim si licebat, Christum obseruabant? si non licere, timebant, vt exponit Beda,quod futurum erat, ne ipsis Christus obiceret, cur ergo illi bouem, aut asinum, qui die sabbati in puteũ cecidisset,extraherent? Sic hæreticos coarguere debemus.Nam quæ in nobis reprehendunt, ipsi faciunt.

Ipse verò apprehensum sanauit eum,ac dimisit.) Prius sanat,deinde factum defendit, exemplo nos suo docens,non esse bona opera propter malignorum hominum calumniam, aut scandalum relinquenda. Cur *apprehensum,* id est tactu sanauerint, cùm solo verbo, vt paralyticum illum seruum Centurionis apud Matthæum cap.9. 13. sanare potuisset, sæpe docuimus. Volnit ostendere se non solùm vt Deum, sed etiam vt hominem vim habere curandi, & humanitatem suam instrumentum esse diuinitatis. Dimisit autem, vel vt eius incessus restitutæ testimonium esset sanitatis, vel quia noluit eum interesse, cùm Pharisæos coargueret,vt eo absente libertius ageret eius causam, cùm nulla adulationis suspicio subesse poterat.

5. Et respondens.) Pergens loqui cum illis, nihil enim illi dixerant, vide ver.3. Conuincit eos ipsorum factis,& sumpto simul à maiore ad minus, & à minore ad maius argumento. Nam bos,& asinus multo minoris,quàm homo erant; & illi in sabbato bouem, & asinum liberabant, si in puteum cecidissent; cur ergo ipse hominem non liberaret? Et bouem, & asinum de puteo extrahere multo maioris operis erat,quàm curare hominem, eo præsertim modo, quo curabat Christus, aut solo verbo, aut solo tactu, nullo opere, nullo labore; quæ sola in sabbato prohibebantur. Ad extrahendum autem bouem, aut asinum multo sæpe labore opus erat. *φρέαρ* puteum pro fossa, vt opinor, posuit. Nam in fossam boues, & asini animalia minimè habilia sæpe,in puteum rarò cadunt, & credendum est Christum ex re vsitata argumentum sumpsisse. Aut certe pro cisterna, quarum in Palestina frequens erat vsus,lẽxque extabat Exodi 21.33.34. *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, inciderit-que bos, aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium iumentorum.* Cur autem eo potiùs, quàm alio vsus fuerit exemplo, nulla fortasse alia causa fuit, quàm quòd ea duo animalia maximè omnibus cõmunia, & maximè domestica essent,eorúmque haberetur maior cura. Sicut cap.superiore vers.15.in simili causa, simili etiam exemplo vsus est. Quanquam Augustinus libro 2. qq. Euangel. cap.29. & Beda hoc loco aliam indicant fuisse causam, quòd & bos aut asinus,qui in puteum cecidisset,& homo qui hydrope laboraret,similes essent.Vterque enim nimio laborabat humore. Obseruauit idem Beda Christũ hoc exemplo,Pharisæorum auaritiã notare voluisse; quòd cùm ipsi auaritiæ causa plus in sabbato laboris susciperent,se reprehenderent, qui caritatis causa sine vllo labore suo sabbato curaret.

7. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam.) Non est propriè parabola,quæ proponitur, sed aut parabolam vocauit, quia exemplo conuiuij, & moderationis in eo seruandæ,docet vbique seruandam humilitatem: aut,vt ego suspicor,aliquam veram parabolam Christus proposuit,quam Euangelista præremiserit; deinde parabolam ad vtilitatem auditorum accommodans dixit, quæ hîc ponuntur; quam accommodationem Euangelista parabolam appellauerit; aut certè hæc ipsa,quæ non parabolæ, sed præcepti forma narrat Euangelista, ad modum parabolæ Christus dixit, fuisse quempiam, qui magnum fecisset conuiuium,aliquem ex inuitatis primum locum, quo indignus erat occupasse, alium, qui meliore dignus erat, occupasse vlrimũ,qui eos inuitauerat, illum in inferiorem locum deiecisse, hunc in superiorem transtulisse: sic illis esse faciendum.Parabola vtilis est,sed facilis. Declarat re ipsa Christus quamobrem ad conuiuium venisset, non vt pasceretur, sed vt doctrina potiùs sua pasceret ipse conuiuas. Vide quæ sequuntur vsque ad vers. 28. apud Matthæum in locis ad marginem adnotatis,illic enim omnia tractauimus.

cur ad cõuiuiũ venerit christus.

28. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare.*) Quo modo duæ sequentes parabolæ, ijs, quæ supra dicta sunt, adhæreant, non facilè dictu est. Hîc tamen vtramq; spectare arbitror,vt cum Christus dixisset ei,qui se sequi vellet,tollendam esse crucem,doceat nunc rem nõ esse facilem sequi se,nec temere suscipiendam: sed etiam atque etiam considerandam ei, qui eam velit suscipere professionẽ. Quemadmodũ qui turrim vult ædificare, non aggreditur temere, sed etiã atque etiam considerat,num possit necessarijs sumptibus sufficere; & qui cupit bellũ aduersus alium gerere,non temere mouet,sed diligẽter prius apud se reputat, num satis habeat viriũ ad resistendum.Cæterum quod dixerat vers.26.& 27.duobus modis quidam intelligi posse dicũt,aut ita vt Christus de omnibus omnino, qui se sequi,id est Christiani esse velint,loquatur,aut ita vt de ijs solis agat, qui discipuli,aut Apostoli sui esse. Si posteriorẽ sequamur sensum, facilioré esse parabolarũ applicationem.Christianum enim esse,rem esse facilẽ,nec, vt Christianismus, diu nobis esse deliberandum, omnes satis adiuuante diuina gratia habere virium, vt Christianam seruemus legem, *Iugum enim meum suaue est,& onus meum leue,* ait ipse Christus Matthæi 11.30.esse autem discipulum Christi,id est non tantùm præcepta, sed etiam consilia seruare, rem esse difficilẽ, & arduam, quam omnes perficere nõ possint,æstimandas igitur, atque metiẽdas suas cuique vires esse,antequam id oneris tollat, ne temere suscepto succumbat.Si priorẽ, difficilius esse parabolas accõmodare.Quomodo enim iubebit Christus, vt antequã Christiani efficiamur diu deliberemus, & nisi nos satis virium habere sensérimus, fidem non suscipiamus? Primum enim quis, vt Christianus sit,adiuuante diuina gratia non satis habet virium? Deinde quomodo nos Christus dehortaretur, ne Christiani efficeremur? Denique quomodo cum aduersario,id est cum Diabolo,cum quo suscepta lege Christi bellum gerere parabamus, pax nobis faciẽda est,si nos illi videamus pares viribus esse non posse? An concedendum illi aliquid erit? Credo tamen illum priorem verum esse sensum. Sed quomodo omnes Christiani patrem, & matrem, & vxorem,& quidquid denique carum habent,relinquere debeant,& Christi crucem tollere apud Matthæum c.10.38.& 16.24. docuimus. Cæterũ in hoc tantùm has duas parabolas fuisse propositas, vt doceret Christus omnem à nobis diligentiam adhibendam esse, nihil non agendum, vt & Christum sequamur, & in suscepta professione Christiana perseueremus, & omnes eius partes impleamus. Turpe esse & damnosum, aut ab incœpto desistere, aut verè non esse, quod vocamur. *Melius erat illis,* inquit Petrus 2.epistola. cap.2.21. *non cognoscere viam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

institutæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Hoc ergo duabus parabolis hoc loco à Christo significatur, q̃ apertiùs,& breuiùs dixit D.Paulus 1.Corinth.9.24.26. *si quis in stadio currunt, ab omnibus se abstinent.* Hunc esse sensum vtriusque parabolæ, ex earum conclusione, quæ ponitur ver.33. perspicitur. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus.* Itaque cætera, quæ in parabolis istis dicuntur, nisi errare velimus, accommodare ad rem significatam non debemus, vt quid sit turrim ædificare. Nihil enim aliud significat, quàm rem ardnam, atque difficilem suscipere, quale est Christi esse discipulum; quæ non est segni cura, sed omni studio, diligentiáque suscipiẽda, ne ab omnibus rideamur, si, quod susceperimus, perficere nequeamus; idémque significat suscipere bellum. Ideóque in turri,& bello potiùs, quàm in alijs rebus parabolas Christus posuit, quòd res sint duæ maximè difficiles,& sumptuosæ palatia, turrésque ædificare,& bellum gerere, quæ maximo, ac diligentissimo indigeant apparatu. Quod autem dicit, ver.28. *sedens computat sumptum* nihil aliud significat, quàm ex otio,& prudenti consilio omnem apparatum adhibendum. Cogitamus enim seriò, quæ sedẽtes cogitamus. Sicut *Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* c. 10.39. Et cogitare *si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* ver.31. est videre, vtrum parem diligentiam, & apparatum afferat rei suscipiendæ, vtrum faciat quidquid facere is debet, qui Christum sequi velit. Mittere verò legationem,& rogare *ea quæ pacis sunt*, id est, quæ ad pacem pertinent, tractare non est à Diabolo hoste capitali

Quid sit turrim ædificare, in hac parabola.

A

nostro pacem petere, quo cum perpetuum nobis bellum gerendum est; nec pacem vnquam licet pangere. Præstat ab eo in bello vinci, quàm cum eo pacem habere. Nam & in pace vincimur, hoc etiam peiùs, ac turpiùs, quòd in bello quidem, vt miltes decet, repugnantes, atque resistentes; in pace volentes sine vulnere, sine sanguine superamur. Cæterum rogare, *quæ pacis sunt*, est rem arduam non fuscipere nisi paratum. Neque docet Christus debere nos à sequendo se desistere, omnes enim vult sequi se, & vt ait D.Paulus *fideles fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; sed debere sequi bene paratos, accinctos lumbis nostris, & lucernas ardẽtes manibus tenentes, vt supra dixit in re consimili. Neque quærendum curiosè est, quis ille rex sit, aduersus quem suscipiendũ nobis est bellum; quia, vt diximus, bellum aduersus alium regẽ, id est aduersus hominem potentem suscipere, nihil aliud est quàm aggredi rem arduam, atque difficilem. Quòd si quis contendat oportere personã aliquam certam per regem illum intelligi, non existimo Diabolum, vt magna pars auctorum putat, sed Christum potiùs ipsum intelligendum; ille enim est cuius causa tantus requiritur apparatus; ille cum quo bellum suscipiendum, id est res difficiles aggrediendæ, crux sua cuique tollenda est. Bellum enim aduersus alium regem suscipere non significat, vt diximus, inimicitias, quæ nullo modo cum Christo gerendæ sunt; sed significat potiùs eius amicitię causa aggredi res arduas, quale est crucem eius ferre. Hic, vt opinor, verus & literalis vtriusque parabolæ sensus est. Qui alios deducebat sensus, apud multos inueniet. legat modò D. Augustinum lib.2.qq.Euãg.c.31.& Theoph. & Bedam in comm.

B

C

CAPVT XV.

1. ERANT autem appropinquantes ei publicani,& peccatores vt audirẽt illum. 2. Et murmurabant Pharisæi,& Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam dicens: 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonagintanouem in deserto,& vadit ad illã, quæ perierat, donec inueniat eam? 5. Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: 6. & veniens domum conuocat amicos,& vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi quia inueni ouem meã, quæ perierat? 7. Dico vobis quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. 8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam,& euerrit domum,& quærit diligenter, donec inueniat? 9. Et cum inuenerit conuocat amicas,& vicinas, dicens: Congratulamini mihi quia inueni drachmam, quam perdideram? 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. 11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios: 12. & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam,& ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa,& ipse cœpit egere: 15. Et abijt,& adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illũ in villam suam vt pasceret porcos. 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabãt: & nemo illi dabat. 17. In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! 18. Surgam,& ibo ad patrem meum,& dicam ei: Pater, peccaui in cælum,& coram te: 19. Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. 20. Et surgens venit ad

Matt. 18. b.12.

patrem

patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius,& misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius,& osculatus est eum. 21. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum,& coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. 22. Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam,& induite illum,& date annulũ in manum eius,& calceamenta in pedes eius: 23. & adducite vitulum saginatũ,& occidite,& manducemus, & epulemur: 24. quia hic filius meus mortuus erat,& reuixit: perierat,& inuentus est. Et cœperunt epulari. 25. Erat autẽ filius eius senior in agro: & cum veniret,& appropinquaret domui, audiuit symphoniam,& chorum: 26. & vocauit vnum de seruis,& interrogauit quid hæc essent. 27. Isque dixit illi: Frater tuus venit,& occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illũ recepit. 28. Indignatus est autem,& nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui,& nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer: 30. sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. 31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es,& omnia mea tua sunt: 32. epulari autem,& gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat,& reuixit: perierat,& inuentus est.

IN CAPVT XV.

1. ERANT autem appropinquantes ei publicani,& peccatores.) Solebant appropinquare, solebant versari cum illo, cúmque inuitare; non enim voluit Euangelista factum vnum singulare, sed consuetudinem significare, quam eandem in Christo Pharisæi reprehenderunt. Parabolam sequentem vsque ad ver.8. explicauimus apud Matthæum cap.18.12.

8. *Aut quæ mulier, habens drachmas decem.*) Eodem hæc parabola pertinet, quo superior; meritò Christum plus diligentiæ, & studij solitum ponere in conuertendis peccatoribus, quàm in ijs, qui aut minus peccatores erant, aut minùs sibi esse videbãtur. Lege explicationem superioris parabolę apud Matthæum, & hanc ad eundem modum interpretare; idem enim vtriusq; is, vt diximus, est sensus. Nec magis quærendũ hîc est, quæ sint decem istæ drachmæ; quàm illic quærendum diximus, quæ fuerint centum illæ oues. Drachma verò quid sit, docuimus apud Matth.cap.17.24. Cur in muliere habente decem drachmas, id est Regales Hispanicos decem parabolam posuerit, non est difficile coniicere. Oportebat in re nota,& vsitata proponere; & nihil vsitatiùs, quàm vt mulier, quæ decem haberet drachmas, vnam perdidisset, lucernam accenderet, domum euerreret, inuenta drachma cum vicinis gratularetur. Cur illic centum oues, hîc decem drachmas dixerit numero variato, in próptu ratio est. Solet plerumque pastor vnus centum plùs minùs oues custodire. Solet mulier vna pauper, quę labore suo victũ quærit, decem habere drachmas plùs minúsve. Hic totus pauperis mulieris census est. Nec aliud in his numeris mysteriũ subesse arbitror. Non prohibeo tamen lectorem ad vsum præsertim concionandi populares mysteria, & allegoricos excogitare sensus, quin & auctores, vnde haurire possit, indicabo. Legat Augustinum lib.2.qq.Euãg.cap.35. Gregor.hom.in Euangel.34. Bedam, Theophylact. & Euthymium hoc loco. Greg. Nazianz. orat.2.de Pascha, & Nicetam eodem loco. Gregor. Nyssen. & Cyrillum in Catena D.Thomæ. Vtatur tamen prudenter, & ita allegorias consectetur, vt à sensu litterali non discedat. Quod me non piget sæpe monere.

11. *Homo quidam habuit duos filios.*) Conclusionem duarum præcedẽtium parabolarum altera Christus parabola confirmat. Conclusio fuerat maius in cœlo gaudium esse propter vnum peccatorũ, qui egerit pœnitentiam, quàm propter nonaginta nouem iustos, qui pœnitentia non indigerent. Hoc confirmat exemplo patris summa lætitia,& gratulatione perditum filium recipientis. Hic finis parabolæ est, cui quasi appendix pars altera coniungitur filij maioris ob receptũ à patre tanta lætitiæ significatione fratrem indignantis,& obmurmurantis. Cuius persona Pharisæi reprehẽduntur, quòd murmurassent, propterea quòd Christus publicanos, & peccatores in consortium suum recipiebat, quod, vt ait Beda, proprium huius parabolę est superioribus additum. Tres potissimùm in parabola personæ sunt, in quibus eius sententia tota versatur, pater, & filij duo. Nam cæteræ, de quibus mentio etiam in ea fit, vt herus ille, cui iunior frater in regione longinqua seruiuit,& serui illi, quibus pater dicit ver.22. *Cito proferte stolam primam, & induite illum.* & tibicines,& si quæ alię introducuntur, ad tres illas primas reuocantur,& velut partes quædam illarum sunt; itaque propriam fortasse significationem non habẽt. Singulæ tamen cum omnibus circunstantijs, quæ illis sine significationis, siue ornatus causa tribuuntur, explicandę sunt; diligentérque discernendum, quod sæpe monuimus in omnibus parabolis in primis fieri oportere, quid ad aliquid significandum, quid ad ornandam, explendámque parabolam dictum fuerit. Hominem illum, qui duos habebat filios, dubium non est, idque omnes concedunt, Deum significare. Id enim agebat Christus, vt doceret Deum libenter ad se per pœnitentiam redeuntes recipere peccatores. Sed placet sanè mihi, quod Ambrosius videtur indicare Christum ipsum eum esse hominem: ipse quippe erat, qui peccatores nõ reuertentes, sicut perditas pastor oues, quærebat; reuertẽtes verò lætus excipiebat; & ad defendendum factum suum tres hasce parabolas posuit. Ipse igitur est, qui per hominem illum significatur; vnde etiam sequitur illum esse Deum, cùm proculdubio homo ille Deus sit, quem salute hominum lætari docet. Cum dicit, *Homo quidam*, videtur in voce *Homo* tacitam quandam inter Deum, & homines antithesim insinuare, quasi dicat, si homo quidam, qui crudelis,&

Tres personæ in hac parabola spectande.

Quis homo sit, qui duos filios habet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iniuriarum memor esse solet,hoc fecit; quid Deum natura sua benignum,ac misericordē facturum putaris;quanta lætitia redeuntes ad se per pœnitentiā peccatores amplexurum? vt supra c.11.13. & Matt. 7.11. *Si ergo vos,cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris,quanto magis pater vester de cœlo dabit spiritū bonum petentibus sē?* Duobus filijs plerique putant duos populos Iudaicum, & Gentilem significari; Iudaicum maiorem, Gentilem minorem natu esse, quia ille iam inde ab origine sua Deum coluit,eiusque filius fuit,nec ab eius domo, id est Ecclesia recessit: hic post genitus, quia posterior Deum nouit,atque in illum credidit, accepta à patre parte substantiæ suæ,quæ se cōtingebat,id est sola natura,sola liberi arbitrij facultate,sine lege,sine gratia,sine vllis supra naturam donis abijt in regionem longinquam, id est longè à Deo discessit; & homini cuidam,id est Diabolo principi huius mundi, Aristoteli, Platoni, aliisque Philosophis adhæsit, qui vix illum siliquis, id est humanis artibus alebant, plus sonitus,atque vanitatis, quàm alimenti, & soliditatis habentibus. Ad hunc ferme modum Hieron. in epistola de hac ipsa parabola ad Damasum scripta, Aug. lib.2. qq. euang.c.33. Beda in comment. Bernardus in serm.de diuersis affectionibus animæ. Dedit opinioni probabilitatis speciem,quòd Iudæi venientibus ad Ecclesiam Gentilibus,benignēque acceptis murmurauerint. Iuuisset magis opinionē, si quod Tertullianus in libro de pudicitia tradidit, verū esset, publicanos illos,& peccatores,quos ad suam cōsuetudinem Christus admittebat, fuisse Gentiles. Illorum enim occasione tota parabola posita est. Sed id Hieronym. in epistola ad Damas. meritò reprehendit, multisque refellit argumentis. Hanc contrà Hieronymi,& aliorum auctorum interpretationem, qui duobus filijs duos populos dixerūt significari, Tertullianus eodem libro rectè meo quidē iudicio refutauit. *Quomodo*, inquit, *Iudaicus populus Deo dicere potuit;ecce quot annis tibi seruio, & præceptum tuum nunquam præterui?* Quanquam hoc solutione nō caret; potuisse quidem dicere,sed non verè; sicut verè iustus non erat,sed iustum se putabat. Magis me mouet, quòd Gentilis populus antequam Christianus fierer,filius Dei non fuerit; nec ab eo discedere potuerit,cum quo non fuerat;& quòd dubium non sit inter eos, qui per filium natu minorem significantur,publicanos illos,& peccatores fuisse,quos Christus ad familiaritatem suam recipiebat;inter eos verò qui per natu maiorem intelliguntur, fuisse Pharisæos,qui ob admissos à Christo publicanos murmurauerunt. Horum enim vtrorumque caussa has tres Christus parabolas posuit,vtrique autem Iudei erant. Alij maiore filio angelos, minore homines dixerunt significari, vt auctor ille refert, cuius de hac parabola inter opera Hieron. liber extat, quod ne refutatione quidem dignum est. Sicut nec illud, quod auctor alius incertus libri de tempore barbarico, qui Augustino falsò tribuitur, affert c.7. duobus filijs duos illos latrones,qui cum Christo crucifixi fuerunt, significari. Non ergo dubito per maiorem natu filium omnes iustos, per minorem omnes peccatores intelligi,siue Iudei ante passū Christum; siue postea Christiani sint. Nam qui in Ecclesia Dei sunt,filij Dei sunt: Gentiles nec filij,nec domestici sunt Dei:sed illius potiùs longinquæ regionis habitatores, quò minor peruenit filius non Iudaicis,aut Christianis, sed Gentilibus,id est sæcularibus viuens moribus. Hæc multorum etiam auctorum sententia est, Tert. lib.de pudicit. Cypr. in lib.de vnctione, Theoph. Euthym. & illius quisquis fuit, cuius extat inter opera Hier. de hac re liber. At quomodo minor ille,qui à Deo peccādo discessit, filius Dei dici potest? *quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* nec enim nos filios Dei sola fides facit. Quæro ego vicissim ab ijs,qui filium minorem natu Gentilem populum esse dicunt,quomodo Gentiles filij Dei dici possint, qui ne fidem quidem habent? Igitur filij Dei dicūtur nō solùm iusti, quos propria quadam ratione scriptura filios solet appellare, sed etiam peccatores,qui fidē habent, quia fides etiam nos suo quodāmodo filios Dei facit;sed filios mortuos, filios perditos, sicut fides ipsa sine charitate vera quidē fides,sed mortua tamen est. Quòd si quis argutus cōtendat non esse absolutè filios appellandos,qui viui nō sunt;non repugno: modò hoc mihi concedat,eadē ratione qui fidem habent,sed peccatores sunt,filios Dei dici posse,qua mortui filij cuiuspiam filij adhuc eius appellantur. Alia difficilior est quæstio,& parabolam de qua agimus magis continens, quomodo iusti maiore, peccatores minore filio significari potuerint, cùm omnes tunc essent iniusti? Nam illi ipsi Pharisæi, quos certum est per maiorem filium murmurantem aduersus benignitatem patris significatos, iusti profectò non erant, sed peccatores. Facilis tamen solutio est, Christum non ex veritate, sed ex opinione eorū, quibuscum agebat, locutum fuisse. Pharisæi autem, quibuscum loquebatur, etsi iniustissimi, maximēque peccatores erant, iustos se tamen esse profitebantur. Quemadmodum cùm dicit non opus esse *valentibus medico, sed malè habentibus*, non significat aliquos esse sanos, sed aliquos esse,qui se sanos esse existimarēt, atque ipsorum sententia opus illis non esse medico; sed vtique opus esse, quos illi ægrotos, id est peccatores arbitrabantur, quare mirari eos non debere, & cum illi cum medico, & cum illis medicus verlaretur. Cur ergo iustos per maiorem, peccatores per minorem filium significauit, cùm iusti iniustis maiores natu non sint? quin, si antiquitatē originis spectes, peccatores haud dubiè maiores natu erāt; antiquiores enim iustis sunt, quia priùs omnes peccatores fuēre, quàm iusti. Dici potest, nec res carebit probabilitate per maiorem filium iustos significatos, quia priùs omnes filij Dei iusti, quàm peccatores fiunt. Nam etsi peccatores omnes homines sunt antequam iusti; quia omnes *filij iræ* nascuntur, tamen tempus illud, quod regenerationem præcedit, non computatur, quia nondum homines spiritualiter nati sunt; nondum filij Dei esse cœperunt. Ab ipsa igitur regeneratione antiquitatis initiū sumendum est, per quam omnes, qui regenerantur, iusti fiunt, ex quibus postea aliqui rursus peccatores; itaque iusti peccatoribus antiquiores sunt. Simplicius tamen interpretor nō aliam ob caussam per maiorem filium iustos, per minorem peccatores fuisse significatos, nisi quia moribus hominum, vnde parabola sumebatur, congruebat. Solent iuniores minùs prudentes, solent illis parentes magis indulgere, & facilius quiduis concedere petentibus. Ideo illos, qui imprudenter à patre discessit, cuique nimis facile pater partem hæreditatis, quam petebat, concessit, minor fuisse dicitur. Pertinebat etiam id ad augendam inuidiæ, & murmurationis materiam, ac proinde ad præbēdam narrationi probabilitatem. Vterque enim similius erat filium maiorē murmurasse, quàm pater minori filio, quem magis obedientem, atque subiectum esse oportebat, hæreditatem dedisse, quò vellet, abiret: quòdque post dissipata luxuriosè viuendo cum meretricibus omnia bona, quæ acceperat, tam liberaliter, atque festiuè excepisset eum

Qui duobus filijs significētur.

Vers.29.

Quàm

quàm si contra accidisse diceretur, maiorem natu filium marura iam ætate, & rerum vsu prudentem petitam, acceptámque à patre hæreditatem obligurisse. Habita igitur est in hac re, quemadmodum in omnibus parabolis fieri debet; ac solet, ratio decori, & probabilitatis.

12. *Da mihi partem substantiæ, quæ me contingit.*) Partem facultatum tuarum, quæ mihi iure hæreditatis obuentura est. Substantiam Græce vocauit οὐσίαν, ad verbum essentiam; itaque memini Marium Victorinum Afrum libro 1. aduersus Arian. hunc locum produxisse, vt probaret nomen οὐσίας essentiæ, aut substantiæ, vnde Christus ὁμοούσιος. id est consubstantialis Patri dictus est, in sacris litteris reperiri, quod negare solebant Ariani.

Et diuisit illis substantiam.) Non diuisit propriè nisi iumori; nam maior nec partem suam petierat, nec eam dicitur accepisse; & id ipsum sensus parabolæ requirit, vt maior, qui iustos significat, partem hæreditatis suæ à bonis paternis nō separauerit. Prima enim iunioris culpa fuit, quòd hæreditatem à patre petierit; secunda quòd concessam acceperit, & à paternis bonis seiunxerit. Quòd si idē fecisset maior, in eadem profectò fuisset culpa; nec iusti persona referre posset. Dicitur ergo illis diuisisse, quia cum suam alteri fratri partē daturus esset, duas necessariò partes æquales fecit, quemadmodum si maior etiam filius suam esset partem accepturus. Videbatur alicui parū hoc verisimiliter à Christo narari. Nec enim solent patres, dum adhuc viuunt, sua filijs bona diuidere, præsertim adolescentulis, & incertis. Nec vlla, vt opinor, erat lex, qua id pater facere cogeretur. Respōdeo id Christū præter consuetudinē adiecisse, quia parabolæ sensus exigebat. Nam etsi pater nulla vel lege, vel consuetudine hæreditatem suam filijs diuidere cogebatur; non vetabatur tamē. Fecit ergo nō quod oportebat, sed quod licebat facere. Parabola verò ipsa id postulabat, quia non potuisset pater ille Dei persona exprimere, nisi fecisset. Liberē nobiscum Deus agit, & ad nostram voluntatem accommodatè; discedentes à se non prohibet; redeuntes amplectitur. Et non potuisset filius minor bona sua dissipare, quod ad sensum parabolæ inprimis erat necessarium, nisi ea illi pater indulgentia quadam insolita concessisset.

13. *Et nō post multos dies cōgregatis omnibus.*) Collectis omnib⁹ suis bonis; quę sibi hæreditate obuenerāt, & in pecuniam redactis, sumptáque omni secum pecunia profectus est peregrè in regionē longinquam. Regionem longinquam nihil hic aliud significare arbitror, quàm adolescentem illum valde fuisse peregrinum; nec enim in aliquo proximo loco inter cognatos, inter amicos, aut certè notos constitisse; & ad certū aliquod genus vitæ applicasse animum; sed more perditorum iuuenum longè à paterna domo discessisse. Hoc enim agebat Christus, vt iuuenē deliberet maximē perditum. Si præter hanc aliquam habet regio longinqua significationē, illam habet, quam Ambr. Aug. lib.2. qq. Euang. c.33. & Hieron. in epist. ad Damas. Beda, Theophyl. & Euthym. afferuint, *Regio longinqua*, inquit Augustinus, *obliuio Dei est.* Et Ambr. in comment. *Quid est longinquius ire quàm à se recedere; nec regionibus, sed moribus separari? studijs diuersum esse, non terris? & quasi interfuso luxuriæ sæculari æstu diuortia habere factorum? Etenim qui se à Christo separat, exuit se patria, ciuis est mundi. In regione longinqua, inquit Aug. illi erant, qui sedebant in tenebris, & vmbra mortis, cum lux orta est illis.* Isai. 9.2. Et illi, vt Theophylactus ait, de quibus dictum est, *Qui elongant se a te, peribunt* Psal. 72.27. *longè enim est Dominus ab impijs, & orationes iustorum exaudiet*, Prou. 15.29. Qui maiorem fratrem angelos, minorem homines intelligunt, paternam domū cælum, vnde angeli non discesserūt; regionem longinquam hunc inferiorem mundum interpretantur. Sed hoc Origenis de animis nostris errorem videtur sapere. Qui autem per fratrem minorem Gentilē populum intelligendum putant, solent plerumque lōginquam regionem idololatriam appellare. Ambr. lib.2. de pœniten. c.3. paternā domum Ecclesiam, longinquā regionem, quidquid extra Ecclesiā est, esse dicit. *Bene*, inquit, *dicitur quia peregre profectus est, qui erat à sacris altaribus separatus. Hoc est enim ab illa Ierusalē, quæ in cælo est, ciuico quodam & domestico separari domicilio, vnde & Apostolus ait, Ergo iam nō estis aduenæ atq; peregrini, sed estis cives sanctorum & domestici Dei.* Ego quod certum esse arbitror, primo loco posui; quod probabile, secundo.

Et ibi dissipauit substantiā suam viuendo luxuriosè.) G. ἀσώτως intemperanter. Neque hic quærendum esse puto, quæ sit illa substantia, quam iste adolescēs intemperāter viuendo dissipauit. Est enim descriptio, vt sæpe diximus, maximē perditi, & neporis adolescentis, qui nihil aliud, quàm hominē significat maximē peccatorem. Solent plerique; substantiam, quam dissipauit, liberum arbitrium, cæteráque naturales facultates interpretari. Sic Aug. Beda, & Euthym. & Bern. in sermone de diuersis affect. animæ. Quod etsi sano ab illis sensu dictum est, nolim equidem dicere, ne quis existimet per peccatum perire liberum arbitrium; quod nouī dicunt hæretici, & D. Augustinus auctorem se gloriantur eius habere sententiæ. Et verò, si velimus, quemadmodū hic auctores faciunt, singula subtiliter seruari verba, reperiemus liberum arbitrium nec per partem illam substantiæ, quæ minorem frattrem contingebat, significari; nec luxuriosè viuendo dissipari potuisse. Nā antequam iuuenis ille à patre discederet, antequam suam ab illo hæreditatem peteret, liberum vtique habebat arbitrium. Naturam enim habebat suam, à patre quidem acceptam, sed tamen habebat; & hæreditatem, quæ præter, aut supra naturā erat, petebat; & id ipsum, quod petebat, libero profectò petebat arbitrio, poterat enim non petere, quemadmodum natu maior frater non petiuit, meliùs scilicet suo vsus arbitrio. Nō ergo liberum arbitrium petebat, quod iam habebat; non ergo hæreditas illa, quā petiuit, quam accepit, quam dissipauit, liberum significabat arbitrium. Non perdidisse autem illud postea luxuriosè viuendo, vel ex hoc ipso loco perspicuum est. Quo enim modo post substantiam omnem suam dissipatam, post grauem toleratā famem deliberat? *Quanti mercenarij in domo patris mei abundāt panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum.* Non, enim hoc aut dicere, aut deliberare, aut facere sine libero potuit arbitrio. Non ergo perdiderat, sed habebat. Alij per eam substantiæ partē, quam accepit, quámque dissipauit, imaginem, ac similitudinē Dei signari putant. Ambro. in comment. *Ille*, inquit, *viuendo luxuriosè consumpsit omnia naturæ ornamenta. Vnde tu qui accepisti imaginem Dei, qui habes similitudinē eius, noli eam irrationabili fœditate cōsumere.* Et Aug. ser. 34. de verbis Domini secundum Lucam, *Quisquis enim vult esse ita similis Deo, vt fortitudinem suam ad illam custodiat, ne recedat ab eo, ei cohærendo, vt custodiat similitudinem, & imaginem ad quam factus est.* Quòd si imaginem Dei non naturam ipsam, sed morum conformationem appellant, quemadmodum multi veteres auctores, & D. etiam Paulus appellare solet. 1. Cor. 15.49. & 2. Cor. 3. 18. ad Colos. 3.10. multo meliùs hæc, quàm altera interpretatio conueniet, quam &

Ephes. 2. 19.

Num hæc substantia sit liberū sit arbitriū.

Vers. 17. & 18.

Num hæc substantia sit imago, & similitudo Dei.

Marius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Marius Victorinus lib.2.contra Arian.& Theophylactus secutus est. Bonos enim mores, in quibus imago illa diuina cernebatur,perdidit luxuriosè viuendo.Sed quomodo eos à patre petiuit?quomodo accepit? cùm ante habuisset, & petendo, accipiendoque hæreditatem potiùs perdiderit, quàm comparauerit? Illa enim ipsa fuit culpa, qua bonos mores acquirere vtique non potuit,sed amittere.Idem Ambr. lib.2.de pœnit. c.3. substantiam hanc,quam iste adolescens dissipauit, fidem esse putat, quàm à domo patris, id est ab Ecclesia Dei discedendo, & luxuriosè inter hæreticos,aut Gentiles viuēdo perdiderit. Sed iam probauimus per hunc adolescentem omnes peccatores designari; at non omnes fidem perdunt.Certum tamen est, quod primo loco dixi,nihil aliud hic,quàm perditissimum adolescentem,& per eum perditissimum peccatorē designari.

14. *Facta est fames valida in regione illa,& ipse cœpit egere.*) Variæ etiā huius famis interpretationes sunt. Auguſt. lib.2. qq. Euang. c.33. *Fames*, inquit, *in illa regione est indigentia verbi veritatis*, quod ijsdem verbis in comment.dicunt Beda, & Theophyl. Ambrosius verò sacramētorum priuationem interpretatur lib. 2.de pœnitent.c.3. *Nec mirum* inquit,*si fame peribat, qui diuino alimento egebat.* Alij vacuitatem virtutum, quas luxuriosè viuendo perdiderat; vt Euthymius. Ego tantùm extremam eius adolescentis miseriam describi puto, causámque tacitè reddi, cur seruire, & porcos pascere coactus sit,quia præterquā quòd omnia illa bona sua dissipauerat,magna etiam in ea regione fames erat, ita vt ne diuites quidem facilè possent viuere,nedum miser ille adolescēs pauper, nudus, longè à patre, longè à patria, longè ab amicis,in aliena regione ignotus, & peregrinus. Nihil ergo aliud Christus hoc dicens facere voluit, quàm sequentem narrationem probabiliorem reddere. Probabilius enim erat eum & consumptis facultatibus suis, & fame non solùm ipsum, sed totam ipsam regionem vexante dominum,cui seruiret,quæsiuisse, & vsque ad pascendos porcos se demisisse, quàm si fames in regione non fuisset.

Hebraismus,abiit & adhæsit.

15. *Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius.*) Quòd dicit, *abiit*, Hebraismus est, quemadmodum si diceres, decreuit herum quærere. Sicut Hispani dicunt, *Toma,y poneſe con vn amo*, aut, *Viene y haze esto,y esto*. Nam vt illud *Toma*, & illud *viene* nihil fere ibi significat, sed tantùm est idioma, & ornamentum linguæ, & illud הלך *abiit* Hebraicè, Theophylactus exposuit abijsse, id est in peccato profecisse. Quod si in sensu litterali fundamentum habuisset, aprè admodum dictum videretur, sed nec cum sensu litterali conuenit; & adhærere ciui regionis illius virtutis potiùs,& industriæ,quàm peccati fuit: certè non tam peccati fuit, quàm extremæ miseriæ, ad quam sua illum adolescentem peccata perduxerant.De ciue illo sollicitè quæri nolim quis sit, quémve significet. Hæc enim omnia ad complendam, vt in similibus parabolis sæpe monui, narrationem, & ad exprimendam eius adolescentis miserabilem conditionem dicta sunt;& quia fieri solet, vt eiusmodi homines in extrema fame herum aliquem, à quo vel micis, vt canes, alantur, sibi quærant; & erat vero simile idem illum fecisse adolescentem. Aliorum tamen interpretationes, si quis magis amat, supra initio parabolæ posuimus. Præter eas alias apud alios obscuriores auctores lector inueniet. Quod dicit, *adhæsit*, id est ἐκολλήθη emphaticum esse puto; exprimit enim diligentiam, industriam, artem, qua se solent eiusmodi miserabiles homines in domos diuitum insinuare,quidui

illum inuenem ventrem de siliquis implere, quibus vel porci vesci,saturarique solerēt. Facilis inquam, sed non satis,vt mihi videtur, plena sententia. Nec enim dicit Christus cupiuisse ventrem implere de siliquis,quibus porci vescuntur,aut quib' vesci solebant;quod si dixisset,non actum, sed consuetudinem significasset.Sed dixit,*de siliquis quas porci manducabant*. Quod verbum actum videtur,non cōsuetudinem significare.Accidit quòd satis appareat voluisse Christum eius adolescētis miseriā quàm maximè exaggerare; miseria autem hæc erat maxima, vt cum videret porcos siliquas edere,ne illis quidē ipse saturari posset:quemadmodum c.16.21.dicitur cupiuisse Lazarus de micis,quæ de mēsa diuitis cadebant,saturari,neminémque illi dedisse.Solent asseruari vt glandes,& porcis certis dari horis,itaque non poterat miser adolescens aliunde habere,quàm ex ipso loco,vbi ijs porci vescebantur,si quas poterat porcis ipsis suffurari, quibus ante quàm saturarentur essent, à porcis consumptæ erant. Putant omnes fere auctores illi, quos superiore versu nominauimus,Auguſt.Ambr.Hieron.Beda,sæculares, & inanes scientias per siliquas significari. *Siliquæ*, inquit Aug.*sunt doctrinæ sæculares sterilis suauitate resonantes,de quibus laudes idolorum, fabulariumque ad Deos gentium vario sermone atque carminibus percrepant,quibus dæmones delectantur*.Alij voluptates,vt Euthym. Alij peccata ipsa,quibus peccator,quo magis peccat,magis exhilarari cupit,vt Theophylactus. Ego eandē viam, quā initio ingressus sum,insistens nihil aliud,quàm miserabilem illius adolescentis conditionem,& per eam miserabiliorem profligatissimi peccatoris statum significari arbitror, qui ad vltimam morum prauitatem venerit ; adeo omnibus Dei beneficijs, omni gratia,id est omni spirituali priuatus cibo, vt ne siliquis quidem, id est naturalibus donis, quibus philosophi,& cæteri poreis similes homines abundant, satiari possit; ita nimirum peccatis excæcatus,vt ne id quidem videat, quod omnibus hominibus naturæ lumen ostendit.

17. *In se autem reuersus.*) Intellectum dante vexatione.Quod de illo quidem adolescente, ex quo parabola sumpta est, dictum est verosimiliter, & ad consuetudinem aprè.Credibile enim erat iuuenem, qui tot in domo patris sui bonis abundasset, cùm videret se in regione longinqua apud alienos in abiectissima seruitute perire fame,ad se fuisse reditum,atque dicturum apud se ea,quæ Christus dixisse narrat.Quòd si parabolam ad peccatorē, propter quem proposita fuit, accommodemus, significat vexationem illi intellectum dare. *Cum accideret*, inquit,*seu;quærebant eum,& reuertebantur,& diluculo veniebant ad eum*.Psal.77.34. Illud etiam obseruādum, quod Augustinus libro 2.qq.Euang.cap.33.& Beda putant,quid discriminis sit inter peccatorem, qui aliquando diuinam expertus est gratiam, & quàm suauis sit Dominꝰ degustauit;quàm bonum adhærere Deo sit; & inter eum, qui nihil expertus huiusmodi,sola peccata,solas voluptates, solā porcorum vitam nouit. Ille nimirum tanto facilius, quæ aliquando nouimus,etiam postquam obliti sumus,recordaris; quam quæ nunquam nouimus, discere. Magni refert bene in pueritia à parentibus institutum fuisse,sacramenta frequentasse,inter viros vixisse religiosos. Hæret semper in palato mētis illius illecebrosis cœlestis ; & quamuis longè à primo illo vitæ instituto,quasi à domo paterna,discesserimus; semper nobis memoriam suggerit vitæ præteritæ, quales fuerimus,quales simus,semper vt ad eam redeamus inuitat.Si ille adolescēs nunquam paternæ domus abundantiam fuisset expertus, nunquam ad se reuersus dixisset: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus;ego autem hic fame pereo.Surgam & ibo.Vnde hoc scire poterat*,inquit Aug.lib.2.qq. c.33.& Beda,*in quo erat tāta oblitio Dei,sicut in omnib.adolescentibus fuit,nisi quia ista recogitatio ia respiscētis est?* Colligimus ex hoc loco verū esse quod aduersus nouos hæreticos in Concilio Tridentino Sess. 6. cap.6. & can.8. Ecclesia diffiniuit,nō malum,sed bonum,ac salutarem esse timorem illum, quem seruilē appellamus; quo aut metu pœnarum,aut aduersis conflictati rebus ad Deum cōuertimur. Laudatur enim iste adolescens,& nobis in exemplū proponitur,quòd fame cōpulsus ad mētē primùm,deinde ad patrē redierit.

Timor seruilis salutaris est.

Quāti mercenarij in domo patris mei abundāt panibus: ego autē hic fame pereo.) Opponit se mercenarijs patris sui;& famem suam eorum saturitati.Alij mercenarij patris mei sunt,ego hominis alieni,atque ignoti;illi pane abundant, ego fame pereo.Latinus interpres *Quanti* dixit ,p quot,dictione abusus Latina.*Mercenarij ergo patris*,ait Beda,*abundāt panibus,quia qui futuræ mercedis intuitu digna operari satagunt,quotidianis superne gratiæ reficiūtur alimonijs. At verò fame pereunt,qui extra patris ædes positi ventrem cupiunt implere de siliquis, id est,qui sine fine viuentes vitā beatam inanis philosophiæ studijs inquirunt.*Qui fuerint mercenarij in domo patris eius adolescentis, obscurum non estnempe qui filij nō erant,sed mercede illi seruiebant;qui autem in domo Dei mercenarij sint per illos significari,id anxiè vestigari nolim.Nam illi,quos Beda describit, *qui futuræ mercedis intuitu digna operari satagunt*:& illi, quos Ambr.in com.*bonos mercenarios appellat, Petrus Iacobus,& Ioānes,quibus dicitur.Venite post me,faciā vos fieri piscatores hominum*; non mercenarij, sed optimi profectò sunt filij,qui in hac ipsa parabola mercenarijs opponuntur. Et illi alij,quos idē describit Ambrosius ibidem,*qui non virtutis,sed vilitatis studio provocati bona sequuntur*, nec filij, nec mercenarij sunt, quia panibus,id est donis cælestibus non abundant. Ergo illi per mercenarios in domo Dei significātur, qui infimo sunt gradu, sicut in domo mercenarij sunt;itaque ijdem illi qui mercenarij sunt,in Ecclesia etiam sunt filij,sed per mercenarios significātur, quia infimo sunt loco.In hoc enim consistit mercenarij similitudo, & antithesis inter illum & filium, non quòd ille mercede,hic gratis patri seruiat ; sed quòd ille abiectus,vilis,despectus;hic honoratus in paterna domo sit;ille malè,hic bene tractetur.Dicit ergo apud se resipiscens peccator, *quot mercenarij in domo patris mei abundant panibus*,id est quot homines conditione abiecti,quot pauperes,quot mulierculę magna cœlestium donorū,dum bene sanctéque viuunt,suauitate fruūtur;ego qui filiꝰ sum,ego sacerdos,ego Episcopus,ego doctꝰ, quia à patre discessi, quia me Diabolo in seruitutē dedi, hic fame pereo; omni diuinæ gratiæ cibo,ac iucūditate priuatꝰ sum. *Aruit cor meum,quia oblitus sum comedere panem meum.* Perij,quia à te Domine discessi. *Omnes enim qui elongant se a te,peribunt*.Hoc est,*Hic*,id est extra Ecclesiā, aut extra gratiā Dei. *In tenebris,& umbra mortis,in loco horroris,& vastæ solitudinis*.Et hoc est,*In domo patris mei*,id est in Ecclesia,aut in gratia Dei, vbi *non est inopia timentibus eum*. Quæ duo inter se opponit locatio.

Matt. 4. 19. Mar. 1. 18. & sup. c. 5. 10.

Quinam vn Ecclesia mercenarij.

Psal.101. 5. Psal. 72. 7. Luc.1.79. Deut.32. 10. Psal. 33. 10.

18. *Surgam,& ibo ad patrem meum.*) *Surgā*. Hæbraismus est,quo vtuntur Hebræi, cùm alicuius operis exordium significant.Quia cum nihil agimus,sedere solemus:cum aliquid agere aggredimur, surgere. *Surge Deus,iudica terram*,Psal.81.8.*& surgāt,& opitulentur vobis,& in necessitate vos protegant*.Deut.32.38.

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non enim significat aut Deũ, aut idola ante sedisse, sed illum ante nõ iudicasse terram: hæc opẽ non tulisse. Quod vt facere incipiant, rogat. Dicũt Hebræi & in prima, & in omnibus personis קום *Surgam* & surge, & surgat, &c. quod alio verbo in solis secũdis Latini dicunt, Age, Agite, Agedum, Agesis. Itaq; magis dictio exhortantis, quàm verbum est. Quale illud quod ver. 25. declarauimus, *abijt, & adhæsit*, nisi quòd illud exhortantis, non est. Incitat igitur se perditus alioqui adolescens ad audendum, ad reuertendum ad patriam, ad resipiscendum: & peccator, qui per eum significatur ad cõfitenda peccata, agẽdámque pœnitentiam, *Surgam* inquit August. lib. 2. qq. Euãg. c. 33. *quia iacebat, & ibo, quia longe aberat, ad patrẽ meum, quia sub principe porcorum erat.* Cætera verba sunt *pœnitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis. Non enim iam dicit patri, sed dicturũ se esse promisit, cum venerit.*) Et Hieron. in epist. ad Damas. *Surgens*, inquit, *ibo ad patrem meum. Pulchrè ait surgens, patre quippe absente non steterat; peccatorum iacere, iustorum stare est.* Ad Moysem dicitur, *Tu verò hic sta mecum & in centesimo tricesimo tertio psalmo, Ecce nũc benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini.* Similia Theophylactus & Beda tradunt. Sed intelligat lector hæc esse moralia, litteralem verò sensum, & proprium, quem initio posuimus.

Surge Hebr. tres Agedum.

Peccatorum iacere, stare iustorum est. Deut. 5. 31. Ver. 1.

Pater peccani in cælum, & coram te.) Beda, *Quàm misericordem, piumque nouerat patrẽ, qui nec offensus à filio, patris dedignatur audire vocabula.* Quòd dicit, *Peccaui in cælum*, variè auctores exponũt. Ambr. sic, *Non vtique elementũ exprimitur; sed peccato animæ cœlestia significantur dona spiritus imminuta.* August. verò eo loco, quem modò notauimus. *Virũ hoc est peccaui in cælum, quod est coràm te, vt cœlũ appellauerit ipsam sublimitatẽ patris. Vnde est etiam illud in psalmo, A summo cœlo egressio eius, cũ ab ipso patre vult intelligi; an potius peccani in cælum coram sanctis animis, in quibus est sedes Dei. Coràm te autẽ, in ipso penetrali interiore cõscientiæ?* Quã posteriorẽ Augustini interpretationẽ Beda, & alij plerique amplexi sunt. Hieron. ad hunc modũ, *Peccauerat in cælũ, qui Ierusalem cælestẽ reliquerat matrem. Peccauerat coràm patre, qui conditore deserto lapides fuerat, & ligna veneratus. Non fuerat dignus vocari filius Dei, qui seruus esse maluerat idolorum.* Theophyl. & Euthym. *Peccani in cælum.* quia cælestibus terrena præposuit. Ego Hebraismũ esse arbitror. Solent Hebræi, dum religione quadam Deum proprio nomine vocare non audent nunc שמים cælum, nunc שם nomen, nunc צור petram, nunc alijs eiusmodi nominibus appellare. Eum Hebraismũ Christum existimo, dum Hebræi adolescentis personã fingit, imitatũ Deum cœlum appellantẽ. Rursum quod dicit coràm te, alius est Hebraismus לפניך in cõspectu tuo, id est cõtra te. Itaq; perinde est, atque si adolescẽs dixisset, Pater peccaui contra Deum, & cõtra re; cõtra Deum, quia neglectis eius præceptis te deserui, & luxuriosè viuendo omnẽ meã substantiã dissipaui; cõtra te, quia tibi nõ parui, quia sub tua potestate esse nolui, quia partem hæreditatis, quæ mihi erat obuentura, à te extorsi.

Psal. 18. 6

19. Iam non sum dignus vocari filius tuus.) Quia, cùm ante filius essem, me ab obedientia tua subduxi, méque emancipaui, & filius quodammodo esse desij. Nõ desierat verè esse filius, nec poterat: sed desierat, quantùm in ipso erat. Quare nõ dicit non sum filius tuus: sed *non sum dignus vocari*, id est haberi *filius tuus*; non sum dignus esse in domo tua eo loco, quo ante eram: satis mihi fuerit, si eo loco sim, quo sunt mercenarij, *fac me sicut vnũ de mercenarijs tuis.* Hic est sensus verborum. Quæ si ad peccatorem accommodemus, confitetur se dignum non esse, qui ad eam gratiam, támque dignitatẽ, qua priùs apud Deum erat, admittatur, cùm sua eam culpa perdiderit; rogat tamen Deum, vt se vel in minimum gratiæ suæ locum recipiat, vt Euthym. exponit: tantùm in illius gratia, tantùm sub eius sit potestate; nec iam diabolo, sed illi seruiat. Vide quæ diximus de mercenarijs ver. 17. & ad eundẽ modum hæc intellige. Dunor mihi hoc loco videtur interpretatio Hieron. *Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis*; fac me sicut vnum de Iudæis, qui te ob præsentium tantùm rerum promissa venerantur. Non enim qui verè pœnitens est, propter præsentium tantùm rerum promissa, sed propter Deum ipsum seruire Deo vult. Nihilo magis Theophylacti expositionem probo, qui per mercenarios Catechumenos intelligit. Etsi q; arrident ad Ecclesiasticam disciplinam, scio eum fuisse morem veteris Ecclesiæ, vt pœnitentes nõnumquam, prout præteritæ culpæ magnitudo postulare videbatur, in locum Catechumenorũ reiicerẽt, & quidem in vtrumque aliquando, vt ex antiquis Conciliorum canonibus discimus; & in scholis de pœnitentia adnotauimus. At quis peccator cum pœnitentiam agit, desiderat apud Deum Catechumeni loco esse, cui nondum baptizato, nondum vtique sunt remissa peccata; ac non potius in gratiam reponi id enim agit, id optat, vt sibi peccata remittantur. Ille igitur, quem supra explicauimus, verus est sensus.

Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.

20. Et surgens venit ad patrem suum.) Vide quæ ver. 18. dicta sunt. Non satis fuit dicere, *Surgam & ibo*; nisi reipsa surrexisset; ipsúmque. Illa enim deliberatio erat, hic est effectus. *Hæc* inquit Ambrosius, *in cõment. apud se dicit, sed non satis est dicere, nisi ad patrem veniat.* Quod ipsum Chrysost. apud Diuum Thomam. Ἰδοὺ ἦλθε, inquit Theophyl. μόνον βάλλεται τὰ εἰλα τῷ θεῷ, ἀλλὰ καὶ πράττει. *Oportet nos non solùm velle quæ Deo grata sunt, verùm etiam facere.* Exemplum non solùm peccatoribus, ac pœnitentibus; sed iustis etiam omnibus vtile. Docemur enim, simul atq; nobis Deus inspirat animo aliquid boni, re ipsa perficere; antequam ardor ille primi propositi refrigescat. *Non tardes*, inquit sapiens, *conuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diem* Eccl. 5. 8. Videtur indicare Beda abusos hoc loco olim Pelagianos, quasi peccator viribus suis possit surgere, ad patrem que redire. Quos ex hoc ipso loco refellit, ait enim adolescens ille, *Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis*, declarãs se nõ solùm in pristinã apud Deũ gratiam, sed ne in mercenarij quidẽ locum redire posse, nisi Deus ipse faciat. Ego eam quæstionem aliter soluendam puto. Primùm quidẽ non in eo eam partem parabolæ rei significatæ similẽ esse, quòd, sicut adolescens ille sine speciali Dei gratia sola vexatione cũ gratia generali intellectum dante ad mẽtem redijt, & ad patrem reuerti decreuit; ita etiam peccator per se, ac sine nouo Dei auxilio ad Deum redeat, si in hoc tantùm, quòd, sicut ille adolescẽs aduersis vexatus rebus ad patrem redijt, ita peccatores, cùm à Deo rebus aduersis affliguntur, ad Deum conuerti soleant. Ac ne hoc quidẽ ipsum in parabola agebatur, sed illud tãtùm, ita Deum peccatores ad se festinantes amplecti, & recipere solere: sicut pater ille filiũ recepit. Quacunq; tandẽ moti ratione veniant, siue ipso trahente, siue ducẽte, siue (si id fieri potest) nihil agẽte, siue rebus aduersis, siue secundis prouocati. Deinde vt etiam hæc in re cõcedamus similem debere esse parabolam, putandũ non esse adolescentem illum ipsum per se, sine nouo Dei auxilio ad patrẽ redijsse. Nam vt Diabolus eum, aut propria voluntas incitauerat, vt à patre discederet: ita incitauit Deus, vt ad patrẽ rediret. Et fixę stãt illę sententię, *Conuerte nos Deus ad te, & conuertemur*, Threnor. 5. 21 & *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum*, Ioan. 6. 44. Sed quia nõ id agebat, vt doceret homines siue gratia Dei ad Deum redire nõ posse, sed redeuntes benignè, ac liberaliter recipi, hoc, quod docere volebat dixit, illud, quod nolebat, etsi verũ erat, non dixit.

Cum autem adhuc longè esset, vidit eum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens, cecidit super collũ eius, & osculatus est eum.) Elegans, & accurata benigni, & misericordis patris descriptio. Quam ideo Christus tã amicis, támque aptis circũstantijs, ac verbis explicauit, quia id potissimũ agebat, vt Dei erga peccatores largissimã, atque propẽtissimã misericordiam declararet. Primũ quod dicit, *cùm adhuc* adolescẽs *longè esset* patrẽ eũ vidisse, si de ipso agamus adolescente, ideo dictũ est, qua & fieri potuit, & factũ fuisse in simili exemplo vero simile videbatur; & erat valde ad id, quod agebatur, accõmodatũ, vt intelligeremus, quã præsto Deus sit volẽtibus ad se venire, qui cũ adhuc illi longè sint, id est simul atque in vltimis animi recessibus cõsilia de vita mutãda moliri incipiunt, videat, & obuiam occurrit. *Desiderium pauperũ exaudiuit Dominus, præparationẽ cordis eorũ audiuit auris tua.* Psal. 10 17. Dicit, *Ecce ego adueniam & in misericordijs impetrabo peccati mei.* Psal. 31. 5. Et *erit*, inquit *Deus Isai. 65. 24. antequam clament, ego exaudiã, adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Hoc est quod Christus dicebat Nathanaeli, *Priusquã te Philippus vocaret, cũ esses sub ficu vidi te*, Ioã. 1. 48. Misericordia motus fuisse pater dicitur, & filiũ vidẽs nudũ, ac miserabilẽ, & pœnitentia ductũ ad se reuertentẽ. Quis filij misereri, nisi pater debuit? Poterat illa tanta filij miseria quẽlibet mãsuetum potius patrẽ ad cõmiserationẽ commouere? Accurrit pater filio quasi veniam dans, antequã peteret, & verecundãtem ad gratiam suam inuitãs. Quę omnia facilè est ad Deum, & peccatorem accõmodare. Quæ sequũtur minùs præmẽda sunt. Quod patet supra collũ cecideris filij, eúmq; osculatus fuerit. Hæc enim duo nõ alia causa dicta sunt, quàm quòd veri simile esset, ita erga filiũ fecisse patrẽ, quòdq; fieri soleret. Nec exquirendũ diligentiùs est, quid in Deo sit super peccatoris collũ cadere; quid eũ osculari. Nihil enim hęc aliud significãt, quã quòd Deus singulariter quandã erga peccatores pœnitentes benevolentiã declaret; quã solẽt homines amplexu, osculoque declarare. Si plura quærenda sunt præstat, ex Augustino Hieronymo, & Ambrosio bonis scilicet fontibus, quàm ex nostro ingenio mysticos sensus haurire. Augustinus igitur lib. 2. qq Euangel. c. 33. & Hieronymus in epistola ad Damas. Beda in comment. & nonnulli alij brachia Dei, quæ in peccatoris collum amplexatura iniicit, Christũ interpretantur. Vnus pro omnibus loquatur Augustinus: *Quid est, inquit, per collum eius cadere, nisi inclinare, & humiliare in eum brachium eius brachium suum, & brachium Domini cui reuelatum est? Quod ego vtique Dominus noster Iesus Christus. Et osculatus est illum, id est & solari verbo gratiæ Dei ad ipsum adhortatione peccatorum. Hoc est post longa itinera venienti occurrere, à patre ostendere caritatis.* Aliquanto aliter Ambrosius Christum non amplexantis Dei brachium, sed ipsum, qui nos amplexatur, Patrẽ esse dicit. *Cæterùm, inquit, collum tuum Christus, vt ecclesiæ iugo exeat seruitutis, & cello tua iugũ suauẽ susceperit. Nonne tibi videbatur ipse cecidisse in collum Ioannis, quando erat Ioannes in sinu Iesu? ecce recumbens resurgit? Et ideo verbum apud Deũ ego ipsa erecta est ad superna. Cadit in collum eius dicens, Venerunt ad me qui laborauit, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos.*

21. Dixitque ei filius, Pater peccaui in cælum, & coram te,

iam non sum dignus vocari filius tuus.) Hæc verba v. 18. & 19. declarauimus. Hic tantùm videndum est, quãtum habeat illa vulgaris obseruatio firmitatis, adolescentem illum propterea non omnia dixisse patri quæ dicere decreuerat; nec enim dixit, *fac me sicut vnum de mercenarijs tuis*, sicut ver. 19. proposuerat) quòd postquam peccator ad Deũ redijt, & sua tantùm peccata confiteatur, de cætero cum Deo relinquat, vt de se quidquid velit agat. Aut, vt alij dicunt, quòd postquam Dei amplexum, & gratiam expertus est, filius esse velit, nec mercenarij contentus sit conditione. Obseruauit quidem hoc Augustinus, & Augustinum secutus Beda. *Cum*, inquit Augustinus, *patrẽ nõ habebat, vel mercenarius esse cupiebat, quod post osculũ patris generosissimè iam dedignatur.* Sed valde mihi probabile videtur adolescentẽ quidem dixisse omnia quæ patri dicere proposuerat: sed Euangelistam non omnia ab eo dicta recitasse: ratum opinor fore, vt ex ijs quæ recitauit, cætera etiã, quę nõ recitauit, eũ dixisse intelligeremus. Solet id scriptura facere, vt cũ aliquid ante dictũ repetit; aliquid quod ante dixerat, prætermittat. Quòd si id adolescẽs coràm patre nõ dixit, aliã potiùs, quàm, August. & Beda reddũt, causã fuisse arbitror, prohibitũ fuisse patris oscula, & cæteris amoris officijs plura dicere; aut dicere etiãsi posset noluisse, animaduertentẽ ex singulari patris beneuolentia, id nõ esse necessariũ. Solet hoc nobis frequẽter accidere vt cum aliquo acturi plura dicere constituamus, quæ postea cum eo agentes, quia videmus necessaria non esse, non dicamus. Idémq; erga Deum nobis accidit; vt maiora in nos Dei experti beneficia, minora petere desinam? Quid enim rogaret patrem, vt ab eo tanquam mercenarius reciperetur, qui se iam tanquam filium receptũ videbat?

An omnia dixerit adolescens, quæ decreuerat.

22. Dixit autem pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam.) G. τὴν στολὴν τὴν πρώτην, stolã aut vestem illam primam, quasi certam quãdam, & eximiam vestem designet. Tãquam dicat proferte vestem illam omnium, quæ domi sunt, pretiosissimam, quæ illo, aut illo loco recondita est. Erat autem στολὴ stola apud Græcos quidem omne genus vestis; apud Latinos talatis tantùm; sed aut muliebris, aut sacerdotalis, nam virilis nõ stola, sed toga vocabatur, vt ex illis Ciceronis verbis manifestum est. *Surripuisti virilem togam, quam statim muliebrem stolã reddidisti.* Hoc tamẽ loco non dubito quin pro toga ponatur, quæ & ipsa Græce stola vocabatur. Hæc omnia, quæ hoc versu dicuntur, nihil mihi aliud significant, quàm adolescẽtem illum in filij locum à parte repositum fuisse, ideóque seruis imperatum, vt illi afferrent, vt vestirent, calcearẽntque, & annulo insuper adornarẽt. Vestirent autem non qualibet veste, sed stola, id est talari toga, quæ non seruorum, sed nobilium habitus erat, eaque pretiosissima. Toga quidem, quia filius erat, pretiosissima verò omnium gratulationis causa, quia perierat, & inuentus fuerat. Id etiam ad cõcludendum id, quod propositum erat, pertinebat, *maius esse gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* ver. 7. 10. Annulus ornatũ declarat hominis liberi, filíque hominis locupletis, qui in pristinum honorem suum fuerit restitutus. Sì ad Deum, peccatorémque referãtur, hoc vnum mihi videntur significare, quod probare Christus volebat, *maius esse gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis qui non indigent pœnitentia*, neque habere Deum rationem vllam præteritorum peccatorum, cùm peccator ad ipsum toto animo conuertitur, quo minùs eum in eundẽ, aut meliorẽ etiam, quàm quo ante peccatum fuerat, statum restituat.

Cicer. in Philip. Quæ stola prima significet.

Quid annulus denotet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam illi adolescenti, antequam à patris domo discederet, nunquam fortasse stola illa prima data fuerat. Itaque disquirere qui sint serui, quibus Deꝰ præcipit, vt stolâ primam proferant; quidque stola ipsa, quid calcei, quid annulus sigillatim significẽt, diligentiæ. vt opinor, est ad litteralem quidem sensum non necessariæ: tamen quia graues in ea etiam re auctores laborauerunt, contemnenda nõ sunt, quę nobis tradiderunt, sed ad vsum potiùs popularium concionum referenda. Augustinus lib. 2. qq. Euang. c. 33. & Beda seruos, *qui stolã proferre iubẽtur, reconciliationis prædicatores.* Euthymius autem sacerdotes esse dicit. Stolam verò primã, idem Augustinus & Beda, itemque Hieron. in epistola ad Damasum, & auctor ille quisquis est libri qui de hac parabola inter Hieronymi opera circumfertur, & Euthymius in comment. aut innocẽtiam, quam homo perdiderat in Adamo, aut gratiam, quam quisque, antequã peccaret, habebat, interpretantur. Quæ allegoria non satis conuenit cum sensu litterali. Videntur enim, qui ita exponũt existimare stolam illam non à dignitate, sed à tempore vocatam esse primam, quasi dixerit pater, proferte stolam illam, qua prius, quàm à me discederet, vtebatur. Atqui non ita est. Nam, vt diximus supra, non vocauit stolam primam, qua prius, vsus fuerat; sed quæ omnium erat pretiosissima, quanq; ante nunquam induerat. Hoc enim ipsum parabolæ conclusio postulabat, vt meliùs, quàm antequã discederet, vestiretur, vt probaretur, quod probandum erat, *maius esse gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui nõ indigent pœnitentia.* Quare & vitulum saginatũ occidi pater iusserat, quem antequam discederet, illi nunquam occiderat. Ambrosius non refert ad primum tempus, sed videtur sententiam nimium arctare. *Stola*, inquit, *amictus est sapientiæ, quo nuda corporis Apostoli tegunt; eo quòd se vnus quisque connoluat. Et ideo stolã accipiunt vt corporis infirmitatem sapientiæ spiritualis virtute connectant. De sapientia enim dictum est, Lauabit in vino stolam suam.* Nimis, inquam, videtur arctare sententiam, dũm & ad solos Apostolos, & ad solam sapientiam refert. Cum ipsa diuersitas rerum, stola, calcei, annulus, ostendat magnam diuersorum donorum Dei copiam significari, ad quam post pœnitentiam peccator admittitur. Tutissimum est, quod sæpe moneo, non nimis præsẽs tractandas esse parabolas, frangi sæpe tractãdo; soleréque hìc accidere, quod prouerbio dici solet, vt, qui nimiùm emungit, sanguinem eliciat. Ergo contenti simus per stolam primam meliorem quendam statum intelligere, quàm in quo peccator etiam ante peccatum erat. Hoc enim vnum, vt sæpe diximus, probare volebat Christus *maius gaudium esse in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouẽ iustis qui non indigent pœnitentia.* Hoc ipsum maius gaudiũ, & maiorem quendam honorem, feliciorémque statum, quàm præcedentem stola solet in sacris litteris declarare. *Erunt*, inquit, *tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & basis virtutis, & torques illius in stolam gloriæ, decor enim vitæ est in illa*, Eccles. 6. 30. 31. &, *In medio Ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit illum spiritu sapientiæ, & intellectus, & stolam gloriæ vestiet illum*, Eccles. 15. 5. & Apocalyp. 6. 11. *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum.* Neque de hoc ipso, quòd modò diximus, nimis est subtiliter disputandum, quomodo homo post peccatum in meliorem, quàm in quo ante peccatum erat, statum à Deo reponatur. Hoc enim tantum significatur magis Deum gaudere peccatoris conuersione, quàm aliorum salute; & hoc ipso ad maiorem honorem illum euehere, quòd cùm peccato esset, emerserit, & ad Deum redierit. Nam ii ad eandem, quam ante peccatum habebat, virtutem redit (quod necessariò ad intelligendã parabolã cõclusionem ponendũ est) ob hoc ipsum maiore dignus est gloria, quòd surrexit, cùm cecidisset. Sicut magis militem honoramus, qui multis acceptis vulneribus vicit, quàm qui integro semper corpore pugnauit. *Calceamenta in pedes*, inquit eodem loco Augustinus, *præparatio est euangelizandi ad nos tanquàm terrena.* Ad eundem fere modum Hieronymus, Ambrosius, & Beda, *Hæc sunt calceamenta de quibus Dominus ait: Et calciati te Hyacintho, & calceamenta pedibus eius, nec vbi colubri insidiati plantas ingredientis inuaderet, & super scorpiones, & serpentes securus ambularet, vt præpararetur ad Euangelium pacis; ut non pro-diens secundum carnem, sed secundum spiritum, & diuinum propheticum conueniret. Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Annulum ijdem omnes auctores *pignus Spiritus sancti* esse dicunt, *propter quem*, inquit Augustinus, *participationem, quæ digna Dei proles*, significatur. Aut fidem, vt Hieronymus etiam, & Beda putant. *Signaculum*, ait Hierony. *similitudinem Christi, secundum illud, in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto. Et ad principem Tyri, qui conditor*, similitudinem amiserat, *Tu signaculum similitudinis, corona decoris, in deliciis paradisi natus es. Isaias quoque ad hoc signaculo loquitur, Tunc manifesti erunt, qui signatura significat, vt ibi, Factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ dicẽtis ad Ierusalem, ornamentis, inquit, ornamento, & impositi tibi armillas circa manus tuas. Respicit ad eum, qui indutus est podere, alius locus signaculi dimostratur, Pertransi per mediam Ierusalem, & da signum thau in frontibus virorum gementium, & dolentium in medio iniquitatibus, quæ fiunt in medio eorum. Quare & Paulus possint dicere, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vitulum saginatum ipsum Christũ omnes ferè nino auctores interpretantur. *Vitulus*, vt ait Euthymius, *vocatus est, quia nunquam dominus ingressus est peccatis; saginatus autem tãquam virtutibus impinguatus*, &, vt inquiunt Ambrosius, & Beda, *quia carne spirituali est opima virtute. Vitulus saginatus*, ait Hieronymus, *qui ad pœnitentiam immolatur salutem ipse dator est, cuius quotidie carne pascimur, cruore potamur. Laudabilis mecum lector intelligis, qua pinguedine fatucati ad cælum laudis eius erumpimus dicentes; eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.* Volui veterum auctorum in celeberrima parabola nõ solùm vt Bileo, indicare, sed copiosè etiam exponere sententias, quia etsi litteralis, opinor, non est, tamen est vetus, & potest in concionibus popularibus pro litterali tradi. Non errabit meo quidem iudicio, qui interpretationis eius, quam supra tradidimus, interpretationis terminos se continebit. Vt stola, calceamenti, annulus, vitulo saginato hoc vnum significetur, quod parabolæ conclusionem esse diximus, *maius gaudium esse in cælo super vno peccatore pœnitẽtiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Hoc simplex, sed certum est cætera ingeniosa quidem, sed incerta.

24 *Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit.* Ne serui mitentur tantum propter vnum seruum dum adolescentem parati, cõuiuium rationem reddit, & cùm, quem nudum, squallidúmque viderant coram ipsis filium appellat suum. Mortuũ fuisse dicit, non quidem vere; sed aut opinione sua, quòd cùm per multos annos longè abfuisset, nihilque de eo fuisset auditum, pro mortuo habebatur, sicut Ioseph quem pater à feris deuoratum esse credebat.

Moralis expositio reliquæ parabolæ.

Parabolæ nõ sunt nimis presse tractãda.

Gen. 49. 11.

Genes. 37. 33. & 44. 28. aut quia perierat, quod perinde erat, ac si fuisset mortuus, vt secundum membrũ prioris explicatio sit, *mortuus*, inquit, *erat, & reuixerat, & inuentus est.* Hoc est, *maius gaudium erit super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia*, vt & D. Hieronymus adnotauit.

25. *Erat autem filius eius senior in agro.*) Quid filius hic senior significet, initio parabolæ declarauimus. Hoc nunc obseruandum, quod eum dum alter frater cum patre, & amicis epulabatur, in agro fuisse dicat, id est laborasse, vt futuræ inuidiæ, & quærimoniæ tacitè redderet causam. Quod reliquum est parabolæ, etsi multis amplificatur verbis, simul tamen ac breuiter explicandum est. Si Augustini, & aliorũ veterũ interpretum sententiam sequeremur, qui filium hunc seniorem populum Iudaicum esse putauerunt, non difficile intelligeremus, quomodo minori fratri, id est populo Gentilium inuidisset, quòd ampliorem in eum gratiam Deus effudisset. Cùm autem dixerimus supra per maiorem filium nõ Iudæum populum, sed omnes homines iustos intelligi oportere, quæstio ex nostra sententia nobis nascitur, quomodo possunt, qui iusti sunt pœnitentibus peccatoribus inuidere? Hanc ego quæstionem quæstione altera facilè soluo, quomodo operarij illi qui hora prima in vineam Domini venerant, & põdus diei, & æstus portauerant, non solùm illis, qui vndecima venerant hora inuiderunt, sed contra ipsum etiam patrem familias, id est contra Deum murmurauerunt, quòd eos sibi mercede pares fecisset? Matt. 20. 11. Nam illi non solùm iusti; verum etiam beati erant, cùm in cœlo iam essent, mercedémque reciperent. Responderi non potest, nisi quod nos eo loco respondimus, eam partem propriè parabolæ non esse, nec esse ad rem significatam accommodandam, sed esse accessionem quandam ad implẽdam narrationem adiectã, & quia ita fieri solet, vt eiusmodi homines murmurent, & quia ea ratione verisimilior narratio reddebatur & quia etsi non quantũ videbatur, significabat iustos iam quasi beatos contra Deum murmurare; tamen significabat aliquid, nempe ita Deum, si illi murmurarent, respõdere posse, quemadmodum pater ille familias respondit ver. 14. & 15. *Tolle quod tuum est, & an non licet mihi quod volo facere?* Eodem prorsus modo hoc loco, quod de indignatione, & querela maioris filij dicitur, aut tanquam pars parabolæ dictum non est, sed quòd esset verisimile seniorem filiũ eo casu indignaturum fuisse; aut certè non ita est ad rem per parabolam significatam accommodandum, vt significet iustos indignaturos, inuisurósque pœnitentibus; sed tanta Deum erga pœnitẽtes peccatores benignitate vsurum esse, vt ipsi etiam iusti materiam quodammodo murmurandi habere videantur, posse tamen ipsum, cur id faciat, rationem illis reddere, ver. 31. & 32. *Filij semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est.* Atque in hanc sententiam Theophylactus, & Euthymius exponunt, quem ego proprium, atque genuinũ arbitror esse sensum. Alij per filium hunc maiorem non verè iustos, sed Scribas, & Pharisæos, qui se iustos esse putabant, significari dicũt, qui contra Dominum murmurabãt, quòd publicanos, & peccatores ad cõsuetudinem suam soleret admittere. Eorũ enim inuidia, & murmuratio occasionem parabolæ præbuerat. In qua sententia & Hieronymus videtur esse. Quæ etsi est sanè probabilis, illa tamen quam ante posuimus multo est probabilior. Nam quo argumento Hieronymus probat Iudaicum populum per maiorem filium significari non posse quòd verè dicere non potuerit, *nunquam mandatum tuũ præteriui*, probari etiam potest nec Scribas, & Pharisæos significari; quia non magis profectò illi, quàm totus populus, id dicere potuerunt.

Non intelliguntur per filium seniorem Scribæ & Pharisæi.

CAPVT XVI.

DICEBAT autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. 3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare, erubesco. 4. Scio quid faciam, vt, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. 5. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? 6 At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede cito, scribe quinquaginta. 7 Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta. 8. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. 9. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. 10. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. 11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis? 12. Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis? 13. Nemo seruus potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo seruire, & mammonæ. 14. Audiebant autem

Matth. 6. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia hæc Pharisæi, qui erant auari: & deridebant illum. 15. Et ait illis: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est: abominatio est ante Deum. 16. Lex, & prophetæ vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit. 17. Facilius est autem cælum, & terram præterire, quàm de Lege vnum apicem cadere. 18. Omnis, qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur. 19. Homo quidam erat dives, qui vestiebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidie splendide. 20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, 21. cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. 22. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. 23. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius: 24. & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquâ, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. 26. & in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui vultunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. 27. Et ait: Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei. 28. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos. 30. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis iverit ad eos, pœnitentiam agent. 31. Ait autem illi: Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Matth.12. b.12. Matth.5.c 32. Mar.10.b. 11. 1.Cor.7.b. 10.

IN CAPVT XVI.

DIcebat *autẽ & ad discipulos suos.*) Tempus quo hanc parabolã Christus proposuerit Euangelista non notat: sed eo ipso, quòd nõ notat, & nihil repugnat, intelligere debemus, eodẽ tempore, quo superiores tres, eodẽmque loco proposuisse. Confirmat hanc sententiam, quòd particula, *autem*, ita videtur sequentia præcedentibus copulare, vt continenter facta esse indicet. Tribus igitur parabolis superiorib⁹ Christus docuit, qua diligẽtia in conuertendis peccatoribus, qua benignitate erga conuersos vteretur. In hac sumpta ex Dei benignitate occasione docet, qua vicissim peccatores diligentia, qua industria, vt in Dei gratiam redeant, vti debeant. Propterea superiores tres parabolas ad Scribas, & Pharisæos, qui earum occasionem dederant, proprie dixit, hanc autem discipulis, id est omnibus auditoribus suis communiter dicit. Hoc est quod ait, *Dicebat autem & ad discipulos suos*, id est quemadmodum ante ad Scribas, & Pharisæos dixerat, vt Hieronymus q.6.ad Algasiam animaduertit. *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, & hic suos*, quod Græcum verbum est, non tam villicum, quàm totius domus dispensatorem significat, quẽ & Latinè œconomum appellamus. Quod idem Hieronymus nostram emendans versionem monuit. Quæ res argumento est nouum ab eo testamentum conuersum non esse, sed veterem tantùm eius versionẽ nonnullis locis emendatam. Idem de cæteris cognatis verbis, quæ in hac parabola ponuntur, intelligendum est. Nam οἰκονομία quam noster interpres *villicationem* vertit, totius domus dispensationem; & οἰκονομεῖν quod reddit *villicare*, domum proprie gubernare significat. Nostro interpreti antiquis hoc loco verbis ex Pomponio sumptis vti placuit, quæ

Hieronymus nõ vt dotur auctor Latinæ editionis Noui Testamenti.

A Hieronymus, cùm in recepta iam vbique verbione reperisset, declarare, quam mutare maluit. Cæterum parabolæ verba perspicua sunt: itaque tota simul parabola explicanda est. Quò tendat initio diuitis quod in omni parabola inprimis intuendum. Tria in ea introducuntur personarũ genera. Homo dives, villicus, & debitores. Totidem rerum dispositiones, malè administrata, debita à villico cæteris debitoribus dimidia ex parte remissa, diligentia atque industria villici à domino laudata. Quibus omnibus accedit parabolæ conclusio ver. 9. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hominem, diuitiis, recipiant vos in æterna tabernacula. Hominem, diuitiis, recipiant vos in æterna tabernacula. Hominem, diuitiis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Universidad de Deusto
Biblioteca

causſa duos tantùm nominauerit, tamen idem villicum cum alijs, quos tacet, feciſſe indicat. Itaque nihil aliud habet numerus ille myſterij. Quòd autem alterum oleum, alterum triticum debuiſſe dicit, non alia cauſa factum arbitror, quam quòd de villico agebatur, qui villas, & agros domini locauerat agricolis; ſolent agricolæ oleum maximè in quibus regionibus prouenit, vt in Palæſtina, & triticũ debere. Potuit & in vino exemplum proponere, feciſſéque ſi plures duobus nominare voluiſſet, vt Pſal. 4. 8. *A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.* Quod verò centum vtrumque menſuras dicit debuiſſe, ideo numerum illum expreſſit, quia maximè notus, & vſitatus eſt, narrationémque reddebat maximè probabilem. In maiore numero minùs futiſſet fidei, in minore minùs gratiæ. At cur eundem in vtroque debitore numerũ poſuit? vt magis appareret quantum cuique eorum ex eadẽ ſumma remiſſum fuiſſet, quantum accepiſſet quiſque beneficij, quod in diuerſa debiti ſumma minùs vtique apparuiſſet. Alteri quinquaginta, id eſt dimidiam, alteri verò viginti, id eſt quintam debiti partem remiſſam fuiſſe ait, vt doceret, non eodem merito omnes ſibi obligaſſe, eadémque ratione debere nos non vno, ſed diuerſis, modis homines promereri. Quid cadus, quid corus eſſet, haud ſcio an quiſquam ignorare poſſit, tot iam de menſuris ſcriptis libris. Breuiter dicam כד cadus Hebræis vas ad omnia liquida portanda habile dicebatur. Iud. 7. 16. & 3. Reg. 17. 12. 14. 16. & 18. 34. Eadem menſura erat vt ex Thalmudicis traditionibus diſcimus, codẽ plane modo quo amphora Græcis & vas portabile & méſura dicebatur. Corum Hebræis חור menſuram liquidorum fuiſſe conſtat. 3. Regum. 4. 22. & 5. 11. fuiſſe autem eandem menſuram atque חמר Chomer, Rabbini tradunt R. Dauid Kimhi, 2. Paral. 17. 4. Iſa. 5. 10. Cõtinebat autem Corus, aut Chomer ſata triginta, quos noſter interpres medios ſolet vertere, Leuit. 27. 16. & Iſa. 5. 10. Itaque Corus habebat decem Ephi. Habebat enim Ephi ſata tria, vt apud Matt. c. 13. 33 declarauimus. Legat qui volet plura apud Ioſephum lib. 8. antiq. c. 2. & lib. 15. c. 12. & apud Ioſephum alterum Ben. Gorion. libr. 1. Quod ait villicus verſ. 6. & 7. *Accipe cautionem tuam & accipe litteras tuas*, idem eſt; nam litteras ipſas priùs cautionem appellauit interpres varietate, vt aliquando adſolet delectatus, cum idem Græcè vocabulum eſſet τὸ γράμμα ſcriptum. Vocauit autem litteras inſtrumentum, quo ante ſe debitor domino ad ſoluendos centum cados olei aut centum coros tritici obligauerat; quod apud ſe tanquam œconomus & omnũ facultatum domini ſui adminiſtrator villicus habebat, quódque prolatum debitori dedit, iuſſitque vt deleto maiore numero minorem ſcriberet. Quod autem dicit *Cito*, hominis mihi fraudulenti, & malè agentis eſſe videtur, timentis ne in ſcelere deprehendatur, ne quis dum adulteruntur litteræ, ſuperueniat.

Corus & cadus quæ menſura eſſent.

8. *Et laudauit dominus villicum iniquitatis.*) Qui hæc verba Euangeliſtæ, non Chriſti eſſe dicunt. Chriſtũ ipſum Dominum de more appellantis, dicentiſque villicum non à domino quidem ſuo, ſed à Chriſto Domino laudatum, ſenſum parabolæ mihi videntur eneruare. Hoc enim ipſum concludere Chriſtus volebat, quaſi à minori ad maius argumentando. Sic ille villicus ab illo ipſo domino ſuo, cui fecerat iniuriam, laudatus eſt, quòd rem ſuam ingenioſè, prudẽtérque egiſſet, vt ſe debitis liberaret; fore vt multo magis laudentur à Deo ij, qui non eius iniuria, ſed potius voluntate pauperes ſibi amicos facerẽt, vt Euthymius interpretatur. Nec quiſquam opinetur bonus auctor aliter intellexit. At quomodo dominus villicũ à quo fraudatus fuerat, laudare potuit? Non laudauit factum, ſed prudentiam, & induſtriã, qua vt pœnam effugeret, vſus fuerat, *quia prudenter*, inquit, *feciſſet* villicum autem iniquitatis Hebraico vocat idiomate, id eſt iniquum, data fortaſſe opera, quia dicturus erat poſtea. *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis.*

Quia filij huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.) Filios huius ſæculi quæ hunc mundum filios autẽ lucis, qui Deo ſeruiũt, appellari dubium non eſt; ratióque non obſcura; qui ſecundum hoc ſæculum viuit, in tenebris: qui ſecundum Deum, in luce ambulat. Plena ſcriptura eſt exemplorum, Iſa. 9. 2. Matth. 4. 16. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Lucæ 1. 79. *Illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis ſedent.* Ioan. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* & Ioan. 8. 12. *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris*, & c. 12. 35. *Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant.* Act. 26. 18. *Aperire oculos eorum, vt conuertantur de tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum.* 2. Cor. 6. 14. *Quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Epheſ. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sexcenta ſunt alia. Itaque ſi ant ithesim inter filios huius ſæculi, & filios lucis conſi deremus, intelligemus ſæculum hoc loco tenebras appellari. Quare D. Paulus Diabolum quem Chriſtus principem mundi huius vocare ſolet, Ioan. 12. 31. & 14. 30. principem tenebrarum vocat, quaſi mundus, & tenebræ idem ſint. Epheſ. 6. 12. Filios autem ſæculi, & filios lucis per Hebraiſmum dixit; illos quidem qui ſæculo; hos verò qui lucis eſt. Deo adeò moribus ſimiles ſunt, vt illi ex ſæculo hi ex Deo nati eſſe videantur. Solent enim Hebræi quod alicui rei ſimile eſt, filium eius appellare, quo filij parentibus plerunque ſunt ſimiles. Ioan. 12. 36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis.* Epheſ. 5. 8. *Vt filij lucis ambulate.* 1. Theſſ. 5. 5. *Omnes vos filij lucis eſtis.* Quod ſequitur *in generatione ſua*, ali᷑ eſt Hebraismus בדורם quod Latinè in genere ſuo dicunt. Hoc eſt prudentiores ſunt profani homines in malum, quam iuſti, & ſancti in bonum. Eſt enim ad malum procliue humanum ingenium, ideóque magis in eo ſolo proficit, quàm in bono. Adiecta hæc verba, tanquam correctionis & reſtrictionis loco. Nam ne quis exiſtimare poſſet villici illius prudentiam abſolutè à domino laudatam, aut filios huius ſæculi filijs lucis abſolutè prælatos eſſe; addidit, non quidè vere, ac re ipſa, ſed in malum prudẽtiores eſſe: Hoc eſt, opinor *eis τὸν αἰῶνα τοῦτον* in generatione ſua. D. Baſilius in Pſal. 48. generationẽ ſuam præſentem vitam interpretatur, & Cyprianus in epiſt. ad Iubaianum, & Origen apud D. Thom. Nemo interpretum quo rit, cuius hæc ſint verba, hominisne illius diuitis an Chriſti, an Euangeliſtæ, quod tamen ad intelligendum huius loci ſententiam maximè pertinet. Mihi Chriſti videtur eſſe opinionem hominis illius diuitis, qui villicum iniquitatis laudauerat, approbantis: quaſi diceret, & meritò quidẽ illius prudentiam laudauit: nam quòd ad prudentiam quidem attinet, filij huius ſæculi filijs lucis plurimum præſtant. Eodem planè modo, quo ſerpens omnium animalium quæ in paradiſo fuerũt, fuiſſe dicitur ſapientiſſimus. Geneſ. 3. 1. In hanc enim ſententiã D. Aug. lib. 2. de Geneſ. ad litteram c. 2. & Baſilius in Pſal. 48. & Origenes hom. 8 in Iſaiam hunc locũ inducunt. Ac Origenem quidem rectè ad hæreticos refert, qui in confirmandis tuendiſque erroribus ſuis mirè ingenioſi, mirè prudentes ſunt. Hoc enimuero eſt, quod minimè eſt in hac

Corus & cadus quæ menſura eſſent.

hac parabola ad rem ſignificatã accommodãdum. Nec enim Chriſtus docere voluit, peccatores, qui ſi lij huius ſæculi ſunt, prudentiores, diligentioréſque filijs lucis eſſe in quærenda ſalute, ſed eſſe debere: mouendumque illis omnẽ lapidem eſſe, vt ſeſe peccatis liberent. Nec fraudandum eſſe Deum, aut furta facienda, vt habeant, vnde pauperes ſibi amicos faciant; ſicut villicus ille fecit; ſed in hoc ſolùm parabola proponitur, vt intelligamus homini peccatori, & qui à Deo condemnari periclitatur, omnem diligentiam, omnem prudentiam, omnem artem licitam tantùm adhibendã eſſe, vt à peccato exeat, & condemnationem fugiat. Argumentum enim eſt à minore ad maius, & non à ſimilitudine, ſed à proportione ſumptum. Si villicus ille malis artibus, vt minimam, & temporalem pœnam fugeret, vſus eſt, quanto magis peccator, vt maximam, & æternam pœnam fugiat, omnibus bonis artibus vti debet: Et, ſi ille à domino ſuo, quem defraudauerat, laudatus eſt, quanto magis peccator, qui nõ Dominum fraudando, ſed illum potius in ſuis alendo pauperibus, prudens ac diligens fuerit, ab eo laudabitur? Id omnes auctores adnotauerunt, meliúſque ex parabolæ concluſione intelligetur.

9. *Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mãmona iniquitatis.*) Imitamini illũ, qui ex alieno liberalis fuit; itaque amicos ſibi parauit. Mammon, aut mammona Chaldaica vox, diuitias ſignificat. Quo etiam ſignificatu vocẽ fuiſſe Punicam auctor eſt Augu. lib. 2. de ſerm. Domini in mõte. c. 22. & ſer. 35. de verbis Domini ſecundùm Lucã. Itaque mammona iniquitatis Chriſtus vocat iniquè partas diuitias, quas nõ habet quidem vt iniquè & per fraudem, vt ille fecit, acquiramus; ſed vt ex iniquè acquiſitis amicos nobis ex pauperibus cõciliemus, qui nos, cũ defecerimus, in æterna recipiant tabernacula. Nec vult nos ex ſolis malè partis, ſed etiã ex iuſtis legitimiſq; diuitijs id facere: quid enim ſi quis ingẽtes habeat opes, aut bonis artibus, honeſtiſque laboribꝰ à ſe partas, aut ſibi à parentibus hæreditate relictas; qualis ille fortaſſe dines erat, de quo altera paulò infra parabola proponitur, qui purpura induebatur & byſſo; nam non debebit ex illis amicos ſibi facere? Quis dubitet? Sed dixit Chriſtus quod dubiũ erat; tacuit quod dubium non erat; & quodammodo à minore ad maius argumentatus eſt; ſi ex rebus alienis exemplo villici amicos nobis facere debemus, quãto magis ex noſtris? Ponebat etiã tanquam certũ diuitias eorũ, quibus cum loquebatur, inquè paratas fuiſſe, propterea de ſolo mammona iniquitatis mentionẽ fecit, & vt ex illo amicos ſibi conciliet, admonet. Ergo quod dicit *de mammona iniquitatis*, perinde eſt ac ſi dixiſſet etiam *de mammona iniquitatis*; id eſt non ſolum ex iuſtè, ſed etiã ex iniuſtè partis diuitijs. Eadem mihi videtur eſſe ſententia cũ illa. c. 11. 41. *Verumtamen quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Nam & illic de rebus per dolum, & rapinã acquiſitis loquebatur, quibus Phariſæos plenos eſſe dixerat, & ijsdem diuitijs, quibus ſibi damnationem adſciuerant, ſalutem quærendam eſſe docebat. Non quòd iuſtis diuitijs quærenda non ſit; ſed quòd iniuſtis etiam quærenda. Sic Theophylactum, Auguſt. ſer. 35. de verbis Domini, & Irenæum lib. 4. c. 49. ſecutus *mammona iniquitatis* interpretor. Niſi quis malit ex ver. 11 interpretari, quòd fugax, & fallax eſt. Hoc enim ſenſu illic iniquum appellat mammona. Aliam idem eodem loco D. Auguſt. & Beda in commentarijs interpretationem afferunt, vt omnes diuitiæ, quamuis iuſtis rationibus acquiſitæ, diuitiæ, aut *mammona iniquitatis*, appellentur, quia ſola ea iniquitas, id eſt homines iniqui diuitias eſſe putant: iuſtos enim non illas terrenas, ſed illas cæleſtes, atque ſpirituales diuitias appellare. Aliam Euthy. & idem Auguſt. in comm. in Pſal. 48. omnes diuitias mammonã iniquitatis eſſe, *quia aut de iniquitate, vt ait Auguſt. acquiſitæ ſunt; aut quia ex ipſa iniquitate eſt; quod tu habes, alter non habet, tu abundas, & alter eget.* Aliã Hieron. q. 1. ad Hedibiam. *Omnes* inquit, *diuitiæ de iniquitate deſcendunt, & niſi alter perdideris, alter non poteſt inuenire. Vnde illa vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſſima, Diues, aut iniquus, aut iniqui hæres.* Aliam Tertullian. lib. 4. contra Marc. & Ambroſius, quòd diuitiæ iniquum hominem faciant. Sed hæc omnia minus propriè dicta videntur, etſi ſuo quodam ſenſu vera ſunt.

Quid ſit cum defecerit.

Matth. 25. 9. 12.

Qui ſint amici ſibi nos recepturi.

Vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.) Quid ſit, *cum defeceritis*, & qui ſint amici iſti, & quomodo ſint nos *in æterna tabernacula* recepturi, tres ſunt propriæ huius loci quæſtiones. Deficere ergo quidam interpretati ſunt mori, vt Theophylactus, & Euth. Sed iſto modo oẽs & boni, & mali, & iuſti & iniuſti deficient, quia omnes ſunt omnino morituri. Cum ſatis appareat ex villici comparatione non omnes, ſed qui villicationis officio malè functi fuerint, eſſe defecturos. Alij putant eſſe condemnari in diuino iudicio. Sed quomodo eos, qui condẽnati in illo iudicio fuerint amici liberabunt? Cum virgines illas, quæ oleum in vaſis ſuis nõ habebant aliæ virgines vtique amicæ non liberauerint: Ergo, vt ſupra indicaui, deficere eſt alijs bonis operibus deſtitui, & à Deo, ſed in hac tantum vita, condemnari, remouerique à villicatione, vt ille dixit, id eſt priuari diuina gratia, excludi à diuino conſortio, fugari à Deo, vt apud Irenæum vertitur libr. 4. cap. 49. Quod cum nobis accidit, optimum remedium eſt eleemoſyna, vt in gratiam cum Deo redeamus. Eodem enim modo, vt ante dixi, hæc ſententia intelligẽda eſt, quo illa ſuperior c. 11. 41. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Pauperes eſſe amicos, qui nos in æterna tabernacula receperi ſint, ex ijs quæ ſuperius dicta ſunt, manifeſtum eſt, & omnes auctores inter ſe conſentiunt. Ambroſium vnum excipio, cuius eſt ſingularis ſententia, ſanctos eſſe angelos, meritóque ab omnibus repudiata. Nec enim angelis, ſed pauperibus in mammona iniquitatis eleemoſynam damus. Tertulli. in libro de fuga in perſecutione Gentiles intelligere videtur, à quibus eſſent Iudæi in tabernacula recipiẽdi, ſed non ſatis affirmat. An autem omnes omnino pauperes, quibus eleemoſynã dedimus, ſint nos in æterna tabernacula recepturi, non immeritò quæri poteſt. Quid enim ſi pauperes illi, quibus eleemoſynam dedimus, ipſi damnentur? Quomodo nos in æterna tabernacula recipient? niſi nos in infernum, quod abſurdũ eſt, propter datas ipſis eleemoſynas, dicamus recepturos. Propter hanc opinionem D. Auguſt. ſer. de verbo Domini. 35. ſolos videtur ſanctos intelligere. Quis ergo nos recipiet, cùm illi, quibus eleemoſynam dedimus, damnati fuerint? Non ſunt tam ſubtiliter iſta quærenda: ſed quia quæſtionem mouimus, diſſoluamus. Loquitur Chriſtus de ijs qui diuitias habent; quaſi omnes iniuſti, loquitur de pauperibus, quaſi omnes iuſti ſint. Non quòd illi iniuſti omnes, hi omnes iuſti ſint, ſed quòd plerunque illi iniuſti, hi iuſti eſſe ſoleant. Propterea dicit nos ab illis in æterna tabernacula recipiendos, quaſi illi in ijſdem futuri ſint tabernaculis. Quòd ſi aliqui non fuerint, recipient tamen nos, quia propter illos recipiemur. Cælum vocari tabernaculum ne dubium quidem eſt, non eo ſenſu quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo nos pauperes sint recepturi in cœlum. Psalm. 83. 12.

D Paulus Hebr. 9. 11. tabernaculum appellauit. Nam Paulus cœlum tabernaculum, id est aduru, sacratum sanctum sanctorum, quale in templo olim erat, vocat; hic tabernaculū quasi domicilium appellatum est, vt res significata, parabolæ responderet, in qua dictum fuerat; *Vt recipiant me in domos suas.* Quo autē modo nos pauperes in ea sint tabernacula recepturi, omnes quærunt. Nec enim penes ipsos potestas futura videtur admittendi nos in cœlum, vel inde excludendi, *Gratiæ enim, & gloriam dabit Dominus.* Præsertim cum Christus ipse dicat, *sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, nō est meum dare vobis, sed quibus paratū est a patre meo.* Matt. 20. 23. Minimè dubium quin propria auctoritate in æterna tabernacula recipere Dei proprium sit. Itaque reliquū est, vt pauperes nos ideo in æterna tabernacula recipere dicantur, quia propter illis factas eleemosynas recipimur, vt non tam ipsi, quàm merita erga eos nostra sint, quæ nos propriè recipiunt, vt Chrys. in comm. in Psal. 48. & homilia in epistolam ad Hebræos, & Gaudentius in lib. ad Germinium, & Basil. in asceticis, & Anastas. in quæstionibus interpretantur; illud etiam obseruant propterea non dixisse Christum, vt recipiant vos in sua tabernacula, sicut villicus dixerat, vt *recipiant me in domos suas*, sed *in æterna*, vt indicaret, non ipsos propriè, sed bona opera nostra esse, quæ nos recipiant, aut vt alij volunt, quia suis à Deo precibus impetrant, vt *in æterna tabernacula* recipiamur. Vtrúque ego significari arbitror nos & propter nostra in eos merita, & propter ipsorum preces recipiendos. Cùm enim dicit, *vt recipiant vos*, indicat proculdubio eos in ijsdem, vt ait Euthymius, tabernaculis esse, & aliquid pro nobis agere, saltē loqui, saltem orare. Nam recipere nos in cubiculum Regis dicitur, non ipse solum rex, cuius ea propriè auctoritas est, sed quisquis nobis aut precibus, aut aliquo alio modo obtinet ingressum. Quare duo ex hoc loco & merita nostra, & sanctorum pro nobis suffragia aduersus nouos hæreticos aperte colligūtur. Quo autem modo nos sint eò recepturi, vbi ipsi fortasse non erunt, supra docuimus. Tertulliani in libro de fuga in persecutione interpretationem, quia & singularis, & difficilis est, eius ponam verbis, nō vt sequatur, sed vt sciat lector.

De sanctorum suffragijs & meritis opetum.

Facite autē vobis amicos de mamona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Hæc ille. Si dixisset, qui in maximo fidelis est, & in minimo fidelis est: aut qui in minimo infidelis est, in magno infidelis erit; nullam haberet sententia difficultatem. Videretur enim argumentum esse à minori ad maius, id est ab eo, quòd minus videtur inelle, ad id quod magis. Cum autē dicat, *Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est*, admirabilis, & præter communem sensum videtur esse sententia. Cùm enim prouerbiū esse videatur, debeántq; prouerbia ex rebus sumi, quę aut semper, aut plerumq; fieri solent, hoc ex eo sumptum videtur, quod aut nunquam, aut raro fit. Quis enim fur non potius furatur, si ueniat magna, quàm paruæ? Itaque solet magnitudo ipsa rei probissimos, & fidelissimos quosq; fures facere. Si quis pretiosissimū in aliena domo vtinam inueniat, quo vno possit fieri ex misero locupletissimus, si nemo videat, facilius vtique furabitur, quàm si vas argenteum minimi pretij reperisset. *Credo* eo prouerbio tantùm spectatam fuisse hominem opinionem, qui, etsi est difficilius res magnas facere, quàm paruas, tamen ex paruis de magnis solere facere coniecturā. Cùm aliquē vidimus paruis furta facere, coniicere solemus fore, vt etiā magna faciat, & econtrario cùm vidimus paruā furta non facere, quæ pro peccatis non habentur, non pomi, non obolū negligēter habitū rapere, indicium nobis est magnæ in rebus magnis fidei. Hoc est, *Qui fidelis est in minimo, & in maiore fidelis est.* Minima vocat bona tēporalia, maiora spiritualia; argumēratur, si bona temporalia, quæ minora sunt, bene pauperibus impertiendo administrauerint, probabile esse fore, vt & spiritualia bene administrent, ideóq; illis eorum administratio cōmittatur, aut, quibus iā cōmissa est, non eripiatur. Loquitur de Gratia Dei, cæterisq; diuinis donis tanquā de ingenti aliquo thesauro, eius custodia, & administratio, cui datur, hominī cōmittitur, cui non datur, eripitur, tanquam indigno. In hunc sensum omnes veteres, nouiq; interpretes exponunt. sed eos versu sequenti, vbi eodē, sed obscurior sententia est, nominabo.

Si ergo in iniquo mamona fideles nō fuistis, quod vestrum est quis credet vobis?

11. *Si ergo in iniquo mamona fideles nō fuistis, quod vestrum est, quis credet vobis?*) Manifestū est verū iniquo opponi mamonę, cū iniquo æquū potius, & iustū opponi debere videretur. Cæterū iniquū vocauit falsa, quæ homines deludit ac fallit. Cui rectè opponitur verum. Vocātur autē falsæ diuitię tēporales, quia facile pereunt, spémq; eorū frustrātur, qui in ipsis confidūt. Verū autē māmona id est veras diuitias spirituales, quia perpetuo manēt, nósq; in æterna illa inducunt tabernacula. Itaq; similis hæc sententia illi est Matth. 6. 19. 20. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures nō effodiūt, nec furantur.* Ad hūc modum omnes quos legerim, veteres auctores exponūt, Iren. lib. 2. c. 64. Cypr. in lib. de vtilitate patientiæ, Ambros. lib. 3. allegat. Marc. ille Asceta in disputatione cū cauillatore Scholastico, Cassian. collat. 3. c. 10. Gaudētius in tractatu ad Germinū, qua hāc parabolā edisserit, Beda, Theophyl. Euth. Simili D. Paulus 1. ad Tim. 3. 5. argumēratus, vsus est, *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*

12. *Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis credet vobis?*) Hæc tertia sententia est, si verba tantùm spectes, longè quàm prima admirabilior. Quo enim modo sequitur nō esse futurū in rebus suis fideles, qui in alienis fidelis nō fuerit? Quis sibi ipsi fidelis nō est? Cæterū vt auctores illi quos supetiore versu nominauimus, & D. August. lib. 1. qq Euāg. c. 5. interpretatur, alienū vocat quod temporale, nostrum, quod spirituale est, quia illas diuitias, cū mortimur, hic relinquimus, has nobis cū in cælū ferimus. Ve-

Iustificare quid sit hoc loco, contra Lutheranos, et Caluin.

timueris, cùm dives factus fueris homo, et cū multiplicata fuerit gloria domus eius, quia cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius, Ps. 48. 17. 18. &, *dives cum dormierit nihil secum auferet, aperiet oculos suos & nihil inueniet*, Iob. 27. 19. Hac ratione bene constat argumētatio: si in alienis, id est in rebus temporalibus fideles dispēsatores nō sumus, neq; in nostris futuros esse; quia difficilius vtiq; est spiritualia, quàm temporalia bona bene, prudentérq; dispēsare. Quo ergo modo Deus spiritualium bonorū administrationem nobis credet, quod est nos villicos suos facere, aut factos à villicatione non remouere, si bona temporalia, quæ nobis commiserat, imprudenter, infidelitérque administrauimus?

13. *Nemo seruus potest duobus dominis seruire.*) Hęc sēntia apud Matth. c. 6. 24. declarata est. Sed vt apparet Matthęus alieno, Lucas suo loco posuit: cū enim Christus de mammona, id est de diuitijs agere cœpisset, credibile est eodē loco hanc de eodem mammona addidisse sententiam; *Nemo seruus potest duobus dominis seruire, &, non potestis Deo seruire, & mammonæ.*

14. *Audiebant autē omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum.*) Ideo dicit audisse Pharisęos tā quam rem miram, quia ver. 1. dixerat, *Dicebat autē ad discipulos suos*: cū ergo omnia superiora discipulis suis dixisset Christus, non poterat scire lector audiuisse nisi id Euangelista declarasset. Ergo etsi Christus ad solos discipulos suos orationem conuerterat, adstabant tamen Pharisæi, & subausultabāt, quid illis diceret, sēd fortassis audidus, quo magis videbāt eū ab ipsis auertere sermonē, & quasi secretum aliquid di centū ad suos se conuertere. Is sensus magis Græcè, quam Latinè expressus est, ἦκουον δὲ ταῦτα πάντα καὶ οἱ φαρισαῖοι φιλάργυροι ὑπάρχοντες, *Audiebant autem hæc omnia & Pharisæi*, id est non solum discipuli quibuscum loquebatur, sed etiam Pharisæi, quibuscum non loquebatur. Illi igitur, quia & Pharisæi homines iniquo aduersus Christū animo, & auari erant, Christū detiebāt. Vbi mali verbi Dei auditoris exprimitur imago. Nihil est, quod magis auditoris fructum impediat, quàm si aut offenso in concionatorē animo sit, aut cōtrario ijs quæ dicuntur affectu sit occupatus. Surdis canitur, cū aut auaris liberalitas, aut ambitiosis humilitas, aut impudicis castitas cōmendatur. Vtrumq; in Pharisæis erat impedimentū. Atq; hæc fortasse causa fuit, quamobrem ab illis ad solos discipulos suos orationē trāstulit, quòd videret eos idoneos auditores nō futuros eorum, quæ dicturus erat; & nolebat ante porcos proiicere margaritas. Et tamen conculcaturos eas pedibus suis, & conuersi contra Christum ipsum dirumpebant eū, id est detrahebant, & proscindebant conuitijs. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur.

15. *Et ait illis, vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra.*) Apta ad Pharisæos responsio; cum enim iusti videri vellent, ex eo quòd quæ erant spiritus Dei, percipere non poterant, apertè ipsorum hypocrisis apparebat. Quamliber magnam speciem sanctitatis præ se ferrent, intus tamē corruptos eorum esse animos, qui verbum Dei capere, aut continere nō possent. Iustitiam coram hominibus, hoc est externam opponit internæ cordis nequitiæ. Triplex enim hic antithesis latet. vna, qua iustitia nequitiæ; altera, qua externum interno; tertia, qua Deus hominibus opponitur. Nam cum dicitur, *Deus autem nouit corda vestra* insinuatio est, qua plus dicitur, quàm significatur, nempe corda ipsorū iniquitatis plena esse. Ea figura vti solemus vulgò, cum indicare aliquid occultum, & tam magnum vo-

lumus, vt aut explicare nequeamus, aut timeamus ne fidem superet. Nouit Deus quantum ego ex obtutibus, qui inimicus putor esse, dolorem ceperim. loquitur ergo Christus tanquam homo, qui Pharisæorum animos ignoraret, nollétque apertè de illis iudicare, sed Deo iudicium relinquere. *Deus*, inquit, *nouit corda vestra*, quòd cum facit, plus indicat, quàm si clarissimis dixisset verbis, Corda autē vestra omnis nequitiæ, & iniquitatis plenissima sunt, & loquitur moderatiùs, fugitque eorum inuidiam. Iustificare hoc loco significat iustum se ostēdere, ac declarare qui non sit. Quo loco abuti Lutherani, & Caluniani hæretici solēt, vt probent iustificationē nostram nihil esse aliud, quàm iustitiæ Christi imputationem, qua iusti habeamur, ac declaremur, cū vere iusti non simus. Nec vident cæci hunc ipsum locum, quem magno sibi præsidio esse putant, aduersari maximè. Nec enim hic iustificari est, aut Christi, aut alterius cuiuspiam iustitiam ei qui iustificatur imputari. Itaque si ex hoc loco iustificationis regula sumenda est, nunquam iustificari erit imputatione iustitiæ haberi iustum. Deinde non animaduerterunt homines in bonum tardi eo ipso, quòd Christus dicit, *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus*, indicare aliā esse iustificationē, qua nō ipsi nos, sed nos Deus iustificet, & iustificet non coram hominibus, sed coram se, id est non sola opinione, non sola imputatione reputationéve, sed verè, atque reipsa. Hoc enim Hebraica phrasis significat, *coram Deo*, præsertim cum alteri opponitur phrasi, *coram hominibus*. Ea igitur iustificatio, cum huic, de qua hic Christus agit, opponatur, & hæc sola consistet opinione, non vtique opinione sola, hoc est imputatione iustitiæ, sed re ipsa, & veritate constabit, efficiemúrque per eam verè apud Deum iusti. Ergo quamuis iustificandi verbum significet, vt Augustinus interpretatur, verè ex impio, aut iniusto iustum facere, quemadmodum vox ipsa sonat: tamē duo verba, quæ illi hoc loco copulantur, efficiunt, vt non verā, sed opinatam iustitiam significet, *Vos, & coram hominibus*. Quorum duorum verborum vim quisquis ad eum modum, quo paulò ante dximus, nō intelligit, huius loci sententiam intelligere non potest. Quòd si hæc argumenta hic nō haberemus, tamen ex alijs locis perspicuum esset diuersam esse iustificationē nostram, nósque cùm iustificamur, verè, propriéque ex iniustis fieri iustos. Quod enim est quod ait D. Paulus 1. Corint. 6. 11. *Et hæc quidem fuistis, sed ablati estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri*: nisi, ante quidem fornicarij, idolis seruientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces fuistis, (de his enim locutus fuerat) modò nō estis, quia iustificati, id est iusti facti estis? Quid est quod dicit Rom. 5. 1. *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*, nisi cum iam non peccatores, sed iusti simus, pacato aduersus Deum, & tranquillo simus animo: Sed hæc quæstio copiosius à nobis, & loco magis proprio, Rom. 4. 3 4. disputabitur.

Quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.) *Altum*, dixit, quod admirabile est, & magno in pretio, quia solemus quę magni facimus, quæque admiramur laudibus in cœlum ferre. Dubium verò cuius rei ratio reddatur. Nonnulli non eorum, quæ dicta sunt, sed eorum, quæ intelliguntur, reddi putant. Intelligitur, corda autem vestra plena sunt iniquitate, huius, inquiunt, rei redditur causa, quia *quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* Ego potius credo causam reddi diuersitatis diuini humanique iudicij, non quòd aliquando, quod homi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes bonum iudicant,nõ etiam vere apud Deumbonum sit;sed quòd frequẽter cõtra accidat, vt,quod homines admirantur,id Deus omnino reprobet,atque condemnet. Hoc est, *abominatio est apud Deum.* Significat enim id nomen non qualecunque malum,sed tam magnum,tam absurdum, tam horrendum, vt statim visum, vel auditum non solum improbemus; sed horreamus etiam,ac detestemur. Itaque quemadmodũ cum dicit,*quod hominibus altum est*, significat summum hominum opinione bonum;ita cum dicit, *abominatio est apud Deum*, summũ Dei iudicio significat malum. Sententia sæpe in diuinis litteris celebrata. *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo,& tu videbis?*Iob 10.4. *Nec respicias vultum eius,neque altitudinem staturæ eius,quoniam abiecit eum,nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea,quæ parent,Dominus autem intuetur cor,*1. Reg. 16.7. *Nunc vos Pharisæi,quod deforis est calicis,& carnis mundatis,quod autem intus est vestrum,plenum est rapina,& iniquitate,*supra c.11.39.& Matth.23.25. Omnia quæ vsque ad ver.19.sequuntur, exposita à nobis sunt apud Matthæum.

19. *Homo quidam erat dives qui induebatur purpura,& bysso,& epulabatur quotidie splẽdidè.*) Prima hic quæstio est illa vulgaris num hæc historia, an parabola sit. Theophylactus quidem non solùm parabolam esse putat, sed adeo certus asseuerat, vt qui historiã esse dicunt ἀνόητος, insipientes appellet. Iustinus quoque q.60 & Theophyl. Antioch.lib.4.allegor.& Euchẽrius in quæstionib.in Lucã,& Chrysost.quattuor de Lazaro homilijs,vbiq; parabolam vocãt. Alijs præterea nemo,quòd sciã. Quin omnes alij auctores historiam esse dicunt. Iren lib.2.c.61. Tertull.in lib de anima c.de substãtia animæ. Clemens,vt videtur,li. 2.Pædag. Chrysetiam hom.6.in 2.epist ad Cor.& in hom.de beato Iob,& in hom.de eo quod scriptũ est in Ps 25.11. *Redime me,et miserere mei*, Ambr.in cõm. Euthym.hoc loco,quorum sententia his fere argumentis probabilis efficitur. Primum quòd,vt adnotauit Origen. in c.11.Iob & Chrysost in hom.de Lazaro,& diuite in parabolis nomina personarũ, quæ introducũtur,exprimi nõ soleant. Quo argumento Origenes,alijque auctores aduersus quorundam Iudæorum opinionem probauerunt librum Iob veram historiam,non parabolam esse ad informationẽ morum fictam. Deinde quòd nullam Christum parabolam ex rebus quæ post hanc vitã fiunt,sumpsisse videamus,quòd,cum omnis parabola ad docendum, quòd minùs,alioqui intelligeremus,afferatur,ex ijs rebus sumi debeat,quæ nobis ante oculos obuersãtur quales profecto illæ nõ sunt,quę in altera gerũtur vitaivide alia huius rei argumenta in fine huius versus,& ver.20. Exemplũ igitur hoc est rei verè gestæ,quod solus Christus,qui vt Deus nõ solũ quidquid in hac,sed etiam quidquid in altera vita gerebatur,rectè sciebat,narrare potuit. Itaq; voluit ostẽdere eius historię narratione se Deũ esse,& penes se eius esse fidẽ. Vera hæc omnia sunt,sed credo ego, nec solam iustoriã,nec solam parabolã esse,sed mixtum quiddã ex vtraque,qualis apud poëtas Tragicomœdia esse dicitur,atq; hęc ipsa est Iustini sententia. Nã quòd dives ille,& Lazar⁹ fuerit, quòdq; ille in infernũ sepultus,hic ab angelis in sinum Abrahę portatus fuerit,historia est. Quòd autẽ dives ille cũ Abrahã locutus fuerit, eúmq; rogauerit, vt Lazarũ ad se mitteret,qui gutta aquæ linguã suã refrigeraret,parabola est historiæ adiuncta, quemadmodum eo loco probaturi sumus, nec enim, qui in inferno sunt,sanctos rogare solẽt. At quorsum siue parabolã siue exemplũ proposuit præsertim cum paulò ante

Abominatio apud Deũ quid dicatur.

Num hæc historia an parabola sit.

Quorsum proposita fuerint hæc historia sine parabola.

A nõ iã de diuitijs, sed de adulterio,& matrimonio dixerat. Quidã ad superiorẽ disputationẽ referunt, ver.9. *Facite vobis amicos de mamona iniquitate, vt cum defeceritis,recipiãt vos in æterna tabernacula.*&, *non potestis Deo seruire,& mãmonæ.*ver.13.vt Chrysostomus,de diuite,& Lazaro,& bene aptẽ;hęc historia cum illa parabola cohæret;estq; vero simile Christum illam addidisse,vt quod parabola docuerat,exhibita res historia. Sed non facile mihi persuaserim,eo quòd tribus proximis versib⁹ dicta sunt,hoc loco à Christo pronũtiata,sed eò potius,quo Matthæus retulit. Cæterũ Lucas nõ habita ratione temporũ,in vnũ,vt sese scribẽti offerebant,locum contulisse. Deceret ergo exẽplo,quod antè similitudine tãtùm quadã,& parabola docuerat,multo meliorẽ pauperum, quàm diuitũ cõditionẽ esse neminiq; suas in altera vita diuitias profuturas,nisi quatenus eos hic cum pauperibus communicauerit. Ideo tã splendidi describit diuitẽ,tam miserabilẽ pauperẽ, vt maiorem persuadendi vim habeat exemplũ,cùm is,qui maximè dies fuerat,coactus in altera vita sit ab eo,qui maximè fuerat pauper, vel guttã vnã aquæ medicare. *Induebatur*, inquit, *purpura,& bysso,& epulabatur quotidie splẽdidè.*Eodem modo Salomon Prou.31.22. diuitem,& gnauam matrem familias describit. *Stragulatam vestem fecit sibi,byssui,& purpurã indumentum eius.*Purpuram proprium Regum fuisse vestitũ, aut virorum principũ,quibus illi,vt eo vti possent,magno beneficio concessissent,nemo nescit, & ex Daniel.c.5.7.16.29.& 1.Machab.10.20.& 11.58.& 14.43.44.perspicuũ est. Itaq; si tam facile comectarias vellẽ credere,quàm credere nõnulli solent, Regem potius aliquem,ac fortassis Herodem,aut certe Regulum,quales multi tunc erant,fuisse dicerem,& ex habitu probarem,quam quòd Euthym.ex Hebræorum traditionibus,aut potiùs fabulis dicit fuisse diuitem quendam sub id tempus,cui Nineuit nomen esset. Minuunt fidẽ opinionis mali auctores Hebræi. Non abs re quidam quærunt, quid causæ fuerit cur pauperem Christus nominauerit,diuitem nõ nominauerit: cum diuitum nota vulgo,& celebrata, pauperũ ignobilia,& obscura nomina esse soleãt. Chrysost.ho.de diuite & Lazaro,& Gregor.& Beda hãc reddunt causſam,*quòd Deus humiles nouit,atque approbat,& superbos ignorat. Vnde & quibusdam de miraculis virtute superbientibus,in fine dicturus est,nescio vos.* Sed *si dicitur,scit sum nouit ex nomine tuo.* Ait ergo de diuite. *Homo quidam,ait de paupere,egenus nomine Lazarus.* Ac *si aperte dicat,Pauperem humilem scio,superbum diuitem nescio,illum cognitum per approbationem habet, hunc per iudicium reprobationis ignorat.* Aptè quidem ad motiua nescio an ad sensũ. Veriùs fortassè dici poterat prudentiæ atq; moderationis fuisse Christi,vt pauperi,quem laudabat nominaret,diuitẽ, quem virtutem habẽdæ rationis expertem esse sciebat,nõ nominaret,ne & illi iniuriã facere & sibi inuidiam conflare videretur. Itaq; ex hoc ipso, quòd probari videtur posse non historiam hanc,sed parabolam esse,quòd non nominet personam: diuitem maximè historiam esse cõfirmatur. Si enim parabola fuisset,& in parabolis personarum nomina licuisset exprimere,non minùs vtiq; diuitem,quàm pauperem nominasset,nullã in ficta narratione cuiquam facturus iniuriam,nullam inuidiam subituras. Cæterum,quia veras,nõ fictas personas introducebat, habẽda ratio fuit honoris eius,qui damnatus dicebatur. Quisquis dives ille fuerit Iudæum certe esse ver.24.& 31.fuisse constat.

20. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus,qui iacebat ad ianuam eius,vlceribus plenus.*) Sicut summum

diuitis

diuitis in hac vita fœlicitatem descripserat,ita summam nunc pauperis miseriam describit. Quòd eius nomen exprimit,ideo facit,vt maiorem historiæ fidem conciliet. Constans omnium auctorum opinio est,alium hunc fuisse Lazarum,quàm illũ,qui Martha & Mariæ frater fuit,quémque Christus mortuũ exsuscitauit,Ioan.11.1.43.& 12.1.2.9.10.17. Ea totius Ecclesiæ sentẽtia est,quæ duos facit Lazaros & vtrique cultũ exhibet ac decidat templa;quod alterum est argumẽtum ad probandũ,quod supra dicebamus,historiam hanc esse,non parabolam. Nec enim Ecclesia personæ quę nunquã fuisset,cultum exhiberet. Non solum pauperem,sed,quod miserabilius est,mendicum fuisse dicit. & vlcerosum,& ad ianuã diuitis iacuisse;quæ omnia emphasim singularem habent. Nã quòd mendicũ,& vlcerosum fuisse ait,indicat adeo fuisse miserabilẽ,vt vel crudelissimi cuiusque animum ad cõmiserationem cõmouere posset. Quòd autẽ ad ianuã diuitis iacuisse,ostendit diuitem eius miserabilẽ conditionem ignorare non potuisse,cum quotidie siue egrediens domo,siue domum regrediens in illum incurreret; & eius ũditatem, maciem, vlceráque conspicere cogeretur,nec tamen motum erga illum fuisse commiserationẽ;cupuisse enim pauperem de micis, quæ de eius mensa cadebant,saturari, neminémque illi dedisse. Nam etsi hæc vltima verba, *& nemo illi dabat*, in multis Græcis,& non in omnibus Latinis codicibus leguntur,tamen siue legantur,siue non, manifestum est neminem illi dedisse, cum ad ianuam iaceret expectans,vt sibi aliquid vel ex micis porrigerent;vt Diuus Augustinus hom.7. argumentatur. Magni auctores mysterium in hoc Lazari nomine obseruarunt, & adinuentum à Deo interpretati sunt. Legat,qui volet,Chrysostomum homilia de diuite, & Lazaro & Augustinum Psal.69.& Gregor.lib.25. Moral.cap.18. sed iudicium adhibeat, caueátque ne nimis libere ludat in re minimè necessaria.

21. *Cupiens saturari de micis,quæ cadebant de mensa diuitis.*) Cupiens vel eiusdem esse apud diuitem conditionis, cuius canes eius erant. *Nam & catelli*, inquit mulier illa Chananæa,*edunt de micis,quæ cadunt de mensa dominorum suorũ*. Exprimit his verbis extremam paupertatem,famem,atque miseriam. Quemadmodum c.15.16.extremam adolescentis illius famen expressit,*Et cupiebat*, inquit,*implere ventrem suum de siliquis,quas porci manducabant,& nemo illi dabat.*

Sed & canes veniebant,& lingebant vlcera eius.) Indicat summortuum ad ianuam diuitis iacuisse. Nec enim ad hominẽ viuum,& vigentẽ accessissent non imitati canes,vt eius lingerent vulnera. Indicat etiã tam purulenta fuisse vlcera, vt canes ad illum tanquam ad proiectum cadauer accurrerent,vt sanies, vel sanguinẽ elingerent. Nec enim significat Christus,quod vulgaris quædam fert opinio,canes,quasi diuinitus impulsos beneficij causſa ad lingenda Lazari vulnera accessisse, vt ea lingua curarent, quæ vim dicitur medicã habere,itaq; dolorem illi alleuarent;sed suo potius cõmodo,vt Lazari sanguine,pure,que saturarentur. Non enim id Christus agebat,vt doceret,quid Lazarus leuamenti. sed quid miseriæ, dolorisq; habuisset,támq; ipsum inopem ac miserũ; diuitem verò contra tam crudelem fuisse, vt, cum ipse de micis, quæ de mensa cadebant diuitis, quibusq; eius canes satiabantur,edere non posset, eius quodammodo sanguine canes diuitis saturarentur. Itaque paucis admodum verbis,& miseriam Lazari, & diuitis asperitatem,atque crudelitatem exaggerat.

22. *Factum est autem,vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.*) Phrasis illa,*& factum*

Lazarus mendicus & vlcerosus fuit.

Lazarus ad ianuam diuitis iacuit.

Lazarus quotidie videbat diuitem.

Lazarus ad ianuam diuitis iacuit.

Lazarus ad ianuam diuitis iacuit.

Lazarus ad ianuam diuitis iacuit.

Lazarus ad ianuam diuitis iacuit.

Lazarus ad ianuam diuitis iacuit.

est,ex Hebraico idiomate descendens casum significare soleat. Sed nescio an hoc loco maiorẽ quãda habeat significationẽ,vt nõ casu,aut natura, sed miseria illa,quã ante descripserat factũ indicetur, vt Lazarus moreretur. Quod ipsũ ad exaggerandã miserabilẽ eius conditionem maximè pertinebat. Aliquod est argumentum, quòd cum de diuite loquitur,non dicit, & factũ est vt & dives moreretur:sed *mortuus est autem & dives.* Quod autem ait portatũ fuisse ab angelis,bonorũ angelorũ significat ministeriũ, *Oês*, inquit,*angeli administratorij spiritus sunt in ministerium missi propter eos,qui hæreditatẽ capiunt salutis*,Heb.1.14. Confirmatur ex hoc loco Theologorum opinio animas iustorum à corporibus egressas à bonis angelis in cœlum;iniustorum verò à malis in infernum deportari. Nam tanquam rem nõ omnibus cõmunem sed solis sanctis propriã Christus narrat,quòd angeli animã Lazari portauerint,indicans animas dãnatorum aut non ab angelis,aut non à bonis portari solere. Etsi Hieron.in 7.c.Danielis,& Ambros.lib.5. epistolarum epist.21.& bonorum,&malorũ animas à bonis angelis illas in cœlum,has in infernũ duci videntur existimare. Illud magis receptum est, atq; probabile. Verum quod nonnulli Theologi,ex hoc loco colligunt animas corporib⁹ exutas moueri nõ posse loco,quòd ab angelis quasi mortuũ,&ignauũ onus dicãtur deportari,nimis argutũ est. Nec enim portandi verbum eam hic habet vim, vt significet onus humeris estare;sed pro, ducere positum est, vt in illo loco Ps.90.12. *In manibus portabunt te,ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Non enim significat Dauid angelos manibus suis portaturos Christũ,sed ita ducturos,quacunq; incederet,itáq;protecturos, vt nõ magis ad lapidẽ posset offendere,quàm si manibus gestaretur. Eodem prorsus modo hoc loco significatur iustorũ animas ab angelis tutò in cœlum duci,ne eas dæmones inuadant. Quare nõ magis ex hoc loco animas, quam ex illo Psalmi Christũ moueri non posse,probari potest.

De sinu Abrahæ,quid,& vbi esset,magna quæstio. Nõ fuisse sinũ ipsum corporis Abrahæ nemo,vt opinor,dubitat,& Aug.lib.4.de aia ad Vincẽtium c.14. manifestũ esse putat. Certum igitur est locum aliquẽ fuisse quietis,in quo Abrahã,& cæteri iusti verarentur dũ *acciperẽt*,vt ait D.Paul⁹ *repromissionẽ*, *Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt nõ sine nobis consummarentur*,vt idem Augustinus eodem loco ait,& in epistola ad Dardan.67.& in epistola ad Euodium 99. An corporeus locus fuerit,dubitare idem solet Augustinus;Gregorius verò Nyssenus in disputatione de anima,& resurrectione non dubius negat fuisse corporeum. Sed vtrumque ex hoc loco haud obscurè colligitur. Cum enim sinum Abrahæ inferno,vbi dines ille cruciabatur,qui certè corporeus locus erat,Christus opponat dubium esse non potest,quin sinus etiam Abrahæ corporeus locus fuerit,sed requietis. Non enim opponuntur,nisi quæ sub genere eodem contraria sunt.

Vbi fuerit, subtúsne, an supra terrã,affirmare nusquã ausus est Augustin⁹ homo in sustinendo iudicio mirę prudentię. Nam quo minùs sub terra esse diceret,obstare putabat,quòd Abrahã dixerit,v. 26. *inter nos & vos chaos magnum firmatum est*, quasi si sub terra vterq;locus fuisset,& ille vbi Abraham,& ille vbi dives erat,tantum inter eos chaos esse non potuisset. Hoc argumentum post,cum ea explicabimus verba,diluemus. Ambrosius in oratione de obitu Valentini,& Beda in commentarijs huius loci in cœlo videntur collocare; sed credo eos de nostro loqui tempore, quo tempore cùm in cœlum Abra-

Sinus Abrahæ quid fuerit.

Hebr. 11. 39.40.

In Categorijs cap. de Oppositis. Vbi fuerit sinus Abrahæ.

ham

Universidad de Deusto
Biblioteca

ham translatus sit, & ibi sinum Abrahę, vbi Abrahā ipse est, esse oporteat, in cœlo posuisse. Quod confirmare videtur Christus cum dicit; *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham Isaac, & Iacob in regno cœlorum*. Matth. 8. 11. Legi qui sinum Abrahę illum ipsum paradisum, in quo Adamus fuit ante peccatum, fuisse dicerent, in eámq; sententiam propensus est August. Quod minimè omniū credibile est. Illū enim paradisum supra terrā fuisse scriptura, testatur; sinum verò Abrahę supra terrā fuisse quis credat? cum iā tum paradisus ille nō esset, qué Deus plantasse dicitur, inuenturis eū, si esset, multis, siue casu, siue quęsitū industria. probabilissimū quod posteriorū Theologorū obtinuit opinio, fuisse sub terra distinctū quiddā ab omnibus alijs pœnarū locis, qualis infernus, & Purgatorij erant, cum quietis locus esset, & supplicijs opponatur. Eam sententiā Iulianus Toletan⁹ Episcop⁹ & ipse sequitur li 2. Prognostic. c. 4. & Augustini esse putat. An ab eo loco distinctus fuerit, in quo nūc infantes sine baptismo de vita decedētes recipi creduntur, Theologi dubitāt, nec est quicquā de re dubia temerè pronuntiandum. Si quis ista requirit, magni Tostati Paradoxa legat.

Illud huius proprium est loci, vt doceamus, quā obrem locus ille quietis, vbicúque tandē fuerit, sinus Abrahæ dict⁹ sit. Nam ita vulgo vocatū fuisse, quāuis hoc vnū scripturę testimonium sit, ex hoc tn vno satis est manifestū. Sic enim Christus locut⁹ est tāquam de re vulgo eo nota nomine, & vsitata. Duplex quæstio cur sinus, & cur Abrahæ potiùs, quàm alterius dictus fuerit? Theophyl. à sinibus maris, id est apticis locis, in quos se naurgātes solent recipere sinū Abrahæ dictū putant, quòd in eū locū sancti reciperentur. August. verò ser. de tempore 110. quod locus secretus esset. Credo ego à discubentibus sumptam fuisse metaphorā, quorū hic erat ordo, vt cui proximus quisq; esset, in eius recūberet sinum. Quēadmodum Ioannes in cœna illa nouissima in sinum Christi recubuisse dicitur, Io. 13. 23. quia ergo, quod in sinu est, cōiunctissimū, & carissimum nobis est, & qui amat, tunc maximā capit voluptatē, cum in sinū eius, quē amat, recumbit, vt idem indicauit Ioānes qui cum dixisset; *Erat vnus ex discipulis eius recumbens in sinu Iesu*, quasi explicandi caussā addidit, *quē diligebat Iesus*; factum est vt sinus locus maximæ voluptatis, & personæ amatæ coniunctissimus vocaretur. Sic Filius in sinu Patris esse dicitur Ioann. 1. 18. Itaq; aliqua mihi suspicio est non totum illum locū, vbi cum Abrahamo iusti quiescebant; sed in eo loco illum situm, qui Abrahamo proximus erat, sinum Abrahæ vocatum esse, vt sensus maior sit, quàm putatur vulgo, Lazarum nō solùm in locum requietis ab angelis portatū fuisse; sed in ipso sinu Abrahæ, id est in loco illi proximo, quia & meritis proximus erat, collocatum. Quemadmodum cum apud Matthæū dicit; *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recūbet cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorū*, nō solū significat multos Gētiles, de quibus loquebatur, locum aliquem in regno cœlorū, sed etiam primas sedes habitutos, sessuros enim iuxta Abraham, Isaac, & Iacob, qui tanquam patres quasi primo loco sedentes introducūtur. Id enim agebat, vt multorum Gentilium gloriam maximè exaggeraret. Sicut id hoc loco agit, vt Lazari merita, & præmium; diuitis culpam, & supplicium exaggeret. Quemadmodum ergo, cum diuitem in inferno sepultum fuisse dicit, indicat, vt postea docebimus, eum in profundissimum inferni locū fuisse detrusum maiora ibi, quàm cæteros damnatos suppitia subiturum; sic, cum Lazarum in sinum Abrahæ dicat esse portatum, non solùm significat in locum quietis, sed in locum Abrahę proximum fuisse delatum, vbi maiore, quam plerique alij, qui eodem erant loco voluptate fruerentur. Simile in Apostolis exemplum est; quamuis enim omnes cum Christo in cœna recūberent, omnes eius consortio, præsentiaq; & eiusdem honoris mensæ fruerentur, tamē maiore fruibatur Ioannes, qui in sinum Dñi recubebat. Hoc, in quā, valde mihi probabile videtur: sed quia meum est inuentum modo timidus in asseuerendo esse, quam temerarius.

Cur locus illequietis sinus dicatur sit.

Cap. 8. 11.

Alterius quæstionis, quare Abrahæ potiùs, quam alterius cuiuspiam sinus dictus fuerit, præterea addam, qui & in terrestri illo paradiso, & in hoc quo nunc agimus, primus vtique fuit, ante ecclesiæ cunctus, diuersæ sunt sententiæ. Theophyl. in cōmen. & Chrysost. ho. 3. de Lazaro hanc afferunt caussam, quòd Abraham hospitalitatis virtute excellerit, *Angelis* etiam, vt ait D. Paulus Hebr. 13. 2. *hospitium* præbuit. Gen. 18. 3. Lazarū ergo in sinum eius tanquam hospitem receptum dicit, à quo enim nisi ab Abrahamo hospitio recipi potuisse, qui angelos etiam recipiebat? Melius sentiunt, qui caussam esse putant, quòd Abraham pater fuerit omnium credentium, atque omnes sanctos in sinum eius, tanquam filios in matrum patris fuisse receptos. Adamum etiam ipsum, & Abelē, & quicunq; Abrahamum ætate præcesserunt, quia illi ipsi nisi imitatione futuri Abrahami credidissent, eiúsque quodammodo similitudine fuissent filij, salui non fuissent. Sic August. lib. 4. de origine animæ c. 15 & Cyrillus lib. 1. in Ioann. cap. 52. Placet etiam, quod Tostatus ait habere rationem promissionum, quæ Abrahamo potissimùm factæ sunt, vt in semine eius omnes gentes benedicerētur, Gen. 12. 3 & 18. 18. & 22. 18. Quia nim omnibus in illo promissum est, omnibus ad eius similitudinem soluitur, & in eum, vt ita dicā, desinunt. Eadem prorsus ratione, qua illi qui ex Oriente & Occidente veniunt, nō cum Adamo, sed cum Abraham, Isaac, & Iacob recumbere dicuntur, Matth. 8. 11. quia tribus illis potissimùm patriarchis promissiones factæ sunt.

22. *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.*) Haud dubium, quin Christus non casu, sed certo consilio aliter de diuite, quàm de Lazaro quatur. De Lazaro dixit, *Factum est vt moreretur*, fame: denique ad ianuam diuitis iacēs mortuus est. De diuite autem nō dicit; Factum est vt moreretur, quia non fame, sed nimia potiùs fortasse satietate mortuus est; sed dixit, *Mortuus est autem & diues*, quasi dicat, cum diues esset, cui nihil ad sanitatem deesset, tamque tuendam deesse videretur, tamen mortuus est, sicut & Lazarus. De Lazaro non dixerat fuisse sepultum; quia pauper cum esset, insepultus fortasse relictus est aut quia aliud habebat, quod de illo diceret honorificentius, ab angelis in sinum Abrahæ fuisse portatum. De diuite dicit fuisse sepultum, quia nihil post mortem præter sepulturam honorificum habuit; sed sepultum in inferno, id est in inferni partem, vbi grauiora supplicia sunt, fuisse demersum, vt Basilius apud D. Thomam ait; quisquis auctor fuit, interpretatur. Propterea non satis habuit dicere, Mortuus est & diues, & portatus est à dęmonibus in infernū sicut de Lazaro dixerat; *Et portatus est ab angelis in sinum Abrahæ*, sed dixit, in inferno fuisse sepultum, id est tanquam in utile cadauer in ima inferni parte fuisse defossum. Itaque imam partem inferni, quæ per sepulturam significatur, sinui Abrahæ opponit. Sinus enim significat locum Abrahamo proximum, in quo plurimum erat voluptatis. Ima inferni pars locum vbi

mum inferorum, vbi plurimum pœnæ. Potest & hic, & superiore versu, vbi de Lazaro agit, synecdoche videri, qua pars pro toto accipiatur. Nam nec corpus Lazari in sinum Abrahæ portatum, nec corpus diuitis in inferno sepultum est, & tamen ita loquitur, quasi in sinum Abrahæ totus delatus Lazarus; & in inferno totus diues sepultus sit. Sed mihi hæc non tam synecdoche: quàm parabola videtur esse. Nam etsi Lazarus, & diues ille verè fuerunt, eaque historia est; tamen quòd de illis tanquam de habentibus, altero in sinu Abrahæ, altero in inferno corpora sua loquitur, parabola est ad exprimendum alterius præmium, alterius supplicium, historię superaddita. Etenim quamuis nec Lazarus in sinu Abrahæ, nec diues in inferno haberet corpus, tamen quia verque post resurrectionem habiturus erat, ita de illis per anticipationem loquitur, quasi iam haberent, vt integra & animæ, & corporis alterius præmia, alterius supplicia declararet. Quod ad intelligenda, quæ sequuntur, in primis obseruandum est.

23. *Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.*) Mirum quantum negorij oculi isti diuitis, & lingua illa, & digitus Lazari, de quibus versu sequenti agitur, omnibus auctoribus fecerint. Vsque eò prorsus, vt multos in errorem compulerint: Gregorium quidem Nyssenum, vt non solùm membra ista corporis, sed locum etiam ipsum inferni, & sinum Abrahæ spiritualiter tantùm intelligenda putaret: Tertullianum verò in libro de anima cap. 2. vt animam corpoream esse diceret; parumque abfuit, quin idem argumentum in similem errorem compelleret Augustinum: multis enim locis ita eo vtitur, vt eam sententiam moueri videatur; sed vt erat prudens, se ipsum continuit, nequid temerè definiret: multos & ex antiquis illis; & ex recentioribus, vt existimarent ignem inferni non esse corporeum. Cum enim eodem modo de membris diuitis, & Lazari, atque de flamma illa, qua diues vrebatur, agatur; si nec illi oculi, nec ille digitus, nec illa lingua vera, atque corporea erant, non dubium nec flammam veram fuisse, atque corpoream. Quod & Diuum Augustinum si non in errorem, in dubitationem tamen adduxit, & ita quidem adduxit, vt nec anderet ipse definire, & nos præiudicio quodam suo detereret, nequid certò definiremus. Sic enim libro 8. de Genes. ad literam. cap. 5. scriptum reliquit. *Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis.* Etiam quippe diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua diuitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerij, vix fortasse à mansuete quærentibus, à contentiose autem certantibus nunquam inuenitur. Libro autem 12. de ciuitate cap. 10. ignem quidem, quo post resurrectionem crucianda sunt corpora corporeum futurum dicit; illum autem incorporeum fuisse, quo illius diuitis anima cruciabatur. Dicerem, inquit, *sic arsuros sine vllo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille diues, quando dicebat, crucior in hac flamma: nisi conuenienter responderi cornetam talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos lenauit, & Lazarum vidit: qualis lingua, cui humorem exiguum desideranti infundi; qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulauit, vbi tamen erant sine corporibus animæ. Si ergo incorporalis & illa flamma, quæ exarsit, & illa gutta, aquam popposcit: qualia etiam sunt visa dormientium. sine re est, si cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum.* Posteriores Theologi animaduertentes pœnas illas inferni fere semper in sacris litteris ignem appellari, rectè iudicarunt metaphoram esse non posse, quæ tam perpetua esset: itaque verum, atque corporeum esse ignem. Nec sententiā probarunt Augustini qui alium, quo ante resurrectionem, animæ; alium, quo post resurrectionem corpora cruciantur, existimauit esse ignē. Nec enim dubium, quin idem quo animæ nostræ, & quo angeli crucientur, ignis sit. Atqui ille, quo angeli nunc, & ille, quo corpora damnatorum post resurrectionem cruciandā sunt, idem est. *Ite*, inquit, *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius* Matt. 25. 41. Vulgaris opinio est, auctoremque, vt opinor grauem habens Augustinum, locutum Christum de membris animarum Lazari, ac diuitis, quemadmodum de membris Dei scriptura loquitur; non quòd aut Deus, aut anima membra habeat, sed quia nos quasi habentem fingere solemus; aut quia per mēbra corporea & Dei, & animarum proprietates quædam declarantur; per oculos vis cognoscendi, per manus, ac digitos vis agēdi, per linguam vis gustandi, & omnino sentiendi, atque loquendi. Hugo verò Eterianus lib. de regressu animarum ab inferis. c. 12. existimat animas, quamuis corporea non habeant membra, simulacra tamen habere quædam suorum corporum, quemadmodum speculū earum rerum, quæ illi obiiciuntur, ideoque membra illis Christum tribuisse. Nonnulli prophetarum more rem futurā, quasi iam præterita esset, narrari putāt, quo eius magis certitudo declaretur. Quia ergo post resurrectionem futurum est, vt animæ vna cū corporibus aut præmio, aut supplicio afficiātur, id dici quasi iam fiat. Nec absurdè dicunt, si explicare sententiam suam scirent. Alij accommodatè ad nostrā intelligentiam, nō ad veritatem Christum locutum putant futurum enim fuisse, vt non intelligeremus, quomodo sine oculis videre, sine lingua loqui, sine corpore cruciari flāma diues illę potuisset. Si quod supra diximus, verum est, hanc partim historiam, partim parabolam esse, nihil hūc erit difficultatis. Quòd enim oculos diues ille leuauerit, quòd cum Abrahamo locutus fuerit, quòd guttam aquæ, qua linguā suam refrigeraret, postulauerit, parabola est sumpta non ex ijs, quæ modò fiunt, sed ex ijs, quæ post resurrectionē futura sunt, & ad nostrum captū accommodata. Finxit ergo Christus membra quæ non erant, sicut parabolam ipsam super historiam finxit. Qua ratione & altera maior, atque ab auctoribus minùs animaduersa explicatur quæstio, quomodo diues, vt concedamus linguam, oculósque habuisse, cùm damnatus esset, rogauit Abrahamum, & eius implorauit opem. Nec enim sanctos damnati rogant. Sanè ita est, sed ea pars nō ad historiam, sed ad parabolam pertinet. Nec putandum est aut nunc eos, qui in inferno sunt ab ijs, qui sunt in cœlo aquam petere, aut post vltimam resurrectionem petituros, quemadmodum Iulius Firmicus auctor cumprimis grauis in libro de erroribus profanarum religionum videtur existimare. Obiici contra hanc sententiam posse video oportere parabolas, vt sæpe docuimus, ex rebus accipi vsitatis; quare siue historia est, siue parabola, illud idem sequi, damnatos auxilium à sanctis implorare. Nam si historia quidem est, iam factum id est; si parabola, solet fieri, cùm à re vsitata & nota sumi debeat. Reuocandum in mentem lectori est, quod à nobis alicubi dictum memini, aliquando partem aliquam parabolæ non sumi ex re quæ fieri soleat, sed quæ verò tantùm similis videatur. Cum enim parabola ad docendū adhibeatur, nihil refert siue à re, quæ fieri solet; siue à re, quę fieri potuisse videatur, hoc est vero simili su-

Ita c. 20. Matt. 22. 14.

Obseruandū est hāc partim historiam, partim parabolam esse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Parabola ex verisimilis tãquam non nunquam sumitur, Matt.20. 12.14.15.

matur; parem enim ad persuadendum habet vim. Non solet fieri, vt dominus vineæ æqualem illis, qui vnam tantùm horam, atque illis, qui totum in eius vinea diem laborauerunt, mercedem soluat; sed erat vero simile, vt si æqualiter breuiore licet tempore laborassent, æqualem solueret, & erat id ad sensum parabolæ imprimis necessarium, ideo dictum. Idem factum hoc loco; non solent quidem damnati, nec fortasse possunt à sanctis opẽ quærere, sed erat verò simile, & nostris consentaneum affectibus, vt si quis in media cruciaretur flãma æquam peteret, & à patre potissimum suo, si eum forte vel procul cõspexisset, peteret. Nam nec illi damnati, qui per stultas virgines designãtur, finito iam iudicio, & in cœlum cum sanctis suis recepto Christo ad cœlum venienti, ianuam pulsabunt, dicentque *Domine, Domine aperi nobis*, sed erat vero simile id facturos esse, qui à conuiuio nuptiali excluſi fuissent. Quòd quidam, in quibus Chryſ. homil. de Lazaro, verbum illud, *Cum esset in tormentis*, ita exponunt, quasi non vnum, sed diuersa tormentorum genera significentur, quibus miser ille dives cruciaretur, probabile videtur. Quòd autẽ dicit *longè* idẽ est, atq; quod dicit postea ver. 26. *& in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est* itaque illic explicabimus, nũ loci distãtia, an status immutabilis firmitas significetur. Hic tantùm notandum aptè id oppositum fuisse, vt miseria diuitis illius exprimeretur, etiã ab ijs, qui longissimè abessent, opem petentis. Visitatum enim est, vt qui in aliquo grauissimo periculo versatur, huc, illucq; circumspiciat, & quécunque, quamuis longè prospexerit, eius inclamet auxilium. Dictum igitur est, quia morale, & vsitatum erat, remque faciebat magis verò similem, & felicitatem Abrahæ, diuitis verò illius extremam miseriam exaggerabat; Abrahamum supremo, diuitem infimo fuisse loco, hoc enim est longè vidisse. Solet quæri num dãnati beatos videant, & quòd videant ex hoc loco probari. Siue videant, siue non, qua in re Theologorum puto sequendam esse sententiam, certè ex hoc loco probari non potest, si, vt diximus, parabola est.

Matt. 25. 11.

Diuersis tormentis cruciatus ait dives.

24. *Et ipse clamans dixit.*) Non dixit, non clamauit verè, sed erat verò simile hominem eo loco, eo statu constitutum clamaturum, petiturumque. Memẽto enim esse parabolam. Dixit autem clamasse, quia dixerat longè Abrahamum vidisse, & non poterat cũ tam longè posito loqui, nisi clamãdo, vt magis probabilis esset oratio. Aut vt ait Chryſost. homil. 1. de Lazaro, vt pœnę magnitudinem declararet, *Magna*, inquit, *pœna magnam vocem reddebat.*

Pater Abraham miserere mei.) Multi quærunt, cur non ad Lazarum, sed ad Abrahamum orationem direxerit? Chryſost. homil. 3. de Lazaro, Euthymius, & Theophylactus existimant veritum diuitem illum, ne Lazarus iniuriarum, quas à se accepisset, adhuc memor esset, aut credidisse Abrahamum ignorare, quàm iniquus in hac vita ipse fuisset in Lazarum, ideoque faciliùs ad misericordiam flecti posse. Iam diximus neque cum Abrahamo, neque cum Lazaro locutum fuisse, sed fictum esse in modum parabolæ sermonem. Cur ergo Christus potiùs cum Abrahã, quàm cum Lazaro loquentem induxit, vt oratio esset probabilior. Multis enim de causis erat verisimilius, cum Abrahamo, quàm cum Lazaro locutum fuisse. Primùm, quòd Abrahamus communis omniũ pater esset, & debuit à patre potiùs, quàm ab alio quouis opem petere. Propterea in exordio ipso orationis suæ patrem vocat, vt & sibi beneuolum reddat, & paternæ commiserationis moneat. Deinde quòd in eo loco Abraham quodammodo dominabatur, & alijs imperabat, cùm omnium pater esset; & sinus non alterius, sed ipsius nomine vocaretur; itaque quasi domi suæ pater familias erat, cuius officium est cæteris imperare.

Ioã. 8. 37. 39.

Pater Abraham.) Cur patrem vocet, modò diximus. Abrahamum autem sno appellat nomine, vt ostẽdat se & de facie, & de nomine eũ cognoscere, filiumq; eius non alienũ, non Gentilem esse, cuique magis subuenire sibi debere. Solent aliquando parentes vt misericordiam eliciant, nomine præterire compellare. Singula igitur verba ad mouendam cõmiserationem apta sunt, & quòd patrem, & quòd Abrahã vocat; & quòd dicit *miserere*, & quòd addit *mei*, quasi miseriam illi suam ante oculos ponens, & flammarum, quibus cruciabatur, globos ostentans. Vox pauperis mendicantis est. Sic enim proiecti in publicas vias pauperes clamare, sic vlcera, si quæ habent, ostentare solent. Itaque voluit Christus dicta, vt videtur, opera diuitem illum persona Lazari pauperis induere; vt ostenderet vtriusque vices, & teram in alterius fuisse commutatas. Lazarus in hac vita mendicabat; dives in altera mendicat: Dives in hac lætabatur, Lazarus in altera lætatur.

Mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti sui in aquã.) Cur non rogat, vt ipse veniat, & sibi tanquam patri opem ferat? Quia orationis decorũ, & probabilitas non patiebatur. Erat enim Abraham quasi princeps eius loci, & non solemus viros rogare principes, vt hoc vel illud faciãt, sed vt per aliquem fieri iubeant. At cur nó rogat alium potiùs, quàm Lazarum mitti? cùm nemo minùs ad opem ipsi ferendam idoneus videretur, quàm cui ipse egenti, postulantique minimè opẽ ferre voluisset? Id sensus parabolæ requirebat, volebat enim docere Christus mutatas fuisse vices diuitis, & Lazari. Id vt doceret, oportebat alterum diuitis in altera vita Lazari auxilio indigutsse, illudq; postulasse; quemadmodũ dũ in hac erat vita, Lazarus auxilio diuitis indigerat; illud sæpe postulauerat; neutrum verò obtinuisse Lazarum crudelitate diuitis; diuitem, quia serò postulauit. Quòd autem *vt intingat extremum digiti sui in aqua*, iam monumus quærendum non esse, quomodo Lazari anima digitum haberet, cùm parabola sit partim ex re verè gesta, partim ex verisimilibus, futurisque composita. Illud potiùs quærendum, quod ad enucleandũ sensum huius loci magis pertinet, quam ob rẽ hoc genus petat auxilij, cur nó, vt se inde, vbi erat, omnino liberet; cur nõ vt pœnas releuet? Sciebat se inde libe rari omnino nõ posse, ideoq; nõ petit. At nõ minùs sciebat guttam sibi aquæ exiberi non posse; verum quidẽ vtrũque est; sed volebat simul Christus ostẽdere cruciatus illos finiri non posse, & tamen diuitem illũ in eo fuisse statu, vt ope indiguerit Lazari, & si fieri posset, vt dãnatis aliquid exhiberetur auxilij, auxilium eum à Lazaro, cui auxilium ipse negauerat, petiturum fuisse. Cur ergo petit aquàm potiùs, quàm aliud quidpiam leuamẽti? Quia erat verisimile hominem in medijs positum flammis, si quid aliud, aquam petiturum; contraria enim contrarijs curantur. Simul etiam fortasse voluit Christus indicare, quãto magis dives ille auxilio Lazari tunc indigeret, quàm eius in hac vita auxilio Lazarus indiguisset. Lazarus núquam à diuite aquam, sed panem petierat; dives nunc à Lazaro vel aquam petit, & vel vnam quidem petit guttulam, quãtum extremo digito hærere posset. Hác enim extremum digiti, hác vim gutta aquæ, quam dives petit, habet, vt docear Christus diuitem, quia Lazaro micas de mensa cadentes rem minimam petenti dare noluerat, guttã aquæ rem multò minorem à Lazaro petẽtem obtinere non potuisse. Celebris Aug. ser. 227. de tempore, & Greg. lib. 18. Mor. c. 20. & Cæsarij hom. de hac re quædã sententia est, *petijt guttã, qui negauerat micã.*

Matt. 5. 22. 29. 30. 18. 8. 9. 23. 33.

Vt refrigeret linguã meam, quia crucior in hac flãma.) Cũ totus vreretur, quare linguæ soli, aut illi potiùs quam alij cuipiam membro refrigerationem petit? soli quidem linguæ, quia ad sensum parabolæ pertinebat, vt quemadmodum modò diximus, rem minimam postularet; itaque nõ toti corpori, sed vni, eiq; minimæ parte refrigerationem petit, linguæ autem potiùs, quam alij membro, & quia ipsa, *modicum mẽbrum est*, & quia in ea potissimùm sentitur sitis, quæ solet eos, qui cruciãtur præsertim igni, maximè torquere. Et vt antithesis diuitis, & Lazari cõueniret; hic cibum stomacho petierat, ille nunc potum petit, quo vel linguam tantùm intinguat. Cypr. in epistola ad Cornelium lib. 1. epist. 3. Aug. lib. 2. qq. Euang. c. 38. Greg. 3. p. Pastoral. c. 20. & Beda, & Chryſost. homil. 1. de Lazaro alicubi aliam reddunt causam, quòd linguæ procacitate peccasset. Vnde intelligimus, illam quæ vulgo circumfertur, opinionem, non ex incerto tãtùm vulgo, sed è certis, magnisque auctoribus natam esse, ijs quemque membris maximè sensurum esse supplicia, quibus maximè peccauerit. Quod dicit, *quia crucior in hac flamma*, rationem reddit cur aquam petat; non ignorabat ignem illũ extingui aqua nó posse, qui à Christo inextinguibilis appellatur; nec, si extingui posset, aquam tamen sibi dari posse, sed exprimitur hominis summũ ardorẽ, situmq; patiẽtis affectus. Colligit ex hoc loco Greg. lib. 4. Dialog. c. 29. animas damnatorũ non videndo solum igne, sed etiam experiẽdo torqueri: quod, etsi est contra quorundam opinionem, est probabilius, & magis à Theologis receptũ. Notauit eodem loco Gregorius, & Chryſ. alibi, diuitem illum non dici alienа rapuisse, sed non communicasse cum pauperibus sua, ideoque punitum esse: quid ergo passuros, qui & sua non dederint, & aliena rapuerint?

Dolor, & voluptas esse inuicem cõsequuntur. Plato in Phædone.

Matt. 20. 14.

25. *Et dixit illi Abrahã, fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.*) G. Ὅτι ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, quia recepisti tu bona tua in vita tua. Obseruãt Chryſ. & Theophyl. humanitatẽ Abrahæ erga diuitem illũ, qui, si filius fuisset eius, cum illo fuisset; filium tamen appellantis. *Iunii*, inquit Theophylactus, *illum quia vita ratione potuit, vt blande cum alloqueretur.* Magis placet, quod Euthym. ait, non humanitatis causa, sed quia pater omnium Iudæorum erat, filium appellasse, nam & diuitem illum fuisse Iudæum. Cæterum cum hoc colloquium non historia, vt supra docuimus; sed parabola sit, nõ ratio quærenda cur Abraham diuitem filium appellauerit, sed cur Christus ita Abrahamum appellantem induxerit. Ratio est facilis; vocauerat dives patrem Abrahamum, vt illum ad commiserationem commoueret; postulabat decorum, & probabilitas orationis, vt contrà Abrahamus illum filium vocaret. Quod non tantùm honorificè, sed etiam irrisoriè poterit dictum intelligi. Solemus enim eos, qui nos adulatoriè patres vocant, contrà irrisoriè filios appellare. Quod idem Chryſostomus, Beda, & Euthymius obseruarunt, non dixisse ἔλαβες accepisti, sed ἀπέλαβες *recepisti*, quòd recipere sit ea, quæ nobis debentur accipere, esseque hoc verbo significatum aliquam in eo diuite fuisse virtutem, cuius gratia tot in hac vita temporalia bona accepisset; non satis firmum existimo. Vim ergo non in eo verbo, sed in pronomine, *tua*, quod est in Græcis exemplaribus, esse arbitror, quod perinde est ac si dicat, ea quæ, tu sola bona esse putabas, quibus solis inhiabas, iam in hac vita recepisti, quid non aliena petis bona, id est quæ Lazarus bona, tu eum irridens mala putabas? vt homil. 1. de Lazaro Chryſostomus, & Gregorius homil. 40. in Euangelia interpretantur. Quem sensum acutè vidit Augustinus libr. 2. qq. Euangelicarum, cap. 38. *cum*, inquit, *ei dicitur, Recepisti bona in vita tua, illud tangitur, quia fœlicitatem dilexit seculi, nec aliam vitam præter istam in qua superbus tunc erat, amauit. Lazarum verò mala dicit recepisse, quia intellexit huius vitæ mortalitatem, labores, dolores, & aruminas, pœnam esse peccati.* Ergo eodem modo diuiti dicitur, *Recepisti bona tua in vita tua*, quo de illis, qui humanæ laudis captatione omnia faciebant, dictum est, *Receperunt mercedem suam*, Matth. 6. 2. 5. 16. quia non aliam erãt, quàm illam humanæ laudis, quam quærebant, mercedem habituri. Aliud hoc loco mihi videtur indicari, & tanquam certum, & constitutum poni; quod & Chryſost. homil. 4. de Lazaro adnotauit, omnes homines & bona, & mala habituros esse; qui in hac vita bona habuerint, in altera mala; qui in hac mala, in altera bona habituros: æquum hoc esse, & natura quodammodo comparatũ, vt æqualiter inter homines bona, malaque dividantur. Non quòd ita semper fiat, sed quòd re communi hominum sensu æstimata ita fieri debere videatur. Quemadmodum ille apud Platonem dicebat Socrates dolorem, & voluptatem duas esse res ita natura coniunctas, vt necessariò altera post alteram consequatur. Atque hãc vim habet, *Recepisti bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala*, id est recepisti bona, quæ tibi non quidem virtutis causa, sed naturali quodam iure vel in hac vita, vel in altera debebantur. Noli bis esse fœlix, *scelle quod iniquum est & vade.*

Quid hiatus ille ostendat.

Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.) Id est, æquũ est, vt hic nunc lætetur, tu torquearis. Mutare enim amborum vices sunt. Poterat Christus Abrahamum præcisè respondentem inducere, non posse fieri, quod petebat; sed voluit auditores ita docere, vt intelligerent non modò fieri non posse, vt bonorum, & malorum conditio mutetur; sed iustum etiã esse, vt ita fiat. Itaque non tam Abrahamus, quàm ex persona Abrahæ Christus ipse respondet.

26. *Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est.*) Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις, & præter hæc omnia. Præterquam quòd, vt dixi, æquum est, vt Lazarus pro malis, bona; tu pro bonis, mala recipias; accedit quòd rem à me petis, quam, vt maximè vellẽ, facere non possum. Nam *inter nos, & vos chaos magnum firmatum est.* Græcè χάσμα, hiatus; atque eodem fortasse modo etiã Latine legẽdũ est, sed errore pro chasma chaos cœptum scribi. Quid autẽ hiatus ille esset, quæri solet. Plerique non loci interuallum, sed conditionis immutabilem firmitatem significari putant. Ita Ambros. hoc loco, & August. libr. 2. qq. Euangel. cap. 38. Chryſostom. Beda, Theophylact. & Euthym. in commentarijs. Probabilis opinio; nam si quidem de loci distantia ageretur, nullus tam procul locus est, ex quo non posset anima, præsertim quæ spiritus est, ad locum, vbi dives erat, permeare. Quanquam mihi quidem loci etiam distantia videtur designari. Nam etsi Abraham, aut Christus potiùs persona Abrahæ solam conditionis firmitatem declarare voluit, tamen dubium non est, quin metaphora à loci distantia ducta sit, & magni hiatus nomine non distantia solùm magna, sed etiam impermeabilis significetur. Quemadmodum sit ab vno loco in alium vastus terræ hiatus effossus, transiliri vtique non posset. Itaque liquidò mihi ex hoc loco colligi videtur sinum Abrahæ etiãsi sub terra, longè tamen remotum à damnatorum loco fuisse. Quin valde suspicor summum

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic cœlum designari, inter quod, & infimum damnatorum locum, vbi diues erat, magnus vtique erat hiatus, totum scilicet spatium aëris, quod quasi hiatus quidam vacuum, & impermeabile videtur esse. Non quòd Abraham in cœlo esset, sed quòd ita loqui fingatur, quasi esset in cælo, quemadmodum supra diximus ita Christum de Lazaro, & diuite locutum, vt si corpora haberent; quia quamuis non haberent tunc, erant post resurrectionem habituri. Quod dicit *confirmatus firmatum est*, metaphora videtur esse ab arcibus sumpta, quæ lato, profundoque circa fosso firmatæ sunt. Itaque hiatus firmatus impropriè, & per enallagem dictum est pro, locus hiatu firmatus. Quod verò ait. *Vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint*, quamuis absoluta videatur, hypothetica locutio est. Nemo enim vult à cælo, aut à sinu Abrahæ in infernum descendere, sed significat fore, vt etiamsi vellent, minimè possent, etsi ne velle quidem possunt.

27. 28. *Et ait, rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*) Primum hic quærendum, num hæc pars historię an parabolæ sit. Qui auctores superiorem narrationem de diuite, & Lazaro historiam esse putauerunt, & hanc partem faciunt historiæ. Nam eam opinionem quam nos supra probabiliorem indicauimus, nemo, quòd sciam, præter Iustinum secutus est. Gregorius quidem certè hom. in Euangel. 40. historiam etiam hanc esse putat. Cæterum non mihi videntur ita hæc esse coniuncta, vt necessariò sequatur, si illa superior historia est, & hanc historiam esse oportere. Nam, vt ante docuimus, potest vna pars narrationis eius historia esse, altera parabola. Itaque potuit diues ille verè esse, sed nó verè quinque habere fratres, sed fingi habuisse, vt eorum persona doceremur non esse nobis expectandum, vt mortui ad nos veniant, vt nos ad pœnitentiam adhortentur, cùm & scripturas, & viuos doctores, qui id quotidie faciunt, habeamus. Ac ego quidem ita sentio, hoc, quod de quinque dicitur fratribus, non historiam, sed parabolam esse, &, nisi fallor, Augustinum lib. 2. qq. Euangel. cap. 38. & Chrysost. in homilia de diuite, auctores habeo, qui hanc partem, vt paulò post dicturi sumus, non tanquam rem verè gestam, sed tanquam parabolam exponunt. Potest autem fictio parabolæ vel in rebus simul atque personis, vel in rebus tantùm, non in personis esse. Fieri enim potest, vt quamuis verè diues ille fuerit, tamen nec fratres habuerit, nec ad eos rogauerit Lazarum mitti. Et potest fieri, vt fratres quidem habuerit, cæterum non verè Abrahamum rogauerit, vt ad eos Lazarum mitteret. Hoc secundum certum esse arbitror. Nam vt diximus, totum istud diuitis cum Abrahamo colloquium ad modum parabolæ fictum est. De primo dubitari potest, an verè fratres habuerit. Id quidem incertum, sed probabilius non habuisse, quemadmodum videntur Augustinus, & Chrysost. existimare præter cæteros illos auctores, quos initio huius narrationis multos nominauimus, qui totam omnino rem fictam putauerunt. Nam numerus ille tam iustus fratrum quinque & quòd de sororibus nihil dicat, rem indicat esse compositam. Cur ergo id Christus finxit? vt rem admodum necessariam doceret, expectandum non esse, vt aliquis ab inferis redeat, qui nobis vera esse confirmet, quæ de præmijs, & supplicijs alterius vitæ dicuntur: quod homines impij, & incredili optare solent, & quia probabilis oratio erat, fore vt, si diues ille fratres habuisset, moneri eos curaret, ne & ipsi

Hæc pars de fratribus parabola est.

Increduli est optare vt aliquis ab inferis redeat.

A in eum locum venirent locum. Cur ergo quinque Chrysostom. in hom. illa de diuite propter quinque corporis sensus, quorum causa peccauerat; Augustinus verò lib. 2. qq. Euangel. c. 38. propter quinque Mosis libros id factu putat. Si quinque fuerint fratres, vel ad quinque sensus, vel ad quinque libros legis eum numerum accommodare nihil obstat: sed non ea de causa numerum positum arbitror. Itaque numerum quidem certum pro incerto positum existimo, arbitror; sed eum potius positum esse, quam aliquem, vt fratrum magna multitudo significaretur. Solet enim numerus ille sicut septem, & decem multitudinem declarare. Isai. 19. 18. *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua terræ Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum*, id est multæ. Voluit ergo diues eo ipso numero Abrahamo persuadere, vt Lazarum ad fratres suos mitteret. Facilius enim persuasisset, vt ad multos mitteret, quam ad paucos, maiorem enim rationem, maiorem curam multorum, quàm paucorum habendam esse, maioris esse damni multos, quàm paucos perire fratres. De animo, quo diues ille hoc ab Abrahamo petierit, disputari solet; nec enim solent damnati vtientium curam gerere, eorumque salutem procurare. Si, quam supra secuti sumus, sententia vera est, hanc partem non ad historiam, sed ad parabolam pertinere, nulla relinquitur quæstio. Nec quærendum, quo animo diues hoc petierit, qui verè non petijt, sed quo animo Christus id eum petijsse finxerit. Id paulò supra declarauimus; vt auditores doceret, non esse expectandum, vt à mortuis doceamur, cùm Mosem, & prophetas habeamus. Sed non debet ignorare lector, quid graues de ea re auctores dixerint. Chrysostom. homil. 4. de Lazaro, Ambrosius, & Theophylactus bono animo id fecisse videntur interpretari, quasi vexatio illi intellectum dedisset, velletque cauere fratribus, qui sibi nó cauisset, cum tempus erat; verè non dubium est, quin Christus tanquam bono animo eum rogantem inducat, quemadmodum paulò ante pro se ipso bono vtique animo rogauerat. Quare, quod Gregorius, & Beda dicunt, vulgoque receptum est, non suorum fratrum, sed sua id fecisse causa, ne si fratres damnarentur, cruciatus sibi maiores accresceret ex eorum pœnis, quos suo ipse exemplo in eum locum deduxisset: aut quod aliquod sibi leuamentum doloris futurum esset, si quamuis ipse damnatus esset; fratres tamen ipsius salui essent, vt alij voluntinon ita huic loco congruit. Sunt qui quærant, cur Lazarum potius, quàm alium quempiam mitti roget. Eadē opinor ratione, qua ad se ipsum non alium, quàm Lazarum mitti rogauerat, aut eum potiùs Christus rogasse finxerat, vt ostenderet dimitem, cuius in hac vita auxilio indiguerat Lazarus, in altera vita Lazari auxilio egusse. Addit tamen Chrys. hom. 4. de Lazaro, & Theophylactus, ideo rogasse, vt Lazarus miteretur; quia notus fratribus fuerat, vt in eo perspicerent, quanto melioris in altera vita conditionis pauper, quàm diues esset, maioremque homini noto haberent fidem. Hoc est, quod ait, *vt testetur illis*, id est vt tãquam oculatus eorum, quæ hic gerũtur, testis eos doceat, vt caueant, *ne forte & ipsi veniãt in hunc locum tormentorum*. Huius loci occasione disputare quidam solent, num animæ mortuorũ aliquando vmẽtibus appareant. Ac Chrysostomus quidem in homilia vltima de Lazaro, aliisque nonnullis locis, Tertullianus in libro de anima, & Athanas. aut quisquis auctor est, qq. ad Antiochum. q. 11. & 13. & Isidorus libr. 8. Etymol. c. 9. & Theophylactus in 8. Matthæi prorsus negãt vnquam id fieri, & cur fieri

Lazarus fictus.

Lazarus fictus.

Lazarus fictus.

Lazarus fictus.

Lazarus fictus.

non

non conueniat, multas rationes afferunt. Primum id vius vtile non esse, qui, si viuis non credunt, ne mortuis quidem credent, vt Abraham diuiti respõdet. Deinde quòd etiamsi oculis ipsis damnatorum supplicia homines cernerent, nihilo se magis à peccatis abstinerent, quotidie inquit Chrysost. fures & alios reos ad supplicia duci vident, & eisdem se propter quæ illi puniuntur, peccatis inuoluunt. Præterea quòd si id fieret, progressu temporis in contemptũ res veniret, & non magis mortui nos, quam viui commouerent, vt eodem loco Chrysostomus inquit. Denique quòd ea res multorum errorum causa esse posset, dum dæmon fingens se alicuius mortui animam esse, homines ludificaret, & quidquid vellet illis persuaderet, vt Athanasius, & Chrysostomus, & Tertullianus argumentantur. Nam & cũ sciamus, inquit Chrysostomus, mortuorum animas non redire: tamen sæpe dæmon per quietem, & somnium, qua vna ratione potest, animarum defunctorum personam sumit; quid facturum fuisse si animas redire sciret? Non existimo tamen ponendam Deo legem esse, quo minùs cum velit, & quas velit animas ad viuos mittat, idq; aliquando fieri ego mihi persuadeo, quòd Augustinus libro de cura pro mortuis gerenda. cap. 15. 16. ait non nisi impudenter negari posse. Nam Mosis quidem, & Eliæ animæ in transfiguratione Domini non illi solùm, sed tribus etiam discipulis apparuere, vt apud Matthæum. cap. 17. 4. probauimus, & quod tunc ad testandum gloriam, & passionem Christi factum est, credendum alijs etiam de causis fieri solere, quæ multæ iustæ, & graues possunt occurrere Idemque colligi ex hoc loco videtur posse. Non enim respondet Abraham non posse, aut non solere ad hanc vitam redire mortuos, quemadmodum ante respondérat, *& in hos omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint*, sed respondet, *Habent Moysem & prophetas*. Cæterum non quoties, qui apparet, se huius vel illius animam esse dicit, leuiter credendum est, sed etiam, atque etiam exploranda res; plerumque enim dæmonem esse arbitror, qui se animã esse mentitur.

29. *Et ait illi Abraham. Habent Moysem, & prophetas, audiant illos.* Per Moysem, & prophetas non dubium, quin totum vetus testamentum intelligat, vt Matthæus. 5. 17. & 7. 12. & 11. 13. & hoc ipso cap. 16. & infra cap. 24. 27. & Ioan. 1. 45. Vult ergo viuos scripturarum testimonio contentos esse, nec a mortuis quid in altera geratur vita audire velle, *Nunquid*, inquit, *non populus a Domino suo requiret viventem? Pro viuis a mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.* Isai. 8. 19. 20. Abutuntur tamen hæretici hoc loco, dum ex eo probare volunt, nihil, nisi quod sacris litteris consignatum sit, esse credendum. Nam ista quidem ratione ea quæ Apostoli posteà dixerunt, quæ in veteri testamento non sunt, credenda non essent. Restringenda igitur sententia est ad id, de quo agitur. Agebatur de alterius vitæ statu, de quo satis viuos per Mosem, & prophetas edoceri posse Abraham respondet. Vnde eorũ etiam opinio penitùs refutatur, qui existimant in veteri testamẽto nullam de vita æterna mentionem fieri; cùm homines, vt de toto futuræ vitæ statu doceantur, ad legem, & prophetas mittantur ab Abrahamo, aut à Christo potius, qui Abrahami sumpta persona loquitur. Potestque hæc ipsa sententia in hæreticos ipsos qui hoc abutuntur loco aptissimè accommodari. Negant illi vllum purgatorium in altera vita esse; fingunt que se crediturosꝰ, si quis id inde rediens affirmaret. Quibus respondeti potest, habetis Mosem, & prophetas; habetis scripturæ testimonia, si illi non creditis, nec si quis ex mortuis resurrexerit, credetis. Alium etiam lector scopulum vitare debet, ne Chrysostomum legens existimet debere sua quemque lingua nullo adhibito præceptore scripturam legere. Nec enim iubet Christus fratres illos diuitis ipsos per se legere prophetas. Quod si fecissent, tantùm fortasse abfuisset, vt ex illis non bene intellectis discerent parata esse post hanc vitam bonis præmia, malis supplicia; vt periculum fuisset, ne illud apud Salomonem legentes, quod illi ipsi fratres fortasse putabant, eundem hominum interitum esse atque iumentorum, similiter nasci, similiter mori, Eccles. 3. 19. existimarent animas hominum esse mortales, qui error omnium fons errorum est. Mitti ergo ad scripturas fratres illos diuitis Christus, non vt per se, sed vt per eos, quorum id erat officium, legerent, atque intelligerent. Quemadmodum alio loco dicit, *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque vobis dixerint, seruate & facite, secundum autem opera eorum nolite facere.* Matth. 23. 23. Satis certum huius rei ætas nostra documentum dedit, qua, dum sua quisque lingua, suo quisque iudicio scripturam lectitat, tot fere errores, quot homines de rebus ad salutem maxime necessarijs nati sunt. Experiuntur apud se hoc malum hæretici ipsi; qui seueritatem in nobis nimiam accusantes, illam suis licentiam concesserunt; apud quos nemo satis est ingeniosus, qui nouam non facit sectam.

30. *Ait illi: Non, pater Abraham.*) Defecta oratio, intelligendum enim, Non satis est, quòd Mosem, & Prophetas habeant. Aut, non credent Mosi, & Prophetis, Lazaro autem, aut alteri cuipiam à mortuis redeunti credent, vt colligitur ex sequenti Abrahæ responsione versu 31. *Si Moysem & prophetas non audiunt, nec, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Loquitur diues ex communi impiorum hominum opinione, qui, cum propter scripturarum testimonia non credant, quæ de præmijs, atque supplicijs alterius vitæ narrantur; dicere solent, facilè crediturosꝰ se, si quem videant inde redeuntem, qui ea se sic habere confirmet. Ac fortasse diues ille ex se ipso de suis fratribus, vt Chrysostomus, & Theophylactus existimant, coniecturam faciebat, quòd ipse, dum in viuis ageret, eadem diceret. Abraham autem respondet, quod res est, eos, qui scripturis non credunt, nec mortuis, si resurgant, crediturosꝰ. Qua enim incredulitate, & elatione animi scripturas rident, aut ad libidinem quisque suam interpretantur; ea si quis illis mortuus exciaretur, aut phantasma esse dicerent, vt noui dicunt hæretici, aut illi certè non crederent. Experientia sub illud ipsum tempus hoc docuit. Exsuscitauerat Christus Lazarum, quem credendum est multa de altera vita consentanea ijs, quæ Christus docebat, commemorasse. Tantum abest vt Scribæ, & Pharisæi, qui Christo non credebant, illi crediderint, vt occidere etiam voluerint, Ioan. 12. 10. vt Chrysost. & Euthym. obseruarunt. Docuit etiam in Christo, vt Gregorius, & Beda notant, qui cum paulò post occisus à Scribis, & Pharisæis, propter quos ista dicebat, resurrexisset; nihilo magis post resurrectionem, quàm ante illi crediderunt.

Lazarore suscitato non crediderũt Pharisæi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVII.

1. Matt. 18. a.7. Mar. 9.f. 41. Matt. 18. b.21. Luc. 19.d. 17. Eccl. 19.b. 13. Matt. 17. c.20.

ET ait ad discipulos suos: Impossibile est vt non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt. 2. Vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis. 3. Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit: dimitte illi. 4. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi. 5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem. 6. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare: & obediet vobis. 7. Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe: 8. & non dicat ei: Para quod cœnam, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem, & bibam, & post hæc tu manducabis, & bibes? 9. Numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? 10. Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. 11. Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam. 12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe: 13. & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. 14. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. 15. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, 16. & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? 18. Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit. 20. Interrogatus autem à Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum observatione: 21. neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. 22. Et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desideretis videre vnum dierum Filij hominis, & non videbitis. 23. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. 24. nam, sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea, quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit Filius hominis in die sua. 25. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. 26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filij hominis. 27. Edebant, & bibebant: vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noe in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes. 28. Similiter sicut factum est in diebus Lot: edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant. 29. qua die autem exijt Lot à Sodomis, pluit ignem, & sulphur de cælo, & omnes perdidit: 30. secundum hæc erit qua die Filius hominis reuelabitur. 31. In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro. 32. Memores estote vxoris Lot. 33. Quicumque quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, viuificabit eam. 34. Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur: 35. duæ erunt molentes in vnum: vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro: vnus assumetur, & alter relinquetur. 36. Respondentes dicunt illi: Vbi Domine? 37. Qui dixit illis: Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Matt. 24. b. 25. Mar. 13. c.21. Mat. 24. d.37. Gen. 7. b. 5. Gen. 19. c. 25. Sup. 9. c. 24. Matt. 10. d.39. Marc. 8. d.25. Ioan. 12. d.25. Mat. 24. d.40. 1. Thessal. 4. d.17.

IN CAPVT XVII.

ET ait ad discipulos suos.) Valde multi laborant interpretes, vt ista, quæ sequuntur cum superiore capite cõiungant. Theophyl. hoc modo iungit, egisse Christum superiore capite de Pharisæorum auaritia, qui Christum paupertatem diuitijs præferentem irridebant, & eius discipulos scandalizabant, propterea nunc de pœnis eorum agere, qui alios offendunt. Alij capite præcedenti egisse contra auaros, qui proximos non iuuant, nunc de ijs agere, qui proximos offendunt, qui maior quidam contra præceptum diligendi proximi gradus est. Superuacua mihi omnis ista videtur diligentia; satis enim per se perspicuum est multa in hunc locum Lucam sine vllo ordine, sine vlla connexione coniecisse. Cũ ergo ea, quæ in hoc ipso capite dicit, inter se non hæreant, quærendum non est, quomodo totum caput cum toto superiore capite cohæreat. Videmus etiam hæc eadem, quæ initio huius capitis à Luca ponuntur, à Matthæo etiam c.18.7. posita fuisse, & cum ea quæ præcesserat narratione aptè coniuncta. Cum enim Christus interrogatus à discipulis suis esset, aduocans puerum, & in medio constituens docere cœpit, qui illius pueri similis non efficeretur, eum saluum esse non posse; tanti apud patrem suum paruos pueros esse, vt qui eos susciperet, se ipsum susciperе censeretur; qui autem vnum aliquem, vel minimum ex illis offendisset, ei satiùs futurum, vt suspensa ad collum mola asinatia in mare proiiceretur, quàm vt pœnas subiret, quas eam ob noxam subiturus esset. Addidit tâquam epiphonema, quod hoc loco scribit Lucas, *Væ mundo à scandalis, necesse est enim, vt veniant scandala; væ autem homini illi, per quem scandalum venit.* Cum ergo apud Matthæum hæc verba bene hæreant, hîc non hæreant, cui dubium esse potest illic suo, hîc alieno loco esse. Itaque mirror eos, qui Euangelistarum Concordias conscripserunt, hîc posuisse. Cæterum quòd attinet ad sensum, omnia apud Matthæum explicauimus.

A

B

C

D

E

7. *Quis autem vestrum habens seruum.*) Neque hæc quæ sequuntur, vllam cum proximè quidem præcedentibus coniunctionem habent; nec apparet, vbi reponenda sint, si quis totam, quo ordine gesta est, Euangelicam historiam velit tenere, cũ à solo narrentur Luca. Suspicio tamen mihi nonnulla est, tũc hæc à Christo dicta fuisse, cum accersito puero, & in medio constituto de humilitate, vt paulò ante diximus, disputauit: cum illa enim disputatione, qua de humilitate agebatur, bene conueniebat, vt Christus discipulos suos doceret adeo humiliter de se sentire, vt, cum fecissent omnia, quæ præcepta ipsis essent seruos se inutiles esse reputarent. Nam quod Augustinus lib. 2. qq. Euangelica. c. 39. & Theophyl. & Euthym. tradũt, cum de sede Christus egisset, quæ homines in superbiam efferre poterat, sermonem continuò de humilitate subiecisse, coactum videtur.

Calumnia in Hieronymo, quod putet, Lucam ea, quæ sparsim dicta fuerant, coniunxisse.

Habens seruum.) Hæreticorum interpres, quò magis errorem suum confirmaret, nihil nos posse apud Deum promereri, adnotauit hoc loco seruum, non mercenarium, sed mancipium intelligendum, quod quantum quantũ sit, domini sui sit; eiusmodi enim hominem, cum omnia, quæ facere potest, debeat, nihil posse facere, vltra quod debeat. Quam adnotationem nec vlla ille ratione probat, & nos possumus ex hoc ipso loco refutare. Cum enim dicit dominum nullam seruo suo gratiam habiturum, quia nihil fecisset vltra, quàm debebat, indicat profecto de eo agi seruo, qui aliquid, plusquam debebat, agere potuisset; quod si fecisset, gratiam illi dominus fuisset habiturus. Præterquam quòd vulgari scripturarum more seruorum nomine non mancipia modò, sed etiam mercenarij intelliguntur.

Arantem, aut pascentem.) Græcè pascendi verbum nullum habet accusatiuum, nec Cypria. legit lib. 5. ad Quirin. c. 51. aliqui Latini codices legunt. Pascentem boues; alij oues, sensu eodem. Quorsum hoc dixerit Christus, quod ad sensum parabolæ nihil pertinere videbatur, quærendum imprimis est. Beda, qui hanc parabolam ad doctores Ecclesię restringit, propterea dixisse indicat *arantem, aut pascentem*, vt doceret, non oportere satis habere doctores, si populum doctrina pauerint, & Ecclesię agrum arauerint, debere etiam Domino ministrare, debere illi sacrificia, & preces offerre. Possemus non sine magna probabilitate dicere, quòd *arantem, aut pascentem* Christus seruum induxerit, partem nõ esse parabolæ, sed complementum verisimile narrationis, quòd soleant plerumque serui aut in agris arandis, aut in gregibus pascendis occupari. Sed credo tamen alia id causa dictum esse. Volebat Christus commune hominum curare malum, qui simul vt aliquid fecerunt boni, simul atque ararunt, aut gregem pauerũt, sedere quodammodo cum ipso Deo ad mensam volunt, quasi valde sibi Deum obligauerint, quasi nihil illis præterea faciendum supersit. Propterea ergo seruum induxit, qui postquam ex agro, diurnóque labore rediisset, non permittitur ad mensam statim accumbere, sed iubetur prius domino ministrare. Quare illud tantùm meo quidem iudicio significatur, non debere nos prius à Deo gratiam, id est mercedem petere, quod est ad eius mensam recumbere, quàm omnes officij nostri partes, id est legem omnem expleuerimus; non debere qualibet præceptorum obseruatione esse contentos, sed omnia omnino ad perfectũ obseruare, quę præcepta sunt; paratósque esse ad faciendum, si quid nobis præterea præceptum fuerit, si postquam toto die laborauerimus, ita vt satisfeciſse nobis officio nostro videamur, dicatur nobis, *para quod cœnam, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam.* Cæterum quid sit arare, aut pascere, id non arbitror sigillatim esse quærendum; nihil enim aliud aratione, pastionéque significatur, quàm vsitatus seruorum labor, & quidquid nobis videtur esse faciendum, vt officio nostro abunde functi esse videamur, cùm aliquid nobis adhuc faciendum supersit.

Ver. 8.

10. *Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus.*) Conclusio parabolæ, sed longè parabola ipsa difficilior, præsertim hæreticis ad suos errores sensum depraua̅tibus. Ex conclusione enim, quid parabola sibi vellet, & quo tenderet, intelligendum erat; & ecce de conclusione hæretici nobis litem intendunt. Tria Caluiniani his verbis significari dicunt. Primum non posse nos plus facere, quàm præceptum est, nullum opus, vt vocant Theologi, supererogationis, quia quidquid facimus, aut facere possumus, multis nominibus debemus Deo, quemadmodum seruus ille nihil fecit, nec facere potuit, nisi quod debuit. Incredibilis cęcitas non videntium ex hoc loco id colligi non posse, contrarium verò posse. Nam vbi quæso aut dicit, aut indicat Christus nihil nos plus facere posse, quàm debeamus? Quia

Caluinia norum error primus de operibus supererogationis confutatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

seruus ille non fecit? At si non fecit, facere profecto potuit. Nam si non potuisset, non vtique dixisset, dominum illi gratiam non habuisse, quia nihil fecisset, nisi quod facere debebat, indicans gratiam illi, si plus fecisset, habiturum; quod non indicasset, nisi plus facere potuisset. Itaque ex parabola non colligitur, quod hæretici volunt, contrarium verò colligitur. Minùs etiã illud, magis hoc colligitur ex conclusione. Non enim concludit Christus, sic vos non poteritis facere, plusquam præceptũ est vobis; quod concludendum erat, si, quod isti boni interpretes scripturarum volunt, dicere voluisset: sed concludit, *Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus*; quod cùm dicit, indicat haud dubiè posse nos plus facere aliquando, quàm nobis præceptũ sit; quod si fecerimus, serui vtiles erimus. Obiiciunt rationem, nos, quanti quanti sumus, Dei esse, sicut mancipium domini sui est, quidquid est, nihil ergo facere posse, quod Deo, etiam si nullum præceptum esset, non alijs nominibus debeamus, propterea seruum, vt supra diximus, non mercenarium, sed mancipium interpretantur. Et quidem veteres reperiuntur auctores, qui hoc idem, sed alio opinor sensu dicere videantur, Chrysostomus hom. 54. ad populum Antiochen. & Ambrosius in commentarijs ad hunc locum. *Sicut*, inquit, *tu non solum non dicis seruo tuo, & recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, & grates ei non agis; nonne in te patitur Dominus vnius vsum esse operis, aut laboris, quia diem vnum vivimus, debemus semper operari. Ergo agnosce te esse seruum plurimis obsequijs deseruiendum. Non te præterit, quia filius Dei diceris, agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura. Nec te iactes si bene seruisti, quod facere debuisti. Obsequitur Sol, obtemperat Luna seruiunt angeli.* Hæc vt intelligantur, adhibenda distinctio, quam & Euthymius animaduertit. Alia Deo debemus, quia ab eo nobis data; alia, quia præcepta. Nec enim tã seuerè voluit Deus agere nobiscum, vt quidquid illi iure debebamus, exigeret; si spectes, quid ab eo acceperimus, omnia illi debemus, quia nihil non accepimus: si spectemus quid nobis præceperit, non debemus omnia: multa infirmitati nostræ concessit, decem tãtùm præcepta nobis dedit. Potuit iure suo à nobis exigere, vt omnes virginitatem seruaremus; potuit, vt omnia, quæ haberemus, distribueremus in pauperes; nam & hæc omnia ipse nobis dederat, & poterat reposcere iure suo, sed noluit, quia *ipse eog. suis gementem egenum*, vt sæpe solet Chrysostomus dicere. Cum ergo facimus aliquid boni, quod præceptum nobis non est, plus quidem facimus, quam præcepti iure debemus, non plus quàm, si Deus summo nobiscum iure agere voluisset, deberemus. Nam & à mancipijs suis solent aliquando domini, non quidquid iure possunt, exigere, sed quod mediocri studio, atque labore facere possunt; tantùm vt sibi quotidie lucri afferant, aut tãtùm vt in vinea sua laborent; si quid præterea facere possint, sibi faciant. At vrgent hæretici Deum à nobis quidquid iure suo exigere potuit, re ipsa exegisse. Quid enim fecisse reliqui, qui à nobis exegit, vt se ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligeremus? qui enim minus, quàm potest facit, eum non totis vtique viribus amare. Respondeo illud non speciale, sed generale præceptum esse, nec enim in decalogo continetur; quare accommodarè ad præcepta decalogi, quæ propriè præcepta sunt intelligẽdum. Totis igitur viribus Deum diligimus, quando totis viribus in decem præceptorum obseruationem incumbimus. Ex tota anima diligimus, quando parati sumus vitam potiùs effundere, quàm præceptũ Dei vllum violare, etiam si alia bona, quæ

1. Cor. 4. 7.

Psal. 101. 14.

Obiectio hæreticorum diluitur de præceptis, quæ vires nostras superant. Matt. 22. 37. Luc. 10. 27. Deut. 6. 5.

præcepta non sunt, quæque facere possemus, facere nolimus. Atque hac eadem ratione secundus eorum error, quem ex hoc loco confirmare solent, refutatur. Dicunt nos ne id quidem, quod præceptum nobis est, posse perficere; nec enim posse ex totis viribus Deum diligere, quod nobis vtique præceptum est. Ridiculus error, & ipse se refellens. Quid enim est totis viribus Deum diligere, nisi quãtum possumus diligere? vt illis omnia, quæ volunt, disputandi causa concedamus. At cui dubium esse potest, posse nos diligere, quantùm possumus? Si enim non possumus, quomodo possumus? & si possumus, quomodo non possumus? Præterquam quòd, vt modò declaruimus, diligere Deum totis viribus non est diligere, quantum omnino possumus; sed quãtùm possumus efficere, ne eius transgrediendis præceptis eum offendamus. Tertius error est, qui maiore videtur ex huius parabolæ conclusione probabilitate colligi, nullam nobis deberi mercedem, etiamsi præcepta omnia ad perfectum obseruauerimus. *Nam quid*, inquit, *gratiam habebit seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat? & cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere facimus*, ver. 9. 10. Et verò magnum hic locum omnibus auctoribus negotium facessit. Docearnus prius ex eo non colligi, quod hæretici colligere conãtur. Primum quidem in parabola non dicitur, Numquid mercedem dabit illi Sed *numquid gratiam habebit seruo illi?* gratiam, quæ minùs, quàm merces videtur esse, multo plus quàm merces est, nempe cotidiani mercedis, quod propter gnauiter à seruo nauatam operam supra pactum conuentum superaddi tur; quæ ideo gratia, non merces appellatur, quia non ex pacto, & iure, sed ex domini liberalitate, moralique, vt vulgo dicitur, honestate debetur; debetur tamen. Nam quæro, an dominus ille, qui in parabola proponitur, seruo, qui in agro primum toto laborauerat die, dum cænanti sibi noctu ministrauit, nullam prius labore mercedem soluit? Quis neget? Negat Caluinus, sed aliter probare nõ potuit, quàm fingens ferum illum mancipium fuisse pecunia emptum, non hominem mercede conductũ. Quod ille figmentum ne coniectura quidem vlla probare potest; & nos ex perpetua scripturæ consuetudine seruos mercenarios appellantis, & ex verbis ipsis huius loci reiicimus. Cum enim dicit, *Numquid gratiam habebit seruo illi* indicat de eo se loqui seruo, cui dominus gratiã habere soleat; non solet autem mancipio, sed mercenario gratiam habere; præsertim si, vt ego quidem puto, χάριν ἔχειν, gratiam habere, hoc in loco est præter constitutam mercedem aliquid dare. Nam etsi gratiam habere tam Græcè, quàm Latinè ad solum animum referri solet, sicut gratiam referre, & Græcè χάριν ἀνταπόδοναι, aut ἀνθέναι, ad remunerationẽ; tamen arbitror hoc loco esse tapinosin, qua vti vulgo solemus, plus quàm dicimus infinuantes. Hoc si fecerit gratiam habebo, indicans dico me non habiturum modò, sed etiam relaturũ gratiam. Cum ergo Christus in parabola non significet dominum illum, de quo loquebatur mercedẽ seruo suo non soluturum, sed non habiturum gratiam; id est nihil præter mercedem daturum esse; nec cum dicit in conclusione, *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis*, significat nullam nos propter præceptorum obseruationem mercedẽ habituros; sed nihil habituros præter mercedem eam, quæ obseruantibus præcepta constituta, atque promissa est. Nam præceptorum quidem obseruationi certam in cœlo mercedem respondere vniuersa scriptura docet supra. c. 6. 23. 35. Matth. 5. 12. & 10. 41. 42. Marc. 9. 41. 1. Cor. 3. 8. 14. & 2. epistol. Ioan. 8. Apocalypsis. 11. 18. & 22. 12. Quid ergo est, *Dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus?* Sunt qui non tam verè, quàm humilitatis causa dictum interpretari videantur, quasi id tantùm Christus agat, vt doceat nos non efferri animo, cùm omnia, quæ præcepta nobis sunt, seruauerimus; fecisse enim tantùm, quod debebamus, quin humiliter de nobis sentire oporteret, existimaréque aut nihil nos fecisse, aut nulla dignos esse mercede, cùm nihil, nisi quod debebamus facere, fecerimus. In hanc sententiam hoc testimonio sæpe vtuntur veteres auctores Origen. homil. 12. in Iosue, Cyprian. lib. 5. epist. 6. & lib. 3. ad Quir. c. 51. Chrysost. in serm. de pœnitentia & confessione, Hieron. in epistola ad Ctesiphont. contra Pelagianos. Bernard. sermo. 4. in Psal. 90. & epist. 142. Theophy. in comment. & Cyrillus apud D. Thomam. Alij, vt Beda, & Lyranus hoc loco seruare debere, quia nihil Deo vtilitatis attulimus, qui nos etiam cum omnia fecerimus, inutiles existimorum nostrorum non indiget. Cæterum non id, quod agebatur, vt probaretur nihil nos vtilitatis Deo afferre posse, sed nihil nobis præter constitutam debito ministerio deberi mercedẽ. Nam seruus quidem ille, qui in parabola proponitur, aliquid dominum suo vtilitatis attulit. Et si nos nullam Deo vtilitatem afferre possumus, non impotentia nostra, qui talem facimus, sed Dei nulla re indigentis natura fit. Neque concludit Christus, *Dicite serui inutiles sumus*, quia nihil Deo vtilitatis attulimus; sed quia *quod debuimus facere, fecimus*, quod aliud esse dominum non est. Aliam etiam idem Beda interpretationem affert, *serui inutiles sumus*, quia etsi aliquid meremur, minùs tamen meruimus, quàm nobis dabitur, si labor noster, mercésque æqua mercedis mensura penseretur, quia *non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Nemo hic videtur esse sensus. Nam non propterea dominus ille seruo suo gratiam non habuit; quia minùs quàm promissa requirebat merces, sed quia non totum laborauerat. Et nos non iubemur dicere, cum omnia fecimus, quæ nobis præcepta sunt, *serui inutiles sumus*, quia minùs meruimus, quàm nobis datur, sed quia, *quod debuimus facere, fecimus*. Quo ergo sensu hoc loco serui inutiles appellentur, ex proposita parabola intelligendum est. Quod enim in parabola seruo illi nullam à domino deberi gratiam; hoc manifestum dubio in parabolæ conclusione est seruum illum esse, cum eadem sententia, alijs tãtùm verbis proponatur. Gratia autem in parabola significat mercedem ex pacto pro exhibito labore, ac ministerio seruo promissam, debitámque; excedis cumulum, atque corollariũ, quo serui, qui quàm debebant, laborauerunt, donari solent. Quemadmodum illic explicauimus. Idem ergo nos inutiles esse, cum fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis, non quidem nihil præceptorum obseruatione meruisse; sed nihil meruisse præter mercedem, quæ præceptorum obseruationi redditur. Vult igitur Christus non gloriari nos, cùm seruauimus, quia etsi mercedem nostram superet, tamẽ nihil singulare, nihil egregium, nihil insolens fecimus, nihil, quod non quilibet seruus in officio suo præstare debuerit. Nec tam est laudabile, quòd id fecerimus, quàm vituperabile esset, si non fecissemus. Non sunt laude, gloriáque videri digna nisi, quæ singularia sunt. Quemadmodũ supra c. 6. 32. dixit Christus, *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia?* Vtique diligentes se diligere vitium non est, dignáque mercede, sed quia communis, non singularis virtus est, digna non est gratia.

Nam & peccatores diligentes se diligunt, vt ibi subiungitur. Eodem sensu dicebat D. Paulus 1. Cor. 9. 16. 18. *Nam etsi euangelizauero, no est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicans sine sumptu ponam Euangelium.* Dicit se, si euangelizet, neque gloriam, neque mercedem habere, non quòd mercedem pro euangelizandi munere non habeat, cum alio loco de eodem loquens dicat, *vnusquisque secundum suum laborem propriam mercedem accipiet.* 1. Corint. 3. 8. sed quòd nullam singularem gloriam, mercedémque mereatur, cùm necessitas illi incumbat. Quæ ergo eius gloria, quę singularis, & propria merces erat? vt *Euangelium prædicans sine sumptu* poneret *Euangelium*; cùmque posset ex Euangelio viuere, vt omnes Apostoli faciebant, ea tamen potestate non vteretur. Cuius interpretationis Bernardum auctorem inuenio, qui nisi fallor, ita hunc locũ in tractatu de præcepto, & dispensatione videtur intellexisse, vnde multa ijs contraria, quæ hinc hærerici falsò colligunt, verè colliguntur. Primum posse nos non solùm, quæ præcepta sunt, omnia, sed plus etiam, quàm nobis præceptum est facere, quod opus supererogationis appellatur. Quod & D. Paulus affirmat se fecisse, eámque gloriã suam vocat; & nos omnes posse facere Christus hic non obscurè indicat. Cum enim dixit, *Cum feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus*, ostendit nos posse plus etiam quàm præceptum est facere, & seruos vtiles esse, sicut potuit seruus ille plus facere, quàm fecit, plúsque quàm debuit; quod si fecisset, gratiam illi dominus habuisset. Deinde exhortãdos esse homines ad obseruanda Euangelica consilia; nã ad ea nos Christus hic exhortatur. Sic enim dicit, *Cum feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus*, tanquam dicerer. Nolite sola præceptorum obseruatione esse contenti; pergite porrò, & consilia etiam mea seruate. Sicut adolescenti illi dixit, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Denique quemadmodũ præceptorum obseruationi merces iusta respondet; ita obseruationi consiliorum cumulatam quandam mercedem, id est *mensuram bonam & confertam, coagitatam & superefluentem* respondere, quæ gratia hic, à D. autem Paulo gloria, & merces appellatur.

Ad Euã gelica cõsilia nos Christus exhortatur.

Matt. 19. 21.

1. Corint. 9. 16.

11. *Et factum est, dum iret in Ierusalem.*) Incertum quando hoc acciderit, sæpe enim Christum à Galilæa in Ierusalem & contra measse, remeasséque supra docuimus. c. 9. 52. Nec Lucas historiam suo narrauit loco, cum inter eam, & quæ præcesserunt, nullum vinculum appareat, etsi conatur Ambrosius reperire. Historia facilis est, & si quid explicatione indiget, id à nobis similibus locis apud Matthæum. c. 8. 1. 2. 3. 4. explicatum est. Quanquam Epiphanij sententiam, qui hanc historiam eãdem esse putat, atque eam, quam illic Matthæus narrat, ex memorię lapsu natam arbitror. Cum hic decem, illic vnus tantùm leprosus fuerit; & de illo Lucas supra. c. 5. 12. scripserit. Nescio an Irenæus in eodem fuerit errore. Nam lib. 3. c. 14. recitans, quæ solus Euangelistarum Lucas tradidisset, mentionem nullam fecit huius historiæ. Quod dicit Euangelista transisse Christum *per mediam Samariam & Galilæam*, iam docuimus. c. 9. 51. rectam viam à Galilæa in Ierusalem esse per Samariam, itaque voluit Euangelista declarare vnde, quò, & quà Christus ijsset, vt credibilius esset, quod paulò post erat significaturus, ex decem leprosis, nouem Iudæos, vnum Samaritanum fuisse.

Epiphanij memoriæ lapsus.

12. *Et cum ingrederetur quoddam castellum.*) Cùm prope castellum esset iam ingressurus. Non enim intra, sed extra oppidum leprosi illi occurrerunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia intra habitare non poterant, vt Theophyl. adnotauit, lege prohibente Numer. 5.2.

Occurrerunt ei decem viri leprosi.) Credibile est non casu, sed studio sanitatis ab eo petendæ occurrisse, cùm aduentantis famam audissent. In denario numero aliud ego mysterium non obseruo, quàm quòd & Christus faciendo, docendóque, & Euangelista factum narrando significari voluerit multos vocatos, paucos electos esse. multos à Deo accipere beneficia, paucos admodum esse gratos. Denarius enim numerus magnam multitudinem, vnitas magnam significat paucitatem. *Mutauit*, inquit ille, *mercedem meam decem vicibus.* Genes. 31. 7. 41. & *quomodo persequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia.* Deuter. 32. 30.

Qui steterunt a longè.) Non licebat leprosis versari cum sanis, quia lex prohibebat, vt Theophylactus & Euthymius obseruauerunt. Potest hoc moralem etiam habere significationem. Stat longè peccator cum ad Deum venit, non iudicans se dignum esse, vt propiùs accedat. Quemadmodum publicanus ille fecisse dicitur. c. 18. 13. qui *a longè*, inquit, *stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare.* Sanatur tamen, modò magna voce clamet. Placet hæc humilitas Deo.

13. *Et leuauerunt vocem dicentes, Iesu præceptor miserere nostri.*) Quòd vocem leuauerunt, non solùm fecerunt, quia aberant longè, sed etiam quia affectus, vt opinor, clamare cogebat. Clamauerùt autem vna omnes voce, vnamque omnium causam effecerunt. Nec enim pro se quisque loquens dixit, Miserere mei; sed cuncti pro cunctis, *Miserere nostri.* Quod est vero simile ex industria fecisse quo magis & numero, & communi causa, quasi coniunctis viribus, factáque velut conspiratione quadam Christum ad misericordiam commouerēt. Atque eadem fortasse factum est causa, vt cum nouem Iudæi, vnus Samaritanus esset, inter quas gētes cōsuetudo nulla erat, Ioann. 4. 9. in vnam tamen societatem coijssent. Non solum conciliante eos, atque cogente cōmuni morbo, vt Theophylactus & Euthymius obseruarunt, sed studio etiam coniungente; vt quasi facta manu Christum expugnarent. Potest leprosorum exemplum documento nobis esse, vt cum impetrare aliquid a Deo magni volumus, non contenti priuatis orationibus, publicas etiam adhibeamus, & quasi instructa acie armatis affectibus preces offeramus Deo. *Hæc ita* inquit Tertullianus, *Deo grata est.* Notauit hoc in simili causa Chrysostomus orat. 4. de incomprehensibili Dei natura.

Supplicationi publicatum solitas preces primum iungenda.

14. *Quos vt vidit Iesus, dixit, vt ostenderent vos sacerdotibus.*) Mirum quamobrem Christus non eos ante curauerit, quam ad sacerdotes mitteret, vt fecit apud Matthæum. c. 8. 3. & supra. c. 5. 13. Credibile voluisse Christum eorum experiri fidem, quæ si magna non fuisset, facilè in missis nondum sanatis ad sacerdotes vacillare potuit. Quòd enim illis remedium exhibebat quod ipsi ignorarent, quoque non iam ante, vt est probabile, vsi fuissent? Itaque poterant apud se hæsitantes de Christi virtute dicere, quod Naaman illum Syrum dixisse legimus. 4. Reg. 5. 11. 12. *Putabā, quod egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Nūquid non meliores sunt Abana, & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel.* Non dubitarunt tamē, nec ista apud se murmurauerunt. Propterea sanati sunt, vt Christus ver. 19. Samaritano dicit, *Fides tua te saluum fecit.* Cur autem ad sacerdotes miserit, apud Matthæum. c. 8. disputauimus. Quāquam illic quidem leprosum vnum iam curatum, hic decem antequam curarētur ad sacerdotes misit. Illum, vt sacerdotis summi testimonio constaret eum verè esse curatum, & vt sacrificium à lege præscriptum Leuit. 14. 2. in gratiarum actionem offerret, occasionémque obiecto loco sacerdotibus eriperet, quod miraculo factum fuerat, calumniandi: hos, & vt eorum, quemadmodum diximus, exploraret fidem, & vt sacerdotum testimonio constaret veram esse, qua infecti erant lepra, verúmq; miraculum appareret. Quòd autem illum ad sacerdotem, hos ad sacerdotes mittat, non difficilis est quæstio. Pluralis numerus pro singulari ponitur. Quemadmodum Iacobus iubet eū aliquis ægrotat vocare *Presbyteros Ecclesiæ*, satis enim est vocare vnum. Aut cum nos ægro remedium à nobis petēti dicere solemus, *Ito ad medicos*, non enim ad multos, sed ad vnum multorū mittimus. Cur ergo, antequā ad sacerdotem venirent, sanati sunt? vt intelligerent se non à sacerdote, sed à Christo, qui ipsos ad sacerdotem miserat, fuisse sanatos. Propterea & Euangelistæ curæ fuit explicare, quando, & quomodo curati fuissent, vt & nos idem intelligeremus.

Et factum est, dum irent, mundati sunt.) Factum est Christi prouidentia, atq; virtute. Nec enim ea plurimus casus semper significatur, vt alijs similibus locis adnotauimus. Potest tamen hīc significari rem præter leprosorum opinionem accidisse, qui non putabant fore, vt antequam ad sacerdotem, ad quem mittebantur, peruenirent, curarentur.

15. *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundata est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.*) A quo cens se à Christo licet absente curatum, nam illum haud dubiè hoc loco Deum vocat, cùm dicitur *magnificans Deum.* Quem enim vocabat Deum, aut quem glorificabat, nisi eum à quo se curatum sentiebat, & ad quem gratias agendi causa reuertebatur? Cur hic redierit, alij non redierint ad Christum, statim occurrit lectoris occurrit. Hunc, vt gratias Christo agēret, rediisse perspicuum est. Vnde colligi solet alios ingratos fuisse beneficio, ideóque non rediisse. Quod videtur confirmare Christus illos tanquam ingratos reprehendens, ver. 18.

18. *Non est inquit, inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena?*) Sed hoc ipsum minimè pene incredibile tam ingratos esse tanto, & tam recenti beneficio potuisse. Suspicari licet, cùm Iudæi essent, aut existimasse à sacerdotibus, ad quos adibant, fuisse curatos; aut, quod vero similius est, curatos quidem à Christo, oportuisse tamen ad sacerdotes ire; & quia missi à Christo erant, & quia id iubebat lex, vt sacerdos de curata lepra iudicaret; nec putarat quisquam qui leprosus vnquam fuisset, eum hominibus versari, & in ciuitatibus admitti, nisi prius sacerdotis sententia mundus iudicatus esset. Quod alter, quia Samaritanus erat, nō existimauit sibi necessarium, non alium, quàm Christum sanantem sacerdotem agnoscens. Hoc etsi aliqua ex parte euenit illorum nouem, omnino non purgat. Priusquam enim ad Christum receptæ sanitatis auctorem redirent, re, quàm ad sacerdotem iudicem ire debuerunt. Atque hoc est quod in illis Christus reprehendit.

16. *Et cecidit in faciem ante pedes eius.*) Antequam lepra curatus esset, procul insistens clamauerat, & execrando morbo Christum, & qui cum illo erant, contaminaret: postquam verò sanatus est, ad pedes vsque Christi accessit, vt Theophylactus, & Euthymius animaduerterunt.

Et hic erat Samaritanus.) Quia dicturus erat Euangelista ver. 18. dixisse Christum non nisi vnum, eumque alienigenam fuisse repertū, qui reuerteretur, & gloriam Deo daret, admonuit fuisse Samaritanum.

17. *Respondens autē Iesus.*) Loqui aggressus, vt no-

tauimus, aut respondens, id est hæc verba quæ sequuntur, ad ea quæ Samaritanus dixerat subiūgens.

Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?) Quasi dubitans per interrogationem loquitur emphasis causa. Nouem vbi sunt? quomodo non redierunt?

18. *Non est inuentus.*) In tanto numero. *Qui rediret, & daret gloriam Deo.* Plus opinor hoc loco est, dare gloriam Deo, quàm si dixisset, qui gratias Deo ageret. Significat enim non quocumque modo recognoscere acceptum à Deo beneficiū, sed à Christo tanquam Deo acceptum, aut certè per Christū. eius diminitatem, potentiam, maiestatemque quisque confitebatur, gloriam Deo dare dicebatur. Hoc enim phrasis significat Iosue. 7. 19. & 1. Reg. 6. 5.

Nisi hic alienigena?) Anget culpam eorum nouem, qui non redierunt, ex conditione personarum. Illi enim, qui cùm Iudæi essent, maximè erga Deū grati esse debuerunt, vt ipso suo nomine monebātur, maximè fuerunt ingrati: quique Christum, qui ad ipsos propriè missus fuerat, in primis liberatorem suum agnoscere, ac accipere debebant, minimè agnouisse videntur. Anteponit illis Samaritanum, quam illi gentem tanquam peccatricem execrabantur. Docet ipse verum esse, quod dixerat Ezechiel. c. 16. 51. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.*

19. *Et ait illi, Surge & vade, quia fides tua te saluum fecit.*) Quid ergo? nonne etiam cæteros fides saluos fecerat? Puto equidē; nec enim sine fide curati fuissent, præsertim cùm ea potissimùm, vt diximus, causa non prius eos Christus sanare voluerit, quàm ad sacerdotes mitteret, vt eorum magis fidem explorarent. Sunt qui putant hunc Samaritanum corpore simul & animo; illos verò Iudæos nouem solo corpore curatos; ideque his verbis Christum indicare, hunc Samaritano dicit, *Fides tua te saluum fecit*, quasi illos sanasset quidem à lepra, saluos tamen non fecisset. Probabilis interpretatio, si constaret nouem illos Iudæos simul etiam corpore & animo curatos non fuisse. Sed id meo quidem iudicio non constat, quamquam probabilius mihi videtur animo etiam fuisse curatos, & quia ea Christi consuetudo fuit, vt nedum curarent corpore, quin etiam curaret animo, fecit quæ magna id causa postularet, quemadmodum diximus Pontificis curasse seruum non solùm non ægrotantem, sed etiam persequentem, vt damnum, quod illi discipulus intulerat, resarciret; & quia certum est nouem etiam illos fide à lepra mundatos fuisse, quæ quamuis non sola iustificet, tamen quia illis, qui primùm in Christum credebant, non sola esse, aut semper, aut plerúque iustificabat. Ergo iustificationis etiam beneficium acceperant, quomodo ad Christum non redierunt? Quid miratur propter curationem animi, quam non videbāt, non redisse, qui propter corporis curationē, quam videbant, experiebantúrque, non redierē? Quod si non fecerunt animo, vt corpore sanatos vidissent, tamē non ideo ob animi, quam ob corporis sanitatem ingrati fuerint, mortaliter peccauisse, cùm potuerint redierint, nihil verat eos iustificatos fuisse prius, deinde ob ingratitudinem peccandi est. Adeo in malum proclives sumus, vt non solùm malis, sed bonis etiam rebus impellamur. Quid ergo est, quod Christus soli Samaritano dicit, *Fides tua te saluum fecit*, Dicit quod reuera erat. Affirmat eum sanatū fide, alios eadem fide sanatos non negat. Idem alijs dixisset, si cum illis loquerentur,

cutus fuisset. Voluit Samaritanum illum in fide cōfirmatum dimittere, docet fide tantum fuisse beneficium consecutum, vt eam diligentiùs conseruaret. Quo autem modo intelligendum sit. *Fides tua te saluum fecit*, quod alijs etiam pluribus locis de alijs dictum est, Matth. c. 9. 2. disseruimus. Sensum litteralem huius historiæ, quod nobis vbique propositum est facere, exposuimus. Qui mysterium quæret, Augustinum legat libro 2. qq. Euangelica. c. 40. & Gregorius lib. 5. Mor. c. 11. Bedam, & Theophylactum in comment. & Bernardum in sermo. contra pessimum vitium ingratitudinis.

20. *Interrogatus autem à Pharisæis, quando venit regnū Dei.*) Id est quando venire oporteret. Hanc enim vim habet præsens illud tempus, vt Matth. 17. 24. *Magister vester non soluit didrachma?* id est nonne debet soluere? & alibi, Elias quidem venit, id est venire debet. Quando hoc acciderit, incertum. Quidam cum versu decimo coniungunt; quasi sola illa decem leprosorum historia interiecta fuerit, cætera consequentia sint. Non video cur Euangelista, qui illam leprosorum interposuit historiam, non etiam hanc interponere potuerit. Et verò probabilius mihi quidem videtur alibi hoc accidisse, cum forte de regno Dei, vt sæpe solebat, Christus disseruisset. Vero simile enim est inde Pharisæos quæstionis occasionem arripuisse, quando regnum Dei venturum esset. Toto verò hoc capite nulla de Pharisæis mentio facta est, nec fortasse aderant, cùm parabolam illam hominis seruum habentis arantem Christus tractauit, quæ, vt ex initio capitis, & ex ipsa parabolæ sententia perspicuum est, solis fuit proposita discipulis. Quo animo hoc Pharisæi interrogauerint, non satis constat. Sed est magis consentaneum ipsorum moribus, vt irridendi, quàm vt discendi causa credamus interrogasse. Quasi Christum deriderent, quòd cum frequēter regnum Dei appropinquare diceret, nusquam tamen vllum eius indicium appareret. Quemadmodum eorum patres Ieremiam sæpe dicentem, *Onus Domini*, per irrisionem cùm illi occurrebant, solebāt interrogare, *Quod est onus Domini?* Ierem. 23. 33. Et apud Isaiam. c. 5. 19. *Festinet, & veniat opus eius vt videamus, & appropiet, & veniet consilium sancti Israel, & sciemus illud.* Sic Cyrillus à D. Thoma citatus, Theophylactus, & Euthymius in commentarijs existimant. Alij, quòd putarent regnum Dei, id est Messiam, quem restituturum sibi regnum credebant, magno cum apparatu venturum esse, rogarēntque, quando id futurum esset, cum tēpus iam præterijsse videretur, siue Danielis prophetiam de quatuor antè futuris monarchijs. c. 7. 17. siue alterā de septuaginta duabus hebdomadibus. c. 9. 24. considerarent. Alij, quòd hæc Christus paulò post in Ierusalem iturus dixerit, & existimarent, fore, vt simulatque Ierosolymam veniret, regnum de quo tam sæpe loquebatur, iniret. Nam & Apostolos in eadem opinione fuisse constat Matth. 20. 21. Ita Beda sentit. Dubium quid in hac quæstione regnum Dei vocent. Nam alij vitam beatam, tempúsque illud post resurrectionem futurum intelligunt. Id enim non cum obseruatione venturum esse, id est ita vt antequam veniat, obseruandis signis sciri possit, quando venturum sit. Alij Christum ipsum, vt idem sit interrogare, quando regnum Dei, & quando Messias venturus sit. Atque hoc esse quod dicitur ver. 21. *regnum Dei intra vos est*, id est Messias, quem expectatis in medio vestrū est. Illud prius probabilius. Nam cum Christum irridere vellent, sciréntque illum se Messiam profiteri, non est credibile eundē interrogasse, quando Messias venturus esset: præsertim cum ita

Matt. 27. 11. Actor. 1. 6.

Quo animo Pharisæi Christū interrogarint.

Quid hic regnum Dei vocetur.

loquerentur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

loquerentur, quasi simularent se ea credere, quæ Christus de futuro Dei regno prædicaret, ideóque interrogare, quando venturum esset, quod venturum esse, non dubitarent, atque ita Beda videtur intellexisse.

Non venit regnum Dei cum obseruatione.) Ita vt obseruari, certóque sciri possit, quando venturum sit. Quemadmodum terreni Reges multis priùs missis nuntijs magnóque comitatu venire solent, vt ignorari non possit, vbi sint, aut quando sint vrbem regiam inituri, vt Euthymius interpretatur. Quo ergo modo Christus ipse infra c. 21. 25. signa aduentus sui tradit, ex quibus obseruari possit, quando futurus sit? Non tradit illa tanquam signa, quibus aduentum suum cognoscamus longè antequam veniat, sed tanquam miracula, quibus eius iam presens aduentus declaretur. Signa enim miracula vocauit. *Deus*, inquit, *manifeste veniet, Deus noster, & non silebit: ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas validа.* Psal. 49. 3. Hic autem significat nō posse ex cælestibus, aut alijs naturalibus signis obseruari, quando ipsius aduentus futurus sit, quemadmodum obseruari solet, quando futura sit pluuia, longè antequam veniat. *Faciem*, inquit, *cæli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis?* Matth. c. 16. 3. quanquam alius eius loci potest esse sensus. Quid ergo ad Pharisæorum quæstionem ista responsio? Videbantur illi tanquam astrologi solis corporis sensibus in cœlum, & in res cæteras corporeas intenti, quales esse solent, qui venturum aliquem expectant huc illuc circunspicientes, vt viderent num suus ille Messias, qualem expectabant, vspiam appareret. Eo sensu rogauerant, quando regnum Dei venturum esset? eodem Christus respondet non esse venturum cum obseruatione, id est, ita vt antequam veniat, obseruari proximus eius possit aduētus. Quod perinde est ac si breuiùs, clariúsq; dixisset, regnum Dei non corporeum, non temporale, sed spirituale esse; non corporis, sed animi oculis esse quærendum. Atque huc pertinet, quod statim addit.

21. *Nec dicent: ecce hic, aut ecce illic, regnum enim Dei intra vos est.*) Videntur hæc repugnare ijs, quæ paulò post dicit ver. 23. *& dicent vobis, ecce hic, & ecce illic: nolite ire, neque sectemini.* Sed nihil repugnāt; nam hic loquitur de regno Dei, quod spirituale est, nec digito demonstrari potest; illic de Christo, quem alij hic, alij illic esse dicturi erant. Et hìc de primo, illic de secundo Christi loquitur aduentu. Paulò difficilius, quid sit, *regnum Dei intra vos est.* Illud certum Christum iam non de futuro, sed de præsenti regno loqui, quod ij etiam concedunt, qui paulò ante de futuro locutum esse dicunt. Quia enim præsens futuri initium est, & velut inchoatio, & arrhabo quidam, à futuro ad præsens transijsse, quasi significare voluerit, si vellent futurum illud in cœlo regnum inuenire, istud tenerent, quod intra ipsos quodammodo est. Quemadmodum apud Matthæum. c. 17. 12. cum discipuli interrogassent, quomodo Pharisæi dicerent, antequam regnum Dei veniret, venturum esse Messiam, respondit Christus, *Elias iam venit, & fecerunt in eo quæcunque voluerunt*, & c. 11. 14. *si vultis, inquit, credere, ipse est Elias*, cum de Ioanne Baptista loqueretur. Non quòd Elias esset, sed quòd Eliæ personam gereret; cum discipuli de vero Elia interrogassent, ipse de Ioanne respondit. Ita prorsus hoc loco, quia regnum Dei, quod iam venerat, eius quod venturum erat, imago, & inchoatio quædam erat, interrogatus Christus de futuro, de præsenti respōdet, *regnum Dei intra vos est.* At quid est regnum Dei intra vos est? Cyrillus apud D. Thomā, & Theophyl. hoc eo idem esse putant, quod in potestate nostra esse. Intra illos enim regnum Dei fuisse, quia potuerant, si vellent Christum recipere. Quemadmodum Deuter. 30. 11. 12. 13. 14. Deus dicit, *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere, quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Nec trans mare positum, vt causeris, & dicas, quis nostrum poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed iuxta est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Quod D. Paulus ad Rom. 10. 8. 9. de Euangelio, id est de regno Dei interpretatur. *Hoc est*, inquit, *verbum fidei, quod prædicamus, quia si confiteatis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit a mortuis, saluus eris.* Magis mihi placet hæc interpretatio, quàm illa Beдæ, qui regnum Dei intra nos esse exponit, id est Christum ipsum per fidem in cordibus nostris regnantem. Aut illa Euthy. *regnum Dei intra vos est*, id est, Ego in medio vestrum sum. Aut illa Cassiani Collat. 1. c. 13. *regnum Dei intra nos esse, duna cum habemus cognitionem.* Aut illa Gregorij Nysseni in lib. de beatitudinibus, & in lib. de virginitate c. 12. quo regnum Dei intra nos esse dicit, quia Dei imaginem, ad quā facti sumus intra nos habemus. Aut illa Eucherij in qq. in Lucam, regnum Dei intra nos esse, quando per virtutem, ac meritum Deus in nobis regnat. Aut illa Gregorij Nazian. quam refert D. Thom. intra nos esse regnum Dei per lætitiam, & gustum quendam illius, quem in animo sentimus, & quia, vt ait D. Paulus, *ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Nam isto quidem modo necesse esse dicere, quod malus quidam auctor coactè dicit, hæc verba non Pharisæis, sed discipulis suis ad eos repente conuersum Christum dixisse. Quod, vt dixi, violentum est, nec enim cum Apostolis, sed cum Pharisæis loquebatur, ad quos si fieri potest accommodanda sunt verba. Præterquam quod statim sequitur, *Et ait ad discipulos suos*, quod non dixisset Euangelista, si præcedentia etiam verba discipulis dicta fuissent.

22. *Venient dies, quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis.*) Nullo modo Beda, & Lyrani, aliorúmque interpretationem probare possum, qui diem vnum Christi, diem iudicij intelligunt; nam diem quidem illum omnes videbunt, & pauci admodum videre cupiūt; vt taceam, quod alij monuerunt, Græcè esse μίαν ἡμερῶν, vnam dierum, cum dies iudicij vna tātum futura sit. Multo melius Cyrillus apud D. Thom. & Theophyl. atque Euthymius in commentarijs, de ijs Christum loqui dicentibus, quibus cum discipulis in hoc mundo versatus est, quasi dicat nunquam eos tale tempus habituros; multas enim ipsis instare persecutiones, in quibus cum versabuntur, eius temporis, quo cum Christo versati fuerint, recordaturi sint, & vel vnum eius temporis diem desideraturi. Hoc tantùm ab illis dissentio, quòd non existimem ideo hoc Christum dixisse, vt discipulorum patientiam, sed vt fidem præmuniret. Id enim agebat, vt doceret discipulos vna foro, fruique ea, quam habebant salutis occasione. Hoc bene cum præcedentibus conuenit, cum enim Pharisæi de futuro regno Dei Christum interrogassent, respondit regnum Dei intra ipsos esse, id est in manibus eos regnum Dei habere, si recipere vellent, & quā habebant, præsentiæ suæ occasione vti conuertisse verò ad discipulos dicit, vt tenerent, quod habebant, vt ambularent, dum habebāt lucem, ne venturum tempus, cum ab illis sponsus auferretur, ma-

enoque

gnoque, si possent, emerent diem vnum ex multis, quos tunc haberent, quibus Christum, quoties vellent, videre, & colloqui cum eo possent, & doceri ab eo, fideque confirmari, nec tamen habituros: Magnam enim de Christo quæstionem futuram esse, alijs hunc, alijs illum esse dicentibus. Quæ sequuntur vsque ad finem capitis apud Matthæum, & Marcum explicata sunt.

CAPVT XVIII.

DICEBAT autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere, 2. dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. 3. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. 4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: 5. tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. 6. Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit: 7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? 8. Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum. Veruntamen Filius hominis veniēs, putas, inueniet fidem in terra? 9. Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tamquā iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam. 10. Duo homines ascenderunt in templum vt orarent: vnus Pharisæus, & alter publicanus. 11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiā hic publicanus: 12. ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium, quæ possideo. 13. Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. 15. Afferebant autem ad illum & infantes, vt eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. 16. Iesus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis: Quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, nō intrabit in illud. 18. Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciēs vitam æternam possidebo? 19. Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. 20. Mandata nosti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum, & matrem. 21. Qui ait: Hæc omnia custodiui a iuuentute mea. 22. Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest: omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. 23. His ille auditis, contristatus est: quia dives erat valde. 24. Videns autem Iesus illum tristem factū, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. 26. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest saluus fieri. 27. Ait illis, Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. 28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. 29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domū, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, 30. & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam. 31. Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. 32. tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: 33. & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. 35. Factū est autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidā sedebat secus viam, mendicans. 36. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. 37. Dixerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret. 38. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. 39. Et qui

Eccles. 18. c. 22. 1. Thess. 5. d. 17.

Sup. 4. b. 11. Matt. 23. b. 12. Matt. 19. b. 13. Mar. 10. b. 12.

Matt. 19. b. 16.

Exo. 20. c 13.

Matt. 20. b. 17. M. r. 10. c. 32.

Mat. 20. d. 29. Marc 10. g. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. 40. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, 41. dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam. 42. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. 43. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

IN CAPVT XVIII.

1. DICEBAT autem parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare.) Id est, vt doceret oportere semper orare. Propositam eodem loco, eodemque tempore parabolam, quo ea, quæ extremo superiore capite narrata sunt, acciderunt, non ideo solum credendum est, quòd proximè sit posita, sed etiam quòd sententia sententiæ bene cohæreat. Locutus enim fuerat Christus de futuris persecutionibus, deque repentino aduentu ad iudicium suo; docet nunc vigilandum, orandumque esse, ne imparati opprimantur, vt à Deo omnibus impendentibus malis liberentur. Nihil esse, quod à Deo assidua, & importuna quodam modo oratio impetrare non possit. Idem simili parabola supra docuerat; c. 11. 5. eius, qui cum ad amicum media nocte venisset, vt tres ab eo mutuò peteret panes, propter importunas preces obtinuit.

Et non deficere.) G. Καὶ μὴ ἐκκακεῖν, & non fatigari, id est nō cessare ab oratione propter fatigationem aut impetrandi desperationem. Quod D. Paulus. 1. Thessal. 5. 17. clarius dicit, *Sine intermissione orate.* Quæ sententia quomodo intelligenda esset, multi graues auctores magno studio quæsierunt: Vulgares sunt interpretationes duæ, quas affert Beda. Altera semper orandum, non quòd semper in oratione occupati esse possimus; sed quòd semper aut orare, aut aliquid boni agere debeamus. Bene orare, qui bene agit. Altera, semper orare eum, & nunquam deficere, qui horis canonicis iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodijs, precibusque consuetis Dominū laudare & rogare non desistit. Hoc esse, quod dicebat Dauid, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Quas interpretationes duas & Strabus, & Euthym. secutus est. Paulò propiùs Lyranus ad sensum accesserat, sed non est assecutus. Aduerbium *semper*, non continuationem temporis, sed orationis instantiam congruis horis, vt Strabus, & Beda dixerant, significare. Simplicissimus, & clarissimus sensus est non quidem dies, ac noctes sine vlla intermissione, quod omnino fieri non potest; non statutis horis, etsi id Ecclesia pie, sanctèque facit, orandum esse; nam id quidem homines Ecclesiastici facere debent, alij necessariò non debent; sed cùm aliquid à Deo petimus, non debere, si consecuti non fuerimus, desperare, & animum abiicere, hoc est deficere; sed instare, pulsare, iterumque idem petere, donec saltem propter improbitatem obtineamus. Atque hoc ipsum est, quod D. Paulus dicit, *sine intermissione.* Non enim significat nunquam nos omnino debere ab oratione desistere, quod fieri nullo modo potest. Nam vt edentes, bibentesque orare possimus, quod non nisi valde perfecti faciunt; certè dormientes minimè possumus, & est necessariū sanctissimo cuique aliquādo dormire. Sed significat nō debere nos orationem desperabundos omittere, si quod petimus, sæpe orantes consecuti non simus.

Quomodo semper sit orandum.

Psal. 33. 2.

1. Thessal. 5. 17.

2. *Iudex quidam erat in quadam ciuitate.*) In iudice potiùs, quàm in alia persona parabolam, vt opinor, posuit, quo argumentum, quod in ea latet, maiorem vim haberet. Later autem argumentum à minori ad maius, aut dissimili, vt ait August. serm. 36. de verbis Domini secundum Lucam, & lib. 2. qq. Euang. c. 45. Si homo ille iniquus nec Deum, nec homines metuens, tamen mulieri propter assiduas eius preces concessit, quod petebat, quanto magis Deus nobis concedet, si assidue illum orauerimus? Quemadmodum alio loco dixit, *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* c. 11. 13. Hoc vt concludaret, nulla aptior potuit esse persona, quàm iudicis; cuius officium ipsum requirit, vt seuerus, & precibus inflexibilis sit. *Non considerabo, inquit, personam pauperis, nec honores vultum potentis, iuste iudica proximo tuo,* Leuit. 19. 15. Si ergo homo & natura sua crudelis, & officio inexorabilis, & moribus impius simul, & impudens, qui nec Deum, nec homines reuereretur, tamen flexus est precibus, quanto magis flectetur Deus natura clemens, officio pater, moribus benignissimus? Hac eadē de causa adiecit Christus, *Qui Deum non timebat, & hominem nō reuerebatur,* vt argumentum maiorem vim haberet, sumptum ex homine, qui nec Dei, nec hominum metu flecti ad miserationem posset. Sunt enim, qui quod Dei metu non faciunt, hominum respectu faciant; siue quòd eos timeant, siue quòd eis placere velint; & cum impij omnino sint, videri pij. Perditissimus est, qui nec videri quidem bonus cupit. Magnum malum hypocrisis est, sed hoc tamen habet boni, quòd bene adhuc de virtute, quam simulat, sentire videtur. Multique contra hypocritas clamant, quos pertaret hypocritas esse.

3. *Vidua autem quædam erat in ciuitate illa.*) Viduam proposuit, quia huiusmodi persona omniū iniurijs exposita esse solet; & quia etsi bonum, atque benignum iudicem magis; impiū tamen, crudelē, & impudētem, qualem illum describerat, minùs mouere poterat. Nam si Deū timuisset, viduam potiùs, quàm aliam minùs miserabilem personam adiuuisset: si homines, saltem vt pius, & benignus videretur iudex, viduæ suscepisset patrocinium. Cum nec Deū, nec homines reuereretur, nullam personam minùs, quàm pauperem viduam, à qua nihil sperandum, nihil timendum erat, iuuare poterat. Et tamen tandem propter assiduas preces iuuit.

Et veniebat ad eum dicens.) Veniebat quotidie, aut certè frequentissimè, idque per longum tempus, vt ver. 4. declaratur, estque in primis ad sententiam parabolæ necessarium; vt probetur semper nobis, id est donec, quod petimus impetremus, orandum esse, nunquam desperatione desistendum. Quòd autem vidua petit, *Vindica me de aduersario meo,* perinde est, acsi dicat, Tuere me ab iniuria, quā aduersarius mihi facit. Non enim vindictam, sed iustitiam petebat. Sed ipsa aliquando iustitia vindicta est, quæ quia non priuata, sed publica fit auctoritate, caret culpa. Nec volebat docere Christus debere nos à Deo inimicorum nostrorum petere vindictam: sed propterea vindictæ, & aduersarij exemplum proposuit, quia de persecutionibus agebat, quas discipuli passuri erant, docebatque fore, vt si assiduis Deum vrgerent precibus, eos tandem sumpta de persecutoribus vindicta liberaret. Loquitur etiam accommodatè ad humanos mores. Solent enim homines ab aliquo læsi quærere vindictam. Quemadmodum & animæ sanctorum martyrum introducuntur vindictam petentes suorum persecutorum. Apocal. 6. 10. *Vsquequo Domine sanctus, & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de eis, qui habitant in terra?* Non quòd animæ sanctorum vindictam petant, sed quòd petere homines soleant. Eodemque modo intelligi potest si cubi alias legimus viros sanctos vindictam à Deo postulare.

4. *Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam.*) Non est hoc ita intelligēdum, quasi Deus nobis aliquando, ne illi molesti simus, petita cōcedat. Nam nec molestia vlla affici potest; & nihil illi gratius est, quàm vt nos ipsi orando molesti esse videamur. Sed significat Christus, quod iudex ille fecit, vt molestiam eximeret; id multo magis, vt misericordiam exerceat, facturum esse Deum.

Ne in nouissimo veniens suggillet me.) Sic quidā hoc interpretantur, ne mihi pergat esse molesta, ne tandem me obruntat, & quasi verberibus flagellatum iudicum reddat; viduæ enim verba verbera illi, quia molesta erant, visa fuisse. Hoc esse ὑπωπιάζειν, quod verbum Græcè est. Atque ita quidem Augustinus lib. 2. qq. Euāg. c. 45. & Beda videtur intellexisse. Sed obstat planè, quod dicit, *in nouissimo*; cur enim timeret, ne sibi potiùs in nouissimo tēpore, quàm toto tempore, quo perseuerasset, molesta esset? Euthymius, quod Græce est εἰς τέλος, non interpretatur *in nouissimo*, sed in finem, id est semper, quo sensu quidam multos Psalmos εἰς τέλος in finem inscribi putant. Quod paulò quidem magis videtur conuenire, vt sensus sit ne perpetuo veniens perturbet me; id enim verbum etiam significat. Suspicor ego ad multarum gentium consuetudinem alludi, qua iudices non perpetui, sed ad certum tempus constituti solent; qui ab officio remoti accusari solent, si quid fecerint iniuriæ, & à nouo iudice, si crimen probatum fuerit, condemnari. Hoc mihi videtur iudex ille quæsisse nec Deum timeret, nec homines reuereretur, timuisse, ne fortè in nouissimo ὑστέρου, id est, cum perfunctus esset officio, à vidua illa coram successore suo accusaretur, quod rogatus ab ea sæpe vt ipsi ius redderet, non reddidisset. Atque hoc est Latinè suggillare, id est accusare, reprehendere, quo verbo Liuius vti solet, Græcè ὑπωπιάζειν affligere, perturbare, quasi dicat, ne postquam magistratu abiero, negotium mihi faceſſat. Videtur alludere iudex ad præsentem molestiam, quā illi quotidie mulier exhibebat, quasi dicat, quia mihi nunc molesta est, & ne postquam magistratu perfunctus fuero, multo mihi magis molesta sit, si me malè administrarat officij, neglectæque reipublicæ accusauerit, vindicabo illam. Leuis illa obiectio est, quomodo hoc timebat, qui nec timebat Deum, nec homines reuerebatur; Non propter Deum, aut homines, sed propter se timebat, ne accusatus condemnaretur. Hoc enim impiorum hominum ingenium est, vt, cum diuina omnia, humanaque contemnant, sibi tamen maximè timeant. Quid iudex, quid vidua, quid aduersarius significet, opus non est disputare. Iudex Deus est, non quidem similitudine, sed dissimilitudine potiùs cum referens, vt supra ex Augustino, & Beda declarauimus. Vidua nos sumus, & quisquis persecutionem iniustè patitur. Aduersarius homines iniqui, qui iustos diuexant. Hæc simplicia sunt, & ad sensum litteralem pertinent; alios sensus allegoricos si quis quærit, leget Augustinum sermone 36. de verbis Domini secundum Lucam, &

lib. 2. qq. Euangel. c. 45. Theophilum Antiochenum lib. 3. allegoriarum, Anastasium q. 70.

6. *Ait autem Dominus, Audite, quid iudex iniquitatis dicit.*) Adiecit Dominus post parabolam conclusionem per epiphonema, quo maiorem ab auditoribus attentionem, animaduersionemque postularet. *Audite*, id est attendite, considerate, *quid iudex iniquitatis dicat*, Heb. iudex iniquus, aut, cum iniquus esset. Et discite ex iudice illo iniquo, atque crudeli, quid benignus iudex Deus, si illum assidui orauerit is, facturus sit.

7. *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte?*) Per interrogationē legendum est, quæ maiorem habet emphasim, quàm si simpliciter dixisset Deum etiam vindictam facturum esse. Opponit autem exaggerādo Deum iudici iniquitatis; electos viduæ, clamorem precibus, dies ac noctes diebus singulis, quibus vidua illa ad iudicem adibat; iudex iniquus fecit vindictam viduæ, quam non nouerat, quam propter molestiam, quam sibi exhibebat, etiam oderat; & Deus vindictam nō faciet electis suis, id est filijs, quos elegit, quos genuit, quos amat? Ille fecit propter assiduas preces, Deus nō faciet propter perpetuum dies, noctesque clamorē? quo non qualescunque sed vehementissimæ, ardentissimæ, & ex maximo dolore affectuque profectæ preces significantur. *Quid*, inquit, *clamas ad me?* Exo. 14. 15. & *clamauerūt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorū liberauit eos.* *Psalm. 33. 18.*

Et patientiam habebit in illis?) Similiter per interrogationem legendū est, & Deus patietur electos suos perpetuo ab iniquis hominibus affligi: quasi dicat, minimè. Sic Eccles. c. 35. 22. *Et Dominus non elongabit se, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam.* Noster interpres legit καὶ μακροθυμεῖ, vt & Chrysostom. 3. de orat. Multo melior sensus, quàm nunc legitur μακροθυμῶν, patiens, quod Theophyl. & Euthym. exponunt, quamuis diu patiens fuerit, penitus contraria sententia.

8. *Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.*) Electorum suorum, id est, illorum iniuriam ab iniustis hominibus acceptam citò vindicabit. Opponit citò id est breue tempus multo rēpori, post quod dixerat iudicem illum viduæ iniuriam vindicasse ver. 4. tanquam dicat; Ille quidem iniquus iudex lōgo post tempore vindicauit ab iniuria viduam; Deus autem non tam diu expectabit. *Sed desiderium pauperis exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua,* Psal. 10. 17. *Erit*, inquit, *antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.* Isai. 65. 24. *Secūdum Heb. 2.*

Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?) Non apparet quorsum hæc Christus dicat. Placet mihi, si bene intelligatur, quod August. serm. 36. de verbis Domini secundùm Lucam, & Beda hoc loco dicere videntur. Cum Christus dixisset fore, vt citò Deus electos suos liberaret, reddere nunc causam, quamobrem sæpe non liberet, quia nimirum non ea fide, qua debēt, Deum orant. Itaque cum venerit ad iudicium filius hominis, quò potissimùm tempore electos suos liberaturus est, vix quos liberet, inueniet, quia vix fidem inueniet. Excusat ergo Deum, homines accusat. Per Deum non stare, quo minùs, qui ipsum orant, liberentur: per homines stare, qui non quanta debent, orāt fide. Fides enim est, quæ orationem animat, & efficacem reddit. Fides, quæ quod petitur impetrat. *Si quis*, inquit, *vestrū indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluēter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Iacob.* 1. 5. 6. Hoc est, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus ijs,quibus sanitatem,quam petebant,concessit,solet dicere. *Fides tua te saluum fecit*, supra.c.7. 50.& 8.48.& 17.19.& infra ver.42.hoc ipso capite, & Matth 9.22.& Marc.5.34.& 10.52.

9.10. *Dixit autem & ad quosdā, qui in se confidebant tanquam iusti.*) Hanc etiam parabolam.Aug.serm.36. De verbis Domini secundùm Lucam,& Beda in cõment.& auctor Græcus,quem D.Thomas citare solet,ita cum superioribus iungunt, vt cum de oratione Christus egisset,docuisset q; defectu fidei homines,quod orantes à Deo petunt, non impetrare; infidelitatis radicem superbiam ostendere voluerit; quæ plerumque orationis efficacitatem impedit. *Fides*, inquit Augustinus, *non est superborum,sed humiliū.* Duos ergo orantes homines inducit, superbum alterum, alterum humilem, illum damnatum, hunc iustificatum. Illum Pharisæum, hunc publicanum fuisse dicit, quòd Pharisæi superbè de se sentirent, iustosque se esse existimarent; (nam illos qui in se tanquam iusti confidebant, quibusque parabolam posuit, Pharisæos fuisse credendum est) publicani autem publici peccatores habebãtur, vt obseruauit Euthymius. Debet enim parabola, vt sæpe docuimus,quãuis ficta narratio sit,verò similis esse. Quãquam incertum est, sitne ista parabola, an historia. Tamen si parabola est, quod ego probabilius esse arbitror, & omnes auctores dicere videntur, est ficta similiter vero. Quod dicit ascendisse in tẽplum, nemo ignorat templum Ierosolymitanum in edito fuisse loco.Quod autem ait,*vt orarent*, propterea dicit,quòd de oratione ageret, & qualis esse deberet, docere vellet:& quia ea aut sola, aut præcipua hominibus causa erat,in templum ascendendi.

Iudæi astantes orarent.

11.*Pharisæus stans.*) Miror bonos etiã quosdã interpretes existimare Pharisæum illũ recto orauisse corpore,ipso habitu superbiã declarãte. Nec enim credibile est,quod quidã putãt,Iudæos ſtãtes orare solitos, cũ nihil in ea re à Christianis mutatũ sciamus esse. & certũ sit semper Christianos flexis genibus orasse Act.7.60.& 9.40.& 20.36.& 21.5.quin & Iudæos ipsos ita semper orasse legimus.3.Reg.8.54.2. Paralip.6.12.Daniel.6.10.Mich.6.6. Itaque omnes fere qui à Christo aliquid postulabant, genua ante ipsum flectebant, quod est προσκυνεῖν, & γονυπετεῖν, Matt.17.14.Mar.1.40.Luc.5.8. & Christus ipse Iudaico vtique ritu flexis genibus orauit patrẽ Luc. 22.41.ergo stare solam aliquando præsentiã, vt sæpe diximus,aliquando quietem, aliquando audaciã & animi constantiam,& erectionem, aliquando exordium & inchoationẽ significat,Hebraica præsertim phrasi.*Stẽt*, inquit,*& saluent te augures cæli,qui contemplabantur sidera,& supputabant menses, vt eis annũciarent ventura tibi.* Isai.47.13.id est ostẽdant se,cõsistãt in acie coram me interriti.Et Psal.105.23.*Si nõ Moyses electus eius steriſſet in confractione in conſpectu eius*, id est nisi interrito se animo Deo opposuisset. Et ibidem ver. 30. *Steiit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio.* Hãc vim hoc etiã loco habet.Nisi quod duobus proximis exẽplis audaciam ex charitate,hic ex superbia profectã significat.Stetisse enim in tẽplo Pharisæus ille dicitur quasi superbè, & arroganter de propria iustitia cum Deo differens;quasi Deum non timẽs, quasi ad certamẽ, & iudicium quodãmodo prouocans: Contraria vim habet paulò infra ver.13.cum publicanus à longè stetisse dicitur. Illic enim timidã quandam quietem indicat,qua se publicanus continebat,nec audebat propius aream Dei accedere,aut se commouere, & *nec oculos ad cælum leuare.*

Stare Hebraeo phrasi est adesse.

Hæc apud se orabat.) Nihil minùs,quã oratio videtur esse, quæ sequitur, quo ergo modo Christus orasse eum dicit? Duplex responsio,aut orationis nomine etiam diuinas laudes, & gratiarum actiones intelligi, quemadmodũ & Dauid cum suos canebat Psalmos, orare dicebatur; & nunc Ecclesiam cum eos recitat,orare dicimus:aut Euangelistam noluisse dicere verè eum orauisse, sed loco orationis, qua vti eum oportebat,suas commemorasse laudes. Quemadmodum si remiges in maxima tempestate Deum, sanctosque omnes nefandis vocibus blasphemantes,orare Deum dicas.quia quo loco, quo tempore orare eos maximè oportebat,pro oratione blasphemias in Deum iactant.

Deus gratias ago tibi,quia nõ sum sicut cæteri hominũ.) Non dubium quin Christus superbiam in his verbis magnã esse indicet;sed qua in re ea consistat, incertum. Nec enim gratias Deo agere superbia videtur esse;nec suas etiam,modò non tibi,sed Deo tribuas, agnoscere virtutes,præsertim si ob eas à Deo acceptas gratias illi agas. Quod Pharisæus ille faciebat. Omnia tamẽ quæ Pharisæus dicit superbiã spirant. Nã vt fingamus eum quas in se prædicauit virtutes habuisse,magnę fuit superbię cęteros sine discrimine homines tanquam peccatores sibi tanquam iusto postponere. Quæ vna est species superbiæ, ex quatuor,quas hic Beda,& Greg.lib.23.in Iob.c.7.commemorant, & tanto quidem alijs peior, quanto & stultior sibi, & alijs iniuriosior est singulare se putare,& cęteris præstare omnibus. *Dicerea falsũ*, inquit Aug.ser.36.de verbis Domini secundùm Luc*, sicut multi homines. Quid est cæteri homines, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, iustus sum, cæteri peccatores.* Secunda species superbiæ fuit,quòd solas virtutes suas cõmemorauerit;de vitijs,quibus vtique nõ carebat, nullã mentionem fecerit. Tanquã si æger nõ quid morbi, sed quid sanitatis habeat,medico exponat. Hoc superbiæ genus Greg.hom.7. in Ezechielẽ in illo notauit. Tertia est, quòd eas fortasse virtutes iactauerit.quas non habebat,quemadmodum enimsmodi fastuis hominibus solet accidere, qui dum negligẽtes, aut dissimulatis vitijs, solas in se virtutes cõsiderãt, eas sibi,etiam quas re ipsa non habẽt,habere videntur.Quarta quòd Deo simulatè gratias egisse credidum sit;ita enim loquitur, ita tota sibi oratione placet, vt minimè obscurum sit, cum sibi eas virtutes attribuisset, quasi suas illas diligẽtia esset cõsecutus, nec Deo gratias egisse,vt gratias illi ageret,sed vt se laudaret. Sibi ergo,nõ Deo gratias agebat. Hoc aliud superbiæ artificiũ est,sæpe vt nos laudemus, gratias Deo agimus. Deum laudo, quòd nunquã hoc nmquam illud fecerim;quòd semper hoc, semper illud fecerim. Quinta fuit,quòd tanto studio & aliorum vitia,& virtutes suas enumerauerit. Nõ est tam ingeniosa,& subtilis humilitas:nec aliorum vitia,nec virtutes suas videt. *Raptores*, inquit, *iniusti, adulteri.* Quàm distortus aliorum accusator, quàm facundus laudator sui. Maxima quæque peccata nominauit, quibus cæteros omnes homines præter se oneratos esse dicit.Hoc enim nomina illa significant, *raptores iniusti, adulteri*,nõ eos qui semel,aut iterũ rapuerint, iustitiam violauerint, adulterium patrauerint; sed qui id solent facere quàm frequentissimè.

Velut etiam hic publicanus.) De proximo,vt virtutes suas probet,sumit exemplum,ne fortè Deus ita esse neget. Ostendit digito publicanum publicum peccatorem,& quantum inter se,& illum interfit, Deũ iubet animaduertere. *Ego solus sum*, inquit Aug.ſerm. 36. de verbis Domini secundum Lucam, *ille de cæteris est, Non sum inquit talis, qualis iste peruindicat meas,quibus iniquus non sum. Quid rogauerit Deum, quære in verbis eius, & nihil inueniet, Ascendit orare, nihil*

Deum

Deum rogare,sed se laudare. Parum est non Deum rogare, nisi se laudare,insuper & roganti insultare.

12.*Ieiunabis in sabbato. decimas do omnia, quæ possideo.*) Memorauit priùs vitia, quæ non habebat;memorat nunc virtutes,quas habet;ait Theophyl.quia primum est discedere à malo, secundum facere bonum.Recenset autem virtutes duas,eas quæ à Pharisæis maximo in pretio habebantur, quibusque se cæteris hominibus antecellere gloriabãtur,ieiunium, & decimarum solutionem,vt apparet Matt.9.14.& 23.23. Nam ex illis locis & frequenter ieiunasse, & mentam,& cyminum,résque alias minutissimas decimasse constat; quod cæteri homines facere non solebant.Quibus autem diebus ieiunauerint,incertum;Nam quòd Theophylactus tradit secundo, & quinto hebdomadis die ieiunare solitos, nõ alio argumento,quàm sua auctoritate probat;quæ hac in re haud scio quantum ponderis habere debeat.

13.*Et publicanus à longè stans.*) Particulã καὶ, pro aduersatiua positam puto ex Hebræorum idiomate,quibus ו, & cõiunctiua,& aduersatiua est:Publicanus autem à longè stans.Quam vim hoc loco stãdi verbum habeat.ver.11. docuimus. A lõgè autem stetisse publicanus dicitur,quãsi non ausus fuerit in templum ingredi, aut certè versus arcam accedere: sed aut in ipso templi vestibulo, aut in prima atrij populi parte constiterit, indignum se tam religioso iudicans loco. Exprimit peccatoris humilitatem, nullum in se meritum agnoscentis.

Nolebat nec oculos ad cælum leuare.) Nolebat, positum videtur pro non audebat. Melius enim conuenit,& haud dubium, quin ideo noluerit, quia non audebat. Quod ait *nec oculos*, indicat multo minus ausum fuisse maiora facere. Quid autem maius ausum non fuisse insinuet, incertum. Qui putant cæteras corporis partes intelligi, præsertim manus, quas solemus in cælum orantes leuare; quasi dicat, non solum erecto corpore esse non audebat, quo habitu Pharisæum orasse putant; aut manus in cælum tollere,sed ne leuare quidem oculos;non satis opinionem mihi suam probant. Potius ad iactantiã illam Pharisæi,quam paulò ante descripserat, referendũ hoc esse arbitror;tãquam dicat, nõ solùm nihil de se laudabile,vt Pharisæus fecerat,prędicabat, sed ne oculos quidem, quos pudor illi, ac reuerentia diuinæ maiestatis in terram defixerat, audebat tollere. Cælum puto hic Deum appellari Hebræorum more,vt supra. c.15.13.21. *Pater peccaui in cælum & coram te.* Qui enim in templo orabant, non in cælum, sed in arcam, vbi Deum sibi repræsentabant, oculos attollebant. Quod ipsum publicanus ille facere non audebat.

Sed percutiebat pectus suum.) Quasi conscientiam suam sua manu verberans,& pœnas de ea spóte sua sumens. Docuit natura ipsa pœnitentes id facere. Itaque & inter Iudæos primùm,deinde inter Christianos id fuit vsitatum,vt apparet infra.cap.23.48. Adeoque assueti Christiani erant, cùm confitebantur peccata sua, pectori tundendo, vt simul atque verbum ipsum, Confiteor,audirent, pectora manu pulsarent. Adscribam locum Augustini singularem, ex serm.8. de verbis Domini secũdum Matthæum, *Sanctum*, inquit, *Euangelium cum legeretur, audiuimus exultasse Domini Iesum in spiritu, & dixisse, Confiteor tibi pater Domine cæli, & terræ,quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Hæc itaque interim verba Domini si digne si diligenter, si,quod primũ est, pie consideremus,inueniemus Dimitus non semper, cum in scripturis legimus confessionem,debere nos intelligere vocem peccator. Maxime autem hoc dicendum fuit, & hinc admonenda caritas vestra,quia mox, vt hoc verbum sonuit lectoris,sectius est etiam sonus tunsionis pectoris vestri, audisto scilicet,quod Dominus ait, Confiteor tibi pater. In hoc ipso quod sonuit,Confiteor,pectora vestra tutudistis. Tundere autem pectus quid est,nisi arguere, quod latet in pectore, & euidenti pulsa occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis,nisi quia audistis,Confiteor tibi pater.Confiteor audistis:qui confitetur,non attendistis.*

Christianorum confitentes pectora tundere solitos. Matt. 11. 25.

Dicens Deus propitius esto mihi peccatori.) Paucis vitiatur peccator verbis: altero se peccatorem confitetur,altero veniam petit.Hoc est quod alibi Christus docet, *Cum oratis nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Matthæi 6.7. Satis apud Deum loquitur, satisque apud eum disertè causam suam agit, qui se humiliter peccatorem agnoscit.

14.*Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.*) Id est,venerat in templũ iniustior, redijt domũ iustior Pharisæo. Hic verus est sensus. Itaque non significatur quidem hoc loco aut publicanum verè iustificatum fuisse,aut verè damnatum Pharisæũ,quanquam ita Euthymius intelligit:quasi sensus sit,*descẽdit hic iustificatus ab illo*,id est, hic iustificatus, non ille: sed significatur iustiorem à Deo, quàm Pharisæum fuisse iudicatum. Nota enim est phrasis Hebraica.*Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis,quas operata es.* Ezechiel.16.51.id est iustiores, quàm te esse declarasti, quamuis nec tu, nec illæ sitis iustæ. Hic,inquam,est sensus; etsi credendum est & verè iustificatũ publicanum, & verè damnatum fuisse Pharisæũ, si historia non parabola fuit:quia nec potuit non iustificari humilitas tanta, nec tanta superbia nõ damnari. Potest autem quod dicit *ab illo*,duobus modis intelligi,aut ita vt prępositio *ab* personam agentem declaret, aut ita vt solã significet comparationem, vt apud Hebræos, מן. Priori modo si intelligatur, sensus erit Pharisæum illum adeo se cum Deo elatè,arroganterq; gessisse, vt publicanum,quamuis publicum peccatorem iustificauerit,id est iustiorem se esse declarauerit, cùm se tam modestè,& modicè gesserit.Si posteriori,publicanum non quidem à Pharisæo, sed à Deo præ Pharisæo fuisse iustificatum;sententia vtroque modo eadem est, phrasis tantum diuersa.Quæ sequuntur vsque ad finem capitis apud Matthæũ, & Marcum in locis ad marginem indicatis explicauimus.

Hebraica phrasis iustificare alios.

CAPVT XIX.

1. ET ingressus perambulabat Iericho. 2. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues: 3. & quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. 4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum: quia inde erat transiturus. 5. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende:quia hodie in domo tua oportet me manere. 6. Et festi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nans descendit, & excepit illum gaudens. 7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset. 8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. 9. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quòd & ipse filius sit Abrahæ. 10. Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. 11. Hæc illis audientibus adiiciens, dixit parabolam, eo quòd esset prope Ierusalem: & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. 12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. 13. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. 14. Ciues autem eius oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. 15. Et factum est vt rediret accepto regno: & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. 16. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. 17. Et ait illi: Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. 18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. 19. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates. 20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: 21. timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. 22. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: 23. & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? 24. Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. 25. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. 26. Dico autem vobis quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. 27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc: & interficite ante me. 28. Et his dictis, præcedebat ascendens Ierosolymam. 29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam ad montem, qui vocatur Oliueti, misit duos discipulos suos, 30. dicens: Ite in castellum, quod contra est: in quod introeuntes, inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vmquam hominum sedit: soluite illum, & adducite. 31. Et si quis vos interrogauerit: Quare soluitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam eius desiderat. 32. Abierunt autem qui missi erant: & inuenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. 33. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quid soluitis pullum? 34. At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet. 35. Et duxerunt illum ad Iesum. Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum. 36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. 37. Et cum appropinquaret iam ad descensum Montis oliueti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, 38. dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis. 39. Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. 40. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. 41. Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: 42. Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. 43. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique: 44. & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. 45. Et ingressus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes, 46. dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. 47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere: 48. & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

Matt. 18. b. 11.

Matt. 25. b. 13.

Sup. 8. c. 18. Matt. 13. b. 12. & 25. c. 29. Mar. 4. c. 25. Matt. 21. a. 1. Marc. 11. a. 1.

Ioan. 12. b. 14.

Matt. 24. a. 2. Marc. 13. a. 2. Isa. 28. b. 6. Matt. 21. b. 12. Marc. 11. b. 17. Isa. 56. c. 7. Ier. 7. b. 11.

IN CAPVT XIX.

Et ingressus.) In vrbem scilicet ipsam Iericho, ad quam appropinquasse dixerat cap. superiore ver. 35. Tendebat enim Christus, cùm hoc accidit, Ierosolymã, vt pateretur, quemadmodum constat ex Marco c. 10. 32. De vrbe autem Iericho, quæ scitu necessaria esse iudicauimus, apud Matthæum diximus c. 20. 29. Erat enim in via à Iordane Ierosolymam euntibus.

Perambulabat Iericho.) Lustrabat vrbem, animas ninirum perditas quærens, vt solent medici ægrorum obire domos. Nec operam perdidit. Zachæum enim ægrotum inuenit, sanum reliquit. Ex hoc loco perspicuum est non seruasse Lucam in hac præsertim historia ordinem temporum. Nam miraculum illud curati cæci, quod superiore capite narrauit ver. 35. factum fuit, postquam ab Iericho fuisset egressus, vt ex Matth. c. 20. 29. & ex Marco c. 10. 46. manifestum est, nunc verò redit ad commemorandum id, quod in ipsa acciderat vrbe; cur id fecerit apud Matthæum exposuimus.

2. *Et ecce vir.*) Quasi dicat, quærebat, quos sanaret, & ecce illi ægrotus occurrit.

Nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues.) Tribus rebus hominem Euangelista describit nomine, officio, diuitijs. partim vt plus fidei esset historiæ; partim vt doceret etiam homines diuites, nec publicanos modò, sed principes etiam publicanorum in Christum credidisse, ab eoq; fuisse sanatos. Tum etiam vt indicaret, quamobrẽ Christus postea dixisset ver. 10. *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Maximè enim publicani perijsse credebantur. Et est simile vero Scribas, & Pharisæos suo more murmurasse, quòd ad publicanum, & hominem publicè habitum peccatorem Christus diuertisset, vt Matth. 9. 11. 12. & 11. 19. Quod dicit, *& ipse diues*, videtur Hebraismus esse, ὡσεὶ ὁ πλούσιος, qui Latinè resolueretur, Princeps publicanorum, isq; diues, aut, qui & diues erat. Auget enim orationem. Omnes publicani diuites esse solebant, ille inter publicanos ipsos ditissimus erat, propterea quæ eorum princeps. Nam inter eos, qui solas quærunt diuitias, qui ijs maximè abundant, principes sunt. Hoc eò etiam pertinet, vt intelligatur, quantæ eius fuerint eleemosynæ, cùm inter locupletes locupletissimus esset, & dimidiam bonorum suorum partem pauperibus erogauerit ver. 8.

3. *Et quærebat videre Iesum, quis esset.*) Quis esset eorum, quos in conferta, & confusa videbat turba. *Quærebat* dixit, pro volebat, aut conabatur Græco idiomate, ἐζήτει ἰδεῖν. Conabatur autem videre commotus fama sanctitatis, & miraculorum eius, quæ longè, latèque peruagabatur.

Et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.) Sensus est facilis, potestq; facilè ad mores trahi omnes homines ad Christum Zachæi sunt, parui sunt, videre eum præ turba non possunt; quia nemo potest venire ad eum, nisi pater eius traxerit illum, nisi fide in arborem sycomorum ascendat, nisi in crucem credat, *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Tuba, vtique huius mundi impedit nos, quo minus Christum dignoscamus, relinquenda calcandæ nobis ad maiorem virtutem ascendentibus turba est, de alto Christus videndus. *Nemo potest*, inquit Ambros. *Iesum videre constitutus in terra.* Sed hęc à nostro instituto aliena sunt, & meliora apud Augustinum ser. 8. de verbis Apostoli, & ser. 110. de tempore, & apud Gregor. lib. 27. Moral. c. 26. & apud Ambrosium, & Bedam in huius loci commentarijs, & apud Theophilum Antiochenum lib. allegor. 3. facile lector inueniet.

4. *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum.*) Currẽs ante eum, quà transiturus erat, vt antequam accederet, spatium haberet in arborem, quam in via esse sciebat, ascendendi. Sycomorus, aut sycomorum. quæ arbor sit, non magni operæpretij est scire velle. Plinius Ægyptiam ficum vocat, hisq; describit verbis; *Ante omnia ficus ob id Aegyptia cognominata; arbor moro similis folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso: idque ipsum ficu est præduleis, sine grani interioribus, perquam fœcundo prouentu. scalpendo tantum ferreis vnguibus, aliter non maturescit.* Esse autem eandem arborem sycomorum, & ficum Aegyptiam non solùm ex Dioscoride magno in re tali auctore, sed etiam ex Augustino serm. 8. de verbis Apostoli perspicuum est, qui & sycomorum quasi fatuam ficum dictam esse docet, & in Africa quidem ratam, in Iudæa admodũ fuisse frequentem.

Sycomorus quanã sit arbor. Lib. 13. c. 7.

Quia inde erat transiturus.) G. Ὅτι ἐκεῖνης ἤμελλε διέρχεσθαι, quia illac erat transiturus.

5. *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.*) *Magnum beneficium* inquit Augustinus ser. 8. de verbis Apostoli, *ille arbitrabatur Christum videre. Qui magnum, & ineffabile beneficium putabat transeuntem videre, subitò meruit in domo habere. Infunditur gratia, operatur fides, per dilectionem suscipitur Christus in domum, qui iam habitat in corde.* Apertè mihi ex hoc loco confirmari videtur, quod Theologi docent, facienti quod in se est Deum gratiam non denegare, possèque hominem sese aliquo modo ad gratiam disponere. Nec enim dubium est, quin propterea Christus Zachæum vocauerit, quia & cor eius perspectum habebat; & quia videret, quã singulari vsus fuisset diligẽtia, vt vel se videret. Accepit plusquam sperabat, qui quod potuit fecit. Si sequẽtes se Christus iuuat, quanto magis iuuabit præcurrentes. Quod festinare iubet, ad magnitudinem pertinet beneficij. Bis dat qui citò dat; ter qui beneficium nõ petenti, non sperãti offert; quater, qui eum exhortatur, quasi eius agens causam, vt diligens sit in accipiendo. Videtur etiam alludere voluisse Christus ad festinationem illam, qua Zachæus præcurrens in arborem ascenderat. Tanquam si dicat, quemadmodum festinasti, vt ascenderes; festina, vt descendas, & me recipias. Hoc est prout te ad gratiam meam disposuisti, ita eam recipias.

Hominẽ se posse ad gratiã disponere.

6. *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.*) Fecit quod Christus iusserat, eodémque modo, quo iusserat. Iussus enim erat vt festinanter descenderet, festinantérque descendit. Hoc nimirum est diuinæ respondere gratiæ; confestim vocantem sequi; non moras nectere, non villam, non iuga boum empta, non vxorem ductam excusare; non ad renũtiandum ijs, qui domi sunt, non ad sepeliendum patrem velle reuerti. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Festinet, qui vocatur, caueat, ne terribilem illam vocem audiat, *Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Recte hoc Theophylactus admonuit. Qui allegoricos quærit auctores, legat eos, quos ver. 2. indicauimus.

Sup. c. 14. 18. 19. 22. & c. 19. 61. 62.

Prouer. 1. 24. 26.

7. *Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.*) Putant Cyprian. lib. 2. epist. 3. & in lib. de opere, & eleemosynis, & Tertul.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Tertul. lib. 4. contra Marc. & Chrysost. in hom. de Zachæo, Beda, idémque videtur Ambrosius existimasse, Zacheum hominem fuisse Gentilem, ideóque Iudæos murmurasse, quòd ad illum diuertisset, quòd Iudæis non liceret in domos ingredi Gentiliũ, multo minus cibum cum illis sumere. Nam & cum Petro Iudæos disceptasse legimus, quòd *ad viros præputium habentes* introiisset, & cum illis mensam communicasset Actor. 11. 2. 3. & quidem etsi noua videtur opinio, probabilis tamen est. Nam & publicanorum officium etsi Iudæi etiam, vt Matthæus, exercebant, magis tamen proprium Gentilium videbatur. Odiosum enim apud Iudæos erat tributum ab ipsis Imperatoris exigere. Et solebãt Iudæi Gentiles omnes peccatores appellare, & nomine peccatorum Gentiles intelligere, vt cum Christus dicit se *in manus peccatorum* esse tradendum, Matth. 26. 45. Marc. 14. 41. Luc. 24. 7. Animaduertimus etiam Zachæum, cum bona opera, quæ faciebat, recensebat, nihil legale recensuisse, non decimas, non ieiunia, quemadmodum ille fecerat Pharisæus c. 18. 12. sed restitutionem rerum male partarum, & eleemosynas in pauperes, quas Centurio etiam ille Cornelius faciebat, homo Gentilis, Act. 10. 2. 4. & quod Christus dicit ver. 9. *Hodie salus domui huic facta est, eo quòd & ipse filius sit Abrahæ*, quod impedire hãc sententiam videtur, maximè iuuat. Si enim fuisset ex genere Abraham sicut Iudæi omnes, non dixisset, *eo quod & ipse*. Quid est, *& ipse*? nisi etiam ipse, quamuis carne filius Abrahæ non sit, spiritu est. *Non enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelita; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij. sed in Isaac vocabitur tibi semen; id est non qui filij carnis, ij filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Roman. 9. 6. 7. 8. Probabilem tamen opinionem esse dico, non certam. Nam publicani omnes, quamuis Iudæi essent, pro publicis peccatoribus habebantur, & cum in domum Matthæi adhuc publicani, Iudæi tamen diuertisset, similiter Pharisæi murmurabant, supra c. 5. 30. & Matt. 9. 11. Qui fuerint illi qui hoc loco dicuntur murmurasse, incertum est. Nam quòd Euangelista omnes murmurasse dicit, nemo dubitat per synecdochem intelligendum, qua omnes murmurasse dicũtur, quia magna pars murmurauit. Hæreticorum interpres semper Christi discipulis iniquus ipsos etiam murmurasse fortasse putat. Sed id procul omni dubio esse debet, qui murmurarunt, non fuisse discipulos, cum meliora de Christo cogitarent; & vsu iam didicissent, quo ille consilio ad peccatores diuertere soleret. Fuerunt igitur eius loci ciues, &, vt credibile est, præsertim Pharisæi, qui pro magno habebant scelere cum peccatoribus consuetudinem habere, dicentes; *Longe recede a me, nolime tangere, quoniam mundus sum*, adque frequenter obiicibant Christo supra c. 5. 30. & cap. 7. 39.

Zacheus an fuerit Gentilis.

Peccatores dicti Gentiles.

Caluinus in Harmon.

Isai. 65. 5. apud August. hom. 23. homilar. 50. Isa. 52.

8. *Stans autem Zacheus.*) Quid sit stare superiore cap. ver. 11. docuimus. Hic alium habet vsum, nempe aggredi loqui, erumpere ad loquendum de repente vt cap. 10. 40. *Quæ steti, & ait*, id est, quæ exorsa est ita loqui. Nam quòd quidam reuerentiæ causa stetisse dicunt, vt cum Christo non sedens, sed rectus loqueretur, probabile non puto.

Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.) Quod dicit ecce, attentionem Christi exigit, & ostentationem quandam benefactorum videtur præ se ferre, si de re præterita; vel certam promptámq; voluntatem id faciendi, si de futura interpretemur. De quo paulò post dicturi sumus. Cæterum quæ esse videtur ostentatio, non est, sed explicatio vitæ præteritæ coram magistro, vt iudicaret, ecquid sibi de ea vitæ ratione mutandum esset. Quod dicit *do, & reddo*, aliquis ita interpretantur, quasi antequam ad ipsum Christus venisset, solitus fuisset dimidiã bonorum suorum partem pauperibus dare, &, si quem defraudasset, quadruplũ reddere. In qua vera sententia Cyprianus est lib. 2. epist. 3. & lib. de opere, & eleemosynis. Alij contrà præsentia pro futuris posita, sensúmque esse, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, id est paratus sum in posterum dare, ecce offero; *& si quid aliquem defraudaui*, paratus sum quadruplum reddere. Quasi id ante facere non soleret, in posterum autem facere constituerit. Multos hæc sententia, & graues habet auctores, Irenæum lib. 4. c. 26. Tertull. lib. 4. contra Marcionẽ, Chrysost. in hom. de Zachæo, Ambros. Bedam, Theophyl. & Euthym. in comment. Fulgentium in epistola ad Gallam. Hoc probabilius, & quia plures auctores dicunt; & quia Christus videtur significare, cum dicit ver. 9. *Hodie salus domui huic facta est*; quasi non ante Zachæus fuisset iustificatus; fuisset autẽ si ea opera, propter quæ tunc iustificatus est, ante fecisset. Sunt qui putent Zachæum omnibus relictis bonis secutum Christum, eiúsque factum esse discipulum, quod minimè obscurè Fulgentius scribit, obscurius indicant Chrysost. & Augustinus. Cur ergo nõ omnia omnino bona sua pauperibus dediti? Respondent Augustinus & Chrysost. propterea dimidiam bonorum suorum retinuisse partem, vt haberet, vnde per fraudem ablata restitueret. *Ideo mihi dimidium reliqui* inquit Augustinus ex eius persona loquens, *non quod habeam: sed vnde reddam.* Quare quadruplũ reddiderit, quæruntur aliqui. Ac quidam putant lege fecisse quæ quadruplum reddere iubet, Exo. 22. 1. 2. Reg. 12. 6. vt Beda, Theophyl. & Euthym. Magis credo ex abundante fecisse caritate. Nam cùm satis certum nõ haberet, quantum cuique abstulisset, voluit, ne aliquid fortè alienum retinens erraret, quadruplo plus reddere, quàm sibi debere videbatur. Quod omnes profecto fœneratores facere deberent. Etenim, vt ingeniùs docuimus, probabilius est Zachæũ fuisse Gentilem, qui lege nõ tenebatur, & lex non ex omnibus rebus, sed ex solis ouibus, si furto sublatæ fuissent, quadruplum reddere iubebat, Exo. 22. 1. ex alijs plus, vt ex bobus quintuplum; ex alijs minus, & Zachæus ille, cùm publicanus esset, non boues, aut oues, sed pecuniam vtique furabatur.

9. *Ait Iesus ad eum, quia hodie salus huic domui facta est.*) Docet Christus, quam ob causam murmurantibus omnibus ad peccatorẽ diuertisset. *Hodie*, inquit Augustinus ser. 8. de verbis Apostoli.) *salus huic domui facta est. Ecce quare intrauit, salus hodie facta est. Putabat Saluator non intrasse salus in illa domo facta nõ esset. Quid ergo mirabis ægrotet? voca & tu Iesum, vola tibi sanum videri. Cum spe ægrotat qui medicum suscipit: desperate ægrotat qui per insaniam medicam cædit. Qualis ergo eius insania qui medicum occidit? Quanta vero bonitas, & potentia medici dici, qui sanguine suo insano interfectori suo medicamentum fecit? Nec enim ille, qui venerat quærere, & saluare, quod perierat, pendens sine causa dicebat; Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Insani sunt, medicum sunt, sanabo. Hæc Augustinus aduersus eos, qui murmurauerant, quòd ad Zachæum Christus diuertisset. Non dicit Christus, Hodie salus tibi facta est, sed. *Hodie salus domui huic facta est*, siue vt beneficium amplificaret, significaretque non Zachæum modò, sed vniuersam eius familiam omnino saluatam fuisse; sicut de Cornelio illo dicitur Act. 10. 2. religiosum fuisse, ac timentem Deum, *cum omni domo sua*: & purpuraria illa Act. 16. 15. cum omni domo sua baptizata fuisse dicitur; itémque custos ille carceris eodem c. ver. 33. & Crispus Archisynagogus Act. 18. 8. sic Euthymius intelligit. Siue vt indicaret domum illam Zachæi, ante illam quidem diem occlusam fuisse saluti, vitijs, & fraudibus apertam; illa primum die saluti aditum patefecisse, cum ingredienti sibi patefecit, secum enim, id est cum Saluatore salutem ingressam. Quod vt significaret, non dixit salus Zachæo, sed *salus domui huic facta est*, quãquis per domum solum Zachæum, vt Theophyl. putat, intelligat. Nam cum eius rei causam reddit, non dicit, eo quòd ipsi filij sint Abraham; sed *eo quod & ipse filius sit Abrahæ*, quasi Zachæum ipsum domum appellauerit. Nam quod quidam dicunt Græcè relatiuum *αὐτὸς ipse*, non ad Zachæum, sed ad *οἶκον* domum esse referẽdum, quæ Græcè masculino dicitur genere, durius est, quàm quod ipsi durissimum putant, vt cum Zachæo ipsi loqueretur, per tertiam personam dicat, *eo quod & ipse filius sit Abrahæ*. Præterim si verum est, quod ijdem auctores rectè sanè tradunt, illud quod Euangelista dicit, *An Iesus ad eum*, perinde intelligi posse, ac si diceret, ait Iesus de illo vt, *ad Israel autem dictum est*, id est, de Israel, &, *Multi dicunt animæ meæ*, id est de anima mea. Præterquam quòd Christus cum Zachæo de Zachæo loqui potuit. Fingamus ergo cum Zachæo loquentem dixisse, Hodie Zachæo salus facta est, *eo quod & ipse filius sit Abrahæ*, quid fuisset absurdi? cum ita nos vulgo frequenter loqui soleamus. Atqui idem est, quod dicit, *Hodie salus domui huic facta est*, atque si diceret, Hodie Zachæo salus facta est, si posterior Theophylacti interpretatio vera est, quæ certè videtur probabilior.

Eo quòd & ipse filius sit Abrahæ.) An Zachæus ex Abrahami genere Iudæus fuerit, ver. 7. disseruimus. Ergo si Iudæus erat, hæc verba duobus modis interpretari possumus. Aut vt sensus sit, ideo Zachæũ filium fuisse, quia filius erat Abrahæ, nõ quòd omnes, qui genere filij erant Abrahæ, salui essent; sed quòd ius quoddam ad salutem habere viderentur, cum propter illos potissimũ Christus venisset. Quasi dicat, quamuis Zacheus hactenus peccator fuerit, tamen mirandum non est eonsecutum hodie fuisse salutem, nam & ipse filius erat Abrahæ, quemadmodum cæteri, qui illum peccatorem, se iustos esse putant. Videtur enim ad eos, qui murmurauerant, alludere. Atq; hanc vim particula illa *&* habere potest, *eo quòd & ipse*. Aut vt filium Abrahæ non genere quamuis genere etiã filius esset) sed fidei, caritatisque imitatione Christus appellet. Filios enim Abrahæ dicere solebat, qui opera imitabãtur Abrahami. *Vos filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Ioã. 8. 39. sicut filios Diaboli, qui Diabolum imitantur, *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Ioan. 8. 44. Quasi dicat, Hodie Zachæo salus facta est, quia & ipse credendo, bonáq; sua pauperibus distribuendo Abrahamum imitatus est, quemadmodum & cæteri, qui in me crediderunt, quamuis hactenus peccator fuerit: eámq; habebit vim particula, *&*, quam emphaticam esse manifestum est. Sin veterum auctorum sequamur opinionem, qui Zachæum magno consensu Gentilem fuisse putauerunt, congruenter interpretabimur, *eo quod & ipse filius sit Abrahæ*, id est, quamuis genere non sit, tamen fide est, quemadmodum qui ex eo originem trahunt. Atque in hũc sensum omnes antiqui auctores, quos ver. 7. citauimus, interpretantur, & emphasis coniunctionis, *&*, magis apparet. Cum enim Iudæi murmurassent, quòd ad hominem peccatorem, id est Gentilem, qui filius non esset Abrahæ, diuertisset, respondet etiam ipsum filium esse Abrahæ, ideóque salutem consecutum. Quæ sequuntur, vsque ad ver. 41. apud Matthæum exposuimus.

Zacheus Gentilis.

Cur imperfecta sit oratio.

41. *Et vt appropinquauit vrbi Ierosolymæ.*) Cùm Christus magna cum gloria personantibus vndique faustis acclamationibus Ierosolymam iniret aspectu vrbis excidium, quod illi impendebat, animo prouidens in magna ciuitatis lætitia solus fleuit, & fleuit is, qui maximè omniũ lætari debere videbatur, cùm omnis illa publica propter se lętitia excitarerur. Fecit opportunè, magnóque consilio, vt maiorem earum rerum, quas futuras prædicebat, fidem faceret. Si enim dixisset, fleuisse atque ante, cùm ipsum Ierosolymitani ciues persequebantur, aut post, cùm ab illis comprehensus esset, videri posset non tam verè dixisse, quàm iracundè, atq; comminatorie. Prædicit ciuitati extremam calamitatem tum, cùm maximo ab ea honore afficeretur; vt omnes intelligerẽt, non irato, sed libero prædixisse animo, & nec se latere, quid ipse propter eam ciuitatem, quid ea ciuitas propter ipsum passura esset. Ostendit se & futura scire, & inimicos suos amare, vt ait Euthym. Atque ijsdem de causis, quibus id Christus fecit, Euangelistam narrasse arbitror; vt id nunc omnes intelligeremus, quod tunc Christus à Iudæis voluit intelligi. Quod ait, *super illam*. Hebraismus est, עליה, *super illam*, id est propter eam.

42. *Quia si cognouisses, & tu.*) Orationem imperfectam esse constat, qualis fletiũ, aut alio quo æstuantium affectu esse solet. Eáque res sententiam huius loci difficilem reddit, quòd, cùm constet ad explendum sensum orationis aliquid intelligendum, quid intelligendum sit, non satis constet. Tria autem videntur intelligi debere, persona agens, cum qua comparatio fiat, & patiens, quæ impleat verbum illud, *cognouisses*, & aliquid quod dictioni, *si*, respõdeat, ne maneat suspensa sententia. Nam cum dicit, *& tu*, aliquam tacite personam indicat, quæ cognoscat, quod ipsam significat ignorare; cuiúsq; exẽplo scire ipsam velit, quod ignorabat. Et verbum illud *cognouisses* aliquem accusandi casum postulat, qui in tota oratione non apparet. Et dictio, *si*, exigit aliquod verbum, vbi quodammodo quiescat. Sunt qui nullam agentem personam putent intelligendam, existimantes particulam illam, *si*, non conditionalem, sed optatiuam esse. Quasi dicat, O vtinam cognouisses, & tu. Tolerabilis quidem interpretatio videri potest, sed partim nouitate, partim duritia, & insolentia sententiæ auctoritatem perdit. Nam etsi Hebræi *si* pro *vtinam* aliquando dicunt, & Septuaginta interpretes, *εἰ* si pro הלוא Hebraico *vtinam* aliquando verterunt, vt Iosue. 7. 7. & Iob. 6. 2. & 16. 4. scióque Lucianum elegantem auctorem Græcum nonnunquam ita locutum, tamen inusitata inter Apostolos, & Euangelistas phrasis est. Deniq; hac nobis exeundum esset, si meliorem non inueniremus exitum. Nunc autem cùm alius liberior exitus pateat, quis nos per istas exire cogit angustias? Alij turbam quæ Christo acclamabat, intelligi volunt, vt sensus sit, Si cognouisses & tu, sicut ista cognoscit turba. At neq; turba id, de quo Christus loquebatur, vt paulò post apparebit, cognoscebat; & si cognouisset, tamen ea intelligenda non esset, quia illa ipsa Ierosolymitana ciuitas erat, cuius futurum prædicebat exitium. Ergo nõ dubito, quin Christi persona intelligenda sit. *Si cognouisses & tu*, sub. sicut & ego cognosco, quemadmodum intelligũt Gregorius homil. 39. in Euangel. & Beda. *Si cognouisses*, quid? Id multò est difficilius Cyrillus, & Theodoritus in commentar. in c. 29. Isaiæ Augustinus epist. 79. & 80. & Theophylactus, & Euthym.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euthym. hoc loco, verbum *cognouisses* referunt ad ea, quæ proximè sequuntur, *Quæ ad pacem tibi*, id est, si cognouisses occasionem, quę tibi nunc offertur, pacem, securitatémq; obtinẽdi, dum præsentem habes Saluatorem tuum, subintelligunt, non negligeres, aut aliquid eiusmodi; nec aliter meo quidem iudicio Græca lectio, quam nunc habemus, potest intelligi. Sed si litteram vnam ex cõiectura mutare licet, sententia erit multò facilior, & magis apta. Vbi Græcè est, τὰ πρὸς εἰρήνην σοι, legẽdum suspicor τῇ πρὸς εἰρήνην, vna tantùm littera mutata, quæ mutatio illud efficiet, vt relatiuum *quæ* ad diem referatur; quod si fiat sensus est planus, *Si cognouisses & tu, quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo*, &c. Si inquam hæc tu mala tibi impendentia cognouisses, quæ quidem modò minimè cognoscis, sed *abscondita sunt ab oculis tuis*, si inquam cognouisses etiam *in hac die tua, quæ ad pacem* tuam (sub. est) id est, qua tãta pace, tanta securitate frueris, fleres vtique sicut & ego fleo, non lætarere, sicut modò lætaris. Hæc sententia consequens, & ab omnibus difficultatibus expedita est. Nam cum superiore aliorum interpretatione videntur multa pugnare, quæ cum hac mirificè conueniunt. Primùm quidem, quòd quemadmodum in illa particula & planè Christi in se comparationem cõtinet, *si cognouisses & tu*, sicut & ego: ita dictio illa, *si*, omnino postulare videatur, vt intelligatur, faceres, quod ego facio; fleres, sicut ego fleo. Si autẽ hoc intelligendum est, non potest esse sensus, Si cognouisses ea, quæ ad pacem tuam pertinent. Quo enim modo hæc duo cohærebunt, si cognouisses pacem tuam, fleres: non enim fleret, sed lætaretur, si pacem suam cognouisset. Deinde quòd illa verba, *& quidem in hac die tua*, manifestum sit emphatica esse; perit autem omnis emphasis, si verbũ *cognouisses* ad pacem referatur; elucet, si ad imminentia referatur mala; belle enim conuenit si cognouisses quæ tibi imminent mala, & quidẽ hoc ipso tempore, quo tot frueris bonis, à lacrymis temperare non posses. Denique quòd verba, quæ sequũtur, *quia venient dies in te*, nullo modo cum ea interpretatione cohærere possint. Nam eorum sententiam, qui causam à Christo, cur fleat, reddi putant, ne refellendam quidem arbitror. sensus ergo est ille, quem indicauimus. Illud tantùm huic sententiæ videtur repugnare, quòd noster interpres priorem illum sensum expressisse videatur: sed haud difficile potest nostra etiam versio ad hanc interpretationem accommodari. Nam relatiuum *quæ* non solùm pluralis, sed etiam singularis numeri esse potest, & ad diem referri, quemadmodum nos referendum esse putamus, si pro τὰ πρὸς, Græcè legamus, τῇ πρὸς, sicut noster fortasis legit interpres. Imò verò versio nostra magis huic interpretationi fauet; non enim legit τῇ πρὸς εἰρήνην σοι, quæ ad pacem tuam, sed τῇ πρὸς εἰρήνην σου, quæ ad pacem tibi, quod meliùs cum nostra interpretatione conuenit. Quo ergo modo illa hærebunt verba, *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis?* Vix quidẽ, si, quemadmodum superiores illi auctores faciũt, ad superiora referuntur: si autem ad sequentia, vt ego refero, aptissimè hærent. *Si cognouisses & tu*, & quidem hoc ipso tempore, quò tanta pace secura es, quæ tibi imminent mala, etiamsi nunc ab oculis tuis absc̃dita sint, fleres vtique mecum. Mollior etiamnum erit oratio si quod Græcè est ἐκρύβη, singulari numero vertamus; Nunc autem absconditum est ab oculis tuis, quòdque si cognouisses, fleres; *quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo*, & quæ sequuntur. Describit Christus futurum vrbis excidium, quod sub Tito, & Vespasiano accidit. Quare & se Deum esse declarauit, qui futura sciret; & Ierosolymitanos ciues monet, vt ad Deum conuersi impendentem calamitatem effugiant, quasi dicat quod olim per Ieremiam Deus dixerat. c. 3. 1. *tu autem fornicata es cum amatoribus tuis, tamen reuertere, &* c. 4. 5. *Si reuerteris Israel, ad me conuertere; & si abstuleris offendicula tua à facie mea, non commoueberis.* Eodem pene modo ante tot annos Isaias Ierosolymæ ruinam prædixerat c. 29. 1. 2. 3. 4. quem ad locum alluisse videtur Christus, ijsdem enim fere vsus est verbis, *Væ Ariel, Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid, additus est annus ad annum, solemnitates euolutæ sunt; & circumuallabo Ariel, & erit tristitia, & mœrens, & erit mihi quasi Ariel. Et circumlabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam. Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum.* Cyrillus quidem certè, Eusebius, & Theodoritus eò putant hoc loco respexisse Christum.

Eo quod non cognoueris tempus visitationis.) Causam reddit Christus, quamobrem Ierosolyma esset euertenda, quòd nimirum *tempus visitationis suæ* cognoscere noluisset, id est opportunam salutis suæ occasionem amplecti. Tempus primi aduentus sui, *tempus visitationis* appellat, quia *visitauit nos oriens ex alto*, vt dixit Zacharias supra c. 1. 68. 78. & quia veniens *visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*, Hoc est *tempus acceptabile, & dies salutis*, vt D. Paulus interpretatus 2. Cor. 6. 2. Docuimus. c. 1. 68. visitandi verbum & in bonum, & in malum poni; hoc loco non dubium, quin in bonum positum sit. Perinde ergo est, atque si diceret, *Hoc erit iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Mirum D. Augustinum superiora illa verba vers. 42. cum hunc locum citat, semper cum istis copulare, *Si cognouisses & tu tempus visitationis tuæ*, vt epistola 79. & 80. at confusione memoriæ factum puto. Vide reliqua, quæ sequuntur, in Matthæi commentarijs.

CAPVT XX.

1. Matt. 21. c. 23. Mar. 11. d. 27.

Et factum est in vna dierum, docente illo populum in templo, & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum, & Scribæ cum senioribus, 2. & aiunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut: Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem? 3. Respondens autem Iesus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego vnum verbum. Respondete mihi: 4. Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? 5. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, de cælo, dicet, Quare ergo non credidistis illi? 6. Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs vniuersa lapidabit

nos: certi sunt enim, Ioannem prophetam esse. 7. Et respondерunt se nescire vnde esset. 8. Et Iesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. 9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipse peregre fuit multis temporibus. 10. Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. 11. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. 12. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt. 23. Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. 14. Quem cum vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas. 15. Et eiectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ? 16. veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit. 17. Ille autem aspiciens eos ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? 18. Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum. 19. Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populũ: cognouerunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem hanc. 20. Et obseruantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, vt traderent illum principatui, & potestati præsidis. 21. Et interrogauerunt eum, dicentes: Magister, scimus quia recte dicis, & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces: 22. licet nobis tributum dare Cæsari, an non? 23. Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? 24. Ostendite mihi denarium: Cuius habet imaginem, & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris. 25. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. 26. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius, tacuerunt. 27. Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogauerũt eum, 28. dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem, & hic sine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorem, & suscitet semen fratri suo: 29. septem ergo fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus est sine filijs. 30. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio. 31. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt. 32. Nouissime omnium mortua est & mulier. 33. In resurrectione ergo, cuius eorum erit vxor? siquidem septem habuerũt eam vxorem. 34. Et ait illis Iesus: Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: 35. illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis: neque nubent, neque ducent vxores: 36. neque enim vltra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei: cum sint filij resurrectionis. 37. Quia vero resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob. 38. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum: omnes enim viuunt ei. 39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti. 40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. 41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse Dauid? 42. & ipse Dauid dicit in libro Psalmorũ: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, 43. donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? 44. Dauid ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius eius est? 45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis: 46. Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuijs. 47. Qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem maiorem.

Matt. 21. d. 25. Mar. 12. a. 11. Isa. 5. d. 1. Ier. 2. d. 21.

Psal. 117. d. 22. Act. 4. b. 11. Rom. 9. g. 33. 1. Pet. 2. a. 8. Isa. 28. d. 16. Matt. 22. b. 15. Mar. 12. b 13.

Rom. 13. c. 7. Matt. 22. c. 23. Mar. 12. b 18. Deut. 15. b. 5.

Exo. 3. b. 6.

Matt. 22. d. 44. Mar. 12. d. 36. Ps. 109. a. 1. Matt. 23. a. 6. Mar. 12. d 36. Sup. 11. f. 43.

IN CAPVT XX.

Et factum est in vna dierum.) Ex illis quatuor, quibus post ingressum illum celebrem in vrbem Ierosolymam, vsque ad diem, quo est comprehensus, in templo docuit, cùm noctu in Bethaniam rediret, vt apud Matthæum. c. 21. 17. & 26. 2. copiosè docuimus. Apud quem c. 21. 22. & 23. totum hoc caput explicatum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXI.

1. Mar. 12. d.42. RESPICIENS autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, diuites. 2. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. 3. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quã omnes misit. 4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit. 5. Et quibusdam dicentibus de templo quòd bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit: 6. Hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 7. Interrogauerunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum cum fieri incipient? Qui dixit: 8. Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum: & tempus appropinquauit: nolite ergo ire post eos. 9. Cùm autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. 10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. 11. Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt. 12. Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum: 13. continget autem vobis in testimonium. 14. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. 15. ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. 16. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, morte afficient ex vobis: 17. & eritis odio omnibus propter nomen meum, 18. & capillus de capite vestro non peribit: 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras. 20. Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius: 21. tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam. 22. quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia, quæ scripta sunt. 23. Væ autẽ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. 24. Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes Gentes. & Ierusalem calcabitur à Gentibus: donec impleantur tempora nationum. 25. Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum: 26. arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cælorum mouebuntur: 27. & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. 29. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: 30. cum producunt iam ex se fructum scitis quoniam prope est æstas. 31. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 33. Cælum, & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. 34. Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: 35. tamquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. 37. Erat autem diebus docens in templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti. 38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

Matt. 24. a.8. Mar. 13. a.1. Sup. 19. g. 44.

Matt. 24. b.15. Mar. 13 b. 4. Dan. 9 g. 27.

Matt. 24. c. 29. Mar. 13. c. 24. Isa. 13. b. 10. Ezech. 32. b. 7. Ioel. 3. e. 15. Rom. 8. d. 23.

IN CAPVT XXI.

1. RESPICIENS autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, diuites.) Marcus, c. 12. 41. aduersus gazophylacium sedisse scribit, & eos qui munera iactabant considerasse. Illic tota hæc à nobis historia explicata est; totum verò reliquum caput apud Matthæum, c. 24.

CAPVT

CAPVT XXII.

1. APpropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: 2. & quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, quomodo Iesum interficerent: timebant verò plebem. 3. Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim. 4. & abijt, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. 6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem vt traderet illum sine turbis. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. 8. Et misit Petrum, & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. 9. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? 10. Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat, 11. & dicetis patri familias domus: Dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? 12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. 13. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt pascha. 14. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. 15. & ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. 17. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. 18. dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. 19. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. 20. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. 21. Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. 22. Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: veruntamen væ homini illi, per quem tradetur. 23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. 24. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. 25. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. 26. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. 27. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: 28. vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: 29. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, 30. vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. 31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: 32. ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. 33. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. 34. At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges, nosse me. Et dixit eis: 35. Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? 36. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. 38. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est. 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in Montem oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli. 40. Et cum peruenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. 41. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat, 42. dicens: Pater si vis, transfer calicem istum à me: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 43. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. 44. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. 45. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia.

Mat. 26. a.2. Mar. 14. a.1. Mat. 26. b.14. Mar. 14. b.10.

Mat. 26. b.20. Mar. 14. b.17.

1. Cor. 11. c.24.

Mat. 26. b.21. Mar. 14. b.20. Ioan. 13. c.18. Psal. 40. c.10. Mat. 20. d.25. Mar. 10. f.42.

Mat. 26. c.34. Mar. 14. c.30. Mat. 10. b.9.

Isai. 53. d.12.

Mat. 26. c.36. Mar. 14. d.32. Ioan. 18. a.1. Mat. 26. d.39. Mar. 14. d.35.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mat. 26. c. 47. Mar. 14. c. 43. Ioan. 18. a. 3.

46. *Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.* 47. *Adhuc eo loquente ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquauit Iesu vt oscularetur eum.* 48. *Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo Filium hominis tradis?* 49. *Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio?* 50. *Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram.* 51. *Respondens autem Iesus, ait: Sinite vsque huc. Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum.* 52. *Dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladijs, & fustibus?* 53. *Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* 54. *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus verò sequebatur à longe.* 55. *Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.* 56. *Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat.* 57. *At ille negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum.* 58. *Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo, non sum.* 59. *Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus est.* 60. *Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantauit gallus.* 61. *Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis:* 62. *Et egressus foras Petrus fleuit amarè.* 63. *Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.* 64. *Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit?* 65. *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* 66. *Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis.* 67. *Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:* 68. *si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* 69. *Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* 70. *Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.* 71. *At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.*

IN CAPVT XXII.

I. *Appropinquabat autem dies festus azymorum.*) Post duos dies futurus, vt declarauit Matthæus c.26.2.vbi omnia, quæ scribit Lucas vsque ad versum 28.exposita à nobis sunt.

28. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.*) Hæc Lucas suo loco prætermissa, hîc recordans cõmemorat. Nam ex Matthæo c.20. 20. manifestum est totam superiorem historiam de discipulorum contentione, quis eorum maior esset, antequam Ierosolymam ingrederentur, accidisse, cum in via essent, & mater filiorum Zebedæi ad Christum accessisset, petijssetque vt alterum filiorum suorum ad dexteram, alterum ad sinistrã suum in regno suo collocaret. Ea enim occasione & obmurmuratio aduersus filios Zebedæi, & contentio inter reliquos Apostolos orta est, quis eorum in regno cælorum maior futurus esset. Quos à versu 25. Christus est ad humilitatẽ adhortatus: quæ exhortatio apud Matthæũ, à nobis explicata est. Addit solus Lucas, *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Quæ verba an tunc dixerit Christus, cùm superiora humilitatis documẽta discipulis tradidit, non satis compertum est. Videntur enim hæc illis, quæ Matthæus c.19.28.dicit, adeo esse similia, vt eodem loco dicta videri possint. *Vos*, inquit, *qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Sed multo est probabilius diuersam esse sententiam, illãque occasione illius concionis, ver.29. *Omnis, qui reliquerit patrẽ, aut matrẽ, aut vxorẽ aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet,* & Petri dicẽtis, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* hãc autem propter discipulorum cõtentionem fuisse pronuntiatam. Cũ ergo quo quisque in futuro regno Christi futurus esset loco, discipuli cõtenderent, vt contentionem tolleret, omnes indicauit quodam modo futuros partes; omnes enim ad mensam suam festiuos esse, omnes eundem esuros panem, omnes idem vinum bibituros, omnes futuros iudices, & sub quemque sessuros throno. Nec id fauore vt putabant, sed meritis, sed patientia, sed perseuerantia in rebus secum duris consecuturos. Non quia optatis, inquit, non quia petitis, sed quia *permansistis mecum in tentationibus meis.* Tentationes autem vocat, quas ad illud vsque tempus persecutiones à Iudæis passus fuerat. Id enim, cùm eos deterrere posset, & a Christo abducere; tamen duraueruant. Vocauit autem tentationes, quia per eas eum Pater quodammodo tẽtabat. Hoc enim est, quod ait D.Paulus, *probatum tentatum* fuisse. Non tam vt Patri, quemadmodum

dum opinor, quàm vt hominibus eius appareret virtus, atque constantia; quæ Patri satis nota erat. Scibat Christus cum hoc illis diceret, omnes se in maxima tentatione, id est instante morte paulò post desituros esse; tamen præteritam constantiam laudat; futuram inconstantiam posteà illis prædicit. De qua nullam hîc mentionem facit, quia id tantùm agebat, vt illis viam ad regnum cælorum ostenderet, quam si tenerent, eò peruenirent.

29. *Et ego disponо vobis.*) Pronomen *ego* & coniunctio & singularem habent emphasim, quæ in antithesi Christi & discipulorum posita est. Vos hoc pro me feciſtis, vt mecum in tentationibus meis permanseretis; ego hoc vicissim pro vobis facio, vt *disponam vobis regnum.* Significatur præmium meriti respondens; sed tantò maius merito præmium, quantò Christi persona discipulorum maior erat, quia *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis* Rom.8.18.&, *id, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur.* 2.Cor.4.17. Iustitia quidem inter meritum, & præmium ex antithesi significatur. Do, quia dedistis: facio, quia feciſtis, sed iustitia qualis inter Deum, & homines esse potest. Paruos parua, magnos magna decent. Nec possunt homines magna facere, nec decet Deum præstare parua. Quod ait *disponо*, διατίθεμαι, proprie significat testamento relinquere, aut legare. *Dispone*, inquit, *domui tuæ, quia morieris tu & non viues.* Isai.38.1. id est fac testamentum: etsi aliud illic Græcè verbum est. Loquitur ergo Christus tanquam paulò post morituros, & testamentum suum faciens, legãtque discipulis suis, quod se in rebus aduersis non deseruissent, regnum cælorum. Sunt qui vim coniunctionis *&*, & pronominis *ego* ad sequentia putent referendam, vt sit sensus. Sicut Pater meus disposuit mihi regnum, sic & ego vobis disposo. Sed illud magis placet.

Sicut disposuit mihi Pater.) Dubium qua in re inter Christum, & Patrem particula illa *sicut* comparationem significet, qua in re tota huius loci intelligentia consistit. Beda, & alij plerique interpretes *in tentationibus*, de quibus paulò ante dictum fuerat, comparationem fieri putant. Quasi dicat, sicut Pater hac conditione regnum mihi promisit, vt ad eum per varias tentationes peruenirem, *Propter quod*, inquit, *& Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*; ita ego quia in tentationibus meis mecum permansistis, idem vobis regnum disposo. Probabile quidem hoc est; sed illud magis probo, vt comparatio auctoritatis, aut regni similitudo designetur. Auctoritatis quidem sic, qua auctoritate à Patre missus sum, ea ego vos mitto. Regni verò similitudo, vt sensus sit, quale regnum mihi Pater dedit, tale vobis ego promitto, *vt edatis, & bibatis super mensam meam* vt statim explicat. Loquitur Christus vt homo, alluditque ad illud Psal.109.1. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & Psal.2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius.* Itaque inepte ex hoc loco Ariani inæqualitatem Patris, & Filij colligebant, vt auctor est Idacius Clarus lib.3. contra Varimadum.

30. *Vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.*) Laborum socijs honoris quoque & quietis societatem promittit. *Sicut soci*, inquit D.Paulus, *passionum estis, sic eritis & consolationis.* 2.Cor.1.7.& *si sustinebimus, & cõregnabimus*, 2.Tim.2.12. Solet scriptura accõmodatè ad humanum sensum inexplicabilem illam vitę æternę voluptatem cibo, & potu, satietate ebrietatéque declarare. *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua*, Psal. 16.15. & *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Psal.35.9. & *Beatus qui manducabit panẽ in regno Dei*, supra.c.14.15.& *Non bibã amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibã vobiscum nouum in regno patris mei.* Matt.26.29.& *multi ab Oriente venient, & recũbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum* Matth.8.11. Solent nimirum homines summam in cibo, & potu voluptatẽ collocare. Quod dicit, *super mensam meam* prærogatiuã quãdam discipulorum videtur indicare, quasi non omnes, qui in regno cælorum futuri sunt, super mensam Christi esuri, bibituríque sint, sed hoc futurum sit discipulorum aliorúmque similiũ proprium prinilegium. Quemadmodum non omnes, qui in domo regia sunt, in ipsa Regis mensa cibum sumunt, sed pauci quidam maiores principes, quibus id Rex honoris causa concedit. Argumento est, quod statim sequitur *& sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Hoc enim non cõmune omnib⁹, sed ipsis proprium Apostolis futurum significatur. Rectè hoc Theophy. obseruauit, etsi Beda aliter sentit.

Vita æternа cibo potuque voluptate designatur.

31. *Ait autem Dominus Simoni.*) Hoc alij Euangelistæ non narrant, cùm Petri responsionem narrent alia factam occasione, quòd Christus dixisset. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*, Matthæi. 26.31. Sed est verisimile, quemadmodum illic disputauimus, primùm Christum ad Petrum tanquam ad cæterorum Apostolorum principem conuersum dixisse, quod scribit Lucas, *Simon Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*, deinde adiecisse, quod Matthæus ait, *Omnes* enim *vos scãdalum patiemini in me in ista nocte.* etsi D.August.lib.3. de consensu Euangelistarum c.3. hæc omnia, quæ Lucas narrat, priùs Christum dixisse putat, antequam ad hortum orandi causa egrederetur; deinde iam egressum ea, quæ Matthæus.

Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.) Expetiuit, quod Græcè ἐξῃτήσατο est, propriè significat exposcere, aut deposcere, quemadmodũ gladiator, aut hostis aliquem à Rege, vel duce deposcit, vt singulare cum eo certamẽ ineat, quod Goliá illum Philistæũ fecisse leginus. Quo verbo indicat Christus nullam Satanam vexandi homines habere potestatẽ, nisi eam prius à Deo petat. Cuius rei notum in Iob habemus exemplum. c.1.12.& c.2.6. obseruarũt hanc ipsam vim huius verbi Tertul. in lib. de fuga in persecutione, & Beda in comment. Solent veteres auctores vertere, *Ecce Satanas postulauit vos*, quod verbum nõ intelligo, cur noster interpres non retinuerit, cùm magis significans, & minus ambiguum esse videatur. Nam expetere appetitionẽ potiùs, & desiderium, quàm postulationem significat facultatis, quam Christus, vt diximus, indicauit. Sic vertunt Tertul. lib. de fuga, & Cyprian. lib.4. epistola 4. (quamquam idem in lib. de oratione dominica, vertit *expetiuit*) & Prosper in epistola de libero arbitrio ad Russinum, & in lib. contra Collatorem, & lib.1. de vocatione gentium. cap.9. Ambrosius verò reddit, *expostulauit* in Psal.43. & Leo sermone 2. de natali Apostolorum Petri & Pauli. Quod sequitur, *Vt cribraret vos sicut triticum*, non dubium metaphoram esse, & à vanno sumptam, qua triticum iactari, agitari, purgarique solet. Illud etiam certum vexationem, agitationemq; significari. Itaq; Cyprianus lib.4. epist.4. vertit, *vt vexet vos.* Sed an id tantùm

1. Reg. 17. 8.

Quid sit cribrari vt triticũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

significetur de eo quidē potest dubitari. Nam omnes recentiores interpretes eo contenti sensu non quærunt alium. Plus tamen mihi videtur significari, fore vt ea tatione Apostoli velut triticum vanno agitatū, tentati purgentur. Non quòd eo animo Satanas eorum tentaret fidem, sed quòd eam ob causam Deus tentari eos pateretur, quemadmodum in Iob legimus accidisse, quem Diabolus eadem pœna tantū vexare, Deus pcegare, probaréq; voluit. Hoc modo Ambr. in Psal. 43. & Tertul. atque Prosper in locis ante citatis hunc locum intellexerunt. Et magis plena similitudo est, nam triticum non nisi vt purgetur, cribrari solet. Itaque verò simile non est solam Christum agitationē, vexationémque significare voluisse: potius enim trituræ areæ, quàm cribrationis metaphora fuisset vsus eo sensu sæpe in scripturis vsurpata. 4. Reg. 13. 7. *Interfecerat enim eos Rex Syriæ, & redegerat quasi puluerē in trituram areæ.* Isai. 21. 29. 10. *ecce dicit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terram; tritura mea, & filia areæ meæ.* & c. 25. 10. *Triturabitur Moab sub eo, sicut triturantur palea in plaustro.* & c. 28. 28. *Non in perpetuū triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, neque ungulæ eius comminuet eum.* & c. 41. 15. *Ego posui te quasi plaustrū triturans nouū habens rostra serrantia, triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones.* Amos. 1. 3. *Super tribus scelerib⁹ Damasci, & super quatuor non conuertā eum, eo quòd triturauerit in plaustris ferreis Galaad.* Solet quæri, cur Christus soli hoc dixit Petro, cùm non de illo solo, sed de omnibus loqueretur. Nec enim dixit expetiuit te, sed *expetiuit vos.* Qui causam fuisse putant, quòd sciret Christus solū negaturum Petrum, quasi vbi morbum esse sciebat, ibi medicamentū adhibuerit, vt aliquid dicant, parū tamen dicunt. Nec enim, vt paulò post dicturi sumus, de eo tantum loquebatur tēpore, quo patiente se Petrus negauit; sed multo maxime de eo, quo se in cælum recepto multa sæuiente cōtra eos Diabolo discipuli passuri erant. De quo alias prædixerat Matt. 10. 17. *Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides, & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.* Petro ergo dicit, quia aliorum Apostolorū caput erat, & quod illi dicebat, omnibus dicebat, vt Leo ser. 2. de natali Apostolorū Petri & Pauli grauis est auctor. Theophylactus, & Euthymius aliam quoque non improbabilem rationem afferunt, quòd Petrus omnium Apostolorum fortissimus esset, posséetque præ cæteris gloriari, nisi infirmitatis suæ, & imminentis periculi esset admonitus, & *solet*, inquit Euthymius, *fortissimos quosque Diabolus eligere, quos oppugnet.*

Cur soli Petro hoc dictū sit.

32. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.*) Ostenderat periculum, ostendit remedium. Docuerat vnde timere, docet vnde sperare debeat; se eundem, qui Diabolo postulāti potestatē pugnandi cōcessisset, effecturum, vt expugnare non possit. Ego *orabo pro te, vt non deficiat fides tua*, protegā eam maximè partem tui, quam Diabolus maximè petet. Ille fidem caput, vt ait Chrysost. Christiani hominis, & re cæterorum caput petet; ego te maxime, fidemq; tuam protegam. Hæc causa fuit, quamobrem solius fidei mentionem fecerit, cùm credibile sit hostem humani generis non fidem tantum, sed cæteras etiā omnes Apostolorum tētasse virtutes. Non dubium quin ad futurum Petri negationē Christus alludat, sed vt paulò supra dicebamus, longius etiam respexit, non solùm ad eas tentationes, quas Petrus, cæteriq; omnes Apostoli ipsi per se viuentes; sed ad eas etiā, quas eorum successores, id est Ecclesia vnquam subituri essent. Sic enim dicit, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*; quomodo alio dixit loco, *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matth. 28. 20. Et est per se credibile tamdiu Christum orare, ne fides Petri deficiat, quādiu eam Diabolus tentat. Tentat autē semper, semperque tentabit, donec militabit Ecclesia; semper ergo Christus orabit. Quódque dicit Petro, eius quoque successoribus, totique Ecclesiæ dictum putandum est; tamque certi debemus esse successorum Petri, totiusq; Ecclesiæ fidem non defuturam, quàm certi sumus eius, cùm tentatus est, fidem non defecisse. Itaque recte ex hoc loco antiqui, grauesque auctores collegerunt, Ecclesiæ Romanæ, & successorum in ea Petri fidē fore perpetuam. Omnis enim Ecclesiæ fides asserebatur in Petro, qui Ecclesiæ caput futurus erat. *Commune erat omnibus Apostolis periculum*, inquit Leo ser. 2. de Natali Apostolorum Petri & Pauli, *de tentatione formidini, & diuina protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes vincere cupiebat, sed tamē specialis à Domino Petri cura sollicitabatur, & pro Petri fide propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.* In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuina gratia ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christū Petro tribuitur, per Petrū Apostolis conferatur. Nam & post resurrectionē suam Dominus beato Petro Apostolo post regnales ad trinam aterni amoris professionē mystica insinuatione ter dixit: *Pasce oues meas.* Quod & nunc procuditio facit, & mādatum Domini pius pastor exequitur confirmās nos exhortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curā omni populo Dei, sicut credendū est, vbique præstat, quanto magis alumnis suis operam suam dignatur impēdere, apud quos in sacro dormitionis thoro eadem, qua præsidit, carne requieuit. Quo ergo modo Petrus negauit, si pro eo Christus orās, ne eius fides deficeret, exaudiri est pro sua reuerentia? Facilis respōsio, Negare se nolle Christum, non fuit eius fidem deficere, sed tentari, & negare. Dixerat se oraturum Christus, vt non tentaretur, sed vt non deficeret fides eius. Quin idcirco tētari permisit, ne deficeret. Fortior enim ex tētatione emergit. *Vide*, inquit Ambr. in Psal. 43. *quid dicis, & quid negas. Ventilatur Petrus, vt Christum negare cogatur. Tentatio in tentationes, quædam locutus est, quasi palearum plena, sed locutus est verbo, vt frumentator esset affectu. Denique separauit & paleas suas lauit, & illic tentationibus necessitas, hic se Christus interueniret. Quanto maiore est patrocinium, quam perturbationis illius tentamentū? Et ideo plus fecit, quia passus est, acquisiuit. Acquisiuit enim Christum, sibi primum, deinde cæteros. Cogitur autem & aduersarius familias Domini cōtentum. Cogitur autem & aduersarius familias Domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat, meliores reddit, vt qui tentatur possit alios instituere, qui sibi ipse timidus videbatur. Denique Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus à Diabolo est.* Falsa ergo eorum opinio est, qui fidem putant Petrum negando perdidisse. Ore negauit, animo retinuit, vt docentem Ambrosium audiuimus; sed de ea re copiosiùs apud Matth. c. 26. 70. disputauimus. Idemque de eius successoribus, si quis aliquando visus est in fide vacillare, existimandum est: cum diuinum eorum fides eadem Christi promissione nixa consistat.

Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.) Hinc demum manifestum est nec de illo solùm tempore, quo negauit Petrus, nec de ipso solum Petro, sed de omnibus eius successoribus loqui Christum. Nec enim tempore Passionis cæteros Apostolos Petrus confirmauit. Et confirmandi alios necessitas perpetua futura erat. Itaq; in persona Petri omnes Petri successores iubet fratres in fide firmare. Quomodo firmare possunt, si errare ipsi possūt? Propterea enim

Christus

Christus pro fide orauit Petri, ne deficeret, vt alios confirmare posset, intelligens alios confirmare non posse, si eius fides defecisset. Id etiam significat illud *aliquando*, id est si quando opus erit, si quis aliquādo in fide nutabit. Quod omne futurum respicit tēpus. Quanquam ad verbum *conuersus* referri potest, vt sensus sit, & tu, cum aliquando cōuersus fueris, fratres tuos cōfirma. At quid est *conuersus*? Mihi Hebraismus videtur esse, quo repetitio significatur, vt apud Latinos his dictionibus, rursus, aut, iterum, vt *Deus tu conuersus viuificabis nos*, id est tu qui nos occidisti, iterum viuificabis. Similiter hoc loco, *Tu conuersus confirma fratres tuos*, id est, sicut ego te confirmauis tu iterum fratres tuos confirma. Ac vix aliter Hebraismus explicari potest: quemadmodum Beda etiam interpretatur. Quanquam Ambrosij in Psal. 43. Theophylacti, & Euthymij interpretatio mihi non displiceat, qui conuersum exponunt à peccato, quo Christum negauit, acta pœnitentia; quasi alijs de suo vulnere fecerit medicinam. Duo sequentes versus apud Matthæum sunt explicati.

35. *Quando misi vos sine baculo, & pera, & calceamētis, numquid aliquid defuit vobis?*) Mirū quorsum hoc nunc Christus interroget. Si enim eos nunc similiter sine baculo, & pera vellet mittere, apta hæc videretur interrogatio, vt doceret eos, quēadmodum tūc nec baculum, nec perā secum ferentibus nihil defuisset, ita nihil nunc eodē modo euntibus defuturum. At videtur agere contrariū, vt doceat non solùm baculo nunc, & pera, sed etiam gladio opus esse. Chrys. in homil. in hæc verba D. Pauli Rom. 16. 3. *salutate Priscam, & Aquilam*, Beda, Theophyl. & Euthym. diuersam tantùm discipulorū conditionē notari putant. Principio quidē Christum illis tanquā pueris prohibuisse, ne quid secum in viā portarēt, sed toti à se tanquam à patre pēderent; nunc tanquā viris præcipere moriturum patrē, viri vt sint, sibiq; necessaria prouideāt. Duriusculum hoc est. Illud enim præceptum primū, quod Christus discipulis ad prædicandum missis dedit, in omne dedit tēpus, vt Euangelij prædicator de Euangelio viuere cōtentus, omnium rerum necessariarū solicitudine liber esset. Magis mihi placet, quod ijdem auctores indicāt, maximēque Theophyl. & Beda, tum etiam Basil. in regulis breuioribus interrogat. 251. non personarum, sed temporis diuersam cōditionem significare voluisse. Tempus illud, quo eos ad prædicandū miserat, adeo pacatum, & fauorabile fuisse, vt nihil illis, quamuis nihil secum ferentibus, defuerit, fauētibus omnibus quòd ipsius discipuli essent; & necessaria omnia sponte suppeditantibus. Nunc autem passione sua diuersum esse tempus, adeò sibi omnes futuros infestos, vt non solùm nemo illis propter se fauere audeat, & res subministrare necessarias, vt omnes potiùs perfecturi eos sint, & ad mortem, quæsitum, vt non modò baculo, ac pera, sed etiam gladio opus illis esse videatur. Hoc est quod dicit.

36. *Sed nunc qui habet saculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.*) Quæ verba quo modo illis, quæ apud Matth. c. 10. 8. 9. 10. & supra apud hunc eundem Euangelistam, c. 9. 3. sunt, contraria non sint, vbi discipuli baculum, & peram, cæteráque omnia humana adiumenta secum tollere prohibentur, apud Matthæum disputauimus. Basilius eo loco, quem paulò ante notauimus, & Theophylactus putāt illic Christum dixisse, quid discipuli facere deberēt, hīc quid facturi essent, prædixisse. Itaque etsi verbis exprimitur imperandi, *tollat*, & *vendat*, & *emat* non esse tamen præceptum, sed prædictionem. Morem inquit Basilius scripturæ esse vt prophetias imperandi modo pronuntiet. *Fiant filij eius orphani, & Diabolus stet à dextris eius.* Psal. 108. 6. 9. Addit nōnullos codices hoc loco non imperatiua, sed futura legere, Tollet, vendet, emet. Adnotatio quidem vtilis, & vera est, sed in hunc locum meo quidem iudicio parum conuenit. Quis enim discipulorū postea, vt gladium emeret, tunicam vendidit? Chrysostomus, Beda & Euthymius, vt modò dicebamus, nōn præceptum, sed permissum existimant significari, quasi Christus mutata conditione temporis permittat discipulis sui defendendi causa vti gladio. Quemadmodum & Ambrosius videtur interpretari. *O Domine*, inquit, *cur emere me iubes gladium qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quē vetas promi? Nisi forte vt sit parata defensio, non vltio necessaria; & videar potuisse vindicari, sed noluisse.* Similiter fere Beda, *Gladium*, inquit, *iubet emere, vel non habitum emere, vt sciant legentes non facultatem resistendi deesse discipulis, sed magistro amorem potius inesse patiendi.* Verus sensus est, quem apud Matthæum declarauimus: nec iubere Christum, nec permittere, vt discipuli sacculum, aut peram ferant, multóque minùs vt emant gladium, quo ante empto Petrum in ipso vitæ discrimine etiam defendendi sui causa vti prohibuit, sed tantùm significare eiusmodi veniſse tempus, quo tempore si humanis sibi præsidijs vtendum esset, nullum non esset maximè necessarium, cùm de sua, omniúmque discipulorum ageretur vita. Itaque per sacculum, peram, & gladium solam conditionem significat temporis. Hoc indicat versu sequenti, cum dicit.

Mos scripturæ vt prophetiæ imperandi modo pronūtiet.

37. *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me, & cum iniquis deputatus est; etenim ea quæ sunt de me, finem habent.*) Rationem enim reddit, quamobrem gladio, omnibúsque humanis adiumentis opus esset, si res humano gerenda esset more. Nam præter cætera prophetarum vaticinia, quæ iā in se impleta fuissent, illud adhuc, quod omnium caput esset, implendum superesse, vt ignominiosa morte afficeretur, quod est cum iniquis reputari. Quibus verbis nō solùm mortem suam indicat instare, sed etiam cōditionem illam temporis, quam per sacculum, peram, & gladium declarauerat, non ex hominum aut viribus, aut consilio, sed ex diuina voluntate, atque prouidentia fuisse profectā, vt prophetarum de ipso implerentur vaticinia. Quod autē ait, *Etenim ea quæ sunt de me, finem habent*, duplicē sensum habere potest. Aut *finem habent*, id est iam finem consecuta sunt, iam sunt impleta, iā ad effectū perducta, vel parum certè abest quin omnino impleantur, cum hoc solum mihi superſit, vt moriar, quemadmodum Euthymius interpretatur. Aut *finē habent*, id est habere oportet, impleri necesse est, nihil enim eorum, quæ de me à prophetis scripta sunt, irritum esse potest. Qui sensus mihi magis placet. Reddere enim videtur rationem Christus, quare illud vnum, quod reliquum esse videbatur Isaiæ de se vaticinium implēdū etiā esset; quia omnia impleri necesse erat.

Isa. 53. 12.

38. *At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladij hic.*) Constat Apostolos, quid Christ⁹ significare voluisset, nō intellexisse. Quo minùs mirādū nobis est, & æquiore animo ferendum, si ne nos quidem intelligamus. Quod duo inter Apostolos homines inermes, atque imbelles reperti sint gladij, post abdicatas maximè res omnes mirum videri potest. Sed existimandum nō est militares fuisse gladios, aut ijs Apostolos propter pugnam, si quæ forte occurrisset, vsos fuisse; sed rusticos potiùs ad secandas res necessarias gladios secum gestasse, quales lanij, & homines rustici habere solent. Atque eiusmodi gladio Petrus Mal-

Universidad de Deusto
Biblioteca

chi auriculam abscidit. Boni tamen auctores ad mysterium id trahunt. D. quidem Ambrosius sic. *Lex referire non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti sat est, dicis, Quæsi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur; sed non iniquus Dominus, qui cum se posset vlcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritualis, vt vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, vt exuas corpus, & immolata carnis exuuijs ematur tibi sacri corona martyrij.* Aliter etiam Beda, *Duo*, inquit, *gladij sufficiunt ad testimonium sponte passi saluatoris, vnus qui & Apostolis audaciam pro Domino certãdi, & eundsa illiu eius auricula Domino etiam morituro pietatem, virutemque doceret ineſſe medicandi; alter qui nequaquam vagina exemptus, ostenderet eos nec totum, quod potuère, pro eius defensione facere permissos.* Manifestum est neutrum litteralem esse sensum. Alij recentiores interpretes duos ex hoc loco gladios Ecclesiam habere colligunt, alterum spiritualem, temporalem alterum: quos vt habeat, ex hoc certè loco non habet, vbi de alijs, vt explicauimus, agitur gladijs. Putat Ambrosius eum, qui Christo dixit, *Ecce duo gladij hic*, Petrum fuisse, qui vnus pro omnibus responderit. Quod etsi Euangelista quidem non dicit, neque colligi ex hoc loco potest; ideo tamen probabile, quia est officio, animo, & moribus Petri consentaneum. Illum enim gladios obtulisse credendum est, qui dux Apostolici erat exercitus, qui paulò ante dixerat, *Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* ver. 33. Et paulò post solus vt Christum defenderet, gladium exemit. Quod Christus respõdit, *satis est*, non confirmat discipulorum opiniones existimantium gladijs gerendam rem esse; sed, vt aiunt Theophylactus, ironicè respondet. Aut, vt idem Theophylactus, & Euthymius putant, cùm dicit, *Satis est*, indicat opus non esse gladijs, non quòd necessitas temporis non postularet; sed quòd ipse nollet gladijs se defendere. Si enim gladijs agenda res esset, non modò duo, sed ne centum quidem aduersus armatam militum cohortem satis fuissent. Satis ergo duos gladios esse dicit, quia ne illi quidem erant necessarij. Cur Christus sensum eorum, quæ de emendo dixerat gladio, Apostolis non intelligentibus non explanauerit, nostrum non est diuinare, cùm nihil Euangelista significet. Credendum diuino eum fecisse consilio. At propterea fortasse id declarare noluit, vt Apostoli rem non intelligentes gladios secum ferrent, & Petrus auriculam serui Pontificis amputaret, locúmque miraculo faceret, quo doceret Christus potuisse defendere se, si voluisset, qui discipulum volentem se gladio defendere reprehendisset, & quem percussisset hostem, benignè sanauisset, vt ex Beda supra recitauimus. Tonigne denique hoc loco diuinitatem suam, vt Theophylactus obseruauit, Christus ostendit, dum præ-

Vers. 50.

Pretium auriculæ Christus restituit.

dicit Apostolis instare tempus passionis suæ, quam eo ipso indicat voluntariam sibi esse, non necessariam. Propterea enim simul dicit & gladijs opus esse, & gladijs opus non esse, cùm dicit satis esse duos. Vt altera re mortem suam instare indicet; altera voluntariam sibi esse doceat. Quæ vsque ad finem capitis sequuntur, tractata sunt à nobis apud Matthæum c. 26. & 27.

CAPVT XXIII.

I.

Matt. 22. b. 21. Mar. 12. b. 17. Mat. 27. b. 11. Mar. 15. a. 2. Ioan. 18. f. 33.

ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. 2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. 3. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es rex Iudæorum? At ille respondens ait: Tu dicis. 4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. 5. At illi inualescebant, dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. 6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. 7. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. 8. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde. erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & sperabat signũ aliquod videre ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. 10. Stabant autem principes sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum. 11. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem. 13. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, 14. dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. 15. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum. 18. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam, 19. qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homic. idiom.

homicidium, missus in carcerem. 20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. 21. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. 22. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. 23. At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur: & invalescebant voces eorum. 24. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. 25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, Iesum vero tradidit voluntati eorum. 26. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. 28. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. 30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos. & collibus: Operite nos. 31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? 32. Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. 33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. 34. Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortes. 35. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. 36. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, 37. & dicentes: Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac. 38. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum. 39. Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. 40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. 41. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. 42. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. 43. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. 44. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. 45. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium. 46. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit. 47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Vere hic homo iustus erat. 48. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. 49. Stabant autem omnes noti eius à longe: & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes. 50. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus, & iustus: 51. hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei. 52. hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu: 53. & depositum involuit sindone, & posuit eum in monumento excisо, in quo nondum quisquam positus fuerat. 54. Et dies erat parasceues, & sabbatum illucescebat. 55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. 56. Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

Matt. 27. d. 32. Mar. 15. b. 21.

Isai. 2. d. 19. Osee 10. b. 8. Apoc. 6. d. 16. Matt. 27. d. 33. Mar. 15. b. 22. Ioan. 19. c. 17.

Psal. 30. a. 6.

Matt. 27. g. 57. Mar. 15. d. 23. Ioan. 19. g. 38.

IN CAPVT XXIII.

1. ET surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum.) Ipso die Paschæ mane simulatque factus est dies, vt dixit superiore capite vers. 66. Transtulerant autem Iudæi diem festum Paschæ, qui eo anno inciderat in pridie sabbati in sabbatum ipsum, vt probauimus apud Matthæum. c. 26. Propterea putarunt sibi licere Christum ad Pilatum ducere, & eum apud iudicem accusare. Totum verò hoc caput apud Matthæum. c. 27. explanauimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXIV.

I. VNA autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant, aromata: 2. & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. 3. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu. 4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? 6. non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, 7. dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. 8. Et recordatæ sunt verborum eius. 9. Et regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & ceteris omnibus. 10. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cetera, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. 11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum verba ista: & non crediderunt illis. 12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abijt secum mirans quod factum fuerat. 13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus. 14. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. 15. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis: 16. oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. 17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? 18. Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? 19. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo: 20. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. 21. nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt. 22. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, 23. & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. 24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non inuenerunt. 25. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! 26. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? 27. Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. 28. Et appropinquauerunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire. 29. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. 30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. 31. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. 32. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? 33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant, 34. dicentes: Quòd surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. 35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. 36. Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. 37. Conturbati verò, & conterriti, existimabant se spiritum videre. 38. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? 39. Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. 40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes. 41. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? 42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. 43. Et cum manducasset coram eis, sumens, reliquias dedit eis. 44. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad

vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. 45. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas. 46. & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: 47. & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. 48. Vos autem testes estis horum, 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. 50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & leuatis manibus suis benedixit eis. 51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno: 53. & erant semper in templo, laudantes, & benedicentes Deum, Amen.

Psal. 18. b. 7.

Act. 1. a. 8. Ioan. 14. d. 26.

Act. 1. a. 4. Mar. 16. d. 19.

IN CAPVT XXIV.

VNA autem sabbati.) Prima die sabbati, id est hebdomadis, quæ diei nostro Dominico respondebat. Omnia sunt apud Matthæum. c. 28. explicata vsque ad versum. 13.

13. Et ecce duo ex illis.) Prima hoc loco occurrit quæstio, quinam duo isti discipuli fuerint. Altera, ex quorum discipulorum fuerint numero. Prima autem quæstio multiplex est; Primùm enim quæri potest, an isti duo discipuli de quibus Lucas scribit, illi ipsi sint de quibus Marcus c. 16. 12. Deinde quis fuerit ille Cleophas, quem Euangelista ver. 18. alterum eorum fuisse dicit. Tertio loco quis alter fuerit, qui ab Euangelista non nominatur. Prima pars quæstionis ne in dubium quidem veniisset, nisi Eusebius cætera bonus auctor in commentarijs in caput Marci 16. absurdam eorum vocasset opinionem, qui eosdem hos, atque illos esse putarent. Cuius opinio magis omnibus bonis auctoribus abiecta visa est, & quòd est noua, & insolens; & quòd renuntiantis coniecturis nixa. Quòd enim argumentetur, illis de quibus scribit Marcus renunciantibus Christum vidisse, Apostolos non credidisse Marc. 16. 13. his verò de quibus Lucas nō credidisse modò, verum inuentos ab illis inter se colloquentes, affirmantésque surrexisse Dominum, & à Simone visum fuisse infra ver. 33. & 34. itaque illos ante, hos postquam Simon Dominum vidisset, vndecim discipulis annūtiasse sibi Dominum apparuisse, leue est. Nam vt apud Matthæum c. 28. docuimus, in illo numero vndecim discipulorum, cùm Petrus narrasset à se Dominum visum esse, alios credidisse, alios dubitasse verisimile est, vt non omnes homines eiusdem ingenij sunt, & ad credendum æquè propensi. Vterque igitur Euangelista syllepsi, aut syneedoche vius est, qua quod vnus, aut pauci ex aliqua congregatione faciunt, tota congregatio dicitur facere. Marcus dixit Apostolos his duobus discipulis non credidisse, quia aliqui non crediderunt: Lucas dicit incertos ab illis Apostolos affirmantes surrexisse Dominum, & à Simone visum fuisse, quia aliqui id affirmabant. Quod quamuis contrarium esse videatur, non magis contrarium est, quam si vnus Euangelista dixisset latrones, qui cum Christo crucifixi erant credidisse, quia vnus credidit, vt ait Lucas; alter non solùm non credidisse, sed etiam blasphemasse. Matthæus dixit, quia vnus eorum blasphemasset. Secunda pars quæstionis erat, quis ille fuerit Cleophas, quem Lucas alterum ex illis duobus discipulis fuisse tradit. Auctores inuenio, qui Iosephi

A sponsi Mariæ fratrem fuisse dicant; sed auctores non maximæ apud me fidei. Faciliùs Hieronymo crediderim, qui in Epitaphio Paulæ ad Eustochium castelli Emauntis, quò tunc ibat, ciuem fuisse indicat. In eius enim domo Christū ea nocte exceptum in fractione panis ab illis cognitum dicit, eiusque domum in Ecclesiam dedicasse. Rem facit probabilem, quòd credibile sit eum in domum suam tristem se recepisse, quòd de Christo quid actum post mortem esset, ignoraret, cùm mulieres affirmassent, se eum in sepulcro non reperisse: quódque Christum ad hospitium inuitant, *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit*, aliquod est indicium eos domi fuisse suæ. Sed vtrum Cleophæ, an alterius, qui eum eo erat, discipuli fuerit, (nam & illius esse potuit) incertum: nisi quòd Hieronymi auctoritas facit, vt potiùs Cleophæ, quàm alterius domum fuisse credere debeamus. Dorotheus in eius vita Simonem cognominatum, & Christi consobrinum fuisse tradit, sed vt alibi monui, suspecta mihi est eius auctoris fides. Magis dubia est pars tertia quæstionis quis Cleophæ comes fuerit, qui ab Euangelista non nominatur. Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. de vigilantia, & negligentia seruorum, & lib. 10. cap. vltimo Amaonem vocat, ex ipso opinor quo ibant pago. Itaque ciuem eius fuisse oppidi videtur existimare, sicut Hieronymus Cleopham. Origenes initio commentariorum in Ioann. Simeonem appellat. Epiphanius hæresi. 24. Nathanaelem fuisse dicit. Gregorius in præfatione in lib. Iob. c. 2. Simeon Metaphrastes in vita Lucæ, itémque Dorotheus in vita Cleophæ, Theophylactus hoc loco, & Nicephorus lib. 1. c. 34. Lucam ipsum, qui scribit, fuisse dicunt: nō alia coniectura, quantum ex Gregorio quidem colligere nobis licet, nisi quia non nominauit; id nominatum enim fuisse, si fuisset alius; suo verò nomini modestiæ causa pepercisse: cum sacris scriptoribus esse morem, vt se cum aliquid de se narrant, nominare nolint; sed tanquam de alijs de se loquantur. Atque id Ioannem facere. c. 13. 23. & 18. 15. & 20. 2. & 21. 24. Si auctorum numero æstimandæ sententiæ essent, hæc nimirum vinceret. Sed quemadmodum initio commentariorum in Lucam diximus, ex ipso Luca non obscure colligitur, nunquam eum vidisse Christum, præterquam quòd graues id auctores affirmant, quos eo loco citauimus. Inter cæteras opiniones difficile iudicium. Si antiquitate res dubia finitur, Origenes vincet. si iudicio, diligentia, & grauitate testium, Epiphanius vir eruditus, & minime leuis ad credendum ingenij. Ambrosius non sin-

B

C

D

Quis Cleophæ comes fuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantùm,sed aliorum etiam auctoritate mouere potest; nec enim mihi facile persuasero dixisse eum, quod apud alios non legisset auctores, si bene hominis ego ingenium perspectum habeo. Secunda quæstio adeò fortasse facilis à nonullis iudicabitur, vt ne quæstio quidem esse videatur. Neminem enim legi, aut audiui, qui non pro certo haberet hos duos ex numero fuisse septuaginta duorũ discipulorum: cùm ab Euangelistâ discipuli vocentur, & ex duodecim non fuisse constet, quorum vnus Iudas iam se laqueo præfocauerat; vndecim verò reliqui ab his duobus dicuntur inuenti vnum in locum congregati. Ab ea ego opinione dissentire nolo. Tantùm dico non esse tam certam, quàm ab omnibus iudicari video. Nec enim Christus solos septuaginta duos præter duodecim Apostolos, sed alios etiam innumerabiles discipulos habuit, ex quorum numero hi duo esse potuerunt. Nam & Ioseph ille ab Arimathæa discipulus erat Christi, Ioan. 19.38. constat tamen nec Apostolorum, nec ex septuaginta duorum discipulorum numero fuisse, cum *occultus*, vt ait Ioannes, fuerit *propter metum Iudeorum*. Nec enim occultus fuisset, si ex septuaginta duorum discipulorum fuisset numero, qui adeo non erant occulti, vt publicè eum prædicassent, supra. c. 10.1. Quòd dicit, *Ecce*, rem discipulis casu indicat accidisse, vt quo momento temporis ipsi eò irent, Christus quoque, quem peregrinum putabant, eodem iter intendens nec opinantibus adhæreret. Etsi Christo non casus sed prouidentia fuit. Itaque loquitur Euangelista persona quodam modo discipulorum, qui eum casum esse fortuitum putauerunt.

Ex querũ discipulorum numero fuerint hi duo.

Ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalẽ, nomine Emaus.) Ipsam diem vocat, qua resurrexerat, qua mulieres ad sepulcrum ierant. nec eius in eo corpus inuenerant, regressæque discipulis indicauerat, quæ acciderant, omnia, quæ supra narrauerat. Quod castellũ, hoc est κώμην pagum, non solùm nominat, sed situm etiam, & distantiam ab Ierosolyma describit, facit historicè, vt rei, quam narrat, fidem confirmet. Agebat enim de Christi resurrectione, quæ totius Euangelij, quod scribebat summa erat, eratque modis omnibus corroboranda. Eum pagum Hieron. in epitaphio Paulæ ad Eustochium describit, suóque tempore Nicopolim appellatum dicit. Stadium octauã partem fuisse milliaris nemo nescit, & non modò, qui litteras tractant humaniores, docent, sed Beda hoc loco etiam admonuit. Itaque sexaginta stadia erãt, septem milliaria, & semis, leucæ, vt Galli vocant, circiter tres.

14. *Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant.*) De morte Christi, de mulierũ ad sepulcrum itione, & quomodo corpus non inuenissent. Loquebantur autem quærẽtes exitum rei, quid illa omnia, quæ acciderant, sibi vellent, num resurrexisset Christus, cùm eum in sepulcro nec mulieres, nec Petrus reperissent; nescientes quam in partem id interpretarentur. *Loquebantur*, inquit Augustinus ser. 144. de tempore, *de iis quæ acciderant in Ierusalem, de iniquitate Iudæorum, de morte Christi; ambulabant fabulantes, & quasi mortuum dolentes, resurrexisse nescientes.* Disputandi causa incredulitas erat; facilè enim credentibus fuit quæstionem soluere Christum, sicut ante mortem suam prædixerat, resurrexisse. Sed mirum quàm acuti ad non credendum disputatores simus.

15. *Et factum est.*) Accidit, casus enim significatur non quidem Christo, qui id consilio, prouidentiáque faciebat, vt dubitantes de sua resurrectione discipulos confirmaret; sed discipulis, qui nihil minus cogitabant, quàm vt sibi Christus appareret. Vide quæ diximus de particula *ecce* vers. 13.

Dum fabularentur, & secum quærerent.) G. συζητεῖν αὐτοὺς, καὶ συζητεῖν, cùm inter se colloquerentur, atque conquirerent, id est disputarent, qua ratione fieri posset, vt Christus in sepulcro non fuisset inuentus. Hoc est συζητεῖν quod nostet interpres solet reddere, *conquirere*, vt Mar. 1.27. & 8.11. & 9.10. 14. 16. & 12.28. & Act. 15.7.

Et ipse Iesus.) De quo loquebantur. Hanc vim habet coniunctio &, & pronomen *Ipse*, ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐγγίσας, quod Latino prouerbio dici solet, *Lupus est in fabula.*

Appropinquans ibat cum illis.) Indicant hæc verba nihil vidisse, nihil sensisse, nihil cogitasse discipulos, donec Christum secum in via ambulantem viderũt. Non accessisse Christum paulatim discipulos citiore consecutum gradu: sed subito, vnóque momento, quasi cum illis pariter ambulantem apparuisse. Dicit autẽ appropinquasse, quia ita apparuit, quasi pone eos secutus, cõsecutus esset; pone enim apparuisse credendum est, vt non Christus, aut spiritus, qui sese illis ostendisset; sed peregrinus quispiam, qui eodem tenderet, videretur. Morale est, quod hoc loco scribit Beda, *Loquentes de se Dominus appropinquans comitabatur, vt & fidem sua resurrectionis eorum mentibus incendat, & occultæ suæ præsentia magis, tis semper se, quod promisit, impleturum desiguet. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi* (ait) *sum in medio eorum.* Si loquentibus de se Dominus non satis adhuc credentibus adest; quanto magis adesse ijs, qui de ipso non dubitantes, sed credentes; non vt disceptent, sed vt laudent, colloquuntur?

16. *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.*) Vulgaris hic quæstio est, quam duobus locis diuersa sententia tractat Augustinus epist. 59. ad Paulinum, q. 8. & lib. 3. de cõsensu Euangelistarum, cap. 25. qua tamen tione factum sit, vt Christum discipuli nõ agnoscerent, vtrum quia ipsorum oculi impediti diuinitus tenebantur, vt indicat Lucas; an quia adeò mutata illis apparuit corporis effigie, vt, etiamsi liberis essent oculis, cognoscere nõ posset, vt significat Marcus cap. 16.12. dicens *in alia effigie* ostẽsum esse discipulis. Caluiniani hæretici sine cunctatione respondent discipulorum oculos, nõ Christi corpus fuisse mutatum. Quod si non alia de causa dicerent, quàm quia id Euãgelista videtur significare, nõ essent inexcusabiles. Nunc autem cùm id propterea dicãt, vt suam de Eucharistia hæresim tuentur, non posse Christi corpus in eo esse sacramento, cùm non tangatur, non videatur, tamque proprium corporis humani sit tangi, atque videri, vt, quod non tangitur, ac videtur, præsens cùm sit, ne corpus quidem sit, intolerabilis est error. Nam vt rationem rationem refutemus, tam proprium, & naturale oculis sanis, atque valentibus est corpus præsens videre, quàm videri, corporis. Itaq; si potuit Christus oculos impedire, ne viderent; potuit & corpus impedire, ne videretur; aut vt visum aliam præ se ferẽs formam non cognosceretur. Nam cùm per mediam Ierosolymorũ vrbem trãsijt, vt ad Apostolos in vnum cõgregatos domum ingrederetur, à nemine vtique per vrbem aut visus, aut agnitus est, cùm credibile non sit nullo Euangelista dicente omnium impeditos fuisse oculos. Et cũ Magdalenæ hortulani visus est forma, Ioan. 20.15. non vtique in mulieris oculis, sed in Christi corpore mutatio facta est: tantúmque abest, vt hoc loco ipsorum de Eucharistia error cõfirmari possit, vt maximè refellatur. Illud enim ipsi factum, quod narrat Euangelista, Eucharistiæ erat exemplũ. Nam vt illic discipulis, ita hic alia forma, quàm qua re vera est, nobis apparet. Et vt illic non credentibus discipulis, ita re ipsa præsens aderat, vt longè abesse, quia non cognoscebatur, putaretur; credẽtibus autem *in fractione panis*, & re vera, & opinione fuit præsens; ita nunc in eo sacramẽto quamuis præsens re vera sit, tamen Caluinistis non credentibus absens; nobis credentibus, ac venerantibus præsens est. Magísque in ipsis, quàm in discipulis eorum opinio vera est, propterea ipsos Christũ in Eucharistia præsentem non recognoscere, quia fidei ipsorum oculi tenentur, aut quia nullam, vt dicam melius, habẽt fidem. *Ambulabat cum illis*, inquit Augustinus serm. 144. de tempore, quasi contra Caluinistas scribens, *suscipitur hospitio, panem frangit, & cognoscitur. Et nos non dicamus, quia Christum non cognouimus; nouimus si credimus. Verum est, nouimus, si credimus; habemus, si credimus. Agnouit fidelis, qui autem Catechumenus est, ignorat.* Nempe non licebat Catechumenis Eucharistiam aut recipere, aut videre. Algerus quoque disputans contra istorum magistrum Berengarium lib. 2. cap. 5. ad Eucharistiæ sacramẽtum rectè hanc locum accõmodauit. *Sicut*, inquit, *in Emmaus peregrinis in fide peregrinus apparuit; sic nobis peregrinis in mundi exilio peregrina, & extranea sibi specie apparet in sacramento; vt quia quod in nobis exterius apparet mortale est, immortalitatis cibus ipse exterius videatur; cum tamẽ per fidem, qui immortalitatis est alimonia, intus verè, & inuisibiliter mortalem sanetur.* Ergo hoc fixum manet, siue propterea Christum discipuli nõ cognouerint, quòd eorum oculi fuerint impediti, siue quòd Christi in dissimilem formam mutatum corpus; tamen verè Christi corpus suum eius salua natura mutare potuisse, & non mutato corpore efficere, vt à liberis etiam, & non mutatis oculis aut nõ videretur, aut non cognosceretur. Quæ omnia noui hæretici negant. Quo posito fundamento de ipsa nunc quæstione disputemus, vtrum oculi discipulorum, an corpus Christi, ne ab illis agnosceretur, mutatum fuerit. Augustinus epist. 59. Beda, & Theophylactus hoc loco, & Algerus, quem paulò supra citauimus, in Christi corpore mutationẽ factam putant. Quod Marcus planè dicere videtur. Nam quamuis quod dicit *in alia* discipulis *effigie* apparuisse, intelligi possit non re quidem vera, sed sola videntium opinione aliam illis effigiem obiecisse, quemadmodum interpretati quidam sunt; tamẽ minimè dubium est, quin alter sensus magis Euangelistæ verbis consentaneus sit, si nihil impedire probauerimus. Et eodem modo quod Lucas dicit, interpretari nobis licebit, *Oculi eorum tenebãtur*, nõ quòd re vera tenerẽtur, sed quòd non magis Christum agnoscerent, quàm si tenerentur. Quemadmodum cùm paulò post aperti illis oculi fuisse dicuntur, non vtique verè apertos fuisse significatur, sed ita Christũ tunc cognouisse, vt antea etiam, tunc aperti fuisse viderentur. Alio tamen loco idem Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum, ca. 25. oculis discipulorum videtur tribuere mutationem, quòd id Lucas significare videatur. Quamuis minus apertè hoc August. hoc loco, quàm illud illo dicat; dicit tamen apertè Hieronymus in epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani. Non video, cur cum vnus Euãgelista hoc, alter illud dicat, & alij auctores hoc, alij illud affirmẽt, non vtrumq; factum dicamus, & mutata corporis forma Christũ apparuisse, & impeditos fuisse discipulorum oculos, ne ea forma Christum agnoscerent. Nec enim adeo fuisse mutatam, vt à non impeditis oculis cognosci nõ posset. Sed, vt ait Augustinus, quemadmodum in trãsfiguratione mutata est; ita tamen mutata, vt effigies, & lineamẽta eadem, color diuersus appareret. Et sicut vnius, eiusdémque hominis alia pueri, alia iuuenis, alia viri, alia senis forma est. Nam præterquam quòd eiusdem corporis Christi aliam hoc modo post resurrectionem glorificati, quàm ante patibilis, atque mortalis formam fuisse necesse est; quemadmodum & nostrorum corporum aliam post resurrectionem formam fore testatur D. Paulus 1. Corint. 15.41.42. Videmus etiam Christum quoties se post resurrectionem ostendit, diuersa quàm ante erat, ostẽdisse forma. Nam Magdalena hortulanum putauit, Ioan. 20.15. & discipuli spiritũ esse, infra ver. 37. cùm illis non dicatur, aut Magdalenæ, aut discipulorum oculos fuisse tentos. Quid ergo attinebat, dicet aliquis cùm vnum satis esset, duo facere miracula: Respondeo vnum fuisse, non duo, quòd discipulorum oculi tenerentur. Nam quòd aliam Christus post resurrectionem haberet formam, non miraculo, sed naturali glorificati corporis qualitate factũ est. Alia hinc oritur quæstio cur Christus discipulorum tenuerit oculos, ne ab ipsis cognoscereturc. Quam enim ob rem ipsis sese ostẽdebat, si cognosci nolebat? Quam obrem si volebat, eorum tenebat oculos? Multa eis rei probabiles rationes afferri possunt. Noluit ab illis initio cognosci, vt eorum exploraret fidem quam etsi, quia Deus erat, habebat cognitam, experiri tamen volebat humano more. *Qui sunt*, inquit, *hi sermones, quos conferis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?* Noluit nisi à credentibus agnosci, quia semper verum est illud: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Tenuit eorum oculos, dum de ipsius resurrectione dubitabant, dum fabulabantur, dum quærebant, dum de fide disputabãt: aperuit, cùm explicatis à se scripturarum testimonijs crediderunt. Voluit eos specie docere peregrini, quò plus credentes haberent meriti: quid enim fecissent magni, si viso, cognitóque Christo ne docenti quidem, sed se tantùm ostendenti credidissent? *Oportebat*, ait Augustinus serm. 144. *vt melius eor instrueretur, Cognitio differtur, quæriab eis, quid inter se loquerentur, vt quod ipse sciebat, illi fatererentur.* Voluit scripturarum cognitione eorum ad credendum animos præparare. Si enim ante quàm scripturis doceret oportuisse Christum mori, & à mortuis resurgere, repente se illis obiecisset, etiamsi formam agnouissent, ipsum tamen esse fortasse non credidissent, quod & nonnullis paulo post ex vndecim discipulis legimus accidisse, qui eum, cum vidissent, spiritum esse putauerunt. Possunt hęc facilè ad mores nostros accommodari. Nam vt se tunc Christus cum duobus illis discipulis gessit, ita se nunc nobiscum solet gerere. Sæpe se paullatim per tacitas, & obscuras inspirationes in animos nostros insinuat; ita prorsus vt loquentem nobis eum non agnoscamus. Emollit tamen nos magis, ac magis, & nobiscum tacitus loquens nostros sensim animos inflammat. Cognoscimus, cum scripturas audimus, cum panem frangimus. Cognoscimus cum Ecclesiam; cum conciones sacras, cum sacramenta frequentamus; cum eum, quem peregrinum putabamus, corporis, animíque nostri hospitio recipimus.

Cur discipulorum oculi tenuerit Christus.

17. *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, & estis tristes?*) Indicat se, antequam illos omnino conqueretur, ipsorum inaudisse sermones, sed quid sibi vellent nõ satis intellexisse, vt fieri solet, cùm paulò longius loquentes audimus, vt verba quidẽ hauriamus, sensum verò non intelligamus. Sciebat nimirum Christus, quid loquerentur, sed propterea rogat, vt se peregrinum simulet; & vt ansam arripiat de sua loquendi, cósque docendi resurrectione.

Vers. 17.

Isai. 7.9. secundum versionem Septuaginta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Propterea addit, *& estis tristes*, vt vlcus tangat, vt ostendat se aliquod habere eorum, quæ loquerentur, indicium, & vt significet se consolari eos velle, quò faciliùs, liberiúsque, qua de re loquerentur, declararet.

18. *Et respondens vnus, cui nomen erat Cleophæ.*) Alter eorum. Quod nominat, facit historicè, quo plus fidei nominata persona conciliet historiæ. Quis iste fuerit Cleophas, quis alter, quem Euangelista non nominat, disputauimus supra ver. 13, Potest quæri, cur non etiam alterum nominauerit? Gregorius, & cæteri qui alterum Lucam fuisse putant, facile respondent modestiæ causa fecisse, ne gloriari videretur sibi Dominum apparuisse. Cæterum nobis, qui eam supra opinionem refutauimus, alia solutio quærenda est. Respondere possumus non nominasse, quia commodum non fuit. Nam supra quidem ver. 13. vbi nominare potuit, ne Cleopham quidem, quem modò nominat, nominauit, quia non iudicauit esse necessarium. Hîc verò cur non nominauerit, in promptu est ratio; non de illo, sed de altero, quem nominauit, loquebatur,

Cur alteri tus discipuli nomen tacetur.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus.) Duplicem hæc verba sensum habere posse omnes vident. Alter est, vt non reprehensio, sed excusatio potiùs sit, quasi dicant, mirum non esse, si ille solus rem gestã ignoret omnibus notam, cùm solus sit peregrinus, qui ea, quæ in republica gerantur, scire non debeat. Quem sensum Beda, & Theophylactus, & plerique omnes interpreres secuti sunt. Alter est, vt sit reprehensio, quasi dicant, nemo est in Ierusalem, ac ne peregrinus quidẽ, qui hæc ignoret, præter vnum te. Quem verũ ego sensum esse arbitror. Nam etsi potest verbum, παροικεῖν, Hebraico vt quidam volunt, more idem significare, quod habitatorem esse, tamen cùm propriè significet hospitem, & peregrinum esse, non est, quòd ab eius proprietate discedamus. Præsertim cùm sensus magis sit emphaticus. Nec enim dubiũ est, quin voluerit Cleophas hominis, quem peregrinum putabat, ignorantiam simul exaggerare, atque reprehendere. Itaque nec falsa, nec vulgari opinio est Christum duobus illis discipulis peregrini specie apparuisse. Nam & id verba propriè significant, & Augustinus serm. 144. & Beda, atque Theophylactus in cõmẽtarijs graues auctores tradunt; & ex vers. 20. colligi videtur posse; & ratio ipsa postulauit, vt peregrini appareret forma, vt cum ipso duo illi discipuli sermones communicarent. Nam si Iudæum esse putauissent, non fuissent ausi coram illo ita de Christo loqui.

19. *Quibus ille dixit, Quæ?*) Simulat etiamnum se rem gestam ignorare, & quasi ignorantiam confessus, indicat se doceri velle, libenterque auditurum esse, quo magis ad narrandum inuiter.

Et dixerunt.) Vnus tantùm loquebatur Cleophas, sed quia pro se, & pro altero loquebatur, plurali numero dicit Euangelista *dixerunt*. Etsi fieri potest, vt initio sol⁹ Cleophas, post verò ambo locuti fuerint.

De Iesu Nazareno qui fuit vir prophæta, potẽs in opere, & sermone coram Deo, & omni populo.) Repetendum est ex superiore versu verbum; *Quæ facta sunt in illa his diebus de Iesu Nazareno*, id est circa Iesum Nazarenum. Aut illud ex vers. 17. *Qui sunt hi sermones?* quod magis cõuenit. Magnis quidem, sed humanis, non diuinis elogijs de Christo loquũtur, nihil enim supra virum prophetam fuisse dicunt: siue quòd nondum de illo maiora credidissent; siue, quod est probabilius, quia noluerunt maiora de illo homini peregrino fortasse non crediturо declarare. Quo enim modo homo peregrinus, qui ne an Christus quidem vnquam fuisset, scire videbatur, quem crucifixum audiebat, & vt promiserat, nondum resurrexisse, Deum esse credidisset? Virum tamen prophetam vocant, & potentem *opere, & sermone*, id est miraculis, atque doctrina, *coram Deo, & omni populo*, hoc est Dei, hominúmque iudicio, ac testimonio quo miserabilior eius historia, & mirabilior videatur, virum talem, ac tantum tam indigne a summis sacerdotibus, & principibus Iudæorum, qui eum maximè honorare debuissent, fuisse crucifixum. Hanc verba singula vim habent.

20. *Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri.*) Intelligendum est idem verbũ, quod superiore versu, sermones nostri erãt *de Iesu Nazareno, & quomodo eum tradiderunt*. Quomodo à summis sacerdotibus traditũ dicant, cum summus sacerdos non nisi vnus fuerit, ex ijs quæ diximus Matth. 2. lector intelliget. Quòd autem dicunt, *& principes nostri*, principes appellantes suos indicant existimare se eum, quo cum loquuntur, esse peregrinum, quasi non illius, sed ipsorum principes fuerint, qui Christum tradiderunt. Nam etsi non ignoro posse sensum esse principes nostri trium, tamen illud verba magis præ se ferunt. Principes vocant רשעים, similiarum principes, qui præcipuam inter Iudæos auctoritatem habebant. Tradidisse dicunt *in damnationem mortis*, & crucifixisse, quia Pilato damnãdum morte, crucifigendúmq; tradiderunt, quamuis ipsi non crucifixerint, vt supra. 9. 44. & 18. 32. & 24. 1. & 24. 7. & Matt. 17. 22. & 20. 19. & 26. 2. 45. & 27. 2.

21. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.*) Quasi dicant iam non speramus, cùm illum videamus fuisse crucifixum, tertiúmque iam esse diem, quo se resurrecturum dixerat. Duplici in errore versabantur, & quòd Christum non à peccatis, sed à Romanorum tyrannide Israelem liberaturum putabant, vt Theophylactus adnotauit: & quòd existimabant crucem cum redemptione pugnare, cùm vnica esset via redemptionis. Hinc apparet in ipsis etiam discipulis verum fuisse, quod ait D. Paulus 1. Cor. 1. 23. *Crucem Iudæis scandalum, gentibus stultitiam esse*. Non satis fuerat Christum illis tam sæpe mortem suam, resurrectionémque prædixisse; ne cùm eueniret, fide nutarent, ipsa eius confirmati prædictione. Locos superiore versu notauimus.

Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt.) Quo magis loquuntur, eo magis infidelitatem ostendunt. Quid enim est *super hæc omnia*, nisi præterquam quòd fieri non videtur posse, vt mortuus resurgat, accedit quòd tertia iam post mortem est dies, & non resurrexit, vt nulla reliqua spes esse videatur fore, vt resurgat? Si enim resurrecturus esset, iam resurrexisset, cùm se tertia die dixisset resurrecturum. Mirum quàm subtiliter incredulitas contra fidem disputare soleat. Primum tertia dies venerat, sed non abierat. Dein qui sciebant nondum resurrexisse? Constat tamen ex ijs, quæ sequuntur, exiguum aliquid spei adhuc illos, cùm hæc dicebant, retinuisse.

22. 23. *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos.*) Mulieres ex suis vocãt, quę Christum quemadmodum ipsi sequebantur, nõ, vt Euthymius ait, nostræ, quasi ipsorum fuerint vxores. Quanquam nostram etiam ille interpretationem probat. Quidam tem est, *Terruerunt nos*, cum nõ terrore, sed singulari gaudio eos perfundere tam læto nuntio debuissent. Græcè est ἐξέστησαν ἡμᾶς, quod propriè est attonitos nos, & dubios animi reddiderunt, fecerúntque, vt ancipites inter infidelitatem, & fidem inter metum,

& spem vacillaremus. Nã vna quidem ex parte vix hominum tam ignominiosa extinctũ morte resurgere potuisse credimus, tertio præsertim pòst die. Ex altera verò parte spem nobis aliquam resurrectionis eius mulieres quędam ex nostris iniecerũt, quæ cum sepulcrum inuiserint, affirmant se non repetisse corpus; quin vidisse angelos, qui illum testentur resurrexisse. Hoc etiam Theophylactus obseruauit melius, quàm Euthymius, qui interpretatur, attonitos nos reddiderunt incredibilia narrantes. De mulieribus, & angelis apud Matthæum c. 28. diximus.

24. *Et abierunt quidam ex nostris ad monumentũ, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt.*) Petrus, & Ioannes, Ioan. 20. 3. confirmatio est testimonij mulierũ vt mirũ sit eos nõ credidisse, cùm suam ipsi & mulierum, & duorum discipulorum, & angelorum testimonio incredulitatem arguerent. Nec sine causa Christus *exprobrauit incredulitatẽ eorum, & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, non credidерant*, Mar. 16. 14.

25. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ.*) Id est, omnia quæ locuti sũt. Constructio Hebraica, vt, *Noli æmulari in malignantibus*, id est malignantes. Aut in omnibus, id est, nõ obstãtibus (vt ita loquar) omnibus, quę Prophetę locuti sunt. Stultos, & tardos vocat, qui tot nõ crederent testimonijs, quique ideo non crederent, ne stulti, & tardi viderentur. Hęc enim summa hæreticorum sapientia est, non facilè credere, nec meliùs refelli possunt, quàm si, qua ratione prudentes nõ credendo sibi videtur, ea stultos eos, & tardos appellemus. Ac magnæ quidem stultitiæ, & tarditatis ingenij est suo magis ingenio credere, quàm Deo. Nondum se Christus illis cognoscendum ostendit vt non tanquam suam, sed tanquam alienã causam agens magis persuadeat, & vt pudeat homines Iudæos, ac discipulos Christi de Christo non credere quòd hominem, vt apparebat, alienigenã, & peregrinum non solùm credere viderent, sed docere etiam, ac prædicare. Nec reprehẽdit eos, quòd Christo ipsi, sed quòd Prophetis de Christo locutis non crederent. Quia de Christo ipso dubitabãt, an vera fuisset, & nõ erat argumenti loco sumendũ, quòd in quæstione versabatur. Etsi Tert. lib. 4. aduersus Marcionem extremo non legit, *in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ*, sed, *quæ locutus est vobis*, quasi de ipso tantùm Christo.

26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.*) Qua illi ratione dubitabant, eadẽ eorum Christus dubitationem curat. Illi non credebant resurrecturũ, aut verum esse Christum, qui tam ignominiosa ab ijs, quos liberaturus esset, sublatus esset morte; Christus ea ipsa ratione credere eos docet oportere. Nec enim ea Iudæorum vi ac potestate, sed sua sponte, diuino consilio, & vt Prophetæ impleret vaticinia, passum fuisse Christũ. Quasi eo ipso, quòd eo mortis genere à Iudæis sublatus fuisset, credendũ verũ fuisse Christum: cùm pro certo haberet ita moriturum fuisse Christũ prædixisse. Quod ergo dicit oportuisse, ita intelligendũ, oportuisse, non absolutè, sed posita prophetarum prædictione. Quod addit, *& ita intrare in gloriam suam*, ideo dicit, vt spem illis erigat futuri regni, de quo iam peculiariter videbatur. Dixerant enim v. 21. *nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel*. Redimere enim Israel erat regnare, & gloria regnum, regiámque significat mutationem.

27. *Et incipiens à Mose, & omnibus prophetis.*) Totũ vetus testamẽtum Hebræorum more prophetas vocat, quorum omnium de Christo vaticinia percurrisse, & explanasse eum dicit Euangelista. Vnde colligimus totam scripturam sacram, etiamsi id nos minimè plerumque animaduertamus, loqui Christum; vt eum in illa, etiam vbi minimè videtur esse quærere discamus. Vbique est, sed alibi apparet, alibi latet. Nos sæpe non inuenimus, quia aut nõ quærimus, aut quia Iudæorum more in extimis scripturæ verbis, nõ in intimis sensibus, ac latebris quærimus.

Vbique in scriptura est Christus.

Interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.) Delibans ex singulis scripturæ libris ea, quæ de Christo erant illis explicabat, vt viderent omnia in eum, de quo dubitabant, conuenire. Quæ testimonia ea fuerint, vtinam Euangelista declarasset: multũ nobis inde eruditionis accessisset. Nec enim dubito Christum non ea solùm testimonia, quæ nos de ipso loqui animaduertimus, sed multa etiam præterea, quæ nos lateant protulisse. Quod alibi eum fecisse legimus. Quis eum putasset ex Adami, & Euę formatione, coniugij indissolubilem nexum probaturum? Atqui probauit Matth. 19. 5. Quis probaturum resurrectionẽ ex illo Exodi testimonio, *Ego sum Deus Abrahæ, Deus Isaac, & Deus Iacob?* Atqui probauit Matt. 22. 32. & sup. 20. 37. Nec ea ipsa, quę à nobis animaduersa, & notata sunt opus est hoc loco recitare. Ad Cyprianum in libris ad Quirinum, ad Eusebium in libris de demõstratione, ad librum Prosperi de prædictionibus lectorem mittimus. *Exod. 3. 6*

28. *Et appropinquauerunt castello, quo ibant; & ipse finxit se longius ire.*) Sunt qui castellum hoc, quò dicuntur appropinquasse, non Emauntem, quo ibant, vt vers. 13. dictum est, sed aliud quodpiam propius Ierosolymam fuisse putent; quòd, vt dicitur vers. 33. eadem hora surgẽtes regressi fuerint in Ierusalem, cùm nox vtique iam esset, & Emaus sexaginta stadijs, vt ver. 13. dixit Euangelista, à Ierosolyma distaret, quod iter non videatur pedibus tam breui tẽpore confici posse. Sed ij vno Euangelistæ verbo facilè refelluntur. Dixerat enim ver. 13. eos ijsse in castellũ nomine Emaus: hîc autem dicit appropinquasse *castello quo ibant*, quo ibant nisi Emaus? Difficiliùs, quod sequitur, *Et ipse finxit se longius ire*. Duplex quæstio, cur finxerit, & quomodo fingere licuerit. Gregor. hom. in Euang. 23. & Beda in cõment. videntur existimare ideo finxisse se longiùs ire, quia adhuc à discipulis peregrinus esse putabatur, quasi digni non essent, vt cum ipsis sub eodẽ maneret tecto, qui illum tam longo colloquio non agnouissent. At quæ eorum erat culpa, si & ipse formam mutauerat, & eorum oculi tenebantur, ne eum, si maximè vellent, possent agnoscere? Aliam etiam rationem afferunt, quòd peregrinus adhuc in eorum esset fide, id est quòd nondum ipsum resurrexisse crederent. Sed id meo quidem iudicio probari non potest, cùm Euangelista, antequam Christus illis scripturas interpretaretur, dubios fuisse indicet; post scripturarum autem explicationem dubitasse non indicet: & ipsi affirment cor suum inflammatum in via fuisse, cùm eis Christus scripturas aperiret, quod sine fide fieri nõ potuit. Et si non affirmassent, tamẽ res incerta in meliorem esset partem interpretãda. Credo ergo qua ratione prius mutata forma, occupatisque discipulorum oculis cognosci noluerat, eadem nunc lõgiùs se ire finxisse, vt se Christum esse dissimularet, quia nondum tempus venerat, quo se illis decreuerat aperire. Tentandi, docendique adhuc erant. Secunda quæstio est difficilior, quomodo Christo fingere licuerit, cùm fictio omnis siue verbis, siue factis fiat, mẽdacium esse videatur, præsertim cum ad inti-

Cur finxerit Christus se longius ire.

Quomodo fingere licuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciendam audienti,aut videnti falsam sit opinionem, quod hoc loco fecisse videtur Christus. Quare enim se longius ire finxit,nisi vt duo illi discipuli putarẽt ipsum verè esse peregrinum,cuius speciem præ se ferebat;ideoque longiùs progredi voluisse,nondum confecto,quod susceperat,itinere? Tãtum hoc apud quosdam argumẽtum valuit,vt Christum verè putarint esse mentitum, licerétque nobis aliquando eius exemplo mentiri. In quo errore Priscillianistas fuisse scribit Augustin. hoc victos loco, lib. contra mendacium ad Consentium,c. 13. Fuit & Cassianus auctor Catholicus,& bonus; sed nullum tam pulchrum est corpus, vt næuo careat. Christum mentitum non esse certum esse debet; quo modo eius fictio mendacium non fuerit, facilius est credere, quàm explicare. Nam in duabus rationibus, quas D. affert August. fateor ingenium meum non acquiescere. Vtraque in hac vna re versatur, mendacium non esse,cùm non ad fallendum, sed ad aliquid maius significandum aliquid fingimus;quemadmodum parabolæ, etsi fictæ narrationes sunt, mendacia non sunt. Christum ergo ideo mentitum non fuisse,quia fictione illa sua non fallere discipulos,sed docere,& maius quiddã illis significare voluit. lib. 2. qq. Euang. c. 51. sic scribit. *Quid ergo significat, quod se ire longius Dominus finxit? Quid putamus, nisi quia hospitalitatis officio ad suam cognitionem peruenire posse homines intimauit, vt cum longius ipse ab hominibus abscesserit super omnes cælos; tamen ita cum eis sit, qui hæc exhibent seruis eius, vt cum dicere coeperint, Domine quãdo te vidimus hospitem,& adduximus? tanquam eum scilicet, qui longè abscesserat, respondeat illis cum vni ex minimis meis fecistis.* lib. verò contra mendacium. c. 13. sic. *Quisquis autem vult intelligere illud fingendo, quid præsignarit, attendat quid agendo perfecerit: longius namque posita profectus super omnes cælos non tamen deseruit discipulos, suos.* Videt lector quid sibi D. August. velit, ideo Christum non esse mentitum, quia non discipulos fallere, sed aliquid illis maius significare voluit; aut se in cælum ascendere; aut eos qui hospitales sunt ituros longiùs, id est in cælum secum peruẽturos esse. In quo illud desidero, vt probaret noluisse Christũ discipulos fallere, quod ad purgãdum mẽdacium in primis videtur esse necessarium. Nam quisquis fingendo alium fallere conatur, etiãsi aliquid præterea significare velit, haud dubiè mentitur. Alioqui nullum esset omnino mẽdacium, quod ista ratione defendi non posset. Christus autem videtur omnibus rebus, & mutata corporis sui forma & impeditis discipulorum oculis, & simulatione longioris profectionis eos fallere voluisse; vt alium quàm erat esse. Præterquam quòd suam Christum longiorem in cælum profectionem significare voluisse, nec probatur, nec ad id, quod tunc Christus agebat, videbatur attinere. Malim Gregor. homil. 23. in Euangel. & Bedam in commentarijs sequi; qui si bene intelligantur, rem, vt dicitur, acu videntur attigisse. Noluit Christus discipulos fallere, sed docere eos falli, eóque eos errore liberare. Putabant discipuli nondum Christum resurrexisse; errabant; apparet illis ea forma Christus, vt non ipse, sed alius quispiam peregrinus esse videatur, eademque ratione fingit se tanquam peregrinum ire longiùs, nõ vt edoceat se non esse Christum, quod mendacium vtique fuisset, sed vt doceat errare eos, qui se putarent Christum esse non posse. Quemadmodum ergo non mentitur verbis is, qui sciens, ac prudens non ex sua tamen, sed ex eius, quocum loquitur, opinione dicit falsum; ita Christus factis non ex sua, sed ex discipulorum opinione falsum fingens, mendacium non est. Exemplum in sacris litteris habemus illustrissimum 3. Reg. c. 22. 15. Cum Achab Rex Israel adiuncto sibi Iosaphat Rege Iuda bellum contra Assyrios ad expugnandam Ramoth Galaad moueret, omnesque falsi prophetæ prosperam illi expeditionem pollicerentur: accersitus ad se Michæam rogat, *Michea ire debemus in Ramoth Galaad ad prælianda, an cessare? Cui ille respondit, Ascende, & ero prosperè, & tradet Dominus in manus Regis.* Cùm sciret fore, vt ibi moreretur, loquens scilicet non ficta sed Regis, & falsorum prophetarũ quibus deceptus fuerat, opinione; non vt hominem falleret, sed vt per irrisionẽ eum falli doceret. Quis dicat fuisse mentitum? Eadem ergo ratione mentitus non est Christus. Solemus ægro dicere, qui aquam rubeo colore tinctam, quam illi damus, vinum esse putat. Accipe vinum. Nõ mentimur non fallimus, sed illi ægrotum significamus. Qua verò re Christus se longius ire finxerit, quod quidam quæruit, difficile non est dictu. Credibile aliquot passus progressum longiùs, quasi vltra processurum.

29. *Et coegerunt illum.*) Populariter loquitur, iuxta cibus enim, & verbis, non manibus coëgerunt, vt statim declarat, *Quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies*, Gregor. hom. in Euang. 23. & Beda hãc, *eo quo*, inquiunt, *exemplo colligitur, quia peregrini ad hospitium non solùm inuitandi, sed etiam rogandi.* Morabatur qui quærit, Augustinum legat ser. 140. & 144. de tempore, & lib. 2. qq. Euang. c. 51. Diximus ver. 13. probabile esse quod Hieron. docet Cleopham, aut eius cognominem, aut fortasse ambos propriam in eo oppidolo habuisse domũ, eóque magis Christũ tanquã ad deuersorium suam inuitasse. Quod ipsum Augustinus, Gregorius, & Beda, cùm discipulorum hospitalitatem laudant, videntur approbare. Quę enim hospitalitas erat, si domi suæ non recipiebant?

30. *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.*) Vulgata quæstio, an Christus, cum panem accepit, benedixerit, ac fregerit. Eucharistiæ confecerit sacramentum, an simplicem tantùm porrexerit discipulis panem? Ego quidem certè nõ dubito, mirorque dubitare aliquos, quin hic locus de Eucharistia sit intelligendus. Magnúmque mihi argumentum est, quòd vehementer hæretici negant, quos vtinam Catholici quidam, & non mali auctores magis cautè legissent, & maiore studio ab eorum sensu, verbisque abstinuissent. Adducor tota actionis forma, quam nescio sanè quis Christianus Eucharistiæ esse non agnoscat. Quæ enim forma nisi hac Euangelista vsus fuisset, si Eucharistiam describere voluisset? Cum in Actis Apostolorum c. 2. 42. fractionem panis ab Apostolis factam legimus, nemo aliud quàm Eucharistiã intelligit. Leginus hoc loco non fractionem modò panis, sed legimus factã à Christo, qui eius fuerat auctor. Legimus benedictionem, legimus distributionem. Legimus consecutum, vt statim probabimus; ex eo miraculum. & Eucharistiam nõ agnoscamus? Deinde vt concedamus consueuisse Christum, quoties cibum sumebat, aliqua vti benedictione, tamen vt apud Matt. c. 26. 26. docuimus, id Euangelistæ nusquam declararunt, nisi cùm Eucharistiam conficeret, aut aliquod circa panem miraculum ederet. Hic autem Lucas eadem prorsus diligentia & panis in manus sumptionem, & benedictionem, & fractionem, & distributionem declarauit, qua supra c. 22. 19. cum de ipsa Eucharistię institutione loqueretur, declarauerat. Præterea cum communem benedicebat cibum, non in fine, non in medio nimirum prandij, sed initio, antequam quisquam quidquam gustasset. benedicebat. At hic non initio, sed in fine, vt indicat Euangelista benedixit. Hoc enim est ἐκλάσθη τὸν ἄρτον, cũ recubuisset, id est cœnasset. Sicut cum Eucharistiam instituit; non initio, sed in fine cœnæ panem benedixit, vt Matth. c. 26. 26. probauimus. Et si ad Euangelista nõ indicasset, tamen ita factum fuisse credendum esset. Verisimile enim est Christum tũc, ne phantasma esse videretur, communem cum duobus discipulis sumpsisse cœnã. Non sumpsit postquam panem fregit, quia in ipsa panis fractione cognitus est, & statim vt cognitus est, à discipulorum oculis euanuit, vt Euangelista testatur; antequam cœnã sumpserat. Quare ea benedictio cõmunis cibi esse non potuit. Accedit miraculum, quòd *in fractione panis* ab illis, qui tot eũ ante sermonibus non cognouerant, cognitus est. Quod alia ratione, quàm Eucharistię virtute factum esse nõ potest. Nam quòd hæretici dicunt Christum proprium quendam benedicendi cibum habuisse modum, ex quo facilè à discipulis cognosci potuerit, nec ipsi probant, & nos multis argumentis refutare possumus. Primum quomodo credibile est Christũ proprium benedicendi cibi ritum habuisse; cùm etiam tam, cùm Eucharistiam rem omnino nouam instituerit, quantum fieri potuit, ad communem se Iudeorum ritum accommodauerit, vt & nos apud Matthæum probauimus, & hæretici ipsi docere solent? Nam quòd paterfamilias panem sumeret, quòd benedicere, quòd frangeret, quòd inter conuiuas diuideret, Iudæorum fuisse ceremoniam Thalmudici auctores tradunt. Præterea si proprium habuisset ritum, nec dissimilis esset Euangelistæ, neque taciti fuissent Pharisæi, qui in rebus minoribus, quod fuisset eorum ritu ante prandiũ nõ lauaret manus, eum accusabant. Deniq; vt habuerit, tamen alia profectò fuisse habebat sibi magis propria, vnde cognosci posset, & tamen nõ fuerat cognitus. Magis propria illi vox esse, magis propria lineamẽta oris, magis propria domus, magis propria explicãdarum scripturarũ ratio. Hæc omnia ex ijs eum discipuli non nouerant. Quòd autem apud quosdam, qui non mali habẽtur auctores, lego propterea Christũ *in fractione panis* cognitum fuisse, quòd panem ita diuisisset, non quasi fregisset manibus, sed quasi cultro scidisset, tam simile apparet esse figmenti, vt tidendum magis, quàm refellendum videatur. Mirorq; acutos homines, qui ne rerum ingenioli viderentur, de Eucharistia hic agi ipsam apertè Euangelista describit, non credideruntque non solum credidisse, sed etiam finxisse, quod nec Euangelista, vt apparet, cogitauit, & specie habet fabulæ; nec intellexisse, quòd vix quisquam nõ intelligit cum Christus *in actione panis* cognitus fuisse dicitur, fractionẽ panis nõ ipsam actionem frangendi, sed totum illum actum conficiendi, administrandi, Eucharistiã appellari, quemadmodũ cum Apostoli *in oratione, & communicatione fractionis panis, & orationibus perseuerare* fuisse dicũtur, Act. 2. 42. Ergo manifestũ est Christũ porrigendo discipulis corpore suo cognitũ fuisse. Quod cum nec casu, nec ex frãgendi panis ceremonia fieri potuerit, sequitur factum esse miraculo. Quòd enim & Euãgelista, & ipsi postea discipuli tãta narrãt diligentia se Christũ *in fractione* vt cognouisse, indicant profecto nõ casu, sed ex fractionis aliqua cognouisse. Vix autẽ illa ceremonia esse non poterat, quia nunquã ante Eucharistiã Christũ viderent porrigentẽ, cũ in illa vltima cœna Christi duodecim cum illo Apostoli dicãtur recubuisse, & duo illi discipuli ex duodecim Apostolorũ numero nõ fuerint, vt ex ver. 33. perspicuũ est. Reliquum igitur est, vt mirabili, atque diuina corporis Christi

virtute Christũ ipsum agnouerint. Nã & Euangelista, & ipsi postea discipuli tanquam miraculum narrãt; & multi veteres, grauesq; auctores ita senserunt. Profecto Hieron. cum in epitaphio Paulæ ad Eustochium dicit Christum domũ Cleophæ in Ecclesiam dedicasse, nihil aliud significat, quàm in ea tunc domo Eucharistiæ celebrasse sacramentum, quod vbcunque fit, ibi Ecclesia est. Nec aliter sentit Augustinus libro tertio de consensu Euangelistarum cap. 25. *Oculis*, inquit, *eorum accidebat aliquid, quod ita manere permissum est vsque ad fractionem panis certi mysterij causa, vt eius in eo alia offenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Lucas narrante manifestatur. Pro merito quippe mentis eorũ adhuc ignorantis, quod oportebat Christũ mori, & resurgere, simile aliquid eorum oculis passi sunt; non veritate fallẽte, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, & aliũ quam vere est, opinantibus; neque quisquam se Christũ agnouisse putet, si eius corporis particeps non est, id est Ecclesiæ, cuius vnitatẽ in sacramẽto panis cõmendat Apostolus dicẽs: Vnus panis, vnũ corpus multi sumus, vt cum eo benedictũ panẽ porrigeret, aperiẽtur oculi eorũ, & agnoscerẽt eum.* Augustinum Beda, Bedam Strabus secutus est, eius verba in suos transferens commentarios. In eadem sententia Chrys. est, aut quisquis est auctor ho. 9. ex varijs Matthæi locis, & Theophylactus in commentarijs. 1. Cor. 10. 17.

31. *Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.*) Non assentior ijs, qui hoc nõ de oculis corporis, sed mentis putant intelligendũ. quamuis in eam sententiam Chrysostomũ D. Thomas citet. Non enim metaphora est, sed aliud genus metonymiæ, quo ab effectu clausi, eum non vident; aperti, cum vidẽt, oculi dicuntur. Quod nõ de mentis, sed de corporis oculis dici solet. Et paulo ante quod dixit; *Oculi eorum tenebãtur, ne eum agnoscerent*, non dubium quin de oculis corporis dictũ sit. Petit enim vis omnis orationis; & gratia, si de oculis mentis intelligatur, cùm dicere Euangelista voluerit, nõ magis Christum agnouisse quàm si planè fuissent cæci. Atqui manifestũ est de ijsdẽ hic agi oculis. Quos enim illic clausos significauerat, hic apertos fuisse dicit. Quomodo aperti sint quomodo ante clausi fuerant. Clausi ante fuerant, nõ quia clausi erant, sed quia non cognoscebat, quẽ videbant Christum, quasi non viderent; quasi clausi essẽt; aperti ergo dicuntur, quia viderũt, & cognouerunt. Quemadmodũ primorum, post peccati parentũ aperti fuisse oculi dicuntur. Ge. c. 3. 7. & Agar. Gen. 21. 19. non quòd ante clausos habuissent; sed quòd vidissent, cognouissentque, quod ante aut nõ videbant, aut non cognoscebant, vt Origen. hom. in Num. 17. & D. Augustinus lib. 11. de Gen. ad litteram, c. 32. & lib. 1. de nuptijs, & cõcupiscentia, c. 5. docẽt. ver. 16.

Et ipse euanuit ab oculis eorum.) G. ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, & ipse inuisibilis, aut inconspicuus factus est ab illis, id est reddidit se illis inuisibilem. Mirum quàm inepti sint hæreticorũ interpretes, ne cogantur cõcedere posse Christũ in sancto Eucharistię sacramento esse, quamuis oculis non videatur negant posse corpus suum inuisibile facere, naturã corporis esse dicentes vt videatur. Minusque potestatis Christo, quàm dæmonibus, & strigibus tribunt, quos dubium non est, quæ volũt corpora reddere inuisibilia. Quid ergo est ἄφαντος ἐγένετο, nisi inuisibilis factus est? Concedunt sed dicunt inuisibilem factum fuisse, quia se ab illis subtraxit, nõ quia corpus suum inuisibile reddidit. Itaque boni isti interpretes ἄφαντος ἐγένετο vertũt *subduxit se*. Quod non ideo dixi, vt refellerem, nec enim necesse est rẽ refellere tam absurdam, sed vt ij, qui se solos putãt sapere, ab iis qui aliquid sapiunt, rideatur. Quasi verò *Refutantur Calui nici, & Ilyrici qui negant Christum corpus suum inuisibile reddidisse.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

verba Euangelistę defuerint, vt cum diceret abijsse. Cum ergo non dicit, Discessit ab eis, sed ἀφανὲς ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν inuisibilis factus est ab illis, quis sanę modò sit mentis dubitare po test miraculum voluisse Euangelistam significare, quo se Christus subitò illis inuisibilem fecit, sicut se ante ambulãtibus in via visibilem fecerat? Hanc enim vim habere diximus, quod ver. 15. dictum est; *Et factum est cum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.* Nec quisquam aliter auctor non hæreticus intellexit. At cur subitò se inuisibilem fecit? cur nõ paulò diutius cum illis est commoratus, magis vtique eos, ac magis longiore mora confirmaturus? Fecerat, quod volebat, cognitus erat, qua vna causa illis apparuerat. Confirmauerat resurrectionem primùm scripturarum testimonijs: deinde ipso cõspectu sui: quid longiore opus erat tempore? Adde quod hac ipsa ratione magis sunt discipuli confirmati. Eo enim ipso, quod viderunt eum de improuiso non amplius apparuisse, intellexerunt alium non potuisse esse, quàm Christum. Si diutiùs cum ipsis mansisset, attrectare, interrogare, explorare voluissent, vt sunt curiosi hommes increduli. Præterea nõ tale iam, vt inquit Theophylactus, habebat corpus, vt diu cum hominibus versari oporteret. Et volebat eadem nocte, vt ait Euthymius, redire Ierosolymam, & sese vndecim illic Apostolis ostendere, & vt idem duo illi discipuli facerent.

32. *Et dixerunt ad inuicem; Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?*) Intelligunt discipuli cognito Christo, quod ante non intelligebant, vnde ardor ille, quem in via loquente Christo experti fuerãt, natus esset. Ardebant nimirum, & rationem ignorabant, quia prope solem erant, quem nõ cognoscebant. Sunt qui hoc tanquam tarditatẽ suam tacitè reprehendentes eos dixisse putent, quòd cùm Christum in via ex ipso, quę sentiebãt, ardore animi cognoscere potuissent, tamen non cognouissent. Potius credo cõfirmationem esse cogniti Christi, tanquam dicãt, verè Christus est; nã nõ alia potuit esse causa, cur in via eo loquente tãtopere animus noster inflammaretur. Sic solemus res, quas iam fide, aut certa experiẽtia credimus, probabilibus rationibus comprobare Potest & admiratio esse, quòd causam ardoris, quam priùs non intellexerãt, intellexissent. Apparet ex hoc loco præter vim verbi Dei, quod exponebat, quæ incredibilis per se est, & præter eã dicendi in eo gratiã quã auditores alicubi miratos legimus, adiungebat, singularem quandam Christũ, quia Deus erat, virturem mouẽdi, vt vellet, animos habuisse. Hoc enim est, quod illi discipuli tribuũt, quod cum alio homine commune esse non potuit. Sæpe nos euẽtus docet Christũ fuisse, qui in animis nostris loquebatur, sed nos ideo non cognouisse, quia nondum aperti erant oculi nostri. Aperiuntur, dum eius percipimꝰ corpus, dum oram vestimẽti eius tangimus. Nã eadem illa caro Christi, quæ tactu olim suo cęcis visũ dabat, nunc à nobis sumitur eò quodãmodo potentior, quò glorioſior. Si oculi nobis aliquando non aperiuntur, non ideo fit, quòd illi vis, sed quòd nobis fides ardens desit.

33. *Et surgentes eadem hora.*) Eodem momento tẽporis. Nam ne horę quidem vnius moram interpositę credendũ est. Sed est Hebraismus, quo breuissimum omnium tẽpus significatur משעה חוא. Quod Latini dicunt eodẽ temporis momento. Linius aliquanto momento horę. Quamobrẽ tanta celeritate discipuli Ierosolymam redierint, facilis coniectura. Non potuerunt minùs etiam debuerũt, visi Christi gaudium continere, voluerũntq; quam primum cẽ cęteris discipulis cõmunicare, ipsos Ierosolymæ congregatos esse sciebant. Nõ ignorabãt, quam soliciti illi de Christo essent, vtrum resurrexisset. Docerum concionatores non desides esse, non sibi tecentum scripturarũ referuare. Sed videant, an viderint Christum, an cor ipsorũ ardens fuerit in viaine pro Christo ingenij sui phãtasmata; ne pro veris fallaciæ pro certis incerta populo prædicent.

34. *Et inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cũ illis erant.*) Id est cæteros discipulos, qui cum Apostolis tunc Ierosolymis morabantur. Non enim est sensus eos qui cum Apostolis erant in illa congregatione, cum ipsis cõgregatos fuisse, quæ esset inepta tautologia; sed eos, qui cum illis Ierosolymis erãt compactifuisse in eadem domo congregatos. Erãt enim alij discipuli huc illuc dispersi, vt credibile est, qui Ierosolymę non erant; sicut & illi duo, de quibus agitur. Ierosolyma tristes discesserant, & voluit Euangelista significare omnes & Apostolos, & discipulos, qui Ierosolymę erat, fuisse tunc, cùm duo illi discipuli venerunt, in eadẽ domo cõgregatos de Christi resurrectione varia & mulierum & Petri testimonia inter se cõferẽtes, vt docerer plurimos eius apparitionis Christi, eodẽ tempore fuisse testes. Potest hoc & ad id, quod sequitur, verbum referri: Inuenerunt & vndecim, qui cõgregati erant, & eos qui erant cum ipsis dicẽtes, verè surrexisse Dominũ, & Simoni apparuisse. Quasi dicat Euãgelista nihil duos illos discipulos Apostolis, & ijs, cui cũ ipsis erãt, nũtiasse nouũ; nam & ipsos iam ante sciuisse resurrexisse Dominũ, & de ea ipsa re loquẽtes inuẽtos, aut facile fuisse persuadere, quæ ipsi vidissent, eum Apostolos esse persuadere, quæ ipsi vidissent, eum Apostolos esse Christum & cæteros discipulos inuenerint, similes Christi narrantes apparitionẽ, vt ex testimoniorum cõsentiens resurrectionis Christi veritas probaretur.

35. *Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.*) Ipsi duo discipuli, qui superuenerant, cæterorũ de Christi resurrectione testimonijs suũ quoq; adiungebãt narrãtes, quid sibi euntibus Emauntẽ accidisset, quomodo scripturas Christus comitẽ adiuxisset viæ, quomodo reprehendisset, quod eum resurrexisse non satis crederent, quomodo scripturas illis de morte ac resurrectione sua explicasset; quomodo ad extremum in fractione panis eum cognouissent.

36. *Dũ autẽ hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorũ.*) Improuisus, subitus, clausis ingressus foribus, vt ait Ioannes c. 20. 19. ita vt prius in medio discipulorum constiterit, quàm aut illum sentirent, aut vestigium vllũ, qua ingressus esset, viderẽt, nõ apertas fores, nullo strepitu ingrediẽtis, nõ vmbrã falsè appropinquãtis. Hãc vim habet verbũ illud, *stetit.* Quod hæretici nostri nõ intelligẽtes, clausis foribus ingressũ fuisse negãt, quę errorẽ apud Ioan. c. 20. 19. loco magis idoneo refutabimus. Quod Marcus dicit *recumbentibus undecim* Christũ apparuisse, non est de hac intelligendu apparitione, sed de ea, quæ vt Ioãnes ait, c. 20. 26. *post dies octo* facta est quemadmodum probauimus apud Marcum, c. 16. 14.

Et dicit eis; Pax vobis, ego sum, nolite timere.) Apparet ad subitũ Christi in medio cõsistentis conspectu discipulos timuisse, quasi spiritũ viderẽt aliquẽ, qui nõ apertis foribus nõvllo pedũ strepitu esset ingressus, quod cùm Christus animaduerterit, & cõsuetæ salutatione, & verbis se esse declarãs timorem exemit. Visitata Iudęorũ salutatio cùm aliquẽ nõ timere, sed bono esse animo iubebãt, *Pax tecũ*, Iud. 6. 23. Eodem modo angeli ad monimentũ mulieribus viã terentes timorẽ populẽre, Ma. 28. 5. *Nolite timere vos, scio enim*

Christus singularẽ mouendi animos vim habuit.

Matth. 9. 20. Marc. 5. 28. Luc. 8. 44 Ioan. 9. 6. 11.

Hebraismus quo breuissimum tempus significatur.

Iesum, qui crucifixus est, quærutis; non est hic, surrexit enim, sicut dixit.

37. *Conturbati vero, & conterriti existimabant se spiritum videre.*) Indicat Euangelista, si ordinem verborum cõsideremus, timorem in causa fuisse, vt discipuli Christum non agnouerint, sed spiritũ esse putauerint. Impedit enim cognitionem timor, & spiritus, phantasma, monstra, aliáq; sibi solet fingere terriculamenta. Si verò rationem sequamur, probabilius est propterea timuisse, quia se spiritum videre existimabãt. Quod Christus confirmat cùm manus, pedęsq; suos contrectandos offerens probat se spiritum non esse, quasi timoris radicem euellens. Cur putauerint discipuli spiritum se videre, in promptu coniectura est, quia, vt ait Ioannes, *ianuis clausis* ingressum vt videbant, quod non nisi spiritum putabant facere potuisse.

38. *Et dixit eis; Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?*) Ostendit se esse Christũ qui eorũ cogitationes videat, quas ne spiritus quidem videre possit. Quod dicit, *cogitationes ascendũt*, descriptio est hominis anxij, dubitantisq;, & varias animo voluẽtis cogitationes. Nam quod Augustinus ait ser. 145. allegoricum est: *Cogitationes istæ terrenæ sunt: si enim cælestes essent descenderent in cor, non ascenderent.* Vna ex parte spiritũ putabãt, qui clausis ingressus ianuis de improuiso in medio constitisset; altera ex parte dubitabãt nam esset Christus, quem & ipse se esse affirmabat, & alij alijs narrabant se vidisse. Hæc enim adiecit Christus, cũ vidisset nõ satis fuisse ad pellendum ab animis discipulorum merum, quòd eos benigne salutasset, quòd Christũ esse dixisset, quasi nimium tiuotorem. & incredulitatem eorum reprehendat.

39. *Videte manus meas, & pedes meos.*) Cõstat ex hoc loco veram vulgarem illam esse sententiã, Christum etiam post resurrectionem vulnera, quæ ante mortem acceperat, habuisse. Nec enim alia potuit esse causa, quamobrẽ manus potiùs, ac pedes, quàm reliquum corpus palpandum ostẽderet, nisi quia illis duabus partibus clauis cõfixus fuerat, vt Euthymi hoc loco, & Beda in cõmentarijs, & Cyril. apud D. Thom & Maxentius dialogo 2. & Leo ser. 1. de ascensione Domini, & D. Aug tract. 121. in Ioan. & ser mone de tempore 180. tradunt; idq; ex Ioanne perspicuum est cap. 20. 27. vbi iubet Christus Thomam manum in latus suum mittere. Itaque quod scribit Aug. epist. 49 q. 1. Christum post resurrectionẽ non vulnera, sed vulnerum cicatrices habuisse, nõ sic intelligendum est, quasi veras plagas habuisse neget, sed quasi ita habuisse dicat, vt ciuitates potiùs manum, ac pedum, quàm vera essent vulnera, cum nõ viceroſa, nõ sanguinolẽta, sed sana essent, nisi quòd ipsa, quæ facta fuerant, foramina remanebant.

Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa nõ habet.) Palpandum simul, atque videndum se præbet Christus, palpandum corpus videnda vulnera, ex altero certo se non esse spiritum, ex altero eum esse probat qui eribus ante diebus clauis ad crucẽ affixus fuisset. Apparet ex hoc loco angelos, & animos nostros nullum prorsus habere corpus. Vtroſq; enim nomine spiritus comprehẽdit. Quin Theophylactus existimat discipulos non angelum, sed animã aliquam, quæ ex altera vita redijsset, putasse se videre, quem Lucas spiritum appellauerit. Cum enim dicit, *spiritus carnem, & ossa non habet*, nõ tantùm significat carnem & ossa, sed corpus omnino non habere, quod ipse palpandum offerebat. Nam per speciẽ genus intelligit. Deinde enim est, ac si dicat, palpate, & videte me spiritum non esse, nam spiritus cùm corpus nõ habeat, palpari non potest. Argumẽtabitur fortasse subtilis aliquis Dialecticus non bene probasse Christum vērum se habere corpus. Nam poterat tactus simul, & visus discipulorum falli, sicut oculos suos putabant falli, cùm sibi corpus humanum videre viderentur, quòd verum nõ esset corpus, sed aliquod sumptũ à spiritu, phantasma. Et sicut Abraham, Lot, Tobiam, & alios multos non solùm videntes, sed tangentes etiam angelos, pedẽsq; illis lauãtes, & cũ ipsis cibum, potúmq; capientes deceptos legimus. Noluit tam argutus esse Christus, popularitter, & conueniẽter naturæ locutus est. Natura verò ita est comparatum, vt minùs tactus, quàm visus in diiudicando corpore fallatur. Nam, & cùm aliquid videre nobis videmus, quod an verũ sit corpus dubitamus, manum adiicimus, vt tactu quasi certiore teste rem exploremus. Nihil tutũ est hæresi, nullus tam perspicuus locus, quo non abutatur, ex hoc ipso loco, vbi nihil aliud agit Christus, quàm vt probet se nõ spiritum, sed verum esse hominẽ, corpus verum habentem, Marcion non verum habuisse corpus, sed spiritum fuisse colligebat. Interpretabatur enim vt lib. aduersus illum 4. Tertul. ait, *Spiritus carnẽ, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, id est sicut me nõ habentem videtis, quasi negatio *non* ante *habet* sit in secundo etiam verbo intelligẽda. In qua interpretatione tanta acquiescebat securitate, vt cũ alios scripturæ locos, quos aduersari sibi videbat, spongia inducere soleret, hunc intactum relinqueret. *Marcion*, inquit, Tertullianus, *quadam contraria sibi, illa credo ita scripta eradere de Euangelio suo noluit, vt ex iis quæ eradere potuit, nec erasit, illa, quæ erasit, aut negetur erasisse, aut meritò erasisse dicatur. Nec parcit nisi eis quæ non minùs aliter interpretando, quàm delendo subuertit. Vult itaque sic dictum, quasi spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habentem, ad spiritum referatis sicut me videtis habentem, id est non habentem ossa, sicut & spiritus. Et quæ ratio tortuositatis istius, cùm simpliciter pronũtiare potuisset, quia spiritus ossa non habet, sicut me videtis non habẽtem? Cur autem inspectui eorũ manus, & pedes suos offert, quæ membra ex ossibus constant? Si ossa non habebat, cur adiicit; Et scitote quia ego sum, quem scitiert corporeum vetro nouerant?* Simile quiddam Greg. lib. 14 c. 29. de Eutycho scribit, quem hoc abutentem loco eodem loco conuicit. *Mira*, inquit, *est vel valde quam astruit, vt inde nobis dubietas surgat, vnde discipulorum corda à dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest, quàm vt hoc nobis de eius vera carne dubium fiat, per quod discipuli eius ad fidem ab omni sunt dubietate separati? Si enim non hoc habuisse astruitur, quod ostendit: inde fides discipulis eius confirmata est, inde nostra destruitur.* Tractat hunc locũ eleganter admodũ & scitè Leo ser. 1. de ascẽsione, & epist. 72. & 97. Euãgelista Christũ manus, ac pedes suos discipulis palpãdos obtulisse dicit, sed an re vera palpauerint, non dicit; itaque relinquitur quæstioni locus. Quæstionẽ apud interpretes non inuenio, nedum solutionẽ, sed credo ego verè palpasse. Et quia ita Euangelista rẽ narrat, vt id tanquam certum præterire videatur, ratus fore neminẽ, qui sibi persuaderet quemquam, præsertim Christi discipulũ, præsertim anxium, & dubitantem oblatas ad tangendũ manus pedẽsq; non tetigisse. Ac meritò quidem ratus; faciat enim ex se quisque de alijs coniecturã, quid fecisset si eo fuisset loco, idq; discipulos fecisse credat. Et quia apud Ioan. c. 20. 27. cum dicit, *Infer digitum tuũ huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*, non dicitur an Thomas manum in latus miserit sed tamen, vt illic probaturi sumus meritò creditur, & videtur eãdem ob causam horũ discipulorum esse ratio. Ac fortasse quod postea narrantibus discipulis sibi

Hæretici eum qui modo hoc loco abutebantur.

Inca 19. Iob. vers. 2, 26.

An discipuli corpus Christi palpauerint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominũ apparuisse Thomas dixit; *Nisi mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meã in latus eius, nõ credam*, Ioan. 20. 25. propterea dixit, quia illi discipuli affirmauerant se Christi vulnera manibus tetigisse. Quid, quòd illud, quod ait Ioã. 1. epist. c. 1. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ cõtrectauerũt de verbo vitæ*, nõ immeritò multi ãtiqui, & graues auctores ad hũc locũ alludere putauerũt, quasi Ioannes significet se, ac cæteros Apostolos omnes Christi post resurrectionẽ vulnera contrectasse, vt refert Didymus Alexandrinus in eius loci Ioannis cõmentarijs? Leo quidem certè ita scribit epist. 97. c. 3. pares in hoc Thomam, & cæteros Apostolos faciens. Et ex versu sequenti magnopere confirmatur, *Et cũ hoc*, inquit, *dixisset, ostendit eis manus, & pedes*, non solum ergo ad videndum, cõtrectandúmq; discipulos inuitauit, sed manus etiam, pedésque porrexit, quos ostensos vero simile non est discipulos curiosos cognoscendi Christi non tetigisse. Adde quòd si non tetigissent, ideo non tetigissent, quòd sine tactu sola inspectione contenti credidissent, at non crediderunt, vt statim dicitur. Contra tamen Hieron. sentit in epistola aduersus errores Ioannis Ierosolymitani discipulos ausos non fuisse tangere putantes spiritum esse, ideóque cibum Christum petiuisse.

41. *Adhuc autem eis non credentibus, & mirantibus præ gaudio.*) Ita scribit Euangelista discipulos nõ credidisse, vt culpam extenuare videatur, indicans nõ tam obstinata contra veritatem incredulitate quàm desiderio veritatis veritatẽ nõ credidisse. Sæpe quod maxime optamus, minimè credimus. Sic Iacob cum audisset Ioseph filiũ suum viuere *quasi de grani somno euigilans* filijs affirmantibus credere nõ poterat, Genes. 45. 26. Sic Petrus à carcere præter opinionẽ per angelũ liberatus, *nesciebat quia verum erat, quod fiebat per angelũ*, sed, *existimabat se visum videre*, Actor. 12. 9. Sic interpretantur Hebræi, quod scribit Dauid Psal. 125. 1. *In conuertendo Dominus captiuitatẽ Sion, facti sumus sicut consolati*, בחלמים sicut dormientes, sicut somniantes id est non credebamus, somniare nos potiùs putabamus, quàm verum esse, quod tam diu, ac tantopere optaueramus, Dominum à captiuitate populum suum liberasse. Quia ergo credebant Apostoli non credebant. Quia credebant Christum, quem videbant esse, gaudebant; vnde enim gaudebant, nisi quia credebant? & quia gaudebant, non credebant. Et quia fieri non videtur posse, vt credentes nõ credant, possumus interpretari non credidisse, nõ quia nõ crediderũt, sed quia magis, ac magis credere voluerunt. Similes etiam erãt sitibũdis, qui cùm, quãtum satis est, biberint, satis se bibisse nõ putant, adhuc sitire sibi videntur, adhuc volunt bibere. Sic Apostoli, cum veram haberent fidem, argumentis tamen fidei satiari non poterant; viderant, inspexerant, cõtrectauerant, adhuc sitiunt, adhuc plura desiderant. Hoc illud nimirum est, *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuũ*, Psal. 41. 3. &, *sitiuit in te anima mea*, Psal. 62. 2. Hoc est, *Qui bibunt me adhuc sitient*, Eccles. 24. 29. Certè si non credere propriè sumatur, nõ de omnibus, qui tunc illic erant, intelligẽdum est. Nã illi, qui cùm Christus superuenit narrabant cæteris se Dominũ vidisse, id est Petrus, & si quis erat alius vtique credebant.

Dixit, habetis hic aliquid, quod manducetur?) Non ignorabat Christus vtrum haberẽt; sed loquitur, vt solet, cæterorum hominum more. *Aliquid quod mãducetur*, vocat, aliquid ad manducandum aptum, in quo experimentum illis præbere posset sui. Sustinẽda, frenandáq; hoc loco est humana curiositas, si for

A te argutulè garrire volet fallaci Christum argumẽto vsum esse. Nec enim satis edendo probasse, vera se habere corpus, cùm angeli quoque non veris assumptis corporibus ederint. Ge. 18. 8 & 19. 3. & Tobiæ 12. 19. Primùm quidem angeli edere quidẽ videbantur, re autem vera nõ edebant, sicut vera erãt videbantur habere corpora, quæ vera non erant; Christus autem verè, propriéque edit. Nam, vt ait Augustinus serm. 147. de tempore, *quòd manducauit potestatis fuit, non egestatis.* Quod ipsum omnibus post resurrectionem corporibus commune fore dicit li. 13. de Ciuit. cap. 22. Quod & Euthym. in comm. & B Græcus auctor D. Thomæ, & Beda obseruauerunt. At isthuc, dicet aliquis, Apostolis constare nõ poterat, vtrum verè Christus ederet, an simulatè; quare non magis illis Christus probabat se verum habere corpus, quàm angeli illi; qui assumptis ederent corporibus, probauerunt. Iam diximus supra Christum non agere cum hominibus argutis, quibus non nisi quod subtile est, quamlibet falsum, quàlibet absurdum probari potest. Hac ipsa ratione se hominẽ esse probat, quòd humano cum hominibus argumentatur more. Quibus indicijs, quibus experimentis humanũ corpus probari potest, nisi colore, figura, progressu, sermone, tactu, esu, potúq;? His omnib' Christus suum probauit corpus. Qui his non contentus C certiora quærit, quærat in alijs etiam hominibus quærat in seipso, quæ cum inuenire nõ poterit, nec se nec alium quemquam hominem verum corpus habere credat.

42. *At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.*) Quod ad manum paratum fuit. Nec aliud arbitror quærendum esse mysteriũ. Et si quid est, hoc certè est, quòd nõ vna sola specie cibi, sed omnibus, quę inter Apostolos reperiri potuerũt, corporis sui veritatem Christus probare voluit. Quare fauũ comedit Dominus? rogabat Ioannes Ierosolymitanus malè cum Origene de corporum resurrectione sentiens. Respondet Hieronymus in epist. aduersus errores, *vt resurrectionem probaret, non vt tuis fomitibus D mella permitteret.* Qui allegoricum amat sensum, Gregor. hom. 24. in Euang. Bedam, & Theophy. legat, & Gregor. Nyssen. apud D. Thomam.

43. *Et cum mãducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.*) Quare ipse manducauerit, satis constat; quare reliquias discipulis dederit, statim quisquis legerit dubitat. Itaque miror eam quæstionem ab interpretibus esse præteritã. Puto voluit Christus, vt discipuli verè possent dicere, quod post eius resurrectionem prędicantes dixerunt, Actor. 10. 40. 41. *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, E non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.* Voluit etiam fortasse, vt ex reliquijs, quas illis dabat cognoscerent se verè aliquid edisse, non simulatè. Voluit præterea illis ostendere se nõ quilibet esse hominem, sed Christum qui cum illis ante mortem edere, ac bibere solebat; ideóque more suo cibum cum illis communicare. Voluit & timorem illis hac ratione tollere, ostendens, se cum illis tanquam cum notis, & amicis agere, quibuscum ederet, ac biberet.

44. *Et dixit ad eos; Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.*) Quæ verba demõstret paulò post exponit; *Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, & Psalmis de me.* Id est nũc re ipsa experimini vera esse, quæ vobis ex Prophetis omnibus prædicebam, fore vt traderer *in manus peccatorum*, vt morerer, vt tertia die resurgerem. Quod tunc me docente non satis exe-

debatis,

debatis, nũc experientia saltem docente credite. At A quid sit; *cum adhuc essem vobiscum*, aliquanto est difficilius. Sic enim loquitur, quasi tunc, cùm ista dicebat, cum illis nõ esset. Erat sanè cum ipsis, atque id ipsum agebat, vt se cum illis esse probaret, sed quia non vsitato hominum modo, quemadmodum ante, cum ipsis erat, non ita, vt cum illis semper versaretur, semper cibum sumeret, semper eos videret, & semper ab eis videretur, indicat se cum illis non esse. Quod rectè Gregor. hom. in Euang. 24. & Beda in commentarijs obseruarunt. *Non enim cum ipsis non erat*, inquit Gregor, *quibus præsens corporaliter apparebat, sed tamen iam se esse cum ipsis denegat, à quorum mortali corpore carnis immortalitate distabat.* & Beda, B *cum adhuc esset vobiscum, id est, cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis vos: Et cum illis quidẽ, postea quam resurrexit, fuit quadraginta diebus (vt legitur) exhibitione corporalis præsentiæ, sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanæ.* Quod eo magis obseruare Catholicus lector debet, quòd ad grauiorem sacramẽti Eucharistiæ causam tot hodie aduersarijs agitatã maximè pertinet. Obiiciunt nobis hæretici Christum verè in Eucharistia esse non posse, cùm in cælum ascenderit, vnde se ante diem iudicij dixerit non rediturum, & in hanc sententiam multa minimè necessaria scripturæ accumulant testimonia. Quæ vt fingamus vera esse, nihil probant. Esto enim dixerit Christus vsque ad diem iudicij nobiscum se futurum non esse, quo nihil clarius dici potuit: quid probabitur, nisi Christum nunc non eo modo esse nobiscum quo tunc erat; visibiliter, familiariter, vt eũ eo colloqueremur, ederemus, biberemus? Quid? quod dixit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*? quod etsi alium, vt illic diximus, habet sensum, tamen probabilius pro nostra, quam illa, quæ hæretici afferunt, pro ipsorum sententia afferri potest.

Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.) Aliquando totum testamentum vetus in legem, & prophetas distinguit, psalmos etiam comprehendens nomine prophetarum, vt, *In ijs duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ, &, hæc est enim lex, & prophetæ, &, non veni soluere legem, aut prophetas*, Matth. 5. 17. & 7. 12. & 22. 40. Aliquando Psalmos à prophetis distinguit, vt hoc loco Hebræorum consuetudinem secutus, quorum nota in tres classes omnium librorum diuisio est in תורה legem, נבאים prophetas, & כתוים hagiographos, in quibus Iob, Salomonis opera, libri Paralipomenon, Daniel, Esdras, Esther, Psalmi, vt in prologo galeato Hieron. tradit. Quando hæc Christus discipulis dixerit, cùm adhuc cum illis esset, nõ dicit, & est credibile sæpe eum prophetarum de se explicasse vaticinia, quamuis Euangelistæ non omnia narrauerint. Sæpe mortem ac resurrectionem suam discipulis ante nuntiauerat, Matth. 17. 22. 23. & 20. 28. Mar. 8. 31. & 9. 31. Luc 9. 22. 44. quibus etiam locis probabile est testimonia de ea re prophetarum protulisse, quo magis discipulorum animos confirmaret admirantium & quid sibi verbis illis vellet, vt ait Euangelista, non intelligentium. Id ergo nunc in memoriam illis reuocat, vt facilius experientiæ credant, cum ijs, quæ ante illis exposuerat, prophetarum testimonijs conueniens. Sic olim Deus per Isaiam in re simili populũ alloquebatur c. 48. 6. *Quæ audisti, vide omnia.* Placet quod à nonnullis obseruatum est, Christum hęc verba non primo resurrectionis die, cum primum vndecim congregatis discipulis apparuit, sed vltimo illo, quo ab illis in cælum discessit, dixisse. Nam

& Euangelista & hìc, & in Actis cap. 1. 9. cum his verbis eius ascensionem copulat. *Vos autem sedete hic, quoadusque induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* Quanquam hoc, vt in Actis declarabimus, probabile, non necessarium argumentum est. *Infr. vers. 49. 50. 51.*

45. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.*) Nimirum antè differente etiam eo non intellexerant supra c. 9. 55. *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud, & timebant eum interrogare de hoc verbo.* Rectè scripturas enuntus ipse interpretatur; ac tunc etiam Christo interprete opus nobis est, qui doceat, qua ratione euentus cum prædictione conueniat. Ac ne id quidem satis; opus præterea est, vt oculos nobis mentis aperiat. Hic enim est sensus, τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τὸ συνιέναι τὰς γραφάς Tunc aperuit eorum mentem, vt possent scripturas intelligere; *Prebuit se videndum oculis* inquit Beda, *prebuit manibus contrectandum. Parum ipse, ommemorat scripturas, & hoc parum est, aperuit sensum, vt quod legis intelligas.* Nostri tamen Caluinistæ nihil in scripturis difficultatis inueniũt, omnia intelligunt, omnia luce clariora esse dicunt, cùm nec Christus illis profecto loquatur, nec satis sanã mentem habeant. Sed illi scilicet pedibus scripturã intelligunt, illud enim semper in ore habent, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* *Caluinistæ omnia facilia in scripturis.* *Psal. 118. 105.*

46. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati & resurgere a mortuis tertia die.*) Christum passurum fuisse tam multa prophetarum erant testimonia, vt longum etiam sit commemorare. Totus Psalmus 21. & caput Isaiæ 53. & Daniel. 9. 26. de ea re loquuntur. De resurrectione vbinam prædicta fuerit, minùs apparet. Sed & de ea illustre testimonium illud est, quod Petrus Actor. 2. 31. & Paulus Actor. 13. 35. citant ex Psal. 15. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et figura Ionæ cap. 2. 1. quæ instar fuit prophetiæ, aut plus etiam quodammodo, quàm prophetia, quia non verbis rem indicabat, sed demonstrabat factis, vt exponit Christus Matthæi 12. 40. Alia qui volet, apud Cyprianum in libris aduersus Iudæos, apud Eusebium in libris de demonstratione: & apud Prosperum in libro de prędictionibus multa & facilè reperiet.

47. *Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Ostendit quis sit mortis, & resurrectionis suæ fructus, vt homines in illum credentes, & anteactæ vitę pœnitentiam agentes peccatorum remissionem consequerentur. Nec enim frustra mortuus est Christus; sed fuit *exaltatus à terra*, id est in crucem actus, vt omnia ad se traheret, Ioan. 12. 32. Hoc etiam ipsum ideo Christus dicere videtur, vt magis, ac magis discipulorum fidem cõfirmet. Nam etsi scripturarum id testimonijs ante probauerat & obiecta præsentia corporis sui reipsa docuerat; tamen ideo incredibilis videri res poterat, quia non necessaria. Docet ergo necessarium etiam fuisse, & quidem publicè ad omnium salutem hominum, qui, nisi ipse moreretur, viuere non poterant. At vbi hoc à prophetis prædictũ fuerat prædicandam in nomine Christi in remissionem peccatorum pœnitentiam? Fortasse hoc non est ad scripturas, de quibus ver. 45. & 46. mentionem fecerat, referendum; quasi hoc etiam scriptum fuisse dicat. Nec enim necesse est, singula, quæ oportuisse dicit fieri, scripta esse. Sed si hoc Christus inter ea, quæ scripta erant, numerare voluit, fecit meritò. *Morte Christi fructus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnia enim testimonia, quibus Christus homines a peccato, a captiuitate, ab hostibus liberaturus dicitur, & in meliorem quendam statum traducturus ita intelliguntur. Nec enim inuitos homines, & in peccatis semper suis voluntate hærentes, sed peccata sua cognoscentes, atque detestantes liberaturus promittebatur, Gen. 3. 15. & Deut. 18. 15. 18. Psal. 2. 2 toto Psal 109. Isai. 7. 14. 15. & 9. 6. & 11. 1. & deinceps. De prædicatione Euangelij, cuius pœnitentia, & remissio peccatorum duæ, vt sæpe diximus, partes sunt, extat Isaiæ testimonium c. 40. 9. & 42. 1. & 45. 1. & 49. 1. 6. & alia, quæ apud Cyprianum, Eusebium, & Prosperum, quos modò citabamus, videre lector poterit. Porro de pœnitentia, & remissione peccatorum, & quid inter Ioannis, & Apostolorum prædicationem interfuerit, diximus apud Matthæum cap. 3. 2. 6. & Marc. 1. 4. & supra ca. 1. 77.

Incipientibus ab Ierosolyma.) G. ἀρξαμένοις incipientem, quòd rectè conueniret, si ante scriptum fuisset prædicare, vt esset sensus, oportebat me prædicare pœnitẽtiam in remissionem peccatorum incipientem ab Ierosolyma. Sed cum dixerit καρὰ Μάθδαι prædicari, non conuenit accusatiuus agentis personæ, nisi dicamus Atticum esse, & absolute positum pro incipiente, vt nonnulli volunt. Nostrum interpretem non dubito legisse ἀρξάμενοι, *incipientibus ab Ierosolyma.* Vbi Hebraismus etiam latet, quo in participio aut verbo præcedente verbale nomen intelligitur, *incipientibus* prædicatoribus *ab Ierosolyma*, id est sumpto ab Ierosolymis initio prædicãdi. Quę lectio multò melior est. Vbi autem scriptum sit initium Euangelicæ prædicationis ab Ierosolyma sumi oportere, (nam & hoc ad illud verbum, quod versu 46. præcessit, ; *& sic scriptum est*, esse referendum non est dubium) non ignorat quisquis aliquid in sacris litteris operæ posuit, Psal. 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*, nemo dubitat eũ habere sensum. Hoc etiã est, *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, Isai. 2. 3. &, *Ecce ego mitto in fundamẽtis Sion lapidem, lapidẽ probatũ angulare, preciosum in fundamẽto, fundatum, qui crediderit, non festinet*, Isai. 28. 16. & *super montem excelsum ascende tu, quæ euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, quæ euangelizas Ierusalem*, Isai. 40. 9. & *surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumẽ tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; Super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabũt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*, Isai. 60. 1. 2. 3. Cur voluerit ab vrbe Ierosolymitana euangelicæ prædicationis initium sumere, facile est ex simili quæstione coniecturam ducere. Cur prius à Iudęis exordiri Euangelium voluerit, ita prorsus, vt nec ipse vnquam gentibus prædicauerit, sed ad solas oues, *quæ perierant, domus Israel* se venisse dixerit, Matt. 15. 24. & discipulos, cùm ad prædicandum primùm misit *in viam gentium* abire prohibuerit, Matth. 10. 5. eius rei causam duobus illis locis explicauimus, promissiones venturi saluatoris, non gentibus sed Iudæis in Abraham, Isaac, Iacob, & Dauide factas fuisse; quare voluisse Christum suam primùm fidem liberare, & Iudæis prius Euangelium prædicare, quibus id ex promisso quodammodo debebat, quam gentibus, quibus nullo modo debebat. Simili ergo causa voluit post resurrectionem suam ab Ierosolyma primùm inter omnes Iudæorum ciuitates exordium sumi Euangelij prædicandi; quia tanquam Rex promissis vemebat; vtque successor Dauid eius regnum restauraturus, id est ex temporali, & instabili spirituale, & perpetuũ facturus. *Ego, inquit, constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius*, Psal. 2. 6. & de fructu *ventris tui ponam super sedem tuam*, Psa. 131. 11. &, *multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis; super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio, & in iustitia amodo & usque in sempiternum*, Isai. 9. 7. & rursum, *præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium*. Isai. 16. 5. *Et suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra*, Ierem. 23. 5. & iterum, *& erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius disrumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni, sed seruient Domino Deo suo, & Dauid Regi suo, quem suscitabo illi*. Ierem. 30. 8. 9. Lõgum est recitare omnia, indicabo, Ierem. 33. 15. Ezechiel. 34. 23. 34. & 37. 19. Osee 3. 5. Amos. 9. 11. Id etiam angelus ille affirmauit, qui enim Mariæ generationis attulit nũntium supra c. 1. 32. 33. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Regiam autem Dauidis fuisse Ierosolymæ Sionem illam omnibus sacris litteris celebratã nemo nescit. Debuit ergo Christus in eo loco tegni possessionem capere, vbi Dauidici regni sedes erat. At cur, simulatque baptizatus est, nõ inde auspicatus est Euangelium? quia nondum regni sui capiebat possessionem; quam propriè non nisi post resurrectionem cepit confecto iam bello & hoste deducto. Nam per mortem quidem ab eo debellatum est, per resurrectionẽ triumphatum. Ante mortem milites, id est Apostolos & discipulos conscribebat, quod primo loco faciendum erat; quos quia meliores in Galilæa, quàm in Iudæa sciebat se inuenturũ esse, in Galilæa potiùs, quam in Iudæa cœpit prædicare. Conscripto milite bellum gerebat, & quasi populabundus agros huc illuc prædicando diuagabatur exercitum, & leuioribus sæpe cum Pharisæis & sacerdotibus dimicabat pugnis; iustum verò prœlium, quo totis cum hoste pugnauit viribus, in quod summam coniecit rerum in sola cruce commisit. Ille destinatus ei ad pugnãdum erat campus.

Hebraismus, quo in verbo nomẽ verbale intelligitur.

Cur ab Hierusalẽ initium prædicationis Euãg. sit.

48. *Vos autem testes estis horum.*) Facit Apostoli est testes resurrectionis suæ. Hæc enim est Apostoli definitio testem esse resurrectionis Christi, vt colligitur ex Petro Act. 1. 21. 22. *Oportet*, inquit, *ex his viris qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens a baptismate Ioannis vsque in diem, qua assumptus est a nobis, testem te Ioannis vsque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Et ex D. Paulo 1. Corinth. 9. 1. *Non sum liber? non sum Apostolus? nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi?* Non ignoro Apostoli nomen missum, legarumque significare, ideoque duodecim illos à Christo Apostolos appellatos supra c. 6. 13. vt diximus Matth. 10. 2. Verum hic non doceo quid nomen significet, sed quod præcipuum Apostoli sit officium; quod nemo melius, quàm duo illi Apostolorum maximi, declarare potuit. Iam monui Christum hæc verba non prima illa resurrectionis die, sed illa vltima, qua ab Apostolis in cælum discessit, vt est credibile dixisse, & quia huius loci, & Act. 1. c. contextus significat: & quia est per se ipsum verisimile hæc Christũ abeuntem nouissima Apostolis dixisse verba, in quibus officij ipsorum summa versabatur, quò altiùs hærerent in eorum animis. Sic solemus amicis longe proficiscentes postrema verba dicere, quorum maximè eos volumus recordari. Idem Christus Apostolis dicit, Act. 1. 8. aut potiùs idem Lucas ibi ab eo

dictum

dictum narrat. Nec enim assentior ijs, qui eandem putant esse sententiam diuersis à Christo temporibus pronunciatam, eóque diuersis etiam eam locis Euãgelistã recitasse. Vna, eademq; est semel, vt opinor, dicta. Nam iam monuimus hæc omnia, quæ vsque ad finem capitis scribit Lucas, à statim ascensuro in cælum Christo dicta fuisse. Hoc interest, quòd cum bis eadem Euangelista narrarit, copiosiùs narrauit ibi vbi id agebat, vt exponeret, quomodo Christus in cælum omnibus confectis rebus ascendisset, & vbi notam exordiebatur historiam. Breuius hic, vbi euangelicam concludebat, quæ vsque ad nouissimam Christi pertinebat apparitionẽ. Itaque ascensionem eius, quæ vltra erat, non tam describit, quàm indicauit. Quemadmodũ Geographi faciunt, qui cùm regionem aliquam accuratè describunt, non describunt etiam omnes, quæ circa vicinæ sunt, sed proximas tantùm earũ oras appingunt.

49. *Et ecce ego mitto promissum Patris mei in vos.*) Opponit sese Apostolis, Dixerat *Vos autem testes mihi eritis in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*, vt scribit Lucas Act. 1. 8. Illis verbis ista respondent, quasi dicat. Vos facietis quod vestrum; ego quod meum est. *Vos eritis mihi testes*, ego vobis Spiritum sanctum mittam, qui vos ad ferendum de me testimonium corroboret. Præsens ponitur pro futuro maiore gratia, quàm si futurum ipsum poneretur; vt Elias venit, id est *venturus est*, vt noster vertit interpres, Matth. 17. 11. Ac fortasse etiam hìc per futurum reddidit, quod per præsens Græcè dictum erat intuitus sensum non verba. Multi enim Latini codices legũt *mittam. Promissum Patris* vocat Spiritum sanctum, siue quia à Patre suo per prophetas sæpe promissus fuerat, vt Theophylactus & Euthym. existimabant, Isai. 44. 3. Ezechiel. 36. 24. 25. 26. & Ioel. 2. 28. quod Act. 2. 17. in eam citatur sententiam, siue, vt ego arbitror, quia Patris Spiritus erat, & à se promissus, vt Ioan. 14. 16. & 15. 26. & 16. 7. Nam etiã si per prophetas Spiritus sanctus promissus fuerat; tamen qui maximè per illos promittebatur, & in quem omnes eorum spectabãt prophetiæ, Christus erat: itaque si ad prophetarum vaticinia respiciendum esset, Promissus Patris potius Christus, quã Spiritus sanctus diceretur. Dato autem iam Christo, & aduentum alterius paracleti promittente quem se à Patre impetraturum dixerat, Spiritus Sanctus promissus Patris dicitur; aut quia Patris quamuis non à Patre, sed à Filio promissus; aut quia promissus impetrandus à Patre.

Vos autem sedete in ciuitate.) Ierosolymæ, vt explicatur Act. 1. 4 *sedete*, dixit, pro manete Hebræorum idiomate יָשַׁב. Quamobrem voluerit eos Ierosolymæ manere, donec Spiritus in eos sanctus mitteretur, non est difficilis coniectura: Milites erant Christo regno expugnaturi. Spiritus sanctus instar erat armorum, quia robur illis dabat. Noluit ergo milites suos inermes in aciem prodire, vt rectè Chrysost. apud D. Thom. dicit. Hinc intelligitur cur proximis verbis Spiritum sanctum *virtutem ex alto* appellarit, quia nimirum de illo tanquam de armis, in quibus virtus, robúrque, co iisstit loquebatur. Eadem causa induendi vsus est verbo. Arma enim induimur.

Quousque induamini virtute ex alto.) Cur indui virtute dixerit, modò declarauimus. Significat autem indutere apud Hebræos quorum Christus aut lingua, aut idiomate vrebatur, rem sibi aliquam coniunctissimam, & inseparabilem habere quia vestis, qua induimur coniunctissimè nobis adhæret, & nunquã nisi dum dormimus, à nobis separatur, sed quocunque tendentes vsque nos sequitur. Hinc illæ natę phrases. *Induit maledictionem sicut vestimentum.* Psal. 108. 18. *Induantur qui detrahunt mihi, pudore; & operiantur sicut diploide confusione sua.* Psal. 108. 29. & *Inimicos eius induam confusione.* Psal. 131. 18. & *Sacerdotes tui induantur iustitia*, ibid. ver. 9. *Ex alto*, dixit vt indicaret non humanis, sed diuinis eos armis pugnaturos, *Tibi militat æther*, inquit ille, *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri*, supra capit. 21. 15. & *non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matth. cap. 10. 20. Hæc arma sunt Dei, quibus ipse quoque pugnaturus induitur, *Induitur*, inquit, *est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*, Psal. 92. 1. His prophetas olim suos armauerat. *Tu ergo accinge lumbos tuos & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitã, & in columnam ferream, & in murum æreum superomnem terram Regibus Iuda, principibus, & sacerdotibus eius, & populo terræ. Et bellabunt aduersus te, & non preualebunt, quia ego tecũ sum, dicit Dominus, vt liberem te.* Ierem. 1. 17. 18. 19. & 15. 20. &, *ecce dedi faciem tuam valentiorem facibus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* Ezechielis 3. 8. 9.

Claudianus 6. Paneg.

50. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.*) Bethaniam fuisse Ierosolymæ vicinam in Monte situm oliueti Mar. 11. 1. & alias sæpe diximus. Distabat autem ab vrbe Ierosolyma, vt ait Lucas Act. 1. 12. *iter sabbati*, id est. quantum itineris die festo sabbati salua religione conficere licebat, quos alij mille, alij bis mille passus fuisse putant. Eò Christus in cælum ascensurus discipulos eduxit, & quia intra Ierosolymitanam vrbem cõspici nolebat, ne nouam exciret turbam, & quia locus ille vicinus erat, & sibi ante sæpe frequentatus, hospitium enim ibi habebat, vt apud Matth. c. 26. 2. docuimus, & quia mõs erat editus, & quasi gradus ad ascendendum in cælum. Nam etsi potuit eadem ille facilitate quocúque ex loco discipulis suspicientibus ascendere, tamen fecit humano more, vt quantum terra gradiendo & cum discipulis colloquendo ascendere poterat, ascenderet, nec miraculo, quamdiu seruire natura poterat, vteretur.

Bethania quantum ab Ierosalem distaret.

Et eleuatis manibus suis benedixit eis.) Bene precatus est illis. Fecit vt pater, qui moriens, aut longè non rediturus abiens filijs benedicit. Sic Isaac moriens, sic Iacob filijs dicitur benedixisse, Genes. 27. 4. & 48. 9. & 49. 1. 2. Quòd autem leuauit manus, orantis signum fuit: & benedictionem, quam discipulis dabat à Patre postulantis. Solebant orãtes Iudęi in cælum manus tollere, vt Mosem interim, dum populus contra Amalecitas pugnabat, fecisse legimus, Exod. 17. 11. Quod & omnes, opinor, fecerunt gentes duce natura, quæ Dei sedem, & veluti publicum templum cælum esse docet ἐνθεσιασμὸς διάνοιαν *vatem*, vt poëta ille dixit, *& duplices tendens ad sidera palmas*, vt alius Latinus ait, & nos doctore facimus D. Paulo, qui nos omni loco puras manus leuare monet. 1. Timoth. 2. 8.

Hesiod. in operib. Virgil. 2. Aeneid.

51. *Et factum est cum benediceret eis.*) Postquam benedixisset. Nam etsi Græcè est ἐν τῷ διὰ τοῦ, *cum benediceret*, tamen pro præterito positum arbitror διὰ τοῦ ἔλαβε cùm benedixisset. Et quia verosimile non est priùs ascendere cœpisse, quam benedictionem absoluisset, & quia id indicat Marcus c. 16. 19. cùm dicit, *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum.*

Recessit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Recessit ab eis, & ferebatur in cælum.) Non significat subduxisse se Christum alium in locum procul à discipulis, vt inde in cælum ascenderet, sed ascendêdo ab illis secessisse, & vt idem Lucas ait Act. 1.9. *Cum hæc dixisset videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eũ ab oculis eorum.* Quòd autem dixit, *& ferebatur in cælum*, significat, non statim ab Apostolorum conspectu sublatum fuisse, sed paulatim ascendisse Apostolis eum quia pedibus non poterant, oculis prosequentibus quoad nubes, vt ait in Actis Lucas *suscepit eum ab oculis eorum.*

Vsus huius contra hæreticos pro adoratione Eucharistiæ.

42. *Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.*) G. καὶ αὐτοὶ προσκυνήσαντες αὐτὸν, & ipsi cũ adorassent eum. Non legimus, nisi hoc loco Christũ à discipulis suis adoratum. Nam etsi Deum esse credebant, tamen quia solum in eo videbant hominem, tanquam cum homine versabantur. Nunc demum adorant cùm in cælum ferri vident, coacti re ipsa confiteri Deum, quem ante sola fide confitebantur. Extorquet ab illis nunc adorationem rei euidentia. Vsu nobis hic locus aduersus nouos hæreticos esse potest, ridentes simplicitatem nostram, quòd Eucharistiam adoremus. Apostolos nempe cum eam acceperunt, non adorasse. Quid mirum Eucharistiam non adorasse, qui ne extra Eucharistiam quidem Christum ipsum adorabant? Nos Apostolos imitamur: nunc adoramus, cùm iam Christus in cælum ascendit. certum habentes testimonium diuinitatis eius, qui vbicumque velit, esse possit, & in Eucharistia, vbi se esse dixit, verè sit, & vbicũque sit, sit adorandus. Itaque tantum abest, vt propterea non adoremus, quia in cælo est, vt hæretici faciunt, vt ideo potius adoremus, quia in cælo est, vt Apostoli fecerut. Quod ait Lucas Apostolus in Ierusalem regressos fuisse, ideo dicit, vt ostendat feciſse eos, quod ipsis à Christo præceptum fuerat ver. 49. *ab Ierosolymis ne discederent.* Actorum 1. 4. Cum magno autem gaudio reuertuntur, quia ascensu in cælum Christi fidem, spémque omnem suam confirmari viderant.

53. *Et erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum.*) Quòd Christum in cælum recepisset, cum quo se aliquando, vt ille sibi promiserat, speraband regnaturos, quo, cum ingressus esset Christus, aditũ iam sibi patefactum putabãt, quod & Beda hic animaduertit. Quòd autem semper in templo fuisse dicit, non sic intelligendum, quasi nunquam exirent à templo, sed sic, vt significetur non alijs occupatos fuisse rebus per totos illos quinquaginta dies, quàm oratione. Nam idem Lucas Act. 1. 13. ad domum, vbi Petrus & Ioannes habitabant, rediisse dicit, in ea se cum alijs discipulis continuisse. Notant quidam, in quibus Beda, Lucam à templo, & sacerdotio exorsum Euangelium c. 1. 5. in templum quoque desiisse. Non arbitror esse mysterium: sed si quis arbitretur, non reprehendo. Mihi quidem iucundum est quouis tandem loco Euangelium cum Luca finire, cui me hoc ipsum, quòd finiui, secundùm Deum debere sentio, nec enim dubito, quin ille me, quemadmodum ego illum quotidie precabar precibus iuuerit.

SANCTVM

SANCTVM IESV
CHRISTI EVANGELIVM
SECVNDVM IOANNEM.

CAPVT PRIMVM.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. 2. Hoc erat in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factũ est. 4. in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. 5. & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cõprehenderunt. 6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. 7. Hic venit in testimonium vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. 8. non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10. in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. 11. In propria venit, & sui eum non receperunt. 12. quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius: 13. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. 14. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis. 15. Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat. 16. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. 17. quia lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. 18. Deum nemo vidit vmquam: vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. 19. Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum vt interrogarent eum: Tu quis es es? 20. Et confessus est, & non negauit: & confessus est: Quia non sum ego Christus. 21. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non. 22. Dixerunt ergo ei: Quid es vt responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso? 23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. 24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. 25. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? 26. Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrũ stetit, quem vos nescitis. 27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. 28. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. 29. Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 30. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. 31. & ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. 32. Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. 33. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum: hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. 34. Et ego vidi: & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. 35. Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. 36. Et respiciens Iesum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei. 37. Et audierunt eum duo discipuli loquentem,

Matth. 3. a. 2. Marc. 1. a. 2.
Infr. 3. c. 19. Hebr. 11. a 8.
Matth. 1. c. 16. Luc. 2. b. 7
1. Tim. 6. d. 17. 1. Ioan. 4. c. 12.
Isa. 40. a. 3. Matth. 3. a. 3. Marc. 1. a. 3. Luc. 3. a. 4.
Matth. 3. b. 11. Marc. 1. b. 7. Luc. 3. c. 16.
Act. 1. a. 5 & 2. a. 2. & 11. c. 16 & 19. a. 4
Matt. 3. d. 16. Marc. 1. b. 10. Luc. 3. d. 22.

& secuti

Universidad de Deusto
Biblioteca

& secuti sunt Iesum. 38. Conuersus autē Iesus,& videns eos sequentes se,dicit eis: Quid quæritis dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magister) vbi habitas? 39. Dicit eis: Venite,& videte. Venerunt,& viderunt vbi maneret,& apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. 40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne,& secuti fuerant eum. 41. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, (quod est interpretatum Christus.) 42. Et adduxit eum ad Iesum intuitus autem eum Iesus,dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 43. In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dixit ei Iesus: Sequere me. 44. Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ,& Petri. 45. Inuenit Philippus Nathanael,& dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege,& Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. 46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni,& vide. 47. Vidit Iesus Nathanael venientem ad se,& dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. 48. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus,& dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. 49. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. 50. Respondit Iesus,& dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. 51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum,& Angelos Dei ascendentes,& descendentes supra Filium hominis.

Gen. 49. b.10. Deut. 18. c.18. Isa. 40. c. 10.& 45. b.8. Ier. 23. a. 5. Ez. 34. f. 23.& 37. f.24. Dan. 9. f. 24.25.

IN CAPVT PRIMVM.

A

VID sit Euangeliū,& quo a Ioanne consilio,quo tēpore,quibus de rebus scriptū fuerit, in præfatione ad quatuor cōmuniter Euāgelistas dictum à nobis est. Quid autē sit Euangelium secundùm Ioannem,aut secūdùm alium quempiam Euangelistam,in Matthæi titulo docuimus. Nūc de persona Ioannis præter ea,quæ in cōmuni diximus præfatione,nonulla dicenda Nam cùm omnē, quem interpretandū,legendúmve susceperis, auctorē cognitū habere conuenit; tū in primis Ioānem,in quo nihil est,quod cognitū non possit & auctoris scripta magnopere cōmendare;& omnem in ijs explicādis legendisq; impensum laborē reddere leuiorem. Nō indigent quidē Apostolorū,& Euangelistarū scripta vlla ex ipsorū persona sumpta cōmēdatione,cùm per eos omnes idē Spiritus sanctus locutus fuerit; tamē animaduertimus ex proprio etiā ingenio cuiusque ex genere, ex educatione,ex studijs aliquid nō maioris fidei,sed maioris in dicēdo gratiæ,& nō plus sanitatis,sed plus coloris, & plus ad mouendū lectorē roboris accedere. Seruit enim gratiæ natura & sanctorū lingua,quæ Spiritus sancti tanquā *scribæ velociter scribentis calamus* est,etsi omnem ab eodē spiritu morū habet,tamen & ipsa aliquid facit,plurimiq; refert quali vtatur calamo optimus etiā quisque scribendi magister. Admirabiles omnes in scribēdo prophetę sunt, & parē meriti fidē: sed eminet in Isaia sublime quiddā, ingeniosum, vehemens, vrbanū, quod maiore voluptate, admirationéque lectoré teneat. Non fecero alijs Euāgelistis iniuriam, tot præsertim secutus auctores, quot cæteris illum ante me cōparārunt, si eandē Ioann laudem attribuero. Docuimus in præfatione quāto omniū veterū auctorum consensu aquilæ illi effigies, nomēnq; datū fuerit, quod longè quàm cæteri altior volare videretur. Nō iuuat, nec vacat dicta repetere; cùm tā multa dicēda habeamus. Ioānis igitur genus ex ipsis Euāgelistis notū est. Zebedæū patrē habuit Mat. 4.21.& 10.3.& 20.20.& 26.37.& 27.56. Mar. 1.19.20. & 3.17.& 10.35. Luc. 5.10 itaque alijs auctoribus opus nō est, cùm Euangelistas ipsos habeamus. Illū autē eundē Ioannem Zebedæi filiū eū fuisse, qui hoc scripsit Euangeliū, ipse testatur c.21.24.& alijs locis nonnullis indicat. c.18.15 & 19.26.27.& 20.2. 3.4.8.& 21.7. Quibus locis dubiū non est quin de se loquatur; nec alia de causa nomen suū silentio suppresserit, quā ne de se ipse honorifice loqui videretur, vt ex Chrysost. hom. 82. in Ioann, ex August. li. 17. contra Faustum c. 4. ex Gregor. in præfatione in librum Iob. c. 2. ex Beda 2. Corin. 12. alibi diximus. Et si ipse se Ioannes auctorē huius fuisse Euangelij non declarasset, non magis de eius quàm de aliorum Euāgeliorum auctoribus liceret dubitare, perpetua Ecclesiæ traditione id attestante, quæ non minorē quàm Euāgelista ipse auctoritatē habet. Quare vanos illi hæretici, qui non à Ioanne, sed à Cerintho contra quem scripsisse Ioannem antiqui omnes, vt in præfatione diximus, auctores tradunt, scriptum dicebant fuisse, vt Epiphan. hæres. 51.& 54.& August. lib. de strius in lib. aduersus hæreses c. 60.& August. lib. de hær. c. 30. referunt; non magis refellendi sunt, quàm qui in meridie lucere solem, ignē calidum, niue frigidam esse negant. Tā certa quædā sunt, vt probatis absurda quædā, vt refutari nō debeant. Itaq; meritò eos Græci, quia auctor erat incertus, ἀνώνυμος, id est mentis inopes appellauit, vt Epiphanius ait, qui eos primus dixit, ἀλόγους & Aug. qui post, Alogianos quòd negarent verbū. Negante Fausto Euangelium quod Matthæo inscribitur, esse Matthæi, quòd se in ipso opere non nominauerit, ex Ioannis Euangelio D. August. cōfutauit, quòd cum Ioannis esse cōstet, tamen de se in eo tanquam de alio loqui soleat. lib. 17. c. 4. Non debet nos ad alia properantes quælibet hæreticorū insania remorari, præsertim tam multas iam ab Epiphanio argumētis, quasi catenis vinctas. Hoc vnum obiter indicemus, vt lector intelligat adeò obcæcari à Deo solere hæreticorum ingenium, vt quia quæ certa atque perspicua sunt, credere nolunt, quæ absurdissima sunt, credant. Quia *enim non probauerunt Deū habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ nō conueniunt*, vt de eiusmodi hominibus dixit D. Paul. Rom. 2.2.& *Palpant*, vt ait Isaias, *sicut cæci parietem, & quasi absque oculis ambulant. Impingūt meridie, quasi in tenebricoso*, 59. 10. Quid fingi magis contrarium Cerintho potest, quàm hoc Euangelium: Negat Cerinthus Christum ante Mariam fuisse; primum huius Euangelij verum est, idemq; non toto modò capite, sed vniuerso etiam confirmatur Euangelio, qui in principio erat, principium habere nō potuisse. Mater eius quæ nā fuerit, nullus satis aperte dixit Euangelista. Nā quia pater filijs, filij matre, vt apparet, nobiliores vulgo erant, filios ex patre, matrem ex filijs plerumq; describunt, illos Zebedæi filios, hanc filiorum Zebedęi matrem appellantes Matth. 4.21.& 10.3.& 20.20.& 26.37.& 27.56. Mar. 1.19.20.& 3.17.& 10.35. Luc. 5.10. Ioan. 21.2. Itaque relictus est dubitationi locus, nec omnes cōsentiunt auctores. Verius tamē quod boni scriptores vniuersi dicunt, matrem fuisse Salomen: idque non ex vno quidem aliquo, sed ex duobus Euangelistarum Matthæi, & Marci collatione perspicuum esse potest. Scribit Matthæus cap. 27. 56. fuisse procul cruce Mariam Magdalenam, Mariam Iacobi, & Iose matrem, & matrem filiorum Zebedæi. Eandem historiam recitans Marcus. cap. 15.40. quam Matthæus tertio loco matrem filiorum Zebedæi dixerat, Salomen appellat. Fratrem fuisse Iacobi eius, cui maiori cognomentum fuit, quique ab Herode Galilææ Tetrarcha, quem Lucas Regem vocat, occisus primus omnium Apostolorum dicitur, Act. 12.2. nemo nescit, & ex ijs locis omnibus, quos modò indicauimus, manifestum est. Piscatorem eum patre, ac fratre fecisse artem Matthæus c. 4.21.& Marcus cap. 1. 19. auctores sunt. Communem cum Petro,& Andrea, & ipsis piscatoribus Bethsaidam patriam habuit, oppidum in Galilæa ad lacum Genesareth, quod mare Tiberiadis vocatur, piscatoribus opportunum, vt ex ijsdem Matthæi, & Marci duobus locis intelligitur, & Chrysostomus homil. 1 Leontius, Theophyl. & Euthym. affirmant. Quomodo à Christo vocatus fuerit, apud Matthæum eodem illo loco disseruimus. Inuenem admodum vocatum fuisse & vulgo creditur, & grauissimi quique auctores tradunt, & perducta vsque ad Traianum; & vsque ad sexagesimum octauum post Christi passionem annum ætas arguit. Tantum enim vixisse temporis Hieronymus in eius vita, & in commentarijs in Danielem c. 9. & lib. contra Iouin. 1. tradit. Reuocatum à nuptijs & quidem illis, quæ in Cana Galilææ ipso auctore c. 2. 1. celebratæ sunt, etsi vulgaris tantum opinio videtur esse, non vulgares tamē auctores habet, Bedā in præfatione ad eius Euāgelium,& eum quisquis fuit, qui in tractatus Augustini in Ioānem prologum scripsit, Rupertum scriptorem doctissimum ætatis suæ lib. 2. in Ioannem, qui & cōmunem fere omnium opinionē esse dicit. Obscuriores verò multos, quos nominare non solemus. Immerito quidam Hieronymū eius quoque sententiæ auctorem faciunt. Nihil enim affirmat eiusmodi; tantum scribit libr. 1. aduersus Iouinianum maritum simul, & virginem fuisse. Quibus verbis ab desponsis quidem, & inchoatis nuptijs reuocatum fuisse indicat; ab illis verò Cana Galilææ non indicat, nec mihi fieri videtur potuisse; & quia Ioannes Cananæus nō erat, & quia cum nuptiæ illę in Cana Galilææ celebratæ sunt, iā à Christo vocatus fuerat, & cum eodem non tanquam sponsus, sed tanquam discipulus illis interfuit. Vocatus enim est ad eas Iesus, & discipuli eius, vt ipse idem scribit. c. 2. 2. fuerat autem ille vna cum Iacobo frater inter primos Apostolos initio vocatus, vt ex Matthæ. c. 4.21.& Marc. 1.19. 20. minimè obscurè colligitur. Singulariter Christo carum fuisse, & multa docent expressa, & ipse sæpe testatur. Quòd in cœna illa nouissima in finum Domini solus recubuerit; quòd solus à Petro rogatus fuerit, vt ex Christo sciret quisnam proditor ille esset, quem ambigue designauerat; quòd soli moriens commendauit matrem, eximiam cum Christo eius familiaritatem indicant. Quòd autē ipse se frequēter discipulum eum vocat, quem Dominus diligebat c. 19.26.& 20.2.& 21.7. 20. quo maiore facit modestia, eo magis ostēdit singularem in se amorem eius omnibus fuisse notum. Verò simile, quod Hieronymus, & omnes boni auctores existimāt, inde singulare illum in eum Christi amorem natum, quòd incorruptæ semper virginitatis fuerit. Nam & eum virginem fuisse, præterquam quòd Tertull. in lib. de monogamia, & Hier. libr. 1. contra Iouin. & omnes auctores tradunt, argumento eius ætas est, quæ non potuit non admodum esse tenera, cùm eum Christus ad se vocauit, cùm tot post vocationem suam annos vixerit. Et valde id consentaneum est moribus Christi vnicę puritatem amantis. Cūr filius tonitrui vocatus fuerit apud Marcum c. 3. 17. disputauimus. Post reditū in cælum Christi, cùm prouincias orbis terrarum ad disseminandum Euangelium Apostoli sortirentur, Asiam illi euenisse lib. 3. hist. Eccles. cap. 1 scribit Eusebius, & Irenæus lib. 3. c. 3. & Hieron. atque Dorotheus in eius vita indicant, & argumētum: est scripta ab eo ad septem Asiæ Ecclesias quasi eius curā gerente Apocalypsis. Episcopum proprię fuisse Ephesij idem, alijque omnes auctores scribunt. Inde se in Pathmon insulam propter Euangelij prædicationem relegatum ipse testis est Apoc. 1.9. De tempore nonnulla discordia, Eusebius lib. 3. hist. Eccles. c. 18.& Hier. in eius vita sub finem imperij Domitiani, id est anno eius decimo quarto id factum dicunt, initio verò imperij Traiani reuocatum. Contrà Dorotheus à Traiano relegatum scribit. Illud probabilius, quia & plures, & meliores auctores habet, & quia benignius Traianum quàm Domitianū cum Christianis egisse in omnibus legimus historijs. Euangelium hoc post cæteros Euangelistas, Apoc. & epistolas scripsit tres. De Euangelio in præfatione diximus, de alijs scriptis, cum ad ea explicāda Deo iuuante perueniemus, dicturi sumus. Mortuus nec ne fuerit magna, & vulgo iactata quæstio, sed de ea loco magis idoneo c. 21. 23. qui ei quæstioni occasionē dedit, disputabimus, vt vnde nata est, ibi finiatur. Sexaginta octo annos post passionem Domini vixisse paulò supra ex Hieronymo docebamus. Quot autem vitæ annos egerit, compertū non est, neque prudentes auctores ausi sunt dicere, quia non est certum, quia, cum à Christo vocatus est, ętate fuerit; tātùm inuenem, vt modò dicebamus, fuisse cōstat ex coniectura ætatis reliquæ. Nec admodum probo, quòd quidam ad certum calculum omnes eius vitæ annos numerare audēt. Multo minùs eruditionem, qui centum viginti ætatis annos illi tribuūt. In quibus & Dorotheus est. Miraculis doctrinam suam, sicut reliquos Apostolos confirmasse, vt nemo esset auctor, credere tamen debemus; nec enim vero simile ea potestate quam omnibus Christus Apostolis dederat, solum vsum non fuisse Ioannem, cùm tanto præsertim longiore tempore Euāgelium prædicauerit, vt non potuerit non multo plures faciendorum miraculorū habere occasiones. Illustre, & scitum est, quod Tertullianus in libr. de præscriptionibus, & ex Tertulliano Hieronymus, alijque scriptores narrant, & confignata Romæ antiquitatis monimenta testantur, imperante Domitiano, cùm in vas feruentis olei plenum esset iectus, innocuum exijsse. Alia etiam alij auctores referunt, quæ nos alio festinantes præterimus. Hæc

Psal. 44. 2.

Isaias sublimis & vehemens fuisse prophetam.

S. Ioānis genus.

Ioannes virgo fuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

breuiter attigimus, vt appareat, qualis, quantúsque Euangelista fuerit, quem aggredimur; & ne eum quocum loquimur, & cuius interpretes sumus, ignoremus.

1. *In principio erat verbum.*) Altè, & à prima origine sumptum exordium, quod cur præter cæterorum Euangelistarum morem, qui aut ab humana Christi generatione, vt Matthæus, & Lucas; aut à baptismo, & prædicatione, vt Marcus exorsi sunt, Ioannes fecerit, hanc multi auctores rationem reddunt: quòd Matthæus, & Lucas Christi tanquam redemptoris historiam, Marcus tanquam doctoris scribere voluerint; itaque illos ab humana generatione, vnde redemptoris: hunc à baptismo, vnde doctoris officium auspicatus est, initiū historiæ sumpsisse. Ioannem contra Ebionem, & Cerinthum, qui diuinitatem Christum detrahentes ante Mariam negabant extitisse, scripsisse suum Euangelium, cui non potuerit magis accommodatū ad id, quod agebat, dare principium; rem, vt dicitur, acu initio tetigisse, & primo aduersarios verbo iugulasse. Huius auctores sententiæ multos in communi præfatione nominauimus, Irenæum lib. 3. cap. 11. Epiphanium hæres. 51. Hieronymum in Ioannis vita, Chrysost. hom. 2. in Ioannē, Cyrill. in prologo comment. & Bedam hoc loco. Alij non necessitate ortæ iam hæresis, sed diuinatione, aut metu aliquando orituræ, qualis postea Pauli fuit Samosateni, vt haberent Catholici, quo eam, cùm nasceretur, refutarent. Ita Chrysostomus homil. in Ioan. 3. & Theophylactus in præfatione ad Ioannem. Alij, quòd addere voluerit, quæ cùm scitu necessaria essent, prætermissa ab alijs Euangelistis aliud agentibus viderentur. Ex quibus erat diuinitas Christi ab alijs non satis explicata, vt Eusebius ait lib. 3. histo. Eccles. cap. 24. Basil. libr. 2. contra Eunom. Nicephor. lib. 2. cap. 45. Aliam etiam Irenæus huius exordij rationem reddit, *Significans*, inquit, *quoniam per verbum, per quod Deus perfecit conditionem, in hoc & salutem his, qui in conditione sunt, præstitit hominibus: sic inchoauit in ea, quæ est secundum Euangelium doctrina, In principio erat verbum.* Aliam rursus libr. 1. contra Valent. cap. 1. *Quoniam*, inquit, *de primo rerum ortu verba facit, recte à principio hoc est à Deo, & sermone doctrinam suam instituit.* Addo vt nulla de Christi diuinitate, aut nata iam, aut aliquando nascitura hæresis fuisset, tamen non potuisse Ioannem aptius historiæ, quam scribebat, exordium reperire, si vel profanus fuisset scriptor. Aggrediebatur historiam Christi conscribere, qui Deus simul, & homo erat; oportebat priùs diuinæ, deinde humanæ naturæ originē principio declarare. Hoc enim ratio postulat historiæ, vt eius, de quo scribitur, genus, & origo primo exponatur loco. Id Ioannes fecit. Quod à profanis etiam auctoribus non probatum, atque laudatum modò, sed ad imitationem etiam vsurpatum legimus. Scribit Eusebius libr. 11. de Euangel. præpar. cap. 10. & Cyrillus lib. aduersus Iulianum 8. Amelium Platonicum Philosophum, & Heraclitū dixisse, rectè barbarum illum (Ioannem quia Iudæus erat barbarum appellantes) affirmasse in principio apud Deum fuisse verbum ipsumque Deum. Idemque Chrysostomus homil. 2. in Ioann. & Basilius in hom. in hæc verba indicarunt. Affirmat etiam Augustinus lib. 8. confes. cap. 2. & alicubi aliàs legisse se hoc Ioannis exordium in Platonicorū Philosophorum libris. Transferam huc ex lib. 10. de Ciuit. c. 29. eius verba. *Quod initium*, inquit, *sancti Euangelij, cui nomen est secundum Ioannem, quid in Platonicis, sicut à sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, falebamus audire, aureis literis cēscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat.* Tanti hoc Euangelij principij Christiani faciebant vt nimia pene religione venerarentur. Nam solitos multos suspensum de collo ferre Concilium Antiochen. Hieronymus in comment. in c. Matth. 23. & Chrysost. hom. 73. in Matth. indicant, & tanquam anilem superstitionem reprehendunt, mulierculas enim id maximè fecisse aiunt. Quanquam non video cur id factum non possimus in meliorem partem interpretari: non tanquam amuletum ex superstitione gestasse, sed præcipuè tanquam symbolum fidei; vt se Catholicos, non Arianos esse profiterentur. Quemadmodum si quæ vulgo rosaria vocant, quibus precari sacram Virginem solemus, loco torquis ad collum geras, vt ostendas te non hæreticum, sed Catholicum esse; quod multi nunc Galli, Angli, & Belgæ laudabiliter, & religiosè faciunt. Versabatur enim olim in his primis Euangelij Ioannis verbis omnis fere inter Catholicos, & Arianos controuersia: quasi arcem hoc loco Catholicis constituentibus eius fidei, quam habebant Trinitatis. Quo tempore eam consuetudinē natam suspicor: quemadmodum illam apud nos eadē opinor causa, vt peractis sacris hoc Ioannis Euangelium tanquam symbolum alterum fidei reciterur. Ad verba vt veniamus, singula non singulas, sed plures, grauesque difficultates habent. In dictione, *verbum*, ab ea enim incipiendum, quia quamuis positu vltima sit, sensu tamen est prima, cum oratio ad hunc modum sit resoluenda, verbum erat in principio; in ea ergo dictione quattuor quæstiones latent. Prima est quid verbi nomine intelligatur? Secunda cur ita Filius vocetur? Tertia meliùsne verbum an sermo Latinè dicatur, quod Græcè λόγος dicitur? Quarta cur Ioannes hoc loco *verbum* potius, quam Filium appellauerit? Prima quidem facilis est. Nam adeò est perspicuum Filium Dei hoc loco nomine verbi intelligi debere, vt ne Ariani quidem, quamnis in torquēdis scripturis audaces, negauerint. Videbant enim toto capite Ioannem eandem persequi materiam, & Filium, atque vnigenitum appellare; videbant eundem Ioannem 1. epistola c. 1. & c. 5. 7. & in Apoc. c. 19. 13. de Christo loquentem eodē vsum nomine. Itaque de hoc nulla illis cum Catholicis quæstio erat. Magis mirum, fuisse inter Catholicos qui non solùm Filium, sed etiam Spiritum sanctum verbum appellauerint. In quibus Basilius lib. 5. aduersus Euno. c. 11. ea ratione quòd sicut Filius Patris, ita Filij Spiritus sanctus interpres sit, quod nomine verbi significatur. Citat in hanc sententiam illud Pauli. *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* & illud, *Portans omnia verbo virtutis suæ*, quasi D. Paulus verbum virtutis Filij Spiritum sanctum appellauerit, quia sicut Pater per Filium, ita Filius per Spiritum sanctum voluntatem, mentemque suam hominibus declarauerit. *Ille*, inquit, *vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Ioann. 14. 26. Sicut è contrario eodem loco ver. 16. se ipsum Filius paracletum appellauit, quia etsi idnomen Spiritus sancti proprium est, tamen quia & ipse consolator est noster, quod paracleti nomine declaratur, sibi etiam attribuit. Aufus est dicere vir modestissimus D. Thomas Basilium impropriè locutum fuisse. Enim verò si propriè loquamur, solus Filius verbum est. Nec D. Paulus Spiritum sanctum verbum appellat. Cum enim dicit, *Portans omnia verbo virtutis suæ*, verbum non Spiritum sanctum, sed præceptum significat, vt D. Thomas interpretatur, tanquam dicat Filium iussu suo omnia sustinere, omnia gubernare. Aut τὸ ῥῆμα τῆς δυνάμεως id est

Ioannes contra Ebionē & Cerinthii Euāgelium scripsit.

Platonicorum testimonia de Ioanne.

id est definitione sua omnia complecti, vt apud Victorinum in libris aduersus Arium, & apud alios nonnullos antiquos auctores memini legere. Aut *verbo virtutis suæ*, id est verbo suo potenti, seipso, qui potens Patris verbum est, omnia portare, vt alij exponunt, mihique magis placet. Et cum dicit *gladium spiritus, quod est verbum Dei*, non loquitur de Spiritu sancto, sed Hebraica phrasi *verbum*, id est, doctrinam Dei *gladium spiritus*; id est non carnalem aut ferreum, qualis ille est, quo inter homines bella geruntur; sed spiritualem vocat: sicut alio loco dixit, *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.* 1. Corinth. 10. 4.

Longè difficilior secunda quæstio est, & maiore varietate sententiarum implicata. Auxit sententiarum numerum Græcum nomen λόγος, quos vsus est Ioannes, quòd cùm & rationem, & definitionem, & sermonem, aut verbum significet, in causa fuit, vt diuersam quisque significationem sequitur, diuersa sentiret. Primam significationem secuti videntur ij, qui Filium Dei idcirco *verbum* vocatum dixerunt fuisse, quòd ἀπαθῶς sine vlla passione, sine vlla corruptione à Patre procedat, sicut ratio ex animo, aut notitia ex ratione procedit, vt Gregor. Nazianzen. oratione 4. de Theologia, Basil. in hom. in hæc, quæ nunc explicamus, Ioannis verba, Ambrosius lib. 1. de fide cap. 2. Chrysost. hom. 2. in Ioannem, Aretas in c. 19. Apocal. Theophyl. & Euthym. in huius loci comment. Alij eandem secuti, aliam tamen rationem reddiderunt, quòd, quemadmodum nobis ratio, ita Patri Filius intimus esset, quam etiam Gregorius Nazianzen. & Basilius afferunt. Alij rationem, id est λόγον dictum, quòd nos rationi obsequentes faciat, auferens à nobis quidquid rationi contrarium est, vt Origen. lib. 1. in Ioannem. Alij secundo deideo λόγον appellatum Filium, quòd quasi desinitio Patris esset, eius penitus naturam exprimens, hoc enim esse, quod dixit D. Paulus, *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Quam rationem inter alias affert etiam Gregor. Nazianz. & Elias Cretens. eodem loco, & Euthym. Alij eandem quidem alia via secuti significationem, λόγον vocatum putauerunt, quòd quasi omnium ternm definitio esset, vt paulò ante ex Victorino dicebamus: idem Nazianz. & Elias tradunt. Alij tertiam, sed ratione etiam diuersa; quidam enim λόγον quasi verbum dicendum esse, sed verbum quidem mentis, aut cordis, nō oris. Nam vt nos duplex habemus verbum, aliud mentis intermum, quod aliud non est, quàm animi notitia rem, quam intelligimus, nobis repræsentans; aliud oris externum, quo internum illud declaramus: ita quoque Deum duplex verbum habere, aliud mentis, qui Filius est, quem seipsum intelligendo generauit; aliud oris quodammodo, quo nobis mentem suam, voluntatemque declarat; quale erat illud, quod per prophetas olim pronuntiabat; quale hoc etiam est, quod sacris nunc litteris consignatum habemus. Cum autem *verbum caro factum est*, ex reque verbo vnum factum esse, & illud quod sola conceptum erat mente, velut pronuntiatum fuisse ore, vt audiretur, & videretur à nobis. Hoc enim non dum loquimur agimus, vt verbum, quod animo conceptum habebamus, foras ad audientium aures proferamus. Hoc ipsum in verbo Dei factum est, quod alio loco idem Ioannes significauit 1. epistola c. 1. 1. 3. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis.* Non enim cum esset in initio, sed cum *verbum caro factum*, id est pronuntiatum esset, auditum, & visum est. Simile quod ait D. Paulus ad Heb. 1. 1. *Multifariam, multisq; modis olim Deus loquēs patribus in prophetis nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio*, hoc est in verbo, quasi dicat prius alieno loquebatur ore, nunc ore suo, verboq; suo locutus est. Hac igitur ratione magna pars veterum, & recentiores fere omnes auctores putant Filium vocatum fuisse *verbum*, quòd notitia Patris sit; Dionys. Romanus apud Athanas. in epistola de sententia ipsius, & Athanas. ipse in lib. de definition. & Eusebius lib. 7. de præparat. c. 4. & libr. 5. de demonstrat. c. 5. & Hilarius lib. 2. de Trinit. & August tract. 1. & 14. in Ioan. & lib. 15. de Trinit. cap. 10. 11. 12. & 27. & idem, aut quisquis alius est auctor in libro de cognit. veræ vitæ cap. 14. & Fulgent. lib. 3. ad Monimum, & libr. 2. ad Thrasim. & Cyril. libr. 1. Thesaur. c. 7. & lib. 4. c. 3. & lib. 6. c. 1. & lib. 10. cap. 4. & libr. 13. cap. 3. & lib. 2. de Trinit. & Ruffinus in expositione Symboli, Damascen. libr. 1. de fide. cap. 6. Anselm. in Monolog. cap. 29. 30. 31. 32. Rupert. in comment. in hunc locum. Quæ postea opinio magno in scholam Theologorum consensu recepta est; tantumque auctoritatis obtinuit, vt nemo iam ab ea possit sine temeritatis nota discedere. Nihil tamen obstat, quo minùs aliæ quoque veræ esse possint. Fieri enim potest, vt verbum Dei non vna tantum, sed pluribus rationibus dicatur verbum. Alij ergo verbum dictum putant, quia per illud Deus omnia fieri iussit, *Dixit enim & facta sunt*, dixit autem verbo, & verbum præceptum significat *Ignis, grādia, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Placuit etiā hoc Augustino serm. 190. & Isidoro lib. 7. Originum cap. de Filio, & mihi non displicet, modò ita intelligatur, vt dicamus semper fuisse verbum, quia semper aptū fuit, vt per illud Pater loqueretur, & quę vellet fieri iuberet. Alij verbum vocatum dicunt, quòd nobis interpres sit paternæ voluntatis, atque sententiæ, quemadmodum verbum vocale nostrum mentis, voluntatisque nostræ interpres est. Ita Orig. libr. 1. in Ioan. & Clemens Alex. in oratione adhortator. ad Gentes, & in Pædagogo c. 12. & Epiphan. hæres 73. & Chrysost. hom. 2. in Ioan. & Basil. hom. in hæc verba, & Greg. Naz. orat. 4. de Theolog. Theophyl. & Euthym. hoc loco. Hæc quidem veterum auctorū sententiæ sunt, quæ omnes magnam ex suis auctoribus probabilitatem habent. Itaque Hieronym. in epistola ad Paulinū omnes videtur approbare, *Nōne*, inquit, *Græce multa significat. Nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & causa vnius cuiusque rei, per quā sunt singula, quæ subsistunt, quæ vniuersa rectè intelligimus in Christo.* Sed tres mihi postremæ probabilissimæ videntur, harum verò trium prima præsertim, & vltima, illa auctoritatibus, ista simul auctoritatibus, atque rationibus. Ammaduerto enim Chaldaicū paraphrastem quotius de Deo nobiscum loquēte, nobis auxiliante, aut nobiscū denique versante sermo est, Hebraicum nomen מימרא quod Dei proprium est, reddere מימרא verbum, intelligentem nimirum agi de Filio, qui verbum appellatur, & cuius proprium est loqui nobiscū. Cuius rei tam multa apud illum exēpla sunt, vt notare pigeat. Doctus si Chaldaicam paraphrasim legat, in ea passim incurret; indoctus nobis credat. Hinc ergo colligitur filiū Dei idcirco inter Iudæos *verbū* appellatū, quòd persona Dei nobiscū loqueretur: Nam eū qui cum patriarchis olim specie angeli fæpe loquebatur, fuisse Filiū Dei, qui Ecclesiā semper gubernauit, probabilis, & antiqua opinio fuit Tertull. præsertim, & Hilarij multis locis repetita, & Synuensis cōtra Arianos synodi decreto comprobata, quod apud Hilarium in libr. de synodis est. Paraphrastē verò Chaldæū ex Hebræo-

Psal. 148. v. vide Psal. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gum cõsuetudine locutũ fuisse vero simile profecto est. Quin D. Paulus eo etiam videtur alludere. Dixerat Deus Deut. 30. 14. *Iuxta est sermo valde in ore tuo & in corde tuo*; dicit D. Paulus Rom. 10. 8. 9. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, id est Christus*: & Origenes lib. in Ioann. 1. interpretatur, *quia si credideris in corde tuo, quod Deus suscitauit Dominũ Iesum à mortuis, saluus eris*. Certè cũ Dauid dicit Psal. 9. 21. *Constitue Domine legislatorẽ super eos*. Christum intelligit, eumque מורה doctorem vocat, quem noster interpres *legislatorem* vertit. Perinde autem est Filiũ Dei doctorem, atque verbum appellare. Videtur etiam Ioannes ver. 18. rationem explicare, quamobrem Christus verbum appelletur, *Vnigenitus*, inquit, *qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*, & 1. epist. c. 1. 1. *Quod*, inquit, *audiuimus de verbo vitæ*, quasi ideo verbum dicatur, quia auditur, quod proprium est verbi, & c. 5. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, verbum, & spiritus*. Cur enim eo loco *verbum* potiùs, quam filium appellauit, cum nomen præcedens Patris postulare videretur, vt potiùs vocaret filium, nisi quia de illo tanquam de teste loquebatur, qui nobiscum loquendo testimoniũ perhibuisset: cur similiter in Apoc. c. 19. 13. Christũ dixit vocari *verbum*, nisi quia de illo tanquam de duce, tanquam de rectore agebat Ecclesiæ, qui per omnia peruadens leges daret, & diuina Patris præcepta traderet, hoc est verbum esset? Propterea vidit eum equo insidẽtem albo, quo simul celeritas, simul puritas verbi Dei omnia penetrantis significaretur, propterea vocauit *fidelem, & veracem*, quum tot alia, quibus eum appellaret, haberet nomina, quia nihil interpretis, nihil doctoris æquè proprium esse debet, atque vt fidelis, & verax sit. Propterea dixit, *testimonium eius est spiritus prophetiæ*, quia de illo agebat tanquam teste, qui nobis patris consilia testimonio suo declarasset, confirmassetque. Denique nusquam verbum Ioannes appellat, qui solus inter Apostolos, & Euangelistas hoc vsus est nomine, nisi cum de eo agebat, vt de interprete diuinæ voluntatis. Ideo & hoc loco, vt postea docebimus, vocauit verbum, quia paulò post dicturus fuerat carnem factum fuisse, & in nobis habitasse, id est nobiscum versatum, nobiscum collocutum. Idem ex alijs scripturę locis colligio Sap. 18. 15. angelus ille, qui missus fuerat ad occidenda Aegypti primogenita *sermo* Dei appellatur, quia mandata Dei ad homines deferebat, eaque exequebatur, ergo eadẽ ratione Filius vocatur *verbũ*, sed angelus officio, Filius natura; sicut alijs locis idem Filius angelus appellatur. Illud modò huic sententiæ videtur obstare, quòd si hac ratione *verbum* diceretur, non ante *verbum* fuisset, quàm *caro factum* habitasset in nobis, certè non antequàm homines essent, quibus Patris interpretaretur voluntatem. Quo ergo modo *in principio erat verbum*? Facilis responsio; *verbum* ex omni æternitate erat, quia natura sua interpres erat, cùm sapientia esset Patris, quæ perspecta haberet omnia eius arcana, etiamsi homines non essent, quibus ea posset declarare. Nam vera etiam lingua est, quæ, quia auditores non habet, tacet. Aliæ rationes, quas noui quidam scriptores excogitarunt, mihi amanti veterа minùs placent. Legi apud quẽdam Filium vocari *verbum*, id est realitatem, veritatem, quod est, quia Hebraicè דבר verbum rem omnem significat. Legi apud alium sed hæreticum, id est malũ prorsus auctorem, vocatum fuisse verbum, quasi promissum, quia promissum etiam דבר יהוה, id est verbũ appellatur, alluditque Ioannem ad diuinas illas de mittendo Christo per prophetas toties factas promissiones. Ea quoque ratione Chaldæum מיטרא verbum appellasse. Perderet, si vllam haberet, hæc sententia probabilitatem, auctore malo. Præter id, quòd ista ratione *in principio non erat verbum*, quia promissum non erat. Quod etsi subtiliter solui potest, verè non potest; & cum alijs locis eiusdem Ioannis, vbi filium *verbum* appellat, bene non conuenit, quia congrua in omnibus ratio reddi non potest, quare *verbum* potius illic, quàm alibi appellauerit.

Tertiam quæstionẽ, quia de solo est nomine, vix operę pretium esset explicare, nisi nimia quidem de ea re contentione disputassent. Vertit fortè quidam nostra memoria pro verbo sermonem. Secuti sunt nouitatem omnes hæretici, apud quos, cùm omnes interpretes sint, nemo aliter, quàm sermonem transtulit, magnum apud me argumentum erroris. Datẽ aliquam veniã, si secuti fuissent antiquitatẽ, in qua vt statim indicabimus, multi ita verterunt. Sed indignor hæreticorũ ingenium diuerticula sectantium, nec alia ratione vocãtium sermonẽ, quàm quia nos verbum appellamus, & nouitatem quærentium in antiquitate. Nam etsi id antiquũ aliquando fuit, tamen quia iam fuerat obsoletum, iam est nouũ. Scimus multos veteres & graues auctores sæpe Filium Dei sermonem appellare, Tertul. in lib. de Trinitate tribus locis, & in lib. aduersus Praxeã, & lib. aduersus Hermogenem, & Cyprian. lib. 2. contra Iudæos c. 3. & 6. Hilar. lib. 2. de Trinit. Lactant. lib. 4. c. 8. & 9. Ambrof. lib. de fide contra Arian. c. 2. & libr. 1. hexamer. c. 9. & libr. 2. c. 2. Hieron. in cõment. in c. Isai. 11. & in c. 1. epist. ad Ephes. Auguſt. tract. in Ioan. 54. & 108. Prudent. hymno. 6. Cathemerin. ex,

Ades pater supreme,
Patrisq; sermo Christe.

Remig. in c. 4. epist. ad Hebr. Anselm. in hæc verba Ioann. *In principio erat verbum*. Quin aliquos vocem appellasse video, vt Lactant. lib. 4. c. 9. & Claudianum Gentilem quidem Poëtam, sed Christianum simulantem edito de Christo sexuatore carmine,

Christe potens verum redeuntis conditor ęui,
Vox summi, sensusq; Dei, quem fudit ab alto,
Mente pater.

Scimus & de scripturis sacris nonnullos proferri locos, vbi noster etiam interpres sermonem verterit Sap. 18. 15. *Omnipotens sermo tuus exiliens de cælo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosiluit*: & ad Hebræos 4. 12. *Viuus est sermo Dei, & efficax*. Sunt qui ex Cypriano, & ex alijs vetustis auctoribus colligant veterem Latinam versionem, quæ ante istam, quam nũc habemus, in Ecclesia legebatur, in multis alijs locis, quibus agatur de Filio, nõ verbum, sed sermonem habuisse, vt Psal. 32. 6. vbi Cypr. legit *sermone Domini cæli firmati sunt*. Et Psal. 44. 1. *Eructauit cor meũ sermonem bonũ*. Et Psal. 106. 20. *Misit sermonem suum, & sanauit eos*. Et Isai. 10. 22. 23. *Sermonem abbreuiatum faciet Deus super terram*. Fallax coniectura, nam Cyprianus non solebat versionem vllam citare, quæ vix vlla eius ætate apud Latinos communis erat, sed ipse quoties scripturã citabat, de Græco vertebat. Indicio est, quòd nemo alius eiusdem aut circiter seculi eodem modo, quo ille, citet, passim dicit in Euangelio χ^ti Matthæum, & χ^ti Marcum, quod vix memini alium quempiam Latinũ auctorem facere. Reliquos verò locos duos, vbi noster interpres sermonem reddidit, haud dubito non esse de Filio intelligendos. Nam in illo Sapientiæ. 18. 15. de angelo illo agebatur, quem Deus miserat, ad occidenda Aegypti primogenita, quem nemo dixerit fuisse Christum. Nam vt verum sit, quod supra diximus multis antiquis auctoribus placuisse, solitum etiam ante incarnationem suam aliquando mitti Christum, tamen certè ad exercendũ officium

Vers. 14. *Vers. 10.* *Vers. 23.* *Isai. 9. 6. Malach. 3. 1.* *Th. Beza in Ioan.*

officium carnificis non mitterebatur, quod vix alij exercent angeli, quàm mali. Hoc enim est, *Immissiones per angelos malos*, Psal. 77. 49. Hoc beati Iob docet exemplum. Nec Ecclesia in publicis precibus ea verba de Christo interpretatur, sed ad Christum accommodat. Quod longè aliud esse, nullúmque inde ad colligendum litteralem sensum argumentum sumi posse multis exemplis sæpe docuimus. Illud etiã ad Hebræos. 4. 12. multo magis est manifestum de Christo non intelligi, sed de verbo Dei Euangelico, quod prædicatur, quod non mortuum sicut cætera, sed viuum, atque efficax est. Nec ignoro Cyprianũ, & Athanasium, aliosque nonnullos auctores graues de Christo eos locos interpretari. Sed alij etiam nõ mali auctores aliter intelligunt. Tota ergo quæstio ab scriptura ad veteres auctores reuocatur, quos diximus pro verbo sermonem appellasse. Verum id quidem est, sed ijdem illi multo frequentiùs *verbũ*, alij nunquam sermonem vocant; certum argumentum magis nomen verbi, quàm sermonis probatum fuisse. Magisque à nobis probari oportere, & eorũ, & nostri interpretis venerabilis auctoritas, & ratio persuadet. Nam siue Filius λόγος appellatur, quia potitta Patris est, non solemus mentis conceptum sermonem, sed verbum appellare: siue quia interpres est Patris eius ad nos mandata deferens, & interpretetur, & mandatum nemo non verbum potiùs, quàm sermonem dixerit. Et si eius naturam, & vtriusque nominis sermonis, & verbi proprietatem spectes, reperies sermonem orationem totam multas constantem verbis, verbum dictionem vnam, ac simplicem significare: Christum verò non multis verbis rebúsve, sed vna simpliciúque natura sua quidquid est in Patre, declarare, quia est *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*. Itaque melius verbum, quàm sermonem dici.

Quarta superest quæstio, quam Basilius homil. in hæc verba, Leontius in commentarijs, Chrysostomus homil. 2. Theophylactus, & Euthym. attigerunt, cur hoc loco Ioannes *verbum* potius, quàm filium appellauerit? Vnam illi omnes rationem reddunt, ne si vocasset filium, aliquid fortè carnale, aut patibile lector cogitaret, quod postea accidit Arianis nõ valentibus filiũ intelligere, sine fœmina, & carnalem decisionem, qualis in humana generatione fieri solet, cogitantibus. *Si filius est*, inquiebant, *necesse est, vt & fœmina sit, & colloquium seruitio & comunitio consimilis verbi, & blandimentum, & postremum ad generãdum naturalis machinula*. Sic enim Filij Dei, saluatorisque sui generationem irridebant, vt refert Hilarius in libro contra Constant. & Cyrillus Alexand. libr. 1. Thesaur. capit. 2. Idonea ratio si Christus hæc tantùm duo verbi, & Filij nomina habuisset, at habebat multa, quæ nullam compositionem, nullam corruptionem significabant, sapientia, lux, splendor, & innumera penè alia, quæ Origenes libr. 1. in Ioannes & Basil. in homil. in hunc locum notant. Alias ego duas rationes fuisse arbitror, quòd id nomen magis esset notum, & gratum, & quòd magis accommodatum ad id, quod paulò post Euangelista dicturus erat. Nullum nomen filij Dei inter Hebræos tam vsitatum fuisse, quàm verbum ex Chaldæo paraphraste cognoscimus, qui, vt supra docuimus, vbicumque nomen Dei pro filio accipi putat מימרא, *verbum* vertit, haud dubie quia ita vulgo inter Iudæos vocabatur: cognoscimus ex Philone auctore Iudæo, qui nunquam Filium, sæpe λόγος *verbum* appellat, in libro quod deterius melioribus insidietur, & in libro de opificio mundi. Cognoscimus ex primis illis philosophis Mercurio Trismegisto, & Platone, vt probant Eusebius libr. 7. de præparat. cap. 5. & lib. 11. cap. 10 & Cyril. libr. 8. contra Iulian. etsi Hieronymus errore fortasse memoriæ id in epist. ad Paulin. negat. *Hoc* (inquit de verbo loquens) *doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignorauit. Perdam, inquit, sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo*. Quos Philosophos non dubium ab antiquis Hebræis & hausisse sententiam, & vocabulum accepisse. Voluit ergo Ioannes accommodatè ad vsum loqui: voluit intelligi. Videbat etiam futurum id lectori gratius; cum enim Filius ideo *verbum* diceretur, quòd ad nos auxilij, doctrinæque causa, quemadmodum diximus, mitti soleret, iucundum Iudæis erat eius in se nominis memoriam renouari, quo tantum Dei beneficium contineretur. Itaque vt Marcus gratum lecturis sumpsit exordium à nomine Euangelij, quo faustus significatur nuntius, *Initium Euangelij Iesu Christi Filij Dei*, ita Ioannes à nomine *verbi*, quod Filium Dei significat Euangelium, id est bonum semper nobis nuntium afferentem. Erat quoque id aptius ea, quæ dicturus erat, accommodatum. Volebat paulò post dicere *omnia per ipsum facta esse*, non poterat eum per quẽ omnia facta sunt, aptiùs quam *verbum* appellare, quia omnes sciebant Deum verbo suo omnia fecisse. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, Psalm. 32. 6. & *dixit, & facta sunt: mandauit, creauit, & creata sunt*, Psalm. 148. 5. Non abs re etiam quærit Theodorus Mops. in Græca citatus Catena, quid causæ fuerit, quamobrem non vocauerit Euangelista verbum Dei, sed absolutè *verbum*? Non malè respondet solere scripturam verbum Dei præceptũ appellare, & illud verbum quod ad prophetas sæpe factum esse dicitur; ne quis igitur putaret filiũ Dei eiusmodi esse verbum, non verbum Dei, sed *verbum* simpliciter vocauisse. Nascitur nobis noua ex veteri quæstione quęstio. Animaduerto, vt attigi supra, neminem Euangelistam, aut Apostolum præter Ioannem Filium Dei *verbum* appellasse: & Ioannem quidem ipsum non passim, sed quinque solùm locis hoc exordio, & post ver. 14. cum dicit *verbum caro factum est*, & 1. epist. c. 1. 1. & cap. 5. 7. & Apocal. 19. 13. Animaduerto posteaquam dixit, *verbum caro factum est*, nusquam præterea toto, quàm magnum est, Euangelio verbum nominasse. Quid causæ fuit? Nec enim factum temere. Vocatur filius *verbum* non quia homo, sed quia Deus est, & Deus quidem filius, cuius officium est, quasi legatum esse patris, pro eo mitti, pro eo loqui, pro eo Ecclesiam rempublicam suam gubernare. Solus Ioannes de Christi diuinitate egit suscepto consilio, ideo solus vocat *verbum*, & vocat solùm antequam carnem factum fuisse dicat, vt verbum à carne, id est Deũ ab homine distinguat. Nobum à carne, id est Deũ ab homine distinguat. Nouam fecimus coniecturam in noua quæstione; meliorem fortasse dies inueniet. Adnotarunt Chrysost. hom. 3. & Theophyl. Euangelistam non simpliciter λόγον *verbum*, sed cum articulo emphatico τὸν λόγον verbum illud duxisse, vt ostenderet se nõ de quouis, sed de illo substantiali atque diuino verbo loqui.

Isai. 29. 14. Abdia. 1. 8. 1. Corint. 1. 19.

Excellit verbum erat.

Sequitur verbũ, *erat*, quod in hac prima sententia secundum locum tenet. Graues auctores obseruarunt Chrysostomus homil. 3. Basil. in hæc verba, Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 1. Seuerus Antiochenus, in Græca Catena, Beda, Alcuinus, & Theophylactus in commentarijs ad hunc locum, non dixisse Euangelistam, in principio fuit, sed *In principio erat*; quòd verbũ, fuit, significet rem præterijsse, & esse desijsse: verbum verò *erat* perennitatem, atque firmitatem. Id quidem hoc in loco verum est. Non enim voluit Euangelista significare verbum fuisse in principio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& iam non esse; sed fuisse semper, semperque esse, semper futurum. Sed perpetua non est obseruatio. Sæpe enim illud imperfectum ἦν quo hoc loco Ioannes est vsus, pro præterito sumitur, quod & Latinè aliquando fieri apud Marcum Tullium, & Liuium obseruaui. Et verò noster interpres non videtur temporum discrimen habuisse. Nam idem tempus ἦν, quod hic vertit *erat*, 1. Ioan. 1.1. vertit, *fuit*. Mallem vtroque loco transtulisset, erat. quia præterquam quòd ita Græcè est, magis conuenit Filio Dei, vt de eo etiã, quàm fuit, dicatur. Nam fuit potest significare esse cœpisse, vt si dicas, In principio fuit cælum, & terra, non significes fuisse ante principium, sed statim principio conditionis rerum esse cœpisse. Filius autem Dei non cœpit esse, semper fuit, semper erat. Deinde verbum, fuit, potest significare, tem quæ fuisse dicitur, esse desijsse. Vulgatum est illud, *Fuimus Troes*. Id non significat verbum, erat. Denique verbum erat inclusum habet particulam iam, quam non habet verbum fuit. Perinde enim est, *In principio erat verbum*, ac si diceret, In principio iam erat verbum, non habuit principium, non cœpit esse, quia cum omnia, quæ principium habuere, esse cœperunt, iam ipsum erat. Ducit nos verbum *erat*, vt Basilius ait vsque ad æternitatem. Scio confundi nonnunquam discrimen temporum, & præteritum non tam temporis differentiam, quàm actionis perpetuitatem significare, vt in illo loco Prouerb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio*. Nõ enim indicat aut cœpisse, aut desijsse se possidere, sed semper possedisse, semper possidere, semper possessurum esse. Et in illo Psal. 109. 3. *ex vtero ante Luciferum genui te*, vt nostram, & Septuaginta sequamur editionem. Nec enim significat aut cœpisse, aut desijsse gignere, sed semper genuisse, semper gignere. Hæc scio sed Ioannes quidem certè differentiam temporum accuratè seruauit. De Ioanne dixit, ver. 6. *Fuit homo missus à Deo*, de Christo dixit, ver. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Nec dixit Christus. capit. 8. 58. *Antequam Abraham fieret, ego fui*, sed *ego sum*; potuit dicere eram, sensu eodem. Non dicit Apocal. 1. 18. Eram mortuus, sed *fui mortuus, & ecce sum viuens*. Similiterque cap. 2. 8. quod non casu profecto, sed industria, atque consilio factum apparet. Alia quoque vis huius temporis est, quam in commentar. in oration. de Theologia 4. Gregorij Naz. Elias Creten. animaduertit, vt ὑποκατιὼν id est subsitiuum sit, nec significet esse hoc vel illud, sed omnino esse, quod proprium est Dei, qui idcirco ab Hebræis יהוה, à Græcis ὁ ὤν dicitur, quia solus verè est. Rectè igitur Concil. Nicænum Arianos dicentes fuisse aliquando tempus quando filius Dei non erat, ex hoc loco damnat. Sciteque Ambr. lib. 1. de fide ad Gratia. c. 5. argumentatur, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deũ. Erat, inquit, apud Deum. Erat, erat, erat, erat, ecce quater erat, vbi impius inuenit quòd non erat?* Sed de hac re plura paulò infra dicturi sumus.

Tertium nunc huius loci tractemus verbum, *In principio*. Clemens Alexand. in orat. adhort. ad Gentes, Orig. tract. 1. in Ioan. Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 1. Greg. Nyssen. in orat. ad Simplicium, August. lib. 6. de Trinit. c. 2. Theophilus Antiochen. lib. 4. allegor. Idacius lib. 3. contra Varimadum, & Beda interpretantur, *In principio*, id est in Patre. Patrem enim principium appellari, quemadmodum exponit Cyril. illud Psalmi 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ*, id est tecum Pater aderit. Meruit huic sententiæ au-

Virgil. 2. Aeneid.

Exo. 3. 14. Apocal. 1. 8.

Ariani refelluntur.

In principio quid sit.

ctorum reuerentia probabilitatem. Alij principium pro æternitate acceperunt, quæ omnium rerum eti m cogitationum nostrarum principium est, cum careat ipsa principio, Greg. Nazianz. orat. 2. de Filio, Ambros. lib. de incar. Domin. sacramento c. 3. Basil. homilia in hunc locum, Chrysost, hom. 2 in Ioan. Nonnus Poëta, &, vt citat auctor Græcæ in Ioannem Catenæ, Seuerus Antiochenus oratione 26. & Leontius in commentarijs, Theophyl. & Euthym. Sententia quidem vera. Nam in ipsa nimirum æternitate verbum erat; sed huius loci quærimus interpretationem. Et vix nomen principij pro æternitate positum inuenias, quæ potius ἀπειρία vt Nonnus Poëta vocat, id est sine principio, sine termino, quam ἀρχὴ, id est principium dici potest. Etũ id Euangelista dicere voluisset, clarius vno dixisset verbo ὁ λόγος ἦν ἀΐδιος, verbum erat sempiternum, nec enim credendum rem adeo ad salutem necessariam scribentem, & Ebionitarum, atque Cerinthianorum, vt diximus, hæresim refellentem obscuritatem affectasse. Alij Deum intelligunt nomine principij, vt idem sit, *In principio erat verbum*, ac si diceret, In Deo erat verbum, sicut statim dicit, *Et verbum erat apud Deum*. Sic Athanas. in oratione contra Arian. *quod verbum ex Deo sit Deus*: quem sensum etiam Orig. probat lib. 1. in Ioan. 1. Simplicissimus quisque sensus mihi maximè placet. Huiusmodi est, vt nomen principij mundi significet originem, quæ & verè principium rerum fuit, & ita in sacris litteris vocari solet; significat ergo Ioannes *in principio*, cum omnia facta sunt, iam fuisse verbum, ideo factum non fuisse; in quam sententiam exponunt Hilarius libr. 2. de Trinitate, & Augustinus tract. in Ioan. 1. & in qq. mixtim ex veteri, nouoque testamento q. 122. quod Beda etiam probat. Est hæc interpretatio & ad hominum intelligentiam, & ad id, quod Ioannes agebat, & ad scripturæ consuetudinem magis accommodata. Nam & lector nihil facilius nomine principij, quàm quod omnes principium temporis vocant, poterat intelligere; & Ioannes paulò post de rerũ principio dicturus erat, *Omnia per ipsum facta sunt*; & verò admodum simile est de eodem vtroque loco agi principio, quasi dicat, Verbum in principio iam erat, nam ipsum omnibus rebus principium dedit; aut quod eodem redit, Verbum Dei factum non est hoc est *in principio erat*, quia *omnia per ipsum facta sunt*, hoc est principium acceperunt. Et solet scriptura sacra per principium, aut initium intelligere primam conditionem rerum, vt *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Quem ad locum videtur Ioannes per antithesim quandã allusisse, quasi diceret, In illo principio rerum omnium, quo Deus creauit cælum, & terram, verbum creatum non est, quia iam erat. Vt simile veteris, ac noui testamenti esset exordium, & ab illa generali creatione rerum, in qua hæretici eum inuoluebant, Filius Dei omnium creator exciperetur, quemadmodum Chrysostomus, August. Seuerus Antiochenus, Leontius, & Theophylactus indicant. Eodem modo Filius ipse apud Salomonem loquitur Prouerb. 8. 22. quo credibile etiam est respexisse Ioannem magnum, vt ex Apocalypsi perspicitur, propheticorum verborum imitatorem. *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquã faceret à principio*. Deprincipio enim temporis loqui ex sequentibus manifestum est, *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes grauimole constiterant. Ante omnes colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & fluminа, & cardines orbis terræ*. Quod ergo sapientia ipsa dixit, *in initio*, Ioannes di-

xit *In principio*, & quod Sapientia, *Possedit me*, id est genuit, vt *Possedi hominem per Deum*; Ioannes, *Erat*. Vnde colligitur, idem esse *In principio*, & ante principium. Parum enim erat in principio fuisse, si ante nõ fuisset. Nam & cælum, & terra in principio erãt, sed ante principium non erant, quia in ipso principio creata sunt. Id in loco illo Salomonis, quod hic simpliciter dicitur, explicatur, *Antequam quicquam faceret à principio*. Hinc Arianorum vna diluitur obiectio nõ posse ex hoc loco colligi Filium Dei æternum fuisse, quandoquidem nihil maius à Ioanne de illo, quàm à Mose de cælo, & terra dictum videatur, vt Chrysostomus, & Theophylactus referunt, quibus aliter illi respondent. Aliter Mosem dicere in principio, aliter Ioannem; Mosem dixisse cælum, & terram non quidem absolutè fuisse, sed creata fuisse, quod autem creatum est, æternum esse nõ potuisse. Ioannem contrà non dixisse verbum in principio factum fuisse, sed simpliciter fuisse: & per illud potius omnia fuisse facta. Qua etiam ratione ad aliam eorum obiectionem responderi potest. Obiiciebant, vt idem auctores tradunt, etiam de Diabolo dictum esse Ioannis. 8. 44. *ille homicida erat ab initio*, non enim dicitur absolutè fuisse, sed fuisse homicidam. Hoc est, quod supra dicebamus verbum illud *erat* esse *substantiale*, subsitantiuum, quia non duarum inter se coniunctionem rerum, sed rei vnius subsitantiam significat. Præterea non dicitur in initio, sed *ab initio* homicida fuisse, quod quis non videt, quantum interest? In initio non erat homicida, quia nondũ erat; sed *ab initio* fuit, quia statim, vt esse cœpit, & homicida esse cœpit hominem persequens. Esto, dicet aliquis, idem sit *in principio*, & ante principium, tamen nõ videtur ex hoc loco probari posse verbum fuisse sempiternũ, si nomen principij non æternitatis, sed temporis initium declaret. Nam & angelos multi graues auctores ante initium temporis fuisse crediderunt, tamen non idcirco æternos fuisse credidерunt. Intelligat quisquis hoc obiicit scripturæ morem esse, vt cum aliquid æternum esse significat, *in principio*, aut *ante principium, ante cælum & terram* fuisse dicat. Illustre exemplum illud est, quod modò tractabamus, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, non enim tãtum significat antiquiorem se esse mundo, quod parum erat, sed fuisse sempiternam. Cæterum quia non solet humanum ingenium supra principium temporis ascendere, accommodatè ad hominum loquens, quod æternum esse docet, initio, aut ante cælum, & terram fuisse dicit. Quia quidquid factum est, aut in illo principio, aut postea factum est, itaque quod in principio, aut ante principium erat, factum esse non potest: quod autem est, & factum non est, æternum est. Simile illud est, quod ait Christus Ioann. 17. 5. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te*. Ea enim circumlocutione non antiquitatem solum, sed æternitatem declarauit. Quin aliquãdo minore interuallo æternitatem suam significauit, *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Non. n. docere tantùm voluit se antiquiorem esse, quàm Abraham, sed nullum prorsus initium habuisse. Quia si habuisset, haberet vtiq; vt homo; si vt homo, lõgè post Abraham, cum nondum annos natus esset quadraginta. Quare idem erat dicere se fuisse ante Abrahamum, & nunquam esse cœpisse. Quod clariùs diuinitatis Christi argumentum desiderari poterat, quàm quòd Ioannes dixisset, *in principio* fuisse verbum, id est principium non habuisse? non acquiescebant tamen in his verbis Ariani superbi, & iniqui homines ingenij quales omnes hæretici, maximèque Caluiniani sunt.

Cur probationes non adhibuerit Ioann. 1.

Multa præterea, quæ modò diximus, commiscebantur, vt hunc locum deuitarent. Primum, aliud verbum, aliud Filium esse dicebãt. Verbum quidem semper fuisse filium non semper, vt auctor est Athanas. in oration. *Quod Deus de Deo sit verbum*. Facilè hoc à Catholicis refutabatur. Nam de eo de quo dixerat, *in principio erat verbum*, dicit statim ver. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. ver. 14. *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, cum autem per quem omnia facta sunt, quique factus est caro, filium Dei fuisse, statim declarat, *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*. Et D. Paulus Hebr. 1. 2. & ad Colos. 1. 16. per filium sæcula, & vniuersa, quæque in cælo, quæque in terris sunt, condita esse dicit. Et quod Ioannes hic vocat *verbũ*, paulò post ver. 9. lucem appellat illuminantem *omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hanc autem lucem esse filium Dei declarat. c. 3. 19. Simile quiddam Eunomius dicebat, vt scribit Cyril. lib. 1. in Ioã. c. 4. à quo & eius argumenta recitantur, & refelluntur. Alij quidam Ariani respondebant verbum Dei semper apud Deum fuisse, non tamen actu, sed potestate: quemadmodum in nobis, antequam loquamur, potestate quidem verbum est, quia loqui possumus, actu non est, quia non loquimur; tunc actu formatur verbum cum actu loquimur. Verbũ enim Dei nihil aliud fuisse, quàm diuinæ mẽtis cogitationem, quam cum facere mundum voluit, formauit in verbum, dicens *fiat*. & factum est; vt auctor est Athanas. in epistola de sententia Dionysij Alexandrini. At isto sanè modo potuisset Ioannes dicere res omnes in principio fuisse, quia potestate in Deo erant. Cum ergo de solo verbo hoc dicat, de alijs rebus non dicat, aliter verbũ in principio fuisse, quàm res alias, necesse est. Deinde si sola potestate verbum fuisset in Deo, exposuisset vtique Ioannes, quando actu esse cœpisset, sicut de cæteris rebus dixit, *Omnia per ipsum facta sunt*, & de verbi ipsius incarnatione. *Verbum caro factum est*. Non admodũ absimile est, quod dicebant alij, vt idem refert Athanas. orat. 1. contra Arianos, Deum paulò antequam mundum crearet, creasse filium, vt per eum omnia perficeret, quæ designauerat, & respectu quidem hominum, qui verbis vtũtur, vocasse verbum; respectu sapientum, sapientiam. Quod satis iam explicandis verbis Euangelistæ refutauimus: enimuero idem esse in principio, & ex omni æternitate erat verbum. Alij desperatione responsi verbum omnino tollebant, ἄθεοι Alogi, id est sine verbo ab Epiphanio, & Alogiani ab Augustino vocati, nam & ij Arianorum genus erant, de quibus in titulo Euangelij diximus. Stat ergo arx inexpugnabilis sententia D. Ioan. qua omnis Arianorum hæresis alliditur. Illud mirum videri potest, non adhibuisse cum sententiæ suæ probationes præsertim scribentem aduersus hæreticos, qui æternitatem negabãt verbi. Sed nimirum Euangelista, non disputator Ioannes erat; & non est officium Euangelistæ probare, quæ dicit, sed historicè narrare. Præterquam quòd non admittebat materia probationem; quis enim antequam homines, antequam angeli fierent, testis esse poterat æternitatis Filij, nisi Filius ipse, qui reuelauit Ioanni? Vult ergo sibi Ioannes tanquam discipulo Filij credi. Hoc enim est quod in extremo dicit Euangelio. c. 21. 24. *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc; & scimus, quia verum est testimonium eius*. Hoc est quod admonet initio epistolæ primæ, *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis*. Hoc tene stat fides nostra; hoc quisquis

Universidad de Deusto
Biblioteca

contentus non est, Christianus esse non potest. Alia contra illum quærenda sunt arma, rationibus de omni alia religione deiiciẽdus, vt, cùm nullam aliam veram esse perspexerit, nostram, quam ratio certè docet esse verisimilem, veram esse credat. *Declinabo ad dexteram*, inquit propheta, *& esuriet, comedet ad similitudinem, & non saturabitur.*

Esa.9.20.

Et verbum erat apud Deum.) Quorsum hoc Ioannes adiungat, statim lectoris animus dubitat, Hilar. 2. de Trin. & Chrysost. hom. 2. hanc, cur id adiecerit, rationem innuunt, ne quis audiens in principio fuisse verbum, ingenitum, id est absque omni principio etiam generationis putaret; *apud Deum* enim, id est apud Patrem fuisse, ac velut in domo Patris, antequam quodammodo emanciparetur, & in hunc mundum tanquam ad bellum veniret; Leontius, & Euthymius, ne in loco aliquo circumscriptum fuisse putaretur. Basilius in hom. in hunc locum mihi videtur veram attigisse causam, secutum Ioannem lectoris cogitationem, qui cum audisset verbum *in principio* fuisse, dubitare poterat, vbi esse poterat, cũ nihil dum esset, vbi esse posse videretur; addit fuisse vbi Deus erat, hoc est *apud Deum*. Sensum quæramus, quid est *erat apud Deum*? In duobus verbis sententia versatur, pro quo Dei nomen accipiatur, & quam vim habeat præpositio πρὸς apud. Origenes lib. 2. in Ioan. quem vt cauté legat, lectorem moneo, Chrysost. hom. 2. Basil. in hęc verba. Athanas. in orat. quod Deus de Deo sit verbum, Hilar. 2. de Trinit. Beda, Theophylactus, Euthym. & fere omnes vno excepto Augustino, *apud Deum* interpretantur apud Patrem; isque certus mihi videtur esse sensus; nec enim apud se ipsum fuisse significare voluit, &, vt postea docebimus idem est *apud Deum*, quod *in sinu Patris*. Solus Augustinus lib. 6. de Trinit. c. 2. existimat nomen Dei hoc loco communiter pro tribus personis accipi; obiicienti autem ipsi sibi, quomodo *apud Deum* esse dicatur, cum ipse sit idem ille Deus, respondet eadem ratione dici, qua dicitur animus apud hominem esse, cùm vnà sit ipse pars hominis. Sed animus pars hominis est, ideo rectè apud hominem esse dicitur. Verbum autem non pars Dei, sed ipse totus est Deus. Itaque si nomen Dei nõ pro Patris persona, sed pro Deo communiter sumeretur, non ita *Verbum apud Deum* diceretur fuisse, quomodo animus apud hominem, sed sicut animus apud animum, aut sicut homo apud hominem esse dicitur, si quis ita loqueretur. Quæ quia inusitata locutio est, multò est probabilius vt *apud Deum* id est apud Patrem dicatur fuisse. Cur ergo non dixit. Et verbum erat apud Patrem, quod fuisset clarius? Primùm quia nõ dixerat, in principio erat filius, sed, *in principio erat verbum*, ob eam causam quàm illic explicauimus. Si filium nominasset, consentaneum fuisset, vt diceret, & filius erat apud Patrem, quod ea duo nomina sua relatione bene hæreant. Cùm autem *verbum* appellasset, magis fuit cõsentaneum, vt *apud Deum*, quàm vt apud Patrem fuisse diceret; quia magis vsitatè verbum Dei, quàm verbum Patris dicitur. Aliam quoque rationem habuisse arbitror. Dicturus statim erat, *Et Deus erat verbum*, sumpto initio ab vltimo verbo præcedẽtis mẽbri, quod in tota hac oratione eum fecisse animaduertimus, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Quod cur fecerit, postea docebimus. Hæc orationi gratia perijsset, si dixisset, & verbum erat apud Patrem, nec enim à Patre poterat alterum membrum incipere, & Pater erat verbum, quia verbum non est Pater. Præpositionem, *apud* Iren. lib. 3. c. 8. Athanas. in oration. quod Deus de Deo sit verbum, & August. lib. 6. de Trinit. cap. 2. & Fulgent. lib. 3. ad Monim. & Victorinus lib. 2. contra Arium idem esse dicunt, quod in Deo. Confundi enim eas duas præpositiones, quod Fulgentius multis de scriptura probat exemplis. Vnum sufficit. Quemadmodum hic Ioan. dicit, *& verbum erat apud Deum* ita Christus dicit *ego in Patre, & Pater in me est*, c. 14. 10. 11. Contra Chrysost. Cyrill. & Theophylact. aliud esse *apud* aliud. *in*, nam *in* accidentium, *apud* substantiæ, atq; personæ magis esse proprium. Dicimus colorem esse in homine, non apud hominem; dicimus hominem esse apud amicum, non in amico suo. Itaque rectè ex hoc loco ij auctores, quos modò nominauimus, itémque Seuerus Antiochenus, & Leontius, imò & Theodorus Mops. in Græcorum Catena, licet suspectus in hac re auctor, contra Sabellianos collegerunt filium à Patre distingui persona. Qui enim apud alium esse dicitur, distincta persona est. Sed hoc ipso argumento Arani abutebantur, vt probarent filium non eiusdem cum Patre esse naturæ. Quod præpositio *apud* non solùm rem natura distinctam, sed omnino etiam extrinsecus adiunctam significare videatur, quemadmodum apud me dicitur esse vestis, in me animus quia vestis externa, animus internus est. Ideo non dixisse Ioãnem, verbum erat in Deo, sed *apud Deum*. Itaque cum Arianus quidam aliquando in Africa cum Catholico de his verbis Ioannis disputaret, arrepto de capite Catholici pileo, & manu tenens interrogabat, Hic byrrus (sic enim appellabat) estne in me, an apud me? Respondente altero, apud me, subiecit; Sic verbum erat apud Deum, quia Deo nõ consubstantiale, sed externum erat. Historiam scribit Fulgentius initio lib. 3. contra Monimum. Id multis, vt diximus, exemplis Fulgentius refellit. Nam qui nunc dicitur *apud Deum* fuisse, paulò post dicitur *in sinu Patris* esse ver. 18. & esse in Patre, cap. 14. 10. 11. vt alia innumera taceamus. Vtrique auctores aliqua ex parte verum mihi dicere videntur, & qui idem esse *in* & *apud*, & qui non idem esse putant. Nam hæc quidem idem sunt, vt cum de Deo loquamur, vbicumque dicimus *apud*, dicere possumus *in*, vt Filius est apud Patrem, & in Patre, sed non vbicumque dicimus *in*, dicamus *apud*; nam Patrem in Filio esse dicimus Ioann. 14. 11. apud Filium non dicimus. Videndum ergo, quam vim hoc loco habeat præpositio *apud*, & cur Ioannes potius *apud Deum*, quàm in Deo verbum fuisse dixit. Causam aliquam Hilarius, & Chrysost. insinuarunt. Quod, *apud*, cum significare videatur, qui quodammodo honorabilior sit, cum enim pater, & filij in eadem habitant domo, rectè dicas filios apud patrem, non rectè patrẽ apud filios habitare. Hac ratione non dixit Ioannes verbum fuisse in Deo, sed *apud Deum*, quia præpositio *in* eam vim non habebat, quam volebat exprimere, verbum apud Patrem, tanquam apud auctorem suum fuisse, vt loquitur Hilarius, quamuis nunc ab eo verbo prudenter abstineamus. Melius dicemus significare Euangelistam voluisse, verbum fuisse *apud Deum*, tanquam apud Patrem, tanquam apud eum à quo originem duceret, tanquam in domo paterna; nõ defuisse illi, vbi esset, qui esset apud Patrem; vbi enim commodiùs filius, quàm apud patrem suum esse possit? Alij intimam coniunctionem cum Patre per præpositionem *apud* declarari putãt. idem enim esse verbum fuisse *apud Deum*, & fuisse *in sinu Patris*, vt dicit ver. 18. quemadmodum Theophylactus interpretatur. *In sinu* autem *Patris*, esse non dubium, quin summam cum Patre coniunctionem declaret. Valde enim nobis coniunctum est, quod in sinu, quod in pectore est. Similis est alia eiusdem Theophylacti explicatio, vt idem sit *apud Deum*, & cum Deo, quemadmodum Marci 6. 3. illi dicit, *sorores eius nobiscum sunt*. G. πρὸς ἡμᾶς id est apud nos. Acuta etiam est, & germana, vt mihi videtur, interpretatio Gregorij lib. 5. Moral. c. 19. idem esse verbum fuisse *apud Deũ*, & fuisse inuisibile, fuisse quodammodo absc õditum. Sic enim intelligit illud Iob, *Ad me dictum est verbum absconditum.* c. 4. 12. Quasi dicat, etsi non videbatur, etsi non apparebat, erat tamen; apparuit, cum *venit plenitudo temporum*, cum *verbum caro factum est*. Aut, erat quidem, sed non apparebat, vt hæc inter se duo loca respondeant. Qui sensus mirificè mihi placet. Nam quod Ioan. hoc loco dicit, *verbum erat apud Deum*, & postea ver. 18. *vnigenitus filius qui est in sinu Patris*, dicit breuiùs 1. epist. c. 1. 2. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Ambros. in lib. de incarnat. Domini, sacramento c. 5. & Greg. Nyssen. in lib. de fide ad Simplicium, & Rupertus in cõment. ad hunc locum, aliã videntur expositionem insinuare, quam ego etiam antequam auctorem haberem vllum, maximè probabam, vt æqualitas verbi, & Patris significetur. Voluit enim Euangelista declarare vbi fuisset infinitis seculis verbum, quod semper fuisse dixerat; dicit fuisse πρὸς τὸν θεὸν, *apud Deum*, id est iuxta Deũ, sedisse ad dexterã Dei. quòd est Deo æqualem esse. Hunc verum esse sensum ex scriptura colligo, quæ cum docet Christum post resurrectionem suam in cælum ascendisse, minimè dubium est, quin significare velit, eò, vnde venerat, vbi priùs erat redijsse. Dicit autem sedisse *ad dexteram Dei*, id est Patris Mat. 16. 19. Act. 2. 34. & 5. 31. & 7. 55. Ro. 8. 34. Ephes. 1. 20. Colos. 3. 1. Heb. 1. 3. & 8. 1. & 10. 12. & 12. 2. & 1. Petri 3. 22. Priùs ergo erat ad dexteram. & cũ Ioannes his verbis dicere voluerit, vbi erat, vtique dicere voluit ad dexteram Patris fuisse. Ita prorsus Cyril. Ierosolymitanus exponit in 11. catechesi. Quod quidam dicunt πρὸς relationem significare, sensumque esse, verbum fuisse πρὸς τὸν θεὸν ad Deum, id est relationem ad Patrem habuisse, miror cuiquam homini prudenti in mentem venire potuisse. Nec velim assuescere lectorem istis subtilitatibus, quas raro admittit scripturæ grauitas, & qui cõsectantur, in pueriles sæpe errores incurrunt. Quærit Leontius, cur potiùs dixerit Verbum fuisse *apud Deum*, quàm esse Deum; Respondet, vt indicaret nihil aliud fuisse, quàm illum ipsum Deum, apud quem erat.

Et Deus erat verbum.) Lectio primùm, deinde verborum structio constituenda, quibus constabilitis perspicuus erit sensus. Notum est, quod scribit Augustin. lib. 3. de doctrina Christi. c. 2. quosdã nimirum Arianos ita solitos legere, vt hæc verba *Deus erat*, cum præcedentibus iungerent clausa puncto sententia, sic, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat*: deinde adiicerent consequentibus, *Verbum hoc erat apud Deum.* Quod refutatione non indiget. Quorsum enim dixisset *& Deus erat*, de quo nemo dubitabat? Præsertim cum iam dixisset *& verbum erat apud Deum.* Quo enim modo apud Deum esse poterat, si Deus non erat? Denique ex ipsa partitione membrorum constat hoc vnum membrum esse debere. *Et Deus erat verbum*, sicut *In principio erat verbum*, vnum; & *verbum erat apud Deum* alterũ membrum est. Idque ipsum indicat artificium, quo apparet Euangelistam vti voluisse, vt semper, quod in præcedenti membro vltimum verbum fuerat, in sequenti primum esset. Verborum autem constructio ita ordinanda est, vt *Verbum* sit subiectum, *Deus* attributũ, transpositis verbis, *Verbum erat Deus*, quemadmodum Hilar. 7. de Trinit. & Basilius homil. in hæc verba interpretantur, postulátque ipsa per se sententia. Non enim de Deo, sed de verbo, an ante mundũ fuisset, vbi fuisset, quid fuisset, agebatur. Cur ergo non dixit, Verbum erat Deus, quod fuisset clarius? Solét Hebræi ea figura delectari, qua finis precedentis membri initium sequentis est. *In principio creauit Deus cælum, & terram; terra autem erat inanis & vacua.* Et infra ver. 4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderũt.* Idem Ioannes voluit hoc loco, quod non fecisset, si dixisset verbum erat Deus. Quod attinet ad sensum, nullũ discrimen est. Nam siue dicas, Verbum erat Deus, siue *Deus erat Verbum*, necessariò sequitur filiũ Dei qui *Verbum* appellatur, verè Deum esse, éstque illustrissima sententia, quæ nullis corrumpi cauillis, nullis obscurari possit tenebris. Nixi tamen Ariani sunt tribus modis obscurare. Primum deprauata lectione, quemadmodum modò dicebamus. Deinde nomen Dei Græcè articulum emphaticum non habere, quemadmodum habet in membro præcedenti, cum pro Patre ponitur; itaque Patrem quidem verum esse Deum, qui adiuncto articulo dicatur ὁ θεός; Filium non verè, qui sine articulo θεὸς, quasi minor quidã Deus appelletur, Auctor Chrys. hom. in Ioan. 3. atque Theophylact. Arianis nimium hoc loco fauet Origenes, attentum lectorem volo. Eam obiectionem facilè Chrysostomus diluit, etiam Patrem aliquando sine articulo θεὸς Deum appellari Rom. 1. 7. & hoc ipso c. ver. 6. & sexcentis alijs locis. Contra verò Filium τὸν θεὸν Deum cum articulo vocari, vt Rom. 9. 5. Quam autem ob rem Euangelista hoc loco articulum non addiderit, ex linguæ Græcæ proprietate ratio reddi potest. Non solet in prædicato, sed in subiecto articulus poni, itaque nõ potuit dicere ὁ λόγος τὸν ὁ θεὸς, iam enim docuimus nomen verbi esse subiectum nomen Dei prædicatum. Ideo nomen λόγος *verbum*, habet articulum, nomen θεὸς *Deus* non habet. Denique respondebant Ariani Filium vocari quidem Deum, sed eo modo, quo Moses Deus Pharaonis vocatus est, Exod. 7. 1. & vt homines sancti Dij appellantur. Psal. 81. 1. 6. cõfirmante vt videtur, Christo Ioan. 10. 35. ita refert Hilar. 7. de Trinit. Rectè eam respõsionem refellit idem Hilarius, Mosem non absolutè vocatum Deum, sed Deum Pharaonis, verbum autẽ absolutè dici Deum. *Nunquid*, inquit, *non adiecta nominis causa est, cum dicitur, Deum Pharaonis? aut nunquid Dei naturam eis inuidit, & non potius in eum qui metueret, terrorem, cum dracones magicos draco Moysi mox virga manens deuorat; cum eymagicos draco Moysi mox virga manens deuorat; cum eynomiam, quam immiserat, abigit; cum grandinem potestate, qua euocauerat, auertit; cum locustas ea virtute, qua inuexerat, repulit; cum in operationibus eius Magi confiterẽtur digitum Dei esse? Sic Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur.* Deinde addit Mosem non dici Deum esse, sed constitutum fuisse Deum Pharaoni. *Et aliud*, inquit, *est Deum dari, aliud Deum esse. Eo ipso quòd dicitur cõstitutus Deus, non naturalis, sed factitius significatur Deus. Deum autem*, (inquit eodem libro) *Dominum nostrũ Iesum Christum his modis nouimus, nomine, natiuitate, natura, potestate, professione.* Alij dixerunt non ineptè Mosem nõ fuisse vocatum Deum; sed Deum Pharaoni, id est opinione Pharaonis. Accedit quòd illo loco non est מלהים, quod proprium est Dei, sed אלהים, quod Chaldæus paraphrastes doctorem, R. Abraham nuntium, aut legatum ad Pharaonem interpretatur. Ad locũ Psal. 81. similiter Hilarius respõdet, eò ipso quòd dicitur, *Ego dixi Dij estis*, significari eos beneficio, non naturâ fuisse Deos. *In eo*, inquit, *indulti nominis significatio est, & vbi*

Pro quo hic Deus nomen accipiatur.

Inf. ver. 18.

Gen. 1. 1.

Alia obiectio Arianorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vbi referuntur, Ego dixi, loquentis est potius sermo, quam rei nomen. Est etiam illic omen quod nō solùm Deum, sed nuntios etiam significat, vt videtur explicare Christus Ioan. 10. 35. 36. *Si eos dixit Deos ad quos Dei sermo factus est, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum?* Non enim à pari, sed à minori ad maius argumentatur, si illi dicti sunt Dij, quanto magis ego Deus dici possum? Verè igitur Deus vocatur, & est verbum. Sed quærere lector potest, quorsum hoc ipsum Ioānes dixerit, cùm non id agere videretur, vt doceret, quid esset, sed an semper fuisset verbum. Puto rationem reddere voluisse, quare verbum apud Deum erat, quia nimirum Deus erat. Quid enim, antequam quidquam fieret à principio, apud Deum esse poterat, nisi Deus esset? Interim quasi aliud agens firmissimum fidei nostræ fundamentum posuit, Christum verum esse Deum.

2. *Hoc erat in principio apud Deum.*) Hoc verbum, quod Deum esse dixi. Nā quamuis pronomen ὅτος, *hoc* & ad *verbum* & ad *Deum* Græce referri possit, si genus, & Grammaticam spectes; tamen sententia non patitur, vt alio quàm ad verbū referatur. Quis enim esset sensus, Hic Deus erat apud Deum; aut quorsum id diceret Euangelista? Postulat etiam Hebræorum figura, qua eum vsum fuisse diximus, vt ad verbum referatur, fuerat enim vltimum superioris sententiæ, & debet huius esse primum. Et est repetitio superiorum, vt apparet, & notauit etiam Leontius; supra autem non dixerat, In principio erat Deus, sed *In principio erat verbum*; nec, Deus erat apud Deum, sed, *verbum erat apud Deum*; idem ergo hoc loco significatur. At quorsum ista nunc repetitio? Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 4. voluisse ait Ioannem Eunomianorum, & quorundam, vt supra docuimus, Arianorum errorem, quem animo prouidebat, refutare dicentium aliud fuisse verbum Dei, quod in principio apud Deum erat, aliud per quod omnia facta sunt; sed satis non video, quomodo hac repetitione error ille magis refutetur, quàm si adhibita non fuisset. Satis enim refutasset si tātùm dixisset, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; Omnia per ipsum facta sunt.* Chrysost. hom. 3. ne quia verbum *apud Deum*, id est apud Patrem fuisse dixerat, aliquis putaret Patrem seniorem fuisse Filio. Theophyl. vt doceret non fuisse vnquam Filium à Patre discordem; Hilarius, vt quod dixerat, magis, magisque confirmaret. Causæ ego redditionem, aut potius explicationem, confirmationémque esse arbitror: dixerat enim in principio fuisse verbum, & verbum fuisse apud Deum; reddiderat causam, quia *Deus erat verbum*; explicat nunc causam, atque confirmat; propterea ergo quòd verbum erat Deus, *erat in principio apud Deum*. Nam si Deus non fuisset, nec in principio, neque apud Deum esse potuisset. Itaque tota oratio, de qua hactenus disputauimus, ad hunc modum resoluenda est, vt minùs insolens Latinis auribus sit. Antequam quidquā fieret, verbum erat; sed nondum apparuerat, quia tantùm erat in sinu Patris; erat enim vnus, idémque cū Patre Deus, ideóque apud illum à principio erat.

3. *Omnia per ipsum facta sunt.*) Plerique auctores putant voluisse Ioannem his verbis Christi diuinitatem confirmare, docendo eum omnium rerum creatorem fuisse. Leōtius verò, docere voluisse verbum è numero creaturarum non esse, illud enim in principio fuisse; has verò omnes in principio non fuisse; quin per illud ipsum verbum principium accepisse. Confirmatur quidem diuinitas Christi, & si probata ante non esset, his verbis apertissimè proba-

baretur; sed àliud mihi fuisse videtur Euangelistæ consilium, scribebat historiam Christi, sequitur ordinem temporum, agit priùs de illo quā Deus, deinde quā homo est. Et de eo quidē quā Deus, primùm de eius statu antequam mundus fieret, deinde quid in ipsa mundi egerit conditione, *Omnia per ipsum facta sunt*. Quod etiam Alcuinus adnotauit. Sententia facilis est, atque perspicua, *Omnia per Filium facta esse*. Itaque rectè hom. 4. Chrysostō. obseruauit plùs vno verbo Ioannem, quàm Mosem pluribus dixisse. Nam Mosem cum longa oratione rerum cōditionem exposuisset, non misi res corporeas complexum esse, nec eas quidem singulas, sed quæ præcipuæ erant, cælum, terram, aquas, Solem, Lunam, animalia terrestria, natatilia, volatilia; de alijs quæ innumera sunt, de angelis qui corpora non habent, nullam fecisse mentionem; Ioannem vno verbo omnia omnino comprehēdisse, *Omnia per ipsum facta sunt. Quæcunque facta sunt in creaturis* (inquit August. tract. 1. in Ioannem) *omnia omnino quæ fixa in cælo sunt, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cælo, & quæ mouentur in vniuersa natura rerum, omnis omnino creatura. Dicam planius, dicam fratres vt intelligatis, ab angelo vsque ad vermiculum.* Et alio loco eiusdem tractatus, *exeat*, inquit, *mea nescio quis infidelis Arianus, & dicat, quia verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri, vt verbum Dei factum sit, quando Deus per verbum fecit omnia? Si & verbum Dei ipsum factum est, per aliquod aliud verbum factum est? Si hoc dicis quia hoc est verbum verbi per quod factum est, illud ipsum dico ego vnicum filium Dei. Si autem non dicis verbum verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia: non enim per se ipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia.* Tribus etiam modis Ariani hunc locum eludere conabantur. Primùm quidem dicebāt, vt superioribus verbis Augustinus indicat, ab omnibus quæ per verbum facta esse dicuntur verbum ipsum excipi, quòd non per se ipsum, sed per Patrem factū fuisset. Poterant exemplis scripturæ confirmare. Nam cum Christus dicit, *non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista*, vtique seipsum non comprehendit, non quòd non ex muliere, sed ex virgine, vt illic explicauimus, natus sit; sed quòd ita loqui soleamus, vt cum aliquid vniuersè de hominibus dicimus, & nos ipsos, & eos, quibuscum loquimur comprehendi nolimus. Nemo me magis amat, quàm ille, aut ille, vtique præter meipsum. Nam ego quidem me magis amo. Dixit coram Apostolis Christus, *Non inueni tantam fidem in Israel.* Quis credat Apostolos non maiorem, quàm Centurionem illum fidem habuisse? At ista vrbanitas hic non habet locū. Primùm quia iam ante Ioannes dixerat verbum non fuisse factum, sed sempiternum: *in principio erat verbum*, atque adeo verum esse Deum. Deinde quia, postquam dixit, *Omnia per ipsum facta sunt*, addidit, *Et sine ipso factum est nihil.* Nec hoc contentus verbo addidit aliud, *quod factum est*, quasi eam ipsam Arianorum exceptionem excludere voluerit, ac dicere nihil omnino, nulláque excepta re factum fuisse, quòd sine ipso factum fuerit. Secūdo loco dicebant omnia per Filium Dei facta esse, non tanquam per dominum, nó tanquam per artificem, & magistrum, sed tanquam per seruum, & discipulum, qui faciendi imitaretur Patrem, vt auctor est Arian. ser. 3. contra Arianos, & Cyril. lib. 1. in Ioann. c. 5. & lib. 5. Thesaur. c. 3. & Idacius in lib. de Trinitate contra Varimad. c. 11. Eam responsionem Cyril. in Thesauro refellit ex loco illo Genes. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; quæ verba non sunt superioris inferiori præcipientis; sed patris parem inuitantis. Atque ita ea verba intelligi debe-

re, quasi

re, quasi à Patre Filio dicta fuerint, in consilio Syrmiensi diffinitum est, c. 13. vt refert in lib. de synodis Hilarius. Præterea si homo ad imaginem simul Patris, ac Filij factus est, eadem Patris, & Filij imago est eadem ergo natura. Probat etiam duabus id Cyrillus rationibus. Altera est, Si Filius, inquit, artem aliquando creandi didicisset, posset & aliquādo eius obliuisci, quod absurdum profecto dictu sit. Altera, creare non esse artis, sed potestatis. Artem enim in subiecta aliqua materia necessariò versari; creationem materiam nō habere, qua & ipsa materia creata est. Ita eodem loco docet. & lib. 2. contra Iulian. & lib. quo testimonia colligit ad probandam Spiritus sancti diuinitatem. Deniq; Ariani respondebant ad hunc locum Euangelistam non dixisse omnia à verbo, sed per verbum facta esse. Hoc autem inter eas præpositiones duas, *a*, & *per*, esse discriminis, quòd *a* causam efficientem, *per* autem instrumētum significet. Itaque filium Dei non tanquam auctorem, & artificem; sed tanquam instrumentum creasse omnia, ideo colligi inde non posse esse Deum. Ita de Arianis scribit Athanasius lib. de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus S. & Basilius lib. de Spiritu sancto c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & Chrysostomus hom. in Ioan. 4. Theophylactus, & Euthymius hoc loco. In quo errore Origenes in commentarijs ad hunc locum manifestè deprehenditur. Nam quasi Arianorum, & Eunomianorū pater apertè dicit & præpositionem *per* nunquam principem rei, quæ fit, auctorem, sed ministrum significare, vt cum verbum Dei per prophetas factum fuisse dicitur: & Spiritum sanctum summa impietate concedit factum esse per Filium. Sed de Spiritu sancto paulò post. nunc contra Arianos de præpositione *διὰ per* disputemus. Responderunt eis auctores, quos modò citauimus, discrimen illud inter eas præpositiones nō esse perpetuum, sæpe enim *per* tribui causæ efficienti atque præcipuæ, quod innumeris exemplis probari potest Genes. 4. 1. *Possedi hominem per Deum.* Prouerb. 8. 15. *Per me reges regnant.* 1. Cor. 1. 1. *Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei.* & ver. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius Iesu Christi Domini nostri.* & 2. Cor. 1. 1. *vocatus per voluntatem Dei,* & ad Galat. 4. 47. *Si filius, & hæres per Deum.* Idem hoc loco Theodorus Mopsuest. suspectus licet auctor, & Leontius scribunt, τὰ διὰ τὸ διακονίας ὀνόμα κεῖσθαι, ἀλλὰ συναίτια, ἤγουν τὰ μετὰ τὴν ἐξουσιαστικὴν τῆς αὐτῆ φύσεως. Quod autem hoc loco præpositio *per* non instrumentum, sed verum auctorem significet, optimus auctor est, D. Paulus, qui in epistola ad Hebræos c. 1. 10. Illud Psal. 101. 26. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*, de Christo dictum affirmat, & affirmat, vt Deū esse probet, sicut nos ex hoc loco probamus. Legimus aliquando apud graues auctores phrases quasdam, quæ Arianorum errorem fouere videantur, in eas cum lector inciderit, potius in bonam partem interpretetur, quàm condemnet. Eiusmodi est, quod alicubi Clemens Alex. & Tertul. in lib. aduersus Praxeam, & Eusebius lib. 1. hist. Eccles. c. 1. dicunt Filium in rerum creatione obsecutum fuisse Patri. Quod & in synodo Syrmiensi ita fuit prorsus diffinitum, vt qui id non confiteretur, execraretur anathemate, vt in lib. de synodis recitat Hilarius. Quod cum dicunt, nihil aliud docere volunt, quàm Patrem dixisse, Faciamus nunc, & omnes tres personas æquè fecisse. Quemadmodum in hominis creatione perspicuum est, in quā Pater Filio, & Spiritui sancto dixit. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, vt illa eadem synodus interpretatur. Dixit autem non iubendo, sed consulendo, sed deliberando, sed inuitando, vt Cyrillus hoc loco docet. Si enim iubēdo dixisset, non dixisset, *Faciamus*, sed facite. Si ergo Filius non iussu, sed hortatu, & consilio Patris fecit mundum, non tanquam seruus præcepto obsequens; sed tanquam æqualis consilio æqualis credens fecit. Consilium autem, & deliberatio Patri tribuitur, non quòd Filius, & Spiritus sanctus eius consilij fuerint expertes; sed quòd Patri veluti sibi consultandi, decernendique auctoritas adscribatur. Hunc synodi esse sensum ex eo perspicuum est, quòd id non pro Arianis, sed contra Arianos definiret, vt doceret Filium verè Deum esse, qui verè creator esset. Quod si dicere voluisset Filium propriè obsecutum fuisse Patri, non probasset esse Deum, sed potius esse seruum; neque Catholicorum, sed Arianorum egisset causam. Vna hic quæstio reliqua est. Si præpositio *per* hoc loco non significat instrumentalem causam cur Euangelista non potius dixit, *Omnia* ab ipso, quàm *per ipsum facta sunt*, & omnes Arianorum cauillationes præcidisset? Sunt qui nullo certo consilio fecisse putent; eadem facilitate dicturum, ab ipso, si ea illi prius præpositio occurrisset. Nō facile mihi probauerint. Alij contra adeo de industria factum existimant, vt dixerit *per ipsum*, & non ab ipso, vt nimis mihi ad Arianorum errorem inclinare videantur. Dicunt voluisse ea præpositione indicare Ioannem Patrem per Filium tanquam per verbum suum fecisse omnia; itaque nō docere Filium omnia fecisse, sed esse Verbum illud quo Pater *dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt.* Nolim equidem ita loqui. Alij causam hanc afferunt quòd Verbum quasi idea sit Patris, & forma atq; exemplar, quo fecerit mundum. & præpositio *per* formam aliquando significet, vt cum ignem dicimus per calorem calefacere, architectum per artem fabricare, quo sensu viderur etiam Cyrillus interpretari omnia per Filium facta esse, quia Patris sapientia est. Simplicem, facilémque rationem esse arbitror, ideo dixisse *per*, quia de verbo loquebatur, cui nomini melius *per*, quàm *à* præpositio cōueniebat. Si enim vocasset filium, dixisset fortasse; Omnia ab ipso facta sunt, sed quia verbum appellauerat, aptiùs dixit *per ipsum*. & nulla imminutione sententiæ. Nihil est satis cautum, nihil satis munitum hæreticis. Hoc etiam loco Macedoniani abutebantur, vt Spiritum sanctum creaturam esse probarent, cui errori Origenem affinem fuisse supra docuimus. Auctores sunt Epiphan. in Ancorato, & Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 2. & Theodoritus in historia eccles. fiast. & in commentar. in c. 6. 1. epist. ad Tim. & Gregor. Nazianz. in orat. de Spiritu sancto, & Elias Creten. eodem loco. Idémq; Cyrillus, Chrysostomus, & Theophylactus indicant, argumentari enim solitos Macedonianos, si omnia per Filium facta fuerant, & Spiritum sanctum per ipsum factum fuisse. Hic error sequentibus proximè verbis; *& sine ipso factum est nihil, quod factum est*, vt Chrysostomus, & Theophylactus obseruarunt, refutatur. Omnia enim per ipsum facta sunt, quæ facta sunt. Itaque probare prius oportebat Spiritum sanctum factum esse, quàm probarent per Filium factum esse, vt Gregor. Nazianz. illis respondet. Nam si quidquid omnino præter Filium est, per ipsum factum est, & Pater per ipsum factus fuerit. Quemadmodum igitur ex hoc loco non sequitur Patrem per Filium factum fuisse, ita Spiritum sanctum factum fuisse non sequitur.

In Ioan lib. 1 c. 5.

Psal. 148. 5.

Macedoniani hoc loco in Spiritum sanctum abusi.

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.) Maior hīc est de lectione quæstio, quàm de sententia. Quo magis eos miror qui de varijs lectionibus libros in-

tegros

Universidad de Deusto
Biblioteca

tegros ediderunt, tam parum diligentiæ in hunc locum adhibuisse. Tres apud graues auctores lectiones inuenio. Prima est, quam quotidiano sequimur vsu, vt post illud, *nihil*, sententia puncto claudatur: deinde sequatur alia, *quod factum est, in ipso vita erat*. Quæ lectio Augustino in primis, deinde Latinis omnibus solet tribui. Ac D. quidem Augustino non immeritò; ita enim vbique legit, omnibus non satis meritò; multi enim Latini, vt paulò post dicemus, aliter legunt, legit quidem cum Augustino Beda, & eo multo antiquior interpres Irenæi lib. 3. cap. 8. & 11. & lib. 5. cap. 18. & Tertull. lib. contra Hermogen. & Marius Victorinus lib. 1. & 3. aduersus Arium, & Gaudentius tract. 8. in Exod. & vt videtur, Cyprian. lib. 2. contra Iudæos, & inter Græcos Origen. & Cyrill. in commentar. huius loci, & Clemens Alexand. in Pædag. cap. 6. & cap. 9. & lib. 6. Stromat. Quam lectionem Ambros. lib. 3. de fide, cap. 3. Chrysostomus hom. 4. Epiphanius in Ancorato, Theophylactus, & Euthymius hæreticis tribuunt, nempe Eunomianis, & Macedonianis, cum ipse eam sequatur lib. 1. Hexame. c. 4. & Psal. 36. Atque inde ego istam, quam nunc habemus lectionum varietatem natam esse arbitror, quòd cum illustrissimo loco hæretici premerentur, varijs, vt solent, lectionibus, varijs interpretationibus corrumpere conarentur. Alij legebant ita vt vsque ad pronomen, *ipse*, punctum non ponerent, hoc modo, *Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso*. Deinde noua inchoata sententia legebant, *Vita erat, & vita erat lux hominum*: quemadmodum Epiphanius legendum esse contendit; eodémque modo legisse videtur Hilar. 2. de Trinit. Atque eam lectionem Ambros. lib. 3. de fide, c. 3. & Augustinus lib. 5. de Genes. ad litter. c. 14. Manichæis tribuunt. Sed quæ illis lectio maximè placuit, ea mihi maximè displicet; quem enim habebit sensum, *sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso*, id est per ipsum? sic enim necessariò erat interpretandum. Quæ absurda profecto ταυτολογία est: ecquis enim dubitare poterat, quin nihil eorum, quę per ipsum facta fuerant, sine ipso factum fuisset? Media solent esse meliora; itaque mediam maximè lectionem probo, vt post illud, *quod factum est*, sententia finiatur, deinde inchoetur noua, *In ipso vita erat*. Quemadmodum Græci fere omnes legunt, Chrysostomus, Theophylact. Nonnus poëta, Theodorus Mopsuest. Leontius, Euthymius, Elias Cretens. in comment. in orat. Gregor. Nazianze. de Spiritu sancto, & ex Latinis Ambros. lib. 3. de fide, c. 3. & Hieronymus in commentar. in Isai. c. 11. & 44. quam Ambr. in enarrat. Psal. 36. Ægyptiorum, & Alexandrinorum lectionem vocat. Hanc inquam ego lectionem magis probo, & quia sensum meliorem, & faciliorem habet; & quia aliæ vix mihi videntur satis conuenientem, & tolerabilem habere posse. Nam illa quidem D. Augustini, quæ post hāc iudice etiam Ambrosio probabilissima est, ægrè, vt post apparebit, interpretationem admittit. Nec eam tam multi Latini, quam videntur, secuti sunt. Non enim quia hæc tantùm verba citare solent, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, continuò putādum est ibi eos punctum finitæ sententiæ posuisse; sed ea tantùm protulisse verba, quæ ad probandū id, quod agebant, satis erant; quod nos etiam sæpe facere solemus. Certum indicium, quòd Ambrosius qui lib. 3. de fide, cap. 3. *Sine ipso factum est nihil, quod factum est*, legendum esse affirmat, aliquando non nisi hæc legat verba, *Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil*, vt serm. 20. in Psal. 118. Et quod magis mirum est Hilarius, qui vt diximus legendum esse dicit, *sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso*, sæpe lib. eodem de Trinit. 2. non nisi hæc verba citat, *omnia per ipsum facta sunt*. Aliquando hæc sola, *sine ipso factum est nihil*. Nunc quærenda sententia ea constituta lectione facilis est. *Omnia per ipsum facta esse*, nihilque omnino esse, eorum quæ facta sunt, quod sine ipso, id est non per ipsum factum sit: vt Ambrosius lib. 3. de fide, cap. 3. & Hieronym. in comment. in 2. Michææ, & Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, Theodorus Mopsuest. & Euthym. exponunt. Verba hic Theodori Mopsuest. iuuat ponere, quia cum in quinta Constantinopolitana synodo tāquam malè de Christi sentiens diuinitate damnatus sit, mirum quam Catholicè hoc loco eadem de re sentiat: διὸ καὶ τρὶς τόγε καλῶς ἔχον ἐπαναλῆψαι τῷ λόγῳ δεῖ, vt ille apud Platonem Socrates dixit. Adde Hebræorum esse morem, vt quod semel per affirmationem dixerint, iterum per negationem dicant, Isai. 39. 4. *Omnia, quæ sunt in domo meā viderunt: non fuit res quam non ostenderim eis*, Item. 42. 4. *Omne verbum quodcunque responderit mihi indicabo vobis, nec celabo vos quicquam*. Atque hæc fortasse causa fuit, cur Ioannes non dixit οὐδὲ ἕν, sed οὐδὲ ἕν, vt modò dicebamus, quia οὐδὲ ἕν magis Hebraicæ respondet phrasi.

Quæ lectio maximè probanda.

Infr. cap. 3. 17.

Infr. cap. 5. 24.

Infr. cap. 8. 51.

Infr. cap. 11. 25.

Infr. cap. 14. 6.

Infr. cap. 17. 3.

Infr. cap. 20. 31.

Act. 3. 15.

Act. 5. 20.

Act. 13. 26.

Act. 26. 18.

Rom. 6. 23.

1. Ioan. 1. 1.

1. Ioan. 5. 11.

Apoc. 2. 7.

Apoc. 22. 14.

4. In ipso vita erat.) Varietas illa lectionum de qua superiore versu disputauimus varias etiam huius loci interpretationes peperit. Qui legebant, *quod factum est in ipso, vita erat*, distinctiuncula post, *ipso*, adhibita non eodem modo intelligebant. Manichęi quidem exponebant, *quod factum est in ipso*, id est per ipsum, *vita erat*, id est viuebat, quasi aliquid esset quod vita cateret, quod factum quidem fuisset, sed non per ipsum factum esset, vt indicat August. libr. 5. de Gen. ad litter. c. 14. & de ortis verbis scribit Ambros. lib. 3. de fide, cap. 3. *Obiicunt*, inquit, *Manichæi, si quod in ipso factum est vita est, est ergo aliquid quod in ipso factū non sit, & mors sit, vt duo impie inducant principia.* Hilarius verò si bene difficilem auctorem intelligo lib. 2. de Trinit. videtur exponere, *quod factum est in ipso*: id est Verbum ipsum, quod per se extitit, nec ab alio factum est, vita erat, viuens non mortuus natus est. Eunomiani, & Macedoniani, vt supra ex Ambrosio, Greg. Nazianz. Theodor. Chrysost. & alijs auctoribus ostendimus, exponebant, *quod factum est in ipso*, id est Spiritus sanctus, qui per ipsum factus est, *vita erat*. Ita ad suum quisque errorem ingeniosè verba torquebat. Qui verò legebant *quod factum est*, deinde posita virgula, *in ipso vita erat*, diuersis etiam rationibus explicabant. Alij, *quod factū est, in ipso vita erat*, tanquam diceret in eo quod factum est, vita erat. Ita Cyrill. Quod & coactum videtur esse, & ad Manichæorum alludere sententiam, qui & omnia, quę viderimus, viuere dicebant, & aliquid esse præter ea, quod non viueret, quòd à Verbo non esset factum. Alij, *quod factum est, in ipso vita erat*, id est non quidem in se, sed in ipso Verbo vitam habebat. Vt pronomen *ipso* non ad, *quod factum est*, sed ad *Verbum* referatur, de quo dictū fuerat, *omnia per ipsum facta sunt*. Quod ita explicant, res omnes antequam fierēt, nō in se, sed in Deo fuisse, sicut domus, antequam ædificetur, non in se, sed in mente artificis est, & quia quidquid in Deo est, Deus, & vita est, ideo res omnes in Deo vitā fuisse. Sic Augustinus interpretatur lib. 5. de Genes. ad litter. cap. 14. & tract. in Ioan. 1. & Beda, Rupertus, & alij posteriores auctores exposuit. Sed quia aliam magis lectionē approbauimus, ita nouæ huic sententiæ sumatur initium, *in ipso vita erat*, alius sensus ad eam accommodatus quærendus est. Hactenus certus est sensus, significari his verbis in ipso, id est in Verbo vitam fuisse, sed quomodo vita in illo fuisse dicatur, id quæritur. Quidā sic intelligunt, vt idem sit *in ipso vita erat*, & ipsum vita erat: *Vnus est enim sermo Dei*, vt Ambros. in enarrat. Psal. 36. Id quidem verum est. Nam Verbum de seipso postea dicit, *Ego sum via, veritas, & vita*; sed quominus credam hoc Ioannem dicere voluisse multa me mouent. Primùm quòd id erat dictum superuacaneum, cùm proximis dixisset verbis, Verbū illud fuisse Deum, cui enim dubium esse poterat vitam, id est viuum esse, si Deus erat? Deinde quòd de vita, sicut & de luce hominū loqui videatur, *Et vita*, inquit, *erat lux hominum*. Præterea quòd vix mihi persuadere possim dicturum fuisse Ioannem, *in ipso vita erat*, si tantùm dicere voluisset vitam habuisse, aut fuisse viuū. Dixisset enim rectè, ipsum vita erat. Quibus etiam adductus rationibus Chrysostomi, Cyrilli, Theophylacti, Euthymij interpretationem non probo, qui hoc de omnium rerum conseruatione intelligendum esse putant, quasi vitam Ioannes appellet vigorem illum, quem verbum rebus omnibus imprimit, dum eas conseruat, atque gubernat. *Portat* enim *omnia verbo virtutis suæ, &, in ipso viuimus, & mouemur, & sumus*, &, *Pater*, inquit, *vsque modo operatur, & ego operor*. Proprię enim de hominibus loquitur; *Et vita erat lux hominum*. Eademque ratione alijs recentioribus interpretibus non assentior vitā naturalem, quam res animatæ viuunt intelligentibus, quasi dicat Euangelista; Omnia quæ viuunt, ex Verbo illo per quod omnia facta sunt, vitam hauriunt. Quorsum enim id dixisset? Egerat, inquiunt, de primo rerum genere, quæ esse sine vita habent; agit nunc de viuentibus. Post de homine, qui præter essentiam, & vitam, etiam rationem habet. Probabilis coniectura, si Aristotelem interpretaremur; nunc autem Ioannem Euangelistam, & piscatorem interpretamur non Aristotelico, sed diuino spiritu loquentem. Verum ego sensum esse arbitror, vt de vita spirituali hominum loquatur Ioannes. Egerat enim de verbo ipso per se, vbi fuisset, & quid esset. Agit nunc de eius ad nos aduentu, &, vt ita dicam, profectione, deque eius causis; cur non semper mānisset apud Deum, quando meliore conditione, ac loco esse non posset; docet propterea venisse, vt vitam, & lucem hominibus afferret, quæ in illo erat solo. Postea agit de eius ad nos peruentione, *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Hoc ex adiunctis manifestum est, vt modò dicebamus; agit enim de homine solo, *& vita erat lux hominū*. Itaque significat Ioannes Filium Dei profectum quodammodo fuisse à sinu Patris, &, vt loquitur D. Paulus, exinanisse se se, vt vitam nobis afferret, quæ in ipso erat. Quod ex altero eiusdem Ioannis loco melius intelligemus 1. epist. c. 1. 2. *Annuntiamus vobis vitam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Hoc est quod tam sæpe Christus indicat præsertim apud Ioannem, qui vitæ vocabulo videtur delectatus, ideóque multa de vita nobis per Christum allata ab alijs Euangelistis prætermissa commemorasse. *Sic Deus dilexit mundū, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, c. 3. 16. & *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. cap. 4. 14. &, *Qui verbum meum audit, & credit in eum, qui misit me habet vitam æternam*, quia *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. cap. 5. 24. 26. & *non vultis venire ad ad, vt vitam habeatis* versu 40. Et *ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*. capit. 10. 10. & *ego sum via, & veritas, & vita*. capit. 14. 6. & *Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*, capite 17. 2. & alia sexcenta quæ breuitatis causa prætermittimus. Hoc etiam est, quod ait Diuus Paulus ad Colossens. 3. 4. *Cum Christus apparuerit vita vestra*. Et quod Lucas Actor. 3. 15. Christum vocat *auctorem vitæ*. Sed optimus sui inter-

Ad Philippens. 2. 7.

Vers. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pres est Ioannes in 1.epistola c.5.11.12. *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius. Qui habet filium habet vitam.* Audis, ab eodem ore alijs verbis, *In ipso vita erat?* Hanc interpretationem & Chrysost. & Theophylact. indicarunt. Ammonius verò Presbyter, & Theodorus Mops, etiam secuti sunt, vt in Græcorum Catena reperi lætus meam ab eis sententiam approbari. Et que hinc intelligitur, quod quidam quærunt, & nos supra obiter attigimus, cur Ioannes non dixerit ipsum vita erat, sed *in ipso vita erat?* Nempe non agebat de ipsius vita; sed de nostra, quæ in ipso erat. Erat quidem verbum ipsum vita nostra, sicut alio loco Ioannes indicat, *Annuntiamus vobis vitam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*, & Diuus Paulus, *Quem Christus apparuerit vita vestra.* Sed quia de illa ipsa vita Ioannes, non quatenus verbi, sed quatenus nostra erat loquebatur, aptiùs dixit *In ipso vita erat*, quàm si dixisset, ipsum vita erat. Quorundam tamen obseruatio, priori loco nomen ζωῆς vitæ articulum non habere; posteriori autem habere, cum dicit, *Et vita erat lux hominum*, quòd ptiore loco de nostra, posteriore de ipsius verbi vita loquatur Euangelista, vera esse non potest, cùm ipsa repetitio manifestè declaret de ea ipsa vita, de qua dictum erat, *In ipso vita erat*, dici statim, *& vita erat lux hominum.* Nec video quid inter hanc, & illam Arianotum obseruationem differat, de qua versu 1. mentionem fecimus, cùm dicitur, *& Deus erat verbum*, verbum non verè vocari Deum, quòd nomen Dei articulum non haberet, cùm in membro præcedenti habuisset. Nam vt illic de eodem Deo, ita hic de eadem vita agi ex eiusdem verbi repetitione, & orationis gradatione perspicuum est.

1. Epist. 1. 2. Col. 3. 4.

Et vita erat lux hominum.) Hoc omnes propemodum auctores de luce hominum naturali, id est de mente, atque ratione, quæ quia nobis quid agendum, quid fugiendum sit ostendit, lux, aut lumen dicitur, interpretantur Chrysostom. homil. 4. Cyrill. cap. 5. Theophylact. & Rupertus. Sed quemadmodum diximus vitam hoc loco non naturalem, qua mundo, sed spiritualem, qua Deo viuimus, intelligi oportere, ita non dubito, quin non naturalis, sed spiritualis lux intelligenda sit, qua sapimus, & percipimus *ea, quæ sunt spiritus Dei.* Nam illam quidem naturalem iam acceperamus, cùm *omnia per ipsum facta sunt*: hanc postea accepimus, cum *verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Docet enim Ioannes quomodo *in ipso vita erat*, id est qua ratione vitam nobis contulit, nempe illuminando *omnem hominem venientem in hunc mundum*, quia *vita erat lux hominum.* Hunc esse sensum & ex ijs, quæ sequuntur, & ex frequenti scripturæ consuetudine manifestum est. Addit vers. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Non ergo de naturali loquitur luce, quam omnes homines; sed de spirituali, quam pauci comprehenderunt. Addit vers. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vbi dubium non est, & de eadem luce, & de spirituali agi. Scribit idem Ioan. cap. 3. 19. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, haud dubiè de spirituali luce, sicut de spiritualibus tenebris agit. Dicit Christus, cap. 8. 12. *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et lucem, & tenebras manifestum est spiritualiter accipi. Dicit cap. 9. 5. *quandiu sum in mundo, lux sum mundi*, & c. 12. 35. 36. *Ambulate dum lucem habetis: & dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.* Consentiunt prophetiæ Isai. cap. 49. 6. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*, & cap. 9. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis:* quod de Christo, eiusque prædicatione cap. 4. 16. Matthæus interpretatur. Vbique lux pro spirituali hominum illustratione ponitur. Ac nescio an vllum ex scripturis sacris exemplum proferri possit, vbi lux, aut lumen rationem significet naturalem. Nam illud quod vnum vulgo in eam sententiam adduci solet, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, longè aliud habet sensum. Contra verò, tenebræ, quæ lici Christi opponuntur, perpetuò pro morum prauitate, & vitæ erroribus accipiuntur, à quibus nos Christus reuocauit. Et ramus enim, cùm in tenebris ambulamus. *Abijciamus*, inquit D. Paulus Roman. 13. 12. *opera tenebrarum*, *& induamur arma lucis.* Et *quæ societas lucis ad tenebras?* 2. Corinth. 6. 14. & *erant aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, Ephes. 5. 8. & quod simillimum huic loco est, de quo disserimus, ait Ioannes 1. epistola c. 1. 5. 6. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ: si dixerimus, quoniam societatem habemus cum illo, & in tenebris ambulamus, mentimur.* & cap. 2. 9. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.* Neque nostra propriè interpretatio est, sed ni fallor Augustini tract. in Ioann. 1. & Bedæ, & Euthymij in commentarijs. Quare genitiuum illum *hominum* passiuè accipio, *Erat lux hominum*, id est qua homines illuminantur. Ex his, quæ dicta sunt, multæ explicari quæstiones possunt. Prima est illa, quam Augustinus, & Beda indicarunt. Cur non dixerit Euangelista, vita erat lux omnium rerum, sed *erat lux hominum.* Cuius rei ratio non illa mihi videtur esse, quam ijdem illi auctores reddunt, quòd in solis hominibus sit ratio capax lucis: nam & in angelis est; itaque ista quidem ratione hominum simul, & angelorum lucem appellasset, sed quòd de Filij Dei ageret aduentu, qui non aliarum rerum, non angelorum, sed hominum causa venit; eaque explicaret dona, quæ ipsis veniens attulisset, vitam nimirum, & lucem. Altera est quam Chrysost. & Theophyl. excitant, quamobrem Euangelista non dixerit, ita erat Lux Iudæorum, sed *lux hominum.* Facilis solutio, quam & illi adhibent, quia non Iudæorum tantùm, sed omnium omnino hominum causa venerat: sicut paulò post vniuersè dixit, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Eademque ratione ad illam alteram respondere possumus, quam quidam inferūt, quare non dixerit, vita erat lux angelorum. Nec inihi Origenis, & aliorum quorundam auctorum opinio probari potest; qui putant hoc loco angelos non excludi, sed eorum etiam lucem esse verbum; est enimuerò Filius Dei etiam angelorum lux, sed id meo quidem iudicio Ioannes hoc loco non significauit; nec enim id agebat: Duplex mihi quæstio & difficilior, & magis ad intellectum huius loci necessaria videtur esse ab interpretibus prætermissa: altera, quorsum Ioannes dixerit, *Et vita erat lux hominum*; quid enim vitæ cum luce? aut quomodo vita, & lucis verba cohærent? Solet scriptura vitam lucem, mortem tenebras appellare, quia dum viuimus lucem cernimus; mortui lucem non videmus, sed vt scriptura loquitur, habitamus *in tenebris, & vmbra mortis.* Ea metaphora, quæ à corporali luce ad corporalem vitam significandam sumpta fuerat, ad spiritualem lucem, ac tenebras translata est. Voluit ergo docere Ioannes, qua in re vita illa consisteret, quam in verbo esse dixerat; nempe in luce, id est in hominum illuminatione, propterea addidit, *Et vita erat lux hominum.* Itaque si articulus Græcus additus nomini ζωῆς vitæ non repugnaret,

non

1. Corint. 2. 14.

non dubitarem dicere lucem esse subiectum, vitam prædicatum, vt esset sensus, lux hominum illuminatio erat ipsorum vita; sed verba Euangelistam transposuisse, vt gradationem illam, qua vti cœperat, retineret. Cæterùm sententiæ nihil interest. Altero quorsum hoc ipsum Ioannes dicat, cùm nondum dixerit, *Et verbum caro factum est?* Quo etiam consilio de beneficijs disserit, quæ verbum in homines contulit; & quo modo ea homines recipere noluerint, cum de ipso per se agat verbo, antequam caro fieret, & lux hominum esset? Credo ego occasione abreptum Ioannem longa anticipatione vsum esse. Volebat, vt supra indicauimus causam exponere, quamobrem caro factum esset, quod in illo Pater vitam, lucemque hominum constituisset; itaque nisi caro factum esset, nemo hominum viuere, nemo diuinam illam lucem, quam nobis attulit, recipere potuisset. Hac occasione anticipata paululum oratione docere cœpit, quàm proterui, & ingrati erga illum, qui hanc ipsam illis lucem afferebat, homines fuissent. Pertinebat etiam hæc anticipatio ad confirmandum id, quod agebat. Potuit enim aliquis obijcere non fuisse verbum natura sua vitam, & lucem, quandoquidem multi post eius aduentum homines in tenebris adhuc, & morte mansissent. Anteuertit obiectionem Euangelista id non verbi, sed hominum culpa factum esse, qui vitam, lucemque oblatam sibi recipere noluerunt. Tanquam dicat, etsi multi adueniente verbo non reuixerunt, etsi multi illuminati non sunt, tamen *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.*

A

B

C

5. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eā non cōprehenderunt.*) Minùs meo iudicio difficilis hic locus esset, si nemo eum exposuisset. Nam per se facilem varietas interpretum difficilē reddidit. Omnis fere quæstio in duobus versatur verbis, quid lux; quid tenebræ. Inde enim facilè intelligetur, quomodo lux in tenebris luceat, & quomodo lucem tenebræ non comprehenderint. Quidam lucem Christum, tenebras Diabolum, & eius ministros Christi persecutores intellexerūt. Nam & Christus paulò ante lux appellatus fuerat, & passim se ipse mundi lucem vocat; Diabolum verò D. Paulus *rectorem tenebrarum* Ephes. 6. 12. Solent etiā persecutiones, afflictionesque vocari tenebræ; *Rursus*, inquit, *post tenebras spero lucem.* Iob 17. 12. & *ecce tribulatio, & tenebræ*, Isai. 8. 22. sensum igitur esse, Christum in ipsis tenebris interipsas quodammodo Diaboli, & hostium suorū manus magis eluxisse, magis eius emicuisse virtutem; nec ab illis comprehendi, id est vinci potuisse. *Venit*, inquit, *princeps mūdi huius, & in me nō habet quicquam: & confidite ego vici mundum.* Quo sensu interpretātur Greg. Nazianz. orat. 4. de Theolog. & Elias Cretens. in eius comment. & Orig. tom. in Ioan. 4. Chrysost. & Theophyl. Alij lucem Christum, tenebras animā & naturam nostram, quæ quantuncumque illuminetur, quantumuis in illa Christus luceat, tamen comprehendere non possit, sed semper eius comparatione tenebræ maneat; sic Tatian. in orat. contra Græcos, Orig. hom. 9. in Ezech. & Cyril. hoc loco & vt videtur, Ammonius, quemadmodū auctor Græcæ Catenæ citat. Alij lucem verbum ipsum, tenebras carnem: lucem ergo, id est diuinitatem in carne luxisse, nec eam tenebras carnis cōprehēdere, id est obscurare potuisse, quam interpretationem Theophyl. refert, videturque olere Origenis ingenium. Alij lucē diuinitatem, tenebras tes vniuersas, in quibus luxerit, nec tamen eum comprehendere, id est inquinare potuerint, sicut sol non coinquinatur, dū etiam in sordidis locis lucet. In quam sententiam

D

E

Fulgentius lib. 1. ad Thrasim. hoc vtitur testimonio. Alij lucem Christum, tenebras verò peccata, quæ illum non potuerunt comprehendere, quia *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, 1. Pet. 2. 22. vt Maximus hom. 2. de Pascha, & hom. 3. de Pentecoste. Alij lucem Christi diuinitatem, quæ cum in rebus omnibus eluceret, posseque ex illis, vt ait D. Paulus, Rom. 1. 19. 20. & Sapiēs Sap. 13. 5. facile cognosci, tamen eam homines, qui tenebræ erant, non cognouisse. Ita Leontius. Alij lucem doctrinā Christi, aut eius incarnationis mysterium, quæ eū natura sua in tenebris luceat, vt ait Dauid, *lucerna pedibus meis verbum tuū*, tamen tenebræ mentis nostræ omnino comprehendere non possunt, quia, vt idē Dauid ait Psal. 138. 6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eā.* Legi hāc interpretationem apud Lanfrancum in disputatione aduersus Berengariū, eoque sensu Leo hūc locum citat serm. de passion. Domini 18. refertque, & non improbat D. Thomas. Hæc omnia probabilia vel soli auctores faciunt. Illud verò nō probabile, sed ridiculum profecto est, quòd apud subtilē quendā interpretem inuenio, lucē res diuinas, tenebras res sensibiles esse, in quibus lux quidem diuina lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt, quia non possunt sensitiuæ potentię cognitionem rerum intelligibilium attingere. Apagelis à sanctissimis adytis scripturarum istā subtilitatem. Interpretis honori parco, lectorem tamen admoneo, ne istis delectetur argutijs. Nihil futilius, nihil minùs dignum esse sacrarum litterarum maiestate, quàm in ijs exponendis imprudēter abuti ingenij subtilitate. Facilis sensus, quam August. Beda, Rupertus, Euthym. Bernard. lib. 5. de consider. at. tigerunt. Lucem vocat Christum, eiusque doctrinam, de qua proximis verbis dixerat, *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Tenebras homines, qui in peccatis, id est in tenebris erant, sicut D. Paulus ait, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, Ephes. 5. 8. Docet igitur Euangelista, quid Christus fecerit, quidque potuerit, ac voluerit; & quid homines facere noluerint. Christus natura sua lux erat, bonitate verò sua omnes prorsus homines volebat illuminare; homines autem malitia sua oblatam ab eo lucem recipere noluerunt. Hoc est, *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Hunc esse verum sensum ex sequentibus apparet. Quod enim hic dixit *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*: dicit vers. 10. & 11. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperūt*, & c. 3. 19. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucē.* Vnde intelligi potest, quòd facile animo lectoris occurrit, quomodo dicat, *Lux in tenebris lucet.* Si enim lux in tenebris est, vtique nō lucet; & si lucet, vtiq; non est in tenebris. Sic enim dictum est, *Lux in tenebris lucet*, quomodo si diceret lux tenebras illuminat, eas dissipās, atque dispellēs. Altera quoq; soluitur quæstio, quomodo si lux in tenebris luxit, *tenebræ eā nō cōprehenderunt?* Si enim in tenebris luxit, tenebras illuminauit; si illuminauit tenebras, tenebræ eā cōprehenderunt. Quid enim est cōprehendere, quēadmodū diximus, nisi illuminari, lucemq; recipere? Nō dicit Ioānes, *Lux in tenebris* luxit sed *lucet*, id est lucē natura sua aptā esse, vt tenebras illuminet; omnem enim lucem in tenebris lucere solere. Itaque lucem hoc loco generaliter non solùm pro Christo, sed pro omni omnino luce accipi posse puto, vt hypothesis ad thesim reuocetur, sensusque sit plenior, ac firmior. Quasi à genere ad speciem, & à minori ad maius tacitè argumentetur, ac di-

Psal. 118. 105.

Nimia subtilitas in scriptura locum nō habet.

cat: Cùm lux omnis natura sua in tenebris lucere soleat, eámque tenebræ facilè admittant, & comprehendant; ramen homines, qui erant tenebræ: Christũ, qui multo verior, atque efficacior erat lux, admittere, & comprehendere noluerunt.

6. Fuit homo missus à Deo, cui nomẽ erat Ioannes.) Nemo lector attentus non statim dubitat, qua ratione Euangelista de Ioãne nunc agat. Maior pars auctorum putant, cùm de verbi diuinitate Euangelista dixisset, deque eius aduentu in carnem paulo post dicturus esset, de eius priùs præcursore Ioanne agere voluisse. Sic Chrysost. Augustt. Theophyl. & vt videtur, Euthym. Cyrillus verò tanquam testem eorum, quæ dicta essent, citari Ioannem putat, propterea dici, *Hic venit in testimonium.* Si vtramque rationem coniungas, erit singulis probabilior. Nam quia Ioãnes sex ante Christum menses natus est, & aliquanto priusquam ille baptizare, atque docere cœpit; antequam de Christi aduentu, & natiuitate agat, de Ioanne agit. Quemadmodum Lucas nisi quòd multo copiosiùs, antequam de Christo dicere aggrederetur, de Ioanne dixit c. 1. vt Euthym. adnotauit. Et ex vtriusque comparatione confirmat, quod dictum erat, in verbo vitam, & veram hominum lucem fuisse. *Non erat,* inquit, *ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Probat Christum solem fuisse, quia ante Ioannem luciferum habuit. Quòd dicit *Erat*, omnes quos legerim interpretes ad prædicationem referunt, quasi tunc missus dicatur, cùm prædicare cœpit. Sed vberior mihi videtur, & veritati magis congruens fore sententia, si ad primam eius conceptionem referatur. Missus enim à Deo Ioannes est, cùm primum est in vtero conceptus. Propterea enim supra naturæ modum parentibus à Deo datus fuit, *vt testimonium perhiberet de lumine*, vt angelus apud Lucam docet capit. 1. 14. 15. 16. Itaque qui hoc loco quod Græcè dicitur, ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, verterit extitit homo quidam missus à Deo, rectè mea quidem sententia sensum expresserit. Non enim significant Græca verba missum à Deo fuisse, sed extitisse, aut natum fuisse hominem non casu, non naturali propagatione, vt cæteros homines, sed datum, missumque diuinitus. Quemadmodum si Latinè dicas, natus *est homo missus à Deo.* Si enim dicere voluisset missum tantùm fuisse à Deo, non dixisset ἐγένετο, sed ἦν ἀνθρωπος ἀπεσταλμένος. Rectèque Cyrillus adnotauit Euangelistam de Christo dixisse ἦν *erat*; *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*: de Ioanne autem dixisse ἐγένετο extitit, factus est, si Latinus pateretur sermo. Eadem ratione hominem appellauit, quasi verbo illum, de quo locutus fuerat, opponens, qui antequam caro fieret, non homo, sed Deus erat. Missum autem à Deo fuisse dicit, quòd plus ponderis haberet eius, de quo statim dicturus erat, testimonium. Nomen expressit, & quia id ad fidem scribentis historiam pertinebat, & quia illud ipsum nomen testem commẽdabat, tum quòd diuinitus per angelum datum esset. Lucæ 1. 13. vt Cyrill. obseruauit; tum quòd sono ipso. & significatione fastum haberetur, quia vt apud Lucam diximus, gratiosum hominem significare creditur, vt adnotat Alcuinus.

7. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.) Incipit personam Ioannis comparatione aliorum hominum extollere, comparatione verbi deprimere. Maior alijs, quia missus erat à Deo, quia ad præclarissimum officium filij Dei demonstrandi, & in mundum quodam modo introducendi. Hoc est, *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Minor Christo hoc ipso, quòd propter Christum veniebat; vt illi tanquam præco ministraret. Hoc est, *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine*, quod alijs verbis Luc. 1. 17. angelus dit, *Ipse præcedet ante eum in spiritu, & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Quæstionem hic Chrysostomus commouet, quomodo Ioannes in testimonium venerit, cum Christus dicat Ioan. 5. 34. *Ego non ab homine testimonium accipio.* Respondet non ideo in testimonium venisse, quòd Christus; sed quòd homines, vt Christo crederent, eius indigerent testimonio. Propterea statim addidisse, vt & Theophyl. & Euthym. obseruant, *Vt omnes crederent per illum.* Citat Euangelista Iudæis grauissimum, & gratiosissimum apud eos testem. Nam & Iudæus erat, & patre matreq; nobilissimus, vtroque parente ex sacerdotali genere originem habẽte & sanctitate vitæ erat celeberrimus, tantusq; propheta habebatur, vt Messias esse crederetur ver. 20. Hunc illis testem adducit. Huic si non credant, cui credant? Itaque Christus etiam ex eius alibi testimonio argumentatur, Ioannis 5. 33. 34. *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati; ego autem non ab homine testimonium accipio.* Nempe etsi Ioãnes homo erat, tamen quia testis à Deo missus fuerat, eius testimonium non humanum, sed diuinum erat.

Vt omnes crederent per illum.) Græcè πάντες, ambiguum est, nam si genus tantùm, & Grammaticæ legum spectes, & ad Ioannẽ, & ad lumen referri potest. Itaque quidam ad lumen referunt hac adducti ratione, quòd Ioannes non venerit, vt omnes, sed vt soli Iudæi, quibus prædicaturus erat, per eum crederent. Nec iudicium, nec rationem probo. Nam & iudicium est singulare omnibus bonis auctoribus repugnantibus, & si ad lumen referretur, non diceret, *Vt omnes crederent per illum*, sed vt omnes in illum crederent. Et ratio illa, quæ illos mouit interpretes, illud etiam efficeret, vt nec ad lumen, id est ad Christum referretur; nam nec per Christum omnes crediderunt; nec alijs Christus, quàm Iudæis prædicauit; quia non venerat *nisi ad oues, quæ perierant domus Israel.* Declarat ergo Euangelista quod proximo dixerat verbo Ioannem in testimonium venisse, docetque quid suo illo testimonio efficere voluerit; nempe vt omnes per illum, id est illius testimonio. atque prædicatione crederent in Christum. Sic Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Euthym. At non omnes per Ioannem crediderunt. Nec per Christum. Sed quemadmodum voluntas Christi erat, vt omnes omnino homines crederẽt, cùm multi sua culpa credere noluerint: sic volebat Ioannes, vt omnes suo testimonio in Christum crederent, quamuis non omnes crediderint. Nec enim dixit, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata* Iudæorum, sed *peccata mundi*, vt Theophylactus, & Euthym. respondent. Cur ergo solis Iudæis prædicauit? Eadem ratione qua Christus, qua Euangelium, & Messias non gentibus, sed Iudæis promissus fuerat; per quos aliæ gentes erant credituræ, *Salus* enim *ex Iudæis.* Ideoque nec Christus, nec eius præco Ioannes extra Iudæam prædicauit, nec ex alia gente quam Iudæorum Apostolos elegit. Sed de hac re copiosius Matth. 10. 4. & 15. 24. diximus.

8. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.) Intelligendum est ἦν ἐκεῖνος, venit verbum, vt plena sit oratio, & absoluta sententia. Quia venisse Ioannem dixerat, *vt testimonium perhiberet de lumine*, qui lumẽ ipse fuisse videbatur: ratione dicti reddit, non fuisse ipsum lucem, sed ideo venisse, *vt testimonium perhiberet de lumine.* Non solem, sed luciferum fuisse, qui solem post se oriturum testaretur; hominibus assuetis in tenebris esse solẽ visum; longè maiorem, longè clariorem illo solem fuisse Christum. Sciebat Euangelista magnam Iudæos de Ioanne opinionem habuisse, ideóque eius comparatione docet, quantus fuerit Christus, ad quem Ioãnes tenebræ erat; vt eos à Ioanne trãsferat ad Christum. Aliam Chrysost. Theoph. & Euthym. cur hoc Ioannes addiderit, rationem reddunt, ne, quia dixerat venisse Ioannem, vt testimoniũ de Christo perhiberet, maior Christo putaretur, quòd ita plerumque fieri soleat, vt maior, ac fide dignior de minore testificetur. Nihil lectorem varietas interpretationis moueat; quòd vno loco lux, alio lumen ponitur. Eadem Græcè vox est, quam noster interpres, vt alias sæpe solet, non alio puto consilio, quàm vt similitudinis fastidium euitaret, nunc lumen, nunc lucem reddidit. Illud ad rem magis pertinet, quod Cyrillus admonuit, nomen lucis aut luminis Græcè emphaticum articulum habere, ἐκ τοῦ ἐκεῖνος τὸ φῶς, id est, non erat ille lumen illud. Nam lumen quidem aliquod Ioannes erat. *Erat* enim *lucerna ardens, & lucens*; ipse etiam de illo Christo testante Ioann. 5. 35. sed aliud est lucernam, aliud solem, id est ipsum lumen esse; aliud natura sua, aliud alterius beneficio lucere. Denique hoc inter Christum, & Ioannem, cæterosque viros sanctos discriminis est, de quibus dicitur Matth. 5. 14. *vos estis lux mundi*: quòd inter solem & lunam. Sol ex se ipso, luna non nisi ex sole lumen habet: *de plenitudine* enim *eius nos omnes accepimus.* Si ergo Ioannes lux vera non erat, quomodo poterat veram lucem ostendere, hoc est testimoniũ perhibere de lumine? quo modo poterat homines, vt veram lucem cernerent illuminare? Rectissimè Thom. 2. respondet Augustin. oculos hominum fuisse saucios, qui autem oculis sunt saucijs, lumen solis in sole ipso oriente cernere non possunt; in monte, qui eius radijs primus illustrari incipit, possunt. Nõ pœnitebit lectorem verborum Augustini. *Magnum aliquid est iste Ioannes, ingens meritum, magna gratia, magna celsitudo. Mirare, planè, mirare sed tanquam montem, nam: autem in tenebris est, nisi luce vestiatur. Ergo tantùm mirare Ioannem, vt audias, quid sequatur. Non erat ille lumen, ne si eum montem putes lumen esse, naufragiũ vt monte facias, non solatum inueniæ. Sed quid debes mirari montem tanquam montem. Erige autem te ad illum, qui illuminat montem, qui ad hoc erectus est, vt prior radios excipiat, & oculis tuis saucijs nuntiet.*

9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.) Explicat magis, ac magis Christi, & Ioannis comparationem, & declarat, quod superiore versu dixerat, illum non fuisse lucem illam, id est veram, quæ illuminet omnes homines; videtur vim articuli solam exponere, quòd dixisset τὸ φῶς, lux illa, quasi dicat, Non erat ille lux illa, id est vera lux, lux enim vera erat Christus. Oratio eleganter imperfecta est. Dicit enim *erat lux vera*, & non dicit, quis lux illa vera fuerit. Nec enim sensus est fuisse lucem aliquam veram; sed aliquem alium præter Ioannem fuisse veram lucem, nimirum Christum. Christus enim quamuis non nominetur, intelligitur eo ipso, quòd de illius, & Ioannis cõparatione Euangelista loquebatur. Cur ergo non nominauit? quia maiorem vim, & gratiam habet oratio. Quo sensu hoc loco lux appellatur vera, à quibusdam disputari video. Aliquando, inquiunt, verum opponitur falso, vt Ephes. 4. 25. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Aliquando figuræ, vt

lex per Moysem data est gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, infra ver. 17. Aliquando ei, quod non est naturale, aut per se cuiusque modi vt 1. Ioan. 5. 20. *Vt simus in vero filio eius.* Quomodo hoc loco accipi putant. Ego quemadmodum nomen lucis non dicitur verè, & propriè de Christo, sed metaphoricèsita puto veram lucem non verè, sed metaphoricè dici. Lux enim vera ista est, quam oculis corporis cernimus, qualis profecto non erat Christus, nisi velimus cum Manichæis delirare, qui solem istum corporeum Christum esse dicebant, vt D. Augustin. refert tract. in Ioan. 34. Sed dicitur lux vera metonymicè, quia quod facit lux ista vera in corporibus, id veriùs, atque perfectiùs ille in animis facit. Magis enim & veriùs ille animum, quàm sol corpus illuminat. Eodem prorsus modo, quo *vitis vera* dictus est Ioannis 15. 1. non quòd verè, & propriè vitis sit, sed quòd veriùs eos, qui in se credunt, quàm vitis palmites nutriat, atque sustentet. Et cibus verus, non quod sit verè cibus, cum non panem, sed veram corpus suum nobis cibum dederit; sed quòd melius, ac veriùs animos nostros, quàm verus iste cibus, quo vtimur, corpora, nutriat, Ioã. 6. 55. Quo autem modo lux illa vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, duplex est quæstio, altera quo lumine; altera quo modo omnes, cùm de quibusdam idem Ioannes dicat in tenebris adhuc esse 1. epistol. c. 2. 9. 11. Nonnulli hoc de naturali rationis lumine intellexerunt: eo enim à Christo omnes illuminari, quia eius omnes luminis participes sunt, vt Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 9. & Iunil. in comment. in c. 2. Gen. Quod quia minùs probabile erat, hereticis placuit non placiturum, si sciuissent à tam bonis ante auctoribus dictum fuisse. Sed minimè dubium est de spirituali lumine intelligendum, de doctrina, de fide, de gratia; de vita illa, de qua dixerat, *& vita erat lux hominum*, vt Cyprian. lib. 1. contra Iud. D. Aug. hoc loco, & libr. 4. de Trinit. c. 2. multisque alijs locis Chrysost. Maxim. homil. 4. de Pascha, Beda, Theophyl. Euthym. interpretantur. Secũdam quæstionem difficilioré nobis Aug. reddidit. Is enim contra Pelagianos de prædestinatione disputans, vt suam opinionem defenderet, non omnibus gratiam dari, non omnes illuminari, sæpe ita interpretatur hunc locum, quasi sensus non sit Christum aut re vera omnes illuminasse, aut illuminare voluisse; sed neminem nisi per illum illuminari, aut ex omni genere hominum aliquos per illum illuminari lib. 1. de peccatorũ merit. & remiss. c. 25. & in Enchir. c. 103. De prædestinatione non disputo, tantùm dico omnium Græcorum in hunc locum interpretationem multo magis mihi placere, illuminare omnẽ hominem quantùm in ipso est; si qui non illuminantur, ideo non illuminari, quia recipere oblatum lumen nolunt; Chrysost. hom. in Ioan. 7. Cyrill. Theophyl. Euthym. Atque hanc arbitror fuisse causam, quam obrem non dixit illuminauit, sed *illuminat*; non solùm quia non tantùm eos, qui fuerant, illuminauerat, sed eos etiam, qui tunc erant, illuminabat, eosq; qui futuri erant, erat illuminaturus; sed quia sæpe præsens tempus non effectum, sed naturam, & vim solet significare, quemadmodum hunc ipsum locum exponit Maximus in hom. de sancto Eusebio Vercellẽsi; sicut paulò ante dixerat *lux in tenebris lucet*, id est natura sua apta est, vt in tenebris luceat, quãuis lucem illam veram tenebræ non cõprehenderint. Nec minus, sed multo etiã meliùs atque facilius hac interpretatione, quàm illa Augustini Pelagianorum error confutatur hinc colligentium, vt indicat idem Augustt. libr. 1. de peccator. merit. c. 25. infantes sine

Lux vera Christus vt vitis vera, & cibus.

Quo lumine Christus illuminet.

Omnes quomodo illuminet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccato originali nasci. Illuminat enim Christus omnes homines, quantùm in se est, sed vt multos adultos, quia nolunt; ita infantes, quia non baptizãtur, non illuminat. Per ipsum enim baptismum illuminat, qui idcirco φωτισμὸς illuminatio, & à Græcis Theologis sæpe, & à Diuo Paulo aliquando vocatur Hebræorum. 6. 4. Illuminat quidem omnes, sed sicut sol: iste accedentes ad se; infantes non nisi per baptismum accedunt. Priùs surgendum, priùs veniendum. *Surge*, inquit, *illuminare Ierusalem*, Isai. 60. 1. Et *surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*, Ephes. 5. 14. Quod dicit, *venientem in hunc mundum*, notauit D. Augustin. libr. 1. de peccator. mer. cap. 25. ita Græcè dictum esse, vt & accusatiuus ad hominem; & nominatiuus ad lucem referri possit, sensusque sit lucem illam veram in hunc mundum venientem quasi orientem solem omnem hominem illuminare. Quem sensum Cyrill. & alij quidam secuti sunt; estque non falsus, non absurdus. sed mea sententia non proprius. Nam vt alia non esset ratio, nomen hominis proximè adhærens iure sibi hoc participium vendicaret. Et Christus non solùm in hunc mundum veniens, sed & postquam venit, & antequam veniret erat *lux vera, quæ* illuminabat *omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et alij auctores omnes ita intellexerunt, vt non Christus veniens, sed Christus omnem hominem venientem in hunc mundum dicatur illuminasse, Augustin. Chrysost. Beda, Theophyl. Euthym. Sed quæri à multis solet, quare hominem in hunc mundum venientem dixerit potiùs, quàm absolutè, qui illuminat omnem hominem. Multæ quæstiæ, & redditæ à multis sunt causæ. Notus error Origenis, vt colligitur ex eius libr. de principijs. 1. cap. 3. & libr. 2. cap. 8. & testatur Epiphan. hæresi. 64. & Theophilus lib. 1. Paschali, & Methodius apud Epiphan. & Hieronym. in epistola ad Marcellinum, & Cyrillus hoc loco, quem ex hoc loco confirmasse creditur, ideo hoc dictum, vt significaretur animas hominum ante corpora fuisse, & propter peccata in corpora detrusas meliora, peioraue pro suo quamque merito. Quod refutationis hoc tempore non indiget, & cum indigebat, satis est à Cyrillo hoc loco refutatum. Alij ideo dictum existimant *venientem in hunc mundum*, vt significaretur qua parte hominem illuminaret, nempe non corpore, quod terrenum; sed animo, qui cælestis est, & venire quodammodo de cælo in hunc mundum videtur; non quòd illic prius fuerit, vt Origenes arbitrabatur; sed quòd non de terra, sed de cælo, id est, non ex parentum traduce, sed ex solo Deo auctore originem trahat. Vera quidem sententia, sed subtilior, quàm vt credere debeamus eò spectasse Ioannem. Res est facilis. Solent Hebræi hominem ita describere בא עולם, venientem mundi, id est in mundum, hoc est nascentem, quod apud eorum Rabbinos est frequens, cùm humanam naturam, & homines vniuersos volunt significare, & ne infantes quidem recenter natos excipere. Quod alia simili phrasi dicunt natos de muliere, quemadmodum loquitur Christus Matth. 11. 11. Venire enim in hunc mundum est nasci, sicut exire, mori, Iob. 1. 21. *Nudus egressus sum de vtero matris mea, & nudus reuertar illuc*: & Sapient. 7. 6. *Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus*, & Ecclesiastæ 5. 14. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur*, & 1. Timoth. 7. 6. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus*. Hoc idioma Ioannes est imitatus, vt nullum prorsus hominem excipiat. Et fortasse vt ad solis lumen alluderet, quod ea tantùm illustrat, quæ intra ipsius, vt ita dicam, mundum, id est intra eius orbem, intra eius sunt hemisphærium. Ergo neminem in vtero, dicet aliquis, illuminat? Facessant argutiæ, venire in mundum non solùm est nasci, sed etiam concipi. *Imperfectum*, inquit, *meum viderunt oculi tui*, Psal. 138. 16. Vti potest quibuscum velit priuilegio.

10. *In mundo erat.*) Mirum quanto consensu veteres interpretes de verbo, antequam caro fieret, hùc locum intelligãt; Origenes, aut quisquis auctor est, hom. 2. in diuersos, Chrys. 7. Augustr. tract. 2. Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 10. Theodorit. in cõment. in c. 1. epist. ad Hebræos: Beda, Theophyl. Euthym. Rupertus. Quasi de verbi diuinitate loquatur Ioannes, qua antequam in mundum veniret, in mundo, & vbique erat, omnia implens, omnia sustinens, omnia conseruans, omnia gubernans; potuisse cognosci ab hominibus ex ipsa cognitione, & contemplatione rerum: quia *cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*. Psal. 18. 2. & *a magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat creator omnium videri*, Sap. 13. 5. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, Rom. 1. 20. Rationem quoque eius rei duplicem reddunt. Alij, vt doceret Ioannes nunquam stetisse per verbum, quo minùs omnem semper hominem illuminaret, cum semper in mundo fuisset, semper illuxisset. Alij, ne & ipsum videretur cum mundo factum esse. Iuuit eam interpretationem verbum imperfecti temporis *erat*, quo semper ante vsus fuerat cùm æternitatem significabat. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Dicturum enim fuisse, in mundo fuit, sicut post paulò dixit, *In propria venit, & habitauit in nobis*; si de eius in carnem aduentu locutus fuisset. Fateor me præcipuam in hac interpretatione probabilitatem inuenire, quòd est omnium. Nam cum remotis auctoribus verba considero, perspicere mihi plane videor Ioannem de verbo loqui facto iam carne, sed vt supra diximus per anticipationem. Quis enim nõ videt eodem contextu, eodem tenore, ac proinde eodem sensu dicere, *In mundo erat*, quo statim dicit *In propria venit*? Cùm autem dicit, *In propria venit*, haud dubiè de aduentu in carnem loquitur: ergo & cùm dicit, *In mundo erat*, loquitur de eius in carne conuersatione. Nec mihi quisquam obiiciat priùs dicendum fuisse venisse in propria, deinde in mundo fuisse, si de eius in carne vita loquebatur. Si enim istas consectari libet subtilitates, obiiciam & ego, si in mundo priùs erat, quomodo in propria venit? Non loquebatur subtiliter, sed Theologicè D. Ioannes. Deinde cum addit, *& mundus eum no cognouit*, nõ dubium, quin mundi cæcitatem reprehendat, quòd cùm potuerit, ac debuerit verbum sui auctorem agnoscere, errore occæcatus non agnouerit. Ante incarnationem autem non video, quomodo aut debuerit, aut potuerit verbum mundus agnoscere. Nam vt Deum ex ipsa rerum conditione, vt ait D. Paulus, cognoscere potuerit, certè verbum, id est personam Filij non potuit. Constans enim omnium Theologorum sententia est vnum quidem Deum ex rebus effectis cognosci posse, tres verò personas non posse. Multo etiam vberior, multo vehementior sententia est, vt mundi simul cæcitatem, simul malignitatem arguat, quòd auctorem suum, quem coram videbat oculis, &, vt ait idem Ioannes, manibus contrectabat, agnoscere noluerit. Nec intelligo, quorsum hic Ioannes de verbo ante incarnationem loqui possit, cùm præcedētia omnia, vt docuimus, à vers. 4. & omnia sequentia, de illo iam carne

carnẽ facto intelligantur. Nam rationes illæ duæ quas à nonnullis cur id fecisset, afferri diximus, tenues sunt. Nec enim id Ioannes agebat, vt doceret aut verbum non fuisse factum, quod satis iam superque docuerat, cùm dixerat, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*; aut per illud non stetisse quo minùs homines illuminarentur, quod satis etiam probauerat, cum dixerat, *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Nec verbum imperfecti temporis magis illam, quàm hanc nostram opinionem iuuat. Nam Græcè quidem ἦν vtriusque temporis & imperfecti, & perfecti vim habet: & vt supra ver. 1. docuimus, eam differentiam temporis non obseruauit, cum in hoc Euangelio idem ἦν verterit *erat*, & 1. Ioan. 1. 1. reddiderit, *fuit*, cùm de eodẽ verbo sermo esset, & eadem esset omnino sententia. Adde potuisse & Græcè Ioannem, & Latinè veterem interpretem, cùm de verbo iam carne facto ageretur, hac de causa imperfecto potiùs, quàm perfecto vti tempore, vt significaret verbum non ad momentum modò temporis apparuisse, quod poterat verbum præteritum indicare; sed diu in mundo inter homines fuisse versatum, quod declarat præteritum imperfectum, quemadmodum si dixisset in mundo versabatur, in mundo habitabat, & *mundus eum non cognouit*, inter manus eum mundus habebat, & recipere ac tenere noluit. Inuenio etiam auctorem sententiæ meæ Gaudentium tract. 12. in Euangelium, cuius hæc verba sunt: *Etenim seducens humanum genus, vt dereliclo Deo ipsum sibi unam per simulacra colerent manufacta, principatum violenter tenuit, & exercuit tyrannidem in tantum; vt aduenientem verum principem suum non cognosceret mundus ipsum quippe Diabolis præstigijs occæcatus. Nam in mundo erat Christus vt Euangelista testatur, & mũdus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit*. Ex quibus verbis nisi fallor perspicuum est ita Gaudentium hunc locum intellexisse, vt mundus reprehendatur, quòd Christum ad se in carne venientem non agnouerit.

Et mundus per ipsum factus est.) Hoc etiam plerique auctores ideirco additum putant, ne quia dixerat, *In mundo erat*, tanquam creatura, parsque vna mundi in mundo fuisse putaretur, Augustin. Cyrill. Theophylact. ego congruenter interpretor superiorẽ sententiæ propterea hoc Ioannem addidisse, vt doceret, quam ingratus fuisset mũdus, qui, cùm per Christum factus fuisset, ipsum tamen non agnouisset. Hoc enim magis ad rem pertinebat, & magis cum sequentibus conuenit. Nam qua de causa hìc dicit, *Mundus per ipsum factus est*, dicit alijs statim verbis, *In propria venit*. Illud autem dubium non est, ideo dixisse, vt mũdi ingratitudinem exaggeraret, & hoc ergo eadem dicit causa. Obseruauerunt multi relationem διὰ αὐτοῦ per ipsum, antecedens non habere genere eiusdem nisi ad κόσμον verbum, quod ver. 1. præcesserat. longissimè referatur. Itaque eò quidam referunt. Nam ad τὸ φῶς lucem, aut lumen referri non posse, quia lux Græcè neutrius, αὐτὸν ipsum masculini generis est. Alij sensum Euangelistam non genus respexisse vocum. Nam quia φῶς lucem Christũ vocarat, & Christus masculini generis est, vsum fuisse relatiuo etiam masculino. Facilior mea sententia res est. In omnibus superioribus periodis cũ dicit, *Erat lux vera, & in mundo erat* ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, intelligebatur λόγος, verbum, quod Græcè masculini generis est; cum eo igitur masculinum conuenit relatiuum. Duo his verbis errores, vt ait Theophyl. refutantur. Alter Manichæorum, qui mundum ab alio factum quo malo principio factum esse dicebant: alter Arianorum, qui filium Dei inter creaturas annumerabant, cùm Ioannes mundum, id est creaturas omnes per ipsum factas fuisse testetur.

Et mundus eum non cognouit.) Cum quater hoc loco Ioannes mundum nominauerit, manifestum est tribus primis locis mundum pro tota creatarum rerum vniuersitate accipi. Hoc autem vltimo loco nõ sic, sed pro hominibus qui, cum cognoscere Christum debuissent, non cognouerunt, vt August. Cyrill. Chrysost. Beda, Theophylact. Euthym. adnotauerũt. Nec pro omnibus hominibus, sed pro ijs tantùm, qui terrena, id est mũdana sapiunt, vt Chrysost. August. Beda, Theophyl. Euthym. admonuerũt; nam bonos quidem, & qui diuina sapiebant, ipsum cognouisse, vt Abraham, qui *exultauit, vt videret diem eius, vidit, & gauisus est*, Ioan. 8. 56. Prophetas qui non solùm cognouerunt, sed de illo etiam scripserunt Luc. 24. 27. Verum Chrysostomus, qui huiusmodi vtitur exemplis, loquitur conuenienter opinioni suæ, aliorũmque vt diximus, fere omnium auctorum, qui hìc de verbo antequam caro fieret, agi putauerunt. Nos qui de iam facto carne agi credimus, alijs exemplis vti possumus. Non vocantur igitur mundus Apostoli, cæterique qui Christum receperunt, cognouerunt enim eum: sed vocantur mundus Pharisæi, & cæteri, qui eum recipere noluerunt, quod nimis essent amore huius sæculi occupati. Hi enim mundus dici solent infra c. 3. 19. & 8. 23. & 15. 18. 19. & 16. 8. 33. & 17. 9. 14. 16. & 1. epistola c. 2. 16. Probabilis tamen mihi videtur, vt pro omnibus hominibus mundus accipiatur, non quòd nõ aliqui cognouerint, sed quòd maior pars non cognouerit, & ex maiore parte mundus dicitur eum non cognouisse. Sicut statim dicit, *sui eum non receperunt*, & tamen aliqui sui receperunt, *quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Itaque quòd quidã obseruauit nomen Græcum κόσμος semper hìc articulum habere, vt intelligamus eodẽ modo vbique accipi, verum non est, & cum omnium auctorum sententia pugnat. Illud potiùs notandum erat verbum ἔγνω nouit aut *cognouit*, non simplicem hoc loco cognitionem; sed agnitionem cum approbatione, receptione, & obedientia coniunctã significare: quemadmodum cum dicimus, venit Rex in regnũ suum, & regnum ipsum non cognouit, id est noluit agnoscere, ac recipere pro Rege. Quod enim hìc dicit, *& mundus eum non cognouit*, dicit paulò post *& sui eum non receperunt*.

11. *In propria venit.*) εἰς τὰ ἴδια, quasi in propriam possessionem, aut in propriam domum, vt infra c. 19. 27. & Act. 21. 6. aut in terram suam, in populũ suum vt c. 16. 32. Quod multi ad populum Iudæorum referunt, qui *populus Dei peculiaris* dicebatur, Deuter. 7. 6. & 14. 2. & 26. 18. & ad eum Christus tanquam ad propriam possessionem, ad proprium regnum venit, vt Matt. 15. 24. & 21. 37. 38. Sic Cyprian. lib. 1. aduersus Iudæos, Cyril. Chrysost. August. Beda, Theophy. Euthym. Rupertus. Alij in vniuersum mundum, qui ipsius erat, ad omnes homines, quia omnes ipsius erant, vt Iren. lib. 3. c. 11. Clemens Alexan. lib. 7. Stromat. & Orig. aut alius quis auctor hom. 2. in diuersos Euangelist. Quam interpretationem illi etiã omnes auctores probant quos modò in altera citauimus. Ego multo etiam magis, quàm alteram probabilem iudico. Nec enim de eo titulo Ioannes agebat, quo populus Iudæorum proprius, & peculiaris dicebatur, quòd ab eo electus esset, quòd legem, & futuras Messiæ promissiones accepisset; sed de eo potiùs, quo vniuersus omnino mũdus eius erat, quia per ipsum erat factus. Quod enim ante dixerat, *Et mundus per ipsum factus est*, dicit nunc, *In propria venit*,

Baptismus φωτισμὸς Græcis.

Origenis error de animabus hominum.

Pharisæi mundus vocantur.

Inf. ver. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

indicans propterea *in propria*, id est suum venisse mundum, quia mundus per ipsum factus fuerat. Venit nunc in mentem Irenæum lib. 3. c. 11. Cyprianum in lib. de oratione Dominica, & lib. 1. contra Iud. & August. tractatu in Ioan. 2. legere *in sua propria venit*, Marium verò Victor. lib. 4. contra Arian. *in sua venit*. Quod etsi non magni admodum refert, monere volui.

Et sui eum non receperunt.) καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν, proprij ipsius ad verbum, id est domestici eius. Dixerat enim *in propria*, id est in mundum, quasi in domum suam venisse; dicit nunc à suis, id est à suis domesticis receptum non fuisse. Hac ratione maiorem vim habent verba, quàm si simpliciter interpretemur *Sui*, id est Iudæi *non receperunt*, quemadmodum illi auctores exponunt, quos paulò ante nominauimus. Quid sit recipere, vel nō recipere Christum, sequenti ver. declaratur. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Credere ergo in eum, est eum recipere; non credere, non recipere. Apparet etiam ex proximis verbis non esse vniuersè intelligendum, quod dicit *sui eum non receperunt*; aliquos enim recepisse statim dicit, sed quia non cuncti receperunt, aut maior pars non recepit, generaliter dicit à suis receptum non fuisse.

12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*) Primo loco quærendum, quorsum hoc Ioannes addiderit. Indicat Chrysostomus voluisse ex beneficio singulari, quod ij, qui eum receperunt, sunt consecuti, docere quid ij perdiderint, qui ipsum recipere noluerunt. Aliam quoque possumus rationem reddere, voluisse causam explicare, quamobrem *in propria venisset*, nimirum, vt eos qui se reciperent, filios Dei faceret. Quod autem dicit, *quotquot*, rectè Chrysosto. hom. 9. & Cyrill. lib. 1. c. 13. & Beda, Theophyl. & Euthym. expenderunt, significare nullam gentis, nullam personarum rationem habuisse, sed omnes, qui se recepissent, siue Iudæi, siue Græci, siue Barbari, siue liberi, siue serui essent, filios Dei effecisse. *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam acceptus est illi*, Act. 10. 34. *Dicit enim scriptura, Omnis, qui credit in eum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi, & Græci; nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant eum*, Rom. 10. 11. 12. *Non est Iudæus, neque Græcus; non est seruus, neque liber; non est masculus, neque fœmina*, Galat. 3. 28. Videtur alludere ad Iudæos, qui Christum, qui illis potissimùm venerat, recipere noluerunt, vt Cyrillus existimat. Illi enim ante filij Dei vocabantur; *Tu*, inquiunt, *pater noster es, & Abraham nescivit nos*, Isai. 63. 16. & 64. 8. Cùm autem filij, qui eum primi recipere debuerunt, recipere noluissent, transtulit ad gentes ius adoptionis, easque omnes sine discrimine, quicunque recipere voluerunt, in filios allegit: *Auferetur*, inquit, *à vobis regnū Dei, & dabitur genti facienti fructum eius*, Matth. 21. 43. &, *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*, Actor. 13. 46. In verbis, quæ sequuntur, magna esse creditur difficultas, quomodo Christus ijs, qui se receperunt, potestatem dedisse dicatur, vt fierent filij Dei, cùm iā recipiendo ipsum filij Dei facti essent. Ipsum enim recipere esse filium Dei fieri. Quod verba etiam paulò post sequentia confirmant. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Eos enim quibus potestatem dedisse dicit, vt filij Dei fierent, ex Deo iam natos fuisse ait. Quid autem est aliud filium Dei esse, nisi natum esse ex Deo? Cyrill. etsi quæstionem non attigit, tamen duas indicat solutiones, alteram cap. 13. dedisse gentibus *potestatem filios Dei fieri*, cùm crederent. Itaque antequàm crederent, hanc illis dedisse potestatem, eo ipso quòd repulsum à Iudæis ad eas transtulit Euangelij. Non videtur hæc interpretatio cum illis verbis conuenire, *iis qui credunt in nomine eius*. Nam illis ipsis, qui tam credebant, hanc significat datam fuisse potestatem, vt fierent filij Dei; neque cum illis alijs, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*; ijs enim qui iam per fidem ex Deo nati erant, potestatem, vt filij Dei fierent, dat tam dicit. Alteram indicat cap. 14. & Pacianus lib. de pœnitentia contra Nouat. quam & Theophyl. refert dedisse iam credentibus potestatem, vt filij Dei fierent, cùm baptizarentur. Per baptismū enim hominem regenerari. Probabilior hæc est, sed adhuc illud manet, quomodo filij nō erant, qui iam ex Deo nati erant? Alias duas Theophylactus tradit. Altera est, quam & Chrysostomi, & Augustini, & Bedæ, & Euthymij fuisse sententiam non obscure ex eorum colligitur commentarijs, hominem non per solam fidem filium Dei fieri, nisi & caritas, & opera caritatis accedant. Ergo per fidem ius tantùm, & potestatem hominem accipere, vt filius Dei fiat per caritatem fieri. Verissima sententia. Eodem enim modo regeneratio, qua generatio nostra inchoatur, atque perficitur. Cum generamur primùm ex parentum semine concipimur, caro informis, rudis, inanimisque dum filij eorum, qui nos genuerunt, vocari possumus. Aliquanto post tempore accedit anima, tunc verè sumus filij, quia homines parentibus similes sumus. Idem in regeneratione fit. Semen diuinum est fides; fide concipimur, sed non animamur, nondum filij propriè dici possumus, quia non viuimus; *fides enim sine operibus mortua est*. Animā est caritas; cùm ea ad fidem accedit, viuere incipimus & esse filij. Et quia caritatem, nisi qui fidem habet, habere non potest, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. Cum iam credentibus loquebatur Christus, cùm dicebat; *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumnianibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est*, Matth. 6. 44. Vera, inquam, & accommodata refellendam hæresim de iustificatione nostrorum temporum hæc doctrina est. Sed nondum nodus ille soluitur, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Itaque altera Theophylacti solutio mihi magis placet, vt *filios Dei* Ioannes vocet eos, qui filiorum fruuntur hæreditate, quibus cælo quasi in domo Dei sunt. Eos enim scriptura propriè filios appellat; *Scitote nos*, inquit, *gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes*. Roman. 8. 23. Itaq; perinde est, ac si dixisset; *dedit eis potestatem hæredes Dei, & cohæredes Christi*, & suos fore. Quos enim D. Paulus ad Roman. 8. 23. filios futuros dixit, eodem cap. ver. 15. dixerat futuros hæredes. Hac ratione nihil in hoc loco manet difficultatis. Nam ijs, qui iam verè erant filij Dei, quique *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati erant, potestatem*, id est ius dedit, vt hæredes quoque illius fierent, quod est alio sensu *filios Dei fieri*. Placuerat mihi aliquando, quod apud quendam postea interpretē legi, ἐξουσίαν hoc loco nō potestatem, sed dignitatem, honorémque significare, & verbum γίνεσθαι non fieri, sed esse. Nam id quoque vtrumque verbum significat: vt esset sensus ijs, qui credidissent *in nomine eius*, quique *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, hunc honorem, hanc dignitatem tribuisse, vt filij Dei non postea fierent, sed etiā essent.

Recipere filium Dei est filium Dei fieri.

Displicuit postea, cùm magis considerauī, cúmque apud hæreticum quēdam interpretem legi. Vna hîc superest quæstio, cur Ioannes huius potiùs beneficij, vt filij Dei fierent, quàm multorum aliorum meminerit; quæ certè contulit Christus ijs, qui in se crediderunt? Ratio vna eius rei ex Cyrillo hoc loco, & ex Procopio colligitur, voluisse Ioannem ad Iudæorum opinionem alludere, qui solos se filios Dei esse gloriabantur, quòd beneficium significauerit ab illis Christum reiicientibus ablatum fuisse, & ad omnes gentes, quæ eum receperunt, fuisse translatum. Altera ex Ambrosio lib. 4. de fide, cap. 4. ex Augustino, Cyrillo, & Beda in commentarijs in hūc locum, voluisse indicare Ioannem Christum dedisse ijs, qui in se crediderunt, quod maximè sibi proprium erat, vt filius esset Dei; communicasse cum illis hæreditatem suam. De qua re scitè Augustinus scribit: *Non timuit habere ille coheredes, quia hæreditas eius non fit angusta, si multi eam possederint. Illis ipsi certè illo ipso possidente fiunt hereditas ipsius; & ille vicissim fit hereditas ipsorum.* Adnotāt ijdem auctores Ambrosius, August. & Cyrillus, magnum ex hoc loco aduersus Arianos argumentum sumi posse ad probandum Christum filium esse naturalem Dei, ac proinde verum Deum. Illi enim non dicit datum fuisse Ioannes, vt filius Dei esset, sed dictum de illo est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; dictum est, *Ex vtero ante lucifernm genui te*. Quia ille natura; nos beneficio, & adoptione filij sumus: nec, nisi ille nobis dedisset, filij esse poteramus. Dat ille, quod habet; accipimus nos, quod natura non habemus: solúsque ille dare nobis potuit, vt filij essemus Dei; quia solus naturalis est filius. Habet hoc locum, quod Philosophi docent, quod in quoq; genere per se, ac natura sua cuiusque modi est, cæteris dare, vt eiusdem per participationem quandam modi sint. Ignem natura sua maximè calidum, omnia calefacere. Mirum, quàm inepti noui hæretici sint. Colligit ex hoc loco eorum interpres nullas in iustificatione, regenerationéque partes esse liberi arbitrij; quandoquidem datum nobis esse dicatur, vt efficiamur filij Dei. Et quo argumento Patres illi nostri aduersus Arianos ad probandam Christi diuinitatem vtebantur: hoc illi aduersus nos vtūtur ad tollendam arbitrij libertatem. Quanto meliore iudicio, ac meliore fide ex hoc ipso loco liberum arbitrium collegissent, quemadmodum Chrysost. Theophyl. & Euthym. collegerunt. Cum enim dicit alios recepisse, alios non recepisse, quis vtrorumque non videt libertatem, qua illi noluerunt recipere, isti voluerunt? Et cum dicit, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quis non animaduertit liberam eorum indicari voluntatem, si perseuerare velint, si non degenerare?

13. *Qui non ex sanguinibus.*) Minimè difficilis constructura est, quamobrem hoc Ioannes addiderit, vt ex comparatione nimirum, extenuationéque humanæ generationis diuinæ illius regenerationis, quam nobis Christum contulisse dixerat, dignitas appareret, vt Chrysost. Theophyl. & Euthym. existimant. Aut vt quis, quia filium Dei audierat, erraret; putarétque humano more, carnaliq; generatione filios Dei homines fieri, vt ait Cyrillus. Vtrumque probabile. Quod nonnulli dixerunt relatiuum οἳ, *qui*, ad filios referri tanquam sit sensus, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, non qualescunque filios, sed tales, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* nasci solent, opus non est refutare. Non video, quia ratio ipsa Græcæ Grammaticæ refutat, cum γένος neutrius, οἵ, masculini generis sit, sed etiā quia ea difficultas cuius effugiendæ causa ea interpretatio excogitata est, superiore versu à nobis est explicata. Refertur igitur ad eos, de quibus dixerat; *Quotquot autem receperunt eum.* Per sanguines quid significetur magis dubium. Exeusat D. August. interpretem, quòd vt Græcum verbum exprimeret, Latinitatis rationem non habuerit. Nec enim Latinè plurali numero sanguines dici, Græcè autem esse ἐξ αἱμάτων *ex sanguinibus*. Cuius ipsius rei causa quæri potest. Cur potiùs dixerit ἐξ αἱμάτων *ex sanguinibus*, quàm ἐξ αἵματος ex sanguine, cū vtroque modo Græcè dicere potuerit. August. & Beda respondent virilem simul, atque muliebrem sanguinem significari, quibus concipiatur, ac generetur homo. Alij menstrua notari putant. Non disputamus nunc, quid eo significetur nomine, sed cur Ioannes plurali nomine vsus sit. Hebraismū esse arbitror. Hebræi enim etiā, cùm de vno tantùm sanguine sermo est, αἵματα sanguines dicunt. Exod. 22. 2. 3. & 4. Reg. 9. 7. Non probo quod dixerunt quidam, originale peccatum hac phrasi notari. Nam etsi verū est, nos in originali peccato nasci, tamen nō id opinor agebat Ioannes. Credo ego carnalem tantùm significari generationē, & quod vno dictum erat verbo, *non ex sanguinibus*, duōbus postea explicari, *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*. Solet enim sanguis præsertim adiuncto nomine carnis corruptionem, réisque carnales, & carnales homines significare, vt, *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*, Matt. 16. 17. & *Caro, & sanguis regni Dei possidere non possunt*, 1. Cor. 15. 50. & ad Gal. 1. 16. *Continuò non acquieui carni, & sanguini*; & ad Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*. Nihil ergo aliud est, *non ex sanguinibus*, quàm nō humano more, non ex viro, non ex fœmina, sed ex Deo. Opponit enim sanguines Deo, *non ex sanguinibus sed ex Deo nati sunt*. Quod perinde est, ac si Deo hominem opponeret dicens, qui non ex homine, *sed ex Deo nati sunt*, quemadmodum Sulpitius Seuerus videtur intellexisse lib. 2. hist. sacræ. Itaque quæstio illa, quam Theophyl. commouet, quid de Isaac, de Samuele, de Ioanne Baptista dicendum sit, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati* videntur; nihil, si ita interpretemur, habet loci. Nam etsi miraculo illi nati sunt, *ex sanguinibus* tamen, id est ex homine nati sunt. *Solus Christus*, vt ait Tertul. in lib. de carne Christi, excipitur. *Quā caro*, inquit, *non ex sanguine, nec ex carne, & viri voluntate, quia ex Dei voluntate Verbum caro factum est*. Quin Christus ipse quā homo est, quamuis sine viro, quamuis sine peccato, quamuis sine vlla sui, matrisve corruptione natus, ex sanguinibus hoc sensu, id est ex homine natus est, propterea enim *filius hominis* passim appellatur. Illi autem filij Dei, de quibus hic Ioannes loquitur, ne isto quidem modo *ex sanguinibus* nati sunt, quia non corpore, sed animo renascuntur, vbi neque carne, neque sanguine, id est neque viro, neque fœmina opus est. Interest scire, cur Euangelista aperte non dixerit, qui non ex homine, sed *ex Deo nati sunt*. In promptu coniectura est. Opponebat humanam, diuinámque inter se generationem, vt appareret quantopere humanæ diuina præstaret, ideo descriptione carnis, & sanguinis humanam extenuat. Non minus difficile quod sequitur.

Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri.) Illud certum Græcum nomen βούλημα voluntas præter linguæ consuetudinem pro carnali poni concupiscentia, Hebræorum imitatione qui יֵצֶר voluntatem omnem appetitum vocant. Exempla sunt multa Isai. 58. 13. & ad Ephes. 2. 3. De alijs verbis omnis est quæstio. Recepta vulgo est Augustini sententia, quam & Theophyl. secutus est, nomine carnis

Hebraismus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc loco fœminam intelligi, sicut illo loco Genes. 2. 23. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Fecit probabilem interpretationem, quod statim sequitur, *neque ex voluntate viri*, quasi sensus sit, neque ex voluntate fœminæ, nec viri. Sed mihi duriuscula videtur interpretatio. Nec enim exemplum ex sacris litteris occurrit, vbi caro pro fœmina ponatur. Nam illud quidem quod ex Genesi profertur; *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*; non magis probat fœminam carnem, quàm os appellari. Os autem in scripturis fœminam significare, nemo credo doctus dixerit. Sunt qui voluntatem carnis inferiorem, voluntatem viri superiorem appetitum vocari putent, quòd subtile est. Valde mihi placet Euthymij sententia, vltimum membrum duorum præcedentium explicationem esse. Quod enim dixerat, *non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis*, id est non ex carne, & sanguine, explicat dicens, *neque ex voluntate viri*, vir enim nihil aliud, quam caro, & sanguis est, quæ duo nomina, vt supra monuimus, vbi copulantur, mortalem, & fragilem hominis conditionem solent declarare. Itaque per virum hoc loco Euangelista etiam fœminam intelligit, quæ & ipsa caro, & sanguis est. Alterum enim parentem pro vtroque posuit. Sed virum potius, quam fœminam, & quia præcipuus auctor est humanæ generationis; & quia Deo opponebat & aptior erat inter virū, & Deum, quàm inter fœminam, & Deum oppositio. Ex Deo enim non tanquam ex fœmina, & ex matre, sed tanquam ex viro, & ex patre nascimur; & quia magis hac ratione vilitas humanæ generationis exaggerabatur. Si enim vir, qui præcipuus humanæ generationis auctor est, caro & sanguis est, quid erit fœmina?

Sed ex Deo nati sunt.) Quid sit ex Deo nasci ex oppositione colligitur, non nasci ex carne, & sanguine, id est non carnaliter, sed spiritualiter, non corpore, sed animo. Nasci autem animo est *renouari spiritu mentis*, vt ait D. Paulus Ephes. 4. 23. & 2. Cor. 4. 16. & ad Colos. 3. 10. & vno verbo iustificari. Itaque quibus rationibus, & quibus rebus iustificamur, ijsdem regeneramur, ijsdem nascimur Deo. Nō fide quidem sola, vt isti delirant, quæ nos, vt diximus, aut nullo propriè modo, aut nō nisi mortuos, aut potius nondum viuos, nondum formatos, & animatos Dei filios facit, sed fide simul & caritate, quæ Christiani hominis anima est. Quod etsi plerumque baptismo fit, vt Ioann. 3. 3. cum Nicodemo disserit Christus, ideoque baptismus *lauacrum regenerationis* nominatur ad Tit. 3. 5. tamen & ante baptismum, aquæ per baptismum, quem vocant, vori. & post baptismum per pœnitentiam fieri solet.

Nasci animo quid sit.

Iac. 1. 17. 20, 26.

14. *Et verbum caro factum est.*) Statim subit attenti lectoris animum dubitatio, quorsum hoc demum nunc Ioannes dicat, loco, vt videtur, minimè opportuno. Iam enim diu de verbo agebat tanquam de facto carne, iam in mundum venisse dixerat, iam ijs qui se receperant potestatem dedisse, vt filij Dei fierent. Chrysost. hom. 10. & Theophylactus causam supetioris sententiæ reddi putant. Dixisse datam ijs, qui ipsum recepissent, potestatem, vt filij Dei fierēt; reddere nunc causam, quia *verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Nam si ille filius hominis factus nō esset; nos filij Dei non potuissemus fieri. Augustinus verò, & Euthym. ad tollendam lectori admirationem admiratione quadam maiore dictum hoc esse. Dixerat enim homines, qui Christū recepissent, filios Dei factos fuisse, quod admirabile, & pene incredibile lectori videri poterat, dicit nūc, quod multò videatur admirabilius, Deum Filium hominis factum esse, vt illud iam lector, quod ante mirabatur, mirari desinat. Petsto in ea, quam ver. 4. exposuimus opinione, hæc verba principio capitis respondere; reliqua, quæ à versu 4. vsque ad hunc locum dicta sunt, per anticipationem, & veluti per parenthesim quandam vnius verbi *vita* occasione dicta esse. Cum enim dixisset in verbo illo, quod ante omne principium apud Deum erat, à Deo constitutum fuisse hominum vitam, voluit rationem explicare, quomodo verbum *vita* hominum esset, quidque illis contulisset, quo ad hunc vsque locum fecit. Tollamus ergo cogitatione animi, quæ per eam occasionem interposita sunt, fingamúsque Euangelistam hoc modo dixisse, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & verbum caro factum est*, videbimus optimè orationem cohærere. Sensum quæramus; qui si Ioannes dixisset, verbum homo factum est, facilis esset, difficilem, & in varios errores ancipitem fecit nomen carnis. Hinc enim ansam alij arripuerunt existimandi Filium Dei non animam, sed solam humanam sumpsisse carnem, cuius verbum loco animæ fuerit. Hic vnus Arianorum error fuit, vt scribit Athanas. in dialogo de Trinit. contra Arianos, & Gregor. Nazian. in epistola ad Cledonium, & August. in lib. de hæres. ad Quodvultdeum. c. 49. & in lib. contra sermonem Arian. c. 5. & Cyril. in dialogo contra Felicianum Arian. c. 5. & Cyril. lib. 1. Thesaur. c. 5. & Philastrius in Arianorū sectis, ex quo apparet non omnes quidem Arianos, sed quosdam tantùm eorum in hoc errore fuisse. Multas enim fuisse Arianorum sectas, sicut nunc sunt Sacramentariorum, & Lutheranorum alibi docuimus. Notior error Apollinaris nomine, quia hunc ille in primis defensabat vt Socrates in Eccles. historia, lib. 1. c. 36. & D. August. lib. 83. qq. q. 80. & Gregor. Naz. eo loco, quem modò citauimus, & Epiphanius haeres. 77. & Paulinus in epistola, quæ apud eundem extat Epiphanium, & Theodoritus in Eraniste auctores sunt. Alij vt dicerent verbum ita factum carnem, vt in carnem conuersum fuerit, vnde Tropitæ, id est conuersores appellati, vt tradit Philastrius, quos Socrates Apollinaristarum etiam genus facit. Alij vt ex verbo, & carne vnam quandam rerum naturam factam dicerent, qui proptie Eutychis error fuit, in Chalcedonēsi Concilio profligatus. Nec magnæ est operæ istos omnes errores ex sacris litteris refutare, quæ infinitis pene locis Christum verum Deum, ac verum hominē esse docent, ac proinde verum corpus, veram animam habuisse. Quod facilius est, quàm, vt testimonijs probare debeamus, quæ nusquam lectori non occurrent. Nec ignorat quisquam tam frequentem in scripturis sanctis Hebræorum phrasim, qui per synecdochen בשר carnem totum hominem appellant, præsertim cum humiliter, ac modicè de illo loqui volunt. Nota exemplar. *Spiritus vniuersæ carnis hominis. Videbit omnis caro salutare Dei. Dominus mihi adiutor; non timebo quid faciat mihi caro. Ad te omnis caro veniet. Qui dat escam omni carni. Et benedicat omnis caro nomini sancto eius. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Sicut aliquando è contrario נפש animam vocat ex altera parte. *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum septuaginta. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. In qua pauci, id est octo animæ salue facta sunt.* Itaque idem est, *verbum caro factum est*, ac si dixisset verbum homo factum est. Nec temere quæri solet, quamobrē Ioannes potiùs dixerit *verbum caro*, quàm verbum homo *factum est*; quia credendum non est eum

eum sine causa fecisse. Multæ causæ à multis auctoribus afferuntur. Alij dicunt ad futuras hæreses animo prospexisse, ne quis putaret nō veram, sed simulatam Christum carnem habuisse, quod non multo post Marcionistæ, Valentiniani, & Manichæi docuerunt. Hoc enim loco eos, qui contra ipsos scripserunt, refutarunt. Irenæus lib. 3. c. 11. & 18. Tertullianus in lib. de carne Christi, Chrysostomus hom. in hunc locum, qui hanc rationem reddidit. Alij, vt singularem Dei erga homines beneuolentiam declaret, qui propter ipsos caro, id est res omnium fere vilissima factus fuerit, vt Theophylactus ait. Alij, vt Cyrillus, vt significaret humanam carnem, quæ per peccatum mortalis facta fuerat, per coniunctionem verbi, id est naturalis, & immortalis vitę, immortalitatem esse cōsecutam. Veram ego rationem esse arbitror, quòd hominem verbo opponere voluerit. id est infimum summo. Propterea filium Dei, qui homo factus est, non filium, sed verbum appellauit, quod summam declarat potentiam. Tribuitur enim potentia verbo Dei, quia omnia, quæ vult, verbo facit. *Omnipotens*, inquit, *sermo tuus exiliens de cælo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliit.* Sap. 18. 15. *Et portans omnia verbo virtutis suæ.* Hebr. 1. 3. Ideo hominem è contrario non hominem, sed carnem vocauit, quòd verbum summam abiectionem, summam significat infirmitatem, vt appareat quantus Deus quantillus sit factus homo. Quærunt etiam nonnulli, quando nomine carnis vti Ioanni placuit, quare non potiùs dixerit, verbū carnem assumpsit, quàm *verbum caro factum est.* Mihi mihi videntur quæstionem suscitare, quam soluere. Quod enim dicunt voluisse futurum Nestorij errorem refutare, qui duas in Christo personas posuit, nulla satis meo iudicio probabili coniectura dicunt. Hanc igitur ego causam fuisse eius rei arbitror, quòd his verbis Ioannes multò melius quòd volebat expressit, quàm si dixisset, & verbum carnem assumpsit. Id enim agebat, vt doceret, quò se verbum Dei illud sempiternum, Deóque æquale nostra causa demisisset, quod multò melius explicabat dicens, *& verbum caro factum est*, quàm si dixisset, & verbum carnem assumpsit. Quæ verba magis declarant, ad quam dignitatem euecta fuisset caro, quàm ad quam vilitatem abiectum fuisset verbum. Non alienum huius loci est, vt quando hic de Christi incarnatione agitur, propter minùs doctos lectores summam mysterij breuiter exponamus. Deus, id est Filius, non Pater, non Spiritus sanctus, factus est homo, ita prorsus, vt verus manserit Deus & verus post incarnationem fuerit homo, verum corpus, verum animā habens, naturásque veras duas diuinam, & humanam; ac proinde duas voluntates, alteram diuinam, alteram humanam; personam tantùm vnam, eamque diuinam, ideo nō duos filios Dei, sed vnum tantum esse, quemadmodum contra Nestorium in Concilio Ephesino, & contra Eutychem in Chalcedonensi probatum, ac definitum est. Propter vnitatem autem personæ fit illa, quam κοινωνίαν ἰδιωμάτων Græci communicationem idiomatum Latini Theologi vocant: vt Deus natus ex muliere, passus, crucifixus, mortuus dicatur, 1. Cor. 2. 2. Apoc. 1. 18. & 2. 8. Act. 20. 28. & homo verè diceret, *antequam Abraham fieret ego sum*, Ioann. 8. 58. Quibus ex locis ex idiomatum communicatione rectè probamus vnam in Christo personā, duas esse naturas, quia si duæ personæ essent, nunquam idiomata communicarentur. Sic enim natura comparatum est, vt nūquam, quod proprio vnius naturæ est, alteri tribuatur, nisi communem vtraque personam habeat. Sicut non dicimus in accidētibus dulce album esse, nisi cum vtraque natura dulcis, & albi idem omnino subiectum habet vt accidit in lacte. Caluiniani quibus ista sophismata videntur, & Conciliorum decreta deliramenta sunt, tentent alia ratione ex scripturis probare, quod nobiscum de hoc mysterio credere se dicunt: quod cùm facere non potuerint, & traditiones nostras, & subtiliorem Theologiam ista è latebris eruentem irridere desinant. Non malè hoc loco Euthymius philosophatur, tribus modis vnum fieri aliud, aut ita vt in illud transmutetur, quemadmodū cibus fit sanguis, lac caseus; aut ita vt aliquod tantùm illi accidens accedat, vt æs fit statua; aut ita vt accedat illi aliqua substantia, sed in illam non transmutetur, sicut miles accedētibus armis fit armatus; verbum igitur non duobus illis prioribus modis, sed hoc tantùm tertio factum fuisse carnem, dum naturam nostram quasi arma induit, vt cum Diabolo pugnaret. Scita quoque est verbi Dei incarnati cū verbo nostro voce expresso cōparatio, qua vtitur August. lib. 5. de Trinit. c. 11. *Verbum*, inquit, *quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud, quod profertur carnis ore vox verbi est; verbumque & ipsum dicitur propter illud, a quo, vt foris appareret, assumptum est. Ita enim verbum nostrū vox quodammodo corporis fit, assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominis, sicut verbum Dei caro factum est, assumendo eam, in qua & ipsum manifestaretur sensibus hominum.* In eo etiam quod August. nō indicat, exemplum est simile, quòd sicut in verbo nostro duæ naturæ sunt, corporalis altera id est sonus, altera spiritualis id est significatio, suppositum autem siue subiectum vnum; sic in incarnato verbo Dei duæ naturæ diuina, & humana sunt, persona verò vna. Longiorem huius loci explanationem si quis requirat, Theodoritum legat in Dialogo Impatibili, vbi omnium veterum auctorum de his verbis sententias inueniet.

Verbi incarnati cū verbo nostro expressa collatio.

Et habitauit in nobis.) Putant Chrysost. hom. 10. & Cyrill. c. 16. & Theophyl. & Euthym. ideo hoc Ioannem addidisse, ne quis existimaret verbum in carnem fuisse cōuersum; sed duas indicaret in Christo integras diuinā, atque humanam mansisse naturas: sicut ante dicens, *verbum caro factum est*, vnam tātum significauerat esse personam. Probabile, sed potiùs credo gradum ad id, quod dicturus erat, facere voluisse. Dixit enim habitasse in nobis, quia volebat dicere se vidisse, testémque eius rei oculatū esse. Athanas. orat. 3. contra Arian. eam reddi putat, cur *verbum caro factum est*. propterea enim carnem factum fuisse, vt in nobis posset habitare. De sensu nōnulla etiam est quæstio. Dixit Græcè ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, quod ad verbum verteris, & in tabernaculo in nobis habitauit. Quod quidam sic acceperunt, quasi humana natura, quæ, quia nobis omnibus communis est, nostra dicitur, eius tabernaculum in quo habitauerit esse significetur, quemadmodum Theodor. in Impatibili, Hilar. lib. 11. de Trinit. Cyrillus, Chrysost. Theoph. interpretantur. Sic enim D. Paulum dicere in ipso omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter inhabitare ad Colos. 2. 9. sic corpus nostrum vocare tabernaculum 2. Cor. 5. 4. & Petrum 2. epistola c. 1. 13. 14. Alij simpliciter exponunt, *In nobis*, id est inter nos habitasse, sicut dixit Baruch c. 3. 38. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, vt August. tract. 2. Nec tantam hoc loco vim verbum ἐσκήνωσεν habere mihi videtur, quantam illi, nec tam nullam, quàm isti auctores existimant. Nec enim crediderim sine causa Ioannem eo vsum verbo, cum facilius, & magis vsitatè dicere potuisset ἐν ἡμῖν ἐσκήνωσεν, si tantùm dicere voluisset, inter homines habitasse.

Credo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Credo ergo, quod ante me nonnullum obseruasse video, voluisse Ioannem verbo à tabernaculo deducto significare verbum Dei non tãquam indigenam in patria sua; sed tanquam hospitem, & peregrinum in aliena apud nos ad tempus tantùm habitasse. Solent enim, qui in patria sua sunt, in domibus; qui autẽ peregrinantur, in tabernaculis habitare, quemadmodum Filij Israel quamdiu sunt per desertum peregrinati. Nam & corpus nostrum propterea in scripturis aliquando, vt modò diximus, tabernaculum appellatur, vt significetur, quòd *non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus*, vt D. Paul. loquitur ad Hebr. 13. 14.

Corpus nostrum tabernaculum.

Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.) Θεασάμεθα spectauimus, contemplati sumus, quasi in aperto, quasi in theatro palam *vidimus gloriam eius*, quemadmodum pluribus explicauit verbis 1. epistola c. & v. 1. *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostre contrectauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis. Gloriam eius* vocat signa diuinitatis, quę multis in eo rebus apparebant. Quasi dicat nõ ita verbum factum fuisse carnem, vt eius penitus maiestas obscuraretur, multis se indicijs adeo ostendisse, vt oculis ipsis videri posset. Vero simile est, quod quidã existimãt, ad Christi transfigurationem alludere, cuius testis Ioannes fuerit, & vbi suam illi potissimùm gloriam intuendam aperuerat. Nam & Petrus, qui alter eius spectator, ac testis fuerat, eodem allusit, vt suum, quemadmodum Ioannes, testimonium commendaret. 2. epistola c. 1. 17. 18. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eũ huiusmodi à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et hãc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Satius quidem fuerit generaliter ad miracula, ad prædictiones, ad cognitionẽ cogitationum, ad doctrinam, atque res omnes extendere, quibus suã quoquo modo diuinitatem declarauit, quemadmodum Chrysostomus, & Euthymius existimant. Quorsum verò hoc Ioannes adiunxerit, multi quærunt. Chrysost. August. Beda, Theophylactus putant finem his verbis declarari, quamobrem *Verbum caro factum* esset, scilicet, vt eius gloriam perspicere possemus, adumbratam quodammodo humanitate, quam ipsam per se intueri nõ poteramus. *Gloriam eius*, inquit Augustinus tract. 2. *nemo posset videre, nisi carnis humilitate sanaretur. Vnde non poteramus videre? Intendat ergo carnis vestræ, & videte, quod dico. Irruerat homini quasi puluis in oculos, irruerat terra, fuscianerat oculum, videre non poterat lucem. Oculus iste fuscatus inungitur; terra fuscatus erat, & terra illuc mittitur, vt sanetur. Omnia enim collyria, & medicamenta nihil sunt nisi de terra. De puluere cæcatus es, de puluere sanaris. Ergo caro te cæcauerat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat, consentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus mentis cæcatus. Verbum caro factum est. Medicus iste tibi fecit collyrium. Et quoniam sic venit vt de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem, ideo factum est in te, vt quoniam Verbum caro factum est, tu possis dicere; Et vidimus gloriam eius.* Libenter Augustini quamuis multa verba recitaui, quia si nõ propriam interpretationem, vtilem certè habent, elegantémque sententiam. Cæterum quod ad quæstionem attinet, probabilius esse existimo quod principio indicauimus, voluisse Ioannem testimonij sui fidem commendare, qui incarnati verbi maiestatem oculis perspexisset. Hac enim de causa simili sententia 1. epist. c. 1. 1. vsum fuisse videmus.

Quorsum hoc Ioannes adiunxerit.

Gloriam quasi vnigeniti à Patre.) Repetitio est ad explicandam glorię magnitudinem ãdhibita, quasi dicat; Vidimus, inquam, gloriam eius, quasi gloriam vnigeniti. Primùm, tenẽdum hoc loco est, quod Augustinus in Psal. 125. & Ambrosius epist. 47. & serm. 18. in Psal. 118. & Chrysostomus hoc loco, & Gregor. lib. 18. Moral. cap. 4. Theophylactus, & Euthymius in commentarijs monuerunt particulas istas, *quasi, tanquam, sicut*, quibus vna ferè Græca respondet ὡς, aut ὡσπερ non semper similitudinem, sed aliquãdo veritatem significare: eius rei infinita in scripturis exempla sunt, quę facilè quisq; reperiet. Et vulgo, vt Chrysostomus, & Theophylactus aiunt, ita de Rege solemus loqui; Incedit quasi Rex, id est vt Regẽ decet, ita vt ex ipso incessu facile appareat ipsum esse Regem. Et cum de aliquo dicimus; Fecit sicut vir bonus, nõ significamus, inquit Augustinus, eum virum bonũ non esse, sed ita fecisse, vt appareat virum esse bonum. Sic ergo accipitur hoc loco, vt vera solius vnigeniti gloria significetur; sensúsq; sit, *vidimus gloriam eius* talem, ac tantam, vt non nisi vnigeniti filij Dei esse posset, vt facilè ex ea intelligi posset eum esse vnigenitum. Quæ interpretatio multo profectò melior, & magis Catholica est, quàm illa subtilium quorumdam interpretum, qui similitudinem tantùm significari putãt, quasi sensus sit; Non vidimus quidem gloriam ipsam veram vnigeniti, quæ in hac vita videri non potest, sed quasi gloriam vnigeniti, id est similitudinem quandam eius, qualis illa fuit, quam in transfiguratione nobis ostendit. Liceat etiã nobis aduersus argutos argutis esse. Rectè, si diceret Vidimus gloriã eius, quasi gloriam vnigeniti. At non dicit, quasi gloriam vnigeniti, sed, *gloriam quasi vnigeniti*. Melùs in ea quæstione ponetur oppera, cur Ioãnes hoc ipsum dixerit. Respondent Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, idémque Cyrillus indicat, voluisse hoc verbo docere, quid interesset eius, & sanctorum hominũ gloriam interesset. Nam & gloriam Mosis fuisse visam, cũ ex colloquio cum Deo eius facies cornuta facta est, ira vt eius aspectũ homines sustinere non possent, Exod. 34. 29. 30. & 2. Corinth. 3. 7. & Eliæ, cũ curru igneo euectus in cælum est, 4. Reg. 2. 12. Sed eorum gloriam non quasi vnigeniti apparuisse, participatam enim fuisse, vt Cyrillus ait; Verbi autem gloriam vnigeniti, id est naturalem. Rem quidem hi auctores rectè tetigerunt, sed non penitus explicarunt. Cur enim non dicebat gloriam quasi filij, quo verbo nõ minùs quod illi dicunt, declarasset, eius gloriam non participatam, sed naturalem fuisse, sed dixit; *gloriam quasi vnigeniti?* Vnus mihi videtur Basilius hunc penitus locum enucleasse in homil. de fide, propterea nomine vnigeniti vsum fuisse Ioannem, vt indicaret tantam eius, quantam Patris fuisse gloriam. Cùm enim alius pater multos habet filios nõ omnem suam gloriam, nõ omnem substantiam, omnésque facultates vni dare; sed inter omnes diuidere: cùm autẽ vnum tantùm habet, quod est vnigenitum esse, quidquid omnino habet illi tradere, nihil sibi reseruare; quemadmodum sibi eũ facere omnibus in rebus. Hoc est; *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt*, Ioann. 16. 15. Loquitur autem Ioannes, vt opinor, de Verbo, etiam quatenus homo erat; nam etiam vt homo vnigenitus erat Dei, & omnem eius gerebat gloriam. Quid enim non erat, qui Deus erat? quid non habebat, qui inhabitantem in se, & in eandem personam coniunctam habebat diuinitatem? At quid est quod addit, *à Patre?* Cum duobus præcedentibus nominibus hoc ablatiuus iungi potest, vel cum gloria, vel cum vnigenito: cum gloria quidem, vt sit sensus; *vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre* datam: quemadmodum Cyrillus, & Theophylactus iũgere videntur; sed ve-

ra, & congrua loco sententia. Nam eodem modo inquit Petrus 2. epist. cap. 1. 17. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriã voce delapsa ad eum huiusmodi, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Hoc tantùm habet incommodi, quòd duriuscula traiectio sit, & minùs plena sententia. Oportebit enim, vt ad solam Christi transfigurationem referatur, quam supra diximus patere lõgiùs. Itaque magis placet, vt cum nomine vnigeniti, & proximè adhærer, copuletur, sensúsque sit; *Vidimus gloriam eius gloriã quasi vnigeniti à Patre*, id est Patris, aut eius, qui vnus à Patre genitus sit, vt Origen. tractat. 2. in Matth. Beda, & Euthymius intelligunt. Neque necessarium esse arbitror, quod plerique putãt, vt aliquid subintelligatur, quod cõgruam efficiat orationem; aut participium ὄντος, vt quidam volunt, *quasi vnigeniti*, qui à Patre sit, vt infra ca. 7. 29. *Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit*: aut ἐξελθόντος *quasi vnigeniti*, qui à Patre exierit, vt cap. 16. 27. 28. *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego a Deo exiui, exiui a Patre, & veni in mundũ*, & c. 17. 8. *Et cognouerunt vere, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti.* Hoc, inquam, aut aliquid aliud subintelligere necessarium esse non arbitror. Nam etsi non participium, sed nomen est, vt quidam argumentantur, tamen vim participij passiui habet, quemadmodum si Latinè vnigenam dicas. Nec enim minùs decere licebit vnigena à Patre est, quamuis vnigena non participium, sed nomen sit; quàm ille est ab filio alienus, id est, alienatus. Et est meo quidem iudicio aptior, efficaciórque sententia. Atque ita D. Augustinus videtur interpretari in libro contra epistolam Manich. cap. 37.

Plenum gratiæ, & veritatis.) Similis hic quæstio est, quomodo verba iungenda. Sed alia priùs expedienda est, quomodo Græcè legẽdum. Nam omnes fere nunc codices in nominatiuo legunt πλήρης *plenus*. Quam lectionem quidam sic exponunt, vt nominatiuus *plenus* ad sequentia, id est ad Ioannẽ referatur, sensúsque sit, plenus gratię, & veritatis Ioãnes testimoniũ perhibet de ipso. Quod miror equidem illis in mẽtem venire potuisse. Quàm multa verò philosophantur, vt Ioannẽ probent rectè plenum gratiæ, & veritatis dici posse? Non dissimulo odio mihi esse illam in tractandis diuinis litteris tam argutam, tam curiosam, tam audacem subtilitatem, velliémq; eum semen animum induere lectorem meum. Nihil enim periculosius, quàm indulgere intẽperanter ingenio. Nonne satis erat Catholicis hominibus nostrũ interpretẽ vertisse aliter? omnes veteres auctores aliter exponere? Cõsiderassent, quod statim ver. 16. sequebatur; *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Illi enim haud dubiè plenũ gratiæ, & veritatis appellarunt, de cuius plenitudine dicit nos omnes accepisse. Non dicit de Ioannis, sed de Christi nos accepisse plenitudine, de qua ipse etiam se Ioannes accepisse confitetur. Considerassent, quod dicitur ver. 17. *Lex per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Illum enim uero plenum gratiæ, & veritatis asserat, per quem gratiam, & veritatẽ factam fuisse dicit. Quisnam ille fuit? Christus, an Ioannes? Obseruassent, quod quilibet vel mediocriter doctus observare potuit, nõnullos quidem homines sanctos, Beatam Virginem, Ioannem Baptistam, Stephanum gratia plenos appellari; plenum verò veritatis hominem purum neminem. Magis enim propria Christi veritas, quàm gratia est. Nam gratiam quidem cum hominibus sæpe communicat, veritatem, id est legis, ac promissionum impletionem nunquam. Solus ipse legis, ac promissionum finis est. Reliquum igitur est, si ita legam', vt nominatiuus πλήρης *plenus*, referatur ad λόγον *verbum*, hoc sensu; *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis plenum gratiæ, & veritatis*, & reliqua quæ medio spatio interiecta sunt verba, parentheſi legantur. Quo sensu & nostrum vertisse interpretem manifestum est, quia enim neutro genere *verbum* dixerat, neutro etiam genere in nominandi casu dixit, *plenum gratiæ*, & Orig. tracta. 2. in Matthæum, & quisquis auctor fuit hom. 2. ad diuersos, & Greg. Nyssen. hom. 1. in Cantic. Aug. lib. 13. de Trinit. c. 19. Beda, & Euthymius interpretantur. Alij malunt paucos quosdam secuti codices in quarto casu legere πλήρη plenum, quorum alij ad verbum, alij ad gloriam referunt, vtrique ad verbum ἐθεασάμεθα *vidimus*, repetentes verbum vidimus, scilicet verbum plenum gratiæ, & veritatis, vt illi, aut vidimus gloriam eius plenam gratiæ, & veritatis, vt Cyrillus, & Theophylactus, quemadmodum nonnulli existimant, interpretantur. Prima illa interpretatio Origenis, & Greg. Nysseni vera est; nec meliorem arbitror esse quærendam. Reliquum est exponamus, quid sit esse *plenum gratiæ, & veritatis*. Id auctor ille hom. 2. ad diuersos multis disserit verbis. Non dubito, quin gratiam Ioannes intelligat, de qua ver. 17. dicit; *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Illa ergo omni gratia, quam omnes vnquam homines acceperunt, ille plenus erat. Acceperunt gratiam redemptionis, gratiam quam vocant gratum facientem, varia Spiritus sancti dona, quę gratiæ, gratis datæ appellãtur. Omnes & aliæ, quas nemini fortasse dedit, in eo fuerint, & fuerunt cumulatè, redundanter, affluenter, tanquam in fonte, tanquam in capite, vnde in riuulos, vnde in membra deriuantur. Hinc intelligitur, quid discriminis inter illum, & Beatam Virginem eius matrem, Ioannem Baptistam, & Stephanum fuerit, quos etiam scriptura testatur plenos fuisse gratiæ, vel Spiritus sancti, Lucę 1. 15. 28. & Act. 6. 8. Primum quòd maior, id est infinita in Christo fuerit gratia; deinde in aliis finita. Illi enim *non ad mensuram dedit Deus spiritum* Io. 3. 34. nobis autem *secundum mensuram donationis Christi*, Ephes. 4. 7. Deinde quòd in Christo per se, & veluti natiua, in aliis participatione tantùm plena fuerit gratia. Plenum luminis esse dicimus q clarissimum est; sed aliter Solem; aliter quod à Sole multo collustratur lumine, plenũ luminis appellamus. Plenum aqua mare, plena ex mari flumina: vide quantum interfit. Hæc nos ruditer, dũ scripturam doctis, indoctisq; communiter interpretamur. Tractantur in scholis à Theologis subtilius, vnde huc afferre doctus, vbi discere indoctus lector debet. Veritatem quidam ad duas Christi naturas referunt, quòd nihil falsum, nihil simulatum, nihil fictum haberet, sed verè esset, quod appareret, verus Deus, verus homo, vt Beda interpretatur. Alij ad doctrinam, vt Euthymius, quod vera docuerit. Verus sensus est, quẽ explicat Origenes, aut qui altus est auctor homil. 2. ad diuer. & Theophylactus hoc loco, vt veritatem Ioannes opponat figuris, & promissionibus veteris legis, quas omnes Christus impleuit, 'taq; impletio ipsa, aut id quo implebantur veteres promissiones, atq; figuræ veritas appellatur. Vt colligitur ex ver. 17. *Lex*, inquit, *per Mosem data est, gratia autẽ, & veritas per Iesum Christum facta est*, manifestè enim legi veritatem, id est impletionem opponit. Hoc est quod ait D. Paulus ad Rom. 15. 8. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatẽ Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Hoc est quod iterum ait 2. Corinth. 1. 18. 19. 20. *Fidelis autẽ Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est, & Non,*

Quid discriminis fuerit inter Christum, & sanctos gratia plenos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis prædicatus est per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit, Est, & Non; sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est, ideo per ipsum, Amen Deo. Intelligitur opinor ex his locis, quid sit plenum veritatis. Venit filius Dei in hunc mundum quasi pecunia onustus: Galli dicerent, *ayant de quoy payer*; vt quidquid pro peccatis nostris, quidquid pro figuris, & promissionibus veteris testamenti debebatur, exsolueret, hoc est venisse *plenum veritatis*; *Ecce*, inquit, *Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur; ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo*, Isaiæ 40.10. & 62.11.

15. *Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens.*) Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, καὶ κέκραγε. Testatur de illo, & clamauit, id est Ioannes huius rei testimonium præbet, qui clara voce interrogatus, respondit illum esse Christum, de cuius plenitudine omnes essent accepturi. Vero simile est nostrum interpretem vtrumque verbum præsenti tempore legisse μαρτυρεῖ, & κράζει, *testimonium perhibet, & clamat*, estq; oratio magis emphatica. Quorsum hoc Ioānis testimonium nunc proferat Euangelista prima hoc loco quæstio est. Sunt qui putent hæc verba illis versu 7. respondere, *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*, quare explicare nunc velle, quodnam illud fuerit de quo dixerat testimonium. Sic apud D. Thom. Alcuinus. Sed hiatus ipse tantum spatij tenens satis indicat non bene tam dissita inter se verba cohærere. Præterquam quòd, vt eo diximus loco, quod illic dixit, *Hic venit in testimonium*, non ideo dixit, vt de Ioannis ageret testimonio, sed vt discrimé inter Christum, & Ioannem ostenderet. Hoc autem loco satis apparet susceptо consilio de Ioannis testimonio disputare. Alia igitur hoc facit causa, quam Chrysost. & Euthym. indicarunt. Voluit, quod ipsemet dixerat Euangelista, verbum carnem factū fuisse, & inter nos gratiæ, ac veritatis plenū habitasse, Ioannis Baptistæ testimonio confirmare, testis apud Iudæos omni, vt vocant, exceptione maioris, Iudæi, sacerdotis filij, prophetæ, tam denique sancti, vt Christus ipse crederetur, & contra seipsum pro Christo testificantis. Vnicuique enim, nedum viro bono contra se testanti credendum est. Et Ioannes cum Christus esse putaretur, & an is esset, fuisset interrogatus, *confessus* inquit, *est & non negauit, confessus, est quia non sum ego Christus*, infra ver. 20. Huc opinor pertinet, quòd clamandi verbo vsus est, partim vt significet Ioannem non obscurè, non ambiguè, nō timidè, sed palam, apertè, publicè, & quàm clarissimā potuit voce testatum esse nō se, sed Christum verū esse Messiam; partim vt ad Isaiæ testimonium alluderet cap. 40.1.3. *vox clamantis in deserto*. Vt verbo ipso doceret Ioannem fuisse eum, quem Isaias vaticinatus esset ante Deum vēturum fuisse. Quare credendum illi esse vel propter Isaiæ testimonium, quando alia non esset causa. At enim quomodo hoc Ioannis testimonio, quod ipse dixerat Euangelista confirmat? Quid enim hoc ad illud, *In principio erat verbum, &, verbum caro factum est?* Multum omnino. Eo enim ipso quòd Ioannes testatus est Christum esse Messiam qui venturus erat, declarauit esse Deum, & verbum illud quod *erat in principio apud Deum*, talem enim prophetæ futurum prædixerant. Et eo ipso quòd dixit se vocem illam esse in deserto clamantis, qui ante Deum ad nos venientem venturus erat, docuit Christum esse Deum. Idémque docet, cum dicit, *Post me venturus est, qui ante me factus est, quia prior me erat*, plùs enim, quàm dicit, insinuat, nempe se hominem tantùm mortalem esse; Christum esse Deum.

Hic erat, quem dixi.) Quando hæc verba Ioannes Baptista dixerit, ex versu 29. huius capitis satis constat, nempe cum digito venientem Christum ostenderet dicens; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Sed narrauit hoc loco Euangelista per anticipationem. Verba autem quæ sequuntur, *Qui post me venturus est, ante me factus est*, dixerat ante, cum ipse putaretur esse Christus, & an re vera esset interrogaretur, vt Ioannes infra declarat versu 23.26. & 27. & Matthæi capite 3.3. & Marci capite 1.3. & Lucæ cap. 3.4.

Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.) Ἐρχόμενος qui venit, aut qui veniet post me, ante me factus, est enim ἐρχόμενος præsentis temporis participium, sed positum pro futuro, vt nostrer conuertit interpres, quia cùm hæc Ioannes dicebat, nondū Christus ad ipsum venerat, vt apparet Matt. 3.11. Marc. 1.7. Luc. 3.16. Et solet præsens pro futuro poni, maximēque in hoc ipso verbo, vt Matt. 17. 11. *Elias quidem* prius * venit, id est *venturus est*, vt noster etiā vertit interpres. Loquitur enim hīc non de aduentu Christi per natuitatem in mundum, quasi post Ioannem veniisse dicatur, quia sex post illum mensibus natus est, vt graues etiam interpretantur auctores Epiphan. hæres. 69. Gregorius hom. 7. in Euangel. Ambros. lib. 3. de fide, cap. 5. Beda, & Theophylactus. Non enim dixisset ἐρχόμενος, qui venit, sed ὁ ἐλθών, qui iam venit. Iam enim Christus natus erat, cùm Ioannes hæc diceret; & tamen loquitur de futuro, sed loquitur de Christi prædicatione, ostensioneq;. Tunc enim venisse dicitur, cùm se mundo per prædicationem ostēdit. Quemadmodum rectè Chrysostomus homil. 12. & Euthymius exponunt. Quasi dicat ego illum prædicando præcedo, non quòd illo maior, sed eo ipso, quòd illo minor sim. Propterea enim priusquam ille veni, id est prior cœpi prædicare, vt tanquā eius minister viam illi præpararem, quia *vox clamantis in deserto* eram, ille Christus, ille liberator, quem voce ea prædicabam; quia ille Dominus, ego angelus ante faciem eius missus, Malach. 3.1. Melior etiam hic sensus est, quàm ille Cyrilli cap. 19. qui interpretatur, post me venit, aut ventutus est, id est in minore apud homines habetur honore. Sicut dicit, *ante me factus est*, id est mihi prælatus, maiore, quàm ego habitus honore. Quasi dicat, etsi nunc mihi hominum opinione post ponitur, paulò post cùm sese magis patefecerit, anteponetur. Non enim dixisset ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *qui post me* venit, aut *venturus est*: sed ὁ ὀπίσω μου γεγονώς, qui post me factus, id est qui mihi postponitur, sicut dixit ἔμπροσθέν μου γέγονεν, *ante me factus est*, id est mihi prælatus. Alludit ergo Ioannes ad consuetudinem seruorum, qui non solēt dominos suos præire, sed subsequi, vt rectè idem Cyrillus animaduertit. Tanquam si dicat, etiamsi ego præcer consuetudinem seruorum præcedo, ille sequitur; nolite existimare me dominum, illum seruum esse. Contra enim se res habet; ego seruus sum, ille dominus; sed præcessi illum, quemadmodum solet etiam aliquando seruus dominum præcedere non honoris, sed ministerij causa, vt viam explanet, vt paret hospitium. Quòd quidam obseruarunt participium ὁ ἐρχόμενος, *qui venturus est*, proprium epitheton esse Messiæ, qui venturus simpliciter, & quasi proprio nomine vocaretur, vt Matthæi 11.2. *Tues qui venturus es, an alium expectamus?* vt verum sit, tamen non est ad hunc locum accommodatum. Periret enim antithesis inter ἐρχόμενος, *qui venturus est*, &, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, *ante me factus est*, in qua

Inf. vers. 15. 27. 30.

rota vis atque sententia consistit. Præterquam quòd Christus venturus dicebatur, quia de cælo in terras per humanam generationem venturus erat; & paulò ante probauimus hoc loco non de humana generatione, quæ iam facta erat, sed de prædicatione agi. Difficilius quod sequitur, *ante me factus est*. Ariani verbum γέγονεν, *factus est* arripiebant, vt creaturam esse Dei filium comprobarent, quemadmodum similibus locis abutebantur, vt discimus ex Athanasio orat 2. aduersus Arianos, ex Hilar. lib. 2. de Trinitate, ex Ambr. lib. 3. de fide c. 5. ex Epiphan. hæres. 69. ex Theophyl. & Ruperto in hunc locum. Sunt, vt refert Chrysost. qui hoc ad diuinitatem referant, quasi dicat, *ante me factus est*, id est ante me erat, aut ante me fuit, hoc enim potest etiam verbum γέγονεν significare. Ante me autem erat, quia Deus erat, quia *In principio erat verbum*, vt interpretatur Epiphanius. Origenes verò, *ante me factus est*, videtur exponere mihi ante notus erat, etiamsi sese aliis nondum ostendisset. Ego enim, & omnes, qui vnquam fuerunt prophetæ, *de plenitudine eius accepimus*. Vetus sensus est, quem Chrysost. hīc, August. tractatu 3. Ambros. lib. 3. de fide c. 5. Gregor. hom. 7. in Euangel. Beda, Theophyl. Euthym. & Rupertus tradiderunt, plus honoris, & dignitatis, quàm ego consecutus est, mihi est antepositus. Idem enim est, *Ante me factus est* atque quod apud Matth. c. 3. 11. dicit, *Fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare*. Et, vt multi notauerunt, non dixit πρό μου, sed ἔμπροσθέν μου, præpositio autem ἔμπροσθεν nusquam in sacris litteris reperitur tempus significare. Præterquam quòd minimè apta redderetur causa, cur ante ipsum factus esset, quòd prior illo esset. Nam si prior fuit, quia ante me erat; si significat meritum, & dignitatem, inepta ratio est, ante me fuit, quia prior dignitate, & merito me erat. Poterat quippe posterior esse tempore, & dignitate prior. Sicut *erunt nouissimi primi & primi nouissimi*. Ineptior si dicamus, quod Ariani dicebant, verbum γέγονεν creationem significare. Quæ enim ratio esset, vt Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus argumentantur, Ante me creatus est, quia prior me. Si enim ante factus erat, ante vtique erat. Ille igitur, quem explicauimus, verus est sensus. At hunc ipsum sensum non eodem modo omnes intelligunt. Sed alij ad futurum referunt, quasi præteritum pro futuro prophetarū more positum sit. Agi enim de futura Christi apud homines gloria, post ipsius per prædicationem, & miracula declarationem, vt Chrysost. & Cyrillus, quasi dicat, ille crescet, ego minuar, vt infra c. 3.30. Alij ad declarationem in adoratione Magorū iam factam, quod nimis videtur esse subtile. Credo ego ad diuinam prædestinationem, ordinationémque referendum: tanquam dicat, *ante me factus est*, id est prædestinatus, designatus, cōstitutus est à Deo in maiore dignitatis gradu vt Rex, vt Redēptor siue Redemptoris tantùm minister sim. Hinc intelligitur, quod neminē obseruare memini, cur non clarius, simpliciùs, & breuiùs dixerit, maior me, aut dignior me erat? quia voluit nimirū significare Christum non vsurpasse dignitatē illam, sed à Deo in ea fuisse constitutum, vt disserit D. Paulus ad Hebræos 5.4. & vt ait Petr⁹ Act. 10.42. *cōstitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorū*, & D. Paulus ad Hebr. 1.2. *quem constituit heredem vniuersorum*. Loquebatur enim Ioānes de Christo non solùm quatenus Deus, sed etiam quatenus homo erat, vt rectè adnotauit Ambrosi⁹.

Quia prior me erat.) Hoc etiā multi de tēporç interpretantur, quasi sensus sit, propterea honore, & offi-

cio mihi prælatus est, *quia prior me erat*, quia maior natu erat, non si humanā, sed si diuinā spectes generationē, quia *In principio erat verbū, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Et solet maioribus natu plus honoris deferri. Ad hūc modū Epiphani⁹ aduersus Ariomanitas, Aug. tract. 3. Chrys. hom. 12. Greg. hom. 7. in Euangelia, Beda, Theoph. Euthym. Rupertus. Quod quia omnes dicunt, non temere reiecerim: sed iudicet lector, num & hic sensus magnopere congruat, vt hoc etiam non de tempore, q̄ minùs ad rem pertinere videatur; sed de naturæ præstantia intelligatur. Quasi dicat propterea mihi prælat⁹ est, quia re ipsa, ac natura sua multo præstātior, multo maior, multo melior me erat. Mihi quidem placet, etsi auctorem non inuenio nisi malum. Confirmatur enim sequētibus verbis. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Melius qppe hæret, vt de plenitudine eius se accepisse dicat, quia maior, quia plenior gratia erat, quàm quia tempore prior. Si tamen Baptistæ sunt verba, de qua re statim disputabimus.

16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.*) Primū hīc disputatur, cuius hæc sint verba, Ioannisne Baptistæ, an Euang. Multi auctores Baptistæ esse putāt Orig. Athan. in lib. de incarnat. verbi, Aug. Chrysostini homiliæ 13. Theoph. & Rupertus. Neque video, quid magnopere repugnet. Nam quòd quidam afferunt, quæ sequuntur Euangelistæ certè verba esse, ver. 18. *Deum nemo vidit vnquam*, minimū habet ponderis. Cur enim illa ipsa verba Baptistæ esse non possint? Et vt Euangelistæ sint; cur hæc Baptistæ non sint? Quid enim obstat, quo minùs Euāgelista ab illis verbis, *Deum nemo vidit vnquam*, orationis suæ filum resumpserit. Aliquāto tamen mihi videtur probabilius, vt Euangelistæ sint. Non ob eam quidem causam, quam alij afferunt, sed quia sententia erit plenior. Nam si Baptistæ sint, non videntur intelligi posse nisi de Ioanne, cęterisque prophetis, qui Ioannem præcesserant, & de verbo ante incarnationem; cùm multo maiorem in omnes homines gratiam incarnatum iam verbum effuderit. Et apparet quàm latissimè patere sententiam. Accedit, quòd statim sequitur, *Lex per Mosem data est; gratia, & veritas per Iesum Christū facta est*, quibus verbis apparet de sola gratia noui testamēti esse sermonem. Cum ergo Euangelista dixisset, *& habitauit in nobis plenū gratiæ & veritatis* pergit nunc de eadē agere plenitudine, docētque nos omnes de illa accepisse, vt Chrys. postea dicit probabiliorem hanc opinionem iudicans, & Greg. lib. 4. comm. in lib. 1. Reg. c. 9. & Beda, Euth. & Zacha. Chrysopolitan⁹ in comm. De sensu non minor quæstio. Nam qui Ioannis Baptistæ verba esse putant, fere existimant huc esse sensum: Ego & omnes alij prophetę, qui ante me fuerūt, si quid gratię, si quid prophetici habuimus spiritus, ab eo accepimus, qui Spiritu sancto, & gratia plenus erat. Sic Origenes, Theophyl. & Rupertus. Sed iam docuimus hæc verba esse Euangelistę, & vt Baptistæ sint, non possunt mea quidem sententia eam interpretatiōné pati, quia de verbo iam incarnato loquitur, & dixerat Euangelista, *plenū gratiæ, & veritatis* in nobis habitasse, & debet Baptistę testimonium, quod ad id confirmandum adducitur, de eodē intelligi, & illud, *omnes* potiùs præsentes Iudęos, quibuscum Ioannes loquebatur, quàm iam mortuos prophetas ostēdere credendum est. Qui Euāgelistæ verba esse dicunt *omnes* exponunt Euangelistam dicere se, & cæteros Apostolos, omnesq; Christianos, quidquid vnquam habuerunt gratiæ, ab eo accepisse. Illud rectè à quibusdam obseruatum phrasim illā, *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, multiplicem emphasim habere.

Num hæc verba sint Euangelistæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primùm quidem indicare neminẽ præter Christum vllam accepisse, & participatã gratiã habuisse. Deinde neminem eam ipsam ab alio accepisse, quàm a Christo. Præterea neminẽ tantum accepisse gratiæ, quantum Christus habebat; non enim dixisse plenitudinem, sed *de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Denique significari plenitudinem illam Christi omnibus sine discrimine hominibus expositam fuisse, vt quicunque vellent, de illa acciperent; apertũ fuisse omnibus inexhaustum illum fontem, vt quicumque vellent, hauirẽt. *Omnes*, inquit, *sitientes venite ad aquas*. Cur ergo non dixit, De plenitudine eius omnes accipiunt, vt omnes etiam futuras cõprehenderet ætates; sententiáque fuisset vberior, sicut dixerat ver. 9. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*? Si Baptistæ verba sunt, non difficilis est ratio, quia tantũ gratiæ habere videbatur, vt Christus esse putaretur, dixit multo plus habuisse Christũ, à quo ipse, & omnes accepissent. Si Euãgelistæ, minùs quidem clara, sed tamen similis est ratio. Loquebatur enim tanquã Apostolus, tanquã Euangelista: & loquebatur cum ijs, qui Apostolũ eum credebant esse, ciúsque gratiam, & spiritum admirabãtur. Confitetur se cum omnib⁹ alijs, quidquid haberet, de Christi accepisse plenitudine. Quẽadmodum si vir doctus, cuius omnes eruditionem admirẽtur, vt alium multo se doctiorem esse significet, se illius discipulum esse fateatur; ab eo, quidquid sciat, didicisse.

Et gratiam pro gratia.) Locus & per se, & sententiarum varietate difficilis. Primùm quam vim habet coniunctio illa, &, quod à nemine explicatum memini. Videtur enim indicare cùm dicit, *& gratiã pro gratia*, præter gratiã aliquid aliud ab eo accepisse. Si hæc particula nõ legatur, nullus quæstioni locus est. Et quidem Beda indicat in plerisque codicibus non legi. Sed quia omnia nunc Græca, Latináque legunt exẽplaria, vt etiam D. Augustinus monet, explicanda vis eius est. Cogor proprijs vti cõiecturis in propria quæstione. Triplicem vim videtur habere posse, vnam, vt sit ἐξηγητικὸν, explicatiua, vt sæpe aliàs; quasi dicat, *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, scilicet *gratiam pro gratia*. Alterã, vt sit emphatica, significétque nos à Christo nõ solùm doctrinam, non solùm legem Euangelicã, sicut olim Iudæos à Mose legem veterem; sed etiam, quod amplius est, gratiam accepisse. Atque hunc sensum cõfirmat, quod statim sequitur, *quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. Tertiã, vt sit aduersatiua, quasi dicat, omnes accepimus, sed gratiã pro gratia, vt paulò post sumus explicaturi. Omnis inter interpretes quæstio est, quid sibi velint hæc verba, *gratiã pro gratia*. De quorundã interpretatione, qui exponunt *gratiã pro gratia*, id est gratis, aut gratiam non pro natura, sed pro gratia, &, vt illi dicũt, sub ratione gratiæ, nihil dico grauius, quàm esse subtilem. Alij pro gratia Christi, quæ plena, & immensa erat, gratiam non immensam, sed ad mensuram accepimus. Quemadmodum Zacharias Chrysopolit. & nõnulli recentiores interpretes intelligunt. Leontius in cõmentarijs ad hunc locum inauditam adhibet interpretationẽ, gratiam vocari flatum illum, quẽ Christus inspirauerat in Adã, cum illum ex terra formasset, Gen. 2.7. Pro ea igitur gratia, id est pro eo flatu, meliorẽ in Apostolos flatum, gratiámq; insufflando inspirasse inf. c. 20.22. Alij gratiam huius vitæ per fidem, & caritatẽ, pro gloria alterius, quę quia ex gratia proficiscitur, etiam vocatur gratia. Sic Augustinus hoc loco, & lib. de corrept. & gratia, cap. 13. & lib. de gratia, & lib. arb. c. 8. & tract. 3. & 13. in Ioã. & Bern. ser. 5. de assumpt. & Beda in comment. Alij gratiam, id est legem Euangelicam, quæ, quia gratiam nobis attulit, gratia vocari solet, pro lege veteri, quæ suo quodãmodo, quia homines iuuabat, gratia dicebatur. Sic Chrys. Cyrillus, Nonnus poëta, Leontius, Theophyl. Euthym. Rupertus. Et quidẽ si in vlla veterum auctorum interpretatione ſtãdum est, in hac vltima sententia ſtandũ est. Valde enim videtur proximis verbis cõfirmari, *Quia lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. Illud me valde alioqui amantem antiquitatis, quo minus sequar, remoratur, quòd veterẽ legem vocari gratiam nusquam inuenio: gratiæ verò opponi frequẽter lego apud D. Paul. Rom. 6.14.15. & hoc ipso loco qui in hanc sententiam citatur, manifestũ est gratiæ legem opponi, *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. quo ergo modo eodem in loco gratia lex vocari potuit? Quòd si alijs locis gratia vocaretur, tamen hic sententia ipsa postulabat, vt gratiæ opponeretur, id enim agebat Ioannes vt veterem legem extenuaret, nouam commendaret. Non extenuasset profectò legẽ veterem, sed nimis honorifico ornasset titulo, si gratiã appellasset. Placuit mihi longo tempore, quod nescio vnde incerto auctore didici, *gratiam pro gratia* id est omnem gratiam, aut cumulatam gratiam. Quo sensu non dubito intelligendum illud Iob 2.4. *Pellẽ pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua*, id est omnem pellem, omnes facultates suas, vt ſtatim exponitur, quæ tunc in pellibus, & pecudibus sitæ erant. Quem admodum si Latinè dicas, Accepimus gratiã aliam super aliam, id est cumulatam, vt quam frequentissimè loqui solet Liuius. Existimabã enim Ioannem Hebraismum imitari voluisse, quasi dixisset יתת תחת עלי בית הקיץ, domum hyemalem supra domum æstiuam, id est omnem domum. Cœpit mihi postea displicere, & quia animaduerti, si id Euangelista dicere voluisset, non fuisse dictarum γάριν ἀντὶ χάριτος, & quia meliorem mihi vilius sum inuenisse, in qua animus meus penitus cõquieuit. Credo igitur hunc esse sensum, *Accepimus gratiã pro gratia*, id est non omnes eandẽ, sed diuersã. Etsi eam quã vnus accepit, non semper accipit alius, tamẽ loco eius accipit alià, *Diuisiones enim gratiarum sunt, idem autem spiritus*: & *alij quidẽ per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutũ, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarũ, alij interpretatio sermonũ*. 1. Cor. 12.4.8.9.10. Hoc est *gratiã pro gratia*, & ad Rom. 12.3.4.5.6.7. *Unicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra nõ eundẽ actũ habent, ita multi vnũ corpus sumus in Christo, singuli autẽ alter alterius membra. Habentes autem donationes secũdum gratiã, quæ data est nobis, differentes, siue prophetiã secundum rationẽ fidei, siue ministerium, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur, in exhortãdo, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate*, & ad Ephes. 4.7. *Vnicuique nostrũ data est gratia secundum mensurã donationis Christi*. Hoc, inquam, est *gratiã pro gratia*. Itaque hæc verba duobus præcedentibus verbis respõdent, verbo, plenitudinis; & verbo, omnes. Quia enim dixerat nos de plenitudine eius accepisse, indicãs participationẽ quandã eius plenitudinis inter homines, quæ per præpositionem illam, *de*, significatur, id est non ipsam nos plenitudinẽ accepisse, sed ex illa alios vnũ rem, alios aliam, alios plùs, alios minùs, addidit quasi

id expli

Isai. 55.1.

explicans, *gratiam pro gratia*, id est alius vnam, alius pro illa aliam accepit. Similiter quia dixerat omnes accepisse; ne aut idem, aut æqualiter accepisse putarentur, adiunxit, *gratiam pro gratia*, id est nõ quidem eandem omnes, non omnes æqualẽ; sed alius vnam, alius pro illa non semper illam, non semper æqualem; sed aliam, aut maiorem, aut minorem secundum mensuram donationis Christi. Quare coniuncto illa, &, vt ante attigimus, idem significare potest, quod quamuis, & pro γάρ τε, aut idem quod, sed; quod est apud Hebræos vsitatissimum, vt sit sensus consequens, & sponte fluens, *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, quamuis non eandem gratiam. Aut, *& alius verò ſte*, vt postea dixit D. Paulus.

17. *Quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*.) Hæc etiam verba putat Origen. esse Baptistæ vsq; ad illa, *ipse enarrauit vobis*. Probabilius, quod alij omnes dicunt, Euangelistæ esse, præsertim si superiora, vt diximus, illius sunt; eiusdẽ enim auctoris esse manifestum est. Quorsum autem hoc addat, nõnulli quærunt. Sunt qui putent Euangelistam, sicut priùs cum Ioanne Baptista, ita nunc cum Mose Christum cõparare, vt eius supra omnes homines præstantiam ostẽdat, vt Cyrillus ait. Comparat quidem, sed aliud opinor agendo; nec enim id ipsum agit, vt cõparet. Qui superiorum verborum sensum esse dicunt accepisse nos gratiã pro gratia, id est legem nouam pro veteri, hæc verba tanquam eorum explicationẽ addita esse putant, vt vnus pro omnibus Theophylactus declarat. Si nostra in eum locũ interpretatio vera est, causa hic redditur, quãobrẽ dixerit Euangelista; *De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia*; poterat enim aliquis dicere: Quid ergo, num antea gratia nõ erat? Respondet nondum fuisse allatam, nondum eius fontẽ patefactum. Nam lex quidem data erat, gratia nõ erat. Dimouet Ioannes homines à lege, in qua valde Iudæi confidebant, & ad Christum auctorem gratiæ traducit. Magna in singulis verbis vis est, quæ per quartuor antitheses explicatur. Prima est inter gratiam, & legem, quasi inter animam, & corpus. Lex quasi mortuum corpus erat, *littera*, inquit, *occidit*, pondus fere inutile, quod onerabat, non roborabat, iubebat, non iuuabat, quod tam sæpe dicere solet Augustinus; *Lex propter transgressiones posita est*. ad Galat. 3.19. & *per legem cognitio peccati*. nõ remissio, quin potius *concupiscentiam nesciebã, nisi lex diceret, Non concupisces*: Occasione autem accepta peccatũ per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, sine lege enim peccatum mortuum erat, Roman. 7.7.8. &, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum, vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia*, Roman. 5. 20. Gratia verò veritas legis est, quæ vigorẽ illi, vt seruari queat, imprimit. *Spiritus autem viuificat*: &, *Lex*, inquit, *spiritus in Christo Iesu liberauit me à lege peccati. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*. Roman. 8.2.3.4. Quod in prima hominis formatione Deus fecerat, hoc in secunda eius reformatione fecit. Primùm dedit Adamo corpus itane, deinde animam adiecit: & hominibus redimendis priùs dedit legem, deinde tradidit gratiam. *Non priùs quod spirituale est, sed quod animale*, 1. Corint. 15.46. Secunda antithesis est inter veritatem, & eandem legem. Cùm enim in lege duæ potissimùm fuissent partes, præcepta decalogi, & ceremoniæ; atque figuræ rerum futurarum; præceptis

A

B

C

D

E

gratiam, cæremonijs, atque figuris veritatem opponit, vt Chrys. hom. 13. Cyrill. Leo in serm. de transfiguratione, Beda, Theophyl. exponunt. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginẽ rerum*. Hebr. 10.1. & *nihil ad perfectum adduxit lex* Hebr. 7.19. Tertia est inter Christum, & Mosem, quasi inter dominum, & seruum, inter legislatorem, & præconem legis. Præconis est legem proclamare, promulgare, legislatoris dispensare, quòd est, vt inquit Aug. soluere à reatu legis, id est gratiam facere, vt Latini etiam eodem sensu loquuntur auctores. Prætulit, vt notat Cyrillus, Euangelista Christum duobus præstantissimis, & perfectissimis viris Ioanni, & Mosi, vt appareret verum esse, quod Dauid dixerat Psal. 88.7. *Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filijs Dei*? Quarta est inter facere, & dare, Mosem non dixit fecisse, sed dedisse legẽ, indicans eum non auctorem, non legislatorem, sed ministrum legislatoris fuisse: de Christo autem non solùm dixit dedisse, sed etiam fecisse gratiã, quia Moses acceptam ab alio, id est à Deo legem, & quibus tradere iubebatur, tradidit, Christus gratiam non accepit, sed fecit, quia ipse fons erat gratiæ, vt Chrysost. & Theophylactus animaduertunt. Cadent cõmodè in hunc locum August. verba tract. in Ioan. 2. *Per seruum lex data est, reos fecit, per Imperatorem indulgentia data est, reos liberauit. Lex per Mosen data est, non sibi aliquid amplius seruus adsignet, quam quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium tanquam fidelis in domo, sed tamen seruus, agere secundum legem potest, soluere à reatu legis non potest. Lex ergo per Mosem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*.

18. *Deum nemo vidit vnquam*.) Quorsum hæc? August. & Beda respondent, *& forte aliquis dicat, Et gratia, & veritas non est facta per Moysen, qui Deum vidit? subiecit, Deum nemo vidit vnquam*. Quę responsio ideo non satis videtur apta, quòd ratio cur gratia, & veritas per Mosem facta non sit, non est, quòd Deum ille non viderit. Nam vt maximè vidisset, non potuisset tamen gratiam, & veritatem facere. Chrysostomus, & Theophylactus videntur hoc ad solum nomen veritatis referre, quasi ratio his verbis redderetur, quare non Moses, sed Christus veritatem nobis attulerit, quia nimirum Moses Deum non viderat, itaque non poterat veritatem nobis disertè, explicatèque enarrare: Christus qui solus viderat, poterat. Non videntur sibi constare. Nam paulò ante veritatẽ non vt falsitati, sed vt figuris, & ceremonijs opponitur, accipiebãt, nunc pro veritate doctrinæ accipere videntur. Idem Chrysost. & Euthymius existimant rationem reddi, cur gratia, & veritas melior esset, quàm lex, atq; perfectior, quia solicet lex per Moysem data fuerat, qui Deũ nõ viderat, gratia & veritas per Christũ, qui Deum viderat. Quod non intelligo, qui cohæreat. Nam neque dixerat Ioãnes gratiam, & veritatem perfectiorẽ esse lege, sed tanquam rem omnino certã posuerat, itaque probanda non erat. Et si dixisset, hac ratione probari non potuit. Nõ enim propterea gratia, & veritas perfectior est lege, quia ab eo datæ sunt, qui Deum viderat, sed suapte natura. Alioqui si Moses Deum vidisset, lex, quæ per ipsum data est, tam perfecta, quàm gratia, & veritas esset, quod nemo profectò concedet. Aptiùs mihi videtur D. Thomas respondere, exponere nunc Ioannẽ, qua ratione ipsi, & cæteri Apostoli de plenitudine Christi gratiã accepissent, ipso scilicet docente, qui in sinu Patris erat. Aptissimè verò omnium, qui hæc non ad proxima, sed ad omnia, quæ supra de verbo dicta fuerant, referunt. Quasi dicat Euangelista, ea, quæ de verbo dixi nõ ex alio, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

exipſo didici verbo: quis enim alius tam diſtinctè, atque perſpicuè potuit enarrare, cùm nemo Deum viderit præter ipſum? Exiſtimo etiã ad teſtimonium Ioannis potiſſimùm alludi, cui Chriſti teſtimonium his verbis præferatur. Tanquam ſi dicat, magnũ quidem fuit, quod recitaui, quòdque modò ſum recitaturus Ioannis teſtimonium; at multo maius ipſius vnigeniti Filij Dei, qui ſemper eſt in ſinu Patris, omniáque nobis enarrauit. De ſententia nunc verborum agendum. Quid eſt, *Nemo vidit vnquam?* Chryſoſt. Theophyl. & Euthym. non probo ſententiam, qui verbo illo *nemo*, non homines ſolùm, ſed omnes omnino creaturas cõprehendi putant; & viſionem non qualemcunque, ſed perfectã diuinæ eſſentiæ cõprehenſionem intelligant, quaſi ſenſus ſit nullam creaturam comprehendere poſſe Deum, etiamſi videre poſſit. Non dubium quin de ſolis loquatur hominibus: quorſum enim de alijs rebus loqueretur? Nec de hominibus quidem omnibus, ſed de ijs, qui adhuc mortalem agunt vitam. Nam beatos illos, qui iam à nobis in cælum emigrarunt, clarè, apertéque illum videre multis locis ſcriptura docet Ioan. 17. 3. & 1. Ioan. 3. 2. & 1. Cor. 13. 12. Nec loquitur de comprehenſione diuinæ eſſentiæ, cùm hanc vitam futuræ tacitè opponat, vbi beati quamuis Deum quidem non comprehẽdant, tamen vident. Quo autem modo hoc ipſum verum ſit, neminem in hac vita vidiſſe Deum, cùm multi eum in ſacris litteris vidiſſe memorentur, Moſes Numer. 12. 8. Iacob Geneſ. 32. 30. Iſaias c. 6. 1. Ezech. c. 1. 1. & 10. 1. Daniel c. 7. 9. omnes querunt interpretes. Quidam intellexerunt hoc de viſu corporeo, neminem in hac vita oculis corporis videre Deum, vt Maxentius dialogo 2. meminitque eius opinionis Aug. epiſt. 112. ad Paulinam, nec ab ea magnopere videtur abhorrere. Quę interpretatio nec ad hunc locum ſatis videtur apta, cùm de hac, vt diximus, agatur vita, & tacitè intelligatur in altera beatos videre Deũ, quem nõ vtique corporis, ſed mentis oculis vidẽt, & locũ Numerorũ, Gen. & Iſaię nõ bene explicat, vbi haud dubiè Iacob, Moſes, & Iſaias quod in Deo viderunt, quidquid tandẽ illud fuit, corporeis viderunt oculis. Alij neminẽ vidiſſe, id eſt cõprehendiſſe, vt paulò ante ex Chryſo. Theophylacto, & Euthymio dicebamus. Quo eodẽ ſenſu intelligẽdi ſunt, cùm dicũt nõ ſolùm, homines beatos, ſed ne ipſos quidẽ angelos diuinã eſſentiam videre poſſe. Quod nõ hoc ſolùm loco Chryſoſt. ſed etiam homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura ſcribit, & Theodoritus in Eraniſte, & Baſilius hom. 1. Hexaẽmer. vbi docet Moſem vidiſſe diuinã eſſentiam ad eum modum, quo vident angeli; cùm hom. 21. de potẽtia, ſeu principatu doceat nullum hominem vidiſſe eſſentiam Dei, quod nõ poteſt intelligi, niſi de cõprehenſione, cùm Moſes, ſicut angeli, eam viderit. At iſto modo ne beati quidem vident, cùm manifeſtum ſit agi, vt diximus, de hac vita, nam in altera *videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Ioan. 3. 2. & Exo. 33. 20. cùm dicitur, *non videbit me homo, & viuet*, non obſcurè ſignificatur poſt mortem videre poſſe. Viſio autẽ huius vitæ non opponitur viſioni alterius tanquam viſio non comprehẽdens cõprehendenti; ſed tanquam ænigmatica, perſpicuæ, hoc eſt tanquam non viſio viſioni, vt docet D. Paulus 1. Cor. 13. 12. Reliqua eſt ea interpretatio, quæ plures habet autores, & eſt per ſe probabilior, neminẽ in hac vita vidiſſe Deum, id eſt clarè, & apertè conſpexiſſe diuinam eſſentiam, ſicut beati in cælo conſpiciunt. Hoc enim magis ad rem attinebat, cùm de ea viſione ageretur, qua qui Deum vidiſſet, alijs, quod vidiſſet, reuelare poſſet; ea autem non fit viſio corporis, ſed

Nemo in hac vita clarè & apertè diuinam eſſentiã cõſpexit.

mentis; non comprehenſio, ſed clara, perſpicuaque cognitio. Certè Moſem, Iacob, Iſaiam, qui Deum vidiſſe perhibentur, non vidiſſe diuinam ipſam eſſentiam antiquiſſimi quique auctores tradunt, Dionyſius in lib. de cæleſti hierarch. c. 4. Iren. lib. 4. c. 37. Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. Tertul. in lib. contra Praxeam, Gregor. Nyſſen. in vita Moſis, Gregor. Nazian. orat. 2. de Theolog. Victorin. lib. 3. contra Arium, Hilar. li. 4. de Trinit. Cyrillus hoc loco, Ambroſ. lib. de fide contra Arian. c. 8. & ſerm. 8. in Pſal. 118. & lib. 1. in Lucam c. de apparitione angeli. D. Auguſt. in qq. noui teſtam. q. 71. Cæſarius, Andreas Cretenſis in Græca Catena, qui ad hunc modum hunc locum interpretantur; cum quibus cùm Chryſoſt. hom. in Ioan. 14. & hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura, & Baſil. Theodorit. q. 68. in Exod. & Theophylact. atque Euthymius in locis, quos paulò ſupra deſignauimus, in hoc conueniant, quòd nemine vnquam ipſam diuinam eſſentiam ſicuti eſt videre putent; conſtat hanc, in qua omnes conſentiunt, interpretationem omnium eſſe certiſſimam. Ita alia ſoluitur quæſtio, quam Cæſarius proponit, Quomodo Deum nemo vidit vnquam, cùm Apoſtoli Chriſtum viderint, qui Deus certè erat; præſertim cùm idem dicat Ioannes ſe verbum quod ab initio erat, oculis ſuis perſpexiſſe. Nempe non diuinam, ſed humanam in eo naturam perſpexerat; neque Deum vnquam eſſe credidiſſent, *niſi hoc ipſum illis vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris*, enarraſſet. Id ipſum ex litteris ſacris perſpicuum eſt. Moſes omnium apertiſſimè Deum vidiſſe dicitur Nume. 12. 8. Si ergo ille Dei eſſentiam non vidit, nemo vnquam vidit, atqui illum nõ vidiſſe ſcriptura docet; ſi enim viderat, quomodo poſt illa tam familiaria cum Deo colloquia dicebat, *oſtende mihi faciem tuam? & oſtende mihi gloriam tuam?* Exodi. 33. 13. 18. quomodo Deus illi videre cupienti reſpondebat, *videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris?* Exod. 33. 23. & vt Chryſoſt. Theophyl. & Euthym. argumentantur; ſi patres illi Deum vidiſſent, omnes eodem modo, eadem forma vidiſſent: Deus enim idem ſemper eſt; at alius in nube, alius in throno, alius in lucẽ vidit. Intelligimus ex Idacio Claro in libro contra Arian. c. 18. & 20. hoc etiam loco Arianos abuti ſolitos; probabant enim Chriſtum non eſſe Deum, quia *Deum nemo vidit vnquam.* Chriſtum autẽ multi viderunt. Hunc enim præter multos alios Arianorum errorem fuiſſe, vt dicerent ſolùm Patrem inuiſibilem eſſe, Filiũ verò viſibilẽ, conſtat ex Chryſoſt. & Auguſt. in hunc locum. Quod argumentũ paulò ante diluimus. Itémque non eſſe Deum, quia non videbat Deum; Deum enim nemo vidit vnquam. Hoc etiam ex hoc eodem loco refutatur, *vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Quomodo enarrauit, ſi non vidit? & Matth. 11. 27. *nemo* dicitur Patrẽ noſſe *niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Denique ex D. Paulo ad Coloſ. 2. 3. in Chriſto dicuntur *omnes theſauri ſapiẽtiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi.* Abutebãtur & Eunomiani, aut Macedoniani, qui Spiritũ ſanctum Deum eſſe negabant, cõfirmabántque ex his verbis *Deum nemo vidit vnquam*, quaſi Spiritus etiã ſanctus excluderetur, vt indicat Ambr. li. 1. de Spiritu ſancto c. 1. Quibus his ille verbis reſpondet. *Quomodo Deum non videt, qui ſcrutatur etiam alta Dei? Quomodo Deum non videt, qui cognouit, quæ Dei ſunt? Quomodo Deum non videt, qui ex Deo eſt? Ergo cùm ita poſitum ſit, quia Deum nemo vidit vnquã; vidit autẽ Spiritus, vtique excepto eo omnibus Spiritus. Super omnia igitur eſt, q. eſt* exceptus ex omnibus.

Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.) Tria hîc explicanda ſunt verba, in quibus huius loci

ius loci

ius loci ſententia conſiſtit, *vnigenitus, in ſinu Patris, ſe enarrauit nobis.* Proponitur in Græca Romana Catena quæſtio nomine Chryſoſt. ex orat. 4. de incomprehen. Dei natura, cur priùs poſuerit nomen vnigeniti, deinde filij? Reſpondet, nomen filij omnibus filijs cõmune eſſe, nomen verò vnigeniti proprium; ne quis priùs nomen filij legens communem intelligeret filium. Meliùs Hilarius reſpondet lib. 6. de Trinit. hoc nomine adoptionem excludi, naturam aſſeri. Magis rem contines, quod obſeruauit Euthymius, idémque ex Gregorio Nazianz. & Elia Cretenſi alibi notauimus; nam hoc quidẽ quod Chryſoſtomus adnotat, ſubtile videri poteſt: Chriſtum non eodem modo, quo cæteros homines, vnigenitum dici. Nam cæteros quidem, quòd ſoli ex parentibus nati ſint, vnigenitos dici; Chriſtum non ſolùm quia ſolus ex Patre, ſed etiam quia ſingulari, & ineffabili modo natus eſt, vnigenitum appellari. Illud in eandem ſententiam in Catena Chryſoſt. admonuit nomini vnigeniti articulum eſſe additum, vt ſignificaretur vnigenitus ille non ſimilis cæteris. Magis etiam ad rem pertinet, vti quæramus, quare Euangeliſta hoc ipſo nomine vſus ſit? Poterat enim ſimpliciter vocare filium, ſicut alijs innumeris locis vocat. Conſilio id factum credo, quia dicturus erat ipſum enarraſſe, vnigenitum appellauit, vt nomine ipſo declararet, bene eum, quæ ad Deum pertinerent, enarrare potuiſſe, cùm non filius tantùm, ſed filius vnigenitus eſſet Dei, qui omnem Patris ſcientiam haũiſſet. Solent enim parentes qui plures habent liberos, non ſolùm facultates, ſed etiã ſecreta, etiam amorem ſuum inter ipſos partiri, nec omnia ſecreta ſua omnibus credere, qui vnicum autem habent filium, vnicè quoque diligũt, omnia ſua bona, omnia cõſilia cum illo cõmunicant, vt ſupra ver. 14. ex Cyrill. Alexãdrino adnotabamus. Eo etiã ſpectat, quod eum in ſinu Patris eſſe dicit, quod ſuperuacaneum hoc loco videri poſſet, niſi hanc haberet emphaſim, vt ſignificaret Chriſtũ & quia filius, & quia vnigenitus Dei eſt, & quia in eius ſemper ſinu requieſcit, quaſi ex eius pectore theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ depromere, omnia Dei noſſe conſilia, itaque enarrare hominibus ſolũ potuiſſe. Hoc enim eſt eſſe *in ſinu Patris*, eſſe illi coniunctiſſimũ, eſſe intimum, eſſe in eius ſecreto conſilio; &, vt vno dicam verbo, eſſe ὁμοούσιον, conſubſtãtialem Patri, quemadmodum eodem loco Chryſ. & hom. in hunc locum 14. & Cyrill. lib. 1. c. 22. Auguſt. tract. 3. & Marius Victorinus lib. 1. aduerſus Arĩũ, & Beda, Theophyl. & Euthym. interpretantur. Nam quia quæ in ſinu nobis ſunt, coniunctiſſima nobis ſunt, ſumma coniunctio per ſinum ſignificatur. *Repoſita*, inquit, *eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*, Iob 19. 27. *Et in ſinu illius dormiens*, 2. Reg. 12. 3. Idẽ ergo eſt eſſe *in ſinu Patris*, & eſſe *apud Patrem*, vt dixit ver. 1. aut quod dicit c. 10. 38. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Vnde facilè Arianorũ cauillus refutatur, qui preſſi hoc loco dicebãt, ſinum nõ naturæ coniunctionem, ſed amorem ſignificare, quin æterna eſſe, quæ in ſinu nobis ſunt. Nam & Lazarũ in ſinu fuiſſe Abrahę, & Ioannẽ in cœnantis Chriſti ſinum recubuiſſe, vt Cyrillus hoc loco indicat. Nec enim amor, ſed ſumma naturæ cõiunctio ad ſenſum huius loci pertinebat, vbi non de reconciliatione, quæ amore fit; ſed de ſecretorum conſiliorum conſcientia, & cõmunicatione agebatur. Non eſt abs re, quòd Elias Cretẽſis in cõmentarijs in Greg. Nazian. orat. 1. de Filio animaduertit non dixiſſe Euangeliſtam, Qui fuit, aut qui erat, ſed ὁ ὤν, *qui eſt*, vt ſignificaret nunquam Filium, etiam cùm in hunc veniſſet mundum, à ſinu Patris diceſſiſſe. Etiam tum, cùm diuina conſilia hominibus enarrabat, ea in ſinu vidiſſe Patris. Quòd autẽ dicit *Enarrauit nobis*, dubium quid intelligat enarraſſe? ſint qui ad id referãt, quod proximè præceſſit, *Deum nemo vidit vnquam*, quaſi dicat, ſolus filius, qui Deum vidit, eum hominibus declarauit. ipſe docuit Patrem ſuum eſſe, quod ante nemo niſi admodum obſcure nouerat, vt Chryſoſtomus hom. 14. & Victorin. lib. 1. aduerſus Arium, Beda in comment. Alij referunt ad ea omnia quæ ſupra de verbo, de diuinitate diuiniſque conſilijs dicta ſunt. Quod idcirco mihi magis placet, quòd ſententia ſit vberior, & magis loco hærens, vt initio huius verſus à nobis probatum eſt. Vſus autem eſt Euangeliſta proprio admodum verbo, vt Chryſoſt. admonuit ἐξηγήσατο, quod eſt res obſcuras, & quaſi in tenebris latentes in lucem proferre, & penitus explanare. Hoc enim eſt, quod air D. Paulus Hebræorum 1. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*, id eſt clariùs, & apertiùs per oculatum teſtem, non per ſomnia, non per viſiones, non per ænigmata, ſicut ante per Prophetas loquebatur. Quid autem eſt *nobis?* Quidam nimis anguſtè exponunt, nobis Apoſtolis, qui nunc ea nobis tradimus. Nunquam velim ſcripturæ ſententiam arctari. Pateat quam poteſt latiſſimè, nec illi vllos niſi bene compertos ſigamus terminos. Itaque *nobis* pro omnibus generaliter hominibus accipio, quibus, quantùm in ſe fuit, Chriſtus diuina conſilia, quæ ad ſalutem quidem eorum pertinebant, patefecit.

19. *Et hoc eſt teſtimonium Ioannis.*) Putant Cyrillus, & Theophyl. propterea hoc nunc Ioannis teſtimonium adiungi, quòd verſ. 16. dixiſſet, *Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo*, quaſi nunc teſtimonium illud exponat, cuius illic mentionẽ fecerat; quin Cyrillus ad ver. 8. propriè refert, vt probet Euangeliſta Ioannem non fuiſſe lucem, ſed teſtimonium de luce perhibuiſſe. Ego aliud teſtimonium eſſe arbitror, quo Euangeliſta confirmet, quod paulò ante ipſe dixerat, Filium nobis, qui ſolus Deum vidiſſet, hominibus enarraſſe. Nam & Ioannem Baptiſtam, qui diuinarum rerum ſcientia plenus eſſe credebatur, eius fuiſſe diſcipulum, eúmque tanquam vnicum omnium hominum magiſtrum agnouiſſe. Nec fuerit abſurdum altiùs tendere ſententiam, vt ad omnia ſuperiora, quæ de verbi Dei excellentia dicta fuerãt referatur; idémque quod ipſe dixerat Euangeliſta, Baptiſtæ teſtimonio confirmet.

Quando miſerũt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes, & Leuitas, ad eum, vt interrogarent eum, Tu quis es?) Quo plus auctoritatis, & fidei teſtimonium ſuum habeat, teſtem appellat Ioannem omni exceptione maiorem, propter eas perſonæ circunſtantias, quas verſu 7. expoſuimus, ſed formam etiam redditi in legitimo quodammodo iudicio teſtimonij deſcribit. Teſtatum enim eſſe de Chriſto non ſponte, nõ ſeſe ingerendo, quod teſtem ſolet reddere ſuſpectum; ſed interrogatum, & interrogatum non à quouis, ſed ab ijs, qui & ſcientiam per ſe ipſi, & auctoritatem ſummam haberent, & inſuper eius rei gratia à republica legati fuiſſent. Quęri ſolet, quid Iudęis cauſſe fuerit, quamobrem ad Ioannem legatos miſerint. Chryſoſt. quidem, & Euthym. exiſtimant inuidia id Chriſti feciſſe cupientes, vt Ioãnes potiùs quàm ille pro Chriſto haberetur. Meliùs opinor Auguſt. ſentit, non odio Chriſti, qui cùm nondum inclaruiſſet, nondum ſibi conflauerat inuidiam, ſed præclara fama, & opinione Ioannis, vt id facerent, excitatos. Etſi valdè probabile eſt aliqua etiam non in Chriſtum, ſed in Ioannem inuidia motos fuiſſe iniquo

Cur Iudæi legatos miſerint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantam eius claritudinem animo ferêtes, vt ex modo, quo illum interrogauerũt, colligi videtur posse. Quemadmodũ Lucas indicat. c. 3. 15. 16. *Existimãte autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus; respondit Ioannes dicens omnibus. Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autẽ fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamẽtorum eius: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Vnde ea de Ioanne suspicio nasci potuerit, disserimus apud Lucam, & hoc loco citatus in Græca Catena Chrysostomus differit. Videbant hominis sanctitatem, videbant exactum, vt Christus veniret, tẽpus, ablatum sceptrum de tribu Iuda, quod, donec veniret, qui mittendus erat, auferri nõ poterat; Danielis expletas hebdomadas. Cur autem sacerdotes, & Leuitas potiùs, quàm alios ad Ioannem legatos miserint, facilè per se quisque coniecturam faciet, & multi indicarunt auctores, Origenes, Chrysost. homil. 15. Theophylactus, Euthym. & Apollinarius in Græca Catena, & Ammonius Presbyter. Quæstio de religione erat, atque adeo de capite religionis Christo. Quos poterant aptiores ad eam rem tractandam legare, quàm qui præerant religionibus procurandis sacerdotes, & Leuitas homines peritos scripturarũ, & legis? Aliam Origenes rationem affert, quòd sacerdotes, & Leuitæ cognati essent Ioannis, qui & ipse ex genere sacerdotum erat, & oportebat mittere homines illi ob necessitudinẽ aliquam gratos. Quid inter sacerdotes, & Leuitas interfit, nemo nescit. Omnes ex eadem erant tribu, sed sacerdotes ex familia Aaron, Leuitæ ex alijs familijs; & sacerdotes alio mitiabantur ritu, maioréque ceremonia; Leuitæ minori: & sacerdotes sacrificijs peragẽdis: Leuitæ inferioribus templi ministerijs erãt destinati, Exod. 28. & 29. Sic ergo sacerdotibus in hac legatione Leuitæ adiuncti sunt, quemadmodum solent primarijs legatis alij aliquanto inferiores adiungi, homines docti, prudentes, & graues, qui eos consilio iuuare possint: eodem pertinet, quòd non aliunde, quàm Ierosolyma mittuntur, vbi erat omnis religionis, omnis sapientiæ, omnis auctoritatis domicilium, vt Theophylactus, & Euthym. monuerunt. Itaque siue legatos ipsos, siue eos à quibus mittuntur, à tota nimirum Iudæorum synagoga, siue locum, vnde mittuntur, siue personam Ioannis, ad quam mittuntur, siue negotium cuius causa mittuntur, consideres, omnia efficiunt grauissimam legationem, eóque grauius Ioannis de Christo testimonium. Quæ causa fuit, vt ea tam accuratè Euangelista narraret.

Gen. 49. 10. Danie. 9. 25. 26.

Cur sacerdotes & Leuitas miserint.

Quid inter sacerdotes & Leuitas interfit.

Vt interrogarent eum, Tu quis es?) Oratio recta Hebræorum more, qui hoc narrationis genere delectantur. Ac fortasse non dederant Iudæi sacerdotibus, & Leuitis in mandatis, vt his præcisè verbis Ioannem interrogarent, sed potiùs vtrum ipse esset Christus, q̃ maximè auebant scire. Cæterum quia his legari verbis Ioannem fortassis interrogarunt, dicit Euangelista missos fuisse eos, vt interrogarent, *Tu quis es?* Cur autem non statim rogauerint, an esset Christus, q̃ caput erat legationis, sed generaliter, *Tu quis es?* astu quodam Chrysost. in Græcorum Catena, & Theophyl. fecisse putant; insinuasse enim sensim paulatim, & sensum generalibus, & quasi aliò tendentibus interrogationibus, ne ea de causa veniisse videretur, vt scirent, num ipse esset Christus. Quanquam probabilius mihi videtur esse, quod & alij magis probauerunt, primam interrogationẽ fuisse, an ipse esset Christus. Hoc enim ex prima quoque Ioannis responsione colligitur, qui statim confessus est se Christum non esse. Sed quia verisimile est iussos fuisse legatos primum interrogare, num esset Christus, & si se Christum esse negaret, rogare rursus quis ergo esset; Euãgelista vnam legationis partem maximè generalem pro tota legatione ponit.

20. *Et confessus est, & non negauit.*) Hebraissmus est. Solent enim Hebræi quod per affirmationem dixerant, per negationem repetere, qua figura maxime Ioannes delectatur. Sic dixit ver. 2. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil.* Sic 1. epistola. c. 1. 3. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Alia ex Ieremia exempla ver. 3. posuimus. Itaque quòd quidam mysterium aliquod in hac repetitione esse putãt, vt *confessus est*, referatur ad id, q̃ statim declarat se non esse Christum; & non negauit, ad Ioannem ipsum, quasi dicat, *confessus est* se nõ esse Christum, qui non erat; *& non negauit* se eum esse, qui erat, id est vocem in deserto clamantem, vereor vt satis solidum sit. Quanquam illud quidem ego non negauerim magnam in hac repetitione vim esse. Significatur enim Ioannem palam, incunctanter, diserte, & sine vlla ambiguitate quod res erat cõfessum esse; ita vt omnem prorsus ab animis auditorum suspicionem removeret, ipsum esse Christum. Significatur etiam fortasse illum non semel cõtentum negauisse se esse Christum, idem alijs atq; alijs verbis iterum, atque iterum negauisse. Voluit enim Euangelista Ioannis diligentiam in remouẽda tam præclara à se opinione repetitione declarare. Quod autem sequitur, *& confessus est, quia non sum ego Christus*, explicationem tantùm confessionis esse arbitror. Dixerat enim Ioannem confessum fuisse; quid autem confessus fuisset non dixerat; id modò explicat.

21. *Et interrogauerunt eũ, quid ergo?*) Accepto primo præter opinionem responso, & spe delecti calumniandi, quòd se pro Christo ferret; alia quærunt ad calumniandum diuerticula. Sperant se aliunde ansam posse capere criminationis; si saltem se Eliam, si saltem Prophetam esse confiteatur. Pertentant eius animam specie obiectæ gloriæ. Quod dicit Euãgelista interrogasse, *Quid ergo?* non ita accipiendum, quasi hoc ipsum, & his ipsis verbis interrogauerint. Iam diximus supetiore versu Hebræos huiusmodi directis narrationibus delectari. Sed sensus est eos dubios, quid ergo esse posset, si Christus non erat, rursum interrogasse, num esset Elias.

Elias es tu?) cur potiùs interrogant an Elias sit, quàm alius aliquis antiquus propheta, eadem ratio fuit, atque illa, quam Matth. c. 16. 14. explicauimus, cur nonnulli Christum Eliam esse putauerint. Nempe dixerat Malachias cap. 4. 5. ante magnũ Domini aduẽtum Eliã venturum esse, de qua re apud Matth. c. 11. 4. disputauimus. Sic Chrysost. Orige. Cyrillus, Augustt. Theophylactus, & Euthym. & Apollinarius in Catena Græca respondent. Conueniebat personæ similitudo; vterque & Elias, & Ioannes in solitudine remota à cœtibus hominũ versatus; vterque tenuissimo vsus victu; vterque villoso habitu; vterque ad pœnitẽtiam homines hortatus; vterque pari libertate in vitia hominum inuectus. Quæ omnia pluribus apud Matthæum verbis disseruimus, c. 11. 4. At verò quomodo credebãt Eliam esse posse, qui tot ante sæculis fuerat? Facilis responsio, sciebãt non esse mortuum, sed igneo sublatũ curru. 4. Reg. 2. 11. Et vt mortuum esse crederent, sciebant Deum, qui se eum ante suum aduentum missurum promiserat, suscitare eum posse. Itaque verisimile non est, quod interpretes quidam dicunt, hanc de Ioanne opinionem ex eo errore notã, qui vulgo inter Iudæos versabatur, animas hominum ex vno in aliud migrare corpus auctore Pythagora. Nam vt ita nonnulli inter eos hæretici senserint, hoc loco opus non erat eo vti errore, cùm mortuus non esset Elias.

Et dixit, non sum.) Vulgaris quæstio quomodo se Ioannes Eliam esse neget, cùm eum Christus Eliam fuisse dixerit, Matth. 11. 4. & 17. 12. Ex Luca. c. 1. 17. facilè soluitur, *ipse*, inquit angelus, *præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Christus ergo dixit eum Eliã esse, quia spiritu, quia virtute, quia officio Elias erat: Ioannes verò Eliam se esse negat, quia re ipsa non erat Elias. Sic Augu. hoc loco, tract. 4. & Greg. hom. 7. in Euangelia. At cur saltem hoc ipsum non confitebatur, quod de ipso postea Christus affirmauit, se spiritu, & officio Eliam esse? Fecit modestè, vt Origenes monuit; erat enim id ipsum admodum honorificum, quamuis Elias non esset, tamen Eliæ personam gerere; quare ipsum negare decuit se Eliam esse; Christum affirmare. Et ille negauit, & ille affirmauit salua veritate, sensu diuerso: datúmque nobis ab vtroque est præclarum documentum, à Ioannie modestiæ, à Christo caritatis. Nam & modestiæ est, quatenus patiatur interpretationibus aduta veritas, omnem à te laudem remouere; & caritatis, quatenus eadem ferat, laudare alios.

Propheta es tu? non sum.) Disputant interpretes, quo sensu interrogatus Ioannes fuerit, an propheta esset. Chrysost. hom. 15. Cyrill. Theophyl. Euthym. & Apollinarius in Græca Catena existimant interrogatum fuisse, non an quilibet propheta esset; sed an ille expectatus, quem Deus se missurum promiserat. Deuter. 18. 15. *Propheta de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Ideo Græcè additum articulũ, vt Origen. Chrysost. Cyrill. & Theophylact. adnotarunt. Nec enim eos ignorasse ipsum esse prophetam, sed scire voluisse, an ille promissus, & expectatus esset; in eo vt Cyrillus, & Chrysost. inquiunt, errantes, quòd promissum illum prophetam à Christo distinguerent, cùm nõ alius, quàm Christus ipse eo loco promitteretur, & iam respõderat Ioannes se Christum non esse. Alij putant interrogasse an esset propheta quilibet, sed aliquis ex priscis illis, qualẽ Christum quidam esse putabãt, siue Eliã, siue Ieremiam, siue alium ex prophetis, Matth. 16. 4. Multo mihi videtur probabilius, vt generalis sit interrogatio, an propheta sit, id est an à Deo missus, vt prophetæ fungantur officio, an propheticum spiritũ, & auctoritatem habeat; quemadmodum Augustt. tract. 4. Gregor. homil. 7. & Rupertus interpretantur. Quo ergo modo negat se prophetam esse? præsertim cùm Christus eum nõ prophetam modò, sed maximum etiam omnium prophetarum esse dixerit, Luc. 7. 28. & ipsius pater plenus Spiritu sancti dixerit, *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis?* Luc. 1. 76. Qui aut de cerro aliquo propheta, aut generaliùs de vno quouis ex numero priscorum sacerdotes interrogasse dicunt, facilè respondent verè se Ioannem prophetam esse negauisse eodem nimirum, quo rogatus erat sensu. Nobis verò, qui an generaliter propheta aut antiquus, aut nouus esset, interrogarum fuisse diximus, adhuc hæret quæstio. Et Augustt. quidem, & Gregorius eius auctores sententiæ ita respondent, quasi Ioannes ideo se propheta esse negauerit, quia plusquam propheta erat, quemadmodum de illo dixit Christus Matth. 11. 9. *Sed quid existis videre? propheta? etiam dico vobis, & plusquam prophetam.* Erat quidem Ioannes plusquam propheta, vt testatur Christus, sed nemo mihi facilè persuaserit eo sensu Ioannem se prophetam esse negauisse, vt plusquam prophetam esse significaret. Satis enim apparet eũ sese depressisse, & extenuare voluisse, & ista quidem ratione non vtique extenuasset, sed tam singulari se laudasset elogio, quàm illum Christus laudauit, cùm plusquam propheta esse dixit. Rupertus mihi videtur optimè omnium nodum soluere, Ioannem virtute quidem, & gratia prophetam fuisse, officio non fuisse. *Prophetarum* enim *officium fuit*, vt Ruperti verbis, *verbum Domini, antequam caro fieret, carnem assumpturũ esse verbis præsignare, factis præfigurare*, quam prophetici officij diffinitionem esse dicit. Ioannes verò id non faciebat. Adde Ioannem nihil futuri prædixisse, nec ad id à Deo missum fuisse, quod proprie prophetarum officium est. Hoc ergo sensu negauit se prophetã esse. Eius verò pater prophetam futurum dixerat, quia & virtute propheta erat; & aliqua officij prophetici functurus parte. Solebant prophetæ à Deo mitti, & ille à Deo missus est. Solebant prophetæ populum docere, reprehendere, ad pœnitentiam adhortari, ad Deum conuertere; quæ omnia Ioannes fecit cumulatissimè. Quare Zacharias non dixit, *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis* prophetabis enim quæ futura sunt: sed *præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.*

23. *Ego vox clamantis in deserto.*) Fatigatus à Iudæorum legatis interrogationibus Ioannes respondet, quis sit. Nam ante non quis esset, sed quis non esset, declarauerat secutus eorũ interrogationes. Ita verò respõdet, vt ex multis titulis, quos sibi verè poterat attribuere, eum solum tribuat, qui humillimus videbatur. Poterat se doctorem, poterat iudicem, poterat præconem, poterat præcursorem Christi appellare. Solùm appellat vocem, quasi sonum; quasi aërem, rem vilissimam omnibus illis, quibus se legati ornare volnerant titulis opponens, Christi, Eliæ, prophetæ. Cæterum quod ad sententiam attinet, locum hunc totum apud Matth. c. 3. 3. explicauimus.

24. *Et qui missi fuerãt erant ex Pharisæis.*) De Pharisæis qui, qualesve homines essent, diximus apud Matt. c. 3. 7. Dixerat Euangelista ver. 19. eos, qui ad Ioanẽ à Iudæis missi fuerant, fuisse sacerdotes, atq; Leuitas; dicit nunc fuisse Pharisæos. Nẽpe nec omnes sacerdotes, & Leuitæ Pharisæi erant, nec omnes Pharisæi Leuitæ, vel sacerdotes. Sacerdos, & Leuita tribus simul, & officij: Pharisæus sectæ nomen erat. Itaque ex omni tribu, ex omni officio, ex omni hominum conditione quicunque eam doctrinã, quam Pharisæi sectabantur, magis probabat, Pharisæus erit. Quæritur quare Euangelista eos nũc Pharisæos fuisse dixerit, cùm ante non dixisset? Cur ante non dixerit, in põrptu ratio. Agebatur illic de sola personarum dignitate. Pharisæum autem esse, non dignitas, sed hæresis potiùs erat; itaque nihil attinebat declarare eos, qui missi fuerãt, fuisse Pharisæos. Nũc autem agebatur de sola doctrina, & de doctrina, quę in traditionibus versabatur, quam maximè Pharisęi profitebantur; ideo dixit fuisse Pharisæos. Illud minimè dubium, voluisse Euangelistam indicare propterea eos interrogatus fuisse Ioannẽ, cur baptizaret, cùm neque Christus, neque Elias, neque propheta esset, quia Pharisæi erant, quasi alij, quam Pharisæi interrogaturi non fuissent. Sed huius ipsius rei quæritur causa, quare Pharisæi potiùs quàm alij hanc Ioanni quæstionem obiecerint. Origenes, Cyrillus, & Beda inuidiæ morbum notari putant, quo maximè Pharisæi laborabant, quasi Ioanni tantam gloriam, tantam baptizandi dignitatem inuiderent. Quod magis proprium Pharisæorum, quàm aliorum Iudæorum esset. Itaque hoc illos nõ eorum, à quibus missi fuerant; sed suo priuatim nomine interrogasse. Chrysostomus, & Theophylact. quæstionis calliditatem indicant. Missos enim legatos illos hac potissimùm de causa ad Ioannem fuisse, vt intelligerent, qua au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pharisæi. vt hæretici omnes curiosissimi.

ctoritate baptizaret; sed quia Pharisæi, id est vafri homines,& astuti erant, non cõtinuò interrogasse, qua potestate baptizaret; sed primùm num esset Christus,deinde nũ Elias,postremò num propheta, vt obiecto splendore gloriæ ad cõfitendum aliquid de se magnum,& præcellens elicerent,vnde eius accusandi occasionem arriperent; & quasi per cuniculos quosdam in eius subirent animum. Euthym. curiositati tribuit,quasi tam curiosum,subtilémque quæstionem non alij,quàm Pharisæi proponere potuerint,qui,vt sunt hæretici omnes,homines erant curiosissimi.Placet mihi quod scribit Ammonius in Catena citatus Græca, vero simile esse Pharisæos, qui traditionum pleni erant,hanc etiam inter alias habuisse traditionem, nemini vt baptizare liceret, nisi Christo, aut prophetis; ideóque dixisse Euangelistam eos fuisse Pharisæos,vt causam tacitè redderet, quamobrem eam de baptismo quæstionem obiecissent. Qua ratione sequentis etiam versus sententia satis patet.Versus autem 26.apud Matth. à nobis explicatus est. c.3.11. & versus 27. supra in hoc ipso capite vers.15.

Duplex lectio huius loci. 1. Bethania.

28. *Hæc in Bethania facta sunt.*) Nota hoc loco quæstio,num Bethania,an Bethabara legẽdum sit,Nam Latini quidem codices omnes Bethaniam legunt; Consentiunt Syriaci,quos habemus omnes,& Græci multi,etiam Vaticanus; quam lectionem Latini etiam enarratores sequi solẽt,Beda,Alcuinus,Strabus, Lyranus. Si quis verò illis obiiciat Bethaniam non iuxta Iordanem,sed longè ab illo,& quidem in montibus sitam esse quindecim tantùm stadijs ab Ierosolymis, vt Mar.11.1. & alijs locis sæpe docuimus;hunc autem locum de quo loquitur Euangelista ad ripam Iordanis fuisse; respondent duas fuisse Bethanias:alteram eam de qua modò diximus patriam Lazari,atque sororum eius,Ioann.12.1.alteram prope Iordanem,de qua hìc loquatur Euangelista, cuius ab altera distinguendæ causa addidisse vltra Iordanem.Dicunt illi quidem,at non probant. Alij recentiores facta ex Iosepho.lib.17.antiq.c.10. coniectura probant,eam enim esse regionem quam Bataneam ille vocat,ponítque vltra Iordanem.Origen.Chrysost.Epiphan.hær.51.Theophyl.Euthym. Bethabara legunt,& inter Latinos Hieron.in locis Hebraicis. Quod doctissimus quisq; magis probat. Nam Iud.7.24.vrbis ad aquas Iordanis sitæ nomen simile legitur Bethbera: quæ eadem videtur esse, atque ea,quæ paululum immutato nomine dicitur Betharaba Iosue.18.22.vrbs tribus Beniamin,inde, vt docti putant,dicta,quòd ea populus Hebræorum vt Chanaan terram ingrederetur Iordanem traiecerit.Id enim nomen ipsum significare בית עברה domum tranſitus.Ideo Ioannem iuxta eum baptizasse locum,quòd ad traiiciendum Iordanem locus esset aptus,& multi vtrinque homines eius causa rei eò confluerent.In hac salebra multos etiam viros singulariter doctos hærere video, quòd Bethabara non vltra, sed citra Iordanem sit in terra ipsa Chanaan inque possessione tribus Beniamin, quam dubium non sit non tendi vltra Iordanem. Hunc nodum nos facilè soluimus, qui, vt apud Matthæum cap.4.15. copiosè probauimus, existimamus hanc phrasim,trans Iordanem, aut vltra Iordanem, non ea significare loca, quæ habitantibus in Chanaan; sed ea,quæ venientibus ab Ægypto olim Hebræis ante quam Iordanem traiicerent, vltra Iordanem erant. Ita Bethabara, & in tribu Beniamin, & vltra Iordanem esse poterat. Immo propterea vltra Iordanem erat, quia in ea erat tribu. Quam autem ob rem Euangelista locum,vbi hæc gesta fuerint, designauerit,diuersas auctores causas reddunt.Cyrillus historica diligentia, ac fide factum putat. Historici enim esse loca, quibus res factæ sunt memorabiles, adnotare,atque describere: id & historiæ fidem augere,& altius hærere in auditorum animis. Chrisostomus verò Theophyl. & Euthym. vt Baptistæ in dicendo de Christo testimonio libertas intelligeretur,qui non domi,non in angulo,non in alio obscuro,& solo loco;sed palã,ac publicè in loco celeberrimo, atque frequentissimo, quo turmatim homines hi baptismi suscipiẽdi,illi traiciendi fluminis causa concurrebant, præclarum de Christo testimonium perhibuit. Alia etiam ab alijs peioribus licet auctoribus causa meo iudicio melior affertur. Vt indicaret Euangelista, testimonij Ioannis, eorumque omnium, quæ dixissetur,quàm plurimos fuisse testes;nec enim in solo,sed in frequentissimo hominibus loco accidisse.Ex alijs Euãgelistis intelligimus, quid hoc loco Ioannes prætermiserit, baptismum, ieiunium, & tentationem Christi. Dum totus nimirum in eo erat,vt quibuscunque posset non suspectis testimonijs Christi probaret diuinitatem: & quasi dum altiùs ad diuina contendit, humana sublimis prætiolat. Humanum erat à Ioanne, sicut vnum de turba aliquem baptizari, humanum ieiunare, humanum à Diabolo tentari; & ab eo huc illuc circumduci: hæc Ioannes prætermisit. Contra ex Ioanne discimus, quid ab alijs prætermissum,Iudæorum legatio, constans illud, sæpéque repetitum Baptistæ testimonium.

Obiectio ex Ioan. 3. Quomodo ergo Ioannes dicit supra vers. 15. Qui post me venturus est, ante me factus est?

29. *Altera die.*) Postridie eius diei,quo legatis Iudæorum responsum, quod supra positum est dedisti definitè enim, non infinitè sumitur τῇ ἐπαύριον, postero die,vt nonnulli etiam antiqui codices legunt. Id cõstat ex ver.35.vbi similiter dicit, *altera die*,id est postridie huius diei de qua nunc agit,& secunda ab ea,in qua Iudæorum legationem Ioánes audiuerat, vt Ammonius in Græca Catena interpretatur;& ex c.2.1.vbi non iam dicit, *altera die*, sed *die tertia*, scilicet à legatione. Itaque narrat hoc loco Ioannes quæ quattuor continuis diebus gesta sunt, quibus Christi diuinitas declaratur. Primo die Ioannem Baptistam à legatis Indæorum interrogatum præclarum de Christo testimonium teddidisse. Secundo,de quo nunc agitur,aliud etiam clarius testimonium dixisse non interrogatum.Tertio idem confirmasse, explicasséque vers.35. Quarto ipsum Christum facto in Cana Galileę insigni miraculo diuinitatem suam declarasse c.2.1. Ex quo colligitur hæc omnia,quę hisce quattuor diebus facta commemorantur,multis post Christi baptismum diebus accidisse. Nam ex alijs tribus Euangelistis perspicuum est. Christum statim post baptismum in desertum secessisse, & quadraginta illic ieiunũ egisse diebus. Quod totum, vt minimum, tempus inter baptismum, & hos quattuor intercessit dies. Aliquanto etiam plùs.Iam enim prædicare cœperat, cùm discipulos nonnullos collegisset, qui cum eo in nuptijs fuisse perhibentur.cap.2.2. quamuis Apostoli nondum vocati essent, vt apparet ex hoc cap.vers.35. Quo ergo modo Ioannes dixit supra ver.27. *Ipse est qui post me venturus est?* Si enim iam baptizatus erat, iam vtique venerat. Respondeo nondum venisse, quia etsi baptizatus erat,nõdum se tamen quis esset baptizando,& miracula faciendo declarauerat.Maior quæstio,quòd alij Euãgelistæ hæc verba, *Post me venturus est*,antequam Christus baptizaretur, Ioannem dixisse narrẽt,Matth.c.3.11.Mar.1.8.Luc.3.16. Facilis solutio aut bis id, vel etiam sæpius Ioannem dixisse, primùm communiter omnibus; qui ad

baptismum

baptismum confluebant; deinde legatis Iudæorum. Sicut, *Ecce agnus Dei*,bis eum dixisse ex hoc loco,& ex ver.36.manifestũ est.Itaque Origenis,& Oprati Mileuitani lib.4. contra Parmen. sententia probari non potest,qui hanc diem de qua hìc Ioannes agit, eam qua Christus baptizatus est,esse putãt.Neque Chrysosto. Euthym. & Theophylacti sententiam sequor,qui ad hunc modum interpretantur, postridie eius diei, quo Christus rediit à deserto. Nam præterquam quòd,vt modò dicebamus, iam discipulos habebat,quos diuersis diebus collegisse contitat,quomodo postridie eius diei intelligi potest,de quo nulla ante mentio facta erat?

Citra iustitiã imputatiuã, & iustificationẽ hæreticorum.

Vidit Ioannes Iesum venientem ad se.) Græcè βλέπει videt,quemadmodum nonnulli etiam Latini codices legunt,estque ἐνεστὼς ἀντὶ παρατατικοῦ, quia magis expressam sententiam ante oculos ponit. Quam autem ob rem Christus nunc ad Ioannem venerit, incertum. Nec enim vt Origen. existimat,ad baptismum veniebat,cùm, vt paulò ante probauimus, multis ante diebus baptizatus esset. Chrysost. Theophyl. & Euthym. hac ipsa de causa venisse putant, vt Ioannes de illo testimonium hoc diceret, ne, qui eum ante baptizari viderant, quasi peccatorem baptizatum crederent. Probabilis coniectura, nulla præsertim se ostendente probabiliore.

Ecce agnus Dei.) Ἴδε, ecce hoc loco nõ solùm δεικτικὸν, demonstratiuã, sed etiam ἀναφορικὸν relatiuam quandã vim habere mihi videtur,quasi dicat Ioánes,Ego,vt vobis testatus sum,non remittebã vobis peccata,sed vos in remissionem peccatorum per Christum faciendã baptizabã;Ecce hic est,*qui tollit peccata mundi*.Hoc plus quiddam est, quàm q̃ Chrys. & Theoph. obseruarunt,alludere ad desiderium eorum,qui Christũ videre,& cognoscere cupiebant Ioannis excitati testimonio,qui sæpe iam dixerat, *Post me venturus est, qui fortior me est, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamẽti,ipse vos baptizabit in Spiritu sancto,& igni*. Quasi dicat,Ecce eum,quem tãtopere videre cupitis. Cur autem Ioannes Christum agnum potiùs,quàm alio quo nomine vocauerit, tres veteres auctores rationes reddũt. Prima est,vt ad veteres alluderet ,pphetias Is. 53.7. Act.8.32. *Sicut ouis ad occisionẽ ducetur,& quasi agnus corã tondente se obmutescet.* Et Ier.11.19. *Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Iulius Firmicus in lib.de erroribus profan.relig. c.28. Chrys.Cyrill.Theoph.& Euthym.hoc loco,& Elias Cretens.in cõm.in orat.4.de Theol. Greg. Naz. Secunda, vt respiceret ad vetera sacrificia, quæ agnis plerumque constabãt;agnus enim vnus mane, alter vesperi quotidie immolabatur Exod.29.38.& Num. 28.1.3.Sic Orig.idemq;Cyrill.& Euth.Tertia,quòd innocentia Christus, & simplicitate agnũ referret, vt tradit.in Io.4.indicat Aug.Sic Petrus.1.epist.c.1. 19.*Pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi* redẽptos nos esse dicit.Propriũ inter Euangelistas Ioannis est,vt Christum agnũ appellet. Apocal. 5.6.8.12. 13.& 6.1.16.& 7.9.10.14.17.& 12.11.& 13.8.& 14. 1.4.10.& 15.3.& 17.14.& 19.7.9.& 21.9.14.22.23. & 22.1.3.14.Habet vocabula quædam Ioannes, quibus delectatur.Ineptè verò Heracleon, vt Origenes in Ioan.9.refert,hinc colligebat Christũ perfectum corpus non habuisse;non enim arietem, sed agnum appellatum, qui in grege imperfectũ quidam est. Dei autem agnum appellauit , quia à Deo oblatus est,vt Theoph.& Euth.obseruant;sicut vocatur sacrificium Abrahami,quod Abrahamus obtulit. Aut Dei, id est diuinum propter diuinitatem quæ in ipso erat. Quasi dicat Ioannes,Ecce agnus non iam terrenus,qualis ille erat,qui in veteri sacrificabatur lege;sed cælestis,atque diuinus. Alij agnũ Dei,id est qui Deo offertur,interpretãtur. Illud primum probabilissimum. Bene autem à quibusdã ex Chrys.hom.17. notatum est Euangelistam non dixisse, qui tollet , sed *qui tollit peccata mundi* præsenti vsum tempore,vt nõ actum, sed vim naturalẽ significaret.Sicut non dicimus ignis calefaciet , sed ignis calefacit , vt significemus natura quidem sua omni tempore,omni loco,omnẽ materiam , nisi quid obstet,calefacere.Vsus autem est Ioánes verbo ad eam naturalem virtutẽ exprimendã accommodatissimo. Nõ dixit,qui remittit,qui tegit,sed *qui tollit peccata mundi*,id est qui penitus aufert,qui penitus delet,vt Theophylactꝰ animaduertit.Etenim ista non imputatio,quam nostra memoria Lutherani,& Caluiniani finxere,nõdum nata erat. Quod autẽ dicit *Peccata mundi* , aut vt Græci codices , & multi Latini legunt *peccatii mundi*,hanc vim habet, vt idẽ Theoph. Euth.&,vt videtur Chrys.viderunt, vt hunc agnum legalibus opponat.Illi enimuero Iudaici tãtùm populi,ac ne illius quidẽ verè , sed sola figura peccata tollebant;iste & verè,& totius mũdi peccata tollit. Solet Ioannes populo Iudaico per antithesim mundũ opponere,vt supra ver.9.& infra c.3.17.& 4.42. & 6.33.51.& 1. epist.c.2.2. Eodem Theophylactus pertinere putat,quòd non plurali,sed singulari dicit numero *peccatum mundi* , vt genus omne peccatorũ, aut quidquid est in mundo peccati per eum tolli significet,non ad significandum originale peccatum, vt Beda in Catena D.Thom.& Strabus putant. Solent enim Hebræi,vt rectè Lyranus monuit, singulari numero totam rei naturam,& ingẽtem copiam significare.*Venit*,inquit,*musca grauissima*, Exod.8.24. hoc est magna multitudo muscarũ, aut omne muscarum genus,vt eodem loco ver.21.declaratur.

30. *Hic est de quo dixi,post me venit vir.*) Ammonius Presbyter grauis sanè auctor, & eruditus in Græca Catena in nomine vir emphasim esse putat duplicem,aut vt significetur humana Christi generatio, aut triginta annorum ætas expleta, quæ propriè virilis dicitur.Potius Hebraismum esse credo,quo vir ישׁ, pro quodam ponitur , tanquam diceret, Post me venturus est quidam alius maior me. Reliqua verba huius versus supra sunt explicata ver.16.

31. *Et ego nesciebam eum.*) Totus hic locus vsque ad ver.34. apud Matth. c.3.14.15.17. tractatus, & explanatus à nobis est;illa in primis quæstio quomodo Ioannes ante Christum potuerit ignorare. Hic illud tantùm exponendum,quare hoc Ioannes dicat;poterat enim tacere quantumuis verum esset. Vera mihi videtur Origenis in Catena Græca citati Chrysostomi homilia 16. Theophylacti, & Euthymij in comment. coniectura ; propterea hoc Ioannem adiecisse, ne quis suspicari posset cognitioni, aut familiaritati , & gratiæ datum esse , quòd tam præclarum de illo dedisset testimonium.

Supra ver.33.

34. *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.*) Eodem hoc spectat, quo id , quod paulò ante dicebamus , vt omnem amoueat suspicionem gratiæ.Nec enim sponte sua,sed iussum à Deo testimonium de illo perhibuisse. Neque fama tantùm, & auditione hominum motum, sed diuino prorsus testimonio, *Qui misit* inquit, *me baptizare in aqua, ille mihi dixit.Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum,hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Hoc ipsum à Deo sibi datum signum se vidisse dicit, & non humanæ gratiæ , sed diuinæ obsecutum voluntati , quod viderat, testatum esse. Non declarat quid videret , sed ex ijs , quæ dixerat , intelligitur,

nempe

Universidad de Deusto
Biblioteca

nempe Spiritum sanctum post baptismum super A
Christum descendentem, vt Cyrillus interpretatur.
Quærunt autem Chrysost. Theophyl. & Euthym.
vbinam Ioannes hoc de Christo testimonium per-
hibuerit, quòd esset filius Dei, quod se ante per-
huisse dicit. Nam supra quidē non filium, sed agnū,
sed virum appellasse. Respondent, id scriptum non
esse, sed sicut alia multa, & à Ioane, & ab alijs Euan-
gelistis prætermissum. Quòd ad testimonij veritā-
tem attinet, perinde est, quod se eiusmodi testi-
monium Ioannes, Euangelista commemorante, perhi-
buisse dicit, arque si ipsum, quod perhibuit, testimo-
nium scriptum haberemus. Filium autem Dei non
adoptione, sed natura Christum appellasse manife-
stum est. Voluit enim eo titulo non solùm sibi, sed B
omnibus & alijs prophetis, omnibus alijs hominī-
bus anteponere. Quemadmodum si in regio comi-
tatu dicas, Ecce ille est Rex (digito in media turba
Regem ostendens) haud dubiè indicas alios nō esse
Reges. Ioannes autem, & alij prophetæ adoptione
quidem filij Dei erāt, vt Cyrillus argumētatur. ergo
Christus plùs vtique quàm adoptione. Quid plus
quàm adoptio est, nisi natura? Eò pertinet, quòd ad-
dito articulo Græco ὁ υἱός, dixit, vt Cyrill. adnotauit.

Filius Dei Christus natura, non adoptione.

35. *Altera die iterū stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo.*) G. τῇ ἐπαύριον, postero die, vt supra ver. 29. id est
postridie eius diei, quo Ioannes venientem ad se
Christū intuitus dixerat, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit
peccata mundi*; & secunda die post Iudæorum lega-
tionem. Hoc enim est tertium, vt ait Ammonius, C
Ioannis de Christo testimoniū ex ijs quidem certè,
quæ ab hoc Euangelista scripta sunt. Quam vim hoc
loco habeat verbum stādi, apud neminem notatum
inuenio. Nam quòd Alcuinus apud D. Thom. inter-
pretatur stetisse Ioānem, Christum verò ambulasse,
quia *venienti Christo cessura stetit lex*, q̄ & Strabus est
imitatus, & hodie in ore versatur omnium, pulchra
quidem est allegoria, sed allegoria, quam affirmare
non possumus aut Baptistæ, aut Euāgelistæ in men-
tem venisse. Similis illa Bedæ, vnde in glossam, quam
vocant interlinearem, translata est, stetisse Ioānem
in culmine perfectionis. Quid enim de Christo ambu-
lante dicent, an ipse nondum ad culmen perfectio-
nis venerat, quia ambulabat? Magis accedit ad sen-
sum, quod Lyranus air, stetisse, id est paratū fuisse ad
exercendum officium. Cōmunis enim hæc ratio est,
paratū fuisse cum semper Ioannes ad exercendū of-
ficium paratus fuerit. Et tamen apparet hoc loco
Euangelistam aliquid proprium eius tēporis signi-
ficare voluisse. Melius Chrys. Theophyl. & Euthym.
indicant stetisse Ioānem, Christum ambulasse, quia
non cōueniebat, vt Ioannes quæreret Christum, ne
suū de illo suspectū redderet testimoniū. Credo ego
hanc vim habere, vt significet Ioannē constitisse, vt
Christū quasi animo, oculisq; defixus intueretur, q̄
ex verbi sequentis explicatione magis intelligetur.

36. *Et respiciens Iesum ambulantem.*) ἐμβλέψας τῷ Ἰησοῦ περιπατοῦντι, & coniectis in Christum ambulan- E
tem oculis, vt Theophylact. interpretatur. Ita hinc
apparet, quomodo steterit, quasi admirabundus,
quasi stupore defixus. Christum verò ambulasse cer-
tum est, cum id propriè verba significent. Quo ver-
sus ambulauerit, incertum. Chrys. Theophyl. & Eu-
thym. videntur existimare ad Ioannem venisse. At
id Euangelista vtique dixisset, sicut ver. 29. dixerat,
Vidit Ioannes Iesum venientem ad se. Itaque verisimi-
lius esse arbitror, aut alio quò tetendisse Christum,
aut eo consilio ad Ioannis conspectum quasi animi
causa obambulasse, vt iterum de se Ioannes testi-
monium perhiberet.

Ecce agnus Dei.) Verba explicata sunt supra ver. 29.
Tātum illa modò quæstio, quę à multis proponitur,
expedienda, quid sit, quòd Ioānes tam sæpe de Chri-
sto idem repetat testimonium. Ammonius Presby-
ter. Chrysost. Theophyl. Euthym. respōdent audito-
rum tarditatē in causa fuisse, qui necdum satis, quod
semel dixerat, intellexissent. Eodémque redit quod
Cyril. ait, optimū se esse doctorem declarasse. Bonī
enim doctoris esse tamdiu eadem iterare, quoad au-
ditores intelligant. Fieri etiam potest, & verò pro-
babile est, vt cum hoc secundò Ioannes dixit, alios
esse viderit auditores, qui ante non audissent. Idque
non obscurè indicat Euangelista, cum tantum dicit
duos ex discipulis eius adfuisse; quos cùm Ioannes,
vt opinor satis vidisset esse maturos, vt Christum
sequerentur, voluit eos repetito testimonio ad il-
lum mittere; quemadmodum euentus declarauit.

37. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & se-
cuti sunt Iesum.*) Incipit fructus apparere prædicatio-
nis Ioannis. *Vides*, inquit Cyrillus, *quam cito à de-
ctrina Baptistæ fructus secutus est? Vides quam magnum
auditoribus emolumētum iteratio sermonis attulit? Dissi-
gitur ex istis, cui docendi opus creditum est, non laudan-
silentium in pastore, neque talentum Domini infructu
terræ taciturnitati commendandum, sed nummulariis esse
dispartiendum, vt inde cum fœnore Saluator illud exigat.
Testimonium Ioannis*, inquit Beda, *fides est discipulorum.*
Ac nimirum tunc fructus concionatoris apparet,
cum eius auditores nō illum ipsum studio quodam
curiositatis, sed Christum salutis desiderio sequun-
tur, cùm frequentiores ad sacramenta venire inci-
piunt. Putant Chrysost. & Euthym. plures tunc cum
Ioanne discipulos eius fuisse, sed hos duos tantùm
credidisse. Probabile, vel eo ipso, quòd duo tam boni
auctores dicunt; sed incertum. Allegoricum quidem
est, quod scribit Beda, sed aptè ad locum dictum, *se-
quentes*, inquit, *Iesum reliquerunt Ioannem, sequentes
Euangelium, legem amiserunt. Sic tamen secuti sunt Euan-
gelium, vt testimonio vterentur è lege.*

38. *Conuersus autē Iesus, & videns eos sequētes se dixit eis.
Quid quæritis?*) Sēsus per se facilis est; Caueat lectos, D
si Chrysostomi in hūc locum legerit cōmentarium
ne in Pelagianorum errorem incidat, à quo ille, quā-
nondum suo tempore natus erat, non latis lōgē al-
quando videtur, si non sensu, verbis tamen non ad-
modum cautis abhorrere. *Hinc*, inquit, *admoneri pos-
sumus. Deum suis in nos beneficijs nostras nō præuenire o
luntates, sed à nobis incipiēdum esse, sed cùm nos propēn
ratóque animo ad suscipiendā gratiā exhibuerimus, tunc
tas nobis offert salutis occasiones.* Quę verba nisi benigna
leniātur interpretatione, cùm fide Catholica pugna
bunt in Concilio Tridētino nouo decreto declara-
ta, initium iustificationis non ex nobis solis esse, sed
gratia nos semper diuina, vt bene agere, aut cogitare
incipiamus pręueniri. Illa enim ipsa gratia fuit, quòd
duo illi discipuli Christum sequi cœperunt. Melius
hinc Chrysost. collegisset, q̄ omnium postea Theo-
logorum cōsensu probatum est, facienti, quod in se
est, Deum gratiam nō denegare. Sed in ijs reb', quæ
ad salutem nostram, & iustificationem pertinēt, hoc
ipsum quidquid est, q̄ est in nobis, sine gratia Dei
facere non possumus. Nondū Christus fortasse duos
illos discipulos Ioannis corpore respexerat, sed ani-
mo certè, & gratia respexerat, sine qua à Ioāne, id est
à vetere lege, à pristinis moribus, in quibus hærebāt,
discedere non potuissent. Quos quia ea gratia bene,
quantum in ipsis erat, vsi sunt, Christus etiam cor-
pore respexit, id est maiore gratia, maiore fauore
prosecutus est, in suam amicitiam, familiaritatémq;
recipiēs. Non paulò melius Cyrill. *Conuersus*, inquit,

opportune

*opportunè ad sequentes ipsum Dominus vt re ipsa verū esse
ostenderet quod canimus; Quæsiui Dominū, & exaudiuit me.
Dentē enim nec fide recta, nec bonis moribus Dominū quæ-
rimus, quia eum quodammodo cōperimur, cum vera mandā-
data eius scientes præcipuam iustitiæ viam scrutamur, sta-
tim conuersus visitat, clamans, conuertimini ad me, & ego
conuertar ad vos.* Quod Beda, & Alcuinus apud D.
Thom. dicūt, morale est. *Illi*, inquiunt, *discipuli tergū
ipsum sequebantur vt viderent, & faciem Domini videre
nō poterant. Ideo conuertit se, & quodāmodo de sua mate-
rans discendit, vt possint facie illius contemplari.* Optimè
omnia Ammonius declarasse Christū hoc facto, fru B
stra nos illum sequi nisi se ad nos ipse cōuertat; ne-
que eum cōsequi nostris viribus posse. Illud magis
ad sensum, quærimus litteralē pertinet, quod Chry-
sost. Theophyl. & Euthym. adnotauerūt, propterea
Christum se ad sequentes penè discipulos Ioannis
conuertisse, priorémque, quid quærerēt, interrogasse,
vt verecundantes, timentésque interrogare, allo-
quio animaret, & ad colloquiū alliceret. Quod non
est à nobis Deum, sed nos à Deo præueniri. *Præpara
nomen*, inquit, *cordis eorum audiuit auris tua, &, Dixi
confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu
remisisti impietatem peccati mei*, psal. 31. 5. *Exitque, ante-
quam clamem, ego exaudiam*, Isa. 65. 24. Quòd autem
hoc interrogat non ignorantis, sed inuitantis est, vt C
ipsorum auctores, itémque Cyrillus adnotauerunt.

*Qui dixerunt ei Rabbi, quod dicitur interpretatū, Ma-
gister, vbi habitas?*) Cum Rabbi, id est magistrum ap-
pellant, & gratiam sibi honorifico titulo consiliant,
& ex eius discipulos esse velle profitentur, vt Chry-
sost. Cyrill. Theophylact. & Euthym. obseruāt. Beda
addit argumentum esse dicit, *Ipsa*, inquit, *appellatio respō-
dentis iudicium est fidei. Quando enim dicunt, Rabbi quod
sonat magister, & sequuntur eum, vtique magistrum
intelligitur magister, & sequuntur eum, vtique magistrum
sequuntur, & discunt.* Non respondent quid velint, sed
tantum interrogant vbi habitet, volentes ex otio, &
priuatim cum de rebus maximè sacris, & ad salutē
pertinentibus interrogare, vt Chrysost. Cyril. Theo
phyl. & Euthym. obseruarunt. *Non enim*, vt ait Cy- D
rillus, *vbique res grandes oportere dicere arbitrabantur.
Vnde nobis exemplum, quod vtinam nostro seruā-
cerent tempore, & non in foro, non in compitis, non
in mensis, non in cauponis, nō vbique præterquam
in scholis; vbi id maximè fieri oportebat, de summis
religionis mysterijs disputaretur? sed in Ecclesiam,
vel ad Christi omnes irent domicilium, ibi eum,
qui eius tenent locum modestè, submissèq; in-
terrogaturi. Aut, vt ego puto, dum domum interro-
gant, indicant se non quouis modo Christi discipu-
los, sed etiam familiares, & quodammodo dome-
sticos esse velle.

39. *Dicit eis, venite, & videte.*) Apta est in hunc lo- E
cum interpretatio Cyrilli, itaque eam ipsius appo-
nam verbis. *Non dicunt*, inquit, *vbi habitaret, quamuis
esse ab eo peteretur; sed illuc eo ire ipsos hortatur. Pri-
dem, cum vtilitatis retardatio semper afferat detrimē-
tum. Deinde ei offenderet non sufficere, si quis vbi Christi
manet veneri, & quæ mystice in ea peragantur, feruen-
animo videri. Hoc si Lutherani, & Caluinistæ fa-
cerent, hæretici non essent. Venient ad Ecclesiam ve-
dicturi, & quid agatur, quid doceatur viderent, cō-
probarent, & non ea de nobis fingerent
quibus & ipsi primùm decepti perierunt, &
decipientes populum miserè pereunt.
Veram saltem quærerent, vbi Christus habitaret,
quę vera esset Ecclesia; nam Genevæ quidem certè
non habitat. Significat Christus his verbis se do-*

mum habere, vbi habitet; quod qua ratione non
pugnet cum eo, quòd alibi dicit, *Vulpes foueas ha-
bent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non ha-
bet, vbi caput suum reclinet*, Matth. 8. 20. quæri solet.
Respondent Chrysostomus hom. 17. & Theophyla-
ctus, & Euthymius in commentar. & Ammonius in
Græca Catena, habuisse quidem hospitium, pro-
priam autem domum non habuisse: Ad allegoriam
verò magis, quàm ad sensum litteralem pertinet,
quod Beda. & Alcuinus dicūt ideo nō dixisse Chri-
stum, vbi habitaret, sed illos vt venirent, ac viderent
inuitasse, quia habitatio; id est gloria Christi videri
quidem potest, verbis explicari non potest.

Venerunt, & viderunt.) Obsecuti sunt diuinæ voca
tioni. Quòd autem dicit Euangelista apud eū man-
sisse die illo, incertū an significet, quod eius diei re-
liquū erat, id est horas duas; *hora* enim *erat quasi de-
cima*, vt hīc dicitur; an diem vnū, vt vocant natura-
lem, qui viginti quattuor horis constat. Vtriusque
interpretationis auctores inuenio; sed meliores po-
steriores. Nam nisi fallor ita Chrysostomus, Cyrillus,
Theophylactus, & Euthymius intellexerunt, etsi id
apertè non explicant. Quod autem quidam prioris
interpretationis auctores docēt, nihil tunc duos il-
los discipulos à Christo didicisse, sed tantùm domū
notasse, vbi habitaret, vt ad eum aliàs discendi causa
ventitarent, incredibile mihi videtur esse. Quis e-
nim credat homines sitibundos inuento non statim
bibisse fonte? Et vnde discere, nisi ex ipso Chri-
sto potuerunt illum esse Messiam? quòd illo die di-
dicisse ex versu 41. manifestum est. Quin propte-
rea suspicor Euangelistam dixisse eos eo die apud
Christum mansisse, vt indicaret non fuisse contento
domum nosse; sed aliquem etiam doctrinæ
Christi gustum capere voluisse, vt Chrysostomus,
Cyrillus, Theophylactus & Euthymius non obscu-
re significant. Certè instructos à Christo doctrina
fuisse planè affirmant, licet id Euangelista non di-
cat: prætermisisse enim eum, quòd videbat facilè
per se quemque etiam se tacēte intellecturum. Cur
ergo non dixit, mansērunt apud eum nocte illa,
cùm per noctem potius, quàm per diem manserint?
Quia aliqua etiam diei pars reliqua erat, & sole-
mus potius per dies, quàm per noctes tempus desi-
gnate. Quod sequitur, *hora autem erat quasi decima*:
nonnulli vertunt, hora enim erat quasi decima.
Καὶ enim pro ὅτι positum esse, quod sæpè aliàs fieri
solet; redditque rationem, quare die illo apud
Christum mansissent, nec ad Ioannem præcepto-
rem suum reuertissent, quia inclinata iam in oc-
casum dies erat; neque satis restabat temporis, vt
redire possent. Probabilius esset, si meliorem ha-
beret auctorem. Et bene etiam constat aduersa-
tiuæ particulæ sententia, vt significare Ioannes
voluerit notata hora, qua ad hospitium Chri-
sti peruenerant, quantum apud eum mansissent
temporis, nempe per duas, quæ reliquæ erant,
horas eius diei, & per totam insequentem noctem:
neque rationem reddat, quare eo die ad Ioannem
non redierint; sed eos potius laudet, quòd cum re-
dire possent duabus adhuc reliquis horis, redire
tamen noluerint, sed per reliquam eius diei partem
& noctem totam Christi consuetudine, & doctrina
frui. Colligunt ex hoc loco Cyrillus, Chrysostomus,
Theophylactus & Euthymius nullem ad di-
scenda, quæ ad salutem pertinent, tempus aut se-
rum, aut importunum esse. Colligunt quanta in
Christo ad docendū caritas; quantus in discipulis il-
lis ad discendū ardor fuerit; quando & eo tempore,
quod cœnæ destinatum erat, & ille docere volue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tit, & illi docent; exemplúmque & à Christo doctoribus,& à discipulis auditoribus relictum esse. Diem, iterémque noctem in duodecim apud veteres illos horas partitum fuisse, quæ crescente crescerent, decrescente decrescerent die, itaque horam decimam fuisse,quæ Italis est vigesima secunda; ideo non dicimus,quia,neminem credimus ignorare.

40. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri.*) Constat ex hoc loco Andream,priusquam discipulus esset Christi,discipulum,ac sectatorem fuisse Ioannis. Petrum eius fratrem non constat, sed probabili colligitur coniectura; verisimile enim est fratres eandem semper doctrinam, eundem præceptorem secutos fuisse, sicut eundem, posteaquam cognouerunt, Christum secuti sunt. Duæ hic inter se nexæ quæstiones, cur Andream Euangelista nominauerit,& cur alterum non nominauerit. Prima facilè soluitur; necessarium fuisse Andream nominari, quia narrandum erat quomodo Simonem fratrem suum ad Christum adduxisset,vt Theophylactus, & Cyrillus in Catena Græca citatus ait. Cur alterius nomen non expresserit, contrarijs rationibus factum creditur, siue quia necesse non erat, cùm nihil de eo post fuisset agendum,vt idem Theophylactus, & Cyrillus respondent; siue, vt Epiphan.hæres.51.& Cyrillus in eadem Catena,& Euthymius,& Theophyl.tanquam multorum,& probabilem opinionem referunt, quia alter ipse Ioannes,erat,qui scribebat,qui solet, vt alibi sæpe diximus,modestiæ causa supprimere nomen suum. Vide quæ in titulo huius Euangelij adnotauimus; siue quòd aliquis alius erat minimè insignis,cuius nomen notum vulgo non esset, vt ijdem auctores dicunt. Nam hac eadem de causa,vt Cyrillus eodem loco monuit, septuaginta discipulorum nomina edita non fuisse,Luc.10.1.Putat etiam Epiphanius esse probabile alterum illum discipulum Iacobum Zebedæi filium,& Ioannis fratrē fuisse,quòd eiusdem patriæ,eiusdem artis, eiusdem esset contubernij. In re incerta malo credere ignotum aliquem fuisse, qui Christi postea non fuerit Apostolus, ideóque non fuisse nominatum. Nam si Apostolus fuisset,profectò eum Ioannes nominasset, vt declaret,quod fuisset initium vocationis eius. Nam ea etiam opinor de causa Andream nominauit. Colligit ex hoc loco loco Beda Andream minorem Petro natu fuisse,quòd non Petrus illius,sed ille Petri dicatur frater. Tenuis coniectura.

Cur alterius discipuli nomē expressum non sit.

41. *Inuenit hic primum fratrem suum Simonem.*) Plerique Græci codices legunt, Εὑρίσκει ὗτος πρῶτος inuenit hic primus fratrem suum Simonem, vt Chrysost.Epiphan.hæres.51 & Euthym.etiam legunt,vt sit sensus illum inuenisse fratrem suum, illiq; nuntiasse se Christum vidisse,antequam alter ille discipulus,qui cum ipso ad Christum venerat, eum inueniret. Quasi voluerit Euangelista significare Petrum non per alium quàm per Andream fratrem suum primum de inuento Christo nuntium accepisse. Sententia sanè non incongrua. Sed noster interpres legit πρῶτον primum; eodémque modo Cyrillus,& Theophyl.Græci etiam auctores legunt; sensúsque est melior. Nam si legamus πρῶτος primus necesse est,vt ponatur pro πρότερος prior,cùm inter duos tātùm illos discipulos comparatio fiat. Quod etsi nonnunquam fieri,solet,tamen sine licentia nō fit. Itaque nisi constet alium sensum constare non posse credendum non est factum hoc loco; si autem legamus πρῶτον, primum comparatio fit inter Petrum,& cæteros omnes homines, quemadmodum

A

B

C

D

E

superlatiui,vt Grammatici vocant,natura postulat, sensúsque est vberior,& maior. Declarat enim Euangelista diuina factum esse prouidentia vt Andreas a Christo reuertens plenus gaudij, plenus desiderij thesaurum illum, quem in agro absconditum inuenerat,cum alijs communicandi, primùm omnium inuenerit fratrem suum, quo neminem cariorem habebat, neminem quocum magis cuperet, quæ inuenerat,ac viderat, communicare. Notant hoc loco præclarum omnes auctores exemplum, Chrysostomus,Cyrillus Beda.Theophylactus, non deloquitur. disse in terram Andream talentum, quod acceperat, sed ad lucrum statim exposuisse, & quamuis piscator esset, statim vt Christum inuenit cœpisse prædicare. Idem nobis faciendum esse.

Inuenimus Messiam.) Messiam Hebræis, & Christum Græcis idem esse nemo nescit,& nos alibi docuimus. Adnotarunt autem Chrysostomus & Theophylactus non dixisse Euangelistam simpliciter εὑρήκαμεν μεσσίαν, inuenimus Messiam; sed εὑρήκαμεν τὸν μεσσίαν inuenimus Messiam illum, scilicet quem vnum quærebamus,quem optabamus, quem venturum sperabamus,vt Euthymius ait. Ac vnde tam citò didicerat Andreas Christū esse Messiam? Respondent Chrysostomus, & Theophylactus id à Christo ipso eo die, quo apud eum manserat, didicisse,etsi id Euangelista non dicit. Vnde magis apparet falsum esse, quod quidam dicunt, duos illos discipulos nihil tunc à Christo didicisse, sed domum, vbi habitaret, tantummodo notasse.

42. *Et adduxit eum ad Iesum.*) Cupientem opinor videre eum. Verumque verisimile,& Andream inuitasse Petrum fratrem suum, vt ad Christum veniret,& Petrum seſe sponte obtulisse, rogasse que vicissim fratrem,vt se ad illum duceret. Notatur à Chrysostomo, & Theophylacto prompta obedientia, & fides Petri, qui antequam Christum videret, ad primum eius nuntium in illum credidit. Excusatur autem credendi facilitas,quòd ad primum verbum crediderit. Enimuero verisimile esse Andreæam tunc multa alia,quæ à Christo didicisset, mysteria illi exposuisse,quibus adductus crediderit. Sed excusatione meo iudicio opus non est. Quid enim mirum fratrem fratri alicui se inuenisse Messiam facilè credidisse? Magnum ioris hoc est laudis, quàm quod illi Theophylactus laudis loco tribuit, eum non statim fratris verbis credidisse, sed videre,experirique voluisse num quę diceret,vera essent,ideóque ad Christum veniisse. Magis equidem adducor, vt credam, non ideo ad Christum adductum à fratre, vt experiretur verum esse, quod illi narrauerat,sed partim vt eius satisfaceret desiderio cupientis videre quem tam diu expectatum, tanto quæsitum studio, inuentum audiebat; partim vt & apud Christum,& apud fratrem Andreas gratiam iniret. Apud illum quòd nouum ad eum discipulum adduceret; apud hunc,quòd eum in Christi notitiam, & familiaritatem insinuaret.

Inuenit autem eum Iesus.) Id est antequam eum illo colloqueretur,antequam ad se Petrus accederet.solo intuitu cognouit, & cuius esset filius, & qui vocaretur,& quod est maius qualis,quantúsque futurus esset;vt ex hac anticipata prædictione sua illi indicaret diuinitatem, & ad credenda maiora mysteria excitaret,vt Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Theophylactus, Beda, Euthymius obseruarunt. Atq; hanc vim habet verbum illud, *intuitus eū. Nō magnū*, inquit Augustinus, *quia Dominus dicitur*

cutus filius esset iste. Quid magnum Domino? Omnia nomina sanctorum suorum sciebat, quos ante constitutionem mundi prædestinauerat; & miraris, quia dixit vni hominis, tu es filius illius, & tu vocaberis illud? De mutatione nominis Petri, & quid nomen Cephæ significet, & an statim, vt hoc illi Christus dixit, Cephas vocari cœperit, apud Matthæum disputauimus.

Cap.16.

43. *In crastinum voluit exire in Galilæam.*) Die insequenti, qui tertius post illum erat, quo Iudæorum ad eum legati venerant: & illo ipso die, quo nuptiæ in Cana Galilææ factæ sunt. Nam ille nuptiarum dies cap. 2. 1. tertius etiam post legationem illam fuisse dicitur. Ex quo constat eodem die Christum & à Iudæa in Galilæam migrasse, & Philippum Apostolum vocasse, & ad nuptias inuitatū miraculū illud fecisse primum mutate in vinū aquę. Erat enim Iudæa vbi tunc erat,confinis Galilææ;& Ænon locus ille celebris, vbi Ioannes baptizabat, iuxta Iordanem, qua in Galilæam influebat, & Cana vbi celebratæ nuptiæ sunt in ipso ingressu Galilææ. Ergo pridie quàm Andreas ad Christum venit, siue eadem nocte ad Ioannem redierit,siue prima luce, Petrum mane ad Christum adduxit; eodémque die Christus in Galilæam, ingressus est. Ita dies ille, quo in Galilæam abiit; posttridie fuit eius, quo ad eum Andreas venerat; quemadmodum non solum Epiphan.hæres. 51. Euthymius hoc loco, sed omnes omnino auctores putant,dum nemo contradicit,& verba hoc præ se ferunt. Dicit Euangelista ipsle Christum in Galilæam, id est reliquit; nam inde prius,vt à Ioanne baptizaretur, in Iudæam venerat, Matth. 3.13.& Mar.1. 9.vt Beda, & Alcuinus apud D.Thom.notant: dixit, inquam hoc Euangelista, vt ad Philippi vocationem, & ad historiam Nathanaelis tranlitionem faceret, quæ vtraque contigerat in Galilæa. Tum etiam ad miraculum, quod paulò post cap. 2. 1. in Cana Galilææ factum narrat. Quod autem dicit, *Voluit*, hanc mihi videtur vim habere, vt significet Euangelista Christum certo consilio, scientémque quid futurum esset,in Galilæam contendisse,vt ibi se,vt educatus,& notus erat, inciperet ostendere; ibi discipulos ad se colligere, ibi docere, ibi primùm edere miracula;voluisse in Galilæam ire,vt ibi Philippum inueniret, ne casu ab eo inuentus putaretur, vt bene Rupertus admonuit. Aut voluisse, cùm iam solus non esset, sed duos, cósque Galilæos Petrum & Andream discipulos haberet, quibus ibi,quemadmodum euentus docuit,ad alliciendos alios testibus,ac ministris vteretur. Constituerat enim discipulos suos ex Galilæa omnes, aut plerosque certe vocare; quo simpliciores, minúsque suspecti essent. Et rectè Chrysostomus obseruauit neminem Christum ad se discipulū vocare voluisse, antequam aliquis sponte sua vocati ipsum sequerentur; nec si ipse primos vocasset, minus essent firmi, atque tota suspecta videretur.

A

B

C

D

E

Philippus solo diuino spiritu incitatus Christum sequitur.

Bethsaidæ, id est domus venationum.

Et inuenit Philippum.) Singularis est Euthymij sententia,non eodem die quo Christus in Galilęam rediit,Philippum ab eo inuentum,atque vocatum esse,sed Ioannem coniunxisse, quæ diuersis temporibus acciderint. Verba quidem Euangelistæ planè ostendunt eodem die & ingressum in Galilæam Christum, & Philippum vocatum fuisse, atque ita Epiphan.& opinor alij omnes auctores sentiunt. Inquit autem Philippum dictum, quasi ipsum quęgustinus, Theophylactus, Beda, Euthymius obseruarunt. Atq; hanc vim habet verbum illud, *intuitus eū. Nō magnū*, inquit Augustinus, *quia Dominus dicitur*, sed animo, quo eum aptum ad officium Apostola-

tus esse sciebat. Itaque inuenisse Philippum dicitur, quia incidit in eum, quem animo quærebat. Sicut Deus de Dauide dicit, *Inueni Dauid seruū meum, oleo sancto meo vnxi eum.* Psal. 88.21.

Et dicit ei Iesus sequere me.) Nouerat Christus, quē vocabat, sicut & Nathanaēli dixit, *priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Non dicit Euangelista Philippum voci Christi obsecutum esse, sed ex euentu intelligendum reliquit. Non solum enim secutus est, sed etiam Nathanaēlem ad Christum adduxit. Itaque ex hoc ipso nascitur quæstio, quam Chrysostomus & Theophylactus attingunt, quomodo tam facilè Philippus Christum, quem nunquam viderat, nunquam audierat, ad primam vocem secutus fuerit. Ad quam duobus modis illi respondent. Primùm quidem credibile esse multa prius aut à Ioanne, aut à Petro, & Andrea popularibus suis audiuisse de Christo, propensóque iam in illum animo fuisse; itaque paulò momento impelli potuisse. Quod & Euthymius confirmat. Aut, quod ego iudico probabilius, Christum vna cum voce diuinam quandam in eius animum virtutem infudisse, qua incensus continuò fuerit, vt Christum sequeretur quemadmodum discipuli illi dixerunt, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Luc.24.32.

v.48.

C

44. *Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ, & Petri.*) Sunt qui existiment propterea Euangelistam Philippi ciuitatem nominasse, vt tacitè causam reddetet, quamobrem tam facile Christum secutus sit. Quia multa nimirum à Petro & Andrea ciuibus suis de Christo didicerat,vt Theophylactus ait. Aut quòd facilius fuerit eum sequi, quem non ipse primus, sed alij, & quidem populares, & amici ipsius,iam sequerentur, quasi in illis de Christo periculum fecerit. Humanum hoc est,& malim credere tantum Apostolum solo diuino incitatum spiritu, nullo humano respectu secutum Christum. Aliam Rupertus rationem affert, quam & Chrysostomus indicat, Bethsaidam vnam ex illis fuisse ciuitatibus, quæ maximè barbaræ, maximè incredulæ erant, *Væ tibi Corazain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent*, Matth. 11.21. Ergo significat Euangelista voluisse, quanta Petri, Andreæ, & Philippi fides fuerit, qui, cùm ex ea essent ciuitate vbi incredulitas maxime regnabat, primi omnium Christum secuti fuerint. Aliam reddunt Chrysostomus & Euthymius; voluisse Christum ex illa potissimum ciuitate primos Apostolos vocare, quæ maximè barbara, & ignobilis erat, vt contemptibilia mundi eligeret, vt fortia cōfunderet. Quòd autem Beda in commentarijs, & Alcuinus apud D. Thom. dicunt, multique recentiores secuti sunt, mysterium est, Bethsaidam domum venationis declarari, voluisseque Euangelistam ostendere nomen ciuitatis cum officio, ad quod Apostoli vocabantur, conuenire; vocatos enim fuisse, vt venatores, ac piscatores hominum fierent. Simplex mihi, & satis idonea videtur causa, vt historicè Ioannes fecerit: pertinet enim ad diligentiam, ornamentum, & fidem historię vt insignium personarum patria, cæteræque circumstantiæ describantur.

D

E

45. *Inuenit Philippus Nathanael.*) Hoc ego non affirmarim eodem prorsus die factum esse. Potuit enim aliquanto post fieri, quamuis Euangelista, quia de Philippo loqui iam cœperat, & Philippus Nathanaelem ad Christum adduxerat, non filum temporis, sed filum cognatarum rerū se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cutus fuerit. Quod & ab alijs Euangelistis sæpe,& ab hoc ipso supra ver.6. factum animaduertimus. Atque hoc sanè videtur Euthymius indicare. Probabilius tamen est hæc omnia eodem contigisse die. Nam & Andreas eodem die & Christum,secutus est, & Petrum inuenit, & eum ad Christum adduxit. Et est credibile Philippum statim,vt Christum vidit,& ab eo vocatus,quis esset,cognouit recenti gestientem gaudio Nathanaëlem amicum suum,vt cum eo inuentum thesaurum communicaret,quæsiuisse. Hanc enim vim verbum illud habere, *inuenit*, quasi eum quæsiuisset, rectè Cyrillus adnotauit.Certè ita Ioannes narrat,historiam,quasi omnia eodem die facta fuerint, cum initio capitis secundi dicat, *Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*.Quanquam nihil absurdi est si dicamus tertiam illam fuisse diem non à legatione Iudæorum, sed ab eo die, quo Nathanaël ad Christum à Philippo adductus fuerat.Ita spatio illo duorum,triúmue dierum Nathanaëlem inuentum à Philippo, & ad Christum adductum.Sed de ea re illic disseremus. Vtcumque se res habeat, illud apparet Euangelistam declarare voluisse, quo modo breui tempore alius alium traxerit ad Christum, Andreas Petrum, Christus ipse Philippum, Philippus Nathanaëlem;quámque exiguo initio quantum incrementú acceperit Euangelium.Simile enim *esse grano sinapis,quod minimum est omnibus seminibus, cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Ignem* Christum venisse *mittere in terram, & eccequid vtuluer ignis, quàm magnam syluam incendit?* Iuuat etiam ad fidem patria,iuuat amicitia,iuuant omnes humanæ necessitudines. Nec enim dubium, quin propterea Philippus tam facile Nathanaëlem ad Christum adduxerit, quia amicus eius erat.Non est vera amicitia,quæ non tendit ad Christum, suspectíque mihi Catholici sunt,qui diuturnam cum hæreticis, & quotidianam consuetudinem habentes, amici cum amicis, viri cum vxoribus, vxores cum viris,parentes cum liberis, liberi cum parentibus, heri cum ministris,ministri cum heris, non eos ad Christum; non eos ad Ecclesiam adducunt. Quod vbicumque hodie hæresis regnat, magno fit malo. Molles multi Catholici sunt, & nimis familiariter cum hæreticis geruntinimicitias.

Matth.13 31.32.

Luc.22. 49.

Iacobi 3.5

Consuetudo cũ hæreticis diuturna subtela.

Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth.)Non est sensus,Moysem,& Prophetas scripsisse nominatim venturum Iesum, sed venturum Messiam, aut Christum; at sensus est, inuenimus Messiam, aut Prophetam illum,quem Moses,& Prophetæ venturum prædixerant, qui est,aut vocatur Iesus. Quod Philippus Nathanaëlis Mosem, & Prophetas citauerit, ideo fecisse graues auctores putant, quòd Nathanaël vir fuerit Hebræorum litteris eruditus. Sic Augustinus tractatu in Ioannem 7.Cyrillus, Chrysostо. Theophylactus, Euthym. Rupertus. Quanquam hoc quidem argumento magis probari videtur possе Philippum,quàm Nathanaëlem in scripturis,quarum testimonijs vtebatur,doctum fuisse. Cæterum solent aliquando homines imperiti litteratè, quatenus quidem possunt,cum doctis agere, vt se ad eorum ingenium, & eruditionem accommodent. Itaque potuit Philippus, quamuis indoctus esset, quia cum homine agebat docto, ijs vti scripturarum testimonijs, quæ nemo quantumuis indoctus Iudæus ignorabat;Prophetas prædixisse venturum esse Messiam.Quasi rem Nathanaëli ex locis scripturæ,quos ipse ignoraret, explorãdam,confirmandamque reliquerit.Quòd Mosem à cęteris Prophetis distinguit, consuetudine Iudæorum facit, qui Mosem tanquam omnium prophetarum maximum separatim nominabant. Aut librorum diuisionem, quà per Mosem legem, per Prophetas omnes alios libros intelligebat.Lucæ 16.29.& Act.26.22.& 28. 23. Ad quos autem Mosis,& Prophetarũ locos alludat, non est difficile coniicere, & longum esset commemorare. Illustriores sunt Genes.49. 10. & Deuter.18.15.18.Daniel.7.13.& 9.24.Ierem. 23.5. &30.9.& 33.15.Isa.7.14.15.Michææ.5.2.Hic etiam dicit *Inuenimus* sicut supra Andræas ver.41. Quod, vt notauit Theodorus Mopsuestien. quærentiũ est, loquitur autem plurali numero,cùm ipse solus esset, quia non ipse solus,sed etiam Andreas,Petrus & ille alter Ioannis discipulus inuenerant.Quòd autem Christum filium Ioseph vocat,ex vulgi loquitur opinione,qua, vt ait Lucas cap.3. 23. filius Ioseph esse putabatur, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthym. interpretantur. At filium Ioseph vocat,non quòd ab eo genitus,sed quòd ab eo nutritus esset,vt Lucæ 2.33.48. *A Nazareth* autem esse dicit,aut quia nondũ cognouerat eum in Bethlehem natum fuisse, aut quia si cognouerat, in Nazareth nutritus fuerat; itaque Nazaræus, aut Nazarenus vulgo vocabatur,Matt.2.23.& 26.71.& Mar.1.24.& 10.47.& 14.67.& 16.6.& Luc.4.34.18. 37. & 24.19. & Ioann.18.5.19.19. Describit Philippus nomen, patriam, & genus Christi,vt ostendat se non rem dubiam,& incertam,sed bene cognitam & exploratam commemorare. Cyrillus putat vulgo inter Iudæos creditum fuisse Messiam ex vrbe Nazareth oriturum esse, eámque opinionem secutum Philippum dixisse eum esse ex Nazareth, quo magis persuaderet verum esse Messiam. Tantum id probabilitatis habet, quanta Cyrilli auctoritas est.

Matth.2. Nazarenus vocabitur.

Ioan.7. Nunquid a Galilæa venit Christus?

Ioan.19. Rex Iudæorum.

46. *A Nazareth potest aliquid boni esse.*) Lectio hic est primo loco constituenda. Monet Origenes in Græca citatus Catena, D. Augustin. & Rupertus duobus modis hæc verba legi posse,aut per affirmationem,aut per interrogationem.Atque vtranque illi lectionem probant.Beda verò etsi alterius etiam lectionis meminit,tamen priorem sequitur: quasi Nathanaël non admiretur, sed potiùs probabile esse dicat, quod Philippus dixerat, Christum esse Nazarenum, fieri posse inquiens; nam & à Nazareth aliquid boni esse posse: alter verò subiiciat id ipsum confirmans,*Veni,& vide*.Si tantis auctoribus probabilis hæc lectio, non dubito tamen,quin altera sit melior. Nam & subiecta Philippi responsio magis conuenit, quasi admirantem, dubitanti; témque ad experiendum inuitet: & nullus vir- quam, quod sciam, Græcus auctor aliter legit. Quid autem Nathanaëli dubitandi causæ fuerit, num à Nazareth aliquid posset esse boni, dubitaporest. & nullum tamen auctorem grauem dubitare video.Omnes exceptis ijs,qui per affirmationem legunt, putant propterea dubitasse, quomodo aliquid boni, id est Christus à Nazareth esse posset, quia ex sacris litteris sciebat ex Bethlehem futurum esse. Michææ 5.2. *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iudæ,ex te enim exibit dux,qui regat populum meum Israel.* Quemadmodum sacerdotes illi,& Scribæ ab Herode congregati inquirentes responderunt Matt.2.6.sic Chrysostomus, Cyrillus,Theophylactus,Euthymius,& Theodorus Mopsuestiensis in Græcorum Catena. Etsi mihi quidem remotis auctoritatibus verba considerãti potiùs videtur Nathanaël propter ignobilitatem loci, quam propter scripturarum testimonium addubitasse, num à Nazareth aliquid boni esse posset. Hoc enim verba præ se ferunt. *A Nazareth*, id est à loco tam ignobili, tam barbaro *potest aliquid boni esse*. Si enim illa fuisset causa dubitandi, quòd Christum ex scriptura in Bechlehem nasciturum sciret,non dixisset tam generaliter, *A Nazareth potest aliquid boni esse*? sed magis propriè, A Nazareth potest Christus esse? aut hoc saltem modo,A Nazareth potest tantum bonum esse.Quemadmodum illi dixerunt, *Nunquid a Galilæa venit Christus? nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & ex Bethlehem castello, vbi erat Dauid?* cap. 7.41. 42. & seqq. ver.52.*Scrutare scripturas, & vide,quia a Galilæa Propheta non surgit*.Quærunt Chrysostomus, & Theophylactus quomodo Nathanaël tantopere à Christo laudatus fuerit,cùm de eo dubitauerit, neque affirmanti Philippo crediderit. Respondent dubitationem illam non ex incredulitate, sed ex scripturarum studio,& cognitione natam fuisse.Falsus est non peccasse propter ignobilitatem loci dubitando,quis enim non dubitasset?quis Philippo hominí imperito nondum pro Apostolo cognito credidisset?

Veni,& vide.)Inuitat Philippus Nathanaëlé,vt ad Christũ veniat,& vtrũ vera sint,quæ illi narranerit experiatur, arripiens ex eius dubitatione occasionem,Quemadmodum Andreas Simonem fratrem suum ad Christum adduxerat. Imitandum exemplum,qualibet ex re occasio captanda,vt ad Christum,vt ad Ecclesiam, ad sacramenta,ad meliorem vitam homines traducamus. Sic creuit, sic floruit Euangelium.

47.*Vidit Iesus Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo,Ecce vere Israelita,in quo dolus non est.*)Ex responso Nathanaëlis apparet Christũ hęc verba dixisse,cùm Nathanaël tã prope accessisset,vt audire posset,eteenim audiuit,responditque,*vnde me nosti?* Ratio etiã ob quam hoc Christus de illo dicebat,hoc postulat. Volebat enim, vt Cyrillus obseruat, occulta, quæque in animo gerebat,indicando, suam illi dicontatem declarare.Itaque oportebat,vt antequam omnino accederet,aut secum loqui inciperet, hoc illi diceret,ne id ex eius oratione,vnde facilè homi ex cognoscuntur, collegisse videretur: ita tamen vt Nathanaël, qui se corda hominum nosse volebat intelligere,posset audire.Cæterum Christus cùm ve cem Israelitam vocat,indicat aliquos Israelitas esse dolos. Euthymio verò non assentior, qui propter- verum Israelitam vocatũ putat, quòd quæ in optaris,de Christo legerat,bene intelligebat;alios fuisse fallos,quòd odio cæci non intelligerent.Non enim à doctrina, sed simplicitate potiùs, quæ tarò cum doctrina comuncta est,laudari arbitror. Vocat ergo verum Israelitam, verum imitatorem Iacob, qui Israel cognomento dictus est. Hominẽ antiqua probitate, simplicitatéque, qualis fuerat Iacob, quæsi qui eusmodi non essent moribus, verè filij non essent Israël. *Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ; neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij*, Rom. 9.6.& *Si filij Abrahæ estis,opera Abrahæ facite*.Ioann. 8.39. Timuit hoc loco Pelagianos Augustinus, ne hinc argumentum sumerent, vt probarent hominem aliquem omnis expertem peccati, & vt appellare solebant ἀναμάρτητον reperiri.Itaque multis disputat verbis dolo quidem,id est fraude caruisse,peccasse verò nõ caruisse. *Quid est*,inquit,*in quo autem non peccatum habebat peccatum? forte non erat eger? forte non habebat quod curaretur? Absit.* Poterant obiicere Pelagiani ea phrasi scripturam hominem omni peccato liberum describere solere quòd dolus,id est mendacium minimum inter homines peccatũ habeatur,itaque qui dolo caret omni peccato carere putãdum sit. *Beatus vir,cui non imputauit Dominus peccatum,nec est in spiritu eius dolus*, Psal.31.2.Vir etiam iustus & innocens definitur is,*qui non egit dolum in lingua sua*,Psal.14.3.& Petrus,vt doceat nullum in Christo fuisse peccatum,dicit non fuisse *in ore eius dolum*.1.epistola c.2.22.Et exigua profecto fuisset laus si hoc tãtùm in Nathanaële Christus laudasset, quòd homo fraudulẽtus nõ esset. Laudat ergo vniuersè morum simplicitatẽ atque cãdorem;nõ quod nullum omnino peccatum haberet,quod qui dicit, mentitur, & veritas in eo non est;sed quòd magnis illis peccatis,quæ moralia vocamus,obstrictus non esset.Ita & Nathanaël nec tam parum laudatur, vt vno tantùm; nec tam valde,vt omni omnino peccati genere,vt Pelagiani volebant, caruisse significetur. Magis etiam hoc mihi placet, quàm quòd Ammonius ait, propterea dixisse Christum in eo dolum non esse,quòd simpliciter ac sine vlla simulatione ad ipsum venisset, non simulatè,non fraudulenter,vt alij Iudæi venire ad eum consueuerant. Nimis enim hac interpretatione sententia reiicitur.Quærit idem Augustinus qua ratione factum sit,vt cùm tam illustri à Christo testimonio Nathanael fuerit ornatus, tamen in Apostolorum numerum allectus non fuerit. Existimant recentiores quidam auctores Nathanaelem etiam Apostolum factum, eundémque esse illum, qui Bartholomæus dictus est, his ducti rationibus, quòd Nathanaelis hic legamus vocationem,Bartholomæi sub eo quidem nomine non legamus, nec verosimile sit fuisse prætermissam. Quòd cum Apostoli numerantur,sicut Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, qui simul vocati sunt, ita Philippus, & Bartholomæus quasi simul etiam vocati copulentur, Matth.10.3. Mar.3.18.Luc.6.14. Non fuit autem simul cũ Philippo vocatus,si non idem est,qui Nathanael.Quòd alij Euangelistæ, qui Bartholomæi meminerunt, Nathanaelis nullam mentionem fecerint: contra verò Ioannes,qui de Nathanaele mentionem facit. Bartholomæi nusquam meminerit. Cuius rei non videtur alia causa esse potuisse, quàm quòd idem erat. Nam aut alios Euangelistas nunquam de Nathanaele, aut Ioannem nunquam de Bartholomęo locutos fuisse credibile non est. Quòd aliquando Nathanael à Ioanne inter Apostolos connumerari videatur, vt infrà,cap.21.2. Probabilis opinio, nec eam sequi dubitarem,si grauem aliquem haberem auctorẽ. Nam Rupertus qui eius à quibusdam citatur auctor, nec tantus est, vt Augustino, omnibusque antiquis auctoribus contrà sentientibus, sit opponendus:neque is ipse Rupertus id affirmat, quin probabilius putet Apostolum non fuisse.Respondet igitur Augustinus propterea non factum Apostolum, quia doctus erat, & confitutum erat Christo infirma mundi eligere, vt fortia confunderet.

Nathanaëlem non factũ Apostolum probabilius est.

1.Cor.1. 1.26.27.

48. *Dicit ei Nathanael, vnde me nosti?* Videbat se Nathanael, antequam cum Christo sermonem vllum conferret,cognitum esse. Poterat vel ex seipso vt res erat, vel ex Philippo, aut alio eius familiari eam de illo conceptam opinionem habere. Vult igitur intelligere, vnde id Christus nouerit.Nam si ex alijs quidem, nihil magnum, nihil mirum: si ex seipso,certum esse signum diuinitatis. In hanc sententiam Cyrillus disserit.

Respondit Iesus, & dixit ei, priusquam te Philippus vocaret,cum esses sub ficu, noui te.) Vidit Christus, quò

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenderet interrogatio Nathanaëlis, vt nimirum sciret ecquis quid Christo de se dixisset, maximéque Philippus, qui se vocauerat. Est credibile Philippum vt Chrysost. putat, priùs, quàm Nathanaëlem, quem ducebat, ad Christum accessisse. Itaque suspicari Nathanael poterat aliquid illi de se à Philippo dictum fuisse. Eam Christus suspicionem remouet, dicens se non ex Philippo nec ex alio quopiam, sed ex sese ipsum cognouisse, idque probat dum ea illi secreta patefacit, quæ neque Philippus, neque alius quisquam præter ipsum Nathanaëlem sciret, fuisse eum sub ficu, antequam eum Philippus vocaret. Quod dicit, *Cum esses sub ficu*, Chrysost. & Theophyl. sic intelligunt, quasi Philippus Nathanaëlem sub ficu repererit, inibique cum eo de Christo fuerit collocutus; idque nunc illi Christus declaret. Melius meo iudicio sentit Cyrillus, & Augustinus serm. 40. de verbis Domini, & qui alias Chrysostomũ sequi solet Euthymius, non fuisse Nathanaëlem à Philippo sub ficu repertum; sed antequam eum Philippus inueniret, sub ficu fuisse solum, vbi neque Philippus, nec alius quispiam eum vidisset. Propterea enim professus est Nathanaël Christum filium esse Dei, quia viderat se absentem in loco abdito, ac solo, vbi nemo præter Deum videre potuisset. Alia quædam interpretatio quæ vulgo increbruit, & Augustinum, & Bedam hoc in loco auctorem habet, & bella quidẽ, sed allegorica est, ficum Adami peccatum significare. *Audite*, inquit Augustinus, *fratres mei, inuenimus arborem fici maledictam, quia sola folia habuit, & fructũ non habuit. In origine humani generis Adam, & Eua cùm peccassent de foliis ficulneis succinctoria sibi fecerunt. Folia ergo ficulnea intelliguntur peccata. Erat autẽ Nathanaël sub arbore fici, tanquam sub vmbra mortis. Vidit eum Dominus, de quo dictum est, qui sedebant in vmbra mortis, lumen ortum est.* Similis est illa Gregorij libro 18. Mor. cap. 20. *cum esses sub ficu, vidi te; id est positum te sub vmbra legis elegi*, videre enim in scripturis aliquãdo idem esse quod eligere. Illud non negligendum cur Christus dixerit, *vidi te*, potiùs quàm, noui te? Non solùm vt opinor, vt certam, & euidentem significaret cognitionem, qualis est oculorum; sed etiam vt ad secretum alluderet locum, vbi putabat Nathanaël se à nemine videri posse. Quærere quid Nathanaël sub ficu egerit, nescio an satis moderati sit ingenij.

Tract. 7.

Allegorica ficus ex positio. Genes. 3. 7 Isai. 9. 2.

46. *Respondit ei Nathanael, & ait, Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Israel.*) Rectè Ammonius Presbyter adnotauit valde fuisse ad fidem maturum Nathanaëlem, qui ad vnum tantùm Christi verbum filium eum Dei confessus fuerit. Quamquam & magnitudini miraculi, vt Cyrillus, & Augustinus faciunt, tribuit, quòd tam facilè crediderit. Declarauerat enim illi Christus, quæ vnus scire poterat Deus. Comparant Augustinus tract. 7. Chrysost. homil. 20. Theophylact. & Euthym. cum Petro Nathanaëlem, quòd tantùm hic in fide momento temporis, quantu ille post multos annos, post tot visa miracula profecisse videatur, diuersa tamen sunt opinione. Nam Chrysost. quidem, Theophylactus, & Euthym. existimant verbis idem sensu maius quiddã Petrum, quàm Nathanaëlem de Christo cõfessum fuisse. Nam Petrum quidem eum dixit. *Tu es Christus filius Dei viui*, filium Dei verum, ac naturalem; Nathanaëlem non naturalem, sed adoptiuum intellexisse. Ideo Christũ Petro respondisse, *Beatus es Simon Bar-Iona*; Nathanaëli verò nihil tale respondisse. Libentiùs aliis assentior auctoribus, qui Nathanaëlem putant verum, ac naturalem, Dei filium esse confessum, Cyrillo, August. & Ammonio. Cur enim hoc illi non tribuamus? Primùm ratio ipsa postulat, vt eius confessionem in meliorem sensum interpretemur, cùm peiorem habere non constet. Hic autem est melior, vt eum naturalem Dei filium credamus intellexisse. Deinde ratio quæ confessionem ab eo illam expressit, non solùm probabat Christũ esse virum iustum, sed eriã esse verum filium Dei, quia ea indicauerat, quæ solus scire poterat Deus. Præterea verba ipsa natura sua hoc significãt. Nam eo ipso, quòd Christus simpliciter filius Dei appellatur, verus Dei filius esse intelligendus est, vt frequenter aduersus Arianos Catholici disputabãt. Accedit, quòd ad nomen filij, scitote ad nomen Regis Græcum articulum adiunxit. Quemadmodum ergo nõ intelligit quemlibet Regem Israël, sed illum singularem regem Messiam; ita nõ qualemcunque, sed illum vnicum, & naturalem filium intelligit. Adde quòd Nathanaël aliquid proculdubio de Christo præceteris etiam iustis hominib⁹ singulare confiteri voluit, alioqui nihil nouum confitebatur; quis enim ignorabat Christum virum esse iustum, hoc est filium Dei adoptiuum? Denique Nathanaël alludit vtique ad id, quod illi Philippus dixerat, *Quẽ scripsit Moyses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum a Nazareth.* Confiterur ergo Nathanael verũ esse, quod Philippus dixerat, Christũ esse eum, quẽ Prophetæ venturũ prædixerant. Non poterat autẽ homo, vt creditur, doctus ignorare eum, quem prophetæ venturum prædixerant verum Dei filium futurum esse. Denique ita illi Christus respondet, vt minimè obscurè significet eum, quidquid credere de ipso oportebat, credidisse. *Quia*, inquit, *dixi tibi vidi te sub ficu, credis.* Quod Regem Israël, non totius orbis terrarũ vocat, vt Ammonius ait, mirũ, non est, erat enim propriè promissus Israëli; erat enim Israel *populus eius, & funiculus hæreditatis eius.* Hoc verius, quam quod Chrys. Theophyl. & Euthym scribunt, defectum fuisse fidei, quòd non totius mundi, sed Israëlis Regem appellauerit.

Matt. 16. 16. 17.

Ioan.

50 *Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis; maius his videbis.*) Dubium quo sensu Christus Nathanaëli ita respondent, vt fidẽ eius laudaret, an vt tarditatem eius ad credendum reprehenderet. Similibus enim verbis Thomam legimus reprehensum. *Quia vidisti me Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Chrysost. Theophylact. Euthym. reprehẽsionẽ imperfectæ fidei esse putant. Tanquam dicat illi Christus, modò quidem imperfectè credis, quia vnum tantùm vidisti miraculum, plura, maioráque videbis tũncque perfectè credes. Melius meo iudicio Cyrillus sentit, laudem hanc, esse, quasi dicat, quia tantum vno meo verbo in fide profecisti, vt me filium Dei cõfitereris; quãtos in ea progressus facies, cùm maiora à me fieri miracula videbis? Itaq; simul laudat, simul exhortatur, spe illi porrecta maioris fidei, vt Rupertus existimat. Sic solemus diligentes, & ingeniosos in schola pueros laudare simul, & exhortari: si tantùm vno die didicisti, quàm doctus post tres annos eris, quibus in hac tibi schola manendum est.

Ioan.

51. *Videbuis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.*) Nõ dubium, quin explicare Christus voluerit, quæ sint illa maiora diuinitatis suæ signa, quæ Nathanaëlem visurũ dixerat. Non exponit autem omnia, sed vnũ quasi exemplum instar omnium ponit, fore vt angelos conspiciant sibi tanquam vero Deo ministrantes. Non dicit, Videbis, sed *Videbitis*, indicans non priuatum, sed obscurum, sed publicum, & conspicuum futurum esse testimonium. De quibus loquatur angelis, & quãdo hoc fuerit impletum, diuersis inter interpretes sententijs disputatur. August. & Beda prorsus hic allegorici sunt, angelos enim prædicatores intelligunt, qui ascenderunt, cùm abstrusiora mysteria; descendunt, cùm res intellectu faciles populo proponunt. Chrysostomus, Theophylactus, Euthym. & Rupertus ad passionem, & resurrectionẽ referunt. Nam passionis tempore apparuit angelus confortãs eum, Luc. 22. 43. & in resurrectione angeli duo in sepulcro visi sunt, qui eum testarentur resurrexisse Luc. 24. 4. Verum quidem; at nec illum in passione, nec illos in resurrectione angelos Apostoli viderũt. Cyrillus videtur ad baptismum, & tentationem referre. Nam & post baptismum cælum apertum est, & post tentationem angeli illi abeuntes ministrarunt, Matth. 3. 16. & 4. 11. Minùs hoc probabile. Nam cum hoc Christus Nathanaëli dixit, iam baptizatus, iam tentatus fuerat. Alij ad ascensionem Christum spectasse volũt. Nam & tunc angeli in vestibus albis visi sunt, Acto. 1. 10. vt idé Chrysost. & Euthym. existimant. Sunt qui ad diẽ iudicij alludi putent, cum venturus Christus est cũ angelis suis. Hoc enim argumento etiam ad reuincẽdos maximè incredulos vti solet. *Verum amen dico vobis amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli*, Matthæi 26. 64. Non dubito hunc esse verum sensum. Nam in ascensione Christi, quæ vna præter hanc opinio videtur esse probabilis, viderunt quidem Apostoli angelos, sed nec specie angeli viderunt, nec *ascendentes, & descendentes*. Et est credibile Christum argumẽtum diuinitatis suę omnium certissimum afferre voluisse. Nullum autem vnquam Christus tam certum diuinitatis suæ argumentum obtẽdit, quàm ostendet in iudicio, vbi omnes, velint, nolint, homines cogentur confiteri eum esse Deum

Ascendere, & descendere ministerij indicat.

Itaque sæpe eo argumento, vt diximus, vti solet.

Ascẽdentes autẽ *& descẽdentes* cùm dicit, nihil aliud significat quàm ministrãtes. Metaphorica enim ministrorum descriptio est, qui cùm Regi ministrant, expeditos videas alios per scalam ascẽdentes, ferentesq; fercula, aut aliud quidpiã; alios contrà descendentes, eadémq; referentes. Quales Iacob per quietem vidit, Gen. 28. 12. Descriptio enim illa fuit cœlestis regiæ, vnde omnia ad hunc mundum mandata, omnia edicta proficiscerẽtur, vnde omnis eius penderet gubernatio. Indicat ergo Christus se eius regię Regẽ, id est Deũ esse. Itaq; rectè D. Augustꝰ. quãtuis allegoricè ser. 40. de verbis Domini, hunc locum per illum Geneſis explanauit. Quòd dicit *supra*, Hebraismum esse arbitror על בן אדם aut iuxta filium hominis, sicut solent ministri dominum cingere. Multa, & vulgo scita in scripturis exempla sunt. Aut dixit supra, quia suum de cælo describebat aduentũ, quo ipse tanquã dominus antecedet, angeli, vt famuli sequẽtur; & quia descẽdent angeli qui sequentur, supra ipsum erunt. Quo ergo modo alij ascendent; Iam dixi ascendere, & descendere nihil aliud significare, quàm ministrare; itaque frustra quęritur quomodo illi ascendant, illi descendant, nec enim verus ascensus, aut descensus, sed verum ministeriũ significatur. Si quis tamen contentiosiùs vrgea t oportere, vt verè alij ascendant, alij descẽdant. Respondebo ascẽsuros alios à loco iudicij in cęlũ nuntia ad Patrem Christi deferentes, descẽsuros verò alios, qui cũ Christo venerint, & illi adstiterint iudicanti. Cur Christus filius hominis appelletur, docuimus apud Matthæum c. 8. 20.

CAPVT II.

Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. 2. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. 3. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. 4. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea. 5. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. 6. Erant autem ibi lapidææ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. 7. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. 8. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. 9. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, 10. & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. 11. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. 12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus. 13. Et propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam: 14. & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. 16. Et his, qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. 17. Recordati sunt verò discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. 18. Respondentes ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? 19. Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus

Psal. 68. b. 10. Matt. 26. f. 12. & 17. e. 40.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mat. 24. f. 58. & 15. a. 29

diebus excitabo illud. 20. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? 21. Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus. 23. Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat. 24. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quòd ipse nosset omnes, 25. & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

IN CAPVT II.

ET *die tertia.*) Cum narrasset Euangelista quomodo Christus à Ioanne declaratus esset, & quomodo discipulos aggregare sibi cœpisset, narrat nunc, quomodo ipse miraculis sese cœperit declarare: exponitque illud, quod primum fecit, omnium, aquæ in vinum commutatæ ab alijs Euangelistis prætermissum. Describit tempus, locum, personas, quibus præsentibus, atque videntibus facta est, vt miraculi fidem augeat. Die tertio factum dicit, sed tertio à quo nõ dicit: itaque locum reliquit opinionibus. Euthym. putat tertium diem ab eo fuisse, quo Christus redierat à deserto, vbi post ieiunium tentatus fuerat. Quod vt verum sit, probari certè non potest. Nec enim cõstat quot diebus, postquam à deserto rediit, legatio ad Ioannem Iudæorum missa sit; vnde dies cœpit Euangelista ordine numerare. Contrà fere omnes interpretes sentiunt, Epiph. hæres. 51. D. Thomas, & Lyranus hunc tertium esse diem ab eo, quo Nathanaël ad Christum à Philippo adductus fuerat. Alij tertium ab eo, quo Christus in Galilæam ingressus fuerat. Hæ duæ sententiæ probabiles sunt. Sed mihi Ruperti placet opinio, quam eius hîc ponam verbis. *Conuictio, inquit, qua proponitur, ad superiora diligentem remittit lectorem, videlicet hoc modo. Altera die sabbati Ioannes &c. In crastinum voluit exire in Galilæam & inuenit Philippum, & die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Nam quòd quidam docent, quod c. 1. 43. dictum est, *In crastinum voluit Iesus exire in Galilæam*, non posse intelligi de crastino eius diei, quo Ioannes dixerat, audiente Andrea; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, illic confutauimus. Quòd autem obiicitur dicturum fuisse Ioannem τῇ ἐπαύριον, posterò die, sicut dixerat superiore cap. ver. 35. & 43. leue est: cum enim bis etiam dixisset τῇ ἐπαύριον, crastino die, ratio postulabat, vt tertio loco diceret die tertio, vt lector intelligeret quotus ab illo primo dies esset. Disputatur hîc à nonnullis de anno ætatis Christi, de mense, ac die, quo hoc miraculum factum est; sed nos de ea re si quid dictu necessarium iudicauimus, apud Matth. c. 2. ac 3. disseruimus.

Lib. 2 sab fin.

c. 1. 36. 37. 40.

In Cana Galilææ.) Scitum est duplicem fuisse Canam, maiorem alteram iuxta fines Tyri, & Sidonis in tribu tamen Aser Iosue 19. 28. vnde mulier illa Cananæa egressa dicitur, Matthæi 15. 22. Erat enim Gẽtilis, sed in Cana inter vicinos Iudæos habitabat. Alteram minorem in tribu Zabulon, vnde Simon ille erat, vnus Apostolorum, qui Cananæus dictus est, Matth. 10 4. & Marc. 3. 18. de qua hîc agitur, & cap. 4. 46. Vtraque in Galilea erat, sed hæc propriè Cana Galileæ dicebatur, quia alteravicina cum esset Sidoni Cana Sidoniorum vocabatur. Dum ergo dicit: *in Cana Galilææ*, hanc ab illa distinguit. Auctor

A Hieronymus in locis Hebraicis.

Erat ibi mater Iesu.) *In Cana Galilææ*, antequam Christus eò vocaretur. Videtur enim Euangelista causam tacitè reddere voluisse, quamobrem Christus ad eas nuptias vocatus fuerit, quòd eius mater iam ibi esset, priùs, vt apparet, inuitatus, eiúsque respectu & filius, cuius aliqua iam fama erat inuitatus sit. Cõstat ex descriptione Galilææ Canam vicinam fuisse Nazareth, vbi mater Domini habitabat; & est vero simile alicuius cognatæ, aut valde familiaris mulieris fuisse, nuptias, ideóque & vocatam fuisse, & vocaram ire non recusasse. An Ioannes fuerit, vt vulgo creditur, in titulo huius Euangelij; disseruimus.

B *Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.*) Diximus modò ideo vocatum Christum; quia mater eius ibi erat. Hanc vim habet, quòd hoc loco dicit Euangelista, *Et Iesus, & discipuli eius*, quasi indicans Christum propter matrem, discipulos propter magistrum vocatos fuisse. Nec enim adeo Christi nomen inclaruerat, vt ob suam tantùm auctoritatem vocaretur. Licet in his verbis, nihil fallor, animadvertere eò Ioannem tendere, vt doceat miraculum, quod narraturus est, non fuisse vllo artificio conflictum, & vt ita dicam manu factum, sed præter omnium opinionem accidisse. Nam & Christum nolentem quodammodo propter matrem, quæ ibi erat, vocatum fuisse ab ijs, qui nihil de miraculo cogitabant; & Christum ita ijsse vocatum, vt nihilo de eo magis cogitare videretur, donec necessitas eum vinum deficientis cõpulit miraculum facere, vt Chrysost. Theophylact. & Euthym. videntur obseruasse, etsi Rupertus aliter sentit. Eodem spectat quod Christi etiam discipulos vocatos fuisse dicit, vt intelligamus quàm plurimos eius miraculi fuisse testes. At quos discipulos? Petrum, Andream, Philippum, & Nathanaëlem, vt constat ex superiore cap. ver. 40. 41. 42. 47. Itaque veta Epiphanij coniectura est hæres. 51. quanquam non ex hoc quidem loco, sed tamen ex multis similibus colligẽtis, tam, cùm hæc facta fuit nuptiæ, ad est cùm Christus prædicare cœpit, manifestum fuisse Ioseph, post ascensionem enim illam in templum cùm duodenis Christus Ierosolymæ remansit, nunquam amplius cum Maria nominatum, cùm ante semper soleret nominari. Et verò si nunc in viuis fuisset, ad nuptias similiter vocatus esset, & si vocatus esset. Euangelista dixisset, cùm apparet hoc illi studium fuisse, vt omnes qui propter Christum, aut eius matrem vocati fuerant, commendaret. De fratribus qui vocabantur Christi an ibi etiam fuerint, quæri potest. Nihil enim Euangelista de illis dicit. Colligitur tamen ex ver. 12. ibi etiam fuisse. Itaque affirmat Chrysost & Alexander Nicomediensis, vt in Græca Catena citatur; qui enemo

fuerint nominati, rationem hanc reddit, quòd id per se intelligeretur, & quòd satis fuerit Christum, qui miraculum fecerat, & matrem, qua rogante fecerat nominare, cùm de nuptijs Euangelista non obliam causam, quàm vt miraculum exponeret, mentionem faceret. Origenes tamen in eadem Catena citatus putat non affuisse. Solet prima animi cogitatione videri mirum, quòd Christus quantũuis inuitatus ierit ad nuptias. Sed eius rei, quo minùs mira videatur, multas graues auctores rationes reddunt. Plerique illam, vt nuptias quasi sanctas approbaret. Ammonius in Græcorum Catena, Augustinus serm. 41. de tempore, Euthym. hoc loco, Cyrillus, Theodor. lib. 5. diui. decret. c. de matrimonio, Beda hom. 2. Dom. post Epiphan. Sed eodem etiam exemplo Iouinianus abutebatur, vt virginati nuptias exæquaret, vt auctor est Hieron. lib. 1. & in apologia contra illum. Alij, vt significaret se de cælo in terram nuptiarum caussa venisse, vt humanam sibi naturam matrimonio quodammodo coniungeret, vt scribit Seuerus Antiochenus orat. 119. vt in Græcorum Catena citatũ inuenio. Alij humilitatis causa factum putant, quemadmodum cum publicanis, & peccatoribus conuiuia solebat inuitatus non recusare, vt ait Chrysost. hom. 20. Theophylact. & August. ser. 41. Credibile etiam est ideo non recusasse, quia sciebat, quam ibi occasionem faciẽdi primi miraculi habiturus esset, & videbat tempus esse vt se quis esset, miraculis inciperet declarare, vt & Cyrillus putat.

B

C

D

E

Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum, vinum non habent.) Incertum an vinum prorsus iam defecisset an tantùm deficere cœpisset. Græcum participium ὑστερήσαντος οἴνου potiùs significat iam omnino defecisse. Etsi est probabile, rationique consentaneum vt ser. de tempore 41. August. ait, non expectasse matrem Christi, vt vinum omnino nullum esset, sed simul vt vidit non esse satis filio suggessisse, vt prouideret. Quærunt Chrysost. hoc loco, & Theodorus Mopsuest. in Catena Græca, vnde in mentem Mariæ venerit petere à filio; vt miraculum faceret, cùm nullum adhuc fecisset; nec tantam de illo habere videretur opinionem, vt facere putaret posse. Respondent ijdem illi, & Theophylactus & Euthymius iam fuisse Ioannis testimonio declaratum. Deinde ex ipso conceptionis, & natiuitatis modo, ex disputatione cum doctoribus in templo, cum duodecim tantùm esset annorum, satis cognoscere potuisse, qualem, quantúmque haberet filium. Hæc enim *conseruabat omnia conferens in corde* suo. Luc. 2. 19. Nec mihi displicet, quod nonnulli dicunt, matrem aliqua priùs priuatim ab eo facta miracula vidisse, quibus fuam aliquando subleuasset inopiam, ideóque in simili causa miraculum ab eo petiisse. Vera quidem hæc sunt; sed multo magis ea quidẽ sententia diuina cognouerat reuelatione nuntiante Angelo fore, vt is, quem concepisset *filius Altissimi* vocaretur, Luc. 1. 32. Caluini ne audienda quidem sententia est, qui existimat ne hanc quidem Christo Mariam opinionem habuisse, vt ab eo miraculum vllum peteret, sed ideo illi inopiam vini significasse, vt pia aliqua exhortatione consuas consolaretur. Quod non solùm falsum, sed etiam ridiculum est, ex responso enim Christi constat matrem ab eo miraculum postulasse. Quo animo matrem Christi hoc filio suggesserit, nefas ducerem disputare, nisi monendus mihi necessariò lector esset, ne magnorum fortasse virorum auctoritate impulsus in errorem aliquem incurrat. Videtur Chrysost. Theophylact. & Euthym. existimare Mariam

A humano aliquo affectu hoc à filio petiuisse, vt aliqua etiam sibi ex eus miraculis accederet gloria. Quod vix satis ab illis dictum nimis auidè quidam non maximè, vt nihil dicam aliud, erga B. Virginem religiosi arripuerunt. Primùm quidẽ illi ipsi auctores non affirmant. Deinde vt affirmassent, quin Cyrillum hoc loco? quin Ambros. ser. 16. in Psal. 118. quin Rupertum, quin Bernardum ser. 1. in hæc verba, auctores non minùs graues? Quebantur, qui id non cupiditate gloriæ, sed misericordiæ, & caritati tribuunt? Nã vel hoc indicio satis intelligimus pauperes fuisse, quorum nuptiæ celebrantur, quòd vinũ cõuiuiis defuerit. Nec enim in domo locupletè defuisset. Motâ ergo est Maria caritate; mota in pauperes misericordia. Addit Rupertus, quod vero absimile non est, Christum, & discipulos in causa fortasse fuisse, vt vinũ deficeret; vocatos enim fuisse præter opinionem, prætérque numerũ conuiuarum, cùm cognitum esset eos abesse prope. Itaque iam alijs conuiuis recumbentibus superuenisse. Et quia non plùs vini paratum fuerat, quàm quantum eorum, qui priùs vocati fuerant numero sufficiebat, eo aucto numero defecisse. Ægrè ergo ferebat virgo sanctissima, vt sua, filiúque sui causa deficeret vinum, æquumque iudicabat esse, vt per quem defecerat, per eundem abundaret. Non solùm magis hoc pium, sed magis etiam verum puto.

B

Calumnia ibidem.

4. *Quid mihi, & tibi est mulier nondum venit hora mea.*) Quia speciem quandam reprehensionis hoc Christi responsum videtur præ se ferre, qui nõ satis firmi in fide erant, in absurdos errores inciderunt; qui bene Catholici erant, in varias tamen de sensu huius loci sententias distracti sunt. Qui Christum veram carnem negabant habuisse, ideóque nó verè filium esse Mariæ, quales Montanistæ, Valentiniani, & Manichæi erant, ex hoc loco confirmabãt, quòd ita Christus respondere Mariæ videatur, vt indicet se eam pro matre non agnoscere. *Quid mihi, & tibi est mulier?* quasi dicat nihil tecum commune habeo, nõ agnosco te pro matre; vt Origenes in Catena Græcorum, & Augustinus tractatu in Ioann. 8. indicant. Eos rectè idem Augustinus refellit. Ideo enim eodem loco dixisse Ioannem, vers. 1. *Et erat mater Iesu ibi*, & rursus vers. 3. *Dicit mater Iesu ad eum*, ne quis ex responso Christi suspicaretur, eius matrem nõ fuisse. Alij sanctissimam Mariæ virginitatem hoc loco maculabant, quasi ideo Christus eam mulierem appellauerit, quia virgo non erat, vt Hieron. in comment. & Gaudentius tract. 9. de lectionibus Euãgelicis scribunt. Heluidij error, quem nos apud Matth. c. 1. refutauimus, & iam olim Hierony. in lib. aduersus Heluidium, & eo loco, quem modò notauimus, penitus profligauit, & ante illum Tertullian. in lib. de veland. virgin. & Epiphan. hæresi 51. Summa est, nomen mulieris sexum, non corruptionem significare; nã & Euam cùm virgo à Deo formata est, mulierem appellatam, Genes. 2. 22. Sunt qui putent honoris causa non alio hîc nomine Mariam, quàm mulieris appellatam, sed de ea re paulò post dicturi sumus. Hæc hæretici. Catholici verò quidam contrà certi, proinde ac debuerũt, nihil in Maria fuisse culpæ, quod Christus reprehẽderet, sic conati sunt orationis asperitatem emollire, vt sensum esse diceremus, *Quid mihi, & tibi est mulier?* id est quid ad nos pertinet, quòd vinum deficiat? Quam interpretationem non solùm apud recentiores multos, sed etiam apud veteres nõnullos interpretes inuenio, Iustin. quæst. 136. aut quisquis earum quæstionum auctor est, & vt videtur Epiphanius hæres. 79. certè ita intellexit Latinus interpres, etsi Græca alium sensum habere

Errores hæreticorum hoc loco abutentium.

Nomen mulieris sexum, non corruptionem hic significat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

possuorũ;ita & Euthymius in commentarijs. Commoda quidem,& pia interpretatio,si loquendi consuetudo pateretur. Sed animaduertimus perpetuò scripturarum vsu eam phrasim significare nihil huic cum illo esse commune. *Quid mihi,& vobis fily Sarua*22.Regum 19.22. &,*quid tibi,& paci* ; 4. Regum 9.18.19.&,*quid nobis,& tibi Iesu fili Dei*?Matth.8.29. &,*nihil tibi,& iusto illi*, Matthæi 27. 19. Itaque non dubito hunc esse sensum,quid mihi tecum commune est;id tantùm agimus, vt responsi lenitamus aspe ritatem.Videndum priùs est,an vera hæc sit reprehensio.Nam si reprehensio est,nulla ita interpretatione leniri poterit,quin hoc ipsum durum,mirúmque videatur,quòd matrem quibuscunque tandem verbis Christus reprehẽderit.Id ex altera quæstione pendet,ecqua in matre fuerit culpa.Nam si quidem fuit,credi potest à Christo fuisse reprehensam, nec excusanda nobis erit,quam talis iudex accusauerit.Inter veteres auctores paucos admodum inuenio,qui non aut apertè dicant,aut obscurè significent, aliquam culpam , aut errorem certè fuisse, quòd filium ad faciendum miraculum incitauerit, si non ob aliud , certè quia intempestiuè & ante tempus id fecit. Hoc illi , vt minimum dicam, Chrysostomus, hoc Theophylactus,hoc Euthym. & Ammonius presbyter,quem ex Græcorum Catena sæpe citauimus; attribuunt Ego hoc mihi non persuasero,vllam vnquam in Maria fuisse culpam, multo verò minùs in hoc facto, quod, vt supra ex Cyrillo,Bernardo, & Ruperto dicebamus, plenum fuit caritatis.Et Irenæus quidem libro 3.cap.18.ferè uorem potiùs quendam caritatis fuisse putat bibẽdi sanguinis Christi,qui hoc vino significabatur.Et si culpa fuisset aliqua miraculum postulare , vtique Christus miraculum non feciſſet,ne culpam ipsam videretur miraculo confirmare. Nec vnquàm legimus illum vel curioso tantùm cuiusquam rogatu miraculum feciſſe vllum. Cupiebat curiosè Herodes signum aliquod ab eo factum videre,noluit facere,Lucæ 23.8.Petierunt aliquando ab eo curiosè Iudæi signum , respondit;*Generatio mala,& adultera signum quærit,& signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ*,Matthæi 12.39.Hinc sequitur Mariam hoc loco non fuisse reprehensam ; nec enim potuit Christus tam æquus , tam sapiens iudex , & præterea eius filius eam sine culpa reprehendere. Nec mater reprehensa perrexisset dicere ministris, vt filio suo parerent ; priorem enim culpam culpa maiore pertinaciæ cumulasset. Cur ergo reprehendentis modo respondet? Sunt qui putent non solùm reprehensionem hîc nullam esse , sed nullam etiam reprehensionis speciem verba præ se ferre. Illud libenter amplector; hoc postetius probare non possum,quia tam perspicuum est totam orationem speciem habere reprehensionis,vt prudenter negari non possit.Communis & veterum , & recentiorum auctorum interpretatio est,Christum tanquam Deũ loquutea enim ratione,qua Deus erat miracula faciebat;voluisseq; specie reprehensionis ostendere se non tanquam hominem id est mulieris filium,sed tanquam Deum miracula facturum,qua quidem ratione nihil cum matre haberet commune.Hoc esse, *Quid mihi,& tibi est mulier*? Sic Origen.in Græca Catena August.hoc loco,& tract.119.& lib.de fide,& symbolo c.4.& lib 1.de fide ad Catechu.c.5.& Gregor.lib.8.Regist.c.42.Theophilus Antiochenus lib. 4.allegor.Gaudent.tract.9.de lectionibus Euangelicis,Beda,& Euthym.in commen.Quibus illud videtur obstare,quòd nõ hanc,sed alia causam Christus eius,quę apparet,reprehẽsionis afferre videatur,

B.Virgo non fuit à filio reprehensa.

A Nõ enim dicit,*quid mihi,& tibi est mulier* ? Deus enim sum,sed *nondum venit hora mea*. Adde quòd Maria nõ ignorabat nihil sibi,& filio esse,quatenus Deus erat. Nam etsi sciebat se Dei matrem esse,tamẽ non erat nescia se nõ Deum,quatenus Deus,sed Deum,quatenus homo erat,peperisse. Itaque non erat de ea re docẽda.Lego aliam apud Bernard.ser.1.in hæc verba interpretationem,si fortè non propriam, vtilem certè,& hominibus religiosis accommodatam.Putat Christum etiam tãquam hominem locutũ esse, sed hoc significare voluisse,se ante sub matris fuisse potestate, antequã officium illud doctoris, ac redemptoris , ad quod missus à Patre fuerat, inciperet. *Erat* enim *subditus illis*,vt Lucas ait.Nunc auspicatus redemptoris officium,& in iis,quæ Patris sui erant, vt alio loco dicit,occupatum patrem,& matrem,vt ipse discipulos suos facere docuit, reliquisse, & eo quodammodo non agnoscere. Simulis si nõ eadem, est interpretatio Gregorij Nysseni , in hom.in illa verba.*Tunc & ipse filius subiectus erit ei*. Putat enim ibi significare Christũ ea se iam ætate esse,vt sub matris cura,atq; potestate esse nõ debeat.Itaq; quod sequitur per interrogationẽ legit ,*nondũ venit hora mea*: id est nonne ætatem habeo?Credo ego nulli,vt dixi,veram,sed simulatã tamẽ esse reprehentionẽ,quam Christum non semel vsum legimus. Certè verba illa Luc.2.49.*Quid est,quod me quærebatis? nesciebatis,quia in his,quæ patris mei sunt,oportet me esse*?speciem habent reprehensionis;sed simulata,non vera est reprehensio.Non enim parentes reprehendit, quòd le quæsiuissent,quòd caritatis , pietatisque fuerat officium sed simulat se reprehendere,vt qui audiunt, intelligant alium ipsum habere patrem, cui magis quàm illis parere debeat.Reprehensio videtur esse,*Quid est mater mea,& qui sunt fratres mei*?Matt.12.48.sed simulatio potiùs est reprehẽsionis,vt doceat nos eam posse matrem,& fratres esse eius,si voluntatem patris eius faciamus.Similiter hoc loco simulauit se matrem reprehendere,cùm minime reprehenderet, vt ostenderet se non humanũ,non sanguinis respectus sed sola caritate,& vt sese,quis sit,declaret, miraculum facere.Quemadmodũ iudex illi,quem volt absoluere,sæpe aspere respondet,ne cum,aria absoluisse videatur. Quid ergo?an nullum habuit respectum matris,vt miraculum illud faceret? Habuit sanè,vt Cyrillus,& Euthym.aiũt,& etiamnũ habet, cùm ad eius,vt credimus,preces,miracula facit.Sed caritatis respectum,non carnis. Quod ipsum Christus volebat significare. Hinc intelligitur , quare Christus Mariam hoc loco non matrem,sed mulierem appellauerit.Nempe vt à se omnis carnalis affectus in faciendo miraculo suspicionem remoueret. Nusquam enim solet sine certa aliqua ratione matrem suam mulierem appellare. Nam cùm in cruce suspẽsus dixit.*Mulier ecce filius tuus*,Ioann.19.26. ideo,vt opinor,mulierem nõ matrem vocauit,vt indicaret illam viduam esse, atque desertam. Aut, vt alij putant,ne si matr ẽappellasset,teneriore vocabulo dolorem eius augeret.Sunt qui existiment per excellentiam mulierem appellari,quo sensu Christus filius hominis dicitur: vt hic Adamo.hæc Eua quasi mater altera omnium viuentium opponatur. Sed apud Matth.c.8.20.docuimus Christum ipsum non ea ratione filium hominis nominari. Alij contra,ne quis existimaret supra hominem illam esse,vt Epiph hær.79.

Nondum venit hora mea.) Multi patiendi tẽpus intelligũt, quasi sensus sit,nunc in faciendis miraculis, quæ tãquam Deus facio,te matrem non agnoscis, eo veniet passionis tempus,cùm te matrem recognoscam,

gnoscam,cùm id patietur,quod ex te accepi.Sic omnes illi auctores interpretantur,qui exponunt superiora verba.*Quid mihi,& tibi est mulier*? de diuinitate ut paulò supra citauimus,& Seuerus Antiochenus in Catena Græca,& Iren.lib.3.c.18. Et quidẽ horã suam Christus tempus illud passionis vocare solet Matt.26.45.Mar.14.35.Ioan.7.30.&8.20.& 13.1.At hoc loco nõ de passione, sed de miraculis agebatur. Itaque sensum esse arbitror,nondum venit tempus faciendi miraculum,quod à me petis,vt Ammonius & Apollinarius in Græca Catena , & D.Augustin. serm.41.de tempore, & Cyrill. Chrysost.Theophylactus,& Euthy.& Iuuencus poëta interpretantur. B Cur ergo miraculum fecit , si tempus non venerat? non venerat cùm mater petiuit; venerat,cùm fecit, modico licet interuallo. Quid igitur expectabat? Respondent Chrysost.Theophylact. & Euthy.expectasse quoad omnes,qui aderant, cognouissẽt vinũ defeciſſe,quo clarius miraculum esset. Augustinus verò tum cùm petiuit mater, nondum vinum penitus defeciſſe.ideoq; voluisse expectare Christũ quo ad nihil omnino vini esset, ne putaretur elementorum mistione ex aqua simul,& vino vinum factum. Vtrumque probabile.Gregorij Nysseni interpretationem per interrogationẽ hæc verba legẽtis supra recitauimus,& nõ magni est negotij refutare:Quẽ C filio verò esse potest, quamobrem Christus hæc adiecerit verba,satis,enim videbatur esse,quod dixerat *Quid mihi,& tibi est mulier* ? Suspicor voluisse Christum simul significare se humano respectu nolle facere miracula,& tamen quod petebatur,cum tempus esset,facturum esse , ne ab alio postea factum, putaretur.Ideo non respondet se non facturum, sed *Nondum venit hora mea*.Certe mater ita intellexit,vt ver.5.apparebit.Indicat Augustinus.Priscillianistas, etsi non nominat,abusos,hoc loco, vt probaret Christum tempori , ac fato subiectum fuisse. Indicant Chrysostomus,Euthymius,& Theophylactus eodẽ etiam abusos Arianos,vt hic docerent Christũ non esse Deum , quandoquidem addictus esset tempori. Facilè vterque error confutatur. Nam,vt diximus tantùm abest, vt significet Christus se non posse quouis tempore facere miracula, vt potiùs significet posse quidem,ac velle facere, sed opportunum tantùm tempus expectare.

Lib. 4. de ling. Lati.

Metreta quod genus mensuræ

5.*Dicit mater eius ministris,quodcunque dixerit vobis, facite.*) Hinc, vt supra diximus , apparet matrem à Christo non fuisse reprehensam. Nec enim perseueraſſet res ad futurum miraculum præparare. Apparet etiam ex respõso Christi intellexisse eum non significasse nolle se facere miraculum,sed potius facturũ esse,vt Chrysost.Cyrill.Theophyl.& Euthy. obseruarunt.Quo sensu reddit carmine Iuuencus, D E

Mensarum tunc inde vocat latania ministros.

Lætatam etiam dicit Christi responso, quia cognouit eum velle facere miraculum. Quod est probabilius,quam quod indicat Beda,etsi putabat recusse Christum,tamen quia sciebat eum misericordem ac benignum esse, perseuerasse sperantem fore,vt precibus,aut commiseratione flecteretur.Nemo , quem legerim animaduertit videri matrem Christi non solùm de futuro miraculo , sed etiam de modo,quo illud Christus facturus erat , sciuisse aliquid. Quorsum enim alioqui ministris diceret, *Quodcunque dixerit vobis, facite*, si nesciebat fore vt Christus illis præciperet,vti hydrias implerent aqua. Poterat quippe miraculum aliter facere, vt ministris opus non esset.Malo existimare sanctissimam Virginem prophetico spiritu id cognouisse, quàm aliquid de ea re consilij inter Christum , & ipsam fuisse communicatum. Spiritum enim prophetic um habuisse quis pius negare poterit?

6. *Erant autem ibi hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum.*) Quam vocet Iudæorum purificationem hoc loco ; nempe non legalem illam, qua , qui secundùm legem polluti erant, mundabantur,sed eam,qua propria quadam Phariſæorum traditione frequenter inter prandendum manus brachiáque lauabant cubitorum tenus , disputauimus apud Matthæum c.15.2.& apud Marcum cap. 7.3.Quòd & vasorum numerum;& magnitudinem & qualitatem,atque ministerium, id est quòd hydriæ,hoc est vasa aquaria , non vinaria esse declarauit;omnia eo pertinent, vt miraculi magnitudo cognoscatur. Non enim parum quidpiam feciſſe vini,quod alicubi relictum obliuione ; aut aliunde subuectum videri posset ; sed tantam prorsus copiam,vt sex tam magna impleuerit vasa , vt vel veum quamuis magno conuiuio satis esset.Quòd autem hydrias,id est aquales,vt Varro vocat,fuisse dicit,eò etiam spectat,ne quis existimet aliquid in illis priùs fuisse vini,quòd aliquem superinfuſę aquę vini, saporem præbere posset,vt Chrysostomus,& Theophylactus admonuerunt.Quòd verò ait positas fuisse *secundum purificationẽ Iudæorũ*,id est Iudęorum more,qui eas in conuiuijs ad sæpe lauandũ paratas habere consueuerant,vel in Iudæorũ purificationem,vt alij interpretantur;indicat simul & rem ex composito factam non fuisse , quali ad fingendum miraculum illic de industria fuissent positę,& valdè fuisse magnas,tum quia vasa aquaria maiora, quàm vinaria esse solent;tum quia illa non ad potum,sed ad lotionem comparata fuerant ? itaque maiora oportebat esse , quàm si potus causa ibi fuissent.

Capientes singula metretas binas,vel ternas.) Describit Euangelista hydriarum magnitudinem, vt ex ea magnitudo quoque miraculi intelligatur. Eo ipso quòd non omnino iustam earum mensuram posuit, sed in dubio reliquit dicens *metretas binas vel ternas*, fidem auxit historiæ.Nunquam enim mendaces dubitantes loquuntur ; omnia qui dicunt intrepidè, & minimè hæsitantes affirmant. Probi est viri ita moderari verba , vt certa pro certis,dubia pro dubijs dicat. Metreta,vt vox ipsa indicat, Græca mensura erat; apud Hebræos cadus dicebatur.Sed Ioannes Græcè scribens Græco potiùs, quàm Hebraico vsus est verbo ; vsus ea voce est Theodotion Græcus interpres apud Daniel cap. 14. 2. quam Latinus amphoram reddit. De cado diximus apud Lucam c. 16.6. eadémque de metreta dici possunt. Metreta, vt auctor est Epiphan. in libro de mensuris, duodecim capiebat congios.Itaque quod nunc apud Dioscoridem legitur, *ἐν δὲ μετρήτῃ χοὰς δύο*, quidã corrigendum existimant & pro *δύο* , *δώδεκα* legendum esse. Congius verò sextarios senos continebat. Itaque metreta vnà septuaginta duos habebat sextarios. Quare quod apud Ammonium in Catena lego *ὁ μετρητὴς ποιεῖ ξέσται ρ̅β̅*, vitiosum puto. Subducta igitur hinc ruditer ratione inuenio hydrias singulas tertiam circiter,aut tertiam , & tertiam partem Parisiensis modij vini habuisse , id est sex fere quas Hispani Arrobas vocant, si binas metretas capiebant; nonem verò, si tres. Itaque vt minimùm triginta sex Arrobæ optimi vini eo miraculo à Christo factæ sunt. Quæ vel ad inebriandos sexcentos homines moderati potus satis erant. Voluit enim Christus non solùm præsenti inopiæ subuenire , sed multum etiam vini sponso reminere, tum

vt illi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt illius puppertatem sublenaret, tum vt diuturnum testimonium, ac monimentum esset facti miraculi.

Cur absque alia materia vinum nō fecerit Christus.

7. Implete hydrias aqua.) Quærunt Chrysost. & Theophyl. quamobrem Christus non sine aqua, & sine vlla alia materia vinum fecerit, qui mundum ex nihilo creauerat? Respondent, vt facilius miraculum crederetur. Nam si ex nihilo vinū fecisset, phantasma visum fuisset. Cæterum autem viderunt omnes illam ipsam aquam, quam suis oculis viderant, in vinum versam, miraculu negare nō potuerunt. Aliam Irenæus rationem affert lib. 3. c. 11. quam Chrysost. insinuat, voluisse Christum ostendere se harum creaturarum dominum esse, quas alias in alias pro suo transmutaret arbitrio; hinc enim Valentinianorum errorem refutat. Aliter etiam Theophylactus respondet, propterea id Christum fecisse, vt ministri ipsi, qui eodem momento & aquam infuderant, & vinum hauserant, oculati testes miraculi essent. Eadémque de causa, vt idem Chrysost. Theophyla. & Euthym. docent, noluit ipse per se, sed per ministros aqua hydrias implere. Quæri etiam potest, cur potiùs ex aqua, quàm ex vlla te alia facere vinum voluit. In promptu ratio, nihil similius, nihil dissimilius, aut magis cōtrarium est vino. Similis aqua vino est, quia vterque communis potus. Dissimilis, quia contrarias prorsus habet qualitates. Propter dissimilitudinem maius miraculum videri poterat; propter similitudinem credi faciliùs. Itaque Cyrillus Hierosolym. in 4. myst. catech. dicit, maius fuisse miraculum, quòd Christus aquam in vinum verterit, quàm quòd nunc vinum in sanguinem suum vertat. Esse enim vinum sanguini propinquius.

Et impleuerunt eas vsque ad summum.) Necessarium fuit, hoc adderet Euangelista; vt constaret non alia ex re, quàm ex aqua vinum factum, quo certius miraculum esset. Vsque ad summum autem aqua impletas fuisse dicit, partim ne quis locus calumniæ esset, non ex sola aqua factum vinum, sed aliquid super aquam, vini infusum fuisse. Non solùm enim superinfusum non est vinum, sed ne superinfundi quidem potuit plenis vsque ad summu hydrijs.

8. *Haurite nunc, & ferte architriclino.*) Iubet statim haurire, vt maius, & vt euidentius miraculum fiat. Maius, quo breuiore tempore, id est vno momento ex aqua vinum est factum. Non enim solent quæ natura fiunt repente, sed certis temporum spatijs fieri. Deus qui à tempore non pendet, momento quidquid vult facit; itaque pars vna miraculi est, quòd subitò fiat. Hanc igitur habet vim illud *Nunc*; quasi dicat, Haurite statim, nequis puret mora temporis, aut artificio, aut vi aliqua naturali conuersam in vinum aquam. Architriclinus erat vt ait Seuerus Antiochen. orat. 119. vt citatur in Græcorum Catena & Chrysost. & Theophylact. in comment. qui conuiuio præerat, non quidem tanquam dominus, sed tanquā œconomus, ordinans, ac disponens omnia, quæ ad cōuiuium pertinebat; animaduertēs, ne quid cuiquā deesset. Præcipuum autem curā habebat vini, partē suam cuique distribuens, & prout volebat, tēperans. Is mēsę non accūbebat, sed stabat, & conuiuium obibat imperans ministris, quæ facto opus erāt. Is vina, aut equā cōuiuis præberentur, degustabat, vt videret, quid cuique dari oporteret, & si quod esset indignum splendore cōuiuij, reiceretur. Quod eò melius iudicare poterat, quod sobrius erat & incorruptum cibis habebat gustum. Dictus est à forma cœnaculi vsitatissima, quæ τρίκλινος à Græcis vocabatur, quòd tribus constaret lectis, quos κλίνας appellant Græci. Nam in lectis, aut thoris, & Græcos, & Romanos veteres circum mensam accubantes prandere solitos vulgo etiam est notum. Nam etsi pro lectorum numero alij δίκλινον, alij τρίκλινον, alij ἑπτάκλινον, alij ἐννεάκλινον, vt scribit Iulius Pollux lib. 1. c. 8. vocabantur, tamen τρίκλινος vsitatissimus erat. Indéque qui conuiuio præerat Architriclinus dictus est. Is est ille, de quo in Ecclesiastico. cap. 32. 1. 2. 3. dictum est *Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi vnus ex illis. Curam eorum habe, & sic conside, & omni cura tua explicita recumbe; vt lateris propter illos, & ornamentum gratia accipias coronam, & dignationem consequaris exoratione.* Quibus verbis officium omne architriclini, quod supra descripsimus, declaratur. De eo enim agi, & ex eodem, & ex præcedenti capite manifestum est. Curam habuisse conuiuarum, non ante solitum accumbere, quàm finito conuiuio officio omni suo perfunctus esset. Postea illi, sicut & cæteris conuiuis coronam, & munuscula dari consueuisse, quæ à Græcis quòd inde in domum referrentur, ἀποφόρητα dicebantur. *Qui ad conuiuium magnum inuitantur*, inquit Ambrosius in exhortatione ad virgin. *apophoreta secum referre consueuerunt.* Et auctor commentar. in epistolam ad Ephes. nomine Ambrosij, cap. 3. *In magna vota maxima dantur apophoreta.* Auctor etiam in Caligula Tranquillus. Sic interpretor quod in illo tam celebri Assueri conuiuio factum dicitur Esther 1. 8. neminem fuisse, *qui inuitos cogeret ad bibendum*, id est neminem fuisse architriclinum, qui quod vellet vinum, aut qua mensura vellet conuiuis distribueret; sed vnum omnibus præstantissimum vinum fuisse propositum, ex eōq; pro suo arbitrio, quanto quisque vellet, accepisse. Duabus ergo de causis Christus architriclino ferri vinum iussit; & quia eius erat officium prægustare, atque diuidere: & vt is, qui quia sobrium habebat gustum, testis simul ac iudex optimus esset, non aquam, non qualecunque vinum; sed optimum omnium, quæ ante bibita essent, vinum fuisse, vt Seuerus Antiochenus, Chrysostomus, & Theophylactus adnotarunt.

9. *Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam.*) Aquam vocat, quia paulò ante aqua erat, & vt indicet, vnde vinum factum esset. Itaque malignè & imperitè Caluiniani calumniari solent Eucharistiam iam consecratam panem à Diuo Paulo appellari, non ergo corpus esse Christi. Nam præterquam quòd non proprie, sed metaphoricè vocatur panis, quomodo verum etiam Christi corpus panis appellatur, vt apud Matthæum c. 26. 26. disputauimus, & rursum infra cap. 6. 51. sumus disputaturi, vt tamen fingamus verè panem appellari, quid mirum panem dici, qui quamuis panis non sit, modo tamen panis erat. Sicut hoc loco aqua dicitur, quæ aqua certè non erat, quia paulò ante fuerat. Et virga Mosis iam in serpentem conuersa, virga carmen appellatur, quia ante virga fuerat, Exod. 7. 12.

Et non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam.) Nesciebat architriclinus vnde vinum illud esset, id est qua ex re factū, aut vnde haustum, vnde allatum. Hebraismus asperiorem orationem facit, qui, vt leniùs Latinè fluat, sic est temperandus. *Cum gustasset architriclinus aquam vinum factam*, cum nesciret vnde esset, ministris tantùm, qui hauserant, scientibus, *vocat sponsum.* Quærere lector potest, quo modo ignorare potuit architriclinus, vnde vinum illud factum esset, cum ipse semper adesset, & ministris immineret? Facilis responsio. Nō quam architriclinus vno stabat loco, sed huc, illuc discurre

discurrebat, vt satageret, quæ essent necessaria; itaque neque quod Christo mater dixerat, neque quod matri Christus respōderat, neque quod ministris imperauerat, audire, neque quod ministri fecerant, videre alijs occupatum rebus potuisse. Quod ipsum diuino cōsilio factum fuisse credendū est; vt Chrysostomus indicat, vt illa architriclini admiratione, sponsíque interrogatione, responsioneque miraculum proderetur. Nam si nihil architriclinus dixisset, existimare conuiuæ poterant vinum illud non factum ex aqua, sed aliunde venisse; nec ministris cōtra testantibus facilè credidissent. Nihil autem fortasse architriclinus dixisset, si scisset, vnde vinum esset. Omnia denique ita sunt gesta, vt & maxime miraculum eluceat, & Christi gloria magis, magisque illustretur. Eademque de causa tam diligenter Ioannes singula narrauit. Iterum vinum, quia paulò ante aqua fuerat, aquam vocat. Nisi quis dicat tum cùm hausta ex hydrijs à ministris est, aquam adhuc fuisse, hausta verò conuersam in vinum. Quod etsi verba videntur præ se ferre, tamen nec auctorem bonum, qui dicat, vllum inuenio, & videtur altera ex parte ratio repugnare. Si enim hausta iam aqua conuersa in vinum esset, quæ in hydrijs remansit, conuersa vtique non fuisset; quod credibile profecto non est, & quia cùm Euangelista dicit, quot, quantæque fuerint hydriæ, easque vsque ad summum aqua impletas fuisse, **magnitudinem, vt diximus**, miraculi declarare voluit, indicans aquam illam totam transiuntatam in vinum; & quia est verisimile, postquam ministrorum testimonio compertum est vinum illud, quod tantopere architriclinus laudauerat, ex aqua factum fuisse, omnes conuiuas ad hydrias accurrisse, vt viderent, an ita esset, & oculis sibi fidem facerent. Elegantes sunt de hac re Sedulij versus.

Implesti sex ergo lacus hoc nectare Christus:
Quippe ferax qui vitis erat, virtute colonæ,
Omnia fructificans, cuius sub tegmine blando
Mitis inocciduas enutrit pampinus vuas.

Vocat sponsum architriclinus.) Indicant hæc verba sponsum cum reliquis conuiuis ad mensam non accubuisse, sed in curandis, quæ ad conuiuium pertinebant, fuisse occupatum. Non enim à mensa illum architriclinus seuocasset. Nisi forte malimus interpretari, vocauit, id est appellauit. Non quod ad se venire iusserit, quod minimè fuisset vrbanum, sed quòd recumbentem appellans interrogauerit, quid optimum vinum in finem reseruassēt. De qua ipsa quæstione alia quæstio esse potest, quomodo architriclinus sponsum interroget, cùm ipsius potius architriclini esset officium vina & temporibus, & personis accommodatè dispensare? Erat quidem, sed tamen cum dispensator tantùm, non dominus esset, omnia illi prius, quæ in conuiuio præbenda erant à Domino tradebantur, & mirabatur optimum sibi vinum initio inter alia non fuisse traditum. Ita versus etiam sequens explicatus est.

11. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ.*) Ambigua sunt verba; significare enim possunt hoc fuisse primum omnium omnino miraculorum, quæ vnquam fecerit Christus; aut non omnium quidem primum, sed eorum, quæ fecerit in Cana Galilææ. Atque hoc secundo modo non solùm auctor Scholasticæ, quam vocant, historiæ, & alij nonnulli posteriores; sed etiam antiquissimi interpretes intellexerunt, vt Ammonius in Græca Catena, Chrysostomus homilia 22. & Theophylactus, & Euthymius referunt. Meritò tamen illi & omnes alij, quos viderim, boni auctores priorem sensum secuti sunt. Quorsum enim dixisset Ioannes primum hoc signum eorum fuisse, quæ eo fecisset loco? Præsertim cùm nullum postea in Cana Galilææ signum à Christo factum legamus. Et vt legeremus, quid attinebat dicere primum hoc eorum fuisse, quæ ibi fecisset? Eadem enim ratione de alijs miraculis, quæ alibi Christus fecit, dicere debuisset, hoc Capharnaum, hoc in Ierusalem primum signum fecit, quod nusquam Ioannem videmus dicere. In eo tamen Chrysostomo, Theophylacto, & Euthymio non prorsus assentior, quòd magnopere contendant nullum prorsus ante miraculum neque pubicè, neque priuatim fecisse Christum. Quid enim scimus? Imò aliquod profecto ante fecisse legimus. Nam quod duodennis puer cum doctoribus in templo disputauerit, eosque obstupefecerit, miraculum supra naturam fuit, Lucæ 2. 47. Eodemque modo verisimile est, aliquod etiam fecisse priuatim alibi, quod scriptum non habeamus. Diximus versu 3. probabile esse, quod quidam docent, matrem nonnulla priùs miracula priuatim ab eo facta vidisse, quibus suam aliquando inopiam subleuasset, indeque incitatam, vt in simili egestate miraculum ab eo postularet. Nec ego probo, quod quidam dicunt, sensum huius loci esse hoc primum eorum tantùm signorum fuisse, quæ Christus fecit in Cana Galilææ; nec velim, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius faciunt, alia omnia signa penitus excludere. Nam illi mihi nimis restringere, hi nimis videntur sententiam dilatare. Media tutissima est via; eam sequor. Itaque interpretor hoc fuisse primum signum non omnium omnino, quæ fecit Christus, nec eorum, quæ eo fecit loco, sed eorum, quæ fecit, vt gloriam suam palam manifestaret, vt Ioannes ipse indicat, vtque sese ostenderet esse Christum. Accommodatè enim Ioannes ad id, quod agebat, loquebatur; agebat autem de Christi manifestatione, quomodo se paulatim ostendere miraculis, & discipulos colligere cœpisset. Itaque quemadmodum de hoc miraculo dixit, *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ*; ita de prima post baptismum concione dicere potuit: Hæc fuit prima concio, quam habuit Iesus; cùm credibile non sit nullam ante priuatim habuisse. Hac ratione omnia Chrysostomi, Theophylacti, & Euthym. argumenta soluuntur. Si miracula, inquiunt, antefecisset aliqua, gloriam suam manifestasset, quam hoc miraculo manifestare cœpisse auctor est Ioannes. Deinde si miracula fecisset ante, discipulos etiam habuisset. Denique non fuisse rationi consentaneum, vt puer miracula faceret, ne ludibria potiùs puerilia, quàm miracula iudicarentur. Hæc enim omnia aut nihil, aut hoc tantum probant non publicè, & vt se quis esset, omnibus ostenderet, miracula fecisse; priuatim autem nullum prorsus fecisse non probant. Neque verò ego libenter illum de infantia Saluatoris ab Ecclesia per Gelasium damnatum probo; nec velim ea passim legendis libris credi miracula, quæ vulgo in quibusdam minimè meo quidem iudicio à Christo in infantia facta commemorantur. Hoc tantùm dico nec omnia sine discrimine credenda, nec malignè præscribenda esse Christo miracula. Etiam credendi, sicut aliarum rerum modus est.

Hoc omnia Christi miraculorum primum fuit.

Et manifestauit gloriam suam.) Vtique diuinitatem suam; hanc enim solent Euangelistæ gloriam appellare, vt supra c. 1. 14. Matth. 16. 27. Mar. 8. 38. Et multi prophetæ miracula fecerunt, de nullo tamen eorum dictum est gloriam eum suam manifestasse;

Liber de infantia Saluatoris apocryphus. c. Sancta Rom. Eccles. d. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia non tanquam creaturarum Domini, sed tanquam creatoris ministri in creaturis miracula faciebant. Itaque non suam, sed Dei gloriam manifestabát: Christus verò suam, quia ipse creator, ipse primus auctor, ac solus miraculorū erat. Sic Euthym. & Idacius lib. 3. aduersus Varimadum Arianum interpretantur. Quærit autem idem Euthym. Theophylact. etiam, atque Chrysost. quomodo hoc facto Christus gloriam suam dicatur manifestasse, cùm pauci tantum miracula viderint? Respondent ex illis audiuisse alios, atque ita miraculum euulgatum, hodieque vulgari auctore Ioanne. *Nobis præstat pagina, quod illis gerebat historia,* vt ait Ambrosius ser. 20.

Miracula sine necessitate facta suspecta sunt.

Et crediderunt in eum discipuli eius.) Si discipuli eius erant, iam vtique credebant, nec enim ignorum hominem, & inopem, nisi credidissent, secuti fuissent. Dicitur ergo hoc viso miraculo credidisse, nō quia tunc primùm, sed quia tunc magis crediderūt. Nam & Apostoli iam facti postea dicebant, *Adauge nobis fidē.* Luc. 17. 5. vt Orig. in Græca Catena, & Theoph. in commentarijs, & Iuuencus interpretantur. Aut aperuit illis ianuam fidei, vt possent credere, etiamsi ante non credidissent, vt videtur Ammonius exponere. Notatur hic miraculorum finis, vt Chrysost. & Euthym. indicarunt. Propterea enim miracula fieri debent, vt homines credant, & gloria Dei, non nostra, manifestetur; cùm ne Christus quidem ipse, qui miracula omnia in sua habebat potestate, miraculum vllum nisi ob hāc causam facere voluerit. Hinc de miraculis iudicandum. Nam nonnulla, quæ quibusdam in libris vulgo narrantur, sine necessitate, vt videtur, facta, suspecta esse debent. Huius conuiuij, atque miraculi allegoriam si quis quærit, Cyrillum, & Bedam, Theophilum Antiochenum lib. 4. allegor. Augustū, hoc loco, Seuerum Antiochenum, & Anastasium, Gandentium tract. 8. de lectionibus Euangel. Ambros. ser. 19. & 20. & Gregor. hom. 6. in Ezechielem legat. Nos ista non quærimus, sed aliquando tamen alijs obiter indicamus. Illud ad institutum nostrum magis pertinet, vt lectorem moneamus multos veteres auctores hoc loco aut tanquam figura, aut tanquam simili argumento ad probandam mutationem vini in sanguinem Christi in Eucharistia vsos fuisse, Irenæum lib. 3. c. 11. Cyrillum Ierosolymitanum in 4. cateches. mystag. Cyprian. in epistola contra Aquarios, qui Eucharistiam ex aqua sola cōficiebant, Isidorum Peluſiotam epistola 133. vt citatur in Græca Catena.

12. *Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius.*) Videtur Ioannes sine causa hoc addidisse, cùm nihil ab eo in Capharnaū factum commemoret. Statim enim dicit Ierosolymam ad diem festum ascendisse. Existimant Chrysostom. Theophylact. & Euthym. non alia de causa Christum in Capharnaum descendisse, quàm vt illic matrem, fratrésque constitueret, ne huc, illuc circūferendo fatigaret, eademque de causa narrasse Ioannē. Cur ergo nō potius descendit in Nazareth, quæ patria eorum erat; vbi melius, cōmodiúsq; quieuissent, quàm in Capharnaum inimica ciuitate? Quòd si ob aliquam, quæ nos lateat, causam in patriam redire noluit, mansissent, vbi erant, in Cana Galilææ apud cognatos, aut amicos certè, vel hoc solo, quòd facto eos miraculo honorasset. Potiùs igitur credo ideo in Capharnaum continuò descendisse, quòd ea frequentissima, & opulentissima totius Galilææ, vbi tunc erat, ciuitas esset, & volebat ibi se potissimùm ostendere, vbi frequentia maior erat. Ideóque Ioannem id commemorasse, vt significaret facto primo illo miraculo in Cana Galilææ, non ampliùs latere Christum voluisse, sed frequentissima quæque perisse loca matre, fratribusque comitatum, ne quis ignorum esse hominem, & è vulgo natum putaret. At nullum tunc ibi miraculum fecit, nullam concionem habuit. Id affirmare sine temeritate non possumus. Sed probabilius tamen est, quamuis id Euangelista non narret, & miraculum fecisse aliquod, & certè quidē prædicasse. Nam cùm officium iam suum iniisset, credendum profectò nō est otiosum fuisse. Quod autem addit Euangelista multis diebus ibi mansisse, idcirco, vt opinor, adiecit, vt rationem tacitè redderet, cur non narraret, quid Christus ibi fecisset. Cùm enim paucos tantum dies ibi fuisset, nihil fecisse admodum memorabile, & quia breue fuit tempus, & quia cùm ante ibi non fuisset, nondum erat homines ad audiendum verbum Dei, videndaque miracula satis apti. Putat Origenes in Græca Catena hunc Christi aduentum in Capharnaum sex diebus post factum in Cana Galilææ ex aqua vinum accidisse, sed nulla satis magna coniectura probat.

13. *Et prope erat Pascha Iudæorum.*) Quod quidam dicunt Pascha Iudæorum dixisse, vt illud à Christianorum Pascha te distingueret, quod iam tunc celebratum esset, cui simile est quod hom. 10. in Ioan. Origenes dicit ad differentiam diuini Paschatis dictum esse, quod spiritualiter celebratur, aliquid probabilitatis habet; sed probabilius est simpliciter dixisse, vt describerent Iudæorum festum, & Gentiles, quibus potissimùm scribebat, intelligeret. Hac enim ratione supra ver. 6. dixit. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum:* non vt à Christianorum purificatione distingueret. An eadem hæc sit historia, atque illa, quam Matth. c. 21. 12. narrat, illic disputauimus; vbi & totum hic locum, vsque ad ver. 18. exposuimus.

18. *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?*) Id est quo miraculo probas te auctoritatem habere ita faciendi? sicut Matth. 21. 23. rogant, *In qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem?* Qui autem hoc interrogarunt Matthæus principes Sacerdotum, & seniores populi fuisse dicit, qui cùm ipsi quod Christus faciebat, facere deberent; nec vellent facere, inuidia rumpebantur, quòd faceret Christus. Cùmque factum ipsum per se laudabile reprehendere non possent, auctoritatem faciendi reprehendere conantur. Vtinam nullos hodie similes in Ecclesia Pharisæos haberemus; qui tanquam canes in præsepi nec ipsi iuuent Ecclesiam, & volentes adiuuare quasi auctoritatem nō habentes impediunt. Petunt autem à Christo signum, quo auctoritatem suam approbet, quia videbant nō habere ordinarium officium sacerdotis, aut Legisperiti, quorum erat religionem procurare, quod illi eiusmodi præberet potestatem. Et qui extraordinarij à Deo mittuntur, miraculis solēt probare auctoritatē suā, quemadmodū fecisse legimus Moysem. Sed iniquè, atq; improbè hoc illi à Christo petebāt, cui Moyses ipse, & prophetæ omnes testimoniū, & auctoritatē dabant. *Si crederetis,* inquit, *Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit,* Ioan. 5. 46. Nos à Lutheranis, Caluinianis, alijsq; nouis hereticis iure petimur, qui neq; scripturis, neq; miraculis à Deo se, vt gloriantur, missos esse docent. Nā Ioānes quidē Baptista, cuius se exemplo tueri volunt, quòd cùm extra ordinem à Deo missus fuerit, signum tamen nullum fecerit nescio quid illis præter ruborē afferre possit. Nam vt taceam Ioannē Baptistā ex scripturis sacris auctoritatem habuisse, *Vox clamantis in deserto, parate viam*

Domini; quam isti certè non habent; nisi ex illis se locis habere dicant, in quibus prædictum est futuras hæreses, quod illis minimè difficile concedemus. Scimus enim scriptum esse; *Oportet hæreses esse.* Scimus prædictum à Christo fore, vt multi veniant ipsius mentito nomine, qui dicant nobis, *Ecce hic est Christus, aut illic;* sed eodem loco sumus moniti non credere; ideoque istis nouis non credimus Euangelistis alium nobis, quàm ex scripturis nouimus, Christum demonstrantibus. Vt hoc, inquam, taceam, ipsa sanctitas vitæ Ioannis Baptistæ auctoritatem dabat, à qua isti tam longè profecto absunt, vt non solùm eius mores non imitentur, sed nec credant. Nam quàm elegātem, & bene vestitum nobis Ioannem pingant, apud Matth. c. 3. 4. docuimus.

19. *Respondit Iesus, & dixit illis, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*) Corpus suum templum appellasse, vers. 21. Euangelista declarat. Templum autem appellauit, quia in eo habitabat, vt ait D. Paulus, *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,* Coloss. 2. 9. Dicuntur quidem templum sanctorum hominum corpora, quia in illis Deus quodam etiam modo habitat. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos,* 1. Corinth. 3. 16. 17. &, *membra vestra templum sunt Spiritus sancti,* 1. Cor. 6. 19. &, *vos estis templum Dei.* 2. Cor. 6. 16. Sed, vt Cyrillus admonuit, aliter Christi, aliter aliorum hominum corpus templum dictum est; Christi, quia corporaliter, id est naturaliter, & vere; aliorum, quia spiritualiter, & per gratiam in illis Deus habitat. Sic enim explicant illud *corporaliter σωματικῶς,* quod ait D. Paulus. Hilarius lib. 8. de Trinit. Cyrillus in libro de recta fide ad Reginas, Primasius, & Theophylactus in commentar. Rectè prorsus Ambrosius enarrans, Psal. 47. hunc locum tractat. *Verè,* inquit, *templum Dei corpus est Christi, in quo nostrorum est purificatio peccatorum. Vere templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium; sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificium. Vere templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat.* Eodem modo Epiphan. interpretatur, hær. 57. Quod multo est verius, quàm quod Theodoretus tradit in commentar. in Psalm. 131. ideo templum corpus suum appellasse, quòd in Bethlehē Ephrata natus esset, vbi olim arca Domini fuerat figura corporis sui. Itaque meliùs nos ex hoc loco nostram de vera Christi diuinitate sententiam, quàm suum Apollinaris errorem probare possumus; qui, vt Theophylactus ait, hinc colligebat Christum humanam animam non habuisse, quia templum erat, templum autem animam non habet. Nā ista quidem ratione probare potuisset non carnem, & ossa; sed pro carne, & ossibus, lignea, & lapides habuisse; quia templum non ossibus, & carne, sed lapidibus, ac lignis constat. Meritò quidam quærunt, cur Christus petentibus signum, non aliud signum det, quàm resurrectionis suæ, quæ longè post futura erat, neque id, quod tunc faciebat, probare poterat. Proponit Rupertus quæstionem, idemque rectè respondet, cùm multa Christus signa fecerit, nullum fecisse, in quo diuinam æquè virtutem, atque in sua resurrectione declarauerit; & se tam apertè ostenderet verum filium esse Dei. Verum id quidem est, sed si consuetudinem consideremus Christi, aliam fortasse probabiliorem causam reperiemus. Solebat ijs, qui malo animo signa petebant, non aliud, quàm resurrectionis suæ signum dare, quasi dicens, Si non credatis, signa expectate; ex fine, ex resurrectione mea cognoscetis. *Improbus est, quisquis,* vt ille ait, *ab eventu facta notanda putat. Generatio,* inquit, *mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sta erit filius hominis in corde terræ,* Matth. 12. 39. 40. quemadmodum & Cyrillus obseruauit. Hæc eadem vt ait Chrysost. causa fuit, quam ob rem ambiguè, & obscurè responderet, quia indigni erant, vt illud ipsum, quod illis pro signo dabat, resurrectionis mysterium intelligerent, etiamsi intellexissent, non crediturī. Quæ altera Ruperti quæstio est. Cui & illam adiungit cur ergo non omnino tacuit, quod ab illis intelligi nolebat? Respōdet ideo nō tacuisse, vt qui digni erant, si nō tūc saltē postea mysterium intelligerent, & ab ipso prædictum esse recordarentur, vt Euāgelista indicat ver. 22. *Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat: & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.* Adde solere etiam nos ijs, qui nos malo rogant animo, respondere sic vt nec omnino nihil dicamus, ne nihil respōdere posse, aut velle videamur; nec ita dicamus, vt intelligamur. Aliam Rupertus ad intelligendum hunc locum necessariam quæstionem mouet; Cur Christus corpus suum templum; & mortem, templi solutionem, aut, vt Vigilius lib. 5. aduersus Eutychem vertit, *destructionem*; resurrectionem autem templi suscitationem vocat? Poterat enim alijs metaphoris mysterium celare, si intelligi nolebat. Poterat dicere, quod apud Matthæū dixit, *non dabitur vobis nisi signum Ionæ Prophetæ.* Quā ille quæstionem acutiùs mihi proponere videtur, quàm explicare; itaque quid ille respondeat, lector, si volet videat; nos aliter respondebimus. Agebatur de templo de quo ementes, & vendentes ejecerat; interrogatus fuerat, qua id auctoritate faceret, respondet se id facere iure suo, quòd Dominus esset templi; dominum autem se esse probat, quia si illud euerterint, tribus diebus excitabit illud. Dominus enim cuiusque rei est, qui de ea potest facere, quod libet. Itaque indicat illud ipsum suum fuisse corpus, eademque facilitate, cùm dissolutum fuerit, refecturum; eiusdem enim artificis est facere, atque reficere. Quibus omnibus rebus ostendit se esse Deū; ac proinde sicut corporis sui, ita etiam templi illius, de quo agebatur, dominum esse, quia patris sui templum erat; quare iure suo potuisse turpissimos illos negotiatores, tanquam vilia mancipia flagellatos foras eiicere, vt suam, patrisque sui domum sordibus illis negotiationum emundaret. Quia autem corpus suum templum appellat, vtitur verbis ad humanum potiùs corpus, quàm ad templi fabricam accommodatis. Nam soluere, & excitare magis humano cōuenit corpori, quàm ædificio. Dicitur enim corpus nostrum solui, cum vinculum illud animi, & corporis rumpitur: *Desiderium habens,* inquit Paulus, *dissolui, & esse cum Christo.* Philip. 3. 23. & *Tempus resolutionis meæ instat.* 2. Tim. 4. 6. Quanquam aliquando & ad ædificium accommodatur, præsertim cum ipsum corpus nostrum ædificio comparatur. *Scimus,* inquit, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domū non manu factam,* 2. Cor. 5. 1. Cur ergo dicit Iudæos ipsos alloquens, *Soluite templum?* cur non potiùs dicebat, cùm solutum fuerit, aut si solutum fuerit templum hoc, tribus diebus excitabo illud? Duplex in eo verbo quæstio est. Altera, cur dicat, vt illi soluant; altera, cur id imperantis modo dicat, quasi iubeat, vt se occidant. Facilis vtriusque solutio. Dicit *Soluite*, & non, soluetur, aut cùm solutum fuerit, indicans se ab illis occidendum. Quasi dicat, Petitis à me signum, quo auctoritatem vobis meam probem, vos ipsi amplam mihi materiam

Cur Christus dixerit quod intelligi nolebat.

Capit 12. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

faciendi signi dabitis. Soluetis enim corpus hoc meum, & ego illud tribus diebus suscitabo. Imperandi autem modo non ideo vtitur, vt Euthymius obseruauit, quòd eos iubeat scelus tantum perpetrare; sed vt ostendat certum fore, vt illi id faciant. Siue figura quædam concessio est, *I, sequere Italiam ventis.* Qualis est illa, *Quod facis, fac citius.* Ioannes 13. 27. Siue quia prophetarum phrasis est imperandi modo prædictiones pronunciare. Innumera sunt exempla, vnum indicare satis erit. Isai. capite 47. 1. *Descende, & sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra*, id est descendes, & sedebis.

Virg. 4. Aen.

Prophetæ triumphralis imperandi verbo vti in prædictionibus.

20. *Dixerunt ergo ei Iudæi, quadraginta, & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?*) Intelligentes Iudæi, quod Christus dixerat, de templo illo lapideo, irridetes respondent, Vt Theophylactus ait. Magna hic de istis quadraginta sex annis, quibus templum ædificatum esse dicitur, quæstio est, quomodo id verum sit. Vtinam D. Augustinus tantum in hac re operæ, quantum in consectandis horum numerorum mysterijs posuisset; magnam enim nobis præclarissimum illud lumen ingenij lucem attulisset. Sed ad populum nimirum concionabatur. Nemo nescit ter ædificatum fuisse templum, quamuis Iudei duo tantum hactenus templa fuisse dicant, quia bis tantum fuit euersum, & post secundam euersionem per Titum, & Vespasianum factam restauratum non est. Primum à Salomone ædificarum fuit 3. Regum 6. 1. & 2. Paralipom. 3. 1. 2. Secundo ædificatum est post primam euersionem per Chaldæos factam à Zorobabel. 1. Esdræ 3. Tertio est ædificatum, aut potius ampliatum, & exornatum (nec enim post primam restaurationem fuerat euersum) ab Herode magno, qui primus in Iudæa alienigena regnauit, quam amplificationem Iosephus describit libro 15. antiq. capite 14. Igitur de prima, & vltima ædificatione hic non agi perspicuum est; cùm primam non quadraginta sex, sed septem tantùm annis factam fuisse constet, vt Beda ait, 3. Regum 6. 38. Etsi Heracleon, vt Origenes citat, de prima hac templi ædificatione intelligebat, & mysteria numerorum ad errorem trahebat suum. Eodem modo Poëta Nonnus interpretatur. Ipse etiam Origenes, cùm nulla alia ratione quæstionis exitum inueniret, probabile iudicauit, vt de prima ædificatione intelligeretur, ita tamen vt non solùm tres illi anni, quibus, antequam templum cœptum esset ædificari, comparata materia est, sed totum etiam tempus numeretur, ex quo Dauid de templo ædificando cogitare cœpit, 2. Regum 7. 2. & 1. Paralipom. 17. 12. Quod præterquam quòd longè peritum est, ratio temporis non satis conuenit. Nam regnauit Dauid annos omnino quadraginta 2. Regum 5. 4. & 3. Regum 2. 11. Regnauerat autem plusquam octo annos, cùm de templo ædificando cœpit cogitare, vt ex 2. libr. Regum. capite 5. & 7. colligitur; itaque restant ex eius regno anni triginta duo, quibus si addas vndecim, vndecimo enim Salomonis anno perfectum templum est, 3. Reg. 6. 37. 38. efficies quadraginta tres, minorem numerum, quàm qui hoc loco describitur. Adde quòd templum illud, quod Iudæi ostendebant, cùm dicebant, *quadraginta & sex annis ædificatum est templi hoc* non erat id quod à Salomone factum fuerat, sed prorsus aliud à primis fundamentis excitatum. Perspicuum etiam de tertia hoc ædificatione intelligi non posse, quæ, vt Iosephus lib. 15. antiq. c. 14. auctor est, nouem annis cum dimidio fuit absoluta, nec postea quàm cœpta est fieri, vllo interrupta tempore. Eadem videtur impedire ratio, quo minùs de secunda ædificatione intelligatur. Nam si exceptis annis, quibus ab opere impedientibus hostibus cessatum est, eos tantùm annos, quibus cœptum, perfectumque est ædificium, numeremus, non reperiemus nisi septem. Tot enim annis secundum, quot primum templum absolutū est, vt postea demonstrabimus. Quare ratio illa soluendi huius nodi, quam recentiores quidam auctores excogitarunt, vt secundam ædificationem cum tertia coniungerent, & multis erroribus historia plena est, &, si errores tollas, quæstionem non explicat. Dicunt secundam templi post Babylonicā captiuitatem ædificationem vndeuiginti annis perfectam fuisse: tertiam verò per Herodes Reges viginti septē qui omnes iuncti anni quadraginta sex efficiat. Mirror tam securam audaciam, nec putassem quēquam tam inconsideratè scripturum fuisse, nisi legissem. Quo enim auctore probant secundam ædificationem templi vndeuiginti annis, tertiam verò viginti septem perfectam esse; cum ex ipsis libris Esdræ, vt postea docebimus, perspicuum sit secundam ædificationem plusquam quadraginta annis, si eos etiam numeremus, quibus interruptum opus est, absolutam esse; minus verò quàm octo, si eos nō numeremus: tertiam verò ædificationem optimus testis Iosephus affirmet nouem finitam annis, non per Herodes Reges, sed ab Herode Magno: Quis enim vnquam auctor plures Herodes Iudææ Reges fecit? Quòd si septem secundæ, nouem verò tertiæ ædificationis annos iungas, nō quadraginta sex, sed sexdecim tantū inuenies. Quin si omnes annos, quibus omnes tres ędificationes templi factæ sunt, in vnam summam conferas, non nisi viginti tres annos efficies, dimidiā partem eorum annorū, quibus Iudæi dicunt ædificatum fuisse templū. Quid ergo? vera est opinio veterum auctorū, Eusebij lib. 8. de demonst. Euang. c. 2. Chrysost. hom. in Ioan. 22. Euthymij in commentarijs, de secunda ædificatione hoc esse intelligendum. Monendus tamen mihi lector est, ne mireturad apud Chrysost. Theophyl. & Euthym. legerit primā Salomonis templum annis viginti ædificatum. Numerant enim, vt opinor, totum tempus, quo de eo ædicando cœptum est à Dauide consilium agitari. Illud etiam certum est non posse hoc intelligi de illis tantùm annis, quibus secundum templū ædificatum est, non numeratis ijs, quibus propter vicinos hostes ab opere cessatum est. Illi enim, quibus templum ædificatum est, iftis exceptis vix octo fuerunt anni. Constat enim ex 1. lib. Esdræ c. 4. paulò post, quàm Iosue filius Iosedech, & Zorobabel cœpissent ædificare, impeditum fuisse opus vsque ad regnum Darij, cuius initio iterum cœptum est continuari ante inchoatum opus, & anno eiusdem Darij sexto finitum est, 1. Esdræ 6. 15. Necesse igitur est annos cōmemorare eos, quibus interruptum opus est. Sed de ea ipsa re certatur quotnodo anni illi omnes quadraginta sex efficiant. Lyranum plerique sequuntur. Primo Cyri anno cœptum fuisse templum, regnasse autem Cyrum annos triginta, post cum Cambysem filium annos decem. Post Cambysem Magos septem mēses, qui quoniam annum vnum non efficiunt, dimittuntur. Post Magos Darium cuius sexto anno finitū est templum, id est annis quadraginta sex. Proximè verum attigit, sed potest in eius sententia diligentia desiderari. Primùm non est inchoatū templum anno primo Cyri, sed vt minimùm secundo. Nam anno primo edictum ab eo libertatis Iudæorū promulgatum est, & Iudæi in patriā redierunt, templi iece

cerunt fundamenta, aut materiam certè cœperūt comparare, 1. Esdræ 3. 6. 7. Itaque cum templi fundamenta iacta sunt, tertius, vt minimùm dicam, Cyri annus agebatur. Regnauit autem Cyrus, si Herodoto credimus libr. 1. extremo, annos vnum de triginta: si Eusebio in Chronicis, & Hieronymo in cōmentarijs in c. 1. Zachar. & in c. 7. Daniel. annos triginta, modico discrimine, aut fortasse nullo septem Magorū mēses pro anno vno Eusebio, & Hieronymo fortasse numerantibus. Cambysem verò, quem Esdras Assuerum vocat, sex tantùm regnasse annos scribit Iosephus lib. 11. antiq. c. 3. Herodotus libr. 3. annos septē, & menses quinque, Eusebius in Chro. & Beda lib. 1. in Esdram c. 5. & lib. 2. c. 7. Lyranus nescio quem secutus auctorem decem illi annos tribuit. Magos post Cambysem septem tātùm regnasse mēses omnes consentiunt. Sexto verò Darij Hystaspis anno perfectum fuisse templum liber primus Esdræ c. 6. 15. testatur. Cæterum vt Cyro triginta, Cambysi octo annos tribuamus, nondum ad quadraginta sex annorum numerum peruenimus. Demendi enim sunt ex Cyri annis tres, quia tertio, vt probauimus, eius anno cœptum est ædificari templum. Itaque remanebunt anni viginti septem. Quibus si octo Cambysis addas, efficies triginta quinque, si vnum Magorum, vt septem illos menses pro anno vno computemus, efficies triginta sex. Si sex Darij quadraginta duos. Credo igitur ego non à iactis fundamentis templi, sed ab altari primùm structo annos esse numerandos, aut à facultate à Cyro Iudæis data, vt iterum templum ædificaretur, quēadmodū numerat Eusebius Cæsari. in Catena Græca citatus. Sic enim per Danielem prædictum fuerat, cap. 9. 25. *ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, hebdomades septem.* Omnes enim concedunt Danielem per septem primas hebdomadas, quas à cæteris seiunxit, tempus notasse, quo templum erat ædificandum, & videmus initium eius temporis non à templi fundamentis, sed *ab exitu sermonis*, id est à concessa ædificandi facultate numerare. Cùm ergo ea facultas anno primo Cyri concessa sit, 1. Esdræ 1. 1. 2. & 6. 4. totos triginta Cyri annos debemus numerare. Quibus si addas octo Cambysis, vnum Magorum, sex Darij, inuenies annos quadraginta quinque. Deest tantùm vnus annus, quem hac ratione reperiemus. Cùm Esdras dicit lib. 1. c. 6. 15. sexto anno Darij perfectum fuisse templum, intelligendum est sexto anno iam prorsus exacto, & septimo vertente. Quem septimum, quia nondum finitus erat, Esdras non numerauit, Iudæi verò ex sua traditione, quia inchoatus iam erat, numerabāt, ideoque dicunt quadraginta sex annis ædificatum fuisse templum. Sed alia nobis ex Daniele oritur quæstio, quo modo prædixerat septem annorum hebdomadas, id est annos quadraginta nouem, in templi ædificatione fuisse consumendas, si quadraginta sex annis finitum est? Hunc nodum facilè ex Iosepho licet soluere. Is docet lib. 3. antiq. c. 4. nono Darij anno finitum fuisse templum, quem, cùm credendum non sit Esdræ repugnare, qui sexto eiusdem Darij anno perfectum dicit, rectè quidam interpretati sunt sexto quidem anno Darij templum fuisse perfectū, sed per tres postea annos facta circum templum fuisse peribola. Quod ex ipso quoque Iosepho colligitur, cuius hæc sunt verba: *Adificauerant enim Iudæi porticus quoque, quibus templum circumquaque includebatur.* Hos ergo annos tres Daniel & Iosephus numerarunt; Esdras, & Iudæi hoc loco non numerarunt. Quos si quadraginta sex annis addas, efficies quadraginta nouem, id est septem hebdomadas annorum, quas Daniel designauerat. Aliæ duæ faciliores tamen quæstiones ad perfectam huius loci explanationem reliquæ sunt. Altera est, quo modo Iudæi tempus illud numerauerint, quo templi ædificatio fuerat interrupta, cùm de tēpore tantùm ad ædificandum necessario ageretur. Casu enim factum fuerat, vt tot annis templum illud ędificaretur. Itaque poterat Christus sola humana diligentia multo breuiore tempore ædificare. Respondeo primùm quidem rem illos exaggerare voluisse, propterea omnes annos etiam, quibus ab opere cessatum fuerat, numerasse, vt docerent Christum non potuisse facere, quod dicebat. Deinde quæstionem fuisse de difficultate tantæ machinæ perficiendæ; in difficultate autem rerum agendarum non solùm labor ipse operis, sed omnes etiam externi casus, qui impedire operis progressum possunt, numerandi sunt. Altera quæstio est, quomodo templum illud, quod tunc ostendebāt, quadraginta sex annis ædificatum fuisse dicat, cùm non esset idem, atque illud quod à Zorobabele per quadraginta sex annos fuerat ædificatum? Hoc enim quod tunc ostendebant, ab Herode nouem annis cum dimidio, vt supra ex Iosepho docuimus, perfectum fuerat. Facilius hoc soluitur. Cùm Herodes secundum templum amplificauit & exornauit, non fuerat euersum sicut primum, sed illud idem quod ante erat, auxit, & altius erexit. Cùm ergo idem esset, quod de illo dicebant, de altero intelligebatur. Diximus supra Augustinū historia relicta ad numerorum mysteria confugisse. Sic enim interpretatur quasi intellexerint Iudæi Christum de corpore suo loqui, quod nouem mensibus, & diebus sex formatum fuerit, quem numerum numeri illi, qui in quadraginta sex continentur, multiplicati conficiant. Quibus rebus si quis delectatur, eum legat hoc loco, & lib. 4. de Trinit. c. 5. & lib. 83. qq. q. 56. Obseruarunt quidā nihil Christum huic Iudæorum obiectioni respondisse, quia volebat nimirum eos in errore suo relinquere, sciēs fore, vt etiamsi rem explicaret, multo minùs crederent, vt Euthymius æstimat.

21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui.*) Hæc verba superiore versu explicata sunt. Hic tantùm videndum, cur ea Ioannes addiderit. Voluit opinor Iudæorum errorem notare, ne id Christus dixisse putaretur, videreturque verum esse id, quod ei postea duo illi falsi testes obiecerunt, *Hic dixit, Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Matth. 26. 61. Voluit etiam notare ne discipulos quidem eius intellexisse.

22. *Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat.*) Venit illis in mentem viso resurrectionis euentu huius verbi Christi, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; intellexerūtque corporis sui resurrectionem significare voluisse. At enim quid opus erat, vt id hoc loco Ioannes diceret, quod sine causa videri potest discipulorum stupiditatem incusare? Voluit opinor indicare de industria Christum tam obscure locutum fuisse, vt ne ipsi quidem eius discipuli, donec euentum perspexerunt, intelligere potuerint.

Et crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.) Scripturis prophetarum, qui Christi prædixerāt resurrectionem; & huic sermoni, quem Christus dixit, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, vt ait Beda. Credere hoc loco significat intelligere, aut intelligendo credere, aut re intellecta magis, firmiusque credere, quod ante obscurius, incertiusque credebatur. Nam ante resurrectionē credebant vtique scripturis discipuli, sed post resurrectionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

magis crediderunt, quia meliùs intellexerunt, hoc est, quod ait Luc. cap. 24.44.45. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quæ scriptæ sunt in lege Moysi, & prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas.* Quæ autem scripturæ illæ fuerint, quibus crediderunt, eodem apud Lucam capite vers. 27. docuimus.

23. *Cum autem esset Ierosolymis in Pascha.*) Vt Pascha celebraret, cuius causa venerat ex Galilæa Ierosolymam. Indicat Euangelista statim Christum celebrato Pascha in Galilæam reuertisse; & tamen, cùm tam breui tempore fuisset Ierosolymæ, & multos in eum credidisse propter multitudinem, magnitudinemque miraculorum, quæ faciebat. Non est certum, sed est tamen probabile, quod quidam docent. Pascha, & diem festum hoc loco pro totis septem azymorum diebus poni, quibus festum illud celebrabatur. Significat enim Euangelista multa tunc Christum fecisse signa, quæ etsi potuit quidem, tamen credibile non est vno tantùm fecisse die. Quæ signa ista fuerint, propter quæ multi tunc in Christum crediderint, Euangelista non dicit; sed est vero simile multa, magnaque fuisse; quandoquidem ex hominibus tam incredulis, & alieno in Christum animo, quàm ciues Ierosolymitani erant, multi in eum crediderunt. Nec enim Chrysostomo, Theophylacto, & Euthymio subscribo, qui non verè, sed simulatè eos putant credidisse; cùm appareat Euangelistam voluisse magnitudinem ignorum Christi exaggerare, tantam nimirum fuisse, vt multi etiam homines increduli, & alieni victi miraculis in illum credidissent; quam nō bene exaggerasset, si simulatè, non verè in eum dixisset credidisse. Nam vt simulatè crederent, nullo opus erat signo, & vt Augustinus argumentatur, *non diceret Euangelista, multi crediderunt in nomine eius, nisi verum illum testimonium perhiberet.* Origenes vnum ex miraculis fuisse dicit, quòd vnus homo tot de templo negotiatores flagellis ejecerit; quod etsi potest quidem in miraculis numerari, tamen multo plura, atque maiora tunc Christum fecisse credendum est, quod & ex sequenti capite vers. 2. manifestum est. Sed quo consilio ea Euangelista non narrauerit, diuinare nobis non licet: coniectura vti licet, ad exponendam Christi doctrinam properantem, in qua potissimùm videmus versari Ioannem, multa consultò miracula silentio præterijsse. Quod dicit credidisse *in nomine eius*, idem est ac si diceret in eum credidisse, vt alijs sæpe locis explicauimus, etsi aliud Origenes esse putat.

Pascha pro totis septē diebus sumptum.

Tract. 11.

24. *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.*) Euariant interpretes. Sed omnis pene dissentio ex filo pendet, quo referatur pronomen *eis*. Plerique enim ad eos ipsos, qui credidisse dicuntur, referentes, quærunt, quomodo se eis Christus non crediderit, eum in eum ipsi credidissent? vt Origen. Chrysost. Cyrill. Augustin. Beda, Theophylact. Rupertus, Euthymius. Hi omnes existimant ideo se Christum illis non credidisse, quia aut non vere, aut non satis perfectè, constanterque credebant, & Origenes quidē, qui aliud esse putat credere in nomine Christi & credere in Christū; quòd qui in nomine Christi credunt, ipsum non imitentur; qui verò in Christum credunt, imitentur; propterea dicit Christum se illis non credidisse, quia nō in ipsum, sed in ipsius nomine credebant. Simile quiddam Ammonius in Græca Catena, Chrysostom. Theophylactus, & Euthym. dicunt, quosdam quidem propter scripturas; alios propter sola, quæ videbant, miracula credidisse; hos quidem imperfectè, illos perfectè credidisse, ideoque non his, sed illis credidisse se vicissim Christum. August. Cyrillus, & Beda de Catechumenis hoc interpretantur, qui cùm in Christum crediderunt, Christus tamen se illis nondum credidit, quia cum infirmam fidem haberent, nondum carnem, & sanguinem suum illis præbuit. Quid autem sit non credere seipsum illis, varie etiam interpretantur. Nam Chrysostomus, Theophylactus, & Euthym. & Nonnus Poëta perinde exponunt, ac si sensus esset, non credebat illis dicentibus se in illum crederē, nō credebat eorum verbis, quia sciebat eos simulatè loqui, ideoque maiora illis mysteria non explicabat. Augustinus verò, Cyrillus, & Beda non credebat se illis, id est nolebat se illis tradere, nondum sese illis dabat, sicut Catechumenis nō tradit corpus, & sanguinem suum. Sed hoc mysticum illi esse non ignorabant; nec dubito, quin sensum litteralem esse existimauerint Christum illis non confidisse, scientem fore, vt se mutata voluntate persequerentur, & occiderent. Placuit nonnullis recentioribus interpretibus pronomen *eis* non ad eos, qui crediderant, sed ad vniuersum referre Iudæorum, aut Ierosolymorum genus; quasi dicat Euangelista, licet multi Iudæorum in Christum visis, quæ faciebat, miraculis credidissent; ipse tamen se eis, id est Iudæis non credebat, quia sciebat plures esse, qui non solùm in se non crederent, sed magno se etiam odio prosequerentur. Probent fortasse alij; quia bella, & speciosa videtur interpretatio; ego vereor, quod me frequenter in alijs vereri dico, ne nimis subtilis sit. Nam antithesis illa, *Crediderunt in nomine eius, & ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis*, non obscure indicat ijsdem se Christum, qui in se crediderant, non credidisse. Atque hanc habet emphasim pronomen illud *ipse*, in quo altera latet antithesis. Opponit enim Euangelista Christum ijs, qui in Chrystum crediderant; & non credere Chrysti, eorum credere. Et quod sequitur, *Eo quod ipse nosset omnes*, manifestum est argumentum Euangelistam do illis ipsis loqui, qui crediderant; quis enim non videt hunc esse sensum, quamquam illi in ipsum credebant, tamen ipse se illis non credebat, quia noverat animos eorum? Non quòd sciret eos, vt putat Chrysostomus, simulatè credere; sed quod certū videbat rectè credere, sciret tamen fore, vt facilè mutarentur. Nam multos, qui iam crediderant, ab eo postea defecisse, idem est testis Euangelista capit. 6. 66. Credere autem se illis non dubito, quin sit, illis non confidere. Videtur enim hoc Euangelista dixisse non solùm, vt ostenderet Christum verum fuisse Deum, qui animos hominum & præsentes, & futuros cognitos haberet; sed etiam vt causam tacite tederet, cur diutiùs Christus Ierosolymæ non moreretur; quia nimirum se se Iudæis non credebat. Dicet aliquis ambiguè hoc loco credendi verbo vsum Euangelistam, quod si ita sit, totam gratiam antithesis, sententiæque deperire. Nam priore loco credere esse persuasum habere, assentireque Christum verum esse Messiam; posteriore considere; itaque non posse eum, quem diximus, esse sensum. Respondeo nō esse nouum, vt vno, eodemq; loco magna cum gratia idem verbum diuerso ponatur sensu, vt in illis apud Matthæum verbis adnotauimus c. 8. 22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Deinde hoc loco sensum, significationemque verbi non variari. Nam propterea dicimur in Deum credere, quia, cùm, quæ nobis promittit, non videamus, confidimus tamen illi dicenti, nobisq; persuademus ita esse, quod est credere nos illi, quia scimus fore, vt nos minimè frustretur. Itaque alluſit Euangelista ad eādem verbi significationem. Sed quia aliter illi credebant Christo, aliter illis Christus non credebat, variauit Euangelista constructionem verbi, prioréque loco dixit πιστεύειν, crediderunt, posteriore verò ἐν πίστευειν habere, non credebat se.

25. *Et quia opus non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine.*) Id est de quoquam, Hebraica phrasi. Reuocat enim hypothesim ad thesim, vt maius sententiæ robur addat; probétque facilè credentium in se animos, atque cōstantiam cognoscere potuisse, qui omnium hominum intimas cognoscit cogitationes. Rectè omnino Patres nostri ex hoc loco Christi contra Arianos diuinitatem probauerunt, Chrysost. Augustinus, & Cyrillus hìc. Proprium enim esse Dei nosse hominum corda vbique scriptura testatur. 3. Reg. 8. 39. & 1. Paralip. 28. 9. & 2. Paralip. 6. 30. Iob. 42. 2. Eccle. 42. 19. Isai. 29. 15. Psal. 7. 10.

Diuinitas Christi probatur.

CAPVT III.

1. *ERAT autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.* 2. *Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* 3. *Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* 4. *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?* 5. *Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* 6. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* 7. *Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo.* 8. *Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* 9. *Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?* 10. *Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* 11. *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.* 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?* 13. *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* 14. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:* 15. *vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* 18. *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* 19. *Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.* 20. *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius:* 21. *qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* 22. *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* 23. *Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon, iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.* 24. *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.* 25. *Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de Purificatione.* 26. *Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* 27. *Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.* 28. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quòd dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum.* 29. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* 30. *Illum oportet crescere, me autem minui.* 31. *Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est.* 32. *Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit.* 33. *Qui accepit eius testimonium, signauit quia Deus verax est.* 34. *Quem enim*

Num. 21. 2. 9.
1. Ioan. 4. b. 9.
Sup. 1. a. 9.
Inf. 4 a. 1.
Sup. 1. d. 19.
Sup. 1. c. 20.
Rom. 3. a. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Io. 5. b. 10. *misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum. 35. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu eius. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

IN CAPVT III.

Matt. 26. 7. ERAT autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine.) Quidam ex Pharisæis, eo Hebraismo quē sæpe obseruauimus. Hominem enim איש, pro quodā Hebræi ponunt, sicut Latini pro relatiuo ille. *Non noui hominem.* id est non noui illum. Dixerat Euangelista superiore capite multos die illo festo Paschæ, quo Ierosolymæ commoratus est in Christum credidisse; persequitur hîc eandem historiam, docétque vnum ex illis, qui crediderant, ad eum de nocte venisse, vt ab eo copiosiùs edoceretur: hominémque describit & Pharisæum fuisse, & principem Iudæorum, & nomine Nicodemum. Quod pluribus mihi de causis facere videtur, vt fidem confirmet historiæ, quæ ex personarum circunstantijs augetur; & vt indicet causam, quam ob rem nō palam, & luce clara, sed nocturnus, & clanculum ad Christum venerit; quia & Pharisæus erat, & princeps Iudæorum, qui vt pudori, & grauitati consuleret personæ suæ, & vt hominum sui ordinis vitaret odium, vt Cyrillus dissert, noluit palam, sed occultè venire: & vt ostenderet quantam vim doctrina, & miracula habuissent, vt nonnullos etiam ex Pharisæis, & principibus Iudæorum, quæ duo erant hominum genera maximè incredula, & infensa Christo, traxissent ad fidem. Erat enim hoc minimè vulgare; itaque Pharisæi dicebant. c. 7. 48. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.* Contra verò Ioannes c. 12. 42. vt probet magnam habuisse vim permouendi doctrinam Christi, ait multos ex principibus in eum credidisse; sed propterea Pharisæos ausos non fuisse id publicè profiteri; ne à synagoga eiicerentur. Magna impedimenta fidei, magnæ afferunt dignitates. Principem Iudæorū Ioannes vocat è principibus vnum. Nec enim vnus omnium erat princeps. Principes autem vocabantur aut ראשי תאת, familiarum capita, qui omnium erant honoratissimi, sicut principes sacerdotum dicebātur, qui sacerdotalium familiarum capita erant, vt apud Matthæum c. 2. 4. diximus; aut qui inter Iudæos locupletissimi, & nobilissimi erant. Hunc Nicodemum, etsi primus ex Pharisæis, & principibus venerat ad Christum, nunquam sese Christi discipulum palam professum fuisse constat ex c. 7. 50. & c. 19. 39.

Magna impedimenta fidei magna dignitates.

2. *Hic venit ad Iesum nocte.*) Cur nocte venerit, vnam Ioannes c. 19. 39. reddit causam, *eo quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum.* & alias nos ex Cyrillo superiore versu reddidimus.

Rabbi scimus, quia à Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.) Apparet ex prima Nicodemi oratione, quàm imperfectam adhuc, cum ad Christum venit, fidem habuerit. Nam cùm vellet, vt ait Cyrillus, gratiā apud Christum inire, credibile est quàm potuit honorificentissimè eum appellasse; nihil autem illi maius tribuit, quàm quod magister à Deo, id est prophera missus sit, putrum, vt Cyrillus, & Theophylact. & Ammonius obseruant, hominem putans. *Adhuc* (inquit Chrysost. homil. 23. *Ioumirepit Nicodemus, adhuc humanam de Christo habet sententiam, nihil altum de illo propter signa coniecturis. Scimus inquit, quia à Deo venisti magister. Quid ergo noctu venis, & clanculum ad eum, qui diuina docet? qui a Deo venit? Quid non aperte profiteris? Sed hoc nec dicis; nec reprehendit Iesus. Calamum enim contritum non confringet, inquit, & linum fumigans non extinguet.* Probat Nicodemus se non temere hoc ipsum quidquid erat, quod de Christo credebat, credere; ea enim ab ipso signa fieri vidisse, quæ nemo nisi à Deo missus, id est diuina potestate facere potuisset. Altiùs eum signa ducebant, vt Christum non solùm missum à Deo magistrum, sed Deum etiam ipsum esse crederet; verum Iudaica adhuc, vt ait Chrysostomus, & Theophylactus tenebatur infirmitate.

3. *Respondit Iesus, & dixit ei.*) Ad quid verò respondit? nihil enim, vt videtur, Nicodemus interrogauerat. Scio respōdendi verbum Hebraica consuetudine pro loqui simpliciter poni, sed tamen meritò hoc loco quæritur & quid Nicodemus interrogauerit, & ad quod Christus respondent. Rupertus videtur existimare Christum non ad id, quod Nicodemus interrogauerit, sed ad id, quod sciebat eum scire vellet, respondisse, quid facto sibi opus esset, vt regni Christi, quē Messiam credebat, particeps esset. Quod valde probabile videtur. Ammonius verò in Græca Catena respondisse Christum non ad quæstionem vllam, sed ad opinionem, qua ad se Nicodemus venerat. Venerat quippe tanquam ad hominem, propterea Christum docere voluisse, alia illi opus esse generatione, quàm qua homines generantur. Simile quiddam Theophyl. tradit, quasi Christus respondent, non mirum si me magistrum tantùm esse putetes; nemo enim nisi denuo natus fuerit, maiorem de me opinionem habere potest. Cyrillus verò quasi Nicodemus satis se feciisse existimaret, quòd Christum magistrū à Deo missum appellasset, Christum respondisse non satis esse, si fidem profiteatur verbis, nisi iterum renascatur. Ego probabilissimum puto quod ante me quidam obseruarūt; Nicodemum, quamuis id Euangelista non dixerit, post præfationem illam, qua Christi benevolentiam captare voluit, interrogasse illum, quid sibi faciendum esset, vt regnum cælorum ingrederetur; Christúmque viam illi demonstrasse. At cur quæstionem Ioannes non posuit? Opinor existimauit satis ex responsione posse quæstionem intelligi. Simile enim exemplum adnotauimus c. 1. 20.

Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.) Quid significet, *Amen*, alibi docuimus. Adnotauit autem hoc loco Rupertus Ioannem inter Euangelistas solere eam particulam geminare *Amen, amen*, cùm alij contenti sint semel dicere, *Amen*. Cuius ille rei causam esse putat, quòd cùm de rebus agat plerumque grauioribus, maiorem adhibuerit asseuerationem; quę dictionis eius geminationem significatur. At sæpe de iisdem rebus agens ille geminat, alij non geminant. Et alij nunquam, cùm sæpe de grauissimis agant rebus, ille semper, cùm aliquando de rebus non maioribus, quam alij agat. Itaque probabilius ex proprio Euangelistarum ingenio hoc natum esse. Solebat verumque vulgi dici, & siue Christus, cùm loqueretur, geminare soleret, siue non; aut aliquando geminare,

aliquando

aliquando non geminare, Euangelistæ pro suo quisque ingenio verba, aut sententiam potiùs recitans Christi, alius geminat, alius non geminat. Solebant alij fortasse cùm loquebantur non geminare; Ioannes verò acriore, vt apparet, ingenio geminare. Quòd dicit denuo ἄνωθεν, adnotat Chrysostomus, quòsdam interpretari desuper, aut cælitus; alios iterum, sed hoc secundum longè est probabilius. Certè sic Nicodemus intelligit in eo à Christo non reprehensus, certum argumentum verbo aliquo minimè ambiguo Syriacè loquentem vsum fuisse Christum, quod nō desuper, sed *denuo* significaret. Nam si Christus dixisset, Nisi quis renatus fuerit desuper nō potest videre regnum Dei, satis intellexisset Nicodemus eum non de carnali generatione locutum esse. Non ergo intellexit oportet vos nasci desuper, sed oportet vos nasci *denuo*, quemadmodum August. hoc loco, & lib. 2. de peccator. merit. c. 27. Seuerus Antiochenus in Romana Catena, &, vt opinor, Gregor. Nazianz. in oratione de Pentecoste; comparat enim secundam cum prima generatione. Quam interpretationem etiam Chrysostomus, qui vtramque recitat, magis probat. Quanquam Ammonius, Cyrillus, Theophyl. & Elias Cretensis in oratione Gregor. Nazianz. de Spiritu sancto primā illam sequuntur. Videre regnum cœlorum Hebraicè dictum est, pro possidere, aut possessionem capere: quemadmodum Latini dicunt hæreditatem cernere.

4. *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?*) Homo adhuc carnalis carnaliter res minimè carnales intelligit, *spiritus ei loquitur*, inquit August. *& carnem ille sapit.* Hoc est, quòd ait D. Paulus 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* Sic solent omnes carnales homines ad res spirituales cæcutire.

5. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.*) Respondet Christus eadem constantia, & asseuerationē, qua ante dixerat, *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*; vt ostendat se propter Nicodemi admirationem non mutare sententiam; sed debere ipsum, quod à se dictum erat, magis spiritualiter intelligere, idque illi declarat, hominis in percipiendis rebus diuinis tarditatem minimè pertæsus. *Tu*, inquit August. tract. 12. *carnalem generationem intelligis, cùm dicis, Numquid potest homo rursus in viscera matris suæ ex aqua & Spiritu sancto renatus renasci, aut nasci? Oportet vt nascatur propter regnum Dei. Si propter hæreditatem patris hominis temporalem, nascitur ex visceribus matris carnalis; propter hæreditatem patris Dei scilicet, nascitur ex visceribus Ecclesiæ. Generat per vxorem filium pater moriturus successurum; generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secum mansuros.* Pulsat Augustini verba loco commentarij, quia aptiora in hoc locum inueniri non poterant. Non licet nobis initio præsertim professis ad excidendas nouorum hæreticorum interpretationes hos scribere commentarios tres hîc Caluini absurdissimos errores præterire. Non agi hoc loco de sacramento baptismi; aquā, & Spiritum sanctum in iis Christi verbis pro eodem accipi, non esse proinde ad salutem baptismum necessarium. Mirabitur, qui hæreticorum non nouit ingeniū, tam absurdos errores cuiquā mortalium in mentem venire potuisse, nonis præsertim hæreticis, qui cum duo tantùm faciant sacramenta Baptismum, & Eucharistiam, doceántque etiam baptizandos infantes, nec vllo alio, quam hoc scripturæ testimonio probare possint, ne concedere cogantur necessarium esse baptismum, hoc ipsum si nō sponte, vt de Marcione Tertullianus dixit, at lingua, & peruersa interpretatione delent. Sed ita hæretici sunt. *In ei vsque impij ambulant*: delirant, nec sibi constant, vbique dant manum, vt prophera ait, ebrij, *& non à vino.* Non agitur, inquiunt, hîc de baptismi sacramento. Vbi ergo agitur? Vbi dicit Christus, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, Matth. 28. 19. & Marc. 16. 15. Infantes ergo vestra sententia baptizandi non sunt. In illis enim locis de ijs agitur, qui priùs edocti baptizari debent; infantes verò doceri non possunt. Quòd si hîc, vbi aqua ipsa, qua baptizamur nominatur, de baptismo non agitur, probari profectò non potest in alijs locis, vbi non nominatur, de baptismo agi. Itaque si istam Caluini interpretandi rationem sequamur, nullus propsus erit baptismus. Cur hîc aquam nominauit, si de baptismo non agebat? Quia volebat, inquit Caluinus, significare secudam quandam generationem, qua oporteret Nicodemum regenerari. Esto sanè quid aquæ cum regeneratione? quanto melius dixisset; oportet te ex Spiritu sancto renasci, vt spiritualem carnali opponeret generationem? Si enim de baptismo non agebat, quid facit nomen aquæ, nisi quòd obscuriorem reddit sententiam? Multo enim facilius Nicodemus intellexisset, si Christus dixisset, Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, quàm, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Quid enim sit hominem ex Spiritu sancto renasci, quis nō intelligeret? nedum Nicodemus homo Pharisæus, & sacris litteris eruditus. Ex aqua verò renasci oportere quis intelligeret nisi piscis? Tamē voluit Christus eo vti nomine, quia docere volebat non quocunque modo, sed per baptismum hominem renasci oportere. Bella verò est ratio Caluini, non agi de baptismo, quia agitur vitæ de renouatione. Quasi verò vitæ renouatio alia re, quàm baptismo magis fiat; & non dicat D. Paulus Christum Ecclesiam mundasse *per lauacrum regenerationis?* ad Titum 3. 5. ad hunc nimirum alludens. Vnde enim in mentem illi venisset vt baptismum *lauacrum regenerationis* appellaret; nisi intellexisset hoc loco Christum de regeneratione, quæ per baptismū fit, locutum fuisse? Aliena proficiamus hæresi: præbet enim nobis occasionem quærendi, cur Christus non simpliciùs, & clariùs dixerit, Nisi quis baptizatus fuerit, non potest introire in regnum Dei; aut, oportet vos baptizari. Summa, vt ego puto, ratione. Agebat cum Pharisæo, homine iā sene, verisimile enim est, quod nonnulli obseruauerunt, cùm dixit, *& quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* ad suam ipsius ætatē allusisse. Agebat, inquam, cum homine Pharisaicis moribus inueterato; cui nihil æquè accommodatè dici potuit, quàm mutādam illi esse pellem, iterum esse nascendum, si saluus esse vellet. Et quia per baptismum Christiani renascuntur, de baptismo cum illo sub metaphora regenerationis agit. Hæc, opinor, causa fuit, cur soli Nicodemo ex ijs, qui ad ipsum venerūt, & salutis ab eo viam quæsierunt, baptismum esse indicauerit: quod obseruatione dignum arbitror, quia ratio nimirū personæ requirebat, vt illi diceret iterum eum nasci oportere: quod quia per baptismum propriè fit, baptismi illi necessitatem ostendit. Ex quo intelligitur rātum abesse, vt verum sit, quod Caluinus docet, regenerationem, & renouationem non solùm à baptismo esse distinctam, sed illi quodammodo oppositi, vt Christus hoc loco significet regenerationem per baptismum, aut solùm, aut potissimum fieri, cùm baptizari, & regenerari pro eodem accipiat. Ad secundum veniamus. Ait nomen aquæ hoc loco non elementum aquæ, sed Spiritum

Nomen aquæ apud Ioannem pro Spiritu sancto sumitur.

ipsum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsum sanctum significare,qui propterea aqua dicatur,quòd animos nostros purget. Eodem enim modo quo hîc dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto*, dictum esse Matth.3.11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni*; non tamen verum significari ignem,sed ipsum Spiritum sanctum ignem appellari. Itaque particulam, *Et*, exegeticam esse, quasi dicat, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*.hoc est, *ex Spiritu sancto, non potest introi e in regnum Dei*. Exemplum arripio,cùm dicitur,*Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto,& igni*.ignis non significat Spiritum sanctum, sed externum symbolum Spiritus sancti; ergo cùm dicit Christus,*Nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto*,aqua non Spiritum sanctum,sed symbolum Spiritus sancti significat, quod est aqua. Quòd autem ignis non significet ipsum Spiritum sanctum, sed ignem,qui Spiritus sancti symbolum erat, vnde melius quàm ex euentu intelligamus?Non dubium, quin Ioannes alludat ad missionem illam illustrem Spiritus sancti,quæ in Pentecoste facta est, Act.2.2. 3.vt Christus ipse declarat.Act.1.5.Tunc autem specie ignis Spiritus sanctus illapsus in Apostolos est, aliúdque Spiritus sanctus,aliud ignis erat.Sicut cùm specie columbæ descendit Matth.3.16. & Lucas 3. 22. aliud vtiq; columba, aliud Spiritus sanctus erat, ipso etiam interprete Caluino. Quis verò non videt Christum, quia spiritualem regenerationé naturali, carnalique generationi opponebat,& naturalis generatio ex duobus principijs matre, & patre fuit; duo etiam spiritualis regenerationis principia explicare voluisse; aquam, quæ matris; & Spiritum sanctum,qui patris vicem gerit, quemadmodú graues auctores Ammonius, & Theodorus Mopsuestiensis in Romana Græcorum Catena,& Chrysost. in Ioannem 25. & Euthy. hoc loco obseruauerunt? Quo pertinet, quod alij quoque dixerunt nõ minùs graues,eodem modo renasci nos,cùm Christiani efficimur, quo Christus natus est. Christus ex Maria virgine sine viro, Spiritu sancto vicem gerente viri natus est; & nos ex aqua, & Spiritu sancto renasci. Manifestum etiam est Christum hîc ad totum hominem,quem renasci,penitúsque immutari dicebat oportere,alludere voluisse, cõstat totus homo duabus partibus corpore, & animo; illa visibili, atque corporea. hac inuisibili, atque spirituali, propterea duas etiam regenerationis causas assignasse,alteram corpoream aquam,alteram spiritualem, & inuisibilem Spiritum sanctum,vt Cyrillus Ierosolymitanus cateches.3.communi,Gregor. Nyssen.in lib.de baptismate,Gregor.Nazianz.in orat.in sanctum baptismum, & Elias Cretensis eodem loco, Cyrillus, & Theophyl.docuerunt. Porro cur aqua potiùs,quàm alia quauis re corporea Christus nos voluerit regenerari alia est disputatio, quàm copiosè Theologi tractant; nos breuiter causam eius rei vnam tãtùm, & alteram indicabimus.Institutus à Christo baptismus est,vt per eum regeneremur.Generationis materia,& veluti mater aqua est,quę maximè omnium rerum humida est, & humidum, vt Philosophi docent, generationis materia est. Quam rationem & Tertullianus in lib. de baptismo, & Chrysostomus hom.in Ioann.25.Ambros.lib.2.de sacrament.c.6.& Hieronym.in epistola ad Oceanum,indicarunt.Præterea regeneratio,quę per baptismum fit,nihil aliud est, quàm quædam animæ purgatio, renouatióque: nulla verò re magis,quàm aqua potuit exprimi purgatio.Quam causam reddit Ambros. aut potiùs Remigius Lugdunensis in commentarijs in c.6.epistolæ ad Roman.alias qui volet,apud Cyrillum Ierosolymitanum cateches.3.cõmuni, & apud Chrysost.

Cur aqua nos regenerare voluerit Deus.

hom. 25. in Ioannem inueniet. Hinc etiam tertius error satis supérque refutatur. Si enim de baptismo hîc agitur, cùm Christus tam aperte, támque sæpe dicat neminem,nisi ex aqua,& Spiritu sancto renasci,id est nisi baptizetur,in regnum Dei introire posse; non dubium,quin volentibus in regnum Dei introire baptismus sit necessarius.At Caluinistæ tribus de causis existimant necessarium non esse baptismum, & quia fidelium filios in vtero sanctificari putant; itaque opus illis non esse baptismo; & quia baptismum negant vim habere peccata remittendi; & quia hîc vbi baptismi necessitas maximè videtur affirmari,de baptismo nõ agi volunt. Primum illum errorem apud Matthæum.c.3.11.refutauimus. Secundum 1. Cor. 7. 14. si Dominus conatus nostros iuuerit, copiosè sumus refutaturi. Tertium modò refutauimus,quo refutato cæteri concidunt.Quanto meliùs Augustinus ex hoc loco omnes infantes in peccato originali nasci probauit, quòd nisi ex aqua, & Spiritu sancto renascantur, in regnum Dei introire non possint lib.1. de peccator. meritis c.10. & 30.lib.2.c.27.& lib.3.de orig.animæ.c.11.Meritóque argutam illam, ac subtilem Pelagianorum distinctionem ridet;qui cùm arctè hoc loco premerétur, dicebant aliud esse regnum Dei, aliud regnum cælorum, & vitam æternam:infantes,qui nondum suscepto baptismo morerentur, in regnum quidem cælorum intraturos, & vitam æternam habituros esse; in regnum autem Dei non intraturos.Quasi regnum Dei aliquis in regno cælorum, & vita æterna honoratior esset locus,qui solis baptizatis concederetur. Quod vniuersa scriptura confutatur. Impudentes illi quidem, & audaces, minùs ramen, quam Caluinistæ.Nec enim ausi sunt negare,quod ista tam securi negant, de baptismo hoc loco agi, quod erat profecto breuius. Lego apud Seuerum Antiochenum in Catena Græca, quod omnes hodie Catholici docent, infantes, qui sine baptismo decedunt, beata quidem priuari vita;alia tamen pœna non puniri.

6. *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.*) Videtur his verbis Christus & declarare,& cõfirmare, quod ante dixerat, voluisse, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, in regnum Dei introire non posse. Declarat, vt indicat Theophylactus, ostendens se non de carnali generatione loqui,in qua Nicodemus totus hærebat,sed de spirituali alia,atque diuina.Confirmat autem docens carnalem generationem, in qua Nicodemus totus erat, non solùm nihil ad regnum Dei conferre quendum iuuare,sed plurimùm etiam impedire.*Caro enim, & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, 1. Cor.15.50.Regnum Dei non carnale, sed spirituale esse,*non est*,inquit,*regnum Dei, esca & potus*; spiritualem,& mundum fieri oportere hominem,qui ingredi in illud velit. *Non* enim *intrabit* in illud *aliquod coinquinatum*.Apocal.21.27. Spiritualis autem homo, cùm natura sua carnalis sit, fieri non potest, nisi ex aqua. & Spiritu sancto renascatur. Hæc enim in his Christi verbis latet argumentatio.Bene à Theophylacto obseruatum est carnem hoc loco pro homine carnali,spiritum pro spirituali,id est substantiua,pro adiectiuis poni. Totus enim homo dicitur ex carne nasci,& totus caro esse, quamuis animus altera eius pars nec ex carne nascatur,nec caro sit, quia *ex sanguinibus,& ex voluntate carnis, & voluntate viri*, hoc est carnali,& humano more natus est, quo qui nascuntur,peccatores,id est carnales nascuntur, & animus ipse, licet substantia spiritualis, peccato inquinatus carnalis est. Contra verò caro cum peccato libera

Pro-mus. Pro-mus. Pro-mus.

est.

est,Deóque coniuncta,spiritus dicitur, *Qui adhæret, inquit,Dominounus spiritus est*. 1. Corint. 6.17. Hinc quæstio illa facile soluitur, quam Chrysostomus, & Euthymius merito excitatam non satis meo quidem iudicio explicauerunt, Si quod natum est ex Spiritu spiritus est, Christum, qui ex Spiritu sancto natus est, spiritum esse oportere. Respondent enim illi etiam ex carne virginis natum esse,itaque veram habere carnem.Quasi reformidét concedere Christum spiritum esse,non carnem;& ex spiritu,non ex carne natum esse,quod eo quidem sensu,quo Christus hic loquitur, reformidandum non erat. Nam quamuis Christus veram habeat carnem, veraq; ex carne natus sit,tamé eo sensu,quo hîc ipse loquitur, neque ex carne natus est,neque caro est.Nasci enim ex carne hoc in loco est humano nasci more, nasci ex homine peccatore hominem peccatorem, atque hoc ipsum est esse carnem:& Christus neque peccator, neque ex homine peccatore natus est. Itaque carnem habet, sed caro non est. Contra verò spiritum esse & ex spiritu nasci est Deo similem esse, eiúsque spiritum accipere. quæ duo cùm in Christo maximè fuerint, maximè ille omnium & ex spiritu natus est,& spiritus est.

7. *Non mireris,quia dixi tibi,oportet vos nasci denuo.*) Chrysosto.Cyrill.& Theophyl.& Beda,& Euthym. hæc verba referunt ad ea,quæ sequuntur quasi sensus sit,Ne mireris,quòd tibi dixerim,*Oportet vos nasci denuo,spiritus* enim, *vbi vult,spirat*. Ego non solus ad præterita magis refero,quasi dicat, *Non mireris quod dixi,oportet vos nasci denuo, quod* enim *natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, hoc est,non enim de carnali,vt tu putas,sed de spirituali loquor generatione; mirari tibi liceret, si de carnali loquerer, rectéque disputares non posse hominem *nasci,cum sit senex*. Melius enim cum præcedentibus hoc modo hærent, quàm cum sequentibus. Quæ enim esset ratio? ne mireris quod dixi,oportet vos nasci denuo,spiritus enim vbi vult spirat; cùm in illis verbis nulla de spiritu facta sit mentio?Probat ergo non debere Nicodemum mirari, quòd oporteat hominem nasci denuo,quia *quod natũ est ex carne, caro est,& quod natũ est ex spiritu,spiritus est*. Probat deinde posse hominem ex spiritu nasci, quia spiritus vbi vult spirat: itaque licet non appareat,tamen hominem, quamuis senem posse ex spiritu inuisibiliter regenerari.

8. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat,& quo vadat.*) Modò diximus confirmationem hanc esse sententia proximè præcedentis. Probat enim posse hominem ex spiritu nasci, etiam si id nos minimè intelligamus, quia spiritus,vbi vult spirat.Quid autem hæc ipsa cõfirmatio significet, de eo omnes interpretes disputãt. Omnis quæstio in vno *spiritus* nomine versatur, quod cùm & Spiritum sanctum,& substantiam omnem corpore expertem, & animam, & ventum, & alia multa significet,quæ Didymus lib.3.de Spiritu sancto diligentissimè persequitur,varias patitur interpretationes.Duas ego tãtùm apud interpretes inuenio. Maxima pars Spiritum sanctum interpretantur,vt Origenes,Ammonius,Apollinarius,quos auctor Græcę catenæ citat,Gregor. Nazianz. in orat. de Spiritu sancto,Ambros.lib.3.de Spiritu sancto.c.11.Augustin. in Ioan. 12. & lib.2. qq. ad Simplician.q.1.& quisquis auctor est operis de mirabilibus sacræ scripturæ lib.1.c.34. Gregor. Magnus. lib.17. in Iob.c. 16. & lib.6. in 1. lib. Regum c. 16. Bernard.ser.74.in Canticum,Elias Cretensis, in comment.in oration. Gregor. Naz. de Spiritu sancto, Beda, Strabus, Rupertus, & Alcuinus:atque Haymo apud D. Thom. Denique Didymus, si eius regula vera est, quoties nomẽ πνεῦμα Spiritus cum articulo Græce ponitur, Spiritum sanctum significare, nam articulum hoc loco habet. Iuuat etiam hanc opinionem, quòd & paulò ante de Spiritu sancto locutus fuerat, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*. Et paulò post de eodem loquitur.*Sic est omnis qui natus est ex spiritu*. Iuuat, quòd de vento videatur illud intelligi non posse.*Et nescis vnde veniat,aut quo vadat*; vẽtus enim, vt D.Aug.disputat, vnde veniat, aut quo vadat, nemo nescit.Adde quod nõ appareat, quorsum Christus venti nunc exemplo vteretur. Sensum igitur esse Spiritum sanctum, vbi vult, spirare, id est quos vult,afflare,& in alios homines renouare,id est non omnes, sed eos tantum, qui bene dispositi sunt, ad eius gratiam recipiendam; vt Origen. Gregor. Magnus,& Elias Cretensis interpretantur; & vocẽ eius audiri per prædicationem vt Origen. Augustin. Beda, Strabus,& Rupertus exponunt,vel eius sentiri efficaciam, & effectum, vt Ammonius ait. Alludit,vt putat Apollinarius, ad missionem Spiritus sancti in die Pentecostes facto repente de cælo sono *tanquam aduenientis spiritus vehementis*. Alij tamen auctores,vt Chrysostomus, Cyrillus. Theophylactus, Euthym. & qui nomine Augustini quæstiones scripsit veteris,nouique testamenti,qui hoc ipso se Augustinum non esse indicat,quòd q.59.Augustini de hac re sententiam acerbè reprehendit. Hi,inquam,omnes auctores nomen spiritus ventum hoc loco significare putant, essèque exemplum sumptum à re corporea ad rem intelligẽdam spiritualem. Nam vt venti sentimus flatum, strepitúmque audimus nescientes, *vnde veniat, aut quò vadat*,ita effectum Spiritus sancti in nobis experiri,nósque ab eo repente mutatos videre,cùm, qua ratione id factum fuerit, non intelligamus. Hanc interpretationem omnibus fere receãtioribus auctoribus probari video, duabúsque non exiguis rationibus confirmari. Altera, quòd ſtarim dicat Christus, *Sic est omnis qui natus est ex spiritu*; ex quibus verbis apparet priùs eum exẽplo vsum fuisse, quod nunc ad rem, de qua agebatur, accommodet. Exemplum autem ab eo, cuius causa affertur, oportet esse distinctum; non igitur in hoc exemplo de Spiritu sancto agitur,cùm ad declarandam generationem ex Spiritu sancto afferatur. Altera, quòd dicat paulò post, *Si terrena dixi vobis,& non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia,credetis*? Quòd si de isto corporeo vento locutus nõ fuerat, quid quæso terrenum dixerat,vt auctor ille qq.veteris,nouique testamenti acriter argumentatur? Nam quòd graues quidam auctores Augustinus, & alij dicunt baptismum,de quo locutus fuerat,rem terrenam appellasse,meritò videtur esse ab altero illo Augustino, qui quæstiones illas scripsit, refutatũ. Ipsum enim baptismum generationem ex Spiritu sancto vocauerat, quæ res est maximè cælestis, atque diuina. Et quòd Beda,Rupertus, & Strabus ex eodem dictum Augustino terrena vocasse, quæ de suo dixerat corpore, *Soluite templum hoc*, nimium remotum videtur. Mouent me istæ rationes, quo minùs priorem illam interpretationem sequar,libenter tot auctorum reuerentia sequiturum. Sed nihilominus me altera ex parte,quo minùs hanc sequar,mouent illæ,quas pro altera adduximus sententia. Itaque etsi nouarum interpretationum laudem minimè ipse quærere,minimè in alijs laudare soleo; tamen cogor hîc partibus vtrinque impulsus rationibus nouam interpretationem si non sequi,certè indicare omnibus,& doctioribus relinquere iudicandam.Videmur ergo qui melius,

Vers.5. Vers.8.

Tract.12.

Act.2.2.

Vers.12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

liùs,quàm ego, iudicare de hisce rebus possunt, an non meliùs nomen spiritus hoc loco pro anima sumatur,vt Genes.6.3.17.&7.15.Iob.12.10.Psal.76.4. &77.39. & innumeris alijs locis. Hoc enim aptissimè conuenit vt Christus sumpto à vita corporali exemplo ad vitam, generationémque spiritualem argumentetur. Quid mirum, inquit,ô Nicodeme,si non intelligas, quomodo homo ex Spiritu sancto regenerari possit; cum intelligere non possis, quomodo ex spiritu isto naturali, quo viuit, generetur? *Spiritus*,enim animalis,*vbi vult,spirat*,id est,quæ vult animat corpora, & ex mortuis viua reddit; vult autem nõ omnia,quæ homines volunt, sed quæ ita affecta sunt, vt animari ab illo possint; *Et vocem eius audis*,quia loquentem hominem,hinnientẽ equum, rugientem leonem vides,& ipsam quodammodo loquentem animam audis, vnde intelligis hominem viuere. Quoniam *fumus afflatus est in naribus nostris, & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum*, Sapientiæ.2.2.*Nescis* tamen,*vnde veniat,aut quo vadat*; quia ignoras, quomodo anima in corpus ingrediatur, quomodo egrediatur è corpore; vnde gignatur,aut in quid desinat. *Quis*, inquit, *nouit si spiritus filiorum Adam ascendat ipse sursum,& spiritus iumentorum descendat deorsum?* Eccles.3.21.Si ergo tuam ipsius,si cæterorum animalium generationem non intelligis, quid mirum si non intelligas quomodo homo ex Spiritu sancto renasci possit? Hinc intelligitur,quam ob rem animam spiritum potiùs, quàm animam appellauerit, quia de generatione nimirum ex Spiritu sancto agebat, & habebat exemplum maiorem similitudinem,& gratiam,si nomine etiá simili vteretur.Quasi dicat, homo potest ex humano generari spiritu, quamuis,quomodo id fiat,non intelligat;ergo multo magis potest ex spiritu diuino regenerari, licet non intelligat, qua ratione regeneretur. Quod autem dicit, *Vbi vult spirat*, non significat animam pro suo arbitrio ingredi in quæcunque velit corpora; sed significat nõ pendere ex eius,qui generatur, cognitione,atque iudicio.Inscij quippe gignimur. Sic omnia meo quidem iudicio plana sunt.

Sic est omnis, qui natus est ex spiritu.) Accommodat ad rem, de qua agitur, exemplum. Non est autem sensus eum, qui ex Spiritu sancto natus sit, spiritui, de quo locutus fuerat, similem esse, quasi dicat hominem ex spiritu ꝛgenitum spiritum, id est spiritualem, fieri, quia debet omne, quod gignitur, simile esse generanti, vt quidam nimium,vt mihi videtur, subtiles interpretes exponunt; sed sensus est hoc accidere in spirituali hominis regeneratione, quod in naturali generatione accidit; vt quemadmodum homo generatur, quàmuis nesciat, vnde, aut quonam modo animam hauserit: ita quoque regeneratur,quamuis,quomodo id fiat,nõ intelligat.Quemadmodum cùm Christus dicit, *Simile est regnum cælorum homini negotiatori*, non significat ipse mercatori regnum cælorum simile esse, sed id in regno cælorum accidere solere, quod in mercatura accidit, vt mercator inuenta vna pretiosa margarita, vendat omnia,quæ habet,& emat eam,quemadmodũ apud Matthæum c.13.45. exposuimus. Nec in omnibus rebus similitudo exigenda est. Non enim quemadmodum sine propria generamur voluntate, ita sine propria iam adulti voluntate regeneramur. Vera enim Augustini sententia est,*Qui fecit te sine te,non iustificabit te sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem.*serm.15.de verbis Apostoli.

9. Respondit Nicodemus, & dixit ei,Quomodo possunt hæc fieri?) Hæret adhuc in carnali cogitatione Nicodemus,nec intelligit,quomodo quæ Christus de regeneratione disseruit, fieri possint. Quæritur à quibusdã quæ sint ea,quæ Nicodemus dubitat,quomodo fieri possint; plurali enim quasi multa cõprehendés vtitur numero.Sũt qui tribus de rebus dubitare putẽt.Quomodo homo iterũ ex aqua,&Spiritu sancto nasci possit.Quomodo quod natũ est,ex Spiritu sancto sit.Quomodo id fiat nobis insciis. Simplicius esse arbitror, quod Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius videntur indicare,de summa quæstionis Nicodemum loqui,quomodo homo iterum nasci posset.Hoc enim erat, quod in Iudaica adhuc imperfectione manens, vt illi aiunt, intelligere etiam proposito exemplo non poterat. Sed quia multa de ea ipsa re Christus disseruerat,numero vsus est multitudinis.Multa hic contra Nicodemum Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus disputant, vel ex litteris sacris, in quibus versatum se esse profitebatur, hanc generationem ex aqua, & Spiritu sancto intelligere eum potuisse. Primum à Deo hominem ex limo terræ formatum fuisse. Mulierem ex latere viri; Isaac ex sene, & sterili præter legem naturæ genitum. Multas, futuri baptismi regenerationisque figuras præcessisse, multas quoque prophetias.Naaman Syri mundatam aquis Iordanis lepram; traiectum Hebræorum populum per mare rubrum,quod baptismi figuram fuisse D.etiam Paulus interpretatur.Annuntiandam Domino venturam generationem; quòd ad baptismi regenerationem Chrysostomus accommodat: & *renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua*; & *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Propius ad rem erat illud Ezechiel. 36.24. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Sed vt hæc omnia Nicodemus in animum reuocasset, quod Christus tamen dicebat, non intellexisset, quem vnum iteratæ generationis nomen offendebat, hærentem in proprietate verbi, nec metaphoram, qua Christus vtebatur, considerantem.

10. *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?*) Tu qui doces Israel omnium populorum doctissimum,quæ dico, intelligere non potes? Græcè adiecto articulo singularis, & eximius magister videtur significari, σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τῷ ἰσραήλ. Tu es magister ille Israelis, aut,Tu es magister totius Israel, id est omnium doctissimus, qui totum Israel, etiam doctissimum quemque doces. Hanc enim vim hoc loco habere mihi videtur additus articulus. Acerbiùs videtur Christus Nicodemum reprehendere,quod quam ob causam fecerit, quæri potest. Existimant Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus Christum non malitiam,quæ in hac re nulla fuerit, sed simplicitatem Nicodemi reprehendisse. Esto,tamen nimis probrosè videtur reprehendere. Cyrillus non tam Nicodemũ,quàm in Nicodemo Iudæos omnes quasi nimis rudes rerum spiritualium reprehensos esse putat.Augustinus verò,& Beda,ideo hoc Christum fecisse,vt Nicodemũ humiliorem redderet,& proinde ad res diuinas intelligendas magis idoneum, & vt re ipsa doceret, qua ratione ex Spiritu nasci possit. Ponam Augustini verba pro commentario. *O fratres,quid putamus Dominum huic magistro Iudæorum, quasi insultare voluisse? Nouerat Dominus quid ageret, volebat illum nasci ex spiritu. Nemo ex spiritu nascitur, nisi humilis fuerit; quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu. Quoniam prope est Dominus contritis corde. Ille magister non inflatus erat, & alicuius momenti sibi esse videbatur, quia doctor erat Iudæorum. Deponit ei superbiam, vt possit nasci de spiritu,insultat tanquam indocto.Non quia superare voluit, videri Dominus; quia enim magnum Deus ad hominem*

veritat ad mendacium? Maior Christus, quàm Nicodemus dici debet,dici potest,cognoscendus est. Si diceretur maior Christus,quam angelus,videndum erat. Incomparabiliter enim maior creator omni creatura, per quem facta est omnis creatura.

11. *Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.*) Primùm hoc loco videndum,quomodo hæc cum superioribus hæreant;aut quorsum à Christo dicta sint. Cyrillus, & Chrysostomus sic iungunt,Quandoquidem,quæ dico, etiã rationibus, atque exemplis explicata non intelligis,saltem nondum intellecta propter meum credere testimonium; quod enim scio, loquor; & quod vidi, testor. Theophylactus verò, & Euthymius, quamuis tu,quod dico, non intelligas, aut credas, non tamen propterea verũ non est;quod enim scio, loquor,& quod vidi,testor,quemadmodum dicit D. Paulus 2.Timoth.2.13.*Si non credimus, ille fidelis permanet.*Hoc mihi magis placet.At quid est, *Quod scimus,loquimur?* quid est id quod se scire,ac vidisse dicit Loquebatur enim de regeneratione ex aqua, & Spiritu sancto, quam, quia nondum facta erat(nec enim baptizare cœperat) vidisse non poterat, vt Chrysostomus disputat. Non constat an iam tum cœpisset baptizare, & est vero simile cœpisse, cùm docere cœpisset,& credendum sit simul docere cœpisse,ac baptizare, vt Ioannes fecerat.Deinde quãtis de regeneratione per baptismum loqueretur, tamen necesse non est, vt eam iam factam vidisset, cùm Deus nõ minùs futura,quàm præsentia videat. Aut vidisse se dicit,non quòd vidisset,sed quòd certam eorum,quæ dicebat,cognitionem haberet,quæ per sensum visus solet significari,vt Chrysostomus, & Theophylactus interpretantur. Quanquam ego quidem de nulla proprie re,sed de omni generaliter humani testimonij materia, vt infra explicabimus, loqui puto. Solet quæri, cur pluraliter Christus loquatur, *Quod scimus loquimur; & quod vidimus testamur.* Chrysostomus, Cyrillus,Euthymius. Rupertus,& Haymo homilia de Octaua Pentecostes existimant Christum significare voluisse se solum non esse,sed vna cum Patre testimonium perhibere. Sicut dicit Ioannes 8. 16. 17. *Et si ego iudico, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, &, qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* Quia ergo testimonio Christus vti volebat, & ad omnis rei confirmationem duobus, vt minimùm, opus est testibus, idcirco pluraliter locutum fuisse,vt indicaret se non esse solum,vt Rupertus ait. Mihi aliquanto durior hæc videtur ratio. Durior etiam illa quam in Catena Diui Thomæ Alcuinus affert, quòd Christus sua, aliorumque qui ex Spiritu sancto regenerati essent, experrique vera esse,quæ dicebat,persona loqueretur.Nihilò magis probo,quod alij dicunt,Christum se cum cæteris à Deo missis Prophetis, atque magistris connumerare.Dixerat enim Nicodemus cum primum ad eum accessit, *Scimus, quia à Deo venisti magister.* Alij de se solo pluraliter auctoritatis causa loqui putant quemadmodum aliquando loqui solemus. Sic Theophylactus sentit, cuius ego sententiam magis probo. Statim enim declarat de se solo loqui. *Si terrena dixi vobis, & nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo.* Tamen quia insolutum est Christo pluraliter de se loqui, hanc ipsam interpretationem, quam omnium probabilissimam iudico,probare omnino non possum. Sic igitur interpretor, vt Christus nec de se, nec de vna aliqua re, quam ipse sciat, aut videat, sed de omnibus bonis testibus, & de omni simuliter testimoniorum materia generaliter loquatur. *Quod scimus loquimur; & quod vidimus testamur*; id est non solemus testari, nisi quæ scimus, ac vidimus, quare eo ipso, quòd vides me hoc tam constanter affirmare, atque testari, existimare debes me certò scire, credereque te oportet. Hac ratione nihil in tota sententia difficultatis remanet.

Et testimonium nostrũ nõ accipitis.)Similis hic quæstio,cur Christus eum solo Nicodemo loquens pluraliter dicat, *Testimonium nostrum non accipitis?* Nulla erit quæstio, si legas; vt Chrysostomus legit, *& testimonium nostrum nemo accipit.* Si verò retineamus lectionem nostram pluribus confirmatam auctoribus,ratio quærenda.Rupertus,& vt videtur,Cyrillus omnes Iudæorum magistros,Scribas, & Pharisæos, aut ipsos omnes Iudæos,vt Cyrillus indicat, in vno Nicodemo intelligendos esse putant. Facilius esse credo, vt eodem modo intelligamus, quo intelligendum esse diximus,*Quod scimus,loquimur*, vt sicut illic Christus de omnibus bonis testibus; ita hic de omnibus incredulis,& peruicacibus hominibus loquatur, quibus nullum ad credendum testimonium satis est. Eiusmodi Nicodemus esse videbatur,ideo secunda,pluralique persona dixit, *Et testimonium nostrum non accipitis.*

12. *Si terrena dixi vobis,& non creditis,quomodo si dicero vobis cælestia,credetis?* Quorsum hoc dicat Christus,satis apparet; cum enim Nicodemi,& aliorum incredulitatem reprehendisset; addit, vt rem magis exaggeret, terrena illis tantùm dixisse, nec eos tamen credidisse;quid fuisse facturos, si cælestia dixisset? Vulgaris quæstio, quasnam hîc res Christus terrenas, quas cælestes appellet. Augustinus, Beda, & Strabus priores duos secutus auctores animaduertentes omnia, quæ Christus Nicodemo de baptismo,& regeneratione,& spiritu, vbi vult, spirante dixerat, esse cælestia, terrenum vocari putant, quod capite 2.19.dixerat, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod nimis fortasse remotum videri possit. Propiùs ad rem omnes, quos memini legere, auctores Græci videntur accessisse, Origenes, & Ammonius citati in Græcorum Catena, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, &, vt videtur, etiam Cyrillus, terrenam rem vocasse baptismum, de quo tota erat quæstio. Non quòd diuina non sit,atque cælestis, sed quòd hominibus super terram detur,vt Origenes,& Ammonius exponunt; aut quòd comparatione diuinæ illius filij Dei generationis hæc, quæ per baptismum fit, spiritualis regeneratio terrena videri possit,vt Chrysostomus,Theophylactus,& Euthymius volunt.Itaque rem terrenam hominum per baptismum regenerationem, cælestem diuinam generationem Christi vocari censent. Alij ventum,de quo illud dictum putant? *Spiritus,vbi vult, spirat*, rem terrenam dici existimant; Spiritum verò sanctum, qui per ventum significatur, totamque ex Spiritu sancto regenerationem cælestem appellari. Quam sententiam Augustinus, & Beda illo loco non solùm recitant,sed etiam videntur approbare. Auctor autem ille qq.veteris,nouique testamenti quæst.59. omnino sequitur. Vellem & ego aliquam ex his vnam, quæ bonos habeat auctores, sequi possem; sed fateor me præter voluntatem meam in nouam interpretationem rationibus maioribus impelli. Puto Christum cùm terrestria, cælestiaque nominauit, non ad res ipsas, de quibus loquebatur; sed ad modum loquendi,explicandique respexisse.Nam si res quidem ipsas spectes, nihil nisi cæleste, atque

Baptismus quomodo terrenares.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuinum dixit, si explicandi rationem, terreno, id est humano more locutus est, dum humanæ generationis vius exemplo, *Spiritus*, inquiens, *vbi vult, spirat*, accommodatè ad terrenos adhuc, & carnales homines spiritualem explicauit regenerationem. Hoc est quod Nicodemo nunc exprobrat, quòd cùm hoc fecerit, tamen sibi non crediderit, existimans res à se disputari incredibiles, & ab humano sensu longè remotas. Quid futurum, si res illi diuinas nudè, & sine vllo humani exempli velamine, sine vlla ad humanum sensum accommodata metaphora proposuerit? Cur ergo dicit, *Non credis*, cùm solo disputans Nicodemo? Diximus ex Cyrillo superiore versu Nicodemum omnium Iudæorum personam præ se tulisse. Quare cum ad Christum venit, non dixit scio, sed *scimus, quia à Deo venisti magister* supra ver. 2. Propterea pluraliter illi dicit, *Non creditis*.

13. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.*) Prima hic etiam quæstio est, quomodo hæc cum præcedentibus hæreãt. Augustinus hoc loco, & libro 1. de peccator. merit. capite 31. Beda, & Rupertus existimant confirmationem hanc esse eius sententiæ, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, versu 5. Nemo enim introire potest, nisi qui inde priùs exijt, id est qui de cælo descendit. Solus filius hominis descendit, solus igitur ascendere, id est introire potest. Quare quisquis introire volet, necesse est vnum quodammodo cum filio hominis; id est membrum illius fiat. Fit autem membrum illius, cum ex aqua, & Spiritu sancto renascitur. Oportet ergo vos nasci denuo. Chrysostomus verò, Theophylactus, & Euthymius putant hæc verba illis respondere quæ versu secũdo, Nicodemus dixerat, *Scimus quia à Deo venisti magister*. Quibus verbis cæteris Prophetis, atque magistris à Deo missis æquasse videbatur Christum, neque quidquam de illo maius cogitasse. Hanc nunc opinionem Christum corrigere. Magno se discrimine cæteris antecellere prophetis; neminem enim aliorum in cælum ascendisse, vt quæ illic geruntur videre posset; se solùm ascendisse, semperque illic esse, itaque magis sibi, quàm cæteris prophetis credendum esse. Ego sic intelligo, an benè, doctiores indicent. Dixerat Christus, *si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Addit nunc, atque necesse profectò est, vt credatis, si salui esse vultis. Cùm enim necessarium sit diuina cognoscere mysteria, per quorum cognitionem, & fidem Deus voluit ad salutem homines peruenire, non potestis ea, quæ necessariò cognoscenda vobis sunt, ex alio, quàm ex me cognoscere, quia nemo alius in cælum ascendit. Cur ergo non dicebat clariùs, Nemo præter me res diuinas nouit? sicut in eandem sententiam dixerat cap. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*. Suspicor voluisse hac phrasi significare, quàm longè homines abesse nt, vt mysteria diuina cognoscerent, nisi illis ea ipse, qui de cælo in terram venerat, explicasset. Tanto nimirum interuallo, quanto cælum distat à terra. Quemadmodum alio loco Deus dixit, *Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris*. Isai. 55. 9. Solent ita Hebræi loqui, Quis ascendit in cælum? aut quis potest in cælum ascendere? id est quis potest cognoscere res diuinas, atque de illis disserere, cùm nemo viderit? *Mandatum*, inquit, *quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, nec procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus?* Deuteron. 30. 11. Quem ad locum fortasse Christus alluit. Tres hic quæstiones esse solent. Primam Augustinus, & Beda mouent, quomodo nemo ascendat in cælum, cum omnes iusti ascendere credantur. Respondent illi ipsi ascendere quidem iustos, sed non nisi cum Christo, factosque eius membra. Quod verum quidem est, sed nescio an eò Christus respexerit. Non enim dicit neminem ascensurum, sed neminem id temporis, quo loquebatur ascendisse, *οὐδεὶς ἀναβέβηκεν*. Deinde vt aliquam tunc ascendisset; tamen verè dicere potuisset, *Nemo ascendit in cælum*. Non enim spectandum quid verba singula, sed quid phrasis tota significet. Significat autem ascendere in cælum res diuinas cognitas habere, quas nemo æquè, ac Christus, quamuis multi ascendissent, cognitas, exploratasque habuisset. Similem apud Didymum in Catena Græca inuenio, quomodo nemo in cælum ascenderit, cùm angeli in cælo sint, & Iacob ascendentes, descendentésque per scalam angelos viderit, Genes. 28. 12. Videtur respondere angelos non esse in supremo illo cælo, vnde Christus descendit, nec quenquam vnquam eorum eò ascendisse; ideoque peccasse Diabolum, quia eò ex inferiore loco voluit ascendere, Isai. 14. 13. At quidquid de locis Isaiæ dicendum sit, non dubito, quin de omni cælo loquatur Christus, & angeli ibi sint, vbi maximè collucet diuina maiestas. Sed Christus nimirum cum hominibus, & de solis hominibus, non item de angelis agebat. Secũda quæstio est quomodo Christus tunc dicatur ascendisse, cùm nondum mortuus esset, nondum resurrexisset, & non nisi quadraginta post resurrectionem diebus ascenderit. Augustinus, Beda, & Rupertus de ascensione illa post resurrectionem hoc intelligunt, sed iam monuimus Græcè non præsens ascendit, non futurum ascendet; sed præteritum *ἀναβέβηκεν*, *ascendit* esse tempus. Ascendisse iam tunc dicebatur, non quòd diuina ascendisset natura, quæ, cùm vbique tota sit, ascendere, vel descendere propriè non potest; neque quod ascendisset humana, quæ non nisi post resurrectionem ascendit; sed per communicationem idiomatum; qua filius hominis, cùm in terra esset, in cælo quoque esse dicebatur, quia idem Deus erat, & Deus erat in cælo. Quia ergo ante homo ille Christus, cùm nondum ex virgine conceptus esset, in cælo non erat, & post conceptionem propter hypostaticam vnionem in cælo fuit; in cælum dicitur ascendisse, quia si humano loquamur more, quod prius in terra fuit, deinde in cælo esse cœpit, in cælum ascendisse dicitur. Magis opinor Theologicum hoc est, quàm quod quidam dicunt, in cælum ascendisse, quia eius anima beata erat; & quod alij, ascendisse secundum diuinam naturam, qua res omnes cælestes, atque diuinas contemplabatur. Nam secut non secundum diuinam, sed secundum humanam naturam de cælo descendisse dicitur sita secundum humanam, non secundum diuinam dicitur ascendisse; tamen propter diuinam personam, & propter eius hypostaticam vnionem homo ille Christus & verè ascendisse, & verè descendisse dicitur. Hinc tertia quæstio explicari potest, quomodo dicatur de cælo Christus descendisse, cùm nec Deus, qui vbique est, neque homo, qui ante in cælo non fuerat, de cælo descendere potuisse videatur. Probabat hoc loco Apollinarius, vt Theophylactus indicat. Christum de cælo traxisse corpus, & per virginis vterum, quasi per canalem permeasse. Quod facilè refutatur. Sunt qui putent ideo hominem dici de cælo descendisse, quia de cælo

Necesse est vt credamus, si salui esse volumus.

quodam

quodammodo, id est de Spiritu sancto conceptus fuit. Quod, vt leuissimè loquar, parum proprie dictum iudicio. Fingamus enim Christum Deum non fuisse, & tamen Spiritu sancto fuisse conceptum, profectò non diceretur de cælo descẽdisse. Et enerratur ista ratione magnum illud argumentum, quo Cyrillus hoc loco, & Seuerus Antiochenus in epistola ad Ernesenos, vt in Græca Catena citatum legO, Theophylactus, & Rupertus in commentarijs ad hunc locum probant aduersus Nestorianos in Christo duas quidem naturas, vnam tantum esse personam; & propter hypostaticam vnionem communicationem idiomatum fieri, & quæ propria vnius naturæ sunt, alteri tribui. Descendisse igitur de cælo dicitur, quia qui priùs in cælo erat in terra verò, etsi erat, non videbatur, sumpta humana natura, cœptus est repente in terris videri, perinde ac si de cælo descendisset. Notant Ammonius, Chrysostomus, & Euthymius Christum hoc loco, & alijs plerisque ex infirmiore natura, hoc est humana, se totum nominasse. Vellem docuissent, cur id hoc potissimùm loco fecisset; aliquam enim propriam fuisse causam mihi persuadeo. Diximus Christum secundum humanam naturam propter vnionem tamen cum diuina persona, & ascendisse in cælum, & de cælo descendisse; hoc ipsum indicans non vocauit se filium Dei, sed filium hominis, cùm alia ex parte satis se Deum esse significaret, qui & descendisse de cælo, & in cælo semper manere diceret. Comparabat præterea se hominem, cum hominibus, vnum cum omnibus, vt doceret præter se neminem mortalium in cælum ascendisse. Illud etiam vellem aliquis quæsiuisset, quam ob rem addiderit, *Nisi qui descendit de cælo?* Satis enim videbatur esse, quod dictum erat; *Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis, qui est in cælo*. Voluit opinor ex descensu assensum probare, quasi eiusdem sit ascendere, atque descendere, nempe eius, qui cæli Dominus sit. Quemadmodum Domini domus proprium est, ingredi, & egredi domo, cùm voluerit, quia clauem habet, possetque probare se solùm in domum suam ingredi posse, quia solus egredi. At quare addidit, *Qui est in cælo?* Fortasse ne ita de cælo descendisse putaretur, vt cælum reliquisset. Fortasse etiam significare voluit se in cælo dominari, se cælorum Dominum esse, vt paulò ante dicebamus; ideóque ascendere, ac descendere potuisse. Hæc enim verba, *Qui est in cælo*, plus quiddam mihi videntur significare, quàm in cælo esse; nempe esse in cælo tanquam in domo propria, aut tanquam in suo regno. *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit eam*. Heb. 3. 3. Manifestum hoc est testimonium diuinitatis Christi, quocumque tandem modo interpretemur.

14. *Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.*) Nostra quidem sententia facilè intelligitur, quo nexu hæc verba eum superioribus copulentur. Diximus versu præcedenti voluisse docere Christum, quàm necessarium esset, vt sibi omnes crederent, qui salui esse vellent; id nunc exemplo serpentis à Mose olim erecti declarat, atque confirmat. Sicut enim nemo tunc à serpentibus morsus, nisi in serpentem illum æneum intueretur, sanari poterat, ita nunc neminem salutem esse posse, nisi in se credat. Credere est in Christum intueri. Aliter Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius connecti putant. Magnam esse inter hæc similitudinem, & passionem Christi similitudinem, propterea & à Diuo Paulo plerumque copulari.

Nunquid, inquit, *Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* 1. Corinth. 1. 13. *& quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*, Roman. 6. 3. Cum ergo de baptismo ante disseruisset, de passione nunc sua incipere differre. Cyrillus verò sic, cum expertus esset Christus Nicodemum res cæleste, atque diuinas capere non posse, figuras illi proponere veteris testamenti, quo faciliùs ad credendum adducatur; sicut alibi solet dicere, *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Ioan. 5. 39. Alij causam reddi putant, cur de cælo se descendisse dixerit, vt sicut serpens ille, exaltaretur, & homines in ipsum intuentes salui essent. Iudicet lector; nos quid probabilissimum iudicemus, diximus. Potest autem quæri cur, cùm tot figuræ fuissent passionis suæ, hac potiùs, quàm alia Christus vti voluerit; Si nostram sequamur interpretationem, ratio in promptu erit. Alijs figuris significabatur quidem passurum Christum, sed non posse homines, nisi per eius passionem salnos esse, nulla tam aperte significabatur. Hoc autem ipsum, vt diximus, volebat Christus docere, necessarium esse, vt homines in se crederent, si salui esse vellent; quemadmodum illis, qui à serpentibus morsi erant, necessarium fuit, vt in æneum illum serpentem intuerentur. Multa hic nonnulli de serpente illo disputant, quæ ad locum illum potiùs Numer. 21. 9. quàm ad hunc pertinent. Ad eum nos locum lectorem mittimus; nec enim confundere volumus commentarios, aut alienis farcire rebus. Hoc vnum dicendum, quod ad huius loci explicationem satis est. In illo deserto lethaliter morsi fuerant à serpentibus Hebræi, siue quia regio ipsa natura sua *ignitos*, vt scriptura vocat, *serpentes* producebat, id est qui morsu adurerent, & inflammarent; quales multos in Africa esse Solinus tradit, à quibus icti Catonis milites inflammati veneno morerentur; siue, vt nonnulli volunt, Deo illos diuinitus generante, vt ea ratione pernicacem puniret populum. In hoc mundo morsi homines erant à primo homine, id est in peccatum inducti. Voluit Deus, vt illi, qui à serpentibus icti erant, per serpentem sanarentur, & vt magis miraculum appareret; & quia id ipsum miraculum naturæ serpentum erat accommodatum. Solet enim contra morsum viperæ ex ipsa vipera, & contra morsum scorpionis ex ipsis scorpionibus præsentissimum confici medicamentum. Voluit etiam vt homines, qui per hominem in peccatum coniecti fuerant, per hominem à peccato liberarentur, vt Euthymius exponit. *Per hominem*, inquit, *mors, & per hominem resurrectio mortuorum*. 1. ad Cor. 15. 21. Et *sicut per vnius delictũ in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem*. Rom. 5. 18. Factus est ille serpens æneus, id est qui similitudine quidem verũ serpentem referret, venenũ tamen non haberet. Factus est Christus *in similitudinẽ carnis peccati*, vt ait D. Paulus, id est, qui verus quidẽ esset homo, sed peccatum sicut cæteri homines, nõ haberet, vt Ammonius presbyter, Theophyl & Rupertus obseruauerunt. Quòd serpens ille ex ære potiùs, quàm ex alia materia factus fuerit, nonnulli Hebræi causam hanc esse dicunt, quòd morsis à serpẽtibus aut omnibus, aut illis, à quibus tunc Hebręi mordebantur, lethale esset in æs aspicere, quòd ego Rabbinicum puto. Meliùs alij, quòd æs colorẽ referret illorũ eorũdem serpentum, à quibus Hebræi mordebantur; igniti enim erant, quale æs est. Alij, vt corpus Christi meliùs significaret quod de Spiritu sancto conceptum

Cur hæc potius figura Christus vsus fuerit.

Numer. 21. 6.

Rom. 8. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,quemadmodum serpens ille non naturali generatus lege,sed igne conflatus fuerat.Aut,vt ait Euthimius,quia solidum erat contra peccatum,nō fragile,& peccādi periculis,sicut nostrum, expositum. Denique sicut serpens ille suspensus est, ita Christus; & vt aspectus in serpentem illum sanabat, ita sanat peccatores fides in Christum, hoc enim est in crucifixum Christum aspicere. Sed vitet hæreticorum errorem lector,qui ex hoc loco colligunt sola nos fide iustificari,sicut Hebræi illi solo in serpentem intuitu curabantur. Nec enim figura ideo proposita est,aut hic à Christo accommodata, vt significaretur sola in Christū fide saluari homines,sed vt doceretur neminem,qui non in Christum aspiceret, hoc est crederet,saluari posse. Ex multis enim alijs scripturæ locis compertum habemus nos sola fide non iustificari,1.Cor.13.2.3.ad Galat. 5.6. Iacob.2. 24. Quod ergo illic solo in serpentem intuitu homines sanabantur, aut nihil significabat, aut hoc vnum non vllo humano remedio, sed solo diuino beneficio sanatos fuisse. Quod idem in nostra iustificatione fieri concedimus. Nam etsi non sola fide, sed nostris etiam operibus iustificamur; tamen illa ipsa opera nostra,quia ex Dei gratia proficiscuntur, diuina sunt,id est non humani,aut naturalis, sed diuini medicamenti virtutem habent. Quæri potest, cur Christus verbo exultandi vsus fuerit. Non est negandum quod hæreticorum negat interpres,crucem significari;eodem enim verbo, cùm de sua loqueretur cruce,alibi vsus est.Ioan.8.28. *Cum exaltaueritis*, inquit, *filium hominis,tunc cognoscetis, quia ego sum*,& cap.12.32.*Et ego si exaltatus fuero à terra,omnia trahamad me ipsum*, & vers.34.*Quomodo tu dicis,oportet exaltari filium hominis?* Sed quærimus,cur non potiùs dixerit, sicut Moyses suspendit serpētem in deserto, ita suspendi, aut crucifigi oportet filium hominis? Voluit,vt opinor,significare & serpentem illum publice omnibus in loco edito, atque conspicuo fuisse propositum; & se eodem modo in cruce proponendum, vt neminem latere possit; sed omnes,qui velint,in ipsum intueantur,atque soluētur. Quòd autem dicit,*oportet*,accommodatè ad id,quod agebat,intelligendum est.Volebat,vt diximus,ostēdere necesse esse,vt in se crederent,quicumque salui esse vellent;eam igitur ad rem, id est, vt salui homines esse possent, oportere, ac necesse esse filium hominis exaltari.

Hæreticorū de iustificatione error euertitur.

15.*Vt omnis,qui credit in ipsum non pereat,sed habeat vitam æternam.*) Exponit caulam,quamobrem exaltari filium hominis oporteret; & accommodat ad se serpentis figuram. Vt omnis,qui in serpentem illum intuebatur, non peribat;ita & omnes, qui in ipsum credidérint, non perituros. Vanam hìc victoriam hæretici canunt:apertiùs dici non potuisse sola nos fide iustificari,quàm quòd *omnis,qui credit in eum,non pereat, sed habeat vitam æternam*. At videamus quantùm ista ratio ponderis habeat; & fingamus omnes sine vlla exceptione,qui in Christum credūt,saluos esse, quod tamen absolutè falsum esse iam demonstrabimus; an propterea sequitur homines sola fide iustificari? Non profecto magis, quàm si argumentere,Omnis qui ratione præditus est,homo est;sola igitur ratione homo est; aut, vt magis Theologicè loquamur, Omnis qui caritatem habet, saluus est. nam hoc illi non negant;sola igitur iustificamur caritate. Ista sanè ratione tam bene nos probare possumus solis nos operibus sine fide iustificari;quam illi probant sola fide iustificari sine vllis operibus. Colligemus enim eodem modo, Omnis qui bona habuerit opera, non peribit, sed habebit vitam æternam,quemadmodum serpens ille non naturali generatus lege,sed igne conflatus fuerat.Aut,vt ait Euthimius,quia solidum erat contra peccatum,nō fragile,& peccādi periculis,sicut nostrum, expositum. Denique sicut serpens ille suspensus est, ita Christus; & vt aspectus in serpentem illum sanabat, ita sanat peccatores fides in Christum, hoc enim est in crucifixum Christum aspicere. Sed vitet hæreticorum errorem lector,qui ex hoc loco colligunt sola nos fide iustificari,sicut Hebræi illi solo in serpentem intuitu curabantur. Nec enim figura ideo proposita est,aut hic à Christo accommodata, vt significaretur sola in Christū fide saluari homines,sed vt doceretur neminem,qui non in Christum aspiceret, hoc est crederet,saluari posse. Ex multis enim alijs scripturæ locis compertum habemus nos sola fide non iustificari,1.Cor.13.2.3.ad Galat. 5.6. Iacob.2. 24. Quod ergo illic solo in serpentem intuitu homines sanabantur, aut nihil significabat, aut hoc vnum non vllo humano remedio, sed solo diuino beneficio sanatos fuisse. Quod idem in nostra iustificatione fieri concedimus. Nam etsi non sola fide, sed nostris etiam operibus iustificamur; tamen illa ipsa opera nostra,quia ex Dei gratia proficiscuntur, diuina sunt,id est non humani,aut naturalis, sed diuini medicamenti virtutem habent. Quæri potest, cur Christus verbo exultandi vsus fuerit. Non est negandum quod hæreticorum negat interpres,crucem significari;eodem enim verbo, cùm de sua loqueretur cruce,alibi vsus est.Ioan.8.28. *Cum exaltaueritis*, inquit, *filium hominis,tunc cognoscetis, quia ego sum*,& cap.12.32.*Et ego si exaltatus fuero à terra,omnia trahamad me ipsum*, & vers.34.*Quomodo tu dicis,oportet exaltari filium hominis?* Sed quærimus,cur non potiùs dixerit, sicut Moyses suspendit serpētem in deserto, ita suspendi, aut crucifigi oportet filium hominis? Voluit,vt opinor,significare & serpentem illum publice omnibus in loco edito, atque conspicuo fuisse propositum; & se eodem modo in cruce proponendum, vt neminem latere possit; sed omnes,qui velint,in ipsum intueantur,atque soluētur. Quòd autem dicit,*oportet*,accommodatè ad id,quod agebat,intelligendum est.Volebat,vt diximus,ostēdere necesse esse,vt in se crederent,quicumque salui esse vellent;eam igitur ad rem, id est, vt salui homines esse possent, oportere, ac necesse esse filium hominis exaltari.

15.*Vt omnis,qui credit in ipsum non pereat,sed habeat vitam æternam.*) Exponit caulam,quamobrem exaltari filium hominis oporteret; & accommodat ad se serpentis figuram. Vt omnis,qui in serpentem illum intuebatur, non peribat;ita & omnes, qui in ipsum credidérint, non perituros. Vanam hìc victoriam hæretici canunt:apertiùs dici non potuisse sola nos fide iustificari,quàm quòd *omnis,qui credit in eum,non pereat, sed habeat vitam æternam*. At videamus quantùm ista ratio ponderis habeat; & fingamus omnes sine vlla exceptione,qui in Christum credūt,saluos esse, quod tamen absolutè falsum esse iam demonstrabimus; an propterea sequitur homines sola fide iustificari? Non profecto magis, quàm si argumentere,Omnis qui ratione præditus est,homo est;sola igitur ratione homo est; aut, vt magis Theologicè loquamur, Omnis qui caritatem habet, saluus est. nam hoc illi non negant;sola igitur iustificamur caritate. Ista sanè ratione tam bene nos probare possumus solis nos operibus sine fide iustificari;quam illi probant sola fide iustificari sine vllis operibus. Colligemus enim eodem modo, Omnis qui bona habuerit opera, non peribit, sed habebit vitam æternam, quemadmodum serpens ille non naturali generatus lege,sed igne conflatus fuerat.Aut,vt ait Euthimius,quia solidum erat contra peccatum,nō fragile,& peccādi periculis,sicut nostrum, expositum. Denique sicut serpens ille suspensus est, ita Christus; & vt aspectus in serpentem illum sanabat, ita sanat peccatores fides in Christum, hoc enim est in crucifixum Christum aspicere. Sed vitet hæreticorum errorem lector,qui ex hoc loco colligunt sola nos fide iustificari,sicut Hebræi illi solo in serpentem intuitu curabantur. Nec enim figura ideo proposita est,aut hic à Christo accommodata, vt significaretur sola in Christū fide saluari homines,sed vt doceretur neminem,qui non in Christum aspiceret, hoc est crederet,saluari posse. Ex multis enim alijs scripturæ locis compertum habemus nos sola fide non iustificari,1.Cor.13.2.3.ad Galat. 5.6. Iacob.2. 24. Quod ergo illic solo in serpentem intuitu homines sanabantur, aut nihil significabat, aut hoc vnum non vllo humano remedio, sed solo diuino beneficio sanatos fuisse. Quod idem in nostra iustificatione fieri concedimus. Nam etsi non sola fide, sed nostris etiam operibus iustificamur; tamen illa ipsa opera nostra,quia ex Dei gratia proficiscuntur, diuina sunt,id est non humani,aut naturalis, sed diuini medicamenti virtutem habent. Quæri potest, cur Christus verbo exultandi vsus fuerit. Non est negandum quod hæreticorum negat interpres,crucem significari;eodem enim verbo, cùm de sua loqueretur cruce,alibi vsus est.Ioan.8.28. *Cum exaltaueritis*, inquit, *filium hominis,tunc cognoscetis, quia ego sum*,& cap.12.32.*Et ego si exaltatus fuero à terra,omnia trahamad me ipsum*, & vers.34.*Quomodo tu dicis,oportet exaltari filium hominis?* Sed quærimus,cur non potiùs dixerit, sicut Moyses suspendit serpētem in deserto, ita suspendi, aut crucifigi oportet filium hominis? Voluit,vt opinor,significare & serpentem illum publice omnibus in loco edito, atque conspicuo fuisse propositum; & se eodem modo in cruce proponendum, vt neminem latere possit; sed omnes,qui velint,in ipsum intueantur,atque soluētur. Quòd autem dicit,*oportet*,accommodatè ad id,quod agebat,intelligendum est.Volebat,vt diximus,ostēdere necesse esse,vt in se crederent,quicumque salui esse vellent;eam igitur ad rem, id est, vt salui homines esse possent, oportere, ac necesse esse filium hominis exaltari.

Au sola fide iustificemur.

15.*Vt omnis,qui credit in ipsum non pereat,sed habeat vitam æternam.*) Exponit caulam,quamobrem exaltari filium hominis oporteret; & accommodat ad se serpentis figuram. Vt omnis,qui in serpentem illum intuebatur, non peribat;ita & omnes, qui in ipsum credidérint, non perituros. Vanam hìc victoriam hæretici canunt:apertiùs dici non potuisse sola nos fide iustificari,quàm quòd *omnis,qui credit in eum,non pereat, sed habeat vitam æternam*. At videamus quantùm ista ratio ponderis habeat; & fingamus omnes sine vlla exceptione,qui in Christum credūt,saluos esse, quod tamen absolutè falsum esse iam demonstrabimus; an propterea sequitur homines sola fide iustificari? Non profecto magis, quàm si argumentere,Omnis qui ratione præditus est,homo est;sola igitur ratione homo est; aut, vt magis Theologicè loquamur, Omnis qui caritatem habet, saluus est. nam hoc illi non negant;sola igitur iustificamur caritate. Ista sanè ratione tam bene nos probare possumus solis nos operibus sine fide iustificari;quam illi probant sola fide iustificari sine vllis operibus. Colligemus enim eodem modo, Omnis qui bona habuerit opera, non peribit, sed habebit vitam æternam, quemadmodum serpens ille non naturali generatus lege,sed igne conflatus fuerat.Aut,vt ait Euthimius,quia solidum erat contra peccatum,nō fragile,& peccādi periculis,sicut nostrum, expositum. Denique sicut serpens ille suspensus est, ita Christus; & vt aspectus in serpentem illum sanabat, ita sanat peccatores fides in Christum, hoc enim est in crucifixum Christum aspicere. Sed vitet hæreticorum errorem lector,qui ex hoc loco colligunt sola nos fide iustificari,sicut Hebræi illi solo in serpentem intuitu curabantur. Nec enim figura ideo proposita est,aut hic à Christo accommodata, vt significaretur sola in Christū fide saluari homines,sed vt doceretur neminem,qui non in Christum aspiceret, hoc est crederet,saluari posse. Ex multis enim alijs scripturæ locis compertum habemus nos sola fide non iustificari,1.Cor.13.2.3.ad Galat. 5.6. Iacob.2. 24. Quod ergo illic solo in serpentem intuitu homines sanabantur, aut nihil significabat, aut hoc vnum non vllo humano remedio, sed solo diuino beneficio sanatos fuisse. Quod idem in nostra iustificatione fieri concedimus. Nam etsi non sola fide, sed nostris etiam operibus iustificamur; tamen illa ipsa opera nostra,quia ex Dei gratia proficiscuntur, diuina sunt,id est non humani,aut naturalis, sed diuini medicamenti virtutem habent. Quæri potest, cur Christus verbo exultandi vsus fuerit. Non est negandum quod hæreticorum negat interpres,crucem significari;eodem enim verbo, cùm de sua loqueretur cruce,alibi vsus est.Ioan.8.28. *Cum exaltaueritis*, inquit, *filium hominis,tunc cognoscetis, quia ego sum*,& cap.12.32.*Et ego si exaltatus fuero à terra,omnia trahamad me ipsum*, & vers.34.*Quomodo tu dicis,oportet exaltari filium hominis?* Sed quærimus,cur non potiùs dixerit, sicut Moyses suspendit serpētem in deserto, ita suspendi, aut crucifigi oportet filium hominis? Voluit,vt opinor,significare & serpentem illum publice omnibus in loco edito, atque conspicuo fuisse propositum; & se eodem modo in cruce proponendum, vt neminem latere possit; sed omnes,qui velint,in ipsum intueantur,atque soluētur. Quòd autem dicit,*oportet*,accommodatè ad id,quod agebat,intelligendum est.Volebat,vt diximus,ostēdere necesse esse,vt in se crederent,quicumque salui esse vellent;eam igitur ad rem, id est, vt salui homines esse possent, oportere, ac necesse esse filium hominis exaltari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Saluari non vis ab ipso, ex te ipso iudicaberis.

18. *Qui credit in eum, non iudicatur qui autem non credit, iam iudicatus est.*) Explicat, atque confirmat, quod dixerat, non venisse in mundum Christum, vt mundum iudicaret; venit enim, vt omnes crederent in ipsum, vt paulò ante dixerat, qui autem in ipsum credit, non iudicatur; non igitur venit, vt mundum iudicaret. Iudicari hoc loco etiam graues auctores interpretantur, vt vox ipsa sonat, non venit in iudicium, Ammonius, Augustinus, Cyrillus, Beda. Vnde illa Theologorum nata disputatio, quomodo qui credit non iudicetur, cùm dicat D. Paulus, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*; & omnis scriptura, doceat omnes prorsus homines & bonos, & malos esse iudicandos, *vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Nota illa distinctio, omnes iudicandos esse iudicio approbationis, reprobationisve, non discutionis. Quæ distinctio, si bene hic locus intelligatur, necessaria non erit. Diximus superiore versu iudicare hic idem valere, quod condemnare, quemadmodum Chrysostom. Euthym. & Theophylact. exponunt. Dicitur autem, qui credit, non condemnari, id est condemnari non posse, aut subiectus non esse condemnationi. Contrà verò, qui non credit, iam condemnatus esse, non quòd in iudicio condemnandus postea non sit, sed quòd ipse iam in se condemnationis causam habeat. Quemadmodum Adamo dictum est, *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*, non quòd statim moriturus esset: sed quòd statim mortis in se causam habiturus, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius exponunt. Sed plus etiam quiddam mihi videtur significare, *Iam iudicatus est*, id est eo ipso, quòd non credit, ipse se condemnat, ostenditque se pœna dignum esse, cum lucem, iudicemque refugiat, vt explicatur vers. 19. & 20. Quemadmodum fur eo ipso, quòd ad iudicem venire recusat, seipsum condemnat. Videbatur potiùs dicendum esse; qui autem non credit, iudicatur; sicut dixerat, qui credit in eũ, non iudicatur, vt Augustinus & Beda animaduerterunt. Sed plus dixit, quàm dicendum esse videbatur; *Qui non credit*, inquit, non solùm iudicatur, sed *iam iudicatus est*, id est non solùm subiectus est condemnationi, sed iam est etiam condemnatus. Quærunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, quomodo *qui credit in eum, non iudicatur?* quid enim si credat quidem, sed bona opera non habeat? Respondent non vtique vt Caluiniani, sed vt nos supra respõdimus, intelligendum hoc esse, si ita credat, vt oportet; si fidem habeat per caritatem operantem. Nam de ijs, qui solam sine bonis operibus habent fidem, dicere D. Paulum, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, ad Titum 1. 16. Nec significat D. Paulus, & auctores illi veram fidem non esse quæ expers bonorum operum est, sed non magis ad salutem solam satis esse, quàm si vera non esset.

19. *Hoc est autem iudicium.*) Hæc est condemnatio, id est condemnationis materia, vt Chrysostom. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, aut condemnationis iudicium, vt ego interpretor. Est enim sensus; hoc ipso quòd non credit aliquis in Christum, sed eum tanquam tenebræ lucem fugit, declarat se in tenebris esse, seque ipsum tanquam peccatorem condemnat. Hoc enim est, quod dixit, *iam iudicatus est*. Quid? ergò ne, qui lucem magis, quàm tenebras dilexêre, bona habebant opera? Hoc enim videtur sequi, si quorum opera mala erant, ad lucem, id est Christum, venire noluerunt; eorum, qui ad lucẽ venerunt, bona opera fuisse, vt D. Augustinus, & Beda subtiliter animaduerterunt. Respondent hæc ferme sententia, omnium quidem opera mala fuisse; sed eos, qui celari opera sua mala noluerunt, ad lucem venisse, nihil grauatos ea profiteri, atque inde bonos esse cœpisse; & dissipatis tenebris lucem factos. Cõtrà verò, qui opera sua mala à luce patefieri, atque confiteri sponte sua noluerunt, manifeste in tenebris, eoque ipso indicasse se condemnatos esse, qui quasi desperabundi salutem quærere noluerunt. Inseram huc pauca ex multis Augustini verba, quia vtilia sunt moribus. *Multi*, inquit, *dilexerunt peccata sua, & multi confessi sunt peccata sua: quia qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua, & si tu accusas, conuenisti Deo. Quæ duæ res sunt homo, & peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, vt Deus saluet, quod fecit. Oportet, vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem cœperis tibi displicere, quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum, confessio est operum malorum. Facis veritatem, & venis ad lucem. Quid est facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis, non dicis iustus sum, cùm sis iniquus, & incipis facere veritatem.* Non dubium Christum hic lucem appellari, vt supra c. 1. 9.

21. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem.*) Notos Hebraismus נכח, veritatem Hebræi vocant opus iustum, ac rectum, quia quod verum est, rectum est; & quod rectum, verum, ac sibi consentiens. *Dirige, inquit, me in veritate tua*, id est recta, Psal. 24. 5. & *ingrediar in veritate tua*, id est in via tua recta, Psal. 85. 11. Aptè autem veritatem cum luce coniunxit, quia lux veritatem declarat; quid enim verum, quid falsum sit, luce cognoscimus. Sic etiam coniunxit Dauid Psal. 42. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Propterea ergo bona opera non aliter hîc, quàm veritatem appellauit, quia de luce agebatur, qua opera veránе, an falsa sint, cognoscuntur.

Venit ad lucem, vt manifestentur opera eius.) Morale hoc est, ex consuetudine enim, & more hominum docet, quid ijsdem hominibus erga Deum accidat. Solent homines, qui malè agunt, lucem refugere, *qui ebrij*, inquit, *sunt, nocte ebrij sunt.* Solent, qui aliquid boni agunt, lucem amare, ac videri velle. Id Christus non laudat, docet eodem modo homines, qui malè agunt, Deum fugere; qui verò bene, ad Deum venire. Vera sententia: nemo magis Ecclesiã, nemo magis conciones sacras, nemo magis confessiones, cateraque fugit sacramenta, quàm qui peccatorũ maximè plenus est. Rabies est omne peccatum; medicum, & aquam, qua sanari potest, reformidat

Quia in Deo sunt facta.) Quidam exponunt, quia per Deum, aut Dei instinctu facta sunt, quia à Deo proficiscuntur. Deum enim esse, *qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quod etsi est verum, non est dictum satis ad huius loci interpretationem accommodatè. Nec enim propterea, quia bene agit, ad Deum venit, quia eius opera auctore Deo facta sunt: sed quia Deo placent, eiusque voluntati sunt consentanea, ideoque libenter ad Deũ venit, vt ab eo laudetur. Itaque melius Euthymius interpretatur, *in Deo*, id est secundùm Deum, vt ponatur Græcè ἐν pro κατ, vt Genes. 6. 9. *cum Deo ambulauit*, id est secundùm Deum.

22. *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram.*) Nonne superior omnis historia acciderat in Iudæa, & quidem Ierosolymis? quo ergo modo hîc dicitur post hæc in Iudæam Christus venisse? Feliciter hic locus multos recentiores præsertim interpretes. Alios, vt existimarent superiorem historiam

Nicodemi non in Iudæa, sed in Galilæa contigisse. Celebrato enim Ierosolymis Pascha, vt capite secundo dictum est, Christum in Galilæam, vnde festi celebrandi causa venerat, redisse. Eò secutum Nicodemum studio inflammatum ab eo aliquid discendi. Postea venisse iterum à Galilæa in Iudæam, vt officium suum publicè iniret baptizandi. Quod qui dicunt violentè rumpere mihi videntur filum historiæ. Nicodemum enim Ierosolymitanum fuisse ciuem, omnes etiam interpretes isti concedunt, & ex eo manifestum est, quòd princeps erat Iudæorum, quòdque indicat se Christi sermonibus in die festo Paschę Ierosolymę interfuisse supra ver. 1. & 2. Quibus commotum sermonibus ad Christum venisse ex eodem loco colligitur non obscurè. Venit autem noctu, non dubium Ierosolymitanorum, vt illic diximus, metu; quid autem erat causæ, quamobrem in Galilæa noctu ad Christum veniret, vbi nullus à Ierosolymitanis ciuibus metus esse poterat? Alios in alium coniecit errorem, vt putarent Christum post illud colloquium cum Nicodemo in Galilæam abijsse, indèque aliquanto post tempore in Iudæam reuertisse, vbi doceret, ac baptizaret; sic Strabus interpretatur. Hos etiam refellit textura ipsa orationis, & historiæ; ita enim profectò Ioãnes loquitur, quasi statim ab superiore colloquio in Iudæam Christus discesserit. Lyranus hìc mihi videtur sensum attigisse, venisse in Iudæam Christum, non quòd priùs in Iudæa non esset, erat enim Ierosolymæ, sed quòd Ierosolyma discesserit, & in reliquam Iudææ regionem venerit. Nam qui Ierosolymis erat, vix in Iudęa esse dicebatur, quia meliore loco, quàm in Iudæa erat; sicut qui Romæ est, non dicitur in Romania esse, sed Romæ; & qui Hispali est, non dicitur in Bætica esse, quamuis Hispalis in Bętica sit; quemadmodum non dicitur in mundo esse, qui Mediolani est, quia nimis id generale est, sed dicitur esse Mediolani; qui autem nullo nobili Bæticæ loco est, is propriè in Bætica esse dicitur; & qui nullam vnquam fixam habet sedem, is dicitur esse in mundo; quo sensu Philosophus ille mundanum se esse dixit. Sic ergo Ioannes de Christo locutus est, quasi in Iudæa non esset, cùm esset Ierosolymæ, indèque in Iudæam venisse dicat, quia in regionem Iudææ venerat, quæ nullo honorificentiore, quàm Iudææ titulo ornari poterat. Propterea vt Lyranus putat, non dixit in Iudæam, sed *in Iudæam terram* venisse. Alij alia ratione idem docent, Ierosolymam propriè non in tribu Iudæ, sed in tribu Beniamin locatam fuisse, itaq; tę dici Christum à Ierosolyma in Iudæam venisse. Nõ probo, quia etsi Ierosolyma, aut maior eius pars in tribu erat Beniamin; tamen tota regio duarum tribuum Iudæa vocabatur: neque vnquam à loco vbi tribus Beniamin habitabat, memini distingui. Quæcunque tandem ratione id factum fuerit, hoc teneamus, Christum à Ierosolymis in Iudæam venisse dici, quemadmodum non Lyranus solùm, sed etiam Chrysost. Theophylact. & D. Thom. interpretantur. Cur cò venerit, ex sequentibus intelligitur, vtillic baptizare, & prædicare inciperet. Nam baptizasse eum ante non legimus. At cur cò potiùs quàm alio loco baptizare voluit? Haud difficilis coniectura; baptizabat ibi Ioannes, qui præclarum illud de ipso testimonio perhibuerat, *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto*, Matth. 3. 11. Erat etiam ad baptizãdum locus aptus, quia aquæ multæ ibi erant, magnúsque hominum concursus ibi fiebat, vt sequẽti versu declaratur. Voluit ergo ibi baptizare, vbi & aquę erant multæ, & magna hominum frequẽtia baptizari volentium, & Ioannes, qui baptismo suo auctoritatem

Quomodo Christus dicatur baptizasse.

daret. Quærunt Chrysost. Theophylact. & Euthym. quomodo Christus hic dicatur baptizasse, cùm c. 4. 2. Ioannes dicat non ipsum per se, sed per suos discipulos baptizasse. Facilis solutio. baptizasse nunc dicitur, quia eius auctoritate, & nomine ipsius discipuli baptizabant. Maior quæstio ex ipsa huius quæstionis solutione nascitur, cur non ipse per se baptizabat? Causam Ammonius fuisse putat, quòd nondum Spiritus sanctus datus esset, in quo ipse baptizaturus erat. Itaque in ea videtur esse sententia, in qua alij olim graues auctores fuere, baptismũ Christi ante passionem, & resurrectionem eius, vnde vim omnem accepit, Spiritum sanctum, & remissionem peccatorum non tribuisse. Quod minimè obscurè Leo docet epist. 4. ad episcopos Siciliæ c. 3. & Chrysost. & Tertullianus in lib. de baptismo, & multis verbis Rupertus hoc loco confirmat. Proficit Ecclesia sapientia & ætate, vt Hilarius ait. Hic hodie error est: itaque cautè lector in his auctoribus versari debet. Et verò quis credat discipulos Christi qui iam tunc baptizabant, ante mortem eius baptizatos non fuisse? Quod si baptizati ante sunt, ab ipso vtique & in Spiritu sancto baptizati sunt, alioqui peccatorum remissionem, quam alijs per baptismum postea dabant, ipsi non acceperunt, quod absurdum profectò dictu est. Baptizabat igitur ipse aliquando ante passionem suam Christus, & in Spiritu sancto baptizabat. Ac fortasse hoc ipso loco baptizauit aliquos. Nã quod postea Ioannes dicit ipsum non baptizasse, non incommodè interpretari possumus, non solitum baptizare, etiamsi paucos aliquos aliquãdo baptizauerit. Multo igitur melior alia ratio est, quã idem indicat Ammonius, & Cyrillus hoc loco, & multis cõtra Donatistas locis disputans repetit Augustinus, ideo Christum non per se, sed per suos discipulos baptizasse, vt ostenderet quid inter suum, Ioannisque baptismum interesset. Ioãnis baptismus non erat idem, si ab alio, quàm à Ioanne datus esset, quia Ioannis nomine non dabatur; Christi autem baptismus à quocunque daretur, Christi erat; quia non eius, qui dabat, sed eius, qui instituerat, Christi auctoritate, & nomine dabatur. Caluini errorem eundem Christi, Ioannisque baptismum facientis apud Matthæum cap. 3. 11. refutauimus. Hoc loco verba Cyrilli ponam, vt quid inter Catholicum & hæreticum intersit auctorem lector videat, & quàm bene iam tũ futuros refutauerit Caluinistas. *Videbat*, inquit, *Ioannes Spiritus sancti gratia illuminatus, quam necessarium esset ea narrare, quibus, quantum Christi baptismus, Ioannis baptismo præstaret, aperiretur. Perspexit haud multo post aliquos futuros, qui aut nullam inter baptismum & baptismum differentiam facerent; sed pari laude vtrumque coronarent; aut ob imperitiam, & lapsum hominum meliorem esse baptismum Ioannis putarent. Nullum enim est tam turpe facinus, quod imperitia non audeat aggredi. Nulla blasphemia tam magna, vt aduersus sacratissima Ecclesiæ dogmata non dicatur libenter ab ijs, qui omnia, vt scriptum est, sæcla pernerunt. Ne igitur temerary homines aquam Ioannis, qua in pœnitentiam baptizabat, spirituali baptismo Christi anteferre auderent, causas tam turpis temeritatis euertens, ipsum Baptistam exponit huius quæstionis nodum dubitantibus suis discipulis dissoluisse. Baptizabat enim Christus per discipulos suo, 3 Ioannes non per alios, sed suis manibus.*

Caluini error de Ioannis baptismo. Lib. 2. c. 37.

Baptismus ante Christi passionem peccata remittebat.

Mich. 3. 9.

23. *Erat autem & Ioannes baptizans in Ænon iuxta Salim.*) Cur dicat illic etiam Ioannem fuisse, ac baptizasse facilè intelligitur. Munit viam ad sequentem historiam narraturus enim erat, quomodo Ioannis discipuli ægrè tulissent, quòd Christus baptizaret, & Ioanne deserto, omnes ad eum currerent, vt occa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sionem haberet exponendi, quod testimoniũ Ioannes de Christo illa eadem occasione reddidisset. Ænnon iuxta Iordanem fuisse versus Meridiẽ octauo à Scythopoli lapide auctor Hieronymus in locis Hebraicis. Erat & alius locus eodem nomine iuxta Damascum Ezechiel. 47.17. ad cuius distinctionem putant quidam Euangelistam addidisse *iuxta Salim*. Erat autem *Salim*, aut Salem, vt ait idem Hieronymus in epistola ad Euagrium, oppidum prope Sichem, de quà c.4.5. dicemus.

24. *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.*) Hoc propterea Euangelista mihi videtur adiecisse, vt occurreret taciturnæ lectoris obiectioni. Poterat, qui alios legisset Euangelistas, existimare iam tum Ioannem in carcere fuisse; solus enim Ioannes narrat, quid Christus post baptismum, & antequam Baptista in vincula coniiceretur, egerit. Poterat igitur obiicere, quomodo baptizare Ioannes poterat, cùm in carcere iam esset. Huic obiectioni occurrit Euangelista dicens; *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem*. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius existimant voluisse Euangelistam indicare nõ debuisse, quandiu carcere prohibitus non erat, Ioannem ab officio baptizandi desistere etiam Christo baptizante. Quærúntque cur incipiente baptizare Christo Ioannes non destiterit baptizare. Cuius rei duas rationes afferunt; alteram, ideo non destitisse, vt semper aliqui ad se venirent, eósque baptizatos à se, & quodammodo initiatos mitteret ad Christum; alteram, ne si desisteret, maiore aduersus Christũ æmulatione eius discipuli concitarentur, quasi causa esset, vt ipsorum præceptor obscuraretur, & ab officio cessaret. Si enim tam sæpe ab eo moniti ipsum nõ nisi aqua baptizare, Christum Spiritu etiam sancto baptizaturum, eóque baptizare, idémque sæpe prædicare non desinente, tamen inuidebant Christo; quid facturos fuisse, si baptizare desijsset? Adde, inquiunt ijdem auctores, quòd si baptizare desiuisset, indignatione quadam, quòd Christus etiam baptizaret, fecisse videretur.

Cur incipiẽte Christo Ioãnes non destiterit baptizare.

25. *Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione.*) Ἐζήτησε δυὸ ζήτησις, excitata igitur est quæstio. Quod dicit ex discipulis Ioannis, perinde est ac si diceret facto initio à discipulis Ioannis. Mouit enim quęstionem inuidia, res natura sua contentiosa. Quod autem sequitur, *cum Iudæis*, in multis antiquis codicibus est μετὰ Ἰουδαίου, cum Iudæo quodam, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius indicant se legisse; sed nostram lectionem meliorem esse non dubito. Quorsum autem cũ Iudæis, & non potiùs cum discipulis Christi Ioannis discipuli disputabant, cùm de Christi baptismo agereturr? Credẽdum est illos ipsos Iudæos, quibuscum disputarunt, discipulos fuisse Christi; non quidem ex ijs, qui Christum semper tanquam eius familiares sequebantur; sed ex ijs, qui ad eum, vt baptizarentur, & ipsum audirent, ventitabant; quos propterea, vt existimo, Ioannis discipuli potiùs quàm familiares discipulos Christi aggressi sunt, quia vel non sunt ausi cum domesticis Christi de Christo ipso disputare, vel non sperarunt se alios, quàm Iudæos, eósque nondum familiares Christo ab ipso posse deducere. Atque hac fortasse de causa, quamuis & ipsi suo quodam modo discipuli essent Christi, noluit eos Euangelista discipulos, sed Iudęos appellare. De qua autem purificatione quæstio fuerit, etiam quidam quærunt. Súntque nonnulli, qui aliqua specie probabilitatis ducti non de baptismo, sed de Iudaicis, legalibúsque purificationibus quæstionem fuisse putent; potuisse enim Euangelistam, si de baptismo disputatum fuisset, baptismum appellare; nunc autem non baptismum, sed purificationem appellasse. Sed ego quidem non dubito, nec vllus bonus auctor, quem legere meminerim, dubitauit de baptismo Ioannis, & Christi disputatum fuisse, vter eorum esset melior, vt Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Beda, Theophylactus, & Euthymius interpretantur. Quorsum enim dixissent Ioanni, *Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*, si de baptismo quæstio non erat? Ipsum igitur baptismũ Euangelista κάλυκτρον purificationẽ appellauit, quia species quædam purificationis erat, sicut è contrario omnes etiam legales purificationes baptismata vocabantur, Mat. 7.4. & Heb. 9.10.

26. *Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei.*) Ad magistrum suum quæstionem deferunt, quasi excitaturi illum in eandem, qua ipsi iam pleni erant, æmulationem; nec enim suam, sed ipsius agi causam, eius opinionem pericliari, quam ipsi aduersus Iudæos Christi discipulos, & nouarum sectatores rerum defendendam suscepissent. Huc enim omnis eorũ tendit oratio. Primum *Rabbi*, id est præceptorem vocãt eius beneuolentiam captaturi, ipso nomine monentes debere eum, cùm magister sit, & suam ipsius auctoritatem, & discipulorum suorum partes defendere. Deinde quòd dicunt, *qui erat tecum trans Iordanem*, non nominãt Christum, aut Iesum, sed *qui erat tecum*, quod despicientium est hominum. Deinde non dicunt, Ille cum quo tu eras; sed *qui erat tecum*, id est qui quasi inferior ad te venerat, pro magnóque habebat apud te esse, à te baptizari, abs te commendari; ille, inquam, nunc contra te surgit, & sibi officium tuum vsurpat. Denique, *cui tu testimonium perhibuisti*, ille cui tantum honoris tribuisti, vt per te inciperet hominibus notus esse, nunc quasi ingratus, & accepti immemor beneficij, ipso contra te vtitur beneficio, te spreto baptizat, & omnes ad eum confluunt. Ad hunc ferme modum Chrysost. Theophylactus, & Euthymius edisserunt. Nec ausi sunt dicere, inquit Chrysostomus, quem tu baptizasti, ne Spiritus sancti testimonio contradicere viderentur; sed dicunt, *cui tu testimonium perhibuisti*. Impetfecta oratio est, nihil enim concludunt, nihil à magistro suo petunt; sed rem illi, vt iudicant, indignam exponunt, sperantes fore, vt id satis esset, vt indignatus Ioannes Christum baptizare prohiberet; aut, vt Augustinus putat, intelligendam illi quæstionem suam reliquerint. *Quid dicis? Non sunt prohibendi, vt ad te potiùs veniant?* Putat Rupertus hos discipulos Ioannis fuisse Pharisæos, ideóque spreuisse Christum, de quibus dictum est Lucæ 7. 30. *Pharisæi autem, & Legisperiti spreuerunt consilium Dei.* Sed id alio dictum est sensu.

27. *Respondit Ioannes, & dixit; non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datũ de cælo.*) Huius rei causa, vt ait Ammonius, quæstio illa discipulorũ Ioannis diuina prouidentia orta est, vt hoc iterum Ioannes testimonium Christo perhiberet. Mirum non reprehendisse Ioãnem acerbiùs discipulos suos tam absurdè de Christo sentientes. Sed prudenter, vt ait Chrysostomus, id fecit, ne à se discederent, & ad Christum non irent, volebat enim patientia sua Christo eos lucrifacere. Quòd autem ait, *non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo*, Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus de Christo dictum putãt, quasi sensus sit, Nolite Christo gloriam suam inuidere, quidquid enim habet, de cælo habet. Itaque hinc Euthymius, & Chrysostomus diuinitatem probant. Cyrillus verò, Augustinus, Beda, Strabus, & Rupertus de Ioanne intelligunt, quasi dicat; Ego quidquid sum, quidquid habeo, de cælo habeo, *non enim potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo*. Ambo quidem docemus, ambo baptizamus, sed illa sua, non ab alio accepta, ego illius, id est accepta de cælo auctoritate. Ille enim Deus, ego homo sum, &, *non potest homo accipere quicquam, nisi datum ei fuerit de cælo*. Hic verus est sensus. Sed potest dubitari, cur non potiùs dixerit: Non potest homo habere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, quemadmodum dixit D. Paulus; *Quid habes, quod non accepisti?* & Iacobus, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum*. Nam manifestum est neminem posse quidquam accipere nisi datum? Puto ego sensum hunc esse. Nemo potest accipere quicquam ex se, aut aliunde, quàm ex cælo. Loquitur autem, vt ait Euthym. de rebus bonis, de gratia de virtute, de sanctitate, de auctoritate baptizandi, quas in Ioanne discipuli eius admirabantur. Nam vitia quidem ipsi à nobis ipsis accipimus. Simile est, quod Christus discipulis suis postea respondit volentibus eum prohibere, qui eius nomine dæmonia eiiciebat, nec ipsum sequebatur. *Nolite*, inquit, *prohibere eum; nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me*. Mat. 9.39.

28. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis.*) Ipsorum eos verbis coarguit. Produxerant enim Ioannis testimonium, vt Christo faceret inuidiam. Retorquet idem in eos Ioannes testimonium dicens hoc ipso, quòd dicitis me illi testimoniũ perhibuisse, testimonium ipsi mihi perhibetis; quòd confessus fuerim eum esse maiorem me. Quare ergo huic ipsi meo, quod profertis, non creditis testimonio, & istam relinquentes contentionem, illum potiùs, quàm me sequimini? In hanc sententiam August. Beda, Theophylact. & Euthym. edisserunt. *Quid vos fellitis ipsos?* inquit August. *Mihi quomodo proposuistis quæstionem? Quid mihi dixistis? Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti. Nostis ergo quale testimonium illi perhibui? Quomodo dicturus sum non esse illum, quem dixi esse?*

29. *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*) Exemplo de medio sumpto docet, quid inter se, & Christum intersit, tantùm nimirum, quantùm inter sponsum, & amicum sponsi. Christum sponsum esse, se eius esse amicũ. Primo loco exemplũ ipsum declarandum, deinde accommodandum ad Christum, & Ioannem de quibus agitur. Quid est, *qui habet sponsam, sponsus est?* Perinde est ac si dicat, quamuis in nuptijs multi sint, tamen non omnes sponsi sunt; vnus tantùm is, cui sponsa traditur, & in cuius est potestate, sponsus est; ille solus pro sponso honorandus. Cæteri qui nuptijs interfunt, sponsi non sunt, sed aut amici, aut ministri sunt sponsi; qui non ideo ad nuptias venerunt, vt ipsi tanquam sponsi honorentur, sed vt sponsum tanquam inferiores honorent. Quod autem ait, *Stat, & audit eum*, plerique allegorice interpretantur, Augustinus præsertim, Chrysost. Beda, & Theophylact. de quorum sententia postea disseremus. Ego litteralẽ sensum esse arbitror, amicum stare, id est interesse nuptijs, stare, vt persona tua nuptias honoret. sicut stare solent tanquam stato, qui nihil aliud agunt quàm personam repræsentare, stare tanquam spectatorem sponsi, & sponsæ, cæterum sponsam nec attrectare, nec amatorie alloqui, non tantùm audere, non tantum sibi tribuere; quod si faceret, ingens scelus esset. Quod autem sequitur, *audit eum*, bene Theophylact. interpretatur,

audit sponsum cum sponsa amatorie colloquentem, eiúsque vocem audiens vehementer gaudet, hoc est *gaudio gaudet propter vocem sponsi*, quòd videat eum amare sponsam, & ab ea pariter amari. Quòd attinet ad accommodationem exempli, non dubium quin Christum spósum, se amicũ sponsi, id est Christi esse significarit: sponsam nõ indicat, sed haud dubiè Ecclesiam esse intelligit, quam & D. Paulus 2. Cor. 11.2. & Ephes. 5.25.27. Christi sponsam appellat. Quare autem Christus sponsus appelletur, & quænam fuerint eius nuptiæ, apud Matth. cap. 22.2. disputarum à nobis est. Hoc loco illud explicãdum, & est in primis ad intelligendum verum sensum nenessarium; quomodo hoc exemplo Ioannes probet, quod probare debuit, Christum se esse maiorẽ; nec enim si sponsus est, continuò maior est. Sæpe maiores honoris causa minorum nuptijs intersunt. Respondeo hoc vnum Ioannem, quod in quæstione versabatur, probare voluisse, Christum potiùs, quàm se honorandum esse, quia ille sponsus, ipse amicus tantùm sponsi erat, & sponsus est, cui in nuptijs primus tribuitur honos: eius enim honorandi causa ad nuptias cæteri veniunt. Hoc enim erat, quod eius discipulos vrebat, quòd viderent magis Christum, quàm Ioannem præceptorem suum honorari; maioréque ad eum hominum fieri concursus: nunc illis accommodatissimo exemplo errorem eripit. Inde tamen sequitur illum Ioanne esse maiorem, si enim sponsus est, non quomodo vnus homo de cæteris, qui vnam aliquam vxorem duxit, sed quomodo is, qui tanquam omnium hominum dominus totam sibi prius captiuam primùm redemit, deinde desponsit Ecclesiam vngues illi peccatorum radens, quem admodum in veteri lege de muliere captiua desponsenda, si eam captor adamasset, præceptum erat, Deut. 21.12. sequitur eum maiorẽ esse, quàm Ioannem. Quo autem modo Ioannes sponsi, id est Christi vocem dicatur audire, non ita facile. Augustinus, & Beda, vt paulò supra indicabamus, allegorice id interpretantur, quasi vocem Christi, id est eius, non suam doctrinam audiuerit. Non credo ego hoc esse ad Christum, & Ioannem accommodãdum, dictum enim est, quia ita fieri solet, vt sæpe diximus multa in parabolis dici solere. Sed si accommodandum ad Christum, & Ioannem est, certè non verba, sed sensus est accommodandus. Itaque quærendum non est, quæ illa Christi vox sit, quam audiens Ioannes lætatus fuerit. Cum amicus dicitur gaudere *propter vocem sponsi*, non significatur propter solam eius vocem gaudere, ac ne propter vocem quidem, sed propter ea omnia, quibus verus sponsus declaratur, siue verba cum sponsa facta, siue aliæ quæcunque actiones sint, sed vocem pro omnibus, quibus spósus cognosci solet, posuit. Quare Ioannes vocem Christi audiuit non solùm cum loquentem, & Ecclesiam sponsam suam docentem audiuit, sed cum baptizantem, cum miracula facientem, cum alia omnia agentem vidit, quibus se verũ esse Christum, id est sponsum declarabat. Quæ omnia videns tantùm ab est vt cõrabuerit inuidia, vt eius discipuli putare videbantur, vt magnam etiam inde lætitiam animo ceperit. Hoc est, quod dicit, *Hoc ergo gaudium meum impletum est*; id est consecutus sum, quod maximè optabam, vt Christum declaratum viderem, itaque nihil iam mihi gratius potest accidere. Quasi dicat, quod Simeon ille dixit, *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Quærunt Chrysostomus, & Euthymius, cur se Ioannes amicum, potiùs, quàm ministrum appellauerit, cum verè minister fuerit, & nomen mi-

Quomodo Ioannes probet Christum esse maiorem se.

Quomodo Ioannes Christi vocem dicatur audire.

Luc. 2.29. 30.

Universidade do Porto Biblioteca

nistri plus modestiæ, nomen amici plus arrogantiæ præ se ferre videatur: hoc enim ipsum amicum esse sponsi honorificum erat. Respondent quæstionem fuisse de gaudio, verum Christi splendore, ac dignitate gauderet, an doleret. voluisséque probare gaudere se, ideo amicum potiùs, quàm ministrum appellasse, quia gaudere honore sponsi magis proprium amici quam ministri est.

30. *Illum oportet crescere, me autem minui.*) Facilè hæc sententia intelligitur ex superiore. Quandoquidem ille verus sponsus est, ego amicus tantum sponsi, qui sponsam ad illum, id est homines adducebam, quem νυμφαγωγὸν Græci vocant, quandiu quidem sponsam ducebam, antequam sponsus ipse appareret, aliquis fortasse mihi honos debebatur; demonstrato verò, & cognito iam sponso *illum oportet crescere, me autem minus*, id est eius honorem, dignitatémque conuenit crescere, meum decrescere. Antequam Sol appareat, Lucifer quasi prænuntius eius toto maximè cælo splendet; quo magis Sol appropinquat, eò magis obscuratur. Hoc sensu Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Commodè autè Cyrillus adnotauit non esse hoc de vero Christi incremento, veráque Ioannis imminutione, sed de vtriusq; opinione intelligendum. Nam neque Christus re ipsa maior, neque Ioannes minor futurus erat, sed maiorem Christus apud homines opinionem, minorem Ioannes habituros. Non quòd minorem homines de illo existimationem, quàm ante habituri essent; sed quòd de Christo maiorem, cuius comparatione Ioannis opinio etsi re quidem vera non decresceret, tamen decrescere videretur. Sicut à portu soluentibus recedere videtur terra, non quia recedit, sed quia ipsi procedunt. Meliùs fortasse Gregorius homil. 20. in Euangelia, *Qua in re*, inquit, *quærendum est, in quo creuit Christus, in quo imminutus est Ioannes, nisi quod populus Ioannis abstinentiam videns remotum hunc ab hominibus esse conspiciens, eum esse Christum putabat. Christum verò cum publicanis comedentem, inter peccatores ambulantem intuens, eum non Christum, sed esse prophetam credebat. Sed dum per accessum temporis & Christus, qui propheta esse putabatur, Christus est agnitus; & Ioannes, qui Christus esse credebatur, propheta esse innotuit, impletum est quod de Christo suus præcursor prædixit, Illum oportet crescere, me autem minui. In æstimatione quippe populi & Christus creuit, quia agnitus est, quod erat; & Ioannes decreuit, quia cessauit dici, quod non erat.* Augustinus, & Beda duas subtiles quidem interpretationes adhibent, sed allegoricas. Alteram, quasi Ioannes omnium hominum persona loquatur, qui veniēte Deo minuti sunt, quia se peccatores esse cognouerunt, Deus verò creuit, quia eius gloria magis est aucta; *Antequam veniret Dominus Iesus, gloriabantur homines de se; venit ille homo, vt minueretur hominis gloria, & augeretur gloria Dei. Etenim venit ille sine peccato, & inuenit omnes cum peccato.* Alteram, vt ad vtriusque mortem alludatur; Christum enim creuisse, quia à terra in crucem exaltatus est; Ioannem minutum fuisse capite, quia securi percussus. Allegoricum etiam, quod Ambrosius ait libro 2. in cap. 3. Luc. Ioannem Iudæorum, Christum Christianorum personam gerere, sensúmq; esse oportere deinceps Christianum populum crescere, decrescere Iudaicū. Simile quod idem scribit Ambrosius ser. 12. de Natali Domini, & Augustinus libro 83. qq. q. 58. & serm. 36. de sanctis, & Hieronymus in comment. in cap. 4. ad Galatas, Ioannem legem Mosis, vetereſq; prophetias; Christum legem Euangelicam, gratiámque significare, qua crescente illa decreuerint. Magis mirum graues auctores fuisse, qui hūc locum aut de tempore, quo Christus, Ioannésque nati sunt, intelligendum putauerint, aut ad id certè tempus accommodauerint; Christum natū esse media hyeme, cum dies crescere; Ioannem post solstitium æstiuum, cum decrescere incipiunt. Lego hoc apud Chrysostomum, homilia de natiuitate Ioannis Baptistæ, lego apud Ambrosium ser. 12. de Natali Domini. *Verum*, inquit, *ipse quod ait Ioannes Baptista de Domino saluatore dicens, Illum oportet crescere, me autem minui, si quidem hoc postmodum etiam ipsis temporibus approbetur. Ecce enim in natiuitate Christi dies crescit, & Ioannis natiuitate decrescit. Illo oriente lux proficit; hoc nascente minuitur. Ipse enim quodammodo tempora simulantia partibus suis cum decrementum faciunt, seruus gignitur, cum autem Dominus nascitur, consequuntur augmentum.* Lego apud Augustinum ser. 21. de sanctis, & in libro 83. qq. q. 58. *Ioannes ipse, Illum inquit oportet crescere, me autem minui. Quod & diebus quibus nati sunt, & mortibus, quibus passi sunt, figuratum est. Nascitur namque Ioannes, ex quo dies incipiunt minui; nascitur Dominus, ex quo dies incipiunt crescere. Capite ille minuitur, dum occiditur, hic verò attollitur in cruce.* Ingeniosè hæc dicta sunt, sed intelligat lector dicta concionatoriè, quemadmodum & ipsum ad populum concionantem dicere non prohibeo, modò moneat illum, quem ex Gregorio adduximus, verum esse sensum.

31. *Qui desursum venit, super omnes est.*) Reddit Ioannes causam, quam ob rem illum oporteat crescere, se autem minui, quia ille de cælo, ipse de terra est. Causam autem reddit plus etiam probantem, quàm erat necessarium. Non enim solùm probat Christum maiorem esse se; sed etiam maiorem omnibus. Est enim de cælo; itaque origo eius, & nobilitas postulat, vt nó solùm supra me, sed supra omnes etiam homines honoretur. Quid sit de sursum esse, nemo meliùs, quàm Cyrillus Alexandrinus explicat, non solùm quòd vt homo de Spiritu sancto conceptus fuerit, vt alij nonnulli interpretes intelligunt, aut de cælo, cælestíve natura, atque præcellenti, vt Arriani interpretabantur, sed quòd ex Patris substantia sit. De sursum enim esse in scriptura sacra hoc significare esse ex Deo, vt Iacob. 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum.* Et verò manifestū hoc loco est Christum omnibus alijs tāquam Deum hominibus, tanquam creatorem creaturis opponi. Si enim de sursum venire nihil significat maius, quàm de cælo descendere, cur de solo Christo, vt Cyrillus argumentatur, tanquam singulare quiddam, & proprium dictum est, quòd de sursum venerit, cùm sæpe angeli de cælo descendant? Quod autem dicit, *super omnes est*, ὑπεράνω πάντων ἐστὶν, idem Cyrillus, & Ammonius presbyter de omnibus generaliter rebus intelligunt supra omnia, id est supra omnes creaturas esse, itaque esse creatorem. Quod etsi vera sententia est, tamen si germanum huius loci sensum spectemus, magis Augustini, Chrysostomi, Theophylact. & Euthymij interpretationem probo, vt de solis intelligatur hominibus. Nam etsi omnibus creaturis infinito discrimine maior est, tamen cum solis hic hominibus comparabatur. Quin Beda ad solum restringit Ioannem supra omnes, id est supra me. Sed nimis eneruat vim generalis sententiæ. At quid est Christum supra omnes homines esse? Chrysostomus, & Euthymius, in hunc sensum exponunt, *super omnes est*, id est omnium dignissimus est fide, non indiget meo, aut cuiusquam testimonio. *Ego*, inquit, *non ab homine testimonium accipio.* cap. 5. 34. Potiùs de dignitate, & honore loqui videtur Ioannes, *super omnes est*, id est maior est omnibus, maioréq; honore dignus.

Trall. 14. Auguſt.

Diuerſitas lectionis.

De hac

De hac enim re sermo erat, *Illum oportet crescere, me autem minui.*

Qui est de terra, de terra est.) Non est, vt videtur tautologia. Nam priore loco, *esse de terra* est originem è terra ducere, posteriore ex terra constare, terrenum esse, vt Augustinus exponit. Legit enim, *qui de terra est terra est.* Quemadmodum supra ver. 6. dixit Christus, *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Ergo priore loco præpositio *in de*, significat originem, posteriore materiam. Quid igitur? inquit Chrysostomus, an Ioannes animam non habebat, quæ de terra non erat? Respondet habuisse; sed ikhuc de terra esse, nihil aliud significare, quàm humilem, & abiectum esse. At non videtur spectasse Ioannes nisi primam hominis originem, quæ ex limo terræ fuit, Genes. 2. 7. quemadmodum Diuus Paulus 1. Corinth. 15. 47. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*, vt rectè Rupertus interpretatur. Sensus denique est qualem quisque originem, talem naturam; & qualem naturam, talem sermonē habet. Qui ex terra habet originem, terrestrem naturam habet, & terrena loquitur, qui cælestem, cælestia. Quid ergo an Ioannes cælestia non loquebatur? Vtique, nam eius baptismum, atque doctrinā cælestem fuisse indicat Christus Matthæi 21. 25. & Pharisæi cùm Ioannis consiliū despexerunt, dicuntur Dei spreuisse consilium, Lucæ 7. 30. & supra cap. 1. 6. dicitur à Deo missus fuisse, & versu 33. *Ego*, inquit, *nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit*, Itaque Ioannis etiam testimonium, diuinum erat. Respondent Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius cælestia quidem locutum Ioannem, sed illa ipsa cælestia, si cum ijs, quæ Christus locutus est, comparentur, fuisse terrena. Meliùs Augustinus, & Beda Ioannem quidem, & cæteros omnes natura sua non nisi terrena loqui, diuina tamen gratia aliquando loqui cælestia, probabilius, inquam, hoc est, quàm illud Chrysostomi, quod modò diximus. Nam eadem verba à Ioanne dicta, terrena, à Christo, cælestia erant. non comparatione rerum, sed origine diuersa personarum. Eodem tēdit quod Cyrillus dicit, ea quæ dicebat Ioannes, quamuis per se cælestia essent, quatenus ab homine terreno dicebātur, fuisse terrena, quia vim homo non habebat ea in animis hominum imprimendi. Eadem verò à Christo dicta fuisse cælestia, quia tanquam Deus vnà cum verbis diuinam quandam in animis virtutem ingenerabat. Origenes verò in Græca Catena interpretatur prophetas quidem locutos esse cælestia non sua, sed aliena persona, id est Dei, propterea solitos dicere, *Hæc dicit Dominus*, &, *factum est verbum Domini ad me*; non sicut Christus dicebat, *Ego autem dico vobis.*

32. *Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur.*) Quia desursum est, vt supra dixerat, id est de cælo propterea quam de rebus cælestibus, atque diuinis loquitur, tanquam de rebus sibi familiaribus, & domesticis loquitur, quas sæpe vidit, sæpe audiuit; hoc est, *quod vidit, & audiuit.* Itaque necessaria non est illa Augustini disputatio, quomodo viderit, nihil enim aliud est videre, audíſséque, quàm res diuinas tanquam sibi domesticas, quasque sæpe tractauerit, cognitas habere. Nec enim verus sensus visus, & auditus, vt Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius honorarunt, significatur; sed quia homines, quæ audiunt simul, ac visu norunt, ea maximè, certíſſimèque retinent, eos duos sensus Christo, quatenus Deus est, tribuit. Si quis in verbis hærere volet, ad hunc etiam modū interpretari potetit, vidisse Christum, quæ loquebatur, non sensu, vt Chrysostomus modo, sed natura sua, sicut Deus dicitur videre omnia, audisse autem à Patre, quia & scientiam, & omnia prorsus, quæ habet, vna cum natura accepit à Patre; accipere est audire. Nam & Latine accipere pro audire sæpe dicimus. Hoc enim sensu dicere solet Christus, *Ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo*, infra c. 8. 2. 6. &, *omnia quæcunque audiui à Patre meo, noui facio vobis*, c. 15. 15. & c. 7. 16. *mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris*; & c. 14. 24. *sermonem quem audistis, non est meus sed eius, qui misit me, Patris.* Eadem sententia dixit supra cap. 1. 18. *vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Esse enim *in sinu Patris* est vidisse, & audisse quæ loquebatur. Et hoc ipso cap. ver. 11. *quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrū non accipitis*, sicut hoc loco Ioannes addit: *& testimonium eius nemo accipit*, pertinaciā, & incredulitatem hominum, suorum verò maximè discipulorum, vt ait Euthymius, reprehendēs, quòd Christo, id est ipsi Deo loquenti non crederent; sibi verò crederent, qui nihil, nisi quod ab eo accepisset, loqueretur. Quod dicit, *nemo*, hyperbole est, nec enim nemo, sed pauci eius testimonium acceperunt, vt Chrysostomus ait, quod multo magis probo, quā quod Origenes in Græcorum Catena dicit neminem accepisse, quia etsi acceperunt aliqui, tamē nemo eorum vim testimonij eius omnino assecutus est, & quàm quod Augustinus. & Beda dicunt, neminem reproborum accepisse. Nam Petrus quidem, Andreas, Philippus, & Nathanael iam acceperant, cap. 1. 40. 42. 45. 47. & ipse Ioannes statim indicat aliquos eius testimonium accepisse.

33. *Qui autem accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est.*) Occasione superioris sententiæ docet Euangelista reliquo capite, quid consecuti sint, qui Christi testimonium acceperunt, quid, qui non acceperunt. *Qui accepit*, inquit, *testimonium eius, signauit, quia Deus verax est.* Peruersa in hunc locum est hæreticorum interpretatio, qui sic intelligunt, signare credentē, quòd Deus verax sit, quia Spiritus sanctus tanquam arra illi datur, qui eius animum firmet, testimoniúmq; illi reddat, quòd Dei filius sit, veráque credat. Nam etsi id non eo, quo ipsi, sed eo sensu quo D. dicit Paulus, verum est, 2. Cor. 1. 22. & Ephes. 1. 13. tamen illud non est obsignare, sed obsignari. Itaque D. Paulus illo loco non dixit nos obsignare, sed obsignari Spiritu Dei sancto; Ioannes verò hic non dicit eum, qui Christi recipit testimonium, obsignari, sed obsignare: hic obsignat Deum, ille obsignatur à Deo. Sensus ergo est, eum, qui Christi recipit testimonium, eo ipso testari, & quasi adhibito sigillo profiteri Deum esse veracem. Nemo enim credit, nisi quod verum esse putat. Quare qui Christi testimonium credit, verum esse confirmat. & cùm Dei testimonium sit, testatur se credere Dei testimonium verum esse: hoc igitur *signauit, quia Deus verax est.* Quis est, dicet aliquis, qui non credat Deum esse veracem? Nemo, nisi si adeò impius est, qui Deum ipsum esse non credat. Sed hoc interest inter eos, qui Christo credunt, & eos, qui non credunt: quòd illi cum Deum veracem esse credant, id ipsum non solùm generaliter, & vniuerse, vt omnes homines credunt, sed re ipsa &, vt sic dicam, in particulari se credere declarant, cùm id credant, quod re ipsa à Deo dictum est. Hi verò etsi credunt generaliter: tamē dum in particulari Christo nō credunt, ostendunt se quodammodo, ne generaliter quidem credere. Illa quæstio rem magis continet, pro quo nomen Dei ponatur, cùm dicit Ioannes, *signauit, quia Deus verax est.* Potest enim vel ad Patrem, vel ad Christum ipsum referri, si ad Patrem, hic erit sen-

sus, dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ariani vim pervertit interpretatio.

sus, dum credit Christo, testatur se Patri credere, quia quidquid Christus dicit, apud Patrem vidit, ab eóque audiuit, id est accepit. Atque hoc quidem modo, vt Cyrillus auctor est, Ariani interpretabantur. Quæ interpretatio si ipsorum veneno infecta non fuisset, falsa non esset: Christum enim quidquid loquebatur apud Patrem vidisse, ab eóque audiuisse, ipse testatur. cap. 8. 26. & 15. 15. sed nimirum intelligebant Ariani Christum audiuisse à Patre tanquam discipulum à magistro, tanquam creaturam à creatore. Itaque meritò eos Cyrillus magno studio & contentione refellit, probátque Deum hoc loco Christum ipsum appellari. Manifestum enim esse aliquid hic de illo proprium dici, atque singulare, quod de nullo vnquam propheta dictum legimus. Si autem sensus esset, qui recepit testimonium Christi, obsignare, quòd Deus, id est Pater verax est, quia Christus accèperat à Patre; idem de omnibus sanctis prophetis dici potuisse; omnes enim, quæ dicebant à Deo accepisse.

34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.*) Confirmatio est superioris sententiæ. Propterea enim, qui recepit Christi testimonium, obsignat, quia Deus verax est; quia Christus à Deo missus est, & verba Dei loquitur; *mea doctrina*, inquit, *non est mea, sed eius, qui misit me*, cap. 7. 16. Quærit Augustinus, tract. 14. Quid ipsum Ioannem nonne Deus misit? An non ipse dixit, *Qui me misit baptizare in aqua?* & de illo dictum est; *Ecce mitto angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te?* Nonne & ipse verba Dei loquitur, de quo dictum est, quòd sit amplius quam propheta? Si ergo & ipsum Deus misit, & verba Dei loquitur, quomodo ad distinctionem de Christo eum dixisse accipimus, *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur?* Respondet Augustinus ex verbis sequentibus sensum intelligi; Christum missum fuisse accepto non ad mensuram spiritu; alios missos sua quemque secundum mensuram donationis Christi accepta gratia. Melius, vt opinor, Theophylactus auctor licet Augustino minimè comparandus Christum missum fuisse à Deo, sicut radij mittuntur à Sole; itaque eiusdem esse naturæ, & cum loquitur verba Dei, id est sua, & propria loqui; cæteros missos, vt seruos, quibus mandata data sint, vt hoc, aut illud loquerentur. Simile quod Rupertus dicit, quod eius verbis recitabo, *Qui non communi, inquit, more naturæ ex traduce in matris vterum transfusus est, sed à Deo in hunc mundum venit, missus est. Qui non vt ego, & prophetæ omnes ad hoc natus est, vt mitteretur, sed ad hoc missus est, vt nasceretur, hic verba Dei loquitur, id est sic loquitur quomodo Deus.* Res mihi videtur facilis. Solus Christus dicitur missus, non ex vno loco in alium, aut quòd datus illi spiritus sit, quem ante non habuerit, quo sensu prophetæ omnes, & Ioannes missi dicuntur: sed quòd solus de cælo venerit, sicut dixit ver. 31. *Qui desuper venit, super omnes est*; ideo solus verba Dei loquitur, id est nihil loquitur nisi diuinum, quia à Deo processit, & venit in mundum; solus inter eos, qui hactenus locuti sunt verba Dei, quasi sua, quasi propria, quasi Deus locutus est, non per visionem, non per somnium, non per homines, aut angelos accepta, sicut prophetæ loquebantur. Aliter enim Deus per prophetas, aliter per Filium in nouissimis temporibus locutus est, Hebr. 1. 1. vide quæ ver. 31. dicta sunt.

Christus à Patre quo modo missus.

Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.) Christo, nam hominibus quidem ad mensuram dat, 1. Corint. 12. 7. & Ephes. 4. 7. vt Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Ammonius, Euchetius in qq. in Ioannem, Beda, Rupertus, Theophylactus; & Euthymius non solùm exponit, sed etiam legit. *Non enim huic ad mensuram dat Deus spiritum.* Quid sit *ad mensuram*, vel non ad mensuram dare facile ex ipsis habentibus intelligitur. Habere ad mensuram spiritum, est vnum, eundémque hominem non totum habere spiritum, sed cum, vt ait D. Paulus, *alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ.* Habere spiritum non per se, sed per participationem, vt Theologi loquuntur, id est ad mensuram habere; & eo modo dare, est ad mensuram dare. Habere autem per se, ac totum, non participatum spiritum, est illum non ad mensuram habere, & hoc modo dare est non ad mensuram dare. At qui datum habet, quomodo per se, quomodo non participatum, quomodo non ad mensuram habet? Quia non dono, sed natura, non largitione, non distributione, sed generatione datum habet. Per se autem quisque habet, quod natura habet. Vnde sequitur illud, quod Cyrillus tradit, eum, qui spiritum non ad mensuram habet, & alijs dare posse, eos verò, qui ad mensuram habent, dare non posse: obiicientique sibi etiam Apostolos per impositionem manuum Spiritum sanctum solitos dare. Act. 8. 17. 18. & 19. 6. respondet Apostolos non per se, non propria auctoritate tanquam rem suam, sed orando tanquam rem alienam precibus impetratam tradidisse. Necessariam hoc loco interpretes quæstionem prætermittunt, quomodo Ioannes probet Christum verba Dei loqui, ex eo quòd ei non ad mensuram Deus spiritum dederit, hoc enim apparet hac ratione probare voluisse. Sic opinor, qui ad mensuram spiritum habet, non necesse est, vt quidquid loquitur, verbum Dei sit; potest enim aliquando non Dei, sed suo ipsius spiritu loqui, quod sæpe prophetæ faciebant. Qui autem non ad mensuram habet spiritum, cùm non alium spiritum, quàm diuinum habeat, non potest nisi ex spiritu Dei loqui; itaque quidquid loquitur, verbum erit Dei.

Christus à Patre quo modo missus.

35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.*) Hæc verba & ad præcedentem, & ad sequentem sententiam referri possunt. Ad præcedentem Ammonius, Augustinus, Chrysostomus, & Euthymius hoc sensu referunt, vt quoniam missum dixerat Christum, & spiritum illi datum, ne tanquam seruus missus putaretur, declaret fuisse filium, ideóque tantopere dilectum, omniáque in manu eius tradita. Theophylactus contrà, quia Ioannes de Christo tanquam de Deo locutus fuerat, de eodem nunc tanquam de homine loqui. Ad sequentem autem sic, vt quoniam dicturus erat; *qui credit in filium, habet vitam æternam*, causam ante eius rei ponat, *quia Pater diligit Filium.* Melius opinor intelligemus causam reddi, cur non ad mensuram datus sit illi spiritus, quia cùm filius vnicus sit, omnia quæ Pater habet, cum eo communicat. Porro quæ hic dicuntur, alij de Christo tanquam Deo dici putant, vt Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Phœbadius in libro contra Arianos. Vtramque sententiam Cyrillus, & Theophylactus probabilem putant. Si ergo tanquam de Deo dici intelligamus, non fic intelligendum est quod dicitur *Pater diligit Filium*, quasi causa hìc reddatur, cur omnia Pater in manus eius dederit; non enim diligendo, sed generando deillí omnia: sed ita intelligendum, vt illa coniunctio *quì &*, idem valeat quod atque adeo, vt sensus sit, Pater diligit Filium, atque adeo omnia in manus eius tradidit; aut non solùm Pater diligit Filium, sed omnia etiam tradidit in manus eius. Non potest melioribus verbis interpretari, quàm Augustinus

Aduersus Arianos.

Aduersus Arianos.

Adiecit, inquit, *omnia dedit in manu eius; vt nosses & hìc quo distinctione dictum sit, Pater diligit Filium. Quare enim? Pater non diligit Ioannem? Et tamen nõ omnia dedit in manu eius. Pater non diligit Paulum? & tamen non omnia dedit in manu eius. Pater diligit Filium sed quomodo Pater Filium, non quomodo dominus seruum; quomodo vnicum, non quomodo adoptatum. Itaque omnia dedit in manu eius. Quid est omnia vt tantus sit Filius, quantus est Pater. Ad æqualitatem enim sibi genuit eum, cui rapina non esset, in forma Dei esse æqualem Deo. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Ergo cũ ad nos Pater dignatus est mittere Filium, non putemus aliquid minus nobis misisse, quam est Pater. Pater mittens Filium, se alterum misit.* Si de Christo, tanquam homine interpretemur, nec sic quidem proprie amor tanquam causa redditur, cur omnia Pater in manus eius dederit. Non enim prius Pater hominem illum Christum dilexit, deinde omnia illi dedit: sed simul formauit, & Filij personæ coniunxit, simul omnia, quæ habebat, cum eo communicauit, vt exponit Ammonius, postea dilexit. Omnia enim, quæ habebat Pater, & Filius antequam homo fieret, habebat, & cum natura humana sumpsit, omnia cum homine communicauit. Quod autem dicit; *Omnia dedit in manu eius*, quidam sic exponunt; Omnia dedit hominibus per manum eius: non satis, vt mihi videtur, aptè; cum hìc non quid nobis per illum, sed quid illi ipsi Pater dederit, Ioannes agat; alioqui non dixisset, *Pater diligit Filium*; sed Pater diligit nos in Filio; sicut dixit Diuus Paulus, Ephes. 1. 6. *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* Neque dixisset, vt opinor, δέδωκεν, *dedit*, ἔδωκεν dat. Præterquam quòd præter omnium bonorum auctorum opinionem hoc dicitur. Illi ergo dedit, vt tanquam naturalis filius haberet, sed tanquam homini dedit, non solùm vt sibi ipse haberet, sed vt ea hominibus, quibus vellet, & quatenus vellet, distribueret. Propterea fortasse dixit *in manu eius*, id est in eius potestate, vt significaret posse eum, quibus velit, & quatenus velit dare; intelligendumque discipuli, quibuscum loquebatur, quique tantam illi gloriã inuidebant, non posse quenquam, nisi per eum quidquam habere. Sensus igitur est Filium nõ solùm, quia natura sua Deus est, sed etiam, quia Pater voluit, & omne quodammodo ius, quod in homines habebat, in illum transtulit, omnem non solam suam, sed etiã Patris, ac totius Trinitatis habere potestatem, omnium personarum personam gerere, vt possit de hominibus, quidquid velit, facere. Propterea, qui in eum credit, in Deum credere; qui non credit in eum, in Deum non credere: & qui credit in eum, habere vitam æternam; qui autem non credit, non habere; sed iram Dei manere super eum. Eodem sensu, atque eandem ob causam Christus ipse dixit Matthæi 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes*, & Ioãnis 17. 1. 2. *Pater venit hora, clarifica filium tuum; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, & Ioann. 13. 3. *quia omnia dedit ei Pater in manus.*

Qui credit in Filium habet vitam æternam.

36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*) Videtur Ioannes docere his verbis soluisse Filium vnicam esse viam, qua salutem consequi homines possint. Itaque concluso hæc est superioris disputationis. Quia enim Pater tradidit in manus eius, necesse est, vt quisquis vitam æternam, quam solus Deus dare potest, habere velit, de eius accipiat manu. Quod facere non potest, nisi credat. Fides enim est, qua ad Deum peruenimus. Notauit Chrysostomus Ioãnem quamuis cum illis solis suis discipulis loqueretur, qui ægrè ferebãt, quòd Christus baptizaret, & omnes ad eum fluerent, generali tamen vti sententia, qua omnes omnino homines comprehendit; *qui credit in Filium*, quisquis sit, *habet vitam æternam*: quisquis non credit, non habet. Habere autem dicitur vitam æternam qui credit, non habiturus esse, vel quia Christum per fidem habet, qui ipsa per se vita est, quia *in ipso viuimus, & mouemur, & sumus*, vt Cyrillus, & Theophylactus interpretantur, *Viuo*, inquit, *ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*, Galat. 2. 20. Vel quia arrhabonem quodammodo habet vitæ æternæ, sicut Diuus Paulus ait, *spe salui facti sumus*, Roman. 8. 24. & Petrus 1. epistola, cap. 1. 5. *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.* Vel, quod magis credo, verbum illud, *habet*, non actum, sed ius, & potestatem declarat. Quasi dicat, *qui credit in Filium*, ius habet, vt perueniat ad vitam æternam, aut potest habere vitam æternam, quamuis non continuò aut habeat, aut habiturus sit; quemadmodũ cap. 1. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Ita refellitur hæreticorum interpretatio ad hunc modum scribentium in hunc locum. *Porro fruitionem in fide positam esse docet, nec immeritò, quandoquidem per eam possideatur Christus.* Quibus Chrysostomum oppono auctorem haud paulò meliorem sic hoc loco loquentem; *Numquid ergo satis est ad vitam æternã in Filium credere? Minime. Non enim omnis, inquit, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; & peccatum in Spiritum vel solum est satis, vt in infernum detrudat. Et quid de parte doctrinæ loquor? Nam si in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas. Cum ergo dicit, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, nolumus hoc nobis ad salutem satis arbitrari; opus namque nobis est & vitæ, & morum puritate pollere.* Sed hanc hæresim apud Matth. c. 9. 2. refutauimus. Quod sequitur, *qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam*, ideo per futurum, non per præsens tempus dictum est, vt maiorem emphasim haberet; sensus enim est non habebit vitam, id est, neque habere potest, neq; vnquam poterit, quamdiu incredulus est. Eodem pertinet quod obseruauit Cyrillus non dixisse, non habebit, sed *non videbit*, vt significaret non solùm non possessuros, sed ne visuros quidem, aut gustaturos.

Act. 17. 28.

Qui credit in Filium ius habet, vt perueniat ad vitam æternam.

Caluini peruersa expositio refellitur. Hom. 30.

Matt. 7. 21. Matt. 12. 31. 32. Mar. 3. 29. Luc. 12. 10. Inf. 17. 3.

Sed ira Dei.) Adnotarunt Chryso. & Euthym. non dixisse Ioannem, ira Filij, sed *ira Dei manet super eum*, quanquam Filius est, qui iudicaturus est, quò magis, inquiunt, auditores deterreret, qui magis à Patre, quem Deum esse non dubitabant, quàm à Filio, de quo dubitabant, sibi timerent. Iram autem supplicia vocauit, vt Ammonius, & Cyrillus monuerunt.

Inf. 5. 22.

Manet super eum.) Hoc verbum duplicem habet emphasim; alteram Augustinus, alteram Chryso. Theophylactus, & Euthym. obseruarunt. Augustinus quidem significari eo verbo ante iram Dei super omnes homines fuisse, quia omnes erant natura *filij iræ*. Non enim venit, sed manet, quæ prius super illos erat, ira Dei super eosdem, quia credere in filium noluerunt, quæ sola erat via iram Dei à se depellendi. Sic dicit c. 9. 41. *si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Chrysostomus verò, Theophylactus, & Euthymius significari iram Dei non ad tempus, sed perpetuò super eos futuram esse; hoc enim esse manere, stabilem & immotam esse. Non abs re ab alijs notatum est, duplicem hìc damnatorum pœnam designari. Alteram, non habere vitam æternam, quam Theologi pœnam damni; alteram supplicia pati, quam pœnam sensus vocare solent.

Ad Eph. 2. 3.

Duplex damnatorũ pœna, dãni, & sensus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT IIII.

1. *Sup. 3. c. 22.*

VT ergo cognouit Iesus quia audierunt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes, 2. (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) 3. reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam. 4. oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. 6. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. (8. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent.) 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. 10. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. 11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? 12. Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? 13. Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterũ: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternũ: 14. sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam: neque veniam huc haurire. 16. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. 17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: 18. quinque enim viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc verè dixisti. 19. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet. 21. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. 22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. 23. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrẽ in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus.) cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. 26. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. 27. Et continuò venerunt discipuli eius: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? 28. Reliquit ergo hydriã suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: 29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: numquid ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum: 31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. 32. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. 33. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? 34. Dicit eis Iesus: Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius. 35. Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. 36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. 38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. 39. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. 40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius. 42. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est vere Saluator mundi. 43. Post duos autem dies exijt inde: & abijt in Galilæam. 44. Ipse enim Iesus

Cen. 33. d. 19. & 48. d. 22. Ios. 24. g. 32.

Deut. 12. a. 6. 4. Regum 17. g. 41.

2. Cor. 3. d. 17.

Matt. 9. d. 37. Luc. 10. a 2.

Matt. 13. g. 57.

testimonium

testimonium perhibuit quia Propheta in sua patria honorem non habet. 45. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. 47. Hic cum audisset quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. 49. Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus. 50. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. 51. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. 52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. 53. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota. 53. Hoc iterũ secundum signũ fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galilæam.

Mar. 6. a. 4. Luc. 4. c. 24. Matt. 4. b. 12. Mar. 1. b. 14. Luc. 4. c. 14. Sup. 2. a. 9.

IN CAPVT IV.

1. VT ergo cognouit Iesus.) Græca exemplaria legunt κύριος, Dominus, quam lectionem statim sequens nomen Iesus probabilem facit. Nec enim verisimile videtur esse eodem versu bis idem nomen iteratum. Cyrillus hæc cum ver. 26. superioribus capitis iungit, vbi narrauit Euangelista discipulos Ioannis querimoniam ad eum detulisse, quòd Christus baptizaret, omnésque ad eum confluerent; Ioannem inuidiam suorum discipulorum repressisse. Christum verò inuidiam fugisse Pharisæorum, séque in Galilæam recepisse. Quod non ita intelligendum est, quasi statim hoc post illud factum sit. Longum enim inter illam Ioannis concionem, & hunc in Galilæam secessum Christi fuit interuallum. Nam, vt probauimus apud Marcum cap. 1. 14. cum Christus ad vitandam Pharisæorum inuidiam in Galilæam secessit, iam mortuus erat Ioannes. Sed nimirum Euangelista non temporis cõsequentiam, sed rerum similitudinem secutus est. Erant autem res similes discipulorum Ioannis æmulatio, & Pharisæorum inuidia; ideo cum de illa locutus fuisset, de hac loqui cœpit, narraréque, quid ex ea consecutum fuerit, Christum in Galilæam discessisse, iter per Samariam habentem primùm mulierem illam Samaritanam, deinde gentem totam commouisse. Rationes alias, quibus alij quidam hæc cum superiore capite coniungunt, ne referendas quidem iudico; & quia probabiles esse non arbitror, & quia facilè quisque apud alios vulgares auctores leger. Ira Ioannes loquitur quasi Christus ex aliorum audítione cognouerit, quod ipse per se priùs ignorauerit, non quòd non omnia tanquam Deus cognita habuerit, atque perspecta; sed quòd tanquam homo humano more ostendat se ex hominibus scientiam colligere, vt Ammonius, & Cyrillus adnotauerunt.

Quia audierunt Pharisæi.) Indicant Chrysostomus, & Theophylact. id Pharisæos ex discipulis illis Ioannis audiuisse, qui Christum quòd baptizaret, apud magistrum accusauerant. Probabile, sed incertum. Illud obseruandum non dixisse Ioannem Pharisæos vidisse, sed audiuisse, vt indicaret eos non fuisse solos ad Christum venire.

Quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes.) Baptizare Christus dicebatur, cùm non ipse, vt statim declarat Euangelista, sed eius discipuli baptizarent; siue quia nuntij illi, qui id ad Pharisæos detulerunt, vt rei inuidiam augerent, mentiti sunt, dixerúntque ipsummet Christum baptizare, vt Chrysostomus & Theophylact. putant. & Euangelista videtur indicare, cum addit, *quamquam Iesus non baptizaret*, quasi dicat, quamuis ipse non baptizaret, tamen audiuerunt Pharisæi ipsummet baptizare, ideóque ægrè tulerunt; siue quia, quod discipuli aut iubente, aut sciente, & non contradicente magistro faciunt, magister ipse dicitur facere, vt Ammonius exponit; sic enim reprehensum Eli sacerdotem, quasi ipse faceret, quod filios suos facere sciebat, nec prohibebat, 1. Regum 2. 30. siue, vt Augustinus & Beda sentiunt, quia ille ipse baptismus, quem Christi discipuli conferebant, Christi erat, ab eo institutus, ab eo virtutem habẽs, eius datus nomine, & auctoritate. Quod ipsum magis augebat inuidiam. Maioris enim erat auctoritatis per alios tanquam dominum per ministros, quàm per se quasi ministris carentem baptizare; & suo nomine, quàm aut nullo, aut alieno conferre baptismum. Atque hoc ipsum fortasse significare Ioannes voluit, cum adiecit, *quamquam Iesus non baptizaret*. Quasi dicat, quanquam scirent non ipsum Christũ, sed eius discipulos baptizare, tamẽ id ipsum iniquo animo ferebant, & quod minuere eorum odium debere videbatur, quòd non per se, sed per discipulos baptizaret, id augebat. Quærunt quidã eius rei causam, cur Christus ipse non baptizauerit. Caueat lector ne respondeat, quod nonnullos non malos auctores respondere video, ideo non baptizasse Christum, quòd nondum per baptismum daretur spiritus, qui non nisi post resurrectionem datus sit, & non decuisse Christum ipsum per se sine spiritu baptizare. Quam de baptismo ante resurrectionem sententiam etsi magnorum auctorũ fuisse diximus, tamen c. 3. 22. refutauimus. Neque sequẽda Tertulliani sententia est, qui in lib. de baptismo putat tunc discipulos Christi non ipsius Christi, sed Ioannis baptismum contulisse. Meliorem eius rei causam D. Thom. & Lyranus indicant, ideo non ipsum per se, baptizasse Christum, quòd in rebus grauioribus, in docendo, in faciendis miraculis esset occupatus.

Cur Christus ipse nõ baptizauerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic debere præsules Ecclesiæ res grauiores per se minores per alios agere. Sic Apostolos instituisse diaconos, quia non erat *bonum relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, Actor. 6.2. Sic Moysem consilio Iethro soceri sui cum septuaginta duobus senioribus populi partitum fuisse laborem Exod. 18.19. 20. Deut. 1. 13. 15.

3. *Reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.*) Iterum in Galilæam abijsse dicit, quia cap. 1. 43. dixerat, postquam baptizatus esset, & duos sibi discipulos Petrum, & Andream aggregasset, in Galilæam se contulisse. Postea verò narrauerat ex Galilæa in Iudæam redijsse, vt Ierosolymæ diem Paschæ festum celebraret. cap. 2. 13. Hunc versum satis apud Matthæum cap. 1. 14. explicauimus. Duo hîc exponenda, quare Christus ex Iudæa discesserit, & quare in Galilæam potius, quàm alium in locum se contulerit, præsertim cùm illic Herodes dominaretur, qui Ioannem iam occidisset. Vtraque quæstio facilè soluitur. Ex Iudæa discessit, vt Ioannes indicat, vt Pharisæorum furori cederet; nondum enim venerat hora eius; itaque tempus nõ erat eos irritandi, vt Theophylactus, & Euthymius, interpretantur. Quid ergo? an in Galilæa non erant Pharisæi? Erant sanè, sed pauciores, & minùs inuidi, minúsque potentes, quàm in Iudæa, maximéque Ierosolymis, vbi ea potissimùm vt Iosephus ait, secta regnabat. Herodem verò non erat, quòd timeret, cùm non ille sibi inuideret; sed Pharisæi. Ioannem enim non propter doctrinam, sed propter Herodiadem cõcubinam suam occidit Matth. 14. 3. Duplex nobis exemplum, vt notauit Theophylactus, vno facto ediditur, & vt inimicorum cedamus iræ; & vt non temere nos, ac sine vtilitate periculis proponamus. At non poterat Christus Pharisæorum inuidiam cohibere? Poterat, vt Chrysostomus, & Theophylactus notant, sed noluit, vt se verum hominem ostenderet, qui more hominum fugeret. Et si per medium ipsorum, vt alibi fecisse legimus, inuisibilis factus è manibus eorum euasisset, maiore eos inuidia, maiore diuinitatis suæ declaratione inflammasset. Et nondum, vt diximus, tempus erat, vt id faceret.

Pharisæorum secta ierosolymis potès.

4. *Oportebat autem eum transire per Samariam.*) Vt hunc locum lector intelligat, recordetur historiæ, cuius hoc loco admonent Ammonius, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Samaritanos inter Gentiles à Iudæis habitos, quòd Assyriorum essent colonia. Postea enim quàm decem tribus, quarum regia erat Samaria, in captiuitatem ductæ sunt à Salmanasar Assyriorum Rege, Chaldæos ibi, & Assyrios habitatores pro Israelitis collocauit; sed cum à leonibus propter idololatriam vexarentur, misit eò Salmanasar sacerdotem vnum ex ijs, qui inde captiui abducti fuerant, vt religiones procuraret. Quo factum est, vt alia gens alios eodem in loco haberet deos, alióque ritu coleret, & multæ in vnam religionem confunderentur. 4. Reg. 17. 26. 27. 28. Ideo non vtebantur Iudæi Samaritanis, sed eos tanquam Gentiles execrabantur. infra ver. 9. Ideo dicit Christus cum ad prædicandum discipulos mittit, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Matth. 10. 5. Ne igitur videretur Christus & Iudæorum cõsuetudinem, & suum ipsius præceptum violasse, quòd ad Samaritanos Iudæorum hostes quasi transfuga se contulisset, duobus verbis Euangelista id factum excusat. Alterum est, quòd dicit, *Oportebat*, quasi dicat non fecisse Iudæorum odio, aut proditione; sed necessariò, quia non poterat in Galilæam, quo tendebat, peruenire, nisi transiret per Samariam, vt Chrysost. Cyrill. Theophylactus, & Euthymius adnotarunt. Alterum est, quòd non dicit, *oportebat* ire, sed διὰ τοῦ διέρχεσθαι *transire per Samariam*, non vt ibi habitaret, aut diu maneret, sed vt illac iter haberet. Nemo, opinor, nescit Samariam & integræ regionis, & vnius vrbis, quæ in ea regione metropolis erat, nomen esse. Hic igitur, vt ex sequenti versu manifestum est, pro tota regione ponitur.

Samaritanos Iudæi tanquã Gentiles execrabãtur.

5. *Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.*) Omnes docti consentiunt auctore Hieronymo Sichar, & Sichem, aut Sichimam eandem fuisse vrbem. Sed Hieronymus, & alij nonnulli secuti eum Siehar pro Sichem aut corruptè legunt, aut corruptè vrbem dictam existimant; alij vtroque vocatam nomine. Sichem filium fuisse Hemor, à quo Iacob agrum illũ centum emit agnis, de quo Ioannes hic mentionem facit, constat ex Genes. 33. 19. Is autem ipse fuit, qui Dinam filiam Iacob curiosè per vrbem vagantem constuprauit, Genes. 34. 2. Ab eo nomen datum vrbi. Cum Ieroboam à Roboam Rege Iuda decem subduxissent tribus, regiam ibi cõstituit, quòd locus esset, vt ait Hieronymus, vbertimus 3. Regum. 12. 25. quod & Psalm. 59. 8. & 107. 8. significatur, *Diuidam Sichimam, & conualles tabernaculorum dimetiar*, tanquam de loco enim vberrimo id dicit. Locus denique erat multis rebus nobilis, Abrahami peregrinatione, cum primum è patria sua iussu Domini egressus est, Genes. 12. 6. Stupro Dinę, & cæde ciuium in eius sceleris vltionem facta, Genes. 35. 1. ouibus Iacob, quas ibi eius filij pascebant, Genes. 37. 12. ossibus Ioseph ibi sepultis Iosue 24. 32. defectione decem tribuum à duabus reliquis, & nouo regno inibi constituto. 3. Reg. 12. 25. bello Abimelech, à quo euersa, & incensa ea vrbs est, Iud. 9. 49. multisque rebus alijs, quas facilè in scriptura lector inueniet. Quæ vna fuit causa, quamobrem tam accuratè Ioannes locum describeret. Altera, quòd id esset non solùm vtile ad fidem historiæ, sed etiam ad intelligendam sequentem narrationem necessarium. Dicturus enim erat, quomodo mulier illa Samaritana respondisset, *Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum?* ver. 12.

Iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.) Historia est Genes. 48. 22. Hoc autem non erat prædium illud, vt plerique putant, quod iuxta vrbem Sichem emerat Iacob à filijs Hemor centum agnis, Genes. 33. 19. Nam illud Iacob emerat, hoc autem, quod dedit Ioseph, iure belli acquisierat, *Do*, inquit, *tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Itaque potiùs agrum illum, quem centum agnis emerat, cæteris fratribus; illum verò, quem ab hoste bello ceperat, Ioseph dedit; sed quia eodem loco erat, hanc vocat partem illius. Dicit autem se eam tulisse de manu Amorrhæi *in gladio, & arcu* suo; quamuis non ipse, sed filij eius Simeon, & Leui armata familia tulissent cædis propter sororis stuprum ciuibus Sichimis, ipso potiùs inscio, postea verò dolente; quia quòd filij fecerant, ipse fecisse putabatur.

6. *Erat autem ibi fons Iacob.*) Puteus, quem Iacob foderat iuxta Sichimorum vrbem, vt postea mulier declarat ver. 12. Quod quamuis in veteri testamento non legamus, tamen Ioannes indicat vulgo fuisse compertum. Sic enim loquitur mulier quasi nemo dubitaret Iacob putenm illum factum fuisse, & eam opinionem Ioannes confirmat, cùm dicit ibi fuisse agrum, quem Iacob dederat Ioseph filio suo, indicans in eo ipso agro puteum fuisse. Est autem credibile adaquandi gregis causa Iacob eum fecisse puteum, quemadmodum fecit Abraham Genes. 21. 25. & Isaac Genes. 26. 15. 18. Cur autem puteum appellet fontem, quod Augustinus copiosè disputat, vno verbo explicat Euthymius, fontem esse vbicunque aqua manat.

Iesus ergo fatigatus ex itinere.) Quòd Christum fatigatũ dicit, causam tacitè reddit, cur sederit, & iuxta fontem sederit; affert enim secum sitim fatigatio; & indicat sedisse Christum & vt quiesceret, quia lassus erat, & iuxta fontem, vt expectaret, dum veniret aliquis ad hauriendam aquam, qui sibi potum daret. Quòd autẽ addit, *ex itinere*, causam reddit ipsius fatigationis. Fatigatus erat, vt homo: nam vt Deus, infatigabilis erat, qui omnia portabat *verbo virtutis suæ*. Itaque futilis erat Arianorum argutia hoc loco, vt Cyrillus indicat, abutẽtium. Melius hinc Marcionitæ, Valentiniani, & Manichæi à nostris auctoribus refutabantur, qui Christum negabant verum fuisse hominem: ꝙ Irenæus fecit lib. 3. cap. 32. Multa hîc Chrysost. August. & Beda de singulis verbis moraliter disputant, nos nostrum sequimur institutum.

Sedebat sic supra fontem.) Hebraismus, עַל *supra* pro iuxta. Vt, *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus*, id est, iuxta. Quod autem dicit *sic*, οὕτως, multos vexauit interpretes. Chryso. Theophylactus, & Euthymius duobus modis exponunt. Primùm, *sic*, id est prout casus ferebat, deinde *sic* id est humi, sine sede, quasi voluerit Euangelista sedentis habitum repræsentare, quod ego nullo modo probo. Nec enim Ioannes histrionis, sed Euangelistæ, ciúsque non loquentis, sed scribentis personam agebat: quo modo non poterat habitu suo sedentis habitum exprimere. Alij referunt ad verbum *fatigatus*, quasi sensus sit, *sedebat sic*, id est modo, habitúque hominis fatigati. Ego illatiuam, aut causalem particulã esse arbitror, quo sensu etiam apud Ciceronem poni Latinè dictionem *sic* nonnulli Grammatici notarunt. *Sic*, inquit, *vt simul virtutes, continentia, grauitatis, iustitiæ, fidei adgerunt.* Eodem enim modo Hispani, Itali, Galli, quorum lingua ex Latina manauit, loqui solẽt, Venit fessus de via, & ita sedit, id est propterea sedit, aut, sedit ergo. Sed Latini frequentiùs dicunt. Itaq; hoc ipsum Hebræorũ est idioma בן pro עלכן ita, pro itaque, aut ita, pro propterea. Cuius Hebraismi exẽpla hæc obseruaui Psal. 60. 9. בן אזמרה שמך לעד *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi*, id est, ergo psalmum dicam, aut, itaque psalmũ dicam, aut, propterea psalmũ dicam nomini tuo. Simile quiddam apud hunc ipsum Euangelistam. c. 8. 59. in nonnullis græcis exemplaribus; & Act. 20. 11. & 28. 14. Quanquam his tribus posterioribus locis potiùs videtur dictio ὧδε posita esse pro ἐκεῖθεν postea.

Hora autem erat quasi sexta.) Meridiana. Sæpe enim monuimus in duodecim horas diuisum fuisse diem, itaque sextam fuisse meridianam. Designauit autem tempus Euãgelista, vt causam tacitè aliam redderet fatigationis, & sitis Christi. Non solùm enim propter confectum iter pedibus, sed etiam quia meridies iam erat, totóque matutino tempore pedibus iter faciens nondum cibum sumpserat, & Solis iam ardor vigebat, lassus erat, vt Cyrillus, Ammonius, Theophyl. & Euthym. adnotarunt. Illud quodque obseruantes cantẽ Euangelistam non dixisse horam fuisse sextam, sed quasi sextam, vt indicaret se summam habuisse curam veritatis, nosq; doceret etiam in rebus minimis eandem cautionem adhibere. Probè est ingenij dubiè dicere, quæ sunt dubia.

7. *Venit mulier de Samaria haurire aquam.*) Venit mulier Samaritana. Samaria enim hoc loco, sicut & supra ver. 4. non vrbis, sed totius regionis nomẽ est. Nec venit mulier ex vrbe Samaria, quæ longiùs aberat; sed ex vrbe Sichem, aut Sichar, quæ proxima erat, vt ver. 5. dictum est. Quid ergo necesse erat, vt Euangelista notaret mulierẽ Samaritanam fuisse? Vt causam, & originem indicaret futuri colloquij inter ipsam, & Christum, quod inde natum est, quòd Christus Iudæus cùm esset, aquam ab illa, cum esset Samaritana, petiuisset. Simul fortasse vt Christum obiter excusaret, quòd cum muliere Samaritana locutus fuisset. Nec enim id factum fuisse culpa sua; sed partim quidem casu, partim verò necessitate. Casu, quòd mulier ipsa à Christo non quæsita, fortè de more venerit ad aquam hauriendam. Hanc enim vim habet verbum illud *venit*, vt acutè Theophylactus vidit.

8. *Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.*) Non satis apparet, cuius rei causam reddat particula illa *enim*. Itaque nonnulli pro aduersatiua positam putauerunt, quasi dixerit, Discipuli autem eius abierant in ciuitatem. Et quidem sæpe γὰρ pro δὲ poni, id est *enim* pro autẽ, exempla sunt frequentissima: sed hoc loco proprietatem suam mihi posse videtur retinere. Primùm causa reddi potest, cur ipse per se Christus aquam à muliere petiuisset. Si enim discipuli affuissent, illi vtique aut hausissent, aut pro illo à muliere postulassent. Petiuit ergo per se ipse, quia discipuli abierant in ciuitatem. Potest deinde reddi tacitè ratio, cur Christus solus cum sola muliere locutus fuerit, quod postea admirati discipuli dicuntur ver. 27. Propterea enim locutus cum illa solus est, quia vna ex parte vrgebat sitis, ex alia discipuli in ciuitatem abierant. Quamquam boni auctores Christum non vere sitiuisse putant, sed sitim simulasse, vt sermonis ansam mulieri porrigeret, Maximus hom. 1. de eleemosyna, siue Ambrosius is est. Hîc etiam Chrysostomus, & Euthym. quærunt, quare Christus omnes prorsus discipulos aut miserit ipse in ciuitatem, aut abire permiserit, cur non aliquem apud se retinuerit, ne solus omnino remaneret. Respondent id Christum simul, & Apostolos humilitate fecisse; illum, quòd natura humilis esset, neque ægre ferret sine comite esse; hos, quòd Christi moribus essent assueti, ideóque solùm reliquerint. Credibile etiam est voluisse omnes eiusdem laboris participes esse, certatimque in vrbem festinasse, vt Domino, quæ necessaria erant, emerent, ac portarent. Notant ijdem auctores, atque Theophylactus adeo pauperem fuisse Christum, vt viaticum nullum secum ferret.

Christus viaticum nullum secum ferebat.

9. *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, & mulier Samaritana.*) Quærunt Ammonius, Chrysostomus, Theophylact. & Euthym. quomodo mulier illa cognouerit Christum esse Iudæum: respondent, aut ex habitu, aut ex sermone facilè cognoscere potuisse. Valde id vero simile est; cùm enim Samaritani origine Chaldæi essent, est credibile & habitum, & sermonem diuersum habuisse, sicut diuersam habebant religionem. Nam & Galilæi cùm eiusdem essent gentis, atque religionis, linguæ tamen aliquo discrimine à Iudæis dignoscebantur. *Verè tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit*, inquiunt Iudæi illi, Matth. 26. 73. Quin singulas, aut aliquas certè tribus proprium aliquod, quo facilè dignoscerentur, idioma habuisse ex illa historia colligitur, quæ Iud. 12. 6. legitur, vbi tot Ephratæi occisi sunt, quòd litteram vnam ש. more cæterorum Iudæorum pronuntiare non possent.

Singularum tribuum proprium idioma.

Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.) Non vtuntur, non habent consuetudinem Iudæi cum Samaritanis. Noster interpres, licet minùs Latino vo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cabulo, exprimere tamen voluit vim præpositionis Græcæ, ὁ γὰρ συγχρῶνται non coutuntur, ad verbũ, quod significat non fuisse inter Iudæos, & Samaritanos vitro, citroque consuetudinem, atque cõmercium. Dubium cuius hæc verba sint, mulierisne Samaritanæ, quæ hoc tunc dixerit, vt sententiæ, suę rationem redderet; an Euãgelistę causam afferẽtis, quare mulier dixerit, *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis?* Theodorus Mopsuest. in Græca Catena, Chrysostomus, Theophylact. mulieris verba esse putant. Rupertus solus, quãtum equidem memini, Euangelistæ tribuit. Et est quidem vtrumque probabile; sed illud prius aliquanto probabilius, & quia plures habet auctores, & quia Euangelista potius dixisset ὁ συγχρῶνται, non coũtebantur, quàm *non coũuntur Iudæi Samaritanis*. Cur autem non vterentur, ratio est nota, quia, vt exposuimus ver. 4. Samaritani, quia origine Chaldæi erant, pro Gentilibus, à Iudæis habebantur, & non habebant commercium Iudæi cum Gentilibus, ne ab illis contaminarentur. Prohibuerat enim Deus Deut. 7. 2. ne cum illis inirent fœdus. Eo etiam maiore Iudæi odio Samaritanos prosequebãtur, quòd cum Iudæi non essent, veram se Iudæorum religionem habere contenderent. Quemadmodum nunc qui verè Catholici sunt maiore odio Caluinistas, cæterósque omnes hæreticos, quam Gentiles prosequuntur; quòd illi magis supplicio, hi magis comiseratione digni sint. Maximè verò Iudæi à communicatione cibi, & potus cum Gentilibus abhorrebãt, quòd ea potissimum re pollui se putarent. Nam à colloquio quidem cum illis non abstinebant, in rebus præsertim necessarijs. Quod adeo insitum in animis eorũ erat, vt vix etiã à factis iam ex Iudæis Christianis posset auelli. Christiani enim erant, qui Petrum reprehendẽtes, dicebant: *Quare introisti ad viros præputiũ habentes, & manducasti cum illis?* Act. 11. 3. Eademque de re Petrus est à Paulo reprehẽsus, quòd *prius quam venirent quidam à Iacobo, cum Gẽtilibus edebat; cùm autẽ venissent, subtrahebat, & segregabat se timens eos qui ex circũcisione erãt*, ad Gal. 2. 12. Propterea non dicit mulier, *Quomodo tu Iudæus cum sis*, mecum loqueris; sed *bibere à me poscis?* Existimabant Iudæi, vt D. Augustin. adnotauit, omnia vasa Gentilium immunda esse, quia multas sæpe res immundas attingebant, ideo ea tangere non poterant. Non poterat autem Christus nõ bibere ex amphora, qua mulier illa Samaritana aquam hauriebat, cùm aliud ipse vas non haberet. Propterea mulier mirabatur, quòd bibere à se petat. Recte etiam ex traditionibus traditionibus notatum à quibusdã est licuisse quidem Iudæis à Samaritanis, sicut & à Gentilibus cibum, & potum emere; dono autem accipere non licuisse: quòd hoc esset non solùm consuetudinem, sed etiam amicitiam cum illis alere, ideo dicit *bibere à me poscis*. Commodè etiam Chrysost. & Theophylact. adnotauerunt Samaritanis quidem licuisse agere, cibúmque capere cum Iudæis, Iudæis verò cum Samaritanis non licuisse. Propterea mulierem non respondisse, non possum, aut non licet mihi tibi dare; sed *quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis?* quasi dicat, non licet tibi, aut petere, aut accipere. Itaque non recusasse illi tanquam inimico potum dare; sed propriæ eum legis admonuisse, videret num sibi liceret petere; nam si quidem liceret, libenter daturam esse, vt Theodorus Mopsuestiẽsis obseruauit. Etsi mihi potiùs videtur quasi Iudæorũ, vt putabat, superstitionem irridens hoc Christum interrogasse. *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis?* Vtinã tam diligenter Catholici nunc hæreticorum consuetudinem euitarent, quàm Iudæi Samaritanorum consortium etiam in rebus nihili fugiebant. Certè periculosius est cum hæreticis, quàm cum Samaritanis, quàm cum Gentilibus, aut Mahumetanis agere. *Sermo* enim *eorum vt cancer serpit*. Et circumeunt mare, & aridam vt faciant vnũ proselytum, vt cùm factus fuerit, faciant illum filium gehẽnæ duplo, quàm se. Quærit etiã Chrysost. cur Christus contrà Iudæorum legem, aut traditionem potum à Samaritana petierit. Respõdet exẽplo docere voluisse, non esse iam illas Iudæorũ traditiones obseruandas. Alij scripsisse eum mulierem sibi non daturam esse: quod nõ probo: quin existimo re ipsa potum Christo dedisse, illúmque bibisse; certè obtulisse, quãuis id Euangelista, dum Christi cum illa colloquium recitat, silentio prætermiserit. Sunt etiam qui putent, in quibus Ambros. ser. 30. Beda. Maximus, Euthym. & grauis iudicij auctor D. Thom. Christum non petiuisse aquam illam, quam mulier intellexit, putet, sed spiritualem aquam, quam sciebat illam sibi dare non posse; petiuisse tamen, vt ansam præberet de aqua loquendi, quam ipse daturus esset. Sciuisse Christum quid mulier responsura esset, voluisseq; aquam ab ea propterea petere, vt de aqua spirituali postea loqueretur, dubitari non potest; nihil enim, cùm Deus esset, faciebat casu. An autem ea tantùm de causa petierit simulans se sitire, veréque velle bibere, an re ipsa sitiens petierit, vt biberet, dubium esse potest, probabileq; vtrumque est; sed hoc mihi probabilius, verè sitiuisse, verèque bibere voluisse, eáque ratione petiuisse aquã. Id enim Euangelista, vt supra diximus, significauit ver. 6. cùm dixit fatigatum fuisse, iuxta fontem sedisse, horámque fuisse circiter sextam.

Samarita ni origine Chaldæi.

A Samaritanis do no cibum accipere Iudæi nõ licebat.

Tract. 15.

10. *Si scires donũ Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere.*) Donum Dei intelligunt Augu. Rupertus, Beda, & Strabus, Latinique fere omnes Spiritum sanctum, quem postea *aquam viuam* vocari putant, & aquæ illi opponi, de qua mulier Christum loqui intelligebat; vt ait c. 7. 38. 39. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autẽ dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, Chrysost. Cyrill. Theoph. Euthym. generaliter intelligunt *donum Dei*, id est quidquid Deus potest, aut solet dare; vt donum Dei dono hominis, id est aquæ, quam mulier illi donare poterat, opponat. Alij se ipsum *donum Dei* vocasse putant, quasi dixerit, si scires quantum hominibus donũ præstiterit Deus, quòd me ad eos miserit, & quis ego sim, qui ab eo missus sum, ac tecum loquor, tu aliam à me aquam postulares. Quo sensu interpretatur Ammonius. Magis accommodatè ad filum orationis mihi videntur interpretari, qui hoc ipsum *donum Dei* vocari existimant, quòd tam commoda illi mulieri occasio salutis oblata fuisset, vt Christum ad fontem inuenisset, à quo meliorem, magisque salutarem aquam, quàm ex illo fonte, quem tantoperè laudabat, haurire posset, sed auctorem eius sententiæ satis grauem neminem inuenio. Ego si vera, vt ego quidem existimo, hæc est sententia, quod sequitur, *Et quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere*, per exegesin dictum esse putandum est; idem enim est, *si scires donum Dei*, & si scires, *quis est qui dicit tibi, da mihi bibere*; sed hoc illius explicatio est. Quod autem dicit, *si scires, quis est*, alluſio est ad id, quod mulier dixerat, *Quomodo tu Iudæus cum sis*, sic enim Iudæum Christum appellauerat, vt nihil supra esse putaret; Christus igitur ait, si scires me non solùm Iudæum, sed Regem etiam, & Deum Iudæorum esse.

Tu forsitan perisses ab eo.) Bibere, sicut ego à te petius, & dedisset tibi aquam, non qualẽ à te ipse popos-

sit, manam, id est viuificantem, aut vitam in se habentem; Spiritum sanctum, qui aqua est non mortua, vt ista, quam ego à te postulaui, sed viua, sicut homo dicitur hostia viuens, quia hostia est oblata Deo, nõ mortua, quales Deo offerri consueuerant, sed viua, & rationabilis, Rom. 12. 1. & lapis viuus, quia est metaphoricè lapis Ecclesiastici ædificij, & non emortuus, qualis esse solent qui in alijs ponuntur ædificijs, sed viuus, & animatus. 1. Petri 2. 5. Sic interpretantur Beda, & Rupertus in comm. estque meo iudicio vera sentẽtia. Nam & c. 7. 38. 39. ipsum Spiritum sanctum aquam viuam appellat. Alij gratiam Spiritus sancti aquam vocari putant, vt Cyrill. Irenæus lib. 3. c. 19. Chrysost. in Catena Græcorum citatus, & Theodoret. & in Psal. 1. & 64. Basi. in Psal. 45. Theophyl. & Euthym. siue quòd animos lauet, ac purget, quamobrem & per aquam baptismi significatur, vt quidam volunt; siue quia non est stagnans, & veluti mortua, atque immobilis, sed vt ait Theophyl. ἀναπηδῶσαν ἀναπαυτικὸν, κινούμενον, ὃ γὰρ χέεται τὸ πνεῦμα ἀδιάλειπτον πρὸς τὸ ἀλλᾶσθαι τινὰ λόγῳ ἐκχυθῆναι ἀεὶ διαλείβομενον. *Aquam*, inquit, *dicit Spiritus sancti gratiam scaturientem, exilientem. Nam gratia spiritus efficit, aut anima semper ad bonum mouetur, nouos semper dispensens gradus, quibus ascendat.* Alij doctrinam Euangelicam aquam hìc vocari dicunt, viuam verò quia *viuus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Ita interpretantur Ammonius, & Euthymius, & Theodoretus in Psal. 1. Alij baptismi aquam intelligunt, quam qui semel bibit, non sitit iterum, quia qui semel baptizatus est, iterum baptizari non potest, vt exponunt Cyprianus epistola quadam ad Cecilium, & Ambros. aut Maximus in serm. de Eleemosynis, & August. serm. de tempore. 92. & Prosper lib. 1. de promissionc. c. 39. Inuenio qui *aquam viuam* Christum ipsum interpretantur, vt Mar. Victorin. lib. 1. aduersus Arium. Probat enim ex hoc loco Christum esse Deum, quia vita aut aqua viua est; & Procop. in cap. 7. Isai. & Maximus in hom. 2. de Eleemosynis. Quod dicit ὑπόστασιν, Græcè est, οὐ δὲ ὕπαρξις ἐστὶν. tu petere ab eo potuisses. Sed rectè noster interpres sensum expressit. Significatur autem facultas liberi arbitrij, qua poterat mulier aquam petere, vel non petere, si vellet.

11. *Domine neque in quo haurias, habes.*) Notant Chrysost. Euthymius, & Theophyl. aliquantum iam ex verbis Christi mulierẽ illam profecisse; non enim vulgari verbo, sed dominum appellasse; cognouisse enim ex eius sermone, pollicitationéque non vulgarem esse hominem, qui tam asseueranter dixisset, *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere*. Apparet tamen, vt aiunt Cyrillus, & Augu. adhuc esse carnalem. *Aquam* enim *viuam*, quam pollicitus erat Christus, non aliam quàm illam ipsam intellexerat, quam ex illo puteo ipsa hauriebat, aut aliam certè generis eiusdem, quam aquam viuam, id est scaturientem Christus appellasset. Propterea dicit, *Nec in quo haurias habes, & puteus altus est*. Putant, vt notat Cyrillus, magnum fortassis esse, qui occulta aliqua arte aquam ex alto puteo, sine vllo instrumento haurire posset. Ideo explorat quanam ratione id facturus sit. Repræsentat nobis hæc mulier animalem hominem, qui *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, sed omnia carnaliter intelligit; maximè verò hæreticos, qui toti in sensus suos defixi sunt, & quidquid altius est, magicum putant.

12. *Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteũ, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?*) Id est hunc puteum, quem vides tam magnum, tam altum, tam abundantem aquis, vt non solùm ipse, totáque eius familia, sed omnia etiam eius pecora biberint; aut tam bonæ aquæ, vt ipse, & filij eius ex ea biberint; itaque meliorem tu dare non poteris, vt Chrysost. Theophyl. & Euthy. exponunt. Iacob patrem nostrum, id est suum, & Christi, omniúmque Iudæorum; aut nostrum, id est Samaritanorum vocat, indicans etiam se, omnésque Samaritanos esse Iudæos, siue quia quãuis Chaldæi essent, tamẽ quia mixti cum Iudæis fuerant, pro Iudæis sese ferebant, & Iacobi genere gloriabãtur, vt Chrysost. Euthym. & Theophyl. interpretantur: siue quia eius se religionem sequi putabant, patrem etiam suum appellabant, vt Cyrillus existimat; quemadmodũ si Caluinistæ nunc veteres auctores, atque doctores Ecclesiasticos patres vocent, quòd eorũ se doctrinam sequi mentiantur. Quanquam hoc Samaritanis arrogantiores sunt, vt nec eos patres, neque sanctos, nec vllo prorsus honorifico titulo vocare velint. Quare ostendunt se eorum non esse filios, mentirique, cùm se illorum doctrinam sequi iactant. Duobus modis mulier intellexerat Christum sibi aquam dare posse: aut ex eodem haustã puteo, quod supra, vt sibi visa est, refutauerat dicens, *Nec in quo hauriat, habes, & puteus altus est*; aut ex alio quopiã, quem in eodem loco repente fodisset, quod nunc refellit dicens, *Numquid tu maior es patre nostro Iacob?* quasi dicat, non poteris alium hìc puteum repente fodere, nisi maior sis patre nostro Iacob; atqui vt quamlibet magnus sis, maior certè illo esse non pores, non ergo aquam mihi viuam ista ratione dare poteris.

Caluinistæ Samaritanis arrogantiores.

13. *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterũ; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, nõ sitiet in æternum.*) Rectè Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius obseruauerunt Christum noluisse verbis ad id, quod mulier interrogauerat, respondere, *Numquid tu maior es patre nostro Iacob?* ne arrogans esse videretur, qui se Iacob maiorem faceret; quod quidem mulier, quę nondum Deum esse sciebat, absurdum, atque temerarium esse putauisset; re tamen ipsa respondisse docentem, quid inter aquam illam quam dedit Iacob, & eam, quam ipse daturus erat, interesset; se multo meliorem aquam, quàm illam Iacob daturum esse; itaque si propter aquam, quam dederat, tantum putabat fuisse Iacob, multo maiorem se esse existimare debere, qui multo meliorem aquam daturus esset. *Tu autem quæso*, inquit Chrysostomus, *Dei sapientiam consideres; quam leniter mulierem allicit. Non à principio dixit, si scires quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; sed postquam occasionem illa præbuit, vt ipsum Iudæum appellaret, & criminaretur, hoc proposuit, inquit, si scires quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, quibus verbis iam ad maiora impulit, vt patriarchæ meminerit. Nunquid tu maior es patre nostro Iacob?* Quomodo qui biberit ex aqua illa, quam mulier intelligebat, sitiat iterum, facilè, vt inquit Augustinus, intelligitur. *Et verum* inquit, *est secundum hanc aquam; & verum est secundum quod significat illa aqua. Etenim aqua in puteo voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa. Hinc eam hauriunt homines lyddria cupiditatum. Cupiditatem quippe proni summittunt, vt ad voluptatem hauriam de profundo perueniant, & fruantur voluptate præcedente, & præmissa cupiditate. Numquid non iterum sitiet? Ergo de hac aqua qui biberit, rerum. inquit, sitiet.* Quo autem modo, qui biberit ex aqua, quam Christus promittit, non sitiat iterum, ipse declarat. Vide sequentem versum vbi hìc explicatur.

Homi. 31.

14. *Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*) Propterea, *non sitiet in æternum*, quia *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est vsque ad vitam æternam, vsque ad cælum. Quis enim sitiat, qui fontem in visceribus habeat tam altè saliẽtem? Metaphora est à fontibus sumpta altè aquam eiaculantibus; quod propter ingentem copiam, & scaturiginem aquæ fieri solet. Sic enim qui Spiritum sanctum in se habet, fontem habet vsque ad cælum salientem, hoc est in vitam æternam, quæ in cælo nobis proposita est. Loquitur autem de aqua tanquam de planta, aut semine aliquo, quod iactum in terra nascatur. Sic enim illâ aquam fieri in nobis fontem salientem in vitam æternam. Videndum quid sit iterum sitire, vel non sitire ampliùs in æternum. Qui putant sitire esse bona temporalia, aut carnales voluptates iterum cõcupiscere, nimium videntur allegorici. Sitire ergo iterum propriè sumitur pro appetitu potus, quem Philosophi appetitum humidi, & frigidi diffiniunt; sicut aqua, quam qui bibit, iterum sitit, sumitur propriè. Non sitire autem in æternum metaphoricè, non propriè dictum est, sicut Spiritus sanctus non propriè, sed metaphoricè aqua vocatur. Est autem non sitire in æternum, non esse opus illi, qui semel bibit eadem spirituali, quam bibit aqua; semel enim potam satis esse vsque in æternum. Nec enim consumi, aut per vrinas, & sudores excerni sicut aquam istam, quam bibimus elementarem; sed incorruptibilem, immortalem, & inexhaustam esse, quæ perpetuò sitim sedet, id est per se ad vitam æternam sufficientem esse, nec vllum aliud adiumentum desiderare, quod est sitire, nisi fortè, qui eam biberit, euomat. Euomit autem, quisquis peccat, eiiciens à se Spiritum sanctum. Sola ergo natura, & vis vtriusque aquæ corporalis, & spiritualis declaratur, quòd illa natura sua consumatur, corrumpatúrque: Immo nisi consumatur, nisi concoquatur, nisi digeratur, minimè prosit: hæc contrà natura sua neque corrumpi, neque digeri possit, ideóque semel potam in æternum satis esse, & qui eam biberit, nisi fortè, vt diximus, culpa sua eam euomuerit, iterum non sitire. Cur enim sitit iterum, qui aquam istam elemẽtarem bibit, nisi quia, quam semel bibit, aqua calore stomachi consumitur? si nunquam consumeretur, nunquam iterum sitiret. Id ergo in aqua illa spirituali accidit. Hac ratione quæstiones illæ, quas nonnulli in hunc locum inducunt, præciduntur. Altera est, quomodo qui bibit ex aqua Spiritus sancti non sitiat in æternum, cùm homines, qui Spiritum sanctum receperũt, peccare possint, & qui in peccato sunt, vtique sitiant, id est aqua illa iterum indigeant, vt spiritualiter viuant, saluique esse possint? Facile enim hoc ex ijs, quæ modò diximus, soluitur; vim tantùm, naturámque vtriusque aquæ hîc explicari, Spiritum sanctum eiusmodi naturæ sua aquam esse, vt qui semel eam biberit, satis habeat in totam vitam, modò ne euomat, ne eiiciat; euomit, qui peccat. Altera, quomodo hæc sententia illi Ecclesiastici cap. 24. 29. contraria non sit, *Qui bibunt me, adhuc sitient?* Illic enim sitire est amare, & concupiscere, qui amor, quò magis sapientiam gustamus, magis crescit. Sicut de auaritia pœta ille dixit,

Cresceit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Hic autem non sitire non est non concupiscere, sed non indigere vlla re alia, aut non opus esse eundem Spiritum sanctum iterum accipere, quod est iterum bibere, quia semel acceptus semper in nobis manet, nisi nos ipsi inuitum quodammodo, & repugnantem eiiciamus. Atque hoc est, quod nos admonet D. Paulus 1. Thess. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere.* Manet in nobis semel haustus, semel accensus, nisi nos ipsi extinguamus, éstque in animis nostris veluti perennis fons saliens in vitam æternam. Similis sententia infra c. 6. 35. *Qui venit ad me, non sitiet iterum.*

Aristot. 2. de Anima cap. 3. tex. 28.

Duæ de hoc loco quæstiones explicantur.

Iuuenal. Satyr. 14.

15. *Dicit ad eum mulier; Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Adhuc carnalis est mulier. Nec mirum, mulier ipsa caro est. Cùm tam apertè Christus significasset de spirituali aqua loqui, tamen adhuc in corporali hæret aqua, vt Cyrillus annotat. Quãquam Chrysost. & Theophyl. aliquid supra sensum mulierem existimant concepisse, in eo tamen errasse, quòd spiritualem aquam corporaliter intelligebat. Cùm enim videret Christum de alia non corporea loqui aqua, existimatis eam non aliam habere vim, quàm vt corporis sitim extingueret. Itaque non petiuisse illam, vt haberet vitam æternam, quamuis audiuisset eam in vitam æternam salire, sed vt non ampliùs sitiret, & laborem illum quotidianum aquam hauriẽdi deuitaret. *Ad laborem*, inquit Augustinus, *indigentia cogebat, & laborem infirmitas recusabat. Venam audiret, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Hoc enim ei dicebat Iesus, vt non laboraret, sed illa nondum intelligebat.* Origenes intellexisse mulierem putat, sed quod dicit, *vt non veniam huc haurire*, nimis; vt mihi videtur, allegoricè interpretatur, id est vt non indigeam aqua ista Iacob, scripturis, atque doctrinis, quibus opus nobis est, vt diuina mysteria intelligamus, sed sine vllo studio, sine vllo labore, quemadmodum angeli faciunt, intelligam. Illud meliùs adnotauit, hic etiam mulierem illam honorificè Christum dominum appellasse, vt ver. 11. Illic quidem, quia discere ab eo volebat, vnde aquam haberet, & an maior esset Iacob, hic, quia ab eo petebat aquam. Itémque illud, re ipsa comprobasse verum esse, quod Christus dixerat ver. 10. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo*, simul enim vt mulier id intellexit, quoquo tandem modo intellexerit, aquam ab eo petiuisse. Vtrumque mihi probabile videtur, & mulierem intellexisse Christum de aqua spirituali loqui, tamen nõ credidisse, quæ dicebat, stridendóque respondisse, *Domine da mihi hanc aquam*, & non intellexisse, sed cùm putasset eum de vera aqua, veráque corporis siti loqui, seriò respondisse, *Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Si intellexit, & non credidit, sed simulans se credere irrisit, specimen nobis hæreticorum præbuit. Hos enim eorum ingenium est, quidquid sanctum, quidquid spirituale, quidquid denique supra sensus est, ingenioſa, vt ipsi putant, Satanica, vt ego existimo, simulatione irridere. Si non intellexit, exemplum nobis expressit eorum Catholicorum, qui res diuinas non intelligẽtes, curam tamen earum abiiciunt, in sola temporalia commoda intuentes.

16. *Dicit ei Iesus, Vade voca virum tuum, & veni huc.*) Minimè dubium est, quin sciuerit Christus eam virum non habere, vt illi paulò post declarauit, examen necesse est, vt aliquo saltem prætextu Christus eam iusserit vocare virum. Is duplex esse potuit: alter quòd vellet non cum illa sola, sed etiam cum eius viro donum illud, quod promiserat, communicare, & quo maius esset beneficium, quod viro simul, & vxori commune esset, & quòd non satis honestum videretur nuptæ mulieri quidquam denari inscio marito. Hoc prætextu Chrysost. Theophylactus, & Euthym. factum putant, vt Christus dixerit, *voca virum tuum.* Alter, quem Augustinus, & Cyrillus attingunt, quòd non satis videretur mulier idonea esse, vt, quæ dicturus erat Christus, intelligeret, ideo iussam vocare virum, vt per eum doce-

retur.

retur. Sic enim, vt monet Augustinus, diuum Paulum constituisse, vt per viros suos mulieres docerentur, 1. Cor. 14. 35. At cur non alium potiùs quærebat prætextum, quàm vt de viro illius loqueretur, quem sciebat eam non habere? nec enim illi deesse multi potuerunt. Eo ipso quòd sciebat virum eam non habere, eo potiùs quàm alio prætextu vsus est. Sciebat enim quid illa iussa virum vocare responsura esset; & volebat occasionem inde captare illi declarandi, quidquid toto vitæ suæ tempore fecisset, vt Ammonius ait. Iubent nos Chrysostomus, & Euthymius modestiam simul, & prudentiam Christi obseruare. Poterat statim principio facere, quod tandem in fine fecit, & omnem illi vitam enarrare. Noluit; sed occasiones quæsiuit cõmodas, vt quod dicturus erat, aut necessariò re ipsa postulante, aut certè aptè dicere videretur. Si statim dixisset quinque eam viros habuisse, arroganter, & ambitiosè dixisse videretur, vt se prophetam esse ostenderet; quod sancti, cordatique prophetæ facere non solent. Itaque isti qui nulla occasione, nullius rogatu, aut occulta pronuntiant, aut aliquid aliud faciunt simile miraculi; verendum, ne circulatores potiùs, aut magi; quàm prophetæ, vel sancti viri sint. Longè abest sanctorum virorum ingenium à vanitate.

Adulteros habuit quinque Samaritana.

17. *Non habeo virum.*) Quomodo negat se virum habere, cùm aliquem saltem haberet loco viri? Nec enim credendum est illam dicere voluisse se quidem loco viri aliquem amicum habere, legitimum autem virum non habere. Quod si dicere voluisset, peccatum suum aperuisset, quod maximè videtur occultare voluisse. Respondet Euthymius voluisse Christum decipere, quia purum adhuc esse hominem existimabat. Itaque etsi putabat se virum habere, tamen dixit se non habere. Et verò probabile est mulierem illam curiosam, & cupidam videndi, quo tandem euaderet Christi pollicitatio, ideo negasse se habere virum, vt Christus statim sibi daret, quod daturum se, cùm vir veniret, pollicebatur, eo non expectato.

Bene dixisti, quia non habeo virum.) Quod mulier vno sensu dixerat, id Christus alio sensu accipiens vere ab ea dictum esse interpretatur. Illa putans se virum habere, mentita dixerat se non habere, vt paulò ante ex Euthymio dicebamus; Christus verbum eius excipiens subiecit verum eam dicere falsum dicere volentem, Habere enim virum, sed non legitimum.

18. *Quinque enim viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir.*) Satis fuisset dicere, *Bene dixisti*, nam quem habes, non est tuus vir. Sed non contentus Christus ostendere scire se non esse legitimum virum, quem mulier illa pro legitimo haberi volebat, sumpta ex viro vno occasione de omnibus loquitur, quos vnquam habuisset. Non satis ex his verbis Christi constare potest, an quinque illi viri, quos Samaritanam habuisse dicit, legitimi fuerint, an concubini potiùs, quam mariti, quemadmodum & vtimur. Ego semper existimaui adulteros fuisse. Nam si legitimi fuissent, nihil occultum Christus Samaritanæ patefecisse videretur, cum dixit quinque eam viros habuisse. Deinde cùm mulier dicit postea ver. 29. *Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia, quæcunque feci?* omnia sua occulta peccata à Christo sibi indicata fuisse significat, atque inter ea proculdubio enumerat, quòd quinque habuisset viros, quod nullum peccatum fuisset, si fuissent omnes illi legitimi. Hoc me tantùm tenebat, quòd auctorem non inuenirem vllum huius sententiæ. Omnes enim, quos legebam, sentibant fuisse legitimos; Augustinus tract. 15. Nonnus poëta, Hilar. 2. de Trinitat. Athanasius, aut quisquis auctor earum qq. q. 58. Beda, Euthymius, Rupertus, & recentiores magno consensu: ita prorsus, vt nec, qui dubitaret quidem mecum, reperirem. Inueni tamen multo quæsitum studio Chrysostomum in psalm. 15. qui non solùm putat quinque illos adulteros fuisse, sed eodem etiam tempore eos mulierem illam Samaritanam habuisse; apróque exemplo eo probat gentes, quæ multos crederent Deos, nullum habere Deum, quia verus Deus non nisi vnus esse potest; quemadmodum, inquit, Samaritana illa eo ipso quòd quinque habuerat viros, nullum habuerat, quia verus vir non potest esse nisi vnus. Confidenter nunc dico hunc secutus auctorem, quòd ante timidè dicebam. Sententia Basilij in epistola ad Amphilochium indiget venia. Putat post trigamiam cætera, si quæ contrahuntur matrimonia, vera non esse, itaque hunc sextum, quem illa habebat mulier, matrimonio illi coniunctum fuisse; sed quia sextus maritus erat, adulterum à Christo fuisse iudicatum. Quid quinque illi, quid vnus hic vir allegoricè significent, non est instituti nostri docere; tamen si quis hoc requirit, Origen. Augustinum, Bedam, & Strabum in hunc locum legat.

Hoc verè dixisti.) Idem ante dixerat, sed repetitione confirmat. Nimis mihi videtur argutum, quod Origenes obseruat, hæc verba tacitam habere reprehensionem. Sic enim Christum dixisse, *hoc verè dixisti*, quasi indicaret eam ante non vera dixisse, cùm dixerat Iacob puteum illum effodisse, atque ipsum, & eius pecora inde bibisse; quod supra refutauimus.

19. *Domine video, quia propheta es tu.*) Duplex confessio, & proprij peccati & virtutis, atque excellentiæ Christi. Cùm enim dicit, *Video, quia propheta es tu*, tacitè confitetur vera eum dixisse, se in perpetuis adulterijs vitam duxisse. Quod qui nemine indice cognouerit, non posse non esse prophetam. Obseruauerunt quidam non boni auctores hoc inter prædestinatos, & reprobos esse discriminis, quòd prædestinati reprehensi culpam agnoscant, vt fecit hæc mulier, & Dauid 2. Regum 12. 13. Ezechias 4. Reg. 20. 19. & Isai. 39. 8. Et illi qui concionanti Petro commoti sunt Act. 2. 37. reprobi verò aut negent, vt Cain Genes. 4. 9. Giezi. 4. Regum 5. 25. Ananias, & Saphira Act. 5. 2. 8. aut excusent, vt Saul. 1. Reg. 15. 20. aut etiam vlciscantur, & in eos? quibus reprehenduntur sæuiant, vt Reges Iudæorum in prophetas, qui à Deo illis mittebantur. 3. Reg. 19. 2. Rom. 11. 3. Ierem. 29. 26. & 36. 5. Herodes in Ioannem Mar. 6. 17. Scribæ & Pharisæi in Christum Matth. 21. 45. 46. & 26. 57. Iudæi in Stephanum Actor. 7. 57. Rectè dixissent, si non inter prædestinatos, & reprobos, sed inter bonos, & malos discrimen illud posuissent. Nam nec prædestinati semper ostensa sibi peccata recognoscunt, sed sæpe admonitionibus resistunt, sæpe obstinati sunt vsque ad vltimum vitæ tempus, quo tempore subitò respiscunt: & reprobi sæpe monitorem audiunt, sæpe respiscunt, ad extremum verò in peccato moriuntur. Nec quisquam scire potest, an illi omnes, qui reprehensi culpam agnouerunt, prædestinati; & omnes, qui non cognouerunt, reprobi fuerint. Quin Paulum videmus vnum ex ijs, qui in Stephanum sæuierunt, fuisse prædestinatum. Quòd enim, qui reprehenditur, peccatum agnoscat, non solùm ex gratia, sed ex libero etiam pendet ar-

bitrio:

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitrio: quod isti vt tollant, omnia prædestinationi tribuunt. Illud quidem rectè in hac muliere Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius obseruarunt, non ægrè tulisse à Christo reprehensam, quin conuersam ad meliorem mentem salutem ab eo quæsiuisse. Conceperat ante ex Christi sermone aliquantam de illo opinionem, vt non vulgarem hominem esse duceret, ideóque, vt Origenes ait, dominum appellaret. Nunc verò plusquam hominem non vulgarem, id est prophetam confitetur, videns, quæ occulta erant, sibi patefecisse. Itaque ineptè prorsus quidam hæreticorum interpretes prophetam hoc loco hominem doctum, & in lege versatum intelligunt. Non enim doctrina vlla, sed diuino prorsus spiritu occulta, solíque Deo cognita panduntur. Sed quia nemo melius quàm prophetæ, quæ ad legem, religionémque pertinebant nouerat, quæstionem illi tanquam prophetæ de religione proponit.

20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Ierosolymis est locus vbi oportet adorare.*) Non dicit, Nos dicimus in monte hoc adorandum esse; sed, *Patres nostri in monte hoc adorauerunt.* Siue artificio aliquo, vt quidam volunt, vt indicaret Samaritanos exemplo, & auctoritate patrum facere, quod faciebant; Iudæos verò exemplo, & auctoritate carere, soláque priuata quadam opinione Ierosolymis adorare, *Vos*, inquit, *dicitis*, quasi dicat, dicitis, sed non probatis. Siue, vt ego arbitror, excusans potiùs Samaritanos, quàm Iudæos accusans, ita loquitur. Dubium quos patres intelligat, cùm dicit, *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*, Samaritanorúmne, an Samaritanorum simul, & Iudæorum. Plerique omnes auctores Iudæorum etiam patres intelligunt Abraham, Isaac, & Iacob. Nam Abraham in eo monte filium suum Isaac sacrificasse, Genes. 22. 2. & Iacob in eodem loco structa ara Deum oblato sacrificio adorasse, Genes. 33. 20. Sic interpretantur Ammonius, Chrysostomus homilia 31. Augustinus, Beda, Rupertus, lib. 4. Theophylactus, & Euthymius. Id quidem vel solis auctoribus sine alia ratione probabile est; sed non video, cur non probabile etiam sit solos maiores Samaritanorum intelligi, qui cultum illum in eo monte instituerant: quorum se auctoritate mulier tuetur, vt mulierem litterarum imperitam decebat. Ineptè verò hæretici hodie huius nobis mulieris exemplum obiicinnt, quasi nos idem faciamus, cùm maiorum nostrorum allegamus traditiones. Non enim animaduertunt mulierem illam Samaritanam, id est hæreticam fuisse, ideóque cum patrum suorum exemplum, traditionémque protulit, nihil aliud, quàm erroris vetustatem protulisse. Vnde sequitur Lutheranos, & Caluinistas, qui hoc nobis obiiciunt, non posse maiorum suorum exemplo sese tueri, quia ipsorum maiores sicut & ipsi hæretici fuerunt, & ab Ecclesia Catholica, sicut Samaritani olim ab Ecclesia vera Iudæorum, discesserunt. Rectè mulier illa maiorum suorum exemplo, auctoritatéque vsa fuisset, si in vera fuisset Ecclesia. Nam traditio in Ecclesia, veritatis; extra Ecclesiam, erroris confirmatio est.

Caluinus in Ioan.

Traditio in sola Ecclesia veritatis confirmatio est.

In monte hoc.) Non dubium demonstrasse montem Garizin, qui vrbi Sichimorum, cuius illa mulier erat ciuis, vicinus erat: in eóque omnes conueniunt auctores. Quæ autem fuerit causa Samaritanis in eo monte adorandi, ex sacra intelligitur historia. Ieroboam cum decem tribus à regno Iuda segregasset, nouúmque regnum Israelis constituisset, metuens ne, si populus de more religionis cau-

A

sa Ierosolymam iret, se deserto ad Regem Iuda dilaberetur, nouo regno nouam instituit religionem, & duos illos conflauit vitulos, quorum alterum in Bethel, alterum in Dan vltima regni parte collocatos pro dijs iussit adorari. Hinc prima orta est dissensio religionis. Post Babylonicam verò captiuitatem potientibus rerum Persis Manasses Ierosolymitanus ciuis, & Iaddi Summi sacerdotis frater, & ipse sacerdotalis particeps dignitatis Sanballetis Cuthæi, & Darij Regis in Samaria præfecti filiam vxorem duxit, nomine Nicasonem. Quamobrem cum & à cæteris Iudæis, & ab ipso suo fratre Summo sacerdote functione sacerdotij prohiberetur; séque apud Sanaballetem excusaret, quòd B ipsius filiam quam sibi desponderat, ducere non posset, malle se vxore carere ea, quàm tanta dignitate sacerdotij. Sanaballetes non solùm summum illi pollicetur sacerdotium, si filiam suam retineat, sed templum etiam se illi Ierosolymitano æquale ædificaturum. Quod & fecit in monte Garizin, vtde cœptum est à Samaritanis sacerdote Manasse in eo monte adorari. Historiam scribit Iosephus lib. 11. antiquit. cap. 7. & 8. Quòd autem dicit mulier *adorauerunt*, eam intelligit adorationem, quæ cum C sacrificijs, cæremóque publicis ac sollemnibus ceremonijs coniuncta erat. Nam Deum orare, & flexo venerari genu & Samaritanis, & Iudæis vbique licebat; idque sæpe legimus fecisse Christum. Offerre autem sacrificia, præscriptis à lege ceremonijs vti Iudæis extra Ierosolymitanum templum non licebat, sic Deo iubente Deuter. 14. 23. 24. & 26. 2. Eum enim locum Deus elegerat, vt ibi nomen suum inuocaretur, vt scriptura loqui solet. 1. Paralipomenon. 17. 12. & 22. 6. & 2. Paralipomen. 6. 6. & Psalm. 77. 68. 69.

21. *Mulier, venit hora, quando nec in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.*) Incipit vti Christus auctoritate sibi à Samaritana concessa. Vocauerat Christum prophetam; postulat igitur ab eo, vt sibi tanquam prophetæ credat. Porro non respondet propriè ad id, quod mulier interrogauerat, vtri meliùs Samaritani in monte illo, an Iudæi Ierosolymis Deum colerent, siue quòd id studio contentionis, & gentis interrogasset, vt Chrysostomus insinuat, & noluit Christus constituturus ab ea iudex alere contentionem; siue quòd noluerit ostendere magis parti vni fauere, quàm alteri, quo facilius fides crederetur: itaque vtrosque & Iudæos, & Samaritanos in futurum æquauit, non dicens vtri meliùs ante Deū coluissent, sed neutros eo loco, quo antea colebant, bene culturos esse. Nam quòd Cyrillus ait Christum hoc responso & Samaritanos, & Iudæos reprehendisse, quòd etiam Iudæi in eo errore essent, vt existimarent non licere sibi extra Ierosolymam Deum adorare, singularis opinio est, & scripturæ minimè cōsentanea. Nam Iudæis alibi quam Ierosolymis adorare, id est sacrificare non licebat superiore versu demonstrauimus. De qua hora loquatur Christus, disputatur. Primùm horam pro tempore positam per Hebraismum minimè, dubium; sed id ipsum tempus quod sit, quæritur, quod Christus iam venisse, aut certè appropinquare dicit; sic enim Græcè est, ἔρχεται ὥρα, *venit hora* tempore præsenti; paulò verò post declarat iam venisse, ver. 23. *venit hora, & nunc est.* Sunt qui tempus intelligāt excidij Ierosolymitani, quo tempore non solùm Samaritanum, sed Ierosolymitanum etiam templum ita vastatum est, vt nec in illo Samaritani; nec in hoc Iudæi adorare possent. Sic Euthymius; meliùs Ammonius, & Cyrillus horum

τὸν αὐτὸν μόνον τῶν ἀνθρώπων λατρεύειν, id est ipsius ad homines aduentum interpretantur. Nec enim id Christus agebat, vt doceret, vbi posset, vel non posset; sed vbi deberet, vel non deberet Deus adorari. Præterquam quòd ver. 23. horam iam illam venisse dicit, cùm tempus illud euersionis templi Ierosolymitani non nisi quadraginta post annis venisse cōstet. Voluit ergo significare superuacaneam iam esse quæstionem illam, quam illi Samaritana proponebat, vtri meliùs, Samaritani in monte illo, an Iudæi Ierosolymis adorarent. Iam enim venisse tempus, quo tempore neutri certo loco deberent adorare. Tollendum enim esse pristinum illum cultum, qui, vt hominibus carnalibus accommodatus, addictus erat loco; aliúmque pro illo meliorem introducendum, qui magis ad naturam Dei, & ad homines spirituales esset accommodatus. Quòd dicit, *adorabitis Patrem*, ita dicere videtur quasi se excipiat ex adoratorum numero, & filium Dei esse declaret. Nec enim dixit, adorabimus, sed *adorabitis*, quemadmodum Ambrosius libro 5. de fide cap. 3. obseruauit. *Non dixit*, inquit, *adorabimus, quod vtique diuisset, si consortium nostri subiret obsequij.* Neque dicit Deum, sed Patrem suum vocat. Sic enim opinor intelligit; non patrem vestrum. Video paulò post dicere, *Nos adoramus quod scimus*, quasi sese adoratoribus adnumeret, sed cur eo loco ita loquatur, illic rationem reddemus.

22. *Vos adoratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus.*) Hactenus quidem docuit superuacaneam esse quæstionem, quia deinceps & qui in monte Garizin, & qui in templo Ierosolymitano adorabunt, non rite, religioséque adorabunt, aliam iam adorationem tempore postulante. Nunc de præterito loquitur, cùm inuidiam priùs in Samaritanos, & suspicionem erga Iudæos gratię remouisset, æquato inter hos, & illos iure, docétq; meliùs ante id tempus Iudæos, quàm Samaritanos adorasse, vt Chrysostomus, & Theophylactus interpretantur, Augustinus, & Beda de futura etiam hic adoratione agi putant, vt paulò post exponemus, quod minùs probo. Quid autem sit, *Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus*, aliquanto difficilius est. Primùm, quòd non videatur ad rem, rectéque respondere. Non enim quærebat mulier vtri meliorem, aut veriorem Deum; sed vtri sanctiore loco eundem Deum adorarent. Deinde quia & Samaritani sciebant, quid adorarent, cùm verum adorarent Deum. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthym. propterea dicunt Samaritanos adorasse, quod nesciebant, quia licet verum adorarent Deum, putabant tamen non esse nisi loci eius Deum. Sic enim Regi Assyriorum nuntiatum fuisse 4. Reg. 17. 26. *Gentes quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, quod ignorant ritum Dei terræ.* Iudæos verò adorasse, quod sciebant, quia meliorem de Deo habebant opinionem existimantes Deum omnium gentium Dominum esse. Eodem pertinet, quod D. Thom. & Lyranus docent, Samaritanos in eo errore fuisse, vt existimarent Deum esse corporeum. Quod Iudæi nequaquam putabant. Sic enim Salomonem, cùm templum ædificasset, professum fuisse, 3. Reg. 8. 27. *Ergone putandum est, quod verè Deus habuerit super terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui?* Sic notum fuisse in Iudæa Deum, Psal. 75. 1. Sed ego in eo errore Samaritanos fuisse non lego, & Iudæos aliquos fuisse lego apud Hebræum auctorem Rab. Mosem Ægyptium

A

lib. 1. Moreh. c. 1. Quin multos etiam Christianos, & graues auctores, quos opus non est commemorare, ne eorum errorem refricare videamur. Ali quanto igitur mihi magis placet, quod Cyrillus ait, Samaritanos adorasse, quod nesciebant, Iudæos, quod sciebant, quia quamuis eumdem adorarent Deum, tamen Iudæi certa doctrina, legéque à Deo sibi præscripta; Samaritani inuento ab hominibus ritu adorabant. Sed verum egò sensum alium esse arbitror: vt Christus non de eo, quod adorabatur, sed de solo loquatur loco, quo Deus adorabatur. De solo enim loco mulier interrogauerat, & credendum est Christum de eodem loco respondisse. Respondet autem, *Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus.* Sensus igitur est, quod vos in monte isto adoratis, nescitis, quid faciatis; quod verò nos Ierosolymis adoremus, scimus, quid faciamus. Nos enim hoc Dei iussu facimus; vos isthuc inuento facitis vestro. Quod autem dicit, *Nos adoramus, quod scimus*, seipsum connumerans cum adoratoribus, Ariani Catholicis obiiciebant, vt probarēt Christum Deum nō esse, qui Deum adoraret, vt apparet ex Cyrillo, & ex Ambrosio libro 5. de fide c. 3. Auctores Catholici duobus modis respondebant. Primùm quidem, Christum tanquam hominem locutum esse, eo modo quod supra fontem fatigatus sedebat. Sic Ammonius, Cyrillus, & Ambrosius; eiusdem enim fuisse naturæ fatigari, & adorare; ideo paulò ante dictum fuisse sedisse fatigatum, vt intelligeremus de humana eius hîc agi natura, vt obseruauit Ambrosius. Deinde non ex veritate, sed ex mulieris opinione locutum fuisse, quæ non Deum, sed hominem Iudæum, prophetam illum quidem, sed hominem tamen esse putabat. Sic idem Ammonius, Ambrosius, & Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Eodem opinor modo Augustinus. & Beda respondissent, si quæstione attigissent. Illud verò singulariter, & præter omnium opinionem dicunt, Christū non de omnibus loqui Iudæis, sed de se, de prophetis, & Apostolis, qui iam incipiebant ab eo docti in spiritu, & veritate Deum adorare. Tritam sequamur viam, credamúsque de toto genere Iudęorum loqui. Ego tamen alia ratione suspicor ita loquutū esse, vt se cum cæteris Iudæis connumerauerit; non quidem vt significaret se etiam tanquam hominem more cæterorum Deum adorare, neque vt conuenienter opinioni mulieris loqueretur; sed vt se Iudæum esse confirmaret, vnde Messias originem ducturus erat, gradúmque faceret ad id, quod paulò post dicturus erat, se esse Messiā. Cum ergo dicit, *Nos adoramus*, nō significat se adorare; sed Iudæos adorare. Pronomen enim, *nos*, non personam, sed genus declarat, quemadmodum multis alibi exemplis explicauimus. Sic itaque loquitur tanquam si vir nobilis Hispanus dicat, Nos Regi nostro fideliter, ac libenter tributa soluimus; non enim significat, se cæteróque nobiles soluere; sed totum Hispanorum genus soluere.

Cyrilli melior de Samaritanorum religione sententia.

Nos, non personam sed genus declarat.

Quia salus ex Iudæis est.) Difficile dictu est, qualis hæc sit causa, aut cuius reddatur rei. Sed videndum priùs, quam salutem appellet. Duplex opinio. Alij salutem Christum ipsum appellari, qui salus mundi erat, & ex Iudæis ducebat genus; ita interpretantur Origenes, Tertullianus libro 4. contra Marcionem, Ammonius, Chrysostomus, Cyrillus, Rupertus, Theophylactus, Euthymius. Alij cognitionem vnius solius Dei, sine qua nemo vnquam saluus esse potuit. Eam enim cognitionem Iudæos singulari quodam beneficio à Deo per legem, perque reuelationem accepisse; & ex eo populo

Universidad de Deusto
Biblioteca

non ad Samaritanos modò, sed ad omnes omnino gentes, quæ eam habuere, propagatam. Hoc etiam modo exponunt Ammonius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Alij tertiam quandam explicationem afferunt, salutem ex Iudæis esse, quia illis primùm prædicatum est Euangelium, & ab illis ad cæteras gentes per Apostolos homines genere Iudæos deriuatum, Matthæi 10.5. & Psal.109.3. *Virgam virtutis tuæ ex Sion emittet Dominus ex Sion.* & Isai.2.3. *Ex Sion exibit lex:* & Luc.24.47. *Prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.* Hoc vltimum nullo mihi modo placet. Ex duabus autem primis interpretationibus, secunda primam antefero: quia verisimilius est Christum de se ipso, quàm de lege loqui, cum id potius ageret, vt doceret venisse tempus, quo lex abrogaretur, adesseque salutem illam, in quam lex omnis collineabat. Reddit ergo causam Christus cur maiorem Deus sui cognitionem Iudæis, quàm vlli dederit genti; itaque soli illi sciebant, quod adorabant, Quia ex eo nimirum populo decreuerat Deus mundo saluatorem mittere, Roman.1.3. & 9.5. Et conueniebat vt ille populus, vnde filius Dei carnem sumpturus erat, singularem Dei haberet cognitionem. Proterea legem illi Deus dedit, & quicquid illi vnquam beneficiorum singulariter contulit, propter nasciturum ex eo Christum contulit.

Cur Iudæis maiorem sui cognitionem dederit Deus.

23. *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.*) Dictio aduersatiua, *sed*, quæ non videtur hîc conuenientem habere locum, aptè apposita est, sed ad illa verba referri debet, *Nos adoramus, quod scimus*; quasi dicat, licet hactenus quidem nos meliores quàm vos fuerimus adoratores, quia adorabamus, quod sciebamus adorandum, & quo modo adorandum erat; tamen iam hora venit, cum quisquis verè Deum voluerit adorare, ne eo quidem adorabit modo, quo nos hactenus adorauimus; sed *in spiritu, & veritate*. Quod dicit, *Nunc est*, hanc vim Chrysostomus, & Theophylactus, habere putant, vt quod Christus dicebat, ab ijs distingueret, quæ cæteri prophetæ dicere solebant. Solebant illi res in longum plerunque tempus expectandas vaticinari. Christus, quem mulier solum prophetam esse putabat, rem præsentem ostendit, neque suspendit auditorem expectatione. Credo ego propterea Christum addidisse, *Et nunc est*, vt magis mulieris animum ad inquirendum accenderet; quonam modo *in spiritu, & veritate* adorandus esset Deus; interesse enim sua id scire, quandoquidem iam venisset tempus. Veros adoratores non dubium, vt Chrysostomus ait, quin Christianos intelligat. Nam quòd auctor ille quæstionum ad Antiochum, eos solos, qui in solitudine habitant, & citra Ecclesiam Deum colunt, veros adoratores esse dicit, non dixisset Athanasius, cui vulgo quæstiones illæ tribuuntur. Multo difficilius quid sit *in spiritu, & veritate* adorare. Primùm Caluinistarum hæresis euellenda, qui *in spiritu, & veritate* adorare interpretantur sola adorare fide. Sed isto quidem modo dæmones veri erunt adoratores. Nam *& dæmones credunt, & contremiscunt*, Iacob.2.19. & Christum sæpe negantibus Iudæis filium Dei esse confessi sunt, Marc.1.24. Luc.4.34. Deinde si sola fide Deus adorandus, cur ipsi precibus? cur psalmis? cur sacramentis Deum adorant? si tamen adorare hæretici possunt. Vicina huic errori est eorum interpretatio, qui spiritum hoc loco animum intelligunt, quasi solo Deus animo sit adorandus. Quam interpretationem videtur recitatam à se Theophylactus approbare. Sed, opinor, non animaduerterunt illi solere non animo tantùm, sed etiam corpore posito genu Deum adorari. Alij Spiritum sanctum intelligunt, quem qui accipiunt, Spiritu ipso sancto eundem, quem acceperunt, spiritum adorent. Ita Ambrosius lib.3. de Spiritu sancto, cap.12. & Rupertus. Alij *spiritum, & veritate*, id est veris virtutibus, corporisque mortificatione, vt Origen. & Ammonius. Alij *in spiritu*, id est in Spiritu sancto, *& in veritate*, id est in Filio, ita vt vnum in tribus personis Deum adoret, vt Athanas. in epistola ad Serapionem contra eos, qui dicebant Spiritum sanctum esse creaturam. Omnium hîc opinionum probabilissima est, quæ communis est maximè, Origenis, Tertulliani in lib. de Trinit. Hilarij 2. lib. de Trinit. Chrysostomi, Procopij in cap.28. Isai. Theophylacti, Cyrilli, Euthym. vt spiritus corporeo opponatur loco, quo & Iudæi, & Samaritani Deum concludere videbantur, dum illi non extra Ierosolymam; hi non extra montem illum adorari putabant posse, vt rectè Tertullianus, & Hilarius edisserunt; veritas verò figuris, vt supra capite 1. 14. 17. vt sensus sit venisse tempus, quo tempore *veri adoratores*, neque certo vllo loco, neque legalibus illis ceremonijs, & sacrificijs, quæ vmbræ tantùm erant rerum futurarum, Deum adorabunt; sed *veritate*, id est rebus ijs, quæ per vmbras illas significabantur. Possumus etiam meo quidem indicio spiritum & veritatem pro eodem accipere, quemadmodum & Cyrillus videtur interpretari, vt gratiam noui testamenti, & quidquid ad statum pertinet legis Euangelicæ, spiritum appellet; legem verò Mosis corpus fuisse significet, quia Euangelium quasi anima, hoc est spiritus legis est. Animaduerto enim aliquando spiritum pro veritate sumi, & vmbræ tanquam corpori animam opponi. *Cui seruio*, inquit, *in spiritu meo*, id est verè, non figuratè, non adumbratè, Rom.1.9. & *circumcisio cordis in spiritu, non littera*, id est non illa quæ figura erat, sed ista quæ veritas Rom. 2.29. *Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu.* id est non vmbratiles ministros, quales illi erant veteris testamenti, sed veros 2. Corinth. 3. 6. Eadem ergo res & spiritus dicitur, id est anima; & veritas, id est corpus, quod per præcedentes illas vmbras significabatur. Vtraque interpretatio mihi placet, & hæc, & quam ante hanc proximè posuimus. Vtrolibet intelligamus modo, vulgaris illa quæstio facilè soluitur, quomodo Christiani, quos veros hîc adoratores vocari diximus, in spiritu adorare debeant. Quid enim? an non debere certa habere templa? non Sacramenta? non vnicum illud, & omnium præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum? Maximè verò; sed hæc omnia, & si quæ sunt alia generis eiusdem, siue à Christo, siue ab Ecclesia instituta, quibus Deus à Christianis colitur, quamuis natura sua corporea sint; tamen quia figuræ non sunt rerum futurarum; sed veterum potius figurarum impletio, aut ad significandam impletionem ipsam instituta, non corpus, non vmbra, sed spiritus, & veritas sunt. Eadem ratione illa altera quæstio explicatur, an non lex etiam vetus spiritum habebat, & veritatem? an prophetæ, sine spiritu, & veritate Deum adorabant? Adorabant illi quidem *spiritu*, id est animo, aut spiritualiter, id est vera fide, charitate, pietatéque; adorabant *veritate*, id est verè, non simulatè, non fictè, non falsis commentis, sed ijs modis, quos sibi Deus præscripsisset: sed non adorabant *in spiritu, & veritate*, id est sine figuris; quia illis ipsis

Caluinistarū hæresis exposito refellitur.

Quomodo intelligendum sit Deum esse spiritum.

figuris

figuris Deus eos iusserat adorare. Vna superest obiectio diluenda, quomodo cum his duabus interpretationibus ratio illa, quæ ſtatim redditur, cur veri adoratores in spiritu, & veritate adorare debeant, quia *spiritus est Deus*, constare possit? Hæc enim ratio nō probat sine figuris, sed sine corpore, solo animo adorandum esse. Sed hanc obiectionem illic diluemus. Abutebantur etiam hoc loco Ariani, ij qui Spiritum sanctum Deum esse negabant, vt Ambrosius auctor est. lib.3. de Spiritu sancto c.12. Non posse Spiritum esse Deum, quando non Spiritum, sed Spiritu Deum adorare iubeamur. Facilis erat, & expedita responsio spiritum hoc loco nō Spiritum sanctū, sed, vt supra docuimus, veritatem. & quasi animam legis significare, & aliter Ambrosius respondet, significare Spiritus sancti gratiam, quam cum accipimus, Spiritum ipsum sanctum adoramus. Cæterum adorandum esse Spiritum sanctum, alijs ille probat argumentis, quę huius non est loci recitare. Iustinus verò martyr in oratione 2. ad Anton. Pium pro Christianis obiicientibus Gentilibus; quòd Christiani athei essent, quòd ipsorum deos non adorarent, ex hoc loco respondet nos *in spiritu, & veritate* verum Deum adorare.

Cur Iustinus martyr Christianos obiectum Gentilibus excusarit.

23. *Nam & Pater tales quærit qui adorent eum.*) Duas Christus rationes affert, quamobrem veri adoratores *in spiritu, & veritate* adorare debeant. Alteram ex Patris voluntate, alteram ex natura sumptam Pater inquit, non vult vmbris, atque figuris: sed spiritu adorari, ac veritate. Cur ergo, dicet aliquis, instituit in veteri lege vmbras illas figurásque sacrificiorum quibus se iussit adorari? Instituit ad tempus: instituit accommodate ad hominum conditionem, dum erudiebantur, dum idonei fiebant, vt in spiritu, & veritate Deum adorarent, vt Chrysostomus, & Euthymius respondent. Possumus etiam sic intelligere, vt non hîc de voluntate ratio sit. Quasi dicat hoc natura ipsa Patris requirit, vt in spiritu, & veritate adoretur, spiritus enim est. Diximus supra patrem vocari Deum aut Christi, vt ego arbitror, aut aliorum, à quibus adoratur. Adorantes enim dicimus *Pater noster qui es in cœlis*, & in Spiritu sancto, vt ait D. Paulus, *clamamus, Abba Pater.*

24. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.*) Dictio, *&*, priore loco posita particulę illatiuę vsum habet ex Hebræorum idiomate, vt si diceret, *Spiritus est Deus*; itaque *qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*, Retinuimus supra in hunc locum quæstionem minimè facilem, quo modo hæc ratio cum ea interpretatione conueniat, quàm in superiorem versum adhibuimus. Ex eo enim, quòd Deus Spiritus est, non videtur sequi *in spiritu*, id est sine vmbris, & figuris; sed in spiritu id est animo, non corpore adorari oportere. Qui tātum attingat quæstionem, non inueniet; & tamen digna, vt arbitror, loco erat. Solutionem reddi cur Deus reiectis figuris veteris legis *in spiritu, & veritate* voluerit adorari. Quia ille nimium vmbratilis cultus non erat ad ipsius naturam accommodatus. Nec enim poterat Deus, cum spiritus esset, figuris vllis, vmbrisve repræsentari. Quod corpus non est, vmbram non habet. Hoc est quod ipse etiam veteri testamēto de illis ipsis ceremoniis, quas ipse instituerat, dicit aliquando. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Isai.* 1. 11. Et, *cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? Et quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum. Qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem, qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat. Isai. 66. 1. 2. 3. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinē hircos potabo,* Psal.49.13. Curergo vmbras ipse illas & figuras instituit? Supra expositimus; erant non ad suam, sed ad hominum naturam & tempus eis cōditionem accommodatæ. Atque hoc est quod hoc loco significat, naturam suam, quæ non corporea, sed spiritualis sit, non requirere vt vllus corporeus sibi cultus exhibeatur. Si quando corporeum exigit ab hominibus cultum, id non ad suam, sed ipsorum naturam accommodatè facere. Cultum illum legalem, qui totus corporeus, & vmbratilis erat, reiecisse, alrúmque instituisse si non omnino, quod propter corpoream hominum naturam fieri non potest, magis tamen certè ad naturam suam accommodatum, sine vmbris, sine figuris, hoc est *in spiritu, & veritate*. Quod attinet ad sensum, horum verborum, *Spiritus est Deus*, primùm quidem illud certum nomen Dei, posteriore loco positum, esse subiectum, nomen verò Spiritus attributum; sensus enim est, Deus est Spiritus. Etsi Athanasium memini in disputatione contra Arium, & in lib. de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, aliósque nonnullos auctores interpretari Spiritum sanctum esse Deum. Sed quomodo hoc ipsum intelligendum sit, non vna veterum auctorum sententia est. Multi graues alioqui, & magni non omni corpore Deum carere putauerunt, sed spiritum appellari, sicut aërem, quia tam subtili sit corpore, vt fugiat oculorum aciem. Nam eadem de causa aërem istum spiritum dici. Mitto Sadducæos Iudæorum sectam, quos scriptura ipsa testatur omnem spiritum de medio sustulisse. Act. 23. 8. quippe vt Epiphanius in eorum hæresi tradit, propterea Patrem, & Filium confitebantur, Spiritum verò sanctum negabant, ne spiritum vllum admitterent: nam Patrem quidem, & Filium esse corporeos. Hos inquam mitto, & qui ex Christianis postea hæretici prodierunt. Anthropomorphitas, & Audianos, aliósque, qui humanam Deo effigiem tribuebant, de quibus frequens apud priscos scriptores mentio est. Tertullianus quidem certè in libro contra Praxeam, Arnobius lib.3. contra gentes, Lactant. in libro de ira Dei, c.18. aliquam Deo corporis figuram tribuunt non ob id hæretici iudicati. Quin & Cyrillus hoc loco non aliter dicit Deum spiritum, quàm comparatione corporum appellari, quasi ad corpora spiritus ad se corpus sit. Eum errorem Origenes hoc loco fortiter arguit, probatque Deum omnis corporis expertem esse. Itaque monachi illi Ægyptij qui Theodosio iuniore Imperatore eam iterum hæresim excitarunt, Catholicos contumeliæ causa Origenistas appellabant. Auctor Socrates lib.6. hist. Ecclesiast. cap. 7. & Sozom. lib.8. c. 11. & 12. & Nicephor. lib. 11. cap. 14. & lib. 13. cap. 10. Refellit Theodoret. quæst. 20. in Genes. Videtur etiam Ammonius, quem ex quadam Græcorum Catena sæpe citamus, eam propriè opinionem refutare voluisse. πνεῦμα ὁ θεὸς κατὰ τοῦτο, οὐ ὡς ὄψεως, ἀλλ' ὡς ἀοράτου, ἤγουν οὐσίας ἀπλῆ ἀπὸ ὑλικῆς συστάσεως τὸν ἄγαν ζωον, Spiritus, inquit, vocatur Deus, non vt ventus, sed vt incorporea, & viuifica substantia: sicut enim aërem in spirantes viuimus; sic & Deo nobis id quod vitam præbet, suppeditante viuimus. Rectè quidem, sed rectius alij Deum Spiritum appellari volunt, non quòd vi-

Deus omnis corporis expers est.

Ammonius examinatus in Catena Græca citatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam sic ut aër nobis tribuat, sed quòd sicut aër nullū nobis videtur habere corpus, sita Deus, neque habere videatur, neque re vera habeat, vt in eadē Græca Catena Didymus exponit. Quod vel ex hoc loco minimè dubia ratione probari potest. Hoc enim agebat Christus, vt probaret Deum nullum prorsus habere corpus, ideóq; non corpore, sed spiritu adorari oportere. Quæ Christi ratio nihil efficeret, si Deus aliquod quāuis subtile, quamuis tenue haberet corpus.

25. *Dicit ei mulier. Scio quia Messias venit.*) ἔρχεται) venit, præsenti tempore, id est venturus est, vt Matth. c. 17. 11. πρῶτον μὲν ἔρχεται, *Elias quidē venit*, id est *venturus est*, vt noster vertit interpres. Aut quod magis ego hoc loco probo, *venit*, id est aduentat, in propinquo est, iam natus esse dicitur, cœpisséque se miraculis ostēdere. Hoc enim mulierem illam dicere voluisse ex eo coniecturam facio, quòd si alio dixisset sensu abs re dixisset. Quorsum enim ad Messiam solutēdam quæstionem reiecisset, si non iam venisse, aut tam citò venturum putabat, vt ipsa eum videre, & ab eo doceri posset? Nam quòd quidam dicunt iniquo illam animo tulisse Christi responsum, & ad Messiam quæstionem retulisse, non quòd se eum visurū speraret, sed vt ingratam sibi disputationem abrumperet, non video, quomodo probent. Inaudierat igitur de Christo iam aliquid, sperabátque eum se visurū. Credendum enim est manasse iam latè famam extitisse Christum, qui se doctrina, atque miraculis doceret esse Messiam. Fieri etiam potest, vt ita intellexerit, quod dixerat Christus, *Venit hora & nunc est*, quasi significasset tempus venisse Messiæ, qui & Iudæorum, & Samaritanorum cultum in meliorem esset statum restituturus, vt etiā Rupertus interpretatur. Respondet igitur ad id, quod Christus dixerat accommodatè. Quandoquidem, vt significasti, Messias venit, nihil opus est priuatim inter nos de religione disceptare. Ille nobis communis, & æquus iudex erit, quem vtrique expectamus, cuius vtrique stabimus sententiæ, ad illum disceptationē nostram deferamus. Fallor nisi in hunc sensum Cyrillus intelligit. Quærūt Origen. Chrysosto. Theophylact & Euthym. vnde Samaritani Messiam expectarēr: præsertim cum quinque tantùm Mosis reciperent libros, vt notat Origen. Respondent ex illis ipsis Mosis libris hoc didicisse. Nam Gen. 49. 10 manifestam de Messia prophetiam esse, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Et Deut. 18. 35 *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Alii quæ illi proferunt ipsidē ex libris testimonia, quæ lector, si volet, videre poterit.

Qui dicitur Christus.) Inter omnes conuenit hæc verba Euangelistæ esse nomen Messiæ quod, vt alibi diximus Hebraicum est, Græco interpretantis verbo, qua lingua scribebat.

Cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia.) Congruenter superiori interpretationi sic expono. Cùm venerit, id est cùm sese nobis Samaritanis ostenderit, cùm ad nos docendū peruenerit: iam enim in Iudæa natum ferunt, docereque ibi cœpisse. Aut ex alterius sensu, *Cum venerit*, id est citò dicitur nascituros, cùm natus fuerit, ille nobis & quæstionē istā. & cætera omnia, quę ad religionē pertinēt, explicabit.

26. *Ego sum, qui loquor tecum.*) Quàm breuiter, quàm perspicuè sese Christus mulierculæ, quis sit ostendit. Quàm breui tempore, quantum illi confert beneficium. Merito quid causæ fuerit, cur nunquam Iudæis ipsis quorum potissimùm causa venit, se tam aperte declarauerit, quæri solet. Omnes hoc

A mulieris eius simplicitati tribuunt. Nam Iudæi maligno plerumque animo, hæc mulier discendi causa Christum rogabat. Sic Origen. Ammon. Chrysostō. Theophylact. Euthym. & Rupertus. At cur non & illi statim, sed post longam disputationem aperuit? Respondet Theophylact. idémque Cyrillus indicat duabus id de causis fecisse; & vt arrogātię suspicione vitaret, & vt faciliùs mulieri, quod dicebat, persuaderet. Etenim si statim initio dixisset. Ego sum Messias, antequā & verbis, & factis viā sibi ad fidē munisset, & arrogans, iactatórque sui intempestiuus visus fuisset, & non fuisset creditus. Gradatim eam mulierem, vt Cyrillus ait, ad fidem duxit. Primùm quod nihil de hac re cogitās porum ab ea postulant. Deinde ex eius verbis occasionē sumpūt hactenus declarandi se vulgarem non esse hominem. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi. Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Quasi dicat, Si scires me esse Messiam, qui sum Dei filius, & Dominus omnium, non petisses à me aquam, sed ipse dedissem tibi aquam viuam. Rursum ex secundo responso mulieris occasionem sumit dicendi aduenisse Messiam, *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Denique cùm mulier Messiam nominasset, quidquid de religione doceret, crediturā, verbum Christus arripuit, seq; eum ipsum Messiam esse docuit. Credat ergo sibi, quādo eius quodammodo tribunal appellasset. Monet Cyrillus eos, qui docendi in Ecclesia curam habent, vt hoc discant exemplo sese ad auditorum captum accōmodare: nec omnibus simul tradant, sed faciant per res faciliores ad difficiliores gradum. Moneo eos ego qui se in iuuandis spiritualiter alijs versari profitētur, vt ex re quilibet occasionem captent, sermones omnes ad spiritualē eorū quibuscū loquūtur, vtilitatē referendo.

27. *Et continuo venerunt discipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur.*) Quorsum hoc Iosnes? Indicat Cyrillus causam reddere voluisse, quobrem non vltra inter Christum, & mulierem progressus esset sermo, quia interuētu nimirū discipulorū interruptus est. Contra verò Chrysostomus, & Theophylactus diuinitus factum esse, vt non ante discipuli venerint, quàm sermo ille Christi tam salutaris finitus esset, quo se illi Messiam esse declarauerat, eo verò finito statim venisse, quasi à Deo detenti fuissent, ne ante venirent. Cur autē mirati fuerint, quòd cum muliere Christus loqueretur. Euangelista non docet. Plerique auctores veteres eum humilitatem miratos fuisse putāt, quòd dedignatus non fuerit cum muliere, & quidem alienigena, & paupere loqui. Sic Origenes, Ammonius, Leontius, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthym. Eodémque sensu videntur D. Augustinus, & Beda interpretari. *Quia quærebat peregrinā*, inquit Augustinus, *qui venerat quærere, quod perierat. Hoc illi mirabantur. Bonum enim mirabantur, non malum suspicabantur.* Alii Ammonius interpretationē adhibet, miratos fuisse discipulos, quòd cum Samaritana loqueretur, cum non vteretur Iudæi Samaritanis. Sunt inter posteriores auctores & recentissimos qui existiment præterea miratos, quòd scirent Christum solitum non esse cum mulieribus colloqui, mirari enim hominem insolita. Cyprianus in libro de singularitate clericorum ideo miratos putat, quòd non satis honestum esse videretur, vt solus cum sola muliercula loqueretur. Idque videntur præ se ferre.

Nemo tamen dicit; Quid quæris aut quid loqueris cum ea?) Scientes, vt ait Leontius, non sine consilio Christum id facere. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius existimant assuetos fuisse discipulos, & instructos à Christo, ne eius facta diiudicarent. Quo-

rit autem idem Chrysostomus, & Theophylact. quid causæ fuerit, quòd modestiores solito hoc loco fuerint. Nam & alibi audacter interrogasse Christum, quis ipsorum videretur esse maior, & Ioannē super eius pectus recumbētem de proditore, quisnam esset, scisciatum. Respōdent illic rem suam egisse, hic alienam. Præclarum exemplū, vnde discere inferiores debent non oportere eos de superiorum consiliis, factísque iudicare. Quam moderationem si homines erga homines, multo maximè homines erga Deum tenere debent. *Nunquid dicit luxum ei, qui se iniquit quid me feci sti sic? & opus tuum absque manibus est.*

28. *Reliquit ergo hydriam mulier, & abiit in ciuitatem.*) Volunt nobis Euangelista, vt etiam Leontius admonuit, hoc facto ante oculos ponere, quāto ardore fidei mulier illa fuerit incensa. Vsque eo prorsus, vt velut rerum omnium oblita, & aquę cupiditatis hauriendæ ferēdéque causa venerat, & ipsius, hydriæ, quam secum tulerat, nihil iam aliud, quàm de Christo, déque communicando cum omnibus inuento à se thesauro cogitaret. Expressum exemplum hominis verè conuersi, & à Deo inspirati, omnia statim relinquere, etiam quę in manibus habeat. Quemadmodū vocatos à Christo Apostolos fecisse legimus. *Et continuo*, inquit; *relictis retibus secuti sunt eum.* Hoc se fecisse D. Paulus affirmat, *Cum*, inquit, *placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem eum in gentibus, continuo non acquieui carni & sanguini.* Galat. 1. 15. 16. Notauit exēplum Origenes, & nobis admonuit imitandum. Mulier, inquit Augustinus, audito, *Ego sum, qui loquor tecum*, & recepto in cor Christo Domino, quid faceret, nisi iam hydriam dimitteret, & euangelizare curreret? Proiecit cupiditatem, & properauit euangelizare veritatem. Discant, qui x olunt euangelizare, & prosiciant hydriam ad puteum. Venerat mulier ad fontem Iacob, inuenitque Christo meliore fonte aquæ viuæ salientis in vitam æternam illum negligit, ex hoc hauserit, vt Chrysost hom. 33. Theophylact. & Euthy. hoc loco tradiderunt.

29. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci, numquid ipse est Christus?*) Pedētim egit, inquit Augustinus, ne illi quasi irascerentur, & indignarentur, & persequerentur. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* Singula verba plena prudentiæ sunt, & vt ait Chrysostomus, quemadmodum Christus illam paulatim, & sensim ad fidē non cum traxerat, quàm adduxerat, sic ipsa Samaritanos adducere conatur, vt facile iam Christi discipulam agnoscas. Primùm non dicit, Credite mihi Messiam venisse, ego vidi. Sed inuitat vt & ipsi veniant, non verbi sibi, sed Christo, & experientiæ credere. Neque dicit, Venite, credite, sed *venite, & videte*, vt Chrysostomus, & Leontius adnotarunt. Videre autem hoc loco non solum opinor significat visum, sed experimentum, atque iudicium; quasi dicat, Venite, experimini, explorate, iudicatéque, num ille Messias sit. Confidebat enim fore mulier, vt simul atque videret eum, & aliquid interrogarent, aliquid coram ipsa dicerent, facerétve, vnde eum Messiam esse cognoscerent. *Solus visus*, inquit Cyrillus, *sufficiet ad fidem, faciet vos ille multis ingentibusque miraculis certiores. Nam qui cordium nouit secreta, & hanc diuinam possidet dignitatem, quomodo non cuncta efficiet, quæ voluerit?* Sic dicit, Videte prophetam, aut Christum, sed videre hominem, quamuis supra hominem esse credere, vt Origenes, Chrysostomus, & Euthymius obseruarunt, quia hoc ipsum maluit ab illis explorari, rectiùs credi, quam à se dici. Quo enim leuius eos trahere videbatur velle eo magis trahebat, vt

A Leontius, Euthym. indicarūt. Nec erubuit, vt Theophylactus, ait, dicere omnia, quæ fecisset, ab eo sibi fuisse patefacta, sed se ipsā infamat, vt eos ad Christum adducat. Sic debent Euangelici prædicatores *per infamiam, & bonam famam*, vt ait D. Paulus, Christum annuntiare. Non dixerat illi Christus omnino omnia. quæ toto tēpore vitæ suæ fecerat, sed dixerat, quæ præcipua erant, quæque maximè erant occulta, & mulierem poterant cōmouere. Ex illis enim facere coniecturā poterat. qui ea dicebat, omnia, si vellet posse dicere. Propterea vniuersè dicit, *Quæ dixit mihi omnia, quæcunque feci*, vt Chryso. putat. Aut, vt ego arbitror, hyperbolica, vel synecdochica locutio est, qua, vt res quæ dicitur exaggeretur, pro parte totum, ponitur. Quod autem addit, *Numquid ipse est Christus?* nihil absurdi erit, si dicamus dixisse dubitando, nihil enim mirum, si necdum perfectam haberet fidem, cùm lōgo tempore discipuli ipsi vix habuerint. Tamen vero similius est, & toti orationi congruentius non dubitādo, sed addubitantis modo dixisse, ne de re tanta præiudicare imperita mulier videretur; sed omne iudicium illis relinqueret, quos ad capiendum experimentum inuitabat, vt Euthym. interpretatur.

30. *Exierunt ergo de ciuitate, & veniebāt ad eum.*) Propterea dixit Euangelista ἤρχοντο *veniebant*, non ἦλθον venerunt quia volebat narrare, quid interim, dum illi veniebant, accidisset, quomodo discipuli Christum rogassent, vt cibum sumeret, quídque ille respondisset. Imitati sunt Samaritani mulieris diligentiam. Illa statim vt Christum inuenit, nullas nec tenuis moras, relicta ad puteum hydria ad euangelizandum cucurrit; illi statim per mulierem audito nuntio verbem relinquunt, & ad quærendum Christum accurrūt, Et nos Samaritanos, vt Origenes admonet, debemus imitari, ad Christum vel per mulierem commonefacti relictis verbibus, relictis rebus omnibus currere debemus. Rectè Cyrillus Samaritanorum, in credendo facilitatem cum Iudæorū duritie comparat. *Samaria*, inquit, *dimidium peccatorum inorum non peccauit.* Ezech. 16. 51.

2. ad Cor. 6. 8.

Diligentia Samaritanorū mulierem imitantis.

31. *Interea rogabant eum discipuli dicētes, Rabbi manduca.*) Quòd Christum discipuli rogauerint, vt cibū sumeret. Chrysost. & Theophylact & Euthym. non improbitate quidem vlla, sed caritate fecisse interpretantur, quòd eum fessum de via esse scirent. Notarunt quoque Ammonius, Theophylact. & Euthy. verbum παρεκάλουν, quod proprie significat interrogare, accipi hoc loco pro rogabant precabantur. exhortabantur vt cibus sumeret. Vera hæc sunt. Sed videntur mihi Apostoli aliquam, vt cum rogarent, occasionem habuisse. Nam si illi quidem statim vt appositi cibi sunt, sumere cœpisset, nihil vtique fuisset causæ, quamobrem illum rogarent. Est igitur verosimile Christum appositum iam cibū prius sumere noluisse, sed hæsisse meditabundum, & quasi aliam in rem, quæ magis sibi, quàm cibus curæ esset, animo defixum. At quamobrem cibum sumere prius noluerit, aut qua de re cogitabundus hæserit, probabilis Cyrilli cōiectura est, sciuisse eum Samaritanos à muliere vocatos venturos esse, noluisse eos ante cibū capere, quàm illos ad patrē suum adduxisset. Hoc enim est, quod statim dicit, *Ego cibū habeo manducare, quem vos nescitis. & Meus cibus est vt faciā voluntatem eius, qui misit me.* Dedit Euangelij prædicatoribus singulare documentum. vt cibum & potum, ne dum alia quæ minùs sunt ad vitam necessaria prædicationi posthabeant.

32. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.*) Quem cibum intelligat ver. 34. declarat. Illud mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dò notandum videri Christum de industria cibum non sumere, vt à discipulis sumere rogaretur occasionémque ex eorum captaret verbis de matura iam ad messem segete disserendi, vt sese illi qui messores futuri erant, præpararent, eósque ad cibum illũ, in quo ille sumendo totus erat occupatus, inuitaret vt de Samaritanorum, aliarúmque gentium salute cogitarent. *Tanquam magistros*, inquit Ammonius. *orbis terrarum assuefacit corporalem cibum Dei voluntati hominúmque saluti postponere.* In hanc etiam sententiam hunc locum Cyrill. edisserit, *A rebus*, inquit, *quæ tam instabant, responsio texitur, oculiníque significatur, quod si discipuli scirent de Samaritanorum couersione iam agi, de illo cibo magis cogitarent, quàm de corporali consulerent.*

Corporalis cibus hominum saluti post ponendus. Lib. 2. c. 103.

33. *Dicebant ergo discipuli ad inuicem. Nunquid aliquis attulit ei manducare?*) Apparet non magis discipulos intellexisse, quod Christus de cibo, quàm Samaritanam illam mulierem, quod de aqua dicebat ver. 10. Nam & illa non nisi corpoream aquam, & hi non nisi corporeum cibum cogitabant, vt Chrysost. Cyrillus, August. Beda, Theophylactus, Euthymius adnotauerunt. *Quid mirum*, inquit Augustinus, *si mulier illa non intelligebat aquam, ecce discipuli non intelligunt escam?* Itaque nihil erat causæ, cur Origenes suum illum Heracleonem propter hanc interpretationem reprehenderet, quam tor post clarissimi auctores probauerunt. *Dicebant ergo ad inuicem*, id est inter se, non palam, non ita vt Christus audiret. Non enim audebant reuerentiæ causa, vt ait Euthymius, hoc ipsum illum interrogare. Dubitant autem ecquis illi se absentibus cibum attulerit, incredibile iudicantes eum cibum non sumere, si ante non sumpsisset, cùm fessum de via esse scirent, tempúsque meridianum ver. 6. & ieiunum ad eum locum peruenisse. At quis illi cibum attulisset? Aut aliquis, qui eò fortè venisset, famelicúmque vidisset esse, sicut mulier repererat sitibundum, à quo se diligentia dolebant esse superatos. Aut, vt Origenes interpretatur, putabant angelum illi aliquem tulisse cibum. Aut, vt ait Leontius existimabat accidisse illi, quod acciderat Danieli, cum in lacum leonum conclusus esset, vt Habacuc prandium illi à Deo, quod messoribus suis parauerat, ferre cogeretur. Daniel. 14. 35. Vel quod accidit Eliæ; cui coruus iussu Dei prandiũ quotidie, cœnámque ferebat. 3 Regum 17. 6.

34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.*) Clariùs discipulis exponit, de quo loquebatur cibo, quàm expositurat Samaritanæ, de qua aqua locutus esset. Sicut solebat illis differere, quæ alijs in parabolis, obscuréque dixisset, Matt. 13. 36. 37. & 15. 15. 16. 17. Aliquid enim discipulis concedẽdum erat: & discipuli facilius, quàm mulier apertè, & sine metaphora loquentem intellexissent: & erat, magis necessarium hoc discipulis, quàm illud mulieri declarare, quia, vt ex Ammonio, & Cyrillo superiore versu diximus, oportebat eos tãquam messores, id est magistros instruere, vt eundem illi cibum rebus omnibus anteferrent. Voluntatem autem Patris salutem hominum intelligit, vt Euthymius admonuit. Itaque significat voluntatem Patris propterea in modum cibi sibi esse, hoc est gratam, iucundam atque suauem, quia in procuranda hominum salute versatur, non solùm quia Patris voluntas est. Salus nostra veluti condimentum illi erat paternæ voluntatis, quæ illam per se iucundissimam reddebat iucudiorem. *Iudicia*, inquit, *Domini vera, iustificata in semetipsis: desiderabilia super aurũ, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel, & fauum*, Psal. 18. 10. 11. Non dixit vt faciam voluntatem Patris, sed *voluntatem eius, qui misit me*, quia etsi idem est, non eandem habet vim. Dum enim dicit *eius qui misit me*, indicat in hoc ipsum se fuisse missum, vt eam faceret, id est vt hominum salutem procuraret. Hoc magis declarat cum dicit, *vt perficiam opus eius*, id est negotium mihi ab eo iniunctum, vt ad salutem homines adducerem.

Voluntas Dei Patris salus hominum.

35. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quattuor menses sunt & messis venit?*) Subobscurus locus. Primùm videndum de qua messe discipulos loqui intelligat, cùm dicunt, *adhuc quattuor menses sunt, & messis venit*: deinde de quomodo quattuor illi menses intelligendi. Origenes videtur existimare discipulos de spirituali messe intellexisse, adhuc quattuor menses, id est longum vsq; ad illã tempus reliquum fuisse. Adeo enim creditu difficilia docere Christum, vt antequã homines credant, id est ad messem maturi sint multum temporis superfit. Quod etsi à nullo alio auctore confirmatum video, probabile tamen iudico, modò ita intelligamus, vt sensus sit: Nõne vos existimatis nunc sementem Euangelicam facere, ideóque longum tempus vsque ad messem superesse? itaque auctores mihi estis, vt nõ de alia re quàm de quiete, & cibo cogitem? Sicut solent agricolæ facta sementes quiescere, & superioris anni frumentum edere; ingruente verò messe dies, noctésque laborare. Atqui non ita est. Sementis Euangelica iam diu per Prophetas facta est. Itaque non est nunc sementis, sed messis tempus: nec otiandum mihi, vbiíq; est, sed gnauiter laborandum. *Alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introiistis.* Cæterum si communem omnium aliorum auctorum interpretationem sequamur, August. Cyrilli, Chrysostomi, Bedæ, Theophylacti, Ruperti, Euthym. de messe hoc corporea intelligendum, vt ex illa Christus ad spiritualem argumentetur, quasi dicat vsque ad messem quidẽ corpoream de qua vos cogitatis, quattuor menses sunt, vt vos dicere soletis; sed messis illa, de qua ego solicitus sum alba iam est, atque matura. De quattuor mensibus maior est quæstio. Omnes quidẽ auctores, quos legere vnquam memini, sic interpretantur, quasi hoc quattuor ante messem eius anni mẽsibus dicta fuerint, id est sub mensem Februarij. Maio enim mense in Palæstina messem solitam fieri. Sic Cyrillus, Augustinus, Beda, Rupertus intelligunt. Atque hinc Cyrillus, & Rupertus colligunt hæc vere primo, id est circa Februarium mensem accidisse. Non dissentio libenter ab omnibus præsertim auctoribus, sed proponam lectori interpretationẽ meam, & doctoribus me iudicandum relinquam. Existimo prouerbium apud Hebræos fuisse *adhuc quattuor menses esse ad messem*, quo significabant satis esse tẽporis, vt de alia re facienda cogitarent, séque ad eam præpararent. Eodẽ plane modo quo Latini dicit, *adhuc sex in hebdomade est.* Sumptum autem inde prouerbium fuisse arbitrorisquod plerumque inter eum mensem quo sementis, & cum quo messis fiebat, quattuor erant menses. Fiebat enim sementis mense Nouembri, messis mense Aprili exeunte, inter quos duos menses quattuor erãt December, Ianuarius, Februarius, & Martius. Illo autem tempore solicitudo messem fieri, Exod. 34. 22. & Leuit. 23. 15. manifestum est, vbi permitti frugũ septẽ post Pascha hebdomadibus offerri iubebatur. Ergo prouerbium erat, vox erat otiosorum hominum qui semẽtem iam fecissent, nihilque vsque messem, id est vsque ad longum tempus haberent quod magnopere agerent. Hoc prouerbium ex semente, & messe corporea desumptum aptè Christus ad spiritualem semẽtem messémque accommodauit. *Vos dicitis*, id est dicere soletis, *adhuc*

quattuor menses sunt vsque ad messem, id est satis esse tẽporis, vt de aliqua re agenda cogitetur. Nõ poteritis id nunc de spirituali messe dicere, in quam ego vos missurus sum; *leuate enim oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Nõ ergo significat Christus discipulos tunc hoc dixisse *adhuc quattuor menses sunt*. Quorsum enim dixissent etiamsi verum esset? Ac ne alio quidem fortasse tempore vnquam dixerant. Sed est Hebraismus, quo secunda persona pluralis ponitur pro tertia, & pro verbo passiuo impersonali, quo vtuntur Latini *Nonne dicitis*, hoc est nonne dicunt, aut nonne dicitur, nonne dici vulgo solet *adhuc quattuor menses sunt vsque ad messem?* Mirabitur sum, cum apud doctum quendam interpretem legi quattuor hisce mensibus breue tempus significari; quasi diceret Christus, vos ipsi iudicatis tempus iã esse, vt de futura messe cogitetis, cum dicatis non nisi quattuor menses vsq; ad messem superesse? Sensus meo iudicio verbis Christi contrarius. Opponit enim discipulis se, *ecce dico vobis*, Opponit oculos linguæ: *vos dicitis*, sed ego dico, *leuate oculos vestros*, Opponit tempus tempori quod ipse dicit, ei quod discipuli dicebant, breue longo. Illi dicebant quattuor superesse; ipse dicit nihil, aut perparum temporis superesse, iam enim matura ad messem segete campos albescere. Et si breue tẽpus significare voluisset, non vtique dixisset, *adhuc quattuor menses*, sed non nisi quattuor menses sunt vsque ad messem. Qui enim dicit *adhuc* longum indicat tempus.

Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones.) Γε᾽ηματε campos, agros satos. Prouocat ad experientiam discipulos, & vt diximus oculos opponit linguæ. Quærunt, nonnulli quos oculos leuare iubeat; corporis, an animi? Vtrosque inquiunt Leontius, & Theophylactus; corporis, vt ad se venientes Samaritanos viderent, & ex illis caperent coniecturam quam maturę alię regiones essent, quando illa, quę quia hostilis, erat maximè immatura debere esse videbatur, tam matura esset, vt falcẽ postularet, id est ad se veniret. Cyrillus, & Rupertus solos mentis oculos intelligũt, quod est probabilius, cùm, vt diximus, de spirituali loquatur messe. *Regiones* verò vocat, vt inquit Leontius, multitudinem hominum, qui quaqua versus erant, nõ solùm, vt putat Euthymius, Samaritanorum. Albentes autem, quia paratę iam erant ad Euangelium recipiendum. Qui ideo messis appellantur, quia tanquam manipuli ex agro mundi colliguntur, & inferuntur, congregantúrque tanquam in aream in Ecclesiam, vt inquit Ammonius. Nam & Ecclesia idcirco vocatur area, quòd in ea non sola grana, sed grana vna cum paleis continentur, Matt. 3. 12. & Lucę 3. 17. Sic vocat messem, Matt. 9. 37. 38. *Messis quidem multa, operarij autẽ pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Alio sensu Matth. 13. 30. 39. messem, consummationẽ sæculi vocat, quia area tunc sicut tempore messis, ventilabitur, & grana à paleis separabuntur. *Sinite*, inquit, *vtraque crescere vsque ad messem.* Notarunt hoc Augustinus, & Rupertus, copiosiùs autem Origenes.

36. *Et qui metit, mercedem accipit, & cõgregat fructum in vitam æternam.*) Dubium an idẽ nomine mercedis, & fructus intelligat. Origenes quidem, & Rupertus diuersa esse putant, etsi, quid merces à fructu differat non conſentiunt. Nam Origenes vtrunque ad futuram vitam pertinere existimat; sic tamen vt merces dicatur ea; quæ propter promissiones tanquam debita redditur; fructus verò his, qui supra debitum datur, quia *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rupertus verò mercedem esse eam, quæ in hac vita debetur operarijs Euangelij. De qua dictum est. *Dignus est operarius mercede sua. Et in quãcunque domum intraueritis, ibi manete edentes, & bibentes quæ apud illos sunt.* Fructum autem eum, qui in altera reddendus est vita, de quo dicit D. Paulus, *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Alij ita distinguere videntur vt merces sit, quæ in cælo pro cuiusque labore redditur, fructus verò non ad messorem, sed ad dominum messis referatur. Quasi sensus sit messorem mercedem à Domino messis accepturum esse, quia fructum in eius horreum congregauit, id est multos homines in vitam æternam adduxit. Ego Cyrillum secutus mercedem, & fructum idem esse arbitror. Sed mercedem appellari, quia pro labore datur; fructum verò quia solet messoribus pro mercede fructus, id est frumẽtum dari ex illo ipso, quod messuerunt.

Luc. 10. c. 7. Mat. 10. 10.

1. ad Corinth. 3. 8.

Merces à fructu non distinguenda.

Vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit.) Hoc ideo adiectũ esse Chrysostomus putat, ne quia dicturus erat alium esse qui seminat, alium qui metit, existimaret aliquis eos, qui seminassent, mercedem non accepturos. Mihi, quia de messe, & eius mercede loquebatur, tempus illud nobis repræsentare videtur voluisse quo omnes agricolæ & qui seminarunt, & qui messuerũt accepta mercede gaudere solent. Solent enim, vt diximus, agricolę omnem mercedem frumento soluere, & in tempus messis etiam eorum, qui in hyeme apud se laborarunt, differre. Itaque nõ probo quod Chrysostomus & Theophylactus adnotarunt, ideo hoc dictum esse, vt differentia inter seminatores temporales, & spirituales significetur. Qui temporalem sementem faciunt, dolere si alij metant, quod ipsi seminauerunt; qui spiritualem, gaudere. Solent quidem id facere qui sibi, nõ hero suo seminant, vt apud Isa. c. 17. 10. & 65. 22. intelligitur. Qui autem non sibi, sed hero seminant, gaudent, quòd ex semente, quam ipsi fecerunt, magna proueniat seges, per quoscunque tandem siue per se, siue per alios eidem domino metatur. De his loquitur Christus. Nam & prophetæ Domino non sibi seminarunt, & Apostoli eidẽ Domino messuerunt: & vtrique secundùm proprium laborem accepta mercede pariter gaudẽt. Vtique enim cooperatores erant Dei; etsi illi plantauerãt, isti rigauerunt.

1. ad Cor. 3. 6. 8. 9.

37. *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit.*) Non dubium quin prouerbium illud apud Hebræos tritu fuerit, vt Theophylact. & Euthym. adnotarũt. Quo prouerbio vtebantur, cùm volebãt significare alium laborasse, alium eius frui labore. Semẽtis enim cum magno labore tẽpore totius anni difficillimo, incerta verò spe prouẽtus, atque mercedis fit: messis verò & minore labore, & certo prouentu, atque mercede. Hoc igitur prouerbiũ ad Prophetas, & Apostolos Christus accommodat. Quod Prophetæ sementem fecissent, id est maioré laborem subijssent; Apostoli verò meterent, id est minùs laborarent. Non quòd minor Apostolorum, quàm Prophetarũ labor fuerit, quin multo fortasse maior, totum terrarum orbem peragrare, per ferrum, per ignes, per cruces ire, non iam cum hominibus, qui aliquam Dei haberent scientiam, quales Iudæi erant, sed cum Gentilibus, cum tyrannis, id est cum bestijs pugnare. Sed quòd multo maiorem laboré Apostoli subiturí essent, si Prophetæ ante illos non laborassent, & Iudæorum populum excolendo ad recipiendum Christum, eiúsque Euãgelium præparassent. Adde quòd, vt postea dicemus, non loquitur Christus hîc nisi de Iudæis.

Prouerbium apud Hebræos usitatum.

38. *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis; alij labo-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prophetæ adeos Philosophi Gentiles Euangelio præpararunt.

Veteris & noui testamenti vnum fuisse Deũ probatur aduersus hæreticos.

rauerunt, & vos in labores eorum introistis.) Omnes cõsentiunt auctores Prophetas significari, qui antequam Apostoli veniret in erudiendo populo laborauerant. Sic Origenes, Irenæus, lib. 4. c. 40. Augustin. Chrysostomus, Ammonius, Leontius, Beda, Rupertus. Euthymius, Theophylactus. Solus Heracleon, vt Origenes refert, angelos intelligebat. Sed minimè dubium est homines cum hominibus comparari. At prophetæ apud Iudæos tantùm laborauerant: quid de gentibus? Sunt qui putent etiam de gẽtibus hic agi, & quemadmodum Prophetas apud Iudæos, ita Philosophos apud alias gentes homines ad recipiendam fidem præparasse; dum licet multis admixtis erroribus docebant aliquem esse Deum, eúmque bonum, rerum omnium habentem prouidentiam, immortales esse animos nostros, proposita esse in altera vita bonis præmia, malis supplicia, aliáque huiusmodi multa, quæ cum Christiana religione conueniunt. Multa in hanc sententiam Clemens Alexandrinus in Pædagogo, & lib. 1. Stromat. disputat, Philosophiam pedagogum fuisse Gentilium; hoc fuisse Græcis, quod lex Mosis Iudæis fuerat. Huc pertinet quod Augustinus tradit lib. 3. Confession. cap. 9. & libro 3. aduersus Academicos multa in Platonicorum libris esse, quæ Christianæ religioni consentanea sint, séque multum, vt Christianus fieret, eorum lectione fuisse commotum. Hoc Tertullianus non dixisset, notans vbique Philosophos, & Patriarchas nõ Christianorum, sed hæreticorum appellans. Probabile quidem sit Christum etiam de gentibus loquis probabilius tamen iudico, vt de solis loquatur Iudæis, in quibus, quia decem successerant, tribubus, etiam numerat Samaritanos. Probant ex hoc loco Irenæus, & Theophylactus aduersus Marcionistas, & Manichæos eundem fuisse Deum veteris, nouíque testamenti, quando & in illo Prophetę, in hoc Apostoli, illi ad seminandum, hi ad metendum in eundem agrum missi sunt. Ammonius verò, & Leontius colligunt ex illo verbo, *ego misi vos*, Christum etiam Prophetas misisse ab eodem enim patre familias, & messores, & seminatores mitti. Rectè quoque Iudaeus in lib. cõtra Varimadum ex hoc loco Christi probauit diuinitatem, neminé enim nisi Deum prophetas, & Apostolos mittere potuisse. Magis hanc quam recentiorum quorundam probo diligentiam, probantiú ex hoc loco, antequã hoc Christus dixisset, Apostolos ab eo ad prædicandum missos fuisse. Quod vt verum sit ex hoc certè loco probari nõ potest. Quòd enim dicit *misi*, necesse non est, vt sic interpretemur quasi iam re ipsa misisset, sed quasi re ipsa eos elegisset, ac destinasset, vt suo mitteret tempore. Quemadmodum Matthæi 10. 5. dicitur duodecim Apostolos misisse, cùm non statim miserit, & Marci 3. 15. didicisse potestatem spirituum immundorum, cùm nõ tũc dederit vt eo loco probauimus, sed postea cum eos mitteret ad prædicandum, c. 6. 7. Dicitur autem dedisse, tunc, quia tunc eos legit, vt suo tempore eam illis potestatem daret.

39. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbũ mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci.*) Quid Heracleon in hæc verba commentaretur, malo lectorem ex Origene discere, quàm à me sine operæpretia recitari. Illud dubium, quando intelligat Euangelista illos multos Samaritanos *propter verbum mulieris* credidisse, an antequam ex vrbe egressi ad Christum venissent, an postquam venerunt? Placet mihi quòd indicant August. & Beda, priusquam exirent credidisse. Hoc enim significat Euangelista cùm priùs dicit multos *propter verbum mulieris*, credidisse; deinde quasi rem postea factam addit, *cum venissent ergo ad illum Samaritani*. Illa enim dictio, *ergo*, significat propterea eos ad Christum venisse, quia prius credidissent. Atq; ita etiam videntur Cyrillus, & Theophylactus intellexisse. Quo autem modo tam facile mulieri crediderint, poterat enim mentiri, rationem Leontius, & Theophylactus reddunt, nihil mulieri, vt mentiretur, fuisse causæ. Nec enim conciliandæ gratiæ causa dicere potuisse, cùm se potius infamem redderet, dum fatebatur vera esse, quę sibi à Christo dicta essent.

40. *Cum venissent ergo ad illum Samaritani.*) Cum peruenissent. Iam enim dixerat ver. 30. *exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.* Ad quæ verba nunc post interpositum Christi cum Apostolis colloquium redit Euangelista; docétque quid Samaritani egerint, cùm peruenerunt ad Christum; rogarunt nimirum eum, vt apud se maneret. Non solùm officij, & humanitatis causa id, vt opinor, faciebant; sed quia volebant quem Messiam esse credebant, apud se retinere; & vt salutem ex eo perciperent; & quia honorificum erat, Messiam apud se habere. Vix enim quisquam Christum, cùm non honorẽ sibi, sed igno miniam affert, retinere nititur. Credibile est permisse ab eo Samaritanos non vt duos dies, sed vt semper, aut longo saltem apud se tempore maneret, vt putat etiam hrysostomus. Cùm enim dicit Euangelista duos ibi mansisse dies, videtur indicare, non concessisse illis Christum quãtum petebant, sed cõcessisse tamẽ aliquid. Duplex hic quæstio, altera cur in ciuitatem Samaritanorum ingressus fuerit, cum ipse discipulos ad prædicandum mittens id facere prohibuerit, Matth. 10 5. Altera, quare ingressus non nisi duos dies mãserit? Ad primam multis modis interpretes respondent. Primùm Dominum fuisse legis, quam ipse tulisset, poruisséque in ea dispensare, sicut quia Dominus erat sabbati, vt idem alibi dicit, multa in sabbato faciebat, quæ Pharisæi iudicabant fieri non posse. Deinde id non fecisse nisi rogatum, & ita rogarum, vt recusare humanitatis officio honestè nõ posset. Deinde nõ fecisse nisi quia fecebat vt ait Cyrillus, quàm multi, si hospitium sibi oblatum acciperet, essent crediturí. Ad hæc quia paulatim ostendere volebat etiam gentibus aduentum suum salutarẽ fore. Hac enim ratione & Gentilis Centurionis sanauit puerum, Matthæi 8. 13. & Chananææ mulieris filiam à dæmonio liberauit, Matthei 15. 28. Denique id non quasi suscepto consilio, sed obiter tantum fecisse, ideóque duos ibi tantum modo mansisse dies, ne id sponte sua, datáque opera facere videretur, quæ secunda erat quæstio.

41. *Et multo plures crediderunt propter sermonem eius.*) Non dicit credidisse propter miracula, quæ ibi fecit. Estq; probabilis opinio Chrysostomi, & Theophylacti, nullum tunc ibi Christum fecisse miraculum, cùm enim explicare Euangelista voluerit causam, quamobrem Samaritani credidissent, dixisse, vtque propter miracula credidisse; si miraculum fecisset aliquod, quemadmodum dixit credidisse *propter sermonem eius*. Neque verò quis ille fuerit sermo, narrat Euangelista contentus vt ijdẽ Chrysostomus, & Theophylactus aiunt, ex affectu nobis ostendere, quantę fuerit efficacitatis; cum tam multos tam brevi tempore ad fidem traxerit. Non fuit simplex, vt Euthymius opinor, sermo, sed doctrinæ plenus. Nam, vt Euthymius ait, doctrinam Christi Euangelista sermonem appellauit. Itaque tum quia non simpliciter, sed docendo, & quæ dicebat, vt credibile est, scripturis interpretandis probando loquebatur tum quia, vt tur alicubi Hieronymus, & in vultu, & in verbis eius vis quædã diuina, & singularis inerat; facilè persuasit. Ac vero quidem simile est quæstionem illam; quam illi ad puteum mulier proposuerat, rerum à quibus illi propositam fuisse, multáque eum ea occasione de lege, de templo, de colendo Deo, déque Euangelio disseruisse. Quod Euangelista dicit, *multo plures* propter sermonẽ eius credidisse, comparatio inter Christum, & mulierẽ fit; multos quidem propter mulierem, multo verò plures propter illum ipsum credidisse. Vt ostendat Euangelista Christum opinionem Samaritanorum ex verbis mulieris ante conceptam non æquasse modò, verum etiam superasse. Idem Reginæ Saba viso, & audito accidit Salomone qui haud dubiè Christi figura erat. *Verum, an quit, est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam vaticinantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit. Maior est sapientia & opera tua, quam rumor, quem audiui*, 3. Reg. 10. 6. 7. Magnam vim verbum Dei habet, per quemcunque tandem annuntietur; multo maiorem, cum suo ipse ore Deus loquitur. *Beatus*, inquit, *quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum.* Propterea gloriatur D. Paulus se non ab hominibus, sed ab ipso Christo Euangelium, quod prædicabat, didicisse, Galat. 1. 12.

42. *Et mulieri dicebant, quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.*) Nõ significãt se propter mulieris verba nõ credere; sed propter ea, quæ in Christo viderant, expertique fuerant, magis credere. Latet enim tacita in oratione comparatio, sicut in illa Osee 6. 6. Matt. 9. 13. *misericordiam volo, non sacrificium*: id est magis misericordiã, quàm sacrificium. Mulier illa Ecclesiam nobis vt Origenes indicat, repræsentat, cuius in hac vita credimus testimonio; *videmus enim per speculum in ænigmate*; cùm autem ad Christũ peruenerimus, id est *cum venerit, quod perfectũ est, euacuabitur, quod ex parte est*, & videbimus cum *facie ad faciem*, Ecclesiæq; dicemus, *iam non propter loquelam tuam credimus, ipsi enim vidimus, & scimus, quia hic est Saluator mundi.* Consimile quod August. & Beda scribunt. Sic, inquiunt, *agitur hodie cum iis, qui foris sunt, & mundum sunt Christiani. Christus nuntiatur per Christianos amicos, tanquam illa muliere, hoc est Ecclesia annuntiante, ad Christum veniunt, credunt per istam famam, manent apud eos biduo, hoc est dat eis duo præcepta caritatis & multo plures, & formius in eum credunt, quoniam vere ipse est Saluator mundi.* Quod dicunt, *hic est vere Saluator mundi.* Ammonius non aliam vim habere putat, quàm hic est verè Christus, aut Messias, quasi idem esset Messiam, & mũdi Saluatorem esse, quòd ea non solùm inter Iudęos, sed etiam inter Samaritanos opinio de venturo Messia esset, fore vt Saluator esset mundi. Optimè omnium, quos equidem legerim, Leontius hũc locum explanat. Existimat, quod verè Saluatorem vocant, comparationem ad angelos, & ad veteres prophetas fieri, qui ob salutem populi sæpe à Deo missi fuerint. Missus angelus est, cum populus Hebræus ex Ægypto fuit educendus, Exod. 14. 19. & 23. 20. Missus alius cum ex Babylonica captiuitate esset liberandus, neuter eorum vere Saluator fuit. Missus Moses, missi alij prophetæ permulti, nemo verè Saluator fuit. Quia est angeli, & homines illi sancti aliqua ex parte populum liberabant, tamen omnino non liberabant, liberabant à seruitute hominum, non liberabant à seruitute peccati: Christus ab hac nos seruitute sanguine suo liberauit. Et angeli, atque prophetæ libera-

bant populum vt ministri, Christus liberauit vt Dominus. Quod & factis, & sermonibus ostendit: *erat enim docens eos* vt ait Matthęus, *sicut potestatem habens.* Hoc ergo est verè saluatorem esse. Potest & aliius esse sensus, vt alludant Samaritani ad verba mulieris, quæ eum Christum esse dixerat. Quasi illi nunc dicant, verè dixisti hunc esse Saluatorem mũdi, aut, vt alij volunt, alludant ad eos, qui paulò ante se Christum esse finxerant, cum nemo eorum vere fuisset Christus. Qualis Iudas ille, de quo Luc. Act. 5. 37. & Iosephus scribunt. Quòd autẽ dicunt *mundi*, indicant, vt idem ait Leontius, nõ solùm Iudæorum, vt ipsi existimabant, sed omnium etiam gentiũ Saluatorem venisse. Cuius rei aliquod fortasse apud illos argumentum erat, quòd ad se, qui abominabiles Iudæis essent, venire nõ recusasset. Vix credibile videretur tantum Samaritanos duorum dierum spatio in fide profecisse, nisi Euangelista tam aperte dixisset. Sed eo facilius crediderunt, quòd Iudæi non erant, exemplúmque ediderunt, fore, vt facilius Gentiles crederẽt, quàm Iudæi. Itaque merito Chrysostom. Cyrillus, & Theophylactus multa de Iudæorum duritie, déque Samaritanorum in credendo facilitate disputant.

Matth. 7. 29.

18 antiq. cap. 1.

43. *Post duos autem dies.*) Vide, quæ diximus vers. 40.

Abiit in Galilæam.) Perrexit in Galilæam ire. Eò enim tendebat iter, cum ex Iudæa profectus est, vt versu 3. 4. dixit Euangelista; sed Samaritanorum rogatu tantisper ad eos diuerterat.

44. *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet.*) Non videtur prima specie satis conuenienter hęc ratio reddi, cur in Galilæam Christus abierit, nec enim in patria sua tunc erat, sed in aliena, ac pene hostili Samaritanorum. Duarum syllabarum, *Enim*, aut vnius potius ☞, qua causa redditur, quinque prorsus diuersas interpretationes inuenio. Augustinus existimat non reddi causam, quare Christus Samaria, aut Iudæa relicta abierit in Galilæam, sed cur spatio duorum dierum, quibus apud Samaritanos fuit, tam multi in eum crediderunt, cùm tam longo tempore in Galilæa. vbi eius erat patria, tam pauci credidissent, quia nimirum *propheta in sua patria honorem non habet.* Itaque putat Augustinus totam hìc Galilæam Christi patriã appellari. Quod nescio an probaturus lector sit, mihi paulò violentius videtur. Theophylactus patriam etiam totã Galilæam vocari putat, sed alio exponit sensu, reddi rationem non quare in Galilæam abierit, sed quamobrẽ non semper in ea manserit, scilicet quia eius erat patria, & *propheta in sua patria honorem non habet.* Si enim nunquam à Galilęa discessisset, non diceretur in Galilæam nunc abire: itaque cum redditur causa, quare abeat, non redditur quare abeat, sed quare ab ea discesserit. Et hoc violentum. Chrysostomus, & Euthymius, & Græcus Leontius existimãt patriam dici Capharnaum. Nam & Capharnaum patriam vocatam eius fuisse, quia frequens ibi commorabatur, Matth. 9. 1. notauimus. Sensum ergo esse non abijsse in Capharnaum, sed in reliquam Galilæam, quia *propheta in patria sua honorem non habet.* In hac interpretatione duo sunt, quæ duriorem reddunt sensum. Alterum quòd Capharnaum in Galilæa esset, itaque non potest Galilæa patriæ eius, id est Capharnaum opponi. Alterum, quod me magis mouet, quòd tunc Christus non discederet à Capharnaum, sed à Samaria. Nam si fuisset in Capharnaũ, indéque in reliquas vrbes discederet Galilææ, haud absurde dici posset in Galilæam discessisse, quia propheta in pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tria sua honorem non habet. Similem enim locutionem supra notauimus cap.3.22. Cyrillus Nazareth. vbi Christus nutritus fuerat, eius patriam interpretatur, sensumque esse putat cum eunti, aut ingredienti in Galilæam Christo Nazareth patria eius occurreret, noluisse ad eam diuertere, sed in alias Galilææ partes secessisse. Quam expositionem etiã refert & probat Leontius. Sed ijsdem duabus rationibus, quibus illa superior Chrysostomi refelli potest. Quam egõ interpretationem probabilissimam, aut potiùs verissimam iudico, eius vix auctorem, vllum præter Origenem hominem plerunque allegoricum inuenio. Credo Iudæam totam Christi patriam appellari, verè enim Iudæus erat natus in Bethlehem ciuitate Iudææ. Cum ergo initio capitis Euangelista dixisset relicta Christum Iudæa in Galilæam abijsse, eamque narrationem narranda Samaritanorum historia interrupisset, finita Samaritanorum historia ad eam redit. Cumque idem repetisset verbum *abijt in Galilæam* (sub relicta Iudæa) causam reddit, cur Iudæam reliquerit, cùm patria eius esset, & in Galilæam abierit, quia propheta *in sua patria honorem non habet*. Quòd verò dicitur Christus testimonium perhibuisse, plerique sic interpretantur, quasi tunc hoc ipsum dixerit, se propterea relicta sua patria, quæcunque tandem ea fuerit, in Galilæam secessisse, quia propheta *in sua patria honorem non habet*. Alij hoc quidem non tunc, sed ante dixisse alia occasione simili, Matth. 13.57. Mar.6.4. & Luc.4.24 cùm causam redderet quam ob rem discederet à Nazareth, quæ alio sensu patria etiam eius dicebatur. Itaque ἰδιαπάτρα, vertunt testimonium perhibuerat. Minùs hoc quàm illud probabile est. Nam si Ioànes significare voluisset Christum alias id testimonium perhibuisse, non dubium quin ad historiam illam allusisset Nazareth de qua modo dicebamus. At illa nondum acciderat. Apparet enim ex Euangelicæ historiæ consequentia tum, cum hæc Samaritanę cõtigit historia, necdum Christum multa miracula fecisse. Illud verò cum accidit Nazareth, multa, magnáque iam fecerat, propterea enim dicebat. *Vnquequid audieris mihi hanc similitudinẽ, Medice cura teipsum, quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*, Luc. 4. 23. Alij suspicantur Ioannem nõ significare Christum verbis, sed factis hoc testimonium tunc perhibuisse. Quasi dicat re ipsa ostendisse, & quodammodo testarum fuisse nullum prophetã in sua patria honorem habere, cum noluerit ipse in patria sua manere, sed se in Galilæam contulerit. Verum sensum attigerunt, qui dicunt non esse hoc ad tempus referendum, quo Christus relicta Iudæa in Galilæam abijt, sed ad illud quo postea, cũ esset Nazareth, testatus est, nullum prophetam esse sine honore nisi in patria sua, Matt. 13.57. Mar.6.4. & Luc.4.24 Tanquam si diceret, Relicta Iudæa abijt in Galilæam, quia, vt ipse postea de alia sua patria loquẽs, dixit, *nec est propheta sine honore nisi in patria sua*. Frustra igitur à quibusdam disputatur, num hoc eodem tẽpore à Christo dictum sit, atque illud quod modò ex Matthæo, Marco, & Luca citauimus. Nec enim dubito, quin eodem tempore dictum sit, ac fortasse semel. Sed Ioannes quod semel à Christo alia in causa dictum fuerat, aut vt dicam meliùs, postea dictum est, id ad causam similem accommodauit. Quid sit prophetam in patria sua honorem non habere, & qua id ratione fiat apud Matthæum differuimus. Hoc nunc sciendum, Christum non de honore suo, sed de patris sui gloria, esse solicitum. Non enim quærebat gloriam suam, sed gloriam eius, à quo missus fuerat, vt ipse alibi testatur. Honorari enim se putabat non cum laute, honorificeque excipiebatur, sed cum facilem inueniebat audientiam. Qualem, vt statim declaratur, apud Galilæos potiùs, quam apud Iudæos inuenit.

Matt.2.1.

Exposito auctoris probari.

Isa.c.8.v. 16.14

45. *Cum ergo venisset in Galilæam exceperunt eum Galilæi.*) Non simpliciter intelligendum est excepisse; sed excepisse libenter, excepisse tãquam Christum, aut certe tanquam prophetam, & virum sanctum. Nam & priùs eum receperant, cum apud ipsos toto vitę suæ tempore versatus esset; sed non dicuntur excepisse ante, quia non vt prophetam, sed vt vnum de vulgo hominem exceperant. Opponuntur autem tacitè Iudæis Galilæi, quòd illi cum populares essent Christi, eum non recepissent; hi cum essent alienigenę, receperint. Ratióque confirmatur, quam ob rem relicta Iudæa venerit in Galilæam. Euentum do cuisse prudẽter feciste eum. Nã à Iudæis irrisus, à Galilæis magna benevolentiæ significatione receptus est.

Cum omnia vidissent, quæ fecerat Ierosolymis in die festo.) Docet Galilæos magis quàm Iudæos doctrina & factis Christi fuisse commotos. Iudæos enim magis impediebat inuidia. Non alijs rebus excitatos fuisse Galilęos, vt illum libenter exciperent, quàm quas apud Iudæos fecerat. Quis dies festus hic fuerit, constat ex cap.2.13. Nempe dies Paschæ quo omnes, qui Mosaicam legem profitebantur, Ierosolymam sacrificandi causa ire oportebat. propterea & Galilæi Ierosolymam ascendebant ad diem festum. Nam & ipse Christus ex Galilæa in Iudæam ierat, vt diem festum Ierosolymæ celebaret. Quæ autem ea fuerint, quæ tunc Christus Ierosolymæ fecit, quæque viderunt Galilæi c.2. 14.23. dictum est.

C

46. *Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum.*) Id est cùm libenter à Galilæis esset exceptus, cùm nihil in Galilęa obstaculi reperisset, quo minùs, quacunque veller, vagari posset; venit iterum in Cana Galilææ. Hanc vim habet particula, ἐρχ. Quòd autem dicit venisse iterum, alludit ad id quod dixerat cap.2.2. cum cum discipulis suis eò invitatus venisse. Quærunt nonnulli, quare iterum eò redierit? Leontius, Chrysostomus, & Euthymius propterea redijsse putant, vt fidem eorum, qui ad miraculi ibi factum in ipsum crediderant, confirmaret. Opillus, quia sciebat se ibi maiore studio receptum iri, & libenter cum gratis hominibus versaturum. Augustinus, & Beda indicant ideo redijsse, quia cum miraculum fecit, pauci in eum credidissent. Probabilior Chrysostomi, & Cyrilli cõiectura. Fecit idem Paulus Syriam, & Ciliciam peragrans, vt ecclesias, quas plantauerat, confirmaret Act. 15.41. Quòd autem Ioannes addit, *vbi fecit aquam vinum*, quidam idcirco putant addidisse, vt Galilæos cum Samaritanis conferens ostenderet plùs hos, quàm illos ab dei habuisse. Samaritanos enim solo mulieris vnius testimonio nullis visis miraculis credidisse; Galilæos verò non nisi conspectis ante miraculis. Sic Chrysostomus, & Theophylactus. Sed non videtur id agere Euangelista, vt hos cum illis conferat; præsertim cum paulò ante dixerit Galilæos in excipiendo Christo promptos, & officiosos fuisse. Itaque potius existimo descriptionem esse loci. Quia enim is locus facto miraculo nobilitatus fuerat, ex eo miraculo describitur. Quæ autem fuerit Cana, & cur Galilææ dicta sit, exposuimus supra c.2.1.

D

Et erat quidã Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.) Dubium vtrũ Regulus dicatur fuisse in Capharnaum, an fuisse Regulus quidam, cuius filius in

E

Capharnaum

Capharnaum ægrotus esset. Leontius Regulũ nõ in Capharnaũ, sed in Cana Galilææ, quò Christus venerat, fuisse indicat. Sed nõ patiũtur hunc sensum verba Euangelistæ. Addit enim, *Hic cũ audiuisset quia Iesus aduenerat a Iudæa in Galilæam, abijt ad eũ*. Non dixisset *eum audiuisset, quia Iesus aduenisset in Galilæam*. sed in Cana Galilææ, si eò quærendi Christi causa venisset. Probabilius igitur est sensum esse, fuisse quendã Regulum, vt verbum esse nõ significet esse in loco, vt Philosophi loquuntur, in rerum natura extitisse; cuius filius in Capharnaum esset ęgrotus; aut, vt alij volunt, fuisse quendã Regulum in Capharnaum, id est Capharnaitam, cuius filius ægrotaret, vt sit tradictio. Non debuit tamen hæreticorũ interpres propterea mutare verborũ situm vt pro scriptura sacra nobis sententiam exprimeret, sed ambigua verba, ambigua relinquere. Quid enim si alius forte melior est sensus? Nõ debet, cum scriptura duos probabiles sensus habere potest, alterum præcidere fidelis interpres. Ambiguitas ipsa pars aliquando scripturę est. Cur iste quisquis fuerit, cuius filius dicitur ægrotasse, Regulus appelletur, aut, vt Græcè est βασιλικὸς regius, multi quærũt. Credo ego nostrum interpretem legisse βασιλίσκος *Regulus*, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthym. regium vocari putant, aut quia ex Regis Herodis, alteriúsve Regis erat genere, aut quòd regium aliquod haberet officium. Quam secundam rationem Origenes etiã affert. Addit & aliam, quam probabilem etiam existimat, ministrũ aliquẽ fuisse Cæsaris. Referunt Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius fuisse auctores, qui eundẽ hunc dicerent esse Regulum atque Centurionẽ illum, de quo Matthæi cap. 8.5. Lucæ 7.2. agitur. Quod multis rationibus refelluntur, pluribus verò Leontius. Illum Centurionem, hunc Regulum, aut regium, id est palatinum fuisse, diuerso prorsùs genere dignitatis. Illum volentem Christum in domum eius ire, vt eius sanaret puerũ, prohibuisse indignum se tanto ratum beneficio, credentemque posse Christum quamuis absentem solo verbo; hũc recusantem rogasse Christum, vti curare verbo; hũc recusantem rogasse Christum, vti in domũ suam citò veniret, mori enim filium suum; quasi non crederet Christum absentem sanare posse. Illud accidisse, cum Christus ex monte descendisset; hoc cum venisset ex Samaria. Illius puerum paralysi, huius febri laborasse. Iudaúsne, an Gentilis fuerit, etiã à nonnullis dubitatur. Origenes, & Hieronymus in comment c.65. Isayæ Gentilem fuisse putant, in eadémque sententia illos fuisse omnes necesse est, quos paulò ante diximus eundem hunc, atque illum Centurionẽ existimasse. Sed probabilius fuisse Iudæũ, & quia minùs habuit fidei, quàm Centurionem, & Chananæam illam mulierem homines Gentiles videmus habuisse; & quia hoc ipsum illi exprobrat Christus, quòd homini Gentili, qui minùs credere debebat, non exprobrasset, & quia, vt ait Christus, signa petebat, quod proprium Iudæorum erat. Matth. 12.38 & 16.1. 1.Cor.1.22.

A

B

C

D

E

48. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.*) Quorsum hoc Regulo Christus dixit? nec enim signa ab eo petierat. Signum quidem erat magnum, quod perebat, vt morientem sibi sanaret filium: sed id ipsum nõ ideo petere videtur, vt credat, sed quia credebat, petere. Vulgaris responsio, quam & Chrysostomus, & Augustinus, & Beda, & Theophylactus, & Euthymius afferunt, credidisse quidem aliqua ex parte, sed imperfectè, cum necesse esse putaret, vti Christus domum suam veniret, vt filium sanaret, quasi aliter sanare non posset. Leontius, & Augustinus videntur etiam existimare nullam illum fidem habuisse, sed tentandi causa ad Christum venisse, quod probat Leontius ex verbis Euangelistæ, versu 52. *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit*. Nimirum nondum credens per Christum sanatum fuisse, idque experiri volens ducta ratione temporis, & ex vers. 53. *Credidit ipse, & domus eius tota*. Vnde apparet, inquit, eum antequam miraculum esset expertus, non credidisse. Nullam prorsus, cum ad Christum venit, habuisse fidem credibile non est; cùm Christo obuiam processerit, de sanando filio suo cum illo egerit, vbi tentandi non erat locus; cúmque dicat Euãgelista sermoni Christi credidisse. Imperfectã, ac fortasse dubiã, & ex futuro euentu suspensam habuisse satis ex eius verbis apparet, idque solum probant argumenta Leontij. Alius mihi occurrit sensus, vt cum Christus dicit, *nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*, non reprehendendo dicat, sed pronuntiando. Quasi dicat, cogor propter incredulitatẽ vestram facere miracula, quia si non facerem, mihi non credaretis. Non sanabo filium tuum propter preces tuas, sed vt multi in me eo viso miraculo credant, alioqui minimè crediturí. Itaque reddit rationem, cur Reguli filiũ curare velit. Quare lectionem illam, quæ in nonnullis Latinis codicibus, & in Græcis omnibus est, magis probo ὅταν μὴ ἴδητε, *non creditis*, quemadmodum non solum Græci auctores Leontius, & alij sed etiam Rupertus Latinus legit. Docent Ammonius, & Origenes in Græca Catena, quamuis nõ eodẽ modo, quid inter signum, & prodigiũ interfit. Signũ, inquit Ammonius, differt à prodigio, quòd prodigiũ sit, quòd præter naturã fit, vt cæcorum oculos aperire, mortuos suscitare; signum autem quod præter naturã non est, vt ægrotos curare. Origenes verò ea, quæ præter opinionem sunt, & humanam cõsuetudinem excedunt; τέρατα, prodigia; quæ autem aliquid significant, σημεῖα, signa vocari.

Quid inter signũ, & prodigiũ interfit.

49. *Domine descende priusquam moriatur filius meus.*) Ostẽdit quam de Christo opinionem habeat. Putat enim non nisi præsentem sanare posse, vt Leontius Chrysostomus, Augustinus, Beda, Cyrillus, Theophylact. & Euthym. adnotauerunt. Peruersi est ingenij ad naturæ leges, quas ipse fecit, Deum obligare. Exemplum simile est, 4.Reg. 5.11. *Putabam*, inquit, Naaman Syrus, *quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me*. Adeo assueti naturæ sumus, vt etiã miracula, quæ supra naturam à Deo postulamus, ad naturæ modum fieri velimus. Præcidit Regulus Christi sermonem, & nihil ad eius obiurgationem respondens moras quas sibi Christus nectere videbatur, rumpit. Missa ea faceret, quæ dicebat, properè domum suam veniret, filium moribundum sanaret antequam exhalaret animã. Quare indicat se nõ credere posse filium suũ si fortè moriatur, à Christo suscitari; quæ altera erat in fide eius infirmitas. Non est tam festina fides, *Qui crediderit*, inquit, *non festinet*, Isai. 28.16. simile est illud, *Domine saluta nos, perimus*, Matthæi 8.25. quasi verò si perissent, ad vitam eos Christus renocare nõ posset; & illud Mariæ, & Marthæ, quæ antequam Lazarus moreretur, sperabant fore, vt à Christo quamlibet ægrotus sanaretur; iam mortuum non videbantur credere ab eo suscitari posse, Ioan. 11.3.24. Nunquam Dei auxilium serum est, quia nihil tam perditum est, quod restaurare nõ possit. Hoc est quod Diuus Paulus in fide Abrahæ tantopere laudat, *Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo susceperat promissiones (ad quem dictum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen) arbitrans quia & à mortuis suscitare potens*

In miraculis naturæ leges requirendæ non sunt.

Auxilium Dei nunquam serum.

Gen. 21. 2.

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hebraismus vita re id est a periculo liberata esse.

ad Heb. 4 12.

Preces nostras quomodo corrigat Deus.

est Deus, Hebræo. 11. 17. 18. 19.

50. *Vade, filius tuus viuit.*) Sanus est, liberatus est à morte. Hebraismus est, quo significatur eum, qui sanatus est, a certissima, & iam instante morte fuisse liberatum. Quemadmodum vitâ nobis eum dedisse dicimus, qui nos non à quolibet morbo, aut à quolibet periculo, sed à certissimo mortis periculo liberauit. Phrasis est apud Dauidem hoc eodem sensu frequentissima. Psal. 70. 20. 79. 19. & 84. 7. & 118. 17. 25. & 137. 7. Antequam hoc Christus diceret filiolo nondum iuuenis sanatus erat, cùm hæc verba finiuit, sanatus est. Dictum factum, vt ex versu 53. intelligitur. Vnde colligimus his ipsis verbis sanatũ esse. *Viuus* enim *est sermo Dei & efficax.* Itaque videmus hîc non rogatum feciſſe Chriſtum, quod rogatus à Centurione illo Matth. 8. 8. 9. facere noluit. Cõtrà verò quod hîc rogatus facere recusauit. illic non solum non rogatum vt faceret, sed etiam rogatum vt non faceret, facere voluisse. Rogatus illic fuerat ne in domum, vbi ægrotus erat, iret, volebat tamen ire; hîc rogatur vt eat, nec vult ire. Eodẽ vtrunque fecit consilio. Illic voluit promittendo se iturum esse, Centurionis, quam non ignorabat, fidem elicere. Quo enim magis se paratum, promptúmque, vt eat, ostendit, eo magis Centurionis apparet fides. *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nã & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic, vade, & vadit, & alij, veni, & venit.* Hic verò videns hunc regulum exiguam adhuc habere fidem, putaréque se absentem sanare nõ posse, non vult ab eo etiam rogatus ire. Immo eò minùs ire vult, quo magis rogatur, ne eundo cõfirmare reguli opinionem videretur, se nisi eò ijsset sanare eius filium non potuisse. Itaque auget non eundo eius fidem. Notarunt hoc Chrysostomus, Augustinus, & Beda. Contra verò illic, vbi à Centurione rogabatur vt solo curaret verbo, volebat præsentia, manúque curare hîc vbi rogabatur vt præsentia curaret, curauit verbo, *Vade filius tuus viuit.* Corrigit Deus preces nostras, & non semper quod postulamus, sed quod vtilius nobis fore nouit, cõcedit. Videtur verbum illud *vade* reprehendẽtis, aut exprobrãtis esse: *Vade* incredule, vide, experire filium tuum viuere, & crede. Aliâ vim Theophylactus habere putat, *Vade*, id est promptũ te ad agendũ quod bonum, & honestum est, ostende. Potest ad Eucharistiæ consecrationem hoc exemplum accommodari. Nam vt hîc dicendo *Filius tuus viuit*, id est sanus est, sanatus est filius; ita illic dicendo. *Hoc est corpus meum*, est corpus Christi, quod ante panis erat.

Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus.) Si credidit, quomodo postea seruos interrogat qua hora melius habuerit, explorare volens an, quod Christus dixerat, verum esset? Respondet Chrysostomus credidisse quidem, sed imperfectè; propterea à seruis scisitari, qua hora melius se habuisset. Ammonius, & Cyrillus videtur indicare perfectè etiam credidisse, sed quòd seruos de hora percontatur, id non defectu fidei facere; sed vt fidem suam confirmet, & sibi ipsi, quod non vanè crediderit, gratuletur. Credo hoc esse probabile, nam & nos ad cõfirmanda ea, quæ omnino credimus, rationes solemus conquirere naturales. Gaudemus enim omnia, quæ vera sunt, cum ijs, quæ à nobis creduntur, conuenire. Leontius existimat hactenus tantùm credidisse verbo Christi, vt obediret, domúmque rediret, vt iussus erat; cætetum filium suum viuere non credidisse, quoad famulis scisitatus didicit eadem hora, qua Christus dixerat eum viuere, sanatum fuisse.

51. *Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei.*) Cyrillus diuina prouidentia seruos domino putat occurrisse, vt ab illis scisciteretur, qua hora conualuisset, itáque crederet Christi virtute id factũ esse. Leontius, Chrysostomus, & Theophylactus valde vt mihi videtur, probabiliter existimãt seruos priùs credidisse à Christo, licet absente, fuisse curatum; vidisse enim non paulatim more naturæ, sed subitò, & momento temporis ex grauissimo morbo integram, perfectámque valetudinem restitutam. Itaque occurrunt redeunti Domino non solum, quod filius viueret, sed etiam quòd eius precibus, & Christi virtute viueret gratulaturi, quò cariorem eius salutem haberet.

52. *Interrogabat ergo horam abeis.*) Vide quæ versu 50. dicta sunt.

Et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris. Hora prima pomeridiana. Cana Galilææ vbi Christus erat, cũ regulo dixit *Filius tuus viuit*, vnius diei iter plus minùs distabat à Capharnaum. Itaque die præcedenti post meridiem inde profectus regulus die altero peruenit Capharnaum, quò appropinquanti serui occurrerũt. Notat Ammonius admirabilem efficacitatem esse fidei, quæ Christum cooperatorem habet. Vno die regulum credidisse, altero die effectum suæ vidisse fidei.

53. *Et credidit ipse, & domus tota.*) Quidam non ante crediderat? De ea re versu 48. & 50. disputauimus. Qui putant ante, aut omnino non credidisse, vt Leontius exponunt nunc credidisse, id est cœpisse credere cœpisse. Qui autem imperfectè credidisse ante, vt Chrysostomus, & alij, quos illic nominauimus, interpretantur credidisse nunc omnino, atque perfectè. Qui etiam ante omnino, perfectéque credidisse vt Ammonius, & Cyrillus, intergredi possunt perfectius etiamnum credidisse. Nam & vera, perfectáque fides augeri, perfectiórque fieri potest. Veram habebant Apostoli fidem, dicebãt tamen. *Domine, adauge nobis fidem.* Luc. 17. 5. Veram illa fidem habebat qui lachrymans exclamabat, *Credo Domine, adiuua incredulitatem meum*, Mar. 9. 24. Adnotauimus cap. 2. 11. & alijs nonnullis locis vltrà in sacris litteris esse, vt quod augetur, ita fieri dicatur, vt si factum ante non fuisset. Sic enim ibi discipuli viso illo miraculo mutatæ in vinum aquæ dicuntur in Christum credidisse, cùm ante in eum vtique crederẽt, quia magis, perfectiúsque crediderunt. *Domus eius tota* credidit, quia, vt inquit Leontius, videbant patrem familias assueuerantes attestari illo ipso momento temporis, quo febris adolescentem reliquerat, Christum sibi dixisse *Filius tuus viuit*; & non poterant testimonio patris familias non credere. Non est bonus paterfamilias, qui familiam totam suam ad fidem, Ecclesiámque non adducit. De hac enim potissimùm re D. Paulus loquebatur, cùm dixit. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5. 8. Lydia illa mulier non contenta baptizari ipsa, omnẽ quoque domũ suam baptizari voluit. Act. 16. 14. 15. Quod idem custos illi carceris fecit, ibidem ver. 33. & Chrispus archisynagogus, Act. 18. 8. Nec equidem intelligo quomodo haberi Catholici velint, qui in multis nunc locis, cùm ipsi se Catholicos profiteantur, non solùm vxorem, & liberos, sed etiam famulos, quos nulla necessitudine naturæ coguntur retinere, hæreticos habent.

54. *Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galilæam.*) Non dicit simpliciter hoc secundum fuisse signum ex omnibus, quæ fecit Christus.

Christus. Nam postquam primum illud fecit in Cana Galilææ, cap. 2. 11. multa alia fecerat Ierosolymæ cùm dies festus ageretur, eodem cap. ver. 22. sed diuersi ex ijs, quæ in Galilæa fecit, hoc fuisse secundum. Nec hoc ipsum absolute dicit; quam alia etiam præter hoc, & illud primum fortasse fecerat; sed ex ijs, quæ rediens à Iudæa in Galilæam fecerat hoc fuisse secundum. Nã & primum illud, quo aquam in vinum mutauit cùm ex Iudæa in Galileam redijsset, fecit, cap. 2. 1. At cur potius Euangelista ea miracula enumerauit, quæ rediens à Iudæa in Galilæam feciſſet Christus? Sunt qui ideo feciſſe putent, quod ea fuissent ab alijs prætermissa, & sibi proposuisset, quę alij prætermisissẽt, cõmemorare. Mihi alia videtur fuisse ratio, quod voluerit declarare, quomodo Christus, quoties ex Iudæa in Galilæam redibat, maior quodammodo, & illustrior rediret. Sic redire Christiani à templo, à concione, à die festo feruentiores domum debent. Hoc magis probo, quàm quod Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius dicunt, propterea hæc duo miracula numerasse, quia illo vtroque docere voluit Galilæos inferiores quàm Samaritanos esse fide, qui vno iam, & altero miraculo apud ipsos facto credidissent; cùm Samaritani credidissent omnes nullo viso miraculo.

CAPVT V.

Leuit. 23. a. 5. Deut. 16. a. 1.

POst hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. 2. Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. 3. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc cum vidisset Iesus iacentẽ, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: 9. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum: 11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. 12. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? 13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declarauit à turba constituta in loco. 14. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abijt ille homo, & nũciauit Iudæis quia Iesus esset, qui fecit eum sanum. 16. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. 17. Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. 18. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum solebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, & dixit eis: 19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. 20 Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. 21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius, quos vult, viuificat. 22. Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio, 23. vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transijt à morte in vitam. 25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, viuent. 26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso: 27. & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: 29. &

Exod. 20. b. 11. ierem. 17. c. 24.

Matth. 25 d. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. 30. *Non possum ego à meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* 31. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.*

Mat.3.d.1. Supr.1.c.17. 32. *Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.* 33. *Vos misistis ad Ioannem: & testimonium perhibuit veritati.* 34. *Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico vt vos salui sitis.* 35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* 36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me:* 37. *& qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis.* 38. *& verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.* 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* 40. *& non vultis venire ad me vt vitam habeatis.* 41. *Claritatem ab hominibus non accipio.* 42. *Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* 45. *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.* 46. *Si enim, crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* 47. *Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis.*

1. Cor.4. a.5. Gen.1.c.15.22.d.28.49.b.10.c.25.

IN CAPVT V.

I. *Quis hic dies festus fuerit Iudæorum.*

POst hæc erat dies festus Iudæorũ.) Magnã nos Ioãnes molestia, contentionéque liberasset, si vel vnũ adiecisset verbũ, quo quis ille Iudæorũ dies fuisset festus, declarasset. Inter omnes enim & antiquos, & nouos de hac re interpretes disceptatur. Hoc inter omnes fere cõuenit vnũ ex tribus illis fuisse, quibus iubebat lex omnes mares coram Domino apparere, id est in templum venire. Pascha Pentecoste, & Scenopegia, id est festo tabernaculorũ quod ineunte hyeme celebratur, Exod.23.14.15.& Deut.16.16. Ita enim Ioãnes hoc narrat quasi rationem reddat cur Christus Ierosolymam ascederit. nempe quia vnus ex tribus illis diebus erat, quibus omnes mares ascendere debebant. Recentiores quidam interpretes hoc vltimũ festum fuisse putãt de quo hoc loco Ioannes agit. Ieui meo iudicio coniectura. Alij festum Paschæ fuisse dicunt, habéntque grauem auctorem Irenæum li.2.c.39. Solum opinor inter antiquos, & minoris in hac re, quàm in alijs auctoritatis, & fidei. Notus enim de Christi ætate, ac prædicatione eius est error, sentit idẽ Rupertus, sed hunc non soleo cum illis antiquissimis numerare. Habent tamen rationes minimè leues. Primum, quod c.4.35. Christus significauerit quattuor vsque ad messem mẽses supereſſe, id autem dixerat primo iam Paſcha celebrato c.2.13. hoc igitur fuisse secundum, quo tẽpore initium messis erat. Deinde quòd necesse sit Christum, postquã baptizatus est, quater celebrasse Pascha, cùm tres annos, & mẽses aliquot ex Danielis cap.9.26. vaticinio prædicauerit, & in vltimo Pascha prædicandi finem fecerit. Si autem hoc festum Paschæ non fuit, non potuit Christus quater Pascha celebrare. Nam præter hoc tria tantum legimus celebrasse, illud de quo Ioannes egit cap.2.13. illud de quo agit cap.6.4. & vltimum, quod pridie, quàm moreretur, celebrauit. Accedit quòd multa ab alijs narrantur Euangelistis, quæ inter primum illud Pascha à Christo celebratum, & hoc festum, de quo hîc agitur, facta esse necesse sit, quæ fieri non videntur potuisse, nisi sequentis anni Pascha fuerit. Magis mouet me, quòd Ioannes non declaret, quodnam festum hoc fuerit; quia re videtur primum omnium, & præstantissimum festum fuisse significare, quod per excellentiam festum Iudæorum diceretur. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius, maior etiam pars recentiorum Pentecostem fuisse putant. Quod & quia plures, grauioresque habet auctores, & quia meliotibus, quàm aliæ sententiæ, coniecturis confirmatur, magis probo. Primùm quidem, quia vbicunque videmus alias de Pascha Ioannem agere, Pascha, vocat non tantùm diem festum Iudæorum, vt cap.2.13.& 6.4. & 11.55.& 12.1.& 13.1. & 18.39.& 19.14. ergo eo ipso, quòd hoc loco Pascha non nominat, intelligere debemus Pascha non fuisse. Itaque cum dicit, *erat dies festus Iudæorum*, perinde est ac si dicat, agebatur dies quidam festus Iudæorum: non agebatur dies ille festus *κατ' ἐξοχήν*. Præterea cum Ioannes dicit, *post hæc*, non significat statim post ea, quæ extremo capite quarto narrauerat, accidisse: certè significat non multo post accidisse. Illa autem, acciderant fatim post primum Pascha, vt constat ex tota Ioannis narratione, à capite 2.15. vsque ad hunc locum: hoc ergo accidit primo Iudæorum festo, quod erat Pentecostes. Multos fefellit locus ille capite 4. 35. *Nũne vos dicitis, quia adhuc quattuor mẽses, & messis venit*, cuius explicationem si in nostris in eum commentarijs lector quærat, intelliget nullum inde argumentum sumi posse, vt probetur hoc festũ fuisse Paschа, aut Scenopegiam. Concedimus post bap-

Quòd Pascha tas Christus post baptismum celebrarit.

tismum

tismum quater Christũ Pascha celebrasse; sed necesse non est, vt id Ioannes explicarit: nec enim id agebat, vt Christi annos numeraret. Quòd autem Ioannes dicit fuisse diem festum Iudæorum, propterea dixit, vt supra indicauimus, vt rationem redderet, cur Christus Ierosolymam redijsset, præsertim cum non multis ante diebus inde venisset. Redijt nimirum quia dies erat Iudæorum festus, qui proximè post Pascha sequebatur, quo omnes mares in templum ire oportebat, Exod.23.15.& Deut.16.16.

2. *Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethesda, quinque porticus habens.*) Aliud à Christo factum miraculum, narrare volens, locum describit. Duplex Græcè huius loci lectio est. Theophylact. & vt videtur Chrysostom. & Cyrillus videntur legisse προϊατικὴ κολυμβήθρα, *probatica piscina*. Theodorus quoque Mopsuest. & Ammonius ita in Græca Catena videntur interpretari, quasi eodem modo legerint, coniungunt enim duo hæc verba προβατικὴ κολυμβήθρα, quanquam in contextu eorum Græco altera sit lectio; eodem modo Hieronymus in locis Hebraicis, & alij auctores Latini legunt, & Theophylus Antiochenus libro 4. allegor. Codices omnes Græci, quos equidem viderim, vno excepto Romano Theophylacto legunt ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, est autem Ierosolymis in probatica, aut ad probaticam, aut iuxta probaticam piscina. Cõsului multos manu scriptos antiquos codices, in primisque Vaticanum illum vetustissimum, & correctissimum maiusculis scriptum literis, totoque orbe celeberrimum, omnes ita legebant. Vtrocunq; modo legamus, sensus est idem. Si legamus ἐπὶ προβατικῇ, in probatica aliquid necessario subaudiendum est, quod cum adiectiuo probatica conueniat. Nam qui in tertio casu conuncte legunt ἐπὶ δὲ τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. erat Ierosolymis in probatica piscina, sub. locus, qui Hebraicè dicitur Bethesda, vim mihi videntur verbis inferre. Substantiuum igitur illius adiectiui *probatica* intelligendum est. Sunt qui intelligant ἀγορᾷ forum, aut plateam, quasi dicat, est in platea *probatica*, id est in foro pecuario piscina quędam, quę Hebraicè dicitur Bethesda. Placeret mihi sententia, licet minimè boni auctoris sit, si probaretur aliquam Ierosolymis fuisse plateam, quæ probatica vocaretur; sed nullum eius rei vestigium inuenio. Credo igitur intelligendũ esse nomen πύλη porta. Erat enim porta quædam vrbis quæ Hebraicè שער הצאן *porta gregis*, & Græcè πύλη προβατική, porta pecuaria vocabatur, 2. Esdræ 3.1.32. siue quòd ea porta oues, quæ immolãdæ erant, inferrentur, quòd templo vicina esset; siue quòd per eam ex vrbe oues emitterẽtur in pastum. Oues enim Græcè πρόβατα dicuntur. Si legamus ἐπὶ δὲ τοῖς Ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα, *est Ierosolymis probatica piscina*, idẽ erit sensus. Vero simile enim est non solùm portam, sed piscinam etiam ipsam, quia ad probaticam portam erat, probaticam dictã fuisse. Non quòd ibi aquarentur pecora, vt nonnulli putant, aut quòd ibi immolandæ congregarentur oues, aut ibi earum intestina ad sacrificium lauarentur, vt plerique auctores existimant, Ammonius, Theodorus Mopsuest. Hieronymus, Theophylact. & Euthym. In templo enim ipso satis magna aquarum erat copia, non solùm in mari æneo, & conchis, sed etiam in fonte, quem scribit Aristeas in historia legationis suæ, & Tacitus lib.21. ex tẽplo copiosissimum profluxisse. Piscina dicitur non quòd pisces haberet, sed quòd similis esset stagno, vbi esse pisces solent, vt multi notauerunt. Græcè dicitur κολυμβήθρα, quasi natatoria, vt alijs locis solet nomen idem vertere noster interpres, vt c.9.7.11. atque ita hoc ipso loco in vetere ante Hieronymũ versione fuisse colligitur ex Ambrosio lib.1.de Spiritu sancto, cap.7.& libro de ijs qui myst. initiantur. cap.4. Hãc dicit Euangelista Hebraicè vocatam fuisse Bethsaida, vt quidam & Latini, & Græci manu scripti codices legunt in ijs etiam Theophylactus. Significat autem Hebraice בית צידה piscosum locum; aut Bethesda, vt exceptis paucis illis, quos modò diximus, omnes Latini, & Græci codices habent; quibus & Syriaca suffragantur. Est autem בית חסדה domus, aut locus misericordiæ, aut benignitatis, sic fortasse dictus quòd diuinam ibi erga se benignitatem ægroti recuperata sanitate experirentur. Alij interpretantur בית אשד domum, aut lõcum effusionis, quòd in eum locum multis aquæ ductibus aquæ vndique funderentur. Quòd quinque porticus habuisse dicit, credendum est propter miracula, quæ ibi fieri solebant, locum eum cinctum fuisse muro, ne pecora, & iumenta possent accedere, & aut turbare, aut profanare aquam, quę sancta habebatur, tantùm abesset, vt ibi aquarentur, aut vt victimarum intestina lauarentur. Factas autem quinque circum porticus, quibus homines ingrederentur, & vbi ægroti expectantes aquæ motum considerent. Allegoriam si quis amat, Augustinum, Bedam, & Theophilum Antiochenum legat.

4. *Angelus enim Domini descendebat secundum tempus in piscinam.*) Græcè, κατὰ καιρὸν certis, & opportunis momentis temporis; incertum quibus. Sunt qui putent omnibus præcipuis Iudæorum festis id accidisse. Alij in festo tantùm Paschæ. Alij in festo Pentecostes, vt refert Ammonius, atque ita Cyrillus sentit, & vt videtur Ambros. in lib. de ijs, qui mysterijs initiantur cap. 4. certè vnum tantùm singulis annis curatum fuisse dicit. Probabilissima in re incertè mihi videtur Euthymij sententia, incertum fuisse tempus, quando descensurus angelus erat, & sæpe singulis annis descendisse. Nam & verba hoc præ se ferunt, & si constitutum fuisset tempus, quo tẽpore descensurus angelus erat, non fuisset ibi reliquis temporibus tanta ægrotorum multitudo expectantium angeli descensum, quantum semper fuisse indicat. Descẽdebat igitur certis temporibus angelus ignotis hominibus, notis Deo. Deus enim quo tempore expedire iudicabat, vt aliquis sanaretur, mittebat angelum. Cur autem non semper descenderet, rationem hanc Chrysost. reddit ne, si semper id fieret, naturali aquæ vi curationes fieri viderentur. Dẽ eo angelo multa quæri solent, an verus fuerit angelus; bonus, an malus; quis fuerit; quomodo descenderit, itáne vt videretur, an ita vt non videretur; & quare denique à Deo mittebatur. cùm posset efficere, vt sine angelo aqua sanaret. Hebræorum opinio fuit, de qua R. Mose in More mentionem facit, angelos vocari virtutes omnes Dei, quibus aliquid supra naturam fit. Itaque existimari posset angelum vocatum fuisse eum, à quo aqua illa piscinæ mouebatur, licet non ab angelo vllo, sed à sola Dei virtute moueretur, nisi Euangelista non vulgi, sed sua ipsius opinione loquens angelum appellaret. Quo auctore dubitandum non est verum angelum fuisse. Nihilo magis dubitandum fuisse bonum. Nec enim solet Deus ad procurandam salutem hominum malos angelos mittere. Quis angelus fuerit, incertum; nec eorum probo iudicium, qui aut disputant, aut diffiniunt fuisse Raphaelem, quem ad sanãdum Tobiam missum legimus, quòd & iste ad sanandũ missus fuerit, & nomen ipsum Raphaelis medicum significet, cuius officium sanare est. Nec enim credendum est

Incertum quibus tẽporibus descenderet angelus in piscinam.

Tob.12.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad Hebr. 1.14. *Daniel.7. 10.*

Deo vnum tantùm angelum vna in re ministrare, cùm omnes sint *administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis; & millia millium* ministrent ei, *& decies centena millia* assistant ei. Nemo rex non multos habet medicos, & existimabimus Deum vnum tantùm habere? Dubium etiam est, an assumpto corpore descenderet, sic vt ab ijs qui aderant videretur; sed est multo probabilius non fuisse visum, cùm Euangelista non dicat ægros expectasse angelum, sed motum aquæ, quasi nõ in angelum, quem non videbant, sed in aquam, quã videbant, intenti fuerint. Quo ergo modo sciri potuit angelum esse, qui mouebat aquam? Ex communi traditione, qua quicquid præter naturam fiebat, per angelum fieri credebatur. Nisi quis malit à Deo id fuisse per reuelationẽ declaratum. At quare descendebat? quid opus erat angelo, vt aqua sanaret? Facilis coniectura. Quid ad curandum Tobiam? quid ad educẽdum populum ab Aegypto? quid ad defendendum apud Danielem populum? quid ad protegendum Elisæum, & eius puerum? quid ad custodiendos singulos homines angelo opus erat? Vult Deus homines per angelos gubernare, sicut in rerũ naturalium gubernatione, generatione, corruptione causis vtitur naturalibus. Conueniebat etiam vt homines intelligerent virtutem illam aquæ non naturalem, sed diuinam fuisse. Quod minùs intellexissent, nisi aliquem de cælo descendentem vidissent, qui eam aquis virtutem imprimeret. Nõ quòd angelum ipsum viderent, sed quòd ex motu subito, & insolito aquæ, aut ex alio aliquo veniẽtis strepitu animaduerterent angelum de cælo descendere. Quemadmodum post Christi resurrectionem cùm duo illi angeli descenderũt, *terræ motus factus est magnus*, vt mulieres, quæ ad sepulcrum ibant monerẽtur, angelos de cælo descendisse, aut aliquid certè accidisse cælitus, Matth. 28.2.

Tob. 12.5. Exod. 14. 9. Dan. 10. 13. 20.4. Reg. 6. 16. 17. Psal. 33.8. Matt. 18. 10.

Angelis Deus vtitur administris, vt & causis naturalibus.

Et mouebatur aqua.) Quare verò mouebatur? Primùm vt angelus aquæ motu aduentus sui signum daret, Ambr. lib. de ijs, qui mysterijs initiantur cap. 4. *vt esset*, inquit, *indicium quia descẽderat angelus, aqua mouebatur.* Deinde vt indicaret motus ipse aquam illã non naturali, sed diuina virtute, & tanquam Dei instrumentum sanitatem dare. Hoc enim instrumenti proprium est, vt nihil quidquam agat; nisi quatenus à præcipua mouetur causa. Ostendebatur etiam cõtra omnem hominum opinionem, atque iudicium Deum miracula facere, quæ eo maiora sunt, quo minùs sunt cõsentanea humanæ rationi. Legimus aliquando Christum litis luto oculis cæcum sanauisse infra cap. 9. 6. 11. quid oculis magis luto cõtrarium? Legimus iniecto in amaras aquas ligno amatitudinem in dulcedinem mutauisse, Exod. 15. 25. quid est quod fere magis amaras aquas possit facere, quàm lignum? Legimus Elisæum iniecto in pestilentes, & minimè potabiles aquas sale potabiles reddisse, 4. Regum. 2. 21. quid minùs potabilem, quàm sal aquã facit? Si aqua sanatura aliquem erat, dum maximè quieta, & tranquilla erat, sanare debere videbatur. Non sanabat nisi turbata, vt homines intelligerent, non humano, sed diuino id fieri iudicio: relictumque nobis est necessarium documentum, ne humana ratione de Ecclesiasticis iudicemus sacramentis. Quid magis à ratione abhorrẽs videri potest, quàm sub specie panis corpus, & sub specie vini sanguinem esse Christi? adeo credendum, quia humana nõ capit ratio.

Humana ratione de sacramẽtis nõ iudicando.

Et quicunque prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.) Qua ratione non semper, sed post motionẽ aqua sanabat, eadem non sanabat, omnes, vt appareret vim sanandi diuinitus illi ad momentum temporis impressam, non naturaliter datam fuisse. Si enim naturalis fuisset, & semper, & omnes sanauisset, quãdoquidem & semper, & omnis calefacit aqua frigefacit, Sol illuminat. At cur vnus tantùm? & vnus quidem is, qui primus in motam aquam descendisset? Volut opinor Deus ea re docere etiam in percipiendis diuinis donis, quæ gratis nobis, & sine merito vllo nostro dantur, multùm nostram valere diligentiam. Diuinam enim gratiam graris quidem dari, alioqui gratia non esset gratia; sed non nisi volentibus, non nisi quærentibus, non nisi conantibus dari. Sic enim beneficium illud sanitatis non nisi diligentissimus quisque præripiebat. Propositum erat tanquam corona in stadio currentibus, qui primus ad metam perueniebat, is præcipiebat. Quòd addit Ioannes *Sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate*, vim aquæ diuinitus impressam, & miraculi magnitudinem declarare volunt; nullum adeo grauem fuisse morbum, quem non sanaret. Ex quo etiam apparebat diuina id fieri virtute, cui difficile nihil est. Nam vis quidem nulla est naturalis, quæ vna omnes morbos curare possit, cùm contraria contrarijs curari debeant. Hoc ipsum nunc fit in aqua baptismi; nullum tantum peccatum est, à quo non curet. Piscinam enim illam figuram fuisse baptismi, voluisseque Deum factis in illa miraculis Iudæorum populum ad intelligendum excipiendumque futurum Christi baptismum assuefacere, maior pars veterũ auctorum Tertullianus in libro de Baptismo, Ambrosius libro primo, de Spiritu sancto capite 7. & libro de ijs, qui mysterijs initiantur capite 4. & libro secundo de Sacrament. capite 2. Chrysostomus Theophylactus & Euthymius, hoc loco tradidere. *Crede*, inquit Ambrosius, *quia non sunt vacua aquæ; ideo tibi dictum est, quia angelus Domini descendebat secundum tempus in natatoriam, & mouebatur aqua, & qui primus descendisset in natatoriam post commotionem aquæ, sanus fiebat à languore quocunque tenebatur. Hac piscina in Ierosolymis erat in qua vnus annus sanabatur. Sed nemo ante sanabatur, quam descendisset angelus; vt esset indicium, quia descendebat angelus, mouebatur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides: illis angelus descendebat, tibi Spiritus sanctus. Illis creatura mouebatur, tibi Christus operatur, ipse Dominus creaturæ. Tunc curabatur vnus, nunc omnes sanantur, aut certè vnus solus populus Christianus.* Præter consuetudinem meam mysticum hoc loco sensum exponam, quia hunc eũdem arbitror esse litteralem. Cùm dubium non sit alicuius mysterij causa illam sanandi vim piscinæ datam fuisse. Mysterium autem illud fuisse credo, quòd modò ex Chrysostomo & Ambrosio disseruimus. Etsi Theophylus Antiochenus libro 4. allegoriar. Diuus Augustinus tract. in Ioannem 17. & serm. de verbis Domini, 42. & eum secutus Rupertus, & Beda, Iudaicum populum, & legem Mosis significari putant. Dicam ipsis verbis Augustinus. *Aqua illa Iudaicus populus erat, quinque porticus lex. Quinque enim libros scripsit Moses. Ergo aqua quinque porticibus cingebatur, sicut ille populus lege coercebatur. Aqua perturbatio in illo populo est Domino passo. Qui descendebat, sanabatur nõ nisi vnus, quia ipse est vnitas. Quotcunque ista diffidunt Domini passio, & verbi sit, credendo descendere. Et ego, inquis, crediturus sum Deũ in carne? Deum ex fœmina? Deũ crucifixum? flagellatum? mortuum? vulneratum? sepultum? Absit vt hoc credam de Deo, indignũ est. Cor loquatur, non cerux. Superbo videtur Dominus humilitas indigna, ideo à talibus lõge fit semita. Nolis te extollere? si vis sanari, descende.* Mirũ videri potest? rei tã insignis,

Tom. 2. Tract. 17. de Baptismo.

insignis, atque memorabilis nullam in profanis historijs esse mentionem; sed nobis Euangelistæ testimonium satis est. Non omnia præsertim ea, quæ ad religionem pertinent profani auctores tradunt, & cur huius rei mentionem nullam fecerint, probabilis ratio reddi potest, quòd vero simile sit aut tempore tantùm Christi, aut non multo certè ante miracula in ea piscina cœpta fieri, & paulò post fieri desijsse, ita fugisse memoriam historiæ.

Coniectura Chrysostomi.

5. Erat autem homo ibi triginta octo annos habens in infirmitate sua.) Quòd Euangelista morbum per triginta octo annos inueteratum fuisse dicit, non alia causa fecisse arbitror, quàm vt miraculi magnitudinem declararet. Quemadmodum cum Lazarus quatriduanus fuisse dicitur capit. 11. 39. Et mulier illa spiritũ infirmitatis annos duodeuiginti habuisse, Luc. 13. 11. Et altera illa hæmorrosa, quæ per annos duodecim ægrota omnes facultates suas consumpserat in medicos, Luc. 8. 43. Hunc ergo Christus ex multis, qui in porticibus piscinæ iacebant, ægrotis elegit, vt suam in eo sanando virtutem demonstraret. Solent enim præstantissimi medici in diuturnis, & iam ab alijs medicis desperatis morbis suam artem ostẽdere. Augustinus, Cyrillus, & Beda mysterium esse putãt, quod quadragenario numero pœnitentia, perfectioq; significetur. At ille nõ quadraginta, sed triginta octo annos dicitur habuisse; & si perfectus fuisset, opus illi non fuisset medico. Magis morale est, quod Chrysostomus & Theophylactus obseruauerunt, hunc ægrotum in exemplum nobis patientiæ propositum fuisse; per annos triginta octo perseuerasse, nec desperasse vnquam fore, vt aliquando sanaretur; non esse nobis desperandum, aut ab oratione desistendum, si non continuò, quæ à Deo petimus, impetrauerimus. Etsi Euangelista non dicit per tot annos ibi fuisse, sed tot annos ægrotasse. Quis fuerit morbus, quo ægrotans ille laborabat, quia Euangelista non dicit, incertum est. Et Chrysostomus quidem, & Euthymius videntur existimare cæcum fuisse. Propterea enim non potuisse per tot annos primum sese in turbatam aquam conijcere, quia alij aquæ motum videre poterant, ipse non poterat. Sed re quidem vera & illi ipsi, & alij auctores omnes paralyticum fuisse sentiunt. Leontius, Ambrosius lib. 2. de Sacrament. cap. 2. Quod probabili ex eo coniectura colligi potest, quòd in grabato iaceret membrorum impotens. Et verò nonnullos etiam existimasse eundem hunc fuisse paralyticum atque illum, de quo Matthæus capit. 9. 1. agit, Leontius, Chrysostomus & Euthymius, auctores sunt. Sed eam opinionem nihil opus est refutare. Ille enim non in piscina, sed in domo, vbi Christus erat, sanatus est, & ille in Capharnaum, hic Ierosolymis. Ille à quattuor gestabatur hominibus, qui cum viam, qua ad Christum perferrent, non inuenirent, in tectum ascenderunt? eoque disrupto illum ante Christum demiserunt, Mar. 2. 4. hic hominem non habebat, à quo in aquã, cum mouebatur, coniiceretur.

Solet Deus opẽ ferre eis maximè, qui humano auxilio sunt destituti. Psal. 26. 10.

6. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia multum tempus haberet, dicit ei, Vis sanus fieri?) Quòd dicit Euangelista, *Hunc cũ vidisset Iesus iacentem*, indicat Christum in illum potissimùm veluti casu quodam oculos conieciss, miserationeque ergà illum fuisse commotum, cum iacentem vidisset, quasi impotentem membrorum hominem, & omnis expertem auxilij. Hanc vim habet illud, *iacentem*. Non quòd casu id factum sit, nihil enim nisi diuino consilio Christus faciebat, sed quia se gerebat vt homo, ita faciebat aliquando quædam, vt casu facere videretur. Quòd autem addit, *& cognouisset*, eodem modo accipiendum est. Sic enim narrat Ioannes quasi tunc primùm cognouerit Christus longo eum tempore eo morbo laborasse, quòd tunc primum cognouerit, sed quòd ita eum aspexerit, ita eum interrogauerit, ita omnia fecerit, quasi tunc primùm cognouisse videretur. Potest & contrarium habere sensum, vt indicare eo verbo Euangelista voluerit Christum sine indice, per seipsum morbi diuturnitatem cognouisse, ideo flexum fuisse maiore erga illum, quam erga alios misericordia. Multæ enim fuerunt causæ, cur hunc potissimùm Christus ex multis, quem curaret, elegerit; & quia in eius maximè morbo potentiam, diuinitatemque suam poterat declarare, & quia ipsa morbi diuturnitas ad misericordiam eum commouebat; & quia eius patientia, perseuerantiaque id merebatur. Quas rationes tres rectè Euthymius indicauit. Quibus addere hanc possumus, quòd hominem non haberet. Solet enim Deus ijs maximè opem ferre, qui omni humano auxilio sunt destituti. *Pater*, inquit, *meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Hoc est quod veteri prouerbio dicitur, *Deus de machina.* Idem nobis accidit. Nisi nos Christus aspiciat, & motus in nos misericordia sanitatem obtulerit, hominem non habemus, id est non satis habemus virium, vt à grabato peccatorem, in quo quasi dissolutis paralysi liberi arbitrij membris iacemus, resurgamus. Non interrogat illum Christus an à se sanari velit, vt Chrysost. Leontius, Theophyl. & Euthym. obseruarunt. Quia cum nondum paralyticus, quis esset Christus, cognouisset, arrogans illi visa fuisset eiusmodi interrogatio, & hominis potentiã suam ostentantis. Eadẽ de causa, vt Leontius, Chrysost. Theophylact. aiunt non petit ab eo vtrum credat, sicut ab alijs ægrotis, quos curabat, petere solebat, quia alij, qui ex alijs, quæ fecerat, miraculis eum cognoscebãt, credere debebãt id posse facere, quod in illis facere volebat. Hic autem, qui eum non cognoscebat, non poterat credere, sed fidem ex ipso in se facto miraculo erat accepturus. At quid opus erat inquit Theophylact. interrogare, *Vis sanus fieri?* Quid enim dubium erat eum sanum fieri voluisse, quãdo per tot ibi annos aquæ motum expectauerat? Non exigit ab eo fidem, sed exigit tamen voluntatẽ, quia fidem habere non poterat, *quomodo enim credent, quos non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* voluntatem habere poterat. Non exigit à nobis Deus nisi quod possumus. Videturque hoc loco eorum eorũ firmari sententia, qui existimant in ijs, qui sine culpa vlla sua Euangelium ignorant, satis esse ad salutem fidem implicitam, modò faciant, quod in se est, velintque ex animo sani fieri. Nam & paralyticus ille fidem aliquam in Christum implicitam habebat, explicitam non habebat, quia Christum, quis esset, ignorabat. Certè quòd attinet ad voluntatem, quod in hoc paralytico factum est, in omnibus, cum iustificantur, fit adultis. Nemo enim nisi libens, & volens iustificatur, neque sola satis est gratia, nisi nostra quoque libera voluntas aliquid agat. Verè enim ab Augustino dictum est. *Qui fecit te sine te, non iustificat te sine te. Fecit nescientem, iustificat volentem.* Habent exemplum Christi administri, qui se animarum salutem quærere profitentur. Non est expectandum vt homines salutem suam quærant, quam multi in peccatis secuti iacentes non recordantur. Excitandi, pungendi, rogandi sunt, vt sani fieri velint. Primumque verbum, cum eos alloquimur, hoc esse debet, *Vis sanus fieri?*

Ad Rom. 10. 14.

Fides imperfecta in eis qui Euangelium ignorant sine sua culpa.

Serm. 15. de verbis Apost.

7. Hominem non habeo.) Neminem habeo, qui me

iuuet,vt in aquam descendam, & per me id facere nō possum. Hebraissinus est איש homo,id est aliquis, & איש לא non homo,id est nemo. Non intellexerat, quod Christus significauerat,vellétne ab ipso sanus fieri. Existimauit enim interrogasse Christum, an in piscina,sicut alij fiebant,sanus fieri vellet; ad idque respondet. Videtur etiam intellexisse se à Christo fuisse subreprehensum, quasi negligens in procuranda salute sua esset,cùm tot iam annos eo morbo teneretur. Eius enim responsio speciem præ se fert excusationis. *Hominem non habeo*, quasi dicat,id mea non sit culpa. Non voluntas, non diligentia,sed auxilium mihi deest. Et ille quidem paralyticus verè; peccatores autem,qui eodem se modo excusare solent,non verè excusant. Ille hominem non habebat; hi hominem,& quidem hominem Christum habēt, qui semper ad ostium stat,& pulsat, interrogatque, an sani fieri velint. Fieri etiam potest,vt hac responsione paralyticus voluerit à Christo per cōmiserationem eblandiri aliquid auxilij; non vt se sanaret, quod nōdum credebat eum posse facere, sed vt sibi aliquem daret,à quo,cùm aqua moueretur, in piscinam conijceretur. Quocunque animi sensu responderit;illud certum quod Theophylactus adnotauit, eum licet rectè ad id,quod Christus rogabat, nō respondeat, plùs tamen respondere, quàm rogabatur. Rogatus fuerat an sanus fieri vellet,non respondet velle,sed hominem non habere,quasi dicat,Maximè verò volo,sed neminem,qui me iuuet,habeo.

Apoc. 3. 20.

8. *Surge,tolle grabatum tuum,& ambula.*) Non dicit Vade,aut Abi in domum tuam,sed *ambula*;quo magis exprimeret,quorsum id illi diceret,nēpe vt eius ambulatione constaret verè sanatum fuisse, quod non quia domum ibat, sed quia suis pedibus ambulando ibat, apparebat. Eodem pertinet, quòd non solùm surgere iubet,& ambulare,quod etiamsi non omnino sanus esset,facere potuisset; sed etiam grabatum tollere,atque portare, quod facere non potuit,nisi non modò sanus fuisset,sed etiam vegetus, atque robustus; quemadmodum Chrys. Leontius, Cyrillus,Theophylactus, & Euthymius adnotauerūt. Illud quoque idem Chrysost. & Euthymius accommodatè ad hunc locum admonuerunt, consuetudinem fuisse Christo post facta à se miracula similе quiddam facere,vnde miraculi veritas, ac magnitudo conspiceretur. Cùm paucis panibus multa hominum millia saturauit, fragmenta iussisse colligi, ex quibus quantum fuisset miraculū cognosci possit,Matth. 14.20.& 15.37. Curato à se leproso dixisse, *Vade,ostende te sacerdoti*,Matth.8.4.& Luc.5.14. Cū mortuam puellam ad vitam reuocasset,dixisse, *Date illi manducare*,Mar.5.43. Cum aquam in vinū cōuertisset,iussisse ferri architriclino, Ioan.2.8. Denique cum alium similiter paralyticum sanauisset,itidem præcepisse vt lectum suum tolleret; & in domū suam abiret Matth.9.6. Rectè quoque Cyrillus notat ex ipso modo,quo Christus miraculum hoc fecit,manifestum esse plus esse quàm hominem. Nec enim orando,vt viri aliquando sancti solent facere; sed imperando sanauisse. *Surge,tolle grabatum tuum,& ambula*. Grabatus κράββατος vocatur Græcè lectica genus,ferendo præsertim iacentes in lectulo ægrotos accommodatum.

Solebat Christus post miracula sua quippiam agere,vnde de pacefieret.

9. *Et statim sanus factus est ille, & sustulit grabatum suum,& ambulabat.*) Singula verba miraculi magnitudinem declarant. Non solum quò dicit sanatum fuisse,quod satis erat,sed etiam quòd statim sanatū, quòd grabatum sustulisse, quòd ambulasse. Hoc enim consilio eadem verba repetit Euangelista in declarādo facto miraculo,quibus Christum in præcipiendo vsum fuisse dixerat, vt indicaret, ne minimum quidem Christi verbum irritum fuisse. Quasi dicerat, Dictum factum. Consecutum statim euentum declarasse,quatam Christi verba efficacitatem habuissent. *Et ego procedam*, inquit, *sic labi,vt ne pes meus iniqua irruat*, Psal.88. 35. *Et quomodo descendit imber & nix de cælo,& illuc vltra non reuertitur: sed inebriat terram,& infundit eam,& germinare eam facit:& dat semen seminanti,& panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui,& prosperabitur in ijs ad quæ misi illud*. Isai.55.10.11.

Erat autem sabbatum in die illo.) Erat eo die Iudæorum requies; hoc enim significat apud Hebræos nomen sabbati. Itaque non significat diem illum fuisse sabbatum, etsi re quidē vera sabbatum erat: sed ea die fuisse sabbatum, id est sabbatum fuisse celebratum. Quod propterea adiecit Euangelista,vt ad naturandam Iudæorum contra Christum murmurationem gradum faceret. Inde enim eos criminandi Christi factum occasionem accepisse.

10. *Dicebant ergo Iudæi illi,qui sanatus fuerat,Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.*) Videntur hoc illi non dixisse,qui miraculum præsentes, cum factum est,viderant; sed alij,quibus sanus iam paralyticus,dum domum iret, grabatum suum portans occurrebat; & quia ita ille respondet vers. 11. *Qui me sanum fecit,ille mihi dixit, tolle grabatum tuum*, quasi illi à quibus reprehendebatur, hoc ignorarent; quòd si præsentes fuissent, cum factum miraculum est, ignorare non potuissent. & quia ipsi etiam eum rogāt,ver.12. *Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum,& ambula?* nescientes à quo miraculum factum esset; & quia si præsentes fuissent, aut obmutuissent magnitudine miraculi, aut Christum ipsum reprehendissent. Atque ita videtur Chrysostomus intellexisse. Quamquam fieri quidem potest, vt etiamsi præsentes fuissent, factum miraculum reprehenderent; tamen reuerentia,aut metu Christi non auderent illum, sed eum potiùs, qui sanatus fuerat, accusare. quo accusato etiam obliquè Christum accusabant; quod & alibi factum animaduertimus. Luc 13. 14. & Matthæus 9. 11. Non dicunt non licere illi ambulare; sed non licere tollere grabatum; quia ambulare quidem vsque ad duo millia passuum licebat, vt Actor. 1. 12. disputabimus; onus autem tollere ne per minimum quidem licebat spatium Ieremiæ 17. 24. 27. Cur ergo id Christus præcepit. quod in sabbato facere non licebat? Primùm quidem *Dominus erat etiam hominis etiam sabbati*. Ipse legem dederat, ipse & dispensare poterat,& abrogare. Deinde erat id quidem contra verba legis, contra sensum autem, & spiritum legis non erat, vt Beda indicat. Nam portare quidem grabatum humeris contra legem erat, sed portare tanquam publicum testimonium accepti à Deo beneficij, non contra sabbatum, sed leuandum sabbatum erat; quod ideo institutum fuerat, vt in eo homines diuina beneficia recognoscerent,& grato animo meditarentur. Volebat etiam Christus, vt adnotat Theophylactus paulatim hominēs docere, quæ esset vera sabbati obseruatio, nō à labore, sed à peccatis abstinere. Aliam Rupertus rationem affert, quod illo potissimùm die magna hominum frequentia esset, magni vbique cœtus fierent; itaque miracula quæ sabbato fiebant, plures habebant testes. Vtcumque se ea res habeat, constat hoc loco Christum Iudæorū stultitia, & reprehensione ad illustrandam gloriam Dei, & miraculi magnitudinem vti voluisse. Fecit enim stulta illa repre-

reprehensio, vt miraculum, quod paucis videntibus factum fuerat, in totam, dum reprehenditur, ciuitatem euulgaretur. Id hodieque accidit, quò magis hæretici, quò magis homines inuidi, atque maligni Dei gloriam, Ecclesiæ doctrinam, bonorum hominum opinionem obscurare nituntur, eò magis nostentes illustrant.

11. *Qui me sanum fecit,ille mihi dixit. Tolle grabatum tuum,& ambula.*) Non ita hoc paralyticus dicit, quasi culpam in Christum reiiciat; sed quasi optimo auctore factum suum defendens, & eorum, à quibus reprehendebatur, stultitiam, vt Chrysost. inquit, accusans. Quasi dicat, qui me sanare potuit, multo melius intellexisse, quam vos, quomodo sabbatum obseruandum esset, credendum est; atqui ille ipse mihi dixit vt tollerem grabatum meum, & ambularem; aut, qui me sanare potuit, & in obseruatione sabbati dispēsare potuit, quia re ipsa declarauit se Dominum esse sabbati, vt Cyrillus interpretatur. Laudant Chrysost. Theophyl. & Euthym. huius hominis libertatem, atque constantiam in Christo confitendo. Poterat enim quasi culpam agnoscens posito grabato reprehensoribus suis satisfacere. Noluit, sed pergit grabatum portare, & acceptum profiteri beneficium, & non alia se ratione defendit, quàm quòd se Christus id facere iussisset, eiusque præceptum ijsdem repetit verbis, quibus datum ab eo fuerat, quasi indicans ad verbum sibi faciendum esse quidquid ille præcepisset, & nondum tamen Christum, quisnam esset, cognoscebat. Vtinam nos eidem tot iam miraculis, tot iam testimonijs cognito, & ijs, qui eius locum tenent, tam perfectè, præciseque obediremus.

12. *Interrogauerunt ergo eum. Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula.*) Minabundi hoc videntur interrogare. Quisquis ille fuerit, qui hoc illi præceperit, non sanctum, non prophetam, sed violatorem esse legis, ac dignū pœna; nominet, vt quæsitum eum, atque apprehensum ex lege puniant. Notauit Theophylactus eorum malignitatem, qui, cum duo paralyticus de Christo dixisset, & se sanum reddidisse, & sibi dixisse, *Tolle grabatum tuum, & ambula*; quod sine controuersia dignum erat laude, quòd paralyticum curauisset, silentio præterierunt, quod speciem habere videbatur culpæ, id iactant, *Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum?* Hoc est ingenium inuidiæ; cæca in bonis, oculata in malis est. Quanquam si hic illi prætextus defuisset, quòd grabatum non liceret sabbato portare, illud ipsum forsitan accusasset, quòd sabbato curauisset, quemadmodum aliàs fecisse legimus Luc. 13. 14. 16. Eodem pertinet, quòd dicunt, *Ille homo*. cōemptim enim dictum videtur. Paralyticus quamuis nondum fortasse credebat, plùs esse quàm virum sanctum, tamen non dixerat *ille homo*, sed honorificentiùs; *Qui me sanum fecit*: laudæi tanquam vnum vulgo non nisi hominem vocant.

13. *Is autē qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset.*) Mirum hoc ipsum videtur, quòd eum, à quo tātum receperat beneficium, ignoraret; quòd non interrogauerit, quis esset aut qui vocaretur, vt illi aliquando quibus rebus posset gratificaretur. Sunt, qui putent Christum cum miraculum illud fecit corporis habitum figuramque mutauisse, itaque cognosci nō potuisse, quod paulò post sumus refutaturi. Potiùs credo Christū tunc fuisse solum relictis alicubi discipulis, & intra piscinæ porticum, ac sine testibus cum paralytico priuatim colloquium illud superius habuisse, factoque miraculo confestim subduxisse se, ita nec à paralytico, nec ab alijs, qui ibi essent, aliud scilicet agentibus fuisse cognitum. Et nōdum erat tam notus vulgo, vt quocunque iret, cognosceretur. Pauca enim tantum miracula Ierosolymis fecerat superiore die Paschæ c. 2. 23. quæ, qui in piscina erant, videre non potuerant.

Sic Erasmus in annotat.

Iesus enim declinauerat a turba constituta in loco.) Miror valde quibusdam placuisse verbū Græcū ἐξένευσεν non esse ab ἐκνεύειν quod est declinare, sed à ξένος, quod est peregrinum esse; quasi sensus sit fecisse se peregrinum, peregrina apparuisse forma, ne cognosceretur. Sicut Magdalenę hortulani specie visus est Ioan. 20. 15. & duobus discipulis euntibus in Emaus forma peregrini Luc 24. 18. Quod mihi quidē nullo modo probat, Primùm quia auctores omnes Græci, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthym. interpretantur ἐξέκλινεν, declinauit. Deinde quia non solebat Christus aliena forma facere miracula, cuin id miraculis ageret, vt sese, quis esset, ostēderet. Præterea quia verba sequentia cum ea interpretatione non hærent. Quis enim sensus, Fecit se peregrinum turba manente in eodem loco? Quod enim quidam interpretantur propter turbam sese peregrinum effecisse, peregrinum mihi videtur; volebat enim cognosci, sed teneri, aut laudari nolebat. Itaque cum miraculum fecit cognosci voluit, sed facto miraculo, vt ostenderet se laudem hominum non captare, furtim euasit, vt Chrysost. Theophylact. & Euthym. exponunt; aut, vt Cyrillus putat, aufugit, ne, quia id in sabbato fecerat, à Iudæis comprehenderetur. Nō quòd illi nolētem tenere possent, sed vt nos exemplo doceret fugiendum ab iratis.

Christus quæ diuinitus agebat sic agebat, vt humano more agere videretur.

14. *Postea inuenit eum Iesus in templo.*) Non casu, sed consilio, & prouidentia illum inuenit; etsi ita illum inuenisse videretur, quasi casu illi occurrisset; eodēque modo narret Euāgelista. Quia, vt sæpe diximus etiam quę diuinitus agebat, sic agebat, vt humano more agere videretur, ne quid in eo insolens notaretur. Data igitur opera sanato iam occurrit paralytico, & in templo occurrit, loco nimirum ad illum docendum, cōmonendumque commodissimo. Duas autē ob causas illi videtur occurrisse, & vt sciretur, à quo miraculum factum esset, quod prius ignorabatur; & vt illum ipsum doceret, quem fructum ex curatione percipere deberet. *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare*. Solebat etiam animos, non sola corpora sanare, & ille paralyticus corpore quidē sanatus fuerat, animo omnino sanatus non fuerat, cum nondum Christum cognouisset. Multa ex hoc loco diuersi auctores collegerunt. Primùm quidem sæpē corporis morbos à Deo propter peccata nobis immitti. Nam hunc paralyticū propter peccata sua ægrotasse indicare Christum, cum monet, ne iterum peccet, ne quid peius illi accidat. Ita Iræneus lib. 5. c. 15. Chrysost. Cyrillus, Ambr. aut qui alius est auctor comment. in epistolas Pauli in c. 1. epist. 1. ad Tim. August. in lib. de fide, & operib. c. 26. Theophyl. & Euthym. Deinde posse hominem post acceptā baptismi gratiā peccare, quod Iouinianus, & alij nescio qui heretici negauere, Cyprianus lib. 3. aduersus Iudæos. Præterea grauiùs peccare eum, qui postquā à Deo sanitatis siue corporis, siue animi acceperit beneficium, iterum peccat; adiungit enim ad peccatū ingratitudinem, vt Theologi disputant. Comminari enim paralytico Christum forc, vt aliquid illi deteriùs accidat. si iam curatus peccauerit. *Melius erat nō cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionē retrorsum cōuerti*. 2. Petri. 2. 21. Sic Cyprian. in libr. de disciplina & habitu virginum, & Bernardus, serm. 3. in Cant. Probauit etiam Pacianus epist. 3. cōtra Nouatianos ex hoc loco, non esse negandam pœnitentibus ve-

Morbi corporis sæpe ob peccata immissi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pœnitentibus non negauda venia.

niam: nec enim dixisse Christum, *iam noli peccare*, quia non sanaberis iterum, *sed ne deterius tibi aliquid contingat.*

15. *Abijt ille homo, & nũtiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.*) Si spectemus, quo animo Iudæi illum priùs interrogauerint, *Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula*; videbitur eodẽ ad eos animo detulisse, fuisse Christum. Sed nõ dubium quin diuersõ recerit animo. Illi quærebant, vt illum persequerentur; hic defert, vt Christum illis prædicet, & ne malignè cognitum beneficij sui auctorem celare videatur, vt D. Augustin. Chrysostom. Cyrillus, Theophylactus, & Euthym. interpretãtur. Adnotant ijdem auctores præter Augustinum, non dixisse paralyticum Iesum esse, qui sibi dixit, *Tolle grabatum tuum, & ambula*, quod vnum illi scire auebant, sed qui se sanum fecisset. Vnde coniecturam faciunt bono eum animo dixisse, cùm solum prædicet beneficium, id verò silẽtio prætereat, quod conflare poterat inuidiam. *Non fuit piger*, inquit August. *in euangelizando, quem viderat.*

Tract. 17.

16. *Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato.*) Id est eo prætextu persequebantur. Vera enim causa, cur eum persequerentur, alia, vt opinor erat, quòd homines inuidi, atque maligni tãtam eius gloriam, quantam ex miraculis colligebat, ferre non possent, sed hoc vnum causabantur, quòd sabbatũ violare videretur. Semper induit honestam aliquam speciem inuidia, qua turpitudinem suam vellet; erubescit enim videri nuda. Rectè hoc Euthym. obseruauit. Cyrillus autem existimat propterea hoc Euangelistam dixisse, vt nobis Iudæorum stultitiam, atque impudentiam irridendam proponeret, quod propter violationem sabbati, quod minimè violabat, sed verè, atque spiritualiter obseruandum docebat, Christum persequerentur. Ergo significare verè quidem Iudæos propter eam causam persecutos fuisse Christum, sed tamen immeritò, atque ridiculè. In Græcis codicibus additur post hæc verba, *Persequebantur Iudæi Iesum, & ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι*, & quærebant eum interimere. Quibus verbis declaratur, quomodo eum persequerentur, non solùm nimirum verbis, sed etiam manibus, & factis.

Cur Iudæi Christum persequerentur.

17. *Iesus autem respondit eis.*) Etsi sæpe docuimus respondendi verbum pro loqui, aut loqui incipere simpliciter poni ex Hebræorum idiomate; eodemque modo hoc loco accipi potest; tamen aliquanto probabilius est aliquid Iudæos Christo ea de re dixisse, quod Euangelista, quia necessarium non putauit, prætermiserit. Eorum igitur verbis, accusationique Christum respondisse.

Pater meus usque modo operatur, & ego operor.) Animaduertũt Chrysost. & Euthym. prudẽter Christũ, cum ipsius à Iudæis discipuli ob eandem violati sabbati causam accusarentur, non exemplo patris sui, quia homines erant, sed exemplo sanctorum hominum defendisse. *Non legistis*, inquit, *quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes sabbatum violant, & sine crimine sunt?* Matth. 12. 3. 4. 5. Cũ autem ipsemet accusatur, exemplo Patris se tueri, quia & ipse Deus erat. Quod autem dicit, *Pater meus usque modo operatur*, omnes auctores ad hũc modum exponunt, *usque modo*, id est etiam die sabbati. Quod enim dictum est Gen. 2. 2. & Exod. 20. 11. requieuisse Deum *die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat*, non sic intelligẽdum, quasi postea nihil egerit. *Pro-*

Christus exemplo sanctorum tuetur discipulos.

Psal. 146. 6.

ducit enim etiamnum *in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Et solem suũ oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos.* Sed cessasse tunc à nouis generibus rerum efformandis, quemadmodum sex ante diebus fecerat. In hanc sententiã Origenes hom. 23. in Num. Ambros. lib. 7. in Luc. c. 13. August. hoc loco, & lib. 4. de Gen. ad litteram c. 12. & 12. & lib. contra Adimantum c. 2. & auctor lib. de mirabilibus sacræ scripturæ lib. 1. cap. 1. Gaudentius tract. 8. in Exod. Cyrill. Chrysost. Beda, Theophyl. Euthy. Cæsarius dialog. 1. & Rupertus in commẽt. Credibile est inter alia hoc etiam Iudæos Christo dixisse; non licere quidquam in sabbato agere, cùm Deus ipse die sabbati quieuisset. Christum verò peruersam eorum intelligentiam corrigere voluisse, Deum etiamnum operari, seque cum illo operari debere. Se Patris sapientiam esse, sine qua nihil possit facere; per se omnia facta esse, per se etiã omnia gubernari, quemadmodum Cyrillus, & Augustinus explicant. Vera hæc sunt, sed mihi Leontius, & Theodorus Mopsuest. acu rem videntur tetigisse, perinde interpretantur, ac si Christus dixisset, nullum Patri, nullum sibi ad agendũ tempus esse præscriptum. Omnes homines, réque omnes alias sua cõstituta habere tempora, quibus agãt, atque quiescant; Deo non esse datam legem, posse pro suo arbitrio, quandocunque velit, agere. Dominum sabbati, dominum temporis, dominum omnium rerum esse, à nulla rependere, nulla teneri lege. Hoc esse *hoc ἀεὶ, usque modo*, id est quoties vult, & quãdocũque vult, sine termino, sine præscripto, עד הנה, vt dicunt Hebræi. Videtur etiã mihi hoc modo sententia resolui posse quoufq; Pater meus operatur, & ego similiter operer necesse est; aut ex Hebraismo ad hunc modum: Quemadmodum Pater semper operatur, ego etiam operor. Nam nec ille sine me, nec ego sine illo quicquã possumus facere, vt paulò post declarat. Particula enim, ו. *Et*, comparationem aliquando significat. Exempla ex Prouerbijs multa alibi posuimus; aut quidquid Pater operatur, & ego operor, itaque quod ego facio, Pater facit, vt apparet ex ver. 19. Sunt qui hoc nõ de qualibet Dei operatione, sed de ea, qua hominum salutem procurat, interpretentur. In ijs Cæsarius; sed præstat generalem sententiam generaliter accipere.

Deus ipse die sabbati quieuisset.

Deus ipse vbique operatur.

Deus ipse vbique operatur.

18. *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.*) Dixerat Euangelista ver. 16. quæ fuisse Iudæos Christum interficere propter violationem sabbati, quemadmodum in Græcis codicibus legi diximus; dicit nunc ad eum prætextum alium speciosiorem accessisse, quòd se filium Dei, id est Deo æqualẽ faceret. Itaque si ante eum interficere volebãt, multo magis hoc ab eo audito verbo interficere voluisse. Iusta necis causa, si vera esset. Nam propter violatum sabbatum quemquam occidere vsitatum non erat. Si quis verò se, qui non esset, non dico Deum, sed tantùm prophetam faceret, crimẽ habebatur diuinæ læsæ maiestatis; capitali dignum pœna. Rectè verò Iudæi, quamuis hebetes, & carnales, intellexerunt Christum se alio sensu, quàm alij sancti homines vocari solent, filium Dei appellauisse, nempe verum, legitimum, natura genitum, non adoptionis factum beneficio. Itaque meritò veteres Catholici Arianos tanquam nimis tardos irridebant, quòd hanc argumentationis consequentiam non intelligerent, quam Iudæi Christi hostes intellexissent, Christum verum esse Deum, si filius erat Dei, vt intelligimus ex Ambros. lib. 2. de fide cap. 1. & ex Cyrill. lib. 12. Thesauri. No-

Christus Deus.

Christus Deus.

Christus Deus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tre. Sic ergo resoluenda oratio est, quæ propter Hebraismum, qui in ea laret, insolens est, atque difficilis, Nihil Filius ex se facit, sed auctore Patre, hoc est non *a se, nisi quod viderit Patrem facientem*. Itaque illud *a se* non significat idem quod propria virtute, & auctoritate; propria enim virtute, atque auctoritate omnia Christus faciebat: sed significat idem quod solus, sine auctore, sine consensu, & voluntate Patris. Sicut dicit alibi à se ipso non loqui; non quòd non propria virtute & auctoritate, sed quòd non sine Patris volũtate atque approbatione loqueretur, Ioan. 7. 17. & 12. 49. & 14. 10. sic dicit cap. 8. 38. *quod vidi apud Patrem, loquor*. Idémque dicit de Spiritu sancto. cap. 16. 13. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur*. Quod autem dicit *nisi* ἐὰν μὴ, positũ est pro ἀλλὰ sed, vt sæpe pónitur εἰ μὴ, Matth. 12. 4. *Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, nec his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus*, pro, sed solis sacerdotibus. Et ad Galat. 2. 16. *Scientes quia non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi*. Simile exemplum est infra cap. 15. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite*, id est non potest ferte fructum separatus à vite, sed in vite manens. Itaque imperitè hoc loco vertit quidam hæreticorum interpres. Non potest Filius à semetipso operari, id est nisi viderit Patrem operantem.

Nisi pro sed in scriptura frequens.

Theodor. Beza in Ioannem.

Quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.) Ex ijs quæ modò diximus intelligitur non esse sensum Filium quasi Patrem suum æmulantem facere, quæ ipsum priùs facientem viderit; sed nihil facere nisi quod velle, faceréque Patrem nouerit. Particula ergo illa *similiter* non imitationem, sed naturæ, voluntatis, & actionum vnitatem, consensúmque significat. Similiter facere est eadem potentia, eadem auctoritate facere, vt rectè Gregor. Nazianz. orat. 2. de Filio explicauit. Obseruauit autem Leontius non dixisse simpliciter, Quæcunque Pater facit, hæc & Filius facit; sed addidisse, *similiter*, vt doceret non solùm eadem opera, sed eodem modo, eadem auctoritate facere.

20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.*) Opportunè Elias Cretensis in orationem Gregorij Naz. 4. de theologia. Seuerus Antiochenus, & Cæsarius, quos paulò ante citabamus, monuerunt Christum hîc tanquam hominem loqui; propterea verbis vti ad magistrum, & discipulum accommodatis. Nam de Patre dicere, *omnia demonstrat*; de se autem ipso, *nisi quod viderit Patrem facientem*, eodémque sensu videntur Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius intellexisse. Quanquam ego quidem verbum δείκνυσι *demonstrat* non existimo hoc loco accipi pro docere, aut ostendere, sed, pro facere, dare, impartires sensúmque hûc esse, Patrem dat Filio potestatem omnia faciendi; aut Patrem omnia opera sua cum Filio communicat, vt Act. 9. 16. *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Non enim ostendit docendo, sed agendo, id est pericula illi obiiciendo, & gratiam illi patientiæ largiendo, & 1. Reg. 14. 12. *Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem*. id est faciemus, & Exodi. 33. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi*, id est dabo; Psal. 4. 6. *Quis ostendet nobis bona?* & Psal. 59. 5. *Ostendisti populo tuo dura*, & Psal. 70. 20. *quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas*. Propterea non dicit demonstrauit, sed *demonstrat*, vt Rupertus animaduertit, quia quotidie cum illo sua opera communicat. Sic facilè intelligitur, quomodo amor Patris in Filium causa esse significetur, quamobrem omnia illi demonstret. Nec enim dubium, quin cùm dicit, *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei*, indicet propterea omnia illi demonstrare, quia eum diligit. Nam quòd quidam dicunt non causam, sed signum designari, non probo. Cum ergo amor causa esse significetur, cur Pater Filio omnia demonstret, non potest hoc de Christo, quatenus Deus est, intelligi, vt videntur Augustinus, & Cyrillus intelligere. Pater enim Filio, quatenus Deus est, nihil amando, sed generando demonstrat; quatenus homo autem est, multa illi tribuit amoris causa, vt quod paulò post dicitur, quòd omne iudicium dederit Filio.

Pater Filium diligit, quia omnia illi demonstrat.

Et maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini.) Hæc, quæ hactenus feci, & propter quæ à vobis accusor, illius auctoritate feci; plura, maioráque eundem auctoritate faciam: itaque maiorem admirationis, & falsæ accusationis materiam habebitis. Videtur ad eam potestatem alludere, quam in iudicio ostensurus est, qua nullam vnquam maiorem demonstrauit: de ea enim statim loquitur.

21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius, quos vult, viuificat.*) Dubium quorsum nunc de mortuorum suscitatione agat. Augustinus & Beda putant exemplum eorum poni, quæ maiora sibi Patrem demõstraturum dixerat. Nullum dum mortuum suscitauerat, tantùm paralyticum vnum curauerat vet. 9. & moribundum ex febri Reguli Filium. c. 4. 50. & aquam in vinum conuerterat. c. 2. 9. aliáque eiusmodi fecerat signa. c. 2. 23. Maiora ergo facturum indicat, quia tres postea mortuos suscitaturus erat, quod multo erat maius, quàm ægrotos curare. Mihi, vt superiore versu dixi, ad iudicialem potestatem alludere videtur. Et quia proprium iudicis est absoluere, vel damnare, hoc est viuificare, vel occidere, proponit suscitationis, id est viuificationis exemplum. Itaque suscitare hoc quidem loco non ad sola corpora, sed ad animos quoque refero. Quod enim hoc loco dicitur Filius mortuos, quoscunque vult, suscitare, & viuificare, dicitur Apocal. 1. 18. habere *claues mortis, & inferni*. Sicut in veteri testamento dicebatur viuificare, & mortificare Deus, Deut. 32. 39. 1. Reg. 2. 6. Tob. 13. 2. Sapient. 16. 13. Recte Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius vetera illa expendunt, *quos vult, viuificat*; significari profectò propria, æqualíque Patris Filium auctoritate mortuos suscitare. Chrysostomi pro commentatio apponam verba, *At qui nihil potest à se facere, sed tantùm quod vult, contradicit. Nam si, quos vult, viuificat, potest à se facere; velle enim potestatis est, quod si non potest à se ipsum quos vult, non viuificat. Illa ergo particula, sicut Pater suscitat mortuos, indicat secretam potestatem: illa autem, quos vult, æqualem demonstrat.*

22. *Nec enim pater iudicat quenquam. sed omne iudicium dedit Filio.* Tria hoc loco sunt, quæ explicationis indigent. Primùm quorsum hoc addatur, aut cuiusnam rei reddatur causa. Deinde quomodo *Pater non iudicat quenquam*. Postremo quomodo *omne iudicium dedit Filio*. Diximus superiore versu cùm dixit, *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat sic & Filius quos vult viuificat*, ad supremum iudicium alluisse. Reddit nunc causam, cur se iudicaturum indicauerit, id est quos vellet viuificaturum; quos vellet condemnaturum; quia Pater non est quenquam iudicaturus, sed omnem sibi iudicandi concessit potestatem. Aliq minùs probabiliter ad omnia superiora referunt, vt Cyrillus Pater autem dicitur neminem iudicare, nõ quòd reuera non iudicet; quicquid enim vna persona facit extra se ipsam, vt Theologi diffiniunt, omnes simul personæ faciunt: sed quia non iudicat sumpta persona iudicis, quæ ab hominibus, quos iudicat videatur; cùm illis loquatur, sententiam verbis proferat,

proferat, denique externo ritu, formáque iudiciali non iudicat, dicitur neminem iudicare. Filius autem hoc sensu solus iudicet, quia solus homo est, qualem eum, qui homines iudicet, esse conuenit. Propterea vet. 27. tanquam ratio, cur omne iudicium Pater Filio dederit, redditur, quia *Filius hominis est*. Sic Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 13. & in lib. 50. hom. 22. & Beda hoc loco interpretantur, veráque interpretatio est. Nam Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, Ambrosius, & alij, qui existimãt non propterea omne iudicium datum Filio, quia homo, sed quia Filius Dei est, minùs probant. Quando, & quomodo Pater Filio omne iudicium dederit, similis est quæstio. Nam auctores illi, qui existimant Filio tanquam Deo datam à Patre esse iudicandi potestatem, vna cùm eterna generatione datam putant, generando enim Filium Pater eum iudicem fecit, quia hoc ipso, quòd Filius erat, potestas illi iudicandi tanquam primogenitæ Patris sapientiæ debebatur: sicut in regnis, quæ hæreditaria obueniunt successione, eo ipso quòd Rex Filium primogenitum generat, regem facit; nec aliter regem facit, quam generando; sic Ambrosius lib. 2. de fide. c. 4. *Omne iudicium dedit Filio; dedit vtique generando, non largiendo.* Augustinus verò, & cæteri, qui tanquam homini Christo eam potestatem datam docent, in humana datam putãt generatione, vbi factus est Rex: eo etenim ipso quòd Rex est, iudex est. Tunc enim *constitutus est Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*. Psal. 2. 6.

Pater non iudicat quenquam.

Omne iudicium dedit Filio.

23. *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*) Causas duas reddit Christus, quare sibi Pater omnem iudicandi potestatem tradiderit, alterã ver. 27. *quia filius hominis est*; quam rationem supra exposuimus; alteram hîc *vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, id est æquali vtrunque honore prosequantur. Quòd dicit, hoc opinor est, quia Filius, *cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, ita prorsus vt ne homo quidem æstimaretur, sed *vermis, opprobrium hominum, & abiectio plebis*, voluit Pater eum officio iudicis honorare, vt viderent homines *in quem transfixerunt*, & quem patientem contempserant, iudicantem honorarent, atque timerent. Hoc est quod ait D. Paulus, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris*. Certum hoc loco aduersus Arianos argumentum est. Nec enim idem Filio, ac Patri honos esset deferendus, si filius Deus non esset æqualis Patri, vt Chrysostomus, August. Cyrillus, Beda, Theophylactus, & Euthymius, hoc loco disputant. Hanc sententiam sequentia verba confirmant.

Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.) Attentum hîc, & cautum lectorem esse conuenit, ne existimet ideo qui honorat Filium, & Patrem honorare, quia Filius à Patre missus est, nec vlla alia de causa. Hæc enim ratio sola videtur reddi cùm dicitur, *non honorificat Patrem, qui misit illum*; quasi non alio nomine honorandus sit, quàm quia legatus Patris est. Ista enim interpretatio etsi aliquorum etiam Catholicorum est, in Arianorum errorem inclinat. Itaque suspectum mihi est, quod ex Didymo in Græcorum Catena citatum inuenio; quemadmodum qui non honorat legem, Deum, qui eam dedit, non honorare; ita qui filium non honorat, Deum, qui eum misit, non honorare; similem enim in modum Arianos interpretari solitos, haud obscurè hoc loco Cyrillus, & Theophylactus indicant. Rectissimè omnium Euthym. præcedentem æqualitatis particulam *sicut* ὡσὰυτῶ intelligendam esse putat; *qui non honorificat Filium* sicut Patrem, *non honorificat Patrem*; id est eo ipso iniuriam Patri facit, quòd Filium minùs quàm Patrẽ honorificat. Quod quidem verum est, sed ratio quæréda. Vereor ne nimis subtile sit, quod grauissimus auctor scribit Augustinus, propterea qui Filium non honorat, nec Patrem honorare, quia Pater, & Filius relata sunt, itaque qui Filium, vt Filium Dei non honorat, potest quidem Patrem vt Deum, vt bonum, vt creatorem honorare, vt patrem non potest. Alio enim sensu Christus hoc videtur dicere, ideo qui non honorat Filium, nec Patrem honorare, quia æqualis, eadémque in vtroque honoris ratio est, eadem natura, eadem potentia, eadem dignitas, hoc etiam in Filio magis illustris, atque conspicua, quòd *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio*. Quorsum ergo pertinet ratio illa, quæ reddi tacitè videtur, *qui misit illum?* Loquitur, vt supra diximus, Christus de se ipso tanquam de homine; homo autem ille propterea æquali honore, ac Pater afficiendus est, quia à Patre missus est. Non quòd solius legati honorem mereatur; sed quòd nihil aliud sit mitti, quã Deum hominem fieri. Nec enim alia ratione missus est, quàm quia Filius decreto Patris homo factus est; vnde factum vt homo ille, qui idem Deus æqualis Patri erat, parem honorem Patri mereretur. Quem qui illi detrahit, Patri detrahit, tum quia etiam inter homines honor filij censetur patris; tum etiam, vt ego interpretor, quia qui hominem illum Christum tanquam verum Dei filium non honorat, hanc Patri facit iniuriam, quòd ipsi dicenti, atque clara voce testanti, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, non credat. Hoc ipsum sequenti versu declaratur.

Tract. 19.

24. *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte ad vitam.*) Ratio his verbis redditur, vt paulò ante dicebamus, cur *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem*, quia nimirum qui non honorificat Filium, Patri non credit, testanti enim filium suum esse, & à se missum; aut, vt Cyrillus videtur interpretari, cùm priùs dixisset, *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem*, id est quid mali sequatur eum, qui Filium non honorat, docet nunc quid eum sequatur boni, qui illum honorat, id est in illum credat; nempe eum etiam Patri credere, vnde id consequatur, vt vitam habeat æternam. Consequentia verborum postulare videbatur, vt diceret, qui audit verbum meum, & credit mihi, aut credit in me, sicut alijs locis dicit. cap. 1. 12. & 3. 16. 18. 36. At non dicit, Et credit mihi, sed *credit ei, qui misit me*. Rationẽ eius rei hanc Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, esse putant quòd voluerit arrogantiam deuitare. Sed potiùs credo concisè locutum esse ea, quæ facilè intelligi poterant, resecantem. Quasi diceret *qui verbum meum audit*, id est qui credit mihi (hoc enim est verbum eius audire) *credit* etiam *ei qui me misit*, qui ille testatus est me à se missum esse; qui autem credit ei, qui me misit, *habet vitam æternam*. At cur hoc ipsum dixit, cùm satis dictu esset, qui audit verbum meum, habet vitam æternam? In promptu ratio, agebat cum Iudæis qui Patrem agnoscebant, Filium ignorabant, ideo Patri tribuit, vt quisquis in eum credit, habeat vitam æternam, cùm soleat vbique aliàs id sibi tribuere. Et ex auctoritate Patris suam ipse auctoritatem probat, perinde enim esse in

se

Universidad de Deusto
Biblioteca

se credere, atque in Patrem. Quomodo intelligendum qui in Christum, aut in Patrem credit, habere vitam æternam c.3.16. disputauimus. Habere autem dicitur, non habiturus vitam æternam, quia etsi nondum re ipsa habet, habet re ipsa ad illam ius, pignúsque quoddam illius, vt cap. 1. 12. & cap. 3. 16. exposuimus. Quod sequitur *in iudicium non venit*, non significat non esse iudicandum, *nam omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*; sed condemnandum non esse. Iudicium enim pro condemnatione ponitur vt c.3.17.18.& sæpe alias. Quod autem addit, *sed transijt à morte ad vitam*, Hebraica repetitio est, idem enim est transijsse, id est translatum esse de morte ad vitam, vt idem Ioannes loquitur epistola 1. c.3.14.& in iudicium non venire. Sæpe alibi monuimus Hebræorum idioma esse, vt, quæ per negationem dixerunt, per affirmationem repetant, & è contrario, vide quæ diximus c.1.3.

2.ad Cor. 5.10.

2.ad Cor. 5.10. Iudicium pro condemnatione positum. Hebraorum idioma.

25. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est.*) G. ἔρχεται venit præsenti tempore; id est ventura est, vt Matth. 17. 11. aut venit, id est aduentat, appropinquat, vt c.4.25. Videndum quomodo hæc superioribus adhæreſcant. Ammonius, Augustinus, & Beda, non de morte corporis, sed animi hæc intelligentes facilè cum præcedentibus copulant; quia enim dixerat eos, qui verbum suum audirent, habere vitam æternam, transíréque de morte ad vitam, id ipsum nũc alijs verbis dicere. Cyrillus verò, Theophylactus, & Leontius, quod ante dixerat, id modò polliceri re ipsa ostensurum esse; multos enim suscitaturum mortuos, vnde intelligant, qui mortuos suscitare potuit, eum viuis vitam æternam dare posse. Et verò pulchra videtur analogia inter mortuos corpore, & animo esse. Sicut qui corpore mortui sunt, audientes Christi vocem transeunt de morte corporis ad vitam; ita qui animo mortui sunt, dum audiunt, vt paulò supra dixit, eius verbum, à morte sempiterna, ad vitam æternam reuocantur. Sed, vt illic docuimus, cum dixit ver. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius, quos vult, viuificat*, ad vltimam resurrectionem, supremúmque iudicium alludebat. Itaque hoc loco confirmat, atque explicat, quod illic dixerat, venire tempus, cum id experientia probatura sit, futurum vt mortui vocem Filij hominis audiant, & viuant. Quærunt multi quomodo intelligendum, quod dicit, *Nunc est*. Ammonius, Augustinus, & Beda, qui de sola hoc spirituali resurrectione, id est de iustificatione interpretantur, facilè quæstionem expediunt, horam iam tum venisse, quia iam tum Christus homines incipiebat iustificare. Alij eodem moti verbo non ad generalem illam, sed ad particularem eorum, quos Christus, dum in hac vita esset, suscitauit, resurrectionem referunt, vt Cyrillus, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius; sæpe enim paulò post Lazarum, & filiam Archisynagogi, & filium viduæ. At multis adducor rationibus, vt eredam de vltima potissimùm, & generali resurrectione loqui. Primùm quòd ver. 21. quem vt diximus, locus hic confirmat, eò spectauerit. Deinde quòd ver. 28. 29. haud dubiè de generali loquatur resurrectione, *Nolite mirari hoc, quia omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*. Loquitur autem de eadem re continuata sententia. Nam quòd Chrysostomus, Leõtius, & Theophylactus dicunt à particulari ad generalem transire resurrectionem, & ex hac illam approbare, aliquanto mihi videtur durius. Quo ergo modo dicit *& nunc est*, cùm nondum generalis resurrectionis tempus aduenerit? Quæro vicissim ego, quomodo Ioannes 1. epistola c.2. 18. dixerit suo tempore nouissimam horam fuisse, manifestum enim est eodem modo esse & quod hic Christus, & quod illic Ioannes dicit intelligendum. Nouissimam horam vocat, vel quia, vt Petrus ait, *Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus*; vel quod magis credo, vocat nouissimum tempus, statum vltimum, post quem in hac vita ante finem mundi alius expectandus non sit. Primùm in statu illo simplicissimo legis naturalis homines fuerunt. Deinde in statu veteris legis Christum venturum expectantes. Venit Christus post quem nihil expectandum est aliud nisi iudicium. Hoc ergo est illic, *Nouissima hora est*. Hoc est hic, *Venit hora, & nunc est*. Horam enim Hebræorum idiomate, tempus appellari, quamuis longum sit, modò opportunum, quod καιρὸν Græci vocant, nescio an quisquam ignoret.

2. Pet. 3.

Quando mortui audient vocem Filij Dei.) Mortui omnes qui in sepulchris erunt, vt ver. 28. explicatur, & paulò ante probauimus. Vocat se Filium Dei potius, quàm Filium hominis, quamuis se alibi frequentius Filium hominis appellare soleat, quia hoc loco id agebat, vt se Filium Dei approbaret. Hæc enim thesis erat ver. 17. proposita, quæ omnem istam disputationem excitauerat. *Vocem Filij Dei* vocat, aut quia ipse per se mortuos ad iudicium vocaturus est, aut quia per archangelum, & tubam, vt ait D. Paulus 1. Thessal. 4. 16. & Matth. 13. 30. & 24. 31.

Et qui audierint, viuent.) Qui superiora non de vera, sed de spirituali resurrectione intelligunt, facilè hoc interpretantur, non omnes mortuos victuros esse, sed eos tantùm, qui Christi vocem audierint, id est qui in eum crediderint, quia illi soli à peccatis liberabuntur; sed iam probauimus de vera resurrectione agi. Alij hinc probant non agi de generali resurrectione, quia significatur non omnes resurrecturos; & id à nobis supra refutatum est, & ex hoc ipso loco, quo illi probant refutari potest. Etenim fingamus de priuata tantùm eorum resurrectione agi, quos Christus in hac vita suscitauit; quomodo intelligetur, non omnes suscitatos esse, sed eos tantùm, qui Christi vocem audiuerunt? an vocauit aliquos mortuos, qui non audierint? aut suscitare tentauit aliquos, quos suscitare non potuerit? Minimè verò, dicent; sed dicuntur non omnes audisse, quia non omnes vocauit. At id ipsum quàm durum est? Quid ergo? Noluit opinor quenquam excipere, cum paulò post dicat audituros esse omnes; sed voluit vim, efficacitatémque vocis suæ declarare, fore vt quicunque eam audierit, obediat, & ex imo pulmento quorsum nunc diceret Christus, *Et potestatem dedit ei iudicium facere*, cum idipsum ver. 22. ante dixisset? *Omne iudicium dedit Filio*: si nihil ad eam sententiam additurus erat? Nam vt nos quidem legimus, etsi eadem sententia repetitur, additur causa, *Quia filius hominis est*, quæ efficit, vt ne frustra addita esse videatur. Deinde si hæc verba, *Quia filius hominis est*, cum sequentibus iungenda essent, non dixisset Christus, Quia filius hominis est, nolite mirari, per uersa & inusitata verborum collocatione; sed nolite mirari, quia filius hominis est. Hic enim naturalis erat verborum fluxus. Præterea quid faceret pronomen illud τοῦτο loc, additum ad finem? *Nolite mirari hoc*. Si enim superiora verba ad verbum *mirari* referuntur, iam verbum suum habebat accusatiuum, nec alterum poterat admittere. Denique & Augustinus hoc loco, & lib. 1. de Trinit. c. 13. & lib. 50. hom. hom. 22. & Vigilius lib. 5. contra Eutychem, Beda, & Latini omnes; Græcus verò Cyrillus ita legunt, quemadmodum in Latinis codicibus habemus. Et non erat difficile Samosateni explicationem refutare. Non illo quidem tantùm argumento, quo Chrysostomus vtitur, quòd si Pater Filio propterea iudicandi dedisset potestatem, quia homo erat, omnibus hominibus eandem dedisset potestatem. Hoc enim facilè solui potuisset eadem ratione probati posse omnes homines Apostolos esse debuisse, cum illi, qui Apostoli facti sunt, propterea Apostoli facti fuerint quia homines erant. Etenim si homines non fuissent, Apostoli vtique facti non fuissent. Causa enim fuit cur Filio Pater potestatem dederit iudicandi, quia homo erat, sed tamen vnica non fuit causa, si enim purus fuisset homo, non fuisset constitutus iudex. Non hoc, inquam, argumento, sed hoc multo maiore, quòd Christus hic non id ageret, vt quid non posset, sed vt quid posset declararet. De ipsa nunc causa disputandum. Sunt qui existiment nullam reddi causam, sed rationem tantùm explicari, quatenus ea Filio potestas data fuerit, nempe non quatenus Deus, sed quatenus homo erat. Nam vt Deus quidem ipse eam per se habebat. Itaque Græcam dictionem ὅτι Latine vertunt, quatenus homo est, quasi positum sit ὅτι pro καθ' ὅτι aut κατὰ τοῦτο. Infamem interpretationem reddunt auctores mali. Monui autem initio non solere me alios hoc nomine, quàm hæreticos appellare. Rationem tamen afferunt magnam præ se ferentem speciem probabilitatis; Græcè est potestatem dedit ei ὁ καὶ ποιεῖν, *etiam* iudicium faciendi. Vbi manifestum est particulam, *Etiam*, non copulatiuam, sed emphaticam esse. Non posse autem aliam habere emphasim, quàm vt significet eo tam esse potestatem iudicandi Filio non solùm quatenus Deus, sed etiam quatenus homo erat. Contra ego, si ea dictio eam haberet vim, vtique sensus esset Filio etiam tanquam Deo datam fuisse iudicandi potestatem. At iam probauimus hic non de Filio quatenus Deus, sed quatenus homo erat, agi. Nam etsi etiam vt Deus, & potestatem, & naturam ipsam accepit per æternam à Patre generationem; tamẽ non agitur hic de ea potestate, quam ab omni habuit æternitate; sed quam in tempore habere cœpit. Itaque vt dictio *etiam* emphatica sit, quod negari non potest, aliam vim habeat necesse est, quam nemo, quem legerim, explicarit. Ea duplex meo quidem iudicio esse potest. Aut vt significet Patrem Filio non solùm curandi paralytici, quod illi mirabantur, aliáque eiusmodi miracula faciendi, nõ solùm suscitandi mortuos, vt paulò ante dixerat; sed etiam viuos, & mortuos iudicandi dedisse potestatem. Aut non solùm Patrem ipsum iudicandi potestatem habere, sed eam etiam omnem in Filium transtulisse, *quia Filius hominis est*, id est quia persona gerebat ad fin-

Auctores mali hæretici. Ita Caluinus, & Beza in Ioan.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gendum officium iudicis accommodatam. Quod quemadmodum intelligendum sit, supra explicauimus ver.22. Illud hîc confirmandum, quod rectè à quibusdam notatum est, Filium hominis hoc loco non significare propriè Christum, quemadmodum vbique fere aliàs; sed generaliter hominem, quamuis pro solo ponatur Christo, quia ipse de se solo loquebatur. Propterea neutrum nomen, neque hominis, neque filij Græcè articulum habere.

Filius hominis non semper Christum significat.

28. *Nolite mirari hoc.*) Incertum, quo pronomen *Hoc* referri debeat. Diximus superiore versu Chrysostomum, Theophylactum, & Euthymium ad præcedentia proxime verba retulisse, quasi sensus sit. Nolite mirari, quòd Filius hominis sit; nam & Filius Dei est. Cyrillus refert ad paralyticum, cuius curatio materiam disputationis dederat. Tanquam dicat, nolite mirari, quod tantopere miramini esse à me sanatum paralyticum; veniet tempus, cùm non solùm paralyticos sanabo, sed omnes etiam suscitabo, qui mortui in sepulchris iacent. Leontius ad id quod versu 25. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, vivent,* quod ille de Lazari, & aliorum, quos Christus, dum in hac esset vita, suscitauit, resurrectione interpretatur. Sensum igitur esse, nolite mirari, quòd dixerim me paucos quosdam suscitaturum esse. Veniet enim tempus, cum non paucos, sed omnes omnino mortuos suscitabo. Augustinus ad id, quod dixerat versu præcedenti, *Et potestatem dedit ei etiam iudicium facere:* quasi dicat, nolite mirari, quòd dixerim datam mihi potestatem exercendi iudicij, plùs enim est solo verbo omnes mortuos suscitare: atqui id ipsum facturus sum. Hoc probo, quia ipsum filum orationis eum sensum præ se fert, & nihil repugnat.

Quia venit hora, in qua omnes, qui in monimentis sunt, audient vocem eius.) Monet Augustinus non esse additum hoc loco, Et nunc est, sicut ver.25. quia illic agebatur de resurrectione ptiuata quorundam, quos paulò post suscitaturus erat; hîc de communi omnium hominum, cuius nondum tempus aduenerat. Sed eo loco probauimus etiá illic de generali mortuorum resurrectione locutum fuisse Christum. Itaque potiùs existimo, aut idem hîc à Christo dictum esse, sed ab Euangelista, vt alia multa, prætermissum; aut Christum, si non dixit, intelligi voluisse, sicut paulò ante dictum fuerat. Solemus enim, cum eandem sententiam modico interuallo repetimus, aliquid, ne omnia prorsus cum fastidio iteremus, præterire. Aptiùs mihi videtur Leontius, & Euthymius obseruasse hac periphrasi, *Omnes qui in monumentis sunt*, mortuos omnes, etiamsi in monumentis non sint, significari, quia plerique in sepulchris esse solent. Multos enim à bestijs deuoratos, multos igne consumptos, multos alios caruisse sepultura; sed nimirum ex maiore parte totum intelligi. Inuenio in Græca Catena propositam hîc nomine Chrysostomi quæstionem, quid causæ fuerit, quamobrem hoc loco Christus tam multa de resurrectione, de iudicio, déque data sibi à Patre potestate disseruerit. Respondet hæc fuisse Iudæis omnium creditu difficillima, quæ qui credidisset, nihil non esset crediturus. Cætera quæ pertinere ad hunc locum poterant, ver.25. exposuimus.

Quæstiones Iudæis creditu difficillimæ.

29. *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*) Non duas resurrectiones, sed duos resurrectionis exitus facit. Omnes enim resurgent, sed alij ad vitam æternam, quæ resurrectio vitæ vocantur; alij ad condemnationem sempiternam, quæ dicitur resurrectio iudicij, id est condemnationis. Peruersa est Caluinianorum in hunc locum interpretatio; Christum non significare bona opera causam esse vitæ æternæ, sed tãtùm prædestinatos à reprobis ex operibus tanquam ex fructibus arbores distinguere. Iolam enim fidem causam salutis esse. At hîc non solùm de sola fide, quam nunquam illi probare potuerunt, sed ne de ipsa quidem fide litteram vllam legimus. Cuius ergo insaniæ est, fidei, de qua Christus nihil dicit, salutem tribuere; bonis verò operibus, quibus ille salutem tribuit, salutem auferre? Refutauimus eam hæresim & similem interpretationem illorũ, Matth.25.35. Sed videamus num ex hoc ipso loco possit refutari. Primùm quis credat Christum prædestinatos à reprobis distinguere voluisse. Quid enim nostra interest, vt eos internoscere mus? Deinde si id facere voluisset, non bene ex operibus distinxisset, nec enim opera bona certa sunt signa prædestinationis, cùm tàm multi præsertim infantes sine vllis bonis operibus salui sint. Deinde quis non videt rationem ipsam postulare, vt, vbi de resurrectione & supremo iudicio agebatur, non signum proponeretur, sed vera redderetur causa, quamobrem alij ad vitam æternam, alij ad iudicium sempiternum resurrecturi essent? Neque dubium est, quin eodem modo hoc loco de bonis operibus loquatur, quo apud Matth.c.25.35. at illic bona opera causam salutis facit, *Esurijs enim, & dedisti mihi manducare.* Nam eorum, vt eum locum depranent, commenta illic refutauimus. Denique non dubium, quin eodem cõtextu, eodem tenore, eodem sensu de bonis, & malis operibus agat. Mala autem opera profecto significat causam fore, vt quidam procedant *in resurrectionem iudicij*, ergo è contrario significat bona opera fore causam, vt alij procedant *in resurrectionem vitæ.* Quanto melius Ammonius, & Theophylactus colligunt ex hoc loco solam fidem ad salutem satis non esse. Theophylactus omnium versatur manibus; Ammonij, quia in solis manuscriptis Græcorum Catenis citatus reperitur, verba recitabo, Οὐκ ἐκ μόνης πίστεως μόνον σῴζεται, εἰ μὴ καὶ ἔργα τῆς ἐκείνου διδασκαλίας ὧν τὰ μὲν ἀγαθὰ ἀναστήσει τοὺς τὰ ἀγαθὰ πεποιηκότας εἰς ἀνάστασιν ζωῆς, τὰ δὲ φαῦλα τοὺς τὰ φαῦλα πεποιηκότας εἰς ἀνάστασιν κρίσεως.

30. *Non possum ego à me ipso facere quicquam.*) Quia iudicandi potestatem sibi à Patre datam fuisse dixerat, docet non posse malè se iudicare, ne quis forte existimaret peruersum futurum esse iudicium ipsius, cùm homo esset, & *omnis homo mendax.* Eam suspicionem remouet; nam quamuis homo quidem sit, tamen errare in iudicando non posse, cùm nihil faciat nisi ex Patris iudicio, atque voluntate. Ad eundem ferme modum Chrysost. Cyrillus, & Theophylactus, assuetos fuisse Iudæos frequenter audire Deum futurum iudicem. *Quoniam Deus*, inquit, *iudex est.* Psal.49.6. & 74.8. &, *exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum a facie eius*, Psal.67. 2. &, *iudicare populum tuum in iustitia*, Psal.71.2. &, *exurge Deus, iudica causam tuam*, Psal.73.22. &, *surge Deus, iudica terram*, Psal. 81.8. Ergo ne offenderentur quòd Christus, cum homo esset, diceret se iudicaturum omnes homines esse, docet se id non sua, id est non humana; sed Patris, id est diuina auctoritate facturum esse. Eodem redit, quod Augustinus ait. *Quia*, inquit, *dicturi illi erant si in iudicabis & Pater non iudicabit, quia omne iudicium dedit filio, non ergo secundum Patrem iudicabis, adiecit. Non possum ego à me ipso facere quicquam; sed sicut audio, iudico; & iudicium meum iustum est.* Quomodo dicat se non posse ex se facere quicquam ver.19. diximus.

Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est.) Particula, &, pro, itaque, posita videtur, quod Hebraice

frequens

frequens est. Ex eo enim quod non pro suo, id est humano iudicat arbitrio; sed prout audit à Patre, qui errare iudicando non potest, colligit se errare non posse, sed rectè semper iudicare. Vers.19. dixerat nihil se facere, nisi quod videret Patrem facientem, hic dicit, nihil iudicare, nisi quod audiret à Patre. Idem verunqui significat, nihil se neque iudicare, nec aliud quidpiam facere, nisi quòd sciat consentaneum esse Patris iudicio, atque voluntati. Sed illic videndi, hic audiendi verbo vsus est; qua illic de faciendo agebat, hic de iudicando. Et solent qui ex alterius præscripto agunt in eum quasi in exemplar intueri; qui autem iudicat ex alterius volũtate, auscultare quid ille, & quomodo iudicandum esse dicat.

Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.) Cõfirmatio est superioris rationis, qua probauit se rectè iudicare, quia non ex se, sed ex Patris voluntate iudicat. Idem nunc alijs verbis dicit, se non quærere voluntatem suam, sed voluntatem Patris. Vna enim res maxime omnium erãdi causa est, quòd suam quisque sequatur voluntatem, pessimum plerunque consiliarium. Memini elegantem Oratoris Græci sententiam. ἅπαν ἁπάντων αὐτὸν ἐξαπατήσει, ὃ δὲ βλέπεται πρὸς ἕκαστος τῷ εἶναι. Filius omnes, inquit Augustinus tract.22. dicit, *non quæro voluntatem meam, & homines volunt facere voluntatem suam.* De humana Christus loquitur voluntate, quæ quatenus humana quidem erat, poterat à diuina dissidere voluntate; quatenus autem eius erat hominis, qui idẽ Deus erat, minimè poterat. Potuit dicere, sed voluntatem Patris, maluit dicere, *eius qui misit me*; quia etsi idem est, tamen hoc est magis emphaticum; explicat enim tacitè causam, cur ex eius voluntate iudicare debeat, non solùm quia Pater est, sed quia se ad hoc ipsum miserat, vt iudicaret.

31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.*) Chrys. Cyrill. Leontius, Theophyl. & Euthym. existimant hoc Christũ non ex sua, sed ex Iudæorum opinione dicere, tanquam diceret, quia ego de me ipso testimoniũ perhibui, existimabitis testimonium meum non esse verum. At nõ ita est. Atque ad hunc modũ eam tollunt repugnãtiam, quæ inter hũc, & alios nõnullos locos videtur esse, in quibus dicit Christus etiamsi ipse de se testimonium perhibeat, suum testimonium verũ esse, vt c. 8.14. Probabilis sententia. Beda, & Alcuinus ex sua opinione Christum loqui putãt, sed tãquam hominem, non tanquam Deum; vt si dicat meum quidem de me ipso testimonium, si vt testimoniũ solius hominis, vt esse videor, consideretur, non erit verum; at si cõsideretur vt testimonium Dei, verum vtique erit. Ego modum illum loquendi prouerbialem fuisse arbitror. Quod vel ex eo perspici potest, quòd eo Christus tanquam ex vulgari sermone sumpto frequenter vtatur. Obiiciunt illi Iudæi cap.8.13. *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Eodem vsi prouerbio. Necesse erat quia accusabantur, vt se defenderet. Respondet ergo ver.14. *Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.* Hoc loco non accusatus, sed sponte dicit se contra vulgare prouerbium nolle de seipso testimonium perhibere, quia testimonium suum non erit verum: non quòd re ipsa verum non esset, sed quòd ita vero habendum non erat vt vulgari prouerbio dicebatur. Perinde ergo est ac si dicat, nolo mihi de me testificanti quisquam credat, ne id contra vulgare prouerbium postulare videar; credat Ioanni, credat Patri, qui maius, quam ego de meipso testimonium reddiderunt. Loquitur igitur & ex concessione, & ex hypothesi, & ex sensu prouerbij, id est communi hominum opinione. Ex cõcessione, quia, cum suo iure postulare posset, vt sibi soli de se testanti crederetur, de suo remittit iure, & ἐν τῷ κατὰ συγχώρησιν, non vult, vt sibi credatur Ex hypothesi, quia idem est ac si dicat; Nolo ego de meipso testimonium perhibere, quia si perhibuero, videbitur non esse verum. At iam de se ipse dixerat testimonium, iam se Filium Dei appellauerat, iam dixerat se suscitaturum mortuos, hominesque iudicaturum, quo nullũ de ipso maius testimonium dici poterat. Verum quidem hoc est; sed hæc alia est figura, aliusque rhetoricus color. Postquam enim dixerat ipse de se testimonium, dicit se nolle dicere, ne suspectum habeatur, malle vt alijs credatur testibus. In hanc sententiam videtur Cyprianus intellexisse epist. 10. libr. 4.

32. *Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium eius, quod perhibet de me.*) Hunc alium Cyrillus, Beda, Rupertus Patrem intelligunt, de quo dicit vers. 37. *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.* Melùs Chrysostomus Leontius, Theophylactus, Euthymius intelligunt Ioannem, quia de Ioanne statim sequitur; *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati.* Mihi & Pater, & Ioannes, & Moses, prophetæque omnes videntur intelligi; sed singularem numerum pro plurali posuit. Non credo tamen, quod malus quidam dicit interpres, ὑπεναντίως dictum esse *alius est*, quasi dicat, longè alius est, longè maior est, quàm me vos esse putatis, qui testimonium de me perhibet. Semper enim intuendum diligenter est, quid agatur. Nõ agebatur de qualitate, sed de numero testium. Quod autem dicit, *& scio quia verum est testimonium eius*, eò, vt mihi videtur, pertinet, vt indicet se ne aliorum quidem de se testimonio credi volitarum fuisse, nisi certò sciret verum esse. Modestiæ incredibilis hoc est, qua. quo magis moderatur orationem suam, digniorem fide facit.

33. *Vos misistis ad Ioannem.*) Multiplicem habet emphasim. Primùm conuincit eos proprio ipsorum teste, quasi dicat, nolo ego meo de me ipso vti testimonio, vestro vtar teste, quem eo ipso, quòd produxistis, & non solùm testem, sed iudicem etiam quodammodo fecistis, dignum fide iudicastis. Atqui ille ipse cõstitutus in hac eadẽ causa à vobis iudex sententiam secundũ me pronũciauit. Hoc sensu Chrysost. & Euthym. Deinde quod dicit, *Misistis*, indicat, vt Cyrillus inquit, Ioannẽ nõ sua sponte, quod suspectum esse solet, sese obtulisse, vt testimonium de Christo diceret, sed rogatum dixisse. Præterea nõ de Christo, sed de seipso rogatũ, vt Chrysostomus obseruat. Non enim Iudæi legatos ad eum miserant, vt de Christo, sed de ipsomet interrogarent, num esset Christus, vt Ioan.1.19. & Luc.3.15. manifestum est. Itaque si verè Ioannes potuisset eam dignitatem à Christo auferre, & sibi populi præiudicijs oblatam attribuere, facturũ fuisse; & tamen in propria causa, in qua pro se, si potuisset, iudicaturus erat, contra se pro Christo iudicasse. Denique quod ait *ad Ioannem*, vim etiam habet. Is nimirum Ioannes erat, quem illi putabant esse Christum; qui si eam metuit opinionẽ, vt Christus esse putaretur, multo magis merebatur, vt crederetur sibi dicenti non se, sed Iesum esse Christum. Quod sequitur, *Et testimonium perhibuit veritati.* Ammonius, & Cyrillus sic interpretantur, testimonium mihi perhibuit, se etenim ipsum veritatem appellasse, vt alio quodam loco, *Ego sum via, & veritas, & vita.* Sed non videõ, quid potuerit esse causæ, cur potius dixerit *testimonium perhibuit veritati*; quam testimonium mihi perhibuit, si idem vtrumque erat, cùm illud & breuius, & clarius, & efficacius

Inf. c.14. v.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Veritas dicitur hic esse æquitas.

ficacius esse videretur. Credo ergo veritatem ipsam causæ æquitatē appellari, ideoque nō dixisse Christum, testimoniū mihi perhibuit, sed *testimonium perhibuit veritati*, vt ostenderet nihil Ioannem gratiæ tribuisse; sed quod dixit testimonium, ipsa coactum veritate, & æquitate causæ dixisse.

34. *Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico, vt vos salui sitis.*) Chrys. Leontius, Rupertus, & Euthym. existimant sensum esse, ego humano testimonio non indigeo. Non vt indicet Ioannis testimonium humanum fuisse; diuinum enim fuisse cōstat, quamuis per hominem pronuntiatum. Nam & Ioannem eam ob causam missum *à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine* cap. 1. 6. & diserte testatum esse, *Ego nesciebā eum, sed, qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto*, Propterea non dixit, inquit Rupertus, Ego testimonium per hominem, sed ab homine testimonium accipio. At Christus de Ioannis loquitur testimonio, quale ille perhibuerat, id est non ex se, sed ex Deo; atque id ipsum Christus dicit se non accipere. Cyrillus per comparationem hoc dictum putat, non quòd Ioannis non acciperet testimonium, sed quòd maius testimonium, quam Ioannis haberet, vt dicit ver. 36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne.* Itaque vtitur eodem colore, quo ver. 31. vsum diximus; postquam Ioannis produxit testimonium, dicit se eo vti nolle, aliud maius habere. Ego hoc sensu interpretor, quem & Leontius, & Theophylactus indicarunt, quòd Ioannis testimonium produxerim, nō propterea feci, quòd indigeam hominū, aut Dei etiam per homines exhibito testimonio. Deus enim cùm sim, & ipse per me edendis miraculis, quis sim, declarare possim; nō indigeo testimonio cuiusquam. Vsus tamen sum Ioannis testimonio non propter me, sed propter vos: vt qui mihi etiam miracula facienti non creditis, Ioanni quem vos iudicem constituistis, testimonium de me dicēti credentes salui fitis. Sicut cùm vox de cælo intonuisset, *Et clarificaui, & iterum clarificabo*, dixit, *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos* c. 12. 29. 30.

Hom. 39.

35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.*) Cyrillus ideo hoc à Christo adiectum putat, quia cum paulò ante dixisset, *ego non ab homine testimonium accipio*, Ioannis testimonium contemptim videri poterat; ideo eum nūc comparatione lucernæ commendare. Aliquanto aliter Chrysostomus, *Ne diceret*, inquit, *Quid ad nos, si ille testimonium perhibuit, id non recipimus: recepisse ostēdit.* Itaque Chrysostomus hæc verba non cum ijs, quæ proxime præcessere, sed cum illi versus 33. contungit, *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati.* Mihi hoc sensu adiectum videtur; dixerat se Ioannis testimonio vsum esse, non quòd ipse indigeret, sed vt illi salui essent; addit eius testimonio, si ei credere voluissent, saluos fieri potuisse. Etenim ardentem, & claram fuisse lucernam, quæ Christum saluris viam ostenderet. At eos inconstantes, & leues fuisse, qui non nisi ad horam ea lucerna exultauerint. Quod ergo graues etiam auctores dicunt Ammonius, Leontius, Cyrillus, Theophylactus, Rupertus, Euthymius, & Ambrosius serm. 14. in Psal. 118. ideo vocatum Ioannem lucernam, quia non ex se, sed ex Christo lumen habebat; & quia apparente Christo quasi sole iustitiæ est obscuratus, quod vtrunque proprium lucernæ est, etsi res quidem ipsa per se vera est, illum non ex se, sed ex Christo lumen habuisse, tamen non videtur ea fuisse causa, quamobrem lucernam potius hoc loco,

Cur hoc à Christo adiectum sit.

Ioannes dicitur lucerna dictus.

quàm alio aliquo nomine Christus eum appellauerit; nec enim id agebat, vt eius extenuaret testimonium, sed vt commendaret. Extenuasset autem, si propterea lucernam vocauisset, quia non ex se esse lumen haberet, quia non nisi absente sole luceret, quia parua, quia subobscura esset. Lucernam igitur nominauit contraria potius ratione, vt indicaret, quamuis homo esset, lucernam tamen fuisse, quasi vt Iudæi essent, facile salutis viam cognoscere potuissent, vt Tertullianus in lib. contra Iudæos videtur intellexisse. Eademque de causa epithetum illud additum puto, *ardens, & lucens*, id est non qualiscunque lucerna erat, sed clara, lucens, illustris, quæ ad commonstrandum salutis auctorem satis esset. Idem ergo est *ardens, & lucens*, sed repetita sententia maiorem habet emphasim. Nam quòd quidam subtiliter distinguunt, nescio an aliquod faciāt operæpretium. Si quid discriminis velim ponere, Gregorium hom. in Ezechiel. 11. & Rupertum in commentarijs ad hunc locum sequi malim, quia si minùs fortasse propriè, moraliter tamen certè, & vtiliter interpretantur. *Ardans*, inquit Gregorius, *per cæleste desiderium, lucens per verbum. Vt ergo seruetur veritas prædicandi, teneatur necesse est altitudo viuendi.* Vel, vt Rupertus ait, *ardens intrinsecus testificandæ veritatis amore: lucens extrinsecus verbo, & opere.* Quomodo Christus Ioannem lucernam fuisse dicat, cum hic idem Euangelista c. 1. 8. dixerit, *Non erat ille lux*, illic declarauimus.

Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.) Id est principio magno in pretio eum eiusque testimonium habuistis, vsque adeo vt ipsum Christum esse putaretis; postea verò cū maximè illi credere oportebat, cùm de me testificatus est, cùm me demōstrauit, minimè credidistis. Hoc est *ad horā*, id est ad modicum tempus. Quo verbo eorum inconstantiam, & leuitatem nota; quòd in ea opinione, quam de Ioanne initio conceperant, non perseuerauerint. Si etiam perseuerassent, credidissent eius de Christo testimonio, & ad ipsum venissent Christum, salutemque ab eo habuissent. In hanc sententiam Leontius, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius edisserunt Beda, Rupertus; & quidam alij sic: *Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius*, id est hæsistis in gloria eius temporali, quòd Propheram in populo haberetis, gloriam verò illam veram, & sempiternam, quam ille præmonstrabat, ad quam homines inducebat, neglexistis. Illud primùm probabilius. Dignum verò quæstione est, cur his Christus verbis vsus sit, *in luce exultare. In luce* quidem dixit, quia lucernam eum ardentem, lucentemque appellauerat. Lucernam verò appellauit, quia id agebat, vt doceret satis superque ab eo salutis viam fuisse demonstratam, quod proprium lucernæ est. Solemus enim in tenebris, vt viam videamus ardentem præferre facem. *Lucerna*, inquit ille, *pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Exultare* autem dixit potius, quam recipere, aut aliquid eiusmodi, vt affectum, & vehemens studium exprimeret. Consueuimus, cum in tenebris sumus, & lux aliqua nobis affulgeat, non quoquomodo gaudere, sed gestire, efferri, exultare gaudio. Hoc eos feciste dicit; amplificatque eorum in principio studium, & ardorem; quo maiore reprehēsione digni esse intelligātur, quòd tam breui tempore refrixerint. Accidit sæpe hoc in hominum moribus, vt qui maiore primùm ardore ad religionem, pietatemque animum adiiciunt, ij citius in cōtrarium resiliant; *conuersi*, vt ait Dauid, *in aruum prauum*, id est fallacem, atque dolosum, qui cum maximè tensus fuerit, subitò retenditur. Inconstantis ingenij indicium est in partes cōtrarias vehemētem

esse.

esse; itaque est natura comparatum, vt diuturnum esse non possit, quidquid consuetum modum excedit.

36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne.*) Maius Ioannis testimonio, quem sensum magis Græca, quàm Latina patiuntur, ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου. Chrysostomus, Cyrillus, & Theophylactus hæc cum superiore versu coniungunt, quasi dicat, magnum quidem Ioannis fuit testimonium, *erat lucerna ardens, & lucens*; sed maius mihi testimonium opera mea præbent. Si illi de me testificanti non credidistis, operibus saltem meis credite. Possunt & ad vers. 34. referri, *Ego autem non ab homine testimonium accipio*; confirmat enim se ab homine testimonium non accipere, quia maius humano habet testimonium.

Opera enim, quæ dedit Pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.) Videndum, quomodo opera, quæ Christus faciebat, maius de ipso testimoniū, quam Ioannes perhibebant, vt his verbis ipse significat. Chrysostomus, & Euthym. indicant, propterea operum, quàm Ioannis maius fuisse testimonium, quia Ioannes, cùm homo esset, videri poterat gratiæ potiùs rationem habere, quàm veritatis; quod de operibus dici non poterat, quæ nemo nisi accepta à Deo potestate poterat facere. Rectè enim Nicodemus dicebat, *Rabbi scimus, quia à Deo venisti magister: nemo enim potest facere hæc signa, quæ tu facis, nisi fuerit Deus tecum.* Ioan. 3. 2. Et cæcus ille, cap. 9. 32. 33. *A sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi hic homo esset à Deo, non poterat facere quicquam.* At & falsi Prophetæ aut eadem, aut similia opera facere possunt, vt ipse testatur Christus, Matth. 24. 24. & Mar. 13. 22. & 2. Thessal. 2. 9. & Apocalyps. 13. 13. Verum: sed quid interfit, apud Matthæum disputauimus. Quæri etiam merito potest, cur non dixerit, *Opera, quæ ego facio*, sed *quæ dedit Pater, vt perficiam ea.* Solutionem Theophylactus indicat. Accusatus fuerat à Iudæis Christus, quòd sabbato iussisset paralyticum grabatum tollere, ver. 10. & 11. Voluit igitur ostendere nihil se facere, misi auctore Patre, quodque ab eo sibi non solùm permissum, sed etiam præceptum, atque præceptum esset. Hoc est, *quæ dedit Pater, vt perficiam ea.* Loquitur enim vt homo, quemadmodum Cyrillus monet; vt homo autem præceptum à Patre accipiebat. Aut cum dicit, *quæ dedit Pater*, non significat præceptum, sed consensum, & vtita dicam, cooperationem Patris. Quemadmodum cum dicitur Pater eum misisse, non significatur præcepisse illi, vt homo fieret, sicut pater homo nomini filio præcipere solet; sed factum fuisse homine Patre, qui genuerat, volente, & simul cum illo decernere. Hac ratione etiam tanquam Deus hoc loco potest loqui; sed illud verius. Quod addit, *ipsa opera quæ ego facio*, etsi nihil aliud, quàm Hebraica repetitio videri potest, tamen suam habet epitasim, non verba, non voces, nō homines; sed *ipsa*, inquam, *opera*, non quæ pro me alius; sed quæ ego ipse facio testes mihi sunt. Quærunt Leontius, Chrysostomus, & Euthymius, quam ob causam nō dixerit, testimonium perhibent de me, quia Deus sum, aut quia Pater sim æqualis? cùm id ipsum opera testarentur. Respondent quæstionem fuisse, num à Patre missus esset, & ea, quæ faciebat, auctoritate Patris faceret. Ideo hoc vnū, de quo disputabatur, concludere voluisse; quod si illi credidissent, facilè essent & illud creditura, æqualem esse Patri. Quanquam, vt Cyrillus putat, hoc ipsum concludit; cum enim Deum Patrem suum vocat, satis docet se illi æqualem esse.

37. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.*) Chrysostomus, & Rupertus de testimonio illo Patris, quod voce de cælo delapsa exhibitu fuerat, interpretantur. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, Matth. 3. 17. Sed hoc non conuenit ijs, quæ statim sequuntur, *neque vocem eius vnquam audistis.* Nam illam quidem vocem omnes, qui aderant, audiuerant; & paulò post docebimus non posse hoc de illo intelligi testimonio. Minùs etiam de voce illa Patris in transfiguratione edita, Matthæi 17. 5. de qua alij hoc intelligunt. Cyrillus, Theophylactus, Beda, & Euthymius de lege, & Prophetis interpretantur, in quibus Pater loquens sæpe se missurum testabatur filium. Confirmat hanc explicationē quod sequitur ver. 39. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & ille sunt, quæ testimonium perhibēt de me.* Probabile hoc est, sed videtur Christus opera ipsa, quæ faciebat, testimonium Patris appellare, quia auctore faciebat Patre, & quod ipse faciebat, Pater faciebat, vt operibus ipsis declararet Christum filium esse suum. Hoc enim est, quod alijs locis dici solet, filium suum clarificare, id est factis miraculis adeo clarum reddere, vt facile appareat filium esse Dei, cap. 12. 23. 29. & 13. 31. & 17. 1. 4. 5. Quod ergo postea dicit, *Scrutamini scripturas*, diuersum est testimonium.

Testimonium Patris opera ipsa.

Quid sit Patrē Filium clarificare.

Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis.) Primo loco videndum, quomodo hæc tam generalis sententia intelligatur. Ac de specie quidem, & figura Dei, quam nunquam ab illis visam dicit, haud difficilis est quæstio. Nam etsi multi vidisse dicuntur Deum, nemo tamen vllam in eo verā corporis imaginem vidit, cum expers omnino sit corporis, vt c. 1. 18. disseruimus. *Non vidistis*, inquit, *aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis*, Deuter. 4. 15. De voce dubitatur, quia sæpe alibi Iudæi vocem Dei dicuntur audisse, Deuter. 4. 12. Rectè Chrysost. Leontius, Cyrillus, Theophyl. Euthym & Rupertus hæc explicant, audiuisse quidem Iudæos aliquādo Dei vocem; sed quemadmodum figura illa, quam videbant, qui Deum videre dicebantur, vera Dei figura non erat; ita illam, quam audiebant, veram Dei nō fuisse vocē, sed vocem Dei dictam esse, quia ex aëre, aliáue re aliqua corporea à Deo formabatur. Deum enim, sicut os, & linguam naturalia vocis instrumenta nō habet, ita naturalem vocem non habere. Maior quæstio quorsum hæc dicta sint? Omnes fere interpretes Chrysost. Leontius, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius existimant propterea hoc Christum dixisse, quia sciebat gloriari solere Iudæos quòd Deū sibi loquentem audissent, quòd Deus cum Mose locutus esset, quemadmodum alio loco dicūt; *Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit*, cap. 9. 29. Docet ergo eos nunquam veram Dei vocem audiuisse, nunquam veram eius speciem perspexisse, ideoque non debere ea re confidere, sed sibi credere. Rupertus alio exponit sensu ille, cuius nec vocem audistis vnquam, nec speciem vidistis, id est verus ille Deus, qui nec videri oculis corporis, nec audiri auribus potest, testimonium mihi perhibet; itaque testimonium habeo maius quàm Ioannis. Quidam putant hac phrasi nec vocem, nec speciem significari; sed hunc tantùm esse sensum, eos familiares non esse Deo. Solere enim familiaritatem visu, & auditu cōtrahi; ideoque eos duos potissimùm sensus, & quæ illis respōdent obiecta, speciem, & vocem nominasse. Si nullam his meliorem interpretationem inuenirem, primam eligerem. Videāt tamē qui me doctiores sunt, an nō hæc sit pro-

Vox Dei dicta quæ ex aere formabatur.

Quorsum hæc dicta sint à Christo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

babilior. Vt quoniam Christus modò dixerat Patrem sibi non verbis, sed operibus ipsis, atque miraculis testimonium perhibere, quia poterant illi causari id genus testimonij veluti mortuum, & mutum esse, velle se expressum Dei ore audire testimonium, dicat expectandum illis aliud testimonium nō esse, quòd ipsis visus, atque auditus Pater afferat; Patrem enim neque audiri, neque videri posse; opera eius esse colorē, eius voces, quibus videatur, quibus audiatur, *Cæli*, inquit, *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Credant igitur operibus. Certè hæc interpretatio, cum illa superiore conuenit, qua paulò ante docuimus miracula, quæ Christus faciebat, Patris testimonium appellari. *Psal. 18. 2.*

38. *Et verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis.*) Sermonem, aut λόγον *verbum* Chrysost. Theophylactus, & Euthym. scripturas sacras interpretantur, & τὸν λόγον *verbum*, aut sermonem ἀπὸ τῆς φωνῆς à voce ita distinguunt, vt vox sit, quę à Deo ipso proprio ore pronuntiatur, quæ quia pronuntiari non potest, audiri etiam non potest; *verbum* autem, aut sermo, quidquid à Deo per Prophetas dictum est, qualis omnis est scriptura sacra. Ergo sensum esse non solùm vocem Dei, quod fieri non poterat, eos non audiuisse, sed ne verbum quidem eius, quod in scripturis sæpe legerant, sæpe audierant, in animis suis insculptum retinere. Hoc est, *In vobis manens.* Enimuerò si verbum Dei, quod in sacris legebatur litteris retinuissent, credidissent in Christum; illic eum viderent, illic audirent; omnia enim Christum sonare, quæ à Mose cæterisque Prophetis scripta sunt. Probabilis sensus. Nec multum ab eo Rupertus abest; abest tamen aliquantulum, vocem quidem Dei non audiuisse, verbum autem audiuisse, ita tamen audiuisse, vt in auribus, & in ore illud haberent, in intimis animis altè fixum non haberent; hoc esse, *Non habetis in vobis manens.* Alij hoc sensu videntur exponere, non solùm eius vocem non audistis, & eius speciem non vidistis, sed ne idonei quidem estis, vt, cùm verbum Dei audieritis, altè illud impressum retineatis, quod ex eo cōstat, quòd in me nō creditis, cùm tot, támque aperta miracula videatis. Itaque coniunctio illa, *Quia*, non tam causam, quàm effectum, & signum declarat; quem eius vsum alibi quoque obseruauimus. *Quia, non tam causam, quam effectum, & signū declarat.*

39. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.*) Quia dixerat vers. 37. *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me*, poterant Iudæi dicere, inquit Leontius, vbi Pater id de ipso testimonium præbuisset; docet Pattem de se in scripturis loqui. Alij aliud hoc testimonium esse putant. Quattuor enim testimonijs vsum hic fuisse Christum, Ioannis, & tribus alijs maioribus quàm Ioannis, operū, quæ faciebat; Patris, & scripturarum. Augustinus autem, & Beda propterea ad scripturas nunc eos mittere, quia illi propterea ipsi non credebant, sed potiùs repugnabant, quia existimabant Mosi, & scripturis eum aduersari, quasi dicat, si attentè scripturas legatis, & consideretis, reperietis non solùm me illis non aduersari; sed etiam illas mihi testimonium perhibere, me eum esse, quem illæ venturum mundi redemptorem prædicabant. Perstringit obliquè eorum ignorantiam, & cæcitatem, qui cùm se in scripturis valde versatos esse putarent, Christum in illis non viderent. Quemadmodum si homini, cui Cicero, vt impiè quidam loquuntur, Deus sit, eiusque lectione magnopere glorietur, Ciceronianum aliquod vocabulum ignoranti dicas, lege tuum Ciceronem, quem tu Deum tuum facis. Simulis reprehensio Matth. 12. 3. *Non legistis, quid fecerit Dauid, quando esurijt, & qui cum eo erant?* & Matth. 19. 4. *Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos?* & 21. 16. *Nunquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?* & cap. 22. 31. 32. *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis, ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob?* Existimat Cyrillus verbum ἐρευνᾶτε *scrutamini* non imperandi, sed indicandi modi esse, quod statim sequatur, *Quia vos putatis in illis vitam æternam habere*, quæ verba nō videntur posse bene cum imperādi verbo cohærere. Meliùs Chrysost. Theoph. Augustinus, & omnes, opinor, præter Cyrillum auctores graues imperantis modo dictum putant. In eo enim vis testimonij, & orationis gratia cōsistit, quòd eos Christus ad suas ipsorum scripturas mittat, in quibus omnem illi gloriam suam collocabant. Quasi dicat, quandoquidem tantùm scripturis tribuitis, vt in illis vitam vos æternam habere existimetis, scrutamini eas; sic omnia bene cohærent. Aptè adnotarunt Chrysostomus, & Euthymius non dixisse legite, sed *scrutamini*. Nam legebant illi quidam, sed non scrutabantur, non excutiebant, non enucleabant. Quòd ait, *quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere*; non intelligit eos in scripturis ipsis vitam æternam posuisse, sed sine scripturis neminem vitam æternam habere posse, quia sine Dei cognitione nemo saluus esse potest, & Dei cognitio vix sine scripturis parari potest. Sic plerique videntur interpretari; quanquam mihi quidem alius videtur subesse sensus. Apparet enim Christum reprehendendo hoc dicere. Atqui non reprehendisset, quòd eo modo in scripturis vitam æternam posuissent; alio igitur sensu reprehendit. Hoc, vt arbitror, quòd Iudæi ita in illis veteribus scripturis inhærerent, vt nihil, quod in illis esset, abrogandum putarent; & se illarum ceremoniarum obseruatione vitam æternam existimarent consecuturos, quòd ex tota epistola Diui Pauli ad Romanos, & ad Galatas intelligitur. Hanc vim habet pronomen illud *vos*, tanquam dicat; Vos quidem ita sentitis, ego, & qui vera sentiunt, non ita sentimus. Et verbum illud δοκεῖτε *putatis*, quasi dicat, vos quidem putatis in ipsis vitam æternam habituros, sed re ipsa non habebitis; quemadmodum rectè Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius adnotarunt, verbum præsens *habetis* pro futuro positum est, habituros esse. Sic cum hæreticis agendum, vt Chrysostomus monet. Nam & hæretici quemadmodum Iudæi scripturis valde gloriantur; sed extra Ecclesiam lectitant illi quidem, memoriter recitant, cantillant, sed non seruantur; & quia Spiritus sancti, & Ecclesiæ clauem non habet, in veros eius sensus ingredi non possunt. *Signatum enim illis liber.* Refellit Irenæus ex hoc loco Valentinianos, qui alium veteris, alium noui testamenti faciebant Deum, qui Pater esset Christi, lib. 4. cap. 23. cùm dicit; *Et illæ testimonium perhibent de me*, non redundat particula, &, vt putat Euthymius; sed ponitur pro etenim ex Hebræorum idiomate. *Cur ad scripturas mittat Iudæos Christus.*

40. *Et non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.*) Sensus est, cum existimetis in scripturis vitam æternam sitam esse, nescitis qua in parte sita sit. Putatis enim in littera esse, id est in ceremonijs, & figuris. Atqui nō est in littera, sed in spiritu, in sensis, in mysterio; *Littera enim occidit, spiritus autem vnificat.* Spiritus autē, & sensus scripturarum, ego ipse sum. Nec enim alio illæ omnes figuræ, omnesque scripturæ pertinebant, quàm vt me venturum demonstrarent, & ad me homines mitterent, si salui esse vellēt. Ego igitur

igitur sum vita illa vera, & æterna, quam scripturæ communistrant; & tamen non vultis ad me venire, vt illam habeatis, in figuris quasi in falsa vitæ imagine hærentes. Probat ex hoc loco Theophylactus aduersus Manichæos liberum arbitrium.

41. *Claritatem ab hominibus non accipio.*) Existimant Chrysostomus, Leontius, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius propterea hoc Christum addidisse, quia, cùm tot ad probandam auctoritatem suam testimonijs vsus esset, suspicari Iudæi poterant in eum fecisse aliqua cupiditate gloriæ; eam nunc opinionē remouere; non enim vt sibi gloriam apud homines colligat, sed vt ipsos ad Dei caritatem adducat, qua eos carere sciat, se id fecisse. Quemadmodū ver. 34. *Ego ab hominibus testimonium non accipio, sed hæc dico vt vos salui sitis.* Potest etiam repetitio esse, atque conclusio per epiphonema illius sententiæ vers. 36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne.* Id enim cùm hactenus, & suorum operum, & Patris, & scripturarum testimonio probauisset, concludit veluti dicēs; Itaque verum est quod dixi me testimonium habere maius Ioanne, non enim ab hominibus claritatem id est δόξαν gloriam accipio; hoc est non indigeo hominum testimonio, vt mihi gloriam comparem, cùm tanto maiora habeam. *Gloria homini, & gloria Dei inter se pugnant.*

42. *Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.*) Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius hoc sensu exponunt. Vos videri vultis propterea mihi repugnare, quia Deum diligitis, & eius gloriæ studiosi estis: atqui ego scio vos Deū non diligere. Si enim diligeretis eum, reciperetis me, quem ille misit. Sicut dicit cap. 8. 42. *Si Deus Pater vester esset, diligeretis vtique me; ego enim ex Deo processi.* Cyrillus verò, ego claritatem ab hominibus nō accipio, sed propterea hæc adduxi testimonia vt ostenderem vos caritatem Dei nō habere. Quod minus probabile, quàm primum est. Potest & hic esse sensus; Ego quidem me Seruatorem esse mundi nō humanis, quibus haud quaquam indigeo, sed diuinis probaui testimonijs; scio tamen apud vos ne diuina quidem testimonia valitura, quia dilectionem Dei nō habetis; quam si haberetis, plus eius tribueretis testimonijs.

43. *Ego veni in nomine Patris mei, & nō accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*) Docet in quàm absurdos errores labantur ij, qui caritatem, & Spiritum Dei in se non habent, quique obstinato contra veritatem animo resistunt. *Eo quod caritatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio*, 2. Thess. 2. 10, 11. Dicit se qui in nomine Patris sui, id est à Patre suo missus venisset, non recepisse. Si quis alius nomine suo, id est priuata auctoritate sua nec à Deo missus venerit, fore vt ipsum recipiant. Omnes veteres auctores putant Antichristum notari, quem sunt Iudæi potissimùm recepturi, Irenæus lib. 5. c. 25. Ambrosius in comment. in Psal. 45. Rufinus in exposit. symboli, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Beda, & Euthymius in cōmentarijs, & Theodorus Mopsuest. & Apollinarius in Græcorū Catenis. Quòd autem dicit, *si quis*, non est dubitantis, sed generaliter potiùs affirmantis, quasi dicat; Quisquis alius nomine suo venit, eum recipietis; adeo pernicosi estis iudicij. Quare magis conuenit vt non solum de Antichristo, sed de omnibus falsis Prophetis generaliter interpretemur, qui currebant, cum non mitterentur. Familiare enim Iudæis erat eos potiùs, quàm veros recipere Prophetas. Sub Christi tempora nonnullos venisse, qui se Messiam esse mentiti fuerint, partim ex Luca Act. 5. 36. 37. partim ex Iosepho lib. 18. antiq. c. 14. & 2. & ex Eusebio li. 4. hist. Eccles. c. 6. discimus. Idem Christus monuit Matth. 24. 5. 23. Neque contraria sunt, quę illic, & hic dicit, quòd illic in nomine Christi, hic proprio ipsorum nomine venturos dicat. Illic enim venire in nomine Christi, est mentiri se Christum esse, & à Deo missum, cum re vera non sit; hic *in nomine suo* venire est, non venire à Deo missum.

44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis.*) Gloriam ab inuicem accipere est gloriam ab hominibus homines, alios ab alijs aucupari, atque captare. Quo autem modo ea humanæ gloriæ cupiditas eos quo minùs crederent, impediret, aptè Leontius, Cyrillus, & Theophylactus edisserunt; dum principes, sacerdotes, & Pharisæi religiosi, & diligentes legis Mosis, veterúmque traditionum obseruatores apud populum videri volebant; contrà verò populus, dum apud principes sanctitatis opinione gratiam inire, non solùm ad Christum venire noluisse; sed illi etiam, & omnibus quæque docebat, quæque faciebat repugnasse. *Tu*, inquiunt illi, *discipulus illius sis, nos Mosi discipuli sumus.* Ioannes 9. 28. Ponit, inquit Cyrillus, tanquam rem certam, vt reuera est, gloriam hominum, & gloriam Dei inter se pugnare; neque magis conuenire simul posse, quam sapientiam Dei, & sapientiam hominum, quarum altera alteri stultitia est, 1. Corinth. 1. 21. 23. & 2. 14. & 3. 19. Hoc est, quod ait idem Diuus Paulus ad Galat. 1. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Hoc hodie multis hæreticis, nonnullis etiā Catholicis accidit. Apud illos multi, vt suam alijs fidem probent aut ne inconstantiæ, ac leuitatis notam subeant, non solùm ad Ecclesiam, vnde malo consilio exierunt, redire nolunt, sed crudelissimi etiam in Catholicos sunt; lacerare conuitijs Christi Vicarium, ridere sacra simplicitatem, & fidem nostram stultitiam appellare, vt satis idonei ministri esse videātur; apud hos nonnulli, dum gratiam apud principes viros quærunt, Christi seruos repugnante sæpe conscientia persequuntur, ac vexant.

45. *Nolite putare quod ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.*) Ex ijs, quæ modò diximus intelligitur, quorsum Christus hoc dixerit. Videri Iudæi volebant studio seruandæ legis Mosis aduersari Christo, dixerat eos id non apud Deum, sed apud homines gloriam captantes facere, addit nunc fore, vt id in extremo iudicio manifestum futurum sit, vbi ille ipse Moses, cuius studio fingebant se cum Christo bellum gerere, accusaturus eos sit, quòd ei non crediderint, quem ipse eis demonstrauerat. *Prophetam*, inquit, *de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, Deuter. 18. 15. & *non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*, Genes. 49. 10. Omnes etiam ceremoniæ, omnes fere historiæ, quas Moses scripsit, Christum demonstrabant, illi adeo peruerso erant iudicio, vt vmbris crederent, veritati non crederent. In hunc ferme sensum Chrysostomus & Cyrillus exponunt. Quo autem modo dicat se eos non accusaturum, præsertim cum alio loco dicat, *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est; qui autē negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Matt. 10. 32. 33. Rectè, quamuis non aperte, Cyrillus docet accusaturum quidem esse Iudæos Christum, nec id eū hoc loco negare voluisse, sed hoc tantùm significasse, non opus fore, vt ipse eos accuset, Mosem ipsum, in quo ipsi confiderent, abunde eos accusaturum esse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sup. ca. 5. 17.

Aliquanto aliter Euthymius; sed si id me facere oportebat, minimè tamen faciam, quia clemens sum. Beda verò, ideo non accuso, quia non veni damnare, sed saluare. At quomodo accusaturus Moses? quia ex ipsius libris in iudicio conuincentur, Christo, cui credere debebant, non credidisse. *Et libri*, inquit, *aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex iis, quæ scripta sunt in libris.* Apoc. 20. 12. Quòd autem addit, *In quo vos speratis*, apte admodum adiectum est, vt testimonij grauitatem augeat, quasi dicat, non ego vos accusabo, cuius testimonium tanquam hominis à vobis offensi, & propriam vlcisci volentis iniuriam suspectum esse posset; accusabit vos Moses, in quo vos spem omnem vestram collocatis, cuius vobis testimonium suspectum esse non potest. An hoc reprehendendo dicat, quòd in Mose spem haberent, non abs re potest dubitari. Leontius quidem valde probabiliter existimat esse reprehensionem; debuisse enim Mosi quidem credere; sperare autem non in illo, sed in Deo debuisse. Contra verò illi faciebant; Mosi non credebant, & in illo sperabant. Quemadmodum ergo ante eos reprehendens dixit, *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere?* ita nunc dicit de Mose, *In quo vos speratis*, vt Euthymius obseruauit. Vnde colligitur Mosem hoc loco scripturam Mosis appellari, in qua illi dicuntur spem suam positam habuisse, quia existimabant se ceremoniarum, & legalium mandatorum obseruatione vitam æternam cõsecuturos, *quia ex operibus legis*, vt ait D. Paulus, *non iustificatur omnis caro coram illo.* Rom. 3. 20. & ad Galat. 2. 16.

46. *Si enim crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.*) Græc. ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί, crederetis vtique mihi. Nec enim dubitantis hoc loco, sed affirmantis particula est, vt etiam Alcuinus apud D. Thomam adnotauit. Itaque vetustissimi auctores non vertunt, *crederetis forsitan*, sed, crederetis mihi, vt alicubi Cyprianus, & Augustinus libro 16. contra Faustum capite 26. Itaque quòd Rupertus notat propterea dixisse forsitan, vt indicaret tam obstinatos esse, vt etiamsi Mosi crederent, fortasse non essent sibi credituri, locum non habet. Quærit Leontius cur, cùm de se Mosem scripsisse dixerit, scripturæ locum non indicauerit? Eius rei tres rationes affert. Prima est, vt eos ad euoluendas scrutandásque, vt ante dixerat, scripturas excitaret. Secunda, vt cogerentur ipsum interrogare, vbinam de ipso scripsisset Moses. Tertia, ne si illis dixisset & adhuc nollent credere, maiorem illis pœnam accumularet. Potuit aliam fortasse probabiliorem adderе, propterea certum locum non designasse, vt indicaret Mosem non vno quidem, aut altero loco, sed vbique de se scripsisse. Omnia enim, vt supra dicebamus, quæque dicta, quæque facta, quæque constituta apud illum commemorantur, aut Christum pronuntiabant, aut venturum significabant.

Cur scriptura locum non indicauerit Christus

47. *Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*) Duplex in his verbis latet antithesis, ex qua Christus à maiori ad minus per negationem argumentatur. Altera est inter Christum, & Mosem, quorum Moses quidem apud Iudæos maximã, Christus minimam habebat auctoritatem. Altera inter scripta, & verba; plus enim scriptis, quàm verbis credere solemus, quia magis meditati, atque attenti, magisque vacuo affectibus animo solemus scribere, quàm loqui. Si ergo Mosis cui tantum tribuebant, scriptis non credebant; quomodo Christi verbis poterant credere, quem legis violatorem, & populi seductorem arbitrabantur? Quærit Rupertus, qui fieri potuerit, vt in Mose sperarẽt, & tamen illi non crederent: Respondet his verbis *Res*, inquit, *nunc exigit, illam, quæ à sanctis Patribus rectè perspecta est, non prætermittere distinctionem fidei. Audenter dicunt, quia sine fide nec infidelis viuit. Nam si infidelem percunctari velis, quem patrem, aut quam matrem habuerit, protinus respondet illum, atque illam. Quem si statim requiras, vtrum nouerit, quãdo conceptus sit, vel quando natus; mihi horũ se nosse fatebitur, & tamẽ, quod nõ vidit, credit. Habet etenim infideles fidẽ, sed vanã in Deũ, quã si haberent, infideles nõ essent. Cũ itaq; sit fides, quã infideles quoque habere possint, optimè tenebant, & nunc tenent Iudæi nobiles, & sanctos patres se habuisse Abrahã, Isaac, & Iacob, principes, ac duces, Regesq;, & sacerdotes & turgidã spem magno vento superbiæ gestabant, de illorum meritis nimium præsumentes. At verò spem in Deum, vel fidem per quam Abraham, cæteriq; patres iustificati sunt, illos non habere, vel habuisse satis vsque hodie manifestum est.* Breuiùs erat, & clariùs, credidisse eos Mosi, quia generaliter credebant omnia, quæ ille scripserat, esse vera; non credidisse, quia alio credebant sensu, quàm ab eo dicta erant. Nec enim legem illis dederat, vt in lege secum hærerent, sed vt per legem ad Christum venirent: illi verò relicto Christo in sola lege sibi placebant.

CAPVT VI.

1. Matt. 14. b. 15. Mar. 6. f. 32. Luc. 9. b. 10.

POST hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: 2. & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. 3. Subiit ergo in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum. 5. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: 9. Est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? 10. Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. 11. Accepit ergo Iesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. 12. Ut autem impleti

sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerant. 14. Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. 15. Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. 16. Vt autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. 17. Et cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ iam factæ erant: & non venerat ad eos Iesus. 18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. 19. Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare, & proximum naui fieri, & timuerunt. 20. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. 21. Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit ad terram, in quam ibant. 22. Altera die, turba quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi vna, & quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent: 23. aliæ vero superuenerunt naues à Tiberiade iuxta locum vbi manducauerant panem gratias agente Domino. 24. Cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum quærentes Iesum. 25. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Iesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. 27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signauit Deus. 28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus vt operemur opera Dei? 29. Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. 30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? 31. Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare. 32. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. 35. Dixit autem ei Iesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vmquam. 36. Sed dixi vobis quia & vidistis me, & non creditis. 37. Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras: 38. quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. 39. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. 40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 41. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, 42. & dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi? 43. Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare inuicem: 44. nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. 48. Ego sum panis vitæ. 49. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. 50. Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. 51. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. 52. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 54. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo

Matt. 14. c. 13. Mar. 6. f. 46.

Sup. 1. c. 32. Matt. 3. d. 17. & 17. a. 5. Ioan. 3. d. 23. Exod. 16. c. 14. Num. 11. b. 7. Psal. 77. c. 24. Sap. 16. a. 20. Eccle. 24. c. 25.

Matt. 13. b. 55.

Isa. 54. c. 13.

Matt. 11. d. 27. Exod. 16. c. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum in nouissimo die. 56. Caro enim mea vere est cibus: & sanguis meus, vere est potus. 57. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. 58. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. 59. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. 60. Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. 61. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? 62. Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? 63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius? 64. Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quidquam, verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. 66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. 67. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant. 68. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? 69. Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. 70. & nos credidimus, & cognouimus quia tu es Christus Filius Dei. 71. Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est? 72. Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset vnus ex duodecim.

1. Corint. 11. f. 27.

Sup. 3. 6. 23.

Matt. 16. 16. Mar. 8. c. 29. Luc. 9. b. 20.

IN CAPVT VI.

1. POST hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, A *quod est Tiberiadis.*) Quo tempore gesta fuerint, quæ hoc loco Ioannes narrat, apud Matth. c. 14. 13. disputauimus; ibi non solùm temporis, sed totius etiam historiæ huius explicationem videre lector poterit. Duo tantùm hic quæri possunt, quæ illic non sunt à nobis explicata. Alterum quantum temporis spatium per particulam illam *Post hæc*, significetur, id est quantum temporis interceserit inter ea, quæ superiore capite narrata sunt, & ea quę modò narrantur. Alterum cur Ioannes tam multis prętermissis rebus Ioannis Baptistæ morte, missione ad prædicandum Apostolorum, aliisque multis, quas geri à Christo eo interuallo necesse fuit, & alij Euangelistæ commemorarunt, solam hanc recitet historiam, quæ satis iam ab alijs narrata esse videbatur, præsertim cum ea se tantum voluisse scribere profiteri videatur, quæ ab alijs essent tribus Euangelistis prætermissa. Prima quæstio ex ijs, quæ diximus c. 5. 1. facile soluitur. Probauimus enim illic ea, quæ superiore cæte dicta sunt, in festo Pentecostes facta fuisse; quæ autem hic Ioannes narrat, appropinquante iam Pascha contigisse dicit ver. 4. Necesse ergo est decem circiter menses inter illam, & hanc historiam intercessisse. Nam non diuerso, sed eodem accidisse anno nemo dubitat, & facilè ex ijs, quę illic diximus, probari potest. Altera quæstio ex coniectura eorum, quæ in hoc capite scribit Ioannes, explicari potest. Scribit multa, quæ Christus huius occasione miraculi & de corpore, & sanguine suo disputauit, quæ explicare Ioannes, vt gesta fuerant, nisi explicata occasione non potuit. Adde quòd in hoc ipso miraculo multa narrat, quæ fuerant ab alijs Euangelistis prætermissa, factum hoc esse prope Pascha tempus ver. 4. Philippum à Christo interrogatum, *vnde ememus panes, vt manducent hi?* ver. 5. turbam viso miraculo clamasse, *hic est vere Propheta*, ver. 14. voluisse Christum Regem facere; eum ea de causa fugisse, ver. 15. Cætera vsque ad versum 14. apud Matth. explicauimus.

Tolluntur ab alijs prætermissa scribere se profitetur.

14. *Illi ergo homines cùm vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant, quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.*) Exponit Euangelista, quis fructus miraculum consecutus sit, quod alij Euangelistæ non dixerant; homines magnitudine miraculi commotos existimasse eum esse Prophetam illum, qui promissus fuerat, Deut. 18. 15. *Prophetam de genere tuo, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*; nam ad eum locum hîc turbam alludere dubium nó est, & omnes auctores notant. Nec enim qualemcunque Prophetam esse dicunt, sed addito emphatico articulo ὁ προφήτης Prophetam illum, & adiuncto aduerbio ἀληθῶς verè, & descriptione, *qui venturus est in mundum*, ὁ ἐρχόμενος qui venturus erat, quem expectabamus. Sic enim Messiam describunt. Prophetam vocant non à rebus futuris prędicendis, quum nihildum ab eo prædictum scirent, sed Hebræorum consuetudine, qui, vt alibi docuimus, omnes viros sanctos, omnes doctores à Deo missos Prophetas vocant, sicut & Ioannes Baptista cùm nihil futurum inueniatur prædixisse, *Propheta* tamen, & *plus quàm Propheta* dictus est Matthæi 11. 9. & 14. 5. Quanquam D. Augustinus tract. 24. propter prædictionem Prophetam putat vocatũ hoc loco Christum. Duplex hîc quæstio, altera est, quid causæ fuerit, cur cùm tam multa iam ante, & maiora fortasse, quàm hoc tempore miracula vidissent, nunquam ante Prophetam, & Regem esse existimauerint; hoc viso miraculo Prophetam esse dixerint, & Regem facere voluerint. Causam hanc eius rei Cyrillus indicat, quòd qui alia miracula viderant, Iudæi; qui hoc viderunt; Galilæi fuerint, & propensiores Galilæi, quàm Iudæi ad fidem fuerint. At plura prius Christus in Galilæa, quàm in Iudæa miracula fecerat. In Galilæa aquam mutauerat in vinum, capite 2. 9. Reguli filium curauerat, cap. 4. 50. & multa alia, quæ Matthæus cap. 8. & 9. perscribit. In Iudæa vix aliud ab eo ante id tempus miraculum factum legimus, quàm quòd illum in piscina sanauerat paralyticum, capite 5. 9. Melius Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius gulæ hoc tribuunt; Prophetam

Propheta dictus.

Propheta dictus.

Propheta dictus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

22. *Altera die.*) G. τῇ ἐπαύριον, sequenti die, postridie eius diei, quo Iesus solus aufugerat, & discipuli ex altera ripa discesserant.

Turba, quæ stabat trans mare.) G. ὁ ὄχλος, quæ steterat pridie eius diei trans mare, id est in loco, vbi Christus panes multiplicauerat, vnde sese subduxerat, & vnde discipuli soluerant, vt venirent Capharnaum. Quo autem modo dicat *trans mare*, cum vterque locus, & vnde soluerant, & quo appulerant ad eandem lacus ripam esset, facile explicatur. Quia sinuosus lacus erat, nec terra ab vno loco in alium eiusdem etiam ripæ, nisi per longas ambages veniri poterat, mari verò breui compendio trauiciebatur, trans mare vterque locus alterius comparatione esse dicebatur. Hæc communis omnium sententia est. Nos alia etiam ratione possumus explicare, trans mare omnia loca dicebantur, quæ venientibus ab Ægypto Iudæis, antequam Iordanem traiecissent, vitra Iordanem, & lacum erant, vt Matth. 4.15. multis locutus exemplis. Maior hic nobis quæstio explicanda esset, quomodo hæc Capharnaum accidere potuerint, cùm Matthæus, & Marcus tunc accidisse dicant, cùm in terram Gerasenorum nauigarent: nisi eam iam apud Matthæum explicassemus. Narrat igitur Ioannes turbam illam hominum, quę pridie eius diei in altera parte sinus quinque panibus saturata fuerat, venisse Capharnaum, vidisseque non nisi vnam ibi esse nauiculam, qua discipuli traiecissent, cùm scirent Christum in eandem nauim non introijsse, cùm discipuli soluerent. Quod ideo Ioannes narrat, vt ostendat non solùm discipulos, sed totam etiam quinque millium hominum turbam cognouisse Christum sine vllo nauis adiumento mare traiecisse, eiusque miraculi innumerabiles fuisse testes. Non intelligo, quod Euthymius dicit, imperfectum hic esse sermonem.

Trans mare dicebatur esse loca, quæ vltra Iordanem erant, vnde huc ab Ægypto.

23. *Alię verò si peruenerunt naues à Tiberiade.*) Poterat lector addubitare, si non erat alia nauis, quàm ea, qua Christi discipuli traiecerant, quomodo potuerit tanta hominum multitudo traicere. Occurrit Euangelista dubitationi, venisse alias postea naues à Tiberiade, quibus traiecerint, venerintque Capharnaum vt Christum quæreretent.

Iuxta locum, vbi manducauerant panem gratias agente Domino.) Venerunt, inquam, aliæ naues à Tiberiade versus locum illum, vbi miraculum illud quinque panũ ad Christi benedictionem factum fuerat. Hoc enim est εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου, *gratias agente Domine*, id est panes benedicente, vt multiplicarentur, vt Mat. 14.19. disputauimus.

24. *Cum ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius.*) Cũ se, & à Christo, & ab eius discipulis relictam videret, credentes non esse eò Christum rediturum, cùm non solùm ipse, sed tota etiam eius familia discessisset, decreuit ire Capharnaum, vt eum ibi conquireret. Eò enim viderant eius discipulos nauigasse.

25. *Et cum inuenissent eum trans mare.*) Traiecto mari, id est sinu lacus, qui erat inter locum, vbi miraculum panum factum fuerat, & Capharnaum. Vide quæ ver. 22. dicta sunt.

Rabbi quando huc veniisti?) Videbant eum non potuisse eò terra nisi longo multorum dierum itinere venire & vnam tantùm intercessisse noctem. Videbant mari nauigando venire non potuisse, quia vt dixit ver. 22. nauim non habebat. Interrogant ergo nõ quomodo venerit, ne quid de eius per mare ambulatione suspicari videantur; sed quando venerit, vt ex tempore, & ex eius responso colligant quomodo venerit. Nam si tunc venerat, credi poterat aliqua alia naui, quàm alibi postea inuenisset, aductum esse; sin iam nuper venerat, non poterat nisi miraculo per mare aut per aëra momẽto breui temporis venisse.

26. *Respondit eis Iesus, Amen amen dico vobis, quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.*) Non respondet Christus ad id, quod illi rogabant, quando eò venisset, credo, quòd indignam responso quæstionem iudicauerit; siue quòd curiosa, siue quòd adulatoria esset, vt Chrysostomus, atque Cyrillus indicant. Non verbis, sed animo respondet. Videbantur illi blande & adulatoriè rogasse, *Rabbi quando huc venisti*, vt indicarent se nosse eum; eos enim esse, qui pridie eius diei quinque ab eo multiplicatis panibus saturati fuerant, vt aliud ab eo simile miraculum elicerent, quo iterum saturarentur, vt Chrysostomus, & Theophylactus existimãt. Propterea relicta quæstione, quam verbis proponebant, ad mentem eorum, cogitationémque respondet, indicans se ea ratione Deũ esse, qui eorum cognitas haberet cogitationes, eósque, vt ait Theophylactus, ad maiorem incitaret fidem. Respondet autem non simpliciter, sed reprehensione quadam, vt Chrysostomus, Cyrillus, Leõtius, Theophylactus, & Euthymius obseruant, *vt ostendat se*, inquit Chrysostomus, *humanam gloriam nũ quærere, neque vllis delectari adulationibus.* Vtitur autem nõ prorsus aspera, atque austera, sed moderata reprehensione, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius animaduertunt. Nec enim dicit, O homines gulosos & intemperantes, O ignauos ventres, sed blandiore manu vulnus leuiter attingit. *Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Nempe sanare eos, non perdere volebat. Quid autem est quod dicit? *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus?* An illud ipsum, quod ex tam paucis panibus tam multa hominum millia manducauerant signum non fuerat? & quia id viderant, eum sequebantur? An non Ioannes dixerat versu 2. *sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat?* Voluit Christus dicere in illis ipsis miraculis non quærere eos, quod spirituale, sed quod carnale erat; non fructum animæ, sed corporis. Fructus animæ erat vt ex miraculis crederent Christum verum Dei filium, verumque Deum esse, quod illi non credebãt: fructus corporis, vt saturarentur, vt sperarent fore, vt se Christus locupletaret. frumento, vino, oleo, cæterisque rebus ad vitam necessarijs multiplicatis. Per panem enim hoc loco res omnes ad vitam sustentãdam necessarias intelligit, vt Gregorius obseruauit lib. 23. Moralium. cap. 26. Hoc sensu Augustinus, & Beda interpretantur. *Propter carnem me quæritis*, inquit Augustinus, *non propter spiritum. Quàm multi non quærunt Iesum, nisi vt illis faciat bene secundum tempus. Alius negotium habet, quærit intercessionem clericorum; alius premitur à potentiore, fugit ad Ecclesiam; alius pro se vult intervenire apud eum, apud quem parum valet. Ille sic, ille sic, impletur quotidie talibus Ecclesia. Vix quæritur Iesus propter Iesum.* Hoc ipsum quod D. Augustinus queritur, D. Paulus suo iam tempore querebatur. *Omnes*, inquit, *quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Vero simile est non omnes, qui eò ad Christum venerant, eo animo venisse, vt ab eo iterum pane saturarentur, sed quia plerique eo animo veniebant, quod plerique faciebant, vsitato loquendi more omnes facere dicuntur.

27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.*) Sumpta occasione à corporali, quem illi quærebãt cibo,

ad spititualem cibum transfert. Quemadmodum Samaritanam illam mulierem de aqua corporea, de qua loquebatur, ad spiritualem traduxit, cap. 4. 10. vt D. Augustinus adnotauit. Quæri potest, quid hoc loco significet *operamini*, Quod ante dixerat *quæritis*, nunc dicit *operamini*, *Quæritis*, inquit, *me quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Hoc est non quæritis me, sed panem, ne quæratis panem, sed me. Hoc est, *operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Maiorem tamen vim habet operandi verbum quàm quærendi, & illi quodammodo opponitur. Quærere enim hoc loco est cibum nullo labore, sed ab alio suppeditatum habere velle. Hac enim ratione Christum illi sequebantur, vt ab eo otiosi, & nihil agentes pascerentur. experti factam ab eo multiplicationẽ panis. Exhortatur ergo eos. & vt alium quærant meliorem panem, & vt alia ratione quærant, non otiosi, nõ desides, sed laborantes, & quemadmodum primo homini dictum est *in sudore vultus tui*. Hoc est ἐργάζεσθε *operamini*. Eodem enim modo dicit *operamini cibum*, quo dicit D. Paulus Philip. 2.12. *Cum metu, & tremore vestrem salutem operamini*, id est propris operibus, & diligentia Dei adiuuante gratis metemini. Sic solemus Hispanicè, Italicè, Gallicè vulgo loqui, lucrari suam vitam, id est operari cibũ. Itaque ineptè magnus quidam, vt sibi ipse videtur, hæreticorum interpres vertit, Operemini cibo. Nam vt operari cibum minùs Latine dicatur, significantiùs tamen dictum est. Vsui huc locus est, ad confirmandum Ecclesiasticum dogma, nos etiam cum diuina gratia iustificationem nostram operari; sic enim loquar, nec otiosos, sed aliquid agentes iustificari. Quem intelligat cibum, *qui non perit, sed permanet in vitam æternam*, disputari solet. Hinc enim inium magnæ illius, & hoc temporis nimium agitatæ quæstionis nascitur, num Christus hoc capite de Eucharistiæ loquatur sacramento. Quam quæstionem posthea ver. 52. explicaturi sumus. Interim hoc habemus, illic quidẽ de sacramento propriè agere, hic communiter, & de sacramento, & de fide, & de gratia, & de rebus omnibus. quibus vita æterna parari potest. Se igitur ipsum cibum vocat, quemadmodum D. Augustinus, & Beda docent; se tamen ipsum non solùm fide, cui si nihil accedat, ad vitam æternam satis non est; sed & caritate, & sacramento, & bonorum operum imitatione, & quocunque alio sine corporali, siue spirituali modo apprehensum. Non enim est generalis restringenda sententia, aut ad fidem, vt Apollinarius in Græcorum Catena, & Philastrius in catalogo hæreticorum faciunt; nec ad solam Dei voluntatem, de qua Christus alibi dixit; *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*, vt exposuit Basilius in regula 207. Nisi voluntas Dei generaliter etiam accipiatur pro omnibus rebus, quas ad consequendam vitam æternam facere debemus. Dicit hunc cibum non perire, sed in vitam æternam permanere; non quòd sæpe non pereat; sed quòd causa æternæ vitæ sit. Alioqui & bona opera, quę & ipsa hic cibum in vitam æternam permanentem vocati diximus, & singula momento temporis fiunt & mala; & cuncta huius vitæ termino finiuntur. Das eleemosynã, ieiunas, aut aliquid aliud operis boni facis, statim opus transit, quemadmodum cum facis homicidium. Et vt bonis operibus bona opera toto vitę tempore continues; tamẽ post hanc vitam ea non exercebis, Transeunt igitur actu, manent fructu, manent effectu. Dixit autem, *qui non perit*, vt alluderet ad corporalem cibum, qui perit, *in ventrem* enim *vadit*, vt alibi dicit, *& in secessum emittitur*. Illi ergo cibo hunc opponit. Non igitur eodem sensu hunc manere, illum perire dicit; sed hunc quidem effectu manere, illum substantia perire. Nec hac ambiguitate absurdè ludit, sed eleganter. Sicut Matth. 8.22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*; & supra c. 4.15. *Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Alio enim sensu, qui sepeliunt, alio qui sepeliuntur, mortui appellantur; & non eodem modo sitire, & non sitire dicitur. Pertinet etiam ad explanationem huius loci, vt dicamus, cur non dixerit, qui permanet in æternum; sed *qui permanet in vitam æternam.* Agebat de cibo, cuius proprium est vitam alere, atque producere, opponitque spiritualem cibum corporali; quòd corporalis ad breue tempus vitam præstet, statimque corrumpatur; spiritualis det vitam æternam. Quod dicit hic Christus metaphora cibi, dicit D. Paulus Galat. 6.8. metaphora sementis, & messis. *Qui seminat in carne sua de carne sua metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Hoc Cyrillus adnotauit. Cur addidit, *quem filius hominis dabit vobis?* Græcè quidem ambigua oratio est. potéstque relatiuum ὅν & ad cibum, & ad vitam æternam referri, sed multo melius ad cibum, quia de eo disputabatur. Cur igitur hoc addidit? ob tres opinor causas. Primùm vt alluderet ad panem illum, quem pridie eius diei illis dederat, quasi dicat. Qui illum vobis panem dedit, alium vobis, si in ipsum credideritis, meliorem dabit. Deinde vt alluderet ad eorum studium, quibuscum loquebatur. Venerant ad eum eo animo, vt cibum ab eo corporeum quærerent; respondet meliorem se illis, quam quem ipsi quærebant, daturum cibum, si in se credant. Demque vt eos ad fidem, id est ad credendum in se allicere promissione melioris cibi, quem nemo ipsis præter se vnum dare posset. Eodem enim modo Samaritanam attraxerat c. 4.10. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Vocauit se hic filium hominis non solùm ea cõsuetudine, qua alibi frequenter vocare solet, sed partim modestia, partim vt significaret se etiam, vt hominem eum panem daturum esse. Hoc olim loco Messalianos hæreticos, qui & Euchetæ, id est peccatores dicti sunt, abusos fuisse, vt probarent errorem suum, non esse homini Christiano manibus laborãdum; sed vsque orationi id est spirituali cibo insistẽdum. Chrysost. Leontius, Theophylact. & Euthym. indicant in huius loci cõmentarijs, & Basilius regula. 207. Quem illi errorem ex D. Paulo facilè refutarunt. *Si quis non vult operari, nec manducet.* 2. Thes. 3.10. &, *Labor manuum operantes manibus nostris.* 1. Cor. 4.12. &, *qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatẽ patienti.* Ephes. 4.28. &; *Operam dedis, vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis.* 1. Thes. 4.11.

Messaliani quandã hoc loco abusi fuêre.

Hunc enim Pater signauit Deus.) Locus difficilis. Miror Ammonium Græcum, & eruditum auctorem ad panem de quo agebatur hoc referre. Quod quidẽ si ratio Grammaticæ pateretur, sententiam redderet concinnam. & elegantem. Solet pani sigillum imprimi, vt appareat, à quo sit factus; vocauerat autem se Christus cibum, id est panem; dicit ergo se panem esse sigillo à Patre obsignatum: id est panem nõ terrenum, sed cœlestem, non ab hominibus, sed à Deo factum. Sed, vt dixi, Grammaticæ ratio non patitur. Quia nomen τροφὴ cibus fœmininum, relatiuum τοῦτον masculinum est. Itaque dubium non est, quin ad Christum ipsum sit referendum. Eademque ratione Ruperti expositio refutatur, qui & ipse quamvis

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententia alia ad cibum refert. *Hunc*, inquit, *cibum signauit Deus, id est à communibus distinxit cibis, vt cum alios bonis, ac malis communes fecerit, solum hunc panem hunc cibum nunquam dare velit nisi dignis.* Quidam ergo sic interpretantur, Filium obsignatum à Patre esse, quasi signari sit declarari, demonstrarique, referúntque ad Patris de Filio testimonium. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matt. 3. 17. & ad miracula quæ eus eum Pater filium suum esse declarauit. Ita Chrysost. hom. 43. Theophylact. & Euthymius, eandémque interpretationem inter alias adhibet, & probat Ammonius in Græcorum Catena. Hoc plerísque hoc tempore placere video; sed alium ego sensum magis proprium esse arbitror, quem paulò post explicabo. Augustinus & Beda signatum à Patre Filium interpretantur, id est à cæteris hominibus segregatum. *Ipsum filium hominis*, inquit Augst. *nolite sic accipere, quasi alios filios hominum, & de quibus dictum est, filij hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Iste filius hominis sequestratus quadam gratia spiritus, & secundum carnem filius hominis exceptus a numero hominum filius hominis est. Iste & filius hominis, & filius Dei est. Iste homo etiam Deus est.* Hoc habet hæc opinio probabilitatis, quòd præterquam quòd est Augustini, solemus quæ ab alijs distinguere, ac segregare volumus σφραγίζειν sigillo obsignare, quo Græco verbo vsus hic Ioannes est. Et à D. Paulo ad Hebræo. 7. 26. Christus *segregatus à peccatoribus* dicitur, Hilarius §. de Trinitate, & Cyrillus videntur de vnione, quam vocant, hypostatica interpretari, quasi signatus filius hominis à Patre dicatur, *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Sigillum est ipsa diuinitas. Quæ sententia, quamuis via alia, eodem, quo opinio D. Augustini redit. Leontius exponit *signauit*, id est in hoc ipsum misit, vt cibum hunc hominibus afferret. Aliam Ammonius, & Cyrillus interpretationem afferunt, vt idem sit *signauit*, quod vnxit. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Rectè fortasse, si exposuissent quod in primis dicendum erat, quid vnctionis cum cibo. Alij signatum, id est clausum, & absconditum exponunt. *Tu es*, inquit, *Deus absconditus, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Christum igitur illum esse librum, qui apud eundem Ioannem in Apocalypsi septem sigillis signatus fuisse dicitur. At nemo doctus ignorat librum illum non Christum, sed prophetias veteris testamenti significare, quas propterea nemo præter agnum aperire potuit, quia solus eas agnus implenit. implendóque effecit, vt, quæ prius non intelligebantur, facile ex euentu ipso possent intelligi. Hoc enim est aperire. Alij hoc modo, *Hunc Pater signauit*, id est hoc signum in illo posuit, quo vos cognoscere-tis illum Regem esse vestrum, quod vobis hunc panem daret. Illi enim propterea temporalem Regem esse putabant ver. 15. quia panem illis corporeum suppeditauerat; Christum ergo respondere alio signo cognoscendum esse Iudæorum, qui expectabatur, Regem. Datum quidem illis panem, sed cælestem, & immortalem, non terrenum, & breui tempore peritur um. Alias minùs probabiles interpretationes sciens prærmitto, nullum ratus operæpretium recenfere. Meam ponam, quam ego non tam meam, quàm veterum auctorum esse arbitror, nisi quòd illi minùs fortasse declararunt. Cum Christus ageret de cibo illo in vitam æternam permanente Iudæis dando, non dubito his verbis auctoritatem, qua eum illis daturus erat, ostendere voluisse. Quorsum enim hoc adiiceret, si quid aliud dicere voluisset? Docet ergo propterea se eum cibum dare posse, quia eam sibi Pater auctoritatem dederat, vt eum hominibus daret. Cum enim se filium hominis appellasset, poterant illi meritò dubitare, quomodo homo cùm esset cibum in vitam æternam permanentem dare posset. Respondet obiectioni tacite se, quamuis homo sit, diuina id Patris auctoritate facturum esse. Signare igitur est auctoritatem dare, quia solemus litteris impresso sigillo auctoritatem, & fidem adhibere. Quemadmodum, cap. 3. 33. dixit. *Qui autem accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est*, id est quasi adhibito sigillo confirmauit. Quo modo hanc Pater Filio auctoritatem dedit: efficiendo nimirum, vt homo ille simul Deus esset, filiúsque Dei naturalis, vngendo illum Spiritu sancto, & inhabitante in ipso diuinitate, declarando filium esse suum. Ita fit vt & Chrysostomus & Augustini, & Cyrilli, & Ammonij interpretatio & eadem, & ad hunc modum explicata vera sit. Sic Hilarius, *Vnigenitus verò Deus, & per sacramentum salutis nostræ hominis filius volens propitiatis nobis paternæ in se significare speciem signatum se à Deo ait; & hoc ideo, quia vita æterna esset Filium esse datum, vt per hoc potestas in eo danda ad æternitatem esse intelligi posset, quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis se Dei contineret.* Dubitari posset cur Christus præter consuetudinem suam ad nomen Patris Dei quoque adiecerit? *Hunc*, inquit, *Patrem signauit Deus.* Aliquid enim fuisse causæ locutionis nouitas ostendit. Dixerat, *Quem filius hominis dabit vobis*, opponit ergo Filio Patrem, homini Deum, quasi dicat quamuis Filius hominis, id est homo sim, dare vobis hunc cibum potero, quia mihi Pater, qui Deus est, hanc auctoritatem dedit. Sed cur non dixerit, Hunc Pater Deus signauit; sed interposito verbo, *Hunc Pater signauit Deus*, aliquam mihi persuadeo fuisse causam. Credo Græcum articulum, ὁ, vim habere relatiui, itaque non esse sensum Deus Pater signauit, sed, *Pater signauit*, qui Deus est. Quod est re idem est, hoc est dictum efficacius.

28. *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?*) Videtur intellexisse Iudæi, quod Christus dixerat, *operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, de operibus, quæ eos ad consequendam vitam æternam facere oportebat. Sic Augustinus & Beda. *Dixerat*, inquit Augustinus, *illis, Operamini escam non quæ perit, sed quæ permanet in vitam æternam. Quid faciemus, inquiunt, quid obseruando hoc præceptum implere poterimus?* Significat Augustinus propterea de operibus eos interrogasse, quia Christus dixerat *Operamini*. De animo, quo id interrogauerint, cùm nihil Euangelista indicet, non est nostrum indicare. Chrysostomus tamen, Cyrillus, Theophylactus, Leontius, & Euthymius non discendi causa, sed superbo, arrogantique animo interrogasse putant, existimantes nullum aliud opus Christum ipsis præcepturum, quàm quæ Moses ante præcepisset; quæ non minùs ipsi, quàm ille scirent, vt Leontius ait. Credi hoc magis, quàm probari de Iudæis potest in solis legis operibus confidentibus. Sed probabile etiam est eos existimasse aliquid noui præter ea quæ à Mose præcepta essent, dicturum Christum, quemadmodum noua etiam, & ante non visa miracula faciebat. Non dixerat Christus, operamini opus Dei. Illi tamen respondent, *Vt operemur opera Dei*, non contenti dicere, quid faciemus boni: aut quid faciemus, vt cibum istum, quem nos operari iubes, operemur? Voluerunt enim, vt suspicari cautionem adhibere: quasi significantes paratos se esse facere, quidquid sibi Christus præcepisset, modò opus Dei esset. Opus enim Dei vocant, non quod à Deo præceptum esset; id enim se non putabant ignorare; sed quod Deo gratum esset, atque conueniens, quemadmodum exponunt in Catena Græcorum Apollinarius, & Leontius. Hoc ergo cùm dicunt, diuini honoris studiosi videri volunt.

29. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.*) Præter ipsorum prorsus opinionem respondet. Aliquid enim aliud responsurum sperabant. Ille verò aptè prorsus ad homines nihil nisi opera legis cogitantes respondet ijsdem vtens verbis, quibus illi interrogantes vsi fuerant. Interrogauerant, *quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Respondet, *hoc est opus Dei.* Illi multa interrogauerant, quasi indicantes omnia, quotquot essent, se facturos. Christus vnum respondet, *hoc est opus Dei.* Illi opera aliqua magna, atque difficilia cogitabant, quæ magno cum labore facienda essent. Christus vnum tantùm ostendit opus, quod æquè ab omnibus sine vllo labore, sine manibus, sine pedibus fieri potest, vt credant. Illi pietatis studium affectasse videbantur, cùm dixerunt, *Vt operemur opera Dei*; Christus illis pietatis exprobrat ignorantiam, quòd quale sit verum opus Dei nescire videantur. Fidem vocat *opus Dei*, non quia Dei donum est, etsi re quidem vera est, sed quia Deo gratum est, atque conueniens, vt superiore versu ex Apollinario, & Leontio dicebamus. Non dixit, Vt credatis in me; partim, vt arbitror, modestiæ causa, ne seipsum commendare videretur; partim vt simul doceret, quamobrem credere in se deberent, nempe quia ab illo ipso Deo missus fuerat, cuius illi opera se facturos pollicebantur; & in hoc ipsum missus, vt omnes, qui salui esse vellent, in illum crederent. Emphatica ergo illa verba sunt, *quem misit ille.* Apta huic loco quæstio est, quamobrem Christus fidem opus appellet, cum fides non solum vbique fere aliàs, sed hoc etiam ipso in loco operibus opponi videatur. Facilis ex ijs, quæ modò diximus, coniectura capitur, propterea fidem opus appellasse, cùm eam operibus legis opponeret, vt allideret ad eorum verba, & ea quodammodo imitaretur; sicut cap. 4. 10. propterea gratiam, aut doctrinam suam potum, & aquam appellauit, vt ad verba mulieris alluderet, quæ dixerat, *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* & ver. 34. propterea Patris voluntatem cibum nominauit, quia discipuli dixerant, *Rabbi manduca*, & Matth. 12. 50. ideo eos, qui voluntatem patris sui faciunt, fratres suos, & sorores, & matrem appellauit, quia auditores illi dixerant, ver. 47. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.* Maior quæstio, cur Christus generaliter interrogatus, quid opus facto esset, vt cibum illum permanentem in vitam æternam, aut vitam ipsam æternam consequerentur, de sola fide respondet? *vt credatis.* Exultant hîc hæretici noui stolida confidentia vitiosæ gloriæ; sola nos profecto fide iustificari, quando consultus Christus quid agendum, vt salui esse possemus, nobis esset; hoc vnum respondeat, vt credamus. Non vident cæci eodem argumento probari posse operibus nos sine fide iustificari, cùm interrogatus alibi Christus quid ad consequendam vitam æternam facere opus esset, nulla de fide mentione facta per sola opera responderit, *Si vis ad vitam introire, serua mandata.* Matth. 19. 17. Quemadmodum ergo ex illo loco colligi non potest solis nos operibus iustificari; ita ex hoc non colligitur iustificari sola fide. Sed ex hoc quidem colligitur nos iustificari fide, ex illo iustificari operibus; ex vtriusque collatione & fide nos, & operibus iustificari, quæ Ecclesiæ Catholicæ doctrina, atque fides est, sine qua nemo quisquam qualiacunque, & quantacunque habeat opera, iustificari potest. Cur ergo Christus de sola fide respondit? Primùm quidem negare possem de sola respondere fide. Fidem enim hic totam legem Euangelicam, quæ & fidem, & caritatem, & bona opera complectitur, viderint appellare, cùm eam veteri opponat legi, in qua illi, quibuscum agebat, nimium hærebant. Possem, inquam, hoc dicere, & grauissimo confirmare auctore D. Paulo, qui cum *legem factorum*, seu operum, & *legem fidei* distinguit, Rom. 3. 27. haud dubiè *legem fidei*, non fidem solam, sed totam etiam Euangelicam legem vocat, in qua & fides, & opera continentur. Sed hac responsione, alia sufficiente, opus non est. Loquebatur cum ijs Christus, quibus nihil, vt salui essent, præter fidem deesse videbatur, nam ad opera omnia alia facienda promptos se esse declarabant. Adhibendum igitur illis id, quo maximè indigebant, medicamentum fuit. Adolescenti verò illi rursus respondit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, quia cùm sibi ita omnia mandata seruasse videretur, vt nihil præterea maius posset facere, voluit illi Christus ostendere aliquid illi deesse, vt ad Christianæ vitæ perfectionem perueniret. *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Scribunt hoc loco Augustinus, & Beda id, quod perperam intellectum hæretici contra veram corporis, & sanguinis Christi perceptionem nobis non minus imperitè, quam insolenter obiiciunt. *Hoc est opus Dei*, inquit Augustinus, tract. 25. *credatis in eum, quem misit ille. Hoc est ergo manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, vt quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducasti.* Acclamant hæretici ad hæc verba, nos non re ipsa, sed spiritualiter, hoc est per fidem corpus, & sanguinem Domini sumere. Credere enim interprete Augustino esse manducare. Primum rogo homines istos acuros, cur ipsi ad sumendam profanam illam cænam suam parent dentes, & ventrem, si credere est manducare? Deinde affirmo eos nequaquam intelligere, quid sibi velit, aut quia de re loquatur Augustinus. Putant enim de Eucharistiæ loqui sacramento, cùm ne in mentem quidem illi venerit, vt de eo hic ageret. Nam si de sacramento loqueretur, profectò non diceret parandos non esse dentes, & ventrem, id est nulla re corporea opus esse, cùm sexcentis locis doceat adeo esse omnibus Eucharistiam ad salutem necessariam, vt ne infantes quidem nisi ea sumpta salui esse possint. Locos Augustini ver. 53. vbi ea de re disputaturi sumus, indicabimus. Non ergo de Eucharistia loquebatur, sed interpretabatur, ὃ Christus dixerat ver. 27. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, quemadmodum existimauit Christum his ipsis verbis interpretari, *Hoc est opus Dei, vt credatis*, id est hoc est, quod facere debetis, vt cibum illum operemini, credere in me; se enim ipsum cibum appellasse, fidē operationem eius, id est consequutionem. Per fidem enim Christum consequimur, apprehendimus, & possidemus, quod est illum tanquam cibum manducare. Itaque qui Catholici existimant Augustinum hoc loco de Eucharistia disserere, etsi meliore errant animo, nihilo tamen meliùs, quàm hæretici Augustinum intelligunt. Denique vt concedamus de Eucharistia Augustinum loqui, quid inde Caluinistæ cōficient? Corpus Christi non re ipsa, sed fide sola à nobis sumi? Non profectò magis, quàm si colligerent non fuisse in lege veteri re ipsa, verisque hostijs, sed sola misericordia Deo

Aug. Augustini expositio signauit, id est à cæteris segregauit, & distinxit. Psal. 35. 8.

Ad Colos. 2. 9.

Psal. 44. 8.

Isa. 45. 15. Coloss. 2. 3. cap. 5. 2.

Auctoris interpretatio, quæ & veterum.

Cur Christus de sola fide respondent.

Matt. 19. 17.

Ibidem 7. 21.

Augustini locus ab hæreticis obiectus explicatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacrificandum,quia non iam Augustinus, sed Deus ipse dicit. *Misericordiam volo, non sacrificium*, &, *quo mihi multitudinem victimarum vestrarum?* Quemadmodum ergo Deus noluit dicere nō esse sibi hostijs sacrificandum, sed magis sibi misericordiā sine hostijs,quā hostias sine misericordia placere; ita prorsus Augustinus si hoc loco de sacra Eucharistia loqueretur, nollet significare non esse re ipsa Christi corpus nobis sumendum; sed plùs nobis prodesse, magis Deo esse gratum, vt sola fide sine sacramento,quàm vt re ipsa, ac sacramento sine fide sumeremus. Quod quis neget esse verum?

Osee 6.6. Matth.9. 13. & 12. 7. Isa.1.11.

30. *Quod ergo tu facis signū,vt videamus vt credamus tibi? quid operaris?*) Dixerat Christus se missū à Deo, quemadmodum olim Moses missus fuerat,indicans se eum esse,de quo Moses dixerat Deut.18.15. *Prophetam de gente tua,& de fratribus tuis sicut me ipsum suscitabit tibi Dominus Deus tuus,ipsum audies.* Itaq; iure sub ista in se crederent,postulauit. Iudæi intelligentes quid Christus alluderet,memorésque Mosem ipsum non ausum sine auctoritate signa faciendi sese liberandi populi ducem profiteri. *Ecce*, inquit, *ego vadam ad filios Israel,& dicam eis, Deus, patrū vestrorū misit me ad vos; si dixerint mihi,quod est nomen eius? quid dicam eis?* ideo ergo similia ab eo signa petunt. Sed mirum hoc ipsum est, qua fronte signum ab eo postulent, quem pridie viderant quinque panibus, & duobus piscibus quinque hominū millia saturasse, quod vsque adeo tunc magnum esse miraculum putauerunt, vt dixerint. *Hic est vere Propheta,qui venturus est in mundum*,supra ver.14.Respōdent Augustinus, & Beda, magnum quidem id fuisse signum; atque ita eos confessos fuisse, cæterum non qualecunque nunc signum; sed manna de cælo postulare; propterea statim adiungunt, *Patres nostri manducauerūt manna in deserto.* Videntur mihi signum petere, non solùm vt sibi manna daret, sed vt experirentur, an quod semel fecerat, vt quinque panibus, quinque hominum millia saturaret, semper aut posset, aut vellet facere; propterea exemplum manna protulisse, vt Christū quodammodo irritarent,prouocarentque, vt quidpiam simile faceret. Quanquam Chrysost.Leontius,Theophylact.& Euthymius, ad solum manna hanc petitionem restringere videtur. Ergo quę causa sufficere debere videbatur,vt signū non peterent ea vt peterent effecit,quòd paulò ante multiplicati panis signum vidissent. Inde enim ingressi in spem erant fore, vt semper sibi Christus cibum suppeditaret; quod an posset, aut vellet efficere hac interrogatione ab eo elicere voluerunt.

Exo.3.13. Cur à Christo Iudæi signum postulent.

Exod.16. 4.14. Psal.77. 24. Sap.16. 20.

31. *Patres nostri māducauerunt manna in deserto,sicut scriptum est,Panem de cælo dedit eis māducare.*) Diximus modò ex Chrysost. Leontio, Theophylacto, & Euthymio ideo hoc eos vsos exemplo,vt Christū quodammodo cogerent aut idem, aut simile facere miraculum,quo otiosum nutriret populum. Indicant se Mosi quidem meritò non temere credere:populū enim annos quadraginta nō serentem,non metentem aluisse,eadem se facilitate in ipsum creditуros, si aut idem,aut simile faciat. Ostendunt etiam se,vt notat Cyrillus,non nisi carnalia atque terrena,quęque ad ventrē pertinēt cogitare. Singula verba suū habent pondus.Comparant se tacitè cum patribus, quasi insinuantes nihil se postulare, quod non sibi veluti hæreditario iure debeatur. Patres, maioréscq; olim suos cibum à Mose perinisse,accepisséque cælestem ab eo panem; se similem ab eo panem postulare,qui Mosis similis haberi velit. Cùm dicunt *patres nostri* numerum etiam hominum ingentē significant,sexies enim centena hominum millia circiter erant.In patribus suis se quodam modo panē illum comedisse intelligunt.Dicūt autem,*manducauerūt*,id est re ipsa experti sunt,quid à Deo Moses impetrare posset.Non sola opinione, sed experientia ipsa cælestem ederunt panem; idque in deserto,vbi difficilius erat parare cibos. *Nunquid*, inquiebant, *potest Deus parare mensam in deserto? Nunquid & panem poterit dare?* Alia etiam vis in nomine deserti latet, quòd tempus annorum quadraginta, quibus in deserto Hebræi versati sunt,significatur.Quasi dicant non semel,aut iterum, sed per totos annos quadraginta, id est quamdiu in deserto versati sunt, cælestem edisse panem. Denique ne fabulam narrare videantur, scripturæ testimonio confirmant, *Sicut scriptum est, Panem de cælo dedit eis māducare.*

Exod.16. 4.14. Psal.77. 24. Sap.16. 20.

32. *Dixit ergo eis, Amen, amen dico vobis,non Moses dedit vobis panem de cælo,sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.*) Cum magna Christus assuetatione respondet, *Amen,amen dico vobis*, quia rem illis docebat admodum contra ipsorum opinionem.Porro cùm illi non se, sed patres suos panem illum cælestem dixissent accepisse; ipse non de patribus, sed de illis respondet, *Non Moyses dedit vobis*, quia vt superiore versu diximus se in patribus suis intellexerant eum panem comedisse. Duplex hic latet antithesis,in qua vis tota sententiæ cōsistit. Altera inter Mosem,& Deum,altera inter panem, & panem, id est inter manna,& Christum ipsum, qui verus de cælo panis erat. Ex prima secundam tacitè probat. Nam ex eo ipso, quòd Moses, vt illi gloriabantur, manna eis dederat,colligit nō fuisse verum panem, atque cælestem, quia verum, cælestémque panem purus homo dare non potuit;se verò indicat verum esse panem, quia non à Mose, non ab homine vllo, sed à solo Deo datus,id est missus est.Ex diuersis significatur auctoribus diuersum panem, alium alio meliorem esse probat, quemadmodum si quis, vt vnum panem meliorem probet esse,quàm alium,à meliore pistore factum fuisse dicat. At manna etiam Deus dederat,Moses minister tantùm fuerat, ac ne minister quidem; nec enim ipse vel tanquam minister manna fecerat.Ita est,sed Christus ex Iudæorum inquitur opinione, qui Mosem eius miraculi auctorem facere videbantur. Quærit Chrysostomus cur non seipsum Christus,sed Patrem opponat Mosi,& non dicat, sed ego do vobis panem de cælo verum; cum id verè dicere potuerit,& Samaritanæ non Patrem,sed seipsum aquam illam vinam, & in vitam æternam saliētem daturum dixerit.c.4.10.14. Quin hoc ipso capite ver.27.seipsum panem hunc,de quo nunc loquitur daturum dixerat. Respondet ideo id fecisse,quia Iudæi idonei auditores non erant,vt ad eum modum cum eis loqueretur, voluisséque declarare modo ipso loquendi diuerso,quantum inter Samaritanæ mulieris in credendo facilitatem,& Iudæorum duritiē interesset.At his ipsis Iudæis paulò ante dixerat se hunc panē daturum esse.Itaque alter explicandam quæstionem arbitror.Primùm illic nondum illi Moses obiectus fuerat, hic iam fuerat obiectus.*Patres* inquiunt,*nostri manducauerūt manna in deserto*; tacitè enim illi, quemadmodum diximus, opponunt Mosem,propterea non se, sed Patrem illi rursus opponit,ne quod probandum erat,pro argumēto sumere videatur. Deinde cum ver.27.dixit se panem illum daturum esse,dare erat in mortem eradere, & edendum in sacramento relinquere, quod sibi sine arrogātia potuit attribuere. Cùm autē hoc loco dicit, *Pater meus dat vobis panē de cælo verū*, dare est mittere;q̄ non de se,sed de Patre dicere potuit; nec

nec enim à se,sed à Patre missus fuerat. Theophylactus videtur existimare nullam inter Mosem, & Patrem comparationem fieri; sed solum panem pani opponi,quòd ille,quem Moses dedit,verus,cęlestisque non fuerit,hic,quē Pater dat,cælestis, ac verus sit. Et quidem non dissiteor panem præcipuè cum pane comparari, sed cùm videamus tam diligenter Mosem in vna patre,Patrem in altare nominare,dubitandum non est voluisse Christum Mosis auctoritatē minuere,vt ab eo Iudæos auelleret, & ad Patrem traduceret.Cùm dicit. Mosem non dedisse illis panem de cælo, intelligit,vt existimat Theophylactus,non dedisse verum de cælo panem, sicut in altero orationis mēbro dicit, *Sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum*:Quanquam mihi non solùm videtur negare Mosem verum, dedisse panem, sed etiam panem de cælo dedisse.Duabus enim in rebus panem,quem Moses dederat,cum eo,quem Patrem dare dicit,confert;quòd hic de cælo sit,ille non sit;quod hic verus,ille non item.Secundū ex primo sequitur.Nā quia hic panis de cælo erat,verus erat; quia ille de cælo non erat,verus non erat.Hæc fortasse fuit causa,cur in priori mēbro non dixit, *Non Moyses dedit vobis panē de cælo verū*,quia si de cælo nō erat,nec verus erat,contentus in secundo membro id explicare.Videdum nunc est, quid sit panem esse, vel non esse de cælo;& panem esse, vel non esse verum.De cælo propriè esse est de cælo ipso vero descendisse, quemadmodum Christus solus descendit,& à Deo datus,hoc est *panis Dei,qui de cælo descendit*; & *verus est,qui dat vitam mundo.* Proprium enim est panis vitam dare.Cùm dicit *Qui dat vitam mundo*, videtur alludere ad id,quod ver.31.Iudæi dixerant, *Patres nostri manducauerunt manna.* Quemadmodum enim hunc panem mannæ, ita mundum vniuersum Iudæorum patribus opponit.Mannā solos Hebræos ad tempus aluit, panis hic vniuerso mundo quantùm in se est, vitam præbet, quemadmodum Chrysost Cyrillus,Leontius, & Euthym. adnotauerunt. Quam vitam intelligat corporis,an animæ ver. 49. & 50.loco magis idoneo fumus disputaturi.

Sup. c.4. 13.

De vita corporis, an animi locuti sint Iudæi.

34. *Dixerunt ergo ad eum,Domine semper da nobis panē hunc.*) Videntur,quod Christus dixerat, de sola vita corporis intellexisse,vt Cyrillus,Chrysost.Aug.Beda,Theophylact.Euth.existimant.) Cùm enim audissent panem illum vitam non solùm Iudæis,sed toti etiam mundo præstare posse, & vitam quidem non breuem,sed sempiternam,vt dixerat ver.27.rogant, vt semper sibi eum panem det. *Quomodo mulier illa Samaritana*,inquit Augustinus, *cui dictum est, Qui biberit ex hac aqua, non sitiet vnquam, continuo illa secundum corpus accipiens, sed tamen carere indigentia nolens, da mihi, inquit, Domine de hac aqua, sic & ista, Domine da nobis panem hunc,qui nos reficiat,nec deficiat.* Probabile hoc est, sed non minùs probabile mihi videtur eos rectè eos intellexisse Christum nō de vita corporis, sed de vita animi locutum fuisse; quam enim vitam æternam, nisi animi cogitare poterant? sed intelligentes quid diceret, quod maioris fuit culpæ, non credidisse,irridentésque respondisse: *Semper da nobis panem hunc*, quasi dicant, nec vllus eiusmodi panis est,nec si esset dare tu posses. Eadem enim irrisione Samaritanā illam respondisse,dixisséque,*Domine da mihi hanc aquam,vt non sitiam,neq; veniam huc haurire.* Atqui hoc illis Christus ver.36.videtur exprobare, quòd,cùm audissent,intellexissēntque,nō crederēt.

De vita corporis, an animi locuti sint Iudæi.

Ver. 35.

35. *Dixit autē eis Iesus, Ego sum panis vitæ:qui venit ad me,non esuriet, & qui credit in me,non sitiet vnquam.*) Siue Iudæi,quòd Christus dixerat,non intellexerāt, vt auctores illi, quos modò nominauimus, putauerunt,siue intellexerant quidem,vt nos diximus, sed non crediderunt, quin potiùs irriserunt, quæ ab eo dicebātur: admiranda nobis,imitādāque est Christi patiētia,& humanę salutis cura.Non est indignatus iniuria, aut tarditate, crassitiéque Iudæorum; sed simpliciter,ac placidè respōdet se panem illum esse, quem à se petant,in ipsorum esse potestate eo frui. Panem vitæ Hebraica phrasi, id est vitalem,viuificum appellat, quia ipse est, qui vere hominibus vitam præstat.Putāt Chrysost.Theophylactus,& Euthymius solam hīc diuinitatem suam panem appellare,melius Cyrillus humanitatem ipsam vocari panem, sed eam non nisi propter coniunctam in eandem personam diuinitatem vim habere vitam dādi. Sēsum autem esse,*Ego sum panis vitæ* id est ego panis ille sum,qui per manna figurabatur.Videbatur orationis consequētia postulare vt diceret,*Ego sum panis vitæ*, qui ederit me semper viuet, aut, nunquam morietur. Sed hunc eundem sensum alijs expressit verbis,*Qui venit ad me, non esuriet*;vt simul explicaret, quid esset hūc panem edere, nempe ad se per fidem venire. Cùm autem de solo pane quæstio esset, de potu etiam respondet,*Et qui credit in me non sitiet vnquam.* Nec dixit sicut prius,Qui venit ad me,sed *qui credit in me*,vt declararet, quid esset ad se venire,nimirum credere. Melius locum totū verbis Augustini hoc loco explanabo,*Qui venit ad me*, inquit ille,*hoc est,quod ait,& qui credit in me.Et quod dixit non esuriet: hoc intelligendum est &*, *Non sitiet vnquam. Vtroque illa significatur aeterna satietas,vbi nulla est egestas. Panem de cælo desiderastis? ante vos habetis, & non manducatis.*

Admiranda Christi patientia.

Panis vitæ, id est vinificus.

36.*Sed dixi vobis,quia & vidistis me,& non creditis.*) Quæritur hic à plerisque, vbi hoc illis Christus dixerit.Quæfendum etiam erat,quid illis dixerit.Nam quod omnes tanquam certum statuunt, hoc ipsum illis dixisse,quòd sequitur,*Vidistis me, & nō creditis*, probabile non videtur, vt ex vera postea interpre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatione apparebit. Cyrillus ergo ad Isaiæ hoc prophetiam refert.c.6.9. *Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere.* Alij ad id, quod illis dixerat ver.26. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Chrysost. & Euthym. credẽdum esse alicubi hoc illis dixisse, quamuis id scriptũ non fuerit. Nescio an hęc aliorũ iudicio satis faciant, meo quidẽ certè nõ satisfaciunt. Primũ Christus nec dicit, nec, vt opinor, indicat se illis hoc ipsum dixisse. *Vidistis me, & nõ creditis*, quod qui statuunt, verũ. vt mihi videtur, sensum reperire non possunt, quia, vbi nõ est, quęrunt. Non ergo hoc se dixisse indicat, sed se panem esse vitæ, quem illi petebant. Reddit enim causam, quãobrem dixerit se illum esse panem, cùm sciret eos nõ solùm non credere, sed insuper etiã irridere. Nimirũ vt faceret, quod sui erat officij; vt per se non staret, quo minùs salui essent. Ergo particula, *Quia*, idẽ hîc valet, quod *quamuis*, quasi dicat, dixi vobis me panem esse vitæ, quamuis vos audientes, ac vidẽtes me minimè credatis. Eum aliquãdo vsum habere particulam ὅτι *quia*, alicubi notauim⁹. Potest & alius, ac fortasse facilior esse sensus, vt causam Christus reddat, cur non apertè, sed per metaphoram locutus fuerit, séque panem appellauerit, quia nimirum etiam videntes non credebant, sicut alibi dixit, *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.* Matt. 13.13. Quod ergo dicit, *Dixi vobis*, ad id refertur, quod ver.27. *operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, & ad id illud ver.33. *Panis enim Dei est, qui de cælo descendit.* At enim, quid est *Vidistis me?* An omnes qui Christũ videbant, eo ipso, quòd videbãt, in eum credere debebant, sine vllo miraculo, sine vlla prædicatione, sine vlla institutione propter solum corporis aspectum? Nequaquã verò. Videre ergo hoc loco est eam Christi notitiã habere, quæ ad credendũ in illũ satis esset, quamq; si aliqui alij habuissent, credidissent, vt apparet ex ver.40. *Hæc est voluntas Patris mei, vt omnis, qui videt Filiũ, & credit in eũ, habeat vitã æternam.* Illic enim videre est cognoscere, etiã si corpore non videris; alioqui qui eum oculis nõ viderunt, vitam æternam habere non possent, quod absurdum profecto est. Quemadmodũ ergo multi, qui Christum oculis non viderunt, dicuntur vidisse eum, id est cognouisse; ita multi, qui eum oculis viderũt, dici possunt non vidisse, quia non cognouerunt. Itaque videtur ex his duobus locis colligi posse, quod graues Theologi docuerũt, excusari eos, qui ideo in Christum non credunt, quia nullam de eo notitiã habuerunt: eùm Christus fidem nõ nisi ab ijs exigat, qui se viderunt, id est cognouerunt, simile illud est, *Si non venissem, & locutus fuissent eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* c.15.22.

37. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.*) Quorsum hoc dicat, omnes fere consentiunt, reddi causam, cur illi, quibuscum loquebatur, ad se non venirent, id est in se non crederẽt. Ita fere Chrysost. Leontius, Cyrillus, Theophylact. & Euthym. At hoc nõ fuisset accusare eos, sed potiùs excusare, cùm manifestũ esse videatur eos accusare voluisse. Si enim venire ad Christũ non poterant, nisi à Patre darentur, & Pater eos non dabat, culpa vacare videbãtur, quòd non venirent. Itaque potiùs credo eorũ peruersam accusari volũtatẽ, quòd à Patre se dari non sinant, quòd Patri non credant; si enim crederent, ad se venirẽt, id est in se etiã crederent. Patrem enim Filio non dare, nisi eos, qui maturi sint, qui idonei vt Christi discipuli fiant; idonei fiũt, dum Patri credũt de filio suo testificãti, quo minùs credant, non nisi per ipsos stare. Perinde ergo est, ac si diceret, si vos Patris mei essetis, si in illum credideretis, vt gloriamini, ad me vtiq; venireti⁹, *omne* enim, *quod* Pater habet, mihi dat, & omne q; mihi dat, ad me venit. Hoc sensu videtur alijs licet verbis Theodorus Mopsuest. interpretari. Certè Iudęorum culpã notari, quòd Patris resisterẽt volũtati, aperte dicit. Vt docti habeant, vnde vel hũc, vel alium fortasse meliorem sensum eliciant, eius adscribã verba. Διὸ πάντα ἐν τοῖς ἀναλήπτοις ἔφη, ὅτι τὸ πιστεύσαι πᾶσιν ἀνθρώποις ἐπὶ τὸν σωτῆρα τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ τοῦ ἑλκύσαντος αὐτοὺς πατρός· ἐπειδὴ γὰρ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ τὸ ἀντιλέγειν καὶ μὴ βούλεσθαι τῷ θελήματι τῷ πατρὶ, διὰ τοῦτο ἀναγκαίως ἔφη ὅτι οὐδεὶς δύναται πρὸς μὲ ἐλθεῖν, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ὁ πέμψας μὲ ἑλκύσῃ αὐτόν· καὶ τὸν πιστεύσαντα δὲ διὰ τοῦτο νομίζειν χρεὼν, ὅτι φανεὶς ἐξ ἀνάγκης ἕλκει τῷ θελήματι τῷ πατρὸς μαχόμενον. Quid si à Patre dari, intelligitur ex ver.45. *Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Dari ergo à Patre est docibilem esse Dei; docibilem autem esse Dei est finere se ab eo doceri, sicut statim exponitur audire, & discere; dari ergo à Patre est audire, & discere à Patre, id est audire ab illo, & illi credere. Quia illi Patri non credebant, cum ab eo, & per Prophetas, & multis alijs modis audiuissent, non dabantur à Patre; quia non dabantur à Patre, non veniebant ad Filium. Indicat ergo se adeo coniunctũ esse cum Patre, vt, qui in vnum credit, in alterum credat, & qui in vnum non credit, nec in alterum credat, quantumuis credere videatur. Hoc est quod alijs etiam locis argumentari solet Iudæos in se non credere, quia in Patrem non credunt, vt c. 5.38. *Verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis*, & c. 8. 54. 55. *Est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia pater vester est, & non cognouistis eum, ego autem noui eum, & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mẽdax.* Quod nostro dixit genere, *Omne quod dat mihi Pater*, potiùs quàm omnis, quemadmodum dicendum videbatur, cùm de hominibus loqueretur, rectè videtur Rupertus indicare, eò pertinere, vt maiorem significet vniuersitatem; quasi dicat, quidquid mihi Pater dat, ego admitto, quodcunque genus animalis, siue mundum, siue immundum, vt viso illo Petri declaratum est Act. 10.12. 15. cum illi cælesti dictum est voce, *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Quodcunque genus hominum siue Iudæorum, siue Gentilium. Quòd autem addit, *& eum, qui venit ad me, non eiiciam foras*, eò etiam pertinet, vt ostendat eiusdem se, atque Patrem esse voluntatis, & quemadmodum per Patrem non stat, quò minùs ad se omnes homines veniant, ita per se non stare, nemini enim venientem repellere, neminem reiicere. Quid sit foras eiicere, non omnibus conuenit. Augustinus, & Beda de cælo interpretantur, quasi promittat se Christus eum, qui ad se venerit, de cælo id est de cœnaculo illo magno, vbi cœna illa nuptialis fiet, in tenebras exteriores eiecturũ non esse, quemadmodum ille, qui vestem nuptialem non habebat, eiectus est, Matth. 22.12. *Quale est istud illud*, inquit August. *unde non exitur foras? Magnũ penetrale, & dulce secretum. O secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum, & dolorum. Nonne illud secretum est, quo intrauit ille, cui dicturus est Dominus seruo benemerito, serue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui?* At inde dicit se Christus non eiecturum foras, quo ad se venire dixerat, qui sibi à Patre datus esset, cùm autem dicit, *ad me veniet*, non significat ad se in cælo, vbi fides non est, sed in hac vita per fidem venire, ergo cùm dicit, *non eiiciam foras*, non de cælo, sed de hac loquitur vita. Eadem ratione non videtur interpretatio Cyrilli conne-

nire

nire de supremo iudicio hoc intelligentis, quasi tunc se Christus non eiecturum foras dicat, cum dixerit *Ite, qui à sinistris estis, Ite maledicti in ignem æternum.* Non enim illuc homines ad Christum per fidem venient, de quo hîc aduentu loquebatur. Similè est quod alij quidam dicunt, *non eiiciam foras*, postquam cum recepero, sed dabo illi perseuerantiam; de solis hoc prædestinatis interpretãtes, quod aliunum prorsus à mente Christi videtur esse. Verum ergo sensum esse arbitror, quem Rupertum secutum esse video, neminem ad me venientem repellam, omnes admittam, omnes amplectar; quemadmodum si publicus dicat hospes, neminem qui ad hospitium venerit eiiciam, non significat, neminem se hospitem, postquam domo exceperit eiecturum; id enim dubium non erat; sed neminem prohibiturum hospitio, neminem non admissurum.

38. *Quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.*) Causam reddit, vt Cyrillus, & Augustinus dicunt, quamobrem eum, qui ad se venerit, non sit foras eiecturus, voluntatem enim Patris esse, vt omnes, qui ad se venerint, recipiat, amplectatur, doceat, conseruet, & ad vitam æternam ducat: & se de cælo descendisse non vt suam, sed Patris faceret voluntatem. Quod dicit se de cælo descendisse, hanc habet emphasim, vt significet se tam longum, & tam laboriosum sibi iter non suscepisse, vt suam, sed vt Patris faceret voluntatem; non enim se nisi mittente ad id Patre venturum fuisse. Ambigunum est, vtrum significet his verbis duas esse, aliam suam, quã homo est, aliam Patris voluntates; an suam, Patrisque voluntatem vnam, eandémque esse, ideóque non venisse, vt suam, id est propriam & à Patris voluntate distinctam, sed vt Patris faceret voluntatem, non quòd vellet suam ad voluntatem Patris conformare, sed quòd suam propriam, id est à Patris voluntate distinctam voluntatem non haberet. Hoc secundo sensu videntur Gregor. Nazian. orat. 4. de theolog. Elias eodem loco, & in oratione 3. Chrysostomus, Theophylact. & Euthymius, Ammonius, & Leontius exponere. Verba huc ex Græca manuscripta Catena Ammonij transcribam, quæ eadem Leontij sunt in huius loci commentarijs. οὐκ ἰδίαν ἔχων θέλησιν ἀνθρωπίνην παρὰ τὴν τοῦ πατρὸς, καὶ ταύτην τῷ πατρὶ ἑνωμένην· ἐπειδὴ γὰρ ἐν ἀνθρώποις ἐστὶ τὸ ἀντιλέγειν καὶ μὴ βούλεσθαι τῷ θελήματι τῷ πατρὸς. Notat Gregorius Nazian. eam pluribus vltratam in scripturis esse, vt eum ex persona Christi Dauid dicit Psal. 58. 5. *Neque iniquitatem meam, neque peccatum meum*, non significare se peccatum habere, sed potius non habere. Et cùm dicit Daniel. c. 9. 18. *Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam*, non indicat se iustificationes habere, sed potiùs non habere. Quæ interpretatio, si Christus, vt Deus loqueretur, vera esset, sed videtur, vt homo loqui, cùm se dicat à Patre missum. Itaque meliùs, vt opinor, Cyrillus interpretatur, ita vt significet his verbis duas se habere volũtates, alteram cum Patre cõmunem, quatenus Deus est, alteram sibi propriam, quatenus est homo; non ergo descendisse de cælo, vt humanam, sed vt Patris, suamque, id est diuinam faceret volũtatem. Hac ratione Eutychis refutatur error, vnam tantùm in Christo voluntatem confitentis. Quid ergo? An humana Christi voluntas aliud quàm diuina volebat? Hoc enim videntur hæc verba præ se ferre. Volebat quidem aliquando natura sua, vt Cyrillus exponit, quemadmodum in passione declaratum est, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Sed ratione, & coniunctione diuini-

Ariani quomodo inuerecunder hoc loco aduersus Filij diuinitatem.

Psal. 144. 15.

Epiphanij subtilis refutatio & vera.

Christus tanquam homo locutus.

Id breuissime quo nominatiuus sequentis dirimatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

perdere Christus dicitur, quia propriè perdit, sed quia non iuuat, & quia omnes, quantum in se est, adiuuat, neminem perdit. Qui dicantur à Patre Filio dati ver. 37. docuimus. Causa nunc explicanda est, quare non simpliciter, ac generaliter dicat neminem se eiicere, neminem perdere, sed ex ijs, quos sibi Pater dederit. Vtrumque dicere potuit, vtrumque enim verum est, & ex ijs qui illi à Patre dantur, & ex omnibus prorsus dominibus neminem perdere. Sed propterea de ijs tantùm loquitur, qui sibi à Patre dantur, quia qui non dantur, iam perditi sunt, *qui enim non credit, iam iudicatus est*. Loquitur etiam congruenter naturæ Filij, cuius officium est conseruare, quæ sibi à Patre tradita sint. Laus enim est filij nihil de paterna hæreditate minuere. Itaque Naboth ille non est veritus Regi respondere, *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* 3.Reg.21.3. Illi autẽ, quos Pater ad Filium ducit, quasi hæreditas eius sunt. Sicut populus ille Dei, quem sibi Deus aggregauerat, eius hæreditas vocabatur. 1.Reg.26.19. & 2.Reg.14.16. & 20.19. & 21.3. & 4.Reg.21.14. Esther. 10.12. & 13.15. & 14.9. Psal.27.9. & 32.12. & 67.10. & 77.62.71. & 134.12. Eodem enim modo Christianus populus hæreditas Christi dicitur illi à Patre data. *Dabo*, inquit, *gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, Psal.2.8. Quærunt aliqui, idque ad explanationem huius loci non nihil pertinet, quorsum de resurrectione mentionem faciat. Causam Chrysostomus hanc reddit, vt ostenderet se non præsentium modò rerum, sed etiam futurarum habere prouidentiam. Voluit vt mihi videtur declarare, quid esset non perdere quemquam ex ijs, quos Pater sibi dederit, nempe recipere illum, & quantum in se est, fouere, iuuare, cõseruaréque, & vsque ad portum salutis ducere, hæc est resurrectio; propterea dicit, *sed resuscitem illud in nouissimo die*. Quemadmodum si nauclerus vectoribus dubitantibus, an in eius nauim ascendant, dicat, nolite diffidere, quicunque mecum venire volent, eos ego vsque ad portum incolumes veham. Quid? an ij, qui à Patre Filio non dantur, non suscitabuntur? Suscitabuntur quidem generali illa resurrectione omnium; sed non propria iustorum. Duplicem enim resurrectionem esse; alteram, qua à peccato; alteram, qua à morte corporis homines resurgunt; sicut duplex est mors, altera animæ, altera corporis, vt docet D. Ioannes Apocal.cap.20.5. Omnes ergo homines à morte corporis resurgent; à morte corporis simul, & animæ non omnes. Qui solo corpore resurgunt, non nisi vna parte resurgunt; ideo videntur significari hoc loco non resurrecturi. Qui autem corpore simul, & animo resurgunt, qua vtraque resurgunt parte, absolutè, & vere, si cum cæteris comparentur, resurgere dicuntur. Hoc modo licet minùs explicatè Augustinus, Ammonius, Theophylactus, Beda, & Euthymius interpretantur, nisi quòd illi solent dicere bonos absolute resurgere, quia ad vitam æternam resurgunt; malos ita resurgere, vt resurgere non videantur, quia ad supplicium, mortémque resurgunt, πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνίστανται, μόνοι δὲ οἱ τοῦ ἀξιοῦσθαι τῶν ἀγαθῶν, inquit hoc loco Ammonius. Notat Theophylactus resurrectionem, quam ipse καινὴν. & καθολικὴν. id est communem, & generalem vocat, dici ἀνάστασιν resurrectionem apud D. Paulum; eam verò, qua soli resurgunt boni ἐξανάστασιν, διὰ τὴν ἐξ ἕλξεως ὑπαρχουσαν, *excurrectionem* appellari, *propter eleuationem à terra*. Id est quia boni rapientur *in aëra obuiam Christo*. mali in terra damnati remanebunt. Videtur etiam mihi aliquid esse causæ, quamobrem Christus bonos, non malos dicatur suscitare, cùm non solùm bonos, sed etiam malos ipse idem sit suscitaturus. Nimirum quòd boni ad vitam æternam resurgant, consecuti sunt beneficio meritorum Christi, ideo Christo propria quadam ratione eorum resurrectio attribuitur. Probat Leontius ex hoc loco diuinitatem Christi, eiúsque, & Patris æqualitatem, quia sicut Pater in scriptura dicitur suscitaturus mortuos, Act. 26.8. & 1.Cor.6. 14. & 2.Corinth.1.9. ita Christus dicat se mortuos suscitaturum. Hoc est, quod alio loco dicit, *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, ita & Filius, quos vult, viuificat*. cap.5.21.

Neminẽ perdit Christus.

Sup. c. 3. 1.

Hæreditas Christi populus Christianus.

Resurrectio communis ἀνάστασις, propria verò bonorum ἐξανάστασις.

40. *Hæc est autem voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.*) Meliùs hoc loco legetur, *Hæc est enim voluntas patris mei*, quemadmodum Augustinus, Cyrillus, Beda, & Rupertus legunt, & multi etiam Græci manu scripti codices habent. Redditur enim causa proximorum verborum, cur dixisset, *sed resuscitem illud in nouissimo die*. Nimirum quia voluntas Patris est, vt omnis, qui in Filium credit, suscitetur, & viuat. Sic enim Christus propria quadam ratione, vt superiore versu dicebamus, iustos dicitur suscitare, quia illis ipse meruit, vt ad vitam æternam suscitentur. Quia corpus, & membra erant Christi; itaque cum Christo, id est cum suo capite resurgant, & in cælum ad eandem vitam æternam ascendant. Quid verò est, quod dicit, *Omnis, qui videt*, supra ver. 36. diximus, videre esse cognoscere, aut notitiam habere, ideóque adiectum videri, vt significetur mirum non esse, si non credant in Christum, qui nullam eius notitiam habuerunt. Quanquam illic alio, quàm hic vsus est verbo, illic dixit θεωρῶν vidistis, hîc dicit θεωρῶν contemplans, quod verbum adnotauit ex Trismegisto Firmianus rerum proprié esse diuinarum. Quòd autem quidam eo verbo nudam Christi fidem sine operibus, quales dæmones etiam habent, notari putant, non satis probant, & malè sonat. Quomodo omnis qui credit iam habeat vitam æternam, supra versu 29. & cap.3.16. explicauimus.

41. *Et murmurabant Iudæi.*) Non tam murmurabant, vt apparet, quòd se panem appellasset, quàm quòd se de cælo dixisset descendisse, hominem, cuius patrem, vt ipsi dicunt ver.42. matrémque, fratres, & sorores ipsi cognoscerent. Etsi Augustinus tractat.26. Beda, & Theophylactus propterea murmurasse putãt, quòd se panem appellasset. *Ideo murmurabant*, inquit Beda, *quia panem hunc non intelligebant, panem hunc non esuriebant, hunc panem non amabant. Nam si amarent, vtique non murmurarent.* Euthymius verò existimat, idémque Theophylactus videtur significare propterea murmurasse, quòd, cùm ipsi panem ab eo corporeum expectarent, spiritualem eum panem promittere viderent, quem, vt Augustin. & Beda dicunt, *non esuriebant*. Animaduerterunt Chrysostomus & Euthymius paulò antè, cùm pane illos corporeo saturasset, statim clamasse verum illum Prophetam esse, qui in mundum venturus erat, ver.14. nunc cùm illis meliorem, id est cælestem promittit panem, quem qui edat non iterum esuriat, murmurare. Rectè Cyrillus ait videri sibi in veteres sub Mose Iudæorum mores, & nouos sub Christo intuenti eos quasi hæreditatem à patribus suis murmurationem accepisse, nam & illos in deserto nunc propter cibum, nunc propter potum passim murmurasse.

42. *Et dicebant, Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem?*) Ioseph filium appellant ex vulgari opinione. *Putabatur* enim *filius Ioseph* Luc.3.23. Videntur satis intellexisse Christum, cùm se de cælo descendisse dixit, significasse se verum filium Dei esse, qui non è terra, sed è cælo originem habuisset. Propterea enim dubitant, quomodo de cælo descenderit, cùm patrem, ac matrem in terris habeat, vt ait Ammonius, διὰ τὸν κατ' σάρκα μήτηρ. αὐτῷ ἀδιάλειπτον ἐνέμεσον ἐξ ὑφαντῆς αὐτῶν καλλιδοκήναι, ἢ εἰς τὸ φαινόμενον ὁρωντες, ἢ τινὶ ἀφθάλμῳ αὐτῷ ὄντων ἐννοοῦντες ἐπιπλέον. Potest dubitari, quomodo Capharnaitæ Ioseph, & Mariam Christi matrem cognoscerent, cùm non in Capharnaum, sed in Nazareth solerent habitare? Primùm vrbes illæ duæ non longè distabant. Deinde necesse non est, vt intelligamus eos, qui hoc dicebant, fuisse Capharnaitas; poterant esse Nazareni, aut ex vicinissimis locis eius vrbis, qui illecti miraculis Christum sequerentur. Denique Ioseph, & Mariam sæpe fuisse in Capharnaum, illicque vulgo; aut propter se, aut propter Christum notos fuisse credibile est. Nam & c. 2. 12. Christus cum matre, & fratribus suis dicitur descendisse in Capharnaum, illicque per aliquot dies fuisse, estque vero simile illic matrem reliquisse, dum ipse veniret Ierosolymam ad agendum diem festum, vt Euangelista videtur significare. Similis Iudæorum murmuratio narratur apud Matthæum, cap. 13.55. & apud Marcum, cap. 6. 3.

44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*) Videndum qualis hæc sit ratio; deinde quis verborum sensus. Cùm videatur probare voluisse non debere Iudæos murmurare, non satis apparet, quomodo ista ratione probet, quòd nemo possit ad se venire, nisi Pater traxerit eum. Inde potius videtur sequi mirum non esse, si ad Christum illi non venirent, sed de illo potiùs murmurarent, quia à Patre non trahebantur. Quo ergo modo murmurare desinent, si non trahuntur? Hoc quidem interpretum neminem attigisse video, mihi verò concisa oratio videtur esse, ideóque subobscura; fiet clarior si nonnulla subintelligamus verba. Perinde ergo intelligendum hoc est, ac si Christus diceret: Nolite murmurare de ijs, quæ non intelligitis, ideo autem non intelligitis, quia à Patre meo non trahimini; *nemo* enim *potest venire ad me*, quod est intelligere, ac credere, *nisi Pater meus traxerit eum*. Verbum, *potest*, norarunt quidam interpretes non remoram, vt Philosophi vocant, sed proximam actui potentiam significare. Nam etiam qui a Patre non trahuntur, potentiam habere naturalem, vt si à Patre trahantur, veniant; sed eam potentiam remotam esse, nec in actum reduci posse, nisi gratia trahentis Patris adiuuetur. Quemadmodum antequam lumen ad videndum habeamus, naturalem habemus videndi facultatem, sed nisi ea facultas lumine iuuetur, videre reipsa non possumus. Sic se prorsus habet liberum arbitrium, quæ naturalis in bonum, & malum facultas est. Sed in malum per se solum valet: in bonum non nisi gratia iuuetur. Vera hæc sunt. Venire quid sit, ver. 37. declarauimus. Venire est credere, vt versu postea 65. explicatur. De verbo *traxerit* maior est quæstio. Cum multiplicem vim id verbum habere possit, hæretici eam solam arripuerunt, quę vna poterat absurdam efficere sententiam. Significat aliquando vim quandam, atque coactionem. *Cum vadis*, inquit, *cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem*, Luc.12.58. quanquam illic καταύρῃ est, hîc ἕλκῃ. sed sensu eodem. *Et non valebant illud trahere præ multitudine piscium*, Ioan.21.6. vbi idem, quod hîc, est verbum ἕλκυσαι, itémque ver.11. & *traxit rete*

Iam

Trahendi verbum non semper vim, & necessitatem significat.

Virgil. Eclog.2. Cicer pro Archia poeta.

Psal. 36. 4.

in terram: & Act. 21. 30. *Accipientes Paulum trahebant eum extra templum*: & Iacob. 2.6. *Ipsi trahunt vos ad iudicia*. Quibus locis omnibus idem verbum ἕλκειν, quod hoc etiam loco ponitur, manifestum est vim quandam significare. Hanc igitur verbi significationem & Manichæi olim, vt Chrysost. hom. in Ioan. 45. & Theophyl. in commentarijs docent, & noui nunc hæretici Lutherani, & Caluiniani præripuerunt, nullum relin qui liberum arbitrium, quando vi homines trahantur. Itaque nolis quidam eorum interpres hoc epiphonemate commentarium in hunc locum concludit. *Concidi ergo liberum hominis arbitrium, & virium humanarum facultas*. Vt hanc refellamus interpretationem, docendum prius est, aliquando hoc idem verbum non vim, non coactionem, nõ necessitatem significare, neque refert quicquam vtrum Græce ἕλκειν, an σύρειν legatur, eiusdem enim, vt diximus, significationis sunt. Si enim nihil aliud quàm vim reperitur significare, idem hoc loco videbitur significare; sin aliquid aliud aliquando significet, probabile erit & hoc loco, aliud significare. Quod si probauerimus, satis hæreticorum interpretationem refutabimus. Proverb. 7. 22. *Ignorans, quod ad vincula stultus trahatur*, non enim adolescens, de quo loquebatur, vi, sed meretricio amore trahebatur. & Cant. 1.4. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*: & Osee. 11.4. *In funiculis Adam trahам eos*, id est non vi, sicut trahi ligati boues solent (sed amore, & benignitate, vt statim explicat, *In vinculis caritatis*. Apocal. 12.4. Draco tertiam partem stellarum traxisse secum dicitur, vi vtique non traxit, sed exemplo. Idem constat ex vsu loquendi, trahi dicimur, non solùm cùm cogimur, aut impellimur, sed etiam cùm ducimur, & inuitamur, immo & cum voluptate allicimur. *Trahit sua quemque voluptas*, dixit ille, & trahi nos studio laudis alter egregius bene dicendi artifex dixit. Obseruauit hoc ipsum D. Augustinus tract. in hunc locum 26. & serm. 2. de verbis Apost. *Nolite cogitare* (inquit tract. 26.) *inuitum trahi; trahitur animus & amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus, qui verba perpendunt, & à rebus maximè diuinis longè remoti sunt, in hoc scripturarum sanctarum euangelico verbo forsitan reprehendamur; & dicatur nobis, quomodo voluntate credo si trahor? Ego dico parum est voluntate ire, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si poëtæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio, quanto fortiùs nos dicere debemus, trahi homines ad Christum, qui delectatur sempiterna vita? Et infra. Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quod currit trahitur, amando trahitur, sine lesione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quemque voluptas, non trahit reuelatus Christus à Patre? Quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem?* Et serm. 2. de verb. Apostol. *Nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum. Non dixit, duxerit, sed traxerit. Ita violentia cordi fit; non carni. Quid ergo miraris? crede, & venis; ama, & traheris. Ne arbitreris istam asperam, molestámque violentiam; dulcis est, suauis est, ipsa suauitas te trahit. Nonne ouis trahitur, cum esurienti herba monstratur? & puto, quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic & tu veni ad Christum, noli longa itinera meditari. Vbi credis, ibi venis. Ad illum enim, qui vbique est, amando venitur non nauigando.* Ostendimus trahendi verbum non semper vim, necessitatem témque significare; probandum nunc est ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam hoc loco accipi, vt vim non significet, aut necessitatem. Primum videamus, quo modo Pater trahat. Trahit nimirum sicut Rex ille, qui nuptias filio suo fecisse dicitur Matth. 22.1. Rex enim ille Deum proculdubio significabat, qui Christo filio suo nuptias faciebat. At ille non cogendo, sed invitando homines traxit. Si enim coëgisset, Omnes venissent; at multi venire noluerunt; illi ergo ipsi, qui venerunt non coacti, non necessitate vlla compulsi venêre. At dicit Ser. ὁ, *Compelle intrare*. Lucæ 14.23. Illa ipsa compulsio nihil aliud, quàm diligentem, vehementemque exhortationem significat populari genere loquendi, quo compelli nos dicimus, cùm vehementer rogamur. Non alio opus est argumento, quàm quòd ijdem isti, qui tracti à Patre non sunt, hoc ipso loco, & alijs pene innumeris reprehendantur, quòd ad Christum venire noluerint; venire igitur potuerunt; & cùm nemo ad Christum nisi trahente Patre venire possit; & trahi potuerint, si voluissent; qui ergo tracti sunt, ideo tracti sunt, quia trahi voluerunt; non ergo aut coactè, aut necessariò, sed libera voluntate tracti sunt. Tenemus verbum trahendi hoc loco non violentiam, aut necessitatem vllam declarare. Reliquum est, vt quæramus quàm hic vim habeat; nec enim sine causa credêdum est eo potiùs verbo quàm alio Christum vsum esse. Graues auctores sunt, qui existiment etiam hoc loco violentiam quandam significare, non quidem eiusmodi, vt libertatem tollat arbitrij, qualem hæretici somniant, sed eiusmodi vt significetur magnum esse pondus hominis peccato mortui, quale solet esse non cadauerum, sed hominum grauiter ægrotantium, qui quominus habent vitium, eo plus habent ponderis, maiore, vt moueantur, opus est nisi. Qui penitus mortuus est, nullam habet, qua moueri possit facultatem. Itaque si mouendus est, sola vi externi agentis moueatur necesse est. Qui motus propriè violentus est, quia passum, vt Philosophi tradunt, vim ad eum motum nullam confert. Huiusmodi cadaueri hominem peccatorem (illis autem omnes sunt peccatores) Caluinistæ, & Lutherani similem faciunt; tanquam truncum, aut saxum à Deo moueri, ac trahi; nihil ipsum agere, nihil conari, nihil conniti; quin contra resistere, remitique. Qui verò sanus omnino est, is suis ipse viribus, sine vllo externo adiumento moueri; cui similem Pelagiani faciebant peccatorem, sanum, fortem, vegetum, qui solis liberi arbitrij viribus sine gratia Dei ad Deum, cùm vellet, venire posset. Vtraque hæresis ex hoc ipso, in quo versamur, loco refutatur. Illa quemadmodum paulò ante dicebamus; hæc quia apertè Christus docet neminem non tractum, id est non adiutum, vt leuissimè interpretemur à Patre venire posse. Itaque omnes, qui aduersus Pelagianos disputarũt hoc vsi sunt loco. Augustin. in lib. de prædest. sanct. cap. 8. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 3. & 19. & lib. de gratia, & lib. arb. cap. 5. & epistol. 107. Hieronym. lib. 3. contra Pelagian. Prosper in epistol. de liber. arbitr. ad Ruffinum, & frequenter lib. contra Collatorem. Semper Ecclesiâ media inter duos hæreticos, vt ait Tertullianus, sicut Christus inter duos latrones crucifigitur. Hominem peccatorem, neque sano, neque mortuo, sed ægroto similem dicit, qui habeat quidem aliquid naturalium vitium, sed non tantùm, vt gratia non adiutus venire possit; venire tamen adiutum, & ipsum aliquid agentem; quia tamen ægrotat, magno opus esse adiumento gratiæ, vt moueatur, & adducatur ad Christum; grauitatem illam, & pondus hominis elanguidi

Quæ vim habeat hic trahendi verbum.

3. Ethic. c. 1. & D. Tho. 1.2. q. 6. a. 1. & 2.

Hæreses duæ Caluinistarum Lutheranorumque & Pelagianorum refutata.

A verbo trahendi declarari. Non quòd verè, propriè que trahatur; cùm aliquid ipse conferat; sed quòd tam multum ponderis, tam parum habeat virium, vt trahi quodammodo videatur. Sic intelligendum quod Hieronymus ait lib. 3. contra Pelagian. *Simul & hoc*, inquit, *animaduertendum, quòd qui trahitur, non sponte currit, sed aut retrectans & tardus, aut inuitus adducitur. Quis non potest suis viribus, & habere voluntatem venire ad Iesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare?* Hoc, inquam, dicere Hieronymus voluit, cùm dixit retrectantem, tardum, inuitum hominem trahi, magna vi trahi, quasi grauem morbo hominem. Sed hoc ipsum ijs dixit verbis, quibus liberum arbitrium tolli videatur, quia contra Pelagianos inimios liberi arbitrij defensores disserebat. Cæterum liberum arbitrium Hieronymum posuisse ex sexcentis eius locis perspicuum est; & ne hæretici quidem ipsi negant. Legat, si quis hoc ignorat epistolam ad Ctesiphontem; legat illos ipsos tres aduersus Pelagianos à Hieronymo conscriptos libros. Eadem ratione intelligendum, quod ait Augustinus serm. 2. de verbis Apostoli, violentiam, qua trahi dicimur, cordi fieri, non carni. Violentiam enim vocat, non quòd vis nobis inferatur, sed quòd magno opus sit adiumento vt à peccato trahamur. Simile est quod Ammonius, Chrysostomus, & Theophylactus docent non tolli trahendi verbo liberum arbitrium, sed significari magno nobis Dei auxilio opus esse. Ammonij, quia nondum in lucem exijt, adscribam verba, quæ eandem fere Theophylactus ex illo transtulit in suos commentarios, ὁ τὸ ἡμῖν αὐτεξούσιον ἀναιρῶν ὁ λόγος, ἀλλὰ δείκνυσι βουλόμενος ἕλκεσθαι χρὴ οὐχ ὁ ἄκων, ἀλλὰ πολὺν ἀντιλαμβάνουσι συμμαχίαν.

Alia etiam in eo verbo mihi videtur posse vis esse, vt necessitatem quandam significet, quemadmodum proprietas eius postulat; non necessitatem, quæ absolutè imponatur ijs, qui à Patre trahuntur, sed quæ ex hypothesi inferatur. Pater trahit necessariò homines ad Filium hoc sensu, quia quisquis nouit Patrem, & in eum credit, necessariò ad Filium venit. Hunc enim esse sensum videntur verba illa, quæ sequuntur, indicare. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Vulgaris, & molesta quæstio est, cur Pater non omnes ad Christum trahat? Tribus modis ab auctoribus responderi video. Ammonius, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius respondent, non omnes trahi, quia non omnes digni sunt. Quod nimis affine est Pelagianorum errori. Quasi verò homo antequam per gratiam ad gratiam ipsam trahatur, mereri possit gratiam, quod est dignum fieri, qui trahatur. Augustinus, & qui eius de prædestinatione sententiam sequuntur, in prædestinationem referunt, hunc trahi, illum non trahi, quia hic prædestinatus fuerat, ille non fuerat. Itaque non magis quærendum esse, quare hic trahatur, ille non trahatur, quàm quare hic prædestinatus fuerit, ille non fuerit. Nec enim eius rei quærendam esse causam, quæ præter diuinam voluntatem causam nullam habeat. In hanc enim sententiam Augustinus dixit, quod omnium ore decantatur. *Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe & intellige. Non trahendo ora vt traharis.* De prædestinationis causa non disputo. Is auctor est Augustinus, vt eius sententia si vel nulla scriptura, nulla ratione, nullis alijs auctoribus probaretur, sola personæ reuerentia satis magnam auctoritatem mereretur. De huius loci interpretatione ago. Aliud certè videtur esse quærere,

quare

quare hic prædestinetur, ille non prædestinetur, quod hoc loco non quærimus, aliud quare Pater hunc trahat, illum non trahat, quod ad explanandum hunc locum necessarium est quærere. Nam etsi omnes, quos Pater prædestinauit, trahit, tamen nec trahere idem est, quod prædestinare, neque proprius prædestinationis effectus, cùm multi non prædestinati trahantur. Nec enim hîc agitur, quomodo homines ad vitam æternam, quæ prædestinationis finis est, sed quomodo ad Christum per fidem trahantur, quam multi vtique non prædestinati suscipiunt. Ratio ergo cur hic trahatur, ille non trahatur, non est, quòd hic prædestinatus sit, ille non sit. Itaque quidquid de prædestinationis causa sentiendum sit, de qua non est huius loci dicere, certè probabilior, & magis expedita responsio aliorum auctorum est hunc trahi, illum non trahi, quia hic trahentem Deum sequi voluit, ille noluit. Quod ipse diuus Augustinus de duobus hominibus Pharaone, & Nabuchodonosore, quos ambos Deus eodem modo, eadem vi conatus est trahere, coactus est confiteri lib. de prædestinatione, & gratia. cap. 15. *Quantum ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos? nisi quod vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra misericordissimam Dei veritatem pugnauit arbitrio.* Cur ergo de omnibus non dicamus, quod ille de duobus dixit?

45. *Est scriptum in prophetis, & erunt omnes docibiles Dei.*) Probat prophetarum testimonio, quod dixerat neminem posse venire ad se, nisi Pater eum traxerit, vt Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius interpretantur. Probat autem non totam sententiam, sed eius partem. Nec enim prophetæ dixerant fore, vt nemo ad Christum venire posset, nisi Pater eum traxisset; sed dixerant fore, vt Deus suos doceret, id est traheret; nec dixerant verbis ijsdem, sed eodem sensu. Quod dicit in prophetis scriptum esse, plerique putant in solo Isaia id reperiri. cap. 54.13. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Christus autem, aut Euangelista non verba, sed sensum citauit, *Erunt omnes διδακτοὶ τοῦ θεοῦ*: Itaque pluralem numerum Hebræorum idiomate pro singulari positum esse, *In prophetis*, id est in vno prophetarum, sicut *Habitauit in vrbibus Ammon*, id est in vna ex vrbibus. Alij ad plures prophetas referunt, qui non ijsdem verbis, sed sensu tamen eodem dixerant fore, vt homines à Deo docerentur, Ierem. 31.33.34. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum.* & Ezechiel. 11.19. & 18.31. & 36.25.26. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*, & Ioelis 2.28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem.* Pondus habet, quòd dicit scriptum esse, quasi dicat negari, aut ignorari non posse, esse enim prophetarum litteris consignatum, quod plus est quam si simpliciter dictum esse dixisset à prophetis. Plus enim auctoritatis scriptis, quàm verbis adhibetur. Sic dixit. c. 5.47. *Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis creditis?* Quod sequitur, *Et erunt omnes docibiles Dei.* Græcè est, καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, Erunt omnes docti Dei. Quod etsi contendunt quidam plus esse, quàm μαθητὰς εἶναι τοῦ θεοῦ, discipulum esse Dei, nempe reipsa à Deo doceri; aut doctum esse, idque verbum ipsum διδακτὸς videtur declarare: tamen ego Hebraicam, aut Caldaicam phrasim esse arbitror מלמד יהוה doctus Dei, id est discipulus Dei, quod plus est, quàm docilem esse Deo, paulo verò minus, quàm doctum esse. Quod intelligens fortasse noster interpres neque dociles, neque doctos, sed *docibiles* vertit, non eos significans, qui doceri possunt; sed eos, qui doceri tanquam discipuli à Deo debeant. Maluit parum Latinè, quàm parum fideliter sensum exprimere. Nec enim declaratur his verbis, meo quidem iudicio, quid aut fiat re ipsa, aut fieri ab hominibus possit, hoc est aut ipsos re ipsa à Deo doceri, aut doceri posse; sed quid Deus tempore Euangelij, quantum in ipso erat, facturus esset, & quid inter legem nouam, & veterem interesset, quòd in veteri homines per prophetas, per sacerdotes, per scripturam; in noua per Spiritum sanctum potissimùm docerentur, vt ex Ierem. &. & Ezechielis testimonijs perspicuum est. *Ipse*, inquit, *vos docebit omnia*; & rursus, *ipse vos docebit omnem veritatem.* Omnes nimirum dato, effusoque in corda hominum Spiritu sancto doctus erat. Itaque superuacaneus eorum videtur labor, qui multis verbis hoc loco disputant, quomodo omnes à Deo doceantur, aut omnes discipuli Dei sint, cùm tam multos videamus ne ab hominibus quidem doctos in ignorantiæ tenebris remanere. Docentur omnes à Deo, quantùm in ipso est, sicut *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Docentur omnes à Deo, quòd attinet ad legis Euangelicæ conditionem, quæ eius naturæ est, vt in corde potiùs, quàm in charta, & atramento consistat; & ab Spiritu sancto potiùs, quàm ab vllo alio magistro imprimatur animis. *Non necesse habetis*, inquit Ioannes, 1. epistola capite 2. 27. *vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.* Ad hunc ferme modum Leontius, τοῦ πάντας θεὸν τῶν πλείστων εἰρῆσθαι, ἵνα πάντως τοὺς βουλομένους. Quæ eadem sunt Chrysostomi, & Ammonij verba in Catena Græcorum, ex quo sumpsisse Leontium credendum est, Theophylactus ex eodem quidem sumpsit, sed secundam tantùm interpretationem, πάντες, τῶν ἐσπουδακότων βουλομένων, *omnes, hoc est qui volunt.* Hanc interpretationem multo magis probo, quàm illam Augustini. Doceri omnes à Deo, non quia omnes doceantur, sed quia ex omni hominum genere doceantur aliqui, aut quòd ne ex ijs, qui docentur, non ab eo doceatur, de quibus diximus capite 1. verb. 9. Si quo modo præter eum, quem modò diximus restringenda sententia est, ad eos restringenda est, qui sunt in Ecclesia. De ijs enim propriè apud Isaiam Deus loquebatur, ij soli docentur, qui ad Ecclesiam, id est ad scholam Dei venire volunt. Qui extra hanc sunt scholam, aut vocem Dei non audiunt, aut non intelligunt. Rectèque Hilarius solos discipulos Christi, qui in eadem cum illo naui erant, intellexisse ea, quæ ab ipso dicebantur, cæteros, qui extra erant in littore, non intellexisse, Matthæi 13. 2. Omnes ad scholam vocantur. *Venite Filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Qui non veniunt, propterea non veniunt, quia nolunt; quare, si non docentur, eorum est culpa.

Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.) Quasi dicat, Omnis, qui à Patre docetur, venit ad me. Hoc enim est audire, & discere à Patre, ab eo doceri. Perinde ergo est, ac si diceret, nemo venit ad me. Consultò videtur duo coniunxisse verba audire, & discere, quia non omnes, qui audiunt, discunt,

Inf. c. 14. 26. & 16. 13.

Sup. c. 1. 9. Quomodo à Deo doceantur omnes.

Cap. 13. in Matth.

Psal. 33. 12.

vt Am

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt Ammon.& Theophylactus obseruarunt. Omnes enim audiunt. *In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, & *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; & *Sapientia foris prædicat; in plateis dat vocem suam*; sed non omnes discunt, quia discere est credere, & non omnes volunt credere. Adnotauit hoc ipsum Leontius. *Audit* potiùs dixit, quàm videt, sicut dixerat, cùm de Filio loqueretur ver. 40. *Omnis qui videt Filium, & credit*, quia illic de miraculis agebat, ex quibus Christus cognoscebatur; hic agit de doctrina. Miracula autem videntur, doctrina auditur. Multis autem modis Deum in auribus animi nostri loquentem audimus, de ea enim hic voce agitur, quæ animi, non de ea, quæ corporis auribus hauritur. Primùm audimus, cùm ratio ipsa nos docet aliquid, quod ad ipsum pertineat, deinde cùm nobis intus ipse reuelat, quod ratione consequi non poteramus, qualis illa fuit extra facta reuelatio, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est*. Obseruauit hoc Didymus grauis in primis auctor in Catena Græcorum.

Psa 18. 5. Rom. 10. 18. Sup. c. 12. 9. Prouer. 1. 20. & 8. 1.

Quàm multis modis loquatur nobis Deus audire possumus.

Matt. 16. 17.

46. *Non quia Patrem vidit quisquam.*) Quid visio cum auditione commune habet? Non enim dixerat, Omnis, qui videt Patrem, & didicit, venit ad me, sed *Omnis, qui audit, & didicit*, & possumus audire, quem non videamus. Scilicet ne existimarent se de auribus loqui corporis, aut de voce Dei corporea docet Deum corpoream vocem non habere, cùm spiritus sit, qui corporis sensu percipi non possit, hoc est videri non posse; quemadmodum Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius interpretantur. Putant etiam Cyrillus, & Leontius in commentarijs, & Theodorus Heracleensis in Catena Græcorum citatus Christum, cùm dicit, *non quia patrem vidit quisquam*, ad Mosem alludere, quem Iudæi existimarent vidisse, & audisse Deum. Se igitur tacitè Mosi opponere; tanquam dicat, non Mosem, sed se vidisse Deum. Noluisse tamen Mosem nominare, ne Iudæos in eo confidentes offenderet. Quomodo Patrem nemo viderit, cap. 1. 18. disputauimus.

Nisi is, qui à Deo est; hic videt Patrem.) Se intelligit, qui per æternam generationem à Deo est. Exscribam hoc loco, quæ apud Ammonium, & apud Theodorum Heraclææ Episcopum lego, quia ad confirmationem Catholicæ pertinent fidei. ὁρᾷ ὁ μόνος υἱὸς πατέρα inquit Ammon. ὃν ἐξαίρετον παῖδα, καὶ μόνον ὄντα ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός, id est *solus Filius Patrem videt, vt pote qui supra res omnes emineat, & solus ex substantia sit Patris*. Theodorus verò sic, εἰ δὲ μόνος ὁ υἱὸς ὁρᾷ τὸν πατέρα, ἔξω τῶν πάντων ὤν, καὶ ὑπερ πάντα, καὶ ἐπάνω πάντων, *si autem solus filius videt Patrem, extra omnia est, & super omnia, & supra omnia.*

Tract. 26.

Quid est quod ait, inquit Augustin. *Ego vidi Patrem, vos non vidistis Patrem: & tamen non venitis ad me, nisi trahamini à Patre? Quid est autem nobis trahi à Patre, nisi discere à Patre? quid est discere à Patre, nisi audire à Patre? Quid est audire à Patre, nisi audire verbum Patris, id est me? Ne forte ergo cum dico vobis, Omnis qui audiuit a Patre, & didicit, dicatis apud vos, sed nunquam vidimus Patrem, quomodo ergo discere potuimus à Patre? A me ipso audite.* Videtur Augustinus existimare, idem esse a Patre audire, & Christum, quasi Patris vocem audire; sed Christus ipse haud obscurè distinguit.

47. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.*) Non satis apparet quorsum hoc dicat. Redit, vt mihi quidem videtur, ad thesim, quam ver. 40. proposuerat, *vt qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam*. Nam quæ medio interuallo dicta sunt, quasi per parenthesin dixit, vt causam redderet, cur sibi non crederent, quòd nimirum à Patre doceri nollent. Quam causam cum exposuisset, redit ad eandem propositionem, eamque quasi adhibito iureiurando magis affirmat, *Amen, amen dico vobis*. Sciebat Christus, inquit Cyrillus, Iudæos homines esse rudes, ac ne prophetarum quidem testimonijs satis credere; ideo adhibito quodammodo iureiurando conatur ad fidem trahere. Quomodo qui credit in Christum habeat vitam æternam cap. 3. 15. disseruimus. Habere autem non habiturus vitam æternam dicitur, qui in Christum credit, quia quamuis vitam iam æternam non habeat, ius ad illam habet. *Ianua & via ad vitã æternam*, inquit Cyrillus, *fides est*, itaque quisquis credit, intra ianuam est, si velit, saluus esse potest, qui verò non credit, longè à vita æterna abest; etiamsi velit, nisi ad fidem prius venerit, saluus esse non poterit.

Libro 9.

Ianua & via ad vitã æternã fides.

48. *Ego sum panis vitæ.*) Quia dixerat fore, vt qui in se crederet, haberet vitam æternam, eius rei rationem reddit, quia nimirum ipse est panis, qui hominibus vitam præstat, hoc est, *panis vitæ* Hebraica phrasi, id est panis viuificus, vide quæ diximus ver. 35.

49. 50. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.*) Putat Euthymius redire nunc Christum ad superiorem illam disputationem ver. 31. *Patres nostri manducauerunt manna in deserto*, & ver. 32. *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Eam enim nunc persequitur disputationem, exponit, atque probat, quod illic dixerat, non manna, quod Moses illis dederat, sed se, quem Pater de cælo miserat, verum, ac cælestem esse panem. Id ex effectu vtriusque panis probat genere argumenti efficacissimo: quòd manna vitam edentibus dare non potuerit; qui enim eum panem ederunt, esse mortuos, hunc verò panem, quem ipse daturus sit, qui comederit, non esse moriturum. Quòd non dicit absolutè, *Patres vestri manducauerunt manna*, sed addit, *in deserto*, ideo Theophylactus fecisse putat, vt indicaret ne illum quidem corporeum cibum nutriendis tantùm corporibus longo tempore sufficisse, sed tantisper dum in deserto versati sunt. Potest & hanc habere vim, vt significet eiusmodi fuisse panem, vt non alibi quàm in deserto, vbi omnis cibi erat inopia, fuerit appetendus. Quibus duobus modis panis illius dignitas extenuatur. Potest etiam augeri, vt sit sensus patres quidem vestri manducauerunt manna in deserto, vbi maius miraculum fuit eum panem suppeditare posse, vt ver. 31. explicauimus, sed illum ipsum panem tanto factum miraculo, qui comederunt, mortui sunt. Quod autem adiungit, *Hic est panis de cælo descendens*, se ipsum intelligit, de quo paulò ante dixerat, *Ego sum panis vitæ*, sed loquitur per tertiam de se personam, aut modestiæ causa, aut vt hunc illi, id est præsentem præterito maiore vi orationis opponeret. Simile est exemplum ver. 50. Cum dicit, *vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*; particula *vt* duplicem vim habere potest, prout ad vnum è duobus verbis potest referri. Si referatur ad verbum *descendens*, hunc sensum efficiet, *Hic est panis*, qui propterea de cælo descendit, vt quisquis ex eo ederet, non moreretur. Si referatur ad aliquid quod videtur intelligi oportere, vt, *Hic est panis de cælo descendens*, eiusmodi nimirum, *vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*, nemo non

videt

videt diuersum esse sensum. Quem ego sensum idcirco magis probo, quia etsi vterque verus est, hic videtur esse ad id, quod agebatur magis accommodatus. Nec enim id agebat Christus, vt doceret quam ob causam panis ille de cælo descendisset, sed vt ostenderet quid inter vim, atque naturam huius, & illius panis interesset, quod ille ne vitam quidem corpori vltra constitutam à natura tempus dare posset; hic vitam æternam animis etiam tribuat. Explanauimus singula verba horum duorum versuum; tota nunc sententia declaranda, quæ in vulgaris quidem illius, sed difficilis admodum quæstionis explicatione sita est. Quomodo verum sit eos, qui manna comederunt, mortuos fuisse; eos verò, qui hunc panem, quem Christus pollicetur, comederint, non esse morituros. Cùm enim duplex sit mors, corporis, & animæ; si, quidem de morte corporis agitur, illos, qui manna comederunt, mortuos quidem esse; sed etiam mori eos, qui corpus Christi, quod panis hîc de cælo descendens appellatur, siue in sacramento, siue extra sacramentum, alio quocunque modo comedunt. Si de morte animæ, nec eos omnes, qui manna comederunt, esse mortuos; nec omnes, qui corpus Christi edunt, non mori. Nam Mosem quidem, Aaron, & Iosue manna comedisse, sed tamen mortuos animo non fuisse; & multos ex ijs, qui corpus Christi comedunt, mori testari D. Paulum 1. Corinth. 11. 30. *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Latini omnes auctores, si minùs quæstionem explicant, tamen omnes tractant; Græcos miror homines alioqui perspicaces, non nisi vnum, aut alterum leuiter attigisse. Tribus modis responderi solet, primum non comparari panem pani, sed personas personis. Nam quòd attinet ad vnum, & alterum panem neutrum, neque manna, nec istum, quem Christus pollicetur vitã corpori dedisse; vtrosque enim mori, & qui illum tunc comederunt, & qui istum nunc comedunt; vitam verò animi, si non rectè sumant, neutrum; si rectè, vtrumque præstare. Differimen igitur nó rerum, sed personarum esse; quòd qui manna illud comederunt, plerique male comederunt, nihil aliud in eo, quàm corporeum cibum intelligentes; propterea spiritualiter fuisse mortuos: si bene, & spiritualiter comedissent, credentes se non corporeum tantùm cibum, sed etiam spiritualem, nempe corpus Christi comedere; morituros non fuisse spiritualiter. Hanc vim habere verbilla *patres vestri*, id est quibus vos similes estis, hominnes improbi, & increduli *manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt*. Nam Moses, Aaron, & Iosue, & si qui alij viri sancti manna illud ederunt, & mortui non sunt, ij patres vestri non erant, nostri erant, itaque de illis D. Paulus dicit 1. Corinth. 10. 3. *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducauerunt.* In hanc sententiam interpretatur Diuus Augustinus tract. in Ioann. 26. & qui eum secuti sunt, multi, vt Beda, Strabus, aut quisquis auctor est glossæ, quam vocant ordinatæ, &, vt videtur Rupertus. Refutatum hoc ab alijs posterioribus auctoribus est; manifestum esse Christum hoc loco non de personis, sed de rebus agere; nec nos cum antiquis illis patribus, sed panem cælestem quem ipse promittebat, cum manna conferre. Deinde de patribus Iudæorum in vniuersum agere: cum enim Iudei dixissent, *Patres nostri manducauerunt manna in deserto sicut scriptum est, Panem de cælo dedit eis manducare* ver. 31. Christum ad ea Iudæorum verba alludentem respondisse, ver. 58. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt.* Iudæi autem de omnibus patribus suis

locuti fuerant, ergo & Christum de omnibus loqui. Rem ego tam perspicuam esse arbitror, vt multis argumentis opus non sit. Hoc dico, persuasum me habere D. Augustinum, si nostra fuisset ætate, longè aliter sensurum fuisse, hominem omni hæreticorum generi inimicissimum, cùm videret ad eundem fere modum Caluinistas & hunc, & illum D. Pauli locũ interpretari. Meliùs alij respondent, panem cum pane, nó quocunque modo, sed vi, & natura sua comparari, agi autem de sola vita, & morte animæ, non corporis. Quo sensu nulla sit in quæstione difficultas. Nam etsi non omnes, qui manna manducauerunt, mortui sunt spiritualiter animæ morte, tamen quòd animo non morerentur, id eos non ex esu mannæ, sed alia ratione fuisse consecutos, quia nimirum vna cum manna Christum, qui per manna significabatur, fide cum caritate coniuncta sumpserunt. Etenim si solam vim, & naturam mannæ consideres, neminem vinificasse, sed omnes mortuos esse. Contrà verò, quamuis multi moriantur, qui corpus Christi sumpserũt, tamen non propterea mori, quia sumpserunt, sed quia, vt ait D. Paulus, malè indigneque sumpserunt, aut quia si dignè sumpserũt, in eo statu non perseuerarunt, sed, vt ait Petrus tanquam *canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti*, ad peccata redierunt: corpus Christi per se vim habuisse in perpetuum illos vinificandi. Vera hęc est sententia, sed non credo verum sensum huius loci esse. Duo igitur in ea desidero, alterum quòd de sola morte animæ agi putet, quod ego ideo probare non possum, quia nó dubium est voluisse Christum ex effectu, tanquam ex re euidenti conuincere Iudæos: non autem conuicisset, si de sola morte animæ egisset. Quo enim modo probare illis poterat patres ipsorum animo fuisse mortuos: corpore autem mortuos fuisse negare illi non poterãt. De morte igitur corporis agit. Alterum est, quòd huius sententię auctores nolint hîc de corpore Christi agi sumpto per sacramentum. Quod paulò post ver. 53. sumus refutaturi. Credat interim lector, aut si non credit, ex illo loco discat vtroq; modo de corpore Christi agi, & in sacramento, & extra sacramentum sumpto. Verè mihi videntur quæstionem explicare, qui respondent agi simul hoc loco de morte vitáque corporis, & animæ. De morte quidem corporis, cùm Christus dicit ver. 48. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt*, de morte verò animæ, cùm dicit ver. 50. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Itaque sensus est, manna non potuisse dare vitam corporis, hunc autem panem dare vitam animę, quod multo maius sit. Miror hanc sententiam hominibus non mali iudicij ideo non placuisse, quòd non intellexerint, quomodo diuerso genere mortis, ac vitæ vnus panis cum altero conferatur. Atqui in eo meo quidem iudicio nó solùm sententia, sed vis etiam, & elegantia tota consistit, quòd non in eodem genere, sed in minore, maioréq; comparentur. Manna non potuisse vitam dare corporibus, quod minus erat, panem hunc, quem Christus promittit, vitam etiam animis dare, quod longè maius est. Hæc est quæ in his verbis occulta latet argumentatio à minore ad maius per negationem, & à maiore ad minus per affirmationem. A minori sic, Manna non potuit vitam dare corporibus, quod minus est, ergo multo minus poterit vitam ęternam animis dare, quod est maius. A maiore hoc modo, Panis hic qui de cælo descẽdit, dat vitam animis æternã, quod est maius, dabit igitur vitam corporibus, quod est minus: cúmque ex effectu ęstimari panis debeat, multo melior, magisque expetendus

1. Corint. 27. 29. 30.

2. epist. c. 2. 22.

De morte vitaque corporis, & animæ hic agi docet.

hic

Universidad de Deusto
Biblioteca

Salet Christus comparationem in genere diuersa instituere.

hic panis, quàm manna est. Gratia verò in hoc cernitur, quòd in genere diuerso comparatio fiat, q̃ sæpe monuimus Christum facere solere, vt Iudæos carnales homines à rebus corporeis ad spirituales traduceret. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. 8. 22. alteros mortuos animo, alteros corpore vocauit. *Et omnis, qui biberit ex aquâ hac sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum:* priore loco de aq̃ corporea, secundo de spirituali, itémque priore de siti corporis, secundo de siti animæ loquitur, supra c. 4. 13. Eodem modo illud explicauimus Matt. 26. 29. *Non bibã amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illũ, cùm illud bibam vobiscũ nouum in regnõ patris mei.* Altera in hac ipsa explicatione quæstionis quæstio reliqua est, an Christus intelligat panem illum quem pollicetur soli animæ, an animę simul & corpori vitam dare: Huius quidem sententiæ auctores de sola vita animæ hoc intelligunt; sed quor erit sensus, & loco magis cõgruus, si de vita etiã corporis intelligamus, quasi dicat manna solam vitã corporis dare non potuisse; hunc verò panem non solùm corporis, sed etiam animæ vitam dare. Hoc confirmat quòd statim Christus dicat, *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Sed explicandum camẽ est, quomodo hic panis animo, quomodo corpori vitã præbeat. Animo quidẽ quomodo præbeat, non difficilè intelligitur, siue in sacramẽto sumptũ; siue extra sacramentum per fidem, & caritatem apprehensum, cùm enim Christus ipse vita sit, necesse est, vt eorum animos, quantum in ipso est, gratia viuificet, à quibus sumitur, vt Leontius interpretatur. Si quis obiciat non omnes, qui corpus Christi siue in sacramento, siue extra etiam rectè sumunt, vitam æternam cõsecuturos: quot enim quotidie videmus homines rectè credere, bene viuere, sanctè corpus Christi sumere, posteà aut Ecclesiã Catholicam deserentes, aut in ipsa Ecclesia Catholica mutatis in prauum moribus, sine pœnitentia mori, atque damnari? Omnes in hoc auctores consentiunt, esse hoc de corpore Christi, quantum in ipso est, intelligendum, quòd enim aliqui animæ mortem subeant, id est damnentur, id non defectu corporis Christi, sed ipsorũ culpa fit, qui, vt diximus, aut corpus Christi digne nõ sumunt, aut posteaquã digne sumpserunt, vitam, & gratiã, quam ex illo hauserant, nouis perdunt peccatis. In hoc igitur comparatio versatur, quòd manna natura sua non dabat vitam corporis, nisi ad breuissimum tempus, interim dum consumebatur, digerebatúrque, ideóq; immortales homines reddere nõ poterat. Hic autem panis natura sua vel semel sumptus vitam præstat æternã, ita vt qui eum edunt, nisi ipsi sese velint occidere, nunquã sint animo morituri. Loquimur autem de morte animæ metaphorica, id est de condemnatione, quam Ioannes mortem secundã appellauit. Nam morte quidẽ naturali etiam impiorum animæ immortales sunt. De vita corporis maior est quæstio, quemadmodum corpus Christi corporibus nostris eam tribuat, cùm non minùs nos, quam illi, qui manna olim comederunt, corpore moriamur. Quemadmodũ animi, ita etiam corporis duplex est vita, altera spiritualis, & metaphorica, duplex item mors altera alteri vitæ respondens. Vitam naturalem corporibus non magis Christi corpus, quàm vetus illud manna tribuit, quãuis posset natura sua tribuere, si vellet. Sed morimur omnes, quia *statutũ est omnibus hominibus semel mori.* Vitam spiritualẽ, id est fœlicem illã, atque beatam immortalitatẽ, quam beatorũ in cælo habebunt corpora manna non dabat, corpus Christi dat, idque duobus modis, primùm, quia dum vitã, id est gratiã animo tribuit, tribuit illi pignus, & veluti initium quoddam beatitudinis, quæ vita æterna nominatur. Beatitudo autem animi redundat in corpus, sicut & merita illius in illud redundauerant, vt docet Augu. in epist. ad Dioscor. 56. Deinde quia corpus Christi cùm propter hypostaticam cum diuinitate coniunctionem vitam in se infinitam & diuinã habeat, eam cõtactu suo corporibus nostris ingenerat, cùm illud re ipsa in Eucharistiæ sacramento sumimus. Itaque semen corporibus nostris quoddam immortalitatis imprimit, quo posteà, non quouis modo, sicut damnatorum corpora, sed peculiari quodámodo resurgant, ad eum nimirum modum, quo corpus ipsum Christi resurrexit, non ad mortẽ secundam, id est ad supplicia, sed ad beatitudinem, & vitã æternam. Hoc sibi, vt opinor, veteres illi auctores voluerũt, cùm ex eo probarũt corporum nostrorum resurrectionem, quòd carnẽ Christi in Eucharistia comedissent. Quo argumento Ignatium vsum legimus in epistola ad Ephesios, dum vocat corpus Christi in Eucharistia φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, medicamentum immortalitatis, antidotum cõtra mortem, itémque Irenæum lib. 4. c. 34. & lib. 5. contra Valent. Tertull. in libro de resurrectione carnis, & Cyprianũ in lib. de cæna Domini, Gregorium Nyssenũ in oratione Catechetica cap. 38. Cyrillum Alexandrin. lib. 4. cõment. in Ioan. c. 14. & 15. & lib. 10. cap. 13. Apollinariũ in Græca Catena citatũ. Docet Irenæus, quemadmodum in grano frumenti vis quædam genitalis est, qua iactum in terrã, atque putrefactum germinat, sic prorsus ex corpore Christi vim quãdam veluti seminalẽ corporibus nostris accedere, qua etiã in puluerem redacta resurgant, & quodammodo renascantur. Docet Gregorius Nyssenus, sicut modicum fermentum totam massam calefacit, atque in aliam quodãmodo naturam meliorem, præstantioremque transmutat, ita corpus Christi à nobis sumptum carnem nostrã ex mortali immortalẽ efficere. Describam Apollinarij verba, vt hæretici manu etiam scriptis auctoribus confutentur, ὡς ἕν σπέρμα λαμβάνει τὸ λόγον θεοῦ πρὸς ἀειζωΐαν ζωήν, οὕτω μὴ διὰ τῆς σαρκὸς ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἄγεσθαι τὸ ἐκ τῆς μαρίας σῶμα, καθ' ἑαυτὸ ὂν θνητὸν καὶ φθαρτόν, καὶ ἀναλλοίωτον μένειν, τοῦτο δὲ ἀθάνατον, καὶ ἄφθαρτον, καὶ ἀναλλοίωτον· ἡ γὰρ ζωοποιὸς δύναμις οὐκ ἐργάσεται, εἰ τὸ προσλαβὸν εἰς ζωὴν διὰ τῆς ἀναπλάσεως οὐκ ἔσται ἁγιασμοῦ καὶ πάσης μεθέξεως ἀναδεχόμενον ἀναπλάσεως καὶ ἀφθαρσίαν.

51. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*) Vide quæ diximus versu 33. & 35. & 50. Sæpe enim hæc eadem repetit verba, quòd in eorum intellectu momenta salutis nostræ versentur. Agebat cum hominibus incredulis, qui ne tam sæpe quidem repetita, explicatáque crediderunt. Cyrilli hæc verba sunt. *Eadem ad vos dicere Paulus ait & vobis tutum, & mihi non molestum, ab ipsis, vt puto, Christi verbis ita perdoctus. Nam quemadmodũ eruditi ati vulnerum non viuũ, sed varia tricissim remedia conferuntur, neque semel, sed frequenter appositis remedijs molliuntur sic duro animo varia quædã, & frequens accõmodanda doctrina est.* Volebat etiã Christus, vt Euthym. existimat, ipsa iteratione verborum auditores prouocare, vt eum de eorum sensu interrogarent. Putat Leontius panem hîc appellari τὸν λόγον θεοῦ τροφίμως τὴν ψυχήν verbum Dei, quod animam nutrit. Sed melius idem auctor posteà, & Ammonius, Chrysostomus, Theophylactus, Cyrillus de carne Christi interpretantur, & ea quidem in Eucharistia nobis data. Statim enim sequitur, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.) Vide horum verborum explicationem versu præcedenti.

An Christus hunc panẽ intelligat animæ simul & corpori vitã dare.

Ioan. 14. 6.

Quomodo corpora vitã tribuat corpus Christi.

Ad Heb. 9. 27.

Et panis

Et panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.) Græca exemplaria legunt, καὶ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Sic etiam Theodoritus in commẽtar. in cap. 11. Ieremiæ, Cyrillus, & Græcus Theophylactus legunt, & codices Græce manuscripti, quos viderim omnes. Chrysostomus tamen non videtur legere, nisi semel, *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, eodémque modo Latini omnes auctores legunt, Cyprianus libro de oratione dominica, Augustinus, & Beda. Sensus idem. Nam si quidem secũdo loco verbum *dabo* non legitur, necessariò ad cõformandam sententiam videtur intelligẽdum. Clarius dicit, quod ante dixerat obscuriùs. Superiùs se frequenter panem appellauerat; cur se panem vocauerit, exponit, propter carnem suam, quam nobis edendam ad modum panis daturus erat, quæque in cruce commolita veluti frumentũ, vitam, quantum in ipsa esset, omnibus hominibus datura erat, quod proprium est panis. Sic intelligẽdum, quod Euthymius dicere videtur, priùs Christum de sua diuinitate locutũ; nunc de sua loqui humanitate. Non enim significat priùs non egisse de carne sua, cùm se panẽ appellauit; sed cùm dixit descẽdisse de cælo, de diuinitate locutũ fuisse, secundum quam diceretur de cælo descendisse; nunc autem explicare, quomodo sit panis, nempe quia homo, quia caro est. Panis enim est, quatenus homo; vitæ, id est viuificans, quatenus Deus est. Nam propter coniunctionem hypostaticam cum diuinitate, vt ait Cyrillus, caro Christi vim habet viuificandi. Verbum *dabo* priore loco omnes veteres, & boni auctores de Eucharistiæ sacramento intelligi volunt; à qua sententia qui discedunt, si hæretici sunt, malignè; si Catholici, temere mihi facere videtur. Sed de ea re sæpe diximus nos ver. 53. esse copiosè disputaturos. Hoc nũc dicimus, vt de spirituali extra sacramentũ sumptione intelligi possit; tamen negari nisi impudenter nõ posse, de sacramẽto potissimùm intelligi oportere. Nã si proponatur verborum sequamur, eo ipso quòd non dicit se totum vt ante, sed carnem suam panem esse dicit, ostẽdit se de ea sumptione agere, qua licet totum à nobis sumatur Christus, tamen caro eius proprio, & peculiari quodam modo dicitur sumi; Christus, propter carnem. Ea non est alia, quàm sumptio per sacramentum. In qua quemadmodum nõ totus proprièque Christus, sed sola Christi caro specie panis significatur, ita nõ totus Christus per se, ac propriè, sed caro Christi sumitur; totus autem Christus per consecutionem quandam, quam concomitantiam Theologi vocant. Hoc enim interest inter sumptionem Christi per sacramẽtum, & extra sacramentũ; quòd in sacramento sub specie panis solum Christi corpus per se sumitur. Christus autẽ totus propter corpus; extra sacramentum autem per se sumitur totus Christus, corpus autem Christi propter Christum. Cum enim fide Christum apprehendimus, nõ fingimus fidem primùm in corpus, sed in Christum, deinde in singulas eius partes. Quemadmodũ cum videmus hominem longè cognoscimus, nõ priùs singulas partes, deinde totum ipsum hominem; sed priùs totum hominẽ, post singulas cognoscimus partes. Deinde cùm dicit Christus, *panis quem ego dabo*, haud dubium, quin verbum illud *dabo* significet dare ad manducandum, quorsum enim panis datur, nisi vt edatur? de ea igitur sumptione intelligendum hoc est, qua caro Christi maximè proprie editur. Hanc esse sumptionem sacramentalem ne ipsi quidem Zuingliani, & Caluiniani hæretici, qui corpus Christi in Eucharistia re vera esse negant, negare possũt. Quis enim neget, si modò non insanæ sit mẽtis, carnem Christi magis propriè vocari panem, & magis propriè edi, cùm nõ solùm fide, sed specie etiam panis sumatur; quàm cum sola sumitur fide? Secundo loco quid significet verbum *dabo*, minùs compertum est. Qua in re non magnopere repugnabo ijs, qui ad crucem referunt, in quibus Cyrillus, & Euthymius est, vt sit sensus, *panis, quem ego dabo ad mãducandum*, est illa ipsa caro mea, quam in mortẽ pro mundi vita daturus sum. Eò enim ipso, quòd bis dicit dare, indicat se de diuersis dandi modis loqui. Nec enim posterius prioris, vt quidam putant, explicatio est; sed potius probatio. Docet quippe carnem suam panem esse vitæ, quem se daturum dixerat, quia illa eadem caro pro vita totius mundi in cruce, quasi frumentum molenda, quasi panis pinsenda erat. Inde habet caro illa, quæ in sacramento sumitur, vt nos viuificare possit, quòd ipsa pro nobis in cruce mortua sit. Ex cruce omnis vis, omnis fructus, omne meritum eius est. Ex eo igitur quod priore loco agit de Eucharistia, sequitur in posteriore agere de cruce. Et ex eo quòd in secundo de cruce agit, debebãt homines sani iudicij intelligere priore loco agere de sacramẽto. Quòd si de eodem vtrumq; intelligendũ est, nõ de cruce profectò, sed de sacramẽto intelligendũ vtrumque est. Constat enim verbũ *dare* priore loco significare dare ad manducandũ eo ipso, quòd cũ pane coniungitur. In cruce non est data caro Christi ad manducandũ, sed ad patiendũ: in sacramento non datur ad patiendum, sed ad manducandum. Cùm ergo constet primum membrum de Eucharistia intelligi debere, si vtrumque de eadem intelligẽdum est. cõstat non primum de cruce: sed secundum sicut & primum de Eucharistia intelligendum esse. At in Eucharistia, dicet aliquis, caro Christi pro mundi vita non datur. Dicet quidem hoc hæreticus, Catholicus nemo dicet. Nã etsi in cruce pro mundi vita in sacrificium cruẽtum data est; etiam in Eucharistia pro eadem mundi vita in sacrificium datur incruentum, vt apud Matth. c. 26. 26. probauimus. Vtroque loco & pronomen, *ego*, & verbum *dabo* emphasim habet. Primo loco videtur se Moſi opponere. Dixerat ver. 32. *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo*, deinde dixit se panem illis de cælo datum esse; ait nunc, *panis, quem* nõ Moyses, sed *ego dabo, caro mea est.* Moyses enim carnem suam dare non potuit; & si dedisset, nihil profuisset. Secundo verò loco *ego dabo* significat Christum potestate, atque voluntate sua se ipsum in mortẽ tradidisse, à nemine fuisse coactũ. *Oblatus*, inquit, *est, quia ipse voluit*, Isai. 53. 7. &, *Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponẽdi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam* Ioan. 10. 17. 18. Opportunè hoc Euthymus adnotauit, & fide, & iudicio haud paulò meliore, quã hæreticorũ interpres; qui conatur ex ijs verbis Eucharistiæ tollere sacrificiũ, quasi sensus sit, Ego solus non alius carnem meam in sacrificium dabo. Quod etsi verba minimè significant, tamen vt eam vim habere concedamus, nihil inde hæreticus probat. Concedimus enim solum Christum carnem suam in mortem tradidisse; nos eam non in mortem, sed in incruentum tradimus sacrificium. Deinde ille solus dedit; nos propriè non damus, sed ab eo datam reuerenter accipimus, & Patri in remissionem peccatorum offerimus. Isti homines scilicet ingrati, liberaliter & ad edendum, & ad sacrificandum à Christo datam, neque ad sacrificandum, neque ad edendum dignantur

Quid significet verbum dabo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipere, figura vmbráque contenti. Quod dicit *Pro mundi vita*, Leontius, & Theophylactus de resurrectione, id est de vita corporis interpretantur. Manifestum tamé est vitam animæ intelligi debere; sicut quod ante dixit, *vt si quis ex eo manducauerit, non moriatur*; & quod dicit paulò post; *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quamuis ex vita animæ, vt supra docuimus, vita quoque, id est beatitudo corporis consequatur. Quòd dicit, *mundi*, duplicem habet vim. Significat enim carnem Christi natura sua non solùm his, aut illis hominibus, sed toti etiam mundo vitam dare potuisse; & vt omnibus daret Christi fuisse voluntatem, quamuis nonnullis ipsorum culpa non dederit.

Pro mundi vita quid sit.

Vers. 50.

Vers. 53.

52. *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducãdum.* ἐμάχοντο, pugnabant. Hebraismus est הרב disceptabant inter se. Cùm se Christus panem frequenter appellasset, non disceptarunt, quomodo panis esse posset, qui homo erat; intelligentes aliquam latere in eius verbis metaphorã, simul atque exposuit, quo sensu se panem vocauisset, quòd carnem suam ad edẽdum daturus esset, offenduntur; incipiúntque disputare, qua id ratione fieri possit. Cùm enim carnẽ audissent, existimarũt ita eum de carne sua edẽda loqui, quemadmodum carnes cæteras, quibus vescimur, edi solet, quod ante propter absurditatem rei ne suspicati quidem erant. Quærunt igitur quomodo fieri id possit, aut potius quomodo Christus id possit facere, homo cum sit, &c, vt videbatur, abiectus. Hanc vim habent illa verba, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quæ non solùm dubitationem, sed etiam contemptum præ se ferunt. Hunc enim vocant, quasi hominem imporẽtem, & vilem. Quo ergo modo *potest hic dare carnem suam?* Nã vix alienam carnem dare posset. Et quomodo *ad manducãdum* dare potest? Nam in alios vsus, ad spectandum, ad tangendum, ad conseruandum dare posset. Et ad manducandum etiam vnam aliquam partem, aut totã etiam carnem suam, sed paucis hominibus dare posse intelligebant, toti verò mundo, id est vniuersis hominibus quomodo dare posset, non intelligebant. *Cuius illius personæ caro*, vt inquit Cyprian. in libr. Ser. ser. de cæna Domini, *si in fraudem pateretur, non omnis humano generi posset sufficere, quia semel cõsumpta videretur interisse religio, cui nequaquam vlterius victima superesset.* Coniecturam ego hinc nõ obscuram facio aliquod eos miraculũ ex verbis Christi animo finxisse de quo quærũt, *Quomodo potest hic nobis carnẽ suã dare ad mãducandum?* Scimus id sine miraculo fieri nõ posse, scimus eũ miracula facere solere, vidimus nuper panes in quinque millia hominum frãgendo, distribuendóque multiplicasse, carnem autem suam quomodo, quo miraculo multiplicabit? quomodo efficiet & vt eam omnibus tradat, & habere ipse nõ desinat? Itaque non sequor interpretationem eorũ, graues licet auctores sint, vt Cyprianus, & Augustinus, qui existimant in eo Iudæorum versari dubitationem, quòd absurdum, ac nefarium putarent humanis vesci carnibus. Non enim dicunt. Quomodo eius nos carne vesci sine stomacho, sine impietate poterimus, sed *quomodo potest hic dare carnem suã*, & dare *ad mandu*cãdum, id est vt consumatur, vt digeratur (vt ipsi quidem intelligebant) & tamen ipse retineat? Aut si non retinebit, quomodo vi-uet, si non viuet quomodo dabit? *De Deo*, inquit Cyrillus, *non sine magna impietate cogitamus, nec in mẽtem venit nihil esse impossibile apud Deũ. Nam quod animales essent, vt ait Paulus, spiritualia intelligere non potestis.*

Libr. 4. c. 14. Luc. 1. 37. 1. ad Cor. 2. 14.

rant. Sed tam magnum mysterium fatuam quidam ipsis videtur esse. Nos verò magnum quæso ex peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus illud, Quomodo, aut cogitemus aut proferamus. Iudaicè enim nos vt hic ipse, & extremi supplicij causa. Ideo Nicodemus eum etiam dicebat, Quomodo hæc fieri possunt? merito audiuit, Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Aliorum igitur est dicimus, culpa perdoctis, cum Deus operetur non quæ nouit, Quomodo, sed operis sui viam, atque scientiam illis subtexat animis. Multis in hanc sententiam verbis Cyrillus eo loco disserit de aduerbio illo, *Quomodo*, contra Iudæos idem quæ Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus faciunt in commentarijs, & Gaudentius tractatu 2. ad Neophytos.

53. *Dixit ergo eis Iesus, Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* In hunc locum quæstionem sæpe illam reseruauimus, num quæ Christus in hoc capite de carne, & sanguine suo dixit, de Eucharistia velit intelligi. Eam prius quæstionem explicemus necesse est, quàm verba singula huius loci edisseramus. Ex eius enim quæstionis explicatione cætera pendent. Tractatum copiosè à multis hoc argumentum est, non solùm scriptis in hunc locum, vt nos facimus, commentarijs, sed proprijs etiam in scholis quæstionibus, & editis de ea re iustis in lucem libris. Quorum ego diligentia, & labore contentus iudicare potui laborem hunc meum non esse necessarium, nisi & locus ipse moneret me, vti eam, quæ ex eo nata est, quæstionem non præterirem, & viderem nonnullos etiamnum Catholicos cum hæreticis hac in re quàm non bene sentire malle. Accidit nobis commode quod ipsis etiam hæreticis inter se non conuenit. Nam Caluinus, & plerique eorum, qui eius se discipulos profitentur, ne cogantur confiteri Christum in Eucharistiæ sacramento carnem, & sanguinem suum, quæ admodum hic pollicetur, verè nobis dare, negant agi de sacramento. Alij contrà, vt probent vtramque sacramenti speciem populo necessariam, de sacramento hæc interpretantur, vt qui Vvicleffiani, & Ioannem Husium secuti sunt. Illi refutandi, his nobis respondendum est. Impediunt nos quo minùs acriter, ac vehementer in hæreticos inuehamur, Catholici quidam, qui nescio qua imprudentia se hæreticis iunxerunt. Neminem nomino, neminem violatæ accuso religionis. Scio Catholicos, scio doctos, scio religiosos, ac probos viros esse: sed minimè profectò vtilem, atque fidelem in hac re operam Ecclesiæ nauauerunt, quòd cõtra scripturę sensum, contra Patrũ omnium interpretationẽ, contra tacitũ, immo minimè tacitũ, sed satis, supérque explicatũ cõsensũ Ecclesię dixerint, atque cõtenderint hoc loco de sacramento non agi. Quod vt benignissimè dicam, est temerarium: grauiori búsque condemnarem verbis, nisi cõpertũ haberẽ homines bene Catholicos errore magis animi, quàm vitio in hæreticorũ sententiã impegisse. Ordiamur ab hoc ipso loco in quo versamur, *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quęso, si de sacramento Eucharistię agere voluisset, illudq; omnino depingere, quibus clarioribus verbis vti potuisset? Cur carnem, & sanguinem, cur esum, & potum distinxit? nisi quia de carne, & sanguine suis ad modum cibi, & potus, specie panis, & vini dandis loquebatur? Si nullum postea specie panis, & vini sacramẽtum instituisset, aliam quæreremus interpretationem, conaremurq; quocunq; possemus modo ad eius mortem, æcom-

modare

modare, nos per fidem eius manducare carnem, eius sanguinem bibere. Cùm autem sacramentum paulò post Eucharistiæ constituerit, vbi tam aperte, tam proprie manducamus, & bibimus, non intelligo cuius sit iudicij, atque prudẽtię, relictis quæ clara, quę propria, quę facilia sunt, obscura, metaphorica, difficilia cõlectari. Fingamus dixisse Christum, Nisi consepulti mecum fueritis, mecum nõ resurgetis; nemo profectò sanæ mẽtis homo id de sola Christi sepultura per fidem apprehensa intellexisset; sed intellexisset de baptismi sacramento, quod videret aliquã sepulturæ imaginem præ se ferre, quemadmodum postea docuit D. Paulus consepultos nos *cum illo per baptismum* esse dicens. Et tamen baptismus vix vllã refert imaginem sepulturę; Eucharistiæ verò sacramentum non expressa solum imagine, sed re etiam ipsa, ac veritate cibus, & potus est; cur ergo, quod Christus dixit, *Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis*, non de Eucharistiæ interpretemur sacramento? Solent respondere ad rationem illam primam, quibus animo semel hæsit cõtraria sententia, non propter-ea carnem, & sanguinem, cibum, & potum distinxisse Christum, quòd ageret de sacramẽto, sed quòd de morte sua, quam nisi omnes fide apprehẽderent, salui esse non possent: mortem autem separatione carnis, & sanguinis significari. Nouum non esse, vt eadem etiam res extra vllum sacramẽtum cibus simul, & potus per metaphoram appelletur. Etiã supra ver. 35. vbi de sacramento non agebatur, dixisse Christum, *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: qui credit in me, non sitiet vnquam.* Etiam sponsum dicere, Cant. 5. 1. *Comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite amici, & bibite & inebriamini*, tamen non agi de sacramento. Sapientiam etiam clamare, Prouerb. 9. 5. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*, & de sacramento non agere. Quasi verò id quisquam ignoret, aut neget fieri potuisse, vt Christus si nullũ corporis, & sanguinis sui sacramentum instituisset, illa eadem verba quę de instituendo postea dixit sacramento, de morte sua dixisset. Sed hoc dicimus non satis recte iudicij, cùm Christus sacramentum instituerit, in quo sub vero cibo, & potu veram carnem, & sanguinẽ suum nobis dederit, de morte interpretari, vbi metaphoricè manducatur, & bibitur. De sacramento autem, vbi verè mãducatur, & bibitur non interpretari. At hoc ipsum, dicet aliquis, probandum est verè in sacramento corpus Christi edi, & sanguinem bibi. Si Catholicus hoc obiicit, facile credenti probatum est, & licet nobis ex creditis id probare, de quo disceptatur. Si hæreticus, non est hic tempus, locúsque probandi, sed fingamus verè corpus, & sanguinem Christi in sacramento nõ sumi, vt hæretici volunt; certè hoc negare nõ possunt per verum cibum, ac verum potum sumi. Hoc igitur ipsum pertersi ingenij esse dicimus, cùm sit sacramentum, vbi verè manducando carnem Christi, & bibendo sanguinem sumamus, nõ de hoc sacramento, sed de morte Christi, vbi nihil proprie, ac vere mãducamus, aut bibimus, intelligere. Nam vt illis exemplis, quibus contra nos vtuntur, contra eos nos vicissim vtamur; profecto si sponsus ille, & cibus, & potus eadem est sapientia, communium aliquod apparet, vbi homines non solùm metaphoricè, sed etiam ac proprie ederent, & biberent, minimè videretur esse iudicij, qui non de eo ipso conuiuio verba illa interpretarentur, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini, & illa, Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Expendamus cætera, ac primùm

rorum ipsum genus orationis. Quis non videt esse sacramentale? Idem Christus ijsdem verbis, eadem occasione, cum ijsdem personis, id est Iudæis loquẽs dicit hoc loco, *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & cap. 3. 5. *Amen, amen dico tibi nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tam est igitur temerarium negare agi hic de Eucharistia, quàm illic agi de baptismo, quod soli hæretici negant, sed satis vt opinor, à nobis eo loco refutati, atque protriti.

Argumenta à Christo ducta, & Euangelistæ. Matt. 26. Luc. 22.

Consideremus Christi personam, qui est verisimile nunquam Christum vim fructúmque tanti sacramenti explicauisse copiosius, quam his verbis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur?* Illic enim tantùm dicit, quòd nobis tradat corpus suum, & sanguinem suum, quem autẽ ex eo fructum percepturi simus, aut nullo modo, aut vno tantùm verbo, eóque obscuro, & ambiguo declarat, *Quod pro vobis datur.* Quod si alicubi de huius sacramẽti fructu differuit, hic certè differuit, alius enim locus, vbi id agat, nullus est. Præterea quis sibi persuadeat Christum de hoc percipiendo sacramento re cum primis necessaria præceptum nullum tradidisse? Atqui si hic non tradidit, cùm dixit, *nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, nusquam tradidit. Nam quòd dicit in vltima illa cœna, *Accipite, & manducate, &, accipite, & bibite*, illis solis dicit, qui tum aderant. At dicit, *Bibite ex hoc omnes*, ergo omnibus etiam, qui non aderant, hominibus dicit. Sic hæretici exponunt, sed quantam in eo suam ignorantiam ostendãt apud Matth. cap. 26. 27. docuimus. Quod autem addit. *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepti formam non habet, tantum explicatur, quem ob finem, cum id fecerint, facturi sint. Deinde dubium non est Eucharistiæ & baptismi, cùm diuersa sint sacramenta, diuersa oportere esse præcepta. Quod si hæc verba de apprehẽdenda per fidem Christi morte intelliguntur, non aliud hic præceptum traditur, quàm vt baptizemur, excepto enim Eucharistię sacramento, nusquam melius Christi mortem, & per fidem, & per aliquod etiam extremum sacramentum, quàm cum baptizamur, apprehendimus. Ipse enim baptismus & professio quædam fidei est, & mortem sepulturam, & resurrectionẽ Christi etiam rebus externis nobis repræsentat. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismũ in mortem, vt quo modo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus*, Roman. 6. 4. Gala. 3. 27. & Colos. 2. 12. Atqui nemini puto venit in mentẽ dicere nos in baptismo carnem Christi manducare, & sanguinem bibere, quia etsi aqua in baptismo potabilis est, etsi caro & sanguis Christi fide illic apprehenditur, tamen nihil per modum cibi, nihil per modum potus sumitur. Nam illa ipsa aqua, quæ adhibetur, non ad potandum, sed ad lauandum adhibetur. Adde consuetudinem fuisse Christi maiora mysteria, antequã re ipsa fierẽt, insinuare, vt ad ea cum fierent, excipienda, intelligendáq; discipulos erudiret, assuefaceret, præpararet: cuius rei rationem reddere. *Vt cum factũ fuerit, credatis: Vt non scandalizemini: Vt eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Antequã baptismum institueret, dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Sp. sancto, non potest introire in regnum Dei.* Antequã moreretur sæpe discipulis dixit se tradendum esse, *& mitti ad illudendũ, & flagellandũ, & crucifigendũ*, tertiáq; die resurrecturum. Antequam in cælũ ascenderet dixit, *Mittam vobis Paracletum, & videbitis me, & vos videbitis me, quia vado ad Patrem.* Antequam mitteret Spiritũ san-

Matth. 26. 27.

Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. 25.

Christus materiam sacrificij sui tum insinuare antequã faceret. Infr. 14. 29. & 16. 4. Supr. c. 3. 5. Matth. 9. 15. & 17. 11. & 20. 18. & 26. 2. Infr. 16. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inf.14.16

ctum dixit, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletū dabit vobis.* Credendū profecto est & de Eucharistię sacramēto, quo vix maius vllū mysterium est autequā re ipsa institueret, disseruisse. Nam si nihil dum scientibus discipulis de improuiso dixisset, *Hic est corpus meum*, vtique exhortussent, aut certe dubitaßēt, interrogassentque quid ea verba sibi vellēt. Atqui nō exhorrescūt, nihil dubitāt, nihil interrogant; iam igitur Christū de ea re ante disseruerāt. Vbi quæso nisi hic? Conuertamus nūc animum ad Euāgelistę personam, hoc idem inde cōprobari reperiemus. Quis enim credat, Ioannē nihil prorsus in tam longo Euangelio de Eucharistiæ mysterio dixisse, cū hoc ipsū sibi proposuisse videatur, vt maxima quęque mysteria consectaretur. Atqui si hoc loco de Eucharistia non egit, nusquam egit. Est igitur verisimile more eum suo, quæ ab alijs Euangelistis de eā dicta fuerant, præterijsse, dixisse verō hoc loco ea, quæ fuerant prætermissa.

Argumētum à persona Euāgelistæ.

A persona Iudæorum, & occasione disputationis.

Denique & Iudęorū personā, & huius disputationis occasionem cōsideremus. Iudęi illi erāt homines increduli, qualis & Nicodemus erat c. 3. 1. Pane à Christo inter frangendū, distribuēdúmque multiplicato satiati fuerāt, panē iterū quærebāt. Ex ætate, Nicodemi occasionē Christus captauit, vt sub regenerationis metaphora de sacramēto baptismi, eiusq; necessitate disputaret, quemadmodum eo loco docuimus. Hic ex persona Iudæorū panē quærētium occasionē sumpsit, vt de sacramēto Eucharistię loqueretur. Illic itetū atq; iterū dubitāte Nicodemo, quo modo renasci homo senex posset; eadē iterum, atq; iterū repetiuit; hic nō solūm Iudęis, sed etiam discipulis dubitantibus quo modo carnē suam dare posset ad manducandum idem grauiter, constanterque respondet, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

A communis consensu Patrū.

Sed vt res esset ambigua, modesti non est ingenij, & Ecclesiasticis moribus, pietatéq; instituti, omniū veterū Patrum cōsensum, contēptim, fastidioseque repudiare, nō solū nō frangi, sed ne cōmoueri quidē eorū auctoritate. Nemini enim fere auctori bono malóue ante Lutherū venit in mentē, vt diceret hoc loco de Eucharistia nō agere. Si quis dubitat, Origenem legat, hom. in Numer. 16. legat Cyprianū in li. de cœna Domini in lib. de oratione dominica, & lib. 1. cōtra Iudæos c. 22. legat Hilariū lib. 8. de Trinitate legat Basilium in regulis moralibus reg. 21. c. 1. legat Chrysost. ho. 45. & 46. in Ioānem. legat Epiphanium hæres. 55. legat Ambros. lib. 4. de sacramētis c. 5. & li. 5. c. 1. & lib. 6. c. 1. & lib. 4. de fide c. 5. legat August. lib. 1. de peccat. mer. c. 20. & 24. & lib. 1. cōtra Iuli. & serm. 2. de verbis Apostoli: legat Hieron. in cōment. in c. 1. epistolæ ad Ephes. legat Theophylū li. 2. Paschali: legat Greg. Nyssen. in Ecclesiastē. & lib. de perfecto Christiani hominis forma: legat Cyrillum hoc loco: legat Theodorit. in Impatibili, & lib. 4. hist. Eccles. c. 11. legat Procopium in cōment. c. 33. Isai. legat Gaudentiū tract. 2. ad Neophytos: legat Maximū Taurin. in sermon. in illa verba Ps. 21. *Deus Deus meus respice in me*: legat Leonē serm. 6. de ieiunio septimi mēsis: legat Prosperū in illa verba Psal. 135. 25. *Qui dat escā omni carni*: legat Hesychiū lib. 6. in Leuiticū c. 22. legat Isidor. in li. de officijs Eccles. c. 18. legat Eusebiū Emissenū homil. 5. de Pascha: legat Cassiodorū in Ps. 109. legat Damascenū lib. 4. de fide c. 14. legat Bernardum ser. 3. in Psal. *Qui habitat in adiutorio Altissimi.* legat hoc loco Theophylact. Euthym. Rupertū, vt posteriores prætermittā. Testis etiā ego sū dē Leontium, idē Ammonium, Theodorū, Apollinarium, & auctores eos omnes, quos in Græca Cate-

Vers. 1.

na habui, sentire. Quidquid Concilia omnia quæcūque hunc locū citauere, de Eucharistiæ sacramēto intellexerūt: Ephesin. in epistola ad Nestorium, Tridentinū sess. 13. c. 2. & sess. 21. c. 1. Cōcil. Cabilon. 2. c. 46. & Concilium Sen. c. 10. Audacius nunc dico, quod dixi in principio, neminē sine temeritate posse à tot Patrib⁹ in re tam graui dissentire. Neq; equidē intelligo vbi Tridētini Concilij decretū valere debeat, ne quis contra vnanimē Patrū cōsensū scripturas sacras interpretetur, si hūc nō valet, vbi de re agitur inter nos, & hæreticos maximē controuersa.

At non omnes auctores, inquiunt alīqui, ita sensere. Quinam quæso aliter? August. & Innocētius, vt alios omittamus. Bene factū, quòd eos solūm auctores proferāt, quos quisquis legit, ignorare nō potest. Non solū eos sensisse de Eucharistia hoc loco agi, sed hoc etiā testimonio adductos fuisse, vt crederēt infantes etiā baptizatos, nisi Eucharistiam percipiēt, saluos esse nō posse. Quo ergo modo sētire potuerāt de Eucharistia hoc loco non agi, quam propter hūc solū locū, *Nisi māducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitā in vobis*, etiā infantibus necessariā esse ad salutē putauerūt? Sed vifantibus necessariā esse ad salutē putauerūt: Sed videamus, vbinā August. dicāt sensisse aliter. Libro, inquiūt 3. de doctrina Christiana c. 16. *Nisi māducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus*, inquit, *vel flagitium videbitis iubere, figura ergo est præcipiēs passioni Dñi esse communicādū, & suauiter atque vtiliter recōdendū in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata est.* Miror homines & Catholicos, & doctos, & ingeniosos qui hunc locum proferunt, nō adnimaduertere, aut nihil, aut nimium probare; nempe vere nos carnem Christi non edere, & sanguinē bibere: facinus enim vel flagitiū videtur esse. Quemadmodum igitur ex hoc testimonio probari nō potest Augustinū existimasse nos carnē, & sanguinē Christi vere nō sumere cūm ex alijs Aug. locis, vt ipsi fatētur maximeque ex ser. 1. in Psal. 33. perspicuū sit eum cōtra sentire: ita nō potest probari eum existimasse hīc de Eucharistia nō agi, cūm tā multis alijs locis probet ex hoc Ioannis testimonio Eucharistiam etiam infantibus esse necessariam, idque non vt opinionem suam sed vt fidei, & totius Ecclesię dogma ad refellendos Pelagianos dicat. Quid igitur sibi his verbis, quæ modo recitauimus, Augustinus voluit? Id ex Bernardo intelligemus, qui cum eodem modo, ac ijdem fere verbis interpretetur ser. 3. in Psal. *Qui habitat in adiutorio Altissimi*; tamen simul de Eucharistia intelligēdū esse docet. Solemus eas bestias, quarum edimus carnes, prius occidere, quàm edere. Ita Iudæi, quod Christus dixerat intellexerant debere se eum prius occidere, deinde eius carnem in frusta cōcisam, aut coctā, aut assam edere, hoc proculdubio facinus, & flagitium erat, figurā igitur mortis, nō veram mortem esse, non debere eos Christum vere occidere, sed eius occisionem sumēdo Eucharistiæ sacramēto figura quadam repræsentare, eiusque mortem suis moribus exprimere, non debere eos Christum occidere, sed se ipsos mortificare, facereque quòd se fecisse dicit D. Paulus, *Adimpleo ea, quæ desunt passionū Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Docet igitur D. Augustinus hoc esse genus mortis, quo occidere debemus Christum, vt bene, atque vt decet eius, vescamur carne, sanguinēmq; bibamus. Bernardi verba sunt. *Quid autem est māducare eius carnem, & bibere eius sanguinem, nisi communicare passionibus eius, & eam cōuersationem imitari, quam gessit in carne? Vnde & hoc designat illa action illud altaris sacramentum, vbi Dominicum corpus accipimus, vt sicut videmus*

illa panis forma in nos intrare, sic nouerimus per eā, quam in terris habuit cōuersationem ipsum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Credo locus Augustini satis intelligitur. Ad Innocentium veniamus; scribit in epistolis Augustini 93. *Illud vero, quod conversa fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmijs etiam sine baptismi gratia posse donari, perfectum est. Nisi enim manducaverint carnem filij hominis, & biberint sanguinem eius, non habebunt vitā in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videtur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum.* Deceptī his verbis sunt viri docti, & in eā impulsi sententiam, vt existimarent Innocentium hunc locum Ioannis non de Eucharistiæ, sed de baptismi sacramēto interpretari: partim quia vim argumenti, quo Innocentius vtitur, non comprehenderunt, partim quòd non animaduerterūt locum esse corruptum. Voluit Innocentius argumentari non posse infantes sine baptismo saluos esse, cùm sine Eucharistia salum esse nō possint, & Eucharistia sine præcedente baptismo non possit dari. Corruptum verò locum esse ex eo perspicuum est, quòd vix sensum vllum congruentem, ita vt legitur, habere possit. Vbi ergo est, *defendunt*, legendum est *deferunt*, & vbi est *nisi baptizate*, legendum puto, *sine baptizate*, & sensus est facilis atque perspicuus. Alios potuisse auctores maiore proferre specie probabilitatis. Origenē, lib. 1. contū, & alios nonnullos, qui hunc cibum, de quo Christus loquitur, eius verbum atque doctrinam interpretari solent. Sed facilis responsio, id nō proprie, & existimantes eum litteralem esse sensum, sed vt sæpe vereres illi auctores solent, allegoricè, & concionatoriè dicebant.

Alijs quoque argumētis, qui cōtraria sunt sentētia vti solēt, quorum nonnulla supra inter disputandū diluimus, alia tanquam leuia prætermittimus. Ea modo diluemus, quę putātur esse fortissima. Ex his vnum est, quòd toto superiùs eodem cap. Christus de sola spirituali per fidem manducatione loqui videatur, ver. 27. *Operamini*, inquit, *non cibum, qui perit*, ver. 29. *Hoc est opus Dei, vt credatis*, ver. 32. *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panē de cælo verum.* Pater autem non dicitur panē de cælo dedisse, quia Eucharistiam dedit, sed quia filiū suum misit, & in mortem tradidit. Et infra versu, 63. *Caro nō prodest quicquam; verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*, quod creditur apertissimum esse testimonium. Ad hoc vltimum illo ipso loco explicando respondebimus. Quòd attinet ad reliqua nō existimemur de spirituali intelligi manducatione; etsi ipsa grauissimi auctores Chrysost. Theophylact. Cyrillus de sacramēto etiam interpretantur. Sed nō eodem loco sequitur hoc loco de sacramento non agi. Docebat enim Christus auditores paulatim ad hoc mysterium, docens prius eos, quid facere deberent, vt panem verum cœlestémq; mererētur. *Operamini non cibum, qui perit, &, hoc est opus Dei, vt credatis.* Deinde explicauit, quis ille esset panis, quem Pater de cælo misisset, quémq; ipse daturus esset, v. 33. *panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo*, & ver. 35. *Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, nō esuriet.* Deinde obstinatis adhuc Iudæis, & non intelligentibus quomodo panis viuus esset, declarauit quomodo panem illum, de quo locutus fuerat, illis ad manducādum daturus esset. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, &. Nisi māducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Aliud obijcitur, non posse hoc præceptū de Eucharistiæ intelligi sacramento, quia Eucharistię sumēdę præceptum nemo obligat. Multos enim nō solūm infantes, sed adolescētes ętatis saluos esse, qui Eucharistiæ sacramentū nō perceperunt. Missam facio Augustini, & Innocētij primi sententiā; quæ sexcētos circiter annos viguit in Ecclesia, Eucharistiā etiā infantibus necessariā. Res iā ab Ecclesia, & multorum sæculorū vsu, & decreto Concilij Tridentini explicata est, nō solūm necessariam illis nō esse, sed ne dicere quidem dari. Neq; hęretici ipsi in hac re dissentiunt. Non ergo de Eucharistia, sed de fide passionis Christi præceptum hoc intelligendū est. Eodem argumēto probari potest non esse de māducatione, quæ per fidem fit, intelligēdum: quo enim modo infantes baptizatos, &c. nem Christi per fidem manducāt, quos certē, amen credimus saluos fieri: Habēt, dicet aliquis, habitum fidei, qui cum cæteris diuinis virtutibus per baptismum infunditur. Esto, tamen qui per fidem carnē Christi manducare dicitur nō habitu, sed actu fidei dicitur manducare, nihil enim solo habitu agimus. Quemadmodum ergo illi ad hoc nostrū, ita nos ad illud illorum argumentū respondebimus. Illic sic respondeant necesse est, omnia præcepta accōmodatè ad personas quibus dantur intelligenda. Nā & præceptū baptismi, quòd magis est necessarium, eos nō obligare qui baptizari non possunt. Eodem nos modo respōdemus præceptum de Eucharistia percipienda, quamuis ijsdem tradatur verbis, tamē eos, qui recipere nō possunt, nō obligare. Censenturautem non posse, qui reuerenter non possunt; eiusmodi infantes omnes sunt. Ad hūc modū iam olim Rupertus respōdit, cuius hęc verba sunt, *Sane qui vel tenerima cohibentur infantia, priusq; ex hac luce migrāt, quam manducare, aut bibere possint, vel qui articulo temporis cōfringuntur, sicut nonnulli confessores, quos nec baptizari aqua, persecutionis, & mortis instantia permisit, non præiudicantur hac sentētia veritatis. Nec enim iudicatur apud Deum non manducasse, nisi qui māducare voluit, qui nō euitabit, qui neglexit.* Alij contra obijciunt non posse de Eucharistia hoc præceptum intelligi, quia multi, qui Eucharistiam perceperunt, in Christo non manent, & vitam in se non habent. Non mirarer ab hęreticis hoc obiici, qui argumenta huc illuc nulla arte, nullo iudicio versare solent, miror obiectum à Catholicis esse, nec vidisse eos idem contra ipsos de fide. idem de baptismo, idem de omnibus fere præceptis, quæ adiunctam promissionem habent, dici posse. Nam & per fidem multi carnem Christi manducant, & pereunt, & nō omnes, qui baptizantur, salui sunt. Ergo huiusmodi promissiones, vt supra docuimus, de vi, ac natura rerū, de quib⁹ præcepta dātur, intelligi debent. Carnem Christi quantum in se est, illis à quibus manducatur, æternam vitam dare baptismū natura sua regenerare hominem, & vitæ æternę hęredem efficere. Atque hinc sanè non minimum sumitur argumentum nō posse hoc de sola per fidē manducatione accipi, quia sicut sola fides natura sua nō iustificat, ita sola manducatio per fidem iustificare, & vitam æternam dare non potest.

Illud reliquum est, quo alium Lutheranorum errorem contineri diximus. Argumentantur aut hoc de Eucharistia intelligi non posse, aut certè vtramq; sacramenti speciem omnibus esse necessariam, eodem modo dici, *Nisi manducaueritis carnē filij hominis, &, nisi biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitā in vobis.* Indissolubile hoc esse putant argumētum. Itaq; Catholici illi, quos supra contrà sentire diximus, cum

Ver. 53.

Sess. 21. c. & can. 4.

Lib. 6. pro pe finem.

Lutherani refutātur de communione sub vtraque specie.

Universidad de Deusto
Biblioteca

soluere hoc argumentum nó possent, ne contra Ecclesiæ consuetudinẽ, atq; sententiam dicerent vtraque specie sacramenti omnibus esse necessariam, dicere maluerunt de Eucharistia hoc loco non agi; non animaduertentes vtramq; Ecclesiæ esse sententiam, & vtramq; speciem laicis non esse necessariã, & de Eucharistia hîc agi. Respõdeamus primùs ijs, qui de Eucharistia agi negant; deinde ijs, qui dicẽtes agi de Eucharistia vtramq; specie omnibus necessariam esse concludunt. Illi sic disputant: Si hîc de Eucharistia ageretur, vtraq; Eucharistiæ species omnib⁹ esset necessaria; at non omnibus necessaria est, nõ ergo agitur de Eucharistia. Cõuertamus in illos argumẽtum. Si ageretur hîc de mãducatione per fidẽ, mandducatio per fidem esset omnibus necessaria: at non omnibus est necessaria, non enim infantibus; igitur de mãducatione per fidem non agitur. Doceant illi nos respondere. Dicent, opinor, accõmodatè ad personas, & modò dicebamus, intelligendum esse præceptum, debere per fidem mãducare, qui fidem habere possunt. Et nos debere eos vtramq; speciem sumere sacramenti, qui celebrãdi mysterij causa, peragendiq; instituti à Christo sacrificij sumũt, cum sacramentum, & sacrificium cõstet vtraq; parte: Sed ij soli sunt sacerdotes, cæteros verò, qui non alia de causa sumunt, quàm vt eius fructum percipiant, vnã tantùm speciem sumant necesse esse; cum tantumdem ex vna, quàm ex duabus fructus percipiant. Alio etiam modo idem in illos argumentum retorquere nobis licet: Si de manducatione per fidem agitur, ergo qui totum Christum pro nobis crucifixum fide apprehendit, non satisfacit, nec saluus erit nisi sigillatim carnem, & sanguinem eius apprehendat; quod nemo credo, bene sanus dixerit; si ergo in manducatione per fidem hoc non sequitur, cur in sacramentali manducatione sequi volunt? Atque hoc argumẽtum vtrosque prosternit aduersarios; & eos, qui negant agi de sacramento; & eos, qui concedentes de sacramento agi concludunt vtranque speciem esse necessariam. Nam & isti postremi negare non possunt etiam manducationem, quæ fide fit, cum ea, quæ fit per sacramentum debere esse coniunctam; & tamen necessaria non est distincta sanguinis per fidem potatio à manducatione carnis, quæ simili fit fide. Nam vt nihil aliud dicam, quot tam rustici, & tardi homines sunt, qui id facere nõ possunt? Quemadmodum ergo cùm fide sumimus Christum, non deberemus necessariò sanguinem à carne seiunctum aut fide, aut cogitatione sumere, quamuis hæc verba de spirituali per fidem manducatione intelligeremus, sed satis esset, vt totum sumeremus Christum, quia & in toto partes sunt, & si nõ omnes simul essent, quantã vna quælibet eorũ, quantã omnes simul virtutẽ haberet; intelligẽdumque esset non propterea Christum hoc loco carnem à sanguine separasse, quòd distinctè per fidẽ sumere deberemus, sed vt passionẽ suã explicaret, quę in separatione sanguinis à carne consistit, ex qua passione omnem mãducatio virtutem habet: ita prorsus etsi hoc de Eucharistiæ intelligitur sacramento, nõ propterea tamen Christus sanguinem à carne distinxit, vt indicaret omnes necessariò vtramque partem sacramenti percipere debere; sed vt ostenderet se agere de sacramento, quod totum constat duabus partibus, déque carne sua, & sanguine quatenus per hoc sacramentum in cruce separata fuisse significantur. Quòd autem ad sumptionem attinet, tantùm iubemur Christum sumere per sacramentũ, quem cùm per vtramlibet, sumamus partem, non sequitur nos vtramque simul accipere debere. Id

A Christus ipse declarauit, quemadmodum Concilium Tridentinum animaduertit Sess. 21. cap. 1. *Sed neque ex sermone*, inquit, *illo apud Ioannem sexto retè colligitur vtriusque speciei communionem à Domino præceptam esse; vtcunque iuxta varias sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. Nam qui dixit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; dixit, quoque si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam; dixit etiam, Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit, Qui manducati meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo; dixit nihilominus, & qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Poterant hæc, & quæ supra diximus, satis esse ad respondendum etiam ijs, qui dicentes agi hoc loco de sacramento, colligunt vtramque à Christo speciem esse præceptam. Sed coarguamus eos propria sententia. Respondeant: Si vtraque omnibus est necessaria, multo magis vna; at vna non est; nam ne ipsi quidem infantibus Eucharistiam porrigunt; multo igitur minùs vtraque. At enim hoc saltem sequitur, quibus vna pars necessaria est, vtramque esse necessariam, cùm idem de vtraque præceptum detur. Respondeo non minùs probari vnam omnibus etiam infantibus esse necessariam, quàm quibus vna necessaria est, ijs vtranque necessariam esse, quemadmodum ergo illis illud, ita nobis hoc adhibita aliqua congruenti interpretatione restringere licebit. Congruentissimam autem interpretationem paulò ante posuimus eam, si possunt, refellãt. Euanimus ex longa, molestáque disputatione, singula nunc verba ponderemus. Cur dixerit *Amen amen*, initio docuimus, contra obstinatam Iudæorum incredulitatem vnicũ erat remedium iuramentum, vt *per duas res immobiles, quibus impossibile erat mẽtiri Deũ,* duriſſimi adcredendum animi mollitentur: molliti tamen non sunt. Quòd de carne dicit manducare, de sanguine bibere, facilè ratio intelligitur, caro quia solida, modo cibi, sanguis quia liquidus, modo potionis sumitur. Cæterum cur nó dixit, Si manducueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem habebitis vitam in vobis; sed, *nisi manducaueritis, & biberitis non habebitis?* Illa promissio erat, hæc comminatio. Expertus ante fuerat promissionibus ad fidem allici auditores non posse, conatur minis trahere. Quare non dixit, Nisi manducaueritis carnem meam, sed *nisi manducaueritis carnem filij hominis*, cum idem vtrunque esset. Promiserat illis panem vitæ, panem de cælo verum, quem mannæ præposuerat irrisus fuerat, quòd tam vilis, & abiectus, vt videbatur, homo eiusmodi panem polliceretur. Respondet eos si salui esse velint, eo debere subiici, vt eius quem ridebant abiectissimi hominis carnem edant, & sanguinem bibant, alioqui perituros. Illud denique postremum, *Non habebitis vitam in vobis*; purandum non est emphasi carere. Significat igitur eos nunc esse mortuos, ac similes cadaueribus, in quibus nulla anima, nullus motus, nulla actio nullum signum vitæ sit, in eóque eos statu mansuros esse, nisi carnem filij hominis manducauerint, & sanguinem biberint. Eò pertinet quod Græcè tempus præsens est, ἐν ἑαυτοῖς, non habetis, id est mortui manetis. Ergo phrasis illa Hebraica, non habetis vitam in vobis, idem significat, ac si diceret, Nihil habebitis vitæ.

54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*) Ne videatur parum verè, aut certa ante dixisse, etiam atque etiam affir-

mat. Hoc versu, & præcedenti hæc sententia continetur, omnes, & solos eos, qui carnem Christi manducauerint, & sanguinem biberint, vitam habere. Versu præcedenti docuit solos eos, qui manducarent, vitam habere posse, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. hîc docet omnes, qui manducauerint, habituros. Quid sit manducare carnem, & bibere sanguinem Christi superiore versu disseruimus. Quid autem sit vitam habere, & cur vtatur tempore præsenti, docuimus versu 47. Si quis obiiciat multos carnem Christi manducare, & sanguinem bibere, qui non vitam, sed mortem potiùs habeant; iudicium enim sibi manducant, & bibunt; facilis solutio, Omnes huiusmodi propositiones vniuersales, quæ coniunctas promissiones habent, vt partim versu superiore, partim alibi sæpe docuimus duobus modis intelligendæ sunt. Primùm, vt non tam effectus, quàm vis, & natura rei, cui annexa promissio est, significetur. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, quantum in natura fidei, & baptismi est. *Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*, id est, inuocatio Dei saluum eum faciet natura sua, nisi quid aliud impediat. Sic quicunque manducauerit carnẽ Domini, & biberit eius sanguinẽ, vitam habebit, si vim, & naturã carnis sanguinisque consideres; tamen si quid aliud obstiterit, non habebit. Deinde intelligenda semper est aliqua conditio, quæ aliquando, si non eodem loco, alibi explicatur. *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*, Ioel. 2. 32. & *omnis qui petit, accipit*, Matt. 7. 8. Si ita inuocauerit, itaq; petierit, vt debet. Id Iacobus exponit c. 4. 3. *Petitis, & nõ accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis.* Ex ijs igitur exemplis, in quibus conditio hæc vno loco prætermissa alibi exprimitur, intelligere debemus etiã, cum nullibi exprimitur, intelligendam. Sic hoc loco, *qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, intelligendum, si manducauerit, & biberit, vt debet, & si postquam vitam æternam, id est ius ad vitam æternam in manducando, bibendóque acquisierit, non perderit suo aliquo nouo peccato. Itaque ineptus est nouorum hæreticorum magister, & interpres Caluinus, qui ex his verbis probare nititur de sacramento hîc Eucharistiæ non agi, quia non omnes, qui sacramentum Eucharistię percipiunt, vitam æternam habent. Quasi verò non idem dici possit de ijs, qui fide sola, vt ille vult, mandducant, & bibunt. Vt enim fingamus, quod falsissimum profectò est, solam fidem ad salutem satis esse, quid si postquam fide aliquis mandu cauit, fidem perdat? Non potest inquiunt, perdere. Istud verò cõmentum refutatione nõ eget, satis vel ipsa experientia refutatum. Nam ista quidem ratione nemo fermè Catholicus hæreticus vnquam fieri posset; quales multos quotidie etiam iudicio Caluini fieri videmus, & scriptura non solùm fieri posse, sed etiã necesse esse testatur.

Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.) Cur hoc addat, & quid sit resuscitare illum in nouissimo die, vide supra ver. 39. Sunt qui propositionem *&*, *atque*, *vtque* causaliter accipiant, *quia ego resuscitabo illum.*

55. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*) Rationem superioris sententiæ reddit, quamobrem qui manducat eius carnem, & bibit eius sanguinem, habeat vitam æternam. quia nimirum *caro* eius *vere est cibus, & sanguis* eius *vere est potus.* Cuius rationis vis in hoc verlatur, quòd propria cibi, & potus natura sit vitam manducantibus, & bibentibus dare; itaque quidquid manducatum, & bibitum verè, vitam tribuit, id verè cibus, & potus est; & contra, quidquid verè cibus, & potus est, vere vitam tribuit. Notarunt hoc, & explicarunt Augustinus, & Beda. Illud ergo ἀληθῶς *vere*, aut vt Apollinarius in Catena Græca, & textus ipse Catenæ legunt, itémque Leontius in textu, & in commentarijs ἀληθὴς *verus est cibus*, & *verus est potus*, non naturam significat, sed effectũ. Nam & Christi caro, & sanguis Christi verè à nobis in sacramento sumitur, tamen non vocatur verus cibus, quod verè manducetur, & verus potus, quod verè bibatur: multa enim verè manducantur, & bibuntur, quę non vitam, sed mortem potiùs afferunt; &, vt diximus, voluit Christus probare carnem suam vitam manducantibus dare, quia verus est cibus. Verum igitur cibum, & verum potum vocat, quia verè animas nutrit, & vitã æternam illis præbet, sicut versu 32. vocauit se panem verum, non vtique naturæ, nec enim verè, ac proprié, si naturam spectes, panis est, sed effectu; quia verè præstat, quod panis præstare, solet, cum ad id fiat, vt verè homines viuant, & c. 15. 1. vocat se item verum, non quòd vera sit vitis, sed quòd id, quod vitis facit, vt sarmenta sua nutriat, atque sustentet, multo ipse verius facit. Minùs enim nos sine illo, quàm sarmenta sine vite viuere possumus, atque viteſcere. Non dubium, quin cum carnem suam verum cibum, & sanguinem verum potum appellat, comparatione alterius cibi, potúsque loquatur, quem tacitè significet, si cum carne, & sanguine suo conferatur, nec verum cibum, nec verum potum esse. Sed dubium ad quem cibum ac votum illudat. Cyrillus ad manna, & ad aquam illam, quã de petra. Moses eduxerat, alludi putat: sicut supra versu 32. *Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum*, & ver. 58. sequitur: *Hic est panis, qui de cælo descendit; non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt.* Aptè, & probabiliter id dictum est; sed mihi cum omni alio cibo, ac potu carnem, & sanguinem suum videtur comparare, significaréque præter carnem, & sanguinem suum nullum prorsus verum cibum, nullum verum potum esse, cùm nullus alius cibus, & potus vitam animæ, ac ne corpori quidem, nisi ad breue admodum tempus dare possit; caro verò, & sanguis ipsius & animæ, & corpori vitam præstet æternam. Hæc plenior, nisi fallor, sententia est, & est Augustini, Bedæ, Leontij, Apollinarij, & Theophylacti. *Cum cibo, ac potu id appellant homines*, inquit Augustinus, *vt nec esuriant, nec sitiant: hoc veraciter non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit, ad est societas ipsa sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta.*

56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*) Explicat iterũ Christus quo modo, qui manducat suam carnem, bibitq; ipsius sanguinem, habeat vitam æternam, quia nimirum ipsum habet Christum, qui vitam æternam secum affert, atque adeo ipsa vita æterna est. *Quoniam res difficilis erat, & ardua*, inquit Cyrillus, *multis, atque variis modis mirabilem eius vtilitatem exponit.* Manere in Christo, & Christum in nobis, est corpus nostrum cum Christi corpore misceri, ita prorsus, vt cum illo vnum efficiamur, itáque suam nobiscum participet vitam. Quod etsi extra sacramentum per fidem, & caritatem fit, quemadmodũ in epistola 1. cap. 4. 16. idem Ioannes ait, *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*: tamen in Eucharistiæ sacramento sumpto vero corpore, & sanguine Christi longè verius fieri Patres nostri docuerunt. Postulant hæc tempora

Curretus cibus vocetur carnis Christi.

Exod. 16. 15. 16. & 17. 6. 7.

Tract. 26.

Lib. 4. c. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Testimonia Patrū de veritate Eucharistiæ.

quibus de nulla re magis aduersus hæreticos, quàm de Eucharistia disceptatur, vt ipsa hic, licet aliquanto sim longior, verba recitem veterum auctorum. Non possumus in re tam necessaria nimium esse longi. Irenæus Valentinianorum errorem arguens, qui & Christum esse filium eius Dei, qui mundum condidisset, & carnis resurrectionem negabant, libro 4. cap. 34. his verbis argumentatur. *Quomodo autem constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est verbum eius, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes, & terra dat primum quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam quæ a corpore Domini, & sanguine aluitur: Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo, quæ predicta sunt. Nostra autem consona est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quæ sua sunt, congruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis, & spiritus. Quemadmodum enim qui est è terra panis percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrena, & cælesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia*, & lib. 5. cap. 2. *Quomodo*, inquit, *carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine, & corpore Christi nutritur, & membrum eius, quemadmodum & beatus Apostolus ait in ea, quæ est ad Ephesios epistola, quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Non de spirituali aliquo, & inuisibili homine dicens hæc, spiritus enim neque ossa, neque carnes habet sed de ea dispositione, quæ est secundum verum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit, qui de calice, qui est sanguis eius, nutritur, & de pane, qui est corpus eius, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum multiplex surgit per spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in vsum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus, & sanguis Christi, sic & nostra corpora ex ea nutrita, & reposita in terra, & resoluta in eam, resurgent in suo tempore verbo Dei resurrectionem eis dante in gloriam Dei patris.* Hilarius verò lib. 8. de Trinitate sic probauit Patrem, & Filium non solum voluntate, sed etiam natura reque ipsa vnum esse, quia & nos cum Christo, & inter ipsos per corporis eius perceptionem nō solùm cōsensu caritateque, sed re etiam vera vnum sumus, vt ipse dixerat, *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Eos*, inquit, *nunc qui inter Patrem, & Filiū voluntatis ingerum vnitatem, interrogo, vtrumne per naturæ vnitatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbū carnē cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturā carnis nostræ iā inseparabile sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturā æternitatis sub sacramento nobis cōmunicandæ carnis adnexuit? Ita enim omnes vnum sumus, quia & in Christo Pater est, & Christus nobis est.* Et rursus Hilarius. *Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque verò sub mysterio carnem corporis sumimus, & per hoc vnum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas asseritur cum naturalis per sacramentum proprietas perfectè sacramentum sit vnitatis? Atque idem rursum, Quæ scripta sunt legimus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè, atque impiè dicimus. Ipse enim ait, caro mea verè*

est esca, & sanguis meus verè est potus: qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus, nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta, atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? contingat plane his verum non esse qui Christum Iesum verum esse Deum negant. Vidimus grauissimum auctorem Hilarium paris impietatis esse existimare, negare carnem, & sanguine Christi verè in Eucharistia a nobis sumi, vere nos in Christo per eam coiunctionem, & Christum in nobis manere, atque negare Christum verum esse Deum. Et nos Hilario subscribimus. Simile est, quòd Ambrosius ser. 90. de S. Agnete refert dixisse eā, cū iam moritura Christi corpus accepisset, *Nūc*, inquit *corpus Domini mei corpori meo associatum est, & sanguis illius ornauit genas meas.* Et Chrysost. hom. in Ioan. 45. *Vt autem non solum per dilectionem, sed etiam re ipsa in illā carnem cōuerti amur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est: cum enim sicum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur.* Et Cyrill. libr. in Ioan. 4. c. 14. *Quoniam igitur saluatoris caro, verbo Dei, quod natura aliter vita est, coiuncta viuifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac de causa in excitandis mortuis non solùmodo verbo atque imperio vti Deus creditur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nūquam adhibebat, vt re ipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, vimque esse, atque fidelem docere suum non alterius corpus esse.* Et c. eiusdem lib. 15. *Qui carnem Christi manducat, vitam habet æternā. Habet enim hac caro Dei verbū, quod naturaliter vita est, propterea dicit, quia ego resuscitabo eum in nouissimo die.* & paucis interpositis. *Quemadmodum si quis scintillam ignis in fœnum, aut palea occultauerit, totum inde ignitum necessario fiet, sic verbum Dei tanquam scintilla in naturam nostram immissum, totum inde inflammauit, atque ad vitam interitu penitus destructo reduxit.* Et c. 17. *Qui manducat, inquit, carnē meā, & bibit sanguinē meum in me manet, & ego in illo. Sicut enim si quis liquefacta cerea aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiscetur, sic necesse est, si quis carnem, & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungatur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Similè est, inquit, quod ammodo apud Matthæum reperies. Simile est, inquit, regnum cælorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farinæ satis tribus. Quid igitur femina sit, & quæ fatorum trinitas, aut omnino fatum quid sit, loco suo dicetur, nunc autem de fermento solùm dicamus. Sicut parum, vt Paulus ait, fermenti totam massam fermentat, sic parvula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet, & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo.* Verè enim totum fermentum in totam massam permanet. Et lib. 10. cap. 13. *Qui mādūcat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in illo. Vnde considerandum est non habitudine solùm, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alia cere similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnū quid ex vtrisque factum videatur, sic communicatione corporis, & sanguinis Christi ipso in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hac dicenti? Christo, si obsecro, fidem præbe. Amen amen, inquit, dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et Gre-

Luc. 24. 39.

Iob. 17. 22

Ibidem 26

Sap. 1. 14.

gorius Nyssenus hom. 8. in Ecclesiastem, *Propterea nobis fit sermo comedendum proponit, qui semper est, vt eum ipsum in nobis ipse acceperimus, illud fiamus, quod ille est.* Ammonius verò hoc modo scribit. ὥσπερ οὖν ἡ ἀδαπάνητος ἡμῖν ἀναπληροῦται σωτηρία τὸ σῶμα αὐτοῦ ἡμῖν μεταλαμβάνειν, οὕτω καὶ ἡ ἀπόλαυσις τοῦ ἀγαθοῦ ἐκείνου ἀναπληροῦται τοῖς τὸν Χριστὸν μετὰ τῆς χρεὼν ἀναπιεσθαι. Ad eundem sensum Damascenus lib. 4. de fide, c. 14 & Theophylactus & Euthymius in commentarijs huius loci scribunt. Atque ita nos maiores nostri sentire, loquique docuerunt à quibus qui dissentiunt, hæretico ducuntur spiritu. Obseruauit hanc phrasim manendi propriam esse Ioannis, qua mirum in modum est delectatus, significat autem aliquanto plus, quàm in alio esse, aliquando quidem moram, & quasi habitum, vt transeundi verbo opponi videatur, vt c. 1. 32. 33. & 3. 36. & 5. 38. Aliquando vero intimam coniunctionem, vt hoc loco. & 1. epist. c. 3. 9. & 4. 16. Quod hæreticus quidam dicit in codice quodam Græco manuscripto se reperisse post finē huius versus hæc addita. Καθὼς ἐν ἡμεῖ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατεῖ. ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. *Sicut Pater in me est, & ego in Patre, amen, amen dico vobis, nisi acceperitis corpus filij hominis, vt panem vitæ, non habebitis vitam in ipsis*; videtur mihi ex aliquo Græco sumptū cōmentario.

57. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.*) Obscurus, & impeditus locus. Illud tamen constat voluisse confirmare Christum, & adhibito Patris exēplo magis explicare, quomodo qui carnē suam mādūcaret, vitam æternam habiturus esset, quia nimirum sicut ipse cum Patre cōiunctus vitam ab eo trahit, & hauriat. Cæterum duo sunt, quæ difficilem locum reddunt. Alterum, quod non satis constet, an quo; alterū, quòd non satis constet inter quas personas fiat comparatio. Hæc verba, *Sicut misit me viuens Pater*, videntur indicare inter missionē, & vitam, aut certè inter missionem, & manducationem comparationem fieri. Quod quia absurdū videtur, difficilis est sensus. Cæterum nō dubito, etsi id à nemine animaduersum inuenio, cōparationē non fieri inter missionem, & vitam; aut inter missionem, & manducationē, sed inter vitam, & vitam. Quis enim ignorat comparationem in rebus eiusdem generis fieri debere? Sed nimirum Hebraismus obscurionem reddit orationem, quæ si in Latinitatem resolvatur, erit facilis. Resoluenda autem hoc modo est: Sicut Pater, qui me misit, viuit, *& ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Malè de personis quæstio. Augustinus, Cyrillus, & Beda putant, vnam tantùm comparationem esse inter nos, & Christum. quòd quemadmodum ipse à Patre missus propter Patrem viuit, ita nos eius manducantes carnem propter ipsum viuamus. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthym. duas esse comparationes: alteram, Sicut Pater, qui me misit, viuit, ita ego propter ipsum viuo: alteram, Sicut ego vivo, ita qui manducat me, am carnem, propter me vivit. Hoc magis probo, etsi concisa oratio comparationem occultat. Cæterum qui Hebraismi vim animaduerterit, facilè intelliget. Solent Hebræi particulam a, quæ comparationibus seruit, sæpius subintelligere, quàm exprimere, & eius loco ponere ו, quod apud Ioannem, qui maximè omnium Euangelistarum Hebraismis delectatur, est frequentissimum, cap. 10. 15. *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*, id est sicut novit me Pater, ita ego agnosco Patrem, & cap. 15. 9. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*, id est, ita ego dilexi vos, & 1. epist. c. 2. 18. *Sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt*, pro, sic etiam nunc Antichristi multi facti sunt. Sic igitur hoc loco. *Sicut me misit viuens Pater, & ego viuo propter Patrem*, id est, sicut Pater, qui me misit, viuit, ita ego per illum viuo. Nam & in secundo membro, in quo nemo cōparationē esse negat, eadem vtitur phrasi, *Et qui mādūcat me, & ipse viuet propter me*, id est sic etiam, qui manducat me, viuet propter me. Confirmat hunc sensum, quòd cap. 5. 26. hanc eandem sententiam, quam hoc loco ponit, ijs ipsis verbis, quibus nos interpretamur pronuntiauit. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & Filio habere vitam in semetipso*, & eodem ca. v. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat sic, & Filius, quos vult viuificat.* Confirmat etiam, quòd si hic non esset sensus, frustra hæc prima verba posita viderentur, *sicut misit me viuens Pater*. Facilius enim, & sic, ut dictu erat, sicut ego viuo propter Patrem, sic qui mādūcat me, viuet propter me. Cùm cē. 6 dixerit, *sicut misit me viuens Pater*, voluit procul dubio inter se, & Patrem comparationem facere. Viuentem addito Græcè articulo τὸν ζῶντα Patrē appellauit, vt significaret ipsum per se Patrem non solùm viuentem, sed vitam ipsam, atque omnis vitæ fontē esse. Cur ergo dixit, *misit*, cùm vt supra docuimus, nō de missione, sed de vita ageretur, & satis fuisset dicere, sicut viuit Pater, & ego viuo propter Patrem? Voluit opinor, simul ratione declarare, quare ipse propter Patrē viueret, quia ab eo missus fuerat, id est homo factus, vt Leontius exponit. Alij putāt rationem indicare voluisse, quare missus à Patre esset, vt vitā nimirum ab eo acceptam cum hominibus communicaret. Quæritum à multis est, quid sit, *viuo propter Patrem*. Græcè est διὰ τὸν πατέρα, quòd potest Latinè reddi *per Patrem*, aut, *propter Patrem*. Augustinus & Beda existimant finalem, vt vocant, caussam significare *propter Patrem*. id est ad gloriam Patris. Sed manifestum est ex sequenti membro non eum esse sensum. Cum enim dicit, *& ipse viuet propter me*, non significat propter gloriā suā victurum esse, sed propter se, id est se illi vitam impertiēte victurum. Caussa ergo efficiēs, non finalis significatur, quæ aliquādo etiam exprimitur per præpositionē *propter*. Cæterum aliæ hinc mouētibus Arianis existebat quæstio, quomodo Filius per Patrem viuere diceretur. Obiiciebāt enim Deū esse nō posse, qui per aliū vitam haberet, vt ex Greg. Nazian. orat. 5. de Theolog. & ex Amb. l. 5. de fide, c. 5. & ex Basil. li. 4. aduersus Euno. & in Apolog. ad Cæsarianos, & ex Cyrillo hoc loco, & in lib. de rectā fide ad Reginas intelligimus. Quæstio in eo fere versatur, vt intelligamus, de qua loquatur vita, cùm dicit, *& ego viuo propter Patrē*, & an loquatur de se, quatenus Deus, an quatenus homo est. Greg. Nazian. Chrys. Ammonius. Theophyla. Cyrillus, & Euthym. de Christo, quatenus Deus est, videtur exponere. Nam & secundum diuinam naturam propter Patrem viuere, nō quòd participatione vitæ eius vivat, sicut nos *in ipso viuimus & mouemur, & sumus*: sed quòd vt per se viuat, ac vita ipsa sit, à Patre per æternam generationē acceperit. Quòd autē nō per participationē Patris viuere dicatur, ex eo Ammonius, & Cyrillus probant, quòd non solùm viuens, sed vita etiam ipsa dicatur; *Ego sum via, veritas, & vita*, ipsa autē vita per participationem esse nō potest. Vera responsio, sed verior, & magis expedita illa Basilij, Ambrosij, Augustini, & Bedæ, Christum de se vt homine loqui; agebat enim de carnis suæ mandūcatione, & non manducatur vt Deus, sed vt homo. At de qua vita? Nam in illo ipso homine Chri-

Per præpositionē propter efficiens causa exprimitur.

Actor. 17. 28.

Ioan. 14. 6.

Arianorū obiectio vexsellitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sto & diuina,& humana:& naturalis & moralis, & supernaturalis vita erat. Videtur Chrysostomus de morali vita hoc interpretari,vt sensus sit,sicut Christus propter Patrem,id est quia à Patre missus est, bene,sanctéque vixit,ita qui eius ederent carnem, bene victuros esse. Credo ego,eandémque omnium fere auctorum sententiam esse arbitror,non de morali,non de naturali,sed de diuina, & supernaturali vita loqui,quam vitam æternam appellamus,quę in Deo naturalis est,in Christo,quatenus homo est,& in nobis diuino beneficio per participationem quãdam concessam diuinæ naturæ. Eam enim sempiternam vitam atque diuinam, quam Deus natura sua habet,Christus,vt homo,per coniunctionem cũ diuinitate hypostaticam habuit,per quam quæcunque Dei erant,in humanam naturam deriuata sunt: nos verò per eam coniunctionem habemus, qua cepto corpore,& sanguine Christi,cum eo vnum quis iam efficimur. Sicut enim per vnionem illam hypostaticam fit,vt vita illa diuina,& fœliciter immortalis numanę Christi naturę facta sit:ita per cõiunctionem nostrã cum corpore eius efficitur nostra. Atque hoc est. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem;& qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Potest etiã quæri,vt nihil quod ad huius loci explanationem pertineat,prætermittamus,cur cum soleat dicere, *Qui manducat meam carnem*,hic nõ dicat,Qui mãducat meam carnem,sed *qui manducat me*? Notauit Cyrillus lib.in Ioan.4.c.15.ipsum carnem suam appellasse.& è contrario aliquando partem pro toto.aliquando totum pro parte ponendo. vt in illo loco D.Pauli.Rom.7.18. *Scio quia non habitat in me,hoc est in carne mea bonum.* Verum;sed aliquã tamen causam fuisse suspicor, quam ob rem potiùs dixerit, *Qui manducat me*, quàm qui manducat meam carnem, nempe quia non dixerat, caro mea viuit propter Patrem, sed *ego viuo propter Patrem*. Monẽt Chrysostomus, Leõtius,& Theophylactus Christũ iterum,atque iterum hunc de carne sua manducanda sermonem versare,vt eum in auditorum mentibus imprimeret. Tanti esse momenti de hoc mysterio rectè sentire.

58. *Hic est panis qui de cælo descendit.*) Hic panis, de quo loquor.id est,ego. Quomodo dicat de cælo descendisse vide supra ver.32.& 33. Cõcludit disputationem,reuocans eam ad initium. Dixerant illi Iudæi ver.30.& 31. *Quod ergo tu facis signum, vt videamus,& credamus? Patres nostri manducauerunt manna in deserto,sicut scriptum est,Panem de cælo dedit eis mãducare.* Inde disputatio hæc omnis nata fuerat. Respõdit enim Christus nõ illum,quem dedisset Moyses,sed quem ipse daturus erat,verum esse panem,atq; cælestem. In qua re probanda,explicandaque hactenus versatus est. Id nunc concludit comparatione huius & illius panis.

Non sicut manducauerunt patres vestri manna.) Hebraismus est לא כאשר id est, hic est panis, qui de cælo descendit,non similis illi,quem patres vestri comederunt. Duplex autem inter hunc, & illum panem breui & concisa oratione discrimen esse indicat;alterum,quòd ille terrenus fuerit,hic cęlestis sit,sicut dixerat ver.32. *Amen, amẽ dico vobis,non Moyses dedit vobis panem de cælo,sed pater meus dat vobis panẽ de cælo verum.* Hanc differentiam indicat,cum dicit, *Hic est panis,qui de cælo descendit*;cùm enim addat statim, *Nõ sicut manducauerunt*.id est non qualem manducauerunt patres vestri,perinde est,ac si dicat,Hic est panis,qui de cælo descendit,non ille,quem patres vestri manducauerunt Alterum discrimen est, quòd hic vitam edentibus conferat,ille conferre minimè potuerit,cùm ipsorum patres,qui illu comederunt, mortui fuerint. Quod quo ratione intelligi debeat, supra docuimus,ver.49.

59. *Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum.*) Quidam hoc non alia causa additum putant, quàm vt historiæ ex loci descriptione fides fieret. Chrysostomus verò auditorum duritiẽ,& incredulitatem notari docet,quòd cùm hæc Christus in Capharnaum id est in ea dixerit vrbe,in qua tot miracula fecisset, illi nemo fere crediderit. Magis probo,quod Leontius,& Cyrillus tradunt,voluisse Euangelistam docere hæc,quæ narrauerat,non clam, & in loco aliquo solo.sed in loco celeberrimo,& frequentissimo & quàm plurimis audientibus facta esse, ne quis, quod solus ipse narrasset, fictum putaret; nam & vrbs ipsa Capharnaum celeberrimum erat emporium;& in ea ipsa non quouis loco,sed in media synagoga,quò omnis populus confluebat,hæc contigisse. Similia notauimus exẽpla Mar.1.21.& 3.1.& 6.2. Sed nascitur hinc quæstio,quam Ammonius,& Theophylact.excitarunt,cur Christus de tanto mysterio in tanta frequẽtia disputare voluerit, cùm nõ ignorauerit vix quemquam crediturum. Respondet voluisse ostendere se legi non esse contrarium, cùm in synagoga Iudæorum more disputaret;simul etiã captare multitudinem. Nam etsi plerique etiam discipuli non crediderunt, tamen vero simile ex tanta multitudine non paucos credidisse.

60. *Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt,Durus est hic sermo,& quis potest eũ audire?*) Quòd Euangelista præteritis alijs solos discipulos dixerit orationis eius difficultate fuisse deterritos, eò, vt opinor pertinet,vt doceat, quàm parũ Christus perfuasisset,cũ ne ipsi quidẽ eius discipuli crediderint,vt Augustꝰ.& Beda notauerunt. Ergo cùm dicit multos ex discipulis eius hoc audiẽtes dixisse, *Durus est hic sermo*,tacitè insinuat multo magis cæteros,qui discipuli non erant,aut idem,aut aliquid simile dixisse, cogitauisse. Non fuisse ex duodecim Apostolorũ numero monẽt Theophylactus,& Euthymius, idque ex ver.67.manifestum est. Durum sermonem vocant doctrinam creditu difficilem, quòd nemo nisi Christi carnem manducaret, & sanguinem biberet,vitam æternam habere posset. Sic Chrysost.& Euthymius exponunt. Quod autem dicunt, *Quis potest eum audire*?perinde valet,ac si dicant,quis potest credere? Hebræorum idioma,vt. *Si audierit me, homo terræ comedetis.* Sed habet maiorem vim,quod dicit, *Quis potest eum audire*?quàm si diceret,Quis potest credere?quasi dicant ne cuiusquam quidem aures eum sermonem ferre posse. Hæreticorum vox, qui cùm diuina mysteria suo metiantur ingenio, quid non intelligunt,deliramentum putant. Aiebant Caluinistæ quàm speciosas velint caullas,quarum obrem non credant,quòd isti non crediderunt,verè nos corpus Christi manducare,& sanguinem bibere,dicant se Dei potentiam non negare,sed voluntatem sequi;potuisse quidem,sed noluisse;voluntatem autem eius ex alijs scripturæ locis se colligere. Mentiuntur,nam cum in disputatione premuntur, ad philosophiam, rationémque naturalem cõfugiunt, fieri non posse,vt corpus vnum pluribus locis sit. Non alia igitur illis non credendi causa est, quàm istis fuit,quòd durus illis sermo esse videatur. Dictum ergo de se putẽt,quod eorũ magister Caluinus de illis dicit, duritiem nõ in Christi sermone, sed in ipsis illis auditoribus fuisse,quisermonem durum esse dicebant;& intelligant se illis stultis & animalibus,*qui non percipiant,quæ sunt spiritus Dei*. Hos peiores,quàm discipuli illi Caluinistæ sunt,quos dili-

gentissimè Christus docuit,& tamen non credidisse. Illi palam, & Christo audiente dixerunt, vt Augustinus & Beda obseruarunt,& ex ver.sequenti perspicuum est; Caluinistæ verò palam dicunt adiunctis etiam quibusdam in Christum blasphemijs.

61. *Sciens autem Iesus apud semetipsum.*) Idest nemine indicante, vt modò ex Augustino, & Beda notauimus. Ira enim discipuli inter se taciti murmurauerant,vt audire Christus non posset. Sed Deum,quẽ corda non latẽt,quomodo verba etiam non audita latere potuissent? itaque rectè ex hoc loco Chrysost. Cyrillus, Theophylact. & Euthymius,atque Theodorus Heracleensis in Catena, Græcorum Christi diuinitatem probant.

62. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius?* Difficilem locum & oratio concisa, & interrogatio facit. Cùm enim ad expiendam orationem,atque sententiam aliquid necessariò subintelligendum sit,incertum quid debeat intelligi. Vnum e duabus intelligatur necesse est,aut tũc nõ scandalizabimini,*cum videritis Filium hominis ascendentẽ,vbi erat prius*;aut contrà, Tunc magis scandalizabimini. Priorem sensum plerique sequũtur, Chrysostomus, Augustꝰ. Cyrillus, Theophylactus, Beda, Rupertus Euthymius,& Theodorus Heracleensis in Catena Græca, & Leontius in Commentarijs. Sed hi ipsi auctores in eo inter se dissentiunt,quòd alij hoc referant ad id,quod dixerat se de cælo descendisse v. 41. Nam eam etiam ob causam Iudæi murmurauerant,Quasi dicat cùm videbitis *Filium hominis ascendentem,vbi erat prius*, tunc nimirum scãdalizari desinetis, intelligetisque me de cælo descendisse, cùm nemo ascendere in cælum possit, *nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo.* Sic Chrysost. Theodorus Heracleen.Theophylactus, & Euthym. Alij referunt ad id,quod dixerat v.54. *Qui manducat meã carnem,& bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Quasi prob et modò carnem suam vitam æternam dare posse, quia caro Dei est, quod ex eo probat, quòd in cælum sit ascensurus. Sic Cyrillus,& Leõtius. Alij ad id,quo offensi discipuli illi fuerãt,v. 52. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quasi modum doceat,quo carnem suam illis ad manducandum daturus sit,nimirum non concisos,vt illi putabãt,in frustã, cùm eam integram,atque incorruptam in cælum esset illaturus,sed sub sacramento. Sic Augustꝰ.Beda,& Rupertus. Quæ interpretatio in eo cæteris præstat, quòd sententiam referat ad id,quod discipuli dixerant, *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* Id enim haud dubiè probabilius. Sed ego non libenter,vt sæpe dixi,hoc loco,scripturæ sacræ restringo sentẽtiam. Itaque malim ad totam Christi superiorem disputationem referre. Generaliter enim discipuli illi dixerãt, *Durus est hic sermo*,vbi sermonem,vt diximus,totam superiorem Christi de carne,& sanguine doctrinam appellauerant. Illud mihi difficile persuadere possum,intelligendum esse,Tũc scandalizari desinetis, *cum* intelligetis,tunc credetis, quemadmodum *cum*; quos memini legere, auctores interpretantur. Nec enim ita loqui videtur Christus, quasi dubitet,& probet;sed quasi reprehẽdet, *Hoc vos scandalizat*; cum adhuc vobiscum sim; cum facilè intelligi possit me vobis carnem meam dare ad manducandum,præsentem,præsentibus? Quid facietis, *cum videritis me in cælum ascendentẽ*?quanto minus credetis?cùm scandalizabimini? quanto minus credetis me in cælo, vos in terra esse? Solet enim Christus auditores, qui non credunt ea,quæ facilioris sunt,ad credẽdi fidem excitare. Sic obiurgare, quòd cùm ea non credant,multo minus quę maiora, difficiliora que sunt, fint crediturꝰ. *Si terrena*,inquit,*dixi vobis,& non creditis,quomodo si dixero vobis cælestia credetis?* &c.3.12. Euentus ipse hãc interpretationem probat. Nam Caluinistæ,qui fallis illis,& incredulis Christi discipulis successerunt,hoc potissimùm argumento non credunt Christum verè nobis carnem suam dare ad manducandum, quòd in cælo sit quòd eum cælum continere oporteat vsque in diem resolutionis omniũ;nõ ergo in Eucharistia esse posse. Ego cõtra, propterea in Eucharistia esse posse,quia in cælo est. Ex eo enim quòd propria in cælũ ascendit auctoritate,sequitur Deũ esse,ex eo quòd Deus est,sequitur corpus suum vbicunque velit posse ponere,sic adeo vt ab eo loco, in quo est minimè discedat. Præterea ex eo ipso quòd hoc Christus prædixerit, non ignarus quid discipuli illi, quid Caluinistæ eorum discipuli dicturi essent, probo non solùm esse posse,sed re etiam vera in Eucharistia esse. Si enim non verè, sed spiritualiter carnem suam in manducandum se daturum polliceretur,declarasset vtique se non verè,sed solã fide carnem suam daturum esse,cùm tam multos sciret,& tunc aliter intellexisse,& postea intellecturos, possétq; vno omnes verbo magno errore liberare. Nõ declarauit, sed vsque dixit iterũ,atque iterũ fore,vt nisi eius manducaremus carnẽ;vitam non haberemus. Prædixit fore qui propter suum in cælum reditum minùs etiamnum crederent,nec sententiam,nec orationis tenorem mutauit, volebat igitur quæ dicebat, non figuratè, sed propriè à nobis intelligi. At enim expẽcauit, cùm dixit, *Caro non prodest quicquam?* Eum errorem eo loco refutabimus. Non nego me huius interpretationis auctorem neminem habere, sed hanc eò magis probo, quam illam alteram Augustini cæterarum alioqui probabilissimam,quòd hæc cum Caluinistarum sensu magis pugnet, quod mihi magnum est probabilitatis argumentum. Cur se hoc loco *Filium hominis* appellauerit, varias etiam rationes auctores afferunt. Chrysostomus, Theodorus Heracleensis, & Theophylactus conuenienter superiori sententiæ suæ putant ideo se Filium hominis appellasse, vt indicaret eundem se, quem illi solùm Filium hominis esse credebant, Filium etiam esse Dei. Alij, vt ostenderet nos duos, alterum Dei, alterum hominis, sed vnum Dei, eundem & hominis esse filium, vt Cyrillus contra Nestorianos hoc loco disputat, & vt indic. in Catena Græcorum Ammonius. Propterea non dixit, *si videritis Filium hominis ascendentem* in cælum; sed *vbi erat prius*; vt indicaret prius se in cælo, vt Deum, fuisse, nunc se in cælum tanquam hominem ascensurum, quia idem Deus, ac homo est. Expositа sunt hæc verba capite 3. 13.

Cur hic se Filium hominis vocet.

63. *Spiritus est,qui viuificat,caro nõ prodest quicquam.*) Difficilis etiam & ipse per se,& interpretationũ varietate hic locus est. Primùm Caluinistarum error enellendus, nec enim inter bonorum interpretum sententias recitãdus. Probare ex hoc loco nituntur, Christum carnem suam nobis in Eucharistiæ sacramento non dare,quia *caro non prodest quicquam*,quorsum autem daret nihil profuturam? Non illi primi omnium hæreticorum his abusi sunt verbis,vt Ecclesiasticam fidem refutarent. Nam & Tertullianus in lib.de resurrectione carnis scribit hæreticos illos veteres qui carnis negabant resurrectionem solitos dicere, quorsum caro,quæ nihil prodesset, esset resurrectura? Non videt homines valde vt sibi videntur,acuti,ista ratione se non hoc solum mysterium, sed omnem prorsus Christianam religionem euer-

Caluinistæ refelluntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tere. Si enim *caro nō prodest quicquam*, cur eam Christus assumpsit? cur pro nobis eam cruci suffixit? Profuit fortasse dicent ad nascēdum, profuit ad patiendum, non prodest ad edendum, qui id sciunt? Nam omnibus modis prodesse posse, quibus eam Christus prodesse voluit quamuis impudētes sint negare non possunt. Voluisse autem vt non tantùm crucifixa, sed etiam manducata prodesset, quibus ipse verbis apertiùs docere potuit, quàm, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*? Et si naturam, & vsum spectemus carnis, quis non videat magis manducatam, quàm crucifixā solere prodesse? Quanto mirabilius Gentilibus olim videbatur, carnem Christi affixam cruci, quàm commanducatā vitam attulisse? Dicent rursus carnem Christi, non quia sola caro, sed quia caro cum spiritu, & diuinitate coniuncta erat, prodesse. Quid ergo? an quisquam in Eucharistia sine spiritu, ac diuinitate esse dicit? Quemadmodum ergo in cruce, ita & in sacramento non sola caro, sed caro cum diuinitate coniuncta nobis prodest. At satis, inquiunt est, si sola manducetur fide. Satis vtique fuisset si Christus voluisset, sicut satis fuisset si ita Deus statuisset, si non re ipsa, sed fide, aut figura moreretur; sed nostrum non est Deo legem dare. Quemadmodū quia voluit re ipsa mori, aliter quā per veram eius mortem salui esse non possumus; ita quia voluit re ipsa carnem suam à nobis manducari non possumus esse salui, nisi eam re ipsa manducauerimus. Sed hæreticorum, vt dixi, habenda non est ratio. Catholici interpretes, quid dixerint videamus. Tribus in rebus omnis huius loci versatur quæstio. De quo loquatur spiritu, cùm dicit, *spiritus est, qui viuificat*: de qua carne, cùm dicit, *Caro non prodest quicquam*; quid sit viuificare spiritum: & non prodesse carnem. Quidam spiritum recipientis fidem, & caritatem, cæteráſque omnes dispositiones vocari putant quas qui carnem Christi recipit, vt dignè recipiat, habere debet, *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ita Augustin. ser. 2. de verb. Apostoli. Gaudentius tractatu 2 in Exod Paschasius in lib. de corpore, & sanguine Christi. Itaque sensum esse solam Christi carnem sine fide manducatam nihil prodesse, cum spiritu, id est cum fide manducatam viuificare. Quę vera quidem sententia est, an verus quoque sit sensus, postea videmus. Alij spiritum ipsam Christi diuinitatem interpretantur, carnem verò eius corpus; sensúmque esse carnem per se consideratam, si cum spiritu, id est diuinitate coniuncta non esset, nihil profuturam: spiritum viuificare, id est carni tribuere, vt viuificare possit. Quemadmodum ad naturalem vitam caro sola nihil prodest; cùm anima, id est cum humano spiritu coniuncta prodestata ad spiritualem vitam nihil prodesse solam per se Christi carnem, tamen cum spiritu, id est diuinitate coniunctam maxime prodesse. Ad hunc modum D. Augustinus tract. in Ioann. 27. & lib. 4. de consens. Euangel. cap. 10. & lib. 10. de ciuitate cap. 24. & in comment. psal. 98. Cyrillus lib. 4. cap. 23. Leontius, Rupertus, & Bernard. serm. 35. in Cantic. Vera quoque sententia; sed quòd attinet ad interpretationem loci, hoc in ea, & superiore desiderari posset, vt magis esset ad id quo de agebatur accommodata. Nec enim id agere Christus videbatur, vt doceret, qua ratione caro sua viuificaret; sed vt doceret posse se carnem suam dare ad manducandum: aut certe, vt ostenderet quid causæ esset, quamobrem illi non crederent, quod dicebat, quemadmodum paulò post sumus explicaturi. Alij intelligunt Spiritum sanctum tertiam personam Trinitatis, sine quo ne ipsa quidē Christi caro viuificare possit, Basilius libro de Spiritu sancto ad Amphiloch. cap. 24. Victorinus lib. 4. aduersus Arianos, Victor Vticensis in confessione fidei ad Hunericum Vandalorum Regem. Minus probabile hoc est, quàm quod modò ex August. & alijs auctoribus dicebamus. Alij existimant Christum verba sua spiritum vinificantem appellasse, vt Tertul. in lib. de resurrectione carnis, & vt videtur Cyrill. Ierosolym. catech. 16. sed ij ipsi non eodem modo sentiunt. Quidam enim eorum putant vocasse verba sua spiritum, id est non carnaliter, sed spiritualiter intelligēda, idque statim declarare cum dicit, *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Sic Tertullianus de resurrectione carnis, *Excepitur etiam quid velit vocari spiritum, verba, quæ locutus sum vobis, spiritus sunt, vita sunt; sicut & supra. Qui audit sermones meos, & credit in eum, qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit.* Putat quoque Tertullianus eadem verba suæ carnaliter intellecta vocasse carnem; sed perexiguam id speciem probabilitatis habet. Quidam verò verba sua vocasse spiritum quia verba Christi, quibus conficitur Sacramentum, vicem spiritus habent; conuertunt enim substātiam panis in substantiā corporis Christi, eámque animant, atque viuificant. Quem etiam ad modum Rupertus interpretatur. Inuemo, qui & carnem ipsam Christi per se consideratam, carnem; eandem verò quatenus diuino, ac viuificante spiritu plena est, spiritum appellasse dicant. Quod à D. Augustini sententia, quam supra posuimus, non differt nisi modico discrimine. Eius auctor Ammonius, τὸ πνεῦμα δὲ καλεῖ νῦν αὐτηκοωτέρως σάρκα τὴν ἔμπνουν σάρκα τὴν ἔμπνουν καὶ πλήρη ζωῆς, γινομένην δι' ἣν εἶπε, id est, *spiritum hic vocat plenā viuifici spiritu virtute carnem, manet enim caro caro.* Alij spiritum, modum intelligendi spiritualem, carnem, modum intelligendi carnalem interpretantur. Iudæos carnaliter intellexisse, quod de manducanda carne sua dixerat Christus, putantes eum concisam suam carnem, & aut assam, aut elixam ad manducandum daturum esse. Respondisse igitur Christū eam nem suam spiritualiter, id est sub sacramento intellectam, ac sumptam vitam dare; carnaliter, quemadmodum Iudæi intelligebant, nihil profuturam, ad hunc ferè modum Athanasius in orat. in verba illa, *Quid dixerit verbum in spiritum sanctum, non remittetur.* Chrysostomus homilia in Ioannem 48. Augustin. in Psalm. 98. Beda, Theophylactus, & Euthymius. Sic intelligendum, quod dicit Augustinus. *Non hoc corpus, quod videtis manducaturis estis, & bibituri eum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui: spiritualiter intellectum vinificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi.* Quibus verbis quia hæretici ad erroris sui confirmationem abuntur demonstandum est nō ita intelligēda, quia velit Augustinus dicere nos non re vera, sed sacramento, aut fide tenus, vt hæretici volunt, carnem Christi manducare, & sanguinem bibere, sed hoc tantùm significare, nos non carnaliter, non visibiliter, non denique modo cæterarum carnium, sed sacramento, sed inuisibiliter, sed admirando & explicabili quodam modo manducaturos. Primum eodem modo Chrysost. Theophylactus, & Euthymius, vt diximus, quo Augustinus, interpretantur; & tamen certum est Chryso. Theophylactus etiam & Euthym in ea, qua omnes Catholici sumus, fuisse sententia, vt crederent vere, ac re ipsa carnem Christi à nobis sumi. Si quis dubitat, quod nemo doctus dubitabit, Chrysostomum legat homilia in Matthæum 83. Theophylactus hoc loco, & Euthymius in capite Matth. 26. ergo & Augustinus eodem modo intelligendus. Quin ipsum legat Augustinum concionib. 1. in Psalm. 33. dubitare desinet eum de præsentia in Eucharistia corporis Christi minime dubitasse. Quid enim aliud illa eius verba declarant? *Et ferebatur in manibus suis. Hoc verò fratres quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quo modo intelligatur in ipso Dauid secundum litteram, non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis: quando commendans ipsum corpus suum, ait. Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Dicant Caluinistæ, quomodo Augustinus dicat Christum tulisse corpus suum in manibus suis, si non sentiebat re ipsa in eo esse sacramento, quod Apostolis porrigebat? Ferebat inquiunt, figura, non veritate. Eodem modo non solùm Dauid, sed alius etiam quilibet homo se ipsum, id est figuram corporis sui in manibus suis ferre poterat; quid enim repugnabat? Atqui Augustinus id Christum fecisse dicit, quod nemo alius facere potuerit. Legat eundem Augustinum epistola 120. & in Psalm. 98. vbi docet neminem carnem Christi in Eucharistia accipere, quin eam priùs adoret. Nam quòd Caluinistæ respondere solent adorari carnem Christi à fumentibus non in Eucharistia, sed in cælo, tam ineptum, atque ridiculum est, vt refutatione non egeat; & vrendum non est, ne quis credat, qui modò sanæ sit mentis. Noluit igitur in hoc loco illo Psalm. 98. Augustinus dicere, aliud corpus Christi, quàm quod discipuli videbant, manducaturos fuisse eos, sed nō eo modo, quo videbant, id est non visibiliter, non carnaliter manducaturos. Vsitatum enim non solùm apud Ecclesiasticos auctores, sed in ipsis etiam sacris litteris est, vt rem vnam duobus modis se habentem duas vocent, aut duplicem esse indicent. Sic Diuus Paulus duplex corpus nostrum esse dicit, animale ante resurrectionem, spirituale post; cùm vnū tamen, idemque sit corpus; *Seminatur*, inquit, *corpus animale, surget spirituale. Si est corpus animale, est & spirituale.* 1. Cor. 15. 44. Sic Hieronymus loquitur in cōmentarijs in epistolam ad Ephes. capite 1. *Dupliciter*, inquit, *sanguis Christi, & caro intelligitur vel spiritualis illa, atque diuina, de qua ipse dicit, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. & Nisi manducaueritis meam carnem, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam: vel caro, & sanguis: quæ crucifixa est, & qui multis effusus est lancea. Fuerit hanc diuisionem & in sanctis eius diuersitas sanguinis, & carnis accipitur: vt alia sit caro, quæ visura est saluatare Dei: alia caro & sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere.* Non significat vtique Hieronymus aliam esse carnē Christi, quæ in Eucharistia à nobis sumitur, aliam, quæ crucifixa est. Quod ne Caluinistæ quidem dicunt. Quid enim nobis in Eucharistia prodesset, si non eadem esset, atque illa, quæ fuit crucifixa: eum propterea nobis prosit, quia fuit crucifixa: sed significat eandem carnem alio modo fuisse crucifixam, nimirum visibilem, paribilem: alio autem modo in Eucharistia manducari inuisibiliter, impatibiliter. Id ex exemplo, quo vtitur manifestum est. Nam in sanctis eius vna tantùm est caro, sed aliter se habet ante resurrectionem, vt modò dicebamus, subiecta miseriis, subiecta passionibus, subiecta peccatis, quomodo regnum Dei possidere non potest: aliter post resurrectionem ab his omnibus libera. Nam si eadem non esset caro, non esset verum nostram carnem resurrecturam, quum non hæc eadem, quæ cadit resurrecturа, sed alia pro ea danda nobis esset. Necesse fuit paulò longius hæc dicere, vt Augustinum auctorem nostrum ab hæreticis vindicaremus. Redeamus nunc ad interpretationem loci. Multi graues auctores ita videntur exposuisse, quasi caro non pro vera carne, sed pro carnali hominis ingenio: & spiritus, non pro spiritu vero, sed pro spirituali, & à Deo per fidem illuminato homine sumatur; sensúsque is sit, *spiritus est, qui viuificat*, id est, fides est, quæ hominis ingenium ex carnali spirituale reddens, efficit vt percipiat, quæ sunt Dei, hoc est viuificare: *caro nō prodest quicquam*, id est carnale ingenium, humana ratio nihil iuuat, sed potiùs impedit ad percipienda diuina mysteria. Itaque non explicare Christum quomodo carnem suam ad manducandum daturus esset, aut quomodo caro sua à nobis manducata daturа vitam æternam, quod Iudæi intelligere non poterant; sed eos reprehendere, quòd mysteria, quæ illis de carne sua manducanda proponebat, carne, id est humana, ratione, carnalique ingenio metirentur, ideoq. intelligere non possent, intellecturos fuisse, si non carne, sed spiritu, id est fide ducerentur. Din mihi hæc placuit interpretatio, nec omnino modò displicet, & quia ita etiam Tertullianus in libro de resurrectione carnis, certè Cyprianus in lib. de Cœna Domini interpretantur; eamque interpretationem Chrysostomus hoc loco cæteris præfert: & quia videbam aptè ad id, quod agebatur conuenire, vt Christus auditorum tarditatem, carnaleque ingenium reprehenderet, causámque declararet, quam ob rem quæ illis dicebat, intelligere non possent, quemadmodum alio loco non intelligentibus, quæ dixerat, discipulis dicit, *adhuc & vos sine intellectu estis?* Matth. 15. 16. & quia in hanc sententiam dixerat, ver. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit*, id est qui fide trahitur, ad me venit, mihi credit: qui vult suopte ingenio, humanisque rationibus, quasi suis pedibus, ad me venire; peruenire non potest, & ea capere; quæ doceo, & vers. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: & quia paulò post versu 65. dicit, *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Vbi similiter rationem reddit, quare quæ illis dixerat, intelligere non potuissent: & quia obseruamus in litteris sacris, quoties caro, & spiritus opponuntur, carnem non pro carne, sed pro homine, aut ingenio, & natura carnali hominis; & spiritum non pro spiritu, sed pro homine spirituali, aut spirituali hominis ingenio, atque natura sumi. Innumerabiha exempla notari possunt, Matthæi 16. 17. *Beatus es Simon Bariona, & quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus*, & capit. 26. 41. *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Ioann. 3. 6. *Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Roman. 8. 1. *Qui non secundum carnem ambulant*: & vers. 6. *Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax.* Galat. 4. 29. *Quomodo tūc qui secundum carnem natus est, persequebatur eum, qui secundum spiritum*: & quia hæc sententia maximè displicebat hæreticis, maximè mihi placebat. Video tamen nonnullis postea Catholicis displicuisse, quibus etsi nihil me eorum rationes mouent, pertinaciter repugnare nolo. Nam quòd dicunt, cùm semper ante de sua Christus carne locutus fuisset, credendum non esse eodem orationis contextu significationem variasse, & carnalē hominis ingenium vocasse carnem, non solùm nihil habet ponderis, sed potest etiam contra ipsos retorqueri. Nam & nō

Quid per spiritum, & carnē hic signi-ficetur.

1. ad Cor. 11. 28.

1. Cor. 2. 14.

Caro & sanguis cū opponuntur quid significent in scriptura.

men spiritus eodem contextu priùs ponitur pro Christi diuinitate ipsorum opinione, cùm dicit, *Spiritus est, qui viuificat*; proximis verò verbis pro verbo Christi, aut pro modo illud intelligendi spirituali, vt ijdem ipsi interpretantur, *verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*. Et in eo potiùs versatur vis, & gratia sententiæ, quòd acutè Christus nominis Iudæ ambiguitate. Quasi dicat vos miramini, quòd dixerim daturum me vobis carnem meam manducandam, idque creditu difficile putatis; non in mea, sed in vestra carne difficultas, & impedimentum credendi est, quòd vos ipsi caro, non spiritus, id est carnali, non spirituali ritis ingenio. Quo minùs mihi quàm solebat, hæc placeat interpretatio, aliæ potiùs rationes faciunt; quòd illud, *viuificat*, non satis cum ea conuenire videatur; quòd quæ proximè sequuntur, non bene hærere, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*. Itaque malo secundam illam Augustini, & Cyrilli eo modo, quo explicauimus, intellectam interpretationem sequi. Nã quod vnum in ea desiderari diximus, vt magis esset ad id, de quo agebatur accommodata, id etiam habet, si bene intelligatur. Nec enim Christus, cùm hæc dixit, quæstioni illi respondere voluit vers. 52. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* sed verbis illis discipulorum vers. 60. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* durum autem dicebant esse sermonem, quia dixerat neminem vitam habere posse, nisi carnem suam manducaret. Itaque docet qua ratione caro sua vitam tribuat, non quia caro, sed quia cum spiritu coniuncta est. Itaque probabiliter Diuus Augustinus existimat hæc verba Christum non omnibus auditoribus, sed solis discipulis suis dixisse, postquã cæteri recessissent, *verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*, id est, non de sola, & nuda carne, quemadmodum vos intelligitis; sed de carne diuino plena spiritu, de spiritu viuificante sunt intelligenda; sola enim caro nihil prodest, cum spiritu verò coniuncta viuificat, vt supra ex Ammonio, & alijs multis auctoribus dicebamus; sic Cyrillus. Atque hic verus est sensus. Hoc tantùm in hac interpretatione durius videri potest, quòd insolens appareat, vt verba spiritus appellentur, id est de spiritu intelligenda. Sed desinet durum, insolensque videri, si recordemur sæpe in scriptura substantiua pro adiectiuis, & adiectiua pro substantiuis poni; *non permanebit spiritus meus in hominibus, quia caro est*, id est carnalis; & *caro, & sanguis*, id est homines carnales, *regnum Dei possidere non possunt*. & *quod natum est ex carne, caro est*, id est carnale; & *quod natum ex spiritu, spiritus est*, id est spirituale. Hac phrasi dicit Christus verba sua spiritum, & vitam esse, id est spiritualia, viuifica, salutaria. Fingamus ergo dixisse, quod scimus dicere voluisse. Verba mea spiritualia sunt; nemo credo dubitaret sensum esse spiritualia esse, id est de spiritu, non de sola carne dicta à se esse; de spiritu, & vita, aut de spiritu viuificante esse intelligenda. Spiritum enim, & vitam dixit Hebraico more, pro spiritu viuificante; vt constat ex verbis præcedentibus, quibus ista respondet, *Spiritus est qui viuificat*. Alias suprà interpretationes attigimus Chrysostom. Augustini, Bedæ, Theophylacti, Euthymij, Ruperti, *spiritus, & vita sunt*, id est spiritualiter intelligenda. Quam interpretationem, quamuis sensu alio, hæretici arripuerunt. Nam auctores illi Catholici, vt diximus suprà, non eo sensu dixerunt hæc verba Christi spiritualiter intelligenda esse, quòd non re ipsa carnem eius manducare iuberemur; sed quòd non carnali modo manducare. Hæretici verò interpretantur spiritualiter intelligenda, id est figuratè, metaphoricè, quòd nonre ipsa, sed sola fidei apprehensione manducemus; quod absurdum penitus est. Quis enim vnquam isto modo locutus est, vt spiritualiter diceret, pro metaphoricè? Sanè si ita loqueremur, magis spiritualiter spurcissimus quisque Poëta, quàm Christus loqueretur, quia magis metaphoricè, & figuratè loquitur. Et vt fingamus ita quenquam locutum esse, quid erit, *Vita sunt*? an vitaliter intelligenda? hoc enim postulat consequentia, quod nescio an quisquã audire sine risu queat.

Substantiua pro adiectiuis & contrà sumuntur sæpe in scriptura. Gen. 6.3. 1. ad Cor. 15.50. Sup. cap. 3.6.

64. *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt.*) Id est, causa cur quæ de carne mea dixi, non intelligatis, non est in re ipsa, quòd difficilis intellectu sit, sed in vobis, quòd fitis incredu li. Sic Augustinus, Beda, & Rupertus, *Durus est hic sermo, dicebant illi; Durus est*, inquit Augustinus. serm. 2. de verbis Apostoli, *sed incredulus*. & in Psalm. 98. *Durus est hic sermo, Ipsi*, inquit, *erant duri, non sermo*. Si non duri essent, discerent ab illo, quod illis discedentibus, qui remanserunt, didicerunt. Notat idem Augustin. tract. in Ioannem 27. non dixisse Christum; sunt quidam in vobis, qui nõ intelligunt; sed *causam*, inquit, *dixit, quare non intelligant; Sunt enim quidam in vobis, qui non credunt: & ideo non intelligunt, quia non credunt: Propheta enim dixit, nisi crediderit is, non intelliget is.*

Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.) Nonnulli Græci codices legunt, sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, quemadmodum & Cyrillus legit, cõtrario quidem sensu, sed eodem pene redeunte. Vtrúque enim sciebat Christus & qui credentes, & qui non credentes essent; nec vnum sine altero scire poterat. Sed si legamus, vt Cyrillus legit; qui essent credentes, intelligendum est reddi causam, quamobrem non dixit generaliter Christus; vos non creditis; sed alios ab alijs, credentes à non credentibus discernens, *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*. Si legamus, vt Chrysosto. Leontius, Theophylactus, & alij omnes Græci, & Latini tum auctores, tum codices legunt, *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes*, causa redditur, cur dixisset non credere nonnullos eorum. Addidit autem hoc Euangelista eodem cõsilio, quo à Christo dictum fuerat, vt ostenderet se cognitas habere animorum cogitationes, ac proinde Deum esse, vt Cyrillus, Leontius, & Theophylact. adnotarunt. At quid mirum id cognouisse, cùm tam aperte murmurassent? Primùm illam ipsam murmurationẽ Christus non auditam cognouit, vt ex ver. 61. manifestum est. Deinde cùm dicit, *quidam*, indicat se omnes non credentes, etiam non murmurantes ab omnibus distinguere credentibus. Adde quòd, vt Augustinus existimat, hæc Christus solis duodecim discipulis dixit, quos credibile est nimirũ murmurasse, vt ver. 60. docuimus, & ex illis ipsis indicat se scire, qui non credant. Itaque quòd Christus dicit, *Sunt quidam ex vobis qui non credunt, & sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes*, Diuus Augustin. & Beda de solo Iuda putant intelligendum, illum enim solùm ex duodecim Apostolis non credidisse, sed loqui de illo numero plurali vsitata figura, aut ne fortè indicato numero, ipsam quoque personam indicare videretur; quare quod sequitur, *Et quis traditurus esset eum*, quasi explicationem esse verborum præcedentium. Magis Chrysostomi probo sententiã, hæc non solis duodecim, sed multis etiam alijs tum discipulis, tum auditoribus dicta esse, & cùm hoc dixit, duodecim Apostolos excepisse, ex filo enim orationis apparet, cum illis ipsis Christum loqui, qui offensi eius sermone fuerant, & murmurantes dixerant,

rant, *Durus est hic sermo*. Et vers. 66. dicit Euangelista post hæc multos discipulorũ eius retrorsum abijsse, & certum est neminem tunc ex duodecim ab eo discessisse, non ergo hæc solis discipulis dicebat; denique vers. 67. *dixit Iesus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire?* Qui ergo fuerunt illi, quos notauit Christus, quòd credentes non essent? illi quidem omnes, qui retrorsum abiêre; an etiam aliqui alij, nostrum non est iudicare. Credibile tamen est Iudam etiam inter eos comprehendisse, ac propterea eum Euangelistam nominasse addita etiam insigni proditionis nota, vt indicaret Christum non solùm, qui non crederent, verum etiam, quis se traditurus esset, id est non solùm præsentia, sed etiam futura cognouisse. Dubium quid sit, quod dicit, *ab initio*: quodnam initium significet? Theophylactus, & Rupertus ab initio, id est ante mundi constitutionem interpretantur; putatque Rupertus ad diuinam alludi prædestinationem; quasi dicat, sciebat quinam essent prædestinati, qui non; ideo addidisse vers. 65. *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo*. Quod ipsum, etsi minùs apertè, sentire videntur Augustinus & Beda. Vera quidem sententia: ab omni enim æternitate Christus omnia sciebat; sed non videtur tam longè Euangelista respexisse. Chrysostomum ergo, Leontium, & Euthymium sequi malo, idem esse *ab initio*, &, antequam murmurare inciperent. De hac enim re agebatur. Et si de æternitate loqueretur, non diceret, *Sciebat, qui essent non credentes*, sed, qui non essent crediturí. Deinde hic versus per parenthesim legi, vt sequens cum alijs cohæreat.

65. *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.*) Quasi dicat, non sine causa id vobis dixi; sciebam enim vos à Patre non trahi; sed vestro ingenio adhuc pingui, adhuc carnali, vestris affectibus duci, propterea ad me venire nõ posse. Nusquam hoc ante ijsdem dixerat verbis, sed, *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Sed quia sensus idem est, hoc se illis dixisse dicit. Vnde intelligimus idem esse trahi à Patre, & dari à Patre. Quid autem hoc sit, illic differuimus. Verba hic Chrysostomi recitabo. *Cum autem audieris*, inquit, *dedisse Patrem, noli simpliciter priuilegium arbitrari. sed illud crede, quod qui se accipientis dignũ reddit, ipse accipit*. Non significat Chrysostomus nos primam mereri fidem, non enim ignorabat donum esse Dei, vt ait Diuus Paulus ad Ephes. 2. 8. sed illud ipsum donum fidei à Deo omnibus offerri, cæterum illis re ipsa non dari, qui sua illud culpa reiicerent; illis dari, qui illud recipiendo quodammodo mererentur. Quæ non Chrysostomi solùm, sed omnium etiam veterum auctorum, Augustini, & paucis Augustini discipulis Prospero, & Fulgentio exceptis, sententia fuit.

66. *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.*) Ex hoc tempore. Cæterum non est hoc ad proxima verba referendum. Non enim propterea retro abierunt, quia Christus illic dixerat, *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*: sed quia dixerat vers. 53. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & cætera, quæ in eandem sententiam disputauit. Hic enim fuit sermo ille durus, quem ne discipuli quidem omnes ferre potuerunt. Itaque quasi falsi ipse, & opinione sua à Christo defecerunt. Cùm enim panem ab illo sine vllo labore suo ad saturitatem percepturos sese sperarent esse, sicuti illis Christus exprobrauerat vers. vigesimosexto, viderentque illum loco panis, quem ipsi quærebant, carnem suam manducandam polliceri, multaque de illa inaudita, &, vt videbantur, absurda philosophari, delirare pene putauerunt, indignarique esse, quem ducem, magistrumque sequerentur. Quærunt quidam quomodo intelligendum, quod multi dicuntur retrorsum abijsse. Cyrillus corporaliter interpretari videtur retro abijsse, id est à Christi discessisse comitatu. Chrysostomus, Theodorus Heracleensis, Leontius, Theophylactus, & Euthymius spiritualiter, abijsse retrorsum, id est à fide, quam habebant discessisse, & ad pristinum Iudaicæ incredulitatis statum redijsse. Propterea non dixisse Euangelistam ἀνεχώρησαν, sed ἀπῆλθον, non discesserunt, sed *abierunt*. Eodem fere sensu Augustinus, & Beda; nisi quòd existimant nunquam istos, qui retro dicuntur abijsse, habuisse fidem; itaque interpretatur Augustinus abijsse retro, non à Christo, quem nunquam fide secuti fuerant, sed post Satanam; quem etiam ante sequebantur. Quanquam cum hac interpretatione minùs exemplum minimè conuenit. *Isti*, inquit, *prædixerunt retro, quemadmodum de quibusdam fœminis dicit Apostolus, Quædam conuersæ sunt retro post Satanam.* Nam viduæ illæ, de quibus Apostolus loquitur, Christum prius secutæ fuerant. Nisi in hoc fortassis adduxit exemplum, vt doceret, quemadmodum viduæ illæ non corpore, sed animo retro abierunt; ita discipulos istos dici animo, id est non credendo abijsse. Addit Euangelista, *& iam non cum illo ambulabant*, quod pertinet ad corpus. Itaque ex Cyrilli, & Chrysostomi sententia veram collegeris interpretationem; eos corpore simul, & animo à Christo discessisse. Quærunt nonnulli qui discipuli isti fuerint, qui retro abierunt. Curiosa quæstio, tametsi eam graues etiam auctores proposuerunt. Epiphanius hæres. 51. Marcum, & Lucam Euangelistas duos eorum fuisse tradit, qui Christi de carne sua manducanda audita disputatione ab eo offensi discesserunt. Sed eam opinionem in præfatione Marci, & Lucæ melioribus auctoribus refutauimus.

Tract. 27. 1. ad Tim. 5.15.

67. *Dixit ergo Iesus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire?* Particula *ergo* allusionem quandam ad aliorum discipulorum defectionem significat. Tanquam dicat Euangelista, Cùm Iesus vidisset alios discipulos suos à se discedere, rogauit duodecim, num & ipsi abire vellent? Hanc etiam vim habet coniunctio illa, *Et*, & pronomen, *Vos*. *Nunquid & vos*, qui non solùm discipuli, sed Apostoli etiam. & domestici mei estis, *abire vultis?* sicut alij discipuli abierunt? Simile quiddam ratione alia Rupertus obseruauit. *Et vos*, inquit, *quos dedit mihi Pater, quos attraxit Pater ad me quibus datum est à Patre meo, vt veniretis ad me, nunquid vultis abire?* Non interrogat, quod eorum ignoraret voluntatem, vt Chrysostom. monuit, sed varijs de causis, quas varij auctores indicauerunt, primùm ne putarentur non tam certo consilio, quàm ignorantia, aut verecundia non abijsse, vt Cyrillus ait. Deinde ne vi retinere eos Christus videretur, vt Chrysostomus, & Euthymius adnotarunt. Præterea vt ostenderet se eorum opera, & ministerio non indigere, vt idem Chrysostomus, & Euthymius, ac præterea Theodorus Heracleensis, Leontius, & Theophylactus docuerunt. Ad hæc vt liberum illis arbitrium relinqueret, quo in suscipienda fide maximè opus est. Sic Cyprianus libro 1. epistola 3. *Seruans*, inquit, *scilicet legem, qua homo sui libertatis relictus, & in arbitrio proprio constitutus sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem*. Denique quo magis in fide confirmaret discedendi potestatem

Lib. 7. Cur inter rogat Christus Apostolos an abire velint.

Libero arbitrio in fide suscipiendâ maximè opus est.

facit, vt Cyrillus, & Rupertus animaduertunt. Nescio enim quo humano sit ingenio, vt quæ non prohibentur, minùs appetamus. Sic cum pueris agere solemus, vis me patrem, vis me magistrum habere? si minùs vis, alium tibi quære, qui te magis amet, qui te indulgentius tractet. Quo magis hoc illis dicimus, hoc magis incendimus eorum ad manendum nobiscum desiderium. Sic Iosue capite 24.19. optionem populo videtur dare, vt à cultu Domini discedat, *Non poteris*, inquit, *seruire Domino. Deus enim sanctus, & fortis æmulator est.* Quibus illi verbis magis accensi respondent vers. 11. *Nequaquam ita, vt loqueris, sed Domino seruiemus.* Et Elias 3. Regum 18.21. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum.* Itaque non licet ex hoc loco colligere non posse eos, qui iam baptizati fidem professi sunt, vt ab Ecclesia, quo minùs discedant, retineri, propterea quòd Christus baptizatis, vt creditur, Apostolis potestatem fecit, videtur discedendi. Primùm quia non faciebat illis proprie discedendi potestatem: quin maximè volebat, vt ne discederent, idque agebat his verbis, vt eos in fide retineret. Deinde quia si potestatem illis abeundi proprie fecisset, *Dominus erat etiam sabbati*, qui in lege sua dispensare poterat; nos non possumus. Notarũt Theodorus Heracleensis, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius prudenter non dixisse Christum, Abite, & vos; hoc enim expellentis fuisset, fecisseque contra id, quòd maximè volebat, vt non abirent. Quærunt Chrysostomus, & Theophylactus, cur eos non laudauerit, cùm digni essent laude? Respondent duas ob causas id non fecisse, & ne gloriarentur, quasi aliquid illi contulissent beneficij, quòd deserentibus alijs, ipsi in eius mansissent fide; & vt decorum, & grauitatem magistri seruaret. Et illud notat Euthym. Christum non indignatum ijs, qui discessissent, sed patienter eorum tulisse defectionem.

Possunt semel fidē liberi pro fessi vel de discedant.

Matt. 12. 8.

Cur solus Petrus respondeat.

Sup. vers. 53. 54.

Matt. 17. 4.

68. *Respondit ergo ei Simõ Petrus.*) Illud, *ergo*, aut ponitur pro *autem*, aut pro δὲ, vt sæpe aliàs, aut hanc habet vim. Prouocatus igitur Petrus interrogatione Christi respondit. Cur solus respondent Petrus non aliena ab hoc loco quæstio est. Cyrillus causam hãc reddit, quòd Apostolorum esset princeps; itaque ad eum pertineret, vt pro omnibus vnus loqueretur. Chrysostomus, & Theophylactus tribuunt caritati, qua fratres amaret, qua incensus non pro se modò, sed etiam pro illis responderit. Leontius, quòd optimè omnium verba Christi intellexisset, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, &, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Alij, quòd plùs quàm cæteri haberet fidei, quod redit eodem. Respondisse pro omnibus & omnes sentiunt auctores, Cyprianus lib. 4. epistol. 10. August. Chrysost. Cyrillus, Theophylactus, Euthym. Rupertus; & eius docent verba. Non enim dicit, vt Theophylact. obseruat Quo ibo? sed *quo ibimus?* nec, ego credidi, & cognoui, sed, *Nos credidimus, & cognouimus.* Denique Christi interrogationi respondet. Christus autem non vnum, sed omnes interrogauerat, *Nunquid & vos vultis abire?*

Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.) Duas indicat causas, cur nolint à Christo discedere. Altera est, quòd in eos fós omnium bonorum esset, quæ expetere homines possũt, id est vitæ illius æternæ, quò omnes taciti tendũt; hoc est *verba vitæ æternæ habes*, id est quibus quisquis crediderit, si velit, vitam æternam habebit. Quasi iterum dicat, *Bonum est nos hic esse.* Alludit, vt ait Chrysostomus, ad id, quod dixerat Christus versus 63. *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Quasi dicat, Verum est, quod modò dixisti, *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Altera causa est, quòd etiamsi vellent à Christo discedere, nemo esset, ad quem ire possent, in quo inuenirent vitam æternam. *Repelli nos à te*, inquiunt Augustinus, & Beda, *da nobis alterum te. Si à te recedimus, ad quem ibimus?* Videtur Petrus dicere, abeant, qui voluerint, nobis *adherere Deo bonum est.* Exemplum illustre constantis fidei, vt fratribus nostris à fide discedẽtibus, vt Chrysostomus admonuit, nos licet pauci, licet soli in fide maneamus: certè neminem esse, ad quem relicto Christo ire possimus, qui salutem dare nobis possit. Inepte verò hoc loco hæretici aburuntur. Errare nos, quòd relicto Christo ad homines nos mortuos conferamus, (sic enim homines religiosi sanctos illos appellant, qui beatam cum Deo agunt vitam) vt in illis salutem quæramus. An ipsi Christum relinquunt, cùm se ad aliorum hominum preces conferunt, quod quotidie magna sanctitatis ambitione faciunt? Minimè, respondebunt. Cur ergo putant nos, cum confugimus ad sanctorum preces, Christum deserere? Isti, inquiunt, sunt mortui, illi viui. In hoc verò suam non solùm ignorantiam, verum etiam stupiditatem penitus produnt. Quid enim refert qua ratione deseras Christum, siue vt viuos, siue vt mortuos sectere? In hoc enim crimen est, si quidem vllum est crimen, quòd Christus deseritur vnicus salutis auctor; quòd ad viuos, vel mortuos confugiamus, aut nihil intereſt, aut hoc tantùm interest, quòd meliore consilio, certioreque spe ad mortuos, si sancti sint, quàm ad viuos confugere possimus. Primùm quòd illi amici Dei sint, illique familiares, atque domestici; hi plerumque inimici, & maius est crimen ad hostes, quàm ad socios, amicosque transfugere. Deinde quòd illi nulla iam re indigentes quicquid apud Deum possunt, nobis possunt: his verò si quid precibus possunt, sibi potiùs, quàm nobis obtinent. At non audiunt, inquiunt. Alia hæc est quæstio. Qui scitis, inquam ego, eos non audire? Quia, inquiunt, aures non habent. Idcirco magis audiunt. Impediunt enim corporis aures, quo minùs, quæ longè absunt, possimus audire, quas si animus noster non haberet, melius, ac longius audiret. Habent enim corpora intra certum locorum spatium actiones suas desinitas; spiritus à loco non pendet. Aut dicit quomodo angeli, quomodo Deus audiat, cùm aures vtique non habeant. At fingamus sanctos preces nostras non audire. Quid si videnẽan refert aliquid audiant, an videant, vt & inuocare nos illos debeamus, & iuuare nos illi possint? Audiunt enimuerò, sed hæreticos non audiunt. Locus, quo eorum terminatur auditus, Ecclesia est; qui extra sunt, ab illis audiri non possunt.

69. *Et nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.*) Summam omnem fidei paucis verbis complectitur Petrus, Iesum Christum illum esse filium Dei viui. Quo vno capite omnia, quæ ad fidem pertinent, continentur. Si enim filius Dei erat, omnia, quæ dicebat, vera erant. Itaque quis eum filium Dei esse credebat, omnia credere necesse erat, quæ ab eo dicebantur. Quòd ait *credidimus* (sic enim legendum ex Græcis apparet) *& cognouimus*, confirmationis gratia dictum est, ideo vno verbo non contentus alterum adiecit, quo euidentiorem significat cognitionem. Quasi dicat, Non solùm quia tu docuisti, credidimus, sed etiam cognouimus, id est re ipsa sumus experti te filium esse

esse Dei. Sic dixit Ioannes 1. epistol. c. 1. 1. *Quod audiuimus, quod vidimus, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Sic Samaritani illi mulieri, quæ Christum eis annuntiauerat, dicebant, *Iam non propter loquelam tuam credimus, ipsi enim audiuimus, & vidimus, scimus quia hic est verè Saluator mundi.* Propterea priùs dixit *credidimus*, postea *cognouimus*, quia plus quiddam est cognoscere, quàm credere, & debuit oratio gradatim crescere. Quanquam D. Augustinus, Cyrillus, Beda, & Rupertus aliam eius rei afferunt causam; quòd diuina mysteria nemo possit intelligere, nisi priùs credat. *Nisi enim credideritis non intelligetis.* Tempus præteritum, quo vsus est Petrus, *& credidimus, & cognouimus*, aliquid etiam habet ponderis, quasi dicat, non id modò ex oratione tua, sed iam diu longa experientia didicimus. Notarunt Cyrillus, & Leontius nomẽ Christi & filij Græcè articulum habere ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, Christus ille, filius ille Dei, quo Petrus significarit non eo modo, quo sacerdotes, & alios Reges Christum; nec eo, quo omnes sanctos viros filium Dei, sed singulari, ac propria quadam ratione appellari, Christum, videlicet illum expectatum, qui redempturus erat Israël, & filium Dei vnicum, & naturalem. Leontius filium Dei vocasse dicit, vt offenderet non esse filium Ioseph, quemadmodum putabatur, Addidisse *viuentis*, vt verum Deum significaret. Omnes enim alij, qui pij esse putabantur, non viui, ac veri, sed mortui erant, trunci, lapides, stipites. Quæritur hic à Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, quid causæ fuerit, cur cùm apud Matth. capite 16.16. eadem Petrus confessione vsus est, laudatus à Christo fuerit, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi*; hic nullam tulerit laudem. Respondet Theophylactus ideo Christum hic eum non laudasse, etsi laude dignus erat, ne illi propterea quòd alijs deserentibus in fide præstiterat, assentari videretur. Meliùs Euthymius, illic suo, hic omnium nomine respondisse; ideo illic propriam ei redditam fuisse laudem, hic reddi non potuisse.

70. *Nonne ego vos duodecim elegi; & ex vobis vnus Diabolus est?*) Quorsum à Christo hæc subiecta fuerint, duplex sententia. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius existimant voluisse Christum Petri sententiam quodammodo corrigere. Dixerat Petrus, *Nos credidimus, & cognouimus*, quasi omnes duodecim Apostoli idem credidissent, cognouissentque. Respondet Christus non ita esse, vnum enim eorum esse, qui non credat. Cyrillus verò voluisse Petrum, cæterosque Apostolos, qui fidei præclara confessione gloriari videbantur, commonefacere vt timerent, nec sibi ipsis fiderent, vnum eorum esse, qui cùm Apostolus esset electus, diabolus factus esset. *Tu fide stas*, inquit Diuus Paulus, *noli altum sapere, sed time.* Vtrumque probabile; sed mihi alia etiam, cur Christus hoc dixerit, videtur fuisse ratio, vt offenderet non solùm se non ignorare, quid animi Petrus, & cæteri Apostoli erga se haberent, quamuis illos ignorantis modo interrogasset; sed etiam scire, qualis quisque illorum futurus esset, quod solus scire poterat Deus; vnum enim eorum diabolum futurum esse, qui se esset traditurus. Cur ergo non id simpliciter dixit? cur hac vsus ambage dixit, *Nonne ego vos duodecim elegi?* Opinor, vt ostenderet alios se Apostolos elegisse, quàm quidã illorum futuri erant. Iudam, sicut & cæteros omnes bonum, idoneumque ad Apostoli munus elegisse, sed mutandum esse, factumque proditorem, aut certè mutandum, proditoremque, futurum esse. Nec enim constat, an iam tum consilium de Christo prodendo agitaret; quod videtur postea accepta a Iudæis occasione cepisse. Nam etsi dicit Christus præsenti tempore, *ex vobis vnus diabolus est*, ad futurum respicit, quia, vt Euangelista declarauit, *erat traditurus eum.* Quòd ergo dicit, *Nonne ego vos duodecim elegi?* perinde est, ac si diceret, nonne cum à me electi estis, boni omnes eratis? quo ergo modo vnus ex vobis mutatus est? Hanc enim vim habet verbum illud *elegi* absolutè positum: non enim eligimus, nisi bona, nisi aliquo fortassis errantis errore, qui in Christum cadere non poterat. Eandem emphasim numerus habet, tanquam si diceret, nonne ego vos idoneos, dignosque duodecim Apostolos elegi? quomodo nunc non estis nisi vndecim? Nam etsi videmini duodecim esse mihi, qui non numerum tantùm capitum, sed animos cerno; non duodecim, sed vndecim estis; nam vnus non tam Apostolus, quàm diabolus est. Nam illa altera interpretatio, quam Augustinus affert, numerum duodenarium Iudam non comprehendere, sed duodecim vocari, etiamsi deesset vnus, vt sæpe alibi legimus, aut Matthiam comprehendi, qui Iudæi loco suffectus est; verbis Christi non satis conuenire mihi videtur, quorum vis in eo cõsistit, quòd Iudas vnus ex duodecim esset. Loquitur tanquam pastor lustrans, ac numerans gregem suum, & rectè cognoscens oues suas. Loquitur, vt diximus, spectans non tam præsens, quam futurum; aut loquitur non de officio, sed de dignitate. Adhuc enim Iudas verus, quamuis minimè fortasse bonus Apostolus erat; nam ab eo officio nunquam à Christo, qui solus remouere poterat, remotus est, donec sponte sua, vt proderet Christum, ipse discessit. Itaque non potest ex hoc loco Anabaptistarum, & quorundam huius temporis hæreticorum error confirmari, qui existimant Ecclesiasticos ministros, ciuilesque magistratus eo ipso, quòd peccatores sunt, officio priuari omnemque perdere potestatem. Ex his autem, quæ diximus, opinio illa corroboratur, quam apud Matthæũ capite 10.4. probauimus. Christum non solùm postquam Apostolos elegit idoneos, vt dicit Diuus Paulus, effeciisse, sed etiam elegisse eos, quos omnibus consideratis rebus sciebat esse secundum præsentem statum ad munus illud Apostolicum maximè omnium idoneos. Hoc enim est, vt diximus, *elegi vos*, vt rectissimè Ammonius, Leontius, & Cyrillus obseruauerunt. Itaque Augustino, & Bedæ assentiri non possum, qui existimant Iudam à Christo malum, qualis postea fuit, scienter electum fuisse, eo ipso consilio, vt esset aliquis ex suis, qui se proderet. Quærunt nonnulli, quomodo hæc verba cum illis non repugnent. capite 13.18. *Ego scio, quos elegerim*, quasi non omnes Apostolos elegisset, Facilis solutio. Illic agit de electione ad gloriam, hic ad Apostolatum. Quod dicit, *& ex vobis vnus diabolus est*, quidam tanquam nomen Satanæ propriũ interpretantur, quasi dicat Diabolus est, id est facit opera Diaboli, non me, sed Diabolum sequitur, vt Cyrillus, & Leontius. Alij, vt nomen sit appellatiuũ, qualemcunque calumniatorem significans, hoc enim est διάβολος; & quemadmodum nomen Satan Hebraice aliquando proprium Diaboli, aliquando commune omnis aduersarij est, vt Matth. 4. 10. diximus; ita & diaboli nomen aliquando proprium, aliquando commune est; sic multi intellexerunt, vt refert Euthymius. Sed magis probo, vt nomen proprium hoc loco sit; maiorem enim emphasim habet vt Diabolus ipse, quàm vt communi nomine calũniator esse dicatur. Diabolum autem vocat, non

Ver. 71.

Anabaptistarum, & aliorũ hæreticorum de sacerdotibus & magistratibus error refellitur.

2. ad Cor. 3. 6.

Quid diaboli nomine hic significetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd natura, sed quòd imitatione Diabolus esset. *Quia sicut qui adhæret Domino, vt ait Cyrillus, vnus spiritus sit cum Domino; ita qui adhæret Diabolo, vnus cum Diabolo spiritus efficitur, & ipse quodammodo Diabolus.* Sic vulgus loqui solet, *Est Diabolus*, id est est homo callidus, fraudulentus, diabolicus. Notatum lego, cur Christus hac phrasi hoc loco vsus fuerit, an non satis habebat dicere, vnus ex vobis defecit, aut vnus ex vobis dignus non est? Duas ego eius rei causas inuenio; alteram, quòd voluerit alludere ad casum è cælo Diaboli: comparat enim tacitè Apostolos angelis, qui cùm omnes boni à Deo conditi essent, *Diabolus in veritate non steterit*, id est fidelis Deo non fuit conditori suo, sed ab eo superbe defecit. Hoc ergo fecisse, aut facturum esse Iudam inter Apostolos, quod inter angelos Diabolus fecerat, ideoque Diabolum vocari posse. Alteram, vt Diabolum Apostolis opponeret, de quibus tacito nomine loquebatur. Nihil enim Apostoli officio magis contrarium, quàm officium Diaboli. Vt ergo ostenderet Christus quantopere Iudas mutandus esset, dixit ex Apostolo, qualem ipse elegerat, vnum esse diabolum. Non abs re est, quod Rupertus quærit; quamobrem Christus, quis ille vnus esset, non declarauerit? *quem dum nominatim non exprimit, vniuersos premit, vnumquenque pro semetipso nimis agre solicitum reddit? Non enim illum talem conscientiarum iudicem sæpe compertum falli existimare poterant, non proximorum conscientias singuli comprehendere valebant, non sua quique merita (eũ de futuro incerti essent, & tam multos desipere viderent) magni pendere audebant.*

71. *Dicebat autem Iudam Simonis Ischarioten: hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.*) Consilium hoc loco Euangelistæ videtur fuisse reliquos Apostolos à suspicione proditionis vindicare. Cùm enim Christi verba recitasset dicentis, vnũ ex numero duodecim Apostolorum diabolum esse, neque quis is vnus esse indicantis, poterat lector de singulis an hic, vel ille esset, dubitare. Ne igitur dubitaret, & malè de immerentibus suspicaretur, notarunt Ammonius, Leontius, & Theophylactus ipsdem pene verbis, vt satis appareat alium ab aliis fuisse lectum, Ioannem Euangelistam quasi admirabundum dixisse, *Hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.* Verè enim admirabile, & prope incredibile fuisse scelus, quòd cùm discipulus esset Christi, & discipulus quidem non vnus è multis illis, qui Christum gregatim sequebantur, sed ex duodecim Apostolorum numero, Christum tradiderit. Audierat hæc Iudas, & non dubium, quin indice conscientia cognouerit se notari; hæret tamen in peruerso, ac scelerato consilio. Hæc duo ex eius discimus exemplo, nullum locum, nullum in hac vita statum esse, in quo securi esse debeamus; & postquam in absurda homines peccata cecidere, adeo hebetes, & sensus fere expertes fieri solere, vt etiãsi correptionis aculeis maximè pungantur, nihil propemodum sentiant.

1. ad Cor. 6.17.

Cur diabolus dictus sit Iudas.

Luc. 10. 18. Ioh. 8.44.

Cur Christus Iudæ nomen nõ expresserit.

CAPVT VII.

1. POST hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo. 5. Neque enim fratres eius credebant in eum. 6. Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo quòd opera eius mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. 9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. 10. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. 11. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. 14. Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. 15. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? 16. Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere? 21. Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini: 22. Propterea Moyses dedit

Leuit. 23. f. 32.

Exod. 23. n. 1. Sup. 5. n. 18.

ses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) & in sabbatho circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? 24. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. 25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? 26. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognouerunt principes quia hic est Christus? 27. Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit. 28. Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. 29. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit. 30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. 31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit? 32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt principes, & Pharisæi ministros vt apprehenderent eum. 33. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit. 34. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. 35. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? 36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire? 37. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. 39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. 40. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est vere propheta. 41. Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæa venit Christus? 42. Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? 43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. 45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? 46. Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. 47. Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis? 48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? 49. sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. 50. Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: 51. Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? 52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit. 53. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.

Leui. 12. a 3. Gen. 17. b. 10. Deut. 1. c. 16.

Mich. 5. a. 2. Matt. 2. a. 6.

Sup. 5. a. 2. Deut. 17. b. 8. & 19. b. 15.

IN CAPVT VII.

1. POST hæc ambulabat Iesus in Galilæa.) Dubium, quod tempus hîc Ioannes notet, post quod in Galilæa Christum semper versatum dicat. Sic enim loquitur, quasi cùm hæc diceret, aut eam ea, quæ superiore capite narrata sunt, accidere, in Iudæa fuisset, postea verò venerit in Galilæam, quòd Iudæi interficere eum vellent. Hoc quidem indicat verborum species sed constat ex capite præcedenti omnia, quæ in eo dicta sunt, in Galilæa contigisse. Vix quisquam grauis auctor quæstionem attigit. Inter recentiores autem interpretes nonnulli ad versum 4. refert ut superioris capitis, vbi dictum est proximum fuisse Pascha diem festum Iudæorum, quo festo, quamuis id Euangelista non dicat, volunt Christum, quia ita præceptum in lege erat, Ierosolymam ascendisse, redijsséque, donec festum tabernaculorum venerit, quo mediante, vt dicitur ver. 14. in templum ascendisse. Hoc mihi probabile non videtur esse. Ita enim Ioannes historiam illam multiplicati panis, & disputationẽ Christi de carne sua commemorauit, vt obscurum nõ sit eum significare potiùs voluisse Christum non ijsse Ierosolymam ad Pascha celebrandum. Itaque si ad eum locum hæc verba referre placet; malim dicere rationem potiùs Ioannem reddere, quare Christus ad Pascha celebrandum Ierosolymam non ascenderit, quia cùm vellent eum interficere Iudæi, in Galilæa sese continebat. Alij referunt ad id, quod cap. 5. 18. dictum fuerat, *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere.* Quasi omnia, quæ post ea verba dicta sunt, velut per parẽthesim dicta fuerint. Multo hoc est probabilius.

babilius. Nam & infra ver.21. dicit Christus, *Vnum opus feci, & omnes miramini*, loquens nimirum de eo paralytico, quem illic curauerat, & historiam hoc capite sequentem cum illa coniungens. Hoc mihi non displicet; sed non video, quid opus sit tam longè quærere sententiam, cùm ante pedes habeamus. Cur enim non dicamus voluisse Ioannem rationem reddere, cur Christus paulò post recusauerit cum fratribus suis ad diem festum ascendere, quia nó audebat in Iudæa ambulare? Itaque quòd ait, *post hæc*, non significat post curationem illam paralytici c.5. 9. sed significat tempus, quo Christus ex Iudæa in Galilæam postremo venerat, vt Ioannes dixerat c.6. 1. *Post hæc abijt Iesus trans mare Galilææ*; cum quibus verbis hæc sunt ita connectenda, quasi dixerit, Post hæc abijt Iesus in Galilæam trans mare Tiberiadis, in eáque deinceps versabatur, non audens versari in Iudæa, quia volebant eum Iudæi interficere. Quod enim dicit, *ambulabat*, Hebraismus est significans versari. Nisi malimus eo verbo Christi discursum significari, qui nunquam diu vno consistebat loco, sed huc illuc prædicandi causa vagabatur.

Hebraismus, ambulare, id est versari.

Non enim volebat in Iudæa ambulare.) In quibusdam Latinis codicibus & suprà Galilæam, & hîc Iudæam corruptè legitur. Quòd autè legimus, *volebat*, Chrysostomus, & Euthymius legunt, non poterat in Iudæa ambulare ἐκ ἐδύνατο, aut ἐκ ἐἶχεν ἐξουσίαν, non habebat potestatem, atque eodem modo Augustinus, & Beda legere videntur, sensu eodem. Nam, vt alibi ex Gregorio Nazian. orat. 4. de theologia adnotauimus, sæpe non posse idem est. quod nolle, vt Mar. 6. 5. *non poterat ibi virtutem vllam facere.*

Non posse idem valet quod nolle.

Quia quærebant eum Iudæi interficere.) Hebraismus, Quærebant pro volebant, aut quærebant interficere, id est ad interficiendum, aut quærebant occasionem interficiendi. Alludit ad cap. 5. 18. Quærunt graues auctores, cur timuerit in Iudæam propterea ire, quòd vellent Iudæi eum interficere, cùm nisi ipse vellet, interfici non posset. Nam & alias, cùm Iudæi eum tenere vellent, elapsum fuisse de eorum manibus diuina quadam, & mirabili ratione Ioan. 8. 59. Et cùm Nazareni præcipitem eum de mõte agere voluissent, euasisse eodem modo Luc. 4. 30. Duobus modis auctores respondent. August. & Beda exemplum nobis præbere voluisse pericula declinãdi, cùm ratio, caritásque non postulat, vt vitam effundamus. Chrysostomus, Ammonius, Leontius, Theophylactus, Euthymius voluisse se hominem ostendere; itaque ex hoc loco Marcionistas, qui homigem; ex illis autem, vbi ex medijs periculis mirabiliter euasit. Paulum Samosatenum, qui Deum esse negabat refutari.

2. *Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia.*) Ideo hoc Ioannes notat, vt occasionem declaret sequentis historiæ, quo prætextu inuitatus à fratribus suis Christus fuerit, vt in Iudæam iret per speciem festi celebrandi. Scenopegia Græcè tabernaculorum fixionem significat. Sic Græci vocatunt festum tabernaculorum, quod Hebraicè מוֹעֵד, appellabatur. Vnum erat ex illis tribus, quibus omnes viri in templum ascendere debebant Exod. 23. 16. Leuit. 23. 34. Deut. 16. 13. & 31. 10. Institutum fuerat, vt Iudæi anniuersaria eius diei celebratione recordarentur se in deserto, cùm ab Ægypto venirent, per annos quadraginta in tabernaculis habitasse. Celebrabatur autem fixis in campo tabernaculis, vt re ipsa veterem historiam repræsentarent. Inchoabatur decimaquinta die mensis septimi, qui nostro Septembri, aut vt alij volunt, Octobri respondebat, & per dies septem agebatur. Leuit. 23. 34.

Quodnã festus esset Scenopegia.

3. *Dixerunt autem ad eum fratres eius.*) Cauendus hîc Græcorum error interpretum, qui fratres Christi filios Ioseph vocari putant, Leontij, Cyrilli, & Euthymij. Nihilo probabiliot Chrysostomi, & Euthymij, &, vt videtur, Cyrilli sententia, qui Iacobum, & Iudam eius fratrem Apostolos eos fuisse existimant, qui hîc Domini fratres appellantur, vt Gal. 1. 19. Dicit enim Euangelista ver. 5. eos fratres Christi, qui hoc illi dixerunt, nondum tunc in illum credidisse. Et credendum non est nondum Apostolos credidisse: ijs igitur assentior, qui existimant fratres hoc loco cæteros eius cognatos appellari, vt D. etiam Augustinus putat; siue ex matre, qui verè secundum carnem cognati erant; siue ex patre, qui etsi verè cognati non erant, tamen esse putabantur, vt Matt. 13. 55. & loqui Euangelistam, non suâ, sed aliorum opinione.

Transi hinc, & vade in Iudæam; vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.) Reprehendentium verba sunt, simul & hortantium. Nam & illius nimiam timiditatem notant, quòd cùm tam clarus miraculis sit, in obscuro loco delitescat, nec satis habeat animi, vt debitam sibi ab hominibus gloriam consectetur; & vt id faciat, reprehensione ipsa cohortantur. Hanc vim illa habent verba, *Transi hinc, & vade*, quasi dicant, quid hîc obscurus delitescis? excede domo, & te, quis sis, omnibus hominibus ostende, maximéque Ierosolymæ; quo omnium Iudæorum concursus fit hoc potissimùm tempore.

Vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.) Hæc altera videtur esse ratio, qua persuadere illi volunt, vt in Iudæam eat, vt discipulos, quos illic habebat, miraculis confirmaret. Sed prætextus hic potiùs, quàm vera erat ratio. Nec enim illi de discipulorum confirmatione, sed de sua ipsorum gloria videntur fuisse soliciti. Volebant ex Christi miraculis Ierosolymæ in maxima frequentia hominum factis conciliare sibi aliquid gloriæ, demonstrari digito, illi sunt cognati Christi eius, qui tanta, támque multa miracula facit. Quòd enim paulò post dicit Euangelista fratres eius nondum in eum credidisse, non sic intelligendum, quasi nullo prorsus modo, sed quasi non omnino credidissent. Volebant igitur experiri in loco celebri, an ea posset facere miracula, quæ facta ab eo alibi narrabantur, vt aliquid ad se gloriæ redundaret. Exprimitur nobis in illis cognatorum ingenium; nihil solent ex nobis nisi honorem, aut vtilitatem suam quærere.

4. *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse.*) Quod noster vertit interpres, *In palam esse*, Græcè est ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι. Significat autem propriè παῤῥησία non quamuis, sed loquendi libertatem; quod non animaduertentes quidam interpretes exposuerunt, In libertate esse, id est liberum, turúmque à persecutoribus esse, sensu prorsus alieno. Quæ enim cohærentia rationis est, nemo in occulto quid facit, & quærit in tuto esse? Immo verò qui vult in tuto esse, non facit in publico, sed in occulto opera sua, ne sibi conflet inuidiam; inuidia autem periculum sibi aliquod creet. Alij aliquanto melius, sed tamen violentè, & præter vocabuli vsum passiuè interpretantur, In libertate loquendi esse, id est in ea existimatione, vt liberè de eo homines loquantur. Etiamsi id nomen significaret, non posset hic esse sensus. Nam præterquam quòd bene, & male de illo homines libere loqui poterant; manifestum est antitheſim esse inter hæc duo membra. *In occulto facere*, & esse in παῤῥησίᾳ. Itaque non dubito παῤῥησίαν hoc loco locum publicum, celebritatémque significare, & esse in luce, celebrari omnium sermonibus, spectari

omnium

omnium oculis, digito demonstrari. Nam & alibi ἐν παῤῥησίᾳ pro in aperto, in publico positum legimus, vt in hoc ipso cap. ver. 13. & Mar. 8. 32. quemadmodum Leontium exposuisse video. Quare optime omnium licet minùs Latinè vertit noster interpres, *In palam esse*. Notauimus alibi quærere Hebræorum idiomate idem esse, quod vellesitaque sensus est. & vult, aut cupit esse celebris. Quibus verbis, quemadmodum Chrysostomus & Euthymius obseruarunt, gloriæ in Christo cupiditatem notauerunt. Tanquam argumententur; nemo gloriam, & famæ celebritatem affectans, præclara opera sua in occulto facit, sic enim inuentẽda sunt verba; tu gloriam affectas; non ergo debes in occulto miracula facere. quæ facis. Cùm dicunt, *Nemo in occulto quid facit*, illud, *quid* non quidquis, sed aliquid egregium, & singulare designat; vt cùm dicitur mater filiorum Zebedæi accessisse ad Christum, vt peteret *aliquid* ab eo id est magnum quiddam, Matt. 20. 20.

Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.) Incertum an hæc dubitando, an exhortãdo cognati Christi dixerint. Quod statim Euangelista subiicit, *Nec enim fratres eius credebant in eum*, indicat dixisse dubitando, quasi dixerint, si vera sunt, quæ de te narrantur, quęque tu te iactas, fac ea publicè, vt omnes videant, & maiorem inde gloriam consequare; sicut illi dicebant, *Christus rex Israel descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus*, Mar. 15. 32. Si exhortando dixerunt, sensus est, Quandoquidem hæc tanta, támque multa facis miracula, ostende teipsum mundo. Mihi vtroque modo dicere videntur. Nam, vt supra diximus, versúque sequenti dicturi iterum sumus, cùm dicuntur fratres Christi in eum non credidisse, non ita intelligendum est, quasi nullo modo crediderint; sed quasi non bene. Itaque de eo, déque eius miraculis, an vera essent dubitabant. Dubitando igitur dicunt; *Si hæc facis*. Alia ex parte apparet eos ex miraculis Christi in publico faciẽdis aliquam sibi gloriam ambijsse; propterea exhortatos eum fuisse, vt Ierosolymam iret. Quòd dicũt, *Ostende teipsum mundo*, Ierosolymam intelligunt, quæ eo, quòd caput erat regni, & quòd templum habebat celeberrimum, frequentissimè habitabatur. Sic loquuntur Pharisæi c. 12. 19. *Ecce mundus totus post eum abiit.*

5. *Nec enim fratres eius credebant in eum.*) Reddit causam Euangelista, cur ita fratres eius locuti essent, quòd nondum eius miracula satis credere viderentur. Qui isti fuerint fratres, qui in eum non credebant, supra dispuraimus ver. 3. Hoc certè tenendum, nec filios fuisse Ioseph, quemadmodum Græci auctores omnes; nec ex duodecim Apostolorum numero, vt Chrysost. Cyrillus, Theophylactus, Euthym. & auctor anepigraphus citatus in Græca Catena sentiunt. Nam, vt rectè Rupertus argumentatur, iam supra c. 6. 68. omnes Apostoli, vno per Christum, excepto Iuda, ore Petri respondebant, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Dicuntur autem nondum in illum credidisse, non quòd nullo modo crederent, sed quòd non satis crederent. Etenim, si nullo modo credidissent, nullam habuissent spem aliquid ex eius miraculis gloriæ colligendi, quam se vtique habere indicant, cùm vt esse mundo ostendat, exhortantur. Euthymius existimat, credidisse quidem in Christum, sed nõ tanquam in Deum. Rectè Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, propterea non credidisse, quia cognati erant. Ac vere illi quidem dicunt; nullum enim maius impedimentum esse solet & credendi, & omnino meliorem sequendi vitam, quàm cognationes quàm caro, quàm sanguis. *Loquebatur*, inquit Augustinus, *caro*

caro, *sed caro sine Deo carni cum Deo. Loquebatur enim prudentia carnis verbo quod caro factum est, & habitauit in nobis.*

Sup. c. 1. 14.

6. *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum.*) D. Augustinus, Beda, & Rupertus tempus suum Christum vocare putant tempus consequendæ gloriæ, cuius consequendæ causa fratres eum hortati fuerant, vt Ierosolymam se conferret: sed de alia respondere gloria, quàm ad quam illi consectandam adhortabantur. Illi humanam intelligebant gloriam, illum de diuina respondisse, *Tempus meum nondum aduenit*. Quasi dicat, maior mihi gloria, quàm vos potestis animo concipere, proposita est, vt exalter, vt sedeam ad dexteram Patris, vt detur mihi *nomen, quod est super omne nomen*; sed eius gloriæ consequendę tempus nondum aduenit; multa mihi prius patienda sunt. Cyrillus, &, vt videtur, Ammonius tempus manifestationis intelligunt, quasi respondeat ad vltimum illud verbum, *Ostende teipsum mundo*, dicens, tempus ostendi me nondum aduenit. Apollinarius in Græcorum Catena tẽpus meum ad festa celebranda, tempus enim mihi passionis est, atque afflictionis, non gaudij, atque lætitiæ. Quidam simpliciter interpretantur, tempus ascendendi Ierosolymam, vt vos petitis, nondum aduenit. Verus sensus est, quem Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius exposuerunt, nondum venisse moriendi tempus, quod sibi à Patre præscriptũ fuerat. Hoc enim tempus suum, aut, quod idem est, horam suam Christus vocare solet, vt infra ver. 30. & c. 8. 20. & 13. 1. Et propterea in Iudæa versari nolebat, *quærebant eum Iudæi interficere*, vt ver. 1. dictum est, ipse verò nolebat mori ante constitutum à Patre tempus; & quamuis posset vi, aut miraculo effugere Iudęorum manus, malebat tamen id fine vi, ac sine miraculo facere. Quia ergo cognitos habebat Iudęorum animos, sciebátque fore, vt si Ierosolymam iret, se occidere conarentur, pro eodem habet ire Ierosolymam, & ad mortem ire; & quia moriendi tempus nondum aduenerat, dicit se Ierosolymam ire non posse. Putat etiam Leontius probabile esse voluisse fratres Christi inflammatos inuidia tradere illum in Iudæorum manus, ideòque respondisse, *Tempus meum nondum aduenit*, quasi dicat, Quid vultis cogere me ante tempus mori? At posteà ijt? Ita est; sed voluit hoc loco significare, quid sibi tanquam homini faciendum foret; periculum, quod alia ratione supetare non posset, fuga declinandum, posteà eundo declarauit, quid tanquam Deus facere valeret; in medio nimirum periculo sine periculo versari. Quid ergo est, *Tempus vestrum semper est paratum?* Augustinus, Beda, & Rupertus cõuenienter exponunt alteri sententiæ, tempus humanæ quærẽdæ gloriæ, quam vos solam quæritis, semper est opportunum, quia ad eum sine labore, sine morte venitur. Quam etiam interpretationem, aut illi non dissimilem Cyrillus probat, *Quæcunque* inquit, *maiori dispensationi res subiacent, non quouis tempore commodè agumtur; quales erant res Christi; res autem eorum, qui maiora negligunt, humiliora sequuntur, quouis tempore suscipi possunt.* Melius Ammonius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius existimant propterea dixisse tempus eorum semper paratum, id est opportunum esse, quia nullum illis, quocunque tempore Ierosolymam irent, periculum imminebat; posse quocunque tempore, quocunque loco eum mundo versari, cùm ipsi de mundo sint; sc non posse, qui mundo sit inimicus, quemadmodum in exercitu, qui amici sunt, quouis tempore interdiu, noctu, mane, vesperi tutò versantur, hostes non

Quid tempus suum Christus, & horam suam vocare soleat.

Lib. 4. c. 33.

item.

Universidad de Deusto
Biblioteca

item. Hoc est, quod statim subiicit, *Non potest mundus odisse vos, me autem odit.* Alio ergo sensu sumit suum, & fratrum suorum tempus; suum patiendi, fratrum eundi Ierosolymam. Sæpe docuimus id non solùm non absurdè sed etiam eleganter fieri solere. Continent igitur hæc verba tacitam quandam reprehensionem. Fratres Christum subreprehenderunt quòd in Iudæam ire nollet; Christus eos contrà subreprehendit, quòd ire tuti possent, quod esset argumentum eos homines esse mundanos, quales mundus. Iudæique diligerent. Vtroque loco non χρόνος, sed καιρὸς Græcè legitur, quod non qualecunque, sed idoneum, opportunum ad aliquid agendum significat tempus. Id tamen ipsum addito epitheto magis expressit, ἕτοιμος paratum id est opportunum.

7. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt.*) Nó dubium, quin causam reddat, cur eorum tempus semper paracum sit, id est cur quouis tempore sine periculo in mundo, hoc est inter Iudæos tuti versari possint: quia & ipsi similes illis sunt, & mundi ipsius membra, & non potest mundus, quæ sua sunt, habere odio. Similis sententia cap. 8. 23. *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo*, & c. 15. 19. *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret*, & cap. 16. 20. *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* In hanc sententiam Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Leontius, Beda, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus exponunt. Animaduertit autem Chrysostomus alluisse Christum ad id, quod eius fratres dixerant, *manifesta teipsum mundo*, ver. 4. Quia enim hortati fuerant, vt seipsum mundo, quis esset, declararet, respondisse, ipsos id tutò posse facere, quia de mundo essent, & mundus non posset odisse suos. Mundum, vt obseruant Ammonius, Leontius, Cyrillus, & Euthymius, Iudæos vocat τὰ κοσμικὰ φρονοῦντας, sive mundana sapientes.

8. *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.*) Cur iubeat, aut concedat fratres suos ad diem festum ire, se verò significet ire non posse, manifesta ex superioribus est ratio. quòd illis nullum à mundo periculum immineat, sibi immineat, nisi aut latebris, aut diuina declinet potentia. Illud hoc loco multos, præsertim Latinos vexat interpretes, quomodo dicat se non ascendere, aut ascensurum non esse ad diem illum festum, cùm postea ascenderit. Obiiciebat Porphyrius hunc locum Christo, vt probaret esse mentitum, aut non satis sibi constitisse, vt auctor Hieronymus est, 2. contra Pelagianos libro. Ex loci difficultate lectionum quoque varietatem natam fuisse arbitror, dum vt ad suum sensum locum flectat, alius addit, alius demit. Nonnulli totum hoc membrum præciderunt, *Ego non ascendo ad diem festum hunc.* Itaque in quibusdam etiam Græcis codicibus non est. Alij non legunt τοῦτον, hunc. Alij legunt οὔπω ἀναβαίνω nondum ascendo. Alij οὐκ ἀναβαίνω νῦν, non ascendo nunc. Interpretationes varias recitemus; nam simul & quæ vera interpretatio, & quæ vera lectio, declarabimus. Si legamus οὔπω ἀναβαίνω nondum ascendo, omnis tollitur quæstio. Qui enim dicit se nondum ascendere, non dicit se postea non ascensurum; itaque quòd paulò post ascenderit, nihil contrarium dictis fecit. Huic autem lectioni multa argumenta auctoritatem præbent. Primùm innumeri pene codices Græci, in quibus eo modo legitur; maximè verò antiquissimus ille Vaticanus toto terrarum orbe celeberrimus. Deinde auctores graues Nonnus, Chrysostomus, & Euthymius, qui ita non solùm legunt, verum etiam exponunt; eodémque modo arbitror Theophylactum legere, etsi in Aldino codice οὐκ legitur; sed, vt opinor, pro οὔπω, vitio manifesto. Leontius, & Ammonius videntur legisse νῦν, nunc, sententia eadem. Sed vix mihi persuadere possum aut οὔπω, nondum, aut νῦν, nunc esse legendum. Primùm quia multi & Græci, & Latini non legunt auctores. Non Cyrillus, nó Euthymius, non Beda, non Strabus, non Rupertus, non quisquam, quòd sciam, Latinus auctor. Itaque non dubito Latinum nostrum interpretem non ita legisse, quemadmodum & ex omnibus vetustis codicibus, & ex Latinis apparet commentarijs. Denique illa altera lectio non videtur cum Christi consilio bene conuenire. Volebat enim proculdubio cognatis suis significare se nec tunc, neque postea ad festum ascensurum; vt ipsi sine se ascenderent. Quòd si dixisset, *Nondum ascendo*, aut, *Non ascendo nunc*, haud obscurè illis significasset paulò post ascensurum esse; itaque sine illo ire noluissent, sed expectassent. Statuamus igitur legendum esse, *Non ascendo ad diem festum hunc*, & verum horum verború quæramus sensum. Nam si secus legendum est addita particula *nondum*, opus non est quærere, cùm nulla sit quæstio. Augustinus & Beda exponunt, *Non ascendo ad diem festum hunc*, id est ad humanum festum, ad humanam celebritatem, ad quam ideo vos me cupitis ascendere, vt humanam colligam gloriam. Similis alia est eiusdem Augustini interpretatio, *Non ascendo ad diem festum hunc*, scilicet Scenopegiam, quia in eo festo ego sum, per illud ego significor, tanquam per figuram veritas. Quare nó opus est, vt ego ad illum ascendam, sed vt ille ad me descendat. Alio, sed simili modo Strabus interpretatur, Non ascendo ad patiẽdum, de qua passione antea dixerat, *Tempus meum nondum aduenit*, in hoc die festo tabernaculorum, quia non id mihi ad patiendum cõstitutum est tempus, sed in festo Paschæ, quo festo passurus sum. At hæc explicatio nodum non soluit. Si enim dixerat se ad festum Scenopegiæ ascensurum non esse, quomodo post ascendit? Nisi dicat ascendisse quidem, sed non ad patiendum, quemadmodum se negauerat ascẽsurum. Verum hoc ipsum est durum. Eucherius in quæstionibus in Ioannem putat, cùm Christus dixit se ad diem festum illum non ascensurum, primum eius festi intellexisse diem, qui propriè festus dies appellabatur. Per septem enim dies tabernaculorũ festũ, vt ver. 2. diximus, celebrabatur. Non ergo ascendit Christus ad festum, id est ad primum diem, sed *iam festo die mediante*, vt ver. 14. tradit Euangelista. Quam interpretationem etiam probant Augustinus, Cyrillus, & Ammonius: *Non ascẽdo ad diem festum hunc*, id est huius festi celebrãdi causa. Ascendisse autem postea, non vt festum ageret; sed vt Iudæos doceret. Quæ interpretatio idcirco mihi minùs videtur apta, quia dubiũ non est ideo postea Christum ascendisse, vt festum celebraret, ne legem violare videretur. Nolim arrogantiæ tribui, si inter tam graues auctores meam ego cum illis minimè comparandus dixero sententiam. In domo omnes Domini laboramus, vnusquisque in eius ornamentum confert quod ab eodem Domino sibi datur. Credo ego Christum ex cognatorum suorum opinione locutum esse. Illi quidem putum hominem esse putabant, an aliquid supra cæteros haberet homines, de eo dubitabant, volebantq; an ita esset, faciendis Ierosolymæ miraculis experiri; tanquam hominem, quòd in obscuro lateret loco, reprehendebant, tanquam hominem hortabantur, vt ascenderet ad diem festum, ibique ederet miracula ea, quæ ediderat alibi ferebatur, vt aliquid ad se inde rediret gloriæ. Eodem

Porphyrij obiectio hunc locum.

dem sensu negat Christus se ad eum diem festum ascensurũ esse, quia si purus ascendisset homo, qualem illi esse arbitrabantur, non potuisset Iudæorum resistere potestati occidere se volentium. & tempus eius moriendi nondum aduenerat. Hoc modo quo se negauit ascensurum, ne postea quidem ascendit; verum ascendit diuinitate plenus, atque munitus, qua effecit, vt nihil in se designare posset, quãtumuis inflammatum Iudæorum odium. Solet Christus frequenter hoc modo loqui, quasi solùm esset homo accommodatè ad eorum, quibuscum agit, opinionem. Vt cum adolescenti illi dixit, *Quid me dicis bonum, nemo bonus nisi vnus Deus*, indicans se neque bonum, neque Deum esse, non quidem sua, sed adolescentis opinione. Ita mihi Rupertus videtur, alijs liceret explicet verbis, hunc locum intellexisse. Certè longè non abit ab hoc sensu. Cur ergo, dicet aliquis, non statim Christus cum illis ascẽdit eo ipso modo, quo postea dicitur ascendisse? In promptu ratio est, noluit eorum de se prauam opinionem confirmare. Si enim tunc eũ illis ascendisset, visus fuisset eorum votis assentiri, ideóque ascendere, vt humanam sibi pararet gloriam, quemadmodum illi desiderabant. Ascendit ergo postea, vt & legi satisfaceret, & vt suo, non illorum sensu ascendere videretur. Cur ergo *non manifestè, sed quasi in occulto*, vt ver. 10. dicit Euangelista, cùm Deus esset, qui siue occultè, siue palam ascenderet, iuxta potuit periculum deuitare? Nolebat diuinitate sua, & miraculis vti, nisi in rebus omnino necessarijs, vbi humana deficiebat industria, qua, quamdiu ea satis erat, vtebatur. Vt homo igitur, ascendit occultè; cùm celari non potest, & in medio periculo versatur, elabitur vt Deus. Quæ ad versus 9. & 10. expositionem pertinent, vide supra, & infra ver. 11.

11. *Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant, vbi est ille?*) Iudæos vocat Euangelista Ierosolymitanos ciues, neque eos quidem omnes, sed primores, sacerdotes, Scribas, Pharisæos, & populi principes. Hi enim erant, qui Christo insidias ponere solebant, vt Leontius, & Theophylactus obseruarunt. Nam populum eum fuisse, qui dicebat, *Bonus est*, ver. 12. Quærebant autem eum ad necem, vt Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius existimant, id ex ver. 13. perspicuum est, vbi Iudæi turbæ opponuntur. Dictum enim fuerat c. 5. 18. propter sanatum ad probaticam piscinam paralyticum Iudæos eum interficere voluisse. Aut quærebant, vt Leontius ait, vt aliquod viderent ab eo fieri miraculum, vnde calumniandi arriperent occasionem, quemadmodum in sanato fecerant paralytico. Cæterum quocunque tandem prætextu interficere voluisse, non modò ex c. 5. 18. quod remotum est argumentum, sed multo maximè ex hoc ipso c. ver. 25. perspicuum est, *Nonne hic est quem quærunt interficere? Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt.* Itaq; rectè Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius obseruarũt summorum eos scelus in die festo, quem maximè sanctificare oportebat, patrare voluisse. Quo die potissimùm quærere debebant Christum, vt in illum crederent, quærebant, vt occiderent. Idem hodiéque multi Christiani faciũt dies festos, quos in colendo, adorandóque Deo impendere debebant, in blasphemando, in offendendo, in crucifigendo consumunt. Obseruarunt etiam Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus verba illa, *Vbi est ille?* odium, atque contemptum quendam præ se ferre. Non enim dixisse, vbi est Iesus, aut, vbi est Christus: sed *Vbi est ille*, non solùm non appellantes, quod est honorificum; verum etiam ignominiosum aliquod verbum intelligentes, quasi dicant, Vbi est seductor ille? Vbi est violator, ille legis? sicut dicunt ver. 12. *Non, sed seducit turbas.* Et Matth. 27. 63. *Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam.* Potest & illud quæri, non quam ad rem, sed qua occasione Iudæi Christum quæsierint, cùm non venisset cum cognatis suis ad diem festum. Augustinus, Cyrillus, & Beda putant ideo quæsiuisse, etsi nescirent, an venisset, quia credebant eum, qui tantam sanctitatem profiteretur, qui tot miracula edere soleret, festo non defuturum. Potest etiam probabiliter dici non quæsiuisse eum, nisi postea quam Ierosolymã ascendit. Inaudisse enim eos ab ijs, qui eum Ierosolymæ vidissent, in vrbe eum esse. Nam quod ab omnibus dici solet, Christum non primo die, sed quarto post cognatos suos die venisse Ierosolymam, quòd dicat Euangelista ver. 14. ascendisse *die festo mediante*, non videtur mihi probari posse. Quin existimo primo ascendisse die, non tamen cum fratribus suis. Cur enim ideo ascenderit, vt legi satisfaceret, & celebraret, vt per dies septem festum illud celebratur, quis credat Christum non integrum celebrasse? Nec ex Euangelista colligitur eum non ante dimidiatum, venisse festum, sed contrariũ potiùs colligitur. Non enim dicit *die festo mediante* Ierosolymam, sed *in templum* ascendisse; festum autem non in templo, sed in vrbe, & in campo positis taberniculis celebrabatur. Immo non significat Euangelista tunc primùm in templum ascendisse, sed tunc primùm ad docendum ascendisse. Contrà verò ver. 10. haud obscurè indicat eum statim ad primum ascendisse diem. Cùm enim dicit, *Cum autem ascendissent fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum*, apertè profectò indicat statim, postquã discesserunt, & ipsum discessisse: nec quidquam expectasse aliud, quàm vt priùs fratres discederent, ne cum illis iret. Itaque credendum est eodem die, sed aliquanto post fratres suos discessisse. Quidr quòd potuit fortasse vno, vel altero die post fratres discedere, & tamen ad primum diem adesse festi: siue quia credibile est fratres eius vno, vel altero die antequam festum inchoaretur, Ierosolymam peruenisse, vt quæ necessaria erant ad festi celebrationem, sibi compararent, siue quia potuit Christus temporis momento peruenire, quemadmodum alibi fecisse legimus c. 6. 24. Duorum sequentium versuum explicationem quære partim suprà in hoc ipso versu, partim versu sequenti.

13. *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.*) Ad eos hoc referendum est, qui bene de illo loquebantur, vt Augustinus, & Beda adnotauerunt. Nam qui malè de eo loquebantur, nihil à Iudæis metuebant. *Qui dicebant, seducit turbas*, inquit Augustinus, *sonitus eorum audiebatur tanquam aridorum foliorum. Seducit turbas, clarius sonabant: Bonus est, pressius susurrabant.* Hoc non solùm in Christo, sed etiam in membris Christi, in viris sanctis, & religiosis vsu venit. *De omnibus seruis eius*, inquit idem Augustinus, *hoc dicitur modo. Quicunque eminet in aliqua gratia, spirituali ve profectu, alij dicunt, quia bonus est; alij non, sed seducit turbas. Vnde hoc? quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.* Constat ex hoc loco solos principes, sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, & si qui alij in populo eminebant, Iudæos hîc, & paulò suprà versu 11. vocari. Hîc enim Iudæi, & populus, aut quod idem est, turba opponuntur. Qui enim dicebant versu 12. *Non, sed seducit turbas*, haud dubiè de turba nõ erant. Turba ergo dicebat, *Bonus est*; principes dicebant, *Non, sed seducit turbas*, vt rectè Chrysostom. & Theophylactus animaduertunt; principes palam, & clara voce loquebantur; turba *palam propter metum Iudæorum*,

Qua occasione Iudæi Christum quæsierint.

Tract. 28.

Ibid. paulo sup.

Coloss. 3. 3.

Iudæi appellantur Pharisæi, & alij principes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vum, id est principium, loqui non audebat. Nam & illi ipsi de turba, qui dicebant, *Bonus est*, quique propter metum Iudæorum non audebant palam loqui, Iudæi vtique erant, vt Cyrillus notat; sed tanquam non Iudæi, Iudæis opponuntur, aut quia turba ex omni gente mixta erat; principes autem esse non poterant nisi Iudæi; aut quia cùm principes omnium Iudæorum personam sustinerent, Iudæi absolutè vocabantur.

14. *Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat.*) Docuimus ver. 2. festum illud Scenopegiæ, siue tabernaculorum per septem dies, sicut azymorum festum celebrari debuisse, Exod. 23.16. Leuit. 23.34. Deuter. 16.13. Dicit ergo Euangelista, *iam die festo mediante*, id est tertio, vel quarto festi die Christum in templum ascendisse. Non dicit tunc ascendisse Ierosolymam, sed in templum. Nam Ierosolymæ quidem ipso primo festi die fuerat, vt ver. 11. disputauimus. Quæri verò solet, quamobrem ante in templum nō ascenderit. Docuimus ver. 11. non constare tunc primùm in templum ascendisse, sed tunc primùm ascendisse docendi causa: quin probabile esse prius ad orandum ascendisse, ac inde fortasse murmur illud de illo natum varium, quòd visus fuisset in templo, aniamque de se varie loquendi hominibus præbuisse. Quòd si quæras, cur docendi causa non prius in templum ascenderit, causas eius rei duas graues auctores afferūt. Altera est, quòd voluerit, vt prius nimis inflammata contra se Iudæorum ira deferuesceret, vt Ammonius, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius scribunt. Altera, vt maius sui audiendi ipsa expectatione desiderium iniiceret, vt Theophylactus ait. Addit idem auctor voluisse, vt liberiores auditores ad audiēdum essent, minúsque alijs curis occupati, primis autem festi diebus omnes occupatos fuisse in parandis rebus ad diem festum necessarijs. Aliter Augustinus, & Beda, quòd ante latuerit, exempli fuisse, & infirmitatis humanæ; quòd postea prodierit, potestatis fuisse diuinæ. Moraliter præter consuetudinem Cyrillus suam notat non dixisse ingressum in templum fuisse, sed ascendisse, quòd ardua res sit in templum, & sancta conscendere, id est docendi munus suscipere. Quid ea concione Christus docuerit, Euangelista non dixit, vt Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus animaduertunt, qui vellem eius rei causam aliquam reddidissent. Credendum est nihil nisi vtile, & ad salutem imprimis necessarium docuisse, sed quia non id Ioannes agebat, vt singula narraret, quæ Christus docuisset, dixisseve, sed vt colloquium, disputationémque cum Iudæis Christi, & vnde occasionem habuisset, exponeret, cætera prætermisit, hoc vnum dicere contentus, ita docuisse, vt ipsi etiam aduersarij mirarentur. Itaque absurdi planè, & inepti hæretici sunt qui nihil existiment, quod ad salutem nostram fuerit necessarium, in sacris literis prætermissum.

Cur non ante, sed festo mediante ascenderit.

Moralis obseruatio Cyrilli, præter cōsuetudinē ipsum.

15. *Et mirabantur Iudæi dicentes, quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?*) Non dubium, quin hoc etiam loco Iudæos solos principes, sacerdotes, Scribas, & Phariseos vocet, quemadmodum supra ver. 11. & 13. Quo magis mirum est, eos ipsos eius doctrinam miratos fuisse, qui paulò ante ad calumniam eum, necémque conquirebant. Atq; hoc ipso consilio Euangelista notauit, vt inde intelligeremus, quanta vis doctrinæ, verborúmque eius fuerit, vt Leontius admonuit. Non admirātur doctrinam ipsam, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius obseruarunt: nec enim credebant, quæ dicebat, vera esse; sed quia orationem eius non vulgarem, sed doctam, & litteratam esse videbant, mirabantur, vnde tantum illi doctrinæ esset, cùm minimè didicisset. Atqui sciebant eum non didicisse; cùm paulò præsertim ante significassent, eum se non nosse dicentes, *Vbi est ille*, ver. 11. quemadmodum Cyrillus obseruat. Sciebant sacerdotes, Scribę, & Pharisei scholas suas puerum non frequentasse, eáque erant arrogantia, vt existimarent nihil extra scholas suas litterarum esse posse. Cauendum ne nos Pharisæis istis similes simus; neminémque putemus quicquam scire posse, nisi sub nostra fuerit ferulas doleámúsque iniuenes succrescere, qui nescio vnde repente emergentes, ea sciant, quæ nos senes, canóque doctores capite ignoremus.

16. *Respondit eis Iesus, & dixit, Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.*) Hanc, vt arbitror, ob causam Christus in templum ascēderat, docereque cœperat, quòd sciret Iudæos admiraturos, indéque le captare occasionem posse de se, de doctrina, déque officio suo copiosè disserendi: eodémque consilio credendum est Euangelistam commemorasse, vt quod Iudęos Christus, id nos ipse doceret. Nota hoc loco est Augustini quæstio, quam & Chrysostomus, & Leontius, & Beda mouent. *Hæc est profundissima propositio*, inquit Augustinus. *Videtur enim pugnare verbis quasi contraria loquitur. Non enim ait, Ista doctrina non est mea, sed, mea doctrina non est mea. Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis verumque de mea, & non mea. Nam si dixisset, Ista doctrina non est mea, nulla esset quæstio.* Explicatio quæstionis ex huiusce modi loci explicatione pendet. Varie autem à diuersis auctoribus explicatur locus. Omnes in hoc conueniūt, alio sensu Christum dicere doctrinā suam, alio non suam, cùm de vna, eadémque doctrina loqueretur. Sed in eo dissident, quòd alij alio modo doctrinam suam vocare putant; itémque non suam. Augustinus, Beda, Strabus, suam, id est seipsum vocare dicunt. Esse enim Christum ipsum doctrinam, quia verbum erat Patris: ac perinde esse, *Mea doctrina non est mea*, ac si diceret, ego non sum verbum meum, sed verbum eius, qui me misit. Vereor, ne nimis hoc subtile sit. Meliùs idem Augustinus lib. 1. de Trinitate c. 11. & 12. suam vocasse, vt Dei, non suam, vt hominis. Alij suam vocasse, id est, quàm à nemine didicisset, sed quam vt Deus haberet ex Patre, non suam, quia Patris erat. Atque hac ratione rectè ad Iudæorum admirationem respondere dubitantium, quo modo litteras sciret, cùm non didicisset, se non didicisse, sed ex Patre accepisse. Sic Chrysost. Leontius, & Euthym. &, vt videtur, Græcus Ammonius. Chrysostomi verba sunt. *Quomodo idem eiusdem potest esse & non esse? Esse, quia à nullo doctus loquebatur; non esse, quia Patris doctrina erat. Quomodo ergo dicis, Omnia, quæ sunt Patris mea sunt, & quæ mea, Patris? Si quia Patris doctrina est, propterea non est tua, falsum illud est. Ideo enim tua esse debuit. At hoc verbum, Non est mea, maiorem in modum Patris, & suam vnam doctrinam esse indicat; quasi diceat, nihil habet diuersum tanquam alterius. Quod si persona alia sum, idem tamen & dico, & facio, vt non existimes aliud à Patre, sed idem me & docere, & facere.* Alij suam vocasse, quam Iudæi suam, id est à se inuentam esse putabant, & non suam sensu contrario, quam non ipse excogitasset, sed à Patre accepisset, vt Euthymius. Alij suam, id est quam suo nomine docere videbatur, non esse suam, id est non suo, sed Patris nomine docere. Verissimum ego sensum arbitror, qui simplicissimus est, vt suā vocet, quam docebat; non suam, id est non à se inuentam, sed acceptam à Patre. Id enim agebat, vt probaret, vnde doctrinā haberet eam, quam docebat, quia de ea potissimùm re Iudæi

dubitabant.

dubitabant. Et statim addit, *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.*) Suam ergo vocauerat, quam docebat, quam loquebatur, non suam, quia non ex se, sed ex Patris præscripto loquebatur. Dicit autem non esse suam, id est non ex se habere vt homo erat, sed esse Patris. Quemadmodum & Ambrosius exponit aduersus Arianos disputans lib. 2. de fide c. 4. & lib. 5. c. 3. Nam & Arianos hunc locum obiecisse, vt Filium confirmarent minorem esse Patre, ex eodē Ambrosio, & ex Aug. lib. 1. de Trinit. c. 12. & lib. 2. c. 3. colligimus. Poterat eorum obiectio nō eo tantùm quo diximus, modo, veraque explicatione loci; sed alio etiam propulsari; particulam illam, *Nō*, scripturæ vsu non solam aliquando negationem significare, sed vim etiam habere exclusiuæ particulæ, idemque valere atque *non solum*; itaque sensum esse, doctrina mea nō solum est mea, sed etiam eius, qui misit me. Multa eiusdem generis exempla reperiuntur, *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*, id est, non vos soli, sed etiam spiritus patris vestri; & *nolite putare, quòd ego accusaturus sim vos apud Patrem: est, qui accusat vos Moyses*: id est, non ego solus; &, *qui credit in me, non credit in me, sed in eū, qui misit me.* Cur ergo hoc loco non dixit, Mea doctrina non est humana, sed diuina, aut, Mea doctrina non est ex homine, sed ex Deo? quod vtrumque & breuius erat, & clarius. Voluit, inquiunt Cyrillus, & Ammonius, etiam doctrinam, quam sibi ipsi tanquam Deo tribuere potuit, Patri tribuere, vt plus apud Iudæos haberet auctoritatis.

17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrū ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.*) Ad experientiam eius, quam tradebat, doctrinę prouocat. Optimum, & efficacissimum probationis genus. Si autem ad experiendam doctrinam ipsam inuitasset, nihil argumentum haberet obscuritatis; sed quia iubet Patris facere voluntatē, non satis apparet, quomodo, qui Patris fecerit voluntatem, continuò cognoturus sit Christi doctrinam diuinam, non humanam esse. Cyrillus non de quauis Dei interpretatur voluntate, sed de ea, qua neminem perire vult, etiamsi violandum sabbatum sit propter salutem hominis; quemadmodum ipse in sabbato Patris secutus voluntatem sanauerat paralyticum. Ad illud enim factum alludere; in quo facto, si Dei obsequerentur voluntati violentis perire neminem, cognoscerent Christi doctrinam qui etiam in sabbato curandum esse docebat, consentaneam esse Patris voluntati. Hæc interpretatio præter hoc, quòd nimiū sensum restringit, nō nititur loco. Nulla enim hic mētio facta fuerit docuisse Christum in sabbato curandum. Et est probabile nihil ea de re dixisse, cùm neminem tum in sabbato curasset. Meliùs August. & Beda, ideo, qui Patris fecerit voluntatem, cogniturum esse vtrum Christi doctrina ex Deo sit, quia nisi crediderimus, non intelligemus, quasi Patris voluntatem vocauerit, vt in se omnes homines credant. *Si non intellexisti, inquit Aug. credē. Intellectus enim merces est fidei. Ergo vnus quærere intelligere vt credas, sed crede, vt intelligas, quoniā nisi crediderit is, non intelliget is.* Sed hoc etiā sensum restringit. Optimè omnium Chryf. Theophyl. Euthym. & Rupertus voluntatem Patris generaliter omnia eius præcepta vocari, quæ qui facit, is Patrem amat; qui Patrem amat, & Filium à Patre missum amet necesse esse; qui autem Filium amauerit, facilè cogniturum eius doctrinam cum Patris consentire voluntate, illique esse crediturum. Ipsam enim per se Christi doctrinam diuinam esse, atque credibilem; nihil impedire quominus ei Iudæi crederent, nisi quòd alieno à Christo animo essent, odio illis intellectum, atque iudicium occæcante. Tollant odium, amentPatrem, eiusque faciant voluntatem, facile discussis tenebris clarissimam doctrinæ suæ veritatem visuros esse.

18. *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.*) Hæc altera est ratio, vt Chryf. Leontius, Theophyl. & Euthym. admonēt, qua probat, quod dixerat ver. 16. doctrinam suam non esse suam, id est non humanam, sed diuinam esse: quòd non quærat suam, id est humanam, sed Patris, id est diuinam gloriā. Concludit hoc syllogismo: *Qui a semetipso loquitur*, id est qui suæ doctrinæ ipse auctor, & inuentor est, *suam*, id est ingenij atque inuentionis propriæ gloriam quærit; ego gloriam meam non quæro, non ergo ex me ipso loquor, id est, *doctrina mea nō est mea*. Morale non necessarium argumētum est. Fieri enim potest, & verò ita fieri deberet, vt aliquis eius sententiæ, quam inuenerit, gloriam non ad se, sed ad Deum referat. Sed hoc rarò accidit, contrarium morale est. Itaque non argumentatur ex causis veris rei, sed ex corruptis hominum moribus. Putant August. & Beda Antichristum his verbis designari, qui cùm venerit, non Dei, sed suam gloriam quæsturus sit: sed generalis sententia est, qui ex se, & non ex Deo loquūtur. Nam & qui aliquid ex se, hoc est ex propria inuentione loquitur, si non suam, sed Dei gloriam quærit, non ex se, sed ex Deo loquitur, quia idipsum, quod inuenit, ex Deo, id est Dei incitatus amore, & propter Deum inuenit.

Qui autem quærit gloria eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in eo non est.) Nunc propriè de se loquitur, & minorem syllogismi propositionem, & conclusionem simul ponit, ac si ad hunc modum dicat: Ego nō quæro gloriam meam, sed gloriam eius, qui misit me, ergo ex me ipso non loquor, sed ex Deo, qui me misit. Cæterum pro, ex me ipso nō loquor, quod ante dixerat, quódque rectè concludendum erat, dixit, *verax est, & iniustitia in eo nō est*, id est verax sum, & neminem fallo; Loquitur enim de seipso per tertiam personam. Cur ergo non concluſit, quemadmodum concludendum erat, ergo ex me ipso non loquor? Vt id ipsum, diceret efficacius. Propterea quippe disputabatur, vtrum ipse ex se, an ex Deo loqueretur, vt intelligeretur, an eius doctrina vera esset, an fallax. Alioqui nihil referebat, quomodo loqueretur, ex se, an ex Deo. Est ergo duorum in vno syllogismorum implicatio, qui hoc modo, vt intelligantur, sunt resoluendi. Qui ex se loquitur, gloriam suam quærit; Ego non quæro gloriam meam, ergo non ex me loquor. Rursus, qui non quærit gloriam suam, sed gloriam Dei, is vera dicit, & non fallit, (nullam enim fallendi causam habet, qui se ipsum non quærit;) ego non quæro gloriam meam, sed eius, qui misit me, vera ergo dico, nec fallo. Vidit hoc acutè Rupertus plerumque bonus auctor. Iniustitiam vocat fraudem.

Euangelista sæpe ordinem rei vel ordine turbat.

19. 20. *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Omnis hoc loco disputatio est, quomodo hæc verba cum superioribus hæreant. Noui quidam auctores sunt non esse vllam quærendam cohærentiam, vbi nulla sit. Etenim sæpe Euāgelistas solere res sine vllo ordine narrare, & veluti in cumulū conijcere, quod hoc loco Ioannes fecerit. Hac regula vtendum esset, si nullam possemus omnino sententiarum cōiunctionem reperire: at poterimus fortasse si quæramus. Omnes veteres auctores, quos equidem me vidisse memini, docēt propterea Christum hæc subiecisse, vt crimen, quod sibi Iudæi obiiciebāt, in ipsos retorqueret. Accusatus ab illis fue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rat,quòd legem Mosis non obseruaret,quòd sabbato paralyticum curasset,c.5.9.10.dicit eos esse,qui legem Mosis minimè seruent. Mosem enim prohibere,ne insontem hominem occidant, velle autem se occidere hominem innocentem;propterea statim addere, *Quid me quæritis interficere?* Sic Chrysostom. Cyrillus,Theophylact.Euthymius, Rupertus,Leōtius,Theodorus Mopsuest.& Theodorus Heracleēsis.Solus Augustinus& eum secutus Beda paululum dissident,*Ideo*,inquiunt, *quæritis interficere, quia nemo ex vobis facit legem; nam si legem faceretis,in ipsis literis Christum cognosceretis,& præsentem non occideretis*. Hactenus his auctoribus assentior, vt existimem propterea dixisse Christum, *Nonne Moyses dedit vobis legem,& nemo ex vobis facit legem?* quia accusatus à Iudæis fuerat, quòd legem Mosis non obseruaret, & tāquam legis violator ad necem ab eis quærebatur. In eo postulo,vt dissentire mihi ab illis liceat; quòd illi putent violationem legis,quam Iudęis Christus obiecit,hanc esse, quòd se innocentem contra legē velint occidere:ego non eam violationem legis vocare arbitror,sed quòd in sabbato hominem circuncidāt,vt explicat ver.22.Si enim de nece sua loqueretur,eamque violationem vocaret legis,non diceret neminem eorum legem facere, quia non omnes ipsum interficere volebant;at omnes in sabbato circuncidebant filios, cùm is octauus illis à natali dies erat. Deinde si necem suam violationem legis appellaret,proferret legem, quæ innocentem occidere perhiberet,quam videmus non protulisse. Denique probaret se innocentem esse. Sensus igitur est, quid me tanquam legis transgressorem vultis occidere,quòd paralyticum in sabbato curauerim, cùm multo magis vos legem violetis,filios vestros in sabbato circuncidētes? Nam si semel in sabbato totum curare hominem violatio legis est multo maior erit omni sabbato,vt vos facitis,circuncisionem facere. Quod si vos circumcidendo legem non violatis,nec ego in sabbato curando legem violo , cur ergo me quęritis interficere?Cùm ergo dicit,*nemo ex vobis facit legem*,non ex veritate,sed ex ipsorum ratione loquitur.Nam etsi alijs quidem in rebus legem re vera transgrediebantur,tamen non agit nisi de circuncisione in sabbato facta, quæ re quidem vera violatio legis non erat, sed ipsorum ratione erat; nam si hominem sine vllo labore solo verbo in sabbato curare violatio erat legis, multo magis erat hominem circuncidere,vbi opus erat aliquo labore, vbi oportebat manibus aliquid facere. Non videtur vacare causa, quòd non simpliciter dicat, Nonne vos ipsi legem violatis,cùm in sabbato circuncidatis?sed *nōne Moyses dedit vobis legem,& nemo ex vobis facit legem?* Quod dupliccm vim mihi videtur habere posse. Altera est, si vos legem non qualemcumque, sed eam quam gloriamini à Mose vobis datam; in qua speratis,in qua putatis(vt supra dixit) vos vitam habere,minimè seruatis, quid me vultis occidere, quòd eam non seruem, quem vos existimatis Mosi esse contrarium?Altera, si vos legem à Mose vobis datā non obseruatis,cur vultis.vt ego eam obseruem,cui data non est?Nec enim ego Mosi,sed patri meo subiectus sum,nec illius teneor legibus; ipse sum legislator, qui & eam tunc per Mosem legem dedi, & aliam nunc per meipsum meliorem trado. Hanc emphasim habet nomen, *Moysis*, & pronomen, *Vobis*,quasi se ab eorum numero excipere voluerit,seque Mosi tacitè opponere. Aliud quidpiam Ammonius , & Theophylactus animaduertunt , legem à Mose datam dixisse , quasi ipse eam non tradidisset, ne Iudæos à se iam alienatos,& Mosis, vt videri volebant,studiosissimos,magis offenderet.

Respondit turba,& dixit,Dæmoniū habes,quis te quærit interficere?) Plerique auctores putant turbam hoc loco non promiscuum vulgus;sed sacerdotes, principes,Scribas,& Pharisęos appellari,eos nimirum,qui Christum ad necem quærebant supra ver.11.& c.5. 18.Chrysost.Augustin.Cyril. Theophyl. Euthymius, Rupertus. Et vero simile quidem est Christum non nisi eos tanti criminis accusasse , quos sciebat in necem suam animo conspirasse, & cum turba respondet , *Quis te quærit interficere?* non respōdet, non estis vos , quid me quæritis interficere , sed sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi:illi ergo ipsi , qui negant se velle eū interficere,maximè interficere volebāt , sed cùm videret cogitationes suas esse deprehēsas, impudēter,& cōtumeliosè negant,vt solēt facere, quorum consilia deprehēduntur.Solus Leōtius videtur hoc nō sacerdotibus,& cæteris Iudęis, qui Christo minabantur,sed simplici,& innocenti turbæ tribuere, quæ cùm alienam se ab eo crimine esse sentiret , & Christo potiùs fauere sibi videretur , irritata Christi criminatione,quasi ab eo homicidij accusaretur, acerbè,& contumeliosè responderit, *Dæmonium habes*. Hoc mihi videtur probabilius ; nusquam enim sacerdotes,& Iudæorum principes turba vocantur, sed turbæ potiùs opponuntur,vt supra ver.12.13.& infra ver.49.& apparet Euangelistam studio hic turbam à principibus Iudæis distinguere voluisse,& ex proximis verbis manifestū est de illis Christum agere,qui se ob curatum sabbato paralyticum occidere tentauerant,c.5. 18. Cur ergo generaliter Christus omnes accusat?Non accusat singulos; sciebat enim esse in turba maiorem partē, quæ ab eo crimine immunis esset; sed accusat genus vniuersum,cuius personam gerebant principes,qui necem sibi parabant. Quod dicunt , *Dæmonium habes* , quidam existimant, verum intelligere dæmonium , quo putarent Christum correptum esse,vt Leōtius, Augustinus,& Rupertus. *Quasi nō peius fuerit dicere*(inquit Augustinus) *dæmonium habes,quam eum occidere. Et quippe dictum est, quòd dæmonium haberet , qui dæmones expellebat. Quod posset aliud dicere turba turbulenta? quid posset aliud oleret cœnum commotū? Turba turbata est. Vndè a veritate. Turbam lippitudinis turbauit claritas lucis. Oculi enim non habentes sanitatem non possunt ferre luminis claritatē.* Alij vulgarem dicendi modum fuisse credūt,dæmonium habere , quisquis delirare , & absurda loqui videretur; sicut Hispani hominem turbulentum,& calumniatorem dicunt correptum à Diabolo esse; non quòd dæmonium habere credant , sed quòd diabolico moueri spiritu. Vtrumque probabile.

August. tract. 30.

Cap.5.39.

21.*Vnum opus feci,& omnes miramini.*) Omnes consentiūt auctores vnum illud opus, quod se Christus fecisse dicit,curationem fuisse paralytici c. 5.9. Cōuenit etiam inter omnes interpretes verbum illud, *Miramini*,idem hoc loco significare,quod turbamini,offendimini, tumultuamini , Chryf. Cyril.Leontius,Augustin.Theophyl.Euthym. Cæterum totam sententiam non eodem modo omnes interpretātur. Cùm enim aliquid necessariò ad complendam orationem , atque sententiam sit intelligendum , alij aliud intelligunt. Augustin.Cyril.& Beda videntur intelligere,Si propter vnum opus, quod feci , omnes tantopere miramini,quanto magis si plura facerem, aut si omnia,quæ feci,videretis,mirareminī:Horum auctorū opinione nomen *Opus*,pro signo,aut miraculo positū esse oportet. Potiùs credo,idemque nihil fallor, Chrysost. Theophyl. Leontius, & Euthym. quāuis minùs aperte indicent,credunt, nō cōparare Christum vnum opus cum multis alijs suis,sed cum multis

multis Iudæorum,& opus non miraculum,sed operationem & laborem appellare eum, qui in sabbato prohibitus esse videretur. Quasi dicat , Ego vnum tantūm opus in sabbato semel feci,quòd paralytico sanitatem restitui, & omnes offensi estis:vos multa in sabbato,ac sæpe facitis:frequenter enim in sabbato circumciditis infantes , & eorum curatis plagas, & non offenduimini.Opponit ergo pronomina *Ego*, & *Vos*.Opponit opera vnum,& multa.

22.*Propterea Moyses dedit vobis circumcisionē.*) Particula *Propterea* obscurum reddit locum,omnesq; vexauit interpretes.Cùm enim causalis sit,nō apparet, cuius rei causā reddat:nec enim quia illi,quod Christus faciebat mirabātur,propterea Moses circumcisionem illis dedit. Euthym. cùm alium difficultatis exitum non reperiret, dicit dictionem eam, *διὰ τοῦτο, propterea*.Hebraico more redūdare,sed nescio quibus exēplis eiusmodi apud Hebręos idioma probare possit. Alij nō tam causalem quam inchoatiuam, aut illatiuam esse putāt,quasi dicat,Itaque aut,ergo Moses dedit vobis circumcisionē.Sed nec exēpla , quibus id probāt,satis sunt accōmodata; & si essent, tamen ea significatio in hunc locum non conueniret. Itaque lectionem, interpretationemque Theophylacti maxime probo, qui hanc dictionem eum superioribus iungit hoc modo, *Vnū opus feci, & omnes miramini propter hoc*.Solet enim verbum mirādi cùm ea præpositione iungi,vt Marci 6.6.*καὶ ἐθαύμαζε διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν* , *& mirabatur propter incredulitatē eorum*. Hoc modo sensus est consequens , & facilis. Potest etiam ex Hebræorum consuetudine *διὰ τοῦτο*, pro *διὶ τοῦτο* positum esse,id est *propterea*,pro propterea quòd, sicut illi dicunt, עלכן pro אשר כער ,propter quod,pro propterea quod,cuiusmodi alibi exēpla sæpe notauimus; illustre lector reperiet apud Septuaginta Amos.5.11.16.Cæterū non redditur causa eius,quod dictum fuerat;sed eius , quod intellectū. Cùm enim Christus dixit,*Vnū opus feci*,(in sabbato)intellexit Iudæos,vt illic declarauimus,non vnum, sed multa in sabbato opera facere. Probat hoc , propterea quòd *Moyses*,inquit,*dedit vobis circūcisionē*,& tamen *in sabbato circūciditis homines*;quod cùm frequēter accidat, plura vos in sabbato quā ego opera facitis.Cur ergo dixit,*Moyses dedit vobis circumcisionē*,cùm ad probādū id,quod volebat, satis esset dicere , propterea quòd in sabbato circumciditis hominem;& illa ante posita verba, *Moyses dedit vobis circumcisionem* , impedire potius quàm iuuare probationem videantur:docere enim videntur eos, quibuscū Christus loquebatur, quia ratione respondere ad eius tacitam accusationem possent, nempe propterea se in sabbato hominem circūcidere, quia Moses præceperat, vt omnis masculus octauo die circumideretur; itaque si dies octauus in sabbatum incideret,lege ipsa cogebantur in sabbato circumcidere.Quod idcirco nō erat violare sabbatum,quia non contra legem , sed ex legis præscripto fiebat. Hunc verò nodum à nemine obiectum ita soluendum arbitror.Credo ea verba ideo Christum addidisse,vt maiorē argumento,quo vtebatur,vim adhiberet.Voluit tacitè à minore ad maius argumentari;quasi dicat,si vos propter Mosis de circumcisione præceptum non soluitis sabbatum, cùm in eo hominem circumciditis;quomodo dicitis me sabbatum soluere,quia hominem totum in sabbato sanum facio,quòd non iam Mosis,sed Dei præceptum est,qui vult omnes viuere, ac neminem perire.Verba illa , *Non quia ex Moyse est, sed ex patribus*, per parenthesim legi debent , locoque correctionis addita sunt,ne circumcisionem Mosi,tanquā primo eius auctori tribuere videretur; cùm non illi à Deo primùm,sed Patribus,id est Abraham , Isaac , & Iacob data fuisset.Gen.17.10.& 21.& 34.24.

Leu.12.3.

23.*Si circumcisionem accipit homo in sabbato , vt non soluatur lex Moysi,mihi indignamini,quia totum hominem sanum feci in sabbato?*) Cyrillus ita legit, & interpretatur,vti hæc verba,*Vt non soluatur lex Moysi* , non cū præcedentibus , sed cum sequentibus iungat ; *mihi indignamini,qui totum hominem sanum feci in sabbato. vt non soluatur lex Moysi?* Quod vix congruentem sensum habere potest. Communis aliorum auctorum lectio , & interpretatio meliorem habet sensum, propterea Iudæos solitos hominem in sabbato circumcidere, ne lex Mosis de homine octauo die circumcidendo solueretur:Itaque vt legem de circumcisione non soluerent, legem de obseruando sabbato soluebant Atque hanc fortasse vim habet nomen Mosis,quasi dicat , vt seruetis legem Mosis, solutis legem Dei.Non quòd vtraque lex non esset Dei,sed quòd Iudæi legem circumcisionis Mosis appellārēt, & in ea,quòd Mosis esset, plus nimio confiderent. Neque significat eos verè , cùm hominem sabbato circumcidebant,soluisse sabbatum , sed loquitur ex ipsorum opinione , qui putabant violari sabbatum homine curando:vnde necessariò sequebatur etiam circūcidendo violari:Quòd dicit,*totum hominem sanū feci*, non dubium quin totum hominē opponat parti,non quòd pars in circumcisione sanaretur , quæ potius lædebatur,sed quòd spiritualiter sanari censeretur,dum præputium pars corporis superuenua, atque vitiosa resecabatur ; quemadmodum si sanari brachium dicatur,cum pars eius putris abscinditur. Quamquam Cyrillus , & alij nonnulli non ad circūcisionem ipsam,sed ad curationem læsæ partis, quæ post circumcisionem fieri solebat , referri volunt, minùs,vt mihi videtur,probabiliter. Quo autē modo intelligendum sit , quòd Christus dicit totum se hominem sanauisse, disputari solet. Duas interpretationes Euthymius affert;alteram,vt de solo intelligatur corpore,quod totum sanamisset, quia totum ægrum erat. Paralysis enim totum dissoluit corpus, quam Christus in piscina curauerat c.5.9. Alteram, quòd non solum corpus,sed etiam animum sanasset paralytici, c.5. 14.15. quemadmodum Augustinus, & Beda exponunt. Vtrumque probabile , sed illud probabilius. Chrysostomus è contrario videtur exponere,per circumcisionem non totum hominem, sed partem curatam fuisse , quia sola anima curabatur,à Christo & animam, & corpus fuisse curatum. Eodem modo Rupertus.

Quid sit personam accipere in iudicio.

24.*Nolite iudicare secundum faciem , sed iustum iudicium iudicate.*) Iudicare secundum faciem , hoc est κατ' ὄψιν, est quod alijs verbis scriptura dicit,*accipere personam in iudicio*,quod lex facere prohibebat Dent. 1.17.& 16.19.Personam autem accipere est non ex sola æquitate causæ,sed aut odio , aut amore,aut alio aliquo affectu alterius litigātis personę iudicare. Significat ergo Christus inter se , & Mosem iudicibus Iudæis inē esse , vter ipsorum sabbatum violet, ipsene totū sanando hominem,an Moses circucidēdo:Iudæos odio in se,gratia in Mosem;illum absoluere,se condēnare;monet ita ne id faciant,reuocatis illis tacitè in mentem legem Dei , qua personam in iudicio accipere prohiberentur.Hoc sensu Leōtius, Chryf. Cyril.August. Beda , Theophyl.& Euthym. edisserunt. Rupertus aliquanto aliter videtur exponere,*nolite iudicare secundum facie* id est secūdum ea, quę extrinsecus apparent,sed secundum veritatem. Putatis enim Mosem per circumcisionem animam hominis sanauisse,ideoque licuisse sabbato circumcisioni operari ; me autem non curasse nisi corpus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideoque curare non licuisse. Atqui si non specie tenus, sed tota penitus perspecta re iudicaretis, intelligeretis me non solùm corpus, sed etiam animam sanauisse; *Nolite* igitur *iudicare secundum faciem.*

25.26. *Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis.*) ἐκ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν. ex ciuibus Ierosolymitanis, nō ex alijs, qui vndique ad diei festi celebritatem conuenerant. Propterea autem Ierosolymitani potiùs, quàm alij id dicebant, quia illis suorum principum erant nota consilia, vt Leontius obseruauit. Putant Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus, propterea Ioannem id explicasse, vt ostenderet Ierosolymitanos, qui propter visum in sua vrbe miraculum maiore in Christum fide esse debebant, minore fuisse; dubitasse enim, an esset Christus, disputasseque esse non posse, quem scirent, vnde esset. Mirantur Ierosolymitani, quòd cùm principes paulò ante Christum ad cædem quærerent, & nunc coram, atque inermem habeant libereque loquētem, eosque magis ac magis irritantem, nihil tamen illi dicant, id est nihil illi faciant. Hoc enim aliquando significat dicere. Nisi fortè dicere, & facere tacitè opponuntur, vt sit sensus, non solùm nihil illi faciunt, sed ne dicunt quidem. *Qui nouerant*, inquit Augustinus, *qua fauitia quærebatur, mirabantur, qua potentia nō tenebatur: deinde non plane intelligentes illius potentiam, putauerunt principum esse scientiam, quòd ipsi cognouerant eundem esse Christum, ideo pepercerunt ei, quem tantopere occidendum quæsierunt.* Tract. 31.

27. *Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit.*) Præsens pro futuro, *Nemo scit*, pro nemo sciet, alioqui ratio non concludit. Vulgaris quæstio, quomodo Ierosolymitani dicant neminē sciturum, cùm venerit, vnde sit Christus, cum hoc capite ver. 42. dicant, *Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello vbi erat Dauid, venit Christus?* Augustinus, Leontius, Theophyl. existimāt hoc de diuina Christi generatione intelligendum, quòd Isaias dixisset, *Generationem eius quis enarrabit*, & Michæas, *Et egressus eius à diebus æternitatis.* At nihil illi, vt opinor, de diuina Christi generatione cogitabāt, quam vix discipuli, qui lōgo tempore ab ipso Christo docti fuerāt, credere potuerūt. Euthymius putat odio, & malitia impeditos, sibi non constitisse, vt accidere solet ijs, qui non iudicio, sed affectu ducūtur. Sunt qui ita soluant, scitū quidem fuisse vnde, id est quo ex genere, & qua ex vrbe vēturus esset, quēadmodum ver. 42. dicunt; at quo patre, qua matre esset nasciturus, sciturum neminem. Quod nec illi ex vllo scripturæ testimonio discere potuerunt, & res ipsa falsum esse docet, cùm mater Christi notissima fuerit, & in omnia sæcula celebrata, & qualis futura esset, etiam prophetæ prædixissent. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Facilius meo quidem iudicio, & probabilius dictu erat diuersos fuisse, & qui dixerunt, *Nemo scit vnde sit*, existimātes nihil de ea re in scriptura traditum esse; quia plebeij, & imperiti homines erant; & qui postea dixerunt, *Ex semine Dauid, & de Bethlehem castello*; idque ex vtroque loco perspicuum est; nam & ex hoc constat hos plebeios fuisse homines; & ex illo, illos fuisse doctiores, quia & genus, & patriam Christi ex scriptura probarunt. cap. 51. 8. cap. 5. 2. Æterna Christi generatio vix in discipulis credita. Isai. 7. 14.

28. *Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens.*) Non ita Ierosolymitani dixerāt, *Christus cum venerit, nemo scit vnde sit*, vt Christus, si solū esset homo, audire posset; cognouit tamen, quia Deus erat, quid apud se dixissent, & vt ostenderet se non purum esse hominem, ex tacita, & occulta ipsorum murmuratione occasionem sumit augendæ cōcionis. Hoc est, quod Euāgelista dicit, *ergo*. id est, quia eos hoc dixisse cognouit, cœpit eos coarguere mendacij, & *me scitis, & vnde sim scitis.* Idque dixit non supressa, vt illi murmurādo, voce, sed clamando, vt exaudire nemo non posset. Christi ergo clamorem Iudæorum murmurationi tacitè opponit Euangelista. Eodem pertinet, quòd cùm ante dixisset Christum in templum ascendisse, inibique superiorem historiam contigisse satis indicasset ver. 14. dicat denuo hūc Christi clamorem in templo editum fuisse, vt doceret Christum & clarissima voce, & in loco frequentissimo dixisse, quod sequitur, ne quis posset ignorare.

Et me scitis, & vnde sim scitis.) Hæreticorū opinio, qui hoc ironicè dictum putant, iudicio carere mihi videtur. Non enim dubito, quin voluerit potiùs docere Christus satis se illis, quis, & vnde sit, notū esse si velint credere, ac propterea dignos nō esse venia, qui cùm eum cognoscant, minimè recipiant. Illud huic sententiæ videtur obstare, quod Ierosolymitani non dixerint se non nosse illum, sed nimium potiùs nosse. Itaq; non potest Christus eos coarguendo dicere, *Et me scitis, & vnde sim scitis*, quemadmodum D. Chrys. argumentatur. Sunt qui putent hæc verba non separata, sed cōiuncta cum sequentibus legēda esse, tanquam si diceret, Scitis quidem me secūdùm carnem, quis, & vnde sim; secūdùm autem diuinitatē nescitis, ideoq; Christus esse possum, quāuis me, vnde sim, cognoscatis; quia eo modo, quo Christus cū venerit, vnde sit, nemo sciet. me quoq; nescitis, vnde sim. In hanc sententiam exponunt August. Beda, & Rupertus. Contrà Chrys. Theophyl. Euthym. Leontius, & Apollinarius, &, vt videtur, Theodorus Heracleensis, id est Græci omnes auctores, sensum esse, non solùm isto modo, quo vos me cognoscere profitemini, quis, & vnde sim scitis; sed alio etiam modo, quem malignè dissimulatis. Nec enim solùm scitis me filiū esse Mariæ, & ex patria Bethlehē, aut Nazareth, quod ipsum argumētum vobis esse oportebat me esse Christum, cùm inde Christum venturum esse scriptura dicat; sed scitis etiā me filium esse Dei, & ab eo missum, cùm & Ioannis de ea re testimonium audieritis, & ea in me opera videritis, quæ nemo nisi à Deo missus facere potuisset. Hunc ego arbitror verum esse sensum. Arguit ergo eos admando, quod dixerant verbis ijsdem, sed sensu alio. Dixerant illi, *Hunc scimus, vnde sit*, intelligentes esse Galilæum, & filium fabri; respondet ille, enimuero me scitis vnde sim, non isto solùm modo, sed eo etiam, quo opus est scire, vt verum Christum esse cognoscatis, nempe filium esse Dei, sed vos homines maligni, quod humile in me est, scire vos dicitis; quod cæleste est, atque diuinum, scire dissimulatis.

Et à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.) Hoc est, quod modò dixerat, *& me scitis, & vnde sim scitis*, id est me à Deo missum esse. Verum vocat Deum, id est fidelem, ac veracem, qui, quamuis illi mentiantur dissimulantes scire Christum ab eo missum esse, ipse mentiri non potest, qui eum filium suum esse declarauit, Matthæi 3. 17. Eodem prorsus modo, quo dixit D. Paulus, 2. Timoth. 2. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Sed altera hic est quæstio, quomodo Christus dicat eos Deum, à quo missus fuerat, ignorare, cùm proximis, vt explicauimus, verbis dixerit, *Et me scitis, & vnde sim scitis*, indicās eos scire à Deo se missum esse, quo autem modo scire poterāt à Deo missum, si Deum nō nouerant? Chrysostomus, & Theophylactus interpretantur nosse Iudæos Deum, quia sciebant eum verum esse Deum, & præter eum non esse aliū; non nosse, quia non timebant, non amabant, quemadmodum de quibusdam dicit Diuus Paulus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Tit. 1. 16. & filij Heli dicuntur *filij Belial, nescientes Dominum*, 1. Reg. 2. 12. Probabilis sententia; sed illa, vt opinor, probabilior, Iudæos scisse Christum ex operibus à Deo missum fuisse; sed Deū ipsum ignorasse, id est nunquam vidisse, sicut dixit capite 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*, & cap. 6. 46. *Non quia Patrem vidit quispiam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Locus est penitus similis cap. 8. 54. 55. *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum. Ego autem noui eum: & si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax.* Eodem enim loco docet eos & nosse Deum, quia verum Deum esse credebant, atque confitebantur; & non nosse, quia nec eum vnquam viderant, nec ipsius habebant perspecta consilia. Hunc eundem huius loci esse sensum ex verbis sequentibus manifestum est. Iob 35. Ioan. 8. 55.

29. *Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.*) Sunt qui idem esse putent *ab ipso sum*, & *ipse me misit.* Sed melius Augustinus, Beda, & Euthymius à Deo esse interpretantur ex Deo natum esse; missum autem à Deo, factum esse hominem. Itaque primum membrum de diuina, secundum de humana natura intelligendum. *Magnificè*, inquit Augustin. *vtrumque monstrauit: Ab ipso, inquit, sum, quia filius de Patre, & quod quid est Filius, de illo est, cuius est Filius. Ideo Dominus Iesum dicimus Deum de Deo: Patrem non dicimus Deum de Deo, sed tantùm Deum. Et dicimus Dominum Iesum lumen de lumine: Patrem non dicimus lumen de lumine, sed tantùm lumen. Ad hoc ergo pertinet, quod dixit, Ab ipso sum. Quod autem videtis me in carne, ipse me misit. Vbi audis, Ipse me misit, noli intelligere naturæ dissimilitudinem, sed generantis auctoritatem.*

30. *Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius.*) Quidam hoc non de ciuibus Ierosolymitanis, quibuscū Christus loquebatur, sed de principibus illis intelligi volunt, de quibus ver. 25. dictum est, *Nonne hic est, quem querunt interficere?* sensumque hunc esse, ergo etsi quærebant illum interficere, vt turba paulò ante dixerat, tamen *nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius*, ita Chrysostomus, & Rupertus videntur exponere. Violenta tamen mihi videtur interpretatio. Communem sequor expositionem Leontij, Cyrilli, Theophylacti, Euthymij, &, vt arbitror, Augustini, etiam & Bedæ; illam ipsam turbam, cum qua Christus disputabat, irritatam eius reprehensione apprehendere eum voluisse, vt ex ver. 32. manifestū est, siue quòd eos mendacij, & simulationis coarguisset, siue quòd eos dixisset Deum ignorare, siue vtraque de causa, occasionem inde sumentes (vt est in omnes affectus mobilis imperita plebs) suis principibus gratificandi, quasi eorum confirmantes opinionem, Christum seductorem esse populi, ac dignum morte. Quòd dixit neminem in eum misisse manus, *quia nondum venerat hora eius*, ideo dixit Euāgelista, vt doceret Christum diuina quadam virtute eorum quodammodo manus tenuisse, vt etiamsi maximè vellent, tenere non possent. Permisit animum, voluntatemque declarare ipsum apprehendendi; prohibuit verò manus inijcere, vt illi ipsi, qui apprehendere volebant, cognoscerent se diuina eius virtute vinciri, quo minùs tenere possent, & quare volebant declarare seductorē esse, ea ipsa re cognoscerent esse Deum. Horam Christi moriēdi tempus appellari auctores omnes consentiunt, Augustinus, Beda; Theophylactus, Euthymius, Theodorus Heracleensis, Ammonius, Seuerus Antiochenus, Leontius, Cyrillus Alexandrinus in Græca Catena citatus; nam eius hic commentarij in impressis libris vsque ad librum nonum, interrupti sunt, magnoque in lucro posui, quòd eos in Græca manu scripta Catena sæpe citatos reperi. Citatur & alius quidam Leontius presbyter in eadem Catena alius ab eo, cuius habeo commentarios, cuius hæc sunt verba, ὥραν δὲ τὴν ἐναίσιον τῶν πραγμάτων ἔκβασιν λέγει, ἤγουν καιρὸν τὸ πάθος, καὶ τὸ σταυρόν, *Horam vocat opportunam rerum agendarum perfectionem, aut tempus passionis, & crucis.* Obseruat Cyrillus horam in scripturis significare opportunum cuiusque agendæ rei tempus, sicut cùm D. Paulus dicit, *Hora est iam nos de somno surgere*, Rom. 13. 11. Exempla sunt nota Ioan. 2. 4. & 4. 21. Apoc. 14. 7. 15. Phrasis enim est Ioannis maximè propria. Hinc factum, vt hora Christi moriendi plerumque tempus intelligatur, quia negotium, cuius perficiendi causa venerat, erat mors, vt c. 8. 20. & 12. 23. & 13. 1. Disputant Seuerus Antiochenus, Aug. & Beda contra Genethliacos hoc loco, *Quid est*, inquit Augustinus, *Nondum venit hora eius? Non enim Dominus sub fato natus est: hoc nec de te credendum est, quanto minus de illo, per quem factus est? Si tua hora voluntas est illius, illius hora quæ est nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit, qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi.* Hora opportuna cuiusque rei agendæ tempus inscriptura significat. 3. Phrasis Ioannis propria.

31. *De turba autem multi crediderūt in eum.*) Videtur ita Euangelista loqui, vt indicet eos, quos paulò suprà dixerat voluisse Christum apprehēdere, de turba non fuisse; atque ita Chrysostomus, Augustinus, Beda intelligere videntur. Sed eam opinionem superiore versu refutauimus. Ruperto hic assentior, qui turbam hoc loco non Ierosolymitanum populum, nam is ipse paulò ante Christum apprehendere voluerat, sed conuenarum multitudinem, qui cōcurrerant ad diem festum, interpretatur. Ex illis enim, quia minùs alieno in Christum animo erant, multi in eum credidere. Atque illi ipsi non satis crediderunt, vt Chrysostomus, & Euthymius animaduertūt, quemadmodū perspicitur ex proximis verbis. Qui enim dicebant, *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet?* satis significabant nondum se credere venisse Christum. Quanquā id ita interpretari licet, vt sensus sit, quis alius venire potest, qui plura signa faciat, quibus se Christus esse doceant, quam hic; hic igitur est Christus. Quærunt Chrysostomus & Theophylactus, quænam ea fuerint signa tam multa, quæ turba illa videre potuerit. Respondent non ea solùm fuisse, quæ à Ioanne suprà commemorata sunt, curatum paralyticum, mutatam in vinum aquam multiplicatum panem; sed alia multo plura, quæ Euangelista prætermiserit.

32. *Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc, & miserunt principes sacerdotum, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent eum.*) Græcè nunc legitur καὶ ἀπέστειλαν οἱ φαρισαῖοι, καὶ οἱ ἀρχιερεῖς ὑπηρέτας, & miserunt Pharisæi, & sacerdotes ministros. Incertum quam murmurationem turbæ à Pharisæis auditam fuisse dicat, qua incitati illi ministros ad comprehēdendum miserint Christum: eāmne, qua plebs Ierosolymitana irritata voluit manus in illum inijcere, vt versu 30. dictum est, an eam, qua conuenarum turba in eum credens dixit, *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam hic fecit?* Vtraque enim causa prouocare Pharisæos, & sacerdotes potuit, vt Christum apprehenderent; illa quidem, vt auderēt, quod ante ausi non fuerant, metu populi, manus in Christum inijcere, cùm viderent ipsum populum, quem vnū verebantur, in eum incitatum: hæc autē, quòd cùm viderent turbam in Christū esse propensam, eiusque sectari partes, timuerunt, ne si impunem relinquerent, omnem à se populum averterent;

Universidad de Deusto
Biblioteca

quemadmodum c.11.47.48. inito consilio dixerũt, *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Hic posterior sensus est probabilior, quo plures habet auctores, Ammonium, Leontium, Augustinum, Bedam, Theophylactum, Euthymium, Rupertum. Itaque murmurandi verbum, si hanc sequamur interpretationem, non sumetur proprie pro murmuratione aduersus Christum, sed potiùs pro honorificis de illo sermonibus tacite collatis inter homines populares, quales illi erant, *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet?* Etsi verisimile est, quod tradit Euthymius, turbam in Christum credentem contra principes, & Pharisæos murmurasse, quòd eum tam multa facientem signa inuidia vellent occidere. Putat Chrysostomus propterea non ipsos sacerdotes, & Pharisæos ad apprehendendum venisse Christum, sed ministros misisse suos, quia non sunt auſi metu plebis ipsi venire. Probabile etiam est eos magis Christum, quàm plebem timuisse, ne ab eo, vt sæpe alias, cum magna sua coarguerentur ignominia.

33. *Dixit ergo eis Iesus, Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui me misit.*) Dubium quorsum hæc Christus subiiciat; sed omnium fere auctorum opinio est Christum, cùm Pharisæorum, ac sacerdotum de capiendo se consilia quantumuis occulta diuinitate sua cognouisset, ad eos orationem suam conuertisse. Erant enim in eadem illi concione, audiebantque quidquid vel à Christo, vel à turba dicebatur, etsi non erãt prope Christum, sed aberant aliquanto longiùs, ne tanquam auditores, sed tanquam indices doctrinæ eius interesse viderẽtur, quemadmodum hodie etiam solent facere, qui magni sibi videntur esse magistri. Ex eo ergo loco, vbi erant, ministros submiserunt, qui caperent Christũ, aut non ausi, aut non dignati ipsi per se accedere. Sunt, qui existiment Christum hæc verba ministris ipsis qui ad se à Pharisæis missi venerant, dixisse; in quibus Euthymius. Sed probabilius est id, quod omnes fere interpretes sentiunt, dixisse illis ipsis, qui eius consilij non ministri, sed auctores fuerant. Illud vnum videtur obstare, quòd versu 45. & 46. dicat Euangelista ministros, qui missi fuerant, ad pontifices, & Pharisæos redijsse, rogatosque quam ob rem eum non adduxissent, respondisse, *Numquam sic locutus est homo.* Vnde colligi videtur pontifices, & Pharisæos in ipsa non fuisse concione. Cæterum illud tantùm colligitur, tum, cùm ministri ad eos redierunt, domi fuisse. Credibile enim est simulatque ministros submiserũt, domum se recepisse, vt ibi Christus, à ministris paulò post adducendum expectarent. Fieri etiam potest, vt in ipsa concione consiliũ captarint de Christo comprehendendo, quo cognito Christus illis continuò dixerit, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*, pòst se domum receperint, & inde ministros suos misserint, sed Ioannes priùs ministros missos fuisse narrauerit per anticipationem, quia, cùm turbæ in Christum propẽsio eorum mirtendorum causa fuisset, voluit effectum cum causa in ipsa narratione coniungere, etiamsi medium aliquid accidisset. Christus igitur Pharisæorum, & sacerdotum de se comprehendendo animaduerso cõsilio, subiecit, *Adhuc modicũ tempus vobiscũ sum*; quasi dicat, non est, quòd me ad cædem quæratis; nihil enim ante constitutum à Patre tempus efficietis, id tempus perbreue est; tunc vobis cõprehendere, tũc occidere licebit. Nolite frustra tempus accelerare, paulisper expectate, cito veniet, & ipse me vltro tradã in manus vestras, ipse me in mortem offeram. Ad hunc modum Chrysost. Leontius, Augustinus, Theophylactus, Beda, & Rupertus edisserunt. Sic dixit alio loco Pharisæis timorẽ obiicientibus, quòd Herodes eum vellet interficere, *Ite, & dicite vulpi illi, Ecce ejcio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consumor. Verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequẽti die ambulare.* Luc.13.32.33. id est dicite Herodi me, non quando ille, sed quando ego voluero, esse moriturũ. Simile est quod dicit Mariæ c.20.17. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Commodè verò aliquis quæret, quamobrem hunc ipsum sensum Christus his potius, quàm alijs dixerit verbis, cùm clarius dictũ esset; nolite me nunc comprehendere, nec enim poteritis; breui tempore non solùm volentem, sed etiam offerentem me comprehendetis. Habent verba illa Christi maiorem emphasim. Cùm enim dicit, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*, non solùm indicat non posse se ab illis capi, quia non vult, sed etiam cur nolit rationem declarat, quia oportet se tempus illud implere, quod ipse sibi cum Patre ad docendum, ad patiendum, ad moriendum constituisset eiusdẽ temporis exiguum quiddam reliquum esse. Illud etiam pronomen *vobiscum* emphaticè positum est, vt scitè Rupertus, & Theophylactus obseruarunt. Volebant sacerdotes, & Pharisæi Christum abs se remouere, ac de medio tollere; quòd eius magis in dies crescentem apud populum auctoritatem, & gloriam ferre non possent; quemadmodum dicunt in Sapientia Salomonis, cap.2.12.13.14.15. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat: factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum: grauis est nobis etiam ad videndum, quia dissimilis est aliis vita illius.* Volentibus igitur illum à se remouere Christus opportunè dicit, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*: id est adhuc quoad tempus meum, quod breue est, expleatur, non solùm vinam, non solùm in hoc mũdo ero, sed etiam inter vestras versabor manus, nec me tamen comprehendere poteritis, quidquid machinemini, quantumcunque me persequamini. *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Existimat Euthymius modicum tempus, quod dicit, quod à festo tabernaculorum, in quo hæc acciderũt ver.2. vsque ad diem Paschæ reliquum erat temporis, id est menses circiter sex significare. Quod magis credi, quàm probari potest. Nam ratio illa, quam in numerandis annis, ac rebus Christi gestis ita quidã ineunt, vt hęc in vltimum annum inciderint, satis meo iudicio comperta non est. Quod addit, *Et vado ad eum, qui misit me*, hunc habet sensum, Postquam modicum adhuc tẽpus vobiscum fuero, vadam ad eum, aut iturus sum, ire me oportet *ad eum, qui misit me*: itaque *quæretis me, & non invenietis*: aut, adhuc modicum tempus me vobiscum esse oportet, antequam vadam ad eum, qui misit me. Præsentia enim tẽpora pro futuris ponuntur. Hoc ipsum suam, & quidem singularem habet vim. Potuit dicere, adhuc modicum tempus vobiscum sum, antequam moriar, aut antequam me occidatis, quemadmodum vultis, quod magis videbatur efficere ad Pharisæorum consilium accommodatum: non id dixit, sed *adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me*, quò magis declararet mortem suam futuram esse voluntariam, eamque violentæ opponeret morti, quam illi inferre sibi volebant. Nec enim non tam moriturum, quàm per voluntariam mortem ad eum, qui se miserat, transiturum esse, non enim relicturum animam suam in inferno, nec daturum sanctum suum videre corruptionem. Atti-

git hunc sensum Leontius, & Theophylactus.

38. *Quæretis me, & non invenietis, & ubi ego sum, vos non potestis venire.*) Manifestũ etiam est hoc loco verbum *sum*, pro ero, &, *potestis*, pro poteritis positum esse, id exigente sententia. Omnis hoc loco quæstio est, quomodo sacerdotes, & Pharisæi, quibus hæc dicebantur, Christum essent post mortem quæsituri, quem non modò non videntur quæsiuisse, sed vsque & vsque persecuti esse. Maior pars veterum interpretum Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius sensum esse putant fore, vt post Ierosolymitanæ vrbis excidium intelligẽtes eam sibi calamitatem ob occisum iniquè Christum euenisse, eum sibi, quem offenderant, auxiliatorem quærerent. Quam interpretationem res ipsa non probat, nec enim ex vlla constat historia Iudæos post Ierosolymitanum excidium Christũ quæsiuisse, & constat re ipsa vsque ad hodiernum diem odio illum habuisse. Aliam idem Chrysostomus, & Theophylactus explicationem adhibent, quæsisse Christum mulieres, quæ eum ad mortem euntem plangentes sequebantur. At illæ inuenerunt Augustinus, & Beda, fore, vt post resurrectionem videntes miracula, quæ eius discipuli facerent ducti pœnitentia, atque dolore illum quærerent, quod nihilo magis probat euentus. Tunc enim in Christum, & in eos, qui eius se discipulos profitebantur, maximè sæuierunt, cum viderũt eius nomine tam multa fieri miracula. Malim Ruperti expositionem sequi, quæsiuisse Iudæos post resurrectionem Christum, nõ vt crederent, sed vt maximè persequerentur, ciusque nomen abolerent; sed non inuenisse, quia abolere non potuẽre. Mihi tamen proprius, atque germanus sensus alius videtur esse, quem, ni fallor, Theodorus Heracleensis solus inter graues auctores animaduertit, *Adhuc modicũ tempus vobiscum sum*, citò moriar, citò ex viuis in cælum emigrabo; itaque etiamsi me quæratis, non repperietis, quia vbi ego ero, vos non poteritis venire. Quod non ideo dicit, quòd Iudæi se re vera quæsituri essent, sed quòd quamuis quærerent, inuenturi non essent. Nihil ergo aliud hæc phrasis significat, quàm Christum de terris sublatum iri, ita vt inter viuos reperiri non possit. Solent ad hunc modum Hebræi loqui (nam & hic Hebraismus est) cum significant perijsse, aut non extare in terris, aliquid. Psal.9.35. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Psal. 36.10. *Quæres locum eius, & non invenies.* Isai.41.12. *Quæres eos, & non invenies, viros rebelles tuos; erunt quasi non sint.* Osee 2.7. *Sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non invenier.* Cum dicit, *Vbi ego sum, vos non potestis venire*, indicat eos nunquam in cælum introituros, sed descensuros cum damnatis in infernum.

35. *Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos.*) G. πρὸς ἑαυτοὺς. inter seipsos, non dixerunt Christo, sed inter se tantùm alij alijs immurmurarunt.

Quo hic iturus est, quia non inuenietis eum?) In quem tam remotum locum abiturus est, vt inuenire eum nequeamus? Aut, quonam tam longè est abiturus, quòd dicit nos se inuenturos non esse? Vtrumque enim sensum dictio ὅτι, *quia*, habere potest ad similitudinem Hebraicæ, כי, 2.Reg.7.18. *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus patris mei, quia adduxisti me hucusque*, id est vt me in regiam eueheres dignitatem. Simile exemplum supra cap.2.18. & Matt.8.27. Quod dicunt, *Hic*, non appellantes Christum, contemptus est, vt supra vet.11.

Numquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?) Dispersionem gentium quidam interpretantur Iudæos, qui inter gentes dispersi erant, vt Iacob.1.1. & 1.Petri 1.1. Non mala prorsus esset interpretatio, nisi & auctorẽ haberet malum, & sequentibus verbis repugnaret; cùm enim dicant, *Ite doctorus gentes*, non dubium, quin gentes ipsas dispersionem vocent. Quemadmodum Chrysost. Cyrill. August. Leontius, Beda, Theophylact. Euthym. Rupertus exponunt. Id etiam ex eo constat, quòd hoc velut accusando dicant, quòd ad dispersionem iturus esset. Non poterant autem accusare, quòd ad Iudæos iret, qui inter gentes dispersi erant; sed poterant accusare, quòd iret ad gentes, quibuscum non licebat versari viro Iudæo. Causam, quam ob rem Iudæi gentes dispersionem appellent, hanc Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius adducunt, quòd Iudæi olim in vna omnes Palestinæ regione collecti fuissent quod singulari ducebant laudi, gentes verò toto terrarum orbe quasi erabũdæ dispersæ essent. Itaque & illum Iacobi 1.1. & illum 1.Pet.1. 1. locum ad eundem modum interpretari licet, vt dispersio illic non Iudæorum, sed gentium intelligatur, in qua illi Iudæi, aut Christiani essent, ad quos illi epistolas scribebant eas, quas καθολικὰς, vniuersales, aut ἐγκυκλίους circulares Græci vocant, quæ ad totum terrarum orbem scribebantur, quem Hebraica phrasi dispersionem vocat. Nihil terrã sublimius Iudæi carnales homines cogitabant; nullum locum, quò Christus ire posset, ipsi non possent, nisi dispersionem gentium, quò nefas sibi esse ducebant ire; de cælo nulla apud illos mentio, nulla cogitatio. Atqui cælum erat, quò illi nisi acta priùs pœnitẽtia ire non poterant; dispersio verò gentium, in quam paulò post euersis à Romanis Ierosolymis in seruitutem venditi ituri erant.

Et Calvinum & Bezam in Ioan.

Gẽtes cur dispersio dicantur.

37. *In novissimo autem die magno festivitatis.*) Diximus ver.2. tabernaculorum festum per dies septem solitum celebrari. Primus ergo, & vltimus, id est septimus, vt Theophylactus, & Euthymius volunt; aut octauus, qui septem adiiciebatur, vt constat Leuit. 23.36. dies erat celeberrimus. Sex inter medij minùs celebres, propterea vocat Euangelista vltimũ diem magnum diem festiuitatis. Notauit autem diem, vt indicaret in maxima hominum frequentia dixisse Christum, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Vero simile enim est vltimo die festi, cùm celeberrimus esset, maiorem concursum hominum fuisse. Ea ipsa de causa Christus copiosiùs quàm alio die, & quia maior frequẽtia erat, & quia vltimus erat dies, nec aliud tam commodum habiturus erat tẽpus, & quia omnes postridie in suam quisque domum discessuri erant, disseruit, & valde clamauit, vt exaudire omnes possent. *Volebat*, inquiunt Chrysostomus & Euthymius, *domum abituris viaticum dare.* Præbuit exemplum concionatoribus, vt in extrema potissimùm parte concionis aliquid inprimis vtile dicant, quod abituri statim auditores quasi nouissima verba perpetuò recordentur. *Scrupulum*, inquit ille, *abeuntis.* Quòd stetisse dicit Christum, etsi Hebræorũ phrasi multa potest alia significare, vel aggressum loqui, & magno, constantique animo locutum, quemadmodum nonnullis iam in locis exposuimus; tamen hic potiùs videtur significare Christum stetisse in loco edito, atque conspicuo. Hoc enim ipsum eo pertinebat, quo ille pertinebat clamor; hic vt ab omnibus audiretur illud, vt ab omnibus conspiceretur, atque cõspectus faciliùs etiam intelligeretur. Aliam etiam significationem ille habebat clamor, vt ostenderet Christus se nihil occultè dicere, *Ego*, inquit, *palam locutus sum*; & loqui ex intimis animi sensibus; clamamus enim, cum feriò, & magno loquimur sensu. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Sic conciona-

Exẽplum dat Christus concionatoribus mutandũ, in multis. Cyc. 4. de simb.

Inf. c.18. 26.

Isai. 58.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tor debet dicere, sic clamare, cùm opus est, vt appareat ipsum ex animo loqui. Putant etiam Chrysost. Theophylactus & Euthymius, propterea clamasse Christum, vt ostenderet se neminem timere, sed liberè & confidenter loqui, quod ipsum concionatoris Christiani documentum est. *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi: ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.* Ierem. 1.17. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Ezec. 3.8. Hæc erat, quod postulabat D. Paulus Ephes. 6.19. vt sibi daretur, *sermo in apertione oris cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij.* Cùm ergo Iudæi Christum occidere voluissent, & eorum adessent ministri, vt eum comprehensum ad sacerdotes ducerent, ostendit se in medio periculo sinę metu versari, & quo illi magis impedire volunt, ne loquatur, magis clamat, quasi triumphum de illis agat. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Aperit, & ostendit omnibus fontem gratiæ suæ, ex quo, qui non biberit, saluus esse non possit. Sæpe se Christum per metaphoram fonti, flumini, aquæ solere comparare nemo nescit, & nos ea de re c. 4. 13. 15. copiosè disseruimus. Cur ea ipsa metaphora hoc loco vsus fuerit, ratio quæri potest, nam cap. 4. 13. vt se fontem, aut aquam appellaret, ex re subiecta occasionem habuit. Erat iuxta fontem Iacob, petierat aquam à muliere Samaritana, excusauerat illa ipsum esse Iudæum, cui non liceret à Samaritana potum petere. Hîc nullam videmus eiusmodi occasionem habuisse. Probabilis est multorum opinio voluisse ad Isaiæ locum alludere, cap. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Quod si, vt est probabile, & verum est, non dubium quin propterea de se tanquam de fonte aliquo, aut flumine locutus fuerit. Sed quia certum hoc non est, non est superuacaneum aliam quærere rationem. Volebat se Christus docere omnibus publicè hominibus ad salutem propositum esse: erat consentaneum, vt se rei maximè publicæ, vnde omnium salus, & vita pendeat, compararet. Nihil magis eiusmodi est, quàm fons publicus, aut flumen, vnde omnes, qui volunt, bibunt, nemine prohibente. Proptrera ergo se comparauit fonti. Volebat etiam docere se non inuitis, & repugnantibus, sed volentibus, cupientibus, & vehementer desiderantibus profecturum. Solet autem, quemadmodum capite 4. 15. disseruimus, per sitim vehemens desiderium significari, quia vehementissimus est bibēdi appetitus, cùm sitimus. *Quemadmodum desiderat cerous ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Proptrera non absolutè dicit, Venite omnes ad me, sed, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; sicut apud prophetam, *Omnes sitientes venite ad aquas*; notarunt hoc Chrysostomus, Euthymius, & Ammonius in Catena Græcorum, & Theodoritus in comment. in c. 3. poster. epistolæ ad Thess. & Hieronymus lib. 1. aduersus Iouian.

38. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*) Ratio, consequentiáque verborum postulare videbantur, vt diceret, Qui venit ad me, & bibit: Dixerat enim, *si quis sitit, veniat ad me*; sed id ipsum dixit clariùs. Nam venire ad eum, & bibere, erat credere, ideo dicit, *qui credit in me.* Duplex hic quæstio; altera, quomodo intelligendum ex ventre credentium flumina fluere aquæ viuæ; altera, vbi hoc scriptura dicat? Priorem quæstionem c. 4. 14. magna ex parte explicauimus. Breuiter tamen sensus indicandus est. Nihil aliud significat, quàm animam eius, qui in se crediderit, omni gratiæ copia abundaturam esse, nihil illi defuturum. Intelligit, qui crediderit, non quemadmodum *damones credunt, & contremiscunt*; sed qui crediderit, quemadmodum credere oportet, ita vt cum fide coniunctam habeat caritatem, vt c. 4. 14. disputauimus. Hanc quam diximus, copiam duobus verbis declarauit, & quòd vocat, *flumina*, plurali etiam nomine, non contentus flumen appellare, vt Origen. hom. 12. in Numeros, Chrysostomus, Leontius, & Euthymius, & Ambros. lib. 10. epist. 82. obseruarunt; & quod dicit *fluent*, quo verbo, vt ait Ammonius, indicat, qui in se credere voluerint, non id tantùm habituros gratiæ, cæteráque bonorum, quantum satis sibi sit, sed ita etiam abundaturos, vt possint ea cum alijs hominibus communicare. Hæc summa est. Si quis vult singula subtiliter excutere, dicat Christum se ipsum fontem appellare, vt Psal. 35. 10. *Apud te est fons vitæ*, ex quo fonte qui biberit, id est, qui in illum crediderit, in eius animo haustam, acceptámque gratiam ita natura sua crescere, ita exundare, vt ex paruo fonte, quem biberat, multa, magnáque flumina erumpere videantur: sicut solent magna flumina ex non magnis sæpe fontibus originem trahere. Itaque quod dixerat c. 4. 14. *fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam*, dicit hîc *flumina de ventre eius fluent.* August. & Beda per flumina redundantem caritatem intelligunt. Alij lętitiam spiritualem, vt Ammonius, & Basilius in Psal. 45. sic interpretās, quod eodem dicitur Psalmo ver. 5. *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et quidem flumen illud in Apocalypsi cap. 22. 1. splendidum vt crystallus, quod per mediam illam cælestem ciuitatem interfluebat, non dubium, quin copiosam beatorum significet voluptatem. Alij doctrinam euangelicam, quam, qui perfectè in Christum credebant, quemadmodum Apostoli, tanquam flumina apertis fontibus emittebant, vt Ambros. lib. 10. epist. 82. & Gregorius lib. 18. in Iob, c. 22. & hom. 10. in Ezechiel. & Elias Cretensis in orat. 4. Gregor. Nazian. de Theologia, & Rupertus in comment. ad hunc locū. Verus est sensus, quem supra retigimus, quémq; Chrysostomus, Leontius, Origen. hom. 12. in Numer. Hilarius in comment. in Psal. 64. & Hieronym. in exemplū producere, vt doceat Christum, & Apostolos multa ex Hebraica citasse veritate, quæ in Septuaginta versione non reperiantur. Sic Isaiæ, & in prologo in Pentateuchum, & in lib. Paralipomenon. Vtinam eadem indicasset opera, vbinam hoc testimonium in Hebraicis libris reperiretur. Nihilo enim magis in Hebraicis nunc, quàm in Græcis inuenimus libris. Rupertus, D. Thomas, & alij nonnulli Latinorum interpretum ex Prouerb. cap. 5. 15. 16. testimonium sumptum esse putant; idémque Hieronymo tribuitur, *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Sed hic locus non minùs apud Septuaginta, quàm apud Hebræos legitur, itaque credibile non est Hieronymum eum locum designare voluisse: præterquam quòd eo loco non de Spiritus sancti donis, sed de vxore, & liberis agebatur. Alij referunt ad locum Isaiæ 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Alij ad illud eiusdem Isaiæ. c. 48. 21. *Non sitierunt in deserto cùm educeret eos; aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ,* vt videtur sentire Cyprianus epistola 62. Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius referunt ad verba præcedentia, *Qui credit in me, sicut dicit scriptura*, & posita distinctione legunt, *flumina de ventre eius fluent.* Atq; ea ipsa lectio potest duplicem habere sensum, aut qui credit in me, non quocunque modo, sed quomodo scriptura credendum esse docet, tanquam in verum filium Dei, verum Deum, verum Christum, verum redemptorem, vt Theophylactus exponit: aut quemadmodum alij, qui credit in me, sicut scriptura dicit, omnes in me credere oportere. Placeret mihi hęc lectio, & vtraque eius interpretatio, si meliorem quæstionis exitum non reperirem. Sed probabilior mihi, & ab omni difficultate magis expedita eorum videtur esse sententia, qui existimant his verbis, *flumina de ventre eius fluent*, ad scripturam alludi, non quòd hæc eadem verba in vllo veteris testamenti loco reperiatur, sed quòd sensus idem non vno, sed multis apud prophetas locis sit. Quid enim aliud sibi Deum velle, quoties pollicetur, se Spiritum sanctum largiter in omnes homines effusurum, aut nomine spiritus, vt Ezechiel. 11. 19. & 36. 25. & 39. 29. aut nomine aquarum, vt Ezechiel. 36. 24. Isaiæ. 44. 3. & 55. 1. Hoc ipsum videtur Euangelista declarare voluisse, cùm addidit, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes.* Nam quasi diuinaret fore, vt erraret per scripturam lector quærens, vbinam ea essent verba; monuit non verba quærenda esse, sed sensum non de aquis, sed de Spiritu sancto locutum fuisse.

39. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*) Græci habent οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, nondum enim erat Spiritus sanctus. Atque ita & codices non solùm impressi typis, sed etiam manu scripti omnes, quos videre contigit, & auctores item omnes Græci legunt, Chrysostomus, Athanasius, & Cyrillus, Ammonius in Græcorum Catena, Leontius, Theophylactus, & Euthymius in comment. Quin ex Latinis etiam Hieronym. q. 9. ad Hedibiam videtur ita legisse, &, vt nonnulli volunt, Augustinus tract. in Ioan. 22. Sunt & nonnulli Latini codices, qui ita legant, alij, qui cùm legant *datus*, tamen id ipsum nomen verū confodiant. Sed nec dubito nostrum interpretem legisse *datus*, nec veram eam esse lectionem; itaque si vel omnes codices aliter legerent, emendanda lectio esset coniectura sententiæ, quæ id haud dubiè postulat, vt legamus *datus*. Adde quòd Syri ita legunt, & antiquissimus ille, ac celeberrimus Vaticanus codex Græca scriptus manu, qui vnus instar est omnium. Auctores etiam Latini veteres Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, Augustin. tract. in Ioan. 32. & lib. 4. de Trinitate c. 20. & lib. 83. qq. q. 62. & Leo ser. 2. de Pentecoste. Quid ergo est *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus?* Notatur causa cur Christus *de Spiritu, quem accepturi erant credentes*, non tanquam de re præterita, aut præsenti, sed tanquam de futura locutus fuerit, *flumina de ventre eius fluent.* Eius rei causam reddit Euangelista, cùm dicit, nondum spiritum fuisse datum; sed dandum fuisse postea. Eodémque modo illa altera lectio, si cui eam sequi placet, interpretanda est. *Nondum erat spiritus*, sub. *datus*, aut *ἐν αὐτοῖς, in illis*, quemadmodū quidam codices Græci habent. Quæstionem Augustinus, & Beda mouent; quo modo dicatur nondum spiritus datus esse, cùm idem ante spiritus in prophetis fuerit? *Non enim aliam spiritum*, inquit Augustinus, *prophetæ habuerunt, qui Christum venturum prænuntiauerunt.* Respondent datum quidem fuisse ante, sed non visibiliter, non tam largiter, quàm postea datus est; ita vt si prior illa largitio cum secunda comparetur, ne datus quidem ante fuisse videatur. *Nusquam enim*, ait Augustinus, *legimus antea congregatos homines accepto Spiritu sancto linguis omnium gentium locutos fuisse. Post resurrectionem autem suam, primùm quando apparuit discipulis, dixit illis, Accipite Spiritum sanctum: de hoc ergo dictum est. Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Sic Augustinus, & Beda. Quanquam ego non ad illum locum refero, vbi insufflans in Apostolos dixit, *Accipite Spiritum sanctum*, Ioan. 20. 22. sed ad diem Pentecostes, cùm Spiritus sanctus specie linguarum & ignis in Apostolos effusus est Act. 2. 2. Illa enim flumina fuerunt, quæ statim ex ventre, id est ex intimis Apostolorum sensibus fluere cœperunt; tunc omnes primùm impleti dicuntur Spiritu sancto. Prius verò cum in illos insufflauit, non visibiliter, neque tam copiosè dona illis dedit Spiritus sancti; sed potestatem tantùm, & gratiam Spiritus sancti dedit ad remittenda peccata. Sed duplex etiam de hac ipsa re quæstio est. Altera, quid sit glorificari Christum; altera, cur spiritus datus non esset, quia ille glorificatus non erat. Glorificationem Christi plerique resurrectionem eius interpretantur, vt Augustinus, & Beda. Alij modico discrimine sententiæ crucem ipsam; per eam enim glorificatū Christum, vt Leontius, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus. Alij ascensionem in cælum, qua perfectam illam accepit gloriam, vt exaltaretur, sederétque *ad dexteram Patris*, & daretur *illi nomen, quod est super omne nomen.* Hoc verum. Hanc enim ipsam rationem reddit alibi Christus, cur dandus spiritus esset, quòd ipse esset in cælum abiturus, & si non abiret dandus non esset. *Si non abiero*, inquit, *paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* c. 16. 7. Sic interpretatur Leo ser. 2. de Pentecoste. *Dominus*, inquit, *ascensio dandi spiritus fuit ratio; quem ille necesse est, vt neget datum, qui ad cœlestium paterne dextræ verum in Christo hominem neget esse prouectum.* Secunda quæstio variè etiā ab auctoribus explicatur. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, quod ante Christi glorificationem inimici essemus Dei, & non conueniebat, vt inimicis daretur Spiritus sanctus; post glorificationem autem amici facti simus, itaque dari nobis potuit. Sed hi auctores Christi crucem, glorificationem eius vocant; quam opinionem cùm paulò ante refutauerimus; alia nunc ratio explicandæ quæstionis quærenda est. Augustinus, qui, vt modò diximus, resurrectionem Christi eius glorificationem vocat, mysterium hoc in ea re esse putat. *Quare*, inquit, *Dominus Spiritum, cuius maxima beneficia sunt in nobis, quia caritas Dei per ipsum diffusa est in cordibus nostris, post resurrectionem suam dare voluit? Quid significauit? vt in re-*

Cur Christus fecit se comparatum.

Psal. 45. 2. 3.

Isai. 55. 1.

Quomodo ex ventre credentium flumina fluant.

Quæstio Augustini.

Trac. 32.

Inf. 20. 22.

Quid sit glorificari Christum.

Marc. 16. 19. Philip. 2. 9.

Cur Spiritus sanctus datus non esset.

Ad Rom. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

surrectione nostra caritas flagret, & ab amore sæculi separetur, vt tota currat in Deum. Causam huius rei veram ipse mihi Christus videtur indicare, cùm dicit, *Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quasi superuacaneum esse docens duos simul eodem tempore paracletos Apostolis dari, cùm vnus satis esset; vnum autem, qui eos regeret, dari esset necessarium; ideo quamdiu ipse, qui alter erat paracletus, vt ait cap. 14. 16. cum Apostolis erat, superuacaneum esse videbatur alterum illis dare. Cùm autem in cælum ipse abijsset, fuit necessarium alterum mittere. Notant Theodorus Heracleensis, Leontius, & Theophylactus Spiritum sanctum hoc loco non diuinam ipsam Spiritus sancti personam, sed eius dona significare, quæ fuerunt in Apostolos effusa.

Inf. 16.7.

40.41.42.43. *Ex illa ergo turba.*) Intelligitur, quidam ex illa turba; significatúrque partitio, alios hoc, alios aliud dixisse. Hebraismus enim est, quo partitio designatur; vt Matth. 23. 34. *Ecce ego mitto ad vos prophetas, sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris*, id est alios occidetis, alios flagellabitis. Sic apparet nostrum interpretem hoc loco legisse ἐκ τῆ ὄχλυ ἐκείνυ ex turba ergo illa. Quanquam omnes nunc fere codices Græci legunt, πολλοὶ δὲ ἐκ τῆ ὄχλυ. multi ergo ex turba, cùm audissent hos sermones, dicebant, *Hic est verè propheta, ἀληθῶς ὁ προφήτης*, hic est verè propheta ille, additur enim Græcus articulus nomini prophetæ, quem quidam emphaticum esse putant, quo propheta ille, qui mittendus esse dicebatur, id est Christus significetur Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitauit tibi Dominus Deus tuus.* Repugnat quod sequitur, *Alij*, inquit, *dicebant, Hic est Christus.* Illi ergo alij non dicebant esse Christum, sed verè prophetam. Itaque Græcus articulus aut otiosè ponitur, quemadmodum sæpe apud Ioannem poni obseruauimus, aut tantùm significat non vulgarem, sed eximiæ sanctitatis, atque virtutis prophetam esse. Describit deinde Euangelista varia multitudinis de Christo iudicia vsque ad ver. 44. alios dixisse non solùm prophetam, sed verum etiam esse Christum; alios Christum esse non posse, qui Galilæus esset, cùm scriptura doceret ex genere Dauidis, & eius patria Bethlehem Christum esse venturum. De qua re apud Matthæum cap. 2. 6. disputauimus. Recte quidem illi indicabant Christum ex genere Dauidis, & ex oppido Bethlehem nasciturum esse; sed in eo errabant, quòd ignorarent etiam futurum esse Nazarenum, quæ vrbs in Galilæa erat. Eodem argumento vsus fuerat Nathanael, vt non facilè crederet eum esse Christum. cap. 1. 46. Et Pharisæi, atque sacerdotes infra ver. 52. *Nunquid à Galilæa venit Christus?* At quomodo ignorare illi poterant Christum non esse Galilæum, sed in oppido Berthlehem natum fuisse, præsertim cùm Berthlehem tam prope abesset ab Ierusalem? Putant Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius, id eos non ignorasse, sed malitia, quam veram eius patriam esse sciebant, celauisse, & vsos fuisse vulgari fama, quòd Galilæus esset, vt probarent eum non esse Christum. Probabilius est eos in Galilæa non solùm educatum, sed natum etiam putauisse. Nam etsi in Bethlehem natus fuerat, tamen vix quisquam id scire poterat, cùm in stabulo natus esset, & paulò post in Ægyptum fugisset. Alia ex parte videbant omnes eius cognatos, omnes discipulos esse Galilæos, & ipsum fere semper in Galilæa habitare, Galilæo, vt vero simile etiam est, vti sermone, & ab omnibus vulgo haberi, vocarique Galilæum.

Hebraismus quo partitio designatur.

Satis erat causæ cur errarent.

44. *Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, sed nemo misit super eum manus.*) Voluit Euangelista contraria vulgi in Christum studia describere. Alij Christum esse confitebantur; alij dubitabant; alij prophetam esse dicebãt, alij seductorem; itaque manus in illum conicere volebant; sed nimirum nõ potuerunt, *quia nondum venerat hora eius*, vt dixerat ver. 30. Quod enim illic Ioannes dixit, hic non dicens voluit à nobis intelligi.

45. *Venerunt ergo ministri.*) Qui à Pharisæis, & sacerdotibus missi fuerant, vt Christum comprehenderent.

46. *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.*) Hebraismus, nunquam sic locutus est quisquam. Multis locis notauimus Hebræos אישׁ hominẽ pro quodam dicere, sicut Latinos pro illo, *non nouit hominem*, id est illum. Οὐκ *ad Christum capiendum ierant* inquit Chrysostomus, *eius admiratione capti redierunt.* Obseruauit idem Chrysostomus, Theophylactus etiam, & Euthymius, quantum inter Pharisæorum, & ministrorum animos discrimen fuerit. Sacerdotes, & Pharisæi homines docti, & in scripturis versati, & qui nullis visis miraculis Christum agnoscere, & in eum credere potuerunt, multa eius miracula viderant, (vt credibile quidem est) sæpe docentem audierant, non solùm in eum non credebant, sed odio etiam, & inuidia prouocati comprehendere, ac perdere volebant. Ministri nullo viso miraculo, cùm ad eum comprehendendum irritatis animis missi fuissent, minima parte concionis eius audita in eum crediderunt; & ita quidem crediderunt, vt non solùm coram alijs, sed etiam coram ipsis illis, à quibus missi fuerant, id est coram Christi hostibus confessi fuerint. Poterant (inquiunt auctores illi) ad Pontifices, & Pharisæos non redire, poterant cum Christo, in quem iam credebant, remanere, sed maioris fidei, & libertatis fuit ad eos redire, qui se miserant. Poterant, postquam ad eos rediernnt, causam aliam obtendere, quamobrem eum non adduxissent, non potuisse, timuisse inclinatam in eum turbam: non id prætexunt, sed, quod res est, liberè confitentur, *Nunquam sic locutus est homo. Non enim quisquam*, inquit Augustinus, & etiam Beda, *sic loquitur homo; ille autem sic locutus est, quia Deus erat, & homo.* Itaque videntur hi duo auctores existimare ministros illos Christi diuinitatem cognouisse, eodemque fere modo Cyrillus exponit in Catena citatus Græca, sed iam diximus, quid ea significet phrasis. Melius Rupertus, non melior licet auctor, *Verè nunquam sic homo locutus est. Homines quippe, quicumque sapientiæ, vel scientiæ sermonem habuerunt, de plenitudine huius omnes acceperunt.*

47. *Nunquid & vos seducti estis?*) Nunquid etiam vos, qui minimè seduci ab illo debebatis, cùm ministri nostri sitis, vnde aliquam vobis sapientiam, aliquam prudentiam accedere oportebat, seducti tamen estis, sicut & imperita ista multitudo, quæ nullam scripturarum habet cognitionem? Hanc vim putat Leontius habere verba illa, *Nunquid & vos?* Potest & aliam habere emphasim, *Nunquid & vos*, qui missi à nobis estis, vt eum comprehenderetis, qui nobis potiùs, quàm illi credere debebatis, seducti tamen ab eo estis? Debuerunt, inquiunt Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius, potiùs ministros interrogare, quidnam ille dixisset, quod tantopere mirati non prehendissent. Sed occæcati odio non id rogant, sed quasi certò scientes nihil eum magnum, & admirabile dicere potuisse, ministros obiurgant, quòd seducti sint, quòd nimio erga eum studio

itudio admirentur, quæ non modò admiranda non sint, verum etiam reprehendenda. Notant ijdem auctores tres leniter Pharisæos ministros suos obiurgasse, ne si asperiùs reprehendissent, se omnino relictis ad Christum defecerent; ideo non tam malitiæ, quàm errori tribuunt, quòd tam honorificè de Christo loquantur, idque non affirmando, sed dubitando dicunt. *Nunquid & vos seducti estis?*

48. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum? aut ex Pharisæis?*) Non alio argumento Pharisæi conãtur ministris persuadere credendum non esse Christo, quàm quòd nemo principum, aut Pharisæorum, penes quos iudicium, curáque esset religionis, in eum credidisset. Atqui hoc falsum erat; nam Nicodemus & Pharisæus & princeps Iudæorum erat, & in Christum crediderat. c. 3. 1. etsi non publicè profitebatur. Et vt nemo credidisset, non continuò sequebatur non esse in illum credendum; quin sequebatur credendum esse, cùm homines plebeij, qui nulla in Christum ducerentur æmulatione, in illũ crederent, soli principes, & Pharisæi non crederent, qui odio, qui inuidia impedirentur. Itaque dum hoc dicunt, seipsos, suámque incredulitatem magis, quàm turbam accusant, quòd turba legis ignara ex solis miraculis, & doctrina commota in illum crederet; ipsi verò & audita cælesti doctrina, & miraculis coram visis, & legem scientes, in qua perspicere eum poterant, nollent credere, vt Augustinus, Chrysostomus, Leontius, Beda, Theophyl. Euthymius aduertunt. *Qui non nouerant legem*, inquit August. *ipsi credebant in eum, qui miserat legem: & eum, qui miserat legem, contemnebant illi, qui docebant legem, vt impleretur, quod dixerat ipse Dominus. Ego veni, vt non videntes videant, & videntes cæci fiant. Cæci enim facti sunt Pharisæi doctores; illuminati sunt populi nescientes legem, & in auctorem legis credentes.* Experti tamen hoc tempore nostro sumus malo, quantum ponderis hoc argumentum vulgo habeat. Nemo est, qui non magnus, qui nõ ingeniosus, qui non doctus videri velit. Nulla res plures hominum hac ætate in hæresim impulit, quàm quòd nonnulli doctrina, & ingenio præstãtes hæretici sua superbia, non suo ingenio, non sua doctrina facti essent, creditũ vulgo est hæreticos omnes ingeniosos, & doctos esse. Opinióque ea apud multos intualuit, qui hæreticus non esset, eum ingeniosum, doctúmque esse non posse. At verò non magis hæc ratio homines prudentes, vt religioni hæresim anteponerent, mouere debuit, quàm vt castitati impudicitiam præferrent, quòd plures vrbanas, elegantesque mulieres, quàm rusticas, & deformes impudicas esse videant. Nam neque elegantia, sed elegantiæ studium impudicitiam; neque ingenium, sed ingenij superbia hæresim facit.

49. *Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.*) Cùm turbam maledictam vocant, quia legem non nouit, alludunt, vt Rupertus existimat, ad locum Deuteron. 27. 26. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius.* Ergo non nosse legem, est legem non obseruare.

50. *Dixit Nicodemus.*) Non dubium, quin Nicodemus Christum à principum, & Pharisæorum furore voluerit liberare; sed ita vt non id agere videretur, ne si suspectus esse cœpisset, causam perderet. Crediderat in Christum, & ab eo institutus fuerat; redierat tamen ad officium Pharisæi permittente, opinor, Christo, vt esset etiam apud hostes, qui se defenderet. Non profitebatur se discipulum Christi, sed Pharisæum, siue metu Iudæorum, siue vt magis ea ratione Christum iuuaret. Conuenit aliquando aliquem esse Nicodemum, & Christum suos apud hostes habere exploratores. Conuenit, inquam, Ecclesiæ, conuenit Christo scienti ex malis nostris bonum elicere; ipsis verò Nicodemis an conueniat, illi viderint; ego professus, & publicus Christi discipulus esse malim.

51. *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?*) Idem hic Hebraismus est, qui supra ver. 46. *Nunquid lex nostra iudicat hominem* id est quemquam. Sunt qui putent ad locum Deuter. 17. 8. & 19. 15. alludi, sed nihil eiusmodi ibi præcipitur; nec arbitror Nicodemum testimonium vllum scriptum; sed consuetudinem citare legis, quæ neminem nisi auditum damnari patitur. Nec enim ea tam scripta lex est, quàm naturalis, quã apud omnes gentes seruatam legimus. *Si hominem Romanum* (inquit Paulus) *& indemnatum.* id est non auditum, atque conuictum, *Licet vobis flagellare?* Act. 22. 25.

Hebraismus.

52. *Nunquid & tu Galilæus es?*) Sicut ille, qui amore deceptus patriæ eius patrocinium susciperat. Non dicunt, Nunquid & tu discipulus eius es? quia discipulum esse non suspicabantur. Nec ignorabant Nicodemum non esse Galilæum, sed indicant eum adeo in Christum esse propensum, vt si Galilæus esset. Quod dicunt, *à Galilæa propheta non surgit*, minùs ambiguè dictum est Græce, οὐκ ἐγήγερται surrexit; id est lege omnem scripturam sacram, nusquam reperies vllum vnquam ex Galilæa prophetam extitisse. Ex præteritis enim exemplis de futuro coniecturam faciunt non solùm Christum Messiam, sed ne prophetam quidem esse posse, cùm Galilæus sit; quasi argumententur, nullus vnquam ex Galilæa propheta extitit, ergo iste, qui Galilæus est, propheta non est. Ineptum prorsus argumenti genus. Nam nec satis constat nullum antep rophetam fuisse Galilæum; quin sunt qui existiment Debboram prophetissam Galilæam fuisse, quòd ex tribu Nephtalim, vel Zabulon fuisse videatur. Est tamen id ipsum incertum. Deinde si constaret, tamen quod argumenti genus erat, priùs nullum ex Galilæa propheram extitisse, nullum ergo deinceps existere posse? Eodem enim argumento probarent, nec Eliam prophetam fuisse, quia ante illum nemo ex eius patria propheta fuerat; idémque de omnibus, qui aliquo in loco primi prophetæ fuerunt dici posset; nam aliquem vbiuis fuisse primum necesse est.

53. *Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.*) Hic versus nec à plerisque antiquis legitur auctoribus, & in pleriſq; Græcis exemplaribus defideratur. Sed ea de re initio sequentis capitis sumus disputaturi. Quòd attinet ad sensum, voluit Ioannes declarare quid Nicodemi consilium profuisset, vt dissoluta congregatione sacerdotum, & Pharisæorum, in suam quisque domum abiret.

CAPVT VIII.

IESVS autem perrexit in montem Oliueti: 2. & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. 3. Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio,

4. &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Leu.20.a 10.

4. & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. 5. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Cum ergo perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra. 9. Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit? 11. Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: Vade, & iam amplius noli peccare. 12. Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quò vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quemquam: 16. & si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater, 19. Dicebant ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius. 21. Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quò ego vado, vos non potestis venire? 23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo: 24. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris: si enim non crediderit is quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium, qui & loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare, sed qui me misit, verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognouerunt quia Patrem eius dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: 29. & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: 32. & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? 34. Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. 35. seruus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. 36. si ergo vos filius liberauerit, vere liberi eritis. 37. Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. 39. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. 40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: vnum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset: diligeretis vtique me, ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis

Deut. 17. b.17.

1. Ioan. 1. b.8.

Deut. 17. b.6 & 19. c.15. Matt 18. b.16. 2. Cor. 13. a.1. Hebr. 10. c. 20.

Rom. 3. a. 4.

Rom. 6. c. 15. 2. Pet. 2. d.19.

1. Ioan. 3. b.8.

ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 48. Respondérunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? 49. Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet. 51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. 53. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis? 54. Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, 55. & non cognouistis eum: ego autem noui eum: Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. 56. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. 57. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? 58. Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ergo sum. 59. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

1. Ioan. 4. a.6.

IN CAPVT VIII.

1 IESVS autem perrexit in Montem oliueti.) Monuimus extremo capite superiore vltimum eius versum, & historiam hanc totam adulteræ in multis olim Græcis, Latinisque codicibus desideratam, hodiéque in nonnullis Græcis desiderari; nam Latinorum vix quisquam modò non habet. Itaque solet inter recentiores interpretes de eius auctoritate disputari. Atque vtinam quidam eorum minùs fuissent liberi, & rem certam non in dubio reliquissent; quo etiam minùs digni sunt venia, quòd si qua proferri poterant argumenta contra auctoritatem huius historiæ, ea videantur ignorare. Vix enim alia adducti ratione sunt, quàm quòd Hieronymus lib. 2. contra Pelagian. scribat eam in multis Græcis, & Latinis exemplaribus haberi; vnde colligunt in plerisque non fuisse. Et non viderant tamen veteres Græcorum codices, non viderant Græcorum commentatores, quorum solus recentissimus Euthymius eam exponit. Atque is quidem ipse exponit sic, vt eius auctoritatem magis eleuet, quàm affirmet. Monet enim in emendatioribus exemplaribus non haberi, & in quibus habetur, obelo quasi adiectitiam notari esse. Testatur præterea neminem Græcorum interpretum eam exposuisse, se tamen idcirco exponere decreuisse, quòd etiamsi legitima non sit, tamen vtilitate non careat. Et verò consului veteres Græcorum codices multos, nullus ex manu scriptis habebat præter vnum, inquo Leontij sunt cómentarij; & ille ipse ita habebat, vt tota historia vera transfossa esset, & Leontius ne mentionem quidem de ipsa vllam faceret; sed ea præterita, reliqua explicaret. Non habebat antiquissimus ille Vaticani codex, quem sæpe nominauimus: non Græca Catena, in qua cum tres & viginti auctores sint, nemo eius meminit. Habemus Græcos impressos multos Origenem, Clementem Alexandrin. Chrysostomum, Nonnum, Theophylact. nemo eorum legit, cùm Chrysostomus & Theophylactus scripserint in totum Ioannem commentarios. Quò magis vero similis eorum est coniectura, qui suspicantur exemplum huius adulteræ, quod à Chrysostomo homil. in Ioannem 60. inter alia profertur, vt probet solitos Pharisæos malo Christum animo interrogare, ab aliquo fuisse additum. Certè Eusebius extremo libro 3. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 39. hanc historiam in libris Papiæ scriptam fuisse dicens, eandémque in Euangelio secundùm Hebræos reperiri, nulla de Ioannis Euangelio mentione facta haud dubiè indicat non esse Ioannis. Sed hæc omnia minùs habent ponderis, quàm vna auctoritas Ecclesiæ, quæ per Concilium Tridentinum, non solùm libros omnes, quos nunc habet in vsu, sed singulas etiam eius partes tanquam canonicas approbauit. Qua ratione non modò hanc historiam canonicam esse, sed etiam à Ioanne fuisse scriptam, eiúsque Euangelij partem esse declarauit. Vt nullus prorsus iam aut dubitationi, aut eorum coniecturis locus sit, qui aut ex apocrypho Hebræorum Euangelio in hunc locum suspicantur fuisse translatam; Aut scriptam quidem à Ioanne, posteaquam Euangelium edidisset, recordato à se prætermissam, aut ab alio quo ex Papia eius insertam Euangelio, & ab eo tanquam veram approbatam; ideóque in quibusdam reperiri exemplaribus, in alijs non reperiri. Nihil enim horum de eo, qui Spiritu sancto afflatus scripserit, dici potest. Ad Ecclesiæ auctoritatem multorum etiam veterum codicum auctoritas accedit, quemadmodum testatum Hieronymum diximus. Ammonius etiam Alexandrin. antiquissimus auctor in Harmonia Euangelica eam ponit. Ponit etiam in Synopsi Euangelij Ioannis. D. Athanasius, & ipse Græcus auctor. Citatur, vt diximus, à Chrysostomo homil. in Ioannem 60. magisque probabile est eum propterea non illustrasse hoc loco commentarijs, quòd facilem esse iudicauerit; aut quòd ille, qui in eius Ecclesia legebatur, codex eam non haberet, (nam eius in Ioannem commentarij homiliæ ad populum habitæ sunt) quàm ab aliquo in homil. 60. insertam. Quis enim hoc credat? Citatur ab Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 2. & lib. 7.

A

B

C

Sess. 4. de rect. de Canonis scripturis.

Testimonia veterum quæ hîc historiam tuentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

epist. 58. & lib. 9. epist. 76. Tractatur multis locis ab Augustin. non solùm hîc tract. 33. sed etiam ser. 47. de verbis Domini, & lib. 2. de adulter. coniug. cap. 6. & 7. & lib. de vera, & falsa pœnitentia. cap. 13. & epistola 54. & lib. 4. de consens. Euangel. cap. 10. Tractatur à Prospero in lib. de promission. part. 2. cap. 22. Tractatur à Gregor. lib. 1. Moral. cap. 6. & lib. 14. cap. 15. Vtitur ea historia tanquam Euangelico testimonio Idacius ad refellendam Arianorum hæresim in lib. cont. Varimadum. Quin & Hieronymus, lib. 2. contra Pelagium minimè eo testimonio ad refutandos Pelagianos vsus fuisset, nisi putasset esse canonicum, quamuis in multis Græcis, Latinisque codicibus non reperiretur. Denique Sedulius, qui multa alia ab Euangelistis scripta præterire solet, hanc historiam minimè præteriit, sed copiosò, & eleganti carmine descripsit. Adde quòd si vltimum versum capitis septimi, & historiam hanc totam deleas, vix bene reliqua hærere videbuntur, ita verò & tota cum cæteris hæret historia, & cætera inter se quasi vinculo quodam colligat, vt minimè inducta aliunde, sed ipso in loco nata esse videatur. Quid ergo causæ putemus fuisse, cur in multis olim libris non legeretur? Primùm credibile est Græcum aliquem audacis iudicij hominem, cùm videret eam historiam inter duas conciones positam, insertam fuisse putauisse, erasisséque: quasi vero simile non esset, vt inter duas conciones diuersis diebus habitas & accidisset, & ab Euangelista recenseretur. Iuuat fortassis audaciam, quòd eam legerit apud Papiam: itaque existimauit se Ioanni auferre posse, cùm auctorem alium, cui eam tribueret, inuenisset. Atqui inde potiùs probare debuit esse Ioannis, quòd esset & Papiæ. Vnde enim Papias, nisi ex Ioanne præceptore suo potuit discere? Et vt fingamus ex eo non didicisse, tamen si Papias scripsit, vera est, si vera est, quis credat à Ioanne prætermissam, cùm & res esset cumprimis insignis, & ab alijs Euangelistis prætermissa, cuiusmodi res Ioannes suscepto consilio consectabatur? Satis, vt opinor, huius historiæ fides asserta est. Iuuat nunc duorum hæreticorum Caluini, & Bezæ, præceptoris, atque discipuli contraria ponere iudicia, vt lector Catholicus intelligat, quam vanum sit, quod Lutherani, & Caluinistæ iactare solent, in diiudicandis diuinis libris non alio Ecclesiæ publico testimonio, non alia regula opus esse, quàm spiritu, vt illi dicunt, diuino, vt ergo arbitror, hæretico, qui degustata primùm lectione tacitè cuique suggerit hoc librum à Spiritu sancto dictatum esse, illum non esse. Spiritus Caluino fuggessit nihil hanc historiam continere, quod Apostolico spiritu indignum videri posset. *Consitas*, inquit, *Græcis ignoratam fuisse, itaque nonnulli coniicium aliunde assutam esse, sed quia semper a Latinis Ecclesijs recepta fuit, & in plurimis vetustis codicibus reperitur, & nihil Apostolico spiritu indignum continet, non est eur eam in vsum nostrum accommodare recusemus.* Idem spiritus eius discipulo Bezæ reuelauit nihil in ea Apostolico dignum spiritu contineri. *Ad me quidem quod attinet* (inquit ille) *non dissimulo mihi merito suspectum esse, quod veteres illi tanto consensu vel veiecerunt, vel ignorarunt. Deinde quod narrat Iesum solum fuisse relictum cum muliere in templo, nescio quam sit probabile, & quod scribit Iesum digito scripsisse in terra, nouum mihi, & insolens videtur, neque possum conicere, quomodo possit satis commodè explicari.* Ipsi se hæretici coarguunt, ostendúntque se non diuino, sed humano, aut potiùs hæretico spiritu de rebus diuinis iudicare, cùm alter alteri repugnant; *non enim est dissensionis Deus, sed pacis.*

Cap. 4. Carm.

Cur in multis olim libris non legeretur hæc historia.

Caluini & Bezæ dissensio.

1. ad Cor. 14. 33.

3. *Adduxerunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio.*) Gr. Καὶ στήσαντες αὐτὴν ἐν μέσῳ λέγουσι, & cùm statuissent eam in medio dicunt. Vsus enim est Ioannes in historia narranda verbis præsentis temporis, vt rem præteritam, quasi præsentem ante oculos poneret, *adducunt, & dicunt*. Quo animo adduxerint, non erat difficile diuinare, & Euangelista verb. 6. declarauit, vt occasionem captarent aliquam Christum criminandi. Quam verò inde occasionem captare potuerant, illic explicabimus. *Statuunt in medio*, tanquam ream, fingentes se Christi iudicio stare velle. Sunt qui quærant, cur non etiam adulterum adduxerint: aut si alterum tantùm adducere placebat, cur non adulterum potiùs, quàm adulteram, quod fuisset fortassis honestius: Nam lex quidem eadem adulterum, atque adulteram pœna affici iubebat, Leuit. 20. 10. & Deut. 22. 22. Nonnulli suspicantur adulteram potiùs, quàm adulterum adduxisse, vt Christi tentarent pudicitiam. Quiduis de maligno Pharisæorum animo credi potest; sed probabilius est properasse solam adulteram adduxisse, quòd facilius alis fuerit adulteram, quàm adulterum capere, vterque enim fuerat in ipso facinore deprehensus, hoc est ἐπαυτοφώρῳ, in flagranti delicto, vt loquuntur iuriperiti; sed solent viri aut vi, aut arte sese proripere, fœminæ sexus imbellis facilè tenentur; ad similitudinem enim viri senes illi Susannæ accusatores mendacium suum composuerunt; adolescentem quidem, qui cum ea concumbebat, se, quia fortiter erat ipsis, tenere non potuisse; Susannam autem tenuisse, Daniel. 13. 39. 40. Aut maiorem se in muliere, quàm in viro calumniandi Christi materiam speraruntabituros; Christum facilius mulieri, quàm viri commiseratione à præscripto legis, rectoque iudicio discessurum.

4. *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.*) Magistrum appellant, vt honorifico verbo fraudem suam contegant; non enim esse vero simile malo rogare animo, qui eum magistrum vocent; séque eius discipulos profiteantur. Simile exemplum Matth. 12. 38. & 22. 16. 36.

Modo deprehensa est in adulterio.) G. ταύτην ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένην deprehensa est in ipso facto, dum adulterium perpetraret. Quod propterea dicunt, ne Christus probationes requirat; rem esse certam, atque compertam, quam ne ipsa quidem rea negare queat; ferat ergo de iure sententiam; nam de facto quidem omnino constare. *Nexuorum velut ex lege vinculis*, inquit Prosper in lib. de promiss. & prædict. par. 2. cap. 22. *se crediderant ligasse Iesum, & maxime recentium, cum dixerunt, Modò. Quem noster fortis hoc responso disrupit. Qui, inquit, vestrum sine peccato est, prior in illam lapidem mittat.*

5. *In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.*) Lex nusquam iubet adulteram lapidare, sed solam sponsam, quæ ab sponso corrupta fuerat inuenta, Deut. 22. 20. 21. aut quæ, postquam desponsa est, compressa ab alio viro in ciuitate, quàm sponso suo, quia non clamauerit, Deuteron. 22. 24. eadémque pœna, qui eam compressisset, plectebatur. Quæ autem à viro iam suo corruptæ adulterium cum viro alio perpetrabant, iubebantur quidem occidi vnà cum adultero, lapidari autem non iubebantur, Leuitic. 20. 10. & Deuteron. 22. 22. Sed simile vero est, cùm mors adulterorum populi iudicio relicta esset, consuetudine introductum fuisse, vt omnes etiam adulteræ lapidarentur. Nam & senes illos, qui falsum Susannæ crimen obiecerant, lapidatos fuisse inde colligitur, quòd populus

eos interfecisse dicitur, Daniel. 13. 62. Non potuit autem totus populus interficere, nisi lapidando. Afferebant autem eos, vt eodem loco dicitur, eadem pœna, qua Susanna, si probatum eius fuisset adulterium, erat afficienda. Adultera ergo lapidibus obruenda erat. Proferunt Christo legem Mosis, vt illum alterum quodammodo Mosem esse doceant, qui perfectiorem, quàm Moses, legem tradat; quò plùs illi dent animi, atque libertatis aliquid contra Mosis legem pronuntiandi, indéque occasionem arripiant eius accusandi. Hoc est quod dicunt, *In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare, tu ergo quid dicis?* Quasi Mosi illum opponant, quasi Mosem illi subiiciant. Tu autem, qui maior es Mose, qui eius non teneris legibus, quia meliora, & perfectiora doces, quid dicis? approbásne, an reprobas Mosaicæ legis sententiam? Omnibus denique modis eum prouocant, vt audeat contra Mosem apud homines, qui plùs ipsi, quàm Mosi tribuere viderentur, aliquid dicere.

6. *Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.*) Timuit opinor Euangelista, ne putaremus Scribas, & Pharisæos tantum Christo tribuisse, vt magistrum appellauerint, & adulteræ iudicium illi commiserint; non ita esse, malo fecisse animo, non vt ab eo discerent, sed vt eum tentarent. At quomodo tentarent? Poterant enim aut eius scientiam, aut eius erga Mosem reuerentiam, & obseruationem tentare velle. Scientiam quidem eius tentare noluisse satis constat. Nec enim legem illi Mosis protulissent, si tentare voluissent, quàm versatus esset in lege, sed generaliter interrogassent, quid de adultera fieri oporteret. Experiri ergo voluerunt, ecquid contra Mosem pronuntiaret. Augustinus hoc loco, & serm. 47. de verbis Domini, & Ambrosius lib. 7. epistol. 58. & lib. 9. epistol. 76. Beda, Rupertus, & Euthymius existimant cornuram illi quæstionem proposuisse, in qua quidquid responderet, caperetur. Sciebant, inquiunt, eum misericordiam, & mansuetudinem profiteri; si ergo lapidandam responderet, clamarent eum tam misericordem atque clementem non esse, quàm videri vellet, qui mulierem capitis damnasset; si non lapidandam, ipsum igitur lapidandum, qui legem violaret Mosis. Intellexit dolum Christus, quem nihil latere poterat. Itaque neutrum respondit, nec lapidandam esse, nec non lapidandam; sed *Inclinans se deorsum*, inquit Euangelista, *digito scribebat in terram.* Factum mirabile. Vsque adeo, vt hæreticus iudicet Aristarchus alienum à moribus Christi. Adeo insculptos in animo suo habebat mores Christi, vt statim posset diiudicare, quid cum illis conueniret, quid ab illis discreparet. Fateor me spiritum Bezæ non habere; sed nihil mihi tam conueniens moribus Christi dici videtur potuisse. Primùm nihil ad captiosam quæstionem respondere; deinde inclinatum in terram digito aliquid scribere, quod illi taciti mirarentur. Sed Beza assuetus de religione syncerè iudicare, & nostras omnes irridere ceremonias, censuit factum hoc nescio quid superstitionis sapere, quod indignum Christo esse videretur. Isto quidem iudice, quòd Christus cæci oculos luto ex saliua sua confecerit; quòd in Apostolos insufflauerit, superstitiosum erit. Sed illa, quia in omnibus semper codicibus lecta fuerant, ausus non est loco mouere; hæc, quia in nonnullis, vt diximus, lecta olim non sunt, minimam arripuit occasionem velut superstitiosa resecandi. Porro de scriptione hac in terram Christi tria quæri possunt, quomodo in terra digito scribere potuerit, cùm in templo esset, quod lapidibus stratum erat; quorsum id fecerit; Quid scripserit. Duæ quæstiones primæ à nemine, quod sciam, explicatæ sunt, itaque nostram in ijs coniecturam cogemur sequi. Quomodo in pauimento scribere potuerit, duplex probabilis coniectura esse potest; altera, scripsisse ita vt non efformauerit characteres, tamen aliquid scribendo significauerit; quemadmodum solent muti quidam homines docti legere, scriberéque, id aëre digito describere, quæ, si loqui possent, dicturi erant; viceisímque qui cum illis sermones conferunt, digito scribendo loquuntur, fugientibus characteribus, sensu manente. Altera, potuisse in puluere, qui in ipso erat pauimento, characteres efformare. Atque hoc ipsum, quòd Christus scripserit in pauimento, putat Augustinus mysterium habuisse. Significatum enim legem Mosis, quam illi produxerant, digito Dei scriptam fuisse, sed in lapideis cordibus Iudæorum. Secunda quæstio ex tertia magna ex parte dependet; nam si constare poterit, quid scripserit, non difficilis coniectura erit, quorsum scripserit. Si enim aliquid scribebat, quod ad Scribas, & Pharisæos pertineret, haud dubiè voluit eos à mulieris accusatione ad suam ipsorum conscientiam explorandam, accusandámque reuocare. Potest tamen & alia probabilis reddi causa, nihil aliud scribendo voluisse, quàm Pharisæorum tentationem diuertere, atque dissimulare, declinaréque arbitrium, quod sibi deferebant adulterij, quasi aliud ageret, quasi aliquid in terram defixus altiùs cogitaret, neque vacaret ad eorum nugas animum attendere. Ita sentiunt Euthymius, & Beda: Augustinus verò lib. 4. de consen. Euangelistarum, cap. 10. putat voluisse scribendo in terra significare eos in terra scribendos esse, non in cælo. Tertia quæstio à grauioribus etiam tractatur auctoribus. Ambrosius lib. 7. epistola 58. videtur indicare scripsisse non adulteræ, sed accusatorum eius sententiam. *Quid*, inquit, *scribebat, nisi illud propheticum, Terræ terra scribe hos viros abdicatos? quod de Iechonia dictum est in Ieremia.* Libro autem nono epistolarum, epistola 76. putat scripsisse, quod illis ipsis apud Matthæum dixit cap. 7. 3. *Festucam quæ in oculo est fratris tui vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est non vides?* Hieronymus, libro secundo contra Pelagianos putat eorum, qui accusabant, & omnium mortalium scripsisse peccata, secundum quod scriptum est in propheta, *recedentes à te in terra scribentur.* Idémque videtur Ambrosius significare libro tertio de Spiritu sancto cap. 2. Sunt qui existiment id ipsum scripsisse, quod postea erectus accusatoribus dixit, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* In qua sententia grauis iudicij auctor est Diuus Thomas. Mihi valde placet, quod quidam dicunt, nihil scripsisse, quod legi posset; nullos enim certos formasse characteres, sed incertas, nihilque significantes figuras delineasse, quales homines meditabundi solent facere. Atque ita, etsi minimè dicunt, eos omnes auctores sensisse arbitror, qui quid Christus scripserit, non declararunt, eo enim ipso indicarunt, nihil scripsisse certum, atque significans. In his sunt Augustinus, Beda, Rupertus, & Euthymius. Si enim aliquid scripsisset, quod legi à Pharisæis potuisset, non vtique vetuissent illum, vt ad propositam quæstionem responderet; præsertim si ad eos ipsos scriptura pertinebat, sed nouam de scriptura ipsa litem instituissent. Deinde non iterum se post responsionem inclinasset Christus, iterúmque scripsisset, quod scriptum

Quomodo Christus in terra scripserit.

Tract. 33.

Quorsum scripserit Christus.

Ierem. 17. 13.

Quid scripserit Christus.

Ierem. 22. 30.

Ierem. 17. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ante fuerat. Adde quòd si aliquid significans scripsisset, nunquam id Euangelista præterijsset. Sobrij est ingenij hac sententia esse contentum. Cur ergo scribebat si nihil significabat? vt quæstionem fraudis plenam auerteret scribendi simulatione, vt paulò supra ex Beda, & Euthymio dicebamus. Hoc ipsum indicat, quòd statim addit Euangelista eum iudicium, quoad potuit, refugisse; neque respondisse nisi coactum.

7. *Cùm autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis.*) Id est cum cogerent quodammodo eum respondere, cùm non posset iam ampliùs illis improbe vrgentibus dissimulare, *erexit se*, id est desijt aliud agere, vt hoc ageret. Inclinauerat se, vt illis parceret occupationis simulatione, coëgerunt illum sententiam suam dicere; *erexit se*, vt eos percuteret, quibus ante pepercerat. Indicat illos non minùs peccatores esse, quàm adulteram.

Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.) *Non est captus*, inquit Augustinus, *cui tendebatur, sed potius capti sunt, qui tendebant, quia in eum, qui eos posset de laqueis eruere, non credebant. Quid ergo respondit Dominus Iesus? quid ergo respondit veritas? quid respondit sapientia? quid respondit ipsa, cui calumnia parabatur iustitia? Non dixit, Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur; Absit autem, vt diceret lapidetur; venit enim non perdere, quod inuenerat; sed quærere, quod perierat. Quid ergo respondit? Videte, quam plenum sit iustitia, plenum mansuetudine. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Quòd dicit, *sine peccato*, hoc est ἀναμάρτητος, duobus modis intelligi potest, aut, non posse peccare, quod Græcum verbum propriè significat, aut peccare quidem posse, sed re tamen ipsa peccatum non habere. Quidam priorem hoc loco sensum sequi malunt, quasi moneat Christus Scribas, & Pharisæos, vti propriæ conditionis, infirmitatisque recordentur, & ab accusatione adulteræ desistant, quamuis ipsi adulteri non sint, nec aliud simile peccatum habeant, homines tamen esse, qui possint aliquando aut in idem, aut in aliud eiusdem modi labi; facerent erga adulteram, quod, si ipsi in simili delicto essent deprehensi, fieri erga se vellent. Nimis bene ij auctores mihi videntur sentire de Pharisæis. Vehementiùs meo quidem iudicio eos pupugit, & non solùm peccare posse, quod omnibus hominibus naturale est; nec solùm esse peccatores, id est multa habere peccata, quod commune etiam est omnibus, sed hypocritas esse significauit, qui cùm intus multorum scelerum pleni essent, sancti foris, ac religiosi videri vellent, qui studio religionis, ac legis adulteram lapidari vellent; quemadmodum alio loco dixit eos sepulchris dealbatis similes esse. Pungit ergo conscientiæ eorum vulnus, cùm dicit, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Indicans eos aut idem, aut alia non minora habere peccata. Sed hoc ipsum tam prudenter dicit, vt non ipse illis, sed sua cuique conscientia dicere videatur. Ad suam enim quemque conscientiam reuocat, & suæ quemque conscientiæ, quasi ipse eam ignoraret, iudicem facit. Videtur naturali quodammodo iure debere eum, qui alium accusat, atque condemnat, aut eodem, aut alio omni æquali carere crimine. Quòd dicit, *Primus in illam lapidem mittat*; putant nonnulli consuetudinem fuisse Iudæorum, vt in quibusdam criminibus, quæ maximè lædere rempublicam poterant, ijdem, qui primi peccatum deprehendissent, & accusatores, & testes, & iudices essent; & si lapidandi rei essent, ipsi in eos primi lapidem mitterent; huc Christum alludisse. Vellem aliquo testimonio sententiam suam mihi probarent. Certè si eò Christus alludere voluisset, non dixisset, *Qui sine peccato est vestrum*; sed, qui primus eam in adulterio deprehendit, primus in eam lapidem mittat. Quin contrarium ex verbis Christi colligitur. Cum enim dicit, *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat*, permittit, vt quisquis eorum sine peccato sit, quamuis non is eam primùm in adulterio deprehendisset, quamuis accusator non esset, primus in eam lapidem mittat. Quod minimè permitteret, si contra consuetudinem Iudæorum, aut legem esset: cùm diligenter Christus in toto hoc responso cauisse videatur, ne quid faceret, dicerétve contra legem, consuetudinémque Iudæorum, ne ansam illis nouarum contra se calumniarum daret.

Tract. 33.

Luc. 19. 10.

Matt. 23. 27.

8. *Et iterum se inclinans scribebat in terra.*) Cur iterum se inclinauerit, & in terra scripserit, eadem ratio fuit, quæ ante, cùm idem fecit. Voluit infixo in Pharisæorum conscientia responsionis aculeo, quasi aliud haberet, quod ageret, ad priorem, quam simulauerat, occupationem redire, vt illis spatium daret clam, & sine rubore discedendi. Id euentus comprobauit: dum enim ipse pronus in terram esset, quasi eos, qui aderant, videre non posset, silentio dilapsi sunt.

9. *Audientes autem vnus post vnum exibant incipientes à senioribus.*) Græcè οἱ δὲ ἀκούσαντες ἐξήρχοντο εἷς καθεῖς. *Hi autem cùm* (hæc) *audissent, & à conscientia arguerentur, exibant vnus post vnum*, id est alius post alium. Non simul, ne victi, atque confusi fugere viderentur, sed sensim, ac sigillatim, quasi suo quisque consilio discederet. *Vnus post vnum*, Hebraismus est, sicut Hispani dicunt, vnus ad vnum. Quòd dicit Euangelista sumptum à senioribus initium, indicat eos primùm ac maximè omnium sensisse responsionis aculeos, vt qui in peccatis maximè erant inuerecundi. Cùm ergo seniores quasi stimulis puncti abijssent, idem fecere alios eorum exemplo.

Et remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.) Hoc probare non potest Beza hæreticorum interpres Christum cum muliere, eáque adultera mansisse solum. Sed quis vir Beza? quàm pudicus? quàm abhorrens ab omni suspicione adulterij? Nemo Gallos ignorat, nec apud alias gentes quisquam ignoret, si eius de amoribus libri, nihilo castiores, quàm illi Tibulli, illi Catulli, illi Ouidij, illi Martialis, legi possent. Sed prudèter cautum est, ne libri legerétur hæreticorum. Mansérit Christus omnino cum muliere solus, an propterea murmurare hæreticus debuit, cum discipuli in simili causa, vt idem narrat Euangelista, ausi non fuerint illum interrogare, cur cum muliere loqueretur? Si hunc locum idcirco delet, quòd solus cum muliere mansérit Christus, induat & historiam totam Samaritanę, aut Christum accenset, quòd solus cum sola non in templo, sed in loco item solo in agro longè ab omni teste locutus fuerit. Quid quòd hunc locum hæreticus interpres non intellexit? Putat enim Christum solum omnino cum muliere remansisse, quod credibile profecto non est. Nec enim concio, quæ frequens aderat, & ad quam Christi responsio non pertinebat, sed soli Scribæ, & Pharisæi, qui adulteram accusabant, dicútur alius post aliũ exijsse. Et verò, si Christus cum muliere solus mansit, quomodo mulier, vt ait Euangelista, mansit *in medio*? *In medio* quorum, si solus erat Christus? Ex ipsis igitur Euãgelistæ verbis perspicuum est non omnino cum sola muliere mansisse. Vellem

re man-

te mansisse solum. Et si alia coniectura non esset, tamen certè Apostoli, ac discipuli cum illo mansere. Cur enim concionantem, docentémque deseruissent, qui nunquam deserebant? Cùm ergo solus mansisse dicitur, ad solos accusatores, aut ad personas, quæ ad iudicium illud pertinebant, referendum est, neminem mansisse ex omnibus præter iudicem, & ream, id est Christum, & adulteram; cæterum auditores eosdem, qui ante erant, remansisse, in quorum medio manserit adultera. Quæ ideo non fugit, quia Christi erga se fauorem sentire cœperat.

10. *Erigens autem se Iesus dixit ei, Mulier vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit?*) Sciebat vtique Christus vbi essent, qui mulierem accusauerant, & neminem eorum condemnare ausum. Sed ideo mulierem rogat, vt intelligat id sibi ex ipso beneficium prouenisse, ipsius virtute, atque prudentia eius fuisse accusatores dissipatos, vt cognosceret medicum, vt cognosceret redemptorem, & integram ab eo salutem quæreret. Quòd dicit, *Nemo te condemnauit?* allusio est ad id, quod paulò ante Pharisæis dixerat, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*; quasi dicat. Nemo-ne inuentus est sine peccato, qui te condemnaret? Timere potuit mulier, ne à Christo, qui sine peccato erat, condemnaretur, quando à Pharisæis non ob aliam causam condemnata non erat, nisi quia nemo eorum repertus fuerat sine peccato. Et *quia illa* (inquit Augustin.) *hoc audierat, Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat, ab illo se sperabat puniendam, in quo peccatum inueniri non poterat. Ille autem, qui aduersarios eius repulerat lingua iustitiæ, leuans in eam oculos mansuetudinis interrogauit eam. Nemo te condemnauit? Respondit illa.*

11. *Nemo Domine. Dixit autem Iesus, Nec ego te condemnabo; vade, & iam amplius noli peccare.*) *A quo te sperè damnari timuisti*, inquit Augustinus, *quia in me peccatum non inuenisti, nec ego te condemnabo. Quid Domine? faues ergo peccatis? Non planè, ita attende quod sequitur, vade, deinceps iam noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, sed peccatum, non hominem. Nam si peccatorum fautor esset, diceret, Nec ego te condemnabo, vade, & viue vt vis; de mea liberatione esto secura: ego quantumcunque peccaueris, te ab omni pœna etiam Gehennæ, & inferni terroribus liberabo. Nec hoc dixit, sed vade, & noli amplius peccare.*

12. *Iterum ergo locutus est eis Iesus.*) Incertum quomodo intelligendum quod dicit Euangelista, *Iterum*, Qui historiam adulteræ aliunde insertam esse putant, non existimant hæc cum illa cohærere posse, sed sensum esse, alio quodam die rursus concionantem Christum hæc dixisse. Sed eam opinionem supra refutauimus. Ego eodem die, atque eodem loco, in eadémque concione hæc, & quæ septimo capite commemorantur, à Christo dicta fuisse arbitror. Sed cùm Christus concionaretur, Scribas, & Pharisæos superuenisse adulteram adducentes, & interrupta concione, Christum, quid illi faciendum esset, interrogasse. Igitur Euangelista rem eo ordine, quo acciderat, narrare volens, inter vnam, & alteram concionis partem historiam adulteræ commemoranit, deinde ad concionem redijt dicens, *Iterum ergo locutus est eis Iesus*, id est cùm concionari propter adulteræ quæstionem desijsset, ea terminata, iterum concionari cœpit. Huius etiam rei argumentum est, quòd Euangelista dicat, *eis*, quod relatiuum antecedente carebit, nisi ad eosdem auditores, eandémque concionem referatur. Atque eandem quidem fuisse concionem Ammonius, Theodoretus Mopsuestien sis, Leontius, Chrysostomus, & Theophylactus, existimant.

Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.) Quo sensu Christus dicatur *lux*, cap. 1. 4. 5. disseruimus. Quòd autem dicit, *mundi*, emphasim habet; significat enim non vnius tantùm hominis, non vnius gentis; sed totius mundi, omnium gentium, omnium hominum lucem esse, illuminaréque, *omnem hominem venientem in hunc mundum*. Adnotauerunt hoc Ammonius, Theodorus Mopsuest. Leontius, Chrysostomus, & Theophylactus. Et quidem plerique eorum putant allusisse Christum ad id, quod Pharisæi dixerant Nicodemo. cap. 7. 52. *Scrutare scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit*; voluisse ex scripturis tacitè probare ex Galilæa surgere prophetam, & quidem magnum, séque eum esse. Sic enim ab Isaia propheta dictum esse. cap. 9. 1. 2. quemadmodum Matthæus recitat. cap. 4. 14. 15. *Terra Zabulon, & terra Nephtalim via maris trans Iordanem Galilæa gentium: populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Propterea dixisse, *Ego sum lux mundi*, id est non solùm Galilæa, sed omnis etiam terrarum orbis, vt Theodorus Mopsuestien. & Leontius interpretantur. Ammonius verò putat ad illum alterum Isaiæ locum cap. 49. 6. allusisse, *Dedi te in lucem gentium.* Theophylactus ad solum prophetæ nomen respexisse. Dixisse Pharisæos, *a Galilea propheta non surgit*, respondisse Christum, se non solùm prophetam, sed etiam prophetarum, ac totius mundi lumen esse. Quod dicit, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, metaphora est sumpta de medio. Solemus per obscura loca præeuntem sequi facem, ne aberremus, aut offendamus, & loquebatur Christus de hominibus per hanc vitam, tanquam per viam quandam plenam tenebrarum, & errorum in cælum tendentibus; propterea non dixit, qui fruitur me, fruitur lumine; aut qui habet me, habet lumen, sed, *qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Credere in Christum, & ei obedire, est illum sequi. Ambulare, est viuere. Non ambulare in tenebris, est sine errore, & sine peccato viuere. Habere lumen vitæ, vt Augustinus, & Beda volunt, est ad lumen illud gloriæ, & æternæ vitæ peruenire, vbi iam non sit opus face, non sit opus fide. Itaque futuro legunt tempore, quemadmodum & Græcè est ἕξει, *habebit lumen vitæ.* Potiùs tamen arbitror *lumen vitæ* fidem ipsam huius vitæ appellari, vt opponatur membro præcedenti, *ambulare in tenebris*, vt idem sit, quod in tenebris non ambulare. Vocatur autem *lumen vitæ* fides, quia natura sua ad vitam ducit, aut quia etiam in hac vita cum caritate coniuncta vitam animæ tribuit. Hoc enim sensu dixit idem Euangelista. cap. 1. 4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.*

Cap. 1. 9.

Quid sit in tenebris ambulare.

Quid sit lumen vitæ.

13. *Dixerunt ergo ei Pharisæi, Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.*) Quomodo hoc illi Pharisæi obiicere potuerunt, si eadem erat concio, cùm iam omnes Christi responso perculsi abijssent? Credibile est in ea concione præter eos Scribas, & Pharisæos, qui adulteram mulierem adduxerant, alios fuisse nonnullos, qui aut audiendi, aut calumniandi causa concioni interessent. Ij igitur Christo respondérunt eius testimonium non esse verum, id est non esse legitimum, pro vero habendum non esse, cùm de se ipse testimonium perhibeat. Non enim sequitur verum non esse, quod de se quisque testetur, sed sequitur pro vero habendum non esse, nisi aliunde probetur. Sic supra cap. 5. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

14. *Respondit Iesus, & dixit eis, Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio vnde veni, & quo vado.*) Qualis sit ratio, quam adducit Christus, vt probet testimonium suum verum esse, quia sciat, vnde venerit, & quo vadat, vix satis apparet. Quid enim refert scire, vnde venias, aut quo vadas, vt testimonium tuum verum sit? Rupertus existimat rationem hanc Christo cum omnibus hominibus esse communem. Omnes enim homines, cùm de suo loquuntur, indignos esse fide; cùm autem tanquam à Deo missi loquuntur, etiamsi ipsi de se testimonium perhibeant, eorum tamen testimonium verum esse. Nam & omnes prophetas de seipsis testimonium præbuisse dicentes se à Deo missos esse, & verum fuisse, atque legitimum eorum testimonium. Ego maius quiddam significasse arbitror. Figuratè Christus locutus est vsus insinuatione quadam eleganti, & ad personas, quibuscum agebat accommodata, qua plus, quàm dicit, indicat. His enim omnibus verbis, *Scio vnde veni, & quo vado*, nihil aliud significat, quàm se filium Dei naturalem, ac verum esse Deum, quemadmodum Chrysostomus, Ammonius, Leontius, Augustin. Beda, Theophylactus, & Euthymius exponunt. Venerat enim non solùm à Deo missus, sicut cæteri prophetæ, sed venerat de cælo Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus, de Deo vero. Et redibat in cælum non solùm vt homo, sed vt Deus Filius sederet ad dexteram Patris Dei. Host est, *scio vnde veni, & quo vado.* Fingamus ergo non dixisse, quod dixit, sed quod significauit, *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum*, quia Deus sum, an non bene probasset testimonium suum verum esse? Maximè verò. Eodem ergo modo probat cùm dicit, *Quia scio vnde veni, & quo vado.* Cur ergo apertè non dixit, quia Deus sum? Id est, quod paulò suprà dicebamus, vsum fuisse insinuationis figura ad personas, quibuscum loquebatur, accommodata, & pene necessaria. Non enim ferre potuissent, si apertè se Deum, aut Dei filium esse dixisset. Dixit ergo quod verum erat quódque erat causæ necessarium: sed ita dixit, vt aduersarios suos verborum ambiguitate, obscuritatéque deluderet. At satis erat dicere, quia veni ex cælo, aut à Patre, & eò redeo; cur potiùs dixit, *scio vnde veni, & quo vado?* Primùm id ipsum nimis erat expressum, quia ex cælo, aut à Patre veni, & voluit obscuriùs loqui. Deinde dicturus erat, *Vos autem nescitis*, & oportuit antithesim imperfici? *Ego scio*, propterea confidenter ipse de me testimonium perhibeo; *vos autem nescitis*, propterea non creditis, propterea testimonium meum suspectum habetis. Quanquam Chrysostomus, & Euthymius interpretantur, nescire simulatis, cùm re vera sciatis.

Insinuatione elegantis vsus Christus.

15. *Vos secundum carnem iudicatis.*) Omnes fere interpretes in hunc sensum conueniunt. *Vos secundum carnem iudicatis*, id est secundum corpus, quod in me videtis: videtis hominem infirmum, pauperem, humili loco natum, nihil de me maius cogitatis. Ita Ammonius, Leontius, Augustinus, Theophylactus, Euthym. Solus Chrysostomus videtur exponere *secundum carnem*, non meam, sed vestram, id est non prout ratio, sed prout caro vobis suggerit; non ex æquitate causæ, sed ex carnali affectu vestro iudicatis. Sed ille prior melior est sensus. Probat enim, quod paulò ante dixerat, *Vos autem nescitis, vnde venio, aut quo vado*, id est, nescitis me esse Deum; itaque non iudicatis nisi secundum quam videtis humanam, infirmámque naturam. Ego alium etiam sensum non minùs fortasse probabilem animaduerto, vt carnem vocet, quidquid apparet, sensibúsq; percipitur; quasi dicat, Vos vt homines non iudicatis, nisi ex sensibus, & ex ijs, quæ sensibus subiiciuntur; sicut alio loco dicitur, *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. 7. Vt alludat ad id, quod Pharisæi dixerant, *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Vos, inquit, quia non iudicatis nisi secundum ea, quæ extrinsecus apparent, vtrimini principio illo vulgari, nullius de seipso testimonium pro vero habendum esse. Si secundum ea, quæ latent, possetis iudicare, videretis principium illud in me locum habere non posse, quia Deum me esse intelligeretis. Leontij, & Theophyl. non probo sententiam, qui iudicare hoc loco pro condemnare, hoc est, κρίνειν, ἀντὶ τοῦ κατακρίνειν, positum putant. Amplior enim est sensus, non solùm malè condemnare, sed malè etiam iudicare, etiamsi minimè condemnent, qui secundum carnem solùm iudicant.

Ego non iudico quenquam.) Incertum an absolutè intelligi velit se neminem iudicare; an eo modo iudicare, quo Pharisæos iudicare dixerat, id est secundùm carnem, vt id κατὰ κρίνειν intelligatur. Augustin. Beda, & Rupertus hoc posteriori modo interpretantur. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius priori. Quia enim dicere Pharisæi potuerunt, Si nos secundum carnem, iniustéque iudicamus, cur nos non coarguis? ei obiectioni respondisse Christum se neminem iudicare, id est, quamuis iudicandi habeat potestatem, nolle tamen eam exercere vsque ad secundum aduentum suum, cùm veniet ad iudicandos viuos, & mortuos; nunc non ad iudicandos, sed ad liberandos venisse homines. *Non misit* inquit, *Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*, suprà, cap. 3. 17. Hic, vt opinor, melior est sensus, quia meliùs cum eo conueniunt, quæ sequuntur, *Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* Si enim repetendum esset, *Ego non iudico quenquam secundum carnem*, similiter esset hoc loco repetendum, *Et si iudico secundum carnem, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me.* Hoc autem loco id repeti non potest: nunquam enim Christus secundum carnem iudicat, etiam cum iudicat vna cum Patre. Ergo neque suprà id repeti potest. Ego tamen, quemadmodum paulò ante dixi, iudicare hoc loco, pro testari accipi puto, quod est iudicare, id est actum vnum iudicialem exercere. De ea enim re sermo erat. *Tu*, inquiunt illi, *de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Si enim acciperetur propriè pro iudicare, hoc est pro ferre sententiam, non bene hæc inter se cohærerent, *Et si iudico, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me.* Non enim iudices, vt iudicium pro vero; sed testes, vt testimonium pro legitimo habeatur, plures esse necesse est. Confirmat etiam hunc sensum, quod additur vet. 17. *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est*, de testimonio igitur loquebatur, cùm dicebat, *Ego non iudico quenquam, & si iudico, iudicium meum verum est, quia solus non sum.* Quo ergo modo negat se iudicare, id est testimonium de quoquam perhibere, cùm paulò ante concessisset de seipso dicere testimonium? *Et si ego de meipso testimonium perhibeo, testimonium meum verum est.* Primùm illic non affirmat se de seipso præbere testimonium, sed fore, vt si præbeat, verum sit: sic enim intelligendum est illud, *Et si ego testimonium perhibeo de meipso.* Deinde quod hîc dicit, se neminem iudicare, id est de nemine dicere testimonium, intelligit non

non esse necessarium, vt ipse de quoquam testimonium perhibeat alios esse, qui perhibere possint, sicut dixit cap. 5. 45. *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est, qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis.* & vt ver. 31. & 32. dixit, *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum; alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.* Superiùs ergo dixit se de seipso testimonium perhibere; hic solùm negat non esse necessarium, vt ipse, de quopiam testimonium perhibeat, tamen si perhibuerit, pro vero habendum esse testimonium suum, quia solus non est, atque ad hunc, vt viderur, sensum Ambrosius exponit lib. 5. epist. 20. Alias quasdam interpretationes, quas apud nonnullos minimè bonos auctores lego, consilio prætermitto, quòd parum mihi habere videantur probabilitatis. Alij intelligunt, *Ego non iudico quemquam*, quatenus homo sum, vt Elias Cretensis in orat. 4. de Theologia, Greg. Nazian. Alij ad causam præsentem restringunt, quòd Christus in ea re, de qua disceptabatur, neminem iudicet.

17. *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.*) Aptè, ac scitè contra Scribas, & Pharisæos, qui lege gloriabantur, legis profert testimonium. Itaque quòd dicit, *in lege vestra*, non eam tantùm vim habere arbitror, quam Augustinus, & Beda habere putant, *in lege vestra*, id est à Deo vobis data, quemadmodum panem nostrum appellamus quotidianum illum, quem poscimus à Deo. Maiorem ego vim in his verbis animaduerto, *in lege vestra*, id est, in qua vos Scribæ, & Pharisæi gloriamini, quam vestram propriè quodammodo putatis, quasi nemo eam præter vos obseruet, vt rectè adnotauit Euthymius. Emphasim etiã habere videtur, quòd dicit, *Quia duorum hominum testimonium verum est*, quasi tacitè argumentetur: Si duorum hominum testimonium verum est, cùm *omnis homo mendax* sit; quanto erit verius meum, patrísque mei testimonium, qui Deus sumus? Nec enim in lege Deut. 17. 6. & 19. 15. quos ad locos alludit, hæc ipsa sunt verba, sed illa, quæ Matth. 18. 16. ab eodẽ Christo proferuntur, *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* sed commutauit Christus sententiam in hęc verba, quo plùs emphasis argumẽto adhiberet. Quo autem sensu dicat duorum hominum testimonium verum esse, cùm manifestum sit non solùm duorum, sed multo etiam plurium hominum testimonium falsium esse posse, & multa eius rei exempla habeamus, qui contra Naboth testificati sunt. 3. Reg. 21. 13. qui contra Christum Matth. 26. 60. 61. qui contra Stephanum Act. 6. 11. qui contra Susannam Daniel. 13. 34. hoc, inquam, ex ijs, quæ diximus ver. 13. & c. 5. 31. facilè explicatur; loquitur Christus iuridicè, duorum hominum testimonium verum esse, id est pro vero, legitimóque haberi oportere. Augustinus, & Beda ad mysterium referunt Trinitatis, sed nos sensum explicauimus litteralem.

Contra Sabellianos distinctio personarum probatur.

18. *Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.*) Quasi dicat, de me autem duo etiam sunt, qui testimonium perhibent, alter, ego ipse sum, alter Pater meus, verum igitur nostrum est testimonium. Propterea non dicit, Ego testimonium perhibeo de me ipso. Sunt qui ex his verbis colligant Christum de se nunc tanquam Deum, nunc tanquam hominem loqui, nam tanquam Deum de seipso, tanquam hominem testimonium perhibere, cúmque eundem se & Deum, & hominem esse dicat, *de meipso*, inquit, indicans profecto vnam tantùm esse personam, naturas duas. Rectè illi quidem. Colligunt etiam Chrysostomus, Theophylactus, Ammonius, Cyrillus, & Leontius in Græcorum Catena, & Ambrosius lib. 5. de fide. cap. 2. & 5. & Fulgentius lib. 3. ad Thrasimundum, Patrem, & Filium eiusdem auctoritatis, eiusdem esse naturæ; æquat enim suum, Patrísque testimonium cùm dicit. *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso. & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* Illud certè colligitur contra Sabellianos Patrem, & Filium duas re ipsa distinctas esse personas; nec enim duo essent testes, si, vt Sabellius volebat, sola esset inter eos nominum differentia. Sic Tertullianus in lib. de Trinit. aut quisquis alius est auctor, sic Ammonius, sic Theodorus Heracleotes in Græca Catena, sic Fulgẽtius, sic Theophylactus hoc loco argumentantur. Quomodo intelligat Patrem de se testimonium perhibere. cap. 5. 31. 32. disputauimus.

19. *Dicebant ergo ei, Vbi est pater tuus?*) Quo animo hoc Pharisæi Christum interrogauerint varijs inter graues auctores sententijs disceptatur. Cyrillus in Græca citatus Catena, & Leontius in commẽtarijs existimant probri causa hoc ab illis dictum, quasi indicantibus Christum vulgo natum esse, qui patrem suum ostendere non possit; putasse enim Beatam Virginem ex adulterio concepisse. Eius opinionis etiam Theophylact. mentionem facit. Augustinus, & Beda non intellexisse Pharisæos, quem patrem suum Christus appellasset, putasséque de patre secundùm carnem locutum esse, quem quia non cognoscebant, interrogasse, *Vbi est pater tuus?* Probabilior Chrysostomi, Theophylacti, Euthymij, & Ruperti opinio rectè eos intellexisse Christum patrem suum Deum appellasse, quemadmodum longè ante intellexerant. c. 5. 18. & postea c. 10. 30. sed quia obscuriùs id dixerat, finxisse se nõ intellexisse, quem patrem suum nominasset, vt aliquid ab eo clarius elicerent, quod traherent in calumniam. Volebant ergo, vt apertè diceret patrem suum esse Deum, aut, quod idem valet, in cælo esse, vt cum accusarent, aut potiùs sine vlla accusatione lapidarent, vt c. 5. 18. & 10. 31. Interrogant autem specie studij credendi, quæ de se dixisset, quorúmque testem patrem laudauerat, quasi eius, vt crederent, testimonium audire vellent.

Respondit Iesus, Neque me scitis, neque patrem meum.) Dubiũ quorsum hoc Christus respõdeat; nec enim videtur ad Pharisæorum interrogationem rectè respondere. Rogauerãt illi, *Vbi est pater tuus?* respondet, *neque me scitis, neque patrem meum.* Potuerunt illi respondere, atqui propterea rogamus, vbi pater tuus sit, quia neque patrem tuum nouimus. Augustinus, & Beda putant hunc esse sensum: Non mirum si interrogetis vbi sit pater meus, quia nec me, nec illum nostis. Si enim cognouiscetis, sciretis in cælo esse, nec eum in terra quæreretis. Ideo autẽ patrem non nostis, quia me non nostis, quia me solùm hominem esse existimatis. Si enim me nosseti plùs esse, quàm hominem, id est filium esse Dei, & patrem meum sciretis non hominem esse, sed Deum. Apollinarius, Leontius, Theophylactus, & Euthymius eodem ferme sensu, respondisse Christum accommodatè ad eorum opinionem, notatum ab illis fuisse, quòd ex adulterio natus esset, aut quòd filius esset Ioseph hominis abiecti; respõdere illum, vos putatis rectè vos me, patrémque meum nosse. Atqui erratis, neque me, neque patrem meum nostis. Eodem fere pertinet, quod Rupertus indicauit, ideo Christum non rectè ad quæstionem respondisse, quia sciebat malo animo eos interrogasse, vt occasionem caperent eum accusandi, quemadmodum suprà nos explicamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plicauimus. Itaque hunc etiam hic sequimur sensum. De ipsa sentẽtia quæri solet, quid sit Christum, quid patrem eius nosse? Qui hoc ad relationem referunt, quasi Christũ nosse sit nosse eum, quatenus filius Dei est, ideóque rectè colligere, *si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis*, quòd vno cognito relato necessariò & alterum cognoscatur, vereor ne nimis subtiliter in verbis Christi philosophentur. Qui autem nosse pro amare, recognoscere, recipere dictum putant, vt c. 1.10. & quemadmodum tomo 19. in Ioan. Origenes exponit, id videtur efficere, vt Christi responsio parum sit ad Pharisæorum quæstionem accommodata. Rogabãt illi, aut certè rogare se fingebant non recipiendi, sed sciendi causa; de eadem ergo scientia Christus respondit, *neque me scitis, neque patrem meum*. Augustini ergo, & omnium, quos modò nominaui, interpretationem probo. Nosse Christum hoc loco esse, nosse non solùm hominem, sed etiam Deum esse; & nosse patrem eius, nosse non habere eum in terris patrem, sed in cælo. De hoc enim agebatur, *Vbi est pater tuus?* rectéque Christum argumentari, *Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis*; id est si sciretis me non tantùm hominem, sed etiam Deum esse, facilè cognosceretis me non habere patrem hominem in terra, sed Deum in cælo. Verum est, quod quidam adnotauerunt, particulam *ἀν* quam noster interpres reddidit *forsitan*, non dubitantis esse, sed affirmantis. Alio igitur sensu hoc loco dictum est, *Si me sciretis, & patrem meum sciretis*, & cap. 14.9. *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum*. Nam hic loquitur, vt Theologi dicunt, de existentia: qui scit me esse Deum, scit patrem meum non hominem, sed Deum etiam esse oportere; illic de essentia, qui videt essentiam meam, & Patris essentiam videt quæ eadem est, quanquam & alium sensum ille locus habet. Rectè tamen colligitur ex vtroque loco diuinitas Christi, vt Theophilactus in commentarijs disputat aduersus Arianos.

Quid sit his Christum nosse.

Diuinitas Christi colligitur ex hoc loco.

20. *Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, loquens in templo.*) Eo consilio Euangelista notauit cõcionis locum, vt indicaret Christum ea, quæ supra cõmemorauerat, in maxima hominum frequentia dixisse, tamen capi ab illis non potuisse, *quia nondum venerat hora eius*, id est quia noluit capi, antequã constitutum sibi moriendi tempus aduenisset. Docuisse igitur non in obscuro loco, sed in templo, nec in angulo quopiam templi, sed in loco hominum capacissimo. Eodem fere sensu Apollinarius in Græcorum Catena, Leõtius, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius, nisi quòd putãt Christi in dicendo libertatem significari, qui hæc in tẽplo atque in gazophylacio ausus sit clara voce dicere. Sed illud, quod exposui, videtur Ioannis fuisse consilium, etsi ex eo ipso apparet Christi libertas. Itaque quòd Rupertus ait gazophylaciũ locum fuisse, in quem soli sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi ad lucrum intenti ingrederẽtur, alij verò nõ nisi singuli, vt res in illud inferrent; quasi voluerit significare Ioannes Christum apprehensum non fuisse, cùm in gazophylacio, id est audientibus sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis aduersarijs suis tam multa dixisset, à mente Euãgelistæ alienum puto. Nec enim gazophylacium hoc loco arcam significat, in quam pecunia tẽplo oblata coniiciebatur, sed aut totam eam templi partem, in qua ea erat arca, quæ propriè gazophylacium vocabatur, vt Mar. 12.41.43. & 4. Reg. 12.9.10. aut aliam aliquam templi regionem. Origenes mysterij causa dictum existimat hæc Christum in gazophylacio disseruisse. Gazophylacium diuinos esse sermones imaginem magni Regis impressam habentes, sicut pecunia, quæ in gazophylacium coniiciebatur, imaginem habebat Cæsaris. Allegoricum hoc est, non litterale. Quomodo intelligendum non fuisse Christum apprehensum, *quia nondum venerat hora eius*, cap. 7.30. dictum à nobis est.

Quid hic gazophylacium significet.

21. *Dixit ergo iterum eis Iesus.*) An iterum dixerit, id est alio die, aliáque concione, an in eadem eodem die incertum est. Origenes in eadem concione dictum putat, quod ipsa continuatio sermonis, & illa inprimis particula *ergo* probabile reddit. Sed probabile etiam est diuersam fuisse concionem, quia cum Euangelista dixit, *hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio*, videtur superiorem clausisse concionem. Rupertus illud, *iterum*, refert ad verbum, *Ego vado*, quasi dicat, dixit illis iterum, *ego vado*, quia ante semel idem dixerat, cap. 7.33. Rectè. Quandocunque hæc dicta fuerint, opportunè quæritur quid sibi velit dictio illa *ergo*. Possemus simpliciter dicere incœptiuam esse; sed mihi vim aliquam videtur habere maiorem. Rupertus acutè interpretatur ita, vt ad Pharisæorum malitiam referatur, quasi dicat Euangelista, Ergo cùm Christus videret perseuerare eos in perniciosum suo consilio se capiendi, occidendique, dixit illis, *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini*. Mihi ad id, quod ver. 19. dixerat, alludere videtur, *Neque me scitis, neque patrem meum*, veniet ergo tempus cùm & me Deum esse cognoscatis, & quæratis me, & non inueniatis, quia in peccatis vestris moriemini; aut, veniet tempus, cum quæretis me, id est cognoscere voletis, sed non poteritis, quia à peccatis vestris non discesseritis.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.) Querũt Chrysostomus, & Theophylactus causam, quamobrem tam frequenter de suo ex cælo aduentu, déque suo iterum in cælum reditu loquatur. Putant terrorem Iudæis incutere voluisse, dum indicat se de cælo venisse, & in cælum rediturum; sicut solet dicere, *Verumtamen videbitis filium hominis venientem in nubibus*, Matth. 24.30. & 26.64. Ego & eandem occasionem, & sensu eodẽ hoc dictum puto, atque illud c. 7.33.34. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui me misit. Quæretis me, & non invenietis; & vbi ego sum, vos non potestis venire*. Vtrumq; enim ideo dixit, quia Iudæi volebant ipsum ante tempus occidere; quasi dicat, non est quod me vos ad mortem quæratis, ego sponte, cùm tempus venerit, quod admodum breue est, ituras sum, ita vt etiamsi quæratis, me non inueniatis. Itaque verum sensum huius loci in illo altero loco quære. Quòd hîc addit, *in peccato vestro moriemini*, causaliter intelligendum est, vt Leontius exponit; propterea enim non poterunt ire, quo ille ibat, id est in cælum, quia in peccato suo obstinati erant morituri. Credo ego singularem numerum aliquam vim habere, quòd non dixerit, in peccatis vestris, sed *in peccato vestro moriemini*, vt non omnia, sed peccatum infidelitatis significaret, de quo eos potissimùm reprehendebat, indicarétque propterea damnatum eos iri, quòd in se credere noluissent. Hoc est, quod dicit c. 16.8. *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me.*

22. *Dicebant ergo Iudæi, Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quo ego vado, vos non potestis venire?*) Capite 7.35. cùm eandem Christus sententiam pronuntiasset, similiter dubitarunt. *Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* Sed illic alium, quàm hîc eius abitum suspicati sunt. Iturum ad gentes, vt eas doceret. Hic, quia viderant coniecturam illam

non processisse, aliam ineunt suggerente, vt opinor, odio, fore, vt seipsum occideret. Suspicati enim sunt, non quod rationi, sed quod suo desiderio consentaneum erat. Nam ratio quidem non postulabat, vt, quod Christus dixerat, de morte interpretarentur. Etenim si non aliò, quàm in mortem iturus erat, & ipsi eo ire poterant, & ipsi se poterant occidere.

23. *Et dicebat illis, vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.*) Græci verò omnes interpretes Chrysost. Apollinarius, Ammonius, Theodorus Mopsuest. Leontius, Theophylactus, & Euthymius, Latinus etiam Augustinus, & Beda existimant ideo hoc Christum subiecisse, quòd illi de occisione interpretati fuissent, quod de sua in cælum profectione dixerat, nihil supra hominem, nihil supra carnem, nihil supra terram cogitantes. Hoc esse, *vos de deorsum estis*, id est de terra, ideóque non nisi terrena sapitis; ego non sum de terra, sed de cælo, ideo quæ de meo itu dixi, de reditu in cælum intelligenda sunt. Rupertus putat reddi causam non cur Iudæi non intellexissent, quod dixerat Christus; sed cur non possent ire, quo Christus iturus erat. Quia terreni erant, ac nimis graues. Vtrumque probabile.

24. *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris.*) Tanquam dicat, propterea dixi vobis fore, vt in peccatis vestris moreremini, quia scio vos terrenos esse, ideóque in me non credituros, quia, *sermo meus non capit in vobis*, vt postea dicit ver. 37. Si enim propterea venit, inquit Chrysosto. vt tolleret peccata mundi, neque aliter tolli poterãt, nisi per lauacrum, necessarium erat eum, qui non crederet, cum vetere homine esse periturum. Eodem modo Theophylactus, & Euthymius exponunt. Quod dicit, *Nisi credideritis, quia ego sum*, quidam interpretãtur, nisi credideritis, quia ego sum de supernis, sicut paulò ante dixerat, vt Rupertus. Alij, si non crediderit is, quia sum absolutè, id est, quia ego sum, qui sum, quod proprium est Dei Exodi. 3.14. vt Augustin. & Beda. Nescio an nimis hoc subtile sit. Itaque meliorem mihi sensum secutus Lyranus videtur, *si non crediderit is, quia ego sum* Christus, quem me esse profiteor, quémque Prophetæ vobis promiserunt, *moriemini in peccatis vestris*. Nam *qui non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei*, vt dixit cap. 3.18. in quo solo salus est, Act. 4.12.

25. *Dicebant ergo ei, Tu quis es?*) Quia dixerat Christus, *si non crediderit is, quia ego sum*, non intelligentes, aut dissimulantes se intelligere, quem se esse significaret, interrogant, *Tu quis es?* Augustin. *Non enim cum audissent, Nisi crediderit is, quia ego sum, addidisti, quid esses: quæ es? vt crederemus.* Adnotauit Cyrillus citatus in Græcorum Catena, & Leontius in commentarijs hoc à Iudæis per contemptionem dictum esse, hánc-que vim habere pronomen illud *Tu*, quasi, *tu quis es*, qui ita loquaris? quid de te magni, & splendidi potest dici, cùm nihilo nobis maior sis?

Principium, qui & loquor vobis.) Locus obscurus. Obscuritas verò magnam, vt fieri solet, interpretationum varietatem peperit: dum quisque in re difficili, quà quoquomodo euadat, exitum quærit. Omnis difficultas pendet ex duobus verbis, τὸ ἀρχὴν, *principium*, & ὅτι, *quod*, aut *quia*. De priori verbo duæ omnino sunt opiniones. Nam alij nomẽ, alij aduerbium, aut quod idem valet, nomẽ aduerbialiter positum esse putãt. Eorum rursus, qui nomen esse existimant, duæ sententiæ sunt. Nam cùm illi omnes in eo consentiant, vt putent Christum ipsum hoc loco principium appellari; alij tamen existimant nomen principij in nominandi apud Latinum interpretem, alij in accusandi casu esse. Qui nominatiuum esse putant, hunc sensum esse dicunt, *Tu quis es? Ego sum principium, qui aut, quod loquor vobis*; principium, inquam, id est *primus, & nouissimus*, vt vocatur in Apocalyps. cap. 1.17. & 2.8. & 22.13. aut, principium omnium rerum, per quod omnia facta sunt, *& sine quo factum est nihil*, & vt vocat D. Paulus, *primogenitus omnis creaturæ*. Col. 1.15. Sic Ambrosius libro 3. de fide cap. 4. & libro 5. cap. 5. & lib. 1. hexaemer. cap. 2. & 4. & Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 13. & lib. 11. Confession. c. 8. & lib. de Genes. ad litteram imperfect. c. 3. & lib. 1. de Genes. ad litter. cap. 5. aliisque nonnullis locis. Fulgentius lib. 2. ad Thrasim. Prosper in commentar. in Psal. 109. Bernardus lib. 5. de consideration. & Rupertus in huius loci commentarijs. Iuuat hunc sensum, quòd non solùm verum sit Christũ omnium rerum esse principium, sed etiam ita in scripturis vocari soleat, Apocal. 3.14. Iuuat, quòd noster interpres eũ sensum secutus esse videatur; nec enim si aliũ sensum exijs, quos multi postea explanatores adhibuerunt, esse putasset, ita vertisset. Sic, haud dubium, Hieronymus intellexit, cùm locum non emendauerit, dum veterem editionem recognouit. Magna coniectura nó legisse veterem interpretem, quemadmodum nunc legitur τὸν ἀρχὴν, sed *ἢ ἀρχὴ principiũ*. Vix enim credibile est versurum fuisse, *principium*, si in accusandi casu legisset τὸν ἀρχὴν. Illud huic lectioni, interpretationiq; videtur obstare, quòd nó satis cũ hoc sensu verba sequẽtia cohærere videãtur, *Qui & loquor vobis*. Quorsum enim ad nomen principij hoc addidisset? Emolliunt tamen asperitatem August. & Beda, quasi dicat, Ego sum principium, qui cùm huiusmodi sim, tamen eò me vsque demitto, & vobiscũ loquor. Sed hoc ipsum nó satis videtur esse molle. Alij conãtur sic emollire, Ego loquor vobis; id est, quẽ loquẽtem auditis, sum principium, sum Deus, sum auctor rerum omnium, quãuis vobiscũ humano more loquar. Obstare etiã illud videtur, quòd interrogatus Christus, quisnam esset, nec satis perspicuè, nec satis aptè respõdere videatur se esse principium. Quin respondisset potiùs se esse Christum, se esse mũdi redemptorem, cùm de ea re ageret. Qui verò animaduerterũt Græcè quartum esse casum τὸν ἀρχὴν, q̃ solus videtur inter veteres Latinos auctores August. & Beda ab eo doctus perspexisse, ij tenentes illud, q̃ certum esse putabãt, Christũ ipsum hoc loco principiũ appellari, durioremeo iudicio sensũ reddiderũt. Cùm enim viderent nó bene accusatiuũ per quẽ Christus respõderet, cum nominatiuo, per quem Pharisæi interrogauerant, cõuenire, quod in nomine principij, quia neutrum est, non apparet, apparebit autem in nomine veritatis, si fingamus, vt ait Augustinus, interrogasse Pharisæos, *Tu quis es?* respondisse Christum, veritatem, non bene vtique & conuenienter respondisset. Hoc, inquam, cum viderẽt, dixerunt, quod Pharisæi rogarunt, *Tu quis es?* perinde fuisse, ac si rogassent, Quem te esse dicis? aut, Quem te esse credere debemus? hoc sensu respondisse Christum, *principium* (in accusatiuo) *qui & loquor vobis*, id est dico me esse principium, principium me esse credere debetis. Hæc sentẽtia eo minùs quàm prior probabilitatis habet, quòd eadem illa duo, quæ priori obstare diximus, & illi obstent, & præterea est coactior, atque violentior. Difficile enim est fingere, quæ, vt ea interpretatio hæreat, fingere Augustini sententia necesse est. His duobus modis omnes auctores interpretantur, qui verbum principij nomen esse putant. Videamus quà ratione explicent, qui quod Græcè est τὸν ἀρχὴν, loco aduerbij positum esse putant, quod apud Græ-

Sup. c. 13.

Tract. 38.

cos vsitatũ esse nemo Græcè doctus nescit; & multi multis profanorum auctorum exemplis probauerunt. Sed habet etiam cùm aduerbium est, varias significationes; aliquando idem significat, quod primùm, aut inprimis; aliquando idem, quod omnino, vt paulò post ex multorum Græcorum auctorum sententia dicturi sumus; aliquando idem est, quod à principio, vt ponatur ἀρχήν, pro κατ' ἀρχήν. Quidã ergo primo modo hic sumunt, quasi sensus sit, primùm quidem sum, quod vobis dico. Sed rectè quidam animaduertunt deesse aliquod aliud mẽbrum, quod se postea dicturum significaret, si sensus hic esset. Alij secundam significationem secuti sunt, vt Chryso. Leontius, Theoph. Euthy. & auctor anepigraphus citatus in Catena Græca videtur exponere. Sunt qui eius significationis exempla in profanis auctorib. obseruauerint, sed in sacris litteris nullũ, vt ego puto, exẽplum notari poterit. At ne ij quidẽ auctores interpretãtur eodem sensu. Nam Euthym. & vt ex eo colligitur, Chrysost. & Theophyl. obscurè enim, & cõcise loquuntur, hunc sensum eliciunt, omnino superuacaneum, aut indignum est, vt vobis loquar, id est vt vobis, quis sim, dicam, cùm me tentandi causa interrogetis. Itaque dictionem ὅτι, quæ, vt diximus, altera est, vnde sententia dependet, coniunctè legunt, & vnam dictionẽ faciunt, accipiúntque pro explicatiua particula, vt, aut vt barbari loquimur, quod, indignũ est, vt vobis dicam, quis sim; & verbum λαλῶ videntur in subiunctiuo modo ponere. Leontius verò, & anepigraphus ad hunc modum, Propterea spernitis me, propterea cõtemptim interrogatis, *Tu quis es?* quia prorsus vobiscum loquor aut ideo omnino me contemnitis, quia vobiscum loqui soleo, quarè indigni estis, vt vobis quis sim dicam. Vtraque interpretatio & superior Chrysostomi, & hæc Leontij videtur prorsus esse coacta; præterquam quòd exemplum in sacris litteris non inuenio, vbi τὴν ἀρχὴν pro ὅλως accipiatur. Alij quidam recentiores auctores eandem secuti significationem. Omnino id sum, quod vobis loquor, id est quod vobis sæpe dixi, quam interpretationem, quia facilis, & expedita videbatur, amplexi sunt multi. Alij denique τὴν ἀρχὴν accipiunt tertio modo pro, *a principio*, quo ego modo prorsus accipiendũ esse arbitror, & quia sensum meliorẽ efficit, & quia obseruauit hunc vsum eius Græci aduerbij in scripturis apud Septuaginta esse frequentissimum. Solent illi, vbi Hebraice est, בראשונה, aut בראשית aut תחלה aut בתחלה vertere, τὴν ἀρχὴν, vt Gen. 13.4. & 41.21. & 43.18. 20. & Dan. 8.1. Itaque dubiũ non est non solùm bene Græcam, sed etiam ecclesiasticam esse phrasim, τὴν ἀρχὴν, *principium*, pro κατὰ τὴν ἀρχὴν, aut ἐξ ἀρχῆς, *à principio*. Sed neque omnes, qui hoc ipso sensu aduerbium illud accipiunt, inter se conueniunt. Missas faciam diuersas interpretationes etiam eorum, qui aduerbium τὴν ἀρχὴν hoc significatu accipientes in alios trahunt sensus fessus iam tot opinionib⁹ recitandis. Solam Cyrilli Alexandrini grauissimi auctoris sententiã recitabo, quib⁹ verbis in Catena Græca scriptam reperi; Δίκαια φάσκω, φησὶν, ὅτι κἀγὼ λέγω παρ' ὑμῖν ἐκπεπαύμην ἀρχὴν, ἔτι πεπεισθυόντα, ἢ τῶν εἰδότων ἀκούειν. ᾗ διασώζειν βέλτιον ἡμᾶς, εὐλαβὲς ὄντα λελέγισμαι παρ' ὑμῖν. *Iusta*, inquit, *patior, quòd apud vos loquendi principium fecerim; si quid vobis dixi, meum fuit consilium prodesse, atque seruare, sed ea ratione vilis apud vos, atque contemptus habitus sum.* Non displiceret mihi explicatio vel auctore Cyrillo, si eam aliquãto magis Christi verba iuuarent. Ego & verissimum, & simplicissimum sensum esse arbitror, quem Nonnus poëta rebus expressit versibus, & multi ante me docti, & Catholici interpretes approbauêre;

Τίς σὺ πέλεις, καὶ χειρὸς ἀνίαχεν, ὅτλι παρ' ὑμῖν
Ἐξ ἀρχῆς ἀδείξον, ἔχων νόεμμα δικαίων,
Καὶ λαλέειν, ἀλλ' ἄντος ἐτήτυμος, ὅς με πρόφλην
Ἀνθρωπίνη πρόσπκε.

Ex quibus versibus constat sic Nonnum hunc locum intellexisse, vt sensum esse putauerit; Ego sum id, quod vobis à principio loquor, id est quod iam inde ab initio, quod semper vobis dico; semper dixi vobis, me esse Christum, me esse filium Dei, ab eo ad liberandos à peccatis homines missum, panem vitæ, mundi lucem, & cætera, quæ supra sæpe dixit. Illud videtur hanc interpretationem apud homines bene Catholicos minùs probabilẽ reddere, quòd à sensu veteris interpretis discedere videamur; cui nemo minùs tribuere debet, quàm tribuit Ecclesia, quæ illi, vt par est, quã plurimùm tribuit. Ego verò nõ concesserim alio sensu nostrũ interpretẽ reddidisse. Nec enim aliter eũ, quàm nunc legimus, legisse arbitror, cùm nullum alterius lectionis vestigium, nullũ iudicium, aut in vllo Græco codice, aut apud auctorem vllum veterẽ appareat. Sed fecit prudẽter interpres, quòd cùm legisset, τὴν ἀρχὴν, ὃ ambiguũ erat, reddidit ambiguè, & verbum de verbo, *principiũ*, volens nimirum, vt eodẽ modo Latinè principium intelligeremus, quo Græcè τὴν ἀρχὴν, id est principio, vel à principio contra consuetudinẽ quidem Latinæ linguæ, sed nõ contra fidem interpretis. Videmus idem eum aliâs, & quidem in hoc ipso nomine facere solere. *Tecum principium in die virtutis tuæ*, Psal. 109.3. *principiũ*, pro principatu dixit, minimè quidẽ Latinè, sed fideliter, ne nomen idem Græcum ἀρχὴν, quod ambiguum erat, & vel principatum, vel initium significare poterat, ad vnam tantùm significationem restringeret, si verteret principatum. Illud ego concesserim nostrum interpretem pro, ὅτι, aut, ὅ τι, quod nunc legitur, legisse ὅτις, *qui loquor vobis*, non quod loquor vobis, sensu re quidem eodem, elegantia, & conuenientia meliore. Interrogauerant enim eum Pharisæi nõ quid, sed quis esset. Vero simile est non quid, sed quis, aut qui esset respõdisse, *principium, qui & loquor vobis*. Itaque quibus in libris pro *qui* legitur *quia*, & lectio, & sententia deprauata est. Vnus restat scrupulus, qui lectorem angat, non fuisse dicturum Christũ, si id dicere voluisset, principio, qui loquor vobis, sed clariùs, qui vobis à principio loquor. Hoc non mouebit lectorem versatum in Ioanne, qui frequentissimè vti solet eiusmodi traiectionibus c. 15. 10. & Apocal. 11.6. Alium alij quidam senserunt, quòd non dicat, Qui loquor vobis, sed *qui & loquor vobis*, ὅτις καὶ λαλῶ, vbi particula illa καὶ, *Et*, proculdubio emphatica est. Non potest autem emphasim habere, si ea, quam maximè probauimus, interpretatio vera est. Quam enim vim habet, *Ego sum qui & loquor vobis?* Respondeo necesse non esse, vt emphatica sit; aliquãdo eleganter apud Græcos auctores recidundare, quemadmodum obseruarunt quidam. Synesij exemplum omnibus doctis notum est, & valde ad rem accõmodatum, ὅτι ἐδόμεν, ὅτι καὶ λέξῃ, eodẽ enim modo dicit, *vt videamus, quid & dicat*, quo Christus dicit, ὅτι, aut ὅτις καὶ λαλῶ ὑμῖν, *qui & loquor vobis*. In sacris verò litteris plura, quàm apud prophanos auctores exempla reperiuntur quia 1. Hebraicum frequentissimè redundat, cuius imitatione solent auctores sacri Græcum etiam καὶ otiosum ponere, Genes. 22.1. Matth. 9.10. & 28.9. Quanquam hoc loco vim etiam aliquam habere potest, qualem verbum illud habet præsentis tẽporis, λαλῶ, *loquor*, quasi dicat, Ego sum, qꝑ sæpe hactenus vobis dixi, atque etiam nunc dico. Aliud hîc ego animaduerto, quod

nostram

Vera notio illius particulæ τὴν ἀρχὴν.

Cyrillus ex M. Spiritus.

nostram interpretationẽ magis impedit, quòd non debuerit Christus dicere ὅτις καὶ λαλῶ, *qui loquor vobis*, sed ὅτι καὶ λαλῶ, quem vobis dico, si id, quod sumus interpretatus, dicere voluisset. Fateor sensum interpretis nostri non esse, Ego sum, quem à principio vobis dico, sed ego sum, qui à principio vobis loquor, id est ego sum, quem, si velletis, ex verbis ipsis meis cognoscere possetis, quibus verbis celare mihi videtur, quis esset, voluisse, quando ipsi dicenti, quis esset, credere voluissent; quemadmodũ Samaritanæ dixit, *Ego sum, qui loquor tecum*. Lectio autem, quam nunc habemus, Græca hũc habet sensum, Ego sum, quod à principio vobis dico; sed quia vterque sensus eodem redit, dixi paulò suprà re non differre.

26. *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare.*) Non satis apparet, quorsum Christus hęc verba subiecerit. Chrysost. Theophyl. Euthym. & Leontius conuenienter superiori ipsorum interpretationi sic hæc verba coniungunt; indigni omnino estis, quibus dicam quis sim, aut cum quibus loquar, etsi multa habeo, quæ de vobis dicere possim, atq; iudicare. Nonnus poëta sic, ego sum, quod à principio vobis dico, multa habens de vobis dicere, ac iudicare. Ego eodẽ fere sensu; ego quis sim, satis apparet, ex meis verbis manifestũ est; qui vos sitis, taceo, etsi non deest mihi materia ea de re loquendi. Quòd attinet ad verborũ sententiam, Chrysost. Leontius, & Theophyl. existimant τὸ λαλεῖν, *loqui*, idem hic esse, quod τὸ ἐλέγχειν, reprehendere, aut arguere, & τὸ κρίνειν, *iudicare*, idem quod τὸ κολάζειν, punire. Ego simpliciùs interpretor, multa habeo, quæ possim de vestris moribus dicere, ac iudicare, id est conqueri; Hebraissimus, disceptare, expostulare. Transferam in hunc locum quæ Cyrill. Alexand. in Græca Catena Græcè scribit, *Non vnum*, inquit, *tantum, sed multa accuso vos, & in nulla re mentiar; sicut vos possem condemnare vos tanquã incredulos, & infideles, tanquã arrogantes, tanquam cõtumeliosos, tanquam Deo repugnantes, tanquam imprudentes, tanquã ingratos, tanquam malignos, tanquam voluptatum potius, quam Dei amatores, tanquam humanam captantes gloriam. Dei verò gloriam non quærentes.* Quærunt Augustinus, & Beda quomodo Christus hoc loco dicat multa se habere iudicare, cùm alio dicat loco, *Ego non iudico quemquam* ver. 15. Respõdent non dicere hoc loco se quenquã iudicare, sed multa habere iudicare, id est multa in illis accusare posse; hoc enim est habere, Græca phrasi. *Sed qui misit me verax est, & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.*) Hæc verò prorsus videntur aliena esse, & vt Græci vocãt, ἀπροσδιόνυσα. Chrysost. Leontius, Theophyl. & Euthym. sic ista coniungunt, etsi multa habeo de vobis dicere, ac iudicare, sed nondiam modò (hoc enim subintelligendũ est) quia Pater qui misit me, nõ misit nunc ad iudicãdos? sed ad saluandos homines. Cæterum non dicunt, quod inprimis dicendum erat, quorsum dixerit, *qui misit me verax est*. Augustinus, & Beda putant his verbis rationem reddi, cur de Pharisæis Christus iudicare posset, quia nimirum Pater, à quo missus fuerat, verax erat, & quidquid Christ⁹ loquebatur, ex Patre acceperat, & eius loquebatur nomine. Rupertus verò sic; Etsi principium sum, tamen à meipso non veni; etsi vobiscum loquor, tamen à meipso nõ loquor; sed & à Patre missus sum, &, quæ loquor, ab eo accepi, qui cum verax sit, mentiri non potest, quare nec ego possum. Theodorus Heracleensis ad hunc modum; Etsi vos de hac re, id est, de iudicij tempore nihil cogitatis, tamen pater meus verax est, qui, quemadmodum sæpe promisit, suo tempore vnicuique reddet secũdùm opera sua. Alij sic, Multa possem in vobis accusare, quæ prætereo, hoc vnum dicẽs, patrem meum à quo missus sum, veracem esse, qui suo de vobis tempore iudicabit. Alij; Etsi vos non credatis me esse Christum, tamen pater meus verax est, id est fidelis, qui fidem non fallet suam, sed quemadmodum promisit, ita cum credentibus, & incredulis faciet, sicut D. Paulus dicit 2. Timoth. 2.13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Ego hunc arbitror esse sensum, Multa possum de vobis verè, ac meo iure dicere atque iudicare, ꝙ si fecero, nemo poterit iudiciũ meũ reprehẽdere, quia, *qui misit me verax est, & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Sed ꝙ ego nunc explicandi causa pluribus verbis dixi; dixit breuiter, & obscurè Christus, *Multa habeo de vobis dicere, & iudicare. Sed qui misit me, verax est, & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Similis locus suprà c. 7.28. *A meipso non veni. sed est verus, qui misit me.* Quid sit Filium à Patre audire, vide c. 5.37.

27. *Et non cognouerunt, quia patrẽ eius dicebat Deum.*) G. ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν, quòd patrem suum eis dicebat, id est, quòd de patre suo illis loquebatur; quemadmodum Chrysostom. Leontius, Theophylactus, Euthymius, & Nonnus poëta inter Græcos auctores legunt: inter Latinos August. & Beda. Cui lectioni & Syriacum exemplar suffragatur. Non dubito nostrum interpretem legisse ὅτι τὸν πατέρα αὐτῶν ἔλεγεν θεόν, quòd patrem eius (id est suum) dicebat Deum, quemadmodum & in vno quodã Græco codice legimus, sensu meo quidem iudicio multo meliore. Nã si legimus, *quòd patrem eis dicebat*, nõ potest nisi ad proxima verba referri, quòd nõ cognouerint Christum de patre suo illis locutũ fuisse, cùm dixit, *Qui misit me verax est, & quæ ab eo audiui, hæc loquor in mundum*, quod non magnopere mirum est. Si autem legamus, *quia patrem eius dicebat Deum*, referetur ad omnem superiorem de Patre disputationẽ. Etenim cùm multa Christus de patre suo dixisset, petierant ab eo, *Vbi est pater tuus?* ver. 19. nihil de patre eius nisi humanum intelligentes: cùm ergo multa iterum de eodẽ patre suo illis dixisset, ne sic quidem cognouerunt eum Deum patrem suum appellare, quod quia meritò mirum videri poterat, Euangelista notauit, quasi perstringens obiter eorum stupiditatem, & vt præcedentia cum sequentibus necteret. Atque hoc sensu Apollinarius interpretatur.

28. *Dixit ergo eis Iesus, Cum exaltaueritis filium hominis, tũc cognoscetis, quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.*) Dictio illatiua, *ergo*, refertur ad superiorem versum, quasi dicat, cùm non cognoscerẽt, quem Christus patrem suum appellaret, dixit eis fore, vt post mortem suam cognoscerent, vt Rupertus adnotauit. Exaltationem crucem suam, & mortem appellare nemo dubitat, vt c. 3.14. & c. 12.32.34. Cur autẽ dicat tunc Iudæos, quis ipse, quis Pater esset, cognituros, sic omnes auctores explicant, Augustinus, Chrysostomus, Leontius, Ammonius, Cyrillus, Beda, Theophylact. Euthymius, & Rupertus, fore vt visis miraculis, quæ & in ipsa eius morte, & postea facienda erant, si non omnes, multi tamen eorum cognoscerent ipsum filium esse Dei. Euentus eam sententiam comprobauit. Nam turba, quæ aderat, cùm crucifigeretur, *videntes, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebãtur*, Luc. 23.48. Et Centurio homo Gentilis, *qui ex aduerso stabat* crucis *videns, quia sic clamans expirasset*, ait, *Vere hic homo filius Dei erat*, Mat. 15.39. Et post datũ Spiritum sanctum victi Apostolorum miraculis vno die ter, alio quinquies mille homines in Christum credidêrunt. Cùm dicit, *quia ego sum*, intelligẽdum, quia ego sum, quem me sæpe esse dixi, quia ego sum Christus, quia ego sum filius Dei, quia lux mundi, quia panis vitæ.

Duplex exemplum huius loci cum Græce, tũ Latinè.

Act. 2. 41. & 4. 4.

Aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aut legendum ὅ,τι duabus dictionibus, tunc cognoscetis, & ego sum, id est quis sim, sicut dixit ver. 25. ὅ,τι καὶλῶ ὑμῖν, *quod loquor vobis*, ad eum enim locum videtur alludere. Quod sequitur, *& à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor*, Ariani cauillabantur, vt probarent Filium minorem esse Patre, quemadmodum Idacius in libro aduersus Varimadum, cap. 10. & 21. auctor est. Sed hæc, & his similia, c. 5. 37. disseruimus. Summa est debere hoc de Christo intelligi, quatenus homo est, quâquam Augustin. & Beda de illo etiam, vt Deus est, interpretâtur, doctum à Patre Filium, non quòd ignoraret discendo, sed cõmunem cum Patre naturam à Patre per æternam accipiendo generationem. Eodémque sensu Ammonius, Cyrillus, Leontius, & Chrysostomus intelligunt, nihil aliud his verbis, quàm τὸ ὁμοούσιον significari, id est Filium consubstantialem esse Patri: notarúntque Cyrillus, & Leontius Christum propter auditorum infirmitatem ita locutum esse.

Arriani hoc loco abusi.

De Christo, quatenus homo est, hæc intelligenda.

29. *Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.*) Dubium an hæc verba ad verbũ illud superioris versus referenda sint; *tunc cognoscetis, quia ego sum, & quia qui me misit, mecum est*, &c. an cum sequentibus potiùs coniungenda. Omnes graues auctores diuersam putant esse sententiam, nec ex superiore verbo pendere. Omnes verò Græci, Ammonius, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius existimant propterea hoc Christum addidisse, ne quia se à Patre missum dixerat, & nõ nisi, quę ab eo audisset, loqui, putaremus minorẽ esse Patre, ita cùm dicit, *Mecum est, & non reliquit me solum*, putant τὸν ἀπαράλλακτον εἶναι, vt ait Ammonius, id est *indiscretam Patris, & Filij essentiam significari*. Eodem sensu Augustinus, & Beda videntur interpretari; certè de diuina Christi natura dictũ intelligunt. Mihi, etsi pauciores auctores habet, magis tamen alia placet interpretatio, quã Euthymius affert, ac probat, & Rupertus omnino sequitur, vt nõ tanquam Deus, sed tanquã homo loquatur Christus, sicut & superiore versu locutum diximus. Sensus ergo est, qui me misit Pater, non misit, & solum reliquit, sed semper mecum est, non solum vt Deus cum Deo cõmunem mecum habens naturam, sed etiã vt Deus cum homine mecũ cooperãs, me in omnibus rebus dirigẽs, itaq; quidquid facio, eius auspicio, eius auxilio, eius opera, & auctoritate facio, sicut alio loco dixit, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* c. 5. 17. Cùm autẽ addit, *Quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper*, non existimo particulam ὅτι, *quia*, causam, sed effectum potiùs, aut iudiciũ, &, vt Dialectici dicunt, argumentum à posteriori significare. Non enim quia Christus faciebat, quæ Patri placita erãt, ideo cum illo erat Pater, non futurus nisi faceret: sed quia Pater cum illo erat, & quidquid ille agebat, agebat Pater, neq; faciebat, neq; poterat facere, nisi quæ Patri placita essent, quemadmodũ probauit, quòd sabbato curaret gratũ esse Deo, quia id secum faciebat Pater, *Pater*, inquit, *usque modo operatur, & ego operor.* Videtur etiã Rupertus hũc sensum vidisse. Huiusmodi verò particulas, quia, & quoniã, non causam aliquando, sed effectum significare innumeris, vel in solis Psalmis exempla sunt, *Ego clamaui*, inquit, *quoniam exaudisti me Deus*, non enim propterea clamauit, quia exauditus est, sed propterea exauditus, quia clamauit.

Christus hic tanquam homo loquitur.

Sup. c. 5. 17.

Quia, & quoniam, nõ causã, sed effectũ sæpe significant. Psa. 16. 6.

30. *Hæc illo loquente, multi crediderũt in eum.*) Existimant Chrysost. Theophyl. & Euthy. *hæc* adid, quod proximè præcessit, esse referendum, quasi causa, cur ante non crediderint, modò verò crediderint, fuerit quòd priùs sublatè, præalteque, modò humiliter, & aptè ad auditorũ ingenium locutus fuerit. Sed non video quomodo Christus humiliùs de se locutus fuerit, cùm dixit, *Qui me misit mecũ est, & quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper*, quàm ante toto capite locutus fuerat. Nam & hìc non obscurè missum se à Deo Filium à Patre dicit. Ad omnem igitur superiorem cõcionem refero, credoq; Euangelistam, quia sæpe de Iudæorum incredulitate locutus fuerat, docere voluisse nec omnes omnino incredulos fuisse, nec Christi concionem tam fuisse infructuosam, vt nemo crediderit. Nam etsi sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi non crediderunt, multos tamen vulgo homines credidisse. Id frequenter Christianis accidit concionatoribus, vt putẽt se, quia viri primarij non commouentur ad pœnitentiam, aut ad fidẽ, operam perdere. At non perdunt, quum aliqui de media plebe homines commouentur, quod sæpe fit illis ipsis, qui concionantur, minimè scientibus. Nam & concionante Christo, nisi id Euangelista declarasset, neminem putaremus credidisse. Voluit etiam Euangelista hoc dicere, vt quæ proximo versu sequuntur, aptè adnecteret præcedentibus. Cùm enim dicturus esset, Christum dixisse ijs, qui in se crediderant, *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*, oportuit priùs dicere aliquos credidisse.

31. *Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderũt ei, Iudæos,*) Particula *Ergo* hæc cum præcẽtibus iungit, tãquam si diceret, cùm multi in eum credidissent, dicebat ad eos, qui crediderãt. Iudęos verò dixit, aut vt à Galilæis & cæteris alienigenis eos distingueret, qui facilìs credere solebãt; aut vt distingueret à sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis, & principibus Iudęorũ, ne sibi repugnare Euangelista videretur, qui cùm ante significasset eos non solùm non credidisse, sed modis omnibus Christo restitisse, cúmque occidere voluisse, nunc dicat credidisse multos. Addit ergo fuisse Iudæos, id est homines populares. Nam vt alibi diximus, aliquando Iudæi vocantur soli principes, populóque opponuntur; aliquando solus populus, opponiturque principibus, vide c. 7. 11. 13.

Si vos mãseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.) Pronomen, *Vos*, emphaticè positum est, quasi dicat, *Vos*, qui iam credidistis, qui iam per fidem ab ijs, qui nondum credidernnt, discreti estis. Duo explicanda sunt, quid sit in sermone Christi manere, & quid verè eius esse discipulum. Manere in sermone omnes interpretantur, in fide, doctrinaque iam acceptæ perseuerare, Augustin. Chrysost. Leõtius, Beda, Theophylact. Euthym. & Rupertus. Putant autem Chrysostom. Leontius, & Euthymius, & Theophyl. alludere Christum ad eos, qui cùm iam in eum credidissent, retrorsum abierunt c. 6. 66. tanquam dicat, si vos etiã discesseritis sicut illi, nõ eritis verè discipuli mei, si autẽ perseueraueritis, verè discipuli mei eritis. Hinc intelligitur, quid vocet verè discipulũ esse suum scilicet ita discipulum esse, vt discipuli finem consequatur, vt vsque ad vitam æternam sequatur Christũ, sicut alio loco dicit, *Qui perseueraverit usque in finem, hic saluus erit.* Qui enim verè in Christũ credit, sed in fide non perseuerat, hactenus verus discipulus eius est, quòd veram habet fidem; sed eatenus non est, quòd non cõsequatur verũ discipuli finem, & quã Christo debet, cõstantem fidem non præstet.

32. *Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.*) Græci, quos legi, omnes, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, & Cyrillus in Græca Catena citatus, veritatem Christum ipsum interpretãtur, quasi dicat, si permãseritis in fide mea, cognoscetis me, & ego cognitus liberabo vos. Veritatem autem seipsum Christum appellare, vt opponat figuris,

figuris, & vmbris legis, quemadmodum c. 1. 14. 17. & 4. 23. 24 Ideo ergo per veritatem id est per se ipsum eos in libertatem asserẽdos, quia priùs sub legis seruitute tenebantur. Nam & D. Paulus Christianos, qui iam lege veteri exsoluti erãt, in libertatẽ vocatos dicit, & legis ceremonias iugũ seruitutis appellat; 1. Cor. 10. 29. Galat. 2. 4 & 5. 1. 13. His auctoribus quo minùs assentiar, duæ me rationes tenent; altera est, quòd non satis apte hoc loco videretur Christus se veritatẽ appellare, cùm de legis vmbris nõ ageret; altera, quòd ipse paulò post explicet, de qua loquatur libertate, ver. 34. *Omnis, qui facit peccatum seruus est peccati*: & tamẽ si se ita veritatẽ appellasset, vt legis opponeret ceremonijs, consequens erat, vt libertatem etiam ab ijsdem intelligeret ceremonijs. Videtur quidem inuate eos, quòd ver. 36. dicat, *si ergo filius liberauerit vos, verè liberi eritis*. Est quidẽ filius qui verè liberat, sed hoc loco eius fides, atq; doctrina dicitur liberare, quia filius non liberat nisi credẽtes in se. Magis Augustini, Bedæ, & Ruperti opinionem probo veritatẽ appellare doctrinę suæ, quam credere cœpissent. In hoc tamen Rupertus ab Augustino & Beda dissentit, quòd Augustinus, & Beda ad vitam hoc futurum referant, vbi verè cognoscitur earum rerum veritas, quæ hìc non cognoscuntur, sed creduntur. *Quid promisit credentibus, fratres?* (inquit Augst.) *Et cognoscetis veritatem. Quid enimẽ non eã cognouerant, quando Dominus loquebatur? Si non cognouerant, quomodo crediderũt? Nõ quia cognouerũt, crediderunt, sed vt cognoscerẽt crediderũt; credamus enim, vt cognoscamus; non cognoscimus, vt credamus: quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid est enim fides, nisi credere, quod non vides? Fides ergo est, quod non vides, credere; veritas, quod credidisti videre.* Rupertus verò refert aduentũ Spiritus sancti, de quo Christus alio loco dicit. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Et tantus, *docebit vos omnem veritatem.* Ego ad neutrũ statuum vellẽ restringere. De futura quidem vita ideo mihi nõ videtur loqui, quia cùm dicit, *veritas liberabit vos*, nõ dubium, quin significet cognitionem veritatis causam fore libertatis; cognitio autem illa vitæ beatæ, de qua hunc Augustinus locũ interpretatur, non est libertatis causa, sed effectus. Etenim priùs homines à peccato liberãtur, deinde ad vitam æternã ideo perueniũt, quia à peccato liberati sunt. Simpliciter igitur interpretor, fore, vt si in fide, & doctrina Christi, quam degustare, & amplecti cœperant, perseuerent, experientia ipsa discant se non fuisse deceptos, sed vera esse omnia, quæ de Christo crediderunt. Quæ cognitio, id est magis perfecta fides accedente caritate à peccatorum illos seruitute liberatura sit, & assertura in libertatem filiorum Dei. Quod dicit, *Veritas liberabit vos*, propriè significat, ex seruis liberos faciet, hoc enim est ἐλευθεροῦν quod & D. Augustinus obseruauit. Itaque (ut ibidẽ hoc loco Caluinus clamat, *Eam nunc* Catholici) *& liberum arbitrium fastuose extollant; nos autem seruitutis propriæ nobis conscij, non nisi Christo liberatore gloriemur.* Digna verberibus, aut igne potiùs ignorantia. Quasi nos diceremus à peccato per solum liberum arbitrium nos sine Christo liberari, quod neminẽ vnquam Catholico venit in mẽtem; aut liberum arbitrij esse libertas à peccato. Quòd si Bernardus in libro de gratia, & libe. arb. aliósq; Catholicos legisset auctores, non ignorasset. Nec animaduertit Erasmus hoc ipsum, quod nobis obuicit, sibi aduersari maximè. Nam si propterea liberũ non habemus arbitrium, quòd sub peccati seruitute sumus, liberati iam per Christum à seruitute peccati, liberum vtique arbitrium habebimus. Quid ergo generaliter negat nos in hac vita vllã habere arbitrij libertatẽ? At nunquã inquit, in hac vita sine peccato sumus. Nũquã igitur in hac vita liberi sumus; Christo verò hoc loco, & D. Paulus nõ vno, sed pluribus in hac ipsa vita docet nos esse liberatos. Ro. 6. 18. 22. & 8. 2.

33. *Respondérũt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam, quomodo tu dicis, liberi eritis?*) Quidam hoc non eos ipsos, qui iam in Christum crediderãt, sed alios aliquos ex ijs, qui aderant, qui nondũ credidissent, respõdisse putant. Sed probabilius est hoc ab illis dictum qui paulò ante dicti sunt in Christũ credidisse. Cum illis enim Christus loquebatur, illis dixerat, *Si vos mãseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Et est vero simile eos respõdisse, quibuscũ loquebatur. Quicunque tandem fuerint, rectè intellexerũt Christũ de liberatione à seruitute in libertatem locutũ. Id enim, vt diximus, significat Græcũ verbũ ἐλευθεροῦν. Sed in eo errarunt, quòd putarũt Christum nõ metaphoricè, sed propriè de seruitute, ac libertate locutũ esse; cùm non nisi metaphoricè locutus fuisset, quemadmodum versu sequenti explicat. Iactãt igitur genus suũ, vt probẽt se nõ solùm seruos nõ esse, verũ valde etiã esse nobiles; ex Abrahamo enim genus ducere, qua nobilitate nulla apud eos putaretur esse maior. Quod dicũt, *Nemini seruiuimus vnquã*, dubitant quidã interpretes vtrũ de se solis, an de se, & tota Abrahami iã inde à prima origine posteritate dicant. Ergo non dubito de toto eos loqui genere, quod glorientur nemini vnquã seruijsse. Atque hoc modo omnes vetercs, & graues auctores intelligũt, Chrysost. August. Leontius, Beda, Theophyl. Euthy. Rupertus. Putãt enim dixisse falsũ, vt facilè qui gloriãtur, mẽtiri solẽt. Seruierãt enim Ægyptijs olim, seruierãt postea Babylonijs, & tũc, cùm ista dicebãt Romanis seruiebãt. Nisi dicamus nõ de ista eos seruitute loqui, sed de ciuili, quã venalia mãcipia seruire solẽt. Nã etsi Ægyptijs, & haldęísque seruierãt; tamen venditi non fuerant, sed subiugati. Nec in hoc præcipuus eorũ versatur error, sed quòd de seruitute peccati, de qua Christus loquebatur, nihil cogitãtes, de sola ciuili seruitute differant. Nihil enim illis magis doluit, quàm quòd humile ipsis, & seruile genus Christus obiecisse videretur. Itaque cùm duo illis dixisset, *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, priorique membro ignorantiam, posteriore seruitutem in illis notare videretur, neglecta ignorantia, ad asserendã libertatem, nobilitatemque suam, dosiliunt, quemadmodum Chrysost. Leontius, Theophylactus, & Euthymius adnotarunt. Multi etiam Christiani his Iudæis similes sunt; si adulteria, si homicidia illis obiicias, nihil commouentur, si genus attingas, illic verò furere, illic ignominiosè cædere, illic occidere. Putat Rupertus Iudæos maligno, atq; captioso animo dixisse, *Nemini seruiuimus vnquã*, sperantes fore, vt Christus responderet, Quid ergo? nonne modò Romanis seruitis? vt ansam acciperet eum accusandi, quasi populi Dei sub Romano imperio seruitutem approbaret.

Mendacium Iudæorum se liberos à se per fuisse iactantium.

34. *Amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati.*) Quia rem Christus dicturus erat longè præter Iudæorũ opinionẽ, suo illo more asseuerat, *Amen, amen dico vobis, Amen, amen dico vobis*, inquit Augst. *veritas dicit, & quale est Domini nostri dicere, Amen, amen dico vobis? Multũ cõmendat, quod ita pronuntiat.* Docet autem eos de ea se seruitute locutum fuisse, quã ipsi maximè seruirẽt, minimè verò animaduerterẽt, quæque omnium miserrima atque durissima seruitus esset. *O miserabilis seruitus*, inquit

Tract. 41.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augustinus. *Plerumque homines, cùm dominos malos patiuntur, venales se perire, non quærentes dominum non habere, sed salte mutare; seruus peccati quid faciat? Quem interpellet? Apud quem se venalem petat? Deinde seruus homine, aliquando sui domini duris imperijs fatigatus fugiendo requieuit. Seruus peccati quo fugiet? secum se trahit quocunque fugerit. Nō fugit seipsum mala cōscientia, non est quò eat, sequitur se, immo nō recedit à se peccatū enim quod fecit, intus est.* Emphaticè verò vsus est Christus vniuersali nomine, *Omnis*, vt nullum hominem, cuiuscunque tandem cōditionis esset, excideret; quanquā mihi ad id, quod Iudæi dixerant, videtur allusisse se filios esse Abrahæ, neminique seruisse vnquā, *Omnis* inquit, etiamsi Abrahæ filius sit, etiamsi nemini vnquam homini seruierit, *qui facit peccatū, seruus est peccati.* Potuit planiùs dicere, Amen amen dico vobis, serui estis peccati. sed noluit eos perstringere nominatim. Eadem sententia apud D. Paulum. Rom. 6. 14. & apud Petrum 2. epistola cap. 2. 19. & apud Salom. Prouerb. 5. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Funes enim seruitutem, captiuitatémque significant.

35. *Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.*) Cyrillus in Græcorum Catena citatus, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius putant Christum his verbis Iudæorum tacitę obiectioni occurrere voluisse. Poterant, inquiunt, Iudæi dicere, quamuis serui peccati simus, tamē hostias habemus, & sacrificia per Mosem instituta, quę nos à peccato liberabūt; quibus Christus respōdeat non posse Mosem ipsos liberare. cùm non filius, sed seruus sit, & seruus non maneat in domo semper, id est nō habeat in domo potestatē alios seruos vēdendi, alios liberādi. Fefellit, opinor, quòd D. Paulus cōparans Christū cum Mose dicat Mosem fuisse seruū in domo fidelē, Christū verò filiū Hebræor. 3. 2. 3. 5. Cęterū de alia hic agitur seruitute, quamquā Moses seruꝰ appellatur. Hic agitur de seruis peccati: Moses vocatur seruus, nō quòd peccatis seruiret, sed quòd nō esset naturalis Dei filius quemadmodū Christus. Melius Leontius probare voluisse, quod dixerat, nō posse quenquā nisi filiū eos liberare. cū solus filius maneat in domo in æternū. Mihi illud videtur probare, omni seruo opus esse libertate, de qua paulò ante dixerat, *veritas liberabit vos*, quia nullus seruus *manet in domo in æternū*, id est nullus seruus habet ius in domo domini sui perpetuò manēdi. cùm sua conditione vēdibilis sit, possitque à domo distrahi. Nam etsi aliquādo seruus semper in domo manet, id casu & rarū fit; argumētum autē sumptū est ex eo, quòd plerūque fieri solet. Domum vocat, vt monēt D. August. & Beda, Ecclesiā Dei, in qua filius Dei sēper manet; seruus autē non nisi ad breue tēpus. Manent enim pęccatores in Ecclesia, dū viuunt cū filijs mixti, vixq; ab illis discernūtur: post mortē autē eiiciūtur, vt ait Cyr. in tenebras exteriores; nisi priùs fuerint à peccati seruitute liberati, à qua nemo eos liberare potest, nisi filius Dei, qui manet in æternū in domo, id est qui dominus, qui hæres est domus potestque quos velit, seruos vendere, quos velit manumittere & in libertatem asserere. At non sunt eius serui, sed Diaboli, & nemo potest alienum seruum aut vendere, aut liberare, *domino enim suo stat, aut cadit.* Ita est. Sed Christus alienos, id est Diaboli seruos vendere Diabolo dicit ut; cùm non emit ab eo, cui se ipsi vendiderunt; liberare, id est libertate donare, cùm emit, & ex peccatoribus iustos, ex seruis Diaboli filios Dei & cohæredes suos facit. Hoc est, quod versu sequenti concludit.

Quomodo veritas liberabit nos.

Rom. 14. 4.

36. *Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*) Quam vim habeat, dictio illatiua, *ergo*, ex ijs, quæ modò diximus apparet. Cùm filiꝰ in domo maneat in æternū. dominus domus si tibi ille vos liberauerit, verè liberi eritis. Cùm dicit, *verè*, duo mihi videtur indicare; alterum est, eam libertatem, quam iactabāt, quòd filij essent Abrahami, veram non esse, quemadmodum Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius animaduertunt; alterum, non posse eos alia ratione veram consequi libertatem, nisi eos Filius liberauerit.

37. *Scio quia filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.*) Duo Iudæi dixerant, inquit Rupertus, se filios esse Abrahę, & neminī vnquam seruijsse. Hoc posterius hactenus Christus refutauit docēs eos verē seruos esse, cùm venūdari essent sub peccato. Prius nūc refellit, probatq; eos non esse verē filios Abrahę cùm Abrahami opera non imitentur, idque longa persequitur disputatione. Sed orditur leniter, ne eos initio abalienet, & ad audienda cætera minùs aptos reddat, vt Chrysost. Theodorus Heracleotes, Theophyl. & Euthym. ad notarunt. Adbláditur illis, & mulcet quodāmodo eorum arrogantiā, dicēs scire se eos filios esse Abrahæ, nec propterea velle se occidere, quòd alient ab Abrahami genere sint; sed quòd prauis affectibus occupati capaces non sint sermonis sui; *Sermo meus non capit in vobis*, dixit, pro, locum non habet in vobis, pleni quippe estis odij, atq; inuidię, ira, vt sermo meꝰ nullum in vobis locum inueniat. Noster interpres Græcismum retinuit. Obseruauit Chrysost. hom. 5. non dixisse. Non capitis sermonem meum, sed *sermo meus non capit in vobis*, vt sermonis, id est doctrinę, sublimitatē declararet. Vereor ne nimis subtiliter. Nam re quidem ipsa idem est, sermo meus nō capitur à vobis, & vos non capitis sermonem meum. Sed aurem spectes quid agatur, non id agebat Christus, vt doctrinæ suæ magnitudinem laudaret, sed vt Iudæorum vituperaret animos, qui prauis affectibus pleni doctrinam suam capere non possent. Putant quoque Origenes, & Chrysost. eos, qui interficere volebant Christū, illos fuisse ipsos, qui ver. 30. dicti sunt in illum credidisse, atq; hinc probant non bene eos credidisse, quia tam breui interuallo mutati illum quem modò crediderant, interficere volebant. Magis credo de toto loqui genere. Dicit enim, *quæritis me interficere*, non quòd illi ipsi, quibuscum priùs loquebatur, interficere eū vellent, sed quòd Iudæi vellent, & illi quibuscū loquebatur Iudæi esse. Chriſtus

Christus, vt Diaboli, sed vt Abrahami opera facerent. Sin præsentis temporis, & indicandi modi verbum est, Diabolum ipsorum patrem intelligat necesse est. Reprehendens enim dicit, *& vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis*, vtique quæ vidistis apud Diabolū, id est quæ ab eo didicistis, non apud Abrahamum. Nam apud Abrahamum non mala, sed bona viderant: ipsi verò non bona. sed mala faciebant, vt paulò post illis dicit, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahę facite.* Omnes fere graues auctores Augustinus, Leontius, Beda, Apollinarius, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus *facitis* legunt, patrémque eorum Diabolum vocari putant, quem sensum noster reddidit interpres; illúdque confirmat, quòd videamus id Christum agere, vt doceat eos non Abrahæ, sed Diaboli filios esse, quando non quidem Abrahę, sed Diaboli opera imitarentur. Sed id nunc obscure tantùm insinuat, aperte postea dicturus. Cæterùm alius sensus nonnullis placuit, quibus Origenes est auctor, quibúsque videtur Græca dictio ὑμῶν nonnihil suffragari. quam noster interpres aut non legit, aut non reddidit. Græci autem codices, quos ego vidi, legunt. Quòd si legamus, vertamúsque, & vos ergo quæ apud patrem vestrum vidistis, magis consentaneum videbitur, vt dicamus, facite, quàm, facitis. cùm ea particula vim habere videatur exhortādi. Verum non ita est. Nam etiamsi legamus, rectè sententia cohærebit. *Ego quæ vidi apud patrem meum, loquor, & vos ergo quæ vidistis apud patrē vestrum, facitis*, id est, sicut ego loquor, quæ vidi apud patrē meum, ita vos facitis, quæ apud patrem vestrum vidistis. sicut Chrysostomus interpretatur. Porrò cùm de se loquitur, dicit *loquor*: cùm de illis, *facitis*, ideo, vt opinor, quia verba, id est doctrinā suam approbare; facta verò illorum reprehendere volebat. Nam de ipsius doctrina, non de factis agebatur, *sermo*, inquit, *meus non capit in vobis.* Videbatur ratio postulare, vt cùm dicturus esset, *loquor*, priùs diceret, audiui, cùm verò dicturus esset, *facitis*, priùs diceret vidistis, nunc autem in quibusdam, vt dixi, codicibus priori loco est, *Vidi*, secūdo, *Audiuistis*, quemadmodū & Chrysost. & Leont. & textus Græcæ Catenæ, & qui exiſtimę antiquitatis, & auctoritatis est, Vaticanus codex legunt. Sic etiam Origenes interpretatur, & legit. Cæterum, vt diximus, videre, & audire pro eodem accipiuntur.

39. *Respōderunt, & dixerunt ei, Pater noster Abraham est.*) Non videntur satis intellexisse, quem dixisset ipsorum patrem cùm dixit, *& vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis*: sed tamen suspicati esse aliquem alium præter Abrahamū intellexisse. Ideo repetunt, *Pater noster Abraham est*, partim vt magis affirment, quod antea dixerāt, *Nos semen Abrahæ sumus*, partim vt eliciant à Christo, ecquem alium patrem ipsorum dixerit. Quibus Christus prudenter respondet, neque affirmans, neque negans patrē eorum esse Abraham; sed rem in medio relinquens, *Si filij*, inquit, *Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, id est proinde vos non verbis, sed factis filios esse Abrahæ. Facit, inquit Augustinus, *ille laudatus, isti damnati. Nō ideo erat, sed vita non erat.* Græci nunc fere codices legunt εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε ἄν, *si filij Abrahami essetis, opera Abrahæ faceretis.* Origenes tamen, Augustinus, & Beda ita legunt, vt noster interpres, eodémque modo videtur legere Chrysostomus. Putat Origenes propterea non singulari, sed plurali numero dixisse, *Opera Abrahæ facite*, vt indicaret non esse satis, si vnum aut alterum opus facerent, nisi facerent omnia.

40. *Nūc autē quæritis me interficere hominē, qui veritatē vobis locutus sum, quā audiui à Deo, hoc Abrahā non fecit.*) Probat eos nō facere opera Abrahami, cuius genere gloriabantur. Quia neminē vnquā Abrahamus voluit interficere, quòd veritatem à Deo audità loqueretur, *Hoc*, inquit, *Abraham non fecit*, id est nihil simile fecit.

41. *Vos facitis opera patris vestri.*) Clariùs nunc dicit eos Abrahæ filios non esse. Cùm enim dixisset eos non facere opera Abrahæ, addit facere opera patris sui, vnde apertè colligitur eos non esse filios Abrahæ, sed alterius. Nondum tamen declarat quis ille alter sit; cuius essent filij; intelligit tamen, vt paulò post, explicat esse Diabolum. Illi verò non omnino id assecuti, sed tamen suspicati respondēt. *Nos ex fornicatione non sumus nati, vnū patrem habemus Deum.* Nō iam dicunt patrem habemus Abrahā, sed Deū, quia nimirum intellexerant Christū nō de carnali, sed de spirituali patre loqui. Itaque respondent se non esse filios Diaboli, vt velle videbatur Christus significare, sed vnum patrē, habere Deum. Potest dictio illa, *vnū*, & ad Deū, & ad patrē referri, si referatur ad Deū erit sensus, Nos nō multos, sicut aliæ gēres, sed vnū tantùm Deū pro patre habemus, si ad patrē. Nos nō habemus alium patrē, quàm Deū, atque hūc sensum verba magis prę se ferūt. Quòd dicūt, *Nos ex fornicatione nō sumus nati*, quidā interpretātur, nō sumus filij Ismael, sed Isaac, nō ancillæ, sed liberæ, quēadmodū exponūt Euthy. & Rupertus. Alij putāt fornicationem eos appellare cōiugia inter Iudęos, & alias gētes illegitimè copulata, ex quib⁹ se natos esse negēt, quòd eos, quiex eiusmodi cōiugijs nati esśēt, spurios esse ducerent, sic Theodorus Mopsuest, & Theoph. Alij de vera forniciatione eos loqui dicūt, propterea dicere se vnū tantùm habere patrem, quòd spurij, qui ex adulterio nati sunt, duos patres habere soleāt alterum verum, alterum opinione. Notasse igitur Christum, quòd duos haberet patres, alterum verū ex cuius cum matre eius adulterio natus esset, alterum hominum opinione, nempe Ioseph, qui matris eius maritus esset; sic Origenes, Cyrillus in Græca citatus Catena, & Leontius in commentarijs, quam opinionem & Euthymius refert. & non improbat. Verus videtur esse sensus, quem Rupertus vidit. & refutauit, vt fornicationē idololatriam more scripturarum vocent; itáque se hoc elogio à gētibus alijs distinguant; quæ ex fornicatione natæ erant, id est filij erant idololatrarum, ipsaque idololatræ. Hunc enim sensum confirmat; quod statim sequitur, *Vnum patrē habemus Deum*, id est non sumus idololatrę, vnicum enim Deum colimus, eúmque pro patre habemus. Non repugno ijs, qui dicunt alludere eos ad propheriam Oseę cap. 1. 2. *Sume tibi vxorem fornicationū, & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* Obiicit Rupertus, si hic, quē sequimur, esset sensus, eos fuisse dictutos Christo, Nos ex fornicatione nati non sumus, sed vnum patrem habemus Deum; nunc autem nō ita dixisse, sed tātùm, *vnum patrem habemus Deum*, quasi aliud quiddam sit ex fornicatione non esse, & vnum patrem habere Deum. Facilis respōsio, sæpe huiusmodi particulas aut aduersatiuas, aut causales elegantius intelligi, quàm exprimi.

Expositio auctoritate probata

42. *Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo processi, & veni.*) Refellit Christus, quòd Iudæi modò dixerant se patrem habere Deum, probatque eos ex Deo natos non esse, quia si filij Dei essent, sediligerent, qui & ipse filius Dei sit, ab eóque processerit, ac venerit. Duo hæc verba *processi, & veni*, multi ita distinguunt, vt *processi*, referatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad æternam Christi ex Deo generationem, *veni*, ad incarnationem. Sic Ammonius in Græca Catena, Leontius in comment. Hilarius, Augustinus, Beda. Alij vtrumque ad incarnationem, & aduentum in hunc mundum pertinere putat, vt Origenes, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus. His potius assentior: etsi rectè quidam monuerūt, ex hac ipsa interpretatione bene Christi diuinitatem colligi. Nec enim ex Deo processisse, venisséque per incarnationem diceretur, si ante non fuisset: nec ante fuisset, si Deꝰ non esset. Nec enim venisse Prophetarum more missus à Deo, cùm natus iam esset; sed in hoc ipsum natus, in hoc homo factus est, vt ad homines veniret, eósque non docendo modò, sed multo maximè moriendo à peccatis liberaret. Dictum quidem est Ieremiæ: *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & ante quam exires de vulua, sanctificaui te; & Prophetam in gentibus dedi te*, c. 1. 5. sed non dicitur illum ideo natum esse, vt in gentibus Propheta esset: sed cùm esset alioqui nasciturus, Deum illum ab ipso vtero ad Prophetæ officium destinasse.

Christi diuinitas ex hoc loco colligitur.

Ieremi. 13. 21.

Nec enim à meipso veni, sed ille me misit.) Loquitur vt homo, qua ratione non venit à seipso, quia homo ille non genuit se, sed à Patre, Filio, & Spiritu sancto factus est; quemadmodum Rupertus exponit. Putat autem his verbis ad falsos alludere Propheras, séque ab illis segregare, qui veniunt & propheticum officium vsurpant, cùm à Deo missi non sint. *Non mittebam*, inquit, *Prophetas & ipsi currebant; non loquebar, ad eos, & ipsi prophetabant.* Hoc hodie hæretici Caluinistæ, & Lutherani faciunt. Singulari Christus modestia vsus est. Erat filius Dei, eóque ipso auctoritatem habebat quiduis ergo homines faciendi; probat tamen vocationem suam nec sibi vult credi nisi probanti. *Nec quisquam sumit sibi honorem*, inquit D. Paulus, *sed qui vocatur tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum. Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Heretici tamen sibi credi volunt, nihil aliud, quàm sua scelera probantibus. Euthymius quatenus Deum loqui putat, non à se venisse, id est sola sua voluntate Patre repugnante.

Hebr. 5. 4 5.

Psal. 2. 5.

43. *Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.*) Græcè non est διὰ τὶ, aut διὰ τοῦτο *quare*, id est propterea, sed διὰ τί *quare*, id est propter quid? Itaque per interrogationem legendum est, quemadmodum Origenes, Chrysostomus, Augustinus, Leontius, Beda, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus legunt, omnésque ijdem auctores post primum orationis membrum interrogationem ponunt. *Quare loquelam meã non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum*, id est, quid causæ est cur τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν, locutionem meam, linguam meam, aut idioma meum non intelligitis? nempe quia non potestis sermonem meum audire, id est quia cùm alieno à me animo sitis, sermonem meum aures vestræ ferre non possunt. Nec enim possumus rectè, perfectéq; intelligere, nisi quę attĕtis, & beneuolis auribus audimus, præsertim si res sint cęlestes, atque diuinę. Vtebatur Christus cælesti, ac diuina quadam lingua, quia de cælestibus, ac diuinis rebus loquebatur, quam linguã homines carnales, atque terreni intelligere non poterant, etiamsi attenti audirent, atque libentes, quomodo poterant intelligere cùm tam abhorrentibus audirẽt animis, vt ne ferre quidem Christi sermonẽ possent? Ergo audiendi verbum emphaticum est nec idem significat, quod intelligere, vt Origenes putat: sed idem, quod auribus recipere; hoc enim maiorem habet vim. Obseruauimus alicubi ex Gregor. Nazian. orat. 4. de Theolo, nõ posse, in scriptura sacra idem aliquãdo significare, quod nolle id hoc loco significare, *non potestis*. Chrysost. Leontius, Theophylactus, & Euthymius obseruarunt: idemq; videntur Augustinus, & Beda indicare.

44. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.*) Quod sæpe illis ante obscure significauerat v. 41. nunc palam dicit eos filios esse Diaboli. Filios autem Diaboli vocat nõ natura, sed imitatione, vt August. hic contra Manichæos, & Epiph. aduersus Catianos, & Archõticos, hær. 38. & 40. disputant. Quãquam in eo singularis est opinionis, quod Diabolum hoc loco Iudam vocari putet, cuius filij Iudęi appellẽtur, quia illi potiùs prodenti Christũ, quàm Christo regnũ Dei prædicãti, & tot miracula facienti crediderint. Adductus in eam sentẽtiam est quòd paulò suprà Christus c. 6. 70. Iudam Diabolum appellauerit. Auctor verò qq. veteris nouique testamenti, quæ Augu. falsò tribuuntur q. 98. Cain dicit hoc loco Diabolũ vocatum. Cæterum ex verbis sequentibus satis cõstat Diabolum hinc vocari eũ, qui primus peccauit, angelorũ, quiq; ceteris peccãdi auctor fuit. Quo enim modo in Iudam conueniet eum homicidam fuisse ab initio? in veritate non stetisse mendacẽ esse, & patrem eius? *Vnde Iudæi*, inquit Augusti. & Beda, *ipsi Diaboli? Imitando, non nascendo. Audite scripturæ sanctæ consuetudinẽ. Prophetæ dicit ad ipsos Iudæos. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Amorrhæi gens erat quædã, vnde originẽ Iudæi nõ ducebãt. Cethæi & ipsi genꝛe suam habebãt omnino alienã à genere Iudæorum, sed quia erant impij Amorrhæi, & Cethæi. Iudæi autem imitati sunt impietates eorum, inuenerũt sibi parentes non de quibus nascerentur, sed quorũ mores fĕlĭter parites damnarentur.* Idem Ammonius, & Leontius monuerunt. *Et Iudæi*, inquit Ambros. lib. 4. in Lucã, *ex patre Diabolo nõ vitij carnis successione, sed criminis.* Quod addit, *& desideria patris vestri vultis facere, τὰς ἐπιθυμίας desideria*, aut cupiditates, v topinor, vocat, quę Hebraicè תעלולים, aut מעלליהם opera, studia, consilia, cogitationes, &c, vt Latinus interpres ea nomina solet vertere. *admonitiones* appellasset: sicut dixit v. 39. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Itaq; quod Chrysost. Leontius, & Theophyl. obseruarunt, ideo nõ opera, sed *desideria* Diaboli vocasse, vt indicaret nõ quoquo modo sed magno studio, cupiditatéque Diabolicos mores imitari, etsi speciosũ, & nõ improbabile eorũ mininõ est, tamen nõ est satis firmum. Nam, vt diximus, Hebraissmus est, & si quid aliud Christo causæ fuit, quamobrẽ, ita loqueretur, potius dixerim ideo τὰς ἐπιθυμίας *desideria*, aut cupiditates Diaboli vocasse, quia eas Diabolus in eorum animos iniiciebat. Quę autẽ sint ea desideria, statim Christus declarat, homicidium, & mendacium. Nam & illi Christum Diabolũ imitati occidere volebant, c. 7. 25. 44. & multa passim aduersus eum mentiebantur. Galilæum esse, dæmonium habere, & alia generis eiusdem.

Ille homicida erat ab initio.) Prima hic quæstio est, de quo initio loquatur Christus, cùm dicit, *Ille homicida erat ab initio*, de initio-ne ipsius Diaboli? an hominis? an mũdi? Qui existimarũt angelos ante mundum hunc visibilem creatos fuisse, de mundi initio sic interpretabãtur, quasi sensus esset, cùm mundus factus est, hoc est ab initio, iam Diabolum homicidam fuisse, non quidem re ipsa, quia nondum homines erant, quos occideret, sed animo, atque voluntate, quòd iam peccasset, & occidere futuros homines cogitaret. Diximus alibi magnos olim auctores in ea fuisse sententia, Isidorum lib. 1. de summo bono, cap. 12. Gregorium lib. 28. Moral. cap. 14. & lib. 32. cap. 10. & Bedam q. 9. in lib. 4. Regum. Non-

Desideria Diaboli.

Quare Diabolus dicatur homicida ab initio.

nullos fefellit verbum illud *erat*, quod hunc sensum videtur præ se ferre iam ante initium Diabolum homicidam fuisse, non animaduertentes *ὢ, erat*, pro fuit positum esse quemadmodum idem noster interpres alibi reddidit, 1. Ioannis 1. 1. Fingamus ergo hoc loco vertisse, Ille homicida fuit ab initio, nihil vtique difficultatis esset. Alij ad ipsum Diabolum initium retulerunt, eum, ex quo factus est, homicidam fuisse, quomodo Manichæi, & Priscillianistæ, & quicunque alij aut à malo principio, vt illi; aut ab ipso Deo, vt nonnulli olim angelos malos, malos natura sua, atque origine esse dixerunt, interpretarentur necesse erat. Sed ea hæresis vno refutatur verbo, *Omnia per ipsum facta sunt, & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, Origenes & Augustinus hoc loco, & hb. 11. de Genes. ad litteram. cap. 16. & libro 11. de Ciuitat. cap. 13. Beda, & Rupertus ad initium hominis referunt, quasi dicat, *homicida erat ab initio*, id est, ex quo homo esse cœpit, quem posset occidere. *Ex illo*, inquit Augustinus, *ille homicida, ex quo potuit fieri homicidium; & ex illo potuit fieri homicidium, ex quo factus est homo. Non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo.* Alij mundi principium intelligunt, quibus ideo meam potiùs sententiam adscribo, quòd phrasis Scripturæ sit mũdi originẽ absolutè initium appellare. *In principio erat verbũ. Quod fuit ab initio: antequam quicquam faceret à principio, & ante quam terra fieret. Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Atque hoc sensu reddidit Nonnus. Sed non est, existimandum nomen initij hoc loco punctum temporis significare, quo primùm factus est mundus; sed totum illud dierum spatium, quo & factus, & ornatus est, sub illud enim initium homo Diabolo suggerente peccauit. Itaque verè dictum est, *ille homicida erat ab initio*. Quomodo dicatur homicida, alia est quæstio. Augustinus libro 2. contra litteras Petil. capite 13. auctor est Petilianum, nescio an omnes etiam Pelagianos, legisse, *Ille accusator erat ab initio*, quam lectionem Augustinus reprehendit. Homicidam autem Diabolum fuisse, & idem Augustinus, & Beda, & Hieronymus, aut quisquis auctor ille est commentar. in librum Iob. capite 24. de spirituali intelligunt homicidio, quo Diabolus primos occidit parentes, dum eos ad peccandum induxit. Peccatum enim mors animæ est. Alij interpretantur de vera morte corporis. Quorum diuersæ quoque sententiæ sunt. Rupertus putat homicidam appellari, quia iam inde ab initio conatus est Christum occidere, cùm enim dixit, *In cælum conscendam, & similis ero altissimo*, filio Dei inuidisse, & eum quodammodo occidere cœpisse, perfeciſse verò postea per Iudæos eius necem. Propterea dixisse Christum, *& desideria patris vestri vultis facere*. Coacta videtur interpretatio. Alij dicunt homicidam vocatum esse quia primum primis illis parentibus per peccatum, deinde omnibus hominibus causa fuit, vt etiam corpore morerentur, & Cain ad necem fratris incitauit; sic Theodorus Heracleens. & Euthym. Atque hic sensus mihi placet; nisi quòd de morte Cain non intelligo, quia etsi credendum est illum ad cædem fratris sui à Diabolo incitatũ fuisse: tamen id Scriptura non dicit; & videtur Christus ad aliquod Diaboli factum alludere, quod consignatum sacris litteris sit. Vt autem ad mortem corporis primorum Parentum hoc referam, in quam propter peccatum incurrerunt, hæc me ratio mouet, quòd cùm Christus dicit, *Et desideria patris vestri vultis facere*, significet velle seipsum occidere, non spiritualiter, sed corporaliter; quare & cùm dicit, *Ille homicida erat ab initio*, non solum spiritualem, verum corporalem etiam homicidam intelligere credendum est. Quamquam illam ipsam corporis mortem non per vulnus corporis, sed animæ intulit, & vt August. ait, *Non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit verbum malum seminauit, & occidit*, & libro 2. contra litteras Petil. c. 13. *Quærimus vnde Diabolus fuerit homicida ab initio, & inuenimus, quòd primum hominẽ occiderit, non gladium stringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo, sed persuadendo peccatum, & à paradisi felicitate deiiciendo.* Auctor qq. veteris, nouique testamẽti, quæ falsò Augustino tribuuntur q. 90. & 98. non Diabolum, sed Cain ab initio homicidam fuisse intelligit, quod ne refutare quidem opus est.

Tract. 42

Supr. c. 1. 47.

Gen. 3. 5.

Quomodo Diabolus in veritate non steterit.

Esa. 14. 14

Et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo.) Disceptatur inter interpretes, quid hoc loco Christus veritatem appellet. Sunt qui naturam ipsam integram, & rectam, qua omnes angeli à Deo conditi sunt, veritatem vocari putent Hebraico idiomate נכון, id est perfectionem, rectitudinem, vt ita dicam; sicut Iob c. 2. 3. vocatur איש תם וישר vir perfectus, aut integer, & rectus, id est retinens veram adhuc virtutem, ac simplicitatem, nondum vitijs corruptus, nondum adulteratus, *vere*, inquit, *Israelita, in quo dolus non est*; ea enim naturæ perfectio, atque integritas veritas appellatur; sicut verum vocamus aurum, quod perfectum, quod non adulterinum est. In ea igitur integritate naturæ, atque voluntatis, qua Diabolus à Deo factus fuerat, non permansisse; hoc esse non stetisse in veritate, quemadmodum Iudas versu 6. explicare videtur, *Angelos*, inquit, *qui non seruauerunt suum principatũ, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicio magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Sic videtur Euthymius intelexisse, & Augustinus libro 11. de ciuitate cap. 13. & Leo serm. 10. de Quadrages. & epistola 63. cap. 6. Quam interpretationem propterea non recipio, quia de veritate, quæ in loquendo consistit, hic agi manifestum est. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Multo maxima auctorum pars hoc de verbis illis interpretatur, quę Diabolus Heuæ dixit, *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, quibus verbis sine dubio mentitus est; coniungi igitur mendacium cum homicidio, quod vno, eodémque tempore patrauit. Sic Irenæus libro 5. cap. 25. Ammonius, Chrysostomus, Leontius Theophylactus. Si vtramque coniunxeris expositionem, verum meo iudicio sensum expresseris. Nam de sola natura hoc intelligi non posse modò docuimus: non posse autem de sola in loquendo intelligi veritate, hinc probari potest, quòd cùm Christus dicit in veritate non stetisse, haud obscurè indicet veritatem aliquando, priusquam mentiri inciperet, locutum fuisse. Quid autem locutus esset veri priùs, quàm Heuæ diceret *Eritis sicut Dij*, non inuenimus; nisi illud quis verum fuisse dicat, *Similis ero altissimo*, quod non de Diabolo, sed Rege Babylonis intelligendum esse perspicuum est. Nam quòd Heracleon teste Origene dicebat non stetisse in veritate, quia nunquam in illa fuit, vtpote malus à malo factus auctore, suprà cum Manichæorum, & Priscillianistarum errore refutauimus. Dicitur ergo non stetisse, id est non perseuerasse in veritate, non quòd ante quidquam veri locutus fuerit, sed quòd eiusmodi à Deo factus, vt si loquendum in illo primo statu quo fuit ante peccatum, illi fuisset, vera locutus esset. Post peccatum & mendax, & seductor, & homicida, & quidquid nunc mali habet, factus est. Hoc ergo est, *in veritate non stetit*. Nam Origenis, Augustini, Bedæ, & Ruperti interpretationem, qui

in veritate,id est in Christo non stetisse dicere videntur,nescio an quisquam probaturus sit.

Quia non est veritas in eo.) Mirum quantopere vna illa dictio,*quia*, multos,præsertim Augustinum,Bedam, & Rupertum vexauerit interpretes. Qualis hæc sit,quæ reddi videtur ratio, quare Diabolus in veritate nō steterit,*quia veritas*,inquit *in eo non est*. Res ita expediri potest:dictio,*quia* non causam,sed effectum,&iudicium significat,vt in simili exemplo supra versu 29. docuimus. Itaque sensus est: inde constare in veritate eum non perseuerasse,quia nulla nunc *est veritas in eo*, sed totus quantus est, *mendax est, & pater eius*. Peruestigauit tandem hunc sensum D. Augustinus,libro 11. de Ciuit. cap. 14. *Subiecit*,inquit,*indicium ,quasi quæsissemus, vnde ostendatur,quod in veritate non steterit,atque ait,Quia non est veritas in eo. Esset autem in eo ,si in illa stetisset. Locutione autem dictum est minus vsitata. Sic enim videtur sonare,in veritate non stetit,quia non est veritas in eo tanquam ea sit causa,vt in veritate non steterit,quòd in eo veritas non sit,cùm potius ea sit causa,vt in eo veritas nō sit,quòd in veritate nō stetit. Sed ista locutio est & in psalmo,vbi ait. Ego clamaui,quoniam exaudisti me Deus. Cum dicendū fuisse videatur,Exaudisti me Deus,quoniā clamaui. Sed cùm dixisset,Ego clamaui,tanquam ab eo quæreretur,vnde se clamasse monstraret, ab effectu exauditionis Dei , clamoris sui ostendit affectum,tanquam diceret , Hinc ostendo clamasse me,quoniam exaudisti me.* Rectè igitur ex hoc loco Theologi collegerūt angelos in gratia creatos fuisse.

Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur.) Admirabilis est Eucherij in hūc locū interpretatio in qq. in Ioannem,refert hoc non ad Diabolū, sed ad Iudæos,quasi dicat Christus,cùm loquitur,mendaciū, vnusquisque vestrum,ex proprijs loquitur;id est ex ijs,quæ à patre suo Diabolo velut hæreditate accepit , quod planè violentum videtur. Non dubium igitur est,quin de Diabolo hoc,dictum sit , quemadmodum alij omnes auctores sentiunt, sed quæritur à nonnullis,quid sit *ex propriis* loqui? Hīc etiam Epiphanij opinio singularis est , qui cùm hoc de Diabolo dictum putet,tamē Iudam existimat Diabolum appellari,vt supra ex hæres.38.& 40. recitauimus.Itaque interpretatur Diabolum,id est Iudam ex proprijs loqui,id est ex ijs,quæ à patre suo Diabolo quasi hæreditate accepisset. Atqui hoc ipsum est, vt rectè notat Augustinus , non ex proprjis loqui , loqui ex ijs,quæ acceperis ab alio.Manichæi, vt idem indicat Augustinus , interpretabantur ex proprijs , id est natura sua , esse enim naturam malum. Sed hoc satis , supérque supra refutatum est.Recepta fere omnium auctorum interpretatio est,*cum mēdacium loquitur,ex propriis* loqui,id est propria,vti inuentione;nec enim ipsum quisquam mētiri docuit, ipse verò docuit mentiri alios,quicūque mentiuntur; ipsum enim primum auctorem fuisse mendacij.Sic Origenes,August Chrysost. Ammonius,Theodo.Mopsuidst.Leontius,Beda,Theophyl. Rupertus.Euthym.Placet mihi,quod Origenes indicat,voluisse Christum his verbis significare Diabolum,cùm quidquid habet boni à Deo acceperit, mendacium tamen non à Deo accepisse, sed ipsum per se illud excogitasse.Hęrēt alij in illis verbis,*Cùm loquitur mendacium* , quasi aliquando non mendaciū loquatur:Rupertus existimat hunc esse sensum,*cum loquitur mendacium*,id est mendacium,quod semper loquitur,*ex propriis loquitur*. Eodémq; modo videtur Origenes exponere.Sed nescio an verba eā expositionem ferre possint.Certè cum dęmones clamabāt Christum filium esse Dei,non mentiebantur. Nam vt concedamus,quod non video quomodo probari possit,eos id fallendi animo dixisse,tamen si propriè loqui volemus,verum fallendi animo dicere nō est mentiri,& cum spiritus ille malus dicit,3.Re.22.22. *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius*,indicat non semper se spiritum mendacem esse, id est non semper mentiri ; quamuis semper spiritus mendax appelletur, quia semper ad mentiendum paratus est,& plerumque mentitur.

Quia mendax est & pater eius.) Propterea,*cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur*,quia suopte ingenio *mendax est* & mendacij primus auctor Epiphan. hæres.38.& 40 præter omnium auctorum sententiam hunc locum exponit, nisi fortasse corruptus liber est,*quia mendax*,inquit, *est Iudas, qui Diabolum vocatum dixerat,& mēdax est,& pater eius,id est, ipsius Iudæ*. Similis Eucherij interpretatio in qq.in Ioan.*Cùm loquitur mendacium,hic subaudiendum,vnusquisq; vestrum ex propriis loquitur, quia mendax est , & pater eius,id est, Diabolus*, qui vniuscuiusque vestrum pater est. Origenes,*& pater eius*,id est Diabolus pater vniuscuiusque spiritus mali. Auctor verò qq.noui , & veteres,t.q.90.& 98.mendax est vnusquisque vestrum,& pater eius,id est Cain, quod & à Ioanne Grāmatico in Græca Catena dictum inuenio.Verus sensus est, qui est omnium aliorum auctorum maximè cōmunis Ammonij,Theodori Mopsuest.Leontij,Chrysost. Augustini Bedæ,Theophyl.Ruperti,Euthym.*Mendax est Diabolus,& pater eius id est mendacij*.Refertur enim relatiuum *eius* ad nomen mendacij,quod proximè præcesserat : Vocatur autem Diabolus pater mendacij,quia primus auctor,& inuentor eius fuit, & quodammodo illud peperit , vt Chrysost. Theophylactus,Leontius,Ammonius,& Theodorus Mopsuest.exponunt,Ὅτι ἀυτὸς πρῶτος ἔψευσε τὸν Ἀδάμ.Notauit Theodorus Heracleensis nomini patris Græcum articulum adiectum ad significandum Diabolū singulari quodam modo patrem esse mendacij.

45. *Ego autem, quia veritatem dico, non creditis mihi.*) Oratio est aut Hebraismo,aut traiectione perplexa. Sic resoluenda erit.Mihi verò ideo nō creditis,quia ego nō mendacium,sicut pater vester Diabolus,sed veritatem loquor.Si enim mendaciu loquerer, credideretis vtiq; mihi assueti credere Diaboli mēdacijs. Sed ob hoc ipsum mihi nō creditis,ob quod maximē credere deberetis,*quia veritatem* nimirum vobis dico;adeo enim insolēs,& noua veritas vobis est,vt cum eam auditis, portenta audire videamini.In hāc sententiam Chryso.Euthym.& Rupertus edisserūt. Nonnus autem poēta reddit quasi sensus sit,non creditis verum esse,quod vobis dico.

Τ' μὶν ὠντος ἐλκεα χὠ πισδνπι μὐθω.

Sed manifestum est illum,quem diximus,esse sensū Habet ergo emphasim pronomē illud, *ego*; opponit enim se Diabolo,tanquam dicat,Diabolo,qui totus mendax est,& mendacij auctor,creditis;mihi verò, qui nō solùm verax,sed veritas ipsa sum,nō creditis. Quærit Origenes quo modo dicat Christus eos,qui busecum loquitur sibi non credere cùm loqueretur vtiq;cum ijs, qui ver. 30.dicūtur in illum credidisse, disputāteq; partim credidisse,partim non credidisse. Expeditius est,quod diximus vers.40. in simili quæstione,hæc non dici à Christo,singulis auditoribus, non enim ijs qui credebant,non certè discipulis,sed toti generi Iudæorum.

46. *Quis ex vobis arguit me de peccato?si veritatē dico vobis,quare non creditis mihi?*) Præsenti tempore legendum ἐλέγχει *arguit*,non *arguet*.Etsi idem fere sensus est, quis vestrum potest me arguere de peccato? Arguere autem Latinè,& Græcè ἐλέγχειν,non est accusare criminis,sed cōuincere.Nā Iudæi sæpe Christū blasphemiæ,sæpe violati sabbati,sæpe aliorū criminum accusabant;sed nunquam conuincere vllius peccati potuerunt.Hoc est,quod dicit Christus,*quis ex vobis arguit me de peccato*?id est,ecquis vestrum est, qui paratus,qui præsto sit,qui confidat posse se vllū in me peccatum coarguere?prodeat,disceptet,euincat.Quod si hoc nemo vestrum potest facere , *quare non creditis mihi?* Vnusquisq; enim dignus est fide,donec aliquod in eo sine mendaciū,siue aliud peccatū deprehendatur,quod fidem eleuet.Hoc sensu Euth. Putant autem Aug Beda,& Rupertus latere in his verbis tacitam antithesim,quasi dicat, *Quis ex vobis arguit me de peccato*,sicut ego vos,& patrē vestrum mō coarguit?Obseruarūt ijdē auctores,tū etiā Chrysost.māsuetudinem Christi:*Persate, fratres carissimi*, inquit D.Greg.hom.18.in Euang.*mansuetudinem Dei, relaxare peccata venerat,& dicebat, Quis ex vobis arguet me de peccato?non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse , qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iustificare.*

47. *Qui ex Deo est,verba Dei audit,propterea vos nō auditis,quia ex Deo non estis.*) Ex Deo esse idē est,vt opinor,quod filiū esse Dei,quod *nō ex sanguinibus,neq; ex voluntate carnis,neque ex voluntate viri,sed ex Deo* natū esse.Opponit enim hæc duo ex patre Diabolo esse, quod dixerat,ver.44.& ex Deo esse. Quēadmodum ergo qui ex patre Diabolo sunt , libenter eius audiunt verba,quānis falsa,quamuis mendacia,ita qui ex Deo patre sunt,libenter verba Dei audiunt.Quis enim filius libenter non audit patrem suum? Ineptè prorsus Heracleon, vt Origenes indicat , & Manichæi,vt ait D.Aug.ex hoc loco colligebāt quosdam homines natura bonos esse,quia ex Deo sint, id est ex substātia Dei facti,quosdam natura malos,quòd ex malo principio procreati sint. Quem errorem multis illi verbis refellunt;nos superuacaneum esse existimamus hoc tēpore refutare,quo vix memoria vlla est eius erroris.Alios nihilo minùs absurdos notā tulere tēpora,in quibus euellendis vtiliùsā nobis opera ponetur. Rectè hunc locum Ammonius, & Theodorus Heracleensis , & Leontius duobus verbis explanauerunt ex Deo quosdam homines esse ἐκ τῆ τῶν ὑσίαν, ἀλλὰ κὰτ τῶν προαίρεσιν *non secundum substantiam , sed secundum electionem* , id est non quòd ex ipsa substantia Dei facti essent sed quòd ad eius formam &voluntatem viuerent.Audire autem verba Dei non est auribus excipere,quod etiam faciunt, qui ex Deo non sunt, sed libenti animo considere credere, illisque delectari,denique illis audire auribus, de quibus Christus dicere consueuit, *Qui habet aures audiendi, audiat* , vt Ammonius animaduertit. Reddit ergo causam Christus , cur illi verba sua,id est Dei, non audirent , quia nimirum ex Deo non erant;non secūdum substantiam,inquit Leontius , nam secundum substantiam ex illo erant, sed secundum electionem.Qui existimant commutandum argumentum esse , propterea vos ex Deo non estis , quia non auditis, deprauare mihi sententiam videntur. Nec enim ex eo,quòd verba Dei non audirent probare voluit ex Deo non esse ; sed causam cur non audirent,afferre,quòd ex Deo non essent. Reuerēter etiam ab Augustino auctore summo dissentio,qui hoc ad prædestinationem,& reprobationem refert;quasi soli prædestinati ex Deo sint, soli reprobi ex Deo non sint:*Ex Deo* enim *est*, & *verba eius audit* , quisquis in eius est gratia , & ex Deo non est, qui in peccato est:& multi reprobi in gratia,multi prædestinati in peccato sæpe sunt.

48. *Respondérunt ergo Iudæi,& dixerūt ei,Nōne bene dicimus nos,quia Samaritanus es tu,& dæmoniū habes?*)

Non apparet eos suprà dixisse Christum Samaritanum esse.Dixerunt quidem esse Galilæum, c.7. 41. 52.Dixerunt dæmonium habere c.7.20. Samaritanum esse nusquam apud Ioannem dixerunt;sed ipsis credendum est confitentibus hoc loco se id solitos dicere , quamuis id nullus narrauerit Euangelista. Monuit hoc ipsum Origenes ; & Ammonius, Chrysostomus, Theophylactus, & Rupertus. Cur autem Samaritanum appellauerint, non satis constat. Vix auctorem bonum inuenio , qui existimet Iudæos propriè Christum Samaritanum appellasse, quòd vere Samaritanum esse putarent;omnes enim non propter originem , sed propter aliquam inter Christum,& Samaritanos similitudinem Samaritanum ab illis vocatum voluntsitaque disputant,quæ ea similitudo fuerit.Maxima pars sentit ideo Samaritanum appellatum, quòd quemadmodum Samaritani mistam cum multis Græcorum , & aliarum gentium erroribus religionem habentes,Iudaicam legem non satis castè,incorruptéque seruabant, ita eam Christus sæpe violaret,& nouas quasdam religiones inuehere videretur. Ita Origenes , Ammonius , Leontius , Theophylact. Euthym. Cæterum probabile mihi videtur esse propterea Samaritanū appellasse, quòd multi eorum vere Samaritanū putarent esse. Erant enim Samaritani vicini Galilæis; itaque aliquando Samaritanos Galilæos,aliquando Galilęos Samaritanos,vocari solitos vero simile est; aut vt ait Rupertus,idcirco vocabāt Samaritanum, quòd cum Samaritanis versaretur,& apud eos māsisset per dies duos,c.4.40. Cur autem dæmonium habere dixerint multas Theophylactus rationes affert,aut quòd cùm propriis illis cogitationes patefaceret,existimarent id nō nisi opera dæmonis posse facere,aut sicut dicere solebant,*In Beelzebub principe dæmoniorū iecit dæmonia*.Alij putant modū fuisse loquendi , quo non significarent eum verè dæmonium habere,sed motæ essent mentis, delirare, insanire,quemadmodum qui à dæmone correpti sunt; sicut,c.10.20 quidam dicunt, *Dæmonium habet,& insanit,quid eum auditis?* & c.7.20. *Dæmonium habes,quis te quærit interficere.* Aliam Leontius rationem affert, quòd proprium dæmonum sit gloriam Dei in se transferre,quod Christus facere videbatur,dum se filium Dei appellabat.

Christus Samaritanus habitus.

Luc. 11. 15.

49. *Ego dæmonium non habeo , sed honorifico patrem meum,& vos inhonorastis me.* Omnes fere Christi hoc loco prudentiam, & mansuetudinem obseruarunt. Duo illi obiecta fuisse, quòd Samaritanus esset, & quòd dæmonium haberet; illud tacitum præterisse,quòd nihil in eo diuina gloria læderetur , ad hoc respondisse, & sine vlla verborum acerbitate simplici tantùm negatione respondisse , *Ego dæmonium non habeo*;sed ea,quæ dico,ac facio, vnde vos putatis me dæmonium habere,propterea dico,ac facio, vt patrem meum honorificem,faciendo,ac dicendo ea,ad quæ misit me. Vos verò cùm eandem ob causam me honorare deberetis,potius inhonoratis,dicentes me dæmonium habere. In hanc sententiam Chrys.Aug.Beda,Theophyl.& Rupertus:nisi quòd Augustinus , & Beda aliam afferunt causam,quamobrem non negauerit se Samaritanum esse , quòd Samaritanus custodem, pastorémque significet, & ille verus erat hominum custos , ac pastor bonus. Allegoricum Docet Origenes solum Christum dicere potuisse,*dæmonium non habeo*,cæteros enim homines,quia peccatum habent , dæmonium habere, quia quisquis peccatum habet , dæmonium habet. Alio,opinor,sensu &illi dixerant , *Dæmonium habes*, & Christus respondet,*Ego dæmonium non habeo*. Acu-

Inf.c.10. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius notauit Leontius pronomen illud *ego* emphaticè positum esse, quasi diceret, *Ego dæmonium nō habeo*, vos habetis. Quod autem sequitur, *sed honorifico patrem meum*, rectè conuenit cum eiusdem Leontij sententia, quam superiore versu recitauimus, propterea illos dixisse Christum dæmonium habere, quòd Dei gloriam sibi tribueret. Ad id enim accommodatè Christus respondet, *Ego dæmonium nō habeo*, id est non mihi Corpo, quemadmodum vos putatis honorem Dei, sed eum maxime potiùs honoro. Eademque consequentia dicit, quod subiicit versu sequenti.

50. *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.*) Quorsum hæc addat, modò diximus ex sententia Leontij: non vsurpo mihi diuinum honorē, nec enim gloriam meam quæro. Aliter Chrysost. propterea non vindico iniuriam istam, quam mihi facitis, quia *non quæro gloriam meam*. Alij, cum dico me dæmonium non habere, sed Patrem honorificare, non ideo me defendo ac purgo, quòd quæram gloriam meam, sed gloriam patris mei. Nam meam quidem *est qui quærat, & iudicet*. Chrysost. Theophylact. Euthy. & Leontius ita hæc verba videtur exponere, vt idem sit quærere gloriam suam, & iniuriam vlcisci. Itaque eodem modo, quod sequitur, interpretātur. *Est qui quærat, & iudicet*, id est qui vindicet, qui vlciscatur, aut, vt Græcè est ζητῶν, & κρίνων quærens & iudicans, id est qui curam habet quærendi, vindicandique. Quærunt Augustin. & Beda, quomodo hoc conueniat cum eo, quod alibi dixit, *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio* cap. 5. 22. multis verbis Augustinus quæstionem hanc versat. Summa sententiæ eius est: Patrem non iudicare quenquam in supremo illo iudicio, & vt ille loquitur, *secundum afflictionem*: iudicare autem *secundum discretionem*, id est eo modo, quo Dauid dicit, *Iudica me Deus, & discerne causam meam*. Facilius erat, non agi hîc de vltimo illo iudicio, de quo dictum est, *Pater non iudicat quenquā, sed omne iudicium dedit Filio*; sed agi de priuato, & quotidiano iudicio, quo solet Pater iniurias Filio, & iustis omnibus factas vindicare.

51. *Amen amen dico vobis, si quis sermonem meū seruauerit, mortem non videbit in æternum.*) Hoc modo hęc cum præcedētibus Augustin & Beda nectunt. *Vos*, inquit, *dicitis, dæmonium habes; Ego vos ad vitā voco, seruate sermonem meum, & non morietmini. Illi audiebant, mortem non videbit in æternum, qui sermonē meum seruauerit, & irascebantur, quia iam mortui erant ea morte, quæ vltima erat.* Chrysostomus verò, & Theophylactus; *Non quæro gloriam meā*, propterea relicta glorię meæ vindicta ad doctrinam, exhortationemque conuertor; *Si quis ergo sermonem meū seruauerit, mortē non videbit in æternum*. Rectè id quidem. Sed mihi, ne propter eorum contumelias de sententia, consilioque suo deiectus esse videretur, voluisse videtur doctrinam suam etiam, atque etiam asserere, eiusque fructum demonstrare. Id indicat asseueratio illa, *Amen, amen*. Quidsit mortem videre, vel nō videre, & quod idem est gustare, vel non gustare mortem, diximus Matth. 16. 28. & Luc 2. 26. loquitur autem de morte animæ, vt Augustin. ait, sed potest etiam intelligi & de corporis morte, non quòd qui Christi verba seruauerunt, non sint vnquam corpore morituri, sed quòd ita morituri sint, vt non mori, sed renasci potiùs videātur, resurrecturos enim esse in vitam æternam; sicut dixit c. 6. 50. *Hic est panis de cælo descēdens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*. Sic Euthy. Monent autem Chrysostom. & Ammonius non esse hoc simpliciter intelligendum, sed si ad fidem bona quoque opera adiunxeris, quod ipsum comprehenditur in verbo, *seruauerit*. Cyrillus verò in Catena Græca citatus, & Leontius in commentarijs norunt Christum his verbis aperte declarasse, se secundum naturam Deum esse. Cùm enim ante dixisset, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, nunc dicere, *Si quis sermonem meum seruauerit mortem non videbit in æternum*.

52. *Dixerunt ergo Iudæi, Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.*) Nunc re ipsa videmus, quod ante sola coniectura dicebamus, te dæmonium habere: absurda enim loqueris, & blasphemas. Intellexerant, quod Christus dixerat, de sola corporis morte: ideo absurdè eum loqui putauerunt.

Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis: si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum?) Cur non dixerunt, omnes homines mortui sunt sempérque moriuntur, cùm id verè possent dicere, maioremque vim argumentum habere videretur: sed solùm Abrahā, & Prophetas mortuos fuisse dixerunt? Eius rei causam Cyrillus in Græca Catena, Chrysost Leontius, & Euthym. afferunt. Iudicauerat Christus propterea non morituros eos, qui sermonem suum seruare vellent, quòd sermonem suum seruauissent, proferūt ergo exemplum eorum in medium, qui Dei sermonem maximè seruauerāt, Abraham, & Prophetarum, qui tamen mortui fuerant. Vnde colligunt Christum maiorem se facere quām Deum; certe quām Abraham, ideòque subiiciunt.

53. *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt?*) Id est & Prophetis, qui mortui sunt Hebraismus. Consequens erat, inquiunt Chrysost. Theophylact. & Euthym. vt diceremus, Nunquid tu maior es Deo, hoc enim ex eius verbis, vt paulò ante diximus, sequi videbatur, sed contenti sunt dicere, *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham?* quia hoc ipsum valde absurdum putabant esse, quenquam illo maiorem dici. Discrimen, quod Origenes esse disputat inter videre, & gustare mortem, nimis argutum videri potest.

54. *Respondit Iesus, si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia pater vester est.*) *Hoc ait* (inquit Augustin.) *propter illud, quod dixerunt, Quē teipsum facis? Refert enim gloriam suam ad patrem suum, de quo est, & qui Deus est.* Possumus etiam ista versui 50. respondere, vbi dixerat, *Ego non quæro gloriam meam*, vt hic rationem reddat, quare gloriam suam non quærat, quia *si ego* inquit, *glorifico* (id est glorificauero, aut glorificare voluero) *me ipsum, gloria mea nihil est*, id est vana erit, nō vera, non solida. Loquitur autem non ex veritate, sed aut ex Iudæorum opinione, vt Leontius, Theophylact. & Euthym interpretantur; aut, vt ego existimo, ex communi, vt vocant, præsumptione iuris, qua nemini in iudicio creditur pro se dicēti; sicut dixit cap. 5. 31. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum; alius est, qui testimoniū perhibet de me*. Scribit Chrysostom. & Augustin. solitos hoc loco Arianos abuti ad confirmationē erroris sui. *Aliquando Arianus* inquit Augustinus, *& de isto verbo calumniabitur fidei nostræ, & dicunt, Ecce maior est Pater, quia vnque glorificat filium. Hæretice, non legisti ipsum Filium dicentem, quod glorificat patrem suum? Sed & ille Filium glorificat, & Filius patrem glorificat; pone perniciem, agnosce æqualitatem, corrige peruersitatem.* Addit, *quem vos dicitis, quia Deus vester est*; ne eius testimoniū repudiare possimus, nec enim poterāt non admittere testimonium eius, quem Deum suum esse confitebantur. Quibus minimè obscurè declarat se filium esse Dei; nam eundem & patrem suum, & Iudæorum Deum appellauit. Vim habet verbum illud, *Vos dicitis*, tanquam diceret, vos quidem dicitis Deum vestrum esse, sed non ita est; si enim Deus vester verè esset, honoraretis eum.

55. *Et non cognouistis eum, ego autem noui eum.*) Id est quem ego quidem noui, vt pote naturalis eius filius, vos autem non nouistis, vt pote animo, & moribus ab eo alieni, quamuis iactetis eum Deum esse vestrum. Ideo autem hoc videtur addidisse, vt doceret se non ignota loqui, atque testari, sed quæ à Patre suo accepisset; idcirco standum esse testimonio suo, nec Iudæis, aliud certius testimonium requirēdum esse, cùm Patrem ignorarent, nec eum cognoscere possent nisi per ipsum; sicut Ioannes dixit c. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquā, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*: & cap. 7. 28. 29. *Et à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quē vos nescitis; Ego scio eū quia ab ipso sum, & ipse me misit*. Augustin. & Beda coniungūt hæc verba cū versu præcedenti hoc modo, *Quē vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum*, id est quamuis illum non cognoueritis, nunquam videritis, nunquam audieritis, vt cap. 5. 37. *Et qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me, neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem vidistis*. Aut hoc sensu, cùm dicatis eum Deum vestrum esse, tamen eum non cognouistis, id est non credidistis illi testimonium de me perhibenti, *Hic est filius meus dilectus in quo bene mihi complacui, ipsum audite*. Cognoscere enim vt sæpe diximus, ponitur aliquādo pro credere. Alij interpretantur *non cognouistis*, id est non ostendistis re ipsa vos eum cognoscere. ita enim viuitis, quasi eum non cognosceretis, vt de similibus dicit D. Paulus, *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, sic Euthymius. Probat tacita quadam ratione eos Deum non cognoscere, quia si cognoscerent, se etiam cognoscerent, id est reciperent & amarent, quia filius Dei erat, vt Chrysostomus, Aug. Beda, Theophylactus, & Euthym. exponunt; sicut è contrario dicit c. 14. 7. *Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis*. Refellit ex hoc loco Manichæos, & Marcionitas Augustinus, qui alium Deum veteris testamenti, alium eum, qui pater esset Christi, esse dicebant. Hic enim Christum eundem & Iudæorum Deum, & patrem suum dicere.

Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax.) Ammonius, Chrysost. Leontius, Theophylactus, & Euthymius existimāt Iudæos vocari à Christo mendaces, quòd cum dicebant se nosse Deum, mentirentur. Probabile quidem est; sed non ausim ad eam vniam rem restringere sententiam. Grauior enim est reprehensio, si generaliter eos mendaces appeller, quod potuit vtique verè facere. Non solùm quia *omnis homo mendax*, sed etiam quia proprio quodam vitio illi mendatiores erant. Credibile tamen alludisse Christum ad ea quæ paulò ante in ipsum mentiti fuerant, Samaritanū esse, & dæmonium habere.

Sed scio eum, & sermonem eius seruo.) Videtur explicare quo sensu dixerit, *Et non cognouistis eum*, & quid sit Deum cognoscere, nēpe sermonem eius seruare. Aut certè probat, vt Theophyl. & Euthymius putant se nosse Deum, quia sermonē eius seruat. Seruare enim sermonem, id est præcepta Dei argumentum esse, quòd Deum cognoscat. Particulam enim, &, hoc loco causalem esse, vt Theophylactus admonuit, vt in illo Psalmo, *Da nobis auxilium de tribulatione & vana salus hominum*, vt Heb. & Græcè est, id est, *quia vana salus hominum*. Obliquè Iudæos pungit, quòd Deum nō cognoscant: Hanc enim vim habet verbum illud. *Et sermonem eius seruo*, tanquam si diceret, Ego seruo, vos non seruatis, quemadmodum videtur Theophylact. interpretari. Sermonem autem Dei præceptum eius vocat, vt idem Theophylact. exponit; melius, vt opinor, quàm Augustinus, & Beda, qui sermonem verbum ipsum Dei, id est Filium intelligere videntur. *Sermonem Patris*, inquit, *tanquā Filius loquebatur, & ipse erat verbum patris, quod hominibus loquebatur*; melius etiam, quàm qui τὸν λόγον verbum, vt idem Theophylact. refert Patris definitionem interpretantur, quasi Filius sermonē Patris seruet, quia eius est quasi defi;xio, & vt D. Paulus ait, *figura substantiæ eius*. Quam explicationem in Græcorum Catena apud Cyrillum inuenio; sed ij auctores propterea videntur noluisse præceptū interpretari, ne fauere Arianis viderentur. Poterant tamen eum scopulum vno verbo detitare, si dicerent Christum hic non tanquam Deum, sed tanquā hominem loqui.

56. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.*) Probat se maiorem esse, quàm Abrahā, vt Chrysost. Theophylact. & Euthy. docent, quia dixerant Iudæi ver. 53. *Numquid tu maior es patre nostro Abraham?* Aut probat, vt idem auctores, & Ammonius præterea volunt, Iudæos non esse veros Abrahæ filios, quandoquidem quare, id est die ipsius ille gauisus esset, ipsi dolerent. Minor enim erat Abraham Christo quandoquidem *exultauit*, id est gestiuit, magnopere cupiuit eius videre diem. Duplex hîc quæstio; altera, quem diem suum vocet: altera, quomodo eum diem viderit Abraham. Sunt qui putēt diem suum Christum omnem suam æternitatem appellare; cupisse ergo Abraham videre diem suum, id est se, quatenus Deus erat cognoscere; cognouisse autem per fidem, quia *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. In hac sententia Augustin. hoc loco est, & lib. 2. contra Pelagium, & Cælest. c. 27. & serm. 70. de tempore, & Beda in commentarijs, *diem meum*, inquit Augustin. *vidit quia mysterium Trinitatis agnouit*. Etsi nō improbat alteram Augustinus interpretationem, vt dies Christi, tempus quo in hac vita homo versatus est, appelletur. Impulit quosdam hæc ratio, vt eam Augustini sententiam sequerētur, quòd Abraham non potuerit alium Christi videre diem, nisi fortasse in figura, ac fide, vt postea sumus disputaturi, nō autē cupiebat ille fide, & in figura, sed clarè, apertéque videre; & hoc ipsum fide cupiebat. Si enim fidem non habuisset, minimè cupiuisset. Deinde quòd Iudæi inferant, *quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidit?* pro eodem accipientes ab Abrahamo videri, & eum videre, Christum autem non potuisse de Abrahamo hominem factum videri, cùm longè antequam homo fieret, extitisset Abraham: necesse igitur esse, vt diem suum appellet æternitatē illam, quæ tempus incarnationis suæ antecesserat. Alij diem suum crucis, & passionis suæ tempus vocare dicunt. Eum enumero diem Abrahamū videre optauisse, quem sciebat salutem sibi, & omnibus hominibus allaturum. Huius sententiæ auctores sunt Chrysostom. Ammonius, Leontius, Prosper libr. de prædict. p. 1. cap. 17. Theophylactus, & Euthymius. Quibus ideo non assentior, quia statim sequitur, *Vidit, & gauisus est*. Tunc enim cùm hæc Christus dicebat, vtique non poterat Abraham Christi passionem videre, quæ nondum aduenerat. Viderat fide, dicet aliquis; at non desiderauerat, vt postea probabimus, videre fide. Alij diem Christum ipsum interpretātur, qui cùm lux vera, & veluti sol quidam sit, tunc eius alicui oritur dies, cùm ipse illi per fidē reuelatur. Hoc enim est, quod illi quærūntur, Sapi. 5. 6. *Et Sol intelligentiæ non est ortus nobis*. Cuius expositionis & Augustin. meminit, eamque in Græcorum

Concilian tur duo Euangelij loca contrariæ.

Tract. 43.

Psal. 25. 1.

Sup. c. 5. 22.

Hom. 53.

Aug. tract. 43

Hebr. 1. 3.

Chr. Arbie tanquam homo loquitur.

Gen. 17. 6 Rom. 4. 3. Gala. 3. 6

Sup. c. 1. 9

Universidad de Deusto
Biblioteca

Catena lego Apollinarij antiquissimi auctoris nomine citatam. Sed iam diximus nos paulò post probaturos non posse de sola intelligi fide Abrahamum vidisse. & gauisum esse; quod si ita est, aliter est necessariò hic Christi dies intelligendus. Ego quidem certè non dubito, quin diem suum aduentum suum in carnem, totúmque tempus, quo in hoc mundo versatus est, appellet. Nam & ipsa phrasis hoc significat, & constat hoc esse, quod non Abraham modò, sed omnes illi veteris testamenti patres videre cupierunt; quemadmodum idem Christus alibi dicit, *Multi Prophetæ & Reges voluerùt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ audistis, & non audierunt.* Luc. 10. 24. Hoc est, quod clamabant, *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.* Et quia refutatis alijs interpretationibus hæc vna, quam sequamur, manet; & quia plures hęc, & non minores quàm alię auctores habet, Irenæum lib. 4. c. 11. & 12. Origen. hom. 10. in Genes. Hilarium in lib. 5. de Trin. Cyrillum Alexād. in Græca Catena citatum, Bernardum ser. 6. in vigilia natalis Domini. Nec illa me mouet ratio, qua alij ab hac sententia deducti sunt, quòd Iudæi dixerint, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Nam vt eo loco probaturi sumus, non intellexerant, quo sensu dixisset Christus, *Vidit, & gauisus est.* Reliqua est altera quæstio, quomodo Abraham diem viderit Christi. Omnes auctores, quos legere memini, etiā qui diem Christi tempus incarnationis eius vocari putāt, existimāt aut sola fide aut fide, & figura, aut prophetica reuelatiōe vidisse. De fide cōueniunt omnes: nec enim dubium est, quin fide futurum Christum apprehenderit. Figuras alij alias afferunt. Plerique illam Isaac, quē Abraham ipse sacrificauit, qui cùm expressa moriturí pro nobis Christi figura fuerit, non dubium, quin in ea tanquam in speculo diem Christi cōspexerit. Ita Chrysostomus, Ammonius, Leontius, Theophylactus, & Euthymius. Alij cùm tres vidit, & vnum adorauit Genes. 18. 3. vt Augustin. Beda, & Rupertus. Alij ad iuramentum illud referunt, quo seruum suum obstrinxit posita manu super femore, quare Christum de femore suo nasciturum significauerit, Genes. 24. 2. vt idem hoc loco D. Augustin. & Bernardus serm. 6. de vigilia natalis Domini. Alij referunt ad historiam illam, quæ est in Genes. c. 15. 8. vbi Abraham Deum rogat, *Domine Deus vnde scire possum, quod possessurus sim eam?* (terram Chanaam, hoc enim esse, *Exultauit, vt videret diem meum.* Vidisse autem pòst, vers. 17. *Cùm occubuisset, inquit, Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter partes illas*, in ea enim figura, & quasi lampade illa vidisse Christum. Alij peculiari reuelatione, & prophetico spiritu vidisse, vt putat Eucherius in qq. in Ioan. Alij non alio modo, quàm fide, vt Apollinarius in Græca Catena. Vereor ne arrogantis interpretis esse videatur à tot, tāmque grauibus auctoribus dissentire; sed minimè arrogans videri debet in quærenda veritate moderatè dicere, quid sentias; hoc enim ipsum illi cùm scriberent, facere solebant. Mihi igitur non videtur quod Christus dicit, *Vidit, & gauisus est*, aut de sola fide, aut de figura, vel prophetica reuelatione intelligi posse. Cùm enim dicit, *Vidit*, haud dubium, quin eo modo vidisse dicat, quo videre tantopere dixerat concupijsse. Non autem concupierat sola videre fide, quia antequam fidem haberet, cùm nullam de Christo notitiam haberet, diem eius videre concupiscere non poterat; postquam habuit, concupiscebat quidem at non sola fide, quia fide iam Christi diem videbat. Neque per figurā, aut reuelationem, quia cùm fidem iam certissimam haberet, nec figura nec reuelatione opus illi erat; nec poterant eius latiare desiderium. Vidit ergo diem Christi re ipsa, quemadmodum & ille, & patres omnes videre concupierant. Non quòd vnus viderit, sed quòd mortuus, Christum venisse nouerit; tempusque illud exactum esse, quod vsque ad eius aduentū à Deo cōstitutum fuisse sciebat. Quod enim dicit, *exultauit, vt videret diem meum*, perinde valet, ac si diceret, cupiuit vt veniret dies meus, venit & gauisus est. Quis enim dubitet Abraham, & cæteros patres, qui cū eo erant siue ex reuelatione, quā in hac vita habuissent, siue ex reuelatione, quam tunc, cùm Christus venit, habuerint de eius aduentu, non ignorasse Christum venisse, etiam antequam ad eos pòst mortem veniret? Docet ergo Iudæos Christus, quanto in pretio habuerit Abrahamus, quem illi tanti faciebant, & quem præsentem illi aspernabantur. Propterea vt opinor, non dicit Abraham pater meus, aut pater noster; quamuis, vt homo, loquereturus, posset que tre patrem suum appellare, vt Matthæus vocat, c. 1. aut vt ostēderet se plùs esse quàm hominem, quandoquidem Abrahamo maior esset, & non decebat patrem vocare eum, quo se maiorem esse significaret. Aut vt ex opinione Iudæorum loqueretur, quā nimis importunè Abrahamum inculcabāt patrem suum esse. *Pater* ergo *vester*, id est quouis parē gloriamini: nam ego etsi patrem illum meum agnoleo tamē eo non glorior. Aut quia Iudæi dixerāt Christum Samaritanum esse, & non credebāt Samaritanos filios esse Abrahę, non dicit pater meus, aut noster, sed *vester* iuxta eorum opinionem loquens. Subest in his ipsis verbis tacita reprehensio, quasi eos tanquam degeneres filios coarguat, quòd cùm pater ipsorum Abraham, quo tantopere gloriarentur, vehementer optauerit videre diem suum, ipsi minimè optent, sed videntes potiùs nec agnoscant & fastidiosè, superbéque contemnant; *Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ facite.*

57. *Dixerunt ergo Iudæi ad eum, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*) Videbatur consequentia postulare, vt dicerent, *Quinquaginta annos nondum habes*, & Abraham vidit diem tuum? Non enim dixerat Christus se vidisse Abrahamum, sed Abrahamum vidisse diem suum. At Iudæi, pro eodem acceperunt videri ab Abraham, & illum videre. Et id quidem rectè; nam quod Christus dixerat, *Exultauit, vt videret diem meum, & vidit*, nō intelligebat videlicet oculis; sed fuisse suo tempore: itaque necessariò sequebatur, si ab Abraham visus fuerat, & ipsum vidisse Abraham. Sed quia de eius loquebatur ætate quæ videbatur obstare, quo minus ab Abrahamo visus esset. *Quinquaginta annos nondum habes* addunt, *Et Abraham vidisti*; quod magis consequens esse videbatur, quàm si dixissent, & Abraham vidit. Ante Ammonius præcisè respondet Iudæorum stultitia, stupiditatéque factum esse, vt minimè consequentia loquerentur. Quod attinet ad annorum numerū quæri solet quam ob rem potiùs dixerint, *quinquaginta*, quàm quadraginta *annos medium habes*, cùm vtrumque verè dicere potuerint, & efficacius argumentum visum fuisset, si dixissent quadraginta annos nondum habes, quia quo minus erat tempus ætatis eius, eo incredibilius videri poterat eum Abraham tot ante seculis mortuum videre potuisse. Chrysostomus quidē quadraginta legit, vnus, opinor, auctor; etsi Euthymius admonet in nonnullis Græcis exemplaribus legi quadraginta, eamque lectionē magis probat. Sed ita legamus, nulla est, quæstio. Cęterum non est à fide omnium Græcorum co-

dicum, quos equidē viderim, & à lectione omnium aliorum auctorum & Græcorum, & Latinorum discedendum: præsertim cùm facilè potuerit lectio corrumpi posito vno numero pro altero, siue id aliquo audente facere, existimante credibile non esse Iudæos dixisse quinquaginta, cum meliùs quadraginta dicere potuissent; siue confusis Græcis numerorum notis, μ. & ν. quod solet fieri frequentissimè. Cur ergo quinquaginta potiùs, quàm quadraginta dixerunt? Irenæus lib. 2. c. 39 & 40. causam esse putat, quòd iam tum Christus supra quadraginta haberet annos, circitet enim quinquaginta fuisse cùm passus est. Næuus in sanctissimo martyre, auctoréq; eruditissimo notatus. Trigesimū enim ad summum quartum non excessisse constans omnium aliorum auctorum, & totius Ecclesiæ sententia est. Contrà verò Theophylactus nulla alia ratione id factū putat, quam quòd ille numerus quinquaginta annorum casu illis primùm venerit in mētem. Quod mihi non videtur esse probabile, cùm essent illi maximē tunc attenti, vt Christum coarguerent. Refert idem Theophylactus aliam sententiam, cuius ego in Græcorum Catena Seuerum Antiochenum auctorem inuenio, ideo quinquaginta dixisse, quòd sacer illis, & venerabilis ille numerus esset, propter iubilæum, qui in quinquagesimū quemque annum incidebat. Euthymius existimat Iudæos putasse Christum propter iudicij maturitatem propter grauitatem, propter doctrinam, & experientiam esse plusquam quadragenarium. Alijs placet Christum propter docendi laborem ita affectum fuisse corpore, vt merito quadragenario maior videretur. Res mihi videtur facilis, agebat tunc Christus annum tricesimum secundum aut tertium, poterat dubitari an quadragesimū attigisset, nōdum autem quinquagesimum attigisse satis apparebat. Noluerunt ergo dicere Iudæi, quod ambiguum esse poterat, Quadraginta annos nondum habes, ne forte redarguerentur esse mentiti; sed dicunt; quod certum est, *Quinquaginta annos nondum habes.*

58. *Dixit eis Iesus, Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.*) Videtur Christus non satis ad rem accommodatè respondere. Cum enim dixit, *Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est*, diem suum quemadmodum exposuimus, non diuinum, sed humanum intelligebat. Eodémque sensu Iudæi interrogauerant, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Nunc autē non de humano, sed diuino respōdet die. *Antequā Abraham fieret ego sum*, quod videtur speciem sophismatis habere. Cæterum non sophisticè, sed valde prudenter id à Christo factum est. Non enim ad verba, sed ad Iudæorum animum respondet. Nam cum negāt, *quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* de illo tanquam de puro homine loquūtur; qui ante quinquaginta annos nō extitisset. Docet ergo errare eos: nam quamuis, vt homo erat, nondum quinquaginta haberet annos, tamē esse prēterea Deum, qui ante omne tempus extiterit. Cur ergo nō dicit, ante omnia sæcula ego eram, quemadmodum de illo Ioannes dixerat, *In principio erat verbum*, quibus verbis clariùs diuinitatem suam asseruisset? Quia de Abraham quęstio erat, an eum videre potuisset; itaque satis habuit dicere, *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Sed hæc ipsa verba ita est moderatus, vt non obscurè significauerit se non solùm ante Abraham, sed ante omnia etiam sæcula extitisse. De Abraham enim dicit, *fieret*: de se non dicit, factus sum; sed, *ego*

sum, quod omnes fere auctores adnotauerunt, Augustinus, Leontius, Beda, Theophylact. Euthymius, Rupertus. *Appende verba*, inquit Augustin. *& cognosce mysterium. Antequam Abrahā fieret; intellige, fieret, ad humanam naturam, sum verò ad diuinam pertinere substantiam. Fieret, quia creatura erat Abraham. Non dixit, ante quam Abraham esset, ego eram, sed antequam Abraham fieret, qui nisi per me non fieret, ego sum. Neque hoc dixit, antequam Abraham fieret, ego factus sum. In principio enim fecit: Deus cælum, & terrā nā in principio erat verbū. Antequam Abraham fieret, ego sum. Agnoscite creatorē discernite creaturam.* Notarunt etiam Chrysost. Aug. Beda, Rupertus, & auctor libri de assumptione Beatæ Marię, qui Hieronymo tribuitur, non dixisse, eram, sed *sum*, quòd *sum*, supra omnē temporis differentiam sit, & quodammodo alludisse ad illud, *Ego sum, qui sum.* Itaque rectè ex hoc loco Tertullianus in lib. de Trinitate aut quisquis eius est auctor, Christi probauit diuinitatem, *Ante Abrahā*, inquit, *ego sum, Nemo hominum ante eum potest esse, ex quo ipse est. nec potest fieri, vt quidquam prius fuerit ante illum, ex quo ipsam originem sumpsit. Sed enim Christus cum ex Abraham sit, ante Abraham esse se dicit. Aut mentitur igitur, & fallit, si ante Abraham non fuit, qui ex Abraham fuit. Aut non fallit, si etiam Deus est, dum ante Abraham fuit. Quod nisi fuisset, consequenter cum ex Abraham fuisset, ante Abraham esse non posset.* Rectè hoc Iudæi intellexerūt, sed non crediderunt, quin putantes eum blasphemare, qui se aperte Deum esse diceret, lapidare voluerūt.

59. *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.*) Erat lex Leuit. 24. 16. *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi.* Nulla autem blasphemia maior esse poterat, quàm si quis homo, qui Deus non esset, sibi diuinitatē attribueret. Iudæi ergo putantes Christum purum esse hominem, videntésque Deum se profitētem tanquam blasphemum lapidare voluerunt.

Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.) Semper in ea fui sententia vt existimarem Christum nō abscondisse sese, occultando se in loco aliquo secreto, vbi à Iudæis inueniri non posset, sed reddendo se inuisibilē, interim dum per medios hostes suos gradiens de templo egrederetur. Eóque libentius ita sentiebam, quòd videbam Caluinistas magnopere repugnare, timentes, ne si Christus se inuisibilem facere potuisset, & in Eucharistia inuisibilis esse posset. Et ecce his diebus dum Græcā in Ioannem Catenam lego, incido in testimonium de ea re grauissimū Theodori Heracleensis, ex quo Leontius, Theophyl. & Euthym. vt opinor, acceperunt; vtrique cum Theophyl. ijsdem omnino verbis, quæ hoc loco inserenda putaui. ἀνεχώρησεν ἵνα εἰς χρείαν ᾖ ἑαυτὸν παρεὶς καὶ εἰς εἴκοσιν ὡς ἀπ' ἐκείνου καταλύσῃ τὸν βίον ἀλλὰ ἔξεστι δυσχερῆ ἑαυτὸν τοῖς ἐπιβουλεύουσι καταστῆσαι, διὰ μέσων αὐτῶν μὴ ὁρώμενος, ᾗ ἐξῆλθε καὶ παρῆλθεν. Certè si non alia re, hac ipsa Christus Deus se esse declarauit, quòd ex medijs hostibus lapidibus iam ad illum occidēdum paratis euasit. Cur nunc potiùs, quàm ante aufugerit, aut ita locutus fuerit, vt eum Iudæi voluerint lapidare, Chrysostom°, Theodorus Heracleen & Theophylactus respondent, id fecisse, quando voluit; voluisse cùm vidit satis officiō docendi suo fecisse, abundē auditores docuisse, si quidem vellēt credere. Putat Thophylactus eos ipsos fuisse, qui nunc lapidare Christum voluerunt, & qui suprà versu 30. dicuntur eo concionante credidisse, sed probabilius est, & probioris ingenij credere fuisse diuersos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT IX.

ET præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate: 2. & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? 3. Respondit Iesus: Neque hic, peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. 4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. 5. quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. 6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, 7. & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Abijt ergo, & lauit, & venit videns. 8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. 9. Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. 10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? 11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus lutum fecit: & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & laua. Et abij, laui, & video. 12. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. 13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. 14. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. 15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est. 18. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat: 19. & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? 20. Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. 21. quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur. 22. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. 23. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate. 24. Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, non scimus quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cum essem, modo video. 26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? 27. Respondit eis: Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli eius fieri? 28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit. 30. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos: 31. scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. 32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. 33. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam. 34. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. 35. Audiit Iesus quia eiecerunt eum foras: & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? 36. Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, vt credam in eum? 37. Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum. 39. Et dixit Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. 40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci sumus? 41. Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

IN

IN CAPVT IX.

1. *ET præteriens vidit hominem cæcum à natiuitate.*) Sunt qui putent hanc historiam non statim contigisse postquam Christus è templo Iudæis lapidare volentibus euasit; & quia discipuli cum eo erant, cùm cæcum curauit, quos non legimus, cùm de templo egressus est, cum illo fuisse; & quia non videtur esse credibile fugientem Christum Iudæorum manus tam insigne in fuga ipsa miraculum edidisse, quo magis accenderet eorum rabiem. Cæterum Euangelistæ verba præ se ferunt accidisse hoc, cùm è templo Christus egrederetur, & non est à proprietate verborum temere discedendum. *Et præteriens*, inquit, *vidit hominem cæcum à natiuitate*. Atque ita sentire videntur omnes veteres interpretes. Chrysostomus quidem certè, & Cyrillus in Græca Catena. Qui & hoc ipsum ad mysticũ sensum litteralẽ pertinere putat, quòd & statim atque exierit è templo, & præteriens in hominem à natiuitate cæcum inciderit, eumque curauerit. Templũ Iudæorum gentem significare, exijsse ergo de templo, id est, Iudæos nolentes Euãgelium recipere reliquisse, transtulisse sese ad Gentilium populum, qui nulla à maioribus accepta vera Dei cognitione, quasi cæcus à natiuitate erat; eum prætereundo curauisse, quia ad eum missus non erat, sed *ad oues, quæ perierant domus Israel*: itaque illis primùm Euangelium veluti susceptо consilio prædicauit, gentibus non nisi obiter, cum illud Iudæi repudiarent. *Auferetur*, inquit, *à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*. Matth. 21. 43. & *vobis*, inquiunt Paulus, & Barnabas, *oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*. Act. 13. 46. Eodem modo Rupertus siue suopte ingenio, siue Cyrillum legens. Mysticum quidem hoc est, & allegoricum; sed propterea præter consuetudinem meam dixi, quia, vt D. Augustinus existimat, nosque paulò post dicturi sumus, videtur Christus hoc cæco curando aliquid voluisse mystice significare; itaque sensus etiam mysticus hoc loco est litteralis. Quod ergo diximus quosdam obiicere, vt probent non statim post exitum à templo hoc accidisse, quòd discipuli in templo cum Christo non fuerint, probare non possunt; quin verisimile non est cum eo non fuisse, & per totos septem dies passos fuisse se Christi aspectu carere. At solus Christus factus, vt diximus, inuisibilis exijt è templo. Ita est; sed quid prohibet discipulos, cum viderent magistrum suum non apparere, simul cum egressos, & in via eum consecutos esse? Quòd autem putant vero simile non esse recens offensos Iudæorum animos nouo miraculo magis exacerbare voluisse, in eo longè diuersum Chrysost. & Theophylacti iudicium est, qui duas Christum ob causas hoc miraculum statim egressum de templo fecisse tradunt, & vt nouo, insigniq́ue miraculo Iudæorum volentium se lapidare duritiem emolliret; & vt re ipsa, quod paulò ante illis dixerat, confirmaret, maiorem, prioremque se esse, quam Abrahamum. Existimant etiam Chrysost. & Theophyl verbum illud, *vidit* emphasim habere. Vidisse enim non casu, non quocunque modo, sed cùm de industria ea præterire, sciens ibi cæcum esse, vt inuentum curaret; & cũ oculos in eum coniecisset, eumque contemplatus fuisset aliquantisper: ex ea enim attenta inspectione Christi discipulos occasionem accepisse interrogandi, quis peccasset, ille, an parentes eius, vt cæcus ille nasceretur. Res quidem ita habet sese; Christum nos priores non magis, quàm cæcus ille videre possumus; ipse nos, vt sanemur, prior videat necesse est. Quòd Euangelista notauit non quoquo modo, sed *a natiuitate* cæcum fuisse, eò pertinet, vt appareat, quantum in eo curando miraculum fuerit. Nam qui iam nati cæci fiunt, cõtrarijs fortasse remedijs sanari possunt; etsi id Philosophi non dabunt; qui autẽ cæcus natus est, is ab alio medico, quàm à ipso auctore naturæ sanari non potest, vt Chrysost. Theophyl. Euthymius admonuerunt, idemque scribit Ambrosius epist. 75. *Ergo ne nos quidem præterire debemus, quæ præterierunt. Dominus non putauit, præsertim cùm à generatione cæcus fuerit, quod non otiose est positum. Est enim cæcitas, quæ plerumque vi ægritudinis aciem obducit oculorum, eademque temporis spatio mitigatur. Est cæcitas, quæ humorum infusione generatur. Ea quoque vitio plerumque sublato medicinæ arte depellitur: vt cognoscas, quia quod iste sanatur, qui à generatione cæcus est, non artis est, sed potestatis. Donauit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanauit Dominus Iesus, quos nemo curauit.* Diximus hunc cæcum aliquid, vt Christus ipse indicat, significasse. Quid in eo mysterij Cyrillus, & Rupertus esse existimauerint, paulò ante docuimus, nempe Gentilium populum designasse, qui sine lege, sine Dei cognitione, veluti cæcus à natiuitate sua erat. Augustinus, & Beda totum humanum genus significare putant, quod à natiuitate sua cæcum est, quia omnes sumus *natura filij iræ*. Confirmabant etiam hinc Gnostici sua illa absurdissima deliria, vt auctor est Irenæus lib. 2. c. 24.

Aristotel. de Oppositis. Cap. 13.

Quos designauerit hæc natiuitate cæcus.

Eph. 2. 3.

2. *Et interrogauerũt eum discipuli eius. Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?*) Quæri solet qua occasione discipuli hoc interrogauerint, cùm nihil simile de alijs ægrotis legamus interrogasse. Chrysost. hom. 55. & Theophyl. vt superiore versu diximus, ex attẽta Christi in cæcum illum inspectione occasionem accepisse putant existimandi aliquod peccatum vidisse Christum, quod eius cæcitatis fuisset causa; quòd cùm post eius natiuitatem admissum esse nõ posset, rogãt quis, antequam nasceretur peccauisset, *hic aut parentes eius vt cæcus nasceretur?* Alij ex recẽti historia paralytici curati sumpsisse quæstionis occasionem. Dixerat enim illi Christus c. 5. 14. *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Inde opinionem conceperant omnes morbos propter peccata hominibus euenire. Cùm ergo in alijs facilè intelligerent propria peccata propriorum morborum esse causam, viderentque hunc natum esse cæcum, interrogant quo peccato, suone, an parentum suorum cæcus natus sit. Sic Euthymius; videturque esse probabilius. De ipsa discipulorum quæstione alia maior est quæstio quomodo dubitent, interrogẽtque, an ille peccaverit; qua enim ratione, antequam esset, peccare poterat? Chrys. & Theophyl. hac de causa absurdam dicunt fuisse quæstionem. Ambrosius verò epistola 75. non ob hoc solùm, sed quòd *debilitates corporis*, vt eius vtar verbis, *referant ad merita delictorum*. Cyrillus in Græca Catena existimat Iudæorum opinione imbutos fuisse discipulos, qui putarẽt animas ante corpora creatas peccauisse, ac propter peccata in corpora detrusas, meliora, peiorave pro merito eniusque. Eum errorem Epiphanius diligentissimus earũrum scriptor non vlli Iudæorum sectæ, sed Origeni tribuit. Theophylactus Philosophis Platonicos, vt opinor, intelligens. Vix tamen credibile est aut

Cur discipuli interrogarint eum cæcus natus sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Philosophorum,aut Iudæorum tam absurdo errore tinctos fuisse Christi discipulos,homines præsertim, vt ait Theophylactus litterarum rudes. Leontius putat non interrogare discipulos de præterito, sed de futuro peccato; non enim ignorasse, antequam nasceretur, nequaquam peccate potuisse,sed existimasse Deum futurorum præscium,cum prospiceret fore,vt natus peccaret,effeciisse, vt in futuri peccati pœnam cæcus nasceretur. Nó ergo interrogare discipulos an ille, antequam natus esset, peccauisset, sed an propter peccatum aliquod, quod iam natus commisisset:diuina prouidentia cæcus natus fuisset. Idem Theodorus Mopsuest.scribere videtur, minùs tamen clarè. Chrysostomus autem,Theophylactus, & Euthymius,non dubitantes, an antequam natus esset,cæcus ille peccauisset; sed dubitantes,quanam culpa,quáue causa cæcus natus esset ,interrogasse, quis peccasset,ille an parentes eius, vt cæcus nasceretur; quemadmodum solemus de infantibus bello extinctis interrogare, qua sua culpa isti perierunt? non quidem indicantes culpam eos vllam habuisse, sed potiùs non habuisse. Itaque discipulos hoc interrogantes potiùs significasse, neque cæcum, neque parentes eius peccauisse, vt cæcus nasceretur, quàm dubitasse. Cæcum peccare non potuisse; parentes peccasse quidem, sed non potuisse ipsorum peccatum causam esse cæcitatis in filio,quia *filius nõ portabit iniquitatem patris*. Vtraque sententia & Chrysostomi, & Leontij probabilis, sed quod Chrysost. Theophylact.& Euthym. afferunt, *filius non portabit iniquitatem patris*: non videtur idoneum esse argumentum eius opinionis.Nam vt dictum est,*filius non portabit iniquitatem patris*:ita dictum est, *Ego sum Deus zelotes visitans iniquitates patris in filios vsque ad tertiam, & quartam generationem*.Exod.20.5.Quare dubitandum non est, quin propter parentum peccata filij non solùm morbosi sæpe nascantur, sed etiam moriantur,quod in Dauide factum legimus:non modò natura, quòd parentum morbi peccando contracti, transferantur in filios, vt Rupertus in hunc locum disputat; verum multo maximè atque frequentissimè diuina id efficiente prouidentia, vt parentes in filijs,id est in re omnium carissima puniantur.

Exechiel. 18.20.

Propter parentum peccata filij mortiuntur. 2.Reg.12. 14.18.

3. *Respondit Iesus,neque hic peccauit, neque parentes eius.sed vt manifestentur opera Dei in illo.*) Non significat Christus,vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius obseruarunt, parentes cæci non peccauisse;sed nullum eorum peccatum causam fuisse, vt cæcus ille nasceretur.Est enim Christi responsio accommodate ad propositam quæstionem intelligenda.Idem Leontius, & Theodorus Mopsuest. de cæco ipso dicunt; etenim & illum, si non ante, certè postquam natus esset,peccauisse,sed non propterea cæcum natum esse. Certè nihil hoc loco, quod in suum errorem torquere queant, Pelagiani habent. Nam sicut ex verbis Christi colligi non potest parentes cæci nullum, antequam illum generarent, peccatum habuisse;ita non potest colligi cæcum ipsum non habuisse, cùm natus est, originale peccatum.Sed hoc tantùm colligitur,neque peccatum illius originale, nec actuale parentum causam fuisse vt cæcus nasceretur.Quid ergo?nonne peccatum originale,vt sæpe Augustinus,& alij Theologi docẽt, & in Africano, & Milenitano Concilijs diffinitum est,& mortis,& morborum causa est? Est enimuero sed causa non propria,sed generalis, & vt Philosophi vocant,causa sine qua non. Si enim Adam non peccasset,neque morte, neque morbos omnino vllos homines experiremur; cæterum & mortis, & morborum aliæ propriæ sunt causæ inter quas peccata aut propria cuiusque, aut suorum parentum numerantur.Non rogabãt discipuli an propter peccatum originale cæcus ille natus esset; nec enim ignorabant peccatum originale omnium morborum esse causam; sed rogabant, quæ propria fuisset causa, quamobrem homo ille natus esset cæcus. Si enim peccatum originale fuisset,omnes alij cæci nati fuissent,qui originale peccatum habuissent. Obseruat Theodorus Heracleotes quattuor ob causas solere homines morbis, alijsque huiusmodi corporis incommodis vexari,aut propter sua,aut propter parentum suorum peccata, aut διὰ τὸν διαβολικὸν propter probationem, id est vt eorum virtus à Deo probetur, quemadmodum Iob vexatum legimus, aut vt in illis gloria Dei magis eluceat, quomodo hunc cæcum natum fuisse indicat Christus. Quod sequitur,*sed vt manifestentur opera Dei in illo*,hùc sensum præ se fert hominem illum non alia de causa cæcum natum esse, quàm vt à Christo miraculo curaretur, eaque re opera Dei in eo manifestarentur, id est diuina in eo curando virtus eluceret. Atque ita D.Augustinus,Chrysostomus,Theodorus Mopsuest.Leontius, Beda,& Euthymius interpretantur. Monent tamen Chrysost. Leontius ,Euthymius,& Theophylactus esse auctores alios, qui dictionẽ *sed vt* non causam,sed euentum,atque consequentiam significare dicant,vt infra vers. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni,vt qui non vident,videant:& qui vident,cæci fiant*.Nó enim proptrerea venerat, vt qui videbant cæci fierent; sed id ex eius aduentu ipsorum culpa consecutum est. Sic cæcum illum non propterea natum fuisse cæcum,vt in eo opera Dei manifestarentur; sed ita consecutum, itaque tulisse rem, vt cùm cæcus natus esset, occasionem præberet diuinæ in se virtutis declarandæ. Sic Cyrillus in Catena Græca citatus,& Theophylactus exponũt, estque,vt mihi quidem videtur, vera interpretatio. Illud modò obstare videtur posse, quòd videatur eodem modo,quo in quæstione,& in membro præcedente accipi debere.In quæstione autem cùm discipuli interrogarunt, *quis peccauit,hic, aut parẽtes eius,vt cæcus nasceretur*: causam, non euentum significabant. Sæpe dixi absurdum non esse;quin magnæ sæpe esse elegantiæ,vt idem verbum eodem loco varia ponatur significatione.Alia alibi eius rei exempla ponimus: hic vnum proponemus de ea ipsa dictione *ut*, de qua agitur.Dicit Christus ver. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident,videant:& qui vident cæci fiant*. Bis ponitur, aut intelligitur vt, in priore loco significat causam, in posteriore euentum. Sic hoc loco. Eodem fere redit, quod alij dicunt supplendum esse aliquod verbum; non idem, quod præcesserat,repetendum.Nec enim sensum effe,neque hic peccauit, neque parentes eius, vt cæcus nasceretur, sed cæcus natus est, *vt manifestentur opera Dei in illo* verum,oportere in eo iam cæco nato opera Dei manifestari. Et verò multis locis ita sumitur illud ἀλλ' ἵνα vt infra.capit.13.18. & 14.31. & 15.25.& Marc.14.49. & non malè in hunc locum conuenit:sed illam potiùs Cyrilli interpretationem amplector, quia meliores habet auctores. Acutè Chrysostom.adnotauit Christum seipsum hoc loco Deum appellasse, *opera* enim *Dei* vocauit, quæ ipse facturus erat. Proprium opus esse Dei hominẽ fingere,eiusdem esse eum refingere,quod Christus hic fecit.Cæterum ex versu sequenti apparet *opera Dei*, opera Patris appellare, etsi eadem opera & ipsius & Patris erant.

Pelagiana refutatur.

Peccatum originale solis causa generalis, & sine qua non mortis & morborũ.

4. *Me oportet operari opera eius,qui misit me,donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.*) Quæ vocat

opera eius

opera eius qui misit se, omnes consentiunt auctores. Nempe loquitur tanquam Patris legatus, qui ideo missus fuerit, vt eius exhauriret mandata,inter quæ hoc erat,vt se hominibus,quis esset, miraculis, doctrinaque declararet. Atque propterea hoc addidit, vt quamobrem futurum miraculum facturus esset, rationem redderet;tempus nimirum esse, vt faceret ea quorum causa missus fuisset, vt se eiusmodi miraculis mundo declararet:se non frustra,non gloriæ colligendæ cupiditate: sed necessitate paterni præcepti facere.Ideo,vt opinor,potiùs dixit, *Opera eius, qui misit me*, quàm opera Patris, vt obligationem faciendi miracula ipso missionis nomine declararet. Eadem de causa cùm posset sua vocare opera,Patris potiùs,qui se miserat appellauit. Quanquam aliam Diuus Augustinus rationem reddit, quòd voluerit Patrem potiùs, quàm se ipsum honorare. Theodorus Mopsuest. putat sabbatum fuisse, cùm Christus hoc miraculum fecit; vt versu 14. scribit Euangelista:& cùm sciret fore,vt id factum Iudæi calumniarentur,excusare priùs,quàm faceret, voluisse, se necessariò facere; oportere enim se operari opera eius, qui se misisset. Cyrillus verò non esse disputandi tempus, sed agendi. Quòd dicit,*Oportet*, non absolutam, vt Theologi vocant, necessitatem, sed necessitatem ex hypothesi declarat, posita Patris voluntate, oportere se id facere, quod ab eo decretum esset. De eo, quod sequitur, *donec dies est*, disceptant interpretes,quid Christus diem vocet.Origenes homilia tertia in Psalm. 36. Chrysostomus, Leontius,Theophylactus,Euthymius, & Rupertus existimant totum huius vitæ tempus vsque ad consummationem sæculi vocari diem.Id confirmant ex membro sequenti,*venit nox, quando nemo potest operari*:dicit enim opponitur nox, noctem autem, in qua *nemo potest operari*, alteram esse vitam;nam dum hæc vita durat,semper posse homines operari, sicut capite 12.35. dixit, *ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant*.Sensum ergo esse,vt significet Christus, dum hæc vita non sua, sed omnium hominum durat, antequam consummatio sæculi huius veniat; vsque sibi laborandum esse,vsque faciendа miracula,vsque Ecclesiam colligendam, dũ possint in se homines credere; venturam noctem, qua nemo poterit operari,id est alteram vitam, qua nemo poterit credere, nemo agere pœnitentiam. Confirmant & ex versu sequenti. 6. *Quandiu sum in mundo,lux sum mundi*. Quam interpretationem multorum licet, ac magnorum auctorum ideo non sequor,quia Christus de seipso, non de alijs loquitur. Rationem enim reddit non cur alij sed cur ipse debeat, *donec dies est*, operari. Itaque credendum est diem non aliorum, sed suam dicere, id est tempus vitæ suæ, quo in hoc mundo cum hominibus versaturus erat;quemadmodum Theodorus Heracleensis & Theodorus Mopsuest. & Cyrillus in Catena Græca citati,& Augustinus,& Beda in commentarijs interpretantur. Hoc enim sensu solet Christus cuiusque vitam diem eius appellare, vt supra capite 8.56. *Abraham exultauit, vt videret diem meum*, & capite 12.35. *ambulate, dum lucem* id est dum diem, *habetis*.Illud quoſdam mouet, quòd Christus non minus in altera,quam in hac vita laborare potest; itaque credendum non esse, diem, id est tempus, quo laborandum sibi esset, præsentem vitam suam appellasse. Sed hoc leue est;non enim propterea præsentis vitæ suæ rempus vocauit diem, quòd nihil post hanc vitam acturus esset; sed quòd nihil actuus, quod ad hominum redemptionem pertineret, non passurus,non moriturus, non docturus coram homines,non præsens, & aspectabilis miracula facturus. Id vt faceret, huius vitæ tempus sibi esse à Patre designatum, eum diem suum esse, & diem quidem iam in occasum inclinatum,id est proximũ morti; insistendum igitur esse operi; noctem enim instare. Quo ergo modo cum hoc sensu conueniet, quod statim adiungitur, *Venit nox, quando nemo potest operari*, quasi non de se,sed de alijs loquatur omnibus? Primùm quidem non dicit,nemo poterit, sed *nemo potest*, quòd diuersam vim, ac diuersum habet sensum. Non enim significat in ea nocte sua,quam venire, id est iam instare dixerat, neminem operari posse,sed generaliter neminẽ in nocte operari posse.Itaque *quando*,sine illud *In qua* non induiduum, sed genus refert, quemadmodum si diceret, *Venit nox*,in nocte autem *nemo potest operari*:quare nec ego in nocte mea, quæ iam venit, operari potero; non quidem, sed quæ ad officium redemptoris propriè ante peractam redemptionem pertinent.Alij tamen operari poterunt,quia cuique dum vita est, dies est. Si dixisset,In qua nemo poterit operari,significasset in illa ipsa nocte sua, id est post mortem ipsius neminem operari posse, quod fuisset falsum. Nam & nos modò in illum,quem nunquam vidimus, credimus;& nos,dum viuimus,illo adiuuante operamur. Eodem consilio non dixit, Veniet nox, sed *venit*, vt non eorum qui audiebant, sed suam noctem declararet. Ipsius enim instabat nox, illorum non instabat.Hoc est *venit nox*,appropinquat,instat,in proximo est.

Sup. cap. 1.9 Matth.5. 15. Marc. 4. 21.

Cic. ad Atticum libr.4.epist.6.

Aster. 9. 17.18. Sup. cap. 1.9.

5. *Quandiu sum in mundo,lux sum mundi.*) Hæc verba multos etiam fefellerunt, quemadmodum paulò suprà diceebamus,vt existimarent Christum noctem non suam,sed aliorum appellare;se enim non diem, non noctem, sed lumen, sed solem dicere,qui alijs præsens quidem diem, absens noctem reddat; ipse verò sibi presens perpetuus dies sit Atque ita auctores non tantùm illi,quos diximus, diem non Christi,sed aliorum;itemque noctem intellexisse;verum etiam D.August.Beda, & Theodorus Heracleensis; vt existiment rationem Christum reddere,cur suam in hac vita præsentiam diem vocauerit, quia nimirum lumen est, & luminis est diem efficere. Nos cur tempus præsentis vitæ suæ diem, tempus verò post mortem non aliorum, sed suam noctem appellauerit, suprà docuimus. Nunc putamus aliam rationem reddi, non quidem cur præsentiam suam diem vocauisset; sed cur oporterer ipsum operari, quandiu dies esset, quia cùm tanquam lumen in mundum missus esset,vt illuminaret *omnem hominem venientem in hunc mundum*, non oportebat otiosum esse, non oportebat sub modio poni, aut sub lecto, sed supra candelabrum, vt lucret omnibus, qui in domo essent.Hoc ergo est, *Quandiu sum in mundo,lux sum mundi*; ad hoc veni, vt quandiu in mundo, versarer, mundum illuminarem. hoc mihi agendum est; *Spartam nactus sum, hanc eolam & ornabo*: Propterea dixit, *Quandiu sum in mundo*, non quòd postea lux ipse in se non sit,non quòd non sit etiam postea homines illuminaturus,quemadmodum copiosè disputat Augustinus. Nam pòst Paulum illuminauit; & illud, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ad omne etiam futurum pertinet tempus; sed quòd postea non ita illuminaturus, quemadmodum ante mortem illuminabat, per se loquendo,docendo; miracula non solùm sua, vt postea,virtute, sed etiam sua præsentia, suo corpore,suo verbo,sua manu faciendo. Cùm dicit, *lux sum mundi*, videtur ad futuram cæci illuminationem alludere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

6. *Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linuit lutum super oculos eius.*) Cùm ait Euangelista, *Hæc cùm dixisset*, indicat Christum certo consilio ea priùs dixisse, quàm miraculum facere aggrederetur, viamque illis verbis ad faciendum miraculum muniuisse, vt Chrysostomus notat. Hæc ergo cùm dixisset, id est cùm rationem reddidisset, quamobrem incumbendum sibi in opus esset, quòd tanquam lumen in hunc mundum missus esset, aggressus est illuminare, aggressus operari in die: aut, vt Theophylactus ait, voluit Euangelista significare Christum non solùm verbis, sed factis verba sequentibus, quis esset declarasse. *Et expuens in terram, fecit lutum ex sputo.* Vulgares hic quæstiones duæ, altera, cur luto cæcum sanauerit, cùm posset tot alijs sanare modis? altera cur lutum ex sputo suo fecerit? Sunt qui existiment ideo luto visum à Christo restitutum cæco, vt appareret vis, ac magnitudo miraculi. Etenim si alia re minùs visui contraria curauisset, videri potuisset non diuina, sed naturali aliqua, atque secreta medicamenti virtute curauisse. Cùm autem luto curauerit, quo nihil magis contrarium oculis est, credi non poterat naturali luti virtute, sed diuina Christi potentia curationem fuisse factam. Solet Deus hac de causa ad facienda miracula rebus vti maximè contrarijs. Nihil est, quod aquas magis amaras, atque impotabiles reddat, quàm sal, quis enim marinas bibat aquas? Atqui Elisæus immisso in amaras aquas sale dulces, ac potabiles reddidit. 4. Regum 2. 20. 21. 22. Quid tam contrarium extrahendo de aqua ferro, quàm lignum, quod ipsum re alia extrahatur necesse est? Elisæus tamen iniecto in fluuium ligno fecit, vt ferrum securis, quod in flumen ecciderat enataret. 4. Regum. 6. 5. 6. Aliam omnes fere auctores Græci rationem afferunt, Theodorus Mopsuest. Theodorus Heracleotes, Cyrillus, Leontius, & Theophylactus, voluisse Christum ostendere se eum esse, per quem & homo, & omnia initiò facta esent: eiusdem enim artificis est ex eadem materia & opus facere, & reficere. Quemadmodum idem ille figulus, in cuius manibus opus fuerat dissipatum, in vas alterum refinxit, Ierem. 18. 4. Fecerat Deus hominem de puluere, ac *de limo terræ*, Genes. cap. 2. vers. 7. reformauit Christus ex luto, id est ex eodem puluere, ex eadem materia. Cur ergo non ex aqua, sed ex sputo suo lutum fecit: quæ altera huius loci erat quæstio. Posset aliquis simpliciter respondere non habuisse ad Canum aquam. Sed haud obscurè apparet aliquid, quemadmodum in luto, ita & in sputo fuisse mysterij, atque omnes boni auctores sentiunt, quamuis causas afferant alij alias, Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, & Euthymius, simplicissimè quoque respondent: propterea sputo illum vsum fuisse, ne aquæ Siloë, quò cæcum missurus erat, sed sibi cuius pars aliqua, aut aliquid certè, quod de corpore suo exijsset, cæci oculos tetigisset, miraculum adscriberetur. Eodem pertinet, quod Cyrillus in Græca Catena dicit, voluisse Christum ostendere carnem etiam suam medicam, ac salutarem esse, cuius vel sola saliua cæcum sanauisset. At tactu hoc melius declarasset. Itaque maius aliquid credo subesse mysterium. Magis mihi placet, quod ex Theophylacto colligo, licet ipse aliter intellexisse videatur, per puluerem humanum corpus, quod de puluere formatum fuerat; per saliuam, quæ ore expuitur, animam significari, quam Deus initio in formatum iam corpus Adami quasi ore suo inspirauit; voluisse igitur Christum ostendere esse se, qui & corpus, & animam homini formasset, atque dedisset. Alij incarnationis Christi mysterium designari putant. Nam per puluerem humanam naturam: per saliuam diuinitatem significari, quæ ex cælo, quasi ex capite processisset. Sic Augustinus in libro 50. homilia, homil. 43. & Beda, & Rupertus in commentarijs. Ambrosius verò epistola 75. significasse Christum intus se plenum esse luminis quando eius saliua, quæ ab interioribus procedit partibus, cæcos illuminaret. Gregorius libro octauo, in Iob capite 21. puluerem carnem nostram, carnalesque cogitationes; saliuam diuinam gratiam significare, quæ nos illuminat, ac sanat. Habet, quod eligat lector; ego omnia existimo probabilia, sed iam dixi, quid mihi maximè placeret. Non est abs re, etsi morale est, quod Cyrillus in Græca Catena obseruauit, Christum alios quidem cæcos non nisi rogantes, non nisi ad se clamantes curauisse, Matthæi 9. 27. & 20. 30. huic autem non clamanti, non petenti sponte sua visum restituisse. Nimirum illos Iudæorum, hunc Gentilium populum significasse, Iudæos, quia notitiam habebant eius, noluisse curare aut corpore, aut animo, nisi petentes, atque rogantes; Gentiles verò, qui omnino cæci erant, qui petere ab eo, quem non cognoscebant, sanitatem non poterant, vltro sanasse, vltro illis Euangelium, salutemque obtulisse. Saliua verò sua curauisse, vt doceret non posse gentes illuminari, nisi carnis suæ participes fierent.

Cur luto cæcum sanauerit.

Cur ex sputo lutum fecerit.

Gen. 2, 7.

7. *Et dixit ei, vade, & laua in natatoria Siloë.*) Κολυμβήθρα hic natatorium, quòd Græcum verbum propriè significat, alibi piscinam vertit noster interpres, vt capite 5. 2. Vocabatur autem hæc piscina Siloë, quod, vt interpretatur Euangelista, idem est Hebraicè, quod, *Missus*. Erat autem ad radices montis Sion, sitque eius mentio Isaiæ 8. cap. vers. 6. Solet quæri, cur Christus hunc cæcum, quem haud dubiè statim curare poterat, ad piscinam lauandi causa miserit? Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus non aliam eius rei afferunt causam, quàm vt in longa via, quæ per mediam vrbem conficienda erat, quàm plurimos & cæcitatis, & curationis suæ testes colligeret. Euthymius, vt appareret non puluere, sed Christi virtute curatum fuisse, cùm iuberet statim puluerem lauando abstergere. Alij maiore mysterio id factum putant; significatum enim fuisse, etiam postquam nos Christus tetigit, postquam in illum credidimus, opus tamen nobis esse baptismo, vt illuminemur, vt peccata nobis remittantur. Nam & baptismus à Diuo Paulo ad Hebræos 6. cap. vers. 4. & à Græcis Ecclesiæ doctoribus φωτισμὸς, id est illuminatio vocari solet. Hanc rationem Ambrosius epistol. 75. Augustinus in libro 50. homilia. homilia 43. Beda. & Rupertus reddiderunt. Idipsum Sedulius versibus non inelegantibus expressit,

Cognoscite cuncti,
Mystica quid doceant animos miracula nostros.
Cæca sumus proles miseræ de fœtibus Heuæ,
Portantes longo natas errore tenebras:
Sed dignante Deo mortalem sumere formam
Tegminis humani facta est de virgine nobis
Terra salutaris, quæ fontibus oblita sacris
Clara renascentis referat spiracula lucis.

Aliam quoque rationem refert Euthymius, voluisse Christum experiri cæci eius fidem, vtrum iret, vtrum in via hæsitaret. Et verò meritò Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius eius fidem, obedientiamque magnopere collaudant, nō dubitasse apud seipse, quorsum lutum in oculis? quorsum saliua Christi? quorsum in piscinam lauandi causa mitteretur? quia multi profectò cæci sæpe lauissent, qui curati non essent; sed simpliciter Christi verbis obtemperans abijt, consecutusque præmium est obedientiæ; *lauit enim, & venit videns.* Placent mihi duæ vltimæ rationes suum tamen cuique iudicium esse velim in re probabili, & in neutram partem periculosa.

Abijt ergo, & lauit, & venit videns.) Addidit hoc Euangelista, vt doceret verba, actionemque Christi euentum consecutum fuisse, quod erat imprimis scitu necessarium. Documentum obedientiæ; nunquam obeditur sine operæpretio. Simile, sed minùs perfectæ obedientiæ exemplum est Naaman Syri, 4. Reg. 5. 10. 11. 14.

8. 9. 10. *Itaque vicini, & qui viderant eum priùs.*) Describit his versibus Euangelista varium hominum de eo miraculo iudicium, alios negasse, alios concessisse, affirmasseque eum esse, qui paulò ante in oculis totius ciuitatis cæcus mendicasset. Imprimis verò cæcum ipsum publicè professum se esse, qui priùs cæcus cum fuisset, iam videret. Quod eo, vt opinor, consilio Euangelista narrauit, vt doceret non temere miraculum creditum fuisse; examinatum, exagitatumque etiam ab aduersarijs Christi prius, negari tandem non potuisse.

11. *Ille homo, qui dicitur Iesus.*) Exponit interrogatus cæcus rei gestæ ordinem, idque simpliciter, & sine vlla significatione gratiæ, quo maiorem fidem faciat. Quæ causa, vt arbitror, fuit, quamobrē Christum minùs honorificè, quàm fortasse cupiebat, appellauerit, *Ille*, inquit, *homo, qui dicitur Iesus*, quasi de alieno, & sibi de solo nomine noto loquens. Etsi Theophylact. & Euthym. propterea hominem vocasse putant, quia nondum sciebat esse Deum; quod est quidem vero simile, sed poterat hominem honorificentiùs appellare, quod cur non fecerit, causam exposuimus. Quærunt Theophyl. & Euthym. quomodo sciret fuisse Iesum, cum nō vidisset eum. Respondent, aut ex alijs rogando, aut ipsius verbis, aut ex vulgati fama didicisse.

12. *Vbi est ille?*) Quamobrem interrogent, vbi sit, ex versu sequenti colligitur. Volebant comprehendere, & ad Pharisæos adducere. Quo animo? incertū. Chrysost. & Leontius malo animo Christū ad Pharisæos adducere voluisse indicant, vt eum quasi reū violati sabbati accusarent. Quod ideo probabilius est, quia apparet istos, qui interrogarunt cæcum, vbi Christus esset, cæco dicenti se cæcum fuisse, nō credidisse. Propterea enim cùm Christum, quem quærebant, non inuenirent, cæcum ipsum loco illius ad Pharisæos adducunt; vt ab eo diligentiùs, ac subtilius examinato exprimatur confessio veritatis. Depingitur in ijs, qui non credebant, hæreticorum persona. Itaque cùm ista ego lego, Caluinistas prorsus videre, auditeque mihi videor.

14. 15. *Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.*) Hoc ideo obiter Euangelista notauit, vt calūniæ occasionem declararet, vt Theophyl. monet. Cùm dicit, *Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus*, videtur indicare nō fuisse sabbatum, sed aliquem alium post sabbatum diem, cùm hæc, quæ nunc narrat acciderunt, cùm vicini, & alij cum cæco disceptarunt, cùm eum ad Pharisæos adduxerunt. Non dicit fuisse sabbatum, cùm Christus cæcū ad piscinam misit, sed cùm lutum fecit, cùm oculos eius aperuit. Nam ad piscinam in sabbato ire, lauarique licebat, sed lutum facere, & oculos aperire videbatur illis nequaquam licere, quòd opus esset in sabbato prohibitum.

16. *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit: alij autem dicebant, Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Docet Euangelista tantùm apud Pharisæos cæci iam vidētis præsentiam, testimoniumque valuisse, vt quamuis non omnes crediderint, tamen in diuersas sententias distracti sint. Qui maximè increduli, & stulti erant, maximeque volebant videri religiosi, negabant posse ex Deo, id est à Deo missum, aut diuino spiritu ductum esse eum, qui sabbatum nō obseruaret, quasi facto ex puluere, & saliua luto, & curato cæco violatum sabbatum fuisset. Qui prudentiores erant, argumentabantur non posse hominem peccatorem, id est qui à Deo non esset, ea edere miracula, quæ Christus edidisset. Non quòd non possint aliquando peccatores miracula facere, sed quòd raro admodum faciant, vt apud Matth. capite 7. 22. copiosè disputauimus. Itaque efficax argumētum istorum erat; futurum omninò necessarium, si adiecissent neminem posse ea signa facere, quæ Christus faciebat, & eo modo, quo faciebat, propria virtute, suoque imperio nisi à Deo, atque à Deo Deus esset.

17. *Dicunt ergo cæco iterum, Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* Cæcum vocat Euangelista, qui cæcus fuerat, quamuis cæcus iam non esset, quemadmodum vocatur aqua, quę iam vinum erat, sed aqua fuerat. c. 2. 9. & virga Aaron, quæ iam erat serpens. Exod. 7. 12. Dicit iterum interrogatum à Pharisæis cæcum, quia primùm interrogatus fuerat à vicinis, & alijs ciuibus Ierosolymitanis, vers. 10. Deinde secundò à Pharisæis: nunc *iterum*, id est tertiò ab ijsdem interrogatur. Interrogant autem illum, *Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* quasi iam pro certo ponentes cæcum fuisse, & à Christo curatum esse; non quòd id crederent, vt versu sequenti declarat Euangelista, sed fingentes se credere, quo liberiùs cæcus responderet, & in eandem calumniam cum Christo, accusationemque inuolueretur. Aut certè vt rem aliter fortasse, quàm ante, narraret, indeque coniecturam sumerēt eum esse mentitum; itaque nec cæcum fuisse, nec vllum in eo Christum fecisse miraculum. Solent hoc consilio iudices eundem sæpe reum de eadem re interrogare, vt videant num sibi omnibus in rebus constet, ecquid euariet, & num vera, an falsa dicat ex dictorum constantia, aut varietate coniciant. Eodemque consilio Pharisæos sæpe hunc cæcum interrogasse Leontius adnotauit. Pronomen, *Tu*, emphaticè sumul, & adulatorie positum est; quasi dicant, nos de hac re inter nos disceptamus, an ille, qui tibi oculos aperuit à Deo sit, necne, & in contrarias diuisi sententias te iudicem constituimus, qui tanto ab eo affectus beneficio optimè de illo iudicare potes, *Tu* ergo quid de illo dicis? tuo enim stabimus iudicio. In hunc sensum Theodorus Mopsuest. & Cyrillus in Catena Græca, & Rupertus in commentarijs interpretantur. Itaque existimant, eos qui hoc interrogarunt, non fuisse eos, qui dixerant, *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* sed eos, qui dixerant, *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Quos ego potius, quàm Chrysostomū Theophylactum, & Euthymium sequor contrà sentientes, eos solos fuisse, qui meliorem de Christo habebant opinionem, ideoque cæcum interrogasse sperantes fore, vt cùm tantum à Christo beneficium accepisset, præclarum de illo diceret testimonium, & secundum se contra alios Pharisæos, cum quibus disputabant, iudicaret. Non conuenit hoc cum ijs, quæ statim dicit Euangelista, etiam post cæci testimonium Iudæos non credidisse, eos nimirum

Cur sæpiùs hunc interrogēt Pharisæi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

designans, quos dixerat cæcum interrogasse.

Prophetæ apud Iudæos dicti eximiè virisancti.

Sic autem dixit, quia propheta est.) Id est vir sanctus, atque diuinus. Eiusmodi enim homines Iudæi solebant prophetas appellare, etiamsi futura minime prædicerent; vt nos alibi sæpe diximus, & hoc loco Cyrillus in Græcorum Catenæ, & Leontius in commentarijs obseruarunt. Testimonium quidem de Christo cæcus dicit minus, quàm oportebat, sed maius, quam antea dixerat. Prius hominem appellauerat versu 11. nunc & prophetam vocat, quo nomine quidquid sanctitatis, quidquid honoris in puro homine esse potest, comprehendit. Nondum enim credebat esse Deum. *Adhuc quidem inuenies in corde* (inquit August.) *nondum Deum confitetur, nec mentitur tamen. Ipse enim Dominus de semetipso ait, Non est propheta sine honore nisi in patria sua.*

Tract. 44. in Ioan. 3. 17. Luc. 4. 24. sup. c. 4. 44. Sap. 2. v. 16.

18. 19. *Non crediderunt ergo Iudei.*) Illi ipsi, qui cæcum interrogauerant, quique ante dixerant, *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Itaque eius parentes accersunt, interrogant, an ille eorum filius sit, & an natus cæcus, & qua ratione curatus, experiri vtique volentes, ecqua in re parentum à filij testimonio discrepent, vt ansam inde arriperent dicendi rem esse compositam, & aut non fuisse natum hominem illum cæcum, aut non miraculo, vt ait Chrysostomus, sed magica arte curatum esse.

20. 21. *Scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est.*) Cùm tria Pharisæi interrogassent, an filius eorum ille esset, an natus cæcus, & quomodo videret, ad tria respondent; dicunt scire se filium suum esse, natúmque fuisse cæcum, tertium quomodo videat, respondent se nescire. Credibile est audiuisse iam parentes à filio suo, quomodo à Christo curatus fuisset; sed quia id nonnisi ex eius testimonio sciebant, & aliquid periculi in ea re esse videbatur, cautè, vereque respondent se nescire, ipsum interrogent, ætatem habere, vt pro se respondeat.

22. 23. *Hic dixerunt parentes eius.*) Nempe, *Ipsum interroga, etatem habet*, vt statim ait Euangelista. Reddit causam cur ea cautione parentes in loquendo vsi sint, quia Iudæos, id est Pharisæos, & cæteros Iudæorum principes timebant, quos sciebant aduersus Christum conspirasse. Hi enim simpliciter, & κατ' ἐξοχὴν Iudæi appellantur, vt c. 7. 35. *iam enim conspiraverant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret* ἀποσυνάγωγος γένηται, synagoga, id est publicis conuentibus interdiceretur, qui tanquam Messiam illum reciperet, quod nunc dicimus excommunicari. Hoc Euangelista dixit, vt cæci parentes excusaret, quòd non apertè dixissent, quod non ignorabant, filium suum à Christo visum recepisse, vt Cyrillus adnotauit.

24. *Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus.*) Cùm nihil ab eius parentibus de ratione, qua curatus fuisset, extorquere potuissent, eorũ secuti cõsilium *rursum*, id est tertiò cæcum accersunt, finguntque se ex eius parentibus, aut ex seipsis, aut aliunde certò scire Christum hominem esse peccatorem, proinde frustra eum veritatem negare conuictum certis argumentis prius mentitum esse, remque omnem à Christo subornatum compositisse; melius sibi ipsi consulturum, si sponte, quòd res est, confiteatur. Solent Iudices, vt à reis confessionem exprimant veritatis, fingere se aliunde rem scire, multos eius rei se testes habere. Quòd dicũt, *da gloriam Deo*, modus est loquendi Hebræis vsitatus, quo solebant rei tanquam per Deum adiurati solemni ritu interrogari, admoniti ijs verbis stare se coram Deo, reuerendam sibi eius esse maiestatem, ne ergo coram illo mentirentur, qui omnia probè sciret, quasi iudicantes illum ignarum esse humanarum rerum, quæ magna in Deum erat iniuria; hunc potiùs illi honorem deferrent, vt confitenda illius reuerentia veritate ostenderent se credere nihil illum ignorare. Sic ergo dicebant, *da gloriam Deo*, sicut Hispanus iudex dicit, Pone isthic manum, cruce porrecta, & Gallus, Tolle manum, quasi per Deum iuratutus. Exemplũ est Iosue 7. 19.

Adiuratio rei more apud Iudæos.

25. *Si peccator est, nescio: vnũ scio, quia cæcus cùm essem modo video.*) Recte sentiunt Chrysostom. Leontius, Theophyl. & Euthymius, hoc cæcum illum ex animo non dixisse, nec tamen mentitum fuisse. Sciebat enim profecto Christum peccatorem non esse, quę iam versu 17. prophetam, id est virum sanctum esse confessus fuerat; & paulò post ver. 31. 33. non solùm confitetur, sed certis etiam probat argumentis non esse peccatorem. Sed dicit se nescire an peccator sit, id est nolle se de ea re disputare, nolle id magis dicere, quàm si nesciret, nolle verbis agere, sed rebus; si dixerit eum non esse peccatorem, mihilo magis illos esse credituros, hoc se vnum scire se cæcum fuisse, & illius nunc opera videre, inde ipsi, qualis ille vir sit, coniecturam faciant; sic Chrysostomus, & Leontius, Euthymius verò putat hæc non nescientis, non dubitantis, sed Pharisæorum nugas irridentis esse verba, quasi non tam dicat se nescire, quàm se mirari, quòd id illi nesciant, quòd id interrogent. Potest & hic esse sensus, *nescio*, id est non debeo ego de ea re iudicare, non est meum officium, nec vos de ea re quærere debetis, nec ego respondere magis volo, quàm si nescirem. Videtur hoc loco cõfirmari quod Theologi tradunt non debere reum ad ea, quæ iudex inepte, & præter ordinem iuris rogat, respondere. Ruperti interpretationem coactam esse arbitror, *si peccator*, inquit, *est, nescio, id est peccatorem non esse scio*; quasi non neget scire se vtrum peccator sit, sed affirmet scire non esse peccatorem.

Rom. 4. 5. Ruperti interpretatio coacta.

26. 27. *Dixerunt ergo illi, Quid fecit tibi?*) Iam audierant ab illo, quid sibi fecisset, ver. 15. sed interrogant iterum, quid sibi Iesus fecerit, quasi aliquid præterea grauius prolecturi quo sabbatum omnino violatum videretur. Nam digito ex puluere, & sputo lutum fecisse, linisseque oculos nimis leue ad accusationem videbatur. Ille ineptam, & pertinacem quæstionem indignatus, acerbiùs, quàm ante respondet, pungens simul illos, & irridens, *Numquid & vos vultis discipuli eius fieri?* nihil Pharisæis scientiæ opinione inflatis cõmelioſius dici poterat, quodque hominem superbos magis vreret, quã eos velle, aut posse, non dico Christi, quem tanto illi odio prosequebãtur, sed etiam cuiuscumque hominis discipulos esse. Duo his verbis ostendit, præterquam quòd Pharisæorum arrogantiam irridet: indicat primum, quid, si saperent, facere deberent, nimirum Christi discipuli fieri; deinde se eius esse discipulum. Hanc enim vim habet particula illa, *& vos*, quasi dicat, sicut ego discipulus eius sum: sicut Leontius acutè vidit, & Theodorus in Græca Catena.

28. *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt, Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus.*) Indicauerat, vt modò dicebamus, cæcus ille se discipulum esse Christi, quod cùm intellexissent Pharisæi, respõdẽt, *Tu discipulus illius sis*, quasi dicat, esto tu, vt es discipulus illius, &, vt vulgo loqui solemus, prosit tibi, quòd discipulus illius sis; nos Mosem meliorem habentes præceptorem eius discipuli esse nolumus. Non ergo dicunt, *Tu discipulus illius sis*, quasi iubeãt, aut concedant, qui nondum Christi discipulus esset, discipulum

discipulum eius fieri, sed quasi per ironiam gratulentur ei, quòd eius discipulus sit; sibi verò gloriæ ducant, quòd eius discipuli non sint. Notat Leontius pronomen illud ἐκείνου, *illius*, abominantis esse.

29. *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, vnde sit.*) Docent quanto meliorem præceptorem habeant. Scire se Mosi, quem ipsi præceptorem sequantur, locutum esse Deum; itaque non magis errare posse eum sequentes, quàm si Deum ipsum sequerentur. Christum nescire vnde sit, id est an missus sit à Deo, an Deus illi locutus fuerit. Non enim significant nescire se, quo loco sit natus, cùm pro certo haberent eum in Galilæa natum esse. Hoc eodem sensu cæcus illis respondet, vt iam dicturi sumus. Cùm dicunt, *hunc*, contemptim de illo loquuntur nolentes appellare. Ad hunc modum Euthymius exponit. Quod magis mihi placet, quàm quod in Græca Catena Cyrillus, & in commentarijs Leontius scribũt, opponi Mosi legislatori Christum tanquam violatorem legis; quasi dicant, scimus Deum Mosi legem dedisse, iste autem, qui legem violat, nescimus vnde sit. Aliam affert Leontius interpretationem, vt cùm dicunt, *nescimus vnde sit*, significent ex adulterio ignoto patre natum esse, quod in simili loco cap. 8. 19. ex eodem Leontio, & Cyrillo suprà notauimus. Sed quod primo loco posuimus, est probabilius. Ita non repugnant sibi, cùm hoc loco dicunt, *nescimus vnde sit*, & cùm cap. 7. 27. *Hunc scimus vnde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit*, quæ altera Leontij quæstio est; illic enim de loco, hic de spiritu, & auctoritate, qua missus esset, loquebantur; præterquam quòd illi turba, hi Pharisæi erant. Notant Chrysostomus, & Theophylactus quòd non viderant, sed audierant, aut legerant, dixisse se scire Deum cum Mose locutum fuisse; quod autem oculis suis perspexerant tot à Christo coram ipsis miraculis factis, eum filium esse Dei, aut ab eo certè missum, quódque & Patris, & Ioannis, vt ait Euthymius, audierant testimonio, id se dicere nescire. Tantum valet ad credendum, vel non credendum affectus.

Cap. 7. 27. Cyrillus. Leontius. Theophyl. Euthym.

30. *Respondit ille homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, vnde sit, & aperuit meos oculos.*) Mirabile quiddam, & incredibile in hac re accidit, quòd vos nesciatis, vnde sit, cùm oculos meos aperuerit. Particula ὅ pro τὸ Hebraico, id est *certè*, aut enimuero posita est. Pronomen, *hoc*, hanc habet emphasim, vt verbum cæcus ex Pharisæorum ore arripere videatur, & ex eo ipso, quod illi dixerãt, eos coarguere. Cùm dicit, *mirabile est*, aut significat eos mentitos esse, cùm dixerunt nescire se vnde Christus esset, probárque fieri non posse, vt id nesciant, cùm Pharisæi sint, id est homines præstantes scripturarum scientia, ex quibus cognitum habebant non solere quemquam nisi à Deo missum miracula facere, aut certè eorum exprobrat ignorantiam, quòd Pharisæi cùm sint, ignorent neminem posse facere miracula, nisi à Deo missus sit. Vtrumlibet voluerit significare, emphaticum est pronomen illud, *Vos*, aut vos homines docti hoc non potestis ignorare: aut mirum est, & vestro indignum nomine, quòd vos Pharisæi, qui omnia scire profitemini, hoc ignoretis, *Vnde sit*, vt supra exposuimus, idem est, quod à quo missus sit, an sit ex Deo; aut *vnde*, id est qualis *sit*, iustus, an peccator; hic enim cardo quæstionis erat. ver. 24. *scimus, quia hic homo peccator est.* Hoc ex sequentibus verbis apparet. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit.* Singularem etiam habet vim, quod addit, *Et aperuit meos oculos*; quasi dicat, cùm tam manifestum, tam illustre miraculum fecerit, non in loco aut remoto, aut occulto, sed in me, in meis oculis, quos vos ante cæcos vidistis, nunc sanos videtis.

31. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit.*) Probat scire eos, aut certè debere scire, *vnde*, id est qualis sit; iustum esse, non peccatorem, cùm exauditus à Deo sit, & Deus peccatores non audiat. Sic enim ratio formanda; Deus non audit peccatores, sed iustos. hunc audiuit, ergo iustus, nõ peccator est. Argumentatur autem ex communibus principijs, & recepta apud omnes homines opinione, vt Cyrillus, & Leontius obseruant, ideo non dixisse. scio, sed *scimus*, id est vulgo scitum est, atque receptum, vt nemo prorsus dubitet. Chrysostomus & Theophylactus ad solum cæcum, & Pharisæos referunt, quorum alij dixerant, ver. 16. *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*; alij, *quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Ad quam secundam opinionem alludens cæcus dicat, *Scimus* ego, & vos, peccatores à Deo non audiri. Sententia est generalis, & sæpe in sacris litteris repetita. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, cum multiplicaueritis orationem, nõ exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, Isai. 1. 15. Et, *aggrauata est auris eius, vt non exaudiat; sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*, Isai. c. 59. 1. 2. Et, *qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis*, Prouerb. 28. 9. &, *peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum*. Psal. 49. 16. Et, *maledicam benedictionibus vestris*, Malach. 2. 2. De iustis autem dicitur, *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*, Psal. 33. 16. &, *oculi Domini ad timentes eum*, Ecclesiast. 15. 20. Disputant tamen multi, quomodo ea sententia in vniuersum vera sit, Deum peccatores non exaudire. In quibus Augustinus hoc loco, & in lib. 50. homil. hom. 43. & lib. 2. contra epistol. Parmen. cap. 8. & lib. 5. de baptismo contra Donatist. cap. 20. & lib. 1. retract. cap. 3. Beda, *Si enim Deus peccatores non audiret, frustra ille publicanus*, inquit Augustinus, *oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret, Deus propitius esto mihi peccatori.* Putant igitur Augustinus, & Beda, aliique multi interpretes Augustinum secuti cæcum illum tanquam catechumenum, aut neophytum locutum esse, qui necdum satis instructus à Christo generaliter pronuntiauerit, quod generaliter verum non sit. Abutebantur hoc loco Donatistæ, vt probarent irrita esse sacramenta per peccatores administrata, vt ex ijs locis Augustini aduersus Donatistas, quos modò notauimus, perspicuum est. Quæ res Augustinum, vt opinor, impulit, vt diceret non esse eam Christi, aut scripturæ sacræ, sed indocti hominis sententiam, quæ non semper vera sit; abusus est & D. Cyprianus mirę sanctitatis, & eruditionis auctor epistola 64. & 80. vt probaret baptismum ab hęreticis datum esse repetendum. Quod cùm falsum esse constet, conati multi sunt varijs modis generalem restringere sententiam. Augustinus hactenus rectè sentit, quòd non putat de sacramentis intelligi debere. Nam etsi cum omnibus sacramentis aliquæ preces coniunctæ sunt, tamè aliud sunt preces, aliud sacramentum, nec vis sacramenti in precibus posita est. Itaque cùm peccator sacramentum administrat, non est peccator, sed Christus, qui exaudirur, auctor sacramenti. Quòd autem Augustinus existimat, ne de ipsis quidem precibus hoc in vniuersum verum esse, disputabilis quæstio est; videmus enim aliquando audiri à Deo peccatores, non solùm cùm veniam à Deo suorum peccatorum petunt, quam semper Deus paratus est dare; sed etiam cùm alia petunt bo-

An Deus peccatores non exaudiat.

Tract. 44. Luc. 18. 13.

Donatistæ hoc loco abusi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

na, quæ non ad corpus, sed ad animum pertinent. Placet mihi interpretatio Leōtij, quæ eadem Theophylacti, & Euthymij est, esse hoc ita intelligendum, Deum non sic peccatores audire, vt per eos ad declarandam eorum sanctitatem miracula faciat; de hac enim re hic agebatur. Tota ratio duobus principijs nixa est, quæ quamuis cæcus non expresserit, intelligi tamen voluit. Alterum est, omnes homines, qui miracula faciunt, precibus facere; id est non propria auctoritate, sed impetrata precibus à Deo ea faciendi potestate. Alterum: Christum tanquam purum hominem miracula facere: illud quidem verum est; in hoc secundo cæcus errabat.

32.33. *A seculo non est auditum.*) Exaggerat miraculum, inquit Chrysostomus, vt maiorem argumento vim adhibeat; tanquam dicat, quisquis miraculum qualecunque facit, à Deo est, quanto magis Christus, qui non qualecunque, sed tale miraculum fecit, quale neminem vnquam fecisse fando auditum est? Potest & alius esse sensus, vt probet his verbis cæcus verum fuisse miraculum, quod Christus in se fecisset; nec enim potuisse oculos nati cæci alia ratione, quàm miraculo aperiri; quem enim medicum vnquam homini nato cæco dedisse visum? quemadmodum Theodorus Heracleensis videtur exponere. Obseruauit antè idem Theodorus, & alter Theodorus Mopsuest. Cyrillus, & Leontius, cùm cæcus dicit, *A seculo*, tacitè Mosem ipsum includere, qui nullum vnquam tantum miraculum fecerit; itaque Christum illi antepositum quem Pharisæi paulò ante Christo prætulissent, *tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus*; Et, *nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit.*

Mosi antepositus Christum cæcus.

Ver. 28. 29.

34. *Responderunt, & dixerunt ei, in peccatis natus es totus, & tu doces nos?*) Hinc apparet mansuetudinem illam, qua ante Pharisæi in interrogando cæco vsi fuerant, lictam fuisse, & ad eliciendum ab eo aliquid comparatam. Nam vt Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, & Cyrillus adnotarūt, quamdiu spes illis fuit, aliquid ab eo diuersis interrogationibus exprimendi, quod ad Christi criminationem seruire posset, mitiùs cum eo, & moderatiùs egerunt; cùm verò vident apertè eum Christum defendere, seque insuper ab eo coargui, tū verò in contumelias erumpunt. Maximè verò commouet eos quod ad eius argumenta respondere non possent, vt Theodorus Mopsuest. & Theodorus Heracleotes, Cyrillus, & Euthymius indicarunt. Sic solent hodie deprehensi, & conuicti argumentis hæretici ad probra, & iniurias seipse conuertere, & cum ad respondendum lingua hæreat, ad conuitiādum soluta est. Magis etiam eos pupugit, quòd cæcus illos, id est homo vilis, abiectus, imperitus, & nihil nisi peccare sciens, homines sanctitatis, & scientiæ opinione præcellentes, &, vt vno dicā verbo, Pharisæos, id est egregios, & ab imperita multitudine segregatos docere videretur. Hoc enim vnum respondent, hoc queruntur, *Tu doces nos?* Atque hanc vim habent duo illa pronomina, *tu*, & *nos*. Quod dicunt *in peccatis natus es totus*, simplicissimè ego quidem intelligo, vt ea phrasis perinde valeat, ac si dicant, nihil aliud ab vtero matris tuæ vsque ad hodiernum diem didicisti, nisi peccare, *& tu doces nos?* sed tamen aliorum interpretationes nec præteribo, nec sequi alios prohibeo. Quidam igitur totum id est corpore, & animo interpretantur. Nam animo, cùm natus est, iam fuisse peccatorem, siue propter originale peccatum, siue quòd, vt illi existimabant, eius anima in alio ante corpore peccauisset, ideóque in corpus aliud oculis orbatum inclusam fuisse, quemadmodum Cyrillus, & Leontius exponunt, & corpore ipso peccati vestigijs notato natum esse. Sic apparet vtrumque Theodorum Heracleotem, & Mopsuest. & Cyrillum intellexisse; estque valde probabilis explicatio. Alij totum putant ad ætatem referri, quasi dicant, toto tempore vitæ tuæ peccator fuisti, vt Chrysostomus, & Theophylactus.

Hæretici in conuitiādo Phārisæorum discipuli.

Et eiecerunt eum foras.) Quidam exponunt, eiecerunt extra templum, vt Theophylactus; sed nō constat Pharisæos in templo fuisse, cùm hæc agerentur. Alij, eiecerunt à loco iudicij, in quo tunc erant, vt Theodorus Heracleens. Alijs à synagoga, atque excommunicarunt illum, & synagogæ ingressit, consuetudinéque prohibuerunt, vt Leontius. Ego non audeo plus dicere, quàm ex verbis intelligi potest. Cùm ergo neque templi, neque synagogæ, neque iudicij vlla fiat mentio, aut vllum saltem vestigium appareat, simpliciter interpretor indignatione quadam ex loco, in quo erant, eum eiecisse, tanquam hominem stultum, indignúmque cum quo ipsi tanti magistri disputarent. Is autem locus non alius fortasis, quàm priuata domus erat.

35. *Audiuit Iesus quia eiecissent eum foras, & cùm inuenisset eum, dixit ei, Tu credis in filium Dei.*) Loquitur Euangelista de Christo perinde ac si purus esset homo, quia Christus ipse in hoc facto tanquam homo gessit se, quemadmodum multis alijs locis obseruauimus. Non erat illi necesse ab alijs audire cæcum à Pharisæis foras eiectum fuisse, vt id sciret, qui intimas hominum cogitationes cognitas habebat, atq; perspectas: sed ita se gerit, quemadmodum si non aliunde, quàm ex aliorū narratione sciret. Quo consilio id fecerit, incertum; sed est probabilis coniectura noluisse nisi loco, ac tempore diuinitatem suam declarare. Quanquam Cyrillus, & Leontius non existimant vt hominem audiuisse, sed vt Deum scisse illum eiectum fuisse foras. Quod præterea dicitur Christus cæcum inuenisse, ita dictum videtur quasi casu in illum inciderit quia ita ille eum inuenit, quasi non quæsiuisset; cùm credendum sit de industria quæsitum inuenisse, idque haud obscurè ex præcedentibus Euangelistæ verbis colligitur. Cùm enim dicit, *Audiuit Iesus quia eiecissent eū foras*, indicat, quæsiuisse eum; alioqui frustra id ante dixisset. Magnum beneficium consecutus cæcus fuerat, quòd visum recuperasset; maius cōsecutus est, quòd eiectus fuerit à Pharisæis: continuò enim quæritur, inuenitur, susciputur, docetur à Christo, quæ illi ad saluté decrant. In magno nobis lucro ponendum est, quòd à Pharisæis id est ab hæreticis, à schismaticis, à mundo eiiciamur foras; tunc quærimur, tum suscipimur à Christo, qui dum eorum amicitia, quasi vinculis tenebamur, ab eo non visebamur. *Pater*, inquit, *meus & mater mea dereliquerūt me, Dominus autem assumpsit me.* Obseruarunt hoc Augustinus, Chrysostomus, Beda, Theophylactus. Interrogat Christus inuentum cæcum, *Tu credis in filium Dei?* vbi pronomen *tu*, vt recte Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius adnotarunt, emphasim habet, quasi dicat, Pharisæi, qui te eiecerunt, non credunt in filium Dei, quid tu? an credis? Præstiterat illi Christus corporis medicinam, offert nunc & medicinam animæ; illuminauerat eius corpus, vult & animum, quod maius est beneficium illuminare, *Lauerat faciem corporis, modo lauat*, inquit Augustinus, *faciem cordis*. Quod idcirco facit, quia fe cæcus ob primum beneficium gratum ostenderat, Christum coram Pharisæis constanter defendens, vt vterque Theodorus Heracleen. & Mopsuest. Cyrillus & Theophylactus admonuerunt. Voluit enim Christus egregium athletam, qui fortiter pro se

Pro Iudæis Pharisæi dicuntur.

Pharisæi Iudæi.

pugnasset,

pugnasset, post victoriam, vt aiunt Chrysostomus, & Theophylactus coronare. Illud etiam opportune Theodorus Heracleotes animaduertit, cum eius Christus sanauit oculos, nihil interrogasse, cùm autem sanare animam eius vult, interrogare an credat, quia ad salutem corporis nihil nos cū Deo cooperamur, ad salutem autem animæ aliquid nos ipsi agimus. Hoc est quod Augustinus dixit, *Qui fecit te sine te, non iustificat te sine te fecit nescientem, iustificat volentem.* Non interrogat an credat in se, sed an credat *in filium Dei*, siue vt modestius de se loquatur, & nullam cæco admirationis occasionem daret, quòd fecisset si statim primo loco rogasset, an in se crederet, hominem quamuis gratum, atque beneuolum, tamen qui nullam de ipso maiorem, quàm de homine haberet opinionem. Paulatim in fidem ducit, & se illi ostendit, vt Samaritanæ fecit, c. 4. 10. siue, vt Cyrillus, & Leontius existimant, vt ostenderet, qui in se crederent, non tanquam in hominem solum, sed tanquam *in filium Dei*, verúmque Deum credere debere.

Ad illud Quia fecit cæcos in vtero matris.

Nemo, &c. Prouerbio vsus.

36. *Quis est Domine? vt credam in eum.*) Cùm respondet *quis est?* & addit, *vt credam in eum* indicat se paratum ad credendum esse, tantùm sibi deesse illius cognitionem, crediturum se libēter in eum, si se doceat quisnam ille sit, vt Chrysostomus, Theodorus Mopsuest. & Euthymius adnotarunt. Sunt autem, qui putent cæcum non cognouisse Christum esse, cum quo loquebatur, quamuis crederet eum, à quo sanatus fuerat, fuisse Christum, verúmq; filium Dei, ideóque rogare, *quis est Domine?* vt Theophylactus, & Leontius. Nec enim vnquam ante vidisse Christum, ideóque cognoscere etiam secum loquentem non potuisse, quia, cùm adhuc cæcus esset, in Siloē missus ab eo fuerat, ibique recepto visu statim ad Pharisæos raptus erat, itaque tempus nō habuerat Christum videndi, cognoscendique. Alij rectè ex voce Christum cognouisse, eúmque esse, qui curasset, idcireo honorificè dominum appellasse, quia nondum credebat filium esse Dei, vt Theodorus Heracleen. & Mopsuest. Quod multo est probabilius. Nam si ante credidisset eum, qui se curauerat filium esse Dei, iniuriam illi profecto feciset, si à quoquam rogasset, quis filius Dei esset, vt in illum crederet. Rogat tamen Christum, à quo sciebat se esse curatum, quemque nondum sciebat filium esse Dei, quis filius Dei sit, vt in illum credat; hactenus propter acceptum ab eo beneficium illi confidens, vt certò sibi persuasum haberet nō esse illum sibi impositurum, sed verum Dei filium ostensurum; itaque indicat se ad vnum eius verbum, solāque ipsius auctoritate crediturum esse, vt Theodorus Mopsuest. animaduertit. Tanti est momenti ad persuadenda difficillima quæque fidei mysteria doctoris sanctitas, & opinio. Signandus hic locus est aduersus Arianos, quorum hæresis multis in locis ex Caluinismi cœno renascitur. Cùm enim sciret cæcus Christum filium esse Dei eo modo, quo prophetæ, & viri sancti filij Dei appellantur; iam enim prophetam, iam virum sanctum coram Pharisæis confessus fuerat ver. 17. 31. 33. tamen ab eo ipso rogat, quis sit filius Dei; vtique non iam vt homo sanctus, non iam vt propheta, sed vt Dei filius naturalis. Et eodem sensu Christus se esse respondet.

Trasl. 44.

37. *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.*) Non dicit Christus, Ego sum, quod clarius erat, & brevius, siue vt modestiùs de se loquatur, vt Chrysostomus, & Theodorus Mopsuest. indicant; siue, vt Cyrillus, & Theophylactus, vt ostenderet seipsum qui videbatur, qui loquebatur, qui genitus ex Maria erat filium esse Dei, nec duos, vt Nestoriani postea putauerunt, sed vnum tantum esse filium. At loquens cum Samaritana palam dixit *Ego sum*. c. 4. 26. Respōdet Theodorus Mopsuest. tunc apertè dixisse, *Ego sum*, quia solus cum sola loquebatur; nunc non ita dicere, sed circūlocutione vti, quia multi alij, etiam Pharisæi auditores aderant, vt ex ver. 40. manifestum est. Aliam ego rationem, cur ita locutus fuerit, animaduerto, quòd videatur vehementior esse, & efficacior oratio figurata, quàm simplex, *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* Plus enim & ponderis, & gratiæ hoc habet, quàm si simpliciter dixisset, *Ego sum*. Probabile etiam est, quod quidam obseruarunt, verbo ipso *Vidisti*, beneficium illi recepti visus in mentem reuocare voluisse. Intelligit autem vidisse eum non ante, sed tunc, vt Leontius scribit. Nam ante nunquam viderat Christum, vt superiore versu docuimus.

38. *Credo Domine, & procidens adorauit eum.*) Et verbis, & factis ostendit se verè credere Christum filium esse Dei, verúmque & ipsum Deum. Non enim vt prophetam, non vt virum sanctum, non vt hominem bene de se meritum vrbanitatis causa, sed vt verum adorat Deum. Sciebat enim ante & prophetam, & virum sanctum, & bene de se meritum esse, & tamen non adorauerat. *Vis videre*, inquit Augustinus, *qualem credat? Et procidens adorauit eum.* Itaq; & hic locus aduersus Arianos notandus est.

39. *Et dixit Iesus, In iudicium ego in hunc mundum veni.*) Dixit non cæco, qui iam credens ea non indigebat admonitione, sed Pharisæis, qui aderant, vt ex sequenti versu intelligitur. Dixit tamen propter cæcum, id est sumpta ex illo occasione, qui cum & corpore, & animo paulò ante cæcus fuisset, & corpore, & animo visum receperat. Itaque vitiosè in nonnullis codicibus legitur, *Dixit ei.* Omnes fere auctores, Græci præsertim, Theodorus Mopsuest. Cyrillus, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus existimāt iudicium hoc loco, sicut multis alijs maiorem condemnationem significare, quemadmodum si diceret se in hoc venisse, vt ex eo quòd alij crederent, & illuminarentur, increduli maiore ignorantiæ cæcitate traditi in reprobum sensum. Quod etsi ideo quibusdam non placet, quòd nomen iudicij ad vtrosque & qui ex cæcis videntes, & qui ex videntibus, cæci fiunt, referri videatur; & qui ex cæcis fiunt videntes minimè puniantur, tamen probabile est, quia non est necesse, vt ad vtrosque nomen iudicij referatur. Potest enim sic oratio resolui, in condemnationem ego (eorum qui vident) in hunc mundum veni, vt cæcis videntibus ipsi cæcitate feriantur. Mihi tamen alius videtur germanus esse sensus, vt iudicium neque condemnationem, nec, vt alij volunt, Dei decretum significet, sed Dei prouidentiam, quod vulgo etiam iudicium Dei solemus appellare; quasi dicat ad declaranda Dei iudicia in hunc mundum veni, quæ in hoc maximè cernuntur, vt præter hominum opinionem qui cæci sunt, videant, qui vident, cæci fiāt. Supernacanea igitur est illa quæstio, quam magni etiam auctores Theodorus Mopsuest. & Euthymius proponunt, quomodo huic loco non repugnet, quod supra idem Christus dixit, *Non misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Illic enim iudicium pro condemnatione, hic pro prouidentia ponitur. Præterquam quòd vt idem Theodorus, Cyrillus, & Theodorus alter Heracleens. & Theodoritus in Græca Catena, & Euthymius hoc loco monent, aliísque locis Chrysostomus, Theophylactus & Damascenus monere solent, particula. *Vt*, non significat finalem

Iudicium Dei eius prouidentia.

c. 3. 17.

Vt, non causam finalem sed euentū significat.

causam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

causam, sed euentum. Non enim ideo venit, vt qui videbant, cæci fierent, sed factum est ita hominum culpa, vt multi oblato lumine magis cæcutirent. Exempla multa, & nota sunt, Psal. 50.6. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* 1.Cor.11.19. *Oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Nec enim ideo Dauid peccauit, vt Deus iustificaretur; neque hæreses propterea veniunt, *vt qui probati sunt, manifesti fiant*; sed accidit ita, aut potiùs diuina consequitur prouidētia, vt ex peccatis nostris Deus iustificetur, & grassante hæreli manifesti fiant, qui probati, constantésque in fide sunt. Aliam iudicij interpretationem, quam alius quidam Theodorus affert nouorum hæreticorum interpres, vt pro iure, ac potestate accipiatur iudicandi, ineptam iudico. Notant Leontius, Chrysostomus & Theophylactus Christum hîc de duplici simul visione, ac cæcitate loqui corporis, & animæ. Nam & quosdam animo pariter, & corpore cæcos; animo, & corpore videntes effecit, velut cæcum istum, vnde huius sententiæ argumentum sumpsit; & Pharisæi, qui sibi animo, & corpore valde acutè videre videbantur, & animo, & corpore cæci facti sunt, animo, quia auctorem salutis suæ non cognouerunt, & in media luce non viderunt veritatem; corpore, quia ita Christi miracula viderunt oculis, vt nequaquam ea videre viderentur. Theodoritus in Græca Catena ad Paulum, & Iudam accommodat. Paulus ex cæco videns, Iudas ex vidente cæcus factus est. Cyrillus verò, &, vt videtur. Chrysostomus ad Iudæos, atque Gentiles, quorum illi quidem ex videntibus cæci, hi ex cæcis videntes sunt facti. *Cæcitas*, inquit D. Paulus Rom.11. *25. ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.*

40. *Nunquid & nos cæci sumus?*) Intellexerunt Pharisæi notari se, cùm cæco aduersarentur, & Christus cæcum, qui ex cæco videns factus fuerat, alijs, id est eius aduersarijs opposuisset. Sed quia generaliter, & indefinitè locutus fuerat, nec eos aut nominauerat, aut indicauerat, quærūt an de se loquatur, vt si confessus id fuerit, violatæ legis insimulent. quæ prohibebat principi populi maledicere, vt Cyrillus, & Leontius edisserunt. Itaque putant Phariseos existimasse non corporis, sed animi cæcitatem à Christo obiectam sibi fuisse. Quod multo est probabilius, quàm quòd Theodorus Mopsuest. Leontius, & Theophylactus dicunt, solam eos corporis cæcitatem, vt homines nihil spirituale cogitantes intellexisse. Corporis enim cæcitatem sibi obiici risissent potiùs, quàm indignati fuissent. At indignati quærunt, *nunquid & nos cæci sumus*, id est indocti, & insipientes, sicut iste, quem tu ex cæco videtem factum esse significas? aut, *nunquid & nos* animo *cæci sumus*, sicut iste animo cæcus fuit? Hanc vim habet coniunctio illa, &, propterea si de corporis tantùm intellexissent cæcitate, non dixissent, *Nunquid & nos cæci sumus?* (videbant enim se corpore non esse cæcos) sed, nunquid & nos cæci sumus, sicut Christus dixerat, vt *qui vident, cæci fiant.*

41. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis, quia videmus; peccatum vestrum manet.*) Non loquitur Christus ex veritate, sed ex Pharisæorum opinione, *si cæci*, inquit, *essetis* iudicio vestro, id est si cæcos vos esse verè, vt estis, sentiretis. Videbatur adiungendum esse, videretis, sicut dixerat, *vt qui cæci sunt, videant*; non id dicit, sed *non haberetis peccatum*, quod re quidem ipsa idem valet, hoc enim est videre, peccatum non habere, intellectu autem hoc facilius; ideo hoc non illud dixit, vt simul declararet, quid esset videre, quid cæcum esse. Si ergo cæcos vos, id est peccatores esse sentiretis, *non haberetis peccatum*, quia peccati remedium quæreretis; quia ad spiritualem medicum veniretis; quia accederetis ad agnum Dei, *qui tollit peccata mundi*, & à peccato vos liberaret; sed quia *dicitis* apud vos, id est putatis (Hebraica phrasis) vos videre, *peccatum vestrum manet*, id est non curamini, sed in cæcitate vestra permanetis. Hunc credo verum esse sensum. Atque ita Augustinus & Beda hoc loco. Prosper in Psal.134.& Euchetius in qq. in Ioan. exponunt. Haud paulò melius, quàm Chrysostomus, Leontius, Theodorus Mopsuest.& Theophylactus. qui existimāt esse sensum, si cæci essetis corpore, quemadmodum à me appellari putauistis, peccatum non haberetis, quia minùs essetis superbi. Alibi notauimus manendi verbum præsertim apud Ioannem hanc habere emphasim, vt plus significet quàm esse, aut inesse in alio: declarat enim moram, habitum, inhæsionem eius rei, quæ ante fuisset. Itaque sensus est, Peccatum, quod ante in vobis erat quódque si cæcos vos esse sentiretis, vobis ablatum esset, quia vos videntes esse putatis, in vobis remanet, in vobis hæret; non tollitur, non deletur, non remittitur. Exempla sunt supra c.1.32.33.& 3.36.& 5.38.& 6.56.& 8.31. & infra c.12.46.& 15.4.6.7.10.

CAPVT X.

1. *AMEN, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est, & latro.* 2. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.* 3. *Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.* 4. *Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.* 5. *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum.* 6. *Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.* 7. *Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen, amen, dico vobis, quia ego sum ostium ouium.* 8. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oues.* 9. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* 10. *Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* 11. *Ego sum pastor bonus.*

Bonus

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. 12. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues:* 13. *mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* 14. *Ego sum pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ.* 15. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.* 16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.* 18. *Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso. & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo.* 19. *Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos.* 20. *Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?* 21. *Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* 22. *Facta sunt autem Encænia in Ierosolymis: & hiems erat.* 23. *Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* 24. *Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.* 25. *Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me:* 26. *sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* 27. *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me:* 28. *& ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* 29. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.* 30. *Ego, & Pater vnum sumus.* 31. *Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.* 32. *Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* 33. *Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* 34. *Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dij estis?* 35. *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura:* 36. *quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?* 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* 38. *Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* 39. *Quærebant ergo eum apprehendere: & exiuit de manibus eorum.* 40. *Et abijt iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum: & mansit illic:* 41. *Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.* 42. *Omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.*

IN CAPVT X.

AMEN, *amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.*) Non malè sentire mihi videntur ij, qui hoc caput à ver.39. superioris capitis inchoandum fuisse putant. Nam dubium non est, quin eo loco nouam Christus concionem aggressus fuerit sumpto exordio ex cæco, quem curauerat. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Sed quisquis capita distinxit, habuit rationem parabolæ, quæ quia hoc loco inchoatur, hîc etiam fecit capitis initium. Quomodo hæc parabola cum illo hæreat exordio, etsi omnes concedunt continuatum fuisse sermonem, dubitatur. Augustinus, Beda, & Rupertus existimant Christum probare voluisse Pharisæos cæcos esse, quia si cæci non fuissent, verum vtique pastorem agnouissent. *Vnde sibi vsurpabant lumen*, inquit Augustinus, *qui furebāt contra diem?* Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius occurrisse Christum tacitæ eorum obiectioni, se non propterea illum fugere, quòd ipsi cæci essent, sed quòd ille seductor, & quasi fur, & latro esset, qui in alienum gregem, id est in populum ipsis commissum irruisset, vt diriperet, perderet, dilaceraret; respondere ergo Christum se verum esse pastorem, illos fures, atque latrones. Optimè omnium mihi Cyril. in Catena Græca videtur exponere quomodo initium huius capitis cum superioris fine cohæreat; respondisse Christum non ad Pharisæorum verba, sed ad tacitas eorum cogitationes. Putabant se solos esse populi doctores, atque pastores, dolebantque quòd totus populus Christum falsum, vt ipsi cogitabant, pastorem sequeretur, ideo hanc ipsum parabolam induxisse, qua se doceret verum esse pastorem. Priùs autem furem, & latronem, quàm verum pastorem describit, quia facilius cognoscimus quis fur sit, quàm quis sit bonus pastor. Furem, & latronem non verum pastorē esse dicit, qui *non per ostium intrat in ouile ouium.* Ouile vocat non qualia nunc in

plerisque

plerisque regionibus esse videmus, solo reti septa; ea enim neque ostium neque ianitorem habent; sed stabulum muro circumdatum, qualia Galli habent in omnibus rusticis domibus intra primā, magnamque domus portam, qua currus in cohortem ingrediuntur. In ea prima porta solebat olim in omnibus paulò locupletioribus domibus seruus aliquis esse, qui ianuæ claudendæ, aperiendæque curam haberet catenis nonnunquam ligatus, vt poëta ille significauit.

Ouid. 1. Amorum. *Ianitor indignè dura religate catena.*

Notauit Rupertus potuisse Christum sine ambagibus vllis dicere, *Ego sum pastor bonus*; vos, & alij, qui ante me venerunt fures, & latrones estis: at non ita dicere voluisse, ne eos statim offenderet, atque abalienaret à fructu concionis. Sensim ergo, & generaliter priùs bonum, malúmque pastorem descripsisse, deinde ad se, & alios descriptiones accommodasse; atque ita idem fecit, sed modestiùs, prudentiùs, & fructuosiùs. Quid ostium in applicatione parabolæ significet, disputatur, redditque difficiliorem quæstionem, quòd eam Christus explicasse videatur ver. 7. *Ego sum ostium ouium.* Cùm enim Christus videatur, quod sit ostium declarare, temerarium multi iudicarunt dicere aliud quàm Christum ipsum significare. Itaque Cyrillus in Catena Græca, Augustinus hoc loco, & sermone 49. de verb. Dom. Greg. hom. 13. in Ezechiel. & hom. in eundem 15. & lib. 7. regist. c. 47. & lib. 9. c. 40. Beda, & Rupertus ostium ouilis Christum ipsum esse putant, per quem qui non intrat, fur est, & latro. Intrat autem per illum, qui in illum credit, &, vt ait Augustinus qui illum imitatur. Occurrit tamen contra hanc interpretationem alia statim quæstio, quomodo Christus per se ipsum in ouile intrare possit. Etenim cùm idem non solùm ostium, verum pastor etiam sit, & pastor bonus debeat ingredi per ostium, necesse est, vt ipse per seipsum ingressus fuerit, quod non apparet, qua ratione fieri potuerit. Gregorius ita quæstionem soluit Christum & pro persona ipsa Christi, & pro corpore eius, quod est Ecclesia, accipi solere. Notū exemplum, *Saule, Saule quid me persequeris?* cum non ipsum, sed eius Ecclesiam persequeretur, *& adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Ergo Christū in ouile ouium per ostium, id est per seipsum intrare, quia singula eius membra, quæ sumus nos per illum intramus. Malim dicere, si eam interpretationem ostij sequi velim, intrare per seipsum, id est sua, non aliena auctoritate, alios verò pastores omnes veros intrare per illum, quia non sua ipsorum, sed eius auctoritate intrarant. Sed quid per ostium signari putem cùm aliorum sententias recitauero, dicturus sum. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius, & Theodorus Heracleotes putant ostium esse scripturas sacras, quamuis id ipsum non eodem sensu omnes dicant. Nam Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius & Leōtius existimant scripturas ostium appellari, per quod bonus pastor ingreditur, quia quisquis bonus doctor est, scripturis, quæ dicit, probare debet, & per eas quodammodo in animos auditorum ingredi, fidémque apud eos sibi facere. Theodor. verò Heracleens. scripturam esse ostium, quia ille bonus est pastor, cui scriptura auctoritatem dedit. Cuiusmodi Christus erat, quem omnes Prophetæ venturū prædixerant; omnes scripturæ præsignauerant. Ille ergo per ostium ingressus est, quia scripturæ auctoritate ingressus est. Hic verus est sensus: etsi alium etiam ego non minùs verum animaduerto, vt ostium nihil aliud, quàm diuinam significet auctoritatem; siue ea in scripturis, siue in miraculis, siue alia qua re contineatur. Per ostium igitur ingreditur, quisquis nō sumit sibi honorem, sed *vocatur*, vt ait D. Paulus, *tanquam Aaron*. Per ostium ingrediūtur, qui à Deo missi sunt; aliunde ascendunt illi, de quibus dicitur, *Non mittebam prophetas, & ipsi current* Ierem. 23. 21. Soluenda ergo nobis est quæstio illa Gregorij, quòd se Christus ver. 7. ostium appellet, quod hunc nostræ, & Theodori sententiæ videtur obstare. Credo ego alio sensu dixisse Christum, *qui non intrat per ostium*, alio verò, *ego sum ostium*. Nam cùm dixit, *qui non intrat per ostium*, de ostio, per quod pastores; cùm dixit, *ego sum ostium*, de ostio, per quod oues ingrediuntur, & egrediuntur loquebatur, quod diuersum omnino est; illud est porta prima domus, hoc ostiolum ouilis; per illud pastorē, per hoc oues dixit ingredi debere; illud quod esset non declarauit, hoc se esse dixit, *Ego*, inquit, *sum ostium, per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Et vt cōcedamus idē esse ostium, tamen illud negari non potest, priori loco de pastoribus, posteriore de ouibus loqui, quod satis causæ fuit, vt ostij significationē variaret, quasi de alia iam re ageretur. Aliam ego hic difficiliorem, & magis necessariam quæstionem video, quam tanquam manifestam omnes interpretes præterierē, qui pastores sint? Omnes enim vno excepto, quos legerim, auctores pro comperto habēt pastores esse Doctores, & quicūque siue docendo, siue gubernando populum regunt. Theodorus verò Heracleotes ita hæc edisserit, vt appareat existimasse eum de vno tantùm agi pastore, quasi vnus tantum esse possit, & alius, quàm Christus esse non possit; sicut vnius gregis vnus tantùm pastor esse solet; si qua alij sunt, eius ministri sunt. Non ergo id hic à Christo agi, vt doceat quis homo verus pastor, id est verus doctor sit. Sed cùm ex scripturis perspicuū esset, vnum à Deo pastorem pastorum omnium mittendum esse, qui nō solùm oues pasceret, sed eas etiam de luporū faucibus liberaret, Ezechiel. 34. 23. disputat Christus se illum esse pastorem à Deo per Prophetas promissum; neminem verò alium quàm se vnum esse posse, quia nemo per ostium præter se ingredi possit, quippe qui solus in scripturis promissus esset, solus prophetias impleuerit, quod est per ostium, id est per scripturā, vt diximus, intrare. Confirmat hanc sententiam, quòd ver. 11. cùm Christus dicit, *Ego sum pastor bonus*, Græcè cùm articulo dixerit ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, *Ego sum pastor ille bonus*, quasi dicat ille vnicus, ille promissus, ille, qui solus verus est pastor, confirmat quòd & ver. 8. dicit, *omnes*, qui ante se venerunt, fures, & latrones fuisse quod non videtur verum esse posse; nisi de vnico illo promisso pastore intelligatur. Multi enim ante Christum venerant, qui nō fures, & latrones, sed veri pastores, id est veri Prophetæ fuerunt. Cæterum omnes, qui venerant fingentes se illum verum, & vnicum, qui expectabatur esse pastorem, fures fuerunt, atq; latrones, quia per ostium ingressi non sunt, id est per scripturas sacras missionem, legationémque suam probare non potuerunt.

3. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.) Similis hic de ostiario quæstio est, quis per eum significetur. Ostiarium ouili præfici insolens videtur esse, sed iam docuimus, qua consuetudine id Christus dicat. Quis ostiarius sit, quæritur. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius, & Theodorus Mopsuestiens. Mosem ostiarium esse dicunt, qui Christo venienti aperit, id est suo testimonio eum comprobat esse Christum, *Si crederetis*, inquit, *Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Alij angelum interpretantur, qui vnus vniuersæ præsit Ecclesiæ, quemadmodum singulos præesse singulis ex Ioannis Apocalypsi perspicuum est. Ita Cyrillus, quam interpretationem Leontius etiam refert, & probabilem iudicat. Alij eundem Christum & pastorem, & ostium, & ostiarium faciunt, vt Rupertus. Alij dicūt ostiarium esse Spiritum sanctum, vt Theodorus Heracleotes, idemque Rupertus. Hoc probo, nisi quòd malim Deum generaliter ostiarium facere, quàm ad vnam Spiritus sancti personam restringere sententiam. Deus ostiarius est, quia curam, ac prouidentiam ouilis habet. Is pastori ingredi volenti aperit, dum facit, vt res illi succedat, vt ab ouibus pro vero pastore recipiatur; dum potestatem illi dat miracula faciendi, qua veluti claue ingreditur in ouile, qua ratione & Mosi olim ostium aperuit, vt à populo pro pastore reciperetur, & multis clausit, qui cùm se Moses, aut Christos esse simularent, admissi non sunt, sed detecta fraude repudiati, quales fuerunt Theudas, & Iudas ille Galilæus, Act. 5. 36. 37. & ille alter, cui nomen fuit Barchochabæ, de quo Iustinus in apologia ad Antonin. Pium, & Euseb. lib. 4. histor. Eccles. iast. cap. 6. & 8. Quod dicit, *Et oues vocem eius audiunt*, hoc est agnoscunt, aut voci eius obrempe-rant. Audire enim, pro obedire ponitur Hebræorū idiomate. Octo enim signa veri pastoris tradit. Primum, quòd per ostium ingrediatur; secundum, quòd ostiarius illi aperiat; tertium, quòd oues eius vocem agnoscant, illique pareant; quartum, quòd singulas nominatim oues appellare possit; quintum, quòd oues educat; sextum, quòd ante eas vadat; septimū, quòd oues eum sequantur; octauum, quòd animam suam ponat pro ouibus suis. Notauit hæc Leontius, nisi quòd nimis subtiliter secuit. Agnoscunt oues non solùm cōsuetudine, sed naturali etiam quodam instinctu proprij pastoris vocem, quemadmodum canem custodem à lupo inimico quantumuis simili natura sola indice distinguunt. Sic qui in Ecclesiæ Catholicæ grege sunt facilè discernunt vocem veri pastoris ab hæreticorum, aut schismaticorum vocibus. Quanquam, vt suprà disputauimus, non agit Christus, nisi de se vno, id est de illo optimo pastore, qui animam suam pro ouibus suis positurus erat. Quo confirmato sensu quærendum qui ergo sint oues. Non possum hoc loco D. Augustin. & Bedæ opinionem admittere, qui solos prædestinatos oues interpretantur. Mitto quòd multi prædestinati sunt, qui longo tempore vocem Christi non audiunt, qui longo tempore sunt lupi; multi verò reprobati, qui longo tempore audiunt, longo tempore Christum sequuntur. Quod etsi conatur soluere D. Aug. solutionem ipsam mihi non probat. Hoc vno vtar argumēto: volebat probare Christus verum se, & vnicum esse pastorem, quòd ab ouibus eius vox, doctrinaque agnosceretur; de ijs igitur ouibus loquebatur, quæ ab omnibus cognoscuntur, quasque cùm videant Christi vocem agnoscere, intelligant eum verum esse pastorem; prædestinatos quis præter Deum nouit? qua ratione cognoscere homines poterant, an prædestinati Christi vocem audirent, cùm prædestinatos ipsos minimè cognoscerent? Oues ergo cum aliis omnibus auctoribus eos interpretor, qui sunt in Ecclesia. Nā Ecclesia ouile est. At Christus dicit alias se oues habere, *quæ nō sunt ex hoc ouili*, versu 16. & tamen illi in Ecclesia non sunt. Facilis responsio, sicut nondum in Ecclesia erant, sed aliquando in Ecclesia futuri; ita nondum oues erant, sed quia futuri aliquando erant, per anticipationem oues appellauit. Tunc non oues, sed lupi erant; sed

facit Christus ex lupis oues, faciunt se multæ oues ex ouibus lupos. Illi quandiu lupi sunt, vocem pastoris non audiunt, hæ quamdiu oues sunt, vocem pastoris audiunt; & si non audiunt, eo ipso lupi fiūt. Nam illi ipsi, quibuscum Christus disputabat, Pharisæi, oues priùs erant in ouili, id est in Ecclesia Dei erant; sed quia Christum non audierunt, lupi facti sunt. Obiicier aliquis, cùm Christus simili vsus metaphora iudicium describit, Matthæi 25. 33. solos prædestinatos oues, reliquos non oues, sed hœdos appellare. Verum: sed alia illic ratione, aliaque metaphora; etsi nomine eodem, oues vocat; illic quia mansuetæ, quia innocentes: hic quia in grege sunt.

Et educit eas.) Quonam educit? Nam si Ecclesia, vt diximus, ouile est, non potest nisi extra Ecclesiam educere, quod Christus minimè facit. Primùm hæc de Christo non dicuntur, sed de pastore; & non est necesse, vt sæpe monuimus, omnia, quæ in parabolis dicuntur, ad id, cuius causa proponuntur, accommodari. Multa dici explendæ narrationis, multa describendæ, multa ornandæ rei gratia, vnde parabolæ sumuntur. Quod si quis hoc etiam velit ad Christum accommodare, dicat Ecclesiam ob hoc solùm ouile dici, quòd quemadmodum in ouili oues, ita fideles in Ecclesia contineantur; non item ob hoc, quòd sicut oues extra ouile à pastore, ita fideles à Christo extra Ecclesiam educantur. Intra ipsum ouile, id est intra Ecclesiam pascua sunt, itaque educere oues non est extra Ecclesiam ducere, sed intra Ecclesiam pascere, populum in concionem congregatum docere. Hoc potius sequor, quàm quod Theophylactus dicit, educere Christum oues suas ex medio infidelium.

Non omnia quæ in parabolis sunt, ac cōmodanda sunt ad id, cuius causa proponuntur.

4. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit.) Vt periculum, si quod occurrerit, amoliatur. Propterea potiùs dixit, *ante eas*, quàm post eas, *vadit*, quamuis soleant pastores aliquando oues præcedere, aliquando sequi, quia voluit pastoris curam, & officium exprimere, quod in hoc potissimùm cernitur, vt pericula remoueat, & gregem regat: qui autem regere vult, aut pericula submouere, præcedat oportet. Habet etiam hoc suam in moribus significationem, eamque non simplicem. Non debet Ecclesiasticus pastor gregem sequi, sed ducere, id est non debet tanquam bestias ratione carentes, sed tanquam homines gubernare. Deinde non debet sequi, sed ducere, id est non debet à grege suo virtutem discere, sed gregem potiùs docere, non gregis exemplum imitari, sed gregi suo exemplum præbere, hoc est ducere. *Sic luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Vtrumque Petrus complexus est, *Non dominantes*, inquit, *in cleris, sed forma facti gregis.* Attigerunt fere hæc omnia Theophylactus, & Euthymius.

Matt. 5. 16. 1. Petr. 2. 12 & 2. Pe 1. 19. 1. Pet. 5. 3.

Et oues eum sequuntur, quia sciunt vocem eius.) Sequuntur Christum videntes omnia dicta, factaque eius recte cum scripturis sacris conuenire, non posse non esse Christum, id est verum illum pastorem, quem expectabant.

6. Hoc prouerbium dixit illis Iesus: ipsi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis.) Παροιμίαν, *prouerbium*, parabolam, & similitudinem appellauit. Nam & Græci inde prouerbium παροιμίαν vocant, quòd omnia fere prouerbia ex similitudine aliqua sumantur. Reddit Euāgelista tacitè causam, cur non intellexerint, quę Christus dixerat, quia in parabolis locutus fuerat. Atqui eo ipso ostenderunt se oues Christi non esse, quòd eius vocem non audirent, aut audientes non intelligerent. Propterea dicit illis iterum Christus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

id est explicat, quæ ante obscuriùs dicta non intelexerant.

7. *Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium.*) Id est per quod oues ingredi oportet, si salvæ esse velint. Monuimus supra vers. 1. alio sensu hic Christum se ipsum ostium vocare, quàm illic dixerat. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Nã ersi explicat hic, quæ supra per parabolam pastoris dixerat, tamen non verba, aut partes parabolæ singulas, sed summam sentẽtiæ explicat. Summa autem est, neminem nisi per ipsum salui esse posse, quod docet, cùm ait se esse ostium.

8. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, sed non audierunt eos oues.*) Non videntur hæc cum præcedenti versu satis aptè coniungi. Si enim dixisset se pastorem esse, cõmodè & appositè adderet alios non pastores, sed fures, & latrones fuisse; cùm autem dixerit se esse ostium, non apparet qua ratione, qua consequentia addat alios fuisse latrones. Sunt qui ita coniungant, vt, quoniam dixerat Christus, qui per ostium non intrat, furem esse, deinde se ostium esse ouium, probet omnes alios fures fuisse, quia per se, qui vnicum erat ostium, ingressi non fuerant. Sed iam diximus alio sensu hoc loco, quàm vers. 1. ostium vocari. Theodorus Mopsuest. putat Christum obiectioni occurrere, prouidentem fore, vt Iudæi dicerent Christum non meliorem habiturum exitum, quàm Theudas, & Iudas Galilæus, qui se non multò ante Christum esse finxerant, habuisse nt; illos fures fuisse atque latrones, se verum esse pastorem, non esse ex illorum euentu faciendam de se coniecturam. Credo ego Christum dum hæc dicebat, non ad verba, sed ad summam sententiam respexisse. Quòd autem ad sententiam attinet, idem est Christum pastorem, & ostium esse; vtrumque enim hoc vnum significat, sine ipso neminem saluum esse posse, quales non erant, quicunque ante ipsum venerãt; ideo latrones fuisse dicit. Meritò verò quæritur, quos illos intelligat latrones fuisse, qui ante se venerunt. Hoc rectè quidam obseruarunt non dixisse, Omnes, qui ante me fuerunt, sed *Omnes, quotquot* ante me *venerunt*, vt significaret se non de omnibus prorsus hominibus loqui, sed de ijs tantùm, qui pastoris titulo venissent. At de his ipsis quæstio est, an eos omnes intelligat, qui tanquam pastores ante se venerunt. Nam si omnes intelligit, omnes prophetæ latrones fuerunt, quod non est verò simile dicturum fuisse Christum. Augustlib. 16. contra Faust. m c. 12. & lib. 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum, vnde Beda in suos transtulit commẽtarios, duobus modis videtur respondere. Primùm quidem Prophetas illos veros, ac sanctos propriè nõ veniisse, sed missos fuisse; ideo hac sententia eos tantùm comprehendi, qui à Deo non missi venerant, quales omnes pseudo prophetæ fuerunt, de quibus per Ieremiam Deus dicit, *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.* Vim ergo in verbo *venerunt*, esse putat. Eodem modo Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos interpretatur. Deinde respondet Augustverba Christi sic intelligenda, *omnes quotquot venerunt, vtique præter me fures sunt, & latrones*: veros autem Prophetas non præter Christum, sed cum Christo quodammodo venisse; cùm ideo venerint, vt illum demonstrarent, prædicarentque. Illos præter Christũ venisse, ab eoque distinctos censeri, qui non sub eo venerunt duce, non vt eũ prædicerent, sed vt semetipsos prædicarent. Euthym. alio modo sententiã restringit, eodemque modo Cyril. & Leontius videntur exponere. Intelligendũ esse κατὰ τοῦτο, *Omnes quotquot venerunt, & per ostium* ingressi nõ sunt, *fures sunt, & latrones.* Etenim sanctos Prophetas ante illũ quidem venisse, sed per ipsum, tanquam per ostium ingressos fuisse: traditque nobis regulam sæpe huiusmodi generales propositiones in scripturis sacris ex circunstantijs loci, tẽporis, & rerum, de quibus agitur restringi oportere. Est id quidem verum; sed alio modo hoc loco generalem sententiam restringendã existimo, vt de illis tantùm intelligatur, qui ante Christum venerant, fingentes se esse Christum, quales Theudas, & Iudas Galilæus fuerunt, & alij, de quibus diximus suprà. Illi enim omnes nõ Christus, non veri pastores, quales se esse simulabant, sed fures, & latrones erant: sic Chrysost. Theophylact. & idem etiam Euthym. & in Catena Græca vterque Theodorus Heracleens. & Mopsuest. & Cyril. Alexand. interpretãtur. Ita refellitur Manichæorum interpretatio. qui hoc abusi loco vetus reiiciebant testamentum, vt Chrysost. & Theophylact. indicat. D. Augustnon legit, *Qui ante me venerũt*, sed *omnes, quotquot venerunt*, lib. 2. contra aduersarium legis, & Prophet. cap. 4. atque ita in nonnullis Græcis etiam codicibus legitur. Sed ea lectio, quam posuimus, communis est, & melior, & eodem modo lib. 2. cõtra Pelagianos Hieron. legit. Quod sequitur, *Sed non audierunt eos oues*, sic interpretor, Ideo non audierunt eos oues; aut etenim non audierunt eos oues.

9. *Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.*) Repetit eãdem sententiam & confirmandi, & explicandi causa. Rupertus existimat bis dixisse se esse ostium, quia duo erant ouilia, & duo ostia; infra enim dicere, *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.* Videtur argutum. Quod dicit, *per me si quis introierit, saluabitur*, facile est; idem enim valet, atque si diceret, qui in me credidit, saluabitur. Introire enim per Christum est in illũ credere. Quo autem modo omnis, qui in eum credit saluus sit, multis locis exposuimus, vide cap. 3. 16. Id quod sequitur aliquanto est difficilius, *Et ingredietur*, inquit, *& egredietur.* Quomodo enim qui credit in Christum per illum ingrediatur, facilè intelligitur; quo autem modo egrediatur, non satis intelligitur. Præsertim cùm Christus hunc ipsum egressum, vt obseruat Diuus Augustinus laudet: laudando enim vtrumque pariter dicit, *& ingredietur, & egredietur.* Alia autem ex parte cùm ingredi, & egredi opposita sint, si ingredi est credere, egredi erit desinere credere, id est hæreticum fieri, quemadmodum de hæreticis idem loquitur Ioannes, *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*, quod Christus laudare non potuit. Augustinus, Beda, & nonnulli alij, vt quæstionis solutionem quærerent, à sensu litterali ad allegoricum videntur discessisse, duas significari vitas contemplatiuam, & actiuam, ingredi homines intra se ipsos, cũ contẽplationi, egredi quodãmodo extra se, cùm actioni vacant. Gregorius homil. in Euangelia 14. & Rupertus ingredi esse in Ecclesiam per fidem introire, in quam qui ingressus est, pascua doctrinæ inuenit, egredi autem de hac vita migrare, quod qui facit, fertiliora etiamnũ pascua inuenit vitæ beatæ. Satis apparet neutrum esse genuinum sensum. Multo melius Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, tum etiã duo Theodori Heracleens. & Mopsuest & Cyril. in Græcorũ Catena ingredi & egredi coniunctè sumpta nihil aliud, quàm securitatem quouis eundi, quidvis pro Christi gloria agendi, patiendique significare, qualem in Apostolis fuisse legimus. Et verò Hebraica phrasis ingredi, & egredi id significat, versari, gerere, officio suo fungi. *Exuus*, inquit, *tunis & introiuus meum est in castris, & nõ inuenit in te quidquã mali ex die*

quæ venisti ad me, id est cùm diu mecum in castris versatus sis, tamen nihil in te mali deprehendi, 1. Regum 29. 6. &c, *da mihi sapientiam, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* 2. Paral. 1. 10. &, *Benedictus eris ingrediens, & egrediens*, id est in omnibus rebus, quas egeris; Hispanus dixisset quibuscunque in rebus manum posueris, Deut. 28. 6. &, *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum*, Psalm. 120. 8. Hæc interpretatio à Doctoribus probari solet, sed quo minùs à me probetur, facit, quòd animaduertam non de humanis communiter actionibus, sed de pastu agere, qui cum ea interpretatione non satis aptè videtur conuenire, *Et pascua*, inquit, *inueniet.* Ergo quemadmodum dixi alio sensu vocasse ostium, cùm dixit, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro*: alio, cùm seipsum ostium appellat: ita etiam existimo alio sensu dixisse, *per me si quis introierit*, intelligit, si quis in me crediderit, si quis super me fundatus fuerit (eadẽ enim sententia, diuersa verò metaphora se Christus ostium, & D. Paulus eum *fundamentum* appellat) cùm autẽ dicit, *ingredietur, & egredietur*, intelligit, *egredietur* ex ouili ad pastum, & *ingredietur* id est à pastu se in ouile recipiet, sine vllo periculo, me pastore ducente, ac reducente. Nam quemadmodum cùm dicit versu 3. verum pastorem ex ouili oues educere, non significat, vt illic docuimus, Christum homines extra Ecclesiam eiicere, sed intra ipsam Ecclesiam ex loco, in quo quiescunt, & recubant, in alium ducere locum, in quo pascantur; ita hic cùm dicit egredi, non significat exire ab Ecclesia, sed exire ex loco recubitus in locum pastus: & cùm dicit ingredi, non significat in Ecclesiam introire; sed ex pastu ingredi in locum, vbi recubent. Recubare autem est à doctrina audienda, percipiẽdaque quiescere; nec enim homines dies, noctesque pascendi, id est docendi, monendi, exhortandi sunt; aliquod habere debent requietis tempus, quo dormiant, quo ruminent, quo alijs etiam necessarijs rebus vacent. Ergo qui per Christum ingrediuntur, id est in illum credunt, pascua, id est veram doctrinam inueniunt: qui per illum non ingrediuntur, non pascua salutifera, sed mortifera inueniunt: quia extra Ecclesiam salus esse non potest.

10. *Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat: ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.*) Docet, quid inter suum, & eorum, quos ante fures appellauerat, consilium intersit. Illos quæsisse, quæ sua erant, non quæ ad ouium salutem pertinebant. Quales describit Ezechiel. capite 34. 2. 3. *Ve pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Se contrà non propter suam, sed propter ouium vtilitatem pastoris officium suscepisse. Quòd dicit, *vt abundantius habeant*, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, vterque Theodorus, Augustinus, & Beda exponunt, vt in hoc mundo vitam per gratiam habeant, & in altero abundantius per gloriam. Cyrillus Alexandrinus in Græca Catena, duas adhibet interpretationes, alteram, vt non solùm, vitam, id est gratiam habeant, sed *abundantius habeant*, id multiplicem præterea copiã aliorum donorum Spiritu sancti; alteram, *vt abundantius habeant* per resurrectionem, quia etsi boni simul, & mali resurrecturi sunt, tamen soli boni absolutè resurgere dicuntur, quia ad vitam resurgunt. Solet quidẽ ita Christus loqui, vt simul atque dixit se vitam daturum, suscitaturum etiam dicat c. 6. 39. 40. 44. 54. Rupertus adhibet aliam, *vt abundantius ha-*

beant, quàm patres, de quibus in eandem sententiam Hebr. 11. 39. 40. scribit D. Paulus, *& hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Hi omnes auctores ita interpretantur, tanquam si legissent Græcè περισσότερον, quod propriè est *abundantius*, comparationemque significat: & propterea alij inter nos, & patres veteris testamenti, alij inter præsentem, & futuram vitam, alij inter bonorum, & malorum resurrectionem, putent comparationem fieri. Atqui noster quidem interpres ita vertit, quasi legerit, περισσότερον ἔχωσι, sed nunc in omnibus Græcis codicibus est, καὶ περισσὸν ἔχωσι, *& abundè habeant*, quę phrasis propriè significat esse pinguem, cùm de hominum vita, victuque agitur, quibus de rebus hoc loco agebatur. *Esca nos non commẽdat Deo*, inquit, 1. Corinth. 8. 8. Diuus Paulus, *nec enim si manducauerimus, abundabimus*, περισσεύσομεν, id est pinguiores fumus, *neque si non manducabimus, deficiemus.* Hic igitur videtur esse sensus, vt vitam habeant, nec solùm vitam habeant, sed sanæ etiam, vegetæ & pingues sint; qua metaphora bonum felicemque eorum, qui in ipsum credunt, aut præsentem, aut futurum statum declarat. Quòd enim dicit, *vt vitam habeant*, de vtraque vita, & præsenti per gratiam, & futura per gloriam intelligi potest.

11. *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.*) Græcè additus est articulus emphaticus vtrique nomini, quo pastor ille vnicus significatur, qui solus oues erat de lupi faucibus liberaturus, ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, *Ego sum pastor* ille *bonus.* Accommodat ad se superiorem parabolam; probatque se non solùm pastorem esse, qualem suprà descripserat, sed singulari etiam quadam ratione bonum illum, qui expectabatur, esse pastorem, qualis nemo alius fuerit, nemo futurus sit, qui animam suam pro ouibus suis ponat. Posuerunt multi alij pro ouibus non suis, sed Domini animas suas, posuerunt Apostoli, posuerunt prophetæ multi, ponebat quotidie, qui dicebat, *quotidie morior per vestram gloriam fratres:* 1. Corint. 15. 31. *& adimplco ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*: sed nemo eo modo Col. 1. 24. quo Christus pro ouibus animam suam posuit, vt sua eas morte redimeret. *Non dedere martyres, sed accepere coronas*, solent Augustin. & Leo Magnus dicere. Ille ergo singulari modo, sicut suprà ver. 8. se solum docuit non esse furem, ita nunc se solum docet verum illum, & bonum esse pastorem. Hic sensus cum superiore parabolæ expositione cõgruit, atque hoc, vt opinor, modo Chrysost, Theophylact. Euthym. & vterque Theodorus, quos illic auctores secuti sumus, hunc locum explanassent, si quæstionẽ attigissent. Sed solus attigit Aug. de cuius sententia mox dicturi sumus. Certè ita vt nos Rupertus in comment. interpretatur; putat enim eodem modo Christum dicere, *Ego sum pastor bonus*, quo dictum ab eodem alibi est, *Nemo bonus nisi vnus Deus.* Quemadmodum ergo multi boni sunt, sed nemo sic bonus, vt Deus; ita multi boni pastores fuere; qui animas etiã suas pro ouibus posuerunt, sed eo modo, quo Christus bonus est pastor, animamque pro ouibus suam posuit, nemo præter illum bonus fuit pastor, nemo qui animam meã posuerit pro ouibus suis. Atque in eandem sententiã Victor Africanus in professione fidei ad Hunericũ Regẽ, & Idacius Clarus lib. 3. aduersus Varimadum hunc locum citant, vt probent Christũ verũ esse Deũ, quia eo modo bonus pastor appellatur, quo *nemo bonus nisi vnus Deus.* Cererũ Augustin. tract. in Ioan. 46. & ser. 50. de verbis Domini, eumque, vt solet, secutus Beda, aliter quæstionem

Lib. 9. Mar. 10. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

explicant. Propheras quidem, & Apostolos bonos, sed non distinctos à Christo fuisse pastores, membra enim erant corporis Christi. Sit hoc sane Augustini auctoritate probabile; illud tamen, quod diximus, per se est probabilius. Pronomen igitur illud *ego*, vim habet tacitam, quæ ad fures, de quibus versu 8. dixerat, continet antitheſim, quasi dicat, Omnes illi, qui ante me venerunt, fures fuerunt, atque latrones, ego solus sum pastor ille bonus, qui ad oues redimendas per Prophetas promissus, venturus expectabatur. Notarunt Leontius, & Augustinus tria hic à Christo pastorum genera distingui, fures, mercenarios, bonos; cumque ante probauisset se furem non esse, nunc probare non esse mercenarium, sed proprium ouium suarum pastorem, ideo animam suam pro illis ponere, quod non solent facere mercenarij. Atque hac etiam ratione superiorem quæstionem possumus explicare, Prophetas, & Apostolos bonos, id est proprios, quemadmodum Christum, non fuisse pastores, quia nō suarum, sed Christi ouium pastores erant. Cæterum eatenus boni, quòd oues Christi non tanquam alienas, sed tanquā proprias, suasque pascebant. De hoc pastore solo Christum loqui ex versu sequenti perspicuum est.

12. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues.*) Tribus modis idem declarat. Idem enim est *mercenarius*, & *qui non est pastor*, scilicet bonus absolutè, & simpliciter pastor, & qui non suas, sed alienas pascit oues, ac, *cuius non sunt oues propriæ*: is igitur, *videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit*. Vnam posuit speciem pro toto genere: per lupum enim omne periculi genus intelligit, quod cùm mercenarius imminere videt, dimissis ouibus fugit, ne eodem ipse periculo comprehendatur. Cùm enim non Dominus, sed custos ouium sit mercede conductus, non vult pro alienis ouibus suam periculo vitam exponere. Solet non solùm à lupis, sed etiam à leonibus, ab vrsis, à furibus à latronibus, à militibus periculum ouibus imminere; sed in solis lupis posuit exemplum, quia id omnium est frequentissimum. Quòd dicit, lupum rapere, & dispergere oues, si ad oues Christi accommodatur, intelligendum est quantum in ipso pastore est, qui eas in medio periculo, & in faucibus lupi deserinquit; si non rapiuntur, si non dispergunt, non mercenarij, qui fugit, sed Christi boni pastoris, qui nunquam gregem suum deserit, sit diligentia. Christus enim est qui dicit, *& non rapiet eas quisquam de manu mea*: quod aut de solis prædestinatis intelligi oportet; aut, quod magis credo, solam Christi potentiam declarat, quæ tanta est, vt nemo vi de eius manibus oues possit extrahere. *Numquid tolletur à forti præda?* inquit Isaias. Qui ergo rapiuntur, dispergunturque, non Christi aut negligentia, aut impotentia: sed propria voluntate, & mercenariorum pastorum ignauia rapiuntur. Lupi hæretici sunt præsertim Caluiniani homines fraudis, & erudelitatis pleni, quæ res potissimùm duæ maximè propriæ sunt lupis. Disputat hoc loco, & sermone de verbis Domini 50. Diuus Augustinus quomodo omnes Apostoli, cæterique Ecclesiæ pastores vno excepto Christo mercenarij non fuerint, cùm non suas, sed alienas, id est Christi oues pauerint. Nec enim dictum esse Petro, Pasce oues tuas, sed, *Pasce oues meas*. Multa ille de hac re & copiosè differit. Summa est, inter eos ipsos, qui Christi oues pascunt, alios esse, qui non propter mercedem, etiamsi mercedem recipiant, sed propter Christum ipsum, & propter ouium salutem pascunt; hos bonos esse pastores, quia etsi non propriè suas, tamen tanquam suas oues pascūt, ita vt pro illis quemaddum pro suis, animam ponant, qualis ille erat, qui dicebat, *ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris*, 2. Corinthior. 12. 15. Hos, inquam, non mercenarios, sed veros esse pastores, verum à Christo pastorum principe non censeri esse distinctos. Alios propter solam, aut præcipuè propter mercedem oues pascere, qui, vt ait Diuus Paulus, *quæ sua sunt quærunt*: eos esse mercenarios, qui cùm vident venientem lupum, fugiunt. In eandem sententiam scribit Gregor. homilia in Euangelia 14. *Non pastor, inquit, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit.* Basis hic locus est eius disputationis, quæ & nunc inter Theologos versari solet, & inter magnos olim auctores versata est, quatenus pastori liceat ingruente persecutione, aut alio periculo fugere. Tractata res à Tertulliano in libro de fuga in persecutione, ab Athanasio in apologia pro fuga sua, à Gregorio Nazianzen. & alijs, sed ab Augustin. diligentissimè propria de hac re ad Honoratum epistola 180. Hoc tenendum pastori relictis sine vllo saltem vicario pastore ouibus nunquam fugere licere; etiamsi ille quæratur solus, nisi ad breuissimum fortasse tēpus, ita vt nihil interim, aut prope nihil detrimenti oues passuræ sint. Cùm autem solus quæritur pastor, & prospectum aliunde ouibus est, licere illi fugere. Cùm aut ouium tantùm, aut ipsi commune cum ouibus periculum est, non licere.

13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.*) Græc. *ὅτι μίσθιός ἐστιν καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων, non est illi cura de ouibus.* Non quòd nulla illi cura sit, sed quòd non tanta quàm de vita sua. Rectè Gregorius hunc locum explicat homil. in Euangelia 14. *Sola causa est, vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si aperte diceretur: stare in periculo ouium non potest, qui in eo, quòd ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur: opponere se contra periculum trepidat ne hoc, quod diligit, amittat.*

14. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.*) Repetit eandem sententiam, non solùm vt magis affirmet; sed etiam vt ad se omnes conditiones, quas suprà posuerat, accommodet, indeque probet se bonum esse pastorem repetita sententia, vt ait Leontius. Dixerat versu tertio, bonum pastorem ita oues suas nosse, vt eas nominatim vocare possit; ita ab ouibus suis cognosci, vt non solùm ex visu, sed etiam ex sola voce intelligant verum esse pastorem. Docet hæc omnia sibi conuenire, nam & se cognoscere oues suas, & ab illis cognosci. Cognoscere autem se oues suas dicit, non eo tantùm modo, quo solent pastores oues suas noscere, externis videlicet signis, figura, colore, magnitudine; sed eo modo, quo nemo cognoscere potest præter Deum, intrinsecus, *intus, & in cute*, vt ille dixit. Loquebatur enim in magna hominum multitudine, volebatque significare se rectè scire, qui essent, qui in se crederent, qui non crederent. Multi se oues Christi esse fingunt, quas ipse nouit non esse ex ouibus suis. Non ergo necesse est ad prædestinatos sententiam restringere, quemadmodū Augustin. & Beda faciunt. Neque cognoscere interpretari, pro approbare, quod faciunt plerique etiam interpretes. Non enim dixit Christus, ego cognosco absolutè, sed *ego cognosco oues meas*: id est scio, quæ sint oues meæ. Etsi alteram interpretationem minime contemno. Scio enim ita Deum solere loqui, vt scire dicatur, quod tanquam suum agnoscit, quod approbat, quod amplectitur, Psalm. 1. 6. & 36. 18. & Matth. 7. 23. & 25. 12. & infra cap. 13. 18. & 2. ad Timot. 2. 19. Alio ergo modo Christus oues suas cognoscit alio oues illum. Ille cognoscit oues suas diuinitatis oculis, oues eū cognoscūt oculis fidei. Cyril. & Theodorus Heracleotes vtrumque referunt ad Christi erga oues suas beneficia, quibus ille dandis, illæ accipiendis cognoscunt. Sed quod diximus, est probabilius. Valet igitur hic locus aduersus Arianos, quia Christus, quæ propria sunt Dei, sibi affirmat conuenire. Non inscite Theophylact. adnotauit priùs dixisse Christum, *cognosco oues meas* quàm, *cognoscunt me meæ*, quia Deum cognoscere non possumus, nisi prior nos ille cognouerit. Quærunt autem Chrysost. & Euthym. cur hic Pharisæi non responderint, *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*, vt cap. 8. 13. cum se ipse pastorem bonum appellasset. Respondent ita illic fuisse refutatos, vt ausi iterum non fuerint idem obiicere.

15. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.*) Chrysostomus, Theophylactus, & Leontius ideo Christum hoc addidisse putant, ne quia dixerat, *ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*, aliquis existimaret non aliter se à Patre, aut à se Patrem cognosci, quàm ipse ab ouibus suis, aut à se oues cognoscerentur. Itaque non existimant hanc ab illa pendere sententia, neque comparationem inter alias personas, quàm inter Patrem, & Filium fieri. Melius Cyrillus in Græcorum Catena existimat duas sententias, duasque comparationes esse connexas, vt sensus sit, *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem*: ita, *ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*: quemadmodum c. 6. 57. dixit, *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me*. Docet autem Cyrillus nihil aliud tota hac comparatione ex duabus composita significari, quàm, quemadmodū ipse patri suo proprius erat filius, & pater sibi proprius similiter pater sita oues suas proprias sibi esse, & se vicissim illis proprium esse pastorem. Rectè quidē; sed malim dicere cognitionem, amorem, curamque declarari; ita se oues suas cognoscere, ita earum curam gerere, quemadmodum se Pater cognosceret, amaret, curæ haberet; & ita se ab ouibus suis cognosci; quemadmodum à se pater suus cognosceretur. Probabile quidem est, quod interpretes quidā monuerunt, non significari per hanc compositam comparationem æqualitatem, sed similitudinem, quemadmodum cum alibi dicit, *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*. Et, *sitote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est*. Probabile, inquam hoc est, sed non necessarium. Cùm enim Christus dicit, *Cognosco oues meas*, loquitur vt Deus; cùm dicit, *nouit me Pater, & ego agnosco Patrē*, loquitur de se vt homine. Ita æqualitas est. Nam quemadmodum Christus tanquam Deus oues suas nouit, oues autem ipsius tanquam homines illum vicissim cognoscunt, ita Pater Filiū, vt Deus hominem nouit, & Filius vt homo Patrem suum recognoscit, & Deum suū, sicut & nos; appellat, *Ascendo*, inquit, *ad Deum meum, & Deum vestrum*.

Et animam meam pono pro ouibus meis.) Non videntur hæc verba cum præcedentibus satis cohærere. Cæterum rectè cohærebunt, si non ad prima verba huius eiusdem versus referantur; sed ad illa, quæ versu 14. præcesserunt, *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, & animam meam pono pro ouibus meis*. Sic enim continua oratione dixisset Christus, nisi comparationem illam sui, & Patris adhibere voluisset: sed cùm eam adhibere vellet, necessariò interrumpenda fuit oratio, vt postquā dixit se oues suas noscere, atque ab illis nosci, interseret suam, Patrisque cognitionem, in qua faciēda comparatio erat; deinde adderet ad complemētum prioris membri, *& animam meam pono pro ouibus meis*. Admonuit Leontius verbum illud, *pono*, voluntariam, nō coactam mortem designare, quod ipsum videtur Euthymius indicare, idq; Christus ipse paulò post declarat versu 18. *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso*.

16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.*) Hoc putat Leontius Christum addidisse, vt ostenderet se non tantùm Iudæorum, quibuscum loquebatur, sed etiam omnium gentium Regem esse, atque pastorem: gentes enim alias oues vocat. Rupertus verò ideo dixisse, vt indicaret se non indigere Iudæorum fide, etiamsi illi non credant; alias se habere oues, quas sit in idem ouile adducturus; ditiorem se esse, quàm illi putent. Suprà docuimus, quo sensu alias vocat oues, quæ nondum oues erant, non solùm propter prædestinationem; nec enim solos prædestinatos, vt Augustinus, & Beda volunt, sed quia aliquando oues futuræ erant, oues per anticipationem appellat. Cùm autem dicit, *quæ non sunt ex hoc ouili*, indicat aliud esse ouile præter id de quo loquebatur. Ouile enim vocat multitudinem hominum ijsdem legibus viuētium. Qua ratione totus Iudæorum populus vnum erat ouile; omnes verò Gentiles alterum: quia etsi non omnes gentes ijsdē prorsus viuebant legibus, tamen in hoc omnes errore conueniebant, quòd multos haberent Deos. Quare à Iudæis distinguebantur, vnumque alterum ouile efficiebant. Eas igitur oues dicit oportere se adducere ad idem ouile, id est efficere, vt Deorum multitudine relicta vnum cæli, ac terræ colant Deum, & non quidem ijsdem, quibus ante Iudæi, sed ijsdem, quibus illi, qui ex Iudæis in se crediderint, legibus Euangelij viuant. Notant Leontius, Chrysostomus, & Theophylactus dictionem illam, *&*, cum dicit, *& illas oportet me adducere*, significare etiam Iudæos adducendos; vtrosque enim & Iudæos, & Gentiles errare, vtrosque tanquam oues sine pastore esse dispersos, vtrosque in aliud quoddam ouile vnum, quàm in quo ante erant, adduci oportere. Monent quoque Chrysostomus, & Theophylactus, verbum *oportet*, non necessitatem, sed quid futurum esset significare: quanquam nihil ego incommodi video, si necessitatem significet, non illam quidem absolutā, quam Theologi vocant, sed necessitatem ex hypothesi, *oportet me adducere*, vt saluæ sint, alioqui perituræ, aut, *oportet me adducere*, vt omnibus partibus officij mei satisfaciam. Nam etsi dixi me aliquando non venisse, *nisi ad oues quæ perierunt, domus Israel*, intelligebam me illis solis meam præsentiam exhibiturum esse; cæterum & alias, si non per meipsum certè per Apostolos meos *me oportet adducere. Et vocem meam audient*, id est vt vocem meam audiant, vt doctrina mea fruantur, qua extra ouile, ad quod eas adducturus sum, frui non possunt, aut, *vocem meam audient*, id est mihi credent, non erunt vobis similes, qui cùm in ouili inter oues sitis, credere non vultis, vt Iudæorum duritiem, & incredulitatem obliquè notet.

Et fiet vnum ouile, & vnus pastor.) Rumpetur per me intermedia maceries, quæ nūc hæc duo Iudæorum, & Gentilium diuidit ouilia, & ex duobus ouilibus vnum fiet; quia non erit Iudæus, neque Græcus, circumcisio, neque præputium; *sed noua creatura*.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Indicat priùs, aut plures, aut nullum Iudæorum, & gentium fuisse pastorem. Non quòd non vterque populus diuina regeretur prouidentia; sed quòd, si cum Euangelico comparentur statu, erratse ante sine pastore viderẽtur. Propterea etiá Iudæis Deus cùm sub lege Mosis viuerent, pastorem, id est Christum promittebat, quasi tunc pastorem non haberẽt, Ezech. 34.23. & 37.24. Plures verò pastores habuisse, quia Iudæi à Mose, gentes à Diabolo, in cuius erant potestate, pascebantur. Fore vt ante mundi consummationem omnes simul Iudæi, & gentes Christiani fiant, itaque vnum sit ouile, & vnus pastor, error est ex hoc loco natus pessimo interprete vulgo. Nec enim sensus est, omnes esse in Christum credituros, & venturos ad Ecclesiam; sed inter eos, qui ex Iudæis, & eos, qui ex Gentilibus crediturí sunt, nullum fore discrimen; rumpendam esse maceriam, quæ antea eos duos populos diuidebat; Christum lapidem angularem, vt Augustinus interpretatur, futurum esse. Quod non ante finem mundi faciendum expectatur, sed iam factum cernitur.

Quis sensus horum verborum sit vnũ ouile, & vnus pastor. *Ephes. 2. 14* *Isai. 9. 6.* *Ephes. 2. 20.* *1. Pet. 2. 6.*

17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.*) Putant Chrysostomus, & Theophylactus ideo hoc Christum subiecisse, vt ostenderet se non esse seductorem, corruptoremq; animarum quemadmodum illi existimabant. Tantùm abesse, vt eiusmodi sit, vt eos potiùs tantopere amet, vt pro eis animam suam ponat, ideoque à patre suo diligatur. Cyrillus verò in Catena Græca, vidisse tanquam Deum Iudæorum cogitationes, ridentium apud se, quòd se pro ouibus moriturum diceret, probare his verbis id se non vana iactatione dicere, testẽ sibi Patrem esse, qui se propterea diligat, quòd pro ouibus suis mortem sit obiturus. Mihi probare videtur voluisse se officium illud pastoris non vsurpasse, sed à Patre iniunctum suscepisse; nec stolidam esse temeritatem, quòd pro ouibus suis mori velit, id sibi à Patre præceptũ esse, vt declarat versu sequentis & propterea se à Patre diligi, quòd eius præceptum seruet. Omnes consentiunt auctores Christum hic tanquam hominẽ loqui. Sed quærunt Chrys. Cyril. Leontius, Theophyl. & Euthym. quomodo etiamsi tanquam homo loquatur, dicat se propterea à Patre diligi, quia animam suam pro ouibus suis positurus erat, quasi eum ante mortem non dilexerit Pater, aut dilecturus non fuisset, si animam suam pro ouibus non posuisset? Duobus modis respondent Cyril. Leontius, & Theophylact. dicunt. Censum non esse, tunc primùm diligere cœpisse, cùm animam suam pro ouibus suis posuit, sed cùm ante diligeret Pater Filium, videretque deinde paratũ pro ouibus suis mori, agnouisse in eo veluti naturalem Patris characterẽ, quòd quemadmodum Pater, ita etiam ille oues diligeret; itaque magis, ac magis quasi vinculis quibusdam similitudinis tractum eum dilexisse. Eodem redit, quod Euthymius, & alij dicunt non significare se ante, aut alias ob causas à Patre non diligi, sed ob eam diligi, isque verus est sensus. Difficilius est, quod addit, *Vt iterum sumam eam*. difficultas verò omnis in illa vna particula, *Vt*, posita est. Quam qui finem dilectionis faciunt, vt sensus sit propterea Filium à Patre diligi vt animam suam pro ouibus suis ponat, ne audiendi quidem esse videntur. Cyrillus in Græca Catena sic interpretatur, propterea Pater diligit me, quia non solùm pono animam meam pro ouibus meis, sed etiam, quia iterum sumo eam, id est, non solùm quia morte mea oues meas libero, sed etiam quia resurgendo viuifico, *tradidit est*, inquit D. Paulus, *propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

Roman. 4.25.

Theodorus verò Mopsuest. & Euthymius scribunt eam dictionem hoc loco non causam, sed quod futurum est, significare, quod multis sæpe exemplis docuimus. Atque hoc probabilius; vellem tamen explicassent, quamobrem Christus hoc ipsum adiecisset. Mihi tanquam expositionem illius verbi, *ponit*, videtur addidisse. Hoc enim ipsum significat animã ponere, non solùm spóte mori, vt August. & Leontius obseruarunt, sed, vt ego existimo, ita mori, vt paulò post ad vitam sit rediturus; quemadmodum dicimur vestem ponere, quam ita exuimus, vt paulò post simus resumpturi. Quia ergo sæpe dixerat se animam suam pro ouibus positurum esse, ne quis intelligeret aut coactè, aut ita certè moriturum esse, vt mors illi, sicut ait Diuus Paulus, dominaretur, id est vt non amplius resurgeret, subiecit explicationem verbi, *Ego pono animam meam, vt iterum sumã eam.* Vbi & pronomen, *Ego*, vt Diuus Augustinus animaduertit, emphaticum est. *Cum magno*, inquit, *pondere dictum est, ego, quia ego, inquit, pono animam meã. Ego pono, Quid est ego ponó? Ego, inquit, illã pono. Non gloriẽtur Iudæi: fauire potuerunt, potestatem habere non potuerunt. Sauiant quantum possunt: si ego uoluero animam meã ponere, quid sauiendo facturi sunt?* Nonnulli quærunt pro quo anima sumatur, cùm dicit Christus, *Ego pono animam meam*, pro altera parte hominis, quæ anima vocatur, an pro corporali vita, quæ & ipsa Hebraica phrasi anima dici soleat? Augustinus, & Beda pro altera hominis parte sumi putant, indeque Apollinaris hæresim refellunt, qui Christum humanam animam negabat habuisse, quod & Theophilus Alexandrinus facit in prima epistola Paschali, & Theodorus Heracleensis, in Græca Catena. Posuisse autem eam Christum non quatenus Deus, sed quatenus homo erat, quia anima etiam in morte semper cum diuinitate coniuncta fuit, sed ab humano corpore separata: eam tamen potestatem animam suam ponendi, iterúmque resumendi à diuina persona Christum habuisse. Alij pro tota vita humana poni malunt, quam Christus, & tanquam homo, & tanquam Deus posuerit, atque resumpserit. Mihi non magnopere videtur interesse, hoc, vel illud dicas. Nam propterea vitam ipsam animam appellamus, quia vita in coniunctione animæ cum corpore consistit; itaque, cùm vitam ponimus, animam ponimus.

Quid sit animam ponere.

18. *Nemo tollit eam à me.*) Explicatio est superioris sententiæ, nec longo indiget commentario. Nam quæstio illa, quam quidam proponunt, non est difficilis. Si animam ponere, inquiunt, est mori, occidere erit animam tollere. At occiderũt Iudæi Christum, animam igitur eius sustulerunt. Occiderunt illi quidem Christum, sed volentem; ideo animam ab eo non sustulerunt, quia tollere vim, coactionemque significat. Quòd dicit, *Hoc mãdatũ accepi à patre meo*, cur addiderit, supra causam indicauimus, vt doceret se non temere officium illud pastoris, & animam suam pro ouibus ponendi vsurpasse; nihil enim se in ea re facere, quod non solùm consentaneum Patris voluntati, sed etiam ab eo præceptum sit; etsi Cyrillus, & Theophylactus alias afferunt: loquitur autem vt homo, cùm se à Patre mandatum dicit accepisse. Itaque ex hoc loco & diuina, & humana Christi natura rectè probatur; diuina, quia solius est Dei potestatem habere ponendi animam suam, vt Cyrillus in Catena, & Idacius disserunt lib. 3. aduersus Varimadum, & Cerealis Episcopus in lib. aduersus Maximum Arianorum Episcopum. Humana verò, cùm & veram se animam habere dicit, & à Patre mandatum accepisse. Lego in Græcorum Catena Ioannis

Grammatici in hunc locum explicationem non satis, vt videtur, Catholicam, Christum potestatem hanc animam suam ponendi, atq; resumendi, etiam vt Deum, à Patre accepisse.

19.20.21. *Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos.*) Docet Euangelista, quid Christus sua illa profecerit disputatione, si non omnes auditores, sed pauci, aut nulli fortasse crediderunt; (nec enim id declarauit) tamen in varias de illo sententias distracti sunt. Quod & ante acciderat in simili disputatione. c. 9. 16. Hoc est, quod hoc loco dicit *Iterum*. Quærunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, cur Christus nihil illis responderit, qui se dicebant dæmonium habere. Tres afferunt causas, primam, quòd iam ante respondisset, cùm idem sibi obiiceretur, se dæmonium non habere. c. 8. 49. Secundam, quòd digni non essent responso, qui post tot miracula dicerent eum dæmonium habere; tertiam, quam solam Theophylactus attigit, quòd maluerit per eos illis responderi, qui illis contradicebant, quasi per homines, qui omni carerent suspicione gratiæ.

22. *Facta sunt autem Encænia in Ierosolymis, & hyems erat.*) Prima hîc quæstio est, nũ hæc, quæ modò narrat Euangelista, continuò acciderint post superiorem Christi disputationem. Non eodem die, nec eodem festo accidisse omnes, quos legerim, interpretes confitentur, & ex ipsis verbis Ioannis facilè colligitur. Omnia, quæ ab initio capitis septimi vsque ad hunc locum commemorauit, in festo scenopegiæ, id est tabernaculorum acciderunt, vt ex c. 7. 2. manifestum est. Quæ autem modò sequuntur, ipse Ioannes docet in festo Encæniorum facta fuisse. Intercant autem inter vtrunq; festum duo vt minimùm menses. Agebatur enim tabernaculorum festum, vt illic docuimus, mense Septembri; Encænia autem Decembri, vt paulò post dicturi sumus. Itaque vt concedamus eodem hæc, & illa anno contigisse, duorum, vt minimùm dicam, mensium spatium inter ea fuerit necesse est. Adde quòd an eodem facta sint anno, non omnino constat; etsi est id quidem longè probabilius. Cùm enim videamus Euangelistam studiosè prosequi, quid Christus per singulos dies fecerit, & inter ea, quæ in scenopegia, & in his Encæniis facta sunt, nihil narrauerit, credendum est nullum interfuisse festum; interfuissent autem quattuor, si alio hæc anno contigissent, nempe Encænia alterius anni, Pascha, Pentecoste, & aliud festum tabernaculorum. Porro *hoc sit argumentum dedicationis festum* dicebatur, quasi dicas ad verbum, *festum renouationum*. Itaque qui ex scriptura sacra Ciceronem faciunt, *Renoualia*, reddiderunt; non animaduertentes *Renoualia*, renouationem, non dedicationem significare. Prudentiùs noster fecit interpres, retinens Græcum verbum, quod, vt auctor est D. Augustinus, adeo vulgare, & notum fecerat vsus Latinè loquentium, vt qui nouam indueret vestem, Encæniare diceretur. Hactenus ergo constat festum alicuius dedicationis fuisse, qualia nunc in Ecclesia multa antiquo ritu celebrantur. Sed cuius rei ageretur dedicatio, id inter omnes non constat. Nam Theodorus Mopsuest. existimat dedicationem fuisse totius vrbis Ierosolymitanæ, cùm eius muri assiduis bellis & sub regibus Babylonijs, & sub Antiocho labefacti, restaurati sunt. Alij auctores, quos legerim, omnes dedicationem fuisse templi. Sed ij ipsi dissentiunt nam, vt Leontius, & Theophylactus referunt, alij existimarunt dedicationem templi Salomonis, quam ab eo lib. 3. Reg. c. 8. factam legimus, hoc festo celebratam; quam opinionem Cyrillus in Catena Græca magis probat. Alij dedicationẽ factam, cùm per Zorobabel templum restauratum est, posteaquam ex Perside populus redijsset. 1. Esdræ. 6. 16. vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius & Theodorus Heracleotes interpretatur, quod & Cyrillus probat. Alij, vt Rupertus, cùm per Iudam Machabæum post bellum Antiochi profanatũ templum dedicatũ iterum est, aut altare potius nouum holocausti, quod sacrificandi causã constituerant. Is enim dies vt per singulos annos solemnis ageretur, 1. lib. Machab. c. 4. 59. constitutum fuit: quo testimonio fit, vt hæc opinio, licet pauciores habeat auctores, sit probabilior. Conuenit & tempus. Nam Ioannes hyemem fuisse dicit, & dedicatio illa, vt ibidem traditur, mense Casleu facta est, qui Decembri respondebat.

Et hyems erat.) Non dubium, quin fuerit hyems, quia, vt modò dicebamus, mense Casleu, id est Decembri ea dedicatio celebrabatur; sed quæri potest, quare id Euangelista notauerit. Theophylact. putat voluisse Euangelistam significare non longè tempus passionis abfuisse, cùm iam esset hyems, & ineunte vere passus fuerit Christus; ideo frequẽtiorem eum in templo fuisse, quia sciebat parum sibi ad docendum temporis superesse. Quod idem videtur Chrysostomus indicare. Cyrillus verò videtur existimare templum non fuisse supernè tectum, porticum autem Salomonis tectam fuisse; ideo se Christum ex medio templo in porticum recepisse, quia hyems erat, & aut frigus, aut pluuia: Euangelistam autem dicentem hyemem fuisse, causam voluisse reddere, quamobrem Christus in porticu Salomonis ambulauerit. Credo quidem ego eius rei causam reddere voluisse, non tamen propterea quòd templum tectum non esset; sed quòd in templo ipso ambulare nollet, nec enim decebat, in porticum autem solebant homines & ambulandi, & confabulandi causã conuenire, in æstate quidem vt sub vmbra, in hyeme, vt in aptico essent. Augustinus, Beda, & Euthymius allegoriam sequuntur, hyemem fuisse, quia animi Iudæorum frigidi erant.

Cur porticus Salomonis dicta.

23. *Et ambulabat Iesus in porticu Salomonis.*) Finito templo porticum Salomon adiecit, vt 3. Reg. 6. 3. his verbis scribitur. *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis templi, & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.* Eam fuisse porticum Salomonis appellatam omnes fere auctores tradunt. Sed cur porticus Salomonis vocata fuerit nec consentiunt, nec videntur rationem vllam afferre posse satis congruentem. Nam qui dicunt Salomonis dictam fuisse, quòd in ea stetisset Salomon, cùm templum dedicauit. 3. Reg. 8. quique diuinant ibi Salomonem, dum fierent sacrificia, solitum orare; & qui ibi columnam posuisse æream, nec satis coniecturam suam probant, & si probarent, coniectura ipsa non satis eorum probaret opinionem. Nam vt fingamus ita esse, quæ illæ rationes sunt, vt porticus illa Salomonis vocaretur? itaque probabilius mihi sentire videntur ij, qui Salomonis porticum eam fuisse putant, quam Salomon multo post ædificatum templum ad partem Orientalem complanato montis cliuo, qui templo imminebat, adiecit, vt Iosephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. auctor est; quam ideo Salomonis dictam fuisse credendum est, quia idem populus in alijs templi partibus fecerat, itaque vt ea à cæteris distingueretur, Salomonis porticus appellabatur, siue diruto templo ea pars, quia extra templum erat, integra manserit: siue post reditum ex Perside aliam eodem loco priori similem Iudæi ædificauerint, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

antiquum nomen retinuerit.

24. *Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, Quousque animam nostram tolles? si tu es Christus dic nobis palam.*) Nacti commodissimam occasionem Iudæi, quòd viderent eum in porticu Salomonis, id est vbi magna hominum frequentia erat, ambulantem, vt si se Christum esse responderet, quamplurimos ad eum accusandum haberent testes, circundant, & quæstionem illi proponunt. Hanc vim habet dictio illa, *Ergo*. Iudæos, vt opinor, Euangelista vocat, non populum, sed Iudæorum principes, sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, qui Christum insectabatur, vt c. 7. 35. Circundederunt autem eum, aut vt discipuli magistrum, vt se eius discipulos esse fingerent; aut sicut lupi agnum, ne quà posset euadere. Christus enim erat, qui Dauidis dicebat ore, *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. Circundederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.* Psal. 21. 13. 14. 17. & *sermonibus odij circundederunt me.* Psal. 108. 3. & *circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Psal. 117. 12. *Sermonibus* enim *odij* Christum circundant, cùm interrogant, *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam*; nec enim discendi, sed calumniandi causa id interrogant, inquiunt Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, & Euthymius. Volebant, vt apparet, vt palam profiteretur se esse Christum, vti materiam inde haberent accusandi eum, quòd Regem sese fecisset. Christum enim Regem futurum credebant. Huc & singuli actus, & singula verba rendere videntur. Primùm, quòd eum circundant sine discendi cupiditatem assimulantes, siue vt quidquid responderit, eque audire omnes possint: & quòd dicunt, *Quousque animam nostram tollis?* qua phrasi non solùm significare mihi videntur dubio se, & veluti suspenso esse animo, quemadmodum omnes interpretatur; verum etiam magnopere se optare, vt ipse sit Christus; tamè nondum credidisse, quòd nondum ille satis apertè dixisset, num Christus esset, an non. Tunc enim suspensi nobis esse videmur, cùm quod optamus, non satis certò tenemus. Græcè eodem sensu dixit αἴρεις, quo Latinè suspensos habere. Quod autem dicunt, *Si tu es Christus, dic nobis palam*, παῤῥησίᾳ liberè, sine metu; nihil enim magis optamus, quam vt tu sis Christus, sed expectamus, vt tu ipse id nobis dicas; dàt illi animum, vt libere loquatur, vt se palam Christum esse profiteatur, stultam hrysostomus & Theophylact. quæstionem vocant. Cùm enim alibi dixissent, *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*, c. 8. 15. nunc volunt, vt ipse de se testimonium perhibeat.

25. *Loquor vobis, & non creditis; opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me.*) Propterea nolo vobis palam dicere, quia cùm dico, mihi non creditis. Docebo ergo vos factis, non verbis. Considerate opera mea, ea vos abunde docere poterunt, quis ego sim. Magna verò cauet diligentia, ne se à Patre alienum esse ostendat, quo plùs facta sua auctoritatis habeant. Propterea non absolutè dixit, opera quæ ego facio; sed *opera, quæ ego facio in nomine patris mei*, id est Patris decreto, auctoritate, voluntate.

26. *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*) Docet causam, cur illi sibi non credant. non in se, sed in ipsis esse: non enim, quòd ipsi non satis apertè loquatur, sed quòd illi ex ouium suarum non essent grege, idcirco non credere. At quid est oues eius esse nisi in illum credere? Nihil prorsus aliud, vt suprà docuimus. Si ergo ouem Christi esse est in illũ credere, idem valet, *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*, ac si diceret, Vos non creditis, quia non creditis. Si Augustini sequeremur opinionem, qui solos prædestinatos oues vocari putat, facilè responderemus, non idem esse credere, & ouem esse Christi; multos enim esse oues, qui nondum credunt, quia prædestinati tamen sunt, oues appellari; & multos credere, qui oues non sint, quia prædestinati non sunt. Sed quia suprà docuimus ouem esse Christi, nihil esse aliud, quàm in illum credere, alia nobis solutio quærenda est. Oues igitur hic appellat per anticipationem, vt cùm suprà dixit, *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*, vbi eos omnes vocauit oues, qui quamuis nondum crederent, ita tamen erant comparati animo, vt facilè essent, si eius doctrinam audissent, crediturí. Hoc nunc Iudæis exprobrat, quòd ex eorum numero non sint, quòd tam duro, & tam obstinato sint contra veritatem animo, vt ne inter futuras quidem oues suas numerari possint, ideóque non credant. Itaque huc omnis sententiæ summa redit, propterea eos non credere, quia nolunt, & quia maligno in se sunt animo.

27. *Oues meæ vocem meam audiunt.*) Perinde est, ac si diceret, si oues meæ essetis, vocem meam audiretis; quia *oues meæ vocem meam audiunt*; quemadmodum si argumentaretur, Omnes oues meæ vocem meam audiunt; vos non auditis, ergo oues meæ non estis. Quòd ante dixerat credere, dicit nunc, vocem audire. Quid autem sit oues pastoris vocem audire, & eum sequi ver. 4. explicatum est.

28. *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*) Ita eos refellit Christus, inquit Chrysostomus, quòd se non audiant, atque sequantur, vt simul cupiditatem illis iniiciat se audiendi, atque sequendi, dum docet, quàm incomparabile consequantur lucrum, qui se audiunt, sequunturque; dare enim se illis vitã æternam, quo nullum maius bonum cogitari potest. Vitam autem æternam plerique intelligunt illis in hac vita per gratiam, & in spe dari, in altera re ipsa per gloriam. Cyrillus in Græca Catena ad resurrectionem refert; quia etsi omnes homines boni malique resurrecturi sunt, tamen boni vitam, mali mortem potiùs per resurrectionem accepturi. Hanc autem illis Eucharistiæ perceptione virtutem dari, quemadmodum cap. 6. disputauimus. Quòd dicit, *Et non peribunt in æternum*, Augustini sententia, qui de solis hæc prædestinatis interpretatur, facile est; nec enim prædestinati in æternum perire possunt; nostra opinione, qui de omnibus ouibus, id est de omnibus, qui in Christum credunt, exponimus, aliquanto difficilius. Cæterum si intelligamus Christum de se, deque ouibus suis loqui, non quantum in ipsis, sed quantum in se est, & de ipsa per se natura doni, difficile non erit. Ipse enim quantum in se est, vitã æternam dat, ouibus suis, nec vlla earum in æternum peribit pastoris culpa; si quæ pereunt, culpa sua pereunt. Gratia etiam, quam Christus in hac vita ouibus suis dat, natura sua satis est, vt eos in vitam æternam ducat; si qui non perueniunt, ideo non perueniũt, quia sua culpa sequi nolunt. Denique non video, cur hoc difficilius videatur, quàm quod c. 3. 16. dixit, vt *omnis qui credit in eum, ne pereat, sed habeat vitam æternam.* Nam quemadmodum illic credentibus promittitur vita æterna, quia si fecerint, quod in se est vitã æternam consequẽtur, ita hic promittitur ouibus, id est, ijs, qui credunt. Eodem modo, quod sequitur intelligendum est, *Et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quibus verbis nihil aliud, quàm potẽtiam suam declarat, quantum in se est, oues suas non esse perire-

ras, neminem fortiorem esse se, vt eas de manu sua possit eripere, si pereunt, sua ipsarum voluntate, nõ ipsius infirmitate perire. Potentiam manum appellari nemo nescit, & Cyrillus, Leontius, & Theophylactus monuerunt. Probat autem Christus his verbis, vt Theophylactus ait, quod ante dixit non esse oues suas in æternum perituras, quia nemo eas de manu sua poterit eripere, quod nostram confirmat interpretationem, sic enim intellexerat oues suas perituras non esse, vi nimirum alterius se potentioris, aut sua impotẽtia, quia nemo se fortior esse posset. Itaque nihil aliud voluit significare, quam satis se esse fortem, satis potentem, vt oues suas in vitam æternam posset inducere, vt omnia ab illis pericula amoliretur. Putat autem Euthymius alluisse Christum ad Pharisæos, & cæteros Iudæorum principes, qui de ipsius manibus oues rapere conabantur, id est eos, qui in eum credebant, ab eo abalienare, & è synagoga eos eiicere, qui eum Christum esse confiterentur. c. 9. 22.

29. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei.*) Antequam de sensu disseramus, constituenda lectio est. Tertullianus in lib. contra Praxeam, Hilarius lib. 7. de Trinitate, Ambros. libro 3. de Spiritu sancto c. 18. Augustinus, Beda, Rupertus, & omnes omnino Latini auctores quos legere vnquam potui, ita legunt, *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Græci verò omnes codices, & impressi typis, & scripti manu, omnésque auctores Græci legunt ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι, μεῖζόν πάντων ἐστί, *Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est.* Quòd si remotis auctoritatibus lectionem cum lectione conferamus, non dubitauerim Græcam Latinæ præferre. Primùm, quia sensus & melior est, & facilior. Deinde quia manifestum est Christum argumentari, probaréque neminem posse de manu sua oues suas rapere, quod quomodo faciat, Græca lectione perspicuum est; apparet enim argumentum; Pater, qui dedit eas mihi oues, maior, potentiórque omnibus est; Ergo nemo potest de manu eius eripere; atqui *ego, & Pater vnum sumus*, ergo nemo de manu mea potest rapere. Quo autem modo Latina lectione argumentetur, prorsus non apparet. Præterea si voluisset Christus dicere, quod sibi Pater dedisset, maius omnibus esse, non dixisset, *Pater meus, quod dedit mihi*, sed, quod dedit mihi Pater. Denique quorsum dicat, pater qui dedit mihi, maior omnibus est, nemo non videt; quorsum autem dixerit *Pater quod dedit mihi maius omnibus est*, non facilè quisquam viderit. Tamen quia vtraque lectio hæc apud Græcos, illa apud Latinos recepta est, vtraque explicãda. Quis Græcę lectionis sensus sit, modò indicauimus, atque eodem sensu omnes Græcorum interpretes exponunt. Existimant autem Chrysostomus, Theodorus Mopsuestiensis, & Leontius propterea hoc de patre suo Christum addidisse, ne eam potentiam, quam se habere dixerat sibi soli arrogare, nec in Patrem referre videretur. Cyrillus verò contrà, vt doceret se non esse nudum hominem, sicut illi existimabant, ideóque irridebant, quòd diceret neminem posse de manu sua oues eripere; ne mirentur, ne rideant, se enim virtutem, & dexteram esse Patris. Quærit idem Cyrillus cur dicat oues sibi à Patre datas esse, cùm ipse Deus cùm sit, sine cuiusquam dono omnium creaturarum dominus sit. Respondet Patrem Filio dedisse oues, id est curam earum, quam & ipse habebat. illi reliquisse, quia *vita erat*, vt vitam illis daret. Aliter etiam respõdet Christum & Deum, & hominem esse; vt Deum oues dare, vt hominem accipere. Latinam autem lectionem sic quidam interpretantur, *Quod dedit mihi Pater maius omnibus est*, id est Ecclesia, quam mihi regendam tradidit; oues, quas pascendas dedit, maius quiddam est, id est carius, pluríque faciendum, quam quiduis aliud. At quid id facit, vt nemo de manu eius possit rapere? Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus & Beda, ad naturam, potestatémq; diuinam referunt, quam Pater Filio gignendo dedit. Ea enim natura, atque potestas maior omnibus est, id est nulla natura, nulla potestas cum illa comparari potest, ideo nemo potest oues rapere de manu eius. Atque hoc eodem modo Concilium generale Lateranen. interpretatur. Quæ quidem interpretatio rem magis continet. Sed animaduertit Rupertus inter diuinam, & humanam Christi naturam obscure comparationem fieri. Mirabantur Iudæi, quòd Christus diceret, *non rapiet eas quisquam de manu mea*, putantes solùm esse hominem, nec quidquam in illo maius considerantes, quàm quod cernebant oculis; docere ergo Christum id quidem, quod illi in se videbant, quòdque sibi mater dedisset infirmum esse, sed quod Pater dedisset, quòdque oculis corporis percipi non posset, maius omnibus esse.

30. *Ego, & Pater vnum sumus.*) Sententia est Catholicorum, & Arianorum diuturna disputatione nobilissima. Primùm videndum, quorsum adiecta, Secundum quidem lectionem Græcam superioris versus manifesta causa est. Est enim aut maior, aut minor syllogismi propositio. *Ego, & Pater vnum sumus*, nemo potest eas rapere de manu Patris, ergo nemo potest rapere de manu mea. Dicit se, & patrẽ suum eandem potentiam, id est eandem habere manum, vt Hilarius, Leontius, & Theophylactus exponunt; aut se manum, id est potentiam esse Patris, vt Cyrillus ait. Secundum autem Latinam lectionem non sunt hęc verba ad illa referenda, *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est*, sed ad illa, *Et non rapiet eas quisquam de manu mea*, & ad illa, *Et nemo potest rapere de manu patris mei.* Quod si fiat, rectè conuenient. Quod attinet ad loci sententiam, nota est inter veteres Catholicos, Arianósque contentio, quæ in eo versabatur, quid nomen illud, *Vnum*, significaret. Catholici quidem omnes essentiam dicebant significare. Itaque omnes, qui cõtra Arianos vnquam disputauerunt, hoc cumprimis testimonio eos refutarunt, Alexander Alexandrinus Episcopus, in cuius primùm Ecclesia hæresim Arius suam seminauit, in epistola ad omnes Episcopos, quæ ante magnum concilium Nicenum est, Athanas. orat. 3. & 2. contra Arian. & serm. 3. & 4. cõtra eosdem, & in lib. *quod Deus de Deo sit verbum.* Hilarius lib. 7. & 8. de Trinitate, Epiphan. hæres 69. Gregor. Nazian. in libro de fide. Basilius lib. 1. aduersus Eunomium, Ambros. lib. 1. de fide. c. 1. & libro 3. de Spiritu sancto. c. 18. Cyrillus Ierosolym. Cateches. 11. & Cyrillus Alexandrinus hoc loco in Græcorum Catena citatus, & lib. 12. Thesaur. c. 15. Augustin. lib. 4. de Trinit. c. 9. & lib. 5. c. 3. & 9. & lib. 6. c. 2. & in lib. 83. qq. q. 69. & ser. 51. de verb. Domin. & hoc loco, & lib. 2. contra Maxim. Arian. Episcop. c. 10. 11. 12. & lib. 3. c. 22. & Idacius in lib. contra Varimad. & Marius Victorinus lib. 4. aduersus Arium, & Maxentius dialogo 1. & Theodorus Mopsuest. & Chrysost. in Græcorum Catena. Solebant duobus modis Ariani respondere. Primùm quidem non dici Patrem, & Filium vnum natura, atque substantia, sed concordia, cõsensúque voluntatis. Quod & Tertullianus, aut quicunque alius auctor est, in lib. de Trinitate minime obscurè scribit hunc locum exponens. Atque vtinam nulli memoria nostra interpretes extitissent, qui nescio

Quid significat hoc loco vnum.

sanè

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanè quo studio Arianorum iuuissent partes, id ex alijs etiam locis colligentes; cùm enim c. 17. 11. 22. Christus dicit, *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*, illud, *vnum*, non substantiam vtique, sed concordiam significare; & cùm dicit Lucas Act. 4. 32. *credentium erat cor vnum, & anima vna*, non esse dubium, quin sola animorum consensio declaretur. Eodem pertinere, quod scribit Ioannes 1. epistola. c. 5. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*: nam de aqua, spiritu, & sanguine idem dici, quæ tamè constet non eiusdem esse naturæ; sed idem dicere testimonium. De illis locis, qui ad probandam Arianorum interpretationè proferuntur, tùc copiosiùs disputabimus, cùm ad eos, si Deus vitam dederit, peruenierimus. Hunc, in quo versamur, non posse intelligi, nisi de natura, multis argumentis perspicuum est. Mitto rationem illam Augustini lib. 3. c. 22. aduersus Maximininum Arianorum Episcopum, qui perpetua scripturæ obseruatione docet omnia, quæ vnum esse dicûtur, eiusdem naturæ esse, nec exemplum vllum contrarium in sacris litteris reperiri. Ex hoc ipso loco argumenta eruamus. Volebat probare Christus neminem posse de manu sua oues suas eripere; quia *ipse*, ait, *& Pater vnum sumus*, & nemo de Patris manu potest eripere; si significat eiusdem esse potentiæ, atque naturæ, bene probat; si eiusdem esse voluntatis, non probat. Nam quòd quidam respondere solent etiam ex voluntatum concordia idem probari posse, quia cùm Pater idem, quod Filius velit, nunquam permittet, vt quisquam de Filij manu oues rapiat, ex alio loco refutatur, *Quos dedisti mihi custodiui, & non periit ex eis quisquam, nisi Filius perditionis*, vbi non Patris auxilio, sed suæ potentiæ tribuit, quòd nemo de manu sua oues rapuerit. Non ergo hoc loco propter Patris auxilium, sed propter suam ipsius potentiam, quæ potentiæ Patris æqualis sit, probat neminem de manu sua posse oues rapere. Deinde ex ipsis Iudæis Christi aduersarijs discere Ariani debuerunt Christum non voluntate sola, sed etiam potestate, atque natura significare se vnum esse cum Patre, vt ait Athanasius in libro, quòd Deus de Deo sit Verbum, & Cyrillus lib. 12. Thesauri. c. 15. Ad hoc enim verbum Iudæi lapides sustulerunt intelligentes Christum se paris cum Patre fecisse potestatis. Lapides isti clamant aduersus Arianos. Deinde non solùm factis, sed etiã verbis Iudæi declararunt, quamobrem Christum lapidare vellent, ver. 33. *De bono opere non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.* Denique Christus nõ respondet se non vocasse seipsum Deũ. sed probat meritò se ita vocasse. Alio etiam modo solet Augustinus in locis, quos notauimus de Trinit. Arianorum expositionem refutare. Nolebãt illi nomen geniti, & ingeniti in Deo vsurpare, dicẽtes aut substantiam, aut accidens significare; si accidens, in Deo accidens poni, quòd absurdum sit; si substantiam, duas in Deo poni substantias, quod sit absurdius. Argumentatur contra illos Augustinus eodem modo. Aut vnum hoc loco accidens, aut substantiam significat; accidens significare non potest, quia in Deo accidens non est, substantiam ergo significat: Solebant præterea Ariani alio modo hunc locum eludere, vt auctor est Idacius in lib. contra Varimad. c. 16. non dixisse Christum, *Ego & Pater vnum* sum, sed *vnum sumus*, non ergo vnam esse naturam, qui dicere possunt, *sumus*. Respondet Idacius, idémque alij omnes auctores respondere solent duobus verbis Sabellianos simul, atque Arianos refutasse. Sabellianos, cùm dicit *sumus*, indicans se, & Patrem duas esse personas; Arianos, cùm dicit, *Vnum*, docens non duas, sed vnam esse naturam.

Vnum de vnitate potestatis, & naturæ debere ac cipi hoc loco demonstratur.

Inf. 17. 12.

Sabellianos vna cũ Ariani refutari.

31. *Sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum.*) *Sustulerunt*, sed non iecerunt, quia Christi potentia, ea ipsa propter quam eum lapidare volebant, prohibiti sunt, vt Theodorus Mopsuest. adnotauit. Voluerunt autem eum lapidare, quia Deum se, aut Deo æqualem esse dixerat, quam execrabilẽ illi blasphemiam esse putabant. Iubebat autem lex blasphemos lapidare, Leuit. 24. 14. 16. Vide, quæ superiore versu dicta sunt, & cap. 8. 59.

32. *Respondit eis Iesus.*) Dixit. Sæpe eum notauimus Hebraismum, quo respondere ponitur pro dicere. Nihil enim Christo Iudæi dixerant.

Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?) Aculeata sunt verba; pungit enim eos, obliquè insinuans nulla sua culpa, nullam ob noxam se ab illis lapidari; reliquum ergo esse, vt ob bona opera, & merita in eos sua ipsorum ingrato animo, inuidiáque lapidetur. Habet autem oratio per interrogationem pronuntiata maiorem vim, quàm si simpliciter dixisset, propter bona opera me lapidatis. Maiorem etiamnum cùm dicit. *Multa bona opera ostendi vobis, propter quod eorum opus me lapidatis?* Redigit enim illis in mentem omnia, & iubet ex multis vel vnum ostendere, propter quod se possint lapidare. Ostendere bona opera Hebraica phrasi non solùm significat ante oculos ponere, sed etiam in gratiam eorũ facere, benefacere illis. *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona*, id est quis nobis benefaciet, Psal. 4. 6. *Ostende nobis misericordiam tuam*, id est fac nobiscum misericordiam, vt alia phrasi dicunt, Psal. 84. 8. Sicut è contrario, *Ostendisti populo tuo dura*, Psal. 59. 5. & *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas*, Psal. 70. 20. Sed habet maiorem emphasim, quàm si dixisset, multa bona opera vobis feci, quia ostendere significat ita facere, vt is, cui fit, manibus teneat, réque ipsa ita experiatur, vt aut negare, aut ignorare non queat. Itaque duplex hoc verbo Iudæorum notatur vitium, cæcitas, quòd bona Christi in se opera non viderent, aut intelligerent, & ingratitudo (vtar enim hoc verbo) quòd cùm tot eius in se benefacta essent experti, lapidare vellent; docuerat eos, sanauerat eorum ægrotos, liberauerat à dæmonibus multos. At quare dicit, *Ex Patre meo?* Respondet Cyrillus in Catena Græca modestiæ causa ita locutum fuisse, vt nobis exemplum præberet, minimè gloriandi, cùm aliquid à Deo accepimus beneficij. Voluisse etiam ostendere omnia sibi opera communia esse cum Patre. Mihi videtur declarare voluisse, ea se opera, quæ fecerat, neque curiositate, aut ambitione vlla, neque proprio, priuatóque consilio, sed Patris etiam consilio, decretóque fecisse. Occasionem eos aliquam habere posse, quo minùs opera sua calumnientur, in quo nihil præter hominem oculis videant; at opera Patris calumniari non posse, se verò nullum opus facere, quod non idem Patris sit.

33. *Responderunt ei Iudæi, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.*) Putant Leontius, & Euthymius conferri his verbis Iudæos Christum multa sibi bona opera fecisse; sed ego nullam eorum confessionem video, nec vero simile est id eos esse confessos, cùm illa ipsa omnia opera, quæ illis Christus fecerat, cãlumniati etiam fuissent, curatum sabbato Paralyticum c. 5. 10. restitutum visum cæco. c. 9. 16. Illa ergo verba, *De bono opere non lapidamus te*, sic interpretor, *de bono opere non lapidamus te*, quia nullum bonũ opus habes, propter quod te lapidemus, aut si quod bonũ opus fecisti, quod modò non disputamus, propter

illud

illud te non lapidamus, sed propter blasphemiam. Blasphemiam vocant, quòd se Christus Deum appellauerit, *Zelum habentes*, inquit Cyrillus, *sed non secundum scientiam*. Rectè enim iudicabant blasphemos secundum legem esse lapidandos, Leuit. 24. 16. sed in eo errabant, quòd Christum putarent esse blasphemum, *Et quia tu homo cùm sis*. Coniunctio. *Et* exegetica est, idem enim valet, quod scilicet. Vide quæ versu 30. diximus.

34. 35. 36. *Respondit eis Iesus, Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, dij estis?*) Non respondet Christus, quod respondendũ in primis erat, nisi se vere Deum esse significasset, non vocasse seipsum Deum; hac enim responsione si vera fuisset, placare Iudæorum iram potuisset: sed potiùs probat se meritò Deum appellari. Probat autem argumento ex ipsorum lege sumpto, quod refellere non possint, *Nonne scriptum est in lege vestra?* Testimonium, quod adducit, non in lege Mosis, sed in Psal. 81. 6. scriptum est: sed vt alibi diximus, & hoc ipso loco notant August. & Beda, aliquando lex sola lex Mosis appellatur, vt, *Omnes Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem*, Matth. 11. 13. &, *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*, Matth. 22. 40. aliquando pro omni veteri testamento, vt hoc loco; vide quæ diximus Matth. 11. 13. Non dicit in lege tantùm, neque in lege mea, aut in lege nostra, non solùm vt significaret legem illis datam fuisse, quemadmodum D. August. putat, sed aut vt indicaret ipsorum, non suam eam legem esse, aut ne non se, sed illos ea teneri; se enim lege superiorem esse, qui legẽ ipsam tradiderit, vt Rupertus animaduertit: aut, quod ego probabilius esse iudico, legem ipsorum propriè appellauit, quasi illis cum omni populo cõmunis non esset, legem, cuius ipsi scientiam profiterentur, qua gloriarentur, qua se cæteris anteponerent. Notat enim in illis propriè legis, quam profitebantur ignorantiam, & vim adhibet argumento, vt suprà c. 8. 17. In illa igitur ipsa lege vestra scriptum est, *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes*; quod an de omnibus Israëlitis, vt Cyrillus, & Augustinus putant, dictum sit, an de solis Prophetis, sacerdotibus, aut iudicibus, vt Euthymius, & alij existimant, neque quicquam ad vim argumenti facit, nec est huius loci disputare. Hoc certum, in eóque vis argumẽti tota versatur, quòd qui nihil plùs, quàm homines erant, propter communicatum cum ipsis sermonem Dei Dij appellentur. Hinc Christus argumentatur à minori ad maius. Illi, qui nihil habebant diuini, nisi quòd cum illis Deus locutus fuerat, Dij appellantur; multo ergo magis ego, qui naturalis Dei filius sum, Deus sine vlla blasphemia vocari possum. Cæterum hoc ipsum apertè non dixit, sed *quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*. Sanctificatum enim à Patre esse, & in mundum missum idem est, quod filium Dei esse naturalem. Sed dixit potiùs, *quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*, aut vt moderatiùs loqueretur, aut vt non solùm se filiũ Dei esse, sed etiam quomodo esset filius Dei, declaret, filium se esse Dei non cæterorũ inodo in terra, sed in cælo natum, indéque in hunc mundum missum, quod alij cuiquam contingere non potuit; filium esse naturà, non adoptione, hoc est, *Quem misit in mundum*. Illud autem, *sanctificauit*, Hebraismum esse arbitror, idémque significare, quod designare, destinaréque ad aliquod officium, vt Iere. 1. 5. *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Si cui hæc non placet interpretatio, dicat Christum vt hominem à Patre sanctificatum, vt exponit Hilarius 7. de Trinit. aut, vt Augustinus, & Beda, giguendo

sanctificatum fuisse. Cur ergo non concludit, *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas*, quia dixi, *Filius Dei sum?* Hoc nonnullos monuit, vt existimarent, cùm suprà dixit, *Ego & Pater vnum sumus*, non naturam, sed concordiam significasse. Sed immeritò; nam quid si significauerit illis verbis, Iudæi probè intellexerunt, qui propterea confessi sunt, se eum lapidare voluisse, quòd se Deum appellasset. Christus ergo ideo nõ dicit se Deum, sed filium Dei appellauisse, quia non se vocauerat apertè Deum, his ipsis verbis, sed disertè vocauerat Deum patrem suum, *Ego & Pater vnum sumus*; quod etsi re quidem ipsa idem erat, atque si se apertè Deum vocauisset, tamen verbis idem non erat, & voluit ita Iudæis respondere, vt iratos Iudæorum animos mitiore responsione mitigaret. Hoc etiam videtur Theodorum Mopsuest. fefelliſse, qui, vt in Græcorum Catena lego, existimat argumentum non modò à minori ad maius, sed etiam à maiori ad minus esse. A minori quidem ad maius, quia minus est sermonem Dei ad aliquem factum esse, quam esse sanctificatum à Deo. & misum in mundum. A maiori autem ad minus, quia plus est vocari Deum, quemadmodum illi vocati fuerant, quàm vocari filium Dei, quemadmodum se Christus appellauerat. Cæterum ille, quem explicauimus, verus, atq; Catholicus est sensus. Augustinus, & Beda existimant in eo etiam argumenti vim esse, quòd dicat, *Ad quos sermo Dei factus est*; quasi diceret, Si illi, qui sermonis Dei participes fuerunt, scriptura teste, *quæ solui*, id est mentiri *non potest*, Dij meritò vocati sunt; quanto magis ego, qui non sermonis Dei particeps, sed ipse Dei sermo sum, Deus vocari possum? Acutum hoc est, sed nõ ita videtur Christus argumẽtari.

37. 38. *Si non facio opera patris mei, nolite credere.*) Confirmat experientia; quod priùs scripturæ testimonio probauerat, se vnum esse cum Patre. Argumentum hoc est; quorum eadem sunt opera, ij idem, vnúmque sunt, hoc enim principium intelligẽdum, mea, & patris mei opera eadem sunt, ergo *ego & pater* meus *vnum sumus*; Hoc est, *ego in Patre, & Pater in me est*, quod idem valet ac si diceret, *Ego & Pater vnum sumus*, vt Theodorus Mopsuest. Cyrillus, Leõtius, Augustinus, Beda. & Euthymius interpretatur. *Non sic aucit Filius*; inquit Augustinus, *in me est Pater, & ego in illo, quomodo possunt homines dicere. Si enim bene cogitemus, in Deo sumus, & si bene viuamus, Deus in nobis est. Fideles participantes eius gratiam, illuminati ab ipso in illo sumus, & ipse in nobis; sed non sic vnigenitus filius ille in Patre, & Pater in illo, tanquam æqualis in eo, cui est æqualis. Denique nos aliquando possumus dicere. In Deo sumus, & Deus in nobis. Ego & Deus vnum sumus, nunquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus continet te. Deus est in te, quia templum Dei factus es, sed nunquid quia in Deo es, & Deus est in te potes dicere, Qui me videt, Deum videt, quo modo vnigenitus dixit, Qui me videt, videt & Patrem, & ego & Pater vnum sumus? Agnosce proprium Domini, & munus serui. Proprium Domini, est æqualitas Patris, munus serui, est participatio Saluatoris.* Mittit Iudæos Christus ad experientiam suorum operum, vt ex illis diuinam in se naturam agnoscant, quia ipsa per se diuinitas cognosci non potest, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius obseruant. Habet autem plus acrimoniæ concessio, qua vtitur, *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi*; quàm si simpliciter dixisset; operibus crédite. Plùs etiam habet efficaciæ. *Operibus credite*, quàm mihi credite propter opera. Ita enim loquitur, quasi non sibi, sed operibus credere velit.

Ver. 38.

Trac 48.

Inf. 14. 9.

39. *Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus eorum.) Græcè est, ἐζήλωσεν ἐν πολλοῖς αὐτῶν τὸν Ἰησοῦν, *Quærebant ergo eum iterum apprehendere.* Cùm dicit, *ergo*, indicat Iudæos illis ipsis verbis, quibus mitigari, & credere debuissent, magis accensos ira apprehendere voluisse, vt abductum extra templum lapidarent. Cùm dicit, *iterum*, alludit ad alia etiam tempora, quibus eum similiter apprehendere voluerãt c.7.30. 32.& 8.59. vt doceret non semel tantùm, sed sæpe ex eorũ manibus mirabiliter euasisse. Cùm dicit, *exiuit de manibus eorum*, significat eum cum iam pene esset apprehẽsus, manibúsque aduersariorum teneretur, euasisse. Qua ratione euaserit, Euangelista non docet. Credendum est nulla humana fugisse arte, sed virtute se diuina liberasse. Sed id ipsum qua ratione fecerit, quærimus. Verisimile est eodem modo hîc euasisse, atque suprà c.8. 59. cùm se inuisibilem reddidisset; lege, quæ in eum locum diximus.

40. *Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primùm, & mãsit illic.*) Ter Christum ad Iordanem, vbi Ioãnes baptizabat, abijsse legimus. Primùm cùm à Ioanne baptizatus est: deinde cùm Ioannes eum discipulis ostẽdit, *Ecce agnus Dei* c.1. 29. 36. postremo nunc cùm Iudæorum manus fugit. Hoc est, quod Euangelista dicit, *iterum*. Cùm autem dicit, *ad eum locum, vbi erat Ioannes baptizans*, primùm indicat non semper Ioannem in eodem Iordanis loco baptizasse. Atque ita quidem est. Nam primùm baptizauit in Bethara, aut Bethabara c.1.28. vbi & Christus ab eo baptizatus est. Deinde, *in Aenon iuxta Salim*, c.3.23. Docet ergo Euãgelista Christum non in Salim, sed in Bethabara se recepisse, vbi & baptizatus, & demonstratus à Ioanne fuerat. Cur fugerit, etsi hîc Euangelista nõ dixit, alibi dixit, *quia nondum venerat hora eius*. cap.7.30.& 8.20. Cur autem in eum potiùs locum, quàm in alium se contulerit, Chrysosto. Leontius, Theophylactus, & Euthymius causam indicant, vt loci præsentia, in quo demonstratus, declaratúsque à Ioanne fuerat, eos, qui sese secuturi erant, commoueret, vt recordari ex loci conspectu testimonij Ioannis, in se crederent: eadémque ratione Euangelistam notasse locum. Id ita esse euentus declarauit. Sequitur enim.

41.42. *Et multi venerunt ad eum, & dicebant, Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.*) Videtur in hoc verbum duplex argumentum simul implicatum esse. Alterum est, Ioannes nullum vnquam miraculum fecit, & tamen illi credidimus, multo ergo magis huic credere debemus, qui tot miracula fecit. Alterum; Omnia quę Ioannes de isto prædixit, vera sunt, ergo illi credere debemus. Quibus commoti argumentis, inquit Euangelista, *multi crediderunt in eum.*

Ter Christus ad Iordanẽ iuit, vbi Ioannes baptizabat.

CAPVT XI.

1. Matt.26. 6.7. Infr.12.a. 3. Luc.7.f. 37.

ERAT autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius. 2. (Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.) 3. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. 4. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam. 5. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. 6. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. 7. deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. 8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? 9. Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: 10. si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. 11. Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. 13. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est: 15. & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. 17. Venit itaque Iesus: & inuenit eum quattuor dies iam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadijs quindecim.) 19. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: 22. Sed & nunc scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. 25. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: 26. & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? 27. Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. 28. Et cum hæc dixisset, abijt, & vocauit

Sup. 5.c. 29. Luc.14.c. 14. Sap. 6.d. 35

vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. 29. Illa vt audiuit, surgit cito, & venit ad eum: 30. nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. 31. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit, & exijt, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. 32. Maria ergo, cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. 33. Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, 34. & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. 35. Et lachrymatus est Iesus. 36. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur? 38. Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentũ. Erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei. 39. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim. 40. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi quoniam si crederis, videbis gloriam Dei? 41. Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me. 42. ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: vt credant quia tu me misisti. 43. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras. 44. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire. 45. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. 46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus. 47. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebãt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. 49. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, 50. nec cogitatis quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 51. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gente, 52. & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. 53. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. 54. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. 55. Proximum autem erat Pascha Iudæorum: & ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, vt sanctificarent seipsos. 56. Quærebant ergo Iesum: & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.

Sup. 5.c. 6.

Inf. 18. c. 14.

IN CAPVT XI.

ERat autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororis eius.) Incertum quanto tempore post Christi ad Iordanem fugam, quæ superiore capite extremo narrata est, hæc acciderint, quæ hoc capite narrat Euangelista. Tamen ex versu 55. non obscurè colligitur duobus plùs, minúsve post mensibus accidisse. Fuga enim contigit post festum statim Encæniorum, id est ineunte Decembri; hæc autem facta sunt Pascha iam appropinquante, versu 55. An semper Christus in eodem illo loco fuerit, & quid interim fecerit, Euangelista non dicit. Credendum est otiosum non fuisse; tamen quòd quidam in tam breue temporis spatium ea coniiciunt, quæ à Luc. cap. 15. vsque ad 19. commemorantur, nescio quantum habeat probabilitatis; malo id ab alijs iudicari. Narrat Ioannes hoc capite historiam suscitati Lazari maximè memorabilem. Nec enim vllum aliud tantum Christus, dum in hac vita versaretur, miraculum fecit; & quia iuxta vrbem ipsam Ierosolymam; & quia magna multitudine Iudæorum, & Ierosolymitanorũ ciuium inspectante; & quia iam suscitatus diu inter Iudæos

Universidad de Deusto
Biblioteca

versatus est; & res appropinquante iam Pascha facta est, quo tempore multi iam vndique Iudæi conuenerant, vt ad diem festum *sanctificarent seipsos*, vt ait Euangelista versu 55. Quæ res Euangelistam opinor mouit, vt memorabilem historiam copiosissimè, accuratissimèque describeret, integrumque, ac bene quidem longum in ea commemoranda caput occuparet. Aliam, sed magis moralem causam Theophylactus reddit, voluisse Euangelistam docere nos, ne miremur, si videamus Dei amicos morbis, alijsve miserijs affligi. Aliam Theodorus Mopsuestien. voluisse rem pene natura sua incredibilem diligenti omnium circunstantiarum descriptione credibilem reddere. Describit initio Lazari personam ex nomine, *Erat quidam languens Lazarus*. Alium hunc fuisse Lazarum, quàm mendicum illum, qui ad ianuam purpurati diuitis vlcerosus iacebat, Luc. 16. 20. monuimus. Describit ex loco, *A Bethania de castello Mariæ, & Marthæ*. De Bethania, quod oppidum, & vbi situm fuerit Mat. 11. 1. & alibi sæpe diximus. Quod additur, *de castello Mariæ, & Marthæ*, perperam à nonnullis vulgaribus auctoribus intellectum, & doctis risum mouit, & hæreticis calumniandi occasionem præbuit. Putarunt castellum, id est arcem quampiam significari, cuius Maria, & Martha communiter dominæ essent, cui & nomen affinxerunt, Magdalum appellatum, vnde Mariæ cognomentum fuerit Magdalenæ. Alij etiam audaciores, vt duas facerent Magdalenas duplex fecere Magdalum, alterum in Galilæa, alterum in Iudæa nulla ratione, nullo auctore. De cognomento Magdalenæ hoc loco non disputo, disputauimus alibi; de castello hoc disputo, nullum aliud quàm Bethaniam ipsam designari, quæ κώμη castellum, id est pagus, aut oppidum appellatur, non arx, quæ aut in ipso oppido, aut alibi esset. Per appositionem enim dictum est, *A Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ*, id est quæ erat castellum Mariæ, & Marthæ. Nec impedit addita propositio, *De*, quæ videtur addenda non fuisse, si esset appositio. Est enim appositio non tam verbi, quàm sententiæ, tanquam si diceret, A Bethania, id est à castello Mariæ & Marthæ. Dicitur autem Bethania castellum Mariæ, & Marthæ, non quòd dominæ oppidi essent, vt alij affirmant, alij dubitant; sed quòd in eo habitarent, quemadmodum Bethsaida dicitur, ciuitas Petri & Andreæ. cap. 1. 44. non quòd domini, sed quòd habitatores illius essent. Mirórque hoc doctos hominẽs in dubio reliquisse. Nam vt nullum aliud esset argumentum, quis vnquam legit Iudæum vllum illo præsertim tempore, quo Romani dominabantur, vllius oppidi dominum fuisse? Denique Lazarum Euangelista per sorores describit, ideo vt arbitror, quia Christi familiaritate notiores vulgo erant, vt solent mulieres religiosiores esse, quàm viri; quod Leontius, & Theophylactus indicarunt.

Vide in Matth. c. 21. 1. & 26. 6. 7. & 28. 1. & Luc. 7. 37.

Bethania castellum Mariæ & Martha.

2. *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterfit pedes eius capillis suis.*) Quia plures Mariæ erant, quæ Dominum sequebantur, Matthæi 27. 56. & 28. 1. voluit Euangelista Mariam Lazari sororem insigni illo, & publico facto à cæteris distinguere, quòd pedes vnxisset Christi. Solet à multis quæri, quam vnctionem Ioannes intelligat, illámne, quam apud Lucam cap. 7. 37. factam legimus, an eam, quam idem Ioannes cap. sequenti versu tertio describit. Sæpe enim vnctum fuisse à muliere Christum Lucæ 7. vers. 37. 38. Matthæi 26. ver. 7. Marc. 14. ver. 3. & Ioannis 12. ver. 3. manifestum est. Quæstio pendet ex altera quæstione, an eadem fuerit mulier, quæ & apud Lucam, & apud cæteros Euangelistas Dominum vnxisse dicitur, de qua re apud Matthæum cap. 26. vers. 6. copiosè disseruimus; docuimúsque eandem, & vnam fuisse. Quod & ex hoc loco non obscurè videtur colligi: si enim diuersæ mulieres fuissent, omnésque Mariæ, vt multi auctores putant, appellarentur, non satis Euangelista hanc à cæteris hoc signo distinxisset, quòd vnxisset pedes Domini, nam & aliæ similiter vnxerant. Cùm autem hoc tanquam certissimum, & vltimum Mariæ sororis Lazari signum ponat, minimè dubium est, quin sola Maria Lazari soror Dominum vnxerit. Itaque futile est, quòd omnes fere hæreticorum interpretes adnotarunt, hoc Euangelistam per anticipationem dicere, de ea enim vnctione agere, quam sequenti capite describit. Nihil enim vetat, quo minùs ad vnctionem illam Lucæ respiciat, quæ antequam hæc, quæ hoc loco Euangelista narrat, accideret, facta fuerat; præsertim cùm id vis Græci verbi significet, ἡ ἀναλάβασα τὸν κύριον, quæ vnxerat Dominum. Etsi graues etiam auctores Theodorus Mopsuest. & Leontius anticipationem esse putant.

3. *Miserunt ergo sorores eius ad eum.*) Sorores Lazari ad Christum, qui erat trans Iordanem in eo loco, vbi solitus fuerat Ioannes baptizare. Itaque pronomen, *eum*, vsque ad versum 40. superioris capitis referendum est. Misisse dixit absolutè Hebræorum, & Græcorum more, apud quos שלח, & ἀποστέλλειν, mittere, significat mittere nuntios, vt apud Latinos legare. Exempla notauimus Matthæi cap. 2. versu 16. Quærunt multi, cur non ipsæ ad accersendum Christum profectæ fuerint? Respondent Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius, & Cyrillus in Catena Græcorum non contemptu, sed tribus de causis id fecisse, & quia cognitam habebant Christi benignitatem, confidebántque satis esse, vt illi fratris morbum significarent, quod nuntius ipse declarat, *Ecce, quem amas, infirmatur*; & quia fratris ægrotantis luctu, curáque prohibebantur; & quia infirmi erant sexus, nec decebat longiùs à domo discedere.

Ecce quem amas, infirmatur.) Simplicissimæ, & modestissimæ preces, plenæ fidei, plenæ spei, & caritatis. Nam & fidei fuit credere Christum impedire quamuis absentem posse, quo minùs ægrotus morereturfrater: ideóque non rogant, vt veniat, vt festinet. Notauit hoc Cyrillus in Catena, Leontius, Theophylactus, & Rupertus: & spei fuit confidere fore, vt non longiore ad exorandum Christum oratione opus esset: & caritatis eius erga Lazarum amorem in mentem Christo reuocare, nec alias præter amorem preces adiicere. Quamobrem non nuntiant, Ecce Lazarus, sed, *Ecce quem amas, infirmatur*, vt Chrysost. & Euthymius indicarunt: posito enim ante oculos eius erga Lazarum amore magis illum ad misericordiam commouebant. Hæc fere omnia D. Augustin. & Beda his verbis complexi sunt; *Non dixerunt veni; amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausa sunt dicere, veni & sana; non audent dicere, ibi iube, & hic fiet; cur enim non & ipse, si fides illius centurionis inde laudatur? Ait enim, Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nihil horum iste, sed tantummodo, Domine, ecce quem amas, infirmatur; sufficit, vt noueris, non enim amas, & deseris.* Cyrillus, Leontius, & Theophylactus admirationem etiam quandam hæc verba præ se ferre putant, quasi dicant, qui fieri potuit, vt quem amas, infirmaretur?

4. *Audiens autem Iesus dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.*) Vulgaris quæstio quo modo Christus dicat eam infirmitatem ad mortem non esse, cùm paulò post mortuus ex ea fuerit Lazarus. Tribus modis id explicari potest, aut propterea dixisse infirmitatem illam ad mortem non esse, quia etsi ex ea Lazarus moriturus erat, sibi tamen, qui facilè poterat suscitare, non erat moriturus. Quemadmodum de principis illius filia dixit, *Non est mortua puella, sed dormit*, cùm mortua omnino esset, vt quosdam illic interpretari diximus, & hoc loco Rupertus refert; quamuis hanc interpretationem ideo refellat, quòd paulò post ver. 14. Christus dicat, *Lazarus mortuus est*. Quo argumento magis hæc expositio confirmari videtur, quàm refutari. Propterea enim versu 21. videtur non dixisse, Lazarus amicus noster mortuus est; sed *Lazarus amicus noster dormit*, vt indicaret facilè à se fore suscitandum. Quòd autem discipulis postea palam mortuum esse dicit, propterea dicit, quia per somnum mortem intelligere non poterant. Itaque potiùs hac ratione indicat Lazarum illis quidem mortuum esse, sibi verò dormire: aut quia ita moriturus erat, vt mansurus non esset mortuus, sed duobus post diebus suscitandus, vt Theodorus Mopsuestien. Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, exponunt, monéntque dictiones illas *Pro*, & *Vt* non causam, & finem, sed euentum aut consequentiam significare. Nec enim propterea Lazarum ægrotasse, vt filius Dei glorificaretur, sed cùm ægrotasset, ac mortuus esset, consecutum inde esse, *vt glorificaretur filius Dei*. At non fuisse infirmitatem ad mortem, quia finis morbi Lazari non ipsa erat mors, sed gloria Dei, quæ ex ea erat consecutura, vt Augustinus, Beda, & Rupertus interpretantur; itaque existimant non solùm euentum, sed causam significari, *Talis glorificatio ipsius*, inquit Augustinus, *non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc est ergo, quod ait, Non est ad mortem, quia & ipsa mors non erat ad mortem. sed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, & viuificarent veram mortem.* Rectè probant ex hoc loco veteres auctores Christi diuinitatem. Nam aut seipsum Deum appellat, cùm dicit, *Sed pro gloria Dei*, quod statim explicans addit, *vt glorificetur filius Dei per eam*, quasi dicat, *pro gloria Dei*, id est mea, vt Augustinus, Beda, Rupertus, & Theodorus Mopsuest. & Cyrillus in Catena Græca interpretantur; aut certè eandem suam, patrísque sui gloriam esse dicit, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius existimant. Dubitant autem quidam quam suam, Patrísque gloriam intelligat? Andreas Cretensis vnus ex auctoribus Græcæ Catenæ crucem, mortémque Christi designari putat, quam mors Lazari significauerit, per crucem enim, & mortem maximè eius gloriam apparuisse. Sed nimis hoc alienum videtur à sensu. Theodorus Heracleotes gloriam eam intelligit, quòd miraculum suscitati Lazari toto esset terrarum orbi diuulgandum, vnde Patri, ac Filio magna esset accessura gloria. Simplicissimus sensus est, quem indicat Augustinus, in eo eam gloriam positam fuisse, quòd suscitato Lazaro multi essent Christi diuinitatem cognituri, vt ver. 45. declarat Euangelista.

5. *Diligebat autem Iesus Martham, & Mariam sororem eius, & Lazarum.*) Multi interpretes quærunt, quorsum hoc adiecerit Euangelista. Sunt qui putent suspicionem lectoris occupare voluisse; potuisse enim aliquem suspicari propterea Christum non statim ad sanandum Lazarum se contulisse, quia nec eum, nec eius sorores diligebat. Cyrillus verò in Catena Græca existimat voluisse docere non mirum si quos *diligit Dominus, castigat*, cùm Lazarum, quem diligebat, morbo afflixerit. Potiùs credo rationem tacitè reddere cur etsi non statim ierit, postea tamen ierit suo tempore, quasi dicat, non potuisse eorum, quos tantopere diligebat, obliuisci; fixum in eius animo mansisse nuntium ægritudinis Lazari. Refero ergo hoc ad duos sequentes versus; *Vt ergo audiuit, quia infirmabatur*, Quid enim est, *ergo?* nisi quia diligebat Lazarum, & sorores eius audito eius morbo, quamuis iustam ob causam in eodem loco duos dies manserit, tamen simul atque opportunum venit tempus miraculi faciendi, dixisse discipulis suis, *Eamus in Iudæam iterum*. Diligebat autem eos singulariter, cùm omnes communiter homines diligeret, propter singularem earum mulierum pietatem, vt Theodorus Heracleot. & Mopsuest. Chrysostomus, & Euthymius scribunt.

Hebr. 12. 6. Apoc. 3. 19.

6. 7. *Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.*) Quam vim habeat particula illa, *ergo*, modò diximus. Solet autem quæri, cur duos ibi dies Christus manserit? cur non statim secutus nuntios, antequam moreretur sanauit Lazarum? In promptu est ratio, quam Chrysostom. Theophylactus, Euthymius, & Rupertus afferunt, ideo non statim ijsse, sed duos expectasse dies, quia manus in eo miraculum facere volebat, quàm quod eius sorores ab ipso postulare videbantur. Illæ postulabant, vt ægrotantem sanaret; ipse volebat mortuum, & quidem iam sepultum, iam quatriduanum, iam fœtentem suscitare. Expectauit ergo, inquiunt auctores illi, quos modò nominaui, donec moreretur, donec sepeliretur, donec fœteret, quo illustrius miraculum esset; nec posset quisquam dicere non verè fuisse mortuum, sed lethargo sopitum, aut alio quo morbi genere adeo oppressum, vt mortuo similis videretur. Augustinus, & Beda mysterij causa factum esse putant, quòd numerus ille dierum quatuor mysticus sit; sed non exponunt, quid in eo mysterij sit; nec, vt opinor, ad id, quod agimus est necessarium.

Cur duos dies ibi Christus manserit.

Eamus in Iudæam iterum.) *Iterum* dicit, quia non multo ante inde venerant, cùm vellent eum Iudæi lapidare cap. 10. 31. 39. Putat Cyrillus in Græca Catena hanc vim habere illud *iterum*; quamuis Iudæi indigni sint, tamen eamus, vt beneficium in illos conferamus, cùm tempus id postulet. Non abs re aliqui quærunt, cur hoc Christus discipulis dixerit, antequam proficisceretur, quod nusquam aliàs fecisse legimus, Rationem Chrysost. Theophylact. & Euthymius, &, vt videtur, vterque Theodorus Heracleot. & Mopsuest. reddunt hanc, quòd timidi discipuli essent, quòd paulò ante Iudæi Christum lapidare voluissent. Præmunijsse igitur eos, ne repentino postea reditu turbarentur, & præuisa minùs tela ferire solent.

8. *Dicunt ei discipuli, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?*) *Nunc*, id est paulò ante, vt Euthymius exponit. Intercesserant autem duo vt minimùm menses, vt initio huius capitis demóstrauimus. Sed vruntur discipuli exaggeratione, vt solet facere homines timidi, quò maiorem Christo merũ iniiciant eò reuertendi; *Nunc*, quasi eodem die res accidisset. Loquuntur autẽ, vt homines, inquit Cyrillus, & vterque Theodorus, nondum satis intelligentes non posse Christum quidquam pati nisi volentem: etsi experientia sæpe didicerat, vt aut Theodorus Mopsuest. eum, quoties voluerat, è manibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

hostium euasisse. Loquuntur autem ita, quasi solius Christi curam habeant, quamuis non tantùm illi, sed multo etiam magis sibi timerent, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius adnotarunt. Idem nunc multi faciunt, per speciem Christi defendendi res agunt suas.

9. Respondit Iesus, Nonne duodecim sunt horæ diei?) Meritò Augustinus, & Beda mirãtur, quid sibi velit ista respõsio. Vulgaris inualuit interpretatio, quã Theophylact⁹ refert, Lyranus verò amplexus est, & multi deinde, qui vix alium, quàm Lyranũ legebant scripturarũ interpretẽ, duodecim horas esse diei; itaque quod vna hora non fiat, alia fieri posse, mutari posse Iudæorum animos, vt qui paulò ante se interficere volebant, nunc libenter excipiant. Putat ergo Lyranus prouerbiũ apud Hebræos fuisse, quale nũc apud multos vulgo est, cùm significare volunt posse alio fieri tempore, quod alio fieri nõ potuit. Tribuit hãc interpretationẽ Chrysostomo D. Thomas in huius loci cõmentarijs, sed, vt opinor, immeritò. August. Beda, & Rupertus existimãt Christum seipsum lumen, diémque; duodecim verò Apostolos suos duodecim horas appellasse, nõ debere sibi eos dare consilium, sed se potiùs sequi tanquam horas solem, ac diem. Mirum hoc Augustino placuisse. Propiùs ad sensum Cyrillus accessit, rectè enim vidit tempus vitæ Christi diẽ appellari, sed sic exposuit, quasi sensus esset, nõdum esse tẽpus pœnas de Iudeis sumendi, adhuc beneficia etiam inuitis conferenda, quandiu in hac versaretur vita. Verus sensus est, quẽ primus auctor Rupertus explicauit, quémque Chrysostomus, Theodor⁹ Mopsuest. & Heracleotes, Theophylactus, & Euthym. tanquam certum, ac facilem, nisi fallor, præteriere; sic enim ea, quæ sequuntur, edisserunt, vt obscura coniectura non sit ita eos intellexisse: certũ esse atque statum spatiũ diei, quod minui non possit; duodecim enim constare horis; intra id tempus si quis ambulat, sine periculo ambulare, quia lucente die offendere non potest, videlicẽt quo loco pedem ponat: sic certum & constitutum sibi esse tempus, quo ambulare debeat, id est viuere, & officiũ à Patre cõmissum explere; eum esse diem suum, in quo nihil sibi periculi immineat; nec enim ante constitutum sibi tempus, id est antequam vitæ suæ nox veniat, mori posse. Sic bene hærent, quæ sequuntur, quæ non video, qua ratione cum alijs interpretationibus hærere possint. Quòd duodecim diei horas esse dicit, inæquales intelligit, & de die loquitur, quem vsualem vocant.

Auctoris interpretatio quæ & Ruperti est.

Sit, iis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.) Explicatis superioribus verbis, tam facilè hæc intelliguntur, vt commentario non indigeant. Non posse offendere, id est in periculum vllum incurrere, qui *in die*, id est in luce ambulat. Vnam enim magis communem periculi speciem pro omni posuit periculorum genere. Nihil ambulantes noctu homines magis metuunt, quàm ne in saxum, aut in aliquam rem aliam offendentes cadant. Lucem autem huiusmodi, aut solem vocat, qui veluti fax est totum collustrans mundum, aut lucem huius mundi, id est non spiritualem, sed corpoream, vt eam spirituali opponat, quam per eam intelligi volebat. Non ergo de discipulis hoc dicit, quasi doceat eos nihil esse causæ, quam ob rem timeant, cùm in luce ambulent, id est se sequãtur, qui lux est mundi, quemadmodum Augustinus, Beda, & Rupertus quasi oblitus sui, & Theodotus Heracleotes interpretantur, quam interpretationem refert etiam, & probat Euthymius. Nec, vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Theodorus Mopsuest. exponunt, *Qui ambulat in die*, id est qui bene agit, *non offendit*, non est quòd timeat. Generaliter enim de eo, quod solet fieri, & de vera, ac naturali loquitur luce, quam paulò ante diem appellauerat. Ex qua exemplum sumit, non vt probet Apostolos, sed se, cui sc Apostoli timere significauerant, timere non debere; neminem enim vllum sibi periculum creare posse, dum in luce, id est in die ambulat, antequam tempus veniat ad moriendum sibi à Patre constitutum.

11. Hæc ait, & post hoc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt a somno excitem eum.) Docuerat nihil sibi imminere periculi, si in Iudæam reuerteretur, quòd nondum sua venisset nox, sed adhuc in die, lucentéque sole ambularet. Docet nunc necessarium sibi, ac discipulis suis esse, vt eò eant dormire enim Lazarum suum communiter cum ipsis amicum, oporteréque à somno excitari, vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus, & in Catena Græcorum Cyrillus interpretantur. Hæc causa nimirum fuit, quam ob rem non dixit, Lazarus dormit, aut Lazarus amicus meus; sed *Lazarus amicus noster*, vt discipulos amicitiæ communione ad commiserationem, profectionémque commoneret. At cur apertè non dixit, mortuus est; sed, dormit, cùm magis fuerit discipulos ad capessendum iter excitaturus, si mortuum esse dixisset, velléq; eum suscitare? Theodor⁹ Mopsuest. Augustinus & Beda indicant ideo Lazari mortem somnum appellauisse, vt indicaret non esse sibi difficilius à morte illum, quàm a somno excitare. Probabile etiam est modestiæ causa ita locutum esse. Nam si continuò dixisset eum esse mortuum, seque eum suscitaturum, videri iactator poterat futuri miraculi. Nunc autem & plus quiddam dicit, cùm non solùm suscitaturum se illum indicat, verum etiam ita suscitaturum, quemadmodum si dormiret; & modestiam, moderationémque suam retinet. Notauit hoc ipsum Theophylactus.

Credere homines ad salutem non sufficit fides inchoata, sed perfecta requiritur.

Thom. 49

12. *Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit, saluus erit.*) Quo argumento Christus vsus fuerat, vt ad reuertendum in Iudæam discipulos hortaretur, eodem illi vtuntur, vt eum, ne eò redeat dehortentur. Arripiunt enim dormiendi verbum, inferúntque, *si dormit, saluus erit*. Nec dicunt, *si dormit, saluus est*, id est adhuc viuit, aut non valde grauiter ægrotat, quia qui graui premuntur morbo, dormire non possunt: sed dicunt, *exhilaras saluus erit* id est bonum est prognosticum futuræ sanitatis, melius se habet, extra periculum est. Solet enim somnus grauiter ægrotantibus sanitatem afferre. Itaque necessarium non esse eò ire, vt illum excitent, quin optandum, vt magis, ac magis dormiat, vt breuius conualescat, quemadmodum Græcus Cyrillus, & Theodorus Mopsuest. & D. Augustinus edisserunt. Sic enim humanum ingenium diuina, cælestiáque consilia ad sua trahit vota: & in diluendis, inuertendisque rationibus, quas diuinus aliquãdo spiritus nobis suggerit, nimis ingenioſi sæpe sumus.

Sanctorum ad sua consilia trahit vota.

14. *Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè, Lazarus mortuus est.*) Cùm videret eos non intelligere figuras, & metaphoras, palam, ac sine metaphoris locutus est, dixitque, *Lazarus mortuus est*. Hanc vim habent duæ illæ dictiones *tunc*, & *ergo*. Nec iam amicum suum, aut illorum vocat; quia cùm apertè mortuum esse diceret, non alio opus erat argumento, vt illis persuaderet eundum in Iudæam sibi esse, vt eum à mortuis suscitaret.

15. *Et gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi.*) Non est sensus, vt credatis me non fuisse ibi, id enim satis

satis credebant; sed gaudeo me non fuisse ibi, vt hac ratione vos credatis, vt omnes auctores exponunt, Chrysostomus, Augustinus, Theodorus Mopsuest. & Heracleotes, Cyrillus, Theophylactus, Euthym. & Rupertus. Quanquam ego quidem nihil absurdi video, si hæc verba, *quia non eram ibi*, iungantur cum verbo, *credatis*, non vt sensus sit, vt credatis me non fuisse ibi, sed, vt ideo credatis, quia ibi non erã, quod crediturí non eratis, si ibi fuissem. Non dicit, quid crediturí sint, sed facilè intelligitur, vt credatis me verum esse Christum filium Dei, verúmque Deum. Quid ergo? an non id iam credebant? credebant quidem, sed crediturí dicuntur, quia quod iam credebant, magis erant, ac magis crediturí. Credere enim dicimur non solùm, cùm fides in nobis inchoatur, sed etiam cùm augetur, vt hoc loco D. Augustinus, & Beda monuerunt, & nos cap. 2. 11. exemplis docuimus: Potest non abs re queri, quã ob causam magis discipuli crediturí essent, quòd illic Christus nõ fuisset, quàm si fuisset ibi? Augustinus, & Beda existimant, ideo magis fuisse credituros, quòd videret, Christum absentem, quid in loco remoto accidisset nemine nuntiãte cognouisse, quod solus facere potest Deus. *Auger enim, non mortuus fuerat nuntiatus*, inquit Augustinus. Eandem Chrysostomus, & Theophylactus rationem probãt. Sed magis ego Cyrilli, Theodori Heracleens. & Mopsuest. in Græca Catena, Euthymij, & Ruperti probo sententiam, ideo magis fuisse credituros, quòd ibi Christus non fuisset, quàm si fuisset, quia si fuisset ibi, aut misericordia, aut sororum precibus victus, vel à morbo sanasset, vel recens mortuum suscitasset, non ferens tam diuturnum sororum luctum. Cùm autem ibi nõ fuisset, necesse fuit iam mortuum, iam sepultum, iam quatriduanum, fœtentémque suscitare, quod eo magis discipulorum fidem auxit, quo maius miraculum fuit. Loquitur vt homo, cùm dicit, *non eram ibi*, nam vt Deus vbique erat, vt Euthymius admonuit.

Sed eamus ad eum.) Peracutè Græcus Cyrillus ad notauit ita Christum de mortuo Lazaro loqui, vt si viuus esset. Sic enim dicit, *eamus ad eum*, vt dixisset, si adhuc viueret; quia illi, inquit Cyrillus, quãuis mortuus esset, viuebat, vtpote quẽ facilè poterat suscitare. Obseruant etiam Chrysostomus, & Theophylactus non dixisse, vado, vt suscitem eum, quemadmodum ante dixerat, *vado vt à somno excitem eum*, vt modestiè de se loqueretur, nec videretur iactator futuri miraculi. Nam ire ad excitandum à somno dormientem, nulla iactantia videri poterat, dicere verò ire se, vt mortuum suscitaret, poterat.

16. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos, Eamus & nos, vt moriamur cum eo.*) De Thoma apud Matthæum c. 10. 3. diximus, quæ ad personæ cognitionem erant necessaria. Illud de nomine Didymi hoc loco monendum, quod obseruarunt à nonnullis est, non esse Thomas nomen, Didymus cognomentum; sed vtrumque nomen esse, idémque significare, quod & Theophyl. in c. 20. 24. notauit. Quod enim Hebraicè nem Thomas, Græcè est *Didymus*, id est geminus: siue quòd simul cum fratre altero, vt ait Euthymius, nat⁹ esset, siue quòd nomen à maioribus suis accepisset, quemadmodum apud Romanos quosdã Spurios, alios Fuscos vocatos legimus, quãuis nec illi spurij, nec hi fusci essẽt. Quid de hoc nomine Leontius obseruauerit, inuenies cap. 20. 24. Cùm ergo dicit Euangelista, *Thomas, qui dicitur Didymus*, posteriore vocabulo prius interpretatur, quemadmodum si diceret, Thomas, id est Didymus. Notarunt recentiores quidam interpretes, sed fere hæretici, relatiuum *eo*, ambiguum esse,

Thomas, qui Didymus, non duo homines, sed vnus.

Quo animo Thomas hoc dixerit.

nam & ad Christum, & ad Lazarũ referri posse. Ac miror nõ solùm hæreticis, sed Catholicis etiã nonnullis, ac doctis auctoribus placuisse, vt ad Lazarum potiùs, quàm ad Christum referretur: quasi verba sint hominis non solùm Christo non credentis, sed irridentis etiam quodammodo, quæ ab eo dicta fuerãt, velle se ad Lazarum ire, vt illum suscitaret; fore enim nõ vt illum suscitaret, sed vt & ipse, & omnes eius discipuli vnà cum eo morerentur. Quidam etiã eorum per ironiam hoc dictum putant, neque hortantis hæc esse verba, sed dehortantis, quasi dicat quorsum eò eamus? an vt simul cum Lazaro moriamur? Iniuriam mihi Apostolo sine causa facere videntur, qui ita sentiunt. Et vnde illi probant, inde ego refello. Dixerat, inquiũt, Christus, *sed eamus ad eum*, subiicit Thomas, *eamus & nos, vt moriamur cum eo*, ad id ergo refertur pronomen *eo*, quo vtitur Thomas, ad quem pronomen *eum*, quo vsus erat Christus. Ego contrà, quia Thomas cùm hoc dixit, non cum Christo, sed cum condiscipulis loquebatur, vt eum, id est Christum sequerentur, non potest pronomen *eo*, ad Lazarum, sed ad Christum referri. Si enim cum Christo loqueretur, referretur ad Lazarũ, de quo Christus loquebatur; cùm autem loquatur cum condiscipulis, & de Christo sequendo loquatur, necesse profecto est, vt pronomen *eo*, referatur ad Christum. Accedit, quòd cùm dicit, *eamus & nos*, dictio illa, *&*, vim habet relatiuam: perinde enim est, ac si dicat, *eamus & nos*, sicut ille it, ad eum autem refertur pronomen, *eo*, quo particula, *&*, ergo, & pronomen *eo* refertur ad Christum. Præterea si vim, proprietatémque verborum consideremus, verbum illud, *moriamur cum eo*, indicat nondũ esse mortuum, sed esse moriturum eum, quocum & se, & condiscipulos suos simul morituros Thomas dicebat; Lazarus autem iam erat mortuus, nõ ergo de illo, sed de Christo dicit, *moriamur cum eo*. Omnes denique antiqui auctores ita intellexerunt; nec cuiquam eorum alterum illum sensum in mẽtem venisse credo. Quo animo hoc Thomas dixerit, de eo quidem video veteres interpretes disserire. Theophilactus existimat hæc dixisse, non vt hortaretur, quasi per ironiam dicat, scilicet, *eamus & nos*, vt cum eo inermes moriamur, contemnamus vitam nostram, sicut ille temerè contẽnit. Theodorus Mopsuest. Chrysost. & Euthymius rectè fortasse indicãt hæc verba, quamuis magnam audaciæ speciem præ se ferant, nõ audacis, sed timidi esse hominis, amantis tamen Christum, à quo eum certum mortis, vt putabat, periculum c , ellere nõ posset. Solét enim homines timidi maiora, quàm re ipsa sunt, pericula sibi fingere. Tamen & hoc ipsũ mihi videtur sine causa de Apostolo dici. Cùm enim verba audacem hominem indicent, cur timidum interpretemur, quod ne in alio quidem vulgari homine faceremus? Illud tantùm ex hoc loco colligitur, aut non satis eum credidisse, vt Cyrillus, & Andreas Cretens. in Græcorũ Catena putant, aut, quod vero similius est, non satis intellexisse, quod Christus dixerat ver. 9. nihil sibi imminere periculi. Tanquam ad certam enim mortem eundum esse dicit, ne Dominum, ac magistrum suum deserant, quod magni proculdubio erat amoris. Atque hæc fortasse causa fuit, cur hoc Euangelista commemorauerit, aut eius erga Christum caritatem laudaret, cuius incredulitatem postea erat c. 20. 25. reprehensurus.

17. *Venit ergo Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.*) Non dicit Euangelista, quo venerit, quia & ex ijs, quę dixerat ver. 1. & ex ijs, quę addit versu sequẽti facilè intelligebatur venisse Bethaniam, vbi dixerat fuisse Lazarum. In nonnullis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Græcis codicibus manu scripris additum inuenio
A τὸν σαββάτων, venit in Bethaniam. Nec declarat an discipuli cum eo venerint, quia ex verbis Thomæ intelligi poterat venisse cum illo. Ex quo colligitur, quàm falsa eorum sit opinio, qui putant Thomam non adhortatum, sed dehortatum potiùs eò discipulos suos fuisse, vt superiore versu recitauimus. Quatuor dies habere in monumento Hebraica phrasis est, qualè videmus c. 5. 5. *Erat autem homo ibi triginta octo annos habens in infirmitate sua.* Duas de his quatuor diebus apud interpretes quæstiones inuenio; alterà, quomodo ante quatuor dies Lazarus sepultus esse potuerit, cùm non nisi duos dies Christus post acceptũ non de morte, sed de morbo eius nuntium in eodem loco manserit, ver. 6. Alteram, quid quatuor isti significent dies. Ad priorẽ quæstionem Chrysost. videtur hoc modo respõdere, eo ipso die, quo nuntius ad Christum venerat, Lazarum fuisse mortuum; post eum duos in eodem loco mansisse dies, quarto demum die Christum Bethaniã venisse. Euthym. verò eodem quidẽ die, quo Christus nuntium accepit, fuisse mortuum; postea mansisse duos dies, antequam quidquam de eius morte discipulis diceret, quarto die dixisse, *Lazarus amicus noster dormit*; quinto venisse Bethaniã & inuenisse *eum quatuor dies iam in monumento habentem*. Itaque & Euangelista dixit ver. 6. *Tunc quidem mansit eodem loco duobus diebus*, non intelligitur tantùm mansisse per duos dies, antequam in Bethaniam inde proficisceretur, sed mansisse tacitum per duos dies, antequam de morte Lazari quidquam discipulis significaret. Hoc mihi probabilissimum videtur esse. Cum enim Euãgelista dicit, *tunc quidem mansit duobus diebus*, obscurè indicat iam Lazarum fuisse mortuum, sed nihil dum Christum de eius morte dicere voluisse, donec duo post mortẽ dies effluxissent, vt illustrius miraculum esset. Illud certè nullo modò probare possum, quod quidam dicunt, tunc Lazarum esse mortuum, cùm Christ⁹ discipulis dixit, *Lazarus amicus noster dormit*; deinde quattuor, aut quinque diebus Christum in conficiẽdo itinere posuisse. Cõstat enim ex ratione Geographica à Bethabara, vbi Christus erat, Bethaniam vsque bidui vt plurimum iter esse homini etiã tardo, & pedibus ingredienti. De industria Euangelista dicere videtur, *quattuor dies iam in monumento habentem*, nõ quattuor dies iam mortuum, quia quinto ante die credibile est fuisse mortuum, sed non eodẽ die, quo mortuus fuerat, fuisse sepultum; & quia id vbique fere gentium moris est, vt mortuorum corpora per diem vnum cõseruentur, antequã tradãtur sepulturæ, ne quis fortè semiuiuus sepeliatur; & quia est vero simile sorores eius non continuò eum sepelire voluisse expectãtes, num Dominus veniret, & eum, antequã sepeliretur, suscitaret. Altera quæstio ad institutum nostrum nunùs pertinet, qui prætermissis allegorijs sensum quærimus litteralẽ. Augustinus, Beda & Rupertus existimãt quattuor illos dies quattuor significare tẽpora, quibus homo immortuus in peccato quasi in sepulcro iacet; in vtero antequã nascatur in peccato originali conceptus; ante legẽ, sub lege, sub morte. Violẽta, vt videtur allegoria. Nã neq; tẽpus mortis à tẽpore reliquo huiꝰ vitę distinctũ est; & si homo post mortẽ in peccato manet, quando ab eo suscitabitur, cùm nemo possit iam damnatus liberari? Et tẽpus Euangelij tẽpus potiùs gratiæ, ac vitæ quàm mortis est. Non alia ergo de causa Christus quattuor expectauit dies, vt suprà docuimus, nisi vt cõstaret mortuum esse Lazarum, qui quartum iam diem sepultus esset, & miraculum in quatriduano, & fœtente esset illustrius.

Hebraica phrasis 4. dies habet.

Quomodo Lazarus 4 dies iam in monumento.

Quid quattuor illudies significent.

18. *Erat autem Bethania iuxta Ierosolymã quasi stadijs quindecim.*) Notum est stadiũ centũ, & viginti quinque habere passus, itaq; quindecim stadia sunt mille
B octingenti septuaginta quinque passus, id est minus duobus milliaribus Italicis, quod & Chryso. admonendum putauit. Ideo autem declarauit Euãgelista, quàm vicina Bethania Ierosolymis esset, vt rationẽ redderet, cur inde multi Ierosolymitani ciues ad cõsolandas Mariam, & Martham Bethaniã venissent, quod paulò post dicturus erat, vt Theodorus Heracleotes, Cyrillus, Chrysost. & Theophyl. notauerũt.

19. *Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.*) Non dicit, vnde Iudæi venerint, sed ex versu præcedenti satis apparet venisse Ierosolyma; ita Iudæos videtur κατ' ἐξοχὴν solos Ierosolymitanos appellare, sicut alibi solos principes cap. 9. 18. Venisse autem multos dicit, vt doceat miraculum non solùm coram Bethanianis, sed coram multis etiam Ierosolymitanis ciuibus factum fuisse, & ab illis longè, latèque promulgatum, vt Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, & Rupertus animaduertunt. Græcè est, πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν, καὶ Μαρίαν ad verbum, *Ad eas, quæ circa Martham, & Mariam*; quam phrasim quidam non mediocriter etiam docti non intelligentes existimarunt non ad Martham, & Mariam, sed ad alias mulieres, quæ cũ illis esset, venisse, vt per eas Martham, & Mariam consolarentur. Itaque nostrum interpretem temere reprehenderunt, quòd vertisset, *ad Martham, & Mariam*, ipsi multo magis reprehendendi, qui vel ex Euthymio Græco auctore discere potuerunt eam phrasim idem significare, quod πρὸς Μάρθαν, καὶ Μαρίαν, *ad Martham, & Mariam*. Et sin minùs apud Ecclesiasticos, apud prophanos certè auctores id licuit obseruare. In Catena Græca nõ lego πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν, καὶ Μαρίαν, sed πρὸς Μάρθαν, καὶ Μαρίαν. Quæritur à multis, quo modo multi Ierosolymitani ad Mariam, & Martham venire potuerunt, cùm illę Christo familiares essent, & Ierosolymitani non multo ante conspirasent, *vt si quis eum cõfiteretur esse Christum extra synagogam fieret*, c. 9. 22. Eius rei Chrysostomus, Leõtius, Theophylactus, & Euthymius tres rationes afferunt, non venisse Ierosolymitanos propter Christum, sed propter Martha, Mariæque nobilitatem, aliásve virtutes; aut propter ingentem earum luctum, in quo non poterant homines noti consolationis officium denegare: aut quòd qui ad eas venerunt, alieni nõ fuerint à Christo, sed ex illis, qui in illum ante crediderãt. Cætera sunt probabilia, hoc vltimum videtur Euangelistæ infra verbis repugnare; dixit enim versu 45. & 46. multos ex ijs, qui Ierosolyma venerant, suscitato Lazaro in Christum credidisse, alios detulisse eum ad Pharisæos; non ergo ante crediderant.

20. *Martha autem, vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi.*) Probabilis est Chrysostomi, Leontij, Theophylacti, & Euthymij coniectura, solam Martham ignorante sorore cognouisse aduentare Christum; cur verò illa potiùs cognouerit, obscurior est coniectura, sed tamen est aliqua. Docuimus Luc. 10. 38. colligi ex eo loco Martham maiorẽ quàm Mariam natu fuisse; itaque curam gessisse domus. Verisimile ergo est siue domi vtraque erat, cùm nuntius appropinquãtis Christi venit, illi potiùs tanquam maiori, & capiti familiæ, quàm sorori renuntiasse venire Christum; siue domo forte egressa fuerat alicuius negotij causa, vt quæ curam habebat domus, piorem excepisse famã Christi venientis. Cur ergo non expectabat Christum domi? quia maioris erat caritatis tali hospiti obuiam prodire, quemadmodum

Abrahã, & Lot, Gen. 18. 2. 3. & 19. 1. fecisse legimus. Sic nimirum debemus nos Christum obuijs, vt dicitur, vlnis excipere. At cur nihil sorori significauit? Respõdent auctores illi, ne & illa exire obuiam vellet, omnésque eam Iudæi sequerentur, & nimius tumultus excitaretur; aut quia sciebat, inquit Leõtius, Iudæos iniquos esse Christo. Vero etiam simile videtur voluisse Martham laudem illam præripere, quòd prior excepisset Christum; aut solam experiri, ecquid remedij mortuo iam fratri apud Christum reperiret, vt ex ver. 22. colligitur. Sancta est prudentia clam frattribus, clam parentibus ad Christum sese conferre. Quod addit Euãgelista, *Maria autem domi sedebat*, quam vim habeat, neminẽ obseruasse video. Ac prima quidem specie tacita reprehensio videri potest, quasi dum Martha Dominum querit, illa domi segnis desideret. Cæterum non reprehensionem ego, sed excusationẽ potiùs esse arbitror; quia enim dixerat Martham obuiã Christo processisse, ne quis miraretur, aut Mariam accusaret, quòd non & ipsa processisset, excusat eam tacitè dicens sedisse domi, ideóque nihil de Christi aduentu cognouisse. Martha enim cognouit, quia, vt diximus, credibile est domo aliqua causa fuisse progressam; & solent qui foris in publico versantur, multos colligere rumores, quos ignorant, qui domi delitescunt.

21. *Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*) Omnes fere hoc loco auctores notant Martham his verbis fidem quidem aliquam & cõfidentiam de Christi caritate, sed imperfectam tamen, & humilẽ fidem ostẽdere. Ostendere enim credere se fratrem suum moriturum non fuisse, si Christus adfuisset, potuisse eum Christum à morbo sanare, sed non credere idem etiam absentem facere potuisse. Nondum enim credidisse eum esse Deum, sed tanquam de viro insignis sanctitatis, singularisque apud Deum gratiæ de illo loqui, quod & ex sequentibus verbis manifestum sit, *sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ita Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Habent etiam hæc verba speciem quandam tacitè, & reuerenter reprehendentis Christum, quòd seriùs omnino venerit, quàm oportebat, vt Cyrillus Græcus, & Rupertus indicauerunt. Aliud etiã quiddam ego in illis animaduerto, voluisse Martham hoc exordio Christum quodammodo obligare, vt fratrem suscitaret, quandoquidem eius causa, tarditatéque fuisset mortuus, quod non venisset satis tempestiuè. Aut si hoc ideo non placet, quia, vt suprà docuimus, eodem die, quo nuntius ad Christum venit, Lazarus mortuus est, voluit certè Martha profiteuda Christi potentia, & caritate erga fratrem suum eandem potentiam, caritatémque eius excitare, vt iam mortuum suscitaret. Scire se eam Christi esse potentiam, vt si adfuisset, ægroto valuisset; eam erga illum caritatem, vt voluisset à morbo liberare; quod non fecit, quia non aderat, nunc faciat, cùm adest. Solemus eorum laudare liberalitatem, quos erga nos liberales esse volumus, idque ponitur in præceptis artis. Etiam orandi arte capi se Deus patitur, cùm ars ipsa nascitur ex affectu.

22. *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.*) Loquitur, vt modò diximus, nó tanquam de Deo, qui propria potestate, sed tãquam de viro sancto, qui precibus miracula faceret. Videtur autem Martha velle Christum docere, plus ipsum posse, quàm fortassis existimet. Nondum Christus mortuum vllum iam sepultum, iam quatriduanum, iam fœtẽtem suscitauerat, existimabat fortasse Martha ideo eum id nondum tẽtasse facere, quòd puta-

Vult rogari Deus, vt faciat, quod & nõ rogatus facturus erat. Tr. 81. 49.

Lib. 10.

Christus miracula sensim insinuare solitus.

Locus ad probandã resurrectionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

resurrecturos esse mortuos. Quanquam Theophylactus existimat potuisse,eam id à Christo didicisse, idémque alio postea loco docet Euthymius.

25. *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiàsi mortuus fuerit, viuet.*) Videtur non satis aptè ad rem Christus respondere,verùm aptissimè respódet. Dixerat Martha scire se resurrecturũ esse fratrẽ suum, sed *in nouissimo die*,cum omnibus mortuis; respódet Christus non esse necessarium, vbi ipse sit, nouissimum illum diem, & generalem resurrectionem expectare,se esse resurrectionem, & vitam; qui in nouissimo die omnes mortuos suscitaturus est, posse quandocũque velit,& quos velit mortuos suscitare. Quòd enim dicit, *Ego sum resurrectio & vita*, perinde est ac si dicat,nemo potest mortuus resurgere,ac viuere nisi per me.Cùm ergo qui in illo nouissimo die resurrecturi sunt,per me resurrecturi sint,poterit & frater tuus per me resurgere.Magna igitur significatione dixit, *Ego sum resurrectio, & vita*, singula enim verba emphatica sunt.Pronomẽ *ego* opponit verbis illis Marthę, *Quæcunq; poposceris a Deo, dabit tibi Deus*, quasi respondeat non precario, non aliena virtute, sed ego ipse mea suscitare possum;& quod dicit,*sum resurrectio, & vita*, plus est quàm si diceret, possũ suscitare,significat enim non solùm se posse,sed neminem alium posse nisi se,aut nisi per se, nemo enim potest resurgere, nisi per resurrectionem; nemo viuere nisi per vitam.Hoc sensu minùs licet explicato Chrysostomus, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthym. Rupertus videtur intellexisse, & Andreas Cretẽsis citatus in Græca Catena.*Dicis resurget frater meus in nouissimo die*,inquit Augustinus,*verũ dicis; sed per eum tunc resurget, quia est & modo quia ego sum resurrectio* &c.Omnes denique auctores tradũt imperfectam Martha fidem Christũ corrigere voluisse; sed id ipsum omnium aptissimè Theophylactus dixit, ἵνα δὲ μὴ μόνον ἀνάστασιν αὐτὸν διανοῆται λαβεῖν ὁ κύριος, ᾧ ὥσπερ ἐπεκρούσατο τὸν τῶν ὅλων αὐτὸν εἶναι δηλῶν, *Quia ergo mulier adhuc erat mutanda, excitat eam Dominus, & tanquam mortuã eius fidem suscitat.* Porro cùm duo genera sint hominum, mortuorũ,atq; viuentium;mortuorũ dicit se resurrectionem esse,viuentium verò vitã;quasi dicat,per me & mortui resurgunt,& viuẽtes viuunt;primum membrum exponit,statim secundũ versu sequenti.

Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.) Et hæc respõsio videri potest esse abs re; docet enim homines,qui in se crediderint,etiamsi mortui fuerint, resurrecturos esse;atqui Lazarus nõ poterat iam mortuus,in illum credere.Præterea quæstio erat de vita corporis Lazaro restituenda; ipse verò loquitur de vita animæ,ea enim vita viuunt,qui in illũ credunt. Cæterum nõ solùm bene,accõmodatéque,sed plus etiam respõdet,quàm rogabatur.Rogabatur vt corpori vitam daret,respondet non solùm corpori,sed etiam animo vitam dare posse. Sumpta enim occasione à vita corporis altiùs mulieris fidẽ attollit, vt non solùm corporis, quæ non magni sit pretij, sed etiam animi vitam petat,quæ sola expeti digna sit; eam se non minùs,quã corporis dare posse,& multo magis esse necessariam.Solet huiusmodi occasiones captare Christ⁹ à corporeis ad spiritualia,à terrenis ad cælestia homines traducẽdi, c.4.13.ex aqua corporea, quàm à muliere petebat Samaritana ad aquã spiritualem,quam ipse credentibus in se daturus esset,orationem transtulit: c.6.27.ex pane corporeo, quem Iudæi quærebant,occasionem sumpsit,vt eos ad quærẽdum cælestẽ panem hortaretur, *Operamini* inquit,*cibum, nõ qui perit,sed qui permanet in vitã æternam.* Cyrillus,Chrysost.Leõtius,Theophylactus,& Euthymius, Græci omnes auctores docent idẽ esse viuere hoc loco,& resurgere,significariq; tolos eos, qui in Christum crediderint,& ad fidem bona quoque adiunxerint opera,resurrecturos esse;non quòd alij resurrecturi non sint, sed quòd alij ad mortem sempiternam, hi ad vitam æternã sint resurrecturi, quemadmodum c.6.54.disputauimus. Præterquam quòd,vt diximus ante,exponit his verbis, quomodo resurrectio mortuorũ futura sit, quod primum propositionis membrum est.Cùm dicit,*etiamsi mortuus fuerit, viuet*,indicat,si mortuus non fuerit,& credit,non moriturum,quia etiamsi corpore moriatur, verè nõ moritur,& quia ea mors nõ est verè mors, vt Cyrillus, & Chrysostomus disserunt, & quia ab ea morte ad vitam æternam resurrecturus est. *Quod interim moriamur*, inquit Cyprianus in lib.de mortalitate, hunc locum edisserens, *ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire; non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus.* Itaque non solùm spem Marthæ ostendit fore, vt frater resurgat,sed etiam vt ipsa si velit credere,non moriatur, vt Leontius, & Theophylactus obseruarunt. Hoc est quod sequitur.

26. *Et omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.*) Dixerat Christus se resurrectionem,& vitam esse, resurrectionem nimirum mortuorum, vitam verò viuentium. Superiore versu declarauit, quomodo mortuorum resurrectio esset,quia qui in eum credidit, *etiam si mortuus fuerit, viuet*; declarat nunc,quomodo viuentium vita sit,quia, *qui viuit,& in eum credat, non morietur in æternum.* Ille recuperat, quod perderat; hic quod habet, perdere non potest. Hæc causa est, cur non dicat, qui credit in me viuet,& non morietur in æternum,quemadmodum dicendum esse videbatur, sed, *qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum*, quia non significatur vitam illam, de qua loquitur, effectum esse fidei, sed naturæ:tanquam si diceret,qui credit in me,si mortuus est,reuiuiscet, si viuus est,non morietur. Ambiguè igitur vitæ, & mortis vocabulis vtitur, cùm enim dicit, *qui viuit*, loquitur de vita corporis, cùm dicit, *non morietur in æternum*, loquitur de morte, & vita animæ. Qua ambiguitate, vt sæpe monuimus, vti solet Christus magna cum gratia, elegantiáque sententiæ, supra cap.4.13.14.Matthæi 8.22.Quamquam Chrysostomus,Cyrillus,Leontius,Theophylactus, & Euthymius, vt modò citabamus, omnia intelligunt de morte corporis, quam qui in Christum credunt, subituri non sint, siue quia ea mors vera non est, siue quia si est, paulò post sumt ad vitam etiam beatam corporis resurrecturi. Cæterum quo modo,qui in Christum credit,in æternum non sit moriturus, id est periturus non sit, abunde cap. 5.15.disseruimus,vbi & nouorum hæreticorum errorem refutauimus, qui ex huiusmodi locis colligunt solam fidem ad salutem satis esse.

Credis hoc?) Absurdum videri poterat,quòd cùm de suscitando Lazaro loqueretur, fidem à Martha exigat,quasi non Lazarum,sed illam ipsam suscitaturus esset.Cæterum ex ijs,quæ modò diximus,intelligi potest,quorsum Christus hoc addat.Volebat non solùm Lazarum corporaliter, vt illa petebat, sed etiam spiritualiter illam suscitare,vtramque ad rem eius erat fides exigenda.Non enim eorum tantùm,quos curabat,sed etiam eorum, qui se pro illis rogabant, fidem solebat postulare, & eius respectu miracula facere. Propter fidem eorum qui paralyticum portabant, sanauit eum, Matthæi 9.2. & illi, qui à se poscebat, vti possessum à dæmone filium curaret, dixit, *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, Mar. 9. 23.

27. *Ait illi, utique Domine ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.*) Dictio illa *utique*,quæ Græcè est *ναί*,vehementer,& cum admiratione affirmantis est, non ergo solùm affirmat Martha se credere,sed indicat mirari se,quòd se Christus interroget, quasi de sua in ipsum fide dubitet.Quòd dicit *credidi*,præteritum tempus est positum pro præsenti, vt multi putant, & vt graues etiam,& Græci auctores Theodorus Mopsuestiẽsis, & Leontius videntur interpretari, idque consuetudo Græci sermonis patitur; sed cùm maiorem vim præteritum habeat, nolim in præsens conuertere, quod temere fecisse mihi videtur hæreticorum interpres. Potest quippe Martha significare se non modò nunc,sed multo ante credidisse, quemadmodum Diuus Augustinus,& Beda putat, quod maiorem nimirum habet emphasim, quàm si diceret; se iam nunc de Christo credere, quod ante non credidisset.Quod sequitur, *quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti*,videtur alienum à Christi interrogatione esse. Rogauerat enim Christus, *credis hoc?* id est me esse resurrectionem, & vitam, & eos, qui credunt in me,etiamsi mortui fuerint, resurrecturos esse,& qui viuunt,& credunt in me,non esse morituros in æternum? respondet illa, *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius existimant nõ intellexisse Martham,quæ dixerat Christus,ideo non satis accommodate respondere. Augustinus autem,& Beda,rectè intellexisse,rectéque respondere respondendo enim, quod maius est, id etiam quod minus est,respondere. *Quãdo hoc credidi?* inquit Augustinus, *quia tu es filius Dei, credidi, quia tu es resurrectio, & vita.* Sic enim corrigo corruptum locum Augustini partim ex Bedæ commentario, partim ex Catena Diui Thomæ. Mihi propriè videtur Martha ad verbum illud Christi respondere, *Qui credit in me*,quo eam quasi non credentem notasse videbatur.Quo aculeo cùm illa se pungi obliquè sentiret, exiliit; *utique Domine, ego credidi, quia tu es filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Quibus verbis quidquid confiteri de Christo poterat, videtur breuiter esse confessa. Nihil enim amplius Petrus confessus fuerat,capite 6.69. & Matthæi 16.16.cùm Christus eum beatum appellauit, & super ipsum Ecclesiam suam se fundaturum promisit. Quin Petri confessioni hoc etiam addidit,*qui in hunc mundum venisti*,vt Rupertus animaduertit. Cùm ergo ijsdem, quibus Petrus, vtatur verbis,iniuriam mihi illi facere videtur,qui alio animo, aliàq; quàm Petrũ fide eam dixisse interpretantur. Scilicet filium Dei non tanquam naturalem, qui & ipse Deus esset, sed tanquam prophetam, ac virum sanctum propter salutem hominum à Deo missum appellasse.Melius omnino Cyrillus, & Leontius notauerunt τὸν ὑὸν τοῦ θεοῦ appósito Græco articulo vocauisse,vt non qualemcunque sed verum,naturalem,& vnicum Dei filium significaret. Illud etiam, *qui in hunc mundum venisti*, aut,vt Græcè est ὁ ἐρχόμενος, qui venturus eras, non solùm significat ita venisse, quemadmodum prophetæ venerunt, missi scilicet à Deo, cùm iam nati essent,cùmque non fuissent,antequam nascerentur; *cum in forma Dei esset*, nec rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo,missum à Patre, vt nostram naturam sumeret, & obumbrata diuinitate sua esset tamen *lux vera,quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cùm ergo dicit, *qui in hunc mundum venisti*,aut ὁ ἐρχόμενος, qui venturus eras, indicat se non temere, neque qualemcunque Christum, fi-

lium Dei credere;sed credere doctam prophetarum vaticinijs, & talem credere, qualem illi describerant, vt Theodorus Mopsuest.obseruauit. Animaduertit etiam alter Theodorus, cui Heracleotæ cognomentum est,nomine mundi significari non solùs Israel,sed omnium etiam gentium, hoc est totius mundi seruatorem venisse. Quam vim in eo nomine latere sæpe notauimus c. 1.29. & c. 3. 17. & c. 4. 42. &c. 6. 33. 51. & c. 8. 12. & 9. 5.

28. *Et cùm hæc dixisset, abiit.*) Minimè obscurè Euangelista indicat his duobus verbis, totóque tenore orationis statim,vt hæc Martha respondit, summa festinatione ad vocandam sororem abijsse, plenam scilicet spei, plenámque gaudij, non solùm quòd Christum, quem quærebat, inuenisset; sed quòd ex eius verbis magnam concepisset fiduciam fore, vt fratrem suum suscitaret, vt Cyrillus animaduertit.

Et vocauit Mariam sororem suam silentio.) Græcè λάθρᾳ clam,secretò. Quod non dubium, quin propter præsentes Iudæos fecerit,ne quis eorum audiret, vt Theodorus Mopsuest Cyrillus,Leõtius,Theophylact.Euthymius,& Rupertus obseruant; siue ne si scirent Mariam ad Christum ire,eam non sequerentur odio pleni Christi, sed aut domi manerent, aut Ierosolymam reuerterentur, atque ita testes non essent tanti miraculi,vt Theophylactus vult;siue,vt cæteri auctores,quos modò nominauimus, ne quid periculi Christo crearent præsertim miracula facienti,quod sciebat eos æquo animo ferre non posse,quod multo videtur probabilius. Vero enim simile est magis Martham de Christi incolumitate, quàm de futuri miraculi testibus cogitasse; siue vt Rupertus ait,ne se,si ad Christum ire scirent, detinerent.

Dicens, Magister adest, & vocat te.) Non dixerat Euãgelista Christum Marthę dixisse vt sororem vocaret. Itaque sunt, qui putant id eam de suo addidisse, vt magis sororem ad veniendum,properandúmque excitaret,aut ipsam Christi præsentiam interpretatam esse vocationem,vt Theophylactus,existimat.Multò est probabilius,quod Theodorus Mopsuest. Cyrillus,Leõtius,Euthymius,Augustinus,& Beda docent,id Christum illi dixisse, sed Euangelistã breuitatem secutum prætermisse silentio contentum dicere per Marthan.Argumentũ est,quòd Christus eodem loco constiterit,donec veniret Maria,quod nõ fecisset,nisi eam per sororem vocauisset,verb. 30.

29. *Illa vt audiuit, surgit cito, & venit ad eum.*) Haud dubium est, quin voluerit Euangelista amorem in Christum Mariæ,studiúmque declarare,quòd simul atque audierit adesse,seque ab eo vocari, nõ communicato cõsilio cum ijs,qui aderant,Iudæis oblita luctus, oblita vrbanitatis, oblita decori surrexerit, & festinatò ad eum venerit. Illius factum, documẽtum debet esse nostrum,Quum à Christo vocamur, quid cũctamur?quid desidemus? quid moras nectimus? quid nimium sapientes videri volumus? quid cum parentibus,cum amicis, cum mundanis hominibus consilia nostra impedituris communicamus? id ipsum fortasse quærentes, vt aliquem, qui nos ab illis reuocet specie prudentię,reperiamus.Rem esse difficilem,non temerè suscipiendam;quod semel facturus sis,diu multúmque cogitandum. Quin taciti surgimus,& ad Dominum currimus?

30. *Nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.*) G. ἦλθεν δὲ, *nondum autem venerat*, sensu aliquanto faciliore, & magis consequenti. Noster interpres aut legit γὰρ *enim*, aut existimauit δὲ *autem*, accipi pro γὰρ *enim*,

quod

Quo sensu Christus resurrectio & vita.

Christus à terrenis ad cælestia traducit.

Mulier adhuc erat mutanda.

Cunctãdum non ejus iussu à Christo vocamur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod nonnunquam solet fieri. Si legamus *enim*, rationem dicemus Euangelistam reddere, cur dixerit surrexisse Mariam, & venisse ad Iesum, nempe quia nondum Iesus in castellum, id est in oppidum Bethaniam venerat; si enim venisset, nulla fuisset causa, cur Maria ad eum exiret, aut vt putant Leontius, Theodorus Mopsuest. & Euthymius, voluit Euangelista indicare tam celeriter & Marthā ad Mariam festinasse, & Mariam ad Iesum accurrisse, vt Christus in eodem adhuc loco esset. Sed probabilius Christum certo consilio noluisse in pagum ingredi, sed foris expectare; siue vt illic aliquos fortè doceret, vt ait Euthymius; siue vt idem, & Chrysostomus, & Theophylactus etiam suspicantur, ne si in oppidum ingressus fuisset, testes miraculi faciendi, gloriámque humanam colligere velle videretur; siue, quod simplicius est, ac fortasse certius, quia sciebat Lazarum, vt mos apud Iudæos erat, extra oppidum sepultū esse oportere; itaque cùm illū suscitaturus venisset, opus non erat in oppidum ingredi.

31. *Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit, & exiit, secuti sunt eam dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.*) Docet Euangelista, quam ob causam Iudæi Mariam secuti fuerint, quia putarunt nimirum ad sepulcrum ire abreptam subito doloris impetu, vt illic plangeret; secuti ergo eam sunt, vt & illic eam consolarentur, vbi maximè erat dolor, planctúsque renouandus; aut veriti ne quid ibi dolore victa grauius in se decerneret, vt solent facere mulieres, quemadmodum Theodorus Mopsuest. & Euthymius interpretantur. Fiebat autem id alio consilio diuinæ prouidentiæ, vt etiam nolentes testes essent tanti miraculi, vt Theodorus Mopsuest. Leontius, Cyrillus, Augustinus, Theophylactus, & Euthymius obseruant; eodémque consilio Euangelista narrauit, vt Cyrillus ait. Existimat autem Theodorus Heracleotes Mariam ipsam, dum domo egrederetur, de industria finxisse se ad monumentum flendi causa ire, quia nolebat de Christo quidquam Iudæis significare, quòd iniquo in eū animo essent. Quod videtur Euangelistæ verbis repugnare. Cùm enim dicit secutos eum Iudæos dicentes, *quia vadit ad monumentum, vt ploret*, haud obscurè indicat non id eos dixisse, quòd ex Maria intellexissēt, sed quòd ipsi suspicati essēt. Animaduertit Rupertus Iudæos, cùm Martha domo egressa esset, non eā secutos fuisse, secutos verò cōtinuò egressā Mariā; cuius ille rei causam esse putat, quòd Maria maiore, quàm Martha amore fratrem prosequeretur; itaq; maiore angebatur dolore, maioremque Iudæi curam adhibebant, vt eam, quàm sororem consolarentur. Vera fortasse coniectura, sed probari non potest. Aliam ego ex verbis Euangelistæ coniecturam facio, causam fuisse, quòd cum Martha egressa domo est, non existimauerint Iudæi flendi causa ad sepulchrū ire, sed vt aliquid ad familiam pertinens procuraret: Maior enim, vt diximus, natu erat, & familiæ gerebat curam; cùm autem Maria exijt, nihil potuerunt aliud suspicari, quàm plorādi causa ire ad monumētum. Dum enim Euāgelista dicit, cur Mariam secuti fuerint, indicat, cur Martham secuti non fuerint.

32. *Maria ergo cum venisset, vbi erat Iesus, videns eum cecidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.*) Hæc verba, *videns eum cecidit ad pedes eius*, indicant simul atque eum conspexit, nihil moratam, nihil reueritam Iudæos, qui se secuti fuerant, in Christum irruisse, séque ad eius pedes magno affectu proiecisse. Vtitur ijsdem verbis, quibus vsa soror eius fuerat, siue quòd inter se communicauerant, sæpéque dixerant, Miseras nos si Dominus fuisset hic, frater noster mortuus non esset; hoc etiam ad nostram accessit calamitatem, quòd ægrotante fratre Dominus aberat, vt solet muliebris sexus lamentari; siue vt Theodorus Heracleotes, & Leontius scribunt, ἀπλοικῶν ἔχεσθαι τὸ πρόσωπον: vera in hoc soror, quòd eundē cum sorore haberet sensum. Duabus tamen rebus sororem vincit; primùm, quòd ad Christi pedes procidat, & quidem eo loco, eo tempore, quo minùs libere id factura videbatur præsentes verita Iudæos, vt vterque Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. Leōtius, Chrysostomus, Theophyl. Euthymius, & Rupertus adnotarunt. Itaque vt Rupertus ait, *Eandem, quam latius verbis Martha peroranit fidem Christi filij Dei, Maria citius adorando expressit. Cecidit enim ad pedes eius dolore fratris pariter & amore Christi saucia.* Deinde quòd verba illa non addidit, quæ soror dixerat, *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*, q̄ maioris argumentum est fidei, vt Cyrillus monuit. Quamobrem à Christo reprehensa nō est, vt soror fuerat, sicut idem auctor adnotauit. Etsi Chrysost. Theoph. & Euthym. quare reprehensa non fuerit, aliam reddunt causam, quòd magna Iudęorum adesset multitudo, & noluerit Christus coram illis eam coarguere, præsertim cum sciret, inquit Euthym. fore vt per otium id disceret, quod illi ad perfectam fidem deerat. Itaque existimant hīc omnes auctores Mariam eadem verba, quæ soror dixerat, & eadē dixisse fide, nondum credentem Christū plus esse, quàm hominem. Malo Cyrillum sequi meliùs de Mariæ pietate sententiam, maiore illam fide, quam Martham eadem dixisse verba, credidisse quippe Christū Deum esse, ideóque verba illa sororis non adiecisse, *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Quo ergo modo de Deo dicit, *Domine si fuisses hic*, quasi non vt Deus vbique esset? Respondet Cyrillus non satis præ dolore consideralsse, quod dicebat, itaque humano more de Deo locutam fuisse. Nihil à Christo Maria postulat seu satis esse hoc rata, seu impedita lachrymis; itaq; quod verbis rogare nō potuit, lachrymis rogauit, vt Rupertus notat. Nulla est efficacior, nulla potentior oratio, quam lachrymæ. Quod verba non potuerant efficere, vt Christus spiritu turbaretur, lachrymæ fecerunt.

33. *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.*) Omnes fere auctores Græci, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leōtius, & in Catena Græca Cyrillus, ad hunc modum interpretantur, *infremuit spiritu*, id est erumpentem humanum in lacrymas, & passionem affectum cohibuit, ne quid parum compositum, & rationi minùs cōsentaneum ostenderet. Sed Leontius, Cyrill. & Theophyl. spiritum accipiūt pro diuinitate, quasi sensus sit τῷ πνεύματι *spiritu*, id est diuinitate sua erumpentē affectum repressisse; cęteri pro affectu, quasi ipsi spiritui, id est affectui infremuerit, hoc est iratus fuerit, illúmque compresserit. Itaque illi in ablatiuo, hi in datiuo τῷ πνεύματι esse putant. Mirum tantis auctoribus eum placuisse sensum, quem à mente Euangelistæ paret alienum esse. Quo enim modo cōuenit, vt cohibuerit affectum, cum seipsum turbauerit, q̄ plus quàm humanum affectum ostēdere videtur esse. Denique quòd hoc loco dicit ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, *infremuit spiritu*, dicit ver. 38. ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ *fremens in semetipso*. Alij etiā spiritum pro diuinitate, & ἐμβριμᾶσθαι pro irasci accipiētes sensum esse putauerunt, *spiritu*, id est diuina virtute sua seipsum excitasse, seipsum paratum veluti ad cōmittendum cum morte, & cum mortis

auctore

auctore Diabolo certamen, quemadmodum Theod. Heracleotes inter Græcos, Rupertus, inter Latinos videntur interpretari. Theodorus verò Mopsuest. in eo rectè sentit, quòd putat Christum non cohibuisse, sed affectum potiùs ostendisse, sed indignatū contra Iudæos esse, quòd tot sæpe videntes miracula nō crederent, q̄ idē Leontius scribit. Amphilochius autem, quem & hoc loco in Græcorū Catena citatum lego, nō tam verè fremuisse, turbatúmq; fuisse Christum, quam se fremere, turbariq; simulasse, vt ad futurū homines miraculū excitaret. Torquet violēter verborū sēsum quisquis verè Christū fremuisse, vereq; turbatum fuisse negat, cum id tam apertè dicat Euāgelista. Reliquum quærere quid sit ἐμβριμᾶσθαι τῷ πνεύματι *fremere spiritu*. Spiritū ego hoc loco animum interpretor, aut intimā hominis partē. Itaque idem est, *infremuit spiritu*, ac si diceret, infremuit intimis animi sensibus, vt Latinus locutus fuisset. Quod enim hoc loco dicit, *infremuit spiritu*, ver. 38. dicit, *fremens in semetipso*. Fremere autem in semetipso nihil aliud est, quam angi intimo animo, idq; verbo aliquo, vel signo foris ostēdere, vt cum præ dolore dicimus, heu heu, aut aliquid simile. Neque vllū inter primum, & secundū membrum arbitror esse diserimē, sed posterius prioris explicationē esse. Idē enim est *infremuit spiritu, & turbauit semetipsum*, hoc est in semetipso turbatus est, nō solùm foris, verū etiam intus: nō solùm simulatè, sed etiam verè. Hoc enim aliquando significat nomē spiritus, vt cùm D. Paulus dicit, *vt sit sancta & corpore, & spiritu*, id est non solùm foris, sed etiā intus. Itaque q̄ D. Aug. & Beda hoc loco, & Gregor. lib. 3. Moral. c. 11. & Bernard. sermone de sancto Andrea notant, *turbari Christū volentem, nos nolentes*; etsi verum est, tamen non videtur hoc loco significari. Quamuis dum hanc Aug. sententiam malus quidam auctor reprehendit, reprehendendus ipse magis sit, q̄ adeo naturales Christo omnes humanos affectus esse putat, vt in eius nō fuerint potestate. Quid enim in eius potestate non fuerit, cùm ipsa etiam anima, ipsum corpus, vnde affectus omnes proficiscūtur, in eius fuerit potestate. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meā, & potestatem habeo iterū sumēdi eam.* Illud certum, ita turbatum fuisse Christum, vt nihil in eo turbatū, id est rectæ rationi contrariū fuerit. Vnum superest, vt dicamus, quæ res Christū ita commouerit, vt tātopere infremuerit. Alij cogitatione peccatorū, vnde nata mors esset, turbatum putant, vt D. Aug. & Beda. Alij indignatum in mortē ipsam, & in mortis auctorē Diabolū, vt supra ex Theodoro Heracleote recitauimus. Alij prouidisse mortem, quam Iudæi occasione ex eo sumpta miraculo sibi essent iturī, éaque re conturbatum infremuisse. Mihi Euangelista seipsum videtur interpretari. Cùm enim dicit, *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu*, minimè ambiguè indicat propterea infremuisse, indoluisséque, quòd Mariam, & Iudæos, qui cum ea erant, plorantes vidisset. Ita natura comparatum est, vt ex conspectu eorum, qui plorat, ad plorandum incitemur. Ergo Maria prima plorare cœpit, eius lachrymæ Iudæorum quoque lachrymas expresserūt, illius, & Iudæorum simul lachrymis Chrystus cōmotus infremuit, permittens hoc affectibus suis, aut vt se verū hominem ostenderet, aut, quod magis credo, vt declararet Mariæ, & eorum, qui aderant comnotum lachrymis Lazarū suscitare, illis hoc dare miraculū.

34. *Et dixit, Vbi posuistis eum? Scitè in hunc locum* scribit D. Aug. *Sciēti quia mortuus sit, & vbi sit sepultus, ignoras?* Admonent omnes auctores Christum non ex ignorātia, sed humano more interrogare, vbi Lazarum posuissent, quemadmodum tanquam homo, humanoq; more infremuerat, & turbatus fuerat, sic vterq; Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. sic Cyrill. sic Amphilochius in Græca Catena, sic Leōtius, sic Cęsarius dialogo 1. sic Chrysost. Theophyl. & Euthym. Manifestúmque & certum Augustini, Cyrilli, Thodori Mopsuest. Theophyl. argumentū non potuisse ignorare, vbi eum posuissent, qui paulò antè longè remotior, nemine nuntiante mortuū esse nouerat. Causa ab auctoribus quæritur, quam ob rem quod minimè ignorabat, tāquam ignorans interrogauerit, variæq; tradūtur. Quidam putāt ideo interrogasse, vt miscens humana diuinis videri nō posset gloriā ex miraculo quærere, aut potentiā suam ostētare, itaq; antequam miraculū edat, demittit sese, & veluti parem cęteris hominibus facit, vt Theodorus Mopsuest. Cyril. & Theophyl. Alij, vt omni suspicione miraculū careret, quod suspectū videri posset, si ostenderet se scire, vbi esset, quasi inter ipsum, & Lazarum cōposita res esset, vt Chrysost. Alij, vt per occasionem sepulcri demonstrandi omnes, qui aderāt, miraculo interessent, vt Theodorus Heracleotes, Leontius, & Andreas Cretēs. Alij, vt se ad opinionē adstantium Iudæorum accommodaret, qui non nisi hominem eum esse credebāt, vt Amphilochius Episcopus Iconij, quem hoc loco citat Græca Catena. Alij simpliciter vt vtramque naturam, & humanam interrogando, & diuinam mortuum suscitando demonstraret, vt Euthymius. Alij allegoricè Christum ignorare Lazarum mortuum, quia ignorat peccatores, quibus aliquando dicturus est, *Nescio vos*, vt August. & Beda; sic interrogauit, *Adam vbi es?*

Dicunt ei, Domine veni, & vide.) Non dubium quin verbis Christi interrogantis, vbi Lazarum posuissent, erecti in expectationem fuerint futuri miraculi; itaque auidè inuitant, vt veniat, & videat. Hoc potiùs verba præ se ferunt, quàm quòd Chrysost. & Theophyl. ex illis eliciunt puasse, qui aderant, non ad faciendum miraculum, sed flendum amicum suum ad sepulcrum ire voluisse, vt statim dicunt, *Ecce quomodo amabat eum.*

35. *Et lachrymatus est Iesus.*) Etsi Euangelista nō dicit Christum ad sepulchrum ab iis, qui aderāt, adductum fuisse, intelligi à nobis voluit. Etsi Chrysost. existimat, cùm fleuit, nondū ad sepulchrū venisse, propter ver. vt opinor, 38. Ergo cùm ad sepulcrū venisset Christus, lachrymatus est. Quid autē, & quā ob rē lachrymatus fuerit, quæritur. Sunt, qui existimēt non Lazarū, sed Iudęos, qui aderāt, lachrymatū esse, quòd eorū animaduerteret incredulitatē; scirétque etiam viso miraculo non esse credituros, vt Andreas Cretens. Alij communem deplorasse infirmitatem humanæ naturæ propter peccatum in eum locum adductæ, vt Cyril. Alexādr. Alij nō fuisse lachrymatum propter Lazarum; quo enim modo cōueniret, vt fleret eum, quem cōtinnò suscitare vellet? sed lachrymatum fuisse propter lachrymas eorū, qui aderant, vt ostenderet se eorum lachrymis commoueri, vt scribit Theodor. Heracleen. Idē fere docēt Mopsuest. & Aug. propterea lachrymatū esse, vt exemplo suo doceret nos in carorum funere intra modum quendam indulgere lachrymis. Inuenio qui dicant ob Lazarum quidem lachrymatum esse, non quòd esset mortuus, sed potiùs quòd ad declarandam gloriam suam, eandémq; Dei cogeretur suscitare illū, id est à loco requietis, in quo erat, ad locū miseriæ, à portu, in quem tutus esset, ad alrū, & tępestatibus plenū mare reuocare. In quam sententiā elegantèr Isidorus Peluſiota disserit in Græca Catena, idemq; quāuis dubius Rupertus scribit. Ego nō du-

bito,

Matt. 25. 12. Genes. 3. 10.

Cur Christus flerit lacrymatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bito, quin Lazarum ipsum fleuerit, quemadmodum Iudæi interpretati sunt, non pessimi in hac re auctores, *Ecce*, inquiunt, *quomodo amabat eum?* Commotum autem fuisse ad lachrymandum conspectu sepulchri, & quod credibile sit Lazari sorores simul atque ad sepulchrum venerunt in lachrymas more muliebri, & flebilem vociferationem effusas, quamuis id Euangelista prætermiserit. Quemadmodum ergo ante earum, Iudæorúmque cómotus lachrymis spiritu infremuerat, ita nunc & earum fletu, & sepulchri cóspectu lachrymatus est. At cur lachrymas nó tenuit, cùm eas, quemadmodú & affectus omnes in sua haberet potestate? Vtebatur non solùm miraculis, sed ipsis etiã lachrymis ad diuinã gloriam, ostendebat se Deum esse, qui mortuos suscitaret, hominem, qui lachrymaretur, vt Euthy. ait. Berna. ser. 26. in Cant. *Fuerunt*, inquit, *lachrymæ illæ testes profectò naturæ, non indices diffidentiæ.* Ostendit rem nó esse compositam, verè mortuum esse, quẽ fusis vbertim fleret lachrymis. Ostendit se illum, sororésque eius singulariter amauisse, itaque non vt laudem sibi quæ rat, sed vt amicitiæ satisfaciat, Lazarum suscitare.

36.37. *Dixerũt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum.*) Non est litteralis, sed moralis sensus, quem Augustinus, & Beda tradunt. *Quid est amabat eum?* inquit Augustinus, *non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitẽtiam*, quasi propterea amauerit, quia mortuus peccatorũ personam gerebat. Verum Iudæi Christi erga Lazarum amorem intelligũt, qui lachrymas exprimeret. Illud quæri potest, cur rem tam minutam, támque parum, vt videtur, necessariam Euãgelista narrauerit. Credo significare voluisse quàm varius fuerit de Christi lachrymis Iudæorũ sensus; alios eius amorẽ admiratos dixisse, *Ecce quomodo amabat eum*; alios cõtrà inde calumniã nexuisse, *Nõ poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati facere, vt hic nõ moreretur?* Deinde voluit Euãgelista fortasse docere omnes Iudæos, q aderãt, quicq; testes fuêre miraculi, cõfessos priùs fuisse Lazarũ verè mortuũ, vsq; adeo, vt alij Christi lachrymas tanquam amoris erga illum testes collaudarẽt, alij reprehenderẽt; quòd cùm tam amicus eius esset, mori permisisset, cùm impedire, quo minùs moreretur, videretur potuisse. Plus enim fuisse ac difficilius oculos aperire cæci nati, quàm hominẽ ægrotãtem à morbo liberare, atque illud ante fecisse, potuisse igitur & hoc facere, vt Rupertus ait. Non fuissent mirati, inquiunt Cyrillus, & Leontius, si quis alius lachrymatus fuisset, mirantur lachrymari Christum tanta grauitate hominem, ἀ ὦ ἐκ τοιούτου ἀναμένον, ita maiorem esse eius erga Lazarum amorem argumentantur, quòd vir tam grauis lachrymaretur. Quid si sciuissent lachrymari Deum? Mitor graues auctores Cyrillum, Theodor. Mopsuest. Chrysostomum, Theophylactum, & Euthymium sic hunc locum interpretari, quasi Iudæi non argumententur ex cæco curato potuisse Christum efficere, vt Lazarus nõ morereturi; sed è cõtrario ex lachrymis Christi eius erga Lazarum singularẽ amorem colligere; ex amore probare eum nõ potuisse facere, vt Lazarus non moreretur; facturum enim profecto, si potuisset, cùm tantopere eum amaret, vt ad eius sepulchrum vir tãtam professus grauitatẽ temperare non posset à lachrymis. Ex hoc verò rursum, quòd non potuerit Lazari mortem impedire, miraculum cæci nati calumniari, verũ vtique non fuisse; nam si illud fecisset, & hoc facere potuisse. Iudæorum proprium esse, inquit Theodorus Mopsuest. ex ijs, quæ nondum à Deo facta sunt, ea, quæ facta sunt in dubium, calumniámque reuocare; sic in deserto murmurasse, *percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Non dubito sensum esse contrarium, Iudæósque quamuis Christo iniquos confiteri, potuisse eum impedire, quo minùs Lazarus moreretur, cùm cæci nati oculos aperuisset, vt Theodorus Heracleotes exponit. Itaque non negant eius potestatem, sed consilium admirantes subreprehendunt, quòd noluerit, cùm posset, amicum sanare, antequam moreretur. Quo sensu videtur & D. Augustinus intellexisse. Cæterum non intelligebant illi, inquit Theodorus, Christi consilium; propterea noluit facere, quod minus erat, ægrotantem sanare, vt faceret quod maius erat, suscitare mortuum, quo miraculum certius esset, & illustrius. Si enim ægrotum curauisset, dicere calumniatores eius potuissent naturaliter, vt multos alios ægrotos, fuisse curatum; quod de suscitato quatriduano, & fœtente mortuo dicere non poterant. *Qui noluit facere, vt non moreretur*, inquit Augustinus, *plus est, quod factum est, vt mortuus suscitetur.*

38. *Iesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.*) Quid sit fremere in semetipso versu 33. docuimus. Causa hic quæri potest, quibus rursus infremuerit hoc loco. Cyrill. & cæteri auctores, quos versu 33. diximus fremendi verbum exposuisse ita, vt idem sit, quod affectibus imperare, eandem in hunc locum interpretationem adhibent, quasi cùm priùs, vt dixerat Euãgelista, Christus fleuisset, fremens, id est lachrymans, atque dolorem reprimens ad sepulchrum accesserit. Et ego eodem modo hic interpretor, quo illic interpretari sumus, infremuisse in semetipso, id est commoris intimis dolore visceribus, & singultibus fractis, vt in fletu fit, vocibus erumpentibus ad sepulchrum accessisse. Quæ ergo noua hic causa fuit fremitus noui? quòd ad sepulchrum accesserit. Ter commotum legimus Christum, primum cùm Mariam, & Iudæos, qui cum ea venerant, flentes vidit, versu 33. Deinde cùm in conspectum sepulchri venit, ver. 34. postremo cùm ad sepulchrum accessit, hoc loco. Quãquam Chrysostomus, vt diximus, existimat priùs cùm lachrymatus est, nondum vidisse sepulchrum, sed primo plorantium conspectu, & spiritu infremuisse, & lachrymatum esse, quod probabile etiam esse fateor.

Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.) Mos Iudæorum erat mortuos præsertim honorabiliores in speluncis sepelire, quarũ ostium aduoluto grandi saxo claudebatur: quale Christi sepulchrum fuisse legimus, Matt. 28.2. vbi formã eius describimus. Ideo autem Euangelista sepulchri formam declarauit, vt & ex loci descriptione fidem conciliaret historiæ, & quia statim dicturus erat Christum iussisse lapidem tolli, quod, vt modò dicemus, ad rem maximè pertinebat. Andreas Cretensis moraliter hoc explicat speluncam Iudæorũ tenebras, lapidem eorum duritiem significare. Augustin. lapidem Mosaicam esse legem, quæ tabulis lapideis scripta fuerat, & omnia concludebat sub peccato.

39. *Ait Iesus, tollite lapidem.*) Quis dubitet eum, qui quatriduanum suscitauit mortuum, quod ius erat, potuisse & lapidem per se tollere, quod erat minus, & non sublato lapide illum suscitare, q erat æquale? Duplex igitur hic quæstio; cur sublato lapide suscitare voluerit, & cur nõ ipse per se sustulerit. Duas vtriusque rei causas apud auctores inuenio, alteram, non solere Deũ nisi in rebus necessarijs, & in quibus humana non sufficit industria, facere miracula. Suscitatus Lazarus nõ poterat de sepulchro prodire sine altero miraculo, nisi lapis remoueretur; poterat lapis humanis viribus remoueri, voluit ergo

ergo per homines fieri, quidquid per eos fieri poterat, & vt per se fieret, nõ erat necessarium; propterea & lapidẽ tolli iubet, & nõ per se, quod sine miraculo fieri non poterat, sed per alios, qui multi erãt tolli iubet. Sic Cyrill. Græcus, Leontius, & Rupertus. Alterãt vt dum ij, qui aderant lapidem suis manibus molirentur, vere mortuum Lazarum oculis suis viderent, & fœtore ipso experirentur; itaque negare postea non possent vere fuisse suscitatũ. Hãc causã Origen. insinuat, & Amphilochius, Theodorus Heracleotes, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthym. & Ambrosius lib. 1. Hexaemer. c. 7. reddent, & in oratione de fidei resurrect.

Dicit ei Martha soror eius, qui fuerat mortuus, Domine iam fœtet, quatriduanus est enim.) An hoc Martha Christo subiecerit, antequã lapis tolleretur, an posteaquã sublatus esset, incertum est. Origenes, & Rupertus ante subiecisse dicũt quasi Christo consulturam, ne si lapis tolleretur, fœtor mortui illum offenderet. Theodorus verò Mopsuest. & Andreas Cretẽsis post reuolutum lapidẽ, cùm iã fœtorem ipsum sensisset, quasi desperãtem de eius futura resurrectione dixisse, *Domine iam fœtet, quatriduanus est enim.* De animo, quo hoc Martha dixerit, iã disputabimus, de tẽpore nũc agimus; probabiliorémque Orig. opinionem iudicamus, quia ver. 41. dicit Euang. sublatum fuisse lapidem. Quod etsi necessariũ non est argumentum quia potuit Euãgelista Marthæ verba per anticipationẽ narrare, tamen cùm hoc ipsum non constet, est valde probabile. De animo quo Martha hoc suggesserit, quæri potest. Rupertus videtur existimare Marthã nõ intellexisse causam, quamobrẽ Christus lapidẽ tolli iusserat, putasse enim non vt suscitaret, sed vt amicũ mortuũ videret, voluisse lapidẽ remoueri; monuisse igitur eũ, si quidem videndi causa lapidẽ iuberet tolli, nihil esse causæ cur tolleretur, iã enim quatriduanũ fœtere mortuum. Cyrillus etiam existimat verecundiæ causa hoc dixisse, solere enim omnes homines erubescere, si mortui, qui ad se pertineant, aut fœteãt, aut turpes, deformésq; aspectu esse videãtur; idcirco quã primũ sepelire. Omnes alij auctores Chrys. Theophyl. Euth. Theodorus Mopsuest. Leontius, Andreas Cretensis propterea dixisse, quia diffidebat quatriduanum etiam fœtentem mortuum suscitari posse. Hoc probabilius esse ex Christi reprehensione perspicuum est. Obseruauit commode Rupertus propterea hoc Euangelistam commemorasse, vt testimonio non cuiuscunque, sed Marthæ sororis ipsius mortui cõfirmaret ante quatuor dies fuisse mortuum, adeóque iam tabidũ, fœtidúmque, vt ipsa soror eius, quæ maximè cupiebat eum suscitari, Christum dehortaretur, ne id facere tentarer, quod fieri nullo modo posset, vt tanto magis intelligeretur fuisse miraculum. Curiosum fortasse fuerit causam vestigare velle, quare Martha potius quàm Maria hoc Christo suggesserit. Sed potest etiam aliqua eius rei inueniri coniectura, siue quòd ad Martham maiorem, vt sæpe diximus, natu pertineret pro se, & sorore loqui, & dare consilium, siue quia minus haberet fidei, quàm Maria.

40. *Dicit ei Iesus, Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriã Dei?* Nõ apparet, vbi hoc ipsum Christus Marthæ dixerit. Tantum enim dixisse legimus, *Resurget frater tuus*, v. 23. & *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet*, v. 25. Alij putãt etiam hæc verba illi dixisse, *Si credideris, videbis gloriam Dei*, quamuis id Euangelista non recitauerit, vt Euthymius. Alij hoc illi non ijsdem quidem verbis, sed eadem sententia per missos ad se nuntios significasse, cum dixit, *Infirmitas hæc nõ est ad mortem, sed pro gloria Dei*, ver. 4. vt Chrysost. Leontius, Theophylact. & Rupertus. Alij referunt ad illa verba, *Resurget frater tuus*, & *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.* His enim verbis hæc eadem sententia continetur, *si credideris, videbis gloriã Dei*, quia *resurget frater tuus*. Gloriam enim Dei vocat ipsam Lazari resurrectionẽ, quia per eam Deus glorificãdus erat, vt Theodorus Heracleotes interpretatur, quam interpretationem & Euthym. probat. Hũc ego verum arbitror esse sensum. Moraliter monet Origenes non solũ Marthę, sed omnibus etiã hominibus à Deo dici, *si credideris, videbis gloriam Dei*, quia nemo nisi crediderit gloriam Dei videre potest. Magis ad rem pertinet quod Leontius, & Theophyl. animaduertunt, ver. 4. Christum gloriam Dei, id est suam appellasse, *vt glorificetur*, inquit, *filius Dei per eam*, hic autem non nominare filium Dei, sed Deum, quia auditores idonei non erant, vt se Deum esse, eandémque suam, & Dei gloriam declararet.

41. *Tulerunt ergo lapidem.*) An sublatus lapis fuerit ante quàm Martham Christus obiurgaret, ver. 39 disputauimus.

Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit.) Cur & oculos in cælum sustulerit, & Patrẽ Deum appellãs gratias illi egerit, ipse statim, ver. 42. Christus declarat. *Propter populum*, inquit, *qui circumstat, vt credãt, quia tu me misisti.* Vtraq; enim re, & habitu corporis leuatis in cælum oculis, & verbis docere voluit se, quod facturus erat, non vlla magica, aut diabolica arte; non alia, quàm Dei, à quo missus erat, potestate facturũ esse, ne Iudæi dicerent, quod dicere solebant, *Non est hic homo à Deo, & In Beelzebub principe dæmoniorũ eiicit dæmonia*, vt Chrysost. Theophylact Euthymius, Leontius, Cyrillus, Theodorus Mopsuest. & Cæsarius in Græca Catena citati interpretatur. Andreas Cretensis paulò acutius idem dicit, oculos in cælum, quasi in patriam suam sustulisse, vt inde se venisse significaret. Citatur etiã in eadem Catena Damascenus, dicens propterea oculos sustulisse, vt formam nobis traderet orandi.

Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.) Videtur ita loqui, quasi priùs inter fremitus illos, quos Euangelista narrauit, aliquid à Patre postulasset, quamuis Euangelista non dixerit. Probabile aliis auctoribus videri poterat, nunc autẽ omnes fere bonos, & graues interpretes contrà sentire video, non oportere, quia oratione non indigebat, sed gratias tãtùm egisse Patri, quòd se audiret, id est quòd voluisset à se fieri, quod ipse facere volebat, ac cogitabat, vt Lazarum exsuscitaret. Sic Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, & Euthymius. Nihil enim aliud his verbis, quàm eisentiæ, voluntatisq; vnitatem significari. Aliter mihi videtur Marius Victorinus lib. 1. aduersus Arium interpretari, vt hoc ad illud referatur tempus, quo nõdum Christus homo factus erat, quo quidem tempore Patrem pro salute hominum orauerit, Patrem verò eius votis annuerit, eúmque eã ob causam in mundũ miserit. Quod verum esse potest si rectè intelligamus; sed non est à cõmuni sententia sine causa discedendum. Quòd autem Origenes scribit, improbabile omnino est Christum tum quidem precari pro Lazari resurrectione, præuentum autem ab eo, qui dixit, *Antequam clamem, ego exaudiam*, præuẽtũ vero fuisse, quia prius, quam orare inciperet, anima Lazari ad corpus redierat.

42. *Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi, vt credãt, quia tu me misisti.*) Docet se quæ sine precando (si quas forte preces fuderat) siue gratias agẽdo dixerat, non ideo di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

xisse quòd de Patris erga se dubitaret voluntate; sed vt qui aderant intelligerẽt exauditum se abeo esse. Sed dubium quid dicat se dixisse, cùm ait, *sed propter populum, qui circumstat, dixi.* Qui existimãt antequam gratias Patri ageret, orasse, ad ea hoc referũt, quę in ea dixerat oratione; qui verò nõ orasse, ad hoc ipsũ, quòd gratias egerit; tãquam dicat, hoc ipsum, quod dixi, me tibi gratias agere, non ideo dixi, quòd nouum esse putarem, vt me audires, (solemus enim de nouis tãtum beneficijs gratias agere,) sed ideo dixi vt populus iste intelligeret me omnia tuo auspicio, & voluntate facere. Auctores huius sententiæ superiore versu nominauimus.

43. *Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras.*) Triplex hic quæstio esse potest, quid opus fuerit vlla vti voce, vt Lazarum Christus suscitaret, poterat enim sola suscitare voluntate. Nam vox illa qua *dixit, & facta sunt; mãdauit, & creata sunt*, sola vtique voluntas eius fuit nullo expressa corpore, quod ne factum quidẽ fuerat. Cur voce tam magna vsus fuerit, cur Lazarum nomine vocauerit, satis enim erat hoc solùm dicere, *veni foras*; Chrysost. & Theophyl. indicant ideo voce vsum, vt ostenderet, se non alia, quàm sua eum auctoritate, ac suo imperio suscitare. Imperando enim dicit, *Lazare veni foras.* Indeq; longam contra Arianos disputationẽ texunt, Deum profecto esse, q̃ sua auctoritate, imperióq; mortuos suscitauerit; quod nũquam Apostoli, aut alius quispiã fecerit. Quin Apostolos miracula omnia, quæ fecerint, Christi nomine fecisse. Eandẽ causam multo clariùs in Catena Græca Cyril. reddit Δευτερὸν ϗ βαλὸν τὸ φωνημα, *Deo*, inquit, *dignum, & regio imperio est, Lazare, veni foras.* Quòd verò tam magna vsus sit voce, Theodorus Mopsuestiensis, Theophilactus, Leontius, Euthym. hac ratione factum dicunt, vt significaret se animã Lazari à lõginquo, & remoto loco euocare. Aliã quoq; Cyrillus, & Andreas Cretensis in Catena, & Ambrosi. in oratione de fide resurrectionis, & Chrisost. Theophylact. & Euthym. rationem afferunt vtriusque quæstionis, voluisse re ipsa declarare verũ esse, quod aliquãdo illis dixerat, *Venit hora, & nunc est quãdo mortui audiẽt voce filij hominis, & qui audierint, viuẽt*; & magna voce, vt Cyrillus, & Andreas, & Ambrosi. dicũt magnã illam iudicij tubam repræsẽtare Augustinus. & Beda moralem magis quàm propriã afferũt causam, magno clamore vocari opus esse eum, quem moles prauæ cõsuetudinis pr̃mat. Prior sententia probabilior, quãquam mihi simplicius videtur dictu, accõmodate ad hominum morẽ, opinionémque se gessisse; nemo est, qui, si cũ mortuo loquendum sibi esset, non magna voce tanquã cũ surdo loqueretur; atque eo fortasse maiore, quo longiore tempore fuisset mortuus, quasi magis mortuus esset, ideóque difficilius audire posset. Nomine autẽ ipsũ vocat, aut quia amicus erat, nomine enim appellare, vt apud Leontiũ lego, φιλίας ἰδιότροπον, *amicitiæ symbolum est*; aut, vt ait Ambrosi. in oratione de fide resurrectionis, *ne alius resuscitatus pro alio videretur, aut fortuita magis resurrectio, quàm imperata.* Hinc Irenæus probat libro 5. c. 13. non alios, sed nos ipsos; qui mortui eramus eodẽ corpore, eadem anima resurrecturos. Illud etiã rectè Chrysostom. Euthym. & Theophylactus adnotarũt, loqui Christum cum mortuo, tanquam cum viuente, cùm dicit, *Lazare veni foras*, quia illi nimirum tanquam Deo omnes etiam mortui viuunt. Non enim hæc verba significant, *veni foras*, id est resurge, sed, *veni foras*, id est quasi iam resurrexeris, ac viuas, exi de sepulchro.

44. *Et statim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus institis.*) Voluit Euangelista prosopopœia quadam exprimere, quàm celeriter imperium consecutus fuerit effectus. Dictum, factum, *statim*, inquit, *prodijt*: intelligendum, non solùm à sepulchro, sed etiam à spelũca, vbi sepulchrum erat; itaque nõ solùm surrexit, sed etiam ambulauit, vt exiret. cùm tamẽ manus, ac pedes ligatus esset. Querunt graues auctores, quamobrem Christum, qui suscitauerat, eius etiam vincula non soluerit; vt liber, soluturúsque prodiret; enimuero potuisse. Plerique respondent ideo fecisse, vt Iudæi, dum ipsi manibus suis eius vincula soluerent, cognoscerent verũ esse Lazarũ, qui verè mortuus fuerit. Chrysost. Augustinus, Ambrosius, lib. 1. Hexaẽmer. c. 7. & in oratione de fide resurrectionis, Beda, Theophylactus, Rupertus, Euthym. Leontius in commentarijs. & Amphilochius, Theodorus Heracleens. Theodorus Mopsuest. Cyrillus, & Andreas Cretens. in Græcorum Catena. *Vt vel oculis suis crederent*, inquit Ambrosi. lib. de fide resurrectionis, *qui mente credere nolebant, remouens lapidem, videns cadauer, fœtorem sentiunt, institas rumpunt. Non possunt negare defunctum, quem aspicium resurgentem, videnti signa mortis & vitæ munera. Quid si dum conantur, labores ipso emendantur? Quid si dum audiunt, vel auribus suis credunt? Quid si dum intuentur, vel oculis suis corrigantur. Quid si dum rumpunt vincula mentes suas soluunt? Quid si dum Lazarus exuitur, populus liberatur? Lazarum denique abire permittunt, ipsi ad Dominum reuertuntur?* Aliqui ex ijsdem auctoribus aliam quoque reddunt causam, vt vnum miraculum altero miraculo confirmaretur; vtrumque enim miraculum erat, & quòd mortuus resurgeret. & quòd iam suscitatus ligatus manus, ac pedes, faciéque obuelata ambularet; voluisse igitur Christum, vt eum Iudæi vinctis pedibus ambulantem viderent, & verè suscitatum crederent. Ita vterque Theodorus, Chrysost. & Theophyl. Aliam, aut eandem aliter Leontius affert, ne si solutus Lazarus de sepulchro prodijsset, phantasma esse putaretur; cùm enim viderent eodem modo ligatum exire, quo in sepulchro positus fuerat, dubitare non poterant esse Lazarum eundem, qui mortuus fuisset, atque ab ipsismet fortasse sepultus. Probant ex hoc loco veteres auctores resuturam mortuorum resurrectionem: Lazari enim resurrectionem figuram fuisse resurrectionis illius generalis, Irenæus libro 5. cap. 13. Tertullian. in lib. de resurrectione carnis. Cyrill. Ierosolymit. cat. 18. Cyrillus Alexandrin. in Græca Catena, Ambrosi. lib. de fide resurrectionis ijs locis, quos modò notauimus. *Ostendit*, inquit, *tibi Dominus quem admodum resurgas. Non enim vnum Lazarum, sed fidem omnium suscitauit. Quod si credas, cum legis, mens, quoque tua, mortua fuerat, in illo Lazaro reuiuiscit. Quid enim sibi vult, quod Dominus ad monumentum accessit, magna voce eduxit, Lazare exi foras, nisi vt futuræ resurrectionis speciem præsentaret? Cur voce clamauit, quasi spiritu nõ posset operari, quasi raucus non soleat imperare? Sed vt illud ostenderet, quod scriptum est, Quoniam in momento oculi, in nouissima tuba mortui surgent incorrupti. Processit, inquit, & adhuc ligatus est, adhuc involutus, agnomen iam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus iaces: & si tanta, quanta dixi, contemnis sepulchra, iaces: quando cõsurgis, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occulto velut exeundo te manifestare? Sed cõsurgere, Deus facit magna voce clamando, id est magna gratia vocando.* Allegoriam verò si quis quærit huius historiæ, Augustinus legat, & hoc loco, & lib. 8. de Trinit. q. 65. Gregor. hom. 26. in Euangel. & lib. 22. Moral. c. 9. & Bern. ser. 4. de assumpt. Origen. & Theophyl. lib. 4. allegor.

Psal. 148. 5.

Cur voce Christus vsusit in Lazaro suscitãdo.

Cur tam magna voce.

Su. a. 25.

1. Corint. 15. 52.

Cur nomine nuncupauit Lazarum

Dixit eis Iesus, Soluite eum, & sinite abire.) Non explicat Euangelista, quibus hoc Christus mandauerit; sed dubium non est mandasse Iudæis, qui aderant, vt suis ipsi manibus factus quodammodo miraculum tangerent. Eámque omnium bonorũ auctorũ esse sententiam paulò ante docuimus; August. Grego. & Bedam excipio, de quibus modò dicemus. Iubet non solùm vt soluãt, sed etiam vt abire sinant vti ea quoque re resurrectionis eius veritatẽ confirmet; vere enim suscitatũ esse, qui suis pedibus ingredi possit. & sine duce redire domum. Quod Chryso. Theophyl. & Euth. &, vt videtur, Theodorus Mopsuest. ideo fecisse docẽt, ne humanam gloriam quærere videretur. Sed illud probabilius; hac enim eadẽ de causa legimus paralyticum illum, quem ad piscinam sanauerat, iussisse lectũ suum in humeros tollere, & domum abire. c. 5. 8. Stolidè nos hoc loco hæretici rident, quasi hoc fundamento sacramentalem confessionem fabricemus. Confiteri oportere peccata sacerdotibus Christi ministris, postquam à Deo remissa sunt, quia Christus suscitatum iam à se Lazarum ministris soluendum tradiderit. Atqui non Apostolis, id est ministris inquiunt, sed Iudæis, id est inimicis suis soluendum tradidit. Parum nos accusant. Plus etiam dicimus, quàm nobis obiiciunt. Nõ solũ iã solutos à Christo peccatores, sed etiã nondũ solutos à sacerdotibus solui, verè ab illis nõdum remissa peccata remitti, verè nondum suscitatos mortuos. i. peccatores suscitari. Sed id nõ super hunc locum, id est super arenã, sed super illum, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, & super illũ, *Quęcũque solueritis super terram erunt soluta & in cælo*, id est super firmam petram fabricamus, supra quam Ecclesia Christi ædificata est, aduersus quã *portæ inferi*, id est Caluinistę, Lutherani, & cęteri inferni Cerberi *nõ prævalebunt*. Hoc loco non tãquam fundamẽto, sed tanquã bene iam fundati, perfectiq; ædificij ornamẽto id est tanquã exemplo vti solemus. Quod si reprehẽdunt, Augustinum reprehendant, cuius hoc loco hęc verba sunt, *Quid est soluite, & sinite abire? quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo*, quod idem & Gregor. lib. 22. Moral. cap. 9. & hom. 26. in Euangel. & Beda, & Rupertus in commentar. dicunt. Itaq; vt Augustinus non sit auctor ille libri; de vera & falsa pœnitentia, tamen cùm hoc ipsum doceat c. 10. mente, atque ore loquitur Augustini. Sed hi omnes auctores cùm hoc dicunt, non tam locum hunc interpretantur, quam concionantur; nec tam argumento vtuntur, vt diximus, quàm exemplo. Scio quid Theologi quidam dixerint, sed non debet toti Ecclesię fraudi esse paucorum error.

45. 46. *Multi ergo ex Iudæis.*) Docet Euangelista, quàm variè factũ miraculũ homines affecerit, alios credidisse, alios ad Pharisęos, quod Christus fecerat retulisse. Qui vni, quive alteri fuerint, incertum, nec modestiæst fortassis ingenij scire velle, qd nullo modo Euangelista significare voluit. Nec probo, quod in Leontij lego cõmẽtarijs, eos, qui crediderũt illos fuisse omnes qui miraculũ viderãt, omnes enim tam aperto, & illustri miraculo fuisse cõuictos, eos autẽ, qui rem ad Pharisęos detulerunt, alios fuisse quosdã qui cùm faciẽdo miraculo nõ adfuisset, audisséntq; ex ijs, qui adfuerant, quod factũ fuerat, nõ credidisse, itaq; detulerint ad Pharisęos. Æstimauit Iudęos de suo, vt opinor, ingenio; quia enim ipse, si tantũ vidisset miraculũ, credidisset in Christũ, in Christũ autem credens summũ putasset scelus eum ad Pharisęos deferre, persuadere sibi nõ potuit quenquã vlo miraculo aut nõ credidisse, aut Christũ accusasse. Non bene scilicet nouerat Iudæorum, & hæreticorum ingenium. Haud obscurè indicat Euangelista vtrosque ex illis fuisse, qui venerant Ierosolymis, vt Lazari sorores consolarentur, quique miraculum viderant, & qui crediderũt, & qui Christum ad Pharisæos detulerunt. *Multi*, inquit, *ex Iudæis qui venerãt ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum; quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos.* Quorsum ergo Euãgelista narrauit quosdam ad Pharisæos abijsse, si ex illis ipsis erant, qui miraculum viderant, cùm id potiùs vim facti miraculi extenuare videretur? Primùm narrauit, quia id ad fidem pertinebat; deinde vt originem exponeret, vnde Pharisæi occasionem accepissent concilij cõtra Christum congregandi, quòd paulò post dicturus erat; denique non vt miraculum eleuaret, sed vt duritiem, & obstinatam Iudæorum declararet malignitatem, qui tanto, támque aperto viso miraculo aut non credidissent, aut eius accusassent auctorem. Probabilius, quod scribit Euthymius, omnes quidẽ vidisse miraculum, sed illos, qui rem ad Pharisæos detulere, eos fuisse, qui ante murmurauerant, *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur?* Hos enim, vt ex illis patet verbis, malo in Christum fuisse animo. Aliqua coniectura, sed non satis certa. Duæ verò hic quæstiones esse possunt, altera, num illi ipsi, qui ad Pharisæos abierunt, crediderint, nec ne, altera, quo animo ad Phariśeos tẽ detulerint. Prima etiam quæstio duplex est, an miraculum verè, & sine vllis præstigijs factũ fuisse crediderint, id est Lazarũ vere suscitatum fuisse, & an hoc credentes in Christum etiam crediderint. Poterant enim miraculum credere, & in Christum nõ credere, cùm scirent non omnes, qui miracula facerent, Christos esse posse, & quondam Elisæi ossa solo contactu mortuum suscitasse. Euãgelista quidem minimè obscurè mihi videtur dicere istos non credidisse, cum enim ait, *Multi crediderũt in eum, quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos*, videtur hæc duo inter se opponere, credere, & ad Pharisæos abire, quasi clarius dicat, Ex ijs, qui venerant ad Mariam, & Martham, multi quidem crediderunt, alij autem non modò non crediderunt, sed etiam abierunt ad Pharisæos. Ita quoque multi graues auctores sentiunt, vt Origen. Theodorus Mopsuest. Theophyl. & Rupertus. In quam sententiam August. & Beda sectator eius, inclinat, quanquam rem, qua erat modestia, relinquit in medio. Cæterum nec Euangelista, nec auctores ij, quos modò nominauimus, explicant, quid non crediderint, itaque id adhuc quęrendum est. Certum est, siquid non crediderunt, vt planè docet Ioannes, in Christũ non credidisse, si enim in Christum credidissent, & miraculum verum vtique fuisse credidissent, nec in Christum, nisi miraculum credendo, credere potuerunt. Aut ergo neque miraculum neque in Christum crediderũt, aut credentes, quidem, confitentesque miraculum noluerunt Christum credere verum esse Christum. Probabilius tamen est, neque miraculum, neque in Christum credidisse. Ac quòd in Christum quidem non crediderint, iam probatũ à nobis est; quod nec miraculum crediderint, ex eo probari potest, quòd credibile sit tam obstinato ad incredulitatẽ fuisse animo, vt ne id quidem crediderint, quod oculis perspexerunt. Atque ita Theodorus Heracleotes, & Cyril. videtur mihi sentire in Græca Catena. In altera quæstione August. etiam est dubius vtrũ bono, an malo animo ad Pharisæos abierint. Poterat enim & bono ad eos adire animo, vt tãto, tam manifesto illis miraculo nuntiato cõmouerent eos, vt aut in Christũ crederent

Sup. vers. 37.

4. Reg. 13. 21. Eccle. 48. 14.

Non crediderũt, qui ad Pharisæos abeũtes miraculum illis nuntiarũt

Nec miraculum nec in Christum crediderũt

Universidad de Deusto
Biblioteca

crederent, aut mitiores saltem in illum essent. Sed si verum est, quod modò diximus, eos in Christum nõ credidisse, dubium non est, quin non bono ad Pharisæos animo abierint. Quid ergo sibi volebat? Cyrillus putat voluisse gratiam apud illos inire, quod de Christo non bene se sentire significarẽt. Alij voluisse accusare eum, quòd mortui corpus effodisset, vt Theodorus Mopsuest. Leontius, & Theophy. itaque tanquam sacr̃ legus de medio tolleretur. Alij, vt eum tanquam præstigiatorem accusarent, vt Euthym. Alij, vt nouo narrato miraculo Pharisæorum inuidiam magis accenderent, vt Rupertus. Hoc probabilius, quia statim Pharisæi coacto cõcilio cõsultant, *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* 47. *Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi cõcilium, & dicebãt, Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?*) Repræsentat nobis Euãgelista, quàm prouidẽtes, quàm diligẽtes in malũ Pharisæi fuerint; statim cõuocasse concilij, & in cõsultationẽ adduxisse, quid sibi faciendũ esset, vt gloriæ Christi, quę nouis quotidie miraculis augebatur, cursũ præciderent, τὰ σημεῖα; *quid facimus?* Quod perperã per futurũ vertit hęreticus in terpres vim præsentis temporis nõ intelligens. Sepe diximus hanc vim præsens tempus habere, vt debitum significet; *Magister vester nõ simul ascendit?* id est nonne debet soluere, Matth. 17. 24. & supra ver. 27. *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti,* ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος qui venire debuisti, si id sermo Latinus pateretur, quem venire in hunc mũdum oportebat. Sic hoc loco, *Quid facimus*, id est quid facere nos oportet? Quod aliquanto maiorem habet emphasim, quàm si dixissent, τί ποιήσωμεν; quid faciemus? Præterquam quòd præsens tempus alium potest habere sensum, vt tacitam contineat negligentiæ reprehẽsionem: *Quid facimus?* id est cur adeo negligentes sumus, cur in futurum nõ prouidemus, quemadmodum dominus ille vineæ dixit ijs, quos otiosos in foro reperit, *Quid hic statis tota die otiosi?* Quem sensum futurum tempus habere non potest; & non frit fidelis interpretis, vbi duplex sententia esse poterat, cùm posset vtramque vno verbo reddere, alteram tantùm exprimere. Scio Augustinum per futurum legere; sed ille non tam vertebat: quàm eius temporis vulgarẽ versionem sequebatur. Hæreticos mittamus; veniamus ad Pharisæos. Rogant quid sibi faciendũ sit, cùm tot Christus signa faciat. Primùm quidem signa ab eo fieri confitentur; vnde & quis Christus esset, & quid sibi erga illum faciendum esset, colligere oportebat, Christum, verumq; Dei esse filium, qui tot faceret signa, seque in illum credere debere. Nunc verò inuidia occęcati contraria argumento concludunt. Nam & hominem vocant non solùm Deum, aut Christum, sed ne proprio quidẽ nomine Iesum dignati vocare, vt Chrysostomus, Cyrillus & Theophylactus adnotant; & non solum in eum non credunt, vt vitã ab eo æternam consequantur, sed vitam illi conantur eripere vt ijdem auctores, Theodorus Mopsuest. scribunt. Nec tamen dicebant, *Credamus*, inquit Augustinus, *plus enim perditi homines cogitabant, quomodo nocerent, vt perderent, quam quomodo sibi consulerent, ne perirent.*

48. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.*) Magnum verò malum erat, vt omnes crederent in eum, id est vt omnes facerent quod ipsi primi facere debebant. Nescit, quid loquatur inuidia. Nam cùm maximè vellẽt Christi miracula obscurate, maximè illustrant. Cõfitentur enim tantam eorum esse vim vt omnes cogẽdi sint, si pergat, in eũ credere. Quid verò mali consequetur, si omnes in eum credant? *Venient*, inquiunt, *Romani*, quasi molianturrebellionem, *& tollent locum nostrum, & gentem.* Quid vobis id curæ est? Si Christus est, vt miracula eius docent, credendum in eum est, etiamsi propterea venturi Romani sint, & locum, gentemque vestram sublaturi. Nec enim temporalia spiritualibus præferẽda sunt. Deinde malè prouidi estis: non enim Romani venient, si omnes in eum crediderint, sed si non crediderint. Si enim crediderint, non rebellabunt; sed discent potiùs ab eo parere quamuis barbaris magistratibus, vt postea eius discipuli docuerunt Paulus Rom. 13. 1. Ephes. 6. 5. Colos. 3. 22. 1. Tim. 6. 1. Tit. 2. 9. 1. Pet. 1 c. 2. 17. 18. Si eum Regem facere voletis, fugiet, vt exemplo iam docuit supra c. 6. 15. contra vero quia credere in eum noluistis, & tanquam spiritualem, vt erat, Regem vestrum recipere Romani venerunt, & locum gentemque vestram sustulerunt. In hanc sententiam Chrysost. Cyrillus, Theodorus Mopsuest. Auguſt. Beda, Theophylact. Rupertus, & Euthym edisserunt hunc locum. Incertum an hoc dicant, quòd re ipsa ita sentirent: an vt repugnante quoque sententia, consilijs suis non aliunde, quàm ex inuidia profectis publicæ vtilitatis velamentum obtenderent. Hoc probabilius; atque ita plerique auctores sentiunt, Cyrillus, Theodorus Mopsuest. Chrysostomus, Theophylactus, Euthym. Honestum hoc velamẽ videbatur, & nulla ratio plus apud omnes valere poterat, quàm quæ ad omnium vtilitatẽ pertinere videbatur. Næ vereor ego, ne aliqui etiãnum alicubi Pharisęi sint, qui & specie vtilitatis publicę inuidiam suam vellent, & locum, gentemque suam præferant Christo. *Gentem* totum Iudæorũ genus appellari manifestum est, quòd fingunt timere se ne prorsus à Romanis aboleatur, si relinquant eum, id est viuentem, aut miracula facientem, vt Cyrillus interpretatur, *Locum* Chryſ. & Theophyl. ecclesiam, aut totũ regnum interpretantur. Mihi probabile videtur tẽplum sic appellari, in quo illi magnopere confidebant, & locum suum vocant, quasi curæ commissum suæ; quasi significãtes se antistites esse, custodesque tẽpli, sacrorũ omnisque religionis.

49. 50. *Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius.*) Quomodo Caiphas anni illius Pontifex esset, apud Matth c. 26. 3. 57. & apud Lucam c. 3. 2. explicauimus. Notauit Ioannes Caiphã qui eius auctor consilij fuit, vt Christus moreretur, Pontificẽ fuisse vt causam redderet, quare propheticò spiritu locutus fuerit, vt ipse paulò post explicat. Hãc eandem vim verba illa Caiphæ fortasse habent, *Vos nescitis quicquam, neque cogitatis*; quasi dicat vos homines priuati nõ intelligitis, quid facto opus sit: ego pontifex, cuius mẽtem Deus magis illustrat, facilè prospicio. *Expedit*, inquit, *vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Verba sunt partim ab ipso, qui loquebatur Caipha, partim à Deo magna arte composita. Dicit, *Expedit vobis*, vt primo orationis verbo communi omnes vtilitatem commoueat. Non dicit, vt Iesus, aut vt iste homo moriatur, ne priuato in illum odio dicere videatur, sed vt, *vnus moriatur homo pro populo*, quasi non de illo aut de illo, sed de vno quocunque loquatur, quem quisquis tandem sit mori conueniat, si ita casus tulerit, vt aut vnũ quemuis, aut omnes mori necesse sit. Quid si ille vnus homo sit exlex, ac seditiosus, qualem Christum illi esse arbitrabantur? Non dicit vt non multi, aut vt non omnes moriantur: sed, *vt no tota gens pereat*, vtroque vocabulo rem exaggerans: & quod gentem appellat, quod nomen & Iudæos omnes excepto nemine comprehendit, & affectum quendã solo auditu ingenerat omnibus naturalem,

quo

quo suam quisque quasi seipsum amat gentem: & cùm de Christo loquebatur, non dixit, vt vnus pereat, sed *vnus moriatur*, vt rẽ extenuaret; minùs enim est ἀπόλλυσθαι, mori, quàm ἀπολέσθαι perire; cum autem loquitur de gente, nõ dicit, vt non tota gens moriatur, sed, *vt non tota gens pereat*, vt rem exaggeret. Hoc eius artificium fuit. Dei autem, quòd cùm promptius, & clarius dictu esset, expedit nobis, vt vnus moriatur homo potiùs, quàm totus populus; non ita dixit, sed, *vt vnus moriatur homo pro populo*, quod magis exprimit, quod futurum erat, Christum *pro populo*, id est pro populi peccatis moriturum. Quomodo hoc dixerit Caiphas non alio, quàm ipso Euangelista interprete opus est.

51. *Hoc autem à semetipso nẽ dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro gẽte.*) Non dixisse hoc *à semetipso*, quidam interpretantur non dixisse sponte, aut scientem, quid loqueretur, vt Theodorus Heracleotes, & Mopsuę. Cyrillus, & Leontius. Quod si ad prophetiam referatur, verum est. Nam nec volens prophetabat, nec se prophetare intelligebat, *Aliud dicere volebat, aliud significabat*, inquit Ambrosius serm. 15. in Psal. 118. Si autẽ ad humanum referatur sensum, verum non est. Nam etsi errabat volens tamen ac sciens dicebat, quæ dicebat: siue quòd ita re vera sentiret, expedire; vt Christus moreretur, ne totum Iudæorũ genus à Romanis aboleretur; siue, quod magis credo, quòd fingeret ita sentire, vt eo prætextu Christum de medio tolleret obstantem suæ, & omnium sacerdotum, ac Pharisæorum gloriæ. Hoc ergo quatenus vaticinium erat Christi pro peccatis populi morituri, à seipso non dixit, id est non proprio, atque humano, sed diuino dixit spiritu; non quòd dignus ipse esset, vt per eum diuinus spiritus loqueretur, sed quòd Pontifex anni illius esset. Itaque non eius meritis, sed sacerdotali officio datũ est, vt prophetaret, vt Chrysostom. Cyrillus Theodorus Mopsuest. Heracleotes, Leontius. Auguſt. Beda, Theophylactus. & Euthymius exponunt. *Hic docemur*, inquit Auguſt. *etiã homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere, quod tamen Euangelista diuino tribuit sacramento.* Id Chrysostomus, & Theophylact. multis confirmant exemplis. Nam & Pharaonem, & Nabuchodonosorem, & Balaam, illos quidem per somnium, hunc autem vigilantẽ futura prouidisse. De ea re nos apud Matt. c. 7. 22. disseruimus. Quod tanta cura dicit Euangelista fuisse Pontificem anni illius, cùm satis fuisset dicere prophetasse, quia Pontifex erat, etiamsi non addidisset, *anni illius*, non solùm ideo dixisse suspicor vt nobis consuetudinem eius temporis in creandis summis sacerdotibus declaret, non iam per legitimam ex Aarone successionem solitos fieri, sed aut pretio, aut gratia à Romanis eam dignitatem obtineri solitam; & aut annuam fuisse, vt Augustinus, & plerique putant: aut certè Romanorum arbitrio subinde alijs ereptam, alijs datam, quod ex Iosepho satis constat. Non hoc, inquam, solùm arbitror Euangelistam significare voluisse, vt fere omnes interpretes videntur existimare. Nec enim id agebat Ioannes, vt eam nobis consuetudinem dandi, mutandique sacerdotij declararet, sed ideo addidisse, *anni illius*, vt significaret non solùm quia Pontifex erat, sed etiam quia *anni illius*, quo de Christo iterimẽdo cogendum concilium fuerat, *Pontifex erat*, prophetasse. Ità diuina prouidentia factum fuisse, vt eius Pontificatus, qui in eam sententiam maximè propensus erat, in eum annum incideret; quo anno de Christo morti tradendo agendum erat, vt per eum diuinum expleretur decretum, quo constitutum à

Patre erat, vt pro omnibus Christus moreretur. Aut illud certè significat non fuisse illi perpetuum spiritum prophetiæ, sed sacerdotio coniunctum; itaque si alio anno, quo sacerdos non fuisset, sententiam dixisset, non fuisset prophetaturus.

52. *Et non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.*) Gentem vocat Iudæorũ populũ, *filios Dei, qui erant dispersi*. Gẽtiles omnes qui aliquãdo crediturierant, & in eandẽ Ecclesiam aggregandi. Dicit autẽ esse dispersos, quia non omnes vno in loco, aut in vno erant populo, quemadmodum Iudæi. Loquitur ergo per anticipationẽ, aut ex diuina prædestinatione *filios Dei* eos vocãs, qui nondum erãt, sed futuri erãt aliquãdo; quemadmodũ c. 10. 16. dixit. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor*, vt Chrysost. Auguſt. & Euthy. interpretantur.

53. *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.*) Decreuerunt, itaque solam deinde quærebant occasionem comprehendendi eum, accusandi, condemnandique: nam decretum iam, atque fixum erat, vt quo iure quàque iniuria occideretur. Duabus ergo de causis hoc mihi Euangelista dicere videtur. Primùm vt doceat Christum posteà, cùm in iudicium vocatus est, atque sententijs omnibus cõdemnatus, non fuisse vlla vera causa damnationis: iam enim ante inaudita causa huius concilij, præiudicio damnatum fuisse, quòd postea interrogatus fuerit de discipulis, atque doctrina colorem fuisse, quem suo Iudæi scelerato concilio inducere voluerint, quasi iure agerent, quasi non ante damnassent, quàm causam cognouissent. Deinde vt causam reddat, cur deinceps non palam Christus apud Iudæos ambulauerit; vt statim dicturus erat, quia nimirum sciebat, quid in eorum concilio cõtra se decretum esset. Quod nos habemus, *Ab illa die*, multi Græci codices manuscripti habent, ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας, *ab illa hora*, vt legit Græcorum Catena, & Cyrillus Græcus interpretatur. Quod autẽ nostet interpres reddit, *cogitauerunt*, Græce est ἐβουλεύσαντο, quod multi noui interpretes vertunt consultauerunt, aut consultabant, non satis vt videtur perspecta sententia. Nec enim sensus est post eum diem consultasse, cùm iam ante satis, superque consultassent, vt Chryso. Theophyl. Cyrill. Leont. & Euthym. argumentantur: sed finem potius consultationis fecisse, facto Senatus cõsulto; vt deinceps rationem quærerent qua illum occiderent, vt auctores exponunt ij, quos modò nominaui; Cyrilli verba sunt ἀφ' ἑτέρου διαγνόντες, ὅτι δεῖ ἐκεῖνον τῶν ὅλων ἐκδικῆσαι τὸν τρόπον, ἀλλὰ συνεβουλεύσαντο λοιπὸν τὸν καθ' ἕκαστον ἐκζητεῖν καὶ δόλον κατὰ νοῦν πάντα ὑφαίνειν.

54. *Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos.*) Græcè παῤῥησίᾳ liberè, & apertè, ita vt ab omnibus conspiceretur. Vnde nascitur quæstio, cur se subduxerit, aut quid timuerit, qui mortuos suscitabat, quique paulò ante, vt doceret nihil Iudæos periculi creare posse, dicebat, *Nonne duodecim sunt horæ diei?* ver. 9. Origenes, Cyrillus, Theophyl. Leontius, Augustin. Beda, & Rupertus ideo fecisse putant, vt nobis exemplum præberet in similibus nos causis subtrahendi periculis; *Non quia poterit eius defecerat*, inquit Auguſtin. *in qua vtique si vellet, & palam Iudæis conuersaretur, & nihil ei faceres: sed in hominis infirmitate viuendis exemplum discipulis monstrabat. In quo apparet non esse peccatũ, si fideles eius, qui sunt membra eius oculis persequentiũ se subtraherent, & furorem sceleratorũ latendo potius deuitarent, quàm se offerendo magis accenderent.* Theodorus verò Heracleotes, idemque Cyrillus nõ timore discessisse, sed ne suo conspectu irritare aduersarios suos videretur, & vt constitutum sibi mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

riendi expectaret tempus: *Tanquam Deus*, inquit Cyrillus, *quid de se Iudæi statuissent nemine nuntiante cognouit, quamquam hoc sciscitabundus.*

Sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatē, quæ dicitur Ephrem.) Græci libri habent ἐφραὶμ, quod nescias an sit Ephraim an Ephrem. Vnde lectionis nata varietas vt alij Latini codices habeant Ephrem, alij Ephraim. Optima lectio quæ simillima Græcę est, itaque Ephraim legendum esse puto, etsi Nonnus Ephrem legit. Quæ ciuitas vbi sita fuerit non satis constat. Leontius putat esse Ephratam, quæ eadem alio nomine Bethlehem appellabatur vrbs Christi natalis. Conuenit, quod & Bethlehem non longè aberat à deserto. Sed minimè vero simile est, cùm Christus latere vellet, in eam se recepisse ciuitatem vbi natus fuerat, & vbi erat maximè quæ tendus. Sūt qui existiment eam fuisse vrbē, quæ affini vocabulo dicta est Ephron. 2 Paral. 13. 19. & 1. Machab. 5. 46. & 2. 12. 27. auctoremque eius sententiæ in locis Hebraicis Hieronymum proferunt. Obstare tamen videtur, quòd Ephron in tribu fuerit Iudæ; & non videtur esse credibile Christū, qui Iudæos fugere volebat, intra Iudææ terminos cōstitisse. Leginus psal. 77. 9. Ephraim, quod multi putant nomen esse non tribus, sed ciuitatis. Euthymius hoc loco vrbem in tribu Ephraim esse dicit, quę nomen tribus retinuerit. Libera cuique sit coniectura inter præsertim dubia, & non admodum necessaria.

55. *Proximum autem erat Pascha Iudæorum.*) Vltimū intelligit Pascha, quod Christus cum discipulis suis post paucos dies celebrauit, vt ex continuatione sequentis capitis colligitur. Quia ergo Pascha Iudæorum proximum erat, scribit Ioannes multos ex tota circum regione Ierosolymam ascēdisse, *vt ante Pascha sanctificarent seipsos*, id est vt se, si forte polluti re aliqua essent, quod frequenter illis accidebat, sacrificijs purgarent, vt Pascha mundi celebrarent. Nemo enim immundus Paschalem agnum edere poterat, vt constat ex c. 18. 28. Dicit autem non omnes, sed multos venisse: siue quia nō omnes mundatione indigebant, scientes se immundos non esse, ideóque nolebant ante diem ipsum Paschæ venire: siue quia omnes etiam erant multi, & voluit multitudinem eorum, qui conuenerant, exprimere. Multos enim pro omnibus sæpe poni multis exemplis alibi docuimus, Matth. 20. 16. siue quia, vt notant Cyrillus, & Leontius, non omnes ex legis præcepto venire oportebat Ierosolymam, vt Pascha celebrarēt, sicut ad Sc̄enopegiam; poterant enim in sua quisque ciuitate celebrare. Sed de ea re diximus c. 7. 11.

56. *Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur ad inuicem in templo stantes, quid putatis, quia non venit ad diem festum?*) Græce ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ, num venturum non esse ad diem festum? quemadmodum Chrysostomus, & Theophylactus exponunt. Itaque non mirantur, aut reprehendunt, quòd non venerit, vt plerique putant in quibus etiam, vt videtur, Cyrillus, & Leōtius graues auctores sunt, sed dubitant, interrogántque, num venturus sit. Siue cur non venerit, siue an venturus sit rogent, ambiguum est, quo id animo faciant, bonóne, an malo? & quod eodem redit, qui nam illi fuerint, qui hoc interrogabant, amici-ne, an inimici? Quattuor de ea re apud antiquos opiniones inuenio. Primam apud Theodorum Mopsuest. qui hoc interrogabant, homines fuisse, qui cùm famam miraculorum eius audiuissent, cupiebant eum videre, atque audire, itaque interrogābāt alijs alios, quid causæ esset, cur nō venisset, aut num scirent, an venturus esset. Quod bono vtiq; animo dicebat. Alias duas Cyrillus Alexand. refert, ac probat alteram, fuisse eos, qui iam in Christum crediderant, disputaréque cum ijs, qui non credebant dicentes, vel ex hoc cognoscere potestis eum esse Deū, quod occulta vestra consilia cognoscat indice nemine, ideóque non venerit ad diem festum, quia scit vos insidias sibi parauisse. Altera est fuisse potius eos, qui non credebant, qui hæc interrogabant, cum ijs, qui in eum credebant, disputantes. Hinc intelligetis illum violatorem esse legis, quemadmodum nos illi obijcere solemus, quòd nō venerit ad diem festum. Quarta plurium est auctorum, Augustini, Chrysostomi, Theophylacti, Bedæ, Ruperti, Euthym. & probabilior, hos fuisse eos, qui eum comprehendere volebant, siue Pharisæos, & sacerdotes ipsos, siue eorum ministros. Qui cùm decreuissent eum in die festo, ad quem venturum putabant, comprehendere, & quærebantur, quòd non venisset, aut quærebant, an venturus esset. Quod minantes dicere videntur, vt & Cyrillus indicat; quasi dicāt, si venisset, comprehendissemus eum, aut si venerit, comprehendemus. Hoc probabilius, quia sermo ipse speciem præ se fert comminationis. Et quia statim sequitur, *Dederant autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit, vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.* Vbi *δὲ autem* pro *γὰρ enim* positum puto, vt Matth. 23. 5. Ita sensus est consequens. Propterea enim illi minanter dicebant; *Quid cogitatis, quia non venit ad diem festum?* quia Pontifices & Pharisæi mandatum dederant, vt si quis sciret, vbi esset, indicaret, vt comprehenderent.

CAPVT XII.

1. Matt. 26. a. 6. Mar. 14. a. 3. IESVS ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est ex odore vnguenti. 4. Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: 5. Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Iesus: Sinite illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. 8. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis. 9. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis

quia illic est: & venerunt, non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis. 10. Cogitauerunt autem principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent: 11. quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. 12. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam: 13. acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. 14. Et inueniens Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: 15. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. 16. Hæc non cognouerunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo: & hæc fecerunt ei. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. 18. Propterea & obuiam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum. 19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abijt. 20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant vt adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eū, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. 22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt Iesu. 23. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis. 24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit? 25. ipsum solum manet, si autem mortuū fuerit, multum fructum affert. Qui amat animā suam, perdet eam: & qui odit animā suam in hoc mundo, in vitā æternā custodit eam. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora: Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificaui, & iterum clarificabo. 29. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est. 30. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 31. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. 32. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. 33. (hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.) 34. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? 35. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus: & abijt, & abscondit se ab eis. 37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: 38. vt sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: 40. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. 41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. 42. Veruntamē & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga nō eicerentur. 43. dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. 44. Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni: vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non iudico eum, non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. 48. Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet qui iudicet eum. sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. 49. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. 50. Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

Matt. 21. a. 7. Mar. 11. a. 7. Luc. 19. f. 35. Zach. 9. b. 9.

Matt. 10. d. 39. & 16. d. 25. Mar. 8. d. 35. Luc. 9. c. 24. & 17. g. 33.

Psal. 109. b. 4. & 116. a. 2. Isa. 40. a. 6. Ezec. 37. g. 25.

Isa. 53. a. 1. Rom. 10. d. 16. Isa. 6. c. 19. Rom. 11. b. 8. Matt. 13. b. 14. Mar. 4. b. 12. Luc. 8. b. 10. Act. 28. f. 27.

Marc. 16. b. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN CAPVT XII.

1 IESVS *ergo ante sex dies Paschæ.*) Particula *ergo*, videtur ad ver. 55. superioris capitis referenda, vbi dixerat Euangelista proximum fuisse Pascha Iudæorum: cùm ergo proximum esset Pascha, Iesus sex ante diebus quàm Ierosolymam tenderet, vt vltimum cum discipulis Pascha celebraret, & moreretur, venit Bethaniam. Totam historiam, locúmque hunc totum vsque ad versum 9. apud Matth. c. 26. 6. explanauimus.

9. *Cognouit ergo turba multa ex Iudæis.*) Iudæos vocat Ierosolymitanos ciues, vt superiore c. ver. 19. & 45. Eos venisse dicit Bethaniam, vbi Christum esse audiebant, non solùm vt Christum, sed vt Lazarũ etiã viderent recens à mortuis resuscitatum. Subtilis est humani ingenij curiositas, per omnia & mala, & bona sese opera insinuat. Vbi Christus est, nõ rã propter Christum, quàm propter Lazarum veniunt. *Curiositas* inquit Augustinus, *eos adduxit, non caritas.* Experiri volebant an verum esset, quod fama narrabat, Lazarum à mortuis suscitatum fuisse? Volebant videre, loquentem audire, & fortassis interrogare, an verè fuisset mortuus, & quid in altera vidisset vita, vt Theodorus Mopsuest. & Cyrillus, Theophylact. Leontius interpretantur. Quis enim videre nollet, & interrogare eum, quem a mortuis suscitatũ fuisse audisset? Cur ergo nõ antequam Christus ibi esset venerant, ac viderant, cùm Lazarus in Bethania habitaret: Credibile est, quamuis Euangelista non dicat, Lazarum, postquam suscitatus fuit, a Christi latere non discessisse; itaque antequam eò Christus veniret, Lazarus ibi nõ erat, quia Christum, sicut & soror eius Maria, sequebatur. Cùm ergo audissent Christum ibi esse, intellexerunt & Lazarum ibi esse oportere, itaque eius videndi causa venerunt. Aut sicut non propter solum Christum, ita non propter solum Lazarum venerunt: itaque non venerant ante, quia simul ambos videre non poterant.

Curiositas per omnia & bona, & mala se insinuat. Tract. 50.

10. *Cogitauerunt autem principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.*) Euthymius, Christum occidere volebãt sumpto prætextu, quòd solueret sabbatum & se faceret æqualem Deo, quódque multi in eum crederẽt. Lazarum autem quare? An quia reuixerat? quod ergo crimen est reuixisse? Itaq; tota res est inuidia. Inuidebant enim non auctori modò beneficij, sed ijs etiam, qui acceperant beneficium: ideo & cæcum foras eiecerant & Lazarum interficere volebant. Mordebat etiam eos, quòd instãte festo plurima turba illud relinqueret, & ad eum accurreret. Quanquam ego non tam festi rationem eos habuisse arbitror, quam memoriam tanti miraculi interfecto Lazaro abolere voluisse, quòd viderent magnos propter eum ad Christum fieri cõcursus, multósque ea de causa in illum credere, vt explicatur verbis sequenti. Magnæ quidem hoc erat insaniæ; sed cæca semper & insana inuidia est. *O stulta cogitatio, & cæca sanitia*, inquit Augustinus. *Dominus Christus qui suscitare potuit mortuum non potuit occisum? Quando Lazaro inferebatis nec mi, nunquid auferebatis Christo potestatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus, ecce Dominus vtramque fecit, & Lazarum mortuum, & seipsum suscitauit occisum.* Eodem modo Græcè scribunt Cyrillus, & Theodotus Mopsuest. Quæ sequuntur vsque ad ver. 7. apud Matth. c. 21. 7. explicata sunt.

Insanda, & cæca inuidia. Tract. 50.

17. 18. *Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento.*) Poterat mirum videri, quòd cùm toties Christus Ierosolymam inisset, nemo illi processisset obuiam, nunc verò subitò, nouóque consilio totus se populus in eius occursum effudisset. Eius rei causam reddit Euangelista, quòd ciues illi Ierosolymitani, qui adfuerant, cùm Lazarum suscitaret, affirmarẽt id se vidisse, totámque ciuitatem impleuerant fama miraculi. Itaque cùm nuntiatũ in vrbem esset aduentare Christum, qui Lazarum suscitauerat tota processit ciuitas, vt fausti is illum acclamationibus excipieret.

19. *Pharisæi autem dixerunt ad semetipsos.*) Græcè, πρὸς ἑαυτούς, inter se alij aliis, *Videtis, quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abit.* Perinde est ac si dicant, *videtis*, & experimini necessarium omnino esse vt faciamus, quod auctore Caipha decretum a nobis est, vt hominẽ istum de medio tollamus? Alia enim ratione, siue persequẽdo eum, siue eius facta, dictáque improbando, siue populum dehortando, siue comminando fore, vt extra Synagogam eiiciatur, quisquis eum confessus fuerit, nihil proficimus. Vnum illud remedium superest, vt eum occidamus. Accusant ergo segnitiem suam, quòd iam nuper non illum simul, & Lazarum occiderint, vt Cyrillus ait, aut certè, quòd diligentiores non sint; vt quàm primum occidatur, vt Theodorus Mopsuest. & Euthymius indicant. Miror Chrysostomum, & Theophylactum in ea esse sententia, quam & Euthymius probabilem ducit, vt putent eos, qui hoc dicebant ex ijs fuisse, qui in Christum crediderant, aut certè qui beneuoli erga eum erant; qui persecutoribus illius dicant, videris vos hunc hominem persequendo nihil proficere? Sensus perspicuus est, cùm ipse Euãgelista Pharisæos, qui hoc dixerunt fuisse dicat. Neque mundum vocant eo sensu, quo Chrysostomus, & Theophylactus putant, quia peccatores erant, quemadmodum cum Christus dicit, *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Nã qui Christum sequebantur, eo ipso peccatores non erant: & qui hoc dicebant, peccatores, erant, atque maligni. Sed mundum vocant per hyperbolem, quia omnes nemine excepto Christum sequi videbantur, non solùm magna, vt prius turba. Nam & viri mulieres, & Iudæi, & Gentiles, vt statim dicitur, eum sequebantur, & infantes Regem appellabant vt recte Rupertus adnotauit. Simile est, quod Cyrillus ait Pharisæos cùm dixerunt totum mundum post eum abire, nescientes, quid dicerent, prophetasse tum. enim mundum, id est & Iudæos & Gentiles in eum credituros. Et solemus vulgo magnam, innumerabilémque multitudinem per exaggerationem mundum appellare.

20. *Erãt autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderãt vt adorarent in die festo.*) Sunt qui existiment hos fuisse Iudæos, sed ideo ab Euangelista *Gentiles* appellatos, quia inter Gentiles habitabant. Duabus adducti rationibus, alterã est, quòd Iudæi permissum nõ fuerint, vt quisquam Gentilis in templum ingrederetur; cùm & se & templum & omnia sacrificia pollui putarẽt, si quis Gentilis adesset. Ita Paulum discerpere fere voluerunt, quòd putarẽt Trophimum ab Ephesium in templum introduxisse. Gentilem hominem. Act. 21. 28. *Viri Israelitæ adiuuate, hic est homo qui aduersus populum, & legem, & locum hunc omnes, vbique docens, insuper & Gentiles induxit in templũ.* Altera quòd Romani etsi permittebant Iudæos suis viuere legibus, tamen non paterentur Gentilem quempiã relicto idolorum cultu Iudæum fieri. Plus habet põderis vnum verbum Euangelistæ, quàm istæ omnes rationes, præsertim cum eius sententiæ auctores minimè boni sint. Euangelista dicit fuisse *Gentiles*, cur nos dicamus fuisse Iudæos? præsertim cùm eos Iu-

dæis

dæis opponere videatur, dicatque ad Philippũ accessisse, vt per eũ sibi liceret ad Christũ adire, quod Iudæi minimè fecissent, cùm omnibus ad eũ Iudeis numirum ad Iudæum accedere liceret. Alij putant non fuisse quidem Iudæos, sed de Iudaismo suscipiendo cogitasse; propéque fuisse, vt proselyti fierent, ideo ad adorandum in templo venisse, vt Chrysost. Leontius, Theophylactus, & Euthymius. Alij simpliciter dicũt fuisse Gẽtiles, quod ego magis credo, qui siue templi Ierosolymitani celebritate, famáque sanctitatis eius, vt etiam Leontius, & Theophylact. indicant, siue fama miraculorum commoti, quæ per Christum apud Iudæos fieri audiebant, vt Theodorus Mopsuest. & Cyrillus putãt, veniebant Ierosolymam religionis causa: siue, vt idem Cyrillus, & Leontius aiunt, quòd Platonis sequerentur opinionem vnum tantum esse Deum, quod idem, cùm à Iudæis audirent credi, eúmq; Deum vnũ in Ierosolymitano adorari templo, & ipsi eò veniebant, vt ibi eum adorarent. Neque rationes illæ eorum, qui Iudæos fuisse putant: quidquam efficiunt. Nam etsi Iudæi non patiebantur in templum ingredi Gentiles eos qui alieni prorsus à religionibus suis erant, & eorum ingressu existimabant templum contaminari; tamen credibile est nõ solùm passos æquo animo; sed vehementer etiam lætatos fuisse, vt Gentiles honoris causa, & vt Deum suum adorarent, à remotissimis terris venirent, & templum admirabundi, venerabundique ingrederentur. Ille vtique Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopũ, qui Ierosolymam adoraturus venerat, Gentilis erat, Act. 8. 27. Romanos verò neminem id ætatis prohibuisse legimus, si vellet, fieri Iudæum; præsertim si simul idolorum cultum retineret, quod credibile est fecisse eos, qui Gentiles cùm essent, ad templum veniebant Ierosolymitanum, vt illic nouum quendam, vt putabant Deum adorarent. Ea enim confusio religionis, ea tunc erat superstitio, vt is maximè religiosus haberetur, non qui vnum, ac verum, sed qui nullum non Deum, cuiuscunque esset gentis, non sanctissimè coleret. Id Romani non solùm non prohibebant, sed in magna etiam ponebant laude. Scitéque D. Leo de Roma illa dixit: *Cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur adsumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.*

Primus Christus inuitat, & ad se vocat omnes.

Iudæi in templo ad se vocant omnes.

Cur ad Philippũ accedere.

21. *Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes. Domine, volumus Iesum videre.*) Duplex hoc loco quæstio, cur ipsi per se ad Christum nõ accesserint, cùm omnes, qui vellent, possent, & cur potiùs Philippum, quàm alium discipulum rogent vt sibi aditum patefaciat. Cyrillus, & Leontius existimant ideo per se non ausos ad Christum accedere, quia Gẽtiles erant sciebántque Iudæos Gentilium refugere consortium, eo etiam magis quò sanctiores erant, & audiebant Christum omnium esse sanctissimum. Quærebant ergo fauorem vt quod iure, & consuetudine non licebat, gratia liceret, hoc ipsum Chrysost. indicat. Alij simplicius respondent, minus tamen meo iudicio probabiliter, non ideo quia Gentiles erant, sed quia multitudine impediebantur, ad Christum accedere non potuisse, dum quisque contendebat, quàm proximè illum videre, ac contemplari. Cur ergo ad Philippũ potiùs, quàm ad alium discipulum accedunt? Respondent ijdem auctores, Cyrillus, & Leontius eos fuisse Galilæos, nam vna Galilææ pars à Gentilibus habitabatur; accessisse igitur ad Philippum, quia & ipse Galilæus erat. Nimis tenuis coniectura. Nam neque probari potest Gentiles illos fuisse Galilæos, aut, vt alij volunt, vicinos Galilææ; & si erant, nihil id causæ fuit, cur ad Philippũ potiùs, quàm ad alium discipulum accederent, cùm omnes fere discipuli Galilæi essent; & Petrus, & Andreas ex eadem, qua Philippus ciuitate. Itaque certior est coniectura, quę simplicior, ad Philippum potiùs adijsse, aut quia illum alijunde nouerant, aut quia ille ipsis primus occurrit.

Supr. c. 1. 44.

22. *Venit Philippus, & dixit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt Iesu.*) Chrysost. Cyril. Theophylact. Leontius, & Euthy. obseruant ideo neque Philippum per se, neque Andreã Gentiles ad Christum adduxisse, sed Philippum cum Andrea rẽ communicasse; ambos verò ad Christum retulisse, quia magni nimirum momenti esse videbatur Gentiles præter ius, præter consuetudinem, præter Christi præceptum, quod ab eo non multò ante acceperant *In viam gentium ne abieritis*, ad Christum adducere. Exemplum nobis Cyrill. præbeti ait nihil leuiter, nihil nisi communicato cum viris prudentibus consilio agendi etiam in rebus bonis. Ad Andream autem potiùs, quàm ad alium rem Philippum detulisse ijdem auctores docent, quòd Andreas ætate maior esset, aut maioris apud Christum auctoritatis, quòd primus omnium vocatus esset.

Matt. 10. 5.

23. *Iesus autem respondit eis, dicens, venit hora, vt clarificetur filius hominis.*) Non satis apparet quorsum hęc Christi responsio pertineat. Recte tamen omnes veteres interpretes Chrysost. August. Beda. Theophyl. Rupertus, Euthym. Leontius, Cyril. & vterq; Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. ad rẽ maximè pertinere docent. Prohibuerat antè discipulis, ne in viã gentium abirent, Euangelium non nisi post mortẽ, ac resurrectionem suam, id est post suam glorificationem gentibus prædicãdum. Itaque non nisi post resurrectionem dixit, *Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.* Cùm ergo videret vna quidem ex parte aduersari sibi maximè Iudæorum principes, publicóque concilio decreuisse, vt ipsum occiderent, alia verò ex parte Gentiles vltro iam ad se venire, colligit instare tempus glorificationis suæ, id est mortis, resurrectionisque. Hoc esse, *Venit hora vt glorificetur filius hominis.* Collegit autem hoc, non quòd ipse ante nesciret; sed vt discipulos eo argumento doceret. Alij glorificationem Christi non mortem, & resurrectionem, sed Euãgelij prædicationẽ, per quam glorificandus apud gentes Christus erat, interpretantur. Alij ascensionẽ in cælum, qua consedit ad dexterã Patris, quæ & huma eius claritas fuit. Omnia in idem redeunt. Non dicit Euãgelista, an Gentiles illi ad Christum accesserint, nec ne; neque auctorem vllum, qui id doceat, inuenio. Sed si quid in re penitus incerta quãuis obscura, cõiectura valet, probabilius mihi videtur eos accessisse. Videtur enim Christus hoc ipso responso veniam illis dare, vt ad se veniãt. Sic enim loquitur, quasi Andreæ, & Philippo dicat, mihi iam causæ est, cur Gẽtiles ad me venire prohibeatis, *venit enim hora, vt clarificetur filius hominis* id est, vt nõ solùm à Iudæis, sed multo etiam maximè à Gentilibus cognoscatur, recipiatúrque.

Matt. 18. 19. Mar. 16. 15.

Quid per glorificationem filij hominis intelligatur.

Gentiles illos ad Christum accessisse, auctoris sententia.

24. 25. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*) Non contẽtus, inquit Leontius, explicasse verbis tẽpus venisse clarificationis suæ, id ipsũ docet exẽplo. Exponit enim causamq; reddit, quare tẽpus mortis suę tẽpus gloriæ, & clarificationis appellauerit, quia ex morte sua magna sibi gloria, magnus erat fructus cõsecuturus. Nam sicut *nisi granum frumenti cadens in terram*, id est

semina

Universidad de Deusto
Biblioteca

seminatũ, *mortuum fuerit*, hoc est terræ calore resolutum, atque in aliam quodam modo substantiã conuersum, *ipsum solum manet*, id est sterile nullum ferẽs fructum; (Hebraica phrasis opponit enim solum manere, & multum afferre fructum) *si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, quæ illius quodammodo gloria est: ita ex sua morte magnũ omnibus gẽtibus fructum, magnam sibi gloriam accessurã, quòd non solùm Iudæi, sed Gentiles etiã omnes in se ereditури sint. Suum de cælo in terram aduentum videtur casui in terram grani, id est seminationi comparare. In terram enim quodammodo cecidit, cùm venit; & vt granũ non iacitur in terrã, seminatúrque, nisi vt nascatur, ac fructum ferat; ita Christus non venit in hunc mundũ, vt otiosus esset, sed vt magnos omnibus hominibus afferret fructus. Mortem autẽ suam cõparat grani corruptioni, licet ipse corruptionẽ non viderit; quia quemadmodum cũ granũ corrumpitur, id est resoluitur, tunc germinare, tunc fructũ proferre incipit: ita Christus per passionem suã cœpit fructum redẽptionis suæ in omnes proferre gentes. *Ipse erat granum*, inquit Auguſt. *mortificandum, & multiplicandum; mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide omnium populorum. Iam verò exhortans ad passionis suæ sequẽda vestigia, Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam.* Quam sententiã apud Matthæum explicauimus.

Hebraismus.

Suum de cælo in terram aduentum casus grani in terram. i. seminationi Christus confert.

Psa. 15. 10. act. 2. 31. & 13. 36.

Tract. 51.

Matt. 10. 31. & 16. 25.

27.28. *Nũc anima mea turbata est, & quid dicã? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horã, Pater clarifica nomen tuum.*) Quidquid in hac sentẽtia difficultatis est quomodo Christus animo, & quatenus turbatus fuerit, quomodo mortem horruerit ac deprecatus fuerit, cùm sciret Patris esse voluntatẽ, vt moreretur, apud Matth. c. 26. 37. 38. à nobis disputatum est. Hic illud explicandum, quomodo hæc cum præcedentibus cõgruant. Dixerat passionis suæ tempus instare; hortatus discipulos suos fuerat, vt exemplo suo nihil pati recusarent; qui enim amaret animam suam, perditurũ eã esse. Videbatur res ipsa postulare, vt qui alios ad oppetendam hortabatur mortem, nullam mortis formidinem ostenderet, sed veluti egregius, vt erat, dux interrito, & erecto animo ante omnes ad mortem graderetur. Nunc verò tantam animi perturbationem, tantã trepidationem ad solam mortis mẽtionem ostendit, quantã nullus ostẽdisset tyro. Quid *est hoc?* inquit Auguſt.) *quomodo sufferam, quod graue tam firmitas sentit? Quale fundamentum quærã, si petra succumbit?* Respõdet idem Auguſt. & Beda Christum non sua, sed nostra persona timuisse, id est infirmitatem, ac timorem nostrũ à nobis in se firmitatem, & fortitudinẽ suam à se in nos trãstulisse: itaque ne nos mortem timeremus ipsum timuisse. Dixi ego clariùs, ille dixit elegantiùs, *Nos*, inquit, *in se transtulit, nos in se suscepit; caput nostrum membrorum suorum suscepit affectum, & ideo ab aliquo nõ est turbatum; sed sicut de illo dictum est, cum Lazarum suscitaret, Turbauit semetipsum. Oportebat enim vt vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, sicut vos excitauit ad summa, ita nobis compateretur ad infima*; & rursũ proposita superiore quæstione, *Videor* inquit, *mihi audire in cogitatione mea respondẽtem mihi Dominũ meum, & quodammodo dicentem, Magis sequeris, quia sic me interpositi sufferas. Audisti ad te vocem fortitudinis meæ; audisti in me vocem infirmitatis tuæ: vires suggero, vt curas; nec reprimo, quod accelerat, sed transfero in me, quo trepidas, & subsisteres quã transeas.* Theodorus Heracleotes respondet non mortẽ timuisse, sed aut propter Iudæorum incredulitatem; aut propter eam quã præuidebat, discipulorum suorum alienationem fuisse turbatum. Cyrillus Alexãdrin. propterea turbari

Quomodo cum præcedentibus hæc Domini turbatio cõgruat.

Tract. 51.

Supr. c. 11. 33.

Tract. 51.

Tract. 51.

Tract. 12.

Tract. 51.

volnisse, vt doceret se nõ sola specie, sed re etiã veram hominẽ esse: Christũ enim passiones naturales permisisse nonnunquam erũpere, nu ab illis victũ, aut vt ab illis vinceretur, sed vt vinctas rationi subiugaret, seque hominẽ esse ostẽderet, quia passiones haberet. Deum, quòd ab illis non vinceretur. In eamdem fere sententiam Athanasius, quem hoc loco in Græcou Catena citatum inuenio, obseruauit spõte sua Christum fuisse turbatum, hánequeesse vim illius verbi, *Nũc*, cùm dicit, *Nũc anima mea turbata est nunc*, id est cùm volui. Nam & hunc locum ad refellẽdam diuinitatem Christi Arianos obiecisse, ex eodem Athanasio oratione aduersus illos 4. manifestũ est. Non dubito quin in sua Christus potestate affectus habuerit, quos nec ostenderit, nec senserit, nisi quatenus, & quando voluerit. Sed non puto id per dictionem illam, *Nunc*, significari. Cùm enim indicasset instare tempus passionis suæ consequentia ipsa rerum postulat, vt cùm dicit, *Nunc anima mea turbata est*, intelligat, *nunc*, id est cùm mortem meam proximam esse video. Chrysostomus, Theodorus Mopsuest. Leontius, & Theophylactus verè mihi videntur exposuisse, quamobrem Christus & turbatus hoc tempore fuerit, & ostenderit. Potuisset, inquiunt, discipuli, quos ad oppetendam mortem hortatus fuerat, dicere facile illi esse hominẽ secutro & doloris experti alios ad mortem adhortari: ostendit ergo se mortem more cæterorum hominum maximè exhorrescere; tamen vt Patris voluntati pareat, non recusare: eodem modo debere eos mortem, etiamsi maximè horreant, cùm gloria Dei postulauerit, obire. Atque eodem fortasse redit Augustini, & Bedæ sentẽtia. Quòd ait. *Et quid dicã?* vox est hominis præ animi perturbatione consilij inopis, nõ quòd Christus inops consilij fuerit, sed quòd ea ratione tristitiæ, turbationisque magnitudinem ostendere voluerit. Quòd autem sequitur, *Pater saluifica me ex hac hora*, Leontius, & Theophylactus existimãt per interrogationẽ legendum esse, & cum præcedentibus verbis ita iungendũ, vt sensus sit, quid dicam? an vt me liberes ab hac hora? minimè verò. Meliùs alij omnes auctores orationem esse putant, qua Patrem precatur, vt se ab ea hora id est à morte liberet, quemadmodum paulò post, cum in horto oraret, dixit *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Matth. 26. 39. Hæc enim oratio tam illa illi est, vt D. Augustinus, Beda, & Rupertus indicarũt. Illic antequam orare inciperet, discipulis dixit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; hic dicit, *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam?* Illic dixit, *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, hìc dicit, *Pater saluifica me ex hac hora.* Illic quasi corrigẽs, moderánsque, quod dixerat, addidit, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*; hìc addit, *Sed propterea veni in hanc horam*, scilicet vt moriar; itaque nolo mortem detrectare. *Clarifica ergo nomen tuum.* id est, *fiat tua*, vt Chrysostom. Euthymius, & Augustinus exponunt, clarificetur ex mea morte nomen tuum; quemadmodum de Petro idẽ dicit Euangelista c. 21. 19. *Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum*, vt idem D. Augustin. admonuit; aut, vt ex verbis sequenti colligitur, *clarifica nomen tuum*, clarificando me, ostendòque me tuum esse filium, vt Theodorus Heracleotes exponit.

Venit ergo vox de cælo, Et clarificaui, & iterũ clarificabo.) Quomodo ea vox facta, per Patrem ipsum, an per angelum, an per solum aërem, & quare de cælo facta dicatur esse, cùm haud dubiè in cælo ipso facta non fuerit, apud Matth. c. 3. 17. in loco simili disputauimus. Idem enim de hac, atque de illa iudicandum

dum, *de cælo*, id est in sublimi aëre, quasi de cælo missa esset, facta est, vt Patris vocem esse appareat, cuiusque testimonio credatur. Notat Græcus Cyrillus non dixisse Euangelistam vocem à Patre, sed *de cælo* factam esse, ne quis hæreticus existimaret Deum esse corporeum. De sententia maior quæstio quid sit, *Et clarificaui, & iterum clarificabo?* Primùm quidem illud obseruandum, quod à nemine animaduersum esse video, & rem maximè continere arbitror pro eodem duci clarificari Filium, & clarificari nomen Patris. Cùm enim filius dixisset, *Pater clarifica nomen tuum*, Pater respõdet, *Et clarificaui* (te) *& iterum clarificabo.* Omnes enim auctores quos memini legere, de Filio hoc dictũ interpretantur. Notãda verò, est orationis vtriusq; & Patris, & Filij moderatio. Cùm idem esset clarificari Filium & clarificari nomen Patris; tamen Filius non dicit, clarifica me, sed *clarifica nomen tuum*; & Pater contrà non dicit Clarificaui, & iterum clarificabo nomen meum; sed *clarificaui, & iterum clarificabo* te, neuter sibi, vterque alteri gloriam attribuens. Omnis quæstio est, de qua præterita, de qua futura clarificatione loquatur Pater Latini omnes. Augustinus, Beda, Rupertus, & antiquus auctor Victorinus lib. 1. aduersus Arium, primam clarificationem referũt ad æternitatem, quòd, antequam mundus fieret, fuerit, *in forma Dei*: secundam ad tempus illud quod mortem, resurrectionémque Christi consecuturum erat, cùm resurrecturus à mortuis, cùm super cælos euehendus, cùm ad dextram Patris sessurus erat, & ad eam rediturus gloriam, quam habebat, antequam homo fieret. Videtur hæc interpretatio alia Christi oratione c. 17. 5. valde confirmari, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui, priùs quàm mundus esset, apud te.* Sic illi. Quanquam Rupertus non ad æternitatem, sed ad mundi initium priorem clarificationẽ referre videtur, secũdam verò ad reparationẽ mundi. Notauit enim quod nemo alius, quod sciam, antiquus auctor obseruauit, aduerbiũ illud *iterum* hãc habere vim, vt significet ante id tempus non nisi semel clarificatum fuisse Christum. Ipse suo loquatur ore. *Et clarificaui, inquit, subaudiendũ est, semel. videlicet pro eo, quod sequitur, Et iterũ clarificabo. Sicenim de multis qualibuscũque clarificationibus dixisset, Et clarificaui, profectò absque aduerbio, quod est, Iterum, dicere sufficeret, & clarificabo. Duas ergo certas clarificationes paterni nominis intelligi debere manifestum est, nec qualescunque clarificationes tali in tempore, tali pro causa, tali perorante persona, vocem non cuiuscunque, sed vocem Patris, vocem, inquam, non vndecunque, sed de cælo venientem pronuntiari decuit. Igitur duæ, quas hoc loco intelligi oportet, clarificationes Filij, in quo sine dubio clarificatur nomen Patris, illæ sunt, quas Apostolus ad Colossenses exprimit his verbis, Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Hac de prima clarificatione, de qua nũc Pater dixit, Et clarificaui. Sequitur Apostolus de secunda clarificatione, de qua iidẽ Pater, Et iterũ clarificabo, inquit, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principiũ corporis Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliari in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Probabilis vtraque sententia est. Sed quam apud Chrysostomum, Cyrillũ, Theodorum Mopsuest. Leontium, Theophylactum, Euthymium, id est apud Græcos omnes lego, probabiliorem puto priorem clarificationem de omnibus à

Vis aduerbij iterũ hoc loco.

Psal. 74. 6. 7.

Ephe. 2. 8 Sine gratia.

Dei diuina mysteria credi non possunt.

Ruperti expositio vera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tonitrua voces Dei

nes audierint, sed ita audierint, vt alij tonitruum, alij vocem angeli, nemo humanam esse, iudicauerint. Atque hoc ipsum indicabat vocem esse diuinã, quòd illi existimarent esse tonitruum; nam & tonitrua voces Dei vocari solent, quia solet, cùm loquitur, sonum ingentem emittere, vt terram omnem concutere videatur, Psal. 17.14. & 28.3.4.5.7.8.9. & 45.7. & 67.34. & 76.18.19. & 103.7. Propterea vox eius comparatur voci aquarum multarum, Apocal. 1.15. & voci multitudinis, Danielis 10.6.

30. *Respondit Iesus, & dixit, Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.*) Nemo interpretum docet, an hoc Christus omnibus dixerit, etiam qui tonitruum factum fuisse, vel Angelum locutum audiebant. Mihi probabilius videtur solis dixisse discipulis, eos enim exhortatus fuerat ad mortem patienti, æquóque animo subeundam. Vt illi ergo animarentur, vox de cælo ad Christum facta est, vt quemadmodum videbant polliceri Patrem semper se patienti affuturum, ita sibi in tempore confiderent affuturũ esse: aut vt cùm Christum patientem viderent, nihil eius fortè offensi infirmitate, de ipsius diuinitate dubitarent, Patris ante testimonio confirmati: quem admodum videntur Chrysost. Theodorus Mopsue. Cyrillus, Leontius, Euthym. Theophy. Augu. Beda, & Rupertus interpretari. Quanquam hi auctores præsertim Græci illi quos primo loco posui, de omnibus auditoribus hoc videntur dictum putare. Hoc enim illis dixisse Christum, quia sibi obiicere solerent, quod à Deo non esset; vt cognoscerent ergo se à Deo esse, eam non tam propter se, quàm propter ipsos de cælo vocem missam fuisse. Refellit his verbis Athanasius Arianorum obiectionem oratione 4. contra Arianos. Obiiciebant illi Christo ignorantiam, quòd aliquando velut ignorans interrogare videatur. Respondet non propter se ipsum quòd ipse ignoraret, sed propter alios, qui ignorabant, vt discerent, interrogare solitum, sicut hoc loco non propter se, sed propter illos testatur venisse vocem.

Vsus huius loci cõtra Arianos.

31. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*) Primùm hoc loco quærendum, qua ratione hæc cũ præcedentibus copulentur. Rupertus existimat hæc verba cũ ver. 24. coniungẽda esse, *Nisi granũ frumenti cadens in terrã mortuũ fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multũ fructum affert.* Explicare enim hoc loco Christum quem fructũ granum illud frumẽti, de quo loquebatur, cùm mortuum esset, esset allaturum, vt iudicato mũdo princeps mundi Diabolus foras eiiceretur. Melius sentit Chryso. hãc interpretationẽ eius esse vocis, quæ de cælo missa fuerat, *Et clarificaui & iterũ clarificabo*; hãc enim clarificationem esse Christi, vt per eius mortẽ mundus vinceretur, & eius princeps eiiceretur foras. Nunc videndum, quid vocet *iudicii mundi*. Chrysost. Leontius, Theophylact. & Euthym. putant mũdi condemnationem, punitionemq; appellari, quasi dicat Christus, mundum condemnãdum esse, quòd se immeritũ, innocentémq; damnauisset. Rupertus nimis, vt mihi videtur, argutè scribit, *Nihilominus*, inquit, *& hoc sciendum, quia duos mundos vult intelligi, videlicet alterum immicum, & alterum reconciliatum; siue alterum damnatum, & alterum saluatum, dum dicit primo sine articulo, Iudicium est mundi: secundo autẽ signanter cum articulo, princeps, inquit, huius mundi. Quod ergo iudicii mundi, & quæ est eiectio principis huius mundi? Vtique præsens passio ipsius, qui hæc loquitur Dominus noster Iesus Christus; iudicium est mundi, id est saluatio discernens à reprobis vniuersitatem electorum, qui fuerunt ab initio seculi vsque ad horam eiusdem passionis; eiectio vero principis huius mundi, qui principatum tenet in amatoribus huius mundi, reconciliatio est Gentilium electorum, in quibus Diabolus per idololatriam inhabitabat ante sæpe dicta clarificatione eiusdem Domini nostri Iesu Christi.* Hoc, vt dixi, argutum est; præterquam quòd Græce in plerisque codicibus in vtroque loco & articulus, & pronomen additur, *νυν κρισις εστι του κοσμου τουτου νυν ὁ αρχων του κοσμου τουτου εκβληθησεται εξω.* D. August. & Beda, sicut & Rupertus iudicium interpretantur prædestinatorum à reprobis discretionem. Gaudentius verò tract. 12. in hæc verba sic exponit, quasi sensus sit. Nunc mundo optio datur, nunc illi iudicandum relinquitur, vtrum velit in me credere, nec ne; sensu singulari, & vt videtur, alieno. Ego iudicium in bonam partem accipi credo. Aliquando enim accipitur in malam, vt cùm dicitur, iudicium Moab, id est condemnatio, Ierem. 48.47. & Ezechiel. 25.11. & iudicia Ægypti, Ezech. 30.19. aliquando in bonam, vt cùm dicitur iudicium viduæ, & pauperis, id est liberatio, *Iudicate pupillo, defendite viduam*, Isai. 1.17. & *faciet Dominus iudicium inopis*, Psal. 139.13. Sic ergo hoc loco iudicium mũdi vocatur, quo oppressus à Diabolo mundus liberandus erat, quemadmodum & Procopius in comment. in c. 64. Isai. interpretatur. Itaque non pro solis electis, sed pro omnibus hominibus accipitur. Ille enim mundus iudicandus, id est à Diaboli tyrannide liberãdus esse dicitur, cuius princeps Diabolus foras dicitur eiiciendus: Diabolus autẽ antequã à Christo foras eiiceretur, nõ in parte, sed in vniuerso mundo dominabatur. Omnes enim peccauerant, & egebant gloria Dei, & concluserat omnia sub peccato, vt omnium misereretur. Quo ergo modo non totus mundus saluus est? quia non vult. Neque hic Christus significat fore, vt totus re ipsa; sed fore, vt totus, quantùm in se est, liberetur, qui pro omnibus hominibus moriturus erat. Quod ait, *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, per inde est ac si dicat, deturbabitur de possessione sua, eiicietur ex arce sua. *Dũ fortis*, inquit, *armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia, quæ possidet; si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus cõfidebat, & spolia eius diripiet.* Lucæ 11. 21.22. Loquitur enim de mundo tanquam de arce, aut domo aliqua, quam per tyrannidem Diabolus occupasset. At nondum Diabolus è mundo eiectus videtur esse, cùm in eo adhuc grassetur. Nam mortuo iam Christo dicebat D. Paulus, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ harum.* Ephes. 6.12. Et Petrus adhuc tanquam rugientem leonem circuire quærentem, *quem deuoret*, 1. epistola c. 4.8. Eiectus foras dicitur non quòd nunc in mundo non sit, & in multis etiamnum dominetur, sed quòd quantum in Christo fuit eiectus fuerit: ita vt si homines vellent, nihil prorsus in ipsos haberet potestatis. Homines illi postea portã arcis aperuerunt, & proditione quadam in suam quisque domũ admittit. Itaque etiam nunc regnat, *& operatur*, sed *in filios diffidentiæ*, Ephes. 2.2. Eodem sensu dicitur *draco ille magnus* de cælo in terram proiectus, id est extra Ecclesiam, quæ per cælũ significatur in terra, i. in tenebras suas, in infernũ, Apoc. 12.9. & ligatus esse per annos mille, c. 20.2. Non quòd aut reiecta extra Ecclesiam eiectus, aut omnino ligatus sit, sed quòd coërcita omnino sit eius potentia, atque tyrannis, ita vt si homines velint, nihil illis nocere possit. Idem fiebat, dicet aliquis, antequam Christus moreretur. Fiebat quidem, sed si quid ante homines contra Diabolum poterant, per eam gratiam poterant, quam illis Christus per passionem

Lib. 10.

Iudicium mundi, & princeps mundi quo sensu.

Duo de quo.

Duo quo.

Duo quo.

*Duo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quare cap.3.14.mortem suam exaltationem appellauerit,causam ibi reddidimus:quia ad serpentem in deserto exaltatum alludebat; hic verò, quia nulla eiusmodi apparet allusio, alia causa quærenda est. Relinquam lectori in medio coniecturam meam. Volebat Christus vim passionis suæ declarare,propterea quæ,vt diximus, trahendi vsus verbo, eadem, opinor, ratione,& exaltandi verbo vsus est; loquebatur enim de se tanquam de milite cum Diabolo pugnante; solet miles eò fortior esse, & aduersario superior,quò ex altiore loco pugnat;significauit ergo se ex cruce sua,tãquam ex altissima, & munitissima arce pugnaturum,Diabolumque victurum esse, propterea genus illud mortis exaltationem appellauit. Traxit exaltatus omnia ad semetipsum, quemadmodum aquila in sublime volans prædam trahit.

34. *Respondit & turba, nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis?*) Non dicit Euangelista dixisse Christum oportet exaltari filium hominis, & tamen turba affirmat hoc eum dixisse. Posset responderi non dixisse totidem verbis.tamen sententia dixisse;cùm enim dixit, *Si exaltatus fuero a terra, omnia trahã ad meipsum*, significabat se exaltandum esse,quem ver.23.& sæpe alias filium hominis appellauerat. Sed malo coniecturam eorum sequi,qui existimant hæc etiam verba dixisse Christum;postquam enim dixisset,*Et ego,si exaltatus fuero a terra, omnia trahã ad meipsum*, addidisse quod c.3.14.dixerat, *Sicut enim Moyses exaltauit serpentem in deserto,ita exaltari oportet filium hominis.* Atque ad hæc verba respõdisse turbam, *Nos audiuimus ex lege,quia Christus manet in æternum,& quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis?* Euangelistam tamen ea verba præterisse. Multis argumentis ea coniectura confirmari potest. Primùm quòd alioquin rudis, & imperita turba non videatur intellectura fuisse,quid sibi Christus voluisset, cùm dixit, *Et ego si exaltatus fuero a terra omnia trahã ad meipsum*, nisi illa etiam alia, quæ modò diximus, addidisset verba.Deinde quia prorsus apparet turbam non solùm eandem sententiam,sed verba etiam eadem, quo magis Christum premerent,recitare voluisse.Denique quorsum Christum *filium hominis* præter consuetudinem suam appellasset, nisi ipse se Christus eodem loco ita vocauisset ? Quorsum dixisset,*Quis est iste filius hominis ?* Intellexit igitur turba eum de morte sua locutum fuisse,eamque exaltationem appellasse, siue quia sæpe eundem loquendi modum ab eo vsurpatum audierat.cap.3.14.& cap.8.28.siue quòd ea apud Iudæos phrasis, vt Cyrillus putat,visitata esset, vt crucifixio exaltatio vocaretur. Nam quod Augustinus, Beda, & Rupertus dicunt propterea intellexisse,quia ipsi eum occidere decreuerant, minùs,vt opinor, probabile prudens lector iudicabit. Et illud quæri potest, quomodo de Christo tanquã de Christo, id est expectato illo Messia loquantur, cùm ipse se non Christum, sed, vt diximus, filium hominis appellasset.Facilis responsio;audiuerant illum sæpe ita loquentem, vt non obscurè significaret se esse Christum; videbant se publicè pro Christo gerentem, ideo loquuntur tanquam de Christo. Difficilior quæstio;quo sensu argumententur, *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis?* an vt quærant quomodo hæc duo inter se conueniant. quæ repugnare ipsis videbantur; an vt probent illum non esse Christum, qui in æternum mansurus non sit. Hoc secundum de Iudæorum ingenio faci-

Aliaquæstio, quo sensu Iudæi argumententur.

luùs credi potest,quemadmodum & Theophylactus interpretatur.Proferunt legem,ne temere argumẽtari videantur. Legem autem non vnam aliquam partem,sed scripturam vniuersam vocant veteris testamenti,vt Cyrillus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius,admonuerunt.Sed dubium,ad quos alludant locos;multi enim sunt,quibus Christi regnũ æternum futurum dicitur.2.Reg.c.7.16.Psal.88.30. & 109.4.Isai.9.7.& 40.8.& Ezechiel.37.25. Daniel. 7.14. Sed nusquam scriptura dixerat fore, vt Christus non moreretur; quin dixerat fore,vt moreretur Psalm.21.12 17.Isai.53.2.vsque ad 12. Daniel.9.26. Sic enim moriturum dixerat, vt simul resurrecturum significaret.Psalm. 15. 10.Sed Iudæi homines ambitiosi quidquid de Christo, quod honorificum esse videretur,legebant,intelligebant; si quid erat humile non intelligebant. E contrario verò Christus non solùm se moriturum, sed etiam resurrecturum,& in æternum mansurum significauerat. *Omnia*, inquit,*traham ad meipsum*: sed Iudæi mortẽ, humilitatem,ignominiam eius libenter,& facilè intelexerunt; potestatem, diuinitatemque intelligere noluerunt, vt Rupertus animaduertit. Sic hæretici sunt; quæ volunt, intelligunt; quæ nolunt,non intelligunt; fidemque suis affectibus seruire cogunt. Quòd dicunt,*Quis est iste filius hominis ?* non satis videtur cum præcedentibus cohærere. Nec enim dubitabant Iudæi, quin Christus seipsum filium hominis appellasset, cùm intellexissent seipsum vocasse,aut significasse esse Christum. Chrysostomus, & Theophylactus tradunt simulatè hoc eos interrogasse,fingentes se non intellexisse, de quo filio hominis loquutus esset,cùm dixit, *Oportet exaltari filium hominis*, ne viderentur sua illa argumentatione probare voluisse ipsum non esse Christum, sed illum, quisquis erat, filium hominis, quem exaltari oportere dixerat: Christum, illum, qui expectabatur, esse non posse; Christum enim illum non moriturum. Potiùs credo contemptim hoc, & contumeliosè dictum esse.Est enim velut epiphonema. Nam quasi conuicisse illum prorsus sibi viderentur non esse Christum,mutumque, ac elinguem reddidisse, triumphum agunt, & victo illudunt. *Quis est iste filius hominis ?* quemadmodum si miles barbarus, & victoria insolens capto à se in bello Regi,& in seruitutem redacto dicat, quis est iste Rex ? & quemadmodum eidem Christo ijdem postea Iudæi capto dixerunt, *Aue Rex Iudæorum.*

35.*Dixit ergo eis Iesus,adhuc modicum, lumen in vobis est.*)Non videtur ad rem Christus respõdere. Chrys. & Theophyl.tum etiam Theodorus Mopsuest. docent accommodatè respõdere:probare enim se moriturum quidem,sed resurrecturum tamen, & in æternum postea mansurum esse.Propterea se comparasse lumini,quia sicut lumen Solis nõ extinguitur, sed conditur noctu,& occultatur ad breue tempus mane iterum oriturum; ita se moriturum quidem, sed paulò post surrecturum esse,nec vnquam extinguendum. Et verò Christi in æternum mansio per durationem Solis,ac Lunę declarari solet,Psal.71.5. *Et permanebit cum Sole, & ante Lunã in generatione & in generationem.*Et Ps.88.38. *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfectà in æternũ,& testis in cœlo fidelis.*Sed potiùs probo,quod in Catena Græca ex Cyrillo citatũ lego,non respõdere Christũ ad Iudæorum argumentũ; nec enim respondere voluisse scientem eos neque dignos,neque capaces responsionis esse.Loco responsionis iterum,quod ante dixerat, affirmasse se breui tempore moriturum,proinde ambularent,dum lucem haberent. Quid igitur

facit

facit particula illa, *ergo ?* Hoc ipsum fortasse, quòd cùm eos Christus animaduerterit delirare, non respõderit,sed,quod ante dixerat,magis affirmauerit, Quod autem air, *adhuc modicum, lumen in vobis est*, in Græcis codicibus legitur, ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι, *adhuc modico tempore lumen vobiscum est.* Noster interpres videtur legisse, ἔτι μικρὸν, φῶς ἐν ὑμῖν ἐστι, *adhuc modicum,lumen in vobis est.* sed sensu eodem.Nã illud modicum per se sumptum, non cum lumine coniunctum pro breui accipitur tempore, vt c.13. 33.*Filioli adhuc modicum vobiscum sum*, & cap.14.19. *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt*, & c.16. 16.17.19.*Modicum iam non videbitis me,& iterum modicum,& videbitis me.* Quibus in locis etiam Græcè est μικρὸν, *modicum* absolutè positum, quemadmodũ & hoc loco credendum est nostrum legisse interpretem.*In vobis autem* idem est,atque vobiscum. Nã *in* accipi aliquando pro cùm,& Græcè ἐν pro σύν notius est,quàm vt admonere debeamus. Exẽpla sunt Matth. 11.21.& 16.27. in Græca Catena hanc lectionem inuenio, ἔτι μικρὸν χρόνον φῶς ἐν ὑμῖν ἐστι, *adhuc modico tempore lumen in vobis.* Quocunque modo legamus, sensus est breui tẽpore eos lumẽ habituros. Sed ambiguitas Latinę versionis nonnullos fefellit, in quibus & grauem auctorem Augustinũ & Bedã, aliosque posteriores Rupertum, & Bernardum sermon.in Cant.49. Lyranum, ac fere Latinos vulgò omnes,vt existimarent sensum esse,Adhuc modicũ luminis in vobis est; intelligitis enim Christum in æternum mansurum esse, sed non intelligitis moriturum etiam esse, atque resurrecturum; ambulate ergo,dum lumen habetis, id est proficite in lumine, tunc intelligetis quomodo Christus mori posset, & tamen in æternum manere. Quid autem sit lumen in illis esse,modò dicemus.

Ambulate dum lucem habetis,vt non vos tenebræ comprehendant.)In duabus quæstionibus huius loci sententia versatur; altera, quid sit lucem habere, aut, quod paulò ante alijs dixit verbis,lumen in illis,aut cum illis esse;altera,quid sit ambulare. Chrysost. & Theophylact. & Rupertus cuiusque vitam lucem, & veluti diem eius vocari putant; in quam sententiam etiamLeontius magis propẽsus est.Itaque sensus est,*ambulate*,id est bene agite, aut credite in me, dum vita vobis supereſt; venient enim tenebræ, & nox,id est mors,quando neque agere poteritis, neque proderit vobis credere;licut dixit cap.9.4.*Venit nox,quando nemo potest operari.* Cæterum non dubium est, quin non nostram cuiusque vitam, sed tempus illud modicum, quod vsque ad mortem sibi supererat, tempus lucis appellet. Se enim ipsum vocare lucem,& per se manifestum est,& versu sequẽti 36. Christus ipse declarat, *Dum lucem habetis, credite in lucem.*In quam enim lucem,nisi in seipsum iubet eos credere ? Lucem igitur habere, id est tempus lucis, aut diem non vocat vniuscuiusque hominis vitam, sed quod sibi vsque ad mortem supererat temporis. Quid autem sit ambulare, Christus etiam exponit, *Dum lucem habetis,credite in lucem:*credere est ambulare,quia ad Christum credendo quasi pedibus quibusdam fidei venimus. Quid ergo?an non poterant post eius mortem ambulare, id est in eum credere? Maximè verò poterant.Quid igitur dicit,*Ambulate, dum lucem habetis.*id est dum me viuentem inter vos habetis,quasi post eius mortem ambulare,& credere non possent?Hac ratione Chrysost. Leontius, & Theophylact.adducti sunt, vt dicerent tempus modicum lucis tempus vitæ cuiusque etiam post mortem Christi significare, sed eam opinionem iam refutauimus,ratio nunc diluenda est. Possunt quidem homines post mortem Christi in eum credere,maximaque pars post mortem in illum erant crediturі. Sed magni refert Christum ipsum loquentem, an Apostolum, aut alium quem eius nomine Euangelium prædicantem audias.Si non credebant in eum, quem videbant,quem audiebãt, cuius miraculis intererant;quomodo postea in eum, quem non vidissent, quem non audiuissent crediturі erant ? Ambulamus non solùm interdiu, verum etiam noctu; sed quanto meliùs,quanto certiùs, quanto securiùs interdiu, quam noctu?Exhortatur ergo eos,vt ambulent,dum dies est,dum lucẽ habent;non quòd postea ambulare nõ possint, sed quòd minùs facilè possint.Hinc intelligitur non vocari hoc loco tenebras peccata,vt Leontius;aut ignorantiam, vt Augustinus & Beda;aut mortem cuiusque, vt Chrysost. & Theophyl. aut errorem,vt Euthymius;aut eas,quæ in scriptura tenebræ exteriores vocari solent,id est damnatorum pœnas,vt Rupertus existimat;sed mortẽ Christi,sicut c.9.4.& 11.9.10.non quòd ipsi vlla nox,aut vllæ essent tenebræ,apud quem, sicut ait Dauid, *tenebræ non obscurabuntur a te,& nox sicut dies illuminabitur:sicut tenebræ eius, ita & lumen eius:* sed quia mors eius veluti nox Iudæis futura erat, sicut eius vita, atque præsentia lumen,ac dies erat. Quod sequitur *Et qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat*, redditio causæ mihi videtur esse, quasi dicat, *Ambulate, dum lucem habetis,vt non vos tenebræ comprehendant:* nam *qui ambulat in tenebris,nescit quo vadat,* καὶ pro γάρ,id est & pro nam,aut etenim,vt suprà ver.32.

36.*Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.*)Perinde est,ac si dicat, dum lucem ante oculos habetis,credite lucem esse,quam videtis; quo enim modo credetis esse lucem, cum non videbitis? Lux oculis iudicatur; qui Solem oculis medio intuens die Solem esse non credit,quomodo noctu eum nõ videẽs Solem esse credet?Explicat, quod dixerat:*ambulate,dum lucem habetis.* Quòd dicit, *vt filij lucis sitis*, Hebraismus est,quo *filij lucis* appellantur,qui participes lucis sũt.vt *filij huius sæculi*,qui hoc sęculo fruũtur, Lucæ 16. 8. Lucem ergo vocat beatam vitam: sensusque est,*credite in lucem*,id est in me, *vt filij lucis sitis*,id est vitam æternam consequamini. Quanquã Chrysostomus,Cyrillus,Theophylactus, & Euthymius putãt etiam seipsum lucem appellare, cùm dicit,*vt filij lucis sitis*: idem enim valere,ac si dicat,vt filij mei sitis. Atque hinc colligunt Filium vnum cũ Patre Deum esse.Cùm enim cap.1.12.dixisset,*Dedit eis potestatem filios Dei fieri,his,qui credunt in nomine eius*, vbi Deum Patrem vocauit,hic de eadem loquens fide ait,*vt filij lucis*, id est mei *sitis*: idem ergo ille cum Patre Deus est.Cæterum ille sensus, quẽ initio tradidi, magis mihi placet. Neque quidquam obstat, quòd nomine lucis in eadem oratione ambiguè vtatur,nunc seipsum, nunc vitam æternam lucem nominans;in ea enim ipsa ambiguitate & vis, & gratia sententiæ est,dum ludit subtiliter in ambiguo.Quod sæpe fieri solere sesius monendo sum : videat qui volet,quæ diximus Matth.8.22.

Hæc locutus est Iesus, & abijt, & abscondit se ab eis.) Tria hic quæri possunt. Cur se Christus à Iudæis hoc loco subduxerit,& absconderit, quemadmodum Chrysost.& Theophylact. quærunt. Quomodo se absconderit,& quo abierit? Ad primam quæstionem Chrysost. Theophylact. & Euthymius respondent non abijsse,seque abscondisse, propterea quòd eum comprehendere tentauerint,aut lapidare,vt c.8. 59. & 10.31. sed quòd eorum cognouerit cogitationes occasionem quærendi comprehendendi, atque occidendi. Quomodo abierit, aut se absconderit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtrum subducendo sensim se, an reddendo sese inuisibilem, vt c.8.59. incertum est: sed hoc probabilius nullum fuisse miraculum, quòd se subduxerit; cùm nec id Euangelista significet, neque fuerit necessarium, cùm Iudæi non tentauerint tunc, quemadmodum ex Chrysosto. diximus, comprehendere. Nisi quis velit Euangelistam sequenti versu, cùm dicit multa fecisse miracula, hoc ipsum miraculum, quod sese subtrahendo fecerit, indicare: quod aliquando mihi placuit, nunc quo minùs alijs placeat, non impedio. Quo abierit nihil dicit Euangelista. Rupertus verò putat non discessisse ab illis loco, sed gratia: id est tanquam gratia sua indignos obdurasse, vt postea videtur Ioannes ex Isaia docere. Adductus in hanc sententiam est, quòd ex alijs tribus cõstet Euangelistis per eos tres dies, qui inter ingressum suum in Ierusalem, & mortem interceserunt, in templo docuisse; idem videntur D. Augustinus, & Beda sentire; scribit enim his verbis August. *Non ab eis qui credere, & diligere cœperant, non ab eis, qui cum ramis palmarum, & laudibus obuiam venerant, sed ab eis, qui videbant, & inuidebant, quia nec videbant, sed in lapidem illum cæcitate offendebant.* Magis probo, quod recentiores quidam auctores tradunt, probabile esse Bethaniam discessisse, testatur enim Lucas capit. 21.37. per eos dies solitum interdiu quidem in templo docere, noctu autem secedere in Montem oliueti, vbi Bethaniam sitam fuisse constat.

Tract. 1.

De quibus signis, & miraculis Christi hic sermo sit.

37. *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.*) Non satis apparet, quorsum hoc dicat Euangelista, cùm nullum ante Christi signum commemorasset. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius in ea sententia sunt, vt existiment Christũ tunc multa fecisse signa: sed ab Euãgelista, vt multa alia, fuisse prætermissa. Credo ego nulla tunc fuisse facta miracula, sed Euãgelistam de miraculis omnibus loqui, quæ spatio trium annorum Christus coram illis fecerat, particulam autem, δὲ, poni pro, γὰρ, id est *autem* pro *enim*, vt in simili loco suprà notauimus c.11.56. & Matt.23.5. & 24.6. Reddit ergo causam Euãgelista, cur illis Christus tãto studio dixerit, *Dum lucem habetis, credite in lucem*, quia nimirum sciebat eos multis etiam visis miraculis, quæ fecisset, nõ credidisse, itaque sub finem vitæ clara voce clamasse, *Dum lucem habetis, credite in lucem*: quasi dicat, satis iam multa, si vultis credere, miracula vidistis, nõ est quod expectetis plura, credite cùm tẽpus est. Quod Græcè dicit τοσαῦτα σημεῖα, ambiguum est, nam & multitudinem, & magnitudinem miraculorum significare potest, aut cùm tot, aut cùm tam magna fecisset signa, sed nõ dubito, quin Euangelista multitudinem potiùs, quàm magnitudinem exprimere voluerit, quemadmodum Græci etiam auctores Chrysostom. Theophylactus, & Euthym. interpretantur. Eodem sensu credendum est reddidisse nostrum interpretem, *tanta*, nomine abusum pro tot, vt Matth.15.33. & suprà cap.8.9. & infra 21.11.

Isai.53.1.

Quomodo non crediderint Iudæi vt prophetia impleretur.

38. *Vt sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro, & brachiũ Domini cui reuelatum est?*) Multo minùs hic mihi difficultatis, quàm multis alijs interpretibus videtur esse. Duplex enim esse potest; altera, quomodo dicat Euangelista Iudæos non credidisse, *vt sermo Isaiæ impleretur*, quasi significans propterea nõ credidisse, vt impleretur, quod ab Isaia prædictum fuerat, ideoque credere non potuisse; altera, quid apud Isaiam *Brachium Domini* significet. Priorem quæstionem facilimè omnes Græci auctores soluunt, Chrysostomus, Cyrillus, Theodorus, Mopsuestiensis, Leontius, Theophylactus, Euthymius, dictionem illam *Ἵνα, vt*, non causam, sed euentum, consequẽtiamque significare; vt innumeris pene iam locis adnotauimus suprà c.9.39. Matth.1.22. & 3.13. & 27.35. Non esse igitur sensum propterea Iudæos non credidisse, quia Isaias dixerat eos nõ credituros (non enim ideo illi crediturinon erant, quia Isaias prædixerat, sed propterea Isaias prædixerat non crediturosquia illi crediturinon erant, sed eos non credidisse, quemadmodum Isaias dixerat; eum non fuisse mentirum, ita prorsus rem accidisse, quemadmodum ille longe ante viderat, atque nuntiauerat, vt Cyrillus ait. Aut si quid præterea significatur, hoc tantùm significatur, ad eò cõuenienter ijs, quæ Isaias tãto ante prædixerat, rem accidisse, vt dicas eos ideo non credidisse, quia Isaias prædixerat non crediturosSed hęc omnia solam conuenientiam euentus, ac prophetiæ declarant: quemadmodum si prædixissem puerum aliquem peruersam eius indolem animaduertens suspẽsum aliquando iri, cùmque postea in furto deprehensus suspẽderetur, dicerem, Nempe ideo suspensus est, ne ego mentirer, vt vulgo loqui consueuimus; non vtique significo propterea eum suspendi, quia ego prædixeram; sed adeo conuenienter opinioni, prædictionique meæ rem accidisse, vt non alia prorsus de causa suspensus esse videatur, quàm ne ego mẽtirer. *Brachium domini* apud Isaiam filium Dei Augustinus, Beda, & Rupertus interpretantur, quòd Filius portẽtia, hoc est brachium Patris sit. Eodem modo Hesychius in Græcorum Catena scribit βραχίων τῦ κυρίυ ὁ χριςὸς, κ' ὡς μέλος, ἀμυχὸς ὄ τὸ ἅγιον, καὶ ἀσχημάτισον, ἀλλὰ ὡς ἰσχύς, καὶ δυνάμεις. Quod in locum Isaiæ aptissimè congruit. Loquebatur enim propheta eo capite, totoque superiore de Christo sua, prophetarumque omnium, id est prædicatorum Euangelicorum persona, queriturque neminem, id est admodum paucos Iudæorum auditui suo, hoc est prædicationi credidisse. Hebraica enim phrasi Septuaginta dixerunt τῷ ἀκοῇ, *auditum* pro prædicatione, quæ auditur שמעה. Alij auditum, & brachiũ idem esse putant; vtrumque enim pro verbo Euangelico poni; nam & Euangelicum auditum, id est verbum, aut sermonem appellari, *Fidelis sermo, inquit* D. Paulus, *& omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere* 1. Tim.1.15. Rom.10.8. & 15.18. & 2. Thessal. 3.14. & manifestum esse brachium pro potentia, & virtute accipi. Euangelium autem virtutem Dei, à D. Paulo vocatum esse Rom.1.16. *Cui ergo brachium Domini reuelatum est?* id est quis intellexit, quis credidit verbũ Euangelicum? Nam prædicatum quidem omnibus fuit, quod vnum genus est reuelationis; intellectum autem, & creditum à paucis est, quod est alterum; quomodo propheta dicit, *Et brachium Domini cui reuelatum est.* Hebraicam igitur esse repetitionem, qua quod primo membro dictum fuerat, in secundo dicitur alijs verbis. Non reijcio interpretationem malis licet auctoribus.

39.40. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorũ, & indurauit cor eorũ.*) Hic verò locus ille est omniũ iudicio difficillimus, sed magna iam à nobis ex parte partim superiore versu, partim alibi explicatus est. Tria sunt verba, quæ difficilè reddunt. Primum, quòd dicit, *Propterea*, quasi indicans ideo non potuisse credere, quia Isaias dixerat non crediturosSecundum, quòd non soluũ dicat non credidisse, sed etiam non potuisse credere, quasi præscientia, & prædictio per prophetã Dei facultatem illis credendi penitus abstulisset. Tertium est illud ipsum, quod propheta dicit, *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.* Prima illa difficultas sublata iã est ex ijs, quæ diximus superiore versu, particulam *ἵνα vt*, non causam, sed euẽtum, & consequentiam significare, idem enim de hac altera particula διὰ τοῦτο, *propterea quia* ijdem docent auctores, Chrysost. Leõtius, Theophylactus, Euthymius, & Theodorus Heracleotes. Nam vt in illo exemplo, quo suprà vtebar, insistã, idem est, ille suspẽsus est, vt ego verus essem vates; atque si dicam, propterea suspensus est, quia ego suspendendum prædixeram: nisi quòd cùm hoc secundum dico, magis videor causam significare. Quanquam, vt superiore versu indicabam, cùm ita loquimur, non qualemcunque euentum, non subitum, non improuisum, non fortuitum, sed adeo ante præmisum, adeo animaduersum, adeo certè prædictũ significamus, vt videatur aliter fieri non potuisse: nec tam cuẽtus esse, quàm necessarius effectus prædictionis nostræ. Itaque causam etiã significare volumus non quidem veram, sed apparẽtem; quasi dicamus ita prorsus euentum prædictioni nostræ respondisse, quasi propterea euenerit, quia nos prædixeramus, quasi nostra prędictio necessaria eius causa fuerit. Atque hæc est & gratia & vis eius locutionis, eodemque hoc sensu solet scriptura eam vsurpare. Quare minimè assentior ijs, qui hęc verba *Propterea quia*, non referunt ad verbum illud, *iterũ dixit Isaias*, sed ad ipsum, quod Isaias dixit, *Excæcauit oculos eorũ, & indurauit cor eorũ*: vt non fit sensus, propterea non potuisse credere, quia Isaias dixerat non esse crediturosed propterea credere non potuisse, quia, vt Isaias dixerat, excæcati erant. His inquã interpretibus non assentior, licet grauem auctorem D. Augustinum sequi videantur. Nam præterquã quòd nihil ea ratione minuitur difficultas, (nec enim minor est quæstio, quomodo propterea non potuerint credere, quia excæcati à Deo erãt, quàm quomodo propterea non potuerint credere, quia Isaias prædixerat non crediturosi) cùm superiore versu Euangelista dixerit propterea non credidisse, vt Isaiæ sermo impleretur. *Quis credidit auditui nostro?* manifestum est hoc etiam loco significare propterea credere non potuisse, quia Isaias prædixerat excæcandos, quasi dicat, propterea non crediderunt, sed potiùs excæcati sunt, quia Isaias excæcandos esse prædixerat.

Vt, & propterea reuocantur ad significandi diuersitatem.

Ad Matth. 13.15.

Ad Ioan. 8.43.

Ad Ioan. 10.26.

Sequitur, vt de verbo illo, *non poterant*, disseramus. Sæpe ex Gregorio Nazianz. orat. 4. de Theologia docuimus aliquando in scriptura non posse idem significare, quod nolle, vt cùm de fratribus Ioseph dicitur, Gen.37.4. *Oderant eum, nec poterant ei quidquã pacifice loqui.* Eodem igitur modo Chrysost. Leontius, Theophylact. & Euthymius hũc locum interpretantur, *non poterant*, id est nolebant. Res quidem ipsa vera est; nec enim dubium, quin propterea non crediderint, quia noluerunt. Nam id etiam August. concedit, qui conuenienter suæ de prædestinatione sententiæ maximè negare posse videbatur. Cæterum aliud est ideo illos nõ credidisse, quia noluerunt, aliud, nõ posse idem esse quod nolle. Illud certum est, hoc verò minimè certum. Quin existimo non posse propriè impotentiam significare, omnéque gratiam perire sententiæ, si idem dicatur esse, quo nolle. Ergòne verè credere non potuerunt? Nequaquam, sed cùm hoc verbo Euangelista vtitur, hoc tantùm significare voluit, eos non magis credidisse, quàm propter Isaiæ prædictionem credere non potuissent. Quod, vt aiunt Theodorus Heracleotes, & Chrysostomus, non tam est dicere eos nõ potuisse credere quàm propheta non potuisse mentiri. Quod vno verbo Theologi dicunt, verè nõ po-

Non potuerunt Iudæi credere, in sensu cõposito.

tuerunt credere *in sensu composito*, id est posita Isaiæ prædictione fore, vt non crederent; absolutè tamen potuisse. Versemur in eodem exemplo; si viderem propter latrocinium suspendi eum, quem ego puerum, eius obseruata indole prædixissem suspendio vitam finiturum, accõmodate ad vulgarem loquendi vsum dicerem, non poterat iste aliter quàm suspensus mori, propterea quòd id ego prædixeram. Quibus verbis nec significo propterea non potuisse aliter mori, quia noluit, (quamuis id quoque verum sit) nec meam prædictionem veram fuisse causam, vt ille aliter non potuerit mori, sed tantùm significo adeo bene me de eius futuris moribus iudicasse, adeo bene rem opinioni, prædictionique meæ respondisse, vt videatur prædictio mea necessaria fuisse causa eius suspẽdij, nec aliter fieri potuisse, quàm vt suspensus moreretur. Atque hæc est vis atque gratia illius verbi, *Non poterant credere*. Quod ad tertiã attinet difficultatem, quæ in ipsis Isaiæ versatur verbis, tria quoque quæri poterãt, quid sit excæcare, & indurare; quomodo Deus excęcet, & induret; quomodo Euãgelista dicat, *excæcauit, & indurauit*, cùm propheta dicat, *excæca, & indura*: sed hæc omnia partim iam à nobis apud Matth. cap. 13. 15. explicata sunt, partim ijs locis, quos illic notauimus, explicabuntur.

Deum excæcare, & indurare homines, quid sit.

Hoc vnum hoc loco dicã, quod ad huius loci intelligentiam maximè pertinet, cùm Deus excæcare, & indurare dicitur, non solùm significari eum permittere, vt homines excæcentur, obdurenturque; non solùm gratiam illis aut non dare, aut datam auferre, vt Augustinus docet, aut, vt putant Græci, nimium dare gratiæ, qua abusi homines cæci, & obstinati fiãt, sed ita homines seipsos excæcare, obdurareque, ita aduersum diuinam pugnare volũtatem, vt Deus ipse suis manibus oculos illi eruisse, eosq; obtudisse, indurasseque videatur, vt neque videre possint, neque intelligere: nõ quòd Deus id faciat, sed quòd tanta eorum cæcitas, tanta durities sit, vt à nemine alio, quàm à Deo fieri videatur potuisse: quẽadmodum vulgo dicimus, cùm videmus aliquem virum alioqui prudentem absurdissimè errantem, Deus illi mentem eripuit; non quòd credamus eripuisse, sed quòd nõ intelligamus, qua ratione homo vel minimè sanus tam absurda posset facere, nisi mentem illi Deus abstulisset. Docet ergo Ioannes propterea Iudæos non credidisse, quia Isaias adeo eos cæcos, adeo duros fore prædixerat, vt Deus ipsos suis quodammodo manibus in hoc ipsum excæcasse, indurasseque videretur, ne aut videre possent, aut intelligere veritatem; more enim prophetico Isaias per præteritum iuxta versionem Septuaginta de rebus futuris loquitur.

41. *Hæc dixit Isaias, quãdo vidit gloriam eius, & locutus est de eo.*) Relatiuum *eius* & *eo* videtur sine antecedente positum esse; itaque solet quæri ad quem referatur. Chrysostomum sanè miror ad Patrem referre, cùm nulla de Patre mentio præcesserit. Multo profectò melius Theodorus Heracleota, Cyrillus in Græca Catena, & libro 7. dial. de Trinit. Hilar. libro 5. de Trinit. Ambrosius libr. 3. de spiritu sancto cap. 23. Hieron. in cap. 6. Isai. Athan. in libro de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Leontius, Nonnus, Augustinus, Beda, Rupertus, Theophylactus, Euthymius ad Christum referunt; de eo enim Euangelistę sermo erat, de eo paulò ante dixerat, *Cùm autẽ tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*: de eo statim ver. 42. dicit, *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum*. Itaque cùm relatiuum *eũ* & proximè præcedẽs, & proximè sequẽs ad Christum referatur, ad eundem & relatiuum *eius*, & *eo*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi diuinitas & vnitas essentiæ in Trinitate probatur. Patres sunt qui ab ipsa re nomen sortiti sunt.

quod in medio illorũ est, referatur necesse est. Vnde diuinitas Christi, imo & vna totius Trinitatis essentia manifestissimo colligitur argumento; nam, vt omnes illi auctores notant (Hilarium excipio, qui Patrem visum fuisse negat) non dubium, quin Deus ille, quem se Isaias vidisse ait, Pater fuerit; nemo enim id neque Iudæus, neque hæreticus negare potest. At Ioannes hoc loco scribit illum ipsum Deum fuisse Filium: D. autem Paulus Act. 28. 25. 26. 27. docet fuisse Spiritum sanctum, *Bene*, inquit, *Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, dicens, Vade ad populum istum, & dic ad eos, Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis & non perspicietis; incrassatum est enim cor populi huius:* Pater ergo & Filius & Spiritus sanctus vnus est Deus, cuius gloriã vidisse dicitur Isaias. Sunt qui hoc ad prophetiã illã referant, de qua Euangelista paulò ante mentionẽ fecerat, *Quis credidit auditui nostro?* Isai. 53. 1. quasi tunc Isaias prophetico spiritu Christi gloriam viderit; sed neque bonos habent auctores, neque boni ipsi auctores sunt. Quorsum hoc Euangelista dixerit, meritò aliquis dubitare potest. Plerique putant ideo dixisse; ne quis obiiceret, quorsum illa ex Isaia de Iudæorum excæcatione, obdurationeque testimonia protulisset; docere enim Isaiam non de sui tantùm temporis Iudæis, sed de ijs quoque, qui Christi tempore futuri erãt, locutum fuisse: etenim Christi quasi iam præsentis vidisse gloriam, atque de eo illo in loco fuisse locutum. Probabile: etsi mihi potiùs hanc ob causam dicere videtur, vt rationem reddat, cur illi non potuerint credere, hoc est cur non potuerit, vt diximus, propheta mẽtiri, quia hoc non quouis dixit tempore, sed tunc cùm maximè Deo plenus erat, cùm diuinam contemplatus esset maiestatem.

42. 43. *Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.*) Veluti correctio hæc est ver. 37. & cæterorum vsque ad 40. quia enim absolutè dixerat Iudæos ne tot quidem visis miraculis credidisse, sed, vt Isaias prædixerat, excæcatos, & induratos magis fuisse, ne quis hoc de omnibus prorsus excepto nemine dictum acciperet, addit nõ adeo incredulos, non adeo cæcos, ac duros omnes fuisse, quin aliqui crediderint, & quidem non ex plebe solùm, quæ propensior semper in eum fuerat, sed etiam ex principibus, quorum ab eo animi magis abhorrebant. Atque hanc vim habet particula illa, *Veruntamen*, vt recte Rupertus animaduertit. Principes vocat, qui aut opibus, aut gratia, & auctoritate apud Iudæos valebant plurimùm; siue sacerdotes aut Pharisæi essent, siue non, qualis Nicodemus fuisse dicitur, cap. 3. 1. Hi ergo ipsi quantumuis auctoritate valerent, tamen Pharisæorum veriti rabiem non audebant se, etiamsi crederent, Christi discipulos profiteri, ne ab illis extra synagogam eiicerentur, quemadmodũ Pharisæi conspirauerant c. 9. 22. Tanta erat Pharisæorum apud Iudæos auctoritas, vt non solum ab ipsorum principibus, verumetiam ab Herode Rege, vt Iosephus tradit, timerentur, eorumque arbitratu, atque consilio Respub. gubernaretur. Colligimus contra nouos hæreticos ex hoc loco posse nos veram habere fidem sine caritate, at proinde non sola fide iustificari. Illi enim principes, qui in Christum credebant veram vtique habebant fidem; alioqui non dixisset Ioannes eos credidisse; tamen caritatem non habebant, nam si habuissent, confessi illum fuissent, nec magis hominum, quàm Dei gloriã dilexissent. Porro his verbis,

Libr. 18. antiq. Iudic. c. 1. & 2. & lib. 17. c. 3.

Vera fides sine caritate habere potest.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei, rationem Ioannes reddit, cur, cùm crederent, non id etiam palam profiterentur. Sed ambigua vtitur ratione; nam genitiui illi, *Dei, & hominum*, qui actiuè, aut passiuè sumi possunt. Si actiuè accipiãtur, sensus erit, eos dilexisse potiùs ab hominibus, quàm à Deo, gloriam habere. Si passiuè, dilexisse homines potiùs quàm Deum glorificare. Cæterum non dubito actiuè accipi debere, quemadmodum omnes boni auctores Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Theodorus Mopsuest. Beda Theophylactus, Euthymius acceperunt. Voluit enim Euãgelista affectum, &, vt ita dicam, passionẽ notare qua impediti principes illi, cùm crederent, non tamen confitebantur. Amare autem aliorum gloriam, id est gloriam illis optare, non est passio, sed virtus; propriam autem apud homines gloriam quærere, ea verò passio, & quidem omnium potentissima est. Hoc ergo hic dicit Euangelista de principibus, quod suprà Christus de Pharisæis dixerat, *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, nõ quæritis?* c. 5. 44. Quam ergo apud homines isti quærebant, quam diuinæ præferrent gloriæ? Diuina ab illis gloria postulabat, vt quod de Christo credebãt, id publicè profiterentur; *corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Huic gloriæ, quã apud Deum non solùm fidei, sed etiam caritatis, & fortitudinis suæ singularem habere poterant, illam, quam apud Pharisæos habebant, prætulere, vt non leues, sed constantes, vt non Christi, sed Mosis discipuli, vt non nouarum rerum, sed patriæ religionis studiosi viderentur. Multos etiamnum ea ratio in errore tenet, quòd inconstantes videri nolint. Atqui cognitum errorem corrigere non inconstantia, sed summa prudentia est. In errore verò, quem noueris, perseuerare duplex est error, aut stultitia potiùs, quàm error est.

44. 45. *Iesus autem clamauit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me sed in eum, qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.*) Videtur Theophylactus existimare Christum hæc verba non dixisse statim post superiora, sed postquam se abscondisset, & per aliquantum latuisset tempus. Verum ipsa connexio indicat eodem tempore, eodem loco dicta esse, vt Chrys. Theodorus Mopsuest. Aug. & Rupertus indicant. Si nõ ob aliud, certè vel ob hoc ipsum, quod Euangelista simul narrat, cùm in contrarium nulla sit ratio. Quia ergo videbat quosdam credere quidem in se, cæterum humano quodam metu, atque pudore non audere id præ se ferre, aufert illis pudoris, atque timoris causam, dicens, qui in se credit, nõ in se, sed in Patrem; id est in verum sine dubio Deũ credere. proinde si non erubescunt, aut timent in Patrem, ac Deum credere, nihil esse causæ, cur in se credere aut erubescant, aut metuant. In hanc sententiam Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Rupertus, Euthymius. Cùm Euangelista dicit eum hoc clamando dixisse, videtur significare nõ id temere, aut casu factum esse, sed aliquam eius clamoris fuisse causam. Theophylactus clamãdo dicendi libertatem putat ostendere voluisse, quamuis illi timeant Pharisæos, ac propterea fidem suam cõfiteri non audeant, sed tamen nihil timere, palam, claraque voce docere, quod verũ est, se Patri æquale esse, itaque qui in se credit, in Patrem credere. Cyrillus verò ideo clamauisse, vt indicaret nolle se occultè, & timidè ab hominibus coli, docens nos exemplo, quid facere, quomodo fidem nostrã profiteri debeamus, non occultè, non timidè, non obscura, sed clara voce, clamando denique nos credere.

Videtur

Videtur etiam mihi, idémque Rupertus indicauit, propterea clamauisse, quia parum illis ad credendum restabat temporis; clamat ne quã possint ignorantiæ excusationem prætexere. Fecit, quod solet in auctione præco facere, cùm parum candelæ restat, validius clamat, si quis quid velit emere, citò emat, parum superesse temporis. Cùm autem dicit, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* non significat, qui credit in se non credere in se, sed non credere in hominem tantùm, qualis ipse illis esse videretur, sed credere in Deum, quemadmodum qui in Patrem crederent, vt Ambrosius lib. 5. de fide, c. 5. Augustinus, & Beda exponunt; loquitur enim vt homo, vt Cyrillus ait. Aut qui credit in se, non solùm in se, sed etiam in Patrem credere, quia ipse, & Pater vnum sint, sicut dixit cap. 7. 16. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Non enim negat esse suam, sed esse solùm suam; ibi eiusmodi locutiones, quæ frequenter occurrunt, explicauimus. Rectè veteres auctores, & quos modò citauimus, & alij, qui contra Arianos disputarunt, ex hoc loco Christi diuinitatem probauerunt. Etenim si qui credit in Filium, credit in Patrem, Filium, & Patrem vnum esse Deum necesse est. Sed mirum quàm versatile sit hæreticorum ingenium. Etiam conabantur Ariani hinc confirmare errorem suum, vt lib. 5. de fide, c. 5. scribit Ambrosius, *Ad extremum*, inquit, *vt Christianos se non esse manifestent, negant in Christum esse credendum, dicentes scriptum esse, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Iam respondimus non negare Christum eum qui in se credit, in se credere, sed significare non tantùm in hominem, sed in verum etiam, & eundem cum Patre Deum credere, vnde sequitur eum non hominem tantùm, sed etiã Deum esse. Subtiliùs obiicere Ariani potuissent non sequi Christum eundem esse cum Patre Deum, propterea quòd qui in eum credit, in Patrem credat. Nam & qui Apostolis credit, Patri credit, tamen non continuò sequitur Apostolos esse Deum, idémque cum Patre; & de illis dicit Christus, *Qui vos spernit, me spernit; qui autem spernit me, spernit eum, qui me misit.* Itaque nihil maius ex hoc loco posse colligi, quàm Christum legatum esse Patris, sicut Apostoli ipsius legati erant; iniuriam enim aut honorem legati in eum, à quo missus sit redundare. Bene, & commodè adnotarunt Theophylactus, & Euthymius non dixisse, qui credit mihi, credit ei, qui misit me; sed *qui credit in me, credit in eum, qui misit me.* Quibus verbis docet in se esse credendum, non autem dicimur in quenquam, nisi in Deum credere. Eius quidem legatis credimus, in ipsos verò non credimus. Præterquam quòd, vt Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theodorus Mopsuest. Cyrillus, Leontius, Theophylactus & Euthymius obseruarunt; propterea addidit, *qui videt me, videt eum, qui misit me*, vt clarioribus verbis omnem tolleret dubitationem. Si enim qui videt Filium, videt & Patrem, eadem profectò vtriusque natura est, vt ex hoc loco, & ex illo huic simili c. 14. 9. argumentantur Athanas. orat. 1. & 2. contra Arian. & ser. 3. & 4. contra eosdem, & Marius Victorinus lib. 4. aduersus Arium.

Aug. ex eo.

Christi diuinitas ex hoc loco probata contra Arianos.

Leon. Euth.

46. *Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.*) Quomodo Christus lux in mundum venerit, c. 1. 5. disseruimus. Hoc autem loco perinde mihi videtur loqui, cùm se lucem in mũdum venisse dicit, ac si diceret, antequam ipse veniret, totum mundum in tenebris fuisse, vt scitissimè D. August. adnotauit, se quasi Solem mundo fuisse ortum, non nisi vnum in mundo Solem esse, non alium, quàm se Saluatorem; iam eum Solem in occasum, id est in mortem inclinatum esse; quisquis velit eo frui, quisquis velit credere, properet antequam occumbat, propterea, vt supra diximus, clamore vsus est, quia prope occasum erat. Verbum illud *lux*, vt Cyrillus notat, eius declarat diuinitatem; proprium enim Dei est lucem esse mundi. Nam etsi Apostolis dictum est, *Vos estis lux mundi*, Matt. 5. 14. vt ait D. August. aliter tamen illi, quàm Christus *lux mundi* vocati sunt. Christus nat ya sua, & vt ait D. Ioannes *lux vera*, illi vera lux ex hac vera luce accensa. vt c. 1. 5. 8. explicauimus. Quod autem ait in mundum venisse, duplicem habet vim. Primùm quidem significat se antequam in mundum veniret, hoc est homo fieret, extitisse; non tunc primùm esse cœpisse, cùm in mundo lucere cœpit; per omnem ante æternitatem fuisse; quemadmodum Sol non tunc esse incipit, cùm nobis exoritur. Erat enim ante, sed non videbatur. Itaq; hinc etiam eius diuinitas comprobatur. Deinde indicat se nõ huius, aut illius gentis, sed totius mundi venisse lucem, id est non vt hanc, aut illam gentem, sed vt *omnem hominem venientem in hunc mundum* illuminaret. Quam vim in nomine mundi sæpe ex Græcis auctoribus obseruauimus, cap. 3. 17. 19. & 4. 42. & 6. 33. 51. & 8. 12. & 9. 5. Ratio postulare videbatur, vt cùm se lucem appellasset, diceret, Vt omnis qui videt me, in tenebris nõ maneat, hoc enim est in tenebris non manere, lucem videre. Sed voluit, quod dicturus erat, explicare aliter dicendo. Hoc nimirum esse lucem videre, in se credere, propterea addidit, *Vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Vbi etiam manendi verbum emphasim illam habet, quam D. Augustinus obseruauit; priusquam ille veniret, omnes in tenebris fuisse, ex quibus nisi in se credendo, hoc est lucem intuendo exire non posse. Hoc enim est manere, & remanere in tenebris, in quibus priùs erant. Quam emphasim obseruauimus in eodem verbo c. 3. 36. & 8. 31. & 9. 41.

Lux diuinitatem declarat.

Apostoli & sancti lux de vera luce Christo accensa.

Sup. c. 1. 9

47. *Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico illum.*) In plerisque Græcis codicibus est, ϗ ἐάν τις μου ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων ϗ μὴ φυλάξῃ, *Et si quis audierit verba mea, & non crediderit*, quemadmodum omnes etiam Græcos interpretes legisse video, sensúsque videtur magis esse consequẽs. Dixerat enim, quid boni consecuturi essent, qui in se credidissent; dicit nunc, quid mali secuturum eos sit, qui credere noluerunt, nempe vt condemnentur. Nostet tamen interpres haud dubiè legit, ϗ μὴ τηρήσῃ, *& non custodierit*, quemadmodum Augustinus, & Latini omnes auctores legunt, & inter Græcos Nonnus poëta, & codices manuscripti nonnulli Græci, vt ille, qui cum Græcorum Catena est, sensus non solùm similis, sed idem etiam prorsus esse potest. Custodire enim, quod audieris, est credere, id est animo recondere, non abiicere, vt Nonnus interpretatur,

Καὶ μὴ ἀνύστοιο νέοι σφετέρῃ φυλάξαι,

Hunc esse sensum ex versu sequenti manifestum est. Quod sequitur, *Ego non iudico illum*, non satis videtur cohærere. Cùm enim docere vellet, quid mali eos, qui in se non crederent, sequeretur, non videtur fuisse dicendum eos à se non iudicari, (hoc enim bonum, nõ malum illis est) sed potiùs iudicari. Vtrumque dicit & eos, qui non credunt, iudicari, hoc est condemnari; & non à se, sed ab ipso sermone suo iudicari. Itaque quod dicit, *Ego non iudico eum*, tantundem valere mihi videtur, ac si diceat, *eum iudicatus est*, quemadmodum dixit c. 3. 18. Quo autem modo dicat se eum non iudicare, & non venisse, vt iudicaret mundum c. 3. 17. docuimus. Hoc autem Cyrillus, Leontius, & Theophylactus idcirco dixisse putant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt doceret se condemnationis eorum, qui in se non crederent causam non esse; nec enim venisse se, vt mundum condemnaret, sed vt saluaret; ipsorum incredulitatem, & culpam condemnationis eorum esse causam.

48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum.*) Docet non deesse iudicem, à quo ij, qui non credunt, condemnentur, quamuis eos ipse non condemnet. Idem & Christum spernere, & eius verba non accipere. Omnis enim, qui eum spernit, eius verba non accipit; & omnis, qui verba eius non accipit, spernit. Verba autem eius nó accipere, est non credere, qui enim credit, accipit, & intimo animo recondit, quod superiore versu dixit, custodire.

Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.) Quia sermo, quem à me audierunt, & credere noluerunt, veluti testis aduersus eos stabit, clamabitque eos æternis supplicijs dignos esse, quòd non crediderint; *si enim non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, ait c. 15. 22. Hæc est vis illorum verborum, *Quem locutus sum*. Videtur hoc Rupertus vidisse. *Quis tandem*, inquit, *ille est iudex? Sermo, quem locutus sum vobis, ille iudicabit eum in nouissimo die. Ille*, inquit, *sermo, quem audierunt, quem verum esse nescire non possunt, vt pote magnificis operum testimonijs comprobatum, ille iudicabit eum, ille arguet, ille conuincet eum. Vbi nam iste talis iudex sedebit? qualis de solio suo voces, aut sententiæ iudicij sui dabit? Prope aderit, intus sedebit, in conscientia cuiusque iustas sententias terribiliter personabit.* Simplicius hoc, sed probabilius, quàm quod scribit melior auctor Augustinus. *Expectantibus autem quibusnam ille esset, secutus adiunxit, sermo, quem ego locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Satis manifestauit seipsum iudicaturum in nouissimo die; seipsum quippe locutus est, seipsum annuntiauit, seipsum tanquam posuit, qua ipse ad omnes pastor intrauit.* Contrarium hoc videtur verbis Christi, qui dicit se non iudicare eum, id est non esse iudicaturum. At hoc non dicit, quòd iudicaturus ipse non sit, sed quòd si ipse non iudicaturus esset, sermo quem locutus fuerat, esset iudicaturus; sicut dixit c. 5. 45. *Nolite putare, quòd ego accusaturus sim vos apud Patrem; est, qui accusat vos, Moyses.*

49. *Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.*) Chrysost. & Euthym. ita hoc interpretantur, quasi particula illa *Quia* non accipiatur causaliter, sed explicatiue, vt frequenter ex Hebræorum idiomate sumi solet. Itaque sensum esse. Hic est sermo meus, qui vos in nouissimo die iudicabit, quòd sæpe vobis dixerim me nihil ex meipso loqui, sed ex Patre, & tamen non credidistis. Multo melius Cyril. & vterq; Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. & Leontius, causam reddi putant, cur sermo Christi eos, qui non credidissent iudicaturus esset, quia nimirū cùm non ex se, sed ex Patre locutus esset, illi non crediderunt. Hic verus est sensus. Nam alius, quem Rupertus indicat, nimis argutus videtur esse. *Inde*, inquit, *sermo, quem locutus sum, fortitudinem habet iudicandi, quia ego à meipso non loquor.* Porro quomodo dicat Christus se ex seipso non loqui, & mandatum à Patre accepisse, quid locuturus, atque dicturus esset, vnde magnam Ariani quæstionem excitabant, vt Ambros. docet lib. 5. de fide cap. 6. suprà disputauimus, cap. 7. 28. & cap. 8. 28. Summa rei; Christum vt hominem loqui, vt Cyrillus Leontius, Chrysostomus & Theophylactus docent; maiorem enim auditorum quàm naturæ, aut dignitatis suæ rationem habuisse. Nam etsi vt Deus loqui poterat, auditores tamen idoneos non fuisse, vt eum tanquam Deum loquentem auditent, ideo demisisse sese, & ad eorum captum sermonem accommodasse. Habet hoc ipsum maiorem vim; perinde enim est ac si ex auditorum opinione argumentetur; Vt purus essem homo, quemadmodum vos existimatis, tamen credere mihi deberetis, cùm non ex meipso, sed ex patre loquar. Ambrosius, Augustinus & Beda, quod & Theophyl. probat, ad diuinam hoc naturam referūt, Filium non ex se, sed ex Patre loqui, quia non ex se sed à Patre est; nec aliud mandatum quid diceret, aut quid loqueretur à Patre accepisse, quàm ipsam naturam. Atque ita olim doctiores interpretari solitos Ambrosius auctor est. Idem est dicere, & loqui, sed explicamit pluribus, vt indicaret nullum prorsus verbum siue in meditata oratione, quod est propriè dicere, siue in familiari, & subito sermone, quod est loqui (si quid discriminis inter ea duo verba esse velis) sibi excidere nisi ex præscripto Patris. Itaque quod ait Rupertus, *Quid nunc dica patienter cōtradicentibus, & quid in futuro iudicio loquar terribiliter, vbi nemo contradicere audebit?* minus probabilitatis habet. Illud opinor dignius obseruatione est, manifesto argumento hoc in loco quorundam Theologorum opinionem refutari, qui existimant Christum non omnia, quæ in hac vita fecit, ex Patris præcepto fecisse. Cùm enim docet nihil se loqui, nisi ex præcepto Patris, significat nihil etiam nisi ex eius præcepto facere ex minore maius intelligens.

50. *Et scio, quia mandatum eius vita æterna est.*) Id est causa vitæ æternæ, si quis illud fecerit. Hunc enim sensum huiusmodi locutiones habere solent, vt, *Gratia Dei vita æterna*, id est causa est vitæ æternæ. Rom. 6. 23. *Dulcedo animæ sanitas ossium*, id est sanitas, & lætitia animi causa est sanitatis corporis vsque ad intima ossa, Prouerbior. 16. 24. Vnde colligimus mandatorum Dei obseruationem causam esse meritoriam vitæ æternæ, nósque operibus etiam iustificari. Vnum enim necessariò ex altero sequitur. At quorsum hoc dicit Christus? voluit, opinor, auditorum exaggerare culpam, quòd non crederent, & inuitare etiam atque etiam vt crederent. Non credidisse sibi non ex seipso, sed ex præscripto Patris loquenti; & loquenti non ea, quæ sibi, aut Patri, sed quæ ipsis maximam afferrent vtilitatem, eósque, si vellent credere, ad vitam æternam ductura essent. Indicauit hoc ipsum Chrysost. Verbum illud, *sic*, emphasim habet, quod dicat non ignarus, quàm salutaria essent, quæ vobis dicebam, vobis dixi; nam & ipsa per se vitam vobis, si crederetis, æternam allatura erant, & id ego sciebam, non imprudens, sed sciens, ac volens vobis benefeci.

Lib. 10 sub finem. Sermoque locutus est Christus iudex in cōscientia incredulorum.

Tract. 54.

Lib. 30. sub finem.

CAPVT XIII.

1. Matt. 26. a. 2. Mar. 14. a. 1. Luc. 22. a. 1.

ANTE diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 2. *Et cœna, cum diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Isca-*

Tribus.

riotæ: 3. *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit:* 4. *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se* 5. *Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* 6. *Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes?* 7. *Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* 8. *Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum.* 9. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos sed & manus, & caput.* 10. *Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.* 11. *Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes.* 12. *Postquàm ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?* 13. *Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim.* 14. *Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes.* 15. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* 16. *Amen, amen dico vobis: Non est seruus maior Domino suo: neque apostolus maior est eo, qui misit illum.* 17. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.* 18. *Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed vt adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.* 19. *Amodo dico vobis, priusquàm fiat: vt cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.* 20. *Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.* 21. *Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia vnus ex vobis tradet me.* 22. *Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.* 23. *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* 24. *Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis est, de quo dicit?* 25. *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est?* 26. *Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.* 27. *Et post buccellam, introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius.* 28. *Hoc autem nemo scuit discumbentium ad quid dixerit ei.* 29. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret.* 30. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox.* 31. *Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo.* 32. *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum.* 33. *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi Iudæis: Quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modo.* 34. *Mandatum nouum do vobis: Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* 35. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* 36. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit Iesus: Quò ego vado, non potes me modo sequi: sequéris autem postea.* 37. *Dixit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.* 38. *Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.*

Sup. 7. c. 34. Leuit. 19. d. 18. Matt. 22. d. 39. Inf. 15. b. 12.

Matt. 26. d. 15. Mar. 14. c. 29. Luc. 22. c. 33.

Ad vtrum autem accommodarit Augustinus hæc verba, vide Christ.

Chrisost. Theophyl.

Ad vtrum autem accommodarit Augustinus hæc verba, vide Christ.

IN CAPVT XIII.

1. *ANTE diem autem festum Paschæ.*) Aggreditur Diuus Ioannes ac narrandam Christi passionem exordio ab vltima eius cœna sumpto, vnde ad mortem discessit. Qua in re de industria videtur, quæ ab alijs Euangelistis dicta erant præterire; ea verò dicere, quæ prætermissa ab alijs erant. Alij vltimam cœnam, institutionémque Eucharistiæ copiosè descripserant, lotionem verò pedum, & concionem illam ad discipulos post cœnam habitam, præterierant. Ioannes contrà lotionem pedum, & concionem narrat, cœnam, & Eucharistiam prætermisit, partim quòd de Eucharistia satis multa dixissent alij, partim quòd & ipse de ea cap. 6. disseruisset. Nos deinceps quæ ab alijs Euangelistis dicta non sunt, à Ioanne verò dicuntur, explanabimus, quæ ab alijs dicta sunt, cùm & à nobis apud illos sint explicata prætermittemus. Notat Ioannes tempus, quo lotio pedum, quam narrare incipit, facta sit, & rationem, qua Christus adductus id fecerit. Quod vtrumque pertineat & ad diligentiam, & ad fidem scribentis historiam. Tempus designat cùm ait, *Ante*

diem

Universidad de Deusto
Biblioteca

diem autem festum Paschæ, id est pridie Paschæ, vt ex alijs constat Euangelistis, qui cœnam illam pridie, quàm Christus pateretur, factam fuisse tradunt, Matthæi 26.17. Marci 14.12. Lucæ 22.7. Cùm autem duplex eo anno fuerit Pascha, alterum Christi, alterum Iudæorum, vt Matthæi 26.2. disputauimus, quærunt nonnulli pridie vtrius Paschæ intelligat Euangelista factam lotionem pedum. Quidam pridie Paschæ Iudæorum interpretantur, quod ab illis die sabbati, post Christi mortem celebratũ est; tum quòd credendum sit Euangelistam populares loquendi consuetudinem vsurpasse, vt lector, quæ dicebat, intelligeret, populum autem Pascha non illud, quod Christus, sed illud, quod ipse celebrauit vocare solitum: tum quòd lotio pedum non ante diem Paschæ Christi, sed intra ipsum Paschæ diem facta est. Inchoabantur enim à Iudæis dies à primo vespere, & in vesperum alterum terminabantur; lotio autem facta est intra primum vesperum, id est inchoato iam Christi Pascha, &, quod idem est, primo die azymorum, vt Matthæus, & Marcus, & Lucas docent, non ergo potuisse pridie eius diei lotionem fieri. Sed nó dubito, quin Ioannes Pascha Christi voluerit significare; de eo enim omnes Euangelistæ loquuntur, atque illud ipsum vulgo Pascha vocabatur, quia verum erat Pascha, quamuis eo anno à Iudæis non tam Pascha ipsum, quod loco suo moueri non poterat, quàm eius celebratio in sequentem diem translata fuerit. Quod qui non intelligit, legat quæ apud Matthæum c. 26. 2. disputauimus. Hoc ita esse ex alijs constat Euangelistis, qui hunc ipsum diem, quo lotio pedum facta est, primum azymorum diem vocant, cùm idem sit primus azymorum dies, & Pascha; & tamen alij Euangelistæ populari, vt opinor, more loquebantur. Vtrumque ergo verum est hanc lotionem, & intra diem Paschæ Christi, & pridie eius factam fuisse. Cùm enim duplex dies sit, naturalis viginti quatuor horarum, qui apud Iudæos ab vno vespere, vsque ad alterum numerabatur; & artificialis, aut vsualis, vt vocant, qui ab ortu solis, vsque ad occasum; lotio intra diem Paschæ Christi naturalem, & ante diem artificialem facta est.

Dies Iudæorum à primo vespere ad alterum.

Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.) Cùm dicit, *sciens* ostẽdit Christum nec ignarum, neque inuitum mortem obijsse, sed cùm sciret, quo tempore, quo loco, & qua ratione moriturus esset, sponte se ad mortem comparasse, vt Cyrillus, & Theodorus Mopsuest. obseruarunt. Nec verò significat tũc sciuisse, id est didicisse, Sciebat enim, vt Chrysostomus, & Theophylact. aiunt, iam inde ab omni æternitate, sed sciuisse semper illud esse moriendi tempus à Patre cõstitutum, quod tunc videbat appropinquare. Videtur etiam mihi tacita esse antithesis ad superiora tempora, quod & Rupertus animaduertit. Sæpe Euangelista narrauerat, cùm Iudæi vellent in Christum manus iniicere, eum refugisse, *quia nondum venerat hora eius*, vt cap. 7.30. & 8.20. nunc è contrario dicit eum non modò non refugisse, sed etiam antequam Iudæi ad comprehendendum venissent eum, ipsum se sponte sua ad mortem præparasse. Cùm autem dicit, *Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*, indicat sciuisse eum non ita se moriturum, quemadmodum homines cæteri mori solent, vt vsque ad vltimum iudicij diem non esset resurrecturus; sed ita potiùs, vt eius mors transitus potiùs ex hoc mũdo ad Patrem esse videretur, quòd paulò post resurrecturus esset. Quanquam nõ mortem ipsam, sed mortem simul, & ascensionem in cælum transitum mihi videtur appellare. Per mortem enim solam, si post resurrectionem in cælum non ascendisset, non diceretur ad Patrem transisse. Illud etiam mihi videor animaduertere inter mundum, & Patrem antithesim quandam significari; perinde ac si diceret, vt ex loco miseriæ, & laboris, ad locum requietis, atque fœlicitatis transiret, vt causam simul tacitè reddat, quare mortem minimè recusauerit. Quis enim transitum à miseria ad felicitatem recusaret? Id nobis exemplum esse potest. *Spes*, inquit Augustinus, *membris in capite data est, quod essent illo transeunte sine dubio secutura. Quid ergo infideles, & ab hoc capite, atque ab eius corpore alieni? Nunne & ipsi transeunt, quia non permanent? Transeunt plane & ipsi, sed aliud est transire de mundo, aliud est transire cum mundo: aliud ad Patrem, aliud ad hostem. Nam & Aegyptij transierunt; non enim persequendo manserunt: non tamen transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum.*

Christus mors tránsitus fuit.

Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.) *Suos*, hoc est *τοὺς ἰδίους* Apostolos appellare nemini dubium esse potest, & ex sequenti historia perspicuum est. *Suos* quippe vocat eos, quibus continuò pedes lauit; lauit autem solis Apostolis; solos igitur Apostolos *suos*, id est domesticos, ac familiares eius vocat. Multis enim modis Christus suos vocare solet, vt Theophylactus, & Euthymius adnotarunt, aut quia creati ab eo sunt; quemadmodum omnes homines suos appellauit cap. 1.11. *In propria venit, & sui eum non receperunt*; aut quia ab eo electi, ac prædestinati, vt 2. Tim. 2.19. *Cognouit Dominus, qui sunt eius*: aut quia domestici eius sunt, quamuis prædestinati non sint. Nam Iudas quidem prædestinatus nõ erat, tamen inter suos hoc loco connumeratur, quia & illi inter cæteros pedes lauit. Itaque Cyrilli interpretationem non probo, qui hoc ad omnes homines, neque Ruperti, qui ad omnes electos refert. Maior quæstio, quare addiderit, *Qui erant in mundo*. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius putant ad differentiam Patriarcharum, & aliorum sanctorum hoc dictum esse, qui cùm domestici quoque fuissent Dei, in hoc mundo iam non erant. Ac quid ea distinctione opus erat? Magis etiam videtur alienum, quod Græcus Cyrillus ait ad distinctionem angelorum hoc esse additum, qui cùm Christi familiares, & creaturæ essent, tamen non erant in hoc mundo. Quis enim dubitare poterat non agi de angelis, cùm de lauandis pedibus ageretur? Quem ego verum sensum esse arbitror, eum apud nullum auctorem grauem inuenio. Mundum hic emphatice sumi puto pro loco pericolorum, & miseriarum pleno, vt cùm dixit paulò ante, *vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Significat igitur Euangelista tacitè causam, cur suos Christus hoc potissimùm in tempore dilexerit, quia eos nimirum in hoc mundo, id est inter media pericula relicturus esset; itaque miseratione quadam motus maiorem erga illos, quàm vnquam antea amorem ostendit. Quare illud simul indicat Euangelista magis Apostolis, quàm sibi consolatione opus esse. Se è miseria ad felicitatem transire; illos in medijs miserijs, & periculis remanere. At quid est *In finem dilexit eos?* Augustinus, & Beda, duas adhibent interpretationes. Altera est, vt finis Christum significet, quia *Christus*, vt ait Apostolus, *finis legis* est; dilexisse igitur *in finem*, id est propter se, aut suam illis gloriam impertiendo. Altera, dilexisse *in finem* id est vsque ad mortem, id est ita vt pro illis moreretur, vt Rupertus etiam exponit. Alij quidam interpretantur *in finem*, id est, vsque ad finem vitæ suæ. Alij, maximè dilexit sub finem vitæ. Ego Chrysostomi, Leontij, Theophylacti & Euthymij

interpre-

interpretationem probo, qui *τὸ τέλος finem*, pro perfectione, hoc est *ἀντὶ τῆς τελειώσεως* poni putant, sensumque esse, cùm semper Christus suos dilexisset, ad Patrem tamen discessurus multo maiorem erga illos amorem ostendit, lauit enim eorum pedes, quod antea nunquam fecerat. Reddit enim causam Euangelista, quam ob rem discipulorum pedes lauerit, cùm nunquam ante lauisset, nimirum vt discedens ex mundo maiorem erga illos amorem ostenderet. Quapropter Cyrilli, & Ruperti opinionem minimè probo, qui totam hanc sententiam à lotione pedum ita disiungunt, vt ad eam nullo modo putent pertinere.

Et cœna facta.) Magna hîc inter interpretes concertatio est, quam cœnam Euangelista factam intelligat? Quidam, in quibus grauis etiam auctor Cyprianus, cœnæ nomine quidquid in ea cœna factum est, etiam Eucharistiæ institutionem intelligentes, & factam, id est finitam interpretantes existimant Christum post traditam discipulis Eucharistiam eorum lauisse pedes. In quorum sententia tria nõ probo; Quòd Eucharistiam cœnam vocari putãt, quem Caluinistarum errorem apud Matthæum refutauimus. Deinde quòd post Eucharistiam pedes discipulorum Christum lauisse dicant. Quod ex eodem hoc Euangelistæ facillimè refellitur. Scribit enim versu 12. post lotionem pedum iterum recubuisse, nõdum ergo finierat, quidquid in cœna illa facturus erat. Quod autem in ea cœna vltimum fecit, hoc fuit, vt corpus, & sanguinem suum discipulis traderet, vt ex Luca c. 22. 20. & D. Paulo 1. Cor. 11. 25. perspicuum est, ergo postquam pedes lauit, Eucharistiam dedit. Deinde postquam pedes lauit dixit, *Vnus ex vobis me traditurus est*, vt constat ex ver. 21. at hoc dixit antequam Eucharistiam discipulis daret, & tota cœnæ actio finita esset, vt ex alijs tribus Euangelistis compertum est; non igitur post, sed ante quàm Eucharistiam discipulis daret, eorum pedes lauit. Tertius error est, quòd causam lotionis pedum nõ intelligant. Etenim propterea pedes Christus discipulorum lauit, vt externo illo doceret symbolo non debere homines impuros, atque illotos ad sumendam sacrosanctam, ac diuinam Eucharistiam accedere; quod, si post datam fecisset Eucharistiam, docere nõ potuisset. Alij contrà cœnam pro esu agni accipientes, & factam, hoc est paratam intelligentes, Christum ante esum etiam agni pedes Apostolorum lauisse putant. More enim Orientalium gẽrium Christum vltimum hoc cum discipulis conuiuium celebrasse. Solitos conuiuas in magnis, splendidisque conuiuijs lotis priùs pedibus ad cœnã accedere, quod ex nonnullis quoque profanis, ac peruetustis discimus auctoribus. Credo ego ne in mentem quidem venisse Christo, vt ea de causa lauaret pedes. Et tota hæc sententia cum verbis pugnat Euangelistæ, qui versu 4. Christum, vt discipulorum lauaret pedes, à cœna dicit surrexisse; iam ergo aut finierat cœnam, aut certè cœnare cœperat, & versu 12. scribit, postquam pedes lauit, iterum recubuisse, ergo antequam lauaret, iam accubuerat. Alij inchoatam quidem, sed non finitam cœnam interpretantur, cœnam autem esum agni vocari. Quæ Augustini, Bedæ, & Ruperti videtur esse sententia. Sed ea ipsa, quamuis & per seipsa, & auctoribus probabilior, tamen vno Euangelistæ verbo refutatur. Constat enim Iudæos stantes, & calceatis pedibus solitos agnum edere, quem ritum seruasse Christum credẽdum est. Euangelista autem dicit eum à cœna surrexisse, non ergo surrexit ab esu agni. Alij aliam communem cœnam fuisse putant, quæ post esum agni apposita fuerit, qua inchoata nondum autem finita Christus surrexerit, ac pedes discipulorum lauerit, post ad eam absoluendam recubuerit. Itaque quod noster vertit interpres *cœna facta*, ipsi reddunt, cùm cœna fieret, id est inter cœnandum. Neque hanc sententiam probare possum. Primùm quia, vt verba ipsa Euãgelistæ, eorũmque versionem expendamus, non dicit Euangelista *δείπνου γινομένου*, cùm cœna fieret; sed *δείπνου γενομένου*, cùm cœna iam facta esset, quemadmodũ Græci omnes codices, & impressi, & manuscripti, quos legerim, habent. Quamuis Nonnus poeta *γινομένοιο*, vertat, ideo, vt opinor, quia metri ratio non patiebatur, vt diceret *γενομένοιο*. Deinde quæ ratio erat, vt Christus inchoata, & nondum finita cœna ad lauandos pedes surgeret? Denique si rationem consideremus, quamobrem Christus discipulorũ lauit pedes, quam paulò post sumus explicaturi, intelligemus non ante finitam omnino cœnam commodè lauare omnino potuisse. Res ergo, vt ego quidem sentio, ita se habet. Tres cœnas Christus, vt nonnulli auctores obseruauerunt, illa nocte fecit. Prima fuit legalis illa Paschalis agni. Ante ea inchoata, nondum autem finita; aut cõtinuò ea peracta antequam alia inchoaretur. Christum non lauisse pedes modò probauimus; quia eam cœnam stantem sumere oportebat, & Euangelista dicit eum surrexisse. Secunda fuit communis, quæ finita iam Paschali cœna, quæ non tam exsatiandæ, nutriendæque naturæ, quàm seruandæ legalis ceremoniæ causa sumebatur, apponi solebat, vt qui agnum ederent, si largiore ad saturitatem indigerent cibo, vsitatis cibis saturarentur. Ante hanc, aut inter hanc Christum non lauisse pedes modò etiam à nobis probatum est. Tertia fuit Eucharistia, quam nemo tamẽ aut Euangelistarum, aut Apostolorum cœnam vocat. Finita igitur secunda cœna, antequam tertiam, id est Eucharistiam inciperet Christus, surrexit, & Apostolorum pedes lauit. Hæc sententia si non alia ratione, sola tamen aliarum opinionũ refutatione probari posset. Cùm enim plures interpretationes, vt apparet, esse non possint, & cæterarum, vt probauimus, nulla vera sit, hanc veram esse necesse est. Deinde hæc sola, quæ secũdo fiebat loco vsitato loquendi more cœna vocabatur. Nam prima non cœna, sed *Phase*, aut *Pascha* vocabatur: tertia autem nunquam cœna nisi à nouis hæreticis vocata est. Itaque ipsa verbi proprietas docet finita secunda illa, quam diximus, cœna surrexisse Christum, eúmque discipulorum lauisse pedes, iterum, vt Eucharistiam illis traderet, recubuisse. Præterea cùm hac pedum lotione, vt paulò post dicturi sumus, docere Christus voluerit oportere eos, qui ad sumendam Eucharistiam accederent, esse mundos, credendum post omnem aliam cœnam, & ante Eucharistiæ traditionem eam adhibuisse, ne quid aliud videri posset significare. Hac denique ratione omnia, quæ omnes dicunt Euangelistæ, bene constant. Nam quòd quidam obiiciunt Ioannem in hoc capite ita post lotionem pedum sermonem illum, quem ex alijs Euangelistis constat post datam Eucharistiam à Christo habitum esse, ita continuare, vt lotio ipsa pedum similiter post Eucharistiam facta esse videatur, leue admodum est. Primùm quia post lotionem pedum, antequam sermonem illum inserat ponit ea, quæ à Christo, antequam Eucharistiam traderet, dicta constat. Quale illud est, *Vnus ex vobis tradet me*. Quemadmodum ergo non sequitur ea verba dicta ab eo esse ante lotionem pedum; ita non sequitur ante lotionem pedum Eucharistiam datam fuisse.

Cum Diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Si-

monis

Universidad de Deusto
Biblioteca

monis Iscarioten.) Quærendum hîc primo loco est quorsum hoc addiderit Euangelista. Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus in hunc modum interpretantur; quamuis Diabolus iam immisisset in cor Iudæ, vt eum traderet, idque ille sciret tamen non propterea desijt discipulorum, ac inter eos etiam Iudæ lauare pedes. Itaq; ad commendandam Christi patientiam, clementiámq; hoc Euangelistam adiecisse. Hoc ipsum indicat Augustinus, sensúsque bene loco hæret. Quanquam mihi illud etiam videtur his verbis significari, proximum fuisse passionis tempus, ideóque Christum exemplum illud singularis humilitatis ex hoc mundo ad Patrem discessurum discipulis relinquere voluisse, sicut ante dixit, *sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Itaque etiamnum causam reddit, quare hoc potissimùm tempore pedes discipulorum lauerit. Tribuit enim primis versibus tres rationes afferuntur, quæ omnes à versu 4. pendent. Diabolum hanc cogitationem in cor Iudæ dicit immisisse, non quòd non alias quoque malas cogitationes immittat: sed quòd tam nefaria, & execrabilis fuerit cogitatio, vt non ab alio, quàm à Diabolo profecta videri possit. Neminem tam sceleratum, ac flagitiosum esse mortalium, vt tantum facinus nisi auctore Diabolo in animum inducere potuisset. Propterea etiam, vt opinor, Euangelista Diabolum eius sceleris auctorem fecit, cùm simpliciter dicere potuisset, cùm cogitasset Iudas eum tradere, vt magis eius magnitudinem exaggeraret. Contrario prorsus, id est diabolico spiritu Lutherani, ac Caluiniani Deum peccati, & quidem huius ipsius Iudæ auctorem faciunt; quorum magistrum primum Lutherum dicere non puduit non minùs proditionem Iudæ, quàm conuersionem Pauli opus fuisse Dei.

Lutherani, & Caluinians quo spiritu ducantur.

3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.*) Et hîc quærendum quorsum hæc ratio pertineat. Rationem enim esse lotionis pedum modò docuimus. Chrysostomus, & Theophylactus indicant hunc esse sensum, cùm sciret Iesus omnia sibi à patre suo tradita esse, atque commissa, quæ ad salutem hominum pertinere illi viderentur, vt omnia perficeret; voluit etiam discipulorum lauare pedes, quod cùm singularis esset humilitatis exemplum, magnopere ad eorum salutem, eruditionémq; pertinere indicauit. Rectè quidem hactenus, sed quomodo cum hac interpretatione illuc conueniet, *Et quia a Deo exiuit, & ad Patrem vadit?* Itaque meliorem aliam interpretationem ipse dico, quam ijdem auctores duo, tum etiam Cyrillus, & Theodori duo Heracleotes, & Mopsuestiens. adhibent. Cùm talis ac tantus esset, vt omnia illi in manus à Patre tradita essent, cùm paulò post ad Patrem iturus esset, & ad eius consessurus dexteram, eo se tamen demiserit, vt discipulorum suorum pedes lauerit. Atque eodem modo D. Augustinus intelligit. & Gregor. lib. 3. moral. c. 12. & Beda. Probabilis interpretatio; hoc tamen in ea desidero, vt ratio reddatur lotionis pedum, quam persuasum mihi habeo Euangelistam reddere voluisse, & hac ratione non redditur. Itaque etsi auctorem non habeo, hanc tamen secutus rationem aliter interpretari audeo: vt his etiam verbis, quemadmodum duobus versibus superioribus, significetur scisuisse Christum tempus passionis suæ proximum esse, ideóque pedes lauisse discipulorum, vt & insigne humilitatis exemplum discessurus relinqueret; & præcipuum quendam erga illos amorem ostenderet. Hoc autem significat dicens sciuisse eum omnia sibi à Patre tradita esse, id est iam sibi licere ex Patris præscripto perficere omnia, quæ sibi commisisset, ante non licuisse sibi moti, quia tempus à Patre constitutum nondum aduenerat, iam venisse tempus, quo omnia sibi concessisset, omnia sibi liceret agere, quæ ad hominum redemptionem pertinerent. Hoc etiam est, *Et quia ad Patrem vadit*, ad est cùm sciret tempus venisse, vt ex hoc mundo discederet, & ad Patrem iret, vt versu 1. dixerat. Bene quidem hoc, at illud, *Quia a Deo exiuit*, quomodo conueniet? Perinde est ac si diceret, sciens tempus esse, vt ad Patrem, vnde exierat, rediret; aut sciens venisse tempus, vt quemadmodum à Patre exierat, ita ad Patrem reuerteretur. Quo autem modo intelligendum sit omnia Filio à Patre tradita esse, apud Lucam cap. 10. 22. & apud Matthæum c. 11. 27. exposuimus. Occurrunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius Arianorum obiectioni, Non posse hinc colligi Filium minorem esse Patre, quòd illi Pater omnia tradiderit, nam & Filium è contrario regnum Patri traditurum, vt ait D. Paulus 1. Cor. 15. 24. & tamen nõ ideo sequi Patrem minorem esse Filio. Facilius dictu erat Christum hîc vt hominem loqui.

Interpretatio auctoris.

4. *Surgit a cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum præcinxit se.*) Singulare Christi exemplum singulari quoque diligentia Euangelista describit. Itaque non contentus dicere discipulorum suorum pedes lauisse, quæ summa erat historiæ, partes singulas & ante factum ipsum, & in facto, & post factum enarrat, quomodo è mensa surrexit, quomodo se ad lotionem pedum compararit. Volunt vt opinor, & Christi commendare sedulitatem, qui non perfunctoriè & negligenter; sed tanto studio seruile illud exercuerit ministeriũ, vt nihil vnquam aliud per totam vitam egisse videretur, nullam eius partem, nullam prætermisisse seruilem ceremoniam, & nos præterea repræsentato Christi facto docere, vt partem quoque in eo imitando diligentiam adhiberemus. Quomodo intelligendum, quod dicit à cœna surrexisse ver. 2. declarauimus. Hæc autem prima fuit pars admirabilis caritatis Christi, quòd non quouis tempore, non quouis loco pedes lauerit, sed ad mensam cùm esset, cuius munditiæ, atque lautitijs nihil magis videtur repugnare, quàm quibus manibus cibos sumpturus sis, ijs aliorum tractare pedes. *Quid autẽ mirum*, inquid Augustinus, *si surrexit à cœna, & posuit vestimenta sua, qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit?* Vestimenta sua posuisse dicit, non omnia; nec enim nudus mansit, quemadmodum Origenes putat, qui ideo se linteo præcinxisse ait, ne omnino nudus esset, sed superiorem vestem retenta nimirum tunica illa inconsutili, de qua cap. 19. 23. idem Euangelista mentionem facit. Id proprie Græca verba significant *τὰ ἱμάτια*. Quam enim Romani togam, aut pallium, id est summam vestem, Græci, vt ex Plutarcho discimus *τὸ ἱμάτιον* appellabant. Mouere tamen lectorem potest, quòd Euangelista plurali dixerit numero *τὰ ἱμάτια*, cùm credibile nõ sit Christum plures vna togas habuisse. Quot vestes Christus habuerit apud Matthæum cap. 27. 35. disputauimus. Quòd autem ad hunc pertinet locum, pluralem numerum pro singulari positum esse arbitror, quod cùm alias, tum in hac potissimùm re frequentissimè facimus. Nam & Hispani, & Itali, & Galli vestimenta sua vocãt, etiam si vnum tantùm habeant genus vestis. Ideo autem Christus summam posuit vestem, vt & ad præstandum seruile ministerium magis expeditus esset, non impediente superiore, atque laxiore veste; & vt non solum seruilem rem, sed seruili etiam, vt modò dicebamus, more faceret; vnicam serui gestabãt vestem.

eámque

eámque minùs longam, minùs laxam, quo ad ministrãdum habiliores essent. Id etiam Christus imitari voluit, vt verum omnino esset, quòd postea dixit D. Paulus, eum serui formam accepisse. Eodem pertinet, quòd addit Euangelista Christum se linteo præcinxisse. Quod non solùm ideo fecisse putãdum est, vt lotos discipulorum pedes tergeret, aut ne tunicam inter lauandum sordidaret, aut se nimium grauaret, vt Nicephorus putat libro 1. cap. 28. sed etiam vt seruilem etiam habitum imitaretur. Solebãt serui linteo, aut licio præcincti ministrare, quemadmodum nunc in Hispania, Gallia, & Germania ancillæ, in Italicis xenodochijs viri etiam faciunt. Auctor Gellius libro 12. cap. 3. vnde lictores ex Tullio liberto dictos putat.

Philipp. 2. 7.

5. *Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Hoc etiã putauit Euangelista, & ad rem ipsam, & ad exẽplum pertinere, quòd Christus ipse sine cuiusquam alterius ministerio aquam miserit in peluim: quemadmodum Chrys. Theophylact. & Euthym. adnotarunt, vt nos doceret, inquit Theophylact. sedulò, ac gnauiter ministrare, nullis alijs, qui nobis subministrent, ministris vtentes. Notat Euthymius plus etiam videri Christum in hac re fecisse, quam dicat Euangelista, credibile enim esse & pelum a domino domus petiuisse, & aquam quæsiuisse, atq; portasse. *Hæc erat aqua*, inquit Ambrosius in prologo lib. 1. de Spiritu sancto, *vas illle cælestis: hoc præparabatur, quod rege illo cælesti discipulorum suorum Dominus Iesus pedes lauaret. Quid mirum*, inquit Augustinus, *si misit aquam in peluim, vnde lauaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid mirum si linteo quo erat præcinctus, pedes, quos lauerat, tersit, qui carne, qua erat indutus, Euangelistarum veritia confirmauit?* Curiosi lectoris est quærere vnde Christus, aut à quo discipulo lauãdi fecerit initium, nonnulli tamen vulgo quærunt, & aut satianda, aut reprimenda curiositas est. Origenes tomo in Ioannem 32. Chrysostomus, Theophylact. Euthymius, & Leontius existimãt ab Iuda cœpisse, & vt de proditore suo bene meretur, eumque beneficio quodã obligaret singulari, nobisque præberet exemplum, vt eodem modo nos erga inimicos nostros gereremus; & vt illum, si qua ratione posset, ad pœnitentiam commoueret; vel quia ipse se primus Iudas impudenter lauandum obtulit, vt Leontius ait. Quanquam id parum videtur vero simile. Addunt Origenes, & Leontius vltimo loco lauisse Petrum: in eoque imitatum fuisse Christum peritos medicos, qui cùm multos habent ægrotos, ab ijs incipiunt, qui omnium grauissimè laborant. Id quoque videntur Euangelistæ verba præ se ferre, qui cùm priùs dixisset cœpisse lauare discipulorum pedes, postea addit, *Venit ergo ad Simonẽ Petrum*, quasi ab alijs lauare cœpisset, & ad extremum ad Petrum lauãdo peruenisset. Augustinus, Beda, & Rupertus, & fere Latini omnes contrà à Petro cœpisse, primùm quòd dubiũ non sit solitum fuisse Christum omnibus in rebus primas Petro tanquam cæterorum Apostolorum principi partes dare. Deinde quòd non sit credibile ceteros Apostolos non recusasse, vt sibi Christus lauaret pedes, si eos priùs, quàm Petrũ lauare voluisset. Loto autem iam Petro post longam recusationem, doctóque à Christo non habiturum cum ipso partem, nisi sineret sibi lauari pedes, non mirum si passi alij fuerint idem sibi fieri. Quod ergo ait Euãgelista, *cœpit lauare pedes discipulorum*, non ita intelligẽdum, quasi priùs aliorum pedes lauerit, deinde lauando ad Petrum peruenerit: sed priùs generaliter

Matth. 26. & Ioan. 13.

Ioan. 13.

6 *Veni ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus, Domine tu mihi lauas pedes?*) Id est, tu mihi vis lauare pedes? Non enim lauare cœperat, cùm Petrus hoc diceret; sed, vt alibi notauimus, solent aliquãdo verba in diuinis litteris non effectum, sed affectum declarare. Duo illa pronomina *tu*, & *mihi*, emphatica sunt, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius indicarunt, *Tu* qui filius es Dei, *Mihi* homini & conditione abiectissimo, & moribus peccatori; & ijs manibus, quibus oculos cæci aperuisti, quibus tot fecisti miracula? vt Chrysostomus, & Theophylactus dicunt. *Tu mihi* inquit Augustinus, *quid est tu? quid est mihi? Cogitanda sunt potius, quam dicenda: ne forte quod ex ijs verbis aliquatenus dignum concepit anima, non explicet lingua.* Prohibet Petrus Christum sibi pedes lauare non alienatione, sed reuerentia, vt Theodorus Heracleotes, & Cyrillus monent, & quia non intelligebat Christi consilium, quidque ea re vellet significare, vt inquit Leontius; eadem ratione Ioannem recusasse legimus eum baptizare. *Ego*, inquit, *a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Matth. 3. 14.

In cap. 9. Matt. ver. 6. Verba nũquam non effectum (sed affectum) declarãt.

7. *Respondit Iesus, & dixit ei, Quod ego facio tu nescis modo, scies autẽ postea.*) Duo Christus indicat his verbis, Petrum tunc non intellexisse, qua adductus ratione eius, aliorumque discipulorum pedes lauare vellet; & si intellexisset, non fuisse recusaturum: & aliquid in hac lotione præter id, quod appareret, esse mysterij, quod postea sit Petrus suo tempore cogniturus. Itaque duo etiam hic quæri possunt, quid consilij Christo fuerit, vt discipulorum lauaret pedes; & quando id Petrus postea cognouerit. Illud certum, non vt sordes pedum mundaret, eos lauare voluisse; quid enim referebat pedes habere sordidos, cùm ipse docuisset ne manuum quidem, aut oris sordes quidquam obesse posse? *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit exore, hoc coinquinat hominẽ. De corde enim exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia. Hæc sunt quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.* Pedes discipulorum lauisse, vt humilitatis exemplũ discipulis traderet, Christus ipse declarat ver. 13. 14. idque omnes auctores docent. Sed non fuisse eam præcipuam causam planè mihi persuadeo. Nam & Euangelista, vt modo dicemus, alias indicauit causas, quæ maioris videntur esse momenti. Quin hæc ipsa nulla fortasse fuit causa, vt rem faceret tam insitatam; sed id ex lotione alijs de causis facta consecutum est, vt discipulis esset exemplo. Nec enim Christus ideo se fecisse dicit, vt discipulis exemplum præberet; sed cùm fecisset, exhortatus eos est, vt idem facerent. Alteram causam versu 1. 2. & 3. Euangelista posuit, quòd cùm videret Christus instare tempus, quo discipulos suos in medijs periculis relicturus esset, singularem erga eos amorem, ac prouidentiã voluerit declarare. Sed illa Christi verba, *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, indicãt aliquid profecto mysterij præter eas omnes causas in hac fuisse lotione, vt rectè Bernardus in ser. de cœna Domini argumentatur. Id quod sit quæritur; Origenes,

Cur discipulorum lauerit pedes Christus. Matt. 15. 19. 20.

Quid mysterij fuerit in lotione pedum figuratum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hieronym.in epist.ad Damas.de prima visione Isai. Theodorus Heracleotes,& Niceph.lib.1.hist.Eccl. c.28. scribunt voluisse Christũ discipulorũ pedes in prædicationem Euãgelij præparare, vt verum esset, *quam speciosi pedes euangelizantium pacẽ, euangelizantiũ bona.* Ambr.in prologo lib.de Spiritu sancto ait symbolum fuisse spiritualis allius aquæ, quæ misso Spiritu sancto in Apostolos erat effundẽda,vt copiosiùs perfunderentur.cum mundi vtique iam essent.Idem Ambr.in lib.de ijs,qui mysterijs initiantur.c.6.videtur docere,sacramentum esse aliquod,quo postquã actualia,vt vocant, peccata per baptismum remissa nobis sunt, originale, quod adhuc in nobis remaneat,remittatur,atque hoc esse,*Qui lotus est,nõ indiget,nisi vt pedes lauet. Mundus*, inquit, *erat Petrus,sed plantam lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum.quando eum supplantauit serpens, & persuasit errorem.Ideo plantea eius abluitur,vt hereditaria peccata tollantur.Nostra enim propria per baptismũ relaxãtur.*Sed quia hoc cum Theologia, & Ecclesiæ doctrina non conuenit,& cauto lectore, & benevolo indiget interprete.Non significat, opinor,prius per baptismũ nostra,deinde per aliquod aliud sacramẽtum originale tolli peccatũ; sed originale aut hæreditarium,quod idẽ est,peccatũ appellat,quẽ fomitẽ Theologi vocãt, nõ quòd peccatũ,sed quòd & effectus,& causa peccati sit,sicut D.Paulus cõcupiscentiam naturalem peccatũ vocare solet, nec eũ ipsum tolli dicit,propterea quòd propriè tollatur,sed propterea quòd per sacramentũ Confirmationis, quod per hãc pedum ablutionem significari putat, robur nobis detur,vt illi resistamus. Nec eam ablutionem pedum,quam post baptismum docet fieri solere,sacramentum vocat,quòd verum crederet esse sacramentum, sed quòd aliquid mysticè significet. Nam &Bernardus in sermone de cœna Domini sacramẽtum appellat, & tamen non ignorabat non esse sacramentum.Hoc ergo sibi voluit Ambrosius, ablutionem pedum, non esse quidem sacramentum, sed per eam sacramẽtum Cõfirmationis designari, qua contra reliquias peccati originalis id est contra peruersas naturæ propensiones fortiores efficimur. Id ex alio simili eius testimonio lib.3.de sacramentis,c.1.colligitur. *Qui lauit*, inquit, *non necesse habet iterum lauare,nisi vt solos pedes lauet. Quare hoc? quia in baptismate omnis culpa diluitur.Recedit ergo culpa,sed quia Adam supplantatus à Diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes,ideo lauas pedes,vt in ea parte,in qua insidiatus est serpens,maius subsidium sanctificationis accedat,quo postea te supplantare non possit.* Augustinus hoc loco, Beda, & Bernardus in ser.de cœna Domini putant per hanc pedum ablutionem remissionem venialiũ peccatorum designari.*Quid sibi vult*, inquit Augustinus, *quid hic necessarium est,vt quæramus? Dominus dicit,veritas loquitur,quod opus habeat pedes lauare etiam ille, qui lotus est. Quid fratres mei, quid putatis: nisi quia homo in sancto quidem baptismo totus abluitur,non prater pedes.sed totus omnino?verunt amen cum in rebus humanis postea vinitur,vtique terra calcatur:ipsi igitur humani affectus,sine quibus in hac mortalitate non viuitur, quasi pedes sunt,vbi ex humanis rebus afficimur: & sic afficimur, vt si dixerimus,quia peccatũ nõ habemus,nos ipsos decipiamus,& veritas in nobis non sit. Quotidie igitur pedes lauat nobis,qui interpellat pro nobis.& quotidie nos opus habere,vt opus lauemus,id est vias spiritualiũ gressuũ dirigamus,in ipsa oratione Dominica cõfitemur,dum dicimus, Dimitte nobis debita nostra.*Mihi Cyprianus in libro de cœna Domini verum huius lotionis mysteriũ videtur enucleasse, nempe hac pedum ablutione sacramentum pœnitentiæ significari, qui velut secũdus quidam baptismus est,quia nostris quodãmodo lachrymis iterum baptizamur.Pœnitentiam igitur, antequã ad percipiendam Eucharistiam accedamus, agendam nobis esse.*Probei enim (ipsum homo,& sic de pane illo edat,& de calice bibat.*Hoc esse, *Qui lotus est non indiget,nisi vt pedes lauet,id est qui iam baptizatus est*,non indiget,vt iterum baptizetur, sed *vt pedes lauet*, id est vt agat pœnitentiam eorum peccatorum, quæ post baptismum,vt Augustinus.& Bernardus dicunt, *in terra*, id est inter res humanas gradientis veluti lutum aut pulvis pedibus adhæserunt. Hinc vna intelligitur causa, quamobrem per lotionem potiùs pedum,quam alterius partis pœnitentia significetur. Alteram Cyprianus reddit,quòd pedes vltima,atque infima pars hominis sint,& debemus per pœnitentiam non solùm summa quæque flere peccata,sed vsque ad vltimas,infimasque conscientiæ nostræ partes descendere,intimas quasque animi nostri cogitationes excutere,atque purgare.*Supra diximus*,inquit ille,*semel lotos baptismate eodem lauacro vlterius non egere: sed hoc lauacrum quotidianis est excessibus institutum,& ingeis vetractatio vsque ad nouissima veniens, & omnia debet opera,& cogitatus singulos perscrutari, & affectus per vitia discurrentes vagam, instabilemque animã per mania enthentes corrigere,& lauare:neque quidquam in vita praetermittere inde fcussum,quod gemitibus & sospiriis non fuerit expiatum.* Eodem modo videtur Gregorius interpretari lib.9.registri, c.39.Certè intelligendum hoc putat de pœnitentia,& Pacianus epistola 1. contra Nouatianos.Secunda manet quæstio, quando hoc postea Petrus cognouerit, quemadmodũ illi Christus dicit,*Scies autem postea.*Cognouit profecto tunc, cùm intellexit Christum nos lauisse sanguine suo, cùm intellexit agendam esse pœnitentiam, vt peccata post baptismum contracta remitterentur. Ipse enim fuit, qui Simoni Mago iam vtique baptizato, & in peccatum iterum lapso dixit. *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua,& roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*,Act.8.22.

8.*Dicit ei Petrus, non lauabis mihi pedes in aternum.)* Nunquam mihi lauabis pedes, nullo modo patiar, vt mihi tu pedes laues. *Hoc quippe in aternum non fit, quod nunquam fit*,ait Augustinus:etsi Christus alicuius mysterij causa significauerat eius pedes lauare velle,tamen quia obscurè dixerat,Petrus non intelexerat,itaque pergit resistere, ne sibi pedes lauet. Existimauerat,vt arbitror,Christum,cùm dixit,*quod ego facio,tu nescis modo*, nihil maius dicere voluisse, quàm se non necessitatis,aut mysterij, sed exempli præbendi causa discipulorum lauare pedes. Itaque respondet se id non ignorare,tamen nolle,vt in suis pedibus eiusmodi edat exemplum.

Si nõ lauero te,non habebis partem mecum.) Gr.ἂν μὴ νίψω σε οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ *non habes*,id est non potes habere *partem mecũ*.Quod magis emphaticum est.Hebraismus est אין לך חלקי *non est tibi pars mecum*,id est nihil tibi mecum cõmune est.non es mihi amicus, renuntio amicitiæ tuæ. *Quæ nobis pars in Dauid?* dicebãt illi,3.Reg. 12.16.At quid est,*si non lauero te,nõ habebis partem mecum*, id est nõ eris mihi amicus?An Christi amicitia,atque gratia in pedũ ablutione posita erat? Minimè verò, sed aliquid aliud significare voluit, quod quidnam sit, exquiritur.Cyrillus Alexandrinus, & D. Basilius in prœmio libri de moribus existimant sensum esse,si nõ obedieris mihi permittẽdo, vt tibi pedes lauem, propter isthuc ipsum peccatum *non habebit partem mecum*, id est perdes meam gratiam. Origenes. Cyprianus,Pacianus epistola prima,Ambrosius in prologo lib.de Spiritu sancto,& in libr.de ijs, qui mysterijs initiantur,c.6.& lib.3. de sacramentis, cap.1.

Augustinus

Augustin.hoc loco,& Gregor.libr.9.registri.c.39.& Bernardus in serm.de cœna Domini, & omnes alij, quos legi, auctores putant Christum non significare Petrum non habiturum partem secum propter illud ipsum inobedientiæ peccatum, sed propter peccata,quæ ante haberet,à quibus nisi eum lauando mundaret,partem eum Christo habere non posset.Quid ergo?an Petrus tunc mortale aliquod peccatum habebat? an in gratia non erat Christi, ita vt si nõ lauaretur neque liberari à peccato,neque gratiam habere posset:Non opinor. Sed in Petro omne hominum genus alloquitur,docetque neminem,nisi à se lauetur,partem secum habere posse. Quis enim nisi Christi lotus,atque purgatus sanguine, salvus esse potest? Aut quia illa ipsa peccata, quæ iam ante Petro remissa fuerant,vi futuræ lotionis in sanguine Christi remissa fuerant, dicit illi fore, vt nisi ipsum lauet,partem secum non habeat; tanquam si diceret fore,vt si ille lotioni sanguinis sui,cuius virtute peccata illi remissa fuerant,renuntiaret, gratia quæ illi data fuerat, tolleretur. Neque verò significat illam ipsam peccatorum remissionem,aut collationem gratiæ per pedum ablutionem fieri. Sed lusit Christus,vt sæpe solet,ambiguitate.Petrus dixerat, *Non lauabis mihi pedes in aternum* corporalem ablutionem intelligens;ipse arrepto verbo,& in spiritualem sensum commutato,*Si non lauero*, inquit,*te, non habebis partem mecum*, non iam de corporali; sed de spirituali lotione loquens, quam illa corporalis significabat. Non ergo respondet ad rem,cùm verbi significationem mutet:quin hoc demum est maxime accommodatè ad id,quod agitur,respondere, non spectare, quid lotionis nomen, sed quid lotio ipsa pedum significet.Et sæpe docuimus in eiusmodi ambiguis responsis non solùm maiorem vim; sed maiorem etiam gratiam, & elegantiam inesse: vide quæ diximus cap. 4. 13.& cap.9.39. & Matth. 8. 22. Quod autem quidam notant non dixisse Christum, Si non lauero pedes tuos,sed, *si non lauero te, non habebis partem mecum*, vt indicaret se non iam de corporali,sed de spirituali ablutione loqui, qua nõ pars vna,sed totus mundatur homo,etsi nostram confirmat opinionem;tamen nimis argutum iudico.Nam vt hic Augustinus notat.*Ita dictum est si non lauero te, cùm de solis pedibus ageretur, quomodo dici assolet, Calcas me,cùm sola planta calcatur.*

9.*Dicit ei Simõ Petrus,Domine non tantùm pedes meos, sed & manus,& caput.*) Qua ratione ante pedes sibi lauari à Christo recusabat,quod id contra reuerentiam,quam illi debebat; esse videretur; eadem nunc audiens,quantum sua referat, totum se lauandũ offert.Ex quo intelligitur eum ante non inobediẽtia, sed amore potiùs,& obseruantia erga Christum recusasse.*Quandoquidem sic minaris*,inquit Augustinus, *lauanda tibi membra mea non solùm ima non subtrahro,verum etiam prima substerno. Ne mihi neges capiendum tui partem,nullam tibi nego abluendam mei corporis partem.*

10.*Dicit ei Iesus,Qui lotus est,non indiget,nisi vt pedes lauet sed est mũdus totus.*) Videtur Christus Petro respondere,*Ne quid nimis.*Neque totum corpus,neque nullam partem eius lauari oportere;sed ea,quæ sordida essent membra,id est,pedes, quos etiam mundissimus quisque sordidos habet. Haud dubium, quin cum dicit,*Qui lotus est non indiget,nisi vt pedes lauet*,significet Petrum,& cæteros Apostolos,vt continuò declarat, vno excepto Iuda,lotos esse; itaque necessariò quæritur quia lotione lotos intelligat, corporaline,an spirituali. Sunt qui de lotione merè corporea hoc intelligant. Lotos enim fuisse discipulos,antequam mensæ accumberent.Morem enim omnium fuisse gentium, vt conuiuæ manus, antequam accumberent,abluerent. *Dant famuli manibus lymphas*,inquit ille. Id inprimis apud Iudæos vsitatum, quorum mos non solùm ante prandium, aut cœnam,sed etiam inter prandendum,atque cœnandum sæpe lauare,vt c.2.6.Ioannes significauit.Ergo qui manus ante cœnam lauissent, eos mundos esse totos, neque opus illis esse, nisi vt pedes lauarent, quos ante non lauissent. Nam in splendidis cõuiuijs suprà docuimus, etiam pedes conuiuas lauare solitos.Quod cùm in hoc conuiuio Apostoli non fecissent,cæteta quidem lotos esse,quæ lauari in conuiuijs consuetum esset,hoc vnum deesse, vt lauarent pedes. Vereor ne hæc interpretatio magis profana, quàm Ecclesiastica sit.A mente quidem Christi alienam puto,qui non conuiuiorum consuetudini, sed mysterio,quod hac lotione designabat,vt suprà docuimus,seruire voluit. Magna pars veterum auctorum per eam lotionem, quà Christus Apostolos lotos esse dicit, baptismum intellexerunt,quo qui semel ablutus esset, eum non debere iterum baptizari.sed mundum esse totum, nisi si fortè aliquid sordium pedibus accessisset, id est post baptismum aliquid peccati admisissent. Itaque hinc colligũt Apostolos priùs Christi baptismum recepisse. Sic Cyprianus,Pacianus,Ambrosius,Augustinus, Gregor. Bernardus,& Rupertus ijs in locis, quos vers.7.notauimus. Ego quidem Apostolos baptizatos fuisse non dubito, sed mihi non id videtur Christus hoc loco significare.Primùm quia si baptismum intellexisset, non excludisset Iudam, quem credendum est fuisse quoque cum cæteris baptizatum.Deinde quia explicans causam Euangelista, quare Iudam excepisset,non dicit propterea eum non fuisse mundum, quia baptizatus non erat, sed quia eum erat traditurus.Denique c.15.3. exponẽs quomodo Apostoli mundi essent,ait,*iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quæ eadem verba Theodorus Heracleotes,Chrysostomus, & Theophylactus hoc loco legunt,eaque in eo etiam manuscripto codice, qui cum Græca Catena coniunctus est,inuenio.De spirituali igitur Christus lotione agit;qui spiritualiter mundus est,id est, cui peccata iam remissa sunt, non indigere, nisi vt pedes lauet; totum enim esse mundum, vt Græci omnes auctores Chrysostom. Cyrillus,vterque Theodorus,Leontius, Theophylactus,& Euthymius interpretantur.Sed ex his ipsis verbis oritur quæstio, quomodo totus mundus est, qui indiget,vt pedes lauet,aut quomodo indiget,vt pedes lauet,qui totus iam mundus est? Quidam interpretantur totum esse mundum,cui omnia peccata remissa sunt,tamen opus esse,*vt pedes lauet*, id est, vt agat pœnitentiam, quemadmodum Dauid postquam illi peccatum translatum est, morte filij pœnam luit.2.Reg.12.13.14.18. Alij mundum esse totum,cui omnia iam peccata remissa sunt,qui credit, & omnia seruat præcepta;sed indigere,*vt pedes lauet*, id est vt consilia etiam obseruet, nõ vt mundus,sed vt mundior sit,atque perfectior, quemadmodum adolescenti illi, qui omnia se mandata seruasse responderat, Christus dixit,*Adhuc vnum tibi deest. si vis perfectus esse,vade,vende omnia,quæ habes,& da pauperibus,& veni, sequere me.* Marc.10.21. & Matth.19.21. Quam interpretationem licet minùs explicatè apud Theodorum Mopsuest. inuenio. Alij non esse sensum iam esse totum mundum, qui lotus est; sed totum fore mundum, vbi pedes lauerit. Augustinus verò,& Beda perinde hoc intelligendum putant,ac si dictum esset,qui lotus est,totus est mũdus præter pedes,itaque *non indiget, nisi vt pedes lauet.* Recte Au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gustinus:sed non explicat, quomodo qui lotus est, non etiam pedes lotus sit,ac proinde mundos etiam pedes habeat,eoque indigeat,vti eos lauet. Nã siue de baptismo loquitur,in eos totus, quãtus est,lauatur homo; itaque mundis etiam pedibus ab eo exit; siue de peccatorum remissione, cùm vnum peccatum remittitur, omnia remittuntur. Verum enim verbum illud est siue ex Augustino, siue ex alio quo auctore in scholis decantatum, *quædam inepiæ infidelitatis est ab eo, qui iustus & institia est, dimidiã sperare veniam.* Chrysostomus & Theophylactus videntur aliud agentes respõdere Apostolos totos fuisse mũdos,quòd attinet ad doctrinam, & fidem, quia iam credebant,quidquid credendum illis erat;sed adhuc indiguisse,vt ipsorum pedes lauarentur,id est vt illis remitteretur vetera peccata,quę ante quam Christi pro illis sanguis effunderetur,non existimãt remitti potuisse. In magnis etiam auctoribus magni sæpe scopuli latent,quos vitare lector debeat.Quis dubitat etiam ante Christi mortem peccata remitti potuisse,cùm multis Christus ipse dixerit remissa illis esse peccata:Remittebantur quidem ante,sed vi futuræ passionis Christi, quemadmodum nunc vi iam præteritæ remittuntur. Duobus igitur modis quæstionem explicare possumus: aut totum esse mundum, cui siue per baptismum, siue alia quapiam ratione omnia mortalia peccata remissa sunt; habere tamen pedes immundos, quia nunquam peccatis venialibus caret;vt Augustinum,Bedam,Bernardũ, & Rupertum interpretari diximus:aut quod magis probo,totum mundum esse, qui semel lotus est, id est totum,& non ex parte, siue per baptismum,siue per aliquid aliud fuisse mundatum;indigere tamen, *vt pedes lauet.*id est,vt si quæ fortasse peccata pòst cõtraxit,agat pœnitentiam. Itaque quod Aug.de solis venialibus peccatis intelligit,ego cum Cypriano de omnibus etiam mortalibus interpretor,quæ post baptismum committuntur. Cùm enim hæc lotio pedum,vt diximus pœnitẽtiæ symbolum sit, & pœnitẽtia peccatorum sit propriè mortalium,de mortalibus propriè peccatis intelligi hoc debet. Sensus igitur est eum, *qui lotus est*, totum fuisse iam mundatum,non opus esse,vt aut iterum baptizetur, aut vt remissa iam illi peccata iterum remittuntur,si ea respicias, mundum esse totum; tantùm videndum ecquid puueris,id est venialis,ecquid luti, id est mortalis culpæ pedibus collegerit, *vt pedes lauet*, vt agat pœnitentiam,vt *probet scipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Non displicet, quod quidam obseruarunt, Christum ad consuetudinem eorum allusisse, qui in balneis lauant; qui toti quidem loti,& mundi exeunt etiam pedibus; sed quia pedibus terram calcant,statim eos, inquinare, cùm cætera sint mundi,ideoque oportere iterum lauare pedes.

Et vos mundi estis,sed non omnes.) Euariat significationem verbi mundi,quemadmodum paulò ante significationem verbi lauandi variauit. Nam priùs, cùm dixit,*sed est mundus totus*,intelligebat fuisse mũdarum, etiamsi iam mundus non esset; nunc autem cùm dicit, *Et vos mundi estis*, intelligit mundos esse,ac sine mortali,grauique peccato. Particula, *Et*, aut pro *autem*.aut pro *& quidem* posita est.

11.*Sciebat enim quisnã esset, qui traderet eum.*) Reddit causam Euangelista, cur dixerit Christus non esse mundos omnes, simulque Christi diuinitatem declarat, qui sine indice intimarum conscientiarum discrimina cognouerit.

13.14.15.16.*Vos vocatis me. Magister, & Domine.*) Oratio directa ex Hebræorum idiomate; qualis illa apud Ieremiam,c.22.18.*Non plangent eum, Væ frater, & Væ soror, & non concrepabunt ei, Væ domine, & Væ iuæ.* Quod nouã quidam interpretes non intelligẽtes maluerunt reddere,Vos vocatis me magistrum, & Dominum,speciosa,sed fallaci ratione,quòd *Magister & Domine* nõ dicatur nisi præsenti; & Christus dicere voluerit,quomodo absentem se absentes discipuli soliti fuissent appellare.Id quidem verum est non solere nos vocandi casu nisi presentes appellare;sed Christus tantùm docet,qua reuerentia secum discipuli loqui solerent magistrum semper,& dominum appellantes. Itaque melius noster vertit interpres.Epiphanius qui de hæres.30. Ἀδιάπλαστον, non *vacuum* legit,sed ad sensum magis,quàm ad verba respiciens.Docet Christus discipulos,quid ex suo illo facto vtilitatis capere debeant. Idque mira facit prudentia,atque moderatione. Primùm quidem nõ dicit, Ego sum magister, & Dominus, etsi id poterat iure suo dicere;sed,*Vos vocatis me Magister, & Domine*, ne arroganter de se loqui videretur, *laudet* enim *te alienus & non os tuum*.vt Chrysost. Cyrillus,& Euthymius adnotarunt.Sed vt eum sibi titulum ad veritatem,non ad gratiam dari confirmaret;& quia res ipsa postulabat, vt verè magister, ac dominus non solo nomine crederetur,cùm inde argumentũ sumpturus esset:addidit, *Et bene dicitis:sum etenim.* Quibus verbis,& veritas, & necessitas docendi discipulos,& præterita modestia, quòd non seipsum magistrum,& dominum appellauerit, sed appellantibus re ipsa coactus fuerit assensus, omnem speciem aufert arrogantiæ.*Homini præceptum est*,inquit Augustinus,*non te laudet os tuum,sed laudet te os proximi tui. Periculosum enim est sibi placere,cui cauendum est superbire. Ille autem, qui super omnia est, quantumcunque se laudet, non se extollit excelsus.nec potest rectè dici arrogans Deus. Nobis namque expedit eum nosse, non illi:nec eum quisquã cognoscit,si nõ se iudicet ipse qui nouit.Si ergo nõ se laudabit quasi arrogantiã vitare voluerit:nobis sapientiam denegabit.* Notat Chrysost.Christum se hoc loco Deum appellare.Nam cùm alibi dixisset,*vos autem nolite vocari Rabbi,vnus est enim magister vester*.Deum nimirum indicans:hic se eum ipsum magistrum eorum esse docet, quem illic vnum esse dixerat Deum.Eodem argumento Hilarius lib 9.de Trinit. vsus est. Cætera, quæ in hunc locum dici poterant, partim ipsa per se perspicua sunt,partim à nobis apud Matth.c.10.24. explicata.Hoc indicandum, argumentari Christum ex cõcessis,*Vos vocatis me Magister, & Domine,& discipulus non est super magistrum,neque seruus super dominum suum:si ergo ego laui pedes vestros, multo magis vos alterius alterius pedes lauare debetis.* Suo exẽplo humiles esse docet,sed speciem ponit pro genere:nam per lotionem pedum, quod omnium ministeriorum humillimum est, omnia exempla, omnia ministeria intelligit humilitatis;*Discite*,inquit,*a me,quia mitis sum & humilis corde:& inuenietis requiem animabus vestris.*

17.*Si hæc scitis,beati eritis,si feceritis ea.*) Si scientes feceritis,aut si sciueritis,& intellexeritis, & feceritis,si & credideritis sectãdam, & exercendã humilitatem esse,vt salui sitis,quemadmodum & verbis,& exẽplis docui,& eam re ipsa exercueritis. Scire iubemur pro credere, vt sæpe alibi notauimus. Vnde colligitur solam fidem ad salutem satis non esse.

18.*Non de omnibus vobis dico.*) Quid dicit se nõ de omnibus dicere:Beatos esse,sic enim eos appellauerat.Arqui non dixerat esse beatos,sed beatos fore,si ea,quæ docuerat,crederent, ac facerent;quod & in Iudam poterat conuenire,qui & ipse beatus fuisset, si ea credidisset,fecissetque.Ita est,sed sumpta occasione ex eo verbo,quod vsurpauerat,docet nõ omnibus titulum illum conuenire,non omnes aut esse, aut

aut futuros esse beatos; sed eos tantùm, quos ipse elegisset.

Ego scio,quos elegerim.) Incertum de qua loquatur electione,de ea-ne,qua ad vitam æternam,an de ea, qua ad Apostolatum electi fuerant.Augustinus quidem, Beda, & Rupertus de electione ad beatitudinem interpretantur eo maiore specie probabilitatis,quòd de beatitudine proximis ageretur verbis,*Si hæc scitis,beati eritis,si feceritis ea.* Magis tamen probo Euthymij sententiam,qui de electione ad Apostolicum officium videtur exponere. Obserno enim Christum nusquam alibi consueuisse prædestinationem hominum ad gloriam sibi tribuere; eã semper scriptura Patri tribuit; non quòd non omnes tres diuinæ personæ prædestinent, sed quòd prædestinare pars quædam sit prouidentiæ, quæ Patri per attributionẽ accommodatur.Quo ergo modo dicit, *Ego scio,quos elegerim*,indicans haud dubiè se cæteros quidem Apostolos elegisse; Iudam verò non elegisse, cùm alio loco de electione ad Apostolatum loquens dicat,*Nonne ego vos duodecim elegi* capit.6.70. quod non videtur alia ratione explicari posse,quàm si dicamus,quemadmodum D.dicit Augustinus, hic de electione ad gloriam, illic de electione ad Apostolatum agi.Id quidem facilius & explicatur, & intelligitur;sed non semper quod facilius est, id est etiam verius:& potest etiam intelligi,quamuis vtroque loco de electione ad Apostolatum agi dicamus. Omnes enim Apostolos etiam Iudam ad Apostolatum Christus elegerat,& vt perseuerarent,elegerat: sed quia sciebat alios perseueraturos, Iudã non perseueraturum;indicat se illos elegisse, hunc non elegisse,non quòd non elegerit, sed quòd cùm elegit, iam sciret eum non magisperseueraturum,quàm si non elegisset. Eodem enim modo dicere potuisset, Ego scio, qui Apostoli mei sint;quod si dixisset,non vtique significasset Iudam Apostolum non esse, sed dignum non esse Apostoli gradu. Eodem ergo modo dicit, *Ego scio, quos* Apostolos *elegerim*, non indicans aliquos à se electos non esse, sed aliquem eo gradu non esse dignum, electionisque suæ minimè respondere.In eandem redit sententiam, quod modo alio alij dicunt,sensum esse,*Ego scio,quos elegerim:* id est quales sint,quos elegi. Quod ipsum duplicem potest habere sensum,aut, *ego scio*, quales *elegerim*, id est quales essent,cùm eos elegi, alios scilicet bonos, Iudam verò malum; ideoque dico non omnes beatos esse;aut,*Ego scio*, quales modò sint,quos omnes, boni cùm essent,elegi,alios nempe nunc esse bonos, Iudam malum:ita vt electio afferatur tanquam cognitionis causa:quasi dicat,quomodo ignorare possum quales sint,quos egomet elegi? quomodo non cognoscam domesticos meos? Hoc magis probo, quia, vt alibi docuimus, probabile non est Iudam, cùm à Christo electus est,non fuisse bonum.

Sed vt adimpleatur scriptura, Qui mãducat mecũ panẽ leuauit contra me calcaneum suum.) Imperfectã,& pendentem esse sententiam nemo nõ videt; itaque,omnes concedunt aliquid intelligendum; quid intelligendum sit,quæritur. Quidam intelligunt verbum, Oportet,Sed oportet nimirum scripturam impleri: quod & quia infamis est auctor, & quia alienum à verbis est,recipere non possum. Alij subintelligunt, propterea ego fero illũ,*vt scriptura adimpleatur*. Alij, sed propterea elegi eũ,cùm talem iã esse,aut talẽ futurũ scirẽ,vt impleretur scriptura.Ego ex eo, quod agebatur,eliciẽdũ esse arbitror, quid accõmodatissime intelligi debeat.Dixerat Christus,*non estis mũdi omnes:ego* enim *scio,quos elegerim*, indicãs aliquẽ inter eos esse proditorem: id ergo ipsum intelligendum: sed propterea nõ omnes vos mundi estis, propterea vnus vestrum est proditor, *vt ad impleatur scriptura.* Similis phrasis sup.c.9.3. & infra c.14. 31.& 15.25. & Mar.4.22.& 9.12.& 14.49.Quòd attinet ad testimonium scripturæ,quod Christus hoc loco citat,ex Psalmo 40.sumptum est; vbi Dauid deplorans calamitatem suam,quæritur domesticos etiam, ac familiares suos contra se rebellasse; eos intelligens, qui seductum, & abalienatum ab se Absalomem filium sectabantur. Neque necesse est.) vt Achitophel, vt plerique volunt,aut aliquis alius vnus intelligatur; nam etsi tanquam de vno loquitur, rebelles omnes intelligit. Hoc testimonium Christus non solùm ad se accommodauit,vt quidam putant,significans idẽ sibi, quod Dauidi accidisse, sed etiam de se propriè dictum interpretatur, Dauidemque in sua persona, quid Iudas aduersus ipsum facturus esset, expressisse.Hanc enim vim illa habent verba,*sed vt adimpleatur scriptura*;Vbi dictio, *vt*, quemadmodum c.12.38. notauimus,non causam, sed effectum, & consecutionem significat. Quod & hoc loco Theophyl. & Euthymius obseruarũt. In citando verò testimonio neque per omnia Hebraicam lectionem,neque versionem Septuaginta Christus secutus est, sed secutus est verum sensum;Hebraicè est הגדיל עליעקב *magnificauit contra me calcaneum*,vt verbum è verbo reddam. Metaphora à luctatoribus sumpta est; inter quos,qui vi alterum deiicere non possunt, hac arte deiiciunt; premunt calcaneo aduersarij tibiam, itaque aut feriunt,aut stringunt posteriorem eius partem, vt concidat. Magnificandi autem verbum & leuare significat, vt Christus hoc loco vertit: & audaciam, superbiamque declarat. Quod Latini dicunt,eo audaciæ,aut superbiæ progressus est, *Linguam nostram magnificabimus*, inquiunt impij, Psalm. 11.5.id est audacter, & elatè loquemur. Hanc proprietatem habet hoc loco; quemadmodum si Latine dixisset,qui edebant panem meum, eo impudentiæ, & superbiæ peruenit, vt ausus fuerit fraudibus me suis de regno meo deturbare. Eandem vim habere potest leuandi verbum, quo vsus est Christus. Quòd dicit,*Qui edebat panem meum*, summam coniunctionẽ,familiaritatemque significat. Nulli enim æquè nobis familiares sunt, atque ij,quibuscum cõmunem habemus mensam.

19.*Amodo dico vobis, priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis,quia ego sum.*) Cyrillus,Theophylactus, Euthym. Augustinus, Beda, Rupertus,vt sciatis me esse eum,de quo Dauid illic locutus est; ita vt significet, non aliunde eos cognituros esse de se scripturã illã intelligi oportere, nisi ex euentu ipso, quod visuri sint in ipso illam impleri. At isto quidem modo quid opus erat, vt illis id prædiceret, si non ex eius prædictione, sed ex euentu rei scripturam erant intellecturi:satius erat,vt ipso tacente, re autem ipsa loquente cognoscerẽt. Deinde quid referebat scire eum esse,de quo scriptura loqueretur,cùm ex scriptura illa aut Deum, aut Christum esse probari non posset, quod erat Apostolis in primis necessarium. Alij interpretantur,*vt credatis,quia ego sum*, qui sum, id est vnus ille Deus,cuius proprium nomẽ est esse, vt Exod.3.14. Erat quidem Christus verus ille,& vnicus Deus, sed non credo hoc loco id voluisse significare.Sensus ergo est,*vt credatis quia ego sum*, qui esse dicor;me verum esse Christum,non simulatum; verum Deum, qui res omnes antequam eueniant, perspectas habeo, quod proprium diuinitatis est. Similem notauimus phrasim,capite 8.28. Non ergo ex eo, quòd scripturam in eo impletam viderent, sed ex eo, quod rem ita euenire cernerent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quemadmodum ipse prædixisset cognituri, crediturique erant eum esse Christum. Quid ergo? an non id iam cognouerant, atque crediderant? sanè quidem. Iam enim dixerant, *Quapropter scimus quia nunc scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi.* Sup. c. 6. v. 68. 69.

Scripturæ ydioma.

verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognouimus quia tu es Christus Filius Dei. Sed dicit eos tunc cùm euentum viderint, crediturosque, quia tunc magis, ac magis crediturí erant. Notauimus, cap. 2. 11. scripturam sæpe dicere fieri aliquid non solùm cùm fieri incipit, sed etiam cùm magis fit: sicut eo in loco dicuntur conuersa in vinum aqua Christi discipuli in eum credidisse, non quòd tunc cœpissent credere, sed quòd magis, quam ante credidissent. Quæ reliqua sunt vsque ad versum. 31. apud Matthæum cap. 10. 40. & 26. 21. explanauimus.

31. *Cum ergo exisset dixit Iesus, Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Ab hoc loco vsque ad caput 18. refert Euangelista sermonem illum bene longum, & diuinorum, salutariumque præceptorum plenum, quem Christus peracta cæna egressóque ad proditionem Iuda, antequam è cœnaculo ad hortum Gethsemani egrederetur, ad vndecim, qui reliqui erant, discipulos habuit. Quamdiu Iudas apud illum mansit, omnem orationem in eo consumpsit, vt eum à concepto scelere reuocaret, varijs modis indicans scire se quis se esset traditurus: posteaquam ille abijt, eo sermonem omnem conuertit, vt cæteros Apostolos cõsoletur, instruat, confirmetque salutaribus documentis. Hoc ipsum voluit Euangelista declarare cùm dixit, *Cum ergo exisset*, indicans Iudæ discessum occasionem Christo præbuisse sermonem commutandi, & de glorificatione sua agendi, *Nunc*, inquit, *clarificatus est filius hominis*. Quando *nunc*? quando Iudas iam ad vendendum me ad mortem egressus est, vt rectè Origenes, & Augustinus animaduertunt: quemadmodum si fortis in bello dux accepto nũtio futuri eo die prælij gestiens lætitia dicat, hodierno ego die immortalem gloriam consecuturus sum; aut, quod maiorem emphasim haberet, nunc ego beatus sum, nunc immortale nomen consecutus, loquens per præteritum de re futura, vt ostendat se tam certam habere victoriam, quàm si eam iam teneret manibus; quàm si triumphans in patriam reuerteretur. Eodem enim modo loquitur Christus, *Nunc clarificatus est filius hominis*, crucis suæ victoriam clarificationem suam vocans, quòd ob eam datum illi sit *nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Sic Origenes, Chrysostomus, Cyrillus, Theodorus Heracleotes, & Theodorus Mopsuest. Leõtius, Theophylactus, & Euthym. id est Græci omnes auctores interpretantur; inter Latinos etiam Rupertus. Quærunt autem Cyrillus, & Leontius, quo modo nunc se clarificatum, id est clarificandum esse dicat, cùm tot ante miraculis satis, superque clarificatus esset. Respondent in hanc fere sententiam, eam claritatem, quam miraculis cõsecutus fuerat, si cum ea comparetur, quam posteà victo per crucem hoste consecutus est, tenebras fuisse. Et verò ita est; nusquam tam aperte eius diuinitas, atque in cruce cognita est. Notauit Euthymius, videri Christum ad cap. 12. 28. 29. alludere, vbi dixerat, *Pater clarifica nomen tuum.* Paterque respondérat, *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Hoc enim esse, *Nunc clarificatus est filius hominis*, id est venit tempus, cùm promissio illa Patris implebitur, vt clarificando filio hominis clarificet nomen suum. Pro eodem enim accipitur filium hominis, & Patrem in filio hominis clarificari, quia honor Filij Patris est; aut vt Theodorus Heracleotes interpretatur, *clarificatus est filius hominis*, quia per crucem Diabolum vicit, Pater verò, quia eum à mortuis suscitauit. Quod ergo Augustinus ait clarificatum nunc esse filium hominis, id est egresso, separatóque proditore Iuda per Christi, cæterorumque Apostolorum societatem, in qua nullus iam proditor, nullus iam reprobus esset, eum significari gloriam, eam beatorum claritatem, in qua nihil coinquinatum futurum sit: morale esse potest; litterale quidem certè non est. Quæri potest, quare Christus nunc mortem suam clarificationem appellauerit, quæ, non claritas, sed ignominia videtur fuisse, vt Augustinus ait. Si externam speciem spectes, obscuritas erat; si latentem fructum, si consecutum effectum summa profectò claritas, quòd per eam, vt diximus, Diabolum vicerit, mortem debellauerit, mortem aboleuerit. At hoc ipsum quærimus, quare isto ipso sensu clarificationem hic potiùs, quàm mortem, aut aliquo alio modo appellauerit. Putat Rupertus occasionem ita loquendi ex nocte Christum sumpsisse, quæ tunc erat; quasi diceret, Nox quidem est, tamen nox ista magnam mihi claritatem afferet. Alienum videtur. Veram rationem Chrysostomus, indicauit. Volebat instante morte discipulos consolari, cõfirmareque, ne ignominia passionis eius deterrerentur, & in fide vacillarent. Ideo quam illi ignominiam, abiectionemque iudicassent, si priùs moniti non fuissent; eam ipse, cùm verè posset, honorifico, & splendido nomine clarificationem vocat. Obseruant Cyrillus, & Leontius aduersus Nestorianos, cùm dicit, *clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo*, eundem & filium Dei, & filium hominis esse significari.

Augus. tract. 57.

Cur hic discipulos suos filios vocet contra consuetudinem appellet.

Matth. 26. 27. Marc. 14. 24. Luc. 22. 20. Ioan. 6. 54. 1. Cor. 11. 25.

32. *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum.*) Probat fore, vt Pater Filium clarificet; quia cùm Pater ipse per Filij mortem clarificãdus esset, quemadmodum & per mortem Petri suo quodam modo clarificandus dicitur, capite 21. 19. & credendum esset Patrem propriam gloriam suam non neglecturum, sed quàm diligentissimè, & quàm primùm curaturum, vt suas quisque res gnauiter curat, clarificaturum profecto Filium, idq; quamprimũ. Dictio igitur illa *si* nõ cõditionalis. sed causalis est. *Si* pro quia, vt vulgo dici solet. Paulò aliter Augustinus. *Si Deus*, inquit, *clarificatus est in eo, quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius, qui misit illum: & Deus clarificauit eum in semetipso, vt natura humana, in qua est filius hominis, quæ à verbo æterno suscepta est, etiam immortalitate donetur.* Ruperti autem interpretationem alienam iudico. *Sed dicat aliquis*, inquit, *Vnde ergo hoc scire quis potest, quòd morte sua Deum clarificauerit iste filius hominis? Ad hoc obuians, hoc, inquit, experimentum habebitis: si Deus clarificatus est in eo, id est in morte eius, & Deus clarificabit eum in semetipso: scilicet resuscitando eum à mortuis, & constituendo eum ad dexteram suã in cœlestibus.*

33. *Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quo ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modo.*) Non sequor hic Augustini, & Bedæ sententiam, qui existimant ideo hoc Christum adiecisse, ne quia dixerat Deum clarificaturum citò esse filium suum, arbitrarentur statim sibi ita eripiendum esse, vt eum præterea visuri non essent: non ita esse, adhuc aliquanto tempore cum ipsis futurum esse. Non enim id mihi Christus agere videtur, vt doceat se non statim illis eripiendum, sed potiùs, vt doceat paulò post eripiendum esse. Confirmat enim, quod ante dixerat, tempus aduenisse clarificationis suæ: & hoc sensu dixerat cap. 7. 33. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* & cap. 12. 35. *Adhuc modicum lumen in vobis est*, & infra c. 16. 16. 17. 19. *Modicum, & iam non videbitis me.* Atque ita omnes prorsus alij veteres auctores intelligunt, quos paulò post sumus nominaturi. Non caret causa, quòd discipulos suos filios hoc loco præter consuetudinem appellet, sed causam non omnes eandem esse putãt. Cyrillus, quòd omnes homines quantumuis perfecti comparatione Dei pueri sint, quos solent viri matura iam ætate filiolos appellare. Chrysostomus, & Theophylactus, ne quia idem, quod Iudæis dixerat, illis dicebat, putarent se eodem apud illum gradu atque Iudæos esse. Filios enim appellando à Iudæis discreuisse. Euthymius filios vocasse indicat, vt ostenderet eorum se & magistrum, & creatorem esse. Ratio ex eo, quod agitur sumenda mihi videtur. Volebat Christus discipulos, quos paulò post relicturus erat consolari, vt illi ipsi auctores Chrysostomus, Augustin. Theophylactus, & Euthymius, tradunt; vtitur igitur nõ solùm sententijs, sed etiam verbis ad consolationem accommodatis. Idcirco filiolos vocat. Etiam Græcè nomine vsus est Euangelista diminutiuo τεκνία, cuius etiam rei Rupertus rationem reddit. sed non satis, vt opinor, solidam; falsò enim nititur fundamẽto Apostolos nondum baptizatos fuisse, ante passionem Christi: itaque nondum filij, id est fortes, atque robusti, sed adhuc *filioli*, id est imbecilles, & infirmi erãt. Si qua eius rei causa fuit, illa meo iudicio fuit eadem, propter quam filios appellasse diximus, vt paterno, blandóq; verbo tristes consolaretur, blandius autem est puerum filiolum, quàm filium appellare. Quæritur à nonnullis, quodnam tempus illud intelligat, quod modicum appellat. Augustinus, & Beda, idémque Leontius probabile ducit, tempus, quod vsque ad ascensionem eius in cælum reliquum erat, intelligunt. Id enim ipsum intellexisse, cùm Iudæis dixit. cap. 7. 33. *Adhuc modicum vobiscum sum.* Probabile hoc quidem est; sed illud probabilius, quod omnes Græci auctores sentiunt, Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. Chrysostomus, Cyrillus. Leontius, Theophylactus, Euthymius, & ex Latinis Rupertus tempus passionis designasse. De passione enim agebat, & vsque ad eam cum discipulis futurus erat. Nam etsi post resurrectionem, vt ait Lucas Act. 1. 3. per quadraginta dies cum illis fuisse dicitur, tamen quia non humano, & mortali, vt ita dicam, more, sed pene spirituali, atque diuino cum illis erat, nunc illis sese demonstrans, nunc se subducens, non dicitur comparatione prioris rẽporis, cum illis fuisse. sicut ipse loquitur Christus Lucæ 24. 44. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.* Hinc colligitur quomodo, quod sequitur, intelligendum sit, *Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quo ego vado, vos non potestis venire.* Augustinus enim, & quicunque dicunt Christum tempus ascensionis in cælum suæ designasse, putant sensum esse non posse discipulos in cælum euntem sequi: quod interpretantur non potuisse tunc mortales adhuc homines, post mortem tamen secuturos. Itaque alio sensu hoc Apostolis, quàm Iudæis à Christo dictum esse. Iudæis significatum, fore, vt nunquam in regnum cælorum, quo Christus ibat, ingrederentur; Apostolis, fore, vt quamdiu in mortali manerent corpore, ingredi non possent. ingressuros tamen postea. Propterea addidisse, *Et vobis dico modo*, quasi sensus sit, Iudæis non dixi modò eos venire non posse, sed absolutè venire non posse, id est nunquam posse, *vobis* autem *dico modo*, indicans modò quidem non posse, fore tamen vt postea possitis.

Ita non solùm Augustinus, & Beda, sed etiam Chrysostomus Leontius, Theophylactus, & Euthymius. Cæterum si non auctorum personas, sed ipsa Christi verba respiciamus, probabilius est non de vita beata, sed de morte sua loqui, *quo ego vado*, id est ad mortem, *vos non potestis venire*. Quid ergo? nonne & illi mori poterant? Poterant quidem. si conditionem spectes; homines quippe natura mortales erãt; non poterant, si spectes animum, & voluntatem; quia nondum tanta erant fide, támq; constanti, vt pro Christo mori possent. Sic Petrus, sic Christus intellexit ver. 37. & 38. *Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus, animam tuam pro me pones? amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Illud autem, quod sequitur, *Dico vobis modo*, non ita accipio, quasi explicatio superioris sententiæ sit. vt si dicat, quod vobis dixi non posse vos me sequi, intelligo non posse modò, sicut Petro statim dicit, *Quo ego vado, non potes me modò sequi.* Sed duobus modis intelligi posse puto, aut, *Et vobis dico modo*, vt postea, cùm res euenerit, intelligatis me, quod futurum erat. cognouisse, sicut versu. 19. dixit, *A modo dico vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis*; aut, vt complementum sit comparationis, sicut dixi ante Iudæis, & vobis modò dico. Notant Cyrillus, & Euthymius Iudæis dixisse, *Quæretis me, & non inuenietis*; discipulis non dixisse, non inuenietis, quia post resurrectionem Apostoli inuenturi eum erant, Iudæi non erant. Haud scio an nimium subtile sit. Nam vt capit. 7. 34. docuimus, phrasis illa, quærere, & non inuenire, nihil aliud significat, quàm rem, quæ quæritur non haberi, aut perijsse, non extare, ideóque reperiri non posse: Christus verò de seipso ea phrasi loquens, nihil aliud dicere voluit, quàm se moriturum esse, & ex hoc mundo ad Patrem discessurum. Docent Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius his verbis, *quo ego vado, vos non potestis venire*, discipulorum desiderium excitare; solemus enim niti in vetitum, vt ille dixit.

Ver. 36.

Quærere, & nõ inuenire quid significet.

Ouid 3. Amor. eleg. 4.

34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.*) Paterno se gerit more cõsolabatur discessurus Apostolos suos, ideóque, vt diximus, filios appellauerat; dat illis nũc paterna monita, qualia solent, aut peregrè abituri, aut morituri patres filijs dare, vt pacem inter se habeant, vt mutuò se diligant. Vulgaris quæstio, cur hic dilectionis mandatum, cum in lege etiam veteri vel ipso Christo iudice primum esset, Lucæ 10. 27. *nouum* appellet. Auctores omnes, quos legerim, Græci, Chrysostomus, Cyrillus, Theodorus Heracleotes, Theodorus Mopsuest. Leontius, Theophylactus & Euthymius, inter Latinos etiam Rupertus, *nouum* vocari dicunt, quòd in veteri lege iuberemur proximum nostrum sicut nos ipsos diligere; nunc autem plusquam nos ipsos diligere, iubeamur; cùm iubeamur ita nos mutuò diligere sicut Christus dilexit nos, & Christus nos plus quàm seipsum dilexerit, quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanuit semetipsum formam serui accipiens.* Denique *iustus pro iniustis*, pro immeritis, pro inimicis *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Augustinus & Beda ex effectu vocari *nouum* putant, quòd nos renouet, & exuto vetere homine nouo induat, *vt simus* quemadmodum ait D. Paulus, *noua creatura.* Sunt qui putent *nouum* appellari, quemadmodum lex Euangelica noua dicitur, nouumque testamentum, quia quamuis ante esset, tamen per Christum quasi nouo addito spiritu promulgatum est. Sunt qui propterea quòd desuetudine antiquatum videretur, Christus verò singu-

Philip. 2. 6. 7. 8.

1. Pet. 3. 18.

Gal. 6. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lari illud commendatione reuocauerit, *nouum* appellari velint, haud prorsus ineptè. Sunt qui nouitatem in eo ponant, quòd lex vetus nó nisi externam præciperet dilectionem, aut non nisi ad politicam pacem eam dirigeret; Christus verò & dilectionẽ præceperit internam, & ad vitam æternam ordinauerit. Hoc verum non est, nam lex etiam vetus, vt apud Matthæum c. 5. docuimus, actus internos præcipiebat, non concupiscere, non odio habere. Sunt qui ideo *nouum* esse dicant, quòd quamuis in veteri esset lege, tamen obrutum quodammodo ceremonijs nó apparebat; in Euangelio verò sublatis ijs apparere, & elucere cœperit. Sunt qui mandatum quidem vnum & idem esse putent, sed propter nouam formam *nouum* appellari, quòd pro regula dilectionis non iam nos ipsi, sed Christus ipse ponatur, *sicut dilexi vos*, qui certior, ac melior omnino sit. Nescio an meam ego sententiam lectori probaturus sim; certè facilis est, si minùs vera. Duobus modis interpretor. Altero, vt hoc mandatum cum eodem aut simili dilectionis mandato, quod antea erat, conferatur; altero, vt non cum illo, sed cum cæteris mãdatis comparetur, quæ discipulis Christus multa tradiderit. Si cum simili dilectionis mãdato, quod ante erat, conferatur, nouum dicitur, non quòd nouum sit, neque quòd nouo proponatur modo; sed quòd cùm illud sæpe discipulis commendasset, iterum commendet, quemadmodum si nouum esset; quemadmodum si nunquam illud audiuissent. Itaque nouitas non tam ad mandatum ipsum, quàm ad studium, quo illud Christus commendat, & quo discipuli excipere debebant, referenda est. Sic ergo dictum est, *Mandatum nouum do vobis*, quemadmodũ vulgo diceremus, mandatum de nouo do vobis, *vt diligatis inuicem*: & facvnam nouam communionem, aut confessionem, id est quemadmodum si nunquam ante confessus esses, si nunquam ante Eucharistiam accepisses. Si verò ad cætera mandata, quæ discipulis Christus tradiderat, conferatur, nouum Hebraica dicitur phrasi non quia nouum, sed quia præstantissimum. Solent enim Iudæi quod in quoq; genere præstantissimum est, nouum appellare, vt Matthæi 26. 29. docuimus, *Cantate*, inquit, *Domino canticum nouum*. Quia solent quæ noua sunt, aut esse, aut videri meliora, quàm vetera. Itaque verus meo iudicio sensus est, Multa, dum vobiscum versatus sum, mandara, multa documenta dedi, dabo nunc vnum, quod instar est omnium, *vt diligatis inuicem*: aut quod magis mihi videtur consilio Christi conuenire, nouum mandatum vocat, id est discipulorum suorum proprium, cùm cetera cum omnibus communicasset, sicut versu 35. declarat, *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*. Alio sensu Ioannes 1. epistola cap. 2. 7. & 1. epistola ver. 4. 5. idem mandatum & vetus, & nouum appellat. Id si Dominus vitam dabit, illic explicabimus. Verba autem bifariam iungi possunt, aut, *vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: atque si hoc modo legamus, particula, *vt*, quæ continuò sequitur, non comparationem, sed finem declarabit, sensúsque erit, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut *dilexi vos*, id est propterea dilexi, vt vos etiam inuicem diligeretis. Hoc modo D. Augustinus, & Beda, & vt videtur, Rupertus intelligit: aut, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*: deinde nouum sequatur membrum, *sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem*. Quæ traiectio sic erit resoluenda, *Mandatum*, inquam, *do vobis, vt diligatis inuicem sicut* ego *dilexi vos*, vt sit repetitio simul, & explicatio superioris sententiæ.

Repetitio auctoritatur, nouum dicatur hoc mandatum.

Noua dicitur, quæ præstantissima phrasi Ebræa. Psal. 95. 1. & 97. 1.

35. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicẽ.*) Explicat, quamobrem dilectionis mandatum illis tantopere commendauerit, &, vt diximus, quare mandatum nouum appellauerit, quia nimirum certum erat futurum symbolum, quo ipsius discipuli à cæteris hominibus dignoscerentur. *Alia munera mea*, inquit Augustinus, *habent vobiscum etiam non mei, non solum naturam, vitam, sensus, rationem & eam salutem, quæ hominibus pecoribusque communis est; verum etiam linguas, sacramenta, prophetias, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, vt ardeant, sed quoniam caritatem non habent, vt cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest: Non ergo in illis quamuis bonis meneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei: sed in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Rogant Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, cur non potiùs miracula signa esse dixerit, quibus discipuli ipsius essent dignoscendi, quia, inquiunt, *multi dicent in illa die, Domine nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* & respondebit illis Christus, *quia nunquam noui vos*. Itaque magis certum esse signum discipulorum Christi dilectionem mutuam, quàm miraculorum effectionem. Solus Euthymius veram mihi causam videtur attigisse, quamobrem hac potissimùm nota discipulos suos distinguendos esse dixerit, quia nimirum proprium discipuli est magistrum imitari, & eatenus videtur profecisse, quatenus magistrum imitatur. Nihil autem Christo magis proprium fuit, quàm homines diligere, quum ipsorum amore de cælo descenderit, homo factus mortem obierit. Itaque nulla re eius discipuli similiores illi esse poterãt, propiúsque eius mores imitari, quã si sese vicissim diligerent. Caueat lector ne existimet eos, qui fidem habent, caritatem autem non habent Christi non esse discipulos. Nam & illi non solùm nomine, sed re etiam ipsa discipuli sunt, cùm ab eo discant, atque illi tãquam vero præceptori credant; cæterum imitatione morum eius discipuli nó sunt, quia quos Christus diligit, ipsi non diligunt. Et quia hoc etiam modo vult Christus omnes homines discipulos suos esse, & qui hoc faciunt nó solùm veri, sed etiam perfecti discipuli eius sunt, indicat alios, qui fidem habent, dilectionem autem non habent, suos non esse discipulos; sic planè, vt si quis pater neget eos suos esse filios, qui sibi moribus dissimiles sint, non quòd verè non sint filij, sed quòd non quales esse oportebat. *Frustra appellamur Christiani*, scribit Leo ser. 6. de Natiuit. *si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, vt conuersatio magistri forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam sectatus est Dominus.*

26. *Dicit ei Simon Petrus, Domine quo vadis?*) Cur Petrus, & cur solus hoc interrogauerit, facilis coniectura, quã & Chrysostomus, & Cyrillus, & Leontius, & Augustinus, & Beda, & Theophylactus, & Euthymius, & Rupertus indicarunt, non discendi tantùm animo, sed sequendi, quocunque tandem Christus se iturum esse respondisset. Eadem ratione aut solus, aut certè primus interrogat, quia ardentiori in Christum erat studio, aut quia, vt Cyrillus existimat, illi reliqui Apostoli tanquam maiori loquendi pro omnibus curam detulerunt. Ergo Christus non ad verba, sed ad animum, sensúmq; respondens, vt Augustinus, Chrysostomus, Beda, Theophylactus, & Euthymius obseruant, ait, *Quo ego vado, non potes me sequi modo; sequeris autem postea*. Ita respondet, vt cupientem sequi Petrum non deterreat, sed doceat, & obiecta spe postea sequendi consoletur. Quò dicat nó posse sequi supra versu 33. disputauimus; diximus de morte Christum loqui, ad quam ipse forti, erectóque animo gradiebatur. Cur ergo Petrus in mortem sequi non poterat? Id duplicem intelligentiam habere potest. Aut non posse modò sequi, quia eius fides satis robusta non erat; secuturum tamen postea suo tempore, cùm fides eius corroborata fuisset, quemadmodum Cyrillus, Theodorus Mopsuestiens. Augustinus, Beda, & Rupertus exponunt, *Quid festinas Petre?* inquit Augustinus, *nondum te suo spiritu solidauit petra: noli extolli præsumendo, non potes modo, noli deiici desperando. sequeris postea.* Aut non poterat sequi; quia eius tempus nondum aduenerat, quia non expediebat, quia prius Euangelium prædicare, multaque pati oportebat, vt Theodorus Heracleotes interpretatur. Prior sensus melior; quia vt ait Augustinus, & ex versu 38. manifestum est, voluit Christus eius audaciam, & iactationem tacite reprehendere; plus de se polliceri, quàm aut præstiturus sit, aut quibus tunc erat viribus præstare posset. Cætera, quæ in hoc capite supersunt, apud Matthæum c. 26. 35. exposuimus.

Trad. 66.

Ex Cyrillo lib. 9. in Ioan. cap. 12.

Ex eodem lib. 12. cap. 2.

Ex Leone ser. 6. de Natiuit.

CAPVT XIIII.

1. NON turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. 4. Et quò ego vado scitis, & viam scitis. 5. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis: & quo modo possumus viam scire? 6. Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita. nemo venit ad Patrem, nisi per me. 7. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. 8. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. 9. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum: & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? 10. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. 11. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? 12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. 13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. 15. Si diligitis me: mandata mea seruate. 16. Et ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, 17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. 18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. 19. Adhuc modicum: & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis. 20. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. 21. Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. 22. Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? 23. Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: 24. qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem, quem auditis, non est meus: sed eius, qui misit me, Patris. 25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. 26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. 28. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est. 29. Et nunc dixi vobis prius quàm fiat: vt cum factum fuerit, credatis. 30. Iam non multa loquar vobiscum. venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. 31. Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

Inf. 16. c. 23. Mat. 7. a. 5 & 21. b. 22. Mar. 11. c. 24.

Act. 2. d. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN CAPVT XIIII.

NON turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite.) In multis Latinis in nonnullis etiam Græcis codicibus inchoatur caput ad hunc modum, *Et ait discipulis suis, Non turbetur*, & reliqua: quemadmodū omnes Latini interpretes paulò vetustiores legunt, Augustinus, Beda, Rupertus, Auctor glossæ, quam vocant ordinariam, D. Thomas, & Lyranus. Videntur tamen addita ab aliquo fuisse annotationis loco, vt hoc caput cum superiore necteret. Verum siue legantur, siue non, eadem manet connexio. Continuat enim Christus sermonem illum suum, quem ad discipulos egresso Iuda post cœnam habere cœperat. c. præcedenti. ver. 31. quem Petrus interrogatione sua interruperat. Postquam ergo illi Christus respondit, redit ad sermonem suū, & vt ante faciebat, omnes discipulos alloquitur. Itaque redundant illa verba, *Et ait discipulis suis*, quia indicant initium hoc esse nouæ orationis, cùm continuatio prioris sit. Ait ergo, *Non turbetur cor vestrum*, quod Græci fere omnes auctores ideo adiecisse putant, quia cùm suam Petro negationem prædixisset, vidit eos turbari animo metuentes ne & ipsi, quod minimè volebant, negaturi eum essent; quando qui omnium erat dux, fortissimúsque habebatur, dicebatur negaturus. Ita Chrysostomus, Theodorus Heracleot. & Theodorus Mopsuest. Leontius, Theophylactus, & Euthymius. Itaque Chrysostomus & Theophylactus ex hoc ipso Christi diuinitatē probant, quòd discipulorum tacitas cognouerit cogitationes. Augustinus verò, & Beda putant propterea dixisse, quia de morte mentionem fecerat dicens, *quo ego vado, vos non potestis venire*, exhortari ergo eos ne mortem timeant. At quid opus erat exhortari, quos dixerat mori nō posse, hoc est, quò ipse iret, eos non posse venire? Rupertus in alium sensum interpretatur, *non turbetur cor vestrum*, id est ne vacillet fides vestra, quòd me morientem videatis, *Creditis in Deum, & in me credite*. Sed manifestum est non exhortationem, sed consolationem esse tristium discipulorum. Credo ergo non consolari eos Christum, aut propter negationem Petri, aut propter suam, vel ipsorum mortem; sed potius quòd dixisset illis, *Quo ego vado, vos non potestis venire*, indicans se eos solos relicturum. Ne igitur putarent nunquam se illum visuros postea, aut excludēdos ab eius regno esse, si quidem abeuntem eum, & regnum capessentem non sequerentur, iubet eos æquo esse animo, patientérque moram istam ferre, etiamsi modò non sequantur, secuturos postea, vt dixerat Petro: nec defuturum illis quandocunque venirent, in regno suo locum, in domo enim patris sui multas esse mansiones, suam cuique seruari, quæ ab alio nemine occupari possit. Hæc vt opinor connexio sententiæ est, ad ipsam nunc sententiam veniamus. *Credite*, inquit, *in Deum, & in me credite*. Ambiguitas Græci verbi, πιστεύετε quod vtroque in loco est, quòdque aut indicatiuum *creditis*, aut imperatiuum *credite* esse potest, facit vt quemadmodum multi interpretes monuerunt, in quattuor sensus trahi possit. Nam aut vtroque loco indicandi; aut vtroq; imperandi, aut priori indicandi, posteriori imperandi, aut priori imperandi, posteriori indicandi verbum esse potest. Si vtroque loco indicandi sit sensus erit *non turbetur cor vestrum*, quia quandoquidem in Deum, id est in Patrem, & in me creditis, hæc fides bono vos animo esse iubet fore, vt me aliquando sequamini. *Iustus enim meus ex fide viuit, & fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Sed qui ita interpretetur, auctorem bonum non inuenio. Si vtroque loco imperandi sit, erit hic sensus, remedium, vt quieto animo sitis, est, vt in patrem meum, & in me credatis, fides enim alet vos, & spe futuræ vitæ sustentabit. Atque hoc modo plerique omnes Græci, Chrysostomus, Theodorus Mopsuest. Nonnus, Theophylactus, & Euthymius, exponunt, nonnulli etiam Latini, vt Hilar. lib. 9. de Trinitat. Nec mihi hic sensus displiceret, si phrasis patereturr. Cæterum illa verbi repetitio. *Et in me credite*, aliquid mihi aliud videtur significare. Si enim id dicere voluisset, non dixisset. *Credite in Deum, & in me credite*; sed, Credite in Deo, & in me. Si priori loco imperandi, posteriori indicandi sit, sententia erit minùs congruens, quandoquidem in me creditis, credite in Patrem. Sed hæc sententia neque loco, vt dixi, hæret, neque vllum, quòd sciam, auctorē habet. Relinquitur ergo quarta lectio, ex qua sententia elicienda est, *Creditis in Deum, & in me credite*, vt priore loco indicatiuum, posteriore imperatiuum legatur verbum, quemadmodum Augustinus, Beda, Rupertus legunt, & Vigilius lib. 4. aduersus Eutychem, nisi quòd Vigilius legit, *Creditis in Dominum*, pro *creditis in Deum*. At quæ sententia? Augustinus argumentari putat Christum debere discipulos in se credere, quandoquidem in Patrem crederent, *Consequens*, inquit, *ut, vt sit in Deum creditis, in me credere debeatis. Quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Creditis in Deum, & in me credite, cui natura est, non rapina esse æqualem Deo*. Vnde videtur apparere D. Augustinum primum membrum cum interrogatione legisse, *Creditis in Deum? & in me credite*. Credo ego Hebraismū esse, quo in priori membro particula similitudinis intelligenda est. Si vultis non turbari, sed æquo esse animo *expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, creditis in me*, sicut in Patrem creditis, nam quęcumque vobis ego promisi ex Patris promisi voluntate. Hanc vim habet illa particula, &, quæ apud Hebræos comparationem implere solet. Similem Hebraismum supra notauimus. c. 5. 17. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, id est sicut *pater meus vsque modo operatur*, ita etiam *& ego operor*. Simile exemplum est infra, ver. 19.

2. *In domo patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.*) Quorsum dicat in domo patris sui multas esse mansiones, superiori versu explicauimus. Videbat tristes esse discipulos, quòd se abiturū diceret, & quò ipse iret, eos venire non posse, sicut dicit c. 16. 6. *quia hæc locutus sum vobis, tristitia implenit cor vestrum*; tristes inquam esse, existimantes excludi se à Christi regno, quandoquidem eum non sequerētur. Consolatur ergo eos non propterea excluſos esse, si modò non sequantur; secuturos suo postea tempore, nec ipsis locum defuturum; in domo enim patris sui, hoc est in regno suo mansiones multas esse, suam cuique seruari; neque timendum esse ne ab alio occupetur. Augustinus sensu nonnihil diuerso, turbatos fuisse discipulos, quòd audissent Petrum omnium fortissimum negaturum, timuisse sibi, quasi nullus sibi infirmioribus in cælo locus foret futurus esset; consolari eos Christum, diuersa in cælo esse loca, non eiusdem omnia esse dignitatis, sed pro cuiusque merito alia superiora, alia inferiora, ne infirmis quidem, modò in se crederent, & amarent, locum defuturum. Cælestem illam habitationem *quasi* mansionem vocat, maiore meo iudicio proprietate, quàm si οἶκον domum appellasset, indicat enim perpetuam fore habitationem, nullāque morte, nulla perturbatione interrumpendam. Hoc est μένειν manere. Illud quoque notandum non solùm multas, sed etiam diuersas, & impares in cælo esse mansiones significari. Nam certè Apostolorum, & Christi māsiones æquales non sunt, vt colligit Gregor. lib. 4. mor. cap. 42. & lib. 35. c. 24. & lib. 4. dialog. c. 36. & hom. 16. in Ezech. Cyrillus, Leontius, Tertullianus in Scorpiaco. Theodoritus lib. 3. in Cant. & 1. ad Cor. cap. 15. Quod sequitur difficile est admodum. *Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Sciendum inprimis est dictionem illam, *quia*, quam noster vertit interpres, Græce non esse, sed in hunc modum omnes Græcos codices, & auctores legere, εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν, (sin minus, (aut, sin autem) *dixissem vobis vado parare vobis locum*. Si Latinam sequamur lectionem, vt sequi Latinos necesse est, impedior erit locus; sensus enim videtur esse, si non essent *in domo Patris mei mansiones multæ*, dixissem vtique vobis ire me eò, vt vobis locum præparārem, ne fortè occuparetur; at propterea hoc vobis non dixi, quia *mansiones multæ sunt*, quemadmodum Augustinus, Beda, Rupertus. & Latini fere omnes; Græci verò multi Cyrillus, Leontius, Theodorus Mopsuest. Theophylactus, Euthymius, & vt videtur Chrysostomus. Nonnus certè poëta expressa etiam particula ὅτι, quam noster reddit interpres, Idémque Theodoritus facit sect. 16. in Ezech. interpretantur. Quæstionem autem illam, quæ ex his, & proximis oritur verbis, vbi dicit se ire, vt illis locum paret, quam cùm parauerit, rediturum esse, vt eos secum adducat, quod non videtur cum præcedentibus conuenire, vbi significauerat se non ire ad parandum illis locum, quia mansiones multæ erant; ita soluunt Augustinus, & Beda, mansiones quidem multas paratas iam fuisse, id est prædestinatas, ideo significasse non ire se, vt eas paret; sed non esse paratas, id est non posse quemquam in illas ingredi, nisi ipse primus aditum præeundo patefecerit. Eodem fere redit, quod Rupertus, & Lyranus dicunt, præparatas fuisse mansiones, sed māsiones, vt eorum vtar verbo, non fuisse paratos; Christum ergo præijsse, vt non tam mansiones mansoribus, quàm mansores mansionibus præpararet: præparasse autem, cùm in eos misit Spiritum sanctum, quo eos dignos fecit earum mansionum habitatores. Vtraque expositio dura est, sed si Latina sequamur verba, alterutra necessaria, cùm nulla tertia melior appareat. Si Græcā sequamur lectionem, duobus etiam modis iungi verba possunt, aut ita vt vna, eadémque periodus sit, εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν, aut ita, vt post hæc verba, εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν, punctum sit, signúmque perfectæ sententiæ; deinde noua inchoata periodo sequatur πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. Priorem lectionem sequuntur omnes, quos ego quidem legerim, auctores Græci, Theodorus Mopsuest. Cyrillus, Chrysostomus, Nonnus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, eodémque prorsus modo explicant, quomodo Latinam lectionem ab Augustino, & alijs Latinis interpretibus explicari diximus, nisi quòd illa verba, quæ versu 3. ponuntur, *Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum*, ad idem referunt verbum, Si minùs dixissem vobis me abire, vt pararem vobis locum, & dixissem etiam fore, vt etiamsi nunc abirem, iterum venirem, vt vos acciperem, ac mecum in paratum locum ducerem. Ac mihi quidem magis hæc, quàm illa Augustini, placet interpretatio. Se-

Expositio auctoris.

Varia lectio huius loci ex vocabulorum ambiguitate.

cundam lectionem recentiores quidam interpretes obseruarunt, habétque fateor faciliorem sensum; sed quia omnes veteres auctores alia video ire via, ab illis non temere dissererim. Tamen si cui secunda magis placebit lectio, facile locum interpretabitur, *In domo patris mei mansiones multæ sunt, si minus, dixissem vobis*, & posito hic puncto, *Vado parare vobis locum; & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum*, & reliqua. Colligitur autem ex hoc loco neminem ant. Christum in cælum ingressum esse, vt confirmat D. Paulus Heb. 11. 39. 40. Contrariúsque error Græcorum auctorum fuit, vt ex Euthymio hoc loco constat, & nunc nouorum hæreticorum est.

Lectio authorum probata.

Antechristū nemo in cælum ingressus est.

4. *Et quò ego vado scitis, & viam scitis.*) Aliud hoc consolationis genus est. Videbat anxios esse discipulos, quòd nondum satis sibi intelligere viderentur, quonam se abire diceret. Consolatur ergo declarans, quod paulò ante dixerat, abire se, vt locum illis præparet, aut certè ire in domum patris sui, in qua mansiones multæ essent, ne de suo abitu soliciti sint, satis eos scire, & quo eat, nimirum ad Patrem, vt sæpe illis significauerat cùm aliàs, tum proximis etiam verbis. Sed quia hoc ipsum non satis apertè dicebat, Thomas interrogat.

5. *Domine nescimus, quo vadas, & quomodo possumus viam scire?* Putat Chrysostomus Thomam reuerenter hoc interrogare. Ideo non quærere, vt planè doceat, quo eat, & qua ipsi via sequi eum possint, sed simpliciter dicere neque quò eat, neque viam scire, vt confessus omnium ignorantiam Christum commoueat, vt loquatur clariùs. Theophylactus, alio animo, quàm Petrum interrogare ait: Petrum interrogasse, vt eum sequeretur: Thomam timore, ne fortè in locum aliquem eat ipsi, ac discipulis periculosum. Putabat enim, vt ait Euthymius, in locum aliquem terrenum discessurum. Dixerat Christus eos, vt ait Augustinus, vtrumque scire, & quo eat, & qua via iri posset; vtrumq; se, & cæteros discipulos ignorare Thomas dicit. Sed videtur ita loqui quasi Christus dixisset eos nescire, quo eat, sed viam tamē scire; sic enim quasi ex concessis argumētatur. Si nescimus quò eas, vt tu concedis, *quomodo possumus*, vt dicis, *viam scire?* Alioqui ratio loquendi postulare videbatur, vt simpliciter diceret, neque scimus, quo eas, neque viam, qua nos te sequi debeamus. Sed videtur mihi in verbis Thomæ tacita quædā inesse querimonia, & veluti amica Christi reprehensio, quòd nunquam satis apertè dicere voluerit, quonam iret, & tamen dicat nunc eos non solū nō, quo eat, sed etiam viā scire. Perinde ergo est ac si dicat, cùm nondum nobis dicere volueris, quò eas, quod inprimis dicendum erat, *quo modo possumus viam scire?* Sed ne videatur Christum accusare, modestiùs dicit, *Domine nescimus, quo vadis, & quo modo possumus viam scire?*

Tract. 69.

6. *Dicit ei Iesus, Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.*) Si Christus minùs fuisset in respondendo liberalis, minùs nobis in huius loci interpretatione laborandum esset. Si enim non plùs respondisset, quam interrogatus fuerat, facilè intelligeremus eum respondere se ad Patrem ire, eundemque se viam esse, qua quisquis ad Patrē ire vellet, ire oporteret. Nunc autem cùm non solùm viam se, sed etiam veritatem, & vitam esse dicat, quid sibi hæc velint, quærendi nobis solicitudinem iniicit. Priùs respondet ad id, quod Thomas posteriore posuerat loco, quænā via esset; deinde ad id, quod priori loco, quonā eat; vtrumq; eos scire probat, quāuis, vt Augustinus ait, se scire nescirent: nam ad Patrem

Universidad de Deusto
Biblioteca

se ire, eos autem Patrem scire: & seipsum viam ad Patrem esse, se etiam illis notum esse. Primùm videdum qua ratione viam se ad Patrē esse dicat. Quatuor modis diuersi auctores viam esse interpretantur. Primò propter doctrinam, quia nobis viā ostendit, id est legem dedit, quam si obseruauerimus, ad Patrem perueniemus, & sine qua peruenire nō possumus. Ita Cyrillus. Secundò propter fidē in ipsum, quæ via est ad vitam æternam, si cætera accedāt necessaria, vt ipse ait: *Vt omnis, qui credit in eū, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Tertiò propter eius imitationem, quòd nemo possit, nisi eum imitando, ad Patrem ire, vt Basilius lib. de Spiritu sancto c. 8. Leo. ser. 2. de resurrect. Bernard. in lib. duodecim grad. humil. Quartò propter meritum, quo nobis ipse impeditam ante, & interseptam patefecit viam. Hæc omnia vera sunt, quamuis hoc quidem loco propriè de fide loqui videatur. At quorum se viam esse dicit? & suam opinor, & aliorum, modo tamen alio: ipse sibi via est, non quia credendo ad Patrem vadit, sed quia ipse per se, suo merito, sua auctoritate vadit, ipse sibi viam pandens, nemine monstrante, nemine aperiente, nemine præeunte. Nobis verò via est, quia eum præeuntem intuentes, id est in eum credentes, & eius insistentes vestigijs ad Patrem tēdimus. *Ibat,* inquit Augustinus, *ad seipsum per seipsum, & nos quo imus nisi ad ipsum? & qua imus, nisi per ipsum?* Hæc facilia sunt. Omnis quæstio, ac difficultas in eo est, quo modo se veritatem & vitam vocet. Ac de re quidem ipsa non dubitamus; scimus enim quo sensu se veritatem appellare soleat, quòd vmbras, figurásque veteris legis tanquam verum, solidúmq; veniens corpus excluserit, suprà. c. 1. 14. 17. & 8. 32. Quo sensu vitam quia vitam æternam solus tribuit. c. 1. 4. & 5. 26. & 6. 35. 48. Sed illud quærimus, qua ratione. & quo sensu hoc loco cum via veritatem, & vitam adiunxerit. Multa interpretes dicunt, quę vera quidem sunt, sed non videntur quæstionem soluere. Quale est, quod Chrysostomus, Theodorus Heracleot. Leontius, Theophylactus, & Euthymius, & Bernardus in lib. de duodecim gradibus humilitatis docent viam vocari, quia per eum ad Patrem imus; veritatem, quia omnia, quæ nobis pollicetur, præstare potest, réque vera præstabit; *quotquot enim promissiones in illo sunt, Amen,* vt ait D. Paulus; vitam, quia nobis vitam æternam præbet. Et quod ait Cyrillus, viam esse, quia per ipsum imus; veritatem, quia vera fidei rectitudo, ac determinatio est; vitam, quia non nisi per ipsum consequi vitam possumus. Et quod Ambrosius in lib. de bono mortis, *sequimur te Domine Iesu, sed vt sequamur accersis, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via, & veritas, vita, possibilitas, fides, præmium. Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, viuifica quasi vita.* Et quod Leo serm. 2. de resurrect. *via sanctæ conuersationis, veritas doctrinæ diuinæ, vita beatitudinis sempiternæ.* At non video quid hæc ad viam, de qua sola agebatur. Recentiores quidam viam initium, veritatem medium, vitam, finem interpretantur. Non intelligo qua ratione præterquam quòd auctores minimè boni sunt. Quid enim veritati cum medio? Magis probarem, quod alius quidam doctus profecto, & Catholicus dixit viam vocari, qua homines à paradiso exulantes eò redirent, veritatem, id est non figuram, qualis tota vetus lex erat, quæ propterea non potuit homines in paradisum reducere, *nihil enim ad perfectum adduxit lex;* vitam, id est lignum vitæ, quod in medio erat paradiso, aut quod per illud, quod in paradiso erat, significabatur. Magis, inquam, hoc probarem, si aliqua veteris legis mentio præcessisset, nunc verò cùm non præcesserit, vnde ista allusio tam remota, tam obscura, tam repentina? Duas ego probabiles interpretationes inuenio. Alteram, vt Hebraismus sit, qualem alibi notauimus, & nomen veritatis, & vitæ tanquam viæ epitheta adiecta sint, quemadmodum si dixisset, Ego sum via vera, & ad vitam ducens, aut Ego via veritatis, & vitæ hoc est, qua ad veritatem, & vitam itur, aut qua itur ad veram vitam. Alteram, vt veritas pro luce sumatur, quæ viam ostendit, quasi dicat, Ego sum via, & ego sum fax, quæ præit viam ipsam ostendens, & vita, ad quam via ducit, sicut dixit c. 1. 4. 5. hic idem Euangelista, *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet.* Quam expositionem videtur Bernardus in lib. de duodecim gradibus humil. indicasse. *Quid,* inquit, *est lumen vitæ, nisi veritas, qua illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum ostendit vbi sit vera vita? ideo cùm dixisset, Ego sum, via & veritas, subdidit, & vita.* Colligit ex hoc loco Theophylactus Filium æqualem esse Patri, quia cùm cap. 6. 44. dixisset, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* hìc contrà dixit neminem posse ad Patrem ire nisi per se. Multo etiam magis id colligitur ex eo ipso, quòd se veritatem, & vitam, & quidem Græcis additis articulis appellauerit, quod in solum potest Deum conuenire.

7. Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis.) Duplex hìc statim lectori occurrit quæstio; altera, quomodo dicat nunc *si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis*, indicans eos nec se, nec patrem suum nosse, cùm superiore versu dixerit, *Et quo vado, scitis, & viam scitis*, significans eos & se, & Patrem cognoscere; altera, quo modo cùm hìc indicet discipulos nec se, nec Patrem cognoscere, statim dicat & cognouisse, & vidisse eū. Quidam facilè vtrāque quæstionem soluunt; Græce esse εἰ ἐγνώκειτε με, καὶ τὸν πατέρα μου ἂν ἐγνώκειτε ἄν: quod vertendum sit, *si cognouissetis me, & Patrem vtique cognouissetis.* Quibus verbis non negat, sed potiùs docet, ac probat discipulos & se, & Patrem cognoscere, ac propterea, quo vadat, scire. Atque ita hæc verba neque præcedentibus, neque sequentibus repugnare, sed rectè inter se omnia cōsentire. Non assentior, & quia grauem auctorem, qui ad hunc modum interpretetur nullum inuenio præter Victorinum lib. 1. contra Arium, & Tertullianum in libro contra Praxeam; falluntur enim qui Augustinum, & Nonnum ita putant intellexisse; & quia dictio Græca ἄν subiunctiuum modum esse indicat. Itaque aliter verti non potest, quàm noster vertit interpres, *Si cognouisseris me, & patrem meum vtique cognouisseris*, quemadmodum nō Augustinus modò, & Latini omnes, Phœbadius in libro aduersus Arian. Rupertus, & alij; sed Græci quoque omnes Chrysostomus, vterque Theodorus, Heracleores, & Mopsuest. Cyrillus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius interpretantur, quasi Christus non confirmet quod ipse dixerat, *Et quo vado, scitis, & viam scitis*, sed vt respondeat ad id, quod Thomas obiecerat, *Nescimus, quò vadis & quomodo possumus viam scire? Ego* inquit, *sum via, veritas, & vita, si cognouissetis me, & patrem vtique meum cognouissetis*; quasi dicat non ita est, vt vos dicitis, propterea vos nescire viam, quia nescitis, quò vado, tanquam via ex termino cognoscenda sit; atqui non ita est, ex via potiùs terminum, id est ex me Patrem cognoscere debuistis. Itaque quod neque viam, neque viæ terminum cognoscatis, vestra est culpa; nam diu ante oculos vtrumque habuistis, si enim me, quocum tamdiu versati estis, quémque vos probè cognitum habere existimatis, bene cognosceretis, & Patrem vtique meum cognosceretis, *quia ego in Patre, & Pater in me est.* Priùs

ergo

Quot modis Christus via sit ad Patrē.

Sup. 31. 6.

Christus sibi, & nobis, seu suæ & aliorum via est ad Patrē, sed diuerso modo.

Tract. 69.

Hebr. 7. 19.

Sup. 14. 6.

Sap. viii.

8. Cypr. de lo.

Tract. 70.

Locus ad aduersus Arianos.

Exod. 33. 20.

Deus in Christo natura.

Tract. 70.

Aduersus Arianos duplex argumentum.

ergo significauerat & se, & Patrem illos noscere eum dixit, *Et quo vado, scitis, & viam scitis*, quia se illi & Patrem ruditer cognoscebant, eodémque modo dicit statim, *Et amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.* Cùm autem hìc indicat eos nec se, nec Patrem nosse, intelligit non nosse, quemadmodum oportebat, & accommodatè ad rem, qua de agebatur, ita vt scirent Patrem metam, Filium viam esse. Atque ita auctores illi omnes Græci, Latinique, quos modò nominaui, intellexerunt, ego pluribus tantùm, & clarioribus verbis eorum sententiam explicaui. Aliter etiam respondet Augustinus inter discipulos alios fuisse, qui cognoscerent, de quibus illud; alios, qui non cognoscerent, vt Philippus, de quibus hoc intelligendum sit.

Et amodo cognoscitis eum, & vidistis eum.) Vitiosè in nonnullis codicibus cognouistis, in alijs cognoscetis legitur. Sic enim legendum, vt posuimus, Καὶ ἀπ' ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν, καὶ ἑωράκατε αὐτόν. Quòd si ab ea lectione discedendum est, per præteritū potiùs, quàm per futurum legendum, quia & alterum verbum, *vidistis*, præteritum est, & quia sententia non euariatur; per futurum autem nullo modo legēdum, quia sententiam euariat. Et si non solùm apud Augustinum, apud Victorinum lib. 4. aduersus Arium, apud Rupertum, & alios Latinos, sed etiam apud Chrysostomum *cognoscetis* legitur, & per futurum etiam exponunt, fore vt cognoscant, cùm Spiritum sanctum ad eos miserit. Quis igitur sensus, *amodo cognoscitis eum, & vidistis eum?* Cùm eum cognoscatis, atque oculis videatis, & quidem nunc, dum me cognoscitis, atque videtis, (qui enim me videt, illum videt) tamen non cognoscitis. Notat eorum cæcitatem, quòd videntes non videant. Efficax aduersus Arianos hic locus est; docet enim Christus eum, qui se bene nouerit, & Patrem nosse, quod non vtique sequeretur, si non eadem Patris, & Filij natura esset. Itaque Victorinus libro 4. & Phœbadius vehementer hunc locum vrgent.

8. Dicit ei Philippus, Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.) Putauit Philippus, vt Cyrillus, & Leōtius, & Theophylactus scribunt, corporeis oculis Patrem videri posse immemor illius sententiæ, *Non videbit me homo, & viuet.* Arripit Christi verbum, cóque illū vrget, vt sibi Patrem ostēdat. Dixerat Christus eos Patrem vidisse, non audet dicere Philippus non ita esse, ne cōtradicere præceptori videatur, sed petit ab eo modestiùs, vt quod verbis dixerat eos Patrem videre, re ipsa cóprobet, eumq; sibi demōstret. Quasi diceret, fac, vt, quod dicis, verum sit, & sufficit nobis. Hoc autem ipsum, quod dicit, *sufficit nobis*, triplicem habet sensum. Chrysostomus existimat sensum esse *sufficit nobis*, id est nihil te iam præterea interrogabimus, non erimus in posterum tibi molestijs timuisse enim, ne Christo molesti essent tā sæpe eum eadem etiam de re interrogantes. Euthymius verò, & Rupertus, *sufficit nobis* ad cognoscendū & quò eas, & quæ sit via. Nam viam, id est te iam satis nouimus, hoc vnum nobis deest, vt quemadmodum te videmus, atque cognoscimus, ita & Patrem videamus. Hæc interpretatio mihi nō displicet, quia ad locum, & ad id, quod agebatur, accommodata est. Cyrillus verò, & alij, *sufficit nobis* ad est, beati omnino erimus, nihil nobis ad perfectam beatitudinem deesse arbitrabimur. Hæc est enim vita æterna, vt Patrem cognoscamus, & te, quem misit, Iesum Christum. Satiabimur, cùm apparuerit gloria eius.

9. Dicit ei Iesus. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me, Philippe? qui videt me, videt & Patrem.) Chrysostomus, Cyrillus, Leōtius, Augustinus, Beda, Theophylactus, & Euthymius vocatiuum *Philippe*, cum præcedentibus, non cum sequentibus iungunt, quemadmodum Tertullianus etiam legit in lib. contra Praxeam, Irenæus tamen lib. 3. c. 13. cum sequentibus fūgit, nisi librarij vitium est. Non dixerat Philippus, Ostende nobis te; sed, *ostende nobis Patrem*, indicans & alios discipulos Christum quidem satis vidisse, Patrem autem non vidisse, Christus verò non respondet, *tanto tempore vobiscū sum, & non cognouistis* Patrem, quemadmodum vt respōderet, ratio postulare videbatur, sed respondet, *tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* indicans non solùm Patrem eos, sed ne se quidem, quem videbāt, quémque maximè cognoscere putabant, adhuc cognouisse. Ita non esse illis laborandum, vt Patrem, sed vt se, quem ante oculos habent, cognoscāt: loco Patris sese illis iam diu ostendere; qui enim se videt, & Patrem videre. Magno hoc artificio dictum est. Illud etiam Theodorus Heracleot. Chrysost. Theophyl. obseruant, non dixisse *tanto tempore vobiscum sum*, & nō vidistis me, cùm tamen de videndo, nō de cognoscēdo ageretur, vt discipulos in solam corpoream cogitationem, visionémque defixos ad spiritualem visionem traduceret, quæ non corporis, sed animi oculis fit, quæque cognitio magis proprie, quàm visio nominatur. Indicat ergo non debere eos corporea visione esse contentos, qua Pater videri non possit; animo videre oportere, quo nōdum se viderint, tam longo tempore corpore videntes. Etenim si se vidissent & Patrem vidissent; quia, qui se videt, & Patrē videt. Secundo loco nō iam dicit, qui cognoscit me, cognoscit & Patrem, quia iam significauerat aliam esse præter illam corpoream animi visionem, quam cognitionem appellauerat; & voluit accommodatè ad Philippi quæstionem loqui, qui videre, non cognoscere cupiebat Patrem. Planè hìc Christus ostendit duas esse naturas, aliam humanam, atque corpoream, quæ oculis; aliam diuinam, quę solo animo aut apertè in cælo, aut obscurè in terris ex signis, atque miraculis videatur. Eodem enim loco docet se & à discipulis videri, & non videri: videri humanam, non videri diuinam, id est non cognosci naturam. Cùm enim dicit, *Qui videt me, videt & Patrem*, vt rectè D. Augustinus obseruauit, haud dubiè significat se ab illis non videri; cùm tamen vt homo eorum oculis videretur. Non est opus admonere Græcè non esse, *Et non cognouistis me* sed *non cognouisti me*. Duplex ergo hinc aduersus Arianos colligitur argumentum. Alterum quòd Christus dicat se videri, & non videri duplicem in se humanam, atq; diuinam naturam indicans, quod idem contra Eutychianos valere potest. Alterum quòd dicat, *qui videt me, videt & Patrem*, quod verum profecto non esset, si vna Patris, & Filij communis non esset natura. Itaque hoc argumento nō solùm hoc loco Chrysost. Cyrillus, Theodorus Heracleot. Leontius, Augustinus, Beda, Theophyl. & Euthymius, sed multo maximè illi, qui in arena ipsa cùm Arianis decertarunt, magno effectu vsi sunt, Athanasius orat. 1. & 2. contra Arianos, & serm. 3. & 4. contra eosdem, Victorin. lib. 4. Ambros. lib. 5. de fide cap. 5. Basil. libro de Spiritu sancto cap. 8. & hom. 28. contra Sabellianos, & Arianos, sed & contra Sabellianos hoc vsi sunt loco, Tertullianus libro aduersus Praxeam, antequam Sabellius existeret, Basilius hom. 28. contra Sabellianos, Augustinus, Chrysostomus, & Theophylactus hoc loco. Non enim dixisse Ego sum Pater, sed, *qui videt me, videt Patrem*. Et rursum, *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Quæ verba vehementer Tertullianus vrget.

Universidad de Deusto
Biblioteca

10. *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?*) Declarat, q̃ ante dixerat, *Non cognouisti me*, q̃ enim tunc dixit, *non cognouisti*, nunc dicit, *non credis*, quia diuina natura credẽdo cognoscitur. *Cur in similibus*, inquit Augustin. *distantia cupis cernere? Cur inseparabiles separatim desideras nosse?* Si tãtùm dixisset, *Pater in me est*, potuissent fortassis Ariani calumniari Patrem in Filio, sicut Regẽ in Legato suo esse. Nunc autem cum non solùm Patrem in se, sed se etiã in Patre esse dicat, quid quæso significare potest, nisi vnã vtriusque, æqualémque esse naturam? Quod nescio, an quisquam animaduerterit. Atque hoc vno verbo longissima Arianorum disputatio refutatur, quam multis hîc verbis Cyrillus refert: refellit hoc testimonio Valentinianos suos Irenæus lib. 5. c. 18. *Tract. 70.*

Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manẽs, ipse facit opera.) Probat, quod dixerat se in Patre, & Patrem in se esse; quia & verba, & opera vtriusque communia, & eadem sunt. Videtur autem dicere debuisse, *Pater autẽ in me manens ipse* loquitur verba, quia dixerat, *Verba, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor*. Augustinus, & Beda, q̃ & Chrysostomus probat, pro eodẽ verba, & opera accipi putant, quia & verba opera quædã sunt, & qui loquitur aliquid agit, idcóque pro verbis secundo in loco opera posuisse. Melius idẽ Chrysost. Cyrillus, Theodorus Mopsuest. Leõtius, Theophylactus, Euthym. & Rupertus, verba & opera res distinctas significare. Duobus enim modis Christi diuinitatẽ cognosci potuisse, ex verbis, atque doctrina, & ex operibus, id est miraculis, quæ patrabat, vtraque sibi communia fuisse cum Patre, nam Patrẽ esse, qui per se tãquam per verbum loqueretur, & per se tanquã per virtutem, & brachium suum operabatur, & miracula faciebat, vt Leontius, & Cyrillus interpretãtur. Quo ergo modo dicit à seipso non loqui? Augustinus, & Beda putant Christum non modò tanquam hominem, sed etiam tãquam Deum loqui, diceréque à se ipso non loqui, quia etiam, vt Deus est, nõ à se ipso, sed à Patre est. Patrem illi naturam dando, & verba & opera dedisse. Melius Cyrillus, Leõtius, & Theodorus Mopsuest. loqui tanquam hominem, quasi dicat, etsi me hominem videtis esse, tamen verba, quæ loquor, & opera, quæ facio, non humana, sed diuina sunt; itaq; ex illis cognoscere deberetis me plus esse quàm hominem, & Patrẽ in me perspicere. Non piget me Augustini hoc loco contra Arianos, & Sabellianos verba subscribere, nec pigere lectorẽ debet legere. *In his* inquit, *duabus sententijs, vna, qua dictum est, A meipso non loquor, altera, qua dictum est, Pater autem in me manẽs ipse facit opera, singulas tenẽtes diuersi nobis aduersantur hæretici, qui non ex vna parte, sed in contraria conantes à via veritatis exorbitant. Ariani quippe dicunt, Ecce inæqualis est Patri Filius, à seipso nõ loquitur. Sabelliani contra, id est Patripassiani, Ecce qui pater est, ipse & Filius. Quid enim est, Pater in me manens ipse facit opera, nisi in me maneo ego qui facio? Contraria dicitis, sed non eo modo sicut est falsum contrarium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria. Errando in diuersa itis, in medio est via, quam relinquitis. Inter vos ipsos longiore interuallo separati estis, quàm ab ipsa via, cuius desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc huc venite; alteri ad alteros transire nolite; sed hinc atq; illinc ad nos veniendo inuicẽ vos inuenite. Sabelliani agnoscite, quẽ prætermittitis; Ariani aquate, quem subditis, & in via vera nobiscum ambulabitis; est enim quod inuicẽ ex vobis alteri ex alteris admoneri vtiq; debeatis. Audi Sabelliane, vsque adeo non ipse Pater, sed alter est Filius, vt eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi Ariane, vsq; adeo Filius equalis est Patri, vt Sabellianus eundẽ esse dicat & Patrem. Tu adde, quem tollis; tu* *Christus hîc tanquam homo loquitur.*

Contra Sabellianos, & Arianos præclari testimonii Augustini. Tract. 71.

adimple, quem minuis, & nobiscum ambo constituis. quia nec tu tollis, nec tu minuis eum. qui & alter est à Patre, vt cõuincas Sabellianũ, & æqualis est Patri, vt conuincas Arianum, vtrisque enim clamat, Ego, & Pater vnum sumus. *Supra 30.*

11. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite.*) Mentionem de verbis, & operibus fecerat. Habent autem multo maiorem ad persuadẽdum vim opera, quàm verba. Dicit ergo, si tam increduli estis, vt propter verba credere nolitis, tamen *propter opera ipsa credite*, quæ negare non potestis esse diuina. Græci codices, quos vidi, omnes non legunt, ὑ πιστεύετε, *non creditis*, sed πιστεύετέ μοι, *credite mihi*; atque ita auctores quoque Græci fere omnes interpretantur, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius. Latini contrà legũt, *non creditis?* cum interrogatione. Noster interpres haud dubiè ita legit, &, vt videtur, etiam inter Græcos auctores Leontius, & Theodorus Heracleotes. Certè Nonnus poëta ita vertit. Sensus quidem eodem redit, sed nostra lectio sententiam habet magis emphaticam. Nec obstat illud verbum, quod mox sequitur εἰ δὲ μή, *alioqui*, perinde enim valet, ac si diceret, Si non creditis verbis, saltem operibus credite. Eodem etiam modo dixit capite 10.38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

12. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*) Quærendum hîc videtur, quorsum Christus hoc addiderit; videtur enim vim omnẽ superioris argumẽti eneruare. Dixerat ex operibus suis cognosci posse se esse Deum, hoc est se in Patre, & Patrem in se esse; nunc verò dicit, quisquis in se crediderit, eadem facturum opera, nonnulla etiam maiora, quàm quæ ipse faceret; atqui illi, qui in ipsum credunt, Deus certè non sunt, nec ipsi in Patre, nec Pater in ipsis est; si ergo ex eorum operibus, quæ aut eadem, aut etiã maiora erunt, non sequitur ipsos in Patre, & Patrem in ipsis esse; quomodo sequitur ex operib⁹ Christi? Responsio ex illo verbo, *qui credit in me*, colligenda est; eo enim verbo significat eos non propria ipsorum, sed sua ipsi⁹ potestate, auctoritateq; miracula facturos. Quare non ipsorum, sed suam asserit potestatẽ, quæ tanta, támque diuina esset, vt non ipse per se modò, sed alij etiam quicunque in se crederent, id est qui crederent se in Patre, & Patrem in se esse, eadem possent eius auctoritate facere. Ita fit, vt non sequatur eos in Patre, & Patrem in eis: sequatur autem Christũ in Patre, & Patrem in Christo esse. Indicarunt hoc Cyrillus, Leõtius, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus. Propterea enim dixisse, *qui credit in me, maiora horum faciet*, vt ostẽderet sua eos auctoritate, non propria ipsorum facturos esse: aut, vt Theodorus Mopsuest. ait, hac ipsa ratione ostendisse Deũ, quòd dicat se multo maiora miracula per eos post mortem facturum esse, quàm per se ipse viuens fecerit. Quærunt multi, quæ illa sint maiora, quàm ipse fecerat miracula, quæ discipulos suos facturos dicit. Omnes fere respondẽt maius illud fuisse, quòd sola Petri vmbra ægrotos sanaret, quòd ægroti in plateas proicerẽtur, & quotquot eius vmbra tangeret, sanarentur, Act. 5.15. sic Augustinus, Theodorus Heracleensis, Beda, & Rupertus. Theodorus verò Heracleotes tribus rebus Apostolorũ miracula miraculis Christi docet excelluisse. Primùm, quòd ipsâ per se maiora fuerint, vt illud, quod de vmbra Petri modò recitabamus. Deinde, quòd Christus nullum, nisi beneficij loco miraculũ fecerit, quale est, mortuos suscitare, ægrotos curare; Apostolos plura miraculorum quàm Christus fecerint genera, non ea solùm, quæ ad hominum beneficentiam, sed etiam,

quæ ad

quæ ad pœnam pertinerent, sicut Petrus Ananiam, & Saphiram solo interemit verbo, Actor. 5.5.9.10. sicut Paulus Elymam illum Magũ excæcauit, Act. 13.11. & Corinthium illum iuuenẽ Satanæ vexandum tradidit, 1. Corint. 5.5. Putat enim Theodorus, quæ aliorum plurium auctorum sententia est, iuuenem illum non tantùm animo, sed etiam corpore à Satana vexatũ fuisse. Postremo, quòd Christus non nisi in Iudæa, Apostoli per totum terrarum orbem miracula fecerint; itaque fama etiam & celebritate Christi miracula superarunt. Addit Rupertus Christum non nisi vna locutum lingua, Apostolos omnibus; quod ipsum si non ad magnitudinem, ad celebritatem quidem certè miraculorum pertinet. Obseruarunt Augustinus, Beda, Theophylactus, & Euthymius, non dixisse Christum, Maiora facier, quàm ego facturus sum, quia & illa maiora, quę illi facturi erant, non per se ipsi, sed ipse per eos facturus erat. Itaq; perinde hoc est ac si diceret eos ex miraculis, quæ ipse per se eo vsq; fecisset, satis supérque posse cognoscere se in Patre, & Patrem in se esse; sed multo magis ex ijs, quæ ipsimet eius auctoritate facturi essent, id esse cognituros; multo enim maiora facturos esse, & suis quodammodo manibus experturos ita se rem habere. Quod non modò probandi, quod dixerat, sed discipulos etiam cõsolandi causa dixisse Chrysostomus existimat; quasi diceret, Ego hactenus miracula feci, vos posthac facietis.

13. *Quia ego ad Patrem vado; & quodcũque petieritis in nomine meo, hoc faciã, vt glorificetur Pater in Filio.*) Meritò multi quærunt interpretes, qualisnã ista sit ratio, propterea eius discipulos maiora miracula facturos, quia ipse ad Patrem vadit. Quattuor huius rei apud veteriores interpretes explicationes innenio. Chrysostomus, Theophylact⁹, & Euthymius existimant hunc esse sensum, Si ego ad Patrem non irem, si ex hoc mundo non discederem, non esset opus vt vos miracula faceretis, ego enim ipse per me facerem; nunc autem cùm ex hoc mundo discedam, & ad Patrem vadã, necesse est vt curam istam, auctoritatémque miracula faciendi vobis relinquam, qui in me creditis. Aliter idem etiam Chrysostomus, propterea qui in me crediderit ista, & alia maiora miracula perficiet, quia etsi ego ad mortem eo, in morte tamen non manebo, non extinguar, sed ad Patrem ibo; itaque potestatem ijs, qui in me crediderint, dare potero miracula faciendi. Eandem expositionem Theodorus Mopsuest. indicauit. Rupertus propterea, inquit, maiora miracula facietis, quia per meum ad Patrem abitum, id est per mortẽ, ac resurrectionem meam peccata vobis remittentur, & vos potestatem accipietis aliorum peccata remittendi. Hæc sententia ideo mihi non placet, quia de faciẽdis miraculis, non de peccatis remittendis agebatur. Duæ verò primæ, quia etsi rationem aliquam probabilem reddunt, cur qui in Christum credetẽt, miracula facturi essent, tamẽ cur maiora, quàm ipse fecisset, facturi essent, rationem non reddunt, quod in primis erat necessarium. Cyrillus, Leontius, & Theodorus Heracleotes rem mihi videntur meliùs explicasse. Hactenus, inquit, Christus quia vobiscum versabar habitu serui, nolui multa quæ poterã miracula edere, vt me intra humilitatis, quam præ me ferebam, terminos continerem; nunc quia ad Patrem vado, vt ad illius dexteram assideam, nunc quia non iam humilitatis, sed gloriæ, ac maiestatis meæ demonstrandæ tempus est, maiora per eos, qui in me credent, quàm per me feci, miracula faciã. Mihi ex verbis sequẽtibus alia etiam, ac fortasse probabilior explicandi ratio colligi videtur posse. *Et quodcunque*

petieritis, inquit, *in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio*, quasi dicat, quia ad Patrem vado, quasi regnum illi, gloriámque partæ per me victoriæ traditurus, maiora per vos miracula perficiam, quo magis per me Pater glorificetur; aut quia ad Patrem vado parta victoria, quidquid petieritis in nomine meo, faciam vobis; solẽt enim Reges tùm largissimè beneficia cõferre, cùm noua sunt læti victoria. Ergo hactenus ego nõ quæ poterã, sed quæ videbã omnino esse necessaria, miracula feci, posthac non ad necessitatẽ modò, sed ad vestrã voluntatẽ, petitionémque miracula faciam, & quia plura vos ac maiora, quàm ego feci, miracula petetis, plura quoq; facietis atque maiora. Aperite os vestrum, *& implebo illud*. In nomine Christi petere est, vt Theophyl. & Euthym. aiunt, petere eius inuocato nomine, sicut Petrus Act. 3.6. claudũ illum sanauit dicens, *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula*; aut petere per merita Christi, vt Ecclesiæ vsus interpretatur. Etsi Augustinus, alicubi subtiliùs, nescio an verius rem disserit; eũ petere aliquid in nomine Iesu, qui petit in nomine saluatoris; nomen enim Iesu saluatorẽ significare, id autẽ peti nomine saluatoris, quo ad salutẽ pertineat; propterea multa nos nomine etiã Christi petentes non obtinere, quia non conducunt ad salutẽ nostram. Duo in illo verbo, *Faciam vobis*, ab auctoribus obseruata sunt; alterum à Chrys. Theophyl. & Euthym. nõ dixisse, *Quodcũq; petieritis in nomine meo*, Pater faciet, aut, ego Patrẽ rogabo, vt faciat, sed *hoc faciam* vobis, vt ostẽderet, quasi Arianorum calumniam timẽs, se id non aliena, sed sua, ac propria tanquam Deum auctoritate facturum esse. Alterum ab Augustin. *Qui dixerat*, inquit, *facies, post ait, faciam, tanquam diceret, Non vobis hoc impossibile videatur, nõ enim poterit esse maior me qui credit in me, sed ego facturus sum, & tunc maiora quam nunc; maiora per eum, qui credit in me, quàm prater eum per mesegotamen ipse prater eum, ego ipse per eum: sed quando prater eum, non faciet ipse, quando autem per eum, quasi minus non per semetipsum faciet & ipse. Porro autem maiora facere per eum, quàm prater eum, non est defectio, sed dignatio.* Qua autem ratione fiat, vt multa multi petentes non accipiant, & nos alibi, & hîc Augustinus explicat, quòd, vt ait Iacobus, malè petamus, Iacobi 4.3. *Tract. 72.*

Psal. 80. 11. In nomine Christi petere quid sit.

Tract. 73. & 102.

1. cap. 7. Matth. ver. 7. 8. 9.

14. *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.*) Asseuerandi causa, vt Euthymius ait, idem repetit. Voluit enim fixum in illis manere expedire ipsis, vt ad Patrem abiret.

15. *Si diligitis me, mandata mea seruate.*) Ignibium cur hoc Christus adiecerit. Chrysostom. Cyrillus, Theophylact. & Euthym. putant conditionem explicari; qua promiserit facturum se, quidquid in suo nomine petierint, nempe si se diligerent, ac mandata sua seruarent, ne errarent existimantes, quidquid quacunque ratione peterent, esse consecuturos. At si hoc dicere voluisset, non dixisset, *Si diligitis me, mandata mea seruate*; sed, si dilexeritis me, & mandata mea seruaueritis: Augustinus, Leontius, & Theodorus Mopsuest. videntur existimare Christum docere voluisse, quid illi facere deberent, vt Spiritum sanctum illis mitteret; itaque non ad præcedentia, sed ad sequentia referunt. Eadem ratione hoc refutatur, nec enim dixisset, *Si diligitis me, mandata mea seruate*, sed si dilexeritis me, & mandata mea seruaueritis. Neque dixit postea, & ego rogabo Patrem, sed sine coniunctione, *Ego rogabo Patrem*. Alij putant fortasse probabilius sensum esse, si me diligitis, ne vestrum erga me amorem in eo ostendatis, quòd egrè feratis discessum meum, sed in eo potiùs, vt mandata mea diligẽter obseruetis, quem sensum

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam Chrysostomus videtur insinuare. Ego aliud consolationis genus esse arbitror, bono estote animo, mihil vobis deerit, si me diligitis, id est, quandoquidem me diligitis, seruate mandata mea; diligentibus enim me, & mandata mea seruantibus nihil deerit, mihil nocebit, *non est enim inopia timentibus eum, & diligentibus eum, omnia cooperantur in bonum*, quin & *ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*. Mouet, & multis verbis agitat quæstionem Augustinus, quomodo possent illi Christum diligere, & eius mandata seruare, si nondum illis Spiritus sanctus datus erat, cùm sine caritate nemo Deum diligere, nemo eius mandata seruare possit, & caritas non diffundatur *in cordibus nostris*, nisi *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Summa responsionis eius est, iam illis inuisibiliter, & minùs abundanter Spiritum sanctum datum fuisse; dandum verò fuisse postea visibiliter, & abundantiùs.

Psalm. 33. 10. Rom. 8. 28 1. Ioan. 4. Vers. 16.

Sine caritate nemo mandata Dei seruare potest. Rom. 5.

16. *Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.*) Non dicit hîc mittam, sed, *rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*, cùm non dixisset ante, *Quodcunque petieritis in nomine meo*, ego rogabo Patrem, & faciet vobis; sed *hoc faciam* vobis. Cuius rei causam interpretes quærunt. Aliqui non aliam rationem reddunt, quàm quòd voluerit Christus nunc vt homo, nũc vt Deus loqui, vt suam vtramque naturam demonstraret. Quam etiam rationem Chrysostomus, & Cyrill. indicant. Alij quo magis discipulis persuaderet verè se, quòd promitteret præstiturum; faciliùs enim credituros Apostolos fuisse, Spiritum sanctum mittendum sibi fore, si Patrem, quàm si se missurũ diceret. Sic etiam Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Aliam quoque causam Theophylactus indicat, ne arrogãter loqui videretur. Mihi propterea videtur missionem Spiritus sancti Patri tribuere, quòd ipse quoq; à Patre missus esset, & de illo ageret suo loco mittẽdo, quasi dicat, *Ego rogabo Patrem*, vt quemadmodum me ad vos misit, ita nunc cum ego me ad illum recipiam, alium meo loco vobis mittat. At non propterea significat se illum nõ esse missurum; dicit enim cap. 16 7. *Si autem abiero, mittam illum ad vos*. Paracletum vocat Spiritum sanctum quasi consolatorem, id enim huic maximè loco conuenit; vbi de consolandis discipulis agebatur. Itaque quod quidam dicunt paracletum quasi magistrum appellari, vt Leontius, & Theodorus Mopsuestienſis aiunt, quia postea dicit, *docebit vos omnem veritatem*, &. & quod dicunt alij, παράκλητον paracletum, quasi aduocatum dici, quòd postulet *pro nobis*, vt ait D. Paulus, *gemitibus inenarrabilibus*, quo sensu 1. Ioan. 2. παράκλητος. id est aduocatus, vt ait Cyrillus, & Augustinus, appellatur, etsi id etiam vocabulum fert, quia minùs ad rem pertinet, minùs probo. Obseruarunt multi, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Theodorus Heracleensis, Theophylactus, & Euthymius, cùm Christus dicit, *alium paracletum dabit vobis*, se etiam ipsum *paracletum* appellare, quod & ipse consolator hominum sit. Nomen enim paracleti, id est consolatoris quamuis tribus diuinis personis commune sit, tamen per attributionem Spiritui sancto datum est. Perinde ergo est, ac si dicat Christus, Ego vos hactenus consolabar, ideóque tristes estis, quòd existimetis vos post meum à vobis discessum consolatore carituros; non ita erit, alium enim pro me cõsolatorem habebitis. Hinc ijdem illi auctores Sabellianos, Macedonianósque refellunt. Nam contra Sabellianos quidem trium personarum distinctionem significari, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*; nec enim quæ rogat, & quæ rogatur; quæ dat, & quæ datur, eandem posse esse personam: contra Macedonianos verò notari vnitatem essentiæ, cùm paracletus vterque vocatur. Quòd dicit, *Vt maneat vobiscum in æternum*, quam vim habeat, pauci mihi videntur obseruasse. Rupertus putat significari paracletum illum, quem Christus promittebat, in æternum cum Apostolis mansurum esse, quia illos vsque ad vitam æternã perducturus erat. Chrysostomus, & Euthymius, & nescio quis auctor alius, quẽ in Græcorum Catena nullo notato nomine citatum inuenio, in æternum cum Apostolis mansurũ fuisse, quia etiam post mortem cum illis mansurus erat. Solus Theophylactus, si quis attigit, rem mihi videtur attigisse. Vocauerat Christus vtrumque & se, & Spiritũ sanctum paracletum, eúmque suo loco venturum dixerat, docet nũc obscura quadã antitheſi aliter, quàm ipse ad eos missus fuerat, Spiritum sanctũ esse mittendum; se ad breue venisse tempus paulò post per mortem ad Patrem rediturũ; Spiritum sanctum ita venturum, vt nunquam moriatur, (nec enim posse) nunquam ab ipsis discedat. Itaq; illud *in æternum* Hebraico idiomate tẽpus tantùm significat huius vitæ, nam de futura vita non agitur. Refellunt ex hoc loco Theodorus Heracleotes, & Hieronym. q. 9. ad Hedib. Montani, Priscillæ, & Maximillæ hæresim, qui longè post Apostolorum ætatem in Montanum primùm Spiritum sanctum missum dicerent.

Paracletus cur dicatur Spiritus sanctus.

Inf. c. 16. 13.

Rom. 8. 26. Lib. 9. c. 44.

Sabellianismi, & Macedoniani refelluntur.

17. *Spiritũ veritatis, quem mundus nõ potest accipere.*) Exponit quem vocauerit *paracletum*, *Spiritũ*, inquit, *veritatis*. *Spiritum veritatis* Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus vocari dicũt, vt opponatur spiritui veteris legis, qui nõ spiritus veritatis, sed vmbræ erat, atque figuræ: veritatem enim vmbris, ac figuris legis opponi, cap. 1. 14. 17. & 4. 23. obseruauimus. At hoc loco de lege veteri nõ agebatur. Melius Euthymius opponi cæteris spiritibus, qui creaturæ sunt, quasi alij eius comparatione veri nõ sint. Sed neque hoc ipsũ ad rem magnopere videtur pertinere. Alij spiritum veritatis vocari putãt, quòd doctor sit veritatis, vt Theodorus Mopsuest. Hoc probabilius, quia ita videtur interpretari Christus, c. 16. 13. *Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Sed adhuc videtur nõ satis ad id, quod agebatur, accommodatum, de consolatione enim, non de doctrina agebatur. Itaque duobus prẽterea modis, si hic nõ placet, interpretari possumus. Altero, vt Hebraismus sit, dicatúrque spiritus veritatis, id est permanens, stabilis, stabilitatẽ enim Hebræi veritatem vocant, *Fiat tantùm pax, & veritas in diebus meis*, id est pax firma, & stabilis, Isai 39. 8. *& dabo opus eorũ in veritate, & fœdus perpetuum feriã eis*, Isai. 61. 8. Quia ergo dixerat spiritum mansurum cum Apostolis in æternum, vocat *spiritum veritatis*, id est perpetuo manentem, quem etiam sensum Chrysostomus indicat. Altero, vt spiritus veritatis, id est ver⁹ Dei spiritus appelletur, opponatúrque mundi spiritui, atq; sapientiæ, qui mendax, & fallax est, sicut sapientia diuina atque humana apud D. Paulum opponuntur, Rom. 8. 6. 7. & 1. Corinth. 1. 26. quemadmodum Cyrillus, Augustinus, & Beda videntur exponere. Propterea enim statim addit, *quẽ mundus non potest accipere*. Nam idcirco nõ potest accipere, *quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere*. Sic enim potiùs interpretor, quàm cum Theodoro Heracleota, Theophylacto, & Euthymio non posse mundum, id est mũdanos, & carnales homines eũ accipere, quia supra corpus nihil cogitant, & illẽ corporis expers est. Hoc est, quod statim addit, *quia non videt eum, nec scit eum*. Videre,

vt Chry

vt Chrysostom. ait, pro intelligere ponitur; itaque idem est, quod scire. Dicit ergo propterea mundum spiritum illum accipere non posse, quia non potest illum intelligere; non potest gustare. E contrario verò dicit, *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*. Mundus recipere non potest, quia alienus, nouus, insolens illi videtur esse, exercitatos in rebus diuinis sensus non habenti; *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit*, id est quia familiaris, & consuetus vobis est, sempérque vobiscum erit. Sic fere Gregor. lib. 5. Moral. c. 20.

18. *Non relinquam vos orphanos, veniũ ad vos.*) Aliud hoc cõsolationis genus. Consolatus eos fuerat promissione Spiritus sancti, quem suo loco venturum dixerat, neque ab illis vnquam discessurum; sed illi eius potissimùm præsentiam desiderabant, se etiam promittit nõ semper ab illis abfuturum, rediturum ad illos aliquando. Hoc autem ipsum accõmodatis ad consolationem dicit verbis, *Non relinquam vos orphanos*, dum enim orphanos vocat, filios appellat, vt notant Augustinus, & Beda. Aliquanto aliter Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, sed in eandem fere sententiam, orphanos dixisse, quia paulò suprà c. 13. 33. filios appellauerat. Rupertus, *non relinquam vos orphanos* id est in peccato: morale, & non admodum aptè. *Veniam*, inquit, *ad vos*; aliquando redibo, quod de quonam suo intelligat reditu, nõ conuenit inter interpretes. Plerique de resurrectione intelligi volunt, post quam sæpe Christum Apostolis legimus apparuisse, & apparuisse quidem sic, vt eum Apostoli viderent, mundus non videret, quemadmodum statim dicit, *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt, vos autẽ videtis me*, id est visuri estis. Sic vterque Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Alij de ipsa Spiritus sancti missione hoc interpretantur, quasi se ad discipulos venturum dicat, quia per Spiritum sanctum venturus erat, vt Cyrillus, & Rupertus; quod nescio an probabile videri possit, cùm de aduentu Spiritus sancti iam Christus disseruisset, & nouum hîc, vt diximus, consolationis genus sit. Augustinus, & Beda, & Leontius de secũdo Christi aduentu, quod vt magis probem, facit, quòd c. 16. 16. 17. 19. vbi eandẽ, & ijsdem fere verbis sententiam repetit, de illo vltimo loquatur aduentu, vt multis ibi verbis exponit; & quòd id, quod versu 20. sequitur, *in illo die cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*. de illo propriè tẽpore intelligatur, quo tẽpore Apostoli non iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciẽ visuri erant, & quòd ver. 3. eodem sensu dixerit, *rursum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis*. At id tempus longissimè aberat; fateor, sed illud ipsum vocat *modicũ*. c. 16. 16. & Ioannes, quod amplius est, horam nouissimam, 1. epistola c. 2. 18. quia mille anni in conspectu Dei tanquam dies vna 2. Petri 3. 8. Cur ergo non eos potiùs consolabatur dicens post tres dies, hoc est post resurrectionem ad eos rediturum? Primùm quia multo minùs tunc consolationis per eas apparitiones, quàm postea per secundũ aduentum suum illis erat allaturus. Deinde quia illæ post resurrectionem apparitiones ad breue fuerant tempus, & non nisi quasi per transennam se illis ostendebat; præsentia autem illa sua, quam illis per secundum aduentum exhibiturus erat, erat futura perpetua.

Cur orphanos vocet suos Apostolos Theophylactus.

Præsentia illa Patris, quam discipulis per resurrectionem exhibuit, breuis.

19. *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt; vos autem videtis me.*) Quod tempus modicum vocet, modò diximus, nempe quod vsque ad secundum aduentum reliquum erat. *Videt*, & *videtis*, pro videbit, & videbitis posita sunt. Sæpe monuimus magna cum emphasi, & gratia præsentia pro futuris poni, vt, *Elias venit*, id est venturus est. Matt. 17. 11. & *Messias venit*, eodem modo suprà cap. 4. 25. At quomodo dicit mundum se visurum non esse, si de secundo loquitur aduentu cùm tunc omnis caro eum visura sit? Facilis solutio: dicitur mundus eum iam non visurus, quia non nisi & momento temporis, & ad suam condemnationem visurus est, quemadmodum sæpe significatur peccatores resurrecturos nõ esse, non quòd resurrecturi non sint, sed quòd nõ nisi ad mortem resurrecturi, suprà cap. 6. 39. 44. 54. Alioqui idem argumentum contra eos valet, qui hoc de tempore resurrectionis Christi interpretantur; qui enim dicit mundum se visurum non esse, significat nunquam esse visurum. Is denique sensus, quem exposuimus, & verbis sequentibus confirmatur.

Quia ego viuo, & vos viuetis.) Probat arq; declarat, quod dixerat, mundũ se visurum nõ esse, Apostolos autem visuros, quia nimirum Apostoli ad vitam resurrecturi erant, & cum eo semper victuri, mundus autem in perpetua mansurus morte, mortui autem videre non possunt. Hic verus est sensus, & ijs, quæ modò de resurrectione diximus cõsentaneus, atque eodem fere modo, certè de resurrectione Augustinus, Chrysostomus, Beda, Cyrillus, & Euthymius interpretantur. Quo magis Theophylactum miror interpretantem, *Et vos viuetis*, id est gaudebitis, cùm me post resurrectionem conspicietis, quia gaudium vita quẽdam sit. Tolerabilius est, quod Rupertus ait, *quia ego viuo, & vos viuetis*, id est propter meam resurrectionem vos habebitis spiritualem vitã, quia per eam vobis remissionem merebor peccatorum. Illud ego neminem animaduertisse video, comparationem ex Hebræorum idiomate in his verbis latere, quam indicat particula illa, *Et*, quæ sæpe apud Hebræos, vt alibi diximus, comparationis complementum significat. Sensus ergo est, quia sicut *ego viuo*, ita *& vos viuetis*. Intelligitur enim particula similitudinis Hebræorum more, quemadmodum suprà versu 1. & cap. 5. 17. & mox versu sequente. Putant Augustinus, Beda, & Rupertus propterea de se dixisse *Viuo* de discipulis, *Viuetis*, quia ipsius resurrectio proxima erat, ita vt pro præsenti haberi posset; discipulorum autem resurrectio longè aberat. Aliam ego eius rei causam esse arbitror, quòd non de humana, sed de beata, atque diuina loquatur vita, quam ipse natura habebat sua, discipuli autem nondum habebant, sed eius beneficio habituri erãt. Quam enim paulò ante visionẽ appellauerat, nunc vitam vocat, quia hæc est vita æterna, vt eum videamus, cognoscamúsque. Perinde ergo est, ac si dicat, vos videbitis me, id est beati eritis, vitámque habebitis æternam, quia ego ipsa sum vita; itaque sicut ego vitam per me habeo, ita eam vobis impertiar: sic dixit c. 1. 4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, & c. 5. 25. 26. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Eodem sensu docet D. Paulus vitam nostram in ipso absconditam esse, Coloss. 3. 3.

Hebraismus, & cõplementum est cõparationis.

Inf. c. 17. 3.

20. *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.*) Diximus versu 18. nonnullos hæc omnia ad tempus resurrectionis referre, in quibus Chrysost. Theod. Mopsuest. Theophylact. & Euthym. sunt. Sed ex ijs, quę diximus, apparet ad futuram in cælo vitam esse referẽda, quemadmodum Theodor. Heracleota, Cyrillus, Leontius Augustinus, Beda, & Rupertus referunt. *in quo die*, inquit, Augustinus, *nisi de quo ait, Et vos viuetis? tunc enim erit, vt possimus videre, quod credimus. Nũ & nunc est in nobis &*

Tract. 71.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos in illo, sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus. Hîc etiam particulam similitudinis intelligo, Tunc vos cognoscetis, quia quemadmodũ ego sum in Patre (sub. & Pater in me) sic vos estis in me, & ego in vobis, vt c. 6. 57. *sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrẽ, & qui mãducat me, & ipse viuet propter me.* Dicit ergo tunc eos intellecturos, quomodo quẽadmodum ipse in Patre est, & Pater in ipso; ita ipsi in se, & ipse in illis esset. At non dixerat illis se esse in ipsis, & ipsos in se, sed se esse in Patre, & Patrẽ in se, ver. 10. Non dixerat quidẽ hoc loco, sed alibi tamen dixerat, c. 6. 56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo,* & fieri potest, vt ad illum locum alludat. Deinde nõ est necesse, vt ante dixerit; potuit enim hoc tantùm velle significare, fore, vt tunc talem inter se, & ipsum coniunctionem experirentur, qualẽ inter se, & Patrem suum esse illis dixerat; itaq; abũde illis istã suam absentiam, quam tantopere dolebant, singulari illa, & perpetua non solũ præsentia, sed etiã coniunctione compensaturũ esse. Abutebantur hoc Ariani testimonio, vt ex Chrysost. Cyrill. & Theophy. discimus. Sed facilis respõsio, proportionẽ, non æqualitatem significari, quemadmodum Pater vitam, naturamq; omnem suã secum cõmunicasset, ita se cum illis vitã suam cõmunicaturum, non eodẽ tamen modo; nam Pater Filio ita naturã suam dedit, vt Filius illi æqualis esset; Filius nobis nõ ita vitã, cæteráque bona sua nobis dat, vt æquales illi simus, quia creaturæ creatori æquales esse non possunt. Illustrissimum exemplum est Matth. 5. 48. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, vbi Ariani negare non possunt non æqualitatem, sed proportionem significari.

Ariani hoc loco abutentes refutãtur.

21. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.*) Putant Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius propterea hoc Christum nunc dicere, quia videbat tristes propter futurum discessum esse discipulos, docere ergo eos, si se diligant, ne in eo amorem erga se declarent q̃ ægrè discessum suũ ferant, sed in eo, quòd mandata sua seruent, eum enim verè se diligere, qui seruat mandata sua. At hoc iam dixerat versu 15. & maiorem iam illis cõsolationem adhibuerat, fore, vt sicut ipse in Patre erat, ita illi in se essent. Denique maius quiddam illis videtur polliceri, quàm vt dicat eum se diligere, qui mãdata sua seruat. Longiùs etiã à sensu Rupertus abest, ostẽdisse Christum antè lotione pedum, quantum discipulos amaret, cap. 13. 1. docereť eos nunc, quantum se, & quomodo illi amare debeant. Aut rationẽ certè reddere, cur suprà dixerit, *si diligitis me, mandata mea seruate*, quia dignitas, inquit, dilectionis non in vocis superficie, sed in veritate, & opere consistit. Ego rationem docere arbitror, qua ad summã illam secum coniunctionẽ, de qua proximo versu dixerat, peruenire possint. Ea autem est, vt se diligant obseruandis mandatis suis; qui enim diligit se, eum & à patre suo diligi, séque illi manifestaturum, quod est in eo manere, quemadmodum dixerat. Diximus suprà quæstionem ab Augustino moueri, quomodo qui mãdata eius obseruat, is eum diligat, quasi priùs obseruet, postea diligat; cùm nemo sine caritate, qua Christum diligit, eius mandata seruare possit. Facilis est respõsio; non significat vnũ priùs esse altero, sed vnum esse alterum, vt alias omittam Theologorum subtilitates, quæ huius loci non sunt, diuerso genere causæ vnum altero simul prius esse, atque posterius. Malim aliquis explicasset, cur non dixerit Christus, qui seruat mãdata mea, diligit, vt solet alijs locis dicere, sed dixit, *qui habet mandata mea, & seruat ea.* Quid est habere? Augustinus prope ad sensum accessit, *Qui habet*, inquit, *in memoria, & seruat in vita; qui habet in sermonibus, & seruat in moribus; qui habet audiẽdo, & seruat faciendo; aut qui habet faciendo, & seruat perseuerando.* Mihi idem videtur esse habere, q̃ credere. Qui enim verbum Dei audiuit, & intellexit, sed non credidit, is non dicitur illud habere, quia exclusit illud, repudiauit, reiecit; qui autẽ credidit, is demum habet, quia retinuit, & animo defixit. Itaque eandem vim hoc loco habere arbitror, mãdata Dei habere, quàm habere diximus, quod dicit c. 5. 38. *Verbum eius non habetis in vobis manens; quia quem misit ille, huic vos non creditis*, & illud cap. 8. 31. *Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos, si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Propterea igitur hoc loco eo vsus est verbo, quia cum Apostolis agebat, qui iam crediderant, hoc est, qui mandata eius iam habebant, vt doceret eos, non satis esse credere, nisi etiam facerent, quæ credebant. Itaque manifestum hinc contra nouos hæreticos argumentum colligitur, solam fidem ad iustificationem, & salutem non satis esse. Quod & Chrysost. & Euthym. hîc obseruarunt. Theophylactus ita interpretatur, quasi verbum illud, φυλάξῃ αὐτὰ, *seruat ea*, non significet mandata facere, sed asseruare, retinere diligenter, ne nobis eripiantur, vt idem denique sit, quod conseruare semel acceptam fidem. Quod satis per se constat à mente Christi alienum esse. Illud etiam obseruauerim Christum mandata sua non Patris appellasse ostendentem se esse Deum.

Versus. In quo sita sit vera dilectio.

Quid est habere mandata, hoc loco.

Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.) Quærit etiam hîc Augustinus quomodo dicat, *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum*, quasi priùs nos Deum diligamus, deinde nos Deus vicissim diligat, cùm contrà se prorsus res habeat. *In hoc*, inquit, *est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Rectè respondet non quamcunque Patris, Filiique erga nos dilectionem intelligi, sed eam, qua Pater dilectionis erga eũ nostræ præmium daturus nobis est, & Filius seipsum manifestaturus. Eam enim Patris, Filiique erga nos dilectionem nostra erga eos dilectio præcedit. Cæterum alia nos, vt ait Ioannes, dilectione priùs illi nos diligunt, quàm nos illos diligamus, ea nempe, qua nobis gratiam suam conferunt, qua peccata remittunt, qua iustificant, qua iustificatos amant, & vsque ad finem vitæ perseuerare faciunt. Hoc dicere non possunt ij, qui hæc de Christi resurrectione interpretantur, in qua sententia Chrysost. Cyrillus, Theodorus Mopsuest. Theophylact. & Euthymius sunt.

Trallo.

Sola fides ad iustificationem non sufficit.

Ioan. 4.

22. *Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes.*) Cautè monuit Euangelista hunc Iudam, quem Christum interrogasse dixerat, non illum fuisse Iscariotem, qui prodidit eius fuit, sed Iudam alterum, cui Lebbæo, aut Thadæo cognomẽtum erat, Matth. 10. 3. & eius canonica nunc legitur epistola; ne quis ambiguitate fortè nominis falleretur, putarétque Euangelistam non sibi cõstare, qui c. 13. 30. dixisset proditorẽ illum Iudã à Christi, Apostolorúmque cõsortio discessisse.

Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?) Hebraismus נמה מה *quid factum est?* id est quid accidit? quid causæ incidit, quod Septuaginta solent vertere γέγονε *factum est*. Haud dubium, quin Iudas non intellexerit, quod de sua manifestatione Christus dixerat, nam cætera satis sibi videbatur intellexisse; quemadmodum neque Thomas versu 5. neque Petrus cap. 13. 36. intellexerãt. Nempe nondum spiritum illũ acceperant, à quo omnem docti sunt veritatem. Fefellit Rupertum phrasis Hebraica; existimauit enim sensum esse, si nobis te manifestaturus

Mortui nouis alijsque sanctis apparent.

Vide de cura pro mortuis agenda t. 2. c. 57.

Sabellianorum hæresis refutata.

Mysterium vocationis gentium factum.

Act. 3. 20.

nifestaturus es, nondum ergo te manifestasti, quid igitur hactenus à te factum est? quid hactenus egisti? si te nobis non ostẽdisti, nonne te vidimus? nonne audiuimus? nonne diu tecum versati sumus? Quod quàm longè absit à sensu; nemo non videt. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius verbo illo, *Manifestabo ei meipsum*. Iudam turbatum fuisse putant, cùm enim sciret ad mortem ire Christum, existimasse ita eum sibi, cæterisque Apostolis iam mortuum appariturum, quomodo solent aliquando mortui viuis apparere, quos nemo sine horrore animi videt. Quorum sententiam etsi non probo, tamen notari hoc eorum testimonium à lectore velim, vt sciat graues auctores ita sensisse aliquando viuis mortuos apparere, quod D. Augustinus alicubi docet, non nisi impudenter negari posse. Theodorus Mopsuest. scribit putasse Iudam Christum solis se Apostolis manifestaturum esse, quod qua ratione facturus esset, non intelligebat. Leontius & Theodorus Heracleotes amore in Christum hoc dixisse, quòd vellet eius gloriam omnibus esse conspicuam. Cyrillus doctiorem eius existimat esse quæstionem, fecisse eum Christũ omnibus gentibus esse promissum. *Dedi*, inquit, *te in lucem gentium*; mirari quid noui acciderit quamobrem mutata nunc voluntate neget se manifestaturum esse mundo. Magis probo, quod alij dicunt adhuc eum Iudaico more in temporali Christi hæsisse regno, quasi omnes eum eo Iudæi regnaturi essent, itaque mirari, quòd non illis se omnibus manifestaturum diceret. Nam mysterium illud vocationis gentium, quod Cyrillus ait, non est verisimile Iudam tunc cognouisse, cùm vix persuaderi Petro accepto etiam Spiritu sancto potuerit, Act. 10. 14.

Isa. 42. 6. & 49. 6.

De quo Patris ad nostra hîc ferme fit.

23. *Respondit Iesus, & dixit ei, si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus.*) Non mutat Christus sententiam, sed eiusdem pòtius sententiæ repetitione docet Iudam, quomodo, & quamobrem non omnibus se manifestaturus esset. Quia non vult gloriã suam nisi cum amicis suis cõmunicare; amicos autem suos esse, qui sermonem suum seruant. In hanc fere sententiam Augustinus, & Cyrillus interpretãtur. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius cõuenienter sententiæ illi suæ, quam suprà posuimus, existimant docere Christum se non sicut mortui viuis apparent, quemadmodum illi putabãt, ipsis apparitũrum; sed sicut Deus hominibus apparere solet, id est spiritualiter, & inuisibiliter, ppterea dixisse simul cũ Patre ad eos venturũ esse. Theodorus Mopsuest. docere se neminẽ excipere, omnibus sese hominibus manifestaturũ esse, modò se diligant, & mãdata sua seruent. Si se solùm ad eos, qui diligerent, venturum diceret, facilè intelligeremus eum de suo ad iudicium aduẽtu locutũ esse: sed cùm vnà etiam Patrem venturum dicat, quærendi nobis solicitudinem iniicit, de quo id Patris aduẽtu possit intelligi, cùm nusquã in scripturis venturus dicatur Pater. Non inuenio auctorem grauem, qui de aho, quam de aduentu per gratiam in animos hominum interpretetur: sic videtur Augustinus, Chrysost. Cyrill. vterq; Theodorus, Leontius, Beda, Theophyl. & Euthymius intellexisse. Quod etsi cum versu 21. vbi se manifestaturum, nõ in hac, sed in altera, vt explicauimus, vita, dixerat, non satis videtur conuenire; tamen à tot, tantisq; auctoribus nolo discedere. Nam & Deus per gratiã ad nos venire dicitur, *Ego*, inquit, *sto ad ostium, & pulso; si quis aperuerit mihi, introibo, & cœnabo cum illo.* & hic aduẽtus quasi iudicium eius est, de quo Christus ver. 21. loquebatur. Ituris enim nobis in cœlum per gratiã Deus obuiam procedit. Non video tamen, cur non de ingressu in regnũ cœlorum possit intelligi: vt venturum se ad nos excipiendos tanquam hospites cum Patre dicat, aut ad nos se tanquam hospitem cum Patre in cælo venturum, quasi cælum domus nostra sit, & ipsi in eo sint quodam modo peregrini. Cur de Spiritu sancto mẽtionem nullam facit? Quia de admissione in domũ Patris loquebatur, vbi tota Patri tanquam domus domino, & sibi tanquã hęredi auctoritas erat tribuenda, & quia discipuli Patrem tanti æstimabant, vt Philippus ver. 8. dixerat, *Domine ostende nobis Patrẽ*, & hîc Iudas de ipsius Christi manifestatione interrogauerat. Verbum illud, *& mansionem apud eum faciemus*, vim habet, quam Chrysost. Theophylact. & Euthym. obseruarũt: significat enim non ad tempus tantùm postea discessuros venturos esse, sicut ipse nunc discessurus venerat, quemadmodum ver. 16. de Spiritu sancto dixerat, *vt maneat vobiscũ in æternum.* Illud non probo, quòd hi auctores putant mansionem hanc somno, & mortuorũ opponi apparitioni, quę breui tempore euanescit. Notauit autem Theod. Heracleotes propterea plurali numero dixisse, *Veniemus, & faciemus*, vt Sabellij hæresim refutaret, ostendẽs se, & Patrẽ diuersas esse personas.

24. *Qui non diligit me, sermonem meum non seruat, & sermonem quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me Patris.*) Simplicitas hęc & ruditas orationis Hebraicum sapit. Dixerat, *Qui diligit me, sermonẽ meum seruabit* dicit nunc è contrario, qui se non diligit, eum non seruare sermonem suum, tanquam si clariùs diceret certum signũ dilectionis erga se esse, seruare sermonem suum, ita vt omnis, qui diligit, seruet, & omnis, qui nõ seruat, nõ diligat, (sic enim oratio resoluenda) sed quorsum hoc? vt discipulos ad mandatorum suorum obseruationẽ exhortetur, quę certa via est, qua ad videndam ipsius gloriam perueniretur. Sermonẽ enim Hebraico idiomate præceptum vocat. Quòd autem addit, *& sermonem, quem audistis, non est meus sed eius, qui misit me Patris*, ideo dicit, vt præceptis suis maiorem apud discipulos auctoritatẽ adhibeat, cùm ea Patris esse intellexerint. Quia etsi non minorem ipse per se quàm Pater auctoritatẽ habebat, tamen apud illos, qui eum nõdum satis cognoscebant, maioris Pater, quàm ipse auctoritatis erat. Non negat præceptum hoc est, sermonẽ esse suum, suprà enim ver. 21. mandata sua appellauerat; sed significat non esse tantùm suum, eodẽ modo, quo dixit, *Mea doctrina nõ est mea, sed eius, qui misit me*, c. 7. 16. & vt Theodor. Mopsuest. scribit, non significat non esse suum, sed cõmune sibi esse cum Patre. Notauit idem cõsequens fuisse, vt diceret eos, qui nõ seruarent mandata sua, se, Patrémq; suũ visuros non esse, sed intelligendũ nobis, quia odiosũ erat, relinquere maluisse. Græcè est ὃ ἀκούετε οὐκ ἔστιν ἐμὸς ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με λόγος *sermo, quem auditis, non est meus*, modico sensus discrimine, tamen clarius est, *audistis*. Nam si legamus, *auditis*, necesse est, vt interpretemur, audire soletis; diximus enim alibi verba præsentis temporis solere cõsuetudinem & morem significare, *Magister vester non soluit didrachma*, id est nonne solet soluere? Matth. 17. 24.

Sermo Hebraicè præceptũ.

Præsens tempus morem significare solet.

25. 26. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens: paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.*) Chrys. Theoph. & Euthy. putant ideo hoc Christum dixisse, quia videbat discipulos nondum, quę dicebat, intellexisse, verebantúrq; ne se iterum interrogarẽt, quænam illa essent mãdata, de quibus loqueretur, sibiq; molesti essent. Potiùs credo obiecta spe clarioris cognitionis per Spiritũ san-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum illis offerendæ cõsolati eos voluisse, simúlque excusare se, quòd propter instãtem discessum suum plura eos, & clarius docere nõ posset, scire se adhuc eos indigere doctrinæ, sed quæ, aut ipse propter tẽporis breuitatem docere non posset, aut illi nõdum satis idonei auditores nó possent capere, Spiritum sanctum abundè eos docturum esse. Cùm dicit, *hæc locutus sum vobis apud vos manẽs*, duo indicat, & se iam cum illis non manere, aut certè non amplius mansurum, & postea cum ipsis non manentem aliquid locuturum, nõ per se, sed per Spiritum sanctum, vt statim explicat. Monent Augu. & Beda aliter hîc mansionem, quam paulò ante, cùm dixit, *Et mansionem apud eum faciemus*, appellare. *Illa*, inquit, *mãsio alia est, quam promittit futuram, hæc vero alia, quam præsentem esse testatur. Illa spiritualis est, atque intrinsecus mentibus reddituri: hæc corporalis forinsecus oculis, atq; auribus exhibetur. Illa in æternum beatificat liberatos, hæc in tempore visitat liberandos. Secundũ illam, Dominus a suis dilectoribus non recedit; secundum hanc it, & redit.* Notant Theophylactus, & Euthymius propterea non solùm Spiritum sanctum, sed etiam paracletum appellasse, quia id nomen ad discipulorum consolationem pertinebat. Quòd dicit, *quem mittit Pater in nomine meo*. Cyrillus interpretatur, quem per me Pater mitter. Non enim negat se cum missurum esse, cùm dicat capite 16.7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos*, sed significat Patrem per se, cui gubernandæ Ecclesiæ curam reliquerat, missurum esse. Magis probo Theophylacti, & Euthymij interpretationem, qui in nomine meo idem esse putant, quod pro me, meo loco, qui vices meas gerat, sicut ipse solet dicere se venisse *in nomine Patris*, id est vt faceret, quæ Pater, si venisset, facturus erat. Cur ergo eius missionẽ Patri tribuit, si eius nomine vẽturus erat? id ver. 16. disseruimus. *Ille*, inquit, *vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*. Dubiũ, an ꝙ dicit, *Docebit omnia*, ad illud verbũ, *quæcunque dixero vobis*, referendũ sit, quasi non aliud docturũ Spiritum sanctum dicat, quàm ꝙ ipse ante docuisset, quẽadmodũ & verbũ *suggeret* eò vtique refertur. Non repugnabo, siquis ita velit interpretari, quin auctores illi, quibus suam sententiam tueatur, Augustinũ, Bedam, & Rupertum indicabo, qui ita quoq; videtur intellexisse. Sed tamen probabilius iudico, vt verbũ, *Docebit omnia*, absolutè ponatur, neq; restringatur ad illud alterũ verbũ, *quæcunque dixero vobis*. Duo enim, vt Theod. Mopsuest. animaduertit, Christus significare voluit, Spiritũ sanctum facturũ esse, & docturũ ea, quæ ipse eos aut propter angustiã tẽporis, aut quòd capere illi nõ possent, nõ docuisset; & ea, quę docuisset, in memoriam reuocaturũ. Hoc enim est ὑπομνῆσαι ὑμᾶς, quod noster interpres vertit, *suggeret vobis*. Dixerat autẽ August. ex veteri, vt opinor, versione legit, *cõmemorabit vobis*. Obscurè, & ambiguè dictũ est, *Quæcũq; dixero vobis*, poterat enim futurum videri, cùm præteritum sit εἶπον, *dixi vobis*. Notant Leontius, & Theodorus Heracleotes hoc secundum membrum ad solos discipulos pertinere. Itaque hinc Theodorus Mótani, Priscillæ, & Maximillæ refellit hæresim, non potuisse Spiritum sanctum in Montanum, vt illi delirabant, primum mitti, cùm Christum non vidisset, vt posset illi Spiritus sanctꝰ, quę à Christo audiuisset, in mentẽ reuocare.

Cap. 5. 43.

Eacus cõtra Montani hæresim.

27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.*) Disceptatur inter interpretes, quid hoc loco nomine pacis intelligendum sit. Cyrillus, & Leõtius ipsum Spiritũ sanctum, quem suo loco venturũ dixerat, pacem vocare putant. Theodorus Heracleotes, Chrysost. Theophyl. & Euthym. reconciliationem cum Deo, quã illis per mortem suam perfecturus abibat. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos, & in libro de vnitate Ecclesiæ, Ambrosius, lib. 2. de vita beata cap. 6. & libro de Ioseph patriarcha cap. 13. & ser. 17. in Psal. 118. August. ser. 57. de verb. Domini, & serm. 166. & 169. de tempore eam pacem intelligunt, quam alij erga alios conseruamus, quam volunt Christũ Apostolis discedẽtem inprimis commendasse. Qua de re multas, elegantésque sentẽtias apud Augustinum ijs in locis, quos modò designauimus, lector inueniet. Alij pacem erga Christum, propterea suam propriè appellasse. Alij pacem internam, id est animi tranquillitatem intelligunt, qua fit, vt animus nullis aduersis rebus de statu suo deiiciatur. Prouidentem quippe Christum fore, vt Apostoli, multis aduersis rebus conflictarẽtur, munire eos voluisse, bono, æquóque essent animo, nihil illis nocere posse, pacem se illis relinquere, non qualẽ mundus dare soleat, qui se tunc pacem habere putat, cùm nihil illi accidit aduersi. In hunc etiam modum Cyrillus exponit. Gregorius in 3. parte Pastor. c. 23, mirabili prorsus sententia docet duplicem hîc pacem significari, alteram mundi breuem, fallacem, lubricam, eam se Christum non dicere Apostolis dare, sed relinquere, id est abiicere, præterire; alteram spiritualem, diuinam, diuturnam, stabilem, quam se illis dicat dare. Vellem auctorem habere bonum bonæ sententiæ. Pacis nomine Hebraica phrasi salutationẽ, apprecationẽmq; omniũ prosperarũ rerum significari arbitror. Id apud Hebræos vsitatũ esse neminem, qui eorum degustarit linguã, ignorare credo, ideóque ab exemplis abstineo. Christum igitur paterno more ex hac vita discessurũ vale filijs suis dicere, &, vt vulgo loquimur, suam illis benedictionem relinquere, hoc est, *pacem relinquo vobis*. Nam benedictionem ipsam Hebraico, vt diximus, idiomate pacem appellat. Quid igitur distat inter relinquere, & dare pacem? Vix fortasse quidquam; sed si quid tamen interest, hoc interest, quòd relinquere sit abituri, dare etiam mansuri; aut, relinquere precantis, dare etiam, quod à Deo precetur, concedentis. Quam ergo illis benedictionem relinquebat? electionem ad vitam æternam, eiúsque promissionem. Hæc enim est, quam mundus dare non potest. Itaque non disputo, quod nonnullos scio interpretes subtiliter facere, num, cùm dicit, *Non quomodo mundus dat ego do*, pacem aliam, & an alium eiusdem etiam pacis dandæ modũ intelligat. Simpliciter enim interpretor & aliã, & alio modo, quàm mundus det, pacem dare. Christus enim veram, & sempiternam, mundus falsam, & breuem dat; & Christus non solis dat verbis bene precando, sed re ipsa tanquam eius auctor, ac dominus eam nobis largiens; mundus verbis, & adulatorijs salutationibus dat, re verò ipsa non dat.

Quid sit in nomine Christi mitti Spiritũ sanctum.

Tract. 77.

Pacis duplex differentia ex Gregorio.

Quod pacem relinquit Christus, quod dat.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet.) Hæc verba ad sequentia refero; itaque hinc existimo inchoandum fuisse versum. *Non turbetur cor vestrum neque formidet*, propter discessum meum; iam enim vobis dixi me esse redituturum.

28. *Audistis, quia dixi vobis, Vado, & venio ad vos.*) Id est cùm ex me audieritis me non abire, vt vos orphanos, ac desertos relinquerem, sed vt ad vos maiore cum gaudio redirem, non debet propter discessum meum cor vestrum turbari.

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.) Non significat se ab illis non diligi, sed est modus quidã loquendi patris cum filijs, amici cum amicis dolentibus ob patris, amicive discessum, qui maiorem illi gloriam allaturus est. Si amaretis me, non doleretis: amantis enim est amici bonis non

Christus se loquitur opinione eorum, qui putabant Patrem maiorem esse.

Cant. 4. 10.

dolere,

dolere, sed gaudere. Sciebat illum ipsum Apostolorum dolorem ex ipsorum erga se amore proficisci, sed ex amore non ex ratione, sed ex sensu proueniente, aut potiùs ex ignorantia, quòd nondum satis, quò iret, intellexissent. Etenim si scissent ad Patrem ire, vt ad eius consideret dexteram, minimè ob eius discessum dolituros fuisse.

Quia Pater maior me est.) Duplex ex hoc loco oritur quæstio, quæ ista sit, quam affert ratio, cur discipuli discessu suo gaudere debeant, & quo sensu dicat Patrem se maiorem esse. Facilis illa prior est, oportuisse gaudere discipulos bono suo, si se diligerent, magno enim sibi esse bono, quòd ad Patrem iret, quia Pater se maior esset, itaque ad maiorem honorem, ad maiorem ibat dignitatem, à miseria ad fœlicitatem, à consortio hominum ad consortium Dei, qui se, & omnibus hominibus maior esset. Alteram quæstionem difficiliorem Ariani reddiderunt: miris enim modis hunc locum agitarunt, vt pote in quo sententiæ suæ præsidium collocabant. Id discimus ex Athanasio orat. 2. contra Arianos, & in libro de synod. Arimin. & Seleucien. ex Epiphan. hær. 69. ex Basil. lib. 4. aduersus Eunom. & epistola 141. ad Cæsarien. ex Gregorio Nazianz. orat. 4. & 5. de Theolog. ex Cæsario dialog. 1. ex Greg. Nysseno in oratione ad Simplicianum, ex Ambrosio lib. 2. de fide, c. 4. & lib. 5. c. 8. ex Hilar. lib. 5. & 11. de Trinitate, & in lib. de synodis cõtra Arianos, ex Idacio lib. 3. contra Varim. ex Augustino lib. 1. de Trinitate, c. 7. & 11. & lib. 3. cõtra Maxim. c. 24. & 25. & q. 4. ad Orosium, & libro de fide, & symb. cap. 9. & lib. 83. qq. 69. ex eodem August. Chrysostomo, Cyrillo, Leontio, Theodoro Heracleota in commentarijs ad hunc locum, qui contra illos diu disputarunt. Tribus modis Catholicos auctores hunc locum explicasse, Arianisq; respõdisse lego, quas omnes explicationes Leontius collegit. Omnes in eo conueniunt Christum tanquam hominem loqui; itaque mirandum nõ esse, vt Basilius ait, si se Patre minorem dicat, qui se *cum in forma Dei esset*, nõ Patre solùm, sed angelis, vt scribit D. Paulus, sed hominibus ipsis minorem fecit. Ille enim ipse, qui hoc loco dicit, *Pater maior me est*, alibi dixit, *Ego sum vermis, & non homo, opprobriũ hominum, & abiectio plebis*. Id ita esse intelligendũ ex hoc ipso loco colligebant; loquitur enim Christus dicens se ad Patrem vadere; non vadit vtique vt Deus, sed vt homo, nam Deus vbiq; est, ita D. Augu. *Ergo & ibat per id, quod homo erat, & manebat per id, quod Deus erat; ibat per id, quod vno loco erat, & manebat per id, quod vbique erat.* Sic etiã Eucherius in qq. in Ioannẽ. Solebãt hanc interpretationẽ Ariani refellere dicẽtes comparationẽ non nisi inter ea, quæ eiusdem sint generis, posse fieri, ineptè enim quisquam homo dicat Deus maior me est. Sed hanc ipsam Arianorũ subtiliratem subtiliùs Basilius, & Cyrillus in ipsos reiecerunt. Si comparatio nõ nisi inter ea, quæ eiusdem sunt generis, fieri potest, & inter Christũ, & Deum fit, Christꝰ igitur est Deus. Negat præterea Cyrillus cõparationẽ non nisi inter ea, quę generis sint eiusdẽ, fieri posse, quin inter ea minimè fieri, quia inter ea, quæ eiusdẽ generis sunt, nec maius, nec minꝰ est. Altera explicatio erat dictum hoc esse per accõmodationem ad discipulorum opinionẽ, qui adhuc putabant Patrem Christo maiorem esse: solere enim sæpe non ex veritate, sed ex hominum opinione loqui, vt cùm dicit, *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi vnus Deus*. Sic Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthym. Tertia verò erat, Patrẽ maiorem dici Filio, etiam quatenus Filius Deus erat, non quidem re ipsa, sed hoc ipso, quòd ille Pater, hic Filius erat; Patris enim nomen honorificentius natura sua esse, quàm Filij; quia principiũ, & vt Græci loquuntur, causam Filij significat. Sic exponũt Athanasius, Hilarius, Epiphanius, Gregor. Nazian. & Cæsarius ijs in locis, quos suprà citauimus, & Cyrillus lib. 2. thesaur. cap. 3. & Damascenus lib. 4. de fide, cap. 19. Chrysostomus, & Leontius, Theophylactus, & Euthymius in commentarijs huius loci. Sed haud scio an plus aduersarijs concesserint, quàm æquum erat.

Ariani huc loco abutebãtur contra Filij diuinitatem.

Phil. 2. 6.

Heb. 2. 9.

Psa. 21. 7.

Trac. 78.

29. *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis.*) Quid nam se illis dixisse dicit? Non quidẽ, *Pater maior me est*, id enim non fit, sed, *vado ad Patrem*, quod iterum atque iterum illis dixerat, quia in eo & cardo fidei, & summa consolationis eorum vertebatur. Id dicit se propterea, antequam fieret, illis significasse, vt cùm fieret, crederent, id est cùm eum paulò post in cælum euectum cernerent, intelligerent ipsum ad Patrem ire, vt æquali cum eo gloria frueretur. Alij referunt ad omnia, quæ dixerat non de suo modò ad Patrem abitu, sed de mittendo etiam ad ipsos paracleto, quibus non magnopere repugnauerim: modò hoc intelligatur reddere rationem Christum, quam ob rem ea illis diceret, quæ sciret ab eis non intelligi, quia quamuis tunc non intelligerent, postea tamen essent ex euentu intellecturi. Semina se in eorum animis iacere cælestium mysteriorum aliquando nascitura. Similis locus suprà c. 13. 19. & infrà c. 16. 4.

Et pro *sed*, & pro ἀλλὰ.

30. *Iam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.*) Reddit causam, cur non pluribus verbis illis exponat, quæ sciebat ab ipsis nõ intelligi, sed ea in euentum ipsum intelligenda reiecerit, quia breue illi tempus erat, itaque non licebat esse longiorem, appropinquare enim principem huius mũdi, qui vt se comprehenderet, armata veniret manu. Principem huius mundi Diabolũ appellat, sicut cap. 12. 31. vbi, cur ita vocarerur, exposuimus. Dicit autem Diabolũ venire, quia Iudæi illius acti instinctu veniebant, attribuens Diabolo, quæ homines peccatores, id est membra, ministríque Diaboli faciebãt. Fortasse alludit ad Iudam, in quem, vt Lucas ait, cap. 22. 3. iam Diabolus intrauerat; itaq; cùm sciret venire Iudam quasi cohortis illius nefariæ ducem, Diabolum venire dicit. Quod sequitur, *& in me non habet quidquam*, perinde est, ac si dicat, *sed in me non habet quicquam*, ponitur enim, &, pro *sed*, & pro ἀλλὰ, ex Hebraismo ו pro ד, aut אך, vt Actor. 10. 28. vbi cùm esset Græce κοι, noster interpres vertit, *sed*. quod pari ratione hoc loco facere potuit, & Matth. 12. 39. *generatio prava, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei*, pro, *sed signum non dabitur ei*. Difficilius est, quid sit, *in me non habet quidquam*. Nonnulli Græci codices legunt, ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν, *& in me* inueniet nihil, atque ita inuenio in codice Græcæ Catenæ, eodémque modo vterque Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. Leontius, & Cyrillus in commẽtarijs legunt. Ex Latinis etiam Gregorius hom. in Euangelia 39. & Ambros. in lib. de fuga sæculi, c. 4. qui duas indicat esse lectiones, alteram, *& in me inueniet nihil*, alteram, *& in me non inueniet nihil*, id est non inueniet peccatum, quia peccatum nihil est, vt ille explicat. At fateor quidam hanc lectionem, *& in me non inueniet quidquam*, significantiorem esse: sed nihil mutare nobis licet; de sententia disserendum. Omnes auctores, quos contigit mihi legere, existimant sensum esse, *in me non habet quicquam*, id est nullum in me ius habet, quia non habet ius, ac potestatem nisi in homines peccatores. Sic Chrysostomus, August. Beda, Theophylactus: aut, in me non inueniet peccatum

Quid sit *in me non habet quicquã.*

vllum

Universidad de Deusto
Biblioteca

vllum,vt auctores illi interpretantur,quos diximus ita legere.Mihi alius posse videtur esse,præsertim si legamus,*non inuenies in me quicquam*,non poterit me vincere;non poterit perdere,vt sperat;nam etsi moriturus sum, non sum illius potentia, sed mea voluntate moriturus. Hoc est,quod subiicit.

31. *Sed vt cognoscat mundus,quia diligo Patrem,& sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*) Quidam hæc verba ex illis vltimis pendere putant, *Surgite,eamus*, vt illis sententia cõpleatur,tanquam si diceret, *surgite, eamus, vt cognoscat mundus* me Patrem diligere. Ac sunt,qui existiment ita Nonnum poëtam,& Augustinum intellexisse, quanquã ex illis ego colligere non possum. Omnes alios Chrysostomũ, Theodorum Mopsuest. & Heracleotem, Leontium, Cyrillum, Theophylact. Euthymium, & Rupertum, immo & August. & Bedam sequor. Subintelligendum aliquid, quod orationem impleat, vt non morior,quòd vllam in me Diabolus mortis causam inueniat,aut quòd me suis viribus cogat mori, sed *vt cognoscat mundus*,quòd Patrem diligo,& quod mihi mandauit, facio. Non propterea moriebatur, vt id mundus cognosceret, sed vt mundum ipsum redimeret; cæterum inde consequebatur, vt eius erga Patrem amorem,& obedientiam mundus cognosceret.Itaque dictionem,*Vt*, hoc loco quemadmodum in alijs multis adnotauimus,non causam,sed consequentiam significare arbitror. Loquitur vt homo, propterea dicit, *Sicut mandatum dedit mihi Pater*, vt dixit suprà c.10.18.Ideo autem hæc discipulis dicit, vt eorum confirmet fidem, ne putent se infirmitate,aut necessitate, non voluntate sua mori.

Vt, non causam sed consequentiam significat.

Surgite eamus hinc.)Ex ijs,quæ modò diximus,constat,hæc verba non esse cum præcedẽtibus in vnam sententiam conjungenda,sed nouam esse sententiam qua,quia dixerat principem huius mundi venire,discipulos exhortatur, ne fugiant; sed obuiam potiùs illi procedant.Sic ego interpretor auctores secutus duos illos,quos citare soleo,Theodoros. Rupertus sensu pene cõtrario,quoniam appropinquat,inquit, qui me tradet, ne nos hic inclusos comprehendat, procedamus in locum liberum atque patentem,vbi libera fugiendi facultas vobis sit,*nolo enim quenquam ex vobis perdere*.Chrysost.Leontius, Theophylact.& Euthym. Christũ cùm videret discipulos præ metu ijs,quæ dicebat,non satis animum attendere, quòd audiuissent appropinquare principem huius mũdi, ne timerent, dixisse, vt in alium abirent locum, vbi sine metu cætera,quæ dicturus erat,audire possent. Itaque putant hi quattuor auctores Christum cum discipulis non in hortum Gethsemani, vbi comprehensus est,sed in alium aliquem secretum locum discessisse,vbi concionem finierit,quã tribus sequentibus capitibus Ioãnes persequitur. Cõtrà sentiunt omnes alij auctores, quos modò citauimus, præter Rupertum,Christum discipulos excitare,vt ad eum locum eat,vbi comprehendendus à Iudæis erat.Sed alia hinc nascitur quæstio,vbi Christus dixerit,quæ tribus sequentibus à Ioãne capitibus cõmemorantur. Nec enim id satis constat. Omnes illi auctores, quos modò diximus in ea fuisse sententia, vt existimarint Christũ hîc discipulos excitasse,vt ad hortum orationis irent,sentire etiã videtur statim post hæc verba à domo, vbi cænauerat, discessisse, & in via dixisse ea,quæ vsque ad c.18.recensentur.Chrysost.Leõtius,Theophyl.& Euthymius statim discessisse,sed in locum aliũ magis tutum, vbi finita concione egressus fuerit,vt in hortũ iret,vt ex hoc loco & ex c.18.1 colligitur.Alij non exijsse statim,sed ibi etiamnum aliquantisper cõmoratum,dum concionem,quã cœperat,absolueret.Prima,& vltima sententia æqualis fere sunt probabilitatis: nam secundam,si auctorum persona remoueatur,vix probabilem iudicauerim. Hæc autem vltima probabilior. Nam Euangelista hîc non dicit Christum statim, vt hæc verba dixit, exijsse; itaque non cogimur id factum esse credere; capite autem 18.1. distertis sequentibus capitibus recitantur,quàm egrederetur; itaque id cogimur credere.Cur ergo non statim exijt,cùm iam dixisset,*Surgite,eamus?* Facilis responsio, traxit longiùs ex sermone sermonem, vt fieri solet.

CAPVT XV.

EGO sum vitis vera: & Pater meus agricola est. 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructũ, purgabit eum, vt fructum plus afferat. 3. Iam vos mundi estis propter sermonem,quem locutus sum vobis. 4. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. 5. Ego sum vitis,vos palmites: qui manet in me,& ego in eo,hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. 6. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet,& colligent eum,& in ignem mittent,& ardet. 7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis,petetis,& fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. 10. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. 11. Hæc locutus sum vobis: vt gaudium meum in vobis sit,& gaudium vestrũ impleatur. 12. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, 13. Maiorem hac dilectionem nemo habet,vt animam suam ponat quis pro amicis suis. 14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. 15. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo,nota feci vobis. 16. Non

Sup.13.b.10.

Sup.13.d.34. Epist.3.a.9. 1.Thess.4.b.9.

bis. 16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos,& posui vos vt eatis,& fructum afferatis: & fructus vester maneat: vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. 17. Hæc mando vobis,vt diligatis inuicem. 18. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis,sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei,quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. 21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum,qui misit me. 22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit: & Patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt,& oderunt & me, & Patrem meum. 25. Sed vt adimpleatur sermo,qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. 26. Cum autem venerit Paraclitus,quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis, qui à Patre procedit,ille testimonium perhibebit de me: 27. & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Matt.28.d.19.

1.Ioan.3.a.2.& 4.a.7.

Sup.13.b.16. Matt.10.c.24. Mat.24.a.9.

Psal.24.c.19. Luc.24.g.49.

IN CAPVT XV.

EGO sum vitis vera,& pater meus agricola est.) Nihil poterat discipulis ad mortem discedens dicere magis necessarium, quàm ne se vnquã ab ipso, id est ab eius fide,ac dilectione auelli paterentur,si quidem vellent viuere,quod eleganti admodum,& omnibus nota sumpta metaphora declarat. Aliquando se domino vineæ comparauit,qui diuersis diei horis operarios in vineam suam conducturus exierit.Matth.20.2.aliquando filio domini vineæ,quem pater misisset,vt à vineæ cultoribus fructus exigeret,Matth.21.37.Hîc se viti comparat, quia quod volebat docere, id postulabat, neminem magis posse sine se viuere,quàm sarmentum sine vite, cui innatum est.Patrem autem suum agricolam esse dicit,qui se vitem colat, qui sui curam gerat, vt ostendat fore, vt Pater eos, qui in se fructum non tulerint, tanquam inutilia sarmenta desecet, & in ignem mittat. Atq; hanc arbitror fuisse causam, cur se viti potiùs,quàm alteri cuipiam arbori comparauerit,quod solent nõnulli quærere,quia putari proprium est vitis,& volebat docere patrem suum eos, qui fructum non ferrent,tanquam inutilia sarmẽta putaturum,abscissurúmque.Veram autem se vitem Augustinus,Beda,& Rupertus vocare putat ad differentiam vitis alienæ, quam sperabat dominus facturam vuas,& fecit labruscas,de qua dictũ est, *vua eorum vua fellis,& botrus amaritudinis*, itémque *fel draconum vinum eorum,& venenum aspidum insanabile*.Euthymius veram,id est perfectam, & spiritualem interpretatur.Nos multis iam locis docuimus ab effectu veram vitem appellari,quia meliùs,atque perfectiùs homines in se per fidẽ natos nutrit,quàm sarmenta sua naturalis vitis,quemadmodum vocatur *lux vera*,nõ quòd verè lux sit,qualis ista Solis est,sed quia meliùs, quàm ista homines illuminat, suprà c. 1.9.& panem verum, & viuum,nõ quòd verè panis sit,nõ enim verè,sed metaphoricè panis dicitur, sed quia meliùs,quàm panis nutrit. Timuit Chrysostomus,Theophylactus etiam, & Euthymius, ne hinc Ariani occasionem sumerent Christi calumniandi diuinitatem,quòd se viti,Patrem agricolę comparauerit,quasi Pater tanqua maior sui tanquam minoris,sicut agricola vitis curam gerat.Nam & Arianos hoc solitos obiicere.Ambros.lib.5.de fide,cap.5. & Basil.lib.4.aduersus Eunom.itaque notarũt agricolam non radicis, sed sarmentorum curam gerere. Non erat meo iudicio ea obseruatio necessaria, & poterat ab Arianis facilè refutari,nã & radicis agricola, & quidem præcipuam curam habet; non ergo in hoc similitudo vitis à Christo vsurpata est,vt doceret Patrem sui curam habere;sed in hoc voluit significare non magis nos sine ipso, quàm sarmẽta sine vite posse viuere,vnde potiùs sequitur illum esse Deum,vt D.Cyrillus argumentatur.Nam etsi vt homo vitis,& caput nostrum est, quemadmodum hîc Augustinus,& Ambrosius lib.5.de fide,cap.5.tamen ille ipse homo, nisi Deus esset, vitis & caput nostrũ esse non posset.Cur ergo curam purgandi vitem,& inutilia ab ea sarmenta remouendi Patri tribuit? Quia cùm se vitem appellasset, oportebat ad explendam parabolam agricolam aliquem facere; & nemini poterat id officium meliùs,quàm Patri dare, quia Patri attribuitur prouidentia, quam & nomen ipsum Patris præ se fert.Voluit enim inuidiam à se declinare,& officium puniendi homines, qui in se fructum non ferrent, non sibi, sed Patri tribuere: quo res etiam plus habere videretur auctoritatis, cùm non se,sed patrem suum illum ipsum,in quo illi sperarent, eos puniturum diceret: sicut alio loco dixit, *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est,qui accusat vos Moyses.c.5.45.*

Trac.80.

Gen.4. Deut.32.b.33.

Pisa vel. in quæ decurrat.

Sup.15.b.1.

Agricolæ erga sarmẽta duplex cura.

Qui sint qui in Christo fructum ferunt aut nil ferũt.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum,& omnem,qui fert fructum,purgabit eum, vt fructum plus afferat.*) Duplex agricolæ erga sarmenta cura est. Quæ prorsus inutilia sunt,ea ad radicem penitus resecat;quæ autem vtilia sunt,ea non omninò ad radicẽ secat, sed purgat, id est inutiles extremitates eorum decidit,quo plus roboris sumant, plúsque afferant fructus.Ea ipsa duo docet Christus patrem suũ erga homines facere; eos, qui penitus inutiles sunt, nullúmque in ipso fructum ferũt, penitus resecare, & in ignem mittere; eos verò, qui fructum ferunt, purgare,vt etiamnum plus afferant fructus. Sed videndum, qui sint, qui in Christo fructum non ferunt, quíue qui ferunt; deinde quid sit illos tollere, hos purgare. Noui hæretici, quia solam illam fidem suam ad salutem satis esse putant,omnes,qui veram fidem habent, fructum ferre dicunt; itaqueeos,qui in Christo fructum non ferunt, eos esse interpretãtur,qui in illum non credunt, quamuis externa religionis specie in eum credere videantur. At quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo palmes est, si in vite non est? Christus discipulis hoc dicebat, qui omnes verè in ipso per fidem manebant; sed exhortabatur eos, vt sola non contenti fide, opera facerent, hoc est fructum ferrent, & vt se diligerent, vt ex versu 9. perspicuum est. Dicit quiddam simile Theophylus Alexandrinus lib.4.allegor sed meliùs tamen quàm isti; sarmenta, quæ fructum ferunt, Catholicos; quæ fructum non ferunt, hæreticos esse. Sed neque hic ipse proprius est sensus; multi enim Catholici fructum non ferunt, vt Iacobus toto 2. capite epistolæ suæ disserit. Sarmenta ergo in se manentia eos omnes vocat, qui in se credunt. Nam per fidem in illo tanquam palmites in vite nascimur, vt D. Basilius hom.5. in Hexaemeron, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus. Ex ijs eos dicit fructum non ferre, qui nihil aliud habent, quàm quòd in vite sint, hoc est qui solam sine bonis operibus fidem habent: eos autem fructum ferre, qui præter fidem opera etiam habẽt. Quid ergo de ijs, qui in eum non credunt? nihil dicit, quia cum ijs tantùm loquebatur, qui palmites sui erant, & quia *qui non credit iam iudicatus est*. Quid igitur est tollere, qui non fert fructum? Ratio videtur postulare, vt tollere sit fidem illi, quam habet, auferre, si enim credendo in Christum in illo nascimur, desinendo credere ab illo abscindimur, atque separamur. Sic quidam intelligunt, non quòd Pater cuiquam fidem tollat, sed quòd permittat, vt eam perdat, qui sine fructu habet. Alij tollere nihil aliud esse, quàm ad pœnam sempiternã destinare, vt aiunt Leontius, & Euthymius. Ego nihil aliud esse intelligo quàm punire: puniuntur enim quodam modo sarmenta, cùm à vite tolluntur: non enim dixit, tollit, quòd re ipsa Christo tollat homines Pater, qui omnes potiùs, quantum in se est, ad eum trahit; sed quòd de sarmentis loqueretur, quæ si inutilia sint, non aliter, vt ita dicam, puniuntur, quàm dum præciduntur, ac tolluntur à vite. Etsi non nego solere Deum sæpe permittere, vt qui otiosam diu sine operibus fidem habent, eam etiam amittant; sed doceo, quid hoc loco significare Christus voluerit. Purgare autem eos, qui fructum ferunt, plerique intelligunt tentationibus, & rebus aduersis exercere, vt magis proba, & exculta eorum virtus maiores etiam fructus ferat; sic Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, & Gregor. lib.7. regist. cap.32. & Pacianus epist.3. aduersus Nouatianos. Nihil tamen significari arbitror, quàm è contrario Patrem eos, qui fructum ferunt, quo maiorem ferunt fructum, eo magis excolere, eo magis iuuare, vt maiorem ferant, quemadmodum gnanus agricola facit. Quod non solùm fit, dum tentationibus exercentur, sed multo magis, dum maiore cumulantur gratia. Huc enim parabola pertinebat. Notanda autem Græca paranomasia inter αἴρειν, & καθαίρειν. quæ Latinè reddi non potuit, & vim, gratiámque orationi adhibet.

3. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*) Quia de purgatione mentionem fecerat, vt discipulos consoletur, arrepta ex eo verbo occasione docet eos iam esse purgatos, operam proinde dent, ne itetum inquinentur, sed in sua puritate, munditiáque perseuerent, *Laui*, inquit, *pedes meos, & quomodo inquinabo illos?* quemadmodũ c.13.10. cùm de munditia mentionem fecisset, quamuis in aliam omnino sententiam, tamen eius occasione verbi addidit, *Et vos mundi estis, sed non omnes*. Itaque non mirum si de alia hîc, quàm ante purgatione agat, sicut illic de alia agit munditia, cùm dicit, *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet*, de alia, cùm dicit, *Et vos mundi estis*. Nam cùm dicit, *Et omnem, qui fert fructum purgabit eum*, non agit de purgatione à peccatis; qui enim fructum fert, iam à peccatis purgatus est; sed purgationem, vt diximus, diuinæ gratiæ accessionem appellauit. Hîc autem cùm dicit, *Et vos mundi estis*, de munditia, & purgatione à peccatis agit, quam, cùm in se, doctrinámque ipsius crediderant, consecuti fuerãt. Propterea dicit, *propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Quod idcirco monui ne noui hæretici vllum se hîc præsidium habere putent, vt probent neque purgationem illam, de qua superiore versu dictum est, aliter quàm per fidem fieri, neque amputationẽ à Christo aliter, quàm per fidei negationem. Rupertus hoc loco per sermonem passionem intelligit, de qua sermo illi fuerat; virtute enim futuræ passionis eius discipulos fuisse mundatos. Id minimè dubium est, sed non dubito, quin per sermonem Euangelium, omnémque doctrinam suam intelligat. Attribuit autem illi mundationem, non quòd propriè mundet, sed, vt Theologi loquuntur, tanquam obiecto fidei, quia illi credendo mundamur. Fidei autem quomodo mundatio, iustificatióque tribuatur, sæpe docuimus, non tanquam soli, sed tanquam primæ inter virtutes causæ. Non displicet; quod à nonnullis est animaduersum, Christum ad Iudæ defectionem alluisse, quasi dixerit, cùm iam Iudas discesserit, qui scelere immundus erat, neminem inter eos manere immundum. Certè cùm c.13.10. dixerit, *Vos mundi estis, sed nõ omnes*, hoc loco non addidit, *sed non omnes*, quia Iudas iam non aderat. Obseruant Augustinus, Chrysostomus, Beda, Theophylactus, & Euthymius, aduersus Arianos hîc se Christum, qui modò vitem fecerat, etiam agricolam facere, cùm dicat se discipulos mundauisse.

4. *Manete in me, & ego in vobis.* Quasi dicat, si vultis fructum ferre, ne vos Pater tollat, *manete in me*. Cùm ego fecerim, & in me erat, inquit Theophylactus cùm vos doctrina mea mundauerim, facite vos nunc quod in vobis est, manete, perseuerateque in ea mũditie quam vobis dedi, quod est in me manere. Manere in se iubet, non per solam fidẽ, vt Cyrillus, & Leontius monuerunt, sed multo maximè per caritatem, nam per fidem multi in eo manent, qui nullum tamen fructum ferunt. Agebat autem de eo genere mansionis, quo qui in se manent, fructum ferunt, quod sine caritate fieri non potest. Multa aliquando sarmenta in vite manent, sed arida, & exsucca, & emortua, quia humorem ex radice non trahunt. Huius sunt modi, qui sola Christo fide hærent, sarmenta quidem sunt, & in vite manent, sed mortua, & arida sunt, quia nullum ex Christo gratiæ humorem trahunt, qui sine caritate, quæ anima vita est, trahi non potest. Rectè quidem hactenus; sed quid est *Et ego in vobis?* Sunt qui interpretentur, Si vos in me manseritis, & ego in vobis manebo, id est non deseram vos, sed in rebus aduersis vobis adero, aut ego in vobis manebo vitam vobis dando, vt Euthymius exponit. Alij, quibus ego magis assentior, *manete in me*, & efficite, vt & *ego in vobis* maneam, aut date operam, vt & vos in me, & ego in vobis maneam. Vnde duo colliguntur, alterum, in nostra esse potestate iuuante diuina gratia, vt in accepta maneamus gratia, vt rectè hoc loco Leontius, & Heracleotes obseruauerunt, alterum, non stare nisi per nos, quo minùs Christus in nobis maneat. Sic enim hîc loquitur, quasi ex nobis solis pendeat, quòd in nobis maneat, se enim paratum esse, vt semper nobiscum maneat. At quo modo Christus in nobis manet? nec enim vitis in sarmentis, sed sarmenta in vite manent. Id rectè,

rectè eleganterque edisserit Augusti. Bedaque eius verbis, *Non eo*, inquit, *modo illi in ipso, sicut ipse in illis: virumque autem prodest non ipsi sed illis: ita quippe in vite sunt palmites, vt viti non conferant, sed inde accipiãt, vnde viuant: ita verò vitis est in palmitibus, vt vitale alimentũ subministret eis. Ac per hoc & manentiã se habere Christum, & manere in Christo discipulis prodest virumque, nõ Christo: nã præciso palmite potest de viua radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice non potest viuere.*

Sicut palmes nõ potest ferre fructũ a semetipso, nisi manserit in vite sic nec vos, nisi in me manseritis.) Redditio est causæ, tanquam dicat, *Manete in me*, quia *sicut palmes non potest ferre fructum, nisi mãserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*. Quòd si fructum non tuleritis, pater meus agricola tollet vos. Quò dicit, *nisi manserit in vite*, si Latinæ orationis, aut etiam Græcæ proprietatem spectes, sententiam colliges absurdam, sensus enim erit, si non manserit in vite, non posse ex se fructum ferre: tamen si in vite manserit, fructum ex se ferre posse. Quod absurdum est, nam etiam cũ in vite manet non ex se, id est non sine vite fructum fert. Possemus, quidem interpretari illud *a semetipso*, ita vt idem valeret, quod ex suo corpore, ex sua substantia, non idem, quod per se solùm, & sine vite. Quo sensu nulla esset absurditas, si postea sequeretur, *nisi manserit in vite*: quia non cõsequens sententia esset, sicut palmes non potest fructum vllum ferre, nisi manserit in vite, ita nec vos, nisi in me manseritis: sed quia circunstantia loci postulat, vt *a semetipso*, idem sit quod per se solùm, ac sine vite, videtur absurdè sequi, *nisi manserit in vite*. Nouus quidam hæreticorum interpres, qui existimauit per exegesim hoc dictum esse, quasi diceret, *non potest ferre fructum a semetipso*, id est, *nisi manserit in vite*, Hebraismi vim, vsumque non animaduertit, לולא pro אך *nisi* pro *sed*, qualem Hebraismum supra notauimus c.5.19. *Filius non potest ex se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: id est non potest ex se facere quidquam, sed quod viderit Patrem facientem. Ad eundem modum hic, *Palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite*, pro, sed manens in vite.

5. *Ego sum vitis, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.*) Explicat superiorem similitudinem, & ad se, ac discipulos accommodat. *Qui manet in me, & ego in eo*, Hebraica dictũ est phrasi; quæ Latinè sic est resoluẽda, *Qui manet in me*, & in quo ego maneo, *hic fert fructum multum*. Quid opus erat dicere, In quo ego maneo? an potest quisquam in Christo manere, quin Christus vicissim in illo maneat? Minimè verò, sed dicit, *Et ego in eo*, vt mutuã inter vitem, & palmites coniunctionem significet, & vt causam ferẽdi fructus declaret; non enim quia palmes in vite, sed quia vitis in palmite manet, palmes fructum fert, id est quia humorem, & vitam illi tribuit. Nisi quis malit dicere, quòd congruenter sententiæ suæ dixisset Augustinus, si quæstionem attigisse, non si quis in Christo manet, continuò & Christum in ipso manere, quia, vt paulò ante ex eodem Augustino dicebamus, Christum in nobis manere est sicut vitem sarmentis vitam dare; non dat autem omnibus vitam, qui in se per fidem manent, nisi etiam maneant in illo per caritatem. Ij autem, quamuis in Christo ipsi maneant, quia tamen in ipsis Christus non manet, fructum ferre non possunt. Atque ad hunc modum Euthymius interpretatur. *Qui* ergo *manet in me*, & in quo ego maneo, *hic* demũ est, qui *fert fructum multum*, non alius; hanc enim vim habet pronomen illud, *hic*, postpositum.

Quia sine me nihil potestis facere.) Illustris sententia Augustini primùm, deinde omnium Catholicorum aduersus Pelagianos disputationis. Ea hodie noui etiam hæretici abutuntur: vt probent non solùm nos nihil sine Christo, id est sine eius gratia posse facere, quod quoquo modo, & vt Theologi loquũtur, moraliter bonum sit; sed nec in Christo manentes quidquam nos ex nobis facere, id est quidquam cum eius gratia cooperari: & nos, quia contrà sentimus, homines scilicet valde Catholici Pelagianos vocant. Pelagiani enim illis videmur esse, non quòd nos Pelagiani, sed quòd illi Manichæi sint, & Catholicos Manichæis Pelagianos videri necesse est. Vterque priùs error refellendus; deinde dicendum, qua de re ipsi inter se Catholici fide integra dissentiant, & quibus magis assentiendum iudicemus. Iuuat hoc loco ponere verba Caluini hæreticorum magistri, vt lector quàm absurda, quàm malè cohærentia dicant, intelligat, *Papistæ*, inquit, *hanc sententiam non extenuant modo, sed eneruant: imo potius eludunt. Etsi enim verbo tenus fatentur nos sine Christo nil posse, aliquid tamen facultatis suppetere nobis somniant, quod per se quidem non sufficiat, sed Dei gratia adiutum cooperetur: nec enim hominem ita exinaniri sustinent, quin aliquid ex se conferat. Verum tam clara Christi verba eludere non ita promptum est. Tale est Papistarum commentum, nos sine Christo nihil posse, ab eo tamen aditos habere aliquid ex nobis præter eius gratiam. Christus verò contrà pronuntiat nos nihil posse ex nobis, palmes, inquit, nullum fructum affert a semetipso. Ergo non tantum cooperantis suæ gratiæ auxilium hic commendat, sed nos penitus priuat omni virtute, nisi quam suppeditat ipse nobis: ergo hæc particula, sine me, sic resolui debet non nisi ex me.* Plures hîc errores apparent, quàm quos ego proposueram. Nam præterquam quòd in summa rei errat, aut nostra, aut Christi verba non intelligit. Si enim putat nos dicere posse nos aliquid ex nobis, id est sine Christo, sententiam nostram non intelligit; non enim dicimus posse nos aliquid, quod ad iustificationem pertineat, ex nobis, hoc est sine Christo, sed ex nobis, id est nobis etiam cum Christo cooperantibus. Si autẽ ne hoc quidem sensu putat nos cum Christo nihil ex nobis posse, Christi non intelligit verba. Cùm enim Christus dicit palmitem nullum ex se fructum ferre posse, non est sensus palmitem etiam in vita manentem nihil facere, nihil conferre, cùm fructum fert sed ex se, id est sine vite nullum fructum ferre posse. Hoc enim ipsum Christus agebat, non vt doceret nihil conferre palmitem, sed vt doceret nihil nisi in vite manentem conferre posse. Imo potiùs docebat conferre etiam palmitem aliquid, modò in vite maneret, propterea enim discipulos hortabatur, vt in se manerent, vt fructũ ferre possent. Resque ipsa ita docet. Quis enim non videt palmitem in vite manentem ad ferendum fructum natura sua cõferre aliquid? Hoc profecto qui negat, non scripturam modò, & Theologiam, verum agriculturam etiam, & naturam vniuersam ignorat. Alter in his verbis error Caluini est, quòd non intelligat quid sit, *sine me*; non enim idem valet, quod non nisi ex me, vt ille interpretatur, sed idem, quod non manens in me. Opponit enim hæc duo, manere in se, & sine se, quare idem sit necesse est *sine me*, & *nisi in me manseritis*. Ergo pro illo *sine me*, quandoquidem idem sunt, dicamus, nisi in me manseritis, & experiamur vtra ex his verbis, nostrane, an Caluinistarũ sententia colligatur. Illi quidem rectè colligere non possunt, nisi in me manseritis, nihil potestis facere; ergo etiamsi in me manseritis, nihil potestis ipsi facere; ego enim solus omnia facio. Quis enim non rideat ita colligẽtem, cùm si de palmite eodem modo disputaret, agricolæ riderent, palmes si in vite nõ

Sarmẽta in Christo manentis quinam sint.

Sup. c. 3. 18.

Tollere sarmẽta à vite quid sit.

Purgare quid.

Caus. 5. 3.

Vers. 10.

Hæretici nostri tẽporis Manichæi sunt.

Errores varij Caluini retunditur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

manserit nullum fructum ferre potest; ergo etiamsi in vite manserit non ipse, sed sola sine ipso vitis fructum ferre potest? quis quæso tam rusticus est, qui istum tam ineptum disputatorem nō exsibilet? Nos contra rectè colligimus, Nisi in Christo māserimus, nihil possumus facere? ergo si in illo manserimus, aliquid facere poterimus. Quis enim nō videat hoc rectè sequi? Id in palmite magis apparebit, palmes nisi manserit in vite, nō potest fructum facere: ergo si in vite manserit, poterit. Si enim non sequitur, cur non idem de saxo dicitur, Saxum nisi in vite manserit, nullum fructu afferre potest? Cur si quis hoc diceret, tanquam ineptus, absurdusque rideretur, nisi quia saxum etiamsi in vite maneret, nullum fructū ferre posset? Proptrerea ergo non ineptè dicitur, palmitem, nisi manserit in vite, fructum ferre non posse, quia si in vite manserit, fructum ferre potest. Denique cur isti quæso negant nos antequam gratiam habeamus, quidquam posse boni facere, nisi quia nō habemus liberum arbitrium? atqui ijdem ipsi docēt per gratiam liberum arbitrium prius perditum recuperari, prius mortuum suscitari; ergo cùm gratiam habeamus, liberum arbitrium iam recuperatū, iam suscitatum aliquid aget. Ad primum veniamus errorem, qui illis cum nonnullis de schola Catholicis communis est. Colligunt ex hoc loco nos sine gratia Christi, quam specialem vocant, non solùm nihil vllo dignum apud Deum præmio, sed omnino nihil, quod quoquo modo bonum sit; posse facere; nec enim dixisse Christum sine me parum, sed *sine me nihil potestis facere*. Quod verbum Mileuitanū, & Arausicanum Concilium, & sæpe D. Augustinus contra Pelagianos vrgent, exaggerant, premūt. Duplex quæstio est, quę vna videtur esse. Aliud enim est quærere, vtrū sine Christo, id est antequā in Christo maneamus, quod Theologi dicūt, sine gratia iustificāte, & habituali, aliquid boni facere possimus, quod propriè ad huius loci explicationem pertinet; aliud, ad antequā in Christo maneamus. sine illo, id est sine speciali eius gratia non habituali, sed actuali possimus facere aliquid boni. Prior quæstio iam à Concilio Tridentino explicata est; docet enim posse nos per actualem, præuenientemque gratiam Christi ad gratiam habitualem, & iustificationem disponere: dispositio autem ad gratiam non per mala, sed per bona vtique opera fit. Nam malum non potest dispositio ad bonum esse. Docet præterea metum pœnarum inferni, qui iustificationem antecedit, non malum sed bonum esse. Ex quo sequitur necessariò huic locum ex Concilij Tridentini sententia ad hunc modum intelligendum, *Sine me nihil potestis facere*, quod vita æterna, aut gratia dignum sit, id est nihil meritorium, vt Theologi loquuntur. Qui sensus, etiamsi Concilium non interpretaretur, ex ipsis Christi verbis ab acuto, & attēto lectore facilè colligeretur. Quid enim est, *nihil potestis facere*, nisi nullū potestis facere fructum, quemadmodum de palmite dixerat? Fructus autem est meritum, fructus est præmium. Possumus ergo sine illo, id est antequam in illo per caritatem coniuncti maneamus, aliquid boni facere; sed illud ipsum bonum fructus non est, quia neque gratia, neque præmio vllo dignum est. Altera etiam quæstio distinguenda est; nam aliud est quærere, an sine actuali Christi gratia aliquid boni facere possimus, quod quamuis gratiam, iustificationemque non mereatur, tamen ad iustificationem aliquo modo saltem tanquam dispositio pertineat; aliud, an possimus aliquid boni facere, siue ad iustificationem pertineat, siue non. Prior pars quæstionis etiam est à Cōcilio Tridentino definita; docet enim omne iustificationis initium, omniumque ad iustificationem dispositionum non à nobis, sed à præuenienti, & actuali Christi gratia sumi oportere. Secunda pars manet in dubio; nec noui solùm hæretici, sed nonnulli etiam Catholici negant quidquam nos quocunque modo bonum, sine actuali Christi gratia per solum illud generale, quod vocant, auxilium omnibus hominibus commune facere posse. Quibus ego tres ob causas nequaquam assentior, & quia hæreticos, id est malos omnino aut duces, aut eiusdem sententiæ defensores habent; & quia experientia ipsa videtur nos docere contrarium; quis enim mortalium est, qui non aliquid aliquando boni faciat, quale est parentes diligere, pauperis misereri, dolere, quòd aliquid mali fecerit, quod diguum homine non fuerit, & si nihil aliud, velle saluum esse, quod profecto bonum est? & quia si ea sententia sequenda esset, propter hunc potissimùm locum sequenda esset; at hic locus, vt modò Concilij etiam Tridentini auctoritate probauimus, non de actuali, sed de habituali, & iustificante gratia, per quam in Christo manemus, & fructum ferimus, intelligendus est. Itaque aut illa hinc sententia probari nō potest, aut illa eadem ratione probari poterit, non posse nos antequam in Christo maneamus, per eius præuenientem gratiam disponere, vt in eo maneamus: quæ à Tridentino Concilio damnata est. Contra Pelagianos verò munitissimus hic erat locus; docebant enim illi non solùm posse nos sine diuina gratia aliquid boni facere, sed etiam posse & gratiā, & vitam æternam sine vlla mereri gratia, gratiam verò illam, per quam in Christo manemus, non id in nobis facere, vt possimus, sed vt faciliùs possimus mereri vitā æternam; atq; hoc sensu in Mileuitano, & Arausicano Concilio damnata est. Hoc est, quod Diuus Augustinus, vrgere solet non dixisse Christum sine me parum, aut difficilius potestis facere, sed, *sine me nihil potestis facere*, libr. 1. de gratia Christi contra Pelagium & Cælestium cap. 29. & lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 8.

6. Si quis in me nō manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.) Docuerat, quid boni eos cōsequeretur, qui in se manerent, vt fructum plurimum afferrent, id est vitam æternam mererentur, quo nullus maior, nullus vberior fructus esse potest; docet nunc quid eos consequatur mali, qui in se non manserint. Idē illis faciēdum esse, quod inutilibus fit sarmentis; primùm à vite præciduntur, deinde colliguntur, congeruntur in strues, arescunt, & in ignem comburenda mittuntur, ad nullam aliam rem vtilia. *Quid enim fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? Ecce igni datum est in escam, vtramque partē eius consumpsit ignis.* Ezechiel. 15. 2. 3. 4. Quid hæc singula significent, minimè subtiliter quærendū esse arbitror; nec enim propterea dicta sunt, quòd in hominibus, qui in Christo non manent, eadem quinque, aut alia similia facienda sint, sed quòd ea in sarmentis à vite præcisis fieri soleant, vt colligantur, foras mittātur, arescant, in ignem coniiciantur, & ardeāt. His ergo omnibus nihil significatur aliud, quàm eos, qui in Christo non manserint, igne inferni sempiterno esse puniendos. Non sunt singulæ parabolæ partes ad rē semper per parabolam significatam accōmodandæ; multa enim dicuntur ad explendam, ornandamque narrationem. Si quis tamen volet singula ad eos, qui in Christo nō manent, accommodare, obseruet primo loco eum palmitem, qui in se non manserit, à se

præci-

S. Thomas 3. p. q. 6. a. 6. & 7. & can. 3. & 4.

Idem c. 6 & can. 8.

An aliquod bonum possimus facere sine gratia.

præcidendum esse, quod in sarmentis primùm fit, aut quia iam dixerat in se non manere, id est à se præcisum esse, aut quia, qui in Christo non manet, non præciditur à Deo, sed se ipse præcidit. Deinde non esse his in rebus seruatum ordinem. Nam post sarmentorum præcisionem primùm colliguntur, & in fasces colligantur, deinde mittuntur foras, id est extra vineam exportantur; tertio loco arescūt, quarto in ignem missi ardent. Quid sit homines colligi, qui in Christo non manent, Matth. 13. 41. 42. alia Christus parabola declarauit. *Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scādala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Atque hoc ipsum est mitti foras, id est, extra vineā electam Domini ab electorum consortio separari, quod in alia parabola dixit mitti *in tenebras exteriores*, Matth. 8. 12. & 22. 13. & 25. 30. Arescere quidam interpretantur spiritum Dei perdere, aut spiritu arefieri. At nemo foras eiicitur, nisi cuius prius spiritus aruerit. Nihil ergo aliud intelligo, quàm ita damnari, vt nulla illis maior spes reliqua sit pœnitentiæ, & ad Christum reuertendi, quàm aridis sarmentis est renascendi rursum in vite. Sequentem versum cap. 14. 13. explicauimus.

8. *In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.*) Quorsum hoc subiicit? Rupertus existimat rationem reddere, quamobrem illis dixerit adeo liberalem patrem suum ergà ipsos futurum esse, si in se manserint, vt quidquid ab eo petierint, concessurus illis sit; quia nimirum hac ipsa re Pater glorificatur, vt in se illi maneant. Chrysostomus exhortationem esse putat, qua discipulos incitat, vt enitantur in se manere, quod totius orationis argumentum erat, & fructum quamplurimum afferre, quia hac ratione non tam se, quàm patrem suum essent glorificaturi: vtrumque probabile. Verbum præteriti temporis δεδόξασται *glorificatus est*, Græcum etiam, grauemque auctorem Cyrillum videtur fefellisse, vt existimaret de re præterita agi, non de futura; esseque sensum, propterea pater meus misso in mundum me glorificatus est, id est propterea magna sua cum laude me misit in mundum, vt fructum in me manentes, quàm vberrimum afferretis, meique discipuli efficeremini. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* supra cap. 3. 16. ne igitur eius fallatis opinionem. Recte à quibusdam animaduersum non posse hanc interpretationem cum verbis Christi conuenire, nec enim dixisse εἰς τοῦτο ἐδοξάσθη ὁ πατήρ, *in hoc*, id est ad hanc rem *clarificatus est pater*, sed ἐν τούτῳ *in hoc*, id est in hac re. Ergo verbū præteritum pro præsenti, aut futuro positum est: *In hoc clarificatus est*, id est clarificatur, aut clarificabitur *Pater*, quod etiam Euthymius admonuit Cyrillum fortasse notans. Alia est in illa dictione, *vt*, ita difficultas, cùm enim aut finem, aut euentum, & consequentiam, vt sæpe diximus, significare soleat, neutrum videtur hoc loco significare posse. Nam neque in hunc finem glorificatur Pater, vt fructum plurimum afferamus, nec ex eo, quòd ille glorificatur, hoc consequitur, vt nos feramus fructū, nisi Cyrilli, quam modo refutauimus, sequamur opinionē. Credo ergo ἵνα posui pro εἰ, vt pro ἐὰν. Exemplum est supra cap. 4. 34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*: id est, in hoc consistit cibus meus, si fecero voluntatem eius, qui misit me, aut cibus meus consistit in facienda voluntate eius, qui misit me; & capite 6. 29. *Hoc est opus Dei vt credatis*, id est si credideritis, opus Dei facietis; aut opus Dei in credendo consistit, & infra capite 17. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. id est, vitam æternam habebunt, si te cognouerint, aut in cognoscēdo te vita eorum æterna cōsistit. Sic etiam Latinè loquimur. Hæc vera est virtus, vt fugiamus malum, prosequamur bonū, id est, in fuga mali, & profecutione boni vera consistit virtus. Eodem modo dictum hoc loco est, *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis*, id est, in hoc glorificabitur, si fructum plurimum attuleritis, aut, in fructu, quem vos tuleritis, patris mei gloria consistit. Ex verbis sequentibus alia nascitur quæstio, quid sit, *Et efficiamini mei discipuli*. Sunt enim qui vertant, Et efficiemini, aut eritis mei discipuli. Itaque non referunt hæc verba ad dictionem illam, *vt*, quasi sensus sit, glorificationem Patris in his duabus rebus positam esse, vt fructum plurimū afferamus, & Christi discipuli simus; sed putant ἀπὸ κοινοῦ repetendum ἐν τούτῳ in hoc, vt sit hic sensus, in hoc glorificabitur Pater, & in hoc discipuli mei eritis, si fructum quàm plurimum attuleritis. Et quidem, si legamus καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί, vt omnes fere nunc Græci codices habent, & ita vertendum, & ille sensus esse videretur: nec eum me puderet sequi meliores præsertim habentem auctores, Chrysostomum, Theophylactum, & Euthymium, qui ita plane videntur interpretari. Sed nostrum interpretem sequi malo, quem non dubito legisse γένησθε *efficiamini*, aut sitis, sensu illo priore. Quam lectionē ideo alteri præfero, & quia nostri interpretis est, & quia non solùm apud Leontiū, & Theophylactum, sed in celeberrimo etiam illo Vaticano codice reperio, qui instar est omniū. Quid sit clarificari Patrem, aut quod, vt Augustinus monuit, idem est, glorificari, sæpe docuimus, eius gloriam, quæ apud ipsum crescere non potest, apud homines crescere. Discipulos autem suos fieri, aut esse dicit, non eos, qui solam habent fidem; iam enim Apostoli isto modo discipuli erant, sed eos, qui eius etiam mores imitantur, vt supra c. 13. 35.

9. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea.*) Obseruandum est in quo comparatio consistat, aut quo modo comparationis membra inter se conferenda sint. Omnes, quos legerim, interpretes existimant, comparationem Christum non nisi inter se, & Patrem facere, quasi sensus sit, Quēadmodum Pater dilexit me, ita & ego vos diligo, atque hic comparatio terminetur; inde quasi conclusio sequatur, Manete ergo in dilectione mea, & hanc ipsam conclusionem non omnes vno modo interpretantur. Mihi non solùm causa videtur esse aliqua dubitandi, num ibi concludenda comparatio sit: sed multo etiam esse probabilius ibi non claudi; sed vnum comparationis membrum esse id, quod omnes totam comparationem esse putant, *sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*; alterum verò, *Manete in dilectione mea*. Vt ita sentiam, adducor primùm consuetudine loquendi Christi, qui huiusmodi comparationibus videtur delectatus, in quibus prior pars altera constaret comparatione. Illustre suprà notauimus exemplum cap. 6. 57. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me*, quod qui non intelligit, nostrum ibi legat commentariū. Deinde, quòd nō id hoc loco ageret Christus, vt doceret, aut se à Patre diligi, aut discipulos diligere, sed vt discipulos ad se diligendum exhortaretur; hoc ergo ipsum membrum, & quidem præcipuum esse debet comparationis, *Manete in dilectione mea*. In priore igitur membro duas declarat causas, ob quas discipuli debeant

Lib. 10. c. 19.

Præterita pro præsenti aut futuro posita.

Clarificare, seu glorificare Patrem quid sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in sui manere dilectione; alteram, quòd se quoque Pater diligat, & æquum sit, vt illi diligant, quem Pater tantopere dilexerit; alteram, quòd ipse quoque eos diligat, ita reciprocum eos sibi amorem debere. Intelligitur ergo particula similitudinis, ita, aut emphatica, &, vt c. 5. 30. *sicut audio, iudico*, pro, sicut audio, ità iudico. Hinc intelligitur nomen dilectionis, cùm Christus dicit, *Manete in dilectione mea*, nó sumi actiuè, vt non solùm plerique recentiores interpretes, verum etiam Augustin. Beda, & Cyrillus, graues auctores existimant, vt sensus sit date operã, vt semper mea dilectione digni sitis, id est, vt quemadmodum hactenus vos dilexi, ita vos semper diligam. Sumitur igitur passiuè, *Manete in dilectione mea*, id est, pergite me diligere, quemadmodum Aug. Chrysost. Leontius, Theophyl. Beda, & Rupertus interpretantur, ratioque ipsa postulat, magis enim cõueniebat, vt discipulos hortaretur, vti se diligerent, quàm vt à se diligerẽtur. At dixisset interpres, in mei dilectione; non solet interpres tam Grammaticè loqui, præterquam quòd etiam pronomen Meus Latinè passiuè ponitur. Alium tamen non absurdum fortasse sensum mihi videntur interpretes præterijsse, *Manete in dilectione mea*, id est quam vobis toties ac tantopere commendaui. Hoc enim vocat præceptum suum, versu 12. Ergo sicut ego, & Pater vos vicissim diligimus, sic vos alter alterum diligite.

Dilectionis nomẽ quomodo hic sumatur.

10. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.*) Docet exẽplo suo, quomodo in sua dilectione manere possint, si sua nimirum præcepta seruauerint. Sed eadem hic atque superiore versu quæstio est, actiuè-ne, an passiuè dilectio sumenda sit. Si enim actiuè sumatur, sensus erit: si præcepta mea seruaueritis, diligã vos, atque ita Cyrillus, August. & Beda, & recentiores fere omnes interpretes intelligunt. Si passiuè, *Si præcepta mea seruaueritis*, diligetis me, quemadmodum Chrysostom. Leontius Theophylact. & Rupertus exponunt, quod est multo (vt docuimus) probabilius. Illud videbitur obstare, quòd obseruatio præceptorum non sit causa dilectionis, qua Christum diligimus; sed dilectionis, qua nos Christus diligit. Non enim propterea Christum diligimus, quia eius præcepta seruamus: sed ideo præcepta seruamus, quia illum diligimus: contrà verò, propterea Christus diligit nos, quia eius seruamus præcepta. Hunc nodum rectè August. & Beda soluunt. *Dilectio*, inquit, *facit præcepta seruare, an præcepta seruata faciũt dilectionẽ? Sed quis ambigat, quod præcepta? accedat? Vnde enim præcepta seruet, nõ habet, qui nõ diligit. Quod ergo ait, Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, ostendit, nõ vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur, tanquã diceret: Nolite vos putare manere in mea dilectione, si non seruaueritis præcepta mea. Si enim seruaueritis, manebitis, hoc est hinc apparebit quod in mea dilectione maneatis, si præcepta mea seruaueritis.* Hic verus est sensus; eodẽ enim modo dixit suprà c. 13. 35. *In hoc cognoscent homines, quia discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis ad inuicẽ.* Similiter, quod de se dicit, intelligẽdũ est, *Sicut & ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Quod, qui dilectionem actiuè sumunt, pro dilectione, qua Christus diligit nos, ad hunc modum interpretantur, propterea ego à Patre diligor, quia eius præcepta seruaui. Sed diuersus prorsus est sensus; inde apparet patrem meũ & me diligi, quia eius seruo præcepta, sicut primum exposuimus membrum, & ex eorundem auctorum sententia. Præpositio ergo &, pro *quia* posita est, Hebræorum idiomate, vt Psalm. 59. 13. & 107. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominum*, vt legitur Hebraicè, id est, *quia vana salus hominum*, vt noster vertit interpres. Quomodo dicat Patris se præcepta seruare, sæpe docuimus, loquitur vt homo. Itaque Chrysost. Theophylactus, & Euthymius monent, cùm alias hæc dictio, *sicut*, non soleat æqualitatem, sed similitudinem, & proportionem quandam significare, cùm Christus de se & de nobis loquitur, hoc tamen loco æqualitatem declarare, quia de se, tanquam de homine loquitur, æqualis nobiscum naturæ.

Tract. 82.

Hebræorum idiotismus & pro quia.

11. *Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.*) Docet ea, quæ hactenus discipulis dixit, non tam sua, quàm ipsorum causa dixisse, vt non solùm sua, sed ipsorum lætitia plena esset, atque perfecta. Quod, Christus gaudium suum vocet, tres apud diuersos auctores interpretationes inuenio. Cyrillus, & Leontius existimãt gaudium suum non suum, sed discipulorum gaudiũ appellare, quasi dicat, *vt gaudium meum in vobis sit*, id est vt tale gaudium vestrum sit, quale meum est, vt quibus ego rebus gaudeo, & vos gaudeatis. Hanc interpretationem ideo non probo, quia non id agebat Christus, vt doceret, quibus rebus gaudere eos oportet, sed, vt proposito gaudio: quod & ipse, & illi inde consecuturi essent, eos ad se diligendum hortaretur. Theophyl. & Euthym. gaudium Christi passiuè, non actiuè dici putant, non quo Christus ipse, sed quo discipuli de Christo gaudebant; itaque cùm dicit gaudium meum, & gaudium vestrũ nó diuersum, sed idem dicit gaudium. Verum hac ipsa ratione hæc opinio refutatur, satis enim per se perspicuũ est, diuersum significari gaudiũ, nisi absurdã, & tautologicam orationẽ dicere velimus. Vera igitur Augustini, Bedæ, & Ruperti sententia est, diuersum suum, ac discipulorum gaudium quamuis de eadem fortasse re, Christũ significare, suumq; gaudiũ actiuè dicere, non quo alij de se, sed quo ipse gaudeat. Hoc tantùm interest, quòd Rupertus gaudiũ Christi ad eius passionem refert, quod videtur non satis congruentem sensum habere posse. Quo enim modo eiusmodi gaudiũ eius in discipulis esse poterat? Augustinus, & Beda referunt ad eius gratiam, quæ fit, vt de nobis gaudeat. *Quod est*, inquit, *gaudiũ Christi in nobis, nisi quo dignatur gaudere de nobis?* Quod si rectè intelligatur, verum est, sed clarius, vt opinor, rem ego explicabo. Credo vtrumque gaudium, & Christi, & discipulorum ad id esse referẽdum, quod illis paulò ante commendauerat, *Manete in dilectione mea*, & ad cætera, quæ in eandem sententiam differuerat. Sed gaudium Christi ad id refertur, tãquam ad materiam, gaudium verò discipulorum tanquam ad causam. Ait enim Christus se propterea tantopere ad dilectionem sui exhortatum eos esse, vt ex eorum erga se, & inter ipsos amore, cæterisque bonis ipsorum moribus lætitiam percipiat; quemadmodum bonus pater bonis filiorum moribus, deboq; erga se amore, atque obseruantia lætari solet: & vt eadem ipsi erga se dilectione non solum in hac gauderent vita, mirificam à Christo etiam in rebus aduersis consolationem accipientes, sed mererentur etiam plenam in altera vita lætitiam, perfecta nque percipere. Hoc est, *vt gaudium vestrum impleatur*, plenum sit. Nunc eos non nisi tenuem quendam habere gustum voluptatis eius, quæ ex ipsius dilectione caperetur; tunc eos perfectam ipsam percepturos voluptatem, si in eadẽ dilectione perseuerauerint. Fecit, ac dixit, quod facere, dicereque solet pater filios aut longè ipse profecturus relinquens, aut à se aliquò dimittẽs. Exhortatur vti mutuæ inter se caritatis, reuerentiæque in patrem memores sint; id & sibi, & ipsis gaudio futurum: sibi quidem, quòd nihil optet, quàm probos, & morigeros habere filios: ipsis verò, quòd si id fecerint magnam illis, vnde gaudeant, hæreditatem daturus sit. Sed quia hæc ipsa, ad quam exhortabatur, dilectio ex ipsius fine dubio gratia proficiscitur, rectè potuit Augustinus dicere, *Quod est gaudium Christi in nobis, nisi quo dignatur gaudere de nobis?* Quod metu, vt opinor, Pelagianorum dixit, ne fortè existimarẽt significare Christũ aliquid ex nostro nos habere, quo ille gaudere posset. Hoc, quamuis leue, indicauerim, quod dicit *in vobis*, Hebraismum esse pro, vestram ob causam, aut propter vos.

Tract.

Hebraismus.

12. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.*) Non solùm explicat, quid sit id, vnde & sibi, & ipsis magnum esset gaudium accessurum; sed ea occasione illud ipsum mutuæ caritatis præceptum repetit, quod sciebat non satis pro dignitate posse commendari. Idem dixerat capite 13. 34. sed illic *mandatum nouum*, hic mandatum suum vocat, inde illa nascitur quæstio, quàm his proponit verbis Augustinus, *Huius mandati repetitio, commendatio est, nisi, quod illic, Mandatum, inquit, nouum do vobis: hic autem, hoc est, inquit, mandatum meum. Ibi tanquam non fuerit ante tale mandatum: hic tanquam non sit aliud eius mandatum.* Hæc ille more suo subtiliter, & scitè; sed cùm nitatur quæstionem soluere, ad sensum magis allegoricum, quàm litteralem inclinat. Sic enim respondet, *sed ibi dictum est nouum, ne in vetustate nostra perseueremus: hic dictum est, meum, ne contemnendum putemus.* Quod Beda, vt solet, in suos transtulit commentarios. Cur illic nouum appellauerit, eo loco diximus; cur hìc suum dicat, nunc disputamus. Nota est, & Ecclesiastico trita vsu Gregorij responsio homilia 27. in Euangelistas. quam & Rupertus vsurpauit. *Cùm cuncta, inquit, sacra eloquia diuina plena sint præceptis, quid est, quod de dilectione quasi de singulari mandato Dominus dicit, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem: nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur in sola caritate solidatur? Vt enim multi rami ex vna radice prodeunt: sic multæ virtutes ex vna caritate generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. Præcepta ergo dominica & multa sunt, & vnum: multa per diuersitatem operis: & vnum radice dilectionis.* Dicta sunt hæc subtiliter magno vulgò probata consensu; sed non videntur mihi genuinum Christi sensum explicare; tantùm enim, vt ego quidem opinor, abest, vt Christus significare voluerit aut aliud non esse præceptum, aut in hoc alia omnia consistere, vt potiùs voluerit hoc, & ab alijs distinguere, & cum illis comparare, & omnibus anteferre. In qua re omnis vis, omnisque gratia posita est huius sententiæ, quæ perit omnino ijs, qui cum præcepto caritatis præcepta omnia confundunt. Sicut ergo locum illum capite 13. 34. per hunc locum exposuimus, ita hunc per illius explicationem exponendum esse iudico. Hoc mandatum suum vocat, non quòd alia non habeat, quæ & ipsa à nobis seruari velit, sed, quòd hoc maximè omnium commendet, maximè omnium seruari velit, maximè omnium necessariũ esse sciat. Quemadmodum si pater multos habens filios, de vno eorum aliquo, qui sibi obsequentissimus carissimus sit, dicat; Hic est meus filius, non negans alios esse, sed significans hunc maximè esse. Docet autem eos, vt se inuicem diligant non verbis solùm, sed suo etiam exemplo, *Sicut dilexi vos*, inquit. Quasi dicat, Nihil vos facere iubeo, quod ipse prior non fecerim: nemo indignos amore suo putare debet, quos ego tantopere dilexerim. Cùm dicit, *sicut*, non modum, sed magnitudinem declarat dilectionis; itaque interpretationem illam Gregorij vulgatem non recipio, *Ad hoc*, inquit, *amate, ad quod amaui vos.* Melius Rupertus; *Palam faciebat, quomodo, vel quantum diligeret nos, tanquam si apertius dixisset, vsque ad mortem diligite inuicem, quia vsque ad mortem dilexi vos.*

Quomodo mãdatum dilectionis nouũ, & suum vocet Christus.

Tract. 83.

Lib. 11.

13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*) Multi Latini codices, ac fere antiquissimi quique corruptè legunt, *Quam, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, vitio inde, vt opinor, nato, quòd qui vulgo hoc lectitabant, non existimarent sine ea particula sensum constare posse. Constat autem melius sine illa, *hac dilectione*, nempe *vt animam suam ponat quis pro amicis suis, nemo maiorem habet*: aut, *hac dilectione, qua quis animam suam ponit pro amicis suis, nemo maiorem habet.* Contra verò si legatur, *quam* sententia corrũpitur; efficitur enim hic sensus, hac caritate nemo maiorem habet, nisi si animam suam ponat pro amicis suis; itaque significatur eam caritatem, qua aliquis animam suam pro amicis suis ponit, maiorem esse ea, qua Christus dilexit nos; quod falsum, atque absurdum penitus est. Manauit tamen etiam in magnos auctores Augustinum, Gregorium, Bedam, Bernardum sermone in feria quarta hebdomadæ sanctæ, & sermon. 9. in Psalm. *Qui habitat in adiutorio*, & alios posteriores idem vitium, dum neque Græca consulunt, neque vim verborum expendunt. Solus pene Latinorum Rupertus sine quam legit. Probat igitur quod dixerat, *Sicut dilexi vos*, docetque se discipulos dilexisse, & quidem quanta maxima fieri potest caritate, ita vt animam suam pro illis posuerit, id est ponere decreuerit. De sua enim loquitur caritate, cùm dicit, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, discipulosque ad eiusdem caritatis imitationẽ exhortatur. Mouent nonnulli quæstionem de ipsa veritate sententiæ, quomodo maiorem hac caritatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis, cùm, vt indicat Diuus Paulus Romanor. 5. 7. 8. & Petrus, prima epistola capite 3. 18. maioris sit caritatis pro inimicis, quàm pro amicis mori. *Commendat*, inquit, *Deus caritatem suam in nobis, quia cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Diuus Bernardus in sermone de feria quarta hebdomadis sanctæ putat ita esse, neque hìc maximam, sed eam, quæ inter homines maxima esse solet, caritatem significari. *Tu*, inquit, *maiorem habuisti Domine ponens eam etiam pro inimicis tuis.* Itaque Bernardi iudicio non de sua Christus agit caritate, quod modò refutauimus. Melius alij, neminem pro inimico animam suam ponere, nam eo ipso, quòd ponit, eum diligit; sed dicitur Christus animam suam pro inimicis suis posuisse, quia pro ijs posuit, qui quamuis ipse eos diligeret, ipsi tamen eum non diligebant. Ergo pro ijs posuit, qui & amici, & inimici erant; amici, quemadmodum hìc ipse vocat, quia ab eo diligebantur; inimici, quemadmodum illic vocat Diuus Paulus, quia ipsum non diligebant. Cur ergo amicos hìc appellauit, cùm inimicos vocare posset? Respondet Rupertus, *vt suauitate, inquit, locutionis dulcedinem in auditoribus sensim diffunderet eiusdem, quam illis mandabat, dilectionis.* Aliam quoque rationẽ reddit. Non quia iam erant amici, sed quia nunc, eo patiente fiebant amici. Alia prõptior est ratio, agebat de dilectione, quæ ipse discipulos prosecutus esset, volebatque probare non potuisse se magis diligere, quàm dilexerat, cùm ami-

Quomodo maxima dilectio pro amicis suis animam ponere.

Lib. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mam suam pro ipsis posuisset ; non conueniebat ergo inimicos appellare , quos ostendere volebat adeo caros,id est amicos sibi fuisse.Animam ex Hebræorum idiomate pro vita sumi scitum est. Quam autem vim habeat verbum illud ponere, nempe , vt voluntariam significet mortem capite 10.15.obseruauimus.

Anima pro vita Hebraismate.

14. *Vos amici mei estis , si feceritis , quæ ego præcipio vobis.*) Occasione vnius verbi, *pro amicis suis*, docet discipulos , quomodo amici sui esse possint , ac debeant ; quemadmodum solet ex sermone sermonem nectere , occasionesque captare omnes , discipulos instituendi , vt suprà versu. 3. & 9.Præsens tempus pro futuro ponit , *estis* pro eritis , vt notat Euthymius , hoc enim postulat verbum subiunctiui modi ἐὰν ποιῆτε , *si feceritis* , vt versu 8. *clarificatus est*,pro clarificabitur. Quid ergo ? nonne iam amici erant ? erant sanè,sed docet , qua ratione in eius amicitia permanere debeant , si facerent, quæ ipsis præceperat. Quemadmodum amicus amico sæpe solet dicere , si hoc feceris , amicus meus eris, non vtique significans nondum amicum suum esse; sed aut desiturum amicum suum esse , si non fecerit; aut ea re declaraturum verè amicum suum esse. Itaque nihil aliud hac sententia significatur, quàm illa superiore versu 10. *si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Obseruandum est aliter hic amicos,quàm versu præcedenti appellare. Illic amicos suos dixerat , non quòd ipsum illi dilexissent, sed quòd ab illo dilecti fuissent ; hic autem amicos vocat,quòd se diligerent; sicut è contrario sequenti versu amicos vocat , quos ipse diligebat. Solet enim huiusmodi verborum ambiguitate vti , vt versu tertio adnotabamus.Ridiculi verò hoc loco sunt hæreticorum interpretes. Obseruant non dixisse Christum, *Et vos amici mei estis* , si feceritis quæcunque ego feci , aut facturus sum, sed,*si feceritis, quæ ego præcipio vobis* : itaque hoc verbo non solùm quadragesimæ ieiunium , aliaque multa quæ fecit,sed non præcepit Christus ; verum omnes traditiones. omnia Ecclesiastica excludi præcepta. Stulti non animaduertunt eundem Christum, qui hoc loco dicit, *vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis* , alio loco dicere , *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci vobis,ita & vos faciatis*.capit. 13.15.& tamen nullum nobis de lauandis pedibus præceptum reliquit. Quemadmodum ergo vult, vt ipsum in lotione pedum imitemur , quamuis nullum nobis de ea præceptum reliquerit : ita vult , vt alia faciamus , quæ prior ipse fecerit,quamuis præcipere noluerit, modò ad virtutem aliquam referantur. Nam quædam ille diuinitus fecit,quæ nos facere non possumus.In eo verò magis sunt stupidi , quòd non intelligant, qui Ecclesiæ obedit, Christo obedire , qui nos obedire iussit Ecclesiæ. Cùm per suos Apostolos Petrum,ac Paulum non Ecclesiasticis solùm superioribus,sed secularibus etiam,sed Gentilibus, & dyscolis magistratibus obtemperare iubeat , quia *qui resistit potestati,Dei ordinationi resistit*,Roman.13.2.

Præsens pro futuro sumptum.

Refutantur Hæretici resicientes traditiones & præcepta Ecclesiæ.

1.Petr.2.13.18. ad Tit.3. 1. Roma. 13.1.2.5

15.*Iam non dicam vos seruos,quia seruus nescit , quid faciat dominus : vos autem dixi amicos , quia omnia , quæcunque audiui à patre meo,nota feci vobis.*) Reddit causam , cur eos amicos appellauerit , simulque suam erga illos caritatem commendat , quòd cum illis communicasset,quidquid secreti à Patre accepisset, quod singularis amicitiæ indicium est. Græcè non est λέγω , id est *dicam* , sed λέγω id est *dico* , quemadmodum alicui videri possit potius fuisse vertẽdum, quia statim sequitur,*Vos autem dixi amicos*. Sed melius noster vertit interpres ; ponitur enim præsens pro futuro ; quemadmodum superiore versu *Estis*, pro eritis , vt indicat illa particula ἤδη *iam* , aut amplius,aut in posterum,deinceps, quæ futuri temporis nota est.Cur ergo statim dicit,*Dixi?* Significat se deinceps amicos vocaturum esse , quemadmodum iam tunc facere cœpisset.*Vos*,inquit,*dixi amicos*.Existunt autem ex his verbis multæ quæstiunculæ. Prima illa,quam nemo videtur attigisse, quomodo dicat ,*Iam non dicam vos seruos?* quasi antea seruos soleret eos appellare.quod nusquam eum fecisse legimus.Vocauit quidem seipsum dominum, capite 13. 13.vnde sequitur illos fuisse seruos;sed non vocauit dominum eo sensu,quo dominus serui , sed eo, quo Rex populi,magister discipulorum dominus appellatur:qui ita honoris causa domini dicuntur. vt neque populus Regis , neque discipulus præceptoris serui dicantur. Quin ne isto quidem modo se ipse dominum dixit,sed quòd sic à discipulis appellaretur,approbauit ; quod , vt illo diximus loco,maioris modestiæ est,quàm si ipse sese ita vocauisset.Ita quidem est ; cæterum Christus noluit dicere , quo nomine priùs discipulos loquendo vocauisset, aut quo deinceps vocaturus esset:sed quomodo se ante erga illos gessisset,quomodo se iam gereret , & in posterum gesturus esset. Priùs tanquã erga seruos se gessisse videri poterat non cæteris quidem rebus , non duritie tractationis, non asperitate verborum , non appellationis ignominia;sed hac nimirum vna,quòd obscuriùs cum illis locutus esset , neque diuina Patris secreta satis apertè exposuisset, quemadmodum non solemus seruis nostra exponere mysteria , sed aliquid illis aliquando obscuriùs insinuare. Núc verò erga illos tanquam erga fidos,familiaresque amicos se gessisse,cùm palam illis & mortis , & resurrectionis , & futuræ gloriæ mysterium dilucidè exposuisset. Hoc est *non dicam seruos*,sed amicos. Atque hinc secunda etiam soluitur quæstio, quomodo dicat se non esse deinceps seruos eos appellaturum, cùm eum postea legamus seruos appellasse,vers.20. *Non est seruus maior domino suo*,cùm de se vtique ac illis loqueretur.aut vt Augustinus quæstionem proponit,quomodo negat se seruos appellaturum; cùm non solùm cùm eius efficimur amici , serui eius esse non desinamus,sed meliores etiam simus seruis,quo magis eius amici sumus. Nec enim ideo dicit Christus non se posthac discipulos suos seruos, sed amicos appellaturum quòd serui eius esse desinant, aut amici esse incipiant. Neque significat nomine seruorum eos non vocaturum;sed tãtùm declarat,quo apud se loco futuri sint , nempe non seruorum , sed amicorum. Aliter Rupertus respondet , seruos hoc loco pro inimicis accipi. vt ex contrario colligitur, *vos autem dixi amicos*,ideoque non appellaturum eos seruos, id est inimicos , & peccatores. Tertia quæstio est , quam idem Augustinus, & Beda, & Theodorus Mopsuest. mouent , quomodo pronuntiet vniuersè, *seruus nescit, quid faciat dominus eius* , cùm multi sint serui,qui id sæpe sciant,præsertim si probi,ac fidi sint. Non est dubium , quod quidam monuerunt , non esse sensum , seruum nescire , *quid faciat dominus eius* , cùm re ipsa iam facit ; tunc enim non modò scire , sed oculis quoque cernere ; sed sensum esse ignorare seruum, *quid faciat*. id est quid velit facere *dominus eius*; non habere cognita domini consilia , quid cogitet facere , antequam faciat, & quorsum faciat,cùm re ipsa iam facit. Sed de hoc ipso quæstio est , quia idipsum multi expertæ fidei sciunt serui , quibuscum sua domini consilia communicant. Augustinus,Beda in cõmentarijs ad hunc locum,&,vt videtur, Ambrosius serm.6.in Psal.118.

respondent

respondent eos seruos, qui non solùm re,sed animo serui sunt, id est qui non voluntate , sed necessitate seruiunt,nescire domini consilia, quia illis dominus non committit, eos autem qui voluntate seruiunt, scire, quia cum illis dominus communicat. haud secus , quam cum amicis. Idem fere aliter Rupertus scribit , qui seruus peccati est , eum consilia domini nescire , qui verò seruus est Dei,eum scire , quia ita seruus est,vt simul amicus sit.At hîc de omnibus generaliter seruis sermo est. Theodorus Mopsuest. sic exponit , *seruus nescit, quid faciat dominus eius* , id est, etiamsi aliquando dominus consilia cum illo sua communicet, tamen bona ipsa,quæ inde proueniũt, non communicat:Christum autem non solùm consiliorum,sed bonorum etiam suorum omnium discipulos suos fecisse participes.In promptu minùs quærentibus responsio erat Christum argumentum de medio sumpsisse ex communi hominum more , dixisseque non quod semper fiat,sed quod plerunque fieri soleat. Sed ecce altera ex parte quarta oritur quæstio,quo modo dicat Christus omnia,quæ à Patre audiuisset, discipulis patefecisse, cùm suprà c.14. 25.26.significauerit multa se illis non dixisse,quę in aduentum Spiritus sancti reseruasset , & capite sequenti ver.12. *Adhuc multa*,inquit, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Leontius respondet,cùm dicit,*Omnia*, nõ absolutè omnia significare,sed omnia , quæ à Patre audiuerat ; vt illis tunc diceret. Theodorus Mopsuest. Chrysostomus , Theophylactus, & Euthymius nota fecisse omnia , quæ illis dicere conueniebat.id est quæ portare poterant,vt dicit postea. Sed isto quidem modo quilibet dominus cuilibet seruo omnia sua secreta dicit, quatenus cõuenit , & quatenus ille ferre potest. Itaque meliùs rem explicant Augustinus hoc loco & epistola 57. & lib.de agone Christiano cap. 9. & Beda, cùm hoc Christus dixit nondum discipulis omnia nota fecisse,quæ à Patre audiuerat,id enim Spiritum sanctum postea facturum dixerat , *ille vos docebit omnia*, & rursus,*ille docebit vos omnem veritatem*;sed dixisse se fecisse, quod paulò post facturus erat,sicut ver. 8. dixit clarificatum esse Patrem , quia clarificandus erat. Facilius dictu erat, verbum *feci*, vt sæpe alibi docuimus,non actum,sed voluntatem significare,*nota feci vobis*,id est nota facere decreui:quemadmodum paulò ante,*seruus nescit,quid faciat dominus eius*,id est quid facere decreuerit.Quo autem modo intelligendum sit,quod Christus dicit se à Patre audiuisse, quæ vna hîc quæstio reliqua esse poterat. c.5.37.& 8.26.diximus.

Quomodo se patefecisse omnia dicat.

Aug.ep.14. & inf. c.16.12.

16. *Non vos me elegistis,sed ego elegi vos.*) Chrysostomus,Theophylactus, Euthymius, & Rupertus existimant ideo Christum hoc addidisse , vt suum ergà discipulos amorem alio confirmaret argumento, non fuisse ab illis priùs se amantibus ad eos redamandos prouocatum; sed se eos priorem amauisse, priùs elegisse , & in amicorum suorum numero posuisse. Cyrillus verò , & Leontius putant Christum discipulos exhortari,vt suum exemplum imitati homines præueniant, eósque nihil dum de salute sua cogitantes, ad salutem adducant, nec expectent , vt ipsi veniant;sicut ipse non expectauit,vt Apostoli ad se venirent , sed prior eos vocauit , elegitque. Alij ideo hoc dicunt subiecisse Christum , ne quia eos amicos appellauerat , nimia lætitia efferrentur ; itaque superbiendi occasionem detraxisse, dum adiunxit. *Non vos me elegistis , sed ego elegi vos.* Hoc ipsum Cyrillus indicat. Rupertus alia ratione putat Christum suum erga discipulos amorem declarare,interpretans , *non vos me elegistis* , sicut populus Regem suum solet eligere, non vos mihi , sed ego vobis auctoritatem dedi.Dubium de qua agat electione.Augustinus hoc loco,& lib. 1. de prædestinatione sanctorum cap. 17. & vbicunque hunc locum tractat, Prosper in libro contra Collatorem,& in comment. in Psal. 131. Beda, & Latini fere omnes de prædestinatione interpretantur, atque hinc probant nullam prædestinationis causam in nobis esse, qua si esset, nos ipsum priores elegissemus.De causa ego prædestinationis nihil disputo ; tantum dico de prædestinatione hoc loco non agi , sed de electione ad officium Apostolorum, *vt eatis*,inquit, *& fructum afferatis*. De ea nimirum electione,de qua cap.6.70. dixerat.*Nonne ego vos duodecim elegi,& ex vobis vnus Diabolus est?* vbi de prædestinatione non agi, quid opus est probare, cum vnum ex electis Diabolum factum esse dicat,& nemo dubitet, non posse,qui prædestinatus sit,Diabolum fieri. Deniq; de ea agit electione,qua apud Lucam cap. 6.13. dicitur vocatis discipulis duodecim ex illis Apostolos elegisse. Atque ita Chrysostomus, Cyrillus,Leontius. Theodorus Heracleensis, & Mopsuest. Theophylactus, & Euthymius hoc loco sentiunt. At quemadmodum Apostolos,ita prædestinatos omnes elegit ; itaque si nulla in Apostolis causa fuit electionis suæ,neque in prædestinatis prædestinationis erit. Si prædestinatio præparatio gloriæ diffiniatur, vti maior pars veterum auctorum diffiniuit , non eandem prædestinationis , & electionis Apostolorum causam esse concedendum est. Nam Apostoli electionem suam non meruerunt, prædestinati verò vitam æternam mereri possunt. Sin autem diffiniatur gratiæ præparatio,vt diffinit Augustinus. eadem quidem vtriusque ratio est, sed videant,qui hoc vtuntur argumento, ne nõ tam confirment,quàm debilitent suam opinionem.Nam quamuis Apostoli suam nõ meruerint electionem, tamen certe aliqua in ipsis eius causa fuit. Nam si noluissent,electi vtique non fuissent;& fortasse etiã antequam eligerentur,aliquid in illis erat,non dico meriti,sed aliquid tamen fortassis in illis erat,quamobrem ipsi potiùs,quàm alij electi sint.Porro Leontius, Chrysostomus,Theophylactus, & Euthymius existimant Christum adhuc in vineæ parabola perstare.Quod si ita est,eodem modo dicit,*Ego elegi vos*, quemadmodum agricolæ solent, cùm vineam plantare volunt, optimas quasque & generosissimas vites eligere, *Ego*,inquit, *plantaui te vineam electam*. Ierem.2.21. Et *plantauit eam electam,& ædificauit turrim in medio eius*.Isai.5.2.

Deiectione ad Apostolatus hic agitur.

Et posui vos,vt eatis,& fructum afferatis,& fructus vester maneat.) Auctores illi,quos modò nominaui,qui metaphoram vineæ continuari putant,interpretantur,*posui vos*,id est plantaui,sicut vineã,sicut Hispani dicunt ponere vineam pro plantare , quin & Latinum verbum ponere eodem apud Senecam significatu legisse memini. Congruenter huic sententiæ sequens etiam verbum exponunt , *vt eatis* , id est vt crescatis,vt palmites, atque propagines longe,latéque extendatis.*Extendit palmites suos vsque ad mare,& vsque ad flumen propagines eius*.Psal.79.12.Simpliciùs, opinor , Theodorus Heracleotes ἔθηκα *posui* idem esse putat,quod *aliis ea declarani*.Cùm enim aliquis eligitur magistratus, priùs eligitur, hoc est designatur,deinde declaratur,& in officio ipso constituitur, hoc est *posui vos*. Priùs Christus Apostolos elegit Matth.10.1.Mar.3.14.Luc.6.3. deinde velut in possessione Apostolatus posuit mittens ad prædicandum Euangelium Mar.6.7.& Luc.9.1.2. Hoc est,*posui vt eatis*,sicut illis post resurrectionem dicit,*Eatis in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creatu-*

Marc. 16. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fructus qui manſurus eſt vita æterna.

Vt conſequutionem, & effectus deſignat.

ture. Quòd dicit, *vt fructum afferatis, & fructus veſter maneat*: hic reſoluendum, vt fructum non peritura, ſed perpetuò permanſurum afferatis, quod ipſum & ad commendationem ipſius erga illos caritatis pertinet vt Theodorus Mopſueſt. & Chryſoſtomus indicant, & eos magis accendit ad perfungendum officium. Manentem verò fructum putat Cyrillus euangelicam vocari iuſtitiam, quæ legali fructui, id eſt iuſtitiæ opponatur, quæ permanſura diu non erat; ſed potius crollo fructum vitæ æternæ ſic appellari.

Vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis,) Dictio, *vt*, hoc loco non cauſam, ſed conſequentiam, effectúmque ſignificat, noluit enim dicere propterea ſe eos elegiſſe, aut ad prædicandum miſiſſe, vt quidquid à Patre peterent, illis daret; aut propterea eos fructum afferre debere, vt quidquid à Patre peterent, obtinerent; ſed fore, vt ſi fructum afferrent, nihil in nomine ſuo à Patre peterent, quod non obtinerent. Cæterum ſententiam ipſam cap. 14. 13. declarauimus. Hoc notauerim ambiguam eſſe lectionem Græcam δῶ ὑμῖν, verti enim poteſt, *det vobis*, vel dem vobis. Et quidem Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius, per primam perſonam vertunt, fortaſſe melius; nam & cap. 14. 13. dixerat, *Quodcunque petieritis in nomine meo hoc faciam*, Itaque Theophylactus ex vtroque loco Arianorum errorem refellit, quòd illic ſe facturum, hîc ſe daturum Chriſtus polliceatur, quidquid à Patre petierint.

17. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.*) Chryſoſtomus, Leontius, Theodorus Mopſueſt. Theophylactus, & Euthymius ſic interpretantur, hæc vobis non vt aut ipſe gloriarer, aut vobis exprobrarem, dixi, ſed vt mutuam inter vos caritatem haberetis. Itaque verbum ἐντέλλομαι *mando*, videntur accipere pro λέγω *dico*. Theodorus verò Heracleotes videtur ad ſequentia referre, ſi vultis, inquit, mundo reſiſtere. qui odio vos habiturus eſt, hæc mando vobis, vt mutuam habeatis caritatem. Auguſtinus, & Beda, quia dixerat, *vt fructum afferatis*, declarare nunc, quis fructus ille ſit, nempe vt ſeſe mutuò diligant. Sed iam docuimus alium illic fructum ſignificari. Rupertus hoc refert ad ver. 14. vbi dixerat, *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis*. Cùm enim duo illic dixiſſet, alterum, *Vos amici mei eſtis*, alterum *ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis*, hactenus declaranit, quomodo diſcipuli amici ſui eſſent; nunc autem declaranit, quæ ſint præcepta illa, quæ ſi fecerint, amici ſui futuri ſint. Ea verò præcepta non multa, non difficilia, ſed hoc vnum, & facillimum eſſe dixit, vt mutuò ſeſe diligant. Propterea cùm plurali numero dixiſſet, *hæc mando vobis*, non niſi vnum ſubiunxit mandatum, quia ad illa verba, quæ ver. 14. dixerat, alludebat. Quæ ego *præcipio vobis*, quaſi dicat, hæc ſunt, quæ ego præcipio vobis, hæc ſunt omnia præcepta mea, vt vos mutuò diligatis. Quod magnam gratiam, & emphaſim habet. Vide quæ diximus ver. 12.

18. 19. *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.*) Hæc noua ſententia eſt, diuerſúmque conſolationis genus. Munit diſcipulos aduerſus mundi tempeſtates, quas animo prouidebat. Primùm docet non debere mirari eos, ſi ſe viderint à mundo odio haberi ſe priorem odio habitum fuiſſe, & ſolatio illis eſſe oportere, quòd ſe eiuſdem perſecutionis ſocium, aut potius ducem habeant. *Cur ergo ſe membrum*, inquit Auguſtinus, *ſupra verticem extollit? Recuſat eſſe in corpore, ſi non vult odium mundi ſuſtinere cum capite.* Deinde oſtendit non ſolùm debere eos hoc mundi odium æquo, patientique animo ferre, ſed ponere etiam in lucro, quòd id certum ſit argumentum nihil eos cum mundo habere commune. Mundum hîc non omnes omnino homines malos, ſed præcipue Iudæos vocat, vt ex ver. 22. colligit Auguſt. Quod noſter interpres vertit, *ſcitote*, Græce eſt γινώσκετε quod & *ſcitote* & ſcitis verti poteſt nullo, aut perexiguo diſcrimine ſententiæ, niſi quòd ſcitis videtur eſſe magis emphaticum. Quod autem Græce ſequitur πρῶτον ὑμῶν quidam nomen eſſe putant, ſignificaréque præſtantiorem vt cap. 1. 15. ὅτι ἔμπροσθέν μου γέγονεν, *qui a prior me erat*, id eſt dignior, atque præſtantior. Sic hoc loco *me priorem vobis odio habuit*, id eſt me, qui vobis melior ſum, odio habuit; me, qui Dominus ſum atque magiſter, vt dicit ver. 20. In quam interpretationem videtur Theodorus Mopſueſt. inclinare. Alij nomen eſſe putãt, cæterum non præſtantiam, ſed tempus ſignificare, quod per aduerbium temporis reſoluendum ſit, id eſt prius me, quàm vos odio habuit, ſicut poëta ille dixit, *Lupi Mœrin videre priores.* Idcirco alij malunt aduerbium eſſe, prius *me odio habuit*, quod & faciliùs eſt, & minus ambiguum, ſed idem eſt ſenſus noſtræ verſionis. Illud certum, ſuperlatiuum Græce, pro comparatiuo poſitum eſſe, quod paſſim fit.

20. *Memeneto ſermonis mei, quem ego dixi vobis, Non eſt ſeruus maior domino ſuo.*) Dixerat hoc illis. c. 13. 16. Vſus ibi ea ſententia fuerat, vt doceret non debere recuſare eos facere, quod prior ipſe feciſſet; hîc vtitur vt doceat non debere recuſare pati, quod ipſe prior paſſus eſſet. *Chriſto*, inquit, *paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* 1. Petri 4. 1. Et, *Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* 1. Petri 2. 21. Græcum verbum μνημονεύετε ambiguum eſt, poteſt enim verti aut memores eſtis, aut memores eſtote, ſicut Latinè recordamini, & imperandi & indicandi verbum eſſe poteſt. Sed maiorem habet emphaſim imperatiuum; ſignificat enim fore, vt ſi eius verbi memores fuerint, non alia illis conſolatione opus ſit.

Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur; ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.) Vtroque in loco. *Si*, pro *quia* ponitur, ſicque oratio reſoluenda eſt, quia *me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*; quia meum ſermonem non ſeruauerunt, nec veſtrum ſeruabunt. *Sermonem* doctrinam, & præceptum appellat ex Hebræorum idiomate. Suum autem, & illorum ſermonem dicit, non quòd diuerſa doctrina eſſet, ſed quòd per diuerſos miniſtros traderetur. Monet ne mirentur, ne animum deſpondeant ſi non recipi à pleriſque, ſi contemni, ſi conuicijs affici viderint doctrinam ſuam, docere pergant, & officio ſuo ſatisfacere. Documentum ad omnes Eccleſiæ doctores accommodatum, quibus & hoc Chriſti verbum, & illud D. Pauli ſemper ante oculos eſſe debet, *ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.*

21. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum, qui miſit me.*) Non eſt hæc excuſatio, ſed aggrauatio potiùs, & exaggeratio peccati Iudæorũ, quod duobus modis amplificat, & dũ dicit, *propter nomen meum*, id eſt, *propter nominis mei odium*, vt Rupertus interpretatur; magnum enim & mahitiæ plenum erat odium non ſolùm Chriſtum perſequi, ſed etiam Apoſtolos non alia eorum culpa, nõ aliam, ob cauſam, quàm quòd à Chriſto miſſi eſſent. Hoc eſt, *propter nomen meum*; & cùm dicit, *quia neſciunt eum, qui miſit me*, id eſt, *quia ſcire nolunt*, vt idem auctor exponit. Accuſat ergo illos, quòd intelligere nolnerint, vt bene agerent. Hic ſenſus ex verſu ſequenti colligitur. Poterat dicere, quia neſciunt me, ſed prę-

Quomodo Chriſtus non veniſſet, Iudæi peccatum non haberent.

Sup. c. 9. 16.

Quomodo Iudæi Deũ Patrẽ, quẽ ignorabãt odiſſe poterant.

Rom. 2. 12.

pterea dixit, *quia neſciunt eum, qui miſit me*, quia quòd ſe neſcirent, minùs mirum erat; quòd autem neſcirent Patrem, quem ſe tantopere ſcire profitebantur, id verò & mirum erat, & maximè reprehendendum. At cur non dixit, quia neſciunt patrem meum, ſed *quia neſciunt eum, qui miſit me?* Quia hoc maiorem habebat emphaſim, quaſi diceret, quia neſciunt, cuius ego perſonam gero.

22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*) Intelligenda eſt ſecundo etiam loco negatio ἀπὸ κοινοῦ, *Si non veniſſem, & locutus eis nõ fuiſſem.* Quanquam Bernardus epiſtola 77. negationem legit, ſenſum, vt opinor, magis quàm verba ſecutus. Quia dixerat eos ignorantia odium in ſe exercere, docet ea ignorantia eorum culpam excuſari non poſſe, quia ignorantia ipſa culpa fuit; propterea enim ignorarunt, quia ſcire noluerunt, vt paulò ante dicebamus, & quia odio erant occupati. Itaque ipſorum ignorantia & effectus, & cauſa erat odij. Effectus, quia odium impediebat, ne cognoſcerent veritatem, cauſa, quia ipſa viciſſim impediebat, ne illi ponerent odium. Duabus ergo rationibus oſtendit, vt Theophylactus, & Rupertus aiunt, nullam eos ignorantiæ excuſationẽ habere poſſe, & quia verbis, & quia factis, quis, & à quo miſſus eſſet ſæpe illis declarauerat. Vulgaris quæſtio, quo modo dicat Iudæos peccatum non fuiſſe habituros, ſi ad eos non veniſſet, & locutus non fuiſſet illis. Malorum etiam auctorum aliquando ſententiæ recitandæ ſunt. Sunt ergo, qui putent per μίμησιν hoc dictum eſſe, non quòd peccatum habituri nõ eſſent, ſed quòd ipſi nondum conuicti dicturi eſſent peccatum ſe non habere, non potuiſſe ſe in Chriſtum credere, quem nec vidiſſent vnquam, nec audiuiſſent. Si à recepta ſententia diſcedendum eſſet, mallem interpretari *peccatum non haberent*, id eſt videri poſſent non habere prætextum aliquem excuſationis, ſi non excuſationem veram peccati ſui viderentur afferre poſſe, *nunc autem excuſationem non habent vllam.* Videtur enim peccatũ non innocentiæ, ſed excuſationi, defenſioníque ſolùm opponere. Sed nihil cauſæ video, quamobrẽ à communi ſententia diſcedamus, non omne hîc peccatum, ſed ſolùm peccatum illud intelligi, quod in Chriſtum non credidiſſent. Nam ſi Chriſtus ad eos non veniſſet, & locutus cum eis non fuiſſet, alia quidem habuiſſent peccata, hoc verò non habuiſſent, vt Auguſtinus, & Beda hoc loco exponunt. Quo redit expoſitio Bernardi epiſtola 77. peccatum, inquit, non haberent huius contemptus, quo me contempſerunt, ac patrem meum. Magis ab hoc ſenſu Rupertus diſcedit, qui peccatam odij in Chriſtum, & patrem eius putat intelligendum. Inepte igitur quidam nouorum hæreticorum ex hoc colligunt ſolam infidelitatem peccatum eſſe, ſicut ſolam fidem dicunt iuſtificare. Nec enim Chriſtus dicit nullum, ſed hoc incredulitatis peccatum habituros non fuiſſe, ſi ad eos non veniſſet. Sed bene eſt, quòd iſti etiam à magno hæreſiarcha Caluino refutati ſunt. Ergo gentes dicet aliquis ad quas Chriſtus non venit, quæque ante eius fuerunt aduentum, peccatum non habuerunt? Reſpondet idem Auguſtinus, *habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo* (eius vtor verbis) *ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus. Sed non in eo ſunt numero hi, ad quos in diſcipulis venit, & quibus per diſcipulos eſt locutus, quod & nunc facit; nam per Eccleſiam ſuam venit ad gentes, & per Eccleſiam ſuam loquitur gentibus; ad hoc enim pertinet, quod ait, qui vos recipit, me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. An vultis, inquit Apoſtolus Paulus, experimentum accipere eius, qui in me loquitur, Chriſtus? Reſtat inquirere* inquit idem Auguſtinus, *vtrum hi, qui prius, quam Chriſtus veniret in Eccleſiam ad gentes, & priuſquam Euangelium eius audirent, vita huius ſine præuenti ſint, ſeu præueniuntur, poſſint habere hanc excuſationem? Poſſunt plane, ſed non ideo poſſunt effugere damnationem. Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.*

23. *Qui me odit, & patrem meum odit.*) Ex his verbis Rupertus colligit in ſuperiore γνῶσιν ſolo peccato odij ſermonem eſſe, quòd alioqui non ſatis hæc videantur cum præcedentibus cohærere. Chryſoſtomus, Theodorus Mopſueſt. & Theophylactus putãt propterea hoc Chriſtum addidiſſe, vt prætextum, quo Iudæi in ipſo perſequendo vtebantur, omnino remoueret. Solebant illi dicere, ac profiteri, quidquid ea in re faciebant, ideo facere, vt Deo gloriam ſuam vindicarent, à quo Chriſtus diſſentiret. *Non eſt*, inquiunt, *hic homo a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.* Ergo oſtendere tantum abeſſe, vt Deum defendant, vt eum potiùs odio habeant, quia qui ſe oderit, & Patrem oderit. Ego verſui 18. hunc locum reſpondere arbitror. Dixerat enim illic ſe ab illis odio habitum, docet nunc, quàm graue ſit peccatum odiſſe ſe, quantum nimirum odiſſe Patrem, quia qui ſe odit, & patrem ſuum odit. Nam cætera quæ interiecta ſunt, eius verbi, *odio habuit*, occaſione ſunt dicta, dum ſermonem ex ſermone nectit. Vidimus exemplum ſimile ver. 17. Poteſt & ad proxima referri, vt declaret, atque cauſam reddat, quam ob rem qui in ſe non crediderant nullam haberent excuſationem, quin propterea in ſe non credebant, quia odio erant occæcati, odium verò ſui in Patrem redundare. Nam ſi ſe quidem ſolùm odiſſent, aliquam odij excuſationem habere potuiſſe; odiſſe hominem ſimilem ceteris: at quòd Deum oderint, quam excuſationem habere poſſe? De ipſa verborum ſententia quæſtionem mouet Auguſtinus, quomodo Patrem, quem ignorabant, vt ver. 21. dixerat, odiſſe poterant? Dicam paucis verbis, quod D. Auguſtin. dicit multis. Nouerant Deum in genere, vnum eſſe cæli, terræque conditorem, & eiuſmodi alia, quæ perſpicuè in ſacris litteris lectitabant; at in ſpecie ignorabant, eum, ſcilicet primùm ex ſua ſubſtantia genuiſſe Chriſtum Deum verum de Deo vero; deinde in hunc mundum ex muliere factum miſiſſe, vt ſuam apud homines perſonã repreſentans à peccatis eos liberaret. Hoc, inquam, ignorabant, & hac ratione odio habebant, quia quem ille ſuo miſerat nomine, odio proſequebantur, & qui Filium odit, Patrem odit, vt exponit Theodorus Heracleotes.

24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum.*) Docuerat ver. 22. nullam eos peccati habere excuſationem, quia docenti non crediderant, docet nunc multo minorem habere, quòd non crediderint tot, tantáque in ipſorum oculis miracula facienti. Quomodo peccatum non eſſent habituri, ſi miracula non vidiſſent, illic expoſuimus. Putat autem Cyrillus, cùm dicit, *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit*, tacitè ſeſe Moſi, prophetiſque omnibus opponere, quaſi dicat, ſi maiora coram illis miracula non feciſſem, quàm Moſes, aut vllus vnquam propheta fecit, excuſationem haberent aliquam peccati ſui, nunc autem quam excuſationem habere poſſunt, cùm prophetas illos receperint, qui minora, & pauciora miracula fecêre, me verò recipere noluerint, ſed incredibili odio potiùs habuerint, qui tanto plura, tanto maiora fecerim. De hac ipſa re dubitare lector poteſt, quomodo dicat Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quo sensu dicat Christus se fecisse opera in eis, quæ nemo alius fecit.

stus opera se fecisse, quæ nemo alius fecerit? Nam si intelligit aliqua se fecisse noua, quæ nemo fecisset alius, licet maiora fortasse fecisset, parum dicit; nam & alij aliqua fecerant, quæ ipse non fecit. Si verò intelligit se maiora fecisse opera, quàm quisquam fecisset alius, de hoc ipso dubitatur, nam & mortuos alij suscitauerunt, quo nullum maius opus fieri videtur posse. Verba hæc licet multa inseram August. commentarij loco, quod & Beda fecit, quibus ille & proponit quæstionem, & soluit. *Nulla*, inquit, *in operibus Christi videntur esse maiora, quàm si scitatio mortuorum, quod scimus etiam antiquos fecisse prophetas. Fecit hoc etiam Elias, fecit Eliseus & cùm in hac carne viueret, & cùm in suo monumento sepultus iaceret. Nam quidam portantes mortuum cùm irruentibus hostibus eo refugissent, eúmque ibi posuissent, continuò resurrexit. Fecit tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit, quòd quinque millia hominum de quinque, & quatuor millia de septem panibus pauit; quòd super aquas ambulauit, & Petro, vt hoc faceret, præstitit; quod aquam mutauit in vinum, quod aperuit oculos cæci nati, & alia multa: quæ commemorare longum est. Sed respondetur nobis & alios fecisse, quæ ipse non fecit, & qua nemo alius fecit, quis enim nisi Moyses Aegyptios plagis tot, tantisque percussit, diuiso mari populum duxit, manna de cælo esurientibus impetrauit, aquam de petra sitientibus fudit? Quis nisi Iesus Naue populo transituro Iordanis fluenta diuisit, & currentem solem emissa ad Deum oratione frenauit, & fixit? Quis præter Sampson propter suam sitim maxilla mortui asini exundante satiatus est? Quis præter Eliam curru igneo in alta subuectus est? Quis præter Elisæum, quod paulo ante commemorani sepulto suo cadauere cadauer alterius reddidit vitæ? Quis præter Danielem inter ora inclusorum secum leonum esurientium vixit innocuus? Quis præter tres viros Ananiam, Azariam, Misaelem in flammis ardentibus & non ventibus deambulauit illæsus? Prætereo cætera, quoniam hæc satis esse arbitror, quibus demonstretur, & alios sanctos quædam opera mirandæ fecisse, quæ nemo alius fecit. Sed qui tam multa vitia, vexationesque morialium tanta potestate sanaret, nullis omnino legitur antiquorum, vt enim taceamus quod iubendo, sicut occurrebant, saluos singulos fecit. Marcus Euangelista quodam loco ait, Vesperè autem facto cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis ciuitas ad iannam congregata, & curauit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa eiiciebat. Item alio loco dicit Marcus, Et quocunque loco intrabat in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant.* Videtur igitur Augustinus sic hæc Christi verba interpretari, quasi Christus non significet maiora se quam alios, sed plura miracula fecisse. Rupertus hoc victus argumento alias duas interpretationes adhiber. Altera est, *quæ nemo alius fecit*, scilicet malus, aut peccator, qualem vos me esse existimatis. Sed hac ratione non probasset Christus, quod volebat, debuisse illos pro promisso, ac vero Christo se recipere. Altera, vt per præteritum loquatur de futuro, vt ver. 8. id est de resurrectione sua, illud enim tantum fecisse miraculum, quantum nemo vnquam fecisset alius, vt seipsum suscitaret. Ego duobus modis hoc intelligi posse puto. Altero, vt non solùm de numero, sed etiam de magnitudine eorum loquatur miraculorum, quæ ante iam fecerat, non quòd singula eius miracula singulis quorundam aliorum maiora essent, sed quòd modus, quo ab eo fiebant, maiora fecerat: videbantur enim ex eo tanquam ex Deo, tanquam ex fonte manare natura sua, vt illa indicat verba, *Et quotquot tangebant, sani fiebant, à quacunque detinerentur infirmitate.* Itaque alij vim adhibere videbantur, vt miracula facerent, Christus vim potiùs adhibebat, vt virtutem suam cohiberet, ne nisi valde necessaria miracula faceret. Altera, vt non tam magnitudo vel numerus, quàm miraculorum qualitas significetur, ea se miracula fecisse, quæ se abundè Christum esse declararent, quòd talia omnino essent qualia prophetæ Christum facturum prædixissent, *Tunc*, inquiunt, *aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*, Isai. 35.5. Et, *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Isai. 53.4. Hæc autem miracula ita Christus passim faciebat, vt alia vix faceret. Hæc ergo sunt, quæ nemo alius fecit. Atque in hanc sententiam ea Isaiæ testimonia Matt. citat. c. 8.17. & 15.30. vt probaret Christum promissum illum esse Messiam, quando illa miracula fecisset, quæ propheta Messiam, cùm veniret, facturum dixerat. Quod sequitur, *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrem meum*, perinde est, ac si dicat, nunc autem videntes, atque scientes peccant. Quo ergo modo priùs dixit patrem suum nescire. ver. 2? Nesciebant, quia non credebant patrem esse Christi, videbant, ac sciebant, quia videbant opera, ex quibus, nisi odio cæci fuissent, cognoscere potetant eum omnium, quæ per Christum gerebantur, auctorem esse; sicut cap. 7. 28. dixit, *& me scitis, & vnde sim scitis*, id est scire debetis, aut scire possetis, si velletis.

Auctoris expositio.

25. *Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.*) Sæpe hæc phrasim explicauimus, vt c. 9.3. & c. 13.18. vbi docuimus in huiusmodi locutionibus de Hebraico idiomate venientibus ἔκλειψιν esse, & necessariò subintelligendum esse aliquid, quod ad id, de quo agitur, sit accommodatum. Hoc igitur loco ex versu 23. repeti debet ἀλλὰ μισοῦσί με, sed odio me habent, *vt adimpleatur sermo.* Hoc autem ipsum, *vt adimpleatur sermo*, quo sensu dicatur, sæpe docuimus. Vide cap. 12.38. Summa est, dictionem ἵνα, vt, non causam, sed euentum, & consequentiam significare. Non enim ob eam illi causam odio Christum habuerunt, vt sermo ille impleretur, sed ex eorum odio consecutum est, vt quod scriptura prædixerat, impleretur. Quod & Euthymius hoc loco monuit. Quam præterea vim hæc phrasis habeat, eo loco, quem modò indicauimus, disseruimus. Legem vocat non solam illam traditam à Mose, sed omnem veterem scripturam sacram, vt suprà cap. 10.34. quamuis alibi distingui soleat, vt c. 8.17. & Lucæ 24.44. Quod non simpliciter legem, sed legem ipsorum vocet, sæpe quoque docuimus vt cap. 8. 17. & 10. 34. Nempe tacitam hæc phrasis exprobrationem continet, rectè non aliam, sed ipsorum legem futuram eorum malitiam prædixisse, bene eos suo ipsorum prophetæ iam olim notos fuisse. Locus est, Psal. 34.9. *Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.* Vbi Dauid *gratis* se, id est sine culpa vlla sua ab inimicis suis odio haberi dicit. Quod Christus aut de se dictum interpretatur, aut dictum de Dauide in se transfert, atque ad suam causam accommodat. Vnde colligimus multa Dauidem, cæteróque prophetas dicere, quæ quamuis de ipsis verè, propriéque dicantur, longius tamen spectent ad Christum.

26. *Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*) Quorsum hæc Christus adiecerit, tot fere sententias, quot auctores inuenio. Cyrillus, & vt videtur, Euthymius putant, quia dixerat neque verbis, neque miraculis suis Iudæos credidisse, totius nunc Trinitatis testimonium allegare. Nam suum quidem & Patris suprà protulisse, c. 8.16.17. *Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater; & in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est*, hîc autem testimonium producere Spiritus sancti. Theodorus Heracleores, & Theophylactus, quia prædixerat fore, vt mundus odio discipulos haberet, Spiritum sanctum illis promittere, qui laborantibus adsit. At de se, non de Apostolis agit. Leontius, ne de seipso ad gratiam loqui videretur, suspectúmque ipsius de se esset testimonium, dicere fore, vt veniens paracletus, quæ ipse docuerit, ac fecerit, testimonio suo confirmet. Augustinus, & Beda, quia Iudæos Christus peccati insimulauerat, quòd se, patrémque suum odio gratis habuissent, dicere venturum Spiritum sanctum, qui illos peccati conuincat. Hoc probabilius, quamuis mihi alius videatur esse sensus; illi quidem mihi neque docenti, neque miracula facienti crediderunt, neque verba, neque facta mea satis magnum apud illos fuere testimonium; non deerunt alij tamen mihi testes, nam & vos, & Spiritus ipse sanctus testimoniū mihi perhibebitis. Paracletum appellauit, quia ad hominum consolationem mittendus erat. Quòd dicit, *quem mittam vobis a Patre*, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere certum est argumentum. Nam etsi apertè non dicit à se procedere, fortasse ne arrogantius de seipso loqui videretur, tamen quia scimus nullam Trinitatis personam mitti dici, nisi à qua procedit, colligimus Spiritum sanctum etiā à Filio procedere, quandoquidē ab illo missus est. Cur enim Filius nusquam à Spiritu sancto missus esse dicitur, cùm de Spiritu sancto dicatur esse conceptus, nisi quia ab illo non procedit? Quo argumento vtitur Rupertus in commentarijs ad hunc locum. Quod si hæreticorum animaduertisset interpres, non dixisset hunc locum, neque à Græcis, neque à Latinis ad probandam Spiritus sancti processionem aptè citari. Quid ergo est, *à Patre?* à Patre procedentem, vt statim explicat, aut quod magis mihi placet, *quem mittam* ab eo loco, vbi Pater est, à sinu Patris. At quid hoc ad rem attinebat? vt eius commendaret testimonium; illius enim testimonium grauissimum fore, qui ex sinu veniret Patris, omnia mysteria Patris sciens, fidúsque legatus neminem fallens. Qua eadem ratione paulò post dicit, *Qui a Patre procedit.* Hinc alia explicatur quæstio, cur non dixerit etiam à se procedere? quia

id apud homines magis minuere quàm commendare poterat eius testimonium. Cùm enim de ipsomet ageretur, suspectum potiùs Spiritus sancti testimonium videretur, si dixisset à se procedere. Præterquā quòd, vt modò diximus, modestiùs ita loquitur. Spiritum autē veritatis cur appellet, superiori c. ver. 17. docuimus. Hoc autem loco titulus ille vtiliter illi adhibitus est, quo magis eius testimoniū commendaretur. Sequitur, vt dicamus, quomodo Spiritus sanctus testimonium de Christo præbuerit. Non vōce quidē vlla sua, sed cùm in Christi discipulos illapsus, ea per eos omnibus loquebatur linguis, eáque faciebat, quæ incredulissimum quemque, vt in Christum crederet, facilè permouerent. Spiritus enim sanctus erat, qui per Apostolos omnia & faciebat, & loquebatur. *Non enim vos*, inquit, *estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matt. 10. 20.

27. *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*) Spiritus sancti testimonio Apostolorum testimonium adiungit, non tanquam diuersum, sed quòd Apostoli Spiritus sancti ministri futuri essent; sicut suprà ver. 20. eundem sermonem & suum, & illorum appellauit. Cur ergo hanc rationem reddit, *quia ab initio mecum estis?* quia præter Spiritus sancti testimonium ipsorum etiam testimonium plus erat ponderis habiturum. quod verè possent dicere, quod Actor. 10.40.41. Petrus dicit, *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis*, & capite 1.21. *Oportet ergo ex iis viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens a baptismo Ioannis, vsque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis*; & quod idem scribit 2. epist. cap. 1.16. *Non enim indoctas fabulas secuti notam fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.* & quod ait Ioann. 1. epist. c. 1.1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis.* Itaque quod quidam vertunt μαρτυρεῖτε testes estis, alij testes estote, nequaquam probo; nam licet & indicandi, & imperandi verbum esse possit, tamen non dubito indicatiuum esse positum pro futuro, vt suprà ver. 14. opponit futurum Spiritus sancti, & Apostolorum testimonium præterito suo, quem sensum optimè interpres noster expressit. Atque eodem modo D. Augustinus legit.

CAPVT XVI.

1. *HAEC locutus sum vobis, vt non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, 3. & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. 4. Sed hæc locutus sum vobis: vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. 5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? 6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. 8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. 9. de peccato quidem: quia non crediderunt in me. 10. de iustitia vero: quia ad Patrem vado: & iam non videbitis me: 11. De iudicio autem: quia princeps huius mundi iam iudicatus est. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.*

13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. 14. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. 16. Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. 17. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicū, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? 18. Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur. 19. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicū, & videbitis me. 20. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit præsuræ propter gaudium: quia natus est homo in mundum. 22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. 24. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. 25. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis. 26. in illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: 27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui. 28. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. 29. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. 30. nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi. 31. Respondit eis Iesus: Modo creditis? 32. Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est. 33. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

Sup.14.b.13. Mat.7.a.7. & 21.c.22. Mar.11.c.24. Luc.11.b.9. Ier.1.a.5.

Matt.20.c.18. Mar. 14.6.31.

IN CAPVT XVI.

1. *HAEC locutus sum vobis, vt non scandalizemini.*) Sunt qui hæc nec ad ea referant, quæ Ioannes ante narrauit, nec ad ea, quæ paulò post dicturus est; sed ad id, quod apud Matt. Christus dicit, c.26.31. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*: quod etsi Ioannes non recitauit, credendū tamen est ante hæc verba Christū dixisse. Ergo nunc rationē reddere, quamobrē ante dixisset illis fore, vt omnes illa nocte scandalizarentur, vt minùs, nimirum moniti, scandalizarētur. Ita Rupertus. Alij ad sequētia referunt, *Absque synagogis facient vos*, quod propterea vobis prædico, ne cùm id euenerit, scādalizemini, vt Beda in homilia in hæc verba. Alij ad id, quod de Spiritu sancto modò dixerat, vt August. & idem hoc loco Beda, & Euthy. quasi dicat propterea Spiritum sanctū venturum dixi, vt cùm mundus vos persequetur, bono sitis animo, sciētes vos Spiritum sanctū adiutorem, & paracletum, id est cōsolatorem vobiscū habere. At Christus non propter Apostolos, sed propter se Spiritum sanctū venturum dixerat, vt de se testimonium perhiberet. Cyrillus, Leontius, Theodor. Heracleotes, & Mopsuest. & Theophyl. referunt ad id, quod superiore c. ver. 18. de mundi in Apostolos odio, atq; persecutionibus dixerat. Hæc, inquit, quæ de mundi aduersus vos persecutionibus dixi, propterea dixi, ne, si improuisa vobis euenisset, scandalizaremini, id est animo perturbati de fide dubitareris. Nam præuisa minùs tela ferire solent. Præmoniti enim à me, quid vobis euenturū sit, tantùm ab est, vt cùm id euenerit, occasionem vllam de fide dubitandi, aut animi abiiciendi habeatis, vt potiùs magnum & fidei, & consolationis argumentum situs habituri, quòd videatis omnia, quemadmodum vobis prædixissem, euenire. Hic verus est sensus. Itaque quisquis Euangelistæ capita distinxit, nescio quām commodè initium hīc fecerit cap. 16.

A

B

2. *Absque synagogis facient vos*; *sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*) Ne sine causa dixisse videretur, *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini*, proponit illis exempla aliqua earum persecutionum, quas passuri essent, fore vt à Iudæorum synagogis tanquam homines execrabiles eiicerentur, hoc est, ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, vt c.9.22. & 12.42. hoc erat apud Iudæos, quod apud nos est excommunicare, *Iam enim Iudæi constituerāt, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret*, cap.9.22. Proponunt quæstionem Augustinus, & Beda, *Quid mali*, vt loquitur Augustinus, *erat Apostolis expelli de synagogis Iudaicis, quasi non inde fuerint se separaturi, etiamsi eos nullus expelleret?* Respondent mysterij causa hoc dictum esse. *Sed minarum*, inquiunt, *hoc voluit denuntiare, quod Iudæi Christum non fuerant recepturi.* Simpliciùs, vt opinor, respondissent, Christum hoc non dixisse, vt significaret hoc Apostolis malo futurum esse, sed vt doceret, quam eos Iudæi odio essent prosecuturi. Nulla enim re magis odium in aliquem suum declarare poterant, quām si eum

tanquam

A

tanquam hominem Ethnicum, & atheum synagoga sua prohiberent. Particulam, *sed*, quæ statim sequitur, nescio an satis quisquā explicauerit. Vidit Augustinus, & Beda etiam non bene cohærere, cæterum nescio an sensum, vimque eius viderint; putant enim significare gaudendum discipulis esse, quòd eiecti à synagoga plures essent ex gētibus ad Euangelium adducturi. Cyrillus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius hoc sensu exponunt, non solùm autē vos ex synagogas suis eiicient: sed veniet etiam tempus, quo tempore quisquis vos interfecerit, magnum Deo sacrificium offerre putet. Rupertus verò, extra synagogas quidem iam vos eiiciunt, veniet autem tempus, cum etiam de hac vita eiicere conabuntur. Sensus postulabat, vt loco, *sed*, diceret enim, *Absque synagogis facient vos, venit enim tempus, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Itaque si docuerimus solere in sacris litteris ἀλλὰ *sed*, accipi pro ὅτι aut διὸ *quia*, aut *enim*, nemo dubitabit, ita hoc loco accipi debere. Atqui obseruauimus in Idiomatis Septuaginta sæpe solere, vbi Hebraicè est כי *quia* aut *enim*, vertere ἀλλὰ *sed*, 1. Regum 6.3. & 8.7. & 2. Regum 13.32.33. & 2. Reg. 24.24. & 3. Regum 22.18. & 2. Paralip. 6.9. Dictionem autem ἵνα *vt*, alij ante me notarunt accipi pro ὅτε *quando*, vt etiam infra versu 32. Non pudet vera dicentem quemuis malum auctorem sequi. Quod noster interpres reddit *obsequium*, Græcè λατρεία est, quod Dei significat cultum, quale est sacrificium: itaq; hoc loco propriè pro sacrificio accipi puto, vt ad Apostolorū alludat mortē, qui tanquam *oues occisionis* mactandi erant, ita vt quisquis aliquem occideret eorum, gratam se Deo victimam putaret occidisse. Accedit, quòd vbi noster interpres vertit *præstare*, Græcè est, προσφέρειν, quod proprie significat offerre sacrificium. Nam & sacrificium ipsum Græcè προσφορά, sicut Latinè oblatio vocatur. Docet igitur Christus his verbis, quanto in periculo Apostoli versaturi sint, quando non solùm impunè, sed veluti magno etiā proposito præmio, quisquis voluerit, illos facultatem habuerit occidendi. Non secus atque homines ob execrāda scelera proscriptos, in quorum caput magnum præmium proponi solet. Sic dixit Moses illis, qui idololatras occiderant, Exod.32.29. *Consecrastis manus vestras hodie Domino vnusquisque in filio, & in fratre suo*; similis locus Deut. 13.9. & 17.25. & Zach.13.3.

B

C

3. *Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.*) Quomodo dicat nec se, nec Patrem eos nosse, cùm alibi dicat & se, & Patrem nosse, vt c.7.28. superiore capite v.21. & 24. docuimus. Cæterum quemadmodum illic monuimus, hæc non excusatio, sed aggrauatio potiùs, & exaggeratio peccati est. Duplicis enim culpæ accusantur, & quòd hæc facturi essent, & quòd Christum, ciúsque patrem, quem tot miraculis cognoscere potuissent, ignorarent.

D

4. *Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.*) Hoc etiā loco videtur dictio aduersatiua, *sed*, non bene cohærere. Et Cyrillus videtur interpretari, hęc quæ de Iudęorum in vos persecutione dixi, non ideo dixi, vt animum abiiciatis, aut tristitia cōficiamini, sed fortiùs instantia mala sustineatis, sciētes à me esse prędicta, possēq; me, qui ea antequàm venirent, vidi, & cùm venerint, vos ab illis liberare. Meliùs Rupertus, *Hæc* inquit, *facient vobis, sed vos consolamini. Nā idcirco nūc ea prædico vobis, vt cùm venerit hora eorū, reminiscamini, quia ego dixi vobis; & reminiscentes illud quoque non obliuiscamini, quod pollicitus sum, quia in omnibus pressuris, nec capillus de capite vestro peribit, & inimicis occidentibus*

E

corpora, in patientia vestra possidebitis animas vestras. Cęterum, neque hic verus videtur esse sensus; nō enim eorum, quæ iam olim, sed eorum, quæ illis modò dixerat, iubet eos, cùm ea venerint mala, reminisci. Sēsus ergo mihi videtur esse. Illi quidem hæc facient, nec ideo ea vobis prædixi, vt vitaretis, nec enim poteritis, sed vt *cum venerit hora, reminiscamini* me id vobis prædixisse, minúsque grauiter præuisa feratis, vt vers. 1. dixerat, *Vt non scandalizemini*, vt Theodorus Heracleotes videtur exponere. Aliquanto verò aliter Chrysost. Euthym. & Theophylact. vt recordati hæc à me prædicta fuisse, intelligatis me nō ad gratiam; sed veritatem, vtilitatémque vestram locutum esse, si enim ad gratiam loqui voluissem, non aduersa, sed prospera vobis denuntiassem, vt solent adulatores facere, & vt videntes rem ita, vt prædixeram, euenisse, ex his cætera etiam credatis, quæ vobis futura dixi. Genitiuum *eorum* Augustinus, Beda, & Rupertus iungunt cum nomine *hora*, *vt cum venerit hora eorum*, neque sensus malus est, sed meliùs coniungitur cum verbo, *Reminiscamini*, vt coniungunt omnes auctores Græci, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius.

Quæ ea sint quæ ab initio Christus Apostolis non dixit.

5. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscū eram.*) Duplex in his verbis quæstio est, altera, quæ ea esse dicat, quæ significat se illis ab initio dicere voluisse; altera, qualis ista sit ratio, quam affert, *quia vobiscum eram.* Augustinus, & Beda, & Rupertus hæc ad ea referunt, quæ Christus de aduētu Spiritu sancti discipulis dixerat c.15.26. quasi dicat: de aduētu Spiritus sancti nihil vobis ab initio dixi, quia cum vobiscum essem, alio vobis paracleto opus non erat; nunc autem cùm discedendū mihi sit, necessario de aduentu Spiritus sancti disserēdum vobis fuit, ne deserti relinqui videremini. Græci omnes auctores Chrysost. Theodorus, Heracleota, & Mopsuest. Cyrill. Leontius, Theophylactus, & Euthymi' referūt ad ea, quæ de mundi in Apostolos odio, & persecutionibus dixerat, ea se ab initio non dixisse, quia dum opus non erat eos futurarum præmonere persecutionū, quia cū illis adhuc esset, per se protegere, & sustētare in omni periculo poterat. Sed hæc ipsa solutio aliā maiorem quæstionē gignit, quomodo dicat nihil se illis de futuris dixisse persecutionibus, cùm apud Matt. c.10.16.17.18.28. tā copiosè de illis locutus fuisset. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporū. Cauete autē ab hominibus; tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides, & ad Reges ducemini in testimonium illis. Et nolite timere eos, qui occidūt corpus, animā autem, nō possunt occidere.* Duobus modis Theophylactus, respondet, primùm, illic nullam mortis mentionem feciſse, sed tātùm dixisse fore, vt ad Presides, ac Reges ducerētur, hīc autem dixisse venisse tempus, quo tempore quisquis eos occideret existimaret, obsequium se præstare Deo. Deinde illud de gentibus, hoc de Iudæis intelligēdum. Priorem responsionem probare non possum; satis enim illic magnam de morte mentionem fecit, cùm dixit, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* De secunda paulò post dicam. Euthymius verò respondet, quamuis vtroque in loco de morte locutus fuerit, tamen aliquid hīc dixisse, quod illic non dixerat, nempe fore, vt quisquis eos occideret, arbitraretur se obsequium præstare Deo, atque ad hæc tantùm verba referēdum esse pronomen illud *hæc*, cùm dicit, *Hæc autem vobis ab initio non dixi.* Alij existimant illa, quæ de hac re Matthæus narrat, non fuisse tunc à Christo discipulis dicta, sed instante passione sicut hęc, aut post resurrectionem cùm eos non iam inter Iudæos, sed in totum terra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum orbem ad prædicandum mitteret euangelium, quod etsi grauem nullum habet auctorem, probabilius est, quàm quę modò ex Theophylacto, & Euthy. recitauimus. Nam quòd apud Matthæum dicit, *Ad præsides, & Reges ducemini*, certum est argumentũ non de Iudęis, qui Regem iam nõ habebãt, nisi Cæsarem, sed de gentibus agi, quarũ multi erant Reges In prima autem illa missione Apostoli non ad gẽtes, sed ad solos Iudæos missi sunt. *In viam*, inquit, *gentiũ ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis*. Matt. 10.5. Vnde Theophylacti sententia refutatur illic de Gentilium, hîc de Iudæorum agi persecutionibus. Hinc secũda explicatur quæstio, quid ista ratio, quam Christus reddit, sibi velit, *Quia vobiscum eram*, nimirũ non erat opus periculi vos admonere, quia me ducem habebatis; nunc autẽ cum me abeũte soli maneatis, monendi mihi fuistis, ne vos veniẽtia subitò pericula improuisos, & nec opinantes opprimerẽt. Quid ergo? an nõ etiã cùm hæc diceret, cũ illis erat? sic enim loquitur, quasi iã cũ illis non esset, *Quia vobiscum*, inquit, *eram*; erat quidem, sed quia ita erat, vt paulò post discessurus esset, ita loquitur, quasi iã discessisset; sicut qui morti proximus est, ita de se quasi de homine iam mortuo loqui solet.

c.16.18. Inf. c.19. 15.

5. *Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?*) Hæc verba nõnulli à præcedentibus omnino desiungunt, quasi noua inchoata sententia dicat. Nunc autem, cum ad Patrem eam, nemo tamen vestrũ interrogat me, quo vadã. Atque ita videntur Augu. Rupertus, & Beda legere. Cõtrà, auctores omnes Græci cùm præcedentibus iungũt, ab illisque pendere volunt. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram, nunc autem, cũ ad Patrẽ eam, vobis dixi, quãuis nemo vestrum interroget me, quo vadis? Nemini hîc nõ occurrit statim quæstio, quo modo reprehẽdens Apostolos dicat, *Et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* cùm & Petrus non multo ante c.13.36 interrogasset, *Domine quò vadis?* & Thomas c.14.5. *Domine nescimus, quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Rupertus respondet sensum esse, tanquam me ad mortem ire significarem, interrogabatis me, *quò vadis?* quasi quocunq; tandem irem secuturi; nunc autem cùm ad mortem me ire videatis, nemo me, quò vadam interrogat, quasi non de sequendo me, sed deserendo fugiendóque cogitantes. Sententia minùs probabilis, non enim ad mortem, sed ad Patrẽ ire se dicebat. Neque magis Augustini, & Bedæ interpretatio conuenit, Christum non de præterito, sed de futuro loqui: hactenus interrogabatis me, quò irem, quia quò irem ignorabatis; nũc autem nemo vestrum, quò vadam, interrogabit, quia omnes vos ascendentem me vestris oculis videbitis in cælum. Duo Theodori Heracleota, & Mopsuest. Leontius, & Theophylactus putant reprehensionem esse tristitiæ; hactenus cùm de meo vobiscum discessu loquebar, quia compotes adhuc eratis vestri, interrogare solebatis me, quò irem; nunc cùm de futuris in vos persecutionibus locutus sum, tanto estis oppressi mœrore, vt quasi consilij, mentisque inopes litis, nemo me roget, quò sim iturus. Euthymius duobus modis respõdet, primùm nõ significare neminem interrogare, quò iret; id enim vti diximus, non semel interrogauerant, sed quid ageret vadens, séque relinquens. Deinde non reprehendere discipulos, quòd non interrogassent, quonam iret; sed quòd cùm id interrogassent, nec satis tamen ex sua responsione, quò iret, intellexissent, non pergerent, instarentque iterum atque iterum, donec perfectè discerent, interrogãtes. Quam interpretationem etiam Cyrillus adhibet; estque

Auctoris interpretatio, quæ & Euthymij ac Cyrilli est.

omnium probabilissima.

6. *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrũ.*) Intellectus huius loci in vi particulæ aduersatiuæ consistit. *Sed*, quam nemo mihi videtur obseruasse. Si Theodori Heracleotæ, & Mopsuest. Leontij, & Theophylacti, quàm modò recitauimus interpretatio vera esset, *sed* pro *enim* poneretur, vers. 7. docuimus frequẽter fieri solere, vt esset sensus, ideo nemo vestrũ interrogat me quò vadis, quia tristitia impleuit cor vestrum. Sed quia eam illic interpretationem secuti non sumus, alia quoque quærenda hic nobis est. Ego sic interpretor, *Nemo ex vobis interrogat me, quò vadis*, de rebus futuris, de cælo, de vita beata solicitus, sed defixi omnes in terram, nihilque meliùs, quàm corporalem meam præsentiam cogitãtes ad mentionem discessus à vobis mei tristitia repleti estis. Hoc est meo iudicio, *Sed tristitia impleuit cor vestrum.*

7. *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadã.* Ecce aliud *sed*, in quo similiter huius loci sententia consistit. Sensus autem, vt opinor, est, *Tristitia expleuit cor vestrũ* ob discessum meum, sed si intelligeretis, quid vobis commodi inde sit prouenturum non tristaremini, sed vehementer gauderetis, *expedit enim vobis, vt ego vadam.* Cur autem expediat, statim declarat. Quod ait, *veritatem dico vobis*, perinde est ac si dicat, quamuis iucundum vobis non sit audire, dicam vobis tamen quod res est, vt Theodorus Mopsuestien. Leontius, & Theophylactus interpretantur.

Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittã eum ad vos.) Propterea dicit expedire illis, vt ipse abeat, quia expediebat vtique eis, vt paracletus ad eos mitteretur, qui nisi ipse abiret, mitti non poterat. Sed de hac ipsa re quæstio est, quo modo Christus significet Spiritũ sanctum, nisi ipse abijsset venire non posse. Rupertus interpretatur ideo venire non potuisse, id est nõ conuenisse, vt veniret, (sic enim intelligimus, cùm dicimus non potuisse, quia si Christus non abiret, id est moreretur, nulla consolationis materia futura erat, qua enim de re Spiritus sanctus Apostolos consolaretur, si nullam tristitię causam habuissent? nullam autẽ habuissent, si Christus non discessisset. Paracletus enim nõ nisi ad fungendum officium suum, id est ad consolandũ venire poterat. Non probo rationem; si enim non ob aliud, quàm vt consolaretur, Spiritus sanctus veturus erat, ideóque non nisi abeũte Christo venire poterat, tanto magis Apostolis expedisset, vt Christus non abiret, quàm vt Spiritus sanctus veniret; quanto satius est non ægrotare, quàm cum ægrotaueris medicum habere. Arqui Christus affirmat expedire discipulis, vt ipse abeat. Theodorus Mopsuest. Leontius, & Theophylactus putãt non potuisse venire, nisi Christus abiret, quia sepra illi, & impedita erat via, quam oportebat per Christum prius explanari. Nec enim Spiritum sanctum in homines peccato adhuc obstrictos venire potuisse, peccatum autem non nisi per abitum, id est per mortem Christi remoueri potuisse. At Christus nõ dicit se ad mortem, sed ad Patrem ire, & poterat soluto per mortẽ, & resurrectionẽ suam peccato & manere ipse perpetuò cum Apostolis, & ad eosdẽ venire Spiritus sanctus, Augustinus & Beda hoc loco, & Grego. lib. 8. Moral. cap. 17. & Bernardus serm. 6. de Ascensione Domini, ad allegoriam inclinant: si non abstulero à vobis carnem, non habebitis Spiritum. Sed præstat Augustini sententiam Augustini verbis exponere. *Expedit*, inquit, *vobis, vt hac forma seruj auferatur à vobis. Caro quidẽ fatẽ verbũ habito in vobis, sed nolo me car-*

Quomodo Spiritus sanctus venturus potuerit nisi abiisset à Christo.

Matth. 10. 5. Inf. c. 14. 5. & 36.

Matth. 16. 22. Inf. c. 14. 5.

Cur non potuerit Spiritus sanctus venire, nisi Christus abiisset.

Ioan. 7. 39. Inf. c. 20. 22. Act. 2. 4.

Ioan. 3. 16. Sup. c. 1. 32. 33.

2. Corint. 5. 16.

Expositio Euthymij quæ probatur auctoris.

Matthæum personam ab alia, est ab ea procedere.

naliter adhuc alligatus, & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis; expedit vobis vt ego vadam, si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esuritis. Si carni carnaliter haserritis, capaces spiritus non eritis, nam quid est, si non abiero, paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos? Num quid hic positus eum non poterat mittere? Quis hoc dixerit? Nec enim vbi ille erat, iste inde recesserat, & sic venerat à Patre, vt non maneret in Patre. Postremo quomodo eum etiam hic constitutus non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse, atque mansisse, imo vero à quo scimus eum nunquam separabilem fuisse? Quid ergo est, si non abiero paracletus non veniet ad vos, nisi non potestis capere spiritum quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum? Vnde ille, inquit, qui iam cœperat spiritum, etsi noueramus, inquit, secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Verum ego sensum esse iudico, quem Euthymius, quòd sciam, solus indicauit, non significasse Christum Spiritum sanctum absolutè venire non posse, nisi ipse priùs abijsset. Enimuero poterat, sed posito diuinæ prouidentiæ decreto non posse. Sic enim statutũ à Deo fuisse, vt omnes tres personæ Trinitatis procurandæ saluti hominum operarentur, Pater mittendo filio, trahendísque hominibus ad eum; Filius docendis, redimendis, liberandis hominibus; Spiritus sanctus perficiẽdis, & varijs diuinis donis locupletandis, suas cuiq; vices fuisse, suũ cuique tẽpus, suam quemque egisse personam, itaque nisi Christus abiret, & de theatro quodãmodo discederet, Spiritum sanctum venire non posse. In hanc sententiam Euthymius. Plus etiam quiddã significari mihi videtur, nisi ipse abeat, Spiritum sanctum venire non posse, quia futurus nõ sit, qui eum mittat, & nisi mittatur nõ esse venturum, neminem autem posse eum mittere prẽter se. Hoc enim indicat, quod sequitur, *Si autem abiero, mittam eum ad vos*; cùm enim ratio postulare videretur, vt diceret, si autem abiero, veniet ad vos, sicut dixerat. *Si nõ abiero, nõ veniet ad vos*, maluit dicere. *Mittã eũ ad vos*, vt causam indicaret, quare si ipse non abiret, ille venire nõ posset, quia sine se nec eum poterat mittere. Quid ergo? an Spiritus sanctus venire nõ poterat, nisi missus? & an à Patre mitti non poterat; & an Christus ipse etiamsi non abiret, eum mittere non poterat? Poterat quidem; nec enim coactus venit: sed dicitur venire non potuisse nisi missus, quia mitti vnã personam ab alia est ab ea procedere, & in mundo visibiliter apparere; & nõn potest Spiritus sanctus à Filio nõ procedere. Cur ergo dicit se potiùs, quàm Patrem missurum esse, cùm nõ solùm à Filio, sed etiam à Patre procedat? quia ipse nõ solùm eum misit, sed eriam meruit, vt mitteretur, & quia non solum mittit tanquam principium, ex quo procedit, sed alio etiam peculiari modo tanquam caput, tanquam summus Pontifex, tanquam rector Ecclesiæ, cuius officiũ est, ne quid illi ad perfectionẽ desit, operã dare: propterea significat, nisi ipse mittat, venire nõ posse At cur non poterat mittere, etiamsi non abiret? Poterat, sed loquitur ἀνθρωποπαθῶς tanquam homo, & accommodatè ad opinionem & mores hominũ, qui quoniam vbique nõ sunt, & alibi, quàm vbi sũt, agere non possunt, cùm aliquid remoto in loco agẽdum est, necesse est, vt eo proficiscantur. Alia adhuc manet quæstio quomodo dicit Christ' expedire discipulis, vt ipse abeat, quòd alioqui paracletus vẽturus non sit, an paracletus melior erat ipso? Minimè verò, sed vt diximus, suum cuique personæ in procurãda hominum salute assignatum erat officium: Christi munus fuit peccato homines liberare, Spiri-*

Quæ sentit Spiritus sanctus venturus potuerit nisi missus à Christo.

Matth. 10. 20. Inf. c. 15. 26. Act. 5. 32. Rom. 8. 9. Gal. 4. 6.

Arguere, & ἐλέγχειν quid significent.

Matth. 8. 2. sup. c. 4. 23. & 9. 35.

Alia de nomen pro peccatoribus, & mundanis.

tus sancti diuinis cumulare donis, expediebat autẽ nimirum discipulis, vt non à peccatis tantùm soluerentur, sed etiam complerentur diuinis donis. In quam sententiam Theodorus Heracleota, & Mopsuest. & Athanasius ex D. Basilio q. 69. edisserit, nisi quòd ille prior non ad dona, sed ad doctrinã refert. expedire illis, vt Spiritus sanctus veniret, quòd quæ Christus propter ipsorum infirmitatem nõ docuisset, ille doctur' esset. Itaque nõ efficitur ex hoc loco Spiritum sanctũ Christo esse maiorẽ, sed illud certè contra Macedonianos efficitur, minorem non esse, cùm opus Christi perficiat, quemadmodũ Chrysostomus, & Theophylactus disputant.

Macedoniani refutati.

8. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.*) Incidimus in locũ, quo vix alius apud vllum Euangelistam est aut maiore impeditus difficultate, aut maiore interpretationum varietate perplexus, & diligẽtem interpretem, & attentũ lectorem postulat. Est autẽ hic versus cum tribus, qui proximè sequũtur ita connexus, vt nisi explicatis illis explicari nõ possit, itaque omnes simul explanare necesse est. Primùm videndũ, quorsum Christus hoc dixerit, nam & hoc ipsum ad faciliorem huius loci intelligentiam aliquid pertinet. Minimè dubiũ est, quin voluerit docere Christus, quid vtilitatis ex aduentu Spiritus sancti consecuturum esset, quemadmodum Chrysostomus, Cyrillus, & Theophylactus exponunt. Dixerat quas turbas mundus aduersus Apostolos excitaturus esset, docet nũc, quid illis vtilitatis Spiritus sanctus sit allaturus, hoc nimirum vt pro ipsis pugnet, vt ipsorum conuincat hostem, hoc est arguat de peccato, se pro illis cum diabolo pugnasse, Spiritum sanctum cum mundo pro ijsdem pugnaturum. Duo pro nostra salute pugnarũt paria, Christus, & Diabolus, Spiritus sanctus, & mundus; Christus Diabolum, Spiritus sanctus mundum superauit. Ergo vt ad explanationẽ huius loci accedamus, in singulis verbis singulæ vt minimum difficultates, in nonnullis plares etiã sunt. Quinque autem sunt verba *arguere mundum de peccato, de iustitia, de iudicio*, quæ singula oportet excutere. Quod noster interpres vertit *arguere*, Græce ἐλέγχειν est, quod, quemadmodum arguere Latinè, nõ solùm accusare, aut accusando cõuincere, sed quoquo etiam modo rem apertè docere, & demonstrare significat. Itaque cùm dicit Christus, *arguet de iustitia*, nõ significat opinor fore vt Spiritus sanctus iustitiæ mundũ accuset, quis enim virtutis accusatur? sed fore vt iustitiam demonstret, ac planam faciat. Posset quidẽ hoc verbum ambiguè sumi, ita vt primo loco accusare, atque conuincere duobus sequẽtibus demonstrare significaret, idque, vt sæpe diximus, à consuetudine Christi non abhorreret, sed cùm ea ambiguitas nullam hîc vim, nullam singulatem gratiam esse habitura, malo eodem modo semper accipere, & cùm perspicuum sit secundo loco nõ significare accusare, sed demonstrare idem primo, & tertio loco significare credendum est, itaque non est sensus *arguet*, id est accusabit, aut reum peraget peccati mũdum, sed peccatum illi ita ob oculos ponet, vt negare, vt tergiuersari non possit. Sequitur nomen mundi, quod nemo dubitat, quin pro peccatoribus & mundanis hominibus accipiatur, vt suprà cap. 15. 18. 19 & 14. 17. 22. 27. 30. Sed nonnulli ad solos restringunt Iudæos, qui peccati crucifixi Christi arguendi sint. Fateor quidẽ ad eos hoc præcipuè pertinere, sed ad solos pertinere non arbitror, quemadmodum & Rupertus admonuit, quia, vt postea dicturi sumus, non de eo, aut certè non de eo tantùm peccato agitur. In nomine igitur peccati du-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cuius, & qualepeccatum intelligatur hoc loco.

plex est quæstio, cuius & quale peccatum intelligatur. Ipsius mundi peccatum intelligi manifestum videtur esse, itáque id ab omnibus tanquam certissimum ponitur, sed postea docebimus generaliter accipiendum, tanquam si diceret, Spiritus sanctus declarabit vter nostrum peccator sit, egóne, an mũdus qui me peccatorem solet appellare. Quale autem peccatum intelligat de eo nonnulla inter interpretes dissensio est. Nonnulli, vt modò dicebamus, peccatum illud significari volunt, quo Christum Iudæi crucifixerãt, iuxta illud Zachar. 12.10. & Ioann. 19.37. *Videbunt, in quem transfixerunt*, & illud Petri Act. 2.36.37. *Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christũ fecit Deus hunc Iesum, quẽ vos crucifixistis. Hit auditis cõpuncti sunt corde, & dixerũt ad Petrũ, & ad reliquos Apostolos. Quid faciemus viri fratres?*

Hoc enimuero esse arguere de peccato, cogere certis argumẽtis peccatũ cõfiteri. Si Marius Victorin⁹ lib. 4. aduersus Arium. Cæterũ cum hac sententia nõ bene conuenit illa ratio, quam v. 9. reddit Christus *De peccato*, inquit, *quia non crediderũt in me*. Qua adducti ratione alij peccatũ, quod vocant infidelitatis, significari putant, arguendúmq; esse huius ipsius peccati mundum, quòd in Christum credere noluerũt. Præcipuus huius sententiæ auctor est Augustinus, quem suo more Beda sequitur, eodémque modo interpretari videtur Chrysost. Theophylact. & Euthymius, estq; recepta vulgo sententia. Mihi nullũ certum peccatũ videtur insinuari; sed generaliter illud significari peccatum, quo ante etiã, quàm Christus veniret, totus mundus obstrictus tenebatur; itaque nõ docet Christus fore, vt Spiritus sanctus vllius in se admissi, postquam venit, peccati mundum coarguat; sed fore, vt mũdus visis admirãdis Spiritus sãcti operib⁹ agnoscat se vetere adhuc teneri peccato cùm videat nõ potuisse nisi per Christum ab eo liberari; per Christum autem liberatum nõ esse, cùm in illum non crediderint. Atque ita intelligenda ratio est, quã Christus subiũgit, *De peccato*, inquit, *quia non crediderũt in me*, aut vt plerique Græci codices habent, ὅτι οὐ πιστεύουσιν quia non credunt, quemadmodum & Augustinus, & codex Vaticanus legit; nõ enim significat propter hoc peccatum arguendum, quòd in ipsum non crediderint, sed propterea peccatum eius arguendum, quia nõ credidit, quæ vera via erat, qua à peccato liberaretur; quemadmodum c. 8. 21. 24. dixit, *Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Dixi vobis, quia moriemini in peccatis vestris; si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Videbar mihi auctor esse huius interpretatiõis, meumq; mihi placebat inuentum, sed quia sciebã me minimè idoneum auctorem esse meliorem quærebam aliquem, quo meam confirmarem opinionem, & ecce animaduerti eodem sensu Cyrillum interpretari, eandémque apud Leontium, & Theodorum Mopsuest. explanationem inuenio, nisi quòd Theodor. quod ego Christo, tribuit Spiritui sancto, qui cùm ideo venturus esset, vt in Christum credentibus peccata remitterentur, ostẽsurus erat eos, qui nõ credidissent, in peccato, adhuc suo remanere, atque hoc esse arguere de peccato. Vna hic superest dubitatio, qua ratione Spiritus sanctus hoc ipsum declaraturus erat, quod idem de iustitia, atque iudicio quæri potest. Nempe non verbis, sed factis non per se ipsum, sed per Apostolos, cæterósq; Christianos, quos erat numine suo repleturus. Futurũ enim erat, vt mundus videns, quæ afflatu Spiritus sancti Apostoli facerent, imperitos homines omnibus loqui linguis, ægrotos, curare, suscitare mortuos, fateri cogeretur Christum, cuius nomine hæc omnia

Tract. 94 tamen 95, legit vt nos.

Spiritus sanctus nõ verbis, ac per semsũ sed factis, et per Apostolos mundũ arguet.

A facerent, verum mundi, vt illi prædicabant, saluatorem esse, séque in suis manere peccatis, quòd in illum non credidissent. Hoc in illa Petri cõcione Act. 2.37. videmus accidisse, vbi cùm Petrus Christum vnicum esse saluatorẽ docuisset, doctrinámque miraculis confirmasset, compuncti sunt auditores corde dixerúntque ad Petrum, & ad cæteros Apostolos, *quid faciemus viri fratres?*

Sequitur vt de iustitia disseramus, *Et de iustitia*, inquit, *quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* De cuius iustitia loquitur? Sunt qui putent iustitiam hominum intelligi, aut iustitiam certè Christi; non eam, qua ipse iustus est, sed qua nos iustos efficit; quasi dicat fore, vt Spiritus sanctus doceat mundum esse peccatorem, se verò esse eum, qui iustificat impiũ, aut eos, qui in se credũt iustos esse, quales Apostoli erant; propterea cùm priùs, cùm de peccato loqueretur dixisset, *quia non crediderunt in me*; nunc nõ dicere, quia non videbunt me, sed *quia iam non videbitis me*. in hunc modũ Augustinus, Cyrillus, Theodorus, Heracleotes, & Mopsuest. Beda, & Rupertus. *Mundus*, inquit Augustinus, *de peccato quidẽ suo, de iustitia vero arguntur aliena, sicut arguuntur de lumine tenebræ.* Magna profecto apud me; proinde ac debet, auctoritas est Augustini; sed fateor intelligere me non posse quomodo cum hac eius interpretatione sequentia verba cohæreant, *Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Explicãt quidé id Cyrillus, & vterque Theodorus, propterea fideles iustificãdos, quia vadit ad Patrẽ, & nihilominus credunt in eum, quẽ minimè vident, sicut Thomæ dictum est. *Quia vidisti me Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* Sed hoc ipsum quomodo conueniat, non intelligo. Bernardus in paruis sermonibus, ser. 21. omnia refert ad mundum. *Spiritus*, inquit, *sanctus arguit mundum de peccato, quod dissimulat; de Iustitia, quam non ordinat, dum sibi, nõ Deo eã dat; de iudicio, quod vsurpat, dum iam de se, quam de aliys temere iudicat.* Chrysostomus, Leontius, Theophylact⁹, & Euthymius de Christi iustitia interpretantur, futurum, vt Spiritu sancto docente mundus intelligat Christum, quem peccatorem solebat appellare, non peccatorem, sed iustum esse, atque ex Deo, quandoquidem ad Patrem vadat apud eum perpetuò regnaturus. Atque hoc esse, *Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* His ego auctoribus vehementer assentior, nisi quòd dilucidiorem verborum explanationem desidero; & maiorem quandam in illis vim latere suspicor. Cur enim suam iustitiam non aliter probat, quam dicens se ad Patrem vadere? & cur perpetuitatem gloriæ suæ non aliter, quàm dicens, *Et iam non videbitis me?* Credo igitur allusisse Christum ad præcedentem suam cum hominibus consuetudinem, quæ in causa erat, cur illum peccatorem cæteris similem mundus appellaret, quòd carnis eius infirmitatem videret; quæ occasio auferenda illi erat, cum Christus in cælum ascenderet, quòd certum id futurum esset argumentum, eum plus quàm infirmum hominem esse? potentem esse Deum, qui sua auctoritate in cælum conscendisset. Hoc est, *Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me*; iam occasionem non habebitis ex conspectu carnis, & infirmitatis meæ, humiliter de me sentiendi, non enim videbitis me. Cur ergo non dixit, & iam non videbunt me, vt quærit Augustinus, cùm non de Apostolis, sed de mundo loqueretur? Non loquitur de personis, sed de genere *& non videbitis me*, id est homines quales vos estis, non videbunt me; vt, *Quem vos crucifixistis*, id est, quem Iudæi, quales vos estis, crucifixerunt, illi enim ipsi quibuscũ loquebatur non cru-

Et iam non videbitis me, primo sensu.

Tract. 96.

cifixerant

cifixerant, Act. 2.32. & 4.10. Dixit autem, *Non videbitis me* potiùs, quam nõ videbũt me, quia Apostoli, non mundus eum in cælũ ascendẽtem visuri erant, quasi dicat, videbitis me ad Patrem euntem, sed amplius me non videbitis; tollar enim ab oculis vestris vt Lucas ait Act. 1.9.

Vltimum reliquum est verbum *& de iudicio, quia princeps huius mũdi iã iudicatus est.* Eadem de iudicio, quæ de iustitia, & peccato quærenda, cuius, & quale iudicium intelligat. Quidã Christi iudicium significari putant, & actiuè sumunt, quasi dicat, Spiritus sanctus mundum docebit me iustum iudicem esse viuorum, & mortuorum, cùm videat principem suũ à me iudicatum esse. In hanc sententiam Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, & Leontius exponunt. Alij ad Christum etiam referentes, iudicium pro recto mundi ordine, & restitutione perditarum rerum accipiunt ex Hebræorum proprietate, quasi dicat cognituram mundum deiecto principe suo, qui omnia sursum versus perturbabat omnia per Christum esse in meliorem statum restituta, *Ecce*, inquit, *noua facio omnia.* Malùs auctor; qualis sententia sit, doctus lector iudicabit. Alij referũt ad mundum, sed actiuè etiam accipiunt pro mundi iudicio, quo ipse iudicat, non quo iudicatur, quo sensu Bernardum paulò suprà interpretantem induximus. Alij ad mundum, sed passiuè, fore, vt cognoscat mundus iudicium suum, id est suam condemnationem, cùm videat se iam in suo principe condemnatum. Sic Augustinus, Beda, & Rupertus. Atque hic est verus sensus, sed aliquanto magis premendus est Principem huius mundi Diabolum appellari dubium non est, & omnes monent; illud verò dixisse vellem, cur potiùs dixerit Christus principẽ huius mundi, quàm mũdum ipsum damnatum esse, id enim ad intelligendum perfectè sensum pertinebat. Primùm quia princeps iam vere damnatus, iam victus erat, mundus non damnatus, sed damnandus erat; adhuc enim viuebat, adhuc spes illi erat veniæ. Deinde quia se damnatum nisi in suo principe cognoscere non poterat. Denique quia maioris victoriæ erat principem mundi, quam mundum ipsum deiectum esse, atque debellatum. Itaque fecit Christus, quod soleut in bello facere victores, si hostium imperator inscio, vt sæpe fit, exercitu ceciderit, sublatum in hastam eius caput hostibus ostentant, vt se mortuo imperatore suo victos esse confiteantur. At qua ratione hoc ipsum victum esse Diabolum mundus cogniturus erat? Videns nimirum nullam contra Christum, eiúsq; discipulos habere potestatem eius nomine, de obsessis hominibus pelli, eius prohibitum potestate, ac solo signo crucis eius territum in idolis responsa non dare. Quo argumento veteres illi omnes auctores, Iustinus in dial. cum Tryphone, & apolog. 1. Tertul. in lib. de corona militis, & lib. ad Scapulam, & in apolog. c. 37. & lib. de anima, & lib. de spectaculis, ca. de munere, & lib. de idololatria, Origen. lib. 1. contra Celsum, Cyprian. in epist. ad Demetrium, & in libr. de idolorũ vanitate, Minutius in Octauio, Lactantius lib. 2. c. 6. & lib. 4. c. 27. & lib. 5. c. 22. & 23. & Athanas. in libro de incarnatione Verbi ad conuincendum mundũ, id est Gentiles vsi sunt. Credo satis explanatum esse nobilem difficultate locũ, nam nescio, quid, quod mihi præterea videor animaduertere, neq; quisquã fortasse desiderabit, & debeo mihi ego aliquid reseruare.

12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*) Primum hic illa quæstio explicãda nobis esset quomodo dicat hic multa se habere illis dicenda, quæ non diceret, quia portare non poterant, cum c. 15. 15. dixerit, *Iam nõ dicã vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo nota feci vobis*; nisi illic eã explicassemus, omnia illis tunc dixisse, nõ quæ ille dicenda haberet, sed quæ ferre illi poterãt, vt ea multis illic auctoribus recitauimus, aut quemadmodum Augustinus, Beda, & Rupertus intelligunt, nõ illic de re præterita, sed de futura loquebatur, dixitque se nota fecisse omnia, quia paulò post per Spiritum sanctum omnia illis nota facturus erat. Habere hoc loco nec significat posse, vt quidã interpretantur, (multa enim dicere illis poterat, quæ nec tunc per se, neque postea per Spiritũ sanctum eis dixit,) neque debere, vt nonnulli alij, sed habere dicẽda id est decreuisse illis dicere, sed quia ferre nõ possent, in aliud differre tempus per Spiritum sanctum non meliorem quidem quàm se magistrum, sed commodiore tempore dicenda. Quod autem sequitur, *quæ non potestis portare modo*, quam tanquam rationem affert, quam ob rem illis ea nõ dicat, nõ significat eos præ dolore ferre non posse; sed nondũ satis esse idoneos, vt ea intelligerent, quemadmodum Chrysost. Cyrillus, vterque Theodorus, August. Beda, Theophylactus, Euthym. & Rupertus exponunt. Adhuc enim carnalibus Iudæorum moribus imbuti erant, nec ab illis, nisi per illam spiritus affluentiam, quam postea recepturi erant, elui poterant, vt Heracleota interpretatur. Cum enim Christus difficilem admodum sermonẽ ingressus esset, quasi animaduertens altiora se attingere mysteria, quàm quæ intelligi tunc ab Apostolis possent, orationis cursum inhibuit. Ita verò inhibuit, vt spem illis certam iniiceret fore, vt non longe post illis per spiritum dicat. Qua re & Apostolorum studium excitauit, vt quæ illis Spiritus sanctus dicturus erat, auidius excipierent scientes ea esse, quæ Christus sibi tanquam altiora ipsorum ingenio mysteria dicere noluisset, & Spiritui sancto apud eos auctoritatem conciliauit, quo facilius illi crederẽt, qui quæ ipse non dixerat, pro se dicturus esset. Quæ illa sint, quæ tunc Christus non dixerit, quia percipere Apostoli non poterant promptius est quærere, quàm dicere. *Quis enim nostrum audeat*, inquit August. *eorum se dicere iam capacẽ, quæ illis capere non valebant? Ac per hoc neque à me expectanda sunt vt dicantur, quæ forte non caperem, si mihi ab alio dicerentur, neque vos ea portare possetis, etiamsi ego tantus essem, vt à me ista, quæ vobis altiora sunt, audiretis. Et fieri quidem potest, vt sint in vobis aliqui ad capienda iam idonei, quæ alij capere nondum valent, & si non omnia, de quibus magister ille Deus docebat. Adhuc multa habeo vobis dicere, tamen eorum fortasse nonnulla sed quænam sint ista, quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere, & dicere.* Cauendum autem non solùm, ne in errorem incurramus temeritatis, dum scire ea volumus, quæ sciri non possunt, verumetiam nedum temeritatẽ quærẽdi fugimus quæ scire possumus, negligamus. Dupliciter hoc loco abusi hæretici sunt. Alij dum ex hoc loco omnia sua commenta probare volunt, dicentes nõ esse quidem à Christo, & Apostolis tradita, fuisse tamen per Spiritum sanctum, quemadmodum Christus prædixerat, ipsis reuelata, quod de Gnosticis nescio quibus scribit Augustin. Contra verò Lutheranorum, & Caluinistarum interpretes, dum idem nobis, quod illis August. obiiciunt, quòd quidquid nobis libet præter verbũ Dei in Ecclesiam inducere, hoc loco stabilimus, aiunt alij nihil hic noui Christum promittere, quod per Spiritum sanctũ Apostolis dicendũ sit, sed maiorẽ tantùm eorum, quæ ipse dixisset, explicationẽ, sensũ verbis Christi penitus repugnãte. *Multa habeo vobis dicere, quæ nõ potestis portare modo*, alij quidquid Christ⁹

Quomodo Christus dicit se multa habere dicenda, quæ non dicit.

Hæretici quomodo abutuntur hoc loco.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tunc non dixit Spiritum sanctum postea dixisse: quę autē Spiritus sanctus postea dixillet, ea nobis Apostolos omnia tradidisse. Quid ergo est, *Tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonē, sive per epistolā nostrā* 2. Thessal. 2. 15. Quid est, *cetera cum venero disponā*? 1. Cor. 11. 34. Ergone tā stupidi sumus, vt quidquid aut facimus, aut docemus, quod sacris litteris consignatum non sit, continuò id esse dicamus, quod hoc loco Christus se dicit silentio prætermisisse? imo docemus cum August. magnæ esse temeritatis scire velle, quæ ea fuerint, quæ tunc Christus dicenda nō putauerit, sed in Spiritus sancti magisterium reiiciēdas? Sed hoc dicimus ex hoc loco cōstare Christum non omnia dixisse, quæ ad salutem nostram putabat pertinere, idemq; fecisse Spiritum sanctum credendum esse, non omnia continuò Ecclesiæ reuelasse, quia non omnia portare simul poterat, sed vt ætate crescebat, ita & scientiæ incrementū accepisse. Recte enim dixit Hilarius, *Sicut Christus olim faciebat, ita nunc Ecclesiam* (quamuis sensu alio) *ætate crescere, atq; sapientia.* Idem ab Apostolis factum, vt non omnia scripta, multa etiam ne viua quidem voce nobis traderent, illud ipsi testantur; hoc rationi consentaneū est, siue quia Christi, & Spiritus sancti exemplū imitari voluerunt, siue quòd necdum homines ferre omnia poterāt, siue quòd omnia tam breui tempore omnibus in locis docere ipsi nequibant. Credo enim istam doctrinam profectò verissimam, quæ nobis vobiscum communis est, in Christo vnam tantùm personam, duas esse naturas vbinā Apostoli aut voce, aut scripto aperte tradiderunt? Non est cum Apostolorum vita finitum Spiritus sancti magisterium; doctor pro sē à Christo Ecclesiæ datus est, donec ipse ad iudicium, id est ad colligendam Ecclesiā venerit, eius est officium duraturum. Denique recte illis pro nobis. Tertul. in lib. de Monog. hunc locum edisserens respondet, *Ergo*, inquis, *hac argumentatione quidquis nouæ & onerosum Paracleto adscribi poterit, eiis ab aduersario spiritu fuerit. Non vtiq; Aduersarius enim spiritus ex diuersitate prædicationis apparet, primò regulam adulterans fidei, & ita ordinē adulterans disciplinæ; quia enim gradus prior est, eius corruptela antecedit, id est fidei, quæ prior est disciplina. Ante quis de Deo hæreticus sit, necesse est, & tunc de institutio.*

13. *Cum autem venerit ille spiritus veritatis.*) G. ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνο τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Pronomen *ille* non refertur ad nomen spiritus, quia Græcæ Grammaticę ταῦτα non patitur, sed ad nomen paracleti, quod v. 7. præcesserat, itaq; magis emphaticus sensus est. *Ille*, paracletus, *qui* (id est quia) *spiritus est veritatis, docebit vos omnē veritatem*; aut *deducet vos in omnē veritatē*, quemadmodū Græcè est, & Græci omnes auctores atque Latinus etiam August. legunt; quāquā Latini alij, *docebit*, legūt, quemadmodum Idacius Clarus in lib. contra Varimadum, & Rupertus hoc loco, Phœbadius verò in lib. aduers. Arian. vertit, *Enarrabit omnē veritatē*. Fortasse & noster interpres vertit, *Deducet vos in omnē veritatē*, cùm verbū ὁδηγήσει *deducet* cū verbo διδάξει *docebit*, vix similitudinē vllam habeat. Nisi forte sensum, non verbum voluit exprimere. Sensum autem si spectes, quid aliud est in omnē veritatem deducere, quàm omnem docere veritatem? quanquam qui reddiderit. *Deducet in omnem veritatē* sensū haud dubiè magis expresserit. Deducere enim in omnē veritatem nō significat quoquomodo veritatem omnem docere, sed ita docere quasi magister, discipulum manu ducat, viamque illi accommodate ad eius ingenium veritatis ostendat; vt non omnia simul, non ordine præpostero, prūsque difficiliora, deinde quę faciliora sunt tradens, sed contra faciliora priùs, mox difficiliora, siue quidque tempore promptū proficit, prout potest capere. Hoc est ἐδηγήσατο. Quærunt Augustinus, & Beda quomodo Spiritus sanctus omnem Apostolos veritatē docturus esset, quam quamuis ipse docere posset, nulla tamē posset capere mortalis mens. Respōdent id non de hac, sed de altera vita intelligendum esse, vbi omnē veritatem cogniturī simus, in quam nunc Spiritus sanctus, donec eò perueniamus, paulatim deducit. Aptiùs, vt opinor, Euthym. omnem veritatē intelligit non generaliter, sed omnem, quā illis conueniebat scire; eodémque fere sensu Cyrill. & Theophyl. Cur spiritus veritatis appelletur c. 14. 17. docuimus.

Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur.) Chrysostomus, & Theophylact. ideo Christū hoc putāt addidisse, ne quoniā de Spiritu sancto ita locutus fuerat, vt sibi eū præferre videretur, quis quam existimaret ipso esse maiorem. Reddit autem rationem vt Rupertus ait, quamobrem Spiritū veritatis eum appellauerit, *quia nō loquetur, inquit, a semetipso*, quasi is à semetipso loqueretur, nō veritatem sed mendaciū locuturus esset. Quod quomodo verum sit, non satis apparet, cùm potiùs ideo veritatē dicat, & falsum dicere non possit, quia à semetipso loquitur; cum enim à semetipso loquitur, vt Deus loquitur, cum nihil aliud quam Deus sit; cum autē vt Deus loquitur, mentiri nō potest, quod si posset facere, tunc nimirum posset, quando non à semetipso, id est nō tanquam Deus loqueretur. Quæritur igitur ab August. & Beda quomodo intelligēdum sit nō loqui à semetipso. Si enim in Spiritu sancto, sicut in Christo duplex natura esset, altera diuina, altera humana, aut aliqua alia, possemus fortasse dicere tunc ex seipso loqui, cùm vt homo loqueretur quemadmodum interpretamur, quod de seipso dicit Christus c. 14. 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor*, & quod dixit c. 7. 16. *mea doctrina nō est mea, sed eius qui misit me.* Cùm autē Spiritus sanctus vnica, eáque diuina natura sit vt D. Augustinus disputat, id dicere non possumus. Respondet igitur idem Augustinus, & Beda Spiritum sanctum non loqui à semetipso nihil esse aliud, quàm non esse à semetipso: quemadmodum ergo non est à semetipso, sed à Patre, Filióque procedit ita non loquetur, nisi quæ à Patre, & Filio accepit ab illis procedendo; quemadmodum paulò post dicit. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Vera hæc sunt, sed fortasse opus non est tam subtiliter interpretari, cùm simplicius dicere possimus nihil aliud esse nō loqui à semetipso quàm nō loqui contraria iis, quę ipse ex Patris locutus esset voluntate, vt Cyrillus, Chrysostom. Theophylact. Euthymius, & Rupertus interpretantur. Eodē enim modo exposuimus quod de se dixit, *mea doctrina non est mea, & verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor.* Obseruat Rupertus fortasse non incommodè Spiritum sanctum hoc loco tacitè opponi videri spiritibus falsorum prophetarum, qui non ex Deo, sed ex semetipsis Deo cōtraria loquebantur, *Nolite, inquit, audire verba prophetarū, qui prophetant vobis & decipiunt vos; visiones cordis sui loquuntur, non ex ore Domini.* Ierem. 23. 16. In eo Rupertū nō probo sententiam, quòd interpretatur, *quæcunque audiet loquetur*, id est quæcunque de me in sacris litteris scripta esse scit. Quid ergo est, *sed quæcunque audiet, loquetur*? Id eodem modo intelligēdum, atque illud de Christo, c. 5. 30. *Ego sicut audio, iudico*, & illud c. 8. 26. *Ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo*; illic ergo huius loci explicationem lector quærat.

Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.) Quorsum hoc additum? Theodorus Mopsuestien. Cyrillus, & Theophylactus docent voluisse Christum his verbis confirmare, quod dixerat paracletum spiritum esse veritatis, quia etiam futura illis annuntiaturus esset, ex qua re facile cognoscerent, quantæ apud eos illius testimonij auctoritatis deberet esse. Hinc autem constat inter alia diuina dona, quæ Spiritus sanctus in Apostolos effudit, etiam spiritū illis prophetiæ tribuisse. Quod re ipsa paulò post comprobatum est, Act. 11. 28. & 20. 29. & 21. 11.

14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*) Pronomen *ille* emphasim habet. *Ille* scilicet *spiritus veritatis*, cuius testimonium falsum esse non potest. *Ille* talis, ac tantus, vt Rupertus obseruauit. Clarificaturū se esse spiritum dicit, siue quia quod ipse de se hominibus non persuaserat, se filium Dei, verúmque Deum esse, id Spiritus sanctus vi miraculorū persuasurus erat, vt Græci fere omnes, Theodorus Heracleota, & Mopsuestien. Cyrillus, Leontius, Theophylactus. & Euthymius interpretantur, siue, vt ipse Christus videtur exponere, quia de illo accepturus erat, id est eius nomine tanquam eius legatus locuturus, vnde fieri certa coniectura poterat, quantus esset Christus, cuius tantus, támque admirabilis legatus esset. Hunc credo verum esse sensum. Augustinus, & Beda alias duas afferunt interpretationes, quas quo minùs, qui volet sequatur, non impedio. *Ille me clarificabit*, inquit Augustinus *potest intelligi, quia diffundendo in cordibus credentium caritatem, spiritualésque faciendo declarauit eos, quomodo Filius Patri esset æqualis quē secundùm carnem prius tantummodo nouerant; & hominem sicut homines cogitabant; vel certè, quia per ipsam caritatem fiduciæ repleti annuntiauerūt hominibus Christum, ac sic fama eius diffusa est in toto orbe terrarum, vt sic diceret, Ille me clarificabit, tanquam diceret, Ille vobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentius prædicantes gloriæ meæ per totum mundum debitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi erant in Spiritu sancto, hoc eundem spiritum dixit esse facturum. Quale est etiam illud, Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Difficilius est aliquanto, quod sequitur, *Quia de meo accipiet.* Recepta vulgo recētiorum interpretum sententia est, *quia de meo accipiet*, id est ex me procedit, qua de re multas hìc apud quosdam, nescio quam solidas, nescio quàm ad rem accōmodatas subtilitates inuenio, quas ne recitare quidem velim. Tantùm dico mihi persuasum omnino esse eum non esse sensum. Cur enim nō dixit clarius, de me, aut à me accipiet? Cur, non accepit potius, quam accipiet, cū processio Spiritus sancti à Patre, & Filio, nō futura, sed præterita iam esset? Nam etsi ad hęc à quibusdam respōderi scio, malim equidem nihil dicere, quàm id dicere, quod dicunt. Præterea quomodo cum ea interpretatione hærere potest, *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet?* Denique, agebatur hic de testimonio, quod Sp. sanctus de Christo perhibiturus erat, quoq; ea erat glorificaturus, quod oportebat esse conspicuum, atque manifestū, alioqui quomodo propter illud Christū clarificare poterat? Processio autem illa essentialis non erat conspicua, non ergo ràquam argumentum afferri potuit, vnde discipuli colligerent Spiritus sancti opera in Christi gloriam redundare, hoc enim erat eum clarificare. Rupertus congruentes superiori sententiæ suæ exponit *de meo accipiet*, id est, de eo, quod de me in sacris litteris scriptum est, sed tam alienū hoc à sensu, quàm illud est. Vera igitur interpretatio, *quia de meo accipiet*, id est quia meo nomine veniet, quia non aliā, quàm meā vobis tanquam legatus meus doctrinā tradet, prorsus enim operum, atque doctrinæ illius gloria in gloriam meam redundabit, quod est clarificare me, quia meo nomine, & non alia, quàm mea mysteria vobis trader, non alia, quàm mea faciet opera. Cum hoc enim sensu quod sequitur aptè cōueniat, *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet*, vt statim explicabimus. Propterea per futurum dixit, *accipiet*, quia accipere ab eo, est eius mitti nomine, & quasi mandatis ab eo acceptis, & nōdum missus erat. Propterea dixit, *de meo*, non de me, quia significare voluit accepturum de doctrina, & operibus suis, quidquid inter homines docturus, quidquid facturus erat, non quòd eadem ipse ante non haberet, sed quia, vt ait Cyrillus, accommodatè ad humanum loquitur sensum. Solent enim legati cum à Principe discedunt, accipere mandata, quæq; dicturi, quæque facturi sint. Neque verò nego colligi ex hoc loco Spiritum sanctum à Filio procedere, quin etiam atque etiā asseuero. Nam vt suprà c. 15. 26. docuimus nulla persona mitti dicitur, aut ab alia quidquam accipere, nisi ab ea procedat; quamuis ipsum mitti, atque accipere aliud sit, quàm procedere, illud enim temporale, hoc æternū est. Cùm ergo Spiritus hoc loco à Filio dicatur accipere, à Filio vtique procedit. Nam si ex eo, quod dicit Christus. *Mea doctrina non est mea, &c, sicut audio iudico*, & aliis huiusmodi, quibus significat se nihil facere, nisi ex Patris voluntate, recte sequitur illum à Patre procedere, & ex hoc profectō loco colligitur Spiritum sanctum à Filio procedere. Scioque multos etiā id Græcos auctores tradidisse, antequam ista pertinacissima recentiorum Græcorum orta esset hæresis, Ignatium in epistola ad Ephes. Martialem in epistola ad Burdegal. cap. 10. Cyrillum Ierosolymit. catechesi 17. Epiphanium in Ancorato, Chrysostom. homil. 1. & 2. in symbolū Apostolorum, Didymum lib. 2. de Spiritu sancto duobus locis, Cyrillum Alexandr. in epistola quadam ad Nestor. & lib. 13. Thesaur. cap. 2. & 3. Innenio etiam in Græcorum Catena egregij auctoris Græci Theodori Heracleotæ, & Græca, atque antiqua manuscripta expressam de hac re sententiam, quam libuit hoc loco describere; Τὸ δὲ ἄγιον πνεῦμα μαρτυρεῖ γέγονε τῆς θεότητος ἐκ τῆς ἐσίας αὐτοῦ ὄν. καὶ τῶν ἐσίαν αὐτὸ ἐξαγγέλλον. *Spiritus enim sanctus testis fuit diuinitatis unigeniti, cum ex eius esset essentia, essentiamque eius declararet.* Probat etiam Tertullianus ex hoc loco Christi diuinitatem in lib. de Trinit. esse enim Deum, de quo Spiritus sanctus dicatur accepisse.

15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*) Eodem modo hæc verba, quo superiora intelligenda sunt. Reddit rationem Christus, cur Spiritum sanctum de suo accipere dixisset, quod perinde erat, ac si dixisset Spiritum suum esse, qui Spiritus Patris esse dicebatur, ab eōq; quidquid hominibus impartiebat, credebatur accipere, *quia*, inquit, *omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt*, itaque qui de bonis eius accipit de meis accipit. Cùm dicit, *omnia quæ habet Pater, mea sunt*, non dubium quin essentiam in primis intelligat; propterea enim omnia, quæ habet Pater, eius sunt, quia & Patris essentia eius est, in qua omnia, quæ Pater habet, summatim continentur. Itaq; rectè Catholici doctores, qui cum Arianis disputarūt magnum in hoc loco aduersus illos præsidium posuerunt. Athanas. orat. 2. contra Arian. Epiph. hæres. 69. Gregor. Nazianz. orat. 5. de Theolog. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, Idacius lib. 3. aduers. Varim. August. hic, & fermon. 2. de natali Domini, Cyrillus, Theodor. Mopsuest. Leontius, & Theophylactus in

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius loci commentarijs Loquitur tamen Christus de essentia tãquam de bonis,ac possessionibus,quia omnia diuina bona,auctoritas,potentia doctrina,& quicquid est aliud ex diuina manat essentia,quę omnia sua esse dicit,itaq; neminẽ ex Patris bonis posse quidquã accipere,quin ex suis accipiat.In ipso enim esse omnes thesauros sapientiæ,& scientiæ Dei absconditos,quemadmodum in hanc sententiam profert Theodorus Mopsuestenus. *Coloss. 2. 3.*

16. *Modicum,& iam non videbitis me,& iterũ modicum,& videbitis me,quia vado ad Patrem.*) Quattuor huius loci interpretationes inuenio.Prima est,vt nõ significetur modicum restare tempus vsque ad tempus illud,quo ipsum Apostoli,visuri non erant; sed tempus ipsum,quo eum visuri non erant;modicum fore, id est trium dierũ spatiũ, quo in sepulchro futurus erat.Quemadmodũ Alcuinus apud D.Thom. in Catena,& ipse D.Thom.explicat in cõmentarijs. Secũda,modicum superesse tempus vsque ad tẽpus illud,quo ipsum visuri non erãt,id est vsque ad horã mortis,deinde ab eo tempore,quo ipsum visuri non erant,modicum etiam superesse vsq;ad tẽpus aliud, quo visuri eum essent,id est à morte vsque ad resurrectionem,vt omnes Græci auctores interpretantur Chrysost.Cyrillus, Theodorus vterque Leontius, Theophylact. & Euthymius. Quam interpretationem probabilem etiam iudicat Augustinus. Tertia, post modicum tempus nunquam ampliùs visuros, & post aliud modicum tempus semper visuros,id est post mortem,quæ in proximo erat,nunquam ipsum visuros mortali corpore & rursum post dies tres semper visuros glorioſum & immortalẽ.Sic Ruper tus exponit bonus plerunque auctor, sed qui sæpe minùs accuratas sequitur interpretationes.Quarta Augustini,& Bedæ est,modicũ manere tẽpus vsque ad sum ab illis discessum,id est ascensionem in cęlum, de quo tam multa illis dixerat;post quod tempus visuri illum non essent;rursum verò non multum restare ab ascensione vsque ad secundũ iudicium aduentum, post quod illum perpetuò visuri erant.Non dubito quin hic verus sit sensus.Et quia vbicũque aliàs Christus eadem vtitur phrasi, modicum vsque ad ascensionem suam significat tempus, vt cap.13.33.*Filioli adhuc modicum vobiscum sum,quæretis me,& sicut dixi Iudæis,quo ego vado,vos non potestis venire.* Et cap.14.19.*adhuc modicum, & mundus me iam non videt; vos autem videbitis,quia ego viuo,& vos viuetis.*) Et cap. 12.35. *Adhuc modicum lumen in vobis est*,vt ijsdem locis explicauimus.Deinde quia sequẽtia omnia hęc indicant,vt ver. 20.exponens, quod esset modicum illud tempus, quo illum visuri non essent,ait, *Amen,amen dico vobis;quia plorabitis & flebitis vos,mundus autem gaudebit*;quibus verbis totum haud dubiè tempus significat, quo Apostoli versaturi in hac vita erant.Idem ver.21.& 22.declaratur; versu autem 23.loquens de illo altero tempore quo visuri eum essent, non tempus resurrectionis, sed tempus vitæ æternæ significat.*In illo die me non rogabitis quicquam*,quando enim,nisi cùm beati essent; omniáque scirent. Christum non erant quidquam rogaturi?Obiici contrà potest, quòd tempus illud quod ab ascensione vsque ad secundum aduentum fit,modicum dici non possit? cùm plus iam mille anni præterierint. Prompta responsio quam & D. Petrus 2.epistola cap.3.8.in eadem quæstione adhibet, mille annos ante Dominum tanquam diem vnum esse.Denique totum hoc tempus non solùm breue D.Paulus 1.Cor.7.29.sed etiam nouissimam horam Ioannes appellat 1.epist.cap. 2.18. Ergo ratio illa, quæ subiicitur,*quia vado ad Patrem*,non ad verũ- *Interpretatio Aug. & Bedæ quæ & auctoris.* *Totũ tempus vsque ad iudicium modicum & breue.*

que,sed ad primum tantum membrum referenda est.At si hic sensus est,quorsum hoc Christus adiecerit,cùm de Spiritu sancto loqueretur?Nam Chrysostomus quidem,Cyrillus, & Theophylactus, qui aliter explicant ideo dixisse putant, vt lætis tristia misceret,& post consolationem Spiritus sancti iterum exerceret ad patientiam eorum animos,profectionis suæ,& eorum,quæ se profecto passuri essent illata mentione. Respondeo potius quærendum fuisse,quorsum de Spiritu sancto locutus esset:nam de ijs,quæ passuri discipuli erant, omnis eius institutus erat sermo;sed quia ægre eos videbat ferre sermonem,interiecit de Spiritu sancto,qui consolaturus eos esset.

17. 18. *Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem.*) An omnes discipuli dubitauerint, quid verba illa Christi sibi vellent,necne Euãgelista non dicit,hoc tantùm dicit quosdam eorũ inter se mussitasse,quid nam sibi vellet.Hoc enim est ἐν ἑαυτοῖς *ex discipulis eius*,id est quidam discipulorũ eius,vt Matth.23.34. & Act.21.16.Fieri autem potuit,vt cùm nemo eorum intellexisset, non omnes tamen inter se murmurarent.Mirum aut quenquam eorum non intellexisse,quod tam sæpe illis iteruerat cap.7.33.& 8. 21.22.& 12.33.36.& 14.2.4.12.28. & hoc ipso cap. versu.5.7.Chrysostomus,Theophylactus,& Euthymius,duas eius rei afferunt causas,alteram quòd verè obscura essent,quæ Christus dicebat;nec enim apertè dicebat se moriturum, resurrecturum , & in cælum ascensurum;sed per metaphoras,& ambages loquebatur.Alteram, quòd tristitia adeo essent occupati, vt etiam quæ difficilia non erant,intelligere non possent.Rupertus existimat causam fuisse,quod resurrectionem eius,vnde cæterorum pendebat intelligentia, nunquam satis intellexissent. Augustinus,& Beda non de tota sententia,sed de tempore, quod designabat,putant dubitasse:cum enim ante solitus esset dicere,vado ad Patrem , non adiecisse modicum,nunc verò adiecisse , itaque de illo modico omnem eorum fuisse quæstionem,*quid est hoc, quod dicit nobis modicum?* Et verò quid mirum discipulos adhuc rudes,& euentu nondum rem explicante Christo nondũ,quid vellet dicere,interpretato,non intellexisse,cum ne nos quidẽ nunc homines,vt nobis videmur,acuti,post Christi expositionẽ , post euentũ rei,post tot scriptos cõment. satis intelligamus.

19. *Cognouit autem Iesus,quia volebãt eum interrogare.*) *Cognouit* vt Deus,quia cognitas eorum habebat cogitationes,sine indice,sine coniectura Cyrillus, Theodorus Heracleotes,Leontius.Quòd autem dicit, *Quia volebant eum interrogare*,fortasse non significat decreuisse discipulos eum interrogare, imo est probabilius non decreuisse,sed tantùm desiderasse, atque hoc erat velle.Si enim decreuisset, expectasset vtiq; Christus,vt se interrogarẽt, sed quia videbat eos velle,sed non audere,sponte sua non interrogatus respondet. Quanquam Theodorus Heracleotes , & Leontius existimant etiam interrogaturos Christum prænosse voluisse,vt suam illis diuinitatem declararet.

20. *Amen,amen dico vobis,quia plorabitis,& flebitis vos,mundus autem gaudebit.*) Rectè Theodorus Mopsuestien.& Rupertus adnotauerũt,ne nunc quidem Christum discipulorum quæstionem explicare.Nec enim docet quid sit illud modicũ,quo ipsum visuri nonerant, qu od illud alterum , quo visuri erant. Quod meritò mirum videri potest,sed vt Heracleotes respondet;malebat Christus,vt quid vtrumque modicum esset, ex ipso potius euentu,quam ex se

discerent;aut vt ego puto,nolebat tam expressa mẽtione mortis discipulorum animos vulnerare. Quã ipsorũ tristitiam, quam mundi lætitiam intelligat, ex versu 16. explicatione colligendum est.Nam qui primum modicum, aut tempus vsque ad mortem, aut triduum intelligunt sepulturæ,secundum vero tempus resurrectionis , tristitiam Apostolorum interpretantur eam,quam ex ipsius morte percepturi erant gaudium verò mundi, quo Iudæi eius erant morte gauisuri. Ita Græci omnes , Chrysostomus, Theodorus,Heracleotes,& Mopsuestien.Leontius, Cyrillus,Theophylactus.Euthymius,& Latinꝰ Rupertus,Augustinus,& Beda licet illic primũ modicum ad tempus illud,quo Christus in hac vita futurus erat;secundum verò ad id,quod vsque ad secundum eius aduentum futurum est,retulissent,tamen hic eodem modo;quo Græci,Apostolorum tristitiã & mundi gaudium interpretati sunt. Non dubito tamen quidquam,quin Christus eam Apostolorum tristitiam,eámque mundi lætitiam intelligat,quam toto huius vitę tempore habituri erant;quod enim gaudium aliud esse poterat,quod ab illis nemo posset tollere,vt dixit,v.22.nisi illud,quod in altera vita erant habituri?& graues quoque sententiæ meæ auctores habeo,Tertullianum in lib.de spectaculis, & Cyprian.in lib.de mortalit.& in exhortatione ad martyrium.Itaque non Apostolis tantùm,sed Apostolorum persona Christianis omnibus hoc dicitur, *Vicibus*, inquit Tertullianus,*disposita res est.Nunc illi lætantur,nos constringimur.Seculum,inquit , gaudebit , vos tristes eritis;lugeamus ergo dum Ethnici gaudent,ne cũ lugere cœperint,gaudeamus,ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus.Delicatus es Christiane,si & in seculo voluptatem concupiscis;imo nimiũ stultus, si hoc existimas voluptatem.Philosophi quidem hoc nomen quieti,& tranquillitati dederunt,in ea gaudẽt,in ea auocãtur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi metas,& scenas,& puluerẽ,& arenas suspiras?Dicas velim,nõ possumus viuere sine voluptate,qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum,quam quod & Apostoli exire de seculo,& recipi ad Dominum? Hæc voluptas,vbi & votum.* Voluit ergo Christus discipulos commonefacere,ne in rebus,quas in hac vita plerũq; aduersos perpessuri erant,animo hærerent,sed in remunerationes aspicerent, vt de Patriarchis illis dicit D. Paulus ad Hebr.11.26.Propterea addit:

Vos autem contristabimini,sed tristitia vestra vertetur in gaudium.) Dictio *autem*,Græcè,δὲ non videtur suo loco posita esse,itaque vt rectè cohæreat , repetendum est τὸ κενὸν vltimum membrum , *Mundus* , inquam,*gaudebit,vos autẽ contristabimini , sed tristitia vestris vertetur in gaudiũ.*Vbi acutè Rupert. obseruauit alterum etiam membrum oppositum intelligẽdum esse,quod Christus non dixit,quia hoc tantùm agebat,vt discipulos consolaretur,nempe *tristitia vestra vertetur in gaudium*,& gaudium eorum in tristitiam. Sanctos in hac vita aduersis , iniquos prosperis rebus vti multis locis scriptura docet,Psal.72.2.3.4.& Psal.143.12.13.14.& Iob.21.7.& Ierem.12.1.Habacuc 1.3.Sed eadem quoque docet illorum tristitiam in gaudium; istorum gaudium in tristitiam esse vertendum,Matth.5.5.Luc.6.25.Rom.8.18.& 2.Cor. 4.17.Iacob.5.2.5.

21.*Mulier cùm parit tristitia habet.*) Quod dixerat, vulgato declarat exemplo,totum huius vitę tempus tempori illi comparat quo mulier grauida partus cruciatibus agitatur; tempus autem vitæ ęternę in sanctis tempori,quo mulier saluum in lucem edidit infantem.Vehemẽtes dolores doloribus parturientium comparare scriptura solet , Psal.47.7. Ecclesi.34.6.& 48.21.Isai.13.8.& 21.3.Ierem.4.31.& 6. 24.& locis alijs innumerabilibus,sed hoc loco nõ tã ad doloris magnitudinem exprimendam, quàm ad vicissitudinem doloris , & voluptatis declarandam parturiẽtis exemplũ à Christo propositum esse puto.Hoc enim agebat.Eadémq, ratione ijs nõ assentior,qui propterea hoc exemplo Christũ vsum esse dicunt,vt significaret tempus doloris huius vitæ,si cum tẽpore,aut potiùs æternitate gaudij vitæ beatę comparetur, admodum esse breue, quemadmodum tẽpus, quo parturiens cruciatur ; multo breuius est, quàm illud,quo nato postea gaudet infante,etsi Euthym.in hanc etiam sententiam inclinat.Id quidem verum est,quemadmodum docet D.Paulus, 2.Cor. 4.17.sed non id Christus agebat,& videndum semper est,quid agatur Itaque verbum illud, *Quia venit hora eius*,non est ad significandam breuitatem additum,se ad declarandum tempus constitutum,& expectatum partus. Similis sententiæ est *paruulum* interpretari Christum ,qui in lucem editus significetur.tuc,cùm ex mortuis resurrexit, quemadmodum Dinus Paulus Actor.13.33.interpretatur illud Psal. 2.7. *Dominus dixit ad me,filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Etsi non solùm Rupertus,sed Græci etiam auctores omnes,quos superiore versu citabamus , ita videntur interpretari. Paruulum ergo vocat in muliere quidem pariente, ipsum, quem peperit.infantem,in Apostolis autem vitam illam ęternam,quam præsentis vitæ dolores parituri erant , & illud , vt verbis vtar B.Pauli,*æternũ gloriæ pondus*,maius,quàm dici potest,quod *id, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ operatur in nobis* , vt Tertullianus , & Cyprianus , quos paulò supra nominauimus, exponunt. Putant Augustinus , & Beda aliquid etiam habere momenti , quòd non paruulam, sed paruulum dixerit , quod maius tunc puerperæ gaudium esse soleant , quando non puellam, sed puerum peperit. Eam obseruationem Græca lingua non recipit,quæ τὸ παιδίον sicut infantem Latina, & puerum,& puellam communiter vocat.Quanquam non dubito,quin hoc loco pro infante masculo posuerit,non ideo vt maius significaret gaudium ; id enim si exprimere voluisset , masculino vsus esset genere παιδα, aut aliquo modi eiusdẽ,sed quia in exemplo magis puerum,quàm puellam significari cõuenit. Quod ait puerperam gaudere , *quia natus est homo in mundũ*,perinde est ac si diceret,ideo gaudere quia noua aucta sit prole;itaque vereor,vt solidum sit mysterium illud, quod Chrysost. & Theophyl. in his verbis obseruarũt propterea non dixisse,quia sibi homo natus est,sed,*quia natus homo in mundum*, quia Christus per resurrectionem nõ sibi,sed nobis, id est mundo vniuerso quodam modo natus est.Primùm non dicit,quia natus est homo mundo; sed *in mundum*,quod cõstat diuersum habere sensum. Deinde non est Christus,vt diximus , paruulus ille, de quo hic agitur,sed ille sempiternus laborum huius vitæ fructus,quem in vita altera percepturi sumus.

22.*Et vos igitur nunc quidem tristitiam habebitis;iterũ autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum , & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*) Accommodatio simul, & explicatio est superioris exempli.Quod autem dicit *iterum videbo vos*,auctores illi omnes Græci,atq; Latini nõnulli, quos diximus ver.16.existimasse Christum per primum illud modicum tempus, quod vsque ad resurrectionem supererat; per secũdum autem,quod à resurrectione vsque ad ascensionem restabat significasse;præter eos etiam hoc loco D. Augustinus,& Beda putant Christum hic de ea agere visione,qua discipulis post suam sepe resurrectionẽ

apparuit Ego in mea persisto sententia de secundo ad iudicium aduentu suo loqui, qui iterum discipulos visurum se dicit, & ita visurum, vt eos in regni sui æternam possessionem inducat; quemadmodum c.14.3.dixerat, *Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum.* Nam etsi post resurrectionem Apostolos vidit, non vidit tamen nisi obiter, & veluti per transennam; & illud ipsum tempus ad illud primum modicum pertinere diximus, quo eum visuri non erant, ver.16. Et manifestum est hic agi de partu, quem mulier prægnans, id est Apostoli edituri erant; partus autem ille, vt versu superiore docuimus, vita æterna est; omne verò huius vitæ tempus veluti dolores partus. Hoc est quod sequitur, *Et gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*; i. vt ita gaudeatis, vt nullum finem gaudium vestrum sit habiturum, vt perpetuò gaudeatis. Eodem prorsus sensu, quo c.15.16. alia dixit metaphora, *Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Hoc enim gaudium illud est, quod solum nemo ab ijs, qui habent, potest tollere; omne aliud huius vitæ gaudium multis casibus, multis interturbationibus propositum est. Opponit autem futurum in cælo Apostolorum gaudium, gaudio mundi, quod hac terminatur vita. Ac propterea non dixit simpliciter, & gaudium vestrum perpetuũ erit sed *gaudiũ vestrum nemo tollet à vobis*, vt ad gaudium alluderet huius vitæ, quod multa tollunt, multa perturbant; si nihil aliud, ipsa certè mors, qua nihil potest ijs, qui hac vita delectantur, acerbius accidere. Illud verò beatorum gaudiũ nullus casus, nulla infirmitas humana, nulla vis, nulla mors ab illis potest tollere. Facilior, vt opinor, & congruentior hic sensus, quàm ille, quem Chrysost. Cyrillus, Theodorus, vterque, Heracleotes, & Mopsuest. Leontius, Augustinus, Beda, Theophylactus, & Euthymius adhibent, nemo gaudium, quod de mea percipietis resurrectione, à vobis tollet, quia postquam resurrexero, non ampliùs moriar, quemadmodum postea dixit D. Paulus Rom.6.9. *Christus resurgens ex mortuis iã nõ moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Et quàm alter ille Ruperti, *Gaudium vestrũ nemo tollet à vobis*, quia nõ corpore, sed animo gaudebitis: corporis verò lætitia tolli potest, animi non potest.

Gaudiũ sanctorũ in cælo, & gaudiũ mundi opposita.

23. *Et in illo die me non rogabitis quicquam.*) Quem diem intelligat, ex superioribus colligẽdum. Omnes igitur auctores illi, quos modò citauimus, qui præcedentia de tempore resurrectionis intelligunt, hoc de die Pentecostes interpretantur, quasi dicat, *in illo die*, id est cum resurrexero, & spiritum sanctum ad vos misero, non erit vobis opus me quidquam rogare, quia Spiritus sanctus vos omnia docebit. Ego congruenter etiam superiori meæ interpretationi explico, *In illo die*, id est cùm iterum videbo vos, & in sempiternum beatæ vitæ gaudiũ mecũ induxero *non rogabitis me quidquam*, quia nullis iam quæstionibus locus erit. Omnia vobis mysteria patefiẽt, ita vt nihil vobis opus sit interrogare. Quem sensum etiã Augustinus, cùm prius cõtra sensisset, hoc loco melius perspecta re coactus est confiteri. Hic enim est Græcorum verborum sensus, ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε οὐδέν. Obseruat Augustinus, rogandi ambiguum esse verbum, quia & precari petere, aut interrogare significare potest, vt ex v.26. manifestum est, sed hoc loco non dubium, quin pro interrogare positum sit. Alludit enim ad quæstiones, quas paulò ante illi proposuerant. *Domine quo vadis* c. 13. 36. & *Quid est, quod dicit, modicum, & non videbitis me* ver. 17. quemadmodum Rupertus, & Euthymius animaduertunt. Quo magis Chrysostomum, Theod. Heracleot. & Mopsuest. & Theophylact. miror, interpretari, *nõ rogabitis me quicquam*, id est nullis vobis apud me precibus, nullo aduocato opus erit, quia sola nominis mei inuocatione, quidquid à Patre petieritis, obtinebitis, vt videtur verbis sequentibus significare. *Amen, amẽ dico vobis, si quid petieritis Patrẽ in nomine meo dabit vobis.* Multo meliùs Cyrillus, & Leontius, quod idem etiam August. Beda, Rupertus, & Euthymius magis probant, nihil interrogabitis me, quia nulla amplius de re dubitabitis. Quod ergo sequitur, *Amen, amẽ dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, non iam de illa die, de qua priùs loquebatur, qua nihil eum interrogaturi erant, sed de præcedente die illam intelligitur tempore. Quia enim exemplo prægnantis mulieris duo Apostolorum tempora, duosque status indicauerat; alterum in hac vita, alterum in futura, hactenus explicauit qualis ille beatæ vitæ status futurus esset, nempe omnis gaudij, omnis scientiæ plenissimus, ita vt opus illis non esset futurũ quidquam eum interrogare; nunc redit ad primum statum, quem quia parturiẽtium doloribus comparauerat, consolatur eos dicẽs se in medijs etiam illis doloribus non defuturum, corpore quidem absentem, virtute verò præsentem futurũ esse; nihil enim eos in nomine ipsius à Patre petituros, quod facere nõ sint impetraturi. Quo autẽ modo hæc ipsa sententia vera sit, fore, vt quidquid Christi nõie petierim', obtineamus, sæpe docuimus, Matth.7.7. & 21.22.

Rogandi verbum quomodo hic sumatur. Tract.51.

24. *Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.*) Cui hoc loco non statim occurrat quæstio, quo modo verè dicere Christus potuerit Apostolos ante id tẽpus nihil suo nomine petijsse; multa quippe eos ante postulasse legimus, atq; hoc ipsum inter alia, vt se petere, & orare doceret, quemadmodũ Ioannes discipulos suos docuisset, Luc. 11.1. Itaque docuerat eos dominicam illam orationem, qua si nihil tunc Christi nomine à Patre petebãt, ne nos quidẽ modò petimus. Matth.9.9. Petierant, vt fidem sibi adaugeret, Luc.17.5. eiecerant eius nomine dæmonia, Luc. 10.17. *Domine etiam dæmonia subiiciũtur nobis in nomine tuo.* Diuersis modis auctores diuersi quæstionẽ soluunt. Cyrillus, & Rupertus fecisse quidem aliquid Apostolos priùs in nomine Christi, nihil tamen à Patre eius nomine petijsse, quòd nondum cognoscerent eum esse mediatorem Dei, & hominũ, cuius nomine, & gratia omnia essent à Patre beneficia postulanda. Leontius tantùm veterum significari consuetudinem, & nouam institui, ante id tempus non fuisse solitos qui aliquid à Deo postulabant, Christi nomine postulare, quia ignorabant redemptorem, ac mediatorem fore, nunc tradi formam orandi, vt quidquid impetrare à Patre voluerim⁹, Christi nomine postulemus. Augustinus, & Beda duobus modis exponunt, primùm ante id tempus nihil Apostolos petijsse, quia nihil spirituale, quod ad salutẽ animæ pertineret, sed corporale, temporaléque petijssent, & non petere *in nomine Christi*, i. *Saluatoris*, vt alibi idem dicit Augustinus, qui ad salutem pertinentia non petit, quam interpretationem & Gregorius hom. in Euang. 27. & hoc loco Theophylact. afferũt. Hæc interpretatio vera esse nõ potest, quia, vt paulò ante dicebamus, iam Apostoli petierãt, vt fidem sibi augeret, quod ad salutem maximè pertinebat. Deinde exponit Augustinus aliquid priùs in nomine Christi Apostolos petijsse, quod etiã spirituale, & salutare illis esset, sed id cõparatione vitæ æternæ, id est illius pleni gaudij, quod modò petere iubentur nihil fuisse. Optima putatur Euthymij sententia, Apostolos multa ante fecisse in nomine

Chrysost. Theod. Heracleot. Mopsuest. Theophyl.

Vera expositio.

Christi, dæmones eiecisse, ægrotos curasse, tamen à Patre in eius nomine nihil petijsse. Hæc & facilis, & probabilis explicatio est; sed animaduerto, nec, vt opinor, fallor Christum hoc, quod dicit, *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, præsentię suę opponere. Non enim solemus quidquam aut petere, aut agere nomine præsentis, sed absentis; legatus nomine principis, à quo missus est, procurator nomine clientis, qui adesse causæ non potest. Vsque ad illud tempus Christus cum discipulis fuerat; itaque si quid petendum erat non à Patre eius nomine sed ab eo ipso postulabant; *Domine adauge nobis fidẽ; Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*; docet ergo eos, vt quod ante ab se petebant, postquam ipse ad Patrem discesserit, ipsius nomine à Patre petant; maiora illis Patrem suo nomine rogantibus dona daturũ esse, quàm ipse dedisset, si cum illis esset. Hactenus eos expertos nõ esse, quãtę virtutis sit eius nomine Patrem rogare, quia præsentem habuerant; experturos cùm ab illis discesserit, maioráque à Patre beneficia post ipsius discessum, eius petẽtes nomine, consecuturos, quàm se præsente consecuti essent. Itaque expedire illis, vt ipse ad Patrem vadat. huc enim omnis eius pertinet oratio, vt mœstos ob suum discessum discipulos spe maioris cõmodi consoletur, doceátque se, quamuis discedat, tamen virtute, & beneficentia semper cum illis futurum esse, plus enim ipsis absentem, quàm præsentem profuturum. Quod sequitur, *Vt gaudium vestrum sit plenum* D. August. Beda, Rupertus, interpretãtur ita, vt hoc ad verbum, *Petite*, referatur; quasi hoc ipsum petere iubeantur, vt nimirum ipsorum gaudium plenũ sit. Meliùs omnino Cyrillus, & Euthymius intelligunt, iubere Christum, vt Apostoli deinceps suo nomine quidquid voluerint à Patre petant. fore enim, vt sic petentes impetrẽt, & impetratis gaudeant. Mihi ad verbum, *Petite*, hoc referendũ videtur, sed alio prorsus sensu, quàm Augustino; iubere Apostolos Christum, vt nomine suo petat, non quidem hoc ipsum, vt eorum gaudium plenum sit, sed propterea petere vt ipsorum gaudiũ plenum sit; quasi dicat, si vultis perfectum consequi gaudium, finite me ad Patrem abire, & tum meo ab ipso nomine petite, & perfectius habebitis gaudium, quàm nũc ex mea habetis præsentia. Opponit enim gaudium illud, quod se absente habituri erãt illi, quod præsentes se habebãt alluditque tristitiam, quapropter suum discessum afficiebantur, quasi dicat propterea meum à vobis discessum tam ægrè fertis, quia mea gaudetis præsentia, at qui gaudium istud carnale, & imperfectum est, plenum & perfectum ex mea absentia percipietis; magis enim vos absens, quàm præsens consolabor, quia quidquid à Patre *petieritis in nomine meo, dabit vobis.* Itaque quamuis plenum hoc gaudium ad beatam vitam propriè pertineat, tamen Christus, vt Cyrillus, & Euthymius rectè sentiũt, etiam de gaudio, quod in hac vita percepturi Apostoli erant loquitur: causam verò illi, cur Christus hoc ipsum gaudium plenum vocet, non viderunt, quod nimirũ gaudium hoc, si cum altero, quod ex Christi præsentia percipiebant, comparetur, plenum sit.

Luc.17.5. Supp.14.8

Exposito auctorũ.

Horã more Hebraico pro quouis longo etiam futuro tempore.

Prouerbium pro parabola sumptum.

25. *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis,*) τῶν παροιμίαν ἀντὶ τῆς παραβολῆς. i. *prouerbium pro parabola* posuit, id est pro sermone non manifesto, sed similitudinibus inuoluto, vt Cyrillus, & Theophylactus docẽt. Dubium quomodo in prouerbijs locutũ se esse dicat, cùm nunquam apertiùs locutus esse videatur, vsque adeò, vt finita oratione discipuli dixerint, *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.* v. 29. Theophylactus nõ ad omnia, quæ Christus dixerat, sed ad parabolam illam parturientis mulieris hoc refert, v. 21. At generaliùs Christus loquitur plurãque videtur comprehendere. Rupertus existimat nõ significare se obscurè, atque figuratè locutum esse, sed res ipsas, de quibus locutus fuerat mysticas esse, figuratas, passionem, resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritus sancti, quæ omnia priùs figuris adumbrabantur, nec satis apertè ab ipso fuerant expressa, paulò verò post patefacienda erãt. Sed nescio quid apertiùs de morte & resurrectione sua dici potuit, quam fore, vt in manus peccatorũ traderetur; vt flagellaretur, crucifigeretur, & tertia die resurgeret, vt dixit Matt. 20.19. Mar. 10.34. & Luc. 18.32.33. & rursus de resurrectione, Matt. 16.21. & 17.23. & 20.19. Mar. 8.31. & 10.34. & Luc. 9.22. & 18.33. Aut quid apertiùs de missione Spiritus sancti, quã quod in hac ipsa oratione sæpe dixerat, eum venturũ esse, se eum missurum esse, suprà v.7. & 8. & c.14.16.26. & 15.26. Alij auctores ne quæstionem quidem attingunt. Credo ego Christũ non ex veritate, sed ex discipulorum sensu ista dixisse; nam re quidem vera satis apertè locutus fuerat, sed quia Apostoli nõ magis ea, quæ dicebat, intelligere videbãtur, quàm si in prouerbijs locutus fuisset, dicit se in prouerbijs locutum esse, quasi dicat, hæc quidem, quæ vobis de meo abitu, de Spiritu sancto, de Patre meo, de precibus ad eũ meo nomine fundendis, de perfecto gaudio, quod impetratis, quæ meo nomine petieritis habituri estis, ænigmata nondum expertis vobis videbuntur, mitto ergo vos ad experientiam, ipsa vos omnia ita docebit, vt opus non sit, vt ego vos doceam. Alludit autem, vt mihi quidem videtur, ad id, quod vers. 16. dixerat, *Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicũ, & videbitis me.* Id enim ænigma illis visum fuerat, vt colligitur ex ver. 17. & 19.

Venit hora, cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.) Horam Hebraico more non pro vnius horæ spatio, sed pro quouis lõgo futuro ponit tempore. Quod autem hũc futurum indicet tẽpus, vulgaris est quæstio. Cyrillus, & Leontius in commentarijs ad hunc locum, & Gregorius lib. 30. Moral. c. 8. de altera intelligunt vita, nam in hac quidem quantumcunque proficiamus, semper tamen *videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et videbimus eum sicuti est*; satiabimúrque, cùm apparuerit gloria eius. Hũc sensum ex verbis sequentibus Augustinus, & Beda refellũt, *In illo*, inquit, *die in nomine meo petetis, petitio enim indigentia est*, quæ in vita illa beata nulla erit. Chrysost. Theophylactus, & Euthymius de illis quadraginta diebus interpretantur, quibus Christus cum discipulis post resurrectionem versatus est, *loquens*, vt ait Lucas, *de regno Dei*, Act. 1.3. tũc enim vero simile esse hæc omnia illis mysteria magis declarasse. Augustini, & Bedæ sententia mihi placet, quę eadem Theodori Heracleotæ videtur esse, de aduentu Spiritus sancti hoc intelligi, per quem facti iam spirituales ita erant informandi, vt alio illis doctore opus non esset, vt Patrem, Filiúmque cognoscerent. Quo ergo modo dicit *sed palam de Patre annuntiabo vobis*, quasi ipse tunc eos clariùs, quàm nunc docebat, docturus esset? Ipse se docturum significat, quod Spiritus sanctus docturus erat, quia Spiritus sancti ab ipso mittendus erat, & eius nomine venturus, itaque quod ille faciebat, Christi⁹ faciebat. c. 14.26. Hoc est quod suprà dixit ver. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

1.Cor.13.12. 1.Ioan.3.2. Psa.16.15 Tract.102

26. 27. *In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrẽ de vobis, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.*) Ex his verbis, vt modò dixi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus,rectè probat Augustinus.hæc de huius vitæ tempore esse intelligenda.Occurrit autem statim quæstio, quo modo Christus dicat tunc se Patrem non rogaturū,cùm dicat D. Paulus ad Rom.8.34. etiam nunc pro nobis interpellare,& ad Hebr.9.24.etiā nūc apparere *vultui Dei pro nobis*,& c.7.25 propterea saluare in perpetuum posse,quia accedit *per semetipsum ad Deum in semper viuens ad interpellandum pro nobis*, & Ioan 1.epist.c.2.1. nunc etiam aduocatum esse nostrum Augustinus,Beda,& Rupertus interpretantur nō rogaturum tāquam Deum,sed tanquam hominem, quam etiam interpretationem apud Theodorum Mopsuestium inuenio.Sed isto quidem modo idem de huius vitæ tempore,dicere poterat;nam nec dum in hac versabatur vita tanquam Deus,sed tanquam homo Patrem rogabat;atqui dubium non est,quin tēpus opponat tempori,doceátque se tunc Patrem rogaturum non esse,quemadmodum ante rogauerat. Euthymius insistit in verbo illo, *Non dico vobis*,quod pro futuro positum putat,sensúmque esse tunc non dicam me pro vobis rogaturum, quemadmodum nūc soleo dicere;*Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*.c.14.16.non enim opus erit quidquam vobis polliceri,quia re ipsa experiemini Patrē vobis propter me omnia, quæ petetis, beneficia suppeditare.Non ergo negare Christū sed pro discipulis rogaturum,sed dicturum fore,vt roget.Tolerabilis esset sensus,nisi cōtinuò sequeretur,*Ipse enim Pater amat vos*, quæ verba non significant non esse dicturum se rogaturum Patrē; sed significāt nō esse rogaturum,quia opus non erit, cùm ipse eos Pater amet.Cyrillus igitur,& Leontius, nescio an etiam Theophyl.connumerare debeam, quamuis minùs explicent,verum tamen sensum mihi videtur intelexisse,noluisse Christum significare se rogaturum nō esse Patrem, sed Patrē adeò eos amaturum,adeò propensum futurum esse, vt omnia illis etiam non petentibus beneficia sponte sua daturus sit; ita vt necessarium non esse videatur, vt ipse pro illis roget. Obseruauimus suprà similia quædam exempla. c.5.45.*Nolite*,inquit,*putare,quia ego accusaturus sim vos apud Patrem,est, qui accusat vos, Moyses*, id est ita vos Moyses accusabit,vt nequaquam opus futurum sit, vt ego vos accusem.Verus,inquam, hic sensus est. Sed nescio quid hoc loco præterea mihi videre videor. Solebat in hoc mundo Christus Patrem pro discipulis orare,timere poterāt,ne eo ex hoc mūdo discedēte hoc caterent auxilio consolatur eos,fore vt nihil minus auxilij ipsi per se non alio nomine, quàm quòd ipsius discipuli sint , à Patre habeant, quàm si ipse in hoc mūdo manens pro illis peteret, ipsosmet tantam quodammodo apud Patrem, quātam ipse habeat,auctoritatem habituros eius nomine petētes:Patrem ipsos ideo amare,quòd se amēt, & in se credant , hoc est, quòd verè ipsius discipuli sint.Quid ergo est,*Et credidistis,quia à Deo exiui*;cur nō dixit planiùs,*Et credidistis* in me?Voluit simul explicare quid esset verè in se credere , nempe credere eum à Deo exijsse,id est verum, ac naturalem filium Dei esse ab eóque de cælo propter hominum salutem missum fuisse.

Cyrilli vera expositio.

Addit auctor aliquid ad Cyrilli expositionē.

28.*Exiui à Patre & veni in mundum; iterum relinquo mundum,& vado ad Patrem.*) Quia dixerat,*Credidistis quia à Deo exiui*,quę sūma erat fidei , arrepta,vt sępe alibi notauimus , ex vltimo verbo occasione declarat,confirmátque,quod dixerat,*credidistis,quia à Deo exiui*,& non falsò,aut temere credidistis;verè enim *exiui à Deo,& veni in mundum*.propterea nunc relinquo mundum,& ad Deum redeo.*Nemo enim ascēdit in cælum,nisi qui descendit de cælo filius hominis,qui est in cælo*,vt dixit.c.3.13.Eodem pertinet,quod scribit D. Paulus ad Ephes.4.9.10. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit,ipse est & qui ascendit supra omnes cælos,vt impleret omnia.* Itaque secundum huius periodi mēbrū causam primi tacitā continere arbitror, quemadmodū expositum.Cùm ante dixisset,*Quia a Deo exiui*, modò non dicit,Exiui à Deo,sed *exiui a Patre*,& *vado ad Patrem*,vt doceret illū ipsum verū Deum,à quo se exisse dixerat,verū quoque Patrem fuū esse. Notauit etiā nōnullus interpres nō dixisse, Reliqui Patrem & venio in mūdum,sicut dixit,*iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*;sed *exiui a Patre*, quia ita exierat à Patre, vt illum minimè reliquisset.Suspecta mihi subtilitas est; nam quomodo Patrem non reliquit, cùm in mundum venit ; nec mundum reliquit, cùm ad Patrē redijt,id est quatenus omnia sua implet diuinitate.Quomodo ergo e Patre exierit,& ad Patrem reuerterit,malo Augustini verbis explicare.*Planè*,inquit,*credidimus,neque enim propterea debet incredibile videri,quia sic ad mundum venientes exijt a Patre,vt non desereret Patrem;& sic vadit ad Patrem relicto mundo,vt nō deserat mūdū. Exijt enim a Patre,quia de Patre est;in mundum venit,quia mundo suū corpus ostēdit,quod de Virgine assumpsit. Reliquit mūdum corporali discessione,nec mundum deserat præsentia gubernatione.*

Tolet.

Apostolis de Christo Dei filio naturali credentibus ante adultam Spiritus sancti. Hug. c.2. 11.

29.*Dicunt ei discipuli eius,Ecce nunc palā loqueris, & prouerbium nullum dicis.*) Quærūt Augustinus,& Beda quo modo discipuli negent Christum in prouerbijs loqui,cùm Christus ipse confessus fuerit se hactenus in prouerbijs locutum fuisse,*Nunquid*, inquit Augustinus,*hora iam venerat, qua non iam in prouerbijs se illis promiseraț locuturum? Prorsus quòd nondum hora illa venisset,continuatio verborum eius ostendit.*Et nos v.25. docuimus per horam illam aduētum Spiritus sancti significasse.Respondet Augustinus putasse discipulos se intelligere,quod nōdum intelligebant. Vtrùs quidem nec intellexisse.quod Christus dicebat,nec existimasse se intelligere,sed potiùs vidisse se nō intelligere,ideò ea,quæ dicebātur,prouerbia ab illis, & quasi ænigmata fuisse iudicata; nunc verò cùm nihilo magis,quàm ante intelligerent, tamen quia se intelligere putabant,visa illis prouerbia non esse, quæ prius videbantur. Sententiam Augustini ideo non sequor,quia ex sequentibus apparet eos nō de verbis,sed de factis loqui Christi,nón enim significant eum clariùs loqui,quàm ante , quanquam aliquanto clariùs locutus fuerat, sed factis eū perspicuè declarasse, quæ verbis dixerat obscuriùs , cùm eorum cognouisset cogitationes volentium interrogare,*Quid est hoc,quod dicit modicum?* ver.17.& 18. Quasi dicant,tu nobis venturum dicis tempus,quo tempore palam,ac sine parabolis de te,patrēque tuo nobiscum loquare.An clariùs potes loqui,apertiúsque ostendere te filium esse Dei,quàm intimas animorum nostrorum cogitationes declarando? Non est tibi opus loqui verbis,satis clarè loqueris factis; eo enim ipso,quòd cognitis cogitationibus nostris ista quantumuis obscurè dicis, satis apertè ostendis te filium esse Dei.Hoc est,*Ecce palam loqueris,& prouerbium nullum dicis*,vt statim explicant.

Tolet.

30.*Nunc scimus,quia scis omnia,& nō est opus tibi vt quis te interroget;in hoc credimus,quia à Deo exijsti.*) Declarant,cur dixerint,*Ecce palam loqueris,& prouerbiū nullum dicis*,nempe quia hominum perspectas se habere docebat cogitationes, dū palam eas aperiebat, quod erat clariùs loqui,docereque se esse Deū quāvllis verbis loqui,docereque potuisset.Alludunt ad id,quod ver.19.dictum est,*Cognouit autem Iesus quia volebāt eum interrogare,& dixit eis,De hoc quæritis inter*

Cogitationes hominum nosse Dei proprium. Secundum Hilarium.

vos,quia dixi vobis,Modicum,& non videbitis me. Propterea,vt Rupertus,& Euthymius.insinuant,D. autem Augustinus,& sedulò diserte monuerunt, cùm dicendum potiùs videretur, Et non est opus tibi quemquam interrogare,aut vt quisquam te doceat, dicunt *vt quis te interroget* ; quasi dicant,cognoscis hominum cogitationes , prouidésque , antequam te quisquam interroget, quid velit interrogare; quemadmodum in nobis modò sumus experti. Id autem proprium est Dei , de quo scriptum est, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus , præparationem cordis eorum exaudiuit auris tua*, Psal. 10.17. *Erit que antequam clament,ego exaudiam,adhuc eis loquentibus,ego audiam* , Isai.65.24. *In hoc ergo* (id est propter hoc, hoc argumento (Hebraismus) *credimus , quia à Deo existi* , id est quod à Deo missus es, quòd filius Dei naturalis , ac verus Deus sis. Quanquam non satis constat, an eo vsque eorum tunc fides peruenisset , vt crederent illum naturalē filium Dei,verúmque Deum esse.adhuc enim ex multis apparet rebus ante aduentum Spiritus sancti,vt Chrysostomus.& Theophylactus solent dicere,rudem , & imperfectam eorum fuisse fidem ; vt Christus ipse interprete Heracleota.Chrysostomo,& Cyrillo videtur statim coarguere. Obseruarunt hāc Leontius.& Cyrillus,quod nos alijs in locis diximus, non ideo dixisse discipulos,*nunc credimus*, quòd ante non credidissent , idem enim longè ante credebant, sed quòd tunc experientia ipsa compulsi magis,certiúsque credidissent , Rectius quàm Chrysostomus, & Theophylactus. qui videntur existimare ante discipulos non credidisse. Sæpè notauimus aliquando per verba non nouam actionem, sed actionis continuationem,incrementúmque significari.sicut iustificari dicimur non solùm , cùm ex iniustis iusti , sed etiam cum ex iustis magis efficimur iusti. *Qui iustus, inquit.est,iustificetur adhuc.* Apoc.22.11. Sic etiam dicuntur discipuli viso miraculo aquæ in vinum conuersæ in Christum credidisse , non quòd ante non crederent,sed quòd tunc magis,quàm ante credidérint,cap.2.11.

Tolet.

31.*Respondit eis Iesus,Modo creditis.*) Omnes Græci auctores Chrysostomus, Cyrillus, Leontius,vterque Theodorus,Heracleota,& Mopsuest. Theophylact. & Euthym. notant voluisse Christum discipulorum iactantiam reprimere, quòd gloriari viderentur , quasi perfectam iam haberent fidem , & magnum Christo præstarent beneficium,quòd crederent eum à Deo exisse ; docere ergo eum adhuc ipsorum fidem adeo esse infirmam , vt paulò pòst omnes sint se solum inter manus hostium relicturi. Hæc verba,*Modo creditis*,aut per affirmationem , aut per interrogationem legi possunt. Si per affirmationem legantur , hunc habent sensum , modò quidem creditis , aut potiùs , modò quidem credere videmini ; sed paulò pòst ostenderis vos non satis credere ; cùm comprehenso me ab hostibus diuersi diffugietis : quo sensu mihi videtur Nonnus reddidisse. Si per interrogationem, duplex sensus esse potest. alter vt exprobratio sit tarditatis , quòd nunc tandem post tot sermones,post tot miracula. post tam diuturnam cum ipso familiaritatem credant, cùm multo ante credere debuissent ; quemadmodum Chrysostomus , & Theophylactus videntur exponere. Sed cum hæc interpretatione non videtur , quod sequitur , bene conuenire , *Ecce venit hora , & iam venit , vt dispergamini vnusquisque in propria.* Alter sensus est.*Modo creditis?* id est modò dicitis;nas credere? citò vos non credere declarabitis , qđ modo Leontius , & Euthymius exponunt. Ego non existimo per interrogationem legendum esse , nia in interrogatione non potest

dictio illa , *modo* locum habere , nisi eo sensu , quo Chrysostomum , & Theophyl. interpretari diximus, quem sensum sequentia refellunt verba. Quid enim est dictu *Modo creditis?* id est modò vos dicitis credere? cum interrogatione, eo sensu quo Leontius , & Euthym. exponunt? quid facit illud *modo?* quis non videt nullam vim habere.si recto iudicio verba perpenderit? Sic ergo lego , atque interpretor , modò quidem creditis ; id est modò quidem ostenditis , ac profitemini vos credere , cùm in tuto estis,cùm nihil periculi est ; *Ecce venit hora, & iam venit,vt dispergamini vnusquisque in propria,& me solum relinquatis.* Itaque illud *modo*, non refertur ad præcedentia , quasi sensus sit,modò , quia vidistis me vestras cognouisse cogitationes,creditis ; sed ad sequentia , id est ad horam illam , quam iam venisse dicit ; opponit enim *modo* , id est pacatum & tranquillum tempus horæ illi, id est tempori persecutionis , atque periculi ; tanquam dicat,vos quidem rebus secundis facilè creditis,sed tempore tribulationis, quod iam instat, recedetis.quemadmodum in illa apud Matth.c.13 21.parabola de alijs dixerat.

32.*Ecce venit hora,& iam venit,vt dispergamini vnusquisque in propria,& me solum relinquatis.*) Illud , *Ecce*, magnam habet emphasim, opponit iam instans,tempori præsenti,quasi vnum *modo*,alteri *modo*.perinde ac si diceret,*Modo creditis*, modò tamen non creditis,id est non credere ostenditis. Primum, *Venit* præsentis est temporis, ἐρχεται, secundum præteriti, ἐλήλυθεν, quod ipsum vim orationis auget,quasi diceret, Ecce veniet hora,imo ecce iam adest ; venisse autem dicit, quia etsi Iudas cum cohorte non venerat,nox tamen venerat,qua venturus erat ad Christum eum comprehensurus. Quòd dicit, *vt dispergamini vnusquisque in propria*,non significat fore vt vnusquisque in domum suam fugiat,vt Nonnus interpretatur,

Ἔγγυθι δ᾽ ἠέλιος ἔτος, ὅτε σκίδναθαι ἐμέλλον
Εἰς ἑὸν οἶκον ἕκαστος ;

nec enim domos iam habebant,sed significat non in vnam eunctos partem,sed in diuersas diuersos fugituros ; quare non solùm fugam , quæ composita esse potest , sed confusam etiam dissipationem declarat. Dictio,*Vt ira* non causam, sed tempus significat ; accipitur enim pro , quando ; vt vertit Nonnus ὅτε vt suprà etiam notauimus ver. 2. & c.15.13. Cùm addit, *Et non sum solus,quia Pater mecum est*.ostendit eos quidem quantum in ipsis esset,solum relicturos,& omni destitutum ope ; quòd autem re ipsa solus futurus non esset, non ipsorum virtute , sed sua ipsius natura fieri,quòd Deus esset,idémque cum Patre,itaque separari ab eo , & solus esse non poterat. Adnotarunt Cyrillus,& Chrysost. his ipsis verbis,quibus discipulorum inconstantiam reprehendebat,iuuare ipsorum fidem, confirmarēque voluisse, & dicendo. quod futurum erat, vt Cyrillus ait, quod proprium est Dei, & dicendo se non posse solum relinqui , quòd Pater semper secum sit,vt inquit Chrysost.

Quid significet hic dispergi in propria.

Vt pro quando.

33. *Hæc locutus sum vobis , vt in me pacem habeatis.*) In duobus hīc verbis tota huius loci intelligentia versatur , quæ nescio an quisquam satis expenderit. Alterum est, *Hæc*, quas res intelligat,cùm dicit, *Hæc locutus sum vobis.* Nonnulli ad id solùm , quod de futura Apostolorum inconstantia dixerat, videntur referre , quasi dicat hæc non exprobrandi , sed potiùs animandi causa vobis dixi , vt præmoniti à me , & admonitione ipsa præmuniri nunquam in posterum deseratis. In quem sensum Theodorus Mopsuest. & Leontius exponunt. Chrysostomus, Cyrillus , Theophylactus , & Euthymius ad omnia superiora referunt , quæ Christus post cenam

Universidad de Deusto
Biblioteca

dixerat, sed sententia diuersa. Chrysostomus, & Theophylactus hoc sensu, hæc vobis dixi, non vt ad dogmata, sed ad consolationem, ac pacem vteremini; si enim in his quæ de mea futura passione dixi, hæreatis, putabitis me minorem esse Patre. At etiam dixerat se ad Patrem ire, & alia multa, quibus se æqualem Patri declarauerat; itaque hanc interpretationem minimè recipio. Cyrillus, hæc omnia disserui, non temere, non sine causa, sed vt consolationem in me, & pacem haberetis. Euthymius melius, *hæc locutus sum vobis*, non vt perfectam vobis traderem mysteriorum cognitionem, quam iam dixi me in aduentum Spiritus sancti reiicere, sed vt vos consolarer; itaque non dixi quantum ad doctrinam, sed quantum ad consolationem vestram satis esse iudicaui. Ego ad ea potissimùm refero, quæ de seipso dixerat, quo se filium Dei, mundique victorem declararet, cuiusmodi est, quod dixit ver. 5. 7. 8. 9. 13. 14. 15. itémque ad ea, quæ de futura mundi in Apostolos persecutione dixerat. c. 15. 18. 19. hæc, inquit, quæ & de mundi contra vos odio, & de meo auxilio locutus sum, propterea dixi, *vt in me pacem habeatis*. Atque hoc ipsum propterea illis dicit, vt ijs, quæ audierant, vti scirent. Sæpè ex Dei admonitionibus siue verbis, siue rebus adhibitis minorem quàm possemus, deberemúsque fructum percipimus, quia ignoramus, quem in finem adhibeantur. Alterum est pacis verbum quod plerique pacem aduersus Deum, id est reconciliationem cum illo interpretantur, iuxta illud, *Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum*. Rom. 5. 1. Sic certè Cyrillus & Euthymius. Ego pacem hic pro fortitudine, pro constantia, pro spe, & fiducia poni puto, id est pro eo animi statu, quo etiam in maximis periculis nihil commouetur, nihil perturbatur, sed intertitus, tranquillus, compositus, pacatus manet. Quam enim nunc pacem vocat, statim confidentiam appellat, *Confidite*, inquit, *ego vici mundum*, hoc ergo est, *vt in me pacem habeatis*, vt in me confidatis. Cur autem hoc dicat declarat.

Euthymy probabilior interpretatio.

Pacis verbum quid hoc loco denotet.

In mundo pressuram habebitis, sed confidite, Ego vici mundum.) Quasi dicat, magnum quidem aduersarium mundum habebitis sed maiorem habebitis auxiliatorem me, qui illum vici. Vicisse autem se dicit mundum, quia eius principem Diabolum vicerat, sicut dixerat, c. 14. 30. *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Quam victoriam quamuis per mortem propriè suam fuerit consecutus, tamen, quia in proximo erat, ita de ea loquitur, quasi iam consecutus eam esset, quasi iam in manibus haberet; sicut dixit, c. 12. 31. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Vicisse principem mûdi, mundum ipsum vicisse erat; iubet itaque Apostolos bono esse animo, quòd eorum ipse aduersarium prostrauisset. Quod non ad Apostolos modò, sed ad nos etiam omnes pertinet. *Deo autem gratias*, inquit D. Paulus, *qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*. 1. Cor. 15. 57. & *scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum*, 1. Ioan. 2. 13. 14. & rursus, *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum* (mundum) *quoniam maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo*. 1. Ioannis 4. 4. & *omne quod natum est ex Deo vincit mundum; & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. 1. Ioan. 5. 4. &. *Ipsi vicerunt eum* (Diabolum) *propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui*. Apocal. 12. 11. Dicimur vicisse nos, non quòd nulla in nobis pugna restet; restat etenim & quidem magna, *non aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, Ephes. 6. 12. sed quia nobis per mortem Christi vincendi potestas facta est; vicimus, quia si volumus, possumus vincere.

CAPVT XVII.

1. Matt. 28. d. 18.

HÆC locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: 2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. 3. Hæc est autem vita æterna: Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. 4. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam: 5. & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quàm mundus esset, apud te. 6. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt. 7. Nunc cognouerunt quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt: 8. quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. 9. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt: 10. & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. 11. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos. 12. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. 13. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum

Inf. 18. b 9 Psal. 108. b 8.

tum in semetipsis. 14. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego sum de mundo. 15. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. 16. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. 17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. 18. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate. 20. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: 21. vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti. 22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. 23. Ego in eis: & tu in me: vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. 25. Pater iuste, mundus te non cognouit. ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

IN CAP. XVII.

1. IÆC locutus est Iesus, & subleuatis, oculis in cælum dixit, *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.*) Finita oratione, quam post cœnam ad discipulos docendi, consolandique causa bene longam habuerat, quattuor superioribus capitibus ab Euangelista comprehensam, ad orandum Deum se conuertit. Quod Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius ideo fecisse putant, vt quod verbis discipulos docuerat, exemplo, réque ipsa confirmaret. Prædixerat multas illis, magnásque futuras persecutiones. cap. 15. 17. 18. docuerat in se confidere. cap. 16. 33. *Confidite, ego vici mundum*; id nunc exemplo suo docet, qui quatenus homo est, omnem suam spem, omne præsidium ponat in Deo, cùm imminente periculo ad eum se precandum conuertat. Idem illi faciant, idem nobis faciendum. Cyrillus verò, & vt videtur Augustinus, & Beda, exemplum etiam scribunt nobis præbere voluisse, sed sensu alio, non vt nos cùm in periculis versamur, ad preces confugiamus, etsi id etiam cum primis faciendum est; sed vt alios ipsi non solis verbis, sed multo magis exemplo doceamus. consolemúrque. Quæ ista fuerit oratio, num illa eadem quæ ab alijs tribus Euangelistis in horto Gethsemani à Christo habita fuisse dicitur, *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste*, Matth. 26. 39. Marc. 14. 35. Luc. 22. 39. quæstio est hoc loco non indigna, quam solus, vt opinor, inter interpretes Rupertus attigit. Is autem in ea sententia est, vt vnam, eandémque esse putet, motus, verbis illis superioribus, Euangelistæ, cap. 14. 31. *Surgite eamus*. Cæterum Ioannem longiorem, quàm cæteros Euangelistas orationem retulisse, quòd cùm Petro, & fratre suo Iacobo interfuisset. Sed hanc opinionem c. 14. 31. refutauimus, vbi docuimus Christum hanc orationem, sermonémque totum superiorem in horto non habuisse; idque ex capite, sequenti vers. 1. perspicuum est, vbi Ioannes dicit Christum, postquàm hæc omnia dixisset, trans torrentē Cedron, vbi hortus ille erat, egressum fuisse. Neque vero simile est Ioannem, si orationem in horto à Christo habitam narrare voluisset, summam illius fuisse præteriturum. *Pater misi possibile est transeat à me calix iste.* Faciliùs creditu est totam, quàm partem eius, præcipuam prætermisisse. Præterea alij Euangelistæ scribunt orationem illam in horto prostratum in terram habuisse. Matt. 26. 39. Mar. 14. 35. Ioannes autem istam, sublatis in cælum oculis. Describit autem habitum orantis eodem consilio, quo eo Christus vsus est, vt nos ab eo orare disceremus. *Poterat*, inquit Aug. *Dominus noster vnigenitus, & coæternus Patri in forma serui, & ex forma serui, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset nostrum se esse doctorem.* Petit igitur primùm in oratione à Patre Christus, vt se clarificet, vt & ipse vicissim à se clarificetur; horam venisse, *tempus faciendi Domine, tempus faciendi*, quasi dicat, tu me hactenus & missa de cælo voce, *Hic est filius meus dilectus*, & delapso ad me Spiritu sancto, Matth. 3. 17. & Ioannis testimonio, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, suprà, c. 1. 29. & multis editis miraculis clarificasti, iterúmque cùm maximè opus esset, clarificaturum promisisti. c. 12. 18. *Et clarificaui, & iterum clarificabo*; ecce nunc tempus illud venit, quo maximè tua mihi clarificatione opus est, quia adeo obscura, & ignominiosa subeunda mors imminet, vt nisi me tu clarificaueris nisi me certis, conspicuísque miraculis, filium tuum esse declaraueris, omnes me pro puro, eóque vili, & abiecto homine habituri sint. Mea clarificatio non tam mea, quàm tua est, hoc est, quod ait, *vt filius clarificet te*, quia ipsum clarificari à Patre Filium est Patrem à Filio clarificari, quia omnis Filij gloria in Patrem redit, sicut. c. 11. 23. 28. pro eodem accepit se clarificari, & nomen Patris clarificari. Quid autem sit clarificari, illic explicauimus.

Tract. 104

Psal. 118. 126.

Hebraismus.

2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.*) Hebraismus est ad hunc modum resoluendus, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omni, quod dedisti ei, det vitam æternam*, redundante nominatiuo. & posito relatiuo pro antecedente, vt Psal. 10. 4. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius*, id est, *Domini sedes est in cælo*. Singula verba aliquid habent difficultatis. Primùm dictio illa, *sicut*, incertum, quò referenda; Augustinus enim, & Beda ad illud vltimum referunt verbum, *Vt filius tuum clarificet te*; quasi sensu

Vtrum hæc oratio eadem cum ea, quæ in horto habita est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit, quemadmodum tu filio tuo omnis carnis dedisti potestatem, ita fac vt filius tuus clarificet te. Clarificari enim à Filio Patrem, erat per Filium omni carni, id est non Iudæis tantùm, sed etiam Gentilibus innotescere. Ergo quandoquidem filio tuo omnis carnis potestatem dedisti; fac vt te apud omnem carnem clarificet. Non incongruus sensus. Leontius verò ad vtrumque refert, *Clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, sensu simili. Vterque verò probabilis; sed ego Rupertum secutus ad primum membrum, quod præcipuum erat, referre malo, nam alterum veluti occasione quadam adiectum est. Sensum igitur esse arbitror, tracta me tanquam legatum tuum, quem absente coram omnibus clarificari, id est recognosci, & honorari conuenit; da mihi æqualem potestatem, honorem, *sicut dedisti mihi potestatem omnis carnis*, ita me apud omnem carnem glorifica. Omnem autem carnem ex Hebraismo pro omni homine posuit, partem pro toto, vt D. Augustinus obseruauit; sicut è contrario animam Apostolus pro toto homine posuit, cùm dixit, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita* sit, Rom. 13.1. Hebraismus etiam est, quod dicit, *potestatem omnis carnis*, pro, in omnem carnem. Omnem autem dixisse carnem, vt nullam gentem, nullum hominum genus, nullum denique hominem excipere, & omnem carnem solis opponeret Iudæis. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius adnotarunt. Nam ante mortem quidem, & resurrectionem, qua clarificatus Filius est Patrem in sola Iudæa notum fuisse; postea verò in omnes gentes eius cognitionem, culturámque permanasse. Quando istam potestatem Pater dederit Filio Augustinus disputat. Facilis responsio, cùm homo factus est, loquitur enim vt homo; sic Theodorus Heracleotes, & Chrysostomus.

Rupertiexpositio probabilior, quæ & auctoris est.

Tract. 105 Caro & anima pro toto homine.

Vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.) Nihilo magis certum, quo dictio illa, *Vt*, referri debeat. Leontius, Cyril. & Rupertus videntur referre ad verbum, *Clarifica filium tuum*, quasi sensus sit, vt hoc filium tuum clarifica, vt omnibus ijs, quos illi tradidisti, det vitam æternam. Melius Augustinus refert ad verbum *dedisti*; sed non putat causam, sed effectum significare; in hunc enim sensum exponit, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, idque non frustra; sic enim ei dedisti, vt omnibus, quos illi tradidisti, dederit vitam æternam. Qui sensus verus mihi videtur esse, ac nescio an à quoquam ex ijs etiam, qui Augustinum legerunt, animaduersus. Per totam enim reliquam orationem ita loquitur, quasi iam hoc fecisset, quasi iam tunc dedisset vitam æternam ijs, quos ad se Pater adduxisset. Vitam enim æternam vocat sui, patrisque sui cognitionem, vt exponit versu sequenti, quam cognitionem dicit se prædicationis officio perfunctum tradidisse. Quanquam non inficior alium quoque probabilem esse sensum, quem omnes vulgo sequuntur, vt particula, *Vt*, finem declaret; propter quem Pater potestatem Filio dederit omnis carnis; nempe vt vitam æternam omnibus daret. Hæc etiam oratio Hebraismo implicata est; sic erit explicanda, vt omnibus, quos ei dedisti, det vitam æternam: redundat enim relativum *eis* Hebræorum more, & ponitur in plurali numero, cùm singulare præcessisset, quia non vocem, sed sensum respicit. Sunt qui putent hanc superioris sententiæ exceptionem esse. Dixisse enim omnis carnis potestatem sibi datam esse; nunc non omni carni, sed ex omni carne ijs solùm hominibus, quos sibi tradidisset, id est quos ad se traxisset dare vitam æternam: sicut dixerat cap. 6. 37. 39. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & omne quod venit ad me, non eiiciam foras. Hæc est enim voluntas Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.* Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius pro eodem accipiunt, Omne quod dedisti ei, & omnem carnem, quasi diceret, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omni carni vitam æternam daret. At non omnibus hominibus vitam æternam dedit. Respondent dedisse, quantum in ipso quidem fuit; si alijs non dedit, non per ipsum, sed per illos stetisse, quia in illum credere noluerunt. Eodem res redit; nam si hæc exceptio est superioris sententiæ, intelligendum est Christum declarare voluisse causam, cur non omnibus vitam daret, quia nimirum non omnes, in quos sibi Pater potestatem dederat, ad se adduxisset; non autem adduxit, quia illi aut credendo, aut bene viuendo venire noluerunt.

Tract. 105

Vita æterna Filij & Patris cognitio.

Hebraismus.

3. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*) Docet quomodo omnibus, quos sibi Pater dedisset, dederit vitam æternam, nempe tradendo illis sui, patrisque sui cognitionem. In ea enim vitam æternam positam esse. Itaque ℣ pro ℣ hoc loco. id est, autem, pro enim positum puto, sicut Luc. 20. 38. & alijs plurimis locis obseruauimus. Sic consequentior sententia est, vt probet se vitam æternam illis dedisse, quibus sui Patrisque tradiderat cognitionem, quia hæc est vita æterna, vt vterque ab illis cognoscatur. Probat ex hoc loco non solùm magna scholasticorum Theologorum pars, sed nonnulli etiam antiquiores Patres beatitudinem in visione. id est actu intellectus Deum clarè, apertéque videntis positam esse. Sed manifestum ex adiunctis est vitam æternam hoc loco non illam cælestem, quæ propriè beatitudo dicitur; sed inchoationem quandam eius appellari, quam in hac vita, quasi pignus alterius habent, qui hæredes illius sunt. Nam vt suprà docuimus, & ex toto capite perspicuum est, de ea vita æterna Christus hîc agit, quam iam discipulis dederat; atqui cælestem illam nondum illis dederat. Quod si ex hac licet de illa cælesti coniecturam facere, potiùs colligemus in voluntate, quàm in intellectu consistere; quia huius vitæ beatitudo, quæ illius inchoatio est, potiùs in charitate voluntatis, quàm in fide intellectus posita est. Itaque sententia eorum, qui intellectu beatitudinem finiunt, affinis nouorum hæreticorum errori videtur esse, qui sola nos dicunt fide iustificari, id est beatitudinem huius vitæ in solo intellectu sitam esse. Quid igitur est causæ, cur in sola cognitione, id est in sola fide vitam æternam ponere videatur? Non certè, quòd sola, sed quòd prima illis causa fides sit. Eodem prorsus modo, quo iustificatio, & vita illa cælestis æterna fidei solet tribui, quemadmodum cap. 1. 12. & 3. 16. declaratum. Itaque quemadmodum ex hoc loco colligere non licet vitam æternam in hac vita in sola consistere cognitione, quamuis sola hîc cognitione diffiniatur; ita non colligeretur, quamuis de futura ageretur vita, in solo intellectu, visioneque consistere, quamuis definiretur sola visione. Sed hæc præter morem diximus. Maius hîc nobis negotium Ariani facessebant, solùm hic Patrem verum Deum appellari, Filium ab ea excludi appellatione, *Vt cognoscant te solum Deum verum*, & postea, *& quem misisti, Iesum Christum.* Auctor Hilarius libro 4. & 5. & 9. de Trinitate. Ambros. libro quinto, de fide, cap. 2. Epiphanius hæres. 69. Gregor. Nazianz orat. 4. de Theologia. Basilius lib. 5. aduersus Eunom. Idacius in lib. contra Varim. cap. 34. Cyrillus Alexand. lib. 10. Thesauri. cap. 6. Augustin. lib. 6. de Trinitate cap. 9 & hoc loco, itémque Chrysostomus hîc; Cæsarius dialogor. 1. Quia magnum

hoc

Varia re sententiæ Catholicorum ab aliorum Christi aduersariorum.

hoc loco præsidium erroris sui Ariani collocabant, magno contrà studio Catholici vtebantur, vt eos inde deturbarent; itaque multis modis respondebant; siue Tertullianus, siue aliquis & Tertulliano, & Arij ætate posterior is auctor est, cui de Trinitate inter Tertulliani opera liber inscribitur, & Hilarius libr. 9. de Trinitate, & Ambros. libr. 5. de fide. cap. 2. & Augustin. & Beda hoc in loco respondent, tria illa verba *solum Deum verum*, non solùm Patri, sed Filio etiam attribui per coniunctionem illam, *&*, *Et quem misisti Iesum Christum*, quasi is sit, vt August. ait, *ordo verborum*; *Hæc est vita æterna, vt te, & quem misisti, Iesum Christum cognoscant solum verum Deum*; nam vt ita loquamur, sermo etiam Latinus patitur. *Si noluisset se*, inquit Tertullianus, *etiam Deum intelligi, cur addidit, Et quem misisti Iesum Christum, nisi quoniam & Deum accipi voluit? quoniam si se Deum nollet intelligi, addidisset, Et quem misisti hominem Iesum Christum, nunc autem nec addidit, nec se nobis hominem tantummodo Christus tradidit, sed Deo iunxit, vt & Deum per hanc coniunctionem sicut est, intelligi vellet.* Nescio an hæc interpretatio ab ijs, quibus non placet, refutari possit; ego enim qua ratione possit, non inuenio. Aliter quoque idem respondet Ambr. Christum non excludere se, quin verus Deus sit, ex hoc ipso loco perspicuum esse; illum enim, in cuius cognitione vita æterna posita sit, quî posse non esse Deum? atqui non solùm in Patris, sed etiam in suipsius cognitione vitam æternam posuisse. Epiphanius verò, quo modo posse verum Deum non esse, qui *vera lux* sit *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum?* Rectè ille quidem; sed discedit ab hoc loco; quod si facere liceret, illustrioribus testimonijs id Basilius, & Cæsarius probant; in primis illo, qui huic valde affinis est 1. Ioann. 5. 20. *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & scimus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Vbi cùm perspicuum sit eandem Ioannem, quam hoc loco Christum sententiam exprimere voluisse, non solùm non negauit, sed etiam affirmauit illum verum esse Deum. Neque me latet, quid in illum locum non Ariani modò veteres, sed alij etiam hoc tempore eorum sectatores commenti sint; sed eas cauillationes, cùm ad eum locum Deo iuuante venerimus, refutabimus. Nouam aliam, & nescio an aliquanto audaciorem interpretationem apud Theodorum Heracleorem inuenio, Christum solum patrem suum verum Deum appellasse διὸ τὸ ἀγέννητον εἶναι, id est, *quòd ingenitus sit*, vt Theologi loquuntur, id est ab alio originem non habens, sed ipse potiùs omnis diuinitatis origo. Vera, germanáque expositio est quam omnes facere Græci auctores tradiderunt, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Cæsarius, ijs in locis, quos suprà designauimus, Chrysostomus, Cyrillus, Leontius hoc loco, Theodorus Mopsuest. & Theodoritus Cyri Episcopus in Græcorum Catena citati, Theophylactus, & Euthymius in commentarijs, & ante Arianorum natam hæresim Cyprianus in exhortatione ad martyrium. verba illa, *Solum verum Deum*, ad solum referri Patrem, non quòd Filius excludatur, sed vt excludantur idola, quæ veri non erant Dij; non ergo his verbis Filio & Spiritui sancto, sed idolis Patrem opponi; in eo enim vitam æternam positam esse, vt relicta vana illa Deorum multitudine vnum verum Deum Patrem, eiúsque Filium Iesum Christum non vtrique falsum, vt idola, sed verum etiam, vt Patrem, Deum cognoscamus. Nam vt Gregorius Nazianz. & eius frater Cæsarius argumentantur, si propterea quòd Pater hîc solus, verúsque Deus appellatur, colligunt Ariani Filium non esse Deum, colligant etiam Filium non esse sapientem, quia D. Paulus dicit Rom. 16. 27. *Soli sapienti Deo per Iesum Christum gloria*; colligant non esse immortalem, & non esse lucem, quia idem Paulus scribit, 1. Timoth. 6. 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem*, cùm se Christus passim vitam, & lucem vocet. Illustrat mirificè Theodoritus hunc sensum loco alio consimili D. Pauli. 1 Thess. 1. 9. *Conuersi*, inquit, *estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo, & vero.* Denique illud etiam obseruandum, quo Arianorum argumentum penitus eneruatur, nomen illud *solum*, non esse subiectum, sed attributum. Non enim est sensus, *vt cognoscant te*, qui solus es verus Deus, *sed vt cognoscant te*, qui es ille Deus, qui solus verus est. Quem sensum magis etiamnum Græca præ se ferunt, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν. Ita esse ex altero constat epitheto. Si enim *solum* ad subiectum pertineret, eodem *verum* pertineret; at *verum*, non ad subiectum profecto, sed ad attributum pertinet. Itaque ille hæreticorum interpres, qui vertit, *vt cognoscant te solum esse verum Deum*, verum sensum non est assecutus. Duplex adhuc hic hæret quæstio. Altera, quare non dixit quemadmodum Augustinus dixisse putat. vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum solum, & verum Deum? Posset hîc illa superior Theodori responsio locum habere, nomen Dei Patri, tanquam omnis diuinitatis fonti fuisse tributum. Sed duas etiam causas alias possumus reddere, alteram, illud epitheton solius, ac veri Dei Patri per attributionem dari solere. quamuis Filius etiam, & Spiritus sanctus Deus sit sicut nomen Domini datur Filio, quamuis Pater dominus vtique sit, & nomen Spiritus, atque paracleti datur Spiritui sancto, quamuis & Pater, & Filius Spiritus sit. Altera est, quòd voluerit Christus de Patre quidem suo, vt filium decebat, honorificè, de se verò quàm modestissimè loqui, ideo non se, sed Patrem Deum appellauit: eodem, vt opinor, pertinet, quòd ne se quidem ipsum nominare voluit; nec enim dixit, vt cognoscant te & me; sed, *vt cognoscant te, & quem misisti Iesum*, per tertiam personam de seipso loquens, quod maioris modestiæ, quàm seipsum, cùm de rebus agitur honorificis, qualis hæc erat, nominare. Accessit quòd dum dicit, *Et quem misisti Iesum Christum*, & se simul demonstrat, & rationem declarat, quare in cognitione sui. etiam quatenus homo erat, vita æterna consisteret. Scilicet quia missus à Patre erat, quia sesus, id est saluator, quia Christus, id est promissus Messias erat. Altera est quæstio, quam Cæsarius attigit, cur de Spiritu sancto mentionem nullam fecit? Facilis coniectura; non erat necesse tunc, nisi vt suam ipse auctoritatem confirmaret, de quo omnis erat controuersia; confirmat autem ex auctoritate Patris, quòd ab eo missus esset. Deinde voluit significare, in quo potissimùm fides ea, quæ causa hominibus salutis. hoc est vitæ æternæ esset, versaretur; in eo nimirum, vt salutis cognosceretur auctor; auctor autem salutis etsi omnis communi quadam ratione Trinitas fuit; tamen priuatim, ac propriè Pater, qui filium suum misit; magis etiam propriè Filius, quia suo ipse labore, ac veluti suis manibus nostram, *operatus est salutem in medio terræ.* Atque hæc causa est, cur Christus non fidem in Patrem, non fidem in Spiritum sanctum, sed fidem in se ad salutem requirat. *Vt omnis*, inquit, *qui credit in eum* (filium) *non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Vera expositio Patris Græcorum Christi coætaneorum idola hanc vocem actione excludentium.

Cur de Spiritu sancto mentio nulla hic facta.

Psal. 73. 12.

Sup. c. 3. 16.

4. *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.*) Quasi debitam sibi à Patre mercedem clarificationem suam petit, se eam iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

meruisse, Patrem priùs clarificando, & opus consummando, quod sibi perficiendum tradidisset: se iam fecisse, quod in se erat, faciat ergo Pater, quod in ipso est, seque clarificet, vt Theodorus Mopsuest. Leontius, & Theophylactus interpretantur. Quo modo clarificauerit Patrem, exponit cùm dicit, *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam.* Perficiendo enim officio à Patre sibi commendato gloriosiorem, clariorémque apud homines Patrem reddidit. At nondum id opus perfecerat, quin reliqua mors erat totius operis summa, qua maximè clarificandus Pater erat. Augustinus, Chrysostomus, Leontius, Beda, & Theophylactus existimant Christum mortem etiam ipsam comprehendere voluisse; sed cur se perfecisse opus dicat, cùm perfectum non sit, non eandem omnes rationem afferunt. Augustinus, Leontius, & Beda more prophetico de futuro tanquam iam præterito locutum fuisse, sicut longè ante ore Dauidis locutus fuerat; *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Chrysostomus, & Theophylactus dixisse se opus perfecisse, quia radicem iam plantauerat, vnde perficeretur, iam humanam naturam sumpserat, iam Euangelium prædicauerat, iam veritate liberè dicenda extimulauerat in rabiem Iudæorum animos, vt se crucifigerent, qui finis erat operis. Aliter etiam Leontius, & Theophylactus, dixisse se opus consummasse, quia quantum in se fuerat, fecerat vt consummaretur. Facilius Rupertus, opus hîc prædicationis officium appellari, vt statim declarat vers. 6. *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Agebatur enim de Patris clarificatione; clarificari autem Patrem, erat eius nomen, ac gloriam hominibus manifestari. Itaque superuacaneam esse putat Augustini quæstionem, quo modo nunc dicat, *Ego te clarificaui*, cùm paulò antè dixerit, *Clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Illic quasi priùs Pater Filium, quàm Filius Patrem clarificaturus esset; hîc quasi Filius Patrem, quàm Pater Filium clarificauerit. Facilis enim solutio, priùs Filius Patrem eius nomine hominibus manifestando clarificauerat; deinde quasi loco mercedis petit à Patre, vt se vicissim morientem clarificet, vt ea ipsa mortis suæ gloria in Patrem redundet. Adnotarunt Chrysostom. Leontius, Theophylactus, & Euthymius, consultò Christum addidisse verbum illud, *super terram*, vt declararet, qua ratione Patrem clarificasset, nempè non verè, non sicut in cælo clarus est, cuius claritati, & gloriæ, quam apud se, & Angelos habet, accessio fieri non potest; sed sicut super terram ab hominibus clarificari dicitur, cùm eius claritas hominibus innotescit. Hinc colligunt Cyrillus, & Leontius eodem sensu Filium à Patre clarificari, non vt Ariani putabant, eius augenda gloria, sed gloria, quam natura sua infinitam habet, hominibus declaranda. Opus verò, id est negotium officium datum sibi à Patre dicit, siue vt Augustinus, & Beda putant, quia per humanam generationem hoc acceperat à Patre; siue, vt Cyrillus, Chrysostomus, & Græci ferè omnes volunt, quia vt homo loquitur, cui Pater præceptum dederit Euangelij prædicandi.

5. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui priùs, quam mundus esset, apud te.*) Aduerbium illud, *nunc*, vt Theophylactus interpretatur illatiuæ particulæ vim habet, quasi dicat, Ergo clarifica me tu, quandoquidem ego te priùs clarificaui. Meliùs fortasse Euthymius, *Nunc*, id est deinceps, opponit enim tempus tempori; dixerat se iam clarificasse Patrem, petit à Patre, vt se deinceps ipse clarificet. Non potest hic locus intelligi, nisi priùs disputemus, de qua claritate Christus agat, de eane, quam vt Deus semper habuerat, an de ea, quam vt homo erat habiturus, & quare se clarificari petat. Omnes ferè, quos ego legerim, auctores de gloria humanæ, non diuinæ naturæ loqui putant; nam diuinam quidem naturam infinitam semper gloriam habuisse; petere autem nunc, vt ea gloria, quam diuina semper natura, etiam antequam mundus fieret, apud Patrem habuisset, in humanam quoque naturam derivetur, non solùm resuscitando illam à mortuis, & in cælum euehendo, sed ad dexteram etiam Patris, vbi semper diuina fuerat, collocando. Huc licet alia alius via omnes interpretes tendunt, Hilarius libro 3. & 9. de Trinitat. Chrysostomus, Theodorus Heracleotes, & Mopsuestien. Cyrillus, Leontius, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Rupertus. Optimè autem omnium Theodorus Heracleotes in dicto loco illo, D. Pauli Philippens. 2. 6. 7. 8. 9. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Rogare igitur nunc vt ad illam gloriam, à qua se se exinaniuerat, reducatur. Nolo ab omnibus vnus auctoribus dissentire; sed nihil tamen absurdi sequi video, si de diuina etiam natura, aut communiter de persona Filij vtramque & diuinam, & humanam complectente naturam interpretemur, quemadmodum & Theodoritus interpretatur in commentarijs in Psalm. 92. Si enim absurdum non est, vt Pater, quatenus Deus est, à Filio clarificetur, dum eius gloria per Filium hominibus declaratur: cur absurdum erit, vt eadem ratione à Patre Filius clarificetur? Mouet omnes, quòd Filius dicat se super terram Patrem clarificasse; à Patre autem non super terram, sed apud Patrem ipsum clarificari postulet; ideóque putant & de humanæ tantùm naturæ clarificatione, & de ea tantùm agi, qua in cælo ad dexteram Patris sedens clarificandus erat. At verbum illud, *Apud temetipsum*, alium ego sensum habere arbitror, non vt clarum apud semetipsum efficiat, sed vt, quàm clarus apud semetipsum sit, hominibus ostendat. Itaque non opponuntur, *Apud temetipsum, & super terram*: sed *Apud temetipsum, & apud homines*, quasi dicat, fac, vt tam clarus apud homines sim, quàm apud te sum: quo pertinet, quod lib. 10. Thesauri cap. 9. Cyrillus obseruauit, Græcum nomen δόξα, vnde δοξάζειν clarificare dicitur, non solùm claritatem, sed etiam opinionem significare; itaque sensum esse fac, vt quam tu de me opinionem habes, eandem homines habeant. Quod sequitur, *Ea claritate, quam habui priùs, quam mundus esset, apud te*, quo modo omnes auctores interpretentur, modo diximus, petere scilicet claritas illa, quam diuina natura, antequam mundus fieret, apud Patrem habuerat, cum humana communicetur. Solus Augustin. & Beda de humana natura hoc ipsum intelligunt, sed ad prædestinationem referunt; humanam enim naturam, etiam antequam mundus fieret, eam habuisse gloriam, quam nunc Christus quasi iure debitam à Patre petit; non re quidem ipsa, sed Patris prædestinatione, qui eam humanæ Christi naturæ ab omni æternitate destinauerat: sicut agnus *occisus ab origine mundi*, dicitur Apocal. 13. 8. Aug. licet infensus alioquin Arianorum hostis videatur Catholicorum aduersus Arianos firmissimum argumentum enervauit. Si enim de prædestinatione hoc intelligatur, quo-

modo

modo ex hoc loco probabitur Christi diuinitas, quam hoc argumento optimi auctores probauerunt, quòd Christus, antequam mundus fieret, gloriam apud Patrem dicatur habuisse; quam si ipse nondum erat, habere profectò non potuisset? Hilarius lib. de Trinit. 9. Cyrillus, Theodorus vterque, & Leontius hoc loco, & iam olim Tertullianus, aut quisquis auctor ille fuit in lib. de Trinit. & Cyprianus lib. 1. contra Iudæos c. 1. Et apud Tertullianum lego eos, qui Christo diuinitatem detrahebant, eodem modo, quo Augustinus interpretatur, interpretari solitos. *Si homo*, inquit, *tantummodo Christus, quomodo dicit, & nunc honorifica me gloria, quam habebam apud te priùs, quam mundus esset? Si antequam mundus esset, gloriam habuit apud Deum, & claritatem tenuit apud Patrem, ante mundum fuit; nec enim habuisset gloriam, nisi ipse priùs fuisset, qui gloriam posset tenere. Nemo enim habere aliquid poterit, nisi ante ipse fuerit, qui aliquid tenet.* Et post pauca. *Neque prædestinatio ista dicatur, quoniam nec posita est, aut addant hoc, qui hoc putant: sed væ est adiicientibus, quo modo & detrahentibus positum; non potest ergo dici, quod non potest adiici. Sublata ergo prædestinatione, quæ non est posita, in substantia fuit Christus ante mundi institutionem.* Hæc ille. Ergo D. Augustinus cùm illam de prædestinatione interpretationem adhibuit, aut nihil de Arianis cogitabat; aut vt eorum argumentum depelleret, nostrum etiam infirmauit. Colligebant ex hoc loco etiam Ariani Christum non esse Deum, cùm à Patre postulauerit, vt se clarificaret. vt ex Athanasio sermone 4. contra Arian. & ex Basilio lib. 5. aduersus Eunom. & ex Cyrillo lib. 10. Thesauri. cap. 9. perspicuum est; quod argumentum cùm illis eripere Augustinus vellet, dixit Christum secundum humanam naturam loqui, secundum quam quia ante mundum non fuerat, neque gloriam illam habere potuerat, prædestinatione sola dixit habuisse.

6. *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.*) Exponit, quod dixerat verb. 4. *Ego te clarificaui super terram*; clarificare enim Patrem super terram fuit, eius nomen hominibus manifestare, vt Theophylactus, & Rupertus exponunt; aut, vt Chrysostomus, Leontius, & Euthymius putant, declarare, quod sit opus illud, de quo dixerat, *opus consummaui*, nempe nomen Dei hominibus manifestare. Manifestare autem nomen Patris quid sit, sua non caret difficultate. Theodorus Heracleota, Chrysostomus, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius de gentibus, & de re non præterita, sed futura putant hoc intelligi; glorificauit enim Patrem efficiendo, vt eius nomen, quod gentibus idola colentibus ignotum erat notum esset; quod tunc quidem nondum factum, sed paulo post per Apostolos eius auspicijs faciendum erat. Valeat, quantum par est, horum scriptorum auctoritas; tamen non facilè mihi persuaserint Christum loqui de re futura. Alludit enim ad illud, quod versu quarto dixerat. *Ego te clarificaui*; illic autem de re loqui præterita inibi probauimus: omnem enim vim, gratiámque sententiæ in eo vtique versari, quòd pro perfuncto iam officio mercedem à Patre petat clarificationem sui. Aliam idem Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, tum etiam Leontius, & Rupertus interpretationem afferunt, vt de solis loquatur Iudæis, apud quos tantùm Euangelium prædicauerat, & de nomine Patris, non quo Deus, sed quo Pater appellatur. Nomen enim Dei Iudæos ante cognouisse, nomen autem Patris non cognouisse; id Christum illis manifestasse, dum docuit se filium esse Dei. Hoc etiam videtur subtile esse; agebat enim Christus de manifestatione eius rei, in qua summa versabatur humanæ salutis: humanæ autem salutis summa non in eo vtique versabatur, vt scirent Iudæi Deum non solùm Deum, sed etiam Patrem & esse, & appellari. Itaque Cyrilli interpretationem magis probo nomen hoc loco pro gloria positum esse, vt apud Salomonem cùm dicit, *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Hoc ita esse ex eo perspicuum est, quòd pro eodem accipiat glorificare Patrem, id est eius declarare apud homines gloriam, & nomen eius hominibus manifestare. Continet ergo hoc loco nomen Dei quidquid in Deo gloriosum, quidquid beneficum, quidquid hominibus salutare est, quale imprimis fuit, quòd ita mundum dilexerit, *vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hoc Christus Iudæis manifestauit, quod illi minimè cognoscebant. Hoc verò qui nescit, vt nomen Dei vel sanctissimum illud sciat quattuor litterarum, quod Iudæis nefas erat pronuntiare; vim certè virtutémque eius nescit. Nomen denique Patris totum hîc significat Euangelium. Cùm dicit, *Quos dedisti mihi*, non significat se non omnibus Iudæis nomen Patris manifestasse, sed non omnes, quibus manifestasset, credidisse; credidisse autem qui sibi à Patre dati erant, id est qui ad se tracti; sicut capite 6. dixit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; tractos autem, qui prædestinati: prædestinati autem qui, & quare, id huius non est loci disputare. Hoc teneamus, quod pars vtraque concedit de prædestinatione disceptantium, omnes credidisse, qui voluerunt, & qui non credidere, propterea non credidisse, quia credere noluerunt. *De mundo* autem sibi dedisse dicit, id est eos à non credentium multitudine, quam mundum appellat, segregando. Theophylactus existimat propterea dixisse, *dedisti mihi, & tui erant*, vt ostenderet se eos non rapuisse, sed communes, sicut reliqua omnia, etiam discipulos cum Patre habuisse. Cætera vsque ad vers. 9. explicatione non indigent.

9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.*) Hactenus Christus pro se orauerat, vt à Patre clarificaretur, & rationes multas adduxerat, cur exaudiri ab eo deberet, quòd ipse eum prior clarificasset, quòd opus eius perfecisset, quòd nomen eius hominibus manifestasset, quòd non sine fructu officio defunctus esset; credidisse enim, & sermonem Patris se auctore seruasse, quotquot illius æterna prædestinatione erant. Orat nunc pro discipulis, qui crediderant, causásque multas item affert, quamobrem pro illis rogans exaudiri debeat. Prima est, quòd *non pro mundo*, id est pro hominibus sceleratis, incredulis, reprobis, indignis hoc tanto beneficio, sed pro ijs, qui Patris sint, qui credant, qui eius sermonem seruent, qui cognoscant, quòd à Deo ipse exierit, cúmque Pater miserit, qui digni his omnibus titulis sint, vt pro eis orans exaudiatur. Hanc emphasim habet illud pronomen, *Pro his*, quasi dicat, *pro his rogo*, qui tales sunt, quales modò descripsi. Potest quæri quomodo dicat pro mundo non orare, cùm pro crucifigentibus paulò post orauerit, qui mundus vtique erant, *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. 34. & 2. Corinth. 5. 14. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus*, quomodo non pro omnibus orat, qui omnes illuminat. cap. 1. 9. &, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*; quique *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* maioris enim caritatis est mori, quàm orare. Abusi hoc loco & similibus sunt & noui nostri temporis hæretici, & ij, qui olim Prædestinatiani dicti sunt, vt probarent Christum non pro omnibus hominibus, sed pro solis prædestinatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuisse mortuum Auctor Faustus ille Galliatum Episcopus, qui ætate floruit, Augustini libro 2. de libero arbitrio cap. 4 & 6. ille quisquis fuit eorum auctor commentariorum in Psalmos, qui Arnobio tribuuntur. Psal. 146. & Remigius Lugdunensis in lib. contra tres epistolas trium Episcoporum Galliæ, qui & ipse videtur in eandem ire sententiam. Idem Prædestinatiani illi alij docuere, qui auctore Godescalco quodam sub imperium Lotharij exiterunt, vt in manuscripto Hincmari Remensis, libro aduersus Prædestinatianos lego. Refutauimus istum errorem alibi; nunc non id agimus, vt eum iterum refellamus, sed vt hunc locũ explanemus; Christum pro omnibus mortuum esse, & pro omnibus orasse ex ijs locis, quos, modò notauimus, perspicuum est; sed quemadmodum Theologi docent, mortem Christi duobus modis considerari posse, aut quòd attinet ad eius vim atque virtutem, & ad Christi morientis, Patrisque ad mortem mittentis antecedentem, quam vocant, voluntatem; aut quòd attinet ad effectum, qui ex ipsa consecutus est, & voluntatem, quam consequentem, & efficacem appellant; ita duplex eius oratio distinguenda, altera sufficiens quidem, sed non efficax; altera, & sufficiens, & efficax. Si priori illo modo & mortem, & orationem Christi consideres & pro omnibus hominibus mortuus est, & pro omnibus orauit; nam & eius mors satis habuit meriti, ac vis, vt omnes homines liberaret, & eius prima, & antecedens voluntas erat vt omnes liberarentur, ideóque apud Lucam pro omnibus orauit; si autem spectes effectum, quia is non ex sola Christi ipsius ex hominum etiam qui saluandi erant, voluntate pendebat, quia non omnes oblatum à Christo redemptionis beneficium accipere voluerunt, non omnes salui facti sunt, neque pro omnibus orauit, sed pro ijs, qui credidissent. Alio denique sensu pro omnibus, quàm pro discipulis suis, & iustis orauit. Nam pro omnibus, vt crederent, & iusti fierent, sicut nos pro hæreticis oramus pro discipulis & iustis, vt eos conseruet, détque illis vitam æternam.

Hincmari Remens. liber ad versus Prædestinatianos

Luc. 23. 34.

10. *Quia tui sunt: & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis.*) Duas hîc Christus rationes affert, quare se Pater pro discipulis orantem exaudire debeat. Altera est, quòd discipuli sui, Patris sint, debeat autem quisque suorum habere curam; altera, quòd in illis ipse fuerit clarificatus; quasi dicat, quòd hoc illis debeat, quia se clarificauerunt, & æquũ est vt Pater ijs, quibus Filius obstrictus est, mercedem soluat. Cæterum hoc quidam ad futurum referunt, vt præteritum pro futuro positum sit, vt suprà cap. 15. 8. tanquam dicat; Ego quidem abeo, isti meo manent loco, vt me clarificent, id est nomen meũ, meam crucem, meam victoriam longè latéque vulgent, da illis pro hoc erga me merito dignum præmium. In hanc sententiam exponunt Auguſt. & Beda, &, vt videtur, etiam Leontius, videtúrque ex verbis sequentibus confirmari; *Et iam non sum in mũdo, & hi in mundo sunt.* Meliùs opinor Theophylactus, & Euthymius per præteritum explicant, fuisse hactenus in illis glorificatum, sicut dominus in seruis, magister in discipulis glorificatur. Nam quemadmodum qui in illum non credebant, illum quodammodo obscurabant, tanquam parum, & abiectum hominem reiicientes; ita qui credebant, clarificabant, ostendentes se præclaram de illo, atque diuinã opinionem habere. Nam quod sequitur. *Et iam non sum in mundo.* huc non pertinet, sed, vt modò dicemus, tertia quædam est ratio. Placet etiam mihi quod Theodorus Mopsuestien. & Euthymius indicarunt, relatiuum, *Eis*, non ad solos discipulos, sed ad omnia omnino referri, de quibus dixerat, *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*, Hæc autem ipsa, quæ interiecta sunt, verba omnes fere auctores ideo putant addita fuisse, ne quia dixerat, *Quos dedisti mihi*, significare videretur dixisse Patris esse, aut quia dixerat, *Tui sunt*, non esse suos, aut modò suos esse coepisse, cùm ante non essent. Ita Chrysostomus, Augustinus, Leontius, Beda, Theophylactus, & Euthymius. Mihi ratio reddi videtur, cur dixisset *tui sunt*; quia mei sunt, tui etiam sunt, quia *mea omnia tua sunt & tua mea sunt*, Itaque coniunctionem, *Et*, prioris loco cùm dicit *Et mea omnia tua sunt*, pro *quia* positam esse credo καὶ, ἀντὶ τοῦ, ὅτι ἀντὶ τούτου, vt alijs nonnullis locis adnotauimus. *Da nobis auxilium de tribulatione.* Hebraicè, *& vana salus hominum*, id est, *quia vana salus hominis*, vt noster vertit interpres. Psal. 59. 13. Apertum hoc est diuinitatis Christi testimonium.

Et pro quia, pro eorum.

Cur Pater sanctum Filium appellauerit.

11. *Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio.*) Hæc tertia ratio est, qua probat debere Patrem suas pro discipulis preces audire, quòd ipse qui eos hactenus tanquam pater filios protegebat, de mundo discedat, illosque orphanos, desertósque derelinquat, nisi illis Pater adsit. Dicit se non esse iam in mundo, non quòd tunc non esset, sed quòd paulò post futurus non esset. Cùm dicit, *& ego ad te venio*, etiam, *Et*, accipio, pro *quia*, vt paulò ante; reddit enim causam, cur dixerit se iam in mundo non esse, quia *ad te*, inquit, *venio*. Est enim totus hic locus Hebraismis scatens.

Et pro quia.

Pater sanctè serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.) Declarat quid à Patre pro discipulis postulet, nempe vt eos seruet, & vt vnũ esse inter se faciat. Sed explicanda nobis sunt singula. Quò Deum non solùm Patrem, sed etiam sanctum appellat, eò pertinet, vt blandis, gratiosisque vocabulis Patris beneuolentiam eliciat; non quòd opus ipsi esset vllis apud Patrem ad obtinendum quod petebat, blandimentis, vllóve artificio, neque omnino illum orare, cùm Deus Patri æqualis ipse etiam esset; sed quia, vt ait Theophylact. id discipulis opus erat. Si enim ipse illis promisisset fore, vt eis semper adesset, etiam postquam ex hoc mundo discessisset, vix facis persuadere potuisset; quãquam id etiam alibi fecisse legimus: cùm autem Patrem audientibus illis pro illis orat, & ita orat, vt nullum affectum, nullum orationis artificium prætermittat, magnam eis spem ostẽdit fore, vt omne à Patre auxilium sint habituri. Rupertus ideo dicit Patrem sanctum appellasse: quia sanctificationem ab illo discipulis postulabat. Quod ait, *serua eos*, nimis meo iudicio subtiliter idem auctor interpretatur. *Seruari*, inquit, *proprie dicũtur, qui capti in bello, cum iure belli possint occidi, victoris misericordia vita donantur. Sic nimirum cum isto mundo Dei inimico iuste damnandi fuimus, sed victoris Dei gratia dimissi seruamur.* Hoc vt verum sit, in hunc certè locum minimè conuenit; isto enim modo iam discipuli seruati fuerant, iam peccatorum remissionem consecuti: itaque non rogat Christus, vt nunc à peccatis liberentur, sed vt iam liberati in eo statu, in quo erant, conseruentur, ne quis eorum pereat, ne quis ab eo decidat gratia, quam consecutus suo erat beneficio, quemadmodum ludæ contigerat, vt explicat versu sequenti. Quod verò addit. *In nomine tuo*, Theodorus Heracleotes in hunc sensum exponit, communica cum illis nomen tuum, quemadmodum & mecum communicasti; fac eos Deos, eo modo, quo de alijs dictum est, *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.* Alter verò Theodorus Mopsuestien. sic, fac vt illis sis pater, sicut & mihi es; communica cum illis paternum nomen tuum. Cyrillus autem videtur interpretari *In nomine tuo*, id est, in me, qui nomen tuum gero, qui

Filius perditionis Hebraicè.

Ex Cyrillo.

Deus

Nomen, potentia, & virtus sæpe significat.

Deus & sum & vocor. Optimè omniũ Theophyl. & Euthym. nomen hoc loco potentiam, virtutẽ, auxiliũ significare; itaque perinde est, ac si dixisset, conserua eos sub tua protectione, atque tutela. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum curret iustus, & exaltabitur*, Prouerb. 18. 10. Repetit *quos dedisti mihi*, vt memoriam renouet eius rationis, ob quam petierat, vt se pro discipulis precantem audiret, *quos dedisti*, inquit, *mihi*; quasi dicat, fac ne mei esse desinant, qui, vt mei essent, effecisti. Itaque aptè admodum hæc duo coniunxit, *conserua*, &, *quos dedisti mihi*; *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Potest hæc aut diuersa esse petitio, ita vt cùm ante petijsset, vt eos conseruaret, petat nunc, vt illis summam det coniunctionem, atque concordiam, vt Cyrillus intelligere videtur; aut vt eadem cum prima sit, sed aliter explicata, vt vult Theophylactus, quasi hoc ipsum sit eos conseruare, efficere, vt vnum inter se sint. Vtrumque probabile. Sed quid est vnum esse? vnum non solùm natura, vt semper fuerant, sed consensu, voluntate, caritate, concordia, spiritu, sicut ait D. Paulus, *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ*, Ephes. 4. 4. & sicut de illis ipsis dictum est Actor. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Ita Cyrillus, Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. Leontius, Theophylact. & Euthymius, & Ambrosius libro 4. de fide, cap. 2. & Augustinus hic, & sermon. 51. de verbis Domini. Quidam ad incarnationem Christi hoc retulere, quasi orauerit Christus, vt discipuli, qui propter susceptionem humanæ carnis eiusdem [illegible] erant, sicut ipse, & Pater vnum natura erat; vnic etiam essent voluntatis, sicut ipse, & Pater erant, sic Epiphanius hæres. 69. Hilarius verò libr. 8. de Trinitate ad Eucharistiam; quasi optet Christus, vt per sumptionem corporis sui vnum & secum, & ipse inter se verè, & naturaliter fiant, quemadmodum ipse cum Patre verè, naturaliterque vnum esset. Solitos Arianos hoc abuti loco, vt probarent Filium non natura, sed sola concordia, & voluntate vnum esse cum Patre, ex superioribus auctoribus discimus; petere enim Christum, vt discipuli vnum sint, sicut ipse, & Pater vnum esset, cùm manifestum sit non petere, vt natura, sed vt voluntate vnum sint. Quomodo Hilarius, & Epiphanius responderint, ex eis, quæ modò diximus, intelligitur. Meliùs Ambrosius, & Augustinus ijs in locis, quos modò commemorauimus, responderunt, hunc locum nobis maximè fauere. Arianis aduersari; nam discipulos inter se eiusdem fuisse naturæ, postulasse autem à Patre Christum, vt eiusdem essent voluntatis, quemadmodum ipse cum Patre & eiusdem naturæ, & eiusdem voluntatis esset. *Pro testimonio fidei*, inquit Ambrosius, *positum est, licet ab Arianis ad argumentum perfidiæ detorqueatur. Etenim quoniam toties lectam negare non queunt vnitatem, extenuare conantur, vt talis videatur diuinitatis vnitas inter Patrem, & Filium, qualis est inter homines vnitas deuotionis, & fidei, licet etiam inter ipsos homines vnitas naturæ sit ex communitate naturæ.*

Arianis abusis hoc loco refellitur.

12. *Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo.*) Aut alia est ratio, aut confirmatio rationis eius, quam attigerat vers. 12. *Et iam non sum in mundo.* Quasi dicat, cùm ego in mundo cum illis eram, non alio illis, quàm meo opus erat auxilio; ego enim tuebar, ego protegebam eos; nunc autem discedente meo tuo illis auxilio opus est, ergo ne illos deseras. Quid autem sibi vult, quod dicit se eos in nomine Patris seruasse; cur non dicit suo seruasse nomine? Rectè Theophylactus respondet, quo plus illis daret spei, plúsque consolationis adhiberet, & vt accommodatè ad eorum loqueretur sensum, qui nondum satis dignam de Christo habebant opinionem, itaque facilius crediturí erant, si diceret se nomine Patris, quàm si nomine suo seruasse eos, plúsque erant concepturi spei fore, vt quo nomine ante seruati fuissent, & in posterum seruarentur. Eodem pertinet, quod Cyrillus docet, loqui Christum tanquam hominem, & veluti legatum Patris, qui eius auctoritate, atque auspicijs omnia gessisset, hoc esse, *In nomine tuo*; quasi dicat, ne permittas, vt qui hactenus tuo nomine à me seruati sunt, à te tuo eodem nomine me abeunte seruari desinant. *Me*, inquit, *veniente ad te*, ait Auguſt. *serua eos in nomine tuo; in quo eos quando cum eis eram, & ipse seruabam. In nomine Patris seruabat discipulos suos Filius homo, cum eis humana præsentia constitutus, sed etiam Pater in nomine Filij seruabat, quos in nomine Filij petentes exaudiebat, his quippe idem Filius dixerat, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Loquitur autem Christus sic quasi iam cum illis non esset, quia paulo post ab illis erat discessurus; *cum essem*, inquit, *cum eis*, quasi iam non esset, sicut dixit vers. 11. *Et iam non sum in mundo.*

Tract. 107.

Sup. c. 16. 32.

Quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt impleretur scriptura.) Id est, ita omnes, quos mihi seruandos tradidisti, seruaui, vt nemo ex illis perierit, nisi ille vnus, quem tu cùm mihi tradidisti, sciebas esse periturum, & æterno iudicio tuo ad interitum destinatum mihi dederas; atque ille ipse non perijt, nisi vt scriptura, quæ illum perituram dixerat, impleretur. Quibus omnibus verbis hoc vnum significat se, quantum in se fuit, omnibus officij sui partibus fuisse perfunctum, neminem suæ quidem negligentia perijsse; si quis perijt, propria perijsse culpa, qualis Iudas fuit, quem ideo filium perditionis Hebraica vocat phrasis, quasi ad perditionem destinatum, quemadmodum & D. Paulus appellauit. 2. ad Thessal. 2. 3. non quòd ideo ille perierit, quòd à Deo ad interitum non solùm, vt Augustinus loquitur, prædestinatus, sed etiam factus esset, quemadmodum noui hæretici summa profecto impietate docent. Nam & ille, vt Augustinus, & Leo magnus tradunt, etiam post venditum Christum, si voluisset, per illum ipsum, quem vendiderat, sanguinem saluus esse poterat. Sed quo magis Christus significaret illum sua negligentia non perijsse, ita loquitur quasi causam perditionis illius in diuinam prædestinationem, & in scripturæ testimonium conicere videatur. Itaque cum dicit, *Vt impleretur scriptura*, dictio illa, *Vt*, non solam consecutionem, & euentum, sed etiam causam declarat; causam verò non veram, sed apparentem, quemadmodum in huiusmodi phrasibus sæpe diximus significare. Itaque nihil aliud indicat, quàm adeo certam diuinam fuisse prædestinationem, adeo veram scripturæ prædictionem, adeo conuenienter vtrique ludæ interitum accidisse, vt non alia de causa contigisse videretur, quàm vt diuina prædestinatio, & scripturæ testimonium impleretur. Locus autem scripturæ ad quem alludit, est ille Psalm. 108. 8. *Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter*, quem Petrus Actor. 1. 20. in eandem sententiam induxit.

Filius perditionis Hebraicè.

In Psal. 68. ser. 3. de pass. Iudas etiam post venditũ Christũ saluus esse poterat.

13. *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis.*) Hactenus quidem, quia in mũdo cum illis fui, feci quod mei erat officij; custodiui enim eos sic, vt nemo ex illis perierit, nisi is, qui antequam mihi traderetur perditus erat; nunc, cùm ad te proficiscens ab illis discedam, dum adhuc in mundo sum, hæc pro illis loquor. Sic resoluendam orationem puto. Reddit rationem, cur nunc potiùs, quàm ante pro illis oret, & quodam modo apud Patrem excusat importunas preces. Cùm

autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gaudiũ suũ quid Christus dicat.

autem dicit, *vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis*, explicat finem, ob quem à Patre, vt eos seruaret postulauit. Gaudium suum Augustinus, Beda, Rupertus vocate putat, quod in discipulos ipse contulerat, gaudium illis à se datum. Cyrillus verò Chrysostomus, Leontius, Theodorus Mopsuest. & Euthymius passiuè interpretantur, *vt habeant gaudium meum*. id est quo de me gaudent, *impletum in semetipsis*. Quod Cyrillus ad hunc fere modum explicat, nunc illi magno ex præsentia corporis mei gaudio affici sibi videntur, in eóque omne suum præsidium collocant, putántque me abeunte nihil se cõsolationis, nihil auxilij, nihil lætitiæ habituros; fac intelligãt se non minùs à me absente, quàm præsente protegi, quin plus auxilij, plus gaudij ex mea diuinitate, quàm ex præsentia corporis, in quam defixi toti erant, percipere, hoc est, *vt habeat gaudium meum impletũ in semetipsis*. Breuiùs, & simpliciùs interpretor, fac vt magis me absente gaudeant omni tuo auxilio muniti, quàm præsente gaudebant.

Sermonẽ Patris doctrinã euãgelicã, vel prædicatio.

14. *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundum eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.*) Alia hæc ratio est, qua Patrem mouet, vt discipulis suis in mundo manentibus opem ferat, quòd ipsius, id est Patris causa mundus, eos odio habeat, persequatur, æquúmque sit, vt cuius causa patiuntur, ab eo adiuuentur, quẽadmodum Leontius, & Theophylactus interpretantur. Sermonem Patris, vt Cyrillus, Augustinus, Beda, Theodorus Heracleotes, Theophylactus, & Euthymius putant, vocat doctrinam euangelicam suam, quam illis tradiderat, quæ etsi ipsius erat, tamen ideo non suam, sed Patris vocat, vt ratio plus haberet ponderis; magis enim obligabat Patrem, vt discipulis propter suam, quàm propter Filij doctrinam persecutionem patientibus subueniret. Quemadmodum alio loco dixit, *mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, Patris*, quia plus apud homines habitura erat auctoritatis, si Patris, quàm si suam esse diceret. Theodorus verò Mopsuest. Leontius, & Rupertus sermonem Patris Euangelij prædicationem exponunt, sensúmque esse putant, ego illis officium dedi prædicandi post meum discessum Euangelium, quo doctrina tua contineatur, quæ res magnum illis odium, magna pericula concitatura est; tuêre igitur eos, qui hæc tua causa passuri sunt. Vtrúque probabile; sed hoc secundum euentus ipse reddidit probabilius. Itaque vt rectè Augustinus adnotauit, quæ per præteritum dicit, de futuro intelligenda sunt.

Sup c. 7. 16.

Tractat. 108.

15. *Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.*) Loquitur Christus cum Patre tãquam cum homine propter homines, id est, quia hominibus audientibus loquebatur. Si cum homine loquens dixisset eos non esse de mundo, & mundum eos persecuturum esse, in promptu fuisse homini responsio, tollamus ergo illos de mundo; quid illis cum mundo? Huic responsioni, aut obiectioni occurrit Christus, sed id rogaturum fuisse, si fieri posset, aut expedire; nunc autẽ fieri non posse; cùm necesse sit, vt Euangelium per ipsos prædicetur; propterea se non rogare, vt de mundo tollantur, sed vt in mundo necessariò manentes à mundo seruentur; non vt periculis subtrahantur, sed vt in periculis subleuentur. In hunc sensum Cyrillus, Leontius, Augustinus, Beda, & Rupertus, probabilius, quàm Chrysostom. Theophylactus, & Euthym. qui existimant ideo hoc dixisse Christum, ne audientes discipuli putarent ipsum rogare Patrem, vti eos anticipata morte de mundo subduceret. Malum aut ipsum vocat mundum, qui *totus in maligno positum est*; aut Satanam principem mundi, qui proptio nomine

1. Ioan. 5. 19.

πονηρὸς malus appellatur, vt cùm in oratione Dominica dicimus, *Sed libera nos à malo*. Atque hoc modo Leontius interpretatur. Documentum hoc Christi, vt rectè Cyrillus obseruat, ad omnes pertinet, ad eos verò maximè, qui prodesse alijs possunt, patienter vt ferant, & in hac vita diutiùs fortasse, quàm vellent, detineri, & multis exerceri periculis, vt ipsorum incommodo alij iuuentur. *Dissolui*, inquit, *& esse cum Christo multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos*, ad Philippenses 1. 23. Eodémque prorsus spiritu vir ille planè Apostolicus Beatus Martinus Turonensis, cuius ossa ætate nostra impij, nefariúque homines Caluinistæ in profluentem Ligerim proiecerunt, moriens dicebat, *Domine, si adhuc populo tuo necessarius sum, non recuso laborem.*

Matt. 6. 13.

Patiter ferẽdum vt diutiũ in hac vita detineamur, vt alijs ꝓsimus.

16. *De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo.*) Inutilis repetitio videri poterat, nisi Christus esset, qui loqueretur, cui nullum sine causa verbum excidebat. Theophylactus, & Euthymius putant ideo idem repetisse, vt audientium discipulorum animas magis confirmaret. Augustinus, & Beda referunt ad sequentia, quasi dicat, Quia ergo *de mundo non sunt*, vt dixi, *sicut ego non sum de mundo, sanctifica eos*, sicut ego sanctificatus sum.

17. *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est.*) Locus est in speciem facilis, re verò ipsa valde difficilis. Duo explicanda, quid hoc loco sit sanctificare, & quid in veritate sanctificare. Fere omnes docent sanctificare esse Spiritu sancto confirmare, vt mundi persecutiones, de quibus agebatur, superarent, Chrysostomus, Theodorus Heracleotes, & Mopsuest. Cyrillus, Leontius, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Rupertus. Itaque quærit Augustinus, quo modo nunc Christus petat, vt sanctificentur, quos iam dixerat de mundo non esse, hoc est esse sanctificatos. Respondet his verbis, *An quia & in veritate sanctificati in eadem proficiunt sanctitate, fiuntque sanctiores? Neque hoc sine adiutorio gratiæ Dei, sed illo eorum sanctificante proficiunt, qui sanctificauit inceptum. Vnde & Apostolus dicit, Qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Melius, opinor, quàm Rupertus, qui eos sanctificatos quidem ante fuisse dicit, sed nondum in veritate sanctificatos, quia nondum baptizati erant, vt ille quidem putat, & baptismus est, quo non sola figura, vt per sacramenta veteris legis, sed verè sanctificamur. At Apostolos iam tum baptizatos fuisse, & omnes fere, vt alibi diximus, auctores docent, & si nemo doceret, ipsa per se res satis loqueretur. Quis enim credat baptizatos nomine Christi non fuisse, qui alios nomine Christi baptizabant? cap. 4. 1. 2. De sanctificatione Spiritus sancti hìc agi non dubito, sed credo sanctificare hoc loco plus quiddam significare. Itaque melior est alia interpretatio, quam Chrysostomus affert, sanctificare hìc idem esse, quod segregare, designare, constituere prædicatorem Euangelij, de hac enim re sermo erat, quemadmodum Diuus Paulus in Euangelium ab vtero matris suæ segregatum se fuisse dicit, id est, ad prædicandum Euangelium destinatum. Rom. 1. 1. & ad Galat. 1. 15. Hoc enim apud Hebræos est, קדש sanctificare, sicut de Ieremia prophera dictum est, *Antequam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te*, Ierem. 1. 5. Hæc, inquam, interpretatio melior altera est; sed totum sensu huius loci meo quidem iudicio non exhaurit. Credo igitur hoc loco sanctificare legale, & vt ita dicam, solemne verbum esse, allusionémque fieri ad ceremonias veteris testamenti, quibus cum sacerdotes, cæteríque Dei ministri initiabantur, sanctificari dicebantur, id

Sanctificare quid sit hoc loco.

Tractat. 108. Philipp. 1. 6.

Sanctificare, prædicatõ Euangelij constituere.

est à

est à cæteris hominibus segregabantur. Deóque dedicabantur, consecrabantúrque. Exod. 29. 1. 7. 8. & Leuit. 9. 1. Nam & Latinè sanctum id dicitur, quod à rebus communibus atque pollutis separatum est. Quam verbi vim etiam D. Paulus expressit, cùm dixit, *Talis enim decebat, vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, Hebræorum 7. 26. Petit igitur Christus à Patre, vt discipulos suos sanctificet, id est ad Euangelium sacerdotium, ministeriúmque initiet, non iam legalibus illis vmbris, ac ceremonijs, quibus veteris testamenti ministri consecrabantur, sed in veritate, id est re ipsa, Spirituque sancto, qui multo melius, quàm omnes veteris cæremoniæ, homines sanctificat, aptósque facit *ministros noui testamenti*, quemadmodum de seipso dixit D. Paulus. Quod enim hic dicit Christus, *sanctifica eos in veritate*, id est non vmbris, sed vero spiritu, non externa corporis vnctione, qua Aaron & omnes templi ministri consecrabantur, sed interna Spiritus sancti vnctione, de qua idem Ioannes dicit, 1. epist. cap. 2. 20. *Sed vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia*: & rursus, *Et non necesse habet, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos*, hoc, inquam, ipsum alijs verbis dixit Diuus Paulus 2. Corinth. 3. 6. *Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu*, id est non ceremonijs illis veteris testamenti ad litteram, & Iudaico more intellectis, sed alijs melioribus, id est spiritualibus ceremonijs. Hinc intelligitur non solùm quid sit sanctificare, sed etiam, quæ secunda erat quæstio, quid in veritate sanctificare, & quid sibi Christus paulò post velit, cùm dicit versu 19. *Et pro eis ego sanctifico me ipsum*. Veritatem enim legalibus ceremonijs, & vmbris opponit; quemadmodum cum Ioannes dixit suprà cap. 1. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre, plenum gratia, & veritatis*; & ver. 17. *Lex per Moysen data est, gratia autem, & veritas per Iesum Christum facta est*, & cap. 4. 24. *Qui adorant Deum, in spiritu, & veritate oportet adorare*. Auctorem tantùm vellem huius interpretationis habere bonum; sed neminem inuenio. Videri poterant Augustinus, Beda, & Rupertus hunc vidisse sensum; sed laudem inuentæ veritatis declarando perdiderunt. Sic enim scribit Augustinus. *Sanctificantur itaque in veritate hæredes testamenti noui, cuius veritatis vmbræ fuerũt sanctificationes veteris testamenti.* Quis non putasset hũc, quem modò exposuimus sensum assecutum Augustinum? sed addit, *Et cùm sanctificantur in veritate, vtique sanctificantur in Christo, qui veraciter dixit, Ego sum via, & veritas, & vita. Item quando ait, veritas liberabit vos, paulo post exponens, quid dixerit, Si Filius*, inquit, *liberauerit vos, tunc verè liberi eritis, vt ostenderet hoc se prius dixisse veritatem, quod postmodum Filium; quid ergo aliud in hoc loco dixit, Sanctifica eos in veritate, nisi sanctifica eos in me?* Itaque duabus rebus à nostra sententia Augustinus, & alij, quos modò nominauimus, auctores discrepant; altera quòd veritatem Christum interpretentur, cùm internam potiùs, vt diximus, Spiritus sancti vnctionem, sanctificationémque significet, quæ vera, non vmbratilis est; altera, quòd hoc de omnibus Christianis, qui per Christum iustificantur, interpretentur, cùm propriè de ministris agat Euangelicis, quibus propriè conuenit legale illud verbum sanctificari, id est, ad certum Euangelij initiari ministerium. Eadémque ratione Chrysostomi, Cyrilli, Leontij, Theodori Heracleotæ, Theophylacti, & Euthymij interpretationem non sequor, qui per veritatem veram doctrinam intelligunt. Qui verò exposuit, *Sanctifica eos in veritate*, id est vera, non imputata iustitia, profuit studio Caluinistarum, & Lutheranorum hæresim refel-

1. Corinth. 2. 4. 5.

Pro futuro positum.

Rom. 10. 18. Psal. 18. 5.

1. Corint. 3. 6. Quid sit Apostoli esse. Tractat. 108.

lendi, sed verum sensum non attigit. Quid ergo est, quod continuò sequitur, *sermo tuus veritas est?* Omnes auctores, quos modò citauimus, & omnino omnes, quos vnquam legisse memini, intelligunt sermo tuus Euangelicus verus est, propterea per sermonem, id est doctrinam tuam sanctificabuntur. Ego conuenienter superiori interpretationi meæ hoc ipsum interpretor, quia *sermo tuus*, id est nouum Euangelium res vera est, non typica, non vmbratilis, qualis erat lex, oportet vt eius ministri non solis externis ceremonijs, sed multo magis vera iustitia, internóque spiritu sanctificentur. Itaque non vocat sermonem verum, quia vera dicit, sed quia sermo, id est Euangelium, vt ait Diuus Paulus, non in vmbris, non in figuris, sed in spiritu virtutéque consistit. Argumentatur enim eodem prorsus modo, quo cap. 4. 24. argumentatus fuerat, oportere Deum non iam legalibus ceremonijs, sed verè, & spiritualiter colere, *Spiritus*, inquit, *est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.*

18. *Sicut tu me misisti in mundum, & ego mitto eos in mundum.*) Theophylactus coniungit hunc versum cum proximè sequenti, vt ex vtroque confletur vna sententia ad hunc modum, sicut tu misisti me in mundum, vt me sanctificarem, id est in sacrificium offerrem; ita ego illos in mundum mitto *tanquam oues occisionis*, vt sanctificentur, id est in sacrificium se pro salute hominum suo modo similiter offerant; sanctifica ergo eos, id est Spiritus sancti virtute corrobora, vt mortem fortiter oppetant. Alij omnes auctores, Chrysostomus, vterque Theodorus, Leontius, Cyrillus, Augustinus, Beda, Euthymius, Rupertus referunt ad præcedentia, hoc fere sensu, quia sicut tu me misisti in mundum, ita eos ego missurus sum, *sanctifica eos in veritate*, id est confirma, & muni vera virtute. Poni enim præteritum, *misi*, pro futuro, missurus sum, etiam Chrysostomus, & Euthymius admonuerunt. Rupertus præterea videtur cum ver. 15. ista coniungere. Non rogo, vt tollas eos de mundo, quia sicut tu me misisti in mundum, ita ego eos mitto, vt per totum mundum prædicent Euangelium; itaque necesse est, vt in mundo maneant, *donec in omnem terram* exeat *sonus eorum*. Quisquis rectè intellexerit, quę diximus superiore versu, facilè hoc etiam intelliget. Diximus sanctificare esse initiare, & solemni ritu legitimum alicuius sacri muneris ministrum constituere; declarat ergo nunc ad quod munus eos à Patre sanctificari, id est, *idoneos*, vt loquitur D. Paulus, *ministros* fieri petierit. nempe ad munus Apostolicum; hoc enim est in mundum prædicandi causa mitti, Apostolum esse, vt ipsum Græcum nomen declarat. quemadmodum & Augustinus monuit. Cùm ergo missurus eos sim in mundum, id est Apostolos, ac ministros Euangelicos cõstituturus, & ministri in lege sanctificarẽtur, *sanctifica* & tu *eos*, sed *in veritate*, non in figura, sicut illos. At quid attinebat dicere, *sicut tu me misisti in mundum?* Primum voluit, vt opinor, ostendere se eos non sine causa, non sine exemplo mittere; in eo enim se Patris ipsius exemplum imitari, qui se eadem de causa in mundum misisset, qua ipse nunc eos mitteret. Deinde id se facere necessariò; cùm enim ipse in mundum à Patre missus esset, & ex eiusdẽ Patris voluntate de mundo esset abiturus, aliquos necessariò suo loco vicarios relinquere oportere, qui per totum dimissi mundum ipsius officium perfungantur. Itaque hac in re causam etiam agi Patris; nec enim posse legationem illã, quam sibi iniunxisset, peragi nisi per vicarios. Hoc est, quod solet D. Paulus dicere se pro Christo legatione fungi, 2. Corinth. 5. 20. & Ephes. 6. 20. Quod ergo dicit Christus, *sicut tu me misisti in*

Ps. 43. 23. Rom. 8. 36.

Pro futuro positum.

mundum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundi, ego misi eos, perinde est ac si diceret, sicut ego Apostolus tuus sum, ita sunt & illi mei. Nam & Christum *Apostolum confessionis nostræ*, Christi Apostolus vocatus appellauit, Heb 3.1. vt Cyrill adnotauit. Quem admodum ergo se Apostolum in hunc mundum mittens pater sanctificauerat id est initiauerat; consecrauerat, vnxerat, non oleo illo, cæterisque ceremonijs, quibus Aaron, & cæteri veteris testamenti ministri consecrabantur, sed *in veritate*, id est, *oleo latitiæ præ cõsortibus suis, quod ascẽdit in barbam, barbam Aarõ, quod descendit in oram vestimenti eius*, id est Spiritu sancto, quo totus repletus fuit. Isai. 11. t. Sic & discipulos suos. quos Apostolos vellet facere, id est in mundũ mittere, vt Euangelium pro se prædicarent, in veritate sanctificaret. Hoc est, quod ait Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montẽ sanctũ eius prædicãs præceptum eius*. H. נסכתי vt noster legit interpres, *perfusus sum*, oleo, id est inauguratus sum. vt ita loquar, vt Rex sim & princeps eorum, qui eius in Ecclesia Euangelium sunt prædicaturi. Monent Chrysost. Leontius & Euthym particulam illã καθὼς *sicut*, non perfectam, sed inæqualem similitudinem declarare, sicut cùm iubemur perfecti esse. *sicut & pater noster cælestis perfectus est*. Nec enim eodem prorsus modo Filium à Patre & Apostolis à Filios missos esse: sed Filium à Patre tanquam Deum à Deo Apostolos à Filio tanquam creaturas à creatore. Sæpe nos etiam monuimus coniunctionem illam, & notam esse comparationis expletæ, quemadmodum si diceret, Sicut tu me misisti in mundum. ita & ego eos mitto.

Christus Apostol. Patris.

Psal. 44. & Heb. 1. 9. & Psal. 2, 2. 23.

Matth. 5. 48.

19. *Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.*) Omnes prorsus auctores, quos ego legerim, interpretãtur, pro eis ego me in sacrificium offero; nec dubium est, quin id verba significent; quid hoc ipsum sit, quæritur. Omnes etiam exponunt. offero me in sacrificium pro illis, vt meo sacrificio & illi in veritate sanctificentur, id est iustificẽtur. Sanctificari autem Christum dici, non quòd sanctus factus sit; cùm prius sanctus non esset; sed quòd in veteri lege hostiæ, quę offerebantur, sanctificari dicerẽtur. Sic Athanasius in li. de incarnatione Christi, Chrysostom. Cyrillus, August. Theodorus Mopsuest. & Heracleotes, Leontius, Beda, Theophylact. Euthym. Rupertus. Quæ quidem omnia vera sunt, sed hoc vnum addo, Christum, quemadmodũ ver. 17. ita etiam hîc ad sanctificationes illas legales, & solemnes ceremonias alluisse, ideòque sanctificandi verbum vsurpasse. Petierat à Patre, vt discipulos suos *in veritate*, id est nõ iam veteribus illis ceremonijs & sacrificijs, quibus ministri veteri testamenti sanctificabantur. id est instituebantur (nam inter alias ceremonias etiam sacrificium adhibebatur, cùm Aaron, & reliqui ministri sacrabantur, Exo. 29. 25. sed vero spiritu, veraq; & interna sanctitate; dicit nunc, *pro eis ego sanctifico me ipsum*, quasi dicat, loco illius sacrificij, & omnium aliarum ceremoniarum, quæ in cõsecratione, sanctificationeq; in ministeorum veteris testamenti adhibebantur, ego me in sacrificium offero, quod sacrificium cùm non iam vmbra, sed illarum potiùs vmbrarũ veritas sit, cum eo sanctificati discipuli mei fuerint, non sola iam figura, sed in veritate sanctificati erunt. Hoc est, *& pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate*. Ergo alio sensu dicit, *sanctifico meipsum*, quàm, *vt sint & ipsi sanctificati*, & quàm ver. 17. dixerat, *Sanctifica eos in veritate*. Nam cùm dicit, *Pro eis sanctifico meipsum*, sanctificare significat in sacrificium offerre; cùm dicit, *sanctifica eos*, & *vt sint & ipsi sanctificati in veritate*; significat initiari, consecrariq; sacrificio. Cur ergo ea vlus est ambiguitate, cùm vno verbo dicere potuisset, pro eis ego offero meipsum? Sæpe docuimus, quanta cum gratia soleat Christus arguè ludere ambiguitate verborum, vt c. 4. 13. 14. hoc autem loco id fecit pene necessariò, cum legalibus tam verbis vti cœpisset, & in lege non solùm ministeri, quia per sacrificiũ ad ministerium templi dedicabatur, sed ipsum etiam, quod offerebatur, sacrificium sanctificari dicebatur. Adde, quòd potest etiam & de se, & de discipulis eodẽ loqui sensu. vt idem sit sanctificare se, atque solemni ritu, ac sacrificio sese initiare, dedicareq; ad sacrum aliquod ministerium. Tanquam dicat. si Euangelici ministri eodem modo, quo legales illi, essent initiandi, oportebat, vt se sacrificio aliquo sanctificarent, non est, cur hoc illi faciant, non est cur vllam, vt se sanctificent, offerant victimam; ego hoc pro illis faciam; ego non alia victima, quàm meipso pro illis, id est eorum loco, me sanctificabo: qua ratione multo meliùs sanctificati erunt, quam si ipsi se multis oblatis veteri more sacrificijs sanctificassent. Hoc est, *Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate*. Atque haud scio an hic sensus magis sit proprius. Hoc modo si interpretemur, illi quæstioni locus relinquitur, cùm dicat se Christus pro illis sanctificare, quomodo à Patre petat, vt eos ipse sanctificet. Nimirum dicit se pro illis sanctificare, id est ipsos sanctificare supplendo per verum illud suum sacrificium sacrificia omnia legalia, reliquàsque omnes ceremonias, quas in ministrorum sanctificatione necesse erat adhiberi; petit autem à Patre, vt eos in veritate sanctificet, id est, vt illis spiritũ mittat sanctificationis, quem illis ipse suo illo merui sacrificio. Ita inter se, & Patrem eorum partitur sanctificationem.

20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.*) Chrysostomus, & Euthym. existimant hoc Christum addidisse, vt magis etiam, ac magis discipulos consolaretur indicando illis multos ipsorum prædicatione credituros. Theophylactus verò, ne quoniam dixerat, *pro eis sanctifico meipsum*, aliquis existimaret eum non esse nisi pro solis Apostolis moriturum, subiecisse, *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Itaque putat Theophylact. idemque Rupertus docet, hoc etiam, quod nunc Christus pro omnibus credituris à Patre petit, ad sanctificationẽ pertinere, id est orare Patrem, vt omnes etiam, qui credituri sunt, sanctificet, quemadmodũ orauerat ante, vt Apostolos sanctificaret. Quæ interpretatio facilè ex ijs, quæ vers. 17. diximus, refutatur. Docuimus enim sanctificandi verbũ proprium eorum esse, qui in ministros alicuius sacri muneris initiantur. Nec verò sine consilio, cùm Christus hoc loco rogandi verbũ repetierit, verbum sanctificandi non repetiuit. Quid ergo dicit se non solùm pro Apostolis, sed pro omnibus crediturus petere? Quod sequitur proximo versu, *vt omnes vnum sint*; & quod ver. 11. pro Apostolis petierat, *vt sint*, inquit, *vnum, sicut & nos*, quemadmodũ Theodorus Heracleota, & Mopsuest. Leontius, Euthym. ac idem postea Rupertus interpretantur. Duas hîc quæstiones multis verbis agitat Augustin. Altera est, quid de illis, qui iam ante crediderãt, & tamen cum Christo non erant, qualis Nathanaël, Nicodemus, & ipsa Christi mater, quæ nunc certè non aderat, an nõ etiam pro illis roget? Respondet illos quidem omnes credidisse, sed quia per verbum Apostolorũ, & effusionem Spiritus sancti multo perfectius erant credituri, inter eos, qui nondum crediderant, sed credituri erant, numerari. Quod nescio an de B. Virgine satis piè dici queat. Altera, quid de illis, qui postea quidem cœperunt credere; tamen non per Apostolorum verbum crediderunt? cuiusmodi fuit Paulus, qui dicit se, *non ab homine, neque per hominem, sed per Iesum Christum*

Quid sit Christũ sanctificare seipsum.

Proponit hic, & soluit duas quæstiones D. Aug. Tract. 109.

Galat. 1.

Luc. 23. 40. 41. 42

Euangelium accepisse: & latro ille, qui sine vllo Apostolorum ministerio in ipsa cruce credidit? Meliùs hîc respondet Apostolorum verbum appellari non tantùm, quod ab illis audiebatur, sed verbum Euangelicum, à quocunque audiretur, quia illud ipsum Apostoli prædicabãt. Itaque & D. Paulum, & latronem illum per verbum Apostolorum, quamuis non ab Apostolis, sed à Christo ipso acceptũ credidisse. Atque hoc etiam modo meliùs etiam ad priorem quæstionem respondere potuisset. Mihi tamen Apostolorum verbum, non quale Apostoli prædicabant, sed quod Apostoli prædicabant, & ab illis audiebatur, videtur voluisse significare. Spectandum enim est, quid ageret Christus. Commendabat Apostolos Patri, in eorum igitur commendationem dicit, *Sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*, eos igitur intelligit credituros, qui Apostolorum ministerio crediturì erant, ij enim soli ad eorum gloriam, commendationemque pertinebant. Quid ergo ad Augustini quæstiones respondendum? Eos quidem nominare solos, qui Apostolorum ministerio crediturì erant, sed quia omnium aliorum, quique crediderant, quique crediturì erant, eadem erat ratio, totum genus, vt fieri solet, ex vna specie intelligi voluisse. Alia maior quæstio hinc posset existere, quid de illis, qui neque crediderant, neque erant postea crediturì, nunquid pro illis non orat Christus? sed eam quæstionem ver. 9. dissemimus.

21. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.*) Hoc est quod crediturìs petit, *vt omnes vnum sint*, quod quomodo sit intelligẽdum, vers. 11. explicauimus. Illud tantùm hic potest quæri, cur non dixerit, sicut nos vnum sumus, quemadmodum illic dixerat, sed *sicut tu Pater in me, & ego in te*. Eius rei causam & Euthymius indicat, & Christus ipse palam ostendit, cùm subiicit, *vt & ipsi in nobis vnum sint*. Voluit ergo docere, qua re vnum eos esse vellet, scilicet spiritu, fide, caritate, hoc est *in nobis*, id est in Deo. Vt hoc significaret dixit, sicut nos in nobis, hoc est, *tu Pater in me, & ego in te*, (sub. vnum sumus,) hoc enim. vt Augustinus admonet, necessariò intelligendum est. Dictionem *sicut*, non significare æqualitatem, neque perfectam similitudinem, ver. 11. diximus, & iterum hic Chrysostomus, & Theophylact. monent. Quanquam Cyrillus, sicut & Hilarius in 8. de Trinit. non sola fide, & caritate, sed re etiam ipsa vnum nos cum Christo per eius corporis in sacra Eucharistia perceptionem fieri velint, & quia Filius reipsa cum Patre vnum est, etiam cum ipso Patre vnũ fieri reipsa. Atque eodem modo Theodorus Heracleota, & Mopsuest. & Leontius interpretantur; nisi quòd non reipsa, sed consensione fidei nos vnum cum Patre, & Filio fieri dicunt. Quod suo quodam sensu verum est; sed non credo sensum huius loci esse, vt qui credunt in Christum, vnum cum illo, & Patre sint, sed vt in Patre, & Filio, id est fide, atque caritate in Patrem, & Filium vnum sint.

In Eucha ristia vnimur corpori eius Christo ef fectus per.

Vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti.) Repetitio est ex idiomate Hebræorum vsurpata, tanquam si diceret, *vt & ipsi*, inquam, *in nobis vnum sint*. Quod autem sequitur, *vt cognoscat mundus, quia tu me misisti*, difficilius est. Summa quæstionis in eo fere tota versatur, vt intelligatur, quẽ hoc loco vocet mundum, eósne, qui iam credebant, an eos, qui nondum credebant, sed aliquando crediturì erant, itaque adhuc mũdus erant; an eos, qui neque credebant, nec erant vnquam crediturì. Qui pro ijs, qui iam tunc credebãt, accipi putaret, neminem legi, nisi forte Theodori duo, & Leontius ita senserũt, non enim satis constat, sed de eorũ sententia statim dicemus. Augustinus, Beda, & Rupertus existimant pro ijs accipi, qui erant crediturì, sed nondum credebãt; cæterum non significari causam cur crediturì sint, quasi propterea dicãtur crediturì, quia Apostoli *vnum*, id est inter se concordes futuri erant; sed hoc ipsum esse credere Filium à Patre missum esse, & esse, qui hoc credunt, inter se vnum. Itaque sensum esse, rogo *vt omnes vnũ sint*, id est vt omnes credant, *quia tu me misisti*. Theodor. Heracleota & Mopsuest. atque Leõtius interpretãtur, vt cum fide vnũ inter se, & vniti nobiscũ fuerint, intelligant me tuo consilio, atque voluntate factũ esse vnũ; quo autem modo id sint intellecturi, nõ declarãt, sed videtur de ijs, qui iam credebant loqui, qui ex ipsa experientia & quasi gustu quodã mutuæ in fide concordiæ cognituri sint non fuisse rem fictam, & vanam incarnationem meam, sed magno Patris consilio factam. Melius Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, vt qui nondum credunt, animaduertentes discipulorum meorum concordiam, adducantur, vt credant me à te missum fuisse, id est Euangelicum mysterium, quod discipuli mei prædicant, rem esse ex Deo, non ex hominibus. Nihil enim æquè iuuare auditorum fidem atque doctorum concordiam; nihil æquè impedire atque discordiam. Itaque putant, contra quam sentit Augustinus, Apostolorum concordiam tanquam causam significari, cur mundus, qui nondum crederet, esset crediturus. Melior hæc interpretatio est, quàm superiores illæ duæ; sed hæc ipsa mihi videtur non satis esse germana; primum, quia non obscurè Christus videtur mundum ita credentibus, & crediturìs, de quibus vtrisque egerat, opponeret, vt ab illis omnino distinguat; deinde quia si, quod Chrysostomus putat, dicere voluisset, non dixisset, *vt credat mundus, quia tu me misisti*, sed vt credat mundus in me, sicut ante dixerat, *Qui crediturì sunt in me*. Mundum ergo vocari credo eos, qui neque credebant, nec erant crediturì, certè qui nondum credebant, cùm cogebantur credere, fateríque Christũ à Deo missum esse. Itaque sensus est, vt mundus iste quantumuis incredulus, quantumuis mihi aduersarius, videns tamen summam discipulorum caritatem, atque concordiam cogatur credere, id est cognoscere, & confiteri me à Deo missum esse, id est non esse, vt nunc putat, seductorem, sed hominem saltem diuinitus missum, quamuis nihil præterea de me, meaque diuinitate credat; quẽadmodum in causa simili dixit Diuus Petrus 1. epistola cap. 2. 15. *Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*: & Christus Matth. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est*. Nam & illi, coram quibus discipulorum lucem lucere iubebat, homines, id est mundus erant.

Quod hic claritatis nomine significetur Matt. 16. 19.

22. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.*) Dubium quam hîc intelligat claritatem. Cyrillus, Leontius intelligunt diuinum honorem, qui humanæ naturæ Christi ex coniunctione cum diuinitate accessit, vt non solùm Deus, sed etiam idem ille homo, qui Deus erat, ad dexteram sederet Patris: hanc se à Patre gloriam recepisse dicit, eandemque cum discipulis suis communicasse. Etenim cùm illos per fidem, per caritatem, maximè verò, vt Cyrillus putat, per corporis sui in Eucharistia participationem vnum secum corpus effecisset, quidquid gloriæ ex diuinitate corpori suo accedebat, & membris, id est discipulis suis accessisse. Chrysostomus, & Theophylactus, & Euthymius claritatem illam intelligunt, quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

sibi Christus volēte Patre ex doctrina sua, & miraculorum effectione comparauerat; quam eandem dicat se cum discipulis communicasse, quia eadem, & maiora etiam, quàm ipse fecisset, miracula faciendi potestatem illis tradidisset. Ita quidem se res habet, sed quid hoc ad vnitatem, quæ inde concluditur, pertineat, non satis apparet. Augustinus, Beda, & Rupertus eam intelligunt claritatem, aut δόξαν gloriam, quam in vita æterna erant habituri, iam enim & Filium à Patre, & à Filio Apostolos per æternam prædestinationem accepisse; quamuis re ipsa nondum Christus sedisset ad dexteram Patris, neque Apostoli ad eius gloriæ peruenissent possessionem. Non facilè mihi persuaserim Christum de re loqui futura, aut, quod eodem redit, de rei futuræ prædestinatione. Nec enim dubito, quin rationem reddat, cur Pater debeat vnitatem illam spiritus, quam discipulis suis petebat, illis facilè concedere, quia ipse illis iam dedisset, quod daturus erat, eam scilicet gloriam, quam à Patre accepisset; quasi dicat, iā ego, quod officij mei erat, feci, fac tu, quod est tui, daque illis eam, quam peto spiritus vnitatem. Præterea non solet officium prædestinandi homines Filio, sed soli Patri scriptura tribuere. Alij exponunt claritatem honorem hunc, vt filij Dei, vt ait Ioannes, nominentur, & sint. Eum enim honorem & Filium, quatenus homo erat, à Patre accepisse, & eundem cum Apostolis communicasse. *Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Sensus probabilis, sed ego non arbitror meliorem interpretem quærendum esse, quàm Christum; is versu 26. quam hic claritatem, dilectionem vocat. *Notum*, inquit, *feci eis nomen tuum, vt dilectio, qua dilexisti me in ipsis sit.* Sensus igitur, vt opinor, est, sicut tu me dilexisti, ita ego eos dilexi, fac vt & ipsi inter se diligant, quæ erat vnitas illa, quam illis postulabat. Vocat claritatem eam dilectionem, qua Pater se, & ipse discipulos prosequebatur, quia per eam Pater eum clarificauerat, ostendens, eum esse filium suum dilectum, in quo sibi bene complacuerat. Hoc enim sensu clarificatio posita est suprà versu 1.4. 5. 10. Eam autem ipsam claritatem filius discipulis dedit offerens semetipsum pro illis in mortem; mortem enim suam claritatem vocat, quia per eam & ipse clarificatus est, & Patrem clarificauit, vt infra cap. 21. 19. Denique tolle à claritate litteram vnam, & sensum inuenies.

Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.) Ideo pro illis morior, vt vnum sint, da igitur illis eam vnitatem spiritus, quam illis merui: loquitur de sua morte, tanquam de re præterita, quia proxima erat, vt suprà multis locis adnotauimus. De his autem verbis suprà versu 11. disputauimus.

23. *Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.*) Non dubium, quin aliquod verbum, quod orationem expleat, subaudiendum sit, sed incertum, cuius temporis verbum esse debeat, præteriti, vt fui, vel fuimus; an præsentis, sum, vel sumus; an præsentis imperatiui, vel optatiui; simus, intelligendum sit. Atqui ex eo sensus pendet huius loci. Orationis series videbatur postulare, vt subaudiretur verbum imperatiuum; aut optatiuum simus, orabat enim. Omnes autem interpretes videntur verbum indicatiuum intelligere, sumus; certè Augustinus, Theophylactus, Beda, Euthymius. Solus Chrysostomus videtur per præteritum resoluere, ego in eis fui, & tu in me, quod malo sequi, quia videtur Christus declarare, quomodo claritatem illam discipulis suis dedisset, quam acceperat à Patre, nempe manendo in illis per caritatem, sicut Pater per eandem caritatem in se manebat; quemadmodum supra dixerat capite 14. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Non negat etiam nunc & se in discipulis, & Patrem in se esse, sed docet fuisse, quia id causa, quam agebat, postulabat. Cùm dicit se in discipulis, Patrem verò in se esse, non negat, vt Augustinus monuit, esse etiam in discipulis Patrem, imo idipsum voluit concludere Patrem in illis esse; si enim ipse in illis, & Pater in ipso erat, & Pater vtique in illis erat, sed quod non dixit, quia ex dictis facile colligebatur, intelligi à nobis voluit. Quod sequitur, *Vt sint consummati in vnum*, Augustinus, Beda, Rupertus, & Euthymius interpretantur, vt hac ratione ad gloriam illam, & perfectionem vitæ æternæ perueniant, cui adiici nihil potest. Rectiùs sentire mihi videntur, qui de hac vita interpretantur, de ea quippe Christus agebat, vt Cyrillus, Theodorus Mopsuestienſis, & Leontius exponunt; sensus ergo est hac ratione fieri, vt cùm Pater cum Christo vnum sit, & Christus vnum cum discipulis (hoc enim est Patrem in Filio, & Filium in discipulis esse) & discipuli vnum cum Patre, id est cum Deo sint, qua vnitate nulla potest esse maior, quia non potest, nisi vnus esse Deus. Hoc est, *vt sint consummati in vnum*, id est, vt perfecta eorum vnio, sicut multorum membrorum in vnum caput desinat, sicut dixit D. Paulus 1. Corint. 3. 22. 23. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, & cap. 11. 3. *Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus.*

Vt cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut me dilexisti.) Hoc non ex ijs, quæ dicta sunt, sed ex ijs, quæ ex dictis colliguntur, Christus concludit; quandoquidem ego eos dilexi, hoc est in illis fui, sicut tu me dilexisti, fac vt id appareat; da illis eam, quam pro eis postulo, concordiam, & caritatem mutuam, vt mundus cognoscat rem esse diuinā non humanam, & te eos diligere, sicut me dilexisti. Quid sibi velint hæc verba, *vt cognoscat mundus, quia tu me misisti*, versu 21. explicauimus, idem enim huius, atque illius loci sensus est.

24. *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego & illi sint mecum.*) Altera iam hæc petitio est, ad alteram pertinens vitam. Petit autem, vt quam coniunctionem in hac vita secum habent, eam in altera quoque habeant; sed intelligit in hac quidem vita coniunctionem caritatis, in altera, coniunctionem in eodem loco gloriæ. Non assentior ijs, qui hæc de solis, aut potissimùm de Apostolis dicta esse putant; de omnibus enim credentibus atque credituris post versum 20. loquebatur, & eadem ratio omnium erat, atque ita Cyrillus, & Augustinus, & omnes alij auctores graues interpretantur. Itaque cùm dicit, *Quos dedisti mihi*, omnem complectitur temporis differentiam, quasi dicat, *quos dedisti*, vel daturus es; aut, *quos dedisti* siue re iam ipsa, siue sola prædestinatione. Quomodo Pater Filio homines det, & cur Filius ita loquatur, sæpe docuimus, vide suprà versu 2. & 11. quanquam ibi de solis Apostolis, hic de omnibus credentibus loquitur. Quod dicit, *volo*, imperantis verbum videri posset, quemadmodum & antiquus auctor Cerealis in libro aduersus Maximinum exponit, inde Filij auctoritatem probans; sed magis optantis esse arbitror, tanquam dicat opto, teque rogo, non enim imperat, sed vota sua Patri declarat, cùm quo non nisi reuerenter, ac demisse loqui solet, quod hoc maximè loco faciendum erat, vbi tanquam homo, preces fundebat. Docet Diuus Augustinus id

quod

Pater est in discipulis non minus quam Filius.

Hæc de solis Apostolis non dicit auctoris sententia.

quod sequitur, *Vbi sum ego*, duobus modis intelligi posse, aut ita vt tanquam Deus loquatur, *vbi sum ego*, id est in cælo, quæ sedes mea est, a qua nūquam discessi; sicut c. 3. 13. dixit, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo*: aut ita vt tanquā homo dicat, *vbi sum ego*, id est vbi paulò post futurus sum, cuiusmodi locutiones multas iam in hoc ipso capite notauimus. Quod etsi verum est tamen non dubito, quin hoc secūdo potiùs modo intelligi debeat; iam enim diximus Christum hic tanquam hominem loqui. Illud, quod idem obseruat Augustinus, vereor ne minùs conueniat, non dixisse, & illi ibi sint, sed, *Et illi mecum sint*, quod aliud sit esse, vbi Christus est, aliud cum Christo esse; etiam damnatos esse, vbi Christus est, quia & Christus tanquam Deus in inferno est, sed cum illo non esse, nisi, qui eadem cum illo gloria fruuntur, quemadmodū latroni illi dixit, *Hodie mecum eris in paradiso*. Quod enim hoc loco dicit, *Et illi sint mecum*, c. 12. 26. dixerat, *Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit*: & non dixit mecū erit. Cur ergo dixit, *mecum*? quia maiorem vim habebat, quasi diceret, habebunt meum eundem gradum dignitatis, habebunt communem mecum hereditatem, conregnabunt mecum, vt dixit D. Paulus, 2. Tim. 2. 12.

Vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.) Chrysostomus, Euthymius, & Theophylact. obseruant non dixisse, vt habeant claritatem meam, sed, *vt videant*, nullam enim creaturam gloriæ Christi capacem esse. Hoc puto non solùm alienum à mente Christi esse, sed illi etiam omnino contrarium qui nimirum id agebat, vt doceret se suam cum discipulis suis gloriam communicaturum. Itaque existimo videre hoc loco idem esse, quod frui, quemadmodum videre regnū Dei est illo frui, suprà c. 3. 3. & videre vitam æternā frui vita æterna c. 3. 36. Nec enim Christus spectatores tantùm gloriæ suæ discipulos suos esse volebat, vt suam illis spectantibus maiestatem ostētaret; sed volebat eiusdem gloriæ esse participes, quemadmodum laborū participes fuerant. Atque hoc sensu, licet non satis explicent, Chrys. Cyrill. August. Leōtius, Beda, Rupertus, & Euthym. intelligunt. *Videre*, inquit Rupertus, *est habere*. Putant autem Chrys. & Euthym. & Theodorus Mopsuestiensis de gloria diuinitatis loqui, quam illi Pater non iam genito, sed generando dedisset. Rectiùs Cyrillus, Leontius, & Theodorus Heracleota de gloria humanæ naturæ interpretantur, nam vt homo loquebatur, & humanæ suæ naturæ gloriam nobiscum communicauit. Itaque quod sequitur, *quia dilexisti me ante constitutionem mundi*, meliùs etiā ijdem auctores de dilectione illa qua Pater futurum hominem Christū ante constitutionem mundi dilexerat, eumque ad eam, quā dixit, gloriam prædestinauerat, interpretātur, quàm Theodorus Mopsuest. & idem postea Heracleota, qui de ea interpretantur dilectione, qua Pater Deus Filium Deum ab omni dilexit æternitate.

25. *Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autē te cognoui, & hi cognouerunt, quia tu me misisti.*) Putat Rupertus gratiarum actionem esse, qualis illa est apud Lucam c. 10. 21. *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea parvulis.* Similiter enim gratias hic agere, quòd ipse cum discipulis suis Patrē cognouerit, qui paruuli & abiecti habebantur, mundus autem, qui magna sibi sapientia excellere videbatur, nō cognouerit. Itaque vult ad explendam hanc sententiam aliquid intelligi, vt, *Pater iuste*, gratias ago tibi, Alieno sensu. Quorsum igitur hæc dicit? Cyrillus, & Leontius existimant alludere ad id, quod vers. 9. & 20. significauerat, se non pro mundo, sed pro solis credentibus orare, Patremque iustum appellare, quòd se in mundum miserit, non crediturum; quasi sensus sit, Iustus es Pater, quòd me in mundum miseris, quamuis non credat me à te missum esse; fecisti, quod tuam decebat iustitiam, *iustificata est sapientia a filij suis*. Non patitur hunc sensum Græcus vocatiuus, *δίκαιε*: nam si nominatiuus esset *δίκαιος*, pateretur: Chrysost. Theodorus Mopsuest. Theophyl. & Euthym. mihi videntur verum perspexisse sensum. Causam reddere, cur non omnes, sed eos tantùm, qui in se credidissent, in cælo secum futuros esse dixerit; nempe id Patris iustitiam, id hominum diuersa merita postulare, quia illi Patrem cognouerunt, hi non cognouerunt. Atque hanc esse causam, cur alibi alijs nominibus Patrem vocare soleat, hoc loco iustum appellauerit.

26. *Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam.*) Quibus, *eis*? illis, qui cognouerunt. Quid per Patris nomen intelligat, vers. 6. declarauimus. Putant Cyrillus, & Leontius ideo Christum hoc adiecisse, ne quia dixerat, *Ego autem te cognoui, & hi te cognouerunt*, videretur significasse non aliter se, quàm discipulos patrem suum cognouisse, itaque discrimen nunc indicare, se ita cognouisse, vt alios doceret; discipulos ita cognouisse, vt docerentur, *Deum enim nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*, c. 1. 18. Quomodo iam Patris nomen discipulis suis notum fecisset, facile intelligitur, nempe per doctrinam suam, atque miracula, quo autem modo notum se etiamnum facturum dicat, de eo quæstio esse potest. D. Augustinus, & Beda sic edisserunt, *Notum feci, per fidem, notum faciam per speciem: notum feci cum fine peregrinantibus, notum faciā sine fine regnātibus*. Meliùs Chrysost. Cyrillus, Leontius, Theodorus Mopsuest. Theophylactus, Euthymius, & Rupertus referunt ad aduentum Spiritus sancti, per quem multo plenius discipulos docturus erat. Itaque Cyrillus, & Euthymius hinc etiam Christi diuinitatem confirmant, quòd quemadmodum Pater, ita & ipse per Spiritum sanctum doceat. Alia etiam interpretatio, quam Leontius adducit, non minùs mihi placet, vt hoc ad eos referatur, qui nondum quidem crediderant, sed credituri erant; nam & illis postea & per Apostolos, & per Spiritum sanctum nomen Patris notum fecit. Potest & ad illud quadraginta dierum tempus referri, quo post resurrectionem suam cum discipulis versatus est, *loquens de regno Dei*, Actor. 1. 3.

Vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.) Ex Augustino constat veterem versionem Latinam legisse, *vt dilectio, quā dilexisti me*, itaque multis ille verbis disserit, quare ita dixerit potius, quàm, *qua dilexisti*, rectèque vidit esse Hellenismum, nam Græcè ita est, *ἡ ἀγάπη, ἣν ἠγάπησάς με*. Id leue est illud paulò maius, quid sit, vt dilectio, qua me dilexisti, in ipsis sit: Chrys. Leontius, Theophyl. & Euthymius putant sensum esse, *vt dilectio, qua dilexisti me, in illis sit* per cognitionem, id est vt cognoscāt me abs te diligi. Rupertus, vt Spiritus sanctus qui est dilectio, qua tu me diligis, in ipsis sit. Aug. Cyrillus, & Beda, vt ea dilectione, qua me dilexisti, eos diligas, id est vt facti per fidem, & caritatem mecum vnum corpus, quemadmodū ego abs te diligor, & illi diligantur, propterea addidisse; *Et ego in ipsis*, id est, *quia ego in ipsis* sum tanquam caput in membris. Tanquam dicat, cùm ego in illis sim, id est vnum cum illis sim corpus, nō potest dilectio tua, quæ in me est, non esse in illis, id est, non potes non eos diligere, cùm me diligas.

Videre vitam æternam, frui vita æterna.

Tract. 112.

Diuinitas Christi ex hoc loco probata.

Et pro quia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVIII.

1. HAEC cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. 2. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. 3. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum lucernis, & facibus, & armis. 4. Iesus itaque sciens omnia, quæ uentura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis? 5. Responderunt: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6. Vt ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. 8. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. 9. Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit Pontificis seruum: & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. 11. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? 12. Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum: 13. Et adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. 14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: Quia expedit vnum hominem mori pro populo. 15. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ego discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ: & introduxit Petrum. 17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. 18. Stabant autem serui, & ministri ad prunas: quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. 20. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. 22. Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? 23. Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. 26. Dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit. 28. Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. 29. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? 30. Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam. 32. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. 33. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? 34. Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus. Numquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? 36. Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis

Matt.26. c.36. Marc.14. c.32. Luc.22.d. 30. 2.Regum 15.e.23. Matt.26. c.47. Marc.14. c.42. Luce 22. c.47.

Sup.17.c. 12.

Luc.3.a. 2. Sup.1.c. 40.

Matt.26. c.58. Mar. 14. c.54. Luc.22.c. 54.

Matt.26. c.57. Mar. 14. c.53. Luc.22.c. 54.

Matt.26. c.69 Mar.14. c.67. Luc.22.c. 56. Matt.27. a.2. Marc. 15. a.1. Luc.23.a. 1. Act.10.c. 28.& 11. a.3. Matt.20. c.19. Matt.27. b.11. Mar.15.a. 2. Luc. 23.a. 4.

quia rex

quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum? 40. Clamauerunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

Matt.27. c.15. Marc. 15. b.6. Luc.23.b. 7.

IN CAPVT XVIII.

1.2. HAEC cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.) Lectorem monitum volumus tria sequentia capita decimum octauum, decimum nonum, & vicesimum apud Matthæum capite 26. & 27. explicata à nobis esse; percurremus tamen, & si quid fortè, quod illic non dixerimus, occurrerit, id explanabimus. Disputandũ hic primo loco erat, vnde egressus dicatur Christus, cum superiorem finisset orationem; sed id cap. 14. 31. disputauimus, vbi demonstrauimus omnia, quæque fecisse, quæque dixisse Christum ab initio capitis decimitertij, vsque ad hunc locum Ioannes narrat, in illo ipso loco, in quo cœnauerat, fecisse, dixisseque, ita ex eo nunc loco egressus fuisse dicitur. Non est igitur Ruperti sententia à prudenti lectore suscipienda, qui nunc Christum à villa Gethsemani egressum esse putat: tantùm enim abest, vt ex ea exeat, vt in eam potiùs nũc eat. Quo fuerit egressus diuersis verbis quattuor scribunt Euangelistæ, Matthæus cap. 26. 30. 36. Marc. cap. 14. 32. & Lucas c. 22. 39. dicunt exisse *in Montem oliuarum*, Ioannes hîc, *trans torrentem Cedron*: sed eodem vtrumque redit; diuidebat enim torrens Cedron vrbem Ierosolymam à Monte oliuarum, de quo apud Matthæum diximus, vt libro 6. de bello Iudaico cap. 3. Iosephus auctor est: itaque credibile est hortum Gethsemani, in quem Matthæus, & Marcus Dominum orandi causa ingressum esse dicunt, non in Monte ipso oliuarum, sed ad radicem montis post torrentis ripã fuisse, ideoque contentum fuisse Ioannem dicere, *trans torrentem Cedron* egressum fuisse. Manifestus hic in libris omnibus Græcis error est, sed à multis iam ætate nostra viris doctis deprehensus. Legunt Græci, πέραν τῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων, *trans torrentem cedrorum*. quasi Cedron genitiuus sit Græcus pluralis numeri nominis appellatiui κέδρος cedrus, torrensque cedrorum dictus fuerit, quòd cedris consitus vtrinque esset. Manauit error in bonos etiam, & graues auctores: sed manifestum est Hebraicum esse vocabulum ברדן, quod non cedros, quæ Hebraicè ארזים non ברדן appellantur, sed obscuritatem declarat, itaque credendum est vallem illam, quia profunda erat, & vmbrosa, solique minimè peruia, ברדן, id est obscuram, & tenebrosam dictam esse. Vallem, inquam, illam; nam hoc sciendum, non torrentem ipsum, sed vallem, per quam torrens præceps decurrebat, Cedron appellatam fuisse, vt non ex Iosepho tantùm lib. 6. de bello Iudaico c. 3. sed ex ipsa etiam scriptura sacra, 2. Regum, capit. 15. 23. perspicuum est, vbi non legitur Græcè, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἐπορεύετο ἐν τῷ χειμάῤῥῳ τῦ κεδρών, sed ἐν τῷ χειμάῤῥῳ τῶν κεδρών, id est, *in torrente* (vallis) *Cedron*, nisi forte error est, quod non facilè crediderim. Ergo & hoc loco Cedron genitiuus est non pluralis, vt vulgo creditur,

A

sed singularis, intelligiturque nomen vallis, *trans torrentem* vallis *Cedron*. Vnde venerit articulus ille Græcus τῶν, qui lectionem deprauauit, variæ coniecturæ, alij putant aliquem Græcæ linguæ peritum, Hebraicæ ignarum articulum addidisse existimantem κέδρων genitiuum esse pluralem, eademque ratione accentum ab vltima, vt Hebraica postulat pronuntiatio, in penultimam retraxisse: alij, quorum ego coniecturam magis probo, scriptum fuisse, πέραν τῦ χειμάῤῥου τῦ κεδρών, aliquem verò Græcum non intelligentem κεδρών singularem genitiuum esse nominis indeclinabilis, putantemque genitiuum esse pluralem, pro τῦ scripsisse τῶν. Scriptum autem fuisse priùs τῦ ex eo loco, quem modò produximus 2. Regum capite 15. 23. facilis coniectura est, nam & illic scriptum est, ἐν τῷ χειμάῤῥῳ τῦ κεδρών, non τῷ κεδρών, vt quidam hæreticus interpres legi putat. Denique aut vallem illam, aut torrentem Hebraicè Cedron appellatum fuisse, non ex eo loco solo, quem modò notauimus, sed etiam ex 4. Regum 23. 4. & ex Ierem. capite 31. 40. manifestum est. De quo loco qui volet apud Iosephum libro 9. antiquit. cap. 7. & 6. de bello Iud. capite 3. & apud Bedam in libello de locis sacris capite 6. & apud Brocardum in descriptione terræ sanctæ plura legat. Ad rem vt redeamus, quod Christus domo, in qua cœnauerat cum discipulis, egressus est, & in hortum se contulit *trans torrentem Cedron*, non idcirco fecit, vt Iudæorum manus fugeret, & latebras quæreret, id enim si facere voluisset, non in hortum vbi vicinum, in quo Iudas sciebat eum totas orando noctes consumere solere, sed in montem ipsum, & solitudinem aufugisset: sed fecit potius, vt quæsturis se Iudæis obuiam occurreret. Sciebat enim eos indicere; ac duce Iuda ibi se in primis quæsturos, vt ostenderet se sponte mortem subire, & Iudæos labore liberaret per diuersa loca se quærendi. Itaque ipse sese in hortum quasi in carcerem inclusit. Atque hoc ipso consilio Euangelista addidit, *Sciebat autem & Iudas locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis*. Obseruarunt hæc Chrysostomus, Cyrillus, Theodorus Heracleota, Theodorus Mopsuestiensis, Leontius, Theophylactus. Cùm autem dicit, *Sciebat & Iudas*, coniunctio, &, hanc habet vim, non solùm Christus sciebat eò Iudam cum Iudæis venturum esse, sed ipse etiam Iudas sciebat eò se Christum de more recepturum.

B

C

D

Matt.26. c.36.

Error in interpretibus Græcis de torrente Cedron vno Cedrus.

Vallis nõ semper dicta Cedron. Matt.23. ubi supra.

Theoder. Beza in annotat.

Cur Christus trans torrentem Cedron abierit.

4. *Iesus itaque sciens omnia, quæ vētura erant super ſ.*) Consultò dixit Euãgelista, *sciens omnia*, ne quis putaret Christum imprudentem in manus hostium incidisse, cùm enim nõ ignoraret, quorsum cohors illa veniſset, non fugisse tamen, sed obuiam potiùs illi processisse, & quodammodo interrogando, quem quærerent, prouocasse, vt se comprehenderent. Vox enim illa, *Quem quæritis*, non est hominis, vt ait

Universidad de Deusto
Biblioteca

Leontius, motuentis, & veluti fugituri, si illi ipsum se quærere respondissent; sed potiùs interriti, & la-
centis. Hanc vim habere verbu illud *sciens*, Chry-
sost. Theodorus Heracleota, & Mopsuestiensis, Cyrillus, & Rupertus existimant. Theophylactus verò, & Euthymius indicant verbum, *sciens*, ad id, quod sequitur, referendum esse, & *dixit eis, Quem quæritis?* quasi dicat Euangelista, quamuis non ignoraret, quem quærerent, interrogauit tamen, vt ostéderet se minimè timere.

5. *Responderunt ei, Iesum Nazarenum.*) Hinc apparet nondum milites, ac nec ipsum fortasse Iudam ipsum etiam secum loquentem cognouisse, vt apud S. Matthæum dusputauimus. Nec enim respondissent, *Iesum Nazarenum*, sed teipsum quærimus. Qui autē non potuerit, vt Christum non cognoscerent, illic etiam dissimulauimus.

Dicit eis Iesus, ego sum.) Ego sum Iesus Nazarenus, quem quæritis. Nam qui interpretantur, ego sum, qui sum, in quibus Rupertus, sine causa mihi videntur vim verbis inferre. Etsi erat quidem Iesus ille idem, qui dixerat olim Mosi, *Ego sum qui sum*. Quam vim habeant verba, quæ sequuntur, exposuimus apud Matth. cap. 26. 48.

Exod. 3. 14.

6. *Vt ergo dixit eis, ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*) Haud dubium, quin Christus hac in re diuinam suam potentiam ostendere voluerit, vt intelligerent aduersarij potuisse ipsum ab illis non capi, si voluisset. Chrysostomus, Theodorus Heracleota, Theodorus Mopsuest. Leontius, Cyrillus, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius, Rupertus. *Vbi nunc*, inquit hic August. *militum cohors, & ministri principum, & Pharisæorum? vbi terror, & munimen armorum? Nempe vna vox dicentis, ego sum, tantam turbam odijs ferocem, telisq; terribilem sine telo vllo percussit, repulit, strauit. Deus enim latebat in carne. & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, vt lucernis, & facibus quæreretur occidendus à tenebris. Ego sum dicit, & impios dejecit. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit?* Similia scribit Leo sermone 14. de passione, & Gregorius lib. 17. Mor. c. 19. Quærit Rupertus, cur voluerit hanc ipsam suam ostendere potentiam, & non potiùs continuò capi, & tanquam agnus ad mactationem duci: Respondet, vt illi viso miraculo nullā culpæ suæ haberent excusationem. Altera nō aliena huius loci quæstio est, quam apud neminē lego, cur non alia ratione, quando multis poterat, eam ipsam potentiam ostēdit potiùs, quàm ipso responso? Non est admodum difficilis coniectura; voluit vt illo ipso verbo, quo ratio postulare videbatur, vt illum apprehenderent, ita impedirētur, vt non solùm apprehēdere, sed ne stare quidē coram illo possent. Quis enim non putasset, fore, vt simul atque respondisset, *ego sum*, manus in illum iniicerent: atqui illo respōso, quo incitari ad prehendendum videbantur, disiecti sunt. Voluit etiā illis Christus, vt opinor, ea ratione declarare non solùm non posse eos viribus suis, si ijs vti vellet, resistere, sed ne sustinere quidem nomen suum. Quod Gregorius obseruat hom. in Ezechiel. 9. retro istos, non autem in faciem cecidisse, quòd in faciem cadere iustorum sit, qui surrecturi per pœnitentiam ex infirmitate cadunt; retro autem cadere reproborum, qui nunquam resurgunt, moraliter, & concionatorie dictum est; cæterum non existimo eam fuisse causam, cur retro ceciderint; hanc potiùs, quòd Christus ante faciem eorū esset, itaque in terga oportebat cadere, vt casu ipso declararetur ideo cecidisse, quòd ante se stantem, atque loquentem Christum sustinere non potuissent; vt appareret vnde illa venisset vis, quæ eos deiecisset. Nā & arbores, quæ vi ventorum conuelluntur, non in eam, vnde flat ventus, sed in oppositam cadunt partem. Non dicit Euangelista quomodo prostrati surrexerint milites, cùm verisimile tamē sit, antequam eos secundò Christus interrogaret, surrexisse. Et cauere lector debet, ne fabulis nescio quibus fidem adiungat, quas volitare per vulgum video. Credendum eadem Christi virtute, qua ceciderant, surrexisse, posteaquam tandiu iacuissent, quàm opus erat, vt eius, quem comprehendere volebant, potentiam experiri possent.

Trac. 112.

Retro, & non in faciē cadere quid sit ex Dino Gregor.

Cur potētiam hic suā Christus ostenderit: & cur hac ratione.

7. *Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? illi autem dixerunt Iesum Nazarenum.*) Iam non prosternūtur hac voce, qua ante prostrati fuerant, quia satis iam Christus suam illis potentiam demonstrauerat, vt Theodorus Mopsuest. & August. Bedaque obseruant, idemque Theophylactus indicat. Satis illis occasionis præbuisse, vt à tanto scelere viso miraculo desisterent, ne quis ipsum accusare posset, quòd sese sine vlla potentiæ suæ declaratione in hostium tradidisset manus, non fuisse prehensuros eum, si, quid posset, cognouissent. Illius ergo quæstionis exitum non inuenio, quæ nemini puto hæc legenti non occurrit, quomodo ausi fuerint scelerati illi ministri post tam expressum argumentum diuinæ potentiæ, manus in Christum iniicere; nisi quòd suspicor eadem illa potentia Christi, qua primùm exterriti, prostratique fuerant, solutos deinde fuisse metu, ne nostræ salutis remedium vnicum impediretur. Hoc ipsum indicat Augustinus. *Verum si nunquam se*, inquit, *ab eis permitteret apprehendi, non quidem illi facerent, propter quod venerant, sed nec ipse faceret, propter quod venerat. Eum quippe illi occidendum quærebant faciendo, sed quærebat nos & ipse moriendo.* Eandem rationem Leo reddit sermone de passione 14.

Trac. 112.

8. *Dixi vobis, quia ego sum.*) Videntur mihi hæc verba tacitam exprobrationem imbecillitatis eorum continere, quòd cùm iam se Iesum Nazarenum, quē quærebant, esse dixisset, non apprehendissent; simul etiam admonitionem quādam diuinæ in Christo potestatis; considerarent apud se, quis eos impedisset, ne se tenerent, quem Iesum esse Nazarenum confessus fuerat.

Si ergo me quæritis, sinite hos abire.) Videtur ita loqui, quasi diceret, si non solùm me quæritis, sed etiā istos, qui mecum sunt, iam estis experti posse me illos defendere, qui vos vno verbo prostrauí; sin me solùm quæritis, permitto, vt me capiatis, modò hos sinatis liberos abire. Iuuat hic Theodori Heracleotæ verba suscribere, *ὡς πατὴρ ἀγαθὸς προτιμήσεως τέκνων ἐκείνους μὲν ἐξωπλίσεται τῶν σωτηρίων διὰτὸ ἀδυνάτους αὐτῶν, καὶ ἔτι νηπιώδεις· καὶ ἵνα πληρώσῃ τὸν λόγον, ὃν εἶπεν, ἑαυτὸν ὑποδίδωσιν. Tanquam bonus pater ante filios stans extra periculum eos ponit, quod adhuc infirmi & infantes sint, & vt sermonem, quem dixerat, impleat, se autem ipsum tradit.* Idem fere Theophylactus scribit. Sæpe nobis Deus tanquam infirmis infantibus parcit, nō patiēs *nos tentari supra id, quod possumus*, fortiores verò factos maioribus periculis exercet; nam & Apostolos, quos modò secū capi noluit, forasse, vt ait Cyrillus, ne si tunc cum ipso mortui fuissent, aliquā redēptionis nostrę partē illis debere videremur postea Spiritu sancto cōfirmatos pro se mori voluit, vt Theophylactus animaduertit. Denique voluit se solū capi, quia voluit torcular calcare solus. Declarauit reipsa, inquit Cyrillus, quod verbis docuerat c. 10. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Hinc altera quæstio, quam Chrysostomus, & Theophylactus attingūt, facilè soluitur, quid causę fuerit,

Theodori Heracl. locus ex inf. Patte.

1. Corint. 10. 13.

Isai. 63. 3.

quamobrem

quamobrem non etiā discipulos præsertim Petrum, qui eos irritauerat, comprehenderint. Putant enim Petrum iam antea seruo Pontificis Malcho auriculam abscidisse, quod nos apud Matth. refutauimus. Respondent eadem Christi potentia fuisse prohibitos, ne illos caperent, qua paulò ante in terram deiecti fuerant. Id Euangelistam indicare, cum veluti eius rei causam exponens subiicit, *Vt impleretur sermo, quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Sup. cap. 17. 12.

Hæc tantum in hoc cap. 18. vsque ad 20. in auctoris autographo reperta sunt.

CAPVT XIX.

1. TVNC ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. 2. Et milites plectentes coronā de spinis, imposuerunt capiti eius: & vestē purpuream circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum: & dabant ei alapas. 4. Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. (5. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum:) Et dicit eis: Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. 7. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum: & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. 12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari. 13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum: & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. 14. Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce Rex vester. 15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt. 17. Et bajulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha: 18. vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc, & hinc, medium autem Iesum. 19. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. 20. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus: Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. 21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorū: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. 22. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. 23. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, (& fecerunt quattuor partes: vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. 25. Stabant autem iuxta crucē Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. 26. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantē, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. 28. Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. 29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. 30. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. 31. Iudæi ergo, (quoniam Parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora sabbatho, (erat enim magnus

Matt. 27. c. 27. Marc. 15. b. 16.

Matt. 27. d. 35. Mar. 15. b. 24. Luc. 23. c. 34. Psal. 21. c. 19.

Psal. 68. c. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. 32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. 33. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, 34. sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit: vt & vos credatis. 36. Facta sunt enim hæc vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Exod. 12. d. 46. Num. 9. b. 12. *37. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* Zac. 12. c. 10. *38. Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, (eo quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu.* Matt. 27. g. 57. Mar. 15. d. 42. Luc. 23. g. 50. *39. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. 41. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.* Sup. 3. a. 1.

CAPVT XX.

1. Matt. 28. a. 1. Mar. 16. a. 1. Luc. 24. a. 1. *VNA autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: & vidit lapidem sublatum à monumento. 2. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. 3. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. 5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. 6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, 7. & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. 8. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit: 9. nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. 11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: 12. & vidit duos angelos in albis, sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. 13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: & nescio vbi posuerunt eum. 14. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est. 15. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam. 16. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister.) 17. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. 18. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. 19. Cum ergo sero esset die illo, vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. 20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino. 21. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. 22. Hæc cum dixisset, insufflauit: & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: 23. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. 24. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. 25. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum*

digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. 26. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus: & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. 27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. 29. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. 30. Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. 31. Hæc autem scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius. Inf. 21. g. 25.

19. *Cum ergo sero esset die illo vna sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum.*) Quæ ista Christi fuerit apparitio Matth. 28. 16. docuimus nempe quinquies iam ante illo ipso die, quo resurrexerat, diuersis aut discipulis, aut mulieribus diuersis in locis apparuerat. Eodémque die, vt hic Euangelista testatur sexto decem discipulis Ierosolymę domi latentibus apparuit. Et diem, & horam diei diligenter Euangelista designat, non solùm vt fidem adhibeat historiæ, quæ circunstantiarũ descriptione fit probabilior, sed vt aliquid etiam aliud, quemadmodum modò dicemus, significaret. Dicit eodem die, quo resurrexerat, quæ *vna*, id est prima dies hebdomadis erat, quæ nunc Dominica vocatur, discipulis apparuisse, volens, vt opinor, indicare, quantam Christus habuisset curam probandi discipulis resurrectionem suam; non diu passum esse benignum patrem filios suos orphanos in luctu esse, non fuisse negligentem, & otiosum, eodem die, quo Magdalenæ, etiam discipulis apparuisse; imo eodem die, quo suæ primùm matri, deinde Magdalenæ, tertio illi, aliisq; mulieribus, vt maior pars sentit auctorum, quarto Petro, vt ait D. Paulus. 1. Cor. 15. 5. & Lucas c. 24. 34. quinto duobus illis discipulis euntibus in Emaus apparuerat. Horam autem diei notat, *Cum sero*, inquit, *esset*, id est cùm iam esset nox, ὀψὲ δὲ ἦλθε, & vt rationẽ redderet, cur *fores essent clausæ*, & vt eandem Christi commendaret diligentiam, qui ne nocturno quidem, & incommodo tempori pepercisset, vt Apostolos cõsolaretur & vacillantem eorum confirmaret fidem. Quod magis etiam intelligetur, si in memoriam reuocemus, quod apud Matthæum c. 28. 16. eadem nocte, postquam aduesperasset, & Emaunti cum duobus illis cænasse discipulis, & decem Ierosolymæ congregatis discipulis apparuisse. Scribit Lucas, cum Christus ad hos venit, iam duos illos ex Emaunte redijsse, & cũ illis fuisse narrantes. quomodo vidissent Christum, cúmque in fractione panis cognouissent. Cur noctu potiùs venerit, quàm interdiu, etiam indicat Euangelista, cùm dicit, *Vbi erant discipuli congregati*, scilicet propterea noctu venit, vt congregatos inueniret, quemadmodum Chrysost. Leontius, Theophylact. & Euthym. existimant. Potest quæri, quomodo dicat Euangelista hoc primo die accidisse, cùm nox iam esset, & Iudæi ab occasu solis diẽ inchoarent. Respõdet Theodorus Mopsuest. cùm dicit, *sero*, perinde esse ac si diceret, finita prima die, & inchoata secunda. De hac phrasi, *vna sabbatorum*, sæpe diximus, vide Matt. 28. 1. Quòd dicit fores fuisse clausas, ad declarandam futuri miraculi magnitudinem pertinet, quòd cũ clausæ fores essent, tamen per eas Christus ad discipulos penetrauerit. Hac enim de causa, & hoc loco, & infra ver. 26. tanta diligentia id Euangelista notauit. Nec antequam Caluinus hæreticus factus esset, cuiquam venerat in mentem aliter intelligere Christũ, quàm per fores ipsas clausas ad discipulos ingressum fuisse, quemadmodum & ex matre clauso exijsset vtero, & ex sepulchro nõdum reuoluto euasisset lapide; Iustinus q. 117. Chrysosto. homil. 2. de Ioanne Bapt. & hoc loco, Hilarius. lib. 3. de Trinitate, Euseb. Emis. in homil. in hæc verba, Augustin. hoc loco, & serm. de tempore 156. & in lib. de agone Christiano c. 24. Ambros. serm. 10. in Psal. 118. & lib. 10. in Lucã. Epiphan. hæresi 64. Gregorius Nazianz. in Christo patiente. Hieronymus in Epitaph. Paulæ. Amphilochius apud Theodoritum dialog. 2. Leo sermone 1. de resurrectione, & epistola 10. c. 5. & epistola 83. & Cyrillus. lib. 12. comment. in Ioannem c. 53. & lib. de recta fide ad Reginas, Theodorus Heracleota, Theodorus Mopsuest. Leontius, Beda, Theophy. Euthym. & Rupertus hoc loco, & Nicephorus lib. 1. c. 34. Neque verò spectandum solùm est, quid dicant hi tot, támque graues auctores, sed multo etiam maximè, quomodo dicant; ita prorsus, vt nec in mentem quidem illis venerit posse tam impudentem quenquam hæreticum reperiri, qui id vnquam esset negaturus. Abutebantur hoc loco Marcionistæ, vt probarent non habuisse Christum verum corpus, vt ex Hieron. Augustino, & Cyrillo in ijs locis, quos modò notauimus, intelligimus. Abutebãtur Manichæi, vt idem indicat Augustinus. Nemini vnquam Catholico venit in mentem respondere, quod Caluinistæ respondent, non fuisse clausis, sed apertis foribus ingressum; cùm, si id probari putarent posse, nulla tam expedita ad refellendos hæreticos ratio inueniri potuisset, quòd nimirum viderent non posse id nisi impudentissimè negari. Noui tamẽ hæretici, ne, si concesserint corpus Christi per clausas fores penetrasse, & illud concedere cogantur, in quo maximè à nobis dissident, posse etiam in Eucharistia ita esse, vt locum nullum occupet; alij dicunt fores quidem, cùm Christus accessit, fuisse clausas, sed cum pulsasset, aliquem ex ijs, qui intus erant, illi aperuisse; alij Christum ipsum sua potentia aperuisse, aut vltro fores illi sese pandisse, quod & cum Petrus è carcere ab angelo educeretur, factum legimus, Act. 12. 10. alij per fenestram, aut qua alia via ingressum esse, qui omnium prudentissimus videri vult, princeps eorum Caluinus non probat quemquam Christo fores aperuisse; illustre enim potentiæ Christi specimen fuisse, sed quærendum non esse, quomodo fuerit ingressus, hoc tantum nos tenere iubet, per fores non penetrasse. Cur ergo ô insane tam diligenter Euangelista notauit fores fuisse clausas, idque bis iterauit, nisi vt intelligeremus per ipsas clausas ingressum fuisse? Quod melius profecto quàm tu iudicio in 3. de Trinit. libro Hilarius expendit. *Quæro*, inquit, *per quas clausa domus partes sese corporeus intulerit? Diligenter enim Euangelista expressit, dicens, Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum.* Adde quòd verbum illud, *stetit in medio eorum*, hanc

A
B
C
D

Marcioni facheloco abusi, & Manichæi.

Caluini impudens commentum in 20. Ioan.

vim

Universidad de Deusto
Biblioteca

vim habet, vt indicet subitum sine vllo aduenientis indicio, siue strepitu, sine apertione ianuæ in medio constitisse. *Petrum* inquit Caluinus, *è carcere egressum fecimus, an continuò dicemus per fores penetrasse?* Primùm si tam apertè Lucas dixisset clausis foribus egressum esse, quàm Ioannes dicit ingressum fuisse Christum, haud dubiè diceremus. Deinde quidni dicamus Petrũ etiam per fores carceris penetrasse, cùm id Euangelista significet? cùm enim dicit portam vrbis ferream vltrò illis apertam fuisse, carceris verò portam non dicit, non obscurè indicat non aperta carceris porta exijsse. Certè meliores auctores, quã Caluinus, ita sentiunt, vt Rupertus. At meritò aliquis quærat, cur clausis Christus ianuis ingressus fuerit, cùm id aduersari potiùs, quàm seruire eius instituto videretur; volebat enim probare se verum habere corpus, *palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*; atqui hoc meliùs probasset, si apertis, quàm si clausis foribus ingressus fuisset; nam ipsum fores penetrare proprium erat spiritus. Multas eius rei causas graues auctores afferunt. Leontius, vt doceret, inquit, Apostolos deinceps non secundum carnem cogitare, id est vt glorificatum se habere corpus intelligerent. Nam *etsi cognouimus*, inquit Paulus, *secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus*. Theodorus Heracleota, vt suam ostenderet diuinitatem, cui nihil quantumuis clausum obstare posset. Theodorus Mopsuest. & Euthymius, ne discipulos deterreret, qui si foribus patefactis ingressum esse vidissent, ex Iudæis aliquem, quos timebant, esse putauissent. Theophyl. vt ostenderet, quomodo resurrexisset, nempe eodem modo exijsse de sepulchro, quo ad eos clausis foribus ingressus esset.

Venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.) Quam vim habeat verbum illud, *stetit*, modò diximus, non apertis scilicet foribus, nullo dato ingressus sui indicio subitum atque improuisum in medio constitisse. At cur *in medio?* quò melius ab omnibus conspiceretur, séque illis ostenderet, vt Euthymius ait. Accommodate autem ad eorum statum hac salutatione vsus est, *Pax vobis*, etsi alioqui inter Iudæos vulgaris erat. Erant enim in maximo timore, propterea que, vt Euangelista notauit, obseratas habebant fores, eum igitur vt illis timorem pelleret, statim dicit, *Pax vobis*, ijsdem vsus verbis, quibus ante mortem illis dixerat, *Pacem relinquo vobis, pacẽ meam do vobis* cap. 14. 27. vt vel inde, quis esset, agnoscerentur, vt Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthymius adnotarunt. Non est instituti nostri à sensu discedere litterali, & ad colligendos allegoriarum flosculos euagari; sed qui elegantem reperire volet in hunc locum allegoriam, Gregorium legat lib. 4. in 1. lib. Reg. c. 4. ad eos, qui mundo fores occluserunt, Christum nec opinatum venire, & incundissimam pacem dare.

20. *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus.*) Ostendit eis vestigia passionis suæ, & vt non alium se, quàm Christum esse ostenderet, & non alio, quàm quòd crucifixum fuerat, corpore surrexisse, vt Cyrillus, Leontius, Theodorus Heracleotes, & Theodorus Mopsuest. scribunt. Tradit propterea Lu- cap. 24. 36. 37. Christum, antequam manus, & pedes ostenderet, dixisse, *Ego sum, nolite timere*. territos verò fuisse discipulos, putasseque *se spiritum videre*; quibus ille ver. 38. & 39. *quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere*. Itaq; abs re est, quòd Theophylactus disputat quid causæ fuerit, cur discipuli viso repente Domino turbati non fuerint, id partim Magdalenæ tribuens, quæ se eum vidisse testata fuisset, partim voci Christi, quam continuò discipuli recognouerint; enimuero, vt Lucas affirmat, turbati sunt; sed id Ioannes, quod satis à Luca explicatum esset, silentio prætermisit. Eandem enim hanc Ioannis & illam Lucæ appatitionem fuisse neminem arbitror negare posse. Magis propria huius loci quæstio, quomodo Christus, cùm glorificato surrexerit corpore, cicatrices gestauerit, quæ vitium quoddã corporis sunt, quáque nemo nostrum, etiã si in hac habuerit vita, in altera glorificatus habiturus est. Retinuisse eas Christum magno consilio credendum est, & quia illustris victoriæ insignia erant, & solent victores duces ostentare potiùs, quàm occultare cicatrices: & quia testes volebat esse resurrectionis suæ; & quia oportebat, vt cùm ad iudicandum venerit, eas ostenderet, vt viderent eius hostes, *in quem transfixerunt. Clauis enim manus fixerant*, inquit hoc loco D. Augustinus, *lancea latus eius aperuerat, vbi ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt seruata vestigia*. Et serm. 18. de verbis Domini, *Nunquid non poterat Dominus sine cicatricibus resurgere? sed in discipulorum corde vulnera nouerat, propter quæ sananda cicatrices in corpore suo seruauerat*, idem ser. 147. de tempore, & Leo sermon. 1. de Ascensione, *Ad sananda infidelium cordium vulnera clauorum, & lanceæ erant seruata vestigia, vt non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur eam naturam in Dei Patris confessuram throno, quæ iacuerat in sepulchro*. Sententiam eandem Græcè Cyrillus dicit lib. 12. in Ioan. c. 58. & Eusebius Emesenus in hom. in hæc verba, Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius. Quin & martyres omnes suas esse in cælo cicatrices habituros non tãquam vitia, sed tanquam veritatis testimonia lib. 22. de Ciuit. cap. 20. idem docet August. Eusebius verò Emes. nonnullos hæreticos occasionem hinc sumpsisse dicit, vt dicerent omnia sanctorum corpora cum ijsdem vitijs resurrectura, cum quibus cecidissent, quod ex 1. ad Cor. 15. facilè refellitur. Aliam hîc quæstionem Cyrillus suscitat, quo modo verè glorificatum Christi corpus discipuli potuerint contueri, qui ne figuram quidem eius gloriæ in transfiguratione sustinere potuissent. Respondet Christum gloriam compressisse corporis sui, ne nimio splendore perstringeret discipulorum oculos. Idémque docet August. lib. 22. de Ciuit. c. 19. Difficilior quæstio, an discipuli Christi vulnera manibus, vt sibi certam fidem facerent, contrectarint. Nam Ioannes quidem, & Lucas tantùm dicunt Christũ vulnera sua tangenda illis ostendisse, sed an reuera tetigerint, neuter eorum dicit. Meliorum tamen auctorum opinionem esse video verè tetigisse, Augustini ser. 18. de verbis Domini, & serm. 155. & 158. & 160. Leonis epistola. 10. c. 5. Idque videtur haud obscurè Ioannes epist. 1. c. 1. 1. significare cùm dicit, *Quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt*. Accedit alia ex hoc loco coniectura, cùm Thomas dicit ver. 25. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*, indicat cæteros discipulos, vt sibi fidem facerent, se vidisse Christum affirmasse, se non solùm vidisse eum, sed etiam eius cicatrices manibus contrectasse, perinde enim loquitur, ac si dicat, Nisi mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, sicut ipsi vos fecisse dicitis, *non credam*.

Gauisi sunt discipuli viso Domino.) Non statim quidem viso, nam initio, vt Lucas tradit, turbari potiùs sunt, & spiritum se videre putauerũt; sed gauisi sunt viso, id est manuum contrectatione cognito. Dixe-

rat ante

Christus quomodo cicatrices gestauerit post resurrectionẽ.

Sup. c. 19 17. Zach. 12. 10. Trãct. 112. Cap. 2.

An discipuli manibus contrectarint Christum.

Lib. 14. ex c. 5. Act. 12. 23.

Luc. 24. 39.

2. Cor. 5. 16.

Iis qui mãdo fores occluserũt Christus pacẽ suam dat.

rat ante mortem, *iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum*. cap. 16. 22. & ideo Euangelista notauit gauisos fuisse, vt indicaret impletam fuisse Christi prædictionem, vt Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius aiunt.

21. *Dixit ergo eis iterum, Pax vobis.*) Postquam eum cognouissent; quasi, quod ante dixerat, nihil profuisset, quia non tanquam Christi, sed tanquam spiritus, aut phantasmatis salutatio excepta fuerat? Itaque repetitio hæc non solùm confirmandi vim habet, vt Augustinus, & Beda putant; sed etiam indicat priorem salutationem, quia non tanquam à Christo accepta fuerat, pene irritam fuisse. Aliter enim à Christo, quàm à mundo salutamur.

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.) Dubium qua in re Christus inter suam, Apostolorúmque missionem similitudinem ponat; nam Cyrillus quidem veritus, opinor, ne si aliter interpretaretur, Arianorum causæ fauere videretur, quasi eodem prorsus modo Christus à Patre, quo à Christo discipuli mittebantur, id est vt creatura à creatore, vt minor à maiore missus esset, ad solam hoc docendi retulit diligentiam; vt quemadmodum ipse non iustos quærebat, sed peccatores; ita se eos dicat mittere, vt peccatores ad pœnitentiam adducant. Eodem ferme modo Leontius, quemadmodum, inquit, me Pater misit, vt vos docerem; ita ego vos mitto, vt alios doceatis. Alij referunt ad potestatem, quam discipulis dedit, quasi dicat, quam potestatem mihi misso Pater dedit, eam ego vobis do. Quo sensu Rupertus his verbis exponit. *Quomodo enim vel ad quid misit filium Pater, nisi vt inter Deum, & homines pacem faceret? Quomodo itidem, vel ad quid suos in vniuersum mundum filios mittit prædicatores, nisi ad hoc, vt inimices Deo reconcilient hominẽs? Hoc nempe sciens Apostolus ait Corinthijs, Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta illorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Eodem modo videtur Elias Cretẽsis in commentarijs in 2. orat. de Theologia Gregorij Naz. & in orat. de recta doctrinæ sent. intellexisse. Itaque inter alia, quæ ex litteris sacris adducit exempla, vt doceat dictionem, *sicut*, & similes alias, cùm de Deo, & hominibus comparatè dicuntur, non æqualitatem, sed proportionem significare, hoc inprimis adducit. Christum enim à Patre tanquam parem à pari; Apostolos à Christo, tanquam homines à Deo missos esse. Duplicem ego potestatem his verbis declarari arbitror, alteram eam, quam ex Ruperto modò diximus, quam potestatem ipse à Patre missus accepisset, eam Apostolis dare, quos suo loco mitteret, quos vicarios suos faceret. Hoc apparet ex verbis sequentibus; propterea enim insufflauit in eos, propterea dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, vt ostenderet se, quantam auctoritatem ipse à Patre accepisset, tantam illis dare, nulla enim maior, quàm remittendi peccata esse potest. Itaque rectè ex hoc loco colligitur non solùm doctoris, sed etiam sacerdotis officium Apostolis tradidisse, vicarios enim constituit suos. Sed in hac ipsa similitudine potestatis ea dissimilitudo est, quæ inter principẽ, & legatum, dominum, & seruum, proprium magistratum, & vicarium esse solet. Christus etsi vt homo eam à Patre acceperat potestatem, tamen & habebat naturæ suæ, Apostoli non nisi eius habebant beneficio, & Christus non pro alio, sed pro se, Apostoli non pro se, sed pro Christo, vt vnus ex ipsis Apostolus dicit, fungebantur legatione. Itaque non debuerunt, vt noui hæretici colligunt seipsos pro nobis sacrificare, sed illud ipsum Christi sacrificium, tanquam eius nempe Vicarij, nobis repræsentare, id est repetendo eodem sacrificio eius ad nos fructum derivare. Altera potestas est non in Apostolis, sed in Christo; itaque non Apostolorum cum Christo, sed Christi cum Patris potestate comparatur; tanquam dicat, qua potestate Pater misit me, eadem ego mitto vos; non minorem ego, vt vos mitta), potestatem habeo, quàm vt me mitteret, Pater habuit, Hoc enim sensu dixit, Matt. 28. 18. 19. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; euntes ergo docete omnes gentes*. Expendunt Leontius, & Theoph. verbum illud, *Ego mitto vos*, aduersus Arianos, non dixisse, rogabo Patrem, vt mittat vos, sed *ego mitto vos*, tanquam æqualem cum Patre auctoritatem habens.

22. *Hoc cum dixisset insufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.*) Duabus hîc de rebus disputandũ, de spiritu, qui datus dicitur, & de flatu, rituque, quo datus est. Quærunt Chrysost. Cyril. & Euthym. qui fieri possit, vt Christus nunc Spiritum sanctum dederit, cùm c. 16. 7. dixerit, *Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos*. Eadem apud Hieron. 9. ad Hedibiam quæstio est. Res erat explicatu facilis, tamen multis grauissimis auctoribus difficilis visa est. Scribit Chrysost. nonnullos hac inductos ratione docuisse non dedisse nunc Christum Spiritum sanctum, sed promisisse, in qua sententia Theodorum Mopsuest. fuisse in Græcorum Catena lego, exponit enim, λαβέτε ἐστὶ λάβετε *accipite*, pro accipietis; idémque Theophylact. & Euthymius dicere videntur, non dedisse Spiritum sanctum, sed gratiam Spiritus sancti, per quam eos ad accipiendum postea Spiritum sanctum idoneos efficeret. Theodori Mops. error in quinta Synodo Constant. act. 3. can. 12. & in edicto Iustiniani Imperatoris condemnatur. Cyrill. multis disserit verbis dedisse quidem Spiritum sanctum, sed non propterea mentitum esse, verum promissionem suam anticipasse, vt ostenderet non solùm Patrem, sed etiam se Spiritum sanctum dare posse. Hoc illi in more fuisse, vt eorum, quæ se post reditum in cælum facturum promisisset, aliquod ante præberet specimen. Dixerat fore, vt imminente fine mundi mortui audirent vocem filij hominis, & qui audirent, viuerent, suprà c. 5. 25. voluit etiam ante aliquot velut exempli causa excitare mortuos. Disseruerat aliquando de futura sua gloria, *Videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate*. Oste- dit eius rei exemplum, cùm sese corã tribus discipulis transfiguravit. Hieronymus, Chrysostomus, Theodorus Heracleotes, & Eusebius Cæsarien. in Græca Catena, Leõtius Spiritum sanctum hîc appellari gratiam Spiritus sancti, cuius cùm varia sint dona, in die quidem Pentecostes omnia in Apostolos effusa esse, nunc verò solam remittendi peccata potestatem illis datam, quæ ipsa Spiritus etiam sancti donum sit. Quam sententiam etiam Theophylactus, Euthymius, & Rupertus magis probant. Itaque non inscitè Theodorus obseruauit Christum non dixisse c. 16. se non daturum Spiritum sanctum, antequam ad Patrem abiret; sed non missurum esse, hîc autem non misisse, sed dedisse. *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum*. Et verò si subtiliter loquamur, nemo Spiritus sanctus dicitur, cùm eius persona vllius apparet specie, vt cùm baptizato Christo columbæ specie descendit, & cùm die Pentecostes specie ignis; atq; linguarum; dari autem eum, cum eius aliquod donum datur. Vno verbo explicari res potest. Promiserat

Christus.

Quomodo Spiritum sanctum dederit Christus discipulis, què promiserat post discessum se missurum.

Theodori Mopsuest. error damnatus.

Matt. 24. 30. & 26. 64. Matt. 17. 2.

Matth. 3. 16. Act. 2. 23.

Duplex potestas à Christo in Apostolis.

Matth. 16. 19. & 18. 18.

1. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus si ipse priùs non abijsset, Spiritum sanctum visibiliter, & cum omnibus suis donis venturũ non esse, quod & factum est; nam ante Pentecostes diem hoc modo non venit; dedit nunc antequam abiret Apostolis eum etsi visibili signo, tamen inuisibiliter; quia cùm eos in vniuersum terrarum orbem dimitteret, oportebat, inquit Heracleota, viatico aliquo munire. Hinc alia, quam Augustinus tract. in Ioan. 74. copiosè agitat, soluitur quæstio, quo modo nunc Christus Spiritum sanctum Apostolis dederit, quem ante vtique iam habebant, nec enim sine Spiritu sancto diligere Christum potuissent, cùm nemo possit *dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* 1. Cor. 12. 3. Dicam breuiter, quæ multis illic verbis August. disputat, habebant quidem ante Spiritum sanctum, sed aliter, id est copiosiùs, quàm priùs habebant, nũc illis datus est, addita enim illis potestas remittendi peccata ante quidem illis promissa, Matt. 18. 18. nondum tamẽ data; datus autem est in Pentecoste aliter etiam, quàm nunc; nunc inuisibiliter, & copiosiùs quidem, quàm ante, tunc visibiliter, & copiosiùs, quàm nunc; idem tamen semper spiritus, vt idem ait Augustinus eodem loco & lib. 10. de Genes. ad litteram. c. 5. & lib. 4. de Trinit. c. 20. Sed ecce alia hinc nobis suboritur quæstio, quam & in illo 74. in Ioannem tract. D. August. retigit, quam ob rem hanc ipsam potestatem peccata remittendi nũc Christus Apostolis dederit, cùm Spiritus sancti donum esset, quod vna cum reliquis veniens in die Pentecostes afferre potuisset, præsertim cum ea ante vsuri non essent, *cohæsceni* enim *præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* Act. 1. 4. Augustinus non aliter respondet, quàm propterea bis Spiritum sanctum dare voluisse, quia duo caritatis præcepta sunt, alterum Dei, alterum proximi diligendi, & caritas Spiritus sancti donum est. Duas ego alias rationes probabiliores, nisi fallor, inuenio. Altera est, voluisse declarare Christum, non solùm Patrem, sed se etiam dare Spiritum sanctum, quod satis probare non potuisset, nisi antequam ex hoc mũdo discederet, illis daret. Id ex flatu, quo dedit intelligi potest, quo, vt postea dicemus propterea vsus est, vt significaret ex se procedere. Altera magis est propria, nullum aliud nunc donũ dedit Spiritus sancti, quàm potestatem remittendi peccata, eam non Patris nomine sed suo, ac proprio dare debuit, quia ipse solus mortuus fuerat *ad multorum exhaurienda peccata,* ipse eam potestatem sua morte comparauerat, ipse eam tanquam caput Ecclesiæ, quibus vellet, membris impertiri poterat; Ergo Spiritum ipsum sanctum, quia communis sibi cum Patre erat, noluit, antequam ad Patrem rediret, dare, vt ab vtroque missum esse appareret, porrò autem remittendi peccata, quę eo modo, quo diximus, propria ipsius erat, ipse per se antequam ad Patrem iret, dare voluit. De flatu nunc dicendũ, vbi tres quæstiones occurrere posse video, an verò Christus insufflarit, quare id fecerit, an insufflauerit in singulos Apostolos. Rupertus quidem, quem sæpe auctorẽ laudare soleo, in ea omnino sententia est, vt existimet Christum reipsa non insufflasse, sed eodem modo insufflasse dici, quo Deus in corpus recentis Adami inspirasse dicitur *spiraculum vitæ,* Genes. 2. 7. nõ quòd vllo corporeo vsus sit flatu, sed quòd ita vitalem illi spiritum dederit, quemadmodum si ore corporis in illum inspirauisset. Indulgendum auctori, nam nunc si quis diceret, haud scio an ferendus esset. Minimè enim obscurè Spiritum sanctum à flatu Euangelista distinguit, *Insufflauit,* inquit, *& dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.* Atque ita omnes alij auctores sentiunt. Itaque secunda sequitur quæstio, cur id fecerit, vnde & fecisse perspicuum erit. Diuersas eius rei apud auctores diuersos rationes lego. Augustinus hoc loco, & lib. 4. de Trin. 20. & lib. 10. de Gen. ad litteram. c. 5. & Victorinus lib. 1. aduersus Arium, & Beda, & fere Latini flatu significare voluisse Spiritum sanctum ex sua procedere substantia, nam & flatus ex intimo expiratur corpore. Cyrillus & Leontius, vt declararet eiusdẽ secum esse substantiæ; ijdem auctores duo, & Euthymius, & Philastrius in hæresi de anima hominis inspirata, & Ambros. ser. 10. in Psal. 118. vt ostenderẽt se eum esse, qui in primum hominẽ spiraculum vitæ inspirauerat, Genes. 2. 7. eundem enim se, qui hominem nondum viuentem animauerat, mortuum peccato per Spiritum sanctũ viuificare. Quæ in re mirabile quiddam apud Augustinum, & Philastrium Augustino vetustiorem inuenio. Scribit Augustinus lib. 13. de Ciuit. c. 24. inconsideratè aliquos ex hoc loco collegisse, animam hominis non tunc primùm factã fuisse, cùm Deus in faciẽ Adami inspirauit, sed animam, quæ iam in homine erat, per Spiritum sanctum fuisse viuificatam, qnemadmodum non dederit Christus Apostolis animam, sed iam datam spiritu viuificauerit. Eam Manichæorum fuisse hæresim scribit. lib. 2. de Genes. contra Manichæ. cap. 8. contra verò Philastrius inter hæreticos ponit eos, qui dicerent spiraculum illud, quod Deus in faciem hominis inspirauit, animam fuisse. Ad rem vt redeamus, aliam ego rationem, cur Christus insufflando Spiritum sanctum Apostolis dederit, esse arbitror, vt ipsam Spiritus sancti, quem dabat, naturam declararet. Est enim Spiritus sanctus veluti flatus quidam Patris, & Filij, & nomen ipsum Spiritus flatum significat. Habebat enim hoc imaginem quandam sacramenti, in quo externum symbolum Spiritum sanctum, qui intrinsecus dabatur, significabat. Neqi verò timendum idcirco Caluino est, ne hinc octauum, vt ipse se vereri dicit, fabricemus sacramentum. Scimus non quamlibet externam ceremoniam etiam rem sacram significãtem, & à Christo vsurpatam esse sacramentum, sed eam, quæ ita vsurpata est, vt voluerit esse perpetuam. Hoc semel fecit, vt & naturam Spiritus sancti declararet, & doceret ex sua procedere substantia. Nos id vsurpare non possumus, cùm Spiritus sanctus ex nostra substantia non procedat. Itaque etsi ordinationem in Ecclesiasticis sacramentis numeramus, quia, eam Christus Apostolis ad modum dedit sacramenti, & externo symbolo, & verbis internam Spiritus sancti gratiam significantibus, tamen impositionem manuum, & verba adhibemus, quæ Apostolos scimus adhibuisse. Flatum, quem adhibuisse non legimus, non adhibemus. Tertiam quæstionem nemo, quòd sciam, nisi Rupertus attingit, is autem, vt diximus, nec in singulos, neque in vniuersos Apostolos insufflasse putat. Omnino non insufflasse verbis repugnat Euangelistæ, non insufflasse in singulos separatim probabile mihi videtur; vnus enim in omnes flatus satis erat, rémque magis exprimebat, quemadmodum vnus ad omnes flatus æquè ad omnes perueniret, ita vnum, eundémque omnibus per vniuersum terrarum orbem ituris spiritum dari. Itaque non absurdè Didymus lib. 1. de Spiritu sancto hinc spiritus probat diuinitatem, quòd vnus, idémque in diuersis hominibus diuersis in locis esset. Alia celebrior hîc quæstio reliqua est, quam multis verbis Cyrillus versat, quid de Thoma dicendum, qui tum, cùm Apostolis Spiritus sanctus datus est, dicitur non affuisse; aneius expers fuit potestatis. Rectè omnino Cyrillus quæstionẽ explicat, etiam absenti Thomæ Spiritum

sanctum

Quomodo Spiritum sanctũ dederit Christus discipulis quẽ iam habebant.

Cur hanc potestatẽ Christus nunc dederit.

An verè insufflauit Christus.

Cur id fecerit.

Trac. 121.

Refellitur Caluinus

An in singulos insufflarit Christus.

Absentis D. Thomæ Spiritum sanctum datũ fuisse, Cyrillus & Chrysostomus censent.

sanctum datum fuisse; nam postea quidem datum esse non legimus. cùm credendum nullo modo sit cæteris parem Apostolis ea remittendi peccata, quæ tunc data est, potestate caruisse. Confirmat exemplo Eldad, & Medad duorum ex septuaginta illis senioribus, quibus Dominus auferens de spiritu Mosis, contulit, qui cùm in castris remansissent, nihilo tamen minùs eodem spiritu imperriti sunt.

Num. 11. 26. 27.

23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*) Declarat, quis ille spiritus esset, quem se illis dare dixerat. nempè potestas peccata remittendi. Multa hîc disputanda erant, sed quæ hoc loco dici poterant, omnia ex ijs, quæ Matth. 16 19. & 18. 18. diximus, intelligi possunt. Vis tantùm verborum hîc obseruãda. *Remittuntur, ἀφίενται,* & *retenta sunt, κεκράτηνται,* quæ multo est maior, quàm si dixisset, remittentur, & retinebuntur. Quasi dicat, quidquid siue in remittendis, siue in retinendis peccatis feceritis, iam nunc ratum habeo. Quanquam Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ, *remittentur,* legit futuro tempore. Rectè Ambr. lib. 1. de pœnitentia c. 2. Nouatianorum refellit hæresim, qui negabant, quemadmodum hoc tempore Caluinistæ, sacerdotes potestatem habere per sacramentum pœnitentiæ peccata remittendi, quòd id esset iniuriam Christo facere, cuius proprium sit remittere peccata. Eius verba quia non minùs contra Caluinistas, quàm contra Nouatianos dicta videri possunt, ponenda hoc loco iudicaui, *Sed aiunt se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent; imo nullis maiorem iniuriam faciunt, quam qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Euangelio suo dixerit Dominus Iesus, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt; quis est qui magis honorat, vtrum qui mandatis obedit, an qui resistit? Ecclesia in vtroque seruat obedientiam, vt peccatum & alliget, & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens vult ligare, quod non resoluat, non vult soluere, quod ligauit.* Rectè quoque Cyprianus in epistola ad Iubaianum ex hoc loco probauit potestatem remittendi peccata in sola esse Ecclesia, in qua sola Spiritus sanctus dari potest. Sed idem alibi eodem loco abusus est quemadmodum & Donatistæ postea abusi sunt vt probaret eos, qui ab hæreticis baptizati essent esse iterũ baptizãdos, epist. 76 sicut & Firmilianus in epist. ad eundẽ Cyprianum 75. Dissimulandus in corpore pulcherrimo næuus vnus est. Potestatem illam, qua hæretici per baptismum aliúdve sacramentum peccata remittunt, aut in Ecclesia Catholica, aut per Ecclesiam Catholicam acceperunt; itaque vtrumque verum est & in sola Ecclesia Catholica potestatem dari remittendi peccata & posse tamen aliquando per hæreticos peccata remitti.

Donatistarum error de potestate Ecclesiæ & Caluinistarum item.

Iohn. 11. 52.

24. *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus.*) Alibi monuimus, idémque Theophylact. hoc loco monet, Didymum non fuisse Thomæ cognomentum, sed nominis interpretationem; hoc enim nomen Didymi Græcè, quod Hebraicè nomen Thomæ significare, nempè geminum. cur ita vocatus fuerit, nihil constat; obseruauit verò Leontius Euangelistam nullius nomen Apostoli interpretatum esse, nisi Thomæ, vt Græci propter aliquam eius excellentiam factum intelligerent. Theophylactus ideo nomen interpretatum putat, vt eius declararet mores, quod incredulus esset, minimèque simplex. Sensus hic litteralis, quem nos vestigamus, facilis est, nec nostro indiget commentario. Moralem facilè per se quisque potest animaduertere. Coetus ille discipulorum Ecclesiam repræsentabat, à qua qui abest, à Christo non inuisitur. Scitè Bern. ser. 6 de Ascensione, *Fallere Thoma sancte, fallere, si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus. Non amat veritas angulos, non ei diuersoria placent. In medio stat, id est disciplina communis, communis vita, communibus studijs delectatur.* At cur ille potiùs, quàm quisquam alius à cœtu aberat? Quæstionem Chrysostomus mouet; idémque & eum secuti Theophylactus, atque Euthymius respondent propterea non affuisse, quòd ex illa Apostolorum dissipatione, quæ moriente Christo facta fuerat, nondum redierat. Sed huius ipsius rei quæritur causa, quamobrem vnus ille non redijsset. Sustinendum contra tantum Apostolorum iudicium est; sed posset coniectura aliqua esse veluti pro desperatis res Christi habuisse, ideóque ad exercitum non redijsse, quemadmodum solet in prælio rebus perditis accidere.

25. *Dixerunt ergo ei alij discipuli, vidimus Dominum.*) Simpliciter, & summatim Euangelista narrat, quid cæteri discipuli Thomæ dixerint, *Vidimus Dominum;* sed vt vers. 20 docuimus, verisimile est pluribus eos de ea verbis disseruisse, non solùm vidisse se, sed cum eo etiam collocutos, cum eo edisse, bibisseque, vt Lucas tradit. eius vulnera manibus suis contrectasse, vt idem suprà Ioannes indicauerat, quemadmodum Chrysost. Theoph & Euthy. obseruarunt. Hinc ergo Thomam occasionem sumpsisse credendum est ea dicendi, quæ sequuntur.

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.) Coniiciunt aliqui nostrum interpretem non fixuram, sed figuram transtulisse, quemadmodum & in nonnullis legitur exemplaribus; hoc enim esse τὸν τύπον τῶν ἥλων, deinde aliquem figuram in fixuram commutasse. Eandem faciunt coniecturam pro εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων, in figuram clauorum, legisse, εἰς τὸν τόπον τῶν ἥλων, *in locum clauorum.* Vtraque coniectura speciem habet probabilitatis, sed vereor ego, ne facilitas errandi erroris fidem fecerit, ideóque sibi multi persuaserint erratum esse, quia viderunt facilè errari potuisse. Malo erratum non credere, nisi erratum constet; præsertim cùm facilius sit istud, quod vitium putatur, defendere, quàm correctionem. Quæ enim est figura clauorum, nisi fixura? Idem ergo cùm sint, quod expressius erat, fuit eligendum, expressius autem fixura est; nam figura clauorum potiùs imaginem in tabula pictam significat, quàm clauorum plagam, fixura autem nihil aliud, quàm plagam significare potest. Et mittere digitum *in locum clauorum*, potiùs dixeris, quam in fixuram. idem licet sint, quia non solùm significat digitum in plagam mittere, sed pro clauo mittere. Augustinus quidem vbique fixuram legit. Nec sine causa factum esse existimandum est, vt cùm de figura clauorum loquitur, non dicat, *nisi misero* manum meam, sed *digitum meum*, cum autem de latere non dicat, nisi mittam digitum, *sed manum.* Habet quippè digitus figuram clari longi, atque quadrati; expansa verò manus figuram cuspidis latioris hastæ, quales etiam hodie in Hispania multæ reperiuntur. Volebat ergo Thomas non solùm videre, non solùm attrectare, sed quodammodo etiam metiri plagas Christi, ne quis fortè subesset dolus ne picta potiùs, aut summa signata cute, quàm altè impressa essent vulnera, qualia fuisse sciebat Christi. Itaque non significat Thomas, quemadmodum Chrysostom. Theodorus Heracleota, Leontius, Theophylactus, & Euthymius indicant, se aliis non credere discipulis dicentibus se vidisse, tetigisseque; credebat enim eos non mentiri, sed putabat falli, visus sibi fuisse

Mendax abesse à Christo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christum videre, cùm pro Christo aliquid aliud vidissent, potasse se vulnera tangere, cùm solam tangerent similitudinem vulnerum; se profecto prudentiorem fore, ac neque oculis, neque manibus suis crediturum, nisi ipsa quoque plagarum mensura respondeat. Nimis prudens incredulitas est, aut nimis potiùs incredula humana prudentia. Multi prudentes videri volunt, dum credenda perspicere, & manibus tangere, hæretici fiunt. Habet etiam magnam Græcè vim crebra articulorum repetitio, qua Thomas vtitur, *& δάκτυλον, τὴν χεῖρα, & τύπον, τὸν & τύπον*, quæ Latinè non apparet. Quærunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, vnde Thomas nouerit Christum in latere vulnus habuisse, cùm non adfuisset, cùm illud iam mortuus accepit; respondent id ab alijs, qui post resurrectionem viderant, discipulis didicisse, itaque eum reprehendunt, quòd vna in re discipulis credidisset, in alijs non credidisset. Potiùs credo vulgo notum fuisse Christum iam mortuum vulnus secundum latus accepisse; nam si notum non fuisset, non inuitasset discipulos, cum primum illis apparuit, vt vulnus lateris contrectarent ver. 20. Sic Augustin. ser. de tempore, 159. *Sciebat enim clauis in cruce confixum, sciebat lancea latus percussum, hæc signa quærebat, ideo non credebat.* Sunt qui Thomam excusent, in quibus Cyrillus non tam incredulitate eum hæc dixisse, quàm quadam animi perturbatione, qua vehementer angeretur, quòd Christum, sicut cæteri Apostoli post resurrectionem non vidisset, desperaret se posse videre, cùm ab illo audiuisset, *Modicum, & iam non videbitis me, quia vado ad Patrem.* Non enim dubitasse, quin is, qui alios suscitasset mortuos, posset & ipse sese mortuum suscitare. Alia quoque ratione Augustinus excusat, ser. de tempore, 156. *Vox, inquit, ista inquirentis est non neganti. Dum hoc dicit, doceri voluit, confirmari desiderauit*; idémque docet serm. 161. cuius verba paulò infrà recitabimus. Et Ambros. lib. 10. in Lucam cap. 24. *Quomodo ergo Thomas, cum adhuc non crederet, tetigit tamen Christum? sed ille non de resurrectione Domini, sed de resurrectionis videtur qualitate dubitasse.* Pium quidem, & charitatis plenum studium, sed Dominus eum reprehendit, *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Et *nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Quo etiam argumento paulò infrà, Theophylactus eos reprehendit, qui Thomam excusant. Meliùs est ex culpa Thomæ nobis facere medicinam, &, si cum illo non credèdo peccauimus, cum illo quoque confitendo agere pœnitentiam, quemadmodum Pacianus epist. 3. aduersus Nouatianos eleganter edisserit. *Non vis facere fidelem, quod Petrus fecit? Non vis prodesse nobis, quod Petro profuit? Age Thomas meus nonne post Domini resurrectionem de resurrectione dubitauit? nonne perfidiæ reus notatur à Domino, cum illæ clauorum notæ, cum professa manus, cum lateris vulnus ostenditur, cum sic ad eum ait Dominus, Noli esse incredulus, sed fidelis? Quid ergo? erubuit pœnitere? nonne humilius est? nonne Deum & Dominum suum illico confiteur? nunquid non illum exomologesis ista commendat?* Et Ambros. eodem loco, *Tactu*, inquit, *sic debuit me docere, sicut docuit & Paulus. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionē, & hoc mortale induere immortalitatem, vt incredulus credat, & cunctator dubitare non possit. Facilius enim credimus, quod videmus.* Nota est egregia Gregorij sententia homil. in Euang. 26. *Non hoc casu, sed diuina dispensatione gestum est. Egit enim miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit; quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione posita in fide solidatur.* Simile quiddam Augustin. ser. de tempore, 161. *Thomas ergo cum esset sanctus, fidelis, & iustus, hæc omnia sollicitè requisiuit, non quòd ipse aliquid dubitaret, sed vt omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam sufficerat illi ad fidem propriam vidisse, quem nouerat, sed nobis operatus est, vt tangeret, quem videbat, ut si forte diceremus delusos fuisse oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari.* Vsurpauit eandem Bernardus sententiam alijs ornatam verbis homil. 2. in verba Lucæ, *Missus est Angelus.*

Incredulitas nimis prudēs, vel potius nimis incredula humana prudentia.

Sup. c. 16. 1. Cyrillus & Augustin. S. Thomā excusant.

Ecclesiast. 7. 14.

1. Cor. 15. 53.

Luc. 1. 26.

26. *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis.*) Meritò optimus quisque auctor obseruat, atque miratur quanta Christus vsus sit diligentia, vt infirmum in fide Apostolum confirmaret, & velut errantem ouem ad gregem reduceret. Quod ipse officium esse dixerat boni pastoris. Matth. 18. 12. idémque nos facere alius eius Apostolus iubet, *Infirmum in fide assumite*, Rom 14. 1. Cuius diligentiæ causam Theodorus Heracleota esse putat, quòd Thomas non maligno animo sed infirmitate & summa rei ipsius difficultate commotus dubitasset; itaque dignum fuisse, qui ab eo errore, in quo aut nulla, aut humana esset culpa, liberaretur; quemadmodum de se dicit beatus Paulus, *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Pœna ignorantis, vt ille apud Platonem dixit, esse debet, vt doceatur. Quærunt multi cur non ante octauum diem se illi Christus ostenderit. Duas eius rei causas, Chrysostom. Theophylactus, & Euthymius afferunt; alteram, vt interim magis, ac magis eius incenderetur desiderium Christi videndi; alteram, vt intermedio illo tempore quasi catechumenus ab alijs instrueretur Apostolis, & aptior ad excipiendum Christum, eiúsque doctrinam efficeretur. Luæ quoque aliæ probabiles causæ mihi videntur afferri posse. Altera est, quòd non ante eum fortasse diem discipuli omnes congregati fuerint. Credibile enim est non semper omnes simul inclusos fuisse, volebat autem Christus Thomæ se non soli, sed coram alijs omnibus Apostolis ostendere; partim vt eorum etiam testimonio confirmaretur, partim vt coram quibus non credendo peccauerat, coram ijsdem redargueretur; eam enim nobis regulam ex eodem vtique hausturi spiritu eius postea discipulus Paulus præscripsit, vt publicè peccantes, publicè quoque argueremus 1 ad Tim. 5. 20. & quia, vt aiunt Leontius, & Cyrillus, non solùm illum volebat ab errore liberare, sed alios etiam, qui iam credebant. Apostolos in fide, eodem confirmare facto. Cur autem eo potiùs die quàm alio congregati fuerint, ratio hæc non improbabilis reddi potest, quòd die sabbati domi se omnes continerent, ideóque & sequenti die, antequam à se diuersi discederent, aliquandiu simul esse necesse fuerit; aut, vt Cyrillus indicat, quòd iam tunc Apostoli cœpissent die dominico Ecclesiasticos agere conuentus, quæ postea consuetudo in omnem manauit Ecclesiam, & vsque ad hodiernum diem conseruatur. Altera causa est, quòd voluerit diem illum resurrectionis suæ demonstratione celebrem esse, ideóque octo expectauerit dies, donec idem octauus rediret dies. Itaque etsi illa ferè communis omnium Theologorum sententia vera, dominicum diem iure ecclesiastico, non diuino institutum esse, tamen ex hoc loco tenuis quædam coniectura sumi potest aliquam ex Christi voluntate originem habuisse. An autem eodem nunc loco quo ante discipuli congregati fuerint, quidam dubitant, & Rupertus quidem non eodem loco, id est Ierosolymæ, sed Nazareth in Galilæa congregatos nunc fuisse putat, hoc impulsus argumento, quòd Christus iussisset eos per mulieres in Galilæam ire, fore vt ibi se viderent, & non esse credendum tam diu discipulos post eius præceptum Ierosolymæ commoratos. Cæterum ita rem narrat Euangelista, vt minimè obscurè significet eodem loco hanc, atque illam apparitionem factam fuisse. Cur autem nondum discipuli in Galilæam discessissent iustam videntur causam habuisse, quòd octo illi præcedentes dies fuissent festi.

1. Timoth. 1. 13.

Cur non ante octauum diem se Christus ostenderit Thomæ.

Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax vobis.) Quòd Christus eodem modò tunc, quo ante, ad discipulos venerit, quòd eodem modo id est, *ianuis clausis*, ingressus sit quódque *in medio*, vt ante, constiterit, quódque eadem dixerit verba, *Pax vobis*, non videtur carere causa. Quæstionem istam apud nullum auctorem inuenio, itaque propria vtendum est coniectura. Potest ratio hæc adduci, quòd voluerit Christus eodem prorsus argumento, eodémque modo, quo cæteris Apostolis fidem fecerat, & Thomæ facere, quia crediturum se negauerat, nisi eodem modo illum vidisset, quo se illi vidisse affirmabant, clausis ingressum ianuis, in medio constitisse, eius vulnera manibus contrectasse. Hæc autem singula, qua ratione sint intelligenda, suprà est à nobis ver. 19. explicatum.

27. *Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.*) De industria ijsdem Christum verbis vsum fuisse, quibus Thomas ante vsus fuerat, minimè obscurum est. Cur id fecerit, quæri potest. Theodorus Mopsuest. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius hanc reddunt causam, quòd voluerit Christus ostendere se tanquam Deum præsentem fuisse tunc, cùm Thomas illa dicebat verba, ideo non expectasse, vt quidquam Thomas diceret, sed ipsum præuenisse. Rationem admitto, sed alia mihi non minùs fortasse probabilis occurrit. Videntur mihi hæc verba tacitam quandam exprobrationem continere, quam explicat postea, cùm dicit, *noli esse incredulus, sed fidelis.* Perinde ergo est ac si diceret, Adesdum homo carnalis, qui nescis aliter, quàm tactu credere, *infer digitum tuum huc, & vide*, id est tange, *manus meas* (non enim erat digito visurus) *& affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Hanc rationem, explicationémque excogitatam à me priùs libens postea apud Theodorum Mopsuest. indicatam legi. Locus hic illius vulgo tritæ quæstionis est, anne Thomas reipsa Christum tetigerit, digitúmque in fixuras clauorum illius, manumque, quemadmodum inuitatus fuerat, in eius latus miserit, Euangelista enimi d non declarat; tantùm dicit exclamasse eū, *Dominus meus, & Deus meus*, & ita dicit, vt cùm non dixerit eum Christum tetigisse, sed eius exclamationem cum verbis Christi proximè coniunxerit, significare videatur non tetigisse, sed ex aspectu, & voce abundè cognito Christo, inspectisque vulneribus contentum exclamasse, *Dominus meus, & Deus meus.* Adde quòd non dicat illi Christus, Quia tetigisti, sed *quia vidisti me Thoma, credidisti.* Tribuitur hæc sententia Eusebio Emeseno, quam ille etsi apertè non dicit, indicat tamen in homilia in hæc verba; eámque Augustinus, & Beda hoc loco propter argumentum id, quod vltimo loco posuimus, probabilem ducunt, ita certè in commentarijs sentit Euthymius. Idem tamen Augustinus vbique, cùm suam dicit sententiam, verè tetigisse putat, vt hoc ipso loco, & serm. de tempore, 146. & 155. & 161. omnésque auctores alij, Ambr. lib. 10. in Lucam, c. 24. & in enarratione, Psal. 43. Gregor. hom. in Euangelia. 26. Gaudentius in tractatu de dedicatione Concilij sanctorum, Maxentius dialogo 2. Bernardus ser. 2. in illa verba Lucæ, *Missus est Angelus*, & ser. 61. in cant. cum. Idem graues omnes Græci auctores sentiunt Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Ammonius, Alexandrinus in harmonia Euangelica, & Theophylactus in commētarijs, & Theodorus Heracleota, & Mopsuest. in Græcorum Catena. Idque meo quidem iudicio ex verbis Christi haud obscurè colligitur. Dixerat Thomæ Christus, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, Et vide*, inquit, id est tange. *Nec* enim, vt scitè ait Augustin. *oculos habebat in digito, quoniam generalis quodammodo sensus est visus; nam & per alios quatuor sensus nominari solet, velut cum dicimus, Audi, & vide, quam bene sonet; olfac, & vide, quam bene oleat; gusta, & vide, quam bene sapiat; tange, & vide, quam bene caleat.* Ait deinde illi, *Quia vidisti me Thoma credidisti*, quo modo *vidisti?* eo vtique modo, quo tibi dixeram, *vide manus meas*; atqui illud, *vide*, idem erat, quod tange, ergo & hoc, *vidisti*, idem est, quod tetigisti. Adde simile vero esse voluisse Christum, vt sua vulnera, etiam, si se iam diceret credere Thomas, contrectaret, ne qua in illo infidelitatis fibra relinqueretur. Alia hīc Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Theophylactus exsuscitant, quomodo glorificatum corpus tangi potuerit, cùm vna glorificati corporis qualitas esse dicatur, vt adeo subtile sit, vt neque attrectari possit, neque teneri. Respondent diuina hoc dispensatione factum esse, vt resurrectionis probaretur fides. Quòd clausis ingressum fuerit ianuis, satis fuisse argumenti fuisse glorificatum, nihilque crassum, & terrenum habuisse; quòd autem tangi potuerit, diuina prouidentia factum fuisse. Ego ingressum per clausas fores non soli glorificationi, sed multo maximè diuinæ potentiæ tribuendum esse arbitror: nam & antequam glorificatum haberet corpus, idem facere potuisset.

Trast. 121.

Quomodo glorificatio Christi corpus tāgi potuerit.

28. *Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.*) Respondit, postquam tetigit. Edit autem tanto clariorem confessionem fidei, quanto antea magis fuerat incredulus. Sic ingenia sunt quædam, vt in quamcunque partem incumbant, plurimum valeant; cùm se in malum dederint. Saulis cùm in bonum, Pauli sint. Non respondet Thomas, quod respondendum esse videbatur. Credo Domine te esse, credo te à mortuis surrexisse; sed respondet, quod maius est, *Dominus meus, & Deus meus*, non solùm confessus Christum à mortuis surrexisse, sed, quod inde sequebatur Deum, ac Dominum verum esse, qui sese ex mortuis suscitasset. Clarissimum testimonium diuinitatis Christi redditum ab homine maximè etiam incredulo; quo Patres illi veteres & contra Iudæos, vt Cyprian. lib. 2. ad Quirin. cap. 6 & contra Arianos, vt Athanas. orat. 3. aduersus illos, & Hilarius libr. 7. de Trinitate, & Chrysosto. in homilia de Trinitate, Cyrillus hoc loco, & libr. 12. Thesaur. cap. 15. Maxentius dialogo 2. vsi sunt. Nec poterant Ariani respondere Thomam non verè Deum appellasse, sed eo modo Deum, quo & homines iusti dij appellantur, *Ego dixi, dij estis.* Primùm quia vtrunque nomen & Dei, & Domini Græcum habet articulum, qui adhiberi non solet, nisi cum de vero agitur Deo, *ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου*, vt hoc loco Cyrillus, Leontius, & Theophylactus monuerunt. Deinde quia, qui hoc dicebat, homo erat Israëlita, qui non ignorabat dictum esse, *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus vnus est*, vt Hilarius exaggerat. Præterea quòd non quilibet Israëlita, sed Thomas homo maximè incredulus qui non nisi oculis, manibusque credebat, Deum suum appellauit. Itaque commodè Chrysostomus, in homilia de Trinitate ita hoc interpretatur, quasi Thomas ad illud Psalmi 76. 3. dictum alluserit, *In a-*

Die dominico agitis conuentus in Ecclesia.

An Thomas Christum tetigerit.

Testimonium diuinitatis Christi clarissimum.

Psal. 81. 6 Sup. c. 10. 35.

Deut. 6. 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & non fum deceptus, tanquam dicat manibus se Deum esse Christum cognouisse; etsi non ignoro Hebræos & alijs verbis & sensu alio eo loco legere. Poterant respondere Thomam non absolutè Deum, sed Deum suum appellasse, quemadmodum Moses Deus Pharaonis dictus est. Exod. 7. 1. Sed facilè quoque hoc refelli potuit; Deum suum hominem Iudæum, & fidei suæ confessionem edentem vocaturum, minimè fuisse nisi verum Deum. Reperti tamen sunt, qui pro Arianis responderent, & eos, qui nunc Arianorum iterum hæresim suscitant, respondere docuerint, hæc verba non ad Christum, sed ad Patrem referenda, nec enim indicatiuam orationem, sed exclamationem esse, quasi dicat, O Deum immortalem, quid video? quid tango? Is nimirum Theodori Mopsuest. error fuit, qui in quinta synodo Constant. act. 3. canon. 11. & in edicto Iustiniani Imperatoris de professione fidei damnatus est; quod risu magis, quàm refutatione dignum est. Si enim sola esset exclamatio, non haberent hæc duo Græca nomina articulum, ὁ, sed dictionem ὦ, quæ vocantis, & exclamantis est propria. Deinde quia manifestum est confessum hac oratione Thomam se credere, quod ante non credebat; ante autem non dubitauerat an Pater, sed an Christus esset Deus, qui vinculis inferni teneri non posset, Christum igitur ipsum Deum esse confessus est. Denique Christus eius confessionem laudat, non quia Patrem, sed quia se Deum confessus est, *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Cur ergo non dixit apposito substantiuo verbo, Tu es Dominus meus, & Deus meus? Vt meliùs id ipsum diceret; nã præcisa, & veluti trunca oratio plus habet ponderis, & vehemẽtiæ; quasi tanto impetu in confessionem eruperit, vt non satis ad explendam orationem otij fuerit. Aliter Arianus quidam apud Maxentium in 2. dialogo disputat, non fuisse verum Deum, qui manibus cognitus fuerit; nec enim tangi posse Deum. Rectè idem Maxentius, & Gregorius homilia vigesima sexta in Euangelia, & Augustinus, & Beda hoc loco respondent aliud tetigisse, aliud credidisse, tetigisse, ac vidisse hominem, credidisse, & confessum fuisse Deum. *Videbat*, inquit Augustinus, *tangebátque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat. Sed per hoc, quod videbat, atque tangebat, illud iam remota dubitatione credebat.* Quæri etiam ab ijs potest, qui verba singula perpendunt, cur aut non contentus altero tantùm nomine Thomas fuerit vt vel Dominum tantùm suum, vel Deum suum appellaret; aut priùs Dominum, deinde Deum suum dixerit. Solebant Christum discipuli etiam ante id tempus Dominum appellare, Deum satis apertè non solebant. Ergo Thomas nomen illud, quo sæpè vti consueuerat, primo loco posuit, vt confiteretur se credere eum verè esse Christum, qui à mortuis surrexisset; deinde non contentus ea fide, quam ante Christi mortem habuerat, eum verè esse Dominum, id est filium Dei, cui in omnes homines datum esset imperium, altiùs prouehitur, & verum etiam Deum, quod nunquam ante apertè fecerat, confitetur.

29. *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.*) Fidem Thomæ Christus laudat, modum, quo credidit, reprehendit, quòd euidentia rei victus crediderit, quòd non tam sibi, quàm oculis, manibúsque suis credere voluisset. Quid sit, *Quia vidisti me*, superiore versu exposuimus; quia tetigisti me, quia palpasti non crediturus vtique, nisi vidisses, vt Eusebius Emesen, ait. Atqui non debet veluti tormentis extorqueri fides, non debet esse manu facta, eo plus habet meriti, quo minùs argumenti, atque rationis. Hoc enim est *fides, credere quod non vides*, vt Augustinus, Gregoriúsque dixerunt. Vnde illa vulgaris in hunc locum nata quæstio, quomodo Thomas, quod videbat, credere potuerit, cùm fides sit, *credere quod non vides*, & vt diffinit D. Paulus, Hebr. 11. 1. *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.* Sed superiore à nobis versu explicata est hominem vidisse Deum credidisse; sed hoc ipsum in Thoma reprehendit, quòd Deum non crediderit, nisi quia hominem à mortuis suscitatum vidit; eósque eius comparatione beatos prædicat, qui non videntes crediderunt; plus enim meriti esse, & ad naturam fidei propius accedere credere, quæ non videas. Quod cùm dicit, non negat, vt Theophylactus monet, Thomam esse beatum; beatus enim erat, qui tanto fuerat errore, tanto salutis discrimine liberatus, qui Christum Dominum, Deúmque suum & agnouerat, & palam confessus fuerat; sed eos illi præfert, qui cùm non viderint, crediderunt, quasi ipse eorum comparatione beatus dici non debeat. Putat idem Theophylactus, idémque Euthymius cùm dicit, *Qui non viderunt, & crediderunt*, reliquos Apostolos significare, qui non videntes credidissent, alij vacuo reperto sepulchro vt Petrus & Ioannes suprà vers. 8. alij, quòd ex illis, aut ex alijs audiissent. At iam suprà docuimus cæteros etiam Apostolos & vidisse, & tetigisse, ideóque credidisse, quia viderunt, tetigeruntque: nam & postquam viderant, aut tetigerant, quodam modo dubitabant, vt ex Luca. c. 24. 41. manifestũ est. Nam quòd Euthymius respondet, credidisse quidem cæteros resurrexisse Christum; sed an ille, quem videbant, Christus esset, dubitasse, videtur & de Thoma dici posse. Certè ad eos non alludit Christus, qui iam viderant, sed ad eos potiùs, qui nec viderant, diem supremi nec ante iudicij visuri erant, & erant nihilominus in ipsum crediturí; nam per præteritum de futuro loquitur, vt Augustinus, Cyrillus, & Beda hîc, & Gregorius homilia in Euangel. 26. & Rupertus in commentarijs interpretantur. Putat autem Rupertus mysterium hoc esse, & Thomæ persona non reliquos solùm Apostolos, sed omnem etiam Iudæorum populum, eorum verò nomine, qui non vidissent, & credidissent, Gentiles designari, quod etiam indicat Augustinus. Cur ergo Thomam Christus reprehendit, cæteros Apostolos non reprehendit, si nec illi crediderant, nisi videntes? Rupertus, qui eam quæstionem mouet ad illud, quod diximus, mysterium refert; sed quia id certũ non est, alia ratio magis certa quærenda. Primùm quidem etiam alios reprehendit, & quidem posteaquam eius vulnera tetigissent. Luc. 24. 41. *Quid*, inquit, *turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Deinde grauiùs Thomam castigauit, quia maiorem ostenderat incredulitatem. Alij enim etsi non crediderũt, saltem plerique nisi videntes, tamen non dixerant se, etiamsi vidissent, tamen nisi digitum suum in fixuram clauorum eius, & manum in latus intulissent, non credituros: Thomas verò animum ad non credendum obstinasse videbatur, *nisi misero digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Hinc quoque intelligi potest ratio quamobrem Petrum, qui eum Filium Dei viui confessus fuerat, beatum dixerit, Matt. 16. 17. Thomam verò, qui eum clariùs Deum simul, & hominem confessus est, beatum non dixerit; nimirum Petrus, id dixit, antequam Christum à mortuis suscitatum vidisset, antequam eius vulnera contrectasset, itaque de illo etiam quodammodo, sicut & de veteribus illis Patriarchis, atque Prophetis, dici, *beati qui non viderunt, & crediderunt.* Thomas

Theodori Mopsuest. error damnatus.

Psal. 15. 10. Act. 2. 24.

Ariani eiusdem obiectio refutata.

Tract. 90. in Ioann. Hom 26. in Euang. Quomodo quod videbat, crediderit.

Cur solum Thomam Christus reprehenderit.

Luc. 10. 24.

præclaram quidem sed nimis seram addidit confessionem fidei; itaque singularis fidei laudem tarditas minuit. Bis dat, qui citò dat.

30. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorũ suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.*) Dubium de quibus hic signis Euangelista loquatur, de omnibúsne, quę ad eum vsque diem fecerat Christus, an de illis tantùm, quæ ad probandam resurrectionem suam post ipsam resurrectionem fecit. In quam partem Cyrillus, Augustinus, & Beda magis inclinent, vix ex eorum commentarijs colligi potest, generaliter tamen de omnibus Christi miraculis videntur interpretari. Contra verò Chrysosto. Leontius, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, & vt videtur, Eusebius Emesenus in homil. de Pascha de illis tantùm miraculis Euangelistam loqui putant, quæ Christus post resurrectionẽ fecit. Quod & ego magis probo partim propter eorum auctorum argumentum, quod leue non est, nullam fuisse rationem cur adderet, *In conspectu discipulorum suorum*, si de ijs etiam, quæ ante resurrectionem fecerat, loquebatur. Nam quæ ante fecerat, non solùm coram discipulis, sed coram toto fecisse mundo; quæ autem post resurrectionem fecit, ea non nisi coram discipulis facere voluisse, vt eorum stabiliret fidem, vt resurrectionem suam postea tanquam testes oculati minimè hæsitantes alijs prædicarent. Deinde quia si hoc Ioannes ad omnia, quæ toto narrauerat libro, retulisset, non dixisset, *Multa & alia signa*, sed multa alia Christus edocuit, & fecit, quæ hoc libro scripta non sunt; non enim de solis egerat Christi miraculis. Denique si de omnibus omnino miraculis ageret, quæ & Christus effecisset, & ipse scribere decreuisset, non hoc loco hunc veluti epilogum posuisset, sed in fine libri, vbi alteram generalem posuit, *sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*; nec enim hoc loco librum claudebat. Obiiciet aliquis nullum Ioannem à Christo post resurrectionem factum narrasse signum. Rectè Eusebius Emesenus dicit, quòd bis ad discipulos clausis ianuis ingressus fuisset, quod Ioannes narrauerat, duo maxima quamuis generis eiusdem fuisse signa. Deinde, vt ego quidem arbitror, non sola miracula, sed omnia, quæ Christus ad declarandam resurrectionem suam fecerat, signa Ioannes vocat, quia omnia resurrectionis eius signa erant. Signum ergo fuit non solùm, quòd clausis ingressus foribus, sed quòd sese discipulis ostenderit, quòd sua illis vulnera demonstrauerit. Itaque sensus est multis quidem alijs rebus suam Christus resurrectionem declarauit, quas hoc libro scribendas esse non iudicaui, contentus narrasse eas, quæ satis mihi esse visæ sunt, vt eius credatur resurrectio. Cùm dicit, *In libro hoc*, videtur indicare in aliquo alio libro scriptas esse. Ac fortassis ad alios alludit Euangelistas, qui alia quædam resurrectionis Christi signa commemorauerant, quasi dicat à me quidem hoc loco scripta non sunt, sed ab alijs alibi scripta sunt. Maior quædam quæstio ex nostra nascitur interpretatione, qui fieri possit, vt de signis post resurrectionem à Christo factis Ioannes agat, cùm sequenti capite alia etiam nonnulla post resurrectionem ab eo itidem facta narret. Quæstio non nostra est propriè, sed ijs etiam communis, qui de omnibus generaliter Christi miraculis hunc locum intelligunt; nam si de omnibus loquebatur, finémque illis imponebat, quomodo postea quædam etiam miracula eius narrat, quale illud est de captura piscium? cap. 21. 6. Hæc res suspicionem leuibus quibusdam hominibus iniecit sequens caput aut Ioannis non esse, sed ab aliquo scripto tam à Ioanne Euangelio additum fuisse; aut Ioannem certè ipsum postquam Euangelio finem imposuisset, recordatum eorum, quæ in eo capite narrantur, illud adiecisse. Magnus mihi vterque videtur error, & minimè ferendus. Nam Ioannis esse neque Ecclesiæ consuetudo, atque approbatio, neque Concilij Tridentini de libris canonicis grauissimum decretum patitur hominem quemquam Catholicum dubitare; & Ioannem postea recordatum addidisse, est eam iniuriam Ioanni facere, quam nemo vlli quamlibet profano historico fecisset. Quasi verò obliuiscì, quæ meminisse oportebat, potuerit is, qui suggerente Spiritu sancto loquebatur; & vt Spiritum sanctum magistrum non habuisset, qui ipse viderat, quorum pars magna fuerat, rerúmque natura sua tam memorabilium, vt nemo tam fluxæ memoriæ sit, quin semel tantùm auditas perpetuò recordetur. Quid ergo ad quæstionem respondendum: Augustinus, & Beda, qui quæstionem leuiter attigerunt, his verbis respondent, *hoc capitulum veluti libri huius indicat finem, sed narratur hic deinde, quemadmodum se manifestauerit Dominus ad mare Tiberiadis, & in captura piscium commendauerit Ecclesiæ sacramentum, qualis futura est vltima resurrectio mortuorum. Ad hoc itaque commendandum valere arbitror, quod tanquam finis impositus est libri, quod esset etiam secuturæ narrationis quasi proœmium, quod ei quodam modo faceret eminentiorem locum.* Itaque videtur D. Augustinus existimare, cùm Ioannes dicit, *Sed hæc scripta sunt, vt credatis*, non ea solùm, quæ dixerat, sed ea etiam, quæ capite sequenti dicturus erat, comprehendere. Rupertus verò ad hunc modum quæstionem soluit, narrasse Euangelistam duo miracula à Christo post resurrectionem facta, quæ quasi duo testes ad faciendam resurrectionis fidem satis esse poterãt; in ore enim duorũ vel trium testiũ stare omne verbum; sed ne quis diceret tertium se testem desiderare, tertium etiam capite sequenti miraculum adiecisse. Alij respondent hactenus Ioannem ea narrasse signa, quæ Christus post resurrectionem Ierosolymæ fecisset; quorum quia vltimum fuerat, quòd octauo die clausis ad Thomam, & alios discipulos foribus ingressus erat, finem quodammodo illis imposuisse, *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc*; postea verò capite sequenti non ea, quæ Ierosolymæ, sed ea, quæ in Galilæa postea fecit, commemorasse. Ego multo faciliùs mihi videor respondere posse, non agebat Ioannes de quibuscunque signis, sed de ijs tantùm, quæ Christus ad probandam suam discipulis resurrectionem fecerat, ijs autem finem hîc posuit: nam quæ fecisse dicitur, postea capite sequenti non ad probandam suam resurrectionem, quam iam satis discipuli credebant, sed alia de causa fecit, quam illic explicabimus; ideo hoc epilogo hîc vsus est.

31. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*) Multa hîc Euangelista paucis verbis significat. Primùm rationem tacitè reddit, quamobrem alia, quæ commemorari poterant, miracula prætermiserit, quia necessaria ad credendam Christi resurrectionem non erant, cùm ea, quæ narrauerat, satis essent. Deinde ostendit se non ad Christi scripsisse gratiam, cùm multa, quæ maximè etiam ad eius laudem pertinerent, omisisset, vt Theophylactus obseruat. Præterea non ambitionis causa; solent enim, qui ambitiosè historias conscribunt, nihil memorabile, & quod lectu iucundam facere possit historiam, præterire, vt Chrysostom. Theophylactus & Euthymius exponunt. Denique se scripsisse, non vt lectoris palato, & curiositati satisfaceret, sed vt vtilitati consu-

Deutzmo Ioannem ea pute dubitatio.

Sess. 4.

Deut. 17. 6. & 19. 15. Matt. 18. 16. 2. Cor. 13. 1.

Auctoris expositio.

Tract. 122.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lerer. Itaque hæc ipsa, quæ dixit, dicturũ se non fuisse indicat, nisi lectoris compulsus esset vtilitate. Quæ omnia eo tandem redeunt, vt maiorẽ ijs paucis commemoratis signis fidem faciat, quàm si cætera etiam, quæ omisit, commemorasset. Eo enim magis illi creditur, quo magis ostendit non gratiam, non laudem, sed solam lectoris vtilitatem in scribendo quæsiuisse. Alloquitur autem tanquam magister discipulos suos omnes, qui eius librũ lecturi erant. Dixit se hæc scripsisse, vt credamus Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes vitã habeamus, id est, vt credamus eum, cuius scripserat historiam, cui nomen erat Iesus, esse Christum, id est Messiam illum per Prophetas promissum, quem illi filium Dei futurum dixerant. Videtur dicendum potiùs illi fuisse, vt credatis, quia Iesus à mortuis resurrexit; de illis enim, vt diximus, agebat signis, quæ ad probandam Christi resurrectionem recensuerat. Ita se res habet; sed quia propterea resurrectionẽ probauerat, vt crederemus eum, qui resurrexerat, Christum filium Dei esse, maluit vltimum, A quàm medium finem, cur scripsisset, nobis ostendere, cùm dicit, *Et credentes vitam habeatis in nomine eius*, effectum eius declarat fidei, & fructum, quem simus ex ea consecuturi, vt *in nomine eius*, id est eius merito, atque virtute vitam æternam habeamus; non enim esse *aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Act. 4.12. & vt idem Petrus ait, Act. 10.43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*. Et hic idem Ioan. 1 epist. c. 2. 12. *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius*. Nomen Christi fidem vocat, quia per fidem in nomine eius credimus. Atque eodem modo hunc locum possumus interpretari, *vt vitam habeatis in nomine eius*, id est per fidẽ, hoc enim est in nomine, B quod credentes. Sed inepti hæretici sunt, dum duos hinc suos errores colligunt; alterum, nullum prorsus in nobis meritum esse; alterum, solam fidem salutis esse causam; quem vtrumque sæpè alibi refutauimus: illum Matth. 5.12. hunc Matth. 9.2.

CAPVT XXI.

1. *POSTEA manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: 2. Erant simul Simon, Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. 3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt. 4. Mane autem facto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. 5. Dixit ergo eis Iesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. 6. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete: & inuenietis. Miserunt ergo: & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. 7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. 8. Alij autem discipuli nauigio venerunt: (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. 9. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. 10. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terrã, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est. 13. Et venit Iesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter. 14. Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset à mortuis. 15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro, Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. 16. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. 17. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. 18. Amen, amen dico tibi: cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. 19. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. 20. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? 21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine hic autem quid? 22. Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. 23. Exijt ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur.*

2. Pet. 1. c. 14.

Sup. 13. c. 23.

sed:

sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? 24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius. 25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

sup. 20. n. 30.

IN CAP. XXI.

1. POSTEA manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis; manifestauit autẽ sic.) Eorum errorem, qui hoc caput aut ab alio auctore, quàm Ioanne, aut à Ioãne ipso priùs oblito, postea, recordato huius historiæ adiectum esse putant, superiore cap. vers. 30. refutauimus. Sed potest tamen quæri, cur illic finem Ioannes non fecerit Euangelij, cùm se ea scripsisse dixerit, quæ vt crederemus, vt credentes vitam haberemus, satis essent. Hîc nouorum hæreticorum tenetur amentia, qui Euangelistas, & Apostolos hoc sibi in scribendo proposuisse putant, vt certam nobis doctrinæ formam constituerent. Quod si præcipuum consilium eorum fuisset, & omnia profectò, quæ credere necesse esset, & nihil quod necessarium non esset, tradidissent. Nunc verò nec omnia tradunt necessaria, & multa non necessaria sæpe tradunt. Nam duo illa miracula, quæ Ioannes superiore capite à Christo post resurrectionem facta esse dixit, necessaria esse iudicauit; atqui nullus alius, qui iam scripserat, Euangelista narrauerat. Et postquam ipse omnia, quæ ad credẽdum necessaria esse dixerat, commemorauit, alia hoc capite commemorat vtique ad credendam resurrectionem non necessaria, tamen commemorat: quia non id sibi propositum habebat, vt ea præcisè traderet, quæ ad credendum in Christum essent necessaria, sed vt Christi texeret historiam non omnibus quidem explicatis rebus, quas si persequi voluisset, tot, vt ait in fine capitis, scripsisset libros, quot capere totus terrarum orbis non potuisset; sed præcipuis tantùm capitibus expositis. Cùm ergo huiusmodi quædã capita maximè scitu digna, dum alio animum intendunt, alij Euangelistæ prætermisissent; ea Ioannes hoc capite nobis narrat. Ea verò duo sunt, alterum quomodo se iterum Christus in Galilæa ad mare Tiberiadis discipulis ostenderit; & quomodo Petrum data illi ouium suarum pascẽdarum cura iusserit sequi se, & quæ inde de Ioanne disputatio nata sit. Quod dicit, *postea* μετὰ τοῦτο post hæc, perinde est, ac si dicat, post hæc duo signa, quæ modò narrauit, post duas illas apparitiones, quibus dixi suam resurrectionem satis discipulis probauisse; iterum sese illis Christus manifestauit, non ad faciendam resurrectionis suæ, quam iam credebant, fidem, sed ad eam ipsam fidem, quam iam habebant, vt Cyrillus ait, constabiliendam; aut vt Augustinus, & Beda putant, vt mysterium illis aliquod in illa captura piscium declararet. Vtrumque enim probabile est. Notant Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, & Euthym. verbũ illud, *manifestauit*, ἐφανέρωσεν hanc vim habere, vt significet Christi corpus iam glorificatum, nisi Christus voluisset, videri non potuisse. Itaque sicut ante resurrectionem corpus illius natura sua visibile erat, sed diuina, cùm volebat, potentia inuisibile reddebat; ita post resurrectionem, cùm inuisibile propter subtilitatem, & gloriam natura sua esset, visibile potentia sua discipulis reddidisse. Illud certè indicat hoc verbum, non semper post resurrectionem, sed certis, quibus volebat, interuallis à discipulis visum fuisse.

A Quòd dicit, *iterum*, non significat secundam hanc manifestationem fuisse; hanc enim postea vers. 14. tertiam appellat, & tamen *iterum*, idem est atque secundo. Ergo dicens, *iterum*, secundam hanc fuisse manifestationem non ordine quidem, ac numero: nam numero, si omnes numeremus, vt apud Matth. c. 28. 16. probauimus, octaua fuit: sed habita ratione loci, quasi dicat, secundo loco manifestauit se Christus ad mare Tiberiadis. Nam etsi priùs diuersis in locis iuxta sepulchrum mulieribus, alibi Petro, duobus illis discipulis euntibus Emmauntem in via, & bis discipulis Ierosolymis congregatis, tamen vt apud Matthæum diximus, Euangelista de illis tantùm loquitur apparitionibus, quæ non priuatim huic, aut illi, sed omnibus publicè factæ sunt, qua ratione hæc numero fuit tertia, vt ait ver. 14. loco secunda, quia Ierosolymis bis ante publicè apparuerat, nunc iterum, id est secundo loco, tertio ad mare Tiberiadis apparet. Mare Tiberiadis non verum mare, sed illum fuisse lacum, qui Genesareth appellabatur, qui & mare Galilææ, & Tiberiadis diuersas ob causas dictus fuerit, Matthæi cap. 4.18. docuimus.

B 2. *Manifestauit autem sic.*) Non videtur catere causa, quòd tanta Ioannes diligentia omnes huius manifestationis circunstantias describerit. Et facilè quidem illa communis occurrit causa id ideo fecisse, vt maior constaret fides historiæ, sed aliam quærimus, si quæ fortè magis est propria. Non inanis fortassis eius fuerit coniectura, qui mysterium aliquod maius, quàm appareat existimauerit in hac fuisse piscatione, vt postea ex Augustino, aliisque auctoribus dicturi sumus, ideirco plus diligentiæ in eius descriptione adhibuisse.

Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus.) Erant in Galilæa in monte mari vicino, in quem eos Christus ire iusserat. Matth. 26.32. & 28.16. nondum enim illis in Galilæa apparuerat, vt Matt. 28. 16. disputauimus. Personas Euangelista nominatim exprimit, vt magis commendet fidem historiæ, Apostolos quattuor Petrum, Thomam, & duos Zebedæi filios Iacobum, & Ioannem, hunc ipsum, qui rem narrat; Nathanaelem, de quo diximus cap. 1.45. Vnde coniectura aliqua sumi potest locum, vbi tunc hi discipuli erant, fuisse Bethsaidam, vnde Petrus, Iacobus, & Ioannes, ac fortasse etiam Thomas erant. Credibile enim in patriam redijsse, vt illic dum Christum præstolabantur, piscatoriam veteri suo instituto exercerent. Qui alij duo discipuli fuerint, Euangelista non dicit; & non est nimis curiosè vestigandum, quando ne illi quidem auctores, quibus nihil ignotum videtur fuisse, quique nihil non audent diuinare, qui isti fuerint, tradiderunt. Sed si ea, quam modò diximus, de Bethsaida coniectura vera est, eadem eò quoque potest pertinere, vt suspicemur eos duos discipulos Andream, & Philippum fuisse; nam & ipsi Bethsaiditæ ciues erant, cap. 1.44. caueat tamen lector, ne de re incerta quidquam affirmet. Putant Augustinus, & Beda hoc ipso septem discipulorum numero præsens designari seculum, cuius vniuersum septem diebus voluitur tempus.

C

D

E

Christi corpus post resurrectionem inuisibile quare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 21. 12. Cui. Ioan. 6. 9. &c.

3. *Dicit eis Simon Petrus, vado piscari, dicunt ei veniμus & nos tecum.*) Hanc phrasim alibi declarauimus, quæ verba non actum, sed decretum, & voluntatem significant; *vado piscari*, id est volo ire piscatum, &, *venimus & nos tecum*, id est & nos tecum venire volumus. Locus hic vulgaris illius quæstionis est, quid causæ fuerit, cur posteaquam discipulo omnibus relictis rebus Christum sequi cœperat, Matthæum quidem publicanum ad pristinam suam artem non legamus redijsse: Petrum, & cæteros, qui piscatores erant, ad piscationem redijsse auctore legamus Ioanne. Chrysostomus, Theodoritus Heracleota, Theophylactus, & Euthymius, idemque sentire Leontius videtur, cur Petrus, & cæteri piscatores ad piscationem redierint, non aliam rationem afferunt, quàm quòd cùm segregari à Christo essent, & necdum missi fuissent ad prædicandum, & ne otiosi essent, & vt victum sibi ex arte sua compararent, ad piscationem se contulerint; Cyrillus aliquid in eo mysterij fuisse suspicatur, voluisse Christum per piscationem illam Petri, & aliorum discipulorum futurum eorum officium in piscandis hominibus designare, ideóq; permisisse, vt ad eam reuerterentur. Mysterium piscationis alijs etiam, vt posthea dicemus, auctores agnoscunt licet non eam ob causam ad piscãdum dicant redijsse. Augustinus hoc loco, Beda, & Rupertus, & Eusebius Emissenus in hom. in hæc verba, & Gregorius homil. 24. in Euangel. respondent non fuisse Apostolis à Christo prohibitum honesto labore victum quærere, quamuis potestatem illis fecisset viuendi ex Euangelio: tunc Euangelium non prædicasse, & si prædicassent, tamen potuisse, vt Euangelio parcerent, labore manuum suarum viuere, quemadmodum legimus fecisse Paulum, Actorum 20. 34. & 2. Thessal. 3. 8. Nec id fecisse contra illud Christi documentum, *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei*, Luc. 9. 62. non enim esse retro, sed ante respicere, cùm Euangelico non desis officio, manibus laborare. De Matthæo verò Gregorius eodem loco in hunc modum scribit, *Piscatorem Petrum, Matthæum vero telonearium scimus, & post conuersionem suam ad piscationem Petrus redijt, Matthæus vero ad telonij negotium non resedit: quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonij lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est vt post conuersionem animus non recurrat.*

Cur Apostoli ad piscationem redierint.

Fer. 4. post Resurr.

Hom. 24.

Et exierunt, & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt.) Quòd noctu piscaturam exercuerint, de more fecerunt; solent enim pisces faciliùs noctu capi. Itaque hoc ipsum ad augendam miraculi pertinet magnitudinem, quòd noctu, quo tempore maior piscium copia capi solet, nihil cœperint; orto verò die, cùm minùs copiosa diffugientibus piscibus piscatio est, tantam cœperint multitudinem, vt trahere rete non possent. Vnde apparet vtrumque diuina factum esse prouidentia; itaque ille idem, qui postea fecit, vt tantam copiam caperent pisciũ, vt rete rumperetur, fecerat ante, vt tota laborantes nocte nihil caperent. Ratio in promptu est, si permisisset Christus, vt ea nocte aliquid caperent, occasionem miraculi faciendi non habuisset, quam ex eo sumpsit, quòd nihil tota cepissent nocte, quòd si fecisset, tamen minus miraculum apparuisset cùm casu factam putari posset, vt plures in ea parte maris, quàm alibi pisces essent. Cùm verò nihil omnino tota nocte prendidissent ad vnum verò Christi verbum tantam subito cepissent copiam, quid existimare aliud potuerunt, nisi diuina id factum esse virtute? Hæc certè omnia sunt litteralia, & ab Euthymio breuiter indicantur. Sed quia, vt diximus, aliquid per hanc piscationem mysterij significatum est, ad litteralem quoque pertinebit sensum aliquid dicere mysticum, atque morale. Cyrillus, Leontius, & Rupertus existimant hoc fuisse per hos discipulos tota nocte laborantes, & nihil prehendentes significatum, nihil Mosem, & cæteros veteris testamenti prophetas in adducendis ad salutem hominibus profecisse, de nocte quippe laborasse: legem enim Mosis noctem fuisse, quæ non nisi valde obscuram, & vmbratilem Dei haberet cognitionem, ideo nihil, vt ait Diuus Paulus, ad perfectum adduxisse; cùm dies illuxit, cùm Sol iustitiæ Christus ortus est, eius verbo, atque Euangelij prædicatione innumerabiles per vniuersum terrarum orbem captos fuisse. Eusebius Emesenus eos designari dicit, qui ipsi sibi à Deo non missi officium prædicationis vsurpant, quibus nunquam fructus laboris respondet, nunquam res procedit. Ierant discipuli illi sponte sua piscatum à Christo non missi, ideo nihil multum saragendo laborandoq; profecisse. Idem de obedientia dici potest, quod ex obedientia fit, prosperè fit; quod contra obedientiam proprio iudicio, propria fit voluntate, successum non habet. Mihi prorsus sensus moralis & litteralj maximè cognatus videtur esse, frustra nos sine Deo laborare. *Nisi Dominus*, inquit, *ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Vanum est vobis ante lucem surgere, & Hæc dicit Dominus exercituum, isti ædificabunt, & ego destruam*, Malach. 1. 4. Hoc est, *Qui noua colligit mecum, dispergit*, Luc. 11. 23.

Hebr. 7. 19.

Quòd ex obedientia fit, prosperè fit.

Psal. 126. 1. 2. 5.

Moralis sensus huius loci.

4. *Mane autem iam facto stetit Iesus in littore.*) Quæri potest, quòd ad sensum attinet litteralem, quare nõ venerit, sicut venit ante, cùm clausis ad discipulos foribus ingressus est, cap. 20. 19. & cur in littore steterit, & non potiùs ambulans super mare sese discipulis ostenderit, quemadmodum aliàs fecisse legimus Matthæi 14. 25. Vtraque quæstio eadem ratione soluitur, volebat Christus, vt diximus, miraculum illud piscationis facere, vt aliquid per eam mysterij declararet; nolebat priùs, quàm illud faceret, à discipulis agnosci, vt ex ipso miraculo cognosceretur, eóque maiorem in eorum animos impressionem faceret; ideo apparuit mercatoris specie, quasi vellet ab illis pisces emere, vt Chrysostomus, & Theophylactus animaduertunt. Mercator autem neque noctu ad emẽdos pisces, neque super mare ambulans venit. Et oportebat interdiu fieri miraculum, cuius, vt diximus, magnitudo in eo cernebatur, quòd cùm noctu, cùm maior piscium copia capi solet, nihil discipuli cepissent, interdiu tantam ceperint multitudinem. Quod attinet ad moralem sensum, quem propterea hoc loco præter consuetudinem nostram indicamus, quia locus ipse aliqua ex parte mysticus est, non potuit Christus venire nisi mane, quando enim Sol nisi mane venit? cùm ipse secum matutinam lucem ferat? Aut mane, non noctu, id est non tempore legis, sed Euangelij Christus venit, vt Leontius, Cyrillus, & Rupertus interpretantur. Quòd autem in littore steterit, Augustinus, Gregorius, & Beda significare putant iam Christum totũ huius vitæ cursum cõfecisse. Præsentem vitã mare esse, gloriam esse portum, ac littus, quo iam peruenerat Christus, ideoque in littore dicitur stetisse. Gregorij adscribam verba, qui hoc explicat luculentiùs. *Quæri etiam potest, cur discipulis in mari laborantibus post resurrectionem suam Dominus in littore steterit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulauit. Cuius rei ratio festine cognoscitur, si ipsa, quæ hic narrat, causa pensetur. Quia*

enim

enim mare, nisi præsens sæculum signat, quod se casuum tumultibus, & vndis vitæ corruptibilis allidit? Quid per solidatatem littoris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia ergo discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant; quia autem redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suã in littore stabat. At si ipsum resurrectionis suæ mysterium rebus discipulis loqueretur, dicens, iam vobis in mari non apparco, quia vobiscum in perturbationis fluctibus non sum.

Non tamen cognouerũt discipuli, quia Iesus est.) Quòd cognitus à discipulis non fuerit duæ causæ esse potuerunt; altera, quòd propter resurrectionem, & glorificationem corporis splendidiore apparuerit specie, vt Euthymius existimat; altera, quam idem quoque Euthymius affert, & Chrysostomus, atque Theophylactus indicant, quámque ego probabiliorem duco, quòd Christus cognosci noluerit, quia volebat cum illis priùs tanquam mercator de piscibus emendis miscere sermones, vt ex ipsorum responso faciendi miraculi occasionem sumeret. Similem enim ob causam noluit à duobus illis discipulis, qui Emauntem versus iter tendebãt, agnosci, vt per viam cum illis colloquens specie hominis peregrini scripturas sine suspicione gratiæ interpretaretur.

5. *Dicit ergo eis Iesus, Pueri nunquid pulmentarium habetis?*) Diximus paulò suprà ex Chrysostom. & Theophylacto per speciem emendi pisces sermones Christum cum discipulis miscuisse, vt ex corum responso occasionem faciendi miraculi captaret. Pueros vocat, vt ait Euthymius, quasi robustos, atque valentes, quales omnes esse solent, qui se laboribus exercent; aut, vt ait Clemens Alexandr. libro primo de Pædag. cap. 5. quia domestici erant, & familiares: aut, vt ego puto, tanquam vir grauis, & tanquam superior cum inferioribus loquitur; solent autem superiores vocare inferiores παιδία pueros, id est filios, aut adolescentes, sicut apud Gallos dux milites, senex iuniores se, dominus famulos, & omnis superior omnes inferiores infantes vocare solet. Eadem apud Hebræos phrasis est, *surgant pueri, & ludant*, inquit dux ille, 2. Reg. 2. 14. cùm de militibus loqueretur. Eodem ferme modo Romani milites omnes iuuenes appellabant, quòd iuuenes plerunque solerent militare. Nam armare dicebantur iuuentutem, cùm exercitum conscribebant. Interrogat eos Christus an habeant τι προσφάγιον, quod noster interpres reddidit aliquid pulmentarij, aut *pulmentarium*, quem quo iure noui quidam hæreticorum interpretes reprehendant, equidem non intelligo. Constat ex Hesychio, & Suida Græcis auctoribus προσφάγιον Græcè dici idem, quod προσφάγημα quidquid in cibum præter panem adhibetur, quod Itali simili analogia companaticum vocant. Constat ex Plinio, Horatio, Persio, Columella Latinis scriptoribus idipsum pulmentum, aut pulmentarium Latinè dici, ratione quoque consimili, quod ad pultem, id est panem adiungatur in cibum. Pultem enim priscæ illi Latinorum genti pro pane fuisse idoneus auctor est Plinius. Inter pulmentaria autem, id est προσφάγια, quæ eadem obsonia dicebantur pisces principem habuisse locum, quòd in maioribus, quàm carnes delitijs essent, apud Athenæum lib. 7. cap. 1. Myrtilus docet: itaque & προσφάγιον Græcè, & pulmentarium Latinè absolutè pro piscibus ponitur, de quibus cùm hic ageretur, aptè non noster solùm interpres, sed qui nostro etiam sæculo omnium hæreticorum Latinissimus fuit pulmentarium conuertit, Græcum, Latinumque secutus verbum.

Pueros Superiores vocat inferiores.

Vt Theodoritus.

Plin. lib. 18. c. 8. Hor. Ser. lib. 2. Pers. Sat. 3. Colum. lib. 8.

Vel assistentibus circumstantibus.

Et respondérunt ei, non.) Simpliciter, atque præcisè respondent se non habere, antequam iubeantur ad

Verſ. 6.

dexteram rete iacere, nolentes sine causa infelicem piscationem, qua per totam noctem vsi fuerant, homini ignoto declarare. Id ab illis elicit Christus nouis iniectis sermonibus. *Mittite*, inquit, *in dexteram nauigij*, reddit se illis familiarem, & quasi amicus consilium dat, vt audeant infortunatã sibi declarare piscaturam, & res suas sine pudore tanquam cum amico communicare. Eodem artificio ex diuino spiritu veniente ij vti debent, qui iuuandi spirituales der homines curam profitentur. Familiares cum illis priùs miscẽdi sermones, quomodo mercatura, quomodo militia, quomodo negotia succedant, interrogandi, iuuandi consilio, quatenus licitum quidem erit, etiamnum illis in rebus, & quibus ipsi studeant maximè, & à quibus nos illos maximè volumus reuocare; vt experti nostrum sibi consilium vtile fuisse, ament nos, & meliora consulentibus facilè credant.

6. Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.) Non dicit casu, quemadmodum solent aliquando dicere, qui incertos, & fortuitos à piscatoribus iactus emunt, sed imperans, & affirmans; quasi certò sciens quid futurum esset, *Mittite*, inquit, *& inuenietis*. Iussit non in incertam, sed in certam, id est in dexteram partem rete iacere, ne casu factum videretur, quòd in eam iacientes partem tantam piscium copiam comprehendissent, vt Theodorus Mopsuestiensis, & Euthymius obseruarunt. Hic literalis sensus. Mysticus ex verbis Gregorij homil in Euangelia 24. quæ hic subscribam, intelligetur, eadémque Augustini, Bedæ, & Ruperti interpretatio est, nisi quòd Gregorius breuiùs, & clariùs edisserit. *Bis*, inquit, *in sancto Euangelio legitur, quia Dominus iussit, vt ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet, & post resurrectionem. Sed priusquam redemptor noster pateretur, & resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum iubet*, (Luc. 5. 4.) *sed vtrum in dexteram, an in sinistram mitti debuisset, non iubet. Post resurrectionem verò discipulis apparens mitti rete in dexteram iubet. In illa piscatione tanti capti sunt, vt retia rumperentur, in illa autem & multi capti sunt, & retia rupta non sunt. Quis vero nesciat bonos dextera, malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio, in qua specialiter, in quam partem mitti rete debeat, non iubetur, præsentem Ecclesiam designat, quæ bonos simul, ac malos colligit, nec eligit quos trahat, quia quos eligere possit, ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta in solam dexteram missa est, quia ad videndam claritatis eius gloriam sola electorum eius Ecclesia peruenit, quæ de sinistro opere nihil habebit. In illa piscatione præ multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsum quoque Ecclesiam hæresibus scindant. In illa vero piscatione & multi pisces, & magni capiuntur, & rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in continua auctoris sui pace requiescens nullis iam dissensionibus dilaniatur.* Eodem modo Augustinus disserit sermone de tempore 148. Aliter Eusebius Emesenus, *Mittite*, inquit, *in dexteram nauigij rete, & inuenietis; ac si diceret, Ego hac vice non misi vos, in nocte venistis, sinistrorsum laborastis, nihil prendidistis: nunc ergo mittite in dexteram nauigij rete, ex meo præcepto laborate, meam doctrinam prædicate, nesciat sinistra vestra, quid faciat dextera vestra, & inuenietis. In dextera igitur piscari est verum, & Catholicam doctrinam sincero affectu, & mundo corde prædicare. Piscatores enim Apostoli sunt, prædicatores, & doctores: retia verò hæc, Euangelia, omnisque sermo diuinus. Pisces autem omnes fideles intelligamus. Tales enim pisces in baptismatis flumine natant, tales retibus Euangelij, & amore fidei capiuntur.* Ego vberiorem sensum esse velim. Dextera bona animi intentio est, in dexteram rete iacimus, cùm quidquid agimus propter Deum agimus;

Mat. 6. 3.

Io dexteram rete iacere quid sit.

aut,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ant, quod cum sequenti piscationis mysterio magis congruit, de nocte piscamur, cùm sine Christo, sine diuino lumine, sine diuino auxilio aliquid facimus; quod ideo non potest bene succedere, quia *non est volentis, neque currentis.* Ad dexteram autem rete iacimus, cùm Dominus est à dextris nostris, & non timemus, quid faciat nobis homo, id est cùm diuino freti auxilio facimus, quia *miserentis est Dei.*

Rom. 9. 16.

Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.) Mirum ad verbũ hominis ignoti rete iecisse, cùm per totam noctem nihil prendere potuissent. Sed aut aliquid in eo sanctum & venerabile animaduerterunt, ideóque concepta ex verbis eius noua spe rete coniecerũt, aut, vt ait Euthymius, existimantes eum scire aliquos in ea parte pisces subnatare, aut, vt ego suspicor, quia ita comparatum natura est, vt ea consilia, quæ vera esse cupimus, facilè sequamur. Iecerunt ergo; & tantam piscium collegerunt multitudinem, vt tam plenum rete trahere non possent. Hîc videndum ecquid mysterij, vt sæpe indicauimus, hac piscatione significatum fuerit. Mysterium quidem esse aliquod satis per se manifestum est; nam, vt sermon. de tempore 148. Augustinus ait, *nunquam hoc Dominus inberet, nisi aliquid significare vellet, quod nobis nosse expediret. Quid ergo pro magno potuit ad Iesum Christum pertinere, si pisces caperentur, aut si non caperentur? Sed illa piscatio nostra erat significatio.* Quid autem per eam piscationem Augustinus, Gregorius, Beda, & Rupertus significatum fuisse putent, ex verbis Gregorij, quæ paulò ante posuimus, lector intelliget. Eusebius verò Emesenus præter id, quod ex eo modò recitauimus, aliud quoque hoc loco tradit. *Possumus*, inquit, *per hanc primam, & nocturnam piscationem intelligere eam, quam tunc apud Iudæos Apostoli habuerunt, quando eis nolentibus credere Apostolus ait, Vobis primùm oportuit prædicari verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos facitis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quid est enim, ecce conuertimur ad gentes, nisi quod hic dicitur, Mittite in dexterã nauigij rete: quia enim pisces Iudaici fluminis Apostolorum retia intrare noluerunt, ad flumina gẽtium Apostoli missi sunt. Et tunc quidem doctores piscantur in nocte, quando auditores interius excæcati veritatem non intelligunt. Miserunt ergo in dextram nauigij rete, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Hoc est enim, quod Psalmista ait, Annunciaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.* Liceat etiam mihi moralem dicere sententiam, cùm id ipsum, vt ante monuimus, ad litteralem pertineat sensum huius loci. Missurus erat paulò post Christus discipulos suos in omnem terrarũ orbem quasi in altum, ac latum mare, vt homines piscarentur; poterant inscitiam, poterant imbecillitatem suam excusare, se homines esse litterarum rudes, id est piscandi imperitos, paucos præterea, & infirmos, qui posse se tot, tamque grandes pisces capere, tot oratores, tot tantósque Philosophos irretire, & de sententia dimouere? Voluit eos Christus exemplo artis propriæ docere id ipsos suis viribus, suáque industria facere nullo modo posse; idque significat, quòd totam laborantes noctem nihil ceperant: ipsius verò ope, atque auxilio facillimè facturos, tótque capturos homines, vt rete trahere non possent, id est, vt longè, latéque diffusam Ecclesiam & infinita hominum multitudine redundantem vix possent satis commodè gubernare; idque significabat quòd iactum iussu, & auspicio Christi ad dexteram rete tot piscibus compleuerunt, vt trahere non possent. Bono igitur irent animo, & sua freti ope nihil de successu rei per se difficillimæ dubitarent; ad dexteram, non ad sinistram respicerent, id est in diuinum auxilium,

Quid significet mysterij hæc piscatione.

Act. 13. 46.

Psal. 39. 6.

Moralis sensus huius piscationis proprius auctoris.

A

B

Capit Deus sua quẽque arte.

C

D

Nihil æquè fidẽ impedit ac vafrities.

E

Matth. 5.

quod nunquam illis esset defuturum; non in proprias vires intuerentur; atque in hanc sententiam Theodorus Heracleotes exponit. Singularis Christi prudentia eadem ratione, qua Petrum vocauit, Lucæ 5. 4. capta ingenti piscium multitudine, vt doceret, melius illi spiritualem piscationem suis auspicijs successuram esse, quàm temporalis illi ante propria industria successisset; vocatum confirmauit, & mittendum paulò pòst ad spiritualem piscationem spe impleuit, fore vt res bene, ac feliciter eueniret. Proterea enim hac piscationis similitudine discipulos docuit, quia aut omnes, aut præcipua pars eorum, qui aderant, Petrus, & duo filij Zebedæi piscatores erant; quibus, cùm eos vocaret, dixerat, *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*, Matth. 4. 19 & capit Deus sua quemque arte.

7. *Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est.*) Quæri potest, qua ratione Ioannes Christum primus recognouerit, Ioannem enim fuisse hunc ipsum, qui hoc scribit, eum, *quem diligebat Iesus*, nemini, vt opinor, dubium est, & nos in præfatione in hoc Euãgelium eius rei causam exposuimus. Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus id ingenio, & naturæ tribuunt, declarasse enim hac in re ambos Apostolos, Ioannem, & Petrum suum quemque ingenium, Ioannem naturale quoddam acumen, quo præstabat, quod primus omnium Christum agnouerit, Petrum amorem erga Christum, & naturalem audaciam, quòd se continuò solus, vt ad Christum ueniret, in mare coniecerit. Ergo Ioannem ex captura piscium, vt Euthymius etiam docet, quam facilè cognouit non fuisse fortuitam, subtilitate quadam ingenij coniecturam fecisse Christum esse, qui cum ipsis loqueretur, quique tam felicis piscationis fuisset auctor, animum igitur ad illum aduertisse, ac demum recognouisse. Leontius aliam etiam rationem affert, quòd simplicem, ac purum haberet animum. Et verò ita se habet res, simplicissimus quisque facillimè Deum cognoscit, facillimè credit, nec est quidquam, quod æquè fidem impediat, atque humana prudentia, & calliditas quædam, & vafrities ingenij, qualem in omnibus nostri temporis hæreticis animaduertimus. Hieronymus virginitatis laudator in epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani, non sine magna probabilitate, & magna certè pietatis significatione virginitati tribuit, *Prior*, inquit, *virginitas virginale corpus agnouit.* Veram ego causam fuisse suspicor, quòd quemadmodum Christus ante ideo non cognoscebatur, quia cognosci nolebat; ita nunc, quia cognosci voluit, cognitus sit. Cur autem priùs à Ioanne quàm à Petro cognosci voluerit, duas fuisse arbitror causas, alteram, quòd eum singulariter amaret; alteram, quòd, vt ait Hieronymus, purus esset; nec enim sine causa dictum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunicam succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.) Euthymij interpretatio omni mihi carere videtur probabilitate, Petrum priùs tunica, hoc est ἐνδύτην vestitum fuisse, sed discinctum, & vt ad Christum adiret, non quidem induisse, quam non habebat, tunicam; sed quã indutus erat, præcinxisse, τὸν ἐνδύτην tunicam fuisse paruam manicis carentem, & ad genua vsque demissam, qua qui in mari versabantur, vterentur. Diserte enim dicit Euãgelista priùs fuisse nudum. Quod etsi non ita intelligendum puto, quasi nudus omnino fuerit, sed quasi non omnibus, quibus vulgo vtebatur vestibus, indutus esset; tamen hoc certè colligitur aliquam sibi earum, quas habebat, vestem superinduisse. Quòd autem dicit præcinxisse sese διεζώσατο,

non significat præcinxisse tunicam, qua ante indutus erat; sed quam nondum indutam habebat, induisse; nam quia id genus vestis non fibulis, non ligulis, sed solo cinctu aptabatur corpori, cingere erat induere. Sunt qui subligaculum, aut amiculum interpretantur, id est leue ex lino indusium, quod & pudori seruiret, & natanti impedimento non esset. Quorum ideo non probo sententiam, quia nec respondet nominis etymologia, atque proprietas, quod cùm ἐπὶ τῷ ἐνδύτῃ ἐνδύσεται, id est à superinduendo dictum sit, non dubium, quin id genus vestis significet, quæ alijs indumentis superiniicitur, qualis tunica erat; & videntur existimare Petrum priùs nudum omnino fuisse, quod mihi minimè persuaserint. Etenim si priùs minus vestitus erat, vt apertè Euangelista docet, quàm cùm id genus vestis assumpsit, & id non aliud erat, quàm lineum amiculum, quo pudoris loca tegerentur, tam nudus profecto priùs erat, quàm natus fuerat. Ergo vt suprà cap. 13. 4. & apud Matthæum cap. 27. 35. adnotauimus, Christum non vna, ac simplici vsum fuisse veste; sed super inconsutilem illam vestem, de qua Ioannes cap. 19. 23 mentionem fecit, togam habuisse; ita credendum est Apostolos super alias vestes inferiores superiores gestasse togam, quam exuerent, cùm aliquid laboriosioris operis agendum esset; resumerent, cùm ab opere cessarent; sicut videmus Christum, vt discipulorum lauaret pedes eam posuisse, postea iterum induisse. Nec enim Christũ alio, quàm vulgari inter Iudæos habitu vsum fuisse credendum est, qui nulla re viderit volebat singularis. Cùm ergo se Petrus piscandi, laborandique causa superiore exuisset tunica, cum à labore cessandum esset, & ad Christum adeundum, eam iterum induit, vt coram eo honestiùs vestitus appareat; priùs enim nudus, id est non satis honestè vestitus erat, quemadmodum moribus nostris, qui solo thorace, & caligis vestitus est, nudus esse dicitur. Hoc etiam ad mores pertinet, pudori & honestati decoro etiam vestitu consulendum; neque reprehendendum, si non solùm coram viris honestis, sed etiam coram Christo cultioribus vestibus appareamus; si quo die ad sacram Eucharistiam accessuri sumus, eo die splendidiore vtamur veste. Eo enim Ecclesia consilio voluit Sacerdotes singulari, ac regio vestitu mysterium illud celebrare. Ridiculíque, & inepti Caluinistæ sunt, qui ocreati, penulati, perasati, & vt cumque casus fert, sacramenta omnia conficiunt; impudentes verò Anabaptistæ, & minimè ferendi, qui nullam pudoris etiam in publico rationem habent; pudet nos dicere, quæ illos facere non pudet. Quo ergo modo (obiiciunt quidam) togatus Petrus nare potuit? Primùm Euangelista nasse non dicit, nec vtrum nando, an humiliori iam prope littus mari pedibus incedendo ad Christum venerit, constare potest: & eo ipso, quòd Euangelista non dicit, est verisimilius venisse pedibus; quanquam Chrysostomus, Leontius, Theodorus Heracleotes, & Theophylactus nando venisse dicunt. Sed vt natando venerit, quid putamus impedimenti leuem, & bene præcinctam togam, piscatori, id est exercitato, & egregio natatori afferre potuisse; cùm reperiantur apud nos, qui non solùm vestiti, sed insuper etiam onusti natent? Præcinctos ad Christum, id est bene firmatis, non dissolutis ad Christum moribus venire oportet, & in mare se propter illum, id est in quæuis pericula conijcere.

Caluinistæ ridiculi, qui nullam pudoris rationem habent.

8. *Alij autem discipuli nauigio venerunt; non enim longè erant a terra, sed quasi cubitis ducentis trahentes rete piscium.*) Obscura causæ redditio est; nec enim apparet, quo modo hæc ratio conueniat, nauigio cæteros discipulos ad terram venisse, quia non longè aberant à terra, imo propterea debebant se sicut Petrus fecit, in mare conijcere, quia non longè à terra aberant, vt longiùs natandum esset, quàm fortasse possent. Videtur mihi Euangelista hac ratione cæteros discipulos excusare voluisse, quòd minùs erga Christum ostendisse viderentur, quòd non se etiam in mare sicut Petrus coniecissent, quòd patientes fuissent moræ, huic enim tacitæ obiectioni respondet, moram illam valde fuisse breuem, quia non longè aberant à terra; itaque etiamsi sese in mare deiecissent, haud multo citiùs ad Christum venire potuissent. Sic & Petrum laudat, & cæteros excusat. Cubiti ducenti passus sexaginta, pedes trecẽtos efficiunt; quam mensuram ideo tam diligenter expressit Euangelista, vt re ipsa non solis verbis fidem faceret, non longè à terra, vt dixerat, abfuisse. Hic sensus; nec quidquam præterea mysticum hîc esse arbitror, sed quia cœpimus hoc capite præter litteralem sensum etiam moralem indicare, libet persequi. Eusebius Emesenus in hunc modum interpretatur, *Quid enim per hanc terram nisi terram viuentium intelligimus? à qua isti non longè erant, quia corporeis vinculis resoluti, cito illuc ituri erant quasi cubitis ducentis trahentes rete piscium. Centenarius numerus perfectus est, qui tunc quidem duplicatur, quando sermone, & opere adimpletur. Trahunt igitur doctores rete piscium cubitis ducentis, quãdo sermone, & opere post se ad æternam vitam ducunt audientes.* Rupertus verò sic, *Discipulus ille, quem diligebat Iesus, & alij, qui nauigio venerunt, illos significant vectores sanctæ Ecclesiæ, qui in pace vitam finiunt. Petrus verò, qui mittit se in mare, illos omnes, qui sicut & ipse per medios fluctus tribulationum festinant, & currunt ad Dominum trahentes rete piscium id est libris suis, sine laboribus omnimodis cõtinentes, vel propugnantes fidem gentium. Non enim longè sunt ab illa viuentium terra, in qua Dominus immortaliter stat, sicut longè erant antiquitus sub lege laborantes, antequam veniret gratia, sed longè sunt quasi cubitis ducentis, liberi videlicet a cunctis legalibus cæremoniis, solâque ad perueniendum opus habentes dilectione Dei & proximi.* De retibus scribit Sedulius non inscita carmina:

Moralis sensus mysticus.

Lib. 14.

Lib. 5. Carm.

Pendula fluctinagam traxerunt retia prædam
Per typicam noscenda viam; nam retia dignis
Lucida sunt præcepta Dei, quibus omnis in illa
Dextera parte manens concluditur, ac simul vnis,
Fertur Apostolicis Domini ad vestigia Christi.

Ego sicut litteralem sensum eum maximè amo, qui verbis, ita eum maximè moralem, qui litterali velut innatus est. Petrum Euangelista laudat, reliquos discipulos excusat; vtrosque ad Christum venisse, sed Petrum relicta naui, relictis retibus, relictis socijs, relicta præda, omnibus expeditum rebus citiùs venisse; alios nauem, retia, prædamque trahentes aliquanto tardiùs. Duo igitur eorum, qui ad Christum veniunt, genera sunt; alij omnibus prorsus dimissis rebus vna tantum succincti tunica, & certiùs, & citiùs ad Christum aduolant; alij ad Christum quidem nauigant, sed tamen quia in naui, id est cum toto populo veniunt, quia & retia, & prædam trahunt, id est onus temporalium bonorum, artésque, honores, lucráque quærendi non dimittunt, & cum maiore naufragij periculo veniunt, & vt prospera illis contingat nauigatio, tardiùs omnino perueniunt.

Alius sensus moralis, qui auctoris est.

9. *Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas & piscem superpositum, & panem.* Piscem non panem superpositum, vt Augustinus tract. 123. adnotauit. Quod suprà vers. 5. προσφάγιον, nunc ὀψάριον appellat, itaque vtroque loco eadem ratione interpres po-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuit reddere, pulmentarium. Ac fortasse ad rem aliquid pertineret eodem modo reddere, licet diuersum sit Græcè vocabulum, vt paulò post melius intelligetur, cum causam disputando explicauerimus, quamobrem Christus effecit, vt ante quàm ad se discipuli venirent, focus esset accensus, panis paratus, pisces super prunas positus. iam videlicet assus, & ad esum paratus. Sed priùs videndum, vnde pisces Christus habuerit, cũ paulò ante nullũ habẽs à discipulis petijsset. Theodorus Heracleotes vtrãque sententiã putat esse probabilem & ex mari potẽtia sua sine rete, sine vllo instrumento cepisse solo vocantem iussu & ex nihilo procreatse. Atque in illam priorem sententiam videtur Cyrillus esse propensior. Sed altera est longè probabilior, eámque Theodorus Mopsuest. Chrysostom. Leontius, Theophyla. Euthym. amplectuntur; potestque hoc etiam ratione confirmari. Non dubium, quin quomodo ignem, & panem, eodem & piscem præparauerit; atqui ignem quidem, & panem certum est ex mari non habuisse, sed ex nihilo creasse eodem igitur modo creauit piscem. Redeamus nunc ad id, quod priùs quærebamus, quam ob causam id fecit. Manifestum quidem est potentiam suam, ea re ostendere voluisse sicut in captura piscium, eámq; vnam rationem auctores afferunt, Theodorus vterque, atque Leontius. sed ea communis est causa, & quærimus aliquam magis propriam. Solus Cyrillus aliam quandam videtur insinuare, voluisse vnum, aut paucos pisces quasi loco primitiarum accipere, vt se ostenderet esse Dominum. Nam vt hoc obiter dicamus, existimat non vnum tantum, sed plures pisces super prunas positos fuisse, sed Euangelistam singulari numero ἰχθὺν piscem dixisse, non quia tantum vnus, sed quia pauci erant, quod nulla meo iudicio coniectura probari potest. Duas igitur ego causas inuenio, cur Christus prandium hoc præsertim ex piscibus discipulis, antequam eos, quos ceperant, pisces afferrent, præparauerit. Altera est, vt ostenderet se auctorem illius tam copiosæ piscationis fuisse. Enimuero qui sine reti, sine aqua, sine vllo instrumento in arenoso, & arido loco piscem ex nulla subiecta materia procreasset efficere nimirum potuisse, vt ipsi iacto iussu suo in mare reti magnam illam piscium multitudinem caperent. Atque eodem pertinet, quod Theodorus Mopsuest. scribit, voluisse demonstrare Christum non sua discipulos industria, sed diuina ipsius ope tot cepisse pisces, quod idem verbi Dei prædicatores, si quid proficiant, existimare debent. Altera, vt doceret se paulò ante non propterea ab illis petijsse, ecquid haberent pulmentarij, quòd aut ipse indigeret, aut si indigeret, opus sibi esset ab illis petere: posse se ex nihilo non solùm piscem, quem poposcerat; sed & panem, & ignem, & quidquid esset necessarium, excitare; esse se eum qui dixisset, *si esuriero, non dicam tibi. meus est enim orbis terræ*: piscem tantùm ab illis petijsse, integrum eis prandium momento temporis præparasse. Non sua igitur sed ipsorum causa piscem ab illis postulasse, vt sermones cum illis consereret, vt suam illis potentiam ostenderet, vt doceret suo auxilio confidere, vt eos denique piscibus, quos quærebant, & non inueniebant, locupletaret. Hoc ipsum morale continet documẽtum. sæpe Deus à nobis non sibi, sed nobis petit. Cùm à Samaritana illa muliere aquam petijt, non tam ipse bibere volebat, quàm meliore ipsam potare aqua. Totum locum Eusebius Emesenus aut quisquis ille fuit auctor in homilia in hæc verba moraliter ad hunc modum tractat. *Hoc cibo Christi piscatores, & prædicatores semper recreantur, & vires suscipiunt, quotiescumque fatigati ab hoc opere rediẽnt. Quoties enim prunas, & piscem super prunis positum, & panem vident, quoties Christi passionem recordantur, toties laboris, & fatigationis, & omnium suarum angustiarum obliuiscuntur. Quid est enim piscis prunis assus, nisi Christus in cruce passus? Quid est panis nisi Euangelica prædicatio, qua eos Dominus reficere solebat, dicens: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere?* Rupertus verò per piscem, & panem cœnam illam vitæ æternæ significari, de qua dictum est. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* & *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Luc. 14. 15. *& ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Luc. 22. 30. Huiusmodi prandium ijs, qui per mare huius vitæ ad Christum nauigauerunt, in cælo, id est in littore paratum esse. Ignem amorem esse Spiritus sancti, piscem & panem Christum, id est hominem simul, ac Deum. Eodem sensu D. Cyrillus disserit. Alium ego moralem sensum animaduerto, qui, nisi fallor, ad litteralem magis accedit: docet Christus suis piscatoribus, maximéque ijs, qui naui, piscibúsque relictis sese, vt ad ipsum venirent, cõiecerunt, nihil quidquam defuturum. Nam in ipso salo, in loco sterili, ac deserto, vbi nulla humani præsidij erit spes, vel miraculo diuinam illis prouidentiam, quidquid necessarium erit, suppeditaturam. Nihil deesse timentibus eum. *Quando misi* inquit, *vos sine sacculo, & pera, nunquid aliquid defuit vobis?* Luc. 22. 35.

10. *Dicit eis Iesus, Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* Frequens inter interpretes quæstio est, quare Christus discipulos de piscibus, quos ipsi prendidissent, afferri iusserit; quasi piscis ille, quem suprà prunas positum viderant, fuisset imaginarius, nec aptus ad cibum. Theodorus Heracleota respondet ideo hoc fecisse, vt ex huius, & aliorum, quos ipsi ceperant, & huius, & illorum auditudine cognoscerent se & huius, & illorum auctorem esse. Leontius verò, Theophylactus, & Euthymius, vt ex eorum comparatione, similitudinéque intelligerent illum, quem super prunas videbant, non phantasma. sed verum esse piscem. Aliam ego causam ex versu sequenti colligi posse arbitror, propterea afferri iussisse pisces, vt ex eorum magnitudine, multitudinéque miraculi magnitudinem oculis cernerent. Moraliter Eusebius Emesenus interpretatur, velle Christum, vt prædicatores ad se homines adducant, vt in se omnia referant, vtse vnum prædicando quærant, sicut ille faciebat, qui dicebat. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum*, 1. Corinth. 1. 23. *& non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Rupertus verò, iussisse afferre pisces, quos prendidissent, quia in supremo illo iudicio vnusquisque ante iudicem Christum feret, si quid fecerit boni, si quos ille homines hæresecerit. *Venientes enim venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Ego, si meum esset instituta quærere morales sensus, potiùs dicerem velle nos Deum ita ex eius pendere prouidentia, ita confidere non passurum eum, vt quidquam nobis desit, vt tamen studium, & operam, quàm possumus nostram adhibeamus; oportere nos cum ipso cooperari, non debere otiosos esse, & diuina abuti prouidentia, non semper miraculis, non semper ex manna viuendum cælitus misso; piscandũ arandum, serendum, metendum, laborandum nobis esse, *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.*

11. *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Versu 6 dixerat omnes, qui in naui erant, vix rete præ multitudine piscium trahere potuisse, quo ergo modo nunc dicit solum illud traxisse Petrum; & quidem in terram traxisse, quod multò difficilius esse constat,

quàm

Vnde piscẽ Christus habuerit.

Cur Christus hoc prãdium præparauerit.

Morale documẽtum huius loci.

Psal. 49. 12.

Matt. 10. 28.

Psal. 16. 15.

Psal 33. 10.

Cur ex piscibus, quos discipuli prẽdidissent, afferri Christus iusserit.

Psal. 125. 6.

Psal. 127. 2.

quàm per mare trahere, quia & aqua sustinet, & pisces natant? Verisimile est, & quidem Cyrillus, & Euthymius existimant non solum traxisse Petrum, sed ipsum cæteris adiuuantibus; solum autem nominatum, siue quia aliorum erat princeps, siue quia in eo opere dux extitit, siue quia, vt promptior ad obediendum dictis Domini, primus omnium in nauim ascendit, vt rete traheret; sicut primus, vt ad Dominum properaret, de naui descenderat. Quòd si solus traxit, vt Gregorius, & Rupertus existimant, ope fecit diuina, habuitque aliquid mysterij res, & nunc Petrus, id est qui Petri successor est, plus habet in Ecclesia potestatis, quàm alij omnes simul aliorum Apostolorum successores, vt paulò post vers. 15. illi indicat Christus. *Quod enim postmodum aperitur in voce, hoc nunc significatur in opere*, vt Gregorius ait homilia in Euangel. 24. Quod & magnitudinem, & numerum piscium Euangelista declarat, eò pertinet, vt miraculi magnitudinem ostendat. Sed numero piscium omnes auctores video aliquod existimare mysterium contineri. Græci ferme omnes, Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Euthymius putant centenarium numerum, quia perfectus est, multitudinem innumerabilem significare, qui ex gentibus erant crediturj; quinquagenarium verò, qui dimidia minor est parte, eos, qui ex Iudæis erant crediturj, numero scilicet multo minori, ternarium mysterium Trinitatis, in quod omnes erant crediturj. Latini diuersa non solùm à Græcis, sed ipsi etiam inter se sententia. Quid Augustinus sentiat, vix lector ex bene longa eius disputatione colligat, sed ista eius disputationis conclusio est. *Non ergo tantummodo centum quinquaginta sancti ad vitam resurrecturi significantur æternam, sed millia sanctorum ad gratiam Spiritus pertinentium, qua gratia cum lege Dei tanquam cum aduersario concordatur, vt vinificante Spiritu, littera non occidat; sed quòd per litteram iubetur, Spiritu adiuuante compleatur, & si quod minùs sit, remittatur. Omnes ergo ad istam gratiam pertinentes hoc numero figurantur, hoc est figurati significantur. Qui numerus ter habet etiam quinquagenarium numerum, & insuper ipsa tria propter mysterium Trinitatis.* Augustinum ijsdem vestigijs Beda sequitur. Aliter Gregorius hom. 24. *A magno*, inquit, *mysterio numerus non vacat: sed intentos vos tanti mysterij profunditas expectat. Nec enim quantitatis summã solerter Euangelista exprimeret, nisi hãc sacramento plenam esse indicasset. Scitis namque quod in veteri testamento omnis operatio per Decalogi mandata præcipitur: in nouo autem eiusdem operationis virtus per septiformem gratiam Sancti spiritus multiplicatis fidelibus datur.* Et interiectis paucis, *Ducamus ergo per trigonum decem, & septem, & veniunt ad quinquaginta vnũ. Qui profectò numerus a magno mysterio non vacat, quia in testamẽto veteri legimus, quod annus quinquagesimus iubilæus vocari iussus est. In quo videlicet cũctus populus ab omni operatione quiesceret. Sed vera requies in vnitate est. Diuidi enim vnum non potest. Vbi enim scissura diuisionis est, vera requies non est. Ducamus ergo per trigonum quinquaginta & vnum, & fiunt centum quinquaginta tres.* Eodem prorsus modo Theophilus Alexãdrinus, aut potiùs, vt Hieronymus vocat, Antiochenus, interpretatur libro 4. allegoriarum, vt facilè suspicer Gregorium ex illo sumpsisse. Quid Emesenus sentiat, eius dicam verbis. *Quid*, inquiunt, *per centum quinquaginta tres pisces, nisi omnes baptizatos, & fideles intelligimus? Hoc enim significant tres, quod centum quinquaginta. Si enim in æquas partes centum quinquaginta diuidamus, tres, & non amplius quinquagenæ fiunt. Tres enim sunt mundi partes, quæ per tres pisces, & tres quinquagenas significantur, Asia videlicet, Africa, & Europa. Inde est, quod mulier abscondit fermentum in tribus satis farinæ, donec fermentaretur: inde est, quod in cruce titulus Hebraicè, Græcè, & Latinè scribitur. Capiunt igitur Apostoli tres pisces, & centum quinquaginta, quia eorum sermone, & exemplo ducuntur, quicunque ex ijs tribus mundi partibus ad Ecclesiam veniunt. Merito denique centum quinquaginta tres pisces capti referuntur, quoniam in huius numeri sacramento, id est in fide Trinitatis omnes Christiani in baptismate fidei retibus capiuntur.* Propiùs mihi Rupertus videtur in quærendo morali sensu ad litteralem accessisse, quod semper faciendũ esse ei, qui ridiculus esse nolit, sæpe monuimus. Ergo per tres istos diuersos numeros triplicé hominum eorum, qui salui sunt, statum significari. Per centenarium coniugatos, quorum maxima multitudo est; per quinquagenarium viduos, & continentes, quorum minor est numerus; per ternarium virgines, quorum minimus. Ego quidem casu factum esse non puto, quòd tot, non plures, non pauciores capti sint pisces: omnia enim diuino fiebant cõsilio, itaque præter primum illum litteralem sensum, aliquid mysticè significatum fuisse non dubito. Mysterium verò non aliud esse suspicor, quàm quòd voluerit Christus ista numerorum varietate significare fore, vt Apostoli ex omni hominum genere multos, ex alio tamen plures, ex alio pauciores piscarentur.

Et cum tanti essent non est scissum rete.) Vno verbo Græcè dixit, quod Latinè duobus dicitur, cum tot essent, ac tanti, καὶ τοσούτων ὄντων. Non dubium, quin miraculo adscribat Euangelista, quòd rete tot, tantísque plenum piscibus, & vi in terram tractum scissum non fuerit, efficiente scilicet tacitè Christo, ne rumperetur. Quare non dubito aliquid cum significare voluisse. Quid Augustinus, Gregorius, Beda, & Theophylactus significatum fuisse putẽt, suprà vet. 6. docuimus. Emelenus in hunc locum sic commentatur. *Boni pisces erant isti, a quibus rete scissum nõ est; mali pisces hæretici, & schismatici, qui Euangeliorum retia quotidie scindunt.* Mihi, quòd multitudine piscium rete disruptum non fuerit, significare videtur fore, vt Apostolorum quantumuis infirma, & reti similis virtus, Christi tamen gratia confirmata, quamlibet ingenti hominum multitudini capiendæ, atque trahendæ, suffectura sit. *Sufficit*, inquit, *tibi gratia mea. Et, abundantius omnibus laborauj, non ego, sed gratia Dei mecum. Et, omnia possum in eo, qui me confortat*; aut certè rete Ecclesia est, vt in illa parabola Matth. 13. 47. multitudo piscium, multitudo fidelium. Significatur igitur fore, vt Ecclesia Catholica, quamuis magna fidelium multitudine redundet, non ruptura tamen, sed licet per mare, id est per magnas huius vitæ difficultates salua, & integra ab Apostolis, id est ab ijs, qui eam gubernant, trahatur in littus, littus autem cælum est.

12. *Dicit eis Iesus, venite, prandete.*) Quòd ad prandium eos Christus inuitat, ideo facit, vt cogat eos tangendo, gustando, edendo, quem fecerat, panem, ac piscem, re ipsa miraculi veritatem, & magnitudinem experiri. Duplex autem hic est quæstio. Altera, ad quos pisces edendos inuitauerit; ad eúmne solum, quem ipse ex nihilo super prunas fecerat, an ad eos etiam aliquos, quos illi ceperant. Chrysostomus ad eum solum, quem ipse fecerat, inuitasse putat. Augustinus tract. 123. & Euthymius & ad illum, & ad alios ex ijs, quos illi prehenderant, quósque iam super easdem posuissent prunas: quod videtur rationi magis esse consentaneum. Cùm enim ideo, vt diximus, ad prandium inuitauerit, vt miraculi veritatem experirentur, cùm vtrumque miraculum fuisset, & quòd ille creatus piscis, & quòd illi in rete

Sup. cap. 19. 20.

Ruperti sensus moralis ad litteralem magis accedens.

Numero piscium quid mysterij contineatur.

Trac. 122.

Matt. 13. 33.

2. Corint. 12. 9. 1. Corint. 15. 10. Philip. 4. 13.

Ad quos pisces edẽdos Christus inuitauerit discipulos?

Universidad de Deusto
Biblioteca

coniecti, ratio postulabat, vt ex vtrisque gustarent. Atque hoc eodem modo Theodorus Heracleotes, Leontius, & Theophylactus senserint necesse est, quia vt versu 10. citauimus, ideo existimant iussisse Christum, vt eos, quos ceperant, pisces afferrent, vt ex vtrorumque comparatione verum miraculum agnoscerent; vtrisque igitur vesci oportebat. Altera quæstio est, num & Christus cum illis ederit; nihil enim dicit Euangelista, & graues auctores quæstionem non attingunt. Sed non dubito, quantum quidem consequi coniectura possumus, quin ipse quoque Christus cum illis ederit, sicut & Gregorius homilia 24. Leontius, Theophylactus, primùm quia id ratio postulabat, vt cùm se illis manifestare vellet, cum illis vesceretur, vt fidem ipsis resurrectionis suæ confirmaret. Deinde quia id facere solebat, cùm illis alibi apparebat, etiamsi paratum non esset prandium, nec discipuli cibum sumerent, vt Luc. 24. 41. *Haberis hic aliquid, quod manducetur?* Præterea quid discipuli existimassent, si se edentibus ipse non edisset, nisi esse phantasma? Deinde non dicit, Ite, & prandete, sed, *venite, & prandete*, quasi dicat, *venite, prandete* mecum, itaque ex vi potiùs horum verborum colligitur priùs ipsum cœpisse ex pane, piscesque gustare, deinde dixisse, *venite, & prandete*, vt non verbis tantùm, verum etiam exemplo eos inuitaret. Obseruant Chrysostomus, & Theophylactus, non iam illum oculos in cælum tollere, non gratias agere, quemadmodum antequam moreretur, facere cõsueuerat, vt suprà cap. 6. 11. & Luc. 9. 16. quia ante resurrectionem humiliter, & tanquam homo gerebat sese, post resurrectionem tanquam Deus. Quod ad sensum moralem attinet, Cyrillus, Theophylactus, & Rupertus sic interpretantur, quòd Christus discipulos post tractum in terram rete ad prandium inuitauerit, nihil aliud significare, quàm fore, vt post huius vitæ labores post bene functum officium iubeat nos manducare, & bibere super mensam suam in regno patris sui, dicturusque sit, *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Paratum enim à Christo discipulis prandium, paratum à constitutione mundi regnum esse; & gaudium illud, de quo alio dicit loco, *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.* Eusebius Emesenus de conuiuio sanctæ Eucharistiæ, deque prædicatione verbi Dei, ad quam nos Christus quotidie inuitat, pastosque reficit, atque recreat, exponit. *Quotidie*, inquit, *nos Dominus ad prandium inuitat: quotidie vobis & panem, & piscem apponit, quotidie cibum Euangelicum, & sui corporis, & sanguinis administrat. Dum hæc enim Euangelia legimus, sui panis cibo nos interius reficit. Hic & piscem assum nobis tribuit, quia qualiter pro nobis passus est, hic inuenimus. Nec bene Christi retia trahere possunt, qui his cibis assiduè non reficiuntur.* Quid autem piscis ille assus significet, quo vescuntur, leget, qui volet, apud Gregorium homilia, 24. ego ex litterali sensu moralem alium elicio. Cur voluit Christus, vt secum discipuli vescerentur? vt se, quemadmodum diximus, agnoscerent; voluit ergo moraliter significare se à nobis non sola, vt ita dicam, speculatione, sed multo maximè gustu cognoscendum esse. *Gustate*, inquit, *& videte, quàm suauis est Dominus:* gustamus autem, cum eadem patimur, quæ ille passus est, cum eius in nobis experimur beneficia.

Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes, quia Dominus est.) Rectè hoc loco dubitat Augustinus, *si sciebant, quid opus erat interrogare? Si autem non opus erat, quare dictum est, Non audebant, quasi opus esset, sed timore quodam non auderent?* Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius, existimant partim opus fuisse, partim non fuisse: opus fuisse, quia propter formæ maiestatem non videbatur esse Christus; opus autem non fuisse, quia ex factis tunc ab eo miraculis apparebat alium, quam Christum esse non posse. Ergo ea ex parte, qua eum non satis cognoscebant, & opus fuisse, & voluisse, quisnam esset, interrogare; sed ausos non fuisse reuerentia tantæ maiestatis, præterquam quòd alia ex parte videbant eum esse Christum. Eodem ferme modo Theodorus Heracleotes & Leontius, nisi quòd putant propterea ex forma non potuisse eũ recognoscere, quia nondũ satis clarus erat dies, aut quia ipse formam suam sic immutauerat, vt cognosci nõ posset. At verba Euangelistæ alium sensum præ se ferunt. Non enim dicit ideo ausos non fuisse eum interrogare, quòd reuerentia impedirentur, sed quia sciebant Dominum esse. Rupertus sic, *Tunc quidem non audebant, & intenti solummodo ad intuendum, vel audiendum reuerentiam præstabant: quando autem ad illud æternum suos omnes inuitauerit conuiuium iam opus nõ habebunt interrogare eum, scientes, quia Iesus est, scientes, inquam, & perfectè cognoscentes, quod modo ex parte cognoscunt scripturas legentes, & sanctum scientiæ spiritum consulentes, donec veniat, quod perfectum est, & euacuetur, quod ex parte est.* Sed hoc magis mysticum est, quàm litterale. Augustinus, & Beda proximè omnium ad veritatem accesserunt. Sensus est, inquiunt, *Tanta erat euidentia veritatis, qua Iesus illis discipulis apparebat, vt eorum non solum negare, sed ne dubitare quidem vllus auderet: quoniam si quisquam dubitaret, vtique interrogare deberet.* Sic ergo dictum est, nemo audebat *eum interrogare, Tu quis es?* ac si diceretur, Nemo audebat dubitare, quòd ipse esset. Rectè quidem; sed illud addendum, Euangelistam hoc ipsum miraculo tribuisse. Quanquam ego clarius ex vtraque & Augustini, & Græcorum interpretatione verum sensum elici posse arbitror, adeo certos fuisse discipulos ex miraculis, & ex intimo quodam sensu Christum esse, qui cum illis erat, vt quamuis forma corporis consueta non appareret, quamuis oculi contradicerent, tamen minimè auderent dubitare. Potestque hoc ad sacram Eucharistiam scitè admodum, & vtiliter accommodari. Cum in illo spirituali conuiuio sumus, quamuis oculi, quamuis sensus omnes contradicant, tamen ex intimo quodam fidei sensu adeo certi esse debemus verum esse, quem sumimus, Christum, vt ne interrogare quidem audeamus, *Tu quis es?*

13. *Et venit Iesus, & accepit panem, & dedit eis, & piscem similiter.*) Non dubito, quin certa Christus de causa suis ipse manibus panem, & piscem discipulis dederit. Causam eius rei vnam Theodorus Heracleotes indicat, voluisse etiam nunc in fractione panis à discipulis agnosci, quemadmodum à duobus illis in Emaus agnitus fuerat. Itaque existimat priùs illis panẽ, piscemq; distribuisse, quàm ab illis agnosceretur. Non probo; iam enim à Ioanne adhuc in naui cognitus fuerat, iam Petrus ad eum cognitum adnatauerat. Illud facilè credo, quamuis iam cognitus ab illis esset, voluisse tamen, vt eorum de se opinionem confirmaret, more vti suo, & tanquam patrem familias, quemadmodum & institutũ erat Iudæorum, & ipse alibi facere consueuerat, suis manibus panem, piscemque distribuere. Vide Matth. 14. 17. 19. Marc. 6. 39. 4. Lucæ 9. 14. 16. & 24. 35. & suprà c. 6. 11. Rupertus sic exponit. *Sic dictum est hic, Venit, & accepit panẽ, & dedit eis, sicut alio loco de seruis expectantibus dominum suum, cum præmissum esset, Faciet eos*

discum

Nũ Christus cum discipulis ederit

Moralis expositio.

Luc. 22. 30. Matt. 25. 34.

Matt. 25. 21. 23.

Tract. 123.

1. Corint. 13. 10.

Expositio auctoris.

Cur manibus suis panẽ dederit Christus. Luc. 24. 35.

Luc. 12. 37.

discumbere sit arcta subiunctum est. Et transiens ministrabit illis. Sed Rupertus relicto litterali sensu ad spiritualem fugit. Quòd si moraliter interpretari libeat, malim Cyrillum sequi, qui hoc facto illud significari putat, nos omnia & spiritualia, & temporalia bona de manu Christi percipere.

14. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.*) Quomodo Ioannes hanc manifestationem Christi tertiam fuisse dicat, cùm tam multæ eam antecessissent (apud Matth. cap. 28. 16. explanauimus. Τὸ τρίτον hoc tertium, aut hoc tertio Ioannes Græcè dixit pro, hac tertia vice, si ita liceret loqui, quemadmodum neminem bene Latinum auctorem locutum memini; quamquam placuit hæc phrasis hæreticorum interpreti, qui videri maximè Latinus voluit.

Th. Bezæ.

15. 16. 17. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus, Simõ Iona diligis me plus his?*) Hos tres versus quia idem omnium argumẽtum est, eodem etiam explicabimus commentario. Locus est grauis, & in quo paulò altiùs figere pedem oporteat. Petrum Christus peracto prandio singulariter alloquitur, & num se plus quàm cæteri diligat, percontatur; affirmanti curam tradit pascendi oues suas, vtrum singularem, an communem, paremque cum cæteris, de eo nobis eum nouis hæreticis disceptatio est; quæ ex singulis huius loci verbis, ac circunstantijs terminanda est. Nec enim nunc de alijs disputamus locis, in quibus singularis Petro supra cæteros auctoritas datur, sed hunc interpretamur locum, hic pugnamus, hic volumus vincere. *Cum ergo prandissent*, inquit Euangelista. Videamus ecquid hoc ipsum ad rem pertineat, quòd hæc Petro auctoritas post prãdiũ data sit. Lutherani, & Caluiniani, qui nihil aliud hoc loco Christum fecisse putant, quàm Petrum in Apostolicã restituere dignitatem, à qua propter negationẽ cecidisse dicũt; & illud dicãt necesse est nihil aliud fuisse mysterij, quòd post prãdium hoc fecerit, quàm quòd Germanico more voluerit prandio amicitiam conciliare. Ego non id Christum spectasse arbitror: sed obseruo eius fuisse consuetudinẽ, vt res omnes magnas post prandium, aut cœnã instittueret. Quemadmodum Eucharistiam ab eo post cœnam institutam legimus; & post prandium discipulos dato per flatũ Spiritu sancto ordinatos suprà c. 20. 22. Nam antequam hoc faceret, ex altero etiam, sicut hoc loco, asso pisce cũ discipulis edisse scribit Lucas c. 24. 43. Propterea igitur post prandium hoc egit, quia quiddã faĉere volebat singulare. Et cæteris quidẽ Apostolis, cùm illis potestatem dare voluit, vnum communiter omnibus dedit prandium; nunc verò, cùm soli Petro singularem vult tradere potestatem, vnũ propter illum, & multo magis admirabile conuiuiũ apparuit. Rogat Petrum, *Simon Iona.* Ne hoc quidem fortasse causa caret, quòd Christus eum non Simonem Petrum, vt Euangelista, sed Simonem Iona vocat, nomine videlicet antiquo. Dixerat enim illi, cũ ad Apostolatum vocauit, fore vt nõ iam Simon Iona, sed Petrus, id est petra vocaretur, supra quã petram Ecclesiam suam erat ędificaturus, suprà cap. 1. 42. dicit ergo nunc illi, Simon hactenus quidẽ fuisti, *Simon Iona*, nunc tempus venit, quo tempore Petrus futurus es; volo nunc super te Ecclesiam meã ædificare, id est oues meas pascendas tibi committere, quemadmodum tibi promiseram, Matth. 16. 18. Non ignoro etiam ante vocatum fuisse fortasse Petrum, vt apud Matthæum c. 10. 2. disputauimus; sed hoc dico, videri non sine causa Christum hoc loco non Petrum, sed pristino, ac proprio nomine Simonem appellasse, quia vtcumque Petrus ante vulgo

Cur Petrus Simõ Iona vocet.

Cur Petro singularis illa supra cæteros auctoritas à Christo post prandium data sit.

Quis horũ verborum sensus, diligis me plus his.

vocari cœptus esset, tamen nondum Petrus, id est petra, & fundamentum Ecclesiæ factus erat. Sentitur, *Diligis me plus his?* Hic Christus à Petro singulare quiddã requirit, quod cæteri nõ habeant, aliquid ergo vicissim illi dare volebat proprium ac singulare, quo cæteris antecederet. Sed videamus quàm callidi & vafri interpretes hæretici sint. Docent quidã illorum non esse sensum, *Diligis me plus his?* id est plusquam hi diligunt me? sed, *Diligis me plus his?* id est plusquam hos diligis? O homines acutos, cui enim, nisi illis venire hoc in mentem potuisset? Scilicet valde ad rem pertinebat, vt Christus Petrum interrogaret, & quidem tam accuratè, & toties interrogaret, vtrum se, quàm cæteros discipulos magis diligeret. Laborabat enim Christus zelotypia, & cum cæteris discipulis, quasi procus de Petri erga se amore contendebat. Sed bene est, quòd isti hæretici ab alijs etiam sectæ suæ hæretici refutati sunt. Bernardus quidem serm. 76. in Cantic. dum aliud agit, & memoriter, ac leniter hunc locum carpit, non putat comparationem inter amantes, sed inter amatos fieri: cæterorum non ad discipulos refert. *Plus*, inquit, *quam tua, plus quam tuos, plus etiam quam te.* Sumpsit igitur occasionem Christus Petrum interrogandi, vtrum se plus, quàm cæteri discipuli diligeret, ex recenti eius facto, quòd se vnus omnium cæteris in naui relictis audito Christum esse, qui in littore apparebat, in mare coniecisset, quod singularis amoris fuerat. Quasi dicat, *diligis me plus his*, quemadmodum videris modò demonstrare voluisse? Si ergo ita est, *pasce oues meas.* Quid sequitur? nisi si non ita est, nolo vt pascas oues meas. Atqui si Petrus non plùs Christum, quàm cæteri discipuli, diligeret, non propterea profectò minorem, quàm illi pascendarum ouium Christi potestatem accepisset; ergo ea potestas, quã ita Christus illi dat, vt daturus non fuisset, nisi se plusquam cæteri diligeret, maior vtique quàm potestas aliorum discipulorum erat. Rupertus existimat Christum ad illa Petri verba alludere voluisse, quibus se Christum plus cæteris diligere declarauerat. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Matth. 26. 33. Quid ergo interrogat, quod nec ipse ignorabat, & Petrus iam nõ verbis, sed factis declarauerat plus se Christum diligere, quàm cæteros? Sed vt timorem illi eriperet, & ex dolore, quem ex negatione conceperat, recrearet, vt scribit Heracleota, bono esset animo, maius illi nunc munus se velle committere, quàm vnquam illi ante commisisset. Aut, vt ego puto, nec propter se, qui non ignorabat; nec propter Petrum, quia alio iam prorsus, quàm cùm negauerat, animo erat: sed propter eos, qui aderant, interrogat, num se plus, quàm cæteri diligat, vt intelligant non sine causa plus se Petro potestatis, quam cæteris dare, cùm constaret & ex facto eius singulari, & ex sæpe repetito testimonio plus se ab illo, quam à cæteris amari. Plus quiddam Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius Græci licet auctores dicũt, ideo solùm interrogasse Petrum, quia princeps, & veluti os erat Apostolorum. Respondet Petrus, *Etiam Domine, tu scis quia amo* &c. Notant Theodorus Mopsuestiensis, Chrysostomus, Theophylact. & Bernardus in ser. de diligendo Deo non ausum respondere Petrum se plus Christum, quàm cæteros amare, sed modestiùs dicere se quidem eum amare, ipsumque quem nihil lateret proferre testem, factum scilicet cautiorem post negationem. Cùm enim ante dixisset se animam pro Christo positurum c. 13. 37. paulò post ter Christum negauit, cuius nunc memor temeritatis, nihil nunc auder magnum de se polliceri,

Petrus princeps, & veluti os reliquorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petri summa inter secundo dilecta. Matth. 22.

sed rem omnem ad Christi iudicium referre, quod fallí non posset. *Tu scis Domine.* In quam sententiam eleganter admodum hoc loco scribit Augustinus. *Hunc inuenit exitum ille negator, & amator: præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus, hunc inuenit exitum, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturũ peruersa festinatione promiserat, faciat eius resurrectione firmatus, quod immaturè pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, vt prius Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur. Præposterum fuit, quod audere cœperat humana temeritas, cum istum disposuisset ordinem veritas. Animam suam se positurum pro Christo Petrus putabat, pro liberatore liberandus, cum Christus venisset animam suam positurus pro suis omnibus, in quibus erat & Petrus. Quod ecce iam factum est, nunc iam firmitas cordis ad suscipiendam mortem pro nomine Domini vera ipso donante sumatur, non falsa nobis errantibus præsumatur.* Mihi verò ita videtur Petrus modestiæ rationem habuisse, vt tamen non obscurè significauerit se plus cæteris Christũ diligere. Cùm enim respondet, *Etiam*, quid sibi aliud vult, quàm se plus cæteris Christum diligere, quod vtrum faceret, Christus interrogauerat? Itaque quod subiungit, *Domine tu scis*, non solùm moderationis causa dictum puto, sed multo etiam magis, vt, quod dixerat, *etiam*, ipsius Christi testimonio confirmaret. Tanquam si diceret *etiam*, plus te, quàm cæteri diligo, quod ita esse teipsum testem appello. Subiicit Christus, *Pasce agnos meos.* Quibus verbis primùm indicat verum esse, quod Petrus responderat, se illum plusquam cæteros amare; expectabat enim responsum eius, & auctoritatem, quam illi dare cogitabat, quodammodo suspenderat veluti non daturus, nisi affirmasset se ipsum plusquã cæteros amare. Cum ergo dat, quod suspensum tenebat, approbat tanquam ad eam rem excitatus testis verum esse, quod Petrus respondisset. Dixerat Petrus, *etiam, Domine tu scis*: respondet Christus, ita est vt dicis, ego scio, *Pasce ergo agnos meos.* Pascere esse regere, ac gubernare: sed ita regere tanquam pastorem gregẽ nemo nescit: & alibi sæpe docuimus Hebræorum idioma esse. *Qui regis Israel intende.* Psal. 79.2. Hebraicè est רעה, qui pascis, & Psal. 77.70.71. *Elegit eum de gregibus ouium, de post fetantes accepit eum, pascere Iacob seruum suũ, & Israel hæreditatẽ suam.* Agnos esse eos qui in grege, id est in Ecclesia Christi essent, dubium non est; nec subtiliter disputandũ, cur agnos potiùs, quã oues appellauerit, quod qui fecerit, videat etiã atque etiam, ne doctis hominibus risum præbeat. Satis enim cõstat eosdem nũc agnos, & ver. 17. oues appellare. Quod si quidquam discriminis inter oues, & agnos est, id non in re, sed in voce est; quòd cùm idẽ sint, tamen vocabulũ agni blandius sit, maioremque amorẽ præ se ferat; magis enim amabiles, quia magis simplices agni, quàm oues sunt. Quemadmodũ quos Matth. c. 10. 16. oues vocat, *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporũ*, Lucas c. 10. 3. agnos nominat, *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Cũ ergo Christus fideles suos agnos vocat blandius, & maiore quadam amoris significatione eos Petro commendat, quàm cum vocat oues. Quemadmodum si pater moriens, & liberos suos amico commendans diceret, commendo tibi meos infantulos, vehementiùs, maioreque affectu commendaret, quàm si diceret, Commendo tibi filios meos. Non ineptè quidem concionator dixerit, quod Rupertus, & Theophylactus hoc loco tradũt, agnos esse, qui teneri, & infirmi adhuc in fide sint, *quibus*, vt ait D. Paulus, *lacte opus sit*; oues autem in quibus, vt idem ait, formatus iam est Christus, quique exercitatos habet sensus, sed caueat, ne ludat longiùs. Eusebius Emesenus in sermone de natiuitate Ioannis Euangelistæ alium tradit moralẽ sensum nostræ de principatu Petri sententiæ valde congruentem, *Primo*, inquit, *agnos deinde oues ei cõmisit, quia non solum pastorem sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos: pascit & oues: pascit filios, pascit & patres: regit & subditos, & prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos, & oues in Ecclesia nihil est.* Poteramus tãto adiuti auctore cum Lutherο, & Caluino certare, probareque propterea primùm agnos, deinde oues nominasse, quia illi vniuersæ Ecclesiæ supra cæteros Apostolos curam dedit, sed cedimus gratiæ, cedimus iuri nostro. nihil fanè inter agnos, & oues interest: alia tamen ratione idem efficiemus. Quæso cùm Christus dicit, *pasce agnos*, aut *pasce oues meas*, quos agnos, quas oues intelligit? Dicam clariùs, comprehendit cæteros Apostolos, an non? Qui id affirmauerint, multi, & graues auctores reperiũtur, primùm Eusebius, quem modò loquentem audiuimus, deinde Cyprianus in libro de vnitate Ecclesiæ, quin & auctores Græci à Romano Pontifice studio nationis abhorrentes, Chrysostomus, & Euthymius, qui verò negauerit, præter Lutheranos, & Caluinistas nuper, repertus est nemo. Quorum facillimè potest opinio refutari. Quid enim est, *pasce oues meas*, nisi pasce gregem meum, pasce Ecclesiam meam? quicũque ergo intra Ecclesiam erant, pascendos illi tradidit, reliqui verò Apostoli extra Ecclesiam, vt opinor, non erant. Denique Christus non dicit Petro, pasce has, aut illas oues, sed, *pasce oues meas*, omnium ergo suarum ouium curam illi dedit. Quod Bernardus lib. de cõsideratione 2. c. 8. prudenter obseruauit. *Quis es? sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum*, (alloquitur autem Eugenium Romanor. Pont.) *tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sũt quidem & alij cæli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus: nec modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues. Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius, aut illius populi, ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planũ non designasse aliquas, sed assignasse omnes?* Accedit, quòd illa promissio, quã illi Christus fecerat, Matt. 16. 18. se super eum Ecclesiã suam ædificaturũ, alicubi impleta fuerit necesse est. Vbi nisi hic? Atqui illic singularem illi Christus supra reliquos Apostolos promiserat potestatẽ, vt eo in loco refutatis omnibus hæreticorum commẽtis cõprobauimus. Aliqua igitur hic supra cæteros potestas data est, quæ alia esse non potuit, quàm quæ illi tunc promissa fuerat, vt super eum Ecclesiã suam ædificaret, id est vt fundamentum, & caput faceret Ecclesiæ. Duobus modis noui hæretici respondent, primùm, vt cõcedant omnium ouium curam Christum dedisse Petro, eandem omnibus quoque alijs Apostolis tradidisse, itaque colligi inde non posse aliquid eum potestatis præter cæteros accepisse. At vbi obsecro locus ille est, vbi Christus eandem hanc pascendarum ouium suarum curam cæteris dedit Apostolis? Proferant, ostẽdant, & vincãt. Duos proferre possunt locos, alterum Matth. 28. 19. & Mar. 16. 15. 16. *Euntes in mundũ vniuersum docete omnes gẽtes:*

Gal. 4. 9. Hebr. 5. 14.

Petri in vniuersã Ecclesiam potestas, & prima tus probatur.

Pascere, id est regere. In cap. 2. Mat. ver. 6.

Agni qui nam sint, & an idẽ significent ac oues.

Hebr. 5. 12.

Refelluntur hæreticorum argumenta.

alterum

alterum illũ, quem suprà explicauimus, c. 20. 22. 23. *Accipite Spiritum sanctũ, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* At priore loco nõ singulis, sed cunctis omnes docendi gentes curam tradit. Nec enim fieri poterat, vt singuli omnes orbis terræ partes peragrarent, gentésque omnes docerent, neque verò, si fieri facillimè posset, erat necessarium. Quid enim erat opus, vt omnes ab singulis, modò omnes ab omnibus, aliæ ab alijs, docerentur? Et absurdum dictu est iussisse Christum Apostolos facere, quod nec fieri poterat, nec, vt fieret, opus erat. Quam ergo vim habeat illud, *in mundum vniuersum*, & illud, *omnes gentes*, illic docuimus. Nempe mundus vniuersus Iudææ, omnes gentes Iudæis opponuntur. Opponit enim hanc secundam missionẽ primæ, in qua illis dixerat, *In viã gentiũ ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Matt. 10. 5. 6. Nunc illis limites illos, quos posuerat euellit. Tanquam dicat Ecclesiæ, *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos cõfolida. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit.* Isai. 54. 2. 3. Ecclesiã igitur illic dilatat, non singulorum Apostolorũ potestatem. Quin inde ad confirmandum id, quod hoc loco agimus, argumẽtum non leue sumitur. Illic cunctis Apostolis non singulis totius orbis terrarum curæ datur, & tamen necesse erat vni alicui vniuersam illã, quæ in singulos partita erat, curã dari. Vt enim Cyprianus in libro de vnitate Ecclesiæ copiosè disputat, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Quæro cui vniuersa illa cura nisi Petro? quæro vbi nisi hîc commissa sit? Quemadmodum eodem loco Cyprianus vtrunque cõiungens testimonium attestatur, *Super illum* inquit, *vnum ædificat Ecclesiã suam, & illi pascendas mandat oues suas.* Alter verò locus nostram potiùs sententiam maximè iuuat. Cùm enim supra omnibus simul Apostolis, in quibus & Petrus profecto erat, parem dedisset potestatem, quid potuit esse causæ, cur nunc singularibus verbis oues suas illi vni pascendas committat? Si eadem hæc, atque illa prior potestas erat, cur eam illi iterũ tradit? cur non ijsdem tradit verbis? cur non eodem ritu? cur non eodem affectu, sed ter interrogato, num se diligeret? cur maiorem ab eo, quàm à cæteris erga se amorem exigit? cur denique nõ omnibus eandem iterum tradit? Præter illam ergo, quam communem cum omnibus Apostolis illo loco acceperat potestatem, propriam hic supra cæteros auctoritatem accipit. Quod multo meliùs, quàm Lutherani, & Caluniani Cyprianus vidit, *Et quamuis*, inquit, *Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatẽ tribuat, & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritũ sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui retinueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.* Loquebatur autem Cyprianus de hoc ipso loco, quẽ modò versamus. Deinde respondent aduersarij, cũ probauimus Petrum vniuersæ à Christo Ecclesiæ curã accepisse, nihil dum egisse nos, probandũ nobis esse Romanum Pontificem Petri successorem esse. Nos verò contenti esse possumus demonstrasse Petrum, de quo hîc agitur, Apostolorum fuisse principem, nam de Romano Pontifice non agebamus. Sed quia ista eandem in Romano Pontifice rationem valere negant, age rogemus, quare? Quia, inquiunt, Petri successor non est. Quidni? quia Petrus, inquiunt, Romæ non fuit. Itáne verò? tota igitur causa in hoc versatur cardine, vtrum Petrus Romæ, nẽne fuerit? Vnde id scire possumus, nisi aut ex litteris sacris, aut ex Ecclesiasticis historijs? Scriptura certè non negat Romæ fuisse, & Petrus ipse se Romæ esse indicat, cùm primam scribit epistolã c. 5. 13. Babyloni enim se dicit scribere, & Romam, vt illic Deo adiuuante docebimus, Babylonem vocat. Historiam verò proferant aliquã bonam, malam; quæ Romæ non fuisse doceat; nos enim historias omnes, auctores omnes non Catholicos modò, sed etiam hæreticos, qui iam inde ab Apostolis vsque ad nostram memoriam extiterunt, si quidem ea de re mentionem vllam faciunt, testes habemus Romæ fuisse, Romæ fixisse sedem, Romæ glorioso martyrio vitam finiuisse. Quid auctores dico? templa, saxa, ligna Romæ fuisse testantur. Ergo dum ad epistolam primam Petri venimus, pugnent isti, si possunt, cum toto terrarum orbe. *Pugnabit* enim *cum illo orbis terrarum contra infensatos*, interim nos profligatis ex hoc loco hostibus, ad castra reuertamur. Duæ hîc reliquæ quæstiones sũt, vt totus penitus loc⁹ enucleetur: altera, cur Christus Petrum de eadẽ re ter interrogauerit, verũ se ei quàm cæteri diligeret; altera, cur Petrus, cùm tertio esset interrogatus, tristatus fuerit. Vix auctor vllus est, qui non dicat propterea Christum ter Petrum interrogasse, quia ter Petrus ante negauerat, aut vt triplicem negationẽ triplici singularis amoris professione deleret, aut vt constaret omnibus non minùs tunc fuisse cõstantem, quàm ante fuerat inconstans. Ita Cyrillus, Theodorus Heracleota, Theodorus Mopsuest. Leontius, Theophyl. Maximus in sermone de pœnitentia Petri, August. hoc loco, & sermone de tempore. 149. Beda eius verbis in comment. Nicephorus lib. 1. c. 35. Ambrosius itẽ in apologia Dauid cap. 9. multorum obseruationem fuisse tradit. *Redditur*, inquit August. *negationi trinæ trina confessio, ne minùs amori lingua seruiat, quàm timori; & plus vocis elicuisse videatur mori imminens, quàm vita præsens.* Aliam Chrysost. & Theophyl. rationem afferunt, vt per triplicem interrogationem Christus declararet, quanti oues suas faceret, quas illi nollet committere, nisi ter examinato, vtrum se plusquam cæteri diligeret. Potéstq; hoc Ecclesiasticæ seruire disciplinæ, vt intelligamus, quàm diligenter ij, quibus animarũ cura cõmittẽda est, examinari debeãt, hac potissimùm in re, vtrum maxima cæteris antecellant caritate; quãdo Christus eam cognitam, tam expertam, tam exploratam Petri caritatẽ tamen ter, antequam curam illi ouium suarum tradit, vt exami nauit. Sed hæc de re paulo infra dicturi sumus. Gregorius lib. 6. in lib. Regum. cap. 16. aliam, sed magis moralem, quam litteralem ponit. *Primo*, inquit, *ei dicitur, Petre amas me, vt per amorem egere fortia studeat. Secundo, vt in contemplanda alta cognoscat. Tertiam perfecta caritatis affectu, & erga proximum feruore, & ad speciem conditoris feruentius inardescat.* Simile est, quod in sermone de tribus ordinibus Ecclesiæ Bernardus scribit, *Sed illud*, inquit, *tu indica, vtrum possit hoc conuenienter aptari trina Petri interrogatio, vt hoc sit dicere, Amas me, amas me, amas me? habes caritatẽ de corde puro, & de cõscientia bona, & fide non ficta?* Meliùs, & ad sensum litteralẽ magis aptè idem scribit Bernard. sermone in Cant. 76. *Non otiosè sæpe repetitum est, Petre amas me, in cõmissione ouium. Et ego quidem id significatum perinde puto, ac si ille dixisset Iesus: Nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod me ames, & valde perfecte, & ames, nequaquã suscipias curam hãc, nec te inirem tias de ouibus meis, pro quibus vtiq; sanguis meus effusus est.* Ego ad negationem non dubito Christum alluisse: sed credo etiam propterea ter interrogasse, quia rẽ illi maximi momenti committere volebat; itaque volebat

Romæ Petrum fuisse omnes historiæ testantur.

Sabb. 1. Nouembr.

Cur Christus ter Petrum interrogauerit.

Tract. 123.

2. Timoth. 1. 5.

Loco citato.

Cap. 20. 21. 22.

Romanus Pontifex Petri successor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfectè eius explorare caritatem; solet enim hic numerus perfectionem significare. Sic enim legimus eundem Christum ter eundem sermonẽ orasse Patrem, Matth. 26.44. Vnde nostra de Petri primatu sententia confirmatur, aliquam illi singularem potestatem datam esse, quando ter, id est perfectissimè illum examinat; Ecclesiam nunc, sicut ante promiserat, fundasse super eum, quãdo tam altè fundamentum fodit. Duæ in Petro singulares virtutes fuerũt; quamobrem Ecclesiam super illum fundauit Christus, fides, & caritas; fidem apud Matth. cap. 16. 18. exploraverat, ideóque Ecclesiam se super eum fundaturum promiserat; caritatem nunc etiam atque etiam tentat, & explorat, qua explorata ædificium illi Ecclesiæ superponit, *Pasce*, inquit, *oues meas*. Alteram quæstionem, cur Petrus tertiò interrogatus tristari cœperit, scitè admodum versat Augustinus. ser. de tempore 149. *Quid contristaris Petre? Quia rogaris amorem, oblitus tuum timorem. Sine interroget, interroget te Dominus. Medicus est, qui te interrogat; ad sanitatem pertinet, quod interrogat. Noli tadio affici. Expecta, impleatur numerus dilectionis, vt deleat numerum negationis.* Chrysostomus, Theodor⁹ Mopsuest. Leõtius, Theophylactus, & Euthymius ideo tristatum dicunt, quia cùm Christus iterum, atque iterũ idem interrogaret, in mentem illi venerit negationis suæ, veritúsque sit, ne quemadmodum tunc, quamuis ita se Christum amare professus fuisset, vt suam pro illo animam esset, si res poscseret, posituras, ter tamen negauerat, réque ipsa declarauerat, minùs se illum, quàm sibi videbatur, amauisse; ita nunc quoque minùs fortasse amaret, quàm sibi videretur. Magis probo, quod scribit Theodorus Heracleotes, contristatum fuisse, quòd cùm Christus eum tam sæpe, & tam diligenter interrogaret, indicare videretur se illum suspectum habere, idcirco ne semel quidem, & iterum affirmanti se eum pluspuam cæteros amare, credidisse. Propterea respondisse, *Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te*, quasi dicat. Tu qui omnia nosti, ignorare non potes verum esse, quod dico: quid ergo quasi mihi non credens, me tam sæpe rogas? Quid hoc ad mores valeat copiosè hoc loco, & subtiliter disserit Augustinus. *Sit*, inquit, *amoris, officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse, non Christi, se conuincuntur amare, non Christum: vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendæ cupiditate; non obediendi, & subueniendi, & Deo placendi caritate. Contra hos ergo vigilat totiens inculcata ista vox Christi; quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Iesu Christi. Nam quid est aliud, si diligis me, pasce oues meas, quàm si diceretur, si me diligis, non te pascere cogita, sed oues meas? sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam: dominiũ meum, non tuum; lucra mea, non tua: ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa, se ipsos amantes, & cætera, quæ huic malorum initio connectuntur.*

18. *Amen, amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.*) Mortis genus, quod pro se Petrus subiturus erat, Christũ his verbis significare, sequenti versu Euangelista declarat. Duabus de rebus quæri potest, cur Christus mentionẽ mortis post datam Petro ouium suarum pascendarum curam intulerit, & quare id genus mortis hac metaphora declarauerit; nisi & tertiam aliquis quæstionem velit adiungere, quod hic genus mortis significetur, quæ aut minimè dubia est, aut ad sequentem pertinet versum. De prima igitur quæstione ad hunc modum ser. de tempore, 149. scribit Augustinus. *Tanquã diceret*, inquit, *Quid retribues, quia diligis me? Dilectionem ostende in ouibus. Quid mihi præstas, quia diligis me, quando ego tibi præstiti, vt me diligeres? Si dilectionem tuam erga me habes, vbi ostendas habes, vbi exercens habes, pasce agnos meos. Quatenus autem pascendi essent agni, & dominicæ oues tanto pretio comparatæ, quanta essent dilectione pascendæ, in consequentibus demonstrat. Postquam enim Petrus impleto legitimo numero trina responsionis professus est se esse Domini dilectorem, commendatis sibi ouibus eius audit de sua futura passione. Hic demonstrauit Dominus sic diligendas oues suas ab ijs, quibus eas commendat, vt parati sint mori pro eis. Sic idem Ioannes in epistola sua ait, sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Chrysostomus verò, Leontius, Theophylactus, & Euthymius aliam, cur hoc Christus dicat, causam reddunt, nempe vt ostẽderet non propterea se ter eum interrogasse, quòd illi nõ crederet. Credere enimuero, & ita quidem credere, vt sciat eum pro se, cùm opus erit, moriturum. In eundem fere modũ Cyrillus, voluisse confirmare Christum vera esse, quæ Petrus respõderat, se eum amare; scire enim se illum pro se aliquando moriturum. Theodorus autem Mopsuest. vt illi negationis præteritæ memoriam, timorémque, & solicitudinem, qua propter illam angebatur, ab eo auferret. Aliter etiam Leontius, idémque Chrysost. & Theophylactus indicant, voluisse Christum Petrum nolentem à se diuelli consolari, bono esset animo, patientérque discessum ferret suum, fore breui, vt se sequatur. Quod attinet ad secundam, tertiámque quæstionem, omnes hîc auctores tradunt significasse Christum fore, vt Petrus in crucem sublatus moreretur, Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, vterque Theodorus, Heracleotes, & Mopsuest. Leontius, Theophylactus, Beda, Rupertus; quo autem modo, quo tempore, quo loco id Deo volente in præfatione ad eius epistolas dicturi sumus. Quid dicatur, nemo non videt; cur ita dicatur, id verò explicandum est. Cur dicit, *cùm esses iunior, & cingebas te; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget*, vt significet, cùm esset iuniot, mortuum nõ fuisse; cùm autem senuerit, esse pro se in cruce moriturũ. Haud dubium, quin ad consuetudinem iuuentutis, & senectutis communem alludat. Solent enim iuuenes robustiores, & magis expediti esse corpore, quàm senes; itaque ipsi sibi sufficiunt, neque ad corporis sui ministerium vlla alterius indigent ope, ipsi se vestiunt, ipsi se exuunt, ipsi per se sine duce, sine scipione, recti, vegetique, quocunque libet, incedunt; senes contrà aut morbis, aut ætate debilitatis membris aliorum, qui se vestiant, qui se cingant, qui se sustentent, indigent ministerio. Idem naturæ congruenter euenturũ Petro, cùm esset iunior, seipsum cinxisse, vestijsséque, id est corporis sui habuisse potestatem, ideóque illud conseruasse; fore, vt cùm senuerit, eius corpus non in ipsius, sed in aliorum potestate sit, qui de illo, quidquid libuerit, faciant, qui morte pro se afficiant. Hæc vna est allusio, in qua pars maxima sententiæ consistit. Alia subtilior est, quam nescio an quisquam, animaduerterit, quæque in contrario genere versatur. Solent iuuenes fortiores esse etiam animo, quàm senes; significat autem Christus fore, vt è contrario Petrus fortior sit, cùm senuerit, quàm cùm erat iuuenis; iuuenem enim temerarium quidem fuisse, fortem verò non fuisse, sed timidum, & ignauum; qui cùm iactasset se pro ipso moriturum, cum ad minimum periculum ventum est summa cum negauerit leuitate; senem magno, ac forti futurum animo; pro se enim gnauiter mo-

riturum.

Tempari pascendi perfectio significat.

Cur Christus Petrum ter interrogarit.

Trac. 123.

Philipp. 2. 21.

2. Timot. 3. 1. 2.

Cur Christus mentionẽ mortis intulerit.

1. Ioan. 3. 16.

Cur genus mortis Christus ita significauerit.

ἄλλος σε ζώσει. *Vsque adeo noui te firmum, & stabilem permansurum, vt etiam pro me in crucem figendus sis, quod quia difficile intellectu erat, Euangelista interpretatur. Enimuero mortem in cruce Petrus sustinuit, idq; capite in terram verso, cùm id ipse petijsset, ne eodem atque Dominus modo moreretur. Quod significans dixit, Alius te cinget.* Mortem vocat Euangelista clarificationem Dei, quòd magna non re quidem ἴσῃ, sed hominum opinione, ac fructu, Deo accedat gloria ex morte pro Christo, pro Euangelio, pro veritate obita, vt Leontius, Theophylactus, & Euthymius exponunt meliùs, quàm idem Theophylactus, & Chrysostomus, &, vt videtur, Augustinus, ac Beda, qui clarificationem, aut glorificationem sanctorũ pro Christo mortem vocari putant, quòd magna inde ad eos redeat gloria. Nam etsi maior illis, quàm Deo accedit gloria, tamen Euãgelista non dicit, *significans* qua morte se ipsum sed, *qua morte clarificaturus esset Deum* Est autem Hebraica phrasis idem significare, quod dare gloriam Deo, id est veritatem tanquam inspectante, iudicantéque Deo confiteri, vt c. 9. 24. declarauimus, quod qui pro cuenda moriuntur veritate, maximè faciunt, inde martyres dicti, quòd & verbis testentur, & suo sanguine obsignent veritatem. Ineptus est, & insulsus quidam hæreticorum interpres, non dixisse Euangelistam significans, qua morte meriturus erat vitam æternam, nullum ergo meritumesse. Isto sane modo probare potuit nec mortuum fuisse Petrum, quia non dixit Euangelista, *significans, qua morte* esset moriturus, sed, *clarificaturus esset Deum*. Agapesis istas ineptias. Qui Deum glorificat, multo magis se ipsum glorificat, id est maiorem sibi meretur gloriam, quàm Deo tribuit. Si enim, qui esurientem pauit Christum, non dico gloriam qualemcunque, sed totum regnum cælorum promeretur, vt Matth. 25. 34. 35. satis, supérque demonstrauimus, quid merebitur, qui pro illo sanguinem, & vitam fundit? *Qui*, inquit, *confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Cur ergo potiùs dixit, *Qua morte clarificaturus esset Deum*, quàm se ipsum? Quis ita dixisset? Nam etsi Petrus magnam gloriam & apud Deum, & apud homines consecutus est, tamen non ideo mortem oppetijt, vt seipsum, sed vt Deum glorificaret. Eadem de causa non dixit, Qua morte moriturus esset, quod erat multo simplicius, quia voluit exprimere Euangelista significasse Christum adeo fortem fore Petrum, cùm senex esset, [illegible] pro Deo mori non dubitaret, hoc est vt Deum clarificaret. Christum autem Euangelista Deum vocat, eum enim maximè Petrus morte sua clarificauit, pro eoque propriè mortuus est. Potest ex hoc loco quãuis tenui, aliqua tamen coniectura colligi, cùm hæc scribebat Ioannes, iam Petrum fuisse mortuum. Sic enim loquitur, quasi ex euentu Christi sententiam interpretetur, ac probet.

Et cùm hoc dixisset, dicit ei, sequere me.) Tres huius loci interpretationes inuenio. Nonnulli existimant Christum dixisse Petro, vt se corporaliter, pedibúsque abeuntem sequeretur. Cùm enim & prandium, & superiorẽ finisset orationem; surrexisse, cœpisséque discedere, iussisséque se sequi Petrum: quemadmodum & Theophylactus, &, vt videtur, Chrysostomus exponunt, quamquam aliam etiam affert, & magis probat explicationem, quasi idem sit, *sequere me*, ac si diceret, Veni mecum, mittam te in ouium mearum possessionem. Alij moraliter, *sequere me*, id est mores meos imitare, vt Theodorus Heracleota, idémque Theophylact. Alij de ipso genere mortis interpretantur, vt superiora, quasi dicat, *sequere me*

Clarificare Deum Hebraica phrasis.

Caluinus Petrũ negat fuisse crucifixũ.

1. Corint. 13. 11.

Matt. 10. 32.

Caluinus, & Beza in Ioann.

Cum hæc scribebat Ioannes iam Petrus erat mortuus.

Theodori Mopsuest. de morte Petri Ioan.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in cælum euntem ijsdem vestigijs, quibus ego viam mihi in cælum pandi, id est per crucem, vt Theodorus Mopsuest. Leontius, Augustin. Beda, Euthym. Rupertus. Optime autem omnium Rupertus, ideóque eius subiiciam verba loco commentarij, *Mira*, inquit, *cum suauitate veræ, & mansuetæ Dominus præteritæ concertationis meminit, in qua cum dixissit ipse, Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea, respondens Petrus, Quare, inquit, non possum te modo sequi? animam meam pro te ponam. Ad hoc dicente Domino, In hac nocte antequam gallus canet, ter me negabis. Ait ille, vt suprà dictum est, adhuc iunior, Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Huius, inquam concertationis Dominus benignè meminit, dicens, Sequere me; ac si diceret, Iam de eo, quod dixi tibi, Quo ego vado, non potes me modo sequi, tu negando ter veracem me esse comprobasti; superest, vt de eo, quod adieci, Sequeris autem postea, meus sermo verus appareat. Sequere ergo, id est imitare me; deinceps enim paratus eris pro me & in carcere, & in mortem ire. Paratus inquam, & fortis eris & sicut paulo ante tunicis succingens, & mittens te in mare fiducialiter ad litus peruenisti, sic in studio prædicationis accinctus spiritu fortitudinis per medium tribulationis currens in littore quietis æternæ mecum stabilieris.* Hic verus est sensus, & dilucidè enucleatus. Quamquam non negauerim Christum, cùm hæc diceret, abire cœpisse, non vt iuberet Petrum pedibus se sequi oportere, sed vt ipso abeuntis habitu declararet ita se mortis genere sequi debere, quemadmodum pedibus sequebatur. Itaque non arbitror litterale esse, quod Chrysostomus, & Euthymius scribunt, iussisse Christum se Petrũ pedibus sequi, tãquam aliorum Apostolorum ducem, tanquam Vicarium suum, magisque familiarem cæteris, tamen vt hæretici frendeant, verba hîc eorum recitabo. *Quod si quis*, inquiunt, *perconaretur, quomodo igitur Iacobus sedem Ierosolymis acceperit? Responderem hunc Petrum totius orbis magistrum præposuisse.* Ad mores siquis hoc accommodare velit dicat, quod Eusebius Emesenus scribit in hom. de Ioanne Euangelista. *Quod Petro dicitur, omnibus dicitur. Sequere me.*

Optima Ruperti interpretatio, quæ & auctoritatem habet. Sup. c. 13. 36. 37. 38.

Quod Petro dicitur, sequere me, omnibus dicitur.

20.21. *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat, Iesus, sequẽtem.*) Apparet, vt & Rupertus adnotauit in his verbis iam Petrum, cùm hoc dixit, sequi cœpisse Christum, cúmque respexisset, Ioãnem quoque sequentem vidisse. Hoc enim est, *conuersus Petrus vidit illum discipulum.* Inde igitur occasionẽ accipit de illo potiùs, quàm de cæteris interrogandi, *Hic autem quid?* Sed quare inde occasionẽ acceperit, id nescio an quisquam interpretu satis animaduerterit. Quidam enim præsertim hæreticorũ interpretes exponũt Petrum, cùm vidisset Ioannẽ Christum etiam sequentem, cùm ille non iussisset, vt se sequeretur, quasi admirãtem hominis audaciam, qui non iussus, non vocatus Christum sequeretur, dixisse, *Hic autem quid?* quasi dicat, num & istũ iubes te sequi? si non iubes, quo ergo modo, quo ausu sequitur te? Sensus à sensu Petri prorsus alienus. Primùm qui hoc dicunt, necesse est dicant Christum iussisse Petrum se pedibus sequi, q̃ est à nobis suprà refutatum. Deinde responsio Christi indicat Petrum non indigne tulisse, vt etiam Ioãnes Christum sequeretur, sed potiùs optasse, vt sequeretur, *si enim volo manere*, id est vt me non sequatur, *quid ad te?* Qui verò interpretãtur iussisse Christũ, vt se Petrus sequeretur, id est vt se genere mortis imitaretur, nec explicant quomodo ex Ioanne sequẽte occasionem sumpserit hoc interrogandi; nec verò explicare conuenienter illi sentẽtiæ vidẽtur posse. Ex eo enim, quòd Petrus Ioãnem, sicut & seipsum Christum sequentem videbat, non poterat coniecturam facere pro Christo non morituro, sed potiùs morituro, sicut ipse propterea iussus eum sequebatur, quia pro eo moriturus erat. Hic est nodus, quem vellem aliquis soluisset. Credo ego Petrum duabus contrarijs inter se rationibus in eam impulsum fuisse dubitationem. Vna quidem ex parte, cùm sciret quantopere Christus Ioãnem diligeret, persuadebat sibi, hoc illi priuilegium concessurum Christum, vt violentam non subiret mortem; altera verò ex parte, cùm eum sequentem videret, coniiciebat etiã ipsum pro Christo moriturum. In hanc ancipitem adductus cogitationem quæstionem Christo proponit, *Hic autem quid?* Atque hæc fortassis causa est, quamobrem Euangelista discipulum ita descripserit, *quem diligebat Iesus*; &, *qui recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est, qui tradet te?* quod nusquam tam multis aliàs verbis fecisse legimus; vt causam scilicet vnam indicaret dubitationis Petri. Propterea enim dubitasse, an moriturus violenta, & crudeli manu esset, quia vnicè à Christo diligebatur. Probabilior certè hæc ratio est, quàm ea, quam Chrysostomus, Theodorus Heracleota, Leontius, Theophyl. & Euthym. reddunt, Petrum singulari erga Ioannem amore fuisse, ideóque noluisse ab eo separari, sed optasse, vt Ioannes etiam Christum sequeretur, id est pro illo moreretur. Responsio enim Christi haud valde obscurè indicat Petrum genus potiùs quoddam beneficij, ac priuilegij esse existimasse, quòd Ioannes violentam non subiret mortem. *Si eum volo manere, quid ad te? tu me sequere*; adhuc enim Petrus non Spiritu sancto confirmatus, & in nouum mutatus hominem, vt homo loquebatur. Probabilior etiam, quàm illa alia, quam Rupertus adducit, ideo hac descriptione vsum Euangelistam, vt intelligeremus Dominum dicentem Petro, *sequere me*, illud respicere, quod eidem dixerat in cœna, *Non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Hoc nempe*, inquit, *tunc dictum est, quando super pectus eius recumbens discipulus iste dixit ei, Domine quis est, qui tradet te?* Hinc alia necessaria ad explanationem huius loci soluitur quæstio, num Petrus Christi ænigma intellexerit, *Cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas; cùm autem senueris, alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Qui enim dicunt Petrũ existimasse pedibus sequendum esse Christũ, ideóque miratum Ioãnem quoque iniussum sequi, in ea apparet esse sententia, vt putent non bene Christi dictum intellexisse. Ex nostra autem interpretatione constat satis intellexisse. Imò non ille modò solus, sed omnes etiã alij, qui aderant, intellexerũt; propterea enim existimarunt Ioannem non moriturum, quia, cùm Petro dixisset, *sequere me*, de Ioãne dixit, *Si eum volo manere*. Nam si intellexerunt, *manere*, id est non sequi esse non mori, intellexerunt vtique, *sequi* esse mori. Non omiserim, vt etiam atque etiam hæretici fremant, quod hoc loco Chrysost. Theophyl. & Euthymius adnotarunt, in cœna ausum non fuisse Petrũ interrogare Christũ, quis ipsum traditurus esset, sed eam curam Ioanni demandasse; hîc autẽ ipsum per se etiã de rebus, quæ ad Ioannem ipsum pertinebãt, interrogasse, *quasi iam* inquiũt, vniuersæ ecclesiæ, & proinde aliorũ discipulorũ curam suscepérat; itaq; suo incipit munere fungi, & pro omnibus solicitus esse.

Num Petrus Christi verba intellexerit.

Sup. c. 13. 36.

22.23. *Si eum volo manere, donec veniã quid ad te? tu me sequere.*) Primùm hoc loco de lectione, deinde de sensu disputãdum, qui maxima ex parte ex lectione pendet. A multis iam ante nos obseruatũ est triplicem huius loci lectionem reperiri. Prima est illa maximè vulgaris, quæ in omnes fere Latinos peruasit codices, eósque incredibili scriptorum negligentia

contami

contaminauit, *Si eum volo manere, donec veniã, quid ad te?* nulla prorsus specie probabilitatis. Nam & sententia particulam conditionalem *Si*, necessariò requirit, & nulla inter ἐὰν, quæ in omnibus Græcis legitur libris, & ὅτῳ est, vt suspicio vlla esse possit interpretem nostrum vnam pro altera legisse. Tamen sic hoc loco Augustinus legit, sic sermone de tempore. 149. sic Eusebius Emesenus homil. de Ioanne Euangelista, sic Ambrosius in enarratione Psal. 45. & serm. 20. in Psal. 118. sic Beda, & Rupertus hunc locum interpretantes. Altera lectio est, *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Quæ lectio in omnibus, quos legere potui, Græcis codicibus, etiam illo celebratissimo Vaticano, & apud omnes Græcos enarratores summo consensu reperitur, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι. *Si eũ volo manere, donec venio, quid ad te?* Quemadmodum & Syriaca exemplaria, & nonnulla Latina, & vetusta manu scripta legunt, quæ ab eis, qui præcipuam in hac re operam posuerunt, notata sunt. Tertia ex his duabus coaluit, *Si sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* quomodo Hieron. lib. aduersus Iouinian. 1. legere videtur. Vera lectio est, vt ex Græcis codicibus apparet, *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Sed aut incpria, vt fit, notariorum pro, *Si*, cœptum est scribi, *Sic*, aut ab aliquo fortasse, qui nolebat Ioannem esse mortuum, studiosè per speciem correctionis locus corruptus est. Superuenit alius quispiam, qui cùm in alijs libris *Si*, in alijs, *Sic*, scriptum videret, vtramque lectionem coniunxit, *Si sic eum volo manere, quid ad te?* Quod attinet ad sensum, quocunque modo legamus, non magnum discrimen est. Hoc tantùm interest, quòd si legamus, *Sic eum volo manere*, affirmat Christus velle se eum manere; tamen vt postea demonstrabimus, non continuò sequitur Ioannem non esse mortuum, sin autem legamus, *Si eum volo manere*, aut, *si sic eum volo manere*, nihil affirmat, sed sub conditione loquitur, non debere Petrum molestè ferre, etiamsi eum manere vellet. Ad sententiam veniamus, quæ tota ex consecuto euentu colligenda est. Etenim si Ioannes mortuus non est, non dubium quin Christus id significauerit, etiamsi, vt Euangelista expositi, disertè non dixerit eum non moriturum. Itaque interpretabimur Ioannem dicentem, *Et non dixit Iesus, non moritur, sed, si eum volo manere*, non quasi discipulorum errorem corrigere voluerit, sed quasi voluerit ostendere, quàm subtili coniectura, quod obscurè Christus indicauerat, intellexerint, quòd cùm nõ dixisset apertè discipulum illum non moriturum, sed tantùm, *si eum volo manere*, aut, *si sic eum*, aut, *si sic eum, quid ad te?* sagaciter tamen diuinauerint, quid Christus significare voluisset, eum nimirum non moriturum. Si autem mortuus est, manifestũ erit noluisse Christum indicare eum non moriturum. Ea igitur quæstio priùs explicanda. Multos de hac dubitasse, mortuúsne esset Ioannes, an non, Ambros. ser. 20. in Psal. 118. auctor est, nonnullos verò sensisse nõ fuisse mortuum, August. Beda, & Euthym. hoc loco, referunt. De morte igitur Ioãnis quattuor apud graues auctores inuenio sententias. Prima est, non fuisse mortuum. In qua sententia videtur vetustissimus fuisse auctor Hippolytus in lib. de consummatione sæculi, & Beda in ser. de Ioanne Euangelista, si tamen eius est. & quicunque senserunt Ioannem vna cum Enoch, & Elia ante secundum Christi aduentum venturum esse. Ita certè sentit Dorotheus in vita Ioannis. Probare solent, qui ita sentiunt opinionem suam ex Christi verbis, Matth. 16. 28. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Qui eam sententiam sequi volet, etsi meo quidem consilio nemo sequetur, tamen qui sequi volet, iam docuimus, quomodo id, quod Ioannes subiicit, explicare debeat. *Et non dixit ei Iesus, non moritur, sed si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Secunda est, fuisse mortuum, & quidem mortis genere violentæ, quamuis alio, quàm Petrum, occisum enim à Traiano fuisse. Ita Theophyl. in illa Matth. verba. c. 20. 23. *Calicem quidem meum bibetis*, quod ex illis ipsis probat verbis; nec enim dubium, quin mortem suam violentam, quantum quidem in Iudæis fuit, calicem suum appellauerit, quem cùm & Iacobum, & Ioannem fratres bibituros esse dixerit, quis audeat dicere violentam mortem non obijsse? Præsertim cùm Iacobum ab Herode occisum constet Act. 12. 2. & eundem vtrunque calicem bibiturum dixerit? Tertia est mortuum fuisse, sed eodem surrexisse die, & in cælum translatum fuisse, quemadmodum B. Virginem Christi matrem mortuam fuisse legimus, atque translatam. Quam opinionem Nicephorus sequitur lib. 1. cap. 35. Eo, vt arbitror, argũmento, quòd in apocryphis, vt hoc loco ait Augustinus, libris legerit, cùm se viuum in sepulchrum quod ipse sibi parauerat, intulisset, eius postea corpus repertum non fuisse. Quarta est, multo plures, ac maiores auctores habens, naturalem obijsse mortem. Tertullianus in lib. de anima. c. de Menandro hæretico, *Obijt*, inquit, & *Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes.* Polycrates Ephesiorum Episcopus apud Eusebium Cæsar. lib. 3. hist. Eccles. c. 31. Ambrosius in comment. in Psal. 45. & ser. 20. in Psal. 118. Hieron. in comment. in c. 20. Matth. Eusebius Emesenus in homil. de Ioanne Euangelista. Chrysost. hom. in Ioan. 2. August. hîc, & ser. de tempore 149. Theodor. Heracleota, Theodor. Mopsuest. in Græcorum Catena, Leontius in comment. ad hũc locum. Gregor. homil. in Euangelia 35. Beda hoc loco, & in Martyrologio vitam Ioannis scribẽs, Theophylact. etiam, Euthym. & Rupertus in comment. ad hunc locum, & Haymo in vita Nicolai. Hoc multo probabilius; satis enim apparet voluisse Ioannem hoc loco eam de se vulgatam opinionem corrigere, doceréque pro sua modestia se immortalem non futurum, nec id Christum aut dixisse, aut vllo modo indicasse. Quod eo magis videbat esse necessarium, quòd cùm admodum, cùm hæc scriberet, senex esset, ea magis vulgo inualuerat opinio ipsum, cùm mortuus non esset, non esse moriturum. Illud autem, quod ex Mattheo afferunt, qui mortuum esse negant. c. 16. 28. illic explicatum à nobis est. Reliquum est, vt & hunc explicemus locum. Quid est, *si eum*, aut, *sic eum*, aut, *si sic eum volo manere, donec veniam?* In duobus verbis quæstio versatur quid sit, *manere*, & quid sit, *donec veniam*. Augustinus, & Beda, vt vulgari cederent opinioni, ad allegoriam confugerunt, per Petrum actiuam, per Ioannem contemplatiuam vitam significari; Petrum ergo, id est actiuam vitam non debere manere, id est expectare aduentum ad iudicandum Christi, sed antequam ille veniat, satagere, ac perfici debere. *Ambulate*, inquit, *dum lucem habetis*; &, *venit nox, quando nemo potest operari.* Chrysostomus verò, & Theophylactus de loco videntur interpretari, Si eum volo hîc manere, & non mitti tecum in totum orbem terrarum ad docendas omnes gentes, donec paulò post redeam, & mittam eum, *quid ad te?* Omnes alij auctores de morte exponunt, *si eum volo manere*, id est non mori, *donec veniam, quid ad te?* Dissensio inter eos est de illo verbo, *Donec veniam.* Alij enim intelligunt non secundum Domini aduentum, quem omnes expectamus, sed

Vera lectio huius loci.

An Ioannes mortuus sit, 4. sententiæ.

1. Fuisse mortuum.

2. Mortuũ fuisse, sed resurrexisse.

Trac. 124

3. Naturalẽ obijsse mortẽ.

Quid sit, volo manere.

Sup. c. 12. 35. & cap. 9. 4.

Quid significet, donec veniam.

aduentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

aduentum illum metaphoricum, quo non quidem visibiliter sicut ad iudicium, sed per potentiam, virtutémque suam venturus erat, vt per Titum, & Vespasianum Ierosolymitanam deleret vrbem. Significare ergo Ioannem non moriturum vsque ad tempus Vespasiani, cùm Ierosolymitanum vidisset excidium. Sic Dorotheus in Synopsi scribit sensisse aliquos; ita quoque hoc loco Theophylactus. Violenta, & minimè probabilis interpretatio. Alij secundum Christi aduentum intelligunt, sed hyperbolem esse putant, qua nihil aliud significetur, quàm Ioannem diutissimè victurum esse. Sicut nos vulgo, cùm aliquid valde sero faciendum significare volumus, dicere solemus, Non fiet vsque ad diem iudicij. Ita Leontius, & Theodorus Mopsuest. Alij secundù aduentum sine vlla hyperbole, sine vlla figura notari putant, sed Christum non de quacunque, sed de sola violenta loqui morte, quam Ioannes vsque ad secùdum Domini aduentum non esset, sicut Petrus, erat, subiturus. Sensum ergo esse, *Si eum*, aut, *sic eum*, aut, *Si sic eum volo manere*, id est illæsum, non crucifixum aut te, non alio violentæ mortis genere concisum, ac dilaceratum, sed sanum, atque integrum, quamuis mortuum, *quid ad te? tu me sequere*, tu mecum ad crucem propera. Sic Eusebius Emesenus in homilia de Ioanne Euangelista, Augustinus ser. de tempore. 149. & Rupertus hoc loco. Atque hic verus, & germanus est sensus. Id enim agebat Christus, vt Petro Ioanne opponeret. Petrum dixerat secuturum se, id est in cruce mortem, sicut ipse subierat, subiturum; ergo quando è contrario dicit velle se manere Ioannem, non significat eum non moriturum, sed non eo modo, quo Petrum, id est vi illata moriturũ. Atque hoc est, quod ipse Ioannes subiicit, *Et non dixit Iesus non moritur, sed, si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Ad hunc sensum nihil refert, quo modo legamus, siue, *Si* siue, *sic*, siue, *Si Sic eum volo manere*; idem enim est sensus. Quid respondendum ad illud Matth. 20. 23. *calicem quidem meum bibetis*, illic ex Hieronymo, & alijs auctoribus diximus. Moralem sensum Cyrillus notat, natura sic esse comparatũ, vt velimus nostrorum laborum habere socios. Nos obseruare nobis admodum vtile possumus documentum; si quid cui beneficij, aut priuilegij, aut à Deo, aut ab hominibus concedatur, quod nobis denegetur, non continuò murmurandum, non continuò dicendum, *Hic autem quid?* Nam si Christus Petro, qui, vt Chrysostomus, Theodorus Mopsuest. Theophylactus, & Euthymius scribunt, curam iam totius susceperat Ecclesiæ, non pepercit; sed eum reprehendit, *Quid ad te?* quanto minùs priuatis hominibus nobis parcet, quanto asperiùs nobis dicet, *Quid ad te? Tu me sequere*, officio tuo fungere, *Spartam quam nactus es, cole*; *vnus quisque onus suum portabit*. Quid respicis retro? *tu me sequere. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore*, 1. Cor. 12. 15.

Moralis expositio.

Gala. 6. 5. Rom. 14. 4.

24. *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium eius.*) Miror vehementer doctos homines, & bene profectò Catholicos ætate nostra extitisse, qui, an hæc verba Euangelistæ sint, in dubium reuocauerint, videri enim ab aliquo postea, aut à tota Ecclesia ad commendandam huius Euangelij auctoritatem adiecta fuisse; quod nescio an quisquam hæreticorum, qui modò Ioannis receperint Euangelium, quamuis audaces, quamuis magni sint Aristarchi, ausus fuerit facere. Quis enim est veterum auctorum, qui hæc verba tanquam Euangelistæ non proferat? Certè verba, quæ sequuntur proximo versu alterius, quàm Euangelistæ esse non possunt. Quis enim potuit dicere, *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros*, nisi qui & ea quæ Iesus fecerat, viderat, & reliqua eius facta scripserat, quæ in hoc continentur Euangelio? Etsi Theodorus Mopsuest. putat hæc ipsa verba Euangelistæ non esse. Consuetudo quoque scribendi Ioannis indicat hæc eius esse verba. Eodem enim modo scribit. 1. epistol. c. 1. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* Oportebat denique homines Catholicos Concilium reuereri Tridentinum, quod non solùm totum opus, sed singulas etiam partes tanquam Ioannis approbat. At quorsum præter aliorum consuetudinem hoc Ioannes adiecit? Legissent auctores; nam multi quæstionem eam proponunt, & eius rei causas probabiles reddunt, Chrysostomus, & Theophylactus putant causam reddere voluisse, cur, cùm alij multi scripsissent Euangelia, & ipse ad scribendum accessisset, amore nimirum erga Christum fecisse, & vt eius vicissim erga se amori responderet; hunc enim, qui hæc scribebat, illum fuisse discipulũ, quem tantopere Iesus diligebat, quique in cæna in eius pectus recubuerat. Cyrillus verò, & Rupertus, vt auctoritatem ijs, quæ scripserat, fidémque conciliaret; se enim non falsa, non incerta, non ignota narrasse, sed quæ ipse vidisset, cùm adeo à Christo dilectus esset, adeo illi familiaris, adeo eius lateri semper inhærẽs, vt ignorare non posset, quæ ab illo gererentur, nec Christum amaturum tantopere eum fuisse, si eiusmodi esset, vt mentiretur. Hanc habet emphasim pronomen illud, *Hic, hic*, scilicet, quem diligebat Iesus, qui tam familiaris illi fuit, vt in eius pectus in cœna recumberet, vt solus auderet interrogare, quis eum traditurus esset, scripsit hæc. vt Rupertus obseruauit. Quòd dicit, *hæc*, nonnulli ad id solùm referunt, quod de Petro, & Ioanne proximè dixerat. Sed multo est probabilius ad totum, quod scripserat, Euangelium esse referendum, apparet enim, vt diximus, toti operi fidem conciliare voluisse; & nõ tam solicitum esse decet, vt quæ de se & Petro paulò ante, quàm vt quæ toto Euangelio de Christo, de eius doctrina, moribus, miraculis, morte, resurrectione dixerat, lector crederet. Atque ita Chrysostomum, Cyrillum, Theophylactum intellexisse ex eorum, quas modò recitauimus, interpretationibus perspicuum est. Quod sequitur, *Et scimus, quia verum est testimonium eius*, parum consequentem orationem videtur reddere. Primùm quia cùm ante per tertiam personam locutus fuisset, nunc per primam loquitur; deinde quia cùm ante singulari, nunc plurali dicit numero *scimus*. Hæc res coniecturam, aut suspicionem quibusdam iniecit Græcè pro οἴδαμεν scimus legendum esse οἶδα scio, atque ita quidem Theophylactus videtur legere. Sed nihil tam tenui coniectura, mutandum est. Nam personæ, numerique mutationem, qui consuetudinem Hebræorũ nouerit, minimè mirabitur. Et reddi aliqua potest ratio, cur cùm ante per tertiam personã dixerit *hic est discipulus ille*, nunc per primam dicat, *scimus*, quia iam declarauerat se eum esse discipulum: itaque oportebat vt per primam de se personam loqueretur. Cur ergo plurali numero? & eius rei aliqua potest afferri causa. Sunt qui putẽt auctoritatis gratia ita loqui, quod & à Ioannis moderatione, & ab Hebraicæ, & Græcę linguæ consuetudine alienum est. Credo ergo suum testimonium aliorum etiam omnium discipulorum conscientia corroborare voluisse, quasi diceret non

Sess. 4. decreto de Canonicis scripturis. Cur præter aliorũ consuetudinem ea adiecerit.

Sup. c. 13. 5. & hoc c. ver. 20.

An hæc verba sint Euangelistæ.

solùm

solùm ego, qui testimonium perhibui, sed ego, & omnes, qui cum Christo versati sumus, scimus verum esse. Piget Ruperti interpretationem referre nimis alienam. Putat enim mimesim esse, quasi hæc verba Ecclesiæ sint Euangelistæ respõdentis, Amen, ita est. scimus eum discipulum vera dixisse.

25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mũdum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.*) Putat, vt paulò ante diximus, Theodorus Mopsuest. hæc verba Euangelistæ non esse, sed ab aliquo postea adiecta esse, quod illic quoque refutauimus. Quin, si solis rationibus, & cõiecturis res agatur, magis probabile est hæc verba, quàm ea, quæ superiore versu sunt, à Ioanne scripta esse. Sed, vt diximus, neque de his, neque de illis licet dubitare. Videndum ergo primùm quorsum hæc Euangelista dicat; deinde quo modo intelligendum, quòd ait fore, vt si omnia, quæ Christus fecit, scriberentur, mundus libros capere non posset. Chrysostomus, & Theophylactus ideo existimant hoc addidisse, vt ostenderet se non ad gratiam, quòd amicus esset, scripsisse Christi: etenim qui ad gratiam scribunt alicuius, nihil prætermittere solere, quod ab eo gestum fuerit commemoratione dignum; se verò multo plura, quàm scripsisset, & valde memorabilia prætermisisse. Cyrillus verò, &, vt videtur, Leontius, & Theodorus Heracleotes excusationem esse putant; potuisse enim Euangelistam ab aliquo imprudenter reprehendi, quòd multa Christi facta silentiò præterijsset, excusare multitudinem ab eo gestarum rerum, tam multas fuisse, vt nec scribi possint; & si scriberentur, tot mundus volumina capere non posset. Quod dum dicit & se excusat, & res Christi magis quodam modo, quàm si eas perscripsisset; amplificat. Probabilius hoc est; quamquam mihi quidem alio potiùs spectasse videtur Euangelista, ne quis existimaret non fuisse facta à Christo plura miracula, quàm quæ ipse, cæterique Euangelistæ commemorassent; & fidei terminum figeret, nihil præterea credens, quod aut alibi legeret, aut aliunde à Christo factum audiret. Non de quibuslibet, vt opinor, rebus à Christo factis, sed de solis miraculis loquitur, vt Theodorus Heracleota, Leontius, & Cyrillus interpretantur, & ex superiore capite ver. 30. colligitur, aut certè de miraculis, doctrina, & mysterijs, in quibus fuit [illegible]ors, & resurrectio. Quòd dicit mundum libros, qui scribendi essent, capere non posse, quia nimis hyperbolicum videbatur, metaphoricè multi intellexerunt, vt mundum non cælum, & terram, sed homines intelligat. Sed ij ipsi auctores non eodem modo interpretantur. Nam alij exponunt fore, vt homines capere non possent, id est vt non possent intelligere, vt Augustinus, Beda, & Rupertus: Quem sensum etiam Theophylactus probat, & illis Christi verbis confirmat, *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* c. 16. 12. Alij fore vt non caperent, id est, vt memoria res tam multas, ac varias continere non possent, vt Theodorus Heracleotes, & Leontius. Vtraque interpretatio vno refellitur verbo, *libros*; quorsum enim dixisset libros non posse capere, si id dicere voluisset? Dixisset potiùs fore, vt res ipsas, quæ scribendæ essent, capere non posset. Theodorus verò Mopsuest. exponit mundum non fuisse capturum, id est neminem futurum, qui tot sibi libros, quot necessariò scribendi forent, comparare posset. Sed & hanc interpretationem satis apparet non esse germanam. Verus sensus est, multos scribendos fuisse libros, si omnia, quę Christus fecisset, sigillatim scribenda essent, sed eam librorum ingentem multitudinem, magnitudinémque voluminum per hyperbolem, cùm certum numerum dicere non posset, declarauit, vt etiam Augustinus, Leontius, Cyrillus, Beda, Theophylactus, & Euthymius exponunt.

De solis miraculis an hæc intelligãtur verba.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

LOCORVM SCRIPTVRAE

QVÆ IN COMMENTARIIS IN MATthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem exponuntur.

GENESIS.

Cap. 1. v.28. Greſcite, & multiplicamini. 312.e
2. 24. Relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori. 400.a
Et erunt duo in carne vna. ibid.b
2. 22. Ædificauit Dominus coſtam, quam tulerat. ibid.c
3. 10. Adam vbi es? 1725.c
3. 17. In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. 1402.b
4. 24. Septuplum vltio dabitur de Cain. 393.c
4. 1. Peperit Cain dicens, poſſedi hominem per Deum. 937.d
4. 25. Vocauitque nomen eius Seth, dicens, poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel. ibid.
6. 4. Iſti ſunt potentes à ſæculo, viri famoſi. 943.c.
10. 9. Venator robuſtus coram Domino. 890.b
15. 6. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. 1649.c
15. 17. Et lampas ignis tranſiens per partes illas. 1630.d
16. 6. Ecce ancilla tua in manu tua eſt, &c. 919.e
17. 17. Putaſne centenario naſcetur filius? 894.c
18. 12. Quæ riſit occultè, dicens, poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, &c. ibid.
20. 18. Concluſerat Dominus omnem vuluam domus Abimelech. 898.d
21. 12. In Iſaac vocabitur tibi ſemen. 108.e
22. 17. & 24. 60. Poſſidebit ſemen tuum portas. 347.b
30. 23. Abſtulit Deus opprobrium meum. 898.b
32. 10. In baculo meo tranſiui Iordanem. 239.d
35. 21. Fixit tabernaculum trans turrim gregis. 962.d
37. 4. Oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui. 1760.d
46. 25. Omnes animæ domus Iacob, &c. 1315. e. & 1878.b
48. 16. Angelus qui eruit me de cunctis malis. 383.e
48. 22. Do tibi partem agri extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. 1423.d
49. 10. Non auferetur ſceptrum de Iuda. 45.c

EXODI.

8. 24. Venit muſca grauiſſima. 1341.c
14. 15. Quid clamas ad me? 1205.b
21. 33. Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, &c. 1136.d
23. 4. Si occurreris boui inimici tui. 118.e
30. 13 Dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli. 375.a
33. 20. Nó videbit me homo, & viuet. 886.c. & 1330.e

LEVITICI.

12. 2. Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit 7. diebus. 973.d
Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi. 165.c
11. 29. Quis tribuat, vt omnis populus prophetet. 817.c
14. 22. Tentauerunt me iam per decem vices. 51.d
24. 17. Orietur ſtella ex Iacob. 51.e

NVMERORVM.

4. 15. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb. 1943.c. & 1648.b
5. 11. Non aſſumes nomen Dei tui. 128.e
18. 15. Prophetam de gente tua ſuſcitabit tibi Deus. 1336.c
24. 1. Si acceperit homo vxorem. 401.d
32. 8. Conſtituit terminos populorum. 383.d
32. 32. Vua eorum vua fellis, &c. 1820.b
32. 38. Surgant, & opitulentur vobis. 1149.e

IOSVE.

7. 19. Da gloriam Deo. 1666.e. 1666.a

IVDICVM.

6. 23. Pax tecum, ne timeas. 240.b. & 1255.e
13. 7. Erit enim puer Nazaræus Dei. 63.c

I. REGVM.

2. 8. Suſcitat de puluere egenum. 932.c
16. 7. Homo videt ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor. 1619.a
21. 2. Pueris meis condixi in illum locum. 261.a
25. 32. Benedictus dominus Deus Iſrael. 377.b

II. REGVM.

2. 14. Surgant pueri, & ludant. 1936.c
7. 14. Ego ero illi in Patrem. 58.b
16. 10. Quid mihi, & vobis filij Saruiæ. 742.e

III. REGVM.

8. 29. Ergóne putandum eſt, quod Deus habitet in nobis? 1436.e
12. 16. Quæ nobis pars in Dauid? 1779.e
18. 10. Non eſt gens, aut regnum, quò non miſerit. 670.c
22. 22. Ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. 1643.a.c

IIII. REGVM.

4. 29. Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum. 1108.c
5. 11. Putabam, quòd egrederetur ad me. 798.e

IOB.

2. 4. Pellem pro pelle dabit homo. 1327.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

12. 18. Baltheum Regum dissoluit. 932.c
15. 6. Condemnabit te os tuum, & non ego. 272.c
17. 12. Post tenebras spero lucem. 1300.d
19. 17. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. 1332.d
20. 29. Hæc est pars hominis impij. 1080.b
39. 33. Vbicumque cadauer fuerit, statim adest. 512.c

PSALMORVM.

2. 4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos. 913.c
2. 6. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius. 646.c.1263.a.1894.b
8. 3. Perfecisti laudem propter inimicos. 459.e
10. 4. Dominus in templo sancto suo; Dominus in cœlo sedes eius, oculi eius in pauperem respiciunt. 930.a
12. 4. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam, &c. 949.c
13. 5. & 52. 6. Illic trepidarunt timore, vbi non erat timor. 964.c
14. 3. Qui non egit dolum in lingua sua. 209.a
16. 15. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. 472.c
16. 8. Sub vmbra alarum tuarum proteges me. 914.c
17. 46. Filij alieni mentiti sunt mihi. 273.b.807.a
17. 3. Protector meus, & cornu salutis meæ. 942.b
17. 31. Deus meus impolluta via eius. 930.a
21. 1. Longè à salute mea verba delictorum. 671.d
21. 8. Et mouerunt caput. 660.b
21. 17. Circundederunt me canes multi. 1694.b
22. 5. Parasti in conspectu meo mensam. 564.a
23. 4. Qui non accepit in vano animam. 128.a
24. 6. Misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt. 943.c
25. 1. Iudica me Deus, & discerne causam, &c. 1646.c
26. 4. Vnam petij à Domino, hanc requiram. 467.e
26. 6. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum, &c. 1684.a
26. 10. Dominus autem assumpsit me. 932.e
30. 8. Quoniam respexisti humilitatem meam. 898.a
32. 10. Dominus dissipat consilia gentium. 931.c
33. 11. Inquirentes Dominum non minuentur. 160.b
33. 3. In Domino laudabitur anima mea. 927.c
33. 4. Magnificate Dominum meum, & exaltemus, &c. 926.e
33. 18. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos. 1205.b
34. 13. Et oratio mea in sinu meo conuertetur. 240.d
34. 9. Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi inique; qui oderunt me gratis. 1843.d.e
40. 1. Beatus qui intelligit super egenum. 288.a
42. 3. Emitte lucem tuam, & veritatem, &c. 1403.b
44. 10. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. 908.d
49. 6. & 74. 8. Quoniam Deus iudex est. 1487.d
50. 6. Tibi soli peccaui. 386.e
59. 3. Iratus es, & misertus es nobis. 925.c
59. 5. Ostendisti populo tuo dura. 1478.e.1699.c
59. 8. & 107. 8. Diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar. 1423.b
61. 11. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. 1106.b
62. 7. In matutinis meditabor in te. 740.c
64. 6. Nolite extollere in altum cornu vestrum, &c. 1749.c
65. 12. Transiuimus per ignem, & aquam. 1114. b.& 1115. b
66. 7. Terra dedit fructum suum. 915.a
67. 25. Viderunt ingressus tuos Deus. 1007.c
68. 22. Dederunt in escam meam fel. 656.d
68. 13. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta. 1036.b
68. 14. Tempus beneplaciti Deus. 1020.e
70. 20. Et conuersus viuificasti me. 356.e
71. 18. & 135. 4. Qui facit mirabilia magna solus. 930.e
27. 27. Qui elongant se à te, peribunt. 1144. e. & 1149.e
73. 9. Signa nostra non vidimus, iam non est prophetа. 985.d
73. 12. Operatus est salutem in medio terræ. 1007.b
76. 8. Non apponet, vt complacitior sit. 85.b
77. 57. Conuersi sunt in arcum prauum. 277.a. 1491.e
77. 49. Immissiones per Angelos malos. 1126.c
79. 9. Vineam de Ægypto transtulisti. 464.a
79. 2. Qui regis Israël intende. 1107.a.1950.c
79. 12. Extendit palmites suos vsque ad mare. 1837.e
81. 6. Ego dixi, Dij estis. 1700.c
81. 8. Surge Deus iudica terram. 1149.e
87. 7. Deus tu conuersus viuificabis nos. 356.e
84. 12. Veritas de terra orta est, &c. 948.c
88. 49. Et non videbit mortem. 359.b
88. 35. Quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. 1471.a
88. 38. Thronus eius sicut Sol in conspectu meo. 1755.e
90. 12. In manibus portabunt te. 1173.c
93. 12. Beatus, quem tu erudieris Domine. 1452.b
101. 5. Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. 1149.e
102. 18. Misericordia Domini ab æterno. 138.c
102. 17. Misericordia autem Domini ab æterno, & in æternum super timentes eum. 930.c
103. 30. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. 35.d.913.c
103. 3. Qui ponis nubem ascensum tuum. 365.d
105. 23. Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. 1206.d
106. 40. Effusa est contentio super principes. 932.b
108. 3. Sermonibus odij circumdederunt me. 1694.b
108. 8. Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. 1889.e
108. 18. Induit maledictionem sicut vestimentum. 1265.a
109. 1. Dixit Dominus domino meo. 484.c
109. 1. Donec ponam inimicos tuos scabellum. 720.c
109. 2. Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion. 1438.a
109. 3. Tecum principium in die virtutis, &c. 1627.c
111. 9. Iustitia eius manet in sæculum. 133.c
117. 22. Lapidem, quem reprobauerunt. 466.b.d.e
122. 1. Qui habitas in cœlis. 145.c
125. 1. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion facti sumus sicut consolati. 333.a.1258.c
126. 3. Ecce hæreditas Domini filij: merces, fructus ventris. 925.a
131. 11. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. 908.b.& 925.a
131. 12. Si custodierint filij tui testamentum meum. 910.e
131. 17. Illuc producam cornu Dauid. 942.c
138. 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me. 1301.b
138. 15. Et substantia mea in inferioribus terræ, &c. 915.a
138. 16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, &c. 1307.a
143. 7. Et de manu filiorum alienorum. 807.a
148. 14. Populo appropinquanti sibi. 326.b
148. 5. Dixit, & facta sunt; mandauit, &c. 1730.b

PROVERBIORVM.

5. 22. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. 1634.b
8. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, &c. 1 82.b.c.1283.e
11. 22. Circulus aureus in naribus suis. 167.c
16. 24. Dulcedo animæ sanitas ossium. 1767.c
18. 10. Turris fortissima nomen Domini. 1888.a
19. 17. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis. 1108.a
21. 1. Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. 1885.a
24. 16. Septies in die cadet iustus. 394.b
30. 19. Tria sunt difficilia mihi. 40.c

ECCLESIASTÆ.

3. 21. Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum? 1390.b
10. 2. Cor sapientis in dextera eius. 537.b

CANT. CANTICORVM.

2. 10. Columba mea, formosa mea. 84.a
5. 3. Laui pedes meos, & quomodo inquinabo illos? 1822.e

SAPIENTIÆ.

2. 12. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, &c. 1595.c
4. 13. Cōsummatus in breui expleuit tempora. 433.a
4. 5. Rami inconsummati, & fructus eorum inutiles. 925.b
10. 13. Venditum iustum non dereliquit. 725.e

ECCLESIASTICI.

5. 8. Non tardes conuerti ad Dominum. 1151.c
6. 30. Erunt tibi torques illius in stolam gloriæ. 1154.e
10. 8. Regnum à gente in gentem transfertur. 932.b
15. 5. Stolam gloriæ vestiet illum. 1154.e
24. 29. Qui bibunt me, adhuc sitient. 1430.e
30. 24. Miserere animæ tuæ placens Deo. 1095.b
32. 1. Rectorem te posuerunt, noli extolli; esto, &c. 1367.a
48. 10. Qui inscriptus est in iudicijs. 368.c
51. 6. Liberasti me à pressura flammæ. 1114.b

ISAIÆ.

1. 26. Vocaberis ciuitas iusti. 39.d
1. 3. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israël autem me non cognouit. 961.e
1. 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? 1440.e
1. 26. Posthæc vocaberis ciuitas iusti. 907.d
2. 13. Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem, &c. 12 2.c
3. 26. Lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit. 949.a
4. 3. Residuum in Ierusalem sanctificabitur. 9 7.d
5. 4. Quid debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? 873.a
6. 9. Audite audientes, & nolite intelligere. 286.a
6. 10. Excæca cor populi huius, & aures aggraua 286.c
6. 9. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor. &c. 1759.e
7. 9. Nisi credideritis, nō intelligetis. *secundum LXX.* 772.b. & 904.a
7. 10. Pete tibi signum à Domino. 40.e
7. 14. Vocabitur nomen eius Emmanuel. 39.c
8. 3. Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. 913.d
8. 13. Dominum exercituum ipsum sanctificate. 985.a
8. 19. 20. Nunquid non populus à Domino suo requiret visionem? pro viuis à mortuis ad legem magis & ad testimonium. 118 .d
9. 6. Admirabilis, consiliarius, Deus fortis. 39.d
9. 7. Super solium Dauid, & super regnū eius. 9 8.b
11. 1. Egredietur virga de radice Iesse. 63.c.& 942.c
13. 9. Ecce dies Domini veniet crudelis. 513.c
14. 1. Prope est vt veniat tempus eius, &c. 916.b
14. 13. 14. In cœlum conscendam, similis ero altissimo. 1640.d.1641.d
19. 18. In illa die erunt quinque ciuitates in terra Ægypti. 1183.a
22. 22. Et dabo clauem domus Dauid super humerum. 356.c
24. 23. Erubescet Luna, & confundetur Sol.
28. 16. Qui crediderit, non festinet. 1457.e
29. 13. Populus hic labijs me honorat. 58.c 326.a
29. 11. Signatus est enim illis liber. 1495.d
30. 2. Habentes fiduciam in vmbra Ægypti. 914.c
31. 9. Mulieres opulentæ surgite, & audite vocem meam. 1052.c
33. 3. Præparata est ab heri Thophet. 125.a
35. 5. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures, &c. 1843.a
39. 4. Omnia, quæ sunt in domo mea viderunt, non fuit res, &c. 1296.b
39. 8. Fiat tantùm pax, & veritas in diebus meis. 1807.d
40. 3. Vox clamantis in deserto. 66.d
40. 9. Super montem excelsum ascende. 101.e
40. 5. Et videbit omnis caro, quod os Domini locutum est. 1315.e
40. 10. & 62. 11. Merces eius cum eo, & opus illius coram illo. 1322.a
42. 3. Arundinem quassatam non confringet. 263.c
43. 2. Cum ambulaueris in igne, non combureris. 1114. b
43. 8. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem. 1020.a
44. 5. Iste dicet, Domini ego sum. 910.b
47. 13. Stent, & saluent te augures tui. 1106.d
49. 6. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob; &c dedit te in lucem gentium, 910. b.1617.b.1812.b
49. 24. Nunquid tolletur à forti præda? 1686.d
52. 2. 3. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. 1952.b
53. 1. Brachium Domini cui reuelatum est? 1758. e 1764.c
53. 4. Ipse infirmitates nostras accepit. 191.e
53. 7. Quasi agnus coram tondente se obmutescet. 1340.d.
53. 8. Generationem eius quis enarrabit? 1590.c
55. 1. Omnes sitientes venite ad aquas. 1326.a.1598.c. 1600.b
55. 11. Verbum meum non reuertetur ad me. 240.d
58. 1. Clama, ne cesses; quasi tuba exalta, &c. 1597.e
61. 1. Ad annuntiandum pauperibus misit me. 252.a
62. 11. Dicite filiæ Sion, ecce saluator. 452.d.e
63. 5. Circumspexi, & non erit auxiliator; & saluauit mihi brachium meum. 930.e
63. 16. & 64. 8. Tu pater noster es, & Abraham nescriuit nos. 1310.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

64. 1. Vtinam distumperes cœlos, & descenderes. 1650.a.b
65. 24. Eritque, antequam clament, ego exaudiam. 1344.b
66. 24. Vermis eorum non moritur. 819.a

IEREMIÆ.

1. 5. Et antequam exires de vulua, sanctificaui te. 1700.e.1891.e
2. 18. Quid tibi vis in vijs Ægypti. 236.c
2. 21. Ego te plantaui vineam electam. 1837.d
7. 4. Templum Domini est. 835.b
7. 13. Locutus sum ad vos mane consurgens. 436.e
12. 7. Reliqui domum meam. 500.a
13. 18. Humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona vestræ gloriæ. 949.a
22. 30. Scribe virum istum sterilem. 23.c
23. 6. Vocabunt eum, Dominus iustus noster. 39.e
23. 16. Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos. 1859.e
23. 1. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant. 1638.b.c.1682.e.1837.d
30. 9. Seruient Domino Deo suo, & Dauid Regi suo, quem suscitabo eis. 908.d.1263.b
42. 4. Indicabo vobis, nec celabo vos quicquam. 1296.b

EZECHIELIS.

15. 2. Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum. 110.c.1827.d
16. 51. Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis. 1209.c
18. 20. Filius non portabit iniquitatem patris, &c. 1658.c
29. 21. Tibi dabo apertum os in medio. 102.d
34. 2. Væ pastoribus Israël, qui pascunt semetipsos. 1684.d
34. 23. Suscitabo super eos pastorem vnum, &c. 908.d
37. 24. Seruus meus Dauid super eos, & pastor vnus erit. ibidem.

DANIELIS.

2. 21. Transfert regna, atque constituit. 932.b
6. 26. Ipse est enim Deus viuens. 940.c.941.a
7. 14. Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, &c. 720.d.910.d
9. 25. Ad exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem. 1376.c
9. 27. Et erit in templo abominatio desolationis. 508.a
10. 8. Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo. 705.d.887.a

OSEE.

3. 5. Quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum. 908.d
6. 3. Viuificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos. 1130.d
6. 6. Misericordiam volui, & non sacrificium. 208.b.& 492.d
9. 14. 15. Da eis vuluam sine liberis, &c. 898.d
11. 1. Ex Ægypto vocaui filium meum. 58.d

IOËLIS.

2. 10. A facie eius contremuit terra. 513.d

MICHÆÆ.

4. 7. Regnabit Dominus super eos in monte Sion. 910.d
4. 8. Et tu turris gregis nebulosa filia Sion. 962.e
5. 2. Et tu Bethlehem terra Iuda. 53.b.1351.e
6. 8. Facere iudicium, & diligere misericordiam. 492.e

HABACVC.

3. 2. In medio annorum viuifica illud. 961.e

ZACHARIÆ.

9. 9. Exulta satis filia Sion. 452.e
11. 12. Et appenderunt mercedem meam 30. argenteos. 644.a
12. 10. Aspicient ad me, quem confixerunt. 685.a.& 1854.a
13. 7. Percute pastorem, & dispergentur oues. 609.a

MALACHIÆ.

2. 2. Maledicam benedictionibus vestris. 1669.c
3. 1. Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit. 254.a.731.a
4. 1. Ecce dies veniet succensa quasi caminus. 819.d
4. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam. 259.c.368.c
4. 6. Conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. 892.c

MATTHÆI.

2. 11. Et intrantes domum inuenerunt puerum, &c. 961.b
3. 11. Fortior est, cuius non sum dignus calceamenta portare. 1324.c
4. 16. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. 1163.b.1199.a
5. 14. Vos estis lux mundi. 1765.a
7. 12. Hæc est enim lex, & prophetæ. 1260.d
7. 14. Quam angusta porta, & arcta via est, &c. 114.d
8. 10. Non inueni tantam fidem in Israël. 1291.d
8. 11. Et recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, &c. 1174.e
8. 22. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 993.c
9. 12. Non est opus valentibus medicus. 1102.e
9. 13. Misericordiam volo, & non sacrificium. 1089.d
9. 14. Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? 912.a
9. 37. Messis quidem multa, operarij autem pauci. 1445.e
10. 16. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. 1849.d
10. 20. Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus, &c. 208.b.1089.d
10. 27. Quod dico in tenebris, dicite in lumine. 167.a
10. 33. Qui negauerit me coram hominibus, negabo, &c. 1497.e
10. 37. Qui amat patrem, & matrem pluſquam me, non est me dignus. 998.c
11. 11. Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. 1291.c
11. 12. Qui enim habet, dabitur ei. 772.d
12. 48. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? 1090.a.1363.c
13. 41. Mittet filius hominis Angelos suos, & colliget

de regno

de regno eius omnia scandala. 1828.a
6. 18. Et portæ inferi non præualebunt, &c. 910.d
6. 28. Sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec, &c. 1960.e
17. 24. Magister vester non soluit didrachma? 9 2. a 1197.b
9. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende, &c. 1781.e
20. 23. Calicem quidem meum bibetis, &c. 1961.a
21. 10. Commota est vniuersa ciuitas. 952.c
21. 23. In qua potestate hæc facis? 137.c
21. 25. Baptismus Ioannis ex cœlo erat. 78.a
23. 35. Vt veniat super vos omnis sanguis, &c. 1133.b
23. 39. Benedictus qui venit in nomine Domini. 903.c
25. 35. Esuriui, & dedistis mihi manducare. 1487.c
26. 39. Pater mi si possibile est, transeat à me calix, &c. 1747.d.1876.b.c
26. 41. Orate ne intretis in tentationum. 15.e
28. 19. Ite, docete omnes gentes. 1951.e

MARCI.

9. 28. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur. 229.e
9. 39. Nemo est, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me. 1408.b
16. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit. 151.a

LVCÆ.

1. 6. Et erant iusti ambo ante Deum. 208.c
1. 17. Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ. 1336.a
1. 34. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 893.d
1. 43. Vnde hoc mihi, vt veniat mater, &c. 917.b
1. 62. Innuebant patri eius, quem vellet, &c. 895.e
1. 76. Et tu puer propheta altissimi vocaberis? præibis, &c. 1336.d
2. 15. Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, &c. 873.e
3. 15. Cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus. 1334.a
3. 38. Qui fuit Adam, qui fuit Dei. 917.a
5. 17. Et erant Pharisæi sedentes, &c. 1129.b
6. 32. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? 1192.c
6. 38. Mensuram bonam, & confertam: &c. 1193.c
9. 55. Nescitis cuius spiritus estis. 891.d
10. 17. Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. 1858.a
10. Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. 1138.b
11. 15. In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. 1645.c. 729.c
11. 22. Vniuersa arma eius auferet, &c. 1751.e
11. 27. 28. Beatus venter qui te portauit, &c. 902.c
11. 28. Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei. 280.a
12. 37. Præcinget se, & faciet illos discumbere. 1108.b
12. 59. Donec reddas nouissimum minutum. 158.c
13. 6. Arborem fici habebat quidam. 461.a
18. 1. Oportet semper orare. 142.b
18. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt. 439.d
23. 34. Pater dimitte illis; non enim sciunt, &c. 1885.e
23. 41. Memento mei, cùm veneris in regnum. 69.a
24. 49. Sedete in ciuitate, quoad vsque induamini, &c. 914.a

IOANNIS.

1. 13. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate, &c. 1644.b
1. 17. Gratia, & veritas per Iesum Christum. 1305.a
3. 17. Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum. 1619.c.1673.e.& 1798.c
3. 18. Qui non credit, iam iudicatus est. 536.d
3. 34. Non ad mensuram dat Deus spiritum. 1321.c
4. 13. Omnis, qui bibit ex hac aqua, sitiet. 585.e
5. 22. Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. 1646.c
5. 45. Est qui accusat vos Moyses. 426.b
6. 10. Quasi quinque millia. 934.e
4. 37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. 1878.e
6. 45. Et erunt omnes docibiles Dei. 943.d
6. 51. Panis, quem ego dabo, caro mea est. 185.b
7. 16. Doctrina mea non est mea. 208.b
7. 27. Hunc scimus vnde sit; Christus autem cum venerit, &c. 1668.b.c
7. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. 1648.b
8. 12. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. 1131. d.1163.b
8. 26. Ego quæ audiui à Patre meo hæc loquor in mundo. 1413.a
8. 48. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es? &c. 1059.a
8. 58. Antequam Abraham fieret, ego sum. 908.a
9. 4. Venit nox, quando nemo potest operari. 434.e
9. 39. In iudicium ego in hunc mundum veni. 984.e
9. 42. Si cœci essetis non haberetis peccatum. 209.b
10. 34. Ego dixi, dij estis vos; si illos dixit Deos. 355.c
10. 35. Si illos dixit Deos, &c. 1190.a
11. 9. Nonne duodecim sunt horæ diei? 435.d
12. 35. Ambulate, dum lucem habetis. 1131. c. 1163. b. 1198.e.1660.e
13. 33. Filioli adhuc modicum vobiscum sum. 1756.a. 1862. d
14. 9. Philippe qui videt me, videt & patrem meum. 1622.c.1648.c
15. 3. Iam vos mundi estis propter sermonem, &c. 1781.c
16. 15. Omnia quæ habet Pater, mea sunt. 1319.e
19. 26. Mulier ecce filius tuus. 1363.d
20. 17. Ascendo ad patrem meum, & patrem, &c. 993.c
20. 22. 23. Accipite Spiritũ sanctum; quorum remiseritis, &c. 1732.c.1952.a
20. 27. Infer digitum tuum huc, &c. 1257.e

ACT. APOSTOLORVM.

1. 22. Testem resurrectionis eius nobiscum fieri. 1263.d
2. 42. Perseuerantes in communicatione fractionis panis, &c. 1252.d
4. 11. Hic est lapis, qui reprobatus est. 467.b
7. 9. Et erat Deus cum eo. 725.e
9. 40. Tabitha surge. 1037.d
10. 38. Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus spiritu, &c. 1017.d.1018.c
10. 42. Constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. 1324.e
11. 3. Quare introisti ad viros præputium habentes, &c. 1426.c
13. 33. Et in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te. 907.e.1865.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

13. 46. Ecce conuertimur ad gentes. 167.c
13. 46. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei. 1556.c
15. 10. Quid tentatis Deum imponere iugum. 267.c
17. 28. In ipso viuimus, & mouemur, & sumus. 1297.b
19. 3. In quo ergo baptizati estis? in Ioannis baptismo. 77.e
21. 28. Insuper & Gentiles induxit in templũ. 1743.e

AD ROMANOS.

1. 9. Cui seruio in spiritu meo. 1439.c
4. 3. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei, &c. 1647.c
4. 25. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit, &c. 1690.c
5. 1. Iustificati ergo ex fide pacem habeamus, &c. 1874.c
5. 8. Commendat caritatem suam Deus in nobis, &c. 1399.e. 1853.d
5. 19. Sicut per inobedientiam vnius hominis. 438.e
6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte, &c. 1397.a
7. 3. Vocabitur adultera, si fuerit cum alio. 406.c
8. 4. Qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundum spiritum. 1131.d
8. 13. Intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes. 1311.d
8. 26. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus, &c. 1806.d
8. 30. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit. 970.a.b
9. 6. Non omnes qui ex Israël, ij sunt Israëlitæ. 1352.e
9. 16. Non volentis, neque currentis. 208.b
10. 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem, &c. 1763.b.
10. 15. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem? 1778.a
11. 20. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. 945.e. 1568.d
11. 25. Cæcitas ex parte contigit in Israël. 1674.c
13. 8. Qui diligit proximum, legem impleuit. 170.b
13. 9. Non adulterabis, non occides. 417.b
13. 11. Hora est iam nos de somno surgere. 1593.a
15. 8. Dico Christum Iesum ministrũ fuisse circumcisionis. 1321.e

I. AD CORINTHIOS.

3. 8. Secundum suum laborem propriam mercedem. 249.b
3. 11. Fundamentum aliud nemo potest. 179.d
3. 16. Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. 1372.b
8. 6. Vnus dominus Iesus Christus. 927.d
9. 5. Nunquid non habemus potestatem. 1052.c
9. 16. Nam etsi euangelizauero non est mihi gloria. 1193.a
10. 1. Nolo enim vos ignorare fratres, 598.b
10. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus. 312.d
11. 20. Iam non est dominicam cœnam. 577.e
11. 27. Itaque quicunque manducauerit panem hunc. 592.d
11. 28. Probet seipsum homo, & sic de pane isto. 1779. a. 1782.d.
12. 3. Nemo potest dicere Iesus, nisi in spiritu. 178.d
12. 4. Diuisiones verò gratiarum sunt. 1327.d
13. 2. Si habuero omnem fidem, ita vt montes. 372.d. 1399.e
14. 16. Si benedixeris spiritu. 580.a
15. 10. Et gratia eius in me vacua non fuit. 528.b
15. 29. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis? 1115.b
15. 31. Quotidie morior per vestram gloriam. 1685.c
15. 45. Factus est primus Adam in animam viuentem. 927.b
15. 50. Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. 343.a. 1313.b. & 1387.d
15. 57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam. 1875.b

II. AD CORINTHIOS.

3. 6. Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti. 1862.b
ibid. Littera occidit, spiritus viuificat. 1328.d. 1495.e
4. 17. Id quod in præsenti est momentaneum. 1865.c
8. 18. Cuius laus est in Euangelio. 3.c
9. 10. Incrementa frugum iustitiæ. 138.c
12. 9. Sufficit tibi gratia mea. 1081.a
12. 15. Ego libentissimè impendam & superimpendar. 1687.a

AD GALATAS.

1. 10. Si adhuc hominibus placerem. 1497.c. 1839.d
3. 19. Lex propter transgressionem posita est. 1328.d

AD EPHESIOS.

1. 6. Gratificauit nos in dilecto filio suo. 1416.c
2. 2. Operatur in filios diffidentiæ. 1751.c
4. 7. Vnicuique secundum mensuram donationis Christi. 1321.c
4. 8. 9. Ascendens in altum, &c. Quod autem ascendit. 1752.e. 1871.a
4. 23. Renouamini spiritu mentis vestræ. 1314.c
6. 14. State succincti lumbos vestros in veritate. 1108.c

AD PHILIPPENSES.

1. 18. Siue per occasionem, siue per veritatem. 817.c
1. 24. Permanere in carne necessarium propter vos. 1891.a
2. 12. Cum metu, & tremore vestram salutem operamini. 945.c
3. 13. Quæ retro sunt, obliuiscens, &c. 1120.d

AD COLOSSENSES.

1. 20. Pacificans per sanguinem crucis eius, &c. 970.b
3. 4. Cùm Christus apparuerit vita vestra. 1298.b
4. 14. Salutat vos Lucas medicus charissimus. 863.b

I. AD THESSALONICENSES.

5. 19. Spiritum nolite extinguere. 920.b

II. AD THESSAL.

2. 11. Mittet illis operationem erroris. 509.b
2. 15. State, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. 1358.a

I. AD TIMOTHEVM.

5. 3. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. 323.a
6. 16. Qui solus habet immortalitatem. 1381.a

II. AD TIMOTHEVM.

2. 13. Si non credimus, ille fidelis permanet; negare seipsum non potest. 1392.b. 1476.e. 1591.e
2. 13. Sermo eorum vt cancer serpit. 1417.a
2. 19. Cognouit Dominus qui sunt eius. 1771.c

AD TITVM.

1. 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. 1592.a. 1648.c

AD HEBRÆOS.

1. 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens, &c. 1333.b
1. 3. Portans omnia verbo virtutis suæ. 1275.e. 1297.b. 1316.b
1. 14. Nonne omnes sunt administratorij spiritus? &c. 895.c
4. 12. Pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. 927.b
7. 23. Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, &c. 910.c.e
7. 25. Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens, &c. 1870.a
9. 10. In iustitijs carnis. 946.b
10. 1. Vmbram habens lex futurorum bonorum, &c. 1329.a
10. 38. Iustus autem meus ex fide viuit. 1800.c
12. 8. Adulteri & non filij estis. 808.a
13. 12. Propter quod & Iesus, &c. Extra portam passus est. 1024.b

IACOBI.

1. 6. Postulet in fide, nihil hæsitans. 1205.e
4. 13. 15. Ecce nunc qui dicitis, hodie aut crastino ibimus, &c. pro eo vt dicatis, &c. 931. d. & 1103.d
5. 12. Nolite iurare neque per cœlum. 128.c
5. 12. Sit sermo vester, est, est; non, non. ibidem
5. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros. 790.c

I. PETRI.

2. 15. Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. 1897.d
3. 13. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores, &c. 946.a
4. 1. Christo igitur passo in carne, & vos, &c. 1839.c
4. 8. Caritas operit multitudinem peccatorum. 203.a
5. 3. Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis. 1681.d
5. 8. Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, &c. 946.a

II. PETRI.

1. 16. Non indoctas fabulas secuti notam fecimus, &c. 1845.c
2. 21. Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ. 1473.c
2. 22. Canis reuersus ad vomitum. 166.e

I. IOANNIS.

1. 1. Quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt. 1258.a. 1568.a. 1845.c. 1915.d
2. 18. Nouissima hora est. 524.e
3. 2. Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. 1330.c. 1860.d
3. 22. Quicquid petierimus, accipiemus ab eo. 108.b
4. 10. In hoc est caritas, &c. 1811.c
5. 20. Dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius; hic est verus Deus, & vita æterna. 1305.a. 1880.c

IVDÆ.

6. Angelos qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit. 1641.c

APOCALYPSIS.

1. 18. Ego sum primus, & nouissimus. 908.a
3. 20. Ego sto ad ostium, & pulso; si quis aperuerit. 1812.c
6. 10. 11. Vsque quo Domine non iudicas; & datæ sunt, &c. 1204.a
19. 16. Et in femore suo scriptum, Rex Regum. 646.b
20. 2. Et apprehendit draconem, & ligauit illum. 1069.d.
21. 5. Ecce noua facio omnia. 1856.b
21. 14. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim. 345.d
22. 11. Qui iustus est, iustificetur adhuc. 1872.c

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

EORVM, QVAE IN COMMENTARIIS IN MATTHÆVM, MARCVM, LVCAM, ET IOANNEM NOTATV DIGNIORA SVNT, IN QVO numerus columnam, littera partem columnæ indicat. Quæstiones verò controuersas subiectæ his vocibus notæ indicabunt *Beza, Caluinus, Caluinistæ, Lutherus, Lutherani, &c.*

A

Ast interdum idem quod solus, sine auctore. 1477.c
Aaronis posteri soli ex Leuitis sacerdotes. 877.b
Abba pater, cur dictum sit. 614.d
Abel inter Prophetas numeratur. 497.b
Abiæ vicem quid vocet Lucas. 877.b
Abnegare semetipsum quid sit. 357.c
Abominatio desolationis quid sit. 508.b
Abrahæ filius cur Christus dicatur. 13.b. filios ex lapidibus suscitare. 74.e. Deus cur dicatur. 480.d. sinus paradisus. 664.d. similis Pertus. 344.d. cum Abraham recumbere beati cur dicantur. 188.e.R. Abraham citatur. 355.d
Abrahæ filios quos vocet Christus. 1216.d. non esse Iudæos probat. 1635.b
Abraham quomodo diem Christi viderit. 1649.b
Abundare, maiorem esse. 117.a
Accipere, pro tollere. 247.b
Acerum Christo porrectum. 673.c.d. crucifixis cur datum. ibid.e
Actiua vita Marthæ respondens. 1081.c.d
Adam si non peccasset, Christus non venisset. 210.a
Adamus filius Dei vocatus peculiari ratione. 917.a
Adami & posteritatis status parabola expressus. 1075.b
Ader turris, nobilis cantu, Gloria in excelsis. 962.d
Adiectiua pro substantiuis, & substantiua pro adiectiuis sæpè in scriptura ponuntur. 1361.d
Adiutare per Deum quid. 625.e
Adiutare solebant rei apud Iudæos. 1666.e
Admiratio quomodo in Christo. 187.a. cum timore. 207.a
Admiramur etiam quæ non probamus. 782.d
Adorans idest inclinans se. 440.c. adorabat leprosus Christum. 182.c. adorant Christum vt Deum Magi. 52.b. an in præsepi. 55.c
Adoratio Dei multiplex. 1435.b. adorate Deum in spiritu & veritate non est sola fide adorare. 1438.e. quid reuera sit. 1419.b. Sacramentis ipsis & ritibus externis adorari in Ecclesia in spiritu & veritate. ibid.d
Aduentus filij hominis iudicium. 1244.c. aduentus Christi secundi signa. 504.c.d
Aduersarius quis sit, cui consentire oporteat. 124.a
Adulterum & adulteram eadem pœna lex vetus punit. 1277.b. 1611.a.b
Adultera, idest degenerans. 273.b.& peccatrix. 806.c
Adulteram retinere an viro liceat. 56.b. dimittere qui liceat. 403.e
Adulteram lapidari num lex iubeat. 1611.a.b
Ædificare, idest docere. 466.e
Ægri an curati sint à Christo animo vt corpore. 204.b
Ægyptus Iudæorum confugium in aduersis. 56.d. schola filiorum Dei. ibid.in Ægypto quot annos manserit Christus. 57.c. visa eclypsis passionis. 668.e
Ægyptii mysteria sua viua voce tradebant. 876.a
Ænnon locus vbi Ioannes baptizabat. 1348.b
Æqualitas Patris & Filij in diuinis. 1288.b.1319.d.1332.b.d
Æs pecuniam omnem significat. 328.c
Ætas doctorum, prophetarum, sacerdotum apud Iudæos. 63.c. 911.a.1002.b.c
Æternæ sunt inferni pœnæ. 540.d
Æternitas meliùs quibusdam verborum temporibus significatur quàm alijs. 1282.a. quibus verborum formulis à scriptura designatur. 1284.c
Æetius rem Veneream necessitatem dixit. 409.d
Ad agnatos deducuntur furiosi. 763.c
Affectus ad credendum quàm valeat. 1668.c
Afflictiones tentationes dictæ & quam ob causam. 1227.b
Ager figuli emitur. 641.c.& 642.a
Agnoetæ hæretici. 516.c
Agnus Paschalis quando occidendus esset. 547.c. Comedendus intra vesperas. 570.b. agnum stantes comedant. 570.d. quo die Christus comederit. 554.c.d
Alabastrum vnguenti quid sit. 562.a
Alabastrum verum ex alabastrite lapide. 1041.b
Albis vestibus beatorum gloria significatur. 363.b
Alexandri Seueri de Christianis dictum. 170.c
Alieni filij qui dicantur. 807.a
Alogiani hæretici qui & ἀνίατοι. 1271.b.1285.d.ij genus quoddam Arianorum. 1285.d
Altare incensi in qua templi parte. 884.b
Altissimi nomen absolutè positum Deum in scriptura significat. 907.d.915.c
Amalechitæ delendi. 488.b
Ambiguis verbis vtitur Christus. 216.d. 606.c. ambiguitate verbi ludit. 358.c.415.c.& 1719.c. deludit Phariseos. 273.c
Ambiguorum responsorum elegantia. 1780.c
Ambitionem Apostolorum quam reprehendat Christus. 381.d
Ambrosius in plerisque Græcos sequitur. 333.c. non est auctor commentariorum in epistolam ad Romanos. 259.c. ad Corinthios. 403.d.e. ad Galatas. 343.d. memoria lapsus. 362.a. de passione cautè legendus. 673.a. Ambrosij non sunt commentarij in Paulum, sed Remigij Lugdunensis. 1753.a
Ambulat supra mare Christus. 316.b
Ambulare, idest versari alicubi. 1574.b. in scriptura pro operari. 1131.c
Ambulatio vitæ actiones significat. 264.c
Amen quid significat. 114.b.597.a
Amen, amen geminatum Ioanni familiare. 1383.d.e
Amicitia vera non est, quæ non tendit ad Christum. 1350.c
Amicos qui diligit mercedem habebit. 135.d
Amor diuidi non potest. 135.d
Anabaptistæ iurare non licere putant. 128.a. refutantur. 721.c
Anabaptistarum error de magistratibus refellitur. 1569.c
Anabaptistas conuincere nequeunt Caluinistæ. 413.a
Andreas quàdo vocatus. 97.b. Petro prior ad Dominum. 234.d
Andreas Apostolus statim vt inuenit Christum, prædicat. 1347.a
Angariare vnde ductum verbum. 133.a
Angelica virtus castitas 480.c.d.905.e
Angelus quomodo Ioannes. 253.c
Angelus quare ad B. Virginem missus sexto mense post conceptum Ioannem Baptistam. 899.a. domi in penetrali agentem salutat. 899.d.& 900.c. cur eam tam honorificè salutauit. 900.b. Angelus Zachariæ apparens. 885.d. qua forma. ibid.e. cur apparuerit. ibid. quis Angelus. 886.a. cur in tabernaculo apparuit. ibid.b. cur ad dextram altaris. ibid.c
Angeli duo hominibus dati. 124.b. duo cur apparuerint. 702.c. hominum habitu apparent. 699.a. cur iuuenili forma. 699.c. cum Christo ad iudicium. 535.d
Angeli annuntiantes Christi natiuitatem cur cœlesti lumine fulgentes. 963.a.b.c. an quando mittuntur, Deo assistant. 895.a. eos adstare ante Deum quid. 894.c. incorporei. 1256.e. quæ aliquando corpora assumpserint, vera corpora non erant. 1257.a. nec cum viderentur edere verè edebant. 1259.a. ascendentes & descendentes idem quod ministrantes. 1357.a. ministerium bonorum angelorum. 1173.a.b. animas iustorum in cœlum portant. ibid. quo sensu. ibid.c
Angelum malum an singuli habeant. 384.d
Angelorum apparitio timorem affert. 706.a. ministerio vti noluit Christus. 737.d
Angelis Dei comparati beati. 480.b
Angelis apparentibus timere solent homines. 886.e. angeli boni timorem ex suo conspectu leniunt, mali augent. 887.a. boni cur timorem pellant. 965.a. Angelorum aspectu magis quàm colloquio homines terrentur. 904.e. eius terroris exempla. ibid.e
Angelos custodes regna habent. 383.d. singuli homines habent. 383.e. mittere proprium Dei. 515.b. mittit Christus Deus. ibid.
Angli exules, ne fidem amitterent. 104.a
Angularis lapis Christus. 467.a.b
Angulus secretum locum significat. 141.a
Angustam per portam intrandum. 170.d
Anima cuiusque sponsa Christi. 472.d. pro vita ponitur. 62.b. 156.b.247.c. plus est quàm esca. 156.c.
Anima pro toto homine in scriptura. 987.a. 1315.e. interdum etiam pro solo corpore. 987.a
Anima & spiritus quomodo distinguuntur. 927.a.b
Animæ compensatio, ideſt vitæ. 358.c
Animæ & spiritus vsus in scriptura. 927.a.b
Animam suam inuenire. 247.c
Animam ponere quid sit. 1691.a.& 1834.a. non occidunt peccata venialia. 880.c
Animæ corpore exutæ seipsis loco moueri possunt. 1173.b. apparent interdum viuentibus Dei voluntate. 1181.c. non tamen leuiter credendum ijs quæ apparent. 1184.c. animæ damnatorum igne infernì torquentur. 1180.b.c. animæ nostræ incorporeæ. 1256.d.e
Animarum salus præcipuè concionatoribus quærenda. 747.d. transmigratio Carpocratianorum. 124.b. Phatisaica. 303.e
Anna prophetissa variè laudata ab Euangelista. 990.a. insignis eius castitas. ibid.c. eius exemplo templa frequentanda. ibid.e
Annas, & Caiphas non eodem anno Pontifices. 624.a.ad Annam cur ductus Iesus. 624.d
Annas & Caiphas quomodo simul principes sacerdorum. 1004.a
Annus acceptus in scriptura quis. 1020.d. annus Iubilæi. ibid.c. annus ætatis triceſimus ætas doctorum, sacerdotum, prophetarum apud Iudæos. 951.a.1002.b.c
Antequam, quomodo in Scriptura accipiatur. 42.a
Anticipatio temporum Euangelistis frequens. 1056.c
Anticipasse Christum in Paschate falsum. 547.a
per Anticipationem loquitur Lucas. 702.c
Anthropomorphitæ & Audiani hæretici. 1441.d
Antichristus in templo Dei sessurus. 508.a. Antichristi sacellites Caluinistæ. 511.d. Antichristi tempore quæ accident. 505.e
Antipas Herodes Magni filius. 303.a. filijs caruit. ibid.c
Aperiri oculos quid sit. 218.c
Aperuisse os Christum quid sit. 102.b
ἀπὸ cum verbis passiuis pro ὑπό. 716.c
Apocryphus Ieremiæ liber. 642.c
Apollinaris error Christum humanam animam non habuisse. 914.c. refellitur. ibid.d
Apollinaris ex Catena Græca citatus. 1650.d
Apollinaristarum error B. Virgini matris honorem tollentium refellitur. 1089.a.b
Apophoreta quid. 1367.b
Apostatæ omnium pessimi. 276.c
Apostolici viri quinam dicti. 864.b.c
Apostolus Patris Christus. 1894.a
Apostoli nomen quid significet. 1263.d. proprium eius officium est esse testem resurrectionis Christi. ibid.d.e
Apostolum esse quid sit. 1041.e
Apostoli ad prædicandum mittuntur. 788.a. aduersus Caluinistas defensi. 367.b. an cum Iuda murmurauerint. 564.b. an montes transtulerint. 373.a. an multa reliquerint. 424.b. ægros vngunt oleo. 788.d. bona pauperibus dederunt. 424.a. claues an habuerint. 310.c. contra Caluinium defenduntur. 316.d. 816.c. contra hæreticos defensi. 278.a. cur non plures quàm duodecim. 232.b. Ecclesiæ lapides & fundamenta. 345.d. fere omnes Galilæi. 250.c. Apostoli idest missi. 211.a. 761.d. in transfiguratione diuinitatem an viderint. 363.b. Iudæos & alios homines iudicabunt. 427.b. legem seruarunt. 111.c. Patres credentium. 232.c. Prophetæ & Scribæ dicuntur. 494.e. quando sic appellati. 232.a. quomodo iudicabunt. 415.d. quomodo ligarint & soluerint. 353.a. quomodo Moysen agnouerint. 564.c
Apostoli quando Christum Dei filium crediderint. 1020.a
Apostoli lux de vera luce Christo. 1005.a.b. cur duodecim. 1065.b. omnes boni electi & secundum præsentem statum maximè omnium ad munus apostolicum idonei. 1568.c. 1569.d
Apostoli officio nihil magis contrarium quàm officium diaboli. 1570.b
Apostoli ad piscationem redeunt. 1934.a. messuerunt, quod seminarunt prophetæ. 1447.b.1449.c.d
Apostolorum obedientia. 761.b. officium alij non debent vsurpare. 218.e. importuni accusatores Caluinistæ. 430.a. paupertas. 311.a. sedes in iudicio quales. 415.a. vocatio varia. 97.a
Apostolis infensi Caluinistæ. 310.d. Apostolos Caluinus stultos & impios appellat. 408.a. item stupidos & ignaros. 316.e. 621.c.e. ex discipulis elegit Christus. 760.c. superbos & inuidos hæretici dicunt. 816.e. quomodo elegerit Christus. 760.d. Apostolica traditio ieiunium ec. Amunicare. 579.c
Apostolis Episcopi successerunt. 1067.b. ijs cur non ante ascensionem Christi reuelatum mysterium vocationis gentium. 981.d
Apostrophe etiam ad res sensu carentes in scriptura. 947.b
Apparitio Christi vitiuma. 718.b.c. Apparitiones Christi post resurrectionem. 717.c
Approbationis iudicium. 316.e
Appropinquare Deo, Deum colere. 326.b
Apud præpositio pro in, in mysterio Trinitatis. 1286.e. 1287.a. differentia tamen est inter vtramque propositionem etiam cum de eo mysterio loquimur. ibid.d
Aqua baptismi materia necessaria. 722.b. aqua & sanguis de latere Christi. 684.b. aqua manus abluere quæ cæremonia. 651.c. aquæ an solidatæ sint in Christi miraculo. 316.c.d. æ calix mercedem meretur. 818.d. aquæ frigidæ calicem. 248.b. num solidatæ sub pedibus Christi. 316.b. aquam lustralem in cœmeterijs spargere. 195.e
Aqua viua pro Spiritu sancto. 1427.e. 1428.a. pro gratia Spiritus sancti & quare. 1428.a.b. pro doctrina Euangelica, aqua baptismi, Christo ipso. ibid.b
Aquæ spiritalis & corporeæ differentia. 1430.b.c
Aquarij hæretici. 1370.d
Aquilæ ad cadauera. 511.e. aquilæ quinam similes sint. ibidem.
Arabia Palæstinæ ad Meridiem, & Orientem. 48.a
Arbitrium libertum negant Lutherani. 659.d. Arbitrij libertas defenditur. 148.d.174.d.761.c.& 1631.e
Arbor bona bonos fructus. 271.c. Christo in Ægypto acclinata. 58.a. quæ bona, quæ mala. 171.d
Archelaus Herodis filius. 62.b. in exilium missus. 619.c. Rex nunquam fuit. 303.b
Archisynagogi domus in qua vrbe. 785.a. soli Iudæos excommunicabant. 388.c
Architriclinus quis. 1366.d
Arcopagita vbi eclipsim viderit. 668.e
Aretæ regis filia vxor Herodis. 303.b
Argenteus idem quod siclus. 568.c.d. argenteos Iudas proiecit. 641.a
Argumentum commune. 484.b
Ariani conueniuntur. 626.a. infideliores dæmonibus. 759.e. refutantur de Christi Deitate. 319.b.414.c. Arianorum argumentum solutur. 720.a. error de filij deitate. 593.d. impietas refutatur. 759.c
Ariani refelluntur. 1630.a.1672.d.1691.e. 1698.c.1746.d.e.1774.e.1800.c.1803.d.1810.b.1816.b.1820.d.1861.e.1879.e.1884.b.1888.c.1925.d. scripturam male interpretantur vt Christum creaturam esse non Deum statuant. 1414.a.b. refelluntur. ibidem. in eandem sententiam abuntur alio loco, & refelluntur. 1424.a. abuntur alio in eandem sententiam. 1437.b. refelluntur. ibid.c. eorum aliqui abutebantur loco scripturæ in diuinitatem Spiritus sancti. 1440.a. refelluntur. ibid. negabant filij æqualitatem cum patre, refelluntur. 1475.e.1476.a.c.d. impij sunt & imprudentes. 1476.e. eorum error de filij diuinitate ac scripturæ expositio refellitur. 1521.a.b. item eorum error quod in Christo non esset anima humana. b. eorum errores refelluntur. 1144.a. 1228.e. 1280.d.1282.d.1284.a.b.1285.a.b.c. 1287.b.c.e. 1288.d.e.1289.b.c.d.1038.e.1312.b.1324.a.e.1331.a.d.1333.a. 1364.c. 1400.b.c. Ariani noui refelluntur. 907.e.917.c. Ariani obiiebant ignorantiam Christo. 1750.c. Arianorum multæ sectæ. 1345.c
Arianizat Caluinus. 414.e.& Beza. 186.a
Aridam manum habens sanatur. 757.b.c
Arimathæa Iudæorum ciuitas. 685.c
Aristobuli filia Herodias fuit. 303.b
Aristoteli minus credendum, quàm Christo. 316.b
Arnobio in Psalmos libet falsò ascriptus. 446.c
Ars nihil credendi. 184.a
Arundo hominem leuem denotat. 253.b. pro sceptro Christo data. 652.b. arundinem quassatam confringere. 264.d
Ascendere Hebraïs pro ire simpliciter in scriptura. 419.b.815.b. 957.e. ascendere in cœlum, idest res diuinas cognoscere. 1394.e.1395.a
Asina & pullus quid designarent. 411.d. asini sepultura digni hæretici. 307.e. asinus, vectus cur Christus vrbem inret. 452.c. asino vectus est solo Christus non asina. 452.a.453.d
Assumere, idest loqui incipere. 316.a. assumere nomen Dei in vanum quid. 127.c. assumpsit, idest segregauit. 439.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex Astris natum esse hominem sciri nequit. 51.c
Athanasio falsò ascriptæ quæstiones. 296.a.414.c
Atheismus nascitur ex Caluinismo. 584.a
Auctor imperfecti operis in Matthæum, Arianus. 186.b.445.a.
loci de diuinitate Christi vitiati. 266.a
Auctoris ipsius verbis vti conciliat auctoritatem. 801. d. auctores quid sentiant scire, pars eruditionis. 269.b. auctoritas Christi in docendo. 739.a
Audiendis concionibus Christus honoratur. 1077. d. earum auditionis fructus. 1027.c. mali auditores. 1168.c
Audire Hebræis est obedire. 366.c.& 1680. b. audire verba Dei quid sit. 1644.d. pro accipere & vicissim accipere pro audire. 1412.c.1413.a
Auditiones bellorum rumores. 505.c
Auditorum turba messis. 230.b
Auditorum ad captum sermonem accommodat Christus. 1767. c. eorum commune vitium delectari velle non doceri, mulceri non pungi. 1120.d
Auditus, idest fama, Hebraismus. 745.c.d
Auditus pro prædicatione Hebraica phrasi. 1759.c
Aue in salutatione angelica quid significet. 900.c
Aues dæmones in parabola. 388.c
Augusti quo anno Christus natus. 65.b
Augustinus in Donatistis Caluinistas refutat. 297.c. memoria lapsus. 362.a. Augustini locus de consilijs Euangelicis. 419. b. sententia de prædestinatione. 283.b. Augustini locus correctus. 1720.c
Aures audiendi. 260. b. in aures surdi missi digitos Christus. 803.a
Aurora, dies appellatur. 746.c
Aurum Apostolis interdicitur. 237. c. Magorum, qua in re expenderit Beata Virgo. 56.a. Aurum templi quid sit. 492.a
Austri regina. 275.c
Autem pro enim positum. 1739.d
Auxilium Dei nunquam serum. 1457.e. ijs maximè prætens, qui humano destituuntur. 1469.b. nobis necessarium. 878.a
de Azimo pane contra Græcos. 547.d. Azimi panes an comederentur à mundis. 549. d. an Pascha dicerentur. 549. c. Azimorum dies primus Pascha. 552. c. Azimorum dies prima quæ. 553.a.b

B

BÆtica melle syluestri abundat. 71.b
Balaam posteri Magi. 51.d
Baptismata calicum, & vrceorum. 797.d
Baptismus Ioannis non idem qui Christi. 72. a. 77.a. an fuerit sacramentum. 81.a. fuit omne eius institutum. 461.d.e. cum diuinum probat Christus. 462.b
Baptismus pro doctrina nusquam accipitur. 78.a. duplex apud Cyrillum. 684.d. paruulorum. 721.c.d. Marcionistarum reiectus. 723.b. Paulianistarum damnatus. ibid. in nomine Christi. 723.c
Baptismus Christus salutaris. 1040. c. Ioannis & Christi cur ita vocatus. 1091.e. pro morte & passione. 1115.a. qua ex causa. ibid.b
Baptismus Christi illuminatio, & φωτισμὸς à Græcis dicitur. 1506.a. & 1663. d. iustificat. 1513. d. baptismus aquæ & voti. ibid. baptismo regeneramur. 1385. b. c.e. in eo aqua symbolum Spiritus sancti. 1386.b
Baptismus Ioannis in Ænuon. 1348.b.1405.e. à Christi baptismo diuersus. 1405.e. cur purificatio dictus sit. 1407.a. baptizante Christo cur Ioannes baptizare non desiterit. 1406.b
vtriusque baptismi differentia. 1405.c
Baptismus Christi ab omni peccato curat. 1467. b. c. eius figura in probatica piscina. ibid. post acceptâ baptismi gratiam homo peccare potest. 1473.c
Baptismi materia necessaria aqua. 722. b. forma & materia ex traditione. 723.a. verba quanis lingua valent. 801.b. necessitas. 854.c
Baptismi, spiritualis regenerationis principia, aqua & Spiritus sanctus. 1386. b. c.d. cur aqua nos regenerari voluerit Christus. ibid.d. baptismus necessarius. 1387. a. etiam infantibus. b. baptismi figuræ & prophetiæ. 1391. b. baptizare vbi incœperit Christus, & quomodo dicatur baptizare. 1404.e.1405. a.b. c. Baptismus Christi etiam ante eius passionem peccata remittebat. ibid. b. Cur non solitus per se baptizare. ibid. c. cur tamen interdum baptizare. 1420.c
Baptista cur Ioannes cognominatus. 65.c. baptizandos esse infantes non probant Caluinistæ. 413. a. baptizare, hæreticis docere verbum Dei. 71.c.a. bene possit malus. 174.c. in nomine Patris, quid sit. 723.b. baptizari cur voluerit Christus. 80.a. baptizatus qui non est, surdus est. 798.b.c
Bar-Iona, filius Ioannis. 343.a
Barnabæ epistola magnæ auctoritatis. 384.d
Beata Virgo concepta sine peccato. 209. c. contra hæreticos defenditur. 278.a. omnium beatissima. 280.a.à Zacharia defensa. 497. c. Beata Virgo hæreticis ne virgo quidem est. 920. b. Beatæ Virginis inuocatione dæmonum eiectum. 219.d. soror Maria Cleophæ. 277.c. Beatæ Virginis apparuit Christus post resurrectionem. 717. e. Beata Virgine maior non fuit Ioannes. 256.a
Beata vita saturitate designatur. 107.b. est regnum cœlorum. 176.c. cur merces vocetur. 248.c. per conuiuium etiam designatur. 472.c.d. cur hæreditas dicatur. 539.b. propter laborem datur. ibid.a. beati in cœlis stant, non sedent. 859.b
Beati angelis comparati. 480.b. pares erunt, & impares. 116.c. supplicia damnatorum videbunt. 819. c. beati oculi qui Christum viderunt. 287.a
Beatorum gloria albis vestibus significatur. 363.b. gloria non erit æqualis. 431. b. c. merces inæqualis erit. 248. b. præmia inæqualia. 290.a
Beatitudo dicitur regnum patris. 606. b. in Christo cum iustitia. 611.e. Beatitudo num in visione & intellectu. 1879.b.c
Beatitudines alij octo, alij quatuor. 101.b
Beelzebub idolum Accaronitarum. 241.c
Bellum quale miseris Christus. 246.c
Bellum pro religione Catholica iustum. 1060.e
Benedicendi cibi ritus Christi proprius. 1232.b
Benedicere an idem sit, quod gratias agere. 312.c. idem quod beneficijs afficere. 538.b. Euangelistis gratias agere. 580.c. de verbo benedicere, contra Caluinistas. 579.d
Benedicti Patris, idest, à Patre dilecti. 538.b. benedictus qui venit in nomine Domini. 500.a
Benedictio calicis, in Eucharistia. 312. b. manuum impositione, apud Hebræos. 412.c. pro consectatione sumitur. 580.d
Benedictio in scriptura varia significat. 903.c. à pattibus filijs impertita. 1265.c.d
Benedictionis panis formula Hebræorum. 581.e
Benedictionem accipiendi ab Episcopis mos. 412.d
Benedicuntur à Christo paruuli. ibid. benedixit cibum ter Christus. 581.c
Beneficij liberaliter dandi gradus quidam. 1215. d. ijs vetitur Deus. ibidem.
Berengarius auctor hæresis de Eucharistia. 594.b
Bethania vbi sita. 451.a.in eam secedebat Christus. 829.c
Bethania cur dicatur castellum Marthæ & Mariæ. 1076. d. 1706.c. eius situs & distantia ab Hierosolyma. 1265.c
Bethlehem quotuplex in scriptura. 44. b. & 54.a.in ea natus Dauid. 43.a
Bethphage quantum ab Ierosolymis distaret. 451.a
Bethsabee cur non nominata à Matthæo. 18.a
Bethsaida ciuitas Galilææ. 263.a. in Galilæa Herodi subdita. 308.d. vbi sita. 804.a. vicus etiam dicitur. 806.b
Bethsaida idem valet ac domus venationis. 1349. d. ex ea vocati ptimi discipuli. ibid. c. quæ causæ à variis afferantur. ibid.c.d
Bethsaidæ apparuit Christus post resurrectionem. 1931.d
Bethsaidæ increduli. 806.c
Beza Arianizat. 186.a. refutatur cap. 1. Matth. 31.e.& 36.a. reprehenditur circa dogmata. 186.a
Beza reprehenditur de primatu Petri. 234.b. de descensu Christi ad inferos. 274.d. de asinæ pullo. 454.a.in versione scripturæ. 94. b. 293. d. 362.c. in expositione. 213.c. 460.d. 366.b. 388. a
Beza reprehenditur. 872. b. 897.d. 901.a. 903.b.d. 998.d. 1039.c. 1047.c. 1253.e. 1278.c. 1384.d.e. 1413.c 1434.a. 1436.a.b. 1478.a. 1485. c. d. 1508. b. 1525.b. 1612.d. 1615.d. 1674.a. 1720.b. 1734.b. 1823.a. 1899.c. 1906.b. 1936.d. 1948.b
Blasphemare quid sit. 627.d. blasphematur nomen Dei. 145.d
Blasphemia audita scissæ vestes. 627. c. Caluini de Christo. 671.e. Spiritus non remittetur. 268.b. in verbis contumelio-
sis. ibid.d
λοιδορεῖν, & ὀνειδίζειν differunt. 319.c
Boanerges filij Zebedæi. 762.a.b. boni bona loqui solent. 272. a. non soli in Ecclesia. 297. d. bonis nocent dæmones, cum corporibus nequeunt. 198. b. à bonitate non se excludit Christus. 414.c
Bonorum operum merita. 418.a
Breuiarium Euangelij oratio Dominica. 143.d
Breuis vitæ quæ sunt cum fœno collata. 159.a

C

CAdaueri seipsum comparat Christus. 512.c
Cadere in faciem non semper est adorare. 366.d
Cadus quæ mensura esset. 1162.b
Cæci nullis remedijs sanari possunt. 1657.a
Cæsarea duplex fuit. 340.c
Καὶ ponitur pro ἀλλὰ. 262.c
Caiphas & Annas non eodem anno Pontifices. 624.a
Caiphas & Annas quomodo principes sint sacerdotũ. 1004.c
Caiphas quomodo prophetauerit. 1736.c. quomodo Pontifex anni dicatur. ibid.d
Calceamenta prohibita Apostolis. 238.d. portare vile ministerium. 76.b
Calcei an diuersi à sandalijs. 238.e. calceos ponunt Iudæi tem-

plum

plum ingressuri. 76.c. calix aquæ mercedem meretur. 818.d
Calix aquæ frigidæ. 248.b. calicis quod desoris est. 493.a
Caluariæ nomen vnde. 614.e
Caluinista castus monstrum inauditum. 409. c. Caluinistæ maximè vitandi. 389.a. Apostolorum criminatores. 310. d. 367.b. 430.a. maximè hæretici. 291. e. sensu omni carent excepto gustu. 336.d. contradictionis arguuntur. 411.a. Antichristi metatores. 511.d. dicunt ecce hic est Christus. ibid. hostes cilicij. 70.b. probare non possunt baptismum paruulorum. 413.a. sola fide dæmones eiici dicunt. 374.a. hypocritæ sunt. 338.a. scripturæ aduersantur. 368.a. mandata Dei impossibilia dicunt. 170.e. Sadducæis similes. 72.c. 479.a. Montanistis. 351.c. Nouacianis. 206.d. Iudæ proditori. 564.d. Deo tribuunt officia diaboli. 87. e. falsi prophetæ. 172.a. in Petrum insolentes. 356.c. polygamiam introducunt. 399.c. non missi docent. 722. a. Etiam venturum non credunt. 367.c. agni nati lupi moriuntur. 174.b
Caluinistæ refutantur in dogmatibus de Eucharistia. 1367. d. de Christo in Eucharistia inuisibili. 1243.d.1253.e.1505.d. de manducatione corporis Christi per solam fidem. 1513. c. 1539. c. 1540. a. b.c.d.& multis sequentibus. 1563.a. de iustitia imputatiua. 878.879.880.1039.c. de consilijs seu operibus supererogationis. 1189.e. de præceptis impossibilibus. 1191.a. de mercede operum. ibid. a.b. de partu virginis. 959.c.d. 975.d. 976.977. In expositione scripturæ. 881.e. 882.a. 1189.c. 1456.a. b. 1485.c.d. 1537.c. 1539.b. 1540.d.& multis sequentibus. 1548.d. 1557. c. 1487.a. expositione capitis sexti Ioannis de manducatione corporis Christi per solam fidem, non etiam de sacramento Eucharistiæ. 1539.b.c. 1540.& aliquot sequentibus totis. In dogmatibus de baptismi necessitate. 1387.a. de passione Christi pro solis prædestinatis. 1400.b.c.d. de præsentia Christi in Eucharistia. 1260. b. de adoratione Eucharistiæ. 1266.b.c. de sacrificio Eucharistiæ. 1537. e. de pœnitentia. 1910. b. Caluinistæ B. Virginis conuitiatores. 929. a. tollunt ei virginitatem à partu. 959.c.d. 975.d
Caluinistæ negantes Christi præsentiam in Eucharistia suo ipsorum argumento refelluntur. 1557. b. falsis & incredulis Christi discipulis similes sunt. ibid. Augustini auctoritate refelluntur. 1560.a. qua ex illo abuti volunt, eis eripitur. 1559. d.e. 1560. b.c. sine sacris vestibus sacramenta administrant. 1940. d
Caluinistarum argumenta contra Eucharistiam soluuntur. 597.c.de coniugijs lex fœda. 410.a. fatuitas reprehenditur. 511.b. errores refutantur de iustificatione. 179.c. 202.c. ieiunia præludia bellorum. 328. b. Euangelium quomodo fulguri si mile. 512.c
Caluinistarum errores refelluntur, de potentia Dei. 614.e.de permissione Dei. 402.b.c.de prædestinatione. 576.c. de prouidentia Iudæ. 568.a. de Christi aduentu. 315.b. de Angelis custodibus. 384. de baptismo Ioannis. 77.a. de consilijs Euangelicis. 418. c. de castitate. 409.c. de Primatu Petri. 143.d. de Eucharistia. 479. b. 583. b. 584. d.e. 597.c.de ornatu templorum. 565.d.de Purgatorio. 271.a.de reliquijs Sanctorum. 215. a. 307. d. de baptismi necessitate. 854.c.de clauibus. 548.a.de missione Doctorum. 721. e.de diuortijs. 403. c.d. de deserto Ioannis. 66.a.de Ecclesiæ immunitate. 578.a.de libero arbitrio. 174. e. de remissione peccatorum. 206.d. de meritis operum. 289. e. 418.b. 428. e.de operibus supererogationis. 419.d. de eiborum delectu. 327. d. de Quadragesima. 89. b. 212. a. an iusti sint vlli. 208.d. de præmijs Sanctorum. 290. a. 432.a.de traditionibus. 326.d
Caluinistis licet miracula facerent non credendum. 511.e
Caluinistas in Donatistis refutat Augustinus. 297.e
Caluinus arianizat. 414. e. Apostolorum etiminator. 636.a. damnat quem Christus absoluit. 816.c. Apostolos insectatur. ibid.c.in Apostolos blasphemus. 408.a. contumeliosus in Apostolos. 316.d. Apostolos impudèter accusat. ibid. stultos appellat. 621. c. refutatur de Salome. 29.b. de Magis. 48.a.& 52.b.de Philippo Tetrarcha. 62.c
Caluinus refutatur. In dogmatibus de lege Dei impossibili. 878. c. 1072. b. de meritis sanctorum. 944.c. de religione & frequentatione templorum. 990.e.de ieiunio. 991.b.de libertate arbitrij in iustificatione. 1312. de baptismo & regeneratione. 1385.c.e.de Baptismi necessitate. 1387.a.de baptismo Christi & Ioannis. 1405. c. de traditionibus. 1434.d.de Eucharistiæ sacrificio. 1537. e. alibi. 1632. 1919.c.in expositione scripturæ. 881.a.b.c.d.e. 890.e. 895.d. 911.c. 917.c. 948.d. 1060.a. 1080.c. 1089.c. 1111.d. 1188.e. 1199.c. 1214.d. 1360.c. 1384.d. 1387. b.c.d. 1586.a. 1598.b. 1436.a.b. 1537.e. 1539.b.c. 1540.& sequentibus aliquot paginis. 1548.d. 1936.d. In historicis & similibus. de interrogatione Beatæ Mariæ ad Angelum. 911.c.de eiusdem virginitatis voto. 911.e. 913.a. de visitatione Elisabeth. 922. a. de exultatione Ioannis Baptistæ in vtero. ibid. d. de zelo Ioannis & Iacobi. 1059. c. de duabus viris in Maria & Martha. 1081.c.de more & consuetudine Ecclesiæ. 1090.e.de cruce Petri. 1856.b. alibi. 1596.c. 1604.e. 1720.a. 1743.e. 1913.d
Caluinus suo seipsum testimonio refutat. 1005.d
Caluinus in Beatam Virginem iniquus. 911.c. 912.e. 921.c. 998. a. 1360.c. 1361.a
Caluinus & Beza dissentiunt. 1610.c
Caluinus Lucæ aperte contradicit. 881.a
Caluini diabolica planè expositio. 411.c. petulantia in Persium. 367.c. procacia in pios. 320.a. inepta argutia de ieiunio. 318.c. in Chrysostomum procacia. 539.c
Caluini errores in dogmatibus de Dei mandatis. 483.a.de prædestinatione. 283.c. 431.c. 576.c. de Christo super aquas ambulante. 316.b.de Christo in cruce. 671.e. moriente. 657.a. de traditione Iudæ. 576.c.de primatu Petri. 144.b.de natalitijs Sanctorum. 306. b. de reliquijs. 215.c. 320.c. de ornatu templorum. 565.d.de baptismo Ioannis. 77.a.de clauibus. 548.c. de peccatorum remissione. 389.c.d. de iustificatione. 175.a. 273.a.de merito. 417.e.de cibotum delectu. 327.e.de ieiunio. 90.c. 336.b.de dono continentiæ. 410.d.de consilijs. 418.c
Caluini errores in versione Scripturæ. 362.d. 488.b. 518.e. in expositione Scripturæ. 388.a. 391.d. 395.c. 407.c. 415.d. 417.e. 570. c. 673.c. 816.c. in Græcis, historia & alijs eiusmodi. 62.c. 159.e. 216.e. 304.e. 508.a
Caluini commentum impudens. 1913.d
Caluiniani lupi sunt. 1686.e
Calumniæ genus proprium Iudæorum. 1716.c
Camelus per foramen acus. 412.c.d. pro re maxima ponitur. 493.a
Cana duplex Galilææ & Sidoniorum. 1358.d. Vtraque in Galilæa. ibid. Galilææ vicina Nazareth. 1359. a. vnius diei spatio minus distabat à Capharnaum. 1459.b
Cananæus Simon vnde. 1.a
Canes dicti Gentiles. 334.b. canibus sanctũ non dandum. 166.a
Canticum Zachariæ dictum prophetia, etiamsi non totum constet prophetia. 940. d. idem canticum continet duas prophetias. 942.a
Cætus Ecclesiastici exemplar hymnus à Christo dictus. 607.e
Capere idest intelligere. 408.c.& 412.a. capiat qui capere potest. ibid. capiunt hoc verbum non omnes. 408.b
Capharnaum sedes Euangelij. 740. a. cur ciuitas Christi. 201. a.ad inferum descendet. 265.c
Capharnaum opulentissima ciuitas Galilææ. 1570.e. dicta interdum patria Christi, & quam obe ausam. 1453. c. non longè Nazareth. 1524.a
Capitalium pœnarum genera. 122.d. capita mouentur ab irridentibus. 659.e. per caput nostrum non iurandum. 129.e. caput suum vngat ieiunans. 154.a
Capitationis vectigal. 953.b
Cardines cœli in scriptura quid. 516.b
Carioth in tribu Iudæ. 236.c
Caritas omnia communia facit. 428. b. caritas inter fidem & opera. 185.c. ordinem suum habet. 133.c. refrigescet. 506.c
Caritas erga proximum. 1008.d.e. 1009.a
Caritas & remissio peccatorum sibi inuicem causæ. 1044. b. mensura remissionis peccatorum. 1046. b. Dei erga homines. 1400.c.d. eadem non miracula, signum discipuli Christi. 1691.a. anima vitæ spiritalis. 1311.c
Caritate efficimur filij Dei. 1311.b. ea destituti quam absurdos errores labantur. 1496.d.e
Carmine Spiritu sancto afflari Deum laudare solent in scriptura. 981.a
Caro apud Hebræos pro homine. 400.d. 1007.b. 1315.d. pro homine carnali. 1391.a
Caro & anima pro toto homine. 1878.b
Caro & sanguis coniunctim posita in scriptura corruptionem, res & homines carnales significare solent. 341. a. 1313. b. mortalem & fragilem hominis conditionem. 1314.b. magna impedimenta credendi. 1576.c
Caro vna quomodo, vir & mulier. 400.c
Caro Christi salutifera, & viuifica. 182.d
Caro Christi propter hypostaticam vnionem vim habet viuificandi. 1536. c. inde nos viuificat in Eucharistia, quia pro nobis in cruce mortuus est. 1537. b. sumpta corpotibus nostris semẽ imptimit immortalitatis & resurrectionis. 1535. a. b.d. sub specie panis sola in Eucharistia per se sumitur, per consecutionem quandam totus Christus. 1536. d. datur in cruce pro mundi vita in sacrificium cruentum: datur pro eadem mundi vita in Eucharistia in sacrificium incruentum. 1537. c. Verus cibus est dans vitam manducantibus. 1548.e. 1549.a
Carpocratianorum μετεμψύχωσις. 124.b
Cassiani error de mendacio. 1250.a
Castalio reprehenditur de Encænijs. 388.d. 1692.d
Castellum idem valet quod pagus. 1242.c
Castitas virtus angelica. 480.d. cotdis puritas. 108.c. castitatis donum omnibus offertur. 409.a. contra hæreticos asseritur. 409.c. quid sit. 409.a
Casuum reseruatorum fundamentum. 350.e
Catechumenis Eucharistia negata. 1144.b
Catelli de micis comedunt. 334.d
Cathedra Mosis quid sit. 487.b
Catholici cum hæreticis consuetudinem habentes suspecti. 1350. c. hæreticos iure maiore odio quàm Gentiles prose-

quuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quuntur. 1426.b. periculosius ijsdem cum hæreticis agere quàm cum Gentilibus & Mahumetanis est. 1427. a. serui hæretici ab ijsdem non retinendi. 1459. c. à templo, à conuiuio, à die festo feruentiores redire debent. 1461.a
Catholicos solos rudes hæretici dicunt. 688.c
Καλυπτίδαι viua voce erudiri. 876.a
Causæ naturales à moralibus quid differant. 175.c
Cecinimus & non saltastis. 260.e
Cedron vallis non torrens fuit. 1905.c
Centuplum ideſt plura & meliora. 427.c
Centutio Gentilis fuit. 84. b. 187.d. regnum cælorum rapuit. 258.b
Ceremonia genuflexionis. 1206. c. trunsionis pectoris. 1208.d. eleuationis manuum inter orandum. 1265.d
Ceremoniæ veteris testamenti à Deo quidem, sed tamen ad tempus institutæ. 1440.c.c.1441.a
Ceremonias & cultum externum cur ab hominibus exigat Deus. 1441.a
Cerinthi error. 1172.a. 1274.b. Ioannis euangelium ei maximè contrarium. ibidem
Chaldæa Iudæis Septentrionalis. 48.b
Chaldæi à leonibus deuorati. 236.c
Chaldaicam vocem cur retinuerit Euangelista. 801.c
Chananæa mulier Syrophœnissa. 332.a. regnum cœlorum rapuit. 258.b
Chiliastæ refutantur. 428.a
Christus natus quo anno Augusti. 57.b.65.a.b
an cognitus à dæmonibus. 196.d
lapis dicitur. 466.c.467.b
etiam vt homo peccata remittit. 206.c
vt homo tributum debuit. 376.b
cur Abrahami filius dicatur. 13.b
cur Dauidis. ibidem, c
cur diuinitatem suam celaret. 353.d
pro solis prædestinatis non venit. 333.b.c
piscis dictus à Sibylla. 908.b
an diem iudicij ignoratit. 516.c
humano more loquitur. 215.b
propter quos iustos venerit. 209.b
vt homo an diem iudicij ignoret. 517.c
habitus Deus ab Apostolis. 319.a
non veniſſet si Adam non peccasset. 210.a
cur baptizari voluerit. 80.a
Dei filius naturalis. 343.b
omnem potestatem habet vt Deus. 720.b
Nazaræus cur dictus. 63.c
cur filius hominis. 192.d
conceptus de Spiritu sancto dicitur per attributionem. 35.c
habitus faber. 299.c
Leuitica ex tribu non fuit. 28.c
primogenitus Mariæ cur dictus. 42.d
Christus nomen officij, Iesus personæ. 39.c
Sanctus Dei à dæmonibus dicitur. 743.c
Emmanuel quomodo vocatur. 39.c
an asinæ insederit. 452.c
Ierosolymam quo die ingressus sit. 545.a.818.a
an præuenerit Paschа Iudæoru e. 555.b.c
Pascha quo die comederit. 554.a
à se & à patre traditus. 555.c
an rex temporalis fuerit. 645.c
qua hora crucifixus. 665.d
cur inter duos latrones crucifixus. 639.a
passus est feria sexa. 637.b
sponte mortuus est. 621.d
pro solis prædestinatis mortuus non est. 657.a
Christus natura filius Dei. 907.c. idem Messias & Rex. 908.b. filius Dauid. ibid.c. Dauide maior. ibid.e. & 910.a. Dauid vocatus. 942.c
ipsa generatione humana singulari quodam modo filius Dei. 916.d.917.a
conceptus in vtero virginis post virginis consensum. 902. b.c.910.d.e
Deus ac dominus etiam in veteri testamento appellatus. 924.c
Altissimus dictus. 947. a. dominus. 947.c. sol. 948.b
sol ab hoc mundano corporeo sole diuersus. ibid.
natus summo pacis tempore. 954.c
quo Tiberij & quo suæ ætatis anno passus. 955.d
quo Augusti anno natus. ibid.
cur statim ac natus innotescere voluit. 963.c
saluator ab angelo vocatus. 965.c.d. Messias. 965.c
cur circuncidi voluerit. 972.a
clauso matris vtero natus. 976.c
quo sensu interdum dicatur à Patribus vuluam aperuisse. ibidem a.& 977.a
lumen in sacris literis sæpe appellatur. 983. b. 984. d. magnum miraculum. 985.c
quo sensu profeciſſe sapientia. 992.b.c.993.c.d
quadruplex in eo scientia. 993.a
quo sensu dicatur vnctus Spiritu sancto. 1017. b. 1018.c. vetus Messias. 1022.a
sua quemque arte capere solet. 1027.a.1939.b
miracula suâ auctoritate faciebat. 1037.c
Christus Domini nomen commune Regibus: proprié tamen tributum Messiæ. 980.a
prophetas misit. 1450. c. Deus est. ibid. & 1470.c.1507.a.b. 1556.a.1563.d.1564.b. 1568.b.c
cur dicatur verè saluator. 1452.d.e
quæ diuinitus agebat sic agebat vt humano more agere videretur. 1473.c
quos sanabat corpore, sanabat & mente. ibid.d.& 1474.d
verus Dei filius patri æqualis. 1475.c.1476.a.& 1479.d
quomodo à Patre missus dicatur. 1481.b
scripturarum spiritus & sensus. 1495.c
vita quam scripturæ commonstrant. 1496.a
Rex quando. 1504.c. inuisibilem se facit. 1505.d
mitis etiam in reprehendendo. 1507.b
cibus est. 1508.c.d.à corporalibus rebus ad spirituales auditorum animos traducebat. 1507.c.1508.a
omnibus, quantum ex se est, benefacit. 1534.b.1538.a
solitus mysteria maiora, antequam reipsa fierent, insinuare. 1541.e
in synagoga frequenti populo disputabat. 1555.b
alio modo appellatur Christus quàm sacerdotes & reges alij, alio Filius Dei quàm omnes sancti viri. 1568.b
nouerat qualis quisque futurus esset. ibid.e
vnde futurus sit an sciti possit. 1590.c.d.e.& 1602.d.e
loquitur sæpè accommodatè ad opinionem hominum. 1580.a. inuisibilem se reddit. 1633.a
cur interroget tanquam ignorans. 1725.a
nunc vt homo, nunc vt Deus loquitur. 1806.b
an pro solis prædestinatis mortuus sit. 1885.e
Christi diuinitas probatur. 183.b.515.b
ostenditur. 460.a. defenditur contra Arrianos. 759.e
an visa in transfiguratione. 363.b
Christi consilia non semper imitanda. 167.d
fratres, consobini eius. 277.b. patria Nazareth. 299.a
caro salutifera & viuifica. 181.d
corporis partes salutiferæ. 799.c
Christi regnum æternum & vniuersale. 903.c.910.a
regni eius & Dauidis discrimen. 910.a.b.c.d.e
formatio in vtero virginis cur tribuatur Spiritui sancto. 913.c. conceptio perfecta in instanti. 921.a
de Christo omnes prophetæ prophetarunt & quomodo. 943. a. b. liberatio per eum ab inimicis spiritualis in prophetis. ibid.d
eius paupertas. 960. a. eius diuinitas. 891. a. 965.c.991.c.d. 1006.d.1037.c.1480.d
reuerentia erga parentes. 999.a
prudentia. 1016.c
in respondendo prudentia & suauitas. 1042.c
cur eum Iudæi persequerentur. 1474.b.1475.d
omnis potestas iudicandi ei data à Patre. 1479. d.c. & 1480. a. quando & quomodo. 1480.b.c
quas ob causas. ibid. eius modestia. 1491.b
eum à Patre clarificari quid. 1495.b
patientia. 1517.c. humanitas panis vitæ. ibidem d
duæ in eo voluntates. 1520.d.e
eius æqualitas cum Patre & diuinitas. 1523.a
diuinitas asseritur contra Arianos. 1477. c. 1638. a. 1647.a. 1653.b.1706.d.1925.d
eum glorificari quid sit. 1601.c
eius corpus glorificatum quomodo tangi potuerit. 1925.b. 1249.a
vbique est in scriptura. 1592.c
eius hora moriendi tempus. 1593.c
phrasis Ioanni particularis. 51.a
Christum, & Christi figuram vnum verbum significat. 637.d
qui se dicit Christum, regem se dicit. 90.a
imitari arrogantia non est. 614.c
in Christo voluntates duæ. 610.c
admiratio quomodo. 279.a. tristitia quomodo. 1137.b
Christiana professio res est suis difficultatibus mista. 948.a.c
Christianæ vitæ vocatio. 1522.b
Christianus populus hæreditas Christi. 1114.a.b.c. eorum fortitudo exemplo Christi. 1114.c.d.1115.c
Christiani lux mundi. 111.b. pisces sunt in aqua nati. 98.b. eadem Ierosolymitanam effugerunt. 509.c
dicuntur Nazaræi. 64.a
Christianorum cum Christo collatio. 35.c
Christianis omnia communia facit caritas. 418.b
Chrysostomi non sunt homiliæ in Matcum. 805.c
locus de Euchatistia expositus. 595.c
Chrysostomum philosophum Caluinus appellat. 539.c
Ciborum potusque delectus meritorius apud Deum. 890.d
Cibos an possit certos prohibere Ecclesia. 328.a

Cicatrices Christus post resurrectionem cur seruarit. 1915.a
Cilicium pœnitentiæ habitus. 263.b. Lutheranis & Caluinianis inusitatum. 70. b. eo vius Ioannes Baptista. 70.b. Ethnici. 263.b
Cinis & cilicium apud Ethnicos. 263.b
Circumcisio cur octauo die fieret. 936.b. domi priuatim apud Iudæos fiebat. ibid. d. in ea nomina pueris imposita. ibid. c. cur eam susceperit Christus. 972.a.b. in sabbatho non est contra legem. 1586.d. in sabbatho facta non violabat legem de sabbatho seruando. 1588.c. 1589.a.b. eius primus auctor Deus non Moyses. 1588.c
Circumcisionis nomine tota lex intelligitur. 461.a
Cistartium quid. 238.c
Cisternæ frequentes in Palæstina. 1136.d
Ciuitas sancta Ierusalem. 681. a. ciuitates filiæ appellantur. 452. c. maritimæ virijs deditæ. 263.d. tres Christi dicuntur. 201. a
Citò qui veniunt, citò abeunt. 288.d
Clamor Christi in cruce qualis. 671.a
Clarificare Deum quid sit. 1917.b
Clarificetur filius à Patre quomodo. 1882.d
Claritatem appellat dilectionem Christus. 1898.c
Clauem scientiæ Scribæ tulerunt. 489.d
Clauem scientiæ quo sensu Legisperiti à Christo tollere dicti. 1096.b
Claues regni cœlorum quid. 348. a. in scriptura principatum significant. 350.c
Claues mortis & infemi tributæ filio Dei. 1479.c
Cleophas quis fuerit in Emmaus. 1240.d
Cœci duces hæretici. 329.e
Cœlibatus apud Deum meritorius. 407.d
Cœlum suspicit Christus miracula editurus. 312.a
Cœlum Dei thronus est. 129. c. ante Christi mortem nemo ingressus. 68.c.312.a.1797.a. Dei sedes natura ipsa docente. 143.c.1265.c
Cœlum pro Angelis in Scriptura: terra pro hominibus posita. 968.b. pro aëre, & pro potestate. 1069. d. pro Deo. 1150. c.d. 1208.d
Cœli an aperti re vera sint. 82.d
Cœlorum regnum parvulorum est. 412.e
regnum Cœlorum Ecclesia. 381. a. conuiuio significatur. 188. c
Cœlorum virtutes quæ sint. 516.a.b
Cœna apud veteres dictum prandium. 471.d
Cœnæ nomen Eucharistiæ non tribuendum. 579.b
Cœnam Eucharistiam appellant hæretici. 577.e
Cogitare phrasi Hebraica quid significet. 905.a
Cogitationes ascendere in cor, quid. 1256.b
Cogitationes hominum nosse Dei proprium. 205. b. 1872.a
Cogitationes videt Christus. 379.b
ad Cognatos deducti insani. 763.c
Cognoscere, affectum & approbationem significat. 179.a
Cognoscere de re vxoria dicitur in Scriptura. 41.c
Cognoscere pro recipere. 1309.c. positum aliquando pro credere. 1648.b
Coloni vineæ qui sint. 465.a
Columbæ simplicitas. 241.c. columbæ corpus in baptismo an verum fuerit. 85.b
Commentariorum in epistolam ad Corinthios Remigius auctor. 403.d
Commiserationis iudicium motio capitis. 659.c
Commissura vestimenti quid sit. 213.c
Commune dicitur quod mundum non est. 794.a
Communicatio idiomatum in mysterio incarnationis. 1516.e. 1395.c.1396.a
Comparatio non æqualitatem sed similitudinem declarat. 1688.d. cam in diuerso genere sæpè instituit Christus, & qua causa. 1534.a
Comparationis iudicio Niniuitæ iudicabunt. 275.b.c
Comparationis iudicium. 426.a
Comparatiuum pro superlatiuo Græci. 380.b
Conceptio B. Virginis sine peccato. 209.c
Concilium Tridentinum agnoscit historiam mulieris in adulterio deprehensæ. 1609.a.b
Concilij nomine quid intelligendum. 242.b.392.a
Concilio reum esse quid sit. 122.c
Conciliorum Prouincialium auctoritas. 392. d. verum quodnam sit. 392.a
Conciliorum auctoritas quanta. ibid.c
Concionator bona quæ fecerit Deo accepta ferat. 792.b
Concionatores non frequentiam ciuitatum, sed salutem indagentium prædicatione quærant. 788. a. fructum non plausum quærant. 747.d
Concionatores modesti sint & humiles. 104.b. bono successu gaudere possunt. 1068. c. hospites suos spiritualiter pascere debent. 1077. c. manibus homines curare debent exemplo Christi. 1127. b. de fides esse non debent. 1255. a. ipsorum est Christum videre; & cor ardens habere. ibid. ipsorum nimia existimatio periculosa. 1011.d.e. eos qui recipient, mercede non carebunt. 1026.c.1027.a. ijs animæ quærendæ. 1052. a. beneficia Christo accepta referre debent. 1068.b. ijs formula auditores suos docendi. 1443. b. Christum annunciare debent per infamiam & bonam famam. 1445.a. cibum & potum prædicationi postbabere. ibid.c.& 1446.a.d.e
Concionatoribus illiterati pleraque tribuunt. 367.c
Concionis audiendæ fructus. 1027.c
eius fructus quando appareat. 1345.b
in ea audienda Christus honoratur. 1077.d
Concordia doctorum, auditorum fidem iuuat. 1897.b
Condemnaberis ex verbis tuis. 272.c
condemnate quando liceat. 163.b.165.a
Conditionum affirmantium & negantium discrimen. 150.c
Conducendi verbum meritum probat. 432.a
Confessio peccatorum. 350.a. coram Ioanne. 71.c
ante baptismum olim. 71.a
Confessio peccatorum. 1403.a.b
Confessionis præceptum dedit Christus. 334.d
auricularis assertio. 334.d
Confessionis sacramentum contra hæreticos asseritur 1732.b
Confirmationis sacramentum. 858.b.c
Confiteor, id est gratias ago. 264.b
Confiteri, gloriando promiteri. 276.a
Confundere aliquem quid sit. 806.d
Confundi Christum quid sit. ibidem
Congregari in nomine Christi quid sit. 332.c.d
Coniugum fructus trigesimus. 290.b.c
Conscientiæ libertas non permittenda. 292.a
Consilium paupertatis Euangelicum. 418.d
Consilia Euangelica metu non omittenda. 531.d
Consilia Euangelica. 1137.c. ad ea homines horrandi. 1193.c
eorum obseruationi respondet cumulata merces. ibid.
Consobrini Christi fratres eius. 277.b
Consolatio afflictorum. 109.c
Consuetudo pœnam peccati non leuat. 122.c. consuetudinem exprimit repetitio. 175.c.& 476.a
Consummare ciuitates quid. 244.b
Contemplatiua vita. 1081.c
Continentia coniugum ex mutuo consensu. 897.c
Continentia donum contra Caluinum. 410.d
Contra me est qui non est mecum. 267.e
Contractus rescinditur ei, qui conditiones non seruat. 127.b
Contritio. 1019.a.b
Conuenire quid significat. 34.a
Conuersio iterationem significat. 556.c
Conuersus pro iterum. 1232.a
Conuiuio regnum cælorum significatur 188.c
Conuiuia ad cœnam potius, quàm ad prandium. 190.a
Conuiuia lautiora festis diebus licita. 839.c. Orientalium. 1041.d. a Christo adita. ibid.d.e.1093.a.1134.b.c.1137.a
Conuiuis pedes loti. 1045.b
Conuiuijs celebratæ nuptiæ. 211.a
Cooperamur Deo ad salutem animæ. 1672.a
Cophini duodecim superfuerunt. 313.d
Cor ad aliquid apponere, seu aliquid in corde ponere quid sit. 939.e
Cor matis, medium matis. 274.c
Cor terræ, sepulchrum. 274.b. infernus. ibid.
Cordis puritas, castitas. 108.c
de Corde exeunt quæ coinquinant. 331.a
Corde toto diligere quid sit. 482.c. Deus quomodo diligatur. 119.d
Coram domino magnus, Hebraica phrasis. 890.a.b
Coram te, pro contra te, in oratione prodigi. 1150.d
Corbana gazophylacium. 641.b.812.a
Corozain ciuitas Galilææ. 262.c
Cornu in scriptura potentiam, regem, regnum, regni gloriam significat. 942.a
Corpus Christi quot modis accipitur. 593.a. quomodo panis. 585.b
Corpus Christi inuisibile se reddit post resurrectionem. 1932.c
idem Corpus Christi templum aliter quàm aliorum hominum. 1572.b.c
Corpus nostrum interdum ædificio comparatur. 1573.d.e
interdum tabernaculum Domini & quare. 1318.a
Corporis sordes Phatisæi lauant non animæ. 493.b
Corporis cura quæ prohibita. 156.c
Corpora damnatorum deponere non licet. 685.e
Correctio fraterna quibus adhibenda. 387.c. quando non adhibenda. 166.b
Corporum pulli deserti à matre. 137.b
Corus quid. 1162.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cosmas Græcus auctor citatur ex ms. 76.d
Crastinum pro futuro acceptum. 160.d
Creatura pro homine sumpta. 85.c
Creaturis qui honor debeatur. 129.c
Credendi nihil ars quædam. 584.a
Credendi impedimentum caro & sanguis. 1576.c
Credendum est ei qui Dei mysteria velit cognoscere. 1567.d. 1584. d
non Credentes in se, curat crescere orationem, hoc naturale est. 768.b
Credentium ex ventre flumina aquæ viuæ quomodo fluent. 1598.c.1599.a.b.c
Credere interdum vix possumus quæ maximè optamus. 1258.c
Credere dicimur cùm fides augetur. 1712.b
Credibilitas fidei ac religionis nostræ ostendi potest. 1286.a
Crescente vti oratione naturale est. 768.b
Cribramus afflictionibus quo sensu. 1230.a
Crux Christi titulo distincta. 658.a.signum filij hominis. 546. c.titulus vbi affixus. 658. a.& supplicium vsitatum apud Romanos. 556.c
Crux Christi significata verbo exaltandi. 1398. b. eam tollere res non facilis. 1137. b. ex ea Christi carnis vis. 1337. b
Crucem accipere quid sit. 247. a. Christus cur gestarit. 653. a. b
in Cruce fuit horas sex Christus. 667.c
Cruces in cœmeterijs vnde. 195.c
Crucifigere Iudæis non licebat. 645.b
Crucifixus qua hora fuerit Christus. 665.d
Crura franguntur crucifixis. 684.a
in Cubiculo orare quid sit. 141.c
Cubitum addere corpori quid sit. 157.c
Culicem excolare quid sit. 493.a
Culpa sine pœna remittitur. 271.a
Culpa remissa non pœna. 665.b
à Culpa & à pœna absoluunt sacerdotes. 353.b
Cultum externum cur à nobis requirat Deus. 1440. c. 1441. a
Cunctandum non est cum à Christo vocamur. 1721.d
Curat non credentes in se Christus. 746.b
Curiositas in alienis vetita. 163.b
Cyprianus cùm Scripturam citabat Latinè, vertebat è Græco. 1279.d
Cyrene vbs in Syria. 652.d
Cyrenæus Simon an Gentilis fuerit. ibidem
Cyrillus in Ioannem ex Catena Græca citatus. 1649.a
Cyrilli locus in signis de Eucharistia. 597.d
Cyrilli commentarij impressi à libro quinto ad nonum interrupti. 1592. d.e. eiusdem locus ex manuscripto citatus. 1626. e. 1628. c. 1737. c

D

Dæmon electus Biturigibus. 219.d
Dæmon lunaticos cur faciat. 369.b
Dæmones an Christum cognouerint. 196. b. 743. c. an torqueantur ante iudicij diem. 197. a. an iudicij diem nouerint. ibid.c.nocent bonis,cùm nequeunt corpori. 198.b.quidam ieiunio expelluntur. 373.d. an eorum confessio coacta fuerit. ibid.cur eos tacere iubeat Christus. ibid.c. quomodo Christo procederent. 759. d.eos non soli Apostoli eiiciebant. 815. d. e. cur olim plures eicerent. 816. a. b. eiicere etiam mali possint. ibid. e. Magi an edocti per Dæmones. 51.d
Dæmones non semper mentiuntur. 1642.e
Dæmoniacus appellatur Ioannes. 261.c
Dæmoniaci cur in sepulchris. 197.d
Dæmonium mutum. 219.c
Dæmonium habet,qui peccatum. 1645.e
non sinebat Christus loqui Dæmonia. 746.c
Dæmonia eiiciendi data potestas Apostolis. 761.e
Damascenus vel auctor historiæ Barlaam. 523.c
Damnati sanctos non orant. 1177.d.ijs maximè membris supplicia sentient,quibus maximè peccauerint. 1180.b
Damnatorum duplex pœna, damni & sensus. 1417.c
Damnatorum inæquales pœnæ. 241.b
Damnatorum corpora non licet deponere. 685.c
Damnum repetitur iniuria remissa. 151.c
Danielis annorum hebdomades septem in ædificatione templi. 1376.d.e
Dare sanctum canibus. 166.a
Dare gloriam Deo, verum fateri. 682.c.1196.a
Dauid cur nominetur. 17.c.vbi natus. 43.a
Dauid aut is qui Psalmos collegit. 103.a.infantem se dicit. 459. c. vocat Christum dominum. 487. d. an officiosè mentitus sit. 261.a
Dauid sedes pro regno. 908.c
Dauid pater Christi dictus. ibidem
Dauid regnum quadraginta tantum annorum. 908. e. seruus & minister Dei peculiariter dictus. 942.d
Dauid Aaronis posteros in familias diuisit. 877.b.c
Dauidis filius Christus cur dictus. 15.c
Dauidis nomine Christus appellatus. 908.c
Dauidis regnum temporale, figura spiritualis regni Christi. ibidem
Dauidis ciuitas in scriptura quid. 942.d
De, pro ex, vsurpat interpres vulgatæ. 36.a
מן pro מאת. 1046.b
Debbora prophetissa an Galilæa fuerit. 1605.d
Debitum minimum quadrans vel minutum. 125.a. cur peccata dicantur debita. 149.d
Decapolitæ vicini Gentilibus. 758.d. semigentiles erant. 782.a. dæmoniacus Decapolita sanatur. 782.c
Decem virginibus cur comparatum regnum cœlorum. 522. a. b
Decem tribus à captiuitate non redierunt. 236.c
Decimarum solutio magno Phatisæis in precio. 1106.b
Decurio nobilis Ioseph. 685.d
Demoliri facies. 153.c
Denarius operariorum merces. 436. c. quid significet. 436. a. b
Denarius diurnus debetur operarijs. 433.a
Denarius numerus vniuersitatem significat. 525.a
Denarij Romani valor. 478.c. apud Iudæos eius valor. 394.c
Denarij ducenti quot aureos efficiant. 310.c
Descriptio orbis nascituro Christo. 952.c
Descriptio populi Iudaici per familias. 916.d.e
Describuntur populi à regibus duabus de causis. 953.b.c
Desertum Ioannis quale fuerit. 66.a. locus est tentationi aptus. 87.b
ex Deserto quod exit, venerandum est. 88.d
in Deserto viuentem supra homines esse. 67.c
Deserta multa in Scriptura memorantur. 68.c
Desolationis abominatio quid sit. 508.b
Desperationem Christo tribuit Caluinus. 671.c
Deus anima mundi Platoni. 35.c. non oculis sed corde videtur. 108.c.quomodo toto corde diligatur. 119.c.quomodo tentet. 152.a
Deus futurus erat Christus. 117.a
non est Deus mortuorum. 481.c
cur dicatur Deus Abraham. 480.d
cur dicatur Deus viuus. 341.c. non est auctor maledictionis. 167.b.malignis voluntatem solam allegat. 433.e.plura potest,quàm vult. 614.c.622.c
Deus cur propriè dicatur fecisse redemptionem plebis suæ Israël. 941. c. d. in promissis explendis liberalis. 980. d. 982. d.e
Deus verus,hoc est fidelis & verax. 1591.d.e
nostrum in Deum officium. 1189.c.per cœlum designatur. 1150.d.1208.d.orati vult. 1717.a
Deus Israël & Deus viuens, in scripturis pro vero Deo. 940.e. 941. a. & 1568. b. c. non exigit à nobis nisi quod possumus. 1469.d.neque vocem habet neque figuram. 1493.d.quomodo tamen interdum dicatur vox Dei. ibid.
Deus spiritus est, omnis corporis expers. 1441. d. e. 1442. a. obliuisci & recordari quomodo dicatur. 933. a. quomodo orationes nostras corrigat. 1458.c.quemque arte sua capit. 1939. b
Dei proprium cogitationes nosse. 205.b
Dei mandata non sunt impossibilia. 483.a
Dei filium, & Deum esse,idem. 319.b
Dei gloria miraculorum gloria. 373.b
Dei filius idem & Deus. 626.a
Dei opera voces eius sunt. 1494.a. multis modis nobis loquitur Deus. 1530.a
Dei benignitas. 940.c.eius consilia factaque non sunt curiosè ab hominibus diiudicanda. 1444.a
Dei voluntas salus hominum. 1446.e.eius auxilium nunquam serum. 1457.e
Dei auxilium ijs maximè præsens qui humano destituuntur. Dei auxilium nobis necessarium. 1469. b. docibilem esse Dei quid sit. 1519. b. 1528. d. diuinæ essentiæ clara & aperta visio nulli in hac vita communicata. 1330.e
Dei in peccatores prompta misericordia. 1152.b
eius voces dicuntur tonitrua. 1750.a
Dei potentiam quomodo scriptura declarare soleat. 952.b
Dei omniporentia. 919.b.c.d
Dei adoratio multiplex. 1435.b
Dei patientia in peccatoribus expectandis. 1122.e
cur alios maiore,alios minore tempore expectet. 1124.a.b. eiusdem iustitia in non resipiscentes. 1123. a. resipiscentes lætus recipit. 1141.c
Dei imago in hominibus duplex. 1145.d.e
Dei nominandi religio apud Hebræos. 1150.d

Dei nomen absolutè pro Patris persona positum. 1286. c. 1288. c
Deo & Mammonæ seruire. 156.b
Deum in omnibus rebus inuenire possumus. 52.b
Deum magis diligit, qui proximum. 170.b
Deum potius dicit patrem Christus quàm Dominum. 782.b
Deum quomodo totis viribus, & ex tota anima diligamus. 1196.a.nostrum in Deum officium. 1189.c
Deum solum cur dicat Patrem Christus. 1880.e
Deum esse Christum an crederet Martha. 1716.c.ante Deum tustum esse quid sit. 879.b. ante Deum ministrare quid sit. 883. a
Deum nos respicere quid sit. 898.a.917.d
Deum quo sensu scire, aut nescire dicantur mali. 1591. c. & 1592.a
à Deo quomodo omnes doceantur. 1519.b
Deos multos credere,est nullum habere Deum. 1433.a
Dextra virtutis Dei,& esse à dextris virtutis Dei. 617. b. c. 879. e
in Dexteram rete iacere quid sit. 1937.e
Diabolus aliquando spiritus dicitur. 87.c
Diabolus, idest, calumniator. 87.d.88.b.91.a. regna dare non potest. 91.a
Diabolus auctor temerè iurandi. 131.a.cur Beelzebub dictus. 241.c.ei patratus ignis inferni. 540. c. quando diuinitatem Christi cognouerit. 650.a
Diabolus cur dicatur Iudas. 1569. d. vexandi hominem potestatem non habet, nisi à Deo priùs peritam. 1229. d. quomodo sit nunc ejectus. 1750.d.homicida est ab initio. 1640. c.pater mendacij. 1743.c
Diaboli filij Iudæi. 1637.b
Diaboli filij qui à Christo appellarentur. 1636.a.b
Diaboli nomen aliquando proprium, aliquando commune. 1569.e
Diabolum de cœlo cadere,ligari,ejici quid. 1069.d
Diabolicus interpres Caluinus. 411.e
Diabolicum an fuerit somnium vxoris Pilati. 650.a
Διαβολισμὸς. 879.d.e
Dic,idest,iube,Hebraissmus. 441.c
Dicere,idem quod iubere. 185.e.759.a
Dicere intra se, & in corde suo,cogitare. 205.a.764.a
Dicere apud se, idest putare. 1704.a
Dicitur, idest,cognominatur. 235.d
Didrachma soluit Christus. 374.c
quid sit Didrachmum, & Drachma. ibidem
Didymus & Thomas idem nomen. 1712.c
Dies pro tempore apud Hebræos. 45.b.65.a.211.c.876.c
Dies est sollicitus sibi ipsi. 161.b
Dies à Iudæis in quatuor diuisus partes. 435.e
Dies vnde ineiperent Iudæi. 547.b
Dies Indæorum ab vno vespere ad alterum. 1770.b
Dies dicitur vniuscuiusque vita. 1660.c
Diei in duodecim horas diuisio. 435.d
Diei & noctis diuisio apud Iudæos. 1146.a
Diem iudicij an nouerint dæmones. 197.c. & cum quomodo ignoret Christus. 516.d
Diem naturalem quomodo Hebræi designent. 274.c
Diem sinum quid Christus appellet. 1650.a
Diem ab occasu solis Iudæi inchoant. 1912.b
Diffamare in bonam partem acceptum. 748.b
Diffamauerunt,idest, diuulgauerunt. 218.e
Digito mouere onera. 488.a
Digitos misit in aures surdi Christus. 799.e
Dilatare phylacteria quid. 488.c.d
Dilecti filij vingeniti. 84.c
Dilectio Christi in quo sita sit. 1811.d. maxima pro amico animam ponere. 1833.c
Dilectionis Dei gradus varij. 119.c
Diligendus proximus quomodo. 482.c
Diligere toto corde quid sit. ibidem
Dimissa vxore nubere non licet. 476.a
Dimittere Mariam qui voluerit Ioseph. 36.c
Dimitti peccata quid sit. 149.c
Dionysius vbi eclipsim viderit. 668.e
Discerpsit Dæmon,idest,vexauit. 744.c
Discipulus super magistrum. 244.e
Discipulum esse Christi quid sit. 1631.d
Discipuli Ioannis ad Christum. 210.b. ijdem ieiunabant. 210. c.de Christo dubitant. 251. c. Christi Discipuli à Pharisæis cur accusati. 797.a
Discipuli Christi ex qua causa dicti pusillus grex. 1106.c.quot numero. 1064.d.e.cur septuaginta duo. 1065.b.ijs successerunt presbyteri. 1067. b. cur bini à Christo mittebantur. 1067.c.fere omnes Galilæi. 1348.d
Discipulos suos Christus exemplo sanctorum hominum, se exemplo Patris tuebatur. 1474.d
Discussionis iudicium. 536.c
Disponere est testamentum condere. 1228.c
Ditiores mali quàm boni ex quibus causis. 1103.a
Diuersorium quid. 960.a.b
Dives difficilè in regnum cœlorum intrat. 703.c
Diuites cur panem à Deo petant. 148.d
Diuites huius seculi & diuites Dei. 1106.a.b
Diuitibus omnes dant. 284.b.ijsdem accessus ad iudices patet. 685.c
Diuitiæ maximè reuocant à regno cœlorum. 423.b
Diuitiæ sollicitudines procreant. 1103. d. e. 1135 cor apponere quid. 1106.b
Diuitiæ temporales falsæ, spirituales veræ. 1167.c.d. solæ spirituales propriè nostræ diuitiæ. 1167. e. vitam non producunt. 1102.b
Diuidetur seruus malus. 518.c
Diuinitas Christi probatur. 183. b. eam Christus ipse probat. 479.c.486.b. eandem Christus celauit. 355.a. 746.c. an ea sit visa in Transfiguratione. 364.b
Diuinitas Christi contra Arianos. 414. c. quando eam cognouerit Diabolus. 650.a.759.e
Diuinitatem suam Christus aperiri voluit. 744.a
Diuortium apud Christianos qui licitum. 403.c.d
de Diuortijs ampla disputatio. 403.d.e
Docendi potestas à clauibus diuersa. 348.d
Docibilem esse Dei quid sit. 946.e.1519.b. 1528.c.d. quos docet omnes à Deo doceantur. 1529.c
Doctoris sanctitas ad persuasionem valet. 772.d
Doctores ad scholam mittit Christus. 207.c
Doctores Ecclesiæ per seruos designati. 528.d
Doctrina nusquam baptismus dicitur. 78.a
Doctrina Christi sermo appellata. 1451.c.1469.b
Doctrinam suam Christus non esse suam qui dicat. 1585.e
Dolor & voluptas sese inuicem consequuntur. 1181.b
Dominica oratio an semel tantùm edita. 141.d
Dominica cœna quæ apud Paulum. 578.c
Dominica dies prima sabbati. 694.c
Dominica dies prima hebdomadæ. 1912.b
Dominico die conuentus in Ecclesia agi soliti. 1923. d. e
Dominus non pater in veteri Testamento Deus. 144.b
Dominus est res,cui nimis dediti sumus. 155.d
Dominus tecum vsurpatum in salutatione Virginis & aliorum, sed vario sensu. 905. b. quid significet in salutatione Virginis. 902.c
Dominum potiùs quàm Deum se Christus dicit. 782.b. super Dominum non est seruus. 244.e
Domine Domine,dicunt falsi prophetæ. 176.a
Dominus duobus seruire. 156.b
Domum an habuerit Petrus. 191.b
Dona Dei auferuntur ijs,qui abutuntur. 534. b. non dantur æqualiter omnibus. 530.b
Donatistæ resinarunt. 1669.d
Donatistarum error de baptismo. 174.d
in Donatistis Caluinistas refutauit Augustinus. 297.c
Donec in scriptura quo sensu dicatur. 42. a.item quomodo accipiatur. 726.d
Donis Dei quomodo gaudere liceat. 1070.d
Dormientes, idest mortui. 215.c
Dormire quando dicatur Christus. 774.a
Dotothei historia. 1066.d
Drachmæ Atticæ æquale pondus & denarij. 478.d
Duas tunicas ne ferant Apostoli. 258.c
Dubia dubiè dicenda. 1235.b
de Dubijs iudicandum non est. 164.b
Duobus dominis seruire. 155.b
Duodecastylo numero fundata testamenta. 232.c
Duodecim tantùm numero Apostoli. 232.a
Duodecim cophini superfuerunt. 313.d
Duodecim tribus iudicabuntur. 426.d
Duodenarij numeri commendatio. 233.a.b. perfectionem significat. 426.c
Dux militum templi. 685.d
Duces χιλίαρχοι mille hominibus præerant. 54.b

E

Ebion & Cerinthus Ioannis Euangelio reselluntur. 1274. b
Ebionitæ reselluntur. 998.c
ἐν præpositio diuersa significans. 1412.a
Ecce pro statim in scriptura. 923.d
Ecce propinquum tempus indicat. 499.c
Ecclesia an possit verare cibos quosdam. 328.a. auctoritatem scripturis affert. 5. a. Christi sponsa. 473.a. 522.a.1409.a.c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

initio exigua. 292.d. Lunæ similis.ibid.regnum Dei.468.a. militans,in parabola vineæ.431.a.mortuos suffragijs iuuat. 354.a.non congregatio tantum, sed & templum. 98.c.nunc non est in respublica. 294. a. nusquam dicitur synagoga. 388.a. per orbem est, hæresis in angulo. 292.d. potestatem habet in mortuos. 353.c.regnum Dei in parabola.773.c.super successores Petri fundata. 351.d.visibilis est. 388.e
Ecclesia media semper inter duos hæreticos sicut Christus inter duos latrones crucifigitur. 1526. e. eorum qui sunt in Ecclesia proprium est à Deo doceri. 1529.d
Ecclesia proficit sapientia & ætate. 1405.b.1838.b
Ecclesia area messis Euangelicæ. 1448.d.comparata Euangelicæ Samaritanæ. 1452.c.d
Ecclesia locus proprius testimonij de religione.1344.d.scholæ disputationibus de eadem. ibid.
Ecclesiæ doctrina media inter errores duos. 659.c. finis qui & orbis terræ. 721.b.fundamentum Petrus. 343.e. immunitas à tributo.378.b.lapis Christus. 466.c
Ecclesiæ nomine quid intelligendum.388..c.thesaurus ex sanctorum meritis. 526. a. vtilitas spectanda in fuga. 243. e. Ecclesiæ ttadita potestas excommunicandi. 389.d
Ecclesiæ præcepta defenduntur. 1854.c
Ecclesiæ an conueniat suos apud hostes habere Nicodemos & exploratores. 1605.a
Ecclesiam non vident Caluinistæ cæci. 292.c
Extra Ecclesiam non intelliguntur scripturæ. 479.d
in Ecclesia qui terram occupent. 1125. b. qui sint mercenarij. 1149.c.d. Ecclesiasticæ traditiones humanæ non sunt.326.d
Eccles. Rici immunes à tributis. 376.d.e
Eclipsis passionis Christi. 668.c
Edit Christus post resurrectionem. 218.b
Educationis bonæ fructus. 1148.c
Efficaces res igni comparantur. 372.a
Ἐγγαστρίμυθοι Pithones. 45.c.46.a
εἰς pro ἐν. 1040.a
Electi in errore mori nequeunt.512.b.pauci sunt. 438.b
Electos à se Deus dignos facit. 761.a
Electio Apostolorum. 1837.a
Eleemosyna per oleum designatur. 524.b
Eleemosyna in scriptura iustitia dicitur. 158.b
Eleemosyna. 1008. c. 1164. c. quomodo peccata remittat. 1094. c. 1095. d.pro omni specie misericordiæ & caritatis. ibid. b
Eleemosynam qui dat,thesaurum congregat. 410.c
Eleemosynam nesciat sinistra. 159.c
Eleemosynis emitur regnum cœlorum. 1107. c. d. optimum remedium vt cum Deo redeamus in gratiam. 1165.c
Elegantiæ quoque nostræ prouidet Deus. 158.d
Elegerit Apostolos Christus quomodo. 760.d
Eliæ virtus & spiritus in Ioanne Baptista. 891.b.c.d
Elizabeth Ioannis mater de genere sacerdotali. 877.d. e. cur nominata à Luca. 878. a. iusta. ibid. & 879. c. d. sterilis. 882. a. cur prægnans quinque se mensibus occultarit. 936. a. eius conceptus viam munijt ad credendum virginis partum. 918. e. prophetauit ad virginis aduentum. 926. c. filij nomen per prophetam discit à Spiritu sancto. 930.e
Emblemata parabolarum. 394. b. partes quædam parabolarum. 291.b
Emmanuel quomodo Christus vocatus. 39.c
ἐν pro εἰς in scriptura. 947.e. pro διὰ. 948.a.1020.c. pro κατὰ. 1403.e
Encæniorum festum quo tempore. 1692.c
ἐνῶλαι. 879.d
Ephpherha vocem cur retinuerit Euangelista. 801. c. quid significet. 800.e
Ephrem ciuitas vbi sita fuerit. 1738.a
Ἐπιχειρεῖν non sonat temerè aggredi. 871.e
Ἐπιούσιος panis quis sit. 148.e
Epiphonema in fine parabolarum. 330.a
Episcopi Apostolis successerunt. 1067.b
Erasmus reprehenditur. 213.c.293.d.518.c.1783.a
Ergo non illatiua, sed inceptiua coniunctio. 154.c
Erit pro fit, vel fiat,Hebraismus. 813.c
Errorem cognitum corrigere prudentia summa est. 1763.c
Esdræ lib. 3. vidit Euthymius Græcè, qui & nunc extat. 20. e
Est,est,non,non. 130.b
Est,non idem quod significat. 588.d
Esurientes quinam beati. 106.c
Esurij: Christus sponte. 460.c
Et pro vt Hebraismus. 164. c. comparatiua particula. 822.b. 1475.c. 1809.c.1894.b
Et particula pro quia. 925.c.& 1830.c. Hebræis est coniunctiua & aduersatiua. 1208. b. pro itaque. 1487. c. pro enim. 887. e. pro etenim.1495.e. pro sicut. 1795.c. pro sed. 963.c
Euæ & Mariæ virginis antithesis. 904.a
Euangelica gratia filiorum panis. 334.a
Euangelica perfectio in quo posita. 420.a
Euangelica messis homines qui ad Ecclesiam vocantur. 1448. d
Euangelica sementis facta per prophetas. 1447. b. declaratur id. 1450.a.c
Euangelica consilia non sunt negligenda. 531.d
Euangelicæ paupertatis gradus varij. 104.a
Euangelicæ prædicationis initium factum ab Ierosolyma. 1262.c.e. quam ob causam. d. e. cur primum Iudæis annuntiarum. ibid.d.&1303.c
Euangelicus doctor scriba dicitur. 298.a
Euangelicus spiritus quis. 1060.c
Euangelista quis dicatur. 3.d
Euangelista vnus partem vnam, alter alteram explicat. 561.b
Euangelistæ an memoria lapsi? 53.c.643.a.b.non ijsdem verbis, sed eadem sententia vtuntur. 471. d. non verba sed sensum verborum Christi exprimunt. 735. c. ordinem temporis non seruant. 162.b. 166 c. 471. d.cur scripserint? 8.d. qua lingua? 7.c quot sint? 5. d. cur non plures quatuor? 5. e
Euangelistæ res sine ordine narrant. 1585. e. non semper consequentiam,sed sæpè solam rerum similitudinem sequuntur.1420.b.cur in speciem minuta narrent. 1716.c
Euangelistarum auctoritas quanta. 4.a.quatuor animalia figuræ. 6.d
Euangelium absconditum sapientibus. 264.e. an olim toto orbe prædicatum. 506.c.853.b.Hebraicum suspectum. 264. e.lege leuius. 267. a. non prædicandum indignis. 167.a.pro Euangelica historia. 566. b. quando prædican cœperit.718. d.quantæ auctoritatis. 7. e.153. b. quid sit. 3. d. quot modis accipiatur. 3. b. simile fulguri. 512. c. d. verbum regni. 288. a
Euangelium ipsa prædicatio Euangelij. 866.a
Euangelium Iacobi apocryphum. 1232. e. sanguine crescit. 1068. a. statim Christo nato ab Angelo annuntiatur. 965.a
Euangelij dignitas. 257.a. Doctor Propheta dicitur. 247.e.in toto orbe prædicatio quomodo signum finis mundi. 507. d.prædicatores vocati debent.529.a.prima vox pœnitentia. 788.c. spiritus qualis sit. 267.c
Euangelij & legis oppositio. 946.b.c.d.1529.b
Euangelij prædicator. 1062. b. militi expedito similis esse debet. ibid.
Euangelij initia exigua. 1350.b
Euangelij scriptores multi apud Lucam qui. 871. c. 872. a. b.c
Euangelizare in scriptura quid significet. 2.b
Euangelizari pauperes quid sit. 252.d
Eucharistia à ieiunis sumenda. 579.c
Εὐχαριστηθεῖσα τροφή. 581. a. manibus accepta olim. 582. c. morbos cutat. 320.c
Eucharistia quo sensu interdum panis appelletur. 587. b.1367. d.illius vis & dignitas supra manna. 1533. d. vitam animæ & corpori tribuit.1534.tota. 1535.b.d. corporibus nostris semen imprimit immortalitatis. ibid.a.b
Euchatistia adoranda. 1266.c.1267.a
Eucharistiæ veritas contra Lutheranos & Caluinistas defenditur. 583.e. ex alijs mysterijs probatur. 593.d. per incarnationem probata. 596.b
Eucharistiæ vini in sanguinem conuersio. 1570.d. in eius consecratione verba efficienter operantur. 1458.d
Eucharistiæ confectio & administratio per fractionem panis designata. 1252. d. eius vis illuminandi. 1253.a. & 1254. d. e. Christus in ea alio modo quam quo inter mortales vixit. 1260.c
Euchatistiæ præcepto infantes non obligantur. 1545. a. caro Christi verus cibus dans vitam manducantibus. 1548. c.& 1549.a.nullus alius verus cibus & potus.1549.c.d.testimonia patrum de veritate Euchatistiæ. 1550.a d.1552.a
hæretici Eucharistiæ mysterium negantes Dei potentiam negant. 1555. d. Caluinistarum argumento probatur in ea Christum esse. 1557. a. ex facto & oratione Christi. ibid. a. b
de sacramento Euchatistiæ agit Chtistus sexto Ioannis capite. 1536.b
Eucharistiam cœnam Caluinistæ & Lutherani appellant. 577.c
in Euchatistiam ridicula argumenta Caluinistarum. 479. b. alia argumenta hæreticorum. 585.a
Christus propter Euchatistiam panem se vocat. 1536.b
in Euchatistia Christus inuisibilis contra Caluinistas.1253. c. 1505. d

caro Christi in Eucharistia vnde nos viuificet. 1537.b
de Eucharistia bene sentire magni momenti est. 1554.c
Eucliræ hæretici cur habiti. 142.b
Euchetæ hæretici negabant homini Christiano esse laborandum manibus. 1509. d.refelluntur. ibid.
Εὐδοκία & εὐδοκεῖν in scriptura quid. 85. a. 969. a. 1107. b
Eunomiani diuinitatem Spiritus sancti negabant. 268.c
Eunomianorum error & refutatio. 1331.e
Euntes dicite, Hebraismus. 207.d
Eunuchus Candacis Reginæ. 479.e
Eunuchi castrauerunt,&c. 410.b
Eunuchorum tria genere. ibid.c
Eustathianorum error de matrimonio. 418.c
Euthymius diligens in verborum proprietatibus obseruandis. 370.d
Euthymij locus notatur. 209.d
Eutychis error.1315.d.refellitur negans duplicem esse in Christo voluntatem. 1520.c
Eutychius scriptura abutens refellitur. 1257.d
Excelsus absolutè idem in scriptura quod Deus. 907.d.e
Excidium Ierusalem sub Tito. 653.d.cum fine mundi coniunctum putatur. 505.a
Excipiendi quidam dum generaliter loquimur. 188.b
Excolare culicem. 495.a
Excommunicabant Iudæos Archisynagogi soli. 388.c
Excommunicandi potestas Ecclesiæ tradita. 389.d
Excommunicati vitandi sunt. 388.c
Excutere pulueretn pedum. 240.d
Exemplum Christus præbet concionatoribus extrema potissimum concionis parte clamandi intrepidè & ex animo. 1597.d.e. & 1598.a
Exemplis maximè docetur. 741.c
Exomologesis apud Tertullianum. 349.c
Exorcistæ Iudæorum quinam. 266. b. dæmones eiiciebant. 745.c
Exterminare facies quid sit. 153.d.c
Extraordinaria potestas Christi remittendi peccata. 554.c
de Extrema vnctione disputatio. 788.c
Ezechiel filius hominis cur dictus. 193.b

F

Faber habitus Christus. 299.e.& 300.a
Faber qualis fuerit Ioseph. 299.e
Facies Dei splendor essentiæ diuinæ. 385.c
in Faciem cadere non semper est adorare. 366.d
Faciem videre Dei, propinquum illi esse. 385.b
Facies exterminare quid sit. 153.d.e
Facierum panes qui. 261.b
Facio Pascha,ideſt facere decretui. 570.a
Quid factum est?Hebraismus. 1811.e
Facta cum verbis coniungebat Christus. 398.a
Fallacia diuitiarum,Hebraica phrasis. 289.b
Falsi prophetæ fugiendi. 171.c
Fames Christi voluntaria. 460.c
Famem sequitur pestis. 506.a
Familiæ vigintiquatuor in posteris Aaronis. 877.b
Familiares sponsi,filij sponsi. 210.e
Fatuæ virgines quinque. 523.c
Felle mixtum vinum Christo datum. 655.c
Feria quarta olim ieiunium. 566.d
Feria sexta passus est Christus. 545.e
Fermentum in bonam & in malam partem. 294.a
Fermentum Pharisæorum hæretica doctrina. 339.e
Festum omne sabbathum dicitur. 259.c
Festum Pentecostes sabbathum secundo primum. 260.a
Festum tabernaculorum octo dies celebrati solitum. 1597. c. horum primus & nouissimus celebris & magnus. ibid.d
Festo die Christum volunt interficere Iudæi. 1580.e
Festa duo continua num celebrent Iudæi. 260.a.564.d
Festorum templi adeundis religio. 993.e.1462.a
Festis diebus lætitia publica & conuiuia defenduntur. 889.e
tribus Festis diebus omnes mares inter Iudæos templum ex lege adeunt. 1462.b
Ficus arbor in Iudæa frequens in vineis. 1123.a.b.in ea proposita parabola peccatorum non resipiscentium,eaque explicata. 1122.e
Ficum Christus cur arefecerit. 460.e
Ficus ex arbore Iudas pependit. 648.d
à Ficu parabola. 516.a
Fidei aliquando sola causa iustificationis dicitur. 416.d
Fides bona,mala opera. 173.a.d.c.Chananææ magna. 312.d
Fides credere quod non vides. 218.c.1633.c.1927.a
Fides Gentilium Iudaica maior. 535. d. hæreticorum triplex. 203. b
Fides mensura qua remittitur Deus. 772.b.minima cum grano sinapis collata. 372. b. miraculis quomodo confirmetur. 178.a
Fides miraculorum quæ.203.b.Caluinistica. 371.b
Fides paralytici magna. 202.a
Fides Petri ambulat super aquas. 346. d. præcedens miracula plus meretur. 207.a. per lampades denotatur. 523.b.c. quasi Dei manus est. 371.c.seruanda humana. 492.c
Fides sine caritate non est. 203. a. sine operibus non valet ad salutem.523.e.languet.524.c.non est vera. 535.a
Fides sola non sufficit ad salutem. 297.c.854.b
Fides vnius alteri prodest. 190.c.202.a
Fides appellata prudentia, fideles prudentes. 893.a
Fides quo sensu appellata opus Dei.1312.b.cur appellata opus. ibid.c.est Christiani hominis caput. 1230.e
Fides est via seu accessus ad Deum.1416.a.ad Christum.1579.c. etiam vera & perfecta angeri potest. 1459.c
Fides est semen diuinum. 1311. c.orationem efficacem reddit, estque necessaria oranti. 1205.e
Fides Petri & successorum eius perpetua. 1351.a.b.pro tota lege Euangelica. 1515. a. ianua est & via ad vitam æternam. 1530.d
Fides sola filios Dei non facit.1311.b.per eam tamen ius & potestatem accipimus vt fiamus filij Dei. ibid.c
Fides sola non est satis ad vitam æternam.1487.c.sola non iustificat. 1047.d.1311.d. 1198.a.d.e. 1399.1402.d. 1417.b. 1312.c. 1811.b.cur ei interdum salus attribuatur. 1049.a.1196.d.1197. a. 1206. a
Fides vera sine caritate haberi potest. 1762. c. callidita. eam impedit. 1959.c
Fidei fructus bona opera. 289.d
Fidei merces est intellectus. 1584.e. retinendæ illustre exemplum in Apostolis. 1567.a
Fidei quomodo iustificatio tribuatur. 1823.b
Fidem bonam qui habet, eius mala opera. 173. e. Petrus non amisit negando. 608.d.632.e
Fidem grauiter oppugnat dæmon. 1620.e.per eam Christum consequimur.1513.c.ad eum venimus. 1519.c.ad Deum.1524. d.non meremur primam, ea verò omnibus à Deo offertur. 1564.d.postulat Christus in ijs qui rogant. 1719.c
Fide aliena peccata remittuntur. 204.c
Fide an iustificemur. 202.c
Fide sola num dæmones eiiciantur. 374.a
sine Fide ne ipsi quidem infideles viuunt. 1499.b
Fidelis in minimo & in maiori fidelis est. 1167. b. vitam æternam habere quomodo dicatur. 14 7. b. 1482. a.1531.a.quomodo dicatur non condemnari. 1482.a
Fideles cæci esse debent. 218.c
Fieri dicit scriptura quod iam fiebat. 1786. a. pro augeri vsitatum in sacris literis. 1439.d
Figuli ager quis esset. 641.e
Figuram Christi & Christum vnum verbum significat. 52.a
per Figuram interpretari est aliquando incredulorum. 190.d
Filia dicitur & neptis ab Hebræis. 19.d
Filiæ principis synagogæ. 214.c
Filiæ appellantur ciuitates. 452.c
Filius ad vineam missus. 465. b. Dauid, ideſt Messias. 266.a. Dei naturalis,Christus non adoptiuus.342.d.hominis,Christus. 192.d.pacis,quis. 240.b
Filius æqualis Patri. 288.b.319.d.1312.b.d.vnigenitus modo sibi proprio. ibid.b
Filius hominis non semper Christum significat. 1486.a
Filius perditionis cur dictus Iudas. 1889.c
Filij hominis signum. 514.d
Filij nomen, Hebraicè conformationem significat. 108. e. 135. a
Filij nomen similitudinem notat. 1163.c
Filij persona in diuinis distincta à persona Patris. 1287.b
Filium Dei esse & Deum idem. 319.a
Filium Dei se esse cur celarit Christus. 354.a
Filium Dei Christum fatentur dæmones. 759.c
in Filium hominis peccatum. 269.d
Filium hominis humiliter se dicit Christus. 341.e
Filij Abrahæ,filij diaboli qui. 1216.d
Filij apud Iudæos vulgo matre nobiliores. 1272.a
Filij Dei qui. 1311.b.d
Filij huius sæculi,& lucis qui. 1265.a
Filij lucis dicuntur qui participes lucis sunt. 1757.c
Filij moriuntur ob peccata parentum. 1658.c
Filij alieni qui dicantur. 807.a. Dei adoptiui Christiani. 145.b. Iudæorum,imitatione.497.d.regni qui dicantur.189.a.211.a sapientiæ,qui sint.261.d.sponsi, huc thalami. 210. c.viperarum,ideſt viperæ.73.d.Zebedæi,quid petant. 441.d
Filiorum duorum in vineam missorum parabola. 463.c.d
Filios suscitare quid sit. 73.a
Filios Hebræi appellant fructus ventris. 925.a
Fimbriam vestis Christi tangit mulier. 215.c. alij tangere volebant. 320.b
Fimbrias magnificare quid sit. 488.d
Finalis impœnitentia num peccatum in Spiritum. 288.d
Fingere quomodo Christo liceuerit. 1249.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Finis mundi & finis templi coniuncti. 504.d
Finis mundi figura Hierosolymitana vastatio. 511.b
Finitus numerus pro infinito. 427.c
Flagella Dei sunt morbi plerique. 759.c
Flagellatus quibus virgis Christus. 651.e
Flaminius Scotti rogatu hominem occidit. 307.a
Flexis genibus orabant Iudæi, orant & Christiani. 1206.c
Flumina aquæ viuæ ex ventre credentium fluere quid sit. 1598.c. 1599.a.b.c
Fluxus sanguinis in muliere. 215.b
Fœderis nomen multa significat. 601.b
Fœminæ viris curiosiores & religiosiores. 314.c
Fœminæ non numerantur apud Iudæos. ibidem
Fœmininum genus Heb. pro neutro. 467.c
Fœno collata, quæ vilia & brevis vitæ. 159.a
Folia sunt simulatio, fructus opera. 172.c
Fonti & flumini cur se comparet Christus. 1598.b.c
Forma & materia Baptismi. 723.a
Formula libelli repudij apud Iudæos. 403.b
Formula vouendi. 324.c
Fornicationis nomine quid significetur. 126.c
ob Fornicationem Iudæi vxorem dimittebant. 401.d
Fortè, non dubitantis, sed affirmantis. 264.a
Fortis siue Gigas, Diabolus. 267.a
Fortitudo Christianorum exemplo Christi. 1114.c.c.1115.c.d
Fortius clausis ingressus est Dominus. 1912.d
Forum in parabolâ quid notet. 436.a
Fornix apud Iudæos in portis vrbium. 1036.b
Fractio panis pro toto actu conficiendi & administrandi Eucharistiam. 1252.d
Frangere panem Iudæi dicunt pro dare. 582.c
Frater omnis Christianus. 43.a
Fratres Christi qui fuerint. 277.a
Fratres cur appellati à Christo discipuli. 715.d
Fratres Domini quinam dicantur. 1175.a
Fratri reconciliari debemus ante sactificium. 123.c
Fraterna correctio quomodo adhibenda. 587.c
Fraudem serui non probat Deus sed iudustriam. 534.a
Fremere spiritu Christum quid sit. 1724.b
Fructus fidei opera bona. 289.d
Fructus non plausus Concionatoribus quærendus. 747.d
Fructus pœnitentiæ digni qui. 74.b
Fructus expers synagoga. 461.b
Fructum aliud centesimum, aliud, &c. 289.c
Fructuum tempus semper fuit. 465.d
Fructus bonos, arbor bona. 173.d
à Fructibus cognoscuntur falsi prophetæ. 172.b
Fruges iustitiæ eleemosyna. 138.d
Fuga in hyeme molesta. 510.e
Fugæ in persecutione exemplum. 757.d
Fugit Christus qua de causa. 263.a
Fugit Herodem Christus. 308.a
Fugere insidias pars prudentiæ. 243.a
Fugere pastori quatenus liceat. 1687.b
Fugienda quomodo sit persecutio. 243.c
Fugiendum à ciuitate in ciuitatem. 243.b
Fulguri simile Euangelium. 512.c
Funeta cum tibicinibus. 216.b
Furiosum an verè putarint Christum cognati. 764. b. vincire cut velint cognati. 766.a
Futurum verborum apud Hebræos modus est potentialis. 918. c. præteriti vim habet interdum. 1044.d
Futuro in seculo peccata remissa. 271.a
Futurorum loco præsentia tempora posita. 1808.c. 1809.a

G

GAbriel Angelus Iudæorum tutor. 894. d. cur ad Zachariam & B. Virginem missus, ibid. d.c. vnus de primis Angelis. 895.a. Christum natum pastoribus annuntiat. 963.a
Gadata vrbs. 198.a
Gadarenus locus. 199.b
Galilæa duplex in nouo testamento. 95. c. in ea transfiguratus dominus. 374.d. in eam bis fugit Christus. 738.c. eam petit Christus. 737.c
Galilæa an fuerit Debbora. 1605.c.d
Galilæus an vllus fuerit propheta. ibidem
Galilæum esse Christum quomodo nesciebat turba, & cur si Galilæus erat, Christum posse esse credebat. 1602.d.c. vt neque prophetam Pharisæi. 1605.c.d
Galilæi ferè omnes Apostoli. 250.c
Galilæi eiusdem religionis cum Iudæis, linguæ aliquo discrimine diuersi. 1425. d. Christo quàm Iudæi æquiores. 1455.a.b
Galilæi lingua dignoscebantur. 631.d
Gallus negante Petro cantauit. 632.a
Galli cantus in scriptura quid. 609. d.c. quæ hora. 629. d. vt Gallina congregat pullos. 499.b
γαμεῖν nubere & vxorem ducere. 480.a
Gaudere de bonis Dei quomodo liceat. 1070.d
Gaudium pro læto nuntio. 965.a
Gaudium sanctorum & gaudium mundi opposita. 1866.b
Gazophylacium quid esset. 831.b
Gebennensis vrbis statuta. 410.a
Gehennæ ignis, & frigoris. 190.b
Gehennæ nomen vnde deductum. 123.a
Geminare verba solet affectus. 176.a
in Genealogia Christi an peccatores prætermissi. 18.d
in Genealogijs genitiuus ad vltimum refertur. 35.a
Generalis sententia maioris efficacitatis est. 262.c
Generalis propositio ex circunstantijs restringenda. 1683.a
Generales sententiæ quomodo intelligendæ. 856.d
Generali caritate complectendi inimici. 134.c
Generaliter loquentes excipiendos quosdam intelligimus. 188.b
Generatio ad patrum, an ad conceptum referatur. 32.a
Generatio hæc, idest, totus mundus. 516.c
Generatio, idest, genus. 499.a
Generatio Christi æterna vix à discipulis credita. 1591.b
Generationis nomine quæ significentur. 12.c
Generis loco vna species ponitur. 540.a
Generis nobilitas in Ioanne. 878.c
Genesar terra vltra lacum. 319.c
Genezareth lacus mare dicitur. 194.d
Genezareth stagnum vbi situm. 315.c.782.d
Genethliaci confutantur. 1593.b
Gennadius auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus. 420.b
Genimen vitis quid appellet Christus. 605.a.607.a
Gentes omnes in iudicio congregandæ. 536. b. c. remotæ insularum nomine intelliguntur. 265.c
Gentes dispersionem vocabant Iudæi. 1397.a
Gentes ad quas Christus non venit, an peccatum habuerint. 1840.c
Gentibus dabitur regnum Dei. 461.b. quare traditus Christus. 439.d
Gentiles canes. 333.d. Gentiles, omnes Græci dicti. 332.c
Gentiles natutæ legem non seruarunt. 462.b
Gentiles per alterum filium designati. ibidem
Gentiles spurij Dei filij. 145.b
Gentiles vrbes Tyrus & Sidon. 311.b
Gentiles Iudæis peccatores appellati. 1214.b. ab ingressu templi prohibebantur. 1743.d. illorum domos ingredi illicitum Iudæis. 1214.a
Gentiles in filios Dei adoptati. 1310.d. ad Christum accedere cupiunt. 1744.d
Gentilium vocationis mysterium. 1812.c
Gentilium ciuitates an adierit Christus. 331.b.& 797.c
Gentilium fides maior quàm Iudæorum. 335. c. obiectio refellitur. 166.a. in viam ire vetat. 236.c. vocatio. 74.c
Genus fœmininum pro neutro Hebræis. 467.c
Genu flexo orabant Iudæi. 141.b
Genuum flexio inter orandum. 1206.c
Gerasenorum regio vltra lacum. 320.b
Gethsemani vallis pinguis. 610.b
Gignere in scriptura dicuntur ani nepotes. 20.a
Gladius dolotis in prophetia Simeonis quid. 987.a.& 988.c
Gladium mittere venit Christus. 246.c
Gladio peribunt, qui gladium accipiunt. 621.c
Gladij Apostolici in passione Christi quales fuerint. 1233.c.& 1234.a
Gloria cælestis per coniuiuium designatur. 472.d
Gloria Dei, miraculorum gloria. 373.b
Gloria Dei, regula fugæ. 243.c
Gloria in excelsis Deo, vbi primum ab Angelis decantatum. 962.d. explicatur. 967.d. 968. 969. qui in eo dicantur homines bonæ voluntatis. 969.d
Gloria Dei & hominum inter se pugnant. 1497.b
Gloriæ sedes. 535.e
Gloriæ humanæ studium fidei & respiscentiæ est impedimento. 1497.c
Gloriam da Deo, idest verum fatere. 682.c. 1196.a
Gloriam suam quam vocet Christus. 1708.d
Glorificatio Christi quid. 1601.c
Glorificatio filij hominis quid significet. 1745.d
Golgotha Caluariæ locus. 654.d.e
Gomorrhæis tolerabilius erit. 241.a
Gorgonia Eucharistiæ tactu sanatur. 320.d
Grabatus quid. 1470.c
Græcæ lectioni anteferrut Latina. 237.b
Græcus Matthæi interpres citat LXX. 286.c
Græcus articulus sæpè ponitur otiosè apud Ioannem. 1602.e
Græci comparatiuis pro superlatiuis vsi. 293.a
Græci dominicæ orationi addiderunt. 151.c
Græcorum opinio de anticipatione Paschæ. 545.d
Græcis libris emendatiores Latini. 363.a
Græcismus. 906.d. 933.c. 944.c.d. 947.c. 948.a
Grani sinapis parabola. 232.c
Grani in terram casui similis Christi aduentus. 1746.a

Gratia bene vtendi maior datur. 284. e. 534. c. contempta mali pessimi fiunt. 276.d
Gratia Dei regnum Dei. 159.c. vita æterna. ibid. cum ea Dei mandata seruantur. 112.c. dum otiosa est, amittitur. 544.b. gratum faciens præcipuum donum Dei. 529.d
Gratia in Euangelio non retributio. 131. d.e. necessaria ad debitur omnibus. 263.b. non est sacramentis alligata. 816.a. nouitas est. 212, e. quibusdam auferrur. 534.c
Gratia pro cumulata mercede & cotollatio. 1191. c. 1192. d. 1193. c
Gratia dicta aqua viua, & quam ob causam. 1428.a.b
Gratia plenum esse plus est quam plenum Spiritu sancto. 901. c.d
Gratia & Spiritus sancti plenitudo in Christo & sanctis longè diuersa. 1321.c
Gratiæ accessionem metemur. 521.b
Gratiæ affluentia per coniuiuium designatur. 472.d
Gratiæ plenitudo in Maria quæ. 902.a
Gratiæ seruit natura. 1270.b
Gratiæ & legis antirhesis. 1328.c
Gratiæ Dei respondendum quid sit. 1215. d. potest homo sese aliquo modo ad gratiam disponere. ibid. c. ei recipiendæ multum valet nostra diligentia. 1467.a
Gratiæ Dei voluntas nostra adiungi debet vt iustificemur. 1469. c
Gratiam qui habet, certus non est se habere. 410.e
Gratiam apud aliquem inuenire non vno sensu in scriptura dicitur. 906.a
cum diuina Gratia iustificationem nostram operamur. 1508.c. an sine illa aliquid boni possimus. 1825.a
Gratiatum actio Iudæorum quibus verbis. 607.c.d
Gratias agere num idem & benedicere. 512.b. 579.c
Gratis accepta danda gratis. 237.c
Grauia onera Scribarum. 488.a
Gregorius Taumaturgus montes transtulit. 373.b
Grex pusillus dicti à Christo discipuli, & qua ex causa. 1106.c

H

HAbenti dabitur & abundabit. 285.a. 534.d
Habitare pro sedere. 293.d
Hæreditas beata vita. 24.c. cur dicatur beata vita. 539. b. quomodo sit vita æterna. 538.c
Hæreditatis diuidendæ ratio apud Romanos. 1080.a.b
Hæreditare non datur regnum cœlorum. 258.a
Hæresis fulguri similis. 512.c. inter duas veritates. 71.d. in angulo, Ecclesia per orbem. 292.d
Hæretica vxor dimittenda est. 127.a
Hæretici cuiusdam absurda expositio. 420.c
Hæretici alij alia Euangelia admittebant. 4. b. aduentatij Ioannis Baptistæ. 252.d. asini sepultura digni. 307.c. contrarij inter se in Ecclesiam conspirant. 337.b.c. cimicibus similes. 110.d. de baptismi materia. 722.c.d
Hæretici Dei voluntatem causam reprobationis dicunt. 265. b. falsi prophetæ. 171.d. legentes Patres musceis similes. 278. a. non missi docent. 721.c. nec cùm vera dicunt audiendi. 339.e
Hæretici omnium maximè Lutherani & Caluinistæ. 291.e. pro arbitrio scripturas admittunt. 4. b. paupertatis hostes. 191.a. ita sunt docti vt iusti. 204.b
Hæretici suos ministros Ioanne maiores dicunt. 256.b. Sadducæis similes. 71.e.de Ioanne Baptistâ malè sentiunt. 254.e
Hæretici in Mariam quantum ab Angelo eam salutante diuersi. 900.c. 901.a. non modo sanctis, sed Christo etiam quantum possunt, detrahunt. 992. a. puniendi etiam igne. 1060.e. similes Pharisæis. 1129.c
Hæretici vulpibus & Herodi similes. 1130. b. quomodo coarguendi. 1136.a. omnes superbi maximèque Caluiniani. 1284. c. curiosi. 1338.a. eorum cæcitas eiusque causa. 1271.c. hæreticis omnibus suæ quædam preces. 1084. d. ab hæreticis miracula iure petimus. 1371. d. c. sibi non constant. 1385. a. iure maiore in odio apud Catholicos quam Gentiles. 1426.b.c
Hæretici Gentilibus & Mahumetanis periculosiores. 1427. a. toti in sensibus defixi. 1428. e. Samaritanis arrogantiores. 1429.b. sancta irridere soliti. 1431.d. Ecclesiæ doctrinam dum oppugnant illustrantes. 1472.a
Hæretici scripturis gloriantes in veros eius sensus ingredi non possunt. 1495.d. multi gloriæ & gratiæ humanæ studio in hæresi pertinaciter manent. 1497.b. scripturam suis affectibus seruire cogunt. 1755.b
Hæretici nostri temporis Manichæi sunt. 1825.a
Hæretici nostri temporis refelluntur in dogmatibus de gratiæ plenitudine in Maria virgine. 901.b.c.d. quam Euæ æquant. 903.c.de voto virginitatis & coniugio eiusdē. 911.d. c. 911.a. titulo Reginæ mundi Mariæ tributo. 920.a. de absolutione peccatorū à sacerdotibus in sacramento pœnitentiæ. 1047. b.c. de fide sola iustificante. ibid. c.d.e. 1048.a.b. 1049.a.b. 1311.b.c. 1314.c. 1397. 1398. 1399. 1400. totis. 1511.e.de iustificatione. 1169. a.b. de libertate arbitrij in iustificatione. 1312. d.de iustitia impuratiua. 1341.b.de libero arbitrio. 1145.c.d. quod etiam Christo tollunt. 998.d. tollunt peccatorū. 1526. d. de Monachorum vita. 1078.b.c. de meritis & præsdestinatione. 1107.b.de timore seruili. 1149.a. de meritis & suffragijs sanctorum. 1165. c. & 1567. b. de purgatorio. 1185.a.de scripturarum facilitate. 1261. de licentia earum legendarum. 1185.a.de sola earum auctoritate in rebus fidei. 1184.d.e.de traditionibus. 1414.d.de adoratione Dei sola fide. 1438.e.de sanctorum intercessione & suffragijs. 1567.a.b. c.d.de fascijs, Christique infantia. 959. e. 960.a.de salutata Maria ab Angelo non in penetra-) 899. d.e. in expositione & versione scripturæ. 900.c.d.e. 903.b.c.d. 998.d. 1039.c. 1047. c. 1253.c. 1384.c. 1413.c.d. 1434.a. 1525.b.de morte Christi. 1883. e. 1886.a.b.c. de traditionibus. 1834.c. 1857.d.e
Hæreticorum alchymia noua. 71.c. concordia in Ecclesiam. 479.c. interpretatio refutatur de domo Petri. 191.d. pessimi Apostatæ. 276.e. puerilis error. 25.c
Hæreticos puniendos esse. 2 [illegible]
cum Hæreticis quomodo conuersandum. 181.c
Hagiographi libri apud Hæbræos qui. 1160.d
Hebræi quod affirmatione dixerunt, negatione repetere solent. 1296.a. 1335.a. 1482. b. ventrem infimam hominis partem appellant. 1599.d. hominem pro quodam dicere solent. 1603.b. 1605. b
Hebraicè an Syriacè scripserit Matthæus. 765.c
Hebraicum Euangelium à Munstero editum. 7. c. 155. b. Nuperum suspectum. 264.c. Hebraicas voces [illegible]etes cur aliquando non vertant. 122.b
Hebraismus. 887.c. 905.a. 906.a. 907.d. 915.e. 918.c. 925.a. 927.a.c. 929.b. 930.a.d. 931.b.c. 932.c. 937.a. 938.b. 939.c.e. 940.d. 941.b. 942.a. 943.b. 946.c. 947.d.e. 948.a.d. 949.a.c. 957.e. 964.c. 971. b. 979.c. 981.b. 990.b. 991.c. 1005.d. 1006. b. 1021.d. e. 1022.a. 1028.c.d. 1029.b. 1036.c. 1037.e. 1038.a. 1058.b.c. 1067.c. 1105. b. 1125.b. 1141.d.e. 1150.d. 1163.a.c. 1206.d. 1208.b. 1209.c. 1217. d. 1232.a. 1254.c. 1262.b. 1264.d.e. 1306.d. 1313.a. 1341.c.d. 1380. a. 1382.a. 1401.c. 1403.b. 1424.b.d. 1435.c. 1448.a. 1458.a. 1470.a. 1521.c. 1528.d. 1538.b. 1547.c. 1552.c. 1554.c. 1555.d. 1562.c. 1602.b
Herbam producere semen quid significet. 775.d
Hermiæ hæresis de baptismo. 722.d
Herodes Antipas filius eius, qui Innocentes occidit. 303.a
Herodes quot annos regnauit. 57.a. quando infantes occiderit. 59.d. quot liberos susceperit. 62.b
Herodes Politicorum princeps. 340.c. 438.b.c. serius audiuit de Christo. 302.a. Tetrarcha Rex dictus. 47.b. hæredes tres in nouo testamento. 45.b
Herodes Magnus Antipatri filius. 876.c. hæreticorum typus. 1130. b
Herodem cur fugerit Christus. 308.d
Herodias Aretæ filia non fuit. 305.b. cuius vxor fuerit. 304.c
Herodiadis filia Salomé. 306.c
Herodiani, & aliæ sectæ Iudæorum contra Christum conueniunt. 479.c. quinam essent. 478.a. quam sectam constituerint. 340.b
Hesychij loeus ex Catena Græca. 1759.c
Hieronymus noui testamenti editionem correxit. 140.c
Hieronymi non est opus in Marcum. 563 c. nec in epistolas. 383.c
Hieronymo falsò ascriptus liber de ditu B. Virginis. 26.c
Hierosolyma ciuitas magni regis. 129.c
Hierosolymitana vastatio figura finis mundi. 511.b
Hierusalem cur sancta. 682.a
Hierusalem vastatio & finis mundi simul. 504.d
Hilarius in plerisque Græcos imitatur. 277.b
Hilarij locus de passione cautè legendus. 365.c
Hincmari liber contra Prædestinatianos ex manuscripto citatus. 1886.a
Hodie & cras & dies tertia in scriptura quid. 1130.d. 1130.a
Homo rex, idest rex quidam. 394.a
Homo dicitur interdum hostia viuens, lapis viuus & quo sensu. 1428.a
Homines dicunt, idest vulgus. 542.a
Homines, idest vulgus. 195.b. 110.b
Homines, idest mundani. 242.b
Homines omnes nati mulierum. 256.b
Homines dicti tertena appetentes. 2101.a
Hominum gloria quomodo sectanda. 112.c
Homicida ab initio Diabolus. 1640.c
Honor Dei regula vtilitatis nostræ. 144.a
Honor religionis alijs præter Deum. 229.d
Honor sepulturæ Christi exhibitus. 686.c
Honorare idem quod alere. 323.a
Hora nona prandium vererum. 566.a
Hora nouissima, finis mundi. 435.b. 1483.b
Hora qua crucifixus Christus. 665.d
Hora pro tempore opportuno posita, etsi longo. 1435.c. 1483.b. 1593.a. 1869.c
Horam Hebræi breuissimum spatium temporis. 65.c
Horæ diei duodecim æquales apud Iudæos. 455.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Horæ canonicæ. 1208.c
Horas duodecim dies habet. 435.d
Horis sex fuit in Cruce Christus. 667.c
Hosanna quid significet. 455.a
Hospitium non mutandum. 239.c
Humana fides seruanda. 492.c
Humanæ non sunt Ecclesiasticæ traditiones. 327.a
Humano more loquitur Christus. 235.b
Humilis corde Christus. 266.c
Humilitas Deo quantum placeat. 814.c
Humilitas tribus modis in scriptura accipitur. 928.a
Humilitas virtus. 1028. 1194.b.1206.b.1207.d. 1208.b. 1209.b. 1391.c. 1467.c
Humilitatem docet Christus. 381.c
Humilitate maior sit, qui auctoritate. 814.b
Humiles Deus exaltat. 1480.c
Hydriæ quid. 1365.a.b.1459.c
Hyeme ne fuga fiat. 510.c
Hymni quibus propriè de rebus. 931.b
Hyperbole in prouerbijs. 423.a.b
Hyperbolicæ sunt locutiones prouerbiales. 575.c
Hypocrisis. 1203.b
Hypocritæ Pharisæi. 478.b. cur ita dicti. 325.c. Caluinistæ sunt hypocritæ. 538.b
Hyssopus animum reddit exanimatis. 674.c
Hyssopus pro minima herba. 674.a.b

I

Iacob primogenituram qua ratione obtinuerit. 15.d.e
Iacob puteus. 1423.c. fons appellatus. 1424.a. domus Iacob in qua regnaturus dicitur Christus quid sit. 910.a.b
Iacobus maior Zebedæi filius. 235.d. in transfiguratione. 262.a
Iacobi Euangelium apocryphum. 899.d
Iacobo & Ioanni vitiosè præpositus Philippus. 235.a
Idiomatum communicatio in mysterio incarnationis. 1316.c. 1395. c. 1396.a
Idumæi hostes Iudæorum. 758.a
Iechonias cur sterilis dictus à Ieremia. 23.b
Iechoniæ fratres cur nominentur. 23.c
Ieiunabant Ioannis discipuli, non Christi. 751.d
Ieiunans caput quomodo ungat. 154.a
Ieiunium quadragesimæ defenditur. 89. c. Iudæorum quale fuerit. ibid. b. olim feria quarta. 566. d. nuptijs non conuenit. 211.a
Ieiunium an sigillum sit Euangelij. 90.c
Ieiunium magno in pretio Pharisæis. 1208. a. etiam religionis cultus est. 991.a
Ieiunio dæmones quidam expelluntur. 373.d
Ieiunia discipulorum Ioannis voluntaria. 213.b
Ieiunia Caluinistarum præludia belli. 328.b
Ieiunia meritoria apud Deum. 890.d
Ieiunum communicare traditio apostolica. 579.c
Ieremias an Zachariæ loco citatus. 643.b
Ieremiæ liber apocryphus. 642.c
Ieremiæ lamentationes qua occasione. 20.b
Ierosolyma quo sensu interdum à Iudæa distinguatur. 1404.c
Ierosolymitanum excidium quæ præcedent. 505.c
Ierosolymitani scribæ arrogantissimi. 321.a
Ierusalem sancta cur dicta. 682.a. in edito loco sita. 439.a
Ierusalem excidium sub Tito. 653.d
Iesus seruatorem sonat. 13. a. de nomine Iesu & eius etymologia. 38.c
Iesus magnus ab Angelo appellatus. 907. b. c. vix quæritur propter Iesum. 1507.c
Ignis spiritus sanctus. 79.c
Ignis inferni verus non metaphoricus. 540.d
diabolo paratus. 540. e. lucidus non est. 189.d. non extinguitur. 819.c
Ignis inferni corporeus est. 1177.a. & 1414. d. eo animæ torquentur. 1180.c. eodem res aduersæ designantur. 1114.b
Igni quæ res soleant comparari. 371.c
Illuxerit sabbathum, idest appropinquat. 695.b
Imago Dei in hominibus duplex. 1145.d.e
de Imaginum venetatione. 592.c
Imitari Christum arrogantia non est. 90.a
Immortalitas animarum & resurrectio coniunctæ. 481.d
Immundi spiritus dæmones. 233.e
Imperatiuum verbum pro futuro. 240.c.286.a
Imperare & increpare comminari significat. 370.d
Imperatores principum humeris gestari. 536.a
Imperfectum pro perfecto Græca phrasi. 768.a
Imperfecti operis auctor Arianus. 186.b
Impij longè à Deo. 1144.d.e
Implere mensuram patrum. 494.b
Impleti prophetiam quid sit. 58.a
Implicita fides apud hæreticos nulla. 203.c
Impotentia alia naturalis, alia moralis. 912. b. moralis item duplex. ibidem
Impudicæ mulieres peccatrices appellari solitæ. 1041.a
In pro *cum* sumitur Hebr. 358.c.1756.b. pro *per*. 282.a
pro *propter*. 142.c
In ianuis est, idest ante pedes. 516.a.
In Iudam intrasse Satanam quid sit. 567.d
In spiritu immundo homo, idest habens spiritum. 741.c
In doctrina mirari, pro, doctrinam mirari. 785.d
Incarnationis Christi summaria doctrina. 1316. d. e. 1317.a.b. circa eam aliquot hæreticorum errores. 1315. b. c.d. exemplum duarum naturarum & vnius personæ Christi in verbo nostro vocali. 1317. b.c. verbum quomodo caro factum. ibid. b. vna Christi persona, naturæ duæ. 1396. a. Christus non venturus si homines non peccassent. 1401.b
Incensum in sanctis sanctorum. 884.b
Incensi altare. ibid. & 886.b.d
Inconstantia propositi in ijs, qui maximè feruentes videbantur. 1491.c.1492.a
Inconstantis animi indicium. ibid.
Increduli factis conuincendi. 252.c
Incredulitate sapientiam metiuntur Caluinistæ. 338.b
Increpari possunt etiam vacantes culpa. 1060.c
Indignis Euangelium non prædicandum. 167.a
Indignos miraculis priuabat Christus. 786.d
Inducere in tentationem quid sit. 152.a
Inducere apud Hebræos quid significet. 1264.c
Indurare homines quomodo dicatur Deus. 1761.b.c
Infantes ad Christum per Baptismum accedunt ab eoque illuminantur. 1306.a
Infantes non baptizati ad sinistram erunt. 537.c
Infantes baptizandos improbant Caluinistæ. 413.a
Infantium non baptizatorum pœna. 1387.b.c
de Infantia Saluatoris liber apocryphus. 58.a
Infernus quibus vocibus designetur. 123.b. cor terræ. 274.b
inferni pœnæ æternæ sunt. 396.a. inæquales. 241.b
Inferi portæ potentia Diaboli. 347.a
Inferorum certa supplicia. 1182.c. ignis qualis. 1177.a. 1414.d
Infideles an miracula faciant. 177.d. canes in scriptura. 166.d
Infideles ipsi non viuunt sine fide. 1499.b
qui Christo non credunt, quia nullam de eo notitiam habuerunt, ex cusari videntur. 1518.d
Ingeniti & geniti nomina contra Arianos. 1698.d
Ingratitudo. 1196.b
Ingredi & egredi idest versari. 1683.c
Inimici quomodo diligendi. 134.c
Inimicitias immortales ne getant. 153.c
Initium in scriptura quid significare soleat. 1283.d. appellatur in scriptura mundi origo. 1640.b
Iniuria quomodo remittenda. 393.d
Iniuria remissa damnum repetitur. 151.c.d
Iniuriæ quales remittendæ. 151.b
Innocentes verè martyres. 61.c
Innocentes quando occiderit Herodes. 59.d
Inspirationes bonæ Angeli sunt. 970.b
ijs seluló respondendum. 1213.c
Institutionis bonæ à puritia vtilitas. 1148.c
Insulæ, idest gentes remotæ. 265.c
Insufflarit-ne in Apostolos Christus. 1978.d.e
Intelligere, curare, fouere. 288.a
Interpres Matthæi Græcus sequitur LXX. 286.c
Interpretationes nominum in scriptura an ab auctore. 8.d
Intueri & videre diuersa sunt. 339.c
Inuenire animam suam. 247.c
Inuidi bonos quos oppugnant, illustrant. 1472.a
Inuidiam inclinat Pharisæorum Christus. 782.a
Inuisibilem se fecit Christus. 1653.d.1932.c
Ioannes cur in deserto. 67. e. ad 30. annos. 68. b. an Christum cognouerit ante baptismum. 80.c.à Christo baptizatus fuit. 81.b. an de Christo dubiter. 141.a. Ioannis vestis cilicium. 70. b.d. scipuli cur ieiunarent. 211.c. ieiunabant. 753.d. de Christo dubitant. 251. c. officium erat à lege reuocare. 739. d. baptismus an diuersus à Christi baptismo. 77. a. mors vindicata bellis & cladibus. 304.c. quando acciderit. 303. a. eam qui nunciarint Christo. 792. c. Ioannes quomodo maior inter natos mulierum. 254. a. quomodo propheta. 253.d. quomodo Elias sit. 259.d. inter sanctos veteris testamenti. 259. a. lamentatus est, Christus cecinit. 261.a
Ioannes Baptista celebratus à Luca initio Euangelij, & quam ob causam. 876.c.877.a. cur eius parentes. 877.a. & 878.a. eius ambo parentes ex sacerdotali genere. 877. d. e. cur etiam mater eiusque nobilitas indicata. 878.a.b. laudantur à motibus. 878.d. quo tempore prædicare cœperit. 1002.b. eius prædicationis fructus. 1008.a. Messias esse non poterat. 1011. b. Maior cæteris hominibus, minor Christo. 1302.c. quomodo propheta, quomodo minimè. 1337.a. eius humilitas. ibid. b. Lucifer ante Christum solem. 1302. b. c. 1410. b. φωσφόρος. 1401.a. quare dictus lucerna ardens & lucens. 1491.c.1492.a. ei nomen diuinitus impositum. 889.a. ab euentu nomen accepit. 937.c. idem vox rectè appellatus. 939.a.

linguam

linguam patris soluit. 939. b. & 940.b. certam orandi formulam discipulis suis præscripsit. 1084.a.b. eius exultatio, & rationis vsus in vtero. 923. b. vita. 940.d.e. in eo spiritus, & virtus Eliæ. 891.b.c.d. natiuitas eius Catholicis religiose læta est. 889.d.c.890.a
Ioannes Euangelista quando scripserit Euangelium. 7.b. cur scripserit. 11.a. an mortuus sit. 359.c.1960.d.e
Ioannes Euangelista solus Christum verbum vocat. 873.d. præcipuus inter Euangelistas. 1270.c. patre Zebedæo natus. ibid. matre Salome. 1272. a. patria Bethsaida. c. frater Iacobi maioris. ibid. b. scripsit quartum Euangelium. 1270.c. & 1271.a. iuuenis admodum à Christo vocatus. 1272. c. Virgo permansit. 1273. a. singulariter à Christo dilectus. 1272. c. non videtur esse is, qui in nuptijs in Cana Galilææ sponsus fuit. 1272. c. d. e. vixit vsque ad 68. annum post Christi passionem. ibid. c. Asiam in prouinciarum sortitione prouinciam accepit. 1273. b. Ephesiorum Episcopus. ibid. relegatus in Pathmos, & quo tempore. ibid. c. scripsit Euangelium post alios Euangelistas, & tres epistolas. c. illæsus ex vase feruentis olei pleno exijt. 1273. c. arte piscator. 1272. b. contra Ebionem, & Cerinthum Euangelium scripsit. 1274.b
Ioannis exordium Euangelicum in Platonicorum libris. 1274.c. quanti illud Christiani facerent & quare. 1275. a. cur peractis sacris recitari soleat in Ecclesia. ibid.b
Ioannes maximè omnium Euangelistarum Hebraismus delectatus. 152.c
Iob amici reges appellati. 47.c
Ionæ prophetæ signum. 273.d
trans Iordanem regio quæ dicatur. 738.c. terra quæ sit. 96.d
Iose appellabatur Iacobi frater. 683.d
Ioseph decutio nobilis. 683.d
Ioseph quot argenteis venditus. 567.c
Ioseph Iacob an Heli filius naturalis. 26.c
Ioseph & Maria ex eadem tribu. 24.b
ad Ioseph non ad Mariam Dei mandata mittuntur. 216. d. cur genealogia Christi deducta. 25.a
Ioseph dormienti cur angelus apparuerit. 38. a. de craftino sollicitus. 161.b. faber lignarius. 299.c
Ioseph pater Christi in scriptura appellatur, & quam ob causam. 980.c.& 983.d.& 1351. quando mortuus. 1359.c.d
Iosephus Gorionis f. fabulosus. 342.b
Iosephus sæpè oblitione labitur. 505.a
Iosephi lapsus de Herodiade. ibidem
Iota littera minima. 115.a
Iouinianus Caluini parens. 411.e
Iouiniani error hominem post acceptam Baptismi gratiam peccare non posse refellitur. 1473.c
Ira Dei terræ motu significatur. 678.c
Ira ventura damnatio est æterna. 74.b
Iræ Dei signum solis obscuratio. 669.b
Iræ inimicorum cedendum exemplo Christi. 1422.c
Iram quamnam vetuerit Christus. 121.b
Irati sunt & viri sancti. 120.c
Irenæi de Christi ætate opinio. 1652.a
Isaias sublimis & eminens inter prophetas. 1270.b. quomodo gloriam Dei vidit. 1761.a
Isaiæ verba quæ nec Hebraicè, nec apud LXX. 264.b
Iscariotes Iudas cur dicatur. 236.b.567.c
Ita adhibitum in repetitionibus. 265.b
Iter sabbathi mille passus. 451.b
Iubilæi annus. 1020.c
Iudæa quæ regio dicta. 41.a. eius fines vltra Iordanem. 825.a. prouincia Romanorum. 638.d. quid eius nomine intelligatur, & quid Iudæ. 44.a
Iudæa prouincia Syriæ fuit. 956. b. tota dicta patria Christi. 1454.a
Iudæus fuit Simon Cyrenæus. 652.d
Iudæum fieri quemquam non prohibebant Romani. 1744.c
Iudæi oues, Gentiles canes. 333. d. filij sapientiæ. 262.b. duos continuos festos dies non habuerunt. 554.d. vitos solos numerant. 514. c. quo die Pascha comederint. 548.b. vnde dies inciperent. 547. b. templum ingressuri calceos ponunt. 76.c. inuitati venire noluerunt. 472.c.473.d
Iudæi Christum cur persequerentur. 1474.c.1475.d.1496.c.1497. d. tria Iudæis creditu difficillima. 1486. c. qui eos corrigat Christus. ibid. b. c. aliquando principes, aliquando plebeij dicuntur. 1631.c. gentes dispersionem vocabant. 1597.a. nihil terra sublimius cogitabant. ibid. b. Christum simulare ob gloriam Dei, re autem vera humanæ gloriæ studio persequebantur. 1496.c. 1497.c.d. soliti falsos potius, quam veros prophetas recipere. 1406.c. in miraculis non quod spirituale, sed quod carnale erat quærebant. 1507.c. hæreditaria illius murmuratio. 1523. c. Samaritanorum & Gentilium consuetudine non vtebantur. 1416. a. abhorrebant à communicatione cibi, & potus cum ijsdem. ibid. c. cur maiorem eis Deus sui cognitionem dedisset, quam vlli alteri genti. 1438. b
Iudæorum lotiones frequentes. 322. a. traditiones. 797.c
Iudæorum ieiunium quale fuerit. 89. b. gratiarum actio post cibum. 607.d
Iudæorum sectæ tres. 892.d. mos in calumniando. 1726.c. mendacium se liberos dicentium. 1633.b
Iudæorum nomine Pharisæi, & alij principes significantur. 1581. c
Iudæorum dies à primo vespere ad alterum. 1770.b
Iudæis tribunalia fuerunt tria. 120.b. lex quid profuerit. 75.c
pro Iudæis solis se venisse ait Christus. 333.c
Iudæis an licuerit reos necare. 638.a
Iudæis naturalis cognitio ablata. 284.d
quomodo permissum vxores dimittere. 402.b
Iudæos accusabit Moyses. 426.b
Iudæos non esse filios Abrahæ probat Christus. 1635.b
Iudas trinomius. 235. c. Thadæus. ibidem
Iudas auaritissimus & fur. 561.b
Iudas veri veteri similis. 214. b. miracula fecit. 177.c. an Eucharistiam perceperit. 571.d. an proditor à Deo factus. 576. c. ex qua suspensus arbore. 640. c. an Christum tradendo peccarit. 576.b. quomodo iudicatus à Christo. 574.b.ad mortem Christum non tradidit. 639.c
Iudas cum à Christo electus est, bonus fuit. 1568.c.1614.c. post vendidum Christum saluus esse potuit. 1889.c.d. filius perditionis cur dictus. ibid. c. verus Apostolus erat etiam cum bonus esse desijt, vsque dum Christum proditurus decessit. 1569. b. diabolus cur à Christo appellatus. ibid. c. & 1570.a.b
Iudæ traditio opus Dei Caluinistis. 568.a. pœnitentia cualis. 639.c
Iudæ traditionem Caluinistæ Deo attribuunt. 576.a. prædicationem qui laudabant. 383.c
Iudæ quàdo tradita sit buccella. 572.d. cur corpus suum Christus dederit. 167.d. melius fuisset natum non esse. 575.c
à Iuda venditio quando facta. 566.d
Iudicare secundum faciem quid sit. 1589.d.e
Iudicare idem valet, quod testari. 1619.d. quod condemnare. 1401.e.1482.a
Iudicandi potestas filij Dei à Patre data quando, & quomodo. 1480.b.c
Iudicandi omnes homines. 1402.a
Iudices ordinarij apud Iudæos. 468.e
Iudicum potestas defenditur. 620.c
Iudicium comparationis. 192.b.426.a
Iudicium in bonam & malam partem. 1751.a.b
Iudicium Dei eius prouidentia. 1673.d
Iudicium exercebant in synagogis Iudæi. 391.c
Iudicij dies an dæmoni notus. 197.c
Iudicij diem an Christus ignoratit. 516.d
Iudicij dies Christum verum Deum esse ostendet. 1356.c
Iudicij diuini, & humani diuersitas. 1169.e
Iudicio comparationis Niniuitæ iudicati. 275.c
Iudicio reum esse quid sit. 120.d.121.c
Iugum Domini suaue. 267.a
Iulianus apostata Iudæis concedit, vt templum instaurent. 503.d. refutatur. 59.a
Iurandum non est sine necessitate. 128.c
Iurare in templo quid sit. 492.a. Christianis an liceat. 128.a
Iurata contra fas seruabant Iudæi. 307.b
Iustificandi summa apud Iudæos religio. 307.b
Ius suum persequi licet apud iudicem. 131.b.c
Iustificandi verbum quid significet. 1169.c.1209.c
Iustificandi verbum vario sensu in scriptura ponitur. 1039.c
Iustificaberis ex verbis tuis. 272.c
an Iustificemur ex operibus. 175.a
Iustificare hominem quàm difficile. 205.d
Iustificari hominem operibus. 266.c
Iustificari alijs verbis dicitur nasci ex Deo, nasci animo. 1114. c
Iustificata à filijs sapientia. 261.d
Iustificatio non ex sola fide. 1047. d. 1314. c.d. 1198.a.b.c.d.e. 1400. 1401. toris. interna & vera. 1169. d. ipsius initium ex Deo est. 1418.a.b
Iustificatio quomodo fidei tribuatur. 1825.b. cur 1049. a. quid nos ad eam conferamus. 1825.c.d
ad Iustificationem opus est voluntate nostra cum gratia Dei. 1469.c
de Iustificatione contra Caluinistas agitur. 179.c
Iustificationes quomodo distinguantur à mandatis. 879. d. 880.a
Iustificatus à peccato, idest liberatus. 262.a
Iustificati omnes per fidem in Christum. 209.c
Iustitia pro eleemosyna in scriptura. 138.b. quicquid iusti officio conuenit. 81.c
Iustitia Dei quærenda. 160.b
Iustitia obseruatio mandatorum. 117.a
Iustitia imputatiua Caluinistarum refellitur. 175.a.208.d.273.a.878.d.e
Iustitia non impeditur venialibus peccatis. 880.c
Iustitia Dei in peccatores non respicientes. 1123.a

Iustitiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iustitiæ via quid. 463.b
Iustitiam eiuciant quinam. 106.c
Iusti merces quæ. 247.c
Iustum esse ante Deum quid sit. 879.a
Iusti an vlli sint homines. 208.d
Iustificati filij Dei, natu maiores, peccatores, fideles tamen, filij natu minores. 1142.d.e
Iustos an vllos Christus inuenerit. 208.d
Iuuencus citatur. 60.c
Iuuenum specie cur appareant Angeli. 695.a

L

Lacrymæ peccatorum. 1041.c
Lactymas Christus cur effuderit. 1726.a
Lactymis nulla efficacior est oratio. 1723.d
Lacus maria appellantur. 194.d
Laicorum communio sub vna specie. 599.c
λαμβάνειν apud Septuaginta pro φέρειν. 191.c.192.a
Lamentauimus & non planxistis. 260.c
Lampas est fides. 523.b
Lampades suas ornant virgines. 525.c
Lapidabantur blasphemi. 627.d.e.1653.c
adulteri. 1611.e
Lapis angularis, & offensionis. 467.b. cur dicatur Christus. 766.c.d. duplex in monumento. 701.d. pretiosus. 467.b. sepulchri obsignatus. 690.b
Lapidem quem reprobauerunt, Hebraismus. 466.d
super lapidem cadere quid sit. 468.c.470.a
Lapides multi in Ecclesia. 345.c
Latina editio corrigenda. 140.c.438.a. Græcæ antefertur. 236.d. 363.a
Λαλεῖν in sacris literis vsus. 991.a
Latro vterque an maledixerit. 660.c.661.a
Latroni paradisum promittit Christus. 664.d
Latronum vestes an diuisæ sint. 657.d
Latrones inter duos cur Christus. 659.a
Latronibus an positi sint tituli. 658.a
Lauantur Pharisæi crebrius inter prandendum. 797.b
Laudem fugere docet Christus. 747.a
Laurentij ad Præsidem verba. 132.c
Lectos quosnam lauarent Iudæi. 797.d
Legis & Euangelij oppositio. 946.b.c.d. discrimen. 1329.b
Legisperiti quo sensu dicti à Christo clauem scientiæ tollere. 1096.b
Leones Samaritani dum timent, Deum colunt. 236.c
Leontij locus ex M.S. Vatic. 316.d
Leontij presbyteri testimonium ex ms. Catena Græca. 1392.c
Leprosus Christum adorabat. 182.d. mundatus ostendit se sacerdoti. 183.d. Simon à Christo curatus. 561.d
Leuitæ alij sacerdotes, alij administri. 877.b. soli de familia Aaron sacerdotes. ibid. horum ipsorum vigintiquatuor familiæ. ibid.c. vnicuique familiæ suus templo ministrandi ordo, ac tempus. ibid.c.d
Leuitica tribus Deo data. 426.c.& 427.a
Lex concupiscentiam prohibebat. 117.c
Lex & prophetæ, idest testamentum. 169.c.259.b.990.c.1700.b
Lex grauabat potius quàm leuabat. 266.d
Iudæis quid profuerit. 75.c. nomine circumcisionis designatur. 461.a. noua præstantior veteri. 257.c. pædagogus Iudæorum. 118.a. post Christi aduentum & iubet & iuuat. 113.c. quando fuerit abrogata. 114.c. verus vtres veteres. 212.d. vsque ad Ioannem Baptistam. 258.c
Lex Talionis naturalis. 131.a
Lex Dei impossibilis Caluino. 878.c. possibilis. ibidem. & 880.c
Legis ceremonias an abrogauit Christus. 487.d. Doctores Scribæ apud Iudæos. 494.c. quatuor partes. 114.b. veteris ieiunia. 213.a
Legisperiti apud Iudæos qui. 53.a
Legislatoris persona Patri tribuitur. 176.d
Legem an soluerit Christus. 112.e. Christus correxit. 117.e. nouam condit Christus. 118.c
Lege est Iesus Euangelium. 267.b
à Lege sensum suellebat Ioannes. 739.d
Legalia quænam dicantur. 416.a
Leui cognomen Matthæi. 207.d
Libellus repudij permissus à Moyse. 401.a. eius formula apud Iudæos. 403.b
Liber de infantia Saluatoris apocryphus. 58.a
Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus, prophetias designabat veteris testamenti. 1510.d
Liber vitæ, in quo homines duobus modis scribuntur. 1071.a
Libertas conscientiæ non permittenda. 292.a
Libertum arbitrium Caluinistæ tollunt. 174.d
Liberum arbitrium probatur. 154.b.174.c.761.c
Libertū arbitrium peccato non amittitur. 1145.c.d. contra Caluinum defenditur. 1631.c.1823.c. contra Manichæos. 1496.a.
in malum per se solum valet: in bonum non nisi gratia adiutum. 1524.c. eo in suscipienda fide opus. 1565.c
Ligat Paulus Satanæ tradendo. 549.c
Ligandi potestas in quo sita. 352.c
Lignarius faber Ioseph. 299.c
Lilia agri, & hortensia. 158.d
Linguarum in specie cur Spiritus sanctus. 83.d
Litteralem sensum quærit, non allegoricum Maldonatus. 621.c
Locum primum in regno Dei quis obtinebit. 814.a
Locustæ quod animalium genus. 70.c
Lotio pedum ante Eucharistiæ sumptionem. 1772.b
Lotiones Iudæorum frequentes. 522.a
Lucas præ cæteris ordinem seruat. 170.d
Lucas Antiochenus. 863.a. arte medicus. ibid. pictor. 864.a. elegantius Græcè scribit, quam reliqui. ibid. an Christi discipulus fuerit. ibid.b. Pauli comes. 865.b. num primus omnium scripserit. 872.b.à B. Virgine edoctus est. 871.c. scripsit Euangelium & Apostolorum acta. 865.c. vtrum vnus ex duobus Christi discipulis euntibus Emmauntem. 886.c. vbi mortuus. ibidem. qua ætate. ibid. cur in scribendo Euangelio præfatione vsus sit. 871.a. quo ordine in eo vsus. 874.c. cur historico stylo ab Ambrosio scripsisse dicatur. ibid.d. Theophilo certo homini Euangelium suum scripsit. 875.b. quæ fuerit eius rei causa. ibid.c. cur Euangelium, & acta eidem scribens tamen libris distinxerit. ibid.c. à templo & sacerdotio Euangelium exortus in templum desinit. 1267.c
Lucas præ cæteris ordinem seruat. 170.d
Lucerna sub modio. 111.d.768.b
Lucrum turpe à templo repellitur. 641.c
Ludit ambiguitate Christus. 358.d
Lugentur mortui adhibito ieiunio. 211.c
Lugere non possunt filij sponsi. 211.b. pro ieiunare positum. ibidem
Lugentes quinam beati sunt. 105.c
Lumen tuum tenebræ sunt. 155.a
in Lumine id est in publico. 245.c
Luna verè obscuranda in die iudicij. 513.d.e
Lunaticos cur faciat dæmon. 369.b
Luteriæ vir robustus sanguinem sudat. 615.b
Lutheranus castus monstrum. 409.c
Lutherani refelluntur. 1545.c.& 1546.c
Lutherani & Caluinistæ in Ecclesiam conspirant. 337.b. cilicium oderunt. 70.b. sunt maximè hæretici. 294.c. Sadducæis similes. 72.c. cœnam appellant Eucharistiam. 577.c
Lutheranorum errores, de Eucharistia. 584.d.e. de clauibus. 348.b. de diuortio. 403. de castitate. 409.c. de Purgatorio. 270.d. de meritis operum. 289.a. an iusti sint vlli. 208.d. vide & Caluinistarum errores cum istis communes.
Lux mundi Apostoli sunt. 110.d
Lux diuinitatem declarat. 1765.a. pro Deo. 1163.a
Lux Hebræis dicuntur omnes res prosperæ. 948.d
Lyrani sententia de sicli pretio. 375.b
Lysanias à Luca commemoratus quis, & vbi Tetrarcha fuerit. 1004.a

M

Macedoniani refelluntur. 1000.a.1193.d.c.1331.c.1806.e
Machabæorum libros reiiciunt Caluinistæ. 482.b
Machæruntina in arce Ioannes cæsus. 307.c
Magdalena vna tantùm fuit. 695.d. an sæpius vnxerit Christum. 560.c.d
Magdalena. 1053.a. dæmonia ex ea ejecta quid. ibid.a.b. an sæpius vnxerit Christum. 1454.d.e. an triplex. 1432.d.e
Magdalenæ an plures, siue quæ Christum vnxerint. 558.c
Magi Pharaonis an miracula fecerint. 177.b. qui fuerint. 44.d. an fuerint reges. 46.c. quod fuerint. 47.d. vnde venerint. ibid.e. quando venerint. 48.c
Magis melior, phrasis inusitatior. 262.c
Magister bonus Christus dicitur. 414.b
Magistri nomen auctoritatem Christi indicat. 569.d
Magistros vocare an liceat. 489.a
Magistratus siue Ecclesiastici, siue ciuiles non eo ipso priuantur officio, quòd peccatores sunt. 1569.c
Magnalia. 929.b
Magnificat, canticum Virginis, partim prophetia, partim hymnus. 926.c.928.c.929.a.931.b
Magnificandi verbum quid significet. 1785.c
Magnus valde, Hebraismus, idest maximus. 55.b
Maldonatus litteralem sensum, non allegorias quærit. 621.c. eius commentarij in Ieremiam. 60.a. in Ezechielem. 192.c. sententia de Conceptione Beatæ Virginis. 209.c
Maledictionis Deus auctor non est. 167.a.1414.c
Malè loqui de Christo quid sit. 817.d
Malitia diei sufficit. 161.a
Malus est diabolus, à quo liberati petimus. 152.c
Malus, idest diabolus. 130.c
Malus, malignus diabolus. 288.b

Malum qui petit, iniuriam Deo facit. 169.a
Malo resistendum non est. 131.c
Mali cur bonis ditiores. 1103.a
Malos malè perdet. 465.c
Mammon, non Mammona quid sit. 156.b.1164.c
Mammona iniquitatis. 1164.c
Mandata Dei seruanda. 416.c. non impossibilia. 170.c.483.a. primæ, & secundæ tabulæ. 417.a. paretum, & magistratuum, seruanda. 416.c
Mandata, & iustificationes quid differant. 879.c.& 880.a. sine caritate seruari nequeunt. 1806.a
Mandatorum obseruatio causa meritoria vitæ æternæ. 1767.c
Manichæi homines natura bonos, aut malos dicunt. 172.c. literum arbitrium negant. 659.d.e. refelluntur. 310.c.318.b. 1185.b.1188.d.1282.c.1295.c.d.e.1505.a.1308.c.1456.b.c.1496.a. eorum error de matrimonio. 409.b
Manichæorum, & Marcionistarum error refellitur de Deo veteris, & noui testamenti. 1450.c.1648.c
Mansiones in cœlo impares. 1796.a
Manus dextra quæ scandalizet. 125.b
cum Manus impositione oratio iungebatur. 413.b
Manus Christi eius potentia. 1696.a
Manus domini in scripturis quid significet. 940.a
Manu tener, quam suscitat, Christus. 217.c
Manus imponebat pueris Christus. 412.c. imponunt viri sancti. 798.c
Manus aqua abluere Iudæis ceremonia. 851.b
Manuum eleuatio in orando, sancta & solemnis ceremonia. 1265.d.e
Manibus impositis curat Christus. 787.a. 798.e. illoris manducant discipuli. 793.c
Marcion scriptura abutens refellitur. 1257.b
Marcionis baptismus damnatus. 723.b
Marcionistæ refutantur. 318.b.1089.b.1188.d.1574.d.1648.c
Marcus Alexandrinus Episcopus. 731.b. an pollicem sibi abscinderit. ibid.a. cuius filius fuerit. 729.c. Petri comes. 730.c. redegit Matthæum in compendium. 729.b. non seruat ordinem narrationis. 819.a. quo tempore mortuus. 731.c
Mare, sinus lacus. 1506.e
trans Mare quæ loca à Iudæis dicerentur. ibid.b
ad Mare cur tendat Christus. 751.d. cur doceret Christus. 767.a. Maria omnes aquarum congregationes. 97.a
Margaritas ne porcis obiiciamus. 166.c. quærit negotiator. 669.b
Maria Virgo concepta sine peccato. 209.c. omnium beatissima. 279.a. Virgo, vide & Beata virgo, eius virginitas à Zacharia defensa. 497.c
Maria & Ioseph ex eadem tribu. 24.b. cognata Elizabeth quomodo. 24.e. nupta an fuerit Ioseph, an desponsata tantùm. 32.c.d. cur desponsata fuerit. 31.c
Maria virgo domi in penetrali ab angelo salutata. 899.d. 910.b. plena gratia. 900.a. d. quomodo. 901.d. 902.a.d. eius, & Euæ antithesis. 903.c. maioris gratiæ fuit, quòd Deo grata, quàm quod Dei mater esset. 902.b.c. benedicta in mulieribus. 903.b.d. angelorum colloquijs assueta. 905.a.b. angelica in ea puritas, & quomodo. 905.d. eius humilitas. ibid. Lucam de multis docuit. 871.e. virgo manens peperit. 899.d.& 907.b. credidit angelo nuncianti. 911.a. virginitatem vouit. 912.c. quo tempore. ibid.d. 917.b. iure appellatur regina mundi. 920.a. eius obedientia, & humilitas. 919.d. prophetia. 926.c. ita vxor, vt & virgo. 958.c. non fuit ei prægnanti grauis vterus. 958.e. nec locum, nec diem sui partus ignorauit. 959.a. sine ruptura corporis, & sine dolore peperit. ibid.c. sine vlla obstetricis ope. ibid.d. eius paupertas. 960.a. Bethlehem pedes it, non asino vecta. 958.d. virgo post partum. 976.977. eius Christo patiente constantia, & fides. 987.o.988. quid fuerit gladius animam eius pertransiens. 988.c. eius pietas in adeundo templo. 993.c. modestia. 997.d. fides, & diligentia in obseruandis Christi mysterijs. 999.c. beatior, quòd mente quàm quòd corpore Christum concepererit. 1090.b.c. caritas. 1161.a. expers omnis culpæ. 1153.a.& 1362.b. simulatè à Christo reprehensa. 1163.b. mulier certa semper aliqua ratione ab eo interdum appellata. ibid.d. prophetieum spiritum habuit. 1365.a. Matriæ matri apparuit Christus. 717.c
Maria Cleophæ quænam. 683.d. soror B. Virginis. 277.c
Maria mater Iacobi, & Ioseph. 683.d. 687.b
Maria soror Lazari quæ fuerit. 559.c.1434.a.b
Martha maior natu Maria sorore sua. 1076.e
S. Martini ossa hæretici in flumen proiecerunt. 1891.a
Martyres fuerunt innocentes. 61.c
Martyres non dedere, sed accepere coronas. 1685.d. eorum sanguis semen est. 1068.a
Martyrum fructus centesimus. 476.a
Martyres etiam nomina filijs imponunt. 42.c
Matrimonium ex lege diuina, & naturali. 400.c. 1272.d. de mendacio error Cassiani. 1250.a
Matthæus an Syriacè scripserit. 210.b.735.b. quando. 7.a. prior Luca scripsit. 28.b. Thomæ se postponit. 235.c
Matthæi locus transpositus. 104.d. eius domus à telonio diuersa. 753.a
Maxillam percutienti cedendum. 132.a.c
Media nocte venit sponsus. 525.c
Medico sani non indigent. 753.c
Melle syluestri vescitur Ioannes. 72.a
Memoria an sint lapsi Euangelistæ. 53.c.643.a
Memoria lapsi veteres multi. 443.d
Mendacium emunt Scribæ. 716.b. militum coarguit Sedulius. ibid.d
Mendacio testimonium veritati dicere Christus non vult. 746.d
Mensa publicanorum. 207.b
Mensæ assederit-ne, an recubuerit Christus. 571.b.1447.c
Mensura eadem remetietur Deus. 165.c.771.d. qua remetitur nobis Deus, fides. 772.b
Mensuram patrum implere. 494.b
Merces beatorum inæqualis. 248.b. æterna non temporis, sed labori respondet. 433.a
Merces propriè vita æterna. 538.b.1412.d
Mercedis nomen merita operum confirmat. 248.b
Mercedem prophetæ accipere quid. 247.c
Mercenarius à pastore quid differat. 1687.c
Mercenarij in Ecclesia qui. 1149.c.d
Meretrices præcedunt Pharisæos. 462.c
Μέρος pars in sacris literis quid propriè significet. 1080.b
Meritum de congruo. 418.b
de Merito contra Caluinum. 519. 1188.c
Merita bonorum operum. 416.b.c. defenduntur. 288.c. ex mercedis nomine. 248.b. non semper in operibus. 537.c
Merita Sanctorum vtilia mortuis. 526.b
Merita & prædestinatio. 1107.b
Merita nostra. 1166.c. non semper in operibus sanctorum suffragia. ibid.
de Meritorum, & præmiorum inæqualitate. 432.a. doctrina confirmatur. 284.c
de Meritis operum. 428.c
Meritorius est cælibatus contra Caluinistas. 411.b
Meroë Saba meridionalis. 275.c
Messaliani hæretici, qui & Euchetæ, refelluntur. 1309.c
Messias, idest vnctus. 13.a
Messias propriè dictus Christus dominus. 580.a
Messiæ proprium epitheton fuit, qui venturus est, ὁ ἐρχόμενος. 1323.c.1503.a
Messiam Iudæi communi errore credebant fore Regem temporalem. 1100.c.1504.a.b
Messiam se esse mentiti sunt nonnulli sub Christi tempora. 1496.c
de Messia venturo loci illustriores in scriptura. 1551.a
Messis multa, operarij pauci. 230.b
Messis dominus quis. 231.a
Messis in Palæstina mense Majo. 1447.d
Metere in festo non licet. 260.b
Metis vbi non seminasti. 533.b
Metaphoricus non est ignis inferni. 540.d
Metathesis casus. 933.b.c.945.b
Μεθυποκρισις Pharisaica. 303.c
Μεθυποστασθαι solicitudine suspensum esse. 160.
Metreta quod genus mensuræ. 1363.d
Micæ de mensa, minuta miracula. 335.b
Militare Christiano homini licitum. 1011.b
Militum vitia. ibidem
Mille passus sabbathi iter. 451.b
Millenarij refutantur. 428.a
Minimum maximi maius maximo minimi. 257.b
Minister nullus eunuchus ob Euangelium. 411.a
Minoribus superamur, maioribus superatis. 318.c
Minuta duo continet quadrans. 124.d.578.c.833.d
Miraculum lacere non vult Christus. 215.c. euulgari iubet. 781.d. vulgati non vult. 217.c
Miraculum perpetuum Ioan. Baptista. 253.c
Miracula à non credentibus fiunt. 813.a. apud incredulos non facit Christus. 207.a
non potuit Christus facere in patria. 786.a. Christi in Ægypto. 57.d. factura orat. 890.c.d
Miracula cur virtutes dicantur. 785.d. sine necessitate non facit Deus. 30.c. nec Christus. 316.a.336.a. per malos an fieri possint. 177.b. qui volunt, sine miraculis credant. 207.b
Miracula præcedens fides plus meretur. 207.a. Caluinistæ fucum appellant. 317.b
Miracula apud incredulos non facit Christus. 1023.a. Nazareth nulla. ibid. multa cur præmiserit Ioannes. 1929.c. aliter Christus, aliter prophetæ & alij fecerunt. 1537.c.d. 1369.c. ea iure ab hæreticis petimus. 1171.d.e. eorum finis spectantium fides. 1023.b. 1570.b. eorum fides Caluinistica. 1242.c.in eis Christi diuinitas elucebat. 1383.a. in eis naturæ leges requirendæ non sunt. 1457.d. Deus agit cōtra omnem

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominum opinionem. 1466.d. in ijs contrarijs rebus vitur Christus. 1662.b
Miraculorum fides laudata. 203.b. potestas data Christianis quæ. 857.b. occasiones permittit Christus. 460.a. fides Calvinistica. 371.a
Miracula quæ requirantur. 786.b
Miraculis quomodo fides confirmetur. 178.a
Miraculis rusticani magis moti. 237.b
Misericordia. 1008.c.1036.c.1094.d.1095.d
Misericordia magna peccatores ad pœnitentiam vocare. 208.a. eleemotynam significat. 138.c. sacrificio antefertur. 208.a
Misericordes beati sunt. 107.c
Missa integra audienda. 607.c
Missi extraordinarie à Deo miracula facere solent. 1371.d. Christus à Patre quomodo missus. 1414.c.d. Prophetæ & Ioannes quomodo missi. ibid.
Mitis Christus & humilis corde. 266.b
Mires quinam sint. 104.d
Mittere in scriptura non expressa persona missa. 59.c
Mitti debent Doctores, & Pastores. 721.c
Mitti vnam personam ab alia est ab ea procedere. 1852.d
Μονογενὴς quid significet. 53.a
Μογιλάλος ægrè loquens. 802.a
Modio lucerna cur occultetur. 112.a
Mochari, species totum genus indicat. 125.b
Moloch Saturnus Iudæis. 104.d
Monachus bonus, clericus bonus. 68.b
Monachorum vita minime otiosa. 1078.c
Mons ex quo ascendit Dominus. 718.c
Mons oliueti quo spatio distaret ab vrbe. 628.c
Montem ascendit Christus, cùm turbam fugit. 101.c
Montem cur ascenderit in transfiguratione. 362. a. Orandi causa ascendit. 760.a
Montes, prophetas & Apostolos significant. 111.c
Montanistæ quadragesimam post Pentecostem. 212.a
Montanistæ Christum negabant veram carnem habuisse, vereque fuisse filium Mariæ. 1361.c. refelluntur. ibid. & 1814.c. 1087.c
in Monumentis quomodo dæmoniaci. 195.c
Moralis sensus qui maximè probandus. 1941.d
Moralium caussarum, & naturalium discrimen. 175.c
Moras non patitur Spiritus sanctus. 735.d
Morbi corporis peccati pœna. 192.a. 202.c. plerique Dei flagella sunt. 759.c. per dæmones immissi. 195.a. 1126.b. sæpè propter peccata à Deo immittuntur. 1473.d
Morbos ob contagiosos vxor dimissa. 402.b
Morbis affligi homines quatuor ob causas solent. 1659.a
Mores puerorum amat Deus. 813.a
Mros appellata tenebræ. 1299.c. 1757.b
Mors Christi an pro omnibus obita. 1886.b
Mors duplex, corpois & animæ. 1322.d. 1332.b
Mors animæ quæ dicatur. 1334.d
Mors corporis duplex. ibid.e
Mortis Christi mysterium ignotum dæmoni. 196.b
Mortem gustare, & videre. 359.b
Mortali peccato infinita pœna debetur. 124.c
Mortui an sint, qui resurtexerunt cum Christo. 681.d Deo viuunt. 482.a. dormientes dicti. 217.a. ieiunio lugentur. 211.c
Mortui metaphoricè qui. 194.b
Mortui viuis an apparent. 1812.a.b
Mortuorum Deus non est. 481.c
Mortuorum corpora vnguntur. 565.a. 1439.b
Mortuos Ecclesia suffragijs iuuat. 354.a. 1215.d
Mortuos suos quos appellent quidam. 194.c
Moyses accusabit Iudæos in iudicio, quod Christo non crediderint. 426.b. 1497.d
Moyses an venturus ante iudicium. 368.c. cur legis auctor dicatur. 119.b
Moyses cur in transfiguratione. 363.d. libellum repudij permisit. 401.a. 1274.a. libros eius Sadducæi recipiunt solùm. 482.b. non fuit legislator, sed minister legislatoris. 1329.b. diuinam essentiam non vidit in hac vita. 1331.a
Moyses & prophetæ pro toto veteri testamento. 1184.d. 1351.a. cur alioqui Moyses à cæteris prophetis distinguatur. ibidem
Mulier sanguinis fluxum passa. 215.b
Mulieris nomen sexum non corruptionem significat. 1361.d
Mulieri licet infidelem maritum dimittere, vt Christum sequatur. 1053.c
Mulieres maximè afflictæ in excidio Ierusalem. 633.d
Mulieres præferunt se Doctoribus apud Caluinistas. 481.c
Mulieres sanctæ sæpè steriles. 881.c. & 898. d.e. per viros docendæ. 1431.c
Mulieribus Christus cur apparuerit. 714.d
Multi, id est omnes in scriptura. 287.d. 438.c
Multi vocati, pauci electi. 287.d
Multiplicatio panum vbi facta. 313.b
Mundus per tenebras designatus. 1163.b.c
Mundus pro tota creaturarum rerum vniuersitate. 1309.a. pro hominibus mundana sapientibus. ibid.b.c.& 1578.c.1835.e. pro omnibus hominibus. ibid.e
Mundi finem quæ præcessura sint. 505.d. 1178.a
Mundi pax, & Christi diuersæ. 246.c
Mundi creatio initium absolutè dicitur. 1640.b
Mundi nomine gentes omnes intelligunt. 1721.a
Mundi corde beati. 107.d
Munus, id est, Deo consecratum. 323.c
non sine Munere Reges Persatum aditi. 48.c
Murmur operatiorum quid significet. 437.c
Murmutatio nulla in sanctis. ibidem
Muscarum Deus quis esset. 245.c. Myagrum Deum muscarum qui inuocent. ibidem
Mutum dæmonium. 219.b
Muti dæmones an sint. ibidem
Myrrhatum vinum quale fuerit. 655.c
Mysteria diuina credi non possunt sine gratia Dei. 1749.d

N

NArdus pistica quæ sit. 562.e
Nardus spicata. 563.c
Narrationis seriem non seruat Matthæus. 190.c
Nasci ex Deo, nasci animo, idem quod iustificari. 1314.c
Natalitia Sanctorum reiicit Caluinus. 306.b
Nathanaël an idem qui Bartholomæus Apostolus. 1353.c.d. verus Israëlita quo sensu dictus. 1352.d
Natura seruit gratiæ. 1270.b
Naturæ habilitas spectata in electione Apostolorum. 761.a
Naturæ legem non seruarunt Gentiles. 461.b. eius rationem habet Deus dona distribuens sua. 521.b
Naturalis ratio talentum an sit. 529.b
Naturalia Iudæis ablata sunt dona. 284.d
Naturalium & moralium causarum discrimen. 175.c
Natus mulieris, & ex muliere. 255.d
Nauiculam sibi deseruire vult Christus. 759.a
in Naum cur ascenderit Christus. 767.c
Nazaræus Christus vnde dictus. 63.d
Nazaræi dicti ab Hebraïs Christiani. ibidem
Nazarenum dæmon Christum vocauit primus. 742.c
Nazarenorum Euangelium. 498.a
Nazareth Christi patria dicitur. 787.e. Galilæa ciuitas cur dicta. 734.e. patria Christi. 298.e
in Nazareth quot annos fuerit Christus. 734.e
Necessaria negligunt Pharisæi. 493.b
Necessaria non delicias Deus suppeditat. 314.b
Necesse est vt scandala veniant. 383.a
Necessitas merentes Apostolos excusat. 260.c
Necessitatem rem Veneream dixit Aëtius. 409.d
Negant Hebræi, quod postponunt alteri. 208.b
Negantes promissiones absolutè intelligendæ. 150.e
Negarit Christum Petrus quoties? 609.c. 630.a
Negauit Christum Petrus. 632.e
Negotiator cœlestis gratiæ. 421.c
Negotiatori simile regnum cœlorum. 297.a
Negotium totum in parabolis spectandum. 261.b
Nemo nouit patrem nisi filius. 265.a
Nemo potest duobus seruire. 155.b. nec simul sorbere & flare. ibid. nec sine peccato viuit. 149.e
Nemini vt dicerent, præcepit Christus quibusdam, quos sanauit. 554.d
Nequam oculus vitiatus. 355.a
Nescio vos, scientia approbationis. 527.b
Nestorianorum error de Trinitate. 659.d
Nestorij hæresis refellitur. 908.a. 917.b.c. 924.c
Nicodemus Pharisæus, & princeps Iudæorum in Christum credidit, non tamen publicè. 1604.b. 1605.a. cur ita? ibidem
Nicodemos habere apud hostes Ecclesiæ, & Christo quomodo vtile sit: & an Nicodemis ipsis tales esse conueniat. 1605.a
Niniuitæ Ionæ crediderunt. 274.a
Nisi pro sed, frequens in scriptura. 1478.b. pro eodem sumitur. 1824.c
Nitimur in vetitum semper. 285.d
Nobe ciuitas sacerdotum. 261.b
Nobilitas generis etiam in sacerdotibus suum aliquod momentum habet. 878.c
Noctis vigiliæ tum militares, tum pastoritiæ. 962.c
Nolle, id est non posse. 206.c
Nomen Dei non assumendum in vanum. 127.c
Nomen Dei sanctificetur. 145.d
Nomen potentiam, & auxilium significat. 1888.a. pro gloria ponitur. 1885.a
in Nomine Christi quid sit. 391.c
in Nomine Patris baptizare quid sit. 714.a
Nomina Apostolorum cur expressa. 234.a

Nomina

Nomina filijs non soli patres imponunt. 38.d
Nomina à Deo varijs imposita aut mutata. 889.a.b. quibusdã imposita ante ortum. ibid. puetis Hebræis imposita in circumcisione. 937.a. quam ob causam. ibid.b. parentũ aut cognatorum filijs apud Iudæos plerumque imposita. ibid.c. primis tamen seculis imposita ex euentu. ibid.d.e
Nominum impositio dominij argumentum. 938.b. sancti à Deo nomen accipiunt. ibid.c. apud Iudæos nomina imponebant filijs aliquando patres, aliquando matres. 907.a
Non ponitur pro non solum. 1584.a.b
Non nubent, neque nubentur. 480.a
Non hora prandebant olim. 741.d
Nonaginta nouem oues relictæ. 209.c
Nos pronomen non personam, sed genus interdum declarat. 1437.d
Nostrum patrem cur appellemus Deum. 144.d
Noua Hebr. dicuntur quæ præstantissima. 1790.c
Nouatiani pœnitentiam negabant. 169.a. eorum error de elauibus. 349.d. eorundem error refellitur. 206.d
Nouatianorum in pœnitentes asperitas. 1401.c. refellitur. ibidem. & 1473.e
Nouissimi erunt primi. 428.d
Nouit filium solus patet. 266.a
Nouitas est gratia. 212.c
Nouum apud Hebræos quod iucundum. 605.d. testamentum nouum Latinè correctum ab Hieronymo. 140.c. testamentum nouum vbi constituit Christus. 602.d
Noui testamenti sanguis. 601.c
Nox in quatuor vigilias diuisa. 315.c. 435.c
Nox lucescere quomodo dicatur. 693.b
Noctem Hebræi vesperam appellant. 692.c
Nocte ebrij sunt, qui ebrij. 190.a
Nocte media venit sponsus. 525.b
Noctibus quot fuerit in sepulchro Christus. 274.d
Nubere, id est vxorem ducere. 407.c
Nubes Christi, & Apostolorum sedes. 425.b. Christi in iudicio. 536.a.b
in Nube Dei maiestas ostenditur. 365.d
Numeralia ordinalia pro distributiuis. 289.d
Numerant solos viros Iudæi. 314.c
Numerus ad sententiam non pertinet in parabolis. 258.c. certus pro incerto. 425.c. finitus pro infinito. 427.c. perfectus poni solet in scriptura. 313.d. & 314.b
Numeri cardinalis exprimendi in scriptura vsus. 1066.b
Numero certo cur electi Apostoli. 233.d
Nunc aduersatiuæ dictionis vim habens. 1034.b
Nuptiæ Christi quando celebratæ. 473.b.c. cum conuiuijs celebratæ. 211.a
Nuptiæ noctu celebrati solitæ. 1109.c
Nuptiæ Christi & agni. 1110.b
Nuptijs cur interfuerit Christus. 136.a
Nuptias beati non ineunt. 480.b
Nuttientibus væ denunciatur. 510.d

O

OBedientia. 1028.a.d.e. 1935.b
Obedientiæ exemplum. 960.c. 1664.a
Oblationes templis factæ defensæ. 834.c
Obliuisci quando dicatur. 933.a
Obmutescere dæmones cur iubeat Christus. 744.a
Obumbrare quid significet. 914.b.c
Occasionem calumniandi præbet Christus. 201.c
Occasiones miraculorum permittit Christus. 460.c
Occulta culpa occultè coarguitur. 813.c
Octauus dies eodem ritu quo primus. 259.a
Oculus abscindendus, qui scandalizet. 125.b. pro oculo reddendus. 131.a. si nequam fuerit. 154.d
Oculum pro oculo exigunt Christiani iudices. 153.a
Oculi clausi, aut aperti esse quo sensu interdum dicuntur in scriptura. 1253.b.c
Oculi aperti sunt. 218.c. beati qui Christum viderunt. 287.a
Oculis non videtur Deus, at corde. 108.c
Officium Apostolorum miracula Christi prædicare. 218.c
Oleum misericordiam significat. 514.b
Oleo ægros vngunt Apostoli. 788.d
Omnis in scriptura non semper vniuersaliter accipiendum. 1007.a
Omnes Deo viuunt. 482.a. fieri saluos vult Deus. 285.c
Omnes gentes an congregandæ in iudicio. 536.b.c
Omnia Christo tradita. 265.d
Onera grauia Scribæ alligant. 488.a
Operarij in vineã mittuntur. 431.a. pauci, multa messis. 230.a
Operationum merces denarius. 436.c
Opera bona accessionem gratiæ merentur. 521.b. fructus fidei. 289.d
Opera festis diebus licita. 261.c. fructus arboris. 172.c. infidelium omnia, peccata non sunt. 173.c. supererogationis. 81.c
Opera Dei voces eius sunt. 1494.a
Opera bona sunt cibus in vitam æternam permanens. 1508.d.e
Opera bona transeunt actu, manent fructu & effectu. ibid.e
Operum bonorum merita. 416.a. 428.c. præmium merito maius. 532.d
Operibus an iustificetur homo. 175.a. 202.c. 878.c. bonis augenda gratia. 528.b. iustificari hominem. 175.a. illis vacua fides languet. 524.b.c
Operamur etiam nos cum Dei gratia iustificationem nostram. 1508.a.b
Operari cibum quid significet. ibidem
Opertum nihil, quod non reueletur. 245.d
Oportet, posito Dei decreto. 505.d
Optime epithetum Præsidis prouinciæ. 875.b
Oratio prolixa an prohibita. 142.a
Oratio pars est religionis. 1084.b
Oratio assidua omnia à Deo impetrat. 1201.a
Oratio multa fide fieri debet. 1205.c
Orationis Dominicæ laudes. 1153.c
Orationis efficacia, vis atque fructus. 390.d. 1085.c. in ea perseuerandum. ibid. eidem sedulò instandum. 1086.b.c
Orationi Dominicæ quid Græci addant. 152.c
Orationem præmittit maioribus rebus Christus. 362.b
Oratione dæmones expelluntur. 373.d
Orationes publicæ, & priuatæ Deo offerendæ. 1194.d
Orationes nostras Deus corrigit. 1458.c
Orat Dominus propter exemplum. 747.b. miracula facturus. 809.c (ãti.)
Orabant genuflexo Iudæi. 141.b
Orauerit-ne pro omnibus Christus. 1886.b. cur oculis in cœlum sublatis Christus orauerit. 1729.b
Orate flexis genibus Iudæis & Christianis solemne. 1206.c
Orate manibus in cœlum eleuatis sancta & solemnis ceremonia. 1265.d.e
Orandum an sit in publico. 141.c
Orandum semper quo sensu. 1201.b.c
Orandi causa montem ascendit Christus. 760.a
Orandi arte capitur Deus. 1716.e
Orantis affectu exoratur Deus. 142.c
Orantes in templo Iudæi oculos in arcam tollebant. 1206.c
Oratores fugit Christus. 315.d
Ordo dignitatis in nominibus Apostolorum. 234.b
Ordo in caritate seruandus. 133.c
Ordinem narrationis non seruat Marcus. 819.a. nec temporis. 771.b. nec rerum seruant Euangelistæ. 704.c. nec temporis. 92.b. 162.b. 166.c
Ordinaria remedia peccatorum Sacramenta. 354.c
Orientales littera Ph. delectantur. 332.a. vnguentis in conuiuijs vti. 563.c
Orientalium mos oblongis vti vestibus. 1108.b. item præcingi ad iter aut ministerium. ibidem
in Oriente an apparuerit stella. 51.a
Origenes damnatus quod se exsecuerit. 126.a. videtur putare nullo modo iurandum. 128.a. eius audax coniectura. 417.c.d. error de Angelis custodibus. 384.c
Origenes caute legendus. 1286.b.c. 1289.b. fauet Arianis. ibid. quasi Arianorum, & Eunomianorum pater. 1292.c. eius error animas ante corpora fuisse. 1306.c
Origenistarum error de animabus. 575.d. de inferno. 540.d
Originale peccatum cur Pelagiani tollant. 174.c. eo caruit B. Virgo. 209.c
Originale peccatum causa mortis. 1658.c
Originali peccato infantes omnes obstricti nascuntur. 1387.b
Ornamenta templorum repudiant Caluinistæ. 564.d
Ornant sepulchra Pharisæi. 491.c
Ornatus nostri cura est Deo. 138.d
Osanna quid sonet. 455.a
Os aperuisse Christum quid sit. 102.b
Os Apostolorum Petrus. 345.b
in Os quod intrat, non coinquinat. 317.c
Oseulum pacis salutationis causa. 1045.d
Oseculi consuetudo apud Iudæos, & Christianos. 618.c
Osee permissum filios fornicationum suscipere. 402.c
Ostendere pro facere, ac dare. 1478.d
Ostendere bona quid sit. 1699.b
Ostium ouilis & pastor Christus. 1678.c
Otiosum verbum quodnam sit. 272.a
Ouem esse Christi quid sit. 1695.a
Oues à dextris erunt. 537.c. nonaginta nouem relictæ. 209.c. sicut oues occisionis. 241.d
Oues populus Dei peculiaris Iudæorum. 237.a. vt oues quod inermes & infirmi. 241.d
Ouium in vestimentis lupi. 171.c
Ouile vnum, & vnus pastor. 1690.a
Ouinis pellibus pastores vestiti. 172.a
Οὐλὰς nomen in scriptura. 1144.a

QQQQ Pacifici

Universidad de Deusto
Biblioteca

P

PAcifici Christum imitantur. 109.b.quinam beati. 108.c
Pædagogus Iudæorum lex fuit. 118.a
in Palæstina messis quando. 259.d
Palæstinæ domus plana tecta habuerunt. 91.d
Palæstini vnguentis vruntur sæpè. 153.c.154.a
Panis benedicitur à Christo. 312. d. e. Euchatistia dicitur in scriptura. 585.b. Hebræis omnis cibus. 91.c.pro omni cibo sumptus. 762. e. quotidianus Eucharistia. 147. c. eius nomine cibus omnis. 147.c.eum frangebant non scindebant Iudæi. 582.c.quomodo fregerit Christus. 581.c
Panis vitæ pro ipsa humanitate Christi. 1516.c
Panis pro rebus omnibus ad vitam necessarijs. 1507.d
Panes azymi Pascha dicebantur. 549.d.facierum. 261.c. propositionis quales.ibid.vbi multiplicati sint. 313.b
Panes manducare quid sit. 797.a
Pannus rudis in parabola quid. 212.b
Parabola, & ænigma idem. 777.b.c. operatiorum & vineæ. 431.a
Parabola satis est si verisimilia contineat. 1177. c. 1178. a. ex rebus vsitatis est. 1110. c. partes singulæ non subtiliter explorandæ. 1111.b.1075.c.1110.c.1154.d.non omnes partes accommodandæ. 1681.b.1827.c
Parabolæ membra ab accidentibus distinguenda. 472.d
in Parabola partes & emblemata. 394.b.434.b
Parabolæ, breues sententiæ.294.c.Græcis similitudines. 283.a. partes earum quædam non necessariæ.291.b.774.b.quomodo & explorandæ. 261.b
per Parabolas Iudæis quomodo semper loqueretur Christus. 777. d
Parabolis cur vsus sit Christus. 285.a.777.a
Parabolis intelligendis regula. 1072.c
in Parabolis verisimilia narrantur. 521.b
Paracleti nomen de filio dictum. 1275.c
Paradisi nomine quid intelligendum. 664.a
Paratus est diabolo ignis inferni. 540.c
Παραδειγματίσαι, traducere, diuulgare. 36.d
Paralyticus lectum tollere iubetur. 206.c
Parasceue Græcè προσάββατον. 550.c
Parasceue Paschæ quid sit.ibid.b.solius est sabbathi. ibid.c
Parentes à filijs iuuandi. 325.d.in eleemosyna præferendi alijs. 133.d
Parentes etiam laudari oportet in viris claris.. 877.a
Parentum ob peccata filij moriuntur. 1658.c
Pares & impares erunt beati. 116.c
Paropside cœnat. 493.a.b
Παῤῥησία quid. 5575.d
Partem habere cum aliquo quid. 1779.c
Participium pro infinitiuo Hebraicè. 250.a
Participia actiua pro verbalibus sumpta. 466.c.731.c
Parturientis dolores maximi. 506.b
Paruulis hæc reuelasti. 264. d. quomodo similes esse debeamus. 381.d
Pascete populum, ideſt regere. 54.d.1950.c
Pascha dies primus azymorum. 552.c.dicebantur & azymi panes.549.c.Iudæi quando transferrent. 551.c.num anticipauerit Christus. 547.a. quo die Christus comederit. 554.c.d
Pascha Christus quater post baptismum celebrauit. 1462.c
Pascha pro totis septem diebus azymorum. 1378.b
Paschæ festum religione solemne inter Iudæos. 995. c. 1455. b. c
Passio Christi patientiæ exemplum. 355.d
Passio Christi dicta baptismus. 1115.a.qua ex causa. ibid.b
Passionis Christi eclipsis. 668.c
Passionis tempus Christus horam suam vocare solet. 1364.a
Passionis Christi & resurrectionis fructus. 1261.d
Passionem suam quando primum indicarit Christus. 355.c
Passione Christi saluti simus. 1397.b
Passiones in Christo non fuerunt,sed propassiones. 611.a
Passionum Christi & nostratum discrimen. ibid.d
Pastori fugere quatenus liceat. 1687.b
Pastorem verum describit Christus. 1677.b
Pastorum Ecclesiæ munus. 1028.c.1125.c
Patientia Christi. 1517.c
Patientiæ exemplum. 1468.c
Paterfamilias bonus non est, qui totam familiam ad fidem non adducit.1459.d.Catholicis serui Hæretici non habendi. ibid. e
Patria Christi Nazareth. 298.c. Christi triplex. 785.a
in Patria miracula facere non potest Christus. 786.a
Patris à nomine cur exordiamur.144.a.est præmia dare. 246. b.regnum quid sit. 605.d
Patris & Filij æqualitas in diuinis. 1288.b
Patrem sepelire vocante Christo an liceat. 194.a
Patres credentium Apostoli. 232.c
Patres vocare an liceat. 489.a
Patrum operibus consentiunt Pharisæi. 493.d.e
Patrum consensum repudiare temerarium. 1542.c.1543.a
Paulus ius suum persecutus est. 132.b
Pauli Burgensis lib.de votis. 324.d
Pauli Samosateni error. 1484.c
Paulianistæ cur damnati in Nicæno concilio. 725.b
Paupertas Christi & Mariæ. 960.a.c.961.d. Christi. 966.b.c. 1425.d.Mariæ & Ioseph. 977.c
Paupertas Apostolorum. 321.a
Paupertatis consilium contra Caluinum. 418.d. Euangelicæ, gradus varij. 104.a
Pauperes Apostoli. 191.a.Euangelizari quid sit.251.c.quomodo beati sint. 103.a
Pauperes à quibus subleuati erunt, in cœlum recipient, & quomodo. 1165. c. & 1166. a. sæculi sunt, qui non veterascunt. 1107.c
Pauperum ventres satis ampla horrea. 1104.a
Pauperibus etiam necessaria largienda. 311. c. omnia simul dare melius. 420.b
Pax Apostolis commendata. 108.d.e. Christi & mundi diuersæ. 245.c
Pax huic domui. 240.a
Pax dicitur salutatio, & benedictio. 1815.b
Pax tecum vsitata Iudæis salutatio. 1255.c
Pacis nomine Hebræi fœlicem rerum statum significant. 949. b
Pacem facere Dei proprium. 109.a
in Pace mori in sacris literis quid. 981.a
Peccat grauius,qui iterum peccat. 1477.c
Peccare in cœlum quid? 1150.c.d
Peccans publicè arguendus. 586.c
Peccatum in filium hominis. 269. c. d. in Spiritum sanctum. 268.d. qui remittatur. 269.d. non quicquid contra voluntatem Dei. 615.b. nullum à Deo remitti non potest. 269.d. omne veniam non meretur. ibid.b.
Peccati originalis expers B.Virgo. 209.c
Peccati seruitus misera. 1633.c.1634.a.b
Peccati culpa momento remittitur; pœna crescente caritate minuitur. 1046.c
Peccato nemo caret. 149.c
Peccata aliena fide remissa. 204.d. an sola caritate remittantur.203.a.cur debita dicantur. 150.a.dimitti quid sit. 149.c. post mortem remissa. 640.a.quomodo per claues remissa. 349.d.remittuntur in futuro sæculo. 271.a.remissa non redeunt. 396.a
Peccata cur remittat Christus ægris. 202. b. remittit Christus etiam vt homo. 206. c. remittunt homines contra Caluinistas.206.d.remittere quàm difficile. 205.c
Peccata remittendi potestatem dat Christus. 1918.b
Peccatis omnibus an caruerint parentes Ioannis. 880.d
Peccator odit remedia peccati. 1403.d
Peccatorum cui similem Hæretici nostri temporis faciant. 1526. c. cui olim Pelagiani.ibid.d.cui Ecclesia. ibid.e
Peccatores publici publicani. 135.c
Peccatores appellati debitores phrasi Chaldaica. 1122. b. patientis Dei in ijs expectandis. 1122.e.1124.a.b
Peccatores ad pœnitentiam Christus inuitat. 1127.a.ad salutem excitandi. 1469. c. an eos exaudiat Deus. 1669. c. ad Christum vacui venire non debent. 1041.b.c
Peccatorum opera bona num peccata sint. 173.c
Peccatorum pœnæ, sunt morbi. 202.c
Peccatorum lacrymæ. 1041.b.c
eorum respiscentia. 1150.a.eos Deus lætus excipit. 1141.c. 1151. d
Peccatorum confessio.1403.a.eorumdem remissio in Ecclesia contra hæreticos.1047.b.eorumdem remissio & caritas sibi inuicem causæ. 1044.a.b
Peccatorum remissio passionis Christi,& resurrectionis fructus. 1261.d
Peccatorum agnitio bonis propria, contrarium improbis, & vtrorumque exempla. 1434.c.d.e
Peccatrices appellari solitæ mulieres impudicæ. 1041.a
Pectoris tunsio sancta, & antiqua cæremonia. 1109.a
Pedum puluerem excutere. 240.d
Pedum lotio. 1042.b.1045.b
Pelagiani cur peccatum originale tollant. 174.c. iutandum nullo modo putant. 128.a.eorum error de originali peccato. 149.c.1658.d.e.& de paupertate. 418.d
Pelagiani refutati. 1151. d. 1827. b. nimium tribuentes libero arbitrio. 1526.d.eorumdem error. 1305.e.de baptismo & regno Dei. 1387.b
Pentecoste sabbarum secundo primum. 260.a
Pentecoste solemnis dies festus Iudæis. 1462.a
Perditionis filius Iudas. 1889.a
Peregrinorum sepultura. 642.a.b
Peregrinorum pedes loti. 1045.b.c
Perfectionem non omnibus Christus proponebat. 101.a
Periculo non adeunda temerè. 1421.c.d
Periurium veritum est. 127.d
Permittere Deum probatur contra Caluinistas. 401.b

Per mittitur aliquid quatuor modis. 402.b
Persecutio quomodo fugienda. 243.c
Persecutiones tentationes dictæ, & quare. 1227.b
à Perside ad Hierusalem quot leucæ. 49.c
ex Perside Magi an venerint. 48.b.c
Persona Filij in Trinitate distincta à persona Patris. 1287.b
Personam accipere in iudicio quid sit. 1589.d
Personarum acceptio in eleemosyna. 133. d. mores in parabolis exprimuntur. 436. e. trium diuersitas in Trinitate. 724. b
Personarum acceptio non est apud Deum. 1310.b.c
Personarum distinctio contra Sabellianos. 1621.a
Personarum circunstantia fidem auget historiæ. 876.c
Pestilentia post famem. 506.b
Petamus & accipiamus qua conditione. 168.b. qui petit malum, iniuriam Deo facit. 168.d
Petra ipse Christus.343.d.super quam Ecclesia,Petrus.ibidem
Petrus Apostolorum princeps. 342. c. an domum habuerit. 191.a. aduersus hæreticos defenditur. 634.a. contra Caluinum defenditur. 318.a. 365.b. contra Caluinistas defensus. 317.c.est petra super quam Ecclesia. 343. d. fidem non amisit negando. 608.d.632.c.ianitor cœli. 346. b. os Apostolorum. 342. c. primo loco positus. 214. b. quando sic appellatus. 343. b. quoties Christum negarit. 609. c. 630. a. vbique Ardentissimæ fidei. 317. d. 329. c. eius amor singularis in Christum. 356.d.à Caluinistis defensio. 356. c. domus in qua vrbe. 825. a. fides ambulando super aquas. 346. d. negationes tres in domo Caiphæ. 623.c.primatus. 378. a.primatus contra Caluinum. 344.c. pœnitentia insignis. 633. b. c. successores, Romani Pontifices. 351. e. successores fundamenta Ecclesiæ. ibid. successoribus datæ claues.351.d. eidem datæ claues regni cœlorum. 348. b. supremа potestas per claues concessa. 350.d.e
Petrus in communi Apostolorum causa solus respondet.1366. c. d. Apostolorum caput. 1230.d. negando fidem non perdidit. 1231.a.ejusdem etiam & successorum illius est fratres in fide firmare. 1231.e.factum in Ananiam. 1060.c.primatus probatur. 1949.e. 1951. b. eum Romæ fuisse. 1953. a. an crucifixus sit. 1956.b
Petrus Canisius laudatur. 66.c
Ph.pro p.quæ nationes vsurpent. 532.a
Phantasma quid sit. 317.c
Phantasticum corpus non habuit Christus. 318.b
Pharisæus an fuerit Simon leprosus. 558.d
Pharisæi cum Sadducæis contra Christum. 337. b. in Galilæam calumniandi causa veniunt. 793.a. non multò ante Christi tempora. 118.c. per tribus dispersi. 321. b. quidam Scribæ erant.482.c.quodnam hominum genus. 72.c.eorum à fermento abstinendum. 339. d. declinat iniudiam Christus.782.a.resurrectio Pythagorica. 503.e.quanta auctoritas apud omnes. 829. a. cur timebant. ibid. ipsis parere iubet Christus. 487.d
Pharisæi in opinione apud populum. 1100. b. mixti vbique Iudæis. 1129.b. eorum secta Ierosolymis inprimis potens. 1422.b.eorum auctoritas quanta.1761.c.ficta sanctitas.1127. d.in Christum malitia. 1129. d. ijs similes hæretici. ibid.e. eorum principes multi. 1135.a.non erant idonei verbi Dei auditores. 1168. c. eorum & principum sacerdotum contra Christum conspiratio. 1595. b. in ipsis & ipsorum ministris quis animus & affectus ad Christum comprehendendum. 1603. b.c. d. eis duæ præcipuè virtutes in precio, ieiunium & decimarum solutio. 1208.a
Philippus cur fuerit à Christo interrogatus. 310.a
Philippus Galilææ Tetrarcha Caluino.62.e.viuente Herodias Herodem sequuta. 305.c
Philosophi Gentiles Euangelio præpararunt. 1450.a
Philosophia pædagogus Gentilium. ibid.
ex Philosophia in sacris literis quid assumendum. 31.d.e
Philosophicè non loquitur Christus, sed populariter. 330.d
Philosophicè non loquimur in prouerbijs. 293.b
Phlegon meminit eclipsis passionis. 670.c.671.a
Phylacteria Scribarum. 488.c.d
Pietas, & reuerentia erga parentes. 999.a.b
Pilatus quam Iudææ partem regeret. 638.c.vexilla Romanorum Hierusalem intulit. 508.c. eius vxor salua. 650. c. eius somnium. 196.e
Pilato cur traditus sit Christus. 637.c
Pinnaculum templi quid sit. 93.d.e
Piscari homines Apostolorum proprium. 98.b
ad Piscationem Apostoli cur redierint. 1934.a. mysticè quid sit. 1938.b
Pisces dictus Christus à Sybilla. 98.b.c
Pisces sunt Christiani. 98.b
ex Piscibus an superfuerit aliquid in miraculo. 314.a
Pistica nardus quæ esset. 563.a
Placitum ante te, tibi visum. 264.c
Plagula in veste quid sit. 213.d
Plantæ quæ bonæ, quæ malæ. 329.b
Platonicorum sententia de mortuis. 195.d
Pleni dierum in scriptura, qui. 982.a
Plenitudo vestis quid. 213.d
Plenitudo gratiæ,& Spiritus sancti in Christo,& sanctis longè diuersa. 1321.c
Πληροφορεῖν in scriptura quid. 872.d
Pœna remissa,culpa non remissa. 665.a
sine Pœna remittitur culpa. 271.a
Pœnæ damnatorum inæquales. 241.b
Pœnitentia Iudæ qualis. 640.a. Petri insignis. 634.a.prædicationis materia. 788.c.prima vox Euangelij. ibid.
Pœnitentia iustificat post baptismum. 1314.d.eadem peccatoribus necessaria. 1121.a
Pœnitentiæ sacramento remissa peccata. 349.c
Pœnitentiæ vestis cilicium. 70.b
Pœnitentiæ Sacramentum. 1047.b
Pœnitentes olim cum Catechumenis. 1151.b
Pœnitentium actiones olim.350.a.habitus, cilicium. 263.b
Pœnitentibus non neganda venia. 1401.c.1417.c
Politici qui nunc vocentur. 199.c
Politicorum magister Herodes. 478.c
Polygamiam introducunt Caluinistæ. 399.c
Pontificis Romani primatus. 353.b
Pontificis Romani fides non deficit. 1231.a.e.eius auctoritas in alijs in fide firmandis. ibidem
Pontifices Romani Petri successores. 351.c
Pontificatus Iudæorum annuus. 52.c.d
Pontius Pilatus quotus præses Iudæorum. 1003.a
Populariter loquitur Christus,non philosophicè. rati. 330.d
Porci apud Iudæos. 198.a
Porcis cur immissi Dæmones. 198.b. margaritæ non dandæ. 166. d
Porphyrij obiectio in Christum. 1578.d
Portam per angustam intrandum. 170.d
Portæ inferi,Diaboli potentia. 347.a
Portis vrbium apud Iudæos forum impositum. 1036. b. non posse idem valet,quod nolle. 1574.c.1639.a.1763.d
Portare calceamenta vile ministerium. 76.b
Portare in scriptura interdum idem quod ducere. 1173.b.c
Positiuus pro superlatiuo,Hebr. 482.d
Posse, in scriptura pro velle. 748.d. non posse in scriptura variis modis accipitur. 785.d
Possidere in scriptura pro gignere. 1284.a
Post dies, ideſt post multos dies. 751.a
Post tres dies, ideſt intra tres dies. 687.d.e
Posteriora peiora prioribus. 276.c
Potestatem omnem habet Christus. 619.e
Præcepta à consilijs distinguuntur. 419. a. cæremonialia & iudicialia non seruantur. 115.d.Dei seruari possunt. 419.c. Deus cur det non obseruaturis. 802.c
Præcepta intelligenda, accommodatè ad personas quibus dantur. 1545.a.c. non solùm præcepta in nostra sunt potestate, sed alia etiam. 1193.b
Præceptorum obseruationi certa in cœlo merces. 1191.e
Præcingendi vestem mors & vsus. 1108.b
Prædestinati ijdem,qui homines bonæ voluntatis. 970.a
Prædestinatorum ab alijs discrimen. 1433.c.e
pro Prædestinatis solis mortuus non est Christus. 657.a.nec ob eos solos venit. 353.c
Prædestinatio. 970.a.b
Prædestinatio Patris esse dicitur. 445.b
Prædestinatio & merita. 1107.b
Prædestinatio Christi. 1354.d.e
Prædestinario ad gloriam Patri tribuitur. 1784.a
Prædestinationis certitudo. 512.a
de Prædestinationis quæstione. 263.b
Prædestinationis causam quæri non vult Augustinus. 1527.d
Prædestinatiani hæretici, & eorum error. 1401.b.1885.c
Prædestinatianorum error refutatur. 446.b
Prædicandum non est indignis. 167.a
Prædicationis Euangelicæ initium ab Hierosolyma sumptum.1262.c.quam ob causam. ibid.d.e.& 1263.a
Prædicator Euangelij. 1062.b
Prægnantibus væ denuntiatur. 510.c
Præmium bonorum operum maius quàm meritum. 532.d
Præmiorum inæqualitas in vita æterna. 290.a.432.a
Præsens pro futuro sumptum. 1215.a. 1364.b. 1323.a.b.1960.c. 1834.a. 1835.a. pro præterito. 1266.c.sæpè non effectum sed naturam & vim significat. 1305.e.1341.a.b.1417.a.b
Præsepe Christo nato pro cunis.961.c.mysterium. ibid.e
in Præsepi Christus an adoratus à Magis. 55.c
Præses Iudæis quo die vinctum dimiserit. 544.b
Præsidi cur traditus sit Christus. 637.c
Præsides prouinciarum optimi appellati. 875.b
Præteritum pro præsenti,Hebr.502.b.1043.e.idem pro eodem & futuro. 1828.d
Prætorium Pilati quis locus. 652.a
Prandium cœna dicitur. 471.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primus in regno Dei quis erit. 814.a
Primum esse velle in cœlo ambitio non est. 381.a
Primi erunt nouissimi. 428.d
Primitiuorum festum quando. 259.c
Primogenitus filius quis dicatur. 42.c
Primogenitus, & vnigenitus idem interdum. 979.b
Primogenita Deo consecrata. 975.b
Princeps dæmoniorum. 230.a. synagogæ quis. 214.c
Princeps mundi quomodo sit eiectus. 1730.d
Princeps inter Iudæos quis diceretur. 1382.c
Principes sacerdotum qui dicantur. 52.c
Principes hæreticos puniendebent. 292.a. ferò respias discunt. 302.a
Principium, & doctorum auctoritas in caussa fidei, & religionis. 1674.c.d
Principium in scriptura quid soleat significare. 1282.e.1283.d
Prisscilliani stæ quid de Magis. 51.c
Prisscilliani stæ omnia fato subiiciebant. 1364.c
Pro non caussam, sed euentum denotat. 1708.c
de Processione Spiritus sancti. 1844.b.1861.c.d
Prodigium à signo quomodo differat. 1457.c
Promissiones negantes & affirmantes quomodo intelligendæ sint. 150.e.168.d
Pronomen nos, interdum non personam, sed genus declarat. 1437.d
Propheta doctor Euangelij. 247. e. nomen sanctitatis. 255.b. 253.d
quomodo esset Ioannes.
Prophetæ mercedem accipere. 248.a
Prophetæ falsi cauendi. 171. d. qui dignoscendi. 175. e. rebus edocent. 812.c. voluerunt videre quæ videtis. 287.c. vsque ad Ioannem Baptistam. 258.e
Prophetæ dicti omnes viri sancti. 1666. a. & doctores à Deo missi. 1038.a. 1503.b. omnes de Christo propheratunt, & quomodo. 943. a. b. de Christi regno spiritualiter intelligendi. ibid. d. Hierosolymis occisi. 1132. c. sementem iecerunt Euangelij. 1447. b. 1450. a. c. seminarunt quod Apostoli messuerunt. 1449. c.d.e. 1450. a. eorum dicta Christum spectant. 1843.c
Prophetarum genera tria. 63.a.b. horum fuit docere populum. 171.d
Prophetare Caluinus ineptè exponit docere. 177.a
Prophetia etiam præteritarum est rerum. 941.c
Prophetia vt impleretur, quomodo Iudæi non crediderunt. 1758.c
Prophetiam impleri quid sit. 58.a
Prophetiæ ad similem sensum accommodantur. 192.a
Prophetias scriptura pronunciare soler imperandi modo. 1233.a. 1374.a
Propinquitas carnalis negligenda. 279.a
Propinquis pauperibus dandum. 424.b
Propitius tibi sis, absit. 356.d
Propositio generalis ex circunstantijs restringenda. 1683.a
Propositiones vniuersales, quæ coniunctas habent promissiones, quomodo intelligendæ. 1548.b
Proprius sensus præcipue retinendus. 190.c
Propter præpositio vsurpata etiam in caussa efficiente. 1553. d
Propterea euentum, & consequentiam denotat. 1760.a
Propter quod vnumquodque tale. &c. 492.c
προσλαμβανεσθαι quid sit aliquando. 356.b
Prouerbiales locutiones hyperbolicæ sunt. 575.c
Prouerbium pro parabola sumitur. 1868.c
Prouerbium apud Hebræos. 1447.d. 1488.d.e. idem inter Hebræos ex messe sumptum. 1447.d
in Prouerbijs vulgariter loquimur. 293.b
Prouidentia Patris esse dicitur. 441.b
Prouidentia Dei. 958.d.963.c.1106.c.e.1107.a.1347.a
Proximus quis dicatur. 133.e. quis sit. 487.a
Proximi nomine in præcepto caritatis, & parabola Christi quis intelligendus. 1072.c.1073.a.1074.a
Proximum diligere facilius quàm Deum. 417.c
Prudentes sicut serpentes. 242.a
Prudentes dicti qui iusti ac fideles. 1922.a
Prudentia pro fide. 892.e. humana incredibile est. 1922.a
Psalmi interdum sub prophetarum libris comprehensi, interdum ab ijs distincti. 1260.c
Psalmorum inscriptio in finem. 1204.c
Publicani præcedunt Pharisæos in regno. 462.c. per alterum filium in parabola designati. 462.c.d. pro publicis peccatoribus habiti. 388.e. 1214.c. quinam essent. 135.c
Publicanorum mensa telonium. 207.b
Publicanorum officium apud Iudæos proprium Gentilium. 1214.a
Puer exemplum humilitatis. 812.c
Puer meus, idest seruus meus. 163.d
Puero nihil simplicius. 814.c
Puerorum ludus apud Iudæos. 260.d
Puetis quomodo similes esse debeamus. 381.e
Pueros appellant inferiores, qui superiores. 1396.c
Puerilis error Caluini. 304.e
Puella dæmonio liberata Biturigibus. 219.d
Pulueren pedum excutere. 240.d
Punica lingua Hebrææ affinis. 332.a
Purgatorium confirmatur. 663.b. contra hæreticos defenditur. 665.a. defenditur contra Caluinistas. 270.c. per tenebras exteriores. 189.c
Putificationis lex & eius explicatio. 973.974.975.& 977.d
Purpura Regum & principum indumentum. 652.b.c.1171.b
Pythagorica μετεμψυχωσις Pharisæorum. 303.e
Pythones ἐγγαστριμυθοι. 45.c.46.a

Q

Quadragenarius numerus mysticus. 89.c
Quadragesimæ ieiunium contra hæreticos. 89.c.212.a. 528.b. Montanistis post Pascha. 212.a
Quadraginta diebus ieiunatunt quidam. 90.b
Quadrans pro minima moneta. 124.d.293.c.833.d
Quadrantis pars dimidia minutum. 124.d.158.c
Quærere Hebræis, idem quod velle. 1576.a
Quærere & non inuenire quid sit. 1789.c
Quærite primùm regnum Dei. 359. b
Quam incrementum vehementiámque declarat. 1113.d.e
Quartus decimus dies criticus. 31.c
Quasi, tanquam, sicut non semper similitudinem, sed aliquando veritatem significans. 1519.a
Quatuor Apostoli, familiarissimi omnium. 504.b
Quatuor Euangelistæ, quatuor anni tempora. 233.b
Quatuor Euangelistæ cur. 5.e
Quatuor millia septem panibus pascuntur. 340.c
Quatuor suppliciorum genera apud Iudæos. 122.d.519.a
Quatuor somniorum genera. 649.d
Quatuor vigiliæ noctis. 315.c
Quaternionibus ex tribus duodenarius. 233.b
Quendam suppresso nomine dicunt Hebr. 568.a
Quia Hebraico more positum. 1021. d. non tantum caussam interdum quàm signum declarat. 1494.d
Quia pro quamuis. 1518. b. quia & quoniam non caussam, sed effectum sæpè significant. 1630.e.1642.a
Quid nobis & tibi, quid sit. 742.b
Quinquagenos iubet discumbere. 311.d
Quinque millia hominum refecta. 314.b
Quinque sensus virginibus designati. 523.a
Quinque virgines fatuæ. ibid.c
Quomodo, in rebus fidei non proferendum. 1539.a
Quotidianus panis Eucharistia. 147.c

R

Rabbi vocati nolite. 489.a
Raca quid significet. 121.d
Rachelis nomine duæ tribus intelliguntur. 60.b
Rahab an meretrix fuerit. 17.c
Rama quid significet. 60.e
Rami arborum Hosanna. 455.b
Raphaëlis nomen medicum significat. 1465.c
Rationem non reddit malignis Deus. 433.c
Recensionis populi à regibus caussa. 953.c
Reconciliarie homines Deo Christi proprium. 109.a
Recordari Deus quando dicatur. 935.a
Recumbens Christus an comederit. 571.a
Regenetatio, extremum iudicium. 434.a
Rex temporalis an sit Christus. 645.e
Regem se dicit qui se Christum dicit. 637.d
Reges non viderant quæ videtis. 287.c. an fuerint Magi. 46.c
à quibus tributa accipiunt. 377. a. dicuntur in Euangelio Tetrarchæ. 62.c
Reges appellati Christi Domini. 980.a
Regum habitus purpura. 652.b.c
Regum nomina in historijs notanda. 876.d
Regiam dignitatem recusat Christus. 315.b
Regina Austri. 275.c
Regnum cœlorum quando Ecclesiam, vel vitam æternam, significet. 176.b. cœlum ipsum. 68.c. Ecclesia. 38.c. claudunt Scribæ. 489. d. ex patuo magnum fore. 294. a. iudicij tempus. 116.c
Regnum Dei aduentus Christi. 266.d. aduenial perimus. 147.b. primum quærendum. 159.b. gentibus dandum. 468.a. Patris, quid dicatur. 605.d
Regnum Christi quid sit. 359. c. non terrenum sed spirituale. 645.e.720.c
Regnum Iudææ an Christi esset. 646.c
Regnum Dei quod. 1062.a.1597.e
Regnum cœlorum gratis propositum. 1107. b. emitur tamen. ibid. d. quo studio & habitu expectandum. 1108.a
Regnum Dei spirituale est. 1198.c.1387.d. intra nos est, quo sensu. 1198.c
Regnum Christi, quale. 1504.c.d.e

Regni

Regni filij qui sint. 189.a
Regni cœlorum via recta. 1061.c
Regna dare Dei est solius. 95.a
Relatiuum abundat ex Hebraismo. 366.e.1878.e.ex Hebraismo repetendum. 407.b
Religio armis defendenda cùm opus est. 1060.c
Religionis actus est iurare. 129.c. honor alteri quam Deo 129.d
Reliquiarum cultus defenditur. 320.b
Remigius Lugdunensis auctor commentariorum in epistolas Pauli qui Ambrosio tribuuntur. 1753.a
Remittendæ fratribus offensæ. 394.b
Remittere peccata cuius sit. 205.c
Repetitio consuetudinem indicat. 176. a. & exprimit. ibid. in Hebræorum idiomate frequens. 493.d
Reprobationis auctor non est Deus. 431.c. caussa hæreticis Dei voluntas. 265.d
Reprobare lapidem quid sit. 467.a
Repudij libellus quomodo Iudæis concessus. 126.b
Repudij libelli ceremoniæ. 402. c. eum permisit Moyses. 401. a
Respici nos à Deo quid sit. 898.a.927.d
Respondet per alteram interrogationem Christus. 461.d
Respondens, idest, verba facere otsus. 264.b.423.d
Respondere, idest aggredi ad loquendum. 815.c.& 938.b
Respublica nunc est in Ecclesia. 294.a. non euertit eam lex Christi. 131.c
Restitutio. 1115.c
Restringenda non est scripturæ sententia. 529.a
Resurrectio esu susceptati confirmatur. 218. b. immortalitas animarum cum ea coniuncta. 481.c. negant Sadducæi. 479. b. quam credebant Pharisæi. 503.c
Resurrectio duplex à peccato & à morte corporis. 1522.d
Resurrectio quomodo bonorum propria, & quomodo omnibus communis. 1522.e. bonorum, quæ proprio nomine appellatur. ibidem. cur Christus bonos non malos dicatur suscitare. 1523.a
Resurrectio futura probatur. 1716.c.d.1731.c
Resurrectionis & mortis Christi fructus. 1261.d.à Iudæis creditu difficilis. 1486.c
in Resurrectione, id est post resurrectionem. 479.c
qui Resurrexerunt cum Christo an iterum mortui sint. 681.d
Retributio in lege non in Euangelio. 131.e
Reuelatus paruulis Euangelium. 264.e
Reus iudici non respondere in quibus possit. 1667.c
Reum esse iudicio quid sit. 120.d
Romanæ Ecclesiæ fides perpetua. 1231.a
Romanus Pontifex Petri successor. 1952.e
Romani Pontificis primatus. 351. b. defensio in hæreticos. 357.a
Romani Pontifices Petri successores. 351.b
Romani quod tributum impetarent Iudæis. 478.d
Romani quenquam Iudæum fieri non prohibebant. 1744.c
Romanorum exercitus abominatio desolationis. 508.c
Robur vespertinus serenitatis signum. 338.a
Rudis pannus quid in parabola. 212.c
Rufini apud Eusebium lapsus 310.e
Rupertus antiquæ eruditionis auctor. 327.a

S

Sabbatum cur institutum fuerit. 754.b
illucescebat, id est appropinquabat. 693.b
omne festum dicitur. 259.c
propter hominem factum. 754.c
pro tota hebdomada. 694.b
secundoprimum quodnam. 259.a
Sabbati die synagoga congregabatur. 262.c. quæ non licerent. 558.a
Sabbati dominus, filius hominis. 262.b.754.c
iter quid sit. 451.b.1265.c
solius erat parasceue. 550.c
Sabbati nomen requiem significat. 1471.a
Sabbati religio apud Iudæos. ibid.d
Sabbati seruandi lex per circumcisionem non soluebatur. 1589.a
Sabbatum violant sacerdotes. 261.d
Sabbato curare an liceat. 79. e. ne fiat fuga. 510. c. non licet ante occasum solis laborare. 745. d. sepelire. 541.a
Sabbata dicuntur dies hebdomadæ. 740.d
Sabbatis in synagoga conueniebant Iudæi. 757.a
Saba metidionalis Iudæis. 275.c
Sabelliani refutantur. 1621.a.1698.c.1802.d.1813.b
Sabellianorum error de Trinitate. 659.d. error refutatur. 724 b. 739.c
Sacerdoti quando fugere liceat. 327.a
Sacerdotes an à pœna tantum, non à culpa absoluant. 353.b. an pro arbitrio possint soluere. 352.c. in templo sabbatum violant. 754.c.d
Sacerdotes à Leuitis distincti in veteri lege. 1334.c
Sacerdotum de lepta curatione iudicium. 1195.d. Aaronis posteri, cæteri Leuitæ ministri. 877.b
Sacerdotum familia & munera. ibid. b. c. perpetui vsque ad Romanorum tempora. 884.d
Sacramentum rei præsentis est. 599.b.c
Sacramentum quænam ceremonia sit. 1919.c
Sacramenta instituere solius est Christi. 646. d. num signilla sint. 592.e. peccatorum remedia ordinaria. 354 d
Sacramentis non all gata est gratia. 816.a
Sacramentis ipsis & ritibus externis adoramus Deum, in spiritu & veritate. 1439.d
de Sacramentis Ecclesiasticis non est humana ratione iudicandum. 1466.c
Sacramentalis loquutio quænam. 599.b
Sacrificium non interrumpendum. 123.c
Sadducæi cum Pharisæis in Christum. 337.b. nihil supra naturam credebant. 479.a. quinam essent. 72.d.e. quos libros receperent. 482.b.c similes Caluinistæ. 479.a
Sagenæ missæ in mare simile regnum. 207.c
Salis proprietates duæ. 109.d
Saliendo est vecta. 820.c
Salua cæcum sanat Christus. 805. b. curauit ægrotos. 800.b. cur mutum curarit. 799.c
Salome filia Herodiadis. 306.c. vxor Zebedæi. 440.a
Salomon opulentissimus, & sapientissimus. 158.e. adiectæ sunt ei diuitiæ. 160.b
Salomon s porticus. 1693.c.d
Salutatio Hebræorum. 240.a
Samaria, nomen vbis & integræ regionis. 1423.a. via à Galilæa in Ierusalem. 1422.e
Samaritanæ neque Iudæi, neque Gentiles. 236.d
Samaritani inter Gentiles à Iudæis numerati. 1422. d. 1426.b. quinque tantum libros Mosis recipiebant. 1414. c. Galilæi aliquando appellati. 1120. b. c. d. Galilæis regione diuersi. 1120.a. eorum templum. 1039.b
Samaritanorum vrbes non adeundæ. 236.d
Samuel quomodo Dauidem cognouerit. 862.e
Sancta urbs dicta Hierusalem. 682.a
Sanctificare Hebr celebrare. 145.d
Sanctificare quomodo se ipsum dicatur Christus. 1894.e
Sanctificare, destinare ad officium. 1700.e
Sanctificare, prædicatorem Euangelij constituere. 1891.d.e
Sanctificari dicuntur hostiæ, quæ offeruntur. 1894.e
Sanctificari propriè dicuntur, qui initiantur in ministros sacri muneris. 1895.d
Sanctus Dei Christus dicitur. 745.c
Sanctum canibus non dandum. 166.a
Sanctum sanctorum templi. 883.a.884.b.c
Sanctum cur appellet patrem Christus. 1887.c
Sanct in iudicio non iuuabunt. 525.e
Sanct vri omnes dicti Prophetæ. 1038.a
Sanctorum fide an maior ea Centurionis. 187. e. inuocatio. 332.e. mercata mortuis vtilia. 526.b. reliquiæ venerandæ. 320.b
Sanctorum suffragia. 1166.c.1567.b
Sandalia an diuersa à calceis. 238.d
Sanguis Christi cur pro multis dicatur effundi. 586.d. eius superinos sit. 497.a. & aqua de latere Christi. 684.b. nouæ testamenti cur dictus. 601.e & 602.a
Sanguis, adiuncto præsertim nomine carnis, significare soler in scriptura corruptionem, res & homines carnales. 1313. b. mortalem & fragilem hominis conditionem. 1314.b
Sanguinis fluxum patiens mulier. 215.b
Sanguinis pretium, id est mortis. 641.c
Sanguinem quomodo sudarit Christus. 613.b
Sapientia iustificatur à filijs. 261.d
Sapientiam incredulitate metiuntur Caluinistæ. 338.b
Sapientibus absconditi, non paruulis. 264.d
Satan apud Hebræos aduersarius. 87.d. 91.a. quomodo in Iuda. 567.d
Satanas vexandi homines potestatem non habet, nisi eam prius à Deo petat. 1229. d. eiusdem nomen aliquando proprium, aliquando commune. 1569.c
Satanam Petrum Christus dixit. 357.c
Satum quod mensuræ genus. 294.c
Saturitas vitam beatam denotat. 107.b
Scandalum acceptum vitat Christus. 376.c
Scandala vt veniant, necesse est. 383.b
Scandalizare, iniuria afficere. 382.b
Scandalizari, cadere, fidem deserere. 288. e. in Christo qui dsit. 252.d peccatum est. 383.a. propriè impingere. 300.b
Scenopegia, quodnam festum. 1574.c. festum tabernaculorum solemnis dies Iudæis. 1462.a
Scholæ subtilitas non conuenit cum locutionibus scripturæ. 575.e
Scientia experimentalis in Christo. 187.a
Scientiæ clauem tollere, quo sensu dicti à Christo legisperiti 1056.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seiendi verbum non cognitionem, sed affectum denotat. 527.b.c
Scindebat vestem Iudæi. 627.c
Scriba dicitur doctor Euangelij. 298.a
Scribæ Iudæorum quinam essent. 52.c.legis doctores Iudæorum.494.e.pertribus dispersi. 321.b.quidam erant Pharisæi. 482. c
Scriptura adimpleri quando dicatur. 58.c
Scriptura non est ingenio nostro & coniecturis corrigenda. 744. c. 1092. c. loquitur sæpe iuxta temporis,& hominum opinionem. 980.c.quomodo intelligenda,quando ea,quæ hominum culpa eueniunt, videtur diuino consilio tribuere. 984.d.& 985.a
Scriptura sæpè verba in eodem contextu posita non eodem modo accipit. 993.c.d
Scriptura prophetias pronuntiare solet imperandi modo. 1233.a.eiusdem auctoritas. 1184. d. non tamen ea sola credenda, quæ sunt sic in literis consignata. ibidem.c.non sua cuique lingua sine præceptore legenda. 1185.a
Scriptura negat interdum quod minus affirmare vult.1070.d.
Scripturæ auctoritas ab Ecclesia. 5.a. extra Ecclesiam intelligi nequit. 479.d.e.locus de vna persona ad aliam accommodatur.46.c.locutiones ad scholæ subtilitatem non reuocandæ. 575.c
Scripturæ notitiam iactant Caluinistæ. 481. e. sententia non restringenda. 529.a
Scripturæ modo, Christus non ad verbum sed ad sensum citat. 95. b
Scriptura abuti non debemus,vt hæreticos refutemus. 917.d
Scripturæ sacræ,verbum Dei appellatæ. 1491.b. litera spiritui opposita quid significet. ibid.a
Scripturas hæretici pro arbitrio admittunt. 4.b. legunt, nec intelligunt Caluinistæ. 479.d
Scriptis quàm verbis quare plus credamus. 1499.b
Sebastianus Castalio reprehenditur. 388.d
Seculo in futuro peccata remissa. 271.a
Securis ad radicem posita quid. 75.d
Sed pro *quia* vsurpatum. 1848.b
Sedere in iudicio iudicis est.275.b.eorum qui docent. 102.b
Sedere quid significet in scriptura. 949. a. Christus quo sensu sedisse dicatur in medio doctorum. 996.c
Sedere Christum ad dexteram Patris quid. 1288.b
Sedes Apostolorum duodecim. 415.d. Apostolorum in iudicio quales. ibid.a.b
Seductores Catholicos hæretici vocant. 687.d
Semen pro prole. 973.c
Sementis Euangelica facta per Prophetas. 1447.b.declaratur id magis. 1450.a.c
Sensus in Eucharistia non sequendus. 595.b
Sensus mysticus scripturæ idem aliquando cum literali. 1467. d
Sensus literalis sequendus in expositione scripturæ. 1140.d
Sepelire sabbato non licebat. 551.a
Sepelire solebant in speluncis Iudæi. 1727.d
Sepes in parabola quid denoret. 464.a
Septem pro multis Hebr. 276.d
Septenarius numerus pro infinito. 393.b
Septuaginta absurditatem sententiæ tollunt. 263. c. cur Hebraicas voces non vertant. 122.b. demonstratiua pro reciprocis sumunt. 84.a. eorum locus vitiosus. 265.d. iudices Iudæorum. 120.b. eorumdem non Hebræam lectionem Euangelistæ citant. 452.e
Septuaginta interpretes an citet Lucas. 864.a
Sepulchrum Christi descriptum. 701.d
in Sepulchro tribus noctibus Christus. 274.d
Sepulchra olim cauernæ. 195.c
Sepulchra ædificant Pharisæi. 493.d
Sepulchrorum honor apud Iudæos. ibid.
Sepulturæ mos apud Iudæos. 642.a
Sepultura asini digni hæretici. 307.d
Serenitatis signum vespertinus tubor. 338.a
Sermo & verbum Hebræis pro re quauis. 748.b
Sermo appellata Christi doctrina. 1451.e
Sermo Dei,idest sacræ literæ. 1494.b. Hebraicè præceptum. 1813.c.& 1839.d. Patris doctrina Euangelica. 1890.b.c
Serpentis æneæ figura explicata. 1340.d
Serpentes igniti qui dicuntur. 1397.c
Seruetus nouus Arianus. 917.c
Serum,tempus inclinatum ad vesperam. 685.b
Sero improuidi opera bona sibi comparant. 526.e
Sero sabbati, idest transacto sabbato. 692.e
Seruire duobus dominis. 155.c
Seruus Dei Christus vt homo. 263.d
Seruj hæretici Catholicis dominis non retinendi. 1459.e
Seruis datur mensura tritici. 518.d
Seuerus Antiochenus contra Genethliacos disputans citatur. 1593. b
Si pro *quia* vsurpatur. 1839.d
Si particula caussalis non conditionalis. 1787.d
Si pro *vtinam* apud Hebræos. 1217.c.d
Sic particula,apud Ioannem c.4.quid significet. 1414.b.c
Sicera quid. 890.b. c
Sichar seu Sichem vrbs Samariæ multis nominibus celebris. 1423. a. b
Sicelus argenteus appellatur. 568. e. Hebræorum tetradrachmus. 374.c
Sicut æqualitatem non similitudinem declarat. 135.d
Sicut recipsum quid sit. 487.b
Sicut non significat semper æqualitatem. 1896.c
Sidon ciuitas Gentilis. 265.a
Sidonij audiunt Christum. 758.c
Signare pro auctoritatem dare. 1311.a
Signum filij hominis quid. 514.d.Ionæ prophetæ. 275.d
Signum rei præsentis est. 599.b.c
Signum à prodigio quid differt. 1457.c
Signi variæ significationes in scriptura. 985.d
Simile quod est alicui rei,filium eius appellant Hebræi. 1163.c
Similiter interdum non imitationem sed vnitatem naturæ & consensum significat. 1478.c
Similitudines aliquando fingimus.268.e,accumulat Christus, vt rem vnam indicet. 110.e
Simeon cur electus vt Christo testificaretur. 979.d.plus à Deo recipit,quàm promissum ei fuerat. 980.d.& 982.d.eius admiranda fides. 982.c
Simon Cyrenæus an Gentilis fuerit. 652.d. Cananæus. 236.a. leprosus an idem apud Lucam. 558.c
Simplicitas Apostolis commendata. 108.a
Simulatio diu durare nequit. 174.b
Sinapi in Hispania crescit. 293.c
Sinapis grani parabola.292.e.grano quæ comparantur. 371.c
Sinus Abrahæ,paradisus. 664.d.1173.c
Sion mons in quo regia. 453.a
Sitire quid. 1430.a
Sitis vehemens desiderium in scriptura. 106.b
Sol an verè obscurandus in die iudicij. 513.b. cur obscuratus in passione. 669.b
Solis eclipsis in passione Christi. 668. c. obscuratio, iræ Dei signum. 669.b
Solemnis dies,id est dies Paschæ. 648.b
Solicitudo corporis quæ prohibita. 156.c. de crastino quæ prohibita.161.b.seculi,quid. 289.a
Solitudinem petit Christus post miracula.736.e.747.a.ex solitudine Euangelium affert. 88.d
Solœcismi apud Septuaginta. 293.a
Somnium vxoris Pilati. 196.c.649.c
Somniorum quatuor genera. 649.d
Somnus Christi voluntarius. 194.e
Somnus ægris sanitatis prognosticum. 1711.d
Sordes corporis non animæ Pharisæi lauant. 493.b
Sorte sola tunica Christi obuenit. 657.b
Sortitione diuisa munia sacerdotibus. 883.c
Species vna pro toto genere. 537.a
Spicata nardus. 563.c
Spicas vellentes Apostoli accusati. 260.b
Spinas Scribæ in vestimentis gerunt. 488.d
Spiritus pro voluntate sumitur. 103.c
Spiritus nomen varia significat. 1388. d. animam.1390.a. spiritum ad mensuram habere quid. 1415.a
Spiritus Euangelicus qualis sit. 1060.c
Spiritus & animæ vsus & discrimen in Scriptura. 927.a.b
Spiritus sanctus cur in Christum. 84. b. dispensatorè. 437. c. in specie columbæ. 83. d. moras non patitur. 735.d. num pater Christi. 35.b
Spiritus sanctus,cur promissum Patris appellatus. 1264. c. cur virtus ex alto. ibid. c. à quibusdam Catholicis appellatus etiam verbum. 1275.d. principium regenerationis in baptismo.1386.b.c.aqua viua.1428.a.fons vsque ad cœlum saliens. 1430.a.digitus,virtus Dei.914.a.Christo nondum glorificato quomodo non datus.1601.a.b.d.e.eundem nomine Christi mitti quid sit. 1814.b. quomodo dederit Christus. 1918.a. de eiusdem processione. 1844 b. 1861.c.d. quare ei tribuatur formatio Christi in vtero.913.c. eo repleri quid significet in sactis literis. 890.d. eo repleri minus quiddam est, quàm repleri gratia. 901.c.d
in Spiritum sanctum peccatum. 268.b
Spirituum immundorum potestas. 253.c
Sponsa Christi Ecclesia,vel anima cuiusque. 473.a
Sponsus est Christus. 511.a
Stabulum vbi Christus natus est in vrbe ipsa Bethlehem fuit. 961.b.quale fuerit. ibidem. in eo asinus & bos. 962. a. is tamen Ioseph aut Mariæ non fuerunt. ibidem.
Stant beati. 819.b
Stare,id est adesse. 359.c.703.c.& 830.a
Stare in scriptura quid significet. 1206.d.1214.c.1255.d

Stantes agnum comedebant. 570.d
Stantes Iudæi in synagoga docent. 487.b
Stateris valor. 377.c
Statim, non momentum, sed breue temporis interuallum significat. 736.a
Stella Magorum an vera fuerit. 50.b. an cometa aut Angelus. 50.d.quando apparuerit. 50.c.e
Stellæ verè de cælo cadent. 514.a
Sterilitas mulieribus semper tribuitur. 882. c. probrosa apud Iudæos.898.b.quate steriles sanctæ mulieres. 882. e.898.d.e
Substantiua pro adiectiuis & contrà sæpè in scriptura ponuntur. 1562.d
Subtilitas in superuacaneis vitanda. 438.b
Suggillare quid significet. 1204.d
Συνέχειν apud Iudæos. 120.b
Superbia infidelitatis radix. 1206.a
Superborum consilia. 931.d
Super eam,id est contra eam. 406.a
Super me,id est propter me. 653.c
Supererogationis opus. 81.c.419.d
Superiorum facta ab inferioribus non diiudicanda.1444.a.eorum obseruantia. 999.c.d. eorundem humilitas & moderatio. ibidem.d
Superlatiuus pro comparatiuo Græcism. 1839.b
Superstitiosos Caluinus eos, qui fimbriam Christi tangebant, dicit. 320.a
Supersubstantialis panis. 148.c
Surgere accusatoris est in iudicio. 275.b
Suscitare filios Hebraismus. 75.a
Sustinere hîc,id est manere. 613.c
Sycomorus qualis arbor. 1213.a
Syllepsis scripturæ familiaris. 330.b. 454.c.502.a.564.b.661.b. 702.c.763.d.852.d
Synagoga die sabbati congregabatur. 261. e. Ecclesia non dicitur.388. a. dicitur & congregatio & templum. 98. c. sicut artefactæ similis. 461.a
Synagogæ princeps quis. 214.c
Synagogæ templa Iudæis. 139.c
Synagogæ consuetudo. 1016.b
Synagogis expelli malum summum Iudæorum. 1847. b. & 1848.a
Synecdoche in scripturis frequens. 952.b.c
Synecdoche. 1088.e
Sytiacè an scripserit Matthæus. 265.c
Syrophœnices qui. 331.c

T

TAbernaculum cur facere velit Petrus. 365.a
Tabernaculum in ciuitate Nobe. 261.b
Tabernaculorum festum templi adæu solemne apud Iudæos. 1462.a.octo dies celebrati solitum.1597.c. horum primus, & nouissimus celebriores. ibidem,d
Tabulæ secundæ mandata. 417.b
Talentum defodere quid sit. 551.d
Talenta Christianis omnibus data. 518.c
Talentorum decem millia quantum valeant. 394.d
Tangit Christum qui fide accedit. 215.c
Tangebat Christus quos sanabat. 805.a
Tangi cur noluerit Christus à mulieribus. 714.c
Tangendo cur Christus sanarit. 182.d
Tecta plana in Palæstina. 95.d.510.a
Super Tecta Iudæi cœnabant. 510.a
super Tecta prædicare. 245.c
Τοιοῦτος quid proprie. 1131.b
Telonium publicanorum quid. 207.b
Tempestas occasio miraculi. 460.c
Tempestates immittuntur à Deo. 194.d
Templum in monte Moria fuit.93.c tertium ab Herode structum.503.b. tæ ædificant Iudæi consensu iuliant. 503.d
Templum pro tabernaculo positum. 884. c. frequentandum Christianis exemplo & fructu Annæ 990.c. religio. 995.c
Templum ter in anno adeundi lex inter Iudæos. ibidem.
Templi de destructione loqui periculosum. 150.c
in Templo iurare quid. 492.a
Templorum ornamenta Caluinistæ reiiciunt. 564.d.814.d
Templa adeunda diebus festis. 995. c. sacrificia Iudæi, nisi in templo Ierosolymitano Deo offerre non poterant, orare vbique potetant.1414.c.eius tres partes erant.883.a. tertiæ ædificatum. 1374.b
Te apus suum quid vocat Christus.1577.c. vsque ad iudicium breue est. 1862.c
Tem pris ordo non seruatus in Euangelio. 162.b.200.a
Temporis non habetur ratio sed laboris. 433.a
Temporum in verbis differentiæ interdum confunduntur. 892.b.c
Tenebræ quantæ erunt si lumen &c.155.b. exteriores quænam sint. 189.c.an per vniuersam terram in passione. 670.a
Tenebræ omnes res aduersæ.948.d.duplices in scriptura.983.c.
pro morum prauitate.1299.a.pro morte.ibid.c.pro afflictionibus.1300.d.pro hominibus malis. 1302.c
Tentare varia significat. 87.d
Tentare quomodo dicatur Deus. 152.a
Tentari cur voluerit Christus. 88.d
Tentari nos patitur Deus,vt probemur,purgemurque. 210.a. cribrari tentationibus. ibidem.
Tentario quid sit. 15.d
Tentationes maiores ferunt probi. 744.c
Tentationes pro persecutionibus. 1227.b
Tentator nomen diaboli. 91.a
Ter solùm Petrus negauit Christum. 630.a
Ternarius numerus perfectionem significat. 1954.a
Terra viuentium cœlum. 105.a
Terra pro hominibus qui eam incolunt. 109.c
Terra pro vtero mulieris in scriptura poni solet.915.a.& 948.c
Terræ motus signum iræ Dei. 678.c
Terram in Ecclesia qui occupent. 1125.b
per Terram iurandum non est. 130.a
Terrena etiam pollicetur Christus. 104.c
Tertullianus licet hæreticus citatur.186. c. quid de eolum ba senserit. 85.b
Tertulliani sententia de fuga,fugienda est.244.a.eius error de prophetia Ioannis. 251.a
Tertulliani, vel qui apud eum libri de Trinitate auctor est, lapsus.917.d.locus Nestorianæ hæresis suspectus refellitur. ibid.d e
Tertulliani sectarum error de mortuis. 395.d
in Tessaradecades genealogia cur diuisa. 31.b
Testamentum διαθήκη potius quam fœdus. 600.d
Testamentum nouum vbi constituerit Christus. dict. 602.c.d
Testamenti veteris triplex diuisio. 1260.c.d.e.noui & veteris idem Deus.1450.c.1495.d.e.1648.c.locus eius ex ms. 1936.c. 1937. a
Testes adhibendi in correctione. 387.d
Testimonium dæmonum repudiat Christus. 744.b
Testimonium duorum hominum verum est. 1620.d
in Testimonium aliquid agebant Iudæi. 243
in Testimonium contingit. 242.c
Tetrarchæ reges appellantur. 303.a
Tetrarchia quid sit. ibidem
Thadæus Iudas. 255.c
Themistiani hæretici. 516.c
Theodorus Mopsuestiensis suspectus auctor in mysterio Trinitatis. 1287.b.1292.d. damnatus in quinta synodo Constantinopolitana. 1295.a
Theodori Heracleensis locus ex ms.Vaticano. 1907.d.de processione Spiritus. 1861.c.d
Theophilus quis fuerit,ad quem Lucas scribit. 875.b
Θεόπνευστον verbum est propriè rerum diuinarum. 1523.c
Thesaurus pro penu. 298.c
Thesaurus est vbi cor,prouerb. 154.c
Thesaurus cur dicatur vita æterna. 420.d
Thomas absens Spiritum sanctum accepit. 1919.c
Thopheth locus pœnarum. 123.a
Thus quotidie in templo bis adolebatur. 883.a.c
Tiberiadis mare vnde dictum. 97.a
Tibicines in funeribus. 216.a
Timere,& admirari idem aliquando. 207.a
Timere Deum,Deum colere. 326.b
Timor Dei pro omni cultu eius. 95. b. ex reuerentia ortus. 207.a
Timor pro religione & reuerentia in scriptura. 939.c.& 1037.c.
Ieruilis bonus.1149.a.ex conspectu Angelorum. 886.c.887.a
Tinguere vertit Tertullianus βαπτίζειν. 722.b
Tituli librorum scripturæ vnde sint. 11.b
Tituli an latronibus appositi sint. 678.a
Tituli Christi verba quæ fuerint. ibid.c
Tonitrui filij Boanerges. 762.b
Tonitrua voces Dei. 1750.a
Torcular quid sit in parabola. 464.d
Totum pro maiori parte dicit scriptura. 94.c
Traditio Apostolica ieiunum communicare. 579.c
Traditio,in sola Ecclesia veritatis confirmatio est. 1434.c
Traditionis Iudæ auctor Deus secundum Caluinistas. 568.a. 576.b
Traditione hæretici tueri se non possunt. 1434.c
Traditiones seniorum.322.a.Catholicæ defenduntur. 326.d
Traditiones & Ecclesiæ præcepta. 1834.c
Traditionum genera tria. 326. c. hostes Sadducæi & Caluinistæ. 72.c
Traditus fuit à se,& à Patre Christus. 555.c.556.a
Traducere quid significet. 56.d
Transfigurandi verbum Latinum est. 362.c
Transfiguratio regnum Christi. 360.b
Transfiguratus cur fuerit Christus. 361.b
Transfiguratus est in Galilæa Christus. 374.c
Transformandi verbum num melius quam Transfigurandi. 3614c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Trans Hebraicè, tam citra, quàm vltra. 96.c
Trans Iordanem regio quædam. 758.c
Trans Iordanem terra quæ dicatur. 96.d.e.98.d.309.a
Transire idem valet quod perire. 114.c
Transſubſtantiatio exemplis probata. 595.d.de ea Patrum teſtimonia. 594.c
Tribulationes, tentationes dictæ, & quare. 1227.b
Tribunalia apud Iudæos tria. 120.b
Tribus diebus & tribus noctibus. 274.d
Tribus Iſraël omnes homines denotant. 427.b
Tribus decem à captiuitate non redierunt. 236.d
Tributum quodnam Iudæi ſoluerent. 375.a.478.d.Chriſtiani ſoluere debent. 376.c
Triceſimum ante annum nemini licuit apud Iudæos ſacerdotis, doctoris, aut prophetæ officio fungi. 951.a.1002.b.c
Triginta anni ætas doctoris. 65.c
Ttiginta Francis Gallicis venditus Chriſtus. 567.a
Trinitas ex Iſaia. 1017.a
Trinitatis opera externa perſonis communia. 35.c
Trinitatis myſterium probatur. 724.b
In Trinitate Filius à Patre eſt. 1287.d.æqualis Patri. 1281.d.e. 1288.b. tamen ab eo diſtinctus. 1477.d. vnigenitus modo quodam proprio. 1319.d. 1332.a.verus Deus.1289.tota.& 1292.d. æternus. 1284.c.genitus à Patre. 1284.a.perſona à Patre diſtincta. 1287.b. auctoris nomine in Trinitate abſtinendum. ibid.d.e
Triſtitia ſomnum gignit. 615.c.in Chriſto quomodo fuerit. 611.c
Tritici menſura datur ſeruis. 518.d
Triumphum ne ante victoriam. 441.e
Triumuirum tribunal Iudaicum. 120.b
Tropiæ hæretici. 1315.c
Tuba regiæ maieſtatis indicium. 515.b.c
Tuba vera-ne an metaphorica in iudicio. ibid.c
Tuba populus conuocatur Iudæus. 139.a
Tubæ clangor ad terendum. 515.c
Tunc non idem punctum temporis ſignificat. 59.a
Tunc non proximum tempus ſignificat. 511.a
Tunica Chriſti ſorte obuenit. 657.b
Tunicas ferre prohibentur Apoſtoli. 258.c
Turbam quot modis fugiat Chriſtus. 101.e
Turcæ templum ingreſſuri calceos ponunt. 76.c
Turpe lucrum arceetur à templo. 641.c
Turris in parabola quid denoret. 464.b
Turris Ader, ad quam primùm ab Angelis decantatum eſt Gloria in excelſis. 962.d.e
Tyrij auditum Chriſtum veniunt. 758.c
Tyrus ciuitas Gentilis. 263.a

V

VAde, Hebraiſmus eſt concedentis. 190.d
Vade in pace, modus cum ſalutatione dimittendi. 1049.a
Valentiniani refelluntur. 998.d. abuſi numero dierum præſcripto vſque ad circumciſionem. 536.c. negabant Chriſtum veram carnem habuiſſe. 1361.c. alium veteris, alium noui teſtamenti faciebant Deum. 1495.d. negant Chriſtum eſſe filium eius Dei, qui mundum condidiſſet. 1550.a
Vaſa, ideſt ſuppellectilem diripit. 267.a
Vaſa fictilia humana corpora. 524.d
Vectigal capitationis. 913.b
Venialia peccata quotidiana dicit Auguſtinus. 880.d
Venite poſt me, Hebraiſmus. 98 b
Venire dicitur Chriſtus cùm opitulatur. 244.c
Ventrem Hebræi intimam hominis partem appellant. 1599.d
Verbum Dei ſuppoſito Hebræorum more. 219 b. 776.c.778.e. 788.b.& 804.a
Verbum Dei per ſe fructum profert. 774.d
Verbum, pro re quauis, apud Hebræos. 748.b. 883.d.e. 875.e 919.a.b. 970.c.d. otioſum quodnam ſit. 272.a
Verbum non actionem ſed conſuetudinem ſignificans. 375.c
Verbum Dei non audiendum ſolùm, ſed etiam cuſtodiendum. 1090.c
Verbum patri æquale. 1288.b.1319.e. quomodo caro factum. 1319.b
Verbi nomen pro filio Dei. 1280.e. ſoli filio in Trinitate proprium. 1275.e. cur ſic appellerur filius Dei. 1276. b.c. d.e 1277.a.b.c.d.e. 1281.c.
Verbi nomen melius in filium Dei conuenit, quàm nomen ſermonis. 1280.b
Verbi Dei malus auditor.1168.c.putitas,& celeritas.1278. b.c. efficacitas.1451.c.1452.b. 1471.a.ſuauitatis, & elegantiæ plenum. 1022.a.b
Verba ſæpe non effectum, ſed affectum ſignificant. 815.d
Verba Chriſti ſonandi vim habebant. 801.a
Verbis ipſis auctoris vti auctoritatem conciliat. 801.d
ex Verbis tuis iuſtificaberis. 272.c
Veritas, & ſpiritus vmbris, & ceremonijs opponuntur. 1892.c dicitur rectitudo & perfectio, Hebr. 1641. b. & ſtabilitas. 1807.d.ſumitur pro impletione figurarum, & promiſſionum 1320.c.& 1321.c.pro cauſæ æquitate. 1490.a. pro opere recto apud Hebræos. 1405.b. quomodo liberat. 1634.d.e. 1635.a
Veritatis & legis antitheſis. 1328.e. plenus ſolus Chriſtus inter homines. 1320.e. quomodo ibid.
Veritatis ſpiritus cur dictus Paracletus. 1807.c
Veritatem interdum deſiderio veritatis non credimus. 1258.c
Vermis non moritur damnatorum. 819.a
Veſtibus Spiritu ſancto afflati Deum in ſcripturis laudare ſolent. 981.a
Veſpera diei finem mundi. 437.b
Veſperam Hebræi totam noctem appellant. 692.c. inter duas veſperas quid ſit. 547.b. inter eas agnus comedendus. 570.b.c
Veſpere ſabbati quid ſit. 692.c
Veſpertinus rubor ſerenitatem 338.a
Veſtem quando ſciderent Iudæi. 627.c
Veſtes Chriſti diuiſæ. 657.a. latronum an diuiſæ ſint. ibid.d
Vetus teſtamentum appellatum Moyſes,& prophetæ. 1184.d. in eo vitæ æternæ doctrinæ. ibidem e
Via veritatis difficilis. 171.a
Via ad Patrem Chriſtus quot modis. 1798.a. ad regnum cælorum recta. 1061.e
Viam maris, id eſt verſus. 96.c
in Viam gentium ite. 236.c
in Via iuſtitiæ, ideſt per modum iuſtitiæ. 463.b
Vicarius Chriſti Petrus. 344.d
Victima ſale ſalietur. 820.e
Victimæ dicuntur, qui puniuntur. 811.e
Videre & intueri diuerſa ſunt. 339.c
Videre mulierem, id eſt oculos iniicere in eam. 125.a
Videre & audire pro eodem accipiuntur. 1636.d
Videre pro ſufficienter cognoſcere. 1318.c
Videre regnum cœlorum, pro poſſidere. 1384.b
Videre vitam æternam, frui vita. 1900.c
Videri velle benefacere culpa non eſt. 140.b
Viduarum fructus centeſimus. 290.b
Vigiliæ noctis quatuor apud Iudæos. 130.c.435.c
Vigiliæ noctis militares,& paſtoritiæ,& earum ratio. 962.c.
Viliſſima etiam curat Deus. 359.b. cum fœno comparantur. ibidem
Villicus,& villicare quid. 1158.b.c
Vindictam à Deo ſanctos petere, quomodo intelligendum. 1204.a
Vinea plantata quid ſignificet. 464.b
Vinea Domini eſt Eccleſia. 1123.b.eius coloni. 464.c.1123.d
in Vineam mittuntur operarij. 431.d
Vinum genimen vitis. 702.a
Vinum myrrhum Chriſto datum. 655.c
Vini abſtinentia. 890.c
Viperarum progenies Phariſæi. 731.
Virga Apoſtolis prohibita. 239.a.b
Virgis quibuſnam cæſus Chriſtus. 651.c
Virginitas ſumma virtus. 522.b
Virginitas minimè ſuſpitioſa eſt. 905.c
Virginitatis donum omnibus datur. 409.a.b
Virgines fatuæ oleo carent 522.c
Virginum fructus centeſimus. 290.b
Viri & vxoris par cauſa. 127.d
Viri ſoli numerantur à Iudæis. 514.c
Virtutes cur dicantur miracula. 78.d
Virtutibus ſuis nemo confidat. 522.b
Viſio clara,& antea diuinæ eſſentiæ nulli in hac vita communicata. 1330.e
Viſitare quid in ſcriptura ſignificet. 941.b.1219.d
Vita æterna theſaurus quæ dicatur. 420.d
Vita auſtera imbecillibus non conuenit. 212.c
Vita communis Chriſti vita. 211.c
Vita appellatur lux. 1299. e. corporis duplex, itemque animi. 1534. b. non prorogatur diuitijs. 1102. b. longam qui ſibi promittunt, ſtulti. 1104.c. cur cum die ac nocte comparetur. 1111. d.e. triplex, naturalis, moralis, & ſupernaturalis. 1554. a
Vita altera quomodo huic vitæ ex contratio reſpondeat. 1181.b.æterna cibi & potus voluptate, ac ſatietate deſignatur in ſcriptura,& quàm ob cauſam. 1229.a.Filij Patriſque cognitio. 1878.d.num in intellectu conſiſtat. 1879.c
ad Vitam æternam neceſſaria mandata Dei. 416.b
Vitæ duæ, actiua & contemplatiua. 1051.c
Vitij via facilis. 1171.a
Viuere, pro liberatum eſſe inſtante morte. 1418.a
Viuus Deus cur dicatur. 542.c
Vltio non quærenda. 1131.c
Vmbra mortis apud Hebræos quid. 949. b. in ſcripturis ſæpè protectionem ſignificat. 914.c
Vnam metij, idem vnum. 1167.c
Vngunt egros Apoſtoli. 788.d.& 790.d
Vngebantur corpora mortuorum. 565.a
Vngi quænam partes corporis ſolerent. 560.a.b

Vngi ſe cur permiſerit Chriſtus. 565.c
Vngi ſolebant Orientales in conuiuijs. 563.c
Vngendum caput ieiunanti. 154.a
Vnguenti alabaſtrum quid ſit. 562.a. effuſio charitatem indicauit. ibid.c
Vnguenta in conuiuijs Orientalium. 1041.d
Vnigeniti dicti etiam primogeniti. 42.c
Vnigeniti filij dilecti dicti. 84.c
Vnus apud Hebræos pro primo. 156.a.694.c
Vnum, de vnitate poteſtatis,& naturæ. 1698.b.quomodo ſint diſcipuli cum Chriſto. 1888.a.b
Vocabulum idem eodem loco interdum diuerſo ſenſu ponitur. 1379.e.1509.a.1534.a
Vocare multis modis ſolet Chriſtus. 1771.b
Vocati debent Eccleſiæ Doctores. 329.a
Vocari in ſcriptura idem quod eſſe. 108.c.116.c. 907.d.916.c. 918. d
Vocati ſunt multi. 438.c
Vocationis inconſtantia in ijs, qui maximè feruentes videbantur. 1491.e
Vocationi reſpondendum. 1213.c.1444.b.c.1445.c
Vocationes Apoſtolorum variæ. 97.c
Voce Chriſtus cur vſus ſit in Lazari ſuſcitatione. 1730.b
Vocem Deus non habet. 1493.c.d.quomodo tamen interdum dicatur vox Dei. ibidem,d
Voces Dei tonitrua appellati ſolent. 1750.a
Volatilia cœli reſpicite. 156.c
Voluntas Dei permittens & abſoluta. 401.b
Voluntas Dei vt fiat petimus. 146.c
Voluntas Dei antecedens,& conſequens. 1886. b. poſita pro carnali concupiſcentia.1313.c.propria,peſſimus conſiliarius. 1488. b
Voluntatem ſolam Deus malignis allegat. 433.c
Voluntates in Chriſto duæ. 614.c
Voluptatum aqua non ſatiat. 1429.c
Vouendi formula Iudaica. 324.b
Vox de cœlo in Chriſti baptiſmo. 86.a
Vſque, quomodo intelligarut in ſcriptura. 42.a.& 726.d
Vſura in parabola quid ſignificet. 534.a
Vſuram non probat Deus. 533.c
Vt, particula, ſæpè non cauſam, ſed euentum & conſequentiam ſignificat. 58.a.112.b. 989.c. 1659.b.1673.c.1708.c.1760.a. 1785.b. 1818.b. 1838.a. non ſolùm euentum, ſed & cauſam apparentem ſignificat. 1889.d
Vterus mulieris terra vocari ſolitus in ſcriptura. 915.a.948.c
in vtero habere, Græca phraſis. 35.a
Vti veteri Iudas comparatus. 31.b
Vtres veteres quid denotent. 112.d
Vulgata editio defenditur. 214.a.219.c.363.a.516.c.corrigenda. 438.a
Vulgata editio Latina Bibliorum non facilè mutanda. 1092.c
Vulgatiter non ſubtiliter loquitur ſcriptura. 158.b
Vult eum, ideſt amat eum. 660.d
Vuluam aperire, aut claudere in ſcriptura quid. 976.b.& matris Chriſtus quo ſenſu apperuiſſe dicatur. 976.a.c
Vxor hæretica dimittenda. 126. c. pro Chriſto quomodo derelinquenda. 427.d
Vxor & vir quomodo vna caro. 400.a
Vxoris & viri par cauſa in Euangelio 127.d
Vxori adhærere quid ſit. 400.b.dimiſſæ nubere non licet. 405. d.e. an liceat plures vitos habere. 399.d
Vxorem an liceat dimittere. 398.b.Iudæis qui licuerit. 126.a. 401.d
Vxorem inuenire non poſſe bonum eſt. 404.c
Vxores alienigenas ducebant Iudæi. 17.c
Chriſtum quibus de cauſis dimittant. 126.c. dimittendo an peccarent Iudæi. 402.d.plures Caluiniſta permittit. 399.c

Z

ZAcharias filius Barachiæ. 497.c
Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, an ſummus ſacerdos fuerit. 884.a.885.a.qua forma ei angelus apparuit. 885. qui. 893. d. 894. a. non mutus ſolùm, ſed etiam ſurdus effectus. 895. a. d. e. etiam mutus & ſurdus in templo permaneret ſacerdotali. 896. e. eius canticum dictum propheria. 940. c. d
Zachariæ loco an citatus ſit Hieremias. 643.b
Zachæus locuples. 1212.b. diſpoſuit ſe ad gratiam à Chriſto recipiendam. 1213.c. accepit plusquam ſperabat. ibid. reſpondit diuinæ gratiæ. ibid. de videtur fuiſſe Gentilis. 1214. a
Zebedæi filij Boanerges. 762.a
Zebedæi filiorum mater ſoror Beatæ Virginis. 440.b
Zebedæi filiorum peritio. 440.a
Zebedæi Iacobus ſub filius. 235.d
Zebedæi vxor Salome. 814.a
Zelare non licet Chriſtiano. 439.c
Zelotæ ſeditionis duces. 508.c
Zelotes Simon vnde dictus. 236.a
Zizaniorum parabola. 291.a
Zona Ioannis pellicea. 70.a

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ERRATA.

Primùm vt index vterque vsui esse possit, corrigendi sunt hi numeri columnarum, Post 14. pro 19. & 17. scribe 15. 16. & rursus post 139. pro 142.143. scribe 140.141. Item post 197. pro 202.203. scribe 198.199. post 247. pro 238.239.240. scribe 248.249.250. & sic deinceps vsque ad 254. post 257. pro 248.249. scribe 258.259. post 263. pro 254.255. scribe 264.265. post 269. repetit iterum 259. & quæ sequuntur vsque ad numerum columnæ 269. quæ sequitur. quare quod in vna ex his columnis non reperies, in alia reperire poteris propter repetitionem numerorum. post 840. vsque ad 847. numeri omissi sunt, sed nihil interest, nam vt sunt, secuti sumus in nostro Indice, vt probè inuenies. post 1365. pro 1362.1363. scribe 1366.1367.

Columna 2. b. linea 2. ἐναγγελίζεσθαι. col.7.a.lin.7.certum. 7.a.12.hæreticorum. *ibid* a.13.prædicantibus. *ibidem eadem linea,* Iudæa. *ibid.* a.14.popularibus. *ibid* b.3.de. 11.b.2.Ex quo perspicuum. 31.b.10.generationes. 63.d.10. Natzaræus. 72.c.10. id est. *ibid.* c.13. *vocabulum Hebræum inuersum. ibid.* d. 10. Nazaræi. *ibid.* c. 2. docendi. 79. a.8. grauissimam. 87.c.7. Baptista. 88.d.4. Euangelium. 89.b.4. noctibus. 93.d.4 planæ. 98.c.3. baptismo. 110. b.2. conculcetur. 117. *in additione,* Pharisæorum. 119.d.13.sic. 121.c.10. תוב טשפט. 128.a.12.multos. 130.b.11.sit. 141. *in additione,* publico laudabilis. 145.b.10.es. 151. *in additione,* iniuriæ. 156. b.15. penè. *ibidem* d. 2. Chrysost. 162 c.10. bene. 166. d.2. baptizati. 175.c.1. scholis. 238.c. *vltima linea:* ὑπεδήματα. 247.c.2.inuenit. *ibidem.* c.14. difficile. 247.d.14.propheta. 253.b.13.Quid. 256.c.11. humillimus. 261. *in additione* I. panes. 324.c. *vltim.lin. vocabulum primum Hebraicum debet esse secundum.* 335.336. *in textu capitis* XVI. *in antepenultima linea* dicentes. 394.a.1.deferendum. 781.c.1.sed tanquam. 891.a.8. Et multos. 892.a.1 sunt. 899.a.1. esset natu. 1432.c. *vltim. lin.* sentiebant. 1721.a.1.filiúmque Dei.

Si quot alia inueneris, vt poteris inuenire, ex te ipso corrigito; nam hæc solum transcurrendo collegi, quoniam mihi non licuit per otium, neque datum est mihi tempus plura hic inserere. Vt nu[illegible] dic[illegible] equi, bonique consule.

c.neg[illegible]r Ch

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca